Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
26 H
6 17

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

52
A
14

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

8.23.H.5

SPECVLVM VERÆ ECCLESIAE CHRISTI AC FALSARVM ECCLESIARVM

In quo

ECCLESIAM CATHOLICAM ROMANAM ESSE VERAM ET UNICAM CHRISTI ECCLESIAM; ALIOS VERO QUALESCVNQVE COETVS, ETIAM CHRISTI NOMEN CONFITENTIVM A ROMANA SEPAratorum, falsas Ecclesias & prætensas esse Religiones ex S. scriptura & Patribus quatuor priorum post natum Christum sæculorum: ac specialiter modernæ Romanæ doctrinam, tam S. scripturæ, quàm Ecclesiæ primitivæ, in omnibus conformem: verum modernorum Acatholicorum doctrinam, quoad omnes Fidei articulos, in quibus à Romana dissentiunt; nec in S. scriptura, prout passim jactitant, expressè legi; nec à primitiva Ecclesia traditam; sed quoad plures expressè hæreseos damnatam esse, solidè demonstratur, & clarè exhibetur.

OPUS HOC DIVISUM IN XXI. LIBROS. ET S[illegible] solum Theologis, Pastoribus ac Concionatoribus; sed etiam omnibus cujuscunque status Christianis [illegible] esse utilissimum quilibet lector facilè deprehendet.

SOC·IESV·BIBL·SEC·COLL·ROM·
IHS

Cum quintuplici Indice,

QUORUM EST

- I. Conciliorum, Patrum & Doctorum.
- II. Librorum, Capitum & Articulorum.
- III. Locorum S. Scripturæ.
- IV. Rerum præcipuarum.
- V. Concionatorius per totum annum.

Authore

R. P. F. BERNARDINO VETVVEIS, ORDINIS FF. MINORVM REGVL. OBSERV. RECOLLECTORVM PROVINCIÆ COLON. SS. THEOLOGIÆ LECTORE IVBILATO.

COLONIAE AGRIPPINAE.

Apud IOANNEM BVSÆVM Bibliopolam sub Monocerote, M. DC. LXIV.

Cum Privilegio sacræ Cæsareæ Maiestatis ac Permissu Superiorum.

Digitized by Google

Digitized by Google

Serenissimo Principi & Domino,

D. ERNESTO,

HASSIÆ LANDGRAVIO, PRINCIPI HUSFELDIÆ, COMITI CATTIMELIBOCORUM, DIETZÆ, Ziegenheimæ, Niddæ, & Schavvenburgi, &c. Domino nostro Clementissimo.

Serenissime Princeps, &c.

CAusas, ob quas hoc Opus Controversiarum expediendum susceperim, in Præfatione ad Lectorem expono; nec dubito, quin Sereniss. Cels. Vestræ rationabiles, justæque videbuntur: licèt enim Opus illud pro materiæ suæ dignitate ab aliis doctiùs & meliùs perfici potuisset; sicut & alia majora ab aliis plurimis viris doctissimis optimè perfecta sunt; causæ tamen allegatæ id à me intermittendum non esse, non solùm me; sed & alios viros gravissimos, qui ad id me cohortati sunt, commoverunt: sicut similes causæ ante annos ultra viginti me incitârunt, ut compendium controversiarum Latinè, sed Glaubens Schild Germanicè intitulatum, quod per plurium manus transiit, contra vanam cujusdam viri nobilis etiamnum in Geldria degentis jactantiam, conficerem; & prælo committerem: principaliter ad ostendendum; quòd doctrina fidei Ecclesiæ catholicæ Romanæ in puro Dei Verbo fundaretur; cùm Nobilis ille in contrarium certas quasdam quæstiones sub hoc initio: *Ubi, vel quo S. Scripturæ loco habetur?* ex *Petri Molinæi* opusculo, *Effugium Joannis Arnoldi Jesuitæ* vocato, excerptas, tanquam suo genio conceptas, passim Nobilibus catholicis obtruderet; & tanquam invictas, & juxta eas fidem Romanam à Verbo Dei alienam esse, quibus nunquam à catholicis satisfactum fuisset, vel satisfieri posset, insolenter proclamaret. Ego èco ntra plurimas quæstiones circa Acatholicorum fidei dogmata, ubi in S. Scriptura haberentur vel legerentur? justius proposui, & responsum exegi; cùm ipsi solum Dei Verbum scriptum agnoscant, omniaque fidei dogmata in illo clarè legi debere jactitent; alioquin frustra à nobis ista exigerent: sed ad illas hactenus nunquam mihi responsum est, nec responderi potest: cum certum sit, quod nullum fidei dogma, in quo Acatholici ab Ecclesia Romana dissident, in ipsa S. scriptura legatur, vel habeatur: Ostendi autem, quod Ecclesia Romana catholica plerosque fidei suæ articulos, etiam illos, quibus Acatholici contradicunt, in S. Scriptura legat; & cæteros omnes ex Verbo Dei ab Apostolis tradito doceat: quod verum Dei Verbum esse in illo Opusculo clarè probavi, & in hoc Opere probatur.

Sic novâ occasione ab alio Nobili Anglo mihi datâ; & libellis quorundam Anonymorum provocatus, qui sanctos Patres & Ecclesiam Christi primitivam, pro suæ fidei, in quibus ab Ecclesia Romana dissident, dogmatibus stare, jactitarunt; hoc Opus divino implorato auxilio incepi: in quo principaliores fidei articulos hodierno tempore controversos pertracto; eosque, prout ab Ecclesia Romana docentur, sacræ scripturæ conformes, & in primitiva Ecclesia creditos, ac à sanctis Patribus unanimiter doctos fuisse; è contra verò nullos Acatholicorum fidei articulos, in quibus nobis cum illis controversia est, à sanctis Patribus doctos; quin potius plures ex illis expresè hæreseos damnatos esse, demonstro: Ad quod proinde non novis fundamentis aut argumentis, ad quæ curiosi lectores sæpe anhelant; sed antiquis, claris, & expressis SS. Patrum testimoniis; & eorundem circa S. Scripturam interpretationibus utendum fuit.

Hæc summa præsentis est Operis: quod ex ipsius Verbi Dei authoritate, ac sanctorum

Digitized by Google

rum Patrum testimoniis, quibus constat, præcipuum & irrefragabile patrocinium habet.

Quia nihilominus in more positum est, ut Opus aliquod literarium in lucem edendum; præsertim quo ad personam Authoris, ejusque operam, certo alicui nuncupetur & dedicetur Patrono; qui id suâ authoritate defendere, suæque dignitatis splendore illustrare possit, & velit; Sereniss. Cels. Vestra imprimis mihi adhoc deligenda fuit: in qua omnia ista collectim reperio: eâ enim Cels. Vestra pollet in rebus fidei scientiâ, & dignitatis excellentiâ, ut illud defendere & illustrare possit; nec ipsi quicquam antiquius esse constat; quam volvere, & revolvere, & satagere ea, quæ ad fidei veræ defensionem & propagationem conferunt; ad quam per singularem Dei gratiam pervenit.

Constat namque quod Cels. Vestra, licèt inter arma nata & educata, ac in iisdem exercitata; tamen ab infantia in sacrarum literarum studio ita sese gesserit; ut plures magnam de ipsa in eodem singulariter proficiendi spem non inaniter conceperint; licèt illi hoc studium ad reformatam, ut vocant, Religionem tuendam fovendámque intenderent; & idcirco authores fuerint suadendi, quatenus ad externas nationes, adjuncto prædicante individuo comite, ubi illius doctrinæ excellentiores Magistros audiret, proficisceretur: quod ipsum divina providentia pro sua clementia dubio procul direxit; ut pluribus illius doctrinæ celebrioribus auditis Magistris, eorum in vera fide defectus Celsitudini Vestræ manifestarentur; ac sic *Magistri isti* (prout D. Augustinus lib. 5. confess. cap. 7. sibi cum Fausto Manichæo celebri Doctore contigisse scribit) *qui multis mortis laqueus extiterant* Cels. Vestræ, *quo ab infantia captus erat, relaxare cæperunt, nec volentes nec scientes.*

Itaque Cels. Vestra Dei interius præveniente & cooperante gratiâ, lumen Catholicæ veritatis magis magísque inquirere & agnoscere cœpit; quam agnitam coram toto mundö meritò professa est; & ad ejusdem agnitionem omnes quotquot in errorum tenebris hærent, venire desiderat; atque singulari Principe digno charitatis zelo ad eandem perducere studet. Quare jure merito opus hoc, ad illum finem confectum Sereniss. Cels. Vestræ patrocinium efflagitare videtur.

His accedit; quòd, quia libri edendi patronis certis, etiam ingrati animi signum, dedicari solent; ego memor singularis Sereniss. Cels. Vestræ erga me, licet immeritum clementiæ & favoris, ac in ordinem nostrum beneficentiæ, hoc ipsum opus eidem dedicandum & offerendum jure merito judicavi; confidens, quod hoc ipsum tot titulis debitum Sereniss. Cels. Vestra in suam tutelam suscipere, & ad multorum salutem ac solatium promovere dignabitur: Quam Deus ter Opt. Max. cum Sereniss. Domina conjuge Landgravia, & Sereniss. Filiis junioribus principibus in diuturna sanitate & prosperitate, ac specialiter in sua gratia usque in finem conservare; totam autem Sereniss. Hassicam Domum ad antiquam, quæ in S. Elisabeth, & anterioribus Hassiæ Principibus emicuit, Fidem & pietatem reducere dignetur. Ita opto & Deum oro. Dabam in conventu FF. Minorum Recollectorum ad Olivas, Coloniæ 12. Martii Anno 1663.

Sereniss. Cels. Vestræ

humillimus Servus

F. BERNARDINUS VETWEIS.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO
ad candidum Lectorem.

CVm *Fides vera*, quæ meritò *Catholica* appellatur *humanæ salutis sit initium, fundamentum & radix omnis justificationis*; prout Concil. Trid. sess. 6. cap. 8. profitetur, juxta illud Hebr. 11. v. 6. *sine fide impossibile est placere Deo: Fides* autem *una sit, sicut unus Dominus, unum Baptisma* Ephes. 4. v. 5. evidens est; quod quicunque ad æternam salutem aspirat, ante omnia opus habeat, ut à Deo petat, quatenus veram fidem, quæ supernaturale *Dei donum est* Ephes. 2. v. 8. si illam non habeat, à Deo per merita Christi accipiat; vel in illa obtenta conservetur. I.

Fides hæc circa plurima à Deo revelata versatur; quæ Deus partim per Prophetas suos in veteri testamento, partim per Filium suum unigenitum proprio ore promulgavit; & postea per Apostolos tanquam *fontem omnis salutaris veritatis & morum disciplinæ* omni creaturæ prædicari jussit. Hæc sic revelata & prædicata verè dicuntur & sunt *verbum Dei quod est infallibile*; quia nititur sola authoritate, seu veritate Dei revelantis: quod partim certis, qui S. Scriptura vocantur, canonicis libris Spiritu Sancto dictante & dirigente conscriptum; partim ab Apostolis Ecclesiæ oretenus traditum, & in ea continuò usque ad hæc tempora conservatum est: cui vera fides infallibiliter inhæret, & quilibet fidelis firmissimè credere, ac attendere debet, tanquam *lucernæ ardenti in caliginoso loco* 2. Petri 1. v. 19. cùm sit unica certissima fidelium *pedibus lucerna* ps. 118. v. 105. II.

Quamvis autem nulla ab initio Ecclesiæ fuerit Hæresis, quæ non agnoverit aliquod scriptum Dei Verbum; omnes tamen Verbum Dei traditum, quo magis erroris convincebantur, pertinaciter repudiarunt; quod nihilominus verum Dei Verbum esse suo loco clarè etiam ex ipso Verbo Dei scripto probabitur. Sed nec quoad scriptum Dei verbum Hæretici integrè acquieverunt; sed diabolo instigante plurima moverunt; dum sub vario fallaci prætextu; vel hunc aut illum S. Scripturæ librum; vel aliquas illorum partes verè Verbum Dei à Spiritu Sancto dictata esse impiè negarunt; vel si literam libri vel librorum à Spiritu Sancto dictatam faterentur, perversè illam per falsas consequentias ad suum errorem exposuerunt, & detorserunt: hinc tot hæreses ab initio Ecclesiæ excitatæ sunt; Nulla enim unquam fuit, quæ licèt aliquos fidei articulos cum Ecclesia Catholica veros in S. Scriptura expressos crederet, errores tamen suos nullis claris S. Scripturæ verbis ostendere potuerit: Sed per verba aliqua S. Scripturæ in falsum sensum per falsas consequentias & expositiones detorta illos palliarunt: & sic vera aliqua clara cum Ecclesia Catholica communia suis falsis intermiscentes hominibus ingesserunt: nam ut D. August. lib. 2. qq. Euang. cap. 40. ait: *Nulla porrò falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermisceat, &c.* & sic incautos seduxerunt. III.

Hoc ipsum in modernis Acatholicis patet, qui toties à Doctoribus Catholicis moniti & provocati: pro nullo ne vel unico suo dogmate, quod Catholicæ Romanæ Fidei contrariatur, ullum S. Scripturæ textum, qui illud dogma, prout ab illis docetur, clarè exprimeret, allegare potuerunt, ut v. 9. *Sola fides particularis, quâ quis infallibiliter fide divina credit sibi remissa esse peccata, justificat.* Vel. *In sacra cœna corpus Christi non est realiter præsens, nec ore corporali fidelium sumitur.* & sic de reliquis ostendi potest, licet plenis buccis semper clament: *purum Dei verbum purum Dei verbum, ad Scripturam, ad Scripturam*: sed dum ad illam itur, ipsi S. Scripturam per ambages & falsas deductiones ad suum falsum sensum detorquent; præsertim quia verba variis modis etiam contrariis exponi possunt, qui tamen simul veri esse non possunt. VI.

Huic periculo & malo Christus Dominus animabus suo pretioso sanguine redemptis præcavere volens, prout necessarium erat, certa & clarissima remedia in ipsa etiam S. Scriptura expressa tradidit, per quæ ab impostoribus & falsis Doctoribus sibi cavere possint: inter quæ efficacissimum est, quod Ecclesiæ suæ, in se tanquam primario lapide angulari, & in B. Petro, ejusdémque successoribus ipsius Christi Vicariis, ut in secundaria à Christo dependente petra fundatæ, infallibilem Spiritus Sancti in docendo promiserit assistentiam, qui *illam doceat omnem veritatem* Ioann. 16. v. 13. ac per illam fidelibus verum Dei Verbum, ac verum S. Scripturæ sensum traderet, adversus quam *portæ inferi* (errorum) nunquam *prævalebunt* Matth. 16. v. 18. quamque Christus ita voluit audiri, ut quisquis illam non audierit, sicut *Ethnicus & publicanus* sit habendus. Matth. 18. v. 17. Iuxta quæ August. lib. de unitate Eccles. cap. 19 sic ait: *Puto si quis sapiens extitisset, cui Dominus Iesus Christus testimonium perhiberet* (scilicet quod nobis vera diceret) *nullo modo deberemus dubitare, quod ille dixisset, ne non tam ipsi, quàm Domino Iesu Christo, cuius testimonio commendabatur, repugnare iudicaremur:* V.

Digitized by Google

perhibet autem teſtimonium Chriſtus Eccleſiæ, &c. & poſt pauca: *Quod ſi non vis; non mihi, aut cuiquam hominum, qui vult iſta ſuſcipere; ſed ipſi Salvatori, contra ſalutem tuam pernitioſiſſimè reluctaris; qui ſe ſic ſuſcipiendum eſſe non vis credere; quemadmodum ſuſcipit illa Eccleſia, quam teſtimonio ſuo commendat ille, cui fateris nefarium eſſe non credere, &c.* hæc ibi, ſimiliter ait lib 1. contra Creſcon. Gramm. cap. 33. dicens: *In hac re à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus, quod univerſæ jam placet Eccleſiæ; quam ipſarum Scripturarum commendat authoritas: ut, quoniam S. Scriptura fallere non poteſt, quisquis falli metuit, hujus obſcuritate quæſtionis, eandem Eccleſiam de illa conſulat; quam ſine ambiguitate S. Scriptura demonſtrat, &c.* hæc Auguſt. Adeoque Chriſtus voluit, ut fideles ab Eccleſia vera, tanquam ab ipſo Chriſto, & Spiritu Sancto, veritatem ac verum ſacræ Scripturæ ſenſum accipiant; prout ſuo loco, ſicut &, quòd Eccleſia Romana ſit vera Chriſti Eccleſia, clariſſimè demonſtrabitur.

VI. Hoc ſecuriſſimum & faciliſſimum à Chriſto contra omnes errores traditum remedium diabolus videns ſuis machinationibus prorſus eſſe pernitioſum, Hæreſiarchas inſtigavit; ut duo hominibus perſuaderent: *Primùm*, quod *Eccleſia etiam vera errare poſſit*; quia ex hominibus conſtaret, qui mentiri poſſunt, juxta illud pſ. 115. v. 2. *Omnis homo mendax.* & ideo fideles non poſſint tutò & infallibiliter Eccleſiæ credere: ubi fallaciter non diſtinguunt inter homines, qui ex ſuo privato ſpiritu loquuntur, de quibus Pſalmiſta loquitur: & inter illos, qui à Spiritu Sancto diriguntur: qui ſic directi mentiri vel errare non poſſunt: alioquin nec Apoſtolis, utpote qui homines fuerunt, credendum foret.

VII. *Secundum diaboli figmentum eſt*; ut Acatholici perſuadeant hominibus; quòd ſacra Scriptura adeò clara ſit, ut quilibet veram ſacram Scripturam à falſa, & verum ſenſum à falſo diſcernere poſſit; ſicut oculus lucem à tenebris, & lingua ſuave ab amaro dignoſcit; prout *Calvinus* lib. 1. Inſtit. cap. 7. §. 2. aſſerit; ac proinde vult, quòd quilibet privatus poſſit & debeat doctrinam Eccleſiæ & Conciliorum etiam generalium ad amuſſim ſacræ Scripturæ examinare; ita ut ſi ipſi viſa fuerit ſacræ Scripturæ doctrina Conciliorum contraria, ipſam repudiare debeat. Ita *Calvinus* lib. 4. Inſtit. cap. 9. § 8.

VIII. Veruntamen quis ſanæ mentis non videret hanc extremam eſſe fallaciam & cæcitatem? dum docetur; quòd quilibet privatus ſibi certiſſimè perſuadere poſſit ac debeat; ſe, cùm Spiritum Sanctum invocârit, verum ſacræ Scripturæ ſenſum clariſſimè tenere: econtrà verò, Eccleſiam univerſalem in Concilio generali legitimè congregatam, licèt omnes Spiritum Sanctum unanimiter implorarint, & juxta ſacram Scripturam docere intendant, in doctrina Fidei contra ſacram Scripturam errare & docere poſſe: cùm ſinguli privati, etiam homines ſint, nec ſingulis privatis Chriſtus infallibilem Spiritûs Sancti aſſiſtentiam promiſerit, ſicut ipſi Eccleſiæ promiſit.

IX. Et certè, quis tam vecors eſt, qui licèt illam Spiritûs Sancti univerſali Eccleſiæ à Chriſto infallibilem aſſiſtentiam promiſſam, contra ſacram Scripturam negaret; quis, inquam, tam vecors eſt? qui non fateretur, quòd univerſali Concilio, Spiritu Sancto invocato docenti tutiùs ac potiùs credendum ſit; quàm quòd quilibet ſuo judicio, potiùs ac tutiùs ſtare poſſit, imò debeat? Ex hoc enim privato in rebus Fidei judicio, mirum non eſt, quòd tot ſententiæ naſcantur, quot ſunt capita; prout experientia in ſectis hæreticorum teſtatur. Vnde enim tot, & tam enormes hæreſes prodierunt? niſi ex illo privato ſpiritu? quis unquam hæreſiarcha fuit, qui non aſſeruerit, ſe poſt Spiritûs Sancti invocationem clarè cognoſcere, illa eſſe de Fide credenda, quæ ipſe ex ſuo cerebro fabricabat, & ex verbis ſacræ Scripturæ falsò explicatis contra doctrinam Eccleſiæ Catholicæ probare niſus fuerit? num ergo omnes & ſinguli talium, ne dicam Eccleſiæ veræ, ſed & inter ſe contrariarum hæreſum authores, veram Fidem, & verum ſacræ Scripturæ ſenſum prædicabant?

X. Et hoc quoad Eccleſiam in legitimo Concilio congregatam, adeò clarum eſt; ut ipſe *Calvinus*, dum pluribus Concilia reprobare contendiſſet, lib. 4. Inſtit. cap. 9. tandem §. 8. ſic dicat: *Quid ergo? inquies, nullane erit in definiendo Conciliorum authoritas? imò verò*, &c. *at cogis tandem (inquies) omnia in ordinem, ut cuilibet in medio poſitum ſit recipere vel repudiare, quod ſtatuerunt Concilia? minimè vero*; & hæc bene, ſed coactè. Verùm ſubdit dicens: *Sed enim, quoties Concilii alicujus decretum profertur, expendi primum diligenter velim, quo tempore habitum ſit*, &c. *deinde illud ipſum, de quo agitur, ad Scripturæ amuſſim examinari; idque in eum modum, ut Concilii definitio ſuum pondus habeat, ſitque inſtar præjudicii; neque tamen examen, quod dixi, impediat*, &c. hæc Calvinus. Ecce vult, ut Concilii qualiscunque tam veteris quàm recentioris decretum, & definitio in rebus Fidei à quovis privato ultimatè judicetur; quaſi quilibet privatus certiùs & veriùs ſacræ Scripturæ ſenſum percipiat, quàm totum Concilium,

quod

Digitized by Google

quod Spiritum Sanctum invocat; & omnibus ad sacræ Scripturæ amussim ponderatis, dubia Fidei resolvit & definit; ad quod Calvinus nullum sacræ Scripturæ testimonium allegat, nec allegare potest, sed suam voluntatem statuit dicens: *Sed expendi primùm diligenter velim*, &c.

Quid hâc doctrinâ pernitiosiùs? quæ omnia adeò perturbat; ut ne quidem ipsi Acatholici hoc practicari permittant: prout patet in Concilio Nationali eorum Dordrechtano; ubi Armeniani licèt se invocato Spiritu Sancto sua dogmata juxta sacram Scripturam asserere protestarentur, absolutè damnati sunt. XI.

Aliud etiam remedium contra falsas novitates in sacra Scriptura præscriptum est; prout exprimitur Deuter. 32. v. 7. scilicet: *Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas, interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, majores tuos, & dicent tibi, &c.* Hoc ipsum multò magis valet in novo Testamento quoad sanctos Patres, qui vel Apostolorum discipuli fuerunt; vel illos prioribus sæculis tam in vitæ sanctitate, quàm doctrina secuti sunt; ac, in lege Domini die ac nocte meditati in exponendis sacris Scripturis Spiritum sanctum invocârunt. XII.

Hoc remedio sancti Patres posteriores contra insurgentes usi sunt; sic Patres secundi sæculi sese retulerunt ad doctrinam sanctorum Patrum primi sæculi; Patres tertii sæculi, ad Patres duorum priorum: & sic consequenter: prout usque hodie Ecclesia Romana observat; ùt patet ex Concilio Trident. sess. 4. in decreto de editione & usu sacrorum librorum, ubi statuit his verbis: *Sacrosancta Synodus*, &c. *decernit: ut nemo suæ prudentiæ innixus*, &c. *sacram scripturam ad suos sensus contorquens*, &c. *aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam sanctam scripturam interpretari audeat, &c.* sic etiam Catholici in Fidei protessione se facturos promittunt. XIII.

Vbi observandum, quòd Concilium notanter dicat: *Contra unanimem Patrum consensum*: quia fieri potest, & factum est; quòd subinde unus aut alter Pater in aliquo Fidei articulo necdum à Concilio generali definito errârit, salva tamen pace, sine schismate vel pertinacia, ùt contigit sancto *Cypriano* circa articulum, de non rebaptizandis illis, qui ab hæreticis in forma Ecclesiæ consueta baptizati erant: & sic D. Augustinus, & alii Patres ipsum excusant; quòd ante Concilium Nicænum, salva pace, docuerit; & ideo de unanimi sanctorum Patrum doctrina Concilium loquitur. XIV.

Et quidem quis dubitare potest? quòd in doctrina Fidei unanimi sanctorum Patrum usque ad tempora Apostolorum sententiæ potiùs standum sit: quàm aliquorum Novatorum qualiumcunque recenter conceptis dogmatibus; quæ contra sanctorum Patrum interpretationem per aliqua tamen Scripturæ loca ad suos sensus detorta sub titulo puri Verbi Dei antehac quasi sepulti hominibus ingerunt. XV.

Hoc adeò etiam lumine naturæ clarum est; ut moderni Acatholici coacti fateantur, quòd unanimi sanctorum Patrum, præsertim quatuor vel quinque priorum sæculorum sententiæ & interpretationi inhærendum sit; & ideo ad populi applausum & favorem sibi conciliandum, sanctorum Patrum testimonia pro suis falsis dogmatibus allegant; sed vel truncatè, vel contra ipsorum Patrum expressam mentem: Idipsum D. Augustinus sibi adhuc viventi contigisse conqueritur lib. 1. Retract. cap. 9. quòd scilicet Pelagius plura, ex ipsius libris de libero arbitrio, & aliis testimonia pro suo errore contra gratiam Christi allegarit; sed Augustinus Pelagium contra ipsius mentem hoc fecisse ex iisdem locis & aliis integrè prolatis demonstrat: quòd si Augustino viventi id contigerit, quid mirum, si hodie id fiat? XVI.

Vtrumque tam quoad sacræ Scripturæ, quàm librorum sanctorum Patrum abusum ab hæreticis committi solitum D. Augustinus exprimit lib. 1. de Trin. cap. 3. dicens: *Arbitror sanè nonnullos tardiores in quibusdam locis librorum meorum opinaturos, me sensisse, quod non sensi; aut non sensisse quod sensi: quorum errorem mihi tribui non debere, quis nesciat?* &c. *quandoquidem nec ipsis sanctis divinorum librorum authoritatibus ullo modo quisquam rectè tribuerit tam multos & varios errores hæreticorum; cùm omnes ex eisdem Scripturis falsas atque fallaces opiniones suas conentur defendere, &c.* hæc August. XVII.

Quamvis autem moderni Acatholici, ut dictum est, se SS. Patres plurimi facere protestentur; si tamen illorum testimoniis premantur, obsistunt, dicentes: vel illorum libros esse depravatos; vel illos alibi aliter docere; quod si non possint probare; vel si ostendatur ex sanctorum Patrum testimoniis, quòd plura ipsorum Acatholicorum dogmata ab Ecclesia primitiva erroris & hæresis in antiquis hæreticis fuerint damnata, prout in libro de Verbo Dei, & de Ecclesia ostendetur; tunc absolutè erumpunt, dicentes: sanctos Patres errasse, eorumque sententiam rejiciunt, tanquam ab hominibus prolatam: quasi verò ipsi homines non essent. XVIII.

Sic *Lutherus* lib. de Missa privata dicere audebat: *Hic non moramur, si clamitent Papistæ: Ecclesia, Ecclesia; Patres, Patres; quia, ut aixi, hominum dicta & facta nihil in tam magnis causis curamus; scimus enim ipsos Prophetas lapsos esse, adeòque Apostolos: Verbo Dei judicamus Ecclesiam, Apostolos, adeòque ipsos Angelos, &c.* hæc ille ibi, & alibi sæpe impudenter & præsumptuosè XIX.

Digitized by Google

osè; qui, si Apostoli errassent, certus esse non poterat, se habere Verbum Dei, quod per Apostolos habebat, si tamen habebat; an illi potius standum sit, quòd verum Verbi Dei sensum protulerit, quàm sanctis Patribus? qui liber judicet.

XX. *Calvinus* simili modo sanctos Patres censurat, vel reiicit; sic lib. 4. Instit cap. 18. ubi contra sacrificium Missæ pugnans §. 10. conatur quidem excusare sanctos Patres, & interpretari illorum verba, quæ pro sacrificio Missæ faciunt; verum videns se convictum §. 11. sic effutit, dicens: *Sed quia veteres quoque illos video aliò hanc memoriam detorsisse, quàm institutioni Domini conveniebat (quod nescio quàm repetita aut saltèm renovata immolationis faciem eorum cœna præ se ferebat) nihil tutiùs piis pectoribus fuerit, quàm in pura simplicique Dei ordinatione acquiescere,* &c. *equidem,* &c. *ullius impietatis damnare eos non sustineo; excusari tamen non posse arbitror, quin aliquid in actionis modo peccaverint,* &c. Et §. 12. *Ergo nihil tutiùs, quàm ut ablegata omni humani sensus audacia, in eo solo, quod Scriptura tradit, hareamus,* &c. *Certè si cogitamus Domini, non hominum cœnam esse: non est cur ullà hominum authoritate, vel annorum præscriptione patiamur nos ab illa vel latum unguem dimoveri,* &c. hæc ille.

XXI. Ecce quàm clarè sanctorum Patrum & antiquæ Ecclesiæ usum ac doctrinam contemnat sub falso prætextu; quasi contra S. Scripturam ex privata authoritate egerint; qui tamen omnia sua ex S. Scriptura clarè probarunt, ut suo loco de sacrificio Missæ patebit; ipse autem *Calvinus*, puram Scripturam falsò jactitans, contra manifestam Scripturam juxta suum cerebrum sic Patres damnat.

XXII. Eadem audaciâ lib. 2. c. 2 § 4 de libero Arb. dicit: *Veteres tamen omnes, excepto Augustino, sic in hac re variant aut vacillant,* &c. *quasi adhuc integer homo staret: semper apud Latinos liberi arbitrii nomen extitit: Græcos autem non puduit multò arrogantiùs usurpare vocabulum,* &c. hæc ille, ubi solum Augustinum excipit, qui se non excepisset, si ipse solus contra communem sanctorum Patrum doctrinam docuisset, cum lib. 3. contra Crescon. cap. 11. sic dicat: *Qualiscunque in ea* (Ecclesia) *sim, tamen Ecclesia, pro qua loquor invicta est,* &c. Certum autem est, quòd D. Augustinus idem de lib. Arbit. cum aliis Patribus doceat: ùt passim patet, & suo loco ostendetur.

XXIII. *Calvinus* etsi subinde Augustinum excipiat, sæpiùs tamen illum cum aliis redarguit, ut lib. 2. cap. 3. §. 7. & lib. 3. Instit. cap. 11. §. 15. & lib 5. cap 3. §. 10. & lib. 11. cap. 5. §. 10. & alibi.

XXIV. Cæterum universaliter omnino Patres sæpe damnat, ut lib. 3. Inst. cap. 3. §. 38. dicens: *Patrum antem me movent, quæ in veterum Scripturis de satisfactione passim occurrunt; video omnes ferè, quorum libri extant, aut in hac parte lapsos esse,* &c. hæc ibi, imò lib. 2. cap. 14. § 13. sic ait: *Excusari non potest veterum error, qui dum ad Mediatoris personam non attendunt, totius ferè doctrinæ, quæ in Euangelio Ioannis legitur, jejunum observant sensum, seseque implicant multiloquiis,* &c.

XXV. Similiter lib. 3. cap. 5. §. 10. agens, de oratione pro defunctis, cùm objiceretur: quòd vetustissima illius in Ecclesia fuerit observatio, & quòd veteres Patres sic docuerint, ipse omnia rejicit, & tandem de Patribus dicit: *Abrepti etiam ipsi, fateor, in errorem fuerunt,* &c. simili modo sanctorum Patrum doctrinam de *invocatione Sanctorum, dè meritis bonorum operum, de cœlibatu Clericorum, de voto perpetuæ virginitatis,* & aliis pluribus Fidei articulis, tam Calvinus, quàm Lutherus, & eorum sequaces rejiciunt & condemnant: ita ut aliqui asserant Hieronymum & Augustinum potiùs hæreticos fuisse quàm Iovinianum; si ista in Ioviniano hæreseos damnârint, sicut verè ista in Ioviniano ab Ecclesia antiqua damnata fuisse referunt; ut suis locis patebit.

XXVI. Hæc cùm ita sint, quis crederet? quòd Acatholici moderni sanctorum Patrum doctrinam sectentur; vel eorum doctrinæ inhæreant? vel quod amplius est, ipsi asserere audeant, se unanimem sanctorum Patrum doctrinam & interpretationem S. Scripturæ amplecti? nihilominus ipsi non verentur jactitare; quòd ipsorum cætus, quos Religionem reformatam, vel Euangelicam vocant; purè & simpliciter doctrinam & Fidem Ecclesiæ primitivæ & sanctorum Patrum amplectantur; & sancti Patres circa articulos controversos pro ipsis stent: at verò Ecclesiæ Romanæ contrarii sint.

XXVII. Hoc ita se habere, nimis notum est, tam ex ipsorum libris quàm publicis sermonibus; quod ipsum ego experiri debui Vrdingæ 14. Augusti Anno 1656. ubi quidam Nobilis Anglus natione, dictus Elphinstom, sub Dominis confœderatis Belgicis Rhenobergæ vexilliferum agens, coram generosis Nobilibus, & aliis spectabilibus viris, de rebus Fidei cum aliis disputabat; dum verò ego superveniens dicerem: dolendum esse, quòd hoc tempore tot quæstiones & lites circa verum S. Scripturæ sensum moveantur; cùm potius, facilius & securius sententiæ & interpretationi sanctorum Patrum, præsertim quatuor primorum sæculorum inhærendum esset; ipse audacter asserebat: ipsos sanctos Patres pro ipsorum doctrina stare, etiam in illis articulis in quibus ab Ecclesia Romana differrent; quod ipsum se ex sanctorum Patrum libris demonstraturum sub gravi obligatione promittebat; unde eidem aliquot præcipuos infrà referendos articulos à modernis Acatholicis contra doctrinam Ecclesiæ Romanæ assertos

in

Digitized by Google

in scripto per fide dignos testes postridie illius diei exhiberi curavi; ut juxta promissum, illos ex SS. Patribus demonstraret; quod quidem intra paucos dies se præstiturum responderat; sed sæpe sæpius promissionis suæ admonitus, nihil præstabat; donec multo tempore Lugdunum Batavorum profectus, & alia loca, ut mihi referebatur, Doctores consulturus peragrans; tandem post quatuordecim elapsos menses, præter privatas suas literas, tres libellos à tribus diversis Authoribus, qui (forte ut liberius sagittarent in obscuro rectos corde, vel ut confusi & refutati minus erubescerent) nomina sua subticuerunt, conscriptos, ad me misit; quibus se promissioni suæ abunde satisfecisse scribebat.

In his libellis isti Anonymi etiam jactitant, SS. patres pro ipsis stare, & quidem *Author primi libelli* sic proloquitur: *Illi* (Catholici) *sua multa addunt* (fidei) *quæ nos tanquam fictitia negamus, & novitiæ sive primitivæ Ecclesiæ incognita*, &c. XXVIII.

Author secundi libelli sic incipit: *Domine Pater Bernardine Vetvveis, hæc fuit, & adhuc est mea assertio; quod reformata nostra Ecclesia, in omnibus omnino Catholicæ Christianorum fidei articulis etiamnum consentiat cum Ecclesia primitiva prout videlicet illa primis quatuor à Christi in cœlum ascensu sæculis, articulos eosdem credidit & docuit*, &c. XXIX.

Author tertii libelli inverecundiùs sic ait: *Nemo eos* (Catholicos) *impudentiæ reos non videt, quod etiamnum de Patribus audeant gloriari, cum jam dudum ostensum sit, Patres contra Ecclesiam Romanam pro Reformata stare, & nullam veram antiquitatem Romanæ competere, &c.* hæc ille. XXX.

Quis hæc ab illis Anonymis tam audacter jactata legens, & veritatem ignorans, non putaret ipsos in omnibus SS. Patrum doctrinam absolutè sectari? prout Acatholici suis persuadent: verum quam hæc sint falsa & impudenter emendita, vel ex præmissis Lutheri & Calvini verbis constaret, sed abundantius in decursu hujus operis patebit. XXXI.

Quòd autem nihil novi sit, si Acatholici auditoribus suis talia persuadere præsumant, patet ex communi hæreticorum impudentia, quam etiam ipsi Anabaptistæ exercent, ut ipse Calvinus lib. 4. Inst. cap. 16. §. 8. refert, dicens: *Quod autem apud simplicem vulgum disseminant, longam annorum seriem post Christi resurrectionem præteriisse, quibus incognitus erat pædobaptismus, in eo fœdissimè mentiuntur, &c.* hæc Calvinus. Hoc ipsum in Calvinum ac Lutherum, illorumque sectatores etiam quadrare in hoc Opere patebit. XXXII.

Cæterùm etsi ab exordio modernorum Acatholicorum plurimi, & quasi innumerabiles gravissimi Ecclesiæ Catholicæ Doctores ex SS. Patrum libris clarissimè demonstrarint, quod Ecclesia Romana moderna, prout Concil. Tridentinum profitetur, unanimem SS. Patrum doctrinam & S. scripturæ interpretationem in omnibus fidei articulis sequatur & doceat. Econtra vero, quod Acatholici in omnibus illis fidei articulis, quos doctrinæ Ecclesiæ Romanæ contrarios docent, à SS. Patrum doctrina deficiant & contra illam doceant: nihilominus, ut ait Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 3. *Quia neque omnia, quæ ab omnibus conscribuntur, in omnium manus veniunt*, &c. *ideoque utile est, plures* (libros) *à pluribus fieri diverso stylo, non diversâ fide, etiam de quæstionibus eisdem; ut ad plurimos res ipsa perveniat.* hæc Augustinus. XXXIII

Quamobrem cùm Acatholici non obstantibus tot Doctorum libris non cessent, prout ex præmissis DD. Anonymorum verbis patet, contrarium jactitare, & antiqua prædecessorum suorum sub novo colore argumenta allegare; non solum utile, sed & necessarium duxi, hoc Opus conficere: in quo velut in *Speculo* Catholicam veritatem, & Acatholicorum Falsitatem omnium oculis exponerem; ad quod unumquemque, præsertim eum, qui in Ecclesia ad docendum vocatus est, incitare deberet illa divina exprobratio, Ezech. 13. v. 5. *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini*, &c. XXXIV.

Ne etiam D. Vexillifer, & ipsius coadjutores Anonymi jactitent, se illos articulos abunde demonstrâsse, quos ipse D. Vexillifer probandos susceperat in scripto ipsi à me oblato; cujus tenor infra ponetur; de plurium graviorum virorum consilio & instantia hoc Opus expediendum existimavi. XXXV.

Ad illud scriptum D. Vexillifer, ut suprà indicavi, elapsis 14. mensibus, scilicet Anno 1657. in Septembri, suas mihi misit responsorias, cum tribus illis libellis; in quibus abunde se suæ promissioni satisfecisse jactitabat: Verum id falsum esse facile à me simili scripto libello demonstrari poterat; sed id minimè expedire censebam: eo quod per experientiam didicissem, Acatholicos in iis, quæ in privatis colloquiis vel scriptis conferuntur, utpote quæ paucis innotescunt, sibi passim victoriam attribuere, licet confusi & convicti fuerint. XXXVI

Hujus exemplum non abs re erit dare, hoc nempe: Dum Sereniss. Princeps Landgravius Ernestus Coloniæ Anno 1652. moraretur, contigit; ut quidam *Prædicans Acatholicus Marcoduranus dictus Sylvius*, ædes dicti Principis ingressus, Culinæ præfectum confortare intenderet (qui paulò pòst cum sua conjuge auditis Prædicantis ineptiis fidem Catholicam professus est) hoc Princeps intelligens ingressus hypocaustum, in quo erant, cæpit cum Prædicante de rebus fidei agere; paulò pòst accedens R. P. Ioannes Rosenthal Societatis Iesu Concionator XXXVII

** inve-

Digitized by Google

invenit Prædicantem ad quæsita Principis hærentem; & dum Prædicans ab illis dilapsus peteret sibi ostendi: esse in Ecclesia verum sacerdotium; id P. Ioannes se statim ex S. Cypriano & aliis Patribus ostensurum offerebat, respondit illi; hoc tempus non pati: interim etiam superveniens Domina Landgravia quæstionem proposuit; ubinam fuisset eorum Ecclesia ante Lutherum & Calvinum? dixit quidem se ostensurum; sed ne umbram quidem ostendit, dum solum repeteret, *ostendam, dicam*; sed nihil; Ingressus postea Sereniss. Dux Neoburgicus Philippus Wilhelmus, cui Sylvius stipulata manu promisit amplexurum se fidem S. Augustini; subjecit Serenissimus; *ergo crede preces pro defunctis, Missam, invocationem Sanctorum, primatum sedis Romanæ Apostolicæ*; statimque lecta sunt quæ habet S. Doctor in libro Confessionum de precibus ad Altare pro anima matris Monicæ defunctæ; tunc P. Ioannes addidit: se curaturum, ut Tomi S. Augustini adducerentur, sed ille noluit, allegans rem esse longioris moræ; itaque placuit, ut id sequenti die hora certa fieret: comparente P. Ioanne cum Tomis, Sylvius emansit, frustra quæsitus, quem Anglus juvenis, qui pridie ipsi adfuerat, excusavit, quod ei à Communitate Reformatorum Coloniensium prohibita esset ulterior continuatio disputationis, ne quid fieret contra instrumentum pacis, &c. Hæc omnia ex certo testimonio, quod penes me habeo, desumpta sunt, cui Sereniss. Landgravius apposito suo sigillo propria manu subscripsit, his formalibus verbis: *Ita se rem habere, non ego solum, verum etiam Sereniss. Dux Neoburgicus ipsemet testabitur.*

L. S.

ERNESTUS LANDGRAVIUS.

XXXVIII. Hæc licèt ita gesta essent, Acatholici tamen per totam urbem Coloniensem postea sparserunt, quod Sylvius cum Iesuita in domo Principis Landgravii disputans, ita eundem confusum obmutescere coegisset, ut Iesuita nihil aliud dicere potuerit, quam quod talem in Sylvio profunditatem & subtilitatem esse non putasset, cujus contrarium cum ego ex ore Sereniss. Principis intellexissem, testimonium à P. Rosenthal petii, quo per urbem divulgato, nebula mendaciorum sparsa disparuit.

XXXIX. Hæc & alia similia sciens, consultiùs existimavi, veritatem Catholicam, & falsitatem Acatholicorum publico prælo exponere; & non solum ea, quæ in illis articulis sunt proposita; sed & omnes alias fidei controversias pertractare.

XL. Cùm vero illo eodem anno 1657. paulò pòst quando libellos illos receperam, cura & onus totius Provinciæ regendæ & visitandæ mihi imponeretur; quæ me per integrum triennium occupabant & impediebant; ut vix per longa intervalla his intendere possem; statim ab illis exoneratus, Opus hoc divinâ adjutus gratiâ aliquot libris perficere conatus sum.

XLI. In hoc itaque Opere ordo iste servabitur:

Primò circa singulas fidei quæstiones pertractandas referam opiniones & errores tam veterum, quàm modernorum Acatholicorum, illorum ex libris SS. Patrum, horum partim ex libris *Lutheri* & *Calvini*, qui ipsorum antesignani sunt. Calvini verba potissimum ex libris Institutionum Lausannæ 1576. impressis referentur; & ex catechismo Heidelbergensi Hanoniæ 1615. Germanicè impresso; partim ex quibusdam diversarum nationum confessionibus; frustra autem particulares illorum cætuum Authores allegarem; cum ut plurimum inter se dissideant, prout in Authoribsu trium libellorum patebit; licet cohæreant ad oppugnandam doctrinam Ecclesiæ Romanæ; sicut vulpes Samsonis ad devastandos segetes caudis coniunctæ erant; sic tandem privato cujusque spiritui ipsos inhærere convincuntur; cui S. scripturam subjiciunt, quam prætendunt.

XLII. Secundò Sententiam & doctrinam Ecclesiæ Catholicæ Romanæ ex *Concilio Tridentino* proponam absque aliorum Catholicorum Doctorum nominum vel particularium verborum relatione; ne frustra Opus extenderetur: cùm omnes omnino Catholici per totum Orbem antiquum & novum etiam apud antipodes existentes in rebus fidei & doctrina concilii Tridentini prorsus consentiant; quia hic solum ea, quæ ad fidem spectant pertractanda suscepi: scholasticis, quæ salvâ fide disputantur ad scholas remissis; ut sic faciliùs & clarius lectoribus sine disputationum involucris veritas fidei pateat.

Tertiò Doctrinam Catholicam ex ipsa S. Scriptura demonstrabo.

XLIII. Quartò eandem doctrinam ex unanimi SS. Patrum, tam Græcorum quàm Latinorum doctrina, & S. scripturæ interpretatione ostendam; qui à tempore Apostolorum per quadringentos priores annos sanctitate & doctrina floruerunt.

XLIV. Quintò Argumenta Acatholicorum ex S. Scripturæ locis vel SS. Patrum libris falsò formata esse ostendam.

Sextò, quia Acatholici calumniantur, quasi Catholici Doctores utantur libris SS. Patrum depra-

Digitized by Google

depravatis: quod tamen falſum eſt, plurium SS. Patrum ſententias ex libris ipſorum ab Eraſmo Roterodamo reviſis, ac Baſileæ ab Anno 1525. & deinceps impreſſis, quantum eos habere potui; vel ex aliis authenticis de verbo ad verbum prolixiùs referam: ut & ipſorum SS. Patrum mens clariùs pateat, & Acatholicorum calumniandi occaſio ceſſet.

Septimò: Et ut veritas magis pateat, plura ſingulorum Patrum teſtimonia circa eandem XLV.
materiam ut plurimùm prolixiùs allegabo, & præſertim D. Auguſtini, qui inter SS. illos Patres noviſſimus quidem eſt, ſed piiſſimè & doctiſſimè ſcripſit in quo Acatholici fundatos ſe volunt, de quo Calvinus lib. 3. Inſtit. cap. 3. § 10. ſic ait: *Neque opus eſt multùm inveſtigando laborare, quid hic veteres ſenſerunt, quando unus Auguſtinus ſufficere id id poteſt, qui fideliter, magnaque diligentia omnium ſententias collegit. Ex illo igitur ſumant lectores, ſi quid de ſenſu antiquitatis habere certi volent.* hæc Calvinus. Ubi igitur oſtendero ex ipſo Auguſtino; quod non ſolum Acatholicorum doctrinæ contraria docuerit; ſed etiam plura, quæ ab ipſis hodie firmiſſimè creduntur & docentur, ab Eccleſia primitiva hæreſeos damnata fuiſſe referat, & teſtetur; clarius patebit, quod Acatholicorum doctrina SS. Patrum doctrinæ nullo modo ſit conformis, ſed contraria, è contra vero Eccleſiæ Romanæ moderna fides cum SS. Patrum fide in omnibus conveniat, & eadem ſit.

Octavò: Quia verò non cuilibet lectori vacat totum hoc Opus perlegere, optarem, ut ſal- XLVI.
tem libros *de Verbo Dei ſcripto & non ſcripto, ac de Eccleſia univerſali, Eccleſiis falſis, ac Eccleſia Romana* & ultimum de miſcellaneis relegere velit, ex quibus facile veram Eccleſiam, & per conſequens veram fidem agnoſcet.

Nonò: Poſt ſingulas quæſtiones ponam certas antitheſes, in quibus velut in parvo ſpeculo XLVII.
apparebit; quòd Eccleſia moderna Romana in articulis fidei cum primitiva Eccleſia & SS. Patribus concordet. At vero Acatholici ab illis defecerint, & diſcordent. Qui vero theſium propoſitarum pleniorem deſiderarit informationem, ad ipſa in quæſtione vel capite tractata recurrere poterit.

Demum quia mens humana, nondum veræ fidei lumine ſolidata, in iis quæ fidei ſunt, ſæpe XLVIII.
anxia hæret, & quibusdam contingit, ùt mihi ab experientia conſtat, quod dum ſatis manifeſtè depræhendunt, quod Acatholici, qualiscunque ſectæ in his partibus Occidentalibus veræ fidei ab Eccleſia Chriſti primitiva profeſſæ contrarientur; tamen quoad Græcos & alios Orientales Chriſti nomen profitentes ſuſpendantur; an fortè illi veræ Eccleſiæ primitivæ in fide ſuccedant: operæ pretium exiſtimavi, libro quarto etiam ſpecialiter demonſtrare; quod doctrinæ modernorum Orientalium inter ſe & ab Eccleſia Romana diſſentientium, ſint hæreticæ, & pleræque olim à vera Eccleſia expreſsè damnatæ; Græci etiam non ſolum ſchiſmatici, ſed verè hæretici ſint: at vero Eccleſia moderna Romana in doctrina fidei cum antiqua Eccleſia olim in Græcia & per Orientem ac Occidentem, ac per totum mundum exiſtente & cum SS. Patribus, qui in primitiva Eccleſia floruerunt, prorſus conveniat lib. 5. oſtendam: ac proinde hæc ſit unica vera Chriſti Eccleſia: extra quam non eſt ſalus.

Cum autem aliqui, prô dolor, impii, inſani & jumentis inſipientibus ſimiles facti, reperi- XLIX.
antur; de quibus olim Propheta dicebat, pſ. 13. v. 1. *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus:* qui omnem fidem & omne Dei Verbum contemnunt: Contra hos etiam, quod unus ſit verus Deus, Creator cœli & terræ; qui poſt hanc vitam æterna præmia vel ſupplicia, juxta opera ſingulis hominibus retribuet; ex ipſo naturæ lumine demonſtrabo; ut vel ſic qualiscunque homo ſalutis ſuæ amans, veram fidem agnoſcere poſſit, qui vero beſtiis planè ſimiles, acquieſcere nolunt, volentes nolentes Dei juſtitiam experientur: non enim illorum inſipientia, & obdurata malitia Deum annihilabit, vel ejus ſententiam impediet.

Omnia autem in hoc opere ad majorem Dei gloriam, Eccleſiæ & fidei Catholicæ exalta- XLX.
tionem, & animarum ſalutem, ſalvâ ſemper ſanctæ matris Eccleſiæ & S. ſedis apoſtolicæ cenſurâ ſcribere conatus ſum. Tu quisquis es, benevole lector boni conſule, & fruere.

Digitized by Google

TENOR SCRIPTI

Nobili Domino Elphimstom Anglo 15. Iulii 1656. Vrdingæ per legitimos testes exhibiti.

QUandoquidem D. Vexillifer Elphimstom hodie coram Generoso & Prænobili Domino à Lintzenich in Lin & Urdingæ Sattrapa, aliisque spectabilibus viris gravissimè asseruerit; quòd primitiva Christi Ecclesia, præsertim quatuor priorum post Christum natum sæculorum, in omnibus fidei hoc tempore etiam controversis articulis consenserit cum modernis cœtibus eorum, qui se Reformatos vocant; idque ex SS. Patribus se probaturum, sub gravibus & certis incurrendis pœnis, promiserit; petitur ab eodem: ut sequentes articulos, quos Acatholici hodie velut fundamentales fidei credunt, ab Ecclesia primitiva creditos & doctos fuisse, demonstret.

Primò docent Acatholici huius temporis; quòd Ecclesia Christi vera universalis visibilis in doctrina fidei errare possit.

Secundò, quòd Missa, seu sacrificium Corporis & Sanguinis Domini in Ecclesia Catholica Romana à Sacerdotibus offerri solitum, sit ficta, & abominabilis Idololatria.

Tertiò docent; quòd sit Idololatria Christum adorare in Sacramento Eucharistiæ sub speciebus panis & vini præsentem.

Quartò volunt. quòd Christus secundum Corpus & Sanguinem non sit in Sacramento Eucharistiæ realiter præsens.

Quintò docent; quòd sit Idololatria invocare SS. Apostolos & alios Martyres pro fide Christi passos; ut pro nobis Deum orent: & quòd in hoc Christo Salvatori iniuria fiat.

Sextò, quòd Idololatria sit cultum aliquem plus quàm civilem exhibere reliquiis SS. Martyrum & SS. imaginibus; aut etiam imagini crucifixi Salvatoris nostri.

Septimò, quòd nullo modo liceat orare pro fidelibus defunctis.

Octavò. quòd nullum sit post hanc vitam purgatorium ante extremi iudicii diem; seu talis status, in quo animæ quadam fidelium pœnas temporales luant.

Nonò universaliter petitur; ut unus saltèm fidei articulus, in quo prætensi Reformati asserunt Ecclesiam Romanam modernam in fide antiqua defecisse ostendatur ab Ecclesia antiqua condemnatus, vel illius contrarius articulus doctus fuisse; sicut prætensi Reformati articulos Ecclesiæ Romanæ damnant, & illis contraria docent.

Decimò contrarium de articulis, quos prætensi Reformati contra doctrinam Ecclesiæ Romanæ docent, parati sumus demonstrare; scilicet, tales vel ab Ecclesia primitiva hæreseos expressè condemnatos esse, vel saltèm contrarium antiquam Ecclesiam docuisse.

Vndecimò demum etiam petitur; ut nominentur Doctores Catholici in Ecclesia Romana celeberrimi, quos D. Vexillifer dixit asserere. quòd Christus Dominus non solùm quoad animam (ùt verum est) sed etiam quoad corpus intra triduum post mortem suam ad inferos descenderit. Non dubito quin D. Vexillifer promissis suis stabit; Datum Urdingæ in Conventu FF. Minorum Recollectorum 14. Julii, 1656.

Fr. BERNARDINUS VETWEIS.

Præmissum hoc Scriptum postridie illius diei, scilicet 15. D. Elphimstom in præsentia legitimorum testium est traditum & ab ipso acceptantum.

APPROBATIONES ET FACVLTATES SVPERIORVM.

INfrà scriptus Commissarius Generalis Fratrum Minorum per Provincias Germaniæ, Belgii & annexas: testimoniis laudabilibus eorum qui examinaverunt & approbaverunt SPECULUM VERÆ ECCLESIAE CHRISTI, ac FALSARUM ECCLESIARUM, compositum à R. A. P. F. Bernardino Vetweis SS. Theol. Lectore jubilato, totius Ordinis nostri Seraphici Definitore Generali, &c. allectus ut illud ipsum inspicerem, tam clarè ex primo ejus intuitu adverti in illo lucere perfectam uniformitatem modernæ sanctæ Catholicæ & Romanæ Ecclesiæ, cum primitiva in omnibus articulis fidei; ut non tantùm consentiam, sed summopere desiderem & exposcam in meritum S. Obedientiæ, illud oculis omnium exponi, quatenus veri fideles in illo videre possint quàm solidè & securè incedant in semitis antiquis, tritis à sanctis Patribus primorum sæculorum: prætensi autem Reformati (sed verè deformati) agnoscant quàm procul ipsi & Patres eorum à via veritatis aberraverint studeántque in seipsis reformare salutariter maculas quas contraxerunt ambulando per devia, & lutum proprii spiritus. Actum Coloniæ Agrippinæ 30. Junii 1663.

Fr. JACOBUS *de Riddere Commissarius Generalis Germano - Belgicus.*

Speculum veræ Ecclesiæ Christi ac falsarum Ecclesiarum à R. A. P. F. Bernardino Vetvveis SS. Theologiæ Lectore jubilato, totius Ordinis S. Francisci Definitore Generali nec non Provinciæ Coloniensis quartùm Ex - Provinciali expolitum. verè speculum est sinè macula, & imago veritatis illius, quam Christus Dominus, qui est essentialis ac infinita veritas. ejúsque Apostoli, Fidelibus veris tradiderunt, quæque illibata hactenus in vera & Apostolica, id est, Romano - Catholica Ecclesia permansit. Oculis vestris tersum hoc speculum opponite Acatholici ut maculas ac nævos errorum vestrorum affusi lumine gratiæ, clarè inspiciatis ac tergatis, amplexuri veram Ecclesiam, in qua non est macula neque ruga falsórum dogmatum. Ita vovet, & in prælum, quo Opus dignissimum est, mittit Coloniæ in Conventu FF. Minorum Recollectorum die 29. Junii SS. Apostolis Petro & Paulo sacrâ 1663.

F. GUILIELMUS *Herincx SS. Theol. Lector jubilatus.*

Opus intitulatum SPECULUM VERAE ECCLESIAE CHRISTI AC FALSARUM ECCLESIARUM à R. A. P. F. Bernardino Vetvveis SS. Theologiæ Lectore jubilato, ac totius Ordinis Seraphici S. FRANCISCI Definitore Generali, nec non Almæ Provinciæ Coloniæ FF. Minorum Recollectorum quartùm Ex - Provinciali compositum diligenter inspexi, & inveni illud verè doctum ac numeris ita omnibus absolutum, ut sivè ad confirmandam veritatem S. Ecclesiæ Romanæ, sivè ad enervandam falsitatem aliarum, & obstruenda Hæreticorum nostri temporis ora efficacissimum sit; Unde ut ad Dei gloriam, totiúsque Ecclesiæ utilitatem imprimi possit facultatem non solum concedo, sed etiam R. A. P. Operis Authorem hortor & moneo ut typis dati citius curet. Signat. Coloniæ in Conventu nostro FF. Minorum Recollectorum ad Olivas dicto die 28. Maji, 1663.

F. BONAVENTURA *Reul Minister Provincialis*

APPRO-

ed by Go

APPROBATIONES SS. THEOLOGIÆ DOCTORUM ET LECTORUM.

Librum Controverſiarum ab Adm. R. P. Bernardino Vetvveis, è Seraphica Religione S. FRANCISCI ſtrict Obſerv. abſolutiſſimo Theologo conſcriptum, conatus ſum accuratè perlegere, nihilque in eo reperi orthodoxæ Fidei contrarium: quin potius, ſecundum præfixum Libro titulum, eſſe ſpeculum ſine macula; in quo Lectori, fidei Catholicæ pura ſinceraque veritas, Solis inſtar, collectis radiis è Primorum ſæculorum PP. ita refulget, ut permagno ſuo commodo eandem clariſſimè (modo vitium non ſit in oculo) liceat intueri.

ARNOLDUS MYLIUS è Societ. Ieſu SS. Theol. *Profeſſor Ordinarius.*

Speculum veræ Eccleſiæ Chriſti ac falſarum Eccleſiarum à R. A. P. F. Bernardino Vetvveis SS. Theol. Lectore jubilato, ac totius Ordinis S. FRANCISCI Definitore Generali, nec non Almæ Provinciæ Coloniæ FF. Minorum Recollectorum quartum Ex-Provinciali compoſitum de mandato Superiorum ſedulò & diligenter inſpeximus & tam egregie expolitum reperimus, ut clariſſimè manifeſtiſſimeque cuilibet inſpicienti Eccleſiæ Romanæ veritatem, & aliarum omnium falſitatem ad oculum demonſtret, adeoque opus verè doctum & omnibus numeris ita abſolutum, ut ſive ad veritatem confirmandam & demonſtrandam, ſive ad enervandam falſitatem & obſtruenda penitus adverſariorum omnium ora nullum convenientius & ſolidius ſpectare liceuerit. Quare utiliſſimam non ſolum, ſed neceſſariam judicamus hujus Speculi publicam ante omnium oculos expoſitionem. Datum Coloniæ in Conventu FF. Minorum Recollectorum vulgò ad Olivas nuncupato hac 19. Martii 1663.

F. THOMAS MARTINI SS *Theol. Lect. jubilatus ac dicti Conventus Guardianus.*
F. ARNOLDUS CÆSARIUS SS. *Theol. Lector jubilatus.*

Subjectum opus, Speculum veræ Eccleſiæ Chriſti & falſarum Eccleſiarum, *&c.* ab A. R. P. F. Bernardino VetWeis SS. Theol. Lectore jubilato, totius Ordinis S. FRANCISCI Definitore Generali Provinciæ Rhenanæ FF. Minor. Recoll. Patre perpetuo, & pro tempore Provinciali Commiſſario ſingulari concinnatum eruditione ac operâ elaboratum diligenti, ſubſignati pro noſtra ſtudioſè perluſtravimus obligatione; avideque plenariâ noſtrâ percurrimus ſatisfactione. Illud jure proinde ad majorem Dei gloriam, ad Eccleſiæ ædificationem, exercitationem Sapientum, Catholicorum confortationem, confutationem Acatholicorum; ad deviantium reductionem, ac ad confuſionem pertinacium, ad omnium eruditionem ac utilitatem, luce digniſſimum judicamus. In illo quippe Catholicæ Fidei, moribus ſanis, pietati Chriſtianæ aut religioſæ modeſtiæ, contrarium reperimus. Verum diligenter magis perpenſis quæſtionibus accuratè propoſitis datis ſolidè reſolutionibus, ad fundamenta adverſariorum fideliter relata, diligenter diſcuſſa, rejecta ſubtiliter ſubjunctæ ingenuoſè reſponſionibus Catholicæ veritates diſſipatis Acatholicorum errorum nebulis, firmiter aſtruuntur, potenter propugnantur argumentis evidenter; tum è ſacro erutis eloquio, tum ex perpetua traditione & unanimi SS PP. conſenſu deſumptis, rationum momentis concurrentibus; confirmantur: Ita cenſemus Moguntiæ in Conventu noſtro FF. Minor. Recoll. 15. Martii Anno 1664.

F. BONAVENT. GOFFA, SS. *Theol. Lect. jub. præfati Conv. Guardianus.*
F. GUALTHERUS HOEN }
F. JOSEPHUS Biburg } *SS. Theol. Lectores.*

Speculum veræ Chriſti Eccleſiæ, &c. à R. A. P. noſtro Bernardino Vetvveis SS. Theol. Lectore jubilato, totius Ordinis FF. Minorum ſecundum Definitore Generali ac Patre perpetuo, nec non Provinciæ Colonienſis quartùm Ex-Provinciali, *&c.* ſingulari induſtriâ ac perſpicuitate, ex SS. PP. teſtimoniis elaboratum clariſſimè Catholicæ doctrinæ veritatem: Acatholicæ verò falſitatem demonſtrans, cùm ſit opus quod vel primo aſpectu tenebit traheretque videntem, digniſſimum eſt, ut omnium manibus teratur, omniúmque oculis inſpiciendum proponatur. ſic cenſeo 14. Martii 1664.

F. DIDACUS SIMROCK SS. *Theol. Lector jubilatus ac Conventus Confluentini FF. Min. Recoll. Guardianus.*

Cùm R. A. P. Bernardini Vetvveis SS. Theologiæ Lectoris jubilati, totius Ordinis Seraphici Definitoris Generalis, ac Provinciæ noſtræ Coloniæ FF. Min. Recoll. quartùm Ex-Provincialis *&c.* Opus dictum: Speculum veræ Eccleſiæ Chriſti ac falſarum Eccleſiarum; veræ quidem Chriſti Eccleſiæ quæ Romana eſt, quamque ſanguine ſuo acquiſitam mundavit, conſtantiſſimam exhibeat pulchritudinem, ita ut ab exordio ſui uſque modò non ſolum maculam aut rugam non contraxiſſe ſed nec contrahere potuiſſe liquidiſſimè appareat; falſarum verò, id eſt, omnium à Romana diſſentientium Eccleſiarum multimodam deformitatem aperiat, ipſumque hoc ſpeculum abſque nævo ullo aut macula, quin magno Animarum Zelo, ſolerti diligentiâ, S. ſcripturæ, SS. Patrum primorum ſæculorum authoritatibus exquiſitis, rationumque firmo pondere elaboratum, ad orthodoxos confirmandos, Adverſarios convertendos, vel ſaltèm confundendos expolitum, terſiſſimum invenerimus, non potuimus, quod vidimus & penitus perſpeximus, non teſtati in Conventu FF. Min. Recollect. Coloniæ ad Olivas die 19. Martii Anni 1663.

F. JOANNES HUART SS. *Theol. Lector ordinarius.*
F. CASPARUS GERMAN SS. *Theol. Lect. ordinarius.*

Opus quod ſpeculum veræ Eccleſiæ, *&c.* nuncupatur, eo ipſo approbatum, præloque dignum eſt, quo Rev. Adm. P. Bernardino Vetvveis SS. Theologiæ Lectore jubilato, totius Ordinis Seraphici, alterâ vice Definitore Generali, & Patre perpetuo, nec non almæ Provinciæ Colonienſis quartum Provinciali gloriatur authore; quamobrem ſufficiet dicere, opus hoc eſſe ſpeculum ſubtili concinnatum ingenio, mirabili fabricatum artificio infatigabilique elaboratum ſtudio, ſpeculum, quo fœlicius (quam ingenioſis quondam Archimedis ſpeculis radiis ſolaribus obverſis hoſtium claſſes fuerunt concrematæ) omnium ſectarum, veram Chriſti ſponſam, Eccleſiam Catholicam infeſtantium, technæ, machinamenta ac perverſa dogmata (quibus eam novam abominandam, meretricem, injurioſè dictitant) incenduntur, incenſa inſtar ceræ liqueſcunt, in fumum abeunt, & evaneſcunt; Nam ſpeculum hoc per ſolis radios, nempe S. Paginæ, œcumenicorum Conciliorum & primævorum Patrum authoritates demonſtrat luculenter eam eſſe *urbem ſupra montem poſitam, ſuperædificatam ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo, angulari lapide Chriſto Ieſu*, adeoque urbem eſſe inexpugnabilem, *adverſus quam portæ inferi non prævalebunt. Deſinat ergo* (ut verbis Cæleſtini Papæ utamur) *novitas laceſſere vetuſtatem*, ut videant hæretici, Eccleſiam docere, *quæ nobis majores noſtri* (vox eſt orthodoxorum apud D. Hieron.) *& illis ſui tradidere majores*, ſicut hoc volumen evidenter probat, cujus editionem cum maximo Eccleſiæ emolumento, & animarum lucro ſummopere exſpectamus. Aquisgrani in Conventu Fratrum Minorum Anno 1664 die 15. Menſis Martii.

F. BRUNO NEUSSER SS. *Theol. ſcholaſt. Lector in eodem Conventu Ordinarius.*
F. GEORGIUS ECKARDUS SS. *Theol. ſcholaſt. Lector ordinarius.*

Præſens

Digitized by Google

Præsens Speculum veræ Christi Ecclesiæ, *&c.* à R. A. P. nostro Bernardino Vetweis SS. Theologiæ Lectore jubilato totius Ordinis FF. Minorum secundum Definitore Generali ac Patre Perpetuo, nec non Provinciæ Coloniensis quartùm ex-Provinciali, *&c.* mirâ eruditione & soliditate ex S. Scripturæ oraculis, sanctorúmque Patrum testimoniis elaboratum, clarissimè exhibens Ecclesiam Romano-Catholicam sine omni etiam possibili erroris aut falsitatis macula, aliarum verò ab hac Apostatantium sectarum abominabiles deformitates, cùm sit opus omnibus numeris absolutissimum & suo Authore dignum, magno animarum bono in publicam lucem prodituium censemus. Bonnæ in Conventu immac. Conceptionis Deiparæ Ord. Fr. Minorum Recollectorum die 4. Martii 1664.

F. Wilhelmus Ritz SS. *Theologiæ Lector ordinarius.*
F. Carolus Porten SS. *Theologiæ Lector ordinarius.*

CENSURA ORDINARIORUM.

Tomum, cui Titulus, *Speculum Ecclesiæ veræ & falsarum Ecclesiarum, &c* conscriptum ab adm. R. P. Bernardino Vetweis; Ordinis *S. Francisci* de Observ. Lectore jubilato ex nostrâ commissione exactè revisum, & à nobis perlustratum, cùm nihil contineat Fidei Ecclesiæ Catholicæ, aut bonis moribus adversum, multa verò unde Catholici confirmentur, & segreges ad veram Ecclesiam reducantur, utiliter & proficuè imprimi posse judicamus. Moguntiæ 22 Martii Anno 1664.

P. de Walenburch *Ep. Myf. Lib. Cens.*
A. J. Volusius *Doctor Prothonot. Apost. Consil. & Sigillifer Major Moguntinus & Lib. Censor.*

Opus Controversiarum ab adm R. P. Bernardino Vetweis ex Ordine Seraphico S P. FRANCISCI strict. Observ. sacrosanctæ Theologiæ Lectore jubilato, *&c.* conscriptum, diversi sacrosanctæ Theol DD. ac Lectores accuratè perlegerunt, & cùm nihil orthodoxæ fidei ac bonis moribus contrarium complecti attestentur, imò maximâ legentium utilitate luce publicâ donari posse existiment: prælo, in publicum ut evulgetur, dignissimum judico. Coloniæ Agrippinæ 10 Martii 1664.

Joannes Francken Sierstorff. *I. V. D. Gymn Laur. Regens ac Librorum Censor.*

CONSENSVS AVTHORIS ET SVPERIORIS PRO TYPOGRAPHO.

Cùm Sacræ Cæsareæ Majestatis FERDINANDI II. decreto Ratisbonæ ex ante diem nonas Decembris Anno 1636. emanato, ac Francofurti per Ampliss. D. Joannem Ludovicum ab Hagen, *&c.* sanctæ sedis Apostolicæ ac sacræ Cæsareæ Majestatis in re libraria Commissarium Generalem omnibus Bibliopolis præsentibus intimato, omnibus Typographis, ac Bibliopolis nec non aliis quibuscunque librariam negotiationem exercentibus seriò firmiterque sub gravi incurrenda pœna inhibeatur; ne quisquam ullos libros à quibuscunque Ordinis nostri FF. Minorum Reg vel. strict. Observ. Patribus hactenus editos, vel imposterum edendos intra sacri Rom. Imperii Regnorum & Dominiorum S. Cæsareæ Majestatis hæreditariorum fines simili vel alio Characteris genere aut formâ, sive in toto, sive in parte recudere vel alio recudendos mittere, aut alibi impressos adducere vendere vel distrahere clam seu palam citra indicium & testimonium supradictorum Patrum audeat vel præsumat, Hinc ego F. Bernardinus Vetweis pro tempore Provinciæ Coloniensis dictorum FF. Commissarius ordinarius D. Joanni Busæo Civi & Bibliopolæ Coloniensi Opus à me elaboratum, dictum Speculum veræ Ecclesiæ Christi, *&c.* à Censore ordinario approbatum imprimendi facultatem concedo. Datum in Conventu nostro FF. Minorum Recoll. Coloniæ 18. Martii 1664.

PRIVILEGIVM CÆSAREVM SVPER IMPRESSIONE LIBRORVM AVCTORVM Ordinis S. Francisci Regul. & strictioris Observantiæ.

Privilegio Cæsareæ Majestatis cautum est, ne quis per universum imperium libros à Patribus Ordinis S. FRANCISCI regularis & strictioris Observantiæ editos aut edendos imprimat, recudat, aut alibi recusos, intra sacri Romani Imperii, Regnorúmque ac Dominiorum hæreditariorum Domus Austriacæ fines, adducat, vendat, vel distrahat, absque consensu & facultate eorundem Patrum sub Pœna Confiscationis librorum & mulcta viginti Marcharum auri puri, ita sancitum & decretum in Civitate Ratisbonensi pridie nonas Decembris Anno 1636. signatum.

Ferdinandus.

Ad mandatum S. Cæs. Majest. proprium
JOANNES WALDERODE.

P. H. A. Stralendorff.

INDEX
Patrum primitivæ Ecclesiæ & aliorum Scriptorum, qui in hoc opere allegantur.

Floruerunt circa annum Domini

A

Achaiæ presbyteri Discipuli sancti Andreæ.	80
Alexander Papa I.	109
Antonius magnus.	300
Arnobius.	300
Alexander Alexandrinus Episc.	325
Athanasius magnus.	340
Ambrosius.	370
Augustinus.	400
Alcuinus Anglus.	750
Athanasius Bibliothecarius	880
Anselmus.	1080
Alexander Alensis.	1240
Æneas Sylvius.	1430
Antonius Florentinus.	1450

B

Basilius magnus.	370
Beda presbyter.	700
Bernardus Abbas.	1150
Bonaventura Cardinalis Doctor Seraphicus.	1260
Bernardus Luxemburgensis.	1513
Bellarminus.	1580
Baronius.	1590
Becanus.	1612

C

Clemens I. Papa Romanus S. Petri Discipulus.	80
Clemens Alexandrinus.	200
Calixtus Papa I.	218
Cornelius Papa.	250
Cyprianus Martyr.	250
Concilium Ancyranum.	300

Conc. Ni-

Digitized by Google

Conc. Nicenum I. 318
Conſtantinus Magnus Imperator. 320
Conc. Gangrenſe. 336
Cyrillus Hieroſolymitanus. 370
Conc. Conſtantinopolitanum I. 384
Conc. Carthaginenſe II. III. & IV. 390. & 400
Conc. Milevitanum. 400
Cœleſtinus I. Papa. 423
Cyrillus Alexandrinus. 430
Conc. Epheſinum I. 432
Conc. Chalcedonenſe. 440
Conc. Conſtantinopol. II. 535
Conſtantinopolitanum in Trullo. 701
Concilium Romanum. 733
Conc. Nicenum II. 777
Conſtantinopolitanum III. 877
Conc. Nannetenſe. 897
Concilium Barenſe. 1097
Conc. Lateranenſe. 1217
Concilium Lugdunenſe. 1274
Conſtantienſe. 1415
Conc. Baſileenſe. 1418
Conc. Florentinum. 1439
Conc. Tridentinum. 1560

D

Dionyſius Areopagita Athenienſis. 100
Dionyſius Alexandrinus Patriarcha. 260
Damaſus Papa. 350

E

Egeſippus. 160
Euſebius Cæſarienſis Epiſc. 320
Ephreem. 370
Epiphanius. 380
Euodius Uralenſis Epiſcopus. 430
Euthymius. 1080

F

Fabianus Papa. 237
Fulgentius Ruſpenſis Epiſc. 500

G

Gregorius Nyſſenus Epiſc. 360
Gregorius Nazianzenus. 380
Gaudentius Brixienſis Epiſc. 400
Gelaſius Papa I. 490
Gregorius Turonenſis. 580
Gregorius magnus Papa. 590
Georgius Cedrenus Græcus. 1100
Guido. 1145
Gratianus. 1150
Gabriel Biel 1480
Gabriel Philadelphienſis Epiſc. 1580
Gilbertus Genebrardus. 1580

H

Hipolytus Portuenſis Epiſc. 220
Hilarius Pictavorum Epiſc. 350
Hieronymus. 380
Hieronymus Boſſec. 1360
Hieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus. 1580

I

Ignatius Martyr Antiochenus Patriarcha, Apoſtolorum Diſcipulus. 100
Juſtinus Martyr, Lugdunenſis Epiſc. 160
Irenæus diſcipulus Juſtini mart. 180
Joannes Chryſoſtomus. 400
Joannes Hieroſolymitanus. 400
Innocentius I. Papa. 406
Joannes Caſſianus. 430
Juſtinianus Imperator. 540
Iſychius Hieroſolymitanus. 617
Joannes Damaſcenus. 730
Jacobus Vitriacus. 1220
Joannes Duns Scotus Doctor ſubtilis. 1303
Joannes Cochlæus. 1523
Joannes Roffenſis. 1530
Judocus Coccius. 1601

L

Lactantius Firmianus 330
Liberius Papa. 356
Lucifer Calaritanus. 360
Leo magnus. 440
Laurentius Surius. 1550
Lucas Wadingus. 1630

M

Martialis Lemovicenſis Epiſcopus S. Petri diſcipulus. 100
Minutius Fœlix. 230
Methodius Patarenſis. 260
Melchiades Papa. 310

N

Nilus. 410
Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus. 800
Nicolaus Lyranus. 1320
Navarrus. 1580

O

Origenes Alexandrinus. 230
Optatus Milevitanus. 380

P

Papias Hieropolitanus Epiſc. 120
Polycarpus Smirnenſis Epiſc. 140
Paulus Burgenſis. 144
Prudentius. 380
Pacianus Barcilonæ Epiſcopus. 380
Poſſidius Diſcipulus S. Auguſtini. 400
Paulinus Nolanus Epiſcopus. 410
Proclus Patriarcha Conſtantinopolitanus. 430
Proſper Aquitanicus, Regienſis Epiſc. ſancto Auguſtino familiaris. 450
Procopius. 550
Petrus Cluniacenſis. 1140
Platina. 1460
Polydorus Virgilius. 1525

R

Ruffinus Aquileienſis presbyter. 390

S

Sixtus I. Papa. 117
Stephanus I. Papa. 255
Stephanus Epiſc. Mauritaniæ. 380
Severus Sulpitius. 400
Sophronius Hieroſolymitanus ſenior. 400
Sozomenus. 440
Socrates. 440

T

Theleſphorus. 127
Tertullianus Carthaginenſis. 200
Theophilus Alexandrinus patriarcha. 390
Tyberius tempore Auguſtini. 400
Theodoretus Cypri Epiſc. 440
Theodoretus Cœnobita. 511
Theophylactus. 900
Thomas Aquinas Doctor Angelicus. 1260
Thomas Waldenſis. 1410

V

Vincentius Lyrinenſis ſub Theodoſio & Valentiniano Imperatoribus. 430
Valentinianus & Martianus Imperatores. 457

Z

Zonaras Græcus. 1100

IN-

Digitized by Google

INDEX
LIBRORVM, CAPITVM ET ARTICVLORVM IN HOC OPERE CONTENTORVM.

Numerus paginam indicat.

LIBER PRIMVS
De vera catholica & falsa Acatholicorum Religione in generali.

CAPVT PRIMVM
De nomine Religionis & Ecclesiæ catholicæ & Acatholicorum.

ARTICULUS I. Referuntur verba Authoris Anonymi primi libelli. 1.
ARTIC. II. De nomine Religionis veræ, unicæ, catholicæ Romanæ & pontificiæ. ib.
ARTIC. III. De nuncupatione reformatarum Ecclesiarum & earum unitate. 3.
ART. IV. Quòd ad unam veram fidem non sufficiat aliquos tantum fidei articulos credere. 4.

CAPVT II.
Adferuntur & respondetur ad Authoris Anonymi asserta quibus probatam putat Religionem Acatholicorum esse veriorem.

ART. I. Refertur prima probatio & refutatur. 5.
II. Refertur secunda probatio Anonymi & refutatur. ibid.

CAPVT III.
Referuntur dicta in præfatione Authoris Anonymi secundi libelli.

ART. I. Referuntur aliqua quæ Anonymus in præfatione præmittit. 7.
II. Ad præmissa 2. Anonymi respondetur. ibid.
III. Referuntur ea, quæ idem 2. scripti Author Anonymus in generali pro sua prętensa fide in pręfatione allegat. ib.
IV. Respondetur ad præmissa. 8.

CAPVT IV.
Referuntur dicta in præfatione Authoris Anonymi libelli tertii.

ART. I. Referuntur verba priora Anonymi authoris 3 libelli. ib.
Responsio ad pręmissa. 9.
II. Anonymus ultrà probare volens quid dicat. ibid.
Responsio. ibid.

LIBER II.
De Verbo Dei scripto & non scripto.

CAPVT I.
De fundamento & norma fidei Ecclesiæ Catholicæ quod est verbum Dei tam scriptum, quàm ab Apostolis traditum.

ART. I. Refertur sententia Acatholicorum. 10.
II. Quid antiqui heretici de verbo Dei tradito senserint. 11.
III. Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ de fundamento, norma & regula fidei & morum. ibid.

CAPVT II.
De Verbo Dei tradito.

ART. I. Quòd detur verbum Dei traditum seu traditiones divinæ & Apostolicæ. 12.
II. Quod hoc tempore extet verbum Dei traditum seu traditiones divinæ ad fidem & mores necessariæ. 13.
III. Necessitas verbi Dei non scripti seu traditionum probatur ex iis quæ ad S. scripturam in generali spectant. ibid.
IV. Necessitas traditionum probatur ex specialibus fidei articulis in particulari ad fidem necessariis etiam juxta doctrinam Acatholicorum. 15.
V. Eadem necessitas probatur ex articulis Fidei quoad mores seu ritus quos Acatholici cum Ecclesia Catholica credunt. 16.
VI. Veritas & necessitas traditionum ex ipsa S. Scriptura probatur. 17.
VII. Veritas verbi Dei non scripti ad fidem & mores necessarii probatur ex SS. Patribus quatuor primorum sæculorum Græcis & Latinis. 19.

CAPVT III.
Doctrinam Acatholicorum contra verbum Dei, non fundari in S. Scriptura, ostenditur.

ART. I. Referuntur & refutantur illorum argumenta quæ ex sacra Scriptura deducere volunt. 23.
II. Generalis responsio ad objectiones Acatholicorum ex sacra Scriptura & SS. Patribus. 26

CAPVT IV.
Ostenditur quòd Acatholici falsas & humanas opiniones pro puro Dei verbo extra sacram scripturam tradant & credant.

ART. I. Proponuntur decem quæstiones circa articulos ab Acatholicis de fide creditos, ut ostendatur ipsorum falsitas ex ipsorum principiis. 27.
II. Proponuntur aliæ quęstiones circa doctrinam Calvini & Acatholicorum quam cum antiquis hęreticis communem habent, ut in scriptura ostendantur. 29.
III. Proponuntur quęstiones circa Calvini doctrinam de pręedestinatione ex S. Scriptura ostendendam. 30.
IV. Proponuntur aliæ quęstiones circa Calvini & sectatorum ejus doctrinam, & sacram Scripturam probandæ, cum antiquis hęreticis communes, & Ecclesiæ Catholicæ contrariæ. 31.
ANTITHESES in quibus veritas Ecclesiæ Catholicæ Romanæ circa verbum Dei traditum, & falsitas Acatholicorum proponitur juxta omnium SS. Patrum sententiam. 32.
CONCLUSIO. De verbo Dei tradito non scripto seu traditionibus Apostolicis. 33.

CAPVT V.
De verbo Dei scripto, seu de libris canonicis sacræ Scripturæ.

ART. I. Referuntur varii errores & dubia quæ olim fuerunt circa libros sacræ Scripturæ. 34.
II. Proponitur & declaratur sententia Ecclesiæ Catholicæ circa libros sacræ Scripturæ. 35.
III. Quòd Ecclesia declarare possit quinam libri sint sacræ Scripturæ & canonici. ibid.
IV. Quòd liber sapientiæ, Ecclesiastici, Judith, Tobiæ, Machabæorum & Esther, sicut & alii libri, ut veri, canonici & à primitiva Ecclesia agniti fuerint, generaliter quoad omnes demonstratur. 36.
V. Ostenditur veritas in speciali quoad libros Judith & sapientiæ. 37.
VI. Ostenditur ex sanctis Patribus, quòd liber Ester & Baruch sint agniti canonici. 38.
VII. Ostenditur de libro Ecclesiastici in speciali. 39.
VIII. De lib. Tobiæ in speciali ostenditur quid sit canonicus. ib.
IX. Quòd libri Machabæorum sint sacri & canonici. 40.
X. Respondetur ad argumentum Anonymi Authoris primi libelli ex authoritate S. Hieron. 41.

CAPVT VI.
De vulgata veteri Latina S. Scripturæ editione.

ART. I. De originalibus sacræ scripturæ textibus. 42.
II. De scriptoribus sacrorum librorum. ibid.
III. De versionibus & transsubstantiationibus S. Scripturæ ex originali in alias linguas. 43.
IV. Quòd vulgata vetus sacræ scriptur. Latina editio verè sit authentica. 44.
V. Responsio ad argumentum primi Anonymi. ibid.
ANTITHESES veritatis Catholicæ Ecclesiæ & falsitatis Acatholicorum circa libros sacræ script. & editionis ejusdem. 45.
CONCLUSIO. 46.

LIBER

Digitized by Google

LIBER III.

De Eccleſia vera Chriſti viſibili militante ſecundum ſe ſeu in generali.

CAPVT I.

De Vnitate Eccleſiæ Chriſti veræ.

ART. I. De Voce Eccleſia. 47.
II. Quod Eccleſia Chriſti ſit una. *ibid.*
III. Qualiter Eccleſia Chriſti ſit una & qui ad illam ſpectent juxta hæreticorum ſententiam. 48.
IV. Quinam ad unam Eccleſiam pertineant juxta ſententiam Eccleſiæ Catholicæ. *ibid.*

CAPVT II.

Quod extra Eccleſiam veram Chriſti unicam non ſit ſalus.

ART. I. Quinam verè ſint extra Eccleſiam non ſalvandi. 49.
II. Quòd illi qui ſe à veræ Eccleſiæ communione ſeparant, ſalvari non poſſint, oſtenditur ex ſacra Scriptura. 50.
III. Eadem veritas probatur ex ſanctis Patribus Græcis & Latinis. 51.
IV. Acatholici Lutherani & Calviniſtæ idem fatentur. 53.

CAPVT III.

De Viſibilitate Eccleſiæ veræ.

ART. I. Proponitur ſtatus quæſtionis. 54.
II. Quid Acatholici de viſibilitate Eccleſiæ ſentiant? 55.
III. Quòd Eccleſia Chriſti vera indefectibiliter permanſura ſit uſque ad finem mundi. 57.
IV. Quòd & vera Chriſti Eccleſia, à tempore Apoſtolorum uſq; ad finem mundi in multis orbis partibus, nota & manifeſta permanſura ſit probatur ex ſacra Scriptura vet. teſt. *ibid.*
V. Eandem veritatem probat Auguſtinus ex novo teſtam. 59.
VI. Auguſtinus reſpondet argumentis Donatiſtarum quibus & Acatholici utuntur. *ibid.*
VII. Argumenta Calvini contra veritatem Catholicam. 61.
VIII. Quòd Eccleſia Chriſti ſemper manifeſta futura ſit uſque ad finem ſeculi, ex aliis ſacræ Scripturæ locis juxta ſanctorum Patrum explicationem probatur. *ibid.*
IX. Reſpondetur argumentis Acatholicorum ex SS. Patribus deſcriptis. 64
CONCLUSIO. 65.
ANTITHESES veritatis doctrinæ modernæ Catholicæ Eccleſiæ cum primitiva concordantis & falſitatis Acatholicorum diſſidentis circa unitatem & viſibilitatem veræ Eccleſiæ Chriſti. *ibid.*

CAPVT IV.

De Errabilitate veræ Chriſti Eccleſiæ.

ART. I. Referuntur aſſerta Authorum Anonymorum trium libellorum in hac materia. 66.
II. Proponitur ſtatus quæſtionis & quid Acatholici & Catholici aſſerant. 67.
III. Quòd Eccleſia Chriſti vera, univerſalis, viſibilis, ſimpliciter & abſolutè errare non poſſit in ullo qualicumque fidei articulo, probatur ex S. Scriptura. 68.
IV. Eadem veritas ex SS. Patribus oſtenditur. 70.
V. Eadem veritas probatur ex contradictione quam involvit Acatholicorum ſententia. 71.
CONCLUSIO. 72.
ANTITHESES veritatis doctrinæ Catholicæ Romanæ modernæ Eccleſiæ cum primitiva Chriſti Eccleſia, concordantis: & falſitatis Acatholicorum quoad errabilitatem Eccleſiæ. *ib.*

CAPVT V.

De Conciliis generalibus.

ART. I. Quòd concilia generalia legitimè celebrata non poſſint in fide errare, probatur ex S. Scriptura. 73.
II. Eadem veritas probatur ex SS. Patribus Græcis & Latinis. 75.
III. Reſpondetur ad argumenta Acatholicorum quibus Eccleſiæ univerſalis errabilitatem probare volunt. 76.
IV. Reſpondetur ad argumenta Acatholicorum de errabilitate Conciliorum generalium. 77.
V. Quòd Eccleſia Catholica non adæquet, multò minùs anteponat Concilia S. Scripturæ. 80.
VI. Veritas Catholica oſtenditur ex praxi Acatholicorum. 81.
CONCLUSIO. 82.
ANTITHESES veritatis doctrinæ Eccleſiæ Catholicæ Romanæ cum antiqua Eccleſia concordantis & Acatholicorum falſitatis circa authoritatem Conciliorum generalium. *ibid.*

CAPVT VI.

De Notis ſeu Symbolis veræ Chriſti Eccleſiæ.

ART. I. Referuntur ſententiæ Acatholicorum ac Catholicorum de Notis Eccleſiæ. 83.
II. Oſtenditur quòd notæ ab Acatholicis aſſignatæ non ſint veræ nec congruæ. 84.
III. Oſtenditur quòd veritas Eccleſiæ ſit vera illius Nota. 86.
IV. Quod ſanctitas ſit Nota veræ Eccleſiæ. 87.
V. Signum 3. Eccleſiæ Chriſti veræ eſt quod ſit & dicatur Catholica. 88.
VI. Quartam Notam & ſignum veræ Eccleſiæ eſſe quòd ſit Apoſtolica, oſtenditur. 90.
CONCLUSIO hujus libri. 92.

LIBER IV.

De falſis Eccleſiis.

CAPUT I.

De Sectis aut potiùs Turbis Paganorum & Politicorum.

ART. I. Quòd Paganorum & infidelium cœtui non competant Notæ veræ Eccleſiæ, oſtenditur. 94.
II. Quòd Politici longiſſimè ab omni honeſtate & ſanctitate alieni ſint 95.
III. Veritas Chriſtiana per rationes naturales contra Politicos ſeu Atheos probatur. 96.
IV. Eadem veritas probatur ex hiſtoriis S. Scripturæ. *ibid.*
V. Adducuntur rationes aliæ. 97.

CAPVT II.

De Statu Iudæorum.

ART. I. Quòd Synagoga Judæorum ante Chriſti paſſionem fuerit primaria pars veræ Dei Eccleſiæ. 99.
II. Quòd ſecta Judæorum poſt Chriſti paſſionem nullatenus ſit vera Dei Eccleſia, nec ad illam ſpectet. *ibid.*
III. Quòd Chriſtus JESUS verus Meſſias fuerit. *ibid.*
IV. Judæi fruſtra ſubinde templum reædificare conati ſunt. 101.
V. Sententiæ mirabiles antiquorum Rabinorum circa adventum Meſſiæ. 102.
VI. Quòd JESUS Nazarenus ſit verus Meſſias qui juxta prophetias tempore Herodis advenerit. *ibid.*
VII. Quòd Prophetiæ de Meſſia in Chriſto impletæ, fuerint. *ib.*
VIII. De Prophetiis quoad mortem, Reſurrectionem ac divinitatem Meſſiæ in Chriſto impletis. 104.
IX. Probatur eadem veritas ex S. Script. & experientia. 106.
X. Allegantur cauſæ excæcationis & pertinaciæ Judæorum, ut teſtimonia de Chriſti divinitate. 107.
XI. Oſtenditur ulteriùs ex S. ſcript. & antiquis Rabbinis, ac reſpondetur ad quædam argumenta Judæorum de lege ſervanda. 108.
XII. Quòd lex nova à Chriſto danda fuerit probatur ex veteri teſtamento. 109.
XIII. Quod lex vetus quoad cæremonialia tempore Meſſiæ ceſſarit. 110.
XIV. Oſtenditur quòd Chriſtus legem ſervarit & impleverit, & qualiter illam ſervandam docuerit. 111.
XV. Quod etiam illa quæ de Iſraël ex omni loco congregando & Jeruſalem reædificanda, per Prophetas prædicta, per Chriſtum impleta ſint. 112.
XVI. Notantur aliqua juxta S. Scripturam pro declaratione illorum quæ Judæi objiciunt, & de adventu primo & ſecundo Chriſti Domini. *ibid.*
XVII. Eadem veritas probatur rationibus in S. Scriptura fundatis. 114.
XVIII. Reſpondetur ad argumenta Judæorum art. 15. ex S. Scriptura allegata. 116.
XIX. De impietate & falſitate doctrinæ Judaicæ poſt Chriſti paſſionem. 118.

Digitized by Google

CAPUT III.

De impia & absurda Mahumetis seu Saracenorum Secta.

ART. I. De origine illius sectæ. 110.
II. De doctrina illius sectæ. 121.
III. De successu sectæ Mahumetanæ. 122.
IV. Ostenditur falsitas & impuritas doctrinæ Mahumeticæ. 123.

CAPUT IV.

De Hæreticorum Ecclesiis in partibus orientalibus.

ART. I. De schismaticis & hæreticis, præsertim Arianis. 126.
II. De Nestorianorum hæresi. ibid.
CONCLUSIO. 128.
III. Ostenditur perversitas hæresis pseudo-Synodi secundæ Ephesinæ Eutychianorum. ibid.
IV. De Concilio Chalcedonensi in quo Eutyches & Dioscorus damnati fuerunt. 129.
V. De hæresi Monothelitarum in sexta Synodo damnata. 131.
VI. De Conciliabulo Trullano. 132.
CONCLUSIO. ibid.
VII. De Iconoclastarum hæresi. ibid.

CAPUT V.

De Schismate Græcorum.

ART. I. De initio & Authoribus hujus Græcorum schismatis. 134.
II. De secundo schismatis Authore 137.
III. Demonstratur falsa doctrina Græcorum schismaticorum quoad jejunium Sabbathi & azyma. 138.
IV. De processione Spiritûs sancti à Patre Filióque probatur ex S. Scriptura. 141.
V. Probatur eadem veritas ex sanctis Patribus Græcis. 142.
VI. Refertur definitio Concilii quoad processionem Spiritûs Sancti à Patre Filióque, & quoad azymum in S. Eucharistia, ac purgatorium & primatum Pontificis Romani, 144.
VII. Referuntur aliæ vices quando Græci resipuerunt. 145.
VIII. Respondetur ad argumenta Græcorum de processione Spiritûs Sancti. 146.
IX. Demonstratur summariè schisma & hæresis Græcorum. 148.

CAPUT VI.

De Erroribus aliorum Orientalium.

ART. I. Referuntur errores aliorum Hæreticorum Orientis, imprimis Armenorum. 149.
II. De erroribus Ruthenorum. 150.
III. De erroribus Abyssianorum, Maronitarum, Surianorum Jacobitarum & Georgianorum. 151.
CONCLUSIO. In qua describuntur loca Palestinæ. 153.

CAPUT VII.

Quòd Notæ veræ Christi Ecclesiæ non conveniant cœtibus diversis modernorum Acatholicorum in his Septentrionis Partibus.

ART. I. Quòd prima Ecclesiæ veræ Nota scilicet unitas his cœtibus sibi mutuò contrariis non competat. ibid.
II. De schismatibus Lutheranorum inter se. 154.
III. De dissensionibus Anabaptistarum inter se. 156.
IV. De schismatibus prætensorum Reformatorum inter se, illorúmque ruinosis fundamentis. 157.
V. Refertur causa divisionum inter Acatholicos. 159.
VI. Quòd Acatholici hujus temporis verè sint schismatici, adeóque veræ Ecclesiæ unitatem non habeant. 160.
VII. Refutantur causæ quoad Græcos, per quas Acatholici se à schismatis crimine liberare intendunt. 161.
VIII. Refutatur excusatio Acatholicorum à schismatis crimine ratione Waldensium. ibid.
IX. Refutatur excusatio Acatholicorum à schismatis crimine ratione Wiclefistarum. 163.
X. Refutatur excusatio schismatis quoad Hussitas. 164.
XI. Ostenditur quòd Acatholici moderni cum nullis Waldensium, Wiclefistarum, & Hussitarum Ecclesiis in articulis Fidei quos fundamentales prædicant, conveniant vel concurrant. 165.
CONCLUSIO. 167.

CAPUT VIII.

De aliis veræ Ecclesiæ Notis, quæ modernorum Acatholicorum cœtibus non competunt.

ART. I. Quòd Nota sanctitatis, quâ Ecclesia sancta est & dicitur, cœtibus Anabaptistarum & Lutheranorum non competat. 168.
II. Quòd sanctitas nulla vel doctrinæ vel miraculorum cœtibus prætensorum Reformatorum competat. 169.
III. Nulli cœtui modernorum Acatholicorum competit vel nomen, vel res Catholicæ Ecclesiæ 172.
IV. Quòd Nota Apostolicæ Ecclesiæ cœtibus modernorum Acatholicorum non conveniant. 173.
V. Ostenditur quòd à tempore Apostolorum per omnia secula usque ad Lutherum doctrina Acatholicorum in Ecclesia docta non fuerit 174.
VI. Idem probatur ex mala vita & morte Lutheri, Calvini & aliorum antesignanorum. 176.
VII. Quòd Acatholici nullos suæ sectæ Episcopos vel Doctores qui sibi à tempore Apostolorum successerunt ostendere possint. 177.
VIII. Ostenditur, quòd doctrina cœtuum Acatholicorum sit doctrinæ primitivæ Ecclesiæ veræ in multis contraria, etiam juxta Acatholicorum ipsorummet confessionem. ibid.
IX. Quòd moderni Acatholici antiquos sanctos Patres in multis repudient, & doceant damnatas olim hæreses. 179.
X. Refutantur frivolæ excusationes Acatholicorum quoad hæreses in primitiva Ecclesia damnatas & ab ipsis assertas. 182.
CONCLUSIO. 183.

LIBER V.

De Ecclesia Romana & ejusdem summo Pontifice.

CAPUT I.

De Calumniis Acatholicorum contra Ecclesiam Romanam ejúsque Pontificem.

ART. I. Proponitur status quæstionis de Ecclesia Romana. 184.
II. Referuntur calumniæ Acatholicorum contra Romanam Ecclesiam, quasi à fide vera defecisset. ibid.
III. Diversitas sententiarum quibus Acatholici fingunt Ecclesiam Romanam à fide vera defecisse. 185.
IV. De Antichristo. 187.

CAPUT II.

Quòd Ecclesiæ Romanæ modernæ omnes veræ Christi Notæ competant.

ART. I. Quòd Ecclesiæ Romanæ unitas veræ Ecclesiæ competat. 188.
II. Quòd Ecclesia Romana verè sit sancta, & ipsi Nota sanctitatis fidei competat. 189.
III. Quòd Ecclesia Romana habeat Notam miraculorum. 190.
IV. Quòd Ecclesia Romana habeat Notam sanctitatis morum. 194.
V. De Reformatione Ecclesiæ laudabili, & Acatholicorum detestabili. 195.
VI. Quòd Nota nominis & rei Catholicæ Ecclesiæ Romanæ competat. 196.
VII. Quòd Nota Ecclesiæ Apostolicæ competat Ecclesiæ Romanæ modernæ. 198
CONCLUSIO generalis. De Ecclesia. 200.

CAPUT III.

De Primatu S. Petri, ac Successoribus eius.

ART. I. Referuntur calumniæ Acatholicorum contra Primatum totius Ecclesiæ S. Petro à Christo collatum ibid.
II. Quòd Primatus totius Ecclesiæ sit à Christo collatus Petro probatur ex sacra Scriptura. 201.
III. Primatus Petro collatus à Christo probatur ex sanctis Patribus Græcis. 203.
IV. Eandem veritatem SS. Patres Latini docuerunt. 204.
V. Quòd Romanus Pontifex S. Petri Successor sit in officio pastorali totius Ecclesiæ. 206.
VI. Primatus Romani Pontificis S. Petri Successoris probatur ex Conciliis generalibus. ibid.

VII. Ean-

by Google

VII. Eandem veritatem SS. Patres Græci primitivæ Ecclesiæ agnoscunt. 207.
VIII. Referuntur & refutantur mendacia Calvini. 208.
IX. Eadem veritas probatur ex Pontificum Romanorum primorum sęculorum Epistolis. 209.
X Eadem veritas probatur ex PP. Latinis primitivæ Ecclesiæ. 210
XI. Imperatores primitivæ Ecclesiæ Romanorum Pontificum à Christo datum primatum agnoverunt. 213.
XII. Refelluntur & referuntur mendacia & objectiones Calvini quoad testimonia PP. Latinorum. *ibid.*

CAPVT IV.

Referuntur & refutantur argumenta Authorum trium libellorum contra inerrabilitatem Ecclesiæ Catholicæ Romanæ.

Art. I. Refellitur objectio Authoris Anonymi primi libelli. 216.
II. Refutatur primum argumentum Anonymi tertii libelli contra inerrabilitatem Ecclesiæ Romanæ. 217.
III. Refertur & refutatur quartum ejusdem argumentum contra Ecclesiæ Romanæ inerrabilitatem. 219.
IV. Refertur & refutatur quartum ejusdem Authoris Anonymi argumentum ex Apocalypsi. 220.
V. Referuntur effugia Authoris secundi libelli. 223
Antith. veritatis. Catholicæ Ecclesiæ & falsitatis Acatholicorum juxta SS. PP. primitivæ Ecclesiæ circa Ecclesiam Romanam & S. Petri & Pontificum Romanorum principatum. *ibid.*
Summarium trium Librorum de Ecclesia vera & falsis. 225.
Conclusio. 226.

LIBER VI.

De Cultu & Invocatione Sanctorum.

CAPVT I.

Errores Acatholicorum de Cultu Sanctorum referuntur, & veritas Catholica.

Art. I. Acatholicorum referuntur errores circa cultum sanctorum. 228.
II. Ponitur & declaratur doctrina Ecclesiæ Catholicæ de cultu Sanctorum. *ibid.*
III. Quod sancti Angeli & Apostoli aliique Sancti mortui cum Christo regnantes sint specialiter colendi probatur ex sacra scriptura. 230.
IV. Hæc veritas probatur ex praxi antiquæ Ecclesiæ, Conciliis & SS PP. Grecis. *ibid.*
V. Eandem veritatem à PP. Latinis traditam esse ostenditur. 231.

CAPVT II.

De Qualitate Cultûs Sanctis exhibendi.

Art. I. Qualis sit cultus qui SS. exhibetur & qualiter nominandus. *ibid.*
II. Quòd Sanctis Ecclesiæ Catholicæ nullo modo cultum divinum exhibendum doceat. 233.
III. Qualem cultum B. Deiparæ Virgini Mariæ Ecclesia ex S. scriptura & SS. PP. exhibendum doceat. *ibid.*

CAPVT III.

Respondetur ad argumenta Acatholicorum contra Cultum Sanctorum.

Art. I. Refertur argumentum seu potius calumnia Calvini & refutatur. 233.
II. Respondetur ad argumentum Authoris Anonymi primi libelli. *ibid.*
III. Respondetur ad argumenta secundi Anonymi contra cultum Sanctorum. 237.
IV. Respondetur ad argumenta tertii Anonymi contra cultum Sanctorum. *ibid.*
Conclusio. 238.
Antith. In quibus Ecclesiæ modernæ Romanæ Catholicæ quoad doctrinam de cultu Sanctorum secundum S. scripturam cum SS. PP. primitivæ Ecclesiæ conformitas & Acatholicorum deformitas proponitur. 239.

CAPVT IV.

De Invocatione Sanctorum.

Art. I. Referuntur errores Acatholicorum. 240.
II. Refertur & declaratur doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa invocationem Sanctorum. *ibid.*

CAPVT V.

De Oratione Sanctorum pro Hominibus.

Art. I. Quòd sancti Angeli & homines mortui cum Christo regnantes pro nobis non tantùm in genere sed etiam in particulari orent, ostenditur ex S. scriptura. 241.
II. Doctrina Ecclesiæ Catholicæ de oratione Sanctorum ostenditur ex praxi antiquæ Ecclesiæ. 242.
III. Eadem veritas probatur ex SS. PP. Gręcis. 243.
IV. Eadem veritas ostenditur ex SS. PP. Latinis. 244.

CAPVT VI.

De Invocatione Sanctorum.

Art. I. Qualiter sancti Angeli vel sancti Martyres sint invocandi. 245
II. Quòd eo modo quem Ecclesia docet Sancti sint invocandi probatur ex scriptura. 246.
III. Eadem veritas probatur ex praxi antiquæ Ecclesiæ & SS. PP. Gręcis. 247.
IV. Eadem veritas ex sanctis PP. Latinis ostenditur. 248.
V. Quæ circa invocationem Sanctorum de fide certa credenda sunt. 249.

CAPVT VII.

Referantur & refutantur argumenta Authorum Anonymorum.

Art. I. Refertur & refutatur Argumentum de invocatione B. Virg. Mariæ. 252.
II. Referuntur alia ejusdẽ Anonymi argumenta & refutantur. *ib.*
III. Respondetur ad reliqua argumenta tertii Anonymi contra invocationem Sanctorum. 254.
IV. Respondetur ad reliqua argumenta illius Anonymi. 255.
Conclusio. 256.
Antith. In quibus doctrina Ecclesiæ Catholicæ Romanæ circa invocationem Sanctorum cum sanctis PP. conformitas & Acatholicorum difformitas exhibetur. 257.

LIBER VII.

De Veneratione Reliquiarum & imaginum Sanctorum.

CAPVT I.

Referantur Sententiæ circa Venerationem sanctarum Reliquiarum.

Art. I. Quid Acatholici de cultu Reliquiarum censerit. 258.
II. Doctrina Ecclesiæ Catholicæ de veneratione SS. Reliquiarum. *ibid.*

CAPVT II.

Veneratio SS. Reliquiarum probatur.

Art. I. Doctrina Catholica probatur ex S. scriptura. 259.
II. Ostenditur Catholica doctrina ex Conciliis & PP. Gręcis. 260
III Eadem veritas ex Conciliis & PP. Latinis ostenditur. 262.
IV. Qualis sit cultus SS. Reliquiis exhibendus & qua de causa. 263.

CAPVT III.

Respondetur ad Argumenta Acatholicorum contra Cultum SS. Reliquiarum.

Art. I Referuntur Argumenta Vigilantii & eorum Refutationes à sancto Hieronymo factæ. 264.
II. Respondetur ad argumenta primi Anonymi contra honorem Reliquiarum. 266.
III. Respondetur ad argumenta secundi Anonymi. *ibid.*
IV Respondetur ad tertii Anonymi argumentum contra honorem Reliquiarum. 266.
Antith In quibus Catholica veritas & Acatholicorum falsitas ex sanctis PP. quoad Reliquias proponitur. 268.
Conclusio. 269.

CAPVT IV.

De Imaginibus Dei, Christi & SS. diversæ Sententiæ.

Art. I Quid Acatholici de imaginibus SS. sentiant. 269.
II Doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa SS imagines 270.
III. Ostenditur diversitas inter similitudinem, imaginem, simulachrum & idolum. *ibid.*

CAPVT V.

De Imaginibus Dei.

Art. I. Quod licitum sit imagines, vel sculpturas formare simpliciter. 271.
II. Quòd licitum sit imagines Dei & SS. Trinitatis habere & qualiter. *ibid*

Digitized by Google

III. Referuntur & refutantur argumenta Calvini contra præmissam doctrinam. 274.

CAPVT VI.

De Imaginibus Christi & SS. in Templis.

ART. I. Quòd licitum sit imagines Christi Angelorum & SS. formare, etiam extra historiam, & in templis collocare. 276.
II. Eadem veritas probatur ex SS. PP. Græcis. *ibid.*
III. Veritas Catholica ex PP. Latinis probatur. 277.

CAPVT VII.

De Veneratione seu cultu imaginum.

ART. I. Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ. 277.
II. Quòd signis Deum & Angelos repræsentantibus liceat honorem exhibere ex S. scriptura probatur. *ibid.*
III. Quòd liceat imagines Christi & sanctorum venerari. 278.
IV. Probatur eadem veritas ex PP. Græcis. 281
V. Eadem veritas ex PP. Latinis ostenditur. 282
VI. Probatur Catholica veritas ex miraculis à Deo pro honore imaginum factis. 283.
ANTITH. in quibus ex S. scriptura & SS. PP. Catholica veritas, & Acatholicorum falsitas circa imaginum SS. cultum proponitur. 284.

CAPVT VIII.

De Veneratione seu cultu S. Crucis, ac illius signi.

ART. I. Quid Acatholici de cultu S. Crucis vel ejus signo sentiant. 285.
II. Declaratur doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa venerationem S. Crucis *ibid.*
III. Veritas Catholica, quòd Crux ipsa Christi veneranda sit, probatur primò ex inventione S. Crucis & veneratione illius. 286.
IV. Quòd imago Crucis Christi vel signum illius sit venerandum probatur ex S. scriptura. 287.
V. Veritas Catholica probatur in Lyturgiis & PP. Græcis. 288.
VI. Eadem veritas Catholica ex PP. Latinis probatur. 290.
VII. Qualis honor vel cultus S. Cruci vel imagini aut signo ejus sit exhibendus. 292.

CAPVT IX.

In quo respondetur ad Argumenta Acatholicorum contra cultum SS. Imaginum.

ART. I. Referuntur Calumniæ Acatholicorum contra Synodum VII. generalem, quæ est Nicœna secunda. 294.
II. Respondetur ad Calumnias Calvini contra Synodum VII *ib.*
III. Quid de libro Carolino & decreto Concilii Francofurtensis contra imagines sentiendum. 296.
IV. Refertur & refutatur argumentum Authoris primi Libelli. 297.
V. Referuntur & refutantur argumenta secundi Anonymi. *ibid.*
VI. Referuntur Argumenta tertii Anonymi contra venerationem imaginum & refutantur. 299.
VII. Referuntur argumenta tertii Anonymi contra cultum S. Crucis. 301.
ANTITH. in quibus Catholica veritas & Acatholicorum falsitas circa honorem S. crucis ejusque signa ex SS. PP. primorum seculorum proponitur. 302.
CONCLUSIO *ibid.*

LIBER VIII.

De Purgatorio & Suffragiis pro defunctis.

CAPVT I.

Referuntur Sententia diversa circa Purgatorium.

ART. I. Quid Acatholici senserint & sentiant de Oratione & suffragiis pro defunctis fidelibus. 303.
II. Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ quoad orationes pro defunctis & declaratur. *ibid.*

CAPVT II.

De Pœna temporali post remissam culpam.

ART. I. Quòd post remissionem culpæ Deus ordinario reservet pœnam temporalem luendam in hac vita. 305.
II. Quòd in Sacramento pœnitentiæ per se non tollatur omnis pœna temporalis pro peccatis mortalibus debita sicut in Baptismo. 306.
III. Eadem veritas probatur ex praxi antiquæ Ecclesiæ & SS. PP. 307.
IV. Quòd sæpissime pœna temporalis post hanc vitam luenda sit ab illis fidelibus qui in hac vita culpæ omnis mortalis remissionem à Deo obtinuerunt. 308.
Probatur Catholica veritas ex S. Scriptura. *ibid.*

CAPVT III.

De Suffragiis pro animabus Fidelium Defunctorum.

ART. I. Quòd fideles in gratia defuncti peccatis venialibus & pœnis temporalibus obnoxii viventium suffragiis juvari possint. 310.
II. Quòd S. Missæ sacrificium pro fidelium defunctorum refrigerio & liberatione piè & salubriter offeratur, & pro iisdem orationes & alia pia opera fiant. *ibid.*
III. Probatur eadem veritas ex PP. Græcis. 311.
IV. Eadem veritas probatur ex Conciliis & PP. Latinis. 313.
V. Refertur Calumnia Calvini contra S. Augustinum & refutatur. 315.
VI. Referuntur & refutantur argumenta Authoris secundi libelli. 316.
VII. Refertur & refutatur argumentum Authoris tertii libelli 317.
ANTITH. Catholicæ veritatis, & Acatholicorum falsitatis circa orationem pro fidelibus defunctis ex S. scriptura & SS. PP. 318.
CONCLUSIO. 319.

CAPVT IV.

De Purgatorio.

ART. I. Quid Acatholici de Purgatorio sentiant. 320.
II. Proponitur doctrina Catholica de purgatorio & declaratur *ibid.*
III. Quòd purgatorium seu talis status aut locus vel loca dentur, in quo vel quibus aliquæ animæ fidelium defunctorum pœnâ temporali ante diem judicii puniuntur, donec inde liberentur: probatur primò ex S. Scriptura. 321.
IV. Eadem veritas probatur ex SS. PP. Græcorum testimoniis. 322.
V. Eadem veritas probatur ex PP. Latinis. 323.

CAPVT V.

Respondetur ad argumentum trium Authorum Anonymorum.

ART. I. Referuntur & refutantur argumenta authoris primi libelli. 326.
RESPONSIO. *ibid.*
II. De indulgentiis. 328.
III. Referuntur argumenta authoris 2. libelli. 329.
IV. Respondetur ad argumenta secundi Anonymi. 330.
V. Refertur & refutatur argumentum Authoris tertii libelli, ubi etiam agitur de statu parvulorum defunctorum sine Baptismo. 332.
RESPONSIO ad argumentum 3. Anonymi. *ibid.*
VI. Argumenta Acatholicorum contra purgatorium. 334.

CAPVT VI.

De Lymbo Patrum ante Christi Adventum.

ART. I. Quòd SS. PP. veteris testamenti ante mortem Christi non fuerunt in Cœlo, nec in inferno, sed in tertio loco. 336.
II. Eadem veritas probatur ex SS. PP Græcis 337.
III. Idem probatur ex Patribus Latinis. *ibid.*
IV. Refertur & refutatur sententia Calvini quoad statum animarum justorum, qui ante vel post Christi Adventum defuncti sunt. 338.

CA-

ized by Google

CAPUT ULT.

De Descensu Christi ad inferos.

ART. I. Referuntur dicta D. Vexilliferi & trium DD. Anonymorum. 339.
II. Respondetur ad dicta trium Anonymorum. ibid.
ANTITH. Catholicæ veritatis & Acatholicorum falsitatis circa statum defunctorum ante & post adventum Christi usque ad diem Judicii juxta S. Scripturam & B. Patres. 341.
CONCLUSIO. 342.

LIBER IX.

De Justificatione Hominis.

CAPUT I.

De Nominibus Iustificationis Iustitiæ & gratiæ.

ART. I. Referuntur variæ acceptiones justificationis. 343.
II. De variis justitiæ acceptionibus. ibid.
III. De variis gratiæ usurpationibus. 344.
IV. Quæ dicatur gratia gratum faciens. 345.

CAPUT II.

De Causis Iustificationis.

ART. I. Referuntur errores antiquorum circa causas justificationis. 346.
II. Referuntur errores Lutheri & sectatorum ejus circa causas justificationis. ibid.
III. Refertur sententia Calvini & ejus sectatorum. 347.
IV. Proponitur sententia Ecclesiæ Catholicæ de causis justificationis. 348.
V. Proponitur status controversiæ inter Ecclesiam Catholicam & Acatholicos quoad causas justificationis. 350.

CAPUT III.

De Fide & Operibus ad Iustificationem requisitis.

ART. I. Ostenditur quòd nulla opera qualiacunque ex solis naturæ viribus facta ad fidem sufficiant, nec ad Justificationem disponant, multò minus illam mereantur. 351.
II. Qualis Fides justificet. 353.
III. Quòd præter veram Fidem etiam aliæ dispositiones, seu actus in homine prius requirantur, quàm justificetur. 355.
IV. Quòd non sola fides vera, sed etiam aliæ dispositiones prærequisitæ justificent, licèt fides prima sit & fundamentum. 357.
V. Quòd fides vera, quæ verè justificat, possit esse sine aliis dispositionibus, sed non sine illis justificare, probatur ex S. Scriptura. 358.
VI. Eadem Catholica veritas probatur testimoniis SS. PP. 361.
VII. Quod fides sola nullo, qualicunque modo justificet. 362.
VIII. Quòd fides & aliæ dispositiones justificationem præcedentes, illam absolutè non mereantur. 364.
IX. Etsi de fide certum non sit, probabiliter salvâ fide dici potest quòd fides & aliæ dispositiones ad justificationem requisitæ, illam aliqualiter seu de congruo mereantur. 365.
X. Respondetur ad argumenta Acatholicorum ex S. scriptura. 367.
XI. Respondetur ad loca, quæ Acatholici SS. Patribus pro sola sua fide adducunt. 371.
CONCLUSIO. 372.
ANTITHESIS, in quibus doctrina Ecclesiæ Catholicæ Romanæ quoad causas & dispositiones ad justificationem sac. scripturæ & SS. PP. conformis, Acatholicorum verò doctrina illis contraria proponitur. 373.

CAPUT IV.

De Causa formali Iustificationis.

ART. I. Referuntur opiniones Acatholicorum. 374.
II. Refertur sententia Ecclesiæ Catholicæ de causa formali justificationis & declaratur. 375.
III Quòd sola fides vel fiducia divinæ misericordiæ non sit causa formalis justificationis, nec justitia Dei essentialis. 376.
IV. Quòd homo non justificetur per solam peccatorum remissionem. 377.
V. Quod, licèt propter justitiam Christi homo justificetur, tamen justitia Christi non sit causa formalis, quâ homo justus formaliter constituatur. 378.
VI Quod peccata in justificatione verè deleantur. 379.
VII Qualiter homo justitia Christi vestiatur. 380.
VIII. Quod favor vel benevolentia Dei non sit causa formalis, qua homo formaliter sit & dicatur justus. ibid.
IX. Quòd unica causa formalis justificationis sit gratia seu justitia à Deo creata & homini infusa, eique inhærens. 381.
X. Eadem veritas probatur ex testimoniis sanctorum Patrum. 384.
XI. Respondetur ad argumenta Calvini ex S. Scriptura allegari solita. 386.
XII. Respondetur ad alia Acatholicorum argumenta. 389.
XIII. Respondetur ad argumentum Acatholicorum ex ratione formatum. 393.
CONCLUSIO. 395.
ANTITH. in quibus doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa causam formalem justificationis juxta S. scripturam & SS. PP. veritas, & Acatholicorum falsitas exhibetur. 396.

CAPUT V.

De Certitudine Iustitiæ hominis.

ART. I. Refertur opinio Acatholicorum. 398.
II. Proponitur & declaratur doctrina Ecclesiæ Catholicæ quoad certitudinem justificationis. 399.
III. Quòd fidelis non possit, multò minùs debeat esse certus certitudine Fidei divinæ, cui non possit subesse falsum, sibi peccata esse dimissa, vel se esse justificatum citra revelationem Dei specialem, probatur ex S. scriptura. 401.
IV. Eadem veritas probatur ex testimoniis sanctorum Patrum. 403.
V. Probatur veritas rationibus. 405.
VI Respondetur ad argumenta Acatholicorum. 407.
VII. Ipsi Acatholici fatentur doctrinam Ecclesiæ Romanæ de justificatione à SS. PP. ab initio Ecclesiæ traditam esse. 411.
VIII. Refutantur Calumniæ Acatholicorum contra doctrinam de justificatione. 412.
CONCLUSIO. 413.
ANTITH. in quibus doctrinæ Ecclesiæ Romanæ circa certitudinem singulorum fidelium quoad propriam justificationem cum SS. Patrum doctrina conformitas, & Acatholicorum deformitas proponitur. 414.

CAPUT VI.

De Certitudine Prædestinationis & Perseverantiæ.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 415.
II. Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ & explicatur. 416.
III. Quod fideles non teneantur, nec possint fide divina absolutè credere se prædestinatos esse, sed id tamen piè & firmiter credere probatur ex sacra Scriptura & SS. PP. 417.
IV. Respondetur ad argumenta Acatholicorum contra præmissam veritatem. 419.
V. Quòd electi post justificationem possint ad tempus ex gratia excidere, licèt ad illam redeant. 421.
VI Respondetur ad argumenta Acatholicorum. 422.
VII Quòd homines etiam non electi seu non prædestinati possint verè coram Deo justificari per gratiam licet postea illam perdant per sua peccata. 424.
VIII. Respondetur ad argumenta Acatholicorum. 427.
CONCLUSIO. 428.
ANTITH. in quibus doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ Romanæ circa certitudinem singulorum fidelium, quoad cujusque perseverantiam in gratia, & prædestinationem seu electionem ad gloriam cum sanctorum Patrum doctrina conformitas, & Acatholicorum deformitas proponitur. 429.

Digitized by Google

LIBER X.

De bonis Operibus Justificatorum.

CAPVT I.

Quòd bona Opera dentur, & necessaria sint ad salutem.

ART. I. Referuntur errores antiquorum & modernorum Acatholicorum. 431.
II. Proponitur & declaratur doctrina Ecclesiæ Catholicæ quoad bona opera. 433.

CAPVT II.

De Observantia Legis.

ART. I. Posse hominem justificatum speciali Dei auxilio adjutum legem seu mandata Dei observare. 435.
II. Eadem veritas probatur ex SS. Patribus Græcis & Latinis. 436
III. Respondetur ad argumentum Acatholicorum quoad præceptum de diligendo Deum, & non concupisces. 439.
IV. Respondetur ad alia Acatholicorum argumenta. 442.

CAPVT III.

Quòd Opera Iustorum sint simpliciter bona & iusta, & non vitiosa.

ART. I. Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ 444.
II Veritas Catholicæ Ecclesiæ probatur ex S. Scriptura. 445.
III. Eadem veritas probatur ex SS. Patribus & rationibus in S. Scriptura fundatis. 446.
IV. Respondetur ad argumenta Acatholicorum. 448.

CAPVT IV.

De Necessitate Operum bonorum ad Salutem.

ART. I. Proponitur status quæstionis. 451.
II. Quòd Christiani ad præcepta Decalogi obligentur. *ibid.*
III. Quòd Christiano justificato bona opera necessaria sint ad salutem. 452.
IV. Quòd præcepta Decalogi Christianos obligent, & opera bona ad salutem sint necessaria, probatur ex SS. Patribus Græcis. 455.
V. Eadem veritas probatur ex SS. Patribus Latinis. 456.
VI Respondetur ad argumenta Acatholicorum. 459.
ANTITHESES in quibus doctrinæ Ecclesiæ Romanæ Catholicæ circa justorum bonorum operum justitiam, & ad salutem necessitatem, cum SS. Patrum doctrina conformitas & Acatholicorum doctrinæ difformitas exhibetur. 462.

CAPVT V.

De Meritis bonorum Operum.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 464.
II. Proponitur & declaratur doctrina Ecclesiæ Catholicæ 465.
III. Quòd justificati per opera bona ex gratia facta verè merentur ejusdem augmentum. 466.
IV. Quòd homo justificatus per opera bona ex gratia facta æternam vitam mereatur, probatur ex S. Scriptura 467.
V. Eadem veritas probatur ex testimoniis SS. Patrum Græcorum 469.
VI. Testimonia SS. Patrum pro eadem veritate. 470.
VII. Quòd liceat bene operari propter mercedem vitæ æternæ. 475.
VIII. Respondetur ad argumenta Acatholicorum ex S. Scriptura deducta. 476.

CAPVT VI.

De Conditionibus bonorum Operum.

ART. I. De adjectivis meriti vocibus congrui & condigni. 480.
II. Quòd ad meritum propriè dictum requiratur ut sit verè bonum, liberè ab homine viatore factum. 481.
III. Quòd ad meritum vitæ æternæ requiratur, ut homo sit in statu gratiæ, & ab illa meriti actus procedat. 482.
IV. Quòd ad meritum vitæ æternæ requiratur specialis acceptatio divina, & promissio ex misericordia per merita Christi. 483.
V. Quòd præcipua ratio obligationis ad reddendam vitam æternam pro merito procedat ex acceptatione ex promissione Dei. 48.
VI. Quòd fideles fiduciam suam totam tutiùs in sola Dei misericordia & meritis Christi collocare debeant, cum quo consistit quòd etiã aliquam fiduciã de meritis propriis habeant. 489.
VII. Refertur summatim doctrina Ecclesiæ circa merita, & refutantur Calumniæ Calvini. 491.
ANTITH. In quibus doctrina Ecclesiæ Catholicæ Romanæ modernæ circa merita bonorum operum cum doctrina SS. Patrum primitivæ Ecclesiæ conformitas, & Acatholicorum difformitas exhibetur. 493.

LIBER XI.

De Voto Castitatis, & aliis Monasticis.

CAPUT I.

De Statu Monachorum in Generali.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 496.
II. Quòd status Monachorum à tempore Apostolorum viguerit. *ibid.*
III. Quòd status Monachorũ pius, sanctus & Deo gratus sit. 499.
IV. Quòd forma Monachismi modernæ Ecclesiæ Catholicæ conveniat cum antiqua. 500.
V. Quòd in antiqua Ecclesia sub generali Monachorum statu fuerint diversi status particulares sicut & moderno tempore. 501.
VI. Refelluntur argumenta, vel potiùs mendacia Calvini de disparitate antiqui & moderni Monachismi. 502.
VII. Refelluntur ea quæ Calvinus de vitiis modernorum Mochorum objicit. 506.

CAPVT II.

De Consiliis Euangelicis in communi, eorúmque Perfectione.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum, & doctrina Catholica. 508.
II. Quòd status consiliorum bene dicatur status perfectionis. 509.
III. Quòd Consilia Euangelica ad charitatis perfectionem plurimum conducant. 510.
IV. Refutantur & refelluntur argumenta Acatholicorum contra Euangelica consilia. 511.

CAPVT III.

De Consilio Continentiæ perpetuæ.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum & doctrina Ecclesiæ Catholicæ. 514.
II. Quòd Continentia perpetua Deo grata sit, à Christo non præcepta, sed consulta & commendata, probatur ex verbis Matth. 19 juxta communem SS. Patrum expositionem 515.
III. Quòd Continentia perpetua sit excellens Dei donum & ab hominibus instanter petentibus obtineri possit. 517.
IV. Quòd Continentia perpetua propter Christum suscepta sit etiam meritoria specialis præmii in cœlo probatur ex S. Scriptura. 519.
V. Eadem veritas probatur ex aliis S. scripturæ locis. 520.
VI. Respondetur ad objectiones Acatholicorum. 529.

CAPVT IV.

De Euangelico Consilio voluntariæ Paupertatis.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 522.
II. Quòd paupertas voluntaria sit Deo grata, & sancta ac meritoria, non à Christo præcepta sed consulta, probatur ex S. Scriptura. *ibid.*
III. Eadem veritas probatur ex communi SS. Patrum sententia & expositione. 524.
IV. Refutatur argumentum Calvini contra perfectionem paupertatis. 525.

CAPVT V.

De Obedientiæ Consilio.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 527.
II. Quòd Obedientia Clericorum & præsertim Monachorum sit à Christo consulta, sancta & meritoria probatur ex S. scriptura. *ibid.*
III. Eadem veritas probatur ex testimonio SS. PP. & miraculis.

CAPVT VI.

De Votis Religiosorum & Christianorum in generali.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 530.
II. Proponitur & declaratur doctrina Ecclesiæ Catholicæ quoad vota præsertim monastica. 531.

III. Quòd

Digitized by Google

III. Quòd omnia vota piè & licitè fiant ad colendum Deum. 533.
IV. Refellitur objectio seu Calumnia Calvini. 534.

CAPUT VII.

De Votis Religiosorum in particulari.

ART. I. Quòd paupertas perpetua voluntaria sanctè Deo voveatur, probatur ex S. Scriptura. 535.
II. Quòd obedientia sub Ecclesiasticis superioribus Deo sanctè voveri possit. 537.
III. Quòd continentia perpetua piè & rectè Deo voveri & per illam homo Deo consecrari possit. 538.
IV. Votum perpetuæ continentiæ licitum & sanctum esse probatur ab exemplo B. Virginis. 539.
V. Refutatur argumentum Acatholicorum contra votum continentiæ perpetuæ. 541.

CAPUT VIII.

De Voto Continentiæ Sacerdotum & Clericorum.

ART. I. Quòd Ecclesia à tempore Apostolorum piè constituerit ut nulli Clerici ad majores Ordines admittantur, nisi perpetuam continentiam voveant. 543.
II. Eadem veritas probatur ex conciliis Græcis & Latinis primitivæ Ecclesiæ. 544.
III. Idem probatur ex SS. Patribus Græcis. 545.
IV. Idem probatur ex sanctis Patribus Latinis. 546.

CAPUT IX.

De Incapacitate Clericorum & Religiosorum ad Matrimonium.

ART. I. Quòd omnibus voto perpetuæ continentiæ adstrictis illicitum sit transire ad nuptias probatur ex S. Scriptura. 547.
II. Eadem veritas probatur ex conciliis & SS. Patribus. 548.
III. Respondetur ad argumenta Acatholicorum. 551.
ANTITH. in quibus veritas doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ circa vota perpetuæ continentiæ, & alia, juxta S. scripturam sanctis Patribus tam Græcis quam Latinis primitivæ Ecclesiæ conformis, & Acatholicorum falsitas proponitur. 555.

LIBER XII.

De Sacramentis novæ Legis in genere.

CAPUT I.

De Sacramentorum Substantia.

ART. I. Referuntur errores antiquorum Hæreticorum, & Acatholicorum modernorum. 557.
II. Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa Sacramenta novæ legis. 558.
III. De nomine & Etymologia Sacramenti. ibid.
IV. Refertur sententia Acatholicorum quoad rationem Sacramentorum & refutatur. 559.
V. Refutantur Acatholicorum asserta. 560.
VI. Acatholicorum assertum de sigillo refutatur. 561.
VII. Quid ad rationem Sacramenti novæ legis juxta doctrinam Catholicam requiratur. 562.
VIII. Quòd certæ res & verba, non tamen concionatoria ad valorem Sacramenti novæ legis requirantur. 563.
IX. Ex præmissis ostenditur veritas Catholica de verbo Sacramentorum consecratorio, & falsitas Acatholicorum de verbo concionatorio. 565.

CAPUT II.

De Efficacia Sacramentorum novæ Legis.

ART. I. Proponitur sententia Acatholicorum. 566.
II. Proponitur sententia Ecclesiæ Catholicæ. 567.
III. Quòd sacramenta novæ legis verè instrumentaliter causent & conferant gratiam probatur ex S. scriptura. 568.
IV. Eadem veritas probatur ex conciliis & SS. Patribus Græcis. 570.
V. Eadem de efficacia Sacramentorum veritas ex conciliis & SS. Patribus Latinis probatur. 571.
VI. De secundario effectu quorundam Sacramentorum qui dicitur character. 574.

CAPUT III.

De Numero Sacramentorum novæ Legis.

ART. I. Referuntur opiniones Acatholicorum de Sacramentorum numero & quænam sint. 575.
II. Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ & declaratur. 576.

CAPUT IV.

De Ceremoniis Sacramentorum.

ART. I. Referuntur errores & mendacia Acatholicorum circa ceremonias. 577.
II. Refertur doctrina Ecclesiæ Catholicæ quoad ceremonias circa Sacramenta. 578.
III. Quòd ritus seu Ceremoniæ ab Apostolis vel Ecclesia institutæ & præceptæ in conscientia obligent probatur ex S. Scriptura. 579.
IV. Doctrina Ecclesiæ Catholicæ quoad Ceremonias probatur. 580.
V. Respondetur ad objectiones & calumnias Acatholicorum. 582.
VI. Ceremoniæ quas Ecclesia circa usum Sacramentorum observat recensentur & probantur ex SS. Patribus. 584.
ANTITHESES in quibus veritas doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ & falsitas Acatholicorum circa Sacramenta novæ legis juxta S. Scripturam & SS. Patres proponitur. 588.

LIBER XIII.

De Sacramento Baptismi.

CAPUT I.

De Sacramento Baptismi quisque materia & forma ac Ministri.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 590.
II. Proponitur & declaratur doctrina Ecclesiæ Catholicæ ibid.
III. Quòd sola aqua naturalis sit materia Baptismi. 591.
IV. Quæ sit vera forma Baptismi. 592.
V. Quinam sit Minister Sacramenti Baptismi. 594.
VI. Respondetur ad objectiones Calvini & aliorum Acatholicorum. 595.

CAPUT II.

De Necessitate Sacramenti Baptismi.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 597.
II. Præponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ & probatur ex sacra Scriptura. 599.
III. Veritas Catholica probatur ex testimoniis SS. Patrum. 600.
IV. Respondetur ad argumenta Acatholicorum. 602.

CAPUT IV.

De Baptismo Infantûm.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 606.
II. Præponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ & probatur ex sacra Scriptura. 607.
III. Eadem veritas probatur ex Patribus Græcis & Latinis. 608.
IV. An, & qualem infantes baptizati fidem habeant. 610.
V. Respondetur ad argumenta Acatholicorum. 613.

CAPUT IV.

De Baptismo Ioannis.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 618.
II. Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ & declaratur. 619
III. Doctrina Ecclesiæ Catholicæ probatur ex S. Scriptura. 620.
IV. Veritas Catholica probatur testimoniis sanctorum Patrum Græcorum & Latinorum. 621.
V. Referuntur & refutantur objectiones Acatholicorum. 625.
ANTITHESES, in quibus veritas doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ Romanæ juxta sacram Scripturam, & conformitas cum antiqua Ecclesia, falsitas autem & difformitas Acatholicorum circa Sacramentum baptismi proponuntur. 628.

LIBER XIV.

De Sacramento Confirmationis.

CAPUT UNICUM.

ART. I. Refertur error Acatholicorum & doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa Sacramentum Confirmationis. 630.
II. Quòd Confirmatio sit verum novæ legis Sacramentum probatur ex S. scriptura. 631.
III. Veritas Catholica de sacramento Confirmationis probatur ex Conciliis & SS. Patribus Græcis. 633.
IV. Eadem veritas probatur ex Conciliis & PP. Latinis. 634.
ANTITH. in quibus veritas doctrinæ Catholicæ & conformitas cum SS. Patribus circa sacramentum Confirmationis, & falsitas Acatholicorum & difformites à SS. Patribus proponitur.

zed by Google

LIBER XV.

De Sacramento Eucharistiæ.

CAPUT I.

De variis contra hoc V. Sacramentum Erroribus & vera Ecclesiæ Doctrina.

ART. I. Referuntur errores antiquorum Hæreticorum. 638.
II. Referuntur errores Lutheranorum. ibidem.
III. Referuntur errores Sacramentariorum. 139.
IV. Refertur error Calvini. ibid.
V. Referuntur opiniones Calvini sectatorum. 640.
VI. Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ de Præsentia Christi in Eucharistia. 641.

CAPUT II.

De Possibilitate Corporis Christi in Eucharistia.

ART. I. Quòd Corpus Christi verè & realiter per Dei absolutam potentiam possit esse sine præsentia circumscriptiva ad locum ostenditur ex ratione naturali. 642.
II. Possibilitas Corporis Christi existentis in diversis locis probatur ratione naturali. 643.
III. Possibilitas præsentiæ corporalis Domini in Eucharistia probatur ex aliis S. scripturæ locis. 644.
IV. Quòd Corpus Christi possit esse in pluribus locis non occupando locum probatur ex S. scriptura. 646.
V. Non est inutile sed valde salutare quòd Christus sit præsens in S. Eucharistia realiter. 647.
VI. Quòd præsentia realis in Eucharistia non sit Christo indigna. ibid.

CAPUT III.

Quòd Christus Dominus voluit Corpus & sanguinem realiter in S. Eucharistia esse præsentem.

ART. I. Hæc veritas ostenditur ex verbis S. scripturæ Joan. 6. 648.
II. Veritas Catholica probatur principaliter ex verbis institutionis hujus Sacramenti. 650.
III. Veritas Catholica de præsentia Corporis Domini in Eucharistia ostenditur ex SS. Patribus Græcis. 652.
IV. Eadem veritas probatur ex PP. Latinis. 657.
V. Notantur aliqua observanda circa verba sanctorum Patrum de hoc Sacramento. 660.
VI. Veritas de reali præsentia Christi in Eucharistia ostenditur ex primis Authoribus contrarii erroris. 651.
PRIMI AUTHORES erroris contra præsentiam Christi in Eucharistia in Ecclesia Græca. ibid.
PRIMI AUTHORES ejusdem erroris in Ecclesia Latina. 663.
ART. VI. Ostenditur Antiquitas & universalitas doctrinæ Catholicæ quoad præsentiam Corporis Christi in Eucharistia, tam ex praxi Ecclesiæ primitivæ quàm modernæ etiam Græcorum. ibid.

CAPUT IV.

De Transubstantiatione.

ART. I. Proponitur doctrina Ecclesiæ de Transubstantiatione. 664.
II. Declaratur doctrina Catholica de Transubstantiatione. 665.
III. Veritas de Transubstantiatione probatur ex S. scriptura. 667.
IV. Quòd SS. Patres ab initio crediderunt & docuerunt Transubstantiationem quoad rem ipsam probatur. 668.

CAPUT V.

Referuntur & refutantur ea quæ trium libellorum Authores Anonymi circa realem præsentiam Corporis Christi in Eucharistia obiiciunt.

ART. I. Referuntur verba Authoris primi libelli contra præsentiam & transubstantiationem. 669.
II. Referuntur ea quæ Author secundi libelli obiicit. 670.
III. Respondetur ad objecta præmissa Authoris secundi libelli. ibid.
IV. Referuntur verba & objecta Authoris tertii libelli. 672.
V. Respondetur ad præmissa objecta. ibid.
VI. Referuntur reliqua verba & objecta Authoris tertii libelli. 673.
VII. Respondetur ad præmissa objecta ex D. Augustino & Theodoreto adducta. ibid.
VIII. Respondetur ad alia ejusdem Anonymi objecta quoad Transubstantiationem. 676.
IX. Respondetur ad objecta ex verbis D. Augustini lib. de doctrina Christiana allata. 677.
X. Respondetur ad argumentum ex verbis D. Augustini in ps. 98. allatum. ibid.
XI. Respondetur ad alium D. Augustini locum. 678.
ANTITHES. In quibus Catholicæ Romanæ Ecclesiæ circa doctrinam de V. Sacramento Eucharistiæ cum SS. Patribus juxta S. scripturam Conformitas & Acatholicorum difformitas proponitur. 680.

CAPUT VI.

De Adoratione Christi in Eucharistia.

ART. I. Quid Acatholici de adoratione Christi in Eucharistia doceant. 681.
II. Quid Ecclesia Catholica circa adorationem Christi in sacramento vel adorationem sacramenti credat & doceat. ib.
III. Declaratur doctrina Ecclesiæ Catholicæ. 682.
IV. Probatur doctrina Ecclesiæ Catholicæ. ibid.
V. Referuntur & refutantur ea quæ Author primi libelli circa Articulum de adoratione Christi in Eucharistia dicit. 684.
RESPONSIO ad primi Anonymi allegata contra adorationem. ibid.
VI. Referuntur & refutantur argumenta Authoris tertii libelli. ibid.
RESPONDETUR ad dicta authoris Anonymi tertii libelli. ibid.
VII. Referuntur verba & argumenta authoris secundi libelli. 685
VIII. Refutantur argumenta vel potius calumniæ authoris secundi libelli. ibid.
ANTITHESES quoad adorationem Christi in ven. Sacramento. 689.

CAPUT VII.

De Communione Eucharistiæ sub utraque Specie.

ART. I. Quid Acatholici de hac communione sentiant. 690.
II. Proponitur & declaratur doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa S. Communionem sub utraque specie. 691.
III. Quòd fideles Laici & Clerici non conficientes V. Sacramentum nullo præcepto divino obligentur ad communionem sub utraque specie ex vi institutionis sacramenti. 692.
IV. Eadem veritas probatur ab exemplis Apostolorum. 693.
V. Eadem veritas probatur ex usu antiquæ Ecclesiæ Græcæ & Latinæ quoad communionem privatam. ibid.
VI. Quòd venerabile sacramentum sub una tantùm specie volentibus etiam publicè in templo datum sit tam in Ecclesia Græca quàm Latina. 695.
VII. Allegantur causæ an expediat Laicos sub una tantùm specie communicare. 697.
VIII. Quòd Ecclesia in Concilio Basil. bene statuerit ut universaliter Laici sub una specie communicarent. 698.
IX. Refertur primum argumentum Acatholicorum & refutatur. 700.
X. Refertur Lutheri argumentum & refutatur. 701
XI. Referuntur alia Lutheri & Calvini argumenta & refutantur. 702.
ANTITH. ex doctrina SS. Patrum Catholicæ veritatis & Acatholicorum falsitatis circa communionem sub utraque specie. 703.

LIBER XVI.

De Sacrificio Missæ.

CAPUT I.

Referuntur errores Acatholicorum & veritas Catholica circa Sacrificium Missæ.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 705.
II. Quid per sacrificium intelligatur. 706.
III. Doctrina Ecclesiæ Catholicæ quoad sacrificium Missæ proponitur. 707.

CAPUT II.

Veritas Sacrificii ostenditur ex Figuris S. Scripturæ veteris Testamenti.

ART. I. Ostenditur ex figura & vaticinio sacrificii Melchisedech. 709.
II. Qualiter antiqua Ecclesia vaticinium de Sacerdotio Melchisedech intellexerit. 710.

III. Refu-

Digitized by Google

III. Refutantur objectiones Calvini quoad Sacrificium Melchisedech. 713.
IV. Quòd Sacrificia veteris testamenti præsertim Agni paschalis & vituli pro confirmatione testamenti Sacrificium Eucharistiæ præfiguràrint probatur ex S. scriptura. 715.
V. Quòd omnia Sacrificia antiqua Sacrificium Eucharistiæ præfigurârint probatur ex SS. Patribus. 716.
VI. Sacrificium Missæ esse verum probatur ex diversis prophetarum vaticiniis. 719.
VII. Eadem veritas probatur ex vaticinio Malachiæ. 720.
VIII. Idem probatur ex expositione SS. Patrum. 721.
ANTITH. in quibus doctrinæ Ecclesiæ modernæ Catholicæ Romanæ circa Sacrificium Missæ juxta S. scripturam veteris testamenti cum sanctorum Patrum primitivæ Ecclesiæ doctrina conformitas Acatholicorū difformitas proponitur. 725

CAPVT III.

Veritas Sacrificii Missæ probatur ex novo testamento.

ART. I. Probatur 1. ex verbis Christi Joann. 4. 726.
II. Eadem veritas probatur ex ipsa Eucharistiæ institutione & ejus circumstantiis. 728.
III. Quòd Christus in ultima cœna sacrificium obtulerit & offerendum mandârit probatur ex SS. Patrū sententia. 730.
IV. Quòd in Ecclesia Christi verum offeratur sacrificium probatur ex aliis S. scripturæ locis. 733.
ANTITH. in quibus doctrinæ Catholicæ modernæ Ecclesiæ quoad sacrificium Missæ juxta scripturam novi testamenti cum SS. Patrum doctrina Conformitas & Acatholicorum difformitas proponuntur. 734.

CAPVT IV.

Sacrificium Missæ probatur ex traditione Ecclesiæ.

ART. I. Probatur ex praxi totius Ecclesiæ. 736.
II. Eadem praxis antiquæ Ecclesiæ probatur ex testimoniis SS. Patrum. 737.
III Eucharistiæ sacrificium per usum sacerdotum ex testimoniis SS. Patrum probatur. 739.
IV. Eadem veritas probatur ex usu Altarium in antiqua Ecclesia juxta testimonia SS. Patrum Græcorum. 741.
V. SS. Patres Latini Altaria in Ecclesia constituta fuisse testantur. 742.

CAPVT V.

Referuntur argumenta Acatholicorum contra sacrificium Missæ.

ART. I. Refertur responsio Calvini ad testimonia SS. Patrum quoad nomina sacrificii sacerdotis, & Altaris in Ecclesia consueta & refutatur. 744.
II. Acatholici fatentur SS. Patres suæ doctrinæ contra sacrificium Eucharistiæ esse contrarios. 746.
III. Referuntur argumenta Lutheranorum ex S. scriptura contra sacrificium Missæ. 748.
IV. Respondetur ad argumentum quorundam modernorum Lutheranorum. 750.
V Referuntur argumenta Calvini contra sacrificium Missæ. 751.
ANTITH. in quibus doctrinæ Ecclesiæ Romanæ de sacrificio Eucharistiæ juxta Ecclesiæ primitivæ praxim cum eadem doctrina conformitas & Acatholicorum difformitas proponitur. 756.

CAPVT VI.

De sacrificio Missæ ut est propitiatorium.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 758.
II. Refertur & exponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ. ibid.
III. Quòd sacrificium Eucharistiæ sit propitiatorium probatur ex S. scriptura. 760.
IV. Quòd sacrificium Eucharistiæ pro peccatis bene offeratur probatur ex SS. Patribus. 761.
V. Quòd sacrificium Eucharistiæ offerendum sit tam pro vivis eorùmque necessitatibus, quàm fidelibus defunctis probatur ex praxi primitivæ Ecclesiæ & testimoniis SS. Patrum 762.
VI. Respondetur ad argumenta Acatholicorum contra sacrificium Missæ quatenus propitiatorium est. 765.
ANTITH. in quibus doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ quoad sacrificium Eucharistiæ, ut est propitiatorium, cum antiquæ Ecclesiæ doctrina conformitas & Acatholicorum difformitas exhibetur. 767.

CAPVT VII.

De Missis privatis.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 768.
II. Refertur doctrina Ecclesiæ Catholicæ. 769.
III. Quòd omnes & singulæ privatæ Missæ in Ecclesia celebrari solitæ sint bene & licitè. 770.
IV. Quòd Missa etiam solemnis, in qua nemo præter sacrificantem sacramentaliter communicat, licita sit, & quotidiana communio fidelium sancta & laudabilis sit. 772.
V. Quòd omnes Missæ ab Ecclesia approbatæ sint absolutè publicæ & communes. 773.
VI. Respondetur ad objectiones Acatholicorum. 774.
VII. Referuntur objectiones & Calumniæ cujusdam Apostatæ & doctoris Helmstadiensis & refutantur. 777.

CAPVT VIII.

De nomine & Ceremoniis Missæ.

ART. I. Exponitur status eorum, quæ de his ab Acatholicis disputantur. 780.
II. Referuntur errores Acatholicorum. 781.
III. Refertur doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa Ceremonias Missæ. ibid.
IV. Declaratur Etymologia nominis Missæ & ejus antiquitas. 782.
V. Quòd Missæ sacrificium licitè in honorem Sanctorum celebretur. 783.
VI. Quòd vestes sacræ, ornamenta, vasa aurea & argentea, & luminaria licitè ad sacrificium Missæ adhibeantur. 784.
VII. Quòd ceremoniæ Missæ quæ in actione consistunt antiquæ & licitæ sint. 786.
VIII. Quòd ceremoniæ Missæ quæ in verbis consistunt licitæ & antiquæ sint. 788.
IX. Respondetur ad argumenta Acatholicorum contra Missæ ceremonias. 791.
X. Referuntur & refutantur calumniæ alicujus apostatæ. 793.
ANTITH. in quibus doctrinæ Catholicæ Ecclesiæ Rom. quoad Ceremonias Missæ cum antiqua Ecclesiæ doctrina conformitas & Acatholicorum difformitas exhibentur. 795.

LIBER XVII.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPVT I.

De Sacramento Pœnitentiæ secundum se.

ART. I. Referuntur errores circa hoc Sacramentum. 796.
II. Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa sacramentum pœnitentiæ. 797.
III. Quòd pœnitentia sit verè & propriè novæ legis sacramentum probatur ex S. scriptura. 798.
IV. Quòd pœnitentia sit propriè dictum Sacramentum à Baptismo distinctum probatur ex Patribus Græcis. 799.

CAPVT II.

De actibus Pœnitentis ad Sacramentum Pœnitentiæ requisitis, ac præsertim de Confessione.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 804.
II. Refertur doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa confessionem & alios pœnitentis actus. 805.
III. Quòd confessio peccatorum mortalium post Baptismum commissorum sacerdoti in specie sit facienda probatur ex S. Scriptura. 800.
IV. Eadem veritas Catholica probatur ex Conciliis & SS. Patribus Græcis. 808.
V. Eadem veritas Catholica ostenditur ex SS. Patribus Latinis. 811.
ANTITH. in quibus veritas doctrinæ Catholicæ circa Sacramentum pœnitentiæ juxta S. scripturam & SS Patrum sententiam & Acatholicorum falsitas proponitur. 815.

LIBER XVIII.

De Sacramento extremæ Unctionis.

CAPVT VNICVM.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum circa hoc sacramentum. 816.
II. Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa hoc Sacramentum. ibid.
III. Veritas doctrinæ Catholicæ probatur ex S. scriptura. 817.
IV. Eadem veritas de extremæ Unctionis Sacramento probatur ex Conciliis & SS. Patribus. 818.
ANTITH. in quibus veritas doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ circa Sacramentum extremæ Unctionis & falsitas Acatholicorum proponitur. 819.

Digitized by Google

LIBER XIX.

De Sacramento Ordinis.

CAPUT I.

De Ordinibus sacris.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum circa hoc Sacramentum. 820.
II. Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ quod sacramentum Ordinis. 821.
III. Ostenditur quòd Episcopatus presbyteratus & Diaconatus sint veri gradus in Ecclesia Dei divinitus instituti. 822.
IV. Quòd Episcopi sacerdotibus & Diaconis superiores sint & quænam inter hæc tria munia sit distinctio probatur ex SS Patribus. 823.
V. Quòd in primitiva Ecclesia fuerit Ordo subdiaconorum, Lectorum, Exorcistarum, Acolythorum & Ostiariorum probatur ex SS. Patribus. 825.

CAPUT II.

De Ordine ut est Sacramentum.

ART. I. Quòd Ordo seu Ordinatio Ministrorum Ecclesiæ sit verum novæ legis sacramentum ostenditur. 826.
II. Quòd Ordo seu Ordinatio sit verum sacramentum probatur ex SS. Patribus. 827.
III. De materia & forma hujus sacramenti & effectibus. 829.
ANTITH. in quibus veritas doctrinæ Catholicæ circa sacramentum Ordinis juxta S. Scripturam & SS. Patres ac falsitas Acatholicorum proponitur. 830.

LIBER XX.

De Sacramento Matrimonii.

CAPUT UNICUM.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 831.
II. Proponitur veritas Ecclesiæ doctrinæ. 832.
III. Quòd matrimonium inter Christianos sit verum sacramentum novæ legis probatur ex S. scriptura. *ibid.*
IV. Catholica doctrina de sacramento Matrimonii probatur ex sanctis Patribus. 834.
V. Ecclesia Græca etiam post schisma agnovit Matrimonium esse Sacramentum. 837
ANTITH. in quibus veritas doctrinæ Catholicæ circa sacramentum Matrimonii juxta S. scripturam & SS. Patribus & falsitas Acatholicorum proponitur. *ibid.*

LIBER XXI. & ULT.

De miscellaneis Fidei Articulis.

CAPUT I.

Referuntur Argumenta Anonymi Authoris primi Libelli & refutantur.

ART. I. Ad primum argumentum primi Anonymi respondetur. 839
II. Adfertur secundùm Anonymi argumentum & refutatur. 841
III. Refertur tertium argumentum primi authoris Anonymi & refutatur. *ibid.*
IV. Refertur quartum argumentum D. Anonymi primi & refutatur. 842.
V. Refertur 5. primi Anonymi argumentum & refutatur. 847.
VI. Respondetur ad ultimum argumentum. 850.

CAPUT II.

Referuntur Argumenta Authoris Anonymi secundi Libelli & refutantur.

ART. I. Referuntur verba primi illius authoris Anonymi & refutantur. 851.
II. Referuntur alia illius Anonymi verba & refutantur. 852.
III. Referuntur alia Domini Anonymi verba & refutantur. 856.
IV. Refertur D. Anonymi argumentum & refutatur. 857.
V. Ostenditur quod Acatholici quoad articulum de traditionibus à primitiva Ecclesia defecerint & antiquos hæreticos sequantur. 859.
VI. Refertur secundum argumentum authoris 2. libelli de communione sub utraque specie, & refutatur. 86-.
VII. Refertur argumentum tertii Anonymi 2. libelli de sacrificio Missæ propitiatorio & refutatur. 863.
VIII. Referuntur varia & arrogantia D. Anonymi verba & refutantur. *ibid.*
IX. Referantur verba conclusionis D. Anonymi & refutantur. 864.

CAPUT III.

Referuntur finaliter Authoris Anonymi tertii Libelli Argumenta & refutantur.

ART. I. Quædam ejus verba referuntur & refutantur. 866.
II. Refertur primum argumentum Authoris Anonymi contra ultimum articulum. *ibid.*
CONCLUSIO 874.

FINIS.

LIBER I.

ANTITHESES,

In quibus veritas doctrinæ Catholicæ circa Sacramentum pœnitentiæ iuxta S. Scripturam & SS. Patrum sententiam, & Acatholicorum falsitas proponitur.

PRima: SS. Patres juxta S. scripturam docuerunt, *quòd lapsi post baptismum non possint pro remissione ad Baptismi Sacramentum recurrere; sed aliud pro talium peccatorum remedio à Christo institutum sit Sacramentum, scilicet pœnitentia:* Ita etiam Ecclesia Rom. Cath.

Acatholici prorsus negant, tale distinctum à baptismo institutum esse sacramentum.

2. SS. Patres nunquam hortati sunt fideles, *ut ad obtinendam peccatorum post Baptismum commissorum remissionem, in memoriam revocent baptismum, quem susceperunt; ut sic à peccatis liberentur:* Ita nec Cath. Ecclesia.

Acatholici *sine ullo S. Scripturæ vel SS. PP. testimonio volunt, lapsos per memoriam baptismi liberari.*

3. SS. Patres secundùm sacram Scripturam docuerunt; *quòd Christus Apostolis, ipsorumque successoribus sacerdotibus dederit claves regni cælorum, seu potestatem ligandi & solvendi à peccatis post baptismum commissis; non tali modo, ut sacerdotes fidelibus* annuntient ipsis à Deo remissa esse peccata, *sed ut ipsi pœnitentes à peccatis absolvant,* Ita etiam Ecclesia Cath.

Acatholici *ex suo cerebro volunt: potestatem clavium seu solvendi & ligandi esse solùm ad hoc, ut ministri consolentur pœnitentes, & ipsis denuntient peccata à Deo dimissa.*

4. Sancti Patres juxta sacram Scripturam docuerunt; *quòd Christus Apostolos & ipsorum successores instituerit suos vicarios, qui vice illius, ut veri Iudices delegati potestatem habeant dijudicandi peccata ad solvendum ab iis, vel ligandum:* Ita etiam Ecclesia Cath.

Acatholici id prorsus negant.

5. Sancti Patres juxta sacram Scripturam docuerunt: *quòd lapsi in peccata mortalia post Baptismum, de necessitate salutis pro obtinenda peccatorum remissione ad sacerdotes recurrere teneantur.* Ita etiam Ecclesia Cath. docet.

Acatholici id derident & negant.

6. Sancti Patres docuerunt, *quòd in veteri lege sacerdotibus potestas duntaxat data fuerit examinandi lepram corporalem, & declarandi an vera esset vel non esset; at verò Christus Apostolis illorumque successoribus sacerdotibus ad lepram animæ purgandam & tollendam dederit potestatem.* Ita etiam docet Ecclesia.

Acatholici id negant.

7. Sancti Patres docuerunt contra Novatianos, *quòd non solùm Deo, sed etiam sacerdoti peccata sint confitenda, nec solus Deus, sed etiam sacerdotes ex Christi potestate & commissione, peccata remittant.* Ita etiam Ecclesia Cath.

Acatholici cum Novatianis volunt, *quòd soli Deo peccata sint confitenda, & solus Deus peccata dimittat.*

8. Sancti Patres docuerunt, *quòd sicut morbi & vulnera corporis, quantumvis occulta, medico sint manifestanda, ut curari possint: sic lapsi omnia peccata mortalia etiam cordis occultissima sacerdoti aperire debeant, ut ab illis curentur.* Ita etiam Ecclesia docet.

Acatholici id prorsus reiiciunt.

9. Sancti Patres docuerunt, *quòd lapsi omnia & singula peccata mortalia; quæ memoriæ occurrunt, sacerdoti privatim seu auriculariter confiteri debeant: non solùm ut ipse iudicet, an illa dimittenda sint vel liganda, sed etiam, ut pro peccatis dimissis satisfactionem debitam iniungat vel privatim vel publicè faciendam.* Ita etiam docet Ecclesia Cath.

Acatholici cum Calvino *confessionem peccatorum huiusmodi privatam seu auricularem, ut pestilentem & Ecclesiæ noxiam impiè damnare non verentur.*

10. Sancti Patres docuerunt, *quòd per sacramentum pœnitentiæ peccata quidem dimittantur, sed non omnis semper reatus temporalis pœnæ dimittatur, sicut in Baptismo, pro quo satisfaciendo pœnitentiæ seu satisfactiones sint à sacerdote imponendæ;* Ita etiam docet Ecclesia.

Acatholici contra clarum Dei verbum & SS. Patres volunt, *quòd post dimissam culpam nullus reatus pœnæ temporalis remaneat.*

11. Sancti Patres docuerunt, *quòd ex sincera & verecunda peccatorum confessione sacerdoti facta, pœnitentes non solùm peccatorum remissionem, sed etiam veram cordis tranquillitatem consequantur.* Ita etiam docet Ecclesia & experientia testatur.

Acatholici *huiusmodi confessionem abominantur, & carnificinam non minus falsò quàm impiè vocant.*

12. Sancti Patres ex eo, *quòd per Sacramentum pœnitentiæ peccata omnia post Baptismum commissa quidem dimittantur, ita tamen, ut pœna temporalis luenda remaneat, illud Baptismum laboriosum & lacrimarum, ac secundam post naufragium spiritualem tabulam vocarunt.* Ita etiam Ecclesia.

Acatholici cum Calvino *has nuncupationes vel nomina vocant impia.*

13. Sancti Patres docuerunt, *quòd confessio omnium & singulorum peccatorum sacerdoti facienda à Christo sit præcepta ad salutem necessaria, quod tum ex verbis Christi, tum ex usu Ecclesiæ à tempore Apostolorum ostenderunt.* Ita etiam docet Ecclesia.

Acatholici *negant huiusmodi confessionem à Christo esse præceptam, sed ad libitum fidelibus liberam relictam, & sic tantùm ab initio Ecclesiæ volunt illam esse usurpatam, nec unquam sub præcepto esse propositam usque ad annum 1214. sub Innocentio III.* quod falsissimum est, cùm SS. Patres illam doceant esse ad salutem necessariam: quod sine præcepto Christi esse non posset: Innocentius verò, & Concil. Lateranense solum præceperunt, ut fideles mortalibus obnoxii, qui juxta præceptum Christi ex necessitate salutis ad remissionem peccatorum obtinendam aliquando confiteri tenentur ad minus semel in anno circa Pascha hoc facere obligentur.

(*,*)

LIBER

Digitized by Google

LIBER XVIII.

De Sacramento extremæ Vnctionis.

CAPVT VNICVM.

ARTICULUS I.

Referuntur errores Acatholicorum circa hoc Sacramentum.

I. SCiendum: quòd, licèt hoc Sacramentum in primitiva Ecclesia creditum & usurpatum fuerit, ùt infrà patebit, nulli tamen hæretici quantùm videre licuit id negârint, vel illi contradixerint; unde etiam SS. Patres non multa de hoc tractârunt.

Omnium autem primi contradictores inveniuntur *VValdenses* circa annum Domini 1160. ùt refert *Æneas Sylvius* lib. de Origine Boëmorum cap. 35. qui extremam unctionem Sacramentum dicebant non benedictionis, sed maledictionis; ùt refert Guido Carmelita de Waldensibus.

II. Hos secuti sunt *Albigenses* circa annum 1200. ùt refert B. *Antoninus* in summa Theologica parte 4. tit. 11. c. 7. §. 5. & *Lollardi* circa annum 1315. apud *Trithemium* in Chronico Hirsaugiensi, & *Flagellantes* Anno 1350. teste Bernardo Lutzenburg lib. de Hæresibus.

III. Similiter *VVicleff* lib. 4. Trialogi cap. 25. negabat hoc sacramentum à Christo vel ab Apostolis esse institutum.

IV. Deinde *Lutherus*, sicut plerosque veterum hæreticorum errores quasi in una sentina collegit; sic & in hoc illos secutus est lib. de Capt. Babyl. cap. de extrema unctione; ubi absolutè *negat extremam unctionem esse Sacramentum* propriè dictum, ex falso fundamento, ùt infrà patebit; licèt ceremoniam illam non prorsus rejiciat.

V. Demum *Calvinus* suo more acerbior & audacior hoc sacramentum non solùm negat, sed multis modis subsannat l. 4. Inst. cap. 19. §. 18. dicens: *Tertium fictitium Sacramentum est extrema unctio, &c.* & post pauca: *Eiusdem rationis est ista unctio, cuius esse manuum impositionem suprà demonstravimus, nempe histrionica hypocrisis, &c.*

VI. Mirum, quòd Calvinus nec ipsum Christum Dominum, qui ex luto & sputo oculos cæci linivit, & Apostolos, qui Marci 6. infirmos oleo unxerunt, & specialiter Jacobum hanc ceremoniam circa infirmos tradentem; imo totam Ecclesiam, quæ tempore Apostolorum ex confessione Calvini art. 3. alleganda illam tanquam sacramentum usurpavit; mirum, inquam, quòd omnes illos histrionicæ hypocrisis non arguat; quod tamen in re facit; dum Ecclesiam, idem, quod Jacobus scribit, facientem sic condemnet.

VII. Ipse autem Calvinus dum pro suo placito ad locum Jacobi 5. & Marci 6. respondisset de usu olei apud Apostolos §. 20. sic impudenter concludit: *Ceremonia usurpari non debuit, nisi ab iis, qui curationum gratiâ præditi fuerant, non ab istis carnificibus; qui plus mactando ac trucidando valent; quàm sanando, &c.* hæc ille, quem sui imitantur.

Vult autem Calvinus hanc unctionem ab Innocentio I. qui tempore Augustini sedit institutam, ut omnes Christiani illam usurparent. *Chemnitius* verò vult illã à Felice IV. inventam, qui sedit anno 528. sic mentitur iniquitas sibi cum senioribus Babylonicis, sed veritas patebit.

ARTICULUS II.

Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa hoc Sacramentum.

PRimò hanc tradidit *Concilium Florentinum*: in quo tam Patres Latini, quàm Græci unanimiter hoc inter vera Ecclesiæ sacramenta recensuerunt. I.

2. Similiter *Concil. Trident.* sess. 14. cap. 1. de institutione Sacramenti extremæ unctionis sic dicens: *Instituta est autem sacra hæc unctio infirmorum, tanquam verè & propriè Sacramentum novi Testamenti, à Christo Domino nostro; apud Marcum 6. quidem insinuatum; per Iacobum autem Apostolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum.* Infirmatur, inquit, quis in vobis, *&c. Quibus verbis, ut ex apostolica traditione per manus accepta, Ecclesia didicit; docet materiam, formam, proprium ministrum, & effectum huius salutaris sacramenti. Intellexit enim Ecclesia, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum; nam unctio aptissimè Spiritûs Sancti gratiam, quâ invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat, formam deinde esse illa verba,* per istam unctionem, *&c.* Et cap. 3. sic ait: *Nec profectò Ecclesia Romana aliarum omnium mater & magistra, aliud in hac administranda unctione, quantum ad ea, quæ huius Sacramenti substantiam perficiunt, observat, quam quod beatus Iacobus præscripsit, &c.*

Tandem Concilium sic definit can. 1. *Si quis dixerit, extremam unctionem non esse verè & propriè Sacramentum à Christo Domino nostro institutum, & à B. Iacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.* Et can. 2. *Si quis dixerit sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed iam cessâsse: quasi olim tantùm fuerit gratia curationum, anathema sit, &c.* hæc est unanimis omnium Theologorum & totius Ecclesiæ Catholicæ Fides ac sententia. II.

Pro terminorum autem notitia sciendum, quòd hoc sacramentum vocetur *extrema unctio* ratione materiæ, sicut etiam baptismus vocatur sacramentum lotionis seu lavacri. Dicitur etiam *extrema*, non ex eo, quod tantùm in vero mortis articulo sit conferenda, qui incertus est; sed quia alia Sacramenta ordinariò sanis dantur, hoc solum infirmis in periculo mortis constitutis & post alia sacramenta, conferendum est. III.

AR-

LIBER I.

De vera catholica & falſa Acatholicorum Religione in generali.

IN hoc libro proponentur ea, quæ tres illi DD. Anonymi in ſuis præfationibus pro Acatholicorum dogmatibus contra Eccleſiæ catholicæ Romanæ doctrinam ingerunt potiùs, quàm proponunt, cum omnia ſine ullis S. Scripturæ, vel SS. Patrum probationibus quaſi certiſſima aſſerant: ex quibus evidenter Acatholicorum dogmata veriſſima eſſe volunt; ſed quàm hæc falſa ſint, in hoc libro ad ſingulorum aſſerta breviter reſpondendo oſtendetur, & inſequentibus libris illorum falſitas, ac catholicæ doctrinæ veritas ex S. Scriptura, & SS. Patribus, Deo dante, demonſtrabitur.

CAPVT I.

De nomine Religionis & Eccleſiæ catholicæ & Acatholicorum.

ARTICVLVS I.

Referuntur verba Authoris Anonymi primi libelli.

1. ANonymus ille ſic ſuum libellum inſcripſit: *Ad Bernardini pontificii propoſitiones D. Elphinſtono exhibitas brevis & directa reſponſio.*

Idem auctor incipit his verbis: *Religionem reformatarum Eccleſiarum eſſe Romanâ ſive pontificiâ & veriorem & antiquiorem patet.*

1. Quod reformata unicum & tutiſſimum habeant fundamentum, nempe S. Scripturam, licet aliis utantur ſubalternis declarationibus: at pontificia humanis fulcris, nempe Traditionibus, & Pontificum Decretis indiget & nititur.

2. Si ſingularum reformatarum eccleſiarum confeſſiones inſpicias, videbis in articulis affirmativis pontificios nobiſcum ferè convenire ſi in quibusdam demantur particulæ excluſivæ. v. g.

3. Nos docemus ſolum Deum adorandum; Illi docent Deum adorandum, ſed non ſolum.

4. Nos docemus S. Scripturam eſſe unicam fidei & morum normam in neceſſariis ad cultum & ſalutem: Illi docent S. Scripturam eſſe normam, ſed non unicam.

5. Nos docemus unicum Mediatorem eſſe Ieſum Chriſtum: Illi docent Ieſum Chriſtum eſſe Mediatorem, ſed non unicum.

6. Nos docemus hominem juſtificari ſola fide, licet non fide ſolitaria: Illi docent nos juſtificari Fide, ſed non ſola, nec ſolitaria.

7. Nos docemus eſſe duo tantùm Sacramenta: Illi docent, eſſe eadem duo Sacramenta, ſed & plura.

8. Ideoque illi agnoſcunt noſtram religionem in parte poſitiva eſſe veram & antiquam, ſed ſua multa ſuperaddunt, quæ nos tanquam ſictitia negamus, & novitia, ſive primitivæ Eccleſiæ incognita, ſicut autē affirmantis eſt probare, ita neceſſe habent Pontificii demonſtrare illa additamenta, niti SS. Scripturis, & à primitiva Eccleſia fuiſſe credita &c. hæc ad verbum ille Anonymus 1. libelli Auctor.

Circa hæc advertat candidus lector, quòd hic Auctor forum declinet; nam, ut conſtat ex præmiſſis, D. Elphinſtonus vexillifer in ſe ſuſceperat onus probandi articulos omnes, in quibus Acatholici ab Eccleſia catholica Romana diſſident, ab Eccleſia primitiva fuiſſe creditos, prout ipſi credunt, ſive articuli ſint negativi, ſive affirmativi, omnes enim ſpectant ad integram fidem, ideoque huic Anonymo, qui partes D. Elphinſtoni in ſe ſumpſit, neceſſarium erat omnes Acatholicorum articulos etiam excluſivos ex primitiva Eccleſia demonſtrare, quod v. g. primitiva Eccleſia docuerit eſſe duo Sacramenta, & non plura, & multò ampliùs, quod S. Scriptura, quam unicam fidei normam eſſe volunt ita excluſivè doceat, duo tantum eſſe Sacramenta, *&c.* Et ſic de aliis.

Advertat ſecundò, quod iſte Auctor plura abſolutè pronunciet ſine ullo S. Scripturæ & SS. Patrum teſtimonio vel ratione: ideoque ea, quantum Fidei catholicæ contrariantur, negaſſe ſufficeret; veruntamen amore veritatis nos ſingula in præmiſſis tacta, qualiter in Eccleſia catholica creduntur & docentur, in ſequentibus libris ex S. ſcriptura & SS. Patribus, Deo propitio, demonſtrabimus, & contraria refutabimus.

Priusquam autem ad particularia huius Anonymi dogmata jam propoſita reſpondeam, breviter de nomine religionis, quod ipſe ſuis Eccleſiis verius attribuit, diſſerendum erit.

ARTICVLVS II.

De nomine Religionis veræ, unicæ, catholicæ, Romanæ & pontificiæ.

QVamvis vox religio tam à prophanis quàm ſanctis auctoribus vario ſenſu uſurpetur, in propoſito tamen eâ utemur, ut ſignificat virtutem, quâ verus Deus ſecundum rectam fidem colitur, prout à SS. Patribus intelligitur, & auctor libelli intendere videtur, *cujus nominis originem*, ut dicit Auguſtinus lib. 1. retract. cap. 13 *Non me fugit expoſuiſſe Latini ſermonis authores, quod inde ſit appellata Religio, quod religatur; quod verbum compoſitum eſt a legendo, id eſt, eligendo, ut ita Latinum videatur religo ſicut eligo, &c.* ipſe tamē lib. de vera religione c. 55. & lib. 1.

III. Referuntur & refutantur argumenta Calvini contra præmissam doctrinam. 274.

CAPVT VI.

De Imaginibus Christi & SS. in Templis.

ART. I. Quòd licitum sit imagines Christi Angelorum & SS. formare, etiam extra historiam, & in templis collocare. 276.
II. Eadem veritas probatur ex SS. PP. Grecis. ibid.
III. Veritas Catholica ex PP. Latinis probatur. 277.

CAPVT VII.

De Veneratione seu cultu imaginum.

ART. I. Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ. 277.
II. Quòd signis Deum & Angelos repræsentantibus liceat honorem exhibere ex S. scriptura probatur. ibid.
III. Quòd liceat imagines Christi & sanctorum venerari. 278.
IV. Probatur eadem veritas ex PP. Græcis. 281
V. Eadem veritas ex PP. Latinis ostenditur. 282
VI. Probatur Catholica veritas ex miraculis à Deo pro honore imaginum factis. 283.
ANTITH. in quibus ex S. scriptura & SS. PP. Catholica veritas, & Acatholicorum falsitas circa imaginum SS. cultum proponitur. 284.

CAPVT VIII.

De Veneratione seu cultu S. Crucis, ac illius signi.

ART. I. Quid Acatholici de cultu S. Crucis vel ejus signo sentiant. 285.
II. Declaratur doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa venerationem S. Crucis ibid.
III. Veritas Catholica, quòd Crux ipsa Christi veneranda sit, probatur primò ex inventione S. Crucis & veneratione illius. 286.
IV. Quòd imago Crucis Christi vel signum illius sit venerandum probatur ex S. scriptura. 287.
V. Veritas Catholica probatur in Lyturgiis & PP. Grecis 288.
VI. Eadem veritas Catholica ex PP. Latinis probatur. 290.
VII. Qualis honor vel cultus S. Cruci vel imagini aut signo ejus sit exhibendus. 292.

CAPVT IX.

In quo respondetur ad Argumenta Acatholicorum contra cultum SS. Imaginum.

ART. I. Referuntur Calumniæ Acatholicorum contra Synodum VII. generalem, quæ est Nicœna secunda. 294.
II. Respondetur ad Calumnias Calvini contra Synodum VII ib.
III. Quid de libro Carolino & decreto Concilii Francofurtensis contra imagines sentiendum. 296.
IV. Refertur & refutatur argumentum Authoris primi Libelli. 297.
V. Referuntur & refutantur argumenta secundi Anonymi. ibid.
VI. Referuntur Argumenta tertii Anonymi contra venerationem imaginum & refutantur. 299.
VII. Referuntur argumenta tertii Anonymi contra cultum S. Crucis. 301.
ANTITH. in quibus Catholica veritas & Acatholicorum falsitas circa honorem S. crucis ejusque signa ex SS. PP. primorum seculorum proponitur. 302.
CONCLUSIO ibid.

LIBER VIII.

De Purgatorio & Suffragiis pro defunctis,

CAPVT I.

Referuntur Sententiæ diversæ circa Purgatorium.

ART. I. Quid Acatholici senserint & sentiant de Oratione & suffragiis pro defunctis fidelibus. 303.
II. Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ quoad orationes pro defunctis & declaratur, ibid.

CAPVT II.

De Pœna temporali post remissam culpam.

ART. I. Quòd post remissionem culpæ Deus ordinariò reservet pœnam temporalem luendam in hac vita. 305.
II. Quòd in Sacramento pœnitentiæ per se non tollatur omnis pœna temporalis pro peccatis mortalibus debita sicut in Baptismo. 306.
III. Eadem veritas probatur ex praxi antiquæ Ecclesiæ & SS. PP. 307.
IV. Quòd sæpissime pœna temporalis post hanc vitam luenda sit ab illis fidelibus qui in hac vita culpæ omnis mortalis remissionem à Deo obtinuerunt. 308.
Probatur Catholica veritas ex S. Scriptura. ibid.

CAPVT III.

De Suffragiis pro animabus Fidelium Defunctorum.

ART. I. Quòd fideles in gratia defuncti peccatis venialibus & pœnis temporalibus obnoxii viventium suffragiis juvari possint. 310.
II. Quòd S. Missæ sacrificium pro fidelium defunctorum refrigerio & liberatione piè & salubriter offeratur, & pro iisdem orationes & alia pia opera fiant. ibid.
III. Probatur eadem veritas ex PP. Grecis. 311.
IV. Eadem veritas probatur ex Conciliis & PP. Latinis. 313.
V. Refertur Calumnia Calvini contra S. Augustinum & refutatur. 315.
VI. Referuntur & refutantur argumenta Authoris secundi libelli. 316.
VII. Refertur & refutatur argumentum Authoris tertii libelli 317.
ANTITH. Catholicæ veritatis, & Acatholicorum falsitatis circa orationem pro fidelibus defunctis ex S. scriptura & SS. PP. 318.
CONCLUSIO. 319.

CAPVT IV.

De Purgatorio.

ART. I. Quid Acatholici de Purgatorio sentiant. 320.
II. Proponitur doctrina Catholica de purgatorio & declaratur ibid.
III. Quòd purgatorium seu talis status aut locus vel loca dentur, in quo vel quibus aliquæ animæ fidelium defunctorum pœnâ temporali ante diem judicii puniuntur, donec inde liberentur: probatur primò ex S. Scriptura. 321.
IV. Eadem veritas probatur ex SS. PP. Græcorum testimoniis. 322.
V. Eadem veritas probatur ex PP. Latinis. 323.

CAPVT V.

Respondetur ad argumentum trium Authorum Anonymorum.

ART. I. Referuntur & refutantur argumenta authoris primi libelli. 326.
RESPONSIO. ibid.
II. De indulgentiis. 328.
III. Referuntur argumenta authoris 2. libelli. 329.
IV. Respondetur ad argumenta secundi Anonymi. 330.
V. Refertur & refutatur argumentum Authoris tertii libelli, ubi etiam agitur de statu parvulorum defunctorum sine Baptismo. 333.
RESPONSIO ad argumentum 3. Anonymi. ibid.
VI. Argumenta Acatholicorum contra purgatorium. 334.

CAPVT VI.

De Lymbo Patrum ante Christi Adventum.

ART. I. Quòd SS. PP. veteris testamenti ante mortem Christi non fuerunt in Cœlo, nec in inferno, sed in tertio loco. 336.
II. Eadem veritas probatur ex SS. PP Grecis 337.
III. Idem probatur ex Patribus Latinis. ibid.
IV. Refertur & refutatur sententia Calvini quoad statum animarum justorum, qui ante vel post Christi Adventum defuncti sunt. 338.

CA-

Digitized by Google

CAPUT ULT.

De Descensu Christi ad inferos.

Art. I. Referuntur dicta D. Vexilliferi & trium DD. Anonymorum. 339.
II. Respondetur ad dicta trium Anonymorum. *ibid.*
Antith. Catholicæ veritatis & Acatholicorum falsitatis circa statum defunctorum ante & post adventum Christi usque ad diem Judicii juxta S. Scripturam & B. Patres. 341.
Conclusio. 342.

LIBER IX.

De Justificatione Hominis.

CAPUT I.

De Nominibus Iustificationis Iustitia & gratia.

Art. I. Referuntur variæ acceptiones justificationis. 343.
II. De variis justitiæ acceptionibus. *ibid.*
III. De variis gratiæ usurpationibus. 344.
IV. Quæ dicatur gratia gratum faciens. 345.

CAPUT II.

De Causis Iustificationis.

Art. I. Referuntur errores antiquorum circa causas justificationis. 346.
II. Referuntur errores Lutheri & sectatorum ejus circa causas justificationis. *ibid.*
III. Refertur sententia Calvini & ejus sectatorum. 347.
IV. Proponitur sententia Ecclesiæ Catholicæ de causis justificationis. 348.
V. Proponitur status controversiæ inter Ecclesiam Catholicam & Acatholicos quoad causas justificationis. 350.

CAPUT III.

De Fide & Operibus ad Iustificationem requisitis.

Art. I. Ostenditur quòd nulla opera qualiacunque ex solis naturæ viribus facta ad fidem sufficiant, nec ad Justificationem disponant, multò minus illam mereantur. 351.
II. Qualis Fides justificet. 353.
III. Quòd præter veram Fidem etiam aliæ dispositiones, seu actus in homine priùs requirantur, quàm justificetur. 355.
IV. Quòd non sola fides vera, sed etiam aliæ dispositiones prærequisitæ justificent, licèt fides prima sit & fundamentum. 357.
V. Quòd fides vera, quæ verè justificat, possit esse sine aliis dispositionibus, sed non sine illis justificare, probatur ex S. Scriptura. 358.
VI. Eadem Catholica veritas probatur testimoniis SS. PP. 361.
VII. Quod fides sola nullo, qualicunque modo justificet. 362.
VIII. Quòd fides & aliæ dispositiones justificationem præcedentes, illam absolutè non mereantur. 364.
IX. Etsi de fide certum non sit, probabiliter salvâ fide dici potest quòd fides & aliæ dispositiones ad justificationem requisitæ, illam aliqualiter seu de congruo mereantur. 355.
X. Respondetur ad argumenta Acatholicorum ex S. scriptura. 367.
XI. Respondetur ad loca, quæ Acatholici SS. Patribus pro sola sua fide adducunt. 371.
Conclusio. 372.
Antitheses, in quibus doctrina Ecclesiæ Catholicæ Romanæ quoad causas & dispositiones ad justificationem sac. scripturæ & SS. PP. conformis, Acatholicorum verò doctrina illis contraria proponitur. 373.

CAPUT IV.

De Causa formali Iustificationis.

Art. I. Referuntur opiniones Acatholicorum. 374.
II. Refertur sententia Ecclesiæ Catholicæ de causa formali justificationis & declaratur. 375.
III Quòd sola fides vel fiducia divinæ misericordiæ non sit causa formalis justificationis, nec justitia Dei essentialis. 376.
IV. Quòd homo non justificetur per solam peccatorum remissionem. 377.
V. Quòd, licèt propter justitiam Christi homo justificetur, tamen justitia Christi non sit causa formalis, quâ homo justus formaliter constituatur. 378.
VI Quòd peccata in justificatione verè deleantur. 379.
VII Qualiter homo justitiâ Christi vestiatur. 380.
VIII. Quòd favor vel benevolentia Dei non sit causa formalis, qua homo formaliter sit & dicatur justus. *ibid.*
IX. Quòd unica causa formalis justificationis sit gratia seu justitia à Deo creata & homini infusa, eique inhærens. 381.
X. Eadem veritas probatur ex testimoniis sanctorum Patrum. 384.
XI. Respondetur ad argumenta Calvini ex S. Scriptura allegata solita. 386.
XII. Respondetur ad alia Acatholicorum argumenta. 389.
XIII. Respondetur ad argumentum Acatholicorum ex ratione formatum. 393.
Conclusio. 395.
Antith. in quibus doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa causam formalem justificationis juxta S. scripturam & SS. PP. veritas, & Acatholicorum falsitas exhibetur. 396.

CAPUT V.

De Certitudine Iustitiæ hominis.

Art. I. Refertur opinio Acatholicorum. 398.
II. Proponitur & declaratur doctrina Ecclesiæ Catholicæ quoad certitudinem justificationis. 399.
III. Quòd fidelis non possit, multò minùs debeat esse certus certitudine Fidei divinæ, cui non possit subesse falsum, sibi peccata esse dimissa, vel se esse justificatum citra revelationem Dei specialem, probatur ex S. scriptura. 401.
IV. Eadem veritas probatur ex testimoniis sanctorum Patrum. 403.
V. Probatur veritas rationibus. 405.
VI. Respondetur ad argumenta Acatholicorum. 407.
VII. Ipsi Acatholici fatentur doctrinam Ecclesiæ Romanæ de justificatione à SS. PP. ab initio Ecclesiæ traditam esse. 411.
VIII. Refutantur Calumniæ Acatholicorum contra doctrinam de justificatione. 412.
Conclusio. 413.
Antith. in quibus doctrinæ Ecclesiæ Romanæ circa certitudinem singulorum fidelium quoad propriam justificationem cum SS. Patrum doctrina conformitas, & Acatholicorum deformitas proponitur. 414.

CAPUT VI.

De Certitudine Prædestinationis & Perseverantiæ.

Art. I. Referuntur errores Acatholicorum. 415.
II. Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ & explicatur. 416.
III. Quòd fideles non teneantur, nec possint fide divinâ absolutè credere se prædestinatos esse, sed id tamen piè & firmiter credere probatur ex sacra Scriptura & SS. PP. 417.
IV. Respondetur ad argumenta Acatholicorum contra præmissam veritatem. 419.
V. Quòd electi post justificationem possint ad tempus ex gratia excidere, licèt ad illam redeant. 421.
VI. Respondetur ad argumenta Acatholicorum. 422.
VII Quòd homines etiam non electi seu non prædestinati possint verè coram Deo justificari per gratiam licèt postea illam perdant per sua peccata. 424.
VIII. Respondetur ad argumenta Acatholicorum. 427.
Conclusio. 428.
Antith. in quibus doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ Romanæ circa certitudinem singulorum fidelium, quoad cujusque perseverantiam in gratia, & prædestinationem seu electionem ad gloriam cum sanctorum Patrum doctrina conformitas, & Acatholicorum deformitas proponitur. 429.

Digitized by Google

LIBER X.

De bonis Operibus Justificatorum.

CAPVT I.

Quòd bona Opera dentur, & necessaria sint ad salutem.

ART. I. Referuntur errores antiquorum & modernorum Acatholicorum. 431.
II. Proponitur & declaratur doctrina Ecclesiæ Catholicæ quoad bona opera. 433.

CAPVT II.

De Observantia Legis.

ART. I. Posse hominem justificatum speciali Dei auxilio adjutum legem seu mandata Dei observare. 435.
II. Eadem veritas probatur ex SS. Patribus Græcis & Latinis. 436
III. Respondetur ad argumentum Acatholicorum quoad præceptum de diligendo Deum, & non concupisces. 439.
IV. Respondetur ad alia Acatholicorum argumenta. 442.

CAPVT III.

Quòd Opera Iustorum sint simpliciter bona & justa, & non vitiosa.

ART. I. Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ 444.
II Veritas Catholicæ Ecclesiæ probatur ex S. Scriptura. 445.
III. Eadem veritas probatur ex SS. Patribus & rationibus in S. Scriptura fundatis. 446.
IV. Respondetur ad argumenta Acatholicorum. 448.

CAPVT IV.

De Necessitate Operum bonorum ad Salutem.

ART. I. Proponitur status quæstionis. 451.
II Quòd Christiani ad præcepta Decalogi obligentur. ibid.
III. Quòd Christiano justificato bona opera necessaria sint ad salutem. 452.
IV. Quòd præcepta Decalogi Christianos obligent, & opera bona ad salutem sint necessaria, probatur ex SS. Patribus Græcis. 455.
V. Eadem veritas probatur ex SS. Patribus Latinis. 456.
VI Respondetur ad argumenta Acatholicorum. 459.
ANTITHESES in quibus doctrinæ Ecclesiæ Romanæ Catholicæ circa justorum bonorum operum justitiam, & ad salutem necessitatem, cum SS. Patrum doctrina conformitas & Acatholicorum doctrinæ difformitas exhibetur. 462.

CAPVT V.

De Meritis bonorum Operum.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 464.
II. Proponitur & declaratur doctrina Ecclesiæ Catholicæ 465.
III. Quòd justificati per opera bona ex gratia facta verè mereantur ejusdem augmentum. 466.
IV. Quòd homo justificatus per opera bona ex gratia facta æternam vitam mereatur, probatur ex S. Scriptura. 467.
V. Eadem veritas probatur ex testimoniis SS. Patrum Græcorum 469.
VI. Testimonia SS. Patrum pro eadem veritate. 470.
VII. Quòd liceat bene operari propter mercedem vitæ æternæ. 475.
VIII. Respondetur ad argumenta Acatholicorum ex S. Scriptura deducta. 476.

CAPVT VI.

De Conditionibus bonorum Operum.

ART. I. De adjectivis meriti vocibus congrui & condigni. 480.
II. Quòd ad meritum propriè dictum requiratur ut sit verè bonum, liberè ab homine viatore factum. 481.
III. Quòd ad meritum vitæ æternæ requiratur, ut homo sit in statu gratiæ, & ab illa meriti actus procedat. 482.
IV. Quòd ad meritum vitæ æternæ requiratur specialis acceptatio divina, & promissio ex misericordia per merita Christi. 483.
V. Quòd præcipua ratio obligationis ad reddendam vitam æternam pro merito procedat ex acceptatione ex promissione Dei. 48[illegible].
VI. Quòd fideles fiduciam suam totam tutiùs in sola Dei misericordia & meritis Christi collocare debeant, cum quo consistit quòd etiã aliquam fiduciã de meritis propriis habeant. 489.
VII. Refertur summatim doctrina Ecclesiæ circa merita, & refutantur Calumniæ Calvini. 491.
ANTITH. In quibus doctrina Ecclesiæ Catholicæ Romanæ modernæ circa merita bonorum operum cum doctrina SS. Patrum primitivæ Ecclesiæ conformitas, & Acatholicorum difformitas exhibetur. 493.

LIBER XI.

De Voto Castitatis, & aliis Monasticis.

CAPUT I.

De Statu Monachorum in Generali.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 496.
II. Quòd status Monachorum à tempore Apostolorum viguerit. ibid.
III. Quòd status Monachorũ pius, sanctus & Deo gratus sit. 499.
IV. Quòd forma Monachismi modernæ Ecclesiæ Catholicæ conveniat cum antiqua. 500.
V. Quòd in antiqua Ecclesia sub generali Monachorum statu fuerint diversi status particulares sicut & moderno tempore. 501.
VI. Refelluntur argumenta, vel potiùs mendacia Calvini de disparitate antiqui & moderni Monachismi. 502.
VII. Refelluntur ea quæ Calvinus de vitiis modernorum Mochorum objicit. 506.

CAPVT II.

De Consiliis Euangelicis in communi, eorúmque Perfectione.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum, & doctrina Catholica. 508.
II. Quòd status consiliorum bene dicatur status perfectionis. 509.
III. Quòd Consilia Euangelica ad charitatis perfectionem plurimum conducant. 510.
IV. Refutantur & refelluntur argumenta Acatholicorum contra Euangelica consilia. 511.

CAPVT III.

De Consilio Continentiæ perpetuæ.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum & doctrina Ecclesiæ Catholicæ. 514.
II. Quòd Continentia perpetua Deo grata sit, à Christo non præcepta, sed consulta & commendata, probatur ex verbis Matth. 19 juxta communem SS. Patrum expositionem 515.
III. Quòd Continentia perpetua sit excellens Dei donum & ab hominibus instanter petentibus obtineri possit. 517.
IV. Quòd Continentia perpetua propter Christum suscepta sit etiam meritoria specialis præmii in cœlo probatur ex S. Scriptura. 519.
V. Eadem veritas probatur ex aliis S. scripturæ locis. 520.
VI. Respondetur ad objectiones Acatholicorum. 529.

CAPVT IV.

De Euangelico Consilio voluntariæ Paupertatis.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 522.
II. Quòd paupertas voluntaria sit Deo grata, & sancta ac meritoria, non à Christo præcepta sed consulta, probatur ex S. Scriptura. ibid.
III. Eadem veritas probatur ex communi SS. Patrum sententia & expositione. 524.
IV. Refutatur argumentum Calvini contra perfectionem paupertatis. 525.

CAPVT V.

De Obedientiæ Consilio.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 527.
II. Quòd Obedientia Clericorum & præsertim Monachorum sit à Christo consulta, sancta & meritoria probatur ex S. scriptura. ibid.
III. Eadem veritas probatur ex testimonio SS. PP. & miraculis

CAPVT VI.

De Votis Religiosorum & Christianorum in generali.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 530.
II. Proponitur & declaratur doctrina Ecclesiæ Catholicæ quoad vota præsertim monastica. 531.

III. Quòd

Digitized by Google

III. Quòd omnia vota piè & licitè fiant ad colendum Deum. 533.
IV. Refellitur objectio seu Calumnia Calvini. 534.

CAPVT VII.
De Votis Religiosorum in particulari.

Art. I. Quòd paupertas perpetua voluntaria sanctè Deo voveatur, probatur ex S. Scriptura. 535.
II. Quòd obedientia sub Ecclesiasticis superioribus Deo sanctè voveri possit. 537
III. Quòd continentia perpetua piè & rectè Deo voveri & per illam homo Deo consecrari possit. 538.
IV. Votum perpetuæ continentiæ licitum & sanctum esse probatur ab exemplo B. Virginis. 539.
V. Refutatur argumentum Acatholicorum contra votum continentiæ perpetuæ. 541.

CAPVT VIII.
De Voto Continentiæ Sacerdotum & Clericorum.

Art. I. Quòd Ecclesia à tempore Apostolorum piè constituerit ut nulli Clerici ad majores Ordines admittantur, nisi perpetuam continentiam voveant. 543.
II. Eadem veritas probatur ex conciliis Græcis & Latinis primitivæ Ecclesiæ. 544.
III. Idem probatur ex SS. Patribus Græcis. 545.
IV. Idem probatur ex sanctis Patribus Latinis. 546.

CAPVT IX.
De Incapacitate Clericorum & Religiosorum ad Matrimonium.

Art. I. Quòd omnibus voto perpetuæ continentiæ adstrictis illicitum sit transire ad nuptias probatur ex S. Scriptura. 547.
II. Eadem veritas probatur ex conciliis & SS. Patribus. 548.
III. Respondetur ad argumenta Acatholicorum. 551.
Antith. in quibus veritas doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ circa vota perpetuæ continentiæ, & alia, juxta S. scripturam sanctis Patribus tam Græcis quam Latinis primitivæ Ecclesiæ conformis, & Acatholicorum falsitas proponitur. 555.

LIBER XII.
De Sacramentis novæ Legis in genere.

CAPVT I.
De Sacramentorum Substantia.

Art. I. Referuntur errores antiquorum Hæreticorum, & Acatholicorum modernorum. 557.
II. Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa Sacramenta novæ legis. 558.
III. De nomine & Etymologia Sacramenti. ibid.
IV. Refertur sententia Acatholicorum quoad rationem Sacramentorum & refutatur. 559.
V. Refutantur Acatholicorum asserta. 560.
VI Acatholicorum assertum de sigillo refutatur. 561.
VII. Quid ad rationem Sacramenti novæ legis juxta doctrinam Catholicam requiratur. 562.
VIII. Quòd certæ res & verba, non tamen concionatoria ad valorem Sacramenti novæ legis requirantur. 563.
IX. Ex præmissis ostenditur veritas Catholica de verbo Sacramentorum consecratorio, & falsitas Acatholicorum de verbo concionatorio. 565.

CAPVT II.
De Efficacia Sacramentorum novæ Legis.

Art. I. Proponitur sententia Acatholicorum. 566.
II. Proponitur sententia Ecclesiæ Catholicæ. 567.
III. Quòd sacramenta novæ legis verè instrumentaliter causent & conferant gratiam probatur ex S. scriptura. 568.
IV. Eadem veritas probatur ex conciliis & SS. Patribus Græcis. 570.
V. Eadem de efficacia Sacramentorum veritas ex conciliis & SS. Patribus Latinis probatur. 571.
VI. De secundario effectu quorundam Sacramentorum qui dicitur character. 574.

CAPVT III.
De Numero Sacramentorum novæ Legis.

Art. I. Referuntur opiniones Acatholicorum de Sacramentorum numero & quænam sint. 575.
II. Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ & declaratur. 576.

CAPVT IV.
De Ceremoniis Sacramentorum.

Art. I. Referuntur errores & mendacia Acatholicorum circa ceremonias. 577.
II. Refertur doctrina Ecclesiæ Catholicæ quoad ceremonias circa Sacramenta. 578.
III. Quòd ritus seu Ceremoniæ ab Apostolis vel Ecclesia instituta & præcepta in conscientia obligent probatur ex S. Scriptura. 579.
IV. Doctrina Ecclesiæ Catholicæ quoad Ceremonias probatur. 580.
V. Respondetur ad objectiones & calumnias Acatholicorum. 582.
VI. Ceremoniæ quas Ecclesia circa usum Sacramentorum observat recensentur & probantur ex SS. Patribus. 584.
Antitheses in quibus veritas doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ & falsitas Acatholicorum circa Sacramenta novæ legis juxta S. Scripturam & SS. Patres proponitur. 588.

LIBER XIII.
De Sacramento Baptismi.

CAPVT I.
De Sacramento Baptismi quisque materia & forma ac Ministri.

Art. I. Referuntur errores Acatholicorum. 590.
II. Proponitur & declaratur doctrina Ecclesiæ Catholicæ ibid.
III. Quòd sola aqua naturalis sit materia Baptismi. 591.
IV. Quæ sit vera forma Baptismi. 592.
V. Quinam sit Minister Sacramenti Baptismi. 594.
VI. Respondetur ad objectiones Calvini & aliorum Acatholicorum. 595.

CAPVT II.
De Necessitate Sacramenti Baptismi.

Art. I. Referuntur errores Acatholicorum. 597.
II. Præponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ & probatur ex sacra Scriptura. 599.
III. Veritas Catholica probatur ex testimoniis SS. Patrum. 600.
IV. Respondetur ad argumenta Acatholicorum. 601.

CAPVT IV.
De Baptismo Infantûm.

Art. I. Referuntur errores Acatholicorum. 606.
II. Præponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ & probatur ex sacra Scriptura. 607.
III. Eadem veritas probatur ex Patribus Græcis & Latinis. 608.
IV. An, & qualem infantes baptizati fidem habeant. 610.
V. Respondetur ad argumenta Acatholicorum. 613.

CAPVT IV.
De Baptismo Ioannis.

Art. I. Referuntur errores Acatholicorum. 618.
II. Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ & declaratur. 619
III. Doctrina Ecclesiæ Catholicæ probatur ex S. Scriptura. 620.
IV. Veritas Catholica probatur testimoniis sanctorum Patrum Græcorum & Latinorum. 621.
V. Referuntur & refutantur objectiones Acatholicorum. 625.
Antitheses, in quibus veritas doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ Romanæ juxta sacram Scripturam, & conformitas cum antiqua Ecclesia, falsitas autem & difformitas Acatholicorum circa Sacramentum baptismi proponuntur. 628.

LIBER XIV.
De Sacramento Confirmationis.

CAPVT VNICVM.

Art. I. Refertur error Acatholicorum & doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa Sacramentum Confirmationis. 630.
II. Quod Confirmatio sit verum novæ legis Sacramentum probatur ex S. scriptura. 631.
III. Veritas Catholica de sacramento Confirmationis probatur ex Conciliis & SS. Patribus Græcis. 633.
IV. Eadem veritas probatur ex Conciliis & PP. Latinis. 634.
Antith. in quibus veritas doctrinæ Catholicæ & conformitas cum SS. Patribus circa sacramentum Confirmationis, & falsitas Acatholicorum & difformites à SS. Patribus proponitur.

Digitized by Google

LIBER XV.

De Sacramento Eucharistiæ.

CAPVT I.

De variis contra hoc V. Sacramentum Erroribus & vera Ecclesiæ Doctrina.

Art. I. Referuntur errores antiquorum Hæreticorum. 638.
II. Referuntur errores Lutheranorum. ibidem.
III. Referuntur errores Sacramentariorum. 139.
IV. Refertur error Calvini. ibid.
V. Referuntur opiniones Calvini sectatorum. 640.
VI. Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ de Præsentia Christi in Eucharistia. 641.

CAPVT II.

De Possibilitate Corporis Christi in Eucharistia.

Art. I. Quòd Corpus Christi verè & realiter per Dei absolutam potentiam possit esse sine præsentia circumscriptiva ad locum ostenditur ex ratione naturali. 642.
II. Possibilitas Corporis Christi existentis in diversis locis probatur ratione naturali. 643.
III. Possibilitas præsentiæ corporalis Domini in Eucharistia probatur ex aliis S. scripturæ locis. 644.
IV. Quòd Corpus Christi possit esse in pluribus locis non occupando locum probatur ex S. scriptura. 646.
V. Non est inutile sed valde salutare quòd Christus sit præsens in S. Eucharistia realiter. 647.
VI. Quòd præsentia realis in Eucharistia non sit Christo indigna. ibid.

CAPVT III.

Quòd Christus Dominus voluit Corpus & sanguinem realiter in S. Eucharistia esse præsentem.

Art. I. Hæc veritas ostenditur ex verbis S. scripturæ Joan. 6. 648.
II. Veritas Catholica probatur principaliter ex verbis institutionis hujus Sacramenti. 650.
III. Veritas Catholica de præsentia Corporis Domini in Eucharistia ostenditur ex SS. Patribus Græcis. 652.
IV. Eadem veritas probatur ex PP. Latinis. 657.
V. Notantur aliqua observanda circa verba sanctorum Patrum de hoc Sacramento. 660.
VI. Veritas de reali præsentia Christi in Eucharistia ostenditur ex primis Authoribus contrarii erroris. 652.
Primi Authores erroris contra præsentiam Christi in Eucharistia in Ecclesia Græca. ibid.
Primi Authores ejusdem erroris in Ecclesia Latina. 663.
Art. VI. Ostenditur Antiquitas & universalitas doctrinæ Catholicæ quoad præsentiam Corporis Christi in Eucharistia, tam ex praxi Ecclesiæ primitivæ quàm modernæ etiam Græcorum. ibid.

CAPVT IV.

De Transubstantiatione.

Art. I. Proponitur doctrina Ecclesiæ de Transubstantiatione. 664.
II. Declaratur doctrina Catholica de Transubstantiatione. 665.
III. Veritas de Transubstantiatione probatur ex S. scriptura. 667.
IV. Quòd SS. Patres ab initio crediderunt & docuerunt Transubstantiationem quoad rem ipsam probatur. 668.

CAPVT V.

Referuntur & refutantur ea quæ trium libellorum Authores Anonymi circa realem præsentiam Corporis Christi in Eucharistia obiiciunt.

Art. I. Referuntur verba Authoris primi libelli contra præsentiam & transubstantiationem. 669.
II. Referuntur ea quæ Author secundi libelli objicit. 670.
III. Respondetur ad objecta præmissa Authoris secundi bibelli. ibid.
IV. Referuntur verba & objecta Authoris tertii libelli. 672.
V. Respondetur ad præmissa objecta. ibid.
VI. Referuntur reliqua verba & objecta Authoris tertii libelli. 673.
VII. Respondetur ad præmissa objecta ex D. Augustino & Theodoreto adducta. ibid.
VIII. Respondetur ad alia ejusdem Anonymi objecta quoad Transubstantiationem. 676.
IX. Respondetur ad objecta ex verbis D. Augustini lib. de doctrina Christiana allata. 677.
X. Respondetur ad argumentum ex verbis D. Augustini in ps. 98. allatum. ibid.
XI. Respondetur ad alium D. Augustini locum. 678.
Antithes. In quibus Catholicæ Romanæ Ecclesiæ circa doctrinam de V. Sacramento Eucharistiæ cum SS. Patribus juxta S. scripturam Conformitas & Acatholicorum difformitas proponitur. 680.

CAPVT VI.

De Adoratione Christi in Eucharistia.

Art. I. Quid Acatholici de adoratione Christi in Eucharistia doceant. 681.
II. Quid Ecclesia Catholica circa adorationem Christi in sacramento vel adorationem sacramenti credat & doceat. ib.
III. Declaratur doctrina Ecclesiæ Catholicæ. 682.
IV. Probatur doctrina Ecclesiæ Catholicæ. ibid.
V. Referuntur & refutantur ea quæ Author primi libelli circa Articulum de adoratione Christi in Eucharistia dicit. 684.
Responsio ad primi Anonymi allegata contra adorationem. ibid.
VI. Referuntur & refutantur argumenta Authoris tertii libelli. ibid.
Respondetur ad dicta authoris Anonymi tertii libelli. ibid.
VII. Referuntur verba & argumenta authoris secundi libelli. 685
VIII. Refutantur argumenta vel potius calumniæ authoris secundi libelli. ibid.
Antitheses quoad adorationem Christi in ven. Sacramento. 689.

CAPVT VII.

De Communione Eucharistiæ sub utraque Specie.

Art. I. Quid Acatholici de hac communione sentiant. 690.
II. Proponitur & declaratur doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa S. Communionem sub utraque specie. 691.
III. Quòd fideles Laici & Clerici non conficientes V. Sacramentum nullo præcepto divino obligentur ad communionem sub utraque specie ex vi institutionis sacramenti. 692.
IV. Eadem veritas probatur ab exemplis Apostolorum. 693.
V. Eadem veritas probatur ex usu antiquæ Ecclesiæ Græcæ & Latinæ quoad communionem privatam. ibid.
VI. Quòd venerabile sacramentum sub una tantùm specie volentibus etiam publicè in templo datum sit tam in Ecclesia Græca quàm Latina. 695.
VII. Allegantur causæ an expediat Laicos sub una tantùm specie communicare. 697.
VIII. Quòd Ecclesia in Concilio Basil. bene statuerit ut universaliter Laici sub una specie communicarent. 698.
IX. Refertur primum argumentum Acatholicorum & refutatur. 700.
X. Refertur Lutheri argumentum & refutatur. 701
XI. Referuntur alia Lutheri & Calvini argumenta & refutantur. 702.
Antith. ex doctrina SS. Patrum Catholicæ veritatis & Acatholicorum falsitatis circa communionem sub utraque specie. 703.

LIBER XVI.

De Sacrificio Missæ.

CAPVT I.

Referuntur errores Acatholicorum & veritas Catholica circa Sacrificium Missæ.

Art. I. Referuntur errores Acatholicorum. 705.
II. Quid per sacrificium intelligatur. 706.
III. Doctrina Ecclesiæ Catholicæ quoad sacrificium Missæ proponitur. 707.

CAPVT II.

Veritas Sacrificii ostenditur ex Figuris S. Scripturæ veteris Testamenti.

Art. I. Ostenditur ex figura & vaticinio sacrificii Melchisedech. 709.
II. Qualiter antiqua Ecclesia vaticinium de Sacerdotio Melchisedech intellexerit. 710.

III. Refu-

by Google

III. Refutantur objectiones Calvini quoad Sacrificium Melchisedech. 713.
IV. Quòd Sacrificia veteris testamenti præsertim Agni paschalis & vituli pro confirmatione testamenti Sacrificium Eucharistiæ præfigurârint probatur ex S. scriptura. 715.
V. Quòd omnia Sacrificia antiqua Sacrificium Eucharistiæ præfigurârint probatur ex SS. Patribus. 716.
VI. Sacrificium Missæ esse verum probatur ex diversis prophetarum vaticiniis. 719.
VII. Eadem veritas probatur ex vaticinio Malachiæ. 720.
VIII. Idem probatur ex expositione SS. Patrum. 721.
ANTITH. in quibus doctrinæ Ecclesiæ modernæ Catholicæ Romanæ circa Sacrificium Missæ juxta S. scripturam veteris testamenti cum sanctorum Patrum primitivæ Ecclesiæ doctrina conformitas Acatholicorũ difformitas proponitur. 725

CAPUT III.

Veritas Sacrificii Missæ probatur ex novo testamento.

ART. I. Probatur 1. ex verbis Christi Joann. 4. 726.
II. Eadem veritas probatur ex ipsa Eucharistiæ institutione & ejus circumstantiis. 728.
III. Quòd Christus in ultima cœna sacrificium obtulerit & offerendum mandârit probatur ex SS. Patrũ sententia. 730.
IV. Quòd in Ecclesia Christi verum offeratur sacrificium probatur ex aliis S. scripturæ locis. 733.
ANTITH. in quibus doctrinæ Catholicæ modernæ Ecclesiæ quoad sacrificium Missæ juxta scripturam novi testamenti cum SS. Patrum doctrina Conformitas & Acatholicorum difformitas proponuntur. 734.

CAPUT IV.

Sacrificium Missæ probatur ex traditione Ecclesiæ.

ART. I. Probatur ex praxi totius Ecclesiæ. 736.
II. Eadem praxis antiquæ Ecclesiæ probatur ex testimoniis SS. Patrum. 737.
III Eucharistiæ sacrificium per usum sacerdotum ex testimoniis SS. Patrum probatur. 739.
IV. Eadem veritas probatur ex usu Altarium in antiqua Ecclesia juxta testimonia SS. Patrum Græcorum. 741.
V. SS. Patres Latini Altaria in Ecclesia constituta fuisse testantur. 742.

CAPUT V.

Referuntur argumenta Acatholicorum contra sacrificium Missæ.

ART. I. Refertur responsio Calvini ad testimonia SS. Patrum quoad nomina sacrificii sacerdotis, & Altaris in Ecclesia consueta & refutatur. 744.
II. Acatholici fatentur SS. Patres suæ doctrinæ contra sacrificium Eucharistiæ esse contrarios. 746.
III. Referuntur argumenta Lutheranorum ex S. scriptura contra sacrificium Missæ. 748.
IV. Respondetur ad argumentum quorundam modernorum Lutheranorum. 750.
V Referuntur argumenta Calvini contra sacrificium Missæ. 751.
ANTITH. in quibus doctrinæ Ecclesiæ Romanæ de sacrificio Eucharistiæ juxta Ecclesiæ primitivæ praxim cum eadem doctrina conformitas & Acatholicorum difformitas proponitur. 756.

CAPUT VI.

De sacrificio Missæ ut est propitiatorium.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 758.
II. Refertur & exponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ. ibid.
III. Quòd sacrificium Eucharistiæ sit propitiatorium probatur ex S. scriptura. 760.
IV. Quòd sacrificium Eucharistiæ pro peccatis bene offeratur probatur ex SS. Patribus. 761.
V. Quòd sacrificium Eucharistiæ offerendum sit tam pro vivis eorumque necessitatibus, quàm fidelibus defunctis probatur ex praxi primitivæ Ecclesiæ & testimoniis SS. Patrum 762.
VI. Respondetur ad argumenta Acatholicorum contra sacrificium Missæ quatenus propitiatorium est. 765.
ANTITH. in quibus doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ quoad sacrificium Eucharistiæ, ut est propitiatorium, cum antiquæ Ecclesiæ doctrina conformitas & Acatholicorum difformitas exhibetur. 767.

CAPUT VII.

De Missis privatis.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 768.
II. Refertur doctrina Ecclesiæ Catholicæ. 769.
III. Quòd omnes & singulæ privatæ Missæ in Ecclesia celebrari solitæ sint bene & licitè. 770.
IV. Quòd Missa etiam solemnis, in qua nemo præter sacrificantem sacramentaliter communicat, licita sit, & quotidiana communio fidelium sancta & laudabilis sit. 772.
V. Quòd omnes Missæ ab Ecclesia approbatæ sint absolutè publicæ & communes. 773.
VI. Respondetur ad objectiones Acatholicorum. 774.
VII. Referuntur objectiones & Calumniæ cujusdam Apostatæ & doctoris Helmstadiensis & refutantur. 777.

CAPUT VIII.

De nomine & Ceremoniis Missæ.

ART. I. Exponitur status eorum, quæ de his ab Acatholicis disputantur. 780.
II. Referuntur errores Acatholicorum. 781.
III. Refertur doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa Ceremonias Missæ. ibid.
IV. Declaratur Etymologia nominis Missæ & ejus antiquitas. 782.
V. Quòd Missæ sacrificium licitè in honorem Sanctorum celebretur. 783.
VI. Quòd vestes sacræ, ornamenta, vasa aurea & argentea, & luminaria licitè ad sacrificium Missæ adhibeantur. 784.
VII. Quòd ceremoniæ Missæ quæ in actione consistunt antiquæ & licitæ sint. 786.
VIII. Quòd ceremoniæ Missæ quæ in verbis consistunt licitæ & antiquæ sint. 788.
IX. Respondetur ad argumenta Acatholicorum contra Missæ ceremonias. 791.
X. Referuntur & refutantur calumniæ alicujus apostatæ. 793.
ANTITH. in quibus doctrinæ Catholicæ Ecclesiæ Rom. quoad Ceremonias Missæ cum antiquæ Ecclesiæ doctrina conformitas & Acatholicorum difformitas exhibentur. 795.

LIBER XVII.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT I.

De Sacramento Pœnitentiæ secundum se.

ART. I. Referuntur errores circa hoc Sacramentum. 796.
II Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa sacramentum pœnitentiæ. 797.
III. Quòd pœnitentia sit verè & propriè novæ legis sacramentum probatur ex S. scriptura. 798.
IV. Quòd pœnitentia sit propriè dictum Sacramentum à Baptismo distinctum probatur ex Patribus Græcis. 799.

CAPUT II.

De actibus Pœnitentis ad Sacramentum Pœnitentiæ requisitis, ac præsertim de Confessione.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 804.
II. Refertur doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa confessionem & alios pœnitentis actus. 805.
III. Quòd confessio peccatorum mortalium post Baptismum commissorum sacerdoti in specie sit facienda probatur ex S. Scriptura. 800.
IV. Eadem veritas Catholica probatur ex Conciliis & SS. Patribus Græcis. 808.
V. Eadem veritas Catholica ostenditur ex SS. Patribus Latinis. 811.
ANTITH. in quibus veritas doctrinæ Catholicæ circa Sacramentum pœnitentiæ juxta S. scripturam & SS Patrum sententiam & Acatholicorum falsitas proponitur. 815.

LIBER XVIII.

De Sacramento extremæ Unctionis.

CAPUT UNICUM.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum circa hoc sacramentum. 816.
II. Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa hoc Sacramentum. ibid.
III. Veritas doctrinæ Catholicæ probatur ex S. scriptura. 817.
IV. Eadem veritas de extremæ Unctionis Sacramento probatur ex Conciliis & SS. Patribus. 818.
ANTITH. in quibus veritas doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ circa Sacramentum extremæ Unctionis & falsitas Acatholicorum proponitur. 819.

LIBER

Digitized by Google

LIBER XIX.

De Sacramento Ordinis.

CAPUT I.

De Ordinibus sacris.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum circa hoc Sacramentum. 820.
II. Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ quod sacramentum Ordinis. 821.
III. Ostenditur quòd Episcopatus presbyteratus & Diaconatus sint veri gradus in Ecclesia Dei divinitus instituti. 822.
IV. Quòd Episcopi sacerdotibus & Diaconis superiores sint & quænam inter hæc tria munia sit distinctio probatur ex SS Patribus. 823.
V. Quòd in primitiva Ecclesia fuerit Ordo subdiaconorum, Lectorum, Exorcistarum, Acolythorum & Ostiariorum probatur ex SS. Patribus. 825.

CAPUT II.

De Ordine ut est Sacramentum.

ART. I. Quòd Ordo seu Ordinatio Ministrorum Ecclesiæ sit verum novæ legis sacramentum ostenditur. 826.
II. Quòd Ordo seu Ordinatio sit verum sacramentum probatur ex SS. Patribus. 827.
III. De materia & forma hujus sacramenti & effectibus. 829.
ANTITH. in quibus veritas doctrinæ Catholicæ circa sacramentum Ordinis juxta S. Scripturam & SS. Patres ac falsitas Acatholicorum proponitur. 830.

LIBER XX.

De Sacramento Matrimonii.

CAPUT UNICUM.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 831.
II. Proponitur veritas Ecclesiæ doctrinæ. 832.
III. Quòd matrimonium inter Christianos sit verum sacramentum novæ legis probatur ex S. scriptura. *ibid.*
IV. Catholica doctrina de sacramento Matrimonii probatur ex sanctis Patribus. 834.
V. Ecclesia Græca etiam post schisma agnovit Matrimonium esse Sacramentum. 837
ANTITH. in quibus veritas doctrinæ Catholicæ circa sacramentum Matrimonii juxta S. scripturam & SS. Patribus & falsitas Acatholicorum proponitur. *ibid.*

LIBER XXI. & ULT.

De miscellaneis Fidei Articulis.

CAPUT I.

Referuntur Argumenta Anonymi Authoris primi Libelli & refutantur.

ART. I. Ad primum argumentum primi Anonymi respondetur. 839
II. Adfertur secundùm Anonymi argumentum & refutatur. 841
III. Refertur tertium argumentum primi authoris Anonymi & refutatur. *ibid.*
IV. Refertur quartum argumentum D. Anonymi primi & refutatur. 843.
V. Refertur 5. primi Anonymi argumentum & refutatur. 847.
VI. Respondetur ad ultimum argumentum. 850.

CAPUT II.

Referuntur Argumenta Authoris Anonymi secundi Libelli & refutantur.

ART. I. Referuntur verba primi illius authoris Anonymi & refutantur. 951.
II. Referuntur aliia illius Anonymi verba & refutantur. 852.
III. Referuntur alia Domini Anonymi verba & refutantur. 856.
IV. Refertur D. Anonymi argumentum & refutatur. 857.
V. Ostenditur quod Acatholici quoad articulum de traditionibus à primitiva Ecclesia defecerint & antiquos hæreticos sequantur. 359.
VI. Refertur secundum argumentum authoris 2. libelli de communione sub utraque specie, & refutatur. 86[illegible].
VII. Refertur argumentum tertii Anonymi 2. libelli de sacrificio Missæ propitiatorio & refutatur. 863.
VIII. Referuntur varia & arrogantia D. Anonymi verba & refutantur. *ibid.*
IX. Referuntur verba conclusionis D. Anonymi & refutantur. 864.

CAPUT III.

Referuntur finaliter Authoris Anonymi tertii Libelli Argumenta & refutantur.

ART. I. Quædam ejus verba referuntur & refutantur. 866.
II. Refertur primum argumentum Authoris Anonymi contra ultimum articulum. *ibid.*
CONCLUSIO 874.

FINIS.

LIBER I.

Digitized by Google

ANTITHESES,

In quibus veritas doctrinæ Catholicæ circa Sacramentum pœnitentiæ iuxta S. Scripturam & SS. Patrum sententiam, & Acatholicorum falsitas proponitur.

PRima: SS. Patres juxta S. scripturam docuerunt, *quòd lapsi post baptismum non possint pro remissione ad Baptismi Sacramentum recurrere; sed aliud pro talium peccatorum remedio à Christo institutum sit Sacramentum, scilicet pœnitentia:* Ita etiam Ecclesia Rom. Cath.

Acatholici prorsus negant, tale distinctum à baptismo institutum esse sacramentum.

2. SS. Patres nunquam hortati sunt fideles, *ut ad obtinendam peccatorum post Baptismum commissorum remissionem, in memoriam revocent baptismum, quem susceperunt; ut sic à peccatis liberentur:* Ita nec Cath. Ecclesia.

Acatholici *sine ullo S. Scriptura vel SS. PP. testimonio volunt, lapsos per memoriam baptismi liberari.*

3. SS. Patres secundùm sacram Scripturam docuerunt; *quòd Christus Apostolis, ipsorumque successoribus sacerdotibus dederit claves regni cœlorum, seu potestatem ligandi & solvendi à peccatis post baptismum commissis; non tali modo, ut sacerdotes fidelibus* annuntient ipsis à Deo remissa esse peccata, *sed ut ipsi pœnitentes à peccatis absolvant,* Ita etiam Ecclesia Cath.

Acatholici *ex suo cerebro volunt: potestatem clavium seu solvendi & ligandi esse solùm ad hoc, ut ministri consolentur pœnitentes, & ipsis denuntient peccata à Deo dimissa.*

4. Sancti Patres juxta sacram Scripturam docuerunt; *quòd Christus Apostolos & ipsorum successores instituerit suos vicarios, qui vice illius, ut veri Iudices delegati potestatem habeant dijudicandi peccata ad solvendum ab iis, vel ligandum:* Ita etiam Ecclesia Cath.

Acatholici id prorsus negant.

5. Sancti Patres juxta sacram Scripturam docuerunt: *quòd lapsi in peccata mortalia post Baptismum, de necessitate salutis pro obtinenda peccatorum remissione ad sacerdotes recurrere teneantur.* Ita etiam Ecclesia Cath. docet.

Acatholici id derident & negant.

6. Sancti Patres docuerunt, *quod in veteri lege sacerdotibus potestas duntaxat data fuerit examinandi lepram corporalem, & declarandi an vera esset vel non esset; at verò Christus Apostolis illorùmque successoribus sacerdotibus ad lepram animæ purgandam & tollendam dederit potestatem.* Ita etiam docet Ecclesia.

Acatholici id negant.

7. Sancti Patres docuerunt contra Novatianos, *quòd non solùm Deo, sed etiam sacerdoti peccata sint confitenda, nec solus Deus, sed etiam sacerdotes ex Christi potestate & commissione, peccata remittant.* Ita etiam Ecclesia Cath.

Acatholici cum Novatianis volunt, *quòd soli Deo peccata sint confitenda, & solus Deus peccata dimittat.*

8. Sancti Patres docuerunt, *quòd sicut morbi & vulnera corporis, quantumvis occulta, medico sint manifestanda, ut curari possint: sic lapsi omnia peccata mortalia etiam cordis occultissima sacerdoti aperire debeant, ut ab illo curentur.* Ita etiam Ecclesia docet.

Acatholici id prorsus reiiciunt.

9. Sancti Patres docuerunt, *quòd lapsi omnia & singula peccata mortalia, quæ memoriæ occurrunt, sacerdoti privatim seu auricularitet confiteri debeant: non solùm ut ipse iudicet, an illa dimittenda sint vel liganda, sed etiam, ut pro peccatis dimissis satisfactionem debitam iniungat vel privatim vel publicè faciendam.* Ita etiam docet Ecclesia Cath.

Acatholici cum Calvino *confessionem peccatorum huiusmodi privatam seu auricularem, ut pestilentem & Ecclesiæ noxiam impiè damnare non verentur.*

10. Sancti Patres docuerunt, *quòd per sacramentum pœnitentiæ peccata quidem dimittantur, sed non omnis semper reatus temporalis pœnæ dimittatur, sicut in Baptismo, pro quo satisfaciendo pœnitentiæ seu satisfactiones sint à sacerdote imponendæ;* Ita etiam docet Ecclesia.

Acatholici contra clarum Dei verbum & SS. Patres volunt, *quòd post dimissam culpam nullus reatus pœnæ temporalis remaneat.*

11. Sancti Patres docuerunt, *quòd ex sincera & verecunda peccatorum confessione sacerdoti facta, pœnitentes non solùm peccatorum remissionem, sed etiam veram cordis tranquillitatem consequantur.* Ita etiam docet Ecclesia & experientia testatur.

Acatholici *huiusmodi confessionem abominantur, & carnificinam non minus falsò quàm impiè vocant.*

12. Sancti Patres ex eo, *quòd per Sacramentum pœnitentiæ peccata omnia post Baptismum commissa quidem dimittantur, ita tamen, ut pœna temporalis luenda remaneat, illud Baptismum laboriosum & lachrimarum, ac secundam post naufragium spirituale tabulam vocârunt.* Ita etiam Ecclesia.

Acatholici cum Calvino *has nuncupationes vel nomina vocant impia.*

13. Sancti Patres docuerunt, *quòd confessio omnium & singulorum peccatorum sacerdoti facienda à Christo sit præcepta ad salutem necessaria, quod tum ex verbis Christi, tum ex usu Ecclesiæ à tempore Apostolorum ostenderunt.* Ita etiam docet Ecclesia.

Acatholici *negant huiusmodi confessionem à Christo esse præceptam, sed ad libitum fidelibus liberam relictam, & sic tantùm ab initio Ecclesiæ volunt illam esse usurpatam, nec unquam sub præcepto esse præpositam usque ad annum 1224. sub Innocentio III.* quod falsissimum est, cùm SS. Patres illam doceant esse ad salutem necessariam: quod sine præcepto Christi esse non posset: Innocentius verò, & Concil. Lateranense solum præceperunt, ut fideles mortalibus obnoxii, qui juxta præceptum Christi ex necessitate salutis ad remissionem peccatorum obtinendam aliquando confiteri tenentur ad minus semel in anno circa Pascha hoc facere obligentur.

(*.*)

LIBER

LIBER I.

De vera catholica & falſa Acatholicorum Religione in generali.

IN hoc libro proponentur ea, quæ tres illi DD. Anonymi in ſuis præfationibus pro Acatholicorum dogmatibus contra Eccleſiæ catholicæ Romanæ doctrinam ingerunt potius, quàm proponunt, cum omnia ſine ullis S. Scripturæ, vel SS. Patrum probationibus quaſi certiſſima aſſerant: ex quibus evidenter Acatholicorum dogmata veriſſima eſſe volunt; ſed quàm hæc falſa ſint, in hoc libro ad ſingulorum aſſerta breviter reſpondendo oſtendetur, & in ſequentibus libris illorum falſitas, ac catholicæ doctrinæ veritas ex S. Scriptura, & SS. Patribus, Deo dante, demonſtrabitur.

CAPVT I.

De nomine Religionis & Eccleſiæ catholicæ & Acatholicorum.

ARTICVLVS I.

Referuntur verba Authoris Anonymi primi libelli.

ANonymus ille ſic ſuum libellum inſcripſit: *Ad Bernardini pontificii propoſitiones D. Elphinſtono exhibitas brevis & directa reſponſio.*

Idem auctor incipit his verbis: *Religionem reformatarum Eccleſiarum eſſe Romanâ ſive pontificiâ & veriorem & antiquiorem patet.*

1. Quod reformata unicum & tutiſſimum habeant fundamentum, nempe S. Scripturam, licet aliis utantur ſubalternis declarationibus: at pontificia humanis fulcris, nempe Traditionibus, & Pontificum Decretis indiget & nititur.

2. Si ſingularum reformatarum eccleſiarum confeſſiones inſpicias, videbis in articulis affirmativis pontificios nobiſcum ferè convenire ſi in quibusdam demantur particulæ excluſivæ. v. g.

3. Nos docemus ſolum Deum adorandum; Illi docent Deum adorandum, ſed non ſolum.

4. Nos docemus S. Scripturam eſſe unicam fidei & morum normam in neceſſariis ad cultum & ſalutem: Illi docent S. Scripturam eſſe normam, ſed non unicam.

5. Nos docemus unicum Mediatorem eſſe Ieſum Chriſtum: Illi docent Ieſum Chriſtum eſſe Mediatorem, ſed non unicum.

6. Nos docemus hominem juſtificari ſola fide, licet non fide ſolitaria: Illi docent nos juſtificari Fide, ſed non ſola, nec ſolitaria.

7. Nos docemus eſſe duo tantùm Sacramenta: Illi docent, eſſe eadem duo Sacramenta, ſed & plura.

8. Ideoque illi agnoſcunt noſtram religionem in parte poſitiva eſſe veram & antiquam, ſed ſua multa ſuperaddunt, quæ nos tanquam fictitia negamus, & novitia, ſive primitivæ Eccleſiæ incognita; ſicut autē affirmantis eſt probare, ita neceſſe habent Pontificii demonſtrare illa additamenta, niti S S. Scripturis, & à primitiva Eccleſia fuiſſe credita &c. hæc ad verbum ille Anonymus 1. libelli Auctor.

Circa hæc advertat candidus lector, quòd hic Auctor forum declinet; nam, ut conſtat ex præmiſſis, D. Elphinſtonus vexillifer in ſe ſuſceperat onus probandi articulos omnes, in quibus Acatholici ab Eccleſia catholica Romana diſſident, ab Eccleſia primitiva fuiſſe creditos, prout ipſi credunt, ſive articuli ſint negativi, ſive affirmativi, omnes enim ſpectant ad integram fidem, ideoque huic Anonymo, qui partes D. Elphinſtoni in ſe ſumpſit, neceſſarium erat omnes Acatholicorum articulos etiam excluſivos ex primitiva Eccleſia demonſtrare, quod v. g. primitiva Eccleſia docuerit eſſe duo Sacramenta, & non plura, & multò amplius, quod S. Scriptura, quam unicam fidei normam eſſe volunt ita excluſivè doceat, duo tantum eſſe Sacramenta, &c. Et ſic de aliis.

Advertat ſecundò, quod iſte Auctor plura abſolutè pronunciet ſine ullo S. Scripturæ & SS. Patrum teſtimonio vel ratione: ideoque ea, quantum Fidei catholicæ contrariantur, negaſſe ſufficeret; veruntamen amore veritatis nos ſingula in præmiſſis tacta, qualiter in Eccleſia catholica creduntur & docentur, in ſequentibus libris ex S. ſcriptura & SS. Patribus, Deo propitio, demonſtrabimus, & contraria refutabimus.

Priusquam autem ad particularia huius Anonymi dogmata jam propoſita reſpondeam, breviter de nomine religionis, quod ipſe ſuis Eccleſiis verius attribuit, diſſerendum erit.

ARTICVLVS II.

De nomine Religionis veræ, unicæ, catholicæ, Romanæ & pontificiæ.

QVamvis vox religio tam à prophanis quàm ſanctis auctoribus vario ſenſu uſurpetur; in propoſito tamen eâ utemur, ut ſignificat virtutem, quâ verus Deus ſecundum rectam fidem colitur, prout à SS. Patribus intelligitur, & auctor libelli intendere videtur, *cujus nominis originem*, ut dicit Auguſtinus lib. 1. retract. cap. 13 *Non me fugit expoſuiſſe Latini ſermonis authores, quod inde ſit appellata Religio, quod religatur: quod verbum compoſitum eſt a legendo, id eſt, eligendo, ut ita Latinum videatur religo ſicut eligo, &c.* ipſe tamẽ lib. de vera religione c. 55. & lib.

Digitized by Google

III. Referuntur & refutantur argumenta Calvini contra præmissam doctrinam. 274.

CAPVT VI.

De Imaginibus Christi & SS. in Templis.

ART. I. Quòd licitum sit imagines Christi Angelorum & SS. formare, etiam extra historiam, & in templis collocare. 276.
II. Eadem veritas probatur ex SS. PP. Græcis. ibid.
III. Veritas Catholica ex PP. Latinis probatur. 277.

CAPVT VII.

De Veneratione seu cultu imaginum.

ART. I. Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ. 277.
II. Quòd signis Deum & Angelos repræsentantibus liceat honorem exhibere ex S. scriptura probatur. ibid.
III. Quòd liceat imagines Christi & sanctorum venerari. 278.
IV. Probatur eadem veritas ex PP. Græcis. 281
V. Eadem veritas ex PP. Latinis ostenditur. 282
VI. Probatur Catholica veritas ex miraculis à Deo pro honore imaginum factis. 283.
ANTITH. in quibus ex S. scriptura & SS. PP. Catholica veritas, & Acatholicorum falsitas circa imaginum SS. cultum proponitur. 284.

CAPVT VIII.

De Veneratione seu cultu S. Crucis, ac illius signi.

ART. I. Quid Acatholici de cultu S. Crucis vel ejus signo sentiant. 285.
II. Declaratur doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa venerationem S. Crucis ibid.
III. Veritas Catholica, quòd Crux ipsa Christi veneranda sit, probatur primò ex inventione S. Crucis & veneratione illius. 286.
IV. Quòd imago Crucis Christi vel signum illius sit venerandum probatur ex S. scriptura. 287.
V. Veritas Catholica probatur in Lyturgiis & PP. Græcis. 288.
VI. Eadem veritas Catholica ex PP. Latinis probatur. 290.
VII. Qualis honor vel cultus S. Cruci vel imagini aut signo ejus sit exhibendus. 292.

CAPVT IX.

In quo respondetur ad Argumenta Acatholicorum contra cultum SS. Imaginum.

ART. I. Referuntur Calumniæ Acatholicorum contra Synodum VII. generalem, quæ est Nicœna secunda. 294.
II. Respondetur ad Calumnias Calvini contra Synodum VII ib.
III. Quid de libro Carolino & decreto Concilii Francofurtensis contra imagines sentiendum. 206.
IV. Refertur & refutatur argumentum Authoris primi Libelli. 297.
V. Referuntur & refutantur argumenta secundi Anonymi. ibid.
VI. Referuntur Argumenta tertii Anonymi contra venerationem imaginum & refutantur. 299.
VII. Referuntur argumenta tertii Anonymi contra cultum S. Crucis. 301.
ANTITH. in quibus Catholica veritas & Acatholicorum falsitas circa honorem S. crucis ejusque signa ex SS. PP. primorum seculorum proponitur. 302.
CONCLUSIO ibid.

LIBER VIII.

De Purgatorio & Suffragiis pro defunctis.

CAPVT I.

Referuntur Sententiæ diversæ circa Purgatorium.

ART. I. Quid Acatholici senserint & sentiant de Oratione & suffragiis pro defunctis fidelibus. 303.
II. Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ quoad orationes pro defunctis & declaratur. ibid.

CAPVT II.

De Pœna temporali post remissam culpam.

ART. I. Quòd post remissionem culpæ Deus ordinario reservet pœnam temporalem luendam in hac vita. 305.
II. Quòd in Sacramento pœnitentiæ per se non tollatur omnis pœna temporalis pro peccatis mortalibus debita sicut in Baptismo. 306.
III. Eadem veritas probatur ex praxi antiquæ Ecclesiæ & SS. PP. 307.
IV. Quòd sæpissime pœna temporalis post hanc vitam luenda sit ab illis fidelibus qui in hac vita culpæ omnis mortalis remissionem à Deo obtinuerunt. 308.
Probatur Catholica veritas ex S. Scriptura. ibid.

CAPVT III.

De Suffragiis pro animabus Fidelium Defunctorum.

ART. I. Quòd fideles in gratia defuncti peccatis venialibus & pœnis temporalibus obnoxii viventium suffragiis juvari possint. 310.
II. Quòd S. Missæ sacrificium pro fidelium defunctorum refrigerio & liberatione piè & salubriter offeratur, & pro iisdem oratioues & alia pia opera fiant. ibid.
III. Probatur eadem veritas ex PP. Græcis. 311.
IV. Eadem veritas probatur ex Conciliis & PP. Latinis. 313.
V. Refertur Calumnia Calvini contra S. Augustinum & refutatur. 315.
VI. Referuntur & refutantur argumenta Authoris secundi libelli. 316.
VII. Refertur & refutatur argumentum Authoris tertii libelli 317.
ANTITH. Catholicæ veritatis, & Acatholicorum falsitatis circa orationem pro fidelibus defunctis ex S. scriptura & SS. PP. 318.
CONCLUSIO. 319.

CAPVT IV.

De Purgatorio.

ART. I. Quid Acatholici de Purgatorio sentiant. 320.
II. Proponitur doctrina Catholica de purgatorio & declaratur ibid.
III. Quòd purgatorium seu talis status aut locus vel loca dentur, in quo vel quibus aliquæ animæ fidelium defunctorum pœnâ temporali ante diem judicii puniuntur, donec inde liberentur: probatur primò ex S. Scriptura. 321.
IV. Eadem veritas probatur ex SS. PP. Græcorum testimoniis. 322.
V. Eadem veritas probatur ex PP. Latinis. 323.

CAPVT V.

Respondetur ad argumentum trium Authorum Anonymorum.

ART. I. Referuntur & refutantur argumenta authoris primi libelli. 326.
RESPONSIO. ibid.
II. De indulgentiis. 328.
III. Referuntur argumenta authoris 2. libelli. 529.
IV. Respondetur ad argumenta secundi Anonymi. 330.
V. Refertur & refutatur argumentum Authoris tertii libelli, ubi etiam agitur de statu parvulorum defunctorum sine Baptismo. 333.
RESPONSIO ad argumentum 3. Anonymi. ibid.
VI. Argumenta Acatholicorum contra purgatorium. 334.

CAPVT VI.

De Lymbo Patrum ante Christi Adventum.

ART. I. Quòd SS. PP. veteris testamenti ante mortem Christi non fuerunt in Cœlo, nec in inferno, sed in tertio loco. 336.
II. Eadem veritas probatur ex SS. PP Græcis 337.
III. Idem probatur ex Patribus Latinis. ibid.
IV. Refertur & refutatur sententia Calvini quoad statum animarum justorum, qui ante vel post Christi Adventum defuncti sunt. 338.

Digitized by Google

CAPUT ULT.

De Descensu Christi ad inferos.

Art. I. Referuntur dicta D. Vexilliferi & trium DD. Anonymorum. 339.
II. Respondetur ad dicta trium Anonymorum. ibid.
Antith. Catholicæ veritatis & Acatholicorum falsitatis circa statum defunctorum ante & post adventum Christi usque ad diem Judicii juxta S. Scripturam & B. Patres. 341.
Conclusio. 342.

LIBER IX.

De Justificatione Hominis.

CAPUT I.

De Nominibus Iustificationis Iustitia & gratia.

Art. I. Referuntur variæ acceptiones justificationis. 343.
II. De variis justitiæ acceptionibus. ibid.
III. De variis gratiæ usurpationibus. 344.
IV. Quæ dicatur gratia gratum faciens. 345.

CAPUT II.

De Causis Iustificationis.

Art. I. Referuntur errores antiquorum circa causas justificationis. 346.
II. Referuntur errores Lutheri & sectatorum ejus circa causas justificationis. ibid.
III. Refertur sententia Calvini & ejus sectatorum. 347.
IV. Proponitur sententia Ecclesiæ Catholicæ de causis justificationis. 348.
V. Proponitur status controversiæ inter Ecclesiam Catholicam & Acatholicos quoad causas justificationis. 350.

CAPUT III.

De Fide & Operibus ad Iustificationem requisitis.

Art. I. Ostenditur quòd nulla opera qualiacunque ex solis naturæ viribus facta ad fidem sufficiant, nec ad Justificationem disponant, multò minus illam mereantur. 351.
II. Qualis Fides justificet. 353.
III. Quòd præter veram Fidem etiam aliæ dispositiones, seu actus in homine priùs requirantur, quàm justificetur. 355.
IV. Quòd non sola fides vera, sed etiam aliæ dispositiones prærequisitæ justificent, licèt fides prima sit & fundamentum. 357.
V. Quòd fides vera, quæ verè justificat, possit esse sine aliis dispositionibus, sed non sine illis justificare, probatur ex S. Scriptura. 358.
VI. Eadem Catholica veritas probatur testimoniis SS. PP. 361.
VII. Quod fides sola nullo, qualicunque modo justificet. 362.
VIII. Quòd fides & aliæ dispositiones justificationem præcedentes, illam absolutè non mereantur. 364.
IX. Etsi de fide certum non sit, probabiliter salvâ fide dici potest quòd fides & aliæ dispositiones ad justificationem requisitæ, illam aliqualiter seu de congruo mereantur. 355.
X. Respondetur ad argumenta Acatholicorum ex S. scriptura. 367.
XI. Respondetur ad loca, quæ Acatholici SS. Patribus pro sola sua fide adducunt. 371.
Conclusio. 372.
Antitheses, in quibus doctrina Ecclesiæ Catholicæ Romanæ quoad causas & dispositiones ad justificationem sac. scripturæ & SS. PP. conformis, Acatholicorum verò doctrina illis contraria proponitur. 373.

CAPUT IV.

De Causa formali Iustificationis.

Art. I. Referuntur opiniones Acatholicorum. 374.
II. Refertur sententia Ecclesiæ Catholicæ de causa formali justificationis & declaratur. 375.
III Quòd sola fides vel fiducia divinæ misericordiæ non sit causa formalis justificationis, nec justitia Dei essentialis. 376.
IV. Quòd homo non justificetur per solam peccatorum remissionem. 377.
V. Quòd, licèt propter justitiam Christi homo justificetur, tamen justitia Christi non sit causa formalis, quâ homo justus formaliter constituatur. 378.
VI Quod peccata in justificatione verè deleantur. 379.
VII Qualiter homo justitia Christi vestiatur. 380.
VIII. Quod favor vel benevolentia Dei non sit causa formalis, qua homo formaliter sit & dicatur justus. ibid.
IX. Quòd unica causa formalis justificationis sit gratia seu justitia à Deo creata & homini infusa, eique inhærens. 381.
X. Eadem veritas probatur ex testimoniis sanctorum Patrum. 384.
XI. Respondetur ad argumenta Calvini ex S. Scriptura allegari solita. 386.
XII. Respondetur ad alia Acatholicorum argumenta. 389.
XIII. Respondetur ad argumentum Acatholicorum ex ratione formatum. 393.
Conclusio. 395.
Antith. in quibus doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa causam formalem justificationis juxta S. scripturam & SS. PP. veritas, & Acatholicorum falsitas exhibetur. 396.

CAPUT V.

De Certitudine Iustitiæ hominis.

Art. I. Refertur opinio Acatholicorum. 398.
II. Proponitur & declaratur doctrina Ecclesiæ Catholicæ quoad certitudinem justificationis. 399.
III. Quòd fidelis non possit, multò minùs debeat esse certus certitudine Fidei divinæ, cui non possit subesse falsum, sibi peccata esse dimissa, vel se esse justificatum citra revelationem Dei specialem, probatur ex S. scriptura. 401.
IV. Eadem veritas probatur ex testimoniis sanctorum Patrum. 403.
V. Probatur veritas rationibus. 405.
VI Respondetur ad argumenta Acatholicorum. 407.
VII. Ipsi Acatholici fatentur doctrinam Ecclesiæ Romanæ de justificatione à SS. PP. ab initio Ecclesiæ traditam esse. 411.
VIII. Refutantur Calumniæ Acatholicorum contra doctrinam de justificatione. 412.
Conclusio. 413.
Antith. in quibus doctrina Ecclesiæ Romanæ circa certitudinem singulorum fidelium quoad propriam justificationem cum SS. Patrum doctrina conformitas, & Acatholicorum deformitas proponitur 414.

CAPUT VI.

De Certitudine Prædestinationis & Perseverantiæ.

Art. I. Referuntur errores Acatholicorum. 415.
II. Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ & explicatur. 416.
III. Quòd fideles non teneantur, nec possint fide divinâ absolutè credere se prædestinatos esse, sed id tamen piè & firmiter credere probatur ex sacra Scriptura & SS. PP. 417.
IV. Respondetur ad argumenta Acatholicorum contra præmissam veritatem. 419.
V. Quòd electi post justificationem possint ad tempus ex gratia excidere, licèt ad illam redeant. 421.
VI Respondetur ad argumenta Acatholicorum. 422.
VII Quòd homines etiam non electi seu non prædestinati possint verè coram Deo justificari per gratiam licèt postea illam perdant per sua peccata. 424.
VIII. Respondetur ad argumenta Acatholicorum. 427.
Conclusio. 428.
Antith. in quibus doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ Romanæ circa certitudinem singulorum fidelium, quoad cujusque perseverantiam in gratia, & prædestinationem seu electionem ad gloriam cum sanctorum Patrum doctrina conformitas, & Acatholicorum deformitas proponitur. 429.

Digitized by Google

LIBER X.

De bonis Operibus Justificatorum.

CAPVT I.

Quòd bona Opera dentur, & necessaria sint ad salutem.

ART. I. Referuntur errores antiquorum & modernorum Acatholicorum. 431.
II. Proponitur & declaratur doctrina Ecclesiæ Catholicæ quoad bona opera. 433.

CAPVT II.

De Observantia Legis.

ART. I. Posse hominem justificatum speciali Dei auxilio adjutum legem seu mandata Dei observare. 435.
II. Eadem veritas probatur ex SS. Patribus Græcis & Latinis. 436
III. Respondetur ad argumentum Acatholicorum quoad præceptum de diligendo Deum, & non concupisces. 439.
IV. Respondetur ad alia Acatholicorum argumenta. 442.

CAPVT III.

Quòd Opera Iustorum sint simpliciter bona & insta, & non vitiosa.

ART. I. Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ 444.
II Veritas Catholicæ Ecclesiæ probatur ex S. Scriptura. 445.
III. Eadem veritas probatur ex SS. Patribus & rationibus in S. Scriptura fundatis. 446.
IV. Respondetur ad argumenta Acatholicorum. 448.

CAPVT IV.

De Necessitate Operum bonorum ad Salutem.

ART. I. Proponitur status quęstionis. 451.
II Quòd Christiani ad præcepta Decalogi obligentur. ibid.
III. Quòd Christiano justificato bona opera necessaria sint ad salutem. 452.
IV. Quòd pręcepta Decalogi Christianos obligent, & opera bona ad salutem sint necessaria, probatur ex SS. Patribus Gręcis. 455.
V. Eadem veritas probatur ex SS. Patribus Latinis. 456.
VI Respondetur ad argumenta Acatholicorum. 459.
ANTITHESES in quibus doctrinæ Ecclesiæ Romanæ Catholicæ circa justorum bonorum operum justitiam, & ad salutem necessitatem, cum SS. Patrum doctrina conformitas & Acatholicorum doctrinæ difformitas exhibetur. 462.

CAPVT V.

De Meritis bonorum Operum.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 464.
II. Proponitur & declaratur doctrina Ecclesiæ Catholicæ 455.
III. Quòd justificati per opera bona ex gratia facta verè mereantur ejusdem augmentum. 466.
IV. Quòd homo justificatus per opera bona ex gratia facta æternam vitam mereatur, probatur ex S. Scriptura. 467.
V. Eadem veritas probatur ex testimoniis SS. Patrum Gręcorum 469.
VI. Testimonia SS. Patrum pro eadem veritate. 470.
VII. Quòd liceat bene operari propter mercedem vitæ æternæ. 475.
VIII. Respondetur ad argumenta Acatholicorum ex S. Scriptura deducta. 476.

CAPVT VI.

De Conditionibus bonorum Operum.

ART. I. De adjectivis meriti vocibus congrui & condigni. 480.
II. Quòd ad meritum propriè dictum requiratur ut sit verè bonum, liberè ab homine viatore factum. 481.
III. Quòd ad meritum vitæ æternæ requiratur, ut homo sit in statu gratiæ, & ab illa meriti actus procedat. 482.
IV. Quòd ad meritum vitæ æternæ requiratur specialis acceptatio divina, & promissio ex misericordia per merita Christi. 483.
V. Quòd pręcipua ratio obligationis ad reddendam vitam æternam pro merito procedat ex acceptatione ex promissione Dei. 48[illegible]
VI. Quòd fideles fiduciam suam totam tutiùs in sola Dei misericordia & meritis Christi collocare debeant, cum quo consistit quòd etiã aliquam fiduciã de meritis propriis habeant. 489.
VII. Refertur summatim doctrina Ecclesiæ circa merita, & refutantur Calumniæ Calvini. 491.
ANTITH. In quibus doctrina Ecclesiæ Catholicæ Romanæ modernæ circa merita bonorum operum cum doctrina SS. Patrum primitivæ Ecclesiæ conformitas, & Acatholicorum difformitas exhibetur. 493.

LIBER XI.

De Voto Castitatis, & aliis Monasticis.

CAPUT I.

De Statu Monachorum in Generali.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 496.
II. Quòd status Monachorum à tempore Apostolorum viguerit. ibid.
III. Quòd status Monachorũ pius, sanctus & Deo gratus sit. 499.
IV. Quòd forma Monachismi modernæ Ecclesiæ Catholicæ conveniat cum antiqua. 500.
V. Quod in antiqua Ecclesia sub generali Monachorum statu fuerint diversi status particulares sicut & moderno tempore. 501.
VI. Refelluntur argumenta, vel potiùs mendacia Calvini de disparitate antiqui & moderni Monachismi. 502.
VII. Refelluntur ea quæ Calvinus de vitiis modernorum Mochorum objicit. 506.

CAPVT II.

De Consiliis Euangelicis in communi, eorúmque Perfectione.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum, & doctrina Catholica. 508.
II. Quòd status consiliorum bene dicatur status perfectionis. 509.
III. Quòd Consilia Euangelica ad charitatis perfectionem plurimum conducant. 510.
IV. Refutantur & refelluntur argumenta Acatholicorum contra Euangelica consilia. 511.

CAPVT III.

De Consilio Continentiæ perpetuæ.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum & doctrina Ecclesiæ Catholicæ. 514.
II. Quòd Continentia perpetua Deo grata sit, à Christo non præcepta, sed consulta & commendata, probatur ex verbis Matth. 19 juxta communem SS. Patrum expositionem 515.
III. Quòd Continentia perpetua sit excellens Dei donum & ab hominibus instanter petentibus obtineri possit. 517.
IV. Quòd Continentia perpetua propter Christum suscepta sit etiam meritoria specialis pręmii in cœlo probatur ex S. Scriptura. 519.
V. Eadem veritas probatur ex aliis S. scripturæ locis. 520.
VI. Respondetur ad objectiones Acatholicorum. 529.

CAPVT IV.

De Euangelico Consilio voluntariæ Paupertatis.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 522.
II. Quòd paupertas voluntaria sit Deo grata, & sancta ac meritoria, non à Christo pręcepta sed consulta, probatur ex S. Scriptura. ibid.
III. Eadem veritas probatur ex communi SS. Patrum sententia & expositione. 524.
IV. Refutatur argumentum Calvini contra perfectionem paupertatis. 525.

CAPVT V.

De Obedientiæ Consilio.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 527.
II. Quòd Obedientia Clericorum & pręsertim Monachorum sit à Christo consulta, sancta & meritoria probatur ex S. Scriptura. ibid.
III. Eadem veritas probatur ex testimonio SS. PP. & miraculis.

CAPVT VI.

De Votis Religiosorum & Christianorum in generali.

ART. I. Referuntur errords Acatholicorum. 530.
II. Proponitur & declaratur doctrina Ecclesiæ Catholicæ quoad vota pręsertim monastica. 531.

III. Quòd

Digitized by Google

III. Quòd omnia vota piè & licitè fiant ad colendum Deum. 533.
IV. Refellitur objectio seu Calumnia Calvini. 534.

CAPVT VII.

De Votis Religiosorum in particulari.

ART. I. Quòd paupertas perpetua voluntaria sanctè Deo voveatur, probatur ex S. Scriptura. 535.
II. Quòd obedientia sub Ecclesiasticis superioribus Deo sanctè voveri possit. 537
III. Quòd continentia perpetua piè & rectè Deo voveri & per illam homo Deo consecrari possit. 538.
IV. Votum perpetuæ continentiæ licitum & sanctum esse probatur ab exemplo B. Virginis. 539.
V. Refutatur argumentum Acatholicorum contra votum continentiæ perpetuæ. 541.

CAPVT VIII.

De Voto Continentiæ Sacerdotum & Clericorum.

ART. I. Quòd Ecclesia à tempore Apostolorum piè constituerit ut nulli Clerici ad majores Ordines admittantur, nisi perpetuam continentiam voveant. 543.
II. Eadem veritas probatur ex conciliis Græcis & Latinis primitivæ Ecclesiæ. 544.
III. Idem probatur ex SS. Patribus Græcis. 545.
IV. Idem probatur ex sanctis Patribus Latinis. 546.

CAPVT IX.

De Incapacitate Clericorum & Religiosorum ad Matrimonium.

ART. I. Quòd omnibus voto perpetuæ continentiæ adstrictis illicitum sit transire ad nuptias probatur ex S. Scriptura. 547.
II. Eadem veritas probatur ex conciliis & SS. Patribus. 548.
III. Respondetur ad argumenta Acatholicorum. 551.
ANTITH. in quibus veritas doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ circa vota perpetuæ continentiæ, & alia, juxta S. scripturam sanctis Patribus tam Græcis quam Latinis primitivæ Ecclesiæ conformis, & Acatholicorum falsitas proponitur. 555.

LIBER XII.

De Sacramentis novæ Legis in genere.

CAPVT I.

De Sacramentorum Substantia.

ART. I. Referuntur errores antiquorum Hæreticorum, & Acatholicorum modernorum. 557.
II. Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa Sacramenta novæ legis. 558.
III. De nomine & Etymologia Sacramenti. ibid.
IV. Refertur sententia Acatholicorum quoad rationem Sacramentorum & refutatur. 559.
V. Refutantur Acatholicorum asserta. 560.
VI. Acatholicorum assertum de sigillo refutatur. 561.
VII. Quid ad rationem Sacramenti novæ legis juxta doctrinam Catholicam requiratur. 562.
VIII. Quòd certæ res & verba, non tamen concionatoria ad valorem Sacramenti novæ legis requirantur. 563.
IX. Ex præmissis ostenditur veritas Catholica de verbo Sacramentorum consecratorio, & falsitas Acatholicorum de verbo concionatorio. 565.

CAPVT II.

De Efficacia Sacramentorum novæ Legis.

ART. I. Proponitur sententia Acatholicorum. 566.
II. Proponitur sententia Ecclesiæ Catholicæ. 567.
III. Quod sacramenta novæ legis verè instrumentaliter causent & conferant gratiam probatur ex S. scriptura. 568.
IV. Eadem veritas probatur ex conciliis & SS. Patribus Græcis. 570.
V. Eadem de efficacia Sacramentorum veritas ex conciliis & SS. Patribus Latinis probatur. 571.
VI. De secundario effectu quorundam Sacramentorum qui dicitur character. 574.

CAPVT III.

De Numero Sacramentorum novæ Legis.

ART. I. Referuntur opiniones Acatholicorum de Sacramentorum numero & quænam sint. 575.
II. Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ & declaratur. 576.

CAPVT IV.

De Ceremoniis Sacramentorum.

ART. I. Referuntur errores & mendacia Acatholicorum circa ceremonias. 577.
II. Refertur doctrina Ecclesiæ Catholicæ quoad ceremonias circa Sacramenta. 578.
III. Quòd ritus seu Ceremoniæ ab Apostolis vel Ecclesia instituta & præcepta in conscientia obligent probatur ex S. Scriptura. 579.
IV. Doctrina Ecclesiæ Catholicæ quoad Ceremonias probatur. 580.
V. Respondetur ad objectiones & calumnias Acatholicorum. 582.
VI. Ceremoniæ quas Ecclesia circa usum Sacramentorum observat recensentur & probantur ex SS. Patribus. 584.
ANTITHESES in quibus veritas doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ & falsitas Acatholicorum circa Sacramenta novæ legis juxta S. Scripturam & SS. Patres proponitur. 588.

LIBER XIII.

De Sacramento Baptismi.

CAPVT I.

De Sacramento Baptismi quisque materia & forma ac Ministri.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 590.
II. Proponitur & declaratur doctrina Ecclesiæ Catholicæ ibid.
III. Quòd sola aqua naturalis sit materia Baptismi. 591.
IV. Quæ sit vera forma Baptismi. 592.
V. Quinam sit Minister Sacramenti Baptismi. 594.
VI. Respondetur ad objectiones Calvini & aliorum Acatholicorum. 595.

CAPVT II.

De Necessitate Sacramenti Baptismi.

ART. I Referuntur errores Acatholicorum. 597.
II. Præponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ & probatur ex sacra Scriptura. 599.
III. Veritas Catholica probatur ex testimoniis SS. Patrum. 600.
IV. Respondetur ad argumenta Acatholicorum. 602.

CAPVT IV.

De Baptismo Infantûm.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 606.
II. Præponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ & probatur ex sacra Scriptura. 607.
III. Eadem veritas probatur ex Patribus Græcis & Latinis. 608.
IV. An, & qualem infantes baptizati fidem habeant. 610.
V. Respondetur ad argumenta Acatholicorum. 613.

CAPVT IV.

De Baptismo Ioannis.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 618.
II. Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ & declaratur. 619
III. Doctrina Ecclesiæ Catholicæ probatur ex S. Scriptura. 620.
IV. Veritas Catholica probatur testimoniis sanctorum Patrum Græcorum & Latinorum. 621.
V. Referuntur & refutantur objectiones Acatholicorum. 625.
ANTITHESES, in quibus veritas doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ Romanæ juxta sacram Scripturam, & conformitas cum antiqua Ecclesia, falsitas autem & difformitas Acatholicorum circa Sacramentum baptismi proponuntur. 628.

LIBER XIV.

De Sacramento Confirmationis.

CAPVT VNICVM.

ART. I. Refertur error Acatholicorum & doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa Sacramentum Confirmationis. 630.
II. Quod Confirmatio sit verum novæ legis Sacramentum probatur ex S. scriptura. 631.
III. Veritas Catholica de sacramento Confirmationis probatur ex Conciliis & SS. Patribus Græcis. 633.
IV. Eadem veritas probatur ex Conciliis & PP. Latinis. 634.
ANTITH. in quibus veritas doctrinæ Catholicæ & conformitas cum SS. Patribus circa sacramentum Confirmationis, & falsitas Acatholicorum & difformitas à SS. Patribus proponitur.

Digitized by Google

LIBER XV.

De Sacramento Euchariftiæ.

CAPVT I.

De variis contra hoc V. Sacramentum Erroribus & vera Ecclesiæ Doctrina.

ART. I. Referuntur errores antiquorum Hæreticorum. 638.
II. Referuntur errores Lutheranorum. ibidem.
III. Referuntur errores Sacramentariorum. 139.
IV. Refertur error Calvini. ibid.
V. Referuntur opiniones Calvini sectatorum. 640.
VI. Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ de Præsentia Christi in Eucharistia. 641.

CAPVT II.

De Possibilitate Corporis Christi in Eucharistia.

ART. I. Quòd Corpus Christi verè & realiter per Dei absolutam potentiam possit esse sine præsentia circumscriptiva ad locum ostenditur ex ratione naturali. 642.
II. Possibilitas Corporis Christi existentis in diversis locis probatur ratione naturali. 643.
III. Possibilitas præsentiæ corporalis Domini in Eucharistia probatur ex aliis S. scripturæ locis. 644.
IV. Quòd Corpus Christi possit esse in pluribus locis non occupando locum probatur ex S. scriptura. 646.
V. Non est inutile sed valde salutare quòd Christus sit præsens in S. Eucharistia realiter. 647.
VI. Quòd præsentia realis in Eucharistia non sit Christo indigna. ibid.

CAPVT III.

Quòd Christus Dominus voluit Corpus & sanguinem realiter in S. Eucharistia esse præsentem.

ART. I. Hæc veritas ostenditur ex verbis S. scripturæ Joan. 6. 648.
II. Veritas Catholica probatur principaliter ex verbis institutionis hujus Sacramenti. 650.
III. Veritas Catholica de præsentia Corporis Domini in Eucharistia ostenditur ex SS. Patribus Græcis. 652.
IV. Eadem veritas probatur ex PP. Latinis. 657.
V. Notantur aliqua observanda circa verba sanctorum Patrum de hoc Sacramento. 660.
VI. Veritas de reali præsentia Christi in Eucharistia ostenditur ex primis Authoribus contrarii erroris. 651.
PRIMI AUTHORES erroris contra præsentiam Christi in Eucharistia in Ecclesia Græca. ibid.
PRIMI AUTHORES ejusdem erroris in Ecclesia Latina. 663.
ART. VI. Ostenditur Antiquitas & universalitas doctrinæ Catholicæ quoad præsentiam Corporis Christi in Eucharistia, tam ex praxi Ecclesiæ primitivæ quàm modernæ etiam Græcorum. ibid.

CAPVT IV.

De Transsubstantiatione.

ART. I. Proponitur doctrina Ecclesiæ de Transsubstantiatione. 664.
II. Declaratur doctrina Catholica de Transsubstantiatione. 665.
III. Veritas de Transsubstantiatione probatur ex S. scriptura. 667.
IV. Quòd SS. Patres ab initio crediderunt & docuerunt Transsubstantiationem quoad rem ipsam probatur. 668.

CAPVT V.

Referuntur & refutantur ea quæ trium libellorum Authores Anonymi circa realem præsentiam Corporis Christi in Eucharistia obiiciunt.

ART. I. Referuntur verba Authoris primi libelli contra præsentiam & transsubstantiationem. 669.
II. Referuntur ea quæ Author secundi libelli objicit. 670.
III. Respondetur ad objecta præmissa Authoris secundi bibelli. ibid.
IV. Referuntur verba & objecta Authoris tertii libelli. 672.
V. Respondetur ad præmissa objecta. ibid.
VI. Referuntur reliqua verba & objecta Authoris tertii libelli. 673.
VII. Respondetur ad præmissa objecta ex D. Augustino & Theodoreto adducta. ibid.
VIII. Respondetur ad alia ejusdem Anonymi objecta quoad Transsubstantiationem. 674.
IX. Respondetur ad objecta ex verbis D. Augustini lib. de doctrina Christiana allata. 677.
X. Respondetur ad argumentum ex verbis D. Augustini in ps. 98. allatum. ibid.
XI. Respondetur ad alium D. Augustini locum. 678.
ANTITHES. In quibus Catholicæ Romanæ Ecclesiæ circa doctrinam de V. Sacramento Eucharistiæ cum SS. Patribus juxta S. scripturam Conformitas & Acatholicorum difformitas proponitur. 680.

CAPVT VI.

De Adoratione Christi in Eucharistia.

ART. I. Quid Acatholici de adoratione Christi in Eucharistia doceant. 681.
II. Quid Ecclesia Catholica circa adorationem Christi in sacramento vel adorationem sacramenti credat & doceat. ib.
III. Declaratur doctrina Ecclesiæ Catholicæ. 682.
IV. Probatur doctrina Ecclesiæ Catholicæ. ibid.
V. Referuntur & refutantur ea quæ Author primi libelli circa Articulum de adoratione Christi in Eucharistia dicit. 684.
RESPONSIO ad primi Anonymi allegata contra adorationem. ibid.
VI. Referuntur & refutantur argumenta Authoris tertii libelli. ibid.
RESPONDETUR ad dicta authoris Anonymi tertii libelli. ibid.
VII. Referuntur verba & argumenta authoris secundi libelli. 685
VIII. Refutantur argumenta vel potius calumniæ authoris secundi libelli. ibid.
ANTITHESES quoad adorationem Christi in ven. Sacramento. 689.

CAPVT VII.

De Communione Eucharistiæ sub utraque Specie.

ART. I. Quid Acatholici de hac communione sentiant. 690.
II. Proponitur & declaratur doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa S. Communionem sub utraque specie. 691.
III. Quòd fideles Laici & Clerici non conficientes V. Sacramentum nullo præcepto divino obligentur ad communionem sub utraque specie ex vi institutionis sacramenti. 692.
IV. Eadem veritas probatur ab exemplis Apostolorum. 693.
V. Eadem veritas probatur ex usu antiquæ Ecclesiæ Græcæ & Latinæ quoad communionem privatam. ibid.
VI. Quòd venerabile sacramentum sub una tantùm specie volentibus etiam publicè in templo datum sit tam in Ecclesia Græca quàm Latina. 695.
VII. Allegantur causæ an expediat Laicos sub una tantùm specie communicare. 697.
VIII. Quòd Ecclesia in Concilio Basil. bene statuerit ut universaliter Laici sub una specie communicarent. 698.
IX. Refertur primum argumentum Acatholicorum & refutatur. 700.
X. Refertur Lutheri argumentum & refutatur. 701
XI. Referuntur alia Lutheri & Calvini argumenta & refutantur. 702.
ANTITH. ex doctrina SS. Patrum Catholicæ veritatis & Acatholicorum falsitatis circa communionem sub utraque specie. 703.

LIBER XVI.

De Sacrificio Missæ.

CAPVT I.

Referuntur errores Acatholicorum & veritas Catholica circa Sacrificium Missæ.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 705.
II. Quid per sacrificium intelligatur. 706.
III. Doctrina Ecclesiæ Catholicæ quoad sacrificium Missæ proponitur. 707.

CAPVT II.

Veritas Sacrificii ostenditur ex Figuris S. Scripturæ veteris Testamenti.

ART. I. Ostenditur ex figura & vaticinio sacrificii Melchisedech. 709.
II. Qualiter antiqua Ecclesia vaticinium de Sacerdotio Melchisedech intellexerit. 710.

III. Refutantur objectiones Calvini quoad Sacrificium Melchisedech. 713.
IV. Quòd Sacrificia veteris testamenti præsertim Agni paschalis & vituli pro confirmatione testamenti Sacrificium Eucharistiæ præfigurârint probatur ex S. scriptura. 715.
V. Quòd omnia Sacrificia antiqua Sacrificium Eucharistiæ præfigurârint probatur ex SS. Patribus. 716.
VI. Sacrificium Missæ esse verum probatur ex diversis prophetarum vaticiniis. 719.
VII. Eadem veritas probatur ex vaticinio Malachiæ. 720.
VIII. Idem probatur ex expositione SS. Patrum. 721.
ANTITH. in quibus doctrinæ Ecclesiæ modernæ Catholicæ Romanæ circa Sacrificium Missæ juxta S. scripturam veteris testamenti cum sanctorum Patrum primitivæ Ecclesiæ doctrina conformitas Acatholicorū difformitas proponitur. 725

CAPUT III.

Veritas Sacrificii Missæ probatur ex novo testamento.

ART. I. Probatur 1. ex verbis Christi Joann. 4. 726.
II. Eadem veritas probatur ex ipsa Eucharistiæ institutione & ejus circumstantiis. 728.
III. Quòd Christus in ultima cœna sacrificium obtulerit & offerendum mandârit probatur ex SS. Patrū sententia. 730.
IV. Quòd in Ecclesia Christi verum offeratur sacrificium probatur ex aliis S. scripturæ locis. 733.
ANTITH. in quibus doctrinæ Catholicæ modernæ Ecclesiæ quoad sacrificium Missæ juxta scripturam novi testamenti cum SS. Patrum doctrina Conformitas & Acatholicorum difformitas proponuntur. 734.

CAPUT IV.

Sacrificium Missæ probatur ex traditione Ecclesiæ.

ART. I. Probatur ex praxi totius Ecclesiæ. 736.
II. Eadem praxis antiquæ Ecclesiæ probatur ex testimoniis SS. Patrum. 737.
III Eucharistiæ sacrificium per usum sacerdotum ex testimoniis SS. Patrum probatur. 739.
IV. Eadem veritas probatur ex usu Altarium in antiqua Ecclesia juxta testimonia SS. Patrum Græcorum. 741.
V. SS. Patres Latini Altaria in Ecclesia constituta fuisse testantur. 742.

CAPUT V.

Referuntur argumenta Acatholicorum contra sacrificium Missæ.

ART. I. Refertur responsio Calvini ad testimonia SS. Patrum quoad nomina sacrificii sacerdotis, & Altaris in Ecclesia consueta & refutatur. 744.
II. Acatholici fatentur SS. Patres suæ doctrinæ contra sacrificium Eucharistiæ esse contrarios. 746.
III. Referuntur argumenta Lutheranorum ex S. scriptura contra sacrificium Missæ. 748.
IV. Respondetur ad argumentum quorundam modernorum Lutheranorum. 750.
V Referuntur argumenta Calvini contra sacrificium Missæ. 751.
ANTITH. in quibus doctrinæ Ecclesiæ Romanæ de sacrificio Eucharistiæ juxta Ecclesiæ primitivæ praxim cum eadem doctrina conformitas & Acatholicorum difformitas proponitur. 756.

CAPUT VI.

De sacrificio Missæ ut est propitiatorium.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 758.
II. Refertur & exponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ. ibid.
III. Quòd sacrificium Eucharistiæ sit propitiatorium probatur ex S. scriptura. 760.
IV. Quòd sacrificium Eucharistiæ pro peccatis bene offeratur probatur ex SS. Patribus. 761.
V. Quòd sacrificium Eucharistiæ offerendum sit tam pro vivis eorumque necessitatibus, quàm fidelibus defunctis probatur ex praxi primitivæ Ecclesiæ & testimoniis SS. Patrum 762.
VI. Respondetur ad argumenta Acatholicorum contra sacrificium Missæ quatenus propitiatorium est. 765.
ANTITH. in quibus doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ quoad sacrificium Eucharistiæ, ut est propitiatorium, cum antiquæ Ecclesiæ doctrina conformitas & Acatholicorum difformitas exhibetur. 767.

CAPUT VII.

De Missis privatis.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 768.
II. Refertur doctrina Ecclesiæ Catholicæ. 769.
III. Quòd omnes & singulæ privatæ Missæ in Ecclesia celebrari solitæ sint bene & licitè. 770.
IV. Quòd Missa etiam solemnis, in qua nemo præter sacrificantem sacramentaliter communicat, licita sit, & quotidiana communio fidelium sancta & laudabilis sit. 772.
V. Quòd omnes Missæ ab Ecclesia approbatæ sint absolutè publicæ & communes. 773.
VI. Respondetur ad objectiones Acatholicorum. 774.
VII. Referuntur objectiones & Calumniæ cujusdam Apostatæ & doctoris Helmstadiensis & refutantur. 777.

CAPUT VIII.

De nomine & Ceremoniis Missæ.

ART. I. Exponitur status eorum, quæ de his ab Acatholicis disputantur. 780.
II. Referuntur errores Acatholicorum. 781.
III. Refertur doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa Ceremonias Missæ. ibid.
IV. Declaratur Etymologia nominis Missæ & ejus antiquitas. 782.
V. Quòd Missæ sacrificium licitè in honorem Sanctorum celebretur. 783.
VI. Quòd vestes sacræ, ornamenta, vasa aurea & argentea, & luminaria licitè ad sacrificium Missæ adhibeantur. 784.
VII. Quòd ceremoniæ Missæ quæ in actione consistunt antiquæ & licitæ sint. 786.
VIII. Quòd ceremoniæ Missæ quæ in verbis consistunt licitæ & antiquæ sint. 788.
IX. Respondetur ad argumenta Acatholicorum contra Missæ ceremonias. 791.
X. Referuntur & refutantur calumniæ alicujus apostatæ. 793.
ANTITH. in quibus doctrinæ Catholicæ Ecclesiæ Rom. quoad Ceremonias Missæ cum antiquæ Ecclesiæ doctrina conformitas & Acatholicorum difformitas exhibentur. 795.

LIBER XVII.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT I.

De Sacramento Pœnitentiæ secundum se.

ART. I. Referuntur errores circa hoc Sacramentum. 796.
II. Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa sacramentum pœnitentiæ. 797.
III. Quòd pœnitentia sit verè & propriè novæ legis sacramentum probatur ex S. scriptura. 798.
IV. Quòd pœnitentia sit propriè dictum Sacramentum à Baptismo distinctum probatur ex Patribus Græcis. 799.

CAPUT II.

De actibus Pœnitentis ad Sacramentum Pœnitentiæ requisitis, ac præsertim de Confessione.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 804.
II. Refertur doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa confessionem & alios pœnitentis actus. 805.
III. Quòd confessio peccatorum mortalium post Baptismum commissorum sacerdoti in specie sit facienda probatur ex S. Scriptura. 806.
IV. Eadem veritas Catholica probatur ex Conciliis & SS. Patribus Græcis. 808.
V. Eadem veritas Catholica ostenditur ex SS. Patribus Latinis. 811.
ANTITH. in quibus veritas doctrinæ Catholicæ circa Sacramentum pœnitentiæ juxta S. scripturam & SS Patrum sententiam & Acatholicorum falsitas proponitur. 815.

LIBER XVIII.

De Sacramento extremæ Unctionis.

CAPUT UNICUM.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum circa hoc sacramentum. 816.
II. Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa hoc Sacramentum. ibid.
III. Veritas doctrinæ Catholicæ probatur ex S. scriptura. 817.
IV. Eadem veritas de extremæ Unctionis Sacramento probatur ex Conciliis & SS. Patribus. 818.
ANTITH. in quibus veritas doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ circa Sacramentum extremæ Unctionis & falsitas Acatholicorum proponitur. 819.

LIBER

Digitized by Google

LIBER XIX.

De Sacramento Ordinis.

CAPUT I.

De Ordinibus sacris.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum circa hoc Sacramentum. 820.
II. Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ quod sacramentum Ordinis. 821.
III. Ostenditur quòd Episcopatus presbyteratus & Diaconatus sint veri gradus in Ecclesia Dei divinitus instituti. 822.
IV. Quòd Episcopi sacerdotibus & Diaconis superiores sint & quænam inter hæc tria munia sit distinctio probatur ex SS Patribus. 823.
V. Quòd in primitiva Ecclesia fuerit Ordo subdiaconorum, Lectorum, Exorcistarum, Acolythorum & Ostiariorum probatur ex SS. Patribus. 825.

CAPUT II.

De Ordine ut est Sacramentum.

ART. I. Quòd Ordo seu Ordinatio Ministrorum Ecclesiæ sit verum novæ legis sacramentum ostenditur. 826.
II. Quòd Ordo seu Ordinatio sit verum sacramentum probatur ex SS. Patribus. 827.
III. De materia & forma hujus sacramenti & effectibus. 829.
ANTITH. in quibus veritas doctrinæ Catholicæ circa sacramentum Ordinis juxta S. Scripturam & SS. Patres ac falsitas Acatholicorum proponitur. 830.

LIBER XX.

De Sacramento Matrimonii.

CAPUT UNICUM.

ART. I. Referuntur errores Acatholicorum. 831.
II. Proponitur veritas Ecclesiæ doctrinæ. 832.
III. Quòd matrimonium inter Christianos sit verum sacramentum novæ legis probatur ex S. scriptura. ibid.
IV. Catholica doctrina de sacramento Matrimonii probatur ex sanctis Patribus. 834.
V. Ecclesia Græca etiam post schisma agnovit Matrimonium esse Sacramentum. 837
ANTITH. in quibus veritas doctrinæ Catholicæ circa sacramentum Matrimonii juxta S. scripturam & SS. Patribus & falsitas Acatholicorum proponitur. ibid.

LIBER XXI. & VLT.

De miscellaneis Fidei Articulis.

CAPUT I.

Referuntur Argumenta Anonymi Authoris primi Libelli & refutantur.

ART. I. Ad primum argumentum primi Anonymi respondetur. 839
II. Adfertur secundùm Anonymi argumentum & refutatur. 841
III. Refertur tertium argumentum primi authoris Anonymi & refutatur. ibid.
IV. Refertur quartum argumentum D. Anonymi primi & refutatur. 842.
V. Refertur 5. primi Anonymi argumentum & refutatur. 847.
VI. Respondetur ad ultimum argumentum. 850.

CAPUT II.

Referuntur Argumenta Authoris Anonymi secundi Libelli & refutantur.

ART. I. Referuntur verba primi illius authoris Anonymi & refutantur. 951.
II. Referuntur aliia illius Anonymi verba & refutantur. 852.
III. Referuntur alia Domini Anonymi verba & refutantur. 856.
IV. Refertur D. Anonymi argumentum & refutatur. 857.
V. Ostenditur quod Acatholici quoad articulum de traditionibus à primitiva Ecclesia defecerint & antiquos hæreticos sequantur. 359.
VI. Refertur secundum argumentum authoris 2. libelli de communione sub utraque specie, & refutatur. 86-.
VII. Refertur argumentum tertii Anonymi 2. libelli de sacrificio Missæ propitiatorio & refutatur. 863.
VIII. Referuntur varia & arrogantia D. Anonymi verba & refutantur. ibid.
IX. Referantur verba conclusionis D. Anonymi & refutantur. 864.

CAPUT III.

Referuntur finaliter Authoris Anonymi tertii Libelli Argumenta & refutantur.

ART. I. Quædam ejus verba referuntur & refutantur. 866.
II. Refertur primum argumentum Authoris Anonymi contra ultimum articulum. ibid.
CONCLUSIO 874.

FINIS.

LIBER I.

ANTITHESES,

In quibus veritas doctrinæ Catholicæ circa Sacramentum pœnitentiæ iuxta S. Scripturam & SS. Patrum sententiam, & Acatholicorum falsitas proponitur.

PRima: SS. Patres juxta S. scripturam docuerunt, *quòd lapsi post baptismum non possint pro remissione ad Baptismi Sacramentum recurrere; sed aliud pro talium peccatorum remedio à Christo institutum sit Sacramentum, scilicet pœnitentia:* Ita etiam Ecclesia Rom. Cath.

Acatholici prorsus negant, tale distinctum à baptismo institutum esse sacramentum.

2. SS. Patres nunquam hortati sunt fideles, *ut ad obtinendam peccatorum post Baptismum commissorum remissionem, in memoriam revocent baptismum, quem susceperunt; ut sic à peccatis liberentur:* Ita nec Cath. Ecclesia.

Acatholici *sine ullo S. Scripturæ vel SS. PP. testimonio volunt, lapsos per memoriam baptismi liberari.*

3. SS. Patres secundùm sacram Scripturam docuerunt; *quòd Christus Apostolis, ipsorumque successoribus sacerdotibus dederit claves regni cœlorum, seu potestatem ligandi & solvendi à peccatis post baptismum commissis: non tali modo, ut sacerdotes fidelibus* annuntient ipsis à Deo remissa esse peccata, *sed ut ipsi pœnitentes à peccatis absolvant,* Ita etiam Ecclesia Cath.

Acatholici *ex suo cerebro volunt: potestatem clavium seu solvendi & ligandi esse solùm ad hoc, ut ministri consolentur pœnitentes, & ipsis denuntient peccata à Deo dimissa.*

4. Sancti Patres juxta sacram Scripturam docuerunt: *quòd Christus Apostolos & ipsorum successores instituerit suos vicarios, qui vice illius, ut veri Iudices delegati potestatem habeant dijudicandi peccata ad solvendum ab iis, vel ligandum:* Ita etiam Ecclesia Cath.

Acatholici id prorsus negant.

5. Sancti Patres juxta sacram Scripturam docuerunt: *quòd lapsi in peccata mortalia post Baptismum, de necessitate salutis pro obtinenda peccatorum remissione ad sacerdotes recurrere teneantur.* Ita etiam Ecclesia Cath. docet.

Acatholici id derident & negant.

6. Sancti Patres docuerunt, *quòd in veteri lege sacerdotibus potestas duntaxat data fuerit examinandi lepram corporalem, & declarandi an vera esset vel non esset; at verò Christus Apostolis illorúmque successoribus sacerdotibus ad lepram animæ purgandam & tollendam dederit potestatem.* Ita etiam docet Ecclesia.

Acatholici id negant.

7. Sancti Patres docuerunt contra Novatianos, *quòd non solùm Deo, sed etiam sacerdoti peccata sint confitenda, nec solus Deus, sed etiam sacerdotes ex Christi potestate & commissione, peccata remittant.* Ita etiam Ecclesia Cath.

Acatholici cum Novatianis volunt, *quòd soli Deo peccata sint confitenda, & solus Deus peccata dimittat.*

8. Sancti Patres docuerunt, *quòd sicut morbi & vulnera corporis, quantumvis occulta, medico sint manifestanda, ut curari possint: sic lapsi omnia peccata mortalia etiam cordis occultissima sacerdoti aperire debeant, ut ab illis curentur.* Ita etiam Ecclesia docet.

Acatholici id prorsus reiiciunt.

9. Sancti Patres docuerunt, *quòd lapsi omnia & singula peccata mortalia, quæ memoriæ occurrunt, sacerdoti privatim seu auricularitér confiteri debeant: non solùm ut ipse iudicet, an illa dimittenda sint vel liganda, sed etiam, ut pro peccatis dimissis satisfactionem debitam iniungat vel privatim vel publicè faciendam.* Ita etiam docet Ecclesia Cath.

Acatholici cum Calvino *confessionem peccatorum huiusmodi privatam seu auricularem, ut pestilentem & Ecclesiæ noxiam impiè damnare non verentur.*

10. Sancti Patres docuerunt, *quòd per sacramentum pœnitentiæ peccata quidem dimittantur, sed non omnis semper reatus temporalis pœnæ dimittatur, sicut in Baptismo: pro quo satisfaciendo pœnitentiæ seu satisfactiones sint à sacerdote imponendæ;* Ita etiam docet Ecclesia.

Acatholici contra clarum Dei verbum & SS. Patres volunt, *quòd post dimissam culpam nullus reatus pœnæ temporalis remaneat.*

11. Sancti Patres docuerunt, *quòd ex sincera & verecunda peccatorum confessione sacerdoti facta, pœnitentes non solùm peccatorum remissionem, sed etiam veram cordis tranquillitatem consequantur.* Ita etiam docet Ecclesia & experientia testatur.

Acatholici *huiusmodi confessionem abominantur, & carnificinam non minus falsò quàm impiè vocant.*

12. Sancti Patres ex eo, *quòd per Sacramentum pœnitentiæ peccata omnia post Baptismum commissa quidem dimittantur, ita tamen, ut pœna temporalis luenda remaneat, illud Baptismum laboriosum & lachrimarum, ac secundam post naufragium spirituale tabulam vocârunt.* Ita etiam Ecclesia.

Acatholici cum Calvino *has nuncupationes vel nomina vocant impia.*

13. Sancti Patres docuerunt, *quòd confessio omnium & singulorum peccatorum sacerdoti facienda à Christo sit præcepta ad salutem necessaria, quod tum ex verbis Christi, tum ex usu Ecclesiæ à tempore Apostolorum ostenderunt.* Ita etiam docet Ecclesia.

Acatholici *negant huiusmodi confessionem à Christo esse præceptam, sed ad libitum fidelibus liberam relictam, & sic tantùm ab initio Ecclesiæ volunt illam esse usurpatam, nec unquam sub præcepto esse prapositam usque ad annum 1214. sub Innocentio III.* quod falsissimum est, cùm SS. Patres illam doceant esse ad salutem necessariam: quod sine præcepto Christi esse non posset: Innocentius verò, & Concil. Lateranense solum præceperunt, ut fideles mortalibus obnoxii, qui juxta præceptum Christi ex necessitate salutis ad remissionem peccatorum obtinendam aliquando confiteri tenentur ad minus semel in anno circa Pascha hoc facere obligentur.

(*,*)

LIBER

LIBER XVIII.

De Sacramento extremæ Vnctionis.

CAPVT VNICVM.

ARTICULUS I.

Referuntur errores Acatholicorum circa hoc Sacramentum.

I. SCiendum: quòd, licèt hoc Sacramentum in primitiva Ecclesia creditum & usurpatum fuerit, ùt infrà patebit, nulli tamen hæretici quantùm videre licuit id negârint, vel illi contradixerint; unde etiam SS. Patres non multa de hoc tractârunt.

Omnium autem primi contradictores inveniuntur *VValdenses* circa annum Domini 1160. ùt refert *Æneas Sylvius* lib. de Origine Boëmorum cap. 35. qui extremam unctionem Sacramentum dicebant non benedictionis, sed maledictionis; ùt refert Guido Carmelita de Waldensibus.

II. Hos secuti sunt *Albigenses* circa annum 1200. ùt refert B. *Antoninus* in summa Theologica parte 4. tit. 11. c. 7. §. 5. & *Lollardi* circa annum 1315. apud *Trithemium* in Chronico Hirsaugiensi, & *Flagellantes* Anno 1350. teste Bernardo Lutzenburg lib. de Hæresibus.

III. Similiter *VVicleff* lib. 4. Trialogi cap. 25. negabat hoc sacramentum à Christo vel ab Apostolis esse institutum.

IV. Deinde *Lutherus*, sicut plerosque veterum hæreticorum errores quasi in una sentina collegit; sic & in hoc illos secutus est lib. de Capt. Babyl. cap. de extrema unctione; ubi absolutè *negat extremam unctionem esse Sacramentum* propriè dictum, ex falso fundamento, ùt infrà patebit; licèt ceremoniam illam non prorsus rejiciat.

V. Demum *Calvinus* suo more acerbior & audacior hoc sacramentum non solùm negat, sed multis modis subsannat l. 4. Inst. cap. 19. §. 18. dicens: *Tertium ficititium Sacramentum est extrema unctio*, &c. & post pauca: *Ejusdem rationis est ista unctio, cujus esse manuum impositionem suprà demonstravimus, nempe histrionica hypocrisis*, &c.

VI. Mirum, quòd Calvinus nec ipsum Christum Dominum, qui ex luto & sputo oculos cæci linivit, & Apostolos, qui Marci 6. infirmos oleo unxerunt, & specialiter Jacobum hanc ceremoniam circa infirmos tradentem; imo totam Ecclesiam, quæ tempore Apostolorum ex confessione Calvini art. 3. alleganda illam tanquam sacramentum usurpavit; mirum, inquam, quòd omnes illos histrionicæ hypocrisis non arguat; quod tamen in re facit; dum Ecclesiam, idem, quod Jacobus scribit, facientem sic condemnet.

VII. Ipse autem Calvinus dum pro suo placito ad locum Jacobi 5. & Marci 6. respondisset de usu olei apud Apostolos §. 20. sic impudenter concludit: *Ceremonia usurpari non debuit, nisi ab iis, qui curationum gratiâ præditi fuerant, non ab istis carnificibus; qui plus mactando ac trucidando valent; quàm sanando*, &c. hæc ille, quem sui imitantur.

Vult autem Calvinus hanc unctionem ab Innocentio I. qui tempore Augustini sedit institutam, ut omnes Christiani illam usurparent. *Chemnitius* verò vult illâ à Felice IV. inventam, qui sedit anno 528. sic mentitur iniquitas sibi cum senioribus Babylonicis, sed veritas patebit.

ARTICULUS II.

Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa hoc Sacramentum.

PRimò hanc tradidit *Concilium Florentinum*: in quo tam Patres Latini, quàm Græci unanimiter hoc inter vera Ecclesiæ sacramenta recensuerunt. I.

2. Similiter *Concil. Trident.* sess. 14. cap. 1. de institutione Sacramenti extremæ unctionis sic dicens: *Instituta est autem sacra hæc unctio infirmorum, tanquam verè & propriè Sacramentum novi Testamenti, à Christo Domino nostro; apud Marcum 6. quidem insinuatum; per Iacobum autem Apostolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum.* Infirmatur, inquit, quis in vobis, &c. *Quibus verbis, ut ex apostolica traditione per manus accepta, Ecclesia didicit; docet materiam, formam, proprium ministrum, & effectum huius salutaris sacramenti. Intellexit enim Ecclesia, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum; nam unctio aptissimè Spiritûs Sancti gratiam, quâ invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat, formam deinde esse illa verba*, per istam unctionem, &c. Et cap. 3. sic ait: *Nec profectò Ecclesia Romana aliarum omnium mater & magistra, aliud in hac administranda unctione, quantum ad ea, quæ huius Sacramenti substantiam perficiunt, observat, quam quod beatus Iacobus præscripsit*, &c.

Tandem Concilium sic definit can. 1. *Si quis dixerit, extremam unctionem non esse verè & propriè* II.
Sacramentum à Christo Domino nostro institutum, & à B. Iacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit. Et can. 2. *Si quis dixerit sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed iam cessâsse: quasi olim tantùm fuerit gratia curationum, anathema sit, &c.* hæc est unanimis omnium Theologorum & totius Ecclesiæ Catholicæ Fides ac sententia.

Pro terminorum autem notitia sciendum, III.
quòd hoc sacramentum vocetur *extrema unctio* ratione materiæ, sicut etiam baptismus vocatur sacramentum lotionis seu lavacri. Dicitur etiam *extrema*, non ex eo, quod tantùm in vero mortis articulo sit conferenda, qui incertus est; sed quia alia Sacramenta ordinariò sanis dantur, hoc solum infirmis in periculo mortis constitutis & post alia sacramenta, conferendum est.

AR-

Digitized by Google

LIBER I.

De vera catholica & falſa Acatholicorum Religione in generali.

IN hoc libro proponentur ea, quæ tres illi DD. Anonymi in ſuis præfationibus pro Acatholicorum dogmatibus contra Eccleſiæ catholicæ Romanæ doctrinam ingerunt potius, quàm proponunt, cum omnia ſine ullis S. Scripturæ, vel SS. Patrum probationibus quaſi certiſſima aſſerant: ex quibus evidenter Acatholicorum dogmata veriſſima eſſe volunt; ſed quàm hæc falſa ſint, in hoc libro ad ſingulorum aſſerta breviter reſpondendo oſtendetur, & in ſequentibus libris illorum falſitas, ac catholicæ doctrinæ veritas ex S. Scriptura, & SS. Patribus, Deo dante, demonſtrabitur.

CAPUT I.

De nomine Religionis & Eccleſiæ catholicæ & Acatholicorum.

ARTICULUS I.

Referuntur verba Authoris Anonymi primi libelli.

ANonymus ille ſic ſuum libellum inſcripſit: *Ad Bernardini pontificij propoſitiones D. Elphinſtono exhibitas brevis & directa reſponſio.*

Idem auctor incipit his verbis: *Religionem reformatarum Eccleſiarum eſſe Romanâ ſive pontificiâ & veriorem & antiquiorem patet.*

1. Quod reformata unicum & tutiſſimum habeant fundamentum, nempe S. Scripturam, licet aliis utantur ſubalternis declarationibus: at pontificia humanis fulcris, nempe Traditionibus, & Pontificum Decretis indiget & nititur.

2. Si ſingularum reformatarum eccleſiarum confeſſiones inſpicias, videbis in articulis affirmativis pontificios nobiſcum ferè convenire ſi in quibusdam demantur particula excluſiva. v. g.

3. Nos docemus ſolum Deum adorandum; Illi docent Deum adorandum, ſed non ſolum.

4. Nos docemus S. Scripturam eſſe unicam fidei & morum normam in neceſſariis ad cultum & ſalutem: Illi docent S. Scripturam eſſe normam, ſed non unicam.

5. Nos docemus unicum Mediatorem eſſe Ieſum Chriſtum: Illi docent Ieſum Chriſtum eſſe Mediatorem, ſed non unicum.

6. Nos docemus hominem juſtificari ſola fide, licet non fide ſolitaria: Illi docent nos juſtificari Fide, ſed non ſola, nec ſolitaria.

7. Nos docemus eſſe duo tantùm Sacramenta: Illi docent, eſſe eadem duo Sacramenta, ſed & plura.

8. Ideoque illi agnoſcunt noſtram religionem in parte poſitiva eſſe veram & antiquam, ſed ſua multa ſuperaddunt, quæ nos tanquam fictitia negamus, & novitia, ſive primitivæ Eccleſiæ incognita, ſicut autẽ affirmantis eſt probare, ita neceſſe habent Pontificii demonſtrare illa additamenta, niti SS. Scripturis, & à primitiva Eccleſia fuiſſe credita &c. hæc ad verbum ille Anonymus 1. libelli Auctor.

Circa hæc advertat candidus lector, quòd hic Auctor forum declinet; nam, ut conſtat ex præmiſſis, D. Elphinſtonus vexillifer in ſe ſuſceperat onus probandi articulos omnes, in quibus Acatholici ab Eccleſia catholica Romana diffident, ab Eccleſia primitiva fuiſſe creditos, prout ipſi credunt, ſive articuli ſint negativi, ſive affirmativi, omnes enim ſpectant ad integram fidem, ideoque huic Anonymo, qui partes D. Elphinſtoni in ſe ſumpſit, neceſſarium erat omnes Acatholicorum articulos etiam excluſivos ex primitiva Eccleſia demonſtrare, quod v. g. primitiva Eccleſia docuerit eſſe duo Sacramenta, & non plura, & multò ampliùs, quod S. Scriptura, quam unicam fidei normam eſſe volunt ita excluſivè doceat, duo tantum eſſe Sacramenta, &c. Et ſic de aliis.

Advertat ſecundò, quod iſte Auctor plura abſolutè pronunciet ſine ullo S. Scripturæ & SS. Patrum teſtimonio vel ratione: ideoque ea, quantum Fidei catholicæ contrariantur, negaſſe ſufficeret; veruntamem amore veritatis nos ſingula in præmiſſis tacta, qualiter in Eccleſia catholica creduntur & docentur, in ſequentibus libris ex S. ſcriptura & SS. Patribus, Deo propitio, demonſtrabimus, & contraria refutabimus.

Priusquam autem ad particularia huius Anonymi dogmata jam propoſita reſpondeam, breviter de nomine religionis, quod ipſe ſuis Eccleſiis verius attribuit, diſſerendum erit.

ARTICULUS II.

De nomine Religionis veræ, unicæ, catholicæ, Romanæ & pontificiæ.

QVamvis vox religio tam à prophanis quàm ſanctis auctoribus vario ſenſu uſurpetur; in propoſito tamen eâ utemur, ut ſignificat virtutem, quâ verus Deus ſecundum rectam fidem colitur, prout à SS. Patribus intelligitur, & auctor libelli intendere videtur, *cujus nominis originem*, ut dicit Auguſtinus lib. 1. retract. cap. 13 *Non me fugit expoſuiſſe Latini ſermonis authores, quod inde ſit appellata Religio, quod eligatur; quod verbum compoſitum eſt a legendo, id eſt, eligendo, ut ita Latinum videatur religo ſicut eligo, &c.* ipſe tamẽ lib. de vera religione c. 55. & lib.

Digitized by Google

ostenderur, quòd plurima S. scripturæ & SS. Patribus contraria doceant; ac proinde veram fidem non habeant. His adde ex verbis Anonymi, qui dicit, reformatam religionem esse veriore pontificiâ, &c. quod pro parte nostra admittimus, scilicet, quòd pontificia sit vera, at hoc, ut verum est, subsistente, altera non potest esse verior, imo nec vera, quia non potest esse nisi unica vera fides vel Ecclesia.

ARTICULUS IV.

Quòd ad veram fidem non sufficiat aliquot tantum fidei articulos credere.

I. Anonymus pro sua auctoritate sic pronunciat dicens: *Si singularum reformatarum Ecclesiarum confessiones inspicias, videbis in articulis affirmativis pontificios nobiscum ferè convenire, si in quibusdam demantur particulæ exclusivæ, &c.* ut suprà relatum est. Postea concludit: *Adeoque illi agnoscunt nostram religionem in parte positiva veram esse, & antiquam, sed sua multa superaddunt, quæ nos tanquam fictitia negamus, & novitia, sive primitivæ Ecclesiæ incognita, &c.* Hæc ille sine ulla probatione, sed quàm falsò, patebit ex articulis omnibus fidei, qui in hoc opere tractabuntur, hîc solum in generali, quid ad veram fidem requiratur, resolvemus.

II. Dico itaque: *non sufficere ad veram Fidem, si aliquot vera fidei articuli affirmativi excludendo alios credantur.* Hoc constat 1. ex symbolo Athanasii ab Acatholicis recepto, ubi dicitur: *Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat catholicam Fidem, quam nisi quisque integram* (NB.) *inviolatamque servaverit, salvus esse non poterit.* At verò credens aliquos fidei articulos aliis exclusis, non tenet integram fidem, adeòque nec veram.

III. 2. patet ex simili, quia non sufficit ad legis observantiam, ut plura præcepta observentur, sed si quis contra unum peccârit, non est justus, sed injustus, & peccator, juxta illud Jacobi 2. v. 10. *Quicunque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Adeòque etiam qui plures fidei articulos credit, unum autem ex iis pertinaciter negat, non habet veram fidem, sed verè hæreticus est.

IV. 3. probatur: Quia Spiritus sanctus solus docet veram fidem, qui est ipsa veritas, & de quo dicit Salvator Joann. 14. v. 16. *Alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis.* Et cap. 16. v. 13. *Cùm venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Proinde vera fides nullum falsum continere potest, alioquin Spiritus Sanctus falsum inspiraret & doceret.

V. Demum hoc patet ex manifesto absurdo: quod ex contrario sequeretur: si enim ad veram fidem seu religionem sufficeret, quòd crederentur certi articuli veræ fidei, excludendo alios sub prætextu, licet falsò, novitatis vel fictionis; Tunc nulla unquam fuisset hæresis, cum omnes hæretici qualescunque olim fuerunt, semper aliquos veros in Ecclesia catholica communes tenuerunt fidei articulos, alioquin, si nullos credidissent, prorsus Ethnici fuissent.

VI. Constat autem, quòd *Ariani* cum Ecclesia catholica profitebantur *integrum symbolum Apostolorum* quoad literam exteriorem, in illo profitentes Deum Patrem, & Christum Dei filium pro nobis natum, *&c.* sed excludebant *consubstantialitatem* Filii cum Patre in symbolo non expressam, tanquam doctrinam fictitiam, & novitiam, & primitivæ Ecclesiæ ignotam, imò scripturis contrariam, licèt falsò: sub quo prætextu in Conciliabulo Ariminensi plures Episcopos catholicos deceperant, illis persuadendo, quod ipsi omnia cum Ecclesia catholica crederent, exclusâ solâ voce *homousion* seu *consubstantialis*, quasi novitia & ficta, cujus loco uti possent voce *similis* Patri, & sic vera concordia esset, sed mentita est iniquitas sibi, ut patuit.

VII. Quod, ut certiùs constet, referam quæ non minus verè quàm doctè *Hieronymus* in dialogo adversus Luciferianos circa medium edit. Basil. 1553. recenset, qualiter Ariani Catholicos deceperint dicens *Sub rege Constantio, &c. nomine unitatis & Fidei infidelitas scripta est, & nunc agnoscitur. Nam illo tempore, &c.* (*scilicet Arimini*) *cum superficies expositionis nihil jam sacrilegum præferret, credimus ajebant, in unum verum Deum Patrem omnipotentem, &c. credimus in unigenitum Dei filium, qui ante omnia secula & ante omne principium natus est ex Deo, &c. Addebant præterea, qui de cœlo descendit, conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, &c. sonabant verba,* ait Hieronymus, *pietatem & inter tanta illa præconia nemo venenum insertum putabat. De Usia verò nomine abjiciendo, verisimilis ratio præbabatur, quia in scripturis ajebant, non invenitur & multos simpliciores suâ novitate scandalizat, placuit auferri, &c.* Et infra: *Tunc Usiæ nomen abolitum est, tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata est, &c.* Hæc Hieron. ubi ostendit, quod plures Episcopi sic decepti statim resipuerint, & Arianos reliquerint.

VIII. Rursus *Eutychiani* cum Ecclesia catholica confitebantur Christi divinitatem cum aliis fidei articulis, sed negabant Christi humanitatem, Sed illam cum divinitate confusam asserebant. Econtra *Nestoriani* assentientes Ecclesiæ catholicæ, quoad duas in Christo naturas, divinam & humanam, ab ipso excludebant personæ unitatem.

IX. Similiter *Monothelitæ* cum Ecclesia profitebantur duas in Christo naturas in unitate personæ, sed humanam à Christo voluntatem negabant.

X. *Donatistæ* tam symbolum apostolicum, quàm Constantinopolitanum cum Ecclesia recipiebant, sed excludebant à fidei articulis 1. quòd baptizati ab Hæreticis non essent iterum baptizandi. 2. quod lapsi in hæresin vel gentilismum ad pœnitentiam recipi possent.

XI. Sic *Pelagiani* omnes alios cum Ecclesia fidei articulos amplectebantur, sed excludendo baptismum parvulorum & quædam alia. Similia de aliis antiquis, quos etiam moderni Acatholici hæreticos fuisse fatentur, ostendi posset.

XII. Ex his patet absurditas & falsitas asserti Acatholicorum, dum exinde suam fidem veriorem & antiquiorem volunt probatam, quod aliquos articulos fidei cum moderna & antiqua Ecclesia communes habeant, excludendo plures alios sub prætextu, quasi tales Ecclesia antiqua ignorasset, sed, quàm hoc apertum sit, & impudens mendacium, ex decursu hujus operis patebit. Sicut etiam quam falsum sit, quod prætensi reformati in articulis affirmativis cum catholica Ecclesia ferè conveniant, nisi illud (ferè) valde amplificetur.

CA-

Digitized by Google

CAPVT II.

Adferuntur & reſpondetur ad Authoris Anonymi aſſerta, quibus probat amputat Religionem Acatholicorum eſſe veriorem.

ARTICVLVS I.

Refertur prima probatio, & refutatur.

I. ANonymus itaque dicit: *Patet, quòd reformatæ unicum & tutiſſimum habeant fundamentum, nempe S. Scripturam, licet aliis utantur ſubalternis declarationibus: at pontificia humanis fulcris, nempe traditionibus & pontificum decretis indiget & nititur.*

REFVTATIO.

II. Reſpondetur 1. negando propoſitionem pro utraque parte, quæ Anonymo probandæ erant; nihilominus ulteriùs pro veritate.

III. Reſpondetur 2, quoad primam partem: Explicet Anonymus, quid intelligat per ſubalternas declarationes, an illæ ſint expreſſæ in S. Scriptura; & ſi ſic, illas in ſcriptura oſtendat, & cur dicit, quòd præter ſcripturam utantur talibus declarationibus? Deinde, quod non habeant unicum fundamentum S. Scripturam, oſtendetur in 2. libro, ubi de S. Scriptura & verbo Dei à propoſito agetur.

IV. Reſpondetur 3. quòd pontificia Eccleſia traditionibus humanis nitatur, ut fulctis, manifeſtum mendacium ac calumnia eſt. Non enim Eccleſia catholica aliud fidei fundamentum aut fulcrum vel normam aut regulam agnoſcit, quàm purum Dei verbum, ſive per prophetas, ſive per Chriſtum ipſum vel Apoſtolos Eccleſiæ prædicatum; quod quidem in S. Scriptura pro maxima parte Spiritu Sancto dictante conſcriptum eſt, & ideo S. Scripturam ut fundamentum & normam fidei Eccleſia Romana reveretur. At verò non ſolum Dei verbum in S. Scriptura expreſſum eſſe profitetur, ſed quod, vel ab ipſo Chriſto, vel ab Apoſtolis vivâ voce prædicatum ſemper ab initio Eccleſiæ obſervatum eſt, licet aliqua poſtea ſcriptis mandata ſint, & hoc verbum non ſcriptum antiqua Eccleſia & SS. Patres vocarunt traditiones divinas & apoſtolicas; & de hoc verbo Dei tam in ſacra ſcriptura expreſſo, quàm à tempore Apoſtolorum ab Eccleſia obſervato, & ad nos de manu ad manum tradito, Romana Eccleſia in Concil. Trident. congregato ſeſſ. 4. ſic profitetur dicens: *Sacroſancta œ-*
V. *cumenica & generalis Tridentina ſynodus, &c ut ſublatis erroribus puritas ipſa evangelii in Eccleſia conſervetur, quod promiſſum ante per prophetas in ſcripturis ſanctis Dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei Filius proprio ore primum promulgavit; deinde per ſuos apoſtolos tanquam fontem omnis ſalutaris veritatis & morum diſciplinæ omni creaturæ prædicari juſſit: perſpiciensque hanc veritatem & diſciplinam contineri in libris ſcriptis, & ſine ſcripto traditionibus, quæ ex ipſius Chriſti ore ab apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis apoſtolis Spiritu Sancto dictante, quaſi per manus traditæ ad nos uſque pervenerunt, orthodoxorum patrum exempla ſecuta, omnes libros tam veteris, quàm novi teſtamenti, cùm utriuſque unus Deus ſit author: necnon traditiones ipſas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes tanquam vel oretenus à Chriſto, vel à Spiritu Sancto dictatas, & continuâ ſucceſſione in Eccleſia catholica conſervatas pari pietatis affectu ſuſcipit & veneratur.* Hæc Concil. Trident.

Unde patet, quòd Eccleſia in ſolo verbo Dei VI.
fidem ſuam fundatam profiteatur & nitatur, non autem in ullis humanis traditionibus vel pontificum decretis. Verum autem eſt, quod conciliorum & pontificum declarationibus optimè & ſanctè fideles utantur, quibus verbum Dei traditum, vel etiam vera verbi ſcripti ſeu S. Scripturæ intelligentia declaratur & proponitur, prout ſacra ſcriptura in hoc fideles ad Eccleſiam remittit. Hæc contra nudam Anonymi aſſertionem falſam ſufficiant.

ARTICVLVS II.

Refertur 2. probatio Anonymi, & refutatur

DIcit Anonymus 2. ſic: *Si ſingularum* I.
Eccleſiarum reformatarum confeſſiones inſpicias, videbis in articulis affirmativis pontificios fere nobiſcum convenire, ſi in quibuſdam demantur particulæ excluſivæ: Exempli gratia, nos docemus Deum ſolum adorandum, illi docent Deum adorandum, ſed non ſolum, &c. vide ſupra art. I.

REFVTATIO.

Reſpondetur 1. Quamvis ea, quæ S. Roma- II.
na Eccleſia credit & docet, ſufficienter jam à millenis Doctoribus probata ſint ex ſacra ſcriptura & primitiva Eccleſia; non opus eſſet illa probare, quæ Anonymus in medium ſine ulla probatione producit, nos tamen in libro ſecundo omnia demonſtrabimus. In propoſito autem incumbebat Anonymo probare & illa, quæ jam aſſerit, & articulos quos ipſi prætenſi reformati credunt, prout D. vexillifer promiſerat.

Reſpondetur tamen 2. generaliter, valde fri- III.
volum eſſe argumentum quo Anonymus probare nititur ſuas præter ſuas Eccleſias eſſe veriores & antiquiores, ex eo quòd credant ferè aliqua (licet illud *ferè* plurima contineat) quæ etiam catholica Eccleſia credat, & in aliis fidei Eccleſiæ catholicæ articulis deficiat: ſic enim nulla unquam in Eccleſia potuiſſet eſſe hæreſis, cum omnis hæreſis aliqua cum Eccleſia catholica crediderit, alioquin planè Ethnici fuiſſent, ut ſupra præcedenti articulo oſtenſum eſt.

Digitized by Google

Ad ea, quæ in particulari Anonymus allegat, hic obiter dicetur.

IV. Reſpondetur ad 1. Manifeſtum mendacium eſt, quòd catholica Romana Eccleſia doceat Deum adorandum, ſed non ſolum, de quo plenius in 3. libro.

Ad 2. falſum eſt, quòd prætenſi reformati ſolam S. Scripturam pro fidei norma habeant, licet plenis buccis id proteſtentur. 2. verum eſt, quod Eccleſia Romana doceat, ſacram ſcripturam non eſſe ſolam normam fidei, ſed etiam verbum Dei traditum talem eſſe & requiri, quod ex ſacra ſcriptura & SS. Patribus in 2. lib. clarè demonſtrabitur; Et ipſi prætenſi reformati convicti fateri coguntur, quod obiter hic oſtenditur.

V. 1. quia acatholici uno ore quidem clamant, quòd articuli fidei neceſſarii clarè & expreſsè ac ſufficienter in ſacra ſcriptura contineantur, ſed nullus hactenus omnes & ſingulos tales articulos ſpecificavit, licet Catholici ſæpius id urſerint. Et certè confeſſiones variarum Eccleſiarum proteſtantium inter ſe non concordant, nec illorum Scriptores, ut demonſtrari poteſt, vel Anonymus illos ſpecificet præcisè.

2. oſtendat ex ſacra ſcriptura, ubi tales articuli neceſſarii à non neceſſariis diſtinguantur. Sed de his à propoſito dicetur ſuis locis.

VI. Mirum autem, quomodo aſſerere audeat ſuam fidem in ſola ſacra ſcriptura fundatam, cùm diverſos S. Scripturæ libros contra Apoſtolorum & primitivæ Eccleſiæ ſenſum, ut apocryphos rejiciant, ſicut olim Manichæi & alii hæretici faciebant. Catholica autem omnes omnino S. Scripturæ libros admittit & reveretur, ut viſum eſt ex concil. Trident.

Demum plures ſunt articuli fidei neceſſariò credendi, qui clarè in ſacra ſcriptura non leguntur, & quòd Filius ſit conſubſtantialis Patri, contra Arianos. Spiritus S. à Patre & Filio procedat, contra Græcos. Quòd parvuli ſint baptizandi, contra Pelagianos. Et baptiſmus ab hæreticis collatus ſit validus, nec reiterandus contra Donatiſtas, & plurima alia, quæ etſi in ſcriptura fundentur, tamen in illa clarè non leguntur, ut fatentur SS. Patres: ſed verbo Dei ab Apoſtolis prædicato non ſcripto, & in Eccleſia cuſtodito demonſtrantur, vel Anonymus illa in S. Scriptura legat, & nobis exhibeat.

VII. Ad 3. quod D. Anonymus dicit: *Nos docemus unicum mediatorem Ieſum Chriſtum: illi docent non eſſe unicum.*

Reſpond. Nos id negare falſiſſimum eſt, ut ſuo loco clarè patebit.

VIII. Ad 4. ubi dicit Anonymus: *Nos docemus hominem juſtificari, &c.* ut ſuprà. Verum eſt Eccleſiam catholicam negare hominem ſolâ fide juſtificari, ſed fidem quidem initium eſſe, charitatem verò primariam juſtificationis formam, prout clarè indicat Salvator Luc. 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Et juxta illud Pauli 1. Cor. 13. v. 2 *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Et v. 13. *Nunc autē manent Fides, ſpes charitas, tria hæc, major autem horum eſt charitas.* Ad Coloſſ. 3. v. 14. *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* Et Jacobi 2. v. 26. *Sicut corpus ſine Spiritu mortuum eſt, ita fides ſine operibus mortua eſt.*

IX. Cæterum oſtendat Anonymus ex ullo ſcripturæ loco, ubi ſacra ſcriptura diſtinguat triplicem fidem, prout Calvinus lib. 3, inſt. cap. 2. §. 9. dicit: *aliam eſſe hiſtoricam, aliam miraculorum, quæ non juſtificent, ſed tertiam eſſe juſtificantem particularem, quâ quilibet homo firmiter & certò cognoſcit ſibi eſſe remiſſa peccata, & Deum Patrem non minùs ipſi favere, quam proprio Filio, & ipſum damnari non poſſe, niſi damnetur Chriſtus.* Ita Calv. in cap. 3. & 13. Joann. ac in cap. 3. Matth. v. 20. ſimiliter loquitur confeſſio ipſorum art. 29. oſtendant Adverſarii talem fidem in ſcripturis exprimi, ut ſileam; talem eſſe omnibus maximè neceſſariam, & ſolam juſtificantem, ac ſalutis unicum aſylum.

X. Ecce, ô Anonyme, qualiter religio veſtra in ſola ſcriptura fundetur, qui plurima extra ſcripturam credere debetis, & creditis, imò quod turpiſſimum, & horrendum eſt, contra ſacram ſcripturam creditis dari fidem particularem, quâ ſolâ homo juſtificetur, & hanc totam ſalutis cauſam aſſeritis, & primarium ac maximè neceſſarium fidei articulum; quæ nec in ſcripturis continetur, & cujus contrarium paſſim ſcriptura docet, ut Eccleſ. 9. v. 1. *Neſcit homo an odio vel amore dignus ſit.* Et pſ. 2. v. 11. *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Ad Philipp. 2. v. 12. *Cum metu & tremore ſalutem operamini.* Et 2. Pet. 1. v. 10. *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem faciatis.* Quæ omnia fruſtra à ſcriptura dicerentur, ſi quilibet fidelis ita firmiter & certò credere deberet, ſibi dimiſſa eſſe peccata, & ſe hæredem regni cæleſtis, & ex hoc electos diſtingui à reprobis, cum ipſe etiam Calvinus volens nolens lib. 3. inſt. cap. 2. §. 10. & 11. hoc falſum eſſe fateatur dicens: *Experientia oſtendit reprobos interdum ſimili ferè ſenſu atque electos affici, [illegible] electis differant, &c.* Hæc ille.

Certum [illegible] eſt, quòd omnia loca ſcripturæ, quæ fidei aliquam juſtificationis cauſam tribuunt, vel de fide hiſtorica, vel miraculorum loquuntur, quam ſolam juſtificare ipſi Acatholici negare debent.

XI. Ad 5. ubi Anonymus dicit: *Nos docemus eſſe duo tantùm Sacramenta, &c.* Verum eſt nos docere plura eſſe Sacramenta, quàm duo, & ipſi contra ſcripturam plura eſſe negant, nec ſuum aſſertum, quod duo tantum ſint Sacramenta, & non plura, ex ſacra ſcriptura probare poſſunt, ut ſuo loco oſtendetur.

XII. Vide ergo D. Anonyme, videat & quilibet ſincerus lector, quàm falsò & futiliter ſine ullo ſacræ ſcripturæ vel SS. Patrum teſtimonio prætenſarum reformatarum Eccleſiarum religio aſſeratur verior & antiquior ipsâ Romana & pontificia, cujus contrarium ex S. ſcriptura oſtenſum eſt, & ex eadem, & SS. Patribus adhuc demonſtrabitur, licet in propoſito noſtrum ſolum eſſet reſpondere ad probationes, quas Anonymus ad ſalvandum D. vexilliferi promiſſum pro fidei articulis ſuarum Eccleſiarum, in quibus à catholica diſſident, ex primitiva Eccleſia adferre tenebatur, qualiter autem illos probet, infra ſuo loco patebit. Jam ea quæ duo alii Anonymi in ſuis ſcriptis, antequam ad articulos propoſitos probandos accedant, proloquuntur obiter referemus, & refutabimus.

Digitized by Google

CAPVT III.

Referuntur dicta in præfatione Auctoris Anonymi 2. libelli, quæ prolixior est, & sic incipit:

ADmodum Reverendo Patri Bernardino, &c. *Cùm primum illud scriptum*, &c. Hic per aliquot folia projicit ampullas & sesquipedalia verba, nec his contentus, plenus est calumniis, quæ ex initio, ut ex ungue leo, lectori facilè constabunt, sic enim incipit:

Cùm primum illud scriptum, cujus initium: Quandoquidem Dominus vexillifer, &c. *mihi ob novitatem legendum, & ob illatam injuriam refutandum traderetur, magnopere mirabar, imo stupebam fere ad Romanæ curiæ pervicaciam, impudentiam generalem, & hac in causa iniquitatem specialem, de quibus præfari necessarium, &c.* hæc ille modestus Anonymus.

In præfatione autem prolixè plurima ingerit, quæ summatim referemus.

ARTICVLVS I.

Referuntur aliqua, quæ Anonymus in præfatione præmittit.

I QVærit 1. *cur ipsis probatio istorum octo articulorum imponatur.* Ubi multas calumnias in Catholicos & Monachos evomit, qui suos articulos probare deberet.

2. quærit, *cur à milite istam probationem requisiverit, & non ab aliis in Belgio clarissimis, &c.* ubi iterum calumnias eructat.

3. Dicit: *exhibita esse Ambrosii & Augustini opera, ut ex illis ostenderetur veritas.* Sed replicat *in illis non consistere antiquitatem, sed in Ignatio, Ireneo, Tertulliano, Origene,* &c. *simplicitati apostolicæ proximioribus*, &c.

II. 4. Præscribit, qualiter articuli proponendi fuissent, *ita ut catholicæ Romanæ incumbat probatio, quæ articulos asserit, eò quod affirmanti incumbat probatio*, &c.

5. *Summam* asserit *esse iniquitatem ab ipsis exigere, ut ostendant patres primorum seculorum rejecisse errores, de quibus tunc ne quidem per somnium cogitassent, cùm alia loca in Patribus abundanter reperiantur, quibus per bonam consequentiam ostendatur, patres alienissimos fuisse à pontificiorum doctrina, &c.* ubi plurima sacrilega & calumniosa addit.

III. 6. Dicit P. *Bernardinum in illis articulis aliqua ipsis probanda proponere, quæ ipsi non docent, & urget, ut illi octo articuli à P. Bernardino ipsis probandi propositi in aliqua Catechesi, Confessione & Lyturgia publica ab acatholicis asserti ostendantur, alioquin falsitatis crimen incurratur*, &c.

Hæc Anonymus in præfatione prolixissima & calumniis plena, sed illa facilè in sequentibus ostendentur.

ARTICVLVS II.

Ad præmissa 2. Anonymi respondetur.

REspond. ad 1. Ideo prætensis reformatis incumbit probatio, quia ipsi ab Ecclesia catholica defecerunt, & illam accusant Apostasiæ in illis articulis: Accusatori autem incumbit probatio. I.

Ad 2. respond. 1. Quæritur, cur Dominus vexillifer moverit tam varias quæstiones, si sui muneris id non esse putabat? 2. Cur ipse tam audacter asseruit reformatos prætensos in omnibus articulis, in quibus modò à catholica dissident, cum primitiva ecclesia consentire, quales sunt propositi.' 3. Cur acceptavit probationem istorum articulorum? Cur vos assumitis illorum probationem, qui erubescitis nomina vestra? Cur alii clarissimi non probant nec salvant fidem D. Vexilliferi, & suam, quos D. Vexillifer Lugdunum Batavorum profectus imploravit? qualiter autem vos probetis, ex his & sequentibus patebit.

Ad 3. respond. Si Ambrosius & Augustinus pro consensu catholicæ cum primitiva Ecclesiæ starent, prout revera stant, magnum argumentum foret. Videbimus, an vos meliores adferatis; nos etiam Ignatium, Clementem Dionysium Apostolorum discipulos, Cyprianum, Irenæum, Tertullianum, Origenem & plurimos alios SS. Patres adducemus. II.

Ad 4 Patet ex prædictis, quòd vexilliferi erat probare ea quæ asseruerat.

Ad 5. Impudens est blasphemia & calumnia ita doctrinam Ecclesiæ catholicæ condemnare, patebit autem, quòd hæc doctrina fuerit ipsamet SS. Patrum, & Ecclesiæ antiquæ. Non satis est dicere sed probanda sunt. III.

Ad ultimum: Videbimus, quæ falsò ipsis imposita sint.

ARTICVLVS III.

Referuntur ea, quæ idem 2. scripti Author Anonymus in generali pro sua prætensa fide in præfatione allegat.

1. *QVod religio prætensorum reformatorum fundetur in sola S. Scriptura.* I.

2. *Quod S. Scriptura ad omnia saluti necessaria sufficiat.*

3. *Quod ad solam scripturam pro judicio sit recurrendum.*

4. *Sanctorum patrum consensum non esse contemnendum ornamentum; non autem, si patres sua ex scriptura non probant. cùm constet aliquos hæreticos fuisse, ut Augustinum, Tertullianum, Origenem, & forte* alios

Digitized by Google

aliospatres, adeoque secundum reformatos, nulli ne hilum prosint Patres, nisi sua probent ex scriptura, &c.

5. *Si SS. Patres, vel consuetudo cum sacra scriptura pugnent, illos non esse attendendos*, quod probat ex quibusdam SS. Patribus.

6. *Si patres sua ex scriptura probant magnum esse ornamentum, sed non nimium in illis esse deperiendum, etsi consensus cum patribus, quid divini foret, cujus causas allegat sequentes.*

II. 7. *Quia multa patrum scripta temporum injuria interciderunt, ac in illorum fragmentis sententia eorum, non nisi dubie & imperfecte reperitur.*

8. *Quia multa patrum scripta sunt supposititia, & ab hoc vel illo perfido Monacho protrusa.*

9. *Quia Iesuitæ & alii moliuntur quotidie castrare Patres, ut non nisi depravati prodeant.*

10. Iste Anonymus sic dicere audet. *Seposita autem stolida Romana curia pervicacia, nemo eos impudentia reos non videt, quod etiamnum de patribus audent gloriari, cum jam dudum ostensum sit patres contra Ecclesiam Romanam pro reformatis stare, imo doctrinam prout in Conciliabulo Tridentino asserta est patribus, & veneranda antiquitati ignotam fuisse, & plus antiquitatis ex Iudaismo, Ethnicismo, quam ex Christianismo habere.*

III. 11. *Quod, quia Papistæ vident sibi pro sua doctrina nullum in Patribus esse patrocinium, ideo Patrum reverentia apud illos jam dudum foro cesserit, nec curetur.* hæc summa præloqui Anonymi.

ARTICVLVS IV.

Respondetur ad præmissa.

I. AD hæc omnia facilè patet responsio; Nam ad 1. 2. & 3. patet ex responsione ad Anonymum 1.

4. pro prima parte admittitur, sed pro secunda parte miror, quòd tam viliter *S. Augustinum* rejiciat, qui licet prius hæresi infectus Manichæi, postea Ecclesiæ lumen per Dei gratiam effectus, ut Calvinus ipse uni Augustino totam quasi antiquitatis notitiam tribuat lib. 4. inst. cap. 3. §. 10. Et Acatholici, si quid ab Augustino pro ipsis apparenter dictum invenerint, triumphum agere soleant. Et quidem de *Tertulliano* non ita laboramus, ex quo solum antiquitas hauriri solet in illis, quæ cum aliis Patribus docuit, priusquam in hæresin laberetur. Ipsum tamen Anonymum sui memorem esse oportebat, cùm jam paulò antè in eadem præfatione jactitet, se non contentum cum Ambrosio & Augustino, utpote recentioribus, sed requirendos antiquiores, & inter alios Tertullianum, &c. Ecce quam varius in suis dictis, & sibi contrarius.

Ad 5. Totum conceditur.

Ad 6. Subtiliter Anonymus sese à Patrum auctoritate eximere conatur, nec catholica Ecclesia docet SS. Patrum scripta esse divina, sed ex illorum unanimi consensu Ecclesiam colligere verbum Dei traditum, quod divinum est, & verum S. Scripturæ sensum, qui divinus est. II.

Ad 7. Patet fraus Anonymi, quòd diffidat, imo desperet de auctoritate SS Patrum.

Ad 8. Similiter diffidit; sed, si quæ depravata sint, videat Anonymus, qui isti perfidi sint Monachi, qui non solùm SS. Patres, sed & ipsam S. Scripturam, vel depravare, vel apertè rejicere præsumpserunt, ut suam ab Ecclesia & votis suis apostasiam palliarent.

Nos èontrà parati sumus, etiam consensum Ecclesiæ Romanæ modernæ cum antiquis patribus ex libris SS. Patrum, prout ab Acatholicis recepti sunt, & impressi, demonstrare.

Ad 9. Mera & crassa sunt mendacia & calumniæ, ut mirum sit, quòd talia absolutè dicere audeat, si homo honestus videri velit; Quod si SS. Patrum libri non nisi depravati prodeant, cur ipsi ad SS. Patres appellant? unde ipsi illorum genuina scripta habent? Et si habent, ex illis confundentur. III.

Ad 10. Nimia est impudentia, & evidens, turpis ac mendax calumnia, quòd ita audeat Ecclesiam catholicam pervicaciæ & impudentiæ condemnare, quasi jam dudum ostensum sit SS. Patres pro reformatis prætensis contra Romanam Ecclesiam stare, & in hoc Ecclesiam catholicam convictam esse. Si ita sit, cur ita circa Patrum scripta hærent, ut dubia, supposita & supposititia vel depravata?

Ad ultimum, quàm turpiter hîc mentiatur & èontra, quanta sit apud ecclesiam SS. Patrum auctoritas, ex sequentibus patebit.

CAPVT IV.

Referuntur dicta in præfatione Authoris Anonymi libelli tertii, qui sic incipit:

DOmine Pater Bernardine, &c.

Hoc ut constet, &c.

Hic Anonymus aliâ viâ proloquitur volens probare prætensos reformatos in omnibus omnino fidei articulis consentire cum Ecclesia primitiva, sed in re planè diffidet ac deficit.

ARTICVLVS I.

Referuntur verba priora Anonymi authoris 3. libelli.

I. *HOc ut constet, neutiquam opus est, ut octo illas à sua paternitate præscriptas theses seculis primis ab Ecclesia differenter vel affirmatas vel negatas esse probem; siquidem nulla istarum articuli alicujus catholica fidei nomine digna censeri debeat, &c.* hæc ille. I.

Quod sic probatum abunde existimat, quia scili- II.

Digitized by Google

ſcilicet prætenſi Reformati credunt omnia, quæ nobis in Euangelio promittuntur, & quia ſumma in ſymbolo apoſtolico comprehenditur, quæ quoque ſumma in aliis veterum quorundam conciliorum confeſſionibus adversùs varias pro tempore novas hæreſes multoties eſt repetita atque declarata, *&c.*

2. Hinc vult, ut Pater Bernardinus oſtendat, quòd prætenſi Reformati, plus aut minùs, quàm ſymboli apoſtolici articuli ferunt, aut quidquam iisdem adverſum credant, doceántq; *&c.* hæc Anonymus.

Reſponſio ad præmiſſa.

III. 1. Negatur abſolutè, quòd Reformati prætenſi in omnibus omnino fidei articulis conſentiant cum primitiva Eccleſia.

Ad probationem negatur 1. quòd omnes articuli fidei in ſymbolo apoſtolico ſufficienter contineantur. Cur enim opus fuiſſet poſtea ſymbolo Conſtantinopolitano adversùs Arianos, & confeſſionibus aliorum conciliorum adversùs novas inſurgentes hæreſes? Ariani ſymbolum apoſtolicum credebant, & ſimiliter alii hæretici. S. Euangelia etiam admittebant, ſed perversè interpretabantur, ſicut & ſymbolum apoſtolicum.

IV. 1. Valde mirum eſt, quòd Anonymus aſſerit, nullos ex illis octo articulis catholicæ fidei nomine dignos eſſe, de quo infrà.

Verum ego inde infero, quòd proinde peſſimè prætenſi Reformati ob illos articulos recedant à catholica, eámque damnent.

ARTICVLVS II.

Anonymus ultra probare volens dicit,

I. Quòd nec in Baptiſmo, nec in cæna Domini ſolis veteris Eccleſiæ Sacramentis, prætenſi Reformati nihil novi credant, ſed iſtorum legitimo uſu fidem, quam in ſymbolo apoſtolico profitemur, confirment addens: *Non exiguam paternitati ſuæ debebo gratiam, ſi oſtenderit, primis illis quatuor ſeculis à Catholica Eccleſia contrarium quippiam ſymboli dictis articulis, aut ab iis alienum Sacramenti utriuſque inſtitutione aut uſu fuiſſe doctum creditúmve.* Poſtea Anonymus ſibi ex primitiva Eccleſia vult oſtendi bonorum operum ſpecies, precum formulas, *&c.*

RESPONDEO.

Mirabilis eſt iſta probatio ad priora. Non eſt quæſtio de iis, in quibus prætenſi Reformati cum Catholica Eccleſia conſentiunt, ſcilicet de Sacramento Baptiſmi & Euchariſtiæ vel ſymbolo apoſtolico; licèt, ſi bene illorum Confeſſiones examinentur, & in his ab antiqua Eccleſia defeciſſe, quo ad plura, convincerentur: ſed quæritur de aliis articulis inter Catholicam & prætenſam Reformatã controverſis. Et quidem hoc notandum, quod Anonymus nunquam ex ſymbolo apoſtolico oſtendet Sacramentum Cœnæ Domini, ſi in illo omnes Fidei articulos comprehenſos velit. II.

Ad ultimum de ſpeciebus bonorum operum & precum formulis lib. 3. etiam ex primitiva Eccleſia demonſtratio fiet. Sed non oportet nimiùm extra metam excurrere D. Anonyme, tibi probandi erant articuli octo propoſiti.

Videat candidus Lector, qualiter illi, qui fidem ſuam defendendam ſuſceperunt, omni modo à ſcopo aberrent, & ſolem declinent.

FINIS PRIMI LIBRI.

Digitized by Google

LIBER II.

De verbo Dei ſcripto, & non ſcripto.

IN hoc libro proponentur ea, quæ illi tres auctores Anonymi de verbo Dei objiciunt, ſibi attribuentes, quòd ipſi in ſola ſacra ſcriptura fundentur, & illa ſufficiat. Eccleſia autem catholica humanis doctrinis fidem ſuam potiſſimùm fundatam proponat.

2. Proponentur illa, quæ illi Anonymi & Acatholici objiciunt contra eccleſiam catholicam de ipſo verbo Dei ſcripto ſeu ſacra ſcriptura, quaſi falſos libros ſacræ ſcripturæ adjiciat, & falſas verſiones ut authenticas proponat, ſed catholica veritas, & ipſorum falſitas patebit.

CAPUT I.

De fundamento, Regula & norma fidei Eccleſiæ catholicæ, quod eſt verbum Dei tam ſcriptum, quàm ab Apoſtolis traditum.

ARTICULUS I.

Refertur ſententia acatholicorum.

I. ANonymus primi libelli ad demonſtrandam religionem ipſorum eſſe veriorem ac antiquiorem Romanâ ſic ait: *Quia reformata eccleſia unicum & tutiſſimum habent fundamentum, nempe S. Scripturam, licet aliis utantur ſubalternis declarationibus, at pontificia humanis fulcris, nempe traditionibus & pontificum decretis indiget & nititur*, &c. hæc ille.

Verum neutrum probat, unde ſufficeret utramque partem negaſſe, nec etiam explicat, quid per ſubalternas declarationes intelligat, quibus utuntur, & qualiter illis utantur, præſertim, cùm ipſi urgeant, quòd ſacra ſcriptura ſit per ſe clara, & cuilibet lucida.

2. dicit Anonymus: *Nos docemus ſacram ſcripturam eſſe unicam Fidei & morum normam in neceſſariis ad cultum & ſalutem. Illi* (pontificii) *docent ſcripturam eſſe normam, ſed non unicam.*

II. Similiter auctor ſecundi ſcripti jactabundè loquitur dicens; *jam toti mundo literato innotuit cœtum reformatorum prætenſorum* (*ſic tibi nos appellare animus*) *pro Fidei norma, judice inter partes de religione concertantes, pietatis directorio & ſalutis fundamento tantùm agnoſcere Spiritum Sanctum loquentem in ſacris literis*, &c. *Ad quem ſolum hac in cauſa remittere*, &c. hæc ibi.

Sic illi Anonymi ſecuti ſuum Calvinum, qui libro quarto inſt. capite octavo, §. 8. ſic pronunciat dicens: *Eſto igitur hoc firmum axioma, non aliud habendum eſſe verbum Dei, cui detur in Eccleſia locus, quàm quod lege primum & prophetis, deinde ſcriptis apoſtolicis continetur, nec alium eſſe rite docendi in eccleſia modum, niſi ex ejus verbi præſcripto & norma.* Sic Calvinus.

Lutherus etiam more ſuo in Comment. III.
capite primo ad Galat. ſic tonat dicens: *Neque alia doctrina in eccleſia tradi vel audiri debet, quàm purum Dei verbum, hoc eſt ſacra ſcriptura; Doctores vel auditores alii cum ſua doctrina anathema ſunto.*

An autem in hac negatione verbi Dei non ſcripti cum antiqua eccleſia, an potiùs cum antiquis hæreticis conveniant, in ſequentibus patebit, ut autem doctrinam Eccleſiæ Dei odioſam reddant, plures ex ipſis Eccleſiæ imponunt, quòd relictâ ſacrâ ſcripturâ & puro Dei verbo ad traditiones humanas deflexerit, & illis in Fide nitatur, ut Anonymus priori loco etiam indicat. Imo alii addunt, quòd Eccleſia quaſcunque traditiones etiam ſuperſtitioſas & etiam S. Scripturæ contrarias loco verbi Dei uſurpet, ſed, quam falſa hæc ſit calumnia, ſatis etiam patebit.

Hîc imprimis obſervandum, quòd Aca- IV.
tholici plenis buccis quidem clament, omnia, quæ ipſi de fide credunt, eſſe purum Dei verbum in ſacra ſcriptura expreſſum; verum, cum certum ſit, ut infra demonſtrabitur, quod nulli prorſus eorum Fidei articuli in quibus ipſi à catholica Eccleſia diſſentiunt in ſacra ſcriptura legantur, ideo optimo jure juxta ipſorum ſententiam ab ipſis quæritur: ubi hoc vel illud in ſacra ſcriptura legatur? & ſi ut verum eſt, in illa non legatur, pro puro Dei verbo non ſit agnoſcendum, ſed prorſus anathematizandum. Catholica autem Eccleſia cum ſanctis Patribus à tempore Apoſtolorum purum Dei verbum agnoſcit, etiam illud, quod in ſacra ſcriptura expreſſum non eſt, ſed oretenus ab Apoſtolis traditum eſt. At verò Acatholici cum antiquis hæreticis omne tale Dei verbum non ſcriptum rejiciunt.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

Quid antiqui hæretici de verbo Dei tradito ſeu non ſcripto in ſacra ſcriptura ſenſerint.

I. MArcioniſtæ & Valentiniani circa annum Domini 140. *Traditiones Eccleſiæ non ſcriptas rejiciebant*, ut refert Irenæus lib. 3. c. 2.

Ariani nihil ut verbum Dei præter ſcripturam recipiendum volebant. Sic inter alios Maximinus Arianus dicebat: *Si quid de divinis ſcripturis protuleris, quod commune eſt cum omnibus, neceſſe eſt, ut audiamus. Hæ vero voces, quæ extra ſcripturam ſunt, nullo caſu à nobis ſuſcipiuntur. Præterea cum ipſe Dominus moneat nos, & dicat: Sine cauſa colunt me docentes mandata & præcepta hominum.* Ita refert Auguſtinus lib. 1. contra Maximinum Arianum in principio edit. Baſil. 1528. Ecce vocem modernorum Acatholicorum.

Ariani in confeſſione ſuæ fidei in pſeudoſynodo Ariminenſi edita, volebant vocem ſubſtantiæ de medio tolli, datâ ratione, quia ſacra ſcriptura non meminiſſet ſubſtantiæ Patris & Filii, ut teſtatur Athanaſius de ſynodis Arimini & Seleuciæ habitis, edit. Pariſ. 1581.

II. *Conſtantius Imperator Arianus* in ſynodo Seleuciæ per ipſum coacta mandabat, ne Epiſcopi præter ſcripturas divinas Fidei Eccleſiæ quicquam adderent, unde *ſynodus ſemi Ariana* ibidem ſtatuerat, ſic definiens: *Rejicimus vocem coeſſentialem velut alienam à divina ſcriptura.* Ita refert Epiphan. hæreſi 73 edit. Baſil. 1560.

Similiter *Paſcentius Arianus* in diſput. contra vocem homouſion, eò quòd ſcripta non eſſet, excipit apud Auguſtinum epiſt. 174. edit. Baſil 1528. Prout antehac generaliter Ariani iſtam vocem rejiciebant, ut patet apud Athanaſium, Hieronymum, Hilarium, *&c.*

III. *Arianus* inſigniter contra patres ſuffragatur *Lutherus* libro contra Jacobum Latomum tomo ſecundo Wittenbergæ Latinè edito Anno 1551. ubi dicere non veretur: *anima mea odit homouſion, & optimè exegerunt Ariani, ne vocem illam prophanam & novam regula fidei ſtatui liceret.*

Macedoniani & Eunominiani nihil volentes deferre multitudini & antiquitati Chriſtianorum, negabant Spiritum Sanctum cum Patre & Filio eſſe glorificandum, quòd illud ſcriptura nuſquam expreſsè dicat. Sic refert *Baſilius* libro de Spiritu Sancto, capite vigeſimo quinto, edit. Antwerp. 1568.

Pelagiani communiter dicebant: *Credamus, quod legimus, & quod non legimus, nefas credamus aſtruere.* Ita refert Auguſt. lib. de nat. & gratia, c. 39. in principio edit. Baſil. 1528.

IV. *Donatiſtæ* volentes, ut illi, qui ab hæreticis baptizati ad eccleſiam redirent, iterum baptizarentur; id hâc ratione urgebant quia Catholici ex ſacra ſcriptura nec Chriſti præceptum vel exemplum ab Apoſtolis datum poſſent allegare alicujus, qui ſine baptiſmo eſſet ad Eccleſiam receptus. His ſancti Patres opponebant conſuetudinem Eccleſiæ à tempore Apoſtolorum, ut patet apud *Auguſtinum* libro de unitate Eccleſiæ, capite decimo nono, edit. Baſil. 1528 & alibi ſæpe.

Neſtoriani negantes unam in Chriſto perſonam nullatenus beatam Virginem Mariam volebant Deiparam eſſe vocandam, eò quòd hoc nuſquam in ſacra ſcriptura diceretur. Ita referunt acta *concilii Epheſini* edit. Colon. 1558. & SS. Patres.

Eutyches negans in Chriſto duas naturas dicebat: *In qua ſcriptura jacent duæ naturæ?* Cui opponebat Mamas Presbyter: *Et quæ ſcriptura dicit Homouſion.* Cùm Neſtoriani hanc vocem admittant. Ita in actis *concilii Chalcedon.* act. 1.

V. Generaliter *Neſtoriani, Eutychiani & Aëriani* traditiones ſeu dogmata in ſcriptura non extantia rejiciebant, ut conſtat ex ſynodo 7. act. 1. edit. Colon. 1551.

Hos ſecuti ſunt poſteriores hæretici, ut *Henriciani* ſeu *apoſtolici* apud *S. Bernard.* epiſt. 241. & homil. 66 in cant. *Ioannes VVicleff* in ſupplemento Trialogi, cap. 9. *&c.*

Ecce majores & progenitores, à quibus moderni acatholici illum articulum, quòd nihil credendum ſit, niſi in ſacra ſcriptura legatur, acceperunt; cùm talis articulus ipſe in ſacra ſcriptura non habeatur, adeòque juxta eorum doctrinam de fide non ſit credendus, quàm autem SS. Patres ab hoc articulo alieni fuerint, infra patebit.

ARTICVLVS III.

Proponitur doctrina Eccleſiæ catholicæ de fundamento, norma & regula fidei & morum.

HAnc Concilium Trid. ſeſſ. 3. profitetur ſic dicens: *Hæc ſacroſancta œcumenica & generalis Tridentina ſynodus in Spiritu Sancto legitimè congregata, &c.* Et infrà: *Symbolum Fidei, quo ſancta Romana Eccleſia utitur, tanquam principium illud, in quo omnes, qui Chriſti Fidem profitentur neceſſario conveniunt, ac fundamentum firmum* (NB.) *& unicum contra quod portæ inferi non prævalebunt, exprimendum eſſe cenſuit. quod quidem ejuſmodi eſt.* I.

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem factorem cœli & terræ, &c. uſque ad finem, hæc ibi, quod eſt ſymbolum Conſtantinopolitanum.

Deinde ſeſſ. 4. volens oſtendere, quam Eccleſia in fide & moribus habeat regulam & normam, & unde fidem ſuam probet, ſic profitetur: *Sacroſancta, &c. ſynodus, hoc ſibi perpetuò ante oculos proponens, ut ſublatis erroribus puritas* (NB.) *ipſa Evangelii in eccleſia conſervetur, quod promiſſum ante per prophetas in ſcripturis ſanctis Dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei Filius proprio ore primum promulgavit: Deinde per ſuos Apoſtolos tanquam fontem* (NB.) *omnis & ſalutaris veritatis, & morum diſciplinæ omni creaturæ prædicari juſſit: perſpiciensque hanc veritatem, & diſciplinam contineri in libris ſcriptis, & ſine ſcripto traditionibus, quæ ex ipſius* (NB.) *Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu Sancto dictante quaſi per manus traditæ ad nos uſque pervenerunt. Orthodoxorum Patrum exempla ſecuta omnes libros, tam veteris, quam novi teſtamenti,* II.

tum utriusque unus Deus ſit auctor, nec non traditiones ipſas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus à Chriſto vel à Spiritu Sancto dictatas, & continua ſucceſsione in Eccleſia catholica conſervatas pari pietatis affectu ſuſcipit & veneratur, &c. hæc concil. Vt autem magis conſtaret, quâ in articulis fidei & morum probandis Eccleſia utatur normâ & regulâ, ibidem ſic ſubjungit: *Omnes itaque intelligant, quo ordine & via ipſa ſynodus poſt jactum fidei fundamentum ſit progreſſura, & quibus potiſsimùm teſtimoniis ac præſidiis in confirmandis dogmatibus & inſtaurandis in Eccleſia moribus ſit uſura, &c.* hæc concil.

III. Ex his clariſſimè patet, quòd Eccleſia catholica nullum aliud fidei fundamentum, normam & regulam agnoſcat, quàm purum Dei Euangelium & verbum quod ab ipſo Chriſto prædicatum, & partim libris conſcriptum, partim ex ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptum, vel ab ipſis S. Spiritu inſpirante ad nos per Eccleſiam, quaſi per manus traditum, pervenit.

Patet 2. quòd Eccleſia nullam aliam doctrinam ut verbum Dei purum agnoſcat, quam illam, quæ ab Apoſtolis vel conſcripta, vel ab ipſis ex ore Chriſti aut à Spiritu Sancto dictata, ad nos pervenit, idque tam perfectè, ut omnes omnino S. Scripturæ libros & eorum omnes partes reverenter ſuſcipiat. At verò Acatholici more antiquorum hæreticorum diverſos S. Scripturæ libros repudiant.

Patet 3. quòd craſſa nimis, & non minùs impudens, quàm acatholicorum falſiſſima calumnia ſit, dum eccleſiæ imponunt, quod relictâ ſacrâ ſcripturâ & puro Dei verbo ad humanas traditiones & doctrinas declinaverit, vel quod talibus ut fidei fulcris nitatur: quin potius veriſſimè de ipſis dicendum ſit, quod relicto verbo Dei puro, etiam ipsâ ſacrâ ſcripturâ humanis & privatis opinionibus nitantur, eò quod nullum fidei articulum, in quo ab Eccleſia diſſident, in ſacra ſcriptura legant, ſed ad ſummum per ſuas ſubalternatas declarationes & falſas conſequentias, quas nullatenus in S. Scriptura legunt, fidem ſuam ſtabilitam velint. IV.

CAPVT II.

De Verbo Dei tradito.

ARTICVLVS I.

Quòd detur verbum Dei non ſcriptum, ſed traditum ſeu traditiones divinæ & apoſtolicæ

I. PRo clariore notitia hujus materiæ ſciendum 1. quòd varia ſit uſurpatio in ſacra ſcriptura & Eccleſia hujus vocis *traditio*. Nam ſubinde uſurpatur pro omnibus, quæ Deus revelavit pro eccleſiæ bono & ſalute, & ſic comprehendit omne Dei verbum, tam in ſacra ſcriptura expreſſum, quàm oretenus tantùm à Chriſto & Apoſtolis prædicatum, in quo ſenſu loquitur Apoſtolus 2. Theſſal. 2. v. 14. dicens: *Tenete traditiones quas didiciſtis ſive per ſermonem ſive per epiſtolam noſtram.*

Aliquando uſurpatur pro ſolo verbo Dei oretenus tantùm prædicato, prout loquitur Apoſtolus 1. Cor. 11. v. 23. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Vbi patet, quòd nondum illud ſcripſerat Corinthiis. Verum uſus SS. Patrum in eccleſia obtinuit, ut illud Dei verbum diceretur traditum vel traditio, quod à Chriſto & ab Apoſtolis prædicatum quidem fuit, ſed nec ab illis vel ab aliquo canonico ſcriptore conſcriptum, licet poſtea ab aliis Patribus in ſcriptum redactum fuerit, & hoc ſenſu utimur hâc voce *traditionis* in hac materia.

II. Sciendum 2. quòd traditiones in eccleſia duplices habeantur: aliquæ ſunt & dicuntur divinæ & apoſtolicæ, utpote, quæ ab ipſo Chriſto vel Apoſtolis traditæ ſunt. Aliæ ſunt *eccleſiaſticæ*, quæ poſt tempora Apoſtolorum ab eccleſia vel SS. Patribus & Pontificibus ordinata fuerunt, hæ autem licèt bonæ & piæ ſint, non tamen habentur divinæ, nec ab eccleſia ut Dei verbum proponuntur vel agnoſcuntur, ut patet ex verbis Concilii Trident. ſupra: ubi ſolæ traditiones ex ore Chriſti ab apoſtolis acceptæ vel Spiritu Sancto dictatæ pro vero Dei verbo agnoſcuntur.

Sciendum 3. quòd, ſicut verbum Dei in ſacra ſcriptura expreſſum penes materiam diſtinguitur, ut aliqua dicantur ad fidem pertinere, aliqua ad mores; Non quidem quaſi illa, quæ ad mores ſpectant, non eſſent de fide credenda, ſed quia aliqua tantùm ſunt credenda, ut v.g. *quod Chriſtus pro nobis natus, &c.* Aliqua verò ſunt credenda, quia à Deo revelata & data, & inſuper in actione uſurpanda, qualia ſunt *præcepta Dei, &c.* ſic etiam *verbum Dei traditum* ſeu *omnes traditiones divinæ & apoſtolicæ* ſunt verum Dei verbum & de fide credendæ, tamen *aliquæ ſunt*, quæ tantum ſunt credendæ; utpote, quod euangelium Joannis ſit verè à S. Joanne conſcriptum & à Deo revelatum, &c. & hæ dicuntur traditiones ad fidem ſpectantes.

Aliæ ſunt, quæ à Chriſto & ab apoſtolis eccleſiæ traditæ ſunt ad exercendum, ut illa, quæ ad Sacramentorum miniſterium pertinent, & alia plura, de quibus infrà ex SS. Patribus conſtabit, & hæ traditiones dicuntur ad mores ſpectare.

Demum, ſicut inter ea, quæ in ſcriptura traduntur ad mores ſpectantia, aliqua ſub præcepto neceſſariò ad ſalutem præſcribuntur, ut præcepta decalogi, *&c.* alia ſub conſilio, ut conſilia euangelica: alia ordinantur quidem, ſed non de neceſſitate ſalutis, ut id quod Apoſtolus 1. Cor. 11. v. 4. præcipit, ne vir oret vel *prophetet velato capite in eccleſia, Mulier autem velato capite oret, &c.* ſic etiã inter traditiones apoſtolicas aliquæ ſunt ſub præcepto neceſſariæ, aliæ non, ut infrà patebit. III.

Dico igitur 1. *Certum eſt, quod verbum Dei non neceſſario ſcriptum eſſe debeat, ut credatur.* Hoc evidens eſt, quia veritas verbi Dei credenda non dependet à ſcriptura, ſed à revelatione Dei ſufficienter hominibus propoſita, qualicunque modo. Hoc etiam patet ex veteri & novo teſtamento, quia à tempore Adam uſque ad Moyſen non fuit verbum Dei ſcriptum, ſed à Patribus IV.

bus traditum poſteris, *&c.* Et tempore legis Moyſis verbum Dei communiter oretenus fidelibus propoſitum, ut patet ex illo pſ. 77. v. 3. *Quanta audivimus & cognovimus ea, & patres noſtri annuntiaverunt nobis.* Et v. 6. *Quanta mandavit Patribus noſtris nota facere ea filiis ſuis, &c.* inter quæ multa fuerunt etiam non ſcripta in libris Moyſis,
IV. ut ſatis ex verbis pſalmi colligitur. 2. conſtat ex eo, quòd Chriſtus dominus verbũ Dei prædicarit; & nihil in ſcriptis tradiderit diſcipulis, Apoſtoli etiam multo tempore oretenus abſque ſcripto Euangelium prædicarunt ab omnibus fidelibus credendum.

V. *Dico 2. Certum eſt, quod non omne Dei verbum ad fidem & mores ſpectans à Chriſto & apoſtolis factum & prædicatum in ſacra ſcriptura expreſſum ſit vel contineatur.* Hæc conſtant ex illo Joann. 16. v. 12. *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò &c.* hæc Chriſtus in ultima cæna dixit, ac dubio procul poſt reſurrectionem illis ea aperuit, cùm dicitur act. 1. v. 3. de Chriſto: *Per dies quadraginta apparens & loquens eis de regno Dei,* &c.

Quæ autem locutus ſit tot diebus, Euangeliſtæ non ſcripſerunt, prout ipſe S. Joannes cap. ult. verſu ult. fatetur dicens: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.*

Hæc adeò certa & clara ſunt, ut & ipſi Acatholici iſta fateri debeant, inter alios Joannes Brentius in prolegom. cap. de traditionibus dicens: *Negari non debet nec poteſt, quin tam Chriſtus multa dixerit & fecerit, quam Apoſtoli multa tradiderint & inſtituerint, quæ non ſunt ab ipſis comprehenſa literis, &c.* hæc ille.

VI. Reſtat igitur quæſtio, an aliquod Dei verbum ad fidem & mores neceſſarium adhuc in Eccleſia extet, quod in S. ſcriptura expreſsè non contineatur? Hoc enim Acatholici mordicus negant dicentes: quòd Apoſtoli quidem aliquas ceremonias Eccleſiæ tradiderint ſine ſcripto, ſed illæ vel perierint, vel, ſi extent, non ſint ad fidem & mores neceſſariæ ſed liberæ: & ſub hac diſtinctione ſibi imaginantur, quòd omnibus S. ſcripturæ locis & SS. Patrum teſtimoniis ſatisfaciant. Sed hoc quam falſum ſit, patebit. Sic calvin. lib. 4. Inſtit. Cap. 10. §. 20. traditiones quas D. Auguſtinus ab Apoſtolis traditas dixerat, prius quidem rejicit; deinde ſic ait: *Poſtremo ut etiam demus illa, quæ commemorat S. Auguſtinus, ab ætate apoſtolorum fluxiſſe; multum tamen intereſt, inſtituatne aliquod pietatis exercitium, quo liberâ conſcientia utantur fideles, ſi autem non erit utilis ejus uſus, abſtineant: an legem feras, quæ conſcientias ſervitute illaqueat? &c.* hæc ille.

VII. Vbi adverte ſuperbum Apoſtolorum cenſorem, qui fatetur Apoſtolos aliqua ad pietatis exercitium inſtituiſſe; vult tamen illa eſſe in fidelium voluntate, ut judicent an utilia ſint, nec ne, quæ tamen ad pietatis exercitium eſſe fatetur, ac proinde negat Apoſtolos ſub ſpecie ſervitutis fideles obligare potuiſſe, vel præcipere; cùm Apoſtolus dicat 1. Cor. 11. v. 2. *Laudo vos fratres, quod per omnia mei memores eſtis: & ſicut tradidi vobis præcepta mea tenetis.* &c.

Quòd autem Apoſtoli non tantùm aliquas ad mores ſpectantes cæremoniales traditiones ſine ſcripto reliquerint, ſed plura ad fidem & mores neceſſaria Eccleſiæ tradiderint, &, quæ illa ſint, & unde dignoſcantur, ex SS. Patribus oſtendetur.

ARTICVLVS II.

Quòd hoc tempore extet verbum Dei non ſcriptum ſeu traditiones divinæ ad fidem & mores neceſſariæ.

Sciendum imprimis, quòd duplex poſſit conſiderari neceſſitas circa aliquem fidei articulum, 1ª eſt, ut quilibet fidelis de neceſſitate ſalutis teneatur credere vel ſervare aliquem fidei articulum, ita ut in particulari illum ſciat & credat: hoc modo pauci ſunt fidei articuli neceſſarii cuilibet fideli, utpote illi, qui in ſymbolo fidei & decalogo exprimuntur, *&c.* Nec enim neceſſe eſt, ut quilibet omnia ſcripturæ loca ſciat in particulari, & ſic credat. 2ª neceſſitas eſt, quod licèt quilibet fidelis non obligetur in particulari ſcire omnia, quæ de fide certa ſunt, qualia juxta omnium ſententiam ſunt omnia prorſus quæ in ſacra ſcriptura ſcripta ſunt: Neceſſarium tamen eſt, ut quilibet fidelis in generali credat & profiteatur, ſe omnia credere, quæ in S. Scriptura à Deo revelata referuntur, ita ut ſub neceſſitate ſalutis omnia & ſingula, ſi ipſi ſufficienter proponantur, quod in S. Scriptura relata ſint, teneatur credere eſſe vera, nec illa pertinaciter negare hoc præmiſſo I.

Dico 1. Omne verbum Dei traditum ſeu omnes traditiones divinæ non ſcriptæ ſive ad fidem ſive ad mores ſpectantes ſunt neceſſariæ ad ſalutem cuilibet fideli credendæ, ita ut illas, ſi ſufficienter ipſi proponantur eſſe à Deo revelatas, pertinaciter eas negare non poſſit, ſed credere. Hoc ipſi Acatholici credere debent, quia nullus poteſt id, quod à Deo revelatum eſt, pertinaciter negare, cùm ſit veritas infallibilis, alioquin Deum falſitatis argueret. Si ergo tale Dei verbum ſit, ſic credendum eſt. II.

Dico 2. Sunt aliquæ traditiones divinæ non ſcriptæ, quas quilibet Fidelis non tenetur in particulari ſcire, vel etiam obſervare de præcepto; tamen omnes de neceſſitate ſalutis credere, ſi ipſi ſufficienter proponantur, quod à Deo revelatæ, & ab apoſtolis traditæ ſint. Quòd tales traditiones dentur patebit ex ſequentibus. III.

Dico 3. Sunt traditiones, quas Fideles tenentur credere & obſervare de neceſſitate ſalutis, tam quoad Fidem, quàm quoad ritus vel mores ſpectantes. Hoc in ſequentibus articulis probabitur.

ARTICVLVS III.

Neceſſitas verbi Dei non ſcripti ſeu traditionum probatur ex iis, quæ ad S. Scripturam in generali ſpectant.

Probatur itaque veritas catholica ex notitia & fide neceſſaria, quàm quilibet habere debet circa S. Scripturam, quòd verè divina ſit, & à Deo revelata; nam, I. licèt poſſit aliquis infidelis informari per concionatorem de rebus fidei, & verè omnia credere, quæ ad fidem neceſſaria ſunt, abſque eo quod ſciat articulos fidei eſſe ſcriptos, vel aliquam ſcripturam divinam extare, ut patet tempore Apoſtolorum, quando per ipſorum prædicationem infideles ad fidem converſi ſunt, dum nondum extabat ſcriptura novi

Digitized by Google

Teſtamenti, nihilominus tamen, poſtquam S. ſcriptura extat, de ea credendum eſt, quòd verè ſit divina, quod Acatholici neceſſariò credere debent, cùm totum fidei ſuæ fundamentum aſſerant eſſe S. Scripturam ſeu Dei verbum ſcriptum: Sed hæc non habentur ex ipſa ſacra ſcriptura, quia, licet ſubinde dicatur in ea hoc vel illud à Deo dictum & revelatum, id tamen non per ſe ſufficit, quia etiam Judæi in ſuo Thalmud & Mahometani in ſuo Alcorano habent, quod à Deo ſint revelata, quæ tamen falſa ſunt, adeòq; aliunde certitudo de divinitate SS. ſcripturarum, quod verè à Deo revelatæ ſint, haberi debet, hoc autem aliunde non habetur, quàm ex verbo Dei non ſcripto ſeu tradito; hoc ſcilicet, quod Apoſtoli oretenus teſtati ſunt ſe talia dictante Spiritu Sancto ſcripſiſſe, quæ in S. Scriptura exprimuntur, & hoc Apoſtolorum teſtimonium eccleſiæ traditum & in Eccleſia conſervatum certos nos reddit, quod S. Scriptura verè ab A-

II. poſtolis Spiritu S. dictante ſit ſcripta.

Probatur 2. Neceſſarium ad fidem non ſolùm eſt, quòd conſtet Apoſtolos ſcripſiſſe aliquos libros dictante S. Spiritu, ſed etiam, quòd illi libri, qui modò in ſacra ſcriptura habentur, ſint illi ipſi, quos Apoſtoli ſcripſerunt, atqui hoc non conſtat ex ipſa S. Scriptura, quia licet tituli Apoſtolorum & Euangeliſtarum illis apponantur, id tamen non ſufficit.

1. Quia etiamnum extant Euangelia ſub titulo Thomæ & Bartholomæi Apoſtolorum, & tamen non ſunt verè ab ipſis conſcripta, nec vera Euangelia.

Similiter extat epiſtola ſub titulo S. Pauli ad Laodicenſes, nec tamen eſt vera Apoſtoli Pauli. Sed unde hæc diſcernentur ab aliis Pauli epiſtolis veris, præſertim, quia apoſtolus in epiſtola ad Coloſſenſes mentionem facit epiſtolæ à ſe ad Laodicenſes ſcriptæ cap. 4. v. 16. dicens: *Cùm lecta fuerit apud vos epiſtola hæc, facite ut & in Laodicenſium eccleſia legatur, & eam, quæ Laodicenſium eſt, vos legatis, &c.* hæc cum SS. Patribus Eccleſia cognoſcit ex verbo apoſtolorum tradito, unde hæc acatholici probabunt?

3. Neceſſarium eſt ad fidem, ut credatur, quòd ſint tantùm quatuor euangelia, & certæ numero veræ Apoſtolorum epiſtolæ, qui numerus in S.

III. ſcriptura non exprimitur.

4. Similiter certò creditur, quòd totum Dei verbum ſcriptum contineatur in libris, qui jam in Bibliis extant, quod tamen in ipſa ſacra ſcriptura nullibi aſſeritur, idque Acatholici maximè credere debent, & idcirco Genuenſes inter articulos ſuæ fidei ſecundum & tertium habent, quod credant *verbum Dei ſcriptum eſſe in illis libris, quos Biblia ſeu ſacram ſcripturam nominamus, & quod tota ſacra ſcriptura in illis libris contineatur, quos ibidem enumerant*: ubi tamē plura falſa credunt, quæ in ſacra ſcriptura non traduntur, utpote quod totum verbum Dei ſcriptum ſit in illis libris, proinde nullum ſit aliud Dei verbum, quod non contineatur in illis, adeoque excludunt Dei verbum non ſcriptum. 2. quod excludant ibi certos libros, quos tamen ſacra ſcriptura nunquam excluſit in libris ab ipſis agnitis, adeoque ſacram ſcripturam ſine ſacra ſcriptura contra ſuæ fidei fundamenta credunt.

5. Neceſſarium eſt ad fidem non ſolùm credere, quòd euangelia & epiſtolæ ab Apoſtolis divinitus ſint conſcriptæ, ſed etiam, quòd hæc euangelia & epiſtolæ, quæ modò extant, ſint iſtæ incorruptæ, & in nullo mutatæ vel vitiatæ, quod nullo modo ex ipſa ſacra ſcriptura haberi poteſt, ut patet. Hoc eccleſia habet per verbum Apoſtolorum traditum, ex quo eccleſia cognoſcit genuinam S. Scripturam.

His plures Acatholici convicti fatentur, illam eſſe veram traditionem Apoſtolicam, inter quos Brentius ſuprà in prolegomenis. Molinæus in Novit. Papiſt. lib. 1. c. 51.

Etſi autem Calvinus lib. 1. inſt. c. 7. §. 2. dicat: *Quod autem urgeant, unde perſuadebimur à Deo fluxiſſe* (ſacram ſcripturam) *perinde eſt, ac ſi quis roget, unde diſcamus lucem diſcernere à tenebris, album à nigro, dulce ab amaro*, &c. IV.

Sed, quàm hoc falſum & vanum ſit, patet ex tot circa ſacram ſcripturam exortis hæreſibus, & etiam diſſidiis inter acatholicos prætenſos reformatos ac Lutheranos, dum hi aliquos ſacræ ſcripturæ libros reprobant, quos illi recipiunt, maximè verò quoad diverſos ſacræ ſcripturæ libros, quos ſancti Patres verè canonicos agnoverunt, Acatholici reprobant, ut infrà agendo de libris ſacræ ſcripturæ conſtabit. Quis autem hominum dubitaret de veris ſacræ ſcripturæ libris, ſi ita à falſis differrent, ſicut lux à tenebris, vel dulce ab amaro. Et ſic à quovis intellectu, ſicut hæc à ſenſu exteriore, perciperentur?

Idem tamen Calvin. c. 8. §. 9. ſic ſcribit: V.
Quærunt enim, quis nos certiores faciat à Moyſe & prophetis hæc fuiſſe ſcripta, quæ ſub eorum nominibus leguntur, &c. & infrà: *Verum, ut de omnibus ſimul loquar, certo certius eſt, ipſorum ſcripta non aliter perveniſſe ad poſteros, quàm de manu ad manum, ut ita loquar, perpetua annorum ſerie à Patribus tradita*, &c. hæc ille. Quod ſi ita eſt, non ergo ut dulce ab amaro ſacra ſcriptura à non ſacra dignoſcitur, ſed ex certitudine verbi Dei oretenus ab Apoſtolis quaſi per manus traditi, & continuâ ſucceſſione ab eccleſia conſervati, prout concil. Trid. ſupra profitetur, alioquin certò certius certitudine fidei ſacram ſcripturam ad nos perveniſſe non conſtaret. Ex quo etiam patet eccleſiam catholicam non docere, quod ipſa Eccleſia vel alii Patres ut homines ſancti dent ſacræ ſcripturæ veritatē vel auctoritatem, ut Acatholici falsò calumniantur; ſed omne verbum Dei tam in S. ſcriptura expreſſum, quàm oretenus ab Apoſtolis prædicatum & traditum, ex ſe & divina revelatione veritatem & auctoritatem habeat; Et quidem verbum oretenus prædicatum per eccleſiam veracem conſervatum de ſacra ſcriptura teſtatur, quod verè ab Apoſtolis ſcripta ſit, & incorrupta ad nos pervenerit, quod bene notandum eſt.

VI. Demum ad fidem veram non ſolùm neceſſariò requiritur, quòd ea, quæ in ſacra ſcriptura extant, verè ab Apoſtolis ſint ſcripta, & etiam immutata vel non depravata ad nos pervenerint, ſed etiam vel maximè, ut verus ſenſus, quem Spiritus Sanctus per verba intendit, agnoſcatur: cùm ſæpe verba diverſis non ſolùm, ſed etiam contrariis ſenſibus explicentur apparenter. Nec verò ſacra ſcriptura verum ſenſum à falſo ſenſu diſcretum proponit, nuſquam enim dicitur in ſacra ſcriptura, hic vel ille ſenſus à Spiritu Sancto intenditur, & non ille vel iſte, ut clarum eſt, & ab experientia conſtat, quod plurimæ hæreſes ſa-

Digitized by Google

cræ ſcripturæ verba ad literam admiſerint, ſed illa in falſo & contrario ſenſu intellexerint, ac urſerint, imò eccleſiam per verba S. Scripturæ falſo intellecta oppugnarint. Verum igitur ſacræ ſcripturæ ſenſum eccleſia habet ex verbo Dei oretenus ab Apoſtolis prædicato, & eccleſiæ tradito, & in eadem conſervato, prout ſancti Patres ſemper profeſſi ſunt; alioquin unde Acatholici illum ſenſum demonſtrabunt? ut infrà patebit.

ARTICVLVS IV.

Neceſſitas verbi non ſcripti ſeu traditionum probatur ex certis ſive ſpecialibus fidei articulis in particulari ad fidem neceſſariis, etiam juxta doctrinam Acatholicorum.

I. Sicut generaliter quoad ſacram ſcripturam & ejus ſenſum neceſſitas verbi Dei traditi ex confeſſione Acatholicorum probata eſt, ita jam ex certis & ſpecialibus articulis fidei, quos Acatholici cum Eccleſia catholica, contra antiquas hæreſes, profitentur, oſtenditur.

1. de fide neceſſariò credendum eſt, *quod ſit ſanctiſſima Trinitas, unus Deus, Pater & Filius & Spiritus Sanctus, tres perſonæ diſtinctæ & unius ſubſtantiæ;*
V. ita ut Filius Patri ſit conſubſtantialis, ſeu unius ejuſdem indiviſæ ſubſtantiæ, prout in ſymb. Fidei S. Athan. de his exprimitur, & pronunciatur, *quod niſi quis fidem illam integram ſervaverit, absque dubio in æternum peribit.* Et hos fidei articulos Acatholici cum eccleſia agnoſcunt, prout Genuenſes in fidei ſuæ confeſſione art. 6. profitentur dicentes, *quod in hoc antiquorum conciliorum concluſionibus conſentiant, & anathematizent ſectas ac hæreſes à S. Athanaſio, Hilario, &c. condemnatas ac rejectas.*

II. Hi autem articuli ab Arianis negabantur ex eo, quòd dicerent illos in ſacra ſcriptura non contineri, ſe autem nihil præter ſcripturam admittere; unde clamabant: ut Catholici vocem *Homouſion* ſeu conſubſtantialis in ſacra ſcriptura oſtenderent: Econtra ſancti Patres illam veritatem ex verbis ſacræ ſcripturæ deduci quidem quoad ſenſum probabant, firmius tamen & evidentius id ex verbo Dei ab Apoſtolis tradito, & à Patribus accepto demonſtrabant: quod Patres in Concilio Nicæno feciſſe, teſtantur Hiſtorici; inter quos Theodoretus lib. 1. Eccleſ. hiſt. c. 8. edit. Colon. 1573. Ariani autem verbis ſacræ ſcripturæ inhærentes apparenter ſuam hæreſin probabant, & verba à ſanctis patribus ex ſcri-
VI. ptura allata, ex aliis S. Scripturæ verbis apparenter explicabant, & repudiabant, quid contra hos dicent Acatholici, qui à ſanctis Patribus quoad verbum Dei traditum diſſentiunt?

III. 2. Neceſſariò credendum eſt, *quod in Chriſto ſint duæ naturæ, ſcilicet divina & humana & unica perſona,* prout Acatholici cum Eccleſia moderna & antiqua profitentur contra Neſtorianos & Eutychianos; quod licèt ex ſacra ſcriptura deduci poſſit, tamen expreſſè & evidenter non exprimitur, ut pertinacem convincant, ideoque ſancti Patres pro hac fide verbum ab Apoſtolis traditum allegarunt.

3. De fide certum eſt, & neceſſariò credendum, *quod Spiritus Sanctus non ſolùm à Patre, ſed etiam à Filio procedat,* quod Græci negant, & Acatholici cum Eccleſia Catholica credunt; de quo olim plurimæ quæſtiones fuerunt, quia ex S. Scriptura non ita evidenter probari poterat, adeòque ex verbo tradito per ſanctos Patres accepto probatum eſt, unde Græci ſubinde convicti Eccleſiæ catholicæ adhæſerunt.

4. *Symbolum Apoſtolorum de Fide neceſſariò credendum & tenendum eſt,* prout ſancti Patres agnoverunt, aſſerentes illud ab Apoſtolis oretenus editum, & eccleſiæ traditum eſſe, ut patet ex S. *Irenæo* lib. 3. cap. 4. edit. Colon. 1596. *Hieron.* epiſt. ad Pamachium, quæ incipit: Si juxta Paulum Apoſt. edit. Baſil. 1553. *Auguſt.* lib. de fide & operibus cap. 4. edit. Baſil. 1528.

Etſi authem Acatholici circa hoc ſymbolum ſubinde variârint, ut aliquando articulum de deſcenſu ad inferos omiſerint, imò in confeſſione Belgica, (cui ſynodus Dordraci anno 1578. omnes Hollandiæ Miniſtros ſubſcribere præcipit,) illum ex ſymbolo expungendum judicârint, allegantes rationem, quòd in ſacra ſcriptura non extet: nihilominus moderni Acatholici integrum ſymbolum uſurpant verbotenus, licet in ſenſu à veritate diſcedant. Et ipſe Calvin. lib. 2. inſtit. cap. 16. §. 18. de ſymbolo hoc licet dubitet an ab Apoſtolis factum, fatetur tamen dicens: *Neque vero mihi dubium eſt, quin à prima ſtatim Origine eccleſiæ, adeoque ab ipſo Apoſtolorum ſeculo inſtar publicæ omnium calculis receptæ confeſſionis obtinuerunt, &c.* hæc ille. Vnde autem ipſi dubium non eſt, niſi ex traditione Eccleſiæ & ſanctorum Patrum, qui ab ipſis Apoſtolis traditum aſſerunt. IV.

5. Certâ fide credendum eſt, *quod B. Maria verè ſit Deipara contra Neſtorianos, & non ſolùm ante partum, ſed in partu & poſt partum virgo immaculata permanſerit,* quòd olim *Helvidius & Iovinianus* negantes hæreſeos damnati fuerunt, ut conſtat ex *Hieron.* lib. 1. & 2. contra Jovinianum. *Auguſtino* lib. de hæreſibus hæreſi 82. & 84. edit. Baſil. 1528. *&c.* Hoc autem clarè ex ſacra ſcriptura probari non poteſt, præſertim, cùm dicatur Chriſtus primogenitus Mariæ & non unigenitus: Et Chriſtus etiam dicatur habuiſſe fratres Matth. 12. v. 46. Marci 3. v. 11. Luc. 8. v. 19. 1. Cor. 9. v. 5. V.

Et Acatholici in annotationibus, quæ extant in bibliis Lamuris Gallicè impreſſis per Thonium Portau anno 1615. & à Miniſtris Genevenſibus reviſis, ad verba, quæ Matth. 1. v. 25. habentur. *Et non cognoſcebat eam* (ſcilicet Joſeph Mariam) *donec peperit Filium ſuum primogenitum, &c.* annotant dicendo: *Hoc eſt dictum excluſivè pro præterito & non ut ibi comprehendatur, quid poſtea factum fuerit:* adeòque fatentur id, quod poſtea factum vel non factum ſit in S. Scriptura non exprimi, an ſcilicet Joſeph Mariam poſtea cognoverit, vel non cognoverit, & tamen ipſi Mariam ſemper Virginem permanſiſſe cum Eccleſia catholica credunt, Eccleſia autem & SS. Patres ex verbo tradito habent. VI.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS V.

Eadem neceſsitas probatur ex articulis fidei quoad mores ſeu ritus, quos Acatholici cum Eccleſia catholica credunt.

PRimò credendum eſt, & ſervandum,
I. quòd *Dies dominica feſtive celebranda ſit, & non Sabbathum cum Iudæis*, cum tamen in præceptis Decalogi dicatur: *Memento ut diem Sabbathi ſanctifices*; Nullum autem præceptum de die dominico in ſacra ſcriptura extat, cum ſemel tantum diei dominicæ obiter mentio fiat Apocalypſ. 1. v. 10. ubi dicit S. Joannes: *Fui in ſpiritu in dominica die, &c.* ſed ibi non indicatur quòd illa dies loco ſabbathi ſit celebranda; Hoc Eccleſia credit, & ſervat ex verbo Dei ab Apoſtolis tradito. Vnde id Acatholici contra præceptum Decalogi.

2. Eccleſia credit, & celebrat feſtivè *anniverſaria nativitatis, reſurrectionis & aſcenſionis Domini*, de quibus nullū in ſacra ſcriptura extat præceptum vel exemplum, ſed id ex Apoſtolica traditione habetur, ut SS. Patres teſtantur. Vnde autem Acatholici habent, quòd hæc celebrent? fortè ideo protector in Anglia nuper iſta abrogavit.

II. 3. Neceſſariò de fide credendum eſt, quòd Chriſtiani feſtum Paſchæ non decimâ quartâ die ſeu lunâ primi menſis ſeu Martii, ut in Exodo cap. 12. v. 18. præſcribitur, cum Judæis celebrent, ſed ſemper die dominicâ poſt dictam lunam: unde cum aliqui ſtatim poſt tempora Apoſtolorum pertinaciter urgerent, paſcha decimâ quartâ lunâ eſſe celebrandum, à diſcipulis Apoſtolorum, ut Polycarpo & aliis, & poſtea à concilio Nicæno primo ſchiſmatis & hæreſeos damnati, *Quartadecimani* vocabantur, & ſic deinceps hæretici habiti ſunt, ut patet apud Epiphan. hæreſi 50. edit. Baſil. 1560. *Auguſt* hæreſi 29. edit. Baſil. 1528. *Theodoret.* lib. 3. de fabulis hæret. edit. Colon. 1573. *&c.* Hoc ex ſacra ſcriptura non habetur ſed ex apoſtolica traditione: unde ergo Acatholici id credunt & ſervant?

4. Credendum eſt neceſſariò, quod *parvuli ſint baptizandi, vel ſaltem, quod baptiſmus illorum ſit licitus & validus*, prout Acatholici cum Eccleſia credunt, & ſervant contra antiquos hæreticos, Pelagianos & modernos anabaptiſtas, nec tamen de hoc extat præceptum aut mandatum in S. Scriptura; præſertim cùm Chriſtus dixerit Matt. ult. v. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Ideoque oſtendant cur baptizentur infantes doctrinæ incapaces?

III. Quòd autem Lutherani cum Luthero in c. 3. ad Galat. dicant, Infantes in baptiſmo actualiter credere, alioquin baptiſmum non valere, experientiæ & SS. Patribus contrarium eſſe conſtat, nec in ullo S. Scripturæ loco aſſeritur, ac proinde juxta Lutherum talia docentes anathema ſunt. Catholica autem Eccleſia baptiſmum parvulorum ſine actuali fide credit ex verbo Dei tradito, prout ait Auguſt lib. 10 de Gen. ad lit. cap. 23. edit. Baſil. 1528. dicens: *Conſuetudo Matris Eccleſiæ in baptizandis parvulis nequaquam ſpernenda eſt, neque ullo modo ſuperflua deputanda, nec omnino credenda* (NB) *niſi Apoſtolica eſſet traditio* &c. ſed ubi in S. Scriptura illa traditio legitur?

5. Credendum & ſervandum eſt in collatione Baptiſmi, quòd verba hæc: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*, vel ſaltèm æquivalentia aut certa aliqua ſint pronuncianda, quod & Acatholici ſervant, nec tamen hoc evidenter ex S. Scriptura habetur, ſive ex verbis Chriſti Matt. ult. ſive ex verbis act. Apoſt. c. 19. v. 5. *ubi baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu*, quia poſſet dici aliquis baptizari in nomine SS. Trinitatis vel Chriſti, licet nullum verbum proferretur, ut patet ex illo ad Coloſſ. 3. v. 17. *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Ieſu Chriſti facite.* Quod fieri poteſt ſine prolatione verborum, *&c.* Eccleſia autem hoc habet ex Apoſtolica traditione; unde autem
Acatholici? IV.

6. Neceſſariò credendum eſt, *quod baptiſmus ab hæreticis rite collatus ſit validus, nec ullo modo reiterandus, dum ad Eccleſiam aliquis redit*: quod Acatholici cum Eccleſia credunt contra antiquos hæreticos, Donatiſtas & Novatianos, qui urgebant, ut Catholici de hoc ex S. Scriptura præceptum vel exemplum adducerent: quibus reſpondit Auguſt. lib. 5. de Bapt. cap. 23. edit. Baſil. 1528. dicens: *Apoſtoli nihil exinde præceperunt* (ſcilicet in ſcriptura) *ſed conſuetudo illa quæ opponebatur Cypriano ab eorum traditione* (ſcilicet Apoſtolorum verbo non ſcripto) *exordium ſumpſiſſe credenda eſt: ſicut ſunt multa* (NB) *quæ univerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab apoſtolo præcepta bene creduntur, quanquam ſcripta non recipiantur, &c.* ſic cum S. Auguſt. & ſanctis Patribus credit Eccleſia Catholica; ſed unde Acatholici hoc cre-
dunt? V.

7. Credendum eſt, *quod lotio pedum ante S. communionem non ſit neceſſaria, nec ullo modo inter Eccleſiæ Sacramenta reputanda.* Ita cum Eccleſia Catholica aſſerunt Acatholici. Sed unde hoc habent ex S. Scriptura; cùm potius præceptum extare videatur Joann. 13. v. 14. & videantur omnia ad Sacramentum requiſita adjungi: utpote *ſignum ſenſibile lotionis* præceptum in Eccleſia ſervandum: *Et omnes debetis alter alterius lavare pedes*; promiſſio cum comminatione v. 8. *Si non lavero te, non habebis partem mecum* ſicut de baptiſmo Joann. 3. v. 5. dicitur: *Niſi quis renatus fuerit, &c.* Et inſuper indicatur Myſterium v. 7. *Quod ego facio, neſcis modo, ſcies autem poſtea*, &c. Et in his Acatholici volunt rationem ſacramenti conſiſtere. Unde ergo lotionem inter ſacramenta non admittunt? Eccleſia habet ex declaratione & ordinatione Apoſtolorum tradita. Plures alii articuli de fide credendi ſive de fide ſive de moribus allegari poſſent, licet non omnes ſub præcepto quoad ceremonias ſervandas obligent, quorum aliqui ex verbis ſanctorum Patrum infra referendis patebunt, præſertim Juſtini, Origenis, Tertulliani, Cypriani, Baſilii, Hieronymi, Auguſtini, *&c.* ex prædictis copioſiſſimè demonſtratur.

1. Quòd plura ſint ad fidem & mores neceſſa- VI.
ria, quæ in ſcriptura expreſsè non leguntur nec continentur, quæ & ab Acatholicis cum Eccleſia creduntur, & credi debent: Nec tamen de fide eſſent, aut neceſſario credi deberent, niſi verbum Dei verum & purum eſſent, cui ſoli vera fides nititur; adeoque credendum eſt, quod præter S. Scripturam traditiones divinæ ſeu verbum Dei ab Apoſtolis oretenus ſine ſcripto

Digitized by Google

pro Ecclesiæ traditum, in Ecclesia conservatum ad fidem & mores necessarium existat.

2. Quòd traditiones apostolicæ, quæ adhuc extant in Ecclesia, non sint solùm aliquæ cæremoniæ liberæ, multò minùs inutiles & superstitiosæ, ut Acatholici calumniantur.

Quanquam autem ex præmissa plurium fidei articulorum tam in generali, quàm in particulari demonstratione, necessitas verbi Dei traditi constare possit, nihilominus eandem ex S. Scriptura & sanctis Patribus ulteriùs demonstrabimus.

ARTICULUS VI.

Veritas & necessitas traditionum ex ipsa S. Scriptura probatur.

IV. I. SVpponendum est certum, quòd, ut aliquid sit de fide divina credendum, non aliunde dependeat, quàm ex eo præcise, quod à Deo sit revelatum, adeoque singuli fidei articuli ex eo, quòd revelati sint, certissimam & indubitatam habeant veritatem necessariò credendam, ut Acatholici fateri debent.

Nihilominus in ordine ad homines unus articulus fidei aliquando ex alio probatur, vel quia unus est clarior, vel quia ab illis, qui uni contradicunt, alius admittitur tanquam à Deo revelatus. Sic evidens est, quòd verbum Christi ex se erat verè Dei verbū per se credendum, sed quia Judæi ipsi non credebant, Christus sæpe ex lege & prophetis testimonia pro suo verbo adduxit, sicut & Apostoli in prædicando Dei verbo fecerunt;

V. sic Christus contra Saducæos, qui prophetas non admittebant, ex lib. Moysis resurrectionē ostendit mortuorū Matth. 22. v. 31. Cùm alioquin de illa clarissima in Prophetis testimonia extarent. Cùm itaq; verbū Dei ab Apostolis oretenus traditum ejusdem sit auctoritatis, scilicet quia à Deo revelatum, sicut verbum ab illis in euangeliis & epistolis scriptum, cùm hoc sit chartæ & membranæ ab illis commissum, illud autem vivâ voce veraci Ecclesiæ traditum, quia tamen Acatholici aliud verbum Dei necessarium traditum extare nolunt credere, tale in Ecclesia dari necessariò credendum, ex verbo Dei scripto probabitur, tum ex ipsis scripturæ verbis, tum juxta SS. Patrum sententiam.

II. 1 Ex illo Joann. 16. v. 12 *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo, &c.* quæ utiq; Christus dixit ipsis post resurrectionem. Act. 1 v. 3. *Per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei.* At verò Christus passim in Euangelio per regnum Dei intelligit Ecclesiam suam, *&c.* unde patet quòd multa dixerit illis 40. diebus, quæ Ecclesiæ necessaria erant, & Apostoli in cæna Domini non poterant portare, benè autem postea cum Luc. 24 v. 45. dicatur: *Aperuit illis sensum ut intelligerent scripturas*, qui sensùs maximè necessarius est Ecclesiæ, nec tamen ab Euangelistis exprimitur; quod etiam tunc discipulis de Sa-

VI. cramentis & eorum administratione servanda locutus sit, quæ maximè ad ecclesiam seu regnum Dei spectant, satis per se evidens est, sed & SS. Patres idipsum testantur, ut infrà patebit, *&c.*

III. Secundus scripturæ locus pro traditionum necessitate est. 1. Cor. 11. v. 2. *Laudo vos, quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis præcepta mea tenetis, &c.* ubi ex textu patet, quòd Apostolus supponat se Corinthiis plura dedisse præcepta, quæ per omnia tenuerint, sed, quænam illa sint, non explicat, sed solum unum quod omiserat, addit: qualiter viri & mulieres aperto vel tecto capite orare in Ecclesia deberent, *&c.* Alia igitur oretenus ab Apostolo tradita & conscripta præcepta Ecclesia conservavit, sic etiam hunc locum intelligunt SS. Patres infrà allegandi.

Tertius locus ibidem 1. ad Cor. 11. in fine habetur, scilicet: *Cætera, cum venero disponam.* Patet ex textu illius capitis quòd Apostolus supponat se Corinthiis antehac multa quoad S. Eucharistiæ institutionem & usum oretenus tradidisse, eùm dicit: *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, &c.* Quia tamen Corinthii in usu S. cænæ excesserant, dum arguit illos dicens: *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est, &c.* & ideo indicat dignitatem *venerabilis Sacramenti*, scilicet, quod percipiatur corpus & sanguis Domini, ut idcirco mundè & dignè accedere satagant, ac præcipiendo dicit: *Probet autem seipsum homo, &c.* Et aliqua servanda subjungit, ac tandem concludit: *Cætera cum venero disponam.* Quod ergo postea plura disposuerit, dubium esse non potest, cum Spiritu Sancto dictante promiserit se illa dispositurum, sed quænam illa fuerint, in nulla epistola vel loco scripturæ sacræ legitur. Quod autem multa circa usum Sacramentorum indicarit & disposuerit, quæ in Ecclesia etiamnum servantur, sancti Patres infra citandi testantur. Sufficiat hîc Augustinus epist. 118. ubi ex hoc Apostoli verbo ostendit, ab Apostolis diversos ritus circa usum Ecclesiæ institutos, & specialiter, *ut jejuni illam fideles suscipiant*, &c. IV.

Quartus locus est 2. ad Thessal. 2. v. 14. *Itaque Fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Ex his verbis Apostoli duo constant; primùm quòd fideles eâdem fide teneantur credere ea, quæ Apostoli per sermonem docuerunt absque scripto, quam quæ per epistolam tradiderant. Et hæc Acatholici fateri debent. Constat secundò, quod Apostolus aliqua per sermonem illis tradiderat, quæ per epistolam non docuerat. Non enim potest ullo modo ex verbis Apostoli convinci, quod omnia quæ per sermonem illis tradiderat, tunc vel postea scripto reliquerit: ibi autem mandat, ut teneant traditiones, quas etiam sermone reliquit, multa autem per sermonem solum Ecclesiæ Apostolum Paulum & alios reliquisse testantur SS. Patres hunc locum sic intelligentes, ut infrà patebit. V.

Quintus locus est 1. ad Timoth. ult. v. 20. *O Timothee depositum custodi.* Et de hoc deposito clariùs loquitur 2. ad Timoth. 1. v. 13. dicens: *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in Fide & in dilectione in Christo Iesu. Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis.* Et iterum 2. ad Timoth. 2. v. 1. *Tu ergo fili mi confortare in gratia, quæ est in Christo Iesu, & quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere.* VI.

Ex his Apostoli verbis plura constant: 1. quòd depositum illud tam diligenter custodiendum fuerit certa doctrina fidei Ecclesiæ & fidelibus necessaria. VII.

2. Quòd illam doctrinam, non per scriptum, sed per sermonem Timotheus ab Apostolo audierat.

3. Quòd illum non moneat, ut scriptis commendet, sicut aliquas epistolas dictante Apostolo scripserat, sed ut oretenus illa fidelibus hominibus non quibuscunque, sed iis, *qui idonei essent & alios docere & instruere.* Si enim mandasset in scriptum redigi, non tam sollicitè monuisset, ut illud depositum custodiret, quod ipsi coràm multis testibus commiserat, quia in scripto facile custodiri potuisset, nec solum ab illis, qui idonei essent alios docere, sed à quibuscunque. Ex quibus SS. Patres tradunt, quod Apostolus Timotheo verum & genuinum verbi Dei sensum explicârit, & custodiendum ac aliis tradendum commiserit, qui verè pretiosum depositum est.

Demum 2. Joann. v. 12 & 3. epist. v. 13. Apostolus scribit hisce verbis: *Plura habens vobis scribere, nolui per chartam & atramentum: spero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui, &c.* ubi patet, quòd plura erant fidelibus necessaria, quæ Apostolus oretenus tradere volebat, ut in Ecclesia conservarentur; nec enim ex S. Scriptura ostendi potest, quòd Joannes omnia illa scripserit.

VIII. Ex his S. scripturæ locis manifestè constat, quòd plura fidei & morum dogmata à Christo & Apostolis tradita, utilia & necessaria Ecclesiæ relicta sint, quæ in S. scriptura expressè non continentur, nec ex illa in speciali evidenter deduci possunt. Econtra Acatholici nullum S. scripturæ locum allegare possunt, ubi expressè negetur, quòd talia dogmata Ecclesiæ relicta sint, sicut ipsi mordicus negant; ac eo ipso talem articulum de fide tenere non deberent, scilicet: *Non dari ulla dogmata Fidei necessaria, quæ in S. Scriptura expressè non contineantur.* Vel sic: *Sola scriptura sacra tradit dogmata omnia ad fidem & mores necessaria, &c.* Nullibi enim talem articulum in S. Scriptura legunt, nec evidenter ex ullo S. Scripturæ loco deducunt, ut infra ostendetur; ac proinde juxta illorum principium, quod nihil credi debeat, quod in S. Scriptura expressum non est, vel legitur; hoc ipsum credere vel docere non debent: Nec oppositum Ecclesiæ Catholicæ articulum, scilicet, *quod dentur dogmata fidei necessaria à Christo & Apostolis sine scripto tradita,* hæreseos condemnare possunt. Vt autem, quod hujus operis institutum est, etiam constet, quod Ecclesia Catholica moderna in hac doctrina prorsus eadem sit cum primitiva quatuor seculorum Ecclesia, SS Patrum testimonia adducemus.

ARTICVLVS VII.

Veritas verbi Dei ad fidem & mores necessarii non scripti probatur ex SS. Patribus quatuor primorum seculorum Græcis & Latinis.

I. S. *Ignatius Martyr*, Apostolorum discipulus in suis epistolis ad Ephesios, Magnesianos, Trallianos, Romanos, &c. quas ab ipso scriptas esse *S. Hieronymus* lib. de viris illustribus edit. Basil. 1553. testatur, & adhuc extant; multa commemorat de his, quæ suo tempore in Ecclesia in usu erant, *ut de jejunio quadragesimali, de die dominica, de ordinibus minoribus, nec tamen in S. Scriptura haberi exprimuntur:* sed utiq; ab Apostolis tradita usurpabantur, prout de eodem *B. Ignatio* testatur *Eusebius* lib. 3. Histor. cap. 32. edit. Basil. 1587. quòd fideles fuerit cohortatus, ut Apostolorum traditionibus tenaciùs inhærerent, quas (Ignatius) cautelæ gratia etiã scriptis reliquit. Vnde patet, quod ab Apostolis scriptæ non fuerint.

Dionysius Areopagita discipulus S. Pauli lib. Eccles. Hierarch. cap. 1. Biblioth. PP. edit. Colon. 1618. tom. 1. pag. 122. sic ait: *Quocirca primi illi Hierarchiæ nostræ duces & principes, cum & ipsi à diuina bonitate plenè cumulatéque sanctum hoc munus accepissent, & à diuina benignitate ejus apud posteros propagandi prorogandiq; causa missi essent, &c. humanis diuinas res, quæque materia carent, iis quæ ex materia constant, ac nostris eas, quæ essentia superiores sunt, partim scriptis, partim non scriptis suis institutionibus ex sacrosanctis legibus nobis tradiderunt,* hæc ille. Ex quo evidens est, quòd aliqua ad fidem pertinentia supersubstantialia sine scripto Apostoli Ecclesiæ tradiderint. II.

Ex 2. seculo *Iustinus martyr* in Apologia 2. edit. Hieron. Commel. 1593. plura enarrat tunc in Ecclesia usurpata, quæ in S. Scriptura non exprimuntur; utpote, quòd *singulis diebus dominicis Fideles conueniant, & post lectionem scripturæ offeratur, & consecretur panis, & vinum aqua misceatur, & quod nulli liceat participare de Eucharistia, nisi qui baptizatus fuerit, &c.* Illius Martyris verba prolixius infrà in objectione Anonymi contra S. Missæ sacrificium allata referentur. Et post hæc verba *Iustinus* subjungit dicens: *Postridie ejusdem* (scilicet Saturni) *qui solis dies est, Apostolis & discipulis apparuit* (Christus) *atque ea docuit, quæ etiam apud vos, ut inspiceretis, retulimus.* Ecce traditiones Apostolorum ex ore Christi sine sacra scriptura testante Justino, quem Anonymi tantæ auctoritatis esse fatentur, ut aliis sit præferendus, &c. III.

Irenæus ejusdem *Iustini Martyris* discipulus lib. 3. cap. 2. edit. Colon. 1596. agens contra hæreticos sic ait: *Cum ex scripturis re arguuntur, in accusationem conuertuntur ipsarum scripturarum, quasi non rectè habeant, neque sint ex authoritate, & quia variè sint dicta. & quia non possit ex his inueniri veritas ab his, qui nesciunt traditiones, &c.* hæc quidem moderni Acatholici contra Ecclesiam Catholicam adducunt. IV.

Verum ibi *Irenæus* loquitur de traditionibus, quas hæretici novas à suis habebant, ut statim patebit. Et hoc etiam quadrat in Acatholicos, qui dum ex sacra scriptura redarguuntur, accusant S. Scripturam, quasi non sit ex auctoritate; sic rejiciunt argumenta ex libris Machabæorum, &c. velubi clarè scriptura loquitur, ut: *Hoc est corpus meum,* ibi dicunt scripturam variè loqui, &c. Et tandem convertuntur ad Spiritum privatum, qui scripturæ sensum apprehendat. Sed, quòd *Irenæus* veras apostolicas traditiones non reprehenderit, sed maximi fecerit, patet ex verbis, quæ subjicit dicens: *Cùm autem ad eam iterum traditionem, quæ est* (NB) *ab Apostolis, quæ per successiones Presbyterorum in Ecclesiis custoditur, prouocamus eos* (hæreticos) *aduersantur traditioni dicentes se non solùm Presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores sinceram inuenisse veritatem* &c. Et infrà: *Euenit itaque neque scripturis jam* (NB) *neque traditioni consentire eos, aduersus tales certamen nobis est, more serpentum lubrici undique effugere conantes, &c.* hæc ibi.

Idem

Digitized by Google

V. Idem capite quarto sic ait: *Tantæ igitur ostensionis cum sint hæc, non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia* (NB) *sumere; cum Apostoli quasi in depositorium dives* (vide, quòd respiciat ad verba Pauli: Depositum custodi) *plenissimè in eam contulerint omnia, quæ sint veritatis, uti omnis, quicunque velit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus, omnes autem reliqui Fures sunt & Latrones; Propter quod oportet devitare quidem illos, quæ autem sunt Ecclesiæ, cum summa diligentia diligere, & apprehendere veritatis* (NB) *traditionem; quid enim? Etsi quibus de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret recurrere in antiquissimas Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere, quod certum & re liquidum est? quid autem? si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias* (NB) *cui ordinationi assentiunt multæ gentes Barbarorum eorum, qui in Christum credunt, sine charta & atramento scriptam habentes, per Spiritum in cordibus suis salutem & veterem Traditionem diligenter custodientes, &c.* hæc Irenæus. Vbi clarissimè patet, quòd Apostoli præter scripturam reliquerint Ecclesiæ Traditiones, secundùm quas fideles crederent etiam sine scriptura, cùm illas successoribus oretenus commendassent, sicut Paulus Timotheum monebat.

VI. *Papias Iustini contemporaneus* circa annum centesimum quinquagesimum, libro quarto sic ait: *Non iis, qui multa dicunt, sed, qui vera docent, oblector, neque ex illis, qui aliena & nova mandata commemorant, sed ex his qui recordatione renovant ea quæ sunt à Domino per Fidem tradita, & ab ipsa veritate profecta, voluptatem capio, &c.* Et ne quis diceret hæc in sacra scriptura esse expressa, subjungit: *Si quis presbyter mihi forte occurrebat, qui cum Apostolis conversatus fuisset, dicta* (NB) *Apostolorum diligenter ab eo sciscitabar, nempe quid Andreas dixisset, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Iacobus, quid Ioannes aut Matthæus, aut quid alius Domini discipulus: quid denique Aristion, quid Ioannes Presbyter, qui in numero discipulorum Domini habebantur, locuti fuissent, neque enim ea quæ ex libris petebantur, tantum nostri subsidii* (NB) *allatura existimavi, quantum ea quæ acceperam ex Hominum voce & sermone, qui in vita adhuc manebant, &c.* hæc ille.

VII. Ecce verbum Domini ex ore discipulorum traditum præter scripturas, ex quo Papias plus subsidii accipiebat. Cùm scripturæ non ita sensum explicarent, nec ita referrent omnia, quàm vox viva illorum, qui ex discipulis Dominum audierant.

VIII. Ex tertio seculo *Clemens Alexandrinus* circa annum 200. libro quinto stromat. pag. 179. Col. 1. lit. D. edit. Paris. 1572. *Cognitionis*, ait, *ædificium in epistola quoque ad Romanos* (Paulus) *tacitè significans inquit: Desidero enim videre vos ut aliquod vobis donum impertiar spirituale, ut vos confirmemini, Rom. 1. v. 11.* (NB) *non poterant apertè scribi ejusmodi dona, &c.* Ecce testimonium tanti viri de verbo Dei tradito, quod utique erat necessarium, & scripto non ita Romanis dari poterat, quibus tamen Apostolus scribebat, prout ibidem dicit v. 13. *Vt aliquem fructum habeam, & in vobis, sicut & in cæteris gentibus, &c.* utique per prædicationem verbi Dei, quod non ita plenè scribi poterat.

Idem pag. 185. Col. 1. B. sic dicit: *Quocirca alia quidem sunt mysteria, quæ fuerunt abscondita usque ad Apostolos, & tradita* (NB) *sunt ab ipsis, ut à Domino acceperunt.* Et infrà Col. 2. C. ait: *Scio, quod veniens ad vos inquit Apostolus veniam in plenitudine benedictionis Christi, &c. spiritale donum & traditionem, quæ est ex cognitione eis præsentibus præsens cupit impertire (neque enim poterat significare per epistolam) plenitudinem Christi vocans per revelationem mysterii.* Quid clarius pro verbo tradito.

Idem in lib. de paschate, ut habetur apud *Eusebium* lib. 6. Histor. cap. 11. dicit, quòd extorqueatur sibi à fratribus, *ut ea, quæ à presbyteris Apostolorum successoribus voce sibi solà tradita essent, describeret in libris, ac posteris traderet, &c.* Quid hîc luculentius pro verbo Dei tradito ab Apostolis sine scripto?

Origenes ejusdem 3. seculi circa annum 240. in proœmio in lib. 1. de principiis edit. Basil. 1557. sic ait: *Cùm multi sint, qui se putent sentire, quæ Christi sunt, & nonnulli eorum diversa à prioribus sentiant, servetur vero ecclesiastica prædicatio per successionis Ordinem ab Apostolis* (NB) *tradita, & usque ad præsens in Ecclesiis permanens, illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab ecclesiastica discordat traditione, &c.* hæc ille, ubi loquitur de traditione ab Apostolis sine scripto tradita, ut satis patet, & clariùs ex sequentibus patebit. IX.

Idem eâd. edit. Homil. 5. in lib. Numeror. sic ait: *In ecclesiasticis observationibus sunt hujusmodi nonnulla, quæ omnibus quidem* (NB) *facere necesse est, nec tamen ratio eorum omnibus patet; nam quod v. g. genua flectimus orantes, & quod ex omnibus cœli plagis ad solam orientis partem conversi orationem fundimus, &c. sed & Eucharistiæ sive percipiendæ, sive eo ritu, quo geritur, explicandæ, vel eorum quæ geruntur in baptismo verborum gestorumque, & ordinum, atque interrogationum ac responsionum, quis facile explicet rationem? Et tamen omnia hæc operta & velata portamus super humeros nostros, cum ita implemus ea, & exequimur, ut à magno pontifice atque ejus Filiis tradita & commendata suscepimus, &c.* hæc ille. Ecce cæremonias à Christo & Apostolis traditas extra S. Scripturam, & Ecclesiæ commendatas, quas Ecclesia usque modò observat.

Idem eâdem edit. tract. 29. in Matth. in fine: *Nos illis, ait, credere non debemus, nec exire à prima & ecclesiastica traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis.* Quid manifestiùs contra Acatholicos dici posset, ne aliter seu in alio sensu S. scripturam intelligamus, quam Ecclesia Dei ex verbo tradito per successionem tradidit, &c.

Demum idem Origenes eâdem edit. ad cap. 6. ad Romanos ait: *Ecclesia ab Apostolis accepit, etiam parvulis baptismum dare, &c.* En articulum de fide credendum traditum, & in S. Scriptura non expressum.

Tertullianus ejusdem 3. seculi lib. de corona militis juxta edit. Basil. 1562. n. 2. juxta Paris. verò 1584. c. 2. dicit: *Facile est statim exigere* (NB) *ubi scriptum sit, ne coronemur? expostulantes enim scripturæ patrocinium in parte diversa, præjudicant suæ quoque parti scripturæ patrocinium adesse debere, nam si ideo dicetur coronari licere, quia non prohibeat scriptura, æque retorquebitur: ideo coronari* X.

Digitized by Google

non licere, quia scriptura non jubeat; quid faciet disciplinae utrumque recipiet, quasi neutrum prohibitum sit? an utrumque rejiciet, quasi neutrum sit praeceptum? sed quod non prohibetur, ultro permissum est &c. hæc ille. Ecce, quàm clarè Tertull. respondeat modernis acatholicis quærentibus de multis, ubi scripta sint, ut serventur.

Idem juxta edit. Basil. num. cit. & juxta Paris. cap. 3. sic ait: *Hanc* (observationem) *si nulla scriptura determinarit, certe consuetudo roboravit, quae sine dubio de traditione* (apostolica) *manavit: quomodo enim usurpari quid potest, si traditum prius non est? etiam in traditionis obtentu exigenda est, inquis, auctoritas scripta* (NB morem Acatholicorum modernorum) *ergo quaramus, an & traditio non scripta non debeat recipi? planè negabimus recipiendam, si nulla exempla praejudicent aliarum observationum, quae sine ullius scripturae instrumento solius* (NB) *traditionis titulo exinde consuetudinis patrocinio vindicamus. Denique ut à Baptismate ingrediar aquam adituri ibidem, sed & aliquanto prius in Ecclesia sub antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo, & pompa, & angelis ejus; Dehinc ter mergitamur amplius aliquid respondentes, quàm Dominus in euangelio determinavit*, &c. *oblationes pro defunctis, pro natalitiis, annua die facimus*, &c. *frontem crucis signaculo terimus, harum & aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem expostules scripturarum* (NB) *nullam invenies, traditio tibi praetenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix, &c.* quid clariùs? & infrà: *His*, inquit, *exemplis renunciatum erit, posse etiam non scriptam traditionem in observatione defendi confirmatam consuetudine idonea teste probata tunc traditionis ex perseverantia observationis, &c.* hæc ille. En quàm clarè & præclarè defendit traditiones apostolicas, & declarat, qualiter veræ traditiones dignoscantur.

XI. Demum, quòd Tertullianus non solùm per traditiones intelligat cæremonias, quæ tamen ad fidem, quòd traditæ sint, spectant, sed etiam plura alia ad fidem necessaria patet ex lib. de præscriptionibus, ubi à proposito ostendit, quod hæretici convincendi sint ex traditionibus, scilicet ex quibus habeatur, quæ sint veræ scripturæ, & quis earum sensus, sic enim ait cap. 19. edit Paris. supra in edit. Basil. n. 15. *Ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est, quibus competat fides ipsa, cujus sint scripturae, à quo & per quos, & quando & quibus tradita sit disciplina, quâ fiunt Christiani, ubi enim apparuerit esse veritas disciplinae & Fidei Christianae, illic erit veritas scripturarum, expositionum & omnium traditionum Christianarum, &c.* hæc ille.

XII. *Cyprianus Martyr* de diversis Ecclesiæ cæremoniis, quæ in sacra scriptura non extant, supponit, quòd ex Christi & ex Apostolorum ordinatione servandæ sint, nam lib. 1. epist. 12. edit. Basil. 1543. expresse sic scribit: *Vngi* quoque *necesse est eum qui baptizatus sit.* Et lib. 2. epist. 3. quæ in ordine est 63. *Admonitos*, ait, *nos scias, ut in calice offerendo dominica* (NB) *traditio servetur, neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis dominus prior fecit, ut calix, qui in commemorationem ejus offertur mistus vino offeratur, &c.* hæc tam asseveranter vir sanctus non assereret, nisi in Ecclesia tunc certò constitisset illa ab Apostolis tradita fuisse.

XIII. Ex 4. seculo, scilicet ab anno 300. usque ad ann. 400. *Eusebius Caesariensis* circa annum 320. lib. 1. demonstrat. euang. cap. 8. *Moyses*, ait, *in tabulis inanimatis, Christus autem in mentibus vita praeditis perfecta novi testamenti documenta descripsit; Ejus vero discipuli ad magistri sui nutum auribus multorum doctrinam suam commendantes, quaecunque quidem veluti ultra habentem progressus à perfecto ipsorum magistro praecepta fuerant, ea iis, qui capere poterant,* (NB) *tradiderunt: quaecunque vero iis convenire arbitrabantur, qui animas adhuc affectibus obnoxias gererent, curationisque indigentes; ea ipsi ad imbecillitatem multorum se dimittentes partim literis, partim sine literis* (NB) *quasi voce quadam non scripto servanda commendarunt*, hæc ille. Quid rursus clariùs pro Traditionibus necessariò servandis dici posset?

Idem contra Marcellum Ancyranum Episcopum sic scribit: *Ecclesia à finibus terrae usque ad fines ex divinis scripturis testimonia ex non scripta traditione confirmat*: utique quoad verum scripturæ sensum, *&c* quid ad hæc Acatholici?

S. Athanasius epist. ad omnes orthodoxos edit. Paris. 1581. *Non nupera*, ait, *aut novitia res est, Canonum ecclesiasticorum institutio, sed à primis usque Patribus per manus tradita est, & fundata in Ecclesiis*: Vbi agit de traditionibus ad fidem spectantibus contra Arianos, cùm subjungit dicens: *Neque nunc tandem Fides suum initium sumpsit, sed ab ipso Domino opera discipulorum in nostram usque aetatem propagata est. Ne igitur ea, quae hactenus usque ad nostra secula in Ecclesiis observata sunt, his temporibus pereant, & quae nobis concredita sunt, à nobis requirantur, agite fratres, &c* hæc ibi. XIV.

Idem de his clarissimè in lib. de decretis synodi Nicænæ contra *Eusebium Arianum* eâd. edit. sic ait: *Ecce, nos demonstramus istiusmodi sententiam à Patribus ad Patres per manus* (non dicit per scripturam) *traditam esse. Vos autem novi Iudaei & discipuli Caiphae, quos vestrorum Patres ac Majores demonstrabitis? &c.* hæc in modernos Acatholicos quadrant.

Cyrillus Hierosolymitanus in suis edit. Colon. 1568. catechesibus mystagogicis potissimùm tractat & explicat ea, quæ ad baptismum & alia Sacramenta requiruntur, quæ sacra scriptura non exprimit: Et quidem catechesi 5. de his sic ait: *Videte itaque Fratres, ut servetis traditiones, quas nunc accepistis, & in latitudine cordis eas describite, ut cum pietate cordis eas custodiatis, &c.* hæc ille, quod opus non erat, si in sacra scriptura extarent. XV.

Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 27. edit. Antwerp. 1568. sic ait: *Dogmata, quae in Ecclesia praedicantur, quaedam habemus è doctrina scripto prodita, quaedam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, id est, in occulto tradita recepimus, quorum utraque parem vim habent ad pietatem, nec his quisquam contradicit. Quisquis sane vel tenuiter expertus est, quae sint jura ecclesiastica, &c.* Et infrà: *Nam, si consuetudines quae scripto prodita non sunt, tanquam haud multum habentes momenti conemur rejicere, imprudentes & ea damnabimus, quae in euangelio necessaria* (NB) *ad salutem habentur; imo potius ipsam fidei praedicationem ad nudum nomen contrahemus*, &c. hæc ille. Ecce quàm clarè fatetur Basilius traditiones esse verum Dei verbum, quòd parem cum sacra scriptura vim habeat, ut Concil. Trident. suprà profitetur. Et quòd si verbum traditum non recipiatur, etiam veritas sacræ scri- XVI.

Digitized by Google

scripturæ nobis constare non posset, ut suprà ostensum est.

Idem Basilius ibid. ad particularia ex traditione descendit dicens: *Quod genus est (ut ejus, quod primum est, & vulgatissimum primo loco commemorem) ut signo crucis eos, qui spem collocarunt in Christum, signemus, quis scripto docuit? ut ad orientem versi precemur, quæ nos docuit scriptura? invocationis verba, cum ostenditur panis Eucharistiæ & poculum benedictionis, quis Sanctorum in scripto nobis reliquit?* (ubi occurrit tacitæ objectioni dicens) *Nec enim his contenti sumus, quæ commemorat Apostolus & evangelium, verum alia quoque & ante & post dicimus, tanquam multum habentia momenti ad mysterium, quæ ex traditione* (NB) *citra scriptum accepimus: consecramus autem aquam baptismatis & oleum unctionis, præterea ipsum, qui baptismum accipit, ex quibus scriptis? Nonne à tacita secretaque traditione?* &c.

Demũ Basilius ibid. cùm commemorasset plures alias cæremonias per traditionem ab Apostolis acceptas, subjungit: *Deficiat me dies, si Ecclesiæ mysteria citra scriptum tradita pergam recensere, omitto cætera: Ipsam Fidei professionem, quâ credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, quibus habemus scriptis?* Et infrà: *Quod si glorificandi modum velut scripto non traditum rejiciunt, proferant nobis & Fidei professionis, & cæterorum, quæ commemoramus, probationem ex scripturis, &c.* hæc ibi. Ecce, professionem fidei ex traditione.

Idem ibid. cap. 29. *Arbitror*, ait, *Apostolicum esse etiam non scriptis traditionibus inhærere; laudo*, inquit, *vos quod omnia mea meministis, & quemadmodum tradidi vobis, traditiones obtinetis: quas accepistis sive per sermonem, sive per epistolam, &c.* Ecce qualiter verba Apostoli intellexerit?

Idem homil. 28 contra Sabellum, Arium & Anomæos sic ait: *At ne Spiritum Sanctum à Patre & Filio separes, absterreat te dominica Traditio, Dominus ita docuit, Apostoli prædicarunt, Patres observarunt, Martyres confirmarunt, satis tibi sit, ut dicas, quemadmodum edoctus es.* hæc ille. Quid clarius?

XVII. *Epiphanius* hæresi 61, edit. Basil. 1560. *Oportet autem*, ait, *& traditione uti, non enim omnia* (NB) *à divina scriptura possunt accipi* (quid ad hoc nostri Acatholici?) *quapropter aliqua in scripturis, aliqua in traditione SS. Apostoli tradiderunt* (Ecce doctrinam Catholicæ Ecclesiæ;) *quemadmodum dicit Apostolus: Sicut tradidi vobis*, & alibi: *Sic doceo, & sic tradidi Ecclesiis. Tradiderunt itaque SS. Dei Apostoli peccatum esse post decretam virginitatem ad nuptias converti, &c.* Ecce rursus in particulari apostolicam traditionem, quam Acatholici cum apostatis quotidie prævaricantur.

Idem hæresi 55. eâd. edit. *Termini*, ait, *nobis positi sunt, & fundamenta, & ædificatio Fidei, & Apostolorum traditiones, & scriptura sancta, & successiones doctrinæ, & undequaque Dei veritas munita est: Et nemo decipiatur novis fabulis*, hæc ille. Non ergo solæ Scripturæ sacræ termini Fidei sunt.

Idem Epiph. hær. 69 ead. edit. sic ait: *Respondete nobis Arii discipuli: Ingenitum dicimus omnes simul Patrem, & increatum, & admirabilis est dictio, scilicet, ubi itaque scripta est hæc, ostendite locum? neque enim lex dicit, neque propheta, neque evangelium, neque Apostoli, si itaque piè dicimus dictionem non scriptam, estque recepta, dum pro gloria Dei dicitur, qui's nos reprehenderit, etiamsi non esset vox coessentialis scriptura* hæc ille. Quid ad hoc Acatholici dicent, qui nobiscum fatentur, & dicunt Patrem ingenitum & increatum, nec tamen has voces in scriptura legunt?

Chrysostomus circa locum 2. Tim. 1. Homil. 3. edit. Basil. 1558. *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti, &c.* sic ait: *Non modo per literas: sed etiam verbis discipulo, quæ essent agenda, dictavit, quod plurimis & aliis in locis ostendit dicens: Sive per verbum, sive per epistolam, quasi per nos missam. Hoc & hîc multò magis fecit. Ne igitur minùs aliquid* (NB) *doctrinam habere putemus, plurima illi absque scripto tradidit, quæ illi modo ad memoriam revocans dicit, formam habe sanorum, &c. Quid autem hoc sibi vult? Pictorum*, inquit, *more imaginem tibi virtutis impressimus, & omnia, quæ Deo grata sunt, veluti normam privatamque formam tuæ indidimus animæ. Hæc igitur habeto firmiter, & sive de Fide, sive de charitate, sive de castitate opus sit aliquid loqui ac definire, inde tibi exemplaria accipe, &c.* hæc Chrysost. Ecce quod ex verbo tradito dicat Apostolum Timotheo dedisse normam fidei & charitatis & castitatis, secundùm quam alios docere debeat, quæ utique necessaria sunt. XVIII.

Idem Chrysost. homil. 4. in 2. ad Thessal. eâd. edit. explicans illa: *Itaque fratres state, & tenete traditiones.* Sic ait: *Hinc patet, quod non omnia per epistolam tradiderint* (Apostoli) *sed multa etiam sine literis* (NB) *Eadem vero Fide digna sunt, tam illa, quàm ista. Itaque traditionem quoque Ecclesiæ Fide dignam putamus. Traditio est, nihil quæras amplius, &c.* hæc ille, quid clarius? sic Concil. Trident.

Ambrosius serm. 34. de Quadrages. edit. Parif. 1569. *Nonnulli*, ait, *Christianorum Fratres existimantes se divinitatis præcepta religiosius observare prætermissa devotione quadragesimæ, quinquagesimam se facere mentiuntur, cum id neque divinis literis jubeatur, neque traditum sit auctoritate majorum, &c.* Ex quo videre licet divinum præceptum quadragesimæ ex traditione majorum. XIX.

Idem epist 83. edit. Parif. 1569. *Non mediocris*, inquit, *esse sapientiæ, diem celebritatis definire paschatis, & scriptura divina nos instruit, & traditio majorum, qui convenientes ad synodum Nicænam, &c. etiam super celebritate memorata, &c. collegêre rationem, &c.* Constat autem, quòd sacra scriptura nihil de hoc expresse præcipiat, sed traditio Apostolorum, quam PP. in Concilio Nicæno agnoverunt.

Hieronymus epist. 54. ad Marcellam edit. Basil. 1553. *Nos unam*, inquit, *quadragesimam secundùm traditiones Apostolorum toto anno, tempore nobis congruo, jejunamus, &c.* XX.

Idem Hieronymus eâd. edit. Dialogo adversus Luciferianos; hæreticum sic loquentem introducit: *Etiamsi scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. Nam & multa alia, quæ per traditionem* (NB) *in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt, velut in lavacro ter caput mergitare, deinde egressos lactis & mellis degustare concordiam ad infantiæ significationem, die dominico & per omnem pentecosten, nec de geniculis adorare, & jejunium solvere, multaque alia, quæ scripta* (NB) *non sunt, quæ rationabilis sibi observatio vindicavit.*

Item in eodem dialogo circa medium introducit eundem hæreticum sic loquentem contra Orthodoxos: *Multa, quæ per traditionem in Ecclesiis* ob-

Digitized by Google

observantur, auctoritatem sibi scripta legis usurparunt, respondet orthodoxus: *Non quidem abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, sed, quale est, ut leges Ecclesia ad haresin transferas?* hæc ibi. Vbi patet, quòd Hieron. agnoverit veras in Ecclesia traditiones sed falsas hæreticorum rejecerit.

XXI. *Ruffinus* lib. 2. ecclesiast. Hist. cap. 9. edit. Basil. 1611. *Basilius & Nazianzenus, ait, solis divinæ scripturæ voluminibus operam dabant, earumque intelligentiam non ex propria præsumptione* (NB. non ex privato Spiritu) *sed ex majorum scriptis & auctoritate sequebantur; quos & ipsos ex apostolica successione* (Ecce traditionem apostolicam, quoad scripturæ sensum) *intelligendi regulam suscepisse constabat*, hæc ille.

XXII. Concludat *Augustinus*, qui non solùm multa ab Apostolis sine scripto Ecclesiæ tradita & conservata sæpe recenset, sed ex illis etiam fidei dogmata contra hæreticos confirmat, quod proprium est verbi Dei; & unde agnoscantur traditiones apostolicæ, ostendit.

Is epist. 118. edit. Basil. 1528. sic ait; *Illa autem, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto orbe terrarum observantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis conciliis*, &c. *commendata atque statuta retineri, sicuti, quod Domini passio & resurrectio, & ascensio in cælum & adventus de cælo Spiritus Sancti anniversaria celebrantur*, &c.

Idem lib. 2. de baptismo contra Donat. cap. 7. eâd. edit. volens ostendere illos, qui ab hæreticis baptizati sunt, non esse rebaptizandos, sic ait: *Quam consuetudinem* (scilicet non rebaptizandi) *credo ex apostolica traditione venientem, sicut multa non inveniuntur in literis eorum* (NB) *neque in conciliis posterorum, & tamen, quia custodiuntur per universam Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita & commendata creduntur*, &c.

De eadem consuetudine sic habet lib. 1. contra Cresconiũ cap. 33. edit. Basil. 1528. *Quamvis hujus rei certum de scripturis canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen scripturarum etiam hac in re à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod universæ placuit Ecclesiæ, quam ipsarum scripturarum commendat auctoritas, &c.* Quid ad hoc Acatholici?

Item lib. 4. cap. 24. de baptismo contra Donatistas. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est; non nisi auctoritate apostolicâ traditum rectissimè creditur.* Similiter libro 5. de baptismo capite vigesimo tertio, eâd. edit. loquitur dicens: *Sunt multa, quæ universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quanquam scripta non reperiantur, &c.* Quid clarius pro traditionibus apostolicis?

Iterum lib. de fide & operibus cap. 9. eâd. edit. ait: *Scriptura in eo*, quod ait: *Baptizavit eum Philippus, intelligi voluit, impleta omnia, quæ licet taceantur in scripturis gratia brevitatis, tamen serie traditionis scimus impleta*, &c.

XXIII. Idem lib. de unit. Ecclesiæ cap. 19. eâd. edit. de non rebaptizandis hæreticis ait: *Hic forte dicis, lege ergo mihi, quemadmodum Christus suscipi jusserit eos, qui ab hæreticis ad Ecclesiam transire volunt. Hoc apertè atque evidenter, nec ego lego, nec tu*, &c. Et infrà: *Nunc verò, cum in scripturis non inveniamus aliquos ad Ecclesiam transisse ab hæreticis, & sicut ego dico, aut sicut tu dicis, esse susceptos; puto si aliquis sapiens extitisset, cui Dominus Christus Iesus testimonium perhibet, & de hac quæstione consuleretur à nobis, nullo modo dubitare deberemus id facere, quod ille dixisset, ne non tam ipsi quàm D. Iesu Christo, cujus testimonio commendabatur, repugnare judicaremur, perhibet autem Christus Testimonium Ecclesiæ suæ, &c.* Et infrà: *Quomodo ergo suscipit ista Ecclesia?* hæc ibi.

Quòd autem D. Augustinus hujus quæstionis decisionem ex ipsa S. Scriptura certam non agnoverit, patet etiam lib. 2. de bapt. cap. 4. eâd. edit. ubi dicit: *Nec nos ipsi tale quid auderemus asserere, nisi universæ Ecclesiæ concordatissima auctoritate firmati, &c.* Cui accedit id, quod ipse Augustinus lib. 5. de bapt. cap. 23. dicit suprà relatus: *Sunt multa, quæ universa tenet Ecclesia & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quanquam scripta non reperiantur, &c.*

Demum lib. 10. de Genesi ad literam cap. 23. de parvulorum baptismo eâd. edit. sic ait: *Consuetudo matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, neque ullo modo superflua deputanda, nec omninò credenda, nisi apostolica esset traditio, &c.* Ecce ex sola apostolica traditione probat de fide credendum esse, quòd parvuli sint baptizandi, quid clarius?

Adduxi plura tot excellentissimorum Patrum testimonia prolixiùs ad verbum relata, tum, ut cuivis sincero lectori pateat, quòd unanimis antiquæ Ecclesiæ de verbo Dei non scripto fuerit doctrina, quam moderna Ecclesia Catholica Romana profitetur; tum etiam, ut Acatholicis quibusdam ora obstruantur, qui asserere non erubescunt, quod sancti Patres illam doctrinam vel ignorârint, vel condemnarint. XXIV.

Denique non abs re arbitror, ad demonstrandum, quanta in universa Ecclesia semper fuerit traditionum apostolicarum observantia, etiam sententiam Græcorum modernorum adducere. Cùm enim Lutherani & Calvinistæ Græcorum fraternitatem ambientes ad Patriarchas diversos scripserint; Hieremias Constantinopol. Patriarcha in epistola ad Jacobum Andreæ & Martinum Crusium inter alia sic respondit Respons. 1. cap. 13. *Nostra Ecclesia gloriatur splendore apostolicarum & patriarum traditionum, &c.* hæc ille.

Similiter Theodosius Zygomata epist. ad Martinum Crusium: *Hoc autem, ait, scito dogmata Ecclesiæ nostræ partim testimoniis S. Scripturæ constare, partim Apostolorum traditione, quas traditiones tanquam mysteria accepimus, & majores nostri in his acquieverunt: Laudo vos, inquit, & traditiones retinetis: Et tenete traditiones, quas accepistis sive per sermonem sive per epistolam.* Sic etiam *Gabriel* Philadelphensis Episcopus epist. ad eundem Crusium: *Quod si, inquit, de nostris rebus scire cupis, scito nos veram doctrinam & SS. Apostolorum traditiones sequi, &c.* Etsi autem Græci in quibusdam à vera fide & Ecclesia dissentiant, ex his tamen patet, quòd à primævis SS. Patribus Græcis traditionum auctoritatem acceperint.

CA-

Digitized by Google

CAPUT III.

Doctrinam Acatholicorum contra verbum Dei traditum non fundari in S. Scriptura ostenditur.

ARTICULUS I.

Referuntur & refutantur illorum argumenta quæ ex S Scriptura deducere volunt.

I. QUamvis veritas doctrinæ Catholicæ de verbo Dei tradito ex ipsa sacra Scriptura per se clarè loquente, & à SS. Patribus sic exposita, & intellecta sufficienter ostensa sit, quia tamen nulla unquam fuit hæresis, quæ non in aliquibus S. Scripturæ locis malè intellectis subsidium quæsivit, ita & in hac materia faciunt Acatholici, unde loca ab illis in contrarium allegari solita, quòd veritati Catholicæ non officiant, ostendemus.

Primus igitur locus est Deuter 4. v. 2. ubi dicit Moyses: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo: custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis.* Ex quo Acatholici inferunt, & asserunt, quòd ad totam S. Scripturam veteris & novi testamenti nihil sit addendum, ut verum Dei verbum, *&c.*

II. Respondetur primò: Mirum est, quòd Acatholici ex illis S. Scripturæ verbis talem proferant sententiam, quæ nec expressè ibi ponitur, nec ullo modo ex illis verbis infertur vel sequitur, ut per se patet. Quomodo enim Moyses ibi prohibuit, ne ad totam scripturam, scilicet ad psalmos & Prophetas veteris testamenti vel ad Euangelium aut alios novi testamenti libros aliquid adderetur, cum illi tempore Moysis nondum scripti essent? Imo ex hoc patet evidens argumentum in contrarium, quod Moyses non prohibuerit, ne aliud Dei verbum addatur ad libros à Moyse conscriptos, cum tot libri postea Spiritu Sancto dictante scripti sint, ideoque nec verbum traditum prohibuit, *&c.*

Hoc etiam patet ex illo Deuter. 18. v. 18. ubi dicit Dominus ad Moysen: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi, &c.* unde manifestum est, quod ille propheta suscitandus ad verba Moysi dicta, additurus erat verba Dei de novo præcipienda populo, *&c.*

Respondetur secundò: Nec scriptura ibi prohibet, ne aliquod addatur verbum Moysis ad verbum à Moyse scriptum; sed solùm dicitur *ad verbum, quod ego loquor*, scilicet *oretenus vobis*, non dicit, *quod scribo vobis &c.* Nec obstat, quod ibid. cap. 31. v. 24 dicitur: *Postquam ergo scripsit Moyses verba legis hujus in volumine atque complevit, &c.* Ex quo inferunt Acatholici, quod Moyses omnia, quæ locutus est filiis Israel, scripserit in libro & compleverit.

III. Respond. enim primò: Patet ex textu, quòd non dicatur, quod omnia omnino sua verba Moyses scripserit, quæ locutus est filiis Israel, sed verba legis, & illa compleverit, quæ scilicet Deus ipsi mandavit, ut scriberet; cum hoc consistit, quòd aliqua oretenus tradiderit senioribus, quæ non opus erat scribere, ut colligitur ex eo, quod Moyses ex parte Dei mandat dicens sequenti cap. 32. v. 7. *Interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi &c.* Et Exodi 13. v. 8. *Narrabisque filio tuo in die illo dicens: Hoc est quod fecit mihi Dominus, &c.* si omnia hæc plenè scripta erant, quæ ab omnibus legi poterant, cur ergo mandatum est, ut patres illa filiis narrarent? Quod autem ita factum sit, patet primò ex ipsa re, quia sensus verborum legis, prout totius scripturæ Moysis non ita clarus erat, quin opus esset, ut ille senioribus oretenus traderetur conservandus, cum & Dominus præceperit, ut in difficultatibus ascenderent ad sacerdotes & ab eis quærerent judicium *&c.* Deut. 17. v. 8. IV.

2. Oretenus de manu ad manum tradi debebat, quò dilla à Moyse conscripta essent præter alia, de quibus sancti Patres testantur, quòd oretenus à Moyse sint tradita, qui infra respondendo ad argumenta de traditionibus Judæorum allegabuntur, inter quos *S. Hilarius* ad Pl. 2. edit. Basil. 1570. sic ait; *Erat jam à Moyse antea institutum in synagoga omni septuaginta esse Doctores, nam idem Moyses, quamvis veteris testamenti verba in literis condidisset, tamen separatim quadam ex occultis legis secretiora mysteria septuaginta senioribus, qui doctores deinceps manerent, intimauerat, cujus doctrinæ etiam Dominus in Euangeliis meminit: super Cathedram Moysi sederunt scribæ & pharisæi, omnia ergo, quæcunque dixerint vobis servate & facite &c. Doctrina ergo horum imposterum, quæ ab ipso* (NB) *legis scriptore accepta in hoc seniorum & numero & officio conservata est, &c.* hæc ille.

Etsi autem Acatholici contra verba scripturæ & SS. Patres negarent, aliqua à Moyse sine scripto relicta, nihil tamen ipsis suffragantur verba scripturæ Deut. 4. v. 2. contra verbum Dei traditum allegata, quia in illis nullo modo prohibetur, ne præter libros Moysis aliud Dei verbum asseratur: ut suprà ostensum est, cùm alias nec reliqui S. Scripturæ libri addendi essent: sicut ergo illi non excluduntur, ita nec aliud Dei verbum traditum per illa verba excluditur, vel prohibetur. V.

Nec etiam dicitur Deut. 31. v. 24. quòd Moyses totum Dei verbum conscripserit vel compleverit, sed verba legis per ipsum datæ. Et, licèt Moyses nihil aliud oretenus tradidisset, sed totum scribendo complevisset, quod ipsi à Deo traditum fuerat, non tamen complevit totum S. Scripturæ canonem, ut patet; ac perinde per ea non excluditur verbum Dei traditum. Sensus igitur literalis, ut etiam verborum Deut. 4. iste est, primus quod non debeant aliquid addere, quod depravet verba legis, cum quo adhuc consistit, quod potuerint addere aliqua legem declarantia, juxta illud Ecclesiastici 24. v. 31. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Alter sensus est,

est, quòd Israëlitæ integrè observare debeant verba legis seu præcepta, & ab illis in nullo declinare, prout Deut. 17. v. 8. & prov. 4. v. 27. dicitur: *Ne declines ad dexteram, neque ad sinistram.*

Tertius, prohibetur etiam, ne aliquid verbis Moysis scriptis, tanquam à Moyse scriptum addatur, vel ex illis auferatur. Quid hæc contra verbum Dei à SS. Apostolis prædicatum & traditum? æquè minùs, quam contra Euangelia ab illis scripta. Quocunque enim modo Acatholici ab illis verbis Deut. 4. excipiunt verba Dei posteà per Prophetas & Apostolos scripta, eo etiam modo verbum ab illis traditum excipitur.

VI. Simile argumentum Acatholici formant ex Apoc. cap. ult. v. 18. ubi sic Joannes ait: *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto,* &c.

Respondetur, quid ex hoc Acatholici concludere volunt? an, quòd nihil tanquam verbum Dei apponendum sit toti scripturæ veteris & novi testamenti, ut ipsi intendunt? patet hoc esse manifestè falsum, quia Joannes expresè dicit: *Qui apposuerit ad hæc*, scilicet ab ipso in illo libro scripta, tanquam ad illum librum pertinentia: quod patet ex antecedentibus, cum dicit: *Contestor enim omni audienti verba prophetiæ libri hujus.* Et tunc subjungit; *Si quis apposuerit ad hæc*, scilicet verba prophetiæ hujus. Deinde patet ex sequentibus ubi dicit: *Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus, &c.* ubi patet, quod non dicat, qui auferet aliquid de tota scriptura; adeoque Joannes solum minatur illis, qui illum librũ vel addendo vel diminuendo vitiare voluerint, unde clarum est, quod non loquatur de alia additione, vel potius quod nullum sit aliud verbum Dei recipiendum, quam quod in illo libro continetur; hoc enim falsissimum est, quod autem ab Acatholicis dicitur, quod Joannes per illum librum compleverit totum Dei verbum, & ideo de toto Dei verbo locutus sit.

Respondetur primò Hoc Acatholici non habent ex textu, sed fingunt, & constat ex SS. Patrum testimoniis, quòd Joannes post Apocalypsin adhuc Euangelium scripserit, adeoque nihil de alio Dei verbo locutus sit, sed de verbis in illo libro positis.

Respondetur secundò: Etiam quo ad rem & veritatem concedi potest, & debet, de aliis omnibus & singulis S. Scripturæ libris, quòd nihil illis, tanquam ad illos spectans addendum sit, nec ex illis diminuendum, adeoque nullus liber S. Scripturæ sit vitiandus. Quod ipsum S. Concil. Trid. etiam supra gravissimè prohibet. Sicut autem cum eo quod Euangelio v. g. sancti Marci nihil addendum sit, tanquam scriptum ab ipso Marco Euangelista, adhuc consistit, quod alia Euangelia ab aliis Euangelistis scripta addantur. Sic etiam cum tota S. Scriptura integrè conservata, verbum Dei traditum consistit. Videant autem Acatholici, qualiter ipsi evadant plagas scriptas in Apocalypsi, qui non solum ex diversis S. Scripturæ libris capita, sed ex canone integros libros diminuerunt, de quibus infra dicetur.

VII. *Tertius locus*, quem contra verbum Dei traditum urgent, est ad Galat. 1. v. 8. ubi Apost. sic ait: *Licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizavimus vobis, anathema sit, &c.* Ergo verbum traditum non est recipiendum.

Respondetur: Verè impudens est ista consequentia. Oportet enim sub verbis Apostoli sic subsumere; atqui verbum traditum, quod Ecclesia habet, non est euangelizatum ab Apostolis, & tunc esset apparens sequela, cùm tamen adhuc prophetæ excipi debeant: atque falsum est quòd Apostoli nõ euangelizaverint verbum Dei traditum, hoc enim maximè sancti Patres & Ecclesia credit, quòd ab Apostolis prædicatum sit & euangelizatum, quod potissimum ut retenus sit, licet non scribatur; non enim Apostolus dicit: præter id quod scripsimus vobis, sed *euangelizavimus*, & sic etiam verba Apostoli admittenda essent intelligendo *præter*, non pro contra, sed pro ultra. Ecclesia enim nihil pro verbo Dei ultra id, quod ab Apostolis est prædicatum, recipit.

Respondetur autem 2. quòd Apostolus ad literam intelligat nihil esse recipiendum, quod est contrarium verbo Dei, quod ipse & Apostoli hactenus euangelizaverunt, & hoc patet ex contextu, cùm Apostolus præmittat dicens: *Miror, quod tam cito transferimini, &c. in aliud Euangelium, quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt convertere Euangelium Christi*; Et tunc dicta verba subjungit. Agit autem de iis, qui contra doctrinam apostolicam Galatis persuadere volebant, quod omnes Christiani deberent circumcidi, alioquin fides illis non prodesset: ut patet ex textu Epistolæ, & præsertim cap. 5. Et sic passim cum sanctis Patribus hunc locum intellexit D. Augustinus in comment. in epist. ad Gal. & tract. 98. in Joann edit. Basil. 1528. dicens: *Non, ait* (Apostolus) *plus quam accepistis, sed præterquam quod accepistis, nam si illud diceret, sibi ipsi præjudicaret, qui cupiebat venire ad Thessalonicenses, ut suppleret, quæ illorum fidei defuerunt, sed qui supplet quod minus erat, addit, non quod inerat tollit, qui autem prætergreditur regulam fidei, non accedit in via sed recedit de via, &c.* quid clarius?

Idem constat ex rei eventu. Nam post epistolam illam ab Apostolo scriptam, ipse Apostolus adhuc longo tempore prædicavit multa, & scripsit; ac specialiter de S. Joanne certum est, quod postea Euangelium conscripserit. Si ergo sola illa, quæ ante illam epistolam Apostolus euangelizaverat, essent recipienda, & omnia, quæ posteà euangelizata essent ab ipso, vel aliis, anathema essent, patet rei absurditas. VIII.

Sensus igitur Apostoli verborum est, quòd nihil Euangelio ab ipso prædicato contrarium sit recipiendum, licèt ipse Apostolus vel angelus de cælo doceret tale. Alia autem ipsius Euangelio consona & conformia ab ipso, vel aliis Apostolis tradita, vel credenda verè ut Euangelium amplectenda sint, & talia sunt, quæ Ecclesia pro verbo Dei tradito recipit.

Quartus locus ab Acatholicis adducitur Joh. 20. v. 30. *Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis æternam.* Ex quibus sic arguunt: Joannes dicit, quòd illa quæ scripsit ideo scripta sint, ut credentes salvi fiant, ergo non est necessarium aliud Dei verbum traditum. IX.

Respondetur: Quis non videat falsitatem istius consequentiæ, si textum ipsum & veritatem attendat. Nam Joannes loquitur ibi specialiter de solis signis, quæ fecit Jesus dicens: *Multa qui-*

Digitized by Google

quidem & alia signa fecit Iesus, quæ non sunt scripta in libro hoc, scilicet in isto Euangelio sancti Joannis. Aliqua verò ipse scripserat, ut credant, & salvi fiant. Quis inde veraciter arguet: Ergo sola illa signa à Joanne scripta sufficient ad fidem, & nullum aliud Dei verbum etiam scriptum est necessarium. Sic enim & omnia verba quæ Joannes de verbis Christi scripsit, & omnia quæ alii Euangelistæ & Apostoli scripserunt, non essent necessaria, nec pro verbo Dei recipienda. Ecce quàm absurda consequentia! Sensus ergo est, quod illa signa à Joanne ideo sint scripta, ut juvent fideles in fide, sed non ut sufficiant illa sola pro vero Dei verbo, & alia omnia excludantur, ac proinde nec verbum traditum excluditur.

X. Quinto: Rursus Acatholici ad suum propositum confirmandum allegant illa 2. ad Tim. 3. v. 16. *Omnis scriptura diuinitus inspirata utilis est ad docendum: & ad erudiendum in justitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Ex quibus sic inferunt primo: Ergo sola S. Scriptura est utilis ad docendum; ac proinde verbum traditum inutile. Secundo: Ergo sola S. Scriptura ad minus est sufficiens ad docendum in fide & moribus, ac proinde nullum verbum traditum est necessarium & utile.

Respondetur primò: Si per ly *omnis scriptura* intelligatur tota scriptura collectim sumpta, prout Acatholici sumunt, consequentia est falsa, ut patet ex eo; si quis dicat: Omnis homo vivit, & inde inferat, ergo solus homo vivit; vel omne quod non est homo, non vivit, proinde nec Deus, nec Angeli, nec animalia viverent. Quid absurdius? sic in proposito Apostolus dicit: *Omnis scriptura est utilis*; sed non inde infertur ergo sola; sed cum eo, quod omnis scriptura sit utilis, etiam consistit, quod verbum oretenus prædicatum sit utile, alioquin verba ab Apostolis oretenus prædicata, etiam tunc temporis fuissent inutilia. Quid falsius? Aliud esset, si Apostolus dixisset: Omnis & sola scriptura est utilis, sed hoc non dixit, quia falsum est.

XI. Respondetur secundò, quod si, ut verum est, ly *omnis scriptura* tam pro omnibus sacræ scripturæ libris collectim, quàm divisim sumptis intelligatur; adhuc falsò infertur, quod sola S. Scriptura sit utilis, ut ex præmissis patet & iterum ex eo ostenditur: quia de quolibet Euangelio v. g. Joannis vel Marci seorsim sumpto verum est, quòd utile sit ad docendum, *&c.* Cùm ipse Joannes dicat: quod signa Christi ab ipso scripta sint utilia, ut homines credant, & salvi fiant. Inde tamen falsò infertur: Ergo solum Joannis Euangelium, vel signa scripta sunt utilia, *&c.* Tertio: Hoc ipsum ostenditur ex ipso Apostolo ibidem quia intendebat monere Timotheum ut inhæreret S. scripturæ veteris testamenti, de quibus v. 15. dixerat: *Ab infantia S. literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu.* Vbi clarum est, quòd per S. literas intelligat vetus testamentum, quia circa infantiam Timothei novum testamentum nondum scriptum erat, nec illud Timotheus legerat, sed vetus, & de his literis Apostolus dicit, quæ Timotheum possunt instruere: Et hoc ex universali declarat dicens: *Omnis scriptura*, quasi diceret: Cùm omnis Scriptura divinitus inspirata utilis sit, *&c.* Et vetus testamentum sit talis Scriptura, proinde potest te instruere, *&c.* unde tamen absurdè & falsò infertur. Ergo solæ literæ veteris testamenti possunt instruere, ac proinde literæ novi testamenti non sunt utiles, sed consistunt illa simul, sic etiam cum hoc quod omnis & tota scriptura sit utilis, consistit etiam quòd verbum traditum utile sit.

Respond. ad secundam consequentiam, quòd etiam falsa sit, ut ex prædictis constare potest. Nam ex eo, quòd omnis S. scriptura sit utilis, non potest inferri: Ergo sola S. scriptura est utilis & sufficiens, quia ut dictum est, euangelium Joannis est utile ad docendum, sed non sequitur inde: Ergo illud solum sufficit, & literæ veteris testamenti sunt utiles secundùm Apostolum; falsò tamen sequitur: Ergo illæ solæ sunt utiles & sufficiunt, ita ut aliæ scripturæ sint inutiles, & non etiam necessariæ: Aliud enim est utile, vel etiam necessarium ad aliquem finem, quod tamen non sufficit, ita ut aliud non sit etiam utile vel necessarium, alioquin si solum vetus testamentum sufficeret, & esset necessarium, Euangelium non esset utile & necessarium; quod sicut falsum est, ita & in proposito circa verbum Dei traditum constat, quod illius utilitas & necessitas cum utilitate & necessitate S. Scripturæ consistat. XII.

Demum hoc ipsum ex eodem Apostolo constat, qui non obstante, quod sic scripserat Timotheo, quod omnis scriptura sit utilis, *&c.* Tamen 2. Thessal. 2 supra monet & mandat dicens: *Tenete traditiones sive per sermonem sive per epistolam nostram*: adeòque præter S. scripturam verbum per sermonem traditum utile & observandum judicavit.

Iterum sexto: Adducunt ad suum intentum Acatholici locum ex actis Apostolor. cap. 20. v. 27. ubi dicit Apostolus majoribus Ephesinis: *Non enim subterfugi, quo minùs annunciarem omne consilium Dei vobis.* Vnde inferunt; ergo omne Dei consilium est in S. scriptura, adeòque traditiones inutiles, *&c.* XIII.

Respondetur negando consequentiam. Quia non dicit Apostolus se in epistolis & scriptura omne consilium Dei illis annunciasse, sed absolutè quod annunciârit omne consilium, quod tam sermone, quàm scripto contingit, ut patet 2. Thess. 2. Hoc est verbum Dei traditum. Nec aliud Ecclesia agnoscit, quàm quòd ab Apostolis prædicatum & annunciatum est, ut sæpius dictum est.

Septimo: Alter locus ex act. Apost. cap. 1. v. 1. *Primum quidem sermonem feci de omnibus O Theophyle, quæ capit Iesus facere & docere*: Ergo omnia scripta sunt in Euangeliis, ac frustra verbum traditum. XIV.

Respondetur negando consequentiam, primò nam inferri tantùm posset ex verbis Lucæ, quod omnia scripta essent, in ipsius Euangelio quod nec ipsi Acatholici concedent, alioquin alia Euágelia & epistolæ essent inutiles & superfluæ; secundo, quia Lucas nihil scripsit in suo Euangelio de institutione baptismi à Christo facta, & plura alia, *&c.* ac ideo necessariò dicendum est, quod Lucas non intelligat, se omnia omnino scripsisse, sed aliqua potiora, quæ pro omnibus habentur, ex quibus non licet inferre: Ergo scripturæ aliæ præter Euangelium Lucæ non sunt necessariæ vel utiles, ac proinde nec verbum traditum.

Octavo: Denique objiciunt verba sacræ scri- XV.

Digitized by Google

scripturæ, quibus videntur traditiones omnes expresſè damnari tanquam Dei præcepto contrariæ, ut Matth. 15. versu quarto: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram.* Et versu sexto: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram, &c.* Et versu septimo: *Hypocritæ bene de vobis prophetavit Isaias dicens, &c. sine causa colunt me docentes doctrinas & mandata hominum, &c.* Ex quibus sic arguunt: Christus ibi damnavit traditiones, quas Judæi extra scripturam dicebant se à Patribus accepiſſe, ergo & traditiones, quas Catholici dicunt se à Patribus accepiſſe, sunt damnandæ.

Resp. primò: Sic olim Ariani argumentabantur. Vide sup. cap. 1. art. 2.

Respond. secundò: Quàm absurdum sit argumentum à falsis & malis traditionibus ad veras, patet in simili: quia sacra scriptura paſſim dicit de prophetis, quod mali sint, & non audiendi, ut Isai. 28. v. 7. *Sacerdos & propheta nescierunt præ ebrietate, &c.* & cap. 29. v. 10. *Dominus prophetas & principes vestros, qui vident visiones, operiet.* Et Jerem 2. v. 8. *Prophetæ prophetaverunt in Baal.* Et cap. 5. v. 13. *Prophetæ fuerunt in ventum locuti.* Et cap. 14. v. 14. *Falso prophetæ vaticinantur in nomine meo, &c.* & alibi paſſim: An autem inde inferendum, quod omnes prophetæ Domini falsò vaticinentur, & non sint audiendi.

XVI. Hinc ad propositum resp. Isaias & Salvator reprehendunt traditiones & mandata à certis hominibus post Moysen data, quæ vel inutilia erant, vel etiam legi Dei contraria, & illis potiùs inhærebant, & propter illa legem Dei transgrediebantur: An inde sequitur, quod aliæ traditiones à Moyse & prophetis traditæ eſſent malæ, & legi divinæ contrariæ? Constat autem, quod Moyses oretenus aliqua ad legem spectantia, & elucidantia tradiderit senioribus, prout suprà ad locum Deut. 4. ex *S. Hilario* dictum est, de quibus Dominus dixit: *Super cathedram Moysis, &c.*

Idem docent *Irenæus* libro quarto, cap. 25. edit. Colon. 1596. *Epiphanius* in hæresi Ptolomai. edit Basil. 1560. Et *Hieron.* in caput 8. Isaiæ, qui & epist. ad Algasiam quæst. 10. edit. Basil. 1553. dicit, quod traditiones quas Dominus & Apostoli reprehendunt initium habuerint à quibusdam Rabbinis, qui paulo ante tempora Christi illas dederant, quibus legem impediebant.

Aliæ etiam quædam erant traditiones & cæremoniæ à diversis olim inventæ, quæ etsi malæ non eſſent, tamen exigui erant momenti, in quibus Judæi magis, quàm in lege hærebant; de quibus dicit Dominus Matth. 23. v. 23. *Væ vobis scribæ & pharisæi Hypocritæ, qui decimatis mentham & anethum, & Cymium, & reliquistis quæ graviora sunt legis, &c. hæc oportuit facere, & illa non omittere, &c.*

XVII. Respondetur ergo ad argumentum, negando consequentiam: Sed Christus reprehendit vanas & noxias Judæorum traditiones, quas non à Moyse, vel veris prophetis acceperant Judæi, ergo omnes traditiones à Moyse & prophetis relictæ damnatæ fuerunt, patet falsitas.

Multo ergo minùs damnandæ sunt traditiones, quas ex testimonio omnium sanctorum Patrum totius antiquæ Ecclesiæ constat ab ipsis Apostolis relictas eſſe, nullo modo Euangelio vel legi contrarias, sed partim ad fidē, partim ad mores spectantes, de quibus suprà ostensum est. Et hæ solæ ab Ecclesia, ut apostolicæ & pari pietate cum Dei verbo scripto recipiuntur, quia etiam verum Dei sunt verbum.

Aliæ verò traditiones, quæ in cæremoniis consistunt, & à conciliis & pontificibus post tempora Apostolorum in Ecclesia institutæ sunt, nullo modo verbo Dei sunt contrariæ, sed ad majorem populi devotionem & Dei cultum ordinatæ sunt, à Christo non damnantur, nec tamen ab Ecclesia ut verbum Dei habentur, multò minùs Ecclesia tales verbo Dei anteponit, vel propter illas Dei legem transgrediendam docet, ut falsò Acatholici calumniantur: certè ipsi Acatholici in suis congregationibus circa Sacramenta & alia plures ritus ante paucos annos à suis senioribus primùm ordinatos exercent, quos in sacra scriptura præscriptos non legunt. Cur ergo & illos non damnant? si omnes traditiones seniorum à Christo damnatas velint.

ARTICVLVS II.

Generalis responsio ad objectiones Acatholicorum ex sacra scriptura & SS. Patribus.

Demum, ut paucis absolvamus; quæritur ab Acatholicis: ubinam expresſè & clarè in sacra scriptura legant, *quod Apostoli nullum verbum Dei oretenus traditum Ecclesiæ reliquerint? vel quod scriptura prohibeat, ne ullum Dei verbum præterquam in sacra scriptura expreſſum agnoscatur?* Cùm enim illi hæc pro articulo fidei neceſſariò habeant, & velint articulos neceſſarios in sacra scriptura expresſè contineri, & hunc ostendere tenentur. Quod autem dicant illa per neceſſariam & evidentem consequentiam ex verbis sacræ scripturæ inferri. I.

Contrà primò. In hoc Acatholici contradicunt suo fundamento, quod scilicet omnia neceſſariò credenda sint in sacra scriptura expresſè contenta, sed quòd per consequentiam ex sacra scriptura deducitur, non est in illa expreſſum.

Contra secundò: Si admittatur, quod illa sint credenda, quæ per claram & evidentem consequentiam ex verbis claris sacræ scripturæ deducuntur; ostendant ipsi ex ullo sacræ scripturæ loco per talem consequentiam, *quod nullum verbum Dei ab Apostolis prædicatum sit neceſſario credendum, quod non exprimatur in sacra scriptura*: Hactenus autem ostendimus quàm fallæ & fraudulentæ sint consequentiæ, quibus ex sacra scriptura id probare conantur.

Catholica autem Ecclesia per clara verba in sacra scriptura expreſſa ostendit, quod aliqua sint per sermonem ab Apostolis tradita, quæ æquè credi ac teneri debeant, quàm quæ per scripta reliquerunt, id ex communi SS. Patrum sententia confirmatum est. II.

Quod autem aliqui Patres subinde dicunt, omnia ad fidem neceſſaria in sacra scri-

scriptura reperiri, prout Irenæus. Basilius & specialiter sanctus Augustinus loquitur libro secundo doctr. Christianæ cap. 9. edit. Basil. 1528. dicens: *In his quæ aperte in scriptura posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent Fidem moresque vivendi*, &c.

Hæc & similia non derogant auctoritati traditionum earúmque necessitati. Constat enim ex verbis Irenæi, Basilii & Augustini & aliorum sanctorum Patrum clarissimè supra relatis, quod multa necessariò credenda ex traditione habeantur. Certum itaque est, quòd sancti Patres prædicta asserentes nihil aliud intendant, quàm quod illa, quæ omnibus & singulis simpliciter sunt ad fidem moresque necessariò credenda & servanda, in sacra scriptura sufficienter contineantur, ut sunt ea, quæ in symbolo Apostolorum & Decalogo exprimuntur, ut clarè exprimit sanctus Augustinus ibidem post dicta verba subjungens: *Spem scilicet & charitatem, de quibus libro superiore tractavimus.* Nullus enim adultus ad baptismum suscipiendum admittitur, quin illa sciat & profiteatur. Sunt autem plura alia in sacra scriptura expressa, quæ etiam necessariò sunt credenda, licet non omnes & singuli scire teneantur.

His adde, quòd nec illa, quæ in symbolo & decalogo contenta, & in sacra scriptura apertè exprimuntur, sine traditione plenè credi possint: scilicet, nisi constet, quòd illa sit sacra scriptura, & illa à Deo sint revelata. Quòd D. August. ibid. lib. 1. cap. 37. clarè profitetur, dum de fide spe & charitate concludit dicens: *Titubabit autem Fides, si divinarum scripturarum vacillat auctoritas. Porro Fide titubante, Charitas etiam ipsa languescit: Nam si a Fide quisque ceciderit, à charitate etiam, necesse est cadat*, &c. hæc ibi.

III. Postremò sancti Patres etiam omnia necessaria in sacra scriptura sufficienter contineri dixerunt, quatenus plurima expressè in illa traduntur; plura autem in universali docentur, in quantum sacra scriptura jubet teneri traditiones per sermonem ab Apostolis datas, & audiri Ecclesiam Christi, cui Apostoli multa commiserunt, & cui Christus dedit testimonium, quod veritatem ab Apostolis traditam fidelissimè & veraciter tradet, ut August. lib. 2. de bapt. cap. 7. & lib. de unit. Ecclesiæ cap. 19. supra relatus profitetur.

Constat igitur, quòd cum his Augustini & aliquorum Patrum verbis consistat necessitas verbi traditi, qui adeo clarè catholicam doctrinam de verbo tradito ostendunt ex ipsa sacra scriptura & veritate, prout suprà prolixius ostensum est, ut etiam aliqui Acatholici eam ob causam S. Epiphanium, Basilium, &c. erroris & superstitionis arguerint, & inter alios Hermannus Hamel tractans locum D. Augustini ex Epist. 118. suprà allegatum, impudenter in D. Doctorem invehatur dicens: *Cur Augustine extra sacram scripturam traditiones cum aliis Patribus Ecclesiæ obtrudis?* Ex quo patet, quòd agnoverint sanctos Patres traditiones recepisse; sed in hoc perversè ipsos arguant, quasi sancti Patres illas Ecclesiæ obtruserint, cùm illi testentur traditiones ab Apostolis de manu ad manum Ecclesiæ commendatas fuisse, non tantum quoad cæremonias quasdam liberas, ut subinde Acatholici concedunt, contra tamen sua principia; sed etiam necessarias, & quoad fidei dogmata, ut hactenus satis demonstratum est.

CAPUT IV.

Ostenditur, quòd Acatholici falsas & humanas opiniones pro puro Dei verbo extra sacram scripturam tradant & credant.

Hactenus probatum est, tam ex ipsa sacra scriptura, quàm ex sanctis Patribus generaliter, quòd detur verbum Dei necessarium ab Apostolis prædicatum & in sacra scriptura non expressum, & insuper ex ipsis fidei articulis necessariò credendis idipsum ostensum est. Vt autem sincerus Lector palpet fraudem & fucum, sub quo Acatholici protestentur se purum Dei verbum in sola sacra scriptura expressè contentum docere & tradere, adeòque contra Catholicos altè clament quærentes, ubi hoc vel illud scriptum sit in sacris literis, quod Catholici credunt? operæ pretium erit, ut de illorum articulis fundamentalibus, in quibus se se à Catholica Ecclesia justè separasse prætendunt, quæratur: ubi illi in sacra scriptura expressè contineantur? quòd ipsum majore potius jure ab ipsis exigendum est, cum ipsi hoc jus licet falsò statuant, quàm quòd ipsi tale quid à Catholica Ecclesia exigant, quæ præter verbum Dei scriptum aliud traditum agnoscit. Plurimas quæstiones circa articulos tam à Lutheranis, quàm à prætensis Reformatis creditos in Compendio controversiarum olim proposui, quos hactenus ullum Acatholicum in sacra scriptura expressos demonstrasse non vidi, nunc obiter paucas proponam.

ARTICULUS I.

Proponuntur decem quæstiones circa articulos ab Acatholicis de fide creditos, ut ostendatur ipsorum falsitas ex ipsorum principiis.

Quæstio prima. Vbi sacra scriptura expressè determinat, quòd liber sapientiæ, Tobiæ, Judith, Baruch, Ecclesiastici & duo libri Machabæorum non sint verè Dei verbum, nec ad scripturam spectent? ut vult Calvinus libro primo inst. capite 11. §. 8. & alibi, & Lutherus in suis bibliis edit. Wittenberg. 1547. & Francofurt. 1583. qui etiam Epistolam ad Hebræos, nec Pauli, nec I.

alicujus Apoſtoli eſſe contendit, quàm Calvinus agnoſcit, quòd autem dicti libri ſint canonici, infrà ex profeſſo oſtendetur.

Quæſtio ſecunda. *In quo ſacra ſcriptura loco præſcribitur catalogus librorum S. Scripturæ veteris & novi teſtamenti, quem Acatholici in ſua fidei confeſſione art. 3. aſſignant*, quorum tamen diverſos, ut Epiſtolam Jacobi, Judæ, & Apocalypſin Lutherus repudiat in præfat. novi teſtamenti Germanicè anno 1536. Magdeburgi edita? Quòd autem Calvinus dicat veros libros ſacræ ſcripturæ à falſis diſcerni, ut lucem à tenebris, nec hoc in ſcriptura habetur.

Quæſtio tertia. *ubi in ſacra ſcriptura ſcriptum eſt, quod textus ſacræ ſcripturæ Hebraicè & Græcè ſcripti ad nos puri pervenerint. ut juxta illos alii codices ſint emendandi, & juxta hos ſit credendum*, ut Calvin. in Antidoto Conc. Trid. *&c.* Quomodo autem plebs & illiterati, imò etiam literati Græcæ & Hebraicæ linguæ certâ fide credent, quòd articuli fidei ſint conformes textibus fontalibus Græcis & Hebraicis? ſi dicatur, quòd id conſtet ex aſſertione illorum, qui illas linguas noverunt certè illi homines ſunt, falli & fallere poſſunt, adeoque fides ipſorum non nititur verbo Dei puro, ſed fidei incertæ hominum.

II. Quæſtio quarta. *ubi ſacra ſcriptura dicit, quod ſacra ſcriptura de rebus ad religionem pertinentibus ſit clariſſima, perſpicua & manifeſta, ut nullo alio extrinſeco adjumento opus habeat?* ut Calv. lib. 1. inſtit. c. 7. §. 2. & lib. 4. c. 10. §. 30. ubi ait: Lux enim & dulce non requirunt aliud ut cognoſcantur. Contrarium patet ex ſacra ſcriptura & experientia.

Quæſtio quinta. *ubi ſacra ſcriptura docet, quod Eccleſia Chriſti univerſalis magno tempore ſit deſtruenda?* Ita Calvinus lib. 4. inſtit. cap. 2. §. 1. Ita olim Marcioniſtæ & Valentiniani apud Tertullianum libro de præſcript. & Donatiſtæ apud Auguſt. lib. de unit. Eccleſiæ de quibus infrà ſuo loco à propoſito.

Quæſtio ſexta. *ubi ſacra ſcriptura docet, quod verum ſacræ ſcripturæ ſenſum diſcendo quilibet fidelis potius ſuum privatum conſcientiæ dictamen, quàm Eccleſiæ conſenſum attendere debeat?* ut vult Calv. lib. 4. inſt. cap. 9. §. 8. & 12.

Vel, *ubi ſacra ſcriptura docet, quod Spiritus Sanctus potiùs certitudinaliter & infallibiliter inſpirabit & teſtificabitur cuilibet privato, quis ſit verus ſacræ ſcripturæ ſenſus, quàm ipſi Eccleſiæ?* ut volunt Acatholici in Confeſſ. art. 4. dum aſſerunt, quòd ſacra ſcriptura ſit regula fidei, non tam ex communi Eccleſiæ conſenſu, quàm ex interno teſtimonio & inſpiratione Spiritus Sancti, ſcilicet cuilibet privato facta.

Quamvis autem Acatholici videantur plus
III. tribuere ſynodo, ut & Calv. lib. 4. inſtit. cap. 9. §. 13. ubi dicit: *Multo plus ponderis habebit ejuſmodi definitio, in quam communiter paſtores Eccleſiarum invocato Spiritu Chriſti conſentiunt, quàm ſi quis ſeorſim domi conceptum populo traderet, &c.* ſubdit tamen Calv. ibid. *Hoc perpetuum eſſe nego, ut vera ſit & certa ſcripturæ interpretatio, quæ Concilii ſuffragiis fuerit recepta.* Et ideo ibidem §. 8 dicit, quòd quidem definitio ſynodi habeat aliquod præjudicium, id tamen ſingulorum fidelium examen impedire non debeat, adeòque ſingulis ultimatum judicium competat. Sed ubi hoc docet ſacra ſcriptura?

Quæſtio ſeptima. *ubi S. Scriptura aſſerit quod ſola* IV.
fides hominem coram Deo juſtificet, & ſalvet? ut vult Calv. lib 3. inſt. c. 2. §. 11. & 12. ut olim Eunomiani docentes homini nulla peccata nocere poſſe, modò fidem habeat. Ita refert Aug. lib. de hæreſ. c. 54. edit. Baſil. 1528.

Quæſtio octava. *ubi ſacra ſcriptura docet eſſe triplicem Fidem?* prout diſtinguit Calvin. lib. 3. inſt. c. 2. §. 9 ſcilicet *hiſtoricam*, quâ credantur omnia eſſe vera, quæ in ſacra ſcriptura ſcripta ſunt 2. *miraculorum*, qua credatur Chriſtum miracula vera feciſſe, & facere potuiſſe. Et 3. *juſtificantem particularem*, quam ita Calv. ibid. §. 7. definit: *quod ſit divinæ erga nos benevolentiæ firma certaque cognitio, quæ gratuitâ in Chriſto promiſſionis veritate fundata per Spiritum Sanctum revelatur mentibus noſtris, & cordibus obſignatur*, ut idcirco quilibet fidelis firmiter & certo per Spiritum Sanctum cognoſcat ſibi eſſe remiſſa peccata, ſe eſſe prædeſtinatum, & ſe infallibiliter ſalvandum eſſe: Ita etiam Acatholici in ſua confeſſ. art. 29.

Quæſtio nona. Iterum. *Ubi ſcriptum eſt, quod qui-* V.
libet fidelis credere debeat Deum Patrem non minùs ipſi in particulari favere, quàm proprio Filio & ipſum damnare non poſſe, niſi Chriſtus damnetur? ut loquitur Calv. in cap. 5. & 23. Joann. & in cap. 3. Matth. v. 20.

Quæſtio decima. Rurſus, *ubi ſcriptum eſt, quod illa Fides particularis ſola ſit juſtificans, vel hæc ſola coram Deo hominem juſtificet, & hæc ſit tam neceſſaria, ut ſublatâ ejus cognitione & Chriſti gloria extincta, & religio abolita, & Eccleſia deſtructa ſit, &c.* ut vult Calvin. libro quarto inſtit. capite 2. §. 1. Et ſpecialiter in Epiſt. reſponſoria ad Sadoletum. Ecce articulum fidei Acatholicorum opinione maximè neceſſarium, & baſin totius ipſorum ſtructuræ? Hunc clarè & apertè in ſacra ſcriptura nobis legant: Contrarium infrà proprio loco oſtendetur.

ARTICVLVS II.

Proponuntur aliæ quæſtiones circa doctrinam Calvini & Acatholicorum quam, cum antiquis Hæreticis communem habent, ut in ſcriptura oſtendantur.

QVæſtio prima. *ubi ſcriptura dicit. quod* I.
fomes peccati ſeu concupiſcentia poſt baptiſmum manens ſeu ipſa titillatio ad peccatum, licet nullus accedat conſenſus, verè ſit peccatum? ut vult Calvin. libro ſecundo inſt. cap. 8. §. 49. & 50. Item lib. 3. cap. 3. §. 10. ubi loquens de ſanctis Patribus, quid de concupiſcentia ſenſerint, dicit: *Neque opus eſt multum inveſtigando laborare, quid hic veteres ſenſerint, quando unus Auguſtinus ſufficere ad id poteſt, qui fideliter magnâque diligentiâ omnium ſententias collegit. Ex illo igitur ſumant lectores, ſi quid de ſententia antiquitatis habere certi velint. Porro inter illum & nos hoc diſcriminis videri poteſt intereſſe, quod ipſe quidem fideles concupiſcentiis teneri concedat, eum tamen morbum peccatum vocare non audet, ſed tunc demum fieri peccatum docet, ubi vel opus vel conſenſus ad conceptionem vel*

apprehensionem accedit: Nos autem illud ipsum, pro peccato habemus, quòd aliquâ omnino cupiditate homo contra legem Dei titilletur; imò ipsam pravitatem, quæ ejusmodi cupiditates nobis generat, asserimus esse peccatum. Docemus itaque in sanctis, donec mortali corpore exuantur, semper esse peccatum; quia in eorum carne residet illa concupiscentiæ pravitas, &c. & §. 11. dicit; *quod Sancti propter hoc peccatum merito sint peccatores, & coram Deo rei mortis æternæ, nisi Dei misericordiâ ab illius reatu liberentur, &c.* hæc Calv.

II. Ita olim docuit Proclus hæreticus, qui, ut refert Epiphanius hær. 64. docuerat *concupiscentiam verè esse peccatum, nec tolli per Baptismum, sed sopiri per fidem, ac peccatum, in renatis semper vivere*, cùm expressè dicatur Jacobi 1. v. 15. *concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum, peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Et August. lib. 1. retract. cap. 15. edit. Basil. 1528. ait: *Hoc peccatum de quo sic locutus est Apostolus, ideo vocatur peccatum, quia peccato factum est, & pœna peccati est, &c.* Ecce calumniam contra sacram Scripturam, & omnes sanctos Patres.

Quæstio secunda. ubi sacra Scriptura dicit, ut vult Calvinus lib. 2. cap. 8 §. 58. *quod nullum sit peccatum veniale, sed quando vel in minimo cupiditas animum pungit, vel titillat, maledictionem Dei mereatur.* Et addit dicens: *Non est igitur, quod vel levissimas cupiditates judicio mortis eximamus.* Et §. 57. concludit dicens: *Habeant filii Dei omne peccatum mortale esse, &c.* hæc ille. Beza in epist. Joann. cap. 5. v. 16. & Molinæus circa articulum 11. confessionis exprimit clariùs de istis, quòd minima qualiscunque mala cogitatio mulieris æternam mortem mereatur.

Sic olim docebant Pelagiani, quòd per quodlibet peccatum quantumvis levissimum perdatur justitia, & æterna damnatio mereatur, ut refert Hieron. lib. 1. contra Pelagianos.

III. Quæstio tertia. ubi sacra Scriptura dicit, *quod fidelium per Christi merita à Deo gratuito justificatorum ex gratia Dei antecedente & comitante, facta opera, non sint Deo grata, nec meritoria vitæ æternæ, quibus scilicet vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Christum misericorditer promissa, & tanquam merces ex Dei promissione non sit reddenda, sed potiùs mala & æternâ damnatione sint digna?* ut vult Calvinus lib. 3. instit. cap. 12 §. 4. dicens: *Qui autem serio tanquam sub Dei conspectu de vera justitiæ regula quærent, illi certo comperient omnia hominum opera, si sua dignitate conferantur, nihil nisi inquinamenta & sordes esse; & quæ justitia vulgo habetur, eam apud Deum meram esse iniquitatem quæ integritas censetur, pollutionem,* hæc ibi. Item ibid. cap. 17. §. 3. loquens de operibus bonis justorum dicit: *Deus aversus a servorum suorum operibus intuitu, quæ probrum magis quàm laudem perpetuo merentur, ipsos in Christo complectitur.* Item, *quod Deus ea ipsa* (opera) *cum venia suscipit non imputatâ imperfectione, quæ omnia inquinata peccatis magis quam virtutibus aliquin forent, &c.* hæc ibi. Sic & confess. Genev. cap. 4. §. 19. de his infrà agendo de bonis operibus.

IV. Quæstio quarta. ubi sacra Scriptura docet, *quod impossibile sit servare præcepta Dei*, sicut Calvin. lib. 2. cap. 7. §. 5. asserit dicens: *quod impossibilem legis observationem diximus, id est paucis verbis explicandum simul & confirmandum: solet enim vulgo absurdissima sententia videri, ut Hieronymus non dubitarit anathema illi denuntiare. Quid visum sit Hieronymo, nihil moror, &c.* hæc Calv. Ecce quanti faciat doctrinam sanctorum Patrum, qui juxta sacram Scripturam locuti sunt, tum alibi, tum 1. Joann. 5. v. 3. *Hæc est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus & mandata ejus gravia non sunt,* &c.

Quæstio quinta. ubi in sacra Scriptura legitur, *quod Christus Dominus de sua salute timuerit?* ut vult Calv. l. 2. instit. cap. 16. §. 12. dicens: *Hic nebulones quidam licet indocti, malitia tamen magis quàm justitia impulsi clamitant, me atrocem Christo facere injuriam, quia minime Christo consentaneum fuerit, eum de animæ salute timere, &c.* hæc ille. Vult autem hoc probatum ex locis sacræ scripturæ ubi dicitur: *Christus turbatus spiritu: & affectus mœrore: & cœpit in horto expavescere,* ut præ vehementia cruciatus guttæ sanguinis ex ejus facie fluxerint, *&c.* Item quod Apostolus ad Hebræos 4. v. 15. dicat, quòd Christus mediator sit expertus nostras infirmitates, ut ad succurrendum nobis propensior sit, & quòd sit tentatus per omnia absque peccato, *&c.* Hæc quidem verissima sunt, sed ubi in his dicitur, quòd Christus timuerit de animæ suæ salute? vel quâ evidenti consequentiâ hoc ex illis scripturæ locis infertur? cùm plures aliæ causæ omnium illorum dolorum fuerint absque tali timore, & quidem 1. Joann. 4. v. 18. dicatur: *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet, qui autem timet, non est perfectus in charitate, &c.* Quod maximè de timore propriæ salutis intelligitur. Cùm autem Christus perfectissimus in charitate sit, quomodo de propria sua salute timuit, præsertim cùm Calv. velit, quòd quilibet fidelis certâ & firmâ fide credere debeat se esse prædestinatum & salvandum? licèt autem ipse hæc simul consistere contendat ibid. nec Christo conveniunt, nec sacra scriptura docet.

Quæstio sexta. ubi dicit S. scriptura, *quòd Christus in horto orans ad inferos descenderit, & inferorum seu damnatorum pœnas sustinuerit, & hoc intelligatur per articulum in symbolo: Descendit ad inferos?* ut vult Calv. ibid. §. 12. dicens; *Si nunc roget quispiam, an tunc descenderit Christus ad inferos, quum mortem deprecatus est? Respondeo hoc fuisse exordium, unde colligi potest, quàm diros & horribiles cruciatus perpessus fuerit, quum se ad Dei tribunal reum stare cognosceret nostrâ causâ &c.* Et §. 10. dicit: *Nihil autem erat, si corporea tantùm morte Christus defunctus fuisset, sed operæ pretium erat, ut divinæ ultionis severitatem sentiret; Et, unde eum oportuit etiam cum inferorum copiis æternæque mortis horrore luctari.* Et infrà: *Propheta significat in locum sceleratorum sponsorem, vadem adeoque instar rei submissum, qui dependeret ac persolveret omnes, quæ ab illis expetendæ erant, pœnas: uno hoc duntaxat excepto, quod doloribus mortis non poterat detineri;* quasi diceret: quòd Christus easdem prorsus pœnas, quas damnati patiuntur, senserit, solùm excepto, quod non semper in illis manserit, quod Marloratus in psal. 22. & catechismo parvo Dominica 10. in respons. ad 2. sic declarat: *Sed quomodo fieri potuit, ut Jesus Christus, qui est salus mundi fuerit in tali damnatione?* Respondit: *Non fuit in illa, ut ibi maneret.* Cæterùm Calvinus suprà sic pergit: *Ut sciamus non modo Corpus Christi in pretium redemptionis fuisse traditum, sed aliud majus & excellentius pretium fuisse, quod diros in anima cruciatus damnati & perditi hominis pertulerit.* Et §. 11 *Hoc sensu dicit Petrus Christum re-* V:

 surre-

surrexisse solutis mortis doloribus, à quibus impossibile erat ipsum teneri vel superari. Et infrà: *Nec dubium, quin idem docere velit Apostolus ad Hebr. Christus ergo cum lachrimis & clamore valido orans à metu suo exauditur, non ut à morte sit immunis, sed ne absorbeatur, ut peccator. Et certè nulla fingi potest magis formidabilis abyssus, quam sentire te à Deo derelictum & alienatum; eo Christum videmus fuisse dejectum, ut coactus fuerit urgente angustia exclamare:* Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? *quod enim nonnulli volunt ex aliorum potiùs opinione, quàm ex proprio sensu sic locutum fuisse, nequaquam probabile est, quum ex intimo animi angore deductam fuisse vocem constet,* hæc ille.

VI. Consideret pius lector ista verba: *Si omnes damnatorum pœnas Christus sustinuerit, & non possit magis formidabilis abyssus fingi, &c.* utique vult, quòd Christus de sua salute ad tempus desperaverit; quia illa est maximè formidabilis abyssus sentire & cogitare se à Deo abjectum, & proinde desperare; qualitercunque Calvinus se explicare contendat.

Verum ubi S. Scriptura hæc dicit? ubi SS. Patres illa loca scripturæ sic explicant? nónne poterat Christus gravissimè in anima etiam affligi propter peccata nostra, & satisfacere, & sic in cruce verè exclamare absque eo, quòd sentiret se à Deo derelictum, & ne absorberetur ut peccator, vel sentiret Deum sibi iratum, vel ut ipsos damnatorum cruciatus sustineret? Quomodo ergo hæc in scriptura habentur, vel ex illa per evidentem consequentiam deducuntur? Quamvis Calvinus excipiat, se nolle dicere, quòd Christus verè desperaverit, sed adhuc in Deum plenam fiduciam habuerit, hoc quidem, nisi planè blasphemus haberi voluisset, dicere debuit, sed illa quæ dixit, Christi animæ non conveniunt, nec ex locis S. Scripturæ necessariò vel manifestè deducuntur. Nec etiam oportebat Christum damnatorum pœnas subire; cùm non opus esset illas experiri, ut illis compateretur, quod Paulus ad Hebr. suprà indicat Christum expertum esse infirmitates nostras, scilicet humanas, quas in hac vita homo patitur, ut nobis sciret compati.

Quamvis autem Calvin. locis citatis desperationem à Christo amoveat, satis tamen id in verbis allegatis & clariùs in cap. 26. Matt. v. 39. indicat asserens: *Quod & Christus æterni Patris consilium resolvi postularit, quantùm in se fuit, Mediatoris sibi divinitus injuncto munere fungi renuerit,* &c. *Et quod his non contentus cogitationum pravarum mentis ad ipsam etiam exterioris peccati culpam voce, votoque abrupto, in quo nulla apparebat placida moderatio, quod proinde corrigere & revocare ac castigare par fuit, progressus sit.* Item, *quod inops consilii horrore divinæ maledictionis perculsus in uno dolore ita occupatus fuerit, ut nihil aliud cogitarit; sic animo dejectus, ut urgente necessitate coactus fuerit clamare desperabundè:* Deus meus, &c. *Desperatione denique obrutus ab invocando destiterit.* Hæc Calvin. in cap. 26. & 27. Matt. & in Harmonia.

VII. Ecce qualis explicatio illius articuli in symbolo: *Descendit ad inferos.* In quo (ut ait Calvin. ibid. § 8. loquens de hoc articulo) animadvertendum, ut plena & omnibus numeris absoluta fidei summa vobis constet, in quam nihil ingrediatur, nisi ex purissimo Dei verbo positum, &c. ubi purissimum Dei verbum istam exprimit?

Quæstio septima. Vbi S. Scriptura docet vel prohibet, ne Christi personæ supplicemus, eo quod in Euangelio juxta Calvinum in sua Harmonia nusquam Christo divinus honor sit exhibitus. Vel ubi S. Scriptura dicit, *quod Christus ad dexteram Patris sedere dicatur, hoc temporale est, donec præsenti divinitatis aspectu perfruamur?* ut vult Calvin. lib. 2. inst. cap. 14. §. 3. subjungens: *Atque hic excusari non potest veterum error, &c.* quasi omnes SS. Patres errârint, qui non attenderint doctrinam, quam ipse ibi de Christo tradit, ubi subjungit: *Sit nobis hæc intelligentiæ nostræ clavis, neq; de natura divina neq; de natura humana simpliciter dici, quæ ad Mediatoris officium spectant; regnabit ergo Christus, donec prodierit mundi judex.* Et infrà: *Et tunc perfunctus Mediatoris officio, eâ gloriâ contentus erit, quâ pollebatur ante mundum conditum.* Et infrà: *Cui temporale imperium à Patre mandatum est:* Et deinde: *Tunc desinet Caput Christi esse Deus, &c.* hæc ibi. Vbi autem hæc S. Scriptura tradit? ubi hæc SS. Patres docuerunt, quos arguit, quòd hanc doctrinam ignorarint, & errârint?

ARTICVLVS III.

Proponuntur quæstiones circa Calvini doctrinam de prædestinatione ex S. Scriptura ostendendam.

Quæstio prima. Vbi scriptura docet, quòd aliqui homines nudo Dei arbitrio sine ulla prævisa culpa ad æternam damnationem prædestinentur? I.
sic vult Calvin. lib. 3. inst. cap. 23. §. 2. ubi cùm sibi objiciendo dixisset: *Esse igitur, cur cum Deo expostulent homines, si omnia de ejus arbitrio citra proprium meritum, in æternam mortem veniant,* &c. paulò pòst ait: *Vbi ergo quæritur, cur ita fecerit Dominus, respondendum est, quia voluit,* & §. 2. sic dicit: *Si non possumus rationem assignare cur suos misericordia dignetur, nisi quoniam ita illi placet, neque etiam in aliis reprobandis aliud habebitur, quàm ejus voluntatem, &c.* hæc ille, sed ubi hæc scriptura tradit?

Quæstio secunda. Vbi in S. Scriptura legitur, quòd Deus aliquos homines impellat & necessitet ad peccandum? ita Calvin. lib. 1. inst. cap. 18. §. 2. de quibusdam dicit: *Apparet certâ Dei destinatione fuisse impulsos scilicet ad peccandum.* Et infrà: *Fateor quidem interpositâ Sathanæ operâ sæpe Deum agere in reprobis; sed ut ejus impulsu Sathan ipse suas partes agat, &c.* & postea dicitur etiam idem Sathan excæcare infidelium mentes, sed unde hoc? *nisi quod à Deo ipso manat efficacia erroris, ut mendaciis credant, &c.* & § 4. concludendo dicit: *Hic* (homo) *justo illius* (Dei) *impulsu agit quod sibi non licet.* Item lib. 3. inst. cap. 23. §. 9. sic ait: *Excusabiles peccando haberi volunt reprobi: quia evadere nequeunt peccandi necessitatem, præsertim cùm ex Dei ordinatione sibi injiciatur hujusmodi necessitas: Nos verò inde negamus ritè excusari, &c.* hæc Calvin. II.

Quæstio tertia. Vbi S. Scriptura tradit, *Deum esse peccatorum auctorem?* Hoc quidem Calvinus subinde negat ex sua doctrina sequi: sed nimis evidenter ex prædictis sequitur, quod ipse etiam expressè asserere non veretur, lib. 1. inst. cap. 18. §. 3. dicens: *Iam satis apertè ostendi Deum voca-*

vocari omnium eorum auctorem, quæ isti censores volunt otioso ejus permissu contingere, &c. hæc ille. At verò Catholici, quos censores vocat, docent, quòd sola peccata solo Dei permissu fiant, non otioso, sed sapiente & justo: quæ Calvinus vult Deo volente, impellente, necessitante & auctore fieri, *&c.* quid horribiliùs dictu? Hanc Calvini fuisse mentem Calvinistæ fatentur, & aliqui ipsum sequuntur, inter quos Hieron. Zanchius lib. 5. de natura Dei, cap. 2. & plures alii, ut ex communi experientia constat, licèt aliqui non sequantur, quod evidenter ostendit decretum Dominorum Generalium statuum Hollandiæ anno 1660. Hagæ Comitis in Hollandia idiomate Germano Belgico impressum, cujus titulus est: Resolutio der Ed. Gro. Mog. Herten Staadten van Holland ende Westvriesland

III. roo den vreden der Kercken, seu Latinè: *Resolutio Nob. potent. Dominorum statuum Hollandiæ & Frisiæ occidentalis, ad pacem Ecclesiarum.* Verba decreti Latinè reddita sic habent: *Cùm plures lites & dissensiones in Ecclesiis harum provinciarum causata fuerint super diversis expositionibus de quibusdam S. Scripturæ locis loquentibus de æterna Dei prædestinatione, & quæ inde dependent, unde graves disputationes secutæ, imò tantæ, ut aliqui juxta verba illorum directè vel indirectè doceant, quod Dominus Deus aliquos homines creaverit ad damnationem, homines ad peccata necessitet: aliquos etiam ad salutem cogat vel necessitet, quibus planè decreverat salutem non dare, &c. Aliqui vero alia doceant, quod homo ex suis naturalibus viribus salutem operari possit: quorum utrumque ad Dei contumeliam, & nostræ reformatæ Christianæ Ecclesiæ ignominiam cedit, nostræ sententiæ contrarium, &c.* hæc ibi. Et infrà: *Domini mandant prædicantibus ut juxta S. Scripturam doceant, quod salutis humanæ initium non naturalibus viribus vel operibus, sed gratiæ Dei in Christo Iesu Salvatore tribuendum sit: Deinde quod Deus omnipotens nullum hominem creaverit ad damnationem, nullúmque hominem ad peccatum necessitet, &c.* hæc in prædicto decreto.

IV. Vnde patet primò, quòd plures inter Calvinistas fuerint, qui illam Calvini doctrinam secuti sint, quam tamen Domini statuum abominabilem & detestandam judicarint, in his Ecclesiæ Catholicæ Romanæ consentientes, quæ talem doctrinam semper damnavit.

Secundò patet, quòd S. Scriptura non sit cuilibet evidens & clara, cùm Domini statuum fateantur, quod tot lites & difficultates ob contrarias S. Scripturæ expositiones inter prædicantes causatæ fuerint.

Tertio, videant Acatholici, qualem fidei suæ Doctorem Calvinum habeant: qui tam horrenda juxta ipsorummet sententiam in re tam gravi contra Deum docuit, secutus antiquos hæreticos, imo ipsis Manichæis perversior, ut statim patebit.

V. Cæterùm Florinus Valentinianus hæreticus olim docebat: *Deum esse peccatorum causam*; quam plus quàm hæresin Irenæus dicit apud Euseb. lib. 5. histor. cap. 20. Idem docebat Simon Magus, ut refert Vincentius Lyrinensis in suo commentario cap. 34. S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 22. in Biblioth. PP. tom. 6. in initio. Manichæi nolentes libero hominis arbitrio peccati causam adscribere, sed nec Deo vero id attribuere audentes, *alium fingebant Deum malum, quem auctorem mali dicebant*; ita D. August. passim refert, & specialiter lib. de hæresibus n. 46. edit. Basil. 1528. sub finem.

ARTICVLVS IV.

Proponuntur aliæ quæstiones circa Calvini & sectatorum ejus doctrinam ex S. Scriptura probandæ cum antiquis hæreticis communes, & Ecclesiæ Catholicæ contrariæ.

Quæstio prima. Vbi docet S. Scriptura, *quod is, qui semel veram fidem accepit, nunquam ab ea excidere possit, & soli electi gratiam Dei accipiant, ita ut alii, ne quidem ad tempus, illam obtineant?* ut vult Calvin. in cap. 5. Joann. & in cap. 3. Matt. & confessio Genevensis cap. 4. art. 20. vel ut loquitur Calv. lib. 3. inst. cap. 2. §. 11. *Ergo ut solos electos semine incorruptibili Deus in perpetuum regenerat, ut nunquam dispereat semen vitæ eorum cordibus insitum, &c.* Et addit, quod tale semen alii non accipiant, scilicet gratiam, licèt videantur habere, item §. 12. *Nec certè longius quàm ad electos patet illud Pauli: Diffusa est charitas Dei in corda vestra per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, &c.* I.

Idem eodem lib. cap. 24. §. 6. sic ait: *Iam ubi pronunciat (Christus) omnis arbor, quam non plantavit Pater meus, eradicabitur*; ex opposito innuit, nunquam posse à salute avelli, qui radicem in Deo habent, & infrà; *Neque hoc dubium est, quum orat Christus pro omnibus electis, quin idem illis precetur, quod Petro, ut nunquam deficiat fides eorum, &c.* hæc Calvin. sed ubi hæc in scriptura leguntur? Ita olim docuit Jovinianus, scilicet quod justi post Baptismum non possint peccare; & si fortè peccent, eos quidem fuisse lotos aquâ spiritum autem gratiæ minimè recepisse, ita refert August. hæresi 82.

Quæstio secunda. Vbi S. Scriptura docet, *quòd Christus duo tantùm Sacramenta instituerit, ut Baptismum & cœnam Domini?* ut vult Calvin. lib. 4. inst. cap. 18. §. 19 dicens: *De duobus Sacramentis Baptismo & Eucharistia, præter hæc duo, ut nullum aliud à Deo institutum est, ita nec ullum agnoscere debet fidelium Ecclesia.* Sed ubi hoc dicit scriptura, vel hunc numerum præcisè excludendo plura exprimit? II.

Quæstio tertia. Vbi S. Scriptura dicit, *quod potestas clavium, quam Christus in Euangelio Apostolis & successoribus eorum dedit ligandi & solvendi, vel remittendi peccata nihil aliud sit, quàm quod ministri Christi legatione fungantur, ut annuncient fidelibus esse remissa peccata?* ut Calvin. ait lib. 3. inst. cap. 4. §. 14. & addit: *Cùm de clavibus agitur, semper cavendum est, ne facultatem aliquam somniemus ab Euangelii prædicatione separatam, &c.* ita olim Novatiani, qui negabant aliam esse in Ecclesia potestatem reconciliandi peccatores Deo, quàm per Baptismum, *&c.* ut in materia de Sacramento pœnitentiæ patebit.

Quæstio quarta. Vbi S. Scriptura dicit, *quod verba Christi de V. Sacramento Eucharistiæ*, hoc est corpus meum, *solùm intelligenda sint de signis corporis Domini? & quod in Ecclesia signa seu symbola Dominici corporis tantùm ore corporali sumantur. corpus vero Christi sub specie panis nullo modo ab Apostolis ore corporali acceptum sit, vel a fidelibus accipiatur sed sola fide percipiatur in cælo remanens?* ut vult Calvin. III.

l. 4.

Digitized by Google

l. 4. inst. cap. 17. §. 32. Beza lib. de re Sacram. q. 9. ita olim Berengariani.

Quæstio quinta. Vbi S. Scriptura docet, *quod sacrificium Missæ Corporis & Sanguinis Domini in Ecclesia Catholica offerri solitum sit abominabilis Idololatria?* ut vult Catechismus Heidelbergensis.

Quæstio sexta. Vbi S. Scriptura *horribilis idololatriæ illos damnat, qui Christum in Eucharistia verè credunt realiter præsentem, & in ipsa illum adorant?* ut volunt Acatholici.

Quæstio septima. Vbi prohibet S. scriptura, *ne sancti Apostoli vel Martyres in cælo cum Christo regnantes invocentur, ut Deum pro nobis orent?* ubi docet, *vel hoc in injuriam Christi Mediatoris fieri?*

IV. Quæstio octava. Vbi in sacra scriptura *cultus S. Crucis vel reliquiarum Sanctorum aut veneratio imaginum Sanctorum nefariæ superstitionis arguitur?*

Quæstio nona. Vbi sacra scriptura dicit, *quod purgatorium sit Sathanæ commentum? vel quod nullus sit status vel locus verus post hanc vitam temporalis, in quo ad tempus animæ pœnas prius subeant, quàm ad cælum perveniant?* ita olim Aëriani negantes orandum pro defunctis, ut refert Augustinus.

Quæstio decima. Vbi sacra scriptura docet, & mandat, *quod illi, qui dudum deliberatâ voluntate, & invocata Dei gratiâ, de eaque confisi votum perpetuæ castitatis emiserunt, si sentiant posteà se à carne sua inquietari non tantùm quoad corpus, sed etiam quoad mentem, ad conjugium possint & debeant transire?* ut vult Calvin. lib. 4. inst. cap. 13. §. 17. An tales per conjugium quietabuntur, cum Apostolus dicat de talibus 1. Cor. 7. v. 28. *Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi?* Et in conjugio, prô dolor, plurimi inveniantur ad incontinentiam proni, qui propriâ non contenti, adulterantur sæpissime, tam mente, etiam in ipso actu conjugali, quàm etiam corporaliter. Quid illi facient? an plures conjuges ducent? Et si per tale conjugium carnis tentatio tolleretur, vel mederetur, an ideo conjugium sanctè initum violandum? an facienda mala ut eveniant bona? cùm alia plura sancta media dentur ad superandas carnis tentationes, quibus Sancti usi sunt; scilicet oratio, jejunium & corporis castigatio, prout Apostolus se fecisse testatur. 1. Cor. 9. v. 27. dicens: *Castigo corpus meum & in servitutem redigo.* Et 2. Cor. 12. v. 7. dum datus illi erat stimulus carnis: *Propter quod ter Dominum rogavi, &c.* ubi Christus non monuit ut nuberet, sed resisteret dicens: *Sufficit tibi gratia, nam virtus in infirmitate perficitur, &c.*

V. Similes quæstiones verissimè institui possent circa omnes Acatholicorum articulos fidei, in quibus ab Ecclesia Catholica dissident. Verùm quia Acatholici respondere solent, quòd omnia illa eorum dogmata sufficienter in sacra scriptura contineantur, vel saltèm verba S. scripturæ in illorum sensu sint intelligenda, aut saltèm per evidentes aut necessarias consequentias ex verbis sacræ scripturæ deducantur.

VI. Quæritur ultimò. Vbi S. Scriptura docet, *quod in illorum sensu verba S. Scripturæ sint intelligenda? vel, quod consequentiæ, quas ex S. Scripturæ verbis inferunt, sint evidentes & necessariæ* & de fide credendæ?

Constat autem primò, quòd Acatholici nullum suum dogma Catholicæ Ecclesiæ contrarium expressis verbis in sacra scriptura legant.

Constat etiam secundò, quod sacra scriptura non exprimat in generali vel speciali, quod sensus Acatholicorum circa verba sacræ scripturæ sit à Spiritu sancto intentus.

Denique nec S. Scriptura testatur, quod ipsorum consequentiæ sint evidentes & necessariæ, & re ipsâ certum est, quòd fallaces sint & opiniones humanæ, ac falsæ. Ex quibus evidens manet, quòd omnia Acatholicorum dogmata, in quibus à S. Romana Ecclesia dissident, fallacia & falsa sint hominum documenta, qui tamen tantopere clamitant se solum purissimum Dei verbum amplecti, se nihil nisi in sacra scriptura clarè & expresè contentum pro fidei dogmate recipere. Interim omnia sua dogmata extra & contra sacram scripturam nuper à Luthero & Calvino tradita pro puro Dei verbo obtrudunt; Ac verum Dei verbum ab Apostolis prædicatum, & in Ecclesia ab illorum tempore communi SS. Patrum testimonio conservatum reprobant, & tanquam humana figmenta condemnant. VII.

Vt autem compendiosè & breviter constet, quòd plura ab Apostolis non scripto, sed oretenus Ecclesiæ tradita antiqua Ecclesia & SS. Patres juxta sacram scripturam tradiderint & docuerint; aliquot antitheses subjungemus, in quibus velut in speculo veritas Ecclesiæ Catholicæ & falsitas Acatholicorum conspicienda sit.

ANTITHESES.

In quibus veritas Ecclesiæ Catholicæ Romanæ circa verbum Dei traditum, & falsitas Acatholicorum proponitur juxta unanimem SS. Patrum sententiam.

1. *Sancti Patres crediderunt & docuerunt juxta sacram scripturam*, quòd Apostoli plura ad fidem & mores spectantia prædicarint, quæ in sacra scriptura non sunt expresè contenta: *Ita etiam credit & docet Ecclesia Catholica Romana.* I.

Acatholici hoc ipsum concedere debent, licèt sæpe negent.

2. *SS. Patres docuerunt*, quod diversi ritus & cæremoniæ ab Apostolis in Ecclesia fuerint institutæ, & ad nos usque pervenerint, quæ in sacra scriptura non exprimantur. *Ita docet Ecclesia Catholica*; Acatholici & hoc concedunt.

3. *SS. Patres crediderunt & docuerunt*, quod non solùm aliqui ritus liberi ab Apostolis fuerint instituti & traditi, sed etiam diversa dogmata tam quoad fidem, quàm mores necessaria ab Apostolis prædicata, nec in sacra scriptura expresè contenta ad posteros pervenerint. *Ita etiam credit & docet Ecclesia Catholica.* Acatholici hoc simpliciter negant cum hæreticis antiquis.

Quartò, *SS. Patres docuerunt*, quòd prædicta dogmata Apostoli partim ab ipso Christo acceperint, partim Spiritu Sancto inspirante prædicarint & instituerint, ac proinde ut verum & purum Dei verbum pari pietate & fide cum verbo Dei in sacra scriptura expresso sint veneranda & recipienda. *Ita etiam credit & docet Ecclesia Catholica.* II.

Acatholici absolutè negant, quod aliquid ut verbum Dei in Ecclesia sit recipiendum, nisi in sacra scriptura expresè contentum, ita etiam antiqui hæretici.

Quin-

Digitized by Google

Quintò, *sancti Patres* dogmata fidei & morum necessaria oretenus ab Apostolis prædicata & in sacra scriptura non expressa vocant verbum Dei traditum, seu traditiones Apostolicas, licèt postea plura à SS. Patribus fuerint conscripta. *Ita etiam Catholica ecclesia.*

Acatholici negant ullum Dei verbum traditum necessarium, ita etiam antiqui hæretici.

III. Sextò, *sancti Patres* plures fidei articulos contra hæreticos ex verbo Dei ab Apostolis oretenus Ecclesiæ commendato, nec in sacra scriptura expresso, sed in Ecclesia conservato probarunt. *Ita etiam Ecclesia Catholica agit.*

Acatholici nullam probationem ex verbo Dei tradito agnoscunt. *Ita olim Ariani & alii hæretici.*

Septimò, *sancti Patres professi sunt*, quòd plura fidei dogmata circa SS. Trinitatem & alia expresse in sacra scriptura non exprimantur, quæ ex verbo Dei tradito clarissimè constarent. *Ita Ecclesia Catholica profitetur.*

Acatholici admittunt eadem fidei dogmata necessaria, & tamen omne verbum Dei traditum rejiciunt & damnant.

Octavò, *S. Augustinus* (ex quo juxta Calvini sententiam Lectores sumant, si quid de sensu antiquitatis habere certi velint) *profitetur*, quod consuetudo in baptizandis parvulis credenda omnino non esset, nisi Apostolica esset traditio. *Ita etiam Catholica Ecclesia.*

Acatholici credunt parvulos baptizandos, & negant traditionem Apostolicam.

IV. Nonò, *sancti Patres* verum sacræ scripturæ sensum à Spiritu Sancto intentum ex verbo Dei tradito desumendum asseruerunt; *Ita etiam Ecclesia Catholica.*

Acatholici volunt verum S. scripturæ sensum ita claré agnosci sicut lux, vel dulcedo, *&c.* vel ultimatè ad privatum cujuscunque dictamen remittunt: *Ita etiam antiqui hæretici.*

Decimò, *SS. Patres veros sacræ scripturæ libros*, & sine depravatione ad posteros devenisse ex verbo Dei ab Apostolis tradito agnoverunt. *Ita etiam Ecclesia Catholica.*

Acatholici profitentur se habere veros sacræ scripturæ libros, & illibatos, quod tamen in ipsa sacra scriptura expresse non dicitur; nec tamen verbum traditum plerique illorum in hoc agnoscunt.

V. Undecimò, *SS. Patres* nullas admiserunt vel recognoverunt traditiones Apostolicas, vel ullum aliud Dei verbum traditum quàm quod certò constaret ab Apostolorum tempore in Ecclesia conservatũ, & de manu ad manum SS. Patrum traditum, & ideo sæpe quasdam hæreticorum ab ipsis nuper inventas traditiones & Apostolicis contrarias rejecerunt. *Ita etiam Ecclesia Catholica.*

VI. *Acatholici* rejiciunt traditiones Apostolicas, seu verbum Dei traditum, quod semper in Ecclesia conservatum, fusè constat, & amplectuntur traditiones seu dogmata fidei & morum, quæ nequaquam ab Apostolis sunt in S. scriptura expressa, nec Ecclesiæ ab initio commendata, nec per sanctos Patres ad hæc tempora devenerunt, sed vel ab antiquis hæreticis, vel ab ipsorum Antesignanis Luthero & Calvino sunt inventa, quales sunt omnes articuli, in quibus ab Ecclesia Catholica dissentiunt, ut hactenus ostensum est.

CONCLUSIO.

De verbo Dei non scripto seu traditionibus Apostolicis.

Demonstratũ est hactenus tam ex ipsa S. scriptura, & unanim SS. Patrum doctrina, quàm ex pluribus fidei articulis, quos Acatholici cum Ecclesia Catholica Romana profitentur, quod plura dogmata ad fidem & mores necessaria ab Apostolis prædicata & tradita, nec tamen in S. scriptura expressa, ad hodiernum usque diem in Ecclesia sint conservata, quæ traditiones Apostolicæ à sanctis Patribus vocantur, & verè sunt purum Dei verbum, sicut & illud, quod in S. scriptura est expressum, cùm utrumque ab Apostolis Spiritu Sancto inspirante sit promulgatum, nec hoc illi ullatenus contrarium, sed conforme sit. I.

Ex quibus patet primò, quod totum purum Dei verbum in S. scriptura non sit expressum.

Secundò, quòd non omnis fidei doctrina in S. scriptura non expressa, sit abominabilis & Anathema, ut vult Lutherus.

Tertiò, quod falsissimum sit illud à Calvino statutum axioma: Non aliud esse habendum Dei verbum, cui in Ecclesia locus detur, quàm quod lege, Prophetis & scriptis Apostolicis continetur. II.

Quartò, quòd S. scriptura non sit sola & unica fidei & morũ norma aut regula absolutè, cum aliquæ sint traditiones Apostolicæ quæ licèt non sint necessariæ, sunt tamen credendæ, eo quod omne Dei verbum sit firmiter credendum, licèt non omnibus scitu sit necessarium.

Quintò, quod etiam S. scriptura non sit unica fidei & morum norma in necessariis ad salutem & cultum, ut vult D. Anonymus cum Acatholicis, qui frustra illam distinctionem sine auctoritate S. scripturæ fingunt, cùm etiam aliquæ traditiones necessariæ sint.

Sextò, quod Anonymus cum Acatholicis falsissimò calumnietur Religionem Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, quasi in eo quod Ecclesia traditiones Apostolicas ut verum Dei verbum suscipit, in eoque etiam fidem fundat, præter S. scripturam humanis fulcris ac traditionibus ac Pontificum decretis nitatur: Cùm Ecclesia Catholica quidem hujusmodi decreta ut verbo Dei conformia respiciat, sed nõ pro verbo Dei proponat, sed solùm ea, quæ ab Apostolis tradita, dignoscit. III.

Septimò patet fraus & mendacium Acatholicorum, dum absolutè jactitant, quod ipsorum prætensa Religio unicum & tutissimum habeat fidei fundamentum solum S. scripturæ, eo quod plura cum moderna & antiqua Ecclesia Catholica credant, quæ in S. scriptura non sint expressa.

Octavò patet mendacium, quia plura de fide certa credunt, quæ nec in S. scriptura sunt expressa, nec ex verbo tradito Apostolorum habent, nec ab Ecclesia antiqua credita sunt, ut ostensum est.

Nonò patet etiam fraus Anonymi, dum dicit: *quod religio prætensè reformatarum ecclesiarum unicum quidem habeat fidei fundamentum, scilicet sacram scripturam, licèt aliis utatur subalternis declarationibus*: cùm nec declaret, qualiter utantur declarationibus, & an ad fidem sint VI.

Digitized by Google

sint necessariæ? revera autem istæ declarationes sint ipsorum fidei articuli, quos per falsas consequentias ex sacra scriptura deducunt, ac proinde nituntur humanis fulcris, & opinionibus falsis.

Decimo patet, quàm injustè & arroganter Acatholici ab Ecclesia Catholica semper expostulent cum antiquis hæreticis, ubi hoc vel illud sit scriptum? vel ubi in sacra scriptura legatur? quod scriptum, est credo, aliàs minimè, cùm tamen Ecclesia Catholica moderna cum antiqua semper crediderit, quòd non omne Dei verbum in sacra scriptura sit expressum, & tamen plures fidei suæ articulos in sacra scriptura clarè expressos ostendat, quos Acatholici negant: Ipsi verò nullos articulos, in quibus ab Ecclesia Catholica dissentiunt, in S. scriptura clarè expressos legant.

Vltimatè patet, quanta sit Ecclesiæ Catholicæ modernæ cum antiqua in fidei fundamento, seu in Dei verbo uniformitas & identitas, quàm longè verò ab antiqua Ecclesia Acatholici declinarint, & defecerint; ac proinde, quam falsò D. Anonymus asserat, quòd Catholica Ecclesia agnoscat Acatholicorum religionem in parte positiva antiquam, & veram, & quòd illa, quæ Ecclesia Catholica ulterius credit, sint fictitia, & antiquæ Ecclesiæ fuerint incognita, prout in particulari tractando articulos controversos magis patebit. V.

CAPVT V.

De verbo Dei scripto seu de libris canonicis sacræ scripturæ.

ARTICVLVS I.

Referuntur varii errores & dubia, quæ olim fuerunt circa libros sacræ scripturæ.

I. Sciendum, quòd ab initio Ecclesiæ illi, qui hæresin invehere nitebantur, sacræ scripturæ libros aliquos vel respuebant ut apocryphos, vel ad suos errores detorquebant, ut testatur Tertullianus lib. de carne Christi, & lib. de præscriptionibus edit. Basilien. 1562.

Primò, *Simoniani* & *Marcionistæ* totum vetus testamentum ut à Deo malo dictatum respuebant, teste *Irenæo* lib. 1. cap. 20. quos postea secuti sunt *Manichæi*, ut refert *Epiphanius* hæres. 66. *August.* lib. contra Faustum Manichæum, & aliis multis locis.

Secundò, *Nicolaitæ & Gnostici* psalmos David repudiabant.

Tertiò, *Iudæi* librum Job inter sacræ scripturæ libros non reputant, ut patet in Thalmud ord. 4. tract. 3. quos *Lutherus* secutus in sermonibus convivalibus tit. de Patriarchis & Prophetis, dicens, *se non credere omnia ita esse gesta, ut in libro Iob referuntur.*

II. Quartò, aliqui hæretici librum *Ecclesiastæ & Canticum canticorum* tanquam lascivos repudiant, ut refert Philastricius in catalogo hæres. cap. 132. Alii prophetiam Danielis non recipiebant; teste *Hieron.* in præfat. Dan. edit. Basil. 1553.

Quintò, similiter quoad libros novi testamenti *Manichæi* dicebant illos non ab Apostolis, sed à quibusdam impostoribus scriptos, & multa falsa continere, ut testatur *Augustinus* lib. 32. contra Faustum cap. 27.

Sextò, alii *tres Euangelistas tantùm* recipiebant, Joannis Euangelio rejecto, ut refert *Epiphan.* hæres. 51. edit. Basil 1560.

Septimò, *Cherinthi* solius Marci utebantur. *Marcionistæ* solum Lucam probabant, teste *Irenæo* lib. 3. cap. 11. edit. Colon. 1569.

Octavò, *Ebionitæ omnes Pauli epistolas* contemnebant teste *Epiphan.* hæres. 30. *Ariani* epistolam *ad Hebræos* nec Pauli nec sacram esse volebant, teste *Theodoreto*, quos sequitur *Lutherus* in prologo ad illam epist.

III. Nono, de epistola *Iacobi, Iudæ* & 2. *Petri* olim aliqui dubitarunt, ut refert *Hieronymus* in lib. de viris illustribus edit. Antw. 1579. Sed in prologo *Lutherus* cum suis epistolam Jacobi & Judæ rejiciunt.

Decimo, *Apocalypsin* olim *Marcionistæ* repudiabant teste *Tertulliano* lib. 4. contra Marcionem edit. Paris. 1584. *Lutherus* in præfat. antiquiore novi testam. similem illam judicat libro 4. Esdræ quem tamen Calvinus recipit.

IV. Sciendum etiam, quòd aliqui sancti Patres subinde de quibusdam sacræ scripturæ libris ut de libris *Iudith, Esther, Baruch, Tobiæ, Sapientiæ, Ecclesiastici & Machabæorum* dubitasse videantur, ut *Melito, Athanasius, & Gregorius Nazianzenus*, qui catalogum sanctorum librorum recensentes illos libros omiserunt. *Hieron.* de illis dubitasse videtur, referens Judæos illos non recipere in prologo galeato.

Sic etiam aliqui sancti Patres dubitasse videntur de quibusdam novi testam. libris, vel eorum partibus, ut de ultimo capite Marci, *Hieronymus & Hilarius* lib. 10. de Trinitate de initio octavi capitis Joann. quoad historiam adulteræ, ut *Eusebius* lib. 3. histor. cap. 39.

Item de epist. ad *Hebræos* an Pauli esset; ita aliqui Patres Latini teste *Hieron.* lib. de viris illustribus. Imò aliqui illam planè videntur negasse, quia nunquam illam allegarunt recensendo catalogum S. scripturæ, ut *Tertullianus, Cyprianus, Lactantius & Arnobius*, &c.

V. De epistolis *Iacobi, Iudæ* & 2. *Petri* & 2. & 3. Joannis etiam aliqui Patres olim dubitarunt teste *Eusebio* lib. 2. histor cap. 23. & postea aliqui Catholici Doctores, ut *Cajetanus* præter Erasmum, *&c.*

Demum circa *Apocalypsin* olim aliqui Patres dubitarunt, teste *Eusebio* lib 3. histor. cap. 28. imò plures Patres Græci de hoc dubitarunt, sicut aliqui Latini de epist. ad Hebr. teste *Hieron.* in epist. ad Dardanum.

Cæte-

Cæterùm omnes alii sancti Patres ab initio Ecclesiæ omnes enumeratos libros canonicos vel expresse dixerunt, vel ut tales in rebus fidei allegarunt, prout ostendetur.

ARTICVLVS II.

Proponitur & declaratur sententia Ecclesiæ Catholicæ circa libros sacræ scripturæ.

I. FIdem circa scripturas divinas & canonicas Concil. Trident. sess. 4. sic profitetur: *S. œcumenica & generalis Tridentina Synodus, &c. hoc sibi perpetuo ante oculos proponens, ut sublatis erroribus, puritas ipsa Euangelii in Ecclesia conseruetur: quod promissum antè per Prophetas in scripturis sanctis, Dominus noster Iesus Christus Dei Filius, proprio ore primum promulgauit, deinde per suos Apostolos tanquam fontem omnis & salutaris veritatis, & morum disciplinæ, omni creaturæ prædicari jussit; perspiciensque hanc veritatem & disciplinam contineri in libris scriptis & sine scripto traditionibus, quæ ab ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditæ ad nos usque peruenerunt, orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris, quàm noui testamenti, cùm utriusque unus Deus sit auctor, nec non traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus à Christo vel à Spiritu Sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conseruatas, pari pietatis affectu ac reuerentia suscipit & veneratur. Sacrorum vero librorum indicem huic decreto adscribendum censuit*, &c. *Sunt vero infra scripti: Testamenti veteris, quinque Moysi, id est Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdræ primus & secundus, qui dicitur Nehemias: Tobias, Iudith, Hester, Iob, Psalterium Dauidicum, centum quinquaginta psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, id est Osee, Ioël Amos, Abdias, Ionas, Michæas, Naum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum primus & secundus.*

II. *Testamenti noui quatuor Euangelia secundùm Matthæum, Marcum, Lucam & Ioannem: Actus Apostolorum à Luca Euangelista conscripti: Quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios*, &c. *Petri Apostoli duæ, Ioannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli una, Iudæ Apostoli una, & apocalypsis Ioannis Apostoli. Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperit, & traditiones prædictas sciens & prudens contempserit, anathema sit*, &c. hæc Concil.

III. Ex hoc Concilii decreto patet primò, quòd Ecclesia Catholica Romana non possit nec velit librum aliquem pro suo arbitrio facere canonicum vel non canonicum, ut Acatholici falsò calumniantur, sed Ecclesia profitetur solos illos libros agnosci & suscipi debere canonicos & sacros, quos Prophetæ & Apostoli Spiritu Sancto dictante scripserunt. Similiter illas traditiones divinas tantùm agnoscit quæ ex ore Christi & Apostolorum perpetuò in Ecclesia conservatæ ad nos usque devenerunt, idque juxta exemplum sanctorum Patrum.

Veruntamen, quia olim non solùm hæretici, ut suprà d ctum, aliquos sacros libros malitiosè & temere rejecerunt, verùm etiam aliqui DD. de aliquibus dubitarunt, ita tamen, ut quidem illos velut pios & bonos, non tamen ut canonicos ad fidei dogmata probanda agnoverunt, dubitari posset, quid de his sit sentiendum, sed veritatem catholicam demonstrabimus. IV.

ARTICVLVS III.

Quòd Ecclesia declarare possit, quinam libri sint sacræ scripturæ & canonici.

HOc probatur primò ex eo, quia Ecclesia declarare potest de articulis fidei credendis, ac proinde etiam de S. scripturæ libris. Antecedens ostenditur ex eo, quòd olim circa verum aliquem S. scripturæ ab omnibus agnitæ sensum, vel etiam circa verum aliquem fidei articulum ab aliquibus sanctis Patribus subinde fuerit dubitatum, imò contrariæ fuerint aliquorum sententiæ, id tamen ita contigerit, ut verus S. scripturæ sensus vel fidei articulus in Ecclesia doctus, & à pluribus SS. Patribus creditus fuerit, & contrarium sentientes sine pertinacia in unione Ecclesiæ permanserint, nec tales hæreseos damnati fuerint, priusquam in Concilio plenario articulus fidei declaratus fuerit. I.

Hoc evidens est in articulo de non rebaptizandis iis, qui ab hæreticis baptizati fuerant, in quo S. Cyprianus vir doctissimus & sanctissimus fortiter urgebat illos rebaptizandos contradicente S. Stephano Romano Pontifice & aliis SS. Patribus, de quo sic scribit S. Aug. lib. 1. de Baptismo cap. 7. edit. Basil. 1528. *Quoniam quæstionis hujus obscuritas prioribus Ecclesiæ temporibus ante schisma Donati magnos viros & magnâ charitate præditos Patres, Episcopos ita inter se compulit salua pace disceptare atque fluctuare, ut diu Conciliorum in suis quibusque regionibus diuersa statuta mutauerint, donec plenario totius orbis Concilio* (Nicæno primò) *quod saluberrimè sentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur*, &c. II.

Et iterum cap. 18. dicit: *Extant beati Magni Cypriani in ejus libris magna documenta ut ad illum jam veniam, de cujus sibi auctoritate isti* (Donatistæ) *carnaliter blandiuntur cum ejus charitate spiritualiter perimantur, nam illis temporibus antequam plenarii Concilii sententia* (NB) *quid in hac re sequendum esset, totius Ecclesiæ consensio continuasset, visum est ei cùm ferme octingentis coepiscopis Africanarum Ecclesiarum, &c.* Et infrà: *Non se ille tamen à cæteris diuersa sentientibus separatâ communione disjunxit*, &c. *Hoc etiam cæteris persuadere non distulit*, &c.

Iterum lib. 2. cap. 9. eâd. editione: *Hac attestatione satis ostendit* (Cyprianus) *multo magis se fecisse commemorationem, si quid de hac re transmarinum vel uniuersale Concilium factum esset: nondum autem factum erat, quia consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, & hæc sola opponebatur inducere volentibus nouitatem, quia non poterant apprehendere veritatem, postea tamen, dum inter multos ex utraque parte tracta-*

ſtatur & quæritur non ſolùm inuenta eſt, ſed etiam ad plenarii Concilii auctoritatem roburque perducta poſt Cypriani quidem paſſionem, ſed antequam nos nati eſſemus, hæc Auguſt.

III. Ex his propoſitum demonſtratur primò, quòd, ſicut Concilium Nicænum non formavit novum fidei articulum de non rebaptizandis hæreticis, ſed fidei veritatem in Eccleſia uſurpatam quidem, ſed à multis ſalvâ pace diſputatam determinavit & declaravit, ſic etiam Eccleſia Catholica non format novos libros canonicos, ſed illos, qui ab initio in Eccleſia uſurpati ſunt, & & de quibus diſſenſiones erant, determinavit.

IV. Dicendum ſecundò, quòd, ſicut olim Donatiſtis non ſuffragabatur auctoritas S. Cypriani & quorundam Patrum, qui baptizatos ab hæreticis rebaptizandos docuerant, antequam in Concilio Nicæno à tota Eccleſia veritas determinata & firmiter credenda propoſita fuerat; ſic nec aliquorum Patrum de quibusdam ſacræ ſcripturæ libris ſententia priusquam veritas à tota Eccleſia in Conciliis deciſa erat, modernis Acatholicis prodeſſe poſſit.

V. Quòd autem penes Eccleſiam & Concilia ſit determinare, quinam libri ſint verè ſacræ ſcripturæ vel canonici, ex hoc etiam probatur: quia ab initio Eccleſiæ diverſi fuerunt libri aliis libris canonicis permixti, utpote Euangelia Petri, Thomæ, Bartholomæi, *&c.* tanquam ab illis conſcripta, ſimiliter & epiſtola ad Laodicenſes ſub nomine Pauli, & etiam alii, qui uſque modo adhuc extant, nec tamen ab Eccleſia Catholica, nec ab ipſis Acatholicis ut canonici recipiuntur.

De quibusdam libris fuit dubitatum, qui modo ab Eccleſia & ab Acatholicis ut Canonici agnoſcuntur, unde neceſſarium eſt, ut veri à falſis, & Canonici à non canonicis diſcernantur, hoc autem non potuit haberi ex ipſo textu ſacræ ſcripturæ, quia ſicut Euangelium Matthæo inſcribitur, ſic etiam alia aliis Apoſtolis prædictis tribuuntur, & videri poſſet, quòd illis plus credendum eſſet, quàm Lucæ & Marco, qui Apoſtoli non fuerunt. Et Apoſtolus in epiſtola ad Coloſſenſes cap. ultimo meminit ſe ſcripſiſſe Laodicenſibus, nec tamen hæc epiſtola ut à Paulo ſcripta agnoſcitur, ſed rejicitur.

Similiter, etſi conſtaret libros aliquos eſſe divinos & canonicos, adhuc dubium eſſe poſſet, an illi libri, quos modo habemus in particulari ſint iſti: Hoc autem ex ipſo textu ſacræ ſcripturæ probari non poteſt, adeóque aliunde habendum, quod ſcilicet Eccleſia habet ex verbo Dei non ſcripto ſeu traditione Apoſtolorum & primitivæ Eccleſiæ, ut Concilium Trident. ſuprà aſſerit, de qua traditione Eccleſia teſtatur.

Nec obſtat, quod Calvinus lib. 1. inſtitut. cap. 7. §. 2. dicit *ſacras ſcripturas à non ſacris per ſe clarè diſcerni, ut lucem à tenebris, album à nigro, ſuaue ab amaro*, hæc ille.

VI. Verum hoc falſum eſſe patet ex eo, quod olim aliqui ſancti Patres dubitarint de aliquibus ſacris libris, ut ſuprà patebat. Et ipſe Calvinus ibidem §. 3. volens nolens, dum auctoritatem D. Auguſtini, quæ habetur libro contra epiſtolam fundamenti Manichæi cap. 5. dicentis: Non crederem Euangelio, niſi Eccleſiæ crederem, declinare conatur, fateri debet, *quod infidelis qui nondum credit Euangelio, non aliter poßit adduci, ut Euangelium amplectatur pro certa Dei veritate, quàm Eccleſiæ auctoritate victus, &c.* iterum: *Nullam fore infidelibus Euangelii certitudinem, ut inde Chriſto lucrifiant, niſi Eccleſiæ conſenſus eos impellat, &c.* hæc ibi; ad diſcernendam autem lucem à tenebris, non opus eſt conſenſu Eccleſiæ, *&c.*

Idem ibid. cap. 8. §. 9. pro ſua modeſtia ſic loquitur: *Scio, quod in angulis obſtrepant quidam nebulones, quærunt enim quis nos certiores feciſſet à Moyſe & Prophetis hæc fuiſſe ſcripta, quæ ſub eorum nominibus leguntur, &c.* & infra ſic reſpondet: *Verùm ut de omnibus ſimul loquamur, certo certiùs eſt, ipſorum ſcripta non aliter proueniſſe ad poſteros, quàm de manu in manum ut ita loquar, perpetuâ annorum ſerie à Patribus traditâ. qui partim loquentes audierant, partim recenti memoriâ diſcebant ab auditoribus fuiſſe ſic locutos, &c.* hæc Calvin.

Vnde patet, quòd certitudo de ſacris ſcripturis habeatur ex traditione. Non ſufficit autem, quod Calvinus dicit, quòd id habeatur à Patribus qui Apoſtolos loquentes audierant, quia jam tot centeni anni intervenerunt, & ideò opus eſt firmo teſtimonio Eccleſiæ, quæ teſtetur hanc traditionem de manu in manum uſque ad nos factam eſſe: cùm, ut ſuprà dictum eſt, alia Euangelia & epiſtola à tempore primo Apoſtolorum nomine uſque modò extent per manus tradita, nec tamen ſacra ſunt, nec agnoſcuntur. Quòd autem Eccleſiæ teſtimonium certum ſit, conſtat ex iis, quæ de infallibilitate Eccleſiæ l. de Eccleſia probabuntur. VII.

Hîc ſufficiat Auguſt. lib. 1. contra adverſ. leg. & Proph. cap. 20. ſic dicens: *ſanè de apocryphis iſte poſuit teſtimonia, quæ ſub nominibus Apoſtolorum Andreæ Ioannisq; conſcripta ſunt, quæ ſi illorum eſſent, recepta eſſent ab Eccleſia, quæ ab illorum temporibus per Epiſcoporum ſucceßiones certiſſimas uſque ad noſtra & deinceps tempora perſeuerat.*

ARTICVLVS IV.

Quòd liber Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Iudith, Tobiæ, & Machabæorum, & Eſther, ſicut & alii libri ut veri & canonici & à primitiva Eccleſia agniti fuerint, generaliter quoad omnes demonſtratur.

HOc probatur primo ex declaratione & determinatione Concil. Carthag. 3. can. 47. edit. Colon. 1538. quod celebratum eſt anno 395. cui ſanctus Auguſtinus interfuit cum aliis ducentis & ſeptendecim Epiſcopis, ubi ſic ſtatuitur: *Placuit, ut præter ſcripturas canonicas nihil in Eccleſia legatur ſub nomine diuinarum ſcripturarum. Sunt autem canonicæ ſcripturæ, Geneſis, Exodus, Leuiticus, &c.* ubi omnes libri prout in Concilio Tridentino nominatim recenſentur, inter quos & libri prædicti nominantur, quod Patres illius Concilii ex traditione Apoſtolica ſtatuiſſe dubium non eſt. I.

Eundem ſacrorum librorum canonem refert & approbat Innoc. I. *& Auguſt. & Gelaſius Papa, &c.* Clariſſimè enim ex ſententia Eccleſiæ Aug. agnoſcit hos libros canonicos lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 8. edit. Baſil. 1528. recenſens II.

omnes

omnes libros canonicos, sic dicens: *Totus autem Canon scripturarum, in quo istam considerationem versandam dicimus, his libris continetur: Quinque Moysios, idest, Genesi, Exodo, Levitico, Numeri, Deuteronomio, & uno libro Iesu Naue, uno judicum, uno libello qui appellatur Ruth*, &c. *Deinde quatuor regum & duobus Paralipomenon, &c. Hæc est Historia*, &c. *Sunt aliæ*, &c. *sicuti est Iob. & Tobias, & Hester & Iudith & Machabeorum libri duo, & Esdræ duo*, &c. *deinde prophetæ in quibus David unus liber psalmorum & Salomonis tres. prouerbiorum, cantica canticorum, & ecclesiastes. Nam illi duo libri unus qui sapientia & alius qui ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur; nam Iesus Filius Sirach eos scripsisse constantissimè perhibetur. qui tamen quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter propheticos numerandi sunt. Reliqui sunt eorum libri qui propriè prophetæ appellati sunt duodecim prophetarum libri singuli*, &c. *quorum prophetarum nomina hæc sunt: Osee, &c.* ibi omnes recenset. *Deinde quatuor prophetæ sunt majorum voluminum Isaias, Ieremias, Daniel, Ezechiel, his quadraginta quatuor libris veteris testamenti terminatur auctoritas.* Postea recenset omnes libros novi testamenti, ut sunt *quatuor Euangelia, quatuordecim Epistolæ Pauli; duæ Petri, tres Ioannis, una Iudæ, & una Iacobi, actus Apostolorum liber unus, Apocalypsis Ioannis liber unus, &c.* hæc Augusti. ubi sic subjungit: *In his omnibus libris timentes Deum & pietatem mansueti quærunt voluntatem Dei, &c.* hæc ibi, ecce eundem quem Concil. Trident. definivit canonem.

III. Similiter Innocentius primus: qui tempore D. Augustini Romanus Pontifex fuit, consultus ab Episcopo Tolosano Exuperio in epist. ad eundem sic respondit: *Qui vero libri recipientur in canonem sanctarum scriptionum breviter annexus testatur. Hæc sunt*, &c. *Moysi libri quinque, &c.* ubi consequenter eodem numero & nomine omnes à Concil. Trid. enumeratos recenset, subjungens: *Cætera autem, quæ vel sub nomine Matthiæ, sive Iacobi majoris, vel sub nomine Andreæ, & sub nomine Thomæ*, &c. *& si qua sunt alia non solum repudianda, verum etiam noveris esse damnanda, &c.* hæc ille.

IV. Eodem modo Concilium septuaginta Episcoporum sub Gelasio primo canonem expressit in decreto, quod inscribitur: *Ordo veteris testamenti, quem S. & Catholica Romana suscipit & veneratur Ecclesia, &c.* ubi præter alios S. Scripturæ libros ex ordine recenset, & deinde ordinem librorum novi testamenti eorundem subjungit. Demum in subsequentibus conciliis idem sacrorum canonicorum librorum catalogus est determinatus. Ex quibus patet, quod Concilium Tridentinum Ecclesiæ antiquæ vestigiis inhæserit.

ARTICVLVS V

Ostenditur veritas in speciali quoad libros Iudith & sapientiæ.

I. DE libro Judith cùm olim etiam dubium esset, ut refert D. *Hieron.* in præfat. illum à S. Synodo Nicena prima celeberrima anno 325. inter S. scripturam esse annumeratum testatur his verbis: *Quia hunc librum Synodus Nicæna in numero sanctarum scripturarum legitur computasse, acquievi postulationi vestræ.* Et ne dicatur, quod solum computatus sit inter libros sanctos tantùm, non verò sufficientes ad dogmata fidei probanda.

Idem Hieronymus ibid. dicit, quòd Hebræi hunc librum inter illos sanctos libros, sed non ad fidem probandam idoneos cognoverint, cui opponit Concil. Nicænum, illum inter S. scripturas computasse, utique ad fidem probandam idoneum.

Clemens primus Petri discipulus lib. 8. constit. Apost. cap. 10. edit. Colon. 1569. sic ait: *Prophetarunt quoque olim Maria Moysis & Aaronis soror & postea Delbora & post Olda & Iudith, una Iosiæ, altera Darii tempore*, &c. II.

Hunc sapientiæ librum & Judith acta etiam allegat *Ignatius Epist.* ad Philadelphienses. *Clemens Alexandr.* lib. 4. stromat. cap. 4. *Origen.* hom. 9. in Jud. Hom. 1. in psalm. 37. & hom. 27. in Num. illum librum inter divina volumina recenset, *&c.*

Athanasius disputat. contra Arium edit. Colon. 1581. sic ait: *Priusquam Spiritum Sanctum Deum esse perdoceam, eundem Creatorem esse cunctorum verbis* (NB) *legalibus approbabo, scriptum est enim, verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum ps. 32. & in lib. Iudith: Tibi serviat omnis creatura tua, quoniam dixisti & facta sunt, misisti Spiritum tuum & ædificavit, &c.* Judith. 16. v. 17. hæc Athanas. ubi patet, quod ad probandum fidei dogma hos libros ut canonicos allegârit. III.

Hunc librum sapientiæ & Judith pro dogmate fidei probando allegat *Tertullianus, Alcuinus, &c.* Similiter PP. Latini hunc usurpant, ut *Ambros.* &c.

De libro *sapientiæ* in speciali testatur *D. Augustinus* lib. de prædest. Sanctorum cap. 14. edit. Basil. 1528. cùm aliqui locum ex illo allegatum ut ex libro non canonico rejecissent, dicens: *Quod à me quoque positum* (nimirum testimonium de libro sapientiæ) *Fratres istos ita respuisse dixisti tanquam non de libro canonico adhibitum, &c.* & infrà: *Non debuit repudiari sententia libri sapientiæ, qui meruit in Ecclesia Christi de gradu lectorum Ecclesiæ Christi tam longâ* (NB) *annositate recitari, & ab omnibus Christianis, ab Episcopo usque ad extremos laicos fideles pœnitentes, catechumenos cum veneratione divinæ* (NB) *auctoritatis audiri, & postea, oportet, ut librum istum sapientiæ omnibus tractatoribus anteponant, quoniam sibi eum antepofuerunt* (NB) *etiam temporibus proximi Apostolorum egregii tractatores, qui eum testem adhibentes nihil se adhibere nisi divinum testimonium crediderunt, &c.* hæc August. Quid clarius pro hujus libri canone dici posset? ubi S. Doctor utique respexit ad antiquissimos SS. Patres, inter quos est Clemens Romanus Apostolorum discipulus, qui epist. 1. edit. Colon. 1569. sic ait: *Præcipiebat* (Petrus) *os suum à multo vel pravo colloquio custodire, & verba vana aut mendacia non loqui, quia os, quod mentitur occidit animam* sap. 1. IV.

Dionysius Areopag. de div. nomin. c. 4. ubi hunc sacræ scripturæ librum allegat dicens: *Imprimis scripturæ sanctæ institutionibus invenies quendam hac dicentem de divina sapientia: Amator factus sum pulchritudinis ejus*, &c. V.

Cyprianus, qui lib. de habitu virgin. edit. Antwerp. 1568. dicit: *Cùm dicat S. Scriptura: quid nobis profuit superbia, &c.* quod in hoc libro habetur.

Et *Iustinus* in Dial. cum Triphone edit. Hieron. Comment. Heidelb. 1592. dicit: *Merito vo-*

ciferatur Isaias cap. 52. Propter vos nomen meum male audit in gentibus. & Sap. 2. Væ animæ ipsorum, propterea quod pravum consilium ceperunt adversus seipsos dicentes, vinciamus justum, quoniam inutilis nobis est, &c.

VI. *Lactantius* lib. 4. divin. instit. cap. 16. sic ait: *Et Salomon in lib. sapientiæ his verbis usus est: Circumveniamus justum, quoniam contrarius est nobis & improperat nobis, &c.* ubi testatur, quod suo tempore Judæi adhuc libro illo utebantur.

Quod amplius est, Christus Salvator juxta verba hujus libri sap. 7. *Fulgebunt justi, &c.* dicit Matth. 13. tunc *fulgebunt justi, sicut sol in regno Patris mei*, & Euangelista Matth. 27 ex sap. 2. ubi dicitur: *Filium Dei se nominat, si enim verè est Filius Dei, suscipiet illum, &c.* refert illam prophetiam impletam.

Apostolus etiam ad Rom. 11. v. 34. allegat illa sap. 9. *Quis enim hominum poterit scire consilium Dei.* Et ad Ephes. 6. illud sap. 5. *Accipiet armaturam zelus illius, & induet pro thorace justitiam, & accipiet pro galea judicium certum, &c.* unde facilè auctoritas illius libri patet.

ARTICVLVS VI.

Ostenditur ex SS. Patribus, quod liber Esther & Baruch sint agniti canonici.

PRæter *Concilium Carthagin.* 3. suprà allegatum etiam ante illud *Concil. Laodicens.*
can. 59. edit. Colon. 1538. sic ait: *Non*
I. *oportet, &c. libros, qui sunt extra canonem*
legere, nisi solos canonicos novi & veteris testamenti. Quæ autem oporteat & in auctoritatem recipi hæc sunt: Genesis Exodus, &c judicum, &c. regnorum libri quatuor, &c. Hester, &c.

Clemens Alexandr. circa ann. 200. lib. 1. & 4. stromat. hunc librum allegat.

Origenes circa ann 230 ad ps. 1. referens veteris legis libros sic ait *Sunt autem 22. libri apud*
II. *Hebræos, primus Genesis est, &c. vigesimus Iob, vigesimus*
primus Hester, &c. ipsemet Lutherus in lib. de servo arbitrio sic scribit: *Esther librum Iudæi habent in canone, &c.* licèt ipse pro suo falso magisterio addat, *dignum omnibus me judice, qui extra canonem habeatur.*

Origenes iterum epist. ad Julium African. sic scribit: *In multis quoque aliis sanctis libris invenimus alicubi plus esse apud nos, quam apud Hebræos, exempli causâ in libro Hester.*

Cyrillus Ierosolymit Catech. 4. edit. Colon. 1564 de libris veter. testamenti sic ait: *Esdra primus & secundus pro uno reputatur, duodecimus liber est Hester, &c.*

Epiphanius lib. de ponderibus & mensuris, edit. Basil. 1560 recensens libros sacræ scripturæ dicit: *Quartus quinarius est propheticus, 12. prophetarum liber unus, manserunt etiam extra hunc ordinem alii duo libri ipsius Esdræ, qui pro uno reputantur, & alius liber Esther appellatus.*

Hilarius præfat. in psalmos edit. Basil. 1550.
enumerans veteris testamenti libros, *sed & Da-*
III. *niel*, ait, *& Ezechiel & Iob & Hester viginti duorum*
librorum numerum consumment.

Ruffinus in symbolo Apostol. edit. paris. 1580. sic ait: *Veteris testamenti omnium primo Moysi quinque libri sunt traditi, &c. post hæc Iesu Naue, &c. Esdræ duo & Esther, &c.*

August. suprà relatus hunc librum inter canonicos recenset.

De libro *Baruch* eadem est apud sanctos Patres sententia, qui liber aliquando sub proprio nomine allegatur à sanctis Patribus, subinde ut pars prophetiæ Jeremiæ, unde contigit ut non fuerit à Conciliis olim sub nomine Baruch expressus; quòd autem sub nomine Jeremiæ à sanctis Patribus fuerit allegatus patet ex pluribus Patribus.

Sic *Clemens Alexandr.* Anno 200. lib. 1. Pæ-
dagogi cap. 10. edit. Paris. 1527. ait: *Per Ieremi-* IV.
am quoque enarrat prudentiam, Beati sumus Israël, dicens, quod quæ Deo grata sunt à nobis cognosci possint, prudentia & cognitio significatur per eundem prophetam dicentem: Audi Israël mandata vitæ, ausculta, ut cognoscas prudentiam, &c. hæc autem non habentur apud Jeremiam, sed Baruch 3. v. 9.

Idem lib. 2. cap. 3. *Pulcherrimè itaque alicubi dicit divina scriptura ad eos qui sunt sui amantes & arrogantes verba dirigens*, ubi sunt qui gentibus imperabant, & qui dominabantur feris, quæ sunt super terram? qui in cæli avibus ludunt, *&c.* hæc habentur Baruch 3. v. 16.

Irenæus lib. 5. cap. 35. edit. Colon. 1596. sic ait: & regnum in ea significavit Jeremias Propheta dicens: *Circumspice ad orientem Hierusalem, & vide lætitiam quæ adventat tibi ab ipso Deo, ecce venient Filii tui, quos emisisti, venient collecti ab oriente usque ad occidentem, &c.* sed hæc habentur in libro Baruch capite 4. v. 36. & cap. 5. versu 5.

Similiter *Basilius* lib. 4. in Eunomium.

Chrysostomus orat. quòd Christus sit Deus,
adducit locum ex Baruch cap. 3. sub nomine V.
Jeremiæ. Item *Ambrosius* in in variis libris adducit loca ex hoc libro sub nomine Jeremiæ.

Demum ipse *August.* lib. 18. de civit. Dei cap. 33. edit. Antwerp. 1576. allegans locum ex Baruch dicit: *Hoc testimonium quidem non Ieremiæ, sed scribæ ejus attribuunt, qui vocatur Baruch, sed Ieremiæ celebratiùs habetur, &c.* ex hoc patet, quòd hic liber sit canonicus, cùm à sanctis Patribus pro Jeremiæ libro sit agnitus.

Nihilominus plures sancti Patres etiam sub nomine *Baruch* hujus libri auctoritatem allegarunt, ut *Origenes* libro secundo: de principiis cap. 3.

Eusebius Cæsar. Causam exponit lib. de propheticorum librorum appellationibus de Jeremia sic dicens: *Baruch denique cum ista ab ore Ieremiæ excepta in libro describeret, narrat sub finem, quod exceptum per insidias prophetam in cœnosum lacum projecerint, cur Baruch librum inscribit? quia, quæ Ieremias dictarat in libro à se descripta captivis apud Babylonem recitavit consolans eos, & auxilii spem à Deo nuntians, &c* hæc ille.

Imo ipsum Concil. Nicænum primum lib. 2.
fol. 105. sic ait: *Clarius accipe testimonium authen-* VI.
ticum solis personæ Dei propositum, ostendens ipsum esse auctorem omnium factarum naturarum, sicut scriptum est in lib. Baruch ex ore Ieremiæ prophetæ dicentis: Qui præparavit terram in æternum tempus, implevit eam jumentis, qui quadrupedibus mittit lumen, & ibit, vocavit illud, & obedit illi, &c. hic Deus noster, & non reputabitur alius adversus eum &c. hæc autem habentur Baruch 3. v. 32. & seqq.

Concil. Laodicens. supra can. 59. refert hunc inter

ter canonicos dicens: *Hæc sunt quæ legi oportet ex vet. testamento: Genesis, Exodus*, &c. *Isaias, Ieremias, Baruch, &c.* unde superfluum esse arbitror plura Patrum testimonia pro hujus libri auctoritate canonica referre.

ARTICVLVS VII.

Ostenditur de libro Ecclesiastici in speciali.

I. De libro Ecclesiastici constat ex *Clemente* I. epist. 1. dicente: *Impone homo tuæ linguæ ostium & seram, cessa cornu in altitudinem extollere loquens adversus Deum iniquitatem, &c.* quæ habentur Eccles. 28. v. 28.

Ignatius epist. ad Heronem: *Ne omnibus*, ait, *credas*, &c. *multi enim sunt ministri Sathanæ, & qui cito credit, levis est corde*, Eccli. 19. v. 4.

Clemens Alexandr. lib. 5. stromat. cap. 5. *Salomon quoque rursus dicit: Arbor enim est immortalitatis iis, qui ipsam apprehendunt*, sap. 15. v. 3. *Et ideo dicit: Ecce do ante faciem tuam vitam & mortem, diligere Dominum Deum, & ambulare in viis ejus*, &c. Eccli. 15. v. 18.

Origenes hom. 9. in Ezech. edit. Basil. 1557. *Quid enim, ait scriptura, quid superbis terra & cinis?* Eccli. 10. v. 9.

II. Iterum hom. 1. in lib. judicum eâd. edit. *Vt autem, ait, hoc amplius ex scripturarum* (NB) *auctoritate clarescat, quomodo soleat dicere scriptura cognoscere vel nescire, vide, quomodo etiam alibi scriptum sit, qui custodit mandatum nesciet verbum malum*, &c. Eccli. 8. prout ipse allegat.

Athanasius lib. de virginit. *ait enim sacra scriptura: Qui attingit picem, inquinabitur, & qui communicat superbo, similis illi efficietur*, quæ habentur Eccli. 13. v. 1.

Iterum in Apolog. de sacra scriptura ait: *Et Salomon hunc sermonem obsignans ait: Tollentur immaturæ animæ impiorum*, ut Eccli. 19. prout ipse allegat.

Basilius Magnus ad cap. 8. Isaiæ, edit. Antw. 1568. sic dicit: *Ait enim scriptura: Cùm consummaverit homo tunc incipit, & cùm quieuerit tunc indigebit*, & Respons. 104 *Atque in universum ait, necesse ò omni in re memoriâ tenere Antistes debet quid dicant* (NB) *divinæ literæ; sine consilio nihil fac*, &c. Eccli. 32. v. 24.
III.

Epiphanius hæres. 76. *Oportebat te euoluere sapientias Salomonis inquam & Filii Sirach, & omnes in summa divinas scripturas, &c.* & in Ancorano: *Si vero reprehendit vos scriptura divina, dicens: Quæ tibi præcepta sunt, ea considera*. Tob. 4 *Et non opus est tibi occultis, & altiora te ne quæras, &c.* quæ habentur Eccli. 3 v. 21.

Gregor. Nazianz. orat. 2. adversus Julian. sic ait: *Qui potentes de sedibus deponit, & insuspicabilem diademate ornat, nam id quoque à scriptura accipio*, &c.
IV. habetur autem Eccli. 11. v. 5.

Similiter loquuntur alii sancti Patres Græci, *Chrysost. Cyrillus Hierosolymi. Gregor. Nyssen. Eusebius Cæsar.* & ipsa *Synodus Alexandr.* in epist. ad omnes Episcopos, quæ habetur in Apologia 2. Athanasii contra Arianos.

Ex PP. Latinis.

Cyprianus epist. 65. vel lib. 3. epist. 9. edit. V.
Antwerp. 1568. & Basil. 1543. *Sed & Salomon in Spiritu Sancto constitutus testatur & docet, quæ sit sacerdotalis auctoritas & potestas dicens: Ex tota anima tua time Deum, & Sacerdotes ejus sanctifica*, ut habetur Eccli. 7. v. 31.

Idem de opere & eleëmosyna eâd. edit. dicit: *Loquitur in scripturis divinis Spiritus Sanctus, & dicit: Eleëmosynis & fide delicta purgantur. Item denuo dicit: Sicut aqua extinguit ignem, sic eleëmosyna extinguit peccatum*, quæ habentur Eccli. 3. v. 33.

Tertullianus lib. de exhortat. ad Castil. cap. 2. VI.
edit. Paris. 1584. *Cùm utrumque, ait, ex præceptis ejus* (Dei) *didicerimus, quid velit, & quid nolit, jam nobis est voluntas eligendi alterum, sicut scriptum est: Ecce posui ante te bonum & malum.* Eccli. 15. v. 18.

Omitto hîc plurimos sanctos Patres Latinos primorum quatuor seculorum, qui similiter loquuntur. Vt *Hilarius, Ambros. Optatus Mileuit.* imo ipse *Hieron.* ad ps. 73. edit. Basil. 1553. dicit: Deus autem Rex noster ante sæcula *sicut per Salomonem ex sapientia, quæ est Christus dicit: Condidit me in initio viarũ suarum, ante sæcula fundavit me* Eccli 24. item epist. 33. dicit: Divina scriptura loquitur: *Musica in luctu intempestiva narratio*, ut habetur Eccli. 22. v. 6.

Augustinus lib. 2. de doctrina Christi cap. 8. VII.
edit. Basil. 1528 dicit: *Illi duo libri, unus, qui sapientia Salomonis, & alius qui ecclesiasticus inscribuntur*, &c. *quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter propheticos* numerandi sunt, similiter alii sancti Patres Latini loquuntur.

ARTICVLVS VIII.

De libro Tobiæ in speciali ostenditur, quòd sit canonicus.

De libro Tobiæ similiter patet ex sanctis Patribus Græcis in multis locis. I.

Clemens Roman. 1. epist. 1. edit. Colon. 1569. sic ait: *Vnde & in veteri testamento scriptum habetur, quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*. Tob. 4. v. 16.

Polycarpus epist. ad Philipp. edit. Colon. 1569. ait: *Cùm potestis benefacere, nolite differre, quia eleëmosyna à morte liberat*, Tob. 4. v. 11.

Clemens Alexand. lib. 1. stromat. edit. Paris. 1572. allegat Historiam Tobiæ, & lib. 6. dicit: *Orat ergo is*, &c. *ut mundo corde effectus*, &c. *exaudiens scripturam, quæ dicit: Bonum est jejunium cum oratione, &c.* ut habetur Tob. 12. v. 8.

Origen. hom. 27. in Num. edit. Basil. 1557. *Hîs* II.
ergo, ait, cùm recitatur talis aliqua divinorum voluminum lectio (NB) *in qua non videatur aliquid obscurum, libenter accipiunt, verbi causa, ut est libellus Esther aut Iudith, aut etiam Tobiæ, aut mandata sapientiæ*, &c.

Item ad cap. 11. ad Roman. eâd. edit. *Mysterium Regis, ait scriptura, celare bonum est*. Tob. 12. v. 7.

Athanas. Apologiâ ad Constant. Imperator. III.
edit. Paris. 1581. sic ait: *Quid potius prudenter & verè Christiani dicant, attendendum est, hos tibi consulen-*

Digitized by Google

lendos interrogandosque puta, non autem obtrectatores, quum de iis scriptum sit. Stultus tibi stulta loquetur. Isai. 35. *De istis autem præcipiatur: ab omni sapiente accipe consilium*, Tob. 4. v. 19.

Chrysost. serm. de pænit. edit. Basil. 1558. *Quando esurienti fœneras, pretium vitæ est*, &c. *scriptum est enim, quoniam eleëmosyna à morte liberat*, ut habetur Tob. 12. v. 9.

Ex PP. Latinis.

IV. ALexander Papa I. circa ann. 109. epist. 1. ad Orthodoxos sic ait. *Si Trinitas non est, cur Tobias Filium suum*, &c. *benedicens ita dixisse docetur: Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob ipse impleat benedictionem in vobis*, ut habetur Tob. 7. v. 15. ubi pro dogmate fidei probando allegat.

Calixtus Papa circa annum 210. epist. 2. sic ait: *Vnde bene scriptura ait: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Tob. 4. v. 16.

Cyprianus lib. de opere & eleëmosyna supra pro lib. Eccli. allegatus, ubi dicit, quod Spiritus in scripturis illa dicat.

V. *Ambrosius* lib. de Tobia edit. Romanâ 1580. *Lecto prophetico*, ait, *libro, qui inscribitur Tobias: quamvis plane nobis virtutes sancti prophetæ scriptura insinuaverit*, &c.

Item lib. 10. epist. 82. *Quæ*, ait, *nobis salus esse potest, nisi jejunio peccata elueremus nostra? cum scriptura dicat jejunium & eleëmosyna à peccato liberant.* ut habetur Tob. 4. v. 12.

Optatus Milevit. lib. 3. contra Parmenian. Donatistam Bibl. PP. edit. Colon. 1618. tomo 4. pag. 279. B. adducit historiam Tobiæ pro baptismo dicens: *Traducentes ad vos aquam antiquæ piscinæ, sed nescio, an cum illo pisce, quo Christus intelligitur, qui in lectione Patriarchæ legitur in Tigride flumine prehensus*, &c. Tob. 6. v. 4.

VI. *Hieron.* procœmio in Jonam sic ait: *Liber Tobiæ licet non habeatur in canone* (scilicet Hebræorum) *tamen quia usurpatur ab Ecclesiasticis tale quid memorat*, &c. ubi patet quod Ecclesia illum librum agnoverit.

Augustinus sæpius auctoritate hujus libri utitur, ut epist. 102. ac epist. 120. de gratia novi testam. cap. 20. lib. de quæstionibus ex utroque testam. cap. 119. & alibi; principaliter lib. 2. de doctr. Christiana, ut infrà referetur.

ARTICVLVS IX.

Quòd libri Machabæorum sint sacri & canonici.

I. OStenditur primo ex facto Christi, qui Joann. 10. celebravit festum Encæniorum, quod à Machabæis fuit institutum 1. Machab. 4. sicut celebrabat festum Pentecostes, Paschatis, Sabbathorum à Moyse traditum, &c. unde, sicut Christus per horum festorum celebrationem indicabat se libros Moysis, in quibus illa instituta erant approbare, sic etiam probavit libros Machabæorum.

II. Secundò Apostolus ad Hebr. 11. enumerans breviter ex sacra scriptura gesta sanctorum ab initio mundi, tandem dicit v. 35. *Alii autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem: Alii ludibria & verbera experti, secti sunt*, &c. ubi videtur manifestè indicare martyrium septem Machabæorum, &c. prout sancti Patres intellexerunt; & ipse Calvinus persecutionem sub Antiocho factam intelligit, adeòque, sicut Apostolus ibidem ex sacris scripturis illa enarrat, hos libros etiam sacros supposuit.

Probatur idem ex Patribus Græcis.

III. DIonysius Areopag. lib. de cœlesti Hierarch. c. 2. dum angelicarum virtutum signa, quibus in sancta scriptura apparuerunt, enumerat, etiam apparitionem equitis cataphracti, qui Heliodorum oppressit, recenset ex lib. 2. Machab. cap. 3.

Egesippus circa ann. 160. in procemio sic ait: *Machabæorum res gestas propheticus sermo paucis absolvit.* Similiter lib. 1. cap. 1.

Clemens Alexandr. circa ann. 200. lib. 1. stromat. edit. Paris. 1572. ait: *In hac captivitate fuit Esther*, &c. *cujus habetur liber, sicut & Machabæorum.*

IV. *Origenes* lib. 2. de principiis cap. 1. edit. Basil. 1557. *Vt autem*, ait, *ex scripturarum auctoritate hæc ita se habere doceamus, audi, quomodo Machabæorum libris, ubi Mater septem martyrum unum ex filiis cohortatur ad toleranda tormenta ait ei: Rogo te Fili respice cœlum & terram*, &c.

Item ad cap. 5. ad Roman. sic ait: *Veteris testamenti legant Machabæorum libros, ubi cum omni instantia beata Mater cum septem filiis Martyrium suscepit*, &c.

Euseb. Cæsar. lib. 12. de præpar. Euang. cap. 1. *Credendum*, ait, *est etiam, iis, qui ita se hæc habere legibus confirmant, sic certè de Hieremia tradita fuisse Iudæi contendunt. Et Machabæorum libris resistunt visum ipsum fuisse post mortem orare pro populo*, &c.

V. Hos libros etiam allegant, in suis doctrinis alii sancti Patres Græci, ut *Basil. magnus* in constitut. Monast. cap. 19. *Gregor. Nazianz.* in orat. 20. quæ est in laudem Basilii, & orat. 22. quæ est de Machabæis.

Theophylus Alexandr. epist. 1. *Ephraem Paranesi* 25.

Chrysost. hom. 37. in Matth. dicit: *Dominus, inquit, Deus tuus Dominus unus est, idcirco Machabæi, quia ne legem frangerent, mori maluerunt*, &c. similiter allegat hos libros & Martyria hom. 77. & de verbis Isaiæ.

Eadem veritas probatur ex PP. Latinis.

VI. TErtullianus adversus Judæos cap. 4. utitur auctoritate horum librorum dicens: *Nec dubium est opus servile eos operatos, cùm prædas belli agerent ex Dei præcepto, nam & temporibus Machabæorum Sabbathis pugnando fortiter fecerunt*, &c.

Cyprian. epist. 55. seu lib. 1. epist. 3. dicit, *cùm occurrat & moneat scriptura divina dicens: Ille verò, qui præsumit & contumax est: vir sibi jactans nihil omninò proficiet*, &c. Abacuc. 2. Et iterum: *Et verba viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus in stercora erit & in vermes*, ut habetur 1. Machab. 2. ubi utriusque locum pari scripturæ auctoritate allegat, similiter allegat auctoritatem horum librorum epist. 56. vel lib. 4. epist. 6. de duplici martyrio cap. 11.

Circa annum 360. *Lucifer Calaritanus* lib. de non parcendo in Deum delinquentibus, sic ait: *Loquitur sacra scriptura dicens in Machab. lib. 1. Et scripsit Rex omni regno suo; ut relinqueret unusquisque legi-*

Digitized by Google

legitima sua,&c.c.1.v.43. Iterum loquitur scriptura sancta dicens: Et appropinquaverunt dies Mathathiæ moriendi, & dixit filiis suis: Nunc confortata est superbia, &c. *nunc filii æmuli estote legis, &c. c. 2.v.49.*

VII. *Ambrosius* lib. 2. de officiis c.29. *Fides, ait, exhibenda omnibus, sed major est viduarum causa & pupillorum, denique hoc solum viduarum nomine (sicut in libris Machabæorum legimus) commendatarum templo omne servatum est, &c.* similiter lib. 3. c. 14. item lib. 2. de Jacob c. 9. 10. & 11. *&c.* allegat auctoritatem ex his libris.

VIII. *Hieronymus* ipse ad cap. 23. Isaiæ sic ait: *Plerique nostrorum, & maximè Machabæorum principum Cethim Italiæ. Macedoniaque Insulas arbitrantur. Hoc enim* (NB) *scriptura commemorat quod Alexander Rex Macedonum egressus sit de terra Cethim,* ut habetur 1. Machab. 1. v. 1.

Augustinus lib. 18. de civit. c. 36. dicit: *In quibus & sunt Machabæorum libri, quos non Iudæi sed Ecclesia* (NB) *pro canonicis habet,* &c.

Idem lib. de cura pro mortuis c. 1. ait: *In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium, sed* (NB) *& si nusquam in scripturis veteribus omnino legeretur, non tamen parvâ hâc consuetudine claret auctoritas, &c.* ubi manifestè illos libros inter veteres sacras scripturas supponit.

IX. Similiter lib. 2. contra secundam Gaudentii epistolam de libris Machabæorum sic ait: *At enim sanctarum scripturarum auctoritate laudatus est Razias, &c.* hæc Aug.

Ex his patet, quod prædicti omnes libri ab initio Ecclesiæ à SS. Patribus plerisq; tanquam canonici sine dubitatione agniti & allegati fuerint, etiam ad probandam fidem, & licèt aliqui ob privatas opiniones dubitarint, tamen hoc dubium per universalis Ecclesiæ & Conciliorum auctoritatem amotum fuerit.

ARTICVLVS X.

Respondetur ad argumentum Anonymi auctoris primi libelli ex auctoritate S. Hieronymi.

I. AVctor Anonymus primi libelli intendens probare, quod Ecclesia moderna Romana Catholica à fide & doctrina primitivæ Ecclesiæ deflexisset, id ex eo probare contendit: Quod S. Hieron. plures libros S. scripturæ pro canonicis non agnoverit, quos moderna Ecclesia Romana pro talibus agnoscendos decrevit, sic ergo ait: *Vbi jubet ostendere Romanam Ecclesiam in ullo articulo à primitiva deflexisse, latum aperit campum, & vel ignoranter vel satis procaciter, sed paucis me continebo. Hieronymus in præfat. in libros Salomonis dicit: Fertur ut Panaretes Iesu Filii Sirach liber & alius Pseudopigraphus, qui sapientia Salomonis inscribitur; sicut ergo Iudith & Tobiæ & Machabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter canonicas scripturas non recipit, sic & hæc duo volumina legat ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam, &c.* hæc Hieron. unde Anon. suum intentum conclusum voluit.

II. Sed resp. primo: Aliqui Doctores respondent, quod D. Hier. quoad libros nominatos Judith, Tobiæ, Sapientiæ, Ecclesiastici & Machabæorũ non fuerit illo loco ex propria sententia locutus, sed ex sensu Hebræorum; & hæc responsio ex aliis verbis Hieronymi colligi possèt. Nam in Apologia 2. contra Rufin. fol. ult. quæ incipit: *Huc usq; de criminibus, &c.* sic ait: *De Daniele autem breviter respondebo, me non negasse eum prophetam, quem statim in fronte prologi Prophetarum confessus sum. Sed quid Hebræi dicerent, & quibus argumentis suam niterentur probare sententiam voluisse monstrare, & docuisse lectorem Ecclesiæ Christi hunc Prophetam legere,* &c.

Resp tamen secundò admittendo, quod D. Hieron. tunc temporis de illis libris cum Judæis sic senserit, sed id nihil obstat, quia tunc nihil ab Ecclesia circa canonem SS librorum erat determinatum, prout post ipsius obitum in Concil. Carthag. 3. fuit definitum, & à Romanis Pontificibus: licèt quoad librum Judith ipse Hieron. suam sententiam mutârit, intellecto decreto *Concilii Nicæni,* ut dictum est suprà art. 5. III.

Certum autem est, quod, licèt antea nihil definitum fuerit, tamen libri isti in Ecclesia Catholica ab initio lecti fuerint, & à plerisq; SS. Patrib⁹ etiam ad probandũ fidei dogma usurpari, imo etiã divini, divinitus inspirati, & à Spiritu S. dictati fuerint nuncupati, ut copiosè ostensum est, licèt in quibusdã particularib⁹ Ecclesiis tali modo non essent recepti, quod etiam indicat D. Aug. lib. 2. de doctr. Christ c. 8. antequã canonẽ recenseret.

Itaq; sicut ante Concil. Nicæn. diversæ Ecclesiæ & SS. Patres cum *S. Cypriano* fortiter urgebant illos, qui ab hæreticis fuissent baptizati, esse rebaptizandos, ut suprà ex D. Augustino fusè ostensum est: Sic etiam non obstat dubitatio aliquorum Patrum circa quosdam S. scripturæ libros, priusquam canon determinatus esset à Conciliis, ut suprà dictum est.

Resp. 3 Quod si Anonymus adeo urgeat auctoritatem *Hieronymi* contra tot aliorum Patrum sensum, & præsertim contra sententiam Ecclesiæ post ipsius obitum factam, certè nimis temerè agit, oporteret enim, ut etiam alia à S. Hieron. & SS. Patribus unanimiter credita, & dicta admitteret, ut quod *hæreticum sit negare orationem pro defunctis* Sed quod ipse *Hieron.* non inhæserit isti Judæorũ sententiæ, patet ex eo, quod postea librum *Iudith* receperit, ex eo quia à Concil. Nicæno receptus erat, ut suprà dictum est. IV.

Respond. 4. Certum est, quod si tempore S. Hieronymi Pontifex Romanus Innocentius & alii, vel Concilia istum canonem determinassent, nunquam ipse contradixisset. sed majoris fecisset auctoritatem Ecclesiæ, quàm Judæorum dicta: cùm constet quantopere se subjecerit Romano Pontifici in dogmatibus fidei determinandis, qualiter scripserit Damaso Papæ circa hypostasin in SS. Trinitate; & universaliter ab ipso tanquam à Pastore ovis doceri petierit. Hoc faciant & Acatholici, si Hieronymum imitari velint. V.

Resp. 5. quàm temerè D. Anonymus procedat in eo, quod volens ostendere Ecclesiam modernam Romanam contrarium in rebus fidei docere, quàm antiqua docuerit, unum D. Hieronymi testimonium allegat, cùm nos tam clarè ostenderimus ab initio Ecclesiæ plerosq; SS. Patres recepisse omnes illos libros ut canonicos, licèt tunc nihil esset definitum. Et insuper intra illa quatuor secula Ecclesia antiqua canonem istum quem Concil. Trid. proponit, definivit in Concil. Carthag. cùm D. Augustino. VI.

Nos igitur stamus in determinatione S. Matris Ecclesiæ universalis, sine qua plures, imo omnes libri incerti essent, ut suprà ostensum est,

præſertim, quia plures ſancti Patres etiam de quibusdam libris, quos cum Eccleſia Acatholici Calvini ſectatores recipiunt, ut epiſtolam ad Hebræos, Apocalypſin, ſuprà relati dubitarunt. Et quidem de epiſt. ad Hebræos *Aug.* lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſione cap. 27. ſic ait: *Ad Hebræos epiſtola quamvis nonnullis incerta ſit, magis me movet auctoritas Eccleſiarum orientalium, quæ hanc etiam in canonicis habent*, &c.

VII.

Et tamen *Lutherus* ipſe eandem cum ſuis repudiavit, quem Calvini ſectatores ut lumen fidei adorant & proclamant. Plus itaq; conſenſui totius Eccleſiæ, cui Spiritus S. à Chriſto promiſſus eſt, ſtandum eſt, quàm cuicunq; privato, incerto & fallaci ſpiritui & ſenſui, de quo nullum in ſcriptura eſt teſtimonium, ſed potiùs privatus ſenſus contra Eccleſiæ ſenſum à S. ſcriptura & SS. Patribus damnatus, ex quo omnes hæreſes natæ ſunt, quem tamen Acatholici in confeſſione Gallica art. 4. communi Eccleſiæ conſenſui præferre non dubitant dicendo: *Confitemur quod hi libri ſint canonici & certa regula fidei, idq; non tam ex communi Eccleſiæ conſenſu quam ex interno teſtimonio & inſtinctu Spiritus Sancti. &c.* contra quem ſuperbum ſpiritum D. Auguſtinus in prologo lib. 2. de doctr. Chriſt. arguit, & graviſſimè eum deteſtatur.

CAPUT VI.

De vulgata veteri Latina S. Scripturæ editione.

ARTICULUS I.

De originalibus S. Scripturæ textibus.

I. Certum eſt primo, quod omnes S. ſcripturæ libri ſolùm in tribus linguis originaliter ſint ſcripti, *Hebraica, Græca & Latina*, ita tamen ut ſub Hebraica comprehendantur Linguæ Chaldaica & Syriaca, quæ in literis quibusdam ab Hebræis differunt, & ex Hebræa natæ ſunt, ut linguarum periti tradunt.

II. *Certum eſt* ſecundo, quod omnes libri S. ſcripturæ vet. teſtam. ante Eſdram priùs Hebraico ſermone ſcripti ſint, ut omnes SS. Patres teſtantur, licet juxta Hieronymum in prologo galeato Eſdras ex captivitate rediens novas literas Hebraicas formârit, quas Judæis tradiderit uſurpandas, juxta quas textus ſacros conſcripſerit, quib⁹ certa & diverſa puncta addidit, ſecundùm quæ literæ diſtinguerentur, quarum uſus uſque modo eſt apud Judæos & in Eccleſia.

III. *Certum eſt* tertio, quod Euangelium Matthæi ab ipſo fuerit Hebraicè ſcriptum, ut teſtatur *Irenæus* lib 3. c. 1. *Hieron.* in præfat. in Matth. ubi etiam dicit illud Hebraicum exemplar non extare: ſed ſolum exemplar Græcum ex Hebræo tranſlatum. Similiter de epiſt. ad Hebræos aliqui aſſerunt quod ab Apoſtolo Græcè ſcripta ſit, ita Origenes apud Euſeb. lib. 6. c. 24. *Euſebius* vero cum aliis exiſtimat illam Hebraicè ſcriptam & poſtea in Græcum à Luca tranſlatam. Diverſi aſſerunt quod *Marcus* Euangelium ſuum Romæ Latinè ſcripſerit, & poſtea ipſemet in Græcum tranſtulerit. De reliquis novi teſtamenti libris communis eſt ſententia, quòd ab auctoribus ſuis Græcè conſcripti fuerint.

ARTICULUS II.

De ſcriptoribus ſacrorum librorum.

I. Sciendum imprimis, quod maxima ſit diſparitas inter illos, qui auctores fuerunt librorum S. ſcripturæ, & alios qui poſtea illos ab auctoribus ſcriptos deſcripſerunt, vel tranſtulerunt in alias linguas; certum eſt enim quod illi qui S. ſcript. primit⁹ ſcripſerunt, ut Prophetæ, Apoſtoli, vel alii, in ſcribendo à Spiritu S. ſint directi, ut errare non poſſent juxta illud 2. Tim. 1. v. 16. *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, &c.* & 2. Pet. 1. v. 20. *Omnis prophetia ſcripturæ propriâ interpretatione non fit, non enim voluntate humanâ allata eſt aliquando ſcriptura, ſed Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.*

Secundo *certum eſt*, quod hoc dici non poſſit de omnibus, qui vel originalia Prophetarum vel Apoſtolorum ſcripta deſcripſerunt, vel in alias linguas tranſtulerunt, nec enim illi vel Apoſtoli vel Prophetæ omnes ſunt vel fuerunt, nec promiſſionem talem habent, ut patet ex multis hæreticis, qui malitioſè S. ſcripturas depravatè deſcripſerunt, ut Tertull. lib. 4. contra Marcionem & Epiphan. hæreſ. 42. *&c.* teſtantur. II.

His ſuppoſitis dubitatur à diverſis, an omnes S. ſcripturæ codices in lingua originali, vel Græca, vel Hebræa ita purè deſcripti ad noſtra tempora venerint, ſicut ab auctoribus ſcripti ſunt: Probabilior autem & certior eſt ſententia, quod codices Hebræi quoad ſubſtantiā conſervati fuerint incorrupti, ita ut ex malitia Judæorum non fuerint corrupti, prout plures demonſtrant SS. Patres, præſertim *Hieron.* in cap. 6. Iſai. *Auguſt.* lib. 15. de civ. Dei, cap. 13. *&c.*

Veruntamen DD. Catholici ſatis clarè demonſtrant, quod moderni Hebræi codices in aliquibus mendoſi ſint, ita tamen, ut ſubſtantia veritatis non tollatur, adeòq; non ex malitia, ſed ex incuria vel ignorantia ſcribentium irrepſerint, prout ex diverſis vet. teſtamenti locis oſtendi poteſt: Et ipſe Calv. circa illum locum Iſai. 9. v. 6. *Vocabitur nomen ejus admirabilis, &c.* contra Hebræos dicit: *Neque eſt quod oblatrent Iudæi, & hic invertant lectionem, hoc eſt nomen quod vocabit eum Deus*, &c. & tamen in textu Hebræo moderno habetur *vocabit*: unde patet codices Hebræos modernos non prorſus puros eſſe. III.

Similiter SS. Patres oſtenderunt, quod tranſlatio ſeptuaginta ſeniorum ex Hebræo in Græcum multis in locis ſucceſſu temporis fuerit depravata, contra textum Hebræum, id *Iuſtinus Martyr* in dialogo contra Tryphonem Judæum in multis probat. IV.

Origenes hom. 12. in Jerem. *Hieron.* in epiſt. ad Aug. & in c. 3. Michææ, qui tamen in præfat. 1. in paralip. dicit *ſe fruſtra laboraturum in Hebraicis libris transferendis, ſi 70. interpretum verſio, prout ab illis edita eſt, integra haberetur*, &c.

Et

Et in epist. ad Augustinum, quæ inter August. Epistolas est 11. sic ait: *Miror quomodo septuaginta interpretum libros legas non puros, ut ab eis editi sunt sed, &c.* Sic enim D. August. lib. 18. civ. cap. 43. satis apertè dicit *septuaginta interpretes Dei Spiritu directos illam translationem fecisse, & illis ita sit fides adhibenda, sicut aliis prophetis*, &c.

V. *Finaliter certum est*, quod codices originales Græci plurimi olim vitio librariorum, vel malitiâ Hæreticorum, aut ex dubitatione quorundam fuerint mutati, vel corrupti, vel etiam mutilati, sic enim Marcion plura in novo testam. mutârat, vel abstulerat, ut refert [l] *Tertull.* lib. 5. contra Marcionem. *Ariani* etiam quædam loca omiserunt, ut notârunt sancti Patres, qui tamen illa ex aliis codicibus Græcis correxerunt & restituerunt.

Imo de facto in pluribus codicibus Græcis plura omissa sunt, ut historia adulteræ Joann. 8. & integrum caput ult. Marci, ac alia plura, quæ verè sunt de textu S. scripturæ ut sancti Patres probârunt.

VI. Demum *Græci* etiam *codices* omnes aliqua habent addita, quæ licèt bona & pia sunt, tamen constat non esse de textu originali, ut illa verba, quæ Matth. 6. ut clausula adduntur orationi dominicæ, scil. *quoniam tuum est regnum & potestas & gloria in secula.* Quòd autem non sint de textu originali Hebræo, nec de primario textu Græco translato ex Hebræo, patet ex eo, quod nulli antiqui Patres Latini illam clausulam legerint, vel notârint, vel illius mentionem fecerint, dum orationem dominicam exposuerunt, ut *Tertull. Cyprianus. Ambros. Hieron. & August.* qui Græcæ Linguæ peritissimi erant, nec causam habuissent illa omittendi, si in textu Græco tunc fuissent, & ideo vulgata editio Latina, verba illa non habet, quæ à tempore illorum Patrum in Ecclesia usitata fuit.

VII. Hoc etiam constat ex Græcis, qui dicunt hanc clausulam non usurpari à vulgo, dum orationem dominicam recitant, sed solùm à sacerdote in sacrificio Missæ quando cantatâ oratione dominicâ à choro responsum est. *Sed libera nos à malo.* Et ideo dicunt, hæc verba licet non sint de textu, solùm ex devotione textui esse ab aliis inserta. Quidquid autem sit de hoc, veritas patet ex SS. Patribus Latinis prædictis, unde etiam refutantur moderni Acatholici, qui Catholicos calumniantur quod illa verba in oratione dominica non habeant.

ARTICVLVS III.

De versionibus seu translationibus S. Scripturæ ex originali in alias linguas.

I. Constat, quod ante & circa tempora S. Hieronymi plurimæ extiterint versiones S. scripturæ sive ex Hebræo in Græcum, sive ex Græco in Latinum, de quibus *August.* lib. 2. de doctr. Christ. c. 11. sic ait: *Qui scripturas ex Hebræa lingua in Græcam verterunt linguam, numerari possunt, Latini autem interpretes nullo modo, &c.* Idem dicit *Hieron.* præfat. in Josue, unde factum est, ut plurimi errores in variis exemplaribus extiterint. Verùm inter plurimas una erat versio communior, quam D. *August. Italam* vocat, de qua ibid. c. 15. sic ait: *In ipsis autem interpretationibus Itala cæteris præferatur, nam & verborum tenacior, cum perspicuitate sententiæ.* Quia verò plereq; versiones in aliquibus erant corruptæ, SS. Patres monebant esse ad alia recurrendum: sic Aug. ibid subjungit dicens: *Latinis quibuslibet emendandis Græci adhibeantur, in quibus septuaginta interpretum, quod ad vetus testamentum attinet, excellit auctoritas, &c.* & infrà: *Libros novi testamenti si quid in Latinis varietatibus titubat, Græcis cedere oportere non est dubium, & maximè, qui apud Ecclesias doctiores & diligentiores reperiuntur, &c.* hæc ille.

Certum autem est, quod D. Hieron. cum singulari Dei gratia, labore ac omnium laude correctioni translationis intenderit; & quidem vetus testamentum ex Hebræo in Latinum transtulit ultimatè, licèt prius ex Græco 70. interpretum transtulisset: at verò novum testamentum ex Græco antea translatum in multis locis correxit, prout ipse lib. de viris illustribus ait: *Novum testam. Græcæ fidei reddidi &c.* & in epist. ad August. quæ est inter Augustini epist. 11. sic ait: *Si me, ut dicis in novi testam. emendationem suscepisti, exponisque causam cur susceperis*, &c. II.

Idem D. Aug. epist. 10. ad Hieron. scribit: *Non parvas Deo gratias agimus de opere tuo, quod Evangelium ex Græco interpretatus es, quia pene in omnibus nulla offensio est, cum scripturam Græcam contulerimus, &c.* & lib. 18. de civ. Dei cap. 43. dicit: *Quamvis non defuit temporibus nostris presbyter Hieronymus homo doctissimus & omnium trium linguarum peritus, qui non ex Græco, sed ex Hebræo in Latinum eloquium easdem scripturas converterit, sed ejus tantum literarum laborem, quamvis Judæi non fateantur esse veracem, septuaginta vero interpretes in multis errasse contendant, &c.* hæc ibi.

Hæc igitur D. Hieronymi Latina editio in Ecclesiis legi cœpit, ita tamen, ut illa, quæ ex septuaginta interpretum Græco textu translata esset, tempore Augustini magis usurparetur. prout Augustinus ibidem capite 43. exprimit post præmissa verba dicens: *Tamen Ecclesiæ Christi tot hominum auctoritati neminem judicant præferendum, quia etsi non in eis unus apparuisset Spiritus sine dubitatione divinus, sed inter se verba interpretationis suæ septuaginta doctis more hominum contulissent ut quod placuisset omnibus, hoc maneret, nullus eis unus interpres debuit anteponi, cum verò tantum in eis signum divinitatis apparuit*, &c. hæc Augustinus; sed ut suprà dictum est, ipse Hieronymus probat primævam septuaginta interpretationem, sed ostendit illam à Judæis sæpe fuisse viciatam, quam ille pristinæ veritati restituit. III.

Hæ igitur duæ editiones manserunt scilicet antiqua ex 70. interpretibus in Latinam translata, & illa, quæ ab Hieron. in usum Ecclesiæ translata & correcta erat, ita ut tandem Hieronymi editione omnes Ecclesiæ uterentur, prout constat ex S. Isidoro lib. 6. Etymol. cap. 5. ubi sic ait: *Hieron. trium linguarum peritissimus ex Hebræo in Latinum eloquium divinas scripturas convertit, cujus interpretatio meritò cæteris anteponitur, &c.* Et lib. 1. officior. cap. 12. dicit: *De Hebræo in Latinum eloquium Hieronymus presbyter tantum sacras scripturas convertit, cujus editione generaliter omnes Ecclesiæ usquequaque utuntur, eo quod veracior est in sententiis, & clarior in verbis*, &c. hæc ille. IV.

Demum constat, quod ab illo tempore V.

unica tantùm fuerit S. scripturæ communior editio Latina in Ecclesia, quæ vetus & vulgata communiter nuncupatur, quam aliqui existimant esse ipsam Hieronymi quoad libros veteris testamenti ante Esdram scriptos quoad reliquos esse antiquam ex septuaginta & aliis translatam, &c. alii verò esse antiquam, sed juxta annotationes Hieronymi in plerisque correctam: quoad novum testamentum omnes conveniunt esse antiquam ab Hieronymo correctam.

De hujus itaque editionis auctoritate dicendum est.

ARTICVLVS IV.

Quòd vulgata vetus sacræ scripturæ Latina editio verè sit authentica.

I. Dicendum itaque, quod omnes fideles teneantur omnes & singulos sacræ scripturæ libros cum omnibus suis partibus recipere, & ut verbum Dei revereri, prout in veteri vulgata Latina editione continentur: Non quidem propter D. Hieronymi vel alicujus alterius translatoris auctoritatem sed ob S. Ecclesiæ testimonium, auctoritatem & traditionem. Ita Concil. Trid. sess. 4. decreto de editione declaravit & statuit dicens: *Insuper eadem sacrosancta synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus Latinis editionibus quæ circumferuntur, sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat; statuit & declarat, ut hæc ipsa vetus & vulgata editio; quæ longo tot seculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus & expositionibus, pro authentica habeatur, & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat.* Et infrà: *Decernit & statuit, ut posthac S. scriptura potissimum vero hæc ipsa vetus & vulgata editio, quàm emendatissimè imprimatur,* hæc Concil.

II. Ex his patet primo, quod Concilium non tribuat S. Hieronymo hanc editionis authenticam auctoritatem, nec ulli translatori: quia tales non fuerunt prophetæ vel Apostoli, aut canonici scriptores, ut errare non potuerint, cùm ipse S. Hieron. id sibi non adscribat & in epist. ad August. suprà citata dicat: *Si me in novi testamenti emendatione suscipis, exponisque causam cur suscipias, quia plurimi linguæ Græcæ habentes scientiam de meo possent opere judicare, &c.* Sed Concilium judicat quod, quia à tempore D. Hieronymi & ultrà hæc editio à tot sanctis Patribus examinata & cum originalibus sacræ scripturæ textibus collata, ita integra & sincera est inventa, ac probata, & à tota Ecclesia per tot secula præ aliis fuerit usurpata, & approbata, ut inde satis constet, quod nihil in hac editione contineatur, quod sit contra fidem Catholicam & mores bonos, vel ipsos fontales S. Scripturæ textus, vel contra illos textus additum aut detractum, declaravit hanc ut veram & authenticam sacræ scripturæ editionem esse servandam.

Nec in hoc rejecit textus Hebræos & Græcos veros & originales, sed potiùs probavit eosdem, quod vulgata editio cum illis conveniat, vel saltèm tempore D. Hieronymi, Augustini & aliorum gravissimorum Patrum convenerit & quod credendum sit, quod sancti Patres qui in primitiva Ecclesia ex Hebræis & Græcis Latina fecerunt, puriores & emendatiores codices Hebræos & Græcos habuerint, quàm illi sint, qui per tot secula ad nos per varios scriptores devenerunt, vel in manibus Græcorum schismaticorum postea extiterunt.

III. Patet secundo, quod Concil. declarare non voluerit, quod editio illa vulgata tempore hujus Concilii fuerit ab omnibus librariorum erroribus immunis, cùm mandet ut scilicet diligenti cum codicum manuscriptorum Hebræorum, Græcorum fontium & antiquorum Patrum Commentatorum collatione emendatissimè, quoad fieri posset, imprimeretur: idque reliquit executioni SS. Pontificum, qui ad hoc omnem diligentiam per peritissimos adhibuerunt ut Pius IV. Pius V. Sixtus V. & Clemens VIII. prout patet ex præfat. ad Biblia sacra vulgatæ editionis.

IV. Patet tertio, quod Concilium non sibi vendicet auctoritatem condendi novam S. scripturam, vel veram S. scripturam mutandi vel corrigendi, sed solùm declarandi, quænam sit purior sacræ scripturæ ab Apostolis & prophetis conscriptæ editio Latina, quâ fideles sine errore uti possint.

V. Quod autem hoc Ecclesiæ competat, constat ex eo, quia juxta ipsam S. scripturam & SS. Patrum sententiam Ecclesia in rebus fidei audienda est, cùm ipsius Ecclesiæ testimonium requiratur ad discernendos veros canonicos S. scripturæ libros à non canonicis: imò ab Ecclesiæ testimonio dependeat, ut cognoscantur quod sint veri & originales codices, sive Græci, sive Hebræi: & suprà ostensum est, & quod ab Ecclesia petenda est vera S. scripturæ cognitio, quod longè securius est quàm id quod Acatholici in in sua confessione art. 4. volunt, quod *non tam ex Ecclesiæ consensu, quam ex interno testimonio & instinctu petendum sit quinam sint libri canonici S. scripturæ.* Quis enim nisi planè insanus non potius credat sanctis Patribus, qui per tot secula editionem vulgatam cum fontibus Hebræis & Græcis contulerunt, & convenientem invenerunt, ac etiam Spiritum Sanctum invocârunt, & præcipuè ipsi toti Ecclesiæ, quam S. Scriptura testatur esse veracem, ut D. August. supponit, quàm cuilibet novello qui hoc tempore contra tot SS. Patres judicaret.

ARTICVLVS V.

Responsio ad argumentum primi Anonymi.

I. Auctor Anonymus primi libelli volens ostendere Ecclesiam Catholicam Romanam ab antiqua in fide defecisse secundo loco sic objicit dicens:

Latina versio bibliorum est Hieronymi opus, saltèm ad maximam partem, ergo ante eum ea versio non erat authentica, & ipse dicit in præfat. ad Pentateuchum: Sicubi in translatione tibi videar errare, interroga Hebræos, sic habet editio Paris. in octavo anno 1525. per Ioann. Brevel. sed in synodo Trid. & session. jam nominatis decretum est, eam Latinam versionem habendam esse pro authentica, & quod illam nemo rejicere quovis prætextu audeat; & nihilominus à duobus Papis Pio V. & Gregorio mutata est in aliquot centenis imo mille locis, &c. hæc ille.

Ad

II. Ad hoc patet responsio ex præmissis, concedimus enim, quòd Latina illa vulgata versio pro maxima parte vet. testam. sit Hieronymi opus, & quoad alia novi testam. etiam ab ipso correcta & emendata, ac etiam quod ipse Hieron. sibi non tribuerit spiritum infallibilitatis in transferendo, sed voluerit, ut sua cum fontali textu conferrentur, cum his autem consistit, quod postquam non solùm Hieronymus tam diligenter suam versionem ad fontales textus examinarit & correxerit, sed jam à mille trecentis annis tot gravissimi Patres eandem editionem examinarunt & sinceram invenerunt, ac omnes Ecclesiæ per totum orbem illâ tanquam veraciore & clariore usæ fuerunt; S. Concilium in Spiritu Sancto congregatum declarare & statuere potuerit, illam versionem esse authenticam, & cum fontalibus primævis convenire, nec illam ut falsam, vel erroneam esse rejiciendam, *&c.* non autem declararit Concilium illam versionem esse mundam ab omni librariorum errore, sed potiùs supposuit tales errores inesse, quos emendandos mandavit.

III. Quid ergo D. Anonymus ex his inferet contra Catholicam modernam Ecclesiam? an, quod ab antiqua defecisset in rebus fidei, vel, quod articulus, quem moderna Ecclesia de fide tenet, ab antiqua fuerit damnatus? quod probandum susceperat; cùm contrarium potiùs pateat, quòd Ecclesia Catholica inhæreat S. scripturæ versioni quæ in antiqua Ecclesia probata fuit. At verò Acatholici hâc contemptâ, novas quotidie ad suum cerebrum fabricant versiones, & quidem inter alias in Germanico inhærent Lutheri versioni mendacissimæ, in cujus novi testam. versione Cochlæus lib. de vita & actis Lutheri anno 1522. notavit ad mille loca immutata quæ vel addidit vel detraxit, vel depravavit contra originales codices, hanc notam illi justè inustam, hic Anonymus iniquè & falsò Ecclesiæ impingere voluit.

ANTITHESES

Veritatis Catholicæ Ecclesiæ & falsitatis Acatholicorum circa libros sacræ scripturæ & editionis ejusdem.

I. PRimò *SS. Patres docent*, quòd omnes veri S. scripturæ libri à tempore Apostolorum ad ipsos & consequenter ad nos devenerint. *Id etiam tenet Ecclesia Catholica Romana.*

Acatholici hoc ipsum cum Calvino lib. 1. inst. cap. 8. fateri debent, quòd de manu ad manum ad nos devenerint, sed contrarium falsò imponunt Ecclesiæ Catholicæ.

Secundò *SS. Patres non docent*, quòd Ecclesia possit libris dare auctoritatem, ut sint canonici, qui non essent, vel illis auctoritatem S. scripturæ auferre, si haberent. *Id etiam non docet Ecclesia.*

Acatholici id falsissimè imponunt Ecclesiæ Catholicæ.

Tertiò *SS. Patres docent*, quòd S. Ecclesia per Spiritum Sanctum directa discernere possit inter libros, qui à tempore Apostolorum fuerunt, quinam ex ipsis veri & canonici S. scripturæ libri sint, & qui non sint. *Ita etiam docet Ecclesia Catholica Romana.*

II. *Acatholici* id prorsus negant, asserentes cum Calvino lib. 1. inst. cap. 7. quod veri S. scripturæ libri à falsis per se discernantur, sicut lux à tenebris, & dulce ab amaro.

Quartò, *SS. Patres docuerunt*, quod Ecclesia Catholica discernendi potestatem habeat circa libros canonicos, qui verè tales sint à falsis: sicut per Spiritum Sanctum habet assistentiam discernendi verum à falso sensu verborum sacræ scripturæ. *Ita tenet Ecclesia Catholica Romana.*

Acatholici negant utrumque.

Quintò *SS. Patres* ex testimonio Ecclesiæ agnoverunt aliquos libros Apostolis inscriptos à tempore Apostolorum esse falsos, ut Euangelium Bartholomæi, Matthiæ, epistolam Pauli ad Laodicenses. *Sic etiam tenet Ecclesia Catholica Romana.* III.

Acatholici eosdem libros à canone rejiciunt; sed rationem reddere non possunt.

Sextò *SS. Patres* fatentur, quòd de aliquibus libris canonicis in primitiva Ecclesia à quibusdam Patribus fuerit dubitatum, an essent canonici, quos tamen aliquæ Ecclesiæ & sancti Patres pro canonicis habebant, & tamen post determinationem Concilii Nicæni, & aliorum Conciliorum, ac communem Ecclesiæ usum pro canonicis habiti sint, & haberi debeant, ut sunt ultimum cap. Marci, initium 8. cap. Euangelii Joannis: Epist. ad Hebr. Epist. Jacobi, Judæ, 2. Per. & 2. & 3. Joannis, ac Apocalypsis. *Ita etiam Ecclesia Romana Catholica.*

Acatholici Calvini sectatores hos omnes non obstante dubio aliquorum Patrum pro canonicis habent, sed causam reddere non possunt.

Septimò *SS. Patres* post Concilii Nicæni determinationem pro canonico agnoverunt librum Judith, licèt antea aliqui dubitarint. Similiter post Concilium Milevit. SS. Patres agnoverunt libros Sapientiæ, Ecclesiastici, Tobiæ & Machabæorum pro canonicis, licèt antea quidam Patres de illis dubitassent. *Ita etiam docet Ecclesia Romano-catholica.* IV.

Acatholici usque modo illos libros à canone rejiciunt solùm ob quorundam Patrum olim dubitationem, cùm tamen plures Patres illos canonicos agnoverint & concilia determinarint.

An autem sequendo naturalem etiam rationem tutius & æquius sit rejicere libros S. scripturæ ab antiquis Patribus & Conciliis ut canonicos agnitos, & qui in se boni & veri judicantur etiam ab Acatholicis, quàm illos ut canonicos venerari prudens & sincerus lector dijudicet.

Octavò *SS. Patres docuerunt*, quòd S. scripturæ libri originaliter vel Hebraicè, vel Græcè vel Latinè ab auctoribus per Spiritum Sanctû directis scripti sint, & illis originalibus textibus inhærendum sit. *Idem docet Ecclesia Romana Catholica.* V.

Acatholici id etiam asserunt, sed contrarium Ecclesiæ Catholicæ falsò imponunt.

Nonò *SS. Patres docuerunt*, quòd libri sacræ scripturæ ex Lingua Hebraica & græca utiliter in Latinam sint translati, ita tamen, ut accuratè ad originales textus versiones essent examinandæ & corrigendæ. *Idem docet Ecclesia Catholica.*

Acatholici idem dicunt, sed contrarium Ecclesiæ Catholicæ imponunt.

Decimò *SS. Patres* à tempore S. Hieronymi editionem Latinam vulgatam à S. Hieronymo & aliis linguarum peritissimis ad originales textus VI.

accuratè correctam, ut authenticam in Ecclesia legendam judicarunt, & Ecclesia per tot sæcula, cùm tot fuerint viri perfectissimi qui eandem editionem cum originalibus conformem esse judicantes usurparunt, approbavit. *Idem judicat Ecclesia moderna Romana.*

Acatholici negant editionem latinam usitatam, esse authenticam, nec ostendere possunt, quòd hæc à veris originalibus Hebræis & Græcis textibus discordet, nec probare possunt se habere veriores & correctiores textus originales, quàm sancti Patres habuerunt.

VII. Vndecimò *Ecclesia Catholica* non judicat editionem vulgatam ideo esse authenticam, quia Hieronymus illam correxit, sed quia tam ab ipso quàm à tot centenis Patribus peritissimis judicata est cum textu originali convenire, & ipsa Concilia in Spiritu Sancto congregata sic judicarunt, ideo Ecclesia eodem Sancto Spiritu directa sic judicat.

Acatholici contrarium Ecclesiæ improperant.

Duodecimò *Ecclesia Catholica* editionem vulgatam tot modis correctam & probatam in sensu judicat cum textu originali vero convenire, ita tamen, ut erroribus librariorum laboraverit & laborare possit, à quibus emendari debeat & possit.

CONCLVSIO.

VIII. EX hactenus ostensis & probatis Christianus Lector luce clarius palpare poterit; quàm gravem Ecclesiæ Romanæ Acatholici inferant calumniam, cùm asserere audent illam relicto Dei verbo fidem suam in humanis decretis & figmentis fundare, vel aliud præter Dei verbum fidei fundamentum tradere; contrarium enim patet ex iis, quæ suprà cap. 5. art. 2. ex Concil. Trid. allegata sunt. Vbi profitetur, quòd Ecclesia nullum aliud præter verbum Dei fidei fundamentum agnoscat, quod partim in sacris libris canonicis à Prophetis & Apostolis scriptum, partim ab Apostolis sine scripto oretenus Ecclesiæ traditum fuit, prout sancti Patres primitivæ Ecclesiæ contra hæreticos docuisse, & ex ipsa sacra scriptura probasse, copiosè demonstratum est.

IX. Et quidem quoad sacram scripturam seu libros canonicos Ecclesia moderna nihil immutavit, sed illos omnes & singulos, etiam quoad omnes partes integrè veneratur, quos Ecclesia antiqua ab Apostolis de manu ad manum traditos esse agnovit, & determinavit, prout abundè ostensum est.

X. Quàm verò longè ab hac primitivæ Ecclesiæ doctrina, & à veritate Acatholici discesserint, nimis evidens est, nam licèt plenis buccis se purum Dei verbum & S. scripturam amplecti vociferentur, & S. scripturam à prophana non secùs ac lucem à tenebris quemlibet discernere posse cum Calvino jactitent, integros tamen S. scripturæ libros, quos antiqua Ecclesia ut sacros agnovit, rejicere audent, & inter se de quibusdam dissentiunt, subinde pro placito verba adjiciunt, ita ut Lutherus dum ad verba Apostoli ad Rom. 2. v. 12. *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis*, in Bibliis Germanicis (uti habent omnes primæ editionis, & postea Wittenbergica anno 1565. & Heidelbergensis anno 1617.) addidisset, ly *solam* sine textu Græco vel Latino, de hoc admonitus, respondere non erubuerit dicens: *Doctor Lutherus sic vult, sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas*, & licèt aliàs clamitent nihil prorsus S. scripturæ sub gravi commінatione addendum vel diminuendum esse, allegantes verba Apocalyp. cap. 22. v. 18.

XI. Jactitant etiam passim, quòd ipsi puram S. scripturam ad fontales textus Hebræos & Græcos probatam proponant populo legendam, cùm tamen populus illam juxta fontes illos examinare non possit; sed credere debent uni aut alteri prædicanti, qui id asserunt, quomodo autem populus in talis hominis verbo firmiter stare potest, quod non erret, vel ipsum decipiat, quantò tutiùs & firmius Catholici fideles audiunt Ecclesiam Catholicam, cui Christus testimonium perhibuit veritatis, quæ Biblia sacra ex Hebræa & Græca lingua in Latinam olim à SS. Patribus utriusque linguæ peritissimis translata, & per tot centenos annos à peritissimis probata agnoscit & usurpat.

Veritas Domini manet in æternum.

LIBER

Digitized by Google

LIBER III.

De Ecclesia vera Christi visibili militante secundùm se seu in generali.

SCiendum, quòd inter articulos quos nobilis Anglus à prætensis Reformatis assertos ex SS. Patribus quatuor primorum sæculorum se probaturum promiserat, primus erat: *Quod vera Ecclesia Christi visibilis universalis in fide errare possit*; qui articulus meritò ponderandus est. Verùm illi auctores anonymi trium libellorum qui partes nobilis illius susceperant, valdè jejunè, ut infrà patebit, processerunt. Nam primus illorum articulum hunc unico *Vincentii Lyrinensis* testimonio, quod tamen ipsi non suffragatur, totaliter probatum putat, & statim ad *Liberii Pontificis Romani* unius, ut vult, errores declinat.

Duo alii nolunt esse quæstionem inter Catholicos & Acatholicos de universali vera Ecclesia, sed tantum de Romana putativa, ut calumniantur. Vt autem veritas pateat, cùm ab hac quæstione salus fidelium plurimùm dependeat, hoc libro de Ecclesia Christi in terminis generalibus agemus, sequenti libro de falsis Ecclesiis. Verùm tertio libro de Ecclesia Romana, quòd vera Ecclesia Christi sit, ostendemus.

CAPVT I.

De Vnitate Ecclesiæ Christi veræ.

ARTICVLVS I.

De voce Ecclesia.

I. VOx, Ecclesia, Græcè, Latinè idem est, quod evocatio seu convocatio hominum, ac proinde significat cætum vel congregationem evocatorum.

Triplex autem potissimùm hujus vocis in S. scriptura usus est: Primò, sed rarius usurpatur pro loco, in quo vocati congregantur, ut Deut 23. v. 1. *Non intrabit Eunuchus Ecclesiam Domini*. Similiter dicitur ibidem v. 2. sed clariùs Judith 6. v. 21. *Convocatus est totus populus, & per totam noctem intra Ecclesiam orârunt*.

Secundò pro quocunque cætu tam infidelium, quàm fidelium, ut ps. 25. v. 5. *Odivi Ecclesiam malignantium*. Similiter Act. 19. ubi Ethnicus Scriba volens sedare populum gentilem Ephesiorum inter alia dicit v. 39. *In legitima Ecclesia poterit absolui*, & v. 40. *Et cùm hoc dixisset dimisit Ecclesiam*.

II. Alibi sumitur pro Ecclesia Sanctorum, ut ps. 8. v. 6. *Veritatem tuam in Ecclesia Sanctorum*, & ps. 149. v. 1. *Laus ejus in Ecclesia Sanctorum*.

Tertiò S. scriptura potissimum & absolutè utitur pro cætu fidelium tantùm, sic in vet. testamento frequens illius est usus, ut Num. 20. v. 4. *Cur eduxistis Ecclesiam Domini?* 1. Reg. 8. v. 14. *Omnis Ecclesia Israel stabat, &c.* & alibi sæpe.

In novo Testam. crebriùs cætus populi Christiani Ecclesia nuncupatur, idque dupliciter, semel pro cætu fidelium particularium locorum, ita Rom. 16. v. 4. *Quibus non solus ego gratias ago, sed & cunctæ Ecclesiæ gentium*, item v. 16. *Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi*. 1. Cor. 16. v. 1. *Ordinavi Ecclesiis Galatiæ*. v. 19. *Salutant vos Ecclesiæ Asiæ*. 2. Cor. 1. v. 1. *Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi*. & alibi
III. sæpe. Apocalyp. 1. v. 4. *Ioannes septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia, &c.* Verùm principaliter cætus omnis populi fidelis Christiani per orbem diffusus absolutè Ecclesia Christi dicitur, ut plurima alia loca indicant. Ephes. 5. v. 23. *Sicut Christus est Caput Ecclesiæ*, & v. 25. *Sicut Christus dilexit Ecclesiam*, &c.

Cæterùm, etsi etiam cætus fidelium ver. testam. Ecclesia nominaretur, quæ communiter etiam Synagoga appellatur, quæ vox simplicem congregationem significat, potiùs tamen convenit Ecclesiæ novi testamenti, tum ob excellentiam legis Euangelicæ, tum quia fideles ex omni gente à Deo ad Ecclesiam vocantur, unde Apostolus passim fideles nominat vocatos, Rom. 1. v. 6. *In quibus estis & vos vocati*. 1. Cor. 1. v. 9. *Deus per quem vocati estis*, & v. 24. *Vocatis Iudæis atque Græcis, &c.* At verò populus ver. testam. non tam per vocationem quàm per generationem ex Abraham ad Ecclesiam Dei spectabant.

Demùm Ecclesia etiam pro Rectoribus Ecclesiæ præsertim congregatis sumitur, ut patet IV.
ex illo Matt. 18. v. 17. *Quod si non audierit eos*, scilicet duos testes, *dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi, sicut Ethnicus & publicanus, &c.* ubi non potest intelligi totus cœtus omnium fidelium, per totum mundum vel etiam per unum locum, sed de Ecclesiæ rectoribus.

ARTICVLVS II.

Quòd Ecclesia Christi sit una.

CErtum est apud omnes, quòd *Ecclesia Christi* per orbem diffusa sit unica, I.
licèt plurimæ sint particulares Ecclesiæ, quæ unam integram constituunt, sicut multa membra unum corpus, sic enim Apostolus volens Ecclesiæ unitatem ostendere, comparat illam corpori dicens: Rom. 12. v. 4. *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra*. Similiter 1. Cor. 12. v. 12. *Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia*

omnia autem membra corporis cùm sint multa, unum tamen corpus sunt, ita & Christus. Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus sive Iudai, sive Gentiles, &c. item ad Ephes. 4 v. 3. *Vnum corpus & unus spiritus sicut vocati estis*, &c.

II. Similiter Apostolus Ecclesiam assimilat domui ex multis partibus compositæ dicens 1. Tim. 3. v. 15 *Vt scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi.* Sic etiam Ecclesiam dicit unicam Christi sponsam Ephes. 5. v. 32. ita & Christus Dominus comparat Ecclesiam uni ovili Joann. 10. v. 14. *Ego sum pastor bonus & cognosco oves meas*, &c. *& fiet unum ovile & unus pastor*. Juxta hæc omnes in symbolo Constantinop. confitentur *Ecclesiam unam sanctam & Apostolicam*: prout etiam omnes SS. Patres tradiderunt, qui infrà allegabuntur.

ARTICVLVS III.

Qualiter Ecclesia Christi sit una, & qui ad illam spectent juxta hæreticorum sententiam.

I. QVamvis omnes fateantur Ecclesiam Christi esse unam, hujus tamen unitatis variæ sunt rationes, quæ ex S. scriptura colliguntur, inter quas sunt istæ duæ, quòd scilicet omnes eandem fidem profiteantur, & iisdem Sacramentis utantur, inter se cohæreant, & sub uno pastore agant & regantur; hæc tamen diversimodè assignatur, unde inter Catholicos & Acatholicos quæstio est, qualiter Ecclesia Christi sit una, & quinam ad unam illam Ecclesiam pertineant, juxta quod diversimodè etiam Ecclesiæ definitio vel descriptio assignatur.

II. *Novatiani* olim illos, qui semel à fide defecerant, licèt postea conversi essent, extra Ecclesiam esse volebant, ut refert *Cyprianus* lib. 4. epist. 2. edit. Basil. 1543.

Pelagiani asserebant Ecclesiam solùm constare ex hominibus perfectis nullum peccatum habentibus teste *August.* lib. de hæres. cap. 88. edit. Basil. 1528.

Donatistæ etiam manifestos malos de Ecclesia esse negabant, ut constat apud *August.* in Breviculo Collat. 3. diei infrà referendo.

Hussitæ solos & omnes prædestinatos de Ecclesia esse agnoscebant, ita *Ioannes Hus* art. 5. inter damnatos à Concilio Constantiensi sess. 15.

III. Ab his i ire non discordant *Lutherus & Calvinus*. Ille enim lib. de Conciliis & Ecclesia nolebat Papam vel Cardinales ad Ecclesiam spectare, eò quòd hæc esset tantùm Sanctorum, quales illi non essent.

Calvinus cum suis docet, quòd, qui veram fidem habet, sit prædestinatus, nec illam amittere possit, & vult, quòd tales, licèt habeant peccata gravia, tamen nulla illis imputentur, ac proinde semper sint justi, unde sequitur, quòd Ecclesia sit tantùm justorum & prædestinatorum, nihilominus auctoritate S. scripturæ & SS. Patrum pressus, profitetur veritatem de unitate Ecclesiæ, quæ bonos & malos contineat, sed *duplicem* distinguit *Ecclesiam, internam unam, alteram externam*: Illam vult constare ex solis electis soli Deo notam ita lib. 4. inst cap. 1. §. 2. dicens: *Soli Deo permittenda est cognitio suæ Ecclesiæ, cujus fundamentum est arcana illius electio.* Externam ibid. & §. 3. assignat visibilem, quæ alios præter electos complectatur.

ARTICVLVS IV.

Quinam ad unam Ecclesiam pertineant juxta sententiam Ecclesiæ Catholicæ.

CAtholica Ecclesia non agnoscit, nisi unicam veram Christi Ecclesiam, quæ I.
complectatur in uno corpore bonos & malos fideles, & hæc Ecclesia communiter à Doctoribus sic definitur: Ecclesia est *cœtus hominum, qui sub regimine legitimè ordinatorum pastorum & præcipue unius Christi Vicarii, in ejusdem fidei Christianæ professione, & eorundem Sacramentorum communione inter se coadunantur.* Hujus definitionis seu descriptionis partes in sequentibus ex S. scriptura & SS. Patribus probabuntur. Juxta hæc ab Ecclesia exclusi sunt non solùm *Turcæ & Pagani*, sed omnes hæretici, qui non eandem in Ecclesia fidem profitentur. Similiter *Schismatici*, qui licèt eandem subinde fidem profiteantur, tamen à communione aliorum fidelium & unius capitis Ecclesiæ obedientia se separant. Econtrà *mali qui eandem fidem profitentur* & in communione fidelium manent, membra sunt Ecclesiæ licèt arida, ut pulchrè S.
August. ex S. scriptura declarat ex similitudine II.
agri dominici, breviter Tract. 6. in Joann. dicens: *Nos fatemur in Ecclesia Catholica & bonos & malos esse, sed tanquam grana & paleas.* Tum prolixiùs lib. de unit. Ecclesiæ cap. 13. & lib. qq. Euangelic. super Matth. quæst. 11. edit. Basil. 1528. *ubi Dominus de zizaniis in medio tritici seminatis dixit, quod sint mali filii a diabolo superseminati*, sic ait: *Rectè quæritur, an hæretici sint, an malè viventes Catholici? possunt enim dici Filii mali etiam hæretici, quia ex eodem Euangelii semine & Christi nomine procreati pravis opinionibus ad falsa dogmata convertuntur; sed quod dicit eos in medio tritici seminatos, quasi videntur illi significari, qui unius communionis sunt. veruntamen quoniam Dominus ipse agrum non Ecclesiam, sed hunc mundum interpretatus est, bene intelliguntur hæretici, quia non societate unius Ecclesiæ vel unius fidei, sed solius nominis Christiani societate in hoc mundo permiscentur bonis, ut illi, qui in eadem fide mali sunt palea potiùs quàm zizania deputentur, quia palea etiam fundamentum ipsum habet cum frumento, radicémque communem. In illa plane sagena, quâ concluduntur & mali & boni pisces, non absurdè mali Catholici intelliguntur. Aliud est enim mare, quod magis istum mundum significat, aliud sagena, quæ unius Fidei vel unius Ecclesiæ videtur ostendere. Inter malos Catholicos & hæreticos hoc interest, quod hæretici falsa credant, illi autem vera credentes non vivunt, ita ut credunt, &c.* hæc August. ubi etiam prolixiùs explicat de malis Catholicis qui in Ecclesia existunt, qui vel vera credunt & malè vivunt, vel etiam qui vera credere parati sunt, licèt errent, & tamen in communione Ecclesiæ manent, vel etiam qui occultè in corde malè credunt, & tamen exteriùs veram fidem propter metum vel alios respe-
ctus profitentur. III.

Similia refert August. ex parabolis dictis de rete Petri bis in mare misso, in Breviculo collationum Collat. 3. diei, ubi Catholici contra Donati-

natistas defendebant ex S. scriptura, quòd Ecclesia vera & Catholica in hoc sæculo permixtos bonis haberet malos etiam notos & manifestos, inter alia præsertim cap. 10. ubi *Novatiani*, audientes *S. Cyprianum*, cujus auctoritati stabant, eadem sensisse, obmutuerunt. Ibidem etiam ostendit, quòd non sint duæ Ecclesiæ in hoc sæculo, una justorum & altera malorum, sed unica utrosque comprehendat, sicut in uno homine est anima & corpus, vel interior & exterior homo nec tamen duo homines sunt sed unus, sic etiam boni & mali uniti sunt in professione unius fidei & communione societatis, *&c.*

IV. Hæc præter parabolas ex S. scriptura allatas etiam constant ex illo 1. Cor. 5. ubi Apostolus v. 1. dicit: *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat, &c.* & tamen ille adhuc erat de Ecclesia, cum Apostolus addat *Ut tollatur de medio vestrûm, qui hoc opus fecit*, & infrà v. 9. dicit se non loqui de fornicariis hujus mundi, scilicet qui extra Ecclesiam sunt, sed: *Nunc autem scripsi vobis non commisceri, si is qui frater nominatur est fornicator, &c.* & infrà: *Nonne de iis qui intus sunt, vos judicatis? nam eos, qui foris sunt, Deus judicabit, &c.* Et hæc sancti Patres communiter contra hæreticos docuerunt, quòd in Ecclesia mali etiam manifesti permisceantur bonis, corrigendi vel tolerandi pro occasione. Sufficiat unus *Cyprianus* lib. 3. epist. 3. ad Maximum edit. Basil. 1543. ubi dicit: *Impediri non debet aut fides, aut charitas nostra, ut quoniam zizaniam esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus*, hæc Cyprianus. Quo dicto omnes illi Acatholici & Schismatici confunduntur, qui sub prætextu peccatorum quæ ab aliquibus in Ecclesia fiunt, sibi licitum imò necessarium esse persuadent, ut ab Ecclesia se separent. Demum difficultas esse posset de iis, qui exteriùs quidem fidem veram profitentur, & in communione Sacramentorum in Ecclesia perseverant, tamen in corde veram fidem negant.

V. De his etiam DD. Catholici communiter docent juxta doctrinam sanctorum Patrum in S. scriptura fundatam, quòd tales sint adhuc Ecclesiæ veræ membra, licèt arida, fide verâ & charitate carentes, quæ faciunt viva Christi membra, vel etiam sint sicut humores noxii in corpore, ut loquitur *Augustinus* tract. 3. in Joann.

Sic D. *Augustinus* etiam sæpe supponit, & specialiter tract. 61. in Joann. ubi, cùm dixisset quòd Judas, qui typum gessit hæreticorum fuisset unus de collegio discipulorum Christi sic ait: *Unus numero non merito, unus specie non virtute, commixtione corporali non vinculo spirituali, carnis adjunctione non cordis socius unitate, &c.* & infrà: *Utrumque verum est, & ex nobis & non ex nobis* (attendens ad illud 1. Joann. 2. v. 19. ex nobis exierunt sed non erant ex nobis) *secundùm aliud ex nobis, secundùm aliud non ex nobis, secundùm communionem Sacramentorum ex nobis secundùm suorum proprietatem criminum non ex nobis, &c.* hæc ibi.

Quod expresse etiam docet de occultis hæreticis lib. de gestis cum Emerito cap. 1. dicens: *Quidem adhuc corde positi in parte Donati, præsentiam nobis exhibent corporalem, carne intus, spiritu foris*, &c.

Iterum lib. de Catechizandis rudibus, cap. 17. loquens de diversis, qui sunt in Ecclesia dicit: *Sicut qui propterea volunt esse Christiani, ut aut promereantur homines, à quibus terrestria commoda expectant, aut quia offendere nolunt, quos timent; sed isti reprobi sunt; etsi ad tempus eos portat Ecclesia, sicut area usque ad tempus ventilationis paleam sustinet, &c.* Et infrà: *Sunt etiam alii meliori quidem spe, sed tamen non minore periculo, qui jam Deum timent & non irrident Christianum nomen, nec simulato corde intrant Ecclesiam Dei, sed in ista vita expectant fœlicitatem*, &c.

Hæc *Augustinus*, ubi patet quòd supponat fictos Christianos, scilicet non credentes & fidem simulantes esse adhuc in Ecclesia.

Juxta hæc & sanctorum Patrum sententiam docent DD. quòd fictus Christianus, licèt fiat Episcopus, vel etiam Papa, quamdiu exteriùs veram fidem profiteatur, & in communione Sacramentorum perseveret, licèt aridum sit Ecclesiæ membrum, tamen validè officia jurisdictionis & potestatis suæ exerceat ita colligitur ex *Cypriano* lib. 1. epist. 6. ubi absolutè negat, quòd *Episcopi Novatiani*, qui ab Ecclesia exierunt, habeant potestatem ordinandi; sicut illi qui adhuc in Ecclesia manent, *&c.* quod utique Spiritus Sanctus disposuit pro bono Ecclesiæ, alioquin si tales occulti non administrarent validè Sacramenta, nulla esset quies in Ecclesia de verè ordinatis, adeòque certò supponitur, quod Spiritus Sanctus assistat ut validè fiant quæ occulti hæretici putati Catholici præstant, si exteriùs omnia profiteantur, quæ Catholico competunt. VI.

CAPUT II.

Quòd extra Ecclesiam veram Christi unicam non sit salus.

ARTICULUS I.

Quinam verè sint extra Ecclesiam non salvandi.

I. Concordant pleriq; Acatholici cum Catholicis, quod extra veram Ecclesiam non sit salus, id est, quòd illi, qui non sunt in communione Catholicæ ac veræ universalis Ecclesiæ, non possint salvari, licèt in modo explicandi discordent, ut infrà patebit.

Certum est itaque primò, quòd *Judæi*, *Turcæ*, & *Gentiles* qualescunque non credentes in Christum sint extra veram Ecclesiam, ut patet.

Certum est secundò, quòd omnes hæretici li-

Digitized by Google

cèt in Christum credant, etiam sint extra Ecclesiam, illi scilicet, qui pertinaciter & publicè credunt aliquid, quod sit contra fidem Catholicam, licèt in aliis credant: hoc fatentur Acatholici, sed dicunt, quòd illi sint hæretici qui in aliquo fundamentali articulo pertinaciter errent, non verò in alio non fundamentali, de quibus infrà: sed Catholica Ecclesia sine ulla distinctione tali, id ipsum asserit.

II. Certum est tertiò, quòd Schismatici pertinaces etiam sint extra Ecclesiam, ut etiam Acatholici concordant: Schismatici autem sunt, qui se à communione Ecclesiæ universalis separant, nolentes legitimis Ecclesiæ Pastoribus obedire, licèt in omnibus etiã credant quæ Ecclesia Catholica credit, & in hoc ab hæreticis differunt, quod pulchrè declarat *Augustinus* lib. qq. Euangel. super Matth. quæst. 11. edit. Basil. sic dicens: *Solet quæri, quid Schismatici ab Hereticis distent, & hoc inueniri, quod Schismaticos non diuersa fides faciat, sed communionis disrupta societas, &c.* hæc ibi. Et quidem obstinatio in Schismate etiam hæreticum constituit, prout *Augustinus* lib. 2. contra Creſcon. cap. 8. supponit contra Donatistas de Donatistis dicens: *Heretici estis, vel quod in Schismate inueterato remansistis, vel ex tua definitione, quod de Ecclesia, quæ Corpus est Christi diuersum sequimini, & sacrilegus error est, à Christiana unitate separatio, &c.* Similiter lib. de hær. hæres. 69. dicit: *Donatistæ post causam dictam & finitam pertinaci dissensione firmatã in Heresim Schisma mutarunt*, hæc ibi, cujus causam assignat lib. 2. contra Gaudent. cap. 9. ubi sic ait: *Fecistis sacrilegum Schisma, populos dividendo, & sacrilegam Heresin contra Dei manifesta promissa & impleta de Ecclesia toto orbe diffusa nefario spiritu sentiendo, &c.* hæc August.

III. Certum est quartò, quòd ille qui in aliquo fidei qualicunque articulo errat, nec tamen pertinax est, sed libenter informari desiderat non sit hæreticus, juxta illud August. lib. 4. de Bapt. cap. 16. edit. Basil. 1528. *Nondum Hereticum dico, nisi manifestatã sibi doctrinã Catholicæ Fidei resistere maluerit*, &c.

Certum est denique, quòd ille, qui non est baptizatus, licèt actu non sit in Ecclesia, si tamen credat, quod credit Ecclesia Catholica & desideret baptizari, si sic ex impossibilitate Baptismi discedat, salvari poterit, tales sunt *Catechumeni* qui Baptismum flaminis seu in voto suscipiunt, & sic ex voto in Ecclesia sunt. Idem est de illis, qui inter Schismaticos vel hæreticos versantur, & tamen nec Schisma nec hæresin pertinaciter defendunt, sed parati sunt veræ Ecclesiæ sociari, vel ea credere, quæ vera Ecclesia credit, si informentur, & etiam pro possibili Ecclesiam Catholicam quærant; tales quoque licèt actu non sint in communione Ecclesiæ, tamen in baptizati voto in Ecclesia sunt, & hi salvari possunt, si alioquin, quod Deo placitum est agant, & de peccatis doleant.

IV. Quæstio ergo procedit de veris hæreticis & Schismaticis, qui pertinaciter à proposito sese à communione Ecclesiæ veræ separant, sive alicui falsæ Ecclesiæ conjungantur, sive sibi maneant, quales prô dolor hoc sæculo plurimi inveniuntur, qui nec Ecclesiæ Catholicæ, nec etiam cætui Calvinistico aut Lutherano vel alii cuicunque communicare volunt, sed sibi sufficere volunt, quòd credant in Christum, & pro suo genio sacræ scripturæ inhærent, nec exterius Doctores quærunt, sed quicquid, ut sibi imaginantur, Spiritus Sanctus per somnium, vel alia inspirat, hoc credunt, & secundùm hoc sibi dictamina practica formant, quibus inhæreant, qui *Libertini* nuncupantur, quæ perniciosissima hæresis est, ut patebit.

Cæterùm Catholica fides habet, quòd extra Ecclesiam Catholicam non sit salus; Ita habetur in professione fidei Catholicæ, quam omnes juxta Concilium Tridentinum emittere debent qui convertuntur, vel ad certa Ecclesiæ officia promoventur, sic enim in fine habetur: *Hanc veram Catholicam Fidem extra quam nemo salvus esse potest*, &c. *profiteor*. V.

Similiter olim in *Concil. Carthag.* 4. cap. 1. ordinatum fuerat, ut, qui Episcopus ordinandus esset, priùs de certis articulis examinaretur, an illos crederet, quorum ultimus est; *Si extra Ecclesiam Catholicam nullus saluetur, &c.* Sic etiam in symbolo Athanasii: *Quicunque vult salvus esse ante omnia opus est ut teneat Catholicam Fidem*, &c.

ARTICVLVS II.

Quòd illi qui se à vera Ecclesiæ communione separant, salvari non possint, ostenditur ex S. scriptura.

HÆc veritas constat primò ex comparatione Ecclesiæ cum Arca Noë, quam facit S. scriptura, præsertim 1. Pet. 3. v. 20. ubi dicitur de arca Noë, I. *quod pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sint, &c. omnibus extra Arcam pereuntibus*: Sic etiam qui extra Ecclesiam Christi sunt, de quo vide art. 3. *Cyprianum*.

Secundò constat ex omnibus sacræ scripturæ locis, ubi Christi Ecclesia dicitur *unum ouile, una domus, una sponsa, una mater, unum corpus, &c.* cujus *Christus est Caput*, & omnis Ecclesia ipsius membra; at evidens est, quòd membra à corpore avulsa non possint vivificari, hoc patet ex verbis Christi Joann. 15. v. 4. *Manete in me, & ego in vobis: sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis, &c. sine me nihil potestis facere, &c.* Circa quæ August. Tract. 27. in Joann. edit. Basil. 1528. circa medium sic ait: *Manemus in illo cum sumus membra ejus, ut autem simus membra ejus unitas nos compaginat, &c.* & infrà: *Spiritus facit viua membra, nec viua membra spiritus facit, nisi quæ in corpore, quod vegetat ipse spiritus, inuenerit*, & infrà: *Hæc dicuntur ut amemus unitatem & timeamus separationem, nihil enim sic formidare debet Christianus, quàm separari à corpore Christi, &c.* hæc ille.

Et Salvator suprà de his, qui separantur ait: II. v. 6. *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum & in ignem mittent*, &c.

Quid est foris, nisi extra Ecclesiam? unde Apocal. 22. v. 15. dicitur: *Foris canes, &c.* sic etiam Apostolus Philipp. 3. v. 2. tales vocat canes dicens: *Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem, &c.* quia lacerant corpus Ecclesiæ. Nec possunt aliqui in Christo manere, ut *Libertini* volunt, nisi etiam in ipsius corpore, quod est Ecclesia maneant

Digitized by Google

neant, cùm caput corpori conjunctum ſit, ideoque membrum, quod non eſt conjunctum corpori etiam disjunctum eſt à capite prout ſancti Patres ex ſacra ſcriptura oſtendunt. Hoc etiam probatur ex variis locis Apoſtoli, ubi tantopere deteſtatur Schiſmata, & ad unitatem hortatur, ut 1. Cor. 1. v. 10. *Obſecro, &c. ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis Schiſmata, &c.* Item 1. Cor. 12. v. 24. *Deus temperavit corpus, &c.* & v. 25. *Vt non ſit Schiſma in corpore, ſed idipſum pro invicem ſollicita ſint membra, &c.* & v. 27. *Vos autem eſtis Corpus Chriſti & membra de membro, &c.* Rurſus 1. Cor. 14. v. 33. *Non enim eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis, ſicut & in omnibus Eccleſiis Sanctorum doceo.*

III. Hoc etiam probatur ex Act. 10. exemplo Centurionis, qui multa bona agebat, ut ibidem narratur, & tamen mittebatur ab Angelo, ut Petrum audiret, qui diceret quid ipſum oporteret facere. Et cap. 11. v. 13. Petrus refert quòd Angelus monuerit ſic dicens: *Narravit autem nobis quomodo vidiſſet Angelum, &c. dicentem ſibi: Mitte in Ioppen, & accerſi Simonem, qui cognominatur Petrus, qui loquetur tibi verba, in quibus ſalvus eris tu, & univerſa domus tua, &c.* Super quæ verba ita loquitur Auguſt. lib. 1. de Bapt. contra Donatiſtas cap. 6. edit. Baſil. 1528. dicens: *Quicquid boni habebat Cornelius Act. 10. prodeſſe illi non poterat, niſi per vinculum Chriſtianæ ſocietatis incorporaretur Eccleſiæ, &c.* hæc Auguſtinus.

IV. Eadem veritas probatur ex illo 1. Joann. 4. v. 3. *Omnis ſpiritus, qui ſolvit Ieſum, ex Deo non eſt.* Circa quem locum vide ſequenti articulo *Cyprianum.* Ex hoc loco Auguſt. tract. 6. in 1. epiſt. Joann. edit. cit. oſtendit omnes illos, qui ſolvunt unitatem Eccleſiæ, ex Deo non eſſe ſic procedens: *Erigantur aures ad diſcernendos ſpiritus, quid enim ait, omnis ſpiritus qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt* (NB. in hoc ſe fundant hæretici dicentes ſe credere in Jeſum & ſic ſalvandos) ſed Auguſtinus pergit dicens: *Ergo ſpiritus qui eſt apud hæreticos ex Deo eſt, quia confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe.* Et infrà: *Quæramus in factis & non in linguis, quis eſt ſpiritus, qui non eſt ex Deo? qui negat Ieſum Chriſtum in carne veniſſe. Et quis eſt ſpiritus, qui ex Deo eſt? qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe. Eja fratres opera attendamus, non ſtrepitum linguæ, quæramus quare venerit in carne Chriſtus, & inveniemus qui eum negant in carne veniſſe, nam ſi linguas attendas multas hæreſes (NB) auditurus es confitentes Chriſtum in carne veniſſe; Sed convincit illos veritas. quare venit Chriſtus in carne?* Et infrà: *Ideo ergo venit in carne ut moreretur pro nobis; quomodo autem mortuus eſt pro nobis? majorem hac charitatem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat pro amicis ſuis. Charitas ergo illum adduxit in carne; quiquis ergo non habet charitatem, negat Chriſtum in carne veniſſe.*

V. *Hic nunc jam interroga omnes hæreticos (NB) Chriſtus venit in carne (reſpondebunt) venit? hoc credo, hoc profiteor; imo hoc negas. Vnde nego? audis, quia hoc dico, imo ego convinco quia negas, dicis voce, negas corde, dicis verbis, negas factis. Quomodo, inquis, nego factis? quia ideo venit in carne Chriſtus ut moreretur pro nobis, ideo mortuus eſt pro nobis, quia charitatem multam docuit, tu non habes charitatem, quia pro honore tuo dividis unitatem. Ergo tunc intelligite ſpiritum ex Deo, videte ſi ibi ſit charitas, tollis te ab unitate orbis terrarum, dividis Eccleſiam, per Schiſmata dilanias corpus Chriſti. Ille venit in carne, ut colligat, tu ideo clamas ut ſpargas. Manifeſtum eſt ergo, unde agnoſcamus, Fratres, multi intus quaſi intus (NB) nemo autem foris, niſi verè foris, adeo ut noveritis, quia ad facta retulit, & omnis ſpiritus ait, qui ſolvit Chriſtum, non eſt ex Deo, quid tibi oſtendit, qui negat, quia dixit, ſolvit? Ille venit colligere, tu venis ſolvere. Diſjungere vis membra Chriſti, quomodo non negas Chriſtum in carne veniſſe? qui diſrumpis Eccleſiam quam ille congregavit, &c.* hæc Auguſt. Ecce quàm clarè redarguuntur omnes hæretici, qui ſe in illis Joannis verbis fundare volunt.

Demum, quales ſint, qui ſe ab Eccleſiæ communione ſeparant, declarat ſanctus Judas VI.
in ſua epiſt. ubi deſcribit homines peſſimos, & tandem concludit dicens: v. 18 & 19. *Quoniam in noviſſimo tempore venient illuſores ſecundùm deſideria ſua ambulantes in impietatibus. Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos animales, ſpiritum non habentes, &c.*

Quantum autem SS. Patres ab initio Eccleſiæ juxta verbum Dei deteſtati ſint Schiſmata; & quantum illud malum judicarint, ex ſequentibus patebit.

ARTICVLVS III.

Eadem veritas probatur ex SS Patribus Græcis & Latinis.

IGnatius diſcipulus Apoſtolorum epiſt. ad I.
Philadelphios ſic ait: *Non hæc ſcribo, quod apud vos invenerim Schiſma, ſed præmunio vos ut filios Dei, &c.* Et epiſt. ad Epheſ. *Quiſquis ab hujusmodi ſeparat ſe, &c. Lupus eſt ſub ovina pelle faciem indutus manſuetam. Enitamini chariſſimi ſubjecti eſſe Epiſcopo & Diaconis, qui enim his obedit, obedit Chriſto, qui hos conſtituit; qui vero his reluctatur, reluctatur Chriſto &c.* hæc Ignatius.

Cyprianus lib. de unit. Eccleſiæ pag. 158. edit. II.
Baſil. 1543. An, inquit, *eſſe in Chriſto ſibi videtur, qui adverſus ſacerdotes Chriſti facit? qui à Cleri ejus & plebis ſocietate ſe ſecernit?* & infrà: *Sic Chore, Dathan & Abiron, qui ſibi contra Moyſen & Aaron Sacerdotem ſacrificandi licentiam vendicare conati ſunt, pœnas ſtatim pro ſuis conatibus pependerunt. Terra compagibus ruptis in profundum ſinum patuit, ſtantes atque viventes recedentis ſoli hiatus abſorbuit; nec tantùm eos, qui auctores fuerant Dei indignantis ira percuſſit, ſed & cæteros ducentos quinquaginta participes ejusdem fuerunt, qui coagulati cum iiſdem ſimul ad audaciam fuerant exiens à Deo ignis paratâ ultione conſumpſit, &c.* hæc ibi.

Idem eodem lib. pag. 157. edit. cit. *An Ieſum,* ait, *eſſe Chriſtum, cùm collectis fuerint Schiſmatici opinentur, qui extra Chriſti Eccleſiam colliguntur? tales etiamſi* (NB) *occiſi in confeſſione nominis Chriſti fuerint, macula illa nec ſanguine abluitur, cùm inexpiabilis & gravis culpa diſcordiæ nec paſſione purgetur; eſſe martyr non poteſt, qui* (NB) *in Eccleſia non eſt, &c.* hæc ibi.

Iterum eodem lib. *Quiſquis,* ait, *ab Eccleſia ſegregatus adulteræ jungitur, à promiſſis Chriſti ſeparatur, nec perveniet ad præmia; qui relinquit Eccleſiam Chriſti, alienus eſt, prophanus eſt, Hoſtis eſt, habere jam non poteſt* (NB) *Deum Patrem, qui Eccleſiam*

Digitized by Google

non habet matrem; si potuit euadere quispiam, qui extra arcam Noë fuit, & qui extra Ecclesiam foris fuerit, euadet? monet Dominus, & dicit: qui non est mecum adversum me est, & qui non mecum colligit, spargit, *qui pacem Christi, & concordiam rumpit, aduersus Christum facit, &c.* hæc Cyprianus, præclarissimus Ecclesiæ Doctor & martyr.

Irenæus lib 3. cap. 40. edit. Colon. 1596. ait: *Qui non participant eum* (spiritum) *neque mammillis matris* (Ecclesiæ) *nutriuntur in vitam, neque percipiunt de Corpore Christi procedentem nitidissimum fontem, sed effodiunt sibi lacus detritos, &c.* hæc ibi.

Item lib. 4. cap. 43. *Qui autem scindunt & separant unitatem Ecclesiæ, eandem quam Hieroboam pœnam à Deo percipient, &c.* Idem lib. 4. cap. 62. sic ait: *Iudicabit autem* (Deus) *& eos, qui schismata operantur, qui sunt inanimes non habentes Dei dilectionem, suamque voluntatem potiùs considerantes, quàm unitatem Ecclesiæ.* Et infrà: *Nulla enim ab eis fieri potest correptio, quanta est schismatis pernities,* &c. hæc Irenæus.

III. *Chrysostomus Patriarcha Constant.* de his gravissimè sæpe loquitur, præsertim hom. 11. in epist. ad Ephes. tom. 11. pag. 690. edit. Basil. 1558. dicens: *Nihil Deum æquè irritat atque diuisam esse Ecclesiam; etiamsi bona fecerimus innumerabilia* (NB) *non minores, quàm qui ejus corpus discindunt, pœnas dabimus, &c.* hæc ille.

IV. *Pacianus* epist. 2. Bibl. PP. edit. Colon. 1618. *Etiamsi*, ait, *passus est aliquid Nouatianus, non tamen etiam occisus; etiamsi occisus, non tamen coronatus; quid ni? extra Ecclesiæ pacem, extra concordiam, extra eam matrem, cujus portio debet esse, qui martyr est, audi Apostolum: Etsi habuero omnem fidem,* &c. *charitatem autem non habuero nihil tamen, &c,* hæc ille, quia charitas vera deest Schismaticis.

Ambrosius de obitu Satyri edit. Paris. 1569. etiam indicat Schismaticos non habere veram fidem dicens: *Nam etsi fidem erga Deum tenerent, tamen erga Dei Ecclesiam non tenebant, cujus patiebantur velut quosdam artus diuidi, & membra lacerari. Etenim cùm propter Ecclesiam Christus passus sit, & Christi corpus Ecclesia sit, non videtur ab his exhiberi Christi fides, à quibus euacuatur ejus passio, corpusque distrahitur, &c.* hæc ille, prout longè & doctè D. Augustinus tract. 6. in 1. epist. Joann. 8. præcedenti art. allegatus demonstrat.

V. *Optatus Mileuitanus* lib. 2. Bibl. PP. edit. Colon. 1618 sic ait: *Schisma summum malum est, & vos negare minimè poteritis, & tamen Dathan & Abiron & Chore perditos Magistros vestros sine trepidatione estis imitati, nec ponere ante oculos voluistis hoc malum, & verbis Dei esse prohibitum & admissum grauiter vindicatum, &c.* hæc Optatus; ubi pulchrè ex sacra scriptura probat, quòd Schisma graviùs sit punitum à Deo quàm parricidium vel Idololatria, &c. & tandem concludit dicens: *An quia cessat modo talis vindicta, ideo tibi cum tuis vindicas innocentiam?* & infrà: *Quid ad hoc dicturi estis, qui Schisma, usurpato Ecclesiæ nomine & occultè nutritis & impudenter defenditis, &c.* hæc ille.

Hilarius in Matth. cap. 13. edit. Basil. 1570. ait: *Significat* (Christus de navi docens) *eos qui extra Ecclesiam positi sunt, nullam diuini sermonis capere posse intelligentiam. Nauis enim Ecclesiæ typum præfert, intra quam verbum vitæ positum & prædicatum, si qui extra sunt, & arenæ modo steriles atque inutiles jacent, intelligere non possunt,* &c. hæc ille.

VI. Demum ut plures alios sanctos Patres in re clara omittam. *Augustinus* sæpissime crimen Schismatis perstringit, cujus aliqua loca adducemus. Lib. 1. contra epist. Parm. cap. 3. edit. Basil. 1528. dicit: *Sacrilegium schismatis, quod omnia scelera supergreditur.*

Similiter lib. 2. de Bapt. contra Donat. cap. 9. eâd. edit. *Videant*, ait, *quàm multa & quàm magna nihil prosint, si unum desuerit, & videant, quid sit ipsum unum, nec me in hoc audiant sed Apostolum*: Si linguis hominum, &c. *quid ergo illis prodest?* & infrà: *Si Sacramenta non tantùm sciant, sed & habeant, sicut habuit Simon Magus, si fidem sicut dæmonia confessa sunt Christum, &c. Si dispertiant etiam ipsi substantiam suam pauperibus, sicut multi non solùm in Catholica, sed in diuersis Hæresibus faciunt si aliquâ ingruente persecutione tradant ad flammas nobiscum corpus suum pro fide, quam pariter confitentur, tamen quia separati hæc agunt, non sufferentes inuicem in dilectione, neque studentes seruare unitatem spiritûs in vinculo pacis; charitatem utique non habendo, etiam cum omnibus illis, quæ nihil eis prosunt, ad æternam salutem peruenire non possunt,* &c. hæc ibi.

Similiter loquitur epist. 204. ad Donatum dicens: *Foris ab Ecclesia constitutus & separatus à compage unitatis & vinculo charitatis, æterno supplicio punieris, etiamsi pro Christi nomine viuus incendereris,* &c. hæc ibi.

Idem lib. 4. de Bapt. cap. 16. *Constituamus*, VII.
ait, *aliquem castum, continentem, non auarum, non idolis seruientem, hospitalem, patientem, sobrium, sed hæreticum, nulli utique dubium est propter hoc solum, quod Hæreticus est regnum Dei non possessurum,* &c.

Similiter lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 3. sic ait: *Multi Hæretici nomine Christiano animas decipientes multa talia patiuntur, sed ideo excluduntur ab ista mercede, quia non dictum est tantùm: Beati, qui persecutionem patiuntur, sed additum est, propter justitiam, ubi autem sana Fides non est, non potest esse justitia, quia justus ex fide viuit: Neque Schismatici aliquid sibi ex illa mercede promittant: quia similiter ubi charitas non est, non potest esse justitia: Dilectio enim proximi malum non operatur, quam si haberent non dilaniarent Corpus Christi quod est Ecclesia,* &c. hæc ibi.

Et lib. sermonum 64. de verbis Dom. serm. 11. cap. 16. *Si*, ait, *quispiam extra Ecclesiam suorum pœniteat peccatorum, & hujus tanti peccati, quo alienus est ab Ecclesia Dei, cor impœnitens habeat, quid illi prodest illa pœnitentia?* Item cap. 20. *Quæ cùm ita sint, remissio peccatorum, quoniam non datur nisi in Spiritu Sancto, in illa Ecclesia solummodo dari potest, quæ habet Spiritum Sanctum,* & iterum cap. 23. *Hic compulit nos non alibi intelligere posse remissionem omnis peccati, nisi in Christi congregatione, quæ non spargit, congregatur quippe in Spiritu Sancto, qui non est contra seipsum diuisus,* &c. hæc ibi.

Rursus lib. de unit. Ecclesiæ c. 1. ait: *Ecclesia* VIII.
Christi corpus est, sicut Apostolus dicit: Pro corpore ejus, *quæ est Ecclesia. Vndeutiq; manifestum est eis, qui non est in membris Christi Christianam salutem habere non posse.* Ibid. cap. 19 *Ad ipsam* ait, *salutem & vitam æternam non peruenit, nisi qui habet Caput Christum, habere autem Caput Christi nemo poterit, nisi qui in ejus corpore fuerit, quod est Ecclesia,* &c. hæc ibi.

Idem lib. 1. contra Cresc. cap. 14. sic ait: *Neque enim rectè ageremus cum hæreticis, quos habere Baptismum confitemur, ut omni modo ad Ecclesiam veniant, nisi veniendo acciperent aliquid, quod nec alibi possent accipere, & quod nisi acceperint frustra & pernicio-*

Digitized by Google

nicioſè habeant quæcunque alia, quamvis bona & ad legem Dei pertinentia ubilibet accipere potuerunt,&c. hæc ibi.

Demum tract. 3 in cap 3. Joann. *Multos*, ait, *video adulteros, qui ſponſam tanto pretio exemptam poſſidere volunt & id agunt verbis ſuis, ut pro ſponſa amentur; ſponſus tuus totum orbem tenet, ſponſa agnoſce veſtem ſponſi tui, ſupra quam miſſa eſt ſors; veſtem perſecutores non conciderunt, Chriſtianam Eccleſiam dividunt, ſi linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habuero, nihil ſum,* 1. Cor. 13. *Nemo ergo vobis fabulas vendat*,& infrà: *Teneamus ergo unitatem, præter unitatem & qui miracula facit, nihil eſt,&c.* hæc Auguſtinus.

IX. Juxta has tam claras S. ſcripturæ authoritates,& SS. Patrum teſtimonia, meritò in Concilio Lateranenſi, ut habetur cap. *Firmiter* de ſumma Trinitate & fide Catholica definitum eſt, quod *una ſit univerſalis Eccleſia, extra quam nemo ſalvetur.*

Quod adeò evidens eſt, ut etiam moderni Acatholici fateri debuerint & debeant, licèt hoc ſuo cœtui falsò attribuant, cum ipſi ſe à vera Eccleſia ſegregarint, ut infra conſtabit. Itaq; illorum judicia & ſententias referemus.

ARTICULUS IV.

Acatholici Lutherani & Calviniſtæ idem fatentur.

I. PHil. Melanchton in locis commun. de Eccleſ. ſic ait: *Semper ſit in conſpectu hoc Pauli dictum. Quos elegit, hos vocavit: quotiescunq; de Eccleſia cogitamus intueamur cœtum vocatorum, qui eſt Eccleſia viſibilis, nec alibi electos ullos ſomniemus, niſi in hoc ipſo cœtu viſibili, nam neque invocari neque agnoſci Deus aliter vult, quam ut ſe patefecit, nec alibi ſe patefecit niſi in Eccleſia viſibili, in qua ſola ſonat vox Evangelii; Nec aliam fingamus Eccleſiam inviſibilem & mutam, hominum tamen in hac vita viventium, ſed oculi & mens cœtum vocatorum id eſt, profitentium Evangelium Dei intueantur,&c.*& infrà: *Nec laudemus errones, qui vagantur, & ad nullam ſe Eccleſiam adjungunt, quia nuſquam invenient talem Ideam, in qua non deſideretur aliquid in moribus aut diſciplina,&c* hæc ille.

II. *Calvinus* lib. 4 Inſt. cap. 1. §. 4 ita ſcribit: *Verum quia nunc de viſibili Eccleſia diſſerere propoſitum eſt, diſcamus vel uno matris elogio, quàm utilis ſit, nobis eius cognitio imo neceſſaria, quando non eſt alius in vitam ingreſſus (NB.) niſi nos ipſa concipiat in utero, niſi pariat, niſi nos alat ſuis uberibus, denique ſub cuſtodia & gubernatione ſua nos teneat&c. Adde, quod extra eius gremium (NB) nulla eſt ſperanda peccatorum remiſſio, nec ulla ſalus,&c.* Et cum aliquot ad hoc S. ſcripturæ teſtimonia attuliſſet, ſic ſubjungit: *Quibus verbis paternus Dei favor & peculiare ſpiritualis vitæ teſtimonium ad gregem eius reſtringitur, ut ſemper exitialis ſit ab Eccleſia diſceſſio,* hæc Calvinus.

Idem ibid. §. 16 cauſam, ob quam hæreſiarchi & ſchiſmatici ab Eccleſia ſecedant inſigniter deſcribit de illis dicens: *Qui ad faciendam ab Eccleſia defectionem ſunt aliis audaciores & anteſignani ii, ut plurimùm nihil aliud cauſæ habent, niſi ut omnium contemptu (NB) oſtentent, ſe aliis eſſe meliores. Bene ergo & prudenter Auguſtinus: Quum pia (inquit) ratio & modus Eccleſiaſticæ diſciplinæ unitatem ſpiritus in vinculo pacis maximè debeat intueri: quod Apoſtolus ſufferendo invicem præcipit cuſtodiri,*&c. *illi filii mali, qui non odio iniquitatum alienarum, ſed ſtudio contentionum ſuarum infirmas plebes iactantia ſui nominis irretitas, vel totas trahere, vel certè dividere affectant, ſuperbiâ tumidi, pervicaciâ veſani, calumniis inſidioſi, ſeditionibus turbulenti ne luce veritatis carere oſtendantur, umbram rigidæ ſeveritatis obtendunt,&c.*& poſt pauca: *Ad ſacrilegium Schiſmatis & occaſionem præciſionis uſurpant,&c.* hæc Calv. Quis non videt hiſce Calvinum ſe ipſum cum ſuis ſequacibus deſcripſiſſe vel potiùs depinxiſſe?

Bullingerus lib. 3. contra Anabaptiſtas c. 3. *Cavete, ait, qui à Chriſti Eccleſia diſcedunt, avellunt ſe ipſos à vera vite, fiunt infrugiferi palmites, igni deſtinati,&c.*

Zacharias Urſinus in ſua Catecheſi, & poſt illum *David Pareus* in explicat. Catecheſis Heidelb. quæſt. 54. ad quæſt. *An extra Eccleſiam ſit ſalus?* ſic reſpondent: *Nemo extra Eccleſiam poteſt ſalvus fieri. Primò, quia extra Eccleſiam nullus eſt ſalvator, ergo nec ſalus, ſine me, inquit, nihil poteſtis facere,* Joann. 15. & infra: *Electi igitur etſi non ſemper ſunt membra viſibilis Eccleſiæ, omnes tamen fiunt, antequam moriantur,&c.* hæc illi. III.

Idem ſupponunt *Miniſtri peregrinarum*, ut vocant in Anglia, *Eccleſiarum* in articulis miniſtrorum *Genevenſium* judicio approbatis, art. 14. ubi ſic ajunt: *Ad evitandam fœdam & pernicioſam membrorum in ſacro Chriſti corpore lacerationem & diviſionem, non licet ulli privato quidem hominum ulla de cauſa ab Eccleſia Chriſti ſeceſſionem facere,&c.*

Idem profitetur *Confeſſio Helvetica* art. 17. ubi ſic dicitur: *Communionem cum Eccleſia Chriſti vera tanti facimus, ut negemus eos coram Deo vivere poſſe, qui cum vera Dei Eccleſia non communicant, ſed ab ea ſe ſeparant. Nam ut extra Arcam Noë non erat ulla ſalus pereunte mundo in diluvio, ita credimus extra Chriſtum qui ſe electis in Eccleſia fruendum præbet, nullam eſſe ſalutem certam,&c.* hæc ibi. IV.

Similiter in *confeſſione Scoticâ* art. 16. ſic dicitur: *Prorſus deteſtamur illorum blaſphemiam, qui dicunt homines viventes ſecundùm æquitatem & juſtitiam, quamcunque religionem profeſſi fuerint, ſervatos iri,&c.* hæc ibi, quod tamen plures hodie Acatholici perſuadere volunt.

Rurſus in *confeſſione Belgica* art. 27. *Credimus & confitemur unicam Eccleſiam Catholicam univerſalem*,& infra: *Credimus quod quum,&c. Salus non ſit extra eam,&c. omnes & ſingulos teneri huic cœtui ſe adiungere & Eccleſiæ unitatem ſollicitè conſervare, ſeſeque illius tum doctrinæ, tum diſciplinæ ſubiicere,&c.* hæc ibi, quæ optimè dicta ſunt; ſed ubi tunc privatus ſpiritus Acatholicorum ſalvatur? V.

Similiter *Synopſis puræ Theol.* diſp. 40. theſi 24. ſic habet: *Nec verò ſufficit, quemadmodum Libertini contendunt, ut membra huius Eccleſiæ Chriſti ſingula ſeparatim ſpiritualem cum ignota Eccleſia communionem dicant ſe colere, etiamſi extrinſecus vel nullam cum ullo cœtu communionem colant, vel etiam cum cœtibus idololatricis & apoſtaticis communionem ſe colere ſimulent: ſed ad veram Eccleſiam conſtituendam aſſerimus neceſſarium eſſe, ut fideles inter ſe communionem colant, & vinculo verbi & Sacramentorum ſecundum Chriſti inſtitutionem conſerventur,&c.* hæc ibi.

Digitized by Google

VI. Demum Acatholici constanter asserunt, quod & sancti Patres suprà, scilicet crimen schismatis non minùs esse quàm idololatriam, schismaticos appellant perfidos, *&c.* sic inter alios *Christophorus Pezelius* parte 7. Argument. Theologorum de schismate, argum. 4. allegans dictum Dionysii ait: *Bonâ consequentiâ hoc dictum inde exstruitur, quod majus scelus sit schisma quàm Idololatria, sicut Dionysius ait, non minus gloriosum esse tolerare aliquid ne scindatur Ecclesia, quàm idololatriæ vitandæ causâ mortem oppetere, &c* hæc ille.

Ipse Calvinus lib. 4 Inst. cap. 1. § 10. cùm multis verbis necessitatem unitatis Ecclesiæ ursisset, tandem concludit de schismate dicens: *Nec ullum atrocius crimen fingi potest quàm sacrilegâ perfidiâ violare conjugium, quod nobiscum unigenitus Dei Filius contrahere dignatus est, &c.* hæc ibi.

VII. Ex hactenus tam claris sacræ scripturæ testimoniis, & sanctorum Patrum doctrinis, quàm tot Acatholicorum confessionibus quilibet prudens, si lumen fidei non attenderit, saltèm juxta lumen naturale prudentiæ convinci deberet, quod *Libertini*, inter quos sunt Anabaptistæ & plures Neoterici, qui Davidici dicuntur, gravissimè errent, qui ab omni Ecclesiæ qualiscunque etiam communione abstinentes sibi sufficere putant, quod in Christum credant, & quidem juxta illos articulos fidei, qui ipsis veri videntur, & secundùm hoc moraliter bene vivere studeant, certè summa dementia est, sic suo privato inhærere judicio.

Quod etiam *Lutherus & Calvinus* cum suis sectatoribus ex hac S. de unitate Ecclesiæ servanda doctrina, etiam ab ipsis confessa, perfidiæ & gravis criminis contra salutem suam convincantur, ex sequentibus patebit, cùm ostensum fuerit, quod ipsi à veræ Ecclesiæ communione se separaverint.

Ad hæc etiam notandum, quod *Acatholici* suo falso dogmate illis *Libertinis* se à quovis cœtu separandi occasionem dederint, cùm docent, quod intelligentia sacræ scripturæ vera, non sit ultimatè expectanda à Concilio generali Ecclesiæ, sed quilibet privatus invocato Spiritu Sancto ultimatè judicare possit & debeat, ut lib. 2. de verbo Dei actum est. VIII.

Et, quod turpissimum est, plures moderni Acatholici dum vident aliquos ad Catholicam Fidem inclinari ipsis persuadere contendunt, ut maneant ubi sunt, & quod in quolibet cœtu salvari possint, si bene vivant, *&c.* Ecce quàm turpiter contra S. scripturam. contra SS. Patres & proprias ipsorum confessiones agunt: In hoc imitatores etiam sunt Donatistarum, de quibus *Augustinus* epist. 48. ad Vincent. 3. fol. ab initio sic ait: *Quàm multi nihil interesse credentes, in qua quisque parte Christianus sit, ideo in parte Donati permanebant, &c.* & paulò infrà: *Conversi à Donatistis ad Fidem dicebant: Putabamus quidem nihil interesse, ubi Fidem Christi teneremus, &c.* hæc ibi. Ecce modernos Acatholicos antiquorum hæreticorum sectatores.

CAPUT III.

De visibilitate Ecclesiæ veræ.

ARTICULUS I.

Proponitur status quæstionis.

I. Sciendum est, quod quia juxta sacram scripturam & communem SS. Patrum sententiam ipsis Acatholicis consentientibus, ut præcedenti capite ostensum est, datur unica vera Christi Ecclesia, extra quam nullus salvari possit, *&c.* circa hanc tria considerari possunt: Primo, quod in ea sint homines, de quibus clarum est quod sint visibiles. Secundo, quod tales homines saltèm plures habeant in corde veram fidem & charitatem, juxta quæ Christo capiti tanquam viva membra uniantur, quæ quia in corde sunt, occulta & invisibilia sunt. Tertiò, quod homines exteriùs veram fidem profiteantur, & in Sacramentis inter se communioné habeant, *&c.* & hæc visibilia sunt ut patet, licèt adhuc fide credatur & invisibile sit, quod illa fides quam profitentur, vera Christi fides sit, & quod illa Sacramenta à Christo sint instituta, *&c.* Hoc præmisso

Certum est primò, apud omnes, quòd, si ad Ecclesiam soli electi requirantur & dicantur Ecclesia electorum, illa non sit visibilis, quia *nescit Homo an odio vel amore dignus sit.* Eccli. 9. v. 1. multò minùs quod sit electus; & licèt de seipso certus esset, quod tamen falsum est, id tamen ipsi de aliis non constaret.

Certum est secundò, quod Ecclesia quoad perfectum suum statum & omnes ejus partes non sit visibilis, scilicet quoad fidem internam & charitatem, quæ in vivis Ecclesiæ membris sunt; hoc tamen non obstante verè & simpliciter visibilis est & dicitur, si quoad partem unam, licèt minùs principalem sit visibilis, scilicet quoad externam professionem & Sacramenta, *&c.* sicut homo absolutè est visibilis, licèt quoad animam, quæ dat vitam, invisibilis sit.

Controversia igitur esse potest primo, an ad hoc ut aliquis absolutè spectet ad Ecclesiam, requiratur, ut in corde habeat veram fidem & charitatem, ac sic sit vivum Christi membrum, sed de hoc suprà ostensum est, quod hoc non requiratur, sed sufficiat ut exterius profiteatur fidem Christi. Hoc tamen Acatholici subinde videntur requirere, cum volunt, quod soli electi & in gratia existentes spectent ad Ecclesiam, ut satis expressè indicat auctor Anonymus secundi libelli, cùm dicit: *Ecclesiam habere suum materiale & formale, & quidem materiale esse electos. Formale esse duplex unum externum ut regimen Ecclesiæ; Internum esse unionem cum Christo, adeoque ex ludit à materiali Ecclesia illos, qui non sunt electi, &c.* II.

Contrarium tamen asserunt plerique Acatholici, cùm concedunt, quod etiam mali permisceantur bonis in Ecclesia vera, quam vocant Ecclesiam vocatorum, *&c.* & hanc communiter dicunt comprehendere electos & non electos, ita

Digitized by Google

ita ut Ecclesia electorum contineatur in Ecclesia vocatorum, sicut pars in toto; & hoc etiam docet Ecclesia Catholica.

III. De hac ergo Ecclesia adhuc quæstio est, *an illa sit semper futura ita visibilis & manifesta usque ad finem mundi, ut in diversis mundi partibus extent hominum cœtus, qui taliter profiteantur Fidem veram, & Sacramentorum communionem inter se habeant, ac sub legitimo Pastorum regimine vivant, ut noti sint, non tantum sibi quisque privatim, vel etiam pauci inter se, sed etiam pluribus extra Ecclesiam existentibus, licèt publicus verbi Dei & Sacramentorum usus non permittatur*, ut contigit trecentis annis in primitiva Ecclesia, quando per totum ferè orbem erant Christiani profitentes fidem & inter se SS Sacramentorum communionem habentes, etsi non palam & impunè, sed hinc inde in abscondito convenire possent; quod tamen ita notum erat & manifestum, ut etiam infideles scire, & qui vellent, à Christianis veræ fidei informationē habere possent, prout etiam sæpissime non solùm aliqui sed plurimi Martyres publicè scripto verbo & sermone fidem professi sunt, ut optima & clarissima antiquæ Ecclesiæ non solùm in communi, sed multorum particularium fidem professorum memoria usque modo perseveret.

IV. An autem juxta Dei promissiones Ecclesia Christi universalis tali modo visibilis & manifesta omni tempore usque ad finem mundi duratura sit, controvertitur, Acatholicis id negantibus, ut ex sequentibus patebit, licèt veritate convicti videri velint se asserere visibilem Ecclesiam, sed in re sibi ipsi contradicunt, ut patebit.

Observandum etiam est, quod possit esse generalis quæstio de Ecclesia Dei ab initio mundi, an semper ita visibilis fuerit usque ad Christum? vel de sola Ecclesia Christi à tempore prædicationis Evangelii usque ad finem mundi. Et quidem Catholici Doctores primum etiam tradunt, & ex sacra scriptura ostendunt; sed non est ita necessaria quæstio præsertim primò, cùm Ecclesia Judaica in figuris fundata juxta illud 1. Cor. 10. v. 11. *Hæc omnia in figura illis contingebant*, prænunciata fuerit quod defectura esset, ut patet Dan. 9. v. 29 ubi dicitur: *Deficiet hostia & sacrificium* scilicet cruentum vet. legis, & quod adveniente veritate desineret, vel potius in perfectiorem statum verteretur juxta illud Salvatoris: *Non veni solvere legem sed adimplere* Math. 5. v. 17. & Apostolus loquens de lege Mosaica & Christi 2. Cor. 3. v. 11. dicit: *Si enim, quod evacuatur, per gloriam est, multò magis, quod manet, in gloria est*.

V. 2. quia certæ & clarissimæ promissiones tā in veteri, quàm novo testamento habentur circa Ecclesiam Christi & non ita quoad synagogam, ut idcirco ab exemplis Ecclesiæ vet. testam. non valeat argumentum ad statum Ecclesiæ Christi in his, quæ ad perfectionem spectant, ut si quid illi defuerit, etiam Ecclesiæ Christi deficiat.

Hoc modo D. August. lib. de unit. Eccles. cap. 3. edit. Bas. 1528. respondet Donatistis, qui plura exempla ex vet. testam. de paucitate fidelium adferebant, ut de *solo Enoch* ante diluvium, de *Noë cum uxore & liberis, de Abraham, Isaac & Iacob, de sola Tribu Iuda & Benjamin tempore Ierobo-am, &c.* ex quibus Donatistæ probare volebant, quod etiam Ecclesia Christi ita deficere possit, ut paucissimi remaneant, idque in uno loco tantùm, sicut ipsi Donatistæ in Africa; quibus respondet Augustinus, ut infrà etiam respondebitur.

ARTICULUS II.

Quid Acatholici de Ecclesia visibilitate sentiant.

Donatistæ olim volebant, quod vera Christi Ecclesia per totum orbem periisset, & in sola Africa remansisset occulta, & agnosci non potuerit pluribus annis usq; ad *Donatum*, ita refert *Aug.* lib. de hær. hæresi 69. & lib. de unit. Ecclesiæ c. 16. edit. citatâ, ubi refert argumenta Donatistarum Cant. 1. v. 6. quo ex illo Cant. *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie* probare volebant Ecclesiam in Africa, quæ est versus meridiem, occultè delituisse; juxta quod inter alia Augustinus sic ait: *Est aliud evidentissimum quod eis* (Donatistis) *omnino auferat laborem quærendi, unde probant Ecclesiam mundo perdito ad solos Afros redactam; potest enim aliquid esse & non inveniri, non esse autem & inveniri non potest, desinant ergo quærere quod invenire non poterunt, non quia occultum est, sed quia non est, &c.* ubi August. supponit quod Donatistæ asseruerint suam Ecclesiam ante Donatum fuisse, sed ita occultam, ut inveniri non potuerit, sed soli Deo nota fuerit, usque ad Donatum, sed Augustinus arguit inde, quod talis Ecclesia non fuerit, & ideo inveniri non potuerit. I.

Idem tamen August. subinde indicat Donatistas asseverasse, quod Ecclesia vera planè periisset usque ad Donatum, per quem reproducta fuisset. Ita indicat lib. 3. de bapt. contra Donatistas cap. 2. edit. cit. dicens: *Si hic non erat Ecclesia, unde Donatus apparuit? de qua terra germinavit? de quo cælo cecidit?* &c. II.

Similiter lib. 2. contra Gaud. cap. 8. edit. Basil. 1528. sic arguit: *Responde, utrum Ecclesia perierit, vel non? si jam hîc perierat, Donatum quæ* (Ecclesia) *peperit? Si autem perire non potuerit, ut ab ea se pars Donati separaret, quæ dementia persuasisti? &c.* hæc Aug.

Lucifer asserebat Ecclesiam veram solùm constare ex suis sectatoribus, antiquam vero factam esse de Ecclesia lupanar. Ita refert *Hieron.* lib. contra Luciferianos cap. 2. edit. Basil. 1553.

Hos secutus *Lutherus* lib. de abroganda missa privata dicebat: *Quis nobis Ecclesiam monstrabit, cùm sit occulta in Spiritu, & tantum credatur sicut dicitur. Credo sanctam Ecclesiam?* &c. III.

Anabaptistæ Monasterienses volebant à tempore Christi & Apostolorum verbum Dei non fuisse purè traditum, postea veros Dei Prophetas exortos, per quos veritas Dei mundo restitueretur, *Ioannem Leidensem, Georgium Davidem, &c.* Pontificem vero Romanum, eoque pejorem *Lutherum* impios Prophetas esse, *&c.* ita refert *Henricus Bullingerus* lib. 2. de Anabapt. cap. 10.

Philippus Melanchton in locis communibus & confessio Augustana art. 7. volunt *Ecclesiam esse congregationem Sanctorum*, ut & *Lutherus* suprà, ita ut ex illis constet qui verè credant & Deo obediant. Constat autem talem Ecclesiam esse invisibilem, hanc volunt esse veram Ecclesiam.

Idem tamen Melanchton ibidem in locis comm.

Digitized by Google

comm. asserit Ecclesiam esse visibilem, in qua elc[illegible], & non alibi contineantur, quàm nominat vocatorum, ad quam dicit omnes sub periculo salutis accedere debere, ut præced. cap. art. 4. relatum est.

IV. *Centuriatores Magdeburgenses* cent. 1. lib. 1. cap. 4. colum. 171. distinguunt etiam duas Ecclesias, & colum. 178. volunt esse unam Ecclesiam veram, & alteram falsam, illam esse plerumque parvum cætum piorum, falsam autem esse copiosissimam; ac proinde asserunt Ecclesiam esse invisibilem, quia veri pii non dignoscuntur ab aliis, *&c.*

Calvinus libro quarto, Inst. capite primo, §. secundo, ut suprà relatum est, duplicem quoque assignat Ecclesiam, visibilem & invisibilem. Similiter §. 7 dicit: *Diximus bifariàm de Ecclesia sacras literas loqui, interdum, quum Ecclesiam nominarint, eam intelligunt, quæ reverâ est coram Deo, in qua illi recipiantur, nisi qui & adoptionis gratiâ Filii Dei sunt*, &c. *sæpe autem Ecclesiæ nomine universam hominum multitudinem in orbe diffusam designant quæ unum se Deum & Christum colere profitetur*, &c. *In hac autem plurimi sunt permixti hypocritæ, avari, maledici, &c.* ubi concludit tandē dicens: *Quemadmodum ergo nobis invisibilem solius Dei oculis conspicuam Ecclesiam credere necesse est, ita hanc quæ respectu hominum Ecclesia dicitur observare, ejusque communionem colere jubemur, &c.* hæc Calv. qui ibid. §. 4 suprà cap. præced. art. 4. relatus gravissimis verbis monet, quod quilibet teneatur visibili Ecclesiæ conjungi, *&c.*

Si autem Ecclesia visibilis deficere & errare possit, ut ipse vult, quomodo hæc cohærent?

V. Calvinum sequuntur sui, distinguentes Ecclesiam unam electorum, alteram vocatorum visibilem, quæ electos & malos complectatur, ut Calv. suprà.

Sic *confeßio Anglica* prior habet: *Credimus unam esse Ecclesiam Dei, eamque non ut olim apud Iudæos in unum aliquem angulum aut regnum conclusam, sed Catholicam atque universalem esse & diffusam in totum terrarum orbem, ut nulla nunc Natio sit, quæ possit conqueri*, &c.

Sic *Catechesis Genev.* art. 19. ait: *Datur Ecclesia Dei visibilis, prout nobis signa dedit, ad illam cognoscendam*, scilicet Deus, hæc ibi.

Et hæc quidem videntur Catholica, sed si ulterius eorum doctrinam attendamus, à veritate patebit declinasse: nam, licèt Calvinus cum suis profiteatur Ecclesiam vocatorum esse visibilem, in qua mali cum bonis permixti sunt, tamen hanc vocatorum Ecclesiam nullatenus volunt esse veram Dei Ecclesiam, sed solùm electorum, quæ est invisibilis. Et ideo etiam concedunt, quod Ecclesia vocatorum subinde deficere & perire possit, & ita nulla sit vera visibilis Ecclesia, quæ Dei verbum profiteatur & doceat; In quo à veritate S. scripturæ & doctrina SS. Patrum gravissimè deficiunt.

VI. Itaque *Calv.* in præfat. Instit. secundâ pag. à fine de Ecclesia Christi una sic ait: *Vixit sanè Christi Ecclesia, & vivet, quàm diu Christus regnabit*, &c. *Præstabit enim ille indubiè quod semel recepit, se affuturum suis usque ad consummationem seculi*, &c. ubi fatetur Ecclesiam semper duraturam, sed quod semper visibilis futura sit, negat, sic enim subjungit: *Sed non parum à vero ipsi aberrant, dum Ecclesiam non agnoscunt, nisi quam præsenti oculo cernant*, &c. *In his cardinibus controversia nostra vertitur: Primùm, quod Ecclesiæ formam semper apparere & spectabilem esse contendunt* (scilicet Catholici) *Nos contra asserimus & Ecclesiam nullâ apparente formâ constare posse, &c. Fremunt nisi Ecclesia digito semper ostendatur, &c.* & post pauca: *Quin potiùs permittamus hoc Domino, ut quando ipse solus novit qui sui sunt, interdum etiam Ecclesiæ suæ exteriorem notitiam ab hominum aspectu auferat, &c.* hæc ille. Vbi patet quod asserat Ecclesiam subinde fore hominibus ignotam adeòque invisibilem.

Similiter responsione ad Saboletum ait: *Palam conspicuumque est eruditis & indoctis prostratum fuisse Christi regnum, cùm erectus est Pontificis Romani principatus*, &c. *sublatâ Fidei justificantis cognitione & Christi gloria extincta est & abolita religio & ecclesia destructa, &c.* hæc ibi. VII.

Hæc Calvini sectatores sic conciliare volunt, quod quidem Ecclesia Christi vocatorum & notoria sit destructa, & aliquando depereat, ita tamen ut Ecclesia electorum semper in quibusdam paucis maneat soli Deo notis.

Sic confeßio Helvetica post. cap. 7. dicit *Ecclesiam invisibilem vocari posse, quod oculis nostris abscondita, Deo autem soli nota judicium humanum sæpe subterfugiat*, &c.

Item art. 17. dicitur: *Fit aliquando, ut Deus justo judicio veritatem verbi sui, fidemque Catholicam & cultum Dei legitimum sic obscurari & convelli sinat, ut prope videatur extinctus, & nulla amplius superesse Ecclesia, &c.* hæc ibi.

Gulielmus Vvitakerus lib. de Ecclesia, quæst. 3. cap. 2. respondendo ad argumenta *Bellarmini* dicit: Catholicos frustra impugnare Acatholicos, quasi idem sentirent quod Donatistæ dicens: *Nos non dicimus Ecclesiam omnium gentium aut apostatasse aut periisse, ac proinde Donatistis similes non sumus, &c.* hæc ille. VIII.

Sed constat, quod Donatistis similes sint ex D. Augustino suprà allegato; & *Vvitakerus* addit: *Ergo non de re, sed de modo res inter nos controvertitur; nam illi dicunt Ecclesiam semper visibilem esse, & nos; sed illi clarè semper & ab omnibus videri, nos obscurè aliquando & non nisi à paucis, &c.* hæc ille. Vbi consequenter asserit, quod illi pauci etiam fidem profiteantur, hoc enim esse necessarium. Et quæst. 6. cap. 2. in fine sic ait: *Pastorum quidem & Doctorum successio nunquam est in Ecclesia Christi interrupta, suos enim Pastores Christus in Ecclesia semper habet, licet non in uno eodemque loco*, &c. hæc ille.

Quomodo autem hæc cum doctrina suprà allata ex *Calvino & confess. Helvet.* cohæreant, qui dicunt Ecclesiam subinde soli Deo notam & oculis hominum subductam, lector sincerus consideret. Qualitercunque verò Recentiores statum quæstionis forment, & se defendere conentur, ut sustinere possint suum cætum semper à tempore Christi extitisse, nunquam contra sacræ scripturæ & SS. Patrum testimonia id probare poterunt. IX.

Verus quæstionis status hic est, an Ecclesia Christi vera aliquando & per aliquot etiam secula ita possit esse occulta, ut sint tantùm pauci homines, qui veram fidē profiteantur, & tamen aliis hominibus sint incogniti: Hæc Acatholici asserunt, & idem olim Donatistæ volebant, sed Ecclesia Catholica negat docens, quod, licèt Ecclesia sæpe persecutiones patiatur, nunquam tamen sic destruatur, quin in diversis mundi partibus

Digitized by Google

tibus notoria conſiſtat, ut ſuprà art. 1. declaratum eſt. Jam doctrina Catholica de veræ Eccleſiæ viſibilitate probanda erit.

ARTICVLVS III.

Quod Eccleſia Chriſti verà indefectibiliter permanſura ſit uſq. ad finem mundi.

I. HAnc aſſertionem, cùm fateantur etiam ipſi Acatholici, paucis ex S. ſcriptura oſtendam.

1. ex Matth. 13. v. 30. ubi dicit Dominus: *Sinite utraq. creſcere uſq; ad meſſem, & in tempore meſſis dicā meſſoribus, &c.* & infrà v. 36. dicūt diſcipuli: *Ediſſere nobis parabolam Zizaniorū agri; qui reſpondens ait illis: Qui ſeminat bonum ſemen, eſt filius hominis, ager autem eſt mundus. Bonum verò ſemen hi ſunt Filii regni Zizania autem Filii ſunt nequam, &c. Meſſis vero conſummatio ſeculi eſt, &c.* hæc Chriſtus. Vbi cùm Domin⁹ ipſe dignatus eſt exponere parabolā de Eccleſia ſua, quæ continebit ſemper bonos & malos, & ita ſemper permanſura ſit uſq; ad conſummationē ſeculi, quis ſanæ mentis affirmabit, Eccleſiam Chriſti aliquando perituram, & non ſemper duraturam uſq; ad finem mundi, prout doctiſſimè deducit D. Aug. lib. de unit. Eccleſiæ.

2. ex promiſſione Chriſti Matth. 16. v. 18. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, &c.* At ſi Eccleſia ante finem mundi aliquando deficeret, id non fieret aliter quàm quòd omnis Eccleſia à fide vera ad perfidiam tranſiret, & ſic portæ inferi prævalerent contra verbum Domini.

II. Similiter Matt. 24. v. 14. *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in univerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio, &c.* Ex quibus verbis Domini ad minus clarum eſt, quod Eccleſia prædicans verum Dei verbum ſemper uſq; ad conſummationem ſeculi manſura ſit, & ſic omnes SS. Patres intellexerunt.

Hoc ipſum Dominus clariùs expreſſit & promiſit Matth. 28. v. 19. & 20. dicens: *Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus S. docentes eos ſervare omnia, quæcunq. mandavi vobis Et ecce vobiſcum ſum omnibus diebus, uſq; ad conſummationem ſeculi.* Vbi clariſſimè promiſit Dominus, quod Eccleſia omnibus diebus manſura ſit, & ipſe cum illa uſq; ad finem, adeòq; ſemper & ſine interruptione, prout etiam SS Patres ſemper intellexerunt, & Acatholici fatentur. Quoad SS. Patres à potiore ex teſtimoniis ipſorum in ſequentibus pro Eccleſia manifeſta adducendis patebit, hic unicus S. Aug. locus ſufficiat qui in pſ. 103. circa illa: *Fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, &c.* ſic ait: *Nutabit Eccleſia ſi nutaverit fundamentum, non nutante Chriſto, non inclinabitur in ſeculum ſeculi, ubi ſunt qui dicunt periiſſe de mundo Eccleſiam, quando nec inclinari poteſt? &c.* ſic Aug.

III. Hæc ſufficiant pro veritate Catholica, quod Eccleſia Chriſti vera ſemper ſit duratura à tempore Chriſti uſq; ad finem mundi ſine interruptione. Nunc probandum eſt, quod Eccleſia non tantū ſit permanſura in occulto, vel apud paucos toti orbi ignotos, & ſoli Deo nota, ſed per plures orbis partes ita manifeſta, ut pluribus hominibus nota ſit, ad quā ſeſe conferre poſſint. Hoc negabant olim Donatiſtæ, aſſerentes Eccleſiā veram pluribus annis per totum mundum periiſſe, & in ſola Africa delituiſſe in occulto apud paucos, donec Donat⁹ illā reproduceret, hæc eſt ipſiſſima doctrina Acatholicorū, qui volunt quod vera Eccleſia propter errores Pontificum Romanorum & tyrannidem aliquot centenis annis ita oppreſſa fuerit, ut in paucis ſoli Deo notis latuerit uſq; ad tēpora Luth. & Calv. ut ex præmiſſis art 2. patet, & infrà referendo illorum mendacia & calumnias de defe- IV.
ctu Romanæ Eccleſiæ patebit.

Contra Donatiſtas SS. Patres ex S. ſcriptura egerunt & ſpecialiter S. Aug. diverſis locis, ubi tā clarè probat Catholicam doctrinam & modernorum Acatholicorū errorem refutat, ut nihil opus foret in verbis Aug. mutare, quam loco Donatiſtarum ponere nomen Acatholicorum modernorum Luth. & Calv. ſectatorum; & nomine Africæ, in qua Donatiſtæ dicebant occultè ipſorum cœtum permanſiſſe, oporteret ponere locum ignotum, quod adhuc turpius eſt, quia Acatholici nullū in orbe locū nominare poſſunt, ubi per mille annos illorum Eccleſia delituerit, de quibus infrà: jam in generali probandum erit de vera Chriſti Eccleſia, quod ſemper manifeſta & notoria eſſe debeat, non ſpecificando quænam illa ſit inter modernas Eccleſias, de quo poſtea agetur.

ARTICVLVS IV.

Quòd vera Chriſti Eccleſia à tempore Apoſtolorum uſq. ad finem mundi non ſolum qualitercunq. ſed etiam in multis orbis partibus nota & manifeſta permanſura ſit probatur ex S. ſcriptura vet. teſtamenti.

QVia D. Aug. in lib. de unit. Eccleſiæ tā I.
clarè ex S. ſcriptura contra Donatiſtas procedit, operæ pretiū exiſtimo illius argumenta referre: ſic ergo ait c. 2. *Quæſtio certè inter nos verſatur, ubi ſit Eccleſia, utrū apud nos, an apud vos? quæ utiq; una eſt, quam majores noſtri Catholicam nominârunt, ut ex ipſo nomine oſtenderent quia per totum eſt. Hæc autē Eccleſia corpus Chriſti eſt, ſicut dicit Apoſtol. pro corpore ejus quod eſt Eccleſia; unde utiq; manifeſtum eſt. cum qui non eſt in membris Chriſti, Chriſtianam ſalutem habere non poſſe, membra vero Chriſti per unitatis charitatē ſibi copulantur, & per eandem capiti ſuo cohærent, quod eſt Chriſtus Ieſus.* &c.

Vt igitur Aug. oſtendat, quænam ſit vera Eccleſia, & ubi illa ſit, vult ſepoſitis rationibus quæ ab aliis hominibus dictæ ſunt, non quod malæ ſint, ſed quia à Donatiſtis rejici poſſint, ac proinde vult, ut ex claris S. ſcripturæ locis, quæ ab utraq; parte admittebantur veritas probaretur, unde dicit c. 3. *Non audiamus, hæc dico, hæc dicis, ſed audiamus hæc dicit Dominus, ſunt certè libri dominici quorum auctoritati utriq; conſentimus, utriq; credimus, utriq; confitemur, ibi quæramus Eccleſiam, ibi diſcutiamus cauſam noſtram.*

Et hoc ſuppoſito format quaſi implicitè hanc II.
maximam: Illa eſt vera Eccleſia Chriſti, quàm S. ſcriptura clarè pronunciat, demonſtrat & promittit, ſed illa demonſtrat, pronunciat & promittit veram Eccleſiam per totum mundum à tempore Chriſti diffundendam & permanſuram uſque ad finem mundi, eamque manifeſtam & omnibus promiſcuè notam.

Hanc probat Aug. c. 6. ex Gen. 22. dicens: *O Donatiſta Geneſin legite* (ſcilicet v. 16. cap. cit.) *Per memetipſum juravi, dicit Dominus,* &c. *niſi benedicens benedicam te & implendo implebo terram tuam tanquam ſtellas cæli & tanquam arenam quæ*

Digitized by Google

ARTICVLVS V.

Eandem veritatem probat Augustinus ex novo testamento.

I. VT veritas clariùs pateat Aug. c. 9. ex novo testamento eandem probat dicens: *Veruntamen quanquam hæc ex vet. testamento allata) & tardis cordibus pateant, audiamus hanc & ipsius verbi vocem ore proprio carnis expressam. Certè, cùm post resurrectionē præberet se etiam contrectandum manibus dubitantium discipulorum, dixit eis* Luc. 24. Quia oportebat adimpleri omnia scripta in lege Moysis & Prophetis & psalmis de me, *&c.* & infrà: *Vt non solùm de capite, verum etiam de corpore certa divina oracula teneremus sequitur Euangelista & dicit*: Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent scripturas, & dixit illis quoniam sic oportebat Christū pati, &c. *Hic ipsum caput ostenditur: Vide quomodo de corpore adjungat, quod est Ecclesia, ut nos nec in sponso nec in sponsa errare permittat: Et prædicari,* inquit, *in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Ierusalem. Quid hac voce verius? quid divinius, quid manifestius? me piget eam commendare meis verbis, & hæreticū non pudet eā oppugnare verbis suis. Dicant ea testimonia quæ posui de lege, Prophetis & psalmis obscura esse, &c. sed ecce dicant; Nunquid & obscurè dictum, quod ipse Christus dixit*: Quia sic scriptum est & sic oportebat Christum pati & prædicari in nomine ejus pœnitentiam per omnes gentes.

II. Concludit itaq; Aug. c. 10. dicens: *Teneamus ergo Ecclesiam ex ore Domini designatam, unde cœptura & quousq; perventura sit, scilicet ab Ierusalem & perventura in omnes gentes, &c.* quod multis modis ex scriptura probat ad literam esse intelligendum: Et postea idē ex act. c. 1. v. 2. probat, ubi dicitur: *Eritis mihi testes in Ierusalem & in tota Iudæa & Samaria & usq; ad ultimū terræ.* Et subjungit: *Habeo manifestissimam vocem pastoris mei commendantis mihi, & sine ullis ambagibus exprimentis Ecclesiam, mihi imputabo si ab ejus grege, quod est ipsa Ecclesia, per verba hominum seduci atq; aberrare voluero.* Postea Aug. per varia loca ex actibus Apostolorum ostendit, quomodo juxta verbum Domini prædicârint Euangelium per omnem terram, *&c.* Et tandem c. 11. sic concludit verbis Apostoli ad Galat. *Sed licet nos aut Angelus de cælo vobis euangelizaverit, præterquam quod euangelizavimus vobis, anathema sit, &c. Euangelizatā est nobis Ecclesia per totum orbem terrarum futura. Hanc in lege & Prophetis & psalmis esse prænuntiatum ipse Dominus testificatus est, qui eam cœpturam ab Ierusalem & per omnes gentes* (NB) *permansuram esse prædixit, testes sibi futuros in Ierusalem & in tota Iudæa & Samaria & usq, in totam terram,* cùm jam in cælum ascenderet, prænuntiavit. *Hæc verba facta secuta sunt, quomodo cœptum sit ab Hierusalem & deinde processum in Iudæam & Samariam & in totam terram, ubi adhuc crescit Ecclesia, donec usq; ad finem etiam reliquas gentes, ubi adhuc non est, obtineat scripturis S. testibus consequēter ostendatur, quisquis aliud euangelizaverit anath. sit.*

III. Pergit Aug. c. 12. dicens: *Aliud autem dicit, qui periisse dicit de cætero mundo Ecclesiam & in parte Donati in sola Africa remansisse dicit, ergo anathema sit,* &c. hæc Aug. contra Donatistas.

Quis non videt hæc multò clariùs contra Acatholicos modernos militare, qui volunt, quod de cætero mundo periisset Ecclesia ultra mille annos & in uno angulo, quem tamen specificare non possunt Ecclesia permanserit.

ARTICVLVS VI.

Augustinus respondet argumentis Donatistarum, quibus & Acatholici utuntur.

I. AVg lib. de unit. Ecclesiæ, cùm tot clara testimonia de Ecclesia per totum orbem diffundenda & usq; in finē mundi crescenda adduxisset, allegat argumēta Donatistarum, quibus probare volebant quod Ecclesia defecisset, & in paucis in Africa remansisset, sic ait, c. 12. *Aut legat mihi hoc in scripturis SS. & anathema non erit, lego inquit Donatista, nam Enoch unus inter omnes homines placuit Deo & translatus est, postea toto mundo aquarum inundatione deleto solus Noë cum conjuge & filiis & uxoribus suis in arca meruit liberari. Adjungunt etiam Loth, quod solus cum filiabus de Sodomis liberatus sit; de ipso quoq; Abraham & Isaac & Iacob quod pauci fuerint Deo placentes, cæteri Idolis dediti & Dæmonibus. Postremo multiplicato populo Israël, &c. Decem tribus divisæ & traditæ servo Salomonis, duas autem remansisse Filio Salomonis ad regnum quod erat in Ierusalem; sic & nunc inquiunt totus mundus apostatavit, nos autem tanquam duæ illæ tribus in templo Dei, hoc est in Ecclesia permansimus. Dominum etiam Iesum Christū cum plurimi sequerentur septuaginta duobus apostatantibus soli cùm illo duodecim remanserunt. His atq; hujusmodi exemplis suam paucitatem hæretici* (Donatistæ) *commendare conantur, & in sanctis Ecclesiæ multitudinem toto orbe diffusam blasphemare non cessant, &c.* hæc Aug. de Donatistis. Quis ignorat quod eadem exempla moderni Acatholici opponant veritati Catholicæ de Ecclesia per totum orbem semper permansura & manifesta? Itaque audiamus Augustinum in Donatistis respondentem modernis Acatholicis.

II. Resp. itaq; Aug. ib. dicens: *Nos omnia illa exempla credimus* (scilicet allegata ex S. scriptura) *credant & ipsi, quod ait Dominus prædicari in nomine suo pœnitentiam & per omnes gentes incipientibus ab Hierusalem: Credant, quod ascensurus in cælum dixerit:* Eritis mihi testes in Jerusalem, & in tota Judæa & Samaria & usq; in totam terram, *Et ita & illa vera esse credantur, quia nec illis vera ista, nec istis vera illa impediantur.* Quasi diceret Aug. ex illis exemplis antiquis nihil sequitur contra verbum Christi de futura ecclesia pronunciatum. Licèt enim tunc pauci essent in exemplis allegatis, Deus non prænuntiavit quod essent multi tempore Enoch & Noë futuri, sicut Christus prænuntiavit, quod Ecclesia sua esset diffundenda per orbem terrarum, adeòque ex illis exemplis nihil habetur contra Ecclesiā Christi universalem in toto orbe semper mansuram.

Subjungit Aug. Quid Donatistæ dicant: *Et nos credimus ista impleta esse;* scilicet verba Christi, quod Euangelium esset prædicandum per totum orbem, sed addunt: *Sed postea orbis terrarum apostatavit & sola remansit Donati communio.* Sic etiam volunt moderni Acatholici dicentes: Ante mille & ampliùs annos totus orbis apostatavit & remansit occulta communio nostra, *&c.*

III. Sed Aug. dicit: *Hoc nobis legant, sicut legunt de Enoch, Noë, Abraham & de illis tribubus quæ reliquis decem separatis reliquæ factæ sunt, & de duodecim Apostolis, &c. Et hoc similiter legant, & nihil resistimus;* ac si diceret sicut legunt ista exempla, sic etiam legant, quod Ecclesia Christi per totum orbem semel diffusa apostatavit, vel apostatura erat ante finem mundi.

Digitized by Google

di. Et sic subjungit Augustinus: *Si autem non ea de scripturis sanctis legant, sed suis contentionibus persuadere conantur, credo illa, quæ in scripturis sanctis leguntur, non credo, quæ ab hæreticis vanis dicuntur, &c.* hæc Aug. Quid clariùs modernis Acatholicis responderi posset.

Rursus August. c. 12. alia S. scripturæ loca tangit, quæ Donatistæ pro se allegabant, in quibus dicitur, quasi omnes boni in Israël defecissent ut indicatur Esa. 1. v. 6. *A planta pedis usque ad verticem non est sanitas in eo.* Item Ezech. 3. v. 7. *Omnis quippe domus Israël attritâ fronte est & duro corde,* &c.

IV. Respondet August. generaliter dicens: *Admoneantur isti, non obesse justis in medio impiorum constitutis, quicquid in ipsos populos propter impiorum multitudinem dicitur, ut desinant testimonia quæque, sive per prophetas, sive per os Domini, sive per Euangelistas in Zizaniam vel paleam orbis terrarum dicta inveniuntur. Plerumque enim* (NB) *sermo divinus impias turbas Ecclesiæ, quæ nec in Ecclesia deputantur, tamen propter Sacramenta, quæ cum sanctis communiter habent, quia inest eis quædam forma pietatis cujus virtutem negant sicut ait Apostolus 2. Tim. 3. Habentes formam pietatis, virtutem autem ejus abnegantes,* &c. *sic redarguit tanquam omnes tales sint, & nullus bonus omnino remanserit,* &c. *Isti ergo vel imperitè vel fallacia iter agentes colligunt de scripturis talia, quæ vel in malos bonis usque in finem permixtos, vel de vastatione prioris populi Iudæorum dicta reperiuntur, & volunt ea detorquere in Ecclesiam Dei, ut tanquam defecisse ac periisse de toto orbe videatur. Neque enim nos ita dicimus per totum orbem diffundi Ecclesiam, ut in Sanctis ejus solos bonos esse dicamus, ac non etiam malos, & eos etiam multò plures, ut in eorum comparatione pauci sint* (boni) *cùm per seipsos ingentem numerum faciant, &c.* hæc Aug.

V. Idem Augustinus prædicta confirmando dicit cap. 13. *Habemus innumerabilia testimonia & de conuentione malorum cum bonis in eadem communione Sacramenti, sicut Iudas ab initio inter bonos undecim conuersatus est, & de bonorum paucitate propter malorum comparationem, & rursus de bonorum multitudine per seipsam considerata.* &c. *Est in canticis, quod de Ecclesia sancta dictum omnes Christiani agnoscunt: sicut lilium inter spinas, ita proxima mea in medio Filiarum. Vnde appellat spinas? nisi propter malignitatem morum: Et easdem unde filias nisi per communionem Sacramentorum?* &c. *Dicit Dominus de Zizaniis superseminatis: Sinite utraque crescere usque ad messem,* Matth. 13. *id est, triticum & Zizania, & ipse interpretatur messem finem esse seculi, Agrum verò, ubi utrumque seminatum est mundum esse. Oportet itaque usque in finem seculi crescere per mundum.*

Vnde jam non permittuntur isti (Donatistæ) *suspicari aut differere, quod dicant omnes bonos defecisse de mundo, ut in sola parte Donati remanerent, conantur enim contra apertissimam sententiam Domini dicentis: Ager est hic mundus, &, sinite utraque crescere usque ad messem, &, messis est finis seculi, &c.* hæc Aug.

VI. Ecce, quàm clarè hæc militant contra modernos Acatholicos, qui volunt omnes bonos defecisse per totum mundum mille annis, & in sola ipsorum, quam fingunt, occulta paucorum communione Ecclesiæ remansisse.

His etiam addi potest, quod loca scripturæ, ubi videtur dici, quasi omnes boni defecissent, ut in illo ps. 13. *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum,* Acatholicis non suffragentur, cùm ipsi sustineant, quod Ecclesia electorum occulta semper usque ad finem mundi sit permansura, adeòque nec ipsi dicere possunt, quod tota Ecclesia usque ad unum deficiat.

Aliud argumentum Donatistarum adducit *Augustinus* ibid. de paucitate bonorum, de quibus Dominus dicit Matth. 7. Quàm angusta porta, *&c.* & pauci sunt qui ingrediuntur illam. *Istos paucos Donatistæ se putant esse, & ideo dicunt periisse orbem terrarum, se autem in hac paucitate, quam laudavit Dominus, remansisse.* Respondet Aug. dicens: *Qui quando comparantur cum eis, longè pauciores Rogatistas aut Maximianistas objicimus, qui se ab eis separauerunt, si existimant sibi de paucitate esse gloriandum.* Similiter Acatholicis Lutheranis & Calvinistis objicienda erit paucitas Anabaptistarum, Armenianorum, *&c.* qui se ab illis separârunt. Verum Augustinus ad rem ipsam dicit: *Veruntamen hanc paucitatem* (bonorum) *in comparatione multitudinis malorum esse à Domino commendatam multitudinem autem bonorum, cùm per se ipsam consideratur non tacuisse scripturas. Legant & videant quàm plura testimonia reperiantur. Vnde enim* Gen. 15 ipsum semen Abrahæ sicut stellæ cæli & sicut arena maris *promittitur, nisi propter innumeram multitudinem? unde multi Filii desertæ magis quàm ejus quæ habet virum?* Isai. 5. *Vnde multi ab oriente & occidente venient & recumbent cum Abraham?* Matth. 8 &c. *Ecce ipsi dicuntur multi, qui dicuntur & pauci, quare nisi multi per se ipsos considerati; pauci autem in comparatione iniquorum, &c.* hæc Aug.

VII. Iterum aliud Donatistarum argumentum allegat cap. 19 dicens: *Item dicunt de apostasia orbis terrarum dictum esse, quod ait Dominus:* Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra? Luc. 18.

Respondet August. *Hoc nos intelligimus dictum vel propter ipsam fidei perfectionem, quæ ita difficilis sit in hominibus, ut in ipsis quoque admirabilibus Sanctis, sicut in ipso Moyse inueniatur aliquid, ubi trepidarint, vel trepidare potuerint, quod de fide illa alibi explicat, de qua dicit Dominus* Matth. 17 v. 20. Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc illuc & transibit *&c.* vel dicit Augustinus *Propter illam iniquorum abundantiam, & bonorum paucitatem, de qua satis diximus, & ubi ait: Sed utrumq; hoc genus per totum mundum usq; in finem, quia sinite inquit utraque crescere usque ad messem,* &c.

Veruntamen istos miror non attendere, quid dicant, cùm velut pro se commemorant, quod ait Dominus: Filius hominis veniens putas inveniet fidem in terra? *quasi Africa non sit terra. Si enim hoc ita dixit tanquam omnino in nullis inuenturus fidem,* &c. *non inueniet, quando de Africa non dixerit, &c.* hæc Aug.

Eadem responsio quadrat in Acatholicos, qui hunc locum allegant contra Ecclesiam, quasi planè in fide defecisset, sic enim nulli occulti fideles remansissent, quod ipsi negant.

VIII. Demum aliud Donatistarum argumentum Augustinus adducit cap. 14 *Scriptum est,* inquit, *in Canticis Canticorum, sponsâ id est Ecclesiâ dicente ad sponsum:* Annuntia mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie? *Hoc unicum testimonium quod pro se isti resonare arbitrantur, eo quod Africa in meridiana orbis parte constituta sit,* &c.

Respondet Aug. Ibi sponsum Christum non respondere, quod in meridie pascat & cubet, sed sunt verba sponsæ interrogantis, quæ addit, *ne forte fiam operta super greges sodalium, &c.* per meridiē intel-

intelligit illos, qui habent charitatẽ, & non dividunt unitatẽ, ut Donatistæ, *&c.* & subjungit de Ecclesia: *Non est autem ista operta, quia non est sub modio* Matt. 5. sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. *Et de illa dictum est*: Non potest civitas abscondi super montem constituta, *sed Donatistis velut opertum est, quia audiunt tam lucida & manifesta testimonia, quæ illam toto orbe esse demonstrant, &c. malunt clausis oculis* (NB) *in montem offendere quàm in eum ascendere qui cum esset lapis præcisus de monte sine manibus crevit, & factus est mons ingens, & impleuit universam terram, &c.* hæc ibi.

IX. Augustinus in fine cap. 14. sic concludit: *Sunt adhuc nonnullæ gentes, in quibus nondum est Euangelium prædicatum, necesse est autem impleri omnia quæ de Christo & Ecclesia prædicta sunt, oportet ergo & in eis prædicari, quod cùm impletum fuerit, tunc erit finis.*

Pergit cap. 15. dicens: *Quando ergo isti dicunt jam esse completum, quod Dominus ait*, prædicari in nomine ejus in omnes gentes; *sed postea cæteris deficientibus solam Christi Africam remansisse, cùm adhuc implendum sit nondum impletum, cum autem impletum fuerit, veniet finis, sic enim Dominus ait*: Et prædicabitur hoc Euangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis, Matt. 24.

Et demum cap. 16. ait: *Quoniam igitur in scripturis sanctis Ecclesia manifestè cognoscitur, incipiens ab Hierusalem & per alias gentes crescens donec omnes occupet usque ad finem sæculi non autem sola frumenta, sed & purgamenta ejus commemorantur*, &c.

X. Hæc prolixius ex D. Augustino adferenda operæ pretiũ judicavi, ut sincerus lector videat, quod Catholici Doctores cum S. Augustino ex S. scriptura doceant Ecclesiam Christi per omnes gentes manifestam usque ad finem mundi permansuram, quæ bonos & malos complectatur, qui in unius fidei professione & Sacramentorum communione permanent. At verò Acatholici prorsus imitatores sint Donatistarum, qui volunt Ecclesiam ultra mille annos publicè per totum mundum defecisse, ac solum in quibusdam occultè permansisse, quos tamen nominare non possunt, sicut Donatistæ in sola Africa dicebant remansisse, quorum argumentis contra Catholicam doctrinam utuntur, ut visum est, & tamen protervè negare audent, se non cum Donatistis sentire.

ARTICVLVS VII.

Argumenta Calvini contra veritatem Catholicam.

I. ARgumentis Donatistarum, quibus Acatholici utuntur, Calvinus aliud addit, in quo quasi principaliter se fundat in præfat. Inst. ubi cùm dixisset: *Fremunt* (Catholici) *nisi Ecclesia digito semper demonstretur*; ita subjungit: *Sed quàm sæpe in populo Judæorum sic deformari contigit* (scilicet Ecclesiam) *ut nulla species remaneret, quam putamus formam resplenduisse, quum Elias* 3. Reg. 19. *solum se relictum deplorabat, &c.* hæc Calvin. Et ante illum *Philippus Melanchton* in locis communibus, & hoc passim Acatholici objiciunt, inde inferentes, quòd possit Ecclesia extare quidem, sed tamen ita, ut plurimi illam ignorent, cùm etiam *Elias* putarit se solum relictum & tamen ibid. v. 18. Dominus dicit: *Derelinquam mihi septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal, &c.*

Respondetur: Calvinus volens esse subtilis in S. scriptura longè crassiùs impingit quàm Donatistæ, hi enim agnoscebant ex S. scriptura, quòd præter illa septem millia quæ in decem tribubus Israël separatis existentes Eliæ profugo à facie Jezabel ignoti erant, adhuc extaret urbs Jerusalem & duæ integræ tribus Judæ & Benjamin, ubi Asa & Josaphat pii Reges David Filii & successores regnabant, & tantùm sub se populum habebant, ut Josaphat aliquot centena millia militum expeditorum ad manum haberet, ut patet 2. Paral. cap. 17. *&c.* ubi de illo dicitur v. 3. *Fuit Dominus cum Iosaphat quia ambulauit in viis Dauid, &c.* & cultus Dei in Jerusalem & in regno ejus vigebat, quod Eliam non latebat, licèt inter illos etiam essent multi mali permixti bonis, ut August. lib. de unit. Ecclesiæ suprà tangit, adeóque Donatistæ non adverebant tunc temporis Ecclesiam occultam fuisse, sed tantùm remansisse in regno Judæ, cui se comparabant. Verùm quâ fronte Calvinus cum suis ex uno regno Israël decem tribuum, ubi non erat exterior Dei cultus propter Achab & Jezabel, ducat argumentum ad totam Ecclesiam Judæorum, quasi illa tota occulta & ignota fuisset; cùm cultus Dei in regno Judæ sic vigeret notissimus: Quale quæso hoc est argumentum: In aliquo particulari regno erat magna persecutio, ita ut Elias fugiens putaret nullos fideles in illo remansisse, cùm tamen adhuc septem millia remansissent ipsi ignoti & tamen aliis noti: Ergo in omni alio loco tota & universalis Ecclesia Judæorum ita defecerat, ut ignota esset; cùm tamen in regno Juda & Jerusalem verus Dei cultus vigeret orbi notus. II.

Et licèt hoc Calvini argumentum, ut jam patet, in se non valeat & falsum sit, ut jam ostensum est, multò minùs inde deducitur argumentum à Synagoga Judæorum ad Ecclesiam Christi universalem, ut suprà dictum, quia de Synagoga Judæorum non fuerant in S. scriptura tales promissiones, sicut de universali Christi Ecclesia; & insuper Ecclesia Judæorum non erat universalis Dei Ecclesia ante Christum, quia etiam plurimi erant in universali Dei Ecclesia, qui non erant ex Judæis, sed Gentiles ad Deum conversi, adeóque non valet argumentum à particulari Ecclesia ad universalem, nec à Synagoga ad Ecclesiam Christi. III.

ARTICVLVS VIII.

Quòd Ecclesia Christi semper manifesta futura sit usque ad finem seculi ex aliis S. scripturæ locis juxta SS. Patrum explicationem probatur.

EA, quæ hactenus ex D. Augustino adduximus, cuilibet sincero Lectori sufficere deberent, ut certâ fide teneret, quòd Ecclesia Christi semper permansura sit ita manifesta, ut pluribus etiam extraneis nota sit, & ad illam accedere possint, eique incorporari. Hoc enim D. Augustinus ex tot veteris & novi testamenti locis probat, ubi pronunciatur, & promittitur, quòd semen Christi multiplicandum sit sicut stellæ cæli & arena maris, & quòd I.

Digitized by Google

Christus prædixerit suam Ecclesiam per omnes gentes propagandam, ita ut semper sit crescens de gente in gentem, donec per omnes gentes pervaserit, idque usque ad consummationem sæculi. Quomodo, quæso talis Ecclesia ignota unquam esse poterit? nihilominus ad superabundantem veritatis confirmationem aliquot S. scripturæ loca & SS. Patrum testimonia & præcipuè S. Augustini ex aliis ipsius operibus adducemus, quia ipse principaliter hanc quæstionem tractavit contra Donatistas.

II. Primò igitur probatur ex illo Matt. 24. v. 14. *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio sæculi.* Item cap. 28. v. 19. *Euntes docete omnes gentes, &c. & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi, &c.* Ex quibus non solùm constat, quòd aliqui fideles semper sint perseveraturi usque ad consummationem sæculi, sed quòd semper futuri sint prædicatores verbi Dei. Nam Christus non intellexit de Apostolis solis, qui non erant semper victuri, sed de eorum successoribus, quòd essent futuri omnibus diebus, id est, semper usque ad finem mundi, & docturi Euangelium, idque per diversas gentes, quod non potest esse occultum, si in testimonium omnibus gentibus prædicandum sit.

III. Huic concordat Apostolus ad Ephes. 4. v. 11. dicens: *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in ædificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem Fidei, &c.* ubi etiam patet, quòd Apostolus prædixerit semper in Ecclesia fore Pastores & Doctores, ut semper Corpus Christi, quod est Ecclesia ædificetur & proficiat usque ad extremum sæculi, quando omnes fuerint confirmati. Hoc ipsum fatentur Acatholici in Confess. Helvet. poster. art. 18. & Belgica art. 12.

Vbi autem sunt Pastores & Doctores fidem docentes & fideles pascentes verbo & Sacramentis, quomodo Ecclesia occulta erit? Hoc ipsum supponit Christus Matt. 18. v. 17. dicens: *Si te non audierit dic Ecclesiæ, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, &c.* ubi clarum est, quòd Christus supponat semper fore Ecclesiam manifestam, ut ipsius Pastores & Præsules agnoscantur, & ad illos recurri possit. Sic intellexerunt omnes SS. Patres & inter alios Chrysostomus hom. 61.

Idem etiam supponit Apostolus 1. Tim. 3. v. 15. dicens: *Vt scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis, &c.* ubi clarè loquitur de Ecclesia semper mansura, ut clarum est, & quòd illa manifesta sit futura, alioquin quomodo scirent homines, quomodo in illa conversari ipsos oporteat?

IV. Demum, ut alia loca omittam patet ex illo Matt. 5. v. 14. *Vos estis lux mundi; Non potest civitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.* Vbi clarè patet quòd Christus de Apostolis & eorum successoribus Doctoribus Ecclesiæ loquatur, quòd vox Euangelica non absconderetur sed clara erit, ut volentes eam audire possint; & civitas, quæ est Ecclesia, non sit occulta, sed sicut civitas in monte posita, ut omnibus apparere possit, qui volunt accedere, &c. Hæc adeò clara sunt, ut explicatione non opus habeant; accedant tamen testimonia sanctorum Patrum, qui sic etiam cum antiqua Ecclesia intellexerunt.

Origenes homil. 30. in Matt. edit. Basil. 1557. sic ait: *Ecclesia plena est fulgore ab oriente usque ad occidentem, &c.* V.

Cyprianus lib. de unitate Ecclesiæ edit. Basil. 1543. dicit: *Ecclesia Domini luce perfusa, radios suos per orbem terrarum spargit.*

Hilarius in Matt. Com. 4. edit. Basil. 1570. sic ait: *Lucerna Christi non recondenda sub modio est, neque operimento occultanda Synagoga, sed in ligni passione suspensa, lumen æternum est Ecclesiam habitantibus præbitura, &c.*

Idem lib. 7. de Trinit. eâd edit. dicit: *Hoc enim Ecclesiæ proprium est, ut tum vincat cùm læditur, tum intelligatur cùm arguitur, tum obtineat cùm deseritur, &c.* unde patet quòd Ecclesia persecutionibus vel hæresibus obrui non possit.

Chrysostomus homil. 15. in Matt. edit. Basil. 1558. circa illa verba: *Non potest civitas abscondi,* sic ait, *ubi nunc sunt virtutum Christi increduli, audiant ista & prophetiæ potentiam post experimenta mirantes majestatem Domini adorando venerentur: perpende enim, qualia polliceantur iis, qui in sua quoque regione incogniti habebantur, quòd videlicet terrâ omni marique celebrandi sint, &c.* VI.

Idem homil. 4. in Isaiam sic ait: *A quàm multis oppugnata est Ecclesia, nec unquam tamen victa? Quot tyranni, quot Duces, quot Imperatores, &c. at non dejecerunt, quin potiùs ii, qui oppugnarunt silentur oblivioni traditi, illa vero oppugnata cælum transcendit, &c.* hæc ibi.

Similiter in demonstrat. adversus gentes, quòd Christus sit Deus, &c. sic ait: *Nam à die, quâ dictum est, Ecclesia constat solida florens, crescens & plùs roboris sumens, & omnibus, qui ab illo die usque ad adventum Domini futuri sunt, constans, &c.*

Item homil. 4. in Cap. 6 Isai. dicit: *Faciliùs est solem extingui, quàm Ecclesiam obscurari, &c.* hæc Chrysost.

Basilius ad cap. 8. Isa. *Nobis,* ait, *conducibile fuerit & commodum, si tempore persecutionis animo intrepido dixerimus illud gentibus; si iterum prævalueritis, iterum vincemini, Gentiles enim subinde dum Christi Ecclesiam oppugnarunt, pessum ierunt, &c.* hæc ille. VII.

Gregorius Nazianzenus orat. 23. quæ est in laudem Heronis, edit. Colon. 1579. sic ait: *Nec vero quicquam aliud Ecclesiæ molestiam exhibebat, nam persecutiones* (NB) *illustriorem quoque ipsa & splendidiorem per supplicia reddebant, &c.* hæc ille.

Eusebius Cæsariensis de præparat. Euangel. lib 7. cap. 5. *Certum est,* ait, *Salvatorem nostrum prædixisse doctrinam suam in testimonium omnium gentium per universum terrarum orbem prædicatum iri, & Ecclesiam, quæ postea virtute sua constituta est, invictam atq; inexpugnabilem fore.* Et infrà: *Ecclesia, luce & fulgore orthodoxæ fidei splendet, neque hostibus terga dat, neque portis mortis cedit propter pauca verba, quæ ille protulit: super lapidem ædificabo Ecclesiam meam, &c.* hæc ille.

Similiter S. *Ambrosius* lib. 7. in cap. Lucæ 22. edit. Paris. 1569. dicit: *Fides nostra in isto altissimo omnium locata monte, hoc est Christo, non potest tenebris & ruinis hujus mundi abscondi, sed fulgens candore solis æterni, luce nos gratiæ spiritalis illuminat, &c.* VIII.

Hieronymus in cap. 9. Amos edit. Basil. 1553. sic ait: *Ex quo intelligimus Ecclesiam usque ad finem mun-*

Digitized by Google

mundi concuti quidem persecutionibus, sed nequaquam posse subuerti, tentari, non superari. Et hoc fiet, quia Dominus Deus omnipotens huic Dominus Deus, id est, Ecclesiæ se facturum esse pollicitus est, cujus promissio lex naturæ est, &c. hæc ille.

IX. Ad similem modum *Chrysostomus* gravissimè loquitur homiliâ, cùm de ipsius expulsione tractaret edit. cit. sic ait: *Ecclesiâ nihil est potentiùs, &c.* Et infrà: *Si Ecclesiam oppugnaueris, scito te arte nulli victoriam de ea reportaturum, omnibus enim in immensum fortior est Deus,* &c. Et infrà: *Deus fixit, quis huic studio incumbit, ut exagitet.* Et infrà: *Ciuitatem trementem stare jussit, quanto magis potest stabilire Ecclesiam. Sanè Ecclesia ipso cælo fortior est, siquidem* cælum & terra transibunt, verba autem mea nunquam transibunt: *Cujusmodi verba* hæc: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, si verbum hoc habes suspectum vel factis habeto fidem. Quot, quanti Tyranni toto conatu studuerunt euertere Ecclesiam: &c.* hæc ille.

Alexander Alexandrinus Episcopus, epist. ad Alexandrum Constantinopol. ait: *Ecclesiam unam solam Catholicam & Apostolicam agnoscimus, quæ sicut nunquam expugnari potest, etiamsi totus mundus eam oppugnare instituat, sic omnium impiam Hæreticorum incursionem contemnit, &c.* hæc ille.

Vbi patet, quòd SS. Patres juxta Christi verbum supposuerunt Ecclesiam Christi visibilem & manifestam nullis unquam persecutionibus vel machinis destruendam. Si enim Ecclesia occulta & ignota esset; quomodo à Tyrannis oppugnaretur? vel quomodo diceretur fixa constare? cùm contrarium constet ex testimoniis SS. Patrum & ab experientia, quod quantò magis Tyranni Ecclesiam persequebantur, eò magis crescebat Ecclesia & manifestabatur.

X. Nec hæc Ecclesiæ persecutio sola ad Tyrannos infideles spectat, sed multò ampliùs ad hæreticos, qui propriè dicuntur portæ inferi, ut constat ex SS. Patribus, quorum oppugnatione Ecclesia fortior evadit, tantum abest, ut contra verbum Domini portæ inferi prævaleant. Sic præter SS. Patres suprà allegatos etiam loquitur *S. Leo* serm. 1. in Natali Apostolorum Petri & Pauli cap. 6. dicens: *Nullo crudelitatis genere destrui potest Sacramento crucis Christi fundata Religio, non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, & semper dominicus ager segete ditiore vestitur, dum grana, quæ singula cadunt multiplicata nascuntur,* &c. hæc ille. Vbi alludit ad Martyres dum unus occideretur, aliquot millia convertebantur, &c.

XI. *D. Augustinus* præterquam lib. de unit. Ecclesiæ, ut suprà visum est, à proposito ex S. scripturæ locis clarissimè ostendisset Ecclesiam juxta Dei promissiones semper fore manifestam, idipsum ostendit & deducit ac supponit in aliis locis agens contra hæreticos, præsertim Donatistas.

Sic lib. 13. contra Faustum cap. 13. edit. Basil. 1528. ait: *Quo manifesto indicio tenebo Ecclesiam Christi?* sequitur: *Idem Propheta,* &c. *docet Ecclesiam Christi ipsam esse prædictā quæ omnibus eminet & apparet.* Et infrà: *Dominus quoq; prouidens ait: Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.* Matth. 5. &c.

Similiter lib. 2. contra Petilian. cap. 32. edit. cit. dicit: In omnem terram exivit sonus eorum ps. 18. *Hinc fit, ut Ecclesia una neminem* (NB) *lateat.* Et cap. 104. *Non estis, ait, in montibus Sion, quia non estis in ciuitate supra montem constituta: quæ certe signum* (NB) *hoc habet, quod abscondi non potest: Nota est ergo omnibus gentibus, pars autem Donati ignota est omnibus gentibus, non est ergo ipsa,* &c. hæc ille. Quid clariùs contra Acatholicos dici posset, præsertim pro illis mille annis, quibus fingunt Ecclesiam latuisse?

Rursus lib. 2. contra Crescon. Grammat. cap. 36. eâd. edit. *Extat Ecclesia,* inquit, *cunctis conspicua atque clara, quippe ciuitas, quæ abscondi non potest supra montem constituta, per quam dominatur Christus à mari usque ad mare, &c.* Quid iterum clariùs contra Calvinum in præfat. & suos?

Sic lib. seu epist. ad Honoratum cap. 17. edit. cit. *In medio Ecclesiæ cantabo, &c.* ps. 21. *Hæc est,* inquit, *unica Catholica, mediam autē Ecclesiam ad eminentiora referas, & ad ipsam* (NB) *manifestationem.*

Idem in ps. 77. *Quis,* ait, *Fidelium dubitat Ecclesiam in æternum esse fundatam?*

Et in psalm. 101. con. 2. ait: *Existunt, qui dicunt, Ecclesia quæ fuit omnium gentium, jam non est, periit; hoc dicunt, qui in illa non sunt. O impudentem vocem! Illa non est, quia tu in illa non es? Vide ne tu ideo non sis, nam illa erit, etsi tu non sis.* Et infrà, introducens Ecclesiam loquentem sic ait: *Quàm diu ero in hoc sæculo, annuntia mihi propter illos qui dicunt, fuit & jam non est, apostatauit & periit Ecclesia de omnibus gentibus. Quis annuntiauit mihi, nisi ipsa via, quomodo annunciauit?* Ecce ego vobiscum sum, inquit, usque ad consummationem sæculi (audiamus jam Acatholicos cum Donatistis) dicit Augustinus, *sed hic existunt & dicunt, vobiscum sum inquit, usque ad consummationem sæculi, quia nos præuidebat, quia pars Donati* (Acatholici) *erat in terra, &c.* & infrà: *Hic vos dicitis, de Nobis dixit, Nos sumus, Nos erimus usque ad consummationem sæculi, interrogetur ipse Christus, & prædicabitur inquit hoc Euangelium in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis. Quid est, quod dicebas, hoc certè fuit & periit, Dominum audi:* prædicabitur hoc, inquit, Euangelium. *Vbi?* in toto orbe terrarum. *Quibus?* in testimonium omnibus gentibus. *Quid postea?* Et tunc veniet finis. *Non vides adhuc esse gentes, in quibus nondum prædicatum est Euangelium? Cùm ergo necesse sit impleri quod Dominus dixit. Quid est quod dicis jam periisse Ecclesiam de omnibus gentibus? Ergo usque in finem sæculi Ecclesia in omnibus gentibus? &c.* hæc August. Ecce quàm claré refutantur moderni Acatholici. XII.

Iterum in ps. 147. *Tam nullam ait, habet dubitationem Ecclesia & uxor Christi, quàm Corpus Christi demonstratum oculis, contrectatum manibus discipulorum, communica huic Ecclesiæ; crescit Ecclesia, donec occupet omnes linguas, cœpit ab Hierusalem, ut per omnes gentes propagetur, &c.* hæc ibi. Quomodo hæc vera si ultra mille annos ita decrevit ut ignota fuerit? XIII.

Rursus tract. 1. in 1. epist. Joann. cap. 1. *Quis, ait, ignorat civitatem supra montem positam? sed nolite mirari, quia ignoratur ab illis, qui oderunt Fratres, quia tenebræ obscurauerunt oculos eorum,* &c.

Demum idem ibid. *Nunquid, ait, digito ostendemus Ecclesiam fratres mei? nonne aperta est? &c.* sed Calvinus hoc negat.

Plurima sunt alia D. Augustini & SS. Patrum testimonia, sed ex prædictis luce meridianâ clariùs patet doctrina SS. Patrum in S. scriptura fundata, quòd Ecclesia Christi semper usque ad finem mundi crescere, & ita ad minùs manifesta XIV.

manere

Digitized by Google

manere debeat, ut omnes, qui salutem desiderant, eam invenire, & illi incorporari possint, quod etiam Acatholici veritate convicti fateri debent, licèt sibi ipsis contradicentes velint, quod non tantùm ad modicum tempus; sed ultra mille annos ita occulta fuerit, ut juxta Calvinum Ecclesia digito monstrari non potuerit, sed soli Deo nota fuerit. At per hoc convincuntur, quòd ipsorum non sit vera Ecclesia, quam SS. Patres ex S. scripturæ auctoritate ostenderunt semper manifestam permansuram, ut visum est.

ARTICVLVS IX.

Respondetur argumentis Acatholicorum ex SS. Patribus descriptis.

I. PRimò cum *Luthero* objiciunt illum symboli articulum: *Credo sanctam Ecclesiam.* Si igitur credatur Ecclesia, ergo non videtur.

Respondetur: Ecclesia secundùm id, quod creditur non videtur, inde tamen non sequitur, quòd non sit visibilis, prout suprà art. 1. declaratum est. Videntur quidem homines qui constituunt Ecclesiam, etiam auditur professio fidei, ac videntur Sacramentorum ceremoniæ, sed non videtur quòd illa fides sit vera Christi fides, vel quòd illa Sacramenta sint à Christo instituta, nec etiam videtur sanctitas Ecclesiæ, quæ Christo Capiti unitur: Sic itaque verè creditur Ecclesia sancta, & tamen quando exterior est visibilis, sicut Apostoli videntes Christum in humanitate; tamen verè credebant in Christum, quòd esset Filius Dei.

II. Secundò objiciunt testimonia S. Hilarii & S. Hieronymi. Hilarii verba habentur in lib. contra Auxentium edit. Basil. 1570. in fine, ubi sic dicit: *Malè vos parietum amor cœpit, malè Ecclesiam Dei in tectis, ædificiisque veneramini, malè sub his pacis nomen ingeritis, montes mihi & lacus & carceres & voragines sunt tutiores, &c.* hæc Hilarius. Vnde inferre volunt, quòd Ecclesia tunc occulta fuerit.

Respondetur primò negando consequentiam, nam licèt fideles tales tunc passi essent persecutiones ut publicè in templis convenire non liceret, poterant tamen in locis aliis convenire & esse notissimi, ut patet primis trecentis annis post natum Christum sub Imperatoribus Ethnicis, ubi Ecclesia tamen notoria erat.

Respondetur secundò: Patet, quòd Hilarius ibi loquatur de particularis Ecclesiæ Mediolanensis statu, quam Auxentius Arianus Episcopus favore Imperatoris invaserat. Licèt itaque ibi talis esset difficultas ab Hilario indicata, tamen in aliis orbis partibus Catholica fides vigebat, nec à statu particularis Ecclesiæ argumenta valent ad Ecclesiam universalem.

III. Cæterùm, ut magis appareat quòd Acatholici cum Donatistis consentiant, sciendum, quod ejusdem S. Hilarii testimonia quasi de occulta Ecclesia & perdita quidam Donatista Rogatista Augustino objecerit, cui ille respondit epist. 48. ad Vincentium circa medium dicens: *Hilarii libros mihi opponis, ut neges Ecclesiam crescentem in omnibus gentibus usque in finem sæculi, quam Deus contra incredulitatem vestram (NB) cum juratione promisit, &c.* & infrà: *Sed Historicus doctus magnum aliquid invenisti, quod contra Dei testimonia proferendum putares.* Et infrà: *Quomodo autem confidimus ex divinis literis accepisse nos Christum manifestum, si non inde accepimus & Ecclesiam manifestam, &c.* quod ibi ex S. scriptura deducit, *&c.* Et post unum folium sic ait de Ecclesia: *Ipsa est, de cujus paucitate dicitur in comparatione multorum malorum,* Matt. 7. Pauci sunt qui ambulant in ea. Et rursus *ipsa est de cujus multitudine dicitur, sic erit semen tuum sicut stellæ cæli, & sicut arena maris, &c. Ipsa est* (Ecclesia) *quæ aliquando obscuratur & tanquam obnubilatur multitudine scandalorum, sed tunc* (NB) *etiam in suis firmissimis eminet, &c.* ubi dicit, ideo fideles Christi comparari stellis cæli & arenæ maris Gen. 22. quod sicut arena maris subinde fluctibus obscuratur, tamen stellæ cæli fulgidæ manent. Et paulò post dicit: *Tale tunc erat tempus, de quo Hilarius scripsit, unde putasti insidiendum contra tot divina testimonia, tanquam perierit Ecclesia de toto terrarum orbe, &c. Quis enim nescit illo tempore* (scilicet in Concilio Ariminensi) *obscuris verbis multos parui sensûs fuisse delusos, ut putarent hoc credi ab Arianis, quod etiam ipsi credebant, alios autem timore cessisse, &c. Quanquam & illi qui tunc firmissimi fuerunt* (scilicet Athanasius, Julius & alii plures Episcopi) *& verba hæreticorum insidiosa intelligere potuerunt, pauci quidem in comparatione cæterorum, sed tamen etiam ipsi quidam pro Fide fortiter exulabant, &c.* Et infrà: *Ac sic Ecclesia, quæ per omnes gentes crescit in frumentis dominicis conservata est, & usque in finem, donec omnino gentes omnes etiam barbaras teneat, conservabitur.* Et paulò post: *Hilarius ergo decem provinciarum Asiaticarum zizania, non triticum arguebat.* Vbi indicat, quòd aliæ Catholicæ provinciæ non defecerint, licèt Hilarius generaliter videatur loqui, unde subjungit. *Habent enim etiam scripturæ canonicæ hunc arguendi morem, ut tanquam omnibus dicatur, & ad quosdam verbum perveniat.* Et infrà: *Totus mundus in maligno positus est.* 1. Joann. 5. *Propter zizania quæ sunt per totum mundum, &c.* hæc August.

Vbi prolixè redarguit Vincentium, quod ex verbis Hilarii, quæ in bonum sensum explicanda sunt, contra manifestissima S. scripturæ testimonia probare intenderit, quasi Ecclesia toto orbe perire potuerit, & apud solos Donatistas vel Rogatistas permanere, *&c.* quod similiter Acatholicos confutat.

IV. Tertiò objiciunt S. Hieronymum, qui in Dialogo contra Luciferianos sic dicit: *Ingemuit totus orbis, & se Arianum esse miratus est, &c.* unde inferunt: Ergo tunc Ecclesia per totum orbem defecerat.

Respondetur Hieronymum ibi loqui de Episcopis, qui in Concilio Ariminensi convenerant, de quibus etiam Hilarius suprà, ubi obscuris verbis Ariani persuaserant pluribus Episcopis Catholicis præsentibus, quòd ipsi idem sentirent cum Catholicis, & sic ad subscriptionem illos induxerunt, qui tamen intelligentes, quòd Ariani in falso sensu explicarent, & veritatem Homousion tollerent, statim reclamarunt, *&c.* & propter hos Episcopos, ut dicit Augustinus, delusos ex diversis orbis partibus congregatos Hieronymus dicit, quòd totus orbis ingemuerit, & se Arianum esse miratus sit, id est, se ex deceptione aliorum contra propriam mentem Arianos visos esse, qui tamen verè Arianis non consentiebant, sed præter hos erant plures Episcopi Catholici, qui

qui constantes permanserunt, ut Augustinus suprà dicit, & constat ex historiis, sic ergo Hieronymus dicit, *totus orbis*, sicut dicitur 1. Joann. 5. v. 19. *Totus mundus in maligno positus est*: cùm tamen Apostoli & Christiani plurimi tunc, quando S. Joannes illa verba scribebat, in mundo sancti essent. Nihil ergo contra tam clara S. scripturæ testimonia locuti sunt isti duo Patres, sed & ipsi Ecclesiam non obstantibus talibus zizaniis & persecutionibus manifestam semper futuram docuerunt, ut patet ex testimoniis ipsorum suprà allatis.

V. Demum, ne Acatholici sub falso prætextu dicant, quòd omnia hæc vera sint de Ecclesia Christi usque ad tempora Antichristi, quem impiè volunt esse Romanos Pontifices per mille annos regnantes, de hoc clarissimè confunduntur ex verbis Christi, quòd usque ad finem sæculi sit manifesta futura. Et D. Augustinus specialiter de tempore veri Antichristi in fine mundi lib. 20. de Civit. Dei. cap. 8. circa illa verba Apoc. 20. de solutione diaboli brevi tempore sic ait: *Non ad seducendam Ecclesiam quæsiuit ex quo est instituta, sic fuit & erit omni tempore in suis utique qui succedunt nascendo morientibus, &c.* Et infrà: *Ne quis existimet eo pauco tempore, quo soluitur diabolus, in hac terra Ecclesiam non futuram, &c.* Et infrà: *Credendum est nec qui cadant de Ecclesia, nec qui accedunt ad Ecclesiam illo tempore defuturos, &c.* hæc ille, ubi patet quod loquitur de Ecclesia manifesta, ad quam alii accedant per prædicationem, &c. Quæ cùm tunc in illo extremo tempore futura sit, quantò magis per mille & centenos annos antecedentes diem judicii.

CONCLVSIO.

VI. HActenus itaque demonstratum est ex clarissimis sacræ scripturæ testimoniis, quòd illa unica & vera sit Christi Ecclesia, quæ secundùm promissionem Dei in veteri & novo testamento à tempore Apostolorum diffundenda erat per omnes gentes, & cresceret indefectibiliter usque ad finem sæculi, quæ velut civitas in monte posita abscondi nunquam possit, sed manifesta permansura, ad quam salvari cupientes accedere possint & teneantur, quod *sanctus Augustinus* notissimum Ecclesiæ veræ signum esse asserit, ut nullo modo possit esse vera Ecclesia Christi, quæ talis per omnes gentes à tempore Apostolorum manifesta non fuerit, ac proinde dicit, quòd ex illis sacræ scripturæ locis videndum sit, quænam sit vera Ecclesia, & ubi sit, & ex illis concludit, Donatistarum non esse veram Ecclesiam, similiter an hoc tempore vera Ecclesia sit Ecclesia Romana, an verò Lutheri vel Calvini, sectatorum vel aliorum hoc tempore prætensæ Ecclesiæ facilè juxta præmissa discerni posset, de quo infrà agetur, jam solùm ostensum est in generali, quòd Ecclesia vera talis esse debeat. Nunc ostendendum est, quòd Ecclesia vera universalis in doctrina fidei & morum juxta promissiones errare non possit. Antitheses tamen ex præmissis præmittentur.

ANTITHESES

Veritatis doctrinæ modernæ Catholicæ Ecclesiæ cum primitiva concordantis; & falsitatis Acatholicorum dissidentis circa unitatem & visibilitatem veræ Ecclesiæ Christi.

PRimò, *sancti Patres juxta sacram scripturam docuerunt*, quòd unica sit Christi vera per totum orbem diffusa Ecclesia, complectens fideles bonos & malos, sicut sagena missa in mare bonos & malos pisces, &c. *Ita etiam docet Ecclesia Catholica Romana moderna.* I.

Acatholici volunt esse duplicem Ecclesiam: unam internam Electorum tantum, alteram externam, quæ complectatur bonos & malos.

Secundo, *sancti Patres docuerunt juxta sacram scripturam*, quòd Ecclesia Christi vera à tempore Apostolorum usque ad finem mundi sine interruptione & indefectibiliter sit permansura. *Ita etiam docet Ecclesia Romana Catholica moderna.*

Acatholici hoc fateri debent, sed contra S. scripturam & SS. Patres de visibili & invisibili distinguunt.

Tertio, *sancti Patres juxta sacram scripturam docuerunt* Ecclesiam Christi veram non qualitercunque permansuram, sed à tempore Apostolorum propagandam in omnes gentes, nec in gentibus defecturam sed profecturam, donec per omnes gentes Euangelium fuerit prædicatum usque ad finem sæculi. *Ita etiam docet Ecclesia Rom. Cathol. moderna.* II.

Donatistæ olim volebant, quòd Ecclesia Christi tempore Apostolorum per gentes fuisset promulgata, sed postea in aliis defecerit, & in sola Africa occulta remansisset.

Acatholici Donatistarum sectatores volunt, quòd ultra mille annos in plerisque gentibus Ecclesia defecerit, & apud paucos occultos, quos tamen ostendere non possunt, remanserit.

Quarto, *sancti Patres docuerunt juxta S. scripturam*, quòd Ecclesia semper permansura sit ita visibilis & manifesta per orbem terrarum, ut plerisque constare possit, ubi fideles existant, qui fidem profiteantur, & Pastores qui illam doceant, & fideles regant, sicut civitas in monte & lucerna super candelabrum posita. *Ita etiam Ecclesia Cathol. Rom. moderna.*

Acatholici cum Luthero & Calvino volunt, quòd Ecclesia Christi vera aliquando imo ultra mille annos ita fuerit occulta, ut soli Deo fuerit nota, nec ab hominibus demonstrari potuerit.

Quinto, *sancti Patres secundùm S. scripturam docuerunt*, quòd, sicut ex S. scriptura Christum manifestum accepimus, ita etiam ex eadem accepimus Ecclesiam manifestam per omnes gentes permansuram. *Ita & Ecclesia Cathol. Rom. moderna.* III.

Acatholici negant Ecclesiam sic semper manifestam.

Sexto, *Sancti Patres juxta S. scripturam docuerunt*, quòd extra Ecclesiam Christi veram non sit salus: vel quòd nullus salvari possit, nisi sit vel desideret esse in communione Ecclesiæ Christi veræ. *Ita etiam docet Ecclesia Rom. Cathol.*

Digitized by Google

Acatholici Libertini volunt quemlibet salvari posse, qui in Christum credit, licèt in nullius Ecclesiæ communione existat.

Lutherani & Calvini sectatores hoc quidem negant, sed Libertinis occasionem dederunt docendo, quòd quilibet juxta instinctum proprium invocato Spiritu Sancto S. scripturam intelligere possit, & illum instinctum sequi, &c.

IV. Septimò *SS. Patres docuerunt*, quod quilibet salvari cupiens teneatur inquirere veram Christi Ecclesiam & illi incorporari, ejúsque communioni in fide & usu Sacramentorum participare. *Ita etiam Ecclesia Romana Catholica moderna.*

Acatholici hoc ipsum etiam docent, sed sibi contradicunt, dum volunt, quod Ecclesia vera Christi non solùm ad modicum, sed pluribus sæculis possit esse & fuerit ita occulta, ut soli Deo fuerit nota; quomodo ergo huic aliqui sese aggregare potuissent?

CAPUT IV.

De inerrabilitate veræ Christi Ecclesiæ.

ARTICULUS I.

Referuntur asserta Auctorum anonymorum trium libellorum in hac materia.

I. Sciendum, quod nobilis Anglus inter alios articulos à se probandos, hunc primum promiserat, scilicet; *quod Ecclesia Christi visibilis universalis in doctrina Fidei errare possit.*

Auctor primi libelli sic procedit dicens: *Quod ad particulares instructiones prima est de Ecclesiæ errabilitate, de hac scribit Vincentius Lyrinensis contra hæreses cap. 4. Quid si novella aliqua contagio non jam particulam tantùm, sed totam pariter Ecclesiam commaculare conetur? tunc providebit, ut antiquitati inhæreat, &c.* hæc Vincent.

Anonymus ex his infert dicens: *Hic agnoscit Ecclesiam posse totam commaculari sive errare; & remedium præscribit, quo usi sunt nostri Reformatores. De actu universalis erroris scribit idem Vincentius cap. 6 sic: Arianorum venenum non jam particulam quandam, sed pene orbem totum commacularat*, &c. *In qua verba commentatur Iesuita Costerus sic: Hujus impietatis tam incredibilis fuit successus, ut omnes ferè Romani Imperii Ecclesias hac lues pervaserit*, &c. postea Anonymus addit: *Nec ab hac lue liber fuit Liberius Episcopus Romanus teste Platina & aliis. Adde aliud exemplum. Concilium Constantiense Anno 1415. vel Ferrariense Anno 1436. erravit. Pontificii utrumque universale fuisse tuentur; sed priùs decrevit Concilii auctoritatem esse supra Papam. Posteriùs decrevit Papæ auctoritatem esse supra Concilium. Elige, utrum vis, & ex electione sequetur Ecclesiam universalem visibilem non tantùm posse errare, sed & erravisse.* Hæc ille Anonymus ad probandam ex sanctis Patribus Ecclesiæ errabilitatem, unde patet quod velit absolutè Ecclesiam universalem errare posse.

II. Auctor tertii libelli sic ait: *Vult sibi probari creditum doctumque fuisse primis quatuor sæculis, quod Ecclesia Christi universalis visibilis in doctrina Fidei errare possit. Respondeo: Ecclesia Christi habet suum materiale & formale. Materiale sunt homines electi, qui videntur quatenus homines, sed quod sint electi, ipsi norunt, qui sunt verè Fideles, & Deus novit qui sunt sui 1. Cor. 2. v. 11. Formale Ecclesiæ Catholicæ est internum & externum. Externum ut est regimen Ecclesiæ sicut & nota ejus externa propiùs ad sensum accedit. At forma interna, ut est unio membrorum Ecclesiæ arctissima cum Christo mediante Spiritu, si facta etiam immediatè non sentitur, sed mediantibus notis, hoc est sinceritate doctrinæ & Sacramentorum, itemque sanctitate disciplinæ vel vitæ. Quæritur verò, an Catholica ista Ecclesia errare queat in Fide, & ab ea deficere? Respondent Reformati, nequaquam, nam quæstionis istius sensum hunc ponunt: an omnes simul electi, dum sunt membra Ecclesiæ militantis, possint errare, vel in tota Fide, vel in gravi aliquo Fidei puncto? Et respondent Reformati simpliciter id esse ἀδύνατον, impossibile, eo quod forma Ecclesiæ interna sit perpetua, igitur Tuæ Paternitati incumbit, ut probes Reformatos primam tuam Thesin asserere; at hoc nunquam probaveris*, &c. hæc Anonymus.

Ubi notet sincerus Lector, qualiter hic auctor forum declinet, & falsa asserat: Primo, quòd soli electi sint materiale Ecclesiæ, adeóq; illi soli spectent ad Ecclesiam, quod falsum esse suprà ostensum est. Secundo, quòd ipsi electi norint se tales esse, quod falsum est contra scripturam. Tertio falsum, quòd electi se mutuò cognoscant electos esse, licèt enim aliquis suam electionem cognosceret, quod in corde credat, & verè Deo gratus sit, quod tamen falsum est, nullo modo alios electos esse cognoscere potest, cum aliorum cor scrutari non possit. III.

Quarto notetur, qualiter neget suos illam propositionem asserere, cùm certum sit; quòd prætensi Reformati velint Ecclesiam in aliquibus fidei articulis errare posse, ut ipse indicat cùm dicit: *quod in tota Fide vel in gravi puncto errare non possit*; bene tamen ut alii exprimunt in minus gravi, ut infrà patebit. Idem satis indicat quòd Ecclesia universalis visibilis errare possit, sed negat de universali invisibili electorum, cùm dicit; quòd forma Ecclesiæ interna sit perpetua, & de hac tamen concedit etiam quòd in minùs gravi articulo errare possit. Hoc autem ipsi ex S. scriptura & SS. Patribus probandum erat, sed nihil prorsus allegat; verùm statim declinat ad impugnandam Ecclesiam Romanam, de quo in sequentibus dicetur.

Auctor 2. libelli sic procedit: *Petis ergo, ut ex Patribus ostendamus quod Ecclesia Christi universalis visibilis in doctrina Fidei errare possit, sed quo jure? ubi illam sic simpliciter affirmatam à nobis legisti? ego saltem nullibi illam quæstionem tam ruditer propositam sine ulla distinctione affirmatam offendi*, &c. *Imo contrarium nostri docent, dum Ecclesiam universalem visibilem non posse deficere asserunt*, &c. *Dum autem nostri docent Ecclesiam universalem non posse deficere,* IV.

Digitized by Google

cere, unà docent eam non poſſe errare in doctrina Fidei, ſano ſenſu, (NB) *ſi enim Eccleſia erraret pertinaciter in fundamentalibus, fieret hæretica, deſineret eſſe ſponſa Chriſti, deficeret. Procul ergo à nobis eſt quæſtionis propoſitæ affirmatiuam ſine ulla diſtinctione tueri; Si tamen de fallibilitate & infallibilitate Eccleſiæ inſtituatur diſputatio, noſtri multifariam diſtinguere ſolent, ut apud Cameronem* in prælect. de Eccl. p. 28. *videre eſt, ex cujus diſtinctionibus apparet quæſtionem inter nos & vos non eſſe, an vera Dei Eccleſia ſubjectivè & objectiuè habeat veram Fidem non tantùm conſiderata in Epiſcopis repræſentantibus, ſed etiam in omnibus & ſingulis Fidelibus poſſit errare pertinaciter in fundamento Fidei, & re ad ſalutem neceſſaria? Hoc enim nos negamus; ſed ſtatus controuerſiæ eſt, an ea Eccleſia, quæ hominum multorum judicio habetur pro Eccleſia, poſſit errare dicto modo? Et hoc eſt, quod & quidem tantùm à nobis aſſeritur,* &c. *Cùm ergo ex auctoribus noſtris manifeſtum ſit quæſtionis ſic à te ſimpliciter propoſitæ affirmatiuam noſtram non eſſe, nec etiam nobis neceſſe conſenſum Patrum oſtendere, niſi primo vos explicaueritis an velitis ex Patribus oſtendi.*

V. *Primo, an Eccleſia reuera talis errare poſſit?*

Secundo, an Eccleſia, quæ à multis pro tali habetur errare poſſit dicto modo?

Tertio, an Eccleſia Romana poſſit errare dicto modo?

A prima, quam nos non affirmamus, abſtinemus. ſecundam & tertiam affirmatam expreſſis locis rationibus ſcripturariis probabimus, vel potius ab infinitis jam probatam oſtendemus, & poſt accuratum Patrum ſcrutinium eos non diſſentire patebit, &c. hæc ille.

Videat candidus Lector, qualiter & hic Anonymus veritatis lucem declinet & falſa proponat, primò cùm negat ullum ex ſuis illam propoſitionem ſimpliciter aſſerere, cùm tamen auctor primi libelli illam abſolutè aſſerat, ut viſum eſt, & probatam putat per auctoritatem Vincentii, quòd tota Eccleſia hæreſi Arianâ infecta fuerit; quod ſi verum eſſet, utique Eccleſia planè defeciſſet etiam in fundamento fidei quoad articulum SS. Trinitatis ſeu conſubſtantialitatis in divinis, *&c.*

VI. Secundò manifeſtè falſum eſt, quòd neget inter nos & ipſos quæſtionem eſſe de vera Dei Eccleſia, ſed tantùm de illa quæ putatur talis, & de Eccleſia Romana. Certè falſiſſimum eſt, quod nos Eccleſiam putatam aſſerimus non poſſe errare, ſed de Eccleſia Romana infrà patebit veritas. Interim illius erat quòd Eccleſia revera talis errare poſſit, de qua eſt quæſtio & hanc ſubterfugit, vel ad minus probare quòd Eccleſia Rom. errare poſſet, vel ſaltèm SS. Patres ad hoc allegare. Non ſatis eſt dicere id ab infinitis eſſe factum, ſed dum dicit, oſtendemus & poſt accuratum Patrum ſcrutinium eos non diſſentire patebit, ſatis inſinuat SS. Patres non aſſerere Eccleſiam Romanam errare poſſe, ſed potiùs contrarium quod ipſe poſt ſcrutinium diligens vult oſtendere, non ita ſenſiſſe; ſed veritas infrà patebit, & conſtabit, quod in ipſo impleatur quod dictum eſt pſ. 63. v. 7. *Scrutati ſunt iniquitates, defecerunt ſcrutantes ſcrutinio,* &c.

ARTICVLVS II.

Proponitur ſtatus quæſtionis, & quid Acatholici & Catholici aſſerant.

Calvinus ut more ſuo veritatem effugiat, ad mendacia vel fraudes ſolet converti, ita & in propoſita quæſtione: quia videbat turpè eſſe contra S. ſcripturam & SS. Patres abſolutè aſſerere, quod Eccleſia poſſit errare, dicit lib. 4. Inſt. cap. 8. §. 13. *Nos, ſi demus illud primum, errare non poſſe Eccleſiam in rebus ad ſalutem neceſſariis, hic ſenſus noſter eſt, ideo hoc eſſe, quod abdicata omni ſuâ ſapientiâ, à Spiritu Sancto doceri ſe per verbum Dei patitur. Hoc igitur eſt diſcrimen: Illi* (Catholici) *Eccleſiæ auctoritatem extra verbum Dei collocant; nos autem volumus verbo annexam, nec ab eo ſeparari patimur, &c.* Et infrà: *Vetuit* (Dominus) *ne quid verbo ſuo adderet, ne quid ex eo detraheret, &c.* hæc ille. Vbi tria aſſerit: I.

Primùm Eccleſiam habere Dei promiſſionem, quod non erret, ſed limitat ad ſola neceſſaria, ac proinde in aliis non neceſſariis errori relinquitur, ut dicit § 12.

Secundum, quod Eccleſia non erret, ſi proponat fideliter verbum Dei, quod ipſe vult eſſe ſolam ſcripturam.

Tertium affingit Catholicis, quod ipſi tribuant Eccleſiæ auctoritatem condendi novos articulos fidei, ſive ſint contra, ſive præter ſcripturam. Sic enim ait ibid. de Conciliis §. 10. *Fidem igitur noſtram ſuo arbitrio ſtare volunt & cadere, ut quicquid ipſi utramq; in partem conſtituerint, firmum animis noſtris ſtatumque ſit, &c.* Et infrà: *Interim ſuâ libidine contemptoque Dei verbo cudunt dogmata,* hæc ille. Vbi impudentiſſimè in Epiſcopos Eccleſiæ Catholicæ debacchatur.

Idem Calvinus ibid. cap. 1. §. 10. tam honorificè loquitur de Eccleſia univerſali, ut putares illum abſolutè docere ex S. ſcriptura, quod Eccleſia Dei errare non poſſit, cùm dicit: *Tanti Eccleſiæ ſuæ communionem facit Dominus,* &c. *ſic ejus auctoritatem commendat, ut dum illa violatur, ſuam ipſius imminutam cenſeat. Neque enim parui momenti eſt, quod vocatur columna & firmamentum veritatis, & domus Dei, &c.* quæ verba contra veritatem ſtrictiùs explicat dicens: *Quibus verbis ſignificat Paulus, ne intercidat veritas Dei in mundo, Eccleſiam eſſe fidam ejus cuſtodem: quia ejus miniſterio & operâ voluit Deus puram verbi ſui prædicationem conſeruari, &c.* Et infrà: *Non vulgaris etiam laus, quod electa ſegregataque dicitur à Chriſto in ſponſam, quæ eſſet ſine ruga & macula corpus & plenitudo ejus, &c.* hæc Calv. ibid. II.

Sed hæc loca S. ſcripturæ ſine & contra S. ſcripturam ſuâ auctoritate limitat infrà cap. 8. §. 12. dicitque hæc loca S. ſcripturæ ſtare cum hoc, quod adhuc ſint nævi in Eccleſia; ſi id de moribus & peccatis fidelium intelligatur, verum eſt, quòd fruſtra ibidem impugnat, ſed ipſe vult, quòd id etiam intelligatur in doctrina, quòd Eccleſia in minùs, ut vult, neceſſariis errare poſſit, & erret.

Quoad *Concilia* Calvinus cap. 9. §. 10. ſic pro ſua auctoritate procedit dicens: *Nunc, ut omnia illis de Eccleſia concedam: pro ſua tamen intentione ne ſic quidem multum adhuc profecerint. Nam quicquid de Eccleſia dicitur, id mox ad Concilia transferunt, quum eorum opinione Eccleſiam repræſentent, &c.* Vbi vult diſtinguere inter Concilia generalia anti- III.

Digitized by Google

qua & moderna, & hæc absolutè damnat, nec tamen illis concedit aliter veritatem, quàm etiam si duo vel tres fuerint in nomine Christi congregati, ita §. 2. & §. 8. dicit definitiones Conciliorum etiam antiquorum ad scripturæ amussim à quolibet examinandas, adeóque singulorum judicio subjiciendas, *&c.*

Calvinum sequuntur sui, ut *protestantes in synopsi purioris Theologiæ* disput. 5. thesi 39. ubi dicunt: *Monemus Deum per spiritum & verbum suum ita perpetuò adesse Ecclesiæ suæ, quæ est domus ejus, ut nec ipsa, nec viva ejus membra in fundamentis saltem Fidei & morum necessariis ad perniciem suam errent, aliàs enim* (NB) *Ecclesia vera Christi esse desineret contra Christi promissionem* Matt. 16. portæ inferi non prævalebunt adversus eam, *&c.* hæc ibi. Vbi patet, quòd supponat Ecclesiam veram in minus necessariis errare posse.

IV. Similiter Acatholici asserunt Concilia generalia posse errare. Ita *Confessio Anglica* posterior art. 21. Scotica art. 20.

Doctrina Catholica hæc tradit: Primò, quòd Ecclesia universalis Christi visibilis vera simpliciter & absolutè non possit errare in articulis fidei qualibuscunque, sive articuli sint cuilibet fideli in particulari scitu necessarii sive non, idque ex promissione Christi & assistentia Spiritûs Sancti.

Secundo cùm Catholici Doctores dicāt, quòd Ecclesia tota in generalibus Conciliis repræsentetur, quicquid Acatholici circa hoc cavillentur; nihil aliud intendunt, quàm quod penes Concilium generale sit ultimatum judicium in quæstionibus fidei, cui fideles ut oves acquiescere teneantur.

Tertiò docet Ecclesia Catholica Concilia generalia legitimè congregata non posse errare in docendo & tradendo articulos fidei qualescunque.

V. Quartò, quòd Concilia generalia nunquam docere possint aliquid esse de fide, quod sit contra verbum Dei scriptum, aut aliquem articulum verbi scripti tollere, vel etiam novos articulos fidei pro suo placito condere, sed articulos fidei ex verbo Dei tam scripto quàm tradito infallibiliter discernere à falsis, declarare & proponere. Quòd enim fides Catholica nitatur soli verbo Dei tam scripto quàm non scripto, ex Concilio Trid. Et quòd detur verum Dei verbum traditum suprà lib. 2. tam ex S. scriptura quàm ex SS. Patribus ostensum est, ut & ex Acatholicorum confessione.

Vnde patet turpissima Calvini contra Ecclesiam Catholicam calumnia, dum ipsi affingit, quod articulos fidei ad arbitrium assignet etiam contra verbum Dei, *&c.* Quòd autem ipse verbum Dei traditum ut fictitium rejicit, insignis blasphemia est.

VI. Sepositis igitur calumniis, mendaciis & fraudibus Acatholicorum quæstio realis in hoc cardine versatur: An Ecclesia Christi vera universalis & visibilis comprehendens bonos & malos per orbem terrarum diffusa absolutè & simpliciter in ullo qualicunque articulo fidei errare possit?

Hoc Catholici universaliter & absolutè negant.

Etsi autem Calvinus & Protestantes suprà tergiversentur distinguentes de articulis necessariis fundamentalibus & non fundamentalibus, prout etiam duo Anonymi tergiversari volunt; certum tamen est, quòd absolutè & simpliciter istam affirmativam teneant, scilicet *Ecclesia universalis absolutè & simpliciter errare potest.* Nam particularis affirmativa absolutè & contradictoriè universali negativæ opponitur, quam Catholici tenent. Manifestè igitur falsò dicunt Anonymi, quòd non sit controversia inter nos & illos quoad Ecclesiam Christi veram. Nam clarum est quòd Catholici doceant hanc universalem negativam: *Ecclesia Christi vera in nullo qualicunque Fidei articulo errare potest.* Illi verò volunt quòd in aliquibus fidei articulis scilicet non fundamentalibus errare possit. Quis autem non videt hæc esse contradictoria? unde Crocius tom. 1. controv. 3. sect. 12. num. 30. absolutè fatetur hanc esse controversiam: *An Ecclesia vera visibilis errare possit.* Videat ergo Anonymus tertii libelli, quòd absolutè & ruditer legatur tam apud Catholicos quàm Acatholicos hæc quæstio, & quòd in hoc controversia sit, ipse autem in veritate fateri debet, quòd ad minus de articulis fidei non fundamentalibus controversia sit.

ARTICVLVS III.

Quòd Ecclesia Christi vera universalis visibilis simpliciter & absolutè non possit errare in ullo qualicunque fidei articulo, probatur ex S. scriptura.

Primò ex illo 1. ad Tim. 3. v. 15. *Quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis, &c.* Quòd hîc agatur de Ecclesia visibili, patet ex textu, cùm dicat Apostolus: *Vt scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari quæ est Ecclesia, &c.* Quomodo sciret se in Ecclesia invisibili & ignota conversari? Et sic intellexerunt sancti Patres; & hoc fatetur Calvinus de Ecclesia universali visibili intelligi lib. 4. Instit. cap. 1. §. 10. cujus verba suprà relata sunt. Secundò, quòd hæc non intelligantur de aliqua Ecclesia particulari constat; nam omnes fatentur aliquam particularem non tantùm in aliquo articulo errare, sed etiam planè à fide in necessariis deficere posse. Proinde de universali intelligendum est: unde sic clarè infertur: Si Ecclesia sit columna & firmamentum veritatis, non potest Ecclesia à veritate deficere, nec veritas ab ipsa ut patet, hîc autem agi de veritate fidei manifestum est, nec determinatur ad veritatem fidei cuilibet particulari scitu necessariam, sed universaliter dicitur, ac proinde patet, quod Ecclesia à nulla fidei veritate deficere possit; vel ostendant adversarii, ubi scriptura limitet ad articulos necessarios, & excludat non necessarios, alioquin juxta sua principia maledicti sunt, qui addunt ad scripturam. I.

Nec subsistit responsio Calvini lib. 4. Instit. cap. 8. §. 12. ubi dicit: *Quid aliud volunt sibi hæc verba* (Pauli) *quàm in Ecclesia conservari Dei veritatem prædicationis scilicet ministerio? &c.* Vbi vult, quod Dei veritas sit solum verbum Dei scriptum, & illud solum conservetur ab Ecclesia, unde §. 13. vult Catholicos pro arbitrio quidlibet pro fidei articulo obtrudere, quod falsū est.

Sed

Sed contra 1. Quia Apoſtolus non dicit, quod Eccleſia ſit cuſtos literarum & verborum in S. ſcriptura expreſſorum, ut patet, quia ſic in ferrea arca meliùs cuſtodiretur verbum Dei, ſed dicit quod ſit firmamentum veritatis. Veritas autem eſt verus ſenſus & intellectus verborum S. ſcripturæ, qui in S. ſcriptura expreſsè non diſtinguitur à ſenſu falſo quomodo ab Hæreticis intelliguntur. Ac proinde cum Eccleſia ſit firma columna veritatis, neceſſe eſt, quod in nulla veritate deficere poſſit, quæ proinde ſecurè ab Eccleſia expectari poteſt; quod verum non eſſet, ſi in aliquibus licet non neceſſariis deficere poſſit, præſertim quia Acatholici uſque modo non potuerunt aſſignare, qui ſint articuli fundamentales & non fundamentales; ſubinde enim aliqui vocant aliquos fundamentales, quos aliqui negant, & ſic nunquam fideles forent ſecuri de veritate cujuſcunque articuli fidei, quod eſt contra ipſa Apoſtoli verba & ſalutem fidelium.

Ruſus, cùm Apoſtolus illam epiſtolam ſcribebat, nondum erat integra ſcriptura ſcripta, cur ergo de ſolo ſcripto Dei verbo intelligentur?

II. 2. Eccleſia Chriſti erat vera antequam Apoſtolus illam epiſtolam ſcribebat, imò antequam ullus novi Teſtamenti liber ſcriptus eſt, & tunc Eccleſia erat columna veritatis, ſcilicet verbi Dei non ſcripti, ac proinde abſolutè eſt columna omnis veritatis fidei tam ſcriptæ, quàm non ſcriptæ.

3. Certum eſt, quod plura ſint de fide credenda, quæ tamen non ſunt cuilibet particulari ſcitu neceſſaria, nam multi ſalvari poſſunt, licèt in particulari non ſciant plurima, quæ tam in veteri, quàm novo Teſtamento ſcripta ſunt, ac proinde ex Calvini opinione ſequitur quod Eccleſia errare poſſit in tradendis ſacris ſcripturis cuilibet ad ſalutem ſcitu non neceſſariis, quod falſiſſimum eſt.

III. Probatur 2. ex illo Matth. 16. v. 18. *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*; hîc intelligi Eccleſiam univerſalem viſibilem Chriſti etiam ipſi Acatholici fateri debent; ſed ſi Eccleſia in quibuſdam etiam cuilibet ſcitu non neceſſariis errare poſſet, portæ inferi in tantum prævalerent; at Chriſtus abſolutè negat hoc de univerſali Eccleſia. Vnde ergo Acatholici ſuam diſtinctionem contra ipſorum principia verbis ſcripturæ addunt?

IV. Probatur 3. ex illo ad Epheſ. 5. v. 25. *Chriſtus dilexit Eccleſi m, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam aut rugam, &c.* Hîc Apoſtolum loqui de Eccleſia univerſali & viſibili patet. Si autem Chriſtus ſanctificavit Eccleſiam, ut non habeat maculam aut rugam, ergo Eccleſia etiam in minimis fidei articulis errare nequit, alioquin non eſſet planè ſancta & ſine ruga.

Nec obſtat, quod Calvinus ſuprà reſpondet ibid. dicens: *Si Chriſtus omnes ſuos indies ſanctificat, expurgat, expolit, maculas abſtergit, certè adhuc nævis ac rugis quibuſdam aſperſos eſſe conſtat, &c.* Et paulo ſupra: *Nec ideo ullâ ex parte deſtituitur Eccleſia, quin ſemper habeat, quantum ſatis ſit, novit enim Dominus, quid neceſſitas eius requirit, &c.* hæc ille.

V Contrà: Certum eſt, quod Apoſtolus ibi loquatur de moderna Eccleſia Chriſti in hac vita. Certum etiam eſt quod omnes & ſinguli fideles adhuc obnoxii ſint quibuſdam maculis peccatorum juxta illud 1. Joann. v. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, &c.* Et ſic Eccleſia militans non eſt ſine macula: Si autem etiam omnes & ſinguli fideles poſſint errare in articulis fidei, nullo modo Eccleſiam Chriſtus ſanctificaſſet, ut ſit ſine macula, quia non eſt alius modus, quo Eccleſia militans ſit ſine macula. Et ideo in ſymbolo confitemur & credimus *Eccleſiam ſanctam, quia eſt ſine omni macula erroris*, quales nullæ aliæ Eccleſiæ ſunt. Videat ergo Calvinus ut dum dicit ibid. *fabuloſum hoc eſſe*, quomodo non condemnat verba Apoſtoli: dicimus ideò quod Chriſtus quotidie expurget fideles à peccatis, quibus quotidie obnoxii redduntur, ſed non expurgat Eccleſiam ab erroribus, quibus quotidie involvatur, ſed illam ſanctam ab erroribus præſervat juxta promiſſionem ſuam & hoc neceſſitas requirit, niſi enim de hoc fideles certi eſſent, non forent ſecuri in fide, & ſemper nutarent, præſertim, quia juxta ipſoſmet Acatholicos incertum eſt, quinam ſint articuli fidei fundamentales, in quibus volunt Eccleſiam errare non poſſe; & qui non fundamentales, in quibus errare poſſit; ſub hoc enim prætextu quilibet contra quemlibet articulum excipere poſſet, quod non ſit fundamentalis, adeòque non teneretur Eccleſiam audire contra verbum Chriſti Matt. 18. v. 17. *Dic Eccleſiæ, quod ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.*

Ruſus probatur Matt. 28. v. 20. Chriſtus VI.
promittit dicens: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi, &c.* Quomodo Chriſtus veritas manet cum Eccleſia, ſi in erroribus hæreret? cùm ideo SS. Patres dicant Chriſtum manere cum illa, ut ab erroribus præſervet.

Demum id patet ex illo Joann. 14. v. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum*, & v. 26. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunq; dixero vobis.* Et iterum Joann. 16. v. 13. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, &c.

Acatholici cum Calvino fatentur Chriſtum VII.
Matt. 28. & Joann. 14. ac 16. locis allegatis Eccleſiæ viſibili promiſiſſe infallibilem aſſiſtentiam in fide, ne in veritate erret, ipſi autem limitant hanc aſſiſtentiam ad articulos fundamentales, ſed Chriſtus non limitat, ſed dicit abſolutè quòd velit eſſe cum Eccleſia, & quòd Spiritus Sanctus docebit omnem veritatem. Vbi ipſi in ſcriptura legunt illam diſtinctionem & limitationem? Quomodo illa cohærent, Chriſtus dicit *omnem veritatem*, ipſi dicunt *aliquam tantum veritatem docebit & non omnem*? Admitti quidem poſſet quod Spiritus Sanctus non omnem omnino veritatem docebit Eccleſiam, quæ in hoc ſeculo non manifeſtatur, ſicut Apoſtolus dicebat 2. Cor. 12. v. 14. quod audierit *arcana verba, quæ non licet homini loqui, &c.* Et ideo talia poſſunt occultari & Eccleſiæ ignorari eſſe. Sed Chriſtus non dixit abſolutè omnem omnino veritatem, ſed quam ipſe Eccleſiam docturus erat, ideo dixit: *ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.*

Atqui inter illa, quæ Christus dixit Ecclesiæ & manifestavit per se, & Apostolos, non solùm sunt articuli simpliciter singulis necessarii & fundamentales fidei, sed etiam alii minus necessarii, & de his omnibus non est in scriptura distinctio, sed absolutè pronuntiatur, quod omnia quæ Christus manifestavit, Spiritus Sanctus suggeret Ecclesiæ, & in his diriget Ecclesiam, ut in illis non erret, adeoque tam de necessariis quam non necessariis intelligenda sunt. Quamvis autem hæc ex S. scriptura allata testimonia pro doctrina Catholica per se clarissima sint, tamen etiam hanc à SS. Patribus semper traditam ostendemus.

ARTICVLVS IV.

Eadem veritas ex SS. Patribus ostenditur.

I. *Cyprianus* lib. de unit. Ecclesiæ edit. Basil. 1543. sic ait: *Ecclesia Domini luce perfusa, per orbem suos radios porrigit.* Et infrà: *Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est & pudica*, &c.

Idem epist. ad Cornel. eâd. edit. *Ecclesia*, ait, *quæ Christum credit & quæ semel id, quod cognovit, tenet, nunquam ab eo omnino discedit, &c.* hæc ille. Quomodo hæc omnino vera, si in pluribus articulis fidei errare & discedere posset?

Idem in symbolo edit. cit. *Credere etiam hoc debent unam esse Ecclesiam sanctam, in qua una est fides.* Et infrà: *Ista ergo est sancta Ecclesia, non habens maculam aut rugam, multi enim & alias Ecclesias congregant, sed, &c.* hæc ibi.

Cyrillus Alexand. lib. 5. in Isai. cap. 54. edit. Basil. 1566. *Ædificat*, ait, *Ecclesiam & eam sartam tectamq; conseruat, ne nutet Christo protegente & concedente ut inconcussa & immota sit, aduersus hanc enim inquit, portæ inferi non prævalebunt, &c.* Hæc ille. Quomodo vero non nutaret & inconcussa erit, si in pluribus erret?

II. *Athanasius* Orat. quâ docet unum esse Christum edit. Paris. 1581. recitatis verbis domini Matt. 16. ait: *Fidelis sermo & non vacillans promissio & Ecclesia invicta est, etiamsi inferi ipsi commoveantur*, &c.

Eusebius Cæsariensis de præparat. Euangelica lib. 1. cap. 3 *Certum est igitur*, ait, *Salvatorem nostrum prædixisse doctrinam suam in testimonium omnium gentium per uniuersum terrarum orbem prædicatum iri, & Ecclesiam quæ postea virtute suâ constituta est, inuictam & inexpugnabilem fore, &c.* Et infrà: *Ecclesia radices egit, luce & fulgore orthodoxæ fidei splendet, neq; ipsis januis mortis cedit propter pauca verba, quæ ipse protulit, super lapidem ædificabo Ecclesiam*, &c.

Alexander Alexandrinus Epist. ad Alexand. Constantinop. sic ait: *Ecclesiam unam solam catholicam agnoscimus, quæ, sicut nunquam expugnari potest, sic omnem impiam hæreticorum incursionem euincit ac profligat*, &c.

Cyrillus Hierosol. Catech. 18. edit. Colon. 1564. *Catholica*, ait, *vocatur Ecclesia, quia per uniuersum orbem terrarum diffusa, & quia docet catholicè id est uniuersaliter, & sine defectu vel differentia omnia dogmata, &c.* Hæc ille Quid clarius contra Acatholicos, qui volunt Ecclesiam in multis dogmatibus adhuc defectuosam & maculatam?

Ambrosius lib. 2. in cap. 3. Lucæ, edit. Romanâ. 1580. ait: *Mater viuentium Ecclesia est.* Et infra: *Hæc autem diligitur à Christo, quasi sponsa gloriosa sancta* (NB.) *immaculata sine ruga, &c.* hæc ille.

III. *Chrysostomus* in demonstrat. quod Christus sit Deus: edit. Basil. 1558. Circa illa verba: *Super hanc Petram, &c.* Sic ait: *Examina, ut libet, quid hoc verbum sibi vult, & videbis perspicuam ejus veritatem. Nam non solum hoc est mirum quod ædificarit eam per totum mundum, sed quia inuictam fecit, licet tot bella insurgant, hoc enim est quod portæ inferi non prævalebunt aduersus eam, &c. Vidisti prædictionis veritatem, vidisti euentûs certitudinem & robur*, &c. Hæc ille.

Idem hom. 4. de verbis Isaiæ eâd. edit. cum pluribus ostendisset Ecclesiam expugnari non posse, tandem sic ait: *Ecclesia in cœlo radices fixas habet, potius quam in terra. Verum fortassis Ethnicus meam despicit arrogantiam sed maneat, donec harum rerum probationem attulero, discatq; vim veritatis, quomodo facilius est solem extinguere quam Ecclesiam obscurari* (NB) *Quis inquit ista prædicat: is qui eam fundauit, cœlum & terra transibunt verba autem mea non transibunt, &c.* Hæc ibi.

Hieronymus in cap. 3. ad Ephes. edit. Basil. 1553. *Ipsi itaq;*, ait, *Deo sit gloria, primum in Ecclesia, quæ est pura* (NB.) *non habens maculam neq; rugam, &c.* Quid ad hæc Calvinus?

Idem ad cap 60. Esai. eâd. edit. sic ait: *Ecclesiæ dicitur, surge illuminare ut quæ cecidit in synagoga, surgat in Ecclesia & postquam surrexerit illuminatur, ut nequaquam* (NB) *habeat errorum tenebras*, &c. Hæc ille.

IV. *Augustinus* de symb. ad catechum. lib. 4. cap. 13. explicans locum ad Ephes. 5. edit. Bas. 1528. sic ait: *Cognoscitur una sancta & vera Regina catholica, cui Christus tale regnum dedit, quod eam per totum mundum diffundens ab omni macula* (NB.) *& ruga mundans totam pulchram suo aduentu præparauit, &c.* Quid his clarius?

Idem in psalm. 101. illud psalmi *Fundauit terram super stabilitatem suam;* explicans, eâd. edit. sic ait de Ecclesia: *Ipsa est prædestinata columna & firmamentum veritatis* 1. Tim. 3 *Nutabit Ecclesia, si nutauerit fundamentum, non nutante Christo non inclinabitur, &c.* Hæc ibi.

Similiter loquitur lib. de unit. cap. 24. & alibi, ubi sine limitatione vel distinctione supponit Ecclesiam esse columnam veritatis, quæ nec nutari, nec inclinari possit, quod fieret, si pluribus erroribus obnoxia esset.

Idem lib. 5. ad Januar. cap. 5. sic ait: *Quid horum sit faciendum, si diuinæ scripturæ præscribit auctoritas, non est dubitandum. Similiter etiam si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia, nam & hinc quin ita faciendum sit disputare insolentissimæ insaniæ est, &c.* cur vult quod æquè minus dubitare liceat de his, quæ tota Ecclesia facit & docet, ac si ipsa scriptura dicat? quia utrinque à Spiritu Sancto veritas procedit & dirigitur.

V. Idem lib. 1. contra Crescon. Grammat. cap. 33. edit. cit. *Quamuis*, ait, *hujus rei certum de scripturis Canonicis non proferatur exemplum* (scilicet de non baptizandis hæreticis) *earundem tamen in hac re à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus quod uniuersæ jam placet Ecclesiæ quam ipsarum scripturarum commendat authoritas, ut quoniam S. scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit* (NB.)

hujus

Digitize

hujus obſcuritate quæſtionis eandem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine ambiguitate (NB) *S. ſcriptura demonſtrat, &c.* hæc ibi.

Idem lib. 3. contra Creſcon. cap. 9. *Qualescunq;*, ait, *nos ſimus, ſecuri eſtis, qui Deum Patrem & Eccleſiam habetis matrem.* Et ſimiliter ibid. Cap. 11. *Mihi ſat eſt ad rem, quam nunc ago, qualiscunq; in ea* (Eccleſia) *ſim, tamen Eccleſia, pro qua loquar, invicta eſt, &c.* hæc Auguſtinus.

Quomodo quæſo quis falli non metueret? quomodo quis ſecurus eſſet in Eccleſiæ doctrina, ſi illa falli & fallere poſſit? quod fieret, ſi in multis errare poſſit.

VI. Iterum, quomodo *Calvinus* exigit, ut Eccleſia juxta ſolam ſcripturam doceat & tradat, cùm Auguſtinus, quod licet in S. ſcriptura exemplum non habeatur, ſecurè credatur, quod Eccleſia docet?

Vt plurima alia SS. Patrum, & præſertim *Auguſtini* omittam teſtimonia, ſufficiat hoc ejuſdem S. Auguſtini pro coronide lib. de unit. Eccleſiæ, cap. 19. edit. Baſ. 1528. ubi ſic ait: *Quod ſi nolunt intelligere, ſufficit nobis* (NB) *quod eam teneamus Eccleſiam quæ manifeſtiſſimis ſanctarum & canonicarum ſcripturarum teſtimoniis demonſtratur. Dicat mihi nunc hæreticus, quomodo me ſuſcipis? citò reſpondeo: Sicut ſuſcipit Eccleſia, cui Chriſtus perhibet teſtimonium. Nunquid tu melius potes noſſe* (NB) *quàm Salvator noſter medicus vulneris tui? His forte dicis; lege ergo mihi, quomodo Chriſtus ſuſcipi juſſerit eos, qui ab hæreticis ad Eccleſiam tranſire volunt. Hoc apertè atq; evidenter* (NB) *nec ego lego, nec tu.* Et infrà: *Nunc verò cum in ſcripturis non inveniamus aliquos, &c.* Et infrà: *Puto ſi quis ſapiens extitiſſet, cui Dominus Ieſus Chriſtus* (hæc bene ponderanda ſunt) *teſtimonium perhiberet, & is de qua quæſtione conſuleretur à nobis, nullo modo dubitare deberemus hoc facere, quod ille dixiſſet, ne non tam ipſi* (NB) *quam Domino Ieſu Chriſto, cujus teſtimonio commendabatur, repugnare judicaremur. Perhibet autem teſtimonium Chriſtus Eccleſiæ* (NB) *ſuæ.* Et infrà: *Quomodo ergo ſuſcipit iſta Eccleſia per omnes gentes incipientibus ab Hieruſalem? remotis omnibus ambagibus* (NB) *& tergiverſationibus ſic ſuſcipiendus es. Quod ſi non vis, non mihi aut cuiquam hominum, qui vult ita ſuſcipere, ſed ipſi Salvatori contra ſalutem tuam* (NB) *pernicioſiſſimè reluctaris, qui te ſic ſuſcipiendum eſſe non vis credere, quemadmodum ſuſcipit illa Eccleſia, quam teſtimonio ſuo commendat ille cui fateris nefarium eſſe non credere, &c.* hæc Auguſt. Quid clarius pro omnimoda fidei inerrabilitate Eccleſiæ univerſalis dici poſſet? Profitetur S. Auguſtinus quod Chriſtus univerſaliter ipſi perhibeat veritatis teſtimonium, & ex hoc concludit quod quicquid Eccleſia docet quoad fidem id ab ipſo Chriſto dictum exiſtimandum ſit & credendum, licet expreſsè in S. ſcriptura non legatur. Et licet aliquid ſit, quod cuilibet ſcitu neceſſarium non ſit ad ſalutem, quale eſt illud, qualiter hæretici ad Eccleſiam ſint recipiendi, an rebaptizandi nec ne? hoc enim cuivis neceſsè non eſt ſcire, ut per ſe patet, nec etiam in S. ſcriptura legitur; & tamen Auguſtinus ex teſtimonio Chriſti ſupponit, quod in hoc & aliis ſimilibus Eccleſia fallere & falli non poſſit, &c.

VII. Quid ad hæc Calvinus? qui vult, ut uni Auguſtino fides adhibeatur circa illa, quæ antiqua Eccleſia credidit, lib. 3. cap. 3. §. 10. dicens: *Ex illo* (Auguſtino) *igitur ſtatuant Lectores, ſi quid de ſenſu antiquitatis habere certi volent.*

Ecce loquuntur SS. Patres juxta S. ſcripturam, quod Eccleſiam Chriſtus ſibi præparaverit *ſine macula, ſine ruga*, quod ſit *columna & firmamentum veritatis* abſolutè & ſimpliciter ſine ulla exceptione vel diſtinctione: Profitetur *Auguſtinus* non ſolùm illa, ſed juxta S. ſcripturam & unanimem SS. Patrum ſententiam, quod Eccleſia in nullo falli nec fallere poſſit, etiam in his quæ nec leguntur expreſsè in S. ſcriptura; ſi tamen Eccleſia univerſalis ſic doceat & teneat, ita firmiter credendum ſit, ac ſi ipſe Chriſtus dicat, qui Eccleſiæ teſtimonium veritatis in S. ſcriptura perhibuit.

Hæc omnia cùm Calvinus & ejus ſectatores negent, nonne expreſsè contradicunt S. ſcripturæ & toti antiquitati? ſed & ſibi ipſis, ut oſtendetur.

ARTICVLVS V.

Eadem veritas probatur ex contradictione, quam involvit Acatholicorum ſententia.

I. ACatholici convicti auctoritate S. ſcripturæ & ſanctorum Patrum unanimi conſenſu profitentur quidem ſe certò credere, quod Eccleſia vera Chriſti in fide errare non poſſit, imò indignantur, ſi contrarium ipſis tribuatur, ut patet ex verbis duorum Anonymorum. Verùm, ſi ſincerè eorum dicta attendantur prorſus illam propoſitionem negant univerſaliter, & ſibi contradicunt, quod oſtenditur:

1. Quia dicunt ſano ſenſu illam propoſitionem intelligendam & cum diſtinctione, ſcilicet quod Eccleſia in fundamento fidei, & aliquo gravi ad ſalutem neceſſario puncto errare non poſſit: At verò in aliis licèt fidei articulis non fundamentalibus errare poſſit.

2. Volunt, quod juxta verbum Chriſti Eccleſia ſit audienda, ut graviter urget *Calvinus* lib. 4. inſt. Cap. 1. §. 10. ſuprà relatus.

3. Aſſerunt, quod ſi quis ſe ſepararit à communione Eccleſiæ propter articulum fundamentalem Crimen atrocis Idololatriæ committat *Calv.* ibid.

II. 4. Volunt, quod Eccleſia in fundamento errare poſſit, ſi doceat aliquid extra ſcripturam, quod à contrario patet, quia *Calvinus* vult, quod tunc tantùm non erret in neceſſariis, ſi ex S. ſcriptura doceat, ut ſupra viſum eſt, adeoque ſi extra ſcripturam aliquid de fide doceat, etiam in fundamento errare poſſit.

In his autem variè ſibi contradicunt:

1. Quia ipſi diſtinctionem illam & limitationem, quod Eccleſia in fundamentalibus tantùm errare non poſſit, bene tamen in aliis, non legunt ex S. ſcriptura, adeoque ipſi errant in fundamentalibus juxta ſua principia, quia extra ſcripturam loquuntur.

2. Non legunt in ſcriptura illas conditiones à Calvino requiſitas, quod Eccleſia non erret, ſi fideliter proponat illa, quæ ſunt in S. ſcriptura, ſecùs verò, ſi proponat dogmata, quæ expreſsè in S. ſcriptura non habentur: Proinde & errant aſſignando has conditiones.

3. Nullibi legunt in S. ſcriptura determina-

tam

tam distinctionem & specificationem, qui sint articuli fundamentales fidei & qui non fundamentales; ergo in hoc puncto ad salutem necessario errant, & illi contradicunt.

4. Nunquam assignare poterunt, quinam sint præcisè articuli fundamentales, seu necessarii, & quinam non fundamentales, ut sæpius est postulatum.

III. 5. Ipsi pro occasione subinde eundem articulum volunt fundamentalem, subinde asserunt non fundamentalem, ita de præsentia reali corporis Christi in Eucharistia constat, nam cùm contra Catholicos agunt, hunc volunt esse fundamentalem, ac in hoc Catholicos in fundamento errare; At vero dum cum Lutheranis ad concordiam sollicitarunt fraternitates, hunc articulum inter non fundamentales reponunt.

Hoc patet ex libello Germanico *Theologorum Palatinensium Heydelbergensium*, cujus titulus est: Trewhertzige vermahnung der Pfältzischer Kirchē an alle euangelische Kirchen in Teutschland; seu sincera & fidelis admonitio Ecclesiæ Palatinensis Heidelbergensis ad omnes Ecclesias euangelicas Germaniæ, *&c.* In qua hortantur Lutheranos, ut servatâ suâ doctrinâ, in qua à Reformatis prætensis dissident, tanquam in articulis Theologicis ad fundamentum fidei non pertinentibus cum ipsis unionem & mutuam fraternitatem ineant, *&c.* Constat autem Lutheranos tanquam articulum necessarium credere, quod Corpus Christi sit realiter præsens in Eucharistia, licet cum pane.

IV. Similiter *Theologi & ministri Palatinatûs* in admonitione Neustadiana de lib. Concordiæ, cap. 4. profitentur confessionem Augustanam & Saxonicam, *&c.* retinere fundamentum Christianæ religionis, *&c.* At è contra Lutherani suos articulos, in quibus à Reformatis prætensis dissident, fundamentales esse asseverant, *&c.* Ecce contradictio! imo ipsi Reformati inter se de articulis fundamentalibus non conveniunt.

His sic consideratis, quæ erit apud ipsos certitudo de fidei articulis? quis Ecclesiæ credet? cùm statim excipere possit, quod non sit articulus fundamentalis?

Denuò hâc fictitiâ articulorum fidei distinctione suppositâ, nunquam Ecclesiæ quis tutò stare posset, quod non erret, & sic contradicet S. scripturæ, quod sit *columna & firmamentum veritatis*. Hoc à paritate ex ipsa S. scripturæ auctoritate probatur: si enim admittatur, quod aliquando in illâ aliqua mendaciter ponantur sub prætextu quod non essent necessaria ad salutem. Sic enim D. Augustinus verissimè arguit in epist. ad Hieron. quæ incipit: Nunquam æque quisquam, *&c.* edit. Bas. 1528. sic scribens: *Alia quippe quæstio est, sitne aliquando mentiri boni viri: et alia quæstio est, utrum scriptorem sanctarum scripturarum mentiri oportuerit, imo vero non alia, sed nulla quæstio est; admisso enim semel in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio, nulla* (NB) *illorum librorum particula remanebit, quæ non utcunq; videbitur, vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis; eâdem perniciosissimâ regula ad mentientis authoris consilium officiumq; referatur, &c.* hæc Aug.

V. Pari ratione de tota Ecclesiæ universalis auctoritate & veracitate actum erit, si semel certò credatur, quod in aliquibus ad salutem cuilibet non necessariis vel non fundamentalibus falsum credere & docere possit, sic enim nullus fidei articulus ab Ecclesia creditus remanebit, qui non utcunque videbitur, vel ad mores difficilis, aut minùs necessarius, vel ad fidem incredibilis, adeòque non fundamentalis; eâdem perniciosissimâ regula ad Ecclesiæ in non fundamentalibus & non necessariis errantis consilium, officium defectúmque referatur; sicque ad omne schisma porta aperietur. Abominanda igitur est illa sententia quæ contra tot tantaque S. scripturæ, contra sanctorum Patrum absoluta testimonia, Spiritus Sancti à Christo absolute & sine limitatione Ecclesiæ promissam assistentiam neget in non necessariis fidei articulis, & restringat ad solos incertos fundamentales, sicque omnem Ecclesiæ certitudinem evertet.

CONCLUSIO.

EX his sincerus Lector videat errorem & fraudem Acatholicorum, qualiter tam manifestis S. scripturæ & sanctorum Patrum testimoniis coacti verbotenus fateantur Ecclesiam universalem visibilem in fide non posse errare, & tamen in re ipsa articulum illum negent. 1. Quia sine auctoritate, imo contra auctoritatem S. scripturæ illi articulo addunt conditiones, quæ ipsum articulum evertunt. 2. Quia excipiunt plures fidei articulos quasi non fundamentales, in quibus Ecclesia errare possit, & tamen illos ex S. scriptura specificare præcisè non possunt, adeoque juxta ipsorum dogma nullus firmiter assentiri possit illi, vel saltem pluribus fundamentalibus, eò quod incertus sit, an fundamentalis sit nec ne, præsertim cùm ipsi subinde fundamentalem asserant eundem articulum, ac subinde non fundamentalem.

Econtrà patet firmitas & securitas Ecclesiæ catholicæ, quæ juxta S. scripturæ auctoritatem & sanctorum Patrum doctrinam docet, quòd Ecclesia in omnibus, quæ de fide credenda proponit vel credit, à Spiritu Sancto dirigatur, ut errare non possit etiam in iis, quæ cuilibet catholico in particulari scitu non sunt necessaria: sic fideles firmi esse possunt in fide, sic *Ecclesia vera est columna & firmamentum veritatis, sic est immaculata sponsa Christi sine macula & ruga*, sic est *magistra veritatis*, ut S. scriptura absolutè tradit & promittit, & sancti Patres docuerunt.

Jam videat Auctor libelli 3. an probaverim primam meam thesin, ut art. 1. relatum est, quod Acatholici & ipsimet doceant Ecclesiam universalem visibilem errare posse in fide, quod me nunquam probaturum jactitavit? Ipsius & ipsorum est ex S. scriptura & sanctis Patribus probare quod Ecclesia universalis in non fundamentalibus, ut volunt errare possit, & præcisè fundamentales articulos ex S. scriptura determinatos assignare.

ANTITHESES.

Veritatis doctrinæ catholicæ Romanæ modernæ Ecclesiæ cum primitiva Christi Ecclesia concordantis: & falsitatis Acatholicorum quoad errabilitatem Ecclesiæ.

1. S*ancti Patres docent juxta S. scripturam*, quòd Christus absolutè sine ulla distinctione I.
vel

vel limitatione promiserit Ecclesiam suam veram per totum orbem diffusam visibilem & manifestam nunquam à vera fide defecturam. *Ita etiam docet Ecclesia Catholica Romana moderna.*

Acatholici veritate S. scripturæ & sanctorum Patrum testimoniis coacti fatentur universalem Christi Ecclesiam nunquam à fide defecturam, sed sub distinctione, quam non possunt probare: scilicet quoad aliqua tantùm.

2. *SS. Patres secundum S. scripturam docuerunt* Christum promisisse, & testimonium dedisse Ecclesiæ suæ visibili & universali, quod semper futura sit verax, ita ut quicquid illa de fide certum tenet & docet, id de fide credendum sit per S. Spiritus directionem: & qui Ecclesiam audire vel sequi noluerit, non tam Ecclesiam spernat, quàm ipsi Christo credere nolit. *Ita etiam credit & docet Romana Ecclesia moderna.*

Acatholici volunt, quod Ecclesia Christi universalis visibilis non semper sit verax, sed per aliquot secula in fundamentalibus fidei articulis errarit, solis paucis occultis remanentibus in fide fundamentali, quos Ecclesiam electorum vocant, nec ullibi fuisse probant.

II. 3. *Sancti Patres juxta S. scripturam docuerunt*, quod Ecclesia Christi vera visibilis & universalis non possit ullum qualemcunque articulum falsum tanquam de fide credere vel docere; nec ullam inter articulos fidei fundamentales, & non fundamentales S. scriptura vel sancti Patres distinctionem assignant. *Ita etiam Romana Ecclesia moderna.*

Acatholici volunt, quod Ecclesia vera & universalis etiam occulta electorum possit errare in articulis fidei non fundamentalibus seu non cuilibet scitu necessariis: nec tamen hanc distinctionem ex S. scriptura vel sanctis Patribus probare; nec articulos fundamentales præcisè specificare possunt.

4. *SS. Patres juxta S. scripturam docuerunt*, quod Ecclesia Christi universalis visibilis à tempore Apostolorum usque ad finem mundi sit permansura sponsa immaculata, incorrupta, imo sine macula & ruga in doctrina fidei. *Ita etiam Ecclesia Rom. catholica moderna.*

Acatholici cum suo Calvino tanquam fabulosum derident, quod Ecclesia dicitur sine macula & ruga; sed volunt illam multis maculis & nævis infectam in articulis fidei.

5. *SS. Patres juxta S. scripturam docuerunt*, quod ideo Ecclesia Christi sit & dicatur catholica, quia universaliter sine defectu vel differentia docet omnia fidei dogmata. *Ita etiam Ecclesia catholica Romana.*

Acatholici volunt, quod non solùm Ecclesia Christi universalis & visibilis, sed etiam occulta Electorum fidem cum multis fidei defectibus teneat & doceat.

6. *SS. Patres docuerunt* faciliùs solem extingui posse, quam Ecclesiam obscurari; neque Ecclesiam inclinari posse nec mutare nisi ipsum fundamentum Christus nutaret. *Ita etiam Ecclesia Rom. catholica moderna.* III.

Acatholici volunt, quod Ecclesia vera ultra mille annos ita obscurata fuerit, ut soli Deo fuerit nota & non hominibus, & tunc multis in articulis nutasset.

7. *Sancti Patres docuerunt*, quod si aliquis in rebus fidei falli metuat, etiam quoad articulum in scriptura non expressum, ut in articulis de non rebaptizandis hæreticis, *&c.* securè consulat Ecclesiam universalem, cujus veracitatem S. scripturæ commendat auctoritas. *Ita etiam Ecclesia Rom. catholica.*

Acatholici volunt, quod Ecclesia in multis etiam in S. scriptura fundatis possit falli, si non sint fundamentalia; at verò in aliis, quæ in S. scriptura expressa non sunt, simpliciter falli possit.

8. *Sancti Patres docuerunt*, quod articuli fidei ab initio Ecclesiæ crediti vel traditi semper sint infallibilis veritatis, nec in illis Ecclesia unquam variare possit vel aliter credere aut docere. *Ita etiam Ecclesia Rom. catholica moderna.* IV.

Acatholici non solùm quoad articulos non fundamentales, ut volunt, Ecclesiam falli posse asserunt, sed etiam certos articulos fidei suæ pro occasione oblata contra Catholicos ut fundamentales asserunt, sed eosdem, cum Lutheranis fraternitatem desiderantes, asserunt non esse fundamentales. Ex his clarum est, quantum Acatholici deficiant à S. scriptura & sententia sanctorum Patrum primitivæ Ecclesiæ.

CAPUT V.

De Conciliis generalibus.

ARTICULUS I.

Quod Concilia generalia legitimè celebrata non possint in fide errare, probatur ex S. scriptura.

I. Concilia generalia legitimè celebrata supponimus esse illa, ad quæ omnes Episcopi totius Ecclesiæ convocantur juxta Canones & morem primitivæ Ecclesiæ, licèt subinde ob impedimenta aliqui emaneant; qualia fuerunt *Concilium Nicænum, Constantinopolitanum, I. Ephesinum & Chalcedonense* in Græcia celebrata, ubi pauciores ex occidente ob loci incommoditates comparuerunt, quæ Acatholici etiam agnoscunt. Imo *Calvinus* lib. 4. Inst. cap. 9. § 8. *illa sacrosancta* appellat. Et licèt quæstio sit, an Concilia totam Ecclesiam repræsentent; quod Calvinus negat, & tamen plures concedunt, ut inter alios *Philippus Merneus* in præfat. sui mysterii iniquitatis, *&c.* ubi de his quatuor conciliis dicit: *Quippe cum ea nos arctissimè complectamur, ecclesiam proinde quam repræsentabant universam*, &c.

Catholici unanimiter sustinent, universam Ecclesiam in Episcopis congregatis tanquam in capi- II.

Digitized by Google

capitibus repræsentari, sic etiam sentiunt sancti Patres, ut *Athanasius* in epist. de synodis Ariminensi, & Seleuciæ. *Eusebius* lib. 5. de vita Constantini, *Augustinus* lib. 1. contra Donatistas cap. 18. edit. Bas. 1528. *&c.*

Etsi autem *Calvinus* & aliqui id negent, negare tamen non possunt, quod *Episcopi sint capita Ecclesiarum, pastores & Doctores, Apostolorum successores.* Et de his in Concilio generali legitimè congregatis, quod errorem docere non possint, probatur

1. ex illo Matt. 18. v. 17. *Si te non audierit, dic Ecclesiæ, &c.* ubi certum est, quod per Ecclesiam intelligantur præpositi Ecclesiæ, ut cum aliis SS. Patribus, dicit Athanasius.

Licèt autem ibi Christus loquatur de peccato fratris in fratrem, tamen sancti Patres id à potiori intelligunt de peccatis contra fidem, ut patet ex contextu, cùm Christus jubeat illum, qui non audit Ecclesiam haberi ut Ethnicum & Publicanum. Et ut constet auctoritas Prælatorum, Christus subjungit v. 18. *Amen dico vobis, quæcunq; alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis, &c.* quod constat *præpositos Ecclesiæ* concernere; Et suam Christus assistentiam promittit dicens v. 20. *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Ubi patet, quod Christus promiserit paucis Episcopis congregatis in nomine suo assistentiam & directionem, & à potiore promisit majorem assistentiam omnibus Episcopis in nomine suo congregatis: nam licet pauci errent, ut possunt, sic tamen Ecclesia non patitur, quàm si omnes Ecclesiæ Episcopi errarent, ac proinde his infallibilem assistentiam promisit: Ita hunc locum sancti Patres intellexerunt, præsertim in *Concilio Chalcedonensi* in epist. ad S. Leonem primum.

III. *Probatur* 2. ex illo Matt. 28. v. 14. *Euntes docete omnes gentes,* &c. *docentes eos servare omnia quæcunq; mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem sæculi,* &c. Hîc patet, quod Christus hoc non solum Apostolis promiserit, qui non erant omnibus diebus in hoc seculo mansuri, sed eorum successoribus; quod etiam Acatholici fateri debent; ex quo sic arguitur.

Christus promisit se adfuturum Apostolorum successoribus in docendo: atqui non assistit infallibiliter singulis in particulari seorsim, qui salvâ Ecclesiâ errare possunt; ergo saltem omnibus simul congregatis, alioquin tota Ecclesia errare posset, quia Christus jussit, ut Apostolorum successores & pastores audiantur Luc. 10. v. 16. *Qui vos audit, me audit.* Si ergo omnes pastores errare possunt & errorem docere, proinde & oves omnes errare possent; ut patet etiam ex illo ad Ephes. 4. v. 11. ubi dicit: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos,* &c. *alios autem Pastores & Doctores,* &c. *ut jam non simus parvuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum,* &c. *Quid ergo si omnes Pastores falsa docerent?*

IV. Ex his confutatur *Calvinus* lib. 4. Inst. cap. 9. §. 3. ubi sic ait: *Nam, quod in Ecclesia remanere veritatem non putant, nisi inter Pastores constet, nec Ecclesiam ipsam consistere, nisi in conciliis generalibus emineat: multum abest quin id verum semper fuerit, &c.* hæc ille.

Sed patet contrarium ex præmissis. Nam, licèt per se loquendo veritas posset consistere in particularibus Ecclesiæ membris, licèt Pastores errarent, tamen suppositâ Christi ordinatione fieri non posset. Nam si omnes Ecclesiæ oves ex præcepto Christi teneantur obedire Pastoribus, idque maximè in doctrina fidei, clarum est; quod si Pastores omnes errarent & falsa docerent, etiam reliqua Ecclesia illos audiens erraret.

Probatur 3. Joann. 16. v. 13. *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Hoc enim non solis Apostolis, sed ipsorum successoribus dictum esse patet, ex Joann. 14. v. 16. ubi Salvator ait: *Rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, &c.* Sicut Matt. 28. promisit se cum illis mansurum usque ad consummationem, *&c.* V.

Cùm ergo Spiritus Sanctus suggerit Pastoribus Ecclesiæ omnem veritatem, & illis adfuturus sit, non potest fieri, ut omnes ad minus simul congregati falsum doceant.

Probatur 4. ex illo act. 15. ubi ortâ quæstione fidei quoad observationem legalium, licet singuli Apostoli haberent infallibilem Spiritus Sancti assistentiam, tamen ad dandam formam & exemplum Ecclesiæ futuræ, ubi singuli Episcopi non habent talem assistentiam; utique ex instinctu Spiritus Sancti Apostoli & seniores qui convenerant in Concilio, & tandem concluserant scribentes fratribus ex gentibus, v. 28. *Visum est Spiritui Sancto & nobis, &c.* ubi ex promissione Christi Joann. 14. & 16. supposuerunt infallibiliter, quod Spiritus Sanctus astitisset illis, & cum illis declarasset, & sic in futurum servandum esset, quod patet ex praxi Ecclesiæ; quia ab initio ortâ aliquâ circa fidem quæstione Concilia congregata sunt, & in generalibus Conciliis Patres iisdem verbis, *visum est Spiritui Sancto & nobis,* usi sunt; utique certi ex Christi promissione. Et patet ex ratione: quia major necessitas est in Ecclesia post tempora Apostolorum, ut Spiritus Sanctus Conciliis assistat in decernendis quæstionibus, circa fidem, quam tempore Apostolorum, cùm ipsi singuli tunc haberent Spiritum Sanctum, & tamen ex Spiritûs Sancti directione convenerunt in Concilio simul & contulerunt, ac tandem concluserunt certi de Spiritus Sancti directione, ut fideles securè acquiescerent, prout illis scribebant. Multo ergo magis Christus providit Ecclesiæ suæ post tempora Apostolorum, cùm tot hæreses futuræ essent, ut fideles certi essent de doctrina, quam à Concilio generali haberent. VI.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

Eadem veritas probatur ex SS. Patribus Græcis & Latinis.

I. SAnctus Athanaſius epiſt. ad Epictetum loquens de ſynodi Nicænæ auctoritate edit. Pariſ. 1581. dicit: *Neq; id mirum, cum hæreſeos refutandæ gratia illa ſynodus potiſſimum coacta fuerit, quâ igitur audaciâ fit, ut poſt tanti concilii auctoritatem, diſceptationes aut quæſtiones inſtituant?* hæc Athanaſ.

Idem de decreto Nicænæ ſynodi eâd. edit. ſic ait: *Quî igitur fieri poteſt, ut non ſcelerati trahendi ſint, qui tanto & tam œcumenico concilio vel contradicere cogitent? &c.* hæc ille, ubi ſupponit quod definitio S. concilii ſit infallibilis, alioquin non eſſet mirum, ſi poſtea adhuc quæſtiones factæ eſſent & contradictiones.

Idem in epiſt. ad Epiſcopos Africanos edit. cit. ſic ſcribit: *Verbum Domini per œcumenicam Nicea ſynodum manet in æternum*, &c. quod certè abſolutè dici non poſſet, niſi eſſet à Spiritu Sancto directa infallibiliter.

Gregorius Nazianzenus Orat. 21. quæ eſt in laudem Athanaſii edit. Baſil. 1550. ſic ait: *Atq; idcirco primum in concilio Nicea habito, atq; illo trecentorum atq; duo de viginti lectiſſimorum virorum numero, quos Spiritus Sanctus in unum coegerat, quantum cum ipſis fuit, morbum compreſſit, &c.* hæc ille.

II. *Cyrillus Alexand.* dialogo 1. cum Hermia de ſynodo Nicena edit. Baſ. 1560. ſic ait: *Nam ſi quis fidem illam à ſancta & magna ſynodo optimè definitam ac expoſitam dicere voluerit, baſin animarum noſtrarum, fundamentum inconcuſſum & muratum, is utiq; probatiſſimè loquitur, &c.* hæc ille, ubi ſupponit ex aſſiſtentia Spiritûs Sancti definitum eſſe, ut ſit baſis, &c.

Idem in epiſt. ad Anaſtaſium Alexandr. &c. eâd. edit. *Apoſtolorum*, ait, *veſtigia ſequi ſtatuerunt celeberrimi Patres, qui venerabile & univerſale fidei decreuerunt ſymbolum in Nicea olim congregati, quibus ſane & ipſe Chriſtus aſſedit, qui dixit*, ubi fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, ibi ſum in medio eorum. *Nam quod Chriſtus præſederit inuiſibiliter ſanctæ & magnæ illi ſynodo, quomodo licet ambigere? Baſis enim quædam & fundamentum immotum & inconcuſſum per univerſum orbem imponebatur, imo vero jaciebatur, illa nimirum ſincera & irreprehenſibilis fidei confeſſio, &c.* Et infrà: *Quapropter expoſitam ab illis & determinatam fidem ſervarunt inculpati etiam hi, qui eos ſecuti ſunt ſancti Patres, &c.* hæc ille. Ecce qualiter ex promiſſione Chriſti generali ſupponit ipſius infallibilem in Concilio plenario aſſiſtentiam, quod non ſolùm de Nicæno ſed & aliis intelligendum.

III. Probatur ex Latinis Patribus. *Tertullianus* lib. adverſus Pſychicos cap. 13. edit. Pariſ. 1584. & Baſil. 1562. *Aguntur*, ait, *præcepta per Græcias illas certis in locis concilia ex univerſis Eccleſiis, per quæ & altiora quæq; in communi tractantur, & ipſa repræſentatio totius nominis Chriſtiani magna veneratione celebratur, &c.* hæc ille. Ecce *repræſentationem totius Eccleſiæ* in Concilio, quam Calvinus ridet.

Ambroſius lib. 1. de fide ad Gratian. cap. 9. edit. Pariſ. 1569. *Accepiſti* ait, *ſancte Imperator eos, qui talia aſſerunt, jure condemnatos non humanâ* (NB) *induſtriâ, non compoſitione aliquâ, ſed trecenti decem & octo Epiſcopi ad concilium convenerunt*, &c. *Sed ut in numero eorum Dominus Ieſus ſuo probaret ſe adeſſe concilio, &c.* ubi ſupponit quod ex aſſiſtentia Chriſti & non humana induſtria dependeant Concilia.

Idem lib. 5. epiſt. 52. eâd. edit. *Hoc*, ait, *ſcriptum eſt in ſynodo Ariminenſi* (ſcilicet Chriſtum eſſe creaturam) *meritoque illud exhorreo, ſi quis tractatum concilii Niceni, à quo nec mors, nec gladius me poterit ſeparare, &c.* ubi ſupponit infallibilem determinationem Nicæni legitimè congregati Concilii contra falſam Arianorum ſynodum. Cur alioquin tam conſtanter vellet illi adhærere. *Hieronymus* epiſt. 57. ad Damaſum edit. Baſ. 1553. *Nunc proh dolor* ait, *poſt Nicenam fidem, poſt Alexandrinum juncto pariter occidente decretum trium hypoſtaſeon ab Arianorum præſule & campenſibus novellum à me homine Romano nomen exigitur, &c.* ubi etiam ſupponit, decreta illa fuiſſe infallibilia. Similiter ſupponit epiſt. 71. ad Theophilum.

IV. *Auguſtinus* lib. 1. contra Donatiſtas cap. 7. edit. Baſ. 1528. ſic dicit: *Quæſtionis huius obſcuritas* (ſcilicet de rebaptizandis hæreticis) *prioribus Eccleſiæ temporibus ante ſchiſma Donati magnos viros & magnâ charitate præditos patres Epiſcopos ita inter ſe compulit, ſalvâ pace diſceptare atq; fluctuare, ut diu conciliorum in ſuis quibusq; regionibus diuerſa ſtatuta nutauerint. donec* (NB) *plenario totius orbis concilio, quod ſaluberrimè ſentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur, &c.* hæc ille. Ecce quàm clarè *Auguſtinus* plus tribuat plenario concilio quam particularibus, ut etiam in plenario veritas firmaretur, ſcilicet infallibiliter.

Idem ibid. lib. 2. cap. 1. hoc exprimit dicens: *Quod per univerſæ Eccleſiæ ſtatuta firmatum eſt, vel unius Epiſcopi vel unius provinciæ concilio præferendum eſt*, &c.

Similiter ibid. lib. 7. cap. 53. ait: *Nobis tutum eſt in ea non progredi aliqua temeritate ſententiæ, quæ nullo in concilio regionali concepta, nullo plenario concilio terminata ſunt. Id autem fiduciâ ſecura* (NB) *vocis aſſerere, quod in gubernatione Domini noſtri & Salvatoris Ieſu Chriſti univerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt, &c.* hæc ille, ecce quam certò ſupponit, quod id ſecurè credendum ſit, quod à plenario Concilio determinatum eſt, & quod talia Chriſto gubernatore roborentur.

V. Nec opus eſt plura allegare teſtimonia. Conſtat enim ex ſanctorum Patrum unanimi ſententia, quod tanta Conciliis plenariis debeatur reverentia, ut ipſi ſancti Patres potius exilia & mortem ſubire voluerint, quàm à conciliorum in fide decretis recedere. Ipſa etiam concilia primæva ab ipſis Acatholicis in honore habita ſuppoſuerunt, quod Spiritus Sanctus ipſorum decreta direxerit,

ut juxta exemplum Act. 15. dixerint: *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis, &c.* & decretis non acquieſcentes anathematizarent. Sic enim *Concilium Epheſinum* in epiſt. ad Neſtorium ait: *Sed conſequens eſt etiam jure jurando fateri, &c. quod anathematizes tua praua dogmata, ſentias autem & doceas, quæ nos per uniuerſum orientem ſeu per occidentem Epiſcopi, magiſtri, præſules populorum credimus & docemus,* &c. hæc Concil.

VI. Similiter in *concilio Chalcedon.* actione 5. editione 4. ſic decernitur: *His igitur à nobis undique cum omni deliberatione & diligentia pariter ordinatis decernit ſancta & uniuerſalis hæc ſynodus, alienam fidem licere nemini proferre vel ſentire, &c.* Vbi partim ſub depoſitione ab officiis, partim ſub anathemate præcipitur, *&c.* hæc ibi. Calvinus illa Concilia agnoſcit ut ſacroſancta quoad fidei dogmata lib. 4. Inſt. cap. 9. §. 8. quale utique eſt illud, licèt ipſe neget. *Quod Concilia generalia non poſſint errare.*

Quomodo igitur hæc ſancta Concilia & ſancti Patres illa, quæ in Conciliis plenariis circa finem ultimatè deciſa & determinata fuerunt, taliter de fide credenda proponerent, niſi juxta ſacram ſcripturam certi eſſent, quod Concilia in his errare non poſſint?

ARTICVLVS III.

Reſpondetur ad argumenta Acatholicorum, quibus Eccleſiæ univerſalis errabilitatem probare volunt.

I. QVæ Acatholici adferre ſolent argumenta ad probandum, quod tota univerſalis Eccleſia errare poſſit, eadem ſunt cum illis quæ olim Donatiſtæ producebant, quibus D. *Auguſtinus* lib. de unit. Eccleſiæ reſpondet, ut ſuprà Cap. 3. art. 6. ad literam relatum eſt.

Quantum ad tres noſtros Anonymos trium libellorum Authores ſuprà quoque viſum eſt, quod duo proteſtentur contra id, quod dicantur prætenſi Reformati abſolutè aſſerere, Eccleſiam Chriſti univerſalem viſibilem veram poſſe errare, immo dicunt, ipſos contrarium docere, & ſolum ſub diſtinctione, ſcilicet, quod poſſit in minus fundamentalibus errare, non vero in fundamentalibus, & volunt ipſos à Catholicis non diſſentire, ſed hoc falſum eſſe ſupra art. 5. cap. 4. oſtenſum eſt: nec ipſi ullum argumentum ex ſacra ſcriptura vel ſanctis Patribus pro illa ſua diſtinctione adferunt, nec adferre poſſunt vel pro illa ſententia quod Eccleſia in minus neceſſariis errare poſſit.

II. Cæterum Auctor primi libelli audacter & abſolutè aſſerit Eccleſiam univerſalem viſibilem errare poſſe, ut ſuprà art. 1. relatum eſt, unde patet, qualiter acatholici magiſtri inter ſe concordent. Ille autem primi libelli Auctor aſſerit Eccleſiam univerſalem & errare poſſe, & de facto erraſſe, quod probat ex teſtimonio Vincentii Lirinenſis & Coſteri dicens: *De errabilitate Eccleſiæ ſcribit Vincentius Lirinenſis* contra hæreſes cap. 4. cujus verba ſupra art. 1. cap. 4. allata ſunt: ex quo probatum vult, quod *Vincentius* ſenſerit totam Eccleſiam errore commaculari poſſe, & fuiſſe Ariano veneno infectam, *&c.* Et hoc dicit etiam *Coſterum Ieſuitam* confirmare, *&c.* ubi patet, quod ille Auctor velit totam Eccleſiam univerſalem in fundamentalibus errare poſſe. Nam certum eſt, quod Ariana hæreſis in fundamento errarit; quod alii duo Auctores anonymi negant, & alii Acatholici, ut patet ex ipſo Calvino & ex Proteſtantibus in ſua ſynopſi purioris Theologiæ ſuprà art. 2. cap. 4. allegatis, ubi fatentur, quod Eccleſia in fundamentalibus neceſſariis errare non poſſit, alias deſineret eſſe vera Eccleſia Chriſti contra Chriſti promiſſionem Matt. 16. *Portæ inferi,* &c.

Reſpondetur primo: Meminiſſe deberet au- III.
ctor ille ſuorum verborum, quæ in præfatione jactitarat, ſcilicet Religionem reformatam niti ſolâ ſcripturâ, adeóque pro hoc articulo tam neceſſario oportebat vel unicam ad minùs S. ſcripturæ auctoritatem adducere.

Reſpondetur ſecundo: Nec meminit promiſſionis propriæ nec nobilis Angli, quod articulos ſuos ex ſanctis Patribus quatuor primorum ſæculorum probaret, at vero nullum ex talibus Patribus adducit. Nam *Vincentius Lirinenſis* floruit circa annum Domini 450. ſub *Theodoſio & Valentiniano* Imperatoribus. Nos autem pro Catholico articulo tot loca S. ſcripturæ & ſanctorum Patrum clariſſimorum ex primis ſæculis retulimus.

Reſpondetur tertio: Nec *Vincentius Lirinenſis* IV.
ipſi ſuffragatur, quin potiùs unius illius Vincentii libellus allegatus ſufficeret ad confutandos modernos Acatholicos, ut illum inſpicienti patebit, qui inter alia cap. 34. ſic ait: *Quis unquam hæreſes inſtituit, niſi, qui ſe prius ab Eccleſiæ catholicæ univerſitatis & antiquitatis confeſſione diſcreuerit?* Et cap. 38. poſtquam dixiſſet, quod hæretici communiter utantur verbis ſacræ ſcripturæ malè intellectis, ſicut etiam Sathan in deſerto Chriſtum tentavit, ſubjungit, *quid tunc Catholicis faciendum, ſcilicet ut diuinum canonem ſacræ ſcripturæ ſecundum uniuerſalis Eccleſiæ traditiones & juxta Catholici dogmatis regulas interpretentur. In qua item Catholica apoſtolicaq; Eccleſia ſequantur neceſſe eſt uniuerſitatem, antiquitatem, confeſſionem.* Et iterum: *Atq; ideo neceſſe ſit, ut ad unam Eccleſiaſtici ſenſus regulam ſcripturæ cœleſtis intelligentia dirigatur, &c.* hæc Vincentius. Ecce ipſam modernæ Eccleſiæ Catholicæ doctrinam planè Acatholicis contrariam! Ecce ad quem Auctor provocarit, ipſum ſequatur.

Verùm ad propoſitum: Negatur, quòd *Vin-* V.
centius dixerit Eccleſiam univerſalem viſibilem poſſe errare: verba illius ſunt: *Si nonnulli aliqua contagio non jam particulam tantùm, ſed totam pariter Eccleſiam commaculare conetur, &c.* hæc vera ſunt, ſed negatur, quòd inde ſequatur Vincentium ſenſiſſe totam Eccleſiam errare poſſe. Verum eſt quòd omnes hæreſes conentur totam Eccleſiam com-

commaculare, & tunc ſemper Catholici debent reſiſtere, & ad antiquitatem confugere, ſicut modo Catholici faciunt contra modernos Acatholicos; Inde tamen non ſequitur, quòd Catholici ſentiant Eccleſiam univerſalem errare poſſe, ſed quòd multi particulares poſſint ſeduci. Sed falſum eſt, quòd moderni Reformati hoc remedio uſi ſint, cùm conſtet ex Luthero & Calvino, qualiter SS. Patres repudiarint.

VI. Quod autem *Vincentius* dicat cap. 6. *quod Arianum venenum totum pene orbem commacularit*, & P. Coſterus addat, *quod hæc lues omnes ferè Romani Imperii Eccleſias invaſerit, &c.* Quis ſanæ mentis inde inferret, quòd tota univerſalis Eccleſia à fide vera defecerit & errarit? An idem eſt penè & ferè & abſolutè? fatemur plurimos tunc temporis à fide & Eccleſia Catholica defeciſſe, ſed an ideo tota Eccleſia? Ipſe *Vincentius* ſtatim poſt allegata verba de eodem tempore ſic dicit: *Tunc quiſquis verus Chriſti amator & cultor extitit, antiquam Fidem novellæ perfidiæ præferendo, nulla contagii illius peſte maculatus eſt, &c.* hæc ille. Ergo non tota Eccleſia tunc maculata fuit. Miror, quòd Anonymus non produxerit ex quarto ſæculo S. Hilarii libros & S. Hieronymi verba: ſed jam ſuprà D. *Auguſtinus* ad illos reſpondit, quod licèt plurimi defeciſſent, Eccleſia tamen in ſuis firmiſſimis & clariſſimis Epiſcopis conſtiterit & floruerit, *&c.* Ecce qualiter ille Auctor ſuam ſententiam probavit.

ARTICVLVS IV.

Reſpondetur ad argumenta Acatholicorum de errabilitate Conciliorum generalium.

I. Etſi Calvinus præſeferat, quòd Concilia antiqua honoret, quanti ea æſtimet, patet in lib. 4. Inſt. cap. 9. §. 1. ubi dicit: *Quod minus Conciliis tribuo, &c.* Et infrà: *Nam ſicuti ad plenam doctrinæ noſtræ approbationem & totius Papiſmi everſionem abunde verbo Domini inſtructi ſumus, &c.* ex quo patet primò, quòd totam antiquam Eccleſiam condemnet quæ ſemper neceſſarium judicavit, ut in dubiis fidei & quæſtionibus ad Concilium generale conveniretur, ſicut & ipſi Apoſtoli Act. 15.

Patet ſecundò qualiter imitetur antiquos hæreticos, *Arianos, Donatiſtas, Neſtorianos, &c.* qui etiam allegabant ſcripturam ſibi ſufficere quam falsò interpretabantur, unde opus erat ſenſum verum S. ſcripturæ & verbi Dei à Conciliis generalibus proponi & definiri: imò diverſi SS. Patres ut *Cyprianus* & alii in quibuſdam fidei articulis, ſalvâ tamen pace, hæſerunt exiſtimantes ſe in S. ſcriptura fundatos, donec per generale Concilium veritas firmaretur, ut patet ex SS. Patribus ſuprà allegatis.

II. *Calvinus* ibid. §. 3. apertiùs procedit dicens: *Nam quod in Eccleſia remanere veritatem non putant, niſi inter Paſtores conſtet, nec Eccleſiam ipſam conſiſtere niſi in Conciliis generalibus emineat: multum abeſt, quin id verum ſemper fuerit, &c.* ubi clarè indicat Concilia generalia errare poſſe & erraſſe, imò omnes Eccleſiæ Paſtores, contra illud Pauli ad Epheſ. 4. v. 11. *Et ipſe dedit quoſdam Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum, &c.* ubi clarè promittitur, quòd ſemper in Eccleſia futuri ſint Paſtores vera docentes.

Calvinus ſuum figmentum probat ex vet. teſtamento primo dicens ibid. *Erat Iſaiæ tempore Eccleſia Hieroſolymis, quam Deus nondum deſeruerat.* De Paſtoribus verò ſic loquitur cap. 56. v. 10. *Speculatores ejus cæci omnes, neque quicquam noverunt, omnes canes muti, nec valent latrare, &c.* Item Oſeæ 9. v. 8. *Speculatores Ephraim cum Deo, laqueus aucupis, odium in domo Dei.* Item Jerem. 6. v. 13. *A Propheta uſque ad ſacerdotem quique ſectatur mendacium.* Idem probatum vult ex Ezech. 22. v. 15.

Reſpondetur primo: Etſi per ſe loquendo Eccleſia poſſet conſiſtere abſque eo, quod Epiſcopi plerique in Concilio generali legitimè congregati in fide deficerent, certum tamen eſt ex ſententia ſanctorum Patrum, quòd neutrum juxta Chriſti promiſſum & ordinationem fieri poſſit, ut ſuprà art. 1. oſtenſum eſt, & ulteriùs declaratur.

III. Reſpondetur itaque ſecundo ad Calvinum: Non legit Calvinus in illis locis, quòd ſacerdotes in Concilio congregati à fide aberrarint, & mendacium docuerint, &c. ſed nihil ad propoſitum, ſi plures particulares ſectati ſint mendacium.

Reſpondetur tertio: Conſtat ex variis S. ſcripturæ locis, quòd dum plures in aliqua communitate, vel populo obnoxii ſint criminis, id toti populo tribuatur, licèt multi innoxii ſint, prout D. *Auguſtinus* ſuprà relatus ex S. ſcriptura oſtendit. Quod etiam patet ex illo ad Philipp. 2. v. 21. *Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti.* Ubi ſi Apoſtolus de Philippenſibus loquitur, de omnibus abſolutè intelligi nequit, cùm ipſos cap. 1. multùm commendet; ſi autem de aliis; non tamen de omnibus præſertim Apoſtolis, &c. intelligi poteſt. Sic etiam dicit ad Galat. 3. v. 1. *O inſenſati Galatæ quis vos faſcinavit non obedire veritati?* & tamen cap. 6. v. 1. plures ſupponit ſpirituales dicens: *Vos, qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis,* &c.

Reſpondetur quarto: Nihil illa loca valent contra Concilia generalia in novo teſtamento, cùm Chriſtus Eccleſiæ ſuæ, Apoſtolis eorúmque ſucceſſoribus tam clarè aſſiſtentiam Spiritûs Sancti promiſerit, quod non legitur in veteri teſtamento ſacerdotibus promiſſum, licèt & de illis valde probabiliter ſupponatur uſque ad adventum Chriſti.

IV. Contra hoc arguit Calvinus ibid. §. 4. ex 2. Pet. 2. v. 1. ubi dicitur: Quod ſicut in vet. teſtamento fuerunt Pſeudoprophetæ, ſic & inter vos erunt falſi Doctores ſectas perditionis inſinuantes. Similiter à Chriſto Matt. 24. v. 11. & 24. & ab Apoſtolis prædictum ſit, quod à Paſtoribus ſumma Eccleſiæ pericula impenderent, &c.

Reſpondetur: Iſta veriſſima ſunt, ſed quid inde infertur contra legitimum Eccleſiæ univerſalis Concilium? verum eſt, quòd multi falſi Epiſcopi & Prophetæ ex Eccleſia exierint & ſectas fecerint: an hoc contra Epiſcopos & Paſtores Catholicos in nomine Domini congregatos, qui ſeſe ut murum illis falſis Prophetis oppoſuerunt eoſque condemnarunt? videat Calvinus & ipſius ſequaces, unde exierint, & quas ſectas more *Arianorum, Donatiſtarum, &c.* fecerint, videant & confundantur.

V. Objicit Calvinus §. 6. contra id, quod de Concilio generali congregando reſpondetur,

dicens: *Quin Iudæi veram Eccleſiam ſub Prophetis habuerint, negari non poteſt, &c.* Et infrà: *Age ſi coacti in unum tunc fuiſſent omnes ejuſmodi, quis ſpiritus in eorum cœtu præfuiſſet? Ejus rei inſigne ſpecimen habemus in eo Concilio, quod convocavit Achab, aderant quadringenti Prophetæ,* &c. *ſed ſpiritus mendax erat in ore omnium,* &c.

Reſpondetur: Eccleſia vera Judæorum ordinariò non erat ſub Prophetis, ſed ſub ſacerdotibus, ad quorum Concilium Deus populum in dubiis legis miſit Deuteron. 17. v. 8. dicens: *Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris,* &c. *ſurge & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus: venieſque ad ſacerdotes Levitici generis,* &c. *Qui autem ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio,* &c. *morietur homo ille,* &c.

VI. Tales ſacerdotes non erant in regno Achab ſed idololatræ, nec illi quadringenti Prophetæ erant ſacerdotes Levitici generis, ſed in regno Juda & in Jeruſalem tales erant: Illi autem falſi Prophetæ ne quidem erant Domini Prophetæ, ſed Baal; licèt falsò dicerent ſe loqui in nomine Domini ut patet ibid. cùm Rex Judæ Joſaphat illis Prophetis contemptis ad Achab Regem Iſraël diceret, 3. Reg. 22. v. 7. *Non eſt hic Propheta Domini quiſpiam, ut interrogemus per eum? &c.* & dixit Achab: *Remanſit unus, ſed ego odi eum, &c.* hæc contigerunt in regno Iſraël; ſed erant ſacerdotes veri in regno Juda & in Jeruſalem. Quâ fronte ergo Calvinus ex illo Concilio ſolo falſorum Prophetarum Baal, & non Domini argumentum facit ad Concilium veræ Eccleſiæ, quæ erat in Jeruſalem? Nonne ſimile foret, ſi ex Conciliabulo Turcarum fiat argumentum contra Concilium Eccleſiæ.

VII. Sed *Calvinus* efficaciter ſuum intentum putat probatum dicens §. 7. *Sed unum exemplum, quod eſt præ aliis memorabile, pro omnibus ſufficiat. In eo Concilio quod collegerunt Pontifices & Phariſæi Hieroſolymis adverſus Chriſtum,* &c. *Niſi enim tunc fuiſſet Hieroſolymis Eccleſia, nunquam ſacrificiis aliiſque ceremoniis communicaſſet Chriſtus. Fit ſolemnis convocatio: Præibat ſummus Pontifex, totus ordo ſacerdotalis aſſidebat: damnatur tamen illic Chriſtus,* &c. *Hoc facinus documento eſt, incluſam minimè fuiſſe in illo Concilio Eccleſiam, &c.* hæc ille.

VIII. Reſpondetur: Verum eſt, quòd tunc Hieroſolymis erat vera Eccleſia, & ſpecialiter multi fideles Chriſtum expectantes cum Simeone & tempore Chriſti prædicationis in Chriſtum credentes, qui erat veræ Eccleſiæ caput, & tunc penes Phariſæos & ſacerdotes non opus erat ut infallibiliter docerent; nihilominus Chriſtus voluit, ut adhuc audirent Scribas & Phariſæos ſedentes ſuper cathedram Moyſi Matt. 23. v. 2. *Omnia quæcunque dixerint vobis ſervate & facite; ſecundùm opera verò eorum nolite facere, &c.* Adeóq; tunc adhuc doctrina in pleriſque illorum bona erat, alioquin Chriſtus non mandaſſet, ut doctrinam illorum ſervarent, ſed cùm ipſi contradicerent veritati à Chriſto prædicatæ, idque ex invidia, videntes illum miracula facientem à Prophetis prædicta, & ex malitia & vindicta, cùm illorum peccata juſtè & manifeſtè argueret, multò minùs apud illos manſit ſpiritus veritatis prout prædictum fuit Dan. 9. v. 26. *Poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus; & non erit ejus populus qui eum negaturus eſt.* Similiter Ezech. 7. v. 26. *Conturbatio ſuper conturbationem veniet,* &c. *Et lex peribit à ſacerdote. & conſilium à ſenioribus.* Et Mich. 3. v. 6. *Nox vobis pro viſione erit, & tenebræ vobis pro divinatione, &c.* Hæ prophetiæ non ſunt intelligendæ pro tempore Prophetarum, ut vult Calv. §. 6. Unde arguit contra ſacerdotes tunc temporis, aliàs non fuiſſent prophetiæ; ſed intelliguntur de tempore futuro illo, quo populus Chriſtum negaturus erat, ut patet. Itaque manſit verbum Domini & lex penes ſacerdotes prout Deus Deut. 17. mandarat populo ut legem & declarationem ejus ex ſacerdotibus requireret, idque faciendum erat uſque ad Chriſtum Dominum, qui idipſum mandavit donec ſacerdotes congregati in unum negarunt & condemnarunt Chriſtum. Cum ergo hoc à Domino prædictum ſit, quòd Concilium Sacerdotum tunc erraturũ erat, quomodo hoc allegatur contra Concilia in Eccleſia Chriſti, quibus Chriſtus Spiritum Sanctum promiſit, quòd cum ipſis maneret in æternum? Et Apoſtolus Epheſ. 4 prædixit ſemper fore veros Doctores & Paſtores in Eccleſia, &c. Si illi ergo congregati in nomine Domini fidem proponant, quomodo ex Concilio apoſtatico Judæorum qui prædicti erant erraturi, fiet contra hos argumentum? Ecce qualiter Calvinus & ejus ſequaces ſe efficaciter contra lucem meridianam tenebras offundere poſſe præſumant & jactitent.

Calvinus §. 9. volens oſtendere Concilia generalia falſa docere poſſe, probatum vult, quia IX.
aliquando de facto errarunt, & ſubinde pugnantia docuerunt, ad quod allegat *Concilium Conſtantinopolitanum* ſub Leone Iſaurico Iconoclaſta, ubi juſſum erat imagines Sanctorum confringi & tolli ex Eccleſiis, & poſtea in *Concilio Nicæno ſecundo* contrarium fuit definitum: verùm certum eſt quod illud Conſtantinopolitanum non fuerit legitimum nec generale Concilium, ſed Nicænum ſecundum. Quanquam Calvinus ſine fundamento contradicat, ut ſuo loco, cùm de cultu Imaginum agetur, oſtendemus; ubi etiam de Francofurtenſi dicetur.

Idem *Calvinus* §. 10. videns ſe auctoritate antiquorum Conciliorum opprimi, non veretur illa cavillari, imò etiam ipſum Concilium primum Nicænum, ita ut illius Patres ſanctiſſimos audeat accuſare, quòd relictâ principali contra Arium actione, ipſi etiam gratificaturi ad mutua odia uſque ad internecionem quaſi proceſſiſſent, niſi Conſtantinus Imperator obviaſſet. Sed quantæ hæ ſint calumniæ in SS. Patres à *Baſilio, Ambroſio, Auguſtino, Hilario, &c.* tantopere prædicatos, quis non videt? quis non miretur?

Iterum Calvinus §. 13. dicit: *Quoniam probavimus non eſſe datam Eccleſiæ poteſtatem erigendæ novæ doctrinæ, dicamus nunc de poteſtate, quam illi tribuunt in ſcripturæ interpretatione, &c.* ubi fatetur, quòd magnum pondus ſit apud Concilia, ſi ſint vera, &c. Et tandem dicit, quòd non ſint ſemper *Baſilii, Athanaſii, Cyrilli,* & ſimiles veræ doctrinæ vindices, quos Dominus excitavit tempore *Concilii Nicæni primi Epheſini & Chalcedonenſis,* &c.

Reſpondetur: Calvinus ſummam injuriam X.
Catholicis affingit, quaſi docerent, quòd Concilia vel Eccleſia poſſit novam fidei doctrinam condere, quod falſum eſt, & ſuprà refutatum, ſed quoad interpretationem S. ſcripturæ certa eſt Eccleſiæ ſententia, quòd interpretatio S. ſcripturæ ſit penes Eccleſiam & Concilia generalia

juxta

Digitized by Google

juxta communem sanctorum Patrum sententiam. Quòd autem ipse dicit, non semper adesse *Athanasios, &c.* videtur sui oblitus, cùm §. 10. tam fœdè locutus esset de Patribus Niceni Concilii ut jam visum est.

XI. Secundò falsissimè supponit & imponit, quasi Ecclesia Catholica pietati vel prudentiæ hominum tribuat infallibilitatem circa interpretationem sacræ scripturæ, vel declarationem fidei, aut definitionem articulorum; constat enim quòd juxta illud ps. 115. v. 2. *Omnis homo mendax*; quilibet seorsim & omnes homines simul, quantum ex ipsis est fallibiles sint & errare possint: Verùm Ecclesia credit & docet, quòd sicut Apostoli & Prophetæ homines erant, & quantùm ex se errare poterant, tamen in tradendo S. scripturam à Spiritu Sancto infallibiliter dirigebantur, sic etiam credit, quòd Christus promiserit Spiritum Sanctum, qui Ecclesiam doceret & regeret, ac similiter in Conciliis generalibus præsertim Pastoribus Ecclesiæ ut veritatem doctrinæ Euangelicæ juxta verbum Dei à Prophetis & Apostolis scriptum ac traditum infallibiliter doceant & proponant, & juxta hoc Christi testimonium & promissionem credimus Ecclesiam esse veracem, ut ex SS. Patribus art. 4. cap. 4. probatum & præsertim Augustino lib. de unitate Ecclesiæ cap. 22. suprà ostensum est; prout ipsimet Acatholici fateri debent, quòd Ecclesia universalis in fundamento errare non possit, utique non ex se, sed ob promissum Christi per assistentiam Spiritûs Sancti, qui est infallibilis.

XII. Similiter credimus, quòd, licèt non semper æquè sancti viri sint in Ecclesia, semper tamen juxta verbum Apostoli Ephes. 4. Christus dabit Ecclesiæ Doctores & Pastores, qui veram doctrinam zelabunt & prædicabunt, licèt plures ex illis defectuosi in moribus forent. Sic itaque Calvinus temere & frustra in hoc objicit mores vel defectus Pastorum.

Cùm igitur Christus Dominus promiserit hanc Spiritûs Sancti assistentiam usque ad finem sæculi, & sic SS Patres intellexerint, certâ fide credimus, quòd Ecclesia universalis non errabit, ac similiter Concilia generalia legitimè celebrata errare non poterunt, ac proinde certum est, quòd nunquam factum sit nec fiet, ut generalia Concilia errent contra Christi promissionem, adeóque frustra Calvinus & sequaces ejus laborant, ut ostendant talia Concilia aliquando errasse, quod sufficeret, nihilominus ad unum aut alterum breviter respondebimus.

XIII. Calvinus in præfat. Inst. 2. folio à fine invictum se argumentum habere putat contra Concilia, allegans *Concilium Basileæ 1436.* celebratum, quod dicit fuisse legitimum & generale à Papa indictum, & præsentibus ejus legatis celebratum, rerum omnium ordine bene compositum, eâdem semper dignitate ad extremum perseverasse, quod tamen *Eugenium quartum* ut schismaticum deposuit; & infert contra Catholicos dicens: *Fatebuntúrne schismaticum Eugenium cum tota sua coborte, à qua omnes sanctificati sint? Aut igitur Ecclesiæ formam aliter definiant, aut quotquot sunt habebuntur à nobis Schismatici, qui scientes volentes ab hæreticis ordinati sunt.* hæc Calvinus.

Auctor primi libelli aliter ex illo Concilio argumentatur, ut suprà relatum est art. 1. cap. 4. dicens: *Concilium Constantiense Anno 1415. vel Ferrariense Anno 1436. erravit; Pontificii utrumque generale fuisse tuentur, sed prius decrevit Concilii auctoritatem esse suprà Papam: posterius decrevit Papæ auctoritatem esse supra Concilium, elige utrum vis, & ex electione sequetur Ecclesiam universalem visibilem non tantùm posse errare, sed & erravisse, &c.* hæc ibi.

Respondetur primò Calvino quoad *Concilium Basileense* Verum est, quòd fuerit à Papa indictum & congregatum, sed negatur quòd semper in eadem auctoritate manserit. Nam cùm plures Patres ibi congregati nollent obedire Pontifici præsertim ad instantiam Imperatoris Græcorum (qui se Basileam ob varias causas venire non posse significarat) ut Concilium transferretur *Ferrariam*, & Legatus Pontificis Basileâ recessisset cum pluribus Episcopis, reliqui verò remansissent, tunc processerunt contra Eugenium Papam, cùm eodem tempore Papa cum plerisq; Cardinalibus & pluribus Episcopis occidentis, & insuper *cum Patriarcha, & Imperatore ac pluribus Patribus Græcis* Concilium Ferrariæ inchoatum, sed ob pestem ibi grassantem *Florentiam* translatum celebraret, ut patet ex actis utriusque Concilii. Ex quibus patet, quòd Patres Basileæ sic pertinaciter manentes, & Papam condemnantes graviter excesserint, nec legitimum generale Concilium celebraverint, quod ipsimet postea agnoverunt, cùm Lausanæ suam congregationem continuantes, & cùm falsò à se Papa electo Felice Nicolaum Eugenii successorem agnoverint, eique sese submiserint, unde constat, quàm falsò Calvinus omnes ab Eugenio & aliis Episcopis ordinatos Schismatis condemnet; quanto potiore jure nos *Calvinum & ejus sequaces* non solùm à Concilio Basileensi in eorum parentibus *Ioanne Huß & VVicleff* implicitè, sed à sequentibus plenariis Conciliis expressè damnatos verè Schismaticos reputabimus. XIV.

Huic adde, quod Calvinus lib. 4. Inst. cap. 9. §. 13. graviter & meritò reprehendat *Concilium Ephesinum secundum* dicens: *Imo cogitemus quid Ephesi secunda synodo acciderit, ubi Eutychiana hæresis obtinuit, sanctæ memoriæ vir Flavianus in exilium ejectus cum aliquot piis viris, &c. nempe quia illic Dioscorus homo factiosus & pessimi animi, non autem Spiritus Domini præsidebat, &c.* hæc ille. Vnde falsò infert quòd Concilia generalia graviter errare possint.

Respondetur: quòd illa *Synodus* etiam fuerit quidem auctoritate Papæ congregata, & in ea Legati Papæ præsidere inceperint, sed postea *Dioscori* malitiâ prævalente Legati Papæ recesserint, & plures Episcopi boni cum sancto Flaviano: Ac proinde ab illo tempore non erat legitimum Concilium unde & *Hæresin Eutychianam confirmavit & Leonem Papam condemnavit*; ac proinde simile est cum *Concilio Basileensi*, unde meritò Calvinus confundi debuisset, quòd cùm illam Synodum secundam Ephesinam meritò condemnaret, quæ tamen legitimè inchoata fuerat, sed quia plures Episcopi à Dioscoro seducti tumultuabantur, Legatis Papæ, & S. Flaviano & aliis Catholicis bonis Episcopis recedentibus ex defectu Legatorum Papæ & plurium Episcoporum generalis Synodus esse desiit, & tam graviter defecit, ut & Papam leonem piissimum damnaret; qui tamen ideo non desiit esse Papa, nec ab eo ordinati facti sunt Schismatici, ita nec Eugenius Papa legitimus esse desiit à tali mutilo XV.

Basi-

Digitized by Google

Basileensi Concilio damnatus. Ex his patet, qualiter Calvinus sibi ipsi contradicat, dum Ephesinum secundum fatetur falsum, & Basileense legitimum Concilium esse velit; cùm tamen utrimque iidem defectus fuerint.

Jam ad nostri *Anonymi*, ut putat irrefragabile dilemma.

XVI. Respondetur primò: Si dicatur, quòd ille articulus: *Papa est supra Concilium*, ut veriùs est, vel è contrà, *Concilium est supra Papam*; neuter est de fide; nam salvâ fide & pace Ecclesiæ plures Catholici Doctores sustinent, quòd Concilium sit supra Papam, nec tamen ab Ecclesia universali vel Concilio ullo universali illa sententia damnata est; unde salvâ pace Ecclesiæ & sine errore, alterutra pars doceri & defendi potest. Quid ergo Anonymus ex hoc inferet? an quòd Concilium aliquod in fide erravit? falsum est, quia neutrum definivit suum articulum de fide: & si *Concilium Constantiense* unam partem sustinuerit, & *Ferrariense* contrariam, nihil in fide errarunt. Verùm turpissima est in Calvini & Acatholicorum opinione consequentia altera, scilicet, quòd si Concilium generale errasset, etiam tota universalis Ecclesia errasset; hoc Calvinus & alii non admittunt, dicentes; quòd Ecclesia quoad fundamenta errare non possit, licèt Concilia errent; verùm in sententia Catholicorum consequentia valeret.

Respondetur secundò: Etsi certum sit, quòd non sit de fide, quòd Papa sit supra Concilium, vel è contrà: tamen probabilissima est sententia, quòd Papa sit supra Concilium, & licèt in *Concilio Lateranensi* sub Leone X. quod particulare fuit, idipsum videatur definitum; sed de Concilio particulari nō est certum, quòd sic definire possit; Et licèt concedatur, quòd Concilium Constantiense fuerit legitimè congregatum (*juxta quosdā*) à Joan XXIII. qui in initio præsens erat, sed postea se absentaverat, quia tamen tunc temporis erat Schisma in Ecclesia, in quo tres Papæ electi erant à diversis Cardinalibus, videlicet Joannes XXIII. Benedictus VIII. & Gregorius XII. ac dubium erat quis esset verus Papa: in tali dubio Patres Constantiæ congregati probabiliter poterant decernere circa veram electionem Papæ, aberant autem ab illo Concilio duæ Ecclesiæ partes, quæ Benedictum & Gregorium elegerant.

XVII. In hac igitur turbatione Patres Constantiæ præsentes relictis illis tribus, qui juri suo renuntiarant, elegerunt *Martinum V.* qui postea universaliter receptus est, & approbavit acta illius Concilii Constantiensis quoad res fidei contra *Ioannem Huß, Hieronymum à Praga & VVicleff.* & alia, sed nunquam approbavit sententiam quoad superioritatem Concilii supra Papam, adeóq; in hoc puncto defecit Concilium, quod sine approbatione Papæ licèt legitimè congregatum fuisset, nihil ultimatè definire potuisset; ut patet ex confessione *Concilii Chalcedonensis, &c.* Itaque breviter respondetur: admittendo quòd *utrumque Concilium Constantiense & Ferrariense* fuerit legitimum saltèm quoad initium, neutrum tamen errasset quoad dictum articulum, quem neutrum de fide certum esse definivit: potiùs autem standum est Concilio Ferrariensi seu Florentino quàm Constantiensi, quia Florentinum verè legitimum fuit ex occidente & oriente congregatum, & in præsentia Papæ peractum.

Ecce Domine mi Anonyme, non tantùm unum vel alterum, ut insultanter vis & dicis; sed utrumque elegi, nec tamen ex electis, tua consequentia concluditur.

Demum *Calvinus*, ne sine Patrum auctoritate contra Concilia agere videretur, producit *D. Augustinum* lib. 3. contra Maximinum cap. 14. edit. Basil. ubi sic ait: *Sed nunc nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense tanquam præjudicaturus causæ proferre Concilium; Nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris: scripturarum auctoritatibus non quorumcunque propriis, sed utrisque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione certet, &c.* hæc Augustinus. Ex quo Calvinus infert; quòd si hæc servarentur, tunc maneret Conciliis sua majestas, interim tamen superiore loco emineret scriptura, *&c.* quasi Catholici hæc negarent. XVIII.

Respondetur primò, ubi Augustinus hic negat, quòd Concilia plenaria legitima juxta Christi promissionem in quæstionibus fidei determinandis habeant potestatem & verum S. scripturæ sensum interpretandi? quod ipse tam clarè ostendit & supponit lib. 1. contra Donat. cap. 7. lib. 2. cap. 1. & lib. 7. cap. 55. suprà art. 7. relatis, & etiam loco à Calvino allegato contra Maxim. Nam immediatè ante verba jam relata sic ait: *Hoc est illud Homousion, quod in Concilio Nicæno adversus hæreticos Arianos à Catholicis Patribus veritatis auctoritate & auctoritatis veritate firmatum est, quod postea in Concilio Ariminensi, &c. multis paucorum fraude deceptis impietas sub hæretico Imperatore Constantio labefactare tentavit, &c.* ubi patet, quantum Augustinus agnoscat Concilii auctoritatem. Verùm etsi ipse tantam auctoritatem agnoscunt, quia tamen Maximinus tale Concilium non admittebat, Augustinus prudenter dixit, quòd nunc neuter contra alterum allegaret Concilium, sed starent in S. scriptura ab utraq; parte acceptata, quod in omni disputatione est agendum; sic & modo non allegamus contra Acatholicos Concilium Tridentinum ipsis invisum, & nobis authenticum, sed S. scripturam ab utrisque agnitam, & communem SS. Patrum consensum quem verbotenus Acatholici admittunt. XIX.

ARTICVLVS V.

Quòd Ecclesia Catholica non adæquet multò minùs anteponat Concilia sacræ scripturæ.

Verùm quòd *Calvinus* infert, quasi Catholici ponerent Concilia supra scripturam, hoc longè falsissimum & merissima calumnia est: nunquam enim hoc ab Ecclesia doctum esse ullus ostendere potest, vel etiam, quod amplius est, ab ullo Catholico Doctore. Etsi tamen aliquis Doctor hoc diceret, nihil Catholicæ doctrinæ præjudicaret; imò Catholici nullo modo Concilia S. scripturæ æquant, sed multis modis inferiora esse profitentur. Quia primò nunquam docetur, quòd doctrina Concilii sit immediatè à Spiritu Sancto, ut omnia & singula illius verba debeant teneri & haberi tanquam verbum Dei, sicut omnia verba S. scripturæ. Secundò, quòd nec I.

de

Digitized by Google

de novo Spiritus Sanctus per Concilia verbum Dei novum revelet, *&c.* sicut singula S. scripturæ verba de novo fuerunt revelata, ita ut etiam omnia verba ad literam credi debeant, *&c.* quod non est in Conciliis, ubi multa ponuntur ad mores vel ad doctrinam; ita tamen, ut non spectent ad fidem, nec etiam omnia verba, sed sensus tantùm in definitione alicujus fidei articuli credendus sit, *&c.*

II. Itaque certum est, quòd Catholica Ecclesia sacram scripturam anteponat & præponat Conciliis; si tamen aliqui Doctores subinde dicant, scripturam dependere ab Ecclesia vel Concilio, non est sensus quod scriptura à Concilio accipiat suam auctoritatem & veritatem per se & secundùm se, quam habet à Spiritu Sancto, qui illam dictavit, quin potiùs Ecclesia habet auctoritatem suam à verbo Dei: sed tales Doctores solùm dicere volunt, quod in ordine ad nos notior sit Ecclesia & Concilium, per quod cognoscamus, quodnam sit verbum Dei vel sacra scriptura, & quisnam verus sit sensus verborum sacræ scripturæ à Spiritu Sancto intentus, quem à S. Spiritu scriptura habet: & hoc constat ex omnibus Conciliis, dum aliquid de fide determinant, ad hoc allegant verbum Dei vel in sacra scriptura expressum, vel verbum Dei per Apostolos oretenus Ecclesiæ traditum, & in Ecclesia semper conservatum & per unanimem sanctorum Patrum sententiam ad nos delatum, ad quod opus esse auctoritate & infallibilitate Conciliorum ex sanctis Patribus suprà demonstratum est, & ex actis *Concilii Nicæni, Ephesini, &c.* ubi fides antiqua multis hæreticorum fraudibus oppugnata, & verba sacræ scripturæ in falso sensu allegata necessario determinari vel declarari debebant, & post hujusmodi determinationem fideles credere tenebantur, quod & Acatholici in praxi sequuntur, ut ostendetur.

ARTICVLVS VLTIMVS.

Veritas Catholica ostenditur ex praxi Acatholicorum.

I. ETsi *Calvinus & Acatholici* penitùs negent infallibilitatem Conciliorum, vel quod illis ultimatè sit standum; sed velint, quod à singulis fidelibus, definitiones Conciliorum ad amussim sacræ scripturæ sint examinandæ, quia tamen experti sunt, quòd hoc portam ad omnia Schismata aperiret, sibi ipsis contradicentes aliter practicant.

Nam ordinant in suis *Confeßionibus*, quod, si aliquis inter suos circa articulum fidei, vel descriptionem, aut formam *Catechismi* quæstionem moveat contra communem aliorum sensum; ille prius coram illius loci *consistorio* monendus sit, & si non acquieverit, tunc *consistorium invocabit colloquium*, & interim ut tali præcipiatur, ne talem quæstionem inter alios moveat, donec in colloquio satisfactum sit: si vel sic non quietetur ad *Concilium provinciale* procedendum sit, & tandem ad *Nationale* res deferenda: & si conclusioni hujus Concilii acquiescere nolit, nec suum errorem privatum contra Concilii decretum abnegare, ut schismaticus excommunicandus sit, ita in confessionibus suis, idque ex instructione Calvini lib. 4. cap. 9. §. 13. & ita practicarunt *Acatholici in Belgio Gomoristæ* ante aliquot annos in suo *Concilio Dordraceno*, ubi postquam *Armeniani* nollent acquiescere illius Concilii decretis asserentes, se juxta ipsorum principia examinasse omnia juxta sacram scripturam invocato Spiritu Sancto & in conscientia sentire suam sententiam sacræ scripturæ esse conformem, & Gomoristarum scripturæ contrariam, nihilominus contra illos processerunt *declarando hæreticos, Schismaticos privandos officiis, &c.* Sic enim Domini in illa Nationali ut vocant Synodo sua, quæ nullo modo plenaria & generalis fuit, decreta concludentes pronuntiarunt: his verbis.

Synodus invocato sancto Dei Nomine suæ auctoritatis ex verbo Dei probè conscia (ecce agnoscunt auctoritatem Concilii ex verbo Dei) *omnium legitimarum tum veterum, tum recentium Synodorum vestigiis insistens, & Illustrißimorum DD Ordinum generalium auctoritate munita* (sed quid potestas sæcularis ad Concilium Ecclesiasticum) *declarat atque judicat, Pastores illos qui partium in Ecclesia & errorum Doctores sese præbuerint corrupta Religionis sciße Ecclesiæ unitatis & gravißimorum scandalorum, citatos vero ad hanc Synodum intoleranda insuper adversus supremi Magistratûs in hac Synodo publicata decreta, ipsamque hanc venerandam Synodum pervicacia reos & convictos teneri, &c.* Et infrà: *Ita tamen ut diligenter sibi caveant, ne quenquam ad sacrum Ministerium admittant, qui doctrina hujus synodicis constitutionibus declaratæ subscribere* (NB) *eamque docere recuset*, &c. II.

Demum huic decreto synodali Approbatio ultimata subjungitur, nimirum ipsorum sæcularium Belgii statuum sententia quæ sic habet: *Visis, cognitis & maturè examinatis atque expensis prædicto judicio & sententiâ Synodi, ista plenè in omnibus approbavimus & rata habuimus, approbamus, & confirmamus, & rata habemus per præsentes; volentes ac statuentes, ut nulla alia doctrina de quinque prædictis doctrinæ capitibus in Ecclesiis harum Regionum doceatur aut propagetur, præter hanc quæ prædicto judicio sit conformis atque consentanea*, hæc in illa synodo. III.

Sed quâ fronte *Calvinus* hæc instituit, & Acatholici sic procedunt? cùm tamen *Calvinus* expresè dicat ibidem §. 8. *Quoties Concilii alicujus decretum profertur, &c. illud ad scripturâ amußim examinari debeat, idque in eum modum, ut Concilii definitio pondus suum habeat, sitque instar præjudicii, neque tamen examen, quod dixi, impediat, &c.* ubi vult quòd quisque examinare debeat & possit decreta Concilii ad amussim sacræ scripturæ; si ita est, cur illum vel illos, qui profitentur se sic examinatum Concilii decretum invenire sacræ scripturæ contrarium ejiciunt, & ut hæreticos condemnant? qui etiam volunt quòd sacra scriptura juxta internum Sancti Spiritûs dictamen sit intelligenda, *&c.* Cur ergo contra conscientias homines damnant? quod ab initio sui schismatis tanquam tyrannidem in Ecclesia Catholica damnabant? Sed cur ipsi eadem urgent & practicant præsertim cùm velint quælibet Concilia errare posse? Quis ergo talia Concilia contra suam conscientiam in illorum doctrina sequi compelletur? vel quis tutò IV.

Digitized by Google

talibus Conciliis credet? Cur verò damnant Catholicam Ecclesiam, quæ docet Concilia generalia esse audienda & illis acquiescendum esse juxta sacram scripturam & sanctorum Patrum doctrinam? quod eò tutiùs fideles faciunt, dum credunt talium Conciliorum definitiones per Spiritum Sanctum directas esse infallibiles, fundati in verbo Dei & SS. Patrum unanimi consensu.

CONCLVSIO.

V. EX his patet, *qualiter mentita sit iniquitas sibi*, dum Acatholici spiritui privato cujusque tribuunt, ut decreta Conciliorum juxta sacram scripturam examinet & teneat; & nihilominus cogunt, ut relicto illo sensu sequantur consistorii decreta, quæ tamen volunt esse fallibilia. Secundo, qualiter contra sacræ scripturæ auctoritatem & sanctorum Patrum sententiam asserunt generalia Concilia errare posse, nec quemquam posse tutò talibus fidem adhibere, sed debere illa juxta proprium sensum ad amussim Scripturæ examinare, adeóque ultimatum ultra Concilia judicium penes quemcunque privatum remaneat.

VI. Constat autem ex auctoritate sacræ scripturæ & testimoniis sanctorum Patrum, quòd Christus prævidens difficultates, quæ in Ecclesia circa verbum Dei diversimodè intellectum vel explicatum oriri possent, promiserit suis Spiritum veritatis, qui non solum Ecclesiam universalem dirigeret, sed specialiter Episcopos & Pastores illius, quos voluit à fidelibus audiri, & ipsis obediri; ideo Apostolis & eorum successoribus specialiter promisit Spiritum veritatis, qui illos in omni veritate doceret, quod ad minus in hoc impleri debet, quod in Conciliis generalibus legitimè celebratis assisteret & dirigeret, ut vera fides & verus verbi Dei sensus seclusis & damnatis contrariis declararetur & definiretur; quatenus fideles hâc definitione perceptâ tutò & securè in fide vera persisterent, nec privatis propriis opinionibus vel hæreticorum fraudibus seducerentur, quod utique divinæ providentiæ & Christi Sponsi benignitati convenientissimum est, ne fideles semper essent fluctuantes, ut indicat Apostolus ad Ephes. 4. quod certè fieret si talis assistentia Spiritûs Sancti non esset certò Conciliis promissa, sed cuilibet privato ultimatum de rebus fidei judicium relictum esset, unde tot quot capita forent, sequerentur sententiæ & Schismata, quod ipsimet Acatholici agnoscentes contra propriam fundamentalem suam doctrinam urgent & volunt, ut quilibet Concilii nedum generalis sed & Nationalis in fide decreto acquiescere teneatur: Sed hoc verè tyrannicè, cùm velint Concilium errare posse, & cuilibet illius examen relinquant, & tamen tali Concilio sub pœna excommunicationis acquiescendum esse mandent, quæ certè verè tyrannica sunt & contra ipsorum propria principia.

VII. Sed Catholica Ecclesia juxta sacram scripturam docens, quòd quilibet suam privatam opinionem relinquere, & Concilio generali acquiescere teneatur, nullam exercet tyrannidem, quia supponit, quòd quilibet privatus errare possit, nec habeat promissionem Spiritûs Sancti; At verò Concilium generale juxta promissionem Christi errare non possit, ideóque Ecclesia tanquam vera Mater jubet, ut filii illius ipsam audiant, alioquin futuri sicut Ethnici & publicani juxta verbum Christi. Vt autem veritas Catholica & concordantia cum primitiva Ecclesia; & falsitas Acatholicorum velut in speculo compendiosè pateat, sequentes Antitheses proponemus.

ANTITHESES VERITATIS

Doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ Romanæ cum antiqua Ecclesia concordantis, & Acatholicorum falsitatis circa auctoritatem Conciliorum generalium.

PRimò, *SS. Patres juxta S. scripturam & Apostolorum ac primitivæ Ecclesiæ praxin docuerunt*, quòd in quæstionibus circa fidem exortis, ad easdem resolvendas Episcopi totius Ecclesiæ in Concilio generali sint congregandi: *Ita etiam Ecclesia Romana Catholica.* I.

Acatholici hoc subinde fatentur, subinde negant, dum cum Calvino volunt tantùm posse duos vel tres in nomine Christi congregatos, quantùm plurimos, *&c.*

Secundò, *SS. Patres docuerunt juxta sacram scripturam*, quòd si omnes totius Ecclesiæ Episcopi ad Concilium citati fuerint, licèt non omnes ob impedimenta compareant, tamen plerique præsentes totam Ecclesiam ad minùs tanquam singularium Ecclesiarum capita repræsentent: *Ita etiam Ecclesia Catholica Romana.*

Acatholici cum Calvino absolutè negant Ecclesiam universalem in Concilio repræsentari.

Tertiò, *SS. Patres docuerunt*, quòd Episcopi & Pastores Ecclesiæ in Concilio generali legitimè congregati habeant potestatem à Christo ultimatè determinandi quæstiones fidei, ita ut Concilii determinationi fideles acquiescere, & juxta illam credere teneantur: *Ita etiam docet Ecclesia Romana Catholica.* II.

Acatholici cum Calvino sibi ipsis contradicentes asserunt, quod particulares teneantur sub pœna excommunicationis & Schismatis acquiescere decretis Concilii non solùm generalis, sed etiam Nationalis: Nihilominus etiam volunt, quòd cuilibet particulari competat ad amussim scripturæ examinare decreta Concilii & judicare; & tamen volunt, quòd qualitercunque particularis judicet, Concilii decreto stare debeat.

Quartò, *SS. Patres docuerunt*, quòd in quæstionibus fidei, quamdiu non in aliquo generali Concilio quæstio definita fuerit, sine periculo hæreseos utraque pars quæstionis salvâ pace Ecclesiæ defendi possit. At verò post factam definitionem nullus sine crimine hæreseos vel Schismatis contrariam partem credere vel docere possit: *Ita etiam docet Ecclesia Catholica Romana.*

Acatholici hoc cum Calvino negant, dum dicunt duos vel tres tantùm posse quantùm plurimos, & quòd cuilibet adhuc examen decreti competat; imò an Concilium legitimum sit.

Quin-

Digitized by Google

III. Quintò, *sancti Patres docuerunt*, quod Concilia generalia legitimè congregata habeant promissionem Christi de assistentia Spiritûs Sancti, qui illa dirigat & Spiritus Sanctus per illa pronunciet, ut in proponendis & decernendis fidei articulis non erret: *Ita etiam docet Ecclesia Romana Catholica*.

Acatholici cum Calvino hoc negant, dum dicunt duos tantùm in nomine Christi congregatos tantundem posse, quantum plures in Concilio; imò Calvinus expressè negat talem assistentiam Spiritûs Sancti penes Concilia de non errando, qualem aliqualiter permittit quoad totam Ecclesiam.

Sextò, *sancti Patres & ipsa Concilia generalia primitivæ Ecclesiæ affirmarunt*, quòd Christus juxta promissionem Concilio assideat, & Concilia à Spiritu Sancto & in Spiritu Sancto congregentur, nunquam verò dixerunt quòd propter sanctitatem Episcoporum præsentium Christus vel Spiritus Sanctus adfuerit: *Ita etiam docet Ecclesia Romana Catholica*.

Calvinus fatetur, quòd illa quatuor generalia primitivæ Ecclesiæ fuerint legitima & sacrosancta quoad fidei dogmata, & tamen tale dogma est, quod Concilia generalia in nomine Domini legitimè congregata habeant assistentiam Spiritûs Sancti juxta illorum Conciliorum doctrinam, quod tamen ipse adscribit sanctitati Athanasii, Cyrilli, *&c.*

IV. Septimò, *sancti Patres docuerunt*, quòd Concilia generalia legitimè congregata quoad quæstiones fidei decidendas procedere debeant, tam juxta verbum Dei scriptum, quàm non scriptum; & ex verbo tradito verbum scriptum declarare, ut in variis Conciliis contra hæreses prædicarunt: *Ita etiam Ecclesia Catholica Romana*.

Acatholici verbum Dei traditum blasphemè contemnunt, & Concilia condemnant, quæ juxta verbum traditum S. scripturam declarant, & articulos fidei determinant: sed hoc fraudulenter, ut eò liberiùs S. scripturam ad suos errores in sensu falso detorquere possint.

Octavò, *sancti Patres docuerunt*, quòd tutum non sit in quæstionibus fidei, docere, quæ in nullo Concilio regionali cœpta, vel in nullo plenario Concilio terminata sunt: id verò fiducia securæ vocis asserere, quod in gubernatione Christi Domini universalis Ecclesiæ consensione roboratum est, *&c.* ubi clarè supponunt, quòd id, quod in plenario Concilio definitum & firmatum est, per Christi gubernationem à tota Ecclesia factum sit, & certo credendum: *Ita etiam docet Ecclesia Cathol. Rom.* V.

Acatholici cum Calvino hoc absolute negant.

Ex his ad oculum patet, quòd conformis sit, imò eadem modernæ Ecclesiæ Catholicæ Romanæ de Conciliorum auctoritate doctrina cum antiqua Ecclesia: at verò Acatholicorum de Conciliis dogma tam S. scripturæ, quàm SS. Patribus contrarietur.

CAPUT VI.

De Notis seu symbolis veræ Christi Ecclesiæ.

ARTICULUS I.

Referuntur sententiæ Acatholicorum ac Catholicorum de Notis Ecclesiæ.

I. Cùm certissimum sit apud omnes tam Catholicos quàm Acatholicos, quod juxta S. scripturam & unanimem SS. Patrum sententiam unica tantùm sit vera Christi Ecclesia semper usque ad finem mundi à tempore Apostolorum inconcussa permansura, extra quam nullus salvari possit, qualemcunque aliam Ecclesiam sequatur, ut suprà cap. 3 copiosè tam ex S. scriptura & SS. Patrum testimoniis, quàm ipsorummet Acatholicorum modernorum confessione demonstratum est: & hoc ipsum olim omnes hæretici falsi sint; inde contigit, quòd nullus fuerit cœtus, nulla secta nec modò existat quæ non sibi sive verè sive falsò adscripserit, vindicarit & præsumpserit, quòd ipsa sit unica illa vera Christi Ecclesia, cùm tamen à tempore Apostolorum usque ad tempus Augustini præter unicam veram Ecclesiam Catholicam ad minùs octuaginta octo hæreses ab ipso in lib. *de hæresibus* enumeratæ extiterint, & deinceps usque ad præsens numerus illarum ducentenarium excedat.

II. Secundò certissimum est, quòd, licèt omnes, quotquot sunt sectæ vel hæreses, in Christum se credere professæ sint, vel modò profiteantur, tamen ad eandem veram Ecclesiam non spectarunt, vel spectent, cùm vel diversa & contraria fidei dogmata docuerint, vel sese per Schisma ab Ecclesiæ unitate separarint, & una alteram hæreseos damnaverit & damnet. Sic Calvinus ejúsque sectatores damnant Ecclesiam Romanam Catholicam, ut patet ex eorum Catechismo Gallico, in quo non minùs blasphemè & falsò quam absolutè sic pronunciant; *Condemnamus & anathematizamus cœtum papatûs, eò quod veritas divina ab illo repudiata, Sacramenta perversa & falsissima sint, ubique sola superstitio & idololatria vigeat, &c.* Similiter damnant Anabaptistas, & subinde Lutheranos, *&c.*

Lutherani è contra Calvinistas & in plurimas sectas divisos Anabaptistas, *&c.* præter Catholicam Ecclesiam damnant.

Catholici Ecclesiæ Romanæ fideles in professione fidei inter alia sic profitentur: *Sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam Romanam omniumque Ecclesiarum Matrem & Magistram agnosco, &c.* idque juxta *Concilium Tridentinum* sess. 22. cap. 8. Deinde in eadem professione sic protestantur: *Cætera omnia à sacris canonibus, & œcumenicis Conciliis ac præcipuè Tridentina Synodo tradita, definita & declarata, indubitanter profiteor, simulque contraria omnia atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas, &c. damno & anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, &c. veraciter teneo, &c.* Ita in professione Catholica fidei. III.

Digitized by Google

IV. Hæc cùm ita se habeant, & quilibet homo sub periculo salutis teneatur veræ Ecclesiæ incorporari, necessarium fuit & suavi divinæ providentiæ congruum, ut certa à Deo data essent signa vel Notæ, per quas homines veram Christi Ecclesiam à falsis dignoscere possent, quod etiam ipsi Acatholici fatentur. Verùm Notas longè inconvenientes & à primitiva Ecclesia longè alienas assignant, ne utique suam ipsimet falsitatem prodant.

Sic inter alios *Acatholici Galli* in sua confessione & Catechismo indicant dicentes: *Credimus, quod quilibet rationabiliter examinare, inquirere & agnoscere debeat, quanam sit vera Ecclesia, nam nimius est hujus tituli abusus, &c.* Idem fatentur Lutherus & Calvinus, *&c.*

Itaque *Lutherus* in ult. parte lib. de Ecclesia & Conciliis plures veræ Ecclesiæ Notas requirit; quarum prima est; *vera & incorrupta Evangelii prædicatio*: reliquæ comprehendunt legitimam Sacramentorum administrationem & electionem Ministrorum, qui doceant, & Sacramenta administrent. Demum Mysterium crucis ut fideles persecutiones paupertatem, *&c.* quod & hæretici habeantur, patienter sustineant: hæ *Lutheri* Notæ.

V. *Calvinus* lib. 4. Inst. cap. 1. §. 8. sic ait de Ecclesia: *Proinde quatenus eam agnoscere nostrâ intererat, Dominus certis Notis & quasi symbolis nobis designavit, &c.* & §. 9. sic ait: *Vbicunque Dei verbum sincerè prædicari atque audiri, ubi Sacramenta ex Christi instituto administrari videmus, illic aliquam esse Dei Ecclesiam nullo modo ambigendum est, &c.* Et §. 10. *Symbola*, ait, *Ecclesiæ dignoscendæ, verbi prædicationem Sacramentorúmque observationem posuimus, &c.* adeóque illic duas sufficere voluit.

VI. Aliqui Calvini sectatores tertiam assignant, ut in Catechismo Gallico, nam ad verba suprà allata subjiciunt dicentes: *Ideo juxta verbum Dei dicimus, quod vera Ecclesia sit cœtus rectè credentium, qui concordant verbo Dei, & puram ex illo dependente Religionem sequi, & in illa perseverare profitentur*, &c.

Confessio Heluetica hanc unicam assignat Notam, scilicet legitimam & sinceram verbi Dei prædicationem.

Cæterùm, etsi Ecclesia Catholica nihil expresserit sub titulo Notarum, de Notis Ecclesiæ, indicat tamen illas, tum in *Concilio Tridentino* sess. 3. tum in professione fidei; ubi ante omnia symbolum fidei quo Ecclesia Romana utitur; & in Conciliis Nicæno & Constantinopolitano tanquam scuto & tessera fidei veræ usa est, præmittitur, in quo sic profitetur: *Credo in unum Deum, &c.* Et deinde: *Et unam, sanctam, Catholicã & Apostolicam Ecclesiam.* Vnde Doctores Catholici illas tanquam quatuor firmas veræ Ecclesiæ notas desumunt, in quibus plures aliæ particulares continentur, quæ à sanctis Patribus contra hæreticos expressæ & usurpatæ sunt, ut infrà patebit. Has autem verissimas sacræ scripturæ conformes Ecclesiæ veræ Notas esse: illas verò ab Acatholicis assignatas inconvenientes esse ostendetur.

ARTICULUS II.

Ostenditur quòd Notæ ab Acatholicis assignatæ non sint veræ nec congruæ.

I. Calvinus lib. 4. cap. 1. §. 9. duas Notas assignatas probat dicendo: *Quando ejus* (Christi) *promissio fallere non potest: Vbicunque duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, ibi in medio eorum sum.* Matt. 18. v. 20. adeóque ibi est vera Ecclesia.

Alii probant ex illo Joann. 10. v. 14. *Ego sum pastor bonus, & cognosco oves meas & cognoscunt me meæ.* Et v. 16. *Vocem meam audient, &c.* Ex quo inferunt: Ergo ubi auditur verbum Dei, ibi est Ecclesia.

Proferunt etiam *Augustinum* lib. de unit. Eccles. cap. 2. ubi sic ait: *Quæstio inter nos versatur, ubi sit Ecclesia; quid ergo facturi sumus in verbis nostris eam quæsituri, an in verbis Capitis sui? puto quod potiùs in illius verbis eam quærere debeamus, qui est veritas, & optimè novit corpus suum*: Et cap. 3. sic ait: *Nolo hominum documentis, sed divinis oraculis Ecclesiam sanctam demonstrari, &c.* Item epist. 166. *In scripturis*, ait, *didicimus Christum; in scripturis didicimus Ecclesiam, &c.* Ex his inferunt: Ergo prædicatio verbo Dei consona est nota & signum veræ Christi Ecclesiæ.

Pro solutione sciendum primò, quòd Notas Ecclesiæ, de quibus agitur, tales esse oporteat, ut exteriùs quibuslibet hominibus constare possint, & notiores sint, quàm ipsa Ecclesia. Quomodo enim id, quod minùs notum est, in cognitionem certam alterius deducet?

II. Secundò: Notæ etiam istæ tales esse debent, ut ad minùs omnes simul sumptæ, soli veræ Ecclesiæ & non aliis falsis conveniant, vel saltèm à falsis Ecclesiis apparenter arrogari non possint: ideo enim veram à falsis Ecclesiis distinguendi munus habent; Quod enim ab omnibus communiter arrogatur, quomodo unum ab aliis distinguet?

Tertiò: Hæ Notæ bifariam considerari possunt, semel, quatenus per naturalem rationem vel prudentiam homini etiam gentili persuadent, eumque inducunt ad credendum veram Ecclesiam contra falsas: de quo modo loquitur *Augustinus* in lib. contra epist. fundamenti & alibi sæpe ut infrà patebit. Et hoc modo non demonstrant Ecclesiam veram certitudine fidei divinæ, sed moralis & humanæ. Aliter considerantur, prout à Deo in sacra scriptura sunt assignata ad dignoscendam veram Ecclesiam; & hoc modo inducunt hominem ad credendam Ecclesiam fide divinâ juxta verbum Dei.

III. Quartò etiam sciendum est, quòd aliud sit illud, quod notam Ecclesiæ designat, aliud verò est ipsa Nota, sic Deus assignat notas Ecclesiæ, non tamen est Nota exteriùs nobis apparens; sic etiam verbum Dei est, per quod Deus Notas designat, sed ipsum non est Nota.

Quintò: Cùm dicitur à Catholicis, quòd Ecclesia sit notior sacrâ scripturâ, non est sensus, quem Acatholici falsò affingunt, quasi Ecclesia esset supra scripturam & majoris auctoritatis, vel quod scriptura ab Ecclesia auctoritatem accipiat, quod falsissimum est. Nam sacra scri-

Digitized by Google

scriptura à Deo solo illam habet, ut à se ipsa, in quantum est verbum Dei, & sic præcellit plurimùm Ecclesiam, ut præced. cap. dictum est: sed solùm dicitur, quod in ordine ad nos & quoad nostrum intelligendi modum Ecclesia sit nobis notior quam scriptura, quatenus S. scriptura à Deo est Ecclesiæ tradita & commissa, ut ipsam fidelissimè custodiat & nobis proponat, prout ipse Calvinus lib. 4 Inst. cap. 1. §. 10. fatetur supra cap. 4. art. 2. relatus; & insuper ut S. scripturam interpretetur quoad sanum sensum ex verbo Dei tradito, ut sancti Patres docent, & sic Ecclesia simpliciter est prior in ordine ad nos in notione, ut à nobis cognoscatur ipsius veritas, quæ à Deo revelata est.

Sic D. Augustinus sæpius ex veræ Ecclesiæ testimonio probat articulos fidei contra Donatistas, ut suprà ostensum est, ubi fidei articuli in S. scriptura non clarè exprimuntur vel disputantur. Hoc modo etiam dicit Augustinus: *Non crederem Euangelio, nisi me Catholicæ ecclesiæ commoveret auctoritas* lib. contra epist. Fundamenti, cap. 5. edit. Bas. 1528.

IV. 6. Potest autem ex suppositione aliqua S. scriptura esse notior Ecclesiâ, si duæ sectæ conveniant in S. scriptura, agnoscentes illam esse verè Dei verbum, & tamen disputent de vera Ecclesia, ubi sit, & quæ ex duabus sectis illa sit, dum singulæ sibi vendicant: hoc casu certum est quod S. scriptura sit notior, & ex claris sacræ scripturæ testimoniis fide divinâ ad notitiam veræ Ecclesiæ deveniatur. Et hoc modo egit D. Augustinus cum Donatistis locis allegatis, & nos infrà agemus contra Acatholicos, non tamen isto modo S. scriptura est nota Ecclesiæ ut supra dictum sed determinat & assignat certas notas hominibus exterius apparentes, vel ad sensum, vel per historiam ex quibus Ecclesia certò cognoscetur certitudine fidei divinæ, quia hæc cognitio fundatur in verbo Dei quod creditur, & sic S. scriptura demonstrat Ecclesiam.

Quamvis ergo illæ Notæ in S. scriptura designentur, quia tamen pagani & infideles non credunt verbo Dei, ideo dicuntur Notæ illæ non tantùm ex S. scriptura, sed etiam simpliciter tales, quia etiam paganos & infideles morali & humanâ prudentia inducunt ad credendum veram Dei Ecclesiam & fidem Christi.

V. Ex præmissis facilè demonstrari potest, quod Notæ ab Acatholicis assignatæ non sint veræ Notæ Ecclesiæ, & etiam patebit, quod loca S. scripturæ allegata non suffragentur.

Imprimis, sinceræ fidei prædicationem & sacramentorum administrationem & perseverantiam in fide oportere in vera Ecclesia esse, verissimum est; quod autem illæ sint notæ, per quas in cognitionem veræ Ecclesiæ deveniri possit, negatur. Quod ostenditur.

1. enim, cùm præsertim juxta Calvinum Notæ tales sint à Deo in S. scriptura institutæ: Legant Acatholici in S. scriptura ubi hæc ita instituta sint, contrarium patebit ex responsione ad loca S. scripturæ allegata.

VI. 2. Ista tria non sunt propria veræ Ecclesiæ saltem apparenter, & quoad vulgarem præsumptionem, quia, quotquot fuerunt vel sunt sectarii Christiani nominis, omnes sibi arrogarunt & arrogant, quod purè & sincerè verbum Dei prædicent, ac sacramenta administrent, parati etiam ad hoc mori; quomodo ergo paganus ex illis dignoscet veram Ecclesiam à falsis?

3. *Schismatici* possunt habere puram verbi Dei prædicationem & sacramentorum administrationem, & tamen illorum secta non est vera Ecclesia, ut suprà cap. 1. ostensum est, quia non deficiunt in fide, sed in charitate, dividentes se à communione veræ Ecclesiæ; credunt enim etiam, quod necessarium sit ad salutem, ut aliquis sit in vera Ecclesia, & obediat Ecclesiæ pastoribus, licet id non præstent. Sic olim D. Augustinus de Donatistis dixerat, quod prius fuerint tantum schismatici, quia propter delicta (quasi tradidissent Ethnicis S. scripturam comburendam) quibusdam Episcopis Catholicis afficta vel vera, se à communione Ecclesiæ separaverant, de quo sæpe in Conciliis actum erat: postea ut Augustinus lib. de hæresibus hæresi. 69. ait: *Donatistæ post causam dictam & finitam pertinaci dissentione firmatâ in hæresim schisma verterunt, &c.* Quomodo ergo schismatici à vera Ecclesia distinguentur per tales notas, cum etiam Donatistæ paratissimi fuerint ad martyria subeunda, imo alios ad se occidendos provocabant, ut testatur *S. Augustinus.*

4. Omnes sectæ pro se allegant S. scripturam ad literam, licèt in sensu falso: quomodo ergo per nudam S. scripturam allegatam paganus distinguit veram Ecclesiam à falsis? VII.

5. *Acatholici* volunt, quod non sola sincera verbi Dei prædicatio, sed etiam auditio ad veram Notam requiratur, ideo dicit Calvinus: *ubi Dei verbum sincerè prædicari & audiri videmus, &c.* Et Catechismus dicit: *quod Ecclesia sit cætus rectè credentium, qui concordent verbo Dei, &c.* Atqui, quod aliquis rectè credat, vel corde audiat verbum Dei, est occultum nec ulli alii notum, unde & Acatholici fatentur, quod cætus electorum sit occultus, quia dependet ex cordis fide: quomodo ergo talis prædicatio & auditio erit signum vel Nota, per quam alii cognoscunt, ubi sit vera Ecclesia? aliud est de prædicatione verbi Dei externa, quæ uniformiter fit in Ecclesia, nam illa spectat ad Notam Ecclesiæ, ut infrà patebit, scilicet ad unitatem.

Hinc ad locum Matt. 18. *Vbi duo vel tres congregati fuerint, &c.* VIII.

Respondetur 1. Certum est, quod ubicunque duo vel tres verè in nomine Christi congregantur, ibi sit Christus: sed si hoc de cordis veritate procedat, quæ est occulta, non est signum Ecclesiæ. Respondetur 2. Si dicatur de congregatione externa qualicunque in nomine Christi, sic præter Ecclesiam veram omnes sectæ arrogant sibi quod in nomine Christi congregentur, licèt falsò: quomodo ergo paganus ex hoc deveniet in notitiam veræ Ecclesiæ? Illa autem verba Christi intelliguntur de Apostolorum ac eorum successorum legitima congregatione, ut suprà ostensum est ex ipso textu, & sic spectat ad Notam Ecclesiæ apostolicam, ut infra patebit.

Ad locum Joann. 10. *Oves meæ vocem meam audient, &c.*

Respondetur: Hoc verissimum est, sed negatur, quod illa sit nota veræ Ecclesiæ. Nam si de sola exteriore verbi Dei auditione dicatur, hoc omnibus sectis, imò infidelibus est commune, quod audiant verbum Dei; Nec hoc Christus

Digitized by Google

indicat. Si vero de interiore auditu fidei intelligatur, patet hoc esse occultum, & soli illi, qui credit, notum. Quomodo ergo erit Nota Ecclesiæ?

IX. Ad verba *Augustini* allata patet responsio ex præmissis, quod ibi cum Donatistis agit, qui sacram scripturam admittebant, & sibi arrogabant veram Ecclesiam ex eadem S. scriptura, vel etiam ex testimoniis aliorum hominum, vel auctoritate Concilii Ariminensis; unde Augustinus sepositis aliorum testimoniis, quæ pro utraque parte adferri possent, & ab utraque parte disputabantur, appellat ad ipsam S. scripturam, ab utrisque agnitam, ut patet ibid. ex contextu: & tunc ex clarissimis S. scripturæ testimoniis Ecclesiam demonstrantibus probat, ubi sit vera Ecclesia; quod nos fatemur & infra usurpabimus. Inde tamen non habetur, quod S. scriptura sit apud quoscunque etiam infideles in ordine ad nos Nota Ecclesiæ, sed solùm apud fideles S. scripturæ credentes; nec illa est Nota Ecclesiæ, sed designat Notas per quas Ecclesia manifestè cognoscitur, prout Augustinus per totum librum de unitate Ecclesiæ procedit. Hoc modo etiam intelliguntur alii sancti Patres, qui dicunt Ecclesiam ex scriptura demonstrari.

Jam demonstrandæ sunt veræ Ecclesiæ Notæ, tum ex scriptura pro his, qui S. scripturam admittunt, tum pro iis, qui S. scripturæ non credunt, quos tamen Notæ hæ moraliter convincunt, vel saltèm ad veram fidem & Ecclesiam Christi agnoscendam inducunt, ut patebit, ut sunt unitas, sanctitas, catholica & apostolica.

ARTICULUS III.

Ostenditur, quod unitas Ecclesiæ sit vera illius Nota.

I. De unitate Ecclesiæ sufficienter probatum est Cap. 1. ex S. scriptura & sanctis Patribus, quod *Ecclesia Christi sponsa in terris sit unica*. Hæc autem unitas in tribus consistit: potissimùm 1. quod omnia Ecclesiæ membra eandem fidem profiteantur. 2. quod inter se communionem habeant non tantum in fide, sed etiam in usu sacramentorum, in quibus comprehenditur exterior saltem charitas. 3. quod obediant Pastoribus Ecclesiæ, ac specialiter communionem habeant cum visibili à Christo constituto capite Ecclesiæ Petri successore.

Et hæc tria spectare ad veram unitatem Ecclesiæ externæ, ut saltèm sine his non possit esse vera unitas, per se patet ex ratione naturali. Si enim sit cœtus, in quo membra inter se exterius in fide prorsus dissentiant, qualis est unitas? aut si nullam inter se exterius charitatis vel unionis rationem, quæ maximè in usu sacramentorum eorundem consistit, servant? aut demum, si à suis legitimis Pastoribus, & præsertim constituto à Christo capite discedunt? *&c.* unde hæretici ab unitate Ecclesiæ propter defectum professionis fidei separantur; Schismatici vero ob defectum charitatis externæ.

II. Hæc autem esse signa Ecclesiæ patet ex S. scriptura: 1. quoad fidem, ex illo Joann. 17. v. 20. *Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint*, &c. *ut credat mundus, quia tu me misisti*, &c. ubi patet quod Christus unitatem eorum, qui in ipsum credunt per professionem fidei eandem, velit esse signum veræ suæ Ecclesiæ coram toto mundo, ut per illam mundus inducatur, ut faciliùs credat, quod Christus à Deo missus sit.

Idem indicat Dominus ibid. v. 23. dicens: *Ego in eis, & tu in me, ut sint consummati in unum, & cognoscat mundus, quia tu me misisti*, &c.

2. Ratio unionis cum charitate, quæ ad minus consistit exteriùs in communione eorundem sacramentorum & mutua agnitione fraternitatis, quod sit signum veræ Ecclesiæ, patet ex illo Joann. 13. v. 35. *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem, &c.* ubi clarè indicatur, quod dilectio ad invicem exterius exhibita erit signum omnibus, quod sint Discipuli Christi & de illius Ecclesia. III.

Hoc ipsum probatur etiam ex illo Matt. 12. v. 25. *Omne regnum divisum contra se, desolabitur, &c.* ubi Christus regnum suum & Ecclesiam à regno diaboli per unitatem distinguit.

Similiter 1. Cor. 14. v. 33. *Non est dissensionis Deus, sed pacis, sicut & in omnibus Ecclesiis Sanctorum doceo*, &c.

Ex hac ergo unitate eo magis patet vera Dei & Christi Ecclesia, quod per totum orbem dispersa, per tot varias Nationes tot modis alioquin inter se quoad linguas, humores & conditiones divisas, imo etiam ob lucra & regna temporalia inter se dissidentes tamen in fidei & sacramentorum communione exteriore conveniant, quod certissimum signum est Spiritus Sancti interius corda dirigentis, & veræ Christi Ecclesiæ.

3. demum unitatis modus quoad obedientiam fidelium erga suos Pastores legitimos patet ex illo ad Ephes. 4. v. 11. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos*, &c. *alios autem Pastores & Doctores ad consummationem sanctorum*, &c. *ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, &c.* Ubi patet, quod obedientia Pastorum exterior sit signum constantis fidei in Ecclesia. IV.

Quod vero communio & obedientia erga Caput Ecclesiæ à Christo constitutum requiratur, patet ex illis locis, ubi Christus Petro tanquam capiti & Pastori committit oves suas nullâ exceptâ Joann. 21. v. 17. *pasce oves meas*, &c. adeoque Ecclesiæ veræ unitatis signum est, ubi oves à Petro & illius successoribus pascuntur seu reguntur. Quomodo enim una, si à capite sit divisa? V.

Quod autem unitas ista non tantùm quoad fidem & charitatem seu communionem Ecclesiæ membrorum inter se, sed etiam cum capite visibili SS. Patres pro vera Ecclesiæ Nota agnoverint, suo loco clarissimè patebit, ubi tam ex S. scriptura, quam ex SS. Patribus demonstrabitur, quod Petrus sit caput Ecclesiæ à Christo constitutus, non tantum pro persona propria, sed etiam pro successoribus ipsius, qui sunt Romani Pontifices.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

Quod sanctitas sit Nota veræ Ecclesiæ.

I. TRiplex Ecclesiæ sanctitas considerari solet, nimirum *sanctitas doctrinæ*, *miraculorum*; *& vitæ plurium in Ecclesia fidelium.*

1. *Sanctitas doctrinæ*, quod scilicet Ecclesia in his, quæ docet, sancta sit, nihil docendo, quod sit falsum quoad fidem; nec iniquum aut injustum, quoad mores; nihil impossibile, nihil contra rationem, licèt plurima sint supra rationem, quæ tamen, si etiam ab infidelibus audiantur & supponantur à Deo revelata, non possint impossibilitatis, falsitatis vel iniquitatis argui, sed potius ut admiranda & sancta admitti. Vnde Ps. 18. v. 8. de doctrina Ecclesiæ quoad fidem & mores universaliter dicitur: *Lex Domini immaculata convertens animas, testimonium Domini fidele sapientiam præstans parvulis, &c.* Et ideo Ecclesia dicitur *sine macula & ruga* Ephes. 5. v. 17. quod sine errore doceat ea quæ spectant ad fidem & mores, ut suprà ex sanctis Patribus ostensum est. Hanc autem esse sinceram Notam veræ Ecclesiæ Christi, nullus sanæ mentis negare potest. Si enim talis Ecclesia sit in docendo, ea esse non potest, nisi à Deo regatur, cum alioquin omnis homo sit mendax.

Hæc nota indicatur Deuter. 4. v. 6. ubi dicitur de præceptis & justitiis quas Dominus dederat per Moysen: *Hæc est vestra sapientia & intellectus coram populis, ut audientes universa præcepta hæc, dicant*: *En populus sapiens & intelligens gens magna, &c.* ubi patet, quod præcepta Dei populo seu Ecclesiæ suæ data sint talia, ut, si gentiles illa audiant, ex illis agnoscant populum Dei esse.

II. *Sanctitas secunda Ecclesiæ est miraculorum*, quod scilicet in Ecclesia Christi fiant vera miracula potissimùm in testimonium & confirmationem veræ fidei: Cum enim miracula talia fiunt, quæ nec naturaliter accidere possint, nec operâ Diaboli juxta illud Ps. 135. *Qui facit mirabilia magna solus*: signum est, quod à solo Deo fiant in testimonium veritatis; ut illa, quæ alioquin captum hominis superant, per miracula fiant credibilia.

Ideo tam in veteri Testamento, quàm in novo facta sunt miracula vel ad ostendendam fidem, vel ad demonstrandum, quod illi, qui fidem prædicant, à Deo missi sint. Sic dum *Moyses* mittendus esset à Deo ad Israelitas, ut educeret eos ex Ægypto Exod 4. v. 1. dicebat: *Non credent mihi neq; audient vocem meam, &c.* & dixit Dominus v. 5. *ut credant quod apparuerit tibi Dominus, &c.* ubi diversa miracula Deus fecit, quæ jussit ut Moyses coram filiis Israel faceret in testimonium, & tunc credituri essent. Similiter postea coram Pharaone tanta miracula fecit, ut licèt Magi operâ Diaboli permissu Dei similia aliqua sive verè, sive fictè facerent, non tamen poterant omnia facere, ut patet ibidem cap. 8. ita ut ipsi Magi dicerent v. 19. *Digitus Dei est hic*, &c.

III. Similiter *Elias* extraordinariò missus ad filios Israel, qui defecerant à Domino ad Baal, tanta fecit miracula in testimonium fidei veri Dei, ut patet 3. Reg. 18. ubi populus viso miraculo credidit, & Elias 450. fallos Prophetas occidit.

Cùm autem in vet. Testamento Deus promisisset Christum Messiam venturum, qui regnum & Ecclesiam Dei redimeret ac impleret, & perficeret ea, quæ in veteri lege erant, atque sublatis figuris veritatem clarius doceret, necessarium judicavit Deus, ut Prophetæ plura signa prædicerent à Christo facienda, quæ nullus alius fecisset, ut inde populus crederet ipsum esse Messiam, unde Matt. 11. v. 4. dum Joannes mitteret Discipulos ad Jesum, dixit: *Tu es qui venturus? &c.* dixit Jesus: *Euntes renuntiate Ioanni quæ audistis & vidistis*; *Cæci vident, Claudi ambulant, mortui resurgunt, &c.* quæ erant de Christo prædicta Isa. 35. & 61. & Dominus Joann. 15. v. 24. ait: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.*

Rursus Christus Dominus missurus Apostolos priùs in Judæam ad prædicandum Evangelium Matt. 10. v. 1. *dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem*, &c.

Demum Christus mittens Apostolos in universum mundum Marci ult. v. 17. dicebat: *Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur, &c.* & ibid. v. 20. *Illi autem profecti prædicaverunt ubiq; Domino cooperante & sermonem confirmante, sequentibus signis.* IV.

Sic in actibus Apostolorum tanta miracula legimus facta in probationem veræ fidei; unde & Apostolus ad Hebr. 2. v. 3. dicit: *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est*: *Contestante Deo signis & portentis, &c.* ubi patet, quod signa fuerint à Deo facta per Apostolos in testimonium & signum veræ fidei ac salutis.

Et quidem, ut omnes alios sanctos Patres sileam, qui omnes idem docent, sufficiat unus *Augustinus*, qui in libris de Civitate Dei, ubi probat fidem Christianam contra Paganos, specialiter lib. 22. ostendit, quod fides Christiana à Deo probata sit ex magnitudine miraculorum; quæ in S. scriptura de resurrectione Christi & aliis narrantur, & inter illa cap. 5. hoc ponit miraculum, quod totus mundus tam paucis Apostolis idiotis prædicantibus illa credidit, adeoque infert, quod sint credibilia; & addit dicens: *Quod si nobiles, docti & sublimes dixissent se illa vidisse, mirum non esset si alii credidissent. Si autem, ait, ut verum est, paucis, obscuris, minimis, indoctis eam Christi resurrectionem & ascensionem se vidisse dicentibus & scribentibus credidit mundus, cur pauci obstinatissimi, qui remanserunt, ipsi mundo jam credenti ad huc usq; non credunt? Eloquia novimus persuadentium, quæ dicebant mira fuerunt facta non verba, &c.* ubi enarrat miracula per Apostolos facta, præsertim in actibus Apostolorum de linguis in festo Pentecostes subito datis, & aliis plurimis. V.

VI. Idem *Augustinus* paganorum objectioni respondens etiã modernis Acatholicis os obstruit, dum dicit cap. 8. *Cur inquiunt, nunc illa miracula, quæ prædicatis facta esse, non fiunt? possem quidem dicere necessaria fuisse priusquam crederet mundus, ad hoc ut crederet mundus, quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquirit magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit. Verum hoc ideo dicunt, ut nec tunc illa miracula fuisse credantur. Vnde ergo tantâ fide Christus usquequaq; cantatur in cœlum cum*

carne

Digitized by Google

carne sublatus? unde temporibus (scilicet tempore Augusti & Tyberii) *eruditis & omne quod fieri non potest respirantibus sine ullis miraculis nimium mirabiliter incredibilia credidit mundus?* &c. *Hoc ad refellendos vanissimos dixerim. Nam facta esse multa miracula, quæ attestantur illi uni grandi salubriq; miraculo, quo Christus in cœlum cum carne, in qua resurrexit, ascendit, negare non possumus,* &c. *Hæc ut fidem facerent, innotuerunt, hæc per fidem, quam fecerunt, multò clarius innotescunt, &c.* ubi patet, quod miracula priùs inducant homines ad credendum, qui postea fide divinâ illuminati ipsa miracula certius credunt. Et paulò post sic pergit Augustinus dicens: *Nam & nunc fiunt miracula in ejus nomine sive* (NB. contra modernos Acatholicos) *per sacramenta eius, sive per Orationes, vel memorias Sanctorum eius, &c.* sed non eâdem claritate *illustrantur, ut tanta quanta illa* (scilicet quæ in S. scriptura expressa sunt) *gloriâ diffamentur, &c.* hæc Augustinus; ubi plurima miracula suo tempore ad Reliquias & memorias Martyrum facta commemorat, *&c.* quæ utique vel ad majorem fidei confirmationem, vel ad Dei & Sanctorum honorem Deus fecit.

VII. Idem Augustinus lib. 1. retract. c. 13. retractat & explicat, quod dixerat lib. de vera Religione dicens: *Itē quod dixi, nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt,* &c *verum est quidem, non enim nunc usq; cum manus imponitur baptizatis, sic accipiunt Spiritum Sanctum, ut loquantur linguis omnium gentium,* &c. *sed non sic accipiendum est quod dixi, ut nunc in Christi nomine fieri miracula nulla credantur: Nam ego ipse, quando illum ipsum librum scripsi, ad Mediolanensium corpora martyrum, in eadem ciuitate cæcum illuminatum fuisse jam noueram, & alia nonnulla, qualia tam multa etiam istis temporibus fiunt, ut nec omnia cognoscere, nec ea, quæ cognoscimus, enumerare possimus,* hæc ibi. Demum sicut ad fidem Christi mundo persuadendam Deus miracula necessaria judicavit, sic dubium esse non potest, quin similiter dum in Ecclesia sua circa certos fidei articulos quæstio oritur inter doctos, ita ut aliqui pertinaces contra veram doctrinam insurgant hæretici S. scripturam falsò interpretantes, Deus præter alia media etiam Ecclesiæ conferat miracula, ut in testimonium veritatis fiant. Sic constat in primitiva Ecclesia, quod Arianâ peste sæviente & multos seducente Deus per varios sanctos miracula in testimonium consubstantialitatis Filii cum patre ediderit, ut inter alios S. Martinus tres mortuos resuscitarit. Sed hæretici etiam dum in suæ perfidiæ testimonium fictè cæcos illuminare vellent, visu eosdem privarunt, & plura alia falsa commiserunt, ut ex historiis patet, prout etiam de Luthero & Calvino notum est, & infrà patebit.

VIII. 3. Ad Notam *sanctitatis miraculorum* etiam spectat *donum prophetiæ,* quod in sola vera Ecclesia Dei habetur, unde cognoscitur, quod vera sit Dei Ecclesia, & à Deo doctrina procedat, qui solus novit futura infallibiliter. Vnde Isai. 41. v. 21. objicitur idololatris ut probent si à Deo sint, scilicet: *Accedant & nuntient nobis quæcunq; ventura sunt, &c.* & v. 23. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dii estis vos, &c.* adeoque ubi eveniunt quæ certitudinaliter in nomine Domini prædicta sunt, clarum est, quod inspirante vero Deo prædicta sint.

4. *Sanctitas vitæ eorum,* qui in Ecclesia sunt, etiam ad Ecclesiæ Notam spectat, ut patet ex illo Matt. 5. v. 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est, &c.* ubi patet, quod Christus voluerit, ut bona opera suorum sint videntibus in signum, ut credant & glorificent Patrem, credendo, quod tales sint in vera Ecclesia Christi, *&c.*

Quamvis autem certum sit, prout suprà ex S. scriptura & SS. Patribus demonstratum est, quod in Ecclesia vera sint boni & mali sicut triticum & zizania in agro, ac pisces boni & mali in una sagena missa in mare, *&c.* attamen certum est, quod semper Deus ita disponat, ut licet mali scandalizent multos; tamen boni ædificent illos, qui sincerè omnia considerant; præsertim viros singularis sanctitatis in omni genere virtutis, ut etiam adversariis fidei sint admirationi, & ab illis viri sancti æstimentur: quamvis alioquin etiam in falsis cœtibus multi inveniantur qui moraliter bene vivunt, sed tunc ex aliis signis manifestum est, quod non sint in vera Ecclesia, adeoque illorum bona opera non prosunt ad salutem, ut supra ex sanctis Patribus dictum est, quod extra Ecclesiam non sit salus. Potest autem aliquod signum Ecclesiæ seorsim in falsa Ecclesia saltem apparenter inveniri, sed si alia signa desint, non sufficit. IX.

ARTICVLVS V.

Signum 3. Ecclesiæ Christi vera est, quòd sit, & dicatur Catholica.

SCiendum duo circa hoc signum consideranda esse, unum quoad nomen, alterum quoad rem significatam, & quidem, licet nomina ad placitum imponantur, & quilibet sibi aliquod nomen arrogare posset, non tamen rem ipsam sibi attribuere potest. Vnde licet hæretici antiqui suis etiam cœtibus hoc nomen vendicarint, non tamen rem ipsam habuerunt: imò quod SS. Patres piè observarunt, nec ipsum nomen Catholicum ipsis communiter attributum est, ne quidem à suis sectatoribus, prout *Augustinus* lib. contra epist. fundamenti testatur dicens: *Tenet postremò ipsum Catholicum nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut, cum omnes hæretici se Catholicos dici velint: quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam* (Ecclesiam) *conveniatur, nullus hæreticorum vel Basilicam suam, vel domum audeat ostendere, &c.* hæc ille. I.

Similiter referunt alii diversi Patres, & experientia hodierna idem docet in locis, ubi Acatholici cum Catholicis permixti habitant.

Vnde *S. Pacianus* circa annum Domini 360. *Episcopus Barcinonensis* epist. 1. ad Sympronianum Bibl. PP. edit. Colon. 1618. sic ait: *Quo ergo nomine congregationem meæ plebis agnoscerem, nisi Catholica diceretur?* Et iterum: *Certè non est ab homine mutuatum, quod per secula tanta non cecidit, Catholicum istud, nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum sonat, nec hæreticos sumit actores, &c.* ubi indicat quod hæreses à suis Auctoribus nomen habeant, ut etiam alii sancti Patres ostendunt. Et rursus ait: *Christianum mihi nomen est, Catholicus*

vero

vero cognomen, illud me nuncupat, istud ostendit, &c. hæc ille. Similiter loquuntur alii Patres.

II. Quamvis autem Ecclesia in sacra scriptura non nominetur Catholica, res tamen ipsa in S. scriptura continetur, cum tot modis S. scriptura prædixit, quod Ecclesia sit futura per omnes gentes, & hoc velut certissimum Ecclesiæ signum fore indicavit; ut sancti Patres passim affirmant. Sic enim Augustinus lib. 1. contra Faustum cap. 13. edit. Basil. 1528. ait: *Quo manifesto indicio tenebo Ecclesiam Christi? Non potest Civitas abscondi supra montem constituta*, Matt. 5.

Similiter urget lib. 3. contra Petilian. cap. 104. eâd. edit. dicens: *Non estis in montibus Sion, quia non estis in Civitate supra montem constituta, quæ certum* (NB) *signum hoc habet, quod abscondi non potest. Nota est ergo omnibus gentibus, pars autem Donati ignota est pluribus gentibus, non est ergo ipsa, &c.* hæc ibi.

III. Idem Aug. epist. 170. ad Donatistas eâd. edit. sic ait: *Ipsa est enim Ecclesia catholica, unde* καθολικὴ *Græcè appellatur, quod per totum terrarum orbem diffunditur, hanc ignorare nemini licet, ideo secundùm verbum Domini abscondi non potest*, &c. hæc ibi. Verum, ne quis putaret Catholicos solùm in nomine illo fundari, ut ideo Ecclesia per orbem diffundi dicatur, quia Catholica dicitur, sed potius ideo Catholica dicitur, quia per orbem diffusa est, idque ex promissis Domini. Ideo Augustinus epist. 48. contra Vincent. edit. cit. qui nomen Catholicum aliter ad suum sensum explicabat, quasi non significaret universalem per orbem Ecclesiæ diffusionem, sed universalem præceptorum Dei & Sacramentorum observantiam, quod etiam Acatholici subinde prætendere conantur: Augustinus sic ait: *Quasi nos etiam (si fortè hinc sit appellata Catholica, quod per totum scilicet quoad fidem orbem veraciter teneat, cujus nonnulla particula etiam in diversis reperiuntur hæresibus) hujus nominis testimonio nitamur ad demonstrandum Ecclesiam in omnibus gentibus, & non promissis Dei tam multis tamq; manifestis oraculis ipsius veritatis, &c.* hæc ibi.

IV. Idem lib. imperfecto in Genes. cap. 1. edit. cit. *Mater Ecclesia*, ait, *Catholica dicitur ex eo, quia universaliter perfecta est, & in nullo claudicat, & per totum orbem diffusa est, &c.* Ecce, quàm nervosè & breviter Augustinus utramque Catholici nominis rationem exprimit.

Quod autem quoad rem ipsam, signum veræ Ecclesiæ Christi sit, quod universalis sit taliter 1. ut totam & integram fidem Catholicam tradat, ut Augustinus jam indicavit; 2. præcipuè, quod à tempore Apostolorum per omnes gentes propagari cœperit, & per omnes gentes diffusa crescat, & non deficiat usque ad diem judicii, manifesta sicut *Civitas in monte posita* supra cap. 3. prolixiùs ex S. scriptura & SS. Patribus demonstratum est; & præsertim ex D. Augustino, qui passim contra Donatistas hoc ipsum clarissimis tam veteris quam novi Testamenti testimoniis probavit. Eadem prolixè prosequitur lib. de unit. Ecclesiæ, ut supra relatum est. Sufficiat hic aliqua repetiisse lib. de unit. Ecclesiæ cap. 11. ubi dicit: *Evangelizata est nobis Ecclesia per totum orbem terrarum futura; hoc in lege & Prophetis & Psalmis esse prænunciatum ipse Dominus testificatus est.* Et cum verba Christi retulisset quod testes Apostoli ipsi essent incipiendo ab Hierusalem, &c. Act. 1. subdit: *Hæc verba facta secuta sunt, quomodo cœptum ab Hierusalem, deinde processum in Iudæam & Samariam, inde in totam terram, ubi adhuc crescit Ecclesia, donec usq; in finem & reliquas gentes, ubi adhuc non est, obtineat, scripturis sanctis testibus consequenter ostenditur: quisquis aliud evangelizaverit anathema sit.* Et cap. 12. *Evangelizat autem aliud, qui periisse dicit de nostro mundo Ecclesiam & in parte Donati in sola Africa remansisse dicit, ergo anathema sit, &c.* hæc ibi. Hoc considerent Acatholici.

V. Similiter procedit *Optatus Mileuitanus*, qui floruit Anno 370. lib. 2. contra Parmen. Bibl. PP. edit. Colon. 1618. dicens: *Ubi ergo erit proprietas Catholici nominis cum inde dicta sit Catholica, quod sit ubiq; diffusa? &c.* Hoc probat variis S. scripturæ locis & inter alia ex illo Psal. 2. v. 8. *Dabo tibi gentes in hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ, &c.* unde infert: *Tota est donata terra cum gentibus totius orbis christo una possessio est.* Et iterum: *Pater, dum donat, nihil excipit. Vos, ut concedatis unciam, totam libram auferre conamini, &c.* hæc ille.

Rursus Augustinus epist. 166. *Ipsa est*, ait, *Ecclesia in sole posita, hoc est in manifestatione omnibus nota usq; ad terminos terræ.*

Item lib. de symbolo cap. 5. *Ipsa est*, ait, *Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica, contra omnes hæreses pugnans, pugnare potest, expugnari tamen non potest, &c.* hæc ibi. Ubi notandum, quod omnes hæreses, quotquot sunt inter se dissentientes, si cum Catholica agatur, tunc omnes conjunctim illam impugnant. Nec etiam hæresis una ubique, sicut Catholica, sed diversæ in diversis locis Ecclesiam veram oppugnant. Ita indicat Augustinus lib. 1. contra Crescon. cap. 64. edit. Basil. 1528. Cùm introduxisset Cyprianum sic loquentem, *Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos, per universam terram copiam ubertatis extendit;* Augustinus ad objectionem Cresconii objicientis, quod etiam hæreses sint per totum mundum, respondet: *quod ubiq; sint boni & mali, Catholici & hæretici, sed hæretici diversi.* Et tandem sic ait: *Alii hic, alii alibi atq; alibi hæretici cum diffusa ubique Catholica unitate confligunt. Ubiq; enim est illa, de qua illi exierunt, quisq; ubiq; minimè potuerunt*, &c. hæc ille. Hoc & hodie experimur, cum Catholica ubique sit, sed diversæ hæreses non una ubique, sed in diversis partibus illam oppugnant.

VI. Ubi nota cum S. Augustino epist. 80 ad Hesychium, quod Ecclesia sic sit ubique, ut fides aliquando in omnibus gentibus prædicanda sit, quod, quousque nondum factum, tam diu non erit dies judicii, ita dicente: *In quibus ergo gentibus nondum est Ecclesia, oportet ut sit, non ut omnes, qui ibi fuerint, credant: omnes enim gentes perversæ sunt, non omnes homines omnium gentium, &c.* hæc ille.

Demum, quod Ecclesia Catholica per omnes gentes diffusa sit, ipse Calvinus fatetur lib. 4. Inst. cap. 1. § 9. dicens: *Ecclesiam universalem esse collectam ex quibuscunq; gentibus multitudinem, quæ intervallis locorum dissita & dispersa, in unam tamen divinæ doctrinæ veritatem consentit, & ejusdem religionis vinculo colligata est, &c.* hæc ille.

VII. Similiter in Catechismo Acatholicorum Gallico sic dicitur: *Quid est catholicam vel universa-*

lem, cum dicitur, credimus unam Catholicam Ecclesiam? Respondetur: per hoc indicatur, quod, sicut unum est caput fidelium, ita oportet omnes in uno corpore unitos esse, taliter, ut non sint multæ Ecclesiæ, sed una dumtaxat per totum mundum diffusa, &c. hæc ibi.

Itaque ex ipsorum confessione verè Ecclesiæ signum est, ut semper per totum mundum diffusa sit, sicut semper creditur Ecclesia Catholica in symbolo. An autem hoc ipsorum Acatholicorum cœtui conveniat, aut unquam convenerit, quis dicere audebit?

ARTICVLVS VI.

4. *Nota & signum Ecclesiæ veræ est, quòd sit apostolica, id est, quod habeat Episcopos per continuam successionem ab Apostolis descendentes, & doctrinam Apostolorum semper continuatam credat, ostenditur.*

I. VT Ecclesia Catholica verè dicatur & sit *apostolica*, SS. Patres juxta sacram scripturam tria potissimùm requisiverunt, 1. quod sit ab ipsis Apostolis fundata: vel si particularis sit Ecclesia, ut cum Ecclesiis ab Apostolis fundatis communionem habeat. 2. ut Ecclesia reservet & profiteatur illam doctrinam, quæ ab Apostolis tradita, & à tempore Apostolorum in Ecclesia continuata est.

3. Quod ostendi possint in Ecclesia Episcopi & pastores, qui succedant legitimè Episcopis & pastoribus usque ad tempora Apostolorum, & eandem doctrinam cum antiquis doceant: Quis enim neget illam esse veram Ecclesiam Christi? 1m. patet ex S. scriptura specialiter ex illo Ephes. 2. v. 20. *Estis cives Sanctorum fundati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu.*

II. 2m. facilè patet ex omnibus S. scripturæ locis, quæ docent veram Christi Ecclesiam semper manifestam usque ad diem judicii permansuram, quod fieri non posset; nisi eandem, quam Apostoli docuerunt fidem & doctrinam complectatur & doceat. 3m. patet etiam ex pluribus S. scripturæ locis, quia ubi docetur vera fides manifestè, oportet extare Doctores, qui illam apertè docent, prout prædixit Christus de Apostolis & eorum successoribus Matt. 5. v. 14. *Vos estis lux mundi,* &c. *neq; accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, &c.* 2. ex illo Luc. 24. v. 47. *Oportebat Christum pati,* &c. *& prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes.*

3. Specialiter ex illo ad Ephes. 4. v. 11. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos,* &c. *alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii in ædificationem corporis Christi; donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis,* &c. *ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, &c.* ubi patet, quod promittantur semper futuri Pastores Ecclesiæ usque dum Christus ad judicium venturus sit; idque in illum finem, ut fideles per ipsos in fide roborentur, & ab illis regantur, quales sunt Episcopi, de quibus Apostolus dicit Act. 20. v. 28. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, &c.* Ex quo constat, quod ubi non sunt legitimi ab ipsis Apostolis descendentes Episcopi vel Pastores, ibi non sit vera Christi Ecclesia, adeoque veræ Ecclesiæ Nota sit legitima Episcoporum successio à tempore Apostolorum continuata.

III. Ad legitimam autem successionem Episcoporum SS. Patres juxta S. scripturam etiam duo requisiverunt; unum, ut personaliter sibi invicem successerint; alterum, ut legitimè ordinati fuerint more ab Apostolis & in Ecclesia primitiva consueto. Consuetum autem erat, ut Episcopi non sibi ipsi assumerent munus Episcopi, sed ab ipsis Apostolis ordinarentur, sicuti Apostoli missi erant à Christo, & Christus à Patre, ut ait Apostolus Hebr. 5. v. 4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron: sic & Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret, &c.* Ita Apostoli ordinarunt Episcopos per loca, ut Apostolus indicat 1. Tim. 4. *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi, cum impositione manuum Presbyterii:* quod sancti Patres semper intellexerunt de manuum impositione duorum vel trium Episcoporum, qui simul cum Episcopo ordinante manus capiti ordinati imponebant, ut passim patet ex Conciliis præsertim Niceno 1. can 1. cap. 4. edit. Colon. 1538. Carthaginensi 4. cap. 2. Et constat ex epist. ad Tit. 1. v. 5. & passim ex SS. Patribus, quod Apostoli in diversis locis Episcopos ordinarint, qui fidem propagarent. Quia itaque doctrina apostolica per Episcopos & Pastores Apostolorum successores in Ecclesia conservata prædicabatur; ideo sancti Patres pro vera Ecclesiæ Nota observarunt, ut Episcopi ostenderent, qui verè & legitimè Apostolis vel illorum successoribus successissent, vel ab illis ordinati essent; & per hoc repudiabant hæreticos, qui talem successionem ostendere non poterant. Ipsi autem sancti Patres Ecclesiam Catholicam ostensuri Apostolicam, probabant per continuationem Episcoporum & specialiter per Romanorum Pontificum successionem, utpote qui indubitatè B. Petro Apostolorum capiti succederent, quicquid malevolè & impudenter Acatholici oblatrent: res ipsa constabit ex SS. Patrum testimoniis.

IV. Irenæus lib. 3. cap. 3. edit. Colon. 1596. dicit: *Hac ordinatione & successione, ea quæ est ab Apostolis in Ecclesia traditio & veritatis præconiatio pervenit usq; ad nos, & est* (NB) *plenissima hæc ostensio, unam & eandem vivificatricem fidem esse, quæ in Ecclesia ab Apostolis usq; nunc sit conservata, & tradita in veritate, &c.* ut autem ostendat qualiter fides ab Apostolis pervenerit, Cap. 4. sic ait: *Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones maximæ & antiquissimæ* (NB) *& omnibus cognitæ à gloriosissimis Ducibus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usq; ad nos indicantes confundimus omnes eos, qui quoquo modo,* &c. *præterquam oportet, colligunt,* &c. ubi omnes Episcopos Romanos à B. Petro usque ad sua tempora refert.

Idem

ed by Google

Idem lib. 4. cap. 63. eâd. edit. ait: *Agnitio vera est Apostolorum doctrina & antiquus Ecclesiæ status in universo mundo, & character corporis Christi secundum successiones episcoporum*, hæc Irenæus. Ecce veræ manifestum signum Ecclesiæ.

V. *Tertullianus* lib. de præscript. adversus hæreticos cap. 63. edit. Paris. 1584. & Basil. 1562. ita ait: *Si Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoq; auctoritas præsto est. Statu felix Ecclesia cui totam* (NB) *doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, &c.* Et postea: *Cedant hæretici origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris habuerit auctorem & antecessorem. Hoc enim modo Romanorum Ecclesia Clementem à B. Petro ordinatum refert, &c.* hæc ille.

VI. *Cyprianus* lib. 4. epist. 2. in ordine 52. edit. Basil. 1543. loquens de *S. Cornelio* Romano Episcopo sic ait: *Factus est Episcopus à plurimis Collegis nostris, qui in urbe Roma aderant, qui ad nos literas honorificas de ejus ordinatione miserunt. Factus est autem Episcopus*, &c. *cum Fabiani locus, id est, cùm locus Petri & gradus Cathedræ sacerdotalis vacaret*, &c. *electus est*, &c.

Epiphanius Episcopus Salaminæ in Cypro hæresi 27. edit. Basil. 1560. omnes Romanos Episcopos à B. Petro ad sua usque tempora accuratè recensens subdit: *Et ne quis miretur, quod tam exactè singula recensemus, per hæc enim semper claritas ostenditur, &c.* hæc ille.

VII. *Optatus Mileuitanus* contra Parmenianum Donat. lib. 2. Bibl. PP. edit. Colon. 1618. t. 4. pag. 274. volens ostendere falsam Donatistarum Ecclesiam probat ex defectu legitimæ successionis Episcoporum, & ex legitima successione Romanorum Episcoporum Ecclesiam Catholicam dicens: *Igitur ostendemus in Ecclesiæ dotibus, quod illa vera sit Ecclesia, quæ per totum orbem diffusa est*, &c. *videndum ubi sint dotes, inter quas cathedra est prima, videndum qui, & ubi prius cathedræ sederint, negare non potes scire te in urbe Roma Petro primo cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, unde & Cephas*, &c. *ergo cathedra unica est, quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus, &c.* & numeratis omnibus dicit *Damaso Syricius hodie, qui noster est socius, cum quo nobis totius orbis commercio formatarum, in una communionis societate concordat.* Et tandem numeratis aliis Ecclesiæ dotibus seu signis sic concludit; *Igitur de dotibus supradictis cathedra est prima, quam probauimus per Petrum nostram esse, &c.* ubi patet quod successionem legitimam Romanorum Pontificum tanquam primariam veræ Ecclesiæ Notam proposuerit; & postea contra Donatistas infert dicens: *Vestræ vos cathedræ originem reddite, &c.* hæc ille. Cur ergo non hoc ipsum justissimè ab Acatholicis exposcitur?

VIII. *Hieronymus* lib. adversus Luciferian. edit. Basil. 1553. circa finem sic ait: *Breuiter tibi apertamq; animi mei sententiam proferam, in illa Ecclesia esse permanendum quæ ab Apostolis fundata usq; in diem hunc durat: Sicubi audieris eos, qui dicantur Christi, non à Domino Iesu Christo, sed à quoquam alio nuncupari, utpute Marcionitas, Valentinianos*, &c. *scito non Ecclesiam Christi, sed Anti Christi esse synagogam, &c.* hæc Hieronymus.

Augustinus epist. 157. edit. Basil. 1528. *Injuncta nobis*, ait, *à venerabili Papa Zozimo apostolicæ sedis Episcopo Ecclesiasticâ necessitate ad Cæsarium in Mauritaniâ nos traxerat, &c.* ubi certis Zozimi de originali peccato recitatis verbis contra Pelagium sic infert: *In his verbis apostolicæ sedis tam antiqua atq; fundata, certa & clara est Catholica fides, ut nefas sit de illa dubitare Christiano, &c.* hæc ille. Ubi clarè supponit successionem Romanorum Pontificum à S. Petro Apostolo, & inde ostendit fidei veritatem. IX.

Idem lib. contra epist. fundam. eâd. edit. inter Notas Ecclesiæ quæ ipsum moveant dicit: *Tenet me in Ecclesia ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas Dominus commendauit usq; ad præsentem, Episcopalium successio Sacerdotum*, &c.

Rursus epist. 165. ubi respondet Generoso, cui quidam Donatista scripserat, ut ordinem Christianitatis Civitatis suæ servaret. Augustinus monet, ut potiùs christianitatem non unius Civitatis, sed totius orbis terræ servaret, & postea subjungit: *Si ordò*, inquit, *Sacerdotum sibi succedentium considerandus est, quantò certius & verè salubriter* (NB) *ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait:* Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: *Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euaristus, Euaristo Alexander, Alexandro Sixtus, Sixto Theosphorus, Theosphoro Hyginius, Hyginio Anicetus, Aniceto Pius, Pio Sother, Sothero Eleuterius, Eleuterio Victor, Victori Zephyrinus, Zephyrino Calixtus, Calixto Vrbanus, Vrbano Pontianus, Pontiano Cornelius, Cornelio Lucius, Lucio Stephanus, Stephano Xistus, Xisto Dionysius, Dionysio Felix, Felici Eutychianus, Eutychiano Cajus, Cajo Marcellinus, Marcellino Eusebius, Eusebio Miltiades, Miltiadi Sylvester, Sylvestro Marcus, Marco Iulius, Iulio Liberius, Liberio Damasus, Damaso Syricius, Syricio Anastasius. In hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus invenitur.* Et post pauca: *In illum autem ordinem Episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro, usq; ad Anastasium, qui nunc eandem cathedram sedet*, &c. hæc August. ubi cum asserat nullum Donatistam inter illos Episcopos fuisse multò magis supponit, quod nullus Arianus vel alius hæreticus fuerit.

Cur obsecro tanta cum diligentia SS. Patres ordinem Romanorum Pontificum in controversiis fidei recitarunt? nisi duas potissimùm ob caussas, ut quia, quotquot olim erant hæretici, semper jactitabant se fidem & doctrinam Apostolorum illibatam proferre, ne simplices tali fuco deciperentur, SS. Patres urserunt veram fidem Apostolorum ab Ecclesiâ à tempore Apostolorum continuatâ per Episcopos, quam ab Apostolis acceperunt, indubitanter accipiendam; & licet diversæ tunc temporis adhuc essent sedes Episcopales à diversis Apostolis fundatæ, ut Antiochiæ, Alexandriæ, & Hierosolymæ, tamen specialiter omnes SS. Patres etiam qui in illis Græciæ & Orientis partibus essent Episcopi, dum fidei ab Apostolis propagationem per Episcopos referendam contra hæreticos existimarunt, semper ordinem Romanorum Pontificum specialiter texunt; cujus causam etiam indicant & specialiter sanctus Augustinus epist. 165. jam relatus, quia ibi erat firmata S. Petri sedes, cui Christus Ecclesiam X.

commiserat, ut pasceret oves ipsius, ac proinde indubitatum habebant argumentum, quod Ecclesia quæ per totum orbem diffusa communionem haberet cum Petri successore Romano Pontifice, illa vera Christi esset Ecclesia, & veram à S. Petro traditam fidem conservaret, quicquid hîc insolenter obganniant Acatholici, res ex verbis SS. Patrum clarissima est.

XI. Nec his obstat communis, sed inanis Acatholicorum responsio dum dicunt SS. Patres id optimo jure tunc temporis fecisse, cum Romæ Petri successor immutatam Petri fidem teneret, & hoc omnibus constaret; adeoque merito omnes ad sedem Romanam appellabant pro ostensione veræ fidei; nunc autem Romæ fidem defecisse. Verùm quam vana sit hæc evasio patet: nam certum est, quod tempore illorum SS. Patrum hæretici ut *Novatiani*, *Donatistæ*, &c. execrabantur Cathedram S. Petri & Pontificem Romanum asserentes illum à fide Petri defecisse, ut patet ex Augustino lib. 2. contra Petilian. cap. 51. edit. Basil. 1528. dicente: *Verba legis dicitis, sed in quos dicatis non attenditis, sicut Diabolus verba legis dicebat, sed cui diceret non agnoscebat.* Matt. 4. *Cathedra tibi quid fecit Romanæ Ecclesiæ, in qua Petrus sedit, & in qua Anastasius sedet?* &c Et infrà: *quare appellas Cathedram pestilentiæ Cathedram apostolicam?* hæc Augustinus. Quid hic dicent Acatholici? nonne per hæc D. Augustini verba cum illis Donatistis confunduntur? sicut itaq; non obstantibus hæreticorum dicteriis SS Patres juxta verbum Christi sequebantur doctrinam cathedræ Romanæ Ecclesiæ à S. Petro traditam, & ab illa ducebant argumentum ad Ecclesiam universam, quæ cum Romana sede communicet, & tunc firmum argumentũ erat, quod illi à vera Ecclesia defecisset, qui à sedis Romanæ communione se separasset; Sic non obstantibus Acatholicorum calumniis vera Ecclesiæ Nota est successio Pontificum Romanorum à S. Petro usque in hanc diem succedentium, ut illa sit vera Ecclesia, quæ per totum orbem diffusa cum Ecclesia Romana ejusque Episcopo communicat, & quæ ab illius communione se separat, prophana sit.

XII. Quod autem doctrina Romanæ Ecclesiæ eadem & immutata permanserit cum antiqua Romana Ecclesia, & quod Acatholici moderni ab illa longè defecerint, infrà ostendetur. Hîc sufficit ostendisse ex sanctis Patribus primitivæ Ecclesiæ, quod certa nota veræ Ecclesiæ sit, quod habeat Episcopos in ordine continuato sanctis Apostolis & præsertim S. Petro succedentes; ex quo imprimis evidens erit; quod cætus omnes qualescunque, qui habent fictos pastores, nullâ legitimâ successione ab Apostolis succedentes, vera Ecclesia esse non possit.

Ex his etiam patet, quod, sicut universalis per totum orbem vera Christi Ecclesia dicitur *Apostolica*, quia fidem ab Apostolis & præsertim Petro prædicatam & per illius successores conservatam tenet, ita etiam verissimè dicatur Romana, quia communicat cum Romana Ecclesia & Petri successoribus, qui sunt Romani Pontifices, quod ad propositum sufficit. Infrà etiam probabitur quod totius Ecclesiæ caput sit Romanus Pontifex.

***

CONCLUSIO

Huius Libri.

HActenus in hoc libro ex S. scriptura & sanctis Patribus demonstravimus de vera Christi Ecclesia, qualis sit, & quæ *signa*, *symbola vel Notæ*, per quas quilibet etiam infidelis & paganus rationabiliter ad dignoscendam veram Christi Ecclesiam induci possit, & juxta quas Catholici firmiter & tutò Ecclesiæ Catholicæ adhærere possint: quas Notas ideo D. Augustinus vincula vocat, eaque recenset lib. contra epist. Fundam. Manichæi cap. 4. dicens: *In Catholica enim Ecclesia, ut omittam sincerißimam sapientiam, ad cujus cognitionem pauci spirituales in hac vita perveniunt, &c.* & infrà: *Cæteram quippe turbam non intelligendi vivacitas sed credendi simplicitas* (NB) *tutißimam facit. Vt ergo hanc omittam sapientiam, quam in Ecclesia Catholica esse non creditis, multa sunt alia, quæ me in ejus gremio justißimè* (NB) *teneant. Tenet consensio populorum atq; gentium* (Ecce Ecclesiam Catholicam per totum orbem diffusam & unam) *tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta* (ecce Ecclesiam sanctam) *vetustate firmata* (ecce antiquitatem) *Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit usq; ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum* (ecce apostolicam & Romanam) *tenet postremo, ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes hæretici* (NB. Acatholici) *se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel Basilicam suam vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot & tanta Christiani nominis charißima vincula rectè* (NB) *hominem tenent credentem in Catholica Ecclesia, etiamsi propter nostræ intelligentiæ tarditatem vel vitæ meritum veritas nondum se apertissime ostendat. Apud vos autem, ubi nihil horum est, quod me invitet ac teneat, sola personat veritatis pollicitatio, &c.* Quis non videt D. Augustinum non solum signa veræ Ecclesiæ descripsisse, sed his verbis apertissimè modernos Acatholicos perstrinxisse cum Manichæis, quia nihil illorum vinculorum apud Acatholicos reperitur sed sola puri verbi Dei & veritatis pollicitatio. XIII.

Quod autem Aug. de vana & nuda pollicitatione veritatis Manichæorum dixit, idipsum cap. 5. ostendit dicens: *Videamus quid me doceat Manichæus in libro quem fundamenti epistolam dicitis, certe sic incipit: Manichæus Apostolus Iesu Christi: Hæc sunt salutaria verba de perenni & vivo fonte,* &c. *Quæro ergo quis sit ille Manichæus?* (Lutherus, Calvinus) *respondetis Apostolus Christi. Non credo. Promittebas scientiam veritatis, & nunc quod nescio, cogis me credere. Evangelium forte mihi lecturus es, & inde Manichæi personam tentabis asserere. Si ergò invenirem aliquem qui Evangelio nondum credit, quid faceres dicenti tibi non credo? Ego vero* (NB) *Evangelio non crederem nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas. Quibus ergo obtemperavi dicentibus: Credite Evangelio. Cur eis non* XIV.

Digitized by Google

Cur eis non obtemperabo dicentibus mihi : Noli credere Manichæo. Elige, quod voles : ſi dixeris : Crede Catholicis, ipſi me monent ut nullam fidem accommodem vobis, quapropter non poſſum illis credere, niſi tibi non credere. Si dixeris noli Catholicis credere, non rectè faceres per Euangelium me cogere ad Manichæi fidem, quia ipſi Euangelio Catholicis prædicantibus credidi. Si autem dixeris : rectè credidiſti Catholicis laudantibus Euangelium, ſed non rectè credidiſti vituperantibus Manichæum (Lutherum, Calvinum) *uſque adeo me ſtultum putas, ut nullâ redditâ ratione, quod vis, credam, quod non vis, non credam ? multo juſtiùs & cautiùs facio ſi Catholicis, quoniam ſemel credidi, ad te non transeo,* &c. *ſi ad Euangelium te tenes, ego ad eos me teneam, quibus præcipientibus Euangelio credidi, & his jubentibus tibi non credam,* &c. *Quapropter ſi nihil manifeſti de Manichæi Apoſtolatu* (idem eſt & de miſſione ac Apoſtolatu Lutheri & Calvini) *in Euangelio reperitur, Catholicis potiùs credam, quàm tibi. Si autem inde aliquid manifeſtum pro Manichæo legeris, nec illis, nec tibi; illis, quia de te mihi mentiti ſunt : tibi autem, quia jam ſcripturam mihi profers, cui per os credideram qui mihi mentiti ſunt,* &c. *Sed abſit ut Euangelio non credam : Illi enim credens non inuenio, quomodo poſſim tibi etiam credere,* &c.

XV. Idem pergit cap. 11. referens verba Manichæi, ſcilicet : *Hæc ſunt ſalubria verba ex perenni & viuo fonte,* dicit Auguſtinus : *Et hæc ut videtis, ut pollicitus eſt, nuda eſt exhibitio veritatis, & vos quoq; aduertere facillimè poteſtis iſto velamine quoslibet errores fucari poſſe. Si autem diceret : Hæc ſunt peſtifera verba ex venenoſo fonte,* &c. *hoc verum diceret*, hæc Auguſtinus : Quæ prolixiùs referenda duxi, ex quibus ſincerus Lector videre poſſit quàm manifeſtè his verbis per Manichæum perſtringantur. Lutherus & Calvinus, qui dicuntur Apoſtoli Chriſti in Germania & Gallia, qui cùm nullum ex prædictis Auguſtini vinculis habeant, ſolâ veritatis pollicitatione homines ineſcare conantur, ſic enim paſſim ſcribunt & clamant, *quicquid ſit de antiquis Patribus, nos purum Dei verbum prædicamus, nos puram veritatem ex ſacra ſcriptura proferimus, &c.* cùm tamen ſuum falſum privatum ſenſum juxta quem S. ſcripturæ literam interpretantur, non veritatem S. ſcripturæ proferant, & ſuas imaginationes populo vendant, imò tandem homines ad Atheiſmum & quandam idololatriam deducant, prout Auguſtinus lib. de vera Religione cap. 38. edit. Baſil. 1528. oſtendit dicens: *Eſt aliis deterior & inferior cultus ſimulachrorum, quo phantaſmata ſua colunt & quicquid animo errante cum ſuperbia vel tumore cogitando imaginati fuerint, Religionis nomine obſeruant, donec fiat in anima nihil omnino colendum eſſe, & errare homines, qui ſuperſtitioni ſe involvunt, & miſerâ ſe implicant ſecuritate, &c.* hæc Auguſt. Nónne hæc hodie ex Acatholicorum doctrina proveniunt, dum docent quemlibet juxta privatum ſpiritum S. ſcripturam intelligere & judicare debere? Nónne inde *Libertini* proceſſerunt ? nonne inde quotidie tot politici ? qui cum videant ſe non poſſe capere, & ſuo ſenſui inhærentes de uno in alterum feruntur, tandem vix quicquam credere volunt, & rident omnes quotquot certam aliquam Eccleſiam ſectantur, quaſi intellectum ſuum illarum ſervituti ſubjiciant, ipſi autem liberi ſint ?

XVI. Hanc Acatholicorum de proprio ſenſu doctrinam ſimiliter perſtrinxit S. *Hieronymus* adverſus Luciferian. ubi, poſtquam dixiſſet hanc ſententiam, *quod in Eccleſia ab Apoſtolis fundata quæ ſemper durauit, ſit permanendum, illos autem qui ab aliquo homine nominantur, ut Marcioniſtæ, Antichriſti Synagoga ſit : rationem reddit dicens : Ex hoc enim ipſo, quod poſtea inſtituti ſint, eos ſe eſſe indicant, quos futuros Apoſtolus prænuntiauit : nec ſibi blandiantur* (NB) *ſi de ſcripturarum capitulis videantur ſibi affirmare quod dicunt; cùm diabolus de ſcripturis aliqua ſit locutus, & ſcripturæ non in legendo conſiſtant, ſed in intelligentia, &c.* hæc Hieronymus.

Conſideret ex his ſincerus Lector ſummam hæreticorum omnium impudentiam, cæcitatem & præſumptionem : Ecce enim tanti ingenii viri in ſacris & prophanis ſcripturis exercitatiſſimi S. ſcripturam non ſuo privato ſpiritu & ſenſu, ſed juxta S. Eccleſiæ explicationem & doctrinam, quæ habet Spiritûs Sancti aſſiſtentiam promiſſam, amplexi ſunt fidem, nec Eccleſiam pro ſuo arbitratu deſignarunt, ſed juxta certa ſigna ex S. ſcriptura & lumine naturali nota ſequendam docuerunt.

XVII. Itaque juxta SS. Patrum doctrinam in S. ſcriptura fundatam in illa Eccleſia, quæ unica eſt ſancta, Catholica per univerſum orbem diffuſa, miraculis incepta & charitate aucta per Epiſcopos ab Apoſtolis per continuam ſucceſſionem, & præſertim à S. Petro gubernata & recta, quilibet Chriſtianus tutiſſimè permanet, eamque ut veram Chriſti ſponſam & ſuam matrem audit. Quòd autem hæc hodie ſola ſit Eccleſia *Romana*, quæ ſcilicet per totum mundum diffuſa cum cathedra S. Petri ſeu Pontifice Romano communionem habet, illúmque ut Chriſti Vicarium & Eccleſiæ Caput juxta verbum Chriſti agnoſcit, juxta prædicta facilè conſtat, verùm pro majori claritate idipſum duabus viis demonſtrabimus.

Primò oſtendendo, quòd nullis aliis, quotquot modò in orbe ſunt cætus, præter Romanam Eccleſiam, Notæ veræ Eccleſiæ competant: ex quo conſequens erit, quòd ſola Romana ſit Chriſti Eccleſia, cùm ex S. ſcriptura conſtet, quòd vera Eccleſia uſque ad finem mundi permanebit.

Secundò tamen omnia etiam poſitivè oſtendemus quòd Notæ illæ conveniant Eccleſiæ Romanæ.

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER IV.

De falsis Ecclesiis.

IN hoc libro demonstrabitur de quibuscunque sectis in mundo existentibus, quòd nullæ illarum quæ à Romana Ecclesia divisæ sunt, vera Dei Ecclesia sit, ut eò securiùs Romanæ Ecclesiæ gremio omnes recondi possint.

CAPUT I.

De sectis aut potius turbis Paganorum & Politicorum.

ARTICULUS I.

Quòd Paganorum & Philosophorum infidelium cætui non competant Notæ veræ Ecclesiæ, ostenditur.

I. SCiendum primò, quòd fieri possit, ut una Nota alicui falsæ Ecclesiæ aliqualiter conveniat, ad minus ut sit una in sua doctrina, quanquam nec verè una esse possit, cùm omne regnum, quod ex Deo non est, divisum sit, & dividatur, quia non habet spiritum unitatis, tamen in malo sæpius multi uniuntur: sic etiam dici posset de antiquitate; cùm Gentilium fœda doctrina idololatrica dudum viguerit, sed non est antiquior, quàm vera Dei Ecclesia, quæ ab Adamo incepit & permansit in Patriarchis & aliis in medio Idololatriæ, eadem enim est Ecclesia tam in lege naturæ, veteri & nova, licèt in lege nova per Christi adventum perfecta fuerit.

Sciendum secundò, quòd, licèt moderna nostra disputatio sit, quinam ex omnibus cætibus eorum, qui in Christum credere se profitentur, vera Christi sit Ecclesia, adeóque huc non spectent Pagani, nec Judæi nec Turcæ, *&c.* quia tamen hoc tempore plures passim occulti reperiuntur dicti Politici, qui horrenda sentiunt, aliqui etiam curiosi vel infirmi subinde hæreant, circa sectam Judæorum vel Turcarum, breviter ipsorum falsitas & Ecclesiæ veritas contra omnes illos demonstranda erit.

II. Quòd itaque Paganorum turbis nec vera unitas, nec vitæ aut doctrinæ sanctitas competat, evidentissimum est.

Primò quidem quia tot Deos colebant, quot ex lignis, lapidibus & metallis conflabant: Quæ ibi unitas? sed quæ vitæ vel doctrinæ sanctitas ubi tales vilissimæ creaturæ pro Diis colendæ docebantur & colebantur *simulachra gentium argentum & aurum opera manuum hominum?* ps. 113. v. 14. *Infelices qui appellaverunt Deos opera manuum Hominum* Sap. 13. v. 10. *qui ex eodem ligno Deos fabricant & cibos coquunt, &c.* Similiter passim in S. literis dicitur; & præter S. scripturam ipsorum Paganorum historiæ ostendunt, quòd honorem divinum soli Deo summo & excellentissimo bono, à quo omnia bona sunt & expectantur, exhibendum, insensatis rebus longè vilissimis homines rationales exhibeant: quid stultiùs? quid turpiùs?

III. Secundò aliud autem genus Paganorum erat, qui turpitudinem istam excusare volentes, plurimos quidem Deos colebant, sed dicebant illos vivere, & certis rebus præesse, qui in simulachris responsa darent, quos tamen fatebantur turpissimos esse, & turpissimis delectari, & flagitiosissimis ut quod Jupiter cum sorore Junone incestuosus, & cum pluribus aliis adulter esset, *&c.* quòd unus alterum, ut Jupiter Saturnum patrem è cælo expulerit, & similia fœdissima.

Hi autem Dii in veritate dæmones erant, qui in simulachris responsa dabant juxta illud ps. 95. v. 5. *Quoniam omnes Dii gentium dæmonia.* Et quidem quod tam Græcæ quàm Romanæ Respublicæ publicis legibus sancierint, ut turpissimi ludi scenici in quibus flagitiosissima Deorum facinora repræsentabantur non prohiberentur, sed ad honorem Deorum exhiberentur. D. Augustinus lib. 2. de civ. Dei cap. 7. & 8. & lib. 4. cap. 26. edit. Basil. 1528. prolixè ex gentilium scriptis & actionibus ostendit.

IV. Tertiò, etsi autem quidam gentilium Philosophi, ut Augustinus ibid. cap. 7. ait: Quædam magna, quantum divinitus adjuti sunt, invenerint, ex sua tamen superbia excæcati & impediti in pluribus evanuerunt, prout Apostolus Rom. 1. contra tales scribit dicens v. 19. *Quod notum est Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis manifestavit, &c.* & infrà v. 21. *Quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis,* &c. *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium,* &c. *propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam fœminæ eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum qui est contra naturam. Similiter autem & masculi,* &c. *& ideo tradidit illos Deus in reprobum sensum,* &c. *repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, &c.* hæc Apostolus.

V. Ista autem D. Augustinus lib. 8. cap. 9. ostendit ex doctrina Philosophorum, quorum plurimi dicti vel Academici, vel Italici, Lybici, Ægyptii, Tredi, Persæ, Galli, Hispani, *&c.* secuti Platonem, qui docuit, *unum esse Deum summum, cujus natura sit incorporalis, qui & rerum creatarum sit Effector, & quod ab illo nobis sit principium naturæ, & veritas doctrinæ & fœlicitas vitæ, &c.* hæc quidem bene: verùm juxta Apostolum ex superbia deflexerunt, cùm tam Plato, quàm alii ejus sectatores docuerint plurimis Diis sacra esse facienda, ut Augustinus refert lib. 8. cap. 12. Rur-

Digitized by Google

Rursus *Hermes* Philosophus Ægyptius quem *Trismegistum* vocant, *multum*, ut Augustinus ibid. cap. 23. ait, *de uno vero Fabricatore mundi dicit, qualia veritas habet: & nescio quomodo illi obscuratione cordis ad ista dilabatur, &c.* prout ibid. in initio capitis Augustinus dicit, quòd *alios Deos esse* diceret scilicet simulachra & plures Deos *à summo Deo factos, alios ab hominibus, &c.* quos tamen fatebatur homines fuisse ante paucos annos, ut *Æsculapium & Mercurium, &c.* prout ibidem August. cap. 26. ex illius libris ostendit, quibus tamen honores divinos & sacrificia fieri volebat: ubi Augustinus occurrit objectioni Gentilium & modernorum Acatholicorum cap. 27. loquens de Angelis bonis dicit: *Nos cum illis*, scilicet Angelis, *Deum, quem colunt, colimus, &c.* Et de Martyribus cap. 27. dicit: *Nec tamen nos Martyribus templa, sacerdotia, sacra, & sacrificia constituimus: quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus, honoramus sanè memoriam eorum tanquam sanctorum hominum Dei, qui usque ad mortem suorum corporum pro veritate certarunt, &c. Quis autem aliquando fidelium audiuit stantem sacerdotem ad Altare etiam super sanctum Corpus Martyris ad Dei honorem cultumque constitutum dicere in precibus: Offero tibi sacrificium Petre vel Paule vel Cypriane, cùm apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos martyres fecit, & sanctis suis Angelis cæ[le]sti honore sociauit, &c.* hæc August. similiter occurrit Gentibus lib. 22. cap. 10. *&c.*

VI. Cæterùm non solùm Philosophorum doctrina de cultu plurimorum falsorum Deorum turpissima fuit, sed etiam diversissima, prout August. lib. 18. Civit. cap. 41. specialiter & 19. cap. 1. cit. edit. ex ipsorum doctrinis ostendit. Insuper doctrina illorum non minùs turpis fuit quoad mores & leges, quas populis dabant, ut patet de Lycurgo, qui in suis legibus adulteria commendabat. *Plato* flagitiosissimè in legibus suis vel laudabat, vel præscribebat *communionem uxorum, nefandam libidinem, extinctionem conceptuum in utero, cædes infantium, &c.* Imò *Diogenes*, ut refert Augustinus lib. 14. cap. 20. eo impudentiæ processit, ut more canum publicè coitus fieri licere doceret, ad quod suo exemplo alios inducere voluit, cujus sectatores Cynici dicebantur, de quibus Augustinus sic ait: *Hoc illi canini Philosophi hoc est Cynici, non viderunt, qui proferentes contra humanam verecundiam, quid aliud quàm caninam, hoc est, immundam, impudentémque sententiam, &c.*

VII. Plurima alia facinorosissima & flagitiosissima, quæ honestæ aures abhorrent, Gentiles agebant, docebant, & à Diis, quos colebant sibi præcipi asserebant, qui utique dæmones manifesti erant. Ex quibus satis patet quàm longè à Gentilium turbis humana honestas, ne dicam sanctitas, exulatit, ut veram Dei Ecclesiam constituerint.

ARTICULUS II.

Quòd Politici longissimè ab omni honestate & sanctitate alieni sint.

I. SUnt, prô dolor, hodierno tempore quidam ipsis Ethnicis longè pejores & magis impii, qui utpote *Plato, Hermes* & alii plurimi Deo revelante, & ex naturalibus causis Deum unum Effectorem omnium agnoscebant: verùm isti politici eò dementiæ pervenerunt, ut Deum esse prorsus negent, nec ullum post hanc vitam virtutum vel bonorum operum præmium, vel malorum punitionem fore asserant, de quibus Propheta regius optimè dicit ps. 52. v. 1. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*; qui tunc temporis verebantur istam blasphemiam voce exprimere, sed hi etiam ore sacrilego & impudentissimo proferre non verentur, qui verè Athei & impii sunt.

Dicuntur autem politici ex eo, quod quia Deum esse negant, etiam non ob Dei timorem vel inferni pœnas à malis abstinent, vel ob Dei amorem & æternam vitam bona agunt; sed solùm propter externam politiam sua opera exteriùs agunt, ut vel laudentur, vel ipsis bene sit, & à malis exteriùs abstinent, ne alii ipsis noceant; vel ne Rempublicam turbent, non curantes qualitercunque pessimè in occulto agant, vel in corde afficiantur, *&c.* II.

Summa hæc utique insania & execranda malitia ac Reipublicæ pestis est, quæ ad omnia scelera contra ipsum naturæ lumen viam aperit: quod ipsi Gentiles summè detestati sunt, qui ideo Diagorum cum suis Deum esse negantem ut August. lib. 3. contra Petilian. cap. 21. edit Basil. 1528. refert, atheos & pessimos detestabantur.

Et quidem *Aristoteles* 1. Topic. cap. 9. dicit: *non omne problema esse disputandum, &c. sed esse aliud, quod in dubium revocare pœnâ dignum sit, quale sit illud: An oporteat Deum honorare? &c.* Quid dixisset de his, qui Deum ipsum esse honorandum non solùm disputant, sed esse sceleratissimè negant, quæ turpior & sceleratior potest esse doctrina? Ex hac enim doctrina omnia mala non tantùm occulta scaturiunt, sed etiam publica, ut oppressio pauperum & viduarum, pessima judicia in Judicibus, Advocatis, & quibuscunque aliis; utpote, quod exterius aliquâ specie sinceritatis vel justitiæ colorari potest, hoc inverecundè agitur; quicquid injustitiæ machinantur, hoc simplicibus sub specie fictæ justitiæ mendaciter imponitur: ut licèt ipsi injustissimè agant, conentur aliis persuadere, quòd alii ipsis injustitiam inferant, & ipsi se justè defendant, *&c.* imò dum timent, ne alii illorum delicta gravia revelent, vel deferant, aut puniant, ipsos præveniant, & pessima conficta crimina illis imponunt, ut nullius fidei habeantur, *&c* unde non solùm privata damna, sed exitiosissima in rebus publicis bella sequuntur, & defenduntur: nihil omnia curantur, nec mendacia, nec fraudes, modò tales impii suum intentum sub specie boni vel justitiæ consequantur, unde nec ipsis ulla fides adhiberi potest; in omnibus se ipsos tantùm ultimatè quærentes: unde dum verum Deum blasphemando negant, se ipsos Deos faciunt, de quibus verissimè intelligitur illud Apostoli ad Philipp. 3. v. 19. *Multi enim ambulant, quos sæpius dicebam vobis inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, &c.* qui meritò detestandi & fugiendi sunt. III.

Quia verò isti sceleratissimi eò dementiæ veniunt, consequenter etiam negant S. scripturam esse verbum Dei: tales saltèm naturali ratione & morali convinci deberent, nisi planè bestiales esse velint. Etsi enim S. scripturæ nolint credere & veraci Dei verbo, credant saltèm rationi naturali, quam addit Apostolus ad Rom. 1. ubi cùm de Ethnicorum Philosophis dixisset: *Quia quod* IV.

quod notum est Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis manifestavit; etiam subjungit, quòd per naturalem rationem intellexerint dicens, v. 20. *Invisibilia enim ipsius (Dei) à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas; ita ut sint inexcusabiles*, &c.

V. Similiter Sap. 13. Sapiens ex creaturis ostendit, qualiter meritò Deus omnium artifex cognosci possit & debeat dicens: v. 1. *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex, sed aut ignem aut spiritum*, &c. *Quorum si specie delectati Deos putaverunt, sciant quantò his dominator eorum speciosior est; speciei enim generator hæc omnia constituit. Aut si virtutem & opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam, qui hæc fecit, fortior est illis, à magnitudine enim speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri*, &c. *Nec his debet ignosci: Si enim tantùm potuerunt scire, ut possent æstimare seculum, quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt?* Idem similiter & efficaciter indicatur ps. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiant firmamentum.*

ARTICULUS III.

Veritas Christiana per rationes naturales contra Politicos seu Atheos probatur.

I. CErtè, si homo omni S. scripturæ authoritate seclusâ consideret minima & maxima, quæ quotidie in terra, aquis & in cælo ob oculos exposita sunt, quali ordine, quali pulchritudine & modo omnia nascantur & dirigantur, summè mirari debet, nec possunt hæc sine causa fieri rationabiliter cogitari, sicut nec à casu fieri: si attendatur qualiter terræ nascentia prodeant, qualiter hyeme omnia arida, & tamen postea omnia reflorent. Hæc omnia quæ in numero, pondere, & mensura fieri videntur, solùm casualiter fieri, certè irrationabiliter dicitur.

II. Similiter, si corpora illa cælestia tantæ magnitudinis considerentur, ut vastitas solis, ac stellarum, quarum magnitudo ingentissima demonstrari potest: ita ut Solis moles totius terræ magnitudinem superet; sive ipsi cæli, quibus insunt, sidera moveantur, sive ipsa sidera sola moveantur, certissimum est, quod nisi oculis homo videret, incredibile esset, quòd talis Solis moles intra 24 horas per tantum plurium centenorum millionum milliariorum spatium ad idem punctum circumgyretur, ita ut juxta Astronomorum demonstrationes, intra unius Miserere tempus Sol majus loci spatium pertranseat, quàm sit magnitudo totius terræ.

III. Similiter alia sidera præter communem ab oriente in occidentem suos diversos seorsum cursus optimo ordine servent; ut ad minutum cursus eorum computetur; quòd illa sidera sive seipsa, ut quidam somniant, moveant, ut non fatigentur, nec à motu cessent, aut declinent; sive singuli cæli vel sidera à singulis, ut Philosophi volunt Intelligentiis spiritualibus inter se distinctis, & nullius directioni subjectis moveantur, quod politici minus putant, vel qualitercunque moveantur, certum ad oculum est, quòd sic moveantur. Sed, quòd sine uno summo Effectore & Motore hæc omnia tam ordinatè tam velociter sine intermissione vel quiete fiant, quis sanæ mentis persuadeat?

E contrà verò, si supponatur, ut verissimum est, non solùm juxta fidem à Deo revelatam; sed etiam juxta rationem naturalem, prout naturaliter etiam probari potest, quòd unus sit Deus: qui est Ens unum, incorporale, simpliciter & absolutè infinitum in essentia, potentia, sapientia & scientia, in se immutabilis, à nullo dependens, à quo omnia dependeant, qui sine ullo labore, solo nutu omnia creat, conservat, movet, & dirigit æquè maxima sicut minima: ecce quàm tunc facilè est, ut intellectus humanus acquiescat, quòd talia & tam ordinata in rebus, quæ quotidie oculis cernuntur, fiant: & hæc omnia, quasi in facto, de se enuntiant: *Ipse fecit nos & non ipsi nos.* Ps. 99. v. 3. IV.

ARTICULUS IV.

Eadem veritas probatur ex historiis S. scripturæ.

PRimò probatur ex historiis è sacra scriptura desumptis, quibus si non credant Athei tanquam sacris atque à Deo revelatis, cùm Deum negent, tamen credendum est saltèm judicio communi naturali & historico. Si enim homo nullas credat historias vel facta, nisi quæ viderit oculis, certè insanus ab omnibus reputandus est. Nec enim talis credet mundum ante ipsius nativitatem fuisse, vel non credet se vel à tali matre natum, imò nec ab ulla muliere natum; quia licèt videat alios ex mulieribus nasci, se ipsum tamen nasci non vidit; nec à simili ipsi placet argumentum: sic vel opinari posset se vel ex lapide, ut olim aqua apud Moysen in deserto ex petra, vel ex asino, vel alia bestia ejectum, *&c.* quia non vidit, & quia omnia à casu fieri undequaque dicit; quid his absurdius? vidit etiam quòd animalia insecta quædam tam ex masculo & fœmella, quàm ex alia materia putrida nascuntur; ut vermes, muscæ, *&c.* sic & cogitabit se ex putrido stercore natum, *&c.* I.

Historiæ autem in S. scripturis, si ad minus credantur, ut aliæ historiæ, demonstrant unum Deum vivum Dominum cæli & terræ ab omnibus adorandum & colendum. Quod patet primò ab exemplis, ubi illi, qui Deum vivum offenderunt, vel blasphemarunt extraordinariè & gravissimè puniti sint, contra ordinarium naturæ cursum, cujus nulla potest causa dari, nisi Dei omnipotentia vindicans. Sic Gen. 7. *Propter peccata hominum, qui Noë per annos centum illos monenti nec acquiescere nec pœnitere volebant*, factum est tantum & tam extraordinarium *in toto mundo diluvium* & solus Noë conservatus fuit, qui Dei monitu centum annis fabricarat Arcam, in qua salvaretur, adeóque Deus erat, qui hæc prædixerat & diluvium immisit contra naturæ ordinem, cujus nulla alia causa dari potest. II.

Sic *Pharao* Exodi 14. visis miraculis, quæ à Magis fieri non poterant, tandem persequens Israëlitas per virgam Moysi divisum mare ingressus, cùm Israëlitæ pertransissent, cum omni III.

exerci-

Digitized by Google

exercitu suo submersus est: ubi hîc causa naturalis, quòd divisum sit mare, & ad verbum Moysi iterum conjunctum?

Similiter populo murmuranti de cibi & potûs defectu, Deus prædixit, & dedit illis *Manna de cælo, &c.* Exod. 16. quod continuatum est 40. annis in deserto: Quomodo hoc casuè cælo venit? Item Exodi 17. dedit illis *aquas de petra.* An casuale? cùm Num. 16. *Dathan & Abiron* murmurantibus contra Deum & Moysen, Moyses dixit v. 29. *In hoc scietis, quod Dominus miserit me,* &c. *si consuetâ morte interierint,* &c. *sin autem nouam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos, & omnia quæ ad eos pertinent,* &c. *scietis quod blasphemauerint Dominum. Confestim igitur ut cessauit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos,* &c. *& perierunt de medio multitudinis. At vero omnis Israel, qui stabat per gyrum,* &c. *qui non consenserat, nihil patiebatur.*

IV. Iterum omissis aliis, quæ in deserto contigerunt, mirabilibus, Deut. 29. v. 5. dicit Moyses ad populum: *Adduxit vos Deus 40. annis per desertum non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt, &c.* hæccine casualia & naturalia?

Item cùm *Sennacherib* 4. Reg. 19. & Isa. 37. exprobrasset Deo viventi dicens per suos: *Nunquid liberauerunt Dii gentium unusquisque terram suam? quis est, ut eruat etiam Ierusalem de manu mea?* nunquid unâ nocte Angelus Domini percussit in castris Assyriorum 185000. homines & Jerusalem liberata est in signum Dei vivi?

V. Rursus dum 4. Reg. 1. *Ochozias* Rex Israël, impii Achab filius, per nuntios ad Beelzebub Deum falsum Accaron consulendum mittens, ab Elia correptus, principem cum quinquaginta viris, ut Eliam captivum ducerent, misisset, & hic per derisum dixisset: *Homo Dei, Rex præcipit, ut descendas,* Elias autem respondisset: *Si homo Dei sum, ignis de cælo descendat, & deuoret te, & quinquaginta tuos,* nónne ita statim factum est? Et cùm Rex impius fortè hæc casu accidisse cavillans alium principem cum quinquaginta misisset, qui simili locutus modo, ad verba Eliæ etiam cum suis statim ab igne devoratus est. Tertius autem princeps cum quinquaginta missus, Deum verum timens, & humiliter Eliæ loquens conservatus est. An hoc casuale? sicut & in monte Carmeli 3. Reg. 18. pseudoprophetis Baal frustra clamantibus ignis non venit, sed Eliâ Deum invocante ignis cælo descendens holocaustum consumpsit.

VI. Quomodo casuale, quod Dan. 4. *Nabuchodonosor viderit somnium, quod nullus præter Danielem explicare potuit,* & qui prædixit, quòd propter superbiam contra Deum septem annis ut bos fœnum commesturus esset, ut factum est, *&c.*

An casuale, quod Dan. 5. Balthasare laudante Deos suos apparuit manus scribens verba, quæ solus Daniel aperuit, & prædixit Balthasari interitum? *&c.* plura alia adduci possent, quæ nullus nisi insanus diceret solum casualiter evenisse.

VII. Quid ad hæc habent Athei? nisi quòd sine causa seu ratione impiè negent illa contigisse, cùm tamen nullam historiam in contrarium adferre possint, & hoc tot sæculis creditum ab omnibus fuerit; imò habent Judæos ubivis terrarum dispersos, quos vident solos ex omnibus gentibus per suas generationes conservari: an hoc nudo fit casu? an non potiùs tum ob alias causas, tum ob hoc etiam à Deo sic conservantur, prout Augustinus lib. 18. Civit. cap. 46. ostendit, *ut sint in doctrinam, testimonium, & exemplum omnibus hominibus, quod ab illis audiant illa miracula in Ægypto & deserto facta,* quæ de manu ad manum à Patribus suis acceperunt, cùm alioquin tot Reges & Nobiles quærant domos, & familias suas propagatas vel in una linea; nec tamen obtinent: & illi in tanta copia propagantur? utique ex Dei singulari ordinatione.

ARTICVLVS V.

Adducuntur rationes aliæ.

Similiter hæc veritas probatur argumento morali, quod etiam Ethnicos convincit, scilicet: contra omnem naturam & rationem est, quòd virtus seu opus virtutis non habeat præmium, nec vitium pœnam; atqui hoc esset, si Deus non esset, nec in futurum præmia bonis operibus & pœnæ ii fl generentur malis. Constat enim experientiâ, quòd boni sæpe toto vitæ tempore in miseriis, pessimi autem usque in finem vitæ in delitiis versentur: Et si rectè secundùm naturalem rationem judicetur, nulla bona corporalia utpote, divitiæ sanitas, honor, *&c.* condignum sunt virtutis præmium, adeò que illud in futuro expectandum. I.

Iterum aliud argumentum est à naturali omnium hominum inclinatione. Nam, ut ex historiis constat ut Cicero lib. 1. de legibus ait: *De ipsis hominibus nulla gens est, neque tam immansueta neque tam fera, quæ non etiamsi ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat, &c.* hæc ille Ethnicus. Et experientiâ constat in Indiis, ubi feri illi & barbari homines inventi sunt, quòd aliquod Numen colerent; utique quia Deus illis hoc indidit, licèt juxta Apostolum ad Rom. 1. *euanuerint in cogitationibus suis, & propter affectum carnalem sensibilibus creaturis Dei honorem impenderint.* II.

Si denique Athei isti plùs quàm barbari omni humanâ inclinatione ac omnibus prædictis contemptis Deum Creatorem suum agnoscere nolint; sed planè bestiis æquari velint: sciant tamen quòd cum bestiis animæ ipsorum, ut ipsi sibi falsò imaginantur, finem non habebunt: non enim illorum insipientia & incredulitas Deum annihilabit, nec Dei potentiam & justitiam invertet. Juxta hoc igitur ipsis ultimatè hoc proponendum erit argumentum.

Et est tale: Ex duabus sententiis de duobus oppositis, quorum alterutrum infallibiliter est futurum; ac Vnum est sine omni periculo mali, & cum summa spe æternæ fœlicitatis, ac in se honestissimum: Alterum verò inhonestissimum cum summo periculo æternæ miseriæ; secundùm naturalem rationem sententia utique de honestissimo, & sine ullo periculo securior est eligenda: Atqui sententiæ, quarũ una asserit esse Deum verum Judicem, & Retributorem bonorum, & malorum post hanc vitam per omnem æternitatem; & altera sententia quæ ista negat, sunt tales: Ergo sententia quæ asserit esse Deum Judicem & Retributorem, *&c.* est eligenda. Major est evidens lumine naturæ. Minor etiam evidens est, quia imprimis alterutrum est verum infallibiliter, quòd Deus sit III.

 vel

vel non sit: & similiter alterutrum est infallibiliter futurum, quòd sit beatitudo æterna pro bonis & damnatio pro malis vel non sit futura.

IV. Similiter secundò evidens est, quòd credere Deum esse, & propter illius amorem & timorem bene vivere, & mala vitare est naturaliter per se honestissimum, licèt post hanc vitam nihil sequeretur. Et tertiò etiam evidens est, quòd talis sententia sit sine periculo mali post hanc vitam: vel enim nihil erit post hanc vitam, & sic nihil mali habet, vel erit quod creditur, & sic est etiam sine periculo omnis mali futuri, quia taliter vivens, non habet timorem æternæ damnationis, sed æternæ beatitudinis spem, ut patet. E contrà verò, qui non credit Deum esse, nec opera virtutis inde exercet, sed in corde quævis flagitia committit, & exteriùs etiam perpetrat, in quantum politicè potest, is in primis ne naturaliter quidem honestus est, cùm sit contra naturalem rationem & honestatem: primò Deum esse non credere quod omnes gentes credunt; secundò, esse in omnibus mendacem & deceptorem, aliud ore proferre, & aliud corde machinari, quicquid libet per occasionem; tertiò, ore se profiteri alterius summum amicum, & corde alterum summè execrari, est turpissimum & iniquissimum. Secundò hæc sententia omnem etiam inter homines confidentiam & societatem turbat & aufert: Tertiò demum est in periculo æternæ damnationis, quia supposito, ut verissimum est, quòd postea sequatur pro bonis æterna vita, & pro malis æternum supplicium, talis Deum negans se exponit hujusmodi periculo æternæ damnationis, quod infallibiliter incurret, nec per suam pertinacem negationem evadet, sed ob errorem pertinacem gravius incurret supplicium. Nullus igitur sanæ mentis negare potest, quin securiùs sit assentiri sententiæ honestissimæ, & sine ullo periculo securissimæ, licèt tot aliis modis non posset probari, prout tamen probatur.

V. Quamobrem detestanda & execranda est non tam sententia, quàm turpissima & bestialis Atheorum seu Politicorum illorum dementia ac insipientia, qui sine ratione, non solùm impiè sacrarum scripturarum veritatem, quibus divinitùs revelata est, negant; sed etiam earundem auctoritatem historicam, quæ tot modis ab omnibus doctissimis per tot sæcula agnita, totque miraculis & testimoniis probata fuit, qui nec communi hominum etiam barbarorum ad aliquod Numen seu Deum aliquem colendum inclinatione, nec tot etiam gentilium Philosophorum, ut sileam tot sanctorum ab initio mundi virorum doctissimorum & Martyrum, de Deo uno vero, sententia, ad Deum unum credendum inducuntur; qui nec ipsâ naturali honestate moventur, quæ dictat ob veram inter homines confidentiam, & societatem tenendam non solùm exterius politicè benè agendum, sed etiam sic in corde virtutes amplectendas, sicut exteriùs illas se exercere videri volunt; cùm alioquin nulla sincera inter homines esse possit conversatio, & confidentia: quia Atheis talibus quantumvis jurantibus fides adhibenda non est, eò quòd non credant, se in conscientia obligari, nec timent Dei iram, vel vindictam, aut futurum de occultissimis judicium, ac supplicium, se ipsos tanto æternæ damnationis periculo exponentes more bestiarum præsentibus sensibilibus solùm inhærent, ac illos, qui Deum timentes, & non aliter rebus uti volentes, quàm, prout Deus præceperit vel permiserit, & futuram beatitudinem expectantes derident: quos Sapiens Sap. 4. & 5. optimè describit & eorum finem & æternum supplicium indicat dicens: *Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt*, &c. *videntes turbabuntur timore horribili dicentes intra se*, &c. *Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum*, &c. *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: Ecce quomodo computati sunt inter Filios Dei*, &c. *Ergo erravimus, lassati sumus in via iniquitatis. Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra, &c.* hæc ibi.

Hæc licèt Athei non credant, ideo tamen illa vera esse non desinent, & licèt Deus in hoc mundo tales non statim puniat, cùm verum judicium post hanc vitam reservet, ideo se securos non arbitrabuntur; sed potiùs considerent verba Apostoli ad Rom. 2. v. 3. *Existimas O homo*, &c. *quia tu effugies judicium Dei? An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundùm opera ejus, &c.* hæc Apostolus; quæ licèt Athei credere nolint, verissimum tamen est quod ait Apostolus ibid. cap. 3. v. 3. *Nunquid incredulitas illorum Fidem Dei evacuabit?* &c. nunquid illorum insana dementia Deum annihilabit, & illius justitiam, & potentiam tollet? quàm insana & stulta hæc sunt! si S. scripturis, si historiis, si tot viris doctissimis credere nolint, saltèm contradicere non possunt; quin saltèm timenda sint illa, quæ futura prædicuntur; & prudentiùs & securiùs illi faciunt qui illa credunt & juxta illa vivunt, quàm qui se tanto æternæ damnationis periculo exponunt. Turpissima igitur illa non tam Politicorum, quàm Atheorum turba, quæ ab omni honestate, pietate, & sanctitate est aliena, nullam prorsus Ecclesiæ veræ rationem habet, ac proinde execranda & fugienda, imò flammis exurenda. VI.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

De statu Iudæorum.

ARTICULUS I.

Quòd Synagoga Iudæorum ante Christi passionem fuerit primaria pars veræ Dei Ecclesiæ.

I. PRimò sciendum, quòd *vera Dei ecclesia*, quam D. *Augustinus* lib. 15. de civ. Dei cap. 1. & deinceps vocat *ciuitatem Dei* in terris peregrinantem, inceperit ab Adam & Abel, & continuata per Seth & filios illius usque ad Noë, ac post diluvium per filios illius *Sem & Iaphet*, quos pater Noë, Cham & Chanaan ejus filio ob delictum maledicto, benedixit, in quorum filiis civitas Dei propagata est. Scriptura autem specialiter prosequitur generationem *Sem* ex qua Abraham natus, & tandem Christus Salvator genitus est.

II. Secundò sciendum, quòd licèt populus Israëliticus ex Abraham, Isaac & Jacob progenitus specialiter dictus sit Dei populus, ut sacra scriptura passim testatur; quia illi populo specialiter promissiones Dei factæ sunt, quod ex illo Christus nasceretur, & illi præcepta Dei data sunt: præter hos tamen per carnalem generationē dictos Israelitas, etiam plures alii fuerunt Deum colentes, & ad Dei civitatem spectantes, qui Israëlitæ secundùm spiritum vocantur, de quibus Augustinus lib. 18. Civ. cap. 47. sic ait: *Nec ipsos Iudæos existimo audere contendere neminem pertinuisse ad Deum præter Israelitas; ex quo propagatio Israel cœpit esse*, &c. *homines autem quosdam non terrenâ, sed cælesti societate ad veros Israelitas supernæ cives patriæ pertinentes etiam in aliis gentibus fuisse negare non possunt: quia si negant, facillimè conuincuntur, de sancto & mirabili viro Iob, qui nec indigena, nec proselytus, id est, aduena populi Israel fuit; sed ex gente Idumæa genus ducens, ibi ortus, ibi mortuus est: qui diuino sic laudatur eloquio, ut quoad iustitiam pietatemque attinet, nullus ei homo suorum temporum coæquaretur: quæ tempora sic colligimus ex libro ejus, quem pro sui merito Israelita in auctoritatem canonicam receperunt, tertia generatione posteriorem fecisse, quàm Israel seu Iacob: Diuinitùs autem prouisum fuisse non dubito, ut ex hoc uno sciremus etiam per alias gentes esse potuisse, qui secundùm Deum vixerunt, eique placuerunt pertinentes ad spiritualem Hierusalem*, &c. hæc August. Et facile idem constat ex amicis Job, qui omnes amplissimas habebant familias utique in Deum credentes.

III. Similiter patet ex *Melchisedech* Gen. 14. v. 18. qui dicitur *Sacerdos Dei altissimi* occurrisse Abrahæ, qui utique habebat populum etiam in Deum credentem præter Abraham & familiam ejus. Idem colligitur ex libro Danielis, ubi Angelus Persarum diu restitit, ne Judæi ex captivitate Babylonica liberarentur, idque ob bonum Persarum, quorum plurimi ad Deum per exemplum Judæorum convertebantur, ut sancti Patres notant; qui tamen non circumcidebantur: & sic patet, quòd populus Israëliticus seu Judaicus non erat universalis Dei Ecclesia; sed tantùm particularis sive præcipua.

Sciendum tertiò, quòd omnes quotquot vel ex Israëlitis vel ex aliis gentibus ad veram Dei Ecclesiam spectabant ante Christi adventum, Christum venturum credebant, ut ait Augustinus ibid. dicens: *quod nemini concessum esse credendum est* (scilicet ut esset de Ecclesia Dei) *nisi cui diuinitùs reuelatus est unus Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui venturus in carne sic antiquis Sanctis prænuntiabatur, quemadmodum nobis venisse nuntiatus est: ut una eademque Fides per ipsum omnes in Dei ciuitatem, in domum Dei, in Dei templum prædestinatos perducat ad Deum, &c.* hæc ille, ubi cap. 48. & 49. notat, quòd Ecclesia in hoc sæculo constet ex electis & reprobis permixtis. IV.

ARTICULUS II.

Quòd secta Iudæorum post Christi passionem nullatenus sit vera Dei Ecclesia, nec ad illam spectet.

PRæmissis iis, quæ de Ecclesia Dei vera ante Christi passionem dicta sunt, de quibus non est controversia, dicendum de Ecclesia post Christi adventum, & circa hoc Judæi volunt, quòd ipsorum secta sit & manserit unica Dei Ecclesia post Christi passionem, & falsissimè negant Christum Dominum esse verum Messiam in sacra scriptura & per Prophetas promissum, qui homines redimeret; sed obstinatissimè sustinent quòd verus Messias usque modò non venerit, sed venturus sit: credere autem debent quod Christus Messias à Deo promissus non solùm ex Judæis, sed ex omnibus gentibus unitum populum habere debeat, & perfectius regnum erecturus sit, quàm Judæorum fuerit: hoc enim patet ex plurimis sacræ scripturæ vet. testamenti locis, quorum plura relata sunt suprà lib. 1. de Ecclesia cùm probatum est de Ecclesia Christi vera à Prophetis prædicta, quòd per omnes gentes diffundenda esset, & in sequentibus patebit.

ARTICULUS III.

Quòd Christus Iesus verus Messias fuerit.

CHristum Iesum Dominum nostrum ex immaculata Virgine MARIA genitum esse verum Messiam in lege, psalmis & Prophetis promissum clarissimè demonstrari potest ex impletione eorum quæ de Christo venturo prophetata sunt, de quibus sancti Patres & Doctores prolixè egerunt contra Judæos, & inter alios Augustinus in lib. de Civitate Dei, & præsertim lib. 18. à cap. 27. & sequentibus, sicut & com- I.

compendiosiùs in orat. contra Judæos & concione contra *Iudæos, Paganos, & Arianos*, ut habentur tomo 6. edit. Basil. 1528. licèt autem multis testimoniis aliis novi testamenti veritas probari posset, quia tamen Judæi illa rejiciunt, SS. Patres ex veteri testamento probant. Vnde Augustinus orat. contra Judæos cap. 2. edit. cit. sic ait: *De sanctis ergo scripturis quarum & apud ipsos magna habetur auctoritas, horrenda sunt testimonia, quorum & si nolunt oblatâ utilitate sanari, apertâ possunt veritate cruciari, &c.* Quia autem talia plurima sunt & plurimis modis essent pertractanda, hîc breviter aliqua tangemus.

II. Primò igitur est ostendendum quòd verus Messias à Deo patribus promissus jam ab 1662. annis advenerit, cujus sunt præclara testimonia.

Primum Gen. 49. v. 1. ubi sic dicitur: *Vocavit Iacob filios suos & ait eis: Congregamini ut annuntiem quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis, &c.* & postea v. 10. dicit: *Non auferetur sceptrum de Iuda & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit exspectatio gentium, &c.* Constat autem ex veteri testamento quòd Tribus Juda licèt non prima, tamen principalior fuerit, ut patet imprimis ex lib. Judic. 1. cap. v. 1. ubi Filii Israël quærebant à Deo: *Quis ascendet ante nos contra Chananæum, & erit dux belli? dixitque Dominus: Iudas ascendet, &c.* postea David de tribu Juda in Regem electus accepit promissionem successionis, 4. Reg. 25. & permansit regium sceptrum usque ad Sedeciam in captivitate Babylonica, & post reditum populus regebatur per duces qui erant de tribu Juda, ut patet de Zorobabel Aggæi 2. v. 3. *Loquere ad Zorobabel filium Salathiel ducem Iuda, &c.* deinde Principes Sacerdotum gubernabant Judæos, ut patet ex libro Machab. & ex Josepho Judæorum authentico Historico: Illi autem sacerdotes de tribu Levi paternam habebant generationem, sed maternam ex tribu Juda, quia illæ duæ tribus miscebantur salvâ lege, ut patet 4. Reg. 11. v. 2. ubi dicitur: *Tollens autem Iosaba filia regis Ioram, soror Ochoziæ Ioas filium Ochoziæ, &c. eratque cum ea sex annis clam in domo Domini, &c.* quia erat uxor Jojadæ summi sacerdotis. Constat autem quòd regimen sacerdotum Machabæorum duraverit usque ad tempus Herodis Ascalonitæ, prout deducit S. August. lib. 18 de civ. Dei cap. 45. qui non erat de gente Judæorum sed Idumæorum, quo regnante natus est Christus Dominus.

III. Cùm autem hic locus sit clarissimus, Judæi ut suam perfidiam defendant, volunt, quòd per verbum *silo* in Hebræo, quod in Latino versum dicitur, *missus* seu *mittendus*, non intelligatur *missus* seu *mittendus*, sed locus quidam in Judæa dictus *Silo*: & ideo per hoc solùm prophetiam evertere tentant. Sed Pater *Nicolaus de Lyra* ex Judæis parentibus natus conversus qui floruit anno 1330. Hebraicæ linguæ peritissimus in postilla circa hunc locum & in libello speciali, ubi respondet ad quæstiones Judæorum de adventu Christi, & confutat, ac inter alia dicit; quòd licèt illud verbum Silo Hebraicum, sit æquivocum ad locum certum *Silo*, & ad verbum *missus* seu *Messias*, tamen in hoc loco intelligendum sit de vero Messia in lege promisso, idque probat variis rationibus, ac efficaciter ex *translatione Chaldaica*, quæ ita est authentica apud Judæos, ut nullus Doctor eorum ausus fuerit illi contradicere; imò quando aliqua vetus expositio Hebraica est obscura, recurrunt ad hanc pro explicatione. Ita etiam ostendit *Paulus Burgensis Episcopus*, & ipse ex Judæo conversus peritissimus Hebraicæ linguæ in suo scrutinio scripturarum dist. 3. cap. 2. &c. In hac ergo translatione Chaldaica sic expressè habetur: *Non auferetur sceptrum de Iuda nec dux, &c. donec veniat Messias*, & Burgensis ex antiquis Rabbinis probat, quòd Jacob per novissimos dies intellexerit tempus Messiæ, adeóque cùm defecerit sceptrum de Juda, Messias venit.

IV. Eadem veritas probatur ex illo Dan. 9. ubi Gabriel Angelus à Domino missus indicat Danieli non solùm ea, quæ desideraverat quoad liberationem ex captivitate Babylonica per Jeremiam prædictam, sed quæ postea ventura essent de perfecta liberatione per Messiam cùm dicit v. 25. *Scito ergo & animadverte, ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Ierusalem usq; ad Christum Ducem, hebdomades septem & hebdomades sexaginta duæ erunt, & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus est; & civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo, & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio,* hæc Angelus ad Danielem.

V. Hoc loco agi de adventu Messiæ veri certum est, nec Judæorum *Rabbini* antiqui negant, licèt contra expressã veritatem aliter explicent, quorum falsas expositiones clarè refutat *Nicolaus de Lyra & Burgensis* in hunc locum, &c. Itaque concedunt Rabbini, quòd per hebdomadam intelligatur non hebdomada dierum sed annorum, scilicet septem anni, & sic computatæ septuaginta hebdomades faciunt 490. annos, quos Doctores Catholici & præsertim Nicolaus de Lyra expressè ex historiis sacris, & etiam Josepho de antiquitate probant effluxisse à tempore quo Angelus locutus est Danieli usque ad Christi Domini baptismum; quia postea in medio hebdomadis, scilicet tribus annis post baptismum Christus occisus est, quem Judæi coram Pilato negaverunt ex invidia & livore, quem in verbo & vita inculpatum videbant & miraculis illustrem; post hæc, scilicet post illas 70. hebdomades in ultionem necis Christi Deo disponente venit populus Romanus cum *Duce Vespasiano* & dissipavit civitatem Jerusalem & sanctuarium, prout ex omnibus historiis etiam Josephi clarum est, & tunc *defecit sacrificium & hostia* ut patet, & hæc desolatio durabit usque ad finem mundi, prout patet, quod jam 1662. hucusque annis duravit nec apparet aliqua Judæorum liberatio. Vnde cùm experientia hæc omnia probet quæ Angelus Danieli prædixerat, nimis cæca & indurata est Judæorum pertinacia negantium Christum Messiam venisse. Vt à perfidia liberentur *Paulus Burgensis* ex ipsis antiquis Rabbinis apud Judæos authenticis probat, quod licèt diversis modis hebdomadarum initium vel cursum assignarunt, tamen tempus ab illis declaratum jam dudum effluxerit, ut ideo moderni Judæi minùs excusabiles sint.

Ter-

Digitized by Google

VI. Tertium testimonium est Aggæi 2. v. 7. *Adhuc unum modicum est, & ego commouebo cœlum & terram, & mare & aridam, & mouebo omnes gentes; Et veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum,* &c. ubi per desideratum cunctis gentibus intelligitur verus Messias, etiam juxta antiquos Rabbinos, ut notat *Nicolaus de Lyra* ad cap. 9. Daniel. & in hunc locum, & specialiter allegat expositionem Rabbi Aequilæ apud Hebræos authentici sic dicentis: *Adhuc unum modicum est, scilicet regni venturi Israel post destructionem primæ domus & post illud regnum,* &c. *mouebo omnes gentes & veniet Messias, quia post paucos Duces & Reges Machabaeos venit Christus* tempore Herodis; Nam post Judam Machabæum & fratres illius Duces, Aristobalus Simonis Machabæi filius assumpsit sibi diadema regium, & Rex & Pontifex erat, cui successit Alexander & ipse Rex & Pontifex; cujus filii Aristobalus & Hircanus inter se de regno contenderunt, & Hircanus adjutorio Romanorum Pontifex regnavit, quem secutus est Herodes alienigena: ut deducit D. Aug. lib. 18. de Civ. Dei cap. 45. Herodes enim auxilio Romanorum, ut scribit Josephus, occupavit regnum interfecto Antigono, qui ex genere Machabæorum regnabat. Tunc autem cœlum motum est, quando nova stella apparuit Magis; & terra mota, quando Romani terra marique imperium obtinuerunt. Sic etiam templum illud à Zorobabel ædificatum fuit impletum gloriâ, quando Christus Dominus in illo sæpius comparuit, prædicavit & Apostolis Spiritum Sanctum immisit de quo prædixit Malachias 3. *Statim veniet ad templum sanctum suum Dominator, quem vos vultis,* &c & ideo in textu sequitur: *Magna erit gloria domus illius nouissimæ plus quam primæ*: quod nullo modo potest intelligi de gloria exteriore seu splendore, cum Templum à Salomone constructum multò fuerit magnificentius, in quo etiam Arca Testamenti fuerat, quæ in templo restaurato defuit: & D. August. supra ostendit, quod illud templum usque ad Christum sæpe fuerit prophanatum, ut patet ex libris Machabæorum.

VII. Nec valet evasio quorundam Judæorum, qui volunt quod illa verba prophetiæ intelligantur de alio templo, quod Messias, quem adhuc expectant, ædificaturus sit.

Hujus enim falsitas ex textu convincitur, & quod Propheta dicit: *Implebo domum istam gloriâ*; domus istius gloriam magnam demonstrans istam domum, quæ tunc ædificabatur. Similiter, cùm dicit: *Domus istius nouissima,* &c. ubi expresse declarat ex parte Dei, quod illa quæ tunc ædificabatur, erat novissima, & non alia post ipsam ædificanda; prout etiam experientia docuit, quod distructa domus ista prius per *Titum* & postea per *Romanum Imperatorem Ælium Adrianum* eversa fuerit, qui urbe Jerosolymâ funditus destructâ, etiam evulsis lapidibus juxta prophetiam Salvatoris Luc. 19. v. 41. in loco vicino novam urbem condiderat, quam suo nomine *Æliam* vocari jussit; & sub pœna capitis prohibuit, ne quisquam Judæorum illam intraret, multò minus inhabitaret. Templum autem etsi Judæi sæpius reædificare tentarent, subinde tamen à Cæsaribus, subinde divinitus impediti sunt, ita ut nullum templum ibidem reædificatum existat, ut ostendetur.

ARTICULUS IV.

Judæi frustra subinde templum reædificare conati sunt.

Hujus exemplum constat clarissimum circa annum Domini 363. sub *Iuliano* à fide Christi ad idololatriam Gentiliū impiissimo apostata, prout non solùm SS. Patres & Ecclesiastici Historici, sed & Gentiles referunt, scilicet; quod cum Julianus in odium Christianorum multa moliretur, etiam ad irridenda Prophetarum, & Christi Salvatoris de Civitate & Templo Jerosolymitano destruendo & nunquam reædificando vaticinia, ut ne lapis super lapidem remaneret Judæos excitandos decrevit, licet alias ipsorum hostis. Itaq; missis publicis decretis tam Judæis quā Gentilibus potestatem fecit reædificandi templū sumptus etiam subministrando; quâ datâ, scribit Sozom. *Iudæi undequaq; confluentes tanto conatu opus aggressi sunt, ut etiam aliqui ex argento ligones palas & sportas confecisse ferantur, matronæ pretiosum corporis ornatum in operis structuram contulerint, nec vestibus notabilibus, nec teneris membris in efferenda terra parcentes, & cum infinitos calcis & gypsi modios in unum congessissent, ex improuiso turbine exorto, tota illa materia dissipata est, cumq; fundamenta multa exhaustâ terrâ nudassent, restaretq; ut structuram aggrederentur; ignis à fundamentis exiliens plures exussit, alios plurimos ad vicinum templum saluandi se gratiâ confugientes ignis è templo occurrens absumpsit; malleos etiam & serras aliaq; opificii instrumenta incendio vastata, totum Dei ignis depastus est. Insuper vestes crucis notis consignatæ fuerunt, quæ omnem textorii artificii elegantiam superabant,* &c. *qua res spectantium animis tantum terroris injecit, ut omnes ferè quasi ex signo uno atq; voce una Christianorum Deum inuocarint, multi etiam isto tempore ad Sacerdotes accurrentes baptizati sint,* &c. I.

Quod hæc à Juliano proposita, decreta & promota fuerunt, testatur *Ammianus Ethnicus* scriptor lib. 23. Juliano studiosissimus. Cætera omnia referunt SS. Patres & Ecclesiastici scriptores illius temporis ut *Gregorius Nazianz.* Orat. 2. in Julianum edit. Basil. 1553. *Theodoretus & Socrates* lib. 3 cap. 17. edit. Basil. 1587. *Ruffinus* lib. 1. c 28. *Sozomenus* lib. 5. c. ult. qui præmissa sic concludit: *Istis rebus, si quis fidem minimè adhibendam putaret, sit saltem persuasus ab iis, qui eas ab eorum spectatoribus acceperunt, quiq; adhuc in vita manent, sit etiam persuasus cum à Iudæis ipsis, tum à Gentilibus, qui opus inchoatum reliquerunt, imo vero nec meliorare quidem potuerunt,* &c. hæc ille. II.

Similiter *Chrysostomus* ibid. sic finit: *Etiamne adhuc dubitas Iudæe, cum perspicias, & ex Christi prædicatione, & ex Prophetarum vaticiniis, & ex ipsarum rerum demonstratione testimonium adversus te confirmatum,* &c. sic Chrysost. quæ fusius apud *Baronium* in Annalibus videre licet; quæ certè indicant Deum Prophetarum vaticinia & Christi prædictionem de templi desolatione sempiterna implere voluisse. III.

ARTICVLVS V.

Sententiæ mirabiles antiquorum Rabinorum circa adventum Messiæ.

I. DEmùm præter plura S. scripturæ loca P. *Nicolaus de Lyra* in libello allegato etiam glossas antiquorum circa loca S. scripturæ refert, apud Judæos authenticas, quibus exprimitur, quod *Messias* verus ante destructionem Templi per Titum factam venerit: imò testatur, quod plures Judæi fateantur Messiam venisse, natum autem esse in die destructionis Templi, quæ post natum Salvatorem contigit. Verum cum ab illis quæritur, quomodo hoc sciant, vel ubi se ille Messias insinuarit, vel ubi usque modo existat, inter se divisi sunt: aliqui volunt quod hucusque cum Angelis maneat, sicut *Moyses* quadraginta diebus in monte: alii quod sit ultra *montes Caspios* expectans præceptum Dei ad se ostendendum mundo, vel ad populum liberandum: Alii dicunt
II. quod vadat per mundum sicut pauper, & leprosus, & despectus propter peccata populi juxta illud Esai. 53. *Et nos reputauimus eum tanquam leprosum, &c.* Verùm quis non videt talium hominum extremam insaniam & cæcitatem, dum veritatem tot manifestis de Christo Jesu testimoniis tantisque miraculis confirmatam pertinaciter negant? tam absurda & contraria sibi fingunt phantasmata sine ullo testimonio, vel saltem indicio, quod vel ex historia aliqua vel experientia doceant, multò minus ex ipsa S. scriptura? Quod autem non solum ex illa constet Christum verum Messiam tempore Herodis venisse, sed ipsum Dominum Jesum Christum illum esse ostendendum erit.

ARTICVLVS VI.

Quòd Dominus Iesus Christus Nazarenus sit verus Messias, qui juxta prophetias tempore Herodis advenerit.

I. OStensum est sufficienter ex S. scriptura vet. Testam. quod verus Messias circa tempus Herodis venturus fuerit & venerit, nunc ostendendum erit per testimonia S. scripturæ vet. Testamenti, quam Judæi admittunt, quod Dominus noster Jesus Christus tali tempore natus sit, & omnia, quæ de vero Messia venturo à Prophetis prædicta sunt, in ipso impleta fuerint.

Itaque primum est, quod verus Messias non solùm ex semine Abrahæ juxta illud Gen. 22. v. 18. *Benedicentur in semine tuo omnes Gentes terræ*, sed specialiter ex semine David nasciturus erat secundum illud Ps. 88. v. 5. *Iuravi David seruo meo, usq; in æternum præparabo semen tuum*, & v. 30. *Et ponam in seculum seculi semen ejus & thronum ejus sicut dies Cœli, &c.* prout pluribus aliis testimoniis probari posset: sed quia Judæi hoc fatentur duo sufficiant: Primum Esai. 11. v. 1. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet & requiescet super eum Spiritus Domini*, &c. *Non secundum visionem oculorum judicabit*, &c. *sed judicabit in justitia pauperes, & percutiet terram virgâ oris sui*, &c. quod caput ad literam intelligendum esse de vero Messia etiam Hebræi fatentur, unde & in translatione Chaldaica sic habetur: *exibit Rex de filiis Isai, & Messias de filiis filiorum ejus*, &c.

Similiter Ezech. 34. v. 23. ubi dicit Dominus: *Suscitabo super eas* (oves meas) *Pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David, ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem; ego autem Dominus ero eis in Deum, & servus meus David Princeps in medio eorum, &c.* ubi in confesso est, etiam apud Judæos, prout fatetur *Rabbi Salomon*, quod hoc intelligatur *de vero Messia filio David*. II.

Hoc autem impletum est in Domino nostro Jesu Christo, qui natus est ex semine David, ut patet ex lib. generationis ipsius Matt. 1. qui etiam verus est Pastor ovium Dei, ut patet Joann. 10. v. 11. *Ego sum Pastor bonus, bonus Pastor animam dat pro ovibus suis*, &c.

Secundum, quod verus Messias de virgine nasciturus esset, Esai. 7. v. 14. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*. &c. III.
quæ prophetia de vero Messia intelligitur juxta S. Euangelium Matt. 1. v. 23. quod licèt Judæi non admittant, tamen in textu convincuntur: quia hoc loco aliquod excellens signum promittitur, & quidem excedens omnem naturæ virtutem, ut fatetur *Rabbi Salomon*. Imprimis autem certum est: quod ly *Virgo* non intelligitur de aliqua *juvencula* vel adolescentula, quæ per coitum viri concipiat, ut volunt Hebræi, quia hoc quotidianum est; sed intelligitur de virgine, quæ absque defloratione filium concipiet, quod P. Nicolaus de lyra probat ex ipsa littera Hebraica, cum ibi *Alma* seu *juvencula* & *Virgo* scribatur cum littera H. Haalma prout solùm usurpatur in S. scriptura vet. Testam. *pro virgine, quæ virum non cognouit*, ut Gen. 24. v. 16. ubi *Rebecca* dicitur virgo incognita viro, & tali modo scribitur ibidem *Haalma* virgo. Similiter Exodi 2. *de Maria sorore Moysi*, & hoc loco; alibi nunquam sic scribitur. At vero hæc prophetia impleta est in immaculata virgine Maria, quæ sine tactu pudoris genuit Dominum Jesum obumbrante eam Spiritu Sancto: Matt. & Luc. 1. Ipse enim verè secundum naturam vocatus est *Emmanuel*, id est, *nobiscum Deus*; quia in ipsius una persona divinæ naturæ conjuncta fuit humana, & sic specialiter Deus nobiscum esse cœpit; & ipse dixit: *Ecce ego vobiscum sum usq; ad consummationem seculi* Matt. ult.

ARTICVLVS VII.

Quod prophetiæ de Messia in Christo impletæ fuerint.

LOcus, ubi verus Messias nasciturus est, prædictus est Mich. 5. v. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël, & egressus eius ab initio à diebus æternitatis.* I.
Hunc locum de vero Messia etiam ipsi Judæi intelligunt, inter alios Rabbi Salomon dicens: *Dominator*, id est, *Messias filius David*. Et translatio Chaldaica summæ apud Judæos auctoritatis sic habet: *Ex te enim egredietur Messias*. Et sic etiam responderunt Herodi Principes Sacerdotum & Scribæ populi interrogati ubi Christus nasciturus esset Matt. 2. Dicitur autem Ephrata quia illud Oppidum prius vocabatur Ephra-

Digitized by Google

Ephrata existens in termino Tribus Juda.

Constat autem ex Euangelio, quod Dominus Jesus Nazarenus in Bethlehem natus fuerit, ubi illum Magi invenerunt juxta Sacerdotum eloquium. Istis autem prophetiæ verbis duplex Christi natura; divina & humana, & utraque naturæ nativitas exprimitur: una secundùm humanam in Bethlehem, altera secundùm divinam, *à diebus æternitatis*, &c.

De Christi Messiæ prædicatione patet Esai. 61. v. 1. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, &c.* Hæc clarissimè implevit Dominus Jesus, ut patet in Euangeliis, & Judæi Luc. 4. v. 22. ipsi dederunt de hoc testimonium.

Signa pro veritate prædicationis & veri Messiæ prædicta sunt Esai. 55. v. 5. *Deus ipse veniet, & saluabit nos. tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, tunc saliet sicut Cervus claudus, & aperta erit lingua mutor m, &c.* Hæc etiam abundantiùs implevit Christus ut patet ex Euangeliis, & specialiter Matt. 11. Cum Joanni per discipulos interroganti: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* respondit: *Euntes renuntiate Ioanni, quæ audistis & vidistis, cæci vident, surdi audiunt, mortui resurgunt, &c.* quæ mortuorum resuscitatio supereminet omnem naturæ virtutem.

Sextum, quòd *verus Messias pauper & mansuetus futurus esset; & quod non gladio, sed miraculis gentes sibi subjiceret* prophetatum est Zachar. 9. v. 9. *Exulta satis filia Sion, jubila filia Ierusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi justus, Saluator, ipse pauper & ascendens super asinam & super pullum filium asinæ,* &c. *& loquetur pacem gentibus & potestas eius à mari usq; ad mare, & à flumine usq; ad fines terræ, &c.* Quod hæc de vero Messia sit prophetia fatentur Hebræi cum Rabbi Salomone, ut refert P. Nicolaus de Lyra hoc loco; & dicunt quod Prophetarum præcipua intentio fuerit nuntiare dies & adventum Messiæ, & ideo dum de aliis loquuntur, sæpe interserunt ea, quæ pertinent ad adventum Messiæ.

Hæc autem impleta sunt in Domino nostro Jesu Christo, qui in *paupertate natus*, & pauperrimam vitam egit, ut patet in Euangeliis, quod paupertatem voluntariam etiam suaserit tanquam specialem perfectionis viam; in omnibus fuit *mansuetissimus*, & ipse asinâ & pullo asinæ sedens intravit Jerusalem turbis omnibus occurrentibus & acclamantibus: *O Sanna filio David, &c.* Matt. 21. v. 9. quod autem *pacem locutus sit gentibus* notissimum est; cum non gladio sed mansuetudine suâ & Apostolorum ad suam fidem gentes converterit, mittens illos ut *oues in medio luporum*; & patet, quod potestas ejus sit per totum mundum excellentissima non more Regum terræ momentanea, sed supereminens & perpetua, prout ipse prædixerat; *Regnum meum non est de hoc mundo*, &c. quod esset nimis vile & temporaneum. Jam autem etiam manifestè ipsius potestati subjecti fuerunt tot potentissimi Imperatores & Reges per universam terram, & etiamnum subsunt; præterquam quod invisibiliter regnet in Cœlo & in terra.

Quòd *verus Messias vilipendendus, & pro peccatis populi passurus, & occidendus esset*, patet ex Psalmis & Prophetis. 1°. ps. 21. qui totus est de passione Christi, ubi primò dicit Propheta in persona Christi: *Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* &c. prout Christus in cruce expressit, & consequenter: *Foderunt manus meas & pedes meos*, &c. *diuiserunt sibi vestimenta mea*, &c. quæ clarissimè impleta sunt in passione Domini, quod attendentes Judæi psalmum illum de ipso David in persecutione Saulis, vel Judæis in tribulatione Amanin libro Esther exponere præsumunt; sed veritas patet ex effectu in Christo Domino, & ex his, quæ Christus Dominus juxta hunc psalmum dixit, & fecit, & in ipso ad literam impleta sunt, quod Judæi suis falsis expositionibus nullatenus ostendere possunt.

VI. Similiter Ps. 68. qui ad literam de Messia procedit, & in Christo Salvatore impletus est; ut dum dicitur: *Saluum me fac Deus*, &c. *multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis*, &c. *Quoniam propter te sustinui opprobrium & quoniam zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium ceciderunt super me*, &c. *Et sustinui qui simul contristaretur & non fuit, & qui consolaretur & non inueni*; scilicet in passione, dum etiam Discipuli à Christo fugerunt. *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto*, &c. nempe in cruce. Et licet Judæi convicti, tamen obstinati hæc de Messia prædicta negent, nobis constant ex Euangelio.

VII. Alius locus est Ps. 117. ubi dicitur: *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Ad literam intelligitur de Messia, prout Christus Dominus Matt. 21. & Petrus Act. 4. ostenderunt; & licèt horum auctoritas à Judæis non curetur, nobis sufficit. Insuper *Rabbi Salomon* etiam de Messia & Glossa Hebræorum in illud Mich. 5. *Ex te egredietur dux*, &c. sic dicit: *Messias Filius David sicut ipse dicit* Ps. 117. *lapidem quem reprobaverunt*, &c. Et licet Iudæi convicti, tamen obstinati hæc de Messia prædicta negent, nobis constant ex Euangelio. Sed clarè convincuntur per prophetiam Isai. 9. v. 6. *Paruulus enim natus est nobis & Filius datus est nobis, & factus est Principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis, super solium David & super solium eius sedebit, ut confirmet illud & corroboret in judicio, & iustitia amodò*, & *usq; in sempiternum*, &c. Hunc textum etsi Rabbi Salomon depravet legens *vocabit* pro *vocabitur* quasi Deus vocabit parvulum, ut parvulus non sit Deus, attamen *antiquiores Doctores Hebræi*, & Christiani semper legerunt *vocabitur*, & translatio Chaldaica authentica sic ait: *Infans natus est nobis, & Filius datus est nobis, & vocabitur nomen eius ab ante mirabilis consilio, Deus fortis permanens in secula seculorum Messias, &c.* quæ omnia conveniunt soli Christo Domino qui secundum humanam naturam infans natus & secundum Deitatem verus Deus, Filius Dei datus est, & omnia illa nomina comprehenduntur in nomine Iesus, hoc autem nomen Iesus, Spiritus Sanctus non expresſit sed prædixit exprimendum dum Esai. 52. v. 6. dicitur: *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum, &c.* ubi expresſè de Messia sermo est & ipse loquitur de se, quod populus Christianus nomen ejus sciet, quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur, scilicet Iesus, quod est Salvator, de VIII.

qua

qua salute ibi agitur, ut cap. 49 patet, ubi dicitur v. 6. *Dedi te in lucem gentium ut sis salus mea usq, ad ultimum terræ*, &c. & sic consequenter Propheta de Messia pergit loqui cap. 50. ubi Christus alloquitur Judæos: *Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis*, &c. ubi causa indicatur, cur Judæi Christum persecuti sunt, quia arguit illorum peccata. Et postea, quia *Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico*, &c. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus in me*, &c. *Iuxtà est qui justificat me*, &c. quæ similiter patent in Christo completa esse.

Consequenter Propheta de Messia loquitur cap. 51. & 52. prout *translatio Chaldaica* expressit, ut testatur P. Nicolaus de Lyra, & dicit, quod Hebræi omnia explicent de Messia ab illis verbis cap. 52. v. 13. *Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis erit valde, sicut obstupuerunt super te multi; sic inglorius erit inter viros aspectus eius, & forma eius inter filios hominum*, &c. quod etiam patet impletum in Christo, dum multi obstupuerunt super miracula ejus, & in passione inglorius fuit.

IX. Demum cap. 53. de Christo dicitur: *Non est species ei neq, decor, & vidimus eum, & non erat aspectus, & desiderauimus eum, despectum & nouissimum virorum, & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus eius & despectus, unde nec reputauimus eum: verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, & nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oues errauimus*, &c. *& posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum, oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum, sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet*, &c. *Generationem eius quis enarrabit?* &c. *propter scelus populi mei percussi eum*, &c. *eo quod iniquitatem non fecerit, neq, dolus fuerit in ore eius*, &c. *si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum*, &c. *in scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos*, &c. *ideo dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit*. hæc Isaias.

V. Vbi patet, quod tam clarè prædixerit quæ in Christo Domino completa sunt, ut D. Augustinus lib. 18. de Civ. Dei, cap. 29. edit. Basil. 1528. dicat, quod Isaias potiùs Euangelista, quam Propheta à multis nominetur; & hoc commune est apud Prophetas, quod de futuris ita loquantur ac si præsentia essent ob certitudinem prophetiæ, ob quæ Rabbi Salomon, qui dudum post tempora Christi vixit, videns suos confusos perfrictâ fronte non vult illa de Messia esse prophetata, & tamen P. Nicolaus de Lyra testatur, quod *Doctores Iudæorum antiquiores in translatione Chaldaica* de Messia intellexerint; inter alios *Rabbi Moyses* in Gen. 29. sic ait: *Hic est Rex Messias qui dedit cor suum ad petendum miserationes pro Israël, & adjuvandum & humiliandum se pro eis sicut scriptum est Isai. 53. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras*, &c. unde patet, quod non solum juxta veritatem novi testamenti (quam Judæi impiè negant) sed etiam ipsorum antiquiorum Doctorum sententiam prædicta sunt illa de vero Messia, quæ in Euangelio impleta esse clarissimè demonstrantur: unde meritò Isaias illa de Christo prædicturus ibidem dicebat: *Quis credidit auditui nostro?* &c. prævidens, quod obstinati Judæi plerique credere nollent.

ARTICULUS VIII.

De Prophetiis quoad mortem & resurrectionem ac divinitatem Messiæ in Christo Domino impletis.

Qvod *verus Messias moriturus & iterum cito resurrecturus esset* similiter prophetatum est in ps. 3. ubi in persona David prædicitur de Christi morte & resurrectione, scilicet: *Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me*, &c. & postea: *voce mea ad Dominum clamaui & exaudiuit me*. &c. *Ego dormiui & soporatus sum & exurrexi quia Dominus suscepit me*, &c. ubi D. August. supra cap. 18. optimè dicit, id non posse intelligi de David, & somno ordinario; quia nihil magni esset, quod David dormisset & à somno surrexisset, ut hoc Propheta sic exaltaret: adeoque de Christi morte, qui somnus dicitur, & ejus resurrectione intelligitur; prout sæpe dicitur de David & aliis Regibus in vet. testam. *Dormiuit cum Patribus suis*. Sed David à tali somno non resurrexit, sed Christus tertiâ die resurrexit. I.

Clarius mors Christi & resurrectio prophetata est ps. 40. prout P. Nicolaus de Lyra ex litera Hebraica probat, & in Euangelio Christus ipse indicavit, dum allegat verba hujus psalmi, ut dicetur. Similiter August. suprà cap. 18. ostendit, & patet ex textu, dum dicit David in persona Christi: *Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur & peribit nomen ejus*, &c. ubi mors Christi intimatur à Judæis, deinde: *Verbum iniquum constituerunt aduersum me. nunquid qui dormit non adjiciet ut resurgat?* vel ut Aug. legit: *nunquid qui moritur, non adjiciet, ut reuiuiscat?* quod Judæi timuerunt, dû sepulchrum per custodes munierunt, volentes impedire Christi resurrectionem, quam prædixerat. Deinde indicatur proditio Judæ: *Etenim homo pacis meæ qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem*, &c. quod allegat Christus Dominus Joann. 13. v. 18. dicens: ut adimpleatur scriptura; *Qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum suum*. II.

Demum sequitur de resurrectione: *Tu autem Domine*, &c. *resuscita me, & retribuam eis. In hoc cognoui quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me*, &c. sic enim Judæi post resurrectionem à militibus intellectam, & tot miraculis probatam non fuerunt gavisi; & Christus resurgens justè retribuit illis per destructionem Jerusalem; *& confirmatus est in conspectu Dei in æternum*. Quod autem David de futuro loquatur patet ex verbis: Fiat, fiat: quicquid falsò Judæi contradicant. III.

Eadem veritas patet ex psalm. 15. ubi sic dicitur: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commouear*: quod certè de nullo dici potest absolutè, nisi de humanitate Christi divinitati conjuncta. Et sequitur: *Propter hoc lætatum est cor meum & exultauit lingua mea, insuper & caro mea requiescet*

Digitized by Google

esset in spe: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem: Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* scilicet, ut non corrumpatur corpus prout alia cadavera, quæ non possunt dici de David, ut ostendit B. Petrus Act. 2. v. 29. dicens: *Liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha David, quoniam defunctus est & sepultus. & sepulchrum eius est apud nos usq; in hodiernum diem. Propheta igitur cum esset & sciret, quia iureiurando jurasset illi Deus de fructu lumbi eius sedere super sedem eius, prouidens locutus est de resurrectione Christi, quia neq; derelictus est in inferno, neq; caro eius vidit corruptionem*, &c. Quibus aliisque Petri verbis Judæi plures conversi dixerunt: *Quid faciemus viri fratres?* &c. & baptizati sunt ad tria millia, ut ibidem narratur, licèt modo Judæi obstinati hæc rideant.

IV. 9. *Resurrectionem & ascensionem Christi Domini sicut & missionem Spiritus Sancti super Apostolos*, ac dona illis tunc data prophetavit David psalmo 46. *Ascendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ*; prout supponit Paulus Apostolus Ephes. 4. v. 8. & patet ex textu cum dicitur psalmo 67. *Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius*, &c. id est, Christus secundùm humanitatem resurgat & Judæi postea per Titum dissipati sunt. Item: *Cantate Deo, psalmum dicite nomini eius, iter facite, qui ascendit super occasum*, &c. ubi Hebræi dicunt, quod per occasum intelligatur Cœlum. *Qui educit vinctos in fortitudine*, &c. quod variis modis Christus post resurrectionem fecit. *Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ*, &c. quod in festo Pentecostes factum: *Dominus dabit verbum Euangelizantibus virtute multa*, &c. *Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem*, &c. quando è limbo eduxit Patres qui captivi erant. *Accepisti dona in hominibus*, &c. quando Christus in corpore suo Ecclesia, præsertim Apostolis accepit dona Spiritus Sancti in festo Pentecostes, *&c.*

V. Iterum: *Regna terræ cantate Deo, psallite Domino, psallite Deo qui ascendit super Cœlum Cœli ad Orientem*, &c. *Mirabilis Deus in Sanctis suis, Deus Israël ipse dabit virtutem*, &c. quæ certè de Davide, nec de alio dici possunt; quæ etiam videmus in Christo Domino esse impleta.

Hoc etiam S. Petrus Act. 2. v. 32. ostendit ex psalmo 15. dicens de Christi resurrectione: *Hunc Iesum resuscitauit Deus, cujus omnes nos testes sumus. Dexterâ igitur Dei exaltatus, & promissione Spiritus Sancti acceptâ à patre effudit hunc, quem vos videtis, & auditis. Non enim Dauid ascendit in Cœlum, dixit autem ipse: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* psalmo 109.

VI. 10. De *missione Spiritûs Sancti* clara est etiam prophetia Joelis 2. v. 28. ubi dicitur: *Et erit post hæc, effundam Spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ*, &c. *sed & super seruos meos & ancillas in diebus illis effundam Spiritum meum*, &c. quod ipsum Judæi Doctores specialiter *Rabbi Salomon* dicit spectare ad tempus *Messiæ*, licet ipsi falsò fingant, illum adhuc venturum. Sed hæc clarè impleta sunt in *festo Pentecostes*, prout *S. Petrus* Act. 2. ostendit. Et patet, quia tunc Spiritus Sanctus effusus est non solùm super Apostolos & Discipulos, sed etiam super mulieres & virgines tunc cum ipsis congregatas, qui omnes perseverabant in Oratione, ut patet Act. 2.

Demum *de missione Apostolorum ad euangelizandum in toto mundo & vocatione gentium*, ut sit unum ovile & unus Pastor ovium ex Judæis & gentibus, prophetiæ plures sunt, quarum aliquas referemus. Psalmo 18. *Cœli enarrant gloriam Dei*, &c. *Non sunt loquelæ neq; sermones, quorum non audiantur voces eorum*, &c. quod in Apostolis impletum qui annunciaverunt opera Dei & acceperunt linguas omnium gentium in festo Pentecostes, cùm alias essent rudes piscatores. *In omnem terram exiuit Sonus eorum*: quod pro magna parte etiam tempore Apostolorum contigit, *&c.* psalmo 45. *Vacate & videte quoniam ego sum Deus, exaltabor in gentibus*, & psalmo 46. *Omnes gentes plaudite manibus*, &c. *regnabit Deus super gentes*, &c. psalmo 65. *Benedicite gentes Deum nostrum*, & psalmo 71. de Messia, *Deus judicium tuum Regi da*, &c. *Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruient ei. Et benedicentur in ipso omnes Tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum.* Item psalmo 85. *Omnes gentes, quascunq; fecisti, venient & adorabunt coram te Domine*, &c. VII.

Sæpissime autem in illis psalmis prædicitur, quod gentes ad Dei cultum vocandæ essent.

Mich. 4. dicitur: *Et erit in nouissimo dierum mons domûs Domini preparatus in vertice montium, & sublimis super colles, & fluent ad eum omnes populi, & prophetabunt gentes multæ, & dicent: Venite ascendamus ad montem Domini & ad domum Dei Iacob, & docebit nos de viis suis*, &c. *quia de Sion egredietur lex, & verbum Domini de Ierusalem*, &c. Hanc prophetiam pertinere ad tempus *Messiæ* fatentur Judæi, ut Rabbi Salomon, licèt ipsi adhuc falsò expectent: sed omnia impleta sunt tempore Christi; quod dicitur novissimum, quia post illud non sequitur aliud, sicut post tempus legis Mosaicæ: & ideo etiam Joann. 2. v. 18. dicitur *Nouissima hora est*, & Gen. 49. dicit Jacob: *Vt annuntiem vobis quæ in nouissimis diebus ventura sunt*: & tamen juxta Hebræos plura ex illis à Jacob prædictis facta sunt adhuc tempore Josue, *&c.* Ibi etiam non intelligitur quod corporaliter mons Sion super omnes montes elevabitur, ut fatetur Rabbi Salomon, sed spiritualiter; quia erit nobilissimus, quod impletum est, cum Christus in templo oblatus est, prædicavit, miracula fecit, ibiq; Spiritum Sanctum Apostolis dedit: & sic ad montem spiritualem accurrerunt gentes, & ex Sion exivit lex euangelica, & verbum Domini juxta quod Christus dixit Act. 1. v. 8 & Luc. 24. v. 47. *Eritis mihi testes in Ierusalem & in omni Iudæa, & Samaria, & usq; ad ultimum terræ*, &c. VIII.

Similiter Jerem. 16. v. 19. *Domine fortitudo mea*, &c. *ad te gentes venient ab extremis terræ, & dicent: Verè mendacium possederunt Patres nostri, vanitatem quæ eis non profuit. Nunquid faciet sibi homo Deos &c.* quæ jam à tempore Christi impleta sunt. IX.

Sic Ezech. 37. v. 22. *Et faciam eos in gentem unam in terra in montibus Israël, & Rex unus erit omnibus imperans, & non erunt ultra duæ gentes, nec diuidentur amplius in duo regna: neq; pollu-*

entur ultra in idolis suis, &c. *ego ero eis Deus, & servus meus David Rex super eos, &c. pastor unus erit ovium eorum*, &c. ubi etiam juxta *Doctores Hebraeorum* per servum David intelligitur Messias, qui est Christus Salvator, in quo hæc clarè impleta sunt; qui ex Iudæis & gentibus collegit unum ovile, & est unus pastor in sempiternum, & conversis ex gentibus etiam nomen Israel attribuitur, ut patet Isai. 44. & infrà dicetur.

X. Demum, quod *Meßias* non solùm verus homo, sed etiam verus Deus venturus esset, constat ex variis S. scripturæ ver. Testam. locis, specialiter ex illo ps. 109. *Dixit Dominus Domino meo*: ubi David *Meßiam* dicit Dominum suum; qui tamen secundùm naturam humanam illius erat filius, & pauper, &c.

Plurima alia loca suprà allegata patent, ut ex Isai. 9. *Filius datus est nobis, & vocabitur Deus fortis*, &c. & Micheæ 5. *à diebus æternitatis*.

Similiter constat ex illo Jerem. 23. v. 5. *Ecce dies veniunt, & suscitabo David germen justum, & regnabit Rex*, &c. *& hoc est nomen quod vocabunt eum Dominus justus noster*, &c. ubi in Hebræo pro *Dominus* ponitur nomen *Tetragrammaton*, quod divinitatem significat.

Constat etiam ex illo Baruch 3. v. 38. ubi Propheta de Deo loquens tandem dicit: *Hic est Deus noster*, &c. *post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est*, &c. quod non potest aliter intelligi, quàm, quod Deus in assumpta humanitate visus sit, &c.

Huc spectat etiam illud Isai. 9. v. 6. *Parvulus natus est nobis*, &c. cap 7. v. 14. *& vocabitur nomen ejus Emanuel*, &c. ut suprà art. 7. dictum est.

ARTICVLVS IX.

Probatur eadem veritas de Christo Meßia argumentis ex S. scriptura & experientia sumptis.

I. Quandocunque S. scriptura aliquid prædixit certò futurum, & specificat de aliquo uno certo homine futuro tempus, locum, & modum, & illa in uno certo homine eveniunt & implentur, tunc certissimum est, quod ille sit ipse qui futurus in S. scriptura est prædictus: Atqui omnia, quæ de Messia in vet. Testam. prædicta sunt, evenerunt circa Christum Dominum Jesum Nazarenum, &c. Major est evidens: quia alioquin non essent in S. scriptura sufficienter determinata ea, quæ uni certo futuro convenirent, quod tamen S. scriptura facere intendit: vel S. scriptura falsum prædiceret, quod est impium asserere. Minor probatur ex testimoniis S. scripturæ de Messia futuro hactenus allegatis, quæ secundùm veritatem, & etiam antiquiorum Doctorum Hebraicam ac Chaldaicam translationem intelliguntur de vero Messia esse prædicta, prout suprà ostensum est, utpote

II. Primò, quod *Meßias esset nasciturus ex semine David*, juxta plurima S. scripturæ loca.

2. Quod *nasciturus esset tempore Herodis*, quo ultimatè cessavit regnum Juda, tam quoad Reges, quàm quoad Duces juxta illud Gen. 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda*, &c. & juxta confessionem antiquorum Doctorum Hebraicorum supra allegatam.

3. Quod *de Virgine nasciturus* esset juxta illud Isai. 7. *Ecce Virgo concipiet*, &c.

4. *Quoad locum nativitatis*, scilicet in Bethlehem Judæ, juxta illud Mich. 4. *Tu Bethlehem*, &c.

5. Quod *Meßias in justitia, paupertate, humilitate ac mansuetudine* vitam acturus esset; juxta illud Zach. 9. *Venit Rex tuus tibi justus, pauper, & mansuetus*, &c.

6. Quod *Meßias prædicaturus & euangelizaturus pacem*, & multa miracula facturus esset, juxta Isai. 35. & 61. &c.

7. Quod *Meßias pro peccatis populi affligendus*, despectus, occidendus, inter sceleratos deputandus, & pro transgressoribus oraturus esset, ut patet Isai. 53.

8. Quod *Meßias à mortuis resurrecturus*, & ad Cœlum ascensurus, ac Spiritum Sanctum missurus esset, juxta varia loca ex psalmis suprà allegata, & Joel 2.

9. Quod *Meßias non gladio, sed in pace, virga oris sui* congregaturus esset gentes cum Judæis, ut esset unus Rex & Pastor omnium, & gentes ab Oriente usque ad Occidentem in illum credituri essent, & in ipso benedicerentur: juxta varias promissiones Abrahæ Isaac & Jacob factas & prophetias allegatas, &c.

Jam vero minor probatur, quod illa in Domino nostro Jesu Christo impleta sint, ex Euangeliis. Et licèt Judæi negent Euangelia tanquam verbum Dei, tamen negare non possunt, quin illa Euangelia sint scripta à viris piissimis & pluribus miraculis confirmata fuerint; ac per totum orbem terrarum à tempore Christi & Apostolorum à viris sapientissimis credita, quod certissimè contigerint, & quod signis fuerint confirmata: quæ omnia sine expresso & manifesto argumento in contrarium negare est insani hominis, qui nulli testimonio credere vult, nisi quod viderit: atqui Judæi non possunt contrarium docere de his quæ Euangelistæ & Apostoli de Christo tradiderunt. III.

Confirmatur: quia Judæi non possunt aliter contra gentilem nolentem credere, quod vetus Testamentum sit verbum Dei, probare ea, quæ in veteri Testamento de exitu ex Ægypto & miraculis, &c. enarrantur; nisi quod ipsi habeant vetus Testamentum de manu ad manum à Patribus suis, & quod olim sic fuerit à viris sapientissimis creditum: ita etiam de Euangeliis nos probamus, quod vera dicant, licèt ipsi negent esse verbum Dei, &c.

Secundum argumentum ex miraculis à Christo factis etiam ostenditur, hoc modo: Prædictum est, quod Messias sit facturus miracula magna, & deinceps per Apostolos suos, ut patet Isai. 35. & 61. &c. Atqui Dominus Christus Jesus tanta fecit miracula, quæ nullus alius unquam fecit, nec facere potest, nisi virtute divinâ, ut resuscitare mortuos, &c. IV.

Ex quo sic argumentor: Deus nullum miraculum facit in testimonium falsæ doctrinæ: Atqui Christus Dominus fecit tanta miracula in testimonium suæ doctrinæ, quæ sine virtute divina fieri non possunt. Quod quidem in resuscitatione Lazari tam evidens fuit, & clarum Judæis, qui erat vir primarius, & post resuscitationem suam in Jerusalem conversabatur ac in Bethania; ut turbæ ob hoc Christo irent obviam clamantes: *O Sanna filio David* &c. & Principes Sacerdotũ, videntes se nõ posse illud negare, Lazarum

Digitized by Google

tum occidere intenderunt, ut sic ex oculis hominum tolleretur. Similiter quia videbant Christum Dæmones expellentem calumniabantur quod in Beelzebub ejiceret, &c.

V. Quod autem Christus talia miracula fecerit, non solùm constat ex Euangeliis, quæ Judæi non admittunt, sed etiam ex confessione antiquiorum Judæorum, nam, ut refert Lyranus in libello contra Judæos, extat liber apud Judæos authenticus, *qui intitulatur de Iesu Nazareni generatione*, in quo expresè dicitur, quod *leprosos mundarit, claudum ex utero matris stare fecerit, & mortuum resuscitarit*, &c. Nec obstat, quod ibid. dicitur, quod Jesus talia fecerit virtute nominis Tetragrammaton, quæ talis sit; ut qualiscunque illud nomen debito modo pronuntiare potest, is talia virtute illius nominis facere possit: Dominus Jesus autem talem pronuntiationem didicerit ex aliquo lapide in templo, ubi Arca steterat, in quo ille pronuntiandi modus descriptus erat, &c. hæc in illo libello.

Verùm quis non videt hoc sine ullo fundamento dici de illo nomine & lapide, cùm nullam adducant probationem? Ex hoc tamen habetur, quod ipsi fateantur Christum Dominum talia miracula fecisse.

Secundò, certum est, quod virtute naturali nudi nominis & verborum non possint naturaliter talia miracula fieri; sed ad cooperationem virtutis divinæ: ac proinde etiam juxta confessionem Judæorum, licèt falsam causam adducant, sequitur: quod si Christus pronunciando tale nomen, quod est apud Judæos sanctissimum, miracula fecerit, id non contigerit virtute naturali illius nominis, sed virtute divinâ, & sic habetur intentum, quod Christus fecerit virtute divinâ miracula in testimonium suæ doctrinæ.

VI. Eadem veritas etiam ex Josepho probari potest, qui est authenticus Hebræorum historicus, ille lib. 18. antiquitatum tractans de tempore Tiberii Cæsaris, sub quo Christus Dominus passus est, sic scribit: *Fuit hisce temporibus Iesus sapiens vir, si tamen tum virum nominare fas est, erat enim mirabilium operum effector, & Doctor eorum, qui libenter audiunt ea, quæ vera sunt, & multos quidem Iudæorum, & multos ex gentibus sibi adiunxit, Christus hic erat. Hunc accusatione primorum nostræ gentis virorum cùm Pilatus in crucem agendum decreuisset, non deseruerunt eum hi, qui ab initio dilexerunt eum: apparuit enim tertiâ die iterum vivus, quod diuinitus inspirati Prophetæ vel hæc, vel alia de eo innumera miracula futura esse prædixerunt*, &c. hæc Josephus. Si itaque Judæi obstinati nullam fidem sine causa Euangeliis adhibere velint, quid dicent de illo libro, & de suo Josepho illius temporis scriptore contemporaneo?

His accedit, quod à tempore Apostolorum usque in præsentem diem evidenter appareant plures prophetiæ impletæ, quod omnes gentes in Christum essent credituræ, & in ipso benedicendæ; quod jam per totum orbem hactenus impletum est; prout historiæ, & experientia convincunt.

VII. Demum miracula alia quæ in nativitate Domini contigerunt, ut quod stella orta duceret Magos Jerosolymam ad adorandum Regem natum juxta prophetiam Balaam Num. 24. v. 17. *Orietur stella ex Iacob*, &c. unde Herodes tam horrendum commisit infanticidium, &c. Similiter, quod Joannes baptista, tam mirabiliter natus, Christum Dominum prædicarit, Simeon & Anna in templo de ipso prophetarint, in passione Domini sol per tres horas obscuratus sit, &c. licèt Judæi hoc juxta Euangelia non credant, tamen ut certissimas historias, à toto mundo receptas, & ab aliis Historiis traditas, negare non possunt.

Ex his ultimatè concluditur, quod Dominus noster Jesus Christus sit verus in lege & à Prophetis promissus Messias, & quod ipsius doctrina sit à Deo, ut verissima, tot modis & miraculis probata: adeoque quod ipse sit verus Dei coæternus Filius secundum divinitatem, & homo, prout ipse per se & Apostolos docuit. VIII.

Hæc tot modis ex prophetiis prædicta, & per tot testimonia in Christo Salvatore impleta evidenter constant: at vero Judæi (quorum plures fatentur tempore Titi in destructione Jerusalem Messiam suum esse natum, quem alii dicunt reservari inter Angelos, alii, quod pauper & despectus versetur in mundo, donec Deus ipsum velit manifestum fieri, vel quod ultra montes Caspios moretur) nullo modo illa negare possunt: quodnam enim vel minimum ex ulla historia, vel experientia de his habent testimonium contra tam evidentia de Christo Domino testimonia, unde patet extrema eorum insania & obstinata pertinacia.

ARTICULUS X.

Allegantur causæ excæcationis & pertinaciæ Iudæorum, ut testimonia de Christi divinitate.

DIvus August. lib. 18. de Civ. Dei cap. 23. verissimè contra Judæos concludit dicens: *Sed ut Iudæi tam manifestis huius prophetiæ testimoniis, etiam rebus ad effectum tã clarum certumq; productis, omnino non credant, profectò in eis impletur, quod in* ps. 19. scriptum est; *cum enim & illic in persona Christi, ea, quæ ad eius paßionem pertinent, propheticè dicerentur, commemoratum est, quod in Euangelio patuit: Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potum mihi dederunt acetum. Et velut post tale conuiuium epulasq; sibi huiusmodi exhibitas, mox intulit: Fiat mensa eorum coram ipsis in muscipulam, & in retributionem, & in scandalum. Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurua*, &c. *quæ non optando sunt dicta, sed optandi specie prophetando prædicta. Quid ergo mirum, si hæc manifesta non vident, quorum oculi sunt obscurati, ne videant? Quid mirum, si cælestia non suspiciant, qui ut in terrena proni sunt, dorsum eorum semper incurvum est? his enim verbis translatis à corpore vitia significantur, &c.* hæc August. I.

Quibus verbis D. Augustinus juxta prophetiam & justitiam Dei indicat primariam causam obdurationis Judæorum, quia scilicet D. Iesum innocentissimum, quem nullius peccati arguere poterant, & tot miracula facientẽ viderant, quæ de vero Messia prædicta erant, & nullus alius facere poterat, nisi esset Deus cum illo: ob hoc solũ, quod de se fatebatur id, quod tot modis clarum erat ex Prophetis; scilicet, quod esset verus Messias, tam horrendo supplicio affecerunt: prout constat ex Rabbi Moyse apud Paulum Burgen- II.

Digitized by Google

sem suprà, qui dicit: *Circa finem templi secundi, Nazarenus ille jactitauit se Messiam esse, & ideo Magistri nostri fecerunt de eo, seu in eum, quod debebat fieri*, &c. ubi patet, quod nullam aliam causam allegent, nisi quod se Messiam dixerit; quod tamen prophetiæ & miracula probarunt.

His tamen non obstantibus Judæi excæcati Pilato dicente: *Innocens ego sum à sanguine justi huius*, &c. vociferati sunt unanimiter: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros* Matt. 27. v. 25. quod *partim ex superbia*, malitia, & vindicta fecerunt, quia hypocrisin ipsorum, & peccata, ut verus Messias arguebat, ut patet ex Euangeliis; *partim ex inuidia*, quia videbant ipsum manifesta miracula facientem, quibus non poterant contradicere, dum Lazarum resuscitasset, cæcum natum illuminasset, ac populus in ipsum credidisset, &c. cujus innocentis sanguinis etiam posteri se reos præstiterunt.

III. Et si dicatur: Filii ipsorum non peccarunt, nec occiderunt Christum, qui tunc non fuerunt, & juxta S. scripturam: *Filius non portabit iniquitatem Patris* Ezech. 18. v. 20. Contrà tamen est, quod posteri illorum usque in hanc diem approbent crudelia illorum scelera, & blasphemias in Christum Dominum commissas; imo quod horrendum est, Judæi suos filios à teneris annis assuefaciunt ad maledicendum Christo Domino, & legi ejus, ac Christianis, ita, ut quotidie in synagogis suis Christo, legi ejus & Christianis maledicant, ut testatur *Lyranus* supra in fine illius libelli, & *Paulus Burgensis* 2. parte scrutinii dist. 6. cap. 2. & quotidianâ experientiâ constat.

ARTICVLVS XI.

Veritas Christiana ulterius ostenditur ex S. scriptura & antiquis Rabbinis, ac respondetur ad quadam argumenta Judæorum de lege servanda.

I. QVamvis tot testimonia hactenus ex vet. Testam. allegata de futuro Messia, tam clarè Domino nostro Jesu Christo conveniant, & in ipso impleta fuisse ostensum sit; ut quilibet meritò acquiescere deberet: quia tamen juxta comminationem Dei per Prophetas factam, præsertim Isai. 6. v. 10. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum.* Et juxta ps. 19. suprà allegatum, *obscurentur oculi eorum, ne videant*, &c. idque in pœnam gravissimorum scelerum quæ in Christum Jesum usque modo committunt Judæi veritati manifestæ contradicunt.

II. Hanc Judæorum cæcitatem & malitiam tempore Messiæ futuram juxta Prophetas etiam Rabbini ante Christi adventum agnoverunt ex S. scriptura, prout habetur in ipso *Thalmud*, in tract. Sanhed. c. Dinei & Mammonoth, ut refert *Simon Maiolus Episcopus* Vulturariensis in colloquio de perfidia Judæorum, inter quos filii Hya sic loquuntur: *Messias futurus erit in petram scandali ambabus domibus Israël, & ipsis habitatoribus Ierusalem in laqueum*, quod magni arcani loco tradunt.

Similiter *Rab. Iohanan, & R. Iacob* ibid. *cap. Helec.* dicunt: quia Judæi Dominum rejecerunt, gentes in eorum locum surrogatum iri, &c.

Rab. Iudas ibid. dicit: *Cum Filius Dauidis veniet, rari erunt sapientes in Israel, & sapientia scribarum putrescet*, &c.

Rab. Natronai ait ibid. *Christus faciet miracula, sed dicent ea esse à magia & à spiritibus immundis*, &c. Ecce qualiter in Christo Domino & Judæis hæc contigerunt?

Cùm autem nulla est secta tam impia, quin prætextum aliquem pietatis & veritatis prætendat; sic etiam Judæi videntes tot testimonia in Domino Jesu impleta, quæ licèt negent, tamen fundamentum negandi non habent, ut hactenus ostensum est: Sic aliqua loca veteris Testam. allegant, quæ putant in Domino nostro Jesu Christo non esse adimpleta quorum præcipuum: Quod est Deuteron. 4. v. 1. ubi dicit Moyses: *Israel audi præcepta & judicia quæ ego doceo te: ut faciens ea viuas, & ingrediens possideas terram, quam Dominus Deus Patrum vestrorum daturus est vobis, non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo*, &c. Ex quo loco Judæi inferunt, quod Messias etiam illa cæremonialia legis Mosaicæ, quoad sacrificia & alia servare & à suis servanda præcipere debeat, quod Christus non fecit. III.

Resp. 1. quod illo loco solùm prohibeatur, ne populus vel aliquis suâ auctoritate quicquam addat vel auferat à lege; non autem prohibetur vel dicitur, quin Dominus Deus ipsemet non sit mutaturus per se, vel per alium Prophetam auctoritate Dei, & hoc præsertim quoad præcepta cæremonialia legis, pro cujus declaratione IV.

Sciendum, quod diversa fuerint præcepta in lege Moysi; aliqua moralia, quæ spectant ad legem naturæ, ut sunt *præcepta Decalogi*, quæ in omni lege etiam ante Moysen & Abraham observanda erant; licèt de novo Deus in Tabulis per Moysen illa proposuerit, quorum fundamentum est lex: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c. & proximum tuum sicut teipsum*: Ex quibus duobus tota lex pendet & Prophetæ, ut dicit Dominus Marci 12. v. 30. & Moyses Deut. 6. v. 4. *Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est* & v. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. & Levit. 19. v. 18. *Diliges amicum tuum, sicut teipsum*, &c. quæ præcepta monet semper servanda esse, ut allegat *Paulus Burgensis* dist. 8. cap. 9. & quidem ipsi antiqui *Rabbini*, qui licet colligant 613. præcepta in lege Moysi; dixerunt tamen, quod in paucis comprehendantur vel in sex, vel tribus, ut Michææ 6. v. 8. *Indicabo tibi O homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te, utiq; facere judicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo*, &c. ubi duo præcepta de diligendo Deo & proximo comprehenduntur.

Præter hæc præcepta moralia Deus per Moysen dedit populo alia cæremonialia & judicialia, quæ servare debebant, sed non semper & in omni loco: quod ostenditur, quoad locum Deut. 4. v. 1. ubi Moyses dicit: *Scitis, quod docuerim vos præcepta atq; justitias, sicut mandauit mihi Dominus Deus meus: sic facietis ea in terra, quam possessuri estis*, &c. & v. 14. *Mihiq; mandauit in illo tempore, ut docerem vos cæremonias, & judicia* V.

quæ

Digitized by Google

qua facere deberetis in terra, quam possessuri estis, &c. & sic patet, quod non in omni loco obligabant etiam Judæos, ut constat de sacrificiis, quæ extra Jerusalem, vel ubi Arca Dei non erat, offerri non poterant. Quoad tempus etiam constat ex S. scriptura Jerem. 31. ubi Deus promittit legem novam, *&c.* ut infrà patebit.

VI. Probatur etiam ex ipsis antiquis Rabbinis; qui fassi sunt quòd verba illa scripturæ, ubi de cæremoniis dicitur, quòd servandæ sint in sempiternum, ut Exodi 12. *Erit dies ista vobis ad memoriam, & solemnizabitis ipsam lege sempiterna*, &c. non sint intelligenda absolutè in sempiternum, sed quoad certum tempus, scilicet pro sæculo usque ad tempus Messiæ: ita ostendunt ex diversitate dictionum Hebraicarum, ita ut ubi ponitur dictio in Hebræo *Sela* & *Vead* intelligatur absolutè sempiternum, prout dicitur in psalmo 83. *In sæculum sæculi laudabunt te.* At verò ubi ponitur dictio *holam* non intelligatur absolutè sempiternum, sed tantùm intelligatur sæculum, quod non semper importat absolutum sempiternum, sed tempus limitatum, & sic 1. Reg. 1. dicebat Anna de Samuele filio suo: *Adducam eum, & apparebit ante faciem Domini & habitabit ibi holam*, id est in sæculum; quod exponit Rabbi Salomon, usque in sæculum Leviticum, id est, usque ad quinquagesimum ætatis annum, juxta quod dicitur Num. 8.

VII. Itaque respondetur, quòd, ubi circa legem cæremoniarum dicitur sempiternum, in Hebræo dicitur *holam*, prout *Paulus Burgensis* ex textu Hebræo, & Rabbinis ostendit, & sic solùm intelliguntur de tempore legis Mosaicæ, usque ad tempus Messiæ. Idipsum Burgensis etiam ex aliis Rabbinis antiquis probat, quòd vocent legem Moysis vanam, non quia mala sit, sed quia temporanea usque ad dies Messiæ. Ita circa verba Eccles. 2. ubi in glossa dicitur: *Vade quaso*, &c. & sequitur: *Ecce ipsum vanitas* Rab. Hosin sic dicit: *Omnis lex quam tu addiscis, in sæculo isto habes, id est vanitas respectu legis sæculi venturi*: ubi per legem sæculi venturi intelligit tempus Messiæ, *&c.* unde patet ex Rabbinis, quòd licèt lex Moysis bona fuerit, tamen respectu legis à Messia danda erit vanitas dicenda, quia infirma & temporalis. Etiam lex vetus vacua meritò dicitur, quia ex se non habuit vim conferendi gratiam, sed ex Christo futuro, & ipsius lege gratiæ.

VIII. Cæterùm, quòd illæ leges cæremoniales non forent perpetuæ, ostendit Burgensis dist. 8. cap. 12. ex Rabbinis, qui Rabbi Salomone antiquiores fuerunt; qui asseruerunt quòd leges de illis cibis, qui in lege Moysis prohibiti fuerunt (quod ab illis dicitur sæculum istud seu sæculum legis Mosaicæ) erant solvendæ tempore futuri, id est Messiæ, *&c.* quòd autem lex melior per Messiam esset danda, imprimis constat ex illis locis, quibus dicitur quòd lex vetus fuerit figura legis novæ. Constat autem quòd figuratum meliùs sit & excellentiùs figurâ, & quòd etiam diversum sit à figura. Iterum lex vetus promittebat servantibus eam bona temporalia in terra promissionis; at verò lex nova Christi promittit supernaturalia & æterna, quæ etiam in hoc mundo consequenter excellunt temporalia, ut Christus in Euangelio dicit; Qui temporalia reliquerit, centuplum accipiet in hoc mundo, & posteà vitam æternam.

ARTICULUS XII.

Quòd lex nova à Christo danda fuerit probatur ex veteri testamento.

Quòd lex nova danda foret à Messia specialiter probatur ex illo Deut. 18. v. 18. ubi Dominus dixit Moysi: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi: qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam*, &c. Ex quibus patet, quòd Messias mittendus erat ex semine David verus homo similis Moysi, Dei Propheta excellentissimus; qui populo verba Dei locuturus esset, sicut Moyses, adeóque legem novam, &c. I.

Eandem veritatem probat Augustinus orat. contra Judæos cap. 7. ex illo Isai. 2. v. 3. *Venite & ascendamus ad montem Domini*, &c. *quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem.* Hæc autem est lex Christi, quæ in Sion primùm promulgata, & in Jerusalem per Apostolos divulgata est; at verò lex Moysis exiit ex monte Sinaï in deserto, &c. adeóque lex Messiæ erit nova & distincta à lege Moysi, &c. II.

Idem probatur ex Jerem. 31. v. 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israël, & domui Iuda fœdus novum: non secundùm pactum quod pepegi cum patribus eorum in die, quâ apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti, pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum*, &c. hæc ibi.

Hîc manifestè dicitur primò, quòd Deus daturus erat legem novam distinctam ab illa, quam dederat Patribus eorum in exitu de Ægypto in monte *Oreb seu Sinai*. Secundò, quòd lex nova non erat danda sicut antiqua, scilicet in tabulis lapideis, sed in cordibus fidelium: quia Christus Dominus non dedit primitus legem suam in chartis vel pellibus, sed prædicavit verbotenus, & infudit cordibus, præcipuè in festo Pentecostes per Spiritum Sanctum; ubi D. Augustinus orat. contra Judæos notat, quòd Deus promiserit novum testamentum distinctum à veteri, & Paulus Burgensis ex phrasi Hebræa probat, quòd per pactum novum intelligatur lex nova; quia dicit, quòd verbum Hebræum Berith, quod Latinè transfertur pactum, sæpissime significet legem, ut dum Exod. 34. Deus dedisset legem in monte Sinai, in quo erant decem præcepta Decalogi, quæ erat principalis lex, dicitur v. 28. *Scripsit in tabulis verba Berith decem*: quod interpres transtulit *verba fœderis seu pacti decem*: & idem est, quod verba legis. III.

Idem constat ex aliis locis & ex hoc loco patet: cùm Deus dicat de illo pacto novo, & dabo *legem meam*, id est, pactum illud novum *in visceribus eorum*. Quòd autem Deus dicit de Israël & Juda; hoc intelligitur de filiis Israël non secundùm carnem, sed secundùm spiritum, quia non omnes qui secundùm carnem Israëlitæ, veri filii Dei sunt, vel ejus populus sunt, ut patet Oseæ 1. ubi Deus jussit, ut Propheta ex fornicatione IV.

one suscitaret tres proles: post primum filium, secundam filiam jussit vocari: *Absque misericordia*, ratione decem tribuum dicens: *Quia non ultrà addam misereri domui Israel. sed oblivione obliviscar eorum.* De tertio filio genito dixit Dominus; *Voca nomen ejus, non populus meus, quia vos non populus meus, & ego non Deus vester*, &c. quod etiam spectat ad domum Juda; & impletum est juxta Dan. 9. cùm Christum negarunt coram Pilato, *& non erit ejus populus, qui eum negaturus est.* Ideo Oseas cap. 2. vocat filios Israël, qui ex Judæis & Gentibus in Christum credituri erant, qui multiplicabuntur ut arenæ maris, & illi veri Israëlitæ sunt, quia fidem Abrahæ & Israel sequuntur, & ab illis benedictionem per Christum ex illis descendentem gratiam & fidem acceperunt.

V. Rursus in Prophetia Jeremiæ dicitur de domo Israel & Juda, quia prima promissio facta est filiis Israel secundùm carnem, quibus primùm Christus missus erat, ut ipse in Euangelio profitetur, ex quibus tempore Christi & Apostolorum plures crediderunt, ut patet ex Euangelio & Actis, sed quia postea plerique obstinati erant, dicebat Apostolus Act. 13. v. 46. *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes: sic enim præcepit nobis Dominus; posui te in lucem Gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ*, &c. Quòd autem conversi ex Gentibus Israelitæ vocentur, patet Isai. 44. & aliis locis, prout infrà ostendetur.

ARTICVLVS XIII.

Quòd lex vetus quoad cæremonialia tempore Messiæ cessarit.

I. QVòd lex vetus in adventu Messiæ quoad cæremonialia erat mutanda & cessatura, patet maximè in sacrificiis, quæ erant maximi momenti inter cæremonialia; ita ut non liceret ea peragere extra Jerusalem: & tamen de Judæorum sacerdotibus & sacrificiis sic dicitur Malach. 1. v. 10. *Quis est in vobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuitò? non est mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in Gentibus*, &c. hæc ibi. quæ verba adeò clara sunt, ut absque ulla interpretatione significent sacrificia Judæorum tollenda, & quòd sacrificium unicum in Gentibus omni in loco sit offerendum adeò certò, ut more consueto Prophetarum de futuro, ac si præsens esset, enuncietur ob certitudinem divinæ Prophetiæ.

II. Hoc autem sacrificium clarè denotatur esse id, quod Christus verus Messias in ultima cœna instituit, & ab illo tempore in omni loco per totum orbem offertur, scilicet Corpus ejus & Sanguis sub speciebus panis & vini, in quo Christus ipsemet primarius est Sacerdos, & etiam oblatio, adeóque mundissima.

De hoc Sacerdote & sacrificio etiam David prædixerat ps. 109. *Tu es sacerdos in æternum*, &c. prout experientia testatur jam esse completum. Vnde Augustinus lib. 16. de Civ. Dei, cap. 22. de Melchisedech agens edit. Basil. 1528. sic ait: *Ibi primum apparuit sacrificium, quod nunc à Christianis offertur Deo toto orbe terrarum, impletúmque illud, quod longè post hoc factum per Prophetam dicitur ad Christum, qui fuerat venturus in carne: Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech: non scilicet secundùm ordinem Aaron, qui ordo fuerat auferendus, illucescentibus rebus, quæ illis umbris prænotabantur*, &c. hæc ibi.

Idem lib. 17. Civ. cap. 17. tractans ps. 109. eâd. edit. sic ait: *Deinde paulò post dicit*: Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: *quibus verbis immutabile futurum esse significat, quod impletur*: Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech: *ex eo quod jam nusquam est sacerdotium & sacrificium secundùm ordinem Aaron, & ubiq; offertur sub Sacerdote Christo, quod protulit Melchisedech: quis ambigere permittatur, de quo & ista dicantur?* &c. hæc ille.

Huic argumento inhærens Augustinus lib. 18. Civ. cap. 35. Judæos arguens sic ait: *Malachias prophetans Ecclesiam, quam per Christum jam cernimus propagatam, Iudæis apertissimè dicit ex persona Dei*: Non est voluntas mea, &c. *hoc sacrificium per sacerdotium Christi secundùm ordinem Melchisedech, cùm in omni loco à Solis ortu ad occasum jam videamus offerri: Sacrificium autem Iudæorum cessasse negare non possunt; quid adhuc expectant alium Christum?* hæc August. III.

Etsi autem Judæi auctoritatem D. Augustini nihili faciant, argumentum tamen ipsius ex S. scriptura & illius per experientiam impletione procedens convincit illos; multò autem magis convincere deberet modernos Acatholicos, hoc sacrificium perfrictâ fronte negantes, contra tam clara verba vet. & novi testamenti, & doctrinam SS. Patrum, ac specialiter S. Augustini, quam maximi se facere jactitant, de quo aliàs à proposito agetur.

Prophetia autem Malachiæ adeò clara est, ut etiam *ipsos Iudæorum Rabbinos* convicerit. Nam IV. licèt *Rabbi Salomon* aliis posterior videns profectum Ecclesiæ Christi, & hujus prophetiæ impletionem, ex malitia illam prophetiam de futuro Messiæ sacrificio neget; antiquiores tamen Rabbini aliter agnoverunt, ut infrà patebit: ille autem falsissimam (ut refert Nicolaus de Lyra) illius loci adducit expositionem dicens: quòd ibi Propheta loquatur de Gentibus idololatris, qui sacrificia idolis offerebant, & tamen verum Deum credebant. Sed quis dicat talia sacrificia Deo vero fuisse grata, & munda? vel dicit: intelligendam de oratione Judæorum, qui tempore Malachiæ dispersi erant per totum mundum, quod ipse fingit; nam constat ex textu & aliis veteris testamenti locis, quòd tunc temporis Judæi omnes vel saltèm plurimi ex captivitate Babylonica Hierosolymam redierunt, &c. quicquid autem sit de hoc, attamen non potest hæc oblatio intelligi de talium oratione, quòd illa à Deo dicatur absolutè munda & grata, cùm Isa. 64. v. 6. nomine populi dicatur: *Facti sumus ut immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ*, &c. quomodo igitur orationes, quarum munditiès dependet à munditie orantis infallibiliter semper munda dicetur oblatio, qualem Deus ipse hîc dicit semper fore mundam & ipsi gratam? unde patet & falsitas & malitia Rabbi Salomonis.

Ve-

Digitized by Google

Verùm plures antiquiores Rabbini veritatem agnoverunt, inter quos *Rabbi Pinnas Filius Iahir*, com. in cap. 28. Num. sic dicit: *Tempore Meßia omnia sacrificia cessabunt, & sacrificium panis & vini nunquam cessabit, sicut dictum est*: Melchisedech obtulit panem & vinum, *id est, Meßias Rex totius mundi iustißimus accepit panem & vinum, hoc est, separabit à cessatione sacrificiorum sacrificium panis & vini, ut dictum est psal.* 109. Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, &c. hæc ille.

Similiter *Rab Harrados* ex R. Simeone, lib. Revelat. secretorum sic ait: *Hoc est sacrificium, quod, postquam venerit Meßias, facient sacerdotes coram Deo sancto & benedicto. Tunc enim cessabunt omnia sacra, quæ priùs fiebant: facient autem sacrificium illud ex pane & vino. Tunc Deus misericordiâ implebitur, & virtute ingenti sanctorum verborum, quæ ab ore sacerdotum manabunt, illud & omne sacrificium, quod in unaquaque Ara celebrabitur, in Corpus Meßiæ conuertetur*, &c. hæc ille. Quid clariùs Christianus Doctor diceret etiam in confusionem modernorum Acatholicorum? Plures Rabbinorum sententias similes vide apud P. Nicolaum de Lyra in locum Malachiæ allegatum.

ARTICVLVS XIV.

Ostenditur quòd Christus legem servarit, & impleverit, & qualiter illam servandam docuerit.

I. Qvamvis ex tot S. scripturæ locis veritas Christiana pateat, pro majori tamen claritate circa locum Deut. 4. allegatum, quo Judæi probatum volunt, quòd Messias ad litteram debeat servare & docere servanda ea, quæ in lege Moysi scripta sunt: Dicendum primò, quòd juxta ea, quæ jam superiùs dicta sunt, ipsi falsò hoc inde deducant. Nam Deus expressè promisit, quòd plura tempore Messiæ cessarent, & in melius mutarentur; ita ut lex vetus non tolleretur, sed in melius perficeretur: sicut puer in virum crescendo mutatus perficitur: ita ut aliqua manerent & perficerentur, aliqua verò, quæ ut figuræ & prophetia præcesserunt, in ipso Messia implerentur, prout de pluribus jam ex veteri testam. ostensum est.

II. Quòd autem Christus Dominus ita servarit & impleverit, patet Matt. 5. ubi dicit v. 17. *Non veni soluere legem, sed adimplere; amen dico vobis, donec transeat cælum & terra, jota unum aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant*, &c. ubi indicat Christus, quòd omnia quæ vel per figuras vel per Prophetas de ipso prædicta fuerunt, essent implenda ab ipso: & sic ipse perfectissimè illa servavit, cùm non tantùm fecerit prædicta, sed etiam ea, quæ prædicta erant in se ipso impleverit, quæ perfectissima est observatio.

III. Deinde certum est, quòd Christus Dominus omnia legalia, non tantùm moralia, sed cæremonialia, & reliqua qualiacunque ad litteram observavit, & fecerit; qui propter nos sub lege factus est, ut nos à lege redimeret, & ut ostenderet omnia illa bona esse, & à Deo ordinata servanda esse usque ad tempus à Deo præfixum: scilicet donec lex nova promulgaretur, & inciperet sæculum Messiæ, ut ex S. scriptura & Rabbinis ostensum est.

Et hæc quidem quoad figurata & cæremonialia, quæ cessare debebant adveniente figurato: nec Christus Magister veritatis poterat docere vel jubere, ut illa post adimpletionem servarentur, quasi adhuc essent implenda, alioquin falsum docuisset: prout Judæi falsò credunt illa nondum esse impleta, sed adhuc implenda.

Verùm quoad moralia præcepta scilicet Decalogi, Christus non tantùm servanda præcepit, ut patet Matt. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, &c. sed perfectiore modo ordinavit, ut constat; quia, dum Pharisæi dicerent per præcepta Decalogi solùm prohiberi actus exteriores, non autem malas voluntates; ut constat ex Euangelio non solùm, sed etiam ex *Iosepho* lib. 12. antiquitatum, ubi agens de Antiochi Epiphanes morte, expressè dicit, *quod voluntas mala non sit peccatum, nec punienda nisi exeat in actum, idque etiam coram Deo.* At verò Christus Dominus Matt. 5. v. 20. dicit: *Nisi abundauerit justitia vestra plus quàm Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum*; & subdit: *Dictum est antiquis, non occides, qui autem occiderit reus est judicio, ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo reus erit judicio*, &c. Similiter cap. 5. v. 43. *Audistis quia dictum est diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos*, &c. & sic de præcepto: *Non mœchaberis*: sic etiam de præcepto: *Honora patrem & matrem*: Matt. 15. v. 4. &c. IV.

Ex his patet primò, quòd Christus perfectiùs docuerit legem Decalogi servandam, quàm Judæi: legem autem quoad cæremonialia, & imprimis quoad sacrificium, ipse perfectissimè servavit: quia quæ per illa figurabantur implenda, scilicet Christum immolandum, sicut animalia in lege veteri immolabantur, ipse in cruce immolatus implevit. V.

Secundò, quia plura sacrificia imperfecta, & Christi figurativa ipse immutavit in unum perfectissimum, scilicet *secundùm ordinem Melchisedech sacrificium Corporis & Sanguinis sui*, quod instituit offerendum in laudem Dei & memoriam præteritæ passionis suæ, & salutem fidelium, &c.

Tertiò, *Circumcisionis Sacramentum* ipse in saluberrimum Baptismi Sacramentum mutavit, omnibus masculis & fœminis commune.

Quartò, plures porrò leges cæremoniales & Sacramenta, quæ varias corporum & vestium mundities jubebant, in Sacramentum pœnitentiæ pro cordis purgatione ordinavit; ac varias ciborum abstinentias in abstinentiam à peccatis mutavit, de quibus August. lib. 3. de doctrina Christ. cap. 9.

Quoad *Sabbathi præceptum*, quod est inter decem Decalogi, sciendum; quòd illud partim fuerit morale, partim cæremoniale: Morale erat, ut septima aliqua dies celebraretur in memoriam septimæ diei, quâ Deus cessavit à creatione, ut indicatur Exodi 20. v. 10. ubi dicitur: *Sex enim diebus fecit Deus cælum & terram, & requieuit in die septimo, ideo benedixit Dominus diei Sabbathi, & sanctificauit illum*, &c. At verò Cæremoniale erat in memoriam eductionis filiorum Israël ex Ægypto, ut patet Deut. 5. ubi repetuntur verba Decalogi, & ratio Sabbathi allegatur v. 15. *Memento quod & ipse seruieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti*, &c. VI.

idcircò

idcirco praecepit tibi, ut observares diem Sabbathi, &c. & ut observat *Burgensis* in scrutinio parte 1. dist. 8. cap. 14. *Sabbathum Iudaeorum non est anniversaria illius diei, quâ Deus cessavit à creatione*, unde ad illius observantiam sufficit, quòd aliqua septima dies observetur, quam Apostoli in diem Dominicum instituerunt, in memoriam veræ liberationis à regno diaboli per Resurrectionem Christi Domini, &c. unde patet, quòd præceptum Sabbathi quoad morale à Christianis servetur: at verò quoad cæremoniale in memoriam eductionis ex Ægypto propter majoris liberationis memoriam in die Resurrectionis observatur quoad vacantiam ab operibus servilibus; non autem quoad plura Judæis imposita, ut non coquant cibos, nec ad certum spatium tantùm ambulent, &c. sed ut vacarent Deo, saltèm per aliquod opus pium, quod Ecclesia ad audiendum Missæ sacrificium determinavit, & à peccatis potissimum.

Ex his omnibus evidens est, quòd Dominus Jesus Christus etiam illa omnia peregerit & docuerit, quæ de vero Messia in vet. testam. quoad legem prædicta erant.

ARTICULUS XV.

Demonstratur quòd etiam illa, quæ de Israel ex omni loco congregando, & Ierusalem reædificanda per Prophetas prædicta per Christum impleta sint.

I. QVamvis tot & tam claræ de Messia in vet. testam. prædictæ prophetiæ in Christo Domino nostro impletæ esse clarissimè demonstrentur; Judæi tamen pertinaces omne effugium quærentes, aliqua allegant, quæ volunt in Domino nostro Jesu Christo non esse impleta: quæ tamen verè impleta fuisse ex veteris testam. testimoniis ostendemus.

Primò, summa autem objectionum est, quòd velint *Messiam* in suo primo adventu fore Regem potentissimum, qui armis totum mundum sibi & Judæis subjectum reddet, quod probant ex illo Num. 24. v. 17. ex prophetia Balaam: *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israël, & percutiet duces Moab, vastabitque omnes Filios Seth*, &c. *Israel verò fortiter aget*, &c. ubi per filios Seth intelliguntur omnes homines, quia ex Seth per Noë omnes descendunt.

Secundò, quòd per Messiam filii Israël reducendi sint in terram Israël, & ibi in omni prosperitate vivent, donec ad cælum transferantur: quod ex illo Deut. 30. v. 4. probant, ubi sic dicitur: *Si ad cardines cæli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus, & assumet atque introducet in terram, quam possederunt patres tui*, &c.

II. Et Ezech. 39. v. 25. *Hæc dicit Dominus: Nunc reducam captivitatem Iacob*, &c. *cùm habitaverint in terra sua confidenter*, &c. *& scient, quia ego Dominus eorum, eo quod transtulerim eos in nationes, & congregaverim eos super terram suam*, &c.

Item Isai. 11. ubi dicitur: *Egredietur virga de radice Iesse*, &c. sequitur v. 6. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit*, & v. 12. *Levabit signum in nationes, & congregabit profugos Israel, & dispersos Iuda colliget à quatuor plagis terræ*, &c.

Similiter Isa. 2. v. 2. *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium*, &c. *& fluent ad eum omnes gentes*, & v. 4. *Et judicabit gentes, & arguet populos multos, & conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultrà ad prælium*, &c.

Item Isa. 53. v. 18. dicitur de Messia: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum*, &c. unde inferunt, quòd hoc non intelligatur de Christo Domino, qui non habuit uxorem, filios, nec semen.

III. Demum Judæi volunt, quòd Messias sit reædificaturus civitatem Jerusalem, ubi Israelitæ in pace vivent, & templum magnificentius restaurabit; quod probant ex illo Jerem. 3. v. 17. *In tempore illo vocabunt Ierusalem solium Domini, & congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini in Ierusalem.*

Et Ezech. à cap. 40 & per sequentia describit longitudinem, latitudinem, & altitudinem, &c. tam civitatis Jerusalem, quàm templi reædificandi & omnia loca specificat.

Similiter Zach. 6. v. 12. *Oriens nomen ejus*, ubi translatio Chaldaica apud Hebræos authentica habet, *Messias nomen ejus*, quod de Messia intelligunt. Et ibidem dicitur: *Et ædificabit templum Domino*, &c.

IV. Ex prædictis locis Judæi concludere volunt, quòd *Messias* erit in suo adventu *Rex potentissimus*, qui reducet filios Israel in Palæstinam, & ibi templum ædificabit, ac armis subjugabit sibi omnes gentes: ita ut filii Israel omnibus dominentur, & vivent in firma pace, prosperitate & abundantia bonorum temporalium; nec alia cura ipsis erit, quàm ut legem servent, & justitiam multiplicent, per quam mereantur vitam futuri sæculi, &c. Ita illorum præcipuus *Rabbi Moyses Ægyptius* apud Burgensem 1. parte scrutinii dist. 5. cap. 2.

V. Similiter *Rabbi Salomon* vult explicare prophetiam Dan. 9. quòd scilicet Judæi per Romanos essent capiendi; sed per hoc, quòd illam captivitatem pro peccatis ut pœnam solvendo, in æternum justificabuntur, & tunc Messias sit venturus, qui ipsos à captivitate ista liberabit: ita Rab. Salomon apud P. Nicolaum de Lyra in libello contra Judæos paulò ante §. *Item probatur tempus adventûs Messiæ*, &c.

Verùm ista Judæorum asserta in se falsissima esse, & ex locis S. scripturæ allegatis falsò inferri, imò clarissimis S. scripturæ testimoniis contrariari, ex hactenus dictis facilè patet, & ulteriùs demonstrabitur.

ARTICULUS XVI.

Notantur aliqua juxta S. scripturam pro declaratione illorum quæ Iudæi objiciunt, & de adventu primo & secundo Christi Domini.

I. PRo majori veritatis ostensione sciendum est, quòd juxta S. scripturam duplex prædictus fuerit Messiæ adventus: Prior ad liberandos & salvandos homines. Posterior in fine mundi ad homines judicandos.

1. Adventus Messiæ ad liberandos homines à pec-

Digitized by Google

à peccatis, & jugo diaboli, & Deo reconciliandos prædictus est futurus in paupertate, mansuetudine, & doloribus multis; per quæ satisfaceret pro peccatis, & gratiam Dei hominibus impetraret. Hunc adventum tali modo futurum Prophetæ clarissimè prædixerunt, ut patet Zach. 9. v. 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi justus, & Salvator*, &c. *ipse pauper*, &c. quem locum etiam *Rab. Salom.* de solo Messia intelligi posse asserit, ut suprà relatum est.

II. Similiter Isai. 42. v. 1. *Ecce servus meus*, &c. *electus meus, complacuit sibi in illo anima mea: dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris; calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet*, &c. ubi clarè indicatur, quòd Messias in suo primo adventu non ageret per arma, nec violenter prout allegatur Matt. 12. v. 18 & hunc locum de Messia intelligendum asserit *translatio Chaldaica* maximæ apud Judæos authoritatis.

Similiter ex Isaia cap. 49 50. & 51. supra testimonia allata hoc probant, specialiter Isai. 52 v. 13. *Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valde. Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus ejus*, &c. quæ verba sicut & omnia in cap 53. *Translatio Chaldaica* de Messia intelligit dicens: *Ecce servus meus Messias exaltabitur plus quàm Abraham, & elevabitur plus quàm Moyses, & sublimis erit plus quàm Angeli Dei*, &c. & tamen statim subditur: *Sicut obstupuerunt*, &c. *sic inglorius erit*, &c. quod impletum est in Christo, super quem obstupuerunt multi videntes ejus manifesta miracula, & audientes doctrinam ejus, ut patet in Evangelio; & tamen inglorius fuit apud Pharisæos: ipse erat sublimis plus quàm Angeli, quia in unitatem personæ verbi assumptus, sed despectus apud homines.

III. Idipsum clariùs Propheta exprimit cap. 53. v. 2. *Non est species ei neque decor: & vidimus eum*, &c. *despectum & novissimum virorum, virum dolorum*, &c. *disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus*, &c. *sicut ovis ad occisionem ducetur*, &c. prout suprà allegata sunt, ubi clarissimè ostenditur, quòd Messias non armis vel potentiâ externâ acturus esset; sed in humilitate tantos dolores pro redemptione hominum, & satisfactione peccatorum innocens passurus.

Hæc autem in Domino nostro Jesu Christo impleta esse suprà ostensum est. Tempus verò hujus primi adventûs specialiter probatum est ex Dan. 9. quòd Messias tempore Herodis advenerit juxta verbum Angeli Gabrielis: ubi etiam prædictum est, quòd Christus esset occidendus, & à populo suo negandus, quæ impleta sunt, & sic patet primus Christi adventus.

IV. Secundus Messiæ adventus ad judicandum prædictus est Dan. 7. ubi, cùm descripta essent varia regna successiva dicitur v 9. *Adspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit*, &c. *millia millium ministrabant ei*, &c. *judicium sedit, & libri aperti sunt*, &c. Et v. 13. *Aspiciebam*, &c. *Et ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit*, &c. *& dedit ei potestatem & honorem & regnum*, &c. *potestas ejus potestas æterna quæ non auferetur*, &c.

Quòd hîc per filium quasi hominis intelligatur *Messias*, etiam antiqui DD. Hebræi agnoverunt, ut refert Burgensis dist. 5. cap. 5. Et patet ex textu. Dicitur autem quasi filius hominis, quia etiam Christus est verus filius Dei secundùm divinitatem: ipsum enim, ut patet Act. 1. v. 9. cùm ascenderet in cælum, *nubes suscepit*, & dictum est ab Angelis: *Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum*, scilicet in nube, &c. idque in extremo Judicio, quia tunc veniet in nubibus cæli juxta hanc prophetiam; & in hoc adventu Christus manifestè judicabit cum summa potestate omnes gentes: ideo dicitur potestas, quæ non auferetur, quia immutabiliter sine omni resistentia extremum judicium palàm proferet; cùm usque ad illud judicium Deus ipse plurima in hominibus mala permittat, & sufferat.

Quod autem hi duo adventus Messiæ sint distincti, & unus alterum dudum præcedat, ex locis allegatis manifestum est: dum in primo Christus humilis & abjectus per prædicationem, & miracula mansuetè omnes gentes ad fidem vocaturus esset, & per suam passionem à peccatis liberaturus: In secundo verò cum summa majestate extremum judicium peracturus prænuntietur. V.

Ad intellectum eorum, quæ Judæi allegant, quasi non essent in Christo Domino impleta, utpote de regno ut volunt, Messiæ temporali, liberatione Judæorum ex captivitate Romanorum, Gentium subjugatione civitatis Jerusalem, & templi reædificatione, & aliis.

Sciendum est, quòd in S. scriptura præsertim vet. testamenti plurima dicantur corporalia & temporalia, per quæ metaphoricè significentur spiritualia vel æterna.

Hoc in pluribus certissimum est, & imprimis quoad ea, quæ de illis dicuntur, quæ Deo ipsi competunt, scilicet: quòd Deo manus, oculi, aures, &c. tribuantur, ut ps. 143. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal*, &c. Et ps. 34. v. 6. *Oculi Domini super justos, & aures ejus ad preces eorum*, &c. Isa. 66. *Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum*, &c. Et alibi passim similia dicuntur, quæ juxta propriam nominum significationem indicarent, quasi Deus esset corporeus, quod est absurdissimum, & falsissimum. Nam sic Spiritus Sanctus non intendit, sed ad captum hominum dicta sunt & metaphoricè intelligenda sunt Dei attributa spiritualia: per *manus enim Dei omnipotentia & liberalitas*, per *oculos Dei omniscientia*, per *sedem cæli, & scabellum in terra Dei ubiquitas & immensitas*, &c. intelliguntur. Simili modo alia plurima metaphoricè in S. scriptura dicuntur & nominantur: similiter etiam sub iisdem nominibus diversa subinde corporalia, subinde spiritualia significantur, prout passim patet. VI.

Sic ad populum plurima in vet. test. de *Messia* &c statu per nomina rerũ temporalium dicuntur, quæ spiritualiter intelligenda sunt. Inter plurima exemplũ est illud Dan. 2. v 34. ubi dicitur: *Lapis qui abscissus est de monte sine manibus, & percussit statuã*. &c. & v. 35. dicitur: *Lapis factus est mons magnus, & implevit universam terrã*. &c. quod ad literã de lapide proprio intelligi non potest, sed intelligitur de Messia etiã juxta Hebr. Doct. quòd ipse ab initio parvus cresceret potentiâ, ita ut totum orbem possideat; isq; est Christus Dominus, qui sine virili semine ex B. Virg. natus, implevit totum orbem, & in fine totaliter implebit. VII.

Digitized by Google

Juxta hunc metaphoricum significandi modum plura alia necessariò sunt intelligenda: Primò enim dicitur, quòd Messias liberaturus & redempturus esset filios Israel sub jugo & servitute pressos: hoc intelligitur de spirituali liberatione & redemptione omnium à peccatis & servitute diaboli, de qua servitute & redemptione dicitur Isai. 52. v. 3. *Gratis venundati estis, & sine argento redimemini*, &c. cum cap. 50. v. 1. dictum esset: *Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis*, &c. à qua solus Messias liberat prout clarè ex ps. 129. patet ubi dicitur: v. 7. *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* Et v. 8. *Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus.*

VIII. Secundò, quòd *Messias salvabit Israel*, scilicet omnes, qui spiritualiter Israelitæ sunt, ad gratiam recipiet, & Deo reconciliabit: ideo toties Salvator dicitur in salutem electorum mittendus.

Tertiò, filii Israel & Juda per Messiam liberandi non intelliguntur soli filii Jacob secundùm carnem, quasi ipsi soli essent salvandi, & in regnum elevandi, alii verò ex Gentibus conversi ipsis serviliter subjiciendi; sed intelliguntur omnes homines, quotquot ex Judæis & Gentibus fidem Israël erunt servaturi, & in Messiam credituri, in quem *Abraham, Isaac & Iacob* crediderunt & sperarunt venturum, adeóque omnes qui ipsum jam venisse crediderunt, spiritualiter *Filii Israël* dicuntur: hoc ipsum apud Isai. cap. 44. Deus expresse prædixit: *Audi Iacob serve meus, & Israël quem elegi*, &c. *effundam spiritum meum super semen tuum*, &c. *& germinabunt inter herbas, quasi salices juxta præterfluentes aquas, iste dicet Domino ego sum, & ille vocabit in nomine Iacob, & hic scribet manu suá Domino, & in nomine Israel assimilabitur*, &c. Circa quem locum etiam Rabbi Salomon dicit, quòd intelligatur de semine Jacob juxta Gen. 28. v. 14. *Eritq; semen tuum quasi pulvis terræ: dilataberis ad occidentem & orientem*, &c. quam promissionem dicit spectare ad tempus Messiæ per conversionem gentilium ad illius fidem, &c. ubi etiam Propheta expressè dicit, quòd gentes conversæ vocabuntur in *nomine Iacob, & in nomine Israel assimilabuntur*, &c. ita, ut sub Israëlis nomine comprehendantur, &c. quod servit ad plurimas alias prophetias intelligendas.

IX. Similiter promittit Isai. ult. v. 18. Dominus dicens: *Venio ut congregem cum omnibus gentibus & linguis, & venient, & videbunt gloriam meam*, &c. & v. 21. *& assumam ex eis sacerdotes & Levitas*, &c. At verò hæc officia erant honoratissima apud Judæos, ac proinde Gentes conversæ non erunt servi & mancipia. Idem dicit glossa Hebraica in illud Exod. 12. *Hæc erit Religio phase*: & sequitur: *eadem enim lex erit indigeno & colono, qui peregrinantur apud vos.* Ubi Glossa Hebraica & Raziannis sic ait: *Futurum est*, scilicet tempus Messiæ, *ut conversi de Gentibus sint sacerdotes & Levitæ*, &c. quod antea in vet. lege non permittebatur nisi solis filiis Aaron.

Quartò, quòd Messias filios Israël congregabit in Jerusalem & terra promissionis; hoc intelligitur non de terra materiali, sed quòd congregandi sint per fidem in unitate Ecclesiæ veræ, quæ est vera spiritualis Jerusalem sub uno Capite Christo: prout dicitur ps. 121. *Ierusalem quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in id ipsum*: ita ut in Jerusalem spirituali fideles tanquam lapides vivi ædificentur, ut postea transferantur ad Jerusalem cœlestem, quæ est gloria æterna, prout ipsi antiqui Rabbini explicant.

Quintò, similiter cùm dicitur, quòd Messias filios Israël reducturus sit in terram: intelligitur *terra viventium*, de qua ps. 26. v. 13. *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Et ps. 114. v. 9. *Placebo Domino in regione vivorum.* Et psal. 36. v. 29. *Iusti autem hæreditabunt terram, & habitabunt in seculum seculi super eam*, ubi DD. antiqui Hebræi dicunt, per terram intelligi gloriam & vitam stabilem cœlestem Beatorum; inter quos *Rabbi Moyses Ægyptius* celeberrimus apud Judæos, ut refert Burgensis distinct. 4. cap. 3. X.

Imò idem *Rab. Moyses* loquens de præmio cœlesti æterno sic ait: *Hoc est præmium, quo nullum est superius, & hoc est bonum, post quod nullum est aliud bonum, & hoc desideraverunt omnes Prophetæ, quod bonum etiam multis nominibus vocaverunt; ut mons Dei, locus sanctus ejus, & via sancta, & Atria Domini & templum Domini*, &c. prout suprà etiam dixit, quòd Jerusalem dicatur scilicet *cœlestis*, &c. hæc Rab. Moyses.

ARTICULUS XVII.

Eadem veritas probatur rationibus in sacra scriptura fundatis.

I. HÆc licèt ex ipsa sacra scriptura constent sic esse intelligenda, & ex antiquorum Rabbinorum confessione, adhuc etiam ex duplici ratione in S. scriptura fundata probantur.

Prima est: Si illa, quæ Deus per Messiam præstanda promisit, essent temporalia, ut Judæi volunt, quòd reducendi essent ad terram Palæstinam, & ibi ad tempus temporalibus bonis gavisuri: cur SS. Patriarchæ & Prophetæ tantopere anhelassent ad adventum Messiæ, cùm ipsi morerentur, nec in hunc mundum miserum redire cuperent? quorum desideria expressit Isaias 45. v. 8. *Rorate cœli desuper & nubes pluant justum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem*, &c.

Secunda ratio est: quia illa sunt vero Messiæ attribuenda, quæ sunt excellentissima, & ipso digna, nec per alium obtinenda, ut patet ex sacra scriptura; cùm ideo omnes Patriarchæ ita ad ipsum anhelarint, & Deus Messiam tam sublimem promiserit: atqui quòd Messias solùm temporaliter fuisset debellaturus gentes virtute armorum, cum multi sanguinis effusione, & sic Regem terrestrem esset constituturus, ac Judæos in Palæstinam reducturus, ubi bonis temporalibus abundarent, hoc non esset excellentissimum nec Messiâ dignum, sed etiam prophetiis contrarium, imprimis: quia Prophetæ prædixerunt Messiam mansuetissimè acturum, calamum quassatum non confracturum, juxta Isaiam 42. v. 3. &c.

II. Secundò, quia per Messiam prædixerunt, quòd veri filii Israël, qui sunt filii Dei, essent congregandi; sed ex bonorum temporalium abundantia, quam Judæi sperant, nullatenus colli-

colligitur, quòd aliqui sint veri filii Dei; quia constat ex sacra scriptura, quòd veri Dei filii *Abel justus, Abraham, Iacob*, &c. ut Prophetæ omnes persecutiones, miserias, peregrinationes, &c. perpessi sint: è contrà verò pessimi idololatræ & mali omnibus bonis affluxerint, & in terris super alios dominati sint, & ipse David ps. 72. enarrans prosperitatem malorum dicit v. 12. *Ecce ipsi peccatores & abundantes in sæculo obtinuerunt divitias: Et dixi: ergo sine causa justificaui cor meum*, &c. *& fui flagellatus tota die*, &c. & tandem concludit: *Mihi autem adhærere Deo bonum est*, &c.

Similiter ps. 153. ubi enarratâ malorum prosperitate concludit dicens: *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt*: quasi diceret, ego autem dico: *Beatus populus cujus Dominus Deus ejus*, &c. Ergo prosperitas hujus mundi non est beneficium dignum Messiâ, ex quo filii Dei cognoscantur.

III. Tertiò, quia prosperitas rerum temporalium, licèt à Deo sit; tamen ob defectum hominum illis abutentium magis ducit ad peccata, & Dei offensam: ut patet in David, qui in adversis parcebat hosti suo Sauli Regi, & erat vir secundùm cor Dei, sed in prosperis tale & tam turpe adulterium cum homicidii crimine perpetravit; Salomon etiam ex prosperitate excœcatus defecit.

Hoc ipsum indicavit Moyses Deut. 8. v. 11. *Observa & caue, ne quando obliuiscaris Domini Dei tui*, &c. *ne, postquam comederis & satiatus fueris, domus pulchras ædificaueris & habitaueris in eis, habuerisque armenta boum & ovium greges, argenti, & auri, cunctarúmque rerum copiam; eleuetur cor tuum & non reminiscaris Domini Dei tui*, &c. de hoc etiam prædixit Deut. 32. in cant. v. 13. *Constituit eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum*, &c. & v. 15. *incrassatus est dilectus & recalcitrauit*. &c. *dereliquit Deum factorem suum*, &c.

IV. Nec subsistunt moderni Judæi dicentes, quòd Judæi tempore Messiæ in tanta prosperitate erunt, quasi impeccabiles; quia imprimis hoc non habent ex sacra scriptura; secundò, huic contradicit ipsorum antiquissimus Doctor Rab. Moyses in lib. de Judicibus apud Burgensem dist. 5. cap. 2. in fine sic dicens: *Non ascendat super cor, quod in tempore Messiæ cesset aliquid de consuetudine mundi, aut sit aliquid nouum in his, quæ facta sunt à principio, sed mundus secundùm consuetudinem suam incedet, hoc enim quod dicitur in Isaia: Habitabit lupus cum agno parabolicum est, & ænigmaticum, & significat, quod Israel habitabit confidenter cum impiis sæculi, qui figurantur, ut lupus & pardus*, &c. hæc ille, ubi patet, quòd falsa sit Judæorum imaginatio etiam secundùm ipsorum Doctores, & sic nihil excellens à Messia haberent, nec essent magis dispositi per illam prosperitatem, ut Deo fideliter servirent, & ad cælum pervenire possent, nec tales Judæi essent sanctiores ipso David, vel Salomone sapientiores, qui in prosperitate defecerunt; cùm è contrà per adversitates etiam electi Dei fuerint exercitati & probati, an verè Deum amarent, & in amore Dei confortarentur, ut patet exemplo Job; & dicitur Proverb. 17. v. 3. *Sicut igne probatur argentum, & aurum camino, ita corda probat Deus*, &c. & Sap. 3. v. 5. de justis dicitur: *Quoniam Deus tentauit illos, & inuenit illos dignos se, tanquam aurum in fornace probauit illos*, &c. unde patet, quòd temporalis prosperitas non sit excellens, nec adeò communis electis Dei.

E contrà verò, si dicatur, prout S. scriptura clarè exprimit, quòd Messias erat venturus in humilitate, & paupertate ac mansuetudine. V.

Primò, ad liberandum homines à vinculis peccatorum, & jugo gravissimo diaboli per suam innocentissimam vitam & passionem, patiendo pro peccatis eorum, & reconciliando eos Deo Patri.

Secundò, conferendo illis gratiam & virtutes, per quas ad cœlestem gloriam pervenire possint; quæ sunt incomparabiliter meliora quàm omnium temporalium abundantiæ & prosperitates.

Tertiò, congregando illos non localiter in aliquo uno terræ loco, sed in unitate fidei, ut in omni loco per totum mundum existentes Deo in vera fide serviant.

Quartò, ipse omnes homines subjiciet, non gladio vel sanguinem fundendo, sed per miracula, per verbi Dei & veræ pacis prædicationem, mittendo Apostolos paucos instar ovium in universum orbem, qui lupos ad mansuetudinem & fidem converterent, &c.

Hæc verè excellentissima sunt, & Messiâ dignissima, quæ nullus alius facere potest, cùm nemo suis viribus peccatorum suorum remissionem, vel gratiam Dei obtinere possit; sed hoc soli Messiæ competat, si ipse innocens animam suam ponere vellet, ut per Isaiam & per alios Prophetas prædictum est, & ex suprà dictis constat. Si inquam hoc modo prophetiæ quæ de temporalibus loquuntur spiritualiter intelligantur, tunc omnes prophetiæ cohærent cum aliis, quæ prædixerunt Messiam mansuetum venturum, plurima gravissima passurum, & per dolores suos à peccatis homines liberaturum, ac in gratiam Dei reducturum; ut sint filii Dei & hæredes regni cœlestis, & ipse, sit *primogenitus in multis fratribus excelsus præ Regibus terræ*: in quem tam Judæi, quàm gentes in unitatem fidei congregati credant & sperent, illumque ut verum Deum & Regem cæli & terræ adorent ad dexteram Patris æternaliter sedentem & regnantem. Sic patet quòd Messias sit excelsior Regibus & sublimior Angelis, & thronus ejus & regnum æternum, & in terris ex singulis Gentibus Reges & populi ipsum adorent, quòd relictis sacrificiis victimarum cruentis in omni loco oblatio munda Deo offeratur, & destructo templo unico materiali, domus una Dei in toto mundo spiritualis existat, de qua dicit Dominus Isai. 56. v. 7. *Domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis*; quæ non est una domus materialis, ut evidens est, in qua omnes per totum mundum congregari non possunt, sed domus spiritualis, scilicet Ecclesia: & quòd veri filii Israël secundum spiritum sint gloriosiores per liberationem à peccatis, & collatam gratiam, & adoptionem filiorum Dei; quàm si omnes essent Reges terreni & dominatores populorum: quod fideles VI.

Digitized by Google

agnoscentes omnia regna mundi contempserunt; & pro nihilo duxerunt credentes in Christum, & expectantes futuram gloriam pro honore Dei, & sancta fide per illius gratiam omnia libenter adversa & ipsam mortem sustinuerunt: quæ longè est excellentior victoria fidelium, quàm si in bello temporali hostes devicissent, juxta illud Prov. 16. v. 32. *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.* Sic fideles per gratiam Christi superant vitia & peccata, diabolum, & adversarios, ac omnia quæ ipsos à Deo vero avertere nituntur; ob quam victoriam æternam gloriam promissam expectant.

ARTICULUS XVIII.

Respondetur ad argumenta Iudæorum art. 15 ex S. scriptura allegata.

I. EX hactenus dictis facilis est intellectus illorum locorum S. scripturæ, quæ à Judæis allegantur, quasi in Christo Domino non essent impleta.

Cùm enim objiciunt prophetiam Balaam Num. 24. v. 17. *Orietur stella ex Iacob*, &c.

Respondetur: quòd illa in Christo Domino sit impleta, qui ex Jacob genitus tanquam stella, &c. & non vi armorum, sed per fidei prædicationem & miracula percussit duces Moab, scilicet diabolum & omnem idololatriam, & omnes filios Seth, id est omnes homines suæ fidei per omnem terram subjecit; quod finaliter in fine mundi implebitur per potentiam suam omnes judicando: & sic Israël non secundùm carnem, sed secundùm spiritum per Christum fortiter aget.

II. Ad secundum ex Deut. 30. v. 4. *Si ad cardines cæli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus, & assumet atque introducet in terram, quam possederunt patres tui*, &c.

Respond. Hoc impletum est adhuc in veteri testam. dum ex captivitate Babylonica per Cyrum Regem omnes Israëlitæ permissi sunt redire in terram suam, licèt aliqui voluntariè remanserint; & hanc liberationem promiserat Dominus per Jerem. post 70. annos futuram, quæ Jerem. 39. etiam indicatur: & impletæ etiam sunt, & implebuntur hæ prophetiæ circa illos, qui spiritualiter sunt filii Israel, qui certiùs & veriùs per Messiam ad terram viventium, quæ SS. Patribus promissa est, & quam in spe possederant, perducentur: & de facto spirituales Israëlitas Christus congregat in unitate fidei super terram suam, quæ est Ecclesia.

III. Ad illud Isa. 2. v. 2. *Et erit in novissimis diebus præparatus mons, domus Domini*, &c. prout etiam habetur Mich. 4.

Respond. primò: Novissimi dies ibi intelliguntur tempus Messiæ, post quod nullum aliud sequitur, ut suprà ostensum est ex verbis Jacob Gen. 49. ubi dicitur: *Vt annuntiem vobis, quæ futura sunt in novissimis diebus*, &c.

Respond. secundò quoad montem, quòd ibi ad litteram intelligi possit quidem mons Sion, non quasi elevandus esset tempore Messiæ super omnes montes corporales, sed spiritualiter; ita ut esset nobilissimus propter miracula, quæ Messias ibi facturus erat, ut fatetur ipse Rab. Salomon: & talia fecit Christus Salvator in illo monte, ubi ipse apparuit, prædicavit, Apostolis Spiritum Sanctum dedit, & miracula plura fecit, &c. *Et domus Domini* intelligitur Ecclesia Christi, quæ est fundata suprà Christum, qui Dan. 2. est lapis, qui & crevit in montem magnum, &c.

Et ad hunc montem & hanc domum Domini confluxerunt ex omnibus gentibus homines in Christum credendo, ac hi dicuntur omnes gentes. Et sic gentiles conversi hortabantur alios, ut ad hunc montem Christi & ejus Ecclesiam ascendant, & ideo Propheta subdit: *Quia de Sion exibit lex*, &c. quia inde incepit prædicatio Euangelii. Quod autem dicitur: *Et conflabunt gladios in vomeres*, &c. etiam ad sensum corporalem verum est, quia in nativitate Christi maxima erat pax per totum orbem sub Augusto, ut plurimi gladios in vomeres conflare potuerint, cùm dicitur: *Et non exercebuntur ultrà ad prælium*, &c. non intelligitur, quòd post Adventum Christi nulla forent bella in perpetuum, sed ad longum tempus. Sic enim dicitur 4. Reg. 6. cùm exercitus Regis Syriæ per Elisæum excæcatus introductus in Samariam, & inde liber dimissus esset, dicitur v. 23. *Et ultrà non venerunt latrones Syriæ in terram Israel*, &c. quod solum intelligendum de notabili tempore, quia postea venerunt. Sic etiam à Nativitate Christi usque ad 40. annos post illius passionem sub Augusto & Tiberio pax fuit. Similiter pax etiam vera hominum cum Deo tunc per Angelos in nativitate Domini annunciata est. IV.

Ad aliud Isaiæ 11. ubi dicitur: *Egredietur virga de radice Iesse*, &c. *habitabit agnus cum lupo*, &c. V.

Respond. quòd ibi metaphoricè intelligatur *lupus & agnus*, scilicet, quòd Gentiles & mali alii antea ut lupi & pardi postea ad fidem conversi cum Judæis Christianis pacificè victuri essent; quod factum est, *cum credentium erat cor unum*: ut patet Act. 4. Et ipse Rab. Moyses suprà fatetur, quòd lupus & pardus ibi metaphoricè sumantur. Et patet Gen. 49. ubi dicitur v. 27. *Benjamin lupus rapax* & v. 21. *Nephtalim cervus emissus* v. 17. *Dan coluber*, &c. & si Judæi absque metaphora urgeant, etiam sic impletum est, quia tempore Christianorum Leones & aliæ feræ mansuetissimè ad pedes sanctorum Martyrum procubuerunt, nec serpentes & alia venenata nocuerunt: ut patet Actorum 28. de Paulo, qui à vipera percussus illæsus mansit.

Ad illud Isaiæ 53. v. 10. ubi dicitur de Messia: *Si posuerit animam pro peccato, videbit semen longævum*, &c. VI.

Respond. quòd hoc etiam in Christo Domino impletum sit; nam ibi non loquitur scriptura de semine per generationem carnalem, sed spiritualem, scilicet omnes homines, qui in Christum credunt, & per illum regenerantur à peccatis ad vitam gratiæ: Hoc etiam Hebræi antiqui fassi sunt, ut ad illa verba Gen. 21. v. 12. dum dominus dicit Abrahæ: *In Isaac vocabitur tibi semen*: Glossa Hebraica habet: *Omnis qui confessus fuerit duo sæcula, vel Deum, vocabitur tibi semen*, &c. sic etiam discipuli Prophetarum vocabantur illorum filii, ut patet 3. Reg. 2. v. 35. & 4. Reg. 2. v. 1. *Egressi sunt Filii Prophetarum*, &c.

Ad

Ad illud Jerem. 3. v. 17. *In tempore illo vocabunt Ierusalem solium Domini, & congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini, &c.*

Resp. quod omnia illa, quæ ibi Propheta prædixit, in Christo & eius fidelibus impleta sunt; ut infrà allegando totum textum magis patebit: quia tunc spiritualis Jerusalem, id est, Ecclesia Christi verè fuit solium Domini, in qua Christus ut Rex & Princeps residet gubernando, & ad illam plurimi ex gentibus veniunt in nomine Domini spontè & voluntariè per prædicationem Apostolorum, & miracula conversi: unde patet contra Judæos qui volunt quod Messias per arma gentes subjugabit, *&c.*

Deinde, quod de spirituali Jerusalem hæc prophetia intelligatur, patet: quia ad corporalem Civitatem omnes gentes convenire, & in ea habitare non possunt: optimè autem intelligitur, quod habitent in Civitate spirituali Jerusalem, quæ est Ecclesia Christi per totum orbem extensa, quam implet, & fundat mons ille apud Dan. 2. Christus Dominus, qui est lapis sine manibus abscissus.

VIII. Ad loca ex Ezech. 40. & Zach. 6. quæ videntur indicare, quod Messias esset ædificaturus materiale templum splendidum novum in Jerusalem, quod Christus Dominus non fecit. Quia Judæi in hoc materiali templo plurimum hærent.

Resp. primò in generali certum est ex aliis locis S. script. quod post destructũ primum templum à Zorobabel ex captivitate Babylonica reverso reædificatum erat, & à Romanis destructum, nullum aliud materiale templum, in quo Judæi suam antiquam legem servarent, ædificandum erat. Hoc patet ex Aggæo 2. ubi expresse dicitur v. 10. *Magna erit gloria domus istius nouissimæ,* &c. ubi loquebatur de domo; quam tunc Zorobabel ædificabat, quam vocat novissimam; adeoque nulla alia post ipsam ædificanda erat, prout suprà ostensum est.

IX. Idem clarè constat ex Jerem. 3. v. 14. ubi dicitur: *Conuertimini filii reuertentes, dicit Dominus, quia ego vir vester* (in Hebræo habetur ego sponsus vester, ut notat Lyranus) *ut assumam vos unum de Ciuitate, & duos de cognatione, & introducam vos in Sion: & dabo vobis pastores juxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina. Cumq; multiplicati fueritis & creueritis in terra in diebus illis, ait Dominus, non dicent ultra: Arca testamenti Domini, neq;,* (NB) *ascendet super cor, neq; recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet ultra. In tempore illo vocabunt Ierusalem solium Domini, & congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini in Ierusalem, & non ambulabunt post prauitatem cordis sui pessimi, &c.* hæc Jerem.

X. Circa quæ clarum est, quod ibi Propheta loquatur de futuro *Messia,* ut etiam fatetur *Rab. Salomon* apud P. Nicolaum de Lyra in hunc locum: ubi patet primò, quòd Messias verus vir & sponsus Ecclesiæ vocet omnes tam ex Judæis, quàm ex gentibus ad pœnitentiam, & talis sponsus est Christus Dominus Deus & homo, qui *unum de Ciuitate Ierusalem, & duos de cognatione assumpsit ad fidem,* id est, paucos ex Judæis respectu multitudinis ex gentibus; de quibus ibidem dicitur: *Et congregabuntur ad eum omnes gentes.* Et sic olim Rabbini ante Christum natum intellexerunt; scilicet *Rab. Samai, & Rab. Selomoh, in Thalmud,* ut *notat Maiolus;* qui dicunt circa illa verba Jerem. quod *sicut ex* 600000. *Israëlitis duo tantum terram promissam ingressi sunt, videlicet Caleb & Iosue, ita erit in diebus Messia,* &c. hæc ibi. Secundò expressè dicitur, quod tempore Messiæ, *non erit ultra Arca materialis Testamenti veteris, neq; illius amplius recordabitur,* &c. unde sic arguitur ex locis S. scripturæ.

Tabernaculum à Moyse factum est in illum finem, ut in illo reponeretur, & conservaretur Arca Testamenti, in qua erant Tabulæ Decalogi & virga Aaron, &c. ut constat Exod. 25. Deinde in eundem finem Deus jusserat, fieri templum, quod ædificavit Salomon, quod David intenderat propter Arcam ædificare, licèt à Deo prohibitus fuerit: Deinde solum licebat Judæis in loco, ubi erat Arca Domini, vel Templum, offerre sacrificia, ut patet ex variis locis S. scripturæ. Cum itaque Deus expressè per Prophetam prædixerit, quod tempore Messiæ nulla erit Arcæ Testamenti memoria, clarum est, quod nec voluntas Dei sit, ut tunc ædificaretur materiale Templum in illum finem. Et licèt Judæi moderni cum Rab. Salomone velint quod Messias etiam restituet antiquam Arcam Testamenti & propitiatorium, & alia ad veteris legis cultum exercendum; hoc patet expressè verbis ex Propheta Jeremia allatis esse contrarium, & Zach. 1. ubi prædicitur, quod tales victimæ tempore Messiæ non sint immolandæ, nec Deo gratæ futuræ. XI.

His suppositis respondetur 2. in speciali, quod Ezech. cap. 40. loquatur de Templo Domini per Messiam ædificando spirituali, quod ex parte hîc in terris ædificatur, & perfectè in Cœlis. Hoc ipsum fatetur Rab. Salomon apud Nicol. de Lyra, libello contra Judæos, qui dicit: de Jerusalem superna & cœlesti locutæ sunt scripturæ in fine Ezechielis. XII.

Hoc autem templum spirituale in terris Christus Dominus cœpit ædificare ex lapidibus vivis, scilicet fidelibus, sicut dixit Matt. 16. v. 19. *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:* & hæc erit perfecta in cœlesti gloria, quam Ezechiel per varias metaphoras descripsit.

Simili modo de Templo ædificando per Messiam loquitur Zacharias: quod autem Ecclesia ex fidelibus congregata in terris, & multo amplius communio Sanctorum in cœlesti gloria verè vocetur domus Dei, patet ex Gen: 28. ubi Jacob, cum in somno vidisset scalam ad Cœlum tendentem, &c. dixit v. 17. *Quàm terribilis est locus iste, non est hîc aliud nisi domus Dei,* &c. ubi certum est, quod non erat templum vel domus materialis. Et circa hunc locum glossa Hebraica dicit: *quod Patriarcha Iacob vidit domum Dei ædificandam in terris & domum Dei in Cœlis,* &c. Rab. Moyses etiam ut suprà art. 16. dictum, dicit, quod in S. scriptura *Gloria cœlestis beatorum* sæpius dicatur *mons Dei, sanctus locus Dei, Templum Domini, domus Domini,* &c. & per se clarum est longè honorificentius esse vero Messiæ, quod domum spiritualem Ecclesiam per fidem & gratiam in terris per totum orbem extensam ædificet, & in Cœlis beatificam; quam si aliquod templum materiale ædificaret qualecunque. XIII.

Ex his evidens est, quod omnia loca à Judæis allegata de Messia, clarè & excellentissimè in Christo Domino nostro impleta sint, & quod ipso- XIV.

Digitized by Google

ipsorum imaginationes & fictiones de Messiæ regno terrestri, & Israelitis secundum carnem super omnes gentes sublimandis in se falsæ, & S. scripturis contrariæ.

Demum breviter ostendendum quàm falsa sint, quæ Doctores Hebræi ad suam pertinaciam fovendam Judæis persuadere volunt, dum illis promittunt temporale regnum per Messiam, & quod ille venturus sit tunc temporis, quando Judæi omnes sufficientem pœnitentiam egerint pro peccatis suis, tolerando captivitatem in qua sunt: hoc enim fundamentum non habet ex S. scriptura, sed illi prorsus contrariatur. Nam Isa. 53. dicitur; quod *Messias innocens redimet à peccatis, & ipse dabit animam in mortem*, &c. nec enim homines peccatores pro suis peccatis sine merito & passione Messiæ satisfacere poterant divinæ justitiæ: & hoc patet ex captivitate Babylonica. Nam licet Deus Jerem. 29. promisisset, quod post 70. annos essent reducendi in terram, tamen evoluto illo tempore Daniel non audebat allegare coram Deo, quod Judæi jam pro peccatis satisfecissent; sed cap. 9. agnoscit iniquitatem populi, & solum Dei misericordiam implorat dicens v. 18. *Neq; enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis*, &c.

XV. Insuper ex facto per experientiam confunduntur: nam si Judæi per captivitatem istam satisfacerent pro peccatis suis, ita ut quando destiterunt peccare tunc Messias venturus sit, apparet diabolica ipsorum deceptio, cum ipsi usque modo non cessent peccata peccatis addere: imo Nicol. de Lyra in libello suprà sic ait: *Quia Iudæi super omnes gentes intendunt sortilegiis & auguriis, ut sciunt illi qui norunt facta illorum, & tamen ista maximè prohibentur in lege diuina, sicut patet ex Deut. & Exodo & aliis S. scripturæ locis veteris testamenti*; hæc ille.

Rursus etiam cum Rab. Salomon dicit, quod visiones prophetarum implebuntur, & Messias venturus sit propter merita Judæorum; etiam stultum est, & contra S. scripturam, cùm Moyses Deut. 9. v. 6. dicat: *Scito ergo, quod non propter justitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in possessionem, cum durissimæ ceruicis sis populus*, &c. hæc ibi. Si ergo Judæi non promeruerunt suis justitiis, ut occupent terram promissionis; quanto minus per suam sententiam quam fingunt merebuntur adventum Messiæ sui, & felicitatem amplissimam temporalium, quam sibi imaginantur? & cum gravissimè peccare non cessent, frustra etiam juxta ipsorum somnia Messiam alium expectant. Deus Israelitas olim propter idololatriam & alia gravissima, scelera per Nabuchodonosor in Babyloniam captivos abduci ordinaverat, & tamen promiserat, quod post 70. annos inde illos liberaturus, & in terram promissionis reducturus esset, quod & factum est, licet non propter ipsorum merita, ut suprà ex Dan. visum est. Jam verò Judæi non specificant tanta facinora quæ commiserunt, ob quæ à Romanis Captivi ducti sunt & jam 16. annis sub jugo sunt, & dissipati per orbem. & licèt sæpius tentarint, nunquam tamen congregari potuerunt, promittentes sibi terrenam felicitatem & Regem terrestrem.

XVI. Verissimum autem & gravissimum peccatum ipsorum est, quod contempserint verum Messiam, quem tam clarè Prophetæ prædixerunt, qui illos liberare venit à jugo peccatorum, & in gratiam Dei reducere, quem iniquissimè Patres eorum occiderunt, & ipsi in illius necem usque modo consentiunt, ut meritò sanguis innocentissimus Christi Domini in ultionem ipsorum permaneat: quam desolationem prædixit Daniel suprà, sed nec ipse, nec alius propheta illius finem indicavit, sed potius, quod propter occisum Christum prorsus desolandi essent, quia in perfidia obdurati mansuri erunt.

Verum rectissimè D. August. lib. 18. de Civ. Dei cap. 23. suprà allegatus concludit juxta prophetam ps. 68. v. 24 *Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurua, quia scilicet Iudæi ob malitiam in Christum innocentissimum exercitam & continuatam merito obscurantur justo Dei judicio, ne agnoscant tot & tantas prophetias, & illarum impletionem & ob nimium affectum erga terrena quibus dorso cordis incuruato inhiant, & temporalem Messiam & regnum miserè expectantes, animum ad cælestia eleuare non possunt, nisi speciali gratia Dei subinde præueniantur, & aliqui, sed raro proh dolor, conuertantur*, &c. hæc ille. XVII.

ARTICVLVS XIX.

De impietate & falsitate doctrinæ Iudaicæ post Christi passionem.

QVamvis ex præmissis sufficienter constet falsitas & impietas doctrinæ Judæorum, qui contra tot clara & manifesta vet. Testam. de Messia testimonia in Christo Domino nostro impleta, impiissimè & obstinatissimè Christum Dominum non solum Messiam verum esse negant, sed insuper ipsum Christum Dominum impiissimè blasphement cum B. Virgine Maria, ut diversi Auctores ex eorum scriptis ostendunt, præsertim *Galatinus* lib. adversus Judæos, *Simon Majolus*, Episcopus vulturariensis in diebus canicularibus. *&c.* & ideo Judæorum doctrina & ipsorum secta veræ Dei in vet. Testam. traditæ doctrinæ planè contraria meritò sit execranda: Attamen ut specialius adhuc ipsorum impia doctrina constet, sciendum est: quod Judæi post Christi Domini passionem excæcati, & lumine veræ fidei privati etiam in Deum ipsum, quem Creatorem Cœli & terræ profitentur, blasphemi facti sint, ut ex ipsorum *Thalmud* clarum est. I.

Sciendum autem, quod post Christi passionem Judæorum Rabbini duplicem tomum confecerint, ut præter alios tradit *Burgensis* in additione ad cap. 5. Zach. & cap. 34. Isa. ac *Simon Majolus* in opere, quod inscripsit, *Dies caniculares* in colloquio de perfidia Judæorum. II.

Vnum vocaverunt *Thalmud Hierosolymitanum*, & alterum *Thalmud Babylonicum*, Thalmud autem interpretatur Disciplinatio, quasi legis Dei interpretatio. In his voluminibus Rabbini collegerunt imprimis varias interpretationes antiquorum Doctorum ante Christi Domini adventum cum multis traditionibus, ex quarum pluribus probantur multa circa fidem Christi & eius adventum, & Judæi confunduntur. Vnde *Conc Trident.* in catalogo librorum prohibitorum in prima classe declarat, quod *Thalmud*, quoad

Digitized by Google

quoad glossas vet. Testam. interpretationes, *&c.* sine nomine *Thalmud* & remotis blasphemiis in Christum Dominum & fidem Christianam postea per Rabbinos additis, tolerari possit, &c. Et hoc *Thalmud* Judæi tanquam legem Dei venerantur æqualiter ac legem Moysis.

III. Hoc Thalmud libris ad minus sexaginta constar, quos recenset Majolus: quorum aliqui compilari per aliquos Rabbinos cœperunt circa annum Domini 160. & quidem Thalmud Hierosolymitanum completum est circa annum 469. Babylonicum vero circa annum 505. quibus posteriores Rabbini adhuc plura nefandissima addiderunt.

In his autem nefandis libris, ut referunt prædicti Auctores, de ipso Deo Creatore dicere audent, quod post destructionem Templi Hierosolymitani & captivitatem per Romanos factã Deus doleat rugiens ut Leo, & dicat: *Væ mihi, qui destruxi domum meam, & combussi templum meum & captiuaui filios meos inter gentes seculi*, &c.

Iterum in illis libris quæritur, quid Deus faciat 12. horis diei, & respondetur, quod *primis tribus horis studeat in lege: tribus secundis totum mundum judicet: in tribus tertiis pascat mundum: in tribus ultimis ludat cum Leuiathan* depravantes illud Job: *Leuiathan istum quem formasti ad illudendum ei*, &c. & addunt, quod à tempore destructionis Templi non fuit lusus nec risus coram Deo; sed fletus & planctus, ad quod depravant illud Isa. 40. *vocabit Dominus in die illo ad fletum & planctum*, &c.

IV. Rursus in alio ejusdem *Thalmud* libro dicto Halin, ut notant prædicti Auctores, & specialiter *Lyranus* in cap. 28. Num. Doctores Hebræi circa illa verba Gen. 1. *Fecit Deus duo luminaria magna*. Dicunt Deum fecisse solem & lunam ab initio in æquali magnitudine, sed quià luna voluit habere singularem gloriam, suggessit ipsi Deo, ut minueret lumen solis, propter quod Deus motus contra lunam illius lumen diminuerit; tamen ad pacificandum lunam, adjunxerit ipsi stellas in obsequium per noctem, &c. Veruntamen quia luna per hoc non fuit pacificata, dixerit Deus: *Offerte pro me expiationem, quia minoraui lunam*: & ad hoc depravant textum. 28. ubi Dominus præcipit v. 11. *in calendis offeratis holocaustum Domino, &c* & v. 15. *Hircus quoq; offeretur Domino pro peccatis*, &c. ubi ipsi pro *Domino* ponunt *Domini*, ut esset sensus, quod hircus pro peccatis Domini offeretur, *&c.* quod stultissimum & impiissimum dicitur.

Nec ista per metaphoras excusare possunt, cùm interpretes scripturam non debeant per metaphoras explicare, sed potius metaphoras S. scripturæ explicare: nec metaphora locum habet qualiscunque, dum Deo verè tribuitur peccatum.

V. Plura alia absurdissima in *Thalmud* tradita Auctores referunt ut de cete maximo qui in mari servetur pro Judæis reficiendis, quando Messias veniet, prout refert P. Nicolaus de Lyra in cap. 1. Gen. &c. & de bove singulis diebus mille montes depascente, &c. de quo idem Lyranus in cap. 40. Job super illa verba: *Ecce Behemoth quem feci tecum, fœnum quasi bos comedet.* sic scribit: *Sciendum quod Iudæi dicunt hic, quod Behemoth est nomen animalis incredibilis magnitudinis, in tantum, quod in una die depascit herbas mille montium, & in crastino renascitur herba in tanta magnitudine, sicut erat in præcedenti die. Et super hoc dicit Rab. Salomon super istum locum auctoritatem psalmi 49. in quo ubi habemus jumenta in montibus & boues: Hebræi dicunt: Behemoth in montibus mille, & translatio Hieronymi sumpta immediate de Hebræo habet*: Pecudes in montibus millium. *Dicunt etiam Hebræi quod in resurrectione Deus interficiet illud, & justi carnibus ejus vescentur: & sic patet, quod Iudæi inciderant in errorem Saracenorum dicentes, quod resurrectio fiat ad vitam animalem cibis indigentem, quod improbaui.* Gen. 1. hæc Lyranus. Verùm plurima etiam impia ibidem docent quoad moralia. Inter alia quæ expressè contra legem Dei seu præcepta Decalogi: *Non occides non mœchaberis: Honora patrem*, &c. Præcepta sunt, quæ ipsi perversè explicant, & docent; unum ex plurimis hîc ad malitiam eorum ostendendam sufficiat retulisse; scilicet in Thalmud libro qui dicitur Babainecin, ut refert Burgensis in addit. ad cap. 5. Zachariæ, docent: *quod sicut bonum est, ut homo conterat caput serpentis, quantumuis serpens sit pulcher, sic bonum est occidere gentilem, quantumcunq; bonus videatur*; cum tamen Deus generaliter Gen. 9. dicat: *quicunq; effuderit humanum sanguinem, fundetur & sanguis illius, ad imaginem enim Dei factus est homo*, &c. ubi nullus homo excipitur: sicut nec in præcepto Decalogi, *non occides*, &c. quod si Christiani considerarent, non tam facile relictis Christianis Medicis à perfidis Judæis medicinas requirerent: Experientia etiam talia docuit in crudelissima occisione innocentum infantum SS. Werneri & Simeonis & aliorum plurimorum, quæ divinitus patefacta sunt; Quid in occulto fiat, Deus novit.

VI. Quod etiam Judæi soliti fuerint annuè in die passionis dominicæ infantem Christianum, si habere possint, crudeliter occidere, diversi gravissimi Auctores testantur. Plurima crudelissima eorum in Christianos, imo in ipsam S. Eucharistiæ hostiam exercita referunt diversi, & specialiter Majolus suprà.

Testantur denique Auctores supradicti quod in libris Thalmudicis præsertim post Christi adventum scriptis tam fabulosa, impia & homine indigna ponantur, ut mirum sit quod Judæi illis ut verbo Dei inhæreant: ubi omnia secundum carnem & temporalium felicitatem explicantur & finguntur. Nec hoc mirum videri debet, de Judæis jam post Christum Dominum ab illorum Patribus occisum, & ab ipsis in hodiernum diem blasphematum, cum constet quantopere Israelitæ, qui tot signa in Ægypto viderant, & tam mirabiliter inde per mare educti erant in desertum, ubi tot in ipsorum conspectu miracula contigerunt; & tamen toties contra Deum & Moysen obdurati rebellaverint, prout postea sæpissime contigit: & tandem maximam cæcitatem Deus exprobraverit Judæis etiam per Prophetam Isaiam prout præter supradicta, patet ex illo Jerem. 8. v. 5. ubi dicit Dominus: *Apprehenderunt mendacium & noluerunt reuerti: attendi & auscultaui, nemo quod bonum est loquitur: nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo dicens: Quid feci? omnes conuersi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium* (scilicet ita in peccata ruunt) *Miluus in cœlo cognouit tempus suum, turtur & hirundo & ciconia custodierunt tempus adventûs sui, populus autem meus non cognouit judicium Domini.* VII.

Quo-

Digitized by Google

Quomodo dicitis: sapientes nos sumus, & lex Domini nobiscum est: (Ecce usque modo sic loquuntur Judæi) *verè mendacium operatus est stylus mendax scribarum. Confusi sunt sapientes, perterriti & capti sunt, verbum enim Domini projecerunt, & sapientia nulla est in eis*, hæc ibi. Si sic res erat tempore illo quo Deus adhuc promittebat liberationem à captivitate Babylonica tunc imminente, & protectionem à jugo peccatorum per Messiam tunc venturum; quid non est judicandum de Judæis à tempore Christi Salvatoris? quem visis tot miraculis & tot prophetiis in ipso impletis, dum justissimè ipsorum peccata corrigeret, & ipsos ad pœnitentiam vocaret, ex superbia, invidia & malitia crudelissimè negarunt & in crucem egerunt; postea ipsius resurrectionem audientes, & missionem publicam Spiritûs Sancti, ac manifesta miracula per Apostolos facta videntes, quibus plurimi Judæi non solum ex plebe, sed etiam ex principibus Judæorum & Pharisæis, ut patet de *Nicodemo, Ioseph ab Arimathia*, ut ex ipso Josepho lib. de antiquit. Jud. suprà ostensum est: & in Act. Apostolorum cap. 5. in Christum Dominum crediderunt, aliis obdurato corde permanentibus, quibus S. *Stephanus* justissimè dixit Act. 7. v. 52. *Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos qui prænuntiabant de aduentu justi, cuius vos nunc proditores & homicidæ fuistis*, &c. quorum facta filii eorum usque in hunc diem approbant, & malitiam augent, licèt videant prophetias de conversione gentium factas per Christum in Christianis impletas & jam annis 1662. falsum Messiam terrenum regem frustra expectantes falsis Rabbinorum suorum figmentis decipiantur.

VIII. Hæc prolixius de Judæorum cæcitate & perfidia à Prophetis & ipsorum ante Christi adventum Rabbinis, prout suprà relatum est, prædicta, hic ob oculos ponenda duxi, ut eo clariùs pateat veritas doctrinæ Christianæ, & ipsorum falsa doctrina, & à vera Dei Ecclesia apostasia: & eò minus homines simplices modo ipsorum obstinatam perfidiam admirentur, si considerent, quomodo olim in deserto à Moyse ex Ægypto educti, visis tot miraculis toties contra Deum murmuraverint, & postea Prophetas veritatem prædicantes audire noluerint, dicentes se sapientes, cùm non essent, & illos persecuti sint, ac occiderint; ac etiam ipsum Christum Dominum crucifigendo interfecerint, eumque impiissimè usque in hanc horam blasphemare non cessent. *Maledictus itaq; furor eorum, quia pertinax* Gen. 49. v. 5. prout Jacob maledicebat.

CAPVT III.

De impia & absurda Mahometis seu Saracenorum secta.

ARTICVLVS I.

De origine illius sectæ.

I. HÆc secta refutationem magnam non requirit, sed impietas ejus satis patebit, si ejus Auctor & doctrina consideretur, quæ ex D. *Ioanne Damasceno* & aliis Auctoribus Græcis Mahometi contemporaneis & ex annalibus Græcorum. *Baronius*, ad annum 630. quo ille impius obiit, & *Reginaldus Anglus* in Calvino-Turcismo & *Simon Majolus* in diebus canicul. colloquio de perfidia Judæorum in fine, *ex Alcorano Mahometis*, & aliis Saracenorum libris referunt. *Auctor itaq; huius impiæ sectæ fuit Mahomet circa annum Domini 616. qui natus est in Arabia felice ex patre Ismaëlita* (aliqui dicunt quod ex patre Dæmonum cultore & matre Ismaelita) *de gente Ismaelitarum, seu Agarenorum vel Saracenorum, quæ originem habet ab Ismael filio Abrahæ ex Agar, ancilla Saræ uxoris Abrahæ, ut constat ex cap.* 16. Gen. de quo Angelus v. 12. *Hic erit ferus homo, manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum*, &c. Et ad Agar dixit: *Multiplicabo semen tuum, & non numerabitur præ multitudine*, &c. quod patet impletum in Saracenis, qui se à Sara tanquam adoptiva matre digniore nominarunt, & totam Arabiam impleverunt, non tamen Deus voluit per Ismael dare benedictionem promissam, sed per Isaac, ut Deus dixit de Isaac nondum nato cap. 17. v. 16. & postea cap. 21. v. 12. dicens: *Non tibi videatur asperum super puero, & super ancilla tua, omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius, quia in Isaac vocabitur tibi semen*, &c. Hi itaque Saraceni vel Ismaelitæ à filiis Israel planè separati Idololatriæ semper dediti fuerunt, de quibus meminit D. *Hieronymus* in vita S. Hilarionis edit. Basil. 1553. quod dum S. Hilarion per desertum Cades proficisceretur, venerit ad oppidum quoddam, *eo forte die*, ut ait, *quo anniversaria solennitas omnem oppidi populum in templum Veneris congregauit: Colunt autem illam ob Luciferum, cuius cultui Saracenorum natio dedita est*, &c. hæc Hieron.

II. Damascenus lib. de Hæresibus in fine de *Saracenis* sic ait: *Hi quidem Luciferi astri atq; Veneris quam Chubar sua lingua quod magna valet, vocant, simulachra palam coluerunt, adorauerunt usq; ad Heraclii tempora. A b illius autem imperio ad nostram ætatem falsus vates & Propheta eis exortus est, Mamedius nomine*, &c. hæc Damasc. verum communiter Mahomet, vel Mahomat, seu Mahomedus, Mahumetes, sive Mahometus dicitur.

III. Hic igitur *Mahomet* ex illa fera natus gente primitus camelariam exercuit artem, servitioque alicuius divitis nobilis viduæ inhærens Camelos eiusdem pascebat, suoque vafro ingenio effecit, ut illam in uxorem acceperit; postea in Palæstinam profectus, ibidem cum Judæis & Christianis versatus, ab iisdem plura addiscere conatus est, mentémque eius vanam prurigo cum exagitaret honoris, nundinationem quandam exercuit, ex qua nomen Prophetæ adeptus est. Cùm enim & à Dæmone exagitaretur, & comitiali morbo laboraret, persuasit uxori, quod ad conspectum Angeli Gabrielis sibi apparentis concideret, hæc cuidam Monacho Sergio dicto, qui ob Arianam hæresim è monasterio Constantinopoli ejectus, ibidem hærebat, uxor impii aperuit, qui idipsum confirmabat dicens, sic Gabrielem ad prophetas mitti solere, isque Mahometi fidissimè adhæsit. Refert autem S.

Eulo-

Digitized by Google

Eulogius martyr apud Baronium, quod diabolus in specie vulturis Mahometi apparens, os aureum sibi ostendens, Angelum Gabrielem esse se dixerit, &, ut Propheta appareret, impetrarit.

IV. Hæc cum in vulgus sparsa crederentur, & Mahomet ut Propheta honoraretur, ipse Deo permittente, & Diabolo dirigente, volumen quoddam, Sergii illius Ariani hæretici consilio & operâ adjutus, variis figmentis plenum conscripsit, quod à Cœlo sursum acceptum effinxit, suisque sectatoribus tradidit observandum, *Alcoranum* dictum.

ARTICVLVS II.

De doctrina illius secta.

I. VT autem impius ille *Mahomet* omnem qualemcunque populum ad se alliceret, doctrinam suam ex omnium sive veræ sive falsarum Religionum quibusdam articulis corrasit, aliis additis figmentis. Nam ex vera fide sumpsit articulum, quod crederet *unum esse Deum, Creatorem Cœli & terræ*: negabat tamen *sanctissimam Trinitatem*, scilicet *Deum unum in tribus personis Patrem, Filium & Spiritum Sanctum* idque hauserat *à Sabellianis*, qui SS. Trinitatem negarunt: *ab Arianis*, qui verbum Dei, Deum negabant; & *Macedonianis*, qui Spiritum S. Deum negabant.

Ex secta Judæorum usurpavit *circumcisionem & abstinentiam à carne suilla*; unde & Judæi primitus ipsi ut Messiæ adhæserunt, sed, quia postea videbant ipsum immundam scilicet Cameli carnem contra legem comedere, *loco Sabbathi diem veneris solemnizare, & à vino abstinere, & circumcisionem non octavo die, sed circa 15. annum ætatis servare*, &c. non ita senserunt; licèt ipsi adhærerent.

II. Cæterùm à Christianis assumpsit *Baptismum*, ut etiam ipsemet à *Sergio* baptizatus est, verum in nudam ceremoniam: ita ut Saraceni, quasi quotidie lotiones & baptismata usurpent. Quoad doctrinam vero Christianam ex illa præter fidem unius Dei, etiam professus est, quod *crederet Christum Dominum esse Dei filium*, ut S. Damascenus lib. de hæresibus refert dicens: *Christum dicit verbum esse Dei, & ejus spiritum, eumq; fatetur ex Maria Virgine sine semine generatum*, &c. veruntamen juxta *Arianam* hæresin, ut idem refert, dicebat, *Christum non esse Deum, sed creatum & servum ac Prophetam Dei*: Rursus ex hæresi turpissima *Manichæorum* addebat: *Iudæos iniquè & contra leges Christum in crucem agere voluisse, & cum eum tenuissent, ejus quidem umbram egisse in crucem, Christum autem nec in crucem actum, nec mortuum esse, Deum enim ad se in cœlum transtulisse quod ei esset charissimus: qui cum in cœlum pervenisset, & à Deo interrogatus fuisset, an Dei filium se esse dixisset, ipse autem respondisset; In me, Domine sis placato animo, scis hanc meam orationem non fuisse, neq; tuam non fastidire servitutem: homines sunt isti, qui falso me circumvenerunt crimine & vehementer errarunt. Tum Deum hæc ei vult respondisse: scio hanc tuam non fuisse orationem*, &c. hæc Damascenus.

Vt autem *Mahomet* hanc fictionem magis confirmaret in *Alcorano* Azar 11. Judæos damnat dicens: *Iudæi Mariæ blasphemam & immoderatam contumeliam inferunt, dum ejus filium Christum Dei nuntium se interemisse perhibent; cum enim nequaquam sed alterum ei similem interfecerunt, quia Deus eum ad se migrare fecit*, &c. hæc ibi.

Verum quidem dixit, quod Judæi blasphemiam inferant Christo, quasi justè ob blasphemias crucifixus sit: at verò ipse Mahomet contra expressas prophetias de Christo factas, contra ipsam Christianorum & Judæorum confessionem, negat Christum crucifixum, prout verè crucifixus est, pro veritate & totius mundi peccatis & salute, &c. quod Diabolus crucis inimicus ferre non valens, Mahometem & Manichæum concitavit, ut fingerent alium loco Christi à Judæis occisum esse, & talia figmenta sine ulla probatione spargerent. III.

Cæterùm his fictionibus plures addidit, prout refertur ex antiquissimis Saracenorum libris, quos Canonicos vocant apud Reginaldum lib. 3. cap. 11. *quod scilicet cum Mahomet legem a Deo accepturus à Gabriele in cœlum duceretur, & inprimis sex cœlis singulos Patriarchas, cum infinita Angelorum multitudine, vidisset Adamum, Noe, Abraham, Ioseph, Moysen & Ioannem Baptistam, qui omnes Mahometi tanquam Prophetæ ipsis excellentiori, & in majore apud Deum gratia humiliter supplicabant: in septimo, quod erat supremum, Deiq; throno proximum, conspicatus Christum Mahometes seipsum Christo magna cum humilitate commendabat, perinde ac si Christus tantum superarit Mahometem, quantum ipse reliquis illis antecelluit*, &c. Ecce quanta hic figmenta!

Similiter *Majolus* supra ex ipso Alcorano, qui in certa capita dividitur, quæ vocantur Azoaræ; refert ex Azoara 1. 4. 11. & 13. diversa verba, quæ Mahomet asserit Deum sibi dixisse, & inter alia hæc: *Omnium Prophetarum alio super alium per me sublimato, & eorum quibusdam cum Deo locutis, Christo Mariæ filio, animam nostram propriè conferentes, vim & virtutem præ cæteris præbuimus*, &c. hæc ficta quasi à Deo dicta in allegatis Azoaris Mahomet jussu ejus asserit dicens: *Spiritum Dei in auxilium & testimonium fuisse Christo filio Mariæ esseq; istum nuntium, Spiritum, verbum Dei æterni: doctrinam porro ipsius perfectam esse, & vetus testamentum illustrare, seq; ad eam confirmandam venisse*, &c. hæc ibi. IV.

Quamvis autem diabolicâ fraude decepturus tam Judæos, quam Christianos, hæc passim dixerat; ne tamen videretur contra vetus testamentum & Euangelium docere, quæ sic laudaverat, addidit, ut refert *Reginaldus* lib. 2. cap. 3. *quod Euangelica doctrina ab Apostolorum discipulis esset corrupta, quam in suo Alcorano emendandam promittebat. Similiter* dicebat, *vetus testamentum in quibusdam locis mendosum esse*, &c. vetuit autem in Alcorano Azar. 15 & 17. *ne imagines qualescunq;, sive sanctorum, sive hominum in templis vel domibus haberentur, imo nullæ prorsus formarentur*, quod adeò rigidè servant Saraceni, ut nec in pecunia imaginem habeant, quod plane veteri testamento repugnat, ubi duo Cherubin erant super Arcam.

In ipso autem Alcorano fœdissimas & absurdissimas fabulas ponit: quarum centum & tredecim recenset *Euthymius* in sua Panoplia. Inter has sunt, primo; ut & gentilitiæ superstitionis homines alliceret *cultum astri Chubar*, de quo suprà, *Saracenis consuetum sua doctrina commiscuit*. V.

2. *Docuit esse fatum*; ita ut homines vel ad malum vel ad bonum destinati sint.

3. Persuasit, *quod sibi tanquam fideli veritatis cultori*

Digitized by Google

tori in die judicii tradendæ essent claues paradisi.

4. Fatebatur *Carnis resurrectionem futuram*, sed addebat, *quod tunc sui sectatores introducendi essent in consitum Paradisum, in quo ipsis omnia ad cibum & potum facilè abundeq; suppeterent, & ad coitum carnalem pariter adforet pulcherrimarum mulierum copia fœminarum*, &c.

5. Quod *hu deliciis potituri essent, qui hostes occiderent, vel ab hoste pro sua secta occiderentur*, &c.

VI. Mirum, quomodo honestas naturalis illa dici permiserit, aut qualiter Mahomet non erubuerit; cùm etiam profiteretur Christum esse maximum Dei Prophetam, & à Virgine Matre natum, adeoque nulli carnali copula permixta, nec ipsum Christum unquam tali coitu in hac vita usum fuisse, qui etsi conjugium laudaverit, virginitatem tamen suaserit. Quid de Christo & B. Virgine diceret? num & illi in futura vita nullam aliam fælicitatem habituri, nisi quòd turpitudini carnali promiscuè vacarent? Ecce qualiter mentiatur iniquitas sibi, & confundatur?

6. De hac vita, *ulciscimini*, dicit in Alcorano, *injurias toto corde, habetote tot uxores quod alere poteritis, ne ipsi quidem natura prohibite*, &c.

7. In Alcor. Azo. 8. dicit de uxoribus, *cum contigerit vobis eas non diligere, unam pro alia mutare licet*, &c.

8. Ipse Mahomet licet plures ipse haberet uxores & concubinas, ut ex Chronicis Saracenorum refert Reginaldus lib. 2. cap. 10. non pepercit aliorum uxoribus, speciatim cujusdam famuli sui Zeidi dicti, quod scelus ipse Zeid sentiens exhorruit, eamque Prophetæ suo, cui contradicere non valebat, permisit. Mahomet autem, ut se purgaret in Alcorano sive lege sua annotavit, quasi Deus ipse sic locutus esset: *Cumq; mulier illa displicuisset in oculis Zeidi, & eam repudiasset, sociauimus illam Prophetæ nostro in conjugium, quod cæteris in exemplum, & posteris fidelibus id agere cupientibus non sit in peccatum* &c. hæc in Alcorano.

9. Referunt alii ex Alcorano Azoar. 43. *quod Deus & Angeli orent pro Mahomete.*

10. *Quod omnes saluari possint in suis legibus, Iudei, Saraceni, Christiani*, &c. ex Azoara 2. quomodo hæc cohærent, quod jubeat omnes ferro ad suam legem cogi? &c. hæc in Alcorano.

11. Ne autem miraculis caruisse videatur, licèt dicat Christo miracula esse data, sibi gladium tamen Azoar. 64. dicit *se in luna miraculum fecisse*, quod expositores dicunt contigisse, quando luna in duas partes erat divisa, quam ipse in manus acceptam & reparatam ad cœlum remiserit: sed neminem præter Mahometem illius conscium fuisse, &c. Ecce insanum figmentum!

VII. Hæc quàm impia, falsa, hortenda, & absurda sint, nemo non videt, & quia impius ille cogitabat, quod illa tam nefanda doctrina facile confutaretur; præsertim cum vetus Testamentum, & Euangelium admittere præseferebat, ex quibus talia deliria clarè confutari possent, aliam legem tulit, ne de Alcorano, vel lege à se data ullus sub pœna capitis disputaret, causam reddens, quod mysterium tractare nefas sit.

His itaque figmentis rudes quosque facilè ad se attraxit, præsertim quia in Oriente tunc temporis variæ *Arianorum, Manichæorum, Nestorianorum, Eutychianorum, Iconoclastarum, Monothelitarum* grassabantur hæreses: ita ut, dum Propheta crederetur, etiam regnum totius Arabiæ acquisiverit, quod novem annis tenuit. & anno Domini 630. *obiit in loco, cui nomen est Mecha*, ut *S. Eulogius* apud Baronium refert: *prædicens se ab Angelo Gabriele, qui in specie vulturis, ut ipse asserebat, sibi apparere solitus erat; tertia die resuscitandum esse: unde sectatores de miraculo solliciti cadauer ejus custodiri jusserunt, quod cum tertia die fætidum vidissent, Angelos præsentiam hominum horrere dicentes, sine custodia reliquerunt, interea vice Angelorum canes ingressi latus ejus deuorarunt, quod reperientes residuum cadaueris ejus humo dederunt*, &c. hæc ibi.

Ad hanc tegendam confusionem successor Mahometis *Homar* seu *Haumarus* dictus sepulchrum magnificum ibidem erexit; ad quod Saraceni ex omni parte peregrinantes accedunt: quod, ut *Laomius* refert, extructum est ex lapidibus pretiosissimis, & sublime pendet in medio Templo. Et scribunt alii in *compendio universi* allegati, quod tumba ex ferro facta pendeat inter duos magnetes, quorum unus in superiori tabulato, alter in pavimento sibi oppositi sunt, &c. Et sic tumba utrimque attracta hæreat. VIII.

ARTICVLVS III.

De successu sectæ Mahometicæ.

Cæterum, antequam hæc sordida & pestilens secta ex omni genere corrasa & potissimùm carnales voluptates in hac & futura vita promittens exurgeret in partibus orientalibus, inter Christianos diversæ hæreses grassabantur, & Deo permittente, *Saraceni* prius circa Annum 612. per Syriam grassantes multa loca devastarunt; postea circa annum 628. Persiam invadentes, & pulsis aut perditis Persarum Regibus, Regnum occuparunt: deinde cum *Heraclius Imperator*, qui Catholicus existens tot insignes victorias contra Persas obtinuerat, postea ad Hæresin Monothelitarum deficiens, *relictâ imperii curâ potius Catholicos oppugnaret*, Saraceni Anno 633. *Palæstinam*, deinde *Ægyptum* occuparunt; postea maximo numero diversas Insulas invaserunt, & tandem *in Africam & Hispaniam* penetrarunt: ita ut brevi tempore plurimas Regiones talis pestis infecerit, & possederit. I.

Quamvis autem & juxta Mahometis legem & Muaviæ, Mohometis post duos alios successoris Saracenorum Principis aut Regis (qui tunc Calyfa, postea autem Sultanus dicebatur) mandatum nihil de doctrina disputandum esset; nihilominus in diversis Regnis existentes Saraceni diversas sub diversis Regibus seu Sultanis (unde plurima inter ipsos bella fuerunt) *sectas* constituerunt: quarum quatuor præcipuæ sunt, scilicet *Melici, Asaphii, Alambeli, & Buanisi.* In Africa sunt *Melici*; In Arabia & Palæstina *Asaphii*; In Armenia & Persia *Alambeli*; In Alexandria & Assyria *Buanisi*, & hujus sectæ ultimæ sunt Turcæ: hæ tamen quatuor deinde in plurimas alias sectas divisæ sunt, ut ex *Nel efon.* Cosmographia universali refert *Reginaldus Anglus* lib. 3. cap. 20. II.

Ex

Digitized by Google

III. Ex Africa *Mahometani Mauri* in Hispaniam trajicientes pluribus ibidem Regionibus occupatis diversam ab Afris sectam usurpabant; unde inter Afros, & illos pro vero Alcorani sensu dudum certatum est: ubi Reges quidam Maurorum in Hispania se *Miralmumeni* nominari volebant; quod idem est ac *rectè credentium principes*: sed hos *Africæ Sultanus* superans, eorundem sibi titulum vendicabat. Deinde per aliquot centenos annos diversi diversorum Regnorum *Persiæ, Ægypti, Asaphii*, aliique Saracenorum sectatorum Sultani crudelissima inter se bella gesserunt: nec postea Saraceni contra Christianos *in occidente* profecerunt, quorum à Christianis paucis sæpe aliquot centena millia in Hispania cæsi sunt, sicut *& in oriente* Christiani ex occidente in Palæstina dudum cum iisdem decertarunt: donec tandem *gens Turcarum*, quæ, ut notat Baronius in Annalibus Græcorum ad annum 625. *trans portas Caspias* habitabat Romanis subdita seu confœderata, sed idololatriæ dedita, ut ibid. ad Ann. 626. ex verbis Heraclii Imperatoris refert, postea sordida Mahometis doctrina imbuta fuit, & circa annum 1300. *Othomannus*, ut refert *Nauclerus* volum. 2. ex vili conditione illorum dux emergens, vicinas *Asiæ minoris Regiones* invasit: postea illius successorem Pazaiten Anno 1394. *Tamerlanes Parthorum seu Tartarorum dux* ingenti strage superatum & captivum duxit, qui *Persas, Medos, Scythas & Armenos* crudelissimè devastans, se iram Dei & orbis vastitatem vocabat.

IV. Verùm postea *Amurathes* Pazaitæ filius Turca iterum emergens, post plurima bella totam Asiam minorem occupavit, ejusque successores *Thraciam & Palæstinam ac Ægyptum* deletis aliis Saracenis cum Sultanis suis obtinuerunt; ac tandem Constantinopolim anno 1453. cum magno Christianitatis luctu & cæteras Orientis Regiones præter Persiam invaserunt: sub horum jugo Christiani Græci usque modo gemunt.

Inter *Turcas* autem & *Persas* ratione legis Mahometicæ tantum viget dissidium, ut Turcæ Persas tanquam sceleratissimos suæ doctrinæ hæreticos esse asserant; itaut in aula Imperatoris Turcarum solemne fuerit promulgatum decretum, *gratius esse & acceptius Deo religionis Mahometicæ causâ occidere unum Persam, quamvis sit professione Mahometicus, quam septuaginta Christianos*, &c. Ita Reginald. lib. 3. cap. 20. ex diversis Auctoribus refert.

V. Hæc de initio & progressu Saracenorum & Turcarum sectæ obiter referenda duxi; ut constet, quod nihil extraordinarium ab illa per efficaciam suæ doctrinæ aut miracula, sed per potentiam armorum, & bellicum furorem, &c. Leges moresque bestiali naturæ applaudentes, actum sit: prout alias sæpe Deo permittente, & fideles suos punire volente, per alios pessimos factum est; ut constat ex veteri testamento; quanta fuerit *Monarchia Assyriorum idololatrarum* tot centenis annis, aliorumque infidelium potentia, qui Israelitas subjugarunt, & sæpe captivos abduxerunt: Constat etiam quantum *Romanum idololatricum Imperium* prævaluerit, quod longo tempore subsistit, sic etiam mirum non est, quod hoc *Mahometicum imperium* Deus præsertim in Oriente, proficere voluit; ubi tot & tam diversæ vigebant hæreses: ac tandem dum Græci unitati Ecclesiæ, quæ in *Concilio Florentino* à Græcis & Latinis inita erat, quoad fidem circa processionem Spiritûs Sancti à Patre & Filio, & obedientiam ad apostolicam Romanam sedem, acquiescere nollent, non obstante, quod *Nicolaus* V. illos efficaciter & paternè per literas monuisset, prædicens fore, ut intra triennium Turcarum crudelitati subjicerentur; prout *Gemadius Græcorum Patriarcha* in libro, quem contra Græcanicos scripsit, apertè testatur; ita factum: ut triennio post Constantinopolis Turcarum furori tradita, & occiso miserè Constantino Palæologo Græcorum Imperatore regnum illud ad Turcas, prô dolor, translatum sit.

ARTICULUS IV.

Ostenditur falsitas & impuritas doctrinæ Mahometicæ.

Quamvis falsitas & impuritas illius doctrinæ ex hactenus dictis facilè pateat; breviter tamen ob oculos ponenda erit: primo in generali, deinde in speciali. I.

In generali contra Alcoranum, in quo plurima absurda & ridicula sunt, quem Mahomet ad se à Deo missum gloriatur, sic arguit Damascenus lib. de hæresibus circa finem referens hanc sectam & sic dicens: *Nos autem, si quæramus quinam testimonio suo comprobet eum librum ex Cœlo ad eum allatum fuisse, aut quinam Propheta ejusmodi Prophetam exorturum prædixerit? atqui illi Saraceni nesciant: Nos respondemus, tum Moysen legem accepisse in monte Sinai, cum Deus cernente universo populo in nube, in igne, caligine & procella apparuisset: similiter omnes Prophetas à Moyse atq; eos qui illum consecuti sunt, adventum Christi multo ante prædixisse, Deumq; Christum ac Dei Filium tum venturum, ut carnem assumeret ac sibi conjungeret, tum in crucem actum iri, tum mortuum, tum excitatum iri à mortuis, eundemq; fore vivorum & mortuorum Iudicem. A quibus etiam si quæramus, cur non hoc modo venerit Propheta vester, aliis ei testimonium dicentibus, sed ne vobis quidem videntibus, Deus ut Moysi populo spectante, & monte fumum efflante legem dederit, si illi scripta quæ commemoratis præbuerit, ut ea etiam vos certa & rata habeatis? & illi responderint Deum, quæ velit facere omnia. Hoc etiam nos scire dicimus. Sed quo tandem modo scripta hæc ad Prophetam vestrum pervenerint, hoc quærimus? A c illis respondeant: Cum quieti se dedisset, hæc scripta ad eum à superis allata fuisse: tum ridiculum quoddam eis commemorans & objiciens; quandoquidem ei dormienti & nihil agenti scripta hæc missa sunt, profectò in eum cadat necesse est, tritum illud vulgi sermone proverbium. Rursus cum eos interrogamus, cur cum ipse* (Mahomet) *vobis in scriptis vestris vetuerit, ne quid faceretis aut acciperetis sine arbitris, ab eo non petistis, ut primùm testes produceret, qui eum Prophetam esse pro testimonio dicerent: Deinde eum à Deo missum esse; Postremo ut ipse doceret, quænam scripta ei testimonium dicerent? pudor eos tacere cogit, quibuscum probabiliter disputamus.* hæc S. Damascenus.

II. Quid justius & rationabilius à Saracenis exigi potest, quàm quod Damascenus exigit, non tantum juxta ipsius impii Mahometis legem; quâ prohibuit ne quid agerent vel reciperent sine arbitris vel testimonio, multò minus tanquam à Deo extraordinariè revelatum, & ad salutem necessarium? sed etiam omnis naturalis ratio & æquitas postulat, & dictat: alioquin quilibet quælibet figmenta sua, tanquam à Deo revelata venderet, & omnes credere deberent, quo nihil absurdius est.

Hoc idem argumentum Damasceni militat contra illos Saracenos, qui, ut suprà relatum est, dixerunt Mahometem per Gabrielem ad septimum Cœlum deductum esse, ibique legem accepisse; sed quod huius est testimonium, nisi Mahometis & aliorum fictio?

Similiter confunduntur alii Saraceni, qui, videntes prædicta fictionis justè argui absque testimonio prolata, dixerunt Taurum ad vocem Mahometis è loco occulto exilientem per mediam plebem multis ab eo conculcatis, volumen illud intra cornua alligatum ad manus illius deposuisse, veluti cælitus missum, &c. sed non mirum, quod bestiales homines per talem ferocem ac libidinosam bestiam finxerint à Deo talem librum directum esse: sic iniquitas nullo fundamento nitens sibi mentitur & variat.

III. Certum autem est, quod hæc impia & sordida doctrina nullibi prævaluerit, nisi violentiâ armorum & turpis libidinis persuasione; non autem ipsius doctrinæ puritate, vel miraculorum evidentiâ, quæ ad persuadendum, quod doctrina à Deo sit, necessaria sunt.

Econtra plurima Deus in confirmationem Christianæ veritatis coram ipsis Saracenis per Christianos fecit miracula, prout in Annalibus *Baronius* sæpe refert; nos unum aut alterum ex Seraphici ordinis nostri historiis referemus.

IV. *S. Franciscus*, ut scribit S. Bonaventura in vita illius cap. 9. *in Syriam pro conuersione Saracenorum profectus, dum à Soldano Saracenorum Ægypti seu Babyloniæ in Palæstina contra Christianos pugnante edictum emanasset, quod quicunq; caput Christiani adferret Bizantium pro mercede accepturus esset: Nihilominus S. Franciscus in Domino confisus accessit castra eorum, à quibus captus & furenter afflictus, viuus tamen ad Soldanum perducitur: cui S. Franciscus à Deo ad ipsum se missum asserens, tanto feruore Spiritus Deum unum & trinum ac Saluatorem Iesum crucifixum prædicauit; ut Soldanus commotus ipsum apud se manere petierit; cui S. Franciscus: Si vis ad Christum conuerti faciam; si hæsitas legem Mahometis relinquere, iube ignem accendi permaximum, & ego cum Sacerdotibus tuis illum ingrediar; ut vel sic cognoscas quæ fides verior & sanctior sit tenenda. Ad quem Soldanus: Non credo quod ex meis aliquis velit se propter fidem igni exponere, &c. nec admisit à S. Francisco oblationem suorum seditionem timens; & cum S. Franciscus videret se nihil proficere, discedendi licentiam petiit: quæ data est cum potestate tam S. Francisco quam suis prædicandi Euangelium inter Saracenos, ut scribit B. Antoninus*: Cui dixerat Soldanus, ut Deum pro ipso oraret, ut fidem & legem veram ipsi inspiraret.

In iisdem partibus, ut habetur in speculo S. Francisci apud Sedulium, cum mulier quædam pulcherrima ipsum ad Venerem solicitaret, ille quasi assentiens dixit, eamus ad lectum quem demonstravero, & in ignem se nudum injiciens, accede dixit, & illæsus ab igne exiens mulierem non solùm à libidine, sed etiam ab impietate ad Christum convertit, &c. V.

Quod autem à S. Francisco oblatum veritatis signum Soldanus acceptare noluit, hoc diversi Fratres Ordinis inter Saracenos Euangelium prædicantes, & ab illis cruciati præstiterunt: duo hic exempla sufficiant, quæ diversi Auctores referunt.

Vnum est in B. Philippo Martyre Ordinis FF. Minorum, de quo præter plures Ordinis Historicos B. Antoninus Archiepiscopus Florent. 3. par. histor. tit. 21. cap. 3. §. 3. sic scribit: *Cùm quadam Domina de Anicio seu de Podio suum conceptum B. Antonio de Padua (qui tunc in illis partibus morabatur) commendasset, ille oratione facta futura Deo reuelante prædixit dicens: Gaude O Domina, & fiduciam in Deo habeto, quia nascetur tibi filius, qui erit frater minor & martyr, ipse, ad martyrium plurimos animabit. Quod totum impletum est. Nam natus ille, & Philippus vocatus ordinem Minorum ingressus, indies de virtute in virtutem proficiens, ex deuotione transmarinam peregrinationem assumpsit: & cum castrum Azoti, in quo tunc erat, proditoriè fuisset traditum Saracenis, omnes Christicolæ ibi manentes à Barbaris capti, ad mortem condemnati sunt, circa mille animas. Inter hos præfatus F. Philippus Deo disponente, ad alios roborandum in constantia confessionis fidei ultimus fuit ad sententiam accipiendam. Interrogati igitur fideles illi, si fidem suam abnegare vellent potius, quàm ultimum pati supplicium unanimiter responderunt, se viam tenere & fidem, quam Philippus prædicabat. Hortatus est autem eos F. Philippus dicens: Estote charissimi fortes in fide, quia Dominus mihi reuelauit hac nocte, quod per martyrium cum mille animabus regnum Cœlorum introibo. Confortati igitur cum palma martyrii omnes ad Cælum euolauerunt. Soldanus vero ultra F. Philippum, ut causam potissimum permanentiæ illorum in fide, crudelissimè cruciauit. Nam primo juncturas manuum frustatim ei incidi mandauit, & cum à confessione fidei non cessaret, fecit eum decoriari usque ad umbilicum, sed per hoc non reticenti fecit ei linguam abscindi. Nec tamen lingua præcisa à prædicatione cessauit, Deo mirabiliter operante, demum capite plexus martyrium consummauit. Horum corpora per aliquot dies insepulta incorrupta permanserunt, sicque B. Antonii prophetia completa.* hæc S. Antoninus. Hoc illustre fidei Christianæ testimonium est redditum Anno Domini 1289. VI.

Alterum exemplum sive historiam refert Marcus Vlyssiponensis 3. par. Chron. Minorum lib. 9. c. 34. & 35. Et Bozius de signis Ecclesiæ tom. 1. lib. 6. cap. 3. sæcul. 17. & tom. 2. lib. 15. cap. 5. quam illustrissimus Princeps Carolus Valesius Caroli IX. Gallorum Regis filius naturalis, Dux Engolismensis, &c. ex Hispanico idiomate VII.

Digitized by Google

mate in Gallicum transtulit, & nuper 1636. Parisiis impressa fuit, cujus summa hæc est: *Anno 1530. B. Andreas Spoletanus, Spiritu Dei excitatus, ad partes Saracenorum fidei prædicandæ gratia profectus, tandem in Regnum Fessæ peruenit, ubi cùm coram Rege Muley Machamed Merino cum Cacitis Mahometanis & Iudæorum Rabbinis sæpius de fide contulisset, tandem Regi obtulit, se per ignem probaturum Christianam veritatem, si credere vellet, quo admisso, ingens lignorum strues à Mauris paratur, B. Andreas post orationem monet pyræ ignem supponi, eamque accendi, illa ardente, ipse signo Crucis munitus coram Rege, Regina ac filiis, proceribus & omni populo se ultro in ignem injecit, in cujus medio genu flexus, nudus solis contectus femoralibus ad orientē versus orabat pro conuersione infidelium, deinde surgens manibus in crucis modum efformatis, sanus absque ulla læsione egreditur,* &c. *postea tamen à furentibus Saracenis crudeliter occisus est* Anno 1532.

Ex omnibus prædictis luce meridianâ clariùs patet, quòd doctrina illa Mahometica ficta sine ullo fundamento vel colore impia sit obscœna & falsissima contra vetus testamentum & Euangelium: quæ utraque Mahomet, ut à Deo profecta approbat, licèt sine teste vel miraculo fingat se ad perficiendam & instaurandam doctrinam Euangelicam missum esse, cùm omnia ipsis contraria tradat, & insuper turpissimam vitam in hac vita indulgeat, ac turpiorem in futuro felicitatem falsò promittat, qualem & seniores Philosophi, *Plato, Aristoteles*, &c. detestati sunt, ut D. August. in lib. præsertim lib. 8. & lib. 10. de civ. Dei prolixè declarat.

VIII. Mirum sanè, quòd Mahomet ipsis Ethnicis impudentior hominibus plenam in carnali voluptate felicitatem pro futura vita promittat, quam ipsi Ethnici in hac vita erubuerunt. Nam ut suprà dictum est, quòd dum *Diogenes* doceret coitum illum more canum publicè peragendum esse, ob quod ejus sectatores Cynici vel canini dicti sunt; postea tamen ut *Augustinus* lib. 14. de Civ. Dei cap. 20. ait: *Idipsum à Cynicis fieri cessatum est, plusque valuit pudor, ut erubescerent homines hominibus, quàm error, ut homines canibus similes esse affectarent.* Et infrà: *Nunc videmus adhuc esse Philosophos Cynicos, & nemo tamen eorum audet hoc facere, quod si aliqui ausi essent, ut non dicam ictibus lapidantium, certè conspuentium salivis obruerentur,* &c. hæc August. Constat etiam quòd in paradiso ante lapsum Adæ & Evæ, ista libido non fuerit; & hanc iste impius Mahomet præseferens Dei veri Prophetam à Deo opt. Max. pro præmio canibus communi, fidelibus suis promissam esse, docere non erubuit. Quid magis impium in Deum & impudentiùs apud homines? an in illa vita beati publicè & promiscuè talia pro præmio habebunt, de quibus in hac vita honesti erubescunt? quid absurdiùs? vera autem hominis, utpote intellectualis felicitas, quam Deus electis suis in utroque testamento promisit, non in vilissima & turpissima corporis, quoad cibum, & potum, ac carnalem coitum cum bestiis communi voluptate consistit, sed primariò in animæ intellectualis potentiarum actibus circa summum & infinitum bonum, Deum ipsum scilicet omnis cujuscunque boni Creatorem prout ipse in Abraham electis suis promisit Gen. 15. v. 1. dicens: *Ego merces tua magna nimis*, quæ felicitas, etsi pro hoc statu ab homine à sensibus dependente apprehendi non possit, sed omnem sensum & cogitationem superet, juxta quod Isaias 64. v. 4. dicit: *Oculus non vidit, Deus absq; te, quæ præparasti expectantibus te.* Et Apostolus 1. Cor. 2. v. 9. *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum*, &c.

Ex his tamen colligi potest inestabilis beatitudo electorum, quòd erunt similes Angelis, Deum semper facie ad faciem clariùs visuri, quàm oculus corporis Solem intueatur, ac sine tædio, sine omni timore ullius mali, sed cum plena securitate in omnem æternitatem Dei bonitate & amore familiarissimè sine intermissione fruituri; ipsum laudantes, in ipso summo bono semper lætantes & gaudentes: quod utique gaudium eò excellentius erit super omne gaudium, quo in infinitum divina Bonitas ejusque amor super omnem creaturam supereminet, & hæc quidem hominum seu animarum beatitudo inestabilis. Ipsi similiter quoad corpus dotibus honestissimis & excellentissimis decorabuntur incorruptibilitatis, pulchritudinis, claritatis & aliis plurimis; ut idcirco cibo & potu non egeant, nec fœdis corporis voluptatibus ad generationem ordinatis, quasi ibi non erit locus nec desiderium; sed sanctorum Angelorum & Beatorum inter se sanctissima & intima amicitia ac charitas, quâ se invicem & Deum super omnia sine fine diligunt, & à Deo se diligi clarè cognoscunt, perfectissimè Beatitudinem conferet: quam Deus nobis donare dignetur, per Christum Dominum nostrum, Amen. IX.

Maledicta itaque & abominanda est Mahometis impii secta. Primò, quæ fidem Catholicam & sanctissimam negat Trinitatem in una Deitate personarum, Patris, Filii, & Spiritûs Sancti, quæ non solùm in utroque Testamento manifestata, sed tot miraculis clarissimis comprobata est.

Secundò, quæ profitetur quidem Christum Dominum de Virgine natum, & Dei Prophetam maximum, ac doctrinam ejus à Deo profectam & perfectam esse, & tamen negat Christum esse verè Dei filium, & unum cum Patre Deum, quod Christus non solùm clarè docuit, sed ex lege & psalmis probavit, ac miraculis per se & Apostolos factis confirmavit. X.

Tertiò, quæ sub prætextu falsæ reverentiæ in Christum Dominum, quasi ipsi prorsus indignum esset, negat ipsum pro veritate Dei & salute mundi crucifixum esse; unde tota humani generis salus provenit, quam diabolus impedire satagit, &c. ac demum Deo opt. max. absurdè tribuit, quòd illis, qui ipsi serviunt, non aliud in futura vita præmium promiserit vel dare possit, quàm vilissimum & turpissimum, de quibus & in hoc sæculo honesti etiam Ethnici erubuerunt, carnalium voluptatum exercitium, &c.

Demum docet, quòd quilibet in sua secta bene vivens salvari possit, &c. & tamen hæc tam impia & absurda nullis scripturis vel testimoniis aut miraculis, sed meris suis figmentis tradita omnibus, qui spontè non acquiescunt, ferro & gladio ingerenda jussit. Maledicta itaq; impia & abominanda illa doctrina.

Digitized by Google

CAPUT IV.

De hæreticorum Ecclesiis in partibus orientalibus.

ARTICULUS I.

De Schismaticis & hæreticis, præsertim Arianis.

I. HActenus ostensum est, quòd *Idololatrarum, Atheorum seu Politicorum, Iudaorum & Saracenorum turba*, qui in Dominum Jesum Christum non credunt, non sint veræ Dei Ecclesiæ; jam ostendendum idipsum est de Schismaticorum & hæreticorum cœtibus, qui se in Christum credere & se Christianos esse profitentur: sed tamen longè diversa & contraria veræ Christi fidei docent, vel ab unitate Ecclesiæ veræ pertinaciter sese separarunt; non enim tales omnes cœtus tam contraria docentes ad unam veram Ecclesiam spectare possunt ut suprà lib. 1. de Ecclesia ostensum est. Hîc autem de singulis probandum quòd nulla illarum sit vera Dei Ecclesia, juxta Notas veræ Ecclesiæ proprias, suprà eodem libro demonstratas.

II. Veruntamen hoc ipsum de omnibus hæresibus, quæ à tempore Apostolorum & deinceps ortæ fuerunt demonstrare impossibile, & superfluum foret; cùm tot & tam multæ fuerint, ut *Epiphanius & Augustinus* in lib. de hæresibus 80. asserant, & *Damascenus* ultra centum referat circa annum 700. & tales à sanctis Patribus refutatæ ac damnatæ fuerint, & plurimæ jam evanuerint juxta verbum Domini Matt. 15. v. 13. *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cælestis, eradicabitur.* Aliquas igitur hoc tempore adhuc superstites principaliores, quæ tamen in plurimas sectas divisæ sunt, tangemus; imprimis illas, quæ in partibus *orientalibus, Asia, Thracia, Ægypto & Æthiopia* extant, utpote *Arianorum, Nestorianorum, Eutichianorum, Iacobitarum, Armenorum, Georgianorum, Surianorum, & Abyssinorum præter Græcos*: ex quibus Jerosolymis diversi juxta sepulchrū Domini suas habent mansiones cum Catholicis Romanis, scilicet Patribus ex Seraphico Ordine nostro sancti Francisci regularis observantiæ. Sunt etiam adhuc in quibusdam partibus *Ariani*, quos nuper *Michael Servetus* in his partibus, & alii secuti sunt.

III. Itaque *Arianorum* hæresis cæteris antiquior ab Ario superbo, Ecclesiæ olim Alexandrinæ in Ægypto presbytero, inchoata circa annum 320. sub *Constantino Magno*, & paulò post in *Concilio Niceno* 1. damnata est; quæ docebat quidem Christum esse verbum Dei & Filium; sed non consubstantialem Patri, sed à Patre creatum, ac ipso minorem: præter hæc impiissimè alia plura docebant Ariani, etiam sacrilegia in Altaria, ac Sacramenta, ac tyrannides in Monachos, & Sacerdotes ac Episcopos Catholicos exercebant, qui à suis sedibus ejecti, ad Romanum Pontificem pro auxilio recurrerunt, ut *Athanasius* & alii; illi autem inter se statim post Concilium divisi sunt in plures sectas; quarum primariæ erant Acatianorum, Macedoniorum, Eunomianorum, &c. imò, ut *S. Hilarius* in lib. utroque ad Constantium Arianum Imperatorem testatur, singulis ferè annis fidei suæ dogmata variabant: ex quibus patet, quòd illa secta non fuerit vera Christi Ecclesia, cùm longè post tempora Apostolorum incæperit, inter se divisa & impia docuerit, justissimè ab Ecclesia Dei separata, & damnata est.

Et licèt ad annos quinquaginta circiter adeò grassaretur per totum orbem, ut & Imperatores & Duces ac Reges, plures etiam Episcopi eam sectarentur; ut videretur quasi totus orbis Arianus: plurimi tamen Episcopi cum populis suis in Catholica fide persistebant, ut ex Augustino lib. de unitate Ecclesiæ ostensum est; quia tamen à Deo Patre plantata non erat, exaruit, ut experientiâ constat, cujus paucæ in Transylvania & alibi reliquiæ remanere videntur. IV.

ARTICULUS II.

De Nestorianorum hæresi.

NEstoriana hæresis Anno 428. ab impio *Nestorio* sub *Theodosio Imperatore* initium habuit, ut *Cyrillus* de Incarnatione Unigeniti, & in epist. ad successorem & *Theodoretus* lib. 4. & lib. 1. cap. ultimo de hæret. fabulis, & *Vincentius Lyrinensis* lib. contra hæreses cap. 16. & alii scribunt. Hic igitur *Nestorius* prius Antiochiæ in Monasterio, ubi religiosissimè vixerat, aliquamdiu versatus ut ovis, plenus hypocrisi obtinuit *sedem Episcopalem Constantinopolitanam* per Theodosium juniorem Imperatorem; ac in initio simulabat se impugnatorem Arianorum & omnium hæresûm, & sectatorem Concilii Nicæni, sed sede obtentâ, prout ait Vincentius, *ut uni hæresi suæ aditum patefaceret, cunctarum hæreseon blasphemias insectabatur*, &c. & cap. 17. *dum se duas in Christo substantias distinguere simulat, duas introducit repente personas, & inaudito scelere duos vult esse Filios Dei, duos Christos, unum Deum, alterum hominem, unum qui ex Patre, alterum qui sit generatus ex Matre*, &c. hæc Vincent. Itaque asserebat B. Virginem non genuisse Christum Deum & hominem, sed hominem tantùm, adeòque nullatenus esse dicendam *Deiparam*, &c. I.

Similiter de ipso scribit *Cyrillus* apud Baron. ad Annum 429. n. 33. in epist. ad Cælestinum Romanum Pontificem dicens: *Atqui quomodo non magis secum reputat, cùm omnes per terrarum orbem sparsi orthodoxi Episcopi & laici, Christum Deum, Virginem vero, quæ illum genuit, Deiparam esse confiteantur, se solùm, qui istud inficiatur errare? verùm fastu tumens, insidiisque & sedis potentiâ fretus, effecturum se arbitrabatur, ut nos ipsi & reliqui omnes sua sententia subscribamus*, &c. hæc Cyrillus.

Nestorius videns *Cyrillum Alexandrinum* Episcopum sibi prorsus obviare, scripsit ad *Cælestinum Romanum Pontificem*, prout Cyrillus testatur epist. 16. cui etiam Cyrillus scripsit inter alia sic II.

dicens:

Digitized by Google

dicens: de Nestorio, apud Baron. Anno 1630. n. 11. *At quamuis res ita se habeat, non prius tamen illius communionem confidenter deserere ausi sumus, quàm hac ipsa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde, quid hic sentias, declarare, quo liquido nobis constet, communicare ne nos cum illo oporteat*, &c. *Porrò tuæ integritatis mens, ac super hac re sententia, non modo piißimis Deoque deuotißimis Macedoniæ Episcopis, sed totius quoque orientis Antistitibus perspicuè per literas exponi debet*, &c. hæc Cyrillus. Ecce quantam Cyrillus in Pontifice Romano authoritatem agnoverit.

III. *Cælestinus Papa* literis & scriptis Nestorii, pro suo errore ad ipsum datis ponderatis graviter illi respondit, monens ut ab illa impietate recedat; inter alia sic scribens, apud Baron. suprà n. 18. *Itaque quamuis & jam frater Cyrillus secundis te epistolis suis asserat esse conuentum, intelligas volo post primam & secundam illius & hanc correctionem nostram, jam constet esse jam tertiam, ab uniuersitate collegii & conuentu Christianorum te prorsus esse sejunctam, nisi mox, quæ male lecta sunt, corrigantur, nisi in eam viam redeas, quam se Christus esse testatus est*, &c. hæc ibi.

Similiter Cælestinus epist. 3. Cyrillo scripsit his verbis: *Quamobrem nostræ sedis auctoritate ascita, nostraque vice & loco cum potestate usus, ejusmodi non absque exquisita seueritate sententiam exequeris: nempe, ut nisi decem dierum interuallo, ab hujus nostræ admonitionis die numerandorum, nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizet, eamque de Christi Dei nostri generatione fidem imposterum confessurum se spondeat, quam & Romana, & tuæ sanctitatis Ecclesia, & uniuersa denique Religio Christiana prædicat, ilico sanctitas tua illi Ecclesiæ prospiciat*, &c. hæc Cælestin. Unde patet, qualem orientales Episcopi auctoritatem in Romano Pontifice agnoverint, etiam in exauctorando Constantinopolitano Episcopo hoc Nestorio: Nec hæc solùm ex epist. Cælestini constant, sed *Theodoretus* apud Baron. refert, & *Nicephorus* lib. 14. cap. 34. testatur Cælestinum Papam Romanum Cyrillo suas vices & potestatem delegasse.

IV. Cæterùm Nestorio in sua pertinacia persistente *Imperator Theodosius* promovit, ut Concilium generale Ephesinum congregaretur, quatenus res examinaretur & decideretur: hinc *Cælestinus* habito Concilio & damnatâ Nestorii sententiâ (ut constat etiam ex literis Synodi Ephesinæ ad Imperatorem scriptis apud Baron. anno 431. n. 9. &c.) destinavit *Ephesum* tres legatos datis ad Patres congregatos literis Apostolicis, quarum initium: *Spiritûs Sancti testatur præsentiam congregatio sacerdotum*, &c. & infrà: *Agendum est igitur nunc labore communi ut credita & per Apostolicam successionem hucusque detenta seruemus*, &c. & infrà: *Doleat, imo lugeat hoc nobiscum omne commune collegium, quod vocatur in judicium* (*Christus*) *qui judicaturus est mundum*, &c. & in fine: *Direximus pro nostra sollicitudine sanctos fratres & consacerdotes nostros*, &c. *Arcadium & projectum Coepiscopos & Philippum presbyterum nostrum, qui his, quæ agentur, intersint: & quæ à nobis antea statuta sunt, exequentes*, &c. hæc Cælestinus Papa.

Et licèt ex *occidente* Episcopi etiam vocati essent, ob plures causas tamen comparere non potuerunt; ut patet ex literis *Capreoli Episcopi Carthaginensis* ad dictum Concilium, qui legatum illuc misit nomine suo, & aliorum Episcoporum Africæ Basilulam Diaconum; ubi tunc Wandali omnia vastabant; *Hipponam*, ubi *S. Augustinus* infirmus erat, oppugnabant. *In hac Synodo* anno 431. congregata, plus quàm ducenti Episcopi Catholici convenerunt, ut Baronius ex literis Synodi ad Imperatorem datis ostendit.

Verùm impius Nestorius ibidem comparens fretus favore Imperatoris (qui, antequam à Synodo plenè informatus esset Nestorio, patrocinabatur) & stipatus ejusdem milite pertinacissimè à Concilio citatus comparere nolens, congregatis aliquot suæ factionis Episcopis Ephesi, damnare ausus est *Cyrillum, & omnes Concilii Patres*; & postea Joannes Antiochenus Episcopus superveniens, eidem adhærens formarunt sententiam, in qua damnabant hæreseos Patres Concilii, & approbabant hæresin Pelagianorum, cujus sectæ aliquot Episcopos secum Constantinopoli adduxerant, ut testatur *Cassianus* in libris de Incarnat. verbi apud Baron. anno 430. n. 24. Nihilominus Patres Concilii constanter inhæserunt damnationi *Hæresis Nestorianæ & Pelagianæ*, ut patet ex literis ejusdem ad Cælestinum Papam, & ut referunt diversi; specialiter *Prosper* in chronico apud Baron. anno 431. n. 99. dicens: *Congregata apud Ephesum plus ducentorum Synodo sacerdotum Nestorius cum omni Hæresi nominis sui, & cum multis Pelagianis, qui cognatum sibi dogma juuabant, damnatur*, hæc ille. V.

In hac Synodo Philippus unus ex legatis Cælestini Papæ publicè legationem suam exponens dixit: *Gratias agimus sanctæ venerandæq; huic Synodo, quod literis Cælestini sanctißimi Beatißimique Papæ vobis recitatis, sanctæ Ecclesiæ membra sanctis vestris vocibus piisque præconiis, sancto vestro Capiti vos exhibueritis*, &c. & postea dixit: *Nulli dubium est, imo omni sæculo notum est, sanctum beatißimúmq; Petrum Apostolorum principem & caput, fideique columnam, Ecclesiæ Catholicæ fundamentum à Domino Iesu Christo*, &c. *regni cælestis claues accepisse, soluendique atq; ligandi potestate, quam acceperat usum esse, nec non per successores suos hucusque semper viuere, causasque decernere, semperq; victurum esse. Hujus itaq; ordinarius successor & Vicarius sanctus beatißimusq; Papa & Episcopus noster Cælestinus, nos suos pro se, quasi vicarios ad hanc Synodum misit*, &c. hæc ille: Quæ omnia habentur in actis Synodi Ephesinæ ut refert Baron. ad annum 431. n. 81. & seqq. ubi patet, quod tota Synodus hæc omnia tanquam legitima agnoverit, quæ ad modernorum Acatholicorum confusionem manifestam deserviunt.

VI. Demum post multas afflictiones, quas à Comitibus Nestorio faventibus, licèt ab Imperatore in protectionem Synodi missis PP. Concilii passi essent, & literæ Concilii sæpius impeditæ fuissent, tandem aliquæ ad manus Imperatoris venerunt, in quibus inter alia sic scribit: *Hæc itaque prius* (*vel primus*) *& magnæ Romæ Episcopus Cælestinus, antequam colligeretur sanctißima Synodus, per suas literas nuntiauit committens sanctißimo Episcopo Cyrillo Alexandrinæ magnæ ciuitatis suum obtinere locum*, &c. *& nunc rursus per alias literas, quas destinauit per sanctißimos Episcopos Arcadium & Projectum à Deo amantißimum presbyterum Philippum magnæ urbis complentem præsentiam sanctißimi Episcopi Cælestini*, &c. hæc Concilium significans Imperatori, quòd totus orbis ejusdem esset sententiæ contra Nestorium, *&c.*

Imperator bene informatus Nestorium in exili-

exilium ire jussit, & decretum Concilii amplexus quosdam Episcopos Nestorio faventes ad concordiam Ecclesiæ per literas revocare conatus est: inter quos erat Acacius Episcopus Beroeensis, in quibus Imperator sic ait: *Decet proinde vestram sanctitatem, omni diligentiâ, studio ac contentione hac à Deo deposcere, vosque probatos Romanæ Religionis sacerdotes esse manifesto argumento declarare*, &c.

Hæc Theodosius ubi *Religionem Catholicam dicit Romanam*, &c. Sic itaque per Dei gratiam veritas Ecclesiæ Catholicæ prævaluit, pro qua Cælestinus Papa non tantùm cum aliis laboravit, sed primariò omnia duxit, ut testatur *Prosper* Episcopus, qui inter alios Concilio interfuit sic scribens: *Per hunc virum* (Cælestinum) *omnes Orientales Ecclesiæ geminâ peste purgatæ sunt, quando Cyrillo Alexandrinæ urbis Antistiti, gloriosissimo fidei Catholicæ defensori ad execrandam Nestorianam impietatem, Apostolico auxiliatus est gladio, quo etiam Pelagiani dum cognatis confœderarentur erroribus, iterum prosternerentur*, &c. hæc Prosper apud Baron. suprà n. 178.

VII. *Nestorius* autem multis modis per diversos Episcopos, ut resipisceret frustra monitus, pertinax manens ab Imperatore in exilium missus, tandem linguâ ejus vermibus exesâ, imò toto corpore penè putrefacto, tetram exhalavit animam: ut referunt *Euagrius, Theodoretus, Cedrenus* apud Baron. anno 436. n. 9. & ipse *Theodoretus* in Concilio Ephesino Nestorio adhærens postea conversus lib. 4. fabul. hæret. de Nestorio sic scribit: *Pontificatu per Sanctos, qui Ephesi congregati fuerant, divino suffragio ejectus est, & jussu Imperatoris Oasini habitare damnatus, futuri impiorum supplicii, illinc cœpit exordium*, &c. hæc ille.

CONCLVSIO.

VIII. EX his patet, quòd Nestorianorum sectæ nullatenus veræ Christi Ecclesiæ Notæ competant: utpote quæ à tempore Apostolorum non extitit, & veræ ac sanæ fidei contraria & impia docet, à SS. Patribus rejecta, & in tam solemni Concilio damnata est, & à tam impio Nestorio inventa fuit.

Quamvis autem hæc hæresis tam authenticè in Ephesino & variis aliis Conciliis per totum Christianum orbem damnata esset, & ejusdem Author tam horrendâ morte interiisset; nihilominus diabolo instigante, Deo permittente, & hominum malitiâ promerente, ac Pastoribus pluribus dormientibus, aliis etiam deficientibus in oriente germinare non cessavit, ut zizania solet, & tandem Græcis à communione & Capite Ecclesiæ, quod Patres eorum semper agnoverunt, & à Romani Pontificis obedientia declinantibus in partibus orientalibus, tanta sumpsit incrementa; ut in plerisque orientis Regionibus plurimi hâc peste infecti usque in præsentem diem perseverent; partim Saracenis permixti, & eorum jugo subjecti, partim proprias Regiones obtinentes, ut notat *Iacobus de Vitriaco* lib. 1. histor. Orient. à cap. 77. qui etiam refert, quòd Christiani sub potentissimo Principe, quem vulgò presbyterum Joannem vocant, morantes hoc veneno laborent, de quibus infrà.

Nestoriani Missæ officium in pane fermentato, & alia divina idiomate Chaldaico celebrant, licèt aliis diversis vulgaribus linguis loquantur, quod aliàs contra Acatholicos notandum est.

ARTICVLVS III.

Ostenditur perversitas hæresis pseudo Synodi secundæ Ephesinæ Eutychianorum & malitia.

VIx in effectum deducta erant, quæ in Concilio Ephesino sanctissimè contra *Nestorium* decreta fuerant, diabolus novum hominibus venenum per impium *Eutychetem* propinare incipit. Is existens Constantinopoli Monasterii Archimandrita seu Abbas, dum contra Nestorium fervidè defendisset unicam tantum in Christo esse personam, in oppositum sese præcipitavit, docens non tantùm unam in Christo esse personam, sed etiam post incarnationem verbi unicam in Christo esse naturam; ita ut natura humana eadem prorsus cum divina natura coadunata fuerit; de quo scribit Liberatus Diaconus apud Baron. anno 448. n. 23. sic dicens: *Eutyches*, &c. *urgente Satanâ prædicabat Dominum nostrum Iesum Christum consubstantialem nobis non esse secundùm carnem, sed de cælo Corpus habuisse. Rursum varians dicebat, ante adunationem duas in Christo fuisse naturas, post adunationem esse unam factam*, &c. ubi patet duplex sententia, & quidem juxta priorem *Theodoretus* lib. 4. hæret. fabularum, de Eutychete sic scribit: *Quæ jam exaruerat, Valentini Hæresim rursum fecit pullulare. Arius solùm animam, Apollinaris solùm corpus assumptum confitebatur, hic autem corpus assumptum esse negabat, dicebat enim, Deum verbum nihil humanum ex Virgine sumpsisse, sed ipsum immutabiliter conversum & carnem factum (ridiculis enim ejus utor verbis) solùm per Virginem trajecisse*, &c. hæc Theodoretus. I.

II. Hanc novâ peste intelligens *Eusebius* Episcop. Dorilæi cùm aliquoties *Eutychetem* frustra dehortatus esset, detulit ad *Concilium nationale* tunc sub *S. Flaviano Episcopo* congregatum. Patres his auditis Eutychetem ad Concilium legitimè citarunt audiendum per Notarios; quibus respondit, *paratum se esse expositioni SS. Patrum qui in Nicæa & in Epheso congregati fuerunt consentire & subscribere interpretationibus eorum: Si vero aliquid contigit, eos in aliquibus dictis aut falli aut errasse, hoc neque reprehendere neq; subscribere* (NB. morem hæreticorum quoad evadendam authoritatem sanctorum Patrum) *solas enim scripturas scrutari tanquam firmiores sanctorum Patrum expositionibus*, &c. Ita refertur in Actis *Concilii Chalced.* ut notat Baronius ad annum 448. n. 30. & ibidem n. 41. cùm iterum citaretur, quærebat ex Patribus ad eum missis disputando dicens: *In qua scriptura jacent duæ naturæ?* deinde: *Quis sanctorum Patrum exposuit Deum verbum duas habere naturas?* Illis respondentibus: *Et tu ostende nobis, ubi continetur Homousion? aut quæ scriptura hoc dicit?* respondit Eutyches: *Non continetur in scriptura, in expositionibus vero Patrum jacet.* Dixit Mamas presbyter: *Eo modo, quo de Homousion dicis; ita & de duabus naturis sancti Patres exposuerunt*, &c. Quis non videt hîc eodem, quo Eutyches, *Calvinum & Lutherum* spiritu ectos esse?

Euty-

Digitized by Google

III. *Eutyches* autem sub patrocinio Imperatoris & Eunuchorum pertinaciter coram Concilio dixit: *Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem, post vero adunationem unam naturam confiteor*, &c. his auditis, & ponderatis, & examinatis pluribus testibus S. Flavianus in Concilio eundem damnavit; cui subscripserunt Episcopi triginta duo & Archimanditæ viginti tres.

Verùm Imperator favens Eutycheti ussit, ut *Concilium generale Ephesinum secundum* congregaretur, & in hunc finem scripsit Anno 449. sancto Leoni Romano Pontifici, ut Concilium cogeret, & ipsemet personaliter interesse vellet; cui sanctus Leo respondit, se quidem juxta morem Pontificum Romanorum personaliter comparere non posse, missurum tamen idoneos, qui vices ejus implerent epist. 17. quam vide apud Baron. n. 35. delegavit autem S. Leo tres, *Iulianum Episcopum Puteolanum, Renatum presbyterum, & Hilarium S. Romanæ Ecclesiæ Diaconum, Cardinales*: quibus dedit literas ad S. Flavianum, quæ in Concilio publicè legerentur; in quibus fit judicium de iis, quæ in Concilio Constantinopoli in causa Eutychetis erant judicata, & probat, ac fidelissimè in Christo unam personam, & duas esse naturas divinam & humanam in una persona subsistentes demonstrat: solùm hortatur in fine, ut, si Eutyches illa nefanda revocarit, & damnarit, misericordiam consequatur, &c.

Exemplaria harum literarum S. Leo etiam misit ad Episcopos occidentis in Gallia, qui illas mirificè commendarunt.

IV. Aliam epistolam dedit S. Leo ad ipsum Concilium sic scribens: *Religiosa clementissimi Principis* (Theodosii) *fides, sciens ad suam gloriam maximè pertinere, si intra Catholicam Ecclesiam nullius erroris germen exurgeret, hanc reverentiam divinis detulit institutis, ut ad sancta dispositionis effectum auctoritatem Apostolicæ Sedis adhiberet, tanquam ab ipso Petro cuperet declarari, quod in ejus confessione laudatum sit*, &c. ubi etiam præscribit, qualiter Concilium processurum sit: ex quibus patet, qualis tunc Sedis Romanæ authoritas fuerit apud Imperatorem & Concilium.

Itaque in Concilio comparuerunt tres sedis Apostolicæ Legati cum 132. Episcopis, & quorundam vicariis. Verùm *Dioscorus Alexandrinus* Episcopus impius piissimi Cyrilli successor, authoritate Imperatoris violenter præsidentiam usurpavit, qui literas Leonis Papæ Legatis legendas præsentantibus, prout juramento promiserat, legi non permisit, de quo postea in *Concilio Chalcedonensi* præter alia perjurii damnatus est; sed statim *Eutychetem* in Concilium intrare pro sua defensione jussit: ille omisso suo errore prælegit aliquam confessionem fidei, & se injustè damnatum protestatus est.

V. Unde *Dioscorus* non obstante Legatorum Papæ & aliorum Episcoporum contradictione sententiam contra *S. Flavianum & Eusebium* pronuntiavit: sed Flavianus se inauditum damnari protestatus, ut Episcopi in Concilio Chalcedonensi testati sunt, Dioscoro dixit: *Appello à te*. Et Hilarius S. Romanæ Ecclesiæ Legatus dixit: *Contradicitur*. Et plures Episcopi ad pedes Dioscori provoluti, ne sic ageret, rogabant; sed ille introducto copioso milite cum catenis, coegit Episcopos subscribere: prout postea in Chalcedonensi Concilio, ipsi Dioscoro in faciem objecerunt.

Verùm Legati Apostolici Dioscori constitutiones contestati sunt nullius esse roboris, quæ per vim extorquerentur; & unus ipsorum Hilarius fugâ elapsus, à Dioscoro quæri jussus, per invia loca Romam perveniens omnia S. Leoni exposuit, de quo *S. Leo* postea ad Imperatorem, & *Augustam Pulcheriam* epistolam scripsit, quæ est 26.

B. Flavianus sic injustè condemnatus libello ad Sedem Apostolicam exhibito per ejusdem Legatos appellans, cæsus est, & dolore plagarum obiit. Ex tunc plures alii Episcopi à Dioscoro exauthorati sunt, inter quos *Theodoretus* clarissimus Cyri Episcopus, & ab Imperatore exulari jussus est; qui etiam ad S. Leonem Papam appellavit, sic illi scribens per Legatos, epist. 113. *Si Paulus præco veritatis ad magnum Petrum cucurrit, ut iis qui Antiochiæ contendebant, ab ipso afferret solutionem, multo magis nos, qui abjecti sumus, & pusilli ad Apostolicam vestram Sedem currimus*, &c. Et infra: *Ego autem Apostolicæ vestræ Sedis expecto sententiam, & supplico, & obsecro vestram Sanctitatem, ut mihi appellanti justum vestrum & rectum judicium opem ferat*, &c.

S. Leo Papa per Hilarium Diaconum de gestis in illa crudeli Synodo informatus, *Romæ occidentalium Episcoporum Concilium coëgit* in quo omnia, quæ more prædonum *Ephesi* acta erant, rescissa sunt & damnata. *Dioscorus* autem impius, Imperatoris potentiâ firmatus, plures post se traxit Episcopos, ut scribit *Liberatus* his verbis: *Ægyptii Thraces, & Palæstini Episcopi Dioscorum sequebantur, Orientales Pontici & Asiani partes sanctæ mem. Flaviani*, &c. Imò Dioscorus eò audaciæ processit, ut S. Leonem excommunicarit, in quo tamen nulli præter decem Episcopos, subscripserunt: quod Schisma usque ad obitum *Theodosii* permansit. VI.

Marcianus Anno 451. Theodosio succedens *Orthodoxus* scripsit S. Leoni inter alia dicens: *Propriis literis tua sanctitas manifestet, quatenus & in omnem Orientem & in ipsam Thraciam & Illyricum nostræ literæ dirigentur; ut ad quendam destinatum locum, ubi vobis placuerit, omnes sanctissimi Episcopi debeant convenire, & quæ Christianæ Religionis & Catholicæ fidei prosint, sicut sanctitas tua secundùm Ecclesiasticas regulas definierit, tuâ dispositione declarandas*, &c. hæc Marcianus. Et quid ad hoc Acatholici? qui nullam in primitiva Ecclesia Pontificis Romani authoritatem fuisse, affirmare audent.

ARTICULUS IV.

De Concilio Chalcedonensi in quo Eutyches & Dioscorus damnati fuerunt.

I. Concilium quartum *œcumenicum* prius Nicææ indictum, postea ob causas Chalcedone est celebratum Anno 451. *præsidentibus Legatis Leonis Papæ* & præsentibus sexcentis & ultrà Episcopis, ac ipso Imperatore Marciano, inter quos etiam sedit Dioscorus impius. Sed omnibus considentibus *Paschasius* Apostolicæ sedis Legatus hæc ad Synodum dixit: *Beatissimi atque Apostolici Papæ urbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum*

Ecclesiarum præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus est ejus Apostolatus, ut Dioscorus Alexandrinus Archiepiscopus non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur, &c. Deinde Episcopi, qui Ephesi fuerant, contra Dioscorum clamarunt, se vi coactos subscripsisse.

Postea lecta est Epistola sancti Leonis & Cyrilli olim scripta de fide, ubi omnes acclamarunt: *Hæc Patrum Fides, Hæc Apostolorum Fides, omnes ita credimus, Anathema, qui non ita credit! Petrus per Leonem ita locutus est. Cyrillus ita docuit; Leo & Cyrillus similiter docuerunt. Hæc in Epheso lecta non sunt: Hæc Dioscorus occultavit*, &c. Sequenti sessione oblati sunt Concilio diversi à diversis libelli contra Dioscorum omnes cum hac inscriptione: *Sanctissimo & beatissimo universali Patriarchæ magnæ Romæ Leoni, & sanctæ, & universali Synodo Chalcedonensi*, &c. His coram Concilio lectis, tertiò citatus *Dioscorus* pertinaciter comparere noluit; unde Legati Apostolici contra ipsum tulerunt sententiam, in qua delictis ejus recensitis & pertinaciâ sic concluserunt: *Unde sanctissimus & beatissimus Archiepiscopus magnæ & senioris Romæ Leo per nos & per præsentem hanc Synodum cum ter beatissimo & omni laude digno beato Petro Apostolo, qui est petra & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & ille qui est rectæ fidei fundamentum, nudavit eum, tam Episcopatûs dignitate*, &c. *Igitur sancta hæc & magna Synodus, quæ placent regulis decernat*, &c. Hæc in sententia Legatorum, cui omnes Episcopi subscripserunt.

Examinatis postea diversorum Episcoporum actis, tandem sextâ sessione Fidei definitio conscripta, & Actis inserta est, quâ lectâ, & ab omnibus subscriptâ, dictum est *anathema Nestorio, Eutycheti & Dioscoro*, &c.

II. Demum *S. Synodus* epistolam synodalem ad sanctum Leonem Romanum Pontificem scripsit, in qua omnia acta & definita retulit, petens ab eo cuncta rata haberi & confirmari, in qua postea adjecit, quod ordinavit, ut juxta Concilii Constantinopolitani decretum Episcopus Constantinopolitanus post Romanam & Apostolicam sedem honorem habeat, his additis: *Confidentes, quia lucente apud vos Apostolico radio & usque ad Constantinopolitanorum Ecclesiam consuete gubernando illum spargentes, hunc sæpius expanditis*, &c. *Hæc sicut propria & amica*, &c. *Dignare complecti sanctissime Pater*, &c. ubi indicant quòd Legati Apostolici in hoc contradixerint, ab ipso autem sperent confirmationem dicentes: *Ut sicut Fidei, sic bonæ ordinationis vobis deputetur affectus*. Pro qua allegant desiderium Imperatoris & Senatûs, &c. & tandem concludunt his verbis: *Rogamus igitur, & tuis decretis nostrum honora Judicium, & sicut nos cupidi in bonis adjecimus consonantiam, sic & summitas (NB) tua filiis (quod decet) adimpleat*. Hæc Patres Concilii; ubi patet, quòd etiam omnes legitimè congregati se filios & S. Leonem Romanum Pontificem, ut Patrem, & summum agnoscant.

III. *S. Leo* autem definitionem fidei & alia Concilii acta confirmavit, ordinationem tamen quoad præcedentiam Constantinopolitanam, tanquam Nicæni Concilii canonibus contrariam, reprobavit: ut patet ex epistola ejus 53. ad Marcianum Imperatorem.

Et licèt hæc tam œcumenica Synodus Sedi Apostolicæ titulum *universalis Episcopi* dederit, ut testatur sanctus Gregorius lib. 7. epist. 30. attamen Romani Pontifices illum non usurparunt: ut idem sanctus Gregorius lib. 4. epist. 38. profitetur dicens: *Nullus unquam decessorum tamen hoc tam profano vocabulo uti consensit*, &c. non quidem quasi non debeatur, sed præ humilitate uti noluerunt, ut notat Baronius; cùm ipse sanctus Leo in epist. ad Marcianum Imperatorem adversus Anatolium Constantinopolitanum Episcopum quærentem se præferri Alexandrino & Antiocheno usus sit titulo universalis, &c. *Quæ omnia ad confundendos modernos Acatholicos notanda sunt.*

Demum notandum, quòd *Eutychetis & Dioscori sectatores* in invidiam S. Synodi per omnia Ægypti & Palæstinæ loca apud Monachos sparserint, Nestorianam hæresin ibi contra Nicænam fidem esse confirmatam; unde plurimi in pertinaciam perducti sunt; ita ut Alexandrini plerique imò omnes ferè per totum Ægyptum non obstante tam œcumenici Concilii definitione Dioscoro adhæserint, & in illa pertinacia, ut notat Baronius Anno 452. n. 22. & seqq. usque ad Annum 1590. perseveratint, & ex illo tempore tam Eutychetis quàm Nestorii hæresis per Orientem incrementa sumpsit; & ut hæresibus proprium est, in plurimas sectas divisi sunt: & quidem *Eutychiani* aliqui à quodam *Theodosio Alexandrino* Episcopo, *Theodosiani*; alii à Gajano *Gajanitæ*; alii dicti *Agnoitæ*, qui eadem cum Eutychianis docebant sed addebant, quòd Christus ignoraret diem Judicii, & omnia quæ nos ignoramus, &c.

Deinde quidam *Iacobus Alexandrinus* Theodosii errorem propagavit, à quo dicti sunt *Iacobitæ*. Ita *Damascenus* lib. de hæresibus loquens de Ægyptiis, qui Dioscori partibus inhæserunt, quæ Baron. ad Ann. 452. n. 22. & seqq. & ann. 535. prolixè refert. IV.

Sciendum verò, quòd post *Concilium Chalcedonense* plures Episcopi obstinati manebant nolentes consentire huic Concilio de duabus naturis in una Christi persona; & quidem post plures annos *Severus* Antiochiæ & *Theodosius* Alexandriæ *in sedes* intrusi, tales erant, ut notat Baron. ad Annum 518 n. 7. & ann. 535. n. 71. ita tamen, ut populus præsertim *Constantinopolitanus* constans in fide orthodoxa, Severum cum omnibus Nestorianis & Eutychianis excommunicandum, & eorum ossa exhumanda usserit, quod & factum est.

Postea Anno 536. *Anthimus* Episcopus Trapezuntinus Eutychianus favore Imperatoris in Constantinopolitanam sedem intrusus ab *Agapito Papa Romano* Constantinopolim veniente, dum fidem de duabus naturis in una Christi persona confiteri nollet, exauthoratus est; licèt *Imperator Iustinianus* primitus Agapito exilium minaretur; postea tamen Imperator informatus, & Catholicam fidem professus consensit, & se sedi Apostolicæ humiliavit, ac *beatissimum Agapitum honoravit*; ac Anthimo in exilium ejecto *Agapitus Mennam orthodoxum in Constantinopolitanam sedem constituit* invitâ impiâ Theodorâ Augustâ: licèt Anthimus plurimorum Episcoporum consensu sedem ab Imperatore & Augu- V.

Digitized by Google

Augusta obtinuisset; tamen solus Agapitus veritatem constanter prædicans authoritate Apostolicâ prævaluit, & non solùm *Anthimum*, sed & *Severum*, & *Petrum*, & *Zoaram presbyteros Eutychianos* ibi præsentes excommunicavit, ut Baronius ex Græcis Historicis prolixè refert ad annum 536. n. 19. 20. & seqq. ubi patet, quantæ authoritatis tunc fuerit *Pontifex Romanus in Oriente*, contrariante ipsi prius Imperatore, & postea Augustâ pertinace manente: cùm tamen tunc temporis Romana sedes à Gothis miserè oppressa esset; adeóque Pontifex non vi armorum vel impiâ tyrannide, ut Acatholici impiè mentiuntur, sed ob authoritatem Romani Pontificis in Petro à Christo datam sic egerunt.

ARTICVLVS V.

De hæresi Monothelitarum in sexta Synodo damnata.

I. Venenum Hæresûm tanta sumpsit incrementa, ut, sicut Baronius ad annum 628. n. 6. notat, totus ferè Oriens diversis scateret hæreticis, potissimùm verò *Eutychianis* sub diversis nominibus, & *Nestorianis*, & *Appollinaristis*; unde diabolicum fuit Eutychianorum quorundam commentum, ut sub alio nomine omnes illas hæreses in unum conflarent! ad quod obtinendum asseruerunt, quòd in Christo unica esset voluntas, ex quo tale dogma asserentes dicti sunt *Monothelitæ*. Hoc modo inescatus à Sergio *Heraclius Imperator* sub specie formandæ in Ecclesia pacis, à fide Catholica defecit, & sic Monothelitæ Nestorianos, Eutychianos, & Appollinaristas ad se traxerunt.

Contra hanc venenosam hæresin congregata est *Synodus generalis sexta Constantinopoli* in loco Trullo dicto, instante *Agathone Papâ*, ubi Apostolicæ sedis Legati cum ducentis Episcopis convenerunt præsente *Imperatore Constantino* anno 680. in Novembri, & continuata Anno 681. ubi adfuerunt *Patriarcha Constantinopolitanus*, *Georgius*, & *Macarius Archiepiscopus Antiochenus* cum pluribus Episcopis Monothelitæ hæresis: Sed cùm ad Legatorum sedis Apostolicæ instantiam literæ Papæ Agathonis de Fide lectæ essent, & cum exemplaribus Græcis collatæ, professi sunt, quòd concordarent, ac proinde *Georgius Constantinopolitanus* cum suis professus est fidem orthodoxam de duabus Christi naturis, & voluntatibus, ac operationibus in una persona. At verò *Macarius Archiepiscopus* Antiochenus, licèt ore proprio convictus, quod falsificasset loca Concilii primi & sanctorum Patrum, cùm Synodus illi diceret: *Non congruit orthodoxis ita circumtruncatas SS. Patrum voces deflorare* (NB) *Hæreticorum potiùs hoc proprium est. Macarius dixit: Etiam dixi, quia quærens stabilire intentionem meam, hoc modo defloravi.* Et licèt ab Imperatore rogatus esset, pertinax tamen cùm permaneret, à Concilio condemnatus est his verbis: *Hæreticum se ipsum manifestè demonstravit, novo Dioscoro anathema. Hujusmodi deponatur, novum Dioscorum foras mitte; Novo Appollinario malos annos, meritò Episcopatu alienetur, &c.* ita Actione octavâ apud Baronium ad annum 681. n. 7. sancti Patres omnes orthodoxi Catholicam fidem juxta literas Papæ Agathonis professi subscripserunt, inter quos Domitius Episcopus Prusiados sic dixit; n. 4. *Directas suggestiones à Patre nostro Agathone sanctissimo Archiepiscopo Apostolicæ & principalis sedis antiquæ Romæ, &c. tanquam à Spiritu Sancto dictatas per os sancti & beatissimi Principis Apostolorum Petri, & digito ter Beatissimi Papæ Agathonis scriptas, suscipio, & amplector, & ita credo, &c.*

Tandem Actione 13. Synodus sententiam tulit, contra omnes Episcopos, qui antehac Monothelitæ fuerunt dicens: *Quorum autem impia execramur dogmata, hominis & nomina à sancta Dei Ecclesia projici judicavimus, id est, Sergii quondam præsulis hujus Regiæ urbis* (scilicet Constantinopolitanæ) *qui aggressus est de hujusmodi impio dogmate conscribere, Cyri Alexandriæ; Pyrrhi, Petri & Pauli, & qui ipsi præsulatu functi sunt in sede hujus à Deo conservandæ civitatis* (Constantinopolitanæ) *& similia eis senserunt: Ad hæc & Theodori quondam Episcopi Pharan, quarum omnium personarum mentionem fecit Agatho sanctissimus, &c. eosque abjicit, utpote contraria rectæ fidei sentientes, quos anathemati submitti definivimus, &c.*

Hæc Concilium; ubi postea etiam adjicitur condemnatio Honorii Romani Pontificis, quam Baronius falsò suppositam esse efficacissimè probat ibid. n. 16. & seqq. II.

Cæterùm Act. 15. mirabile spectaculum refertur. Contigit enim, ut *pseudo-Monachus quidam Monothelita* Polychronius ad Concilium admitti instans, fidem perversam in charta scriptam assereret à Deo mandatam, ut pro certitudine suæ fidei super cadaver defuncti coram populo poneret, & illicò homo defunctus resuscitandus esset. Omnibus consideratis Concilium permisit omnia fieri in foro coram toto Concilio & populo, sed cùm blasphemus & seductor schedulam cadaveri imposuisset aliquot horas, quotquot volebat, in defuncti aures insusurrare permittitur, sed cadaver remansit inanime, & ipse fassus est se non posse excitare mortuum, *&c.* unde cum aliis ut blasphemus, seductor, & hæreticus condemnatus est, ut refert Baron. suprà n. 36. & seqq. III.

Demum *Synodus* dedit literas ad *Papam Agathonem* in quibus inter alia sic scribunt: *Itaque Tibi ut primæ sedis Antistiti universalis Ecclesiæ, quid gerendum sit permittimus stanti supra firmam Fidei petram, acquiescentes verò confessionis literis à vestra paterna Beatitudine ad piissimum Imperatorem missis, quas ut à summo Apostolorum vertice divinitùs scriptas agnoscimus, &c.* hæc Synodus apud Baronium n. 49. unde iterum patet qualem in Romano Pontifice authoritatem agnoverit Concilium.

***

ARTICULUS VI.

De Conciliabulo Trullano.

I. VErùm post hanc *S. Synodum* fœliciter expeditam diabolus corda superborum quorundam dirigens promovit, ut post annos decem scilicet anno 692. Conciliabulum Constantinopoli congregaretur; in quo centum & tres Canones conditi fuerunt, sub nomine sextæ Synodi: quasi Patres S. Synodi iterum congregati supplêssent ea, quæ in Synodo omisissent, idque absentibus Legatis Apostolicis. In his canonibus plurima contra antiquæ Ecclesiæ mores & canones constituerunt, utpote, *quod Episcopi possent uxoribus uti, quas ante in matrimonium duxerunt*, & plurima alia, de quibus aliqua dicemus agentes de Sacramento Matrimonii, *&c.* à quo tempore orientalis Ecclesia magis deficere cœpit, & hæresibus involvi, Episcopis in deteriora labentibus.

II. Constat enim, quòd Anno 712. dum *Philippus pessimus Monothelita* occiso Justiniano imperium invasisset, pseudo-Synodum indixerit; postquam dejecto Cyro Constantinopol. Episcopo Joannem Monothelitam subrogasset, & in variis sedibus vacantibus Episcopos Monothelitas instituisset: in quo Conciliabulo damnata est Synodus sexta & stabilita hæresis de una in Christo voluntate; ita per minas agente impio Imperatore: ubi non legitur, quòd ullus Episcopus sese viriliter opposuerit, verùm hoc impio Philippico occiso *Anastasius Orthodoxus* Anno 713. succedens fidem Catholicam professus, ad Romanum Pontificem Constantinum literas misit, qui remisit Constantinopolim Michaëlem presbyterum Cardinalem Apocrisarium, qui in illo conciliabulo lapsos Episcopos Ecclesiæ Catholicæ reconciliavit; ut Baronius ex diversis ostendit ad Annum 712. & 713. Anno verò 714. jubente Anastasio Imperatore Joannes intrusus in sedem Constantinopolitanam Monothelita deponitur, & in ejus locum *S. Germanus* constituitur præsente Michaële Apocrisario Romanæ sedis, ut refert Theophanes.

CONCLUSIO.

III. EX præmissis patet, quòd sectæ Eutychianorum & monothelitarum veræ Ecclesiæ Notæ non conveniant; utpote quorum doctrina ab impiis Eutychete, Sergio, Dioscoro, aliisque post tot centenos annos inventa sacræ Scripturæ & sanctis Patribus contraria, & in tam solemnibus Conciliis condemnata est.

ARTICULUS VII.

De Iconoclastarum hæresi.

I. HUjus hæresis initium fecit *Leo Isauricus Imperator*, qui in initio imperii literas ad Romanum Pontificem dedit, quibus profitebatur se Catholicum, & se sanctorum Patrum doctrinam servaturum promittebat; ut omnes Historici testantur, præsertim id patet ex literis Gregorii I. ad Leonem scriptis, quas ad literam Græcè & Latinè refert Baron. ad annum 726. n. 28. verumtamen quidam Historicus Græcus Manasses scribit apud Baron. ibid. n. 2. quòd Leo Judæis, qui ipsi de Imperio prædixerant, promisisset, simul ac Imperator esset, imagines Sanctorum tolleret sic ajens: *Rebus humanis ad sceleratissimum Leonem delatis gravis tempestas Ecclesiam excepit magnis cum hominum cædibus conjuncta, &c. Hebræi enim Leonis renunciatione cognitâ mox ad Imperatorem advolant, & ut promisso satisfaciat, orant, non aurum petebant, &c. sed sanctarum imaginum pictarum, statuarum, veneratione dignarum abolitionem, &c.* (*proh quanta sunt Dei judicia*) &c. hæc ille.

Sed *Leo* cautè dissimulavit usque in annum decimum, sic enim *sanctus Ioannes Damascenus* in Actis Martyrum Stephani & aliorum ait: *Cùm autem ad decimum jam Imperii annum Leo Isauricus Imperator pervenisset, nec jam eam hæresim diutius animo premere, ac continere posset, sceleratum fœtum edidit, &c. absurdum illud & impium evomuit: Imaginum picturas formam quandam Idolorum retinere inquiens: neque iis cultum adhibendum esse, ne alioquin Dei loco imprudentes Idola veneremur, &c.* hæc ibi. En quem moderni Acatholici patronum, imò primum parentem habent. II.

Quo audito populus Constantinopoli turbatus est, & sanctus Germanus in faciem Leoni contradixit, allegans sanctos Patres Sanctorum imagines venerandas semper tradidisse, & usurpasse cum detestatione Idololatriæ, &c. & per literas declaravit, *dicent Christiani solum Deum cultu latriæ adorant, imagines vero Christi ob memoriam ipsius humanitatis susceptæ Honore, quo decet, dignamur. Similiter sanctorum Apostolorum & Martyrum imagines & memoriam, quod pro Christi amore contra Idola occisi sint, veneramur*, hæc Germanus in literis apud Baronium ad Annum 727. n. 10. & seqq. Leo verò Imperator obstinatus sanctum Germanum è sede ejecit, & Doctores qui *celeberrimæ Bibliothecæ* præerant, in qua regius librorum thesaurus erat, quorum numerus tricena & tria millia complectebatur, dum illi assentire nollent unà cum Bibliothecis comburi curavit; & mulieres & populum, qui SS. Martyrum è templis amotioni resistebant, occidi jussit, quorum memoria in Græcorum Menologio his verbis habetur: *Natalis beatorum decem Martyrum, qui propter sanctam imaginem Salvatoris nostri Iesu Christi in area porta constitutam martyrium subierunt.*

Gregorius Romanus Episcopus his auditis Concilium Romæ congregavit, in quo Leonis impietas damnata est, & Gregorius Imperatorem dehortatus est per literas, & ostendit qualiter imagines Sanctorum in Ecclesia semper usurpatæ & honoratæ fuerint: ille exacerbatus misso exercitu Romam necari jussit Pontificem, sed frustra. Contra Leonem tunc etiam constanter scripsit *beatus Ioannes Damascenus*; cujus scriptis Leo concitatus est; cùm autem B. Joannes Damasci sub Saracenorum Principe ageret, per fraudem accepit literas propriâ beati Joannis manu scriptas, quarum characte- III.

Digitized by Google

characteres à peritis curat imitari; & literas finxit, quasi à Joanne ad Imperatorem scriptæ essent, quibus Leonem rogabat, ut Damascum obsideret, se opem laturum, &c. quas Leo ad Principem misit, quasi pacis studiosus. Princeps vero B. Joanni manum dexteram amputari jussit, quam postea B. Joannes coram imagine B. Virginis orans & obdormiens illæsam corpori restitutam recepit. Vnde & princeps cognovit injuriam illi factam fuisse, &c. Hæc prolixè Baronius ad annum 728. n. 3. ex scriptis Joannis Patriarchæ Jerosolymitani.

IV. Leo Imperator impius plures Episcopos ei contradicentes in exilium egit, inter alios *Theophilactum* Nicomediæ Episcopum, cujus natalis in Menologio Græcorum habetur 7. Martii. Item de Niceta Episcopo Apolloniadis, sic ibidem habetur: *Hic pro defensione sanctarum Imaginum persecutionem passus*, &c. *in exilium missus. & variis afflictionibus tentatus, beatam præstans confessionem, sanctam Deo tradidit animam.* Plures alii Episcopi & Martyres, qui pro cultu SS. Imaginum passi sunt in Menologio illo per annum recensentur.

Anno 741. huic impio Leoni mortuo successit hæres, & filius Constantinus Copronimus, de quo sic scribit Theophanes: *Hic perniciosissimus & ferus*, &c. *primo quidem à Deo & intemerata Matre ipsius, & ab omnibus Sanctis abscedit, magicis maleficiis & luxuriis cruentisq́ sacrificiis, & caballinis stercoribus, atq́ lotio delectatus, mollitiebus & Dæmonum invocationibus gaudens, &c.* hæc ille, qui statim edictum contra SS. Imagines promulgavit, sed intestino bello & peste grassante ad aliquot annos detentus est.

Anno vero 754. pace potitus, ut scribit Theophanes contra sanctas Imagines concilium 318. Episcoporum suæ factionis congregavit Constantinopoli; *qui apud se, quæ visa fuerunt, dogmatizarunt, nullo præsente ex catholicis sedibus, Romana scilicet vel Antiochena, Alexandrina aut Hierosolymitana*, &c.

V. Constantinus Imperator exauthorato S Germano in eius locum suâ authoritate instituit Constantinum Monachum, qui fuit Sylæi Episcopus dicens: *Constantino universali Patriarchæ multos annos*, &c. Ipse autem pseudo-Episcopos in Templo Deiparæ congregari voluit, in quo prius ex parietibus omnes sacras picturas abradi & earum loco arborum & avium formas supplendas curavit.

Ista pseudo-synodus decrevit inter alia, *nec Apostolos, nec Martyres, nec Confessores ullos, nec virgines & sanctos nominandos esse.* Pro titulo posuerunt: *Definitio sanctæ magnæ & universalis synodi*, &c. *seq́. Iudices sex œcumenicorum præcedentium conciliorum professi sunt, & hanc septimam synodum vocari jusserunt.* Sed falsò, vera septima etenim postea Nicææ servata est, & *Orientales Episcopi* postea professi sunt, hanc impiam ex hæresi congregatam fuisse, &c. ut patet ex Actione 3ª. concilii Niceni 2i. his præmissis Copronymus passim Catholicos persecutus est, ut ait *S. Damascenus* lib. de hæresibus in fine de his hæreticis dicens: *Iconoclastæ ideo sunt dicti, quia sanctas & veneratione dignas Imagines cum ignominia tractarunt, tum in minutissimas partes comminuerunt, tum conjecerunt in ignem, eodemq́, eas, quæ in parietibus erant depictæ, partim aquâ calidâ, partim calce vel atramento obliterarunt*, &c. hæc Damasc.

Copronymus tandem Anno 775. lethali morbo tactus moritur clamans & dicens: *Viuens adhuc igni sum inextinguibili traditus, propter Mariam jubens eam exinde honorari, ac celebrari verè Deiparam.* hæc *Theophanes Græcus*, qui illo tempore scripsit, & *Cedrenus.* &c.

Copronymi filius Leo IV. patrem secutus, similiter in SS. Imagines efferbuit & catholicos, præsertim Monachos ut Pater & Avus sæviens summè persecutus est, sed illo defuncto uxor Irene catholicam libertatem & SS. Imaginum venerationem restituit, circa annum 780. VI.

Anno itaque 786. *Irene cum Constantino filio* institit apud *Hadrianum Papam*, sicut & Tarasius Constantinopoleos Episcopus, ut *concilium œcumenicum* indiceretur, quod anno 787. *Nicææ in Bithynia* præsentibus legatis sedis Apostolicæ Romanæ & Patriarcharum Alexandrini, Antiocheni, & Hierosolymitani, cum trecentis sexaginta septem Episcopis inchoatum est; ubi aliqui Episcopi lapsi, & conversi confessionem fidei ediderunt, & Patres concilii Act 4. curarunt produci loca S. scripturæ, per quæ honor SS. Imaginum probaretur, deinde ex SS. Patribus descriptæ sunt sententiæ, &c. de quibus infrà, agendo de veneratione SS. Imaginum.

In hac synodo Act. 5. *Tarasius* Episcopus Constantinop. ostendit *Iconoclastas sectatos esse Iudæos, Saracenos, Gentiles, Samaritas & Manichæos*, usum sacrarum imaginum respuentes, &c. & argumenta illorum clarè refutata sunt. VII.

Tandem definitio fidei catholicæ exposita est, & imprimis symbolum fidei prælectum, in quo expressè habetur: *Et in Spiritum Sanctum Dominum & viuificantem, qui ex Patre Filioq́ procedit*, &c. ut Baron. ad ann. 787. n. 38. ex ipsis Græcis codicibus ostendit. Et insuper n. 39. quod Iconoclastarum prima reprehensio fuerit contra Catholicos, & prohibitio, *ne diceretur Spiritus Sanctus à Patre Filioq́ procedere*; hoc autem Iconoclastas Catholicis primum objecisse, quasi hæreticum tempore Constantini Copronymi ostendit Baron. ad ann. 766. n. 23. ac proinde Patres Concilii sic expresserunt. In hac etiam fidei definitione declararunt quod SS. Crucis & sanctorum imagines honorandæ & adorandæ essent, expressè addentes: *Non tamen verâ latriâ, quæ solum diuinam naturam decet*, &c. addendo: *Imaginis enim honor ad primitivum transit, & qui adorat imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam vel personam*, &c. sed de his suo loco.

Demum Patres omnes acclamarunt, & contrarium asserentibus anathema dixerunt, inter alios sic: *Credentes in unum Deum in Trinitate laudandum: honorabiles imagines osculamur*, &c. *Nos iis, qui assumunt dicta, quæ à diuina scriptura contra idola proferuntur, in venerabiles imagines; dicimus anathema*, &c. Nota contra modernos Acatholicos, *si quis Euangelicas narrationes titulis picturisq́ factas non admittit, anathema*, &c. VIII.

Si quis omnem traditionem Ecclesiasticam siue scriptam siue non scriptam irritam facit, anathema, &c.

De hac synodo sic habetur in Græcorum Menologio, jussu Basilii Imperatoris restituto.

Sancta septimæ synodi trecentorum sexaginta septem Patrum commemoratio. Sancta septima generalis synodus Nicææ secundo conflata fuit sub Constantini

stantini & Irene ipsius genitricis Imperio, &c. *ubi patres omnem excommunicaverunt hæresim & hæreseon principes & omnes Iconomachos*, &c. hæc ibi; quod singulis annis in cunctis eorum Ecclesiis decantetur. Ecce quantum Acatholici nostri à Græcis differant.

IX. Quæ autem contra hoc concilium ex concilio Francofurtensi paulo post Anno 794 celebrato objiciuntur, suo loco refellentur, ubi de cultu SS. Imaginum agitur. Certum enim est quod illud *concilium Francofurtense* in facto erraverit malè informatum, quasi latriæ cultus imaginibus constitutus esset in concilio Nicæno, item quod illud ab Hadriano approbatum non esset, quæ omnia falsa esse constat ex definitione illius Synodi, & ex ipsius Hadriani literis ad Carolum Magnum missis, quas refert Baron. ad ann. 794. n. 36. & seqq.

Ex illo autem tempore cultus SS. Imaginum per totum Orientem ferventiùs à Christianis omnibus resumptus fuit, prout in Occidente remanserat.

CONCLVSIO.

Constat ex præmissis, quod Iconoclastarum secta, veræ Ecclesiæ Notas non habeat, cujus doctrina post tot centenos à tempore Apostolorum annos, ab impio & crudelissimo Imperatore Leone ad instantiam Judæorum contra S. scripturæ & SS. Patrum doctrinam & Ecclesiæ antiquæ usum violenter introducta, & merito à legitimo tot Patrum œcumenico Concilio damnata est. X.

CAPVT V.

De schismate Græcorum.

Qvandoquidem nonnunquam contingit, prout ab experientia mihi constat, quod aliqui etiam prudentiores Acatholici per S. scripturæ authoritatem, & SS. Patrum testimonia eruditi, & convicti agnoscant, nec Lutheranorum, nec Calvinistarum, vel Anabaptistarum, aut aliorum Acatholicorum in his partibus occidentalibus existentium doctrinam veram esse, seu S. scripturæ & sanctis Patribus conformem: hæreant tamen, *an Romana catholica Ecclesia, an potius Græcorum secta vera sit christi ecclesia*; eò quod putent Græcos suam originem ab Apostolis, & eorum successoribus trahere, ac primitivæ Ecclesiæ doctrinam tenere. Vt autem ab hoc dubio expediantur, operæ pretium existimavi, tam *ex ipsis conciliis, quàm historicis Græcis* demonstrare, quod moderna Græcorum secta defecerit à doctrina veræ Ecclesiæ antiquæ, quæ primis quatuor seculis in Græcia uti & aliis partibus Orientalibus & Occidentalibus viguit; sed post multos centenos annos per turpe schisma inchoata in veram hæresin transierit.

ARTICVLVS I.

De initio & Authoribus hujus Græcorum schismatis.

I. Hvic schismati & hæresi initium dedit *impius Photius*, ut notat Bar. ad An. 858. n. 55. & ad an. 867. n. 73. licèt antehac aliqua semina jacta fuerint per Episcopos Constantinopolitanos, qui contra antiquos, præsertim *Conc. Nicæni* Canones prærogativâ ante alios Orientis Patriarchas prætendebant, ut essent immediati post Pontificem Romanum; sed illi adhuc salvâ unione illa egerunt. Impius autem Photius ex malitia ursit majora: cum enim *S. Ignatius Constantinopolitanus Episcopus*; ut ex Græcis Historicis notat Baron. ad Ann. 858. n. 49. & seqq. Bardam Patricium Imperatoris intimum ob gravia crimina monitum à S. communione repulisset, hic exacerbatus apud Imperatorem falsis impositis criminibus egit, ut B. Ignatius, collectis aliquot excommunicatis Episcopis, sede privatus, in exilium ageretur; quo facto, impius Photius ex laico in sedem intruditur ab excommunicato antehac Episcopo, ordinatus contra antiquos Canones. Photius statim Metropolitanos Episcopos omnes, qui Photio obedientiæ Chirographum ab ipso præscriptum nolebant offerre, gravissimè persecutus est, & *S. Ignatium* pluribus afflictum verberibus damnavit, ut moreretur; prout Episcopi Photio in synodo octava objecerunt.

Sciens autem Photius se quietâ sede non potiturum sine Pontificis Romani approbatione, induxit Imperatorem, ut scriberet Nicolao Episcopo Romano; quatenus Concilium generale celebraretur sub prætextu, ut juxta Concilii Nicæni 2. decreta Ecclesia in illis partibus corrigeretur, & Iconomachi restantes à Christiano nomine rescinderentur: sed revera, ut ipse hoc modo per Episcopos coactos firmaretur, ut scribit *Nicetas Græcus* apud Baron. ad Ann. 859. n. 55. sub qua specie etiam ipso Nicolao scripsit literas, in quibus mentitur S. Ignatium sponte resignasse, & se coactum sedem suscepisse, addens professionem fidei catholicæ, & profitens se admittere concilia omnia priora usque ad septimum Nicænum secundum inclusivè, damnat Iconomachos, &c. Imperator etiam petiit à Nicolao, ut legati mitterentur ad sedandum schisma inter Episcopos ratione B. *Ignatii, & Photii* ortum. II.

Nicolaus misit quidem legatos, ut ob prædictas causas Concilio adessent, & inquirerent de statu B. Ignatii, nec prius cum Photio communicarent. Verùm in Concilio Anno 861. Photius literas Romani Pontificis falsificatas proposuit, ut Nicolaus Papa in suis ad Imperatorem postea datis ostendit, & Legatos Apostolicos multis diebus afflixit, ac iisdem Imperator exilium minatur, nisi cum omnibus subscriberent, & idem aliis Episcopis factum est: ubi S. Ignatius inauditus damnatus est, ac proinde *illa synodus latrocinalis est appellata*, ibid. apud Baron. n. 9. B. Ignatius sic injustè damnatus, libellum III.

Digitized by Google

lum Romam misit ad Nicolaum Papam de malis à Photio illatis, & ad illius Judicium appellabat: prout ex Niceta refert Baron. ibid. n. 15. Imperator etiam & Photius ad Nicolaum scripserunt omnia excusantes & confirmationem actorum petentes, ibid. n. 34. Verùm Nicolaus Papa congregato Concilio proposuit literas tam B. Ignatii, quàm Imperatoris, & Photii, ac professus est se nunquam in dejectionem Ignatii vel promotionem Photii consensisse, sed solùm legatis mandasse, ut inquirerent de statu causæ, ut ipsum informarent; prout in literis ad Imperatorem & Photium datis expressit. Cum autem perversitas jam cognita fuisset, Photium damnavit, & Ignatium restituit, Baron. ad An. 862. n. 8 deditque ad Photium ut Laicum literas, & Legatos, qui Constantinopoli contra ipsius præscriptum egissent, damnavit.

IV. His exacerbatus *Photius* ausus est scribere *Patriarchæ Alexandrino*, & aliis Orientis Episcopis, cujus literæ referuntur apud Baron. ad An. 863. n. 34. & seqq. in his literis accusat Latinos primò; *quod Sabbatho jejunent*, 2. *quod hebdomadam à Quadragesimæ jejunio præscindant lacte & caseo vescentes*. 3. *quod Episcopis prohibeant uxores antea ductas retinere*. 4. *quod illos, qui à Sacerdote chrismate confirmati essent, iterum per Episcopum confirmari curent*. 5. *quod Clerici Occidentalis Ecclesiæ barbas radant*. 6. *quod symbolum falsificent dicendo: quod Spiritus S. non solum à Patre, sed etiam à Filio procedat*, &c.

Hæc sunt omnia, quæ Photius tanquam horrenda scribit se damnasse; & rogat, ut alii Episcopi conveniant, ut generaliter damnentur. Habuit in his Patronum Photius Imperatorem Michaelem, de quo Græci Historici scribunt, quod homo perditissimæ vitæ fuerit Neroni & Sardanapalo similis. Baron. ad Ann. 865. n. 75.

V. Ex his Photii calumniis patet, quod tunc temporis hic Photius, nec alii culparint Ecclesiam Latinam, quod in Azimo S. Eucharistiam conficeret. Et quidem calumnias has contra Ecclesiam Occidentalem frivolas esse constabit, specialiter verò *quoad processionem Spiritus Sancti à Patre & Filio*, quod antiqua fuerit Ecclesiæ universalis fides, patet ex eo, quod *Damasus* Papa, qui synodum Constantinopolitanam primam in qua contra Macedonium divinitas Spiritus Sancti declarata est, confirmavit; ita in anathematibus suis exposuit, ut refert Baron. ad An. 867. n. 68. & Gennadius Archiepiscopus Constantinopolitanus ex antiquis Græcorum scriptis refert his verbis: *Damasus sanctissimus Romæ præses, qui tempore synodi Constantinopolitanæ vixit, in confessione catholicæ fidei, quam Papa huc misit ad Paulinum Antiochiæ Episcopum hæc habet: Credimus in unum verum Deum, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, factorem visibilium & invisibilium per quem omnia creata sunt, in cælo & in terra, hunc unum Deum & hanc unam esse divini nominis Trinitatem Patrem qui Filius non est, sed habet filium qui non est utiq; Pater; Filium qui non est Pater, sed Filius Dei natura est Spiritum vero paraclitum neq; patrem esse, neq; filium sed ex patre procedentem, & filio*, &c. hæc Gennadius qui etiam similia testimonia refert ex literis *Leonis Papæ. Hormisdæ, & aliorum Pontificum* ad Ecclesias Orientales scriptis, de his plus infrà dicetur. Et, ut Baron. ad ann. 876 n. 73. ostendit, nunquam in hoc Orientalis Ecclesia contradixit; imò antiqui SS. Patres Græci processionem Spiritus Sancti à Patre & Filio professi sunt, ut in Concilio Florentino ostensum est.

Primus igitur omnium Græcorum fuit Photius, qui ob articulum de processione Spiritus Sancti à Patre & Filio schisma incepit, & Ecclesiam Romanam hæreseos damnare ausus fuit; ut notat Baron. ad An. 867. n. 74. Cùm fides orthodoxa semper à Romana Sede expetita fuerit; ut patet ex sanctis Patribus, & primis œcumenicis conciliis; ac præsertim à Romano Pontifice, ut primo Ecclesiæ Episcopo literæ universales ad omnes Ecclesias scribi solitæ fuerunt: Photius sibi authoritatem usurpavit, ut tanquam Episcopus Constantinopolitanus absolutus Orientalis Patriarcha non subjectus Romano Pontifici literas similes miserit: hic igitur inceptor fœdissimus est schismatis Græcorum. VI.

De Barda autem Patricio postea Cæsare creato & primo S. Ignatii persecutore Græci authores scribunt, quod somnium viderit; in quo videbatur se S. Petrum in Throno sedentem, & ante pedes ejus S. Ignatium auxilium contra Bardam, & Imperatorem deprecantem vidisse: ita ut S. Petrus uni assistenti dederit potestatem Bardam membratim concidendi, &c. quod ipse postea suis retulit, & paulò post per milites Imperatoris somnium illud in effectum deductum est, ut ex Græcis Historicis refert Baron. ad An. 867. n. 78 & seqq. quem occisum Photius Imperatori blandiens sceleratissimum nominavit, à quo ipse promotus erat, qui & plura nefanda moliebatur contra B. Ignatium & Nicolaum Papam, tentans etiam occidentales contra Nicolaum excitare. VII.

Interea verò, Michaele Imperatore horrendè occiso, *Basilius* Imperium solus aggressus, Photio in exilium relegato, *S. Ignatium* in pristinam sedem restituit, ac humillimas ad Nicolaum Pontificem dedit literas, sicut & S. Ignatius: ut refert Baron ad An. 867. n. 103 & seqq. Petentes ut mittat Apocrisarios, qui Ecclesiæ reconcilient Episcopos, qui à S. Ignatio defecerant, vel à Photio ordinati resipiscebant: S. Ignatius in suis literis profitetur, quod Christus Dominus unum catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ Medicum dederit Nicolaum, sic dicens: *Propter quæ dicit Petro magno & summo Apostolorum: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, &c. *Tales enim beatas voces non secundum quandam utiq; sortem Apostolorum principi solum* (nota) *circumscripsit, sed per eum ad omnes, qui post illum, secundum ipsum efficiendi erant summi* (nota) *Pastores, & divinissimi sacriq; Pontifices, Seniori Romæ transmisit. Et ideo ab olim & prisco tempore in exortis hæresibus & prævaricationibus eradicatores & interemptores malorum zizaniorum & tabefactorum & penitus insanabiliter ægrotantium membrorum multoties facti sunt eorum, qui sanctitatem & summam paternitatem tuam illic præcesserunt, successores scilicet principis Apostolorum, & illius zelum in Fide, quæ secundum Christum est, imitantes*, &c. hæc Ignatius: & deinde recenset plura corrigenda, & subdit: *Hæc igitur sunt capitula, pro quibus exposcimus solutionem & ordinationem in scriptis mitti humilitati nostræ, insuper autem & Vicarios vestræ beatitudinis Episcopos dignos & rationabiles, ut cum eis bene & rationabiliter disponamus Ecclesiam, quæ apud nos est*, &c. hæc ille. Ecce qualiter S. Igna-

Ignatius de Romano Pontifice juxta nostræ, imò antiquæ Ecclesiæ morem senserit, & scripserit.

IX. Legati ab Imperatore & B. Ignatio Romam missi coram Hadriano Nicolai successore librum à Photio contra Nicolaum scriptum in terram projecerunt, & Joannes Metropolita imprecatoriè dixit: *Tu maledictus Constantinopoli, sis Romæ iterum maledictus. Te minister Diaboli Photius, novus Simon, mendacii compilator aptavit. Te minister Christi Nicolaus novus Petrus, veritatis amator attrivit*, &c. Postea ad instantiam Legatorum Adrianus Romæ congregato Concilio librum examinatum anathematizavit, & pedibus omnium conculcatum exuri fecit, ac mandavit, ut Constantinopoli circa libros Photii eadem fierent: ut Baron. ad an. 868. n. 31. & seqq. notat. Legatos autem ab Adriano cum literis & legatos Imperatoris & B. Ignatii Româ Constantinopolim venientes, Imperator sic allocutus est: *Sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ per ambitionem pertinacissimi Photii diversis schismaticorum fluctibus laceratæ, sancta omnium Ecclesiarum* (NB) *Dei Mater Ecclesia Romana, sanctissimi Domini & universalis Papæ Nicolai, &c. fidâ provisione consuluit, Quapropter nos cum omnibus Orientalibus Patriarchis, Metropolitis, atq; Episcopis censuram* (NB) *S. Matris nostræ Romanæ Ecclesiæ per biennium præstolantes propter Dominum petimus, ut Dei negotium viriliter peragatur*, &c. ita Baron. ad ann. 869. n. 12.

X. *Concilio* itaque *œcumenico*, quod *octavum* est, *Constantinopoli* inchoato legati Apostolici literas Adriani Papæ ad Imperatorem datas & formam libelli, cui Episcopi lapsi pœnitentes subscribere deberent, exhibuerunt, Imperatori & Concilio gratissimas. Ibid. n. 28. Erant autem præsentes Legati Patriarchalium Sedium Orientis, & in fine etiam *Legati Ludovici Imperatoris Anastasius Bibliothecarius Romanus*, &c. & Legati Regis Bulgarorum, qui nuper ad fidem Christi conversi erant; ubi primum legati Sedis Apostolicæ retulerunt, qualiter Photius à Nicolao & Concilio Romano damnatus esset: Legati etiam Patriarchalium Sedium dixerunt, quod ea de causa Photium non convenirent, sed ut execrabilem haberent, quia nunquam ab ulla Patriarchalium Sedium Orientis eum receptum scirent, & à Romano Pontifice damnatum: unde patuit falsitas Photii, qui contra Nicolaum Papam scribens asseruit, se ab aliis Patriarchalibus Sedibus receptum esse, &c.

XI. Postea intromissi Episcopi lapsi plures se dolosè à Photio deceptos fatebantur, qui persuasisset illis, quod aliæ Patriarchales sedes in damnationem B. Ignatii, & in literas contra Nicolaum consensissent, quodque in plures Episcopos, qui fraudem & mendacia Photii detexerant, summam crudelitatem variis modis exercuisset; qui coram Concilio libello à S. Sede Apostolica oblato de damnatione Photii, & B. Ignatii restitutione libenter subscripserunt, suscipientes pœnitentiam injunctam: quidam verò Episcopi subscribere nolentes, licèt ab Imperatore rogati, à Concilio ejecti sunt. Photius etiam sæpius citatus, & monitus, ut pœniteret, pertinacissimus manens, sed nullâ prorsus in ipsum exercitâ violentiâ à Concilio damnatus est, ipsoque astante sic acclamatum à Concilio:

Photio curiali & invasori Anathema. Photio sæculari & forensi Anathema; Photio Neophyto & tyranno anathema; Photio schismatico & damnato anathema. Photio Mecho & parricidæ anathema. Photio Fabricatori mendaciorum, anathema. Inventori perversorum dogmatum anathema Photio novo Maximo Cynico anathema. Novo Dioscoro anathema. Novo Iudæ anathema. Omnibus sequacibus & fautoribus ejus, anathema, &c.

Postea producti sunt successivè diversi Episcopi & Patricii, qui interrogati fatebantur, quod ab Imperatore Michaële ac Photio inducti & compulsi plurima falsa dedissent testimonia contra B. Ignatium; quidam confessi sunt, quod à Photio inducti se finxerint Legatos Antiocheni & Alexandrini Patriarcharum: plurima alia interim horrenda patefacta sunt.

Demum in Concilio lecti sunt Canones quoad fidem, & alii facti, & factâ commemoratione septem præcedentium Conciliorum damnatis hæresibus omnibus & præsertim Manichæorum & Iconomachorum, qui tunc temporis in quibusdam partibus erant. Concilium conclusum, & *Synodus octava œcumenica* vera dicta est! quæ scilicet legitimè congregata ab Imperatore Græcorum & Episcopo Constantinopolitano B. Ignatio petita, ac præsentibus Legatis S. Sedis Apostolicæ & Patriarchalibus, ac aliis Orientis Episcopis publicè celebrata est, quamque *Zonaras*, *Nicetas* & alii Græci Historici summè laudant. XII.

Veruntamen post annos aliquot de Photio sic scribit Nicetas: *Quid igitur ille, qui dicitur Photius? Num sententiam in se latam ut justam recipiens abstinuit à calumniis & turbis?* &c. *vel à suis maleficiis recessit? Nequaquam. Sed potius totis illis decem exilii sui annis, sexcenta adversus S. Ignatium mala concitavit*, &c. *qui postea mirâ fraude & malignâ inauditâ inventione animum Imperatoris Basilii occupavit, à quo Constantinopolim revocatus, nullâ habitâ canonum ratione Sacerdotium usurpavit, & ordinationes fecit*, &c. hæc Nicetas apud Baron. ad Ann. 878. *Imo mortuo S. Ignatio sedem invasit, & pessimos excommunicatos, amotis piis Episcopis, ad Episcopatus intrusit*, &c. *quæ Nicetas tunc vivens cum aliis Catholicis summè deplorat* apud Baron. ad Ann. cit. n. 55. &c.

Insuper Basilius à Photio inescatus misit Legatos Romam ad Joannem Pontificem An. 879. & pluribus modis urget; ut Photius in sedem recipiatur, qui minis & timore inductus Legatos misit Constantinopolim pro impii Photii restitutione, sperans ejus emendationem: unde Baronius existimat (NB) *ipsum à quibusdam dictum fuisse fœminam ob pusillanimitatem*. XIII.

Verùm, de fabula illa, quod aliqua mulier fuerit Papa dicta Joannes VIII. qui hic fuit, infrà dicetur. Hîc solum observandum quod *S. Leo Papa*, qui huic successit circa annum 1053. scribens increpatorias literas ad Michaelem Constantinopolitanum Patriarcham, audacter & candidè enarrat Ecclesiæ Romanæ firmitatem, &c. econtra verò exprobrat Michaeli superbienti levitatem Ecclesiæ Constantinopolitanæ in ordinandis castratis seu eunuchis ejusdem Episcopis, locoque unius ex iis ordinatum fuisse fœminam ferri, &c. Baron. ibid. num. 36.

Quod si tam recenter ante annos 60. etiam fœmi-

by Google

fæmina sedem Romanam possedisset: quomodo Leo tam apertè Michaëli hoc exprobrasset; vel cur Imperator vicissim in suis etiam Romanos non culpasset? sed de his ampliùs alibi.

XIV. Cæterùm literas Joannis ad Imperatorem datas Photius à Legatis accipiens in Græcum translatas, plurimum pro suo voto falsificavit, multaque stupenda finxit, & egit; imo finxit, quasi Joannes damnasset Romæ cum suo Concilio synodum octavam sub Adriano Constantinopoli celebratam; ad quod literas, quasi à Joanne ad se scriptæ essent, finxit: in quibus etiam refert, quod Joannes cum Photio sentiat processionem Spiritus Sancti à solo Patre, & ita etiam in Occidente plerique doctiores sentirent, &c. quæ omnia falsissima esse Baron. ad ann. 879. n. 55. demonstrat.

Impius Photius advenientibus Legatis Sedis Apostolicæ, & omnibus ex voto confectis conciliabulum servavit; eique præsedit, & coegit diversos, qui synodo octavæ interfuerunt, palinodiam cantare. Post hæc lectæ sunt literæ quasi essent Patriarcharum, sed à Photio confictæ, quibus synodum octavam & Photii damnationem detestabantur; imo etiam fingebatur, quod Legati Joannis Rom. Pontif. idipsum in scriptis haberent. Ita Baron. suprà n. 68. & seqq.

XV. Demum, ut Baron. n. 69. refert, Photius pro voluntate omnia agens curavit, ut primus Canon conderetur, *quo juberetur, ut excommunicati vel depositi à Romano Pontifice, à Photio non susciperentur; sicut è contra, qui depositi essent à Photio vel excommunicati, non restituerentur, nec absolverentur à Romano Pontifice*, &c. In quo Photius nequissimè contra antiquos Canones appellationem ad Sedem Romanam sublatam voluit; & insuper *lecto symbolo Niceno, sugillarunt Latinos, quod addidissent de processione Spiritus Sancti* (*Filioq;*) & anathema dixerunt his, qui id adderent: sicque ex hoc conciliabulo ista schismata usque modo vigent.

Hoc conciliabulum Photius voluit dici Synodum octavam damnatâ priore legitimâ: ubi Baron. num. 73. observat, quod nullus Græcorum Scriptorum illius temporis meminerit hujus pseudosynodi, sed omnes extollant & descripserint acta synodi veræ, in qua Photius damnatus, & Ignatius restitutus est.

XVI. Cæterùm Joannes Papa de pessimis actis nondum plenè informatus approbavit restitutionem Photii, quem putabat culpam agnovisse; ita tamen, ut, si quæ ultra commissionem Legatis datam in illo Collegio acta essent, non probaret, ut notat Baron. ad An. 880. n. 1. ex literis Joannis ad Imperatorem.

Verùm postea intellectâ tantâ Photii fraude misit Legatum Marinum, qui illi postea successit; ad Imperatorem, & protestatus est se talia Legatis in mandatis non dedisse, sed Photium iterum damnavit, &c. ibid. n. 10. & seqq.

Impius autem Photius sedem tenuit usque ad obitum Basilii Anno 886. cui succedens filius Leo Photium depositum in monasterium relegavit. Baron. ibid. n. 15. & Stephanum germanum fratrem suum ad sedem promovit.

Cùm autem Stephanus ab excommunicato Photio Diaconus ordinatus esset, Leo restitutis Episcopis à Photio dejectis & convocatis cum iisdem scripsit Romam pro dispensatione: Titulus literarum Episcoporum erat: *Sanctissimo ac beatissimo Stephano Domino ac œcumenico Papæ Stylianus Episcopus Neocæsariæ*, &c. *& qui mecum sunt Episcopi, nec non omnes Episcopi & Presbyteri & Diaconi sanctissimæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & omnes præpositi per Occidentem & Orientem constituti*, &c. In his referunt omnia, quæ antehac impius Photius contra B. Ignatium & Episcopos, & alia tyrannicè egerit, & qualiter à Leone Imperatore jam dejectus sit. Postea subjiciunt: *Quoniam vero scimus quod à vestra Apostolica sede corrigi, & juxta Canones corripi debemus*, &c. *tuam oramus venerabilitatem, ut misericorditer nobiscum agas*, &c. scilicet *ut cum male ordinatis dispenses*, ad quod allegant, quod sic etiam antehac factum esset cum illis: qui ex iniquitate Dioscorum & Iconomachos secuti, vel ab illis ordinati fuissent, & postea ad Ecclesiam redierunt, &c. demum concludunt his verbis: *Quapropter tuam rogamus beatitudinem, ut populum* (*parum abest*) *desperatum misericorditer suscipias. Rogat te Petrus, cujus sedem administrandam obtines*, &c. hæc Episcopi, unde patet, quod illi detestati sint Photii præsumptionem contra Romanam sedem. Notat tamen Baron. ibid. n. 29. quod quia posteriores Græci sui schismatis & errorum authorem habebant Photium; ne ejus turpitudo constaret posteris, & ipsi confunderentur, Decretum fecerunt tale: *Quæcunq; in sanctos Patriarchas Ignatium & Photium scripta vel dicta sunt, anathema sunto*, &c. Et hoc in Constantinopolitana Ecclesia legi solet, sed monumenta certissima à Græcis Authoribus scripta de Photii actis extant. XVII.

ARTICULUS II.

De secundo schismatis Authore.

EX tunc rursus ad plures annos *Ecclesia Constantinopolitana* mansit in communione Ecclesiæ Romanæ, ut notat Baron. ad Ann. 1009. n. 1. & seqq. Veruntamen an. 1024. Episcopus Constantinopolitanus misit Legatos ad Joannem 20. cum muneribus, ut consentiret, quatenus *Ecclesia Constantinopolitana diceretur universalis in suo orbe scilicet Oriente, sicut Romana in universo orbe universalis dicitur.* Sed Papa consentire noluit contra jura antiquarum Ecclesiarum Antiochiæ & Alexandriæ, &c. Baron. ibid. n. 7. unde à communione Ecclesiæ Romanæ ipse, & successores recesserunt: verùm Ecclesiæ Patriarchales Antiochena, Alexandrina, & Hierosolymitana in communione Romanæ Ecclesiæ perseverarunt, ut notat Baron. ad An. 1053. n. 2. I.

Quod ægerrimè ferens *Michael Constantinopolitanus* cum Archiepiscopo Bulgarorum acerbas literas contra Ecclesiam Latinam Romanam scripsit: postea tamen *à Leone Papa* fundamentaliter & paternè repre-

hensus alias dedit, quibus reconciliari Sedi Romanæ petebat. Ibid. n. 40. idque urgente Imperatore Græcorum, qui ambo Leoni Papæ scripserunt. Leo autem respondens Anno 1054. n. 12. ibid. tam Imperatori, quàm Patriarchæ indicat, quam malè Michael turbet Ecclesiam in sedem Neophytus evectus, quod se præferri velit Antiochenæ & Alexandrinæ Patriarchis, ibique recenset, quod illa superbia ortum sumpserit à *Ioanne Patriarcha Constantinopolitano*, qui primò sibi nomen universalis Episcopi, præ aliis Orientalibus assumpserat, quem *Pelagius papa*, *& S. Gregorius* circa ann. 600. ideo excommunicaverunt, & tamen hunc plerique alii postea per 440. annos usque in illum annum, quo Leo scripsit iniquè contra Canones imitari, & Ecclesiam turbare conati sunt cum maximo suo & Ecclesiæ suæ damno.

II. Idem *S. Leo* in Epistola alia ad Michaelem Constantinopolitanum Anno 1053. data, ut habetur n. 34. indicat, qualiter Græcus Constantinopolitanus Patriarcha Michaël initium schismatis dederit, dum Romana Ecclesia adhuc Græcorum mores toleraret, dicens: *Vt enim fertur, omnes Latinorum Basilicas penes vos clausistis, Monachis monasteria tulistis, donec vestris viuerent institutis. Ecce in hac parte Ecclesia Romana quanto discretior & clementior vobis est? Siquidem cum intra & extra Romam plurima Græcorum reperiantur monasteria siue Ecclesiæ, nullum eorum adhuc perturbatur vel prohibetur à paterna traditione siue consuetudine, quin potius suadetur & admonetur eam asseruare. Nec enim animositatem impia hæreses habet, quæ semper diuisione gaudet, dicens per parricidam meretricem: Nec mihi, nec tibi sit, sed diuidatur*, &c. *scit namque quia nihil obsunt saluti credentium diuersæ pro loco & tempore consuetudines, quando una fides per dilectionem operans bona quæ potest, uni Deo commendat omnes*, &c. hæc Leo.

III. Idem Leo in alia epistola ad Michaelem anno 1054. n. 13. id explicat dicens: *Illud autem quis non stupescat, quod post tot SS. & orthodoxos Patres per mille & viginti à passione Saluatoris annos novus Calumniator Ecclesiæ Latinorum emersisti, anathematizans omnes, & publicam persecutionem excitans quicunq; participarentur Sacramentorum ex azymis?* &c. ubi indicat, quod hoc Michaël primum fecerit, licèt enim aliqui Prædecessores Ecclesiam Latinam ratione azymi calumniati essent, nulli tamen Latinos anathematizarunt.

Hunc impium Michaelem Patriarcha Antiochenus acceptis ab illo literis secutus est, licèt paulò ante post consecrationem suam ad Leonem Papam miserit literas communionis cum professione fidei, ut refert Baron. ad Ann. 1053. n. 18. verùm postea timens potentiam Michaelis Constantinopolitani, qui per Imperatorem dominabatur, & facile Episcopos transferebat, Michaeli in multis consensit; licèt in aliquibus ipsum falsa scripsisse indicarit, ut habetur ad ann. 1054. n. 38. unde contigit, ut alii Patriarchæ etiam sese Constantinopolitano subjicerent, eique in schismate adhærerent, ut notat Baron. ad Ann. cit. n. 44. unde non solùm schismatici facti sunt Græci, sed & Hæretici, dum non solum pertinaces fuerint, sed etiam Ecclesiam Romanam & Latinam hæreseos damnare ausi sunt tam ratione azymi, in quo conficitur V. Sacramentum Eucharistiæ, quam quoad fidem de processione S. Spiritus etiam à Filio.

Hæc ex ipsis Actis Conciliorum *Ephesini & Chalcedonensis* & ex authenticis Authoribus etiam Græcis prolixius deducenda existimavi, ut cuilibet sincero Lectori, quantæ authoritatis fuerit primitiva Romana Ecclesia, & quàm falsa causa schismatis Græcorum sit, constare clarius possit. Dum ex omnibus omnium Conciliorum œcumenicorum in Græcia & partibus Orientalibus celebratorum actis hactenus narratis evidens est; quod Ecclesiæ Orientales & ipsa Concilia œcumenica *Romanam Ecclesiam, ut Matrem & Magistram omnium Ecclesiarum, & ejus Episcopum, ut verum Petri successorem agnoverint, eiq; obedientiam præstiterint, & à Romana Ecclesia in fidei dubiis & disputationibus ultimatam sententiam acceperint*, quæ amplius constabunt, cùm intra eadem ex sententiis sanctorum Patrum Græcorum primitivæ Ecclesiæ ostensa fuerint, quæ omnia copiosè sufficerent ad demonstrandum, quod Græci veri sint schismatici sese à vera Matre segregantes & Capiti à Christo constituto refragantes, se subdant Episcopo Constantinopolitano, qui nec ex Euangelio, nec ex Canonibus vel Conciliis antiquis præcedentiam habet, sed potius per violentiam obtinuit, in qua sede tot fuerunt hæresiarchæ, ut *Macedonius, Sergius*, & cæteri suprà enumerati, authoritate Romanorum Pontificum in Conciliis generalibus etiam Græcis condemnati. Vt tamen plenius constet schisma, & error illorum etiam articuli controversi breviter tractabuntur. IV.

ARTICVLVS III.

Demonstratur falsa doctrina Græcorum Schismaticorum quoad jejunium Sabbathi & azyma.

PAtriarchæ Constantinopolitani ab anno 600. præcedentiam ante Patriarchas alios Orientales multis modis tentarunt, unde & omnes hæreses, ut suprà dictum est, excitarunt, & promoverunt, quæ tamen à Conciliis damnatæ fuerunt; sed, licèt antehac aliqui illorum contra Romanos Pontifices quoad præcedentiam illis non acquiescentes varia movissent, nulla tamen invenitur mentio quod Ecclesiam Latinam Græci accusarint hæreseos *quoad processionem Spiritus Sancti à Patre & filio*; vel quod Ecclesia Latina S. Eucharistiam conficeret in azymis, & non in pane fermentato, ut Græci, sed salvâ fide & unionis pace hæc acta fuerunt; donec postea Græci Latinos in his accusare cœperint; & tandem *impius Photius* initium dedit Schismatis, & alii ipsum subinde secuti, licèt aliqui subinde resipuerint. I.

Capita igitur accusationis hæc sunt, quæ impius Michael Constantinopolitanus Archiepiscopus in Epistola ad Antiochenum Anno 1054. data exprimit, quorum aliqua Photius suprà relatus objecit, sed II.

sed Michaël plura adjecit, qualia sunt, primò, *quod Ecclesia Latina in azymis sacrificium seruet.* 2. *quod suffocatum comedant,* 3. *quod barbam radant.* 4. *quod Monachi carnibus vescantur: nidore videlicet suis & larido omni, quod usq; ad carnem pertinet.* 5. *& quod etiam attinet ad primam hebdomadam Quadragesimæ & aliam etiam hebdomadam Quinquagesimæ, qui nos, ait, ovis tantum & lacte vescimur, & ideo casei hebdomadam illam appellamus.* 6. *quod addant in symbolo Niceno illas quatuor syllabas Filioq;* scilicet, *quod Spiritus Sanctus non à solo Patre sed à Filio procedat.* 7. *quod baptizandos non triplici sed unica immersione baptizent in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* 8. *quod Reliquias Sanctorum & sacras Imagines non venerentur.* 9. *quod SS. Patres Basilium & Chrysostomum inter Sanctos non reputent,* &c. hæc ille Michael, per quæ concludit quod Latini non sint Catholici vel Orthodoxi; ita apud Baron. suprà n. 32. & seqq.

Verùm impius ille Michaël volens suam arrogantiam quoad præcedentiam sub titulo zeli veræ fidei palliare, corrasit, quæ potuit, ad schisma faciendum plurima falsa & ridicula, ut patet: quod asserat Latinos *Basilium & Chrysostomum* inter Sanctos non habere, Sanctorum Reliquias & Imagines non venerari, &c. Constat autem ex his acerbissimi Michaelis calumniis, quod nihil gravius in Ecclesia Romana notare potuerit, quod veræ fidei contrarium esset.

III. Econtrà *Legati Sedis Apostolicæ* à Leone IX. Constantinopolim missi Anno 1054. apud Baron. n. 22. coram Imperatore exposuerunt legationis causam; quod scilicet multi errores relati essent apud Sedem Romanam, quibus Episcopi Constantinopolitani laborarent, ideoque juxta id, quod scriptum est, dixerunt; *Missi sumus ut descenderemus & videremus, utrum opere completus sit clamor,* &c. & subdunt, *quod quoad Imperatores illos inuenerint orthodoxos. sed quoad Michaelem Patriarcham & ejus sectatores, zizania hæreseos nimis seminata. Primo, quod sicut Simoniaci donum Dei vendant.* 2. *sicut Valesii hospites suos castrant, & non solum ad Clericatum, sed etiam ad Episcopatum promoueant.* 3. *sicut Ariani rebaptizent in nomine SS. Trinitatis baptizatos & maxime Latinos.* 4. *sicut Donatistæ affirment, excepta Græcorum Ecclesia, Ecclesiam Christi & verum sacrificium atq; baptismum ex toto mundo periisse.* 5. *sicut Nicolaitæ carnales nuptias concedant, & defendant sacri Altaris ministris.* 6. *sicut Seueriani maledictam dicant legem Moysi.* 7. *sicut Pneumatomachi vel Theomachi abciderint à symbolo Spiritus Sancti processionem à Filio.* 8. *sicut Manichæi inter alia quodlibet fermentatum fateantur esse animatum.* 9. *sicut Nazareni carnalem Iudæorum munditiam adeo seruent, ut parvulos morientes ante octavum à natiuitate diem baptizari contradicant, & mulieres in menstruo, vel partu periclitantes communicare, vel si paganæ fuerint, baptizari prohibeant & capillos capitis ac barbas nutrientes eos qui comas tondent, & secundum institutionem Romanæ Ecclesiæ barbas radunt, in communione non recipiant,* &c.

Hæc Legati in chartam relata professi sunt, quod ita à Michaële pertinaciter doceri deprehenderint, ipsumque Latinos anathematizasse, eorúmque templa clausisse, & azymitas dictos persecutus sit: plurimi enim adhuc erant Constantinopoli, & in aliis partibus Græciæ non solum Monachi, sed ex populo, qui more Latinorum vivebant, quos Latinos communiter vocabant: unde authoritate S. sedis Romanæ ipsum cum suis anathematizarunt, &c. hæc apud Baron. suprà.

Ex illo tempore schisma exarsit; nec mirum, quod tales Schismatici à vera Christi Ecclesia seipsos separantes in plures errores inciderint, sicut olim Novatiani & Donatistæ, qui ut notat D. Augustinus & alii prius ob unum articulum se ab Ecclesia separarant, dicentes Ecclesiam Romanam esse sedem pestilentiæ, postea in plures hæreses lapsi sunt.

Quamvis autem de diversis inter Græcos & Latinos quæstio manserit, potissimum tamen de Sabbathi jejunio, azymo & processione Spiritûs Sancti actum est, & ob hæc tria potissimum Græci putarunt se justè separationem fecisse, & Latinos pro hæreticis habere: sed quam perversè id egerint patebit, si eorum argumenta adducta refutentur, & ab ipsis postea revocata esse agnoscantur. IV.

Primò quidem *de jejunio in Sabbatho* antiqua fuit quæstio inter Græcos & Latinos seu à tempore Apostolorum, quæ tamen salvâ Ecclesiæ pace mota fuit; imo Nicolaus Papa in Epistola sua ad Hincmarum quæ refertur à Baronio ad Ann. 867. n. 53. & seqq. de illis Græcorum objectis per Photium sic ait inter alia: *quod antiqui Patres morem Ecclesiæ Latinæ non reprehenderint* dicens: *præcipue cum de jejunio Sabbathi tempore S. Sylvestri Confessoris Christi sit fetis discussum & disputatum, atq; ut celebraretur per omnia definitum, nullusq; post hac ausu temerario contra illud statutum venire, aut saltem mutire præsumpserit. Cùm potius è diuerso Sedis Apostolicæ institutio & Ecclesiæ Romanæ sequens obseruantia ejusdem salutiferæ constituti executrix, hucusq; fuisse reperiatur,* &c. hæc Nicolaus Papa.

Quod autem velint *V. Sacramentum Eucharistiæ in azymo non esse celebrandum* vel conficiendum, ex eo probatum volunt, quod Judaismum id sapiat, qui azymis in sacrificiis utuntur: Secundò volunt quod Christus in azymo hoc Sacramentum non instituerit, & celebrarit in ultima cœna eò quod Pascha lunâ 13. anticiparit quando adhuc Judæi fermentato utebantur.

Vnum videntur habere ex Joann. 18. v. 28. ubi dicitur ipso die passionis qui erat luna 15. *Erat autem mane & ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha,* ex quo inferunt. Ergo Judæi nondum celebrarunt Pascha & tamen Christus pridie servavit.

3. quod *azymus* non sit panis, sed tantùm fermentatus, & quod hæc duo specie differant, ideo putant non validè fieri Sacramentum in azymo.

Ad hæc respondetur primo ex ipsa S. scriptura, nam Christus hoc V. Sacramentum in azymis instituit, quod 1. probatur ex Matt. 26. v. 17. ubi dicitur: *Prima autem die azymorum accesserunt Discipuli ad Iesum dicentes: Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* &c. Similiter Marci 14. v. 12. *Et primo die azymorum quando Pascha immolabant, dicunt ei Discipuli: Quo vis eamus,* &c. Item Lucæ 22. v. 7. *Venit autem dies azymorum,* V.

in qua necesse erat occidi pascha, &c; Atque Exodi 12. v. 5. dicitur de Agno. *Servabitis eum usq; ad quartam decimam diem mensis hujus, immolabitq; eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam, & edent carnes nocte illa assas igni & azymos panes*, &c. & v. 15. *septem autem diebus azyma comedetis, in die primo non erit fermentum in domibus vestris, quicunq; comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel*, &c.

Ex his evidens est argumentum, quod Leo Papa format in sua Epistola ad Michaëlem Constantinopolitanum, qui primus quæstionem movit; sicque deducit ipsum arguens: *Quod post mille & viginti à passione Christi annos ipse primus ausus sit anathematizare omnes, qui in azymis sacramenta sumunt*, sic dicens: *quam præsumptionem tuam & fama nobis obtulit, & literarum sub nomine tuo datarum textus manifestavit, quæ violenter astruere conantur fermentatum panem fuisse, quo Dominus Apostolis suis corporis sui mysterium in cœna commendavit: quod omnino falsum esse ex utroq; Testamento facillime deprehenditur. Quia qui non venerat solvere legem sed adimplere juxta ipsius legis præceptum ex azymis & vino vetus pascha adimplevit, & protinus ex azymis & vino novum (sicut apertè Lucas narrat) Discipulis tradidit. Neq; enim totis octo diebus illis fermentatum apparebat in omnibus finibus Israel, & apud quemcunq; inveniebatur peribat anima ejus de populo suo. Quod si in cœna Domini Iesu apparuisset, aut ipse aut Discipuli ejus quoquo modo gustassent justè sicut prævaricatores legis perirent. Nec ipse Dominus diceret suis insidiatoribus, quis ex vobis arguet me de peccato? nec esset opus falsos testes ad perdendum eum quærere*, &c. hæc S. Leo.

VI. Quod autem Græci contra textum clarum velint Christum anticipasse suam cænam die 13. Martii ante 14. & sic in fermentato celebrasse ex prædictis refutatur: fecisset enim contra legem, & contrarium patet ex verbis Euangelistarum citatis, cùm dicunt, primo die azymorum quando Pascha immolabant scilicet Judæi, &c. quæ erat dies 14. ut patet.

Hæc cùm clarissima sint, sufficeret contra omnia, quæ Græci fingunt, clarus S. scripturæ textus; hac tamen Ecclesiæ Romanæ veritate non obstante, S. Mater Ecclesia catholica nunquam condemnat Græcos fermentato utentes, nec negat quod sacramentum in fermentato confici possit: quia supponit fermentatum & azymum panem non differre specie. Et licèt Christus in azymo sacramentum instituerit, tamen non præcepit in illo fieri; quod autem ab initio in Romana Ecclesia sacramentum in azymo celebratum sit, S. Leo in alia epist. apud Baron. ad An. 1053. n. 33. ostendit de Michaele dicens: *Humanis conjecturis antiquam fidem confodere ac subvertere molitur. Ecce jam post mille ac ferme viginti à passione Salvatoris nostri annos incipit per vos discere Romana Ecclesia, qualiter memoria passionis ejusdem sit recolenda; quasi nil ei contulerit præsentia, conversatio & diuturna institutio, seu qua clarificavit Deum, mors pretiosa illius venerabilis senis, cui specialiter Christus Filius Dei vivi dicit*: Beatus es Simon Bar-Jona, &c. hæc S. Leo.

Ad illud, quod ex Joann. 18. allegatur, quod Pharisæi non introierunt in prætorium, &c. ut manducarent pascha.

Respondent Doctores Latini aliqui, quod illud non fuerit pascha agni sed solum azymi vocentur pascha: ita ut Judæi pridie pascha agni celebraverint.

Alii tamen DD. respondent & verisimilius, quod Judæi habebant quasdam traditiones Seniorum, inter quas erat, quod quando dies Paschæ incideret in feriam 6. & postridie erat Sabbathum tunc Pascha in Sabbathum differebant: ne essent duo festa magna consequenter, & ideo Pharisæi juxta hanc traditionem non celebrarunt Pascha lunâ 14. ad vesperum, sed luna 15. ad vesperum ipso parasceves: Christus tamen simpliciter juxta legem luna 14. ad vesperum celebravit, sicut & multi Judæi, & hinc adhuc patet falsitas Græcorum: quia non celebrarunt luna 13. sed luna 14. quæ erat juxta legem prima dies azymorum quando non debebat extare fermentatum. VII.

Verùm frivolum est dicere, quod azymus non sit vel dicatur panis, eò quod Christus dicatur accepisse panem. Nam certum est, quod Luc. ult. v. 30. dicitur quod Christus in Emaus *accepit panem*, &c. & tamen illa erat dies 2. vel 3. post Pascha, quando nullatenus fermentatum in domibus extare debebat.

Frivolum etiam est, quod dicant, azymum sapere Judaismum, cùm Judæi azymis utantur edentes agnum Paschalem: nam alioquin etiam judaizaret Ecclesia utendo aquâ in Baptismo, cum Judæi etiam in suis purificationibus aquâ usi sint; imo Judæi etiam fermentatum usurparunt in sacrificiis suis, nam Levit. 7. v. 12. dicitur: *Si pro gratiarum actione oblatio fuerit offerent panes absq; fermento*, &c. & v. 13. dicitur: *Panes quoq; fermentatos cum hostia gratiarum quæ immolatur pro pacificis*, &c. Ecce, si placet, etiam in pane fermentato Judaismum.

Cæterum Judaismus est, uti signis legis vel rebus eâ intentione, ut significent Christum adhuc venturum; quod non fit in ven. Sacramento, ubi recolitur passio ejus, & pro ea gratiarum actio celebratur juxta Christi Domini institutionem: Ipsos autem Græcos judaizare in diversis patet ex articulis à Legatis Sedis Apostolicæ suprà allegatis. VIII.

Ex his patet error & malitia Græcorum; nam, licèt Ecclesia Romana non condemnet illos fermentato utentes, in hoc tamen verè condemnati sunt & condemnandi quod pertinaciter se ab Ecclesia Romana separarint, & eandem Ecclesiam Romanam Matrem suam, à qua in primitiva Ecclesia Orientalis orthodoxæ Ecclesiæ fidei doctrinam & contra hæreses auxilia petierunt, ipsi contra claram scripturam in usu azymi condemnent: imò quod horrendum est V. sacramentum in azymo confectum dicunt invalidum esse & pedibus conculcandum, & altaria in quibus Sacerdotes Latini in azymo celebrarunt, aquâ calidâ priùs abluenda, quam illorum Sacerdoets in illis missam celebrent.

Plures tamen Græci sapientiores aliter senserunt, ut patet ex Concilio Florentino.

***

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

De processione Spiritûs Sancti à Patre Filioq; probatur ex S. scriptura.

I. QUoad tertiam quæstionem de processione Spiritûs Sancti non invenitur controversia fuisse inter Græcos & Latinos in primitiva Ecclesia, licèt SS. Patres Latini clariùs expresserint, quòd Spiritus Sanctus à Patre Filióque procedat, quàm plures Græci, non tamen ullum propter hoc Schisma multò minùs damnatio facta est: donec impius Photius Constantinopolitanus à S. sede Apostolica justissimè exauthoratus, hanc quæstionem movere, & Ecclesiam Latinam damnare ausus fuit, quem Michaël Cerularius cognomento secutus est, & postea alii Græci.

Fundamentum illorum est primum, quòd in Euangelio Christus dicat Joann. 15. v. 26. *Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit*, &c. unde arguunt, quia Christus ibi non dixit, quòd etiam à Filio procedat; ergo non procedit ab illo, nec hoc asserendum est. Secundum, quia in symbolo *Concilii Nicani & Constantinopolitani* dicitur: *Credo in Spiritum Sanctum qui ex Patre procedit*, &c. ubi non ponitur *Filioque*, &c. Addunt autem, quòd in *Concilio Ephesino & Chalcedonensi* anathema sit dictum omnibus, qui aliquid ad illud symbolum addunt vel detrahunt adeóque Latinis sit anathema, qui *Filioque* addunt: & sic etiam antiquos SS. Patres Græcos sensisse volunt; ut primus Photius insigniter mentitus est in epist. quæ extat apud Baron. ad Annum 883. n. 5. & seqq. in qua mentiri audet, quòd S. Leo & alii Pontifices imò Romana Ecclesia & plurimi SS. Patres Latini cum ipso senserint.

II. Tertiò addunt rationem dicentes: quòd si Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedat, duplex erit illius processio, & duæ causæ vel duo principia, quasi Pater non esset sufficiens, &c.

Pro majore veritatis declaratione sciendum primò, quòd in hac quæstione *Græci* dicantur non omnes, qui in Græcia vel partibus Orientalibus habitant, & Græcâ lingua sæpius utuntur cùm ibidem plurimi sint alii hæretici *Ariani*, *Nestoriani*, *Eutychiani*, *Monothelitæ*, *Iacobitæ*, *Iconoclastæ*, &c. sed intelliguntur illi solùm, qui fidem Catholicam profitentur quoad SS. Trinitatem, prout in Conciliis generalibus contra prædictos hæreticos determinatum est, & antehac cum Apostolica sede Romana communionem habuerant, ut ex suprà dictis constat, sed postea per Photium præcedentiam ante alias Patriarchas post Romanum Pontificem prætendentem ob plures causas depositum, quæstio de processione Spiritûs Sancti mota est; qui sub hujus prætextu alios traxit ad Schisma ut damnarent Latinos.

III. Sciendum secundò, quòd in symbolo Constantinopolitano ideo videatur omissum *Filioq;*, quia illud potissimùm erat congregatum contra *Arianos*, *Macedonium*, *& Eunomium*, *Episcopum Constantinopolitanum*, qui negabant Spiritum Sanctum verum Deum, sed dicebant esse creaturam ut refert *Basilius* lib. 2. in Eunomium, ubi dicit, *quod Ariani ex eo volebant probare Filium esse Patre minorem, quia Pater creaverit parvum quendam Deum, hoc est Filium: Filius autem non potuerit creare nec Deum magnum nec parvum, sed Spiritum Sanctum produxerit, qui nullo modo esset Deus, ac proinde Spiritum Sanctum negabant à Patre procedere*, &c. contra quos potissimum Concilium egit ostendens Spiritum Sanctum verum Deum immediatè à Patre procedentem sicut Filium, &c. unde de processione Spiritûs Sancti à Filio mentio facta non est. Postea autem *Nestorius* cum suis usus est, quòd Spiritus Sanctus à solo Patre procederet, contra quem *Cyrillus* scripsit, ut infrà ostendetur.

Sciendum tertiò, quòd Græci etiam falsò supposuerint, quasi Latini ita assererent Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedere vel esse suum habere; quasi Pater solus non esset sufficiens, sed opus haberet Filio, quod imperfectionem importat. Secundò, quòd Pater & Filius tanquam duo principia producant Spiritum Sanctum, quod etiam falsissimum esset: nam ex eo sequeretur, quòd Pater & Filius haberent diversam naturam vel substantiam, & sic essent plures Dii quod est blasphemum, &c. Et juxta hæc falsa supposita non est mirum quòd Græci etiam doctiores contra Latinos egerint. Hoc autem Græcos supposuisse IV.

Patet primò ex epistola *Photii* suprà allegata & ex ipsorum propositione & confessione in *Concilio Florentino* infrà. At verò *PP. Latini* protestati sunt semper, quòd illa falsò Ecclesiæ imponerentur, quin potiùs Ecclesia Romana confitetur, quòd non ex defectu sufficientiæ Filius cum Patre produceret Spiritum Sanctum; sed ex perfectione ejusdem substantiæ seu principii aut essentiæ, quam Filius à Patre habet priùs origine, quàm Spiritus Sanctus producatur secundùm nostrum intelligendi modum. Etsi igitur *Pater & Filius* sint duæ distinctæ personæ, non tamen sunt duo distincta principia seu causæ, ut Græci solent loqui, sed sunt unicum principium & unica causa; sicut evidens est in productione creaturarum. Nam, licèt sancta Trinitas seu tres personæ causent omnes creaturas, non tamen sunt tres causæ, sed unica causa & unus Deus, qui habent unicam essentiam & unicam voluntatem, quæ est principium productivum creaturarum.

Simili modo in productione ineffabili in divinis personis se res habet; nam licèt Pater & Filius sint duæ personæ, sunt tamen unicum principium spirandi, cùm sint unicus Deus verus & unius essentiæ vel Deitatis: quæ Deitas seu essentia est principium quo producitur seu spiratur Spiritus Sanctus, in quantum essentia divina est fœcunda secundùm voluntatem producendi personam in unitate ejusdem essentiæ divinæ vel Deitatis: sicut est principium generandi Filium in Patre, in quantum est fœcunda secundùm intellectum ut generet Verbum in unitate Deitatis. Cùm igitur priùs origine sit Filius genitus & habet idem principiū spirandi Spiritum Sanctum, quod habet Pater, ideo ambo Pater & Filius spirant Spiritum Sanctum unicâ spiratione; sicut unicum est principium spirandi in Patre & Filio: & sic Spiritus Sanctus ab utroq; spiratur seu procedit, aut ab utroque habet idem esse Deitatis, licèt Pater in tantum dicatur specialiter causa vel principium, quia est quasi pri- V.

Digitized by Google

ma origo & fons duarum in Deitate personarum; eò quòd Filius sine diminutione æqualitatis essentiam & principium, quo producit Spiritum Sanctum, habet à Patre per generationem: ut dicitur in *Concil. Florentino* sess. 22. circa medium §. *Porrò Spiritus ut Spiritus*, &c.

His sic præmissis patet; quòd nihil imperfecti vel indecentis asseritur ab Ecclesia Latina circa productionem personarum in divinis; & quòd Græci ex falso supposito damnent Ecclesiam Romanam: quod Græci in Concilio Florentino agnoscentes acquieverunt, ut infrà dicetur.

VI. Quòd autem Spiritus Sanctus à Filio & Patre simul procedat sancti Patres Latini ex diversis sacræ scripturæ locis probarunt, & quidem primò ex eodem textu à Græcis in contrarium allegato Joann. 15. v. 26. ubi Christus Dominus dicit: *Cùm venerit Paraclytus, quem ego mittam vobis à Patre*, &c. similiter dicit Christus Joann. 14. v. 26. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo*, &c. ubi patet, quòd & Pater & Filius dicantur mittere Spiritum Sanctum, in uno loco Pater, in altero Filius; & patet etiam quòd in neutro excludatur alter, licèt in singulis locis sigillatim nominentur, in uno Pater, in altero Filius; atqui certum est, quòd in divinis nihil aliud sit mittere Spiritum Sanctum, quàm declarare Spiritum Sanctum ut procedentem ab æterno, & revelatum in tempore; sicut etiam Pater dicitur Filium mittere in terram, ut Joann. 5. v. 36. dicit Christus, *quia Pater misit me & qui misit me Pater*, &c. at verò nullibi legitur, quòd Spiritus Sanctus miserit vel mittat Filium vel Patrem; ac proinde licèt Christus Joann. 15. dicat, *qui à Patre procedit*: non tamen id negat *de Filio*; aliud enim est non dicere, aliud negare, ut evidens est: & tamen Christus per verbum *mittam*, idem satis expressit, licèt originaliter tribuat Patri.

Et ideo *S. Anselmus* lib. de processione Spiritûs Sancti, optimè illa verba ponderat, *quem mittet Pater in nomine meo*: & iterum, *quem mittam vobis à Patre*, ut semper Christus intelligendum voluerit, *quod Pater in nomine Filii*, id est, *cum Filio*; *& Filius à Patre*, id est, *cum Patre* mittet; quia per unam indivisam substantiam Deitatis producunt Spiritum Sanctum.

VII. Secundus locus est Joann. 16. v. 13. ubi dicit Dominus: *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet loquetur.* Et infrà: *Quia de meo accipiet, & annunciabit vobis, omnia quæcunque habet Pater, mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet*, &c. ubi certum est, quod non possit de Spiritu Sancto cogitari, quod audiet & accipiet tanquam homo vel creatura à Deo per revelationem, hoc enim blasphemum est; quia negat Spiritum Sanctum verum Deum. Intelligendum est ergo necessariò, quòd licèt Spiritus Sanctus habeat eandem essentiam & scientiam cum Patre & Filio, & sic ipse omnia ex se sciat; tamen quia essentiam & scientiam originaliter non habet à semetipso, sed per processionem, ideo dicit Christus, quòd *non loquetur à semetipso*, sed ab illo, à quo habet essentiam & scientiam, & hoc Christus Dominus ostendit ex eo: *Quia omnia quæ habet Pater, mea sunt*, &c. Cùm igitur à Patre Spiritus Sanctus habeat scientiam, quia Pater habet essentiam fœcundam, per quam producit Spiritum Sanctum, & hanc essentiam fœcundam Filius habet à Patre prius originaliter ante Spiritum Sanctum, sic Spiritus Sanctus ab utroque accipit, quæ loquitur.

Hoc idem probatur per illud Joann. 5. v. 19. VIII. *Non potest Filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem, quæcunque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit.* Ubi constat, quòd creaturæ omnes non à solo Patre, sed & à Filio & Spiritu Sancto tanquam ab una causa indivisibili producantur, & tamen dicitur etiam de solo Patre, quòd omnia faciat, ut in symbolo: *Credo in Deum Patrem omnipotentem Creatorem cæli & terræ*, &c. per quod tamen non excluditur Filius nec Spiritus Sanctus; & tamen etiam Filius dicitur *nihil facere à se nisi quod viderit Patrem facientem*: quod intelligitur ex eo, quia habet essentiam & omnipotentiam originaliter à Patre, & hoc modo etiam intelligitur quod dicitur Joann. 1. *Omnia per ipsum facta sunt*, scilicet per verbum seu per Filium, non tanquam per instrumentum aut creatum aliquem canalem, ut Ariani volebant; sed licèt & Filius per se omnia facit, dicitur tamen Pater per Verbum omnia facere, quia scilicet Verbum, quod cum Patre omnia facit, essentiam & potentiam habet à Patre. Hoc modo etiam Pater dicitur per Filium spirare Spiritum Sanctum, vel Spiritum Sanctum per Filium à Patre procedere: & sic plures sancti Patres etiam Græci loquuntur.

Tertiò probatur veritas, quia Spiritus Sanctus dicitur *Spiritus Filii & Christi*, nunquam tamen dicitur, quòd Filius sit Spiritûs Sancti Filius, primum patet ad Rom. 8. v. 9. *Si tamen Spiritus Dei habitat in vobis, si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus*, &c. & ad Galat. 4. v. 6. *Misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra*, &c. ubi etiam Græci fatentur, ut patet in Concilio Florentino, & ut refert Anselmus, supra quod Spiritus Sanctus verè dicitur spiritus Dei spiritus Patris, & spiritus Filii, sed ideo dicitur spiritus Patris, quia à Patre procedit: & similiter spiritus Dei, quia à Deo Patre procedit, ideoq; etiam spiritus Filii, quia à Filio procedit.

Quartò probatur ex illo Joann. 20. v. 22. *Hæc cùm dixisset, insufflavit & dixit illis: Accipite Spiritum Sanctum*, &c. ubi patet, quòd sensibilis ille flatus non erat Spiritus Sanctus, sed per illum flatum mysticum Christus significavit, scilicet quòd sicut externus ille flatus ex ore & visceribus Christi procedebat, ita Spiritus Sanctus ex essentia Christi procedat, &c.

Ex his facilis erit Responsio ad argumenta Græcorum, quæ infrà resolventur.

ARTICVLVS V.

Probatur eadem veritas ex sanctis Patribus Græcis.

Quòd autem ex his sacræ scripturæ locis manifestè sequatur quòd Spiritus Sanctus simul à Patre & Filio procedat & ab utroque essentiam habeat vel accipiat sancti Patres Latini *Ambrosius*, *Augustinus*, *Hilarius* lib. de Trinit. & alii expressis verbis adeò clarè docuerunt; ut Græci id negare non possint: sed illos errasse temere asserere non veren- I.

verentur, unde idem ex Patribus Græcis probandum.

Itaque ex sanctis Patribus Græcis authenticis *Patres Latini in Concilio Florentino* istam veritatem demonstrarunt sess. 6. Ferrariæ habitâ primò ex sancto *Cyrillo Græcis authentico*, qui in Concilio œcumenico Ephesino vice Romani Pontificis præsedit, in illud Joann. 14. v. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclytum dabit vobis*, sic ait: *Cùm Dei & Patris bonorum essentialium Filius particeps sit, eadem etiam ratione spiritum habet, quemadmodum Pater eundem habere percipitur, non quidem aduentitium, &c. sed quemadmodum quisquam nostrum suum spiritum continere ac ipsum ex visceribus suis emittit: propterea servator noster* (Joann. 20.) *corporaliter spiritum suum flauit, ut ostenderet, quemadmodum ex ore humano spiritus corporaliter exit, sic etiam ipsum ex diuina substantia, ut Deo conuenit, profluere*, &c. hæc ille, ubi patet, quòd intelligat Cyrillus Spiritum Sanctum ita à Filii substantia profluere, sicut flatus ex visceribus hominis, &c.

II. *Basilius Magnus*, de quo *Synodus Chalcedonensis* testatur, quod exactissimam atque accuratissimam de Spiritu Sancto declarationem & doctrinam tradiderit; ille autem sic ait: *Qui spiritum intelligit ipsum & eum, cujus est spiritus, simulq; Filium mente concipit, qui autem hunc percepit, sane Spiritum non sejunxit. Verùm consequenter secundùm ordinem, conjunctim autem secundùm naturam ipsas tres personas intelligens veram assecutus est fidem. Porro autem, quoniam spiritus Christi est* (NB) *& ex eo* (ut inquit Apostolus Rom. 8.) *ideo quemadmodum, si quis alterum extremum alicujus catenæ traxerit, procul dubio catenam totam attraheret, sic etiam Patrem simul & Filium per eundem spiritum traheret*, &c. hæc Basilius, ubi patet quod dicat Spiritum Sanctum ex Filio esse, &c. & catenus etiam Filius intelligatur tanquam producens, si intelligatur Spiritus Sanctus.

Idem Basilius dicit: *Patrem & Filium protuli; Has mihi tene proprietates, Filius ergo manens in esse Filii & quatenus Filius est, omnia est, quæ Pater; juxta hoc nostri Domini dictum*: Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt, Joann. 17. v. 9. &c. *Ex quo sequitur, quod præter proprietatem quâ Pater est Pater, omnia Patris sint Filii, ac proinde spiratio.*

Iterum *Basilius* in illud Zachar. 4. *Aurea lampas*, exponens sic ait: *Quamdiu Pater naturaliter & essentialiter Spiritum Sanctum habet, ita etiam Filius eundem Spiritum Sanctum habet.*

Et sess. 7. post medium refertur Basilius in epistola ad canonicas sic dicens: *S. Spiritus Patri & Filio communicatur, ordine vero tertius est Domino dicente: Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti* Matth. 28. v. 19. *Qui autem eum præponit Filio, & superiorem Patre dicit, hic alienus à sana fide est. Quare si quis hunc ordinem peruertit, ipsam personarum existentiam & totam fidem inficiatur*, &c. hæc ille. Ubi satis indicat, quòd Spiritus Sanctus sit Filio origine posterior, ac proinde ab illo procedens, quod solum dicit ordinem originis, &c.

III. Similiter exprimit *S. Gregorius* Basilii frater dicens: *Filium immediatè esse à Patre, idque ipsius Filii proprium esse*, &c. Rursus *Ioannes Chrysostomus* in Joann. sic ait: *Omnia Filius est quæ & Pater, hoc excepto, quod ille quidem est Genitor, hic autem natus*, &c, quod verum non esset, si Pater solus spiraret Spiritum Sanctum, & non Filius.

Item *Simeon Metaphrastes* apud Græcos celeberrimus in vita B. Dionysii sic ait: *Christus meus in cælos ascendit, ad paternamque sedem reuertitur, & spiritum qui ex ipso procedit discipulis suis demittit*, &c.

Similiter *Anastasius*, de monte Sinai sic ait: *Ex corporis proprietate, ac membrorum analogia similitudineq; capientes exemplum diuinarum personarum relationem mutuamque dependentiam comprehendimus, sic etiam spiritus oris ejus, hoc est, Dei Sanctus Spiritus nominatur, cùm os Vnigeniti sit.* Rursus: *Spiritus qui ex ipso procedit & mittitur non solùm ex Patre, verùm etiam ex Filio*, &c.

Hîc observandum, quòd cùm Nestoriani dicerent Spiritum Sanctum neque ex Filio esse, neque ab eo esse accipere ut ex Nestorii symbolo patet, *Theodoretus* etiam Nestorii pro tempore sectator licèt postea conversus illud Pauli ad Galat. 4. v. 6. *Misit Deus spiritum Filii*, &c. declarans dicebat Spiritum Sanctum non accipere esse à Filio; ideo *S. Cyrillus* literis mandavit *Sanctum Spiritum esse per Filium, ac Filii esse & ab ipso profluere*, &c. quod nihil aliud est, quàm procedere ut patet. Primò ipse Cyrillus in epist. in Concilio Alexandrino ad Nestorium sic scripsit: *Spiritus appellatus est veritatis, veritas Christus est, unde ab ipso similiter sicut ex Patre procedit*, &c. hæc Cyrillus, qui præsedit in Concilio Ephesino, in quo & hæc epistola habetur tomo 1. cap. 14. & tam ab ipso *Ephesino* quàm *Chalcedonensi* est approbata.

Denique Patres Latini B. *Maximum* inter Græcos clarissimum scripsisse retulerunt, quòd *Romana Ecclesia ab orientali Ecclesia ratione Spiritûs Sancti immerito accusetur*, &c. IV.

Et PP. Latini sess. 14. Florentiæ habitâ ex PP. Græcis clarè probarunt, quòd spiritus etiam procedat à Filio, eò quod à Filio acciperet esse, &c. Hoc autem *Epiphanius* sermone angyro nuncupato clarè asserit sic dicens: *Ita Filium dico eum, qui ex ipso est; Sanctum autem Spiritum, qui ex utroq; est*, &c.

Iterum *Epiphanius* in eodem serm. circa verba Matt. 11. *Quemadmodum ait, nemo nouit Patrem nisi Filius, nec Filium nisi Pater, ita dicere audeo, nec Spiritum Sanctum nisi Pater & Filius, à quo accipit & procedit. Neq; Patrem & Filium nisi Spiritus Sanctus, qui verè glorificat, docens omnia, qui quidem est à Patre & Filio*, &c. hæc Epiphanius. Ubi æqualiter tribuit Filio sicut Patri quòd Spiritus Sanctus ab eo esse accipiat, & ab illo sit, sed à Patre procedit ob id, quia ab eo est, & esse accipit, sic etiam à Filio verè procedit, &c.

Similiter *Basilius Magnus* lib. 3. contra Eunomium sic ait: *Cur enim necesse est, si dignitate & ordine tertius est spiritus, naturâ quoque ipsum tertium esse? dignitate namque ipsum secundum à Filio, cùm ab ipso esse habeat & ab ipso accipiat & annuntiet nobis & omnino ab illa causa dependeat, pietatis ratio tradit*, &c. V.

Iterum *Basilius*, ut refertur in Concilio Florentino sess. ult. sic ait: *Quemadmodum Filius ordine quidem à Patre secundus est, Pater enim in Baptismatis traditione primus disponitur dicente Domino:* Baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti: *nec non dignitate Filius secundus est, utpote qui sit ex Patre, non autem Pater ex Filio, licet in natura æquales esse credantur.* Ego enim ait & Pater unum sumus; *ita quoque Spiritus Sanctus ordine*

dine quidem secundus à Filio in eadem Baptismatis traditione disponitur. Item etiam dignitate, nam spiritus Filii dicitur, quandoquidem à Filio mittitur, scriptum est enim: Misit Deus spiritum Filii sui in corda nostra Gal. 4. *Non autem Filius Sancti Spiritus dicitur, natura vero Patri & Filio aequalis existit, quorum enim una est operatio ipsorũ etiam una est natura*, &c. hæc Basil. ubi expressè dicit Spiritum à Filio esse habere, &c.

VI. Item *Athanasius Magnus* in Dialogo, quem in Concilio Nicæno contra Arrium habuit, ita dicit: *Siquidem spiritus ex Patris Filiique substantia non est, cur Filius, cùm sanctum Baptisma discipulis tradidit, de eo fecit mentionem dicens*: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, &c?

Idem epist. ad Sempron. scribens, Spiritum Sanctum ex Patris Filiique substantia esse dicit, *spiritus à Filio accipit juxta Domini vocem* de meo accipiet; *de Filio autem*, in nomine Patris veni: *De Paraclyto vero*, Spiritus Sanctus quem mittet Pater in nomine meo. *Siquidem igitur* (ait idem) *talem ordinem & naturam spiritus habet ad Filium, qualem Filius ad Patrem, quonam pacto enim, qui spiritum creaturam esse credit, idem quoque de Filio non necessario crederet?* &c. hæc Athan.

Rursus *Athanasius* in apologia contra Arrium sic ait: *Si Sanctus Spiritus ex Patris Filiique substantia non est, cur Filius Dei in symbolo sanctificans* Matt. 28. *ipsum commemorasset dicens*: Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti?

VII. His omnes authoritates sanctorum antiquorum PP. Græcorum, Patres Latini demonstrarunt haberi ex libris incorruptis Græcè scriptis & translatis; è contrà verò Græcorum libros corruptos esse multis modis ostenderunt: ut patet per plures sessiones specialiter sess. 22.

Demum sess. 24. *Patres Latini* ex pluribus sanctis Patribus demonstrarunt, quòd *Patres Græci* dicentes Spiritum Sanctum à Patre per Filium procedere, simpliciter intellexerunt; quòd à Patre & Filio procedat, sicut Pater dicitur creaturas per Verbum creare: cùm tamen Verbum etiam creet, licèt Pater sit primus Fons, à quo Filius substantiam habet & potentiam creandi eandem.

Tandem Patres Græci, postquam acerrimè & prolixissimè circa testimonia sanctorum Patrum Græcorum cum Patribus Latinis disputassét cum suo *Imperatore & Patriarcha* seorsim communicantes inter se fassi sunt: quod plurimi sancti Patres etiam Græci profiteantur, Spiritum Sanctum ex Filióque procedere, se autem alios citare non posse, qui contrarium scripserint, nec in dogmate Latinorum aliquid esse quod pium non sit: Omnes igitur consenserunt unico Episcopo Ephesino excepto, pertinaciter dicente: omnes hæreticos esse, qui Spiritum Sanctum ex utroque procedere asserunt; ad quod *Bessarion* unus ex Græcis Archiepiscopus Nicænus dixit exclamando: *Ergo Sancti qui hanc sententiam tradiderunt, hæretici fuerunt? multa fiant labia dolosa, quæ loquuntur contra justum iniquitatem: Nonne clarè vidistis occidentales & orientales Doctores sanctos in hoc neutiquam discrepare?* &c.

VIII. Denique post multorum dierum inter Latinos & Græcos collationem tandem Græci inter se convenerunt, ubi *Archiepiscopus Nicænus* ex *Cyrillo & Epiphanio* ac aliis Patribus Græcis suprà allegatis ostendebat authoritates, quæ Spiritum Sanctum ex Patre Filióque procedere dicerent; alias, quæ docerent ipsum Spiritum Sanctum ex utroque; alias, Spiritum Sanctum à Filio esse habere: alias, ipsum à Filio profundi. Deinde *Episcopus Mytyliensis Græcus* plures occidentales seu Latinos Patres allegavit *docentes Patrem & Filium unicam esse S. Spiritûs causam*, Patrem tamen præcipuam esse causam, licèt Spiritus ex consubstantiali quoque Filio sit atque ab utroque procedat. Quibus omnibus auditis *Episcopi Græci dixerunt se eas æquo animo suscipere.*

ARTICVLVS VI.

Refertur definitio Concilii quoad processionem Spiritûs Sancti à Patre Filióque, & quoad azimum in S. Eucharistia ac purgatorium & primatum Pontificis Romani.

Juxta prædicta demum Patres Latini & Græci consenserunt & S. Pontifex *Eugenius* patentes seu literas hujus tenoris expedivit: *Eugenius servus servorum Dei*, &c. I.
consentiente ad infrascripta charissimo Filio nostro Ioanne Paleologo Imperatore & loca tenentibus, &c. *Patriarcharum & cæteris orientalium Ecclesiarum repræsentantibus*, &c. ubi inter alia sic habetur: *Convenientes Latini & Græci in hac S. œcumenica Synodo, magno studio invicem usi sunt, ut inter alia etiam articulus ille de Spiritus Sancti processione summa cum diligentia & assidua inquisitione discuteretur. Prolatis vero testimoniis ex divinis scripturis, plurimisq; authoritatibus sanctorum Doctorum Orientalium & Occidentalium aliquibus quidem, ex Patre & Filio, quibusdam vero ex Patre per Filium procedere dicentibus Spiritum Sanctum, & ad eandem intelligentiam aspirantibus omnibus sub diversis vocabulis Græci quidem asseruerunt, quod id, quod dicunt Spiritum Sanctum ex Patre procedere, non hac mente proferunt, ut excludant Filium; sed quia eis videbatur (ut ajunt) Latinos asserere Spiritum Sanctum ex Patre Filioq; procedere, tanquam ex duobus principiis & duabus spirationibus: ideo abstinuerunt à dicendo, quod Spiritus Sanctus à Patre procedat & Filio. Latini vero affirmarunt, non se hac mente dicere Spiritum Sanctum ex Filioque procedere ut excludant Patrem, quin sit fons & principium totius Deitatis Filii scilicet & Spiritus Sancti; aut quod id, quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, Filius à Patre non habebat, sive quod duo ponant esse principia seu duas spirationes sed unum tantùm asseverent esse principium, unicamque Spiritus Sancti spirationem; prout hactenus asseruerunt: & cùm ex his omnibus unus & idem eliciatur veritatis sensus, tandem in infrascriptam eodem sensu unionem concordarunt & consenserunt*: In nomine igitur SS. Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti *hoc sacro universali approbante Florentino Concilio definimus, ut hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur & suscipiatur, sicque omnes profiteantur, quia Spiritus sanctus ex Patre & Filio æternaliter est & essentiam suam suumq; esse subsistens habet ex Patre simul & Filio, & ex utroq; æternaliter tanquam ab uno principio & unica spiratione procedit, declarantes quod id, quod sancti Patres & Doctores dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur Filium quoq; esse secundùm Græcos quidem causam, secundùm Latinos vero principium subsistentia*

tia Spiritûs Sancti, sicut & Patrem. Et quoniam omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem, hoc ipsum, quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam est genitus.
II. *Diffinimus insuper explicationem verborum illorum, Filioque veritatis gratia & imminente tunc necessitate licitè & rationabiliter symbolo fuisse appositam. Item in azymo siue fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in altero ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ siue Orientalis siue Occidentalis consuetudinem. Item si vere pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfaciant & omissis, eorum animas pœnis purgatorii, post mortem purgari; & ut à pœnis hujusmodi releuentur, prodesse eis fidelium viuorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, Eleëmosinas, & alia pietatis officia; illorumq; animas, quæ post Baptismum susceptum nullam omnino peccati maculam incurrunt vel sunt purgatæ, in cælum mox recipi & intueri clarè Deum trinum & unum sicuti est; meritorum tamen diversitate aliam aliâ perfectius. Illorum autem animas, qui in peccato mortali actuali vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas. Item diffinimus sanctam Apostolicam Sedem & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum & verum Christi Vicarium totiusq; Ecclesiæ Caput & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam à Domino Iesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum & in sacris canonibus continetur, &c.* hæc ibi. ubi secundus locus post Rom. Pontificem *Constantinopolitano*, tertius *Alexandrino*, quartus *Antiocheno* Patriarchis juxta canones traditur, &c. Datum *Florentiæ* in sessione publica anno 1439. pridie nonas Julii.

III. Hisce literis subscripserunt *Imperator Græcus & Legati Patriarcharũ Alexandrini & Antiocheni* cum aliis Archiepiscopis seu Metropolitis & Episcopis Græcis circiter triginta. *Patriarcha Constantinopolitanus* tempore Concilii Florentiæ mortuus paulò ante mortem eandem confessionem in scripto suâ manu reliquerat. Similiter subscripserunt Cardinales omnes Archiepiscopi ac Episcopi Latini præsentes.

Sic itaq; in hoc Concilio post tantas concertationes veritas Catholicæ Fidei de processione Spiritûs S. à *Patre Filioque* etiam ab ipsis Græcis agnita & definita fuit; & contrarium asserentes hæreseos damnati fuerunt: Nec hoc primum fuit, sed antehac aliquoties in Conciliis Græci convicti eandem veritatem professi sunt ut ex sequentibus constabit.

ARTICVLVS VII.

Referuntur aliæ vices quando Græci resipuerunt.

I. QUòd Græci ante Concil. Florentinum sæpius convicti veritatem doctrinæ Ecclesiæ Latinæ diversis vicibus agnoverint & resipuerint, constat imprimis & specialiter ex *Concilio Barensi*, ut notat Baron. ad ann. 1097. n. 147. & seqq. ubi *S. Anselmus* præcipuè Græcos ita confutavit ut omnium Græcorum & Latinorum præsentium consensu anathema dictum sit omnibus processionem Spiritûs S. à Patre Filióq; negantibus. *B. Anselmus* etiam in epist. suprà allegata indicat, quod in Concilio Barensi cum Græcis congressum fuerit; sed cùm Græci postea iterum ad vomitum rediissent:

Iterum Anno 1215. in *Concilio maximo Lateranensi* cui Constantinopolitanus & Hierosolymitanus Patriarchæ, & alii septuaginta Metropolitæ Græci, præter alios quadringentos Episcopos interfuerunt, sub *Innocentio III.* definitum est cap. 1. his verbis: *Firmiter credimus & simpliciter confitemur, quod unus solus & verus Deus æternus, immensus, omnipotens, ineffabilis, incommutabilis & incomprehensibilis Pater & Filius & Spiritus S., Pater à nullo, Filius autem à solo Patre, ac Spiritus S. ab utroq; pariter absq; initio semper & fine, Pater generans, Filius nascens, Spiritus S. procedens, consubstantiales & coæquales & coæterni. Vnum universorum principium Creator omnium visibilium & inuisibilium, &c.* hæc ibi. In quo Concilio cap. 5. etiam dicitur: *Antiqua Patriarchalium Sedium priuilegia renouantes, sacra universali Synodo approbante sancimus, ut post Romanam Ecclesiam quæ disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpote Mater universorum Christi Fidelium, & Magistra Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, & Ierosolymitana quartum locum obtineat, &c.* hæc ibi, ubi pro pace Græcorum Constantinopolitanæ indultum est juxta Canones Conciliorum quæ post *Concil. Nicænum* fuerunt.

Rursus sub *Gregorio IX.* Anno 1274. *Concilium generale Lugduni* celebratum est, ad quod invitati fuerunt Græci & comparuerunt Nuntii *Imperatoris Paleologi* & ejus Filii *Andronici* ac Præsulum universæ Græciæ, inter quos Germanus olim Patriarcha Constantinopolitanus, Theophilus Metropolita Nicænus, & alii plures: qui exhibuerunt literas Imperatoris & Episcoporum, in quibus profitebantur; quòd multis collationibus habitis cum Nuntiis ab Apostolica Sede scilicet F. *Hieronymo Esculano & F. Bona gratia Ordinis FF. Minorum* Constantinopolim missis, agnoscerent Fidem Catholicam Ecclesiæ Romanæ juxta instructionem à Pontificibus Romanis *Clemente & Gregorio* missam. In his autem expresserunt, quòd crederent in Spiritum Sanctum ex Patre Filióque procedentem, &c. Et de purgatorio ac animabus post hanc vitam iisdem ferè verbis profitentur sicut in Concilio Florentino literis ab omnibus subscriptis habetur: *Profitentur etiam septem Ecclesiæ Sacramenta, ac specialiter quod in azyma etiam validè consecretur Eucharistia, in qua panis verè transubstantiatur in Corpus & vinum in Sanguinem Domini, &c. Agnoscunt etiam Romanum Pontificem primatum habere super omnem Ecclesiam, &c.* ut suprà. II.

Demum rogabant, ut Pontifex indulgeret, quatenus in Ecclesia Græca symbolum legeretur, prout ante Schisma consuetum erat: ut relinquerentur in Ritibus, qui non sunt contra supradictam Fidem, nec contra decem præcepta aut sacram scripturam vel contra doctrinam SS. Conciliorum & sanctorum Patrum receptorum per SS. Concilia, quæ celebrata sunt à Romana Ecclesia. Has literas misit *Imperator* sub sigillo aureo.

Alias etiã literas miserunt *Metropolitæ totius Asiæ*, quorum viginti sex subscripserunt nomine suo & Episcoporum sibi subjectorum in Syno- III.

dint quidem secundus à Filio in eadem baptismatis traditione disponitur. Item etiam dignitate, nam spiritus Filii dicitur, quandoquidem à Filio mittitur, scriptum est enim: Misit Deus spiritum Filii sui in corda nostra Gal. 4. *Non autem Filius Sancti Spiritus dicitur, natura vero Patri & Filio aequalis existit, quorum enim una est operatio ipsorũ etiam una est natura*, &c. hæc Basil. ubi expressè dicit Spiritum à Filio esse habere, &c.

VI. Item *Athanasius Magnus* in Dialogo, quem in Concilio Nicæno contra Arrium habuit, ita dicit: *Siquidem spiritus ex Patris Filiique substantia non est, cur Filius, cùm sanctum baptisma discipulis tradidit, de eo fecit mentionem dicens*: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, &c?

Idem epist. ad Sempron. scribens, Spiritum Sanctum ex Patris Filiique substantia esse dicit, *spiritus à Filio accipit juxta Domini vocem* de meo accipiet; *de Filio autem*, in nomine Patris veni: *De paraclyto vero*, Spiritus Sanctus quem mittet Pater in nomine meo. *Siquidem igitur* (ait idem) *talem ordinem & naturam spiritus habet ad Filium, qualem Filius ad Patrem, quonam pacto enim, qui spiritum creaturam esse credit, idem quoque de Filio non necessario crederet?* &c. hæc Athan.

Rursus *Athanasius* in apologia contra Arrium sic ait: *Si Sanctus Spiritus ex Patris Filiique substantia non est, cur Filius Dei in symbolo sanctificans* Matt. 28. *ipsum commemorasset dicens*: Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti?

VII. His omnes authoritates sanctorum antiquorum PP. Græcorum, Patres Latini demonstrarunt haberi ex libris incorruptis Græcè scriptis & translatis; è contrà verò Græcorum libros corruptos esse multis modis ostenderunt: ut patet per plures sessiones specialiter sess. 22.

Demum sess. 24. *Patres Latini* ex pluribus sanctis Patribus demonstrarunt, quòd *Patres Graeci* dicentes Spiritum Sanctum à Patre per Filium procedere, simpliciter intellexerunt; quòd à Patre & Filio procedat, sicut Pater dicitur creaturas per Verbum creare: cùm tamen Verbum etiam creet, licèt Pater sit primus Fons, à quo Filius substantiam habet & potentiam creandi eandem.

Tandem Patres Græci, postquam acerrimè & prolixissimè circa testimonia sanctorum Patrum Græcorum cum Patribus Latinis disputassent cum suo *Imperatore & Patriarcha* seorsim communicantes inter se fassi sunt: quod plurimi sancti Patres etiam Græci profiteantur, Spiritum Sanctum ex Filióque procedere, se autem alios citare non posse, qui contrarium scripserint, nec in dogmate Latinorum aliquid esse quod pium non sit: Omnes igitur consenserunt unico Episcopo Ephesino excepto, pertinaciter dicente: omnes hæreticos esse, qui Spiritum Sanctum ex utroque procedere asserunt; ad quod *Bessarion* unus ex Græcis Archiepiscopus Nicænus dixit exclamando: *Ergo Sancti qui hanc sententiam tradiderunt, haeretici fuerunt? multa fiant labia dolosa, quae loquuntur contra justum iniquitatem: Nonne clarè vidistis occidentales & orientales Doctores sanctos in hoc neutiquam discrepare?* &c.

VIII. Denique post multorum dierum inter Latinos & Græcos collationem tandem Græci inter se convenerunt, ubi *Archiepiscopus Nicaenus* ex *Cyrillo & Epiphanio* ac aliis Patribus Græcis suprà allegatis ostendebat authoritates, quæ Spiritum Sanctum ex Patre Filióque procedere dicerent; alias, quæ docerent ipsum Spiritum Sanctum ex utroque; alias, Spiritum Sanctum à Filio esse habere: alias, ipsum à Filio profundi. Deinde *Episcopus Mytyliensis Graecus* plures occidentales seu Latinos Patres allegavit *docentes Patrem & Filium unicam esse S. Spiritûs causam*, Patrem tamen præcipuam esse causam, licèt Spiritus ex consubstantiali quoque Filio sit atque ab utroque procedat. Quibus omnibus auditis *Episcopi Graeci dixerunt se eas aequo animo suscipere.*

ARTICVLVS VI.

Refertur definitio Concilii quoad processionem Spiritûs Sancti à Patre Filióque, & quoad azimum in S. Eucharistia ac purgatorium & primatum Pontificis Romani.

I. Iuxta prædicta demum Patres Latini & Græci consenserunt & S. Pontifex *Eugenius* patentes seu literas hujus tenoris expedivit: *Eugenius servus servorum Dei*, &c. *consentiente ad infrascripta charissimo Filio nostro Ioanne Paleologo Imperatore & loca tenentibus*, &c. *Patriarcharum & caeteris orientalium Ecclesiarum repraesentantibus*, &c. ubi inter alia sic habetur: *Convenientes Latini & Graeci in hac S. oecumenica Synodo, magno studio invicem usi sunt ut inter alia etiam articulus ille de Spiritus Sancti processione summa cum diligentia & assidua inquisitione discuteretur. Prolatis vero testimoniis ex divinis scripturis, plurimisq; authoritatibus sanctorum Doctorum Orientalium & Occidentalium aliquibus quidem*, ex Patre & Filio, *quibusdam vero* ex Patre per Filium *procedere dicentibus Spiritum Sanctum, & ad eandem intelligentiam aspirantibus omnibus sub diversis vocabulis Graeci quidem asseruerunt, quod id, quod dicunt Spiritum Sanctum ex Patre procedere, non hac mente proferunt, ut excludant Filium; sed quia eis videbatur* (ut ajunt) *Latinos asserere Spiritum Sanctum ex* Patre *Filioq; procedere, tanquam ex duobus principiis & duabus spirationibus: ideo abstinuerunt à dicendo, quod Spiritus Sanctus à Patre procedat & Filio. Latini vero affirmarunt, non se hac mente dicere Spiritum Sanctum ex Filioque procedere ut excludant Patrem, quin sit fons & principium totius Deitatis Filii scilicet & Spiritus Sancti; aut quod id, quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, Filius à Patre non habeat, sive quod duo ponant esse principia seu duas spirationes sed unum tantùm asseverent esse principium, unicamque Spiritus Sancti spirationem; prout hactenus asseruerunt: & cùm ex his omnibus unus & idem eliciatur veritatis sensus, tandem in infrascriptam eodem sensu unionem concordarunt & consenserunt*: In nomine igitur Sᵃᵉ. Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti *hoc sacro universali approbante Florentino Concilio definimus, ut haec fidei veritas ab omnibus Christianis credatur & suscipiatur, sicque omnes profiteantur, quod Spiritus sanctus ex Patre & Filio aeternaliter est & essentiam suam suumq; esse subsistens habet ex Patre simul & Filio, & ex utroq; aeternaliter tanquam ab uno principio & unica spiratione procedit, declarantes quod id, quod sancti Patres & Doctores dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur Filium quoq; esse secundùm Graecos quidem causam, secundùm Latinos vero principium subsistentia*

Digitized by Google

tia Spiritûs Sancti, sicut & Patrem. Et quoniam omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem, hoc ipsum, quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam est genitus.
II. *Diffinimus insuper explicationem verborum illorum, Filioque veritatis gratia & imminente tunc necessitate licitè & rationabiliter symbolo fuisse appositam. Item in azymo siue fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in altero ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ siue Orientalis siue Occidentalis consuetudinem. Item si vere pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfaciant & omissis, eorum animas pœnis purgatorii, post mortem purgari; & ut à pœnis hujusmodi releuentur, prodesse eis fidelium viuorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, Eleëmosinas, & alia pietatis officia; illorumq; animas, quæ post Baptismum susceptum nullam omnino peccati maculam incurrunt vel sunt purgatæ, in cælum mox recipi & intueri clarè Deum trinum & unum sicuti est; meritorum tamen diversitate aliam aliâ perfectius. Illorum autem animas, qui in peccato mortali actuali vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas. Item diffinimus sanctam Apostolicam Sedem & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum & verum Christi Vicarium totiusq; Ecclesiæ Caput & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam à Domino Iesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum & in sacris canonibus continetur,* &c. hæc ibi. ubi secundus locus post Rom. Pontificem *Constantinopolitano*, tertius *Alexandrino*, quartus *Antiocheno* Patriarchis juxta canones traditur, &c. Datum *Florentiæ* in sessione publica anno 1439. pridie nonas Julii.

III. Hisce literis subscripserunt *Imperator Græcus & Legati Patriarcharũ Alexandrini & Antiocheni* cum aliis Archiepiscopis seu Metropolitis & Episcopis Græcis circiter triginta. *Patriarcha Constantinopolitanus* tempore Concilii Florentiæ mortuus paulò ante mortem eandem confessionem in scripto suâ manu reliquerat. Similiter subscripserunt Cardinales omnes Archiepiscopi ac Episcopi Latini præsentes.

Sic itaq; in hoc Concilio post tantas concertationes veritas Catholicæ Fidei de processione Spiritûs S. à *Patre Filioque* etiam ab ipsis Græcis agnita & definita fuit; & contrarium asserentes hæreseos damnati fuerunt: Nec hoc primum fuit, sed antehac aliquoties in Conciliis Græci convicti eandem veritatem professi sunt ut ex sequentibus constabit.

ARTICVLVS VII.

Referuntur aliæ vices quando Græci resipuerunt.

I. QUòd Græci ante Concil. Florentinum sæpius convicti veritatem doctrinæ Ecclesiæ Latinæ diversis vicibus agnoverint & resipuerint, constat imprimis & specialiter ex *Concilio Barensi*, ut notat Baron. ad ann. 1097. n. 147. & seqq. ubi *S. Anselmus* præcipuè Græcos ita confutavit ut omnium Græcorum & Latinorum præsentium consensu anathema dictum sit omnibus processionem Spiritûs S. à Patre Filióq; negantibus. *B. Anselmus* etiam in epist. suprà allegata indicat, quod in Concilio Barensi cum Græcis congressum fuerit; sed cùm Græci postea iterum ad vomitum rediissent:

Iterum Anno 1215. in *Concilio maximo Lateranensi* cui Constantinopolitanus & Hierosolymitanus Patriarchæ, & alii septuaginta Metropolitæ Græci, præter alios quadringentos Episcopos interfuerunt, sub *Innocentio III.* definitum est cap. 1. his verbis: *Firmiter credimus & simpliciter confitemur, quod unus solus & verus Deus æternus, immensus, omnipotens, ineffabilis, incommutabilis & incomprehensibilis Pater & Filius & Spiritus S., Pater à nullo, Filius autem à solo Patre, ac Spiritus S. ab utroq; pariter absq; initio semper & fine, Pater generans, Filius nascens, Spiritus S. procedens, consubstantiales & coæquales & coæterni. Vnum universorum principium Creator omnium visibilium & inuisibilium,* &c. hæc ibi. In quo Concilio cap. 5. etiam dicitur: *Antiqua Patriarchalium Sedium priuilegia renouantes, sacra universali Synodo approbante sancimus, ut post Romanam Ecclesiam quæ disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpote Mater universorum Christi Fidelium, & Magistra Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, & Ierosolymitana quartum locum obtineat,* &c. hæc ibi, ubi pro pace Græcorum Constantinopolitanæ indultum est juxta Canones Conciliorum quæ post *Concil. Nicænum* fuerunt.

Rursus sub *Gregorio IX.* Anno 1274. *Concilium generale Lugduni* celebratum est, ad quod invitati fuerunt Græci & comparuerunt Nuntii *Imperatoris Paleologi* & ejus Filii *Andronici* ac Præsulum universæ Græciæ, inter quos Germanus olim Patriarcha Constantinopolitanus, Theophilus Metropolita Nicænus, & alii plures: qui exhibuerunt literas Imperatoris & Episcoporum, in quibus profitebantur; quòd multis collationibus habitis cum Nuntiis ab Apostolica Sede scilicet F. *Hieronymo Esculano & F. Bona gratia Ordinis FF. Minorum* Constantinopolim missis, agnoscerent Fidem Catholicam Ecclesiæ Romanæ juxta instructionem à Pontificibus Romanis *Clemente & Gregorio* missam. In his autem expresserunt, quòd crederent in Spiritum Sanctum ex Patre Filióque procedentem, &c. Et de purgatorio ac animabus post hanc vitam iisdem ferè verbis profitentur sicut in Concilio Florentino literis ab omnibus subscriptis habetur: *Profitentur etiam septem Ecclesiæ Sacramenta, ac specialiter quod in azyma etiam validè consecretur Eucharistia, in qua panis verè transubstantiatur in Corpus & vinum in Sanguinem Domini,* &c. *Agnoscunt etiam Romanum Pontificem primatum habere super omnem Ecclesiam,* &c. ut suprà. II.

Demum rogabant, ut Pontifex indulgeret, quatenus in Ecclesia Græca symbolum legeretur, prout ante Schisma consuetum erat: ut relinquerentur in Ritibus, qui non sunt contra supradictam Fidem, nec contra decem præcepta aut sacram scripturam vel contra doctrinam SS. Conciliorum & sanctorum Patrum receptorum per SS. Concilia, quæ celebrata sunt à Romana Ecclesia. Has literas misit *Imperator* sub sigillo aureo.

Alias etiã literas miserunt *Metropolitæ totius Asiæ*, quorum viginti sex subscripserunt nomine suo & Episcoporum sibi subjectorum in Syno- III.

Digitized by Google

do congregati, in quibus etiam simili modo fidem professi sunt, & indicarunt, quòd solus *Patriarcha Constantinopolitanus* unioni contradixisset, & absolutè se primum totius Ecclesiæ habendum voluisset, quem ipsi cum Imperatore à sede Patriarchali ad monasterium relegassent, &c. In his literis omnes cum Imperatore sub juramento promiserunt, se dictam fidei professionem & S. Sedis Romanæ authoritatem conservaturos.

Post hæc solemniter decantatum est ab omnibus symbolum Constantinopolitanum, & præsertim articulum, *qui à Patre Filioq; procedit*, lento & gravi cantu expresserunt, imò Græci decantantes in sua lingua bis illum articulum *à Patre Filioq;* repetierunt & Concilium feliciter expeditum est.

Hæc omnia acta Concilii Lugdunensis cum literis Imperatoris & Episcoporum Græcè & Latinè refert R.P. Lucas Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Domini 1274.

IV. Demum Anno Domini 1594. ut refert Baronius ad ann. 452. n. 22. ipso Baronio præsente Romam venerunt Legati ab *Alexandrina Ecclesia* ad Clementem VIII qui referebant, quòd illa *Ecclesia & tota Ægyptus*, cùm hactenus impii *Dioscori* partes secuta esset ipsius secta damnata expetierint fidem Romanæ Ecclesiæ ejusque unionem, & communionem. Hâc tamen toties & tam diversis temporibus repetitâ fidei confessione, & firmatâ juramento à Græcis unione relictâ ad Schisma pristinum redierunt non longè post Concilium Florentinum: unde paucis post elapsis annis anno scilicet 1455. Constantinopolitanum & Orientale Imperium planè extinctum jugo impiorum Saracenorum prô dolor! subactum est, nec tamen Græci sic visitati ad cor redeunt.

ARTICVLVS VIII.

Respondetur ad argumenta Græcorum de processione Spiritûs Sancti.

I. QUamvis ex præmissis tam ex S. Scriptura, quàm ex SS. Patrum allatis testimoniis, imò ex ipsorummet Græcorum toties repetitis confessionibus ad illorum argumenta responsio pateat, breviter tamen pro majori veritatis elucidatione ad singula respondetur.

Ad 1. Joann. 15. v. 26. ubi Christus dicit de Spiritu Sancto, *qui à Patre procedit*: ubi non dicit, quòd à *Filioq;* &c. adeóque ab illo non procedat.

Respondeo negando consequentiam. Nam ex authoritate negativa nunquã valet argumentum dicendo; Ille non dixit, ergo negavit. Et licèt instent, quod non oportet addere ad textum scripturæ. Respond. quòd si hoc valeret, etiam Græci peccarent addendo ly *solo*, scilicet qui à *solo Patre procedit*: hoc enim non dixit Christus.

Respond. 2. quòd, licèt Christus ibi non dicat expresè quòd spiritus etiam à Filio procedat, verbis tamen æquivalentibus id significavit in eodem textu & aliis locis suprà ex S. Scriptura allegatis.

II. Nec obstat quod dicunt Græci, quòd Christus ibi debuisset exprimere, ubi de Patre dixit. Nam negatur assumptum, nec enim in uno loco S. scripturæ omnia dicuntur, sed sufficit quòd in aliis indicetur. Hoc patet in aliis SS. Trinitatis mysteriis, ut primò Christus subinde loquatur de Patre non factâ mentione Filii vel Spiritûs S. & tamen illæ personæ etiam intelliguntur: sic patet ex illo Matt. 16. v. 17. *Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelavit tibi, sed Pater meus, qui est in cælis*, &c. ubi licèt solus Pater nominetur, Filius tamen & Spiritus Sanctus omnino cointelliguntur.

2. Ex illo Matt. 11. v. 27. *Nemo nouit Filium nisi Pater, neq; Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare*, &c. ubi videtur soli Filio tribui, quòd comprehendat Patrem, & ipse solus aliis revelet, adeóque Spiritus S. non sic novisset Patrem, nec Spiritus S. aliis revelet quod est blasphemum dicere, &c. Et similiter solus Pater nosceret Filium & non Spiritus S. quæ omnia falsissima sunt, & negant Spiritum S. esse verum Deum; ideóque Spiritus S. subintelligitur ut verus Deus, quia Pater ideo noscit Filium, quia est verus Deus, & Filius ideo novit Patrem quia est verus Deus, ideóq; intelligitur: quòd quia Spiritus S. etiam est Deus, noverit Patrem & Filium, non obstante particulâ, nisi, exclusivâ, quam Christus addit, ob quam major esset difficultas quæ tamen solùm excludit aliud quodcunque quod non est verus Deus cum Patre & Filio.

Sic SS. Patres responderunt *Eunomianis* negantibus Spiritum S. esse Deum. Itaq; generalis regula est ex S. Scriptura, *quod omne, quod de una persona in SS Trinitate dicitur, id etiam intelligatur de altera, nisi solum in his, quæ unam personam in esse persona constituunt, quale non est spiratio activa*, &c. similiter patet ex illo Joann. 17. v. 3. cùm Christus dicit ad Patrem: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Vbi non debet excludi Spiritus Sanctus, licèt nec ibi nec etiam alibi dicatur, ut cognoscant te Patrem & Spiritum Sanctum, &c. III.

Rursus Joann. 5. v. 26. dicit Christus: *Sicut enim Pater habet vitã in semetipso, sic dedit & Filio habere vitã in semetipso*, &c. An ergo sequitur, quòd Spiritus S. non habeat vitã in semetipso à Patre? cùm nullibi scriptura dicat, quòd Pater dedit Spiritui S. habere vitam in semetipso, &c. Et tamen hoc certum est ex aliis locis æquivalentibus, utpote quòd Spiritus S. procedat à Patre in eadem substantia, licèt ibi illa verba non dicantur: sic etiam ex aliis locis S. scripturæ constat, quòd Spiritus Sanctus sit & esse habeat à Filio & Patre, licèt solus Pater exprimatur Joann. 15. cùm dicitur *quod à Patre procedat*, &c.

Aliud est Græcorum argumentum, quod in symbolo Nicæno & Constantinopolitano non addatur *Filioq;*, sed tantùm dicatur, à Patre procedit, &c. Et quòd PP. in Concilio Chalcedon. anathema dixerint illis, qui aliquid addunt vel detrahunt ex illis symbolis. IV.

Respond. ad hæc: Patres Latini in Concilio Florent. expresè & fundamentaliter responderunt per aliquot sessiones ex multis demõstrando veritatẽ. Summa est, quòd non oporteat aliquid ad symbolũ illud addere illi contrarium, nõ verò prohibeatur aliquid pro majori declaratione Fidei contra exurgentes de novo hæreses addere; hoc ipsum ostenditur ex ipso symbolo Constantinopol. Concilii Anno 381. celebrati, ubi

ubi 150 Episcopi fuerunt præsentes, & tamen plura in illo symbolo vel addiderunt vel omiserunt quàm erant in Nicæno.

Nam in *Constantinopolitano symbolo*, hæc verba sunt: Primò *visibilium omnium & invisibilium*, secundò, *& Filium natum ante omnia sæcula*. Tertiò, *Et in Spiritum Sanctum Dominum & vivificantem*, quæ in symbolo Nicæno non erant; & tamen non censetur additio prohibita quia ob novam hæresin *Eunomii & Arianos* Patres duxerunt addenda pro majori declaratione Fidei: & ipsi SS. Patres, qui illa addiderunt, inter quos S. *Gregorius Theologus*, qui Concilio Constantinopolitano interfuit, professi sunt, se nihil aliud sentire quàm quod in Concilio Nicæno conclusum est. Sic autem *Gregorius* habet ad Cydonium: *Nos Fidei Patrum nostrorum qui ad Arianam hæresin evertendam Nicænam Synodum celebrarunt, nil unquam anteponimus, neque quippiam possumus præferre. Verùm ejusdem Fidei sumus, ac semper erimus, addentes* (NB) *tantùm id, quod de Spiritu Sancto, ideo imperfectè prolatum fuisset, quod antehac nunquam in controversiam fuerat vocatum, an Pater & Filius ac Spiritus Sanctus una divinitas sit, ipsumque Spiritum Deum esse nos oporteat credere.* hæc Greg. ubi indicat, quòd ob novam Eunomii hæresin post Nicænum illa de Spiritu Sancto addenda pro claritate fuerint in symbolo Constantinopolitano. Sic etiam *Concilium Constantinopolitanum* in symbolo omiserat verba illa: *Ex substantia Patris*, quæ in Nicæno habentur.

V. Rursus *Concilium Chalcedonense* tam graviter dicitur prohibuisse, ne quidquam ad Constantinopolitanum adderetur: & tamen ex symbolo Constantinopolitano omisit totum hoc, *natum ex Patre*, id est, ex substantia Patris, & loco illorum posuit, *consubstantialem Patri secundùm divinitatem, nobis autem secundùm humanitatem*; ut per hæc *Eutychis* hæresin everteret: imò in Concilio Constantinopolitano omissus est articulus symboli Apostolorum, *descendit ad inferos*, & tamen non ideo ut falsum reprobatur.

Demum in *Concilio Ephesino* solùm facta est mentio symboli Nicæni & non Constantinopolitani, ut illud accuratè observaretur: adeóque Græci malè fecissent Constantinopolitano utentes: imò in Concilio *falso Ephesino secundo* Eutyches protestabatur se symbolum Nicænum profiteri, in quo non fieret mentio de duabus naturis, & ideo *Flavianum* peccare, qui illas adderet Fidei, cui nullum verbum addendum esset: sed hoc falsum esse postea Patres declararunt damnando Eutychen, licèt Dioscorus mordicus contradiceret.

Ad hoc tamen Patres urgentes Constantinopolitanum dixerunt unum esse symbolum *Nicænum & Constantinopolitanum*, nec in aliquo differre, cùm tamen tot verba sint diversa in illis, ut visum est: idque ideo, quòd per illa verba eadem fides magis declarata esset, & hoc nullo modo à Concilio Chalcedonensi prohibitum fuit, ut patet ex prædictis; alioquin & Chalcedonense contrarium esset Nicæno ut visum est: sed solùm prohibitum est, aliquid symboli fidei contrarium addere, &c.

VI. Juxta hæc PP. Latini responderunt Græcis, quòd Pontifex Rom. maximè in Gallia & Hispania imminente schismate, cùm jam passim in symbolo celebraretur, *Filioq;*, in magno Occidentalium Patrum conventu declaraverit, ut ubique *Filioque* adderetur.

Hujus causâ declaravit Baron. ad Ann. 447. n. 19. dicens: quòd S. Leo Papa, qui Chalc. Synodum confirmavit, & quam Græci pro se allegant, dum in Hispania Synodus esset constituta, ubi recentes Gothi Cathol. fidem susceperant, fidei assertionem præscripserit; juxta quam Catholici ab Arianis, Priscillianistis, & aliis hæreticis dignoscerentur, in qua & quidem cap. 1. hæc verba ponuntur: *Primo itaq; capitulo demonstratur, quàm impiè sentiant de Trinitate divina, qui & Patris & Filii & Spiritûs S. unam atq; eandem asserant esse personam, tanquam idem Deus nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus S. nominetur, nec alius sit qui genuit, alius qui genitus est, alius qui* (NB) *de utroq; processit*, &c. hæc ibi. Unde Episcopi in Concilio illo, illa verba symbolo inseruerunt & servarunt.

Similiter Wisogothi postea ad Catholicam Fidem conversi in suo symbolo hæc habuerunt: *Credo & in Spiritum Sanctum Dominum & vivificantē, ex Patre Filioq; procedentem*, &c. similiter omnes Franci & Galli sub hac Fidei confessione symbolum usurparunt.

Nec hoc à *Leone* priùs profectum, sed ipse *Damasus* candē fidei professionem scripsit, qui *Concilium Constantinopol.* Anno 381. celebrandū promovit; ut patet ex sexta Synodo act. 18. ubi sic dicitur: *Macedonius Spiritûs S. Deitatem & Dominum, eumq; conservum prædicabat, sed maximus Theodosius Imp. & Damasus fidei adamas obstiterunt, quorū solidam mentem aggressiones nullatenus sauciarunt*, &c. hæc ibi & hujus *Damasi volumen* continens fidem sub titulo Occidentalium in eodem Concilio cum symbolo Nicæno receptum fuit: ita tamen, ut Patres illi symbolo aliqua de divinitate Spiritûs Sancti addenda judicarint ut notat Baron. ad annum 381. n. 27. & seqq.

Professionem fidei, quam *Damasus* in illo volumine ad *Episcopum Antiochenum Paulinum* scripsit, refert Gennadius Patriarcha Constantinopol. apud Baron. ad ann. 867. n. 68. ut suprà allegavimus. Ipse Damasus etiā idem Conciliū non solùm servari curavit, sed cùm esset tantùm 150. Episcoporū; inter quos præter Greg. Nazianz. & alios insignes Patres, etiā plures variabiles erant, confirmavit ibid. n. 20. sed quoad fidei dogmata ibi conclusa tantùm; non autem quoad canones de præcedentia Episcopi Constantinopolitani, qui postea per fraudem annexi sunt ut notat Baron. ibid. n. 35. Idem Damasus etiam illud Concilium, ut œcumenicum esset, fecit; junctis literis Occidentalium Ecclesiarum, ut ostendit Baron. ibid. n. 68. VII.

Hîc igitur *Damasus*, ut habetur in Concilio Rom. prout notat Baron. ad ann. 447. n. 20. sic scripsit: *Spiritus S. non est Patris tantummodo aut Filii tantummodo spiritus: Scriptum est enim*, si quis dilexerit mundum non est spiritus Patris in illo. *Item scriptum est*: Qui autem spiritum Christi nō habet, hic non est ejus. *Nominato itaq; Patre & Filio intelligitur Spiritus Sanctus, de quo Filius in Evangelio dixit: Quia Spiritus S. à Patre procedit, & de meo accipiet & annunciabit vobis*, &c. hæc Damasus: ubi brevissimè & clarissimè processio Spiritûs Sancti ab utroque ostenditur.

Hoc ipsum scripserunt & docuerunt post Damasum & Leonem alii Pontifices Romani, licèt multo tempore ly *Filioque* in urbe Romana non fuerit symbolo additum; quamvis in Hispania, Gallia, & toto occidente additum fuerit juxta S. Leonis literas ad Turibiū. Causa autē fuit, quia VIII.

Digitized by Google

in urbe Romana solùm ad Baptismum uti solebant symbolo Apostolico, eò quòd nullæ ibi unquam hæreses prævaluissent; ut ex Ruffino & presbyteris Romanis notat Baron. ad ann. 447. n. 22. & 24. nec cantari aliud symbolum solebat: postea tamen quia Galli, Hispani, &c. symbolum Constantinopolitanum cum addito *Filioq,* sub missa decantare soliti essent & Schisma timeretur; *Benedictus VII.* instante Henrico Imperatore ordinavit: ut idem symbolum cum addito *Filioq,* post Euangelium in Missa etiam Romæ decantaretur.

Ex his patet primò mendacium *Photii*, qui ausus fuit asserere Ecclesiam Romanam imò Occidentalem, exceptis paucis non credidisse processionem Spiritûs Sancti à Patre Filióque, &c.

Secundò patet crassius mendacium *Ieremiæ patriarchæ Hierosolymitani*, qui in censura ad confessionem Lutheranorum scribere non erubescit; quòd à Synodo Nicæna & aliis sequentibus definitum sit, sic scribens cap. 1. *Nicæna Synodus & reliqua cum ea consentientes omnes decreuerunt Spiritum Sanctum ex ipso solo Patre procedere*, &c. sed patet nullibi, vocem *solo*, additam fuisse, multò minùs definitum esse.

ARTICVLVS IX.

Demonstratur summariè schisma & hæresis Græcorum.

I. ACta Conciliorum & doctrinam Græcorum hactenus prolixiùs referenda duxi, ut cuilibet Lectori sincero veritas doctrinæ Ecclesiæ Romanæ, & falsitas Græcorum constare posset; quæ epilogando breviter repetentur.

Primò itaque constat ex antiquis Conciliis œcumenicis & SS. Patrum primitivæ Ecclesiæ testimoniis; quòd unio & communio fuerit fidelium Catholicorum per totum orbem Orientalem & Occidentalem.

Secundò constat, quòd nullum Concilium generale œcumenicum celebratum fuerit sine consensu & approbatione Romani Pontificis, prout in Concilio Nicæno etiam sancitum erat:

Tertiò constat quòd Patres Conciliorum generalium Romanum Pontificem ut caput Ecclesiæ & S. Petri successorem, ac Ecclesiam Romanam ut Matrem & Magistram aliarum Ecclesiarum agnoverint; & actorum & definitionum in Conciliis approbationem ab illo petiverint: ut patet specialiter in *Ephesino* 1. & *Chalcedonensi*, & in dubiis ac hæresibus in Oriente sæpe emergentibus pro resolutione SS. Patres ad Sedem Romanam recurrerint: & ideo etiam in Conciliis licèt in Græcia celebratis Legati Sedis Romanæ subinde sacerdotes duntaxat, vel Diaconi tantùm ante Patriarchas præsederunt.

Quartò constat, quòd, dum impius *Dioscorus Eutychetis adjutor* in pseudosynodo Ephesina secunda, suam falsam fidem damnatâ fide Concilii Ephesini primi stabilitam cupiens à Romano Pontifice confirmationem petitam non obtinuisset, sed potiùs cum suis esset damnatus; ipse eò audaciæ processit, ut S. Leonem Rom. Pontificem damnare ausus sit: ob quod ab omnibus Patribus Catholicis etiam Græcis anathematizatus fuit; imò nec sibi adhærentes consenserunt.

II. Quintò constat, quòd, licèt Episcopi Constantinopolitani post Concilium Constant. Anno 381. ob canonem ibi adjunctum contra canones Nicæni Concilii sibi secundum locum post Roman. Pontificem ante alios Patriarchas Orientis adscripserint; imò circa Ann. 600. titulum *Episcopi universalis* per Orientem vendicare voluerint; à S. Gregorio magno & aliis Pontificibus prohibiti fuerint: tamen salvâ pace & unione Ecclesiæ Orientalis cum Romana perseveraverint & Romanum Pontificem; ad eumque appellationes ab aliis Patriarchis agnoverint.

Sextò constat, quòd Anno 858. *Photius* impius *S. Ignatio* è sede Constantinopolitana ejecto, malè intrusus mendaciter Rom. Pontifici scripserit se invitum esse promotum ac confirmationem petere: sed Nicolaum Pontificem id cognitâ veritate renuentem, ausus sit omnium primò in pseudosynodo ab ipso congregata accusare & Ecclesiam Occidentalem de variis erroribus, utpote de azymo & processione Spiritûs Sancti damnare, & se ab illa separare.

Septimò constat, quòd impius Photius postea III.
in Concilio generali de hoc accusatus & damnatus fuerit Anno 869. ubi turpissima ejus mendacia & crudelitates in Episcopos sunt ostensæ, & Orientales Ecclesiæ unionem cum Ecclesia Romana & obedientia ad Sedem Apostolicam servarunt; licèt subinde aliqui defecerint.

Octavò constat, quòd Episcopis Constantinopolitanis sæpius primatum ante alios Orientis Patriarchas prætendentibus & à S. Pontifice obtinere conantibus, sed repulsam passis; tandem impius Michaël circa Ann. 1058. etiam contra canones Constantinopolitanus Episcopus promotus dum à S. Leone Papa reprobaretur, formale Schisma inceperit, damnando Latinos, imò illos, qui Latinos Ritus Constantinopoli & in Græcia observabant, persecutus sit; ipsorum Ecclesias & monasteria claudendo & ad suos Ritus cogendo, baptizatos à Latinis rebaptizando, Romanum Pontificem & Ecclesiam Latinam hæreseos damnando, quoad azymum & processionem Spiritûs Sancti ab utroque.

Nonò constat, quòd Græci illos impios Au- IV.
thores *Phot. & Michaëlem* sequentes sine causa ex ambitione contra canones Schisma fecerint, sese à communione Ecclesiæ Romanæ & obedientia Romani Pontificis separarint contra S. scripturam & antiqua Concilia generalia, sub prætextu hæreseos à Latinis doctæ.

Decimò constat, quòd Hæresiarchæ plures Schismata inchoantes semper prætextum quæsierint, damnando Ecclesiam Cathol. de aliquo ficto errore: sic *Nouatiani* damnabant Ecclesiam, quod lapsos ad pœnitentiã reciperet & librorum sacrorũ traditores: Sic *Donatistæ* damnabant *Ecclesiam Rom.* quòd baptizatos ab hæreticis non rebaptizaret, & ideo teste D. *Augustino* lib. 2. contra Petilian. cap. 51. cathedrã S. Petri cathedram pestilentiæ dicere audebãt: Sed ipsi potiùs Schismatis & hæreseos convicti damnati fuerunt.

11. Constat similiter, quòd Græci verissimã hæresin docuerint specialiter dum pertinaciter negarunt 1. quòd Spiritus S. à Patre Filióq; procedat prout ex S. scriptura & SS. Patribus Græcis & Latinis probatum est. 2. quòd validè S. Eucharistia in azymo consecretur: cùm constet ex S. scriptura quòd Christus in azymo V. Sacramentũ consecrarit, & quòd Ecclesia Romana

tempore Apostolorum in azymo consecrarit; & de hoc nulla unquã ab ullo Concilio vel SS. Patribus quæstio mota fuerit; imo nec à Photio primo schismatis authore, sed demum à Michaële Constantinopolitano circa Ann. Domini 1053.

V. 12. Demum hoc constat ex eo, quod Græci Patriarchæ & Episcopi tot vicibus in Conciliis œcumenicis cum Latinis congregati agnoverint Ecclesiam Latinam in illis articulis non errare, sed veritatem tenere; & se sub juramento sic credituros, & S. Romanæ Ecclesiæ obedientes fore obligaverint, ut supra ostensum est: nunquam vero Ecclesia Romana à sua fide in minimo recessit: Fides autem vera semper eadem manet, & sic Ecclesia Græca tum ex S. scriptura, tum ex SS. Patribus antiquis, tum ex propria confessione toties convicta & tamen pertinaciter suis erroribus inhærens, & veritatem Catholicam condemnans verè schismatica & hæretica est: adeoque nullo modo vera Christi Ecclesia esse potest.

VI. Quamvis autem Græci post relapsum in suos errores & schisma, quæ abjurarunt in Concilio Florentino, paulo post ab impio Turca subjugati fuerint; nihilominus in superbia sua creverunt: dum quatuor illorum Patriarchæ Constantinopolitanus, Antiochenus, Alexandrinus & Hierosolymitanus sibi arroganter titulos maximos vendicant ut refert P. Bernardinus Surius in sua Pragmatica lib. 1. cap. 36. An. Domini 1649. ubi titulum Jerosolymitanum exprimit qui talis est: *Euthymius Dei gratia beatissimus & sanctissimus Pater & Patriarcha, Pastor Pastorum, summus Pontifex universalis in sancta Civitate Ierusalem & tota Palæstina Syria, Arabia*, &c.

Similes titulos alii Patriarchæ usurpant, & qui nolunt verum Ecclesiæ Caput & Pastorem Christi Vicarium agnoscere (qui nunquam tales sibi titulos usurpat, sed se scribit *Servum servorum Dei* juxta morem antiquum) confirmationem suam à Turcarum Imperatore pretio ingenti obtinere debent.

VII. Hîc sincerus Lector finaliter observet, quàm turpiter impingant Lutheri & Calvini sectatores; dum suæ Ecclesiæ amplitudinem & antiquitatem à Græcis Schismaticis probatam volunt. Constat enim primò, quod Græci Schismatici ad summum circa annum 800. inceperint. 2. quod ipsi Græci licèt sæpius requisiti Calvinistas & Lutheranos nullatenus suos confratres agnoscere voluerint nec potuerint; sed acerrimè eorum errores per scripta edita confutarint. 3. quod Græci plerosque articulos cum Ecclesia Romana credant, ut quod *septem sint sacramenta*: quod *Missæ sacrificium celebrandum*, quod *in ven. Sacramento verè Corpus & Sanguis Christi sit præsens*: & quod *panis in Corpus Christi transubstantietur*; quod *Confessio peccatorum auricularis particulari Sacerdoti sit facienda*, prout Patres nostri ipsorum officio divino præsentes viderunt ipsum Patriarcham ante Missam confitentem, &c. apud Surium suprà. *Quod Sancti mortui sint invocandi, ac eorum imagines honorandæ.* Quod *pro defunctis sit orandum. Ieiunium quadragesimale accuratissimè servandum*, &c. Econtra ubi Græci à Catholica Romana dissident, etiam ipsi ab illis dissentiant; quandoquidem Acatholici cum Ecclesia Romana credant Spiritum Sanctum à Patre *Filioq; procedere*; nec ipsi curant *sive in azymo sive in fermentato suam cænam, ut volunt, Dominicam servent*; qua fronte ergo se ad Græcorum Ecclesiam referunt?

Observet etiam sincerus Lector qualiter moderni Acatholici antiquos Hæreticos Dioscorum, Eutycheten & alios imitentur: qui dum ab œcumenicis Conciliis damnabantur, ausi fuerunt talia Concilia anathematizare, prætendentes: quod contra S. scripturam & Concilium Nicænum definiissent; nec omnes Episcopi in Conciliis præsentes fuissent, scilicet illi qui de illorum secta erant: sic etiam Acatholici sese Concilio Tridentino opposuerunt, eò turpiùs, quod nullus tunc temporis Episcopus eorum erroribus adhæserit, adeoque nullus illorum de jure quocunque prætenso interesse debuerit.

CAPVT VI.

De erroribus aliorum Orientalium.

ARTICVLVS I.

Referuntur errores aliorum Hæreticorum Orientis, imprimis Armenorum.

I. ARmeni populi in Armenia Provincia prope Antiochiam, ut refert *Iacobus à Vitriaco* in Histor. Orient. cap. 79. seorsim inter Christianos & Saracenos habitabant; singularibus ritibus utentes, tempore quo Jacobus in illis partibus & vicinis regionibus versabatur: inter quos & Græcos implacabiles erant dissensiones, quoad ritus sese mutuò detestantes.

Armeniam autem priùs orthodoxæ fidei fuisse constat sub *Constantino Magno*, ut refert Baron. ad An. 325. n. 212. quod viri sanctissimi ibi floruerint, & consequenter circa ann. 361. *Basilius magnus* in Cappadocia, Armenia, Ponto & Paphlagonia, &c. Plurima Monachorum monasteria fundavit & propagavit, ut Baron. ibid. n. 51. notat. Verùm postea per impios Hæreticos seduci cœpit: cùm Hunni circa An. 515. illas regiones vastarent, quando in Metropoli Cappadociæ Civitate Cæsariensi *Soterichus Eutychianorum Princeps* Episcopus erat, ut refert Baron. ad An. præf. n. 49.

Demum de Armenia scribit Baronius ad An. 685. n. 3. quod, quia Christianorum Ecclesia in Armenia sub Saracenis quasi silvesceret, multos errores contraxerit; quos Baron. ad An. 685. n. 3. notat: prout referuntur in Synodo sexta Can. 32. &c. II.

1. *Quod, licet sacrificium Missæ more Latinorum in azymo celebrent, tamen vinum sine mixtione aquæ adhibeant.*

2. *Nullum ex Iudæis conversum, nisi ex genere Aaron fuerit, ad Sacerdotium ordinant.*

3. *In Quadragesima diebus Sabbathi & Dominicis ovis & caseo vescuntur.*

Digitized by Google

4. *More Iudæorum carnes in altari assatas populo comedendas distribuunt*, &c. hæc ibi: quibus postea plures accesserunt. Quos refert Baron. ad an. 865. n. 45. & seqq. ex S Nicone in vicinis partibus olim Episcopo.

1. Quod doceant naturam divinam esse passibilem & Trinitatem pati, quod per tres ramos in uno trunco indicant.

2. *Docent Spiritum Sanctum esse Patre & Filio minorem.*

3. *Duarum in Christo naturarum unione confusionem asserunt more Eutychianorum.*

4. *Non sicut Catholici, carnem Domini in Dei Matris utero formatam esse existimant.*

5. *Etsi S. Gregorius olim ipsorum in magna Armenia Episcopus sanxisset, ut eorum Episcopus uniuersalis ab Archiepiscopo Cæsariæ Cappadociæ ordinaretur, illum ab alio consecrari faciunt.*

6. *Ex sanctis Euangeliis certos textus sustulerunt, utpote: Et factus est sudor ejus sicut gutta sanguinis*, &c. *& historiam de muliere adultera à Christo reconciliata*, &c.

7. *Canonem habent, quo dicitur: Qui ovum, caseum & butyrum vino & oleo æquiualere negat, anathema sit.*

8. *Plura Mosaica legalia seruant, utpote Agnum in Paschate seu magno Dominico sacrificant, & limina inungunt, cineres cum sanguine ferunt in signum expiationis*, &c & in his mordicus hærebant anathema dicentes, qui illa non servaret,

Verùm anno 1080. *Patriarcha* eorum misit Legatos Romam ad Gregorium Papam, qui illos in fide Catholica institueret: illi tamen negabant prædictos errores ab ipsis teneri.

III. Rursus refert Baron. ad An. 1145. n. 23. & 24. ex Ottone, qui scripsit in hæc verba: *Legati Armenorum Episcoporum eorumq; Metropolitani, quem ipsi Catholicon id est universalem propter amplius quam mille episcoporum sub se habentem numerum vocant: Legati ab ultimo fere Oriente summum Pontificem Eugenium Viterbii adeunt, eiq; ex parte illius Ecclesiæ subjecti obedientiam omnimodam offerentes, causas viæ nobis cum multis aliis præsentibus aperiunt, quæ tales erant: Inter ipsos & Græcos quædam de ritu sacrificii habitudo est in quibusdam, in aliis vero discrepantia: ponunt enim fermentatum panem sicut illi* (ubi nota, quod defecerint ab azymis) *aquam vero vino non admiscent; sicut nos Latini & illi Græci Natiuitatem Domini cum Epiphania unam festiuitatem faciunt*, &c. *Pro his & aliis dum inter se dissentiunt, Romanam Ecclesiam eligentes Iudicem, consultum veniunt. formam sacrificii juxta consuetudinem ejus sibi tradi deposcunt*, &c. hæc Otto, qui interfuit, ubi miraculum narrat factum, quo Legati confirmati fuerunt. Vbi idem Author etiam refert, quod tunc ad Eugenium venerit ex *Syria Episcopus Gabulensis*, cujus opera Ecclesia *tota Antiochena* sese Romanæ Sedi subjecerit.

IV. *Armeni* postea subinde in Conciliis Latinis comparuerunt; ut in *Lateranensi sub Innocentio III.* ac demum *in Florentino sub Eugenio IV.* ubi erroribus prorsus abdicatis Ecclesiæ Romanæ fidei subscripserunt; ut patet ex decreto Eugenii, quod unionis dicitur, ubi Eugenius sic ait: *Optatissimam Armenorum unionem sua ineffabili misericordia concessit benedictus Deus*, &c. & infrà: *Nam & pridem magnam illam Græcorum unionem multas longe lateq; continentium natione & longius hodie vero hanc ipsam Armenorum populi qui per Septentrionem & Orientem in magna copia diffusus est in eodem fidei & charitatis vinculo cum sede Apostolica stabiliuit*, &c. & infra: *Vt primum enim a nobis ad Synodum accersiti sunt, tanquam Ecclesiastica auidi veritatis spectabiles deuotos & doctos Oratores suos cum sufficiente mandato de suscipiendo videlicet, quidquid Spiritus Sanctus hanc S. synodum illustrauit ex remotissimis Regionibus ad nos & hoc S. Concilium destinarunt*, &c. ubi postea enarratur fides Catholica quoad symbolum Constantinopolitanum, & quia Armeni nihil aliàs de Concilio 4. Chalcedonensi audierant, utpote ab Eutychianis præventi & occupati, illi Concilio sicut aliis tribus subscripserunt: postea de septem Ecclesiæ Sacramentis & cæteris Ecclesiæ articulis. Hoc decretum An. 1439. in Concilio Florentino datum.

Ex quibus patet quod Armenorum doctrina hæretica fuerit ex Judaismo, Eutychiana & aliis multis conflata; adeoque vera Christi Ecclesia nullo modo fuerit vel esse possit, qui ad pristinos errores, quos detestati toties fuerunt, relapsi sunt.

ARTICVLVS II.

De erroribus Ruthenorum.

Alia est *Natio Ruthenorum*, qui aliter vocabantur Rossi vel Russi, ut notat *Baronius* in speciali libello adjecto Tomo 7. Annalium, qui vicini sunt *Polonis*. Hi populi à tempore Apostolorum dicuntur ad fidem conversi, quorum Episcopus interfuit *Concilio generali Antiocheno* tempore Joviniani Imperatoris circa annum 384. Postea tamen relapsi ad Idololatriam circa An. 867. tempore *Basilii Macedonis Imperatoris* iterum per ingens miraculum ad fidem conversi fuerunt per Græcos adhuc Romanæ fidei adhærentes. Rursus vero ad gentilitatem relapsi ut ad An. 1008. notat *Baronius*, conversi sunt ad fidem Catholicam per *S. Bonifacium* ab Apostolica sede ad illas partes apostolicè missum, quorum *Rex Demetrius* Regnum suum sedi Romanæ obtulit anno 1083. *sub Gregorio VII.* & ipsi Rutheni semper Romanæ Ecclesiæ fuerunt addictissimi; licèt Græci ad schisma prolapsi illos ut vicinos attraxerint. Demum in *Concilio Florentino* sub ipsorum Archiepiscopo Isidoro fidem Catholicam & obedientiam S. sedis professi sunt. Verùm cùm Græci post Concilium Florentinum perjuri ad schisma relaberentur, etiam hos populos in eandem secum ruinam traxerunt, utpote: qui Græcorum vicinorum ritibus uterentur. Demum vero cùm aliqui ex ipsis intellexissent Romanam sedem illis indulgere, ut suis ritibus sanæ fidei non contrariis uti possint, miserunt *Archiepiscopus & Episcopi Ruthenorum* Legatos suos Romam Anno 1594. ad Clementem octavum, datis literis ab omnibus subscriptis; in quibus profitentur fidem Catholicam, & se sæpius desiderasse unionem cum S. Romana Ecclesia, & cum unico Ecclesiæ Pastore à Christo constituto & ab initio Ecclesiæ agnito Romano Pontifice; expectasse autem, ut Græci, quorum Patriarchæ subjecti erant, etiam ad eandem unionem redirent, sed quia illi à Turcis oppressi non velint I.

Digitized by Google

velint vel non possint, ipsi jam unionem & omnimodam obedientiam promittant, &c. Legati itaque nomine illorum professionem Fidei in scripto exhibuerunt & professi sunt juxta Decreta *œcumenici Concilii Tridentini*, hæc ex prolixa narratione Baronii suprà allegata.

II. Ex his patet, quod *Rutheni & vicini populi* priùs ad Catholicam Fidem conversi sub Romani Pontificis obedientia fuerint, licèt postea à Græcis ad schisma & errores seducti sint, & diversis jam erroribus laborent, ut sunt Moscovitæ, Cosaci, &c. sicut omnes à via veritatis declinantes in diversa præcipitantur.

ARTICULUS III.

De erroribus Abyssinorum, Maronitarum, Surianorum, Iacobitarum & Georgianorum.

I. Quia populi illi vastissimas incolentes Regiones olim ad Fidem Catholicam conversi, postea vero *Nestorianâ, Eutychianâ*, aliisque hæresibus infecti fuerunt, facile patet, quod veram Fidem non habeant, unde illorum errores retulisse, satis erit ostendisse illos veram Ecclesiam non habere.

Abyssini amplissimam obtinent *Æthiopiæ superioris Regionem*, quæ dicitur 672. leucas circiter in ambitu continere, licèt *Æthiopia inferior* plurimas alias Regiones partim idololatriâ partim Mahometismo, &c. infectas habeat. *Abyssinorum Rex* vulgò *vocatur presbyter Ioannes*: Hi dicuntur primitus à S. Thoma Apostolo ad fidem conversi, quem adhuc in summa habent veneratione, sed circa annum 500. vel circiter cum aliis vicinis Christianis ad impiam Nestorianorum hæresim seducti sunt, ut refert *Iacobus de Vitriaco* cap. 77. insuper in alios errores lapsi sunt primò *quod cibos in veteri testamento prohibitos non comedant. 2. quod non solum pueros more Iudæorum, sed etiam puellas circumcidant. 3. non Dominicum ut Christiani, sed ut Iudæi Sabbatinum diem celebrant. 4. Infantes oleo & igne baptizant. 5. post circumcisionem quarto die baptizant in nomine Patris & Filii & Spiritus, imo & singulis annis in festo Epiphaniæ omnes rebaptizant. 6. omnibus baptizatis statim Eucharistiam administrant 7. Missam celebrant, sed Sacerdotes uxores habent. Ibidem Monachorum numerus est ingens, qui non ducunt uxores, in quorum monasteria nec mulier nec animal fœminei sexus admittitur*, &c. ut refertur in *compendio universi* Geographicarum enarrationum lib. 1. cap. 20. & lib. 2. cap. 40.

II. *Georgiani* etiam Christiano nomine gaudentes populi sunt bellicosissimi, ut in compendio dicto refertur latissimam habentes Regionem à Trapezante juxta Pontum Euxinum celebri urbe usque ad Caspios montes; *vicinis Turcis, Persis & Medis* formidabiles, ut etiam testatur *Iacobus à Vitriaco*. S. Georgium habent patronum, quem miré colunt: ritum & doctrinam Græcorum servant, in divino officio lingua Græca distincta à sua vulgari utuntur.

Maronitæ populi sunt copiosi in monte & circa juga Libani habitantes, ut scribit *Iacobus à Vitriaco* cap. 79. olim in Fide Catholica imbuti, sed postea à Marone *Monothelita* Macarii Antiocheni Episcopi discipulo, ad errorem Monothelitarum perversi sunt, qui in Christo unam tantùm voluntatem & operationem prædicabat in synodo sexta damnatus, cui hæresi postea plures errores addiderunt.

Hi circa annum 1182. ut notat Baronius ibid. n. 4. ad Fidem Catholicam & obedientiam Sedis Romanæ reversi, postea 1215. in *Concilio Lateranensi* planè instructi in Fide & obedientia perstiterunt, & ut P. Bernardinus Surius in suo libro dicto Iter Jerosolymitanum c. 36. refert An. 1649. multas à Græcis ideo persecutiones sustinentes, adhuc perseverant.

Suriani populi sunt dicti vel ab urbe *Sur* in Syria, vel ab ipsa Syria, quam incolunt, potissimum erroribus Græcorum inhærent. III. *Iacobitæ*, ut Jacobus à Vitriaco cap. 76. tempore, quo ipse in Palæstina fuit, scribit circa An. 1212. maximas incolebant Regiones scilicet *Nubiam*, quæ est contermina *Ægypto* & magnam *Æthiopiæ* partem usque ad *Indiam* plusquam quadraginta Regna possidebant, qui, ut Jacob. à Vitriaco suprà cap. 76. refert priùs à S. Matthæo Apostolo ad Fidem conversi postea ab *impio Jacobo* impiorum *Dioscori & Eutychetis* Discipulo ad hæresin seducti sunt, quæ docet Christum post incarnationem non duas naturas sed unam tantum divinam habere, in quam humana mutata esset, sed in Concil. Chalced. damnata est, ut suprà relatum. Præter hanc hæresin *Jacobitæ* alios habent errores, primò *circumcidunt parvulos in utroq; sexu more partim Judæorum partim Saracenorum. 2. error est, quod parvulos suos baptizent ferro calido adurentes, & signantes in frontibus imprimunt cauterium; quidam autem in modum crucis in ambabus genis seu temporibus infantes consignant*, &c.

IV. Sicut autem omnis hæresis sese fundare conatur in S. scriptura malè interpretata, sic & isti *Jacobitæ* se fundabant in illis verbis *Joannis Baptistæ* Matt. 3. v. 11. ubi de Christo Domino loquens ait: *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne*, &c. ubi de spirituali igne Joannes loquitur, de quo Christus ait Luc. 12. v. 49. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur.*

Constat autem, quod Deus prohibuerit, ne fideles more Gentilium pueros per ignem purgent Deut. 18. v. 9. *Caue ne imitari velis abominationes illarum gentium, nec inueniatur in te, qui lustret filium suum aut filiam ducens per ignem.* Insuper nusquam Christus vel Apostoli leguntur instituisse vel usurpasse talem in igne baptismum, quin potius semper in aqua ut in Act. Apostolorum passim, præsertim cap. 8. v. 36. ubi dicit Eunuchus: *Ecce aquam, quid prohibet me baptizari?* &c. *& descenderunt uterq; in aquam Philippus & Eunuchus, & baptizauit eum.* Vbi non poterat esse ignis, &c. Nec hoc unquam primitiva Ecclesia usurpavit; unde planè erroneum est.

V. Isti autem *Eutychiani Jacobitæ* eo majorem stragem fidei in populis Ægypti & aliis Regionibus etiam inter Monachos fecerunt, quia *Dioscorus* impius Alexandriæ & Ægypti Patriarcha mentiebatur, quod Concil. Chalcedonense damnasset Concilium Nicænum & Ephesinum ex eo, quod docerent in Christo unam personam & duas naturas, ipsi imponebant Concilio, quod duas in Christo personas doceret & B. Mariam Deiparam negasset, unde plurimi Monachi perversi sunt per totam Palæstinam, ubi quidam

Theo-

Digitized by Google

Theodosius pseudomonachus sedem Hierosolymitanam invadens, sub dicto falso prætextu synodum *Chalcedonensem* damnans, orthodoxos ferro & flammâ persecutus est, Monachis pluribus collaborantibus, ut ipse *Marcianus Imperator* ad pseudomonachos scribens exprimit apud Baron. ad An. 452. n. 32. & ex variis Historicis ibidem refertur; quod plerique Monachi seducti fuerunt; *S. Euthymo* tamen Monacho & *Daniele Stylita* cum aliis pluribus constanter in Fide Catholica perseverantibus, qui etiam plures alios in aliis desertis locis commorantes Monachos confortavit, aliis pseudomonachis in plerisque locis pertinaciter in hæresi Eutychiana perseverantibus: ita ut etiam tam Monachi quam populi impiissimum Eutychetis defensorem Dioscorum per Palæstinam & Alexandriam ac Ægyptum sanctum prædicarent, ut millies mori mallent, quam Dioscoro anathema dicere: in qua perfidia & cæcitate per multos centenos annos usque ad An. 1594. pertinaciter permanserunt, quando Legatos ad Clementem octavum pro unione miserunt, ut suprà dictum est, ita Baron. ad An. 452. n. 22. & seqq.

VI. Hi *Eutychetis sectatores* variè inter se divisi fuerunt, generaliter dicti *Ægyptii & Monophitæ*, quorum Duces fuerunt *Theodosius Alexandrinus* pseudoepiscopus, à quo *Theodosiani*, & *Jacobus Syrus* à quo *Jacobitæ* sunt nominati, &c. Ita Joan. Damasc. lib. de hæresibus. Et quidem *Jacobitæ & Nestoriani* tot Regiones infecerunt, ut Jacobus à Vitriaco c. 77. refert, quod longè plures suo tempore esse dicebantur quam Latini & Græci, & hæc addit: *Vt enim de his, qui seorsim habitabant, quorum infinitus est numerus, taceamus, inter Saracenos non pauciores ut dicitur, sunt Christiani infidelibus commisti, & eorum dominatui subjecti, quam sint ipsi Saraceni*, &c. hæc ille.

Ex his facilè patet, mirum non esse, quod tot Regiones hæresi Eutychetis infectæ fuerint per pseudomonachos in *Palæstina, Syria & Ægypto* existentes sub falso & ficto prætextu dum Catholicos tanquam Hæreticos Nestorianos & Concilii Nicæni contrarios damnant. Cùm idcirco
VII. *concilium Chalcedonense* damnarent ac præcipue *S. Leonem papam*, qui illud Concilium confirmarat, ut patet ex literis *Marciani Imperatoris* suprà allegatis, consequenter à S. Sedis Romanæ obedientia recesserint: ac proinde, quia sine legitimo à Christo Ecclesiæ constituto Capite vixerunt in plurimas alias hæreses inciderunt, & alios infecerunt.

Quod autem ante has Arianorum, Nestorianorum & Eutychianorum hæreses populi in vastissimis illis Orientis Regionibus, veram Christi Fidem orthodoxam coluerint; patet ex variis sanctorum Patrum testimoniis: & quidem ex eo imprimis, quod ex omnibus istis Regionibus ad Concil. Nicænum Episcopi convenerint, quorum plurimi postea per Constantium Imperatorem Arianum circa An. 356. suis sedibus pulsi fuerunt, prout conqueritur S. Athanasius in epist. ad Solitar. sic scribens: *Ecce nunc denuo Alexandriæ & in Ægypto & per universam Lybiam Constantius Imperator Ecclesias turbavit*, &c. & infrà: *quid criminis confingere potest contra universam Ægyptum Lybiam & pentapolim? excæcavit illos malitia, quod simpliciter postularint inter omnes Episcopos sine exceptione submoveri*, &c. hæc Athanasius.

Patet secundo ex eo, quod in illis Regionibus institutum Monachorum piissimum floruerit, prout *S. Hieronymus* brevissimè declarat epist. 3. ad Heliodium sic aiens: *Indus, Persa, Gothus, Ægyptus philosophatur, Bessorum fontes & pellitorum turba populorum stridorem suum in dulce crucis fregere melos*, &c. idem epist. 7. ad Lætam sic ait: *De India, Perside, Æthiopia Monachorum quotidie turmas suscipimus*, &c. hæc ille, qui scilicet devotionis gratiâ ad loca sancta in Palæstinam, ubi S. Hieronymus morabatur, ventitabant. VIII.

Et quidem, qualiter à tempore S. Antonii circa An. 320. & deinceps in Ægypto & cæteris partibus Monachorum institutum floruerit, copiosè refert *S. Athanasius* in vita S. Antonii, & S. Joannes *Chrysostomus* hom. 8. in Matt. cap. 2. qui sic ait: *Deniq; si quis nunc ad Ægypti veniat solitudines, Paradiso quovis omnem illam videbit Eremum digniorem, & innumerabiles Angelorum cætus in Corporibus fulgere mortalibus*, &c.

Idem ibidem de eodem instituto addit dicens: *Atq; hæc non in viris solùm, verum etiam in fæminis splendere conspicias; nam illæ non minori, quam viri virtute decorantur, non clypeo arrepto*, &c. *sed multo certe vehementius bellum gerentes Commune enim illis ac viris adversus Diabolum pugna est, contraq; hujus mundi potestates, propterea sæpe in hujusmodi acie fortius viris fæminæ decertarunt, non ita variis astrorum choris cælum refulget, ut Ægypti Eremus innumeris Monachorum & Virginum distinguitur atq; illustratur habitaculis*, &c. ita Chrysost. IX.

Hæc sanctissima Monachorum instituta in illis Regionibus indies magis floruerunt, cùm etiam *S. Basilio* promovente in ipsas urbes introducta & passim continuata sunt; ut constat ex SS. Patribus & actis Conciliorum œcumenicorum: donec tandem post Concilium Chalcedonense circa An. 452. ut suprà relatum est, plurimi tam ex iis qui ex Regula S. Basilii, quam S. Antonii erant, in diversis Orientis partibus hæresi infecti, plures Regiones secum in barathrum errorum abduxerint, ac jam ab illis temporibus in cæcitate detinent, ut jam visum est.

Sicut autem *Græci & Armeni ac Rutheni* subinde conscientiâ stimulati per Dei gratiam considerantes majores suos in primitiva Ecclesia cum Romana Fide veram Fidem & unionem coluisse ad eandem redierunt, ut suprà ostensum est, licèt postea etiam defecerint; sic etiam *Nestoriani seu Abyssini*, sæpius unionem cum Romana Ecclesia repetierunt prout Anno Domini 1480. factum est, ut scribit *Waddingus* in Annalibus Minorum, quod *Æthiops princeps quidam nepos presbyteri Joannis Regis Abyssinorum & Jacobitarum* voti causâ Jerosolymam veniens cum Fratribus Minoribus Montis Sion de licentia Sultani habitavit, regressurus petiit sibi concedi pro itineris solatio & Æthiopum instructione ejusdem Ordinis Minorum viros religiosos, quod & *Sixtus quartus* Pontifex suis literis fieri præcepit. *Rex Æthiopum* etiam ad Sixtum IV. misit Nuntios, qui idoneos viros pro instructione peterent. X.

Pontifex ex urbe Roma misit diversos Ordinis Patres, ut in Æthiopiam proficiscerentur, &c. sic postea sæpius factum est.

* * *

CON-

Digitized by Google

CONCLVSIO.

In qua & describuntur loca Palæstinæ.

I. HÆc prolixiùs referenda duxi, ut Lectores, qui subinde audientes, quod tam amplæ sint in Orbe Regiones; ubi non vigeat vera orthodoxa Fides *Catholica Romana*, hæsitare possent; an illorum populorum, qui Christiani dicuntur, Fides Christi vera sit, facillime veritatem agnoscant: dum clarè demonstratur, quod in illis Regionibus olim vera Catholica Fides plantata viguerit sub obedientia sedis Romanæ & eiusdem communione; postea tamen per varias manifestas hæreses à Conciliis œcumenicis damnatas seductæ pertinaciter perseverantes justo Dei judicio relinquuntur: ut proinde evidens sit, quod veram Fidem Christi non habeant, nec illorum Ecclesiæ à tempore Apostolorum fuerint, sed per impios hæresiarchas longè post ab Ecclesia vera Christi dimembratim defecerint. Circa hoc tamen singularis & mirabilis Dei providentia disposuit, ut licèt occulto & justo suo judicio permiserit quod impii *Turcæ Mahometani* omnes illas Regiones specialiter *Palæstinam* possideant: tamen loca sancta ubi Christus Dominus passus & sepultus est Christianis relinquant, præsertim *Templum* in quo est *sepulchrum Domini*, in quo *septem* præcipuæ *Nationes christiani nominis* suos habent *Religiosos* seu Monachos in diversis locis circumcirca habitantes: qui & sacrificium Missæ & alia divina officia in diversis eiusdem Templi Sacellis quotidie celebrant: *Græci* in sua *vera lingua Græca*, quæ à communi Græcorum lingua differt, ut Italica à Latina: *Latini soli* in sacello supra sepulchrum Domini, ubi altare est, celebrant, nec ulli permissum est etiam Catholico ibi celebrare nisi *solis Patribus Ordinis S. Francisci* strictioris observantiæ: qui nomine Latinorum ibi habitant & peregrinos fovent. 3. *sunt Abyssini*, qui olim ibidem abundabant, sed hoc tempore valde defecerunt. 4. *sunt Ægyptii*. 5. *Armeni*. 6. *Syriani seu Jacobitæ*. 7. *Georgiani*, qui etiam ex defectu mediorum nuper suum ad S. sepulchrum locum reliquerunt: hæc P. *Bernardinus Syrius Ordinis Minorum* strict. Observ. in sua peregrinatione Jerosolymitana lib. 2. cap. 69. & seqq. qui etiam indicat, quod aliæ dictæ Nationes Latinis satis sint addictæ, sed Græci Latinos summè persequantur & abominentur.

Demum hîc considerandum, quod divina bonitas has Nationes ita in uno S. loco conjungi voluerit: ut illæ, quæ jam per hæreses & schismata à vera Christi Ecclesia sese separarant, occasionem habeant agnoscendi veritatem, si velint, & ad suas Nationes deferendi: ut quorum Deus corda tetigerit, converti possint, licèt S. Mater Ecclesia nunquam cessarit diversos Religiosos ad remotissimas etiam illas Nationes pro veritatis prædicatione mittere & in hunc usque diem cum bono fructu mittit. II.

Ex quo etiam velut morali signo patet, quod Ecclesia Romana sit vera Mater, quæ non cessat exemplo Christi animas instar Gallinæ ad gremium suum revocare per Apostolicos viros, qui nec pericula nec difficultates aut mortem timent. Hoc autem à nulla alterius Nationis secta contingit, vel ab ullis Hæreticis, qui non quærunt perdita restaurare, sed instar tineæ ligna sana ex quorum putrida parte nati sunt, destruere, corrodere & consumere.

Hîc etiam finaliter observet candidus Lector, quod, licèt tot barbaræ Nationes olim verâ Christi Fide imbutæ, postea per hæreses seductæ fuerint: attamen omnes, de quibus hactenus dictum est, inter alios veræ Fidei articulos reservarunt; primò, quod detur S. Missæ sacrificium. 2. quod credant veram & realem Christi Domini secundùm corpus & animam in S. Eucharistia præsentiam, &c. quæ utique non crederent nec facerent, nisi juxta S. Euangelium ab antiqua & primitiva Ecclesia tradita haberent: unde magis miranda est Acatholicorum nostrorum pertinacia, qui obstinati & perfricta fronte omnia condemnare non erubescunt. III.

CAPVT VII.

Quod Notæ veræ Christi Ecclesiæ non conveniant cætibus diversis modernorum Acatholicorum in his Septentrionis partibus.

ARTICVLVS I.

Quod prima Ecclesiæ veræ Nota scilicet unitas his cætibus sibi mutuò contrariis non competat.

I. TRiplicem unitatem Ecclesiæ exprimi in symbolo, cùm dicimus: *Credo Ecclesiam unam*: ex S. Scriptura suprà cap. 6. art. 3. ostensum est; quarum nulla cætibus modernorum Acatholicorum convenire patet. Sunt autem cætus generales tres potissimùm *Lutheranorum* seu *Augustanæ confeßionis*, *Calvinistarum* vel ut volunt *Reformatorum*, & *Anabaptistarum*.

Hæ tres sectæ ex Luthero & illius primis complicibus originem habent; sed maximè ab invicem diversæ & scissæ sunt tam quoad unitatem Fidei, quàm communionis: ut sileam capitis unius visibilis unitatem, qualem non habent, sicut omnibus hæresibus & schismatibus est commune dum ab unitate corporis Christi, quod est Ecclesia, separantur, tanquam membra arida, & frusta; prout notavit cum aliis SS.PP. S. Aug. de Donatistis lib. 1. contra Parmenianum c. 4. dicens: *jam multa frusta de illo frusto per totam Africam facta sunt; sic sic necesse est, ut minutatim secti, conscißiq; dispereant, qui per tumorem animositatis suæ, vinculo catholicæ pacis prætulerunt.* Hæc August. Ita contigit Luthero & complicibus eius, qui ut frustum sese prius à corpore Ecclesiæ Catholicæ Romanæ resecarunt, & in hoc more vulpium Samsonis Judic. 15. v. 5. per caudas quoad ali-

quos Fidei articulos convenientes colligati sunt; ut infestent agrum Ecclesiæ Catholicæ: sed capitibus quoad plures Fidei articulos sibi invicem
II. contrarii longè inter se distant. Constat enim primò, quod Lutherani & Calviniſtæ deteſtentur Anabaptiſtas, ſic enim de his dixit *Lutherus* in ſuis colloquiis Germanicis fol. 15. *Muntzerus, Carolſtadius, Campianus & ſimiles alii eorum ſectarii ſunt meri corporei dæmones, qui Muntzerum vidit, dicere poteſt ſe vidiſſe diabolum corporeum in ſummo ſuo furore*, &c. hæc ille.

Conradus Schluſſelbergius Cat. hæret. lib. 12. in epiſt. dedic. ſic ait: *Anabaptiſtica hæreſis noſtræ ætatis multiplex & monſtroſa Chymera eſt ex multis hæreſibus nata*, &c. *impius & blaſphemus Anabaptiſtarum error eſt*, &c.

Calvinus in inſtruct. adverſus Anabaptiſtas ſic ait: *Si adverſus omnes errores & falſas opiniones Anabaptiſtarum ſcribere vellem ingrederer abyſſum, unde mihi exitus non pateret. Nam iſta colluvies ab aliis Hæreticorum ſectis in eo differt, quod non tantum certis in rebus errauerit, ſed ſit immenſum quoddam ſtupendorum deliriorum mare, adeo ut vix unius Anabaptiſtæ caput reperiri poſſit quod non ſit imbutum aliqua opinione diverſa à reliquis*, &c. hæc ille.

III. Econtrà *Memo Simonis Anabaptiſta*, libro, qui inſcribitur fundamentum cap. de deſtruct. Concionatorum, Lutheranos damnat, &c. imo lib. de Chriſtiana Fide, titulo de fide Lutheranorum inter alia de Lutheranis ſic ait: *Diſſolutâ & carnali ſuâ doctrinâ diſſolutum & carnalem populum ad eam morum turpitudinem vitæq; licentiam induxerunt, ut nec inter Turcas & Tartaros tam impii & abominandi inueniantur*, &c. hæc Memo.

Similiter *Lutherani damnant Caluiniſtas & Zvvinglianos*. *Lutherus* lib. contra articulos Lovan. theſi 27. ſic ait: *Hæreticos ſerio cenſemus & alienos ab Eccleſia Dei Zvvinglianos & Sacramentarios omnes, qui negant Chriſti corpus & ſanguinem ore carnali ſumi in uniuerſali Eccleſia*, &c. hæc ibi & alibi ſæpe.

Joachimus weſtphalus lib. contra Calvinum ſic ait: *Nulla falſa doctrina tam late diſpergitur*, &c. *quam falſa doctrina de Euchariſtia Sacramentariorum*, &c.

Nicolaus Amorsfordius in publica confutatione puræ doctrinæ ſic ait: *Nos Zvvinglianam & Oſiandrinam hæreſin & errores tranquillâ conſcientia amplecti non poſſumus*, &c.

Matthæus Illyricus in defenſione Confeſſionis Martiniſtarum ſic ait: *Caluiniſtica Lyturgia non uno ſacrilegio vitiata eſt, contaminataque, eaque proh dolor! innumeras animas æterno exitio inuoluit*, &c.

Franciſcus Stanckarus lib. de Trinit. adverſus Bullingerum, Petrum Martyrem, Calvinum, &c. ſic inquit: *Quis diabolus, O Caluine te ſeduxit contra Filium Dei cum Ario obloqui, ut oſtenderes eum priuatum fuiſſe gloria ſua, nunc autem petere eam ſibi dari, quaſi non ſemper eam habuerit?* &c. & infrà: *Caue Chriſtiane Lector, & vos Miniſtri à libris Calvini cauete, & præſertim in articulo de Trinitate, Incarnatione, Mediatore, de ſacramento Baptiſmi & prædeſtinatione, continet enim doctrinam impiam & blaſphemias Arianorum*, &c. hæc ille.

Similiter plurimi alii Lutherani publicis libris Calvinum hæreſeos damnarunt.

Econtrà *Zvvingliani ſeu Caluiniſtæ Lutheranos damnant*, ita tamen ordinariò ſcribunt, ut laudent Lutherum in multis, & ipſum cupiant excuſare: ſic Calvinus ſæpius agit & alii, ita tamen ut eum & ejus maximè ſectatores errorum arguant: Nam in admonitione tertia ad Joachimum Weſtphalum ſic ait: *Lutherani homines ſunt vertiginoſi, cyclopes, ſuperba factio Gygentum, Phrenetici, beſtiæ, nihil aliud quam falſarii*, &c. hæc Calvin. IV.

Tigurini Theologi in confeſſione Germanica edita Tiguri Anno 1544. part. 3. fol. 123. ſic dicunt: *Quia Lutherus monſtroſum dogma inducere conatur*, &c. & fol. 134. *Lutherus Dei & diuini honoris oblitus nos damnatam ſectam vocat, ſed videat ne hujusmodi narrandis & impiis dicteriis, eipſum hæreſiarcham declaret*, &c. hæc ille.

Theologi Reformati in admonitione de libro concordiæ *ratione ubiquitatis & præſentiæ Chriſti* in Euchariſtia graviter accuſant Lutheranos dum cap. 9. antileg. 13. ſic dicunt de Lutheranis: *Superant hac in parte Eutychen & Svvenckfeldium*, & infrà: *Superant Marcionis figmentum*, &c.

Theologi Heidelbergenſes in ordinatione Eccleſiaſtica ſic ſtatuunt: *Lutheri & Brentii Catechiſmi extra Eccleſiam ejiciantur, & eorum ſcripta nullam habeant authoritatem*, &c. V.

Quantumvis autem Calviniſtæ conati ſint Lutheranos in concordiam fraternitatis trahere; hi tamen mordicus illos deteſtantur & condemnant: idipſum tentarunt Anno 1631. in Synodo ſua nationali Charentorii in Gallia habita ubi decretum Calviniſtæ ediderunt, in quo volunt, quod Lutherani cum ipſis in principiis & punctis fundamentalibus Religionis conveniant, ac proinde ſtatuunt: *quod fideles Lutheranæ Confeſſionis poſſint, nulla præmiſsâ abjuratione opinionum, quas tenent contrariarum fidei dictarum Eccleſiarum noſtrarum, admitti ad cœnam*, &c. Illam concordiam & diſcordiam quam Galli Reformati Germanis obtulerunt Lutheranis, & hi recipere noluerunt; In Polonia utcunque introduxerunt anno 1570. in Synodo ſua Sendomirienſi, ubi Reformati profitentur Lutheranos ſuos Fratres, nec in fide errare, licèt aliter de Eccleſia & aliis credant, & ſic unanimiter conſenſerunt, quæ certè ſummè monſtroſa ſunt, cùm in Lutheranis non judicent articulum de vera præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia, & illius per Os carneum ſumptione eſſe fundamentalem; & illo ſtante Lutheranos pro fratribus eſſe habendos: & tamen contra Catholicos illum articulum ut fundamentalem tenent & urgent.

ARTICVLVS II.

De ſchiſmatibus Lutheranorum inter ſe.

HActenus quidem recenſuimus ſchiſmata inter Acatholicos ſecundùm triplex nomen generale quo nominari volunt; utpote *Evangelici, Lutherani, & Calviniſtæ, reformati*; ſed quantum etiam unius nominis homines inter ſe diverſi ſint, vix exprimi poteſt. *Lutherani* ab initio graviſſimè ſe mutuo damnarunt inter ſe diviſi, ut paucis oſtendetur. Et quidem *Confeſſio fidei Lutheranæ* in Synodo Lipſienſi An. 1543. conſcripta, ac ab *Electore Mauritio* per Saxoniam obſervari mandata à Lutheranis I.

ali-

Digitized by Google

aliorum locorum ut hæretica rejecta est; prout *Osiander* in historia Ecclesiast. fol. 502. fatetur dicens: *Iste libellus Lypsicus maximas peperit offensiones & certamina inter Theologos Augustanæ Confessionis*, &c. hæc ille.

Philippus Melanchton in præfatione præfixa corpori doctrinæ Christianæ loquens de *Illyrico & Gallo Lutheranis* sic ait: *Cum isto mirabili hominum genere nihil agi potest, qui suo arbitrio damnant quodlibet*, &c. *vendicant sibi majorem minusq; excusabilem authoritatem, quam Papa Romanus unquam*, &c.

Georgius major Orat. de confusionibus dogmatum sic scribit: *Objiciunt nobis Papistæ scandala & dissensiones; ingenuè fateor ejusmodi talia esse, ut satis defleri nequeant*, &c.

In Colloquio Altenburgensi de articulo justificationis & bonorum operum inter *Electoris & Ducis Saxoniæ* Theologos à 20. Novembris 1568. usque ad 9. Maji 1569. habito, & postea Jenæ 1569. impresso refertur primo quod *Theologi Electorales* fol. 9. dixerint, *bona opera esse necessaria ad salutem.* Hanc doctrinam, ait Major, *se semper esse professum, & anathema esse, qui sic non doceat.* Ad hoc etiam adducitur *Phil. Melanchton*, &c.

II. Econtrà *Theologi Ducis Saxoniæ* ut Joannes Wigandus & alii dixerunt, *illam esse corruptelam verbi Dei*; imò ex Paulo ad Rom. 8. volunt, quod *impossibile sit operibus saluari.*

Iterum *Electorales* dixerunt fol. 139. *Rejicimus & hanc insulsam & detestandam propositionem Amsdorffii, quam & Flaccus approbat*, scilicet, *quod opera bona non solum non sunt necessaria, sed etiam perniciosa ad salutem*, &c.

Ducis Saxoniæ Theologi fol. 149. repetunt, quod quicunque docent opera bona ad salutem esse necessaria, &c. à verbo Dei deviant, &c. & subjungunt, *de illis propositionibus Majoris, quod sint sorores Antichristi*, &c. & tandem excommunicatos habuerunt Theologos Electorales, &c. hæc in illo colloquio.

De hoc colloquio ita scribit *Osiander* suprà fol. 811. *Dum Altenburgi in Thuringia ob quæstionem de justificatione & bonis operibus conuenissent, major animarum offensio relicta est post colloquium, quàm antea fuerat*, &c. hæc ille.

III. *Nicolaus Gallus* in Thesibus & hypothesibus folio ult. sic ait: *Sunt inter nos non de leuibus rebus dissensiones, sc. de lege & Euangelio & justificatione & bonis operibus & Sacramentis, quæ quidem coire, simulq; stare haud possunt*, &c. quæ ibid. enarrat.

Similiter de dissensione Lutheranorum loquitur *Matthæus Flaccus Illyricus* in declamatione quorundam articulorum Christianæ doctrinæ, tandem sic concludens de Lutheranis suis: *Sic inter seipsos dissident, quemadmodum Sacramentarii & Babylonii, non secùs ac idolorum effectores apud Isaiam.*

Jacobus Andreæ, de majestate hominis Christi in præfatione sic ait: *Non amplius aut certe parum de verbis cœnæ litigatur, sed de his ipsis fidei articulis qui sunt de Incarnatione verbi & sessione Christi hominis ad dexteram Dei*, &c.

Joannes OEcolampadius lib. Germanico, qui inscribitur: Æqua responsio ad Lutheri præfationem sic ait: *Si ad vestras dissensiones est respiciendum, certè inter vos septuaginta septem mutationes non tantùm in explicatione S. Scripturæ*, &c. *inveniuntur.*

Joannes Wigandus lib. de erroribus Georgii majoris multùm invehitur, & vult ostendere quod Major in multis à doctrina Lutheri defecerit; licèt ipse glorietur se ne pilum discessisse dicens: *Major totam doctrinam Lutheri de seruo arbitrio reprobæ menti & diabolo in cathedra Lutheri sedenti attribuit*, &c. hæc ille. IV.

Idem *Wigandus* in declaratione de Ministris Ecclesiarum in Miss. cap. 1. ostendit, quod nullo modo scripta posteriora *Philippi Melanchtonis* cum doctrina *Lutheri* conveniant; quod per articulos prosequitur.

Cæterùm variæ sunt sectæ Lutheranorum; & duæ quidem principales: quarum una dicitur *Mollium*, cuius promotores erant *Major & Melanchton.* Altera dicitur *Rigidorum*, à quibus stabat *Wigandus & Illyricus.*

Demum adhuc in plurimas sectas tam Molles, quàm Rigidi divisi sunt; nam aliqui dicuntur *Antinomii*, qui legem Dei planè rejiciunt, docentes *Christum illam impleuisse & abrogasse, itaq; neminem ad eam amplius obligari seruandam, quod indigna sit, quæ Dei verbum appelletur, sufficit illis; quod credant in Christum*, &c. Ita olim *Aeriani & Eunominiani* apud Augustinum lib. de hæresibus, ubi dicit de Eunomio: *Fertur etiam usq; adeo fuisse bonis operibus inimicus, ut asseueraret: quod nihil cuiq; obesset quorumlibet perpetratio, & perseuerantia peccatorum, si hujus, quæ ab illo docebatur, fidei particeps esset*, &c. hæc Aug.

Osiandrini docent *Christum mediatorem esse, & justificare homines secundùm naturam diuinam tantùm*, &c. V.

Majoristæ à Georgio majore docent *opera bona adeo esse necessaria ad salutem, ut sine illis nemo salvari possit.*

Amsdorffiani à Nicolao Amsdorffio, *volunt opera bona perniciosa esse ad salutem.*

Flacciani à Matthæo Flacco Illyrico, mordicus tenent doctrinam Lutheri *de seruo arbitrio & ineuitabili stoica necessitate.*

Substantiarii sequentes Illyricum *volunt peccatum originale esse ipsam hominis naturam & substantiam.*

Accidentarii è contrà cum Hethusio, &c. *docent originale peccatum esse accidens.*

Pfeffingeri à Joanne Pfeffingero secuti Pelagianos, docent *hominem suis naturalibus viribus verbo Dei assentiri & Spiritui Sancto parere posse*, &c.

Musculani ab Andrea Musculo volunt *quod Christus secundum utramq; naturam in cruce passus sit.* VI.

Vbiquitistæ à Joanne Brentio, duas in Christo naturas ita confundunt; ut damnatam Eutychianam hæresin revocare convincantur, cùm docent: *quod humana natura non minus sit ubiq; quam diuina*, &c.

Demum, cùm *Brentius*, &c. Theologi Wittenbergenses articulum de *ubiquitate humanitatis Christi* urgerent; è contrà Theologi Saxones congregati istum articulum ut novum & omnium Fidei articulorum destructivum damnarunt An. 1571. verum An. 1580. Theologi Saxones subscripserunt concordiæ Dresdæ impressæ, in qua assertio de ubiquitate humanitatis Christi, ut articulus Fidei proponitur.

Plures aliæ sunt sectæ, quarum singularum sectatores alios scriptis & libris acerrimè persecuti sunt & damnarunt.

Digitized by Google

Quis mortalium diceret illum seu illos tot Lutheranorum cœtus & sectas Ecclesiam Christi veram & unam esse?

ARTICULUS III.
De dissensionibus Anabaptistarum inter se.

I. CAlvinus suprà relatus in Instructione adversus Anabaptistas dixit talem esse colluviem errorum in ipsis; ut vix unius Anabaptistæ Caput reperiri possit, quod non sit imbutum aliquâ opinione diversâ à reliquis, &c.

Enumerantur autem plures Anabaptistarum sectæ: Prima *Muncerianorum* à Thoma Muncero, qui totum orbem *gladio Gedeonis* sibi divinitus tradito compellendum ad novum Christi regnum instituendum jactitabat, spiritum sibi revelasse; quem tamen postea ipse capite truncatus amisit. Hos *Lutherus* cœlestes Prophetas vocavit, qui docebant primò *bonorum communionem*, 2. *thorum infidelium*, id est, qui non essent suæ sectæ, *esse pollutum & Diaboli prostibulum*. 3. *Baptisma infantûm non esse à Deo*; deteriores *Pelagianis*: qui quidem negabant peccatum originale, tamen parvulos baptizari, non ut ab illo liberentur, sed ut ad regnum Cœlorum pervenire possint: ita August. de hæresibus. 4. docebant *Libertatem armis vendicandam*. 5. *Infideles omnes cum Principibus & Magistratibus esse occidendos*. 6. *omnem S. Scripturæ literam rejiciunt*, &c.

II. 2. *Apostolici* omnia relinquebant passim vagabundi sine baculo & pera ac calceis: ita *olim Apostolici* apud S. August. de hæresibus.

3. *Separati* quoad externos mores valde compositè se habent, vestibus simplicibus utuntur, gladios non portant, austerum & tristem semper præseferentes vultum, crebros ducunt gemitus, gaudia aversantur, nullis interesse volunt conviviis, certas tenent edendi, bibendi, & dormiendi regulas, &c. sed quàm sint privatim inter se dissidentes, invidi, avari, lucro dediti, &c. referunt illi, qui ab illis nati & in secta educati ad Catholicam Fidem conversi sunt. Hoc autem notandum quod juxta S. scripturam & SS. PP. licèt aliqui moraliter bene vivant, & tamen à vera Ecclesia per schisma sejuncti sint, salvari non possint, ut suprà lib. 3. c. 1. art. 6. ostensum est.

4. *Cathari*, puram & immaculatam Ecclesiam habere volunt; in qua non sit macula. *Negant peccatum originale; seipsos à peccatis immunes dicunt; unde nec pro se aliorum preces cupiunt, & ideo in Oratione Dominicâ illa verba*: Et dimitte nobis debita nostra, &c. *omittunt*, &c. Ita olim *Cathari* apud Augustinum lib. de hæres. ubi dicit: quod *superbissime seipsos isto nomine quasi propter munditiam nominent, secundas nuptias non admittant, & pœnitentiam denegent*, &c.

III. *Adamitæ* vestibus abjectis nudi sine pudore incedebant, ut Adam & Eva in Paradiso, prout *Amsterodami* aliquando publicè per plateas insano prorsus modo discurrerunt: Ita olim *Adamiani* Hæretici, ut refert D. August. lib. de hæres. edit. Basil. 1528. dicens: *Nudi mares feminæq; conveniunt, nudi lectiones audiunt, nudi orant, nudi celebrant Sacramenta, & ex hoc Paradisum suam arbitrantur Ecclesiam*.

Tacentes sunt illi, qui dicunt non esse docendum amplius; eò quod mundus indignus sit, ut verbum Dei audiat. Si de religione interrogentur, nullum responsum dare volunt, &c.

Enthusiastæ seu *Extatici* jactitant se de divinis suis revelationibus & visionibus è cœlo; non nunquam in terra prostrati diu quasi mortui jacent; postea quasi ad se redeuntes mira jactant se ostenta vidisse, quod cælestis Pater cum ipsis colloquium habuerit: Ita olim *Gnostici* apud August. lib. de hæres.

Joannes Leidensis Monasterii in westphalia novam Sion erigere voluit, cujus ipse esset Rex more Munceri gladium Gedeonis assumens, omnes ferro ad sectam adigere voluit! sed cum aliis justè punitus est, docuit Polygamiam & habuit 12. uxores, &c.

Melchionitæ, qui negant Christum ex B. Virgine carnem assumpsisse, *sed volunt Deum carnem ex se esse factam, ita ut una esset Christi natura*, &c. ita olim Cerdoniani apud Aug. l. de hæres. *David Georgius* dicebat se *Messiam & dilectissimum Dei filium esse non ex carne, sed ex Spiritu Sancto & Christi spiritu natum Christum venisse*; *ut homines instar puerorum edoceret donec ipse Georgius exurgeret, & veram ac perfectam salutis venam aperiret*, &c. Ita olim *Cataphryges* quorum author *Montanus* tanquam *Paracletus* se Spiritum Sanctum potiùs quam Apostolos accepisse dicebat: ut *S. Aug.* lib. de hæresibus refert. IV.

Memonistæ à Memone Simonio Frisone cum Melchionistis veram Christi humanitatem negant: plurima alia absurda agunt exteriùs spiritum pietatis præseferentes. Tandem, si Anabaptista ex una Anabaptistarum secta ad aliam transeat, illum rebaptizant. Vide Coccium tom. 1. lib. 8. de signis Ecclesiæ.

Insuper *Anabaptistæ* omne prorsus juramentum illicitum esse volunt, cùm tamen Deus Exodi 22. in certis casibus juramentum præstandum ordinarit. Nam Exodi 22. v. 11. manifestè sic dicitur: *Iusjurandum erit in medio, quod non extenderit manum ad rem proximi sui, suscipietq; Dominus juramentum*, &c. & Christus Dominus solùm vetuerit ne in vanum vel sine causa juretur aut falsò: Audent etiam dicere quod in veteri Testamento Deus nihil spirituale nec futuram vitam Judæis promisisset, sed more pecudum illos rexisset. V.

Est autem turpissima inter illos secta illorum, qui *liberi Fratres* dicuntur, hi Christianam libertatem in effrænem quandam carnalem atque omnibus vinculis solutam licentiam convertunt, ab omnibus legum vinculis soluti & liberi esse volunt; tributum etiam ac decimas dare renuunt, &c. quia vero omnia communia habent, mulieribus etiam communiter utuntur (ita olim *Nicolaitæ*, ut refert August. lib. de hæres.) & in vagam sese libidinem effundunt, &c. ut verbo absolvam, quidquid libet, licere sibi volunt, idque sub hoc prætextu, quod baptizatos iterum atque regeneratos non posse deinceps peccare turpissimè sibi persuadeant: Ita olim *Aeriani & Eunomiani* apud Aug. lib. de hær. de his loquitur Calvinus lib. 3. Instit. cap. 3. §. 14. dicens: *Anabaptistæ quidam hoc seculo phreneticam nescio quam intemperiem pro spirituali regeneratione comminiscuntur: nempe in statum innocentiæ restitutos Dei filios, jam non oportere esse solicitos de libidine carnis refrænanda, spiritum ducem subsequendum esse, sub* VI.

Digitized by Google

sub cujus actione nunquam aberratur. Incredibile esset hominis mentem eo vesaniæ prolabi, nisi palàm & fastuosè suum hoc dogma deblaterarent, &c. hæc Calvinus de Anabaptistarum malitia & impudentia.

Hoc nefandum esse illorum dogma colligitur ex articulis eorum quos *Ioannes Cochlaus* refutavit ut refert Bellarm. lib. 4. de Notis Ecclesiæ cap. 11. in quibus indicatur; quòd nocturna agant conventicula, in quibus nuptias caninas exerceant, nam articulo 17. dicitur: *Post sermonem fiat exhortatio, ut crescant & multiplicentur*, &c. ita olim *Carpocratiani* ut refert August. lib. de hæres. qui docebant *omnem turpem operationem, omnemq; peccati adinventionem; nec aliter evadi aut transire principatus & potestates, quibus tunc placent, ut possint ad cælum superius pervenire*, &c.

VII. *Anabaptistæ* in art. 19. habent: *Liceat fratri germanam sororem in uxorem accipere* Denique conjugia ob infidelitatem, quam vocant & excommunicationem facilè dirimunt: & innocentis, ut volunt parti facultatem præstant alteri nubendi: unde promiscuè divortia, scortationes & adulteria fiunt; idque singulariter habetur de Menonistis, qui exteriore cultu magnam præferunt modestiam & pietatem.

Quis talem & tantam hæresûm & turpitudinum in se ipsa tantopere divisarum colluviem dixerit unam veram Christi Ecclesiam constituere; & quis sanæ & honestæ mentis illam non detestaretur?

ARTICVLVS IV.

De Schismatibus prætensorum Reformatorum inter se, illorúmque ruinosis fundamentis.

I. Calvinus ejusque sectatores prætendentes veræ Ecclesiæ reformationem, si illa possibilis vel saltèm si illâ opus esset, talia meritò fundamenta ostendere & usurpare debuissent; ex quibus vera Ecclesia ejusque unitas constare posset, sed toto cælo aberrarunt: Tria enim planè arenosa & fragilia, imò potiùs destructiva unionis, ut sileam Reformationis, posuerunt fundamenta; unde potiùs Ecclesiæ ruina, quàm conservatio & unitas consequi posset: prout statim ab initio illius Schismatis contigit, quod Calvinus fatetur, sed frivolè excusare conatur, ut patet in præfat. ad Regem Galliæ ante lib. Instit. circa finem dicens: *Postremò non satis candidè faciunt quum invidiosè commemorant, quantas turbas, tumultus, contentiones secum traxerit nostra doctrina prædicatio, & quos nunc in multis fructus ferat, nam horum culpa indignè in ipsum derivatur qui in Sathanæ malitiam torqueri debuerat*, hæc Calvinus.

II. Tria illa arenosa & fragilia imò destructiva illorum Acatholicorum fundamenta sunt hæc: Primum, quòd velint ad veram Ecclesiam sufficere, ut credantur soli fundamentales Fidei articuli, nec tamen illos specificare possunt; licèt errerur in aliis. Secundum, quòd velint cuilibet fideli licere ultimatè judicare quamcunque etiam controversiam in rebus Fidei, etiam à Conciliis factam definitionem secundùm Scripturam. Tertium, quòd Principibus & Magistratibus secularibus potestatem tribuant ad Fidem, quam Ministri in Concilio veram judicant, suos subditos cogendi: quæ quàm arenosa sint & veræ unionis destructiva & suis primis conatibus contraria ostendi facilè potest.

Quoad *primum fundamentum*, Acatholici volentes conservare, vel potiùs astruere veritatem suæ sectæ singulare remedium commenti sunt. Vt cum Calvino asserant, *duplicis generis esse Fidei articulos*, aliquos *necessarios & fundamentales*, alios *non necessarios & non fundamentales*; ita ut Ecclesiæ veritas & unitas consistat, dum articuli fundamentales creduntur & docentur, licèt diversæ sint circa non fundamentales etiam pertinaces sententiæ: sub hoc pallio adunatos volunt non solùm ejusdem Calvini clientes, utpote *Presbiteranos* & *Puritanos* in Anglia, *Gomoristas* seu *protestantes* & *Armenianos* seu *Remonstrantes* in Belgio, sed quotquot sunt diversarum factionum Lutherani, ut suprà ostensum est.

Veruntamen *mentita est iniquitas sibi*, dum sub prætextu quoad articulos; Fidei necessarios omnia conservata putant quos ad puram S. Scripturæ normam examinandos & asserendos profitentur: dum enim Catholici ab ipsis exigunt, ut quia salus ex Fide vera dependet, & Fides vera ex articulis fundamentalibus constet, ac per illos fides vera & falsa, Ecclesia vera & hæretica dignoscenda sit; ideo cuilibet tales scitu per quam necessarii essent, etiam eosdem omnes & singulos specificent, *hoc opus hic labor est*. Jam à plurimis annis hoc ab ipsis exactum est, & usq; modò nihil præstatur: nam diversi diversos hujusmodi articulos fundamentales assignant, nec tamen unquam ultimatè omnes exprimere volunt, quia non possunt illos ex sacra Scriptura specificare; quæ nunquam inter fundamentales & non fundamentales distinguit: adeóque cadit illorum fundamentum, imò quod magis est, diversi Theologi illorum pro occasione eosdem articulos nunc fundamentales asserunt, dum contra Catholicos suam sectam justè factam tueri conantur; nunc inter non fundamentales, & ad scholastica rejiciunt: dum inter se vel cum Lutheranis pacem quærunt. III.

Hæc ex hactenus dictis patent, & *Philippus Eilbracht* inter Acatholicos educatus & pluribus annis Superintendens in terra Juliacensi in sua via compendiaria cap. 11. his verbis fatetur dicens: *Secundo, notandum est, Reformatos in describendis doctrina fundamentalis, quam vocant, articulis, nec inter se convenire nec sibi ipsis constare.* Primò: *Interdum enim generatim tantùm dicunt fundamentum salutis esse Christum, sive salutem per Christum.* Secundò: *Interdum fundamentalem doctrinam tam latè extendunt, ut quæcunque in sacris literis traduntur, comprehendat.* Tertiò: *Aliquando eam ad præcepta Decalogi & articulos symboli restringunt.* Quartò: *Aliquando eam non in omnibus sed certis tantùm quibusdam symboli Apostolici articulis constituunt.* Quintò: *Interdum eam in solo articulo de justificatione contineri docent.* Sextò: *Interdum plures alios doctrinæ Christianæ articulos fundamentales esse volunt, ac non tantùm* (NB) *alii plures, alii pauciores, alii alios ac diversos, sed etiam contrarios; ita ut, quos aliqui inter fundamentales referunt, eosdem alii non fundamentalibus accenseant, & contrà. Hoc ita esse tum in progressu patebit* (quia infrà per ordinem ex Reformatorum Confessionibus & doctrinis singula probat & ostendit) *tum dilucidè testatur Pareus in suo Irenico cap. 4. ubi in colloquio Evangelicorum*, IV.

Digitized by Google

quod institui suadet; primo omnium hanc quæstionem discutiendam ac decidendam esse arbitratur, scilicet: quinam articuli sint fundamentales, seu in quibus Fidei capitibus verè consistat fundamentum salutis, &c. hæc Philippus Eilbrachius: quæ nullus qui vel obiter statum rei considerare velit, certissima esse negare poterit.

V. Hic *Philippus Eilbracht* ex vero Fidei ac salutis impulsus zelo sexagenario major nullis aliorum vel colloquiis, blanditiis vel aliis modis inductus; sed ex diuturna & continua S. Scripturæ & SS. Patrum primitivæ Ecclesiæ librorum lectione & consideratione Romanam Catholicam Fidem veram & primitivæ Ecclesiæ consonam esse cognoscens, licèt multis annis ob temporales rationes detentus tandem impedimentis diversis remotis præsertim octo liberis ex peste sublatis cum uxore de qua spem conversionis non habebat; contemptis difficultatibus, quas post conversionem se ab Acatholicis passurum præconceperat, consideratâ salutis necessitate cum unica filia circa Annum 1628. sponte suâ Coloniam veniens Fidem Catholicam professus est; quæ omnia ex ore ipsius prolixiùs & sæpiùs audivi, & ipse confidenter mihi exposuit: Verùm postea videns se à Catholicis non ita æstimari & temporalium timens penuriam, ac Acatholicis Nobilibus & aliis ad ipsum venitantibus eique conversionem exprobrantibus quasi ad insaniam redactus esset, ut mihi sæpe referebat, subinde ab ipsis ad domum Acatholici cujusdam sub signo cæruleæ ovis prope forum antiquum abductus fuit, unde postea tamen evasit: demum verò ab iisdem Acatholicis Wesfaliam versus abductus ad vomitum rediit. Verùm etsi librum *viam compendiariam* postea contra conscientiam suam, ut certò credo, revocare conatus sit, veritatem tamen obliterare non potuit. Hæc referenda duxi, ut constet quàm acerbè Acatholici persequantur illos, qui relictâ illorum sectâ ad gremium S. Romanæ Ecclesiæ revertuntur, non secùs ac Pharao filios Israël ex Ægypto à Domino eductos persequebatur, & qualiter terrenis inescati salutem negligant.

VI. *Secundùm rumosum imo destructivum unitatis Ecclesiæ fundamentum est*; quod omnino statuant cuilibet privato fideli ultimatum relinqui judicium circa illa, quæ de rebus Fidei à Conciliis quibuscunque definiuntur; ita ut tali decisione non obstante, quilibet privatus possit & teneatur ad amussim S. Scripturæ omnia examinare, postquam Spiritûs Sancti gratiam invocavit, & sic juxta S. Scripturam de rebus à Concilio definitis credere & judicare: prout ex Calvino & confessionibus illorum suprà ostensum est.

Sed quis non videt hoc fundamentum esse destructivum omnis unitatis in fide; cùm videamus nullam esse vel fuisse unquam hæresim, quæ sese ad S. Scripturam non retulerit, ac allegarit; quòd invocato Sancto Spiritu in sensu suæ sectæ S. Scripturam sic clarè intelligat: & tamen certum est, quòd omnes hæretici etiam in suis conciliabulis congregati etiam invocato Spiritu S. definientes suam fidem esse juxta veram sacram Scripturam etiam ad literam, revera tamen à S. Scriptura aberrent? Quid ergo dicendum de quolibet privato, si ipsi hæc ultimatè definiendi & judicandi potestas detur? nónne *hinc tot sententia quot capita* expectandæ sunt? ubi tunc unitas Fidei totius Ecclesiæ? nónne hinc illud ipsum sequitur, quòd Calvinus suprà relatus de Anabaptistis dicebat, *quod hinc immensum quoddam stupendorum deliriorum mare futurum sit, adeo ut vix unius Reformati caput reperiri possit, quod non sit imbutum aliquâ opinione diversâ à reliquis*, &c. quis enim non videt hoc ex illo fundamento consequens esse?

VII. Unde etiam nunquam Acatholici sperare possunt, quòd ipsorum Doctores in determinandis præcisè articulis Fidei fundamentalibus convenient, quod etiam Eilbrachtius suprà cap. 11. admittit, dum ita subjungit: *Non immeritò quis dubitet an Lutherani & Reformati, quos Pareus communi Euangelicorum appellatione vult intelligi, vel in ejusmodi colloquio, vel aliàs unquam decisuri sint istam quæstionem? Cùm enim neminem obligari velint, ut quicquam credat, quod in sacris literis non contineatur; Nullibi autem in illis ista articulorum fundamentalium & non fundamentalium, præsertim quoad singula hodie controversa dogmata, designatio reperiatur: Vel si qua certa & perspicua futura sit, quin ab aliis aliter accipiatur, cui verisimile fiat, non dicam Lutheranos & Reformatos conjunctim, sed hos vel illos separatim unquam de eadem certi quid definituros, & in eandem sententiam concessuros?* hæc Eilbrachtius. Et hoc verum esse quilibet prudens Lector satis perspicit. Si itaque nulla spes sit definiendi certos Fidei fundamentales articulos; quo minus aliqui hos fundamentales assignent; alii contrarios asserant: qualis erit in suis Fidei unitas? quomodo ab his Fides vera à falsa discernetur?

Verùm videntes hunc fragilem imò destructivum effectum hujus prætensæ unionis ex hoc fundamento provenientem, Acatholici alio fundamento eandem fulciri conantur.

VIII. *Tertium* itaque ipsorum *fundamentum est unitatis suæ Ecclesiæ*, ut, dum aliquod dubium in Fide moveatur ad *consistorium*; deinde ad *Concilium provinciale & Nationale* procedatur: ubi invocato Spiritu Sancto secundùm puram sacram Scripturam, ut volunt, lis decidatur, & si quis huic decisioni non acquiescat à Principe vel Magistratu ad hoc compellatur: sic Calvinus docet, sic disciplina Acatholicorum ordinat, juxta hoc processum est in *Concilio Dordraceno* contra Armenianos, qui licèt protestarentur se invocato Spiritu Sancto juxta puram sacram Scripturam suos articulos veros credere, ita tamen moderabantur: ut dicerent se non habere suos articulos pro fundamentalibus nec Protestantium articulos tanquam fundamentalibus contrarios condemnare: nihilominus Decreta illius Concilii absolutè lata sunt contra Armenianos, ut verè Schismaticos & errantes: nam ut in Actis illius Synodi habetur ad art. 5. pag. 302. *Theologi Genuenses damnabant quinque articulos Armenianorum seu Remonstrantium.* Similiter *Theologi Embdani doctrinam Remonstrantium de certitudine salutis & perseverantia vocant pestilentem.*

Rursus *Hollandi Remonstrantium dogma de gratia resistibili vocant Pelagianum & hæreticum* pag. 245. Et hæc Status Hollandiæ executi sunt.

Ubi hîc subsistit Acatholicorum fundamentum de *libertate conscientiæ*, ut nullus cogatur contra conscientiam credere? dum ipsi etiam circa Concilia generalia, quæ ipsi volunt, quantumvis Spiritum Sanctum implorent, errare posse, ultimatum cuilibet privato judicium assignant

&c re-

Digitized by Google

& reservant, ut juxta S. Scripturam examinet & judicet.

Et quidem eò pejus apud Acatholicos agitur, dum cuilibet Principi in suo Dominio potestatem faciunt subditos ad Fidem compellendi: sic enim quot sunt Principum, imò quorumcunque Dominorum temporalium judicia, tot fides sequentur.

IX. Nec obstat, quod dicunt Principes non temere hæc facere, sed præmissis virorum gravissimorum Theologorum consultationibus, qui juxta purissimum Dei verbum omnia priùs examinent & decernant.

Speciosa hæc quidē verba sunt, sed subdola & fucata; nam quos Theologos adhibebunt Principes in his Conciliis nisi suæ factionis; ut Principes Lutherani Lutheranos; Protestantes utuntur Protestantibus Theologis; Puritani Puritanis, Armeniani Armenianis: Ecce hi omnes & singuli asserunt sua dogmata juxta purissimū Verbum Dei esse posita, & tamen sibi contraria fuerunt. Ubi hîc via unitatis Fidei vel Ecclesiæ? ut tandem sileam quòd ob hoc solum Acatholicorum Antesignani Lutherus & Calvinus contra Ecclesiam Catholicam & Concilia generalia exceperint: eò quòd ibi essent soli Catholici congregati, adeóque errare possent, & ideo illa Concilia ab aliis examinanda & judicanda essent; quibus tamen fideles Catholici meritò acquiescunt juxta S. Scripturam & usum fidelium primitivæ Ecclesiæ: in qua dum aliquod Fidei dubium per Concilium generale œcumenicum Spiritu Sancto invocato definitum esset, omnes id firmiter credebant, nec ulli id reprobare citra Schisma vel hæresin licebat.

At verò cùm Acatholici hanc Ecclesiæ Catholicæ normam negent, cur suis Conciliis non solùm Nationalibus, sed etiam Conciliis singulorum Principum hæreticorum hanc potestatem tribuunt, ut subditos ad sua decreta compellant? quibus tamen ultimatum judicium assignant, quomodo hæc cohærent?

X. Judicet sincerus Lector, ubi & in qua Ecclesia exerceatur Tyrannis in conscientias hominum? an in Ecclesia Catholica Romana, ubi juxta verbum Dei & SS. Patrum praxim docetur, quòd quilibet fidelis debeat audire Ecclesiam, & iis, quæ in Concilio œcumenico circa Fidei dubia declarata sunt, acquiescere; ac intellectum suum in obsequium spiritus captivare teneatur? & juxta hanc doctrinam populus dirigitur: An potius in Acatholicorum cœtibus, qui prædictum agendi modum in Ecclesia Romana tyrannidis maximæ arguunt; ipsi autem verbo docent, quòd nulla vis conscientiis inferenda sit, & quòd quilibet possit & debeat omnia dogmata à quibuscunque Conciliis, ubi Spiritus Sanctus invocatur, declarata adhuc examinare & judicare, ac si visum fuerit, reprobare; & tamen in facto gravissimè urgent, ut nedum generali vel nationali illorum Concilio in decretis Fidei, sed etiam cuilibet temporali Domino cum aliquibus Theologis sic determinantibus in articulis Fidei acquiescere compellantur: quæ gravior & turpior Tyrannis conscientiarum esse posset?

Quis igitur miretur, quòd tot jam in Anglia inveniantur Schismata, ut centenarium numerum excedere dicantur? & aliqua tam impia & absurda publicè ibidem prædicari: ut honestiores Acatholicos ipse audiverim ista deplorantes; dum etiam aliqui visi sint, unum, qui se Christum blasphemè dixerat, & ideo punitum, adhuc honorasse, ejúsque sanguinem ut sacrum collegisse? &c. Imò quis non miretur, quòd non plura inter illos Schismata fiant juxta hæc eorum principia, dum & unicuique ultimatum circa decreta etiam Conciliorum judicium committunt, vel è contrà singulis Principibus potestatem faciunt singulos constringendi; quam non solùm Reges vel Principes, sed etiam Comites & Barones in Germania in suis usurpant territoriis.

Verisimile est quòd plures adhuc vanis & speciosis Ministrorum verbis foveantur, dum ad omnia sua dogmata asserunt se secundùm purum Dei verbum procedere; cùm tamen toties illis à doctioribus Catholicis objectum sit, & ab illis exactum: ut vel unicum suæ Fidei articulum, in quo ab Ecclesia Catholica Romana dissentiunt, ex puro Dei verbo claré & expresse legant.

Demum concludendo dicendum, quòd quantumvis Acatholici Calvinistæ inter se dissideant etiam à Lutheranis, tamen confraternitatem & Fidei unionem in Fide fingant, ex eo solùm, dum uno animo Catholicam Ecclesiam impugnant: sic enim in Synodo Polonica profitentur se conjunctos, ut Papatum uno animo oppugnent, quod olim in hæreticis notavit Tertullianus lib. de præscript. cap. 41. dicens: *Nihil interest illis, licèt diversa tractantibus, dum ad unius veritatis expugnationem conspirant.* XI.

ARTICULUS V.

Refertur causa divisionum inter Acatholicos.

Mirum autem non est, quòd Schismatici & hæretici in tot sectas dividantur; quia ab uno vero Christi Corpore, quod est Ecclesia Catholica & à Spiritu Sancto, qui est Author unitatis & charitatis vivificator, se ipsos sequestrando avulsi sunt: unde D. Augustinus lib. 1. contra epist. Parmeniani Donatistæ cap. 4. sic ait: *Iam multa frusta de illo frusto per totam Africam facta sunt: Sic sic necesse est, ut minutatim secti conscißique dispereant, qui tumorem animositatis suæ vinculo Catholicæ pacis prætulerunt*, &c. hæc ibi. I.

Hoc ipsum de hæreticorum sectis adeò verum est, ut ipse *Lutherus* volens nolens id confessus sit in ps. 5. scribens, ubi sic ait: *Verbum expelle in Hebræo dissensionem significat, quomodo authores turris Babylonicæ divisi & dispersi sunt in omnem terram, & cessaverunt ædificare civitatem*, Gen. 11. *quod & B. Virgo dixit*: Dispersit superbos mente cordis sui. *Cui rei cum suis vulpibus prælusit Samson* Judic. 15. *Neq; enim ulli unquam hæretici victi sunt vi aut astu, sed mutua dissensione, nec aliter cum eis pugnat Christus quàm mixto inter eos spiritu vertiginis & dissensionis, sicut inter Babylonicæ turris operarios, & in novo testamento inter Arianos, Donatistas, Pelagianos*, &c. *Ita ut Hilarius S. vir glorietur in lib. de Trinit. bellum hæreticorum esse pacem Ecclesiæ*, &c. hæc Lutherus: quod ipsum in suis & Calvini sequacibus etiam quotidie impletur.

Quoad

ARTICVLVS VII.

Refutantur causæ quoad Græcos, per quas Acatholici se à Schismatis crimine liberare intendunt.

I. QUia Acatholici claré vident, quòd Schismatis crimen à S. Scriptura & primitiva Ecclesia, imò ab ipsorummet Authoribus Calvino, Melanchtone, &c. gravissimè damnatum sit, se triplici potissimùm modo ab illo expurgare laborant. Primò asserendo, quòd licèt ab Ecclesia Romana Authores illorum se separarint, non tamen se separarint ab Ecclesia vera Christi: sed ab Ecclesia idololatrica, & in fundamentalibus depravata; qualem vocant Romanam, adeóque Babylonem.

Dum autem quæritur: An ergo eo tempore, quo Lutherus & Calvinus ab Ecclesia Romana defecerunt, fuerit alia vera Ecclesia in mundo, in qua permanserint?

Respondent tripliciter: Primò, quòd in ipsa Romana Ecclesia fuerint multi occulti, qui non consenserint in illos crassos Romanæ Ecclesiæ errores, & illi constituerint veram Christi Ecclesiam, in qua illi Reformatores permanserint.

II. Verùm, quòd Ecclesia vera semper permansura sit visibilis, abunde ex S. Scriptura & SS. Patribus suprà est demonstratum, & infrà de Nota *Apostolica* ostendetur.

Secundò dicunt illos mansisse conjunctos cum vera Ecclesia, quæ erat in Oriente: sic enim *Petrus Martyr* Coævus Calvino in 1. Reg. 12. & in locis communibus class. 4. cap. 6. n. 4. excusans Schisma suum à Romana Ecclesia dicit: *Si nos eis* (scilicet Papistis) *adjungamus, à majore parte orbis avellemur: quandoquidem ipsi pro Schismaticis habent Ecclesias Aphricanas, Ægyptias, Syricas, Orientales, Asiaticas & Græcas, eo nomine sanè, quod Romanæ Sedi, vel potiùs tyrannidi subjici nolunt,* &c. hæc ille.

Tertiò referunt se ad *VValdenses, Hussitas & VVicleffistas,* quasi illis conjuncti manserint, &c.

Sed hæc effugia fictitia illis non suffragari probatur quoad singula.

III. Primò quoad *Ecclesias Orientales* jam recensitas evidens est, quòd Lutherus & Calvinus in illorum communione nunquam fuerint, multò minùs manserint recedendo ab Ecclesia Romana: quia illæ Ecclesiæ plurima dogmata profitentur de Fide certa cum Ecclesia Romana, ob quæ Acatholici asserunt suos Authores recedere coactos esse ab Ecclesia Romana, utpote *sacrificium Missæ, Adorationem Christi in V Eucharistia, transubstantiationem, invocationem Sanctorum mortuorum, & cultum ac honorem sanctarum Reliquiarum,* &c. hæc Græcos aliósque Orientales etiamnum credere suprà copiosè cap. præced. ostensum est. Si itaque Romanam Ecclesiam propter ista Idololatriæ & Babylonicæ cæcitatis damnarint, & ideo ab illa se exiisse jactitent, quomodo cum Orientalibus conjuncti manserunt? qui eadem docent: imò qui usque in hodiernum diem sæpiùs ab Acatholicis pro confraternitate sollicitati, ipsos Acatholicos ut hæreticos abominantur & aversantur? quomodo ergo & quâ fronte Acatholici se de illorum unione jactitabunt? quomodo hinc se à Schismate excusabunt?

IV. Certum autem est, quòd in his, quæ Orientales Ecclesiæ dogmata habent Ecclesiæ Romanæ contraria, ipsi Acatholici cum Romana consentiant: utpote contra *Græcos de processione Spiritûs Sancti à Patre Filioque,* contra *Abyssinos, Ægyptios, & Syrios de unitate personæ & duplici natura in Christo,* cujus contrarios articulos isti populi cum *Nestorianis, Iacobitis, & Eutychianis in Concilio Ephesino & Chalcedonensi damnatos* defendunt: ac Acatholici cum Romana Ecclesia cohærent, & fateri debent Romanam Ecclesiam in his Catholicam primæ Ecclesiæ veritatem tenere, & Orientales ab illa defecisse, ac proinde apud illas non permansisse veram Christi Ecclesiam. Si ergo illis Ecclesiis jungerentur, certum est, quòd essent à vera Christi Ecclesia separati, sed nec illis conjuncti sunt, ut patet: ergo tempore defectionis non potuerunt excusari *Lutherus & Calvinus* à crimine Schismatis, quòd recedendo ab Ecclesia Romana adhuc manserint in Ecclesia vera Christi respectu Orientis, ubi secundùm ipsosmet non est vera Ecclesia, adeóque illud effugium frivolum est & inane.

ARTICVLVS VIII.

Refutatur excusatio Acatholicorum à Schismatis crimine ratione VValdensium.

SEcunda causa vel potius effugium de *VValdensibus, VVicleffistis & Hussitis*, qui extiterunt tempore illo, quo Lutherus & Calvinus à Romana Ecclesia recesserunt, etiam à Schismate Acatholicos non excusat. I.

VValdenses qui & *Albigenses & pauperes de Lugduno*, quia exteriùs sanctitatem & paupertatem simulabant, dicti sunt; ortum habuerunt à quodam Petro Waldo Lugdunensi, circa Annum Domini 1170. vel *Allii* aut *Albigei & Tolosates, Runcarii, Patareni, Cathari*, &c. dicti sunt.

De Albigensibus sic scribit Baronius ad Annum 1176. n. 3. Hoc anno detecti sunt hæretici *Tolosates sive Albienses* dicti, Manichæis potiùs quàm Arianis affines, licèt Ariani dicti inveniantur. Extant Acta ipsa, quæ sub hoc anno recitantur *Rogerio* hujus temporis Authore in Annalibus Angliæ his verbis: *Eodem anno damnata est Ariana seu Manichæica Hæresis coram Archiepiscopis, & Episcopis, & aliis religiosis viris.*

Erant itaque in provincia Tolosana quidam hæretici, qui se appellari faciebant bonos homines; quos manutenebant milites de Lugduno, &c. ubi capita errorum recitantur, quorum primarium est: Primò, *quod non recipiebant legem Moysis, nec prophetas, neque psalmos, nec vetus testamentum*, sed solum Evangelium, Epistolas Pauli & 7. Canonicas & Apocalypsin. Unde nec sententiam recipere volebant, nisi per novum Testamentum. II.

Secundò, interrogati de quibusdam articulis suæ Fidei damnati sunt, quod *negarint parvulos per Baptismum salvari.*

Tertiò, quòd dicerent *Corpus & Sanguinem Domini non confectari nisi per bonum sacerdotem.*

Google

Quartò, *quod alii præter sacerdotes ligandi & solvendi potestatem haberent.*

Quintò, *nolebant consiteri quod vir & mulier possent saluari, si carnaliter misceantur.*

Sextò dicebant, *si Episcopi ordinarentur, qui non essent tales, sicut Paulus descripsit, non essent Episcopi, nec presbyteri, sed lupi rapaces, & ideo non deberent talibus obedire.*

Septimò dicebant, *se non esse Hæreticos, sed potiùs Episcopos, qui illos damnarent.*

III. Postea tamen per verba novi Testamenti convicti emiserunt professionem Fidei Catholicæ; sed, dum interrogaret Episcopus, si jurarent Fidem illam se tenere & credere: responderunt, quòd nullo modo jurarent, quia contra Euangelium facerent: ubi Episcopus illos ex Euangelio, Epistolis Pauli & Apocal. convicit, quòd jurare deberent, ubi Fides periclitatur, & quòd licitum sit, ostendit ex illo ad Hebr. 6. v. 13. *Quoniam Deus neminem habuit, per quem juraret majorem, juravit itaque per semetipsum,* &c. & v. 16. *Homines enim per maiorem sui jurant, & omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum,* &c. similiter Apocal. 10. v. 5. *quod Angelus leuauit manum suam ad cælum, & jurauit per viventem in sæcula sæculorum,* &c. Sic igitur convicti condemnati fuerunt. Sed ut *Reinerus* refert, deinceps multo tempore ibant ad Ecclesias, Catholicas offerebant, confitebantur, communicabant, sed solùm fictè.

IV. Idem etiam reprehendebant Episcopi in ipsis juxta Acta prædicta, ubi in 7. Capitulo decernitur sic: *Dicimus quod Fidem Catholicam non habent, qui illam non confitentur, quando interrogantur, & Fides periclitatur. Isti etiam Hæretici jactitabant se non mentiri, nos autem dicimus, quia planè mentiuntur: est enim fraus in tacendo, & in dicendo,* &c. hæc in Actis.

Verùm postea illorum secta multùm excrevit, & simul errores illorum, ut ex sequentibus patebit, nam Regem Aragoniæ, & plures Comites Protectores habebant, ut etiam bellum ingens Ecclesiæ inferrent, sed Deo propitio sæpiùs cæsi sunt, circa Annum 1210. quo tempore *Iacobus de Vitriaco* floruit, in cujus vita habetur, quòd hæretici illi inter alia docuerint *Matrimonia esse damnata; promiscuos concubitus cousq; necessarios & sanctos esse. B. Virginis & Sanctorum invocationem non faciendam,* &c.

V. Alii autem Authores ut Reinerus etiam illius temporis Scriptor plures articulos refert, quos docuerunt.

1. Quòd *Romana Ecclesia non sit Iesu Christi, sed malignantium.*

2. Quòd *non sit obediendum Prælatis, sed Deo.*

3. Quòd *Clerici non debeant habere possessiones.*

4. Quòd *nemo sit major altero in Ecclesia.*

5. Quòd *terra & populus non sit per partes diuidendus.*

6. Quòd *Baptismus infantium nihil prosit.*

7. Quòd *sacerdotes in mortali existentes non possint conficere Sacramentum Eucharistiæ.*

8. Quòd *transubstantiatio non fiat in manu indigne conficientis, sed in ore digne sumentis.*

9. Quòd *transubstantiatio fiat per verba vulgaria.*

10. Quòd *nullus possit absolui à malo sacerdote.*

11. Quòd *ipsi per manûs impositionem peccata dimittant, & Spiritum Sanctum habeant.*

12. *Sacramentum conjugii damnant, dicentes mortaliter peccare conjuges, si absq; spe prolis coëant.*

13. Quòd *continentes non peccent per oscula & amplexus.*

14. *Non inuocant Sanctos, & Reliquias illorum contemnunt.*

15. *Imagines & picturas dicunt esse idololatricas,* &c.

16. *Plus quàm Homicidium reputant, qui cogit aliquem jurare, licet sit Iudex.*

17. Quòd *omnis laicus etiam fœmina debeat prædicare.*

18. Quòd *omne juramentum sit peccatũ mortale.*

19. *Qui dicit certe vel revera, reputatur jurare.*

20. *Maleficos non esse damnandos.*

21. Dicunt quòd *omnes Principes & judices damnentur,* &c. his alii addunt.

1. Quòd *à cingulo deorsum non committatur peccatum mortale.*

2. Quòd *Christus fuerit Filius Ioseph & Mariæ, & ipse peccator.*

3. Quòd *Christus per ipsorum sectam salvus factus sit.*

4. *Quod non sit passus,* &c.

Scipio de Pleix Historicus Galliæ tomo 1. ad Ann. 1170. pag. 204. & seqq. ex antiquis Authoribus refert, quòd secta VValdi damnata fuerit in Concilio Lateranensi dicto anno, sed post sex annos revixerit in pejus, cùm adderet hos articulos: VI.

1. *Duo esse principia, alterum bonum quod sit Deus, & alterum malum, quod sit diabolus, hunc esse creatorem corporum, illum animæ. Bonum habuisse duas uxores Collam & Collibriã ex quibus genuisset filios & filias.*

2. *Docebant traductionem animæ tam è corpore humano in corpus bestiæ, quàm econtra: vel de uno corpore in aliud, secundùm merita & demerita animæ.*

3. *Negabant resurrectionem corporum, infernum & purgatorium,* &c. & plura alia impia, quæ expressè in Manichæis & Ethnicis damnata fuerunt. Hæ hæreses transierunt ex Gallia in *Croatiam, Bulgariã, Bohemiam,* ubi sectarii illius sectæ sibi unum summum Pontificem elegerant, &c.

Alia plura impia & nefanda dogmata idem Author refert, quæ tum ex illo, tum ex aliis referunt Reverendissimi DD. Walenburgenses, & accuratè prosequuntur de unitate Ecclesiæ & Schismate protestantium lib. 5. cap. 8. §. 3. & seqq.

Cum his Albigensibus *S. Dominicus* de Fide disputans, cùm illi omnia versutè declinarent, licèt superati, tandem inter Judices conventum est, ut utraque pars Fidem suam in libello conscriberet, & uterque coram omnibus igni injiceretur, cujus libellus intactus maneret, Fides vera esset, quo facto libellus Albigensium statim igne consumptus est, sed libellus S. Dominici ex igne ad longam spatium resiliit, & tertiâ vice iterum iterumque injectus; similiter intactus & illæsus ex igne exiliit, &c. ut notat S. *Antoninus* 3. parte tit. 19. cap. 2. §. 4. VII.

De dogmatibus *VValdensium, VVicleffistarum, & Hußitarum* etiam videri potest Jodocus Coccius tomo 1. Thesauri Catholici lib. 8. art. 4. ubi ostendit quantum differant à Lutheranis & Calvinistis.

Quamvis autem VValdenses illi aliqua dogmata VIII.

Digitized by Google

gmata cum Acatholicis communia docuerint, quæritur tamen, an velint Acatholici, quòd illi veram Chriſti Eccleſiam conſtituant, qui vetus Teſtamentum repudiantes tam impia, abominanda & turpia docuerunt, quæ ipſimet Acatholici abhorrere debent? præterquam quòd aliqua adhuc cum Catholica Eccleſia docuerint de Abſolutione à peccatis, & tranſubſtantiatione, quæ Acatholici damnant, imò quæ Waldenſes contra Eccleſiam Catholicam docuerunt, communia ſunt magis ipſis Anabaptiſtis, & aliis ſectariis, quos tamen Acatholici hæreſeos damnant, quomodo ergo Waldenſium cœtus ſeu potiùs colluvies vera Chriſti Eccleſia erat? vel quomodo Acatholici per talem abominabilem hæreſin ſe ſalvari volunt?

ARTICVLVS IX.

Refutatur excuſatio Acatholicorum à Schiſmatis crimine ratione VViclefiſtarum.

I. SImiliter eſt ratio de *VVicleſo*, qui circa annum 1369. defecit, cujus articuli 45. in Concilio Conſtantienſi damnati ibidem ſeſſ. 8. referuntur, inter quos ſunt ſequentes:

1. *Quod ſubſtantia materialis panis & vini maneat in Sacramento poſt conſecrationem.*

2. *Chriſtus non eſt præſens in Sacramento identicè realiter & in propria præſentia corporali.*

3. *Epiſcopus vel ſacerdos in peccato mortali, non ordinat, non baptizat, nec conſecrat.*

4. *Deus debet obedire diabolo.*

5. *Poſt Vrbanum ſextum non eſt aliquis recipiendus in Papam.*

6. *Contra S. Scripturam eſt, quod veri Eccleſiaſtici habeant poſſeſſiones.*

7. *Omnes Religiones indifferenter introductæ ſunt à diabolo.*

8. *Nullus eſt Dominus civilis, nullus eſt Prælatus, dum eſt in peccato mortali.*

9. *Populares poſſunt ad ſuum arbitrium Dominos delinquentes corrigere.*

10. *Sancti inſtituentes Religiones privatas, ſic inſtituendo peccarunt.*

11. *Qui intrat tales Religiones reddit ſe ineptiorem ad mandata Dei, &c.*

12. *Peccant fundantes clauſtra, & ingredientes ſunt viri diabolici.*

13. *Auguſtinus, Benedictus, Bernardus damnati ſunt, niſi pœnituerint de hoc, quod habuerint poſſeſſiones.*

14. *Vniverſitates, ſtudia, &c. ſunt vanâ gentilitate introducta, & tantùm Eccleſiæ proſunt, ſicut diabolus.*

15. *Omnia de neceſſitate abſoluta eveniunt.*

16. *Imperator & ſæculares ſunt ſeducti à diabolo, ut Eccleſiam dotarint bonis temporalibus.*

17. *Iuramenta illicita ſunt, quæ fiunt ad roborandos humanos contractus, & civilia commercia*, &c. Præter hos plures alii referuntur, & damnantur in Concilio Conſtantienſi ſuprà.

II. Et hi ſiquidem ſunt articuli *VViclefi* damnati, quorum plures Acatholici etiam damnare debent, & in Anabaptiſtis damnant, præſertim *quod non liceat unquam jurare*, ut Calvinus lib. 2. Inſtit. cap. 8. §. 26. &c. *quod ſit contra S. Scripturam, ut Eccleſiaſtici habeant poſſeſſiones*, non placebit Miniſtris. Item *quod omnes Principes exiſtentes in peccato mortali priventur ſuâ jurisdictione, & dominio*, &c. Item *quod populares poſſint ad ſuum arbitrium dominos delinquentes corrigere.*

VVicleff plura alia docuit, quæ Acatholici damnant, ipſe enim in libris Dialogorum, qui Trialogi dicuntur, inter alia habet lib. 2. cap. 10. *Angelos eſſe adorandos*, ſecundò lib. 3. cap. 6. *Multos non prædeſtinatos eſſe in gratia.* Item ibid. *Deum non poſſe quicquam producere vel intelligere, niſi quod de facto intelligit vel producit.* Quartò, *Sanctos demortuos licitè à fidelibus invocari*, ibid. cap. 30. *Item Hoſtiam devotè eſſe adorandam* lib. 4. cap. 7. Quintò *prædeſtinatos non habere certitudinem de ſua prædeſtinatione niſi probabilem* ibidem cap. 10. *Chriſtum eſſe famulum famulorum* ibidem cap. 11. Item *incertum eſſe, ſalventurne infantes Fidelium non baptizati.* Item lib. 3. cap. 26. *Multos in nativitate præter proprium peccatum originale habere proprium peccatum actuale.* Item cap. 13. *Peccata originalia hominum eſſe inæqualia, & decedentes in originalibus propter illa inæqualiter condemnari*, cap. 20. *Matrimonium inter fratres & ſorores eſſe licitum.* Et cap. 22. *Dari purgatorium poſt hanc vitam, ubi prædeſtinati patiantur*, &c. & plura alia *Ioannes Rokyzana Bohemus* tract. de Sacramentis cap. 19. alios adhuc refert articulos ex VVicleffi libris, utpote, *quod ſeptem Sacramenta à Chriſto ſint inſtituta.* Secundò, *omnia Sacramenta eſſe Chriſti, qui dat gratiam, quam efficaciter ſignificat quodlibet Sacramentum.* Tertiò, *confitendum eſſe non ſolùm Deo, ſed & Homini in caſu.* Quartò, *extremam unctionem eſſe ſignum efficax, & finalis, & univerſalis remiſſionis peccatorum.*

III. Similiter Magiſter *Ioannes de Przibram* Bohemus lib. de profeſſ. Fide Cathol. etiam ex VVicleffi libris hos articulos refert:

1. *Non eſſe ſexum, ætatem, vel ſtatum humani generis, quin neceſſe habeat auxilium B. Mariæ Virginis implorare.*

2. *Conſuetudines Eccleſiæ eſſe obſervandas, licèt in Scripturis non ſint expreſſæ.*

3. *Ornamenta Miſſæ eſſe laudabilia, & ritum ejus egregium.*

4. *Adorandas eſſe imagines, ut ſigna.*

5. *Reliquias & Sacramenta eſſe prudenter adoranda.*

6. *Introductas eſſe imagines in Eccleſiam poſt firmitatem Fidei primitivæ, ut ſint libri Laicorum, & ſigna recordativa ſingulis Chriſtianis*, &c. Idem Magiſter teſtatur VVicleffum celebraſſe Miſſam in ritu & forma Eccleſiæ, &c.

Quòd autem prædicti VVicleffi articuli authenticè relati ſint Reverendiſſimi DD. VValeburgici ex multis authoribus probant & ex ipſo catalogo veritatis Acatholicorum.

Videant itaque Acatholici, an ipſorum cætus in ſecta VVicleffi fuerint vel perſtiterint, licèt aliquos cum ipſo communes errores aſſumpſerint, quod omnibus hæreſibus commune eſt.

***

Digitized by Google

ARTICVLVS X.

Refutatur excusatio Schismatis quoad Hussitas.

I. NEc majus illis ad Joannem Huls remanet refugium; licèt quotidie allegetur.

Ioannes Huß enim, ut refert Cochlæus lib. 2. de Historia Hussitarum pag. 74. & seqq. hos docuit articulos:

Primò, *cùm credunt homines simplices, quod ex potestate & institutione Christi veri Dei, & veri hominis per ministerium sacerdotum est in Sacramento venerabili verum Corpus suum, quod conceptum & natum est ex Maria Virgine castißima, potestate Spiritûs Sancti quod passum est in cruce,* &c. *quod ascendit in cælum & illud & non aliud sine noua substantiali sui conceptione est in Sacramento venerabili, similiter Sanguis, qui effusus est in cruce in remißionem peccatorum, & de eodem Corpore,* &c.

Secundò, *quod Christus virtute propriâ & verbis propriis transubstantiat panem in Corpus suum, & vinum in Sanguinem suum, juxta cantum Ecclesiæ istum:* Verbum caro panem verum, verbo carnem efficit, &c. *Verbum caro*, id est, *Filius Dei existens Homo verum panem carnem & merum, id est, vinum fit per transubstantiationem sanguis. Nunquam prædicaui, quod in Sacramento altaris maneat* (NB) *substantia panis materialis, de quo veritatis inimici me falso accusarunt.* Imò protestatus est in ea Fide se mori, credens firmissimè panis conversionem in Corpus Christi, &c. ut refert Cochlæus suprà pag. 76. &c.

Idem author addit, quòd Hussitæ servabant processiones cum Corpore Christi per civitates & plateas civitatum.

Sequuntur articuli errorum Joannis Huls à Cochlæo relati, ex libro ipsius Huls collecti, quorum triginta in Concilio Constantiensi sess. 15. enumerantur, & damnantur, inter quos sunt sequentes:

II. 1. *Ecclesia Catholica seu uniuersalis est omnium prædestinatorum duntaxat.*

2. *Vniuersalis Ecclesia sancta tantùm est una, sicut tantùm est unus numerus prædestinatorum.*

3. *Nullus mortali crimine maculatus, est de Ecclesia.*

4. *Sicut Christus non fuit palliatus temporalibus & Apostoli ejus, ita nec Vicarii, nec successores debent temporalia poßidere.*

5. *Præsciti non sunt partes Ecclesiæ, cùm nulla pars ejus ab ea finaliter excidet.*

6. *Dua natura Diuinitas & Humanitas sunt unus Christus.*

7. *Sumendo Ecclesiam pro conuocatione prædestinatorum, siue sint in gratia siue non, secundùm præsentem justitiam, isto modo Ecclesia est articulus Fidei.*

8. *Petrus non fuit, nec est Caput Fidei Catholicæ.*

9. *Paulus nunquam fuit membrum diaboli, licèt fecerit actus quosdam actibus Ecclesiæ malignantium consimiles.*

10. *Quemlibet prædestinatum criminosum plus diligit Christus, quàm aliquem præscitum in quacunque gratia sibi possibili fuit.*

11. *Iudas non fuit verus Christi discipulus.*

12. *Criminosi secundùm præsentem justitiam omnes sunt infideles, cùm impoßibile sit quemquam peccare mortaliter, nisi de quanto in Fide deficit.*

13. *Verba Christi Petro dicta: Quodcunque ligaueris super terram,* &c. *ex defectu intelligentiæ & terrena ambitionis multos Christianos terrent, ut timeant, similiter & alii decipiuntur præsumentes de plenitudine potestatis.*

14. *Potestas Papæ non imitantis vitam Christi, non est timenda.*

15. *Papa vitæ Petri non conformis non debet dici Papa vel Vicarius Christi, sed pater Antichristi. Papæ institutio à Cæsaris potestate emanauit.*

16. *Christus obediuit diabolo.*

17. *Nullus est Dominus ciuilis, nullus est Prælatus, dum est in peccato mortali.*

18. *Si Homo est virtuosus, quicquid agit, virtuosè agit, & si est vitiosus, quicquid agit, vitiosè agit.*

III. Plures alii in Concilio Constantiensi referuntur, & demum specialiter ibidem damnatur illa Hussii assertio, scilicet: *Quilibet Tyrannus potest, & debet licite, & meritorie occidi per quemcunque vasallum suum vel subditum, etiam per clanculares insidias, & subtiles blanditias, vel adulationes, non obstante quocunque præstito juramento seu confœderatione factis cum eo, non exspectata sententiâ, vel mandato cujuscunque judicis,* &c. Hâc Hussii assertione nihil pejus esse posset in Republica, ut patet: unde in eodem Concilio justissimè damnatus & degradatus Judici sæculari traditus est, à quo & combustus.

Cæterùm, licèt *Ioannes Huß* multùm laudarit Wickleffum, ut patet ex Concilio Constantiensi suprà, ipsúmque in pluribus secutus sit; tamen in multis etiam ipse cum Hussitis à Wickleffistis dissenserat, ut patet ex libris ipsius Huss; Nam docet

1. *Matrimonium esse Sacramentum* lib. de matrim. cap. 3.

2. *Vinculum Matrimonii non dissoluitur per adulterium unius* cap. 2.

3. *Tres esse partes pœnitentiæ: Contritionem, Confeßionem, & satisfactionem*, lib. de pœnitentia fol. 37.

4. *Omnia peccata sunt integrè confitenda sacerdoti* ibidem.

5. *In Missa offerri sacrificium propitiatorium* de Sacram. fol. 39. cap. 2.

6. *Christum esse realiter præsentem in Eucharistia* ibid. cap. 2.

7. *Malos in Sacramento accipere Corpus & Sanguinem Domini.*

8. *Christum esse realiter præsentem in Eucharistia per transubstantiationem*, ibid. cap. 3.

9. *In Sacramento tamdiu manere Corpus & Sanguinem Domini, quamdiu manent species panis & vini*, ibid.

10. *Sub una sola specie panis esse Corpus & Sanguinem Domini.*

11. *Esse purgatorium* in fid. elucid. fol. 51.

12. *Fideles in purgatorio juuari suffragiis viuentium* ibid.

13. *Sanctos in cælo existentes intercedere pro viuentibus* ibid.

14. *Sanctos demortuos esse inuocandos* ibid.

15. *Papam esse immediatum Vicarium Jesu Christi* quæst. de credere fol. 170.

16. *Non prædestinatos ad vitam æternam, quandoque justi-*

Digitized by Google

juſtificari & accipere remiſſionem peccatorum de Eccl. cap. 3. fol. 200.

17. *Prædeſtinatos ad vitam æternam poſſe in hac vita gratia excidere* ibid. fol. 203.

18. *Neminem hic poſſe ſine revelatione vel formidine aſſerere, quod ſit prædeſtinatus*, &c. ibid. fol. 204.

Similiter diſcipuli Huſſii docuerunt; utpote *Joannes Rokizana* in tract. de 7. Sacramentis docet

Primo ſeptem eſſe novæ legis ſacramenta cap. 1. fol. 446.

2. *Confirmationem eſſe ſacramentum* cap. 11. fol. 446.

3. *Chriſtum eſſe in Euchariſtia adorandum, & impie contrarium teneri* cap. 14. fol. 483.

4. *In perfecta pœnitentia tria concurrere: Compunctionem cordis, confeſſionem oris, ſatisfactionem operis* cap. 26. pag. 485.

5. *Extremam unctionem eſſe ſacramentum*, cap. 28. pag. 490.

IV. Rurſus alius Huſſii diſcipulus Joannes de Przibram in profeſſione Fidei edita hos habet articulos:

1. *Septem ſunt ſacramenta* §. 2. pag. 504.

2. *In Baptiſmo adhibendum eſſe exorciſmum & Chriſma* §. 9. pag. 506.

3. *Ordinem eſſe ſacramentum* ibid.

4. *Hæreticos eſſe, qui tenent omnem Sacerdotem eſſe Epiſcopum* §. 11.

5. *Chriſtum in S. Euchariſtia eſſe realiter præſentem* §. 13. & 14. pag. 508.

6. *Tres eſſe pœnitentiæ partes: Contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem* §. 15. pag. 509.

7 *Hæreticos eſſe, qui confeſſionem auricularem reprobant*, ibid.

8. *Matrimonium eſſe ſacramentum* §. 16.

9. *Extremam unctionem eſſe ſacramentum, & Hæreticos eſſe, qui hoc ſacramentum contemnunt* §. 17. pag. 500.

10. *Chriſtum in S. Euchariſtia cultu latriæ eſſe adorandum* §. 18. pag. 510.

11. *In conſecratione fieri Tranſubſtantiationem* §. 20 pag. 511.

12. *Sanctos eſſe invocandos* §. 22. pag. 512.

13. *Ritum, & cæremonias Miſſæ eſſe ſervandas* §. 28. pag. 517.

14. *Imagines eſſe venerandas & ſimiliter Reliquias* §. 33. & 34. pag. 517.

15. *Imagines licitè in templis haberi* §. 34. pag. 522.

16. *Summum Pontificem habere primatum in Eccleſia, eiq; in licitis & honeſtis eſſe obediendum* §. 36. & 37. pag. 523. & ſeqq. hæc ille.

ARTICVLVS XI.

Oſtenditur, quòd Acatholici moderni cum nullis VValdenſium, VVicleffiſtarum & Huſſitarum Eccleſiis in articulis Fidei quos fundamentales prædicant, conveniant vel concurrant.

I. CONſideret benevolus Lector hæc *Waldenſium, Wicleffiſtarum & Huſſitarum* dogmata, eaque tum inter ſe, tum cum dogmatibus Acatholicorum, Lutheranorum & prætenſorum Reformatorum conferat & judicet: an Acatholici moderni ſe à ſchiſmatis crimine ſub prætextu illarum trium ſectarum excuſare poſſint? imo videat, quàm turpiter & inaniter ſe jactitent, quod Lutherus & Calvinus, eorumque ſectatores in illorum cœtibus tanquam in vera Chriſti Eccleſia permanſerint, conſideretque imprimis, quàm impia & horrenda *Waldenſes* docuerint de duobus principiis, *uno bono Deo & altero malo, diabolo*; ut olim de Manichæis refert S. Auguſtinus. Secundo *de horrenda traductione animarum ex corpore humano in beſtiale, & contra* &c. 3. *de negatione reſurrectionis corporum & inferni*, &c. 4. *quod negarint authoritatem veteris teſtamenti.* 5. *quod doceant virum & mulierem etiam in matrimonio carnaliter viventes, non poſſe ſalvari.* 6. *quod omne juramentum etiam à Judice exactum ſit illicitum, imo plus quàm homicidium ſit, ſi judex tale exigat.*

7. *Promiſcuos concubitus etiam nefandos eſſe licitos.*

8. *Quod Baptiſmus infantium nihil proſit.*

9. *Quod omnes Principes & Judices damnentur.*

10. *Maleficos non eſſe damnandos vel puniendos*; Inſuper aliqui ipſorum docent *Chriſtum fuiſſe filium Mariæ, & Joſeph, ac peccatorem, non eſſe paſſum; ſed per ipſorum ſectam ſalvatum*, &c.

Quis non exhorreat ad hæc tam nefanda? quis vir bonus & Chriſtianus dici vellet ſe ejuſdem cum illis Fidei & Religionis? Illine veram Chriſti Eccleſiam conſtituebant, in qua Lutherus & Calvinus, ac poſteri eorum permanſerunt? an hoc dici velint?

Sed dicent hoc falsò illis affingi, ſed illos multò aliter docuiſſe; Vnde vobis ô Novelli hoc conſtat? ecce antiqui Authores illorum Hæreticorum contemporanei iſta ſcripſerunt, dum nihil de Calvini & Lutheri ſectis conſtabat. Ecce tunc temporis ob prædicta & alia in Conciliis damnati ſunt, & plures à Principibus gladio, & flammis conſumpti ſunt, ut conſtat ex authenticis hiſtoriis; & vos ô Acatholici illos talibus ſuppliciis dignos judicatis. Cùm ergo & Concilia, & Acta, & Authores illorum temporum iſta referant, unde vos dicere audetis contrarium? unde habetis? II.

Si autem poſterioribus temporibus *Waldenſes* multa occultarunt, ut ex ſupradictis patet, quod ſæpe convicti Fidem Catholicam ſimularint, & fictè ad ſacramenta acceſſerint, multaque alia fictè egerint: an ideo priora neganda ſunt? ſi etiam poſt novam Calvini prædicationem in multis ſe ab illo inſtrui fecerunt, ut Beza refert, *Waldenſes ſuos Legatos ex Bohemia Anno 1560. ad Calvinum miſiſſe, & quadam de ſua Religione ab eo eſſe percunctatos, quibus ille, ut par eſt, ſatisfecerit, eosq; ſit exhortatus, ut cum aliis Eccleſiis ſeſe prorſus conjungerent.*

Sic etiam teſtatur *Scipio de Pleix* tom. 3. hiſtor. Gallicæ, quod Waldenſes petierint Doctores ex Helvetia & Geneva, & novam Confeſſionem formarint in multis à Waldenſibus diverſam, reipsâ Lutheranam & Calvinianam. Quid inde habetur circa ſectam Waldenſium antiquorum, priusquam Calvinus emergeret; niſi quod illi poſteriores Anno 1560. dum Calvini ſecta jam dudum viguiſſet, adhuc à Calvino, & aliis ſejuncti, poſtea à Calvino aliter informati, & ad ſocietatem invitati fuerunt? quomodo ergo Calvinus ab initio in illorum ſecta, vel ut volunt Eccleſia, tanquam vera, permanſit?

Digitized by Google

III. Simili modo procedendum eſt de ſecta *Wicleffiſtarum & Huſſitarum*, nam, etſi Wicleff ex Waldenſibus, & Huſs ex Wicleffiſtis proceſſerint, inter ſe tamen non conſenſerunt in multis capitalibus etiam fundamentalibus.

Nam patet ex prædictis, quod Waldenſes negabant *Sanctos mortuos eſſe invocandos*, ſed Wicleff, *adorationem Angelorum & invocationem Sanctorum defunctorum ſervandam conſtanter docuit*, in quo Acatholici fundamentalem Fidei articulum collocant.

Wicleffus omnia ſuprà relata abſurda VValdenſium negabat; inſuper docuit cum Eccleſia Catholica, *Hoſtiam devote eſſe adorandam. Prædeſtinatos non habere certitudinem de ſua prædeſtinatione citra ſpecialem revelationem. Multos non prædeſtinatos eſſe in gratia. Dari purgatorium poſt hanc vitam, in qua prædeſtinati patiantur*, &c. præter alia, quæ ſuprà de ſacramentis, & efficacia illorum, de veneratione Imaginum & Reliquiarum, &c. relata ſunt. Quæ omnia Acatholici moderni ut idololatrica, & fundamentalia damnant.

IV. Econtrà VVicleff plura alia docuit, quæ nec Acatholici admittunt, utpote: *Deus debet obedire diabolo.*

2. *Deus non poteſt quidquam producere vel intelligere, niſi quod de facto intelligit, & producit.*

3. *Nullus eſt Dominus civilis vel Prælatus, dum eſt in peccato mortali.*

4. *Omnia abſolutâ neceſſitate fiunt.*

5. *Juramenta quæcunq; ſunt illicita.*

6. *Populares ad ſuum arbitrium poſſunt dominos delinquentes corrigere.*

7. *Multi in nativitate præter originale habent peccatum actuale.*

8 *Matrimonium inter fratres & ſorores germanos eſſe licitum*, &c.

Præter plura alia ſuprà ex Authoribus relata, quæ meritò à modernis Acatholicis damnantur. Quomodo ergo *Lutherus & Calvinus* per ſectam VVicleffiſtarum dicentur in Eccleſia Chriſti vera permanſiſſe, & abſque crimine ſchiſmatis ab Eccleſia Romana receſſiſſe, cum & ipſi V.Wicleffiſtarum doctrinam in multis fundamentalibus etiamnum damnent?

Demum ex articulis *Joannis Huß*, ejusque diſcipulorum relatis patet in quantum moderni Acatholici ab Huſſitis diffideant, utpote

V. 1. Quod illi crediderint veram Chriſti in V. Sacramento corporalem præſentiam; & veram panis materialis in Corpus Chriſti tranſubſtantiationem.

2. *Quod in Miſſa offeratur ſacrificium propitiatorium.*

3. *Chriſtum in Euchariſtia cultu latriæ adorandum.*

4. *Quod mali & boni accipiant Corpus Chriſti in V. ſacramento.*

5. *Quod Corpus & ſanguis Domini maneant, quàm diu manent ſpecies panis & vini.*

6. Item, *quod ſeptem ſint ſacramenta.*

7. *Sanctos eſſe invocandos.*

8. *Tres eſſe partes pœnitentiæ: Contritionem, confeſs. & ſatisfactionem.*

9. *Hæreticos eſſe qui confeſſionem auricularem negant.*

10. *Imagines in Eccleſia licitè ſervandas & honorandas, ſicut & Reliquias Sanctorum.*

11. *Eſſe purgatorium, & in illo fideles juvari ſuffragiis vivorum*, &c.

12. *Ritum & ceremonias Miſſæ ſervandas*, & plura alia ſuprà relata. Quæ omnia Acatholici ut fundamentalia contra Eccleſiam catholicam negant.

VI. Rurſus Joannes Huſs multa impia & abſurda docuit in Concilio Conſtantienſi damnata ſuprà relata, quæ etiam Acatholici ut hæretica damnare debent, præſertim, *quod nullus ſit Dominus civilis, qui eſt in peccato mortali, & quod quilibet vaſallus quocunq; juramento obſtrictus poſſit occidere tyrannum non expectatâ ſententia vel mandato cujuscunq; Judicis*, &c. Si enim quilibet poſſet judicare ſuum Dominum eſſe tyrannum, & in peccato mortali, eumque occidere, &c. quo nihil eſt perículoſius regimini.

Cùm itaque hæc tot & tanta à *Waldenſibus, Wicleffiſtis & Huſſitis* docta & tradita ſint eo tempore, quo *Lutherus & Calvinus* emerſerunt, quâ fronte & quâ ratione Acatholici moderni dicere audent, vel poſſunt, quod illæ tres ſectæ fuerint vera Chriſti Eccleſia? vel quod in illis tribus ſectis Lutherus & Calvinus cum ſuis tanquam in vera Eccleſia ſalvati ſint, ut abſque crimine ſchiſmatis ab Eccleſia Romana, in qua educati fuerunt, ſeſe ſepararint? quâ conſcientiâ dicere poſſunt tot & tanta ac tam impia ab illis docta, & cum antiquis Hæreticis damnata, fuiſſe ſolum nævos aut accidentales articulos in illis tribus ſectis, & non evertiſſe Fidei fundamentum? Rurſus quâ fronte alia plurima, quæ illæ ſectæ cum Catholica Eccleſia docuerunt Acatholici dicere poſſunt, quod in illis fuerint nævi, & eadem illa in Eccleſia Catholica ut articulos fundamentum Fidei evertentes damnent? quis hanc abſurditatem non apprehendat vel admiretur?

Demum non ſuffragatur Acatholicis, quod illæ ſectæ in aliquibus conſenſerint, ſicut ipſi ſentiunt, utpote primò, quod Waldenſes *Romanam ſedem vocent ſedem malignantium, & Religioſorum ſtatus ac Authores damnarint, Communionem etiam V. ſacramenti Euchariſtiæ ſub utraq; ſpecie eſſe de præcepto divino Laicis mandatum*, &c. nam ſi in uno aut altero articulo velint fraternitatem colligere cùm in pluribus graviſſimis differant, quis non videt illud eſſe abſurdiſſimum? & ſi illis hoc faciendum viſum fuerit, multò potius Acatholici cum Catholica communicare deberent, cum qua plures articulos Fidei fundamentales communes habent.

2. Si ideo antiquitatem ex Waldenſibus petant, qui poſterioribus ſeculis orti ſunt ut Anno 1160. poſſent ſe referre ad antiquiores *Donatiſtas*, qui etiam infenſi erant Romanis Pontificibus tempore Auguſtini, contra quos Auguſt. lib. 2. contra Petilian cap. 31. ſic arguit: *Cathedra tibi quid fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit; & in qua Anaſtaſius ſedet*, &c. *quare appellas Cathedram peſtilentiæ, cathedram Apoſtolicam?* Ecce fraternitatem Donatiſtarum. Facilè eſt calumniari, ſed calumniis veritas non tollitur. Judæi Chriſtum dæmoniacum impiè blaſphemabant, ſuſtinemus hoc ut diſcipuli Chriſti. *Si Patrem-familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domeſticos ejus?* Matt. 10. v. 15.

Rurſus quoad Monaſtici ſtatus contemptores, etiam *Donatiſtas confratres* habent, ut Auguſt.

Digitized by Google

gust. lib. 3. contra eund. Petilian. cap. 40. ait dicens: *Deinde perrexit ore maledico in vituperationem Monachorum & Monasteriorum, arguens etiam me, quod hoc genus vitæ à me fuerit institutum*, &c. Ecce si fratres vestri ex hoc sunt Donatistæ & VValdenses, nos cum Augustino dicimus, cur ore maledico vitam Monachorum vituperatis?

VII. De Communione sub utraque specie etiam frustra gloriantur cum Hussitis, qui illam sine vero fundamento quasi ex præcepto divino urgebant, cùm alioquin Ecclesia etiam concedat, quod ex permissione Ecclesiæ id fieri possit à Laicis, ita tamen, ut non credatur esse ex præcepto Dei, prout suo loco ostendetur; & patet, quod Acatholici in certis casibus Communionem sub unica specie tribuant.

Sed hæc differentia exigua est respectu veræ & realis Christi corporis præsentiæ, ejusque cultu latriæ in V. sacramento, ac Transubstantiationis panis in corpus Domini, quæ VVicleffistæ & Hussitæ cum Ecclesia Catholica docuerunt, & Acatholici, ut fundamentalia, damnant.

Nec ob prædicta Acatholici plus sibi illas sectas adscribere possunt, quàm Anabaptistæ, Trinitarii, &c. qui etiam istis inhærent, & tamen ab Acatholicis damnantur. Imo in pluribus cum illis sentiunt, quàm Acatholici.

VIII. Videant autem Acatholici, qualiter in quibusdam antiquis hæresibus adhæreant, & in pluribus gravioribus ab iisdem dissideant, non secus ac vulpes Samsonis caudis conjunctæ, capitibus aversis in odium & persecutionem Ecclesiæ Dei discurrentes. videant quàm turpiter suam Ecclesiam per tales turpes sectas conservatam & continuatam velint, quæ si verè in omnibus cohærerent, essent tamen turpissima illarum dogmata & novitia, quæ ante sexcentos annos non extiterunt.

Videant etiam quàm turpiter profiteantur *Joannem Huß* verum Christi Martyrem, qui ob turpissimos errores dignè combustus est, præsertim etiam juxta Acatholicos præter alia impia dogmata, & maximè propter doctrinam illam, quæ omne Regimen politicum contra expressam S. scripturam evertit, quod liceat subdito cuicunque Dominum suum temporalem occidere, si judicet ipsum Tyrannum esse; vel quod Dominus temporalis privetur dominio, si sit in peccato mortali.

Si licuit Calvino impium Servetum impiè contra SS. Trinitatem docentem flammis lentis comburendum adjudicare, & si ipse libello edito docuit licere Hæreticos morte mulctare, cur non licuit Concilio impium & pertinacem Huss Judici sæculari tradere? Ecce Martyrem Acatholicorum & Patrem, cujus doctrinam ipsimet abominari, & damnare debent!

IX. Ubi etiam notandum, quàm frivolè Acatholici condemnent & arguant Principes Catholicos, qui schismaticos & Hæreticos multis modis ad veræ fidei agnitionem frustra tentatos, tandem pertinaces, sed rarissimè supplicio ultimo affici jubent, cujus in vet. Testamento sunt testimonia, ut Deut. 17. *Qui superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, ex sententia Iudicis moriatur*, & cap. 13. jubentur occidi pseudoprophetæ, &c. In novo Testam. SS. Patres idem juxta vetus Testam. justum esse docent, ut *Cyprianus* lib. de exhortat. martyrii cap. 5. allegans illud Deuter 13. dicit: *Si hoc in veteri testamento fiebat, nunc magis faciendum est.* Idem habetur L. quicunque C. de Hæreticis, quæ lex ab Imperatoribus in primitiva Ecclesia lata est.

Sed hoc ipsum Acatholicos confundere deberet, qui in Anglia & Hibernia promiscuè Catholicos Sacerdotes ultimo & gravissimo enecant supplicio; An illis licitum in falsa Fide: & Catholicis illicitum pro vera Fide?

Si calumnientur, quod non ratione Fidei, sed rebellionis & seditionis timendæ id fiat: calva excusatio, cùm eadem esse possit Catholicis Principibus, & eò major, quod experientia doceat, quod Acatholici præsertim Protestantes contra suos legitimos Dominos rebelliones moverint, se illis opposuerint, omnia ferro & flamma vastarint, ac in Gallia, & Belgio, ac Anglia tot millia Catholicorum trucidarint, tot Sacerdotes & Religiosos crudelissimis & horrendis suppliciis enecarint, ut ex uno Ordine FF. Minorum aliquot centeni recenseri possent.

CONCLUSIO.

EX prædictis cuilibet evidens esse potest, quod *Zvinglius, Lutherus, Calvinus*, illorumque Sectatores ab Ecclesia Romana recedentes, illo tempore non habuerint aliam veram visibilem Christi Ecclesiam, in qua permanserint, vel cui se conjunxerint, cùm ostensum sit, omnes illas visibiles Ecclesias illo tempore existentes per orbem ab Ecclesia Rom. separatas, sive in Oriente sive in Occidente, non fuisse veras Christi Ecclesias, sed schismaticas, & in multis fundamentalibus articulis hæreticas, quod de *Græcis, Abyssinis & aliis Orientalibus* ostensum est, sicut etiam de *Waldensibus, Hussitis & Wicleffistis*, idque non solùm juxta veritatem ipsam, sed etiam juxta professionem ipsorummet Acatholicorum, qui plures Articulos, ut Fidei fundamentales credunt, quorum contrarium illæ omnes & singulæ enarratæ sectæ docuerunt, ac proinde non possunt unitatem suæ Ecclesiæ per illas ostendere, sed potiùs ipsi ab unitate veræ Christi Ecclesiæ Romanæ sese injustè & impiè separando schisma turpissimum causasse, & proinde crimen idololatriæ gravius commisisse convincuntur; cæteribus ergo modernorum Acatholicorum unitas veræ Christi Ecclesiæ tam ob schismatis crimen, quàm propter doctrinæ falsitatem, & inter se, divisiones, minimè convenit. X.

***

CA-

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De aliis veræ Ecclesiæ Notis, quæ modernorum Acatholicorum cætibus non competunt.

ARTICULUS I.

Quòd Nota sanctitatis, quâ Ecclesia sancta est & dicitur cætibus Anabaptistarum & Lutheranorum non competat.

I. OStensum est suprà lib 3. quod juxta S. scripturam & sanctorum Patrum sententiam Ecclesia vera Christi sit & dicatur *sancta*; prout in symbolo profitemur: *Credo Ecclesiam unam sanctam*, &c. hanc autem sanctitatem triplicem esse: Primò *doctrinæ*, scilicet, *quod nihil falsum, nihil erroneum, aut turpe doceat*.

2. *quod in Ecclesia in testimonium Fidei fiant miracula & prophetiæ*. 3. *quod etiam in Ecclesia vera sint plures sanctitate vitæ & morum illustres*; Sed hæc nullis Acatholicis Ecclesiis competere probatur.

Primo de *Anabaptistis* constat, quod, licèt quidam illorum externam sanctitatis speciem præ se ferant; tamen imprimis doctrina ipsorum in pluribus articulis est absurda & falsa: Primo quod adultos tantùm baptizent. 2. quod etiam illos, qui ab ipsis in una congregatione sunt baptizati, si uxorem vel maritum ex alia congregatione ducant, in illa rebaptizent: imò toties rebaptizent, quoties ad aliam congregationem transeunt, quales aliquando plures sunt in una Civitate: ut illi, qui ex ipsis conversi sunt, retetunt, &c. 3 quod negent originale peccatum, & Baptismum parvulorum, quæ est hæresis olim in Pelagianis damnata.

2. Quòd negent Christum de B. Virgine carnem assumpsisse, quæ etiam olim in Manichæis, Sabellianis & Eutychianis damnata est, præter plura alia suprà cap. præced. art. 3. recensita.

II. Præterea quoad doctrinam morum, quid turpius, quàm quod se in innocentiæ statu per iteratum baptisma constitutos asserant non posse peccare, ac in vagam libidinem se effundant: quasi hæc sit libertas spiritus quod promiscuè mulieribus commisceantur in nocturnis suis conventiculis, &c. ut suprà ostensum est: quàm falsi autem Prophetæ fuerint ipsorum antesignani, ut *Thomas Munzerus*, *David Georgius* & (licèt Lutherus ipsos cœlestes Prophetas vocaverit) experientia docuit.

De Munzero refert *Cochlæus* in Actis Luth. Anno 1525. quod suis prædixisset, intra duos annos suam doctrinam universalem fore, extinctis Papa, Episcopis, Monachis, &c. & ecce qualis Propheta! imò persuaserat rebellibus rusticis contra Principes Germaniæ armatis certam victoriam, seq; omnes hostium globulos in suam manicam illæsum recepturum: sed aliquot millibus rusticorum cæsis ipse captus, & capite plexus, prophetiam suam inanem ostendit.

III. Quod *Lutheranorum* cætibus nulla sanctitatis Nota competat, etiam ex prædictis facilè ostenditur. Doctrina enim illorum in pluribus est falsa & erronea, ac in antiquis Hæreticis damnata, ut aliàs ostensum est, & in sequentibus in particulari patebit. Ac specialiter irrationabilis est eorum doctrina: primo, *quod parvuli in Baptismo utantur ratione, audiant verbum Dei & credant, ac diligant Deum actibus charitatis*; prout in Synodo Wittenbergensi Anno 1536. post Lutherum definitum est.

2. quod doceant *hominem per solam Fidem salvari*, quâ credunt sibi omnia esse peccata dimissa, unde manifestè sequitur, quod nullo modo opus sit orare pro peccatorum remissione contra Christi Domini doctrinam in Oratione Dominica, quâ jubemur orare *dimitte nobis debita nostra*. Si enim per Fidem certè dimittantur, frustra pro remissione oratur, & ideo Anabaptistæ ex Luthero geniti consequenter illum articulum ex orat. Dominica omittunt.

3. quod doceant *corpus Christi esse ubiq;, sicut divinitas Christi*, sicque ubique esse cœpisse à prima conceptione in utero B. Virginis, unde tollitur omnis doctrina de nativitate, passione, actionibus in certis locis, &c. ascensione, &c.

Denique ex tam vana & liberali ipsorum doctrina tot & tanta vitia orta sunt, ut ipsorum DD. deploreni, ut suprà visum est. IV.

Quibus addendum quod scribit *Smidelius* Lutheranus de suis dicens: *ut totus mundus agnoscat eos non esse Papistas, nec bonis operibus quidquam fidere, illorum etiam nullum exercent penitus: jejuniis loco commessationibus & perpotationibus nocte diuq; vacant, precationes vertunt in juramenta, blasphemias, & divini nominis execrationes, idq; tam perditè, ut Christus ne ab ipsis quidem Turcis hodie tantopere blasphemetur, &c. atq; hoc universum vitæ genus ab illis Evangelium dicitur institutum*, &c. hæc ille. Ecce sanctitatem vitæ, quàm Lutheri doctrina causavit.

De miraculis à Luthero & ejus sectatoribus in doctrinæ suæ confirmationem patet apud diversos Authores, & primo quidem constat de dæmoniaca Lutheri discipula, à qua Dæmonem ejicere volens, ita angustiatus à Dæmone fuit: ut ferme occisus esset; prout inter alios refert *Staphylus* qui huic actioni interfuit, in lib. absoluta responsio dicta. V.

2. Neleum quendam in Albi submersum ad vitam revocare frustra conatus est Lutherus multis in aurem factis insusurrationibus. Ita *Cochlæus* in actis Lutheri Anno 1523.

Infeliciore successu quidam *Minister Lutheranus* in finibus Poloniæ circa An. 1558. Simulavit se resuscitaturum hominem quendam nomine Matthiam, cui persuaserat, ut se mortuum fingeret: sed ex vivo verè mortuum reddidit, ut refert *Lindanus* in Dubitantio, & *Alanus Copus* lib. 6. Dialogorum, &c.

De prophetiis Lutheranorum hoc etiam insigne narrat *Cochlæus* ad An. 1533. quod Ministri Lutherani populo prophetarint diem Judicii proximum non solùm esse, sed etiam certo specificato die futurum: unde rustici plures inducti nec serere, nec arare, aut quidquam ædificare voluerunt, &c. sed ecce quàm mendax fuit spiritus in ore talium Prophetarum!

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

Quod sanctitas nulla vel doctrinæ vel miraculorum cætibus prætensorum Reformatorum competat.

I. QVam sancta sit doctrina Calvini seu prætensorum Reformatorum patet ex tot articulis, quos, ut fundamentales docent, qui olim cum hæresiarchis damnati fuerunt, prout suprà cap. 7. art. 8. & 9. ostensum est, & in particulari infrà ostendetur. Et quidem breviter loquendo patet nimis exorbitans ipsorum doctrina, primo quod velint Deum esse authorem peccati & omnia absolutâ necessitate fieri, quod licèt plures Acatholici negent se docere, negare tamen non possunt Calvinum ipsorum antesignanum, & divinum Prophetam sic docuisse.

2. de Fide justificante, quâ quisque firmiter & certò credere debet se esse filium regni cœlestis, sicut credit Christum sedere ad dextram Patris, & hâc fide solâ justificari, quod suo loco manifestæ falsitatis ex S. scriptura & sanctis Patribus ostendetur, olim in Hæreticis, Aerianis & Eunomianis damnatum.

De Eunomio quidem, ut portentum refert August. lib. de hæres. sic dicens: *Fertur etiam usq; adeo fuisse bonis operibus inimicus, ut asseveraret, quod nihil cuilibet obesset quorumlibet perpetratio & perseverantia peccatorum, si hujus, quæ ab illo docebatur Fidei particeps esset*, &c.

II. Etsi autem prætensi Reformati nolint videri bonis operibus inimici, patet tamen quod ex illorum doctrina de sola fide justificante eadem sequantur, & à pluribus practicentur, qualem morum sanctitatem ille novus Propheta, ut vult à Deo missus exhibuerit patet ex vita ejus quam scripsit Hieronymus Bolsecus scilicet, quod dum Novioduni adhuc curatum beneficium, & aliud cujusdam Sacelli Sacerdotium obtineret, de Sodomitico crimine convictus, & ad ignem damnatus, per gratiam lilium cauterio candenti ejus humero inustum deportarit; alia ipsius libidinosa Genevæ ab ipso jam Propheta facta idem Author refert.

III. *Theodori Bezæ* Sodomiticam libidinem carmina ab ipso composita & Parisiis An. 1547. impressa, sicut & Tilmannus Heshusius in libro cui titulus veræ & sanæ confessionis, &c. testantur.

Qualis autem morum sanctitas ex talium Magistrorum nova doctrina secuta sit, patet ex Acatholicorum vita & moribus, de quibus *Eilbrachtius* in præfat. viæ compendiariæ, qui ultra triginta annos illorum superintendentem egerat, sic dolenter scribit dicens: *Quod si privatorum vitam spectes, tantum abest Religionum novitate reddi meliorem, ut potius eâdem vera pietas extingui, & omnis generis flagitia animis hominum ingenerari videantur, ut patet iis præsertim in locis, ubi primus ille novitatis ardor aliquantulum deferbuit.* Et addit: *Quod ne malitiose fingere vel exaggerare videar, malo alterius verbis, quàm meis exprimere. Ita igitur Amandus Polanus* comment. in Daniel. cap. 9. vers. 12. *scribit: Non possum facere, quin hoc dicam, quod me continuo vehementer angit. Videntur istis regionibus & urbibus, in quibus jam ultra septuaginta annos reformata, atq; orthodoxa religio fuit, longè graviores pœnæ impendere, quàm alienationes, & urbes idololatricæ, vel aliàs seductæ, unquam sunt expertæ. Nam, cùm major lux veritatis apud nos fulgeat, quam apud Italos, Hispanos, Saxones, Misnenses & alios, horribilis tamen plerorumq; ingratitudo est adversus Deum: Paucissimi agnoscunt magnitudinem beneficii revelatæ nobis veritatis Euangelii Jesu Christi: regnat ebriositas, dominantur libidines, scortationes, Adulteria, crescit usurariorum & Dardaniorum iniquitas*, &c. hæc ille. Vbi potius dixisset, quod quia lux veritatis & disciplinæ Euangelicæ per falsam reformationem recesserat, ideo in tales delictorum tenebras immergantur.

Sed hæc dicent plebem contra ipsorum doctrinam facere: Consideremus autem doctrinam IV.
ipsorum, ex qua illa consequuntur, & mirum non erit: inter plurima unum hîc tangemus: Christus vocans Apostolos suos ad munus Apostolicum monuit, ut omnia relinquerent, etiam uxores, quod illos fecisse Petrus testatur Matt. 19. v. 27. dicens: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*, &c. & Christus ibid. v. 29. *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, &c. propter nomen meum, centuplum accipiet & vitam æternam possidebit.* Sed hi prætensi munus novi Euangelii Apostolicum sibi arrogantes, dum essent Deo per sacra vota & juramentum consecrati, sanctimoniales Deo similiter consecratas in uxores, ut volunt, assumpserunt, imitatores Donatistarum, quibus inter alia S. Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum sic objiciens de duobus Episcopis Donatistis Vrbano & Felice dicit: *Domum reversi invenerunt matres, quas de castimonialibus fecerant mulieres.* Vbi nota: Non dicit uxores, quia veræ uxores non erant. Et subdit: *Et quidem Felix compressam puellam, cui mitram ipse imposuerat, à qua paulo ante Pater vocabatur, nefariè incestare minime dubitavit: quæ est ista insania? jusserunt, ut virgines Dei jam dudum professæ mitrellas projicerent: jam Deo erant dicatæ, jam capilli abscissi in signum, quod ob cœlestes nuptias quas celebrarant, terrenis valedixerint*, &c. hæc S. Optatus de Donatistis. Nonne longè pejus faciunt Acatholici, & eorum imprimis Antesignani Lutherus, & alii Calvini sectatores, qui ista non solum fecerunt & faciunt, sed inde Fidei articulum statuunt, Deo non placere vota perpetuæ castitatis illa non obligare, & ob ingruentem tentationem oportere, imò ex divino præcepto teneri relicto voto nubere, ut suo loco ex Calvino dicetur, & praxis quotidiana prô dolor! demonstrat, ut sileam plura hic alia quæ suo loco patebunt; talis est sanctitas doctrinæ Reformatorum modernorum.

Quid autem *de miraculis & prophetiis ipsorum* V.
dicendum? Calvinus quidem in suæ doctrinæ confirmationem miraculum fingere tentans, aliud in confusionem suam causavit. *Hieronymus Bolsecus* in vita Calvini cap. 13. sic refert dicens: *Præterire non debeo vafram ejus* (Calvini) *& subtilem machinationem, quâ tunc usus est, cum quendam, cui Bruleo nomen & patria est, unum in vitam revocare cogitaret, moliretur q;, ut sancti atq; gloriosi Dei Prophetæ, miraculorumq; patratoris sibi nomen, & famam pararet: historia talis est: Is quem dixi, Bruleus Ostuno Genevam demigrarat, & cùm inops esset, ipse & uxor ejus, Calvini gratiam aucu-*

Digitized by Google

aucupantur, ut ei commendati peculii pauperum fierent participes. Eis Calvinus *vitæ subsidium benigne pollicetur, si ipsi è contra suam operam sibi non negarent ad rem quandam, quam per eos fieri vellet*, &c. *vicissim illi promptos se offerunt, & quemadmodum à Calvino instructus fuerat, miser hic Brulæus morbum simulat, Ministri pro concione populo commendant, ut precibus juvarent, & eleemosynis paupertati succurrerent, non diu post miser ille personam mortui induit, & mortuum se simulat, Hic Caluinus clam admonitus, quasi tunc omnium rerum ignarus deambulatum prodit, sed comitatus magnâ catervâ amicorum, postquam eo ventum esset, ubi clamores & ejulatus uxoris, quæ misellam & desolatam egregie exprimebant, exaudiret, quidnam hoc esset sciscitatus, domum ingreditur, ubi in genua ipse & reliqua caterva prouoluitur, precibusq; alta voce profusis Deum obtestatur, potentiam suam ostendere, & mortuo huic vitam restituere, gloriamq; suam hic uniuerso populo declarare vellet, simulq; manifestum facere* (NB) *se* (scilicet Calvinum) *peculiarem, sibiq; gratum esse servum, & à se ad Euangelii sui ministerium atq; Ecclesiæ reformationem singulariter & vere vocatum: post quas preces ad mortuum appropinquat, & miseri hominis manu apprehensâ in Dei nomine imperat, ut se erigat, repetit iterum, sæpiusq; eosdem sermones voce etiam altius eleuata:* (ut olim Prophetæ Baal coram Elia) *quid fit; neq; audit, neq; loquitur, neq; se commouet mortuus, justo enim Dei judicio, qui se mortuum simulauit, vere esse mortuus repertus est, & rigebat totus. Quo animaduerso plorare, ululatuq; serio edere, & ex animo cœpit uxor, & in Caluinum inuecta impostorem, eum Sicarium, latronem, qui maritum interemisset, appellat, & ex ordine rem, quomodo erat gesta, clarâ & altâ voce exposuit.* Hæc Bollecus; qui subjungit: *Negent hoc quantum velint Caluini mancipia, exploratum & cognitum satis fuit, veritasq; rei probat, imo per ipsammet uxorem confirmata*, &c. hæc ille. Ecce signa & miracula ad novæ illius doctrinæ confirmationem, vel potius confusionem.

VI. Sic proculdubio Calvinus confusus postea omni modo contra miracula scripsit specialiter in præfat. ad Instit. duobus modis se expedire conatus; primò quod ipsius doctrina non opus habeat miraculis, eò quod esset antiqua ab Apostolis prædicata, & miraculis olim confirmata, itaque sic dicit: *Quod miracula à nobis postulent, improbe faciunt, non enim recens aliquod Euangelium nos cudimus, sed illud ipsum retinemus, cujus confirmandæ veritati serviunt omnia, quæ unquam Christus & Apostoli miracula ediderunt:* & infrà: *Quæ vero audimus Euangelii esse signacula, eane ad diruendam Euangelii Fidem conuertemus?* Sed quæ ista consequentia si nova miracula fiant in confirmationem veræ doctrinæ à falsa discernendæ, quod tunc miracula ad Euangelii fidem diruendam convertantur?

Sed ulterius ait: *Proinde doctrinam, quæ procedere ab Euangelista dicitur, priori loco examinari, explorariq; par est, quæ si probata fuerit, tunc demum à miraculis jure confirmationem sumere debet*, &c. hæc Calvinus.

2. aliam viam ingreditur dicens: *Meminisse nos decet suæ esse Sathanæ miracula, quæ tametsi præstigiæ sint magis quàm veræ virtutes, sunt tamen ejusmodi quæ imprudentes & imperitos deludant*, &c. ubi de Magis Ægyptiis exempla ponit: & infrà; *quæ autem illi pro se obtendunt, meræ sunt Sathanæ illusiones, quando à vero Dei sui cultu ad vanitatem populum abducunt*, &c. hæc Calvinus, sic se à miraculis excusatum volens.

Hoc meritò de Catholicorum diceret miraculis, si talia essent, quæ ipse per nequissimam fictionem pro sua doctrina cum isto ficte mortuo intendebat. Verum quàm fraudulenter & mendaciter hæc dicantur, facilè ostenditur ex his, quæ lib. 3. suprà cap. 6. art. 4. de miraculorum necessitate ad fidei confirmationem dicta sunt. VII.

Constat quod Christus in lege & Prophetis promissus erat, & ipse venturus erat ad legem perficiendam, quod facto & verbo præstitit, & in omnibus legem allegavit: sed quia aliqua addebat ad perfectionem legis, Deus per Prophetas prædixit, quod ille esset futurus Messias, qui certis miraculis suam doctrinam legi conformem ostenderet, hoc fecit Christus, & tamen dixit Joan. 10. v. 38. *Si mihi non vultis credere, operibus credite*, & cap. 15. v. 24. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, &c. Joannes *Baptista* etiam per Prophetas promissus extraordinariè prædicaturus, miraculose natus est, & in nativitate tot miracula notoria facta sunt, & vitam quasi miraculosam egit, ut ei crederetur. Sic Elias dum legem Dei veram per Moysen tot miraculis probatam Israelitis ad Baal declinantibus prædicaret, per nova miracula se à Deo missum probavit.

Calvinus & Asseclæ ipsius, si Euangelium Dei verum juxta sinceram veritatem & sensum in Ecclesia Dei à tempore Apostolorum prædicatam, docuissent, & ordinariâ viâ ad prædicationem vocati essent, novis miraculis opus non habuissent, quod conceditur, nisi in casu, quo ab Hæreticis controversia moveretur, sicut sæpius in Ecclesia Christi miracula nova facta sunt, & etiam alias ob causas. Verùm falsissimum est, quod tale Euangelium prædicarint, vel quod successerint ordinariâ viâ in munere prædicationis, sed prorsus novum Euangelium cuderunt, qui verbis S. scripturæ servatis illam in pravum sensum interpretati sunt, & traxerunt, sicut omnes priores *Hæresiarchæ* seipsos prædicatores & Reformatores Ecclesiæ constituerunt; ideò multo potius opus habebant hanc suam extraordinariam missionem, reformationem & Euangelii explicationem per miracula ostendere, plusquam Christus Dominus, vel Joannes Baptista. Cùm in veteri lege prædictum erat, quòd Messias venturus esset, qui renovaret legem. VIII.

Sed ostendant isti reformatores ex Euangelio, ubi prædictum sit, quod lex nova Christi interitura foret, & per mille & ultra annos plane depravanda & obscuranda, ac per novos Prophetas ac Apostolos post tot annos renovanda, & ex tenebris reproducenda esset: si hoc in Euangelio prædictum esset, cùm tot sectæ contrariæ per singula secula surrexerint, sibi ipsis in pluribus contrariæ, quæ semper omnes & singulæ Euangelii reparationem prætexerunt, sicut usq; hodie *Anabaptistæ, Socinianti, Lutherani, Ariani*, non minus quàm *Caluinistæ* hanc sibi reformationem IX.

Digitized by Google

nem aſcribunt; cùm tamen omnibus non poſſit competere, ſed uni ſoli. Si itaque prædictum eſſet in Euangelio talem fore reformationem, nonne adhuc neceſſarium eſſet, ut dum ſingulæ ſectæ ad purum Euangelii verbum & doctrinam appellant, & pro ſe allegant, Chriſtus etiam miracula prædixiſſet ab illis facienda, qui puram doctrinam reproducerent? quis non videt hoc fuiſſe neceſſarium? & quis non videt, quod ſinguli & omnes Hæretici ſic ſe à miraculis expediant, ſicut Calvinus, dicentes, non illis eſſe opus, cùm veram apoſtolicam doctrinam tradant? ſed è contra Chriſtus nihil horum prædixit, ſed promiſit Eccleſiam ſuam in fide vera uſque ad finem mundi perſeveraturam, & ſe cum ipſa manſurum, & prædicens monuit, ut caveremus ab his, qui de novo venirent dicentes: *Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere*, &c. Matt. 24. v. 23. & v. 24. ibidem pergit prædicens, *ſurgent enim pſeudoChriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia*, &c. *ſi ergo dixerint vobis, Ecce in deſerto eſt, nolite exire, ecce in penetralibus, nolite credere*, &c. unde patet: quod ſi novi Prophetæ venirent, & novum Euangelium, quod in Eccleſia prædicatum non eſt, prædicarent, licèt ſigna facerent, audiri non deberent, multò minus moderni Acatholici, & in hoc ſenſu SS. Patres contra Hæreticos verba illa Chriſti Matt. 24. intellexerunt: quod bene notandum eſt contra modernos Acatholicos, qui his Chriſti verbis pravè abutuntur contra V. ſacramentum Euchariſtiæ, Chriſtus autem promiſit, quod Eccleſia ſemper manſura ſit manifeſta, ſicut Civitas in monte poſita, Matth. 5. ut pluribus ex S. ſcriptura, & SS. Patribus ſuprà lib. 3. art. 3. & 4. & ſeqq. demonſtratum eſt.

X. Hinc reſpondetur ad Calvini effugium: quod ipſi neceſſe fuerit per miracula oſtendere, ſe extraordinariè à Deo miſſum, ſuam doctrinam eſſe purum Dei verbum, cùm ne unicum articulum hactenus in S. ſcriptura legere potuerit, quem Catholicæ Eccleſiæ doctrinæ contrarium docet, & ſi, quod impoſſibile eſt, ſuam doctrinam oſtenderet eſſe purum Dei verbum, adhuc miracula ſequi deberent, ut illorum doctrina oſtenderetur eſſe pura, quæ non ſolùm Catholicæ veritati, ſed etiam aliarum ſectarum doctrinæ Euangelium allegantium opponitur.

Stultum autem & irrationabile eſt, quod dicit, miracula diruunt aut deſtruunt verum Euangelium: Certum autem eſt, quod vera miracula illud confirment, juxta illud Marci 16. verſu ult. *Illi autem profecti prædicaverunt ubiq; Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*, &c. Miracula autem vera deſtruunt & confundunt falſum Calvini Euangelium, quod ipſe cudit: quia verba Euangelii in falſos ſenſus trahit, ſicut omnes Hæretici ſolent.

XI. Quod autem ad præſtigia Magorum remittat miracula in Eccleſia Catholica facta, evidens calumnia eſt, & ſine ulla probatione: ſic etiam omnia Chriſti miracula eluderentur; infrà autem patebit, quod miracula in Eccleſia facta vera fuerint, & non præſtigioſa, nec ficta; quale iſte Calvinus in miſero Bruleo tentavit, ſed malè ceſſit; Tale quid oſtendatur in Eccleſia Catholica factum. Quia verò ipſi vera miracula non habent, nec habere poſſunt, ideo cùm Judæis dicunt in Principe Beelzebub fideles Dæmonia ejicere.

Quod verò *Auguſtinus* Donatiſtas vocet mirabiliarios, quod faciant mirabilia, & non miracula vera, inde erat, quod fingerent viſiones divinas, &c. at vero in Eccleſia miracula agnoſci oſtendit lib. contra epiſtolam Fundam. Et verum eſt, quod ex Euangelio probetur Eccleſia vera, & inde etiam habetur, quod per miracula cognoſcatur Eccleſia, ut cap. 6. art. 2. declaratum eſt.

XII. Ultimò etiam addendum eſt de prophetia Calvini & Lutheri, cùm ſe tales eſſe velint: & quidem Calvinus Lutherum probat, ſed illum non vult eſſe ſolum Prophetam, ne ipſe excludatur, ſic enim in admonitione ultima ad Joachimum Weſtphalum ait: *Minus etiam excuſabilis inconſiderati zeli fervor, quod ſcripturam* (Lutherani) *turpiter pudendum in modum corrumpunt, ut Ioannis Baptiſtæ ſpoliis Lutherum exornent: quamvis enim non negem etiam in Joanne Baptiſta factum eſſe, quod de venturo Elia prædixerat Malachias, volunt tamen de Luthero intelligi hoc vaticinium; quia ſit Helias ille, per quem reſtituenda eſſent omnia, & quod in Joanne Baptiſta ſemel factum eſt, non obſcuro tam prophetæ quàm Chriſti teſtimonio in Luthero fuiſſe iterandum, quâ falſitate non minus fœdarunt Lutheri nomen, quam Ægyptii Hieremiæ corpus, ſepulchrumq; adorando.* Et hæc quidem verè Calvinus dixit, ſed ſubjungit: *Atq; ut Eliæ nomen Luthero concedatur, ſacrilega tamen temeritatis eſt, aſſerere ultimum Eliam, ac ſi præciſa eſſet Dei manus, ut quem vel præſtantiorem, vel parem poſtea emittat*, &c. Hæc Calvin. ubi patet, quod ſacrilegum dicat aſſerere Lutherum eſſe Eliam, idque eo fine, ne ille ſolus dicatur Propheta, & ultimus, ac proinde Calvinus, qui præſtantior eſt, excludatur, &c.

Quis non miretur inſaniam illorum, qui tales ſe Prophetas jactitant: ſic olim Manichæus ſe Apoſtolum Jeſu Chriſti mentiebatur, ut reformaret Eccleſiam, ut ſæpè tradit Auguſtin. ſpecialiter contra Epiſt. Fundam. & lib. de hæreſ. Sic alii Hæreſiarchæ omnes ſeſe antehac jactitarunt, ſine veritate, experimento prophetiæ, vel miraculis, peſſima contra veritatem Catholicam proferentes dogmata, & ſic ſe ad Eccleſiam reformandam miſſos aſſerebant.

XIII. Hic omittenda non eſt prophetia Calvini, quam indicat in præfat. Catechiſmi ad Miniſtros ſuos in Friſia miſſi, ubi ſic ait: *De poſteritate ego ſic ſum anxius, ut tamen vix cogitare audeam, niſi enim Deus mirabiliter è Cœlo ſuccurrat, videre mihi videor extremam barbariem impendere orbi, atq; utinam non paulo poſt ſentiant filii noſtri fuiſſe hoc verum potius* (NB) *vaticinium, quam conjecturam*, &c. hæc ille. Sed tales Prophetæ fuerunt etiam *Arius*, *Manichæus*, &c. qui ſcientes ſe non habere Eccleſiam ſupra Petram poſitam, certi eſſe poterant, quod corruerent. Simile de Lutheranis vaticinium infra refertur ex Centuriatoribus art. ſeq. in fine.

Cùm itaq; Acatholici hujus temporis nec doctrinæ, nec vitæ ſanctitatem habeant, nec in doctrinæ ſuæ confirmationem vera miracula fecerint; ſed turpia ex vivis mortuos cauſando crimina com-

Digitized by Google

commiserint, multò minùs à S. scriptura prædicti fuerint, vel donum prophetiæ unquam ostenderint, sed falsissimis imposturis homines deceperint: quomodo illorum Ecclesiæ sanctæ esse possunt? vel quæ ex tot & tam diversis Acatholicorum sectis sanctitatis nomen habere poterit?

ARTICVLVS III.

Nulli cœtui modernorum Acatholicorum competit vel nomen, vel res Catholicæ Ecclesiæ.

I. Ostensum est lib. 3. cap. 6. art. 5. quod inter veræ Ecclesiæ notas sit, ut dicatur, & sit *Catholica*. Significatum autem hujus nominis duo potissimùm importat, quæ S. Augustinus lib. imperfecto in Gen. cap. 1. brevissimis complectitur dicens: *Mater Ecclesia dicitur Catholica ex eo, quia universaliter perfecta est, & in nullo claudicat, & per totum mundum diffusa est*, &c. hæc ille, volens dicere, quod Ecclesia vera in nullo Fidei dogmate deficiat tam quoad Fidei, quàm morum doctrinam; cùm econtrà singulæ hæreses aliqua vera dogmata doceant, sed in aliis deficiant.

2. Quod Ecclesia Catholica sit unica per totum mundum diffusa, non quidem ita, ut simul sit in omnibus locis, vel quod omnes omnino credant, sed quod in plerisque locis totius mundi aliqui sint veri credentes, vel fuerint, vel futuri sint ante diem Judicii: prout explicat D. August. epist. 8. ad Hesichium.

SS. Patres omnes hanc Ecclesiæ Notam tradiderunt, ut ostensum est suprà loco cit. & ipse Calvinus lib. 4. Inst. cap. 1. dicit, *Ecclesiam universalem esse collectam ex omnibus gentibus multitudinem, quæ dispersa, in unam tamen divinæ doctrinæ veritatem consentit.* Sic etiam Catechismus Acatholicorum Gallicus art. 5. cap. 6. allegatus explicat.

II. Ex his sic arguitur: Nullus modernorum Acatholicorum cætus habet nomen ipsum Ecclesiæ Catholicæ, quod probatur eodem argumento quo utuntur sancti Patres, ac specialiter Augustinus lib. contra epist. Fundam. dicens: *Tenet postremo ipsum nomen Catholicum quod non sine causa inter tam multas hæreses, sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cùm omnes Hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino, ubi ad Catholicam perveniatur, nullus Hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere*, &c. hæc ille. Nonne hoc in locis hodie, ubi Catholicis Acatholici permixti habitant, experientia docet? Constat ex variis D. Augustini locis, qualiter Donatistæ pro nomine Catholicon certarint.

De re autem significatâ Catholici nominis similiter ex sanctis Patribus juxta S. scripturam ostenditur. Sufficiat unus Augustinus qui lib. 1. contra Faustum cap. 13. sic ait: *Quo manifesto indicio teneo Ecclesiam Christi? non potest Civitas abscondi supra montem posita* Matth. 5. & lib. 3. contra Petilian. cap. 104. *Non estis in montibus Sion, quia non estis in Civitate supra montem constituta, quæ certum signum hoc habet* (NB) *quod abscondi non potest. Nota est ergo omnibus gentibus, pars autem Donati ignota est pluribus gentibus, non est ergo ipsa*, &c. hæc August. similiter subsumitur; pars Lutheri, Calvini, Memnonis, Muntzeri, &c. ignota est pluribus gentibus; cùm certum sit, quod in pluribus ne quidem nomen illorum notum sit, multo minùs in initio, quando Lutherus, Calvinus, &c. insurrexerunt.

III. Iterum S. Augustin. lib. de unit. Ecclesiæ, ubi contra Donatistas docet ex sacra scriptura, *ubi vera Ecclesia inveniendâ sit* cap. 11. dicit: *evangelizata est nobis Ecclesia per totum orbem terrarum futura*, &c. & postea: *Quomodo cœptum ab Hierusalem; deinde processum in Judæam & Samariam, inde in totam terram, ubi adhuc crescit Ecclesia; donec usq; in finem & reliquas gentes, ubi adhuc non est, obtineat*, &c. *quisquis aliud evangelizaverit anathema sit. evangelizat autem aliud qui periisse dicit de cætero mundo Ecclesiam, & in parte Donati in sola Africa remansisse dicit, ergo anathema sit*, &c. hæc August. Eodem modo subsumitur, *at aliud evangelizat Lutherus* qui Ecclesiam in toto mundo periisse, & in sola Saxonia remansisse dicit, *ergo anathema sit.*

Similiter, *at aliud evangelizat calvinus*, qui Ecclesiam in toto mundo periisse, & in sola Geneva, & parte Galliæ remansisse dicit, *ergo anathema sit.*

IV. Certum autem est, quod pars Donati longè major erat in Africa, cùm aliquando ultra ducentos Episcopos in una Synodo congregatos haberet, quàm fuerit pars Lutheri vel Calvini, vel etiam modò sit, dum in partibus aliquibus Septentrionalibus multiplicati videntur, sed nihil est respectu orbis terrarum: & ibidem permixti sunt partim Lutherani, partim Calviniani, & Anabaptistæ, ut sileam quod tot inter ipsosmet sectæ sint, sese mutuò damnantes, quarum una minima est; quâ fronte asserere audent suam doctrinam per orbem terrarum diffusam & creditam: cùm sciant Græcos, &c. ipsos prorsus abominari & damnare, præsertim in illis punctis de V. sacramento Eucharistiæ & aliis, in quibus ab Ecclesia Catholica dissident. Assignent unam Regionem in Africa, Asia, ac Oriente, ubi ipsorum doctrina antehac docta fuerit, vel jam doceatur: ergo non est Ecclesia Christi.

Si autem dicant, fuisse in omnibus gentibus prædicatam ipsorum doctrinam à tempore Apostolorum, sed periisse, exceptâ Saxonia vel Geneva; audiant, si velint Augustinum lib. de unit. Ecclesiæ cap. 14. in fine Donatistas arguentem his verbis: *Sunt enim adhuc nonnullæ gentes, in quibus nondum prædicatum est Evangelium, necesse est autem impleri omnia, quæ de Christo & Ecclesia prædicta sunt: Oportet ergo & in eis prædicari; quod cùm impletum fuerit, tunc erit finis*, &c. & cap. 15. *Quomodo ergo isti dicunt jam esse impletum, quod Dominus ait: prædicari pœnitentiam in nomine ejus & remissionem in omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem, sed postea cæteris deficientibus, solam Christo Africam* (partem Germaniæ) *remansisse, cùm adhuc illud implendum sit, nondum impletum? cùm autem impletum fuerit, veniet finis, sic enim Dominus ait* Matt. 24. *Quomodo ergo cùm impleta esset Fides omnium gentium, tunc perditio omnium gentium exceptâ Africa*

(par-

(parte Germaniæ) *constituta est* ? *quandoquidem ipsa fides omnium gentium nondum impleta est*, &c. hæc August.

V. Et si dicant Acatholici, quòd per illos adhuc implebitur in aliis gentibus: Respondet Augustinus ibid. ipsis in Donatistis dicens: *Nisi fortè hoc restat Hominum insania, ut dicant, non ex illis Ecclesiis, quæ fundatæ sunt per Apostolorum labores adimpleri prædicationem Euangelii in omnibus gentibus, sed illis pereuntibus & earum reparationem* (reformationem) *ex Africa* (ex Germania vel Geneva) *per partem Donati* (Lutheri vel Calvini) *futuram & reliquarum gentium acquisitionem. Puto quod ipsi etiam rideant, cùm hoc audiunt, & tamen nisi hoc dicant, quod erubescunt: si dicant, non habent omnino quod dicant*, &c. Ecce hoc Acatholici dicunt, nec erubescunt. Subjungit Augustinus: *Sed quid ad nos? nemini inuidemus; legant hoc nobis de sanctis Scripturis, & credimus: Hoc inquam ex canone diuinorum librorum legant tot ciuitates, quæ usq; ad hodiernam diem Baptismum per Apostolos sibi consignatum tenuerunt, propter Afrorum incognita crimina* (propter Romanorum Pontificum fictam Idololatriam) *periisse à Fide Iesu Christi denuo baptizandos* (reformandos) *esse à parte Donati* (à parte Lutheri & Calvini) *atque inde cæteris gentibus, quæ nondum audierunt prædicandum Euangelium hoc nobis legant, quid morantur? quid tergiuersantur? quid impediunt salutem gentium? legant hoc, & cum ipsa lectione nouos Apostolos mittant ad tot gentes rebaptizandas* (reformandas) *& ad residuas baptizandas & instruendas*, &c. & infrà: *Sed dicent gentes, quid affertis nobis noui?* &c. *restat igitur ut non ex diuinis libris, sed ex vobis ista dicatis, proinde dignissimè responditur anathematizatis*, &c. hæc August.

VI. Nónne hæc ad literam concernunt Acatholicos modernos? si enim ipsi sibi persuadeant, quòd Fides vera in cæteris gentibus perierit, & per ipsos implendum sit verbum Domini, quod in omnibus gentibus sit prædicandum Euangelium, cur non mittunt Apostolos & Apostolicos viros, qui tanquam *oues in medio luporum sine sacculo & pera in frigore & in nuditate, & periculis multis* Euangelium per omnes gentes prædicent? cur invident aliis gentibus? quod dicunt illas non habere, & tamen habere debeant? sed jam à centum & ultra annis in Germania, Gallia, ac Anglia hæserunt pervertentes Catholicos instar tineæ. Sed quos in Turciam & Persiam, quos ad Indos, quos ad alias Nationes miserunt, qui more Apostolico suum Euangelium prædicarint, ut animas Christo lucrifacerent? sed ipsi imitatores sunt fratrum suorum antiquorum hæreticorum, de quibus Tertullianus in lib. de præscript. hæret. dicit: *De verbi administratione quid dicam? cùm hoc sit negotium illis non Ethnicos conuertendi, sed nostros euertendi, nostra suffodiunt, ut sua ædificent*, &c. hæc Tertull.

VII. D. *August.* lib. de util. credendi cap. 14. & 17. hæreticos comparat sarmentis præcisis, quæ ubi decidunt præcisa, ibi mortua jacent; cùm Ecclesia tanquam vitis vera palmites suos extendat. Quomodo autem Acatholici, jam, cùm senuerunt ad exteras gentes Apostolicos viros mittent, qui in primo suo furore, dum Papatum in brevi extirpandum sibi imaginabantur, ad infideles non exierunt in omnem terram?

Videmus magis magisque impleri Calvini vaticinium suprà art. præced. ex præfat. ad Catechismum relatum; quòd orbis non universus, sed ubi Calvinismus dominatur ad Barbarismum deficiat: cùm ex Calvini sectatoribus plurimi ad Libertinos, Politicos, Puritanos, Trinitarios, Samosatenos, imò planè ad Atheos transeant; ut de eorum vitiis sileam.

VIII. Similiter videmus similem centuriatorum Magdeburgensium prophetiam statim post obitum Lutheri impleri cœpisse, qui in præfatione secundæ centuriæ statum Lutheranensium deplorantes sic prognosticant: *Maximè cùm doctrinæ vanitates & inclinationes impendere videntur, & sic merentur hominum peccata, quæ fiunt quotidie atrociora, ac tempore quidem Germani Prophetæ Martini Lutheri, cujus voce & ministerio lux Euangelii quasi è tenebris Ægyptiacis reuocata est, propemodum Apostolorum ætati respondens* (ô crassum mendacium) *nunc verò ipso sublato, quasi alteram Euangelii ætatem ingressi sumus, ubi plures phanatici incipiunt pullulare, & paulatim regnare*, &c. hæc illi. Sed quæ ista lux Euangelii, quæ cum Luthero incœpit, & cum ipso extingui cœpit? certè non est illa lux Euangelii Christi, quæ supra candelabrum posita, usque ad finem mundi radiabit; sed tenebræ sunt per Angelos malos concitatæ, &c.

IX. Cæterùm quotidie apparet quod de tenebris (ut in tenebris fieri solet) ad tenebras alias vagi palpitantes declinent Lutherani; dum inter se dissentiunt, & plures ad Calvinistas, aliosque sectarios transeunt, juxta illud Matth. 15. v. 13. *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur*, & Luc. 11. v. 17. *Omne regnum in se diuisum desolabitur*, &c. & sic his Acatholicis contingit, quod in Donatistis notavit August. lib. 1. contra epist. Petilian. cap. 4. dicens: *Iam multa frusta de uno frusto per Africam* (per Germaniam) *facta sunt, sic sic necesse est, ut minutatim secti conscissique dispereant, qui furorem animositatis suæ vinculo Catholicæ pacis prætulerunt*, &c. hæc ille.

Ecce quot modis patet, nullis modernorum Acatholicorum cœtibus Notam Ecclesiæ veræ Catholicæ competere; & quantumvis nomen Catholicon more antiquorum hæreticorum sibi vendicare contendant, ne hoc quidem apud suos obtinere possunt, cùm in urbe, ubi ipsi Catholicis permixti habitant, peregrino, ubi Catholici conveniant percunctanti, non ipsorum loca, sed Catholicorum demonstrantur.

ARTICVLVS IV.

Quòd Nota Apostolica Ecclesiæ cœtibus modernorum Acatholicorum non conveniant.

I. Ostensum est suprà lib. 3. art. 6. qualiter Ecclesia vera Christi sit, & dicatur *Apostolica*; scilicet, quòd ab ipsis Apostolis fundata sit, & quòd doctrinam Fidei ab Apostolis traditam constanter profiteatur. Verùm quia nulla unquam fuit secta vel hæresis, quæ non sibi hoc arrogarit, SS. Patres ex S. Scriptura plura ostenderunt necessaria, unde cognoscatur quòd Ecclesia doctrinam ab Apostolis traditam habeat. Primò, *quòd doctrina, quam Ecclesia moderna vera tenet, semper à tempore Apostolorum per Episcopos & Doctores sine intermissione publicè, & notoriè docta fuerit.* Secundò, *quòd Ecclesia moderna vera nihil in rebus Fidei*

Digitized by Google

dei contrarium doceat, quàm Apoſtoli docuerunt, vel in primitiva Eccleſia doctum creduumve fuerit.

II. Hæc fundantur in ſacra Scriptura Matt. 16. *ſupra hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*; Et ex aliis S. Scripturæ locis ut ſuprà cap. 3. oſtenſum eſt, *quod Eccleſia Chriſti vera ſit indefectibiliter manſura uſque ad finem mundi.* Et art. 4. oſtenſum eſt; *quod etiam uſque ad finem mundi manifeſta & viſibilis ſit permanſura, ſicut civitas in monte poſita abſcondi non poteſt.* Matt. 5. v. 14. quòd ipſum præter alios SS. Patres D. Auguſtinus contra Donatiſtas ex veteri & novo Teſtamento lib. de unit. Eccleſiæ, & alibi clariſſimè demonſtrat: ut ſuprà cap. 3. per aliquot articulos ex ipſo oſtenſum eſt, & ſpecialiter conſtat ex illo Matt. 24. v. 14. *Prædicabitur hoc Evangelium in univerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio ſæculi,* &c. Ac proinde ſemper uſque ad finem mundi in diverſis mundi partibus vera Chriſti, & Apoſtolorum doctrina erit prædicanda, ac proinde manifeſta, & huic concordat Apoſtolus ad Epheſ. 4. v. 11. *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos,* &c. *alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum,* &c. *donec occurramus omnes in unitatem Fidei,* &c. quod fiet in fine ſæculi, adeóque ſemper futuri ſunt Paſtores & Doctores, qui veram Fidem doceant. Huc facit ipſa ratio ex neceſſitate Eccleſiæ & Fidei juxta S. Scripturam, quòd nemo poſſit ſine Fide ſalvari, vel etiam extra veram Eccleſiam; Cùm ergo ſemper fuerint aliqui ſalvandi, oportebat, ut ſemper manifeſta foret Eccleſia, in qua eſſent Doctores Fidem veram docentes, ad quos infideles & alii accedere poſſint. Hæc omnia ex S. Scriptura tam clara ſunt, ut Melanchton, Calvinus & alii ibidem allegati, & confeſſiones Acatholicorum eadem fateantur.

III. His igitur ſuppoſitis probatur, quòd nulli cætui modernorum Acatholicorum competat res ſignificata Apoſtolicæ & Evangelicæ Eccleſiæ; quantumvis illa nomina ſibi arrogent, & tales dici velint: cùm etiam olim fuerint hæretici qui ſe Apoſtolicos nominabant, & alia ſanctiſſima nomina ſibi arrogabant.

Probatur ergo primò: Non ſatis eſt ad veram & Apoſtolicam Eccleſiam, quòd ſit aliquis cætus, qui omnia verba ſacræ Scripturæ ad literam profiteatur, ut credat à Spiritu Sancto eſſe dictata; ſed etiam requiritur, ut verba S. Scripturæ in ſenſu per Spiritum Sanctum tradito credat, & profiteatur, atqui hoc nulli Acatholici moderni faciunt, ergo non habent veram Apoſtolicam Eccleſiam. Major patet, quia omnes hujus temporis ſectæ, quantumvis inter ſe contrariæ, admittunt verba ſacræ Scripturæ ſecundùm literam, & tamen impoſſibile eſt, quòd omnes ſint veræ Eccleſiæ Chriſti & Apoſtolicæ, ut patet: cùm prorſus contraria doceant, & una aliam condemnet, nec poſſunt ſingularum ſacræ Scripturæ interpretationes ſibi invicem contrariæ à Sancto Spiritu dictari; adeóque neceſſe eſt, ut vera Apoſtolica Eccleſia etiam doceat S. Scripturam in ſenſu à Spiritu Sancto intento.

IV. Hunc autem ſenſum ſacræ Scripturæ nullus cætus Acatholicorum docet, quod probatur: quia ſenſus verus à Spiritu Sancto intentus ſemper debet eſſe creditus & doctus, & doceri in Eccleſia Chriſti à tempore Apoſtolorum uſque ad finem ſæculi: nam ſenſus verus ſacræ Scripturæ eſt ipſa vera doctrina & anima literæ S. Scripturæ ſeu medulla, & proinde, cùm juxta S. Scripturam Eccleſia Chriſti vera ſemper ſit futura, & veram doctrinam traditura, neceſſe eſt; ut ſemper à tempore Apoſtolorum talis doctrina fuerit in Eccleſia publicè, & manifeſtè prædicata: Atqui nulli cætus modernorum Acatholicorum tradunt illam S. Scripturæ doctrinam, quæ à tempore Apoſtolorum ſemper docta & prædicata fuit, quod in ſequentibus magis probabitur.

ARTICULUS V.

Oſtenditur, quòd à tempore Apoſtolorum per omnia ſæcula uſque ad Lutherum doctrina Acatholicorum in Eccleſia docta non fuerit.

Quia nulli Acatholici oſtendere poſſunt ullam in orbe fuiſſe Eccleſiam à tempore Apoſtolorum, quæ prius doctrinam illam Fidei docuerit, quam Lutherus & Calvinus contra Eccleſiæ Romanæ doctrinam produxerunt, idque in omnibus articulis, prout ipſi illam docent; nec ullos Epiſcopos vel Doctores ſibi ſuccedentes, qui talem doctrinam prædicarint, &c. I.

Ipſi paſſim allegant Græcos, Jacobitas, & Abyſſinos in Oriente & Waldenſes, Albigenſes, Huſſitas in Occidente; ſed de his ſuprà oſtenſum eſt, quòd ipſi in pluribus fundamentalibus articulis ab illis omnibus diſcordent, ergo non ſunt ejuſdem cum ipſis Fidei & doctrinæ.

2. Conſtat Græcos in primitiva Eccleſia conſenſiſſe Eccleſiæ Romanæ, & poſtea poſt Ann. 600. ab illa per turpe Schiſma defeciſſe, & in hæreſim declinaſſe: præſertim quando negarunt proceſſionem Spiritûs Sancti à Filio, quam Acatholici cum Eccleſia Romana profitentur.

Conſtat etiam quòd Waldenſes, Albigenſes, & Huſſitæ, &c. ante annos 500. non fuerint; ſed tunc primùm emerſerint, & plura docuerint quæ moderni Acatholici damnant, ut ſuprà oſtenſum eſt: ergo ex his nihil habere poſſunt pro oſtenſione ſuæ doctrinæ à tempore Apoſtolorum continuatæ per primitivam Eccleſiam, in qua ex ipſorum confeſſione vera Fides Apoſtolica floruit.

3. Non juvat illos refugium ſecundum, ad quod Calvinus videns ſe in Græcis & Waldenſibus tutò ſtare non poſſe, confugit; & alii ultimatè ad idipſum refugiunt, ſcilicet cùm dicunt: Eccleſiam veram ab anno 600. defeciſſe publicè, & tantum in paucis occultis remanſiſſe, qui hinc inde ſub jugo & tyrannide Papali latitaverint, uſque dum Lutherus & Calvinus lucem Evangelii produxerunt. Hoc eſt Calvini effugium in præfatione ad Inſtit. ubi pro ſua authoritate ſic ſcribit: *Fremunt, niſi digito Eccleſia ſemper oſtendatur,* &c. & infrà: *Quin potius permittamus hoc Domino, ut, quando ipſe ſolus novit qui ſui ſint, interdum etiam Eccleſiæ ſuæ exteriorem notitiam ab Hominum aſpectu auferat,* &c. Et quòd hoc non ad modicum intelligendum ſit, ſubjungit: *Eſt, fateor, horribilis illa Dei vindicta ſuper terram, ſed ſi ita mereatur Hominum impietas, cur juſtæ Dei ultioni obſiſtere nitimur? ſic ante aliquot ſæcula* (NB) *Domini* II.

nus hominum ingratitudinem ultus est, nam quia veritati suæ obedire noluerunt, lucem suam extinxerant, eos excæcatos sensu & absurdis mendaciis ludi, & altis tenebris immergi passus est, ut nulla veræ Ecclesiæ facies extaret (NB) *interim tamen suos & dispersos & delitescentes in mediis erroribus & tenebris ab exitio servavit*, &c. hæc Calvinus, quem alii sequuntur.

III. Verùm quis non videt impudentem illorum audaciam, cùm contra tot expressa S. Scripturæ loca, tamque clara sanctorum Patrum testimonia (qui docent ex S. Scriptura, quòd juxta Dei promissiones non ob hominum merita vel demerita, sed ob Dei misericordiam Ecclesia sit usque ad finem mundi manifesta futura sicut *civitas in monte posita, & quod lux Apostolica sit in candelabro semper ponenda, ut luceat omnibus qui in domo sunt* Matt. 5. v. 15.) audeant dicere quòd lux Euangelica propter malitiam hominum fuerit extincta? quòd nulla veræ Ecclesiæ facies per multa sæcula extiterit? &c.

Et præter S. Scripturæ & sanctorum Patrum testimonia rogatur primò, quo S. Scripturæ testimonio hoc probent, qui solam S. Scripturam se sequi gloriantur? Ecce qualiter contra apertissimam S. Scripturam à D. August. lib. de unit. Ecclesiæ & alibi allegatam mentiantur!

2. Quanquam autem in hoc impudenter mentiantur, tamen hoc ipso profitentur se Ecclesiam veram non habere Apostolicam, quæ semper debet manifesta manere, ut ostensum est: cùm ergo ipsi fateantur lucem sui Euangelii multis sæculis extinctam fuisse, ex qua dependet vera Ecclesia, insuper paucos dispersos & delitescentes illam credidisse, fateri debent, quòd lux illorum Euangelii non fuerit, nec sit lux Euangelii Christi, quæ semper lucebit; fateantur etiam suam Ecclesiam multis sæculis non fuisse manifestam, proinde etiam illam non esse veram Christi Ecclesiam fateri debent.

IV. Hinc etiam tertium sit argumentum, scilicet, si in illis sæculis quando juxta Calvinum Ecclesiæ veræ facies non apparebat & homines tenebris errorum immersi erant, & lux Euangelii extincta erat, si inquam adhuc aliqui hinc inde suæ fidei & doctrinæ latitassent, soli Deo noti, hoc imprimis ex ullo authore vel testimonio probent: Secundò, si tales fuissent, cur fidem suam non sunt confessi foris, & opposuerunt se manifestis & crassis, ut volunt, erroribus, juxta mandatum Domini Matt. 10. v. 31. *Omnis qui confitetur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo: Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo*, &c. Et Apost. Rom. 10. v. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, &c. Si ergo in tot sæculis & centenis annis hinc inde fuerint insignes illius doctrinæ sectatores, necesse fuisset, ut pro honore Dei & aliarum animarum salute Fidem suam publicè confessi essent, ne talentum suum absconderent in perniciem suam: sic fecerunt tot præclari Confessores & Martyres trecentis integris annis post Christum passum in tantis persecutionibus, quando Romani Imperatores & Reges perfidi, & Ethnici per totum orbem dominantes Christi fideles extremis suppliciis afficiebant, nihilominus non solùm viri, sed & teneræ virgines ultrò se pro Fide ad supplicia obtulerunt; illorum nomina, confessiones & gloriosa martyria, etiamnum clarissimè constant. Si aliqui suæ sectæ sub Papatûs tyrannide per tot sæcula passi sint, proferant eorum nomina: sed ideo proferre non possunt, quia nulli fuerunt.

Similiter notissimum est, quantum statim post Concilium Nicænum *Hæresis Ariana* per totum orbem invaluerit, ubi ipsi Imperatores Romani & Reges Gothorum, Africam & Hispaniam, ac Galliam occupantes eâdem peste infecti Catholicos persequebantur, ita, ut in *Conciliabulo Ariminensi* plurimi Episcopi vel hæresi infecti, vel saltem ad tempus seducti fuerint, & tamen illustres aliquot viri semper inter privatos orthodoxos emicabant usque modo notissimi, ut constat ex S. Augustino suprà contra Donatistas, qui ob verba Christi, quòd Ecclesia semper erit manifesta ostendit, quòd nunquam deerunt publici Ecclesiæ Doctores, & Ecclesia publica etiam tempore *extremo Antichristi*, quando maxima foret persecutio. V.

Si ergo Acatholicorum Ecclesia semper fuit, & præsertim posterioribus mille annis tam insignes Confessores Acatholicorum fidei fuerint, ut jactitant, inter tot centenos annos nobis viciniores, vel unum saltèm demonstrent, qui pro tali ipsorum doctrina sese vel opposuerit, vel publicè confessus sit, vel martyrium subierit.

4. Nec illis suffragatur, quòd ab anno Christi 600. allegent tyrannidem Papæ, quia nunquam ostendere possunt talem fuisse Pontificis potestatem per totum orbem, qualis erat Imperatorum Romanorum & Regum Persarum, Ethnicorum primis trecentis annis nec talem tyrannidem usurpatam præsertim contra suæ sectæ homines. Econtrariò vero constat, quòd ab anno 600. & seqq. Pontifices Romani ab Imperatoribus Græcis ob æmulationem Episcoporum Constantinopolitanorum, vel ob hæreses Nestorianas, Eutychianas & Iconoclastarum maximam sæpe persecutionem passi sint, & deinde etiam ab ipso populo Romano Romà recedere compulsi fuerint, ubi ergo tanta ipsorum potestas, ubi tyrannis? VI.

Etsi autem talis eorum fuisset potestas, qualis Ethnicorum Imperatorum fuit, & quòd ita ad Idololatriam, ut volunt, homines coëgissent, quod utrumque tamen falsissimum est, illorum virorum insignium si qui extabant, erat se opponere, & publicè suo sanguine veram Fidem profiteri: quis enim non videt hæc fuisse necessaria? sed quia Acatholici nec unum hominem, qui sic passus vel unum locum, ubi aliqui passi sint, ex ullo antiquo Historico allegare possunt, qui tale quid referat: patet manifestè purum & impudens mendacium esse.

Nec dicere possunt, quòd omnes Historici fuerint infecti erroribus, ut illa scribere noluerint, quis enim hoc credet? quomodo hoc ostendent? nunquid aliqui ex insignibus ipsorum, ut volunt, delitescentibus, si in publicum prodire noluissent, saltèm in occulto scribere potuissent, & tradere suis consortibus, ut posteris innotescerent; sed nec hoc ostendere possunt, ut sileam tot Historicos, qui contra Romanos Pontifices tam acriter multa scripserunt, sive vera, sive falsa, utique & hæc scripta fuissent. Vel ad minùs Waldenses, & Albigenses posterioribus sæculis Romanis Pontificibus infensissimi, aliquam fecissent mentionem suorum VII.

rum

rum fratrum, ut Acatholici videri volunt, qui sic confessi, vel passi essent; Et quidem plures sunt Catholici scriptores, qui clarè referunt, quot, & ubi Albigenses igne & ferro consumpti sunt propter hæresin suam, cur ergo non etiam meminissent illorum, quos Acatholici suæ sectæ tunc fuisse volunt?

Patet itaque, quàm crassa & turpia hæc sint deliramenta, quibus hominibus persuasum volunt, mille & ultra annis plures fuisse suæ sectæ homines, sed occultos, sed dispersos, delitescentes, soli Deo notos, & in his conservatam fuisse veram Christi Ecclesiam, contra tot S. Scripturæ, & sanctorum Patrum testimonia. Itane nudis Calvini figmentis sine ullo authore, vel teste illa contra S. Scripturam credenda erunt?

6. Sic arguitur: Si omnibus illis sæculis usq; ad tempora Lutheri & Calvini plures occulti in diversis locis fuerunt illius doctrinæ cultores, ostendant saltèm aliquos, qui tempore Lutheri & Calvini sese manifestarint & dixerint, se hactenus semper eadem illa occultè credidisse & docuisse, quæ ipsi docent, tales autem nullos allegare possunt; sed contrarium constat, quòd Lutherus ipsemet fateatur se prius Monachum fuisse, & Missam celebrasse, adeóque non erat antea illius doctrinæ, cùm alioquin, ut Idololatriam, illam evitasset. Similiter constat de aliis, qui sese Luthero & Calvino adjunxerant, quòd prius Catholicam Fidem professi fuerint, & ea, quæ ipsi ut idololatrica damnant, exercuerint.

VIII. 7. Nec juvat effugium ultimum quorundam Neotericorum, qui dicunt, quòd ante Lutherum & Calvinum Ecclesia vera latuerit in quibusdam heroibus & testibus veritatis, in infantibus baptizatis, & simplicibus, qui fundamento Fidei adhæserunt, &c. Eadem enim hactenus allata fundamenta hoc ipsum destruunt; nominent heroës & testes illos, cùm alioquin quælibet secta sine teste & sine authore similia dicere possit. Quomodo vero in infantibus salvatur publica doctrinæ Christi prædicatio, semper usque ad finem mundi futura? quàm frivolum est infantes adducere in testes veritatis? vel illos, quos unquam extitisse probari non potest? certè socii sunt Judæorum, qui militibus pro sepulchri Christi custodia adhibitis datâ pecuniâ dixerunt: *Damus vobis pecuniam, & dicite, quia vobis dormientibus venerunt discipuli ejus, & abstulerunt eum*, ubi optimè Augustinus in psal. 63. v. 7. sic ait: *Verè defecerunt scrutantes scrutationes. O infælix astutia! tantumne deseris lucem consilii pietatis, & in profunda versutia demergeris, ut hoc dicas?* &c. *dormientes testes adhibes: verè tu ipse obdormisti, qui scrutando talia defecisti*, &c. Sic etiam verè Acatholice defecisti, qui testes veritatis, nulli unquam notos & ipsos infantes adhibuisti.

8. Idem etiam ex ipso patet, quia, si ante illos duos Lutherum & Calvinum fuissent viri insignes heroës, qui nunquam istius Idololatriæ rei fuissent, sed purum illud Euangelium semper tenuissent, certè nec Lutherus Germaniæ, nec Calvinus Galliæ lucem illam Euangelicam ut novi Apostoli & Prophetæ invexissent, prout tamen ipsi profitentur per illos factũ esse. Ecce qualiter mentiatur iniquitas sibi,

ARTICULUS VI.

Idem probatur ex mala vita & morte Lutheri, Calvini, & aliorum antesignanorum.

Demum, si verum esset, quòd Calvinus allegat, scilicet ob nimiam hominum impietatem Deum passum esse, ut lux Euangelica per multa sæcula extincta maneret, & homines tenebris errorum immersi hærerent, utique tempore Lutheri & Calvini homines meliorem vitam, & pœnitentiam egissent, ob quod Deus ipsis tales novos Apostolos & Prophetas misisset, sed ipsi constanter asserunt, tunc temporis omnes tenebris immersos fuisse & peccatis; cur ergo Deus tunc potiùs misisset tales Prophetas, & homines alios per mille annos dereliquisset? Rursus, si ob demerita & peccata lux extincta erat, utiq; novi illi Prophetæ Deo gratissimam & sanctissimam Eliæ, & Apostolorum vitam egissent, quos Deus ad tantum munus assumpsisset, prout Lutherani suum Lutherum Eliæ planè æquiparant, & Calvinus suprà in admonit. 3. id concedit, eâ conditione, ut alii adhuc præstantiores ipso Luthero à Deo missi sint, utpote Calvinus ipse: sed an isti Prophetæ vitam & mores Eliæ aut Apostolorum vel aliorum Prophetarum egerint, quilibet judicet, qui vel aliqualiter novit qualem vitam Lutherus duxerit ex actis illius apud Cochlæum: vel Calvinus, ut ex historiis constat, præsertim Hieronymi Bolsec Medici Lugdunensis in vita Calvini, ubi vitam & terribilem ejus mortem refert cap. 22. Quibus accesserunt Zwinglius & Beza coadjutores, quorum turpitudines referre me pudet. I.

Talem illorum vitam mors digna secuta est, nam de *Luthero* scribit Thomas Bozius tomo 2. de signis Ecclesiæ lib. 23. cap. 3. quòd, cùm vesperi lautè cœnasset ac lætus somno se dedisset, eâ nocte suffocatus interierit, & ut ille, qui ipsi servivit, retulit *laqueo injecto necem sibi ipsi attulerit*, &c.

Idem Bozius dicit, quòd *Oecolampadius nocte dum dormiret improuisâ morte strangulatus sit*. II.

De *Carolstadio* idem Bozius refert dicens: *Eundem casum, scilicet Oecolampadii, subiit Carolstadius*; & ministri Lutherani in historia confessionis Lutheranæ Lipsiæ impressa pag. 40. dicunt, diffiteri nemo potest *Carolstadium tandem ab ipso Sathana suffocatum interiisse*.

De *Bucero*, ut Bozius suprà scribit; *dicunt Bucero animam penè agenti astitisse horrendum dæmonem, qui cunctos astantes timore exanimauit, à quo, ut animam secum aueheret fuerit perculsus, nam lecto deturbatus effusis per cubiculum passim hinc inde visceribus multisque cruciatibus exanimatus expirauit*.

Caluinus, ut habet Bozius ibid. *totos quatuor annos nouem morbis dirißimis (id Beza discipulus ejus primarius scriptum reliquit) miserrime exanimatus interiit*, ubi variis morbis enumeratis subditur: *Demum pediculis undique scatentibus* (ut testatur, qui ipsius vitam Gallico sermone conscripsit) *exesus infœlicißime & turpißime obiit*, hæc ille.

Hieronymus Bolsec ait: quòd *Caluinus dæmonibus inuocatis jurans, execrans & blasphemans expirauit, imo horam & diem detestatus & execratus sit*, quam III.

Digitized by Google

quàm unquam studiis vel scriptionibus impendisset, &c. qui tamen mordicus pro fundamento Euangelii docuit omnes debere credere se certos esse de sua salute. Justus interim est Dominus, istum blasphemum sic interire volens, qui Christum Salvatorem desperationem damnatorum subiisse dicere non est veritus.

Ecce hi Dii vestri, hi Prophetæ & Euangelistæ vestri, ô miseri Acatholici, quos Deus, prout fingitis, ad reformandum non solùm Ecclesiam, sed ad reaccendendum lucem Euangelicam & puram Apostolorum vitam agendam in mundum miserit! Sed prô dolor juxta qualitatem lucis & doctrinæ ac prophetiarum, talis etiam reformatio morum in hominibus facta est, ut ipsimet Lutherani & Reformati deplorent, ut suprà ex ipsorum Authoribus relatum est, quòd pejores in illorum cœtibus hominum sint mores & majora crimina, quàm in Papatu fuissent.

IV. *Et Erasmus, quem colunt, patronum* ab initio notavit in epistola ad Vulturium Neoconum, circa annum 1529. dicens: *Circumspice populum istum Euangelicum & obserua, num minus illic indulgeatur luxui, libidini & pecuniæ, quàm faciant illi, quos detestamini: profer mihi, quem istud Euangelium ex commessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum, ego tibi multos ostendam, qui facti sunt se ipsis deteriores*, &c. hæc Erasmus. Ecce novi Euangelii fructus, & certè si divina bonitas post mille & ultra annorum spatium quibus, ut illi fingunt, in tenebris & impietate homines dereliquisset, ac tandem aliorum misereri voluisset, utique alios Apostolicos viros misisset, utique major morum emendatio ex illorum doctrina emersisset, Dei enim perfecta sunt opera, non enim quod ex misericordia incipit statim subtrahit, sicut tempore Christi miseratus mundi in peccatorum & Idololatriæ tenebris hærentis misit Apostolos & illorum successores qui vitâ & moribus præter doctrinam sanctissimam mundum converterunt, & sic Ecclesiam conservarunt, ut quotidie & numero & pietate crescerent: nihil horum est in his Apostolicis viris, nec in illorum sectatoribus, unde ergo novæ lucis jactantia?

ARTICULUS VII.

Quòd Acatholici nullos suæ sectæ Episcopos vel Doctores qui sibi à tempore Apostolorum successerunt ostendere possint.

I. CUm hactenus ostensum sit, quòd Acatholici nullos privatos allegare possint, qui intra mille & ultra annos ipsorum doctrinam coluerint, vel illam confessi sint, aut pro illa mortem obierint, operæ pretium non est inquirere, an possint à tempore Apostolorum demonstrare Episcopos & Doctores, qui sibi semper successerint usque ad tempora Lutheri in ullo loco, hoc enim multò minùs probare possunt, & ex confessione Calvini suprà allegata patet, cùm fateatur multis sæculis lucem Euangelii sic extinctam fuisse, ut solùm aliqui occulti, soli Deo noti illam servarint. Proinde nulli fuerunt Episcopi vel Doctores qui per ista omnia sæcula & singulos annos sibi succedentes illam publicè docuerint, vel ab aliis Episcopis, ut in primitiva Ecclesia servatum est, Episcopi ordinati fuerint: hoc etiam ipsi fatentur, hoc autem commune fuit antiquis hæreticis, de quibus S. Cyprianus lib. de simplicitate sic ait: *Ii sunt, qui se ultro apud temerarios conuenas sine diuina dispensatione præficiunt, qui se præpositos sine ulla ordinationis lege constituerunt, qui nemine Episcopatum dante, Episcopi nomen sibi assumunt*, &c. hæc ille.

Sic non erubuerunt *Basileenses Ioannem OEcolampadium primum Basileæ Episcopum* vocare, prout Bellarminus lib. 4. de Notis Eccles. cap. 8. refert se oculis suis non absque risu vidisse in Epitaphio ad illius sepulchrum posito sic scriptum: *OEcolampadius primus Basileæ urbis Episcopus*, &c. ergo ante ipsum à tempore Apostolorum nulli ibi illius sectæ fuerunt Episcopi, & sic de Calvino Genevensium Episcopo, & aliis dicendum. II.

Unde ergo ostendent successionem Episcoporum & Doctorum sectæ suæ à tempore Apostolorum? cùm tamen juxta clarissima sacræ Scripturæ & SS. Patrum testimonia, doctrina Christi Euangelica prædicanda fuerit à tempore Apostolorum usque in finem mundi, & crescere debuerit usque in finem, *Pastores & Doctores* semper futuri, Ecclesia etiam conspicua semper mansura, sicut *ciuitas supra montem posita*, hoc ergo cùm nullatenus ipsorum cœtibus vel doctrinæ etiam ex ipsorummet confessione competat, *vera Apostolica Ecclesia dici non possunt*.

Concludatur ergo cum *Vincentio Lirinensi*, ab authore primi libelli tanquam irrefragabili allegato, qui circa annum 440. floruit lib. adversus hæreses cap. 26. sic ait: *Audias quosdam ipsorum* (hæreticorum) *dicere: Venite O insipientes & miseri, qui vulgo Catholici vocamini, & discite Fidem veram, quam præter nos nullus intelligit, quæ multis ante sæculis latuit, nuper vero reuelata & ostensa est*, &c. sic olim clamarunt hæretici, sic modò clamant Acatholici, sed quis sanæ mentis & sacræ Scripturæ promissionum auditor tales audire velit? III.

ARTICULUS VIII.

Ostenditur, quòd doctrina cœtuum Acatholicorum sit doctrinæ primitivæ Ecclesiæ veræ in multis contraria, etiam juxta Acatholicorum ipsorummet confessionem.

QUamvis per prædicta sufficientissimè sit demonstratum, quòd nullus modernorum Acatholicorum cœtus sit vel dici possit Ecclesia verè Apostolica, ex eo, quòd ostendere non possint, & ipsi fateantur doctrinam suam per mille & ampliùs annos publicè per orbem prædicatã non fuisse, nec ullos Episcopos vel Doctores allegare, qui illam docuerint, multò minùs sibi invicem in tali munere successerint, quod necessarium esse ex clarissimis sacræ Scripturæ locis sancti Patres, præsertim sanctus Augustinus demon- I.

demonstravit ad cognoscendam veram Apostolicam Ecclesiam, licèt etiam in occulto diceretur doctrina aliquo loco docta esse, prout Donatistæ de sua asserebant, tamen hoc sacræ Scripturæ promissionibus contrariatur. Quia itaque Acatholici simpliciter ex eo suam doctrinam volunt esse verè Apostolicam, quòd, ut falsò asserunt, illa à tempore Apostolorum per 500. vel 600. annos in Ecclesia primitiva prædicata, & à SS. Patribus docta fuerit, operæ pretium erit, & hanc falsitatem demonstrare.

Quod 1. breviter ex argumento D. Augustini contra Donatistas ostendi potest: quia, cùm illi mordicus assererent, se doctrinam ab Apostolis & eorum primis discipulis per orbem prædicatam tenere, à qua postea reliquus orbis defecisset, & illa sola in Africa occultè conservata esset, D. Augustinus arguit, quòd ex hoc convincantur se veram Apostolicam doctrinam non tenere, quia illa juxta promissiones S. Scripturæ erat prædicanda, *incipiendo ab Ierusalem usq; ad ultimum terræ & non defectura, sed propaganda per omnes gentes usq; in finem sæculi*, idque ita palàm & notoriè, ut latere non possit. Si ergo ex Donatistarum confessione, quòd ipsorum doctrina defecerit in toto orbe, & in sola Africa occultè mansisse dicebatur, certissimum juxta S. Scripturam indicium erat, quòd illa non esset doctrina ab Apostolis tradita.

II. Simili prorsus modo arguendum est contra modernos Acatholicos quòd, quia fatentur doctrinam suam per mille & ultra annos non fuisse per orbem publicè prædicatam, prout nec illius ullum indicium, vel testimonium allegare possint, certum sit, quòd nec illorum doctrina sit verè illa Apostolica ab Apostolis & SS. Patribus in primitiva Ecclesia prædicata doctrina.

Probatur autem etiam positivè tribus modis: Primò, quòd Acatholici multa credant & doceant, quæ SS. Patres non solùm non docuerunt, sed etiam contrarium illorum prædicarunt. 2. quòd ipsi Acatholici hoc ipsum fateantur, & ideo dicere non vereantur se ab illis SS. Patribus dissentire, imò illos errasse. 3. quòd plura sint Acatholicorum dogmata, quæ antiqui diversi hæretici (quos & Acatholici hæreticos fateri debent) docuerunt, & ab Ecclesia primitiva hæreseos damnata fuerunt, ex quibus clarè patebit, quòd illam, quam SS. Patres & Ecclesia primitiva tradidit doctrinam, Acatholici non habeant, cùm certum sit, & ab ipsis confessum, quòd illa Ecclesia, quæ licèt aliqua dogmata veræ Fidei credat, si tamen in uno saltèm, ut ipsi volunt, articulo fundamentali pertinaciter deficiat, sic deficiat vera Fides, & quòd utique etiam non sit vera Ecclesia, quæ articuli fundamentalis contrarium pertinaciter docet.

III. Quoad *Anabaptistas* suprà art. 1. satis ostensum est, quòd plura absurda & falsa doceant, credántque dogmata, quæ in primitiva Ecclesia in hæreticis illius temporis anathematizata fuerunt.

Quoad *Lutheri & Calvini* dogmata plurima, in quibus sanctis Patribus etiam juxta ipsorummet confessionem contradicunt, longùm esset recensere, quæ cùm alii Authores prolixè retulerint, & ego in compendio controversiarum parte 1. art. 10. & 11. & suprà lib. 2. nonnulla recensui, & postea tractando quæstiones Fidei in particulari occurrent, hîc aliqua obiter tangentur, & primò quidem sciendum, quòd articulus de *libero arbitrio* tam apud Lutheranos, quàm prætensos Reformatos fundamentalis habeatur: De hoc autem *Lutherus* in assertionibus art. 36. tomo 2. Wittenbergæ 1551. impresso dicit, quòd *liberum arbitrium sit figmentum in rebus, seu titulus sine re, & quod nulli sit in manu sua quippiam cogitare mali aut boni, sed omnia sub Deo sint*, &c. *& hunc articulum dicit optimum & summum Fidei suæ*, &c. circa hunc autem articulum fatentur Lutherani & Calvinistæ se SS. Patrum doctrinæ contrariari.

Imprimis *Centuriatores Lutherani* ab initio Ecclesiæ fatentur sanctorum Patrum doctrinam fuisse, quòd detur liberum arbitrium, sed ipsi contradicunt: Nam Centur. 2. scilicet ad Annum Christi 100. colum. 59. fatentur his verbis: *Eodem modo Clemens liberum arbitrium utique asserit, ut appareat in ejusmodi tenebris non tantùm fuisse omnes ejusdem sæculi Doctores, verùm etiam in posterioribus eas subinde crevisse, & auctas esse*, &c. unde patet, quòd agnoscant sancti Patres omnes primitivæ Ecclesiæ à tempore Apostolorum docuisse liberum arbitrium, quod ipsi negant.

Similiter *Calvinus* lib. 2. Instit. cap. 2. §. 4. relatis *sancti Chrysostomi & sancti Hieronymi* pro libero arbitrio sententiis subjungit: *Certè quas retulimus sententias esse falsissimas paulo post constabit. Porro tametsi Græci præ aliis, atque inter eos singulariter Chrysostomus in extollenda humana voluntatis facultate modum excesserunt, veteres tamen omnes, excepto Augustino, sic hac in re aut variant, aut vacillant, aut prolixè loquuntur, ut certi nihil fere ex scriptis illorum referre liceat*, &c. hæc ille ideo scilicet, quia contra ipsius doctrinam nimis clarè loquebantur, & ideo ibidem paulò infrà omnes carpit dicens: *Quasi adhuc integer staret Homo, semper apud Latinos liberi arbitrii nomen extitit, Græcos autem non puduit multo arrogantius usurpare vocabulum*, &c. hæc ille. Ecce arrogantiam nimiam illius novi Prophetæ, qui se jactitat doctrinam SS. Patrum primitivæ Ecclesiæ iterum in orbe terrarum reproducere; quam tamen sic detestatur. IV.

Quòd autem sanctum Augustinum fictè & falsò excipiat, patet ex variis illius libris, præsertim ex epistola 4. ad Valentinum, ubi sic ait: *Fides sana Catholica hæc est, quæ neque arbitrium liberum negat, sive in vitam malam, sive in bonam, neque tantum ei tribuit, ut sine gratia Dei valeat aliquid*, &c. hæc August. & sic docet moderna Ecclesia.

Idem Propheta Calvinus, licèt sanctum Augustinum subinde excipiat, etiam non rarò eum arguit, ut lib. 3. Instit. cap. 11. §. 15. dicens: *Ac ne Augustini quidem sententia per omnia recipienda est, tametsi enim egregiè Hominem omni gratiæ laude spoliet, ac totum Dei gratiæ transscribat, gratiam tamen ad sanctificationem refert, quâ in vitæ novitatem per spiritum regeneremur*, &c. hæc ille.

Item lib. 3. Institutionum cap. 3. §. 38. ait: *Parum autem me movent, quæ in veterum scriptis de satisfactione passim occurrunt, video omnes fere, quorum libri extant, aut hac in parte lapsos esse*, &c. Imò in re gravissima erroris arguit omnes veteres lib. 2. cap. 14. §. 3. dicens: V.

Digitized by Google

Excusari non potest veterum error, qui dum ad mediatoris personam non attendunt, totius ferè doctrinæ, quæ in Euangelio Ioannis legitur, jejunum observant sensum, seseque implicant multiloquiis, &c. ubi ille Propheta vult ostendere, quòd Filius etiam secundùm divinitatem sit subjectus Patri, alioquin non esset Mediator, ut alibi ostendimus, & sic expresse Arianismum profitetur. Cùm ergo SS. Patres hoc meritò negent, ipsos erroris arguere non veretur in re tanta, & articulo Fidei verè fundamentali.

Hoc ipsum turpius contra sacram Scripturam & sanctorum Patrum doctrinam exprimit Lutherus lib. 2. de Conciliis parte 2. ubi dicere audet, *quod Nestoriani sint, qui divinitatem pati posse pertinaciter disputant*, vel ut in confess. de cœna Domini dicit, *quod si humanam tantùm Christi naturam pro me passam credo, Christus ille vilis nec magni pretii salvator esset, imo ipse quoq; alio Salvatore opus haberet*, &c. hæc Lutherus Eutychetis hæresim secutus.

Plura alia à SS. Patribus docta circa *sacrificium Missæ, justificationem; bonorum operum merita*, &c. Lutherus & Calvinus ut erronea damnarunt, prout suis locis patebit.

ARTICVLVS IX.

Quòd moderni Acatholici antiquos sanctos Patres in multis repudient, & doceant damnatas olim hæreses.

I. QUanti Lutherus sanctos Patres æstimarit sæpe indicavit, præsertim lib. contra Henricum Regem Angliæ tomo 2. sic dicens: *Henricus dicta Patrum pro sacrificio Missario inducit*, &c. *ego vero adversus dicta Patrum, Angelorum*, &c. *pono Euangelium, hîc sto, hic insulto dictis hominum, quantumlibet sanctorum, ut nihil curem si mille Augustini, mille Cypriani contra me starent*, &c. hæc ille, sic sibi arrogans Euangelium, & sanctos Patres condemnans, quasi illi contrarium docuissent, ô mendacium, ô impudentiam! cùm constet, quòd Lutherus & Calvinus non solùm plura doctrinæ sanctorum Patrum contraria docuerint, & asserere ausi sint, illos errasse, licèt turpiter illos excusare velint, quòd fuerint tantùm maculæ & nævi in illis non tollentes Fidei fundamentum; cùm tamen eadem in moderna Ecclesia Catholica ut errores contra Fidei fundamentum damnent, insuper ostendendum est, quòd illi novi Prophetæ & Reformatores Ecclesiæ plura docuerint, quæ ab antiqua Ecclesia hæreseos damnata fuerunt, quorum aliqua hîc tangemus.

Primò inter hæreses *Manichæi* recenset Augustinus lib. de hæres. cap. 46. in fine dicens: *Peccatorum originem non libero arbitrio voluntatis tribuit*, &c. similiter *Hieronymus* in præfatione Dialogi contra *Pelagianos* inter Manichæorum hæreses refert, *quod negarint liberum Hominis arbitrium*, &c. Hoc ipsum ut primarium suæ doctrinæ fundamentum negat Lutherus suprà relatus, ut ideo vocet arbitrium servum; item Centuriatores & Calvinus suprà allegati.

Secundò: Inter hæreses *Eunomii*, qui Spiritûs Sancti divinitatem negabat, refert Augustinus lib. de hæres. cap. 54. *quod asseuerarent nihil cuique obesse quorumlibet perpetrationem ac perseverantiam peccatorum, si hujus, quæ ab ipso docebatur, Fidei particeps esset*, &c.

Sic *Lutherus* passim docuit specialiter in Glossa contra prætensum edictum imperiale, ubi sic ait: *Dico ego Doctor Martinus Lutherus, Domini nostri Iesu Christi indignus Euangelista, quod hunc articulum, Fides sola sine omni opere sanctificat coram Deo, firmum permittere debet Imperator*, &c. Similiter docere ausus est, *quod cum solo Isaac nobis veniendum sit ad judicium, id est, cum fide, servos & asinos, id est, bona opera oportebit relinquere*. Item, *quod Deus opera non curet, nec ille justus sit apud Deum, qui multa operatur, sed qui sine opere multum credit, imo quod prima, & ultima, ac pessima Hæresis, quæ unquam in mundo fuit exorta sit, cùm docetur, bona opera ad salutem requiri; quia via ad cælum angusta est, necesse est, ut gracilis fias, si transire velis, qui bonis operibus onusti sunt, nunquam per hanc viam penetrabunt*: ita Lutherus serm. de piscatura Petri in captiv. Babyl. tomo 2. Wittenb. Anno 1551. pag. 70. & alibi. II.

Item lib. de captivit. Babyl. cap. de Ecclesia sic ait: *Tam dives est Christianus, ut non possit perire, etiamsi velit, quantumcunque malè vivat, nisi nolit credere*, &c. quæ ipsissima Eunomii hæresis est.

Similiter docet *Calvinus* lib. 3. Instit. cap. 2. §. 11. & 12. *quod sola Fides coram Deo justificet*; licèt autem non tam crassè opera bona excludat, ut Lutherus, quia vult, quòd opera bona sint signa & folia veræ Fidei, tamen re ipsâ idem docet, quòd Lutherus, quia sola Fides justificet, imò per Fidem omnia peccata qualiacunque non imputentur, licèt maneant, sequitur, quòd qualiacunque homo faciat peccata, si credat firmiter se esse prædestinatum, illa non possint ei nocere, cùm non imputentur.

3. *Florinus Valentinianus* hæreticus olim docebat, *quod Deus esset causa peccatorum*, quam doctrinam Irenæus apud Euseb. lib. 5. hist. Eccles. cap. 20. dicit *plus quàm hæresin esse*. Idipsum testatur *S. Fulgentius* lib. 1. ad Monimum cap. 22. in Biblioth. PP. tomo 6. Idem antea docuerat *Simon Magus*, ut refert *Vincentius Lyrinensis* in suo commonitorio cap. 34. Constat etiam de Mahometanis qui in suo Alcorano habent, quòd *latrones, venefici, aliique vetiti facinoris convicti à Deo ad hoc certo consilio sint destinati*, &c. verùm *Manichæi* quantumvis mali nolebant causam peccati Deo bono tribuere, ideo fingebant Deum malum peccati authorem, ut refert August. lib. de hæres. cap. 46. III.

Idem docuit Lutherus in assertionibus art. 36. ubi dicit: *Et mala opera in impiis operatur Deus*: ut Proverb. 16. dicitur: *Quis audet negare se etiam in malis operibus sæpe coactum aliud facere, quàm cogitavit?* &c. Item in lib. de servo arbitrio sic ait: *Si præscivit Deus Iudam fore proditorem, necessario Iudas fiebat proditor*, &c. hæc quidem in sensu composito salvari possent, sed subjungit: *Nec erat in manu Iudæ, aut illius creaturæ aliter facere, aut voluntatem mutare*, &c.

Calvinus idipsum clariùs expressit lib. 1. Inst. cap. 17. §. 11. dicens: *Vbi in memoriam revocant diabolum*, &c. *nec conceptum malum moliri*, IV.

nec ad perpetrandum digitum mouere posse nisi quantum ille (Deus) permiserit, imo nisi quantum ille mandauit. Ibidem cap. 18. §. 2. dicit: quòd non solo permissu, sed Dei voluntate peccant homines, &c. Et ibidem specialiter dicit: *Sathanas dicitur excæcare infidelium mentes, sed unde hoc? nisi quod à Deo ipso manat efficacia erroris.* Et §. 3. dicit: *& jam satis aperte ostendi Deum vocari omnium eorum authorem, quæ isti censores volunt, otioso tantùm permissu contingere,* &c. Et lib. 3. Inst. cap. 24. §. 14. sic ait: *Quod igitur sibi patefacto Dei verbo non obtemperent reprobi, probè id in malitiam, prauitatemq; cordis eorum rejicietur, modo* (NB) *simul adjiciatur, ideo in hanc prauitatem adactos, quia justo, sed inscrutabili Dei judicio suscitati sunt, ad gloriam ejus sua damnatione illustrandam,* &c. hæc Calvinus.

Idem Calvinus lib. 3. Instit. cap. 23. §. 2. cùm quæstionem induxisset dicens: *Quo jure suis creaturis irascatur Dominus, à quibus nulla ante offensa prouocatus fuerit, nam exitio deuouere, quos placuerit, tyranni magis libidini, quàm legitimæ judicis sententiæ conuenire: Esse igitur cur in Deo expectabant Homines, si modo* (NB) *eius arbitrio citra proprium meritum in æternam mortem prædestinentur?* &c. Ad hæc respondet dicens: *Vbi ergo quæritur, cur ita fecerit Dominus? respondendum est, quia voluit,* &c. hæc Calvin. Quid turpius Deo optimo peccati causam attribuere, & Deum sine ullis prævisis peccatis hominem ad æternam damnationem prædestinare?

V. Hæc adeo clarè docuit Calvinus, ut Acatholici negare non possint, ut testatur *Becanus* in tractatu cujus titulus: *Quæstio de differentia inter Calvinistas, Pelagianos, & Catholicos.* §. 4. Calvini conclusio, ubi refert, quòd Paræus Doctor Heidelberg. coram ipso & P. Sætario fassus fuerit Calvinum docuisse *Deum esse peccati authorem*, sed tamen addiderit, id Calvinistas non docere. Fatentur itaque Calvinum tam impium dogma tradidisse, quod ipsi detestentur; sicut & nuper potentissimi Status Hollandiæ & Frisiæ in edicto Hagæ Comitis 1660. impresso expressè profitentur, *quod doctrina illa, quæ habet, quod Deus aliquos homines ad æternam damnationem crearit, & quod aliquos ad peccatum necessitet, vergat in injuriam Dei & ignominiam suæ Ecclesiæ,* &c. unde homines suæ salutis amantes verè ab alia Calvini doctrina abhorrere deberent, qui in re tam blasphema pertinaciter sensit, quem tamen puri verbi Dei Euangelistam reverentur.

VI. 4. Messaliani, ut referunt *Theodoretus* lib. 4. hæret. fabularum & *Damascenus* hæresi 88. docebant quòd peccatum in renatis semper viveret, *& ipsa concupiscentia verè esset peccatum, nec per Baptismum tolleretur, sed solùm sopiretur per Fidem,* &c. Negabant etiam, *quod in Clericorum ordinatione daretur Spiritus Sanctus; Ecclesias & Altaria despiciebant,* &c. cum quibus moderni Acatholici consentiunt, sed dissentiunt, quòd *Messaliani* nuptias dissolvebant, ut refert Damascenus. *Spiritum Sanctum ita accedere asserebant, ut sentiretur,* unde & *Enthusiastæ* dicti, *detestabantur operationem manualem, ut Christianis indignam. Pauperum curam habendam negabant,* &c.

Quoad priora *Lutherus* tomo 2. Wittenberg. Anno 1551. impresso & art. 2. & 31. damnatis, voluit, *peccatum post Baptismum in parvulis manere,* Item art. 3. *quod fomes peccati, etsi nullum sit peccatum actuale, tamen animam morientem ab ingressu cœli arceat.*

Zvvinglius homil. 2. de Baptismo tract. 3. de peccato originali dicit: *Quidquid fremant Pontificii, peccatum originis nihil aliud est, quàm infirmitas corporalis, aut morbus, qualis est, cùm esurimus, & sitimus,* &c.

Caluinus lib. 4. Instit. cap. 15. §. 10. sic ait: *Iam perspicuum est, quàm falsum sit, quod pridem docuerunt nonnulli, per Baptismum solui nos, & eximi ab originali peccato,* &c. Et infrà: *Iam antea disputatum est, peccatum originale esse naturæ nostræ prauitatem ac corruptionem, quæ primùm reos facit nos iræ Dei,* &c. Et infrà dicit: *quod licet maneret ipsum, tamen damnatio tollatur, sed imputatione duntaxat, quia pro justis Dominus nos habet.* VII.

5. *Pelagiani* negabant in homine peccatum originale præsertim in parvulis fidelium, adeóq; nolebant, ut ideo baptizarentur, prout D. Augustinus sæpè meminit, specialiter lib. 6. contra Julianum cap. 2. & 3. & lib. 2. de peccat. merit. & remiss. per totum, specialiter cap. 12.

6. Similiter *Messaliani* negabant *parvulis aliquid prodesse Baptismum ad abluendas animæ sordes.* Ita Theodor. suprà.

Caluinus lib. 4. Instit. cap. 15. §. 20. cùm negat, quòd in necessitate licitum sit, ut laicus vel mulier infantem baptizet sic ait: *Quod autem multis ab hinc sæculis, adeoque ab ipso fere Ecclesiæ exordio, usu receptum fuit, ut in periculo mortis laici baptizent, non video, quàm firma ratione defendi possit,* &c. Ecce qualiter totam antiquam Ecclesiam condemnet. Et infrà sibi objicit dicens: *At periculum est, ne is qui ægrotat, si absque Baptismo decesserit regenerationis gratia priuetur,* & respondet dicens: *Minime vero. Infantes nostros antequam nascantur se adoptare in suos pronuntiat Deus, quum se nobis in Deum fore promittit, seminique nostro post nos,* &c. hæc ille.

Sed constat, quàm graviter S. Augustinus contra Pelagianos necessitatem Baptismi ad salutem propugnet, licèt Calvinus ibidem dicere audeat, *quantum damnum inuexerit dogma illud male expositum, Baptismum esse de necessitate salutis pauci animaduertunt,* &c. Et tamen D. August. docet hoc ab initio Ecclesiæ doctum esse.

7. *Pelagiani* etiam docebant, quòd *per quodlibet peccatum etiam leuissimum justitia perderetur,* unde necesse erat, *ut quodlibet esset mortale,* prout D. Hieronymus refert lib. 2. contra eosdem. VIII.

8. *Iouiniani* similiter docebant *omnia peccata esse paria,* ut refert S. Augustinus lib. de hæres. cap. 82. dicens: *à Iouiniano quodam monacho ista hæresis orta est,* hic primò *omnia peccata, sicut Stoici Philosophi paria esse dicebant,* secundò, *nec posse peccare Hominem lauacro regenerationis accepto.* Tertiò, *nec aliquid prodesse jejunia, vel à cibis quibusdam abstinentiam.* Quartò, *virginitatem etiam sanctimonialium & continentiam sexûs virilis in sanctis eligentibus cælibem vitam conjugiorum castorum atq; fidelium meritis adæquabat, ita, ut quædam virgines sacræ prouectæ jam ætatis in urbe Roma, ubi hæc docebat, eo audito nupsisse dicantur,* &c. *Cito tamen hæc Hæresis extincta est,* &c. hæc August.

Verùm prô dolor, illa quoad singulos enarratos articulos per modernos Acatholicos resuscita-

ſcitata eſt, Illos enim omnes errores docent moderni Acatholici; quod quodlibet peccatum ſit mortale.

Ita *Lutherus* art. 32. & *Caluinus* lib. 2. Inſt. cap. 8. §. 58. dicens: *Non eſt igitur quod vel leuiſſimas cupiditates judicio mortis eximamus*, &c. & §. 59. dicit: *Habeant filii Dei, omne peccatum mortale eſſe*, &c.

IX. De *jejunio* dicit idem Calvin. lib. 4. Inſt. cap. 12. §. 19. *Alterum malum huic affine ſummopere cauendum eſt, ne pro opere meritorio aut ſpecie diuini cultus cenſeatur, &c. tertius error, &c. ut homines ſe aliquid eximium feciſſe putent, cùm jejunauerint; qua in parte non in totum excuſare audeo veteres*, &c. ecce damnat SS. Patres, & approbat hæreſes.

9. De Aerio *Aerianorum* Authore ſic ſcribit Epiphanius hæreſi 75. *Aerius aliter non ſentit, quàm Arius, & adhuc ultra amplius*, &c. dicebat enim:

Primò: *Quid eſt Epiſcopus ad Presbyterum? nihil hic differt ab illo, unus eſt Ordo.*

Quid Paſcha, quod peragitis? Iudaicis fabulis adducti eſtis.

3. *Qua ratione poſt mortem nominatis nomina mortuorum? Orat viuens, quid profuerit mortuo? ſi illis preces proſunt, nemo ſit pius in vita, ſed acquirat per pecuniam amicos, qui pro ipſo orent*, &c.

4. *Sed neq; jeiunium erit ordinatum, hac enim Iudaica ſunt, Iuſtis non eſt lex poſita*, &c. *unde nunquam juxta legem Eccleſiæ feria 4. & Sabbatho, vel in quadrageſima jeiunabant, ſed tunc commeſſabantur, & die Dominicâ ad placitum ieiunabant*, &c. ita refert Epiphanius.

X. D. Auguſtinus lib. de hæreſ. Hær. 59. ſic ait: *Aerius ad Arianam hæreſim aliqua dogmata addidit ſcilicet, orare vel offerre pro mortuis oblationem non oportere, nec ſtatuta ſolenniter ieiunia celebranda eſſe*, &c. ſicut Epiphanius ſuprà retulit.

Quis non videt has *Aerianas hæreſes* ab Acatholicis modernis mordicus aſſeri, qui nec *Epiſcoporum nec Presbyterorum ordinem* agnoſcunt. Item qui *Jejunia ſtatuta nolunt ſeruanda, nec pro mortuis orandum, multo minus ſacrificium offerendum*, &c.

Caluinus lib. 4. Inſt. cap. 3. §. 8 ſic ait: *Epiſcoporum, Paſtorum, Miniſtrorum eadem functio eſt.* Et de oratione pro defunctis & jejuniis patet paſſim apud eundem & ipſius ſectatores.

Lutherani centuriatores cent. 4. cap. 5. colum. 401. dicere audent, quod illa Aërii aſſerta non fuerint errores, *ſed potius Epiphanius & Auguſtinus in illis errarint*, qui contrarium docuerunt. Ecce quàm manifeſtè contradicunt antiquæ Eccleſiæ, & damnatos ab illa errores amplectuntur, ac dogmata antiquæ Eccleſiæ damnant, ipſi in Aërianis olim damnati ab Eccleſia.

10. *Jouiniani* hæreſim, quæ adæquabat conjugium caſtimoniæ virginali, *Lutherus* auxit in epithalam. dicens: *Oportet admittamus mulierem coniugatam coram Deo præſtare virginibus.*

XI. *Caluinus* lib, 4. Inſt. cap. 13. §. 3. abſolutè damnat omnes qui perpetuam caſtitatem vovent, ubi inter vota ſtultè facta dicit: *In quo genere primatum veſana audacia tenet cælibatus: Sacrifici enim Monachi & Moniales ſuæ infirmitatis obliti cælibatui ſe pares eſſe confidunt*, &c. hæc Calvinus eò turpior Joviniano, qui ſanctimonialem virginitatem connubio adæquans, hæreſeos à ſanctis Patribus damnatus fuit.

Imò *Centuriatores Magdeburgenſes* cent. 4. cap. 5. impiè dicere non verentur, *quod ſi Hieronymus & Auguſtinus de Ieiunio & ſtatu coniugali aliter ſenſerunt, potius Hæretici fuerunt, quàm Iouinianus*, ecce audaciam! ecce qualiter cum primitiva Eccleſia credant!

11. D. *Hieronymus* lib. contra *Vigilantium* diverſos ejuſdem refert errores, & redarguit graviſſime, primò quod *negarit Reliquias SS. Martyrum venerandas*. 2. *quod Sancti mortui non ſint inuocandi, eo quod preces viuentium non audiant*, &c.

Lutherus in ſermone de S. cruce dicit, *Reliquias SS eſſe fidelium ſeductionem, & ideo ſub terra longe abſcondendas*, &c. Similiter lib. de Eccleſia ad Waldenſes, *ſtultam & pernicioſam dicit eſſe Sanctorum inuocationem*.

Caluinus lib. 3. Inſtit. cap. 20. §. 21. plurima falſiſſima Catholicis imponit quoad invocationem Sanctorum, ut illam inſaniæ damnet, & in gravem Chriſti injuriam fieri arguat, quaſi Catholici neglecto Chriſto Salvatore vel de illo diffiſi ad Sanctos confugiant, & §. 22. arguit ſacrilegii, quaſi Sanctos non ut interceſſores, ſed ſalutis ſuæ præſides invocent, &c. XII.

Sed veram à Catholicis fieri ſolitam Sanctorum invocationem ex SS. ſcripturis probatam, & in primitiva Eccleſia uſurpatam, fruſtra refutare conatur. § 23. de quibus loco ſuo, conſtat autem Vigilantium ob hoc hæreſeos damnatum fuiſſe.

Quoad *venerationem Reliquiarum* Calvinus admonitione de reliquiis ſic ait: *Itaq; ut paucis dicam reliquiarum deſiderium nunquam ſuperſtitione caret, imo, quod deterius eſt, mater eſt Idololatriæ*, &c. hæc ibi.

Idem quoad peregrinationes ad loca *Sanctorum* vel memorias lib. 4. Inſt. cap. 13. §. 7. ait: *Jam nec obſcurum eſt, quantâ ſuperſtitione in hac parte laborauerit mundus aliquot ſeculis*, &c. & infrà: *fuit enim hoc pro magna ſapientia habitum votiuas peregrinationes ad ſanctiora loca ſuſcipere*, &c. *Hæc & ſimilia*, &c. *non tantum inania deprehendentur ac nugatoria, ſed manifeſtæ impietatis*, &c. hæc ille: Cùm tamen conſtet ſanctos Patres, ac præſertim S. Auguſtinum, tales peregrinationes ſumme laudaſſe, &c.

12. *Eutychiani* authore Eutychete docebant, quòd ſicut in Chriſto eſſet una perſona, ſic etiam una natura, ut humana in divinam confusè tranſiiſſet, quod *damnatum eſt in Concilio Chalcedonenſi*. XIII.

Lutherani rigidi, quorum ductor Brentius, docent poſt incarnationem Chriſti, naturam humanam eſſe ubique, ſicut divinam, ac proinde cum illa confuſam.

13. *Ariani* præter alios graves errores negabant recipiendas eſſe ullatenus *traditiones apoſtolicas non ſcriptas*, ut indicat *Epiphanius* hæreſi 69. & D. *Auguſt.* lib. 1. contra Maximinum Arianum Epiſc cap. 2 & ult. ſimiliter Neſtorius & Eutyches *traditiones contemnebant* ut patet ex actis Synodi 7. iidem etiam reſpuebant antiquos Patres.

Lutherus, *Calvinus* & eorum ſectatores ſimiliter traditiones non ſcriptas rejiciunt, ut ſuprà agendo de verbo Dei tradito patet: quanti autem ſancti Patres illas æſtiment, ſuprà viſum eſt.

Prædicti *Ariani* etiam deteſtabantur *Monachos & Monachorum ſtatum* tantopere à SS. Patribus XIV.

bus laudatum, & usurpatum, ut patet apud *Athanasium* in Apologia pro sua fuga & alios. Similiter *Donatistæ*, ut patet apud Augustinum cùm alibi tum lib. 3. contra Petilian. Donatistam cap. 40. ubi dicit: *Perrexit ore maledico in vituperationem Monachorum & Monasteriorum arguens etiam me, quod hoc genus vitæ à me fuerit institutum*, &c. hæc Aug.

Istos Hæreticos insigniter secuti sunt *Monachi Apostatæ*, quorum *Lutherus* Coryphæus est: & similiter *Caluinus* lib. 4. Inst. cap. 13. ubi §. 17. dicere non veretur, quod Monachi per vota sua dæmonio sese consecrent, quem Acatholici turpissimè & crudelissimè secuti sunt.

14. *Donatistæ* Ecclesiam Dei visibilem de toto orbe terrarum periisse, ac in sola Africa delituisse docebant, ut refert & refutat D. *Augustinus* lib. de unit. Eccles. *Item execrabantur Pontificem Romanum, & sedem eius sedem pestilentiæ vocabant, Altaria destruebant, calices frangebant, Eucharistiam canibus dabant*, prout idem August. refert lib. 2. contra Petilian. cap. 51. & alibi, & *Optatus Mileuit.* lib. 2. prolixè recenset.

Quòd Lutherus & Calvinus etiam voluerint Ecclesiam visibilem periisse, ut monstrari non potuerit, sed soli Deo nota fuerit ac latuerit, nec tamen locum nominare possint, suprà ostensum est.

XV. Demum quòd in *Eucharistia corpus Christi* non esset realiter præsens, olim quidam asserebant, de quibus loquitur *S. Ignatius* in epist. ad Smyrnenses, ut refert *Theodoretus* in dialog. 3. quòd Eucharistias & oblationes non admitterent, eò quod non confiterentur Eucharistiam esse carnem Christi, &c. sed hoc ex absurdo fundamento, scilicet, quia negabant Christum suscepisse veram carnem, ut Ignatius ibid. refert: unde sancti Patres illam hæresin primariò oppugnarunt, quod negarent veram incarnationem ut Irenæus lib. 5. cap. 2. & alii; alioquin non constat aliquos specialem hæresin constituentes docuisse quoad negationem præsentiæ corporis Christi, sed subinde aliquos ex infirmitate dubitasse, quos sancti Patres instruxerunt, ut patet ex S. Chrysostomo & aliis, prout suo loco ostendetur.

XVI. Verùm circa Annum 700. exurrexerunt *Iconomachi* Hæretici, qui cùm alioquin omnem imaginum venerationem detestarentur, tamen Eucharistiam dixerunt venerandam, quæ esset imago & figura corporis Christi, prout refertur in Synodo 7. generali art. 6. tom. 3. post duo folia ab initio, sub verbis Hæretici Gregorii, ubi dicunt: *Exultent & lætentur, qui veram Christi imaginem sincerissimâ mente facientes desiderant & venerantur*, &c. *quam ipse Dominus summus Sacerdos circa passionis tempus hic in typum suis Sacerdotibus tradidit*, &c. hoc Hæretici; quorum error ibid. sub nomine Epiphanii ex claris S. scripturæ verbis & sanctorum Patrum testimoniis prout suo loco patebit, refutatur. Hi sunt Acatholicorum antesignani, licèt illi adhuc Sacerdotes in Ecclesia agnoscerent, quos moderni repudiant.

Hunc errorem postea circa Annum 1050. *Berengarius* resuscitavit, & tandem inter Lutheri discipulos *Carolstadius*, de quo scribunt Lutherani Authores historiæ confessionis circa Ann. 1524. pag. 57. *quod gloriatus sit venisse ad se quendam virum, qui ipsum admonuerit, de explicatione verborum Christi, Hoc est corpus meum*, quod scilicet sic intelligenda sint: *Hic sedet corpus meum* scilicet *in mensa*, &c. postea *Zvvinglius Pastor Tigurinus* negans veram corporis Christi præsentiam, aliter se à nocturno aliquo sibi apparente instructum dixit, scilicet, *hoc est*, id est, *hoc significat corpus meum*, seu, *hic panis significat corpus meum*. His consensit *Caluinus Nouiodunensis*, de quo scribit Bolsec, quod præter alia vitia, quæ habuit, etiam *ob præposteram libidinem ac Sodomiam candenti ferro inustus fuerit*. *Beza* eundem errorem secutus utebatur æquivocatione verbotenus dicens: Corpus Christi realiter esse præsens in cœna Domini, ut sic Lutheranos alliceret, de quo cùm Lutherani gloriarentur, dicentes Helvetios, quorum Beza erat Apostolus, ipsis acquiescere, & ideo Helvetii in Bezam inveherentur, ipse se excusans dixit: Lutheranos ipsum malè intellexisse, se enim non docere, quod corpus Christi esset verè præsens in cœna Domini, quæ in terra à fidelibus celebratur, sed in cœna, quæ in cœlis agitur, ubi Christus realiter præsens est: ita refert Claudius Ganetes in responsione ad Apologiam Bezæ, qui quam libidinosus fuerit, ipsius Epigrammata satis declarant; & hi sunt Authores Sacramentariorum, qui Christi corporis in S. Eucharistia realem præsentiam contra totam antiquam Ecclesiam negarunt. XVII.

ARTICVLVS VLTIMVS.

Refutantur frivolæ excusationes Acatholicorum quoad hæreses in primitiva Ecclesia damnatas, & ab ipsis assertas.

PLures alii errores ab antiqua Ecclesia damnati & sopiti referri possent, quos moderni Acatholici ab orco revocarunt, quorum unus sufficeret ad demonstrandum, quod nullus modernorum Acatholicorum cætus Ecclesia vera Christi Apostolica sit cum Ecclesia primitiva in doctrina fidei vel morum consentanea. Constat enim quod qui unum articulum fidei pertinaciter negat, fidem veram amittat, ut suprà copiosè demonstratum est. I.

Nec valet hîc evasio Acatholicorum prima, cùm dicunt, quod illi articuli, qui à sanctis Patribus referuntur damnati, non fuerint articuli fundamentales Fidem evertentes. Patet enim quod tales sint, ob quos ipsi profitentur se coactos fuisse ab Ecclesia Catholica Romana recedere tanquam à Meretrice Babylonica, quæ contrarios articulos doceret, quos tamen à sanctis Patribus doctos, & eorum articulos ab iisdem hæreseos, notatos esse constat.

Nec valet secundum effugium, cùm dicunt SS. Patres quidem illos articulos sic damnasse, sed tamen Ecclesiam antiquam universalem non damnasse sed illos Patres potiùs errasse illos damnando, quos tamen benignè excusare volunt, quasi non pertinaciter ita docuissent, & ideo in illis fuerint tantum nævi ac maculæ, quos jam fundamentales errores volunt.

Verùm quàm turpis & frivola hæc sit evasio nemo non videt, primo, quòd enim SS. Patres illos articulos constanter docuerint tanquam articulos Fidei, inde patet, quod judicarint alios contrarium docentes fuisse Hæreticos. 2. quod etiam II.

Digitized by Google

etiam universalis Ecclesia sic senserit, inde patet, quia non possumus cognoscere, quid Ecclesia antiqua in rebus Fidei crediderit, nisi ex libris SS. Patrum, atqui SS. Patres, qui de illis articulis scripserunt, tanquam manifestas in tota Ecclesia hæreses retulerunt, nec potest ostendi ullus S. Pater, qui contradixerit, vel negarit tales articulos Hæreticos esse, ut patet *ex Irenæo, Tertulliano, Epiphanio, Hieronymo, Augustino, Theodoreto, & Damasceno*, qui de hæresibus antiquis catalogos, vel alias historias tradiderunt; quâ fronte igitur Acatholici contrarium dicunt? vel SS. Patres potiùs quàm notorios Hæreticos in illis errasse asserere non verentur? quod vel Calvini sectatores maximè confundere deberet, cùm ipse lib. 3. Inst. c. 3. §. 10. dicat: *Ab uno Augustino sumant Lectores, si quid de sensu antiquitatis habere volunt*, &c. cùm itaque Augustinus præmissa antiquorum hæresiarcharum dogmata, ut expressas & damnatas hæreses retulerit, id ex totius antiquæ Ecclesiæ sensu habuisse dubitare non debent.

III. Vbi demum hoc notandum est, quod moderni Acatholici diversos quidem errores cum diversis antiquis Hæreticis communes habeant, ita tamen, ut in quibusdam ab illis singulis dissentiant, & eosdem veros Hæreticos fuisse fateri debeant, ac sic manifestiùs constet, quod, licèt aliqui eorum errores olim in primitiva Ecclesia docti fuerint, in quibus jam ab Ecclesia Catholica Romana dissentiunt, illi tamen à SS. Patribus & Ecclesia antiqua damnati, & ab illis, qui Hæretici fuerunt, etiam juxta eorum confessionem docti fuerint, quos omnes cùm ipsi in unam massam collegerunt, non nisi colluviem omnium hæresum justè vocare possimus, & jure merito de his dicatur, quod Calvinus in instructione contra Anabaptistas de illis dixit, scilicet: *Ista colluvies ab aliis Hæreticorum sectis quæ in primitiva & sequenti Ecclesia fuerunt, in eo differunt, quod non tantum in certis rebus errent, sicut illi, sed sit immensum quoddam stupendum delirium & errorum mare*, &c. Vtinam Acatholici se tam turpi & horrendo mari immersos agnoscerent, & ad navim Petri refugerent, ut salvarentur.

CONCLVSIO.

IV. EX hactenus allegatis fundamentis quilibet sincerus Lector luce meridianâ clariùs videre potest, quod nullus modernorum Acathotholicorum cœtuum ullo modo sit & dici possit vera Christi Ecclesia.

Primò, quia non *habent unitatem doctrinæ* cum aliis, nec inter se ipsos, cum in tot frusta singulæ tam Anabaptistarum, quàm Lutheranorum, & Calvinistarum sectæ divisæ sint.

2. quod *nec ipsorum cœtus sanctitatem doctrinæ* habeant, cùm plurima indecentia & absurda docentes, nec ullis veris miraculis ipsorum doctrina vel præsumpta vocatio aut missio probata fuerit, quin potiùs dum miracula falsa attentant, confusiones horribiles causant.

3. quod nec *Catholicæ Ecclesiæ* titulum vel apud suos habeant, nec rem Catholicæ seu universalis Ecclesiæ per totum orbem diffusæ, nec ante Lutherum ostendere possint ullum fuisse in mundo cœtum, qui doctrinam Anabaptistarum, Lutheranorum, vel Calvinistarum in omnibus illis articulis, in quibus à Catholica Ecclesia dissentiunt, docuerint, prout juxta promissionem Christi & verba Apostoli Ecclesia vera semper usque ad finem mundi manifesta esse, & in illa Doctores manifesti constare debent qui Fidem veram prædicent.

4. Demum quod nullatenus cœtus aliquis illorum esse vel dici possit *apostolica ecclesia*, ad quam spectat, ut doctrinam ab Apostolis prædicatam & traditam juxta sensum & interpretationem Ecclesiæ veræ primitivæ teneat, & doceat, cùm alioquin nulla unquam fuerit adeò turpis & falsa secta ac hæresis, quæ non allegarit nudam S. scripturam vel apostolicam doctrinam se habere. V.

5. Constat autem modernos omnes Acatholicos diversos errores mordicus docere, ut Fidei fundamentales, qui ab Ecclesia primitiva hæreseos damnati fuerunt, quosque antiqui Hæretici contra Ecclesiam primitivam docuerunt, quos ipsimet moderni Acatholici ob alios errores verè Hæreticos fuisse fatentur. Pudor igitur & extrema insania est illorum, qui jactitare non verentur quod ipsi puram primitivæ & apostolicæ Ecclesiæ doctrinam per mille & ultra annos hominibus incognitam, & soli Deo notam produxerint, contra expressum Christi verbum, quod portæ inferi nunquam adversus Ecclesiam prævalebunt Matt. 16. v. 18. Verè autem pseudoprophetæ Altare falsum & idololatricum contra verum Christi Altare erigere conati sunt, impiè & sacrilegè sese ab unione Ecclesiæ separando veram Babylonicam dogmatum confusionem introducendo, & falsò prophetando, quod vera Ecclesia Christi, quæ est Romana Ecclesia, ut jam specialiter ostendetur, subito extinguenda foret.

***

LIBER

Digitized by Google

LIBER V.

De Ecclesia Romana & ejusdem summo Pontifice.

EX hactenus Tractatis probari posset sufficienter quod *Ecclesia Romana* sit vera Christi Ecclesia; cùm certum sit: quod vera Ecclesia Christi usque ad finem mundi sit duratura; ostensum autem fuit, quod nullus illorum cætuum, qui *vel in Oriente, vel Occidente & Septentrione* ab Ecclesia Romana divisi Christianos sese profitentur, veræ Ecclesiæ juxta S. scripturæ Notas, rationem habeant: adeoque restet sola Ecclesia Romana; nihilominus etiam positivè eadem veritas ostendetur.

In hoc itaque libro demonstrabitur, quod Ecclesia Romana moderna sit vera Christi Ecclesia; ac primò proponetur & refutabitur calumnia Acatholicorum contra Ecclesiam Romanam. 2. positivè veritas de Romana Ecclesia probabitur. 3. de Romano Pontifice Petri successore. 4. Acatholicorum argumenta refutabuntur.

CAPUT I.

De calumniis Acatholicorum contra Ecclesiam Romanam ejusque Pontificem.

ARTICULUS I.

Proponitur status quæstionis de Ecclesia Romana.

I. SCiendum imprimis est, quod *duplici modo Ecclesia Romana* intelligi possit, semel: prout est una particularis Ecclesia fidelium in urbe Romana vel Romana diœcesi manentium, & distinguitur ab aliis particularibus Ecclesiis per Italiam, Galliam, Hispaniam, Germaniam, ac reliquum terrarum orbem constitutis. Secundo modo intelligitur de omnibus fidelibus sub diversis particularibus Episcopis, qui per totum orbem doctrinam eandem profitentur, quam Episcopus Romanus & Ecclesia particularis Romana: & sic in Fide & Sacramentis communionem cum Romana Ecclesia habeant: ita tamen, ut Romana sit aliarum Ecclesiarum Mater, & Episcopus Romanus totius universalis Ecclesiæ Pastor & Rector: quæ in sequentibus demonstrabuntur.

II. Primitiva autem quæstio est de Ecclesia Romana secundo modo sumpta, quæ verè universalis est, & absque omni controversia à Catholicis omnibus agnoscitur vera Christi Ecclesia; quæ in fide errare non possit; quod ipsum etiam probabilissimum est de Ecclesia particulari Romana, quamdiu Petri successores illius Episcopi sunt, licèt non sit certum de Fide, valde probabiliter tamen ex S. scriptura & SS. Patribus demonstratur, ut infra patebit: Hic de Ecclesia universali per totum mundum dispersa, & cum Ecclesia Romana sub Episcopo Romano in Fide communicante agetur.

III. Sciendum secundò quod Acatholici convicti authoritate S. scripturæ & SS. Patrum testimoniis fateantur Ecclesiam Romanam habuisse veram Christi Fidem tempore Apostolorum, ut patet ex epist. ad Rom. 1. v. 8. *Fides vestra annunciatur in universo mundo*, & hanc Fidem retinuisse per aliquot sequentia secula; sed falsissimè asserere audent, quod ab illa fide postea defecerit; in quo tamen probando, tam ex S. scriptura, quàm ex historiis, aut ulla ratione prorsus ipsi deficiunt, sola figmenta & mendacia afferentes: ut statim patebit.

ARTICULUS II.

Referuntur calumniæ Acatholicorum contrà Romanam Ecclesiam, quasi à fide vera defecisset.

CVm nimis certum & clarum sit ex S. scriptura, quod Ecclesia Christi vera sit unica; ac proinde, quod ii, qui ab illa dissentiunt & separantur, nullo modo Christi veræ Ecclesiæ membra sint; ideo omnes quotquot unquam exorti sunt hæresiarchæ, ut suam sectam pro vera Christi Ecclesia venditarent, statim Ecclesiam Christi veram accusare cœperunt, quod à vera Christi doctrina defecisset; & ideo ipsi ut Reformatores Ecclesiam restaurarint; unde consequenter variis modis in veram Christi Ecclesiam debachati sunt; & quia Romanæ urbis Episcopus verus S. Petri successor in primitiva Ecclesia habebatur, cui in S. Petro Christus Ecclesiam commendasset, & ab illo tam SS. Patres, quàm Concilia in Fidei controversiis ultimatam sententiam expectabant, ut infra patebit; ideo ante omnia contra Episcopum Romanum & Ecclesiam Romanam insurgebant, illam Apostasiæ damnantes, & *sedem S. Petri, cathedram pestilentiæ nominantes*, ut de Donatistis testatur August. lib. 2. contra Petilian. Cap. 51. I.

Hæc itaque de causa etiam moderni Acatholici & eorum Authores statim à principio specialiter in Ecclesiam Romanam invecti sunt, illam Babylonicam meretricem esse calumniantes. Sic *Wicleff* art. 3. inter damnatos in Concilio Constantiensi, sic *Lutherus* in assertione art. 28. & 36. & illius sectatores. Idem Lutherus in lib. supputatione temporum, specificat duo tempora quibus Pontifex Romanus factus sit II.

Digitized by Google

Antichristus: primum dicit fuisse ann. 600. quando *Phocas* Papam constituit Ecclesiæ caput, & dedit illi gladium spiritualem: Alterum circa annum 1000. quando accepit gladium temporalem, sed hæc omnia falsa & ficta esse constat, ut infrà demonstrabitur.

Calvinus lib. 4. Inst. cap. 7. §. 23. dicit: *Negamus esse Romæ ecclesiam, quum negemus esse episcopum, qui hac dignitatis privilegia sustineat.* & §. 24. *Num illic erit sedes Apostolica, ubi nihil cernimus, nisi horrendam Apostasiam? fuerit sane olim Roma omnium Ecclesiarum Mater, verum ex quo Antichristi sedes fieri cœpit, desiit esse quod erat.* & §. 25. *videmur nonnullis nimis maledici ac petulantes, quum Romanum Pontificem vocemus Antichristum*, &c.

III. Iste tamen verè maledicus progreditur dicens §. 27. *Satis scitur quales reperturi sumus Christi vicarios scilicet, Julius Leo, Clemens & Paulus Christianæ fidei columnæ erant, primiq; Religionis interpretes, qui nihil aliud de Christo tenuerunt, nisi quod didicerunt in schola Luciani*, &c. *sed quid tres vel quatuor pontifices enumero, quasi vero dubium sit, qualem religionis speciem professi sint, jam pridem Pontifices cum toto Cardinalium collegio, & hodie profitentur. Primum enim arcana illius Theologiæ, quæ inter eos regnat, caput est, nullum esse Deum: Alterum quæcunq; de Christo scripta sunt & docentur, mendacia esse & imposturas. Tertium doctrinam de futura vita ac ultima resurrectione, meras esse fabulas*, &c. hæc ille: prô pudor! quàm crassæ & insolentes ac detestandæ sunt hæ calumniæ ac contumeliæ non nisi ex Diabolo procedentes: cùm nimis clarè pateat contrarium; nec impius Calvinus ullo modo probet, & in sequenti §. fateatur illa impia nullis scriptis vel Concionibus publicata esse: unde ergo ille hæc Ecclesiæ Romanæ affingit? unde probat? & tamen tam impium mendacem & calumniatorem tot Acatholici imitantur:

IV. Intolerabilis calumnia esset, si quis uni privatæ personæ tam execranda sine probatione imponeret: sed quid intolerabilius & detestabilius quàm talia non solùm peccata, sed dogmata omnibus quibuscunque Romanis Pontificibus, Cardinalibus, imo toti Ecclesiæ Romanæ affingere? verùm in Calvino mirum non est; qui Deum ipsum opt. max. peccatorum authorem, & Christum Dominum ab oratione in horto, usque ad mortem in cruce, damnatorum desperationem subiisse, blasphemè scribere non est veritus. Quid ergo non scriberet de servis Dei & Domesticis ejus?

ARTICULUS III.

Diversitas sententiarum quibus Acatholici fingunt Ecclesiam Romanam à fide vera defecisse.

I. QVamvis Acatholici ut suas hæreses excusent, defectionis Romanam Ecclesiam accusent: non tamen inter se conveniunt, quando defecerit; prout mendacibus contingere solet. Anabaptistæ dicti Enthusiastæ, ut refert Bullingerus lib. 2. contra Anabapt. cap. 10. asserere non verebantur, quod statim post tempora Apostolorum periisset doctrina apostolica, verbum Dei non esset purè traditum, oppressa esset vera Ecclesia & Antichristus regnasset, &c. quod quàm impium sit, nemo non videt; si consideret verba Christi, quod adversus Ecclesiam portæ inferi non prævalebunt; & quid sit totam antiquitatem sic Apostasiæ damnare.

Alii Acatholici erubescentes tantam absurditatem fatentur quod Ecclesia non solùm universalis, sed etiam Romana per aliquot secula manserit vera & pura Christi Ecclesia; sed postea defecisse cum tempore illam volunt.

Calvinus lib. 4. Inst. cap. 7. §. 3. sic ait: *Certe quam diu durauit Ecclesiæ pura & vera facies, ista omnia superbiæ nomina quibus insolescere postea cœpit Romana sedes, prorsus erant inaudita quod esset summus Pontifex, & unicum Ecclesiæ in terris caput nesciebatur*, sed quàm falsò hæc dicat infrà patebit, & §. 4. *de titulo*, inquit, *universalis episcopi Gregorii demum tempore exorta est contentio.*

Similiter lib. 4. cap. 9. §. 8. dicit: *Priscas Synodos ut Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam & Chalcedonensem & similes, quæ confutandis erroribus habitæ sunt libenter amplectimur reveremurq; ut sacrosanctas, &c.* ubi tamen caudam addit, dicens: *Quantum attinet ad fidei dogmata*, &c. sciens quod plura ab illis Conciliis decreta erant ipsi contraria. II.

Similiter in epist. ad Sadoletum protestatur dicens: *Omnes suos conatus eo tendere, ut restituat illam Ecclesiæ faciem, quæ fuit apud Græcos tempore Chrysostomi, & Basilii, & apud Latinos tempore Cypriani, Ambrosii, Augustini, &c.* vixit autem Augustinus adhuc ann. 430. & Concilium Chalcedonense celebratum est circa ann. 450.

Hic sincerus Lector notet qualiter Calvinus sub ovina pelle verus lupus ovile Christi turbare & oves perdere intenderit; volens videri; quod doctrinam illorum SS. Patrum & mores Ecclesiæ quasi postea perditos restituere intenderit. Cur ergo doctrinam de *Sacrificio & Eucharistia, de invocatione Sanctorum, de purgatorio*, &c. tam clarè ab illis Patribus traditam non observavit? cur illam idololatriæ & hæreseos damnavit? *Cur Monachismum & virginitatem perpetuo Deo consecratam* adeo execratus est, quæ tantopere ab illis SS. Patribus juxta S. Scripturam sunt commendata & usurpata? ut suis locis patebit.

Illyricus in Catalogo testium vult Antichristum venisse, cùm Romanum imperium inclinare cœperit in ruinam, scilicet; cùm Roma primò à Gothis capta fuit circa An. 412. distinguit tamen tria tempora: Primum, in quo Antichristus conceptus fuit, scilicet anno 412. deinde quando in utero formatus circa annum 500. demum 3. quando natus circa ann. 600. & ecce fictiones sine probatione. III.

David Chytræus in cap. 9. Apocal. vult Antichristum prodiisse anno 600. & quidem S. Gregorium unum fuisse ac pessimum; cùm tamen etiam alii Acatholici ipsum sanctissimum profiteantur, ut *Zanchius* infrà, *&c.*

Bullingerus de origine cultûs divorum cap. 19. fatetur quod primis quingentis & sexcentis & amplius annis vera Orientis & Occidentalis Ecclesia fuerit: sed mentitur, quod tunc Sancti non fuerint invocati, &c. Idem in Apocal. serm. 58. ad vers. 11. cap. 13. Bestiam secundam, quam S. Joannes de terra ascendentem vidit, exponit papatum IV.

Aa & An-

& Antichristianismum, & hunc prodiisse dicit; cùm, ut fingit, Bonifacius tertius circa An. 605. à Phoca impetravit, ut pro universali Episcopo & Roma pro Ecclesiarum capite habeteretur, &c. quæ tamen omnia falsissima sunt.

His locis Bullingerus secutus est Lutherum & alios suprà allegatos. Verùm idem in præfat. ad Apocal. dicit ortum Antichristi contigisse circa An. 763. & ecce constantiam in mendaciis.

V. *Hieronymus Zanchius* in præfat. librorum de natura Dei sic ait: *Quanta fuerit lux Ecclesiæ Romanæ jam inde ab Apostolis; quorum opera ædificata fuit, usq; ad tempora Gregorii primi, nemo est qui nesciat.* Ecce testimonium adversariorum; sed statim subjungit: *Tametsi enim post 32. illos celeberrimos Romanæ Ecclesiæ Episcopos, qui pro asserenda Evangelii veritate varia subiere tormenta, moriq; non dubitarunt per annos nimirum à recepto Romæ Evangelio supra trecentos & triginta, nonnulli errores & non paucæ superstitiones jam irrepserant paulatim in Ecclesiam Christi; status tamen Ecclesiæ talis erat, quemadmodum ex Registro Gregorii apparet, &c. respondebat enim adhuc in ea, aliisq; per Italiam Ecclesiis lux tum cœlestis doctrinæ, tum sanctitatis vitæ, Christianaq; disciplinæ. Gregorius certe vir fuit sanctissimus, &c.* hæc ille, adeoque sentit Ecclesiam Romanam veram fuisse ann. 600. quo S. Gregorius sedit.

Huic aliqualiter consentit Antonius Sadeel, qui in tractatu de legitima Ministrorum vocatione fatetur; Ecclesiam tempore S. Augustini fuisse veram, quæ doctrinæ puritatem ab Apostolis acceptam constanter retinuerit, & hanc Manichæis & Donatistis ab Augustino quoad successionem esse oppositam: addit tamen; *Veteres etsi nævis non caruerunt, præcipua tamen fidei capita ab Apostolis tradita servarunt,* &c.

VI. Demum in refutat. Assert. Posnan. cap. 6. dicit: *Si quis temporum rationem rectè subduxerit, comperiet circiter prorsus idem tempus Romani Pontificis tyrannidem in Occidente planè erupisse, quo in Oriente Mahumetes à Sergio Monacho edoctus & exortus est, &c.* scilicet circa An. 628.

Wittakerus de Ecclesia quæstione 3. cap. 1. dicit: *Aliud est Ecclesiam in aliquibus rebus errasse, aliud defecisse, &c.* Item quæstione 5. cap. 4. *Licet*, inquit, *non ante Gregorii tempora tamen postea interruptam fuisse in illorum Ecclesia doctrinæ successionem constat,* & cap. 5. *Tempore Gregorii Ecclesia quidem mutata fuit, & multis erroribus implicata, Ecclesia tamen erat; quia fundamentum tenebat, quod adhuc salvum manebat, &c.* hæc ille, quæ sine vera ratione pro sua authoritate asserit, ut patet.

Philippus Mornæus in præfat. sui mysterii iniquitatis ait: *Fuit & Romana olim casta, sponsæ pars non minima; dum sponsi voci adhæret, & alienum aversatur, &c.* & infrà: *Nostra illa est Ecclesia, &c. ut nobis longe æquius regerere vobis liceat; totis illis sexcentis annis vestra Ecclesia ubinam gentium (& sane gentium) pascebat, vegetebat, &c.* hæc ille.

Ecce supinam hominis impudentiam; sibi suisque asscribentis Ecclesiam Romanam primis sexcentis annis; à qua tamen tot modis in fundamentalibus dissident, ut suprà lib. præced. ostensum est!

Rudolphus Hospinianus de origine Monachatûs in Epistola dedicatoria comparat regnum Christi cum regnis mundi, quæ suas habent periodos, & dicit: quod *Ecclesia tempore Constantini ad summam perfectionem pervenerit; postea omnia degenerare & ruere cœperint;* & licèt postea illustres Doctores fuerint; omnes tamen propè à puritate & simplicitate doctrinæ Apostolicæ aliquantulum recesserint, & infrà: *Antichristus jam antea conceptus nunc vitam & incrementa sub Gregorio Magno in utero Ecclesiæ accepit, post mortem autem Gregorii statim in lucem editur, &c.* hæc ibi. VII.

Idem in epist. dedicat. ad Fridericum IV. Electorem Palatinum quam Tractatui de origine Templorum præmisit; cùm multa de varietate statûs Ecclesiæ pro suo arbitrio, ut putabat, ex Apocalypsi dixisset, tandem subjungit; quod circa *tempora Caroli Magni*, scilicet Anno 800. *doctrina sana in præcipuis capitibus integra, pura, & incorrupta mansit, quæ demum appropinquante fatali periodo mille annorum, paulatim non tantum in Tigurina Ecclesia, sed etiam in omnibus totius orbis Christiani Ecclesiis horribiliter obscurari cœpit, &c.* hæc ille. Vbi patet, quod pro suo placito usque ad annum 1000. Ecclesiam veram substitisse dicat, quod postea defecerit, ex fatali necessitate more regnorum mundi probat: quàm turpe illud est contra Christi promissionem, qui suam Ecclesiam semper manifestam, ut in monte civitatem futuram promisit.

Verùm longè turpiùs processit *Thomas Brigtmannus*, qui vult quod Ecclesia planè submersa & errorum tenebris involuta fuerit circa Annum 330. sic in Synopsi Apocal. Cap. 11. scribens: *Ecclesia à temporibus Constantini per mille ducentos sexaginta annos abscondita fuit in latibulo templi.* Iterum cap. 14. *Per mille annos à Constantino, versante Ecclesia in abditissimis latebris fuit una cum Christo; sed nihil magni nominis gerebat apud mundum. Finitis mille annis Wicleffus annuntiat Evangelium terris, &c.* hæc ille. VIII.

Juxta horum opiniones vel potius deliria Ecclesia Christi vera defecit à tempore Constantini, ac proinde Concilia 4^or generalia *Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum & Chalcedonense*, omnesque sancti Patres *Athanasius, Basilius, Ambrosius, Hilarius, Martinus, Augustinus, Chrysostomus*, &c. omnes fuissent falsi Doctores & Hæretici; quid superbiùs, ac falsiùs, quidve turpius dici potest? quod ipsum nec Calvinus, nec alii dicere ausi fuerunt; ecce quo cæca vergit calumniandi libido.

Sunt & alia aliorum deliria quæ pro libitu suo ex Apocalypsi somniant de adventu Antichristi, quæ à DD. Catholicis, & specialiter Bellarmino lib. 3. de Pontifice cap. 3. solidissimè refutantur. IX.

Et qui-

Digitized by Google

Et quidem ex tot & tam diversis Acatholicorum opinionibus circa defectionis Ecclesiæ Romanæ tempora ipsorum falsitas, & mendacium, & Ecclesiæ veræ Christi innocentia probatur: sicut enim duo illi senes nebulones Daniel. 13. pudicissimam Susannam falsò accusantes in examine diversa criminis patrati loca allegantes deprehensi, justè damnati sunt, & castæ Susannæ innocentia declarata est; ita & multò magis malitia Acatholicorum, & innocentia Ecclesiæ Romanæ Christi pudicissimæ & castissimæ sponsæ, vel ex tanta dissensione de tam diversis tot seculorum temporibus, quibus Apostasiam incurrisse criminantur, manifestatur.

ARTICULUS IV.

De Antichristo.

I. VT Acatholici sua mendacia, calumnias & fictiones colorare possint, Antichristum volunt non unum certum esse hominem; de quo S. scriptura prædixit; sed fore integrum regnum falsorum Doctorum, qui in Templo Dei, id est, in Ecclesia Dei præsidentes, in urbe magna, id est, Romana civitate operâ diaboli regnent, &c. quorum primarii sint Pontifices Romani: *Ita Magdeburgenses* cent. 1. lib. 2.

Similiter *Calvinus* vult scribens in cap. 2. primæ Joannis & lib. 4. Inst. cap. 7. *&c.*

II. Verùm etsi certum sit, quod S. scriptura subinde omnes vocet Antichristos, qui Christo sese opponunt, vel illius Fidei adversantur; ut patet ex illo 1. Joan. 2. v. 18. *Audistis, quia Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt, &c.* & infrà v. 22. *Quis est mendax, nisi is qui negat quoniam Jesus est Christus? Hic est Antichristus, qui negat patrem & Filium, &c.* Sic omnes Ethnici, Judæi & Hæretici sunt Antichristi: Constat tamen ex eisdem Joannis verbis, quod unus certus Antichristus venturus sit, qui illa faciet, quæ Apostolus 2. ad Thessal. 2. indicat: ubi manifestè declarat, quod ille tempore Apostolorum nondum venerat, cùm dicit: *Rogamus, ut non cito moveamini,* &c. *quasi instet dies Domini: Ne quis vos seducat ullo modo, quoniam nisi venerit discessio primùm, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur,* &c.

Hoc etiam constat ex illo Joann. 5. v. 43. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me, si alius venerit in nomine suo, illum accipietis, &c.* Hoc loco Christum locutum esse de vero Antichristo unico homine, patet ex textu; cùm Christus de se uno loquens, alterum sibi specialiter opponat, quem Judæi recepturi sint: & hoc ipsum docent omnes sancti Patres explicantes illa Christi verba, ut *Cyrillus & Chrysostomus, &c.* similiter *Ambrosius* explicans verba Apostoli 2. Thessal. 2. *Augustinus* tract. 29. in Joann. *&c.* alii.

Similiter SS. Patres in Apocalypsin docent, quod c. 13. & 17. intelligantur de uno certo homine, cujus regnum sit duraturum tribus annis, & medio; ut colligitur ex illo Apocal. 11. v. 3. ubi dicitur: *Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, &c.* quæ faciunt tres annos & medium. Et sic etiam intellexerunt omnes SS. Patres, dum Antichristi mentionem faciunt; quod futurus sit certus homo qui in fine mundi se exaltabit operâ diaboli, & grandia à Dan. cap. 7. *&c.* ac à Joanne Apocal. cap. 13. prophetata patraturus sit: Sufficiat unicus *Augustinus*, lib. 10. de Civ. cap. 8. ubi de solutione diaboli loquens ostendit, quod diabolus alligandus sit mille annis, quibus non possit plenè nocere vocatis dicens: *Quod si permitteretur in terra longo tempore, & tanta infirmitate multorum plurimos tales, quales Deus id perpeti non vult, ut fideles dejiceret, & ne crederent, impediret; quod ne faceret alligatus est. Tunc autem solvetur, quando & breve tempus erit, nam tribus annis & sex mensibus totis suis, suorumq; viribus sæviturus, & tales erunt, cum quibus ei belligerandum est, ut vinci tanto ejus impetu insidiisq; non possint, &c.* hæc ibi. Vbi notandum est contra Acatholicos, quod tempore Antichristi erunt plurimi fideles, qui constanter se illi opponent; quod si tempus Antichristi durasset à tempore Gregorii Magni, ut ipsi volunt, utique toto illo tempore demonstrari possent plurimi, qui doctrinam Acatholicorum contra Romanos Pontifices defendissent, *&c.* Cæterùm S. Augustinus ibid. cum cap. 12. de Antichristo dixisset, quod in *fine mundi illum Christus spiritu oris sui interficiet*; subdit cap. 13. dicens: *Hæc persecutio novissima, quæ futura est ab Antichristo, sicut jam diximus, quæ & in hoc libro superius, & apud Danielem prophetam posita est, tribus annis & sex mensibus erit, &c.* hæc Augustinus, qui ea, ut ex S. scriptura certa, & à tota Ecclesia credita esse; supponit.

IV. Vnde patet Acatholicorum de Romana Ecclesia, quasi meretrice, & Pontifice, quasi Antichristo, planè conficta esse, contra omnem S. scripturæ authoritatem & sanctorum Patrum unanimem consensum; quæ autem ipsi in contrarium adducunt respondendo ad argumenta trium Anonymorum Authorum refutabuntur. Jam demonstrandum est, quod Ecclesiæ Romanæ omnes & singulæ, veræ Ecclesiæ Notæ conveniant.

***

Digitized by Google

CAPUT II.

Quod Ecclesiæ Romanæ modernæ omnes veræ Christi Ecclesiæ Notæ competant.

ARTICULUS I.

Quòd Ecclesiæ Romanæ unitas veræ Ecclesiæ conveniat.

I. OStensum est suprà lib. 3. quod *unitas Ecclesiæ* triplex sit: Prima, quod omnia Ecclesiæ membra in doctrina fidei planè consentiant, in quocunque orbis loco morentur. 2. quod inter se charitatis & Sacramentorum communionem; & 3. obedientiam ad verum visibilem à Christo constitutum Pastorem habeant, & agnoscant. Hanc unitatem esse in Ecclesia Romana moderna patet; quia omnes ubique Catholici, eandem fidei professionem edunt; quæ authoritate *Concilii Tridentini* renovata est, & à Spiritu Sancto procedit, qui est author veritatis & unitatis, Ecclesiam regens per Episcopos & Pastores; & Christus Dominus modum unitatis conservandæ præscripsit, ut si quid in fide dubium moveatur, idipsum Ecclesiæ dicatur Matt. 18. v. 17. *Et si quis illam non audierit,* ab Ecclesia ejectus *sit Ethnicus & publicanus.* Hoc ipsum Apostoli Act. 15. practicarunt, sicut deinceps Ecclesia in *Conciliis generalibus* congregata usurpare non cessavit, ut evidentissimum est; quod D. Augustinus contra varias Philosophorum & Hæreticorum sectas observavit lib. 18. de Civ. Dei cap. 41. dicens de Philosophis: *Has & alias innumerabiles dissensiones philosophorum quis unquam populus, quis senatus impiæ civitatis dijudicandas, &c. curavit? ac non passim sine ullo judicio confusèq; habuit in gremio suo tot controversias hominum discordantium non de agris, &c. sed de his rebus, quibus aut misere, aut beate vivitur? ubi etsi aliqua vera dicebantur, eâdem & falsa prorsus licentia dicebantur, ut non frustra talis civitas mysticum vocabulum Babylonis acceperit. Babylon quippe interpretatur confusio, nec interest diaboli Regis ejus, quam contrariis inter se rixentur erroribus, quos merito multa variaq; impietatis pariter possidet,* &c. hæc Aug.

Quis non videt eadem fieri in Acatholicorum cætibus, ubi tot dissensiones quas componere non possunt juxta illorum principia; dum non solùm cuilibet Principi in suo dominio, sed etiam dum cuilibet privato de fide judicium ultimatum attribuunt? & sic inter se caudis velut vulpes Samsonis cohærent impugnando Ecclesiam Catholicam, sed capitibus opinionum longè disjuncti.

II. Alia sanctæ Ecclesiæ est forma, quam Deus contra Diaboli conatus conservat, ut ait Aug. suprà lib. 18 cap. 5. dicens: *Videns autem diabolus templa dæmonum deseri, & in nomen liberatoris mediatoris currere genus humanum; Hæreticos movit; qui sub vocabulo doctrinæ insisterent Christiana; quasi possent indifferenter sine ulla correptione haberi in civitate Dei, sicut civitas confusionis indifferenter habuit philosophos inter se diversa & adversa sentientes. Qui ergo in Ecclesia Christi morbidum aliquid pravumq; sapiunt, si correpti, ut sanum rectumq; sapiant, resistunt contumaciter, suaq; pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, Hæretici sunt: & foras exeuntes habentur in exercentibus inimicis,* &c. hæc August. scilicet de Hæreticis qui Catholicos in patientia exercent, & in fide excitant ipsis resistendo, ut ibidem prosequitur.

Ex his patet, quàm falsò Acatholici Ecclesiæ Romanæ nomen Babylonis affingant: ubi est summa doctrinæ consensio, nec permittitur ulla dissensio; cùm potiùs ipsorum Acatholicorum cætus verè sint Babylonici & confusi in dogmatibus; ut suprà abunde ostensum est.

Frivola autem est Calvini objectio lib. 4. Instit. cap. 13. §. 14. ubi de statibus Monachorum in Ecclesia, qui in monasteriis separati à secularibus vivunt, sic dicit: *Quid est Ecclesiæ communionem dissipare, si hoc non est? quid simile habent hac in parte cum veteribus Monachis? illi tametsi separatim ab aliis habitabant, non tamen habebant separatam Ecclesiam. Sacramenta participabant cum aliis, ad solennes conventus se sistebant, illic pars plebis erant. Isti privatum altare sibi erigendo, quid aliud, quàm vinculum unitatis abrumpunt? nam se ab universo Ecclesiæ corpore separarunt, & ordinum ministerium contempserunt, quo pacem & charitatem voluit Dominus inter suos conservari. Itaq; quot sunt hodie monasteria, tot esse dico schismaticorum conventicula,* &c. *& ne obscura esset ista discessio, varia factionum nomina sibi induderunt: Nec ipsos puduit in eo gloriari, quod sic execratur Paulus, ut satis exaggerare non possit.* 1. Cor. 1. v. 12. *nisi forte Christum fuisse à Corinthiis arbitremur, quorum alius alio doctore superbiret, & nunc sine ulla Christi injuria fieri, quod pro Christianis alios Benedictinos, alios Franciscanos, alios Dominicanos vocari audimus,* &c. hæc Calvinus. III.

Respondetur: Quod si Calvinus loco Monachorum posuisset suos & Lutheri sectatores, verissimè dixisset; illi enim verè per falsam doctrinam in fide & moribus, ac crassam contra Pastores Ecclesiæ inobedientiam sese ab unitate Ecclesiæ separantes, privatum sibi Altare erexerunt; imo omne altare Ecclesiæ Christi destruxerunt, pacem & charitatem ruperunt, & ministeria ordinaria Episcoporum & Pastorum sustulerunt. Quid his evidentius? suo ergo ore schismatici sunt, Calvinus, & ipsius sectatores.

Quod ad Monachorum statum attinet, clarum est; quod ipsi ejusdem prorsus sint fidei cum aliis fidelibus; quod pacem & charitatem servent cum fidelibus, ac promoveant; quod IV.

Pasto-

Pastores Ecclesiæ honorent, iisque obediant, iisdem Sacramentis utantur, &c. sed quòd in diversis locis habitent, vel officia divina eadem de consensu Ecclesiæ celebrent; quæ hîc defectio? ubi pacis dissolutio, vel erectio Altaris contra altare? quasi vero in uno eodemque materiali templo omnes totius Ecclesiæ fideles convenire debeant, nisi Schismatici esse velint? quàm hoc absurdum & miserum est; an Acatholici omnes in unico loco conveniunt pro suis exercitiis? Quòd autem Prophetæ arguebant alios; qui aliud altare contra Altare erigebant, vel multiplicabant, inde erat; quia in veteri lege unicum erat constitutum in Jerusalem Altare, ubi sacrificandum erat, & quia *Ieroboam* aliud erigebat contrariando altari in Jerusalem, ideo pessimè agebat. Nunc autem de nova lege Malachias 1. v. 11. prædixit: *In omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*, &c. & hoc est unicum altare per totum mundum, licèt materialiter plura sint. Illi autem aliud erigunt, qui altare Ecclesiæ prophanum judicant, & abominantur.

Falsissimum autem est, quòd Monachi moderni separati sint ab Ecclesia plus, quàm antiqui, cùm servent easdem Regulas à S. *Basilio*, *Augustino*, &c. institutas. Constat etiam, quòd antiqui in suis monasteriis habuerint sacerdotes ab Episcopis ordinatos, qui ipsis Sacramenta administrabant; ut testatur *Cassianus* Collat. 18. & patet ex *Epiphanio* qui in epist. ad Joannem Hierosolymitanum scribit, *quod in monasterio S. Hieronymi Paulinianum in presbyterum ordinasset, qui ibidem cæteris Monachis Sacramenta conficeret, & administraret, eo quod S. Hieronymus præ humilitate altaris sacrificia offerre non auderet*, &c.

V. Eadem constant ex aliis SS. Patribus. Nimis ergo frivola est hæc Calvini calumnia potiùs, quàm objectio: Ex quo tamen patet, quòd nullam veram in Ecclesia reperire potuerit dissensionem, quæ unitati Ecclesiæ repugnaret.

Quid autem in Ecclesia sit Altare contra Altare erigere, declarat S. Cyprianus epist. 40. ubi dicit: *Deus unus est, & Christus unus, & una Ecclesia, & cathedra una supra petrum Domini voce fundata: aliud Altare constitui, aut novum constitui sacerdotium, præter unum Altare, & unum sacerdotium non potest*, &c. hæc ille. Calvinus igitur & sui similes aliud altare constituunt, qui cathedram super petram fundatam impugnant, &c.

Quòd autem Calvinus criminetur de diversis Ordinum nominibus, quasi illos non illius puderet, quod Paulus 1. Cor. 1. v. 12. in Corinthiis tantopere culpavit, *dum unus dicitur Pauli, alius Cephæ*, &c. *quasi divisus esset Christus*: hos Paulus optimè reprehendit, ubi aliqui se aliam doctrinam habere putabant meliorem, & Sacramenta sanctiora, qui à diversis baptizati, & docti essent; hoc non est in Monachis diversorum Ordinum, qui eandem doctrinam à S. Ecclesia habent; eandem obedientiam S. Ecclesiæ præstant; eadem Sacramenta usurpant, non adherentes aliam doctrinam, vel Sacramenta ob diversos patronos, sed Benedictini, Dominicani, Franciscani, Augustiniani dicuntur solùm ob certas & speciales diversas Regulas strictiùs vivendi, & Deo serviendi ultra communia Dei & Ecclesiæ præcepta, juxta illud Christi: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, & veni sequere me*. Matth. 19. v. 21. Omnes juxta Fidem & doctrinam Christiani, & Catholici sunt, & vocantur; sed ob diversos quosdam vivendi modos distinguuntur; qui nullo modo Ecclesiæ unitatem tollunt, sed conservant & exornant juxta illud ps. 44. v. 11. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate*. Ubi per vestitum unicum deauratum intelligitur eadem Fides, & doctrina, ac charitas; per varietatem autem diversi colores diversorum statuum, & vivendi modi in unione charitatis significantur.

Demum quod majorem haberet apparentiam, objici solet: quòd Catholici inter se diversas habeant in doctrina sententias, seseque mutuò impugnent; & hoc Ecclesia ferat; adeóque videatur confusio: sed hæc nihil ad rem; nam evidens est, quòd omnes quotquot sunt scholæ in Ecclesia Dei sive dicantur *Thomistarum*, *Scotistarum*, sive *Durandi*, *Capreoli*, &c. eandem prorsus Fidei & morum profitentur doctrinam: sed salvâ pace & Fide, de quibusdam Philosophicis & Theologicis scholasticè disputant, eâ lege certissimâ; ut, si quid ab Ecclesia universali de Fide certum esse definiatur, omnes obedientissimè acquiescant. Hócne ipsum moderni tam Lutherani quàm Calvinistæ Doctores usurpant? dum dicunt; multa inter ipsos tractari, quæ non ad populum, nec ad suggestum sed ad scholas remittuntur. VI.

Veruntamen illi plurima circa Fidem diversa tradunt, & profitentur; dum se non ratione scholasticæ opinionis excusant, sed audacter asserunt; quòd multa circa Fidem aliter & aliter asseri possint; licèt verè erronea in Fide sint, modò non sint fundamentalia: quæ tamen nunquam distinguere possunt; & sic semper verè in confusione Babylonica versantur: Non sic DD. Catholici, qui ne in minimo quidem Fidei articulo à se invicem discrepant, quod nimis manifestum est; unde manet vera unitas Ecclesiæ Romanæ tam quoad Fidem, quàm charitatem & obedientiam sub uno Pastore, & eadem S. Matre Ecclesia.

ARTICULUS II.

Quòd Ecclesia Romana verè sit sancta, & ipsi Nota sanctitatis Fidei competat.

Quòd vera Christi *Ecclesia sancta* esse debeat, patet ex symbolo, & ex iis, quæ suprà lib. 3. art. 4. ostensa sunt de triplici sanctitate; Prima scilicet *quoad doctrinam*, quòd nihil doceat falsum; nihil iniquum; nec impium, aut indecens: Secunda quoad *miracula facta*. Tertiâ *sanctitatem plurimorum virorum*, qui Fidem Ecclesiæ Catholicæ ad mortem usque professi sunt. I.

Primam Notam competere Ecclesiæ Romanæ modernæ probari posset, per singulos Fidei articulos discurrendo: quod quia hoc loco fieri non potest ob multitudinem, breviter probatur sic; quia in nullo Fidei, doctrinæ vel morum articulo probari potest, quod falsum vel iniquum doceat.

Quamvis autem Acatholici multa falsissima & absurda Ecclesiæ Romanæ imponant; illa tamen ex eorum cerebro conficta falsissimè asseruntur

Digitized by Google

CAPUT II.

Quod Ecclesiæ Romanæ modernæ omnes veræ Christi Ecclesiæ Notæ competant.

ARTICULUS I.

Quòd Ecclesiæ Romanæ unitas veræ Ecclesiæ conveniat.

I. OStensum est suprà lib. 3. quod *unitas Ecclesiæ* triplex sit: Prima, quod omnia Ecclesiæ membra in doctrina fidei planè consentiant, in quocunque orbis loco morentur. 2. quod inter se charitatis & Sacramentorum communionem; & 3. obedientiam ad verum visibilem à Christo constitutum Pastorem habeant, & agnoscant. Hanc unitatem esse in Ecclesia Romana moderna patet; quia omnes ubique Catholici, eandem fidei professionem edunt; quæ authoritate *Concilii Tridentini* renovata est, & à Spiritu Sancto procedit, qui est author veritatis & unitatis, Ecclesiam regens per Episcopos & Pastores; & Christus Dominus modum unitatis conservandæ præscripsit, ut si quid in fide dubium moveatur, idipsum Ecclesiæ dicatur Matt. 18. v. 17. *Et si quis illam non audierit*, ab Ecclesia ejectus *sit Ethnicus & publicanus*. Hoc ipsum Apostoli Act. 15. practicarunt, sicut deinceps Ecclesia in *Conciliis generalibus* congregata usurpare non cessavit, ut evidentissimum est; quod D. Augustinus contra varias Philosophorum & Hæreticorum sectas observavit lib. 18. de Civ. Dei cap. 41. dicens de Philosophis: *Has & alias innumerabiles dissensiones philosophorum quis unquam populus, quis senatus impia ciuitatis dijudicandas, &c. curauit? ac non passim sine ullo judicio confuseq; habuit in gremio suo tot controuersias hominum discordantium non de agris, &c. sed de his rebus, quibus aut misere, aut beate viuitur? ubi etsi aliqua vera dicebantur, eâdem & falsa prorsus licentia dicebantur, ut non frustra talis ciuitas mysticum vocabulum Babylonis acceperit. Babylon quippe interpretatur confusio, nec interest diaboli Regis ejus, quam contrariis inter se rixentur erroribus, quos merito multa variaq; impietatis pariter possidet*, &c. hæc Aug.

Quis non videt eadem fieri in Acatholicorum cætibus, ubi tot dissensiones quas componere non possunt juxta illorum principia; dum non solùm cuilibet Principi in suo dominio, sed etiam dum cuilibet privato de fide judicium ultimatum attribuunt? & sic inter se caudis velut vulpes Samsonis cohærent impugnando Ecclesiam Catholicam, sed capitibus opinionum longè disjuncti.

II. Alia sanctæ Ecclesiæ est forma, quam Deus contra Diaboli conatus conservat, ut ait Aug. suprà lib. 18 cap. 5. dicens: *Videns autem diabolus templa dæmonum deseri, & in nomen liberatoris mediatoris currere genus humanum; Hæreticos mouit; qui sub vocabulo doctrinæ insisterent Christiana; quasi possent indifferenter sine ulla correptione haberi in ciuitate Dei, sicut ciuitas confusionis indifferenter habuit philosophos inter se diuersa & aduersa sentientes. Qui ergo in Ecclesia Christi morbidum aliquid prauumq; sapiunt, si correpti, ut sanum rectumq; sapiant, resistunt contumaciter, suaq; pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, Hæretici sunt: & foras exeuntes habentur in exercentibus inimicis*, &c. hæc August. scilicet de Hæreticis qui Catholicos in patientia exercent, & in fide excitant ipsis resistendo, ut ibidem prosequitur.

Ex his patet, quàm falsò Acatholici Ecclesiæ Romanæ nomen Babylonis affingant: ubi est summa doctrinæ consensio, nec permittitur ulla dissensio; cùm potiùs ipsorum Acatholicorum cætus verè sint Babylonici & confusi in dogmatibus; ut suprà abunde ostensum est.

Frivola autem est Calvini objectio lib. 4. Instit. cap. 13. §. 14. ubi de statibus Monachorum in Ecclesia, qui in monasteriis separati à secularibus vivunt, sic dicit: *Quid est Ecclesiæ communionem dissipare, si hoc non est? quid simile habent hac in parte cum veteribus Monachis? illi tametsi separatim ab aliis habitabant, non tamen habebant separatam Ecclesiam. Sacramenta participabant cum aliis, ad solennes conuentus se sistebant, illic pars plebis erant. Isti priuatum altare sibi erigendo, quid aliud, quàm vinculum unitatis abrumpunt? nam se ab uniuerso Ecclesiæ corpore separarunt, & ordinum ministerium contempserunt, quo pacem & charitatem voluit Dominus inter suos conseruari. Itaq; quot sunt hodie monasteria, tot esse dico schismaticorum conuenticula*, &c. *& ne obscura esset ista discessio, varia factionum nomina sibi indiderunt: Nec ipsos puduit in eo gloriari, quod sic execratur Paulus, ut satis exaggerare non possit. 1. Cor. 1. v. 12. nisi forte Christum fuisse à Corinthiis arbitremur, quorum alius alio doctore superbiret, & nunc sine ulla Christi iniuria fieri, quod pro Christianis alios Benedictinos, alios Franciscanos, alios Dominicanos vocari audimus*, &c. hæc Calvinus. III.

Respondetur: Quod si Calvinus loco Monachorum posuisset suos & Lutheri sectatores, verissimè dixisset; illi enim verè per falsam doctrinam in fide & moribus, ac crassam contra Pastores Ecclesiæ inobedientiam sese ab unitate Ecclesiæ separantes, privatum sibi Altare erexerunt; imo omne altare Ecclesiæ Christi destruxerunt, pacem & charitatem ruperunt, & ministeria ordinaria Episcoporum & Pastorum sustulerunt. Quid his evidentius? suo ergo ore schismatici sunt, Calvinus, & ipsius sectatores.

Quod ad Monachorum statum attinet, clarum est; quod ipsi ejusdem prorsus sint fidei cum aliis fidelibus; quod pacem & charitatem servent cum fidelibus, ac promoveant; quod IV.

Pasto-

Digitized by Google

Pastores Ecclesiæ honorent, iisque obediant, iisdem Sacramentis utantur, &c. sed quòd in diversis locis habitent, vel officia divina eadem de consensu Ecclesiæ celebrent; quæ hîc defectio? ubi pacis dissolutio, vel erectio Altaris contra altare? quasi vero in uno eodemque materiali templo omnes totius Ecclesiæ fideles convenire debeant, nisi Schismatici esse velint? quàm hoc absurdum & miserum est; an Acatholici omnes in unico loco conveniunt pro suis exercitiis? Quòd autem Prophetæ arguebant alios, qui aliud altare contra Altare erigebant, vel multiplicabant, inde erat; quia in veteri lege unicum erat constitutum in Jerusalem Altare, ubi sacrificandum erat, & quia *Ieroboam* aliud erigebat contrariando altari in Jerusalem, ideo pessimè agebat. Nunc autem de nova lege Malachias 1. v. 11. prædixit: *In omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*, &c. & hoc est unicum altare per totum mundum, licèt materialiter plura sint. Illi autem aliud erigunt, qui altare Ecclesiæ prophanum judicant, & abominantur.

Falsissimum autem est, quòd Monachi moderni separati sint ab Ecclesia plus, quàm antiqui, cùm servent easdem Regulas à S. *Basilio*, *Augustino*, &c. institutas. Constat etiam, quòd antiqui in suis monasteriis habuerint sacerdotes ab Episcopis ordinatos, qui ipsis Sacramenta administrabant; ut testatur *Cassianus* Collat. 18. & patet ex *Epiphanio* qui in epist. ad Joannem Hierosolymitanum scribit, *quod in monasterio S. Hieronymi Paulinianum in presbyterum ordinasset, qui ibidem cæteris Monachis Sacramenta conficeret, & administraret, eo quod S. Hieronymus præ humilitate altaris sacrificia offerre non auderet*, &c.

V. Eadem constant ex aliis SS. Patribus. Nimis ergo frivola est hæc Calvini calumnia potiùs, quàm objectio: Ex quo tamen patet, quòd nullam veram in Ecclesia reperire potuerit dissensionem, quæ unitati Ecclesiæ repugnaret.

Quid autem in Ecclesia sit Altare contra Altare erigere, declarat S. Cyprianus epist. 40. ubi dicit: *Deus unus est, & Christus unus, & una Ecclesia, & cathedra una supra petrum Domini voce fundata: aliud Altare constitui, aut novum constitui sacerdotium, præter unum Altare, & unum sacerdotium non potest*, &c. hæc ille. Calvinus igitur & sui similes aliud altare constituunt, qui cathedram super petram fundatam impugnant, &c.

Quòd autem Calvinus criminetur de diversis Ordinum nominibus, quasi illos non illius puderet, quod Paulus 1. Cor. 1. v. 12. in Corinthiis tantopere culpavit, *dum unus dicitur Pauli, alius Cephæ*, &c. *quasi divisus esset Christus*: hos Paulus optimè reprehendit, ubi aliqui se aliam doctrinam habere putabant meliorem, & Sacramenta sanctiora, qui à diversis baptizati, & docti essent; hoc non est in Monachis diversorum Ordinum, qui eandem doctrinam à S. Ecclesia habent; eandem obedientiam S. Ecclesiæ præstant; eadem Sacramenta usurpant, non adherentes aliam doctrinam, vel Sacramenta ob diversos patronos, sed Benedictini, Dominicani, Franciscani, Augustiniani dicuntur solùm ob certas & speciales diversas Regulas strictiùs vivendi, & Deo serviendi ultra communia Dei & Ecclesiæ præcepta, juxta illud Christi: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, & veni sequere me.* Matth. 19. v. 21. Omnes juxta Fidem & doctrinam Christiani, & Catholici sunt, & vocantur; sed ob diversos quosdam vivendi modos distinguuntur; qui nullo modo Ecclesiæ unitatem tollunt, sed conservant & exornant juxta illud ps. 44. v. 11. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.* Ubi per vestitum unicum deauratum intelligitur eadem Fides, & doctrina, ac charitas; per varietatem autem diversi colores diversorum statuum, & vivendi modi in unione charitatis significantur.

Demum quod majorem haberet apparentiam, objici solet: quòd Catholici inter se diversas habeant in doctrina sententias, seseque mutuò impugnent; & hoc Ecclesia ferat; adeóque videatur confusio: sed hæc nihil ad rem; nam evidens est, quòd omnes quotquot sunt scholæ in Ecclesia Dei sive dicantur *Thomistarum*, *Scotistarum*, sive *Durandi*, *Capreoli*, &c. eandem prorsus Fidei & morum profitentur doctrinam; sed salvâ pace & Fide, de quibusdam Philosophicis & Theologicis scholasticè disputant, eâ lege certissimâ; ut, si quid ab Ecclesia universali de Fide certum esse definiatur, omnes obedientissimè acquiescant. Hócne ipsum moderni tam Lutherani quàm Calvinistæ Doctores usurpant? dum dicunt; multa inter ipsos tractari, quæ non ad populum, nec ad suggestum sed ad scholas remittuntur. VI.

Veruntamen illi plurima circa Fidem diversa tradunt, & profitentur; dum se non ratione scholasticæ opinionis excusant, sed audacter asserunt; quòd multa circa Fidem aliter & aliter asseri possint; licèt verè erronea in Fide sint, modò non sint fundamentalia: quæ tamen nunquam distinguere possunt; & sic semper verè in confusione Babylonica versantur: Non sic DD. Catholici, qui ne in minimo quidem Fidei articulo à se invicem discrepant, quod nimis manifestum est; unde manet vera unitas Ecclesiæ Romanæ tam quoad Fidem, quàm charitatem & obedientiam sub uno Pastore, & eadem S. Matre Ecclesia.

ARTICULUS II.

Quòd Ecclesia Romana verè sit sancta, & ipsi Nota sanctitatis Fidei competat.

Quòd vera Christi *Ecclesia sancta* esse debeat, patet ex symbolo, & ex iis, quæ suprà lib. 3. art. 4. ostensa sunt de triplici sanctitate; Prima scilicet *quoad doctrinam*, quòd nihil doceat falsum; nihil iniquum; nec impium, aut indecens: Secunda quoad *miracula facta*. Tertiâ *sanctitatem plurimorum virorum*, qui Fidem Ecclesiæ Catholicæ ad mortem usque professi sunt. I.

Primam Notam competere Ecclesiæ Romanæ modernæ probari posset, per singulos Fidei articulos discurrendo: quod quia hoc loco fieri non potest ob multitudinem, breviter probatur sic; quia in nullo Fidei, doctrinæ vel morum articulo probari potest, quod falsum vel iniquum doceat.

Quamvis autem Acatholici multa falsissima & absurda Ecclesiæ Romanæ imponant; illa tamen ex eorum cerebro conficta falsissimè asseruntur

runtur: utpote 1. quòd neglecto Dei verbo adhæreat traditionibus humanis. 2. quòd verbum Dei arbitrio Papæ subjiciat. 3. quòd abjecerit verbum Dei. 4. quòd unicum Mediatorem Christum abneget. 5. quòd neglecto Christo se ad sanctos mortuos conferat. 6. quòd panem ut Deum adoret. 7. quòd plures Deos colat, Sanctos more Ethnicorum, ut Deos minores adorando & invocando. 8. quòd imaginibus & aliis SS. Reliquiis divinum honorem exhibeat, *&c.* similia plurima. Verùm hæc omnia & alia particulatim falsissimè imponi: suis locis ostensum est, & ostendetur. Hîc sufficiat, quòd coram Deo protestemur, & Catholici omnes DD. semper protestati sint; nihil tale ab Ecclesia doceri, sed potiùs illa ut blasphema & pessima ab eadem semper damnata esse, & damnari, imò Acatholicos semper impudentissimi mendacii & calumniæ arguerint, quòd talia & similia Ecclesiæ Romanæ affingere non erubescant; cùm nullum locum vel articulum alicujus Concilii vel confessionis Ecclesiæ Catholicæ allegare possint, in quo ista doceantur. Quòd autem ipsi ex veris & sanctis Fidei Catholicæ articulis per falsas & turpissimas consequentias illa fingant, illorum dementiæ, & malitiæ est.

III. Ipsi etiam dicere audent Romanam Ecclesiam multa docere, quæ in antiquis hæreticis olim ab Ecclesia damnata sint; imò omnes antiquas hæreses Ecclesiæ Romanæ attribuunt generalibus verbis, quòd sit *Pelagiana, Simoniana, Ariana, Nestoriana*, &c. sed toties ab ipsis expectatum & exactum est, & jam à Nobili Anglo postulatum est; ut vel unicum articulum in terminis allegent à Catholica Romana Ecclesia de Fide doctum, quem Ecclesia antiqua damnavit; vel quem hæretici antiqui docuerunt: sicut nos suprà præcedenti lib. plurimos in hæresiarchis antiquis ab Ecclesia antiqua hæreseos damnatos & ab ipsis doctos articulos recensuimus: quæ autem ad hoc tres anonymi Authores produxerint, & quàm falsa sint, infrà demonstrabitur. Verè nimis diabolica est impudentia, innocenti crimen ab illo imponi, qui illius summè obnoxius est; idque sine ulla legitima probatione, sed illud per tales falsissimas consequentias vult probatum.

ARTICULUS III.

Quòd Ecclesia Romana habeat Notam miraculorum.

I. Altera *sanctitatis species Ecclesiæ competens* est; quod in confirmationem Fidei vel confortationem fidelium certa & evidentia miracula facta sint, quæ à solo Deo fieri possunt; qui non facit talia in confirmationem falsi, quæque absque vera Fide non possunt fieri, juxta illud Marci ult. v. 17. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur*, &c.

Hæc autem miracula requiri, dum Fides de novo prædicatur, vel reproduci dicitur, suprà lib. 3. satis probatum est; licèt non ita requiratur, dum jam antea pro vera Fide etiam in particulari, quoad particulares articulos facta contigerint: si tamen Deus adhuc nova miracula præstet, eò majus veræ Fidei signum datur. Jam verò non solùm Ecclesia Catholica Romana pro Fide Catholica allegat signa ab Apostolis, & ipso Christo facta, sed etiam alia postea in confirmationem veritatis facta; cùm enim Acatholici, ut hæretici omnes diversarum sectarum, quisque pro sua falsa Fide eadem ab Apostolis facta, licèt falsò, allegent, sicut falsò sibi omnes doctrinam Apostolicam, & verum sacræ Scripturæ sensum asscribant; ideo Deus sæpe pro Fide Catholica contra hæreticos nova miracula fecit; ut veritas discernatur à falsitate: sicque plurima miracula contigerunt tam in primitiva Ecclesia, quàm ultimis his sæculis pro veritate illorum Fidei articulorum, quos Acatholici diversi oppugnarunt & damnare conati sunt. Infinita verò quasi sunt miracula quæ per singula à DD. Catholicis prolixè referuntur, hîc brevitatis gratiâ tangemus aliqua, tum ab antiquis SS. Patribus, tum à SS. viris posteriorum sæculorum annotata.

Imprimis constat quantopere Acatholici detestentur venerationem SS. Reliquiarum; cùm tamen illam SS. Patres passim doceant & miracula ad illas facta recenseant: sufficiat hîc retulisse 1. S. Ambrosium qui lib. 10. epist. 85. de invocatione SS. Gervasii & Prothasii, dicit: *Cognovistis, imo vidistis ipsi, multos à dæmoniis purgatos, plurimos etiam, ubi vestem Sanctorum manibus contigerunt, iis, quibus laborabant, debilitatibus absolutos, umbra quadam SS. corporum plerosque sanatos cernitis. Quanta omnia jactantur? quanta indumenta super Reliquias sanctissimas, ut tactu ipso medicabilia reposcantur?* &c. hæc Ambros. II.

Idem serm. 91. de Invocat. SS. Gervasii & Prothasii ait: *Celebritati vestra qui solent, invident, & quia celebritatem vestram invidis animis ferre non possunt, causam celebritatis odere, atq; amentia in tantum prodeunt; ut negent Martyrum merita* (NB) *quorum opera etiam dæmones confitentur. Sed hoc non mirum, siquidem tanta est incredulorum perfidia, ut tolerabilior sit diaboli confessio: Dicebat enim diabolus, Iesu Fili Dei vivi, quid venisti ante tempus torquere nos? Et cùm hæc audirent Iudæi, ipsi tamen Dei Filium denegabant. Et nunc audistis dæmones clamantes & confitentes Martyribus, quod pœnas ferre non possint, & dicentes: Quid venistis, ut ante tempus nos tam graviter torqueatis: Et Ariani dicunt: Non sunt isti Martyres, nec torquere diabolum possunt, nec aliquem liberare, cùm tormenta dæmonum ipsorum voce probentur, & beneficia martyrum cæcorum & absolutorum indiciis declarantur: Negant cæcum illuminatum, sed ille non negat se sanatum, ille dicit, video, qui non videbam, &c. illi negant beneficium, qui factum negare non possunt; clamat, quia ut contigit fimbriam de veste Martyrum, quâ SS. Reliquiæ vestiuntur, redditum sibi lumen sit. Nonne illud simile est atque illud, quod in Evangelio legimus? unius enim potentiam laudamus authoris*, &c. hæc Ambrosius.

Idem similia refert in serm. 93. de SS. Nazario & Celso, quæ in tractatu de Reliquiis SS. referuntur. III.

Videant hæc Acatholici, & erubescant, dum S. Ambrosius tam clarè profitetur venerationem SS. Reliquiarum, & miracula à Deo ad tactum illarum facta. Econtrà Ariani illa negarunt, deriserunt, videant se Arianorum sectatores & Pharisæorum, qui etiam cœcum natum fuisse negabant, quem Christus illuminaverat.

Hie-

Hieronymus in Epitaph. Pauli cap. 6. ait: *Cernebat variis dæmones rugire cruciatibus, & ante sepulchra Sanctorum ululare homines more luporum, vocibus latrare canum, sibilare serpentum, mugire taurorum*, &c. hæc Hieron.

Augustinus lib. 9. Confess. cap. 7. eadem refert, quæ Ambrosius circa Reliquias SS. Gervasii & Prothasii recensuit, Deum alloquens dicit: *Cùm corpora SS. effossa digno cum honore transferrentur, ad Ambrosianam Basilicam, non solùm, quos immundi vexabant spiritus, confessis iisdem dæmonibus sanabantur; verùm etiam quidam plures annos cœcus lucis, civitatique notissimus*, &c. *eoque ut duceret suum ducem rogavit, quo perductus impetravit admitti, ut sudario tangeret feretrum, pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum tuorum, quod ubi fecit, atque adoravit, oculi, confestim aperti sunt*, &c. hæc ibi.

Eadem refert lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. ubi etiam recenset miraculum factum cùm *Processus* Episcopus afferret Reliquias gloriosissimi Martyris *Stephani* dicens: *Ad ejus memoriam veniebat magna multitudinis concursus, & occursus. Ibi cæca mulier, ut ad Episcopum portantem pignora sacra perduceretur, oravit. flores quos ferebat dedit, recepit, oculis admovit, protinus vidit*, &c. hæc August. ubi & alia miracula ad memoriam S. Stephani facta commemorat. Plura alia testimonia referentur suo loco de SS. Reliquiis infrà agendo.

IV. Huc etiam spectant miracula quæ fidelibus evenerunt, qui ad loca SS. Martyrum peregrinationes susceperunt, vel ad loca sancta Palæstinæ, ubi Christus Dominus in terris egit, de quibus testatur *Hieronymus* epist. 17. cap. 6. quòd à tempore Apostolorum per omnia sæcula usque ad illum diem visitata fuerint. Et D. *Augustinus* epist. 137. ad clerum populúmque Hipponensem, ubi testatur, quòd populi ad loca Martyrum peregrinati sint; & Deus miracula præstiterit, & quòd suaserit, ut ad illa loca peregrinarentur dicens: *Ubi terribiliora opera Dei non sanam cujusque conscientiam multo faciliùs aperiret, & ad confessionem vel pœnæ vel timore compellerent.* Ubi etiam causam reddit, cur Deus, cùm & ubique præsens sit, velit tamen in certis locis exaudire dicens: *Veruntamen ad ista, quæ hominibus visibiliter nota sunt, quis potest ejus consilium perscrutari, quare in aliis locis hæc miracula fiant, in aliis non fiant? Multis enim notissima est sanctitas loci, ubi B. Felicis militis corpus conditum est, quo voluit, ut pergerent*, &c. hæc August. Videant Acatholici, qualiter cum Calvino has peregrinationes detestentur, & qualiter Deus per miracula approbet.

V. De mirifica S. Crucis inventione per *Helenam Constantini* Imperatoris Matrem scribit S. *Ambrosius* in concione funebri Theodosii, *Socrates* lib. 1. hist. cap. 13. *Theodoretus* lib. 1. cap. 18. Sozomenus lib. 2. cap. 1. quando ad tactum S. Crucis mulier extremè infirma sanitati ilicò restituta fuit.

De *veneratione SS. imaginum Crucis Christi* & Sanctorum, quam etiam Acatholici abominantur, clara constant testimonia Ecclesiæ antiquæ, ut suo loco infrà dicetur; & in testimonium veritatis diversa miracula præstitit Deus: ut patet de statua Salvatoris, quam mulier Hæmorroissa à Christo in Euangelio sanata erigi curavit Cæsareæ Philippi, &c. prout refert *Eusebius* lib. 7. hist. cap. 14. & Sozomen. lib. 15. cap. 20. &c.

Similiter de *imagine Christi* scribit *Athanasius* lib. 1. de passione Christi imaginis in Beritho Syriæ urbe cap. 2. & 3. Erasmo interprete: quòd imago Christi à Judæis per ludibria multis modis illusa, tandem ab iisdem lanceâ transfixa sit, ex qua copiosus sanguis & aqua defluxerit in tanta copia; ut ilicò integra hydria repleta fuerit, cùmque Judæi per irrisionem tentare vellent, an inde languidi curarentur, plurimi sanati, & ipsi Judæi ad Fidem conversi fuerint.

Plurima quoque miracula, quæ Deus imagines SS. honorantibus præstiterit, refert *S. Damascenus* orat. 1. & 2. de imaginibus & de se ipso testatur; qualiter ex malitia Leonis Imperatoris ipsi apud Saracenum Damasci ducem de proditione falsè accusato manus amputata, & miraculosè coram imagine B. Virginis restituta fuit; ut eò ferventiùs pro honore SS. Imaginum scriberet; prout suprà lib. 4. agendo de Iconoclastarum hæresi fusè relatum est. Imò ipsimet *Centuriatores Magdeburgenses*, ab initio Ecclesiæ per singula sæcula in singulis centuriis cap. 13. referunt miracula varia facta ex authenticis SS. Patribus & Historicis; quæ tamen ipsi ex sua malitia superstitionis & falsitatis arguunt; quasi ficta essent, quia clarissimum est, quòd illa contigerint in confirmationem *Invocationis Sanctorum*, *venerationis SS. Reliquiarum*, *confessionis auricularis, vitæ monasticæ, Purgatorii, & meritorum bonorum operum*, &c. Cùm verò SS. Patres in primitiva Ecclesia & Historici Ecclesiastici scripserint, quæ in primis sæculis facta sunt, & deinde S. Gregorius Magnus, & Gregorius Turonensis plurima alia, quæ ab anno 500. & deinceps à Deo in confirmationem prædictorum facta sunt; postea etiam S. Bernardus in vita Malachiæ, &c. accuratè referunt: nullus non judicabit his potiùs standum, quàm impiis istis Acatholicis Magdeburgensibus, vel aliis similis farinæ hominibus, his ultimis sæculis sine teste illa negantibus. VI.

Cæterum, licèt Acatholici miracula hæc sancta facta rideant vel negent; duo tamen referam, quæ nullus nisi perfrictæ frontis negabit, unum tale est: Contigit his proximis annis Monasterii Westphaliæ in solenni illa totius Europæ quasi Congregatione pro pace firmanda Regum & Principum Legatis comparentibus; contigit, inquam, cùm inter Legatos Regis Hispaniæ & Statuum Hollandiæ sermo occurrisset de miraculis, quæ ad statuas & imagines Sanctorum fierent, Hollandorum unus diceret, se multa de miraculis spargi audire; sed optare aliquem audire fidelem, qui oculis suis tale quid accidisse testaretur; ubi excellentissimus & illustrissimus D. Comes de Peneranda fidem fecit, se oculis suis tale quid vidisse, cujus summaria relatio hæc est. VII.

In civitate Hispaniæ Cæsar-Augusta vulgò Saragossa dicta extat Ecclesia antiquissima; in qua marmoreæ columnæ super imposita cernitur imago Deiparæ, cujus imaginis sacellum sub communi nomine Dominæ nostræ del Pillar, sive de columna celebratur; in quo indies per Dei potentiam fiant miracula; inter quæ hoc eximium & vix auditum. Fuit Adolescens dictus Michaël

Michaël Juan Pellicor annorum novendecim, qui sub labore crurifragium passus, tentatis frustra variis remediis ad Xenodochium Cæsar-Augustanum delatus expertissimi chirurgi & Medicinæ Professoris curæ est commissus; qui tibiam putredine ex toto corruptam videns, illam latitudine quatuor digitorum infra genu præscidit, & sepeliri curavit.

Plagâ curatâ Adolescens ad Ecclesiam Dominæ nostræ del Pillar se transferens, in & extra illam per duos integros annos implorans Deiparæ Virginis patrocinium, & à transeuntibus stipem emendicans, omnibus innotuit, non secùs ac ille, qui Act. 3. claudus natus ad portam templi speciosam eleëmosynam colligens, à S. Petro & S. Joanne sanatus fuit: Is postea anno 1640. ad parentes reversus de oppido in oppidum se trahi curans eleëmosynis sustentabatur.

VIII. Eodem anno, 29. Martii lassus cùm se quieti dedisset, & evigilans se mirabiliter sanatum sensit, retulitque parentibus dicens: Videbatur mihi quasi in capella Dominæ nostræ de Pillar versarer, & à B. Virgine oleo lampadis, quæ ad miraculosam ejusdem ardet imaginem tibia mea illiniretur; hoc prodigio statim undequaque pervulgato homines catervatim accurrentes oculis suis adolescentem hactenus tibia orbatum, duobus pedibus insistentem vident.

Ille ad oppidi illius Ecclesiam postridie deductus est; quo cùm pervenisset, in robur præcedentis miraculi, pes & crus antea restitutum, contortum tamen, & curvum in se relictum sacratissimæ Virginis intercessione naturali loco & dispositioni perfectè restitutum est.

Adolescens ad civitatem Cæsar-Augustam missus est, ubi totum negotium in controversiam, judicium, & examen deductum. Advocatus processum formando delectus; auditi sunt testes, & res ad juris apices omni diligentiâ, & cunctis necessariis adhibitis formalitatibus examinatâ; & sub finem Aprilis 1641. datâ desuper sententiâ declarata est; hanc hujus Adolescentis prodigiosam curationem verissimi miraculi rem sortiri, totiusque naturæ vires excedere: sicque definitivè pronunciata est per illustrissimum Archiepiscopum Cæsar-Augustanum, & plures alios gravissimos Judices in sententia nominatos, & postea totum à variis Historicis publicæ notitiæ datum est; ac tam in Hispania, quàm Gallia, & specialiter ex Gallico in Latinum 1642. 27. Julii Duaci impressum fuit.

IX. Hujus tanti miraculi fidem fecit illustrissimus & excellentissimus Dominus Gaspar de Bracamonte Comes de Peneranda, &c. Legatus extraordinarius Regis Catholici ad universalia pacis fœdera in Germania, &c. asserens sanctissimè se suprà nominatum Juan Pellicor, dum in Regia functione Cæsar-Augustæ ageret, vidisse, eleëmosynam eidem dedisse, factum miraculum planè probatum, & per suum Secretarium omnibus necessariis informationibus accuratissimè sumptis cognovisse; tibiam restitutam contrectasse, & propriis oculis rubeum circulum in loco miraculosæ connexionis factæ relictum conspexisse. Idem testati sunt plures Nobiles dicti D. Comitis Aulici sub propriis suis Chirographis. Ita actum Moansterii Westphaliæ die 9. Maji 1648. originalis attestatio sub chirographo dicti excellentissimi Dom. de Peneranda habetur in Conventu FF. Minorum strict. observantiæ Monasterii Westphaliæ.

X. Alterum est miraculum adeo manifestum, ut nullus id negare possit, qui Attrebatum quæ civitas est in Arthesia, adire, & oculis uti voluerit.

Est enim ibi in foro minori erectum sacellum in quo adservatur *Cereus quidam* notabilis quantitatis argenteis circum septus laminis qui sæpius per annum accenditur; ex quo ardente, cera in aquam guttatim delapsa colligitur, & ex hac cera plures alii cerei confecti sunt; & conservantur aliæ massæ notabiles: nec tamen cereus ille primarius sic sæpius accensus in minimo consumitur, aut diminuitur; sed nulla alia ei cera apposita æque integer permanet usque in hodiernum diem per annos ad minus quingentos & quinquaginta; aqua verò, in quam guttæ cereæ decidunt, variis gravissimis curandis morbis per omne id tempus usque in præsens deservit. Vadant videant & palpent, qui credere nolunt, ego oculis meis vidi: Quis hoc miraculum esse negabit? certa autem habet traditio apud Attrebatenses quòd tempore Lamberti Cardinalis & Episcopi Attrebatensis populo circa annum Domini 1105. gravissimâ lue afflicto, & Medicis frustra laborantibus ad patrocinium Beatissimæ Deiparæ Virginis Mariæ confugiente, à Deo datus sit hic cereus; hoc modo: Beatissima Virgo anno dicto, duobus, ut dicitur, joculatoribus capitalibus inter se, eò quòd unus alterius fratrem occiderat, inimicis, seorsim aliquoties apparens eosdem monuit; ut Attrebatum sese conferrent: ubi certâ die & horâ in Ecclesia cathedrali cereum quendam è manibus mulieris, in habitu, quo illis apparebat ex superiore parte chori descendentis recepturi essent: ex cujus guttis aqua, in quam defluerent, medicinalis populo laboranti fieret. Uni autem qui homicidium commiserat jam pœnitenti B. Virgo indicavit, quòd adversario reconciliandus in illo actu foret: Omnia prout in visione indicatum fuit, facta sunt; ita, ut præsente Episcopo & clero ac populo B. Virgo visa fuerit descendere ab altitudine chori Ecclesiæ cathedralis habens cereum accensum, quem tradidit in manus utriusque joculatoris; & postquam eosdem, qualiter cereo utendum sit, informasset, jam mirabiliter inter se reconciliatis, statim disparuit; unde aliquot vasa aquis plena apposita sunt, in qua cera ex cereo ardente defluens recepta est; & ordinante Episcopo, juxta quod B. Virgo indicarat aqua infirmis potanda data est; qui omnes ad centum & sexaginta octo statim sanati fuerunt; uno misero excepto & ilicò mortuo, qui aquam potandam contempserat. Hic itaque cereus ab Anno 1105. Attrebati in dicto sacello adservatur: & per singulos annos homines variis etiam incurabilibus laborantes morbis per aquam prædictam haustam & applicatam ex singulari Dei misericordia intercedente B. Deiparâ Virgine à fidelibus invocata, curantur; prout quotidiana experientia demonstrat: quòd utique divina bonitas populo devoto in Fidei Catholicæ confirmationem & Acatholicorum conversionem promovendam præstare dignatur.

Erectum fuit olim adhuc extans in dicta Ecclesia cathedrali solemne dicti Cardinalis & Episcopi Epitaphium ex marmore fabrefactum, in quo

Digitized by Google

quo tota historia prædicta per sculptas imagines repræsentatur, cum hac inscriptione: *Anno Domini millesimo centesimo decimo quinto, XVI. Calend. Iunii obiit beata memoria Lambertus hujus Atrebatensis Sedis Cardinalis Episcopus, per hunc restituta est dignitas hujus Episcopatûs, quæ per multa tempora Cameracensi Episcopo fuerat commendata. Huic Episcopo & duobus joculatoribus Ithero & Normanno beata Maria in hac Ecclesia apparuit, dans eis candelam per quam sanantur ardentes igne malo*, hæc in Epitaphio.

Ecce duo miracula jam recenterà Deo facta, & tot testimoniis probata; si Acatholici Fidem denegent, planè se Judæis & Saracenis pejores & magis obduratos exhibent; illi fateri debebant claudum ad portam speciosam templi Jerosolymitani sanatum; hi Dei potentiam in S. Damasceni manu, de qua suprà dictum est, mirabiliter restituta agnoscebant, at Acatholici ad omnia obsurdescunt.

XI. Ad hæc cùm Acatholici tantopere abhorreant à Venerabili Sacramento summè detestantes Fidem Catholicam; quâ creditur, quòd Christus secundùm Corpus & animam in Eucharistia sit realiter præsens: & proinde in illa adorandus, præter plurima miracula, quæ in primitiva Ecclesia & sequentibus sæculis pro veritate ejusdem Fidei Deus præstitit: unicum ex antiquo, & alterum ex posteriori sæculo hîc tangam.

Primum est apud Sozomenum hist. Eccles. lib. 8. cap. 5. ubi refert sub Joanne Chrysostomo Constantinopoli de muliere hæresis Macedonianæ, quæ in favorem mariti Catholici se simulans Catholicam ad S. Communionem accesserat, & subjungit: *Illa, quod acceperat continens, quasi oratura procumbit, famula interim astans furtim porrigit id, quod manibus ferebat, quod quidem simul atque dentibus admotum esset, in lapidem induruit. Tum mulier timore consternata, ne quid sibi graviùs eveniret ob tantum miraculum in se divinitus editum, cum festinatione ad Episcopum accurrit, se ipsam indicat, & lapidem ostendit, qui manifesta vestigia morsus, sed materiam ignotam & insusitatum quendam colorem referebat, cùmque profusis lachrimis veniam impetrasset, cum marito deinceps concors vixit. Si cui hæc verisimilia non videantur esse, testis est ipse lapis, qui etiamnum hodie inter Constantinopolitana urbis Cimelia reservatur*, &c. hæc *Sozomenus*. Ubi patet, quòd cùm mulier pro S. Eucharistia communem panem sumere voluit, Deus illum in lapidem verterit. Sed cur hoc, si in Eucharistia nudus panis sumatur, ut Acatholici volunt?

XII. Aliud exemplum est, quod inter alios historicos recenset *sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus* 3. parte hist. lib. 24. cap. 3. §. 2. de sancto Antonio à Padua verè Thaumaturgo, qui floruit circa annum 1228. sic scribens: *In partibus Tholosanis, cùm adversus quendam hæreticum perfidissimum de Sacramento Eucharistiæ disputasset, & ipsum quasi convictum ad Fidem inclinasset, dixit Hæreticus: Dimittamus verba, veniamus ad facta; Si tu Antoni miraculum potueris in conspectu omnium ostendere, quod in hostia sacrata sit Corpus Christi, abjuratâ omni Hæresi jugo Fidei colla submittam; cùmque Sanctus hæc se facturum confidenter offerret, subjunxit Hæreticus: Ecce quod posco miraculum; Ego animal brutum, mulum scilicet, per triduum clausum tenebo famis inedia crucians omni cibo negato post triduum educam illum ante conspectum circumstantium, & escas paratas ipsi ostendam: Tu vero contra manebis cum Hostia sacra, quam Christi asseris Corpus, si animal illud ita fame cruciatum relicto pabulo festinaverit ad Deum illum, quem affirmas in Eucharistia esse ab omni creatura adorandum, Fidei Ecclesiæ, quam prædicas, efficaciter adhærebo; spondet Antonius se hoc facturum. Conventione igitur facta die tertia, quæ præfixa fuerat, fit concursus magnus in lata platea populorum, adest Hæreticus cum complicibus suis, & advenienti Antonio cum decenti fidelium societate ad rei hujus eventum suspensi permanent omnes; celebrat Missam Antonius in quadam Capella, qua celebrata, mulus ab Hæretico de stabulo educitur rabidus fame, atque ante eum esca paratur. Antonius Eucharistiam afferens ante mulum aliquantulum distans & dicens in conspectu omnium imperato silentio: In virtute & in nomine Creatoris tui, quem in manibus licèt indignus veraciter teneo, tibi dico animal, & præcipio, ut confestim venias humiliter tuo modo & ei reverentiam exhibeas, ut ex hoc cognoscat hæretica pravitas, quod omnis creatura suo subjiciatur Creatori; quem sacerdotalis dignitas jugiter in Altari tractat. Mira res & à Deo facta, qui facit mirabilia magna solus. His verbis completis, quamvis Hæreticus cibum ante mulum summè famelicum ostenderet, subito relicto pabulo accessit versus Sacramentum & capite usque ad poplites inclinato ante Sacramentum vivificum genu flexit: glorificant Deum universi dicentes, quia vidimus mirabilia hodie & Hæreticus abjurata perfidia Catholicus verus efficitur*, &c. hæc S. Antoninus.

Plurima alia miracula publicis testimoniis signata referuntur ab Authoribus, quæ circa sacram Eucharistiam à Judæis impiè perfossam acciderunt, ut etiam sanguis copiosè effluxerit; prout *Passavii* & aliis in locis plurimis constat: quæ si Acatholici contigisse negent, certè omnes historias negabunt, vel saltèm ad loca vadant, & convincentur.

Demum pro testimonio veræ Catholicæ Fidei attendatur miraculum, quod suprà relatum est, cùm de Waldensium secta actum est: XIII.
quando *sanctus Dominicus* libellum, in quo Fides Catholica descripta erat, & hæretici alterum in quo hæresis ipsorum continebatur, in ignem injecit, hic statim combustus fuerit, alter sæpe injectus illæsus exilierit.

Hæc aliàque plurima fidelibus pro confirmatione Fidei Catholicæ sufficiant; dum Acatholici ne unicum pro sua doctrina miraculum ostendere possint: licèt malo eventu Lutherus & Calvinus, ut suprà relatum est, tentarint.

***

ARTICULUS IV.

Quòd Ecclesia Romana habeat Notam sanctitatis morum.

I. Demum ad sanctitatem veræ Ecclesiæ spectat, quòd semper in illa non solùm sint homines pii, licèt malis permixti, ut triticum cum zizania, sed etiam aliqui vitâ & moribus, prophetiæ dono & miraculis illustres semper reperiantur; qui quasi stellæ cæli fulgeant præ arena maris, ut D. *Augustinus* epist. 48. ad Vincentium ex promissione Dei Abrahæ facta ostendit, ut dubitari non possit: quin sint veri Dei amici, adeóque in vera Fide fundati, *sine qua nemo Deo placere potest.*

Tales autem illustres viros extitisse à tempore *Gregorii Magni* & per singula sequentia sæcula, quibus Acatholici asserere audent Ecclesiam Romanam prorsus idololatricam & Apostaticam fuisse; tam clara in omnibus historiis testimonia demonstrant, ut nec ipsimet Acatholici negare possint.

Lutherus in lib. de abroganda Missa circa finem vocat sanctos *Bernardum*, *Dominicum*, & *Franciscum.*

Philippus Melanchton in Apologia Augustanæ Confessionis *dictos Patres sanctis viris accenset.* Et in 1. Corinthiorum 3. v. 15. & in articulis Bavaricis etiam adjungit *Bonauenturam*, &c.

II. *Caluinus* etiam in 1. Corinth. 3. suprà relatus & ex ipso Marloratus ibidem plurimos sanctos viros recensent ex primitiva Ecclesia, ut *Cyprianum*, *Ambrosium*, *Augustinum*, &c. quos fatentur supra Christum fundamentum ædificasse: sed mentiuntur illos stipulam & lignum errorum superædificasse; ita tamen, ut salvi facti sint, & subjiciunt hæc verba: *Adde etiam, si licet, ex recentioribus Gregorium & Bernardum, aliosque ejus Notæ, qui quum haberent hoc propositum, ut in Christo ædificarent, à recta tamen ædificandi ratione sæpe aberrarunt; tales dicit Paulus saluari*, &c. hæc Marloratus cum Calvino.

Petrus Martyr classe 3. loc. comm. cap. 9. §. 27. similiter asserit, *Bernardum*, *Dominicum*, & *Franciscum in Fundamento Christo vixisse*, & *seruatos esse non dubitat.* Verùm ex suo falso cerebro fingens subdit: *Non raro fit, ut quibus datum non fuerit per totam vitam, ut de Religione bene sentirent, id sæpe concedatur illis in ultima hora, ut superstitiones, & abusus, quibus antea sese manciparant, noxios fuisse intelligant, quod ego non dubitauerim Bernardo, Francisco, & Dominico, & nonnullis ex veteribus Patribus euenisse*, &c. hæc ille.

III. Veruntamen illos sanctos viros in omnibus credidisse, quidquid credebat, & credit sancta Romana moderna Ecclesia nimis ex ipsorum scriptis, & vita evidens est: ut de *sancto Bernardo* constat, qui cum aliis sese Berengario heroicè opposuit, & licèt pravos multorum in Ecclesia, imò etiam in Aula Pontificis mores zelosè redargueret, verè tamen & humiliter Romano obediens fuit Pontifici; eique dignitatem & potestatem à Christo datam professus est; qui insignem Cisterciensium Monachorum ordinem instituit, & propagavit, ipsorum Abbas & sacerdos, cujus scripta Euangelicam doctrinam spirant, cujus vita sanctissima, & quem Deus innumeris decoravit miraculis.

Similiter constat de *sancto Dominico*, qui, ut suprà ostensum est tam heroicè se opposuit *Albigensibus*, quos Acatholici viros orthodoxos, & fratres vocant: qui *Ordinem insignem Prædicatorum* instituit authoritate Romani Pontificis, quemque Deus virtutum donis & pluribus etiam illustravit miraculis; inter quæ sunt, quòd tres mortuos resuscitarit.

Quòd *sanctus Franciscus* juxta doctrinam Euangelicam & Romanam, omnem spem suam in Christo Jesu collocarit, & in sola ejus cruce cum sancto Paulo gloriatus fuerit; inde gratiam hauserit, & omnes ad Christi amorem & crucis imitationem verbo & exemplo cohortatus sit; nimis clarum est ex vita & Regula ejus: & Ecclesia testatur in oratione illa: *Domine Iesu Christe, qui frigescente mundo ad inflammandum corda nostra tui amoris igne in carne beatissimi Patris Francisci passionis tuæ sacra stigmata renouasti*, &c. IV.

Quòd verò *sanctus Franciscus* Pontifici Romano subjectus, & Fidem Romanæ Ecclesiæ professus sit; patet ex ipsius Regula, ubi cap. 1. sic ait: *Frater Franciscus promittit obedientiam & reuerentiam Domino Papæ Honorio, & successoribus ejus canonicè intrantibus, & Ecclesiæ Romanæ*, &c. Et quòd sic usque ad finem permanserit; patet ex ejus testamento, ubi dicit de fratribus suis, quòd; *quicunque inuenti essent, qui non essent Catholici*, &c. *illi sicut homines in vinculis custodiri debeant*, &c.

Demum horâ mortis appropinquante, ut scribit sanctus Bonaventura in vita sancti Francisci cap. 14 *Fratres conuocatos paterno affectu ad diuinum est hortatus amorem, de patientia, paupertate, & sancta Romana Ecclesia Fide seruandis sermonem protraxit; cæteris institutis sanctum Euangelium anteponens*, &c. Et paulò post prælecto ipsi Euangelio *ante festum Paschæ*, &c. Joann. 13. *obdormiuit in Domino*, hæc sanctus Bonaventura. Ecce qualiter in Fide Romana perseveraverit; cujus vita tam innocens & pia fuit; qui in omnibus conabatur Euangelicæ doctrinæ obsequi: ut nimis impudens habendus sit, qui ipsum non verum Dei servum fuisse fateatur, quem Deus tot stupendis & claris miraculis in vita & post mortem illustravit.

Divus *Bonauentura* etiam in scriptis suis ostendit; se Fidei Romanæ firmissimè inhæsisse: cujus pietas tam ex vita, quàm dictis & scriptis illius elucet, qui etiam in Cardinalium collegio usque in finem extitit, quod Acatholici maximè detestantur; & tamen fateri debent illum virum sanctum fuisse: qui etiam inter alia opuscula scripsit Psalterium Beatæ Virginis Acatholicis maximè invisum; & tamen in veritate nihil impium continens, licèt pravæ mentes pravè interpretentur.

Quis ergo non miretur Acatholicorum impudentiam, qui sine teste, & sine ullo signo volunt,

volunt, quòd tales viri in ultima hora abnegaverint Fidem Ecclesiæ Romanæ; quam tot modis professi fuerunt: unde potiùs patet horrenda ipsorum pertinacia, quòd omnes illos sanctos Patres, etiam *Cyprianum*, *Ambrosium*, *Augustinum* cum reliquis plurimis arguere audeant superstitionis, & quòd multa falsa docuerint: & hoc ideo, quia negare non possunt, quin asseruerint eadem, quæ moderna Ecclesia docet, & ipsi damnant.

V. Tantâ itaque vitæ & morum sanctitate in Ecclesia Romana floruerunt viri plurimi; ut etiam Acatholici nihil culpabile tangere potuerint, nisi quòd Fidem Ecclesiæ Romanæ professi sint: sed ex hoc potiùs constat, quòd Fides Romana vera sit, quam tales insignes Euangelici fructus sequuntur juxta verbum Domini Matth. 7. v. 16. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Tales plurimi viri & fœminæ his posterioribus sæculis usque in præsens per Dei gratiam floruerunt, & florent, qui cum vitæ sanctitate Fidem Ecclesiæ Romanæ inter Turcas, Persas, Japonenses, Chinenses, &c. usque ad sanguinem professi sunt, & profiteri parati fuerunt.

Hic meritò obstupescenda est Acatholicorum versutia & malitia, qui cùm in tantis viris nihil reperire potuerunt, quod veros Dei servos dedeceret, nisi quod Fidem Romanam tenuerint, ipsos fuisse salvatos fatentur, quia in Christo fundamento manserunt; licèt, ut fingunt, errores docuerint, quos stipulæ & lignis comparant, quæ non tollunt fundamentum Fidei vel salutis: & tamen eadem dogmata, quæ in sanctis viris æstimant stipulas, in Ecclesia Romana planè idololatrica, & Christum fundamentum evertentia esse condemnant; si in *Cypriano*, *Augustino*, *Gregorio*, *Bernardo*, *Dominico*, *Francisco* & aliis stipulæ fuerint, quomodo eadem in Ecclesia Romana fundamentum Fidei tollunt? *Ecce quomodo mentitur iniquitas sibi?*

ARTICULUS V.

De Reformatione Ecclesiæ laudabili, & Acatholicorum detestabili.

I. Hic ultimatè circa sanctitatem Ecclesiæ observandum est; quòd, licèt sanctitas Ecclesiæ quoad doctrinam Fidei & morum deficere nullatenus possit, juxta tot & tam clara Christi promissa suprà lib. 3. allegata: sic etiam sanctitas vitæ & morum, nunquam ab Ecclesia universali deficiat; quin aliqui semper futuri sint pii & boni instar tritici, &c. nihilominus fieri potest, ut plures particulares hinc inde in Fide vel hæsitent, vel à Fide deficiant; ita tamen, ut Fides vera penes universalem Ecclesiam maneat, ad quam errantes reduci debent ab ipsa Ecclesia universali sub uno Capite per Doctores, &c. quos Deus semper dabit.

Similiter, quia juxta humanam fragilitatem & diabolicam seductionem plures fideles in Fide quidem constantes, ad vitia tamen deflectunt; ut videatur subinde quasi potior pars peccatis immersa esse: Deus tamen ex sua misericordia & promissione semper providit Ecclesiæ, ut excitaret viros gratiâ Dei insignes, qui alios suo exemplo & verbo ad Euangelicam vitam & mores excitarent: quod ab initio Ecclesiæ factum esse notissimum est; dum Deus tot Martyres dedit, qui alios in Fide & pietate suo exemplo confortarent; Deinde sanctos viros *Antonium*, *Paulum Eremitam*, *Simeonem Stylitam*, &c. qui innumeros viros & mulieres, non tantùm ad observantiam mandatorum Dei, sed etiam ad servanda Euangelica Consilia provocarunt; ut dum sæculares alii viderent hos etiam Consilia per Dei gratiam servare, ipsi eò magis commoverentur ad necessariam Dei præceptorum observantiam.

II. Hæc est intentio, hæc est institutio tot diversorum Ordinum in Ecclesia Dei à sanctis viris deinceps diversis temporibus facta; utpote à *sancto Antonio*, *Basilio*, *Hieronymo*, *Augustino* primis quatuor sæculis; deinde 5. sæculo à *sancto Benedicto viro*, vitæ sanctitate spirituque prophetico & miraculis clarissimo; per quorum sectatores Catholici ad morum correctionem & Dei præceptorum observantiam provocati sunt, & instructi.

Cùm verò zizania morum in Ecclesiam postea irrepserat, Deus *sanctum Bernardum & Brunonem* Ordinis Carthusianorum Institutorem sanctitate & miraculis celeberrimos, &c. excitavit, postea *sanctum Dominicum & Franciscum*, quorum omnium sanctorum virorum instituta & Regulæ, licèt quoad particulares quosdam vivendi mores & externum habitum differant; tamen in his, quæ *Fidei*, *Spei & Charitatis*, *& Consilii Euangelici* sunt, conveniunt: ut ex singulorum Regulis patet; in quibus principaliter præcipitur, & intenditur, ut omnes Regulam profitentes in Dei amore & præceptis perseverent; & ad hunc scopum commodius obtinendum Euangelica à Christo data Consilia amplectuntur, ut *Castitatem*, *Paupertatem*, *& obedientiam*: in quibus omnes conveniunt, ut eò expeditiùs noctu & interdiu Deum laudare, & in ipsius amore proficere possint juxta illud Christi, Matthæi 19. v. 21. *Si vis perfectus esse*, &c. Et illud ibidem v. 12. *Sunt, qui se ipsos castraverunt propter Regnum cælorum*, &c. & illud v. 29. *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Sed quia aliquæ Regulæ non solùm vitam monasticam, sed etiam proximorum salutem promovere intendunt; ad quæ diversa media sunt; etiam diversos modos usurpant, & præscribunt, quæ omnia à sancta Ecclesia approbata sunt, & salvâ Fidei & Charitatis unione servantur.

Quòd si autem contingat Regulares à suis institutis deficere, vel etiam ad magna peccata dilabi; ad hoc rigida sunt ordinata Reformationis remedia. Et si subinde illa non juvent, Deus excitat semper alios pios

ARTICULUS IV.

Quòd Ecclesia Romana habeat Notam sanctitatis morum.

I. Demum ad sanctitatem veræ Ecclesiæ spectat, quòd semper in illa non solùm sint homines pii, licèt malis permixti, ut triticum cum zizania, sed etiam aliqui vitâ & moribus, prophetiæ dono & miraculis illustres semper reperiantur; qui quasi stellæ cæli fulgeant præ arena maris, ut D. *Augustinus* epist. 48. ad Vincentium ex promissione Dei Abrahæ facta ostendit, ut dubitari non possit: quin sint veri Dei amici, adeóque in vera Fide fundati, *sine qua nemo Deo placere potest*.

Tales autem illustres viros extitisse à tempore *Gregorii Magni* & per singula sequentia sæcula, quibus Acatholici asserere audent Ecclesiam Romanam prorsus idololatricam & Apostaticam fuisse; tam clara in omnibus historiis testimonia demonstrant, ut nec ipsimet Acatholici negare possint.

Lutherus in lib. de abroganda Missa circa finem vocat sanctos *Bernardum*, *Dominicum*, & *Franciscum*.

Philippus Melanchton in Apologia Augustanæ Confessionis *dictos Patres sanctis viris accenset*. Et in 1. Corinthiorum 3. v. 15. & in articulis Bavaricis etiam adjungit *Bonauenturam*, &c.

II. *Caluinus* etiam in 1. Corinth. 3. suprà relatus & ex ipso Marloratus ibidem plurimos sanctos viros recensent ex primitiva Ecclesia, ut *Cyprianum*, *Ambrosium*, *Augustinum*, &c. quos fatentur supra Christum fundamentum ædificasse: sed mentiuntur illos stipulam & lignum errorum superædificasse; ita tamen, ut salvi facti sint, & subjiciunt hæc verba: *Adde etiam, si licet, ex recentioribus Gregorium & Bernardum, aliosque ejus Notæ, qui quum haberent hoc propositum, ut in Christo ædificarent, à recta tamen ædificandi ratione sæpe aberrarunt; tales dicit Paulus saluari*, &c. hæc Marloratus cum Calvino.

Petrus Martyr classe 3. loc. comm. cap. 9. §. 27. similiter asserit, *Bernardum, Dominicum, & Franciscum in Fundamento Christo vixisse, & seruatos esse non dubitat*. Verùm ex suo falso cerebro fingens subdit: *Non raro fit, ut quibus datum non fuerit per totam vitam, ut de Religione bene sentirent, id sæpe concedatur illis in ultima hora, ut superstitiones, & abusus, quibus antea sese manciparant, noxios fuisse intelligant, quod ego non dubitauerim Bernardo, Francisco, & Dominico, & nonnullis ex veteribus Patribus euenisse*, &c. hæc ille.

III. Veruntamen illos sanctos viros in omnibus credidisse, quidquid credebat, & credit sancta Romana moderna Ecclesia nimis ex ipsorum scriptis, & vita evidens est: ut de *sancto Bernardo* constat, qui cum aliis sese Berengario heroicè opposuit, & licèt pravos multorum in Ecclesia, imò etiam in Aula Pontificis mores zelosè redargueret, verè tamen & humiliter Romano obediens fuit Pontifici; ejque dignitatem & potestatem à Christo datam professus est; qui insignem Cistercensium Monachorum ordinem instituit, & propagavit, ipsorum Abbas & sacerdos, cujus scripta Euangelicam doctrinam spirant, cujus vita sanctissima, & quem Deus innumeris decoravit miraculis.

Similiter constat de *sancto Dominico*, qui, ut suprà ostensum est tam heroicè se opposuit *Albigensibus*, quos Acatholici viros orthodoxos, & fratres vocant: qui *Ordinem insignem Prædicatorum* instituit authoritate Romani Pontificis, quemque Deus virtutum donis & pluribus etiam illustravit miraculis; inter quæ sunt, quòd tres mortuos resuscitarit.

IV. Quòd *sanctus Franciscus* juxta doctrinam Euangelicam & Romanam, omnem spem suam in Christo Jesu collocarit, & in sola ejus cruce cum sancto Paulo gloriatus fuerit; inde gratiam hauserit, & omnes ad Christi amorem & crucis imitationem verbo & exemplo cohortatus sit; nimis clarum est ex vita & Regula ejus: & Ecclesia testatur in oratione illa: *Domine Iesu Christe, qui frigescente mundo ad inflammandum corda nostra tui amoris igne in carne beatissimi Patris Francisci passionis tuæ sacra stigmata renouasti*, &c.

Quòd verò *sanctus Franciscus* Pontifici Romano subjectus, & Fidem Romanæ Ecclesiæ professus sit; patet ex ipsius Regula, ubi cap. 1. sic ait: *Frater Franciscus promittit obedientiam & reuerentiam Domino Papæ Honorio, & successoribus ejus canonicè intrantibus, & Ecclesiæ Romanæ*, &c. Et quòd sic usque ad finem permanserit; patet ex ejus testamento, ubi dicit de fratribus suis, quòd; *quicunque inuenti essent, qui non essent Catholici*, &c. *illi sicut homines in vinculis custodiri debeant*, &c.

Demum horâ mortis appropinquante, ut scribit sanctus Bonaventura in vita sancti Francisci cap. 14 *Fratres conuocatos paterno affectu ad diuinum est hortatus amorem, de patientia, paupertate, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Fide seruandis sermonem protraxit; cæteris institutis sanctum Euangelium anteponens*, &c. Et paulò post prælecto ipsi Euangelio *ante festum Paschæ*, &c. Joann. 13. *obdormiuit in Domino*, hæc sanctus Bonaventura. Ecce qualiter in Fide Romana perseveraverit; cujus vita tam innocens & pia fuit; qui in omnibus conabatur Euangelicæ doctrinæ obsequi: ut nimis impudens habendus sit, qui ipsum non verum Dei servum fuisse fateatur, quem Deus tot stupendis & claris miraculis in vita & post mortem illustravit.

Divus *Bonaventura* etiam in scriptis suis ostendit; se Fidei Romanæ firmissimè inhæsisse: cujus pietas tam ex vita, quàm dictis & scriptis illius elucet, qui etiam in Cardinalium collegio usque in finem extitit, quod Acatholici maximè detestantur; & tamen fateri debent illum virum sanctum fuisse: qui etiam inter alia opuscula scripsit Psalterium Beatæ Virginis Acatholicis maximè invisum; & tamen in veritate nihil impium continens, licèt pravæ mentes pravè interpretentur.

Quis ergo non miretur Acatholicorum impudentiam, qui sine teste, & sine ullo signo volunt,

Digitized by Google

volunt, quòd tales viri in ultima hora abnegaverint Fidem Ecclesiæ Romanæ; quam tot modis professi fuerunt? unde potiùs patet horrenda ipsorum pertinacia, quòd omnes illos sanctos Patres, etiam *Cyprianum*, *Ambrosium*, *Augustinum* cum reliquis plurimis arguere audeant superstitionis, & quòd multa falsa docuerint: & hoc ideo, quia negare non possunt, quin asseruerint eadem, quæ moderna Ecclesia docet, & ipsi damnant.

V. Tantâ itaque vitæ & morum sanctitate in Ecclesia Romana floruerunt viri plurimi; ut etiam Acatholici nihil culpabile tangere potuerint, nisi quòd Fidem Ecclesiæ Romanæ professi sint: sed ex hoc potiùs constat, quòd Fides Romana vera sit, quam tales insignes Euangelici fructus sequuntur juxta verbum Domini Matth. 7. v. 16. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Tales plurimi viri & fœminæ his posterioribus sæculis usque in præsens per Dei gratiam floruerunt, & florent, qui cum vitæ sanctitate Fidem Ecclesiæ Romanæ inter Turcas, Persas, Japonenses, Chinenses, &c. usque ad sanguinem professi sunt, & profiteri parati fuerunt.

Hìc meritò obstupescenda est Acatholicorum versutia & malicia, qui cùm in tantis viris nihil reperire potuerunt, quod veros Dei servos dedeceret, nisi quod Fidem Romanam tenuerint, ipsos fuisse salvatos fatentur, quia in Christo fundamento manserunt; licèt, ut fingunt, errores docuerint, quos stipulæ & lignis comparant, quæ non tollunt fundamentum Fidei vel salutis: & tamen eadem dogmata, quæ in sanctis viris æstimant stipulas, in Ecclesia Romana planè idololatrica, & Christum fundamentum evertentia esse condemnant; si in *Cypriano*, *Augustino*, *Gregorio*, *Bernardo*, *Dominico*, *Francisco* & aliis stipulæ fuerint, quomodo eadem in Ecclesia Romana fundamentum Fidei tollunt? *Ecce quomodo mentitur iniquitas sibi?*

ARTICULUS V.

De Reformatione Ecclesiæ laudabili, & Acatholicorum detestabili.

I. HIc ultimatè circa sanctitatem Ecclesiæ observandum est; quòd, licèt sanctitas Ecclesiæ quoad doctrinam Fidei & morum deficere nullatenus possit, juxta tot & tam clara Christi promissa suprà lib. 3. allegata: sic etiam sanctitas vitæ & morum, nunquam ab Ecclesia universali deficiat; quin aliqui semper futuri sint pii & boni instar tritici, &c. nihilominus fieri potest, ut plures particulares hinc inde in Fide vel hæsitent, vel à Fide deficiant; ita tamen, ut Fides vera penes universalem Ecclesiam maneat, ad quam errantes reduci debent ab ipsa Ecclesia universali sub uno Capite per Doctores, &c. quos Deus semper dabit.

Similiter, quia juxta humanam fragilitatem & diabolicam seductionem plures fideles in Fide quidem constantes, ad vitia tamen deflectunt; ut videatur subinde quasi potior pars peccatis immersa esse: Deus tamen ex sua misericordia & promissione semper providit Ecclesiæ, ut excitaret viros gratiâ Dei insignes, qui alios suo exemplo & verbo ad Euangelicam vitam & mores excitarent: quod ab initio Ecclesiæ factum esse notissimum est; dum Deus tot Martyres dedit, qui alios in Fide & pietate suo exemplo confortarent; Deinde sanctos viros *Antonium*, *Paulum Eremitam*, *Simeonem Stylitam*, &c. qui innumeros viros & mulieres, non tantùm ad observantiam mandatorum Dei, sed etiam ad servanda Euangelica Consilia provocarunt; ut dum sæculares alii viderent hos etiam Consilia per Dei gratiam servare, ipsi eò magis commoverentur ad necessariam Dei præceptorum observantiam.

Hæc est intentio, hæc est institutio tot diversorum Ordinum in Ecclesia Dei à sanctis viris deinceps diversis temporibus facta; utpote à *sancto Antonio*, *Basilio*, *Hieronymo*, *Augustino* primis quatuor sæculis; deinde 5. sæculo à *sancto Benedicto viro*, vitæ sanctitate spirituque prophetico & miraculis clarissimo; per quorum sectatores Catholici ad morum correctionem & Dei præceptorum observantiam provocati sunt, & instructi. II.

Cùm verò zizania morum in Ecclesiam postea irrepserat, Deus *sanctum Bernardum & Brunonem* Ordinis Carthusianorum Institutorem sanctitate & miraculis celeberrimos, &c. excitavit, postea *sanctum Dominicum & Franciscum*, quorum omnium sanctorum virorum instituta & Regulæ, licèt quoad particulares quosdam vivendi mores & externum habitum differant; tamen in his, quæ *Fidei*, *Spei & Charitatis*, *& Consilii Euangelici* sunt, conveniunt: ut ex singulorum Regulis patet; in quibus principaliter præcipitur, & intenditur, ut omnes Regulam profitentes in Dei amore & præceptis perseverent; & ad hunc scopum commodius obtinendum Euangelica à Christo data Consilia amplectuntur, ut *Castitatem*, *Paupertatem*, *& obedientiam*: in quibus omnes conveniunt, ut eò expeditiùs noctu & interdiu Deum laudare, & in ipsius amore proficere possint juxta illud Christi, Matthæi 19. v. 21. *Si vis perfectus esse*, &c. Et illud ibidem v. 12. *Sunt, qui se ipsos castraverunt propter Regnum cælorum*, &c. & illud v. 29. *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Sed quia aliquæ Regulæ non solùm vitam monasticam, sed etiam proximorum salutem promovere intendunt; ad quæ diversa media sunt; etiam diversos modos usurpant, & præscribunt, quæ omnia à sancta Ecclesia approbata sunt, & salvâ Fidei & Charitatis unione servantur.

Quòd si autem contingat Regulares à suis institutis deficere, vel etiam ad magna peccata dilabi; ad hoc rigida sunt ordinata Reformationis remedia. Et si subinde illa non juvent, Deus excitat semper alios pios

Zelotes, qui suo exemplo ordines reforment, & ad pristinum rigorem reducant; prout nimis clarum est.

Quòd verò Ecclesia Romana Dei præcepta semper zelarit, ac mores fidelium pios conservare, vel depravatos reformare studuerit, patet ex omnibus Conciliis; ac præsertim ultimo Concilio Tridentino: ubi tam quoad populum, quàm quoad Clerum tam pia decreta Reformationis facta sunt; ut exinde luce meridianâ clariùs pateant calumniæ & mendacia; quibus Acatholici Ecclesiam Romanam damnant.

III. Hæc præmissa conferantur cùm illis quæ à *Luthero, Caluino, Zvvinglio, Beza*, & cæteris perversis, quos Acatholici volunt à Deo missos esse Ecclesiæ reformandæ Ministros, tradita & acta sunt, & etiamnum aguntur; & manibus palpari poterunt: quòd nec Fidem reforment, quæ reformabilis non est, nec mores Christianos; multò minùs Euangelicam vitam introduxerint; sed potiùs, quantum in ipsis erat, fidem & mores bonos sustulerint: cùm ex ipsorum Ministrorum confessione pateat, quòd sceleratiores mores apud illos sint, quàm inter Catholicos fuerunt. Adhæc florem Ecclesiæ, ut sanctus Cyprianus & alii Patres dixerunt, & veritas docet, scilicet Euangelicorum Consiliorum usum, abrogatum & destructum voluerunt, ad quæ Christus tam manifestè hortatur: quæ tantopere in Ecclesia primitiva in Eremis ac in claustris floruerunt. Si præcepta Dei & Euangelica Consilia à pluribus Catholicis vel Religiosis non bene servabantur; tunc isti pseudoprophetæ ad meliorem Dei præceptorum & ferventiorem Euangelicorum Consiliorum observantiam verbo & exemplo suo alios provocare debuissent. Si Calvinus videbat modernos Monachos ab instituto & moribus Monachorum primitivæ Ecclesiæ, ut vult, defecisse; ipse suo verbo & exemplo ad pristinam formam alios excitasset: sicut antiqui sancti Patres, & alii, ut *sanctus Dominicus, Franciscus*, & reliqui egerunt; qui meritò Euangelici Reformatores vocantur. Sed Calvinus & ejus Asseclæ non aliter Euangelici Reformatores dicendi sunt, quàm *malitia hominum* mundus, sed minimè mundus, in sacra Scriptura vocatur; qui Christum non agnoscit; sic nec ipsi verum Euangelium noverunt, nec agnoscunt; Ecclesiæ mores ad Religiosorum instituta forté in aliquibus dilapsa, non reformarunt, sed planè depravarunt, & è medio inter suos, ubi possunt, sustulerunt; *veræ vulpes*, quæ demoliri conatæ sunt vineam Domini: *veri lupi*, qui sub pelle ovina ficti nominis Euangelicæ Reformationis non per ostium, sed aliunde ingressi oves Christi dispergere, mactare & perdere studuerunt; *ubi apud illos ulla species Euangelicorum Consiliorum?* quis Ministrorum illos ad virginitatem, paupertatem, &c. propter Christum exhortatur? cùm tamen hæc Christus tantopere commendavit: ubi apud illos status virginalis prædicatur, *qui flos est Christianæ Ecclesiæ, ut sanctus Cyprianus*, & alii loquuntur, unde per tales morum reformatio expectanda? Deus autem quotidie Catholicorum mores per Ecclesiæ Pastores, & Doctores, ac piorum Religiosorum, nec non aliorum exemplarem vitam conservat, & ubi deficit, restaurat; ut tandem etiam quoad hæc sancta & immaculata non habens maculam neque rugam sponso suo exhibeatur.

ARTICULUS VII.

Quòd Nota nominis & rei Catholicæ *Ecclesiæ Romanæ competat.*

I. Quòd nomen *Catholicum* specialiter Ecclesiæ Romanæ tribuatur, ex his, quæ lib. 3. dicta sunt, facilè patet; quia, sicut dixit suo tempore D. *Augustinus* lib. contra epistolam fundamenti Manichæi, *ipsum nomen Catholicum quod non sine causa inter tam multas Hæreses sic illa Ecclesia* (Romana) *sola obtinet, ut cùm omnes heretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam* (Ecclesiam) *conueniatur, nullus Hæreticorum vel Basilicam suam, vel domum audeat ostendere.* Sic Augustinus. Hoc experientiâ constat etiam in urbibus, ubi Acatholici dominantur, & diversæ sectæ florent, *Lutheranorum, Caluinistarum, Gomorristarum, Armenianorum, Anabaptistarum*, &c. præter Catholicos, licèt hi occultè solùm convenire possint: nullus tamen ex prædictis sectis peregrino suam domum ostendit; vel saltèm intelligit, quòd ipsius sectam intendat, sed Catholicam Romanam: si aliquis de Ecclesia Catholica inquirat.

Constat etiam, quòd, licèt aliæ sectæ sibi speciosa nomina assumant, ut *Euangelicorum, Reformatorum*, &c. verissimè & communiter tamen ab Authoribus suis nuncupantur *Lutherani, Caluinistæ*, &c. quod ipsum sancti Patres olim in hæreticis notarunt: at verò nullus unquam Ecclesiæ Catholicæ Romanæ ab ullo certo Authore nomen indidit, vel dare potuit; quia non nisi tempore Apostolorum à Christo & Apostolis nomen habet.

Quòd autem *Caluinus* & alii Catholicos per contemptum passim vocent Romanenses, vel Papistas, adhuc Catholicæ veritati suffragatur; quia eo ipso Acatholici fatentur, quòd nullum invenire possint post tempora Apostolorum, qui hujus Romanæ Ecclesiæ & Fidei author fuerit, à quo nomen haberet: sicut omnium hæresum authores nominari possunt, à quibus denominentur.

II. *Papista* nomen constat, quòd à Papa derivetur. Papa autem non unius certæ personæ nomen est, sed dignitas est, quam Christus Petro dedit & successoribus ejus; ut esset ipsius vice-*Pater, Pastor, & Rector Ecclesiæ*, & tales ab initio Ecclesiæ Romani Pontifices agniti sunt, ut infrà ostendetur.

Similiter *Romanenses* vel Romana Ecclesia nominatur à Roma, ubi sanctus Petrus Ecclesiam fundavit, & sedem collocavit, Fidemque plantavit; unde per alias Ecclesias Occidentales propagata fuit; imo per totum orbem celebrata, teste ipso S. Paulo, qui antequam Romam venisset sic scribebat ad Rom. 1. v. 8.

Fides

Digitized by Google

Fides vestra annunciatur in universo mundo. Sic meritò tota Ecclesia Christi vera & universalis cum Ecclesia Romana Matre & principali in Fide communicans sanctè & laudabiliter Romanam se esse gloriatur.

III. Cæterùm quoad rem significatam per nomen Catholicum, constat ex SS. Patribus lib. 3. art. 5. allegatis, quod tria per hoc significentur: Primum, quod Ecclesia Catholica ex eo dicitur, quia à tempore Apostolorum fuit. 2. quia à tempore Apostolorum per totum orbem propagari cœpit & crevit. 3. quia semper manifesta duravit: quæ omnia SS. Patres ex clarissimis S. Scripturæ promissionibus demonstrarunt in Ecclesia Christi vera futura esse: ac proinde, ubi talia non inveniuntur, nullatenus Ecclesia vera Christi Catholica esse possit.

Primum igitur, quod Ecclesia Romana inceperit à tempore Apostolorum, & tunc veram Fidem habuerit constat primo ex clarissimo allegato S. Pauli testimonio. 2. constat ex omnium SS. Patrum primitivæ Ecclesiæ testimoniis; qui Romanæ Ecclesiæ Fidem semper prædicarunt; imò omnes illos, qui ab illius communione se separarunt, schismaticos ac Hæreticos judicarunt, prout infrà ostendetur. Sic *Cyprianus, sic Hieronymus, sic Augustinus*, & reliqui omnes processerunt, quæ adeò clara sunt, ut & ipsi Acatholici negare non possint, prout patet ex iis quæ suprà art. 1. ex ipso Calvino lib. 4. Inst. cap. 7. §. 3. Hieronymo Zanchio & aliis allegata fuerunt.

IV. Ex quo sic concluditur: Ecclesia vera per totum orbem diffusa primis quadringentis annis tenuit communionem cum Ecclesia Romana, & eandem fidem; & ab illo tempore semper usque ad præsens adhuc retinet eandem fidem Ecclesia Romana, & Ecclesiæ omnes per orbem diffusæ cum Romana communicantes; adeóque illa est vera Catholica Christi Ecclesia.

Posteriorem quidem partem Acatholici negant; sed nunquam contrarium probare potuerunt. Primò, in quo vel quibus articulis fidei moderna Romana ab antiqua Romana defecerit; Nam licèt plures allegent; falsissimum tamen esse clarissimè ex doctrina primitivæ Ecclesiæ ostendetur infrà in particulari, & hactenus ostensum est.

2. Constat quod Ecclesia vera universalis semper mansura sit usque ad finem mundi manifesta, ut sæpe ostensum est; ac proinde, si Ecclesia Romana post 300. 400. vel 600. aut 800. vel 1000. annos, prout Acatholici mendaces inter se differentes asserunt, à vera Christi universali promissione defecisset, necessarium esset: ut Authorem defectionis, locum & tempus certum specificent, sicut ostendi potest de omnibus antiquis hæresibus, à quo, & quo tempore inceperint. Insuper ostendi debet, ubi, & quæ Ecclesia vera fuerit, à qua Romana defecerit; cùm clarissimè ex S. Scriptura SS. Patres ostendant, quod Ecclesia Christi vera usque ad finem mundi manifesta per orbem mansura sit. At verò nihil horum Acatholici ostendere potuerunt; æquè minùs ostendere possunt aliam Ecclesiam veram per orbem diffusam illis temporibus fuisse, à qua Romana Ecclesia cum Ecclesiis sibi in fide communicantibus sese separaverit: sicq; manifestius falsitatis & malitiæ in accusatione Ecclesiæ Catholicæ arguuntur, quam duo senes nebulones in accusatione pudicæ Susannæ, ut suprà declaratum est.

V. Contrarium probatur: nam constat quod tempore *S. Gregorii Magni*, quando plerique defectionem factam fingunt, omnes orthodoxæ Ecclesiæ tam Orientis, quàm Occidentis cum Romana Ecclesia, & Romanis Pontificibus communicarint: ut patet ex iis, quæ suprà agendo de schismate Græcorum ostensa sunt, qualiter *Græca & Orientis Ecclesiæ Romanum Pontificem ut Patrem agnoverint*, ejusque communionem vel servarint, vel servare cupierint; donec in hæresin & schisma de processione Spiritûs Sancti lapsæ fuerunt, quam ipsi Acatholici etiam hæresim esse fatentur.

3. Licèt Græci in illo articulo de Spiritu Sancto ab Ecclesia Romana defecerint, quem Acatholici cum Romana profitentur; certum tamen est, quod plurimos alios Fidei articulos cum Ecclesia Romana profiteantur, quos Acatholici ut Idololatricos & Hæreticos damnant: in quo evidens signum est, quod Græci & Orientalis Ecclesia illos articulos non assumpserant de novo ab Ecclesia Romana, quasi nova, quam condemnabant, sed habuerint cum Ecclesia antiqua Orientali primorum seculorum, quæ tunc cum Ecclesia Romana communicabat; & hanc, ut Matrem Ecclesiarum honorabat, & profitebatur: adeoque manifestum signum est, quod illi articuli, in quibus Acatholici Ecclesiam Romanam defecisse mentiuntur, & quos Græci etiamnum tenent in primitiva Ecclesia, dum Orientales cum Romana Ecclesia communicarunt, crediti & docti fuerint.

VI. 4. Idem constat ex ipsorummet Acatholicorum confessione, qui convicti fateri debent; quod non tantum unus vel alter, sed SS. Patres in communi eosdem Fidei articulos docuerint: & contrarium asserentes hæreticos damnarint, quos ipsi Acatholici jam ab Ecclesia Romana doctos abominantur, damnant, & quasi posterioribus seculis inventos à priscis ignoratos fuisse mentiuntur; sibi ipsis contradicentes, licèt excusationem frivolam addant; dicentes, tales articulos in SS. Patribus fuisse nævos & stipulas; sed hoc ipso saltem fatentur, quod SS. Patres illos docuerint, ac proinde ignoti non fuerint, quin potiùs ut fidei dogmata traditi sint: prout de pluribus suprà ostensum est, & infrà suis locis patebit.

5. Constat ex SS. Patribus & Historicis primitivæ Ecclesiæ, quod, quamprimum aliquis error ab aliquo Hæresiarcha moveretur SS. Patres statim insurrexerint, & contra tales scripserint, & Concilia congregarint; in quibus erroris damnati fuerunt: quod etiam patet in rebus quasi minoris momenti; utpote dum aliqui in primitiva Ecclesia urgerent *Pascha cum Judæis decima quarta luna* semper celebrandum esse, ab Ecclesia damnati & *quartodecimani Hæretici* dicti sint: unde sic arguitur. Quod si Ecclesia Romana in tot gravissimos, ut Acatholici volunt, idololatriæ, *&c.* errores post Annum 500. vel 600. lapsa defecisset: ostendant vel aliquem S. Patrem, vel historicum, qui contra tales errores scripserit quasi recenter inventos, vel qui testentur, quòd aliquod Concilium contra tales congregatum fuerit, vel tales damnarit.

Digitized by Google

Contrarium autem constat, quod SS. Patres illa Ecclesiæ Romanæ dogmata, ut sancta, pia, & Catholica docuerint, & contrarium asserentibus anathema dixerint; hoc unicum sincero Christiano sufficeret ad agnoscendam veritatem, quòd Ecclesia Romana moderna cum antiqua consentiat, & ejusdem cum antiqua Ecclesia Fidei permanserit.

VII. Quòd etiam *Romana Ecclesia per orbem terrarum diffusa semper manifesta fuerit*, patet ex præmissis, cùm omnes Ecclesiæ orthodoxæ in toto orbe cum Ecclesia Romana communionem habuerint: quod quoad primos 500. & 600. annos Acatholici fatentur, & ex clarissimis historiis constat; cùm SS. Patres in diversis orbis partibus existentes suas Ecclesias ut orthodoxas probarint ex eo; quòd cum Romana communionem habeant, & hæc à tempore Apostolorum manifesta permansisset. *Ex quo sic arguitur*: Moderna Ecclesia Romana eandem prorsus doctrinam tradit & amplectitur, quam Romana primis sexcentis annis docuit & credidit; uthactenus satis demonstratum est, & ampliùs demonstrabitur, nec unquam ostendi potest, quòd ab illa Fide defecerit; sed manifestè probari potest, quòd semper eandem docuerit; itaque evidens est, quòd manifesta vera Christi Ecclesia permanserit.

Nec obstat *Schisma Græcorum & defectio Orientalium* à Romana Ecclesia ab Anno 600. vel 800. sed hoc potiùs convincit veritatem Ecclesiæ Romanæ, quæ in doctrina primitivæ Ecclesiæ perstitit, cùm Orientales plurimi ad damnatas in primitiva Ecclesia hæreses defecissent; & præsertim Græci in articulo de *processione Spiritus Sancti, à Patre Filioq;* pertinaciter errassent: quos omnes Acatholici ut hæreses & errores agnoscunt, ut suprà ostensum est: quod Græci aliquoties resipiscentes illum & alios articulos erroris damnarunt: At verò Ecclesia Romana semper constans in primitiva doctrina perseveravit, nec unquam fidem suam mutasse aut revocasse ostendi potest.

Vnde tandem palpabile est, quod Ecclesia Romana in fide vera permanserit, & Græca defecerit; adeoque Romana cùm sibi communicantibus vera Ecclesia universalis permanserit: licèt Græci & alii Orientales, utpote manifesti Hæretici, *Nestoriani*, *Eutychiani* defecerint, & magnam orbis partem occuparint; sicut etiam olim Ecclesia vera non deficiebat esse universalis, licèt Ariani plurimam partem in Imperio Romano occuparent: de quo ex SS. Patribus, & specialiter ex D. Augustino suprà agendo de diffusione Ecclesiæ per totum orbem ostensum est.

VIII. Demum hoc ostenditur ex eo, quod, licèt *Saraceni*, *Jacobitæ*, *Nestoriani & Græci* magnam orbis Orientalis partem modo occupent; tamen inter se maximè divisi in plures sectas sint, ut suprà ostensum est, ut una secta non adeo magna sit, & licèt magna esset, nunquam tamen ad partes Occidentales pervenerit: At verò Ecclesia Romana antehac omnem Orientem & Occidentem occuparit, & deficientibus Saracenis & manifestis Hæreticis adhuc occupat plures partes Occidentales, & ante annos 150. veram Fidem propagavit in *India Orientali & Occidentali*, quæ superant orbem antehac cognitum; in quo tunc solùm vera Ecclesia erat, & indies propagatur in regnis *Iaponiæ & Chinensi* vastissimis; imo Romana Ecclesia missiones suas habet in plerisque Orientis partibus; ut vel exinde etiam verè Catholica universalis per totum orbem diffusa præ omnibus dicenda sit: sicut primitiva Ecclesia tempore Apostolorum, & sequentibus primis seculis, verè per orbem diffusa dicebatur, quia in plerisque regnis totius mundi fides annunciabatur, & crescebat; licèt infideles numero prævaluerint, & plura regna ut Germaniæ & Septentrionales Regiones post 800. annos fidem Christi audiverint.

Verè igitur Ecclesia Romana est Christi Ecclesia Catholica per universum orbem à tempore Apostolorum diffusa & manifesta; quæ omnes scilicet Ecclesias cum Ecclesia Romana in fide & sacramentis communicantes, & unam Ecclesiam sub uno visibili Capite Christi vicario constituentes complectitur.

ARTICULUS ULTIMUS.

Quòd Nota Ecclesiæ Apostolicæ competat Ecclesiæ Romanæ modernæ.

Ostensum est l. 3. quod ad Notam *Ecclesiæ Apostolicæ* tria requirantur: Primum, quod ab Apostolis sit fundata. 2. ab illorum tempore per legitimos successores semper conservata fuerit. 3. quod doctrinam ab Apostolis traditam semper tenuerit. I.

Cæterum primum, quod Romana Ecclesia ab Apostolis fundata & plantata fuerit scilicet à S. Petro, & postea à S. Paulo irrigata; nimis evidens est, & ab adversariis concessum, licèt aliqui negare audeant, quod tamen infrà demonstrabitur. 2. quod autem semper talis Ecclesia quoad doctrinam permanserit, etiam ostensum est, articulo præcedenti, & in particulari patebit.

Tertium, quod Ecclesia vera per legitimos successores Apostolorum propagata fuerit, SS. Patres olim probabant per varias sedes ubi Apostoli sederant; sed specialiter & principaliter per successionem Episcoporum Romanæ Ecclesiæ ut suprà l. 3. ex *Irenæo*, *Tertulliano*, *Cypriano*, *Epiphanio*, *Optato Mileuitano*, *Hieronymo*, & *Augustino* ostensum est: qui licèt essent vel Græci, vel Afri, aut alterius nationis, vel etiam Episcopi aliarum sedium, ubi alii Apostoli sederant; non tamen successionem ab alia sede Patriarchali; etiam ab Apostolis fundata; ut *Antiochena*, *Hierosolymitana vel Alexandrina*; sed à Romana allegarunt, & accuratissimè enarrarunt, ac Catalogum singulorum qui in cathedra Romana S. Petro successerint, recensuerant; idque eam ob causam, quia apud SS. Patres indubitatum erat, quod juxta Christi promissionem Petrus ejusque successores veram docturi essent fidem; acproinde Ecclesia per orbem diffusa cum Pontifice Romano in fide communionem habens, à vera fide deficere non posset, cum in Petro ejusque successoribus Ecclesiæ universæ promissio facta esset, prout ex verbis SS. Patrum suprà allegatis clarum est.

Sufficiat hic *Cyprianus* qui lib. 1. epist. 3. ad II.
Cor-

Digitized by Google

Cornelium ait: *Nauigare audent ad Petri cathedram*; & paulò post; *Nec cogitare eos esse Romanos, ad quos* (NB) *perfidia habere non possit accessum*, &c. hæc ille, ecce quàm clarè supponit Cyprianus stabilitatem Fidei Ecclesiæ Romanæ.

Ambrosius serm. de mirabilibus sic ait: *Hanc solam Nauim ascendit Dominus, in qua Petrus magister est constitutus, dicente Domino: Super hanc Petram adificabo Ecclesiam meam; quæ nauis in altum seculi ita natat; ut pereunte mundo omnes, quos suscipit, seruet illæsos, sicut enim Noe, &c.* hæc ille. Quomodo illæsos servabit, si illa à fide deficere possit? Hoc supponebat D. Augustinus sæpissime & specialiter epist. 165. dicens: *Quanto certius & vere salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesia figuram gerenti Dominus ait: Super hanc Petram adificabo Ecclesiam meam. Petro successit Linus, &c.* prout suprà lib. 3. cap. 6. de Notis Ecclesiæ art. 6. relatum est.

III. Idem August. in psalmo contra partem Donati sic scribit: *Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa sede Petri. & in ordine illo Patrum, quis cui successerit videte: Ipsa est Petra, quam non vincunt superba inferorum porta.* Item lib. 2. de grat. & pec. originali cap. 8. sic ait: *Attendit etiam quid de illo sentiret prædicanda in Domino Romanorum fides; quorum aduersus ejus* (Pelagii) *errorem pro Catholica veritate concorditer flagrare cernebat, &c.* hæc Aug.

Similiter Optatus Milevitanus lib. 1. contra Parmen. c. 3. ait: *Videndum qui & ubi primus cathedra sederit, negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo cathedram Episcopalem collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, in qua una cathedra, unitas ab omnibus seruaretur.* Jam *schismaticus & peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret, &c.* & iterum: *Cum quo nobis totus orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat. Petro successit Linus, Lino Clemens, &c.* ubi omnibus enarratis, sicut apud Augustinum subjungit: *Liberio Damasus, Damaso Siricius; qui modo sedet, &c.* & infert: *Vestra vos cathedra originem reddite, &c.* hæc ibi. Ecce quàm clarè pro Ecclesia Romana, & contra Acatholicos novas cathedras erigentes?

Idem lib. 2. contra Parmen. sic dicit: *Contra quas portas claues salutares accepisse legimus Petrum principem scilicet nostrum: quare claues regni vobis Donatista* (Calvinistæ & alii Acatholici) *usurpare contenditis, qui contra cathedram Petri vestris præsumptionibus & audaciis sacrilege militatis? &c.* hæc ibi.

IV. Hieronymus in epist. ad Damasum de nomine Hypostasis existens in Palæstina sic scribit: *Hic in tres partes scissa Ecclesia me ad se rapere festinat, ego interim clamito, si quis cathedra Petri jungitur, meus est, &c.* hæc ibi.

Idem epist. 57. ad eundem sic ait: *Oriens inter se populorum furore collisus indiscissam Domini tunicam, & desuper textam minutatim per frusta discerpit.* &c. *ideo mihi cathedram Petri & fidem ore Apostolico laudatam censui consulendam, &c.* & infrà: *Cathedra Petri communioni consocior, super illam Petram Ecclesiam adificatam scio.* Et infra: *Quicunq; extra hanc domum agnum comedit prophanus est, &c. quicunq; tecum* (Damaso) *non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est, &c.* hæc Hieron. plura infrà agendo de successoribus S. Petri adferentur.

Ex his evidens est SS. Patrum sententia; quomodo enim hi Patres sic locuti essent, nisi supposuissent promissionem Christi cathedræ Petri, & Ecclesiæ ipsi communicanti factam esse?

Vnde non erat argumentum SS. Patrum, prout volunt Acatholici; scilicet, quia tunc in Romana Ecclesia vera Fides docebatur, ideo contra illam militantes damnabantur: Hoc quidem apud Catholicos verum erat, sed *Donatistæ* & alii mordicus istud negabant, ut patet; & hoc tantum fuisset facti, quod hîc & nunc Romæ vera Fides docta esset, & dependisset ab hominibus, qui mutabiles sunt: sed SS. Patres aliunde argumentabantur; scilicet, quia Christus in Petro & successoribus promisit Ecclesiæ stabilitatem fidei per Spiritum S. conservandæ; ideo quicunque non communicaverint cathedræ Petri, à vera Fide & Ecclesia recedant. Et hoc argumentum valebit usque ad finem seculi, alioquin non valuisset in primitiva Ecclesia; & ideo nihil valent subterfugia Acatholicorum modernorum, ut lib. 3. demonstratum est.

Cui addendum, quod inter Pontifices Romanos à SS. PP. *Optato & Augustino* in catalogo successorum relato etiam numerentur *Iulius, Liberius*, &c. quos illi SS Patres ut veros & legitimos S. Petri successores & in fide consentientes recensent; attamen moderni Acatholici prout infrà ex Anonymo patebit, illos à vera Fide ad Arianismum defecisse asserere audent. Hæc autem clariùs patebunt, cùm infrà ostendemus, quod S. Petrus ejusque successores à Christo constituti fuerint ipsius Vicarii, & totius Ecclesiæ Rectores ac Capita, tum ex promissione Christi, tum ex communi sententia primitivæ Ecclesiæ. V.

Sicut verò SS. Patres non obstantibus *Arianorum, Nouatianorum, & Donatistarum* contradictionibus, & in sedem S. Petri calumniis Ecclesiam veram & Apostolicam demonstrabant per legitimam Episcoporum Romanorum in sede succedentium continuationem; ita, non obstantibus falsis Acatholicorum calumniis, Ecclesiam universalem, veram & Apostolicam demonstramus ex communione, quam habet, & semper habuit, cum successoribus S. Petri; qui à tempore B. Petri non solùm usque ad annum 400. quo Augustinus Catalogum scripsit, sed usque in hodiernum diem S. Petro in sede legitimè successerunt; eadem enim promissio à Christo facta, quæ usque ad tempora illorum SS. PP. militabat, etiam usque ad finem mundi constabit; cùm Christus illam non ad certum tempus restrinxerit, sed usque in finem mundi futuram dixerit.

Ex his demum evidens est quod Romana Ecclesia universalis per mundum diffusa in fide nullatenus errare possit juxta varias S. scripturæ promissiones & SS. Patrum testimonia: quæ hactenus de inerrabilitate veræ Ecclesiæ universalis Christi in generali, & speciali allegata sunt.

***

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO GENERALIS

De Ecclesia.

Ostensum fuit lib. 3. per totum, quod, quia non solùm *Ecclesia Catholica* vera se Christi Ecclesiam esse profitetur; sed etiam quotquot centeni fuerunt, vel sunt Hæreticorum cœtus & turbæ, veræ sponsæ Christi dignitatem sibi falsò arrogant, ac veram Ecclesiam se esse jactitarunt: ideo Spiritus Sanctus in S. Scriptura certa veræ Ecclesiæ signa indicarit; ex quibus vera à falsis discerni possit, etiam ab his, qui S. scripturam non ita penetrare possunt, prout D. August. lib. contra epistolam fundamenti indicat; unde ipse signa illius, vincula, quibus homo ad veram Ecclesiam trahatur, vel in illa contineatur, verissimè nuncuparit, & se his constrictum fateatur.

Ostensum est autem lib. 4. quod præter falsissimas *Ethnicorum*, *philosophorum*, *Atheorum*, *Judæorum & Turcarum turbas* à Dei & Christi Ecclesia prorsus alienas, qualicunque cœtui Hæreticorum antiquorum vel modernorum Acatholicorum; qui, sive in Oriente, sive in his Occidentalibus partibus diversi reperiantur, Notæ & signa veræ Ecclesiæ nullatenus competant; ac proinde nulla ex iis vera Ecclesia esse possit: necesse tamen est juxta promissa Dei, quod Ecclesia vera semper visibilis & manifesta usque ad finem seculi permansura sit.

VII. Ostensum demum est, quod omnes & singulæ Notæ etiam collectim sumptæ Ecclesiæ Romanæ modernæ, quæ scilicet per totum mundum diffusa cum Episcopo Romano S. Petri successore communionem habet, absolutè & simpliciter conveniant: ex quibus manifestè sequitur; hanc unicam veram esse Christi Ecclesiam: ut ideo quilibet Catholicus etiam in scripturis inexpertus securus esse possit de veritate suæ fidei, ex eo; quod sit in Ecclesia Romana, in qua vinculis prædictis continetur, quæ sanctos Patres in illa continebant, & asservabant, prout D. Augustinus lib. contra epist. Fundam. Manichæi profitetur cap. 4. & quilibet fidelis cum Augustino profiteri potest qui sic dicit: *In Catholica* (cui specificationis gratia addimus Romana) *ut omittam sincerissimam sapientiam, ad cujus cognitionem pauci spirituales in hac vita perveniunt,* &c. *Cæteram quippe turbam non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas* (NB) *tutissimam facit: ut ergo hanc omittam sapientiam, quam in Ecclesia Catholica* (Romana) *esse non creditis* (Manichæi, & vos moderni Acatholici) *multa sunt alia, quæ me in ejus gremio rectissime tenenant* (scilicet quæ tam clara sunt, ut negari non possint) *Tenet me consensio populorum & gentium* (hæc invenitur in Ecclesia Romana moderna) *tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate firmata* (& hæc sanctæ Romanæ Ecclesiæ sanctitas est demonstrata) *vetustate firmata. Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit usq; ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum* (quæ usque & ad hoc tempus 1663. in Romana Ecclesia conservatur) *Tenet postremo ipsum catholicæ nomen,* &c. (quod & specialiter ab omnibus Romanæ Ecclesiæ tribuitur) *Ista ergo tot & tanta Christiani nominis vincula rectè hominem tenent credentem in Ecclesia Catholica* (Romana) *etiamsi propter nostræ intelligentiæ tarditatem vel vitæ meritum veritas nondum se apertissimè ostendat, &c* hæc August. ubi contra Manichæos subjicit, quod ad literam etiam omnes modernos Acatholicos concernit, sic dicens: *Apud vos autem ubi nihil horum est* (scilicet signorũ ex S. scriptura delumptorum) *quod me invitet ac teneat: sola personat veritatis pollicitatio,* &c. *quam tamen non habent, &c.* hæc August. quasi diceret, veritatem omnes quotquot sunt sectæ Hæreticorum pollicentur, quam tamen sola unica Ecclesia Catholica habet & pollicetur, *&c.* unde ex tali nuda pollicitatione nullus veram à falsis Ecclesiis discernere potest, sed ex aliis Notis jam allatis: quæ omnes simul sumptæ soli veræ Ecclesiæ Christi competunt. De his vide suprà lib. 3. in conclusione, ubi prolixius verba Augustini allata sunt.

Cùm itaque tot sancti & clarissimi in S. scriptura versatissimi primitivæ Ecclesiæ Patres, illam unicam veram Christi Ecclesiam esse agnoverint, quæ cum Pontifice Romano, Petri successore communionem habet; in qua sola veræ Ecclesiæ signa inveniuntur, & cui Christus veritatis promissionem fecit, ac illa proinde in fide errare non possit; tutissimè & securissimè quilibet fidelis eosdem SS. Patres secutus in Ecclesia Romana perseverabit: & cum S. Hieronymo omnes, quotquot cum Romano Pontifice non colligunt, spargere; & non Christi, sed Antichristi esse judicabit, ac vitabit. Pro majori tamen claritate quoad Pontifici Romano factam Primatus promissionem, sequentia subjungimus. VIII.

CAPUT III.

De Primatu S. Petri ac successoribus ejus.

ARTICULUS I.

Referuntur Calumniæ Acatholicorum contra Primatum totius Ecclesiæ S. Petro à Christo collatum.

I. Hanc veritatem similiter plures Acatholici negarunt, ut *Joannes Huß*, qui inter articulos à Martino V. damnatos art. 7. sic asserebat: *Petrus non est, nec fuit caput Ecclesiæ.* Similiter *Lutherus* in Assertionibus art. 25. *Calvinus* lib. 4. Inst. cap. 6. §. 5. circa verba Matth. 16. dicit, quod illa verba nihil aliud de Petro significent; quàm de omnibus Christianis, qui super Christum superstruantur, *&c.* addit tamen dicens: *Hunc certe honorem Petro libenter concedo, ut in ædificio Ecclesiæ inter primos collocetur; verum ut Primatum in alios eum habere ex eo deducant, non permittam, &c.* hæc Calvinus pro sua absoluta potestate. Et §. 7. de scriptura dicit: *Percurre quidquid extat; nihil aliud reperies, quam fuisse*

fuisse unum ex numero duodecim parem reliquis & socium, non Dominum, &c. ubi hæc per multa loca ostendere nititur.

Verùm §. 8. advertens se non subsistere, sibi non constans dicit: *Verum ut de Petro illis concedam, quod petunt, fuisse scilicet Apostolorum Principem & dignitate reliquos antecelluisse; non est tamen causa, cur ex singulari exemplo universalem faciant regulam, & quod semel factum fuit, ad perpetuitatem trahant*, &c. hæc Calv. Sed quod maxima causa sit trahendi ad perpetuitatem, patebit.

II. Idem mendax & calumniator Calvinus ibidem cap. 7. §. 3. dicit: *Quantum ad ipsum titulum Primatus, & alios superbiæ titulos, quibus nunc mirabiliter se jactat, non est difficile indicare, quando & qualiter obrepserint*, &c. & paulò post: *Certo quamdiu durauit Ecclesiæ vera & pura facies; ista omnia superbiæ nomina, quibus insolescere postea cæpit Romana sedes, prorsus erant inaudita, quod esset summus Pontifex, & unicum Ecclesiæ in terris caput nesciebatur*, &c. hæc ibi. Deinde per aliquot §§. de antiquæ Ecclesiæ actis discurrens, & ad suum arbitrium omnia falsò torquens, & negans ullam Romani Episcopi in alias Ecclesias potestatem vel jurisdictionem §. 17. ait: *Tandem Phocas, qui cæso Mauritio in ejus locum suffectus est, Bonifacio tertio concessit, quod minime postulabat Gregorius, ut Roma caput esset omnium Ecclesiarum*, &c. ubi dicit, Græciam tamen & Asiam à Romana communione abscissam, & Galliam non paruisse, nisi ut liberæ, & subdit: *Tunc vero primùm in servitutem* (Gallia redacta est) *ubi Pipinus regnum occupauerat. Nam cum Zacharias Pontifex Romanus ei adjutor fuisset ad perfidiam & Latrocinium, ut pulso legitimo Rege regnum quasi prædam expositum raperet, hoc mercedis tulit, ut in Ecclesias Gallicanas Jurisdictionem haberet Romana sedes, quamdiu prædones commune spolium solent partiendo diripere*, &c. hæc mendax & calumniator Calvinus, quæ ex S. Scriptura & SS. Patrum primitivæ Ecclesiæ testimoniis apertæ falsitatis convincentur.

ARTICULUS II.

Quòd primatus totius Ecclesiæ sit à Christo collatus Petro probatur ex S. Scriptura.

I. PRo resolutione sciendum primò, quod certissimum sit, Christum Dominum duntaxat esse simpliciter absolutum Ecclesiæ Principem, & caput, juxta illud ad Ephes. 1. v. 21 & 22. *Deus Christum constituens supra omnem principatum, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* Coloss. 1. v. 18. *Ipse est caput omnis Ecclesiæ.*

2. Similiter certissimum & indubitatum est, quod Christus est unicus & absolutus Ecclesiæ Pastor & Episcopus, juxta illud 1. Pet. 2. v. 25. *Conversi estis nunc ad Pastorem & Episcopum animarum vestrarum*, &c. & Joann. 10. v. 14. *Ego sum Pastor bonus.* Sic etiam Christus est unus absolutus Ecclesiæ Magister, & doctor Matt. 23. v. 10.

3. Certissimum est quod Christus Dominus solus sic sit absolutus & simpliciter Ecclesiæ caput & princeps, qui non solùm secundùm divinitatem suam absolutè talis est; sed etiam secundùm humanitatem à Deo Patre constitutus sit; quia ipse solus suo sanguine Ecclesiam redemit, & acquisivit: ut ab illo solo, & per illum solum omnis gratia in Ecclesiam derivetur; in quibus etiam Christus nullum habet vicarium vel coadjutorem.

4. Etiam certissimum & indubitatum est; quod Christus Dominus solus, talis sit *princeps Judex & caput* Ecclesiæ, qui absolutè & sine nulla dependentia ad ullum alium scriptorē, consultorem vel coadjutorem Ecclesiam suam in omnibus regat, infallibiliter disponat, & gubernet; quod nulli prorsus nec Petro, nec aliis datum est nec competit. §. His sic ut certissimis suppositis Sciendum 5. quod adhuc sint alii modi, juxta quos alii ex Christi ordinatione secundùm certas & limitatas rationes esse & dici possint *Ecclesiæ magistri, Pastores, Rectores, Episcopi & etiam capita & fundamenta*, ut scilicet limitato & certo modo Christi vices gerant. Hoc patet ex variis S. scripturæ locis: *Sic Apostoli & Prophetæ vocantur fundamenta Ecclesiæ* Ephes. 2. v. 19. ubi Apostolus alloquens omnes fideles, dicit: *Estis cives Sanctorum & domestici Dei, superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu*, &c. ubi patet quod præter angulare & primum fundamentum Ecclesiæ, quod est Christus, alia dicantur fundamenta. Idem patet ex illo Apocal. 21. v. 14. *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim*, &c. *in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni.* De Episcopis animarum etiam patet Act. 20. v. 28. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, &c. De Ecclesiæ Doctoribus & Pastoribus constat Act. 13. v. 1. *Erant in Ecclesia quæ erat Antiochiæ Prophetæ & Doctores*, & 1. Cor. 12. v. 28. *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum quidem Apostolos, tertio Doctores*, &c. Idem Ephes. 4. v. 11. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos*, &c. *alios autem Doctores, & Pastores*, &c. Denique Apostolus de seipso dicit, 1. Tim. 2. v. 7. *Positus sum Doctor gentium*, &c. de capite etiam patet ex illo 1. Cor. 12. v. 13. ubi Apostolus locutus de Ecclesia, quod sit unum corpus, dicit: *Sicut corpus est unum, & multa habet membra*, &c. inter quæ etiam comprehenditur, caput secundarium præter Christum, ut patet v. 21. ubi dicitur: *Non potest oculus dicere manui, opera tua non indigeo, aut etiam caput pedibus, non estis mihi necessarii*, &c. Certum autem est, quod Christus absolutum Ecclesiæ caput potest dicere pedibus, non estis mihi necessarii; ergo Apostolus suppponit aliud secundarium in Ecclesia caput, quod pedibus indigeat, &c. ideo membra illa corporis ibidem Apostolus v. 27. specificat dicens: *Vos autem estis Christi corpus & membra de membro, & quosdam quidem Deus posuit in Ecclesia Apostolos*, &c. Ex his certum est, quod non solùm absque injuria Christi, sed etiam ex ipsius ordinatione præter ipsum primarium & absolutum Episcopum Christum Dominum, &c. sint in Ec-

Digitized by Google

in Ecclesia Episcopi, Pastores & capita; & sicut plures tales circa particulares Ecclesias sine arrogantia vel superbia tales esse & nominari possunt; sic in simili sensu etiam unus esse & dici potest *totius Ecclesiæ Pastor, Rector & caput*, non in temporalibus, cùm Christus dixerit: *Regnum meum non est de hoc mundo*, sed in spiritualibus, quoad regnum animarum: talem autem à Christo ordinatum esse Petrum probabitur.

III. Sciendum autem est; quod duobus modis dici possit Petrum esse Pontificem, Primatem & caput Ecclesiæ, ac summum Judicem, & Pastorem. Primò, ut ipse solus ita esset Pastor & Episcopus ac Judex; ut nulli sint alii ordinarii singulorum locorum Episcopi vel Pastores, quibus ordinaria regendi suas Ecclesias potestas competat; sed tantùm sint Vicarii summi Pontificis, & ipse pro capite suo sine consilio aliorum regat; ac sic sit absolutè monarchicum Papæ regimen in Ecclesia; verùm hic modus falsus est, & à sanctis Patribus ac doctoribus Catholicis negatur.

Secundus sensus est, ut sint quidem singuli Episcopi ordinarii Judices & rectores suarum Ecclesiarum; ita tamen, ut ultimatum judicium, ad quod appellari possit, sit penes summum Pontificem, & hic modus competit Petro, & ejus successoribus; & hæc Monarchia est possibilis, ut experientia constat; licèt Calvinus neget.

Tertiò etiam quæstio esse posset: An Pontifex in doctrina fidei & morum sit infallibilis; ita ut ipse solus sine consilio vel consensu & assistentia alicujus Concilii generalis vel particularis infallibiliter dubia fidei & morum definiendi potestatem habeat, & hoc plures Doctores æstimant verum esse; & satis indicat August. epist. 166. circa finem, sed non est de fide.

4. Omnes autem Catholici DD. docent, & de fide certum est; quod Pontifex cum Concilio generali aliquid in doctrina Fidei & morum definiens errare non possit: Si tamen absque Concilio generali, sed cum Concilio particulari aliquid in doctrina Fidei & morum definiat (sive errare sic possit secundùm aliquos, sive non possit, ut probabiliùs est) tamen ab omnibus fidelibus ipsi in his sit obediendum; donec Pontifex cum generali Concilio ultimatè definierit.

IV. Iterum omnes Catholici profitentur; quod summus Pontifex, quando non ut Pontifex aliquid in Fide & moribus definire vult, sed ut privatus Doctor de rebus Fidei vel morum docere intendit, possit ex ignorantia, sicut alius privatus Doctor errare.

Similiter omnes concedunt, quod Pontifex, etiam ut Pontifex, cum Concilio vel absque Concilio in controversiis facti, quæ ex hominum testimoniis dependent, errare possit. Demum de Fide certum est quod Concilium etiam generale sine approbatione summi Pontificis errare possit, & ideo ultimatè ipsius approbatio requiratur, hæc in sequentibus probabuntur.

Quod verò Petrus à Christo sit caput Ecclesiæ constitutus, probatur primo ex illo Matt. 16. v. 8. *Dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues Regni cælorum*, &c. ubi in textu originali expressè dicitur, *quia tu es Cepha seu Petra, & super hanc petram*, &c. Nam juxta idioma Hebraicum vel Syriacum, in quo Christus locutus est, *Cephas & Cepha* idem est, quod *Petra*, & non Petrus, ut expressè tradit D. *Hieronymus* in cap. 2. ad Galatas, & alii Hebraicæ linguæ periti ex aliis S. scripturæ locis ostendunt. Christus etiam prædixit ipsum vocandum *Cephas* Joann. 1. v. 42. ubi, licèt dicatur in Latino textu, quod Cephas interpretetur Petrus, non tamen in Hebræo æquivalet. Cur autem interpres Latinus non verterit dicendo *tu es Petra*, Bellarminus lib. 1. de Pont. cap. 10. causam reddit, quia Latinus non vertit ex Syriaco, in quo scripsit Matthæus, sed ex Græco, & in Græco tam πέτρος quàm πέτρα significat lapidem vel saxum, & ideo Latinus potiùs in masculino vertit, quam fæminino, cùm Petrum concerneret; ita tamen, ut in repetitione diceret, *& super hanc Petram*. Quod autem Christus illo loco Petrum intenderit, patet tum ex textu, tum ex promissione Joann. 1. *vocaberis Petra*, tum ex communi SS. Patrum sententia, ut statim patebit.

Verum tamen est, quod S. August. lib. 1. Retract. cap. 21. non attendens idioma originale Hebraicum, cujus aliàs fatetur se inexpertum fuisse, dicat quod Christus non dixerit, tu es Petra, sed Petrus; sic dicens: *In hoc libro*, scilicet contra epistolam Donati, *dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in eo tanquam in Petra fundata sit Ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii, ubi de gallo gallinaceo ait*: Hoc ipsa Petra Ecclesiæ, canente culpam diluit. *Sed scio me postea sæpissime sic exposuisse, quod à Domino dictum sit*; Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, *ut super hanc intelligeretur, quem confessus est Petrus dicens*; Tu es Christus Filius Dei vivi; *ac si Petrus ab hac Petra appellatus personam Ecclesiæ figuraret; quæ super hanc Petram ædificatur, & accepit claues regni cælorum. Non enim dictum est illi, tu es Petra, sed tu es Petrus, Petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum confitetur tota Ecclesia, dictus est Petrus*, &c. ubi patet, quod Augustinus non attenderit ad textum originalem Hebraicum, veruntamen non improbat alteram sententiam, ut nostri Acatholici, sed concludit dicens: *Harum autem duarum sententiarum, quæ sit probabilior, eligat lector*, &c. hæc Aug. ubi supponit, quod altera sententia sit probabilis, etiam ad literam sine Christi injuria; scilicet quod Petrus dictus sit Petra, super quam Christus ut secundariam Petram fundavit Ecclesiam. V.

Vtramque sententiam optimè expressit S. Leo serm. 3. in anniversario Assumptionis suæ circa illa verba *tu es Petrus* dicens: *Et ego*, inquit, *dico tibi*, hoc est, *sicut meus Pater tibi manifestauit diuinitatem meam, ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus, id est, cùm ego sim immutabilis Petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum, ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud pone-* VI.

ponere, tamen ... tu quoq; Petra es, quia meâ virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia, &c. hæc S. Leo. Ex qu... ibus patet, quo sensu Petrus sit verè Petra E... cclesiæ, super ipsum Christum ut principale f... fundamentum fundatus.

Etsi au... tem Petrus gesserit personam & figuram E... cclesiæ, ut sancti Patres dicunt, non tamen ... impedit, quod ipsi primario tanquam Ecc... lesiæ capiti promissio facta sit, ut Augustinu... s lib. qq. vet. & novi Test. quæst. 7... explic... at infrà referendus, & similiter in psalm. 10... 8. exprimit dicens; *Sicut enim quadam dicun... tur, quæ ad Apostolum Petrum propriè pertinere ... videantur, nec tamen habent illustrem intellectum ..., nisi cùm referuntur ad Ecclesiam, cujus ille a... gnoscitur in figura gessisse personam propter (NB ...) Primatum, quem in discipulis habet. Sicuti est: Tibi dabo claues regni cœlorum*, &c. hæc ille, ubi patet, quod simul consistant, quod Pe... trus ut caput Ecclesiæ acceperit pro Eccle... sia potestatem & promissiones factas.

Quæ autem objiciuntur ab Acatholicis, quod Pe... trus tunc non fuerit beatus, secundum se & adhu... c fragilis, ut super illum Ecclesia fundaretur, c... ùm postea Christus adhuc dixerit illi; *Vade post m... e Sathana*: Respondit *Hieronymus* nihil obstar... e. Quia tunc solùm illi promissio de futuro fa... cta est, ut infrà ex verbis Hieronymi patebit.

VII. Cæter... ùm promissionem factam Petro Matt. 16. Chri... stus Joann. 21. v. 15. implevit soli Petro di... cens; *Simon Joannis pasce agnos meos*: & p... ostea, *pasce oues meas*, &c. ubi patet; quod C... hristus specialiter soli Petro loquatur, cù... m vocet illum nomine suo. Secundò, cùm Cl... ristus quærit: *Diligis me plus his?* ubi distingu... it ipsum ab aliis Apostolis; sicut & per alia ver... ba adjuncta. Constat autem, quod pascere ... oves Christi exprimat omnem pastoralem p... otestatem in fideles Christi; ut non solùm c... ibum spiritualem illis provideat qualicunque ... modo: sed cum authoritate regendi & gub... ernandi illos.

Secundò, quod Petro sit data potestas pascendi & regendi omnes oves Christi, ac proinde tam populos, quàm etiam Episcopos, imo ipsos Apostolos patet ex ipsius Christi verbis cùm dicit imprimis: *pasce agnos meos*: Sed postea absolutè dicit, *pasce oues meas*, sine exceptione, utique omnes omnino intelligit; qui verè Christi oves sunt, quales etiam erant alii Apostoli. Plura alia sunt scripturæ loca, ex quibus optimè sancti Petri prærogativa & dignitas probatur, sed hæc sufficiunt. Ex quo evidens est, quod Petrus in gubernatione spirituali toti Ecclesiæ sit præpositus, prout communis sanctorum Patrum est sententia; ut statim patebit: unde parvi æstimanda sunt, quæ Acatholici sine fundamento cavillantur.

VIII. Quod autem huic Petri Primatui à Christo collato nihil obstet, quod etiam omnes alii Apostoli à Christo acceperint potestatem pascendi totam Ecclesiam, cùm dicit: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, &c. *sanctus Cyprianus*, *Hieronymus*, &c. infrà allegandi clarè demonstrant: & ex illo patet, quia Petro, ut ordinario & supremo Pastori, hæc potestas concessa est, aliis verò Apostolis solùm pro suis personis in totam Ecclesiam data est potestas: ne confusio in Ecclesia foret, ut SS. Patres notant.

Nec obstat, quod dicit Apostolus ad Galat. 2. v. 11. *Cùm venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti: quia reprehensibilis erat.* Nam hoc non obstat illius Primatui, ut Augustinus cum Cypriano infrà declarat in epist. 19. ad Hieron.

Nec etiam ex illo sequitur, quod Petrus in docendo errarit, qui Act. 15. satis fidem expresserat, sed Antiochiæ in facto deliquit, quod non spectat ad doctrinam.

ARTICULUS III.

Primatus Petro collatus à Christo probatur ex SS. Patribus Græcis.

I. CLemens Romanus Anno 80. in epistola ad Jacobum ait: *Simon Petrus*, &c. *Fundamentum Ecclesiæ esse definitus est: qua de causa etiam Domini ore cognominatus est, Petrus, qui fuit primitiæ Electionis Domini Apostolorum primus*, &c.

Dionysius Anno 100. lib. de div. nominibus cap. 8. ait: *Aderat Petrus supremum decus, & antiquissimorum Theologorum columen*, &c.

Origenes Anno 230. in Matt. de Canone novi Testamenti, *Petrus*, inquit, *super quem Dominus fundauit Ecclesiam, duas tantum scripsit epistolas*, &c. hæc ille.

Eusebius Alexand. homil. de Resurr. circa illa verba Marci 16. v. 7. *Dicite discipulis ejus & Petro*, sic ait: *Veni inquit, ne timeas, non te amoui à dignitate, non feci te secundum, infra alium, non dedi claues alteri, quod promisi, impleo, &c.* hæc ille, quid clarius?

Petrus Alexandr. serm. de pœnitentia sic ait: *Petrus quoq; Apostolorum* (NB) *Princeps, in mentem reuocetur, qui jam in custodiam erat rejectus, &c.* hæc ille.

Athanasius in epistola ad Felicem inquit: *Tu es Petrus, sicut veraciter dicit diuinum eloquium, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ sunt conseruatæ*, &c.

Theophilactus Antiochenus lib. 2. Allegor. in Euang. secundùm Marcum sic ait: *Socrus Petri synagoga est, filioq; ejus Ecclesia, quam Petrus regendam suscepit*, &c.

Hyppolitus anno 220. Orat. de confirmatione mundi ait; *Princeps Petrus fidei Petra, quem beatum indicauit Christus Dominus noster*, &c.

Basilius Magnus ad cap. 2. Isai. *Vnus*, ait, *ex his montibus fuit Petrus, quem Petram* (NB) *appellauit propter maximam Fidei firmitatem*, & infrà: *Supra quam Petram promisit ædificare Ecclesiam suam*, &c. II.

Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 2. *Nemo*, inquit, *desperet de sua salute, Petrus Apostolorum princeps excellentissimus, coram ancilla ter negauit Dominum; sed ad se rediens, fleuit amarè*, &c. hæc ille.

Gregorius Nazianz. art. 26. de moderat. in

Cc 2 Orat.

bonus pastor (NB) *tuendum gregem accepit*; *ut, qui sibi ante infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum*; *deniq; pro soliditate durationis Ecclesiarum petra dicitur*, *sicut ait Dominus*: Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. *Petra dicitur*, *quod primus in nationibus Fidei fundamentum posuerit & tanquam saxum* (NB) *immobile totius operis Christiani compagem molemque contineat*, &c. hæc ille; quomodo clariùs veritas Ecclesiæ Catholicæ & falsitas Acatholicorum ostendetur?

Simili modo Ambrosius aliis in locis de Petro loquitur, præter id, quod suprà Augustinus ex hymno S. Ambrosii allegavit.

Optatus Mileuit. lib. 2. contra Donatistas, *In urbe Roma*, ait, *Petro primo cathedra Episcopalis est collata*; *in qua sedit omnium Apostolorum Caput Petrus, unde & Cephas appellatus est, in qua una cathedrâ unitas ab omnibus servaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisq; defenderent, ut jam Schismaticus & peccator esset, qui contra singularem cathedram, alteram collocaret*, &c. hæc Optatus.

Pacianus epistolâ 3 ad Symphronium, *Ad Petrum*, ait, *locutus est Dominus*; *ad unum ideo*, *ut unitatem fundaret ex uno*; *mox idipsum in commune præcipiens*, *qualiter tamen ad Petrum incipit*: *Et ego tibi dico* (inquit) *quia tu es Petrus*, *& super istam petram ædificabo Ecclesiam meam*, hæc ille.

IV. *Hieronymus* epistolâ 54. ad Marcellam, *Si Apostolus Petrus*, ait, *super quem Dominus fundauit Ecclesiam*, &c. hæc ibi.

Item in ps. 13. *Nullus ex discipulis*, *neq; Petrus*, *qui Caput est Ecclesiæ*, &c.

Idem lib. 1. adversus Jovinianum cap. 14. sic ait: *At dicis*, *si super Petrum fundatur Ecclesia*, *licet id ipsum alio in loco super omnes Apostolos fiat*, &c. *tamen propterea inter duodecim unus eligitur*, *ut Capite constituto Schismatis tollatur occasio*, &c. hæc ibi. Ecce quàm clarè respondet Calvino?

Rursus in caput 16. Matth. *Secundùm Metaphoram petræ*, ait, *rectè dicitur ei*, *ædificabo Ecclesiam super te*, &c. Ecce Hebraicæ & Græcæ peritissimus, qualiter intelligat locum Matthæi, &c. & infrà: *Prudens Lector inquirat*, *quomodo post tantam beatitudinem*; *Beatus es Simon Barjona*, *nunc audiat*, *vade retro me Satana*, &c. *Sed si consideret*, *qui hoc quærit*, *Petro illam beatitudinem ac potestatem & ædificationem super eum Ecclesiæ in futuro promissam non in præsenti datam intelliget*; Ædificabo, *inquit*, *Christus*, super te Ecclesiam meam, & dabo tibi claves regni cælorum, &c. *Omnia de futuro*, *quæ si statim dedisset ei*, *nunquam in eo prauæ confessionis error inuenisset locum*, &c. hæc ille: Vbi respondet futuræ Acatholicorum objectioni, &c. Et asserit infallibilitatem Petri.

Augustinus variis locis eadem docet, præsertim tract. 56. in Joann. *Quis nescit*, inquiens, *primum omnium Apostolorum esse beatissimum Petrum*? &c. Ecce in primitiva Ecclesia nullus de hoc, teste Augustino, dubitabat, & nostri novi Euangelici negare audent.

V. Item tract. 124. in Joann. *Hoc agit*, inquit, *Ecclesia spe beata in hac ærumnosa vita*, *cujus Ecclesiæ beatus Petrus Apostolus propter Apostolatûs sui Primatum gerebat figurata generalitate personam*, &c. Similiter loquitur in ps. 108.

Idem serm. 5. in festo Petri & Pauli, de Petro ait: *Solus inter Apostolos meruit audire*, Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. *dignus certè qui ædificandis populis in domo Dei lapis esset ad fundamentum*, *columna ad sustentaculum*, *clavis ad Regnum*, &c. hæc ibi.

Rursus lib. qq. veteris & novi Testamenti quæst. 75. circa illa verba Domini: *Rogavi pro te*, *ut non deficiat Fides tua*, &c. sic ait: *Quid ambigitur*? *pro Petro rogabat*, *& pro Ioanne*, *Iacobo non rogabat*, *ut cæteros taceam*? *Manifestum est in Petro omnes contineri*, *rogans enim pro Petro*, *pro omnibus rogasse dignoscitur*, *semper enim* (NB) *in Præposito*, *populus aut corripitur*, *aut laudatur*, &c. hæc ibi. Vbi clarè explicat, quòd, licèt alibi dicat, Petrum gessisse figuram Ecclesiæ, per hoc non excludatur Primatus Petri, sed exprimatur, quia ipsi tanquam Præposito & Capiti Ecclesiæ dictum est, &c.

Demum concludat *Augustinus cum Cypriano* lib. 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 1. sic inquiens: *De quo* (Petro) *Cyprianus* ad Quintum ita loquitur: *Nam nec Petrus*, *inquit*, *quem primum Dominus elegit & super quem ædificauit Ecclesiam suam*, *cùm secum Paulus de circumcisione disceptaret*, *postmodum vendicauit sibi aliquid insolenter*, *aut arroganter assumpsit*: *ut diceret se primatum tenere*, *& obtemperari à nouellis & posteris sibi potiùs debere*, &c. Et infrà subjungit Augustinus dicens: *Ecce ubi commemorat Cyprianus*, *quod nos etiam in Scripturis sacris* (NB) *didicimus Apostolum Petrum*, *in quo Primatus Apostolorum tam excellenti gratia præeminet*, &c. hæc ibi. VI.

Similiter epistolâ 19. ad *Hieronymum* ait: *Rarius & sanctius exemplum Petrus posteris dedit*, *quo non dedignarentur à posterioribus corrigi*, *quàm Paulus*, *quo confidenter auderent minores majoribus pro defendenda veritate salua veritate resistere*, &c. hæc ibi. Ecce qualiter *Cyprianus*, *Hieronymus & Augustinus* refutarint fatuas Calvini lib. 4. Inst. cap. 6. §. 7. calumnias; qui ex illo Pauli facto vult probatum, quòd Paulus æqualis Petro fuerit, & hic nullatenus Primatum habuerit.

Ex his sanctorum Patrum Græcorum & Latinorum primitivæ Ecclesiæ testimoniis manifestum est; quòd Ecclesia semper ex sacra Scriptura crediderit Petrum à Christo Ecclesiæ constitutum fuisse Caput & Principem etiam Apostolorum, & in ipso ut secundario & Vicario fundamento Ecclesiam ædificatam.

Patet etiam impudens Calvini mendacium loco citato §. 6. ubi Primatum Petri impugnans dicit: *Neque ideo hic Patrum authoritatem repudio*, *quia eorum testimoniis destituar ad probandum*, *quod dico*, *si citare libeat*: *sed quemadmodum dixi*, *nolo de re tam clara disceptando frustra molestus esse lectoribus*, &c. Certè, si Calvinus alicujus etiam minoris authoritatis vel posterioris Patris testimonium apparens habuisset, utique allegasset; sicut postea sancti Gregorii testimoniis contra Pontificis Summi titulum inhæret. Sic communiter Acatholici miseris suis auditoribus imponunt sanctos Patres à parte sua esse. Constat etiam evidens Calvini mendacium, quòd ante Gregorium Magnum illi tituli in Ecclesia non fuerint, cùm SS Patres antiquissimi in Petro agnoverint VII.

 talem

Digitized by Google

talem Primatum; & illi tales titulos debitos ex Christi ordinatione usurparint.

ARTICULUS V.

Quòd Romanus Pontifex S. Petri successor sit in officio Pastorali totius Ecclesiæ.

I. Quamvis claris verbis ex S. Scriptura non constet, quòd Romanus Pontifex sit S. Petri successor: nihilominus clarè & efficaciter ex S. Scriptura idipsum deducitur; tam juxta sensum S. Scripturæ, quàm SS. Patrum antiquorum interpretationem, & testimonia; quod ipsum Acatholici fatentur sufficere, ut aliquid in Scriptura contineatur.

Quoad S. Scripturam sic ostenditur: Constat ex locis S. Scripturæ & SS. Patrum præcedentibus articulis allegatis; quòd Christus Dominus, Petrum ordinarit, ut post ascensionem suam vices ipsius in terris ageret, curam totius Ecclesiæ gereret, illam regeret, omnesque illi, velut oves Pastori & Rectori in spiritualibus subessent: adeóque ipsum Vicarium suum & totius Ecclesiæ Pastorem Rectorem & Principem constituerit: quod ipse Calvinus lib. 4. Instit. cap. 6. §. 8. suprà art. 1. relatus concedere debuit.

II. Ex his autem sic infertur: Ergo Christus per eandem ordinationem voluit & constituit; ut aliquis semper usque ad finem mundi sit in Ecclesia Petri in tali officio successor: sic imprimis SS. Patres infrà referendi intellexerant verba Christi, & probatur etiam ratione manifestâ; quia eædem rationes, ob quas Christus Petrum in tali officio constituit tempore vitæ suæ, multò magis urgent post tempora Petri & Apostolorum; & inter has rationes una est; ut non esset confusio in Ecclesia, sed ab uno Primate & una cathedra Ecclesiæ unitas habeatur, ut suprà SS. Patres allegarunt, &c. quod patet specialiter, quia tempore S. Petri alii Apostoli vivebant, qui amplissimam etiam à Christo cum S. Petro in totam Ecclesiam acceperant potestatem, ac insuper infallibilem singuli habebant Spiritûs Sancti in docendo assistentiam; & tamen ad unitatem in Ecclesia ac communionem in Fide conservandam Christus Petro Primatum super omnes, etiam Apostolos contulit; & si hoc, ut credendum est, Christus Ecclesiæ suæ pro tali tempore utile & necessarium judicaverit; quantò magis hoc necessarium judicavit post tempora Apostolorum, ut & tunc in Ecclesia esset unus Pastor & Præses, à quo unitas Ecclesiæ sumeretur, & qui in occurrentibus Fidei controversiis præesset, & confirmaret fratres suos; prout Christus Luc. 22. v. 32. Petro dixit: *Rogaui pro te Petre, ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos*, &c. Et certè mirum est, quòd aliquis esse possit tam pravi cordis cum Calvino, quòd neget Christum soli Petro tale officium in sola ipsius persona imposuisse; & non etiam in persona ipsius omnibus illius successoribus, qualescunque illi tandem forent, quos utique Christus toti Ecclesiæ notos esse voluit: sic inter alios SS. Patres supponit S. Chrysostomus lib. 2. de sacerdot. Inst. circa illa verba Christi Joann. 21. *pasce oues meas*, dicens: *Quanam item de causa idem ille sanguinem effudit suum, certè ut pecudes eas acquireret, quarum curam tum Petro tum Petri successoribus committebat*, &c. hæc ille. Similia patebunt ex aliis SS. Patribus.

Quòd autem Petri in hoc officio veri successores fuerint à tempore Apostolorum Pontifices Romani, tam generalia Concilia, quàm SS. Patres semper professi sunt; unde colligitur, quòd hoc ex speciali Christi ordinatione factum sit, ut Petrus Romam veniret, & ibidem cathedram firmaret, ac usque ad mortem teneret; ejusque in illa successores ejusdem potestatis semper permanerent. III.

Quòd autem Petrus Romæ sederit & ibidem pro Fide crucifixus sit, licèt quidam sine fronte negent, adeò clarum est ex testimoniis SS. Patrum; ut ipse Calvinus lib. 4. Inst. cap. 6. §. 15. licèt multis modis conetur veritatem, si non evertere, saltèm dubiam reddere, tandem dicere cogatur: *Tamen propter hunc Scriptorum consensum, non pugno, quia illic* (Romæ Petrus) *mortuus fuerit, sed Episcopum fuisse, præsertim longo tempore persuaderi nequeo*, &c. hæc ille. Sed quid obstat, quòd ipse in meridiana luce cœcus esse velit; veritas ex testimoniis SS. Patrum constabit.

ARTICULUS VI.

Primatus Romani Pontificis S. Petri successoris probatur ex Conciliis generalibus.

Concilium Nicænum I can. 6. qui recitatur in Concilio Chalcedonensi act. 16. sic profitetur: *Ecclesia Romana semper habuit Primatum*, &c. ubi nota, quòd Concilium non dicat, nos Ecclesiæ Romanæ Primatum conferimus, sed profitetur; quòd antea semper à tempore Apostolorum habuerit: quo canone in Concilio Chalcedonensi lecto Judices dixerunt: *Perpendimus omnem Primatum & honorem præcipuum secundùm canones antiqua Roma Deo amantissimo Archiepiscopo conseruari*, &c. I.

Item in Canonibus ejusdem Concilii Nicæni ex Arabico translatis can. 39. sic habetur: *Ille, qui tenet Sedem Roma Caput & Princeps est omnium Patriarcharum, quandoquidem ipse est primus, sicut Petrus*, &c. hæc ibi.

In Concilio Ephesino primo legitimo sic habetur: Philippus presbyter dixit, *nulli dubium est, imo omnibus seculis notum est; quod sanctus beatissimusque Petrus Apostolorum Caput, Fideiq; columna & Ecclesia Catholica fundamentum, à Domino nostro Iesu Christo claues regni accepit; qui ad hoc usq; tempus & semper in successoribus viuit, & judicium exercet Hujus itaque secundùm ordinem successor & locum tenens S. beatissimusq; Papa noster Celestinus Episcopus*, &c. II.

Idem Concilium Ephesinum ad *Celestinum Papam* sic scribit: *Qui à tua sanctitate missi fuerunt, videlicet pientissimi Episcopi Arcadius & Processus, qui sua præsentia tuam nobis præsentiam exhibuerunt, Apostolicaq; Sedis locum tenuerunt*, &c. plurima alia ad hoc deservientia suprà lib. 4. agendo de hæresi Nestoriana ex hoc Concilio allata sunt.

Simi-

III. Similiter *Concilium Chalcedonense* art. 16. in Relatione ad S. *Leonem* primum *Papam Romanum* de gestis Concilii sic scribit: *Rogamus igitur, & tuis decretis nostrum honora judicium: & sicut nos Capiti* (NB) *in bonis adjecimus consonantiam, sic & summitas tua Filiis, quod decet, adimpleat.*

Iterum act. 1. 2. & 3. Leonem appellat *universalis ecclesiæ pontificem*, &c. Plura alia vide suprà ex ipso Concilio allata agendo de Eutychianorum hæresi.

Quòd autem *Caluinus* suprà cap. 7. §. 1. & seqq. negat in Concilio Ephesino præsedisse Legatos Episcopi Romani, allegans Cyrillum Alexandrinum, qui præsederit, patet; quòd ille ut Legatus Episcopi Romani præsederit; prout ibidem clarè ostensum est.

Quòd etiam negat *Concilium Chalced.* dedisse Leoni titulum universalis Episcopi, quod tamen S. Gregorius lib. 4. epist. 76. indicat, & de Gregorio dicere audeat §. 4. *falsus est igitur in eo Gregorius, quod titulum illum putauit Sedi Romanæ fuisse delatum à S. Synodo Chalcedonensi*, &c. ipsius Calvini consuetæ impudentiæ tribuendum est; qui in aliis S. Gregorium, ut authenticum, pro suo placito allegat, & in hoc ipsum falsitatis arguit, &c. Constat autem veritas ex actis ipsius Concilii.

IV. Hæc tria *generalia Concilia* in Græcia celebrata omni exceptione majora sunt, quæ etiam Calvinus lib. 4. cap. 9. §. 8. agnoscit dicens: *Sic priscas Synodos, Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam & Chalcedonensem & similes, quæ confutandis erroribus habitæ sunt, libenter amplectimur, reueremurq; ut sacrosanctas*, &c. hæc ille, licèt sibi malè conscius addat limitativè scilicet, *quantum attinet ad Fidei dogmata*, &c. volens per hoc excludere, quæ de Primatu & aliis ibidem dicuntur, &c. sed *mentita est iniquitas sibi*. Nam & ipse Primatus Petri & successio Episcoporum Romanorum in officio Petri, etiam Fidei dogma est, ut ostensum est; & licèt hoc non agnoscant Acatholici, negare tamen non possunt, quin magnæ authoritatis sit talium Conciliorum testimonium pro Primatu Romani Pontificis in Ecclesia primitiva agnitum; quod certè honestum quemque convinceret.

ARTICULUS VII.

Eandem veritatem SS. Patres Græci primitivæ Ecclesiæ agnoscunt.

I. Quòd etiam SS. Patres Græci primitivæ Ecclesiæ Romanum Pontificem Petri successorem & Ecclesiæ Primatem ac Rectorem agnoverint certissimum est.

De *Polycarpo* qui fuit S. Joannis Apostoli discipulus & Episcopus Smyrnæ scribit *Hieronymus* lib. de viris illustribus dicens: *Hic propter quasdam super die Paschæ quæstiones sub Imperatore Antonino pio Ecclesiam in urbe regente Aniceto venit Romam*, &c. ubi satis indicatur, quòd agnoverit judicium Romani Pontificis.

Irenæus Anno 180. lib. 3. cap. 3. edit. Basil. 1528. sic ait: *Maximæ & antiquissimæ & omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem*, &c. *confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriã, vel per cæcitatem*, &c. *colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam; hoc est, eos, qui sunt undiq; fideles, in qua semper ab iis qui sunt undiq; conseruata est ea, quæ est ab Apostolis traditio*, &c. hæc ille. ubi patet, quòd non loquatur de potentia civili Ecclesiæ Rom. cùm esset sub Ethnicorum Imperatorum persecutione, sed de potentia & principalitate ab Apostolis profecta, &c.

S. *Athanasius Alexandrinus Patriarcha* Arianorum antagonista fortissimus, & universi Ægyptiorum, Thebaidorum, & Lybiorum Episcopi, in epist. ad Felicem Papam sic scribit: *Quia semper Antecessores nostri & nos à vestra Apostolica & S. Sede auxilia hausimus, & nostri vos curam habere agnouimus; præfatam Apostolicam & summam expetimus juxta canonum decreta Sedem*, &c. Et infrà: *Ad eam quoque quasi matrem recurrimus.* Iterum paulò post: *Ob id vos prædecessoresque vestros Apostolicos videlicet præsules in summitatis arce constituit, omniumque ecclesiarum curam habere præcepit, ut nobis succurratis*, &c. hæc ibi. Quàm clarè hîc veritas ostenditur, & Calvini mendacia refelluntur, dum Athanasius testatur ab antiquo Orientis Patriarchas & alios à Sede Apostolica Romana auxilium expertos esse, idque juxta canones tanquam à Matre, & ne solùm ex ordinatione Concilii id factum dici possit, subjungit; quòd *Christus Romanos Episcopos in summitatis arce constituit, & curam omnium Ecclesiarum habere præcipiat*, &c. Quid est hoc aliud, quàm quòd totiùs Ecclesiæ Pastorem & Rectorem ordinarit? II.

Idem in lib. de sententia Dionysii olim Alexandrini Episcopi sic ait: *Quidam ex Ecclesia rectè sentientes, sed ignari illius causæ, cur ita ab eo scriptum esset, Romam ascenderunt; ibique eum apud Dionysium Romanum præsulem accusarunt*, hæc ille, ubi patet, quòd tempore utriusque illius Dionysii, qui circa Annum Domini 260. longè ante Concilium Nicænum primum sederunt, Græci & Orientales Patriarchæ Romanum Pontificem, ut Judicem agnoverint.

Similiter *Eusebius* in Chronico Anni 44. Romanum Episcopum vocat Pontificem Christianorum, &c.

Item *Basilius Magnus* in epist. 52. ad Athan. *Visum est mihi*, ait, *consentaneum scribere ad Episcopum Romanum; ut videat res nostras, & judicii sui decretum interponat*, &c. hæc ille. Ecce quod Judicem agnoscat. III.

Chrysostomus Patriarcha Constantinopolitanus in epistola ad Innocentium Papam sic ait: *Obsecro, ut scribas, quod hæc tam iniquè facta non habeant robur; illi autem, qui iniquè egerunt, pœnæ ecclesiasticarum legum subjaceant. Nos autem insontes, neque conuictos Ecclesiis nostris jubeto restitui*, &c. hæc ille. Quid clariùs pro authoritate judiciaria Episcopi Romani in omnem Ecclesiam? etiam Constantinopolitanam?

Cyrillus in lib. Thesium sic ait: *Petro omnes jure diuino caput inclinant, & primates mundi tanquam ipsi Domino suo obediunt.* Et infrà: *Debemus nos, ut qui membra sumus Capiti nostro Romano Pontifici, & Apostolicæ Sedi adhærere*, &c. hæc ille.

Cyrillus Alexandrinus Patriarcha qui præsedit in Concilio Ephesino primo in epist. ad Cælestinum Papam sic scribit: *Quoniam vero Deus hisce* IV.

in rebus prudentiam à nobis exigit, longaq; Ecclesiæ consuetudo suadet; ut istiusmodi sanctitati tuæ communicetur, non possum equidem id, quod apertum est, ad pietatem tuam non perscribere, &c. & infrà: *Quamvis hæc ita se habeant, non priùs tamen Nestorii* (Hæresiarchæ qui erat Patriarcha Constantinopolitanus) *communionem confidenter deserere ausi fuimus, quàm hac ipsa pietati tuæ indicaremus: Digneris proinde, quid hic sentias declarare, quo liquidò nobis constet, communicare ne nos cum Nestorio oporteat, an verò liberè eidem denuntiare neminem cum eo communicare; qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet, & prædicat: Porro tuæ integritatis mens & super hac re sententia, non modo piissimo Deoq; devotissimo Macedoniæ Episcopo, sed totius quoq; Orientis Antistibus perspicuè per literas exponi debet*, &c. hæc Cyrillus. Ecce quàm clarè supponit Primatum & Judicium supremum Romani Pontificis in causa Fidei & morum, etiam circa Episcopos Orientis.

V. *Theodoretus* celeberrimus Episcopus Cyri, qui Concilio Ephesino primo & Chalcedonensi interfuit, sic in epistola ad Leonem Papam scribit: *Si Paulus prædicator veritatis & Spiritûs Sancti buccina ad Petrum accurrit; ut iis, qui Antiochiæ de vivendo secundùm legem Moysis disceptabant, quæstionem expeditam ac titulum ab eo ferret; multo magis nos, qui pusilli sumus, ad solium Apostolicum accurremus, ut à vobis medicinam ulceribus nostris feramus. Vestra enim Sedes multis prærogativis ornata est*, &c. *Fides verò præcipuè eam ornat. Testis est* Paulus Rom. 1. *Fides vestra annuntiatur in universo mundo*, &c. *supplex oro Sanctitatem vestram, ut ea me, tribunal vestrum, ac rectum appellantem, defendat*, &c. *Vestram sententiam expecto*, &c. hæc Theodoretus.

ARTICULUS VIII.

Referuntur & refutantur mendacia Calvini.

I. EX his sincerus Lector summam Calvini impudentiam & falsitatem facilè agnoscet, qui lib. 4. Inst. cap. 7. §. 1. sic scribit: *Quantum ad Primatus Sedis Romanæ vetustatem, nihil ad eam stabiliendam habetur antiquius decreto illo Synodi Nicænæ*, &c. Contrarium patet ex SS. Patrum allegatis testimoniis: ubi etiam vult, quòd duo Legati Romani Pontificis non præsederint, sed *Athanasius*; sed hoc falsissimum est, & sine ullo teste asserit; præsertim, quia *Athanasius* in illo Concilio tamquam Diaconus cum suo Patriarcha Alexandrino adfuit; & ne quidem inter omnes Episcopos subscripsit. At verò ipse *Athanasius* in epist. ad solitariam vitam agentes scribit; quòd in illo Concilio Nicæno *Hosius Episcopus* Princeps fuerit, erat autem *Hosius* simplex Episcopus Cordubensis; & tamen juxta Athanasium præsedit, & ut omnia testantur acta, ipse Hosius cum duobus Legatis Pontificis Vito & Vincentio presbyteris primi Actis Concilii subscripserunt, unde evidens est, quòd Hosius etiam Legatus Pontificis fuerit, &c. Ecce mendacium Calvini, qui paulò post dicit ibid. *In Synodo Ephesina apparet Cælestinum* (qui tunc Pontifex erat Romanus) *obliquo artificio usum esse, ut Sedis suæ dignitati caveret, nam quum mitteret illuc suos, Cyrillo Alexandrino, qui alioquin præfuturus erat, vices suas mandavit. Quorsum illud mandatum, nisi ut quovis modo nomen suum in primaria Sede hæreret?* &c. hæc Calvin.

Verùm non solùm ex præfata *Cyrilli* allegata epistola, sed & ex *Theodoreto* celeberrimo Episcopo & Scriptore, qui Synodo interfuit, *Nicephoro*, & aliis Græcis Historicis suprà lib. 4. de hæresi Nestoriana relatis constat; quòd *Cyrillus* apud *Cælestinum* per literas Nestorium de hæresi accusarit, ejúsque ultimatam sententiam petierit; deinde Cælestinus Nestorium per literas graviter monuerit, ut resipisceret, alioquin excommunicandus: Cyrillo vero commiserit vices suas; ut suâ vice & authoritate Nestorium canonicè monitum, si non resipisceret, sententia lata excommunicaret; quam postea non obstantibus favore Imperatoris & Episcopis pluribus Nestorio adhærentibus Patres Concilii justissimam agnoverunt; prout ipsi literis ad Imperatorem datis expresserunt: specialiter, quòd Cælestinus, antequam Synodus colligeretur Cyrillo commiserit suum obtinere locum. II.

Rursus Calvinus ibidem de Pseudosynodo secunda Ephesina allegat quòd *Dioscorus* Patriarcha Alexandrinus pessimus successor piissimi Cyrilli, Eutycheti adhærens, *velut suo jure præsederit*, &c. Hoc autem falsum esse, patet ex Actis ejusdem pseudosynodi suprà loco citato allegatis; ubi etiam relatum est; qualiter S. *Flavianus* Eutychen excommunicaverit, & cùm Imperator Eutycheti favens apud S. *Leonem Papam* pro Concilio generali celebrando instaret; ut patet ex literis S. Leonis, quas ad Concilium, & alias dedit ad S. Flavianum, quæ in Concilio legerentur; sed impius Dioscorus omnia turbavit, quia fretus authoritate Imperatoris & milite armatus violenter præsidentiam assumpsit, ac S Flavianum aliosque pios Episcopos injustissimè damnavit. Ubi etiam constat, quòd S. Flavianus sic ab impio Concilio damnatus Legatis Romanis libello dato ad Sedem Romanam appellarit: unde patet falsitas Calvini qui §. 5. dicere ausus est, quòd Romanus Pontifex Leo Eutycheti contra S. Flavianum iniquè patrocinatus sit.

Idem Calvinus de Concilio Chalcedon §. 2. sic dicit: *In illo primam sedem, Imperatoris confessione occuparunt Romanæ Ecclesiæ Legati, sed hoc fuisse extraordinarium privilegium Leo ipse confitetur; nam, quum id petit à Marciano & Pulcheria Augusta, non contendit sibi deberi; sed prætexit Orientales, qui Ephesino secundo præfuerant, turbasse tunc omnia, & sua potestate male abusos*, &c. hæc mendax Calvinus. III.

Sed contrarium patet tam ex ipsius *Marciani Imperatoris*, quàm ipsius Synodi ad S. Leonem datis literis, prout suprà loco citato relatum fuit; ubi Patres omnes non solùm petunt à S. Leone confirmari Fidei decreta facta; sed etiam præcedentiam, quam Concilium Constantinopolitano Episcopo post Romanum assignarant his verbis: *Confidentes, quia lucente apud vos Apostolico radio, & usq; ad Constantinopolitanam Ecclesiam consuete gubernando illum spargentes, hunc sæpius expanditis, & hac sicut propria & amica dignare complecti sanctissime Pater*, &c. & infrà: *Rogamus igitur & tuis decretis nostrum honora judicium*, &c. *sic & summitas tua Filiis adimpleat*, &c. hæc totum Concilium. Ad quid ista? nisi agnoverit Primatum Romani Pontificis supra Concilium & Orientalem Ecclesiam; ut sine ipsius authoritate ipsum Concilium

Digitized by Google

cilium talem præcedentiam dare non possit?

IV. Huic de Concilio mendacio, quasi S. Leo scivisset Sedi Romanæ præsidentiam non deberi in illo Concilio, aliud mendacium adjungit Calvinus dicens, §. 4. *Atque id, quod dico, successor Leonis re ipsa comprobavit: siquidem quum ad quartam Synodum Constantinopolitanam, quæ longo post tempore est habita, Legatos suos mitteret, non rixatus est de prima Sede; sed Mennam Patriarcham Constantinopolitanum præsidere facilè passus est*, &c. hæc ille. Verùm hæc falsissima sunt: Nam imprimis in illa Synodo non præfuit *Mennas*, sed ejus successor *Eutychius*; qui tamen professus est, quòd præsidentia deberetur Romano Pontifici, quam & eidem obtulit; prout patet ex epistola Eutychii ad *Vigilium Papam* data, quæ extat in fine primæ collationis quintæ Synodi; ubi sic scribit nomine suo & aliorum Patrum: *Petimus præsidente nobis vestra beatitudine de tribus capitulis quæri, & conferri*, &c. unde & Historici præsertim Zonaras in vita Justiniani scribit sic: *Sub hoc, quartum Concilium coactum est centum & quinquaginta Episcoporum, quorum Princeps fuit Vigilius Papa Romanus*, &c. hæc ille. Ecce evidens mendacium! quis non videt impudentem Calvini frontem, & antiquum in primitiva Ecclesia etiam Græcorum, Romani Pontificis agnitum Primatum? quem etiam Græci subsequentes agnoverunt; ut patet ex illis, quæ suprà lib. 4. de hæresi Monothelitarum in Concilio 6. authoritate Agathonis Papæ damnata, retulimus.

Similiter constat de *Concilio secundo Niceno*, quod ad instantiam Constantini & Irenæ Imperat. *Adrianus Papa* indixit; ubi Iconoclastarum hæresis damnata fuit.

V. Demum, cùm *Photius* impius ejecto *S. Ignatio* invasisset Sedem Constantinopolitanam circa annum 858. sciens, se absque Papæ Romani consensu illam retinere non posse; tam ipse, quàm *Imperator Michaël* illi favens, ad *Nicolaum Papam* Romanum dederunt literas; ut ipse confirmaretur, & Concilium indiceretur sub prætextu confirmandi Concilii Nicæni secundi, &c. prout fusè ostensum est lib. 4. de Schismate Græcorum; ubi etiam relatum est, quod *Basilius* Imperator Michaëli succedens Photio in exilium ejecto, *S. Ignatium* in Sedem Constantinopolitanam restituerit, & cum eodem Ignatio literas ad *Nicolaum Papam* dederit, in quibus B. Ignatius sic scribit: *Christus Dominus unum Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ Medicum dedit Nicolaum, propter quæ dicit Petro Magno, & summo Apostolorum*: Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. *tales enim beatas voces non secundùm quandam utiq; sortem Apostolorum Principi solùm* (vide quomodo Calvini somnium rejiciatur) *circumscripsit, & destinavit, sed per eum ad omnes, qui post illum secundùm ipsum efficiendi erant summi* (NB) *Pastores, & divinissimi sanctiq; Pontifices seniori Romæ transmisit*, &c. hæc Ignatius, ubi refert, quòd prædecessores Nicolai plures hæreses extinxerint; & tandem subjicit: *Hæc igitur sunt capitula, pro quibus exposcimus solutionem & ordinationem in scriptis mitti humilitati nostræ; insuper autem & vicinos vestræ beatitudinis Episcopos, ut cum eis bene disponamus Ecclesiam, quæ apud nos est*, &c. hæc Ignatius, vide suprà, ubi etiam relatum est, qualiter Legati Pontificis in Concilio Constantinopoli congregato exposuerint; quòd Nicolaus Papa Photium Romæ damnarit; unde & Legati aliorum Patriarcharum ibidem præsentes dixerint: quòd ideo cum Photio non communicaverint, &c. vide plura loco citato; quæ ex Græcis Historicis *Baronius* refert, ubi etiam refertur; qualiter posteriores Episcopi Constantinopolitani à Sede Romana sæpe petierint, ut præcedentiam ipsorum post Romanam confirmare vellet; quo non obtento, Schisma renovarant.

Hæc si sincerus Lector consideret, manifestè videbit, qualiter antiqua Ecclesia Græca Orientalis semper agnoverit Primatum Pontificis Romani non ex gratia vel indulto Imperatorum; sed ex Christi ordinatione Petro & illius successoribus facta: unde turpissimæ Calvini & sectatorum illius fictiones, calumniæ, & mendacia evanescunt, & confunduntur.

ARTICULUS IX.

Eadem veritas probatur ex Pontificum Romanorum primorum sæculorum Epistolis.

I. HUnc Primatum à Christo Pontifici Romano, ut S. Petri successori datum, professi sunt SS. Pontifices in suis epistolis, qui statim post S. Petrum sederunt: ut *Clemens* primus *Anacletus, Evaristus, Alexander, Pius, Sixtus, Anicetus, Victor, Zepherinus*, &c. qui sanctissimi fuerunt Pontifices & Martyres longè ante Constantini Magni tempora; quos & Acatholici fatentur sanctos & orthodoxos fuisse; & licèt Acatholici audeant dicere has epistolas factas esse tempore Caroli Magni, circa Annum 808. Constat tamen, quòd *Isidorus* illas recitet, qui floruit circa Annum Domini 600. cæterùm negare non possunt epistolas aliorum Pontificum, qui 4. sæculo sederunt, ut *Iulii* I. quæ extat in Apologia 2. S. Athanasii, in qua dicit ad Orientales Episcopos: *An ignari estis, hanc esse consuetudinem, ut primùm nobis scribatur; ut hinc, quod rectum est, definiri possit?*

Damasus epist. 4. ad Episcopos Numidiæ; *Cuncta*, ait, *quæ possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos tanquam ad Caput, ut semper fuit consuetudo, deferre non desinatis*, &c. hæc ille.

II. *Innocentius* epist. ad Concilium Milevitanum quæ extat inter epistolas Augustini epist. 93. sic ait: *Diligenter & congrue Apostolico consulitis honori; honori, inquam, illius, quem præter illa, quæ extrinsecus sunt, solicitudo manet omnium Ecclesiarum, antiquæ scilicet Regulæ formam sequuti; quam toto semper ab orbe mecum nostis esse servatam*, &c. hæc ibi.

Idem in epist. ad Concilium Carthaginense, quæ apud Augustinum est 91. sic scribit: *In requirendis de his rebus, quas omni cum solicitudine decet à sacerdotibus, maximè à vero justoque & Catholico tractari Concilio antiquæ traditionis exempla servantes*, &c. *qui ad nostrum referendum approbastis esse judicium; scientes quid Apostolicæ Sedi, cùm omnes hic loco positi sequi Apostolum desideremus, debeatur; à quo ipse Episcopatus & tota authoritas hujus nominis emersit*, &c. *ut quicquid de disjunctis remotisque provinciis ageretur, non ducerent prius finiendum; nisi ad hujus Fidei notitiam perveniret, ubi tota hujus auctoritate justa, quæ fuerit pronunciatio firmaretur*,

retur; inde qui sumerent cætera Ecclesiæ, velut de Natali suo fonte aquæ justæ procederent, & per diversas totius mundi regiones puri (NB) Capitis incorrupta manerent, &c. & infrà: Igitur solicitudinem vestram monstratis; & per cunctas totius orbis terrarum Ecclesias, omnibus unum quod possit decernendum esse deposcitis, &c. hæc Innocentius. Hæ sunt literæ Innocentii, de quibus Augustinus infrà allegandus scribit, quòd responderit Conciliis, ut oportebat.

III. Sunt & aliorum Pontificum epistolæ, sed unica sancti Gregorii addatur, qui licèt Anno 600. floruit, tamen à Calvino maximè in contrarium allegatur, ipse enim epistol. ad omnes Episcopos Galliæ scribens lib. 4. epistolâ 52. sic ait: *Si quam vero contentionem, quod longè faciat divina potentia, de Fidei causa evenire contigerit, aut negotium emerserit; cujus vehemens sit fortasse dubietas, & pro sui magnitudine judicio* (Nota) *Sedis Apostolicæ indigeat; examinatâ diligentius veritate, relatione sua, ad nostram studeat perducere notionem; quatenus à nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari*, &c. hæc ille, ubi patet, quòd ultimatum judicium in Ecclesia Sedi Romanæ competere supponat.

ARTICULUS X

Eadem veritas probatur ex PP. Latinis primitivæ Ecclesiæ.

I. Quia Acatholici nolunt audire Romanos Pontifices, quasi in propria causa, quod tamen justissimum esset; eadem veritas probatur ex testimoniis Conciliorum & Patrum Latinæ Ecclesiæ.

Tertullianus Anno 200. lib. de præscript. adversus hæreticos cap. 36. ubi, postquam varias ab Apostolis fundatas Ecclesias enumerasset, dicit: *Si Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque authoritas præsto est; statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo perfuderunt*, &c. hæc ille adhuc Catholicus; sed postea hæreticus factus lib. de prudentia, contra Pontificem Romanum mœchas & adulteros post pœnitentiam, ad exemplum Christi absolventem cap. 1. sic scribit: *Audio esse edictum propositum & quidem peremptorium, Pontifex scilicet maximus Episcopus Episcoporum dicit; Ego & Mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto*, &c. hæc Tertullianus. Ex quo patet, quòd tunc temporis Anno 200. Romanus Pontifex maximus dictus sit, quem Tertullianus ridet ob verum Fidei dogma; in quo Acatholici Romanum Pontificem sequuntur, sed Tertullianum in malitia & illusione imitantur.

II. Sanctus *Cyprianus* Episcopus Carthaginensis in Africa lib. 1. epistolâ 8. ad plebem sic scribit: *Deus unus, Christus unus, & una Ecclesia, & cathedra una super Petrum Domini voce fundata*, &c. hæc ille. Ecce quàm clarè Primatum à Christo institutum declarat.

Idem lib. de unit. Ecclesiæ, *Hoc eo*, ait, *fit, dum ad unitatis originem non reditur, neque Caput quæritur, nec Magistri cælestis doctrina servatur.*

Idem lib. 4. epist. 2. in ordine 52. de Cornelio Papa Romano sic scribit: *Factus est Episcopus à plurimis collegis nostris, qui tunc in urbe Roma aderant*, &c. Et paulò post: *Cùm nemo ante se factus esset, cùm Fabiani locus, id est, cùm locus* (NB) *Petri & cathedræ sacerdotalis gradus vacaret; quo occupato de Dei voluntate*, &c. *quisquis jam Episcopus fieri voluerit, foris fiat, necesse est*, &c.

Rursus lib. 1. epist. 3. vel aliàs 55. *Post ista*, ait, *adhuc insuper pseudo Episcopo sibi ab Hæreticis constituto navigare audeat, & ad Petri cathedram, atque ad Ecclesiam* (NB) *principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, à Schismaticis & prophanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum Fides Apostolo prædicante* (NB) *laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum*, &c. hæc ibi: Ecce tantus vir non tantùm agnoscebat cathedram Romanam esse Petri & principalem; sed etiam quòd ad illam perfidia venire non possit ex Christi promissione, juxta Apostoli prædicationem.

Idem lib. 3. epist. 1. aliàs 67. ad Stephanum Papam, sic scribit: *Martianus Arelate consistens Novatiano se conjunxit, & à Catholicæ Ecclesiæ unitate discessit, tenens hæreticæ præsumptionis durissimam pravitatem, ut servis Dei pœnitentibus*, &c. *divinæ pietatis & paternæ lenitatis solatia clauderentur*, &c. & infrà: *Quapropter te facere oportet plenissimas literas ad Coëpiscopos nostros in Galliis constitutos; ne ultra Martianum pervicacem*, &c. *collegio nostro insultare patiantur*, &c. *dirigantur in Provinciam & ad plebem Arelate consistentem à te literæ, quibus abstento Marciano alius in locum ejus substituatur*, &c. hæc ille. Sed cur à Stephano Romano Episcopo hæc facienda requirit, si illius nulla in alios Episcopos fuisset potestas major, quàm Cypriani, vel alterius? supponit itaque Romanum Pontificem posse exauthorare alium Episcopum à Fide deficientem, & de hoc aliis Episcopis mandatum dare debere, utique ex officio sibi imposito. III.

Stephanus Episcopus Mauritaniæ in Africa epist. ad Damasum Papam circa Annum 370. sic scribit: *Beatissimo & Apostolico culmini sublimato sancto Patri patrum* (NB) *Damaso Papæ, & summo omnium Præsulum Præsuli. Notum vestræ facimus Beatitudini, quod quidam fratres in confinio nobis positi, quosdam Fratres nostros venerabiles Episcopos vobis inconsultis à proprio dejiciunt gradu, vel dejicere moliuntur; cùm vestræ Sedi Episcoporum judicia & summorum finem Ecclesiasticorum negotiorum cum Honore* (NB) *beatissimi Petri Patrum decreta omnium cunctam reservavere sententiam*, & infrà: *Maximè autem justè debent ab ipso Præsulum examinari* (Nota) *vertice Apostolico, cujus vetusta solicitudo est tam mala damnare, quàm relevare laudanda*, &c. hæc ille. Ecce qualibus titulis dignum judicat Pontificem Romanum, juxta dignitatem in Petro collatam; ecce quantam ejus potestatem agnoscit in Episcopos ducentis annis ante Phocam Imperatorem. IV.

Prudentius circa annum 380. in hymno de S. Hippolyto inter alia sic canebat:

Respondit; fugite O miseri execranda Novati
Schismata, Catholicis addite vos populis.
Una Fides vigeat, prisco quæ condita sæclo est,
Quam Paulus retinet, quamque cathedra Petri.

Ambrosius in cap. 3. 1. ad Timoth. sic ait: *Cùm totus mundus Dei sit, tamen domus ejus Ecclesia* V.

d by Google

Ecclesia dicitur, cujus hodie Rector est Damasus, &c. hæc ibi, quid clariùs?

Idem orat. funebri de excessu Satyri, &c. dicit: *Aduocauit ad se Satyrum episcopum*, &c. *percunctatusq; est ex eo, utrumnam cum Episcopis Catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia conueniret?* &c. hæc ibi, ubi patet, quòd per Ecclesiam Romanam intellexerit Ecclesiam totam Catholicam, quæ cum Romana convenit.

Rursus epist. 78. ad Theophilum Alexandrinum, *Sanè*, ait, *referendum arbitramur ad Reuerendum Fratrem nostrum Romanæ sacerdotem Ecclesiæ*, &c. & infrà: *Vt nos quoq; cum id gestum esse cognouimus, quod Romana Ecclesia haud dubie comprobauerit, lætum hujusmodi fructum examinis adipiscamur*, &c. Ecce qualiter à Romana Sede judicium requirat.

Idem in epist. 81. ad Syricium Papam, *Recognouimus*, ait, *literis sanctitatis tuæ veri Pastoris excubias, qui fideliter commissam tibi januam serues, & pia solicitudine Christi ovile custodias, dignus quem oves Christi audiant, & sequantur; & ideo, quia nosti oviculas Christi, lupos facile deprehendes, & occurres quasi prouidus Pastor; ne isti morsibus perfidiæ suæ feraliq; ululatu Dominicum Ouile dispergant*, &c. hæc Ambrosius. Quomodo clariùs exprimere potuisset, quòd Pontifices Romani, in B. Petro constituti, sint totius Ecclesiæ Pastores, & illius curam gerere eamque regere deberent?

VI. *Optatus Mileuitanus* lib. 2. contra Parmen. sic dicit: *Negare non potes scire te in urbe Roma Petro primo cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum Caput Petrus, unde & Cephas appellatus est, in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut jam Schismaticus & peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret*, &c. hæc ille. Quid clariùs pro Primatu Ecclesiæ Romanæ, & quid efficaciùs contra Acatholicos, qui huic cathedræ sese opponunt, eamque damnare audent?

Hieronymus epist. 57. ad *Damasum Papam* ait: *Quoniam Oriens inter se populorum furore collisus indiscissam Domini tunicam & desuper textam minutatim per frusta disrupit.* Et infrà: *Ideo mihi cathedram Petri & Sedem Apostolico ore laudatam censui consulendam*, &c. *à sacerdote victimam salutis, à Pastore præsidium ouis efflagito*, &c. *Cum successore Piscatoris & discipulo crucis loquor, ego nullum primum nisi Christum sequens beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communioni consocior, super illam Petram Ecclesiam ædificatam scio*; & infrà: *Quicunque extra hanc domum agnum comedit, prophanus est*; & post pauca: *Non noui Vitalem, Miletium respuo, ignoro Paulinum* (hi erant Episcopi Orientales, ubi Hieronymus agebat) *quicunq; tecum non colligit spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est*, &c. hæc ille; quid clariùs pro Primatu & etiam infallibilitate Sedis Romanæ dici posset? ut absolutè ille non sit Christi qui cum Papa Romano non communicat? quid ad hæc Acatholici? Idem in Præfat. Euangeliorum ad Damasum sic ait: *Tu qui summus sacerdos es*, &c.

VII. Item Epist. 8. ad Demetriadem cap. 7. dicit: *Dum Anastasius Romanam Ecclesiam regeret, de Orientis partibus Hæreticorum sæua tempestas simplicitatem Fidei, quæ Apostoli voce laudata est, polliceri conata est: Sed vir Apostolicæ solicitudinis statim noxium perculit Caput*, &c. & infrà: *Illud te pro charitatis affectu præmuniendum puto, ut sancti Innocentii, qui Apostolicæ cathedræ & supradicti viri successor & Filius est, teneas Fidem*, &c. hæc ibi.

Ruffinus in explicatione symboli, *Nulla*, ait, *Hæresis in Ecclesia urbis Romæ sumpsit exordium*, &c. hæc ille, & Acatholici volunt, quòd maxima hæresis ibi orta sit.

Idem apud Hieronymum in explanatione symboli ad Damasum Papam, *Si quid*, ait, *parum cautè positum est, emendari cupimus à te, qui Petri & Fidem tenes, & Sedem*, &c. hæc ille. VIII.

Concilium Mileuitanum in Africa Anno 402. celebratum in epistola ad Innocentium Papam quæ habetur apud Augustinum epistolâ 92. sic scribit: *Quia te Dominus gratiæ suæ præcipuo munere in Sede Apostolica collocauit*, &c. *ut nobis potiùs ad culpam negligentia valeat; si apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesia sunt, suggerenda tacuerimus, quàm tu possis*, &c. *magnis periculis membrorum Christi infirmorum Pastoralem diligentiam adhibere, quæsumus, digneris*, &c. & infrà: *Multo plures aduersus Pelagium confligunt præcipue sanctus filius tuus Frater & compresbyter noster Hieronymus*, &c. *Sed arbitramur authoritati sanctitatis tuæ, de sanctarum Scripturarum* (NB) *authoritate deprompta facilius eos* (*qui tam peruersa sentiunt*) *esse cessuros*, &c. hæc Concil.

IX. *Concilium Carthaginense* in epistola ad Innocentium Papam quæ est 90. apud Augustinum sic scribit: *Hoc itaque gestum, Domine Frater sancte, charitati tuæ intimandum duximus; ut statutis nostræ mediocritatis etiam Apostolicæ Sedis adhibeatur authoritas, pro tuenda salute multorum & quorundam etiam peruersitate corrigenda*, &c. hæc Concilium.

Ipsemet Augustinus epistolâ 106. *Missæ sunt*, ait, *hac de re à duobus Conciliis Carthaginensi & Mileuitano Relationes ad Apostolicam Sedem.* Et infrà: *Ad omnia nobis Innocentius Papa rescripsit eodem modo, quo fas erat, & oportebat Apostolicæ Sedis Antistitem*, &c. hæc ibi. Ecce tanti viri testimonium, quòd illa Concilia sententiam à Romano Pontifice ut Sedis Apostolicæ expetierint.

Similiter epistolâ 157. ait: *Injuncta nobis à venerabili Papa Zozimo Apostolicæ Sedis episcopo, Ecclesiastica necessitas ad Cæsariam in Mauritania nos traxerat*, &c. ubi patet, quòd Augustinus agnoscat authoritatem Pontificis Romani in alios Episcopos, & infrà dicit: *Pelagius & Cælestius Conciliorum Episcopalium vigilantia etiam à duobus venerabilibus Antistitibus Apostolicæ Sedis Papa Innocentio & Papa Zozimo, nisi correcti etiam egerint pœnitentiam, toto orbe terrarum damnati sunt*, &c. hæc ille. Ecce quàm clarè discernat, quòd quidem illi duo hæretici à duobus Conciliis deprehensi & accusari, sed à Pontificibus Romanis damnati fuerint toto orbe Christiano; nónne hîc authoritas jurisdictionis?

Hoc ipsum declarat lib. 2. contra Pelagium & Cælestium cap. 7. dicens: *Cælestius beati Papæ Innocentii libris non est ausus resistere; imo se omnia, quæ Sedes illa damnaret, damnaturum esse promisit*, &c. quid ad hæc nostri Acatholici?

X. Idem lib. 2. de Baptismo contra Donat. capite 1. *Puto*, ait, *quod sine ulla sui contumelia Cyprianus Episcopus Petro Apostolo comparatur, quantum attinet ad Martyrii coronam.*

Cæterum magis Petri debeo, ut in Petrum contumeliosus existam; quis enim nescit illum Apostolatûs Principatum (NB) *cuilibet episcopatui præferendum? sed, etsi distet cathedrarũ gratia, una est tamen Martyrum corona*, &c. & infrà: *In Apostolo Petro Primatus Apostolorum excellenti gratia præminet*, &c. hæc ibi. Quid clariùs dici posset? Ecce Augustinus dicit neminem id nescire, & se fore contumeliosum si aliter diceret: quid ad hoc Acatholici?

Iterum epist. 162. loquens de Cæciliano Episcopo Carthaginensi dicit: *Cùm se videret & Romanæ ecclesia, in qua semper Apostolica* (NB) *cathedra viguit Principatus, & cæteris huic, unde Euangelium ad Africam venit per communicationis literas esse conjunctum, ubi paratus esset causam suam dicere*, &c. Nónne hîc supponitur jurisdictio, ubi causa dicitur & Principatus Apostolicæ Sedis semper viguit?

Iterum Aug. lib. 2. Retract. cap. 50. sic ait: *Postquam Pelagiana hæresis cum suis autoribus ab Episcopis Ecclesiæ Romanæ primò Innocentio, deinde Zosimo, cooperantibus Conciliorum Africanorum literis conuicta atq; damnata est*, &c.

Omissis aliis Augustini locis lib. 1. contra Julian. Pelagian. cap. 4. sic ait: *Puto eam orbis partem sufficere debere, quam primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronari; cui Ecclesiæ præsidentem, si beatum Innocentium audire voluisses, jam tam periculosam juuentutem tuam Pelagianis laqueis exuisses: Quid enim potuit vir ille sanctus Africanis respondere Conciliis, nisi, quod antiquitus Apostolica Sedes & Romana cum cæteris tenet perseueranter Ecclesiæ*, &c. hæc August. ubi iterum indicat, qualiter Romani Pontificis judicium à Conciliis requisitum fuerit, & quòd Romana Sedes semper in vera Fide perseveret, & Ecclesiæ ipsi communicantes, quod verum semper non esset, nisi Christi promissio adesset.

XI. Sunt etiam plurima alia SS. Patrum pro hac veritate testimonia, sed prædicta sufficiant; unius tamen S. Leonis testimoniis concludam qui Concilio Chalcedonensi excellentissimo, in quo 630. Patres congregati fuerunt, per Legatos præsedit; illudque petentibus Patribus confirmavit, ut suprà visum est, hic serm. 2. de anniversario die Assumptionis suæ sic ait: *Soliditas enim illius Fidei, quæ in Apostolorum Principe, perpetua est, & sicut permanet, quod in Petro Christus instituit*, &c. & infrà: *Manet ergo dispositio veritatis, & B. Petrus in accepta fortitudine petræ perseuerans suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit; sic enim præ reliquis* (Nota) *est ordinatus, ut dum petra dicitur, dum fundamentum pronunciatur, dum regni cælorum Ianitor constituitur, dum ligandorum soluendorumq; arbiter mansura etiam in cælis judiciorum suorum definitione præficitur, quasi ipsi in Christo esset societas per ipsa appellationum ejus mysteria nosceremus, qui nunc plenius & potentius ea, quæ sibi commissa sunt, peragit*, &c. *Si quid itaq; à nobis rectè agitur, rectèq; discernitur, illius est operum & meritorum, cujus in Sede sua viuit potestas, & excellit autoritas*, &c. & ir[illegible]: *In persona humilitatis meæ ille intelligitur, in quo & omnium Pastorum solicitudo cum commendatarum sibi ouium custodia perseuerat: ut cujus dignitas etiam in indigno hærede non deficit, unde venerabilium quoq; fratrum & consacerdotum meorum præsentia hinc sacratior est, si pietatem hujus officii ei principaliter deferant, quem non solùm* (NB) *hujus Sedis Præsulem, sed & omnium Episcoporum nouerant esse Primatem*, &c. hæc ibi.

X. Item serm. 3. circa verba Christi Luc. 7. *Rogaui pro te Petre*, &c. sic ait: *Quoniam diabolus omnes cupiebat elidere, & tamen specialis à Domino Petri cura suscipitur, & pro Fide Petri propriè supplicatur: tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo inuenitur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium; ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur*, &c. *Cùm itaq; tantum nobis videamus præsidium diuinitus institutum justè in ducis nostri meritis lætamur, gratias agentes Redemptori nostro Iesu Christo, qui tantam dedit potentiam ei, quem totius Ecclesiæ principem fecit*, &c. hæc ibi.

Hæc quidem S. Leo in concionibus ad Episcopos Romæ præsentes de Primatu Ecclesiæ Romanæ; quem etiam exercuit in Ecclesiam tam Græcam, quàm Latinam.

Quoad Græcam patet ex epist. 46. ad Anatholium Episcopum Constantinopolitanum, ubi sic scribit: *Vt nihil in his, quæ ad uniuersalis Ecclesiæ statum pertinent, aut dubiè agatur, aut segniter; cum residentibus vobis, quibus executionem nostræ dispositionis injunximus, ea possint agi justâ moderatione*, &c. hæc ibi, ubi patet, quod Leo Anatholio præcipiat, & injungat modum executionis, &c.

Similiter epist. 84. ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem sic ait: *Quanta Fraternitati tuæ à beatissimi Petri Apostoli authoritate sint commissa*, &c. & intrà: *Quoniam sicut prædecessores mei prædecessoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ, priorum secutus exemplum vices mei moderaminis delegaui; ut curam quam uniuersis Ecclesiis* (nota) *principaliter ex diuina institutione debemus, imitator nostræ mansuetudinis effectus adjuuares, & longinquis ab Apostolica Sede prouinciis præsentiam quodammodo nostram visitationis impenderes*, &c. hæc ibi.

Idem S. Leo epist. 89. ad uiversos Episcopos per Viennensem Provinciam in Gallia, ubi prius ex verbis Christi ostendit, quòd Ecclesia specialiter in Petro fundata esset, subdit; quòd hoc semper Episcopi agnoverint Galliæ dicens: XIII. *Nobiscum itaq; Fraternitas vestra recognoscat Apostolicam Sedem pro sui reuerentia à vestræ etiam Prouinciæ sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam, & per diuersarum* (*quemadmodum vetus consuetudo poscebat*) *appellationes causarum aut retractata aut confirmata fuisse judicia*, &c. *quàm solicitudo nostra non sua quærens, sed quæ sunt Christi, dignitatem* (NB) *diuinitus datam, nec Ecclesiis nec Ecclesiarum sacerdotibus abrogabat: sed hunc*, &c. *Hilarius Ecclesiarum statum excessit, ita sua vos cupiens subderè potestati, ut se beato Apostolo Petro non patiatur esse subjectum; cui cùm præ cæteris ligandi atq; soluendi sit tradita potestas, pascendarum tamen ouium cura specialius mandata est, cui quisquis Principatum æstimat denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem, sed inflatus spiritu superbiæ suæ semetipsum in inferno demergit*, &c. hæc S. Leo. Quæ licèt Acatholici non curent, suo tempore tamen, nisi resipiscant, experientur: interim Catholici ubique terrarum inhærentes verbis Christi & testimoniis SS. Patrum in Petri Sede securè Christo adhærent, & serviunt.

***

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS XI.

Imperatores primitivæ Ecclesiæ Romanorum Pontificum à Christo datum Primatum agnoverunt.

I. QVod autem non solùm Concilia & SS. Patres Romanum Pontificem agnoverint Christi in terris Vicarium Petri successorem, ac totius Ecclesiæ Primatem & caput, & Judicem, qui potestatem à Christo Petro datam pascendi & regendi Ecclesiam universam habeat; ac ideo etiam nomina & titulos illos Romanis Pontificibus ab initio Ecclesiæ tribuerint, ut ex hactenus dictis patet: sed hoc ipsum etiam Imperatores Romani longè ante Phocam recognoverint, nimis patet ex illorum actis, rescriptis, & epistolis; ex quibus constat, quod ipsi nullo modo Pontifici Romano Jurisdictionem in Ecclesiam dederint, sed à Christo datam reveriti sint.

II. Hoc primo patet ex facto Constantini Magni, qui in ipso Concilio Nicæno circa Ann. 324. professus est se non esse præpositum Concilii, sed potiùs ab Episcopis judicari debere, eisque subjectum esse: ut expresè inter alios scribit Ruffinus lib. 10. cap. 2. Quod ipsum Constantinum agnovisse D. Aug. epist. 166. contra Donatistas testatur, dicens: *Sed quia Constantinus non est ausus de causa Episcopi judicare, eam discutiendam & finiendam Episcopis delegauit, quod & factum est in urbe Roma præsidente Melchiade Episcopo illius Ecclesiæ cum multis collegis suis*, &c. hæc Augustinus. Quomodo ergo hanc potestatem daret Romano Pontifici Imperator? vel quomodo illam tandem contulisset Phocas, qui post ann. 600. regnare cœpit? Etsi autem postea idem Constantinus in causa Donatistarum contra Cæcilianum post sententiam, Episcoporum, Donatistarum accusationem audierit; & varios Episcopos Judices constituerit nihil juris importat pro Imperatoribus, sed malè factum ostendit; prout D. Augustinus ideo Donatistas repræhendit, quod ab Episcopis ad Imperatorem appellarint, & Imperatorem malè etiam egisse ostendit dicens epist. 162. *Qua in re, quemadmodum illos* (Donatistas) *detestetur Constantinus, audiuistis, atq; utinam, ut eis ipse cessit, ut de illa causa post Episcopos judicaret à sanctis Antistitibus veniam postea petiturus, sic & illi aliquando cederent veritati*, &c. hæc August. unde patet, quod si Imperatores subinde Judicium Ecclesiasticum sibi assumpserint, id contra jus factum fuerit.

Certum est 2. quod Justinianus primus seu senior, qui Anno 526. facilè 70. annis ante Phocam imperavit in epist. ad Joannem II. quæ extat in corpore Juris Civilis C. *de summa Trinit. & Fide Catholica* sic scribit: *Reddentes honorem Apostolicæ sedi & vestræ sanctitati* (*quod semper nobis in voto fuit, & est*) *& ut decet, Patrem honorantes beatitudinem vestram*, &c. & infrà: *Nec enim patiamur quicquam, quod ad Ecclesiasticum statum pertinet, quamuis manifestum & indubitatum sit, quod mouetur, ut non etiam vestræ innotescat sanctitati, quæ* (nota) *caput est omnium SS. Ecclesiarum*, &c. hæc ille. Ecce Justinianus agnoscit caput Ecclesiarum tanto tempore ante Phocam.

III. Cæterùm ante *Justinianum Valentinianus & Marcianus* Imperatores Anno 440. in epist. ad Leonem Papam sic scripserunt: *Pro reuerenda & Catholica Religione Christiana Fidei*, &c. *tuam sanctitatem, principatum* (Nota) *in episcopatu diuinæ sedis possidentem sacris literis in principio justum credimus alloquendam*, &c. & infrà: *Quatenus omni impio errore sublato per celebrandam Synodum te authore maxima pax circa omnes Episcopos Fidei Catholicæ fiat*, &c. hæc illi.

IV. Rursus *Valentinianus* Anno 432. in epist. ad Theodosium Imperatorem quæ extat in Concil. Chalcedon. de fide Romana ita ait: *Quam nos à nostris majoribus traditam debemus cum omni competenti deuotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis beato Petro Apostolo intemeratam, & in nostris temporibus conseruare, quatenus beatissimus Romanæ ciuitatis Episcopus, cui principatum* (Nota) *Sacerdotum super omnes antiquitas contulit, locum habeat, & facultatem de Fide* (NB) *& Sacerdotibus judicare*, &c. hæc ille, ubi patet primo quod supponat Pontificem ab olim habuisse potestatem judicandi tam de fide, quàm de Sacerdotibus. 2. cùm dicit, quod antiquitas principatum contulerit, non intelligit, quod à Conciliis vel hominibus collata sit, cùm dicat dignitatem esse B. Petri Apostoli, adeoque supponit à Christo datam Petro & successoribus, quam Concilia antiqua declararunt. 3. ad minus inde confunditur mendacium Calvini & Acatholicorum, quod talis principatus & potestas ab ullo Imperatore, ne dicam à Phoca, vel Pipino, aut Carolo Magno post annum 800. collata fuerit.

ARTICULUS XII.

Referuntur & refelluntur mendacia & objectiones Calvini quoad testimonia Patrum Latinorum.

I. EX præmissis clarè mendacii convincitur Calvinus qui lib. 4. cap. 7. volens ostendere, quod Romano Pontifici non competat præsidentia in Conciliis generalibus; idque mendaciter voluit probare ex Concilio Nicæno, Ephesino, Chalcedonensi, & Constantinopolitano secundo, prout art. 7. refutatum est, etiam quoad Ecclesiam Latinam eadem probare volens §. 2. sic ait: *In Concilio Carthaginensi, cui interfuit Augustinus, videmus non Legatos sedis Romanæ, sed Aurelium loci Archiepiscopum præfuisse, quum tamen lis esset de Romani Pontificis authoritate*, &c. hæc ille.

Ad hoc respondetur, quod illud Concilium non fuerit generale, ut evidens est; sed tantùm provinciale, vel ad summum nationale, in quo præsidet Archiepiscopus, vel Primas nationis, quid ergo inde infertur? Etsi autem Legati Pontificis illuc missi fuerint, ut quædam ibi cum Patribus tractarent, non tamen missi sunt, ut præsiderent. Quod autem de authoritate Pontificis Romani lis fuerit, an eidem debeatur præsidentia in Conciliis generalibus, vel authoritas,

Digitized by Google

& judicium ultimatum in Ecclesia, falsissimum est; nec Calvinus probat; contrarium enim constat ex ipsis Conciliis & ex verbis S. Augustini quoad utrumque Concilium Carthaginense & Milevitanum suprà allegatis.

II. Ex his etiam responsio patet ad aliud argumentum, quod Acatholici faciunt ex Canone Concilii 6. Carthaginensis seu Africani, qui allegatur à Gratiano distinct. 99 cap. primæ sedis: ubi prohibetur, ne primæ sedis Episcopus dicatur Princeps Sacerdotum, cui Gratianus addidit, *universalis autem nec Romanus Pontifex appellatur.*

Respondetur enim, quod illud Concilium erat nationale, adeoque non intendit Canonem pro tota Ecclesia ordinare, sed tantùm pro Archiepiscopo Africæ, ne principes Sacerdotum dicerentur; aliud autem expresserunt quoad Romanum Pontificē; ut patet ex Stephano Mauritaniæ Episcopo. Sed quod Gratianus de suo addit, nullius est authoritatis, nisi intelligatur in sensu, quoad verba S. Gregorii respondetur.

III. Insuper Calvinus alio mendacio utitur, dum ibidem dicit: *Quinimo habitum in ipsa Italia fuit Concilium universale, cui Romanus Pontifex non interfuit; præterea Ambrosius qui tunc insigni authoritate pollebat apud Cæsarem, nulla ibidem Pontificis Romani fit mentio: Ergo tunc Ambrosii dignitate factum est, ut illustrior esset Mediolanensis Ecclesia, quàm Romana,* &c. hæc Calvin.

Verùm hæc falsissima esse etiam convincitur; nam primo constat quod Concilium illud Aquileiense non fuerit generale, cui tantùm triginta Episcopi interfuerunt; alioquin etiam inter generalia computandum esset; & quidem ante Ephesinum primum; sed nihil horum verum est. 2. Ipsimet Patres illius Concilii in epist. ad Imperatorem dicunt, *non fuisse opus ad id, pro quo vocati erant, generale Concilium congregari.* 3. falsum est, quod Ambrosius præsederit, sed Valerianus Aquileiensis Episcopus præsedit, cùm ipse primus nominetur, licèt S. Ambrosius potissimùm disputarit: sicut etiam D. Augustinus in diversis Conciliis; non tamen præsedit. 4. quod Mediolanensis Ecclesia ex dignitate Ambrosii illustrior fuerit, quam Romana, nimis evidenter falsum est, & ex ipsiusmet Ambrosii suprà allegatis testimoniis convincitur, qui fatetur; quod Damasus totius Ecclesiæ & domus Dei esset Rector, idque non ex dignitate particularis personæ, quæ varia esse potest, sed ex dignitate sedis S. Petri & Christi promissione.

Cæterùm quæ Calvinus præterea objicit contra titulos Romani Pontificis jam clarissimè falsitatis convicta sunt. Quod autem suprà §. 5. dicere audet, quod in primitiva Ecclesia Romanus Pontifex Fratris appellatione contentus fuerit, id verum est; quia Pontifex semper usque in hodiernum diem alios Episcopos fratres & confratres vocat: sed quod ideo non debeatur ipsi Primatus, quis hoc inferet? cùm & Petrus omnes alios fideles vocet fratres, cui tamen Calvinus concedere debet Primatum. Quod autem Calvinus dicit Hieronymum sese oppositurum Pontifici fuisse, si talem titulum admitteret, quid turpius dicitur? videantur verba Hieronymi suprà allegata, præsertim in epist. ad Damasum Papam, & luce clariùs patebit, quod Primatum ac etiam infallibilitatem in Romano Pontifice Petri successore agnoverit, & imploraverit.

Nec his obstant ea, quæ Calvin. ibid. ex epist. Hieronymi ad Evagrium recitat, dicens: *Hieronymus, cùm Romanus esset Presbyter, non malignus fuit in prædicanda Ecclesiæ suæ dignitate*, &c. *videmus tamen, qualiter ipsum quoq; in ordinem redigat, si authoritas quæritur, inquit, Orbis major est urbe; quid mihi profers unius urbis consuetudinem, quid paucitatem, de qua ortum est supercilium, in leges Ecclesiæ vindicas? ubicunq; fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Regii, ejusdem meriti est & ejusdem Sacerdotii, potentia divitiarum & paupertatis humilitas, superiorem vel inferiorem Episcopum non facit*, &c. hæc Calvinus ex Hieronymo. IV.

Respondeo: Hieronymus ibi agit contra prætensam præcedentiam Diaconi ante Presbyteros, ut patet ex initio Epistolæ, cùm scribit: *Audio quendam in tantam erupisse vecordiam, ut Diaconos Presbyteris, id est, Episcopis anteferret*, &c. contra quem sic agit: *Quis patiatur mensarum & viduarum minister* (Diaconus) *ut supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus sanguisq; efficitur* (hoc notent Acatholici) &c. cùm vero Diaconus ille pro se consuetudinem allegasset urbis Romæ, Hieronymus duobus modis refutat: Primò, quod consuetudo, si talis Romæ esset, non derogaret consuetudini totius orbis seu Ecclesiæ, sed 2. respondet, talem Romæ non fuisse, nec probatam ab Episcopo Romano dicens: *Cæterum etiam in Ecclesia Romæ Presbyteri sedent, & stant Diaconi, licet paulatim increbrescentibus vitiis inter Presbyteros absente* (NB) *Episcopo sedere Diaconum viderim*, &c. cujus causam indicat dicens: *Omne quod rarum est, plus appetitur; Diaconos paucitas honorabiles; Presbyteros turba contemptibiles facit*, &c. sicut & divitiæ, ut ibidem indicat, quia Diaconi Thesauri Ecclesiæ curam habebant, unde facilè superbiebant; sed præcedentiam ex consensu Ecclesiæ non habebant; nihil igitur hinc contra Primatum Episcopi Romani, quem Hieronymus tantopere commendat, colligi potest.

Quod autem Hieronymus intulerit de æqualitate Episcoporum sive divitum, sive Pauperum, id verissimum est. Primò, quod divitiæ non faciant inter ipsos diversitatem, &c. 2. quod omnes æquales sint quoad ordinem Episcopalem; sed Hieronymus negare noluit, quod inæquales sint quoad Jurisdictionem, cùm notissimum esset, quod Patriarchæ & Archiepiscopi præcedant Episcopos, & majorem habeant jurisdictionem, quàm Episcopi unius Oppidi, &c. Sic etiam S. Petrus ejusdem Ordinis erat cum reliquis Apostolis, sed cùm hoc constabat, quod ex institutione Christi quoad Jurisdictionem cæteris emineret, existens caput etiam Apostolorum, ut tot modis ostensum est. Similiter Romanus Pontifex Petri successor quoad ordinem aliis Episcopis æqualis, Princeps tamen est, & caput totius Ecclesiæ, & ultimatum judicium habens in rebus Fidei; quod Hieronymus clarissimè profitetur, ut suprà visum est: nec hoc habet ex consuetudine unius urbis, nec totius orbis, sed ex Christi institutione, ut copiosè demonstratum est.

Demum objicit Calvin. ibid. §. 4. quoad *titulum universalis Episcopi*, idque ex Epistolis V.

S. Gre-

Digitized by Google

B. *Gregorii*, qui lib. 4. epist. 76. vel cap. 28. ad Joannem Episcopum Constantinopolitanum, qui sibi titulum universalis Episcopi arrogabat, scribit quod *hoc non fecerit Petrus nec Paulus*, &c. Epist. 36. ad Eulogium: *Si unus Patriarcha universalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur.* Et epist. 34. dicit: *Triste est valde, ut patienter feratur, quatenus despectis omnibus prædictus frater* (Joannes) *& Coepiscopus meus solus conetur appellari Episcopus.* Et l. 6. ep. 69. ad Eusebium dicit: *Si unus universalis est, restat, ut vos Episcopi non sitis*, &c. imò dicit, *id nomen esse prophanum & Antichristi prænuntium, & ideo neminem ex suis prædecessoribus illo usum esse*, &c.

Respondetur; Aliud est, quod alicui nomen aliquod de jure debeatur; aliud est, quod illud sponte usurpet. Constat autem ex omnibus testimoniis SS. Patrum & Conciliorum allegatis, quod *Romanus Pontifex sit successor Petri, & S. Petrus à Christo institutus sit Pastor totius Ecclesiæ & Rector*, ac proinde etiam totius Ecclesiæ Episcopus & caput, & ideo tales titulos SS. Patres Pontifici dederunt; idem tamen in re est dicere *Episcopum totius Ecclesiæ, & Episcopum universalem Ecclesiæ*, licèt in aliquo sensu esset diversitas; si ita intelligeretur, quasi Romanus Pontifex solus esset Episcopus totius Ecclesiæ, & alii Episcopi solum essent illius Vicarii: hoc enim falsum est; nam alii veri sunt Ordinarii singulorum locorum Episcopi: cùm hoc tamen consistit, quod Romanus Pontifex sit illorum princeps, sicut Apostoli veri erant Apostoli, & totius Ecclesiæ Rectores, licèt Petrus adhuc eorum esset Pastor & princeps: in priore autem sensu *S. Gregorius* detestatus est illud nomen à Joanne usurpatum, ut patet ex ratione Gregorii addita. Et licèt in altero sensu Romani Pontifices se nunquam voluerint scribere Episcopos universales, ob causam dictam; tamen se scripserunt Episcopos universalis Ecclesiæ, ut constat ex *Clemente I.* epist. 1. *Anacleto* epist. 3. *Euaristo* epist. 1. *Alexandro* epist. 1. *Pio* epist. 1. & 2. *Victore* epist. 1. *Calixto* epist. 1. & aliis, quæ epistolæ referuntur ab Isidoro, qui floruit circa Ann. 600. tempore Gregorii Magni; Illi autem sanctissimi Pontifices & Martyres fuerunt primis trecentis annis ante Constantinum Magnum; de quibus Acatholici fatentur, quod verissimi & orthodoxi Pontifices fuerint.

VI. Quod autem S. Gregorius non negarit Pontificem Romanum esse caput Ecclesiæ patet lib. 11. epist. 42. ubi sic ait: *Apostolicæ sedis reverentia nulla præsumptione turbetur, tunc enim membrorum status integer perseverat, si caput fidei nulla pulset injuria.* Et iterum epist. 54. dicit: *Sedes Apostolica omnium Ecclesiarum caput est*, &c. nec hoc negare poterunt juxta S. scripturam & SS. Patrum clarissima testimonia. *Si autem sedes Apostolica omnium Ecclesiarum caput est*, utique is, qui in sede Ecclesiam regit, Ecclesiarum caput est; & hoc nimis clarè ex antiquis SS. PP. ostensum est; & ideo fatetur S. Gregorius hunc titulum in Concilio Chalcedonensi Leoni primo delatum esse; licèt ipse dicat quod non acceptaverit: quod verum est quoad nomen universalis Episcopi; alioquin patet, quod rem ipsam S. Leo prædicarit, scilicet quod sedes Romana esset prima omnium & jurisdictionem habeat, ac Pontifex S. Petri successor omnium Ecclesiarum caput & Primas esset: ut patet ex S. Leonis locis suprà allegatis.

Quod verò Calvinus S. Gregorium in hoc falsitatis accuset, illius præsumptioni tribuendum est; quod velit Concilium tale nomen sacrilegum noluisse dare; sed res patet ex ipso Concilio; quod autem illud nomen in certo sensu non sit sacrilegum, sed debitum, cùm res ipsa competat Pontifici Romano, quam Concilium profitetur, & quoad nomen fuit à quibusdam in ipso Concilio usurpatum, nec à Concilio improbatum; ut ex actis suprà relatis patet.

Demum, quod verò *S. Gregorius* Joannem ita in hoc nomine reprehenderit, causa erat: quia contra omne jus tale nomen usurpabat, & ideo etiam contra Christum agebat, ac proinde prænuntium Antichristi dici poterat: S. Gregorius autem explicat se satis, in quo sensu intelligatur nomen prophanum, quatenus scilicet aliis Episcopis suam authoritatem aufert: Et ob hanc causam Gregorius incepit, quem successores secuti sunt, ut se simpliciter Episcopum & servum servorum ex humilitate scriberet. Veruntamen Græci Patriarchæ usque modo titulum Episcopi universalis usurpant: ut suprà lib. 4. de schismate Græcorum relatum est; quibus tamen nec juxta S. scripturam, nec juxta antiquos Canones debetur; Cùm è contrario secundùm S. scripturam Romanis Pontificibus res ipsa, ut veris S. Petri successoribus, conveniat; & antiqua Concilia & SS. Patres, non secundùm Imperatorum, ut falsissimè Acatholici dicunt, gratiam; sed juxta Christi ordinationem talibus titulis eosdem salutarint. VII.

***

CA-

CAPUT IV.

Referuntur & refutantur argumenta Authorum trium libellorum contra inerrabilitatem Ecclesiæ Catholicæ Romanæ.

ARTICULUS I.

Refellitur objectio Authoris Anonymi primi libelli.

I. Ostensum fuit l. 3. quod Ecclesia Christi universalis visibilis non possit errare in doctrina Fidei & morum, non solùm in aliquibus, quæ fundamentalia ab Acatholicis vocantur, & tamen ab illis specificari non possunt; sed nec in ullis aliis ad Fidem spectantibus articulis. Ostensum est etiam, quod Ecclesia Romana illa scilicet, quæ per totum orbem diffusa cum Ecclesia Romana particulari ejusque Episcopo communionem habet, & ab illo tanquam supremo capite regitur, sit vera Christi Ecclesia, adeoque errare non possit.

Ostensum ulterius est, quod etiam generalia Concilia in definiendis Fidei controversiis errare non possint, si à Romano Pontifice Petri successore confirmentur; & quod Petri successoribus à Christo promissio facta sit; ut fratres suos in fide confirmarent, adeoque in Fide errare non possint; quod ad minus secundùm S. Scripturam & SS. Patrum doctrinam de Fide certum est, si cum Concilio generali sic definiant. At vero licèt probabile sit, quod etiam errare non possint, si cum Concilio particulari sic definiant; prout multis modis demonstrari potest, tamen id de F de non sit certum, donec Pontifex cum generali Concilio ultimatè determinet.

II. Contra doctrinam hanc Catholicam Author i. libelli ausus fuit absolutè asserere: quod *Ecclesia universalis visibilis errare possit*, idque probatum voluit ex *Vincentio Lirinensi*, quasi ipse asseruisset Ecclesiam universalem tempore Arianorum errasse, & ad illam hæresim defecisse, quod falsissimum esse suprà ostensum est; nec Vincentius unquam intendit; ipse autem Anonymus Author suis collegis contradixit, qui negant Ecclesiam universalem posse in aliquo articulo fundamentali deficere, vel errare; at fundamentales articuli erant Fidei, contra quos Arianorum hæresis versabatur; hæc suprà ostensa & reprobata sunt: ubi etiam reprobatum est, quod Anonymus contra authoritatem Conciliorum generalium ex Concilio Constantiensi probare conatur.

Hîc restat aliud illius argumentum, quo indicat Romanos Pontifices posse in Fide errare; quod ex facto *Liberii* Papæ probatum putat dicens: *De Ariana hæresi, neq; ab hac lue liber fuit Liberius Episcopus Romanus, teste Platina & aliis.*

III. Respond. primò, quòd, si Liberius vel alius Pontifex ex fragilitate aliquando à fide defecisset, id nihil esset contra Fidem Catholicam, quæ docet Pontificè Romanum cum Concilio generali non posse errare, vel docere hæresim; & sic nihil hoc urgeret contra id, quod Ecclesia universalis cum suo capite errare non possit.

Respondetur 2. cùm etiam valde probabile sit, & quasi certum, quod Pontifex etiam absq; Concilio generali cum Concilio particulari (sive privatim hæreticus esse possit, sive non, de quo non agitur) saltèm errare non possit definiendo aliquid Hæreticum à tota Ecclesia credendum; & sic etiam adhuc lapsus *Liberii*, vel alterius alicujus Pontificis privatus non obsisteret, quamdiu non ostenditur, quod aliquis Pontifex hæresin docuerit, &c.

Respond. 3. Etsi concedatur à pluribus; quod possit Pontifex privatim esse hæreticus; tamen valde probabile est propter summam Dei providentiam, quod Christus ipsum præservabit: idque ex promissione Christi congruè deducitur, & ex facto probatur: quia SS. Patres semper supposuerunt Pontifices Romanos non errasse, ut ex *D. Augustino, Optato*, & aliis, dum Catalogum Pontificum recensent, constat; sic enim D. Aug. epist. 165. dum illum ordinem Episcoporum Romanorum enumerasset, ait: *In hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus invenitur*, &c. nec hactenus Acatholici ulli veraciter & absolutè ostendere potuerunt, quod aliquis Pontifex hæreticus fuerit, multò minus quod hæresin docuerint ab Ecclesia credendam, prout DD. Catholici, & specialiter *Bellarmin.* l. 4. de Romano Pontifice cap. 8. & seqq. ac *Baronius* per singulos Annalium tomos non minùs verè, quàm accuratè defendunt, & authenticè probant; ostendunt etiam quod Pontifices Romani primi, secundi & tertii seculi usque ad tempora Constantini Magni, quos Acatholici veros Pontifices & orthodoxos agnoscunt, plura docuerint, quæ Acatholici ut hæretica, & erronea damnant, sed Ecclesia vera semper credidit.

Respondetur tamen in speciali quoad *Liberium*, qui sedit circa Ann. 353. quod Anonymus Platinam frustra in testem adducat. Primo, quia Platina vixit & scripsit circa Ann. 1470. sic plusquam mille annis post Liberium, & proinde valde debile esset illius testimonium; sed tamen ipse non absolutè asserit, sed sic habet de Liberio: *Cum Hæreticis in omnibus (ut quidam volunt) sentiens*, &c. Ecce Platina dicit, *ut quidam volunt*, &c. Cur Anonymus primus non allegat *S. Athanasium & Hieronymum Liberii contemporaneos*; qui fatentur ipsum priùs constantissimè pro Fide Catholica contra Arianos & Imperatorem stetisse, donec in exilium ejiceretur, in quo existens, dum Felix ejus loco in sedem collocatus esset, exilii molestia victus, licèt invitus damnationi S. Athanasii subscripserit, & cum Episcopis Orientalibus communicarit, qui in Concilio Ariminensi ab hæresi Ariana se alienos fingebant: an autem hæresi Arianæ subscripserit, ut viden- IV.

videntur *S. Athanasius* in epist. ad solitariam vitam agentes, *& Hieronymus* in chronico indicare, tamen Ruffinus lib. 10. cap. 27. dicit, se non potuisse reperire, vel certò cognoscere, an *Liberius* subscripserit, scilicet hæresi.

V. Quod autem sincerè hæresi non consenserit, ex ipsius epistola ad Athanasium patet, ubi sic scribit: *Fidem Nicæni Concilii in eadem epistola rectam reperimus, super qua & Deo gratias uberrimas retulimus, pro qua non solum persecutiones & passiones vobiscum sustinere parati sumus, sed & mortem*, &c. hæc ille; ubi etiam Episcopos & quoscunque alios contra Fidem Nicænam docentes damnat, & ipse Athanasius in epist. cit. sic scribit: *Trahitur Liberius ad Imperatorem, quo cum pervenisset, magna quoq; & ibi dicendi libertate usus est, desine, inquit persequi Christianos, ne tenta me hæreticam impietatem in Ecclesiam introducere, ad omnia potius sustinenda parati sumus; ne pugnes contra eum, qui tibi imperium dedit.* Et infrà: *Liberius post exactum in exilio biennium inflexus est, minusq; mortis ad subscriptionem inductus est; verum illud ipsum quoq; & eorum violentiam, & Liberii in hæresin odium, & suum pro Athanasio suffragium, cum liberos affectus habebat, satis coarguit*, &c. hæc Athanasius: Ex quo patet, quod Liberius nunquam in hæresin sincerè consenserit, multò minus hæresin defenderit, aut docuerit, & solùm in hoc deliquisse notatur: quod damnationi Athanasii subscripserit, & communicarit cum illis Orientalibus Episcopis, qui se Catholicos simulabant; quod tamen ipse scire debebat, & ideo ab Ecclesia Romana tunc pro hæretico habebatur, & Felix II. loco ipsius Papa ordinatus erat, quo per Martyrium defuncto, *Liberius* ex exilio rediens, & in sedem restitutus Fidem Catholicam constantissimè professus est, & docuit, ut omnes testantur historici. *Socrates* lib. 4. cap. 11. *Sozomenus* lib. 4. cap. 14. &c. imo sancti Patres ipsum post obitum ut sanctum honorârunt, ut patet ex *Ambrosio* lib. 3. de virginibus, ubi sic ait: *Tempus est soror sancta beatæ memoriæ Liberii præcepta revoluere, ut quo vir sanctior, eo sermo accedat gratior.* Similiter, Epiphanius hæresi 75. sic ait: *Eustathius ad Liberium beatum Romæ Episcopum, una cum multis episcopis legatum agebat.*

Quod etiam Liberius nunquam hæresim approbarit, nec subscripserit, Baron. ad ann. 357. num. 44. & seqq. tum ex Liberii epistolis, tum ex *S. Hilarii, Sozomeni, Epiphanii*, & aliorum testimoniis probat: sed in hoc solum deliquisse ostenditur, quod damnationi S. Athanasii subscripserit, & cum Orientalibus Episcopis communicarit, ex quo plurimi etiam Romani opinati fuerunt, quod à Fide Catholica defecisset: circa quod viri graves observant, quod pro illo tempore, quoad hæresin declinasse à multis putabatur, Felix Romæ verus Pontifex fuerit, & non Liberius, ut constat ex Catalogo Pontificum. Hinc patet, quod ex Liberii casu Acatholici nihil probent de defectu Pontificis Romanorum à vera Fide.

Similiter ostendi potest de posterioribus Pontificibus, quos Acatholici hæreseos accusant, sed falsissimè; licèt verum sit, quod plures, quoad vitæ mores magnas S. Sedi maculas inusserint, & Ecclesiam sæpe scandalizarint; Sed hoc nihil contra doctrinam, cùm Christus Ecclesiam de hoc præmonuerit in Doctoribus Hebræis Matt. 23. v. 2. dicens: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia ergo, quæcunq; dixerint vobis, servate, & facite, secundùm opera vero eorum nolite facere*, &c. VI.

Et hoc expressit D. Augustin. epist. 165. dum recensito ordine Romanorum Pontificum sic ait: *In illum autem ordinem Episcoporum*, &c. *si quispiam traditor per illa tempora subscripsisset, nihil præjudicaret Ecclesiæ, & innocentibus Christianis, quibus Dominus providens ait: de præpositis malis*, Matt. 23. quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite, dicunt enim, & non faciunt, &c. hæc Aug. Et hoc eò magis divinæ providentiæ tribuendum est, quod licèt plures quoad mores impii cathedram Petri invaserint, vel possederint, nullus tamen ad hæresin defecerit, multo minùs illam docuerit, vel alicujus hæresis Author fuerit; ut in aliis Ecclesiis etiam Patriarchalibus à sanctis Apostolis fundatis sæpe contigit. Imo August. epist. 166. in fine dicit: *Cælestis magister cavendum præmonuit, ut etiam de præpositis malis plebem securam faceret; ne propter illos doctrina salutaris cathedra desereretur in qua coguntur etiam mali bona dicere*, &c. hæc ibi, quæ bene notanda sunt.

Ex his & aliis suprà dictis patet, quàm inaniter Anonymus ille & falsò asseruerit Ecclesiam universalem visibilem Christi posse errare; pro quo nec ullum sacræ Scripturæ locum vel alicujus sancti Patris quatuor primorum seculorum adducit; sed falsa exempla allegat; quod de facto Ecclesia defecisset, contra tam expressas Christi promissiones & SS. Patrum testimonia.

ARTICULUS II.

Refutatur primum argumentum Authoris Anonymi tertii libelli contra inerrabilitatem Ecclesiæ Romanæ.

AVthor tertii libelli, ut relatum est lib. 3. cap. 4. art. 1. videns se probare non posse articulum illum quem nobilis Anglus probandum susceperat, scilicet: quod *Ecclesia Christi universalis visibilis in doctrina fidei errare possit*, se ab illa quæstione fraudulenter expedire volebat dicens: *illum articulum à Reformatis non doceri; nec hoc ipsum P. Bernardinum unquam probaturum.* I.

Verùm, quod hoc ipsum Reformati doceant, suprà clarè ostensum est; quod ipsi asserant, primò: Ecclesiam universalem in articulis, ut volunt, non fundamentalibus errare posse; & hoc ipse Author profitetur; hoc autem sancti Patres & Ecclesia Catholica negant; ac pro-

Digitized by Google

proinde illud ipsi Authori ex S. Scriptura, & SS. Patribus probandum erat.

2. Volunt Acatholici, quod Ecclesia universalis etiam in fundamentalibus errare possit, si aliquid extra S. Scripturam per verbum Dei traditum doceat; vel quod in sacra Scriptura expressè vel per consequentiam evidentem non contineatur: ut suprà ex illorum Magistris ostensum est; sed & hoc ipsis probandum est.

3. Volunt quod Ecclesia ex solis electis constans errare non possit in tota fide, vel in puncto aliquo gravi, & fundamentali, ut ipsemet Anonymus ait, & Acatholici in synopsi exprimunt; at verò volunt, quod universaliter electi in Ecclesia in non gravi, vel non fundamentali errare possint, hoc etiam probandum est.

Ex his patet, quod P. Bernardinus satis ostenderit, Acatholicos docere Ecclesiam universalem errare posse in doctrina fidei contra S. Scripturam & SS. Patres; ex quibus suprà probatum est, quod Ecclesia Christi vera universalis sit *sine ruga & macula* in fide, ac sine omni prorsus errore Fidei qualicunque, sive fundamentali, sive non fundamentali.

Cùm ergo Anonymus nihil contra hanc Ecclesiæ doctrinam haberet, ad Romanam declinat Ecclesiam putans se ibi aliquid habere, dicit ergo; satis arroganter.

II. *De Romanæ vero Ecclesiæ, possibili (ut sic loquamur) lapsu defectu & prodigiosa mutatione vime audire veteres? Ita dicere debes: ergo audi, quid Apostolus Romanæ Ecclesiæ cautela loco dicat* Rom. 11. *Propter incredulitatem fracti sunt (rami) tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time, si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat: vide ergo bonitatem & seueritatem Dei in eos quidem, qui ceciderunt, seueritatem, in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris*, &c. *hæc ex Apostolo*, &c. *Quorsum vero ista tam solicita cautela, si timoris & metus expers fuisset lapsus, & excisionis, quæ isti Ecclesiæ obtingere posset? Nimis ergo superba vox Romæ, non possum errare*, &c.

Hæc omnia sunt, quæ ille Anonymus ex S. Scriptura contra doctrinam Catholicam de Ecclesia Romana adducit; quod vero de Apocalypsi adfert, infrà ostendetur, falsò applicari.

III. Respondetur 1. quàm frivolum & inane sit illius Anonymi ex illis verbis Apostoli contra Ecclesiam Romanam argumentum & illatio, in suam ac suorum potiùs confusionem, facilè declarabitur.

Primò quidem respondetur, quod, si Anonymus intendat oppugnare Ecclesiam Romanam particularem, & illius possibilem errabilitatem probare, frustra laborat; nam ut sæpius dictum est, quod Ecclesia Catholica non doceat de Fide certum esse, quod Clerus & populus urbis Romæ, præsertim si Pontifex S. Petri successor non confirmaret, vel si Sedem suam in Ecclesiam aliam transferret, in Fide errare non possit; cùm nec de fide certum sit, quod Ecclesia Romana, ut est particularis unius urbis Ecclesia, etiam cum ipso sancto Pontifice errare nequeat, licèt probabilissima sit Theologorum sententia sacræ Scripturæ, & SS. Patrum testimoniis valde consona.

Cur ergo ô bone Anonyme ad hanc à reali Fidei & controversia quæstione declinas; *An Ecclesia universalis visibilis errare possit?* quam demonstravimus esse illam, quæ per totum orbem diffusa cum Romana particulari Ecclesia, & præcipuè cum Episcopo Romano vero Petri successore communionem habet; eique ut Christi vicario & summo visibili Pastori obedit, & sic Romana appellatur, &c. quicquid ergo contra particularem Romanam adduxerit Ecclesiam, nihil doctrinæ Catholicæ de Romana universali Ecclesia officeret: nam contra hanc S. Scripturæ & sanctorum Patrum testimonia adducenda erant, qualia nulla habere potes, & hoc ad propositum sufficeret. IV.

Veruntamen nec argumenta tua quicpiam contra particularis Romanæ Ecclesiæ inerrabilitatem valent: quam etiam piè & constanter, licèt non ut de Fide certum, credimus errare non posse, quam diu à Christi vicario, & S. Petri successore regitur, prout ex S. Scripturæ & SS. Patrum testimoniis satis hactenus probatum est.

Respondetur ergo admittendo sanctissima Apostoli verba, sed negatur illa falsa Anonymi ex verbis Apostoli illata consequentia, scilicet; quod Apostolus ibi intendat dicere quod Ecclesia Romana particularis in Fide errare possit; solum enim alloquitur quoslibet privatos, nullo autem modo tunc temporis Episcopum Romanæ Ecclesiæ, qui erat S. Petrus, quod clarè ostenditur: Nam licèt Apostolus illam Epistolam direxerit ad Ecclesiam Romanam particularem, cujus Fidem tantopere cap. 1. extollit dicens: v. 8. *Fides vestra annuntiatur in universo mundo*, &c. quod sancti Patres non tantùm de Fide Ecclesiæ Romanæ particularis pro illo tempore dictum, sed etiam de futura particulari Romana prædictum intellexerunt, ut ex testimoniis suprà præced. cap. allatis patet; licèt, inquam epistolam ad Romanam Ecclesiam particularem inscripserat, non tamen in sequentibus tractat de fide solius Ecclesiæ particularis Romanæ; sed de fide totius Ecclesiæ ex gentibus congregatæ: ut patet ex decursu totius Epistolæ, & quidem cap. 11. paulo ante verba ab Anonymo allegata sic loquitur: *Vobis dico gentibus, quamdiu gentium sum Apostolus*, &c. & opponit Ecclesiam gentium seu potiùs Christi Synagogæ Judæorum, ut patet. V.

Si ergo verba illa allegata concernerent Ecclesiam universalem Christi omnium gentium, quæ revera ex gentibus & Judæis constat contra synagogam distincta, ut scilicet illa Ecclesia timeat, ne excidatur, certè Anonymus, & sibi ipsi, & plerisque Acatholicis contradicit, qui nolunt asserere, quod Ecclesia universalis visibilis excîdi possit totaliter, sicut synagoga excisa fuit; hoc enim nimis manifestè repugnat promissionibus Christi, & tot S. Scripturæ testimoniis.

Cùm ergo constet quod Apostolus ibi non intendat universos fideles simul alloqui tanquam VI.

Digitized by Google

quam Ecclesiam Gentium universalem, patet; quod etiam non possint verba dirigi ad totam Ecclesiam Romanam particularem, collectim sumptam, quod tota deficere possit; cùm ibi loquatur de universali Ecclesia gentium, sed non collectim sumpta, sed de singulis membris seorsim sumptis, ut patet in exemplo de ramis, qui præcidi possunt, salvâ manente arbore; sic singula privata membra seorsim excidi possunt, salvâ manente Ecclesia in fide; & sic juxta veritatem & monitum sibi timere possunt, ne excidantur: sed quid hoc ad Ecclesiam Romanam? multo minùs contra Episcopum Romanum, qui tunc erat S. Petrus, cui Christus dixerat: *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.*

Videat ergò Anonymus, cur dicat: *Quorsum tam sollicita S. Pauli cautela?* scilicet cautela ad quoslibet particulares seorsim, non verò ad totam Ecclesiam collectim sumptam.

VII. Respondetur secundo: Videat Anonymus, quorsum fuerit illa cautela Apostoli, scilicet, contra turpissimam, vanam & falasm Acatholicorum securitatem; quam sibi ut de fide certam persuadent; quod scilicet nullus, *qui semel fidem accepit, ab illa excidi possit.* Ecce quàm clarè hanc Apostolus damnet; alloquitur enim ibi fidelem cùm dicit v. 17. *Tu cùm Oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis & pinguedinis olivæ factus es,* & v. 20. *Tu autem fide stas, noli altum sapere sed time; si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat,* &c. Hæc vera est Apostoli intentio, horsum verba ad singulos diriguntur: Quorsum autem tali cautela sollicita utitur Apostolus; si tibi Anonyme & tuis complicibus de fide certum sit, quod à fide deficere non possis, æquè ac certum est, quod Christus sit à dextris Dei?

Nimis igitur superba, mendax; Apostolo & veritati contraria illa tua vox cum Calvino: *Non possum errare, non possum deficere à Fide & justitia, quam semel accepi, & certâ fide credo me habere:* Vide Domine Anonyme, qualiter in caput tuum hanc fabam cudisti; tuas superbas voces ex S. Scriptura proba, quas ab Apostolo reprobatas vides.

VIII. Cæterùm quod vocem Romanæ Ecclesiæ arguas superbiæ, quâ asserit universalis Romana Ecclesia, quod non possit errare tuæ falsæ calumniæ tribuendum est; non enim Ecclesia Romana sibi temere arrogat, ut vestrum quilibet sibi indefectibilitatem à fide, & gratia affingit; sed Christo Domino gratias agit, qui in Petro, ut capite toti Ecclesiæ visibili istam in fide stabilitatem promisit: prout tam clarè ex S. scriptura & SS. Patrum testimoniis demonstratum est.

Ecce argumentum illius Anonymi contra doctrinam Catholicam allatum, quo ipse & ipsius falsa doctrina confunditur.

***

ARTICULUS III.

Refertur & refutatur secundum & 3. Anonymi ejusdem argumentum contra Ecclesiæ Romanæ inerrabilitatem.

ANonymus ille producto argumento ex verbis Apostoli jam refutato, sic subjicit ex SS. Patribus. I.

Audi *insuper Hilarium Pictaviensem Episcopum adversus Auxentium Mediolanensem Episcopum sic loquentem: Unum moneo, cavete Antichristum, male enim vos amor capit, male Ecclesiam Dei in tectis ædificiisve veneramini, male sub his pacis normam ingeritis. Anne ambiguum est in his Antichristum esse sessurum, montes mihi & sylvæ, & lacus, & carceres, & voragines sunt tutiores,* &c. hæc Hilarius. Subjicit Anonymus dicens: *Potesne hoc à tua Ecclesia amoliri, quæ in eundem modum Arianismo habuit infectos Episcopos, & adhuc parietum ædificiorumq, stupendorum amore & gloria detinetur, & tumet?* &c. hæc Anonymus.

Secundum Anonymus argumentum adjicit dicens: *Audi deniq, quid Augustinus dicat* lib. 20. de civ. Dei cap. 19. ubi dictum S. Pauli 2. Thessal. cap. 2. *explicat: Rectiùs inquit, putant etiam Latinè dici, sicut in Græco est, non in templo Dei, sed in templum Dei sedeat. (loquitur autem de Antichristo) tanquam ipse sit templum Dei, quod est ecclesia,* &c. hæc Anonymus.

Respondetur ad primum locum, admittendo omnia illa dicta; sed quid ex illis probat? mirum certè, quod talis Doctor jactitet se probaturum ex SS. Patribus, quod Ecclesia Romana errare possit, & erravit, & nulla alia testimonia adferat; utique quia invenire non potuit, quia non erant.

Ad primum patet ex epistola S. Hilarii quod scribat contra Auxentium Arianum, qui auxilio hæretici Imperatoris vi invaserat Ecclesiam Mediolanensem, domum Episcopi, & Ecclesiam materialem à Christianis ereptam possidebat; ita ut Catholici in latebris concurrere & exulare cogebantur: Sed quid hoc contra inerrabilitatem Ecclesiæ Romanæ? non stat Ecclesia Romana in lapidibus nec materialibus templis; sed in collectione fidelium per totum mundum diffusa sub uno capite Romano Pontifice; licèt ab omnibus materialibus templis excluderetur. II.

Si autem vis quod Ecclesia Mediolanensis planè à Catholica Fide tunc defecerit, cùm Auxentius materiale templum occupasset, hoc probandum erat; hoc Hilarius non dicit, cùm supponat Catholicos Mediolanenses in latebris & silvis ob persecutionem convenisse, & res ipsa testatur; cùm, Auxentio sublato, S. Ambrosius in Episcopatum evectus fideles collegit, qui ipsum elegerant. Et dato, quod tota Ecclesia Mediolanensis à fide defecisset, non ideo Romana defecerat, cujus constantia tot præconiis à SS. Patribus laudata est.

Sed quod dicis Romanam Ecclesiam habuisse etiam Arianismo infectos Episcopos; unde hoc ex verbis Hilarii infertur? vel unde hoc probas? an tuis nudis verbis erit standum? quæ hæc dementia? ostende ullum Pontificem Romanum qui Arianam hæresin docuerit. Vides quod, dum tunc temporis Liberius de illa suspectus esset, Clerus atque populus III.

Digitized by Google

Romanus illo rejecto Felicem II. sulceperit, de quo dictum est suprà. Denique si, quod falsum est, in Ecclesia particulari Romana Pontifex hæreticus fuisset, quid hoc inerrabilitati totius universalis Ecclesiæ Romanæ obsuisset?

Falsum est, quod Ecclesia Romana fidem & gloriam in ædificiis ponat, sed in mentibus & professione fidelium Romano Episcopo Petri successori communicantium, in quocunque orbis terrarum loco existant.

Nunquid longè justiore modo contra Acatholicos in *Anglia, Belgio, Dania atq; Germania* argumentari liceret; ubi domos Episcopales & templa violenter Catholicis eripuerunt, & in illis more Antichristi resident: dum Catholici sibi consultiùs arbitrantur in latebris convenire, & carceres subire? Ecce argumentum ex Hilario.

IV. Ad 3. locum ex S. Augustino lib. 20. de civit. Dei adductum respondetur: Non video quid ex illis Augustini verbis velit Anonymus: si velit, quod Augustinus ibi per templum Dei intellexerit Ecclesiam Romanam, quasi vel Pontifex Romanus sit Antichristus, qui sedeat in templo Dei, vel quod Ecclesia Romana seu populus Romanus sit templum Dei; hoc Augustinus non dicit, sed Anonymus fingit; nec enim illa verba Romanæ Ecclesiæ applicari possunt, quæ vera Dei Ecclesia est, nisi etiam primitiva Ecclesia diceretur talis; sed potiùs illa erit Ecclesia Antichristi, quæ se veram Ecclesiam fingit, quales sunt omnes cætus Acatholicorum, & sic potiùs Antichristi sedes dicendæ sunt Ecclesiæ Genevensium & aliorum Acatholicorum qui se etiam, sed falsò dicunt esse templum Dei, quod est Ecclesia, utpote, qui relictâ verâ Christi Ecclesiâ noviter sese separantes veram Ecclesiam se esse mentiuntur.

Respondetur 2. quod autem Augustinus illa nec de Romano Pontifice nec Ecclesia Romana intellexerit, patet nimis evidenter ex testimoniis illius suprà pro Pontifice Romano & Ecclesia Romana allatis.

V. Respondetur 3. Certum est, quod ille locus Augustini manifestè confundat Acatholicos, qui volunt Antichristum, de quo ibi loquitur Apostolus, fore unum regnum per mille & centenos annos duraturum cum suis principibus: at verò Augustinus ibidem & in aliis locis clarissimè dicit, quod licèt Antichristi nomen variè in S. scriptura usurpetur, utpote pro omnibus impiis & hæreticis Christo contrariis; tamen unus certus homo futurus sit pessimus, diem judicii extremi paucis annis præcessurus, & de hoc Apost. 2. Thessal. non ex sua tantùm, sed communi sententia locutum esse dicit sic aiens: *Nulli dubium est eum* (Apostolum) *ista dixisse de Antichristo, & die judicii, hunc enim appellat diem Domini non esse venturum, nisi ille prior venerit quem refugam vocat, utiq; à Domino Deo; quod si de omnibus impiis meritò dici potest, quanto magis de isto, sed in quo templo Dei, ut Deus sessurus, incertum est; utrum in illa ruina templi, quod à Salomone Rege extructum est, an verò in Ecclesia* (prout Irenæus lib. 4. Cyrillus Hierosol. Catechesi 15. Hilarius con. 25. in Matt. & alii existimant & Bellarminus lib. 3. de Pontifice Rom. cap. 13. efficaciter probat) *Non enim templum alicuius idoli aut dæmonis templum Dei Apostolus diceret; unde nonnulli non ipsum principem, sed universum quodammodo corpus eius, id est, ad eum pertinentem multitudinem hominum simul cum ipso principe suo hoc loco intelligi Antichristum volunt, rectiusq; putant etiam Latinè dici, sicut in Græco est,* &c. & reliqua suprà ab Anonymo allegata, hæc August. ubi semper supponit ex communi sententia Antichristum unicum fore hominem; qui cum suo populo tribus annis & medio sessurus sit in templo Dei, id est, se jactitabit, quasi esset Deus, & Ecclesia; unde etiam subjicit, quod aliqui putarint illum fore Neronem, qui in fine mundi resurrecturus, & Antichristus futurus sit, quæ tamen ipse rejicit.

Ecce rursus quid ex verbis Augustini contra Ecclesiam Romanam probaverit; imo potiùs ex hoc Augustini loco ipse cum suis confunditur; qui fingentes Romanum Pontificem esse Antichristum, non unum certum hominem, qui in fine mundi tribus annis regnaturus sit, sed regnum multorum seculorum contra expressam S. scripturam, & SS. Patres futurum esse mentiuntur.

ARTICULUS IV.

Refertur & refutatur quartum ejusdem Authoris Anonymi argumentum ex Apocalypsi.

Anonymus ille sic ulterius procedit dicens: *Sed, antequam hinc discedam, rogo te Domine Pater, legistine unquam Apocalypsin S. Joannis? quidni inquies? Ergo ubi eius cap. 17. vides mulierem quandam incedentem pontificaliter ad modum bestiæ septem capitum; cogita te videre imaginem Ecclesiæ apostolicæ, & quidem Romanæ, cum suo quadantenus Catholicismo, uti constat ex eius capitis versu nono, primo & ultimo. Ista verò retrahere ad statum Romanæ urbis, qui viuente beato Apocalypha fuit, friuola est, nam id non admittit genius prophetiæ, futura hoc loco non præsentia reuelans. Idem mecum sentire duos Patres Jesuitas videbit tua paternitas apud Cornelium à Lapide, & Jacobum Tirinum super Apocalypsin,* &c. hæc Anonymus. I.

Quibus dictis quasi triumphans subjungit: *Quid tibi jam videtur Domine Pater, de tua universali Romana Ecclesia* (*sic enim eam appellare soletis*) *inuincibili immunitate ab errore, & apostasia qualicunq;, scilicet? visane fuit veteribus tam lapsus ea expers, uti vos deprædicatis?* hæc idem Anonymus.

Respondetur primò: Homini effronti & calumniatori sine teste tam graves injurias contra S. Christi Ecclesiam euomenti, silentium pro responso sufficeret; sed ne magis inde insolescat. II.

Respondetur 2. Legi Apocalypsin Cap. 17. sed nec ego, nec tu ibi legimus istam blasphemam interpretationem; quod per illam meretricem intelligatur Romanus Pontifex, vel Ecclesia Christi Romana, quæ tempore S. Joannis Romæ erat, & quæ adhuc ibi perseverat: hoc etiam ad tuam insolentiam compescendam sufficere deberet; qui extra claram scripturam nihil admittendum judicas.

Respondetur 3. Nec SS. Patres istam tuam interpretationem unquam tradiderunt, quos juxta

Digitized by Google

juxta promissum testes adducere obligaris. Nec *Cornelius à Lapide*, nec ullus ex Patribus Societatis Jesu, vel ullus Catholicus Doctor de Ecclesia Romana interpretatur; vide ergo qualiter triumphes, & insultes? & hoc tibi sufficere deberet.

Respondetur tamen quartò: Verum est, quòd variæ sint tam SS. Patrum, quàm Doctorum illius loci interpretationes; cùm prophetiæ sint occultæ, donec impletæ clariùs agnoscantur, prout commune est in omnibus veteris Testamenti prophetiis, juxta illud 1. Pet. 1. v. 10. *De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt, scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi*, &c. hæc ibi. Sic igitur cùm spiritus S. Joanni multa revelaret futura, quæ ventura essent circa Ecclesiam, seu Civitatem Dei, & civitatem diaboli, variis figuris usus est, & specialiter sub nomine Babylonis, quæ olim filiis Israël, & Jerusalem maximè adversabatur, prout D. Augustinus in libris de Civit. Dei prolixè prosequitur.

III. Ad propositum itaque, quid S. Joannes per Babylonem meretricem magnam cap. 17. intenderit, variæ fuerunt sanctorum Patrum sententiæ.

Inter alias una est, quòd ibi per *Babylonem* intelligatur communis omnium impiorum cœtus qui hujus mundi gloriæ & voluptatibus immersi sunt, & vocatur *civitas diaboli* super septem montes ædificata: ubi per septennarium numerum juxta S. Scripturæ usum universitas malorum intelligitur; quæ Babylon vocatur propter confusionem errorum & malorum: sic D. August. passim in lib. de Civ. Dei, specialiter autem lib. 18. cap. 41. & lib. 20. cap. 8. & cap. 19. &c. & in ps. 26. enarrans ad versum: *Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me*, &c. sic dicit: *Est civitas, quæ Babylonia dicitur, civitas illa societas est omnium impiorum ab Oriente usque in Occidentem, ipsa habet regnum terrenum*, &c. hæc ibi. Similiter loquuntur quidam alii SS. Patres.

Aliorum plurium sententia est, quòd Apocal. 17. per Babylonem ipsa civitas Babylon Chaldæorum metropolis intelligatur juxta illud Zachar. 5. v. 7. *Ecce mulier una sedens in medio amphoræ, & dixit* (Angelus) *hæc est impietas*, &c. & v. 10. dixit Zacharias: *Quo ista deferunt amphoram? & dixit Angelus, ut ædificetur ei domus in terra Sennaar*, &c. id est, in Babylone.

IV. Veruntamen omissis aliis, quia Anonymus appellat ad P. *Cornelium à Lapide*, accedamus ad illum; & caveat, ne lapidetur.

Respondeo ergo quintò cum dicto R. P. Cornelio, quòd juxta plures SS. Patres per meretricem & Babylonem Joannes cap. 17. intellexerit urbem Romam; quæ tunc temporis toti orbi dominabatur, & omni Idololatriâ & spurcitiâ plena erat; ac extremè per totum mundum Christianos persequebatur; quæ ideo etiam mysticè Babylon dicebatur, quia sicut prior Babylon Dei cultores in Jerusalem, sic hæc Christi fideles persequebatur, & huic interpretationi omnia verba Joannis satis convenire videntur, ut v. ult. *Mulier quam vidisti, est civitas magna, quæ habet regnum super omnes Reges terræ*, &c. hoc verum erat tempore S. Joannis de Roma, sed non postea. Similiter v. 9. *Septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet.* v. 6. *Vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine Martyrum Iesu*, &c. quod certè tempore S. Joannis verissimum erat de Roma, & per trecentos annos, quibus Ethnici Imperatores Romani tot millia Christianorum martyrio affecerunt: sic etiam S. Petrus epist. 1. cap. 5. cùm dicit: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone*, intelligitur dixisse de Roma, ubi clarè distinguit Ecclesiam à Babylone.

Hanc sententiam tradit D. *Hieronymus* in cap. 14. Isaiæ circa illa verba: *Attrita est civitas vanitatis*, ubi sic ait: *Atteretur civitas vanitatis sive erroris civitas, sive spiritualis Babylon, quæ sedet in septem montibus purpurata, cujus supplicium in Apocalypsi S. Ioannis legimus*, &c.

Iterum in prologo in libros Didymi de Spiritu Sancto sic ait: *Cùm in Babylone versarer, & purpuratæ meretricis essem colonus, & jure Quiritum viverem*, &c.

Idem epist. 151. ad Algasiam quæst. 11. dicit: *Secundùm Apocalypsim Ioannis in fronte purpuratæ meretricis scriptum est nomen blasphemiæ, id est, Roma æterna*, &c.

In quo Hieronymus alludit ad Ethnicos Romanos, qui per adulationem vocabant Romam æternam, ut Cornelius à Lapide §. *Objicit Alcazar*, ex Livio, Floro in Tarquinio superbo, notat, &c.

Similiter Augustinus lib. 18. de Civitate Dei cap. 2. sic ait: *Opus est Assyrios memorare Reges, ut appareat, quemadmodum Babylonia, quasi prima Roma cum peregrina in hoc mundo Dei civitate percurrat. Res autem quas propter comparationem civitatis utriusq; terrenæ scilicet & cælestis huic operi oportet inserre magis & Græcis & Latinis, ubi ipsa Roma quasi secunda Babylonia est, debemus assumere*, &c. Et cap. 22. *Nam altissima*, ait, *hic condita est civitas Roma velut altera Babylon & velut prioris filia Babylonis, per quam placuit Deo orbem debellare terrarum*, &c. hæc ibi, scilicet tempore Ezechiæ Regis Judæ, &c. & hoc modo plures alii hunc locum Apocal. 17. de Roma intelligunt.

Hoc ergo sensu admisso, an triomphabit noster Anonymus? ipse & alii sui complices rem actam jactitabunt?

Sed audiamus Cornelium Judicem, ad quem appellatum est, ipse sic ait: Objiciunt hæretici: V.
Roma est Babylon ergo Romana Ecclesia cum suo Pontifice est Babylon. Respondeo consequentiam esse absurdam æquè ac fallacem. Aliud est enim Roma urbs, aliud Ecclesia Romana. Rursum aliud est Roma Ethnica, aliud Roma Christiana. S. Ioannes loquitur de Roma Ethnica qualis erat suo tempore sub Domitiano persecutore non autem de Roma Christiana, multo minùs de Ecclesia Romana. Itaq; sub Domitiano, Nerone, Decio, & similibus Roma fuit potens & impia; Ecclesia tamen Romana (eodem tempore) *fuit pia & sancta, imo tunc habuit præclarissimos Martyres, Virgines, Sacerdotes & Pontifices. Absit ergo ut eam aut S. Petrum tunc Romanum Pontificem taxare voluerit S. Ioannes, qui & ipse Romæ pro Fide Christi, Ecclesiæ Romanæ in dolio ferventis olei martyrium anteportam Latinam obiit. Fideles enim sunt Martyres Iesu, quorum sanguinem*, ut ait v. 6. *fudit Babylon, id est Roma Ethnica*, &c. *Hæc ergo est Babylon, non autem Ecclesia Romana, cujus fundamentum Caput & Pontifex fuit, S. Petrus. Quocirca Romæ Ethnicæ vituperium hic, damnatio, & excidium est: Laus, sublimatio, triumphus*,

phus, & gloria Romæ Christianæ, & Christianæ Ecclesiæ, &c. *Nam quo magis Roma Ethnica impia fuit, & furiit in Christianos primis trecentis annis post Christum, eo magis constans, virtuosa & gloriosa fuit Roma Christiana, nec unquam magis floruit Romana Fides, quàm tunc*, &c. hæc Cornelius, ubi addit, quòd in fine mundi probabiliter urbs Romana plurima ex parte iterum deficiet; ita tamen, ut Pontificis Petri successor cum pluribus constanter Fidem Christi etiam Romæ profitebuntur, licèt in summa Antichristi & aliorum persecutione, sicut contigit sub Ethnicis Imperatoribus in primitiva Ecclesia.

Nec hoc mirum est, prout Cornelius ibidem §. *Deus quomodo*, &c. ostendit varios modos, quibus Roma ad pessima deficere possit; & tamen fidelis Ecclesia Romana permanebit. Patet autem, qualiter sub Juliano Roma ad Ethnicismum redierit; patet etiam, quomodo postea sub jugo Arianorum, Gothorum pressa fuerit; patet quomodo postea ipse populus Romanus contra Pontificem sæpe rebellarit, & tamen Ecclesia Romana cum suo Pontifice, & fidelibus conservata est.

VI. Cæterùm, cur non allegat Anonymus *Bellarminum*, qui etiam lib. 3. de Pontif. cap. 13. §. Nunc ad argumenta, &c. sic ait: *Secundo dici potest & meo judicio melius* Apocal. 17. *per meretricem intelligi Romam, ut exponit Tertullianus lib. contra Iudeos, & Hieron. Epist. 17. ad Marcellam, &* quæst. 11. ad *Algasiam, sed forte vidit ex templo responsum eisdem*, dum ait; *Sed Romam Ethnicam regnantem, Idola colentem, & Christianos persequentem; non autem Romam Christianam: sic enim iidem Authores exponunt. Et sane mirabilis est impudentia Hæreticorum, qui ut probent Romanam Ecclesiam esse meretricem purpuratam, utuntur Tertulliani & Hieronymi testimonio. Nam, cum eo tempore Roma Ethnica contraria esset Romæ Christianæ, utram quæso vocant Patres illi meretricem purpuratam? Si Romam Ethnicam, cur ergo Hæretici eorum testimoniis abutuntur? Si Romam Christianam, ergo tunc Romana Ecclesia degeneraverat, tunc regnabat Antichristus quod nec ipsi dicunt nec dicere audent*, &c.

Præterea, si tunc Roma Christiana erat Babylon, cur Tertullianus de præscript. dicit: Fœlix Ecclesia cui totam doctrinam Apostoli cum suo sanguine perfuderunt, & Hieron. 2. contra Iovinian Romam alloquens ait: Ad te loquar, quæ scriptam in fronte blasphemiam Christi confessione delesti, &c. hæc Bellarm. ibidem ex S. Scriptura ostendit, quòd Sedes Antichristi non sit Romæ futura, sed Hierosolymis juxta illud Apoc. 11. ubi dicitur v. 7. quòd duo testes Christi finierint testimonium; bestia, quæ ascendit de abysso, occidet eos, & corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus; ubi & Dominus eorum crucifixus est, &c. utique Hierosolymis.

VII. Iterum Apoc. 17. ubi Joannes dicit, quòd decem cornua sint decem Reges, *qui dividant sibi Regnum* scilicet Romanum. *Hi unum consilium habent, & potestatem suam bestiæ tradent*, & v. 16. *decem cornua* scilicet decem Reges *hi odient fornicariam, & desolatam facient illam, & nudam*, &c. *& illam igni concremabunt*.

Si ergo Antichristus cum suis Romam odio habebit, & concremabit, utique ibi Sedem suam non habebit; adeòque ex his locis colligere non possunt Acatholici, quòd Romanus Episcopus sit Antichristus, qui Sedem suam semper Romæ habuit, &c. licèt verum maneret, quòd Roma tempore Antichristi, ut dictum est, ad gravissima Ethnicorum flagitia sit defectura, ita tamen, ut Ecclesia Romana fidelium permaneat.

Jam accedat Anonymus noster, & PP. Jesuitas, Cornelium à Lapide, & alios idem secum sentire jactitet; ostendat ex hoc loco Apocalypsis vel juxta illos PP. Societatis, vel multò magis juxta ullum S. Patrem, quòd asserant: S. Joannem illo loco intellexisse Ecclesiam Romanam Christianam, vel quæ tempore S. Joannis erat; vel quæ postea futura erat, quòd illam in Idololatriam vel Apostasiam aut in errores defecisse asserant.

Prô pudor! non erubescit dicere, quòd, si Apocalypsis 17. videatur illa meretrix, *videatur imago Ecclesiæ Apostolicæ*, &c. an ergo Ecclesia Apostolica tempore S. Joannis *ebria erat sanguine Sanctorum & Martyrum Iesu*? quid magis blasphemum? an temporibus sequentibus sic ebria fuit Ecclesia Romana post Constantinum? etiam post Gregorium primum, ostendant unum ex suæ sectæ hominibus (quos solos fideles & sanctos tunc fuisse fingunt) qui intra mille annos à Romana Apostolica Ecclesia martyrio affectus sit? cùm tamen à tempore Constantini Ecclesiam Romanam meretricem illam fuisse calumnientur. VIII.

Cæterum, quòd Anonymus excipiat verba Joannis non posse intelligi de urbe Romana, quæ suo tempore erat, eò quòd genius prophetiæ sit de futuris, videat quid respondeat ad locum Matt. 23. v. 37. ubi Christus dicit: *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas*, &c. *ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*. Et Matt. 24. v. 2. *Videtis hæc omnia, quia dico vobis, non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur*, &c. Ecce Christus præsentem urbem demonstrat, sed de eadem futura prophetabat: sic & Joannes præsentem tunc Romam demonstrabat ebriam sanguine Sanctorum; & adhuc trecentis annis talem futuram, & postea destruendam prophetabat, quid ad hæc subtilitas Anonymi?

Demum, quâ fronte Anonymus ex his tam audacter infert: *Quid tibi jam videtur de tua universalis Ecclesiæ Romanæ invariabili immunitate ab errore & Apostasia qualicunq;?* & subsannando addit: *scilicet*, quâ fronte dicere audet: *Visa ne fuit veteribus tam lapsus ea expers, uti vos deprædicatis?* cùm nullum prorsus in contrarium alicujus S. Patris testimonium producat. IX.

Certè visa fuit veteribus Ecclesia Romana erroris expers; ut tot testimoniis suprà hoc libro ostensum est: sufficiant iterum hìc obiter aliqua indicasse, & memoriam refricasse.

Visa fuit S. Ignatio Martyri Apostolorum discipulo in epistola ad Rom. cùm dicit: *Ignatius Ecclesiæ justificatæ, quæ præsidet in loco regiminis Romanorum*, &c. Visa est Irenæo lib. 3. cap. 3. *Maxime, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ Ecclesiæ*, &c. *Ad hanc enim Ecclesiam propter principalitatem potentiorem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, omnes qui undiq; sunt fideles*, &c.

Similiter aliis PP. Græcis visa est Ecclesia Romana expers erroris, ut *Policarpo, Athanasio, Basilio*, X.

Digitized by Google

lio, *Chrysostomo*, *utriq;* *Cyrillo*, &c. suprà citatis.

Visa est immunitas ab errore Ecclesiæ Romanæ PP. Latinis *Cypriano* lib. 1. epist. ad Cornel. *Navigare audent ad Petri cathedram*, &c. *nec cogitare eos esse Romanos, ad quos perfidia habere non possit accessum*, &c. hæc ille.

Visa est *Ambrosio* serm. 11. *Hanc solam navim ascendit Dominus, in qua Petrus Magister est constitutus dicente Christo: Super hanc Petram*, &c. *quæ navis in altum sæculi ita natat, ut pereunte mundo, omnes, quos suscipit, servet illæsos. Sicut enim Noë*, &c. visa est *Hieronymo* lib. 2. contra Jovinian. *Ad te loquor*, &c. ut suprà allatum est.

Item in Epist. ad Damasum: *Cathedram Petri & Fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam. Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communioni consocior, super illam Petram Ecclesiam ædificatam esse scio; quicunq; extra hanc domum comedit agnum, prophanus est*, &c. & alibi, ut suprà relatum.

Visa est *Augustino* variis locis suprà allegatis, tam pro Ecclesia universali una, quàm in particulari pro Romana, specialiter epist. 162. ubi dicit: *Cùm se videret* (Cecilianus) *& Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ cathedræ viguit Principatus*, &c. *esse conjunctum*, &c. Et lib. 1. contra Julian. cap. 4. *Puto, ait, eam orbis partem sufficere debere, quam primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronari; cui ecclesiæ Præsidentem, si beatum Innocentium audire voluisses, jam tam periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses*, &c.

XI. Visa est hæc immunitas omnibus PP. Græcis & Latinis primitivæ Ecclesiæ, ac Conciliis generalibus, *Niceno*, *Ephesino*, *Chalcedonensi*, &c. qui ultimatam in rebus Fidei sententiam à Sede Apostolica Romana expetierunt; & ut filii ac oves à Patre & Pastore doctrinam expostularunt, ut suprà copiosè demonstratum est.

Quid clariùs pro immunitate ab omni errore pro Ecclesia Romana à veteribus dici potuerit? ut sileam ea, quæ SS. Patres veteres de universalis Ecclesiæ cum Romana communionem habentis in Fide stabilitate & inerrabilitate dixerunt, & ex S. Scriptura docuerunt; quòd visibilis Christi Ecclesia universalis semper permansura sit incorrupta, sine macula & ruga erroris, ut ostensum est lib. 3. quam ostendimus esse illam, quæ cum Romana communionem habet, per totum mundum diffusa; & ideo Romana dicitur, quam ille Anonymus tam contumeliosè sine fundamento, vel ullius honesti authoris testimonio sic deridere non erubescit.

XII. Antequam etiam hinc discedam, quæro cum S. August. lib 2. contra Petilian. Donatist. c. 15. *Cathedra tibi quid fecit Romanæ Ecclesiæ, in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet*, &c. & infrà: *Quare appellas cathedrã pestilentiæ, cathedram Apostolicã?* Ecce eadẽ cathedra est, in qua sedit Petrus, & in qua hodie sedet Alexander VII. Cur cathedram pestilentiæ, & meretricem Babylonicam appellas, cathedram Petri & Apostolicam? certè eodem inspiratore tu cum tuis, quo olim Donatistæ & alii hæretici, Apostolicæ Sedi contradicis: sed illi eliminati sunt, & vos exterminabimini; at contra Ecclesiam Romanam in Petro post Christum fundatam, portæ inferi nunquam prævalebunt.

XIII. Vis tandem scire, quæ sit meretrix Babylonica? audi Augustinum lib. 18. de Civ. Dei, cap. 41. suprà relatum copiosiùs, ubi de civitate diaboli Philosophorum & hæreticorum sic ait: *Non frustra talis civitas mysticum vocabulum Babylonis accepit, Babylon quippe interpretatur confusio. Nec interest diaboli Regis ejus, quàm contrariis inter se rixentur erroribus, quos merito multa variaque impietatis pariter possidet*, &c. hæc August.

Consideret Anonymus, ubi hæc Babylon inveniatur, an in Ecclesia Romana, quæ unius ubique Fidei est? an in cœtibus tam diversis Reformatorum & aliorum Acatholicorum; qui inter se centenis maximè contendunt erroribus, in hoc concordes, quòd cathedram Apostolicam oppugnent; ut ab olim hæretici consueverunt.

ARTICULUS V.

Referuntur effugia Authoris secundi libelli.

Authore secundi libelli obligatus ad probandum, quòd Ecclesia universalis in Fide errare possit, subterfugia quæsivit; prout patet ex illius verbis cap. 4. art. 1. allegatis, audetque dicere: inter Catholicos & Acatholicos, de vera universali Ecclesia, an errare possit, *nullam esse controversiam*: sed hoc ex hactenus dictis patet esse falsum, ut ibidem ostensum est. I.

Secundò dicit, *quæstionem esse posse de aliqua Ecclesia, quæ putatur vera, & non est, & de Ecclesia Romana, an errare possit.* Sed de priore frivolum est loqui; cùm constet Ecclesiam, quæ non est vera, errare posse; & ideo, quia ipsorum Ecclesia solùm putatur vera, & non est, errare potest, & ipse fatetur, quòd errare possit.

De Romana autem dicit, *se expressis rationibus scripturariis probaturum, vel potiùs ab aliis infinitis probatum esse; quod errare possit*; nihil tamen allegat. Tandem de Patribus sic ait; *quod post accuratum Patrum scrutinium patebit illos ab illis non dissentire*, &c. hæc ille. II.

Quis non videt, quòd iste suam in probando inopiam fateatur? alioquin vel aliquid attulisset, & quòd fateatur SS. Patres pro Catholicis loqui, quos post scrutinium accuratum sperat se ostensurum, quòd ab illis non dissentiat; expectabimus scrutinium; videat autem ne scrutando deficiat, vel prudentiùs sileat, ne magis confundatur.

ANTITHESES VERITATIS

Catholicæ Ecclesiæ, & falsitatis Acatholicorum juxta SS. Patres primitivæ Ecclesiæ circa Ecclesiam Romanam, & S. Petri & Pontificum Romanorum Principatum.

Primò, *SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt*, quòd Christus Dominus post Resurrectionem suam S. Petrum totius Ecclesiæ suæ Pastorem & Rectorem constituerit. *Ita etiam credit & docet moderna Ecclesia Catholica per totum orbem diffusa.* I.

Acatholici hoc negant cum Calvino, licèt hic veritate victus hoc aliqualiter concedat pro persona S. Petri.

Secundò

Digitized by Google

Secundò, *SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt* quòd *Christus super Apostolum Petrum, tanquam secundarium & visibile fundamentum Ecclesiam suam fundarit*. Ita etiam credit & docet Ecclesia Catholica Romana.

Acatholici hoc prorsus negant.

II. 3. *SS. Patres* juxta S. Scripturam docuerunt *S. Petrum à Christo constitutum esse Ecclesiæ columnam, Fidei basim, Apostolici chori seu Apostolorum Caput, Petram vocatum, qui fundamenta Fidei credita haberet, totius orbis Magistrum, ter beatissimum qui & petra, & crepido Ecclesiæ Catholicæ & rectæ Fidei fundamentum esset*. Ita etiam credit & docet Ecclesia Romana Catholica.

Acatholici hæc omnia negant & detestantur.

4. *SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt*: quòd, licèt *Christus* omnibus Apostolis potestatem in totam Ecclesiam & claves regni cælorum tradiderit; specialiter tamen *S. Petro tanquam Primario & ordinario Pastori totum suum Ovile, & omnes suas Oves pascendas commiserit*; ipsum suum in terris *Vicarium* constituerit, qui tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem molemque contineat, &c. Ita etiam docet *Ecclesia Romana Catholica*.

Acatholici hæc omnia negant.

III. 5. *SS. Patres juxta Christi promissionem docuerunt*; quòd, postquam Christus Dominus Petrum post Passionem suam Ecclesiæ & Fidei fundamentum constituerit; eique oves suas commiserit, *nunquam pravæ confessionis error in ipso locum invenerit; nec ante Passionem invenire potuisset, si tum de præsenti Ecclesia in ipso fundata fuisset*. Ita etiam docet *Ecclesia Catholica Romana*.

Acatholici hoc negant, & volunt Petrum postea sæpiùs graviter errasse.

6. *SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt*, quòd *Christus S. Petrum Apostolorum Principem & Præpositum constituerit, ipsiq; Primatum totius Ecclesiæ contulerit*. Ita etiam docet Ecclesia Catholica Romana.

Acatholici cum Calvino hæc prorsus negant; & volunt Monarchiam esse impossibilem; Christum impotentiæ & falsitatis per hoc arguentes; cùm tamen Primatum talem possibilem esse experientia tot sæculorum à tempore Apostolorum docuit.

IV. 7. SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt; *quod Christus Dominus non solùm S. Petro pro sua persona Primatum, Pastoratum & Rectoratum totius Ecclesiæ commiserit; sed etiam illius successoribus usq; ad finem mundi*. Ita etiam docet Ecclesia Romana Catholica.

Acatholici hoc penitùs negant.

8. SS. Patres tradiderunt juxta S. Scripturam; quòd *S. Petrus Romæ evangelizaverit; cathedram Episcopalem collocarit; ibidemq; usq; ad mortem crucis sederit*. Ita etiam tradit *Ecclesia Romano-Catholica*.

Acatholici plures hoc contra clarissima SS. Patrum testimonia & historias negant.

9. SS. Patres docuerunt & crediderunt; quòd *Pontifices Romani S. Petro in cathedra Apostolica seu potestate ipsi à Christo in Ecclesiam collata successerint, & succedant*. Ita etiam docet & credit Ecclesia Romano Catholica.

Acatholici hoc pertinacissimè negant cum Calvino, licèt hic æqualiter de S. Petro concedere videatur.

10. *Concilia generalia, Nicenum, Ephesinum, Chalcedonense* & alia authentica primitivæ Ecclesiæ in *Græcia celebrata* agnoverunt, quòd *Romanus Pontifex haberet Primatum, & esset Caput ac Princeps omnium Ecclesiarum sicut S. Petrus, ejusque Legati licèt vel simplices Episcopi vel etiam sacerdotes essent, præcedentiam, in Concilio ante alios Patriarchas dederunt*. Ita etiam agnoscit Ecclesia Romano-Catholica. V.

Acatholici hæc contra clarissima testimonia negant.

11. *SS. Patres, in Conciliis generalibus prioribus Romano Pontifici scripserunt tanquam Filii Patri, tanquam oves pastori, ab eoque definitiones & decreta Fidei facta approbari petiuerunt, & ita petendum judicarunt*. Ita etiam Ecclesia Romano-Catholica judicat.

Acatholici hæc perfrictâ fronte negant.

12. SS. *Patres* primitivæ Ecclesiæ tam Græci, quàm Latini ad *Pontificem Romanum appellarunt; & agnoverunt Ecclesiæ Papam, Patrum Patrem, Pontificem Christianorum, Pontificem maximum, Episcopum Episcoporum, summum omnium Præsulem, Pontificem, Vicarium Christi, Ecclesiæ Caput, Pastorem Ovilis Christi, Petram, Apostolicæ Sedis Præsulem, Rectorem domûs Dei; idque ex eo, quod esset successor S. Petri*. Ita etiam agnoscit moderna Ecclesia Romana.

Acatholici hæc omnia rident, detestantur, & negant.

13. Præter SS. Concilia & SS. Patres etiam *Christiani Imperatores primitivæ Ecclesiæ*, ut Constantinus Magnus, Justinianus, Valentinianus, Marcianus, &c. agnoverunt se in causis Fidei Episcopis esse subjectos; quantò magis successori Petri; imò Episcopum Romanum, Apostolicæ Sedis ut Patrem honorarunt, & Caput omnium sanctarum Ecclesiarum; & Principatum in Episcopatu divinæ Sedis possidentem agnoverunt; illique ultimatum in rebus Ecclesiasticis judicium debitum detulerunt. *Ita etiam Ecclesia Romano-Catholica*. VI.

Acatholici cum Calvino hæc omnia ut superba & vana nomina & ficta derident; ac in primitiva Ecclesia usurpata esse negant; sed talia nomina, à Phoca Imperatore illi post Annum 600. imò à Pipino & Carolo Magno primùm collata turpissimè mentiuntur.

14. *SS. Patres primitivæ Ecclesiæ ac Episcopi & Patriarchæ, etiam Orientales, ad Episcopum Romanum tanquam ad Pastorem & judicem supremum in controversiis Fidei & Ecclesiasticis recurrerunt, & appellarunt*; ac ab ipso tanquam oves à Pastore & Petri, cui Ecclesia commissa est, & in quo Ecclesia fundata est successore, veritatis Fidei decisionem postularunt. Ita etiam moderna Ecclesia Catholica agnoscit.

Acatholici hæc omnia negare & detestari non verentur.

15. *SS. Patres primitivæ Ecclesiæ agnoverunt & professi sunt hunc Primatum & hanc potestatem Pontifici Romano, non ab Homine ullo vel Imperatore: sed à Christo Domino in Petro, cujus successor est, traditam esse*. Ita etiam agnoscit & profitetur Ecclesia moderna Catholica. VII.

Acatholici hunc Primatum à Phoca primùm datum mentiuntur.

16. *SS. Patres* primitivæ Ecclesiæ *Fidei normam in occurrentibus dubiis à Sede Romana expetierunt*,

Digitized by Google

runt, & communionem cum cathedra Petri ac Romana Ecclesia sibi sufficientem & necessariam pro Fidei declaratione & certitudine judicarunt. Ita etiam Ecclesia Romano-Catholica moderna.

Acatholici hæc negant & derident.

17. *SS. Patres primitivæ Ecclesiæ plures articulos ab antiquis hæreticis assertos, hæreseos & erroris ab Ecclesia antiqua damnatos esse testantur, & judicarunt*: eosdem etiam Ecclesia Catholica Romana taliter condemnat.

Acatholici autem tales articulos, ut de Fide certos asserunt, & SS. Patres in illis errasse dicere non erubescunt.

VIII. 18. *SS. Patres primitivæ Ecclesiæ docuerunt*, quòd illi, qui cum *cathedra Petri seu Romano Pontifice in Fide non consentiunt, prophani sint, & extra veram Ecclesiam aberrent.* Ita etiam judicat Ecclesia Romano-Catholica moderna.

Acatholici cum antiquis hæreticis, *Arianis, Donatistis*, &c. cathedram Petri & Apostolatum Romanum, cathedram pestilentiæ, & meretricem Babylonicam, ac Antichristum calumniari non verentur.

19. Demum Ecclesia Romano-Catholica moderna interpretationem S. Scripturæ juxta unanimem SS. Patrum sensum acceptat, & reveretur.

Acatholici autem suum privatum spiritum SS. Patrum sensui anteponunt, eosque in pluribus erroris damnare non erubescunt. *Iudicet ergo quilibet sincerus Lector*, quænam Ecclesia cum primitiva Ecclesia in Fidei & morum doctrina consentiat? & an Acatholici Ecclesiam Catholicam Romanam Idololatriæ & Apostasiæ à primitiva Ecclesia verè & justè condemnent? vel non potiùs ipsi manifestæ apostasiæ rei sint?

SVMMARIVM
Trium librorum de Ecclesia vera & falsis.

I. IN primo libro de Ecclesia, qui in ordine est tertius, demonstratum est Cap. I. quòd unica sit vera Christi Ecclesia.

Cap. II. quòd extra illam unicam Ecclesiam non sit salus; idque juxta S. Scripturam, SS. Patres, & ipsorum Acatholicorum confessionem.

Cap. III. ostensum est, quòd juxta S. Scripturam & SS Patres Ecclesia Christi vera à tempore Apostolorum usque ad finem mundi semper sit visibilis permansura: non utcunque; sed ita manifesta; ut in multis orbis partibus ita nota sit, qualiter ad ipsam errantes accedere possint.

Cap. IV. demonstratum est; quòd vera Christi Ecclesia universalis per totum mundum diffusa in doctrina Fidei & morum errare non possit: juxta Christi promissiones; idque non solùm in fundamentalibus Fidei articulis, qui cuilibet fideli in particulari scitu sint necessarii; sed nec quoad omnes alios ad Fidem pertinentes: ostensum est etiam, quòd Acatholici nunquam specificarint, vel specificare possint articulos præcisè fundamentales, cùm etiam de his inter se dissentiant.

II. Cap. V. ex S. Scriptura & SS. Patribus probatum est; quòd Concilia generalia legitimè celebrata, & approbata in doctrina Fidei & morum juxta Christi promissionem per Spiritûs Sancti assistentiam errare non possint.

Cùm verò plures inter illos, qui Christiano nomine utuntur, sint cœtus inter se contraria in Fide docentes, quæ unam Ecclesiam constituere non possunt; ac proinde quænam ex his vera Christi Ecclesia discernendum sit.

Cap. VI. ostensum est ex sacra Scriptura & sanctis Patribus, quòd certæ sint Notæ seu signa aut symbola: quæ omnia collectim sumpta veræ & soli Christi Ecclesiæ conveniant, & propria sint; per quæ à falsis sectis discerni possit.

In secundo Libro de Ecclesiis falsis Cap. I. demonstratum est, quòd nullæ Philosophorum, vel Ethnicorum, aut Idololatrarum turbæ vera Dei Ecclesia sint: similiter abominanda & bestialis Politicorum, & Atheorum insania refutata est.

Cap. II. probatum est; quòd Judæorum Synagoga in Adventu Christi desierit esse vera Dei Ecclesia; & quòd Christus sit verus Messias in lege promissus, qui legem novam perfectiorem juxta prophetias dederit, & unicam veram Dei Ecclesiam continuaverit: Synagoga autem Judæorum in pessimos errores prolapsa sit. III.

Cap. III. ostensum est initium, impietas, & impuritas sectæ Mahometicæ.

Cap. IV. demonstratum est, quòd hæreses, quæ aliquando in Oriente exortæ sunt; & quorum aliquæ in illis partibus vigent, nullatenus vera Christi Ecclesia esse possint; utpote *Arianorum, Nestorianorum, Eutychianorum, Monothelitarum, Iconoclastarum*, & aliorum.

Cap. V. ostensum est initium Schismatis *Græcorum* à vera Christi Ecclesia & hæresis ejusdem; in quam postea inciderunt; cùm à Romana Ecclesia se separassent: qualiter subinde abjuratis erroribus sese Ecclesiæ Romanæ conjunxerint, & postea rursus defecerint.

Cap. VI. relati sunt errores *Armenorum, Abyssinorum, Iacobitarum*, &c. qui in partibus Orientalibus inter se plurimùm divisi morantur, & ostensum; quòd vera Christi Ecclesia esse non possunt, variis hæresibus etiam in primitiva Ecclesia damnatis infecti.

Cap. VII. demonstratum est, quòd unitas veræ Christi Ecclesiæ nota non conveniat ullis cœtibus Acatholicorum in Septentrione existentibus; utpote *Anabaptistis, Lutheranis, & Calvinistis, Hußitis, VValdensibus*, &c. cùm inter se in plurimas diversas sectas in Fide pugnãtes divisi sint.

Cap. VIII. ostensũ est, quòd nec sanctitas doctrinæ aut morum; nec miraculorum; vel nomen aut res Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ ullis modernorum Acatholicorum cœtibus conveniat. IV.

Libro tertio in ordine 5. Cap. I. calumniæ Acatholicorum contra Ecclesiam Romanam allatæ & refutatæ sunt.

Cap. II. demonstratum est, quòd Ecclesiæ Romanæ, illi scilicet, quæ per totum mundum diffusa cum Pontifice & Ecclesia Romana communionem habet, omnes & singulæ veræ Ecclesiæ Notæ conveniant.

Cap. III. ex S. Scriptura & sanctis Patribus primitivæ Ecclesiæ ostensum est; quòd Christus Dominus S. Petrum Apostolorum Principem & Caput instituerit; eique totam Ecclesiam, tam

Digitized by Google

quoad Episcopos, quàm quoad alios fideles regendam commiserit; eandémque potestatem S. Petri successoribus Romanis Pontificibus contulerit; prout sancti Patres tam Græci quàm Latini; imò etiam Concilia generalia in primitiva Ecclesia celebrata agnoverunt: & ob hanc Christi institutionem & promissionem SS. Patres semper cum Pontifice Romanæ Ecclesiæ tanquam S Petri successore communionem habere voluerunt; ad illam Sedem tanquam primariam & Apostolicam ac Matrem recurrerunt; & Ecclesiam universalem cum ipso Pontifice in Fide communicantem solam veram Christi Ecclesiam esse deprædicarunt: omnes autem, quotquot ab hac Ecclesia sese separarunt, Schismaticos, & prophanos esse judicarunt; & ideo per successiones Romanorum Pontificum usque ad S. Petrum studiosè catalogum contexuerunt: eo fine, ut cognoscatur, quænam Ecclesia in Fide Apostolica perseveralset, prout copiosiùs demonstratum est.

V. Hîc pro coronide unus Augustini locus repetendus, dum dicit epist. 165. ad Generolum: *Si ordo Episcoporum sibi succedentium* (NB) *considerandus est, quanto certiùs & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus* ait: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non vincent eam. Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus*, &c. *In hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus invenitur*, &c. hæc August. sic nec usque modò in illo ordine ullus Acatholicus inventus est. Subjungit Augustinus: *In illum autem ordinem Episcoporum, qui ducuntur ab ipso Petro usq; ad Anastasium, qui nunc eandem cathedram sedet, etiamsi quispiam traditor per illa tempora surrepsisset; nihil præjudicat Ecclesiæ & innocentibus Christianis, quibus Dominus providens ait de præpositis malis* Matth. 23. *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite; dicunt enim, & non faciunt; ut certa sit spes fidelis, quæ non in homine, sed in Domino collocata, nunquam tempestate sacrilegi Schismatis dissipetur*, &c. hæc August.

Sic & usque in præsens tempus Ecclesia Christi conservatur non in homine, etiam Papæ alicujus merito vel demerito, sed in Domino collocata; qui Ecclesiæ, Petro & ejus successoribus promisit Spiritûs Sancti assistentiam, quòd *portæ inferi contra illam non prævalebunt*; quæ promissio non est limitata ad certum tempus; sed usque ad finem mundi durabit; unde & ex hac promissione SS. Patres securè ad Sedem Apostolicam tanquam Fidei columnam recurrerunt; licèt hæretici illorum temporum cathedram Petri, cathedram pestilentiæ esse calumniarentur; sicut & illorum imitatores Acatholici hodie calumniari non cessant.

Cap. IV. & ult. relata sunt & refutata argumenta; quæ Authores Anonymi illorum trium libellorum contra Ecclesiæ Romanæ inerrabilitatem adduxerunt: & calumniæ contra Romanum Pontificem, quòd Antichristus esset, clarè refutantur.

CONCLVSIO.

VI. CUm itaque ex hactenus dictis & probatis constet; quòd nullus alius quicunque & qualiscunque credentium cœtus veræ Ecclesiæ Christi Notas habeat, sed hæresibus infecti sint: sola autem Ecclesia Romana illas Notas habeat, & certum sit, quòd vera Christi Ecclesia juxta verbum Christi deficere vel errare non possit, & extra illam nullatenus salus speranda sit; meritò cum sancto Augustino lib. de utilit. credendi cap. 7. concludam dicendo: *Dubitabimus nos ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ usque ad confessionem generis humani ab Apostolica Sede, per successiones Episcoporum frustra hæreticis circumlatrantibus, partim ipsius plebis judicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestate damnatis, culmen authoritatis obtinuit*, &c. hæc ille. Quæ est autem illa, nisi sola Romana Ecclesia? de qua tunc Augustinus locutus est, & quæ usque modò perseverat frustra Acatholicis circumlatrantibus.

Et ad vos ô Acatholici dicimus cum Augustino, qui epist. 166. Ecclesiam veram ex sacris Scripturis demonstrat futuram diffusam per omnes gentes, nec ab illa esse discedendum ob quorundam etiam præpositorum delicta in fine epistolæ dicē.: *Quod usq; adeo cœlestis Magister cavendum præmonuerit; ut etiam de præpositis malis plebem securam faceret; ne propter illos doctrina salutaris cathedra deseratur; in qua coguntur* (NB) *etiam mali bona dicere. Neq; enim sua sunt, quæ dicũt, sed Dei, qui in cathedra unitatis doctrinam posuit veritatis. Proinde ille verax & ipse veritas de præpositis sua mala facientibus & Dei bona dicentibus ait, quæ dicunt facite*, &c. *sed quæcunque illi, & qualescunq; fuerint, diversi Pontifices portant sarcinas suas: Ecce Scripturæ communes; ecce ubi novimus Christum; ecce ubi novimus Ecclesiam: Si Christum ipsum tenetis, Ecclesiam ipsam quare non tenetis? Si in ipsum Christum quem legitis, & non videtis, tamen propter veritatem Scripturarum creditis; Quare Ecclesiam negatis, quam & legitis & videtis? Hæc vobis dicendo, & ad hoc bonum pacis & veritatis & charitatis compellendo, inimici vobis facti sumus, & mandatis quæ occidetis nos* (ut patet in Anglia) *qui veritatem vobis dicimus*, &c. *vindicet nos Deus de vobis; ut ipsum errorem in vobis occidat, & nobiscum de veritate gaudeatis*, &c. hæc August. VII.

Idem in ps. 147. *Iam nullam habet dubitationem Ecclesia, ut uxor Christi, quàm Corpus Christi demonstratum oculis; contrectatum manibus discipulorum; communica te huic Ecclesiæ*, hæc ibi.

Iterum lib. 2. contra Petilian. cap. 104. *Non estis in montibus Sion: quia non estis in civitate supra montem constituta; quæ certum signum hoc habet, quod abscondi non possit. Nota est ergo omnibus gentibus; pars autem Donati ignota est pluribus gentibus, non est ergo ipsa*, &c. hæc sanctus Augustinus.

Sic Ecclesia Catholica Romana semper fuit in monte posita omnibus nota; sed pars Lutheri, Calvini, &c. non fuit nota intra mille annos ex ipsorum confessione, ullis gentibus ante Calvinum; nec modò pluribus gentibus; non ergo ulla illarum est ipsa vera Ecclesia; sed sola Romana.

Unde cum Augustino ibidem lib. 3. contra Cresconium cap. 9. nomine Episcoporum Catholicorum Catholicos Romanos alloquor; *Qualescunque nos simus, securi estis O Catholici* (Romani) *quia Deum Patrem, & ejus Ecclesiam Matrem habetis*, &c. cur hoc? unde tanta securitas? Quia CHRISTUS Matri

Ecclesiæ

Digitized by Google

Ecclesiæ testimonium veritatis dedit: sic enim Augustinus cum aliis SS. Patribus ex S. Scriptura didicerat lib. de unit. Ecclesiæ, cap. 22. supponendo dicens: *Quod si* (Donatistæ, sic & Acatholici) *nolunt intelligere; sufficit nobis, quod jam tenemus Ecclesiam, quæ manifestissimis Sanctarum & Canonicarum Scripturarum testimoniis demonstratur*, &c. & infrà: *Puto si quis sapiens extitisset, cui Dominus Iesus testimonium perhiberet & is de hac* (vel alia Fidei) *quæstione consuleretur à nobis; nullo modo dubitare deberemus facere, quod ille dixisset: ne non tam ipsi, quàm Domino Iesu Christo, cujus testimonio commendabatur repugnare judicemur. Perhibet autem testimonium Christus* (Nota) *Ecclesiæ suæ*, &c. & infrà: *Quod si non vis*, &c. *non mihi aut cuiquam hominum, sed ipsi Saluatori contra salutem tuam perniciosissime reluctaris, qui te suscipiendum esse non vis credere; quemadmodum suscipit illa Ecclesia, quam testimonio suo commendat ille, cui fateris nefarium esse non credere*, &c. hæc ibi. Similiter securus erat Augustinus lib. 3. contra Petilian. cap. 9. dicens: *Mibi sat est ad rem, quam nunc ago, quod qualiscunq; in ea sim; tamen Ecclesia pro qua loquar, invicta est.* Ecce fundamentum securitatis Catholicorum; quâ credunt Ecclesiæ Catholicæ Romanæ doctrinæ: cui Christus testimonium veritatis perhibet, ut tot modis demonstratum est.

Nec moveatur sincerus Catholicus Romanus dicteriis & calumniis Acatholicorum dicentium; Ecclesia Romana non est Christi Ecclesia, sed fuit, jam non est, defecit, &c. eò quòd & hæc olim tempore SS. Patrum Donatistæ, Ariani, &c. de Ecclesia Catholica Romana calumniati fuerint: sed contra Christi verbum, qui promisit Ecclesiam suam nunquam defecturam. Vel, si alibi Ecclesia vera præter Romanam permansit, ostendatur alia; quæ semper in monte posita per cunctas gentes diffusa & nota fuit, & permansit; certè nullam aliam Acatholici demonstrare possunt, de sua desperant; qui fatentur eam planè occultam fuisse mille & ultra annis, soli (ut placet Calvino) Deo notam: & multos articulos à primitiva Ecclesia damnatos asserunt.

VIII. De Græcorum & aliorum Orientalium Ecclesiis suprà demonstratum est; quod sint hæretici in primitiva Ecclesia damnati, & ipsi Acatholici id fateri debent.

Constat autem, quòd Ecclesia moderna Romana in articulis Fidei cum primitiva conveniat; nec ullus articulus demonstrari potest, qui à primitiva Ecclesia damnatus fuerit; & ipsa Ecclesia profitetur se S. Scripturam intelligere non aliter quàm juxta unanimem SS. Patrum interpretationem. Manet ergo, & manebit sancta Christi Ecclesia Romana Mater & Magistra veritatis à Christo Magistro habens testimonium & assistentiam.

Quandoquidem igitur S. *Augustino, Hieronymo*, & aliis Sanctis ac in S. Scriptura doctissimis Patribus suffecerit ad securitatem Fidei; quòd essent in vera Christi Ecclesia, & ab ea veritatem acciperent; imò ab Episcopo Romano tanquam oves à Pastore in Fidei dubiis determinationem postularint; hoc ipsum cuilibet Christiano sufficere deberet, ut securè in Fide Ecclesiæ Catholicæ Romanæ Deo serviat: quam videt tot modis ex S. Scriptura & SS. Patrum testimoniis esse demonstratam, & veris Notis ac signis à falsis Ecclesiis distinctam. Quicunque ergo in hac Ecclesia est, de Fide non sit solicitus, sed quæstiones circa particulares Fidei articulos à S. Matre Ecclesia doctos remittat ad doctiores; sufficit ipsi quòd in ea Ecclesia sit, quam esse invictam & ineffabilem nimis clarè demonstratum est; qui verò in illa nondum est, ad illam ut Matrem & unicam Naviculam Petri, in qua salvari possit, humiliter se conferat.

Videat autem quiscunque Acatholicus, quomodo in sua Fide securus esse possit; cùm doceant 1. quòd Ecclesia universalis etiam vera possit errare in quibusdam articulis Fidei, quos quidam minùs fundamentales vocant; sed nunquam perfectè à fundamentalibus distinguere possunt, adeóque semper conscientia inquieta relinquatur. 2. quia asserunt tam Concilia generalia, quàm Nationalia, qualitercunque S. Scripturam allegent, in Fidei doctrina errare posse. 3. quòd quilibet adhuc de talis Concilii definitionibus ultimatè judicare possit. 4. fateri debent, & verissimum est; quòd pluris facienda sint decreta plurium Doctorum & alicujus Concilii, quàm alicujus privati judicium; eò quòd alicujus privati judicium circa verba S. Scripturæ valde incertum sit, & inde sæpe provenit, quòd tot sint sententiæ, quot capita; cùm quilibet pro suo affectu, vel infirmo intellectu, & captu sibi persuadet se S. Scripturam clarè intelligere; & sic iniquitas hæresum mentitur sibi, & conscientias miserorum, quas serenare promittit, turpissimè involvit, & perdit. Deus misereatur illorum; illuminet vultum suum super illos; & ad gremium Matris Ecclesiæ reducere dignetur, Amen. IX.

FINIS LIBRI QUINTI.

Digitized by Google

LIBER VI.

De cultu & invocatione Sanctorum.

QUandoquidem D. Vexillifer Anglus cum Acatholicis constanter affirmabat; quòd articuli Fidei, in quibus ipsi à Catholica Ecclesia dissident, à SS. Patribus primitivæ quatuor primorum sæculorum Ecclesiæ docti essent, inter quos unus est: *Quod Idololatria sit colere; & inuocare sanctos Apostolos, vel alios SS. Martyres pro Christo passos, & cum ipso in cælo regnantes, ut pro nobis orent.* Hunc itaque Acatholicorum Articulum inter alios D. Vexillifer assumpsit ex sanctis Patribus probandum; cujus partes in se susceperunt tres authores trium libellorum Anonymi: quorum probationes proponentur, & refutabuntur; ubi priùs Catholicam doctrinam proposuero, & demonstravero ex S. Scriptura, & SS. Patribus. Primò quidem de cultu Sanctorum; postea de invocatione eorundem tractabimus.

CAPVT I.

Errores Acatholicorum de cultu Sanctorum referuntur, & veritas Catholica.

ARTICULUS I.

Acatholicorum referuntur errores circa cultum Sanctorum.

I. IVlianus Apostata repræhendit Christianos, quòd relictis Diis Sanctos colerent. Ita refert *Cyrillus Alexandrinus* lib. 6. contra Julian. Sic *ethnici* corpora Martyrum comburebant, vel in mare demergebant, dicentes, *ne fortè Christiani, qui Deos nostros adorare nolunt, servos nostros adorent*, ita refert *Euseb.* lib. 4. cap. 15. & lib. 8. cap. 6.

Gnostici olim negabant Sanctos mortuos esse colendos, ob quod *Irenæus* eos repræhendit lib. 3. cap. 20.

II. Eundem errorem propugnavit *Eustatius* Episcopus Sebastæ, quem cum aliis *Concil. Grangense* damnavit, ut infrà patebit §. Hos secutus est *Vigilantius*, ut refert *Hieron.* lib. contra Vigilantium.

Faustus Manichæus repræhendens Catholicos ob Sanctorum cultum, dicebat: *Idola vertitis in Martyres, quos votis similibus colitis*, ita refert *August.* lib. 20. contra Faustum cap. 4.

Mahomet in suo Alcorano omnium Sanctorum cultum prohibuit.

Ioannes VVicleff Sanctorum venerationi sese opposuit, ut refert *Thomas VValdensis* tomo 3. tit. 13.

Hos patronos habent Acatholici moderni illos secuti; licèt in aliis illos hæreticos pessimos damnent.

III. *Lutherus* in Euangel. Dominicæ 25. post Trinit. sic ait: *Quid enim Sanctorum cultus & veneratio aliud fuit, nisi res diabolica*, &c. Idem more suo variabat epist. ad Ephord. sic scribens: *Non est necessarium Sanctos colere*, &c. *quanquam sit superuacaneum Sanctos colere, non tamen putarim respuendos, qui Sanctos adhuc colunt*, &c. hæc ille.

IV. *Magdeburgenses Lutherani* cent. 1. lib. 2. cap. 4. dicunt, *omnem Sanctorum adorationem esse Idololatriam.*

Caluinus lib. 1. Inst. cap. 12. §. 2. sic pronunciat: *Quem Sanctis cultum deferunt Papistæ nihil re ipsa differre à Dei cultu, palàm est*; & paulò post dicit: *Papistas Sanctis tribuere duliam Græcè, quæ Latinè servitus dicitur, & Deo latriam Græcè, quæ Latinè cultus appellatur*; & ait: *Servitus major est, quàm cultus, patet ergo Sanctis assignare, quod majus est; Deo, quod minus est, relinquere*, &c. hæc Calv. non minùs falsò, quàm impudenter, quem sui sequuntur. V.

ARTICULUS II.

Proponitur & declaratur doctrina Ecclesiæ Catholicæ de cultu Sanctorum.

HAnc tradit Concil. Trident. sess. 25. dicens: *Mandat S. Synodus Episcopis & cæteris docendi munus, curamq; sustinentibus; ut juxta Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ usum à primæuis Christianæ religionis temporibus receptum SS. Patrum consensum, & sacrorum Conciliorum decreta; imprimis de Sanctorum intercessione, Reliquiarum Honore, & legitimo imaginum usu fideles diligenter instruant, docentes eos, Sanctos cum Christo regnantes orationes suas pro Hominibus Deo offerre, bonum atq; utile esse suppliciter eos inuocare, & ob beneficia impetranda à Deo per Filium ejus Iesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor, & Saluator est, ad eorum orationes operam auxiliumq; confugere: illos vero, qui negant Sanctos æterna fœlicitate in cælo fruentes inuocandos esse; aut qui asserunt, vel illos pro Hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, inuocationem esse Idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei, aduersariq; honori unius Mediatoris Dei, & Hominis Iesu Christi, vel stultum esse in cælo regnantibus voce vel mente supplicare, impie sentire*, &c. & infrà: *Omnino damnandos esse, prout jam pridem eos damnauit, & nunc etiam damnat Ecclesia*, &c. hæc Concil. Similiter in professione Fidei Catholicæ authoritate ejusdem Concilii præscripta sic habetur: *Constanter teneo*, &c. *Sanctos cum Christo regnantes venerandos, & inuocandos esse, eosq; orationes Deo pro nobis offerre*, &c. hæc est doctrina Catholica quoad cultum & invocationem Sanctorum. I.

Quia

Digitized by Google

II. Quia tamen Acatholici in nominibus hærent, & inde doctrinam Ecclesiæ Catholicæ calumniandi occasionem sumunt, aliqua observanda erunt:

III. Primò quod verba *honorare, laudare*; vel *laudem dare, glorificare, aut gloriam dare, revereri, colere & adorare* variis modis non tantùm à prophanis Authoribus, sed etiam à S. Scriptura & SS. Patribus usurpentur; & subinde soli Deo, subinde etiam creaturis applicentur, prout infrà patebit.

IV. 2. *Honor* dicitur is qui in signum bonitatis qualicunque alicui exhibeatur; ita ut honorare idem sit, quod unum alteri aliquod signum exhibere in recognitionem bonitatis illius qualiscunque sive dignitatis, sive divitiarum, sive virtutis, sive scientiæ, &c.

V. 3. *Colere & venerari* idem sunt, quod *honorare*, licèt videantur indicare aliquid amplius, quàm communem honorem, sic etiam *revereri*: quod tamen indicat aliquam recognitionem bonitatis in honorato cum aliquo timore ratione excellentiæ.

VI. 4. *Laudare* similiter est quoddam *honorare*, quando alius honorat alium verbis, vel scriptis: *gloriam dare, vel glorificare* addit super laudem, dum quis alium ita laudat, ut laus vel existimatio laudati coram multis innotescat, & prædicetur. Sic enim D. Augustinus lib. 83. qq. q. 31. edit. Basil. 1528. gloriam definit dicens: *Gloria est frequens de aliquo fama cum laude.*

VII. 5. *Adorare* etiam quædam honorationis est species scilicet: *quando alius honorat alterum in signum virtutis excellentis, vel dignitatis, aut cujuscunq; excellentiæ cum submissione ipsius honorantis erga honoratum.* Sic honor est genus respectu istius qui vel æquali, vel superiori exhibetur: at adoratio species illius est, ut sit honor, qui superiori præstatur. De honore erga æqualem dicit Apostolus Rom. 12. *Honore invicem prævenientes.* De utroque dicit August. lib. contra serm. Arianorum: edit. Antwerp. *Honorat omnis qui adorat, non autem adorat omnis, qui honorat*: diversos modos hos inter homines brevibus comprehendit D. Augustinus lib. 10. civit. cap. 1. dicens: de cultu simpliciter edit. Basil. 1528. *Si tantummodo cultus ipse dicatur, non soli Deo deberi videtur; dicimur enim colere homines, quos honorifica vel recordatione, vel præsentia frequentamus, nec solum ea, quibus nos religiosa humilitate subjicimus, sed quædam etiam, quæ subjecta sunt, nobis coli perhibentur*, &c. deinde cap. 4. *Multa de divino cultu usurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis, sive humilitate nimia, sive adulatione pestifera: ita tamen, ut quibus ea deferuntur, homines haberentur, qui dicuntur colendi, & venerandi, si autem iis multum additur, & adorandi*, &c. hæc ille. Hoc sensu Hieronymus in epitaphio Paulæ edit. Basil. 1553. sic ait: *Vale O Paula, & cultoris tui ultimam senectutem Orationibus juva*, &c. ecce cultum. Iterum lib. 2. Apologiæ contra Ruffin. *Veni, ait, in Bethlehem præsepe Domini, & incunabula adoravi.*

VIII. 6. Observandum quod *honoratio, veneratio, vel adoratio* tria includat: Primum, ut honorans, vel adorans recognoscat, vel fateatur dignitatem, vel excellentiam honorati. 2. ut ex tali recognitione velit honorato aliquid exhibere in signum excellentiæ illius, & suæ propriæ submissionis erga illum. 3. ut signum exterius sensibile honorato, vel adorato exhibeat ex voluntate sic imperante. v. g. caput aperiendo, vel caput, aut corpus inclinando, genuflectendo, pronum in terram se sternendo, manus, pedes, vel vestes exosculando, &c. sic quotidie honores exhibentur inter homines, vel æquales, vel ad superiores, & Principes, &c.

7. Observandum, quod inter hæc tria, secundum sit præcipuum, scilicet actus voluntatis sic honorantis, vel adorantis, à quo actus, vel signum exterius bonitatem, vel malitiam habet: omnia illa externa signa dependent ab intentione honorantis: ut patet, cùm milites coram Christo Domino flectentes illum ludibrio afficerent, non intendebant Christum honorare. IX.

8. Observandum, cùm *honor vel adoratio* exhibetur propter bonitatem vel excellentiam honorati; & cùm actus omnis specificetur ex objecto: sic actus honorationis vel adorationis specificatur à bonitate vel excellentia honorati, cui honor & cultus exhibetur. X.

Vnde consequens est, quod alia sit excellentia alicujus ob bona naturalia, utpote propter dignitates, divitias, scientiam vel virtutes naturales, & hic merito honor, cultus, vel adoratio civilis, & politica dicitur.

Alia est excellentia in donis & bonis supernaturalibus, quæ specialem utique habent honoris vel adorationis rationem etiam inter homines, seu creaturas rationales. XI.

Tertia excellentia est absoluta, infinita, & perfecta, quâ Deus excellit omnem creaturam quoad infinitam bonitatem, & absolutum in omnes creaturas dominium; ratione cujus Deo debetur honor, & cultus specialis, qui nulli creaturæ competere potest: ille autem cultus potest præstari & exhiberi Deo per signa exteriora suprà dicta, vel maximè per signa interiora; ut, dum homo in signum summæ Dei excellentiæ, & submissionis suæ, offert illi actum fidei, spei, & charitatis, vel aliarum virtutum: sic Angeli colunt, & adorant Deum, qui actus exteriores, vel signa sensibilia non habent. XII.

His omnibus ut certis suppositis, non est in quæstione, an sanctis vivis, vel defunctis honor Dei ille tribuendus sit; quasi deberetur illis ratione suæ infinitæ excellentiæ, & dominii: hoc enim Ecclesia Catholica negat, & detestatur; licèt Acatholici affingant. XIII.

Quæstio ergo est primò: an sanctis Angelis, & SS Apostolis, ac Martyribus mortuis debeatur aliquis cultus, vel honor propter illorum excellentiam in donis supernaturalibus, & gratia ipsis à Deo collatis.

2. Qualiter ille honor nominetur, & ab honore Deo debito sit distinctus, quæ resolvenda sunt.

***

Digitized by Google

ARTICULUS III.

Quod sancti Angeli, & Apostoli, aliique Sancti mortui cum Christo regnantes sint specialiter colendi, probatur ex S. Scriptura.

I. Quoad SS. Angelos; probatur primò ex natura rei, quia honor, & veneratio debetur alicui propter suam excellentiam; atqui SS. Angeli habent singularem excellentiam non tantùm in natura, secundùm quam sunt creati dignissimi spiritus, sed maximè quoad gratiam, & gloriam, quam à Deo habent, ac dignissimum ministerium, qui semper stantante thronum Dei: ut patet ex S. Scriptura.

II. Eandem ob causam etiam SS. Martyribus hæc veneratio debetur, qui dicuntur & sunt amici & filii Dei, Joann. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Et de quibus Christus dicit: *Erunt, sicut Angeli*, & Christus in Apocalypsi cap. 3. v. 21. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus.* Et Apostolus Rom. 8. v. 17. *Si autem filii, & heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi. Si tamen compatimur, ut & conglorificemur*, &c. 1. Timot. 2. v. 12. *Si sustinebimus, & conregnabimus.* Cùm ergo Sancti Christo compassi, & cum ipso sustinuerint, ac proinde cum ipso glorificati, ipsi conregnent, cur illis honor, & veneratio eximia non deberetur? quod autem martyres post mortem statim cum Christo sint, patet ex illo: *Hodie mecum eris in paradiso* Luc. 23. 43. Si hoc latroni promissum, quid non martyribus? & sic credidit Ecclesia semper. Sufficiat unus Augustinus lib. 20. de civ. Dei cap. 13. edit. Basil. 1528. ubi sic ait: *Animæ victrices gloriosorum Martyrum omnibus doloribus, & laboribus superatis, atq; finitis, posteaquam mortalia membra deposuerunt, cum Christo utiq; regnauerunt, & regnant*, &c. hæc

III. ille.

2. Probatur ex S. Scriptura & praxi, quia ab hominibus sanctis exhibitus est cultus, & veneratio SS. Angelis, & illi illum admiserunt, quod non esset factum, si illicitum esset. Hoc constat ex Josue 5. v. 13. ubi dicitur de Josue: *Vidit virum stantem contra se euaginatum tenentem gladium, perrexitq; ad eum, & ait: Noster es an adversariorum? qui respondit: Nequaquam, sed sum princeps exercitus Domini, & nunc venio: cecidit Josue pronus in terram, & adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad servum suum: Solue, inquit, calceamentum tuum de pedibus tuis, locus enim, in quo stas sanctus est; fecitq; Josue, ut sibi fuerat imperatum*, &c. Ecce honor eximius exhibitus à S. Josue Angelo propter ejus excellentiam, & ab Angelo acceptatus.

IV. Item 3. Reg. 18. dicitur. *Cùmq; Abdias esset in via, Elias occurrit ei, qui cùm cognouisset eum, cecidit super faciem suam, & ait: Num tues Domine mi Elia?* Ecce honorem, quem Abdias exhibuit Eliæ, & ipse admisit: Abdias autem, ut ibidem dicitur, erat administrator domus Regis Achab, & princeps, & tamen Eliam virum simplicem, sed gratiâ Dei plenum, honorauit.

V. Iterum 4. Reg. 2. v. 15. dicitur: *Videntes autem filii Prophetarum, qui erant in Jericho, dixerunt: Requieuit spiritus Eliæ super Elisæum, & venientes in occursum ejus, adorauerunt eum proni in terram.* Similiter 4. Reg. 4. dicitur de muliere Sunamitide, cujus filium Elisæus à mortuis suscitaverat: *Venit illa, & corruit ad pedes eius, & adorauit super terram*, &c.

Probatur 3. ex ratione sic, quo sancti viri in hac vita honorati sunt propter excellentiam gratiæ, etiam Sancti defuncti & cum Christo regnantes venerandi sunt, & quidem majore & securiore honore; de quibus jam illorum sanctitas perpetua constat, quibus S. Scriptura honorem, & gloriam assignat: ut patet ex promissione Christi Joann. 12. v. 26. *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus*: & psal. 138. v. 17. *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus*, & 1. Reg. 2. v. 30. *quicunq; glorificauerit me, glorificabo eum*, &c. Et Apostolus ad Rom. 2. v. 6. *Qui reddet unicuiq; secundùm opera eius, iis quidem, qui secundùm patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam*, &c. & v. 10. *Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum*, &c. Cùm ergo Deus ipse Sanctos suos glorificare velit, & conferat illis gloriam, & honorem, nunquid & honor illis est debitus ut à nobis honorentur, quos Deus ipse honorat: nec mors, nec absentia illorum obstat, cùm degant vitam longè beatiorem; & nos illos honorare possimus variis modis, ut patebit. VI.

ARTICULUS IV.

Hæc veritas probatur ex praxi antiquæ Ecclesiæ, Conciliis, & sanctis Patribus Græcis.

Concilium Gangrense Anno 336. celebratum can. 20. edit. Colon. 1538. sic definit: *Si quis per superbiam tanquam perfectum se existimans, conventus, qui per loca & Basilicas SS. Martyrum fiunt, vel accusauerit, vel etiam oblationes, quæ ibidem celebrantur, spernendas esse, crediderit, memoriasq; Sanctorum contemnendas, anathema sit.* Vbi patet praxis Ecclesiæ, quod Basilicæ in honorem & memoriam Sanctorum fuerint ædificatæ, & solemnitates celebratæ. I.

In *Concilio Ephesino* inter Generalia tertio dicitur, quod Episcopi sederint in sanctissima Ecclesia, quæ appellatur *Maria*, ubi & Cyrillus Patriarcha Alexandrinus Concilii præses nomine illius dicit: *Salue à nobis SS. Trinitas, quæ nos omnes ad hanc S. Mariæ Deiparæ ecclesiam conuocasti*, &c. ubi patet in honorem B. Virginis Basilicam ædificatam. II.

Iterum in *Concilio Chalcedonensi* Generali 4. edit. cit. dicitur, quod fuerit congregatum in Ecclesia S. & triumphantis *martyris Euphemiæ*, &c. III.

Ex *Patribus Græcis* Justinus martyr in Apologia 2. edit. Hieron. Commel. pag. 43. sic profitetur: *Verum hunc ipsum, & qui ab eo venit, atq; ista nos & aliorum obsequentium exequatorumq; (ad voluntatem eius) bonorum Angelorum exercitum docuit, filium, & spiritum Propheticum* (NB) *colimus, & adoramus, cum ratione & veritate venerantes, atq; unicuiq; discere, & nosse volenti, pro eo atq; edocti sumus, candidè hæc tradentes*, &c. Hæc Justinus Apostolorum temporibus vicinus.

Eccle-

Digitized by Google

Ecclesia Smyrnensis in epistola de Policarpi martyrio sic scribit: *Martyres ut Discipulos & imitatores Domini propter incredibilem eorum beneuolentiam, quam in proprium Regem & Magistrum declararunt, merito amplexamur*, &c. Ecce cultus.

Irenaus lib. 3. cap. 20. edit. Colon. 1560. *Cùm hac*, ait, *ita se habeant, ad tantam temeritatem progressi sunt quidam, ut etiam Martyres spernant*, &c. & infrà: *A Christo confundentur omnes, qui inhonorauerunt eorum martyrium*, &c. an ergo non punientur à Christo, qui Martyres inhonorant?

Origenes hom. 3. in diversos edit. Basil. 1557. *Bene*, ait, *& secundùm voluntatem Dei eorum* (Innocentium) *memoriam SS. Patres celebrari mandauerunt sempiternam*, &c.

Eusebius Cæsar. lib. 3. de præparat. Euang. c. 7. sic ait: *Nos quotidie id factitamus, nam veræ pietatis milites, ut Dei amicissimos, honoramus*. hæc ille.

Basilius Orat. in 40. Martyres: *Quis modus, aut quæ satietas Martyrum memoriam prosequendi, nam honor in bonos à conseruis collatus beneuolentiæ significationem apud communem Dominum habet*. & infrà: *quæ digna laus, quæ copia sermonis potuit his* (40. Martyribus) *adhiberi?* &c. hæc ille.

Gregorius Nyssen. Orat. in S. Theodorum Martyrem, *Cui*, ait, *Regum talis honor habetur? quis ex iis, qui supra modum inter homines excellere visi sunt, tali memoria celebratur?* &c. *ut hic pauper miles*, &c. *quem Christus coronauit*, &c. & infrà: ad S. Theodorum: *Vt seruus fidelis Deum adoras, ad nos, qui te colimus, & honoramus, accede*, &c. hæc ille. Ecce cultum plus quàm civilem.

Chrysostomus hom. de SS. Juventiano & Maximo edit. Basil. 1558. sic ait: *Qui*, scilicet Martyres, *semper in eodem manent vigore*, &c. *semper sua gloriæ fulgorem emittunt, & radios, quos scientes non aliter priscos, aliter recentiores, colitis Sanctos, sed eadem alacritate omnes*, &c. quid clariùs pro cultu Sanctorum.

Cyrillus Alex. lib. 6 contra Julian. edit. Basil. *SS. Martyres nec Deos esse dicimus, neq; adorare consueuimus, laudamus autem eos potiùs summis honoribus, quod pro veritate strenue certarunt*, &c. & infrà: *Proinde non est indignum, imo etiam necessarium eos, qui tam claris operibus gloriosi sunt, perpetuis honorari laudibus*, &c. hæc ille. Ecce paucis verbis exprimitur cultus Sanctis exhibitus non divinus, & plus quam civilis.

II. *Cyprianus* lib. 4. Epist. 5. edit. Basil. 1543. *Laurentius*, ait, *& Ignatius palmas à Domino & coronas illustri martyrio meruerunt*. Et infrà: *Martyrum passiones & dies anniuersariâ commemoratione celebramus*, &c. Ecce cultus Sanctorum.

III. *Ambrosius* serm. 6. edit. Parisf. 1569. *Igitur*, ait, *fratres quotiescunq; Martyrum memoriam celebramus, prætermissis omnibus sæculi actibus, sine aliqua dubitatione concurrere debemus, reddere illis* (NB) *honorificentiam*. Et infrà: *Cùm dicat ad Sanctos suos omnipotens Deus: Qui vos honorat, me honorat, & qui vos spernit, me spernit*, &c. hoc attendant Acatholici.

IV. *Hieronymus* in c. 3. Sophoniæ edit. Basil. 1553. *Quos*, inquit, *alios possumus intelligere filios Ecclesiæ nominatos, nisi Apostolos? vide mihi Petrum, & Paulum, & Matthæum, & Joannem, & considera hoc, quod ad Abraham repromissum est: Magnificabo nomen tuum; in illis opere perpetratum: Quotidie nominatur in Ecclesia, quotidie magnificatur* (NB) *nomen eorum, non quod ipsis prosit à nobis in Ecclesia nominari, sed quod nos magnificantes nomen eorum, & quæ scripserunt lectitantes, salutem consequamur*. Similiter in Epitaphio Paulæ; & in Apologia 2. contra Ruffinum art. 2. suprà allegata de cultu Sanctorum loquitur.

V. *Gaudentius* tract. de Machabæis Biblioth. PP. Colon. edit. 1618. tomo 4. pag. 825. col. 1. *Si quis vestrum fratres fortasse miratur Judæos viros supplicia pro legis præcepto perpessos, nunc à Christiana plebe inter SS. Martyres honorari, is profectò si omnem* (NB) *sanctæ religionis causam, rationemq; cognouerit, intelliget probabili, ac summo judicio id fuisse à majoribus nostris constitutum*, &c. hæc ille. Ecce religionis cultum.

VI. *Augustinus* lib. 20. contra Faustum edit. Basil. 1528. cap. 21. *Populus Christianus*, ait, *memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atq; Orationibus adjuuetur; ita tamen ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum sacrificemus, quamuis in memorias Martyrum constituamus Altaria*, &c. similia habet lib. 8. de civ. cap. 27.

VII. Item ep. 44. ait: *Ostendatur mihi Romæ in honore tanto templum Romuli, in quanto ibi ostendo memoriam Petri, in Petro quis honoratur, nisi Christus defunctus pro nobis*, &c. ecce religiosus cultus.

VIII. Plurima similia aliorum Patrum testimonia adferri possent, sed hæc sufficiunt, ut quilibet sincerus veritatem facilè palpet.

ARTICULUS V.

Eandem veritatem à Patribus Latinis traditam esse ostenditur.

I. Concil. *Carthagin. primum* Anno 390. cap. 2. edit. Colon. 1538. sic statuit: *Martyrum dignitatem nemo prophanus infamet*, &c. ubi pœnas injungit.

CAPVT II.

De qualitate cultus Sanctis exhibendi.

ARTICULUS I.

Qualis sit cultus qui Sanctis exhibetur, & qualiter nominandus.

I. Quamvis hæc ex prædictis sanctorum Patrum testimoniis constare possint; quia tamen Acatholici cum suo Calvino Catholicam Ecclesiam calumniantur, quasi cultum soli Deo debitum Sanctis impendat, distinctiùs hæc proponenda erunt, ut clarius pateat veritas.

Pro

Digitized by Google

Pro clariore veritatis intelligentia præter ea, quæ superiùs notata sunt, observandum est: primò, quod voces, & alia signa sensibilia ex se nullam habeant significationem quoad significata disparata, sed ex institutione hominum publica, vel per usum introductam, & secundùm hanc talibus signis, ut humana societas servetur, utendum est; & sicut voluntas communis & usus hominum hoc tempore signis in hac significatione utitur, sic paulatim alio tempore aliam significationem illis communis usus dare potest.

2. Observandum quod nullum sit nomen in S. Scriptura, ut Doctores cum S. Augustino lib. 10. civit. c. 1. observant, quod præcisè & propriè habeat talem significationem, quæ soli Dei cultui applicetur, ita ut nomen latria Græcè, Latinè ab Augustino dicatur servitus, ab aliis dicatur cultus, *ita tamen*, ut Augustinus ait, *seruitus, quam homo Domino suo debet, alio nomine Græce nuncupetur, sed non semper*, ut infrà patebit: *Latria vero*, ait August. *secundùm consuetudinem, qua locuti sunt, qui nobis diuina eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter, ut pene semper; ea dicitur seruitus, quæ pertinet ad colendum Deum; proinde si tantummodo cultus ipse dicatur, non soli Deo deberi videtur, dicimus enim colere homines*, &c. & infrà: *Sed quia & aliarum rerum dicitur cultus, ideo Latine uno verbo significari cultus Deo debitus non potest.*

Similiter de nomine, *Religio*, dicit ibidem: *Nam & ipsa religio, quamuis distinctiùs non quemlibet, sed Dei cultum significare videatur*, &c. *tamen, quia Latina loquendi consuetudine non solùm imperitorum, verum etiam doctißimorum, & cognationibus humanis, atq; affinitatibus, & quibusq; necessitudinibus dicitur exhibenda religio, non eo vocabulo vitatur ambiguum, cùm de cultu Deitatis vertitur quæstio, ut fidenter dicere valeamus: religionem non esse nisi Dei cultum*, &c. hæc Aug. tandem concludit; *quæ itaq; latria Græce nuncupatur, & Latine interpretatur seruitus, sed ea, qua colimus Deum, vel quæ θρησκεία Græce, Latine autem religio dicitur; sed ea, quæ nobis est erga Deum, vel quam illi θεοσέβειαν, nos vero non uno verbo exprimere, sed Dei cultum possumus appellare. Hanc ei tantum Deo deberi dicimus, qui verus est Deus, facitq; cultores suos Deos*, &c. hæc August.

Observandum 3. quod, sicut vox *Latria*, sic etiam vox *dulia*, Græcè servitus, subinde pro cultu hominum, subinde pro cultu Dei in S. Scriptura usurpetur, similiter verbum *adorare*, & nomen, *honor*, *& gloria*, vel *glorificare*, &c. de *honore & gloria* patet, quia licèt Apostolus 1. ad Tim. 1. v. 17. dicat: *Soli Deo honor & gloria*, dicit tamen Rom. 2. v. 10. *Gloria autem, & honor omni operanti bonum*, &c. Similiter Isa. 42. v. 8. *Gloriam meam alteri non dabo*, & psal. 83. 12. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*, utique alteri, scilicet electis; & sicut Deus dicitur glorificari, sic & homo, ut 1. Reg. 2. v. 30. *Quicunq; glorificauerit me, glorificabo eum*, hoc & de Deo. Psal. 22. v. 24. *Vniuersum semen Jacob glorificate eum*, & de hoc psal. 90. v. 15. *Eripiam eum, & glorificabo eum*, &c. de homine dicitur.

II. Similiter verbum *Adorare*, quod communiter Deo assignatur, sæpius in scriptura hominibus applicatur, ut patet Gen. 23. v. 7. *Surrexit Abraham, & adorauit populum terræ*, & alibi sæpe, specialiter 1. Paralip. 29. v. 20. *Et benedixit omnis Ecclesia Domino Deo Patrum suorum, & inclinauerunt se, & adorauerunt Deum & deinde Regem*, &c. Ecce eodem nomine, Dei & Regis cultus dicitur adorationis.

Similiter, licèt dicatur Deut. 6. & Matt. 4. *Dominum Deum tuum adorabis*, tamen ut jam visum est, ly *adorare*, etiam hominibus præstitum est; & similiter vox *seruire* hominibus passim in scriptura applicatur, ut suprà August. dicit, *Latria* etiam sæpe pro *dulia*, *seruitute*, ut ex Aug. suprà dictum est, & econtra *dulia* etiam pro *cultu* usurpatur, quod Calvin. ipse fateri debet lib. 1. c. 12. §. 2.

Ex his omnibus evidens est, quod nullum sit nomen, vel verbum in scriptura ita divino cultui applicatum, quin etiam cultum vel honorem, aut servitutem imperfectam homini debitam significet, si seorsim accipiatur, & non addatur *Deo debitum*: adeoque frivolum, & insolens est, ex nudo verbo diversimodè sumpto arguere, ut Calvinus suprà facit.

4. Sicut de vocum significatione, sic etiam de actuum humanorum exteriore significatione constat; quod nullus sit actus exterior, quo Deo defertur cultus debitus, qui etiam non aliquando, & sæpe applicetur hominibus, unico excepto actu sacrificii, ut D. August. l. 10. civ. c. 4. edit. Basil. 1528. *Nam ut alia nunc taceam, quæ pertinent ad religionis obsequium, quo colitur Deus, sacrificium certe nullus hominum est, qui audeat dicere deberi nisi Domino soli*, &c. hæc ille. III,

5. Hic tamen actus sacrificii etiam dependet ex intentione hominis, nam mactatio bovis per se non indicat sacrificium, nisi ab homine intendatur, ut mactetur ad honorem vero Deo exhibitum: ut etiam observat D. August. lib. 10. civ. c. 19. quod sacrificia, & voces sint signa interioris sacrificii, quo nos ipsos in corde offerimus. Hoc patet ex facto Naaman 3. Reg. 5. qui à lepra sanatus dixit Elisæo: *Non ultrà faciet seruus tuus holocaustum, aut victimam Diis alienis, nisi Domino. Hoc autem solum est, de quo depreceris Dominum pro seruo tuo, quando ingredietur Dominus meus* (Rex Syriæ) *templum Remmon, ut adoret, & illo innitente super manum meam, si adorauero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus seruo tuo pro hac re, qui* (Elisæus) *dixit ei, vade in pace.* Vbi patet, quod licèt Naaman externo actu in templo Remmon videretur adorare, quia tamen illa non erat ejus intentio, sed solum servitium Regi suo præstandum, dixit Elisæus, vade in pace, quod scilicet non peccaret.

His igitur sic constitutis SS. Patres, ut ambiguum sensum amoverent, convenienter nomen *adorare*, *& latria*, usurpanda duxerunt pro cultu soli Deo debito, licèt aliqui subinde adhuc sanctis applicent, ut suprà visum est. Et eodem modo posteriores Theologi, ut cultum sanctis exhibitum, sicut in re distinguitur à cultu Dei, ita & verbo certo exprimerent, dicendum statuerunt *duliam*, quæ vox non tantùm servitutem despoticam & absolutam in S. Scriptura significat, sed etiam charitativam, & honorariam, ac imperfectam subjectionem, aut submissionem; prout D. August. lib. 1. de Trin. c. 6. ex Apostolo ad Galat. 5. v. 13. observat, ubi dicitur: *Per charitatem spiritus seruite inuicem*, ubi Græcè habetur verbum δουλεύετε, & quia Christi humanitas etiam secundùm se est excellentissima inter omnes creaturas, honorem ipsi debitum hyper-

hyperduliam vocandum duxerunt, sicut & post Christi humanitatem B. Virgini, quid enim obstat, ut Ecclesia pro majore claritate utatur nominibus in certa significatione? sicut olim nomen homousion assumpsit.

ARTICULUS II.

Quòd Sanctis Ecclesia Catholica nullo modo cultum divinum exhibendum doceat.

I. GRavissima calumnia est Acatholicorum, cùm Ecclesiæ Catholicæ imponunt, quod Sanctis Deo debitum exhibeant honorem, vel cultum.

Dico ergò *primo*: Credit, & *docet S. Ecclesia, quod soli Deo trino & uni cultus Deo vero debitus, vel servitus sit exhibenda*, scilicet, quo Deus colitur, adoratur, & honoratur, eique servitur propter suam infinitam excellentiam, quæ illi soli competit; qui excellit super omne creatum in infinitum, qui absolutus est Dominus omnium, & à quo omnia in esse, & fieri dependent; qui, sicut uno verbo omnia creavit, & solo nutu gubernat, sic unico nutu omnia in nihilum redigere posset, in se manens atque infinitè bonus, & gloriosus.

Hæc est tam evidens Ecclesiæ doctrina, ut tæderet eam ampliùs probare; & ut hic cultus ab aliis qualibuscunque discernatur, vocatur cultus latriæ, seu soli Deo debitus, vel etiam servitus soli Deo debita: nec contra hunc vocis usum cavillationes Calvini, vel illius asseclarum valent.

II. *Dico* 2. cultus, *qui SS. Angelis vel defunctis Martyribus defertur, tantum differt à cultu soli Deo debito, quantum res creata, & finita distat à Creatore, & Deo infinito, adeoq; in infinitum.*

Hæc est etiam certa Ecclesiæ doctrina: ut constat, & tantùm abest, ut Ecclesia SS. Angelis, & hominibus puris divinum cultum tribuat, ut etiam doceat, & credat, quod, licèt humanitati Christi jam in unitate personæ verbi existenti specificativè divinus cultus debeatur, quia cultus latriæ ipsi ratione personæ verbi competat; tamen ipsi sanctissimæ humanitati propter se, & propriam excellentiam spectatæ, nullatenus cultus latriæ debeatur, sed tantum cultus, qui creaturæ competere possit in infinitum minor objectivè cultu divino: sic passim omnes Theologi profitentur, quem, quia omnium aliorum Sanctorum cultum excedit, Theologi hyperduliam vocant.

Dico 3 *Sanctis debetur & exhibetur cultus propter illorum excellentiam in gratia & gloria à Deo ipsis collata.* Hoc per se evidens est, ut ex S. Scriptura, & SS. Patribus suprà probatum est.

Dico 4. *Sancti non possunt adorari, si verbum hoc sumatur pro honore exhibito in recognitionem summi boni, Creatoris, & dominii*; si autem sumatur in sensu, quo creaturæ ob excellentiam creatam, & supernaturalem à Deo collatam honorantur, & sicut in scriptura homines adorari dicuntur, sic & adorari dici possunt verissimè: veruntamen quia SS Patres, & Theologi jam communiter verbo *adorare* utuntur pro cultu divino, sic ad Sanctorum cultum absolutè applicari non debet, sicut nec nomen latriæ pro cultu Sanctorum usurpandum est.

III. *Dico* 5. quamvis cultus Sanctorum dici etiam non possit religiosus in illo rigore, quo religio solum Dei cultum spectat, tamen etiam religiosus dici potest, prout distinguitur contra civilem, & prophanum honorem hominibus, ob excellentiam naturalem, vel civilem debitum. Hoc etiam patet ex re ipsa, & ita concedit Aug. suprà lib. 10. civ. c. 1. allegatus: Si enim D. Aug. ibidem fateatur, quod verbum religio à significanda humanæ propinquitatis observantia insolenter videretur auferri, quantò insolentius auferretur ab observantia Sanctorum, & Electorum Dei amicorum, quorum honor in Dei honorem singulariter cedit? ut SS. Patres suprà allegati dixerunt, ideo ipse D. August. libro contra Faustum cap. 21. suprà relatus non dubitat dicere: *populus Christianus memorias Martyrum religiosâ solemnitate concelebrat*, &c. & ibidem cultum Sanctorum satis clarè distinguit à cultu Deo debito, quem latriæ vocat, & à cultu civili, qui consanguineis & honoratis prophanis debetur, cùm dicat *nos colere sanctos Martyres defunctos, quo colimus Sanctos in hac vita*, qui parati sunt pro Christo mori, &c. ubi satis indicat, hunc esse cultum à civili distinctum, quem ob causas dictas nos cum Augustino religiosum vocamus, qui etiam *religiosum* vocat sepelire mortuos lib. de cura pro mortuis c. 4. dicens: *Quoniam, si nonnulla est religio sepelire mortuos, non potest nulla esse, quando, ubi sepeliuntur, attenditur.*

ARTICULUS III.

Qualem cultum B. Deiparæ Virgini Mariæ Ecclesia ex S. Scriptura, & SS. Patribus exhibendum doceat.

I. ACatholici more antiquorum hæreticorum honori Beatissimæ Deiparæ Virginis MARIÆ specialiter invident, quia tamen verentur omnem illi honorem denegare, Ecclesiam arguunt, quasi excessivum, & divinum contra S. Scripturam illi honorem deferat, illam *Reginam cæli* nominando, & colendo, &c. ut autem veritas pateat.

Dico primò, cùm in præcedenti articulo dictum, & ostensum sit, quòd Ecclesia nulli puræ creaturæ divinum cultum exhibendum esse doceat, sed prorsus detestetur, cùm nec ipsi Christi humanitati propter se talem deferat, multò minus B. Deiparæ Virgini. Quam ideo beatam colimus, quia humillimè & verissimè se ancillam Dei dixit, & omnia sua Deo accepta retulit, dicens: *Magnificat anima mea Dominum*, &c.

Dico 2 Ecclesia Catholica credit, & docet, quod sanctissimæ Virgini Deiparæ debeatur excellentior honor, & cultus, qui omnem honorem aliis puris creaturis debitum excedat. Hoc probatur, quia cum Sanctis Dei propter sanctitatis à Deo ipsis datæ excellentiam honor, & cultus, etiam religiosus, debeatur, ut suprà ostensum est: Sanctissima autem Deipara Virgo in sanctitate, & gloria à Deo ipsi data omnes alios Sanctos superet, ipsi etiam excellentior cultus debetur, quem hyperduliam ideo vocant Doctores.

Dico 3. *Sanctissima Deipara Virgo meritissimè Regina cælorum, & Sanctorum nominatur, & colitur sine ullo Dei, vel Christi hominis præjudicio*: Hæc probatur ex S. Scriptura: Apoc. 12. v. 1. dicitur: *Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim*, & v. 5. de ea dicitur: *& peperit filium masculum, qui recturus erat*

Digitized by Google

omnes gentes: Hanc mulierem esse Deiparam Virginem ad literam intelligendam docent SS. Patres, inter alios August. lib. 4. de symbolo ad Catechumenos cap. 1. dicens: *In Apocalypsi Joannis Apostoli scriptum est hoc, quod staret draco in conspectu mulieris, quæ paritura erat*, &c. *draconem diabolum esse nullus vestrum ignorat; Mulierem illam Virginem Mariam significasse, quæ caput nostrum integra integrum peperit, quæ etiam ipsa figuram in se S. Ecclesiæ demonstrauit*, &c. hæc ille.

Cur hæc mulier non erit dicenda Regina cælorum, quam sic à Deo coronatam S. Scriptura docet, & quæ Mater est Regis cælorum?

2. Ps. 44. v. 10. dicitur ad Christum: *Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate*, &c. quæ licèt de S. Ecclesia etiam dicantur, primò tamen de ipsa Deipara Virgine, quæ typum Ecclesiæ gessit, intelliguntur.

II. 3. Honor, quem Deus promisit Sanctis suis, ille excellentiùs B. Virgini tribuendus est, at verò Deus promisit Sanctis, quod futuri sint Reges, adeoque B. Virgo excellentior Regina honoranda est: Major patet, minor probatur ex illo Apocal. 2. v. 26. ubi Christus generaliter promittit dicens: *Qui vicerit*, &c. *dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea, sicut & ego accepi à Patre meo*, &c. Atqui B. Virgo excellentiùs vicit, &c. ac proinde accepit excellentiorem præ aliis Sanctis potestatem regendi, quam Christus comparat potestati sibi à Patre datæ, quod Acatholici minùs audire volunt, & tamen Christus promisit.

4. Similiter Apocal. 3. v. 21. iterum dicitur: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus*. Si hoc omnibus Sanctis promittitur, quod sint futuri Reges, & sessuri in throno cum Christo, cur blasphemiæ arguitur Ecclesia, quod honoret B. Virginem, ut Reginam in throno cum Christo sedentem sine præjudicio Christi honoris? & quia ipsa dignissima est super omnes puras creaturas, cur non dicatur Regina omnium? Non derogabat Salomon suo honori, cùm Matrem in throno ad dextram suam sedere fecit. 3. Reg. 2. v. 19.

III. Hanc reglam & eminentissimam excellentiam B. Virgini à Deo datam SS. Patres agnoverunt, & ob eandem ipsam honorarunt, & coluerunt, ut passim ex illorum libris constat, aliquos retulisse sufficiet.

Athanasius magnus ille Arianorum, & Ethnicorum antagonista in Euangelium de sanctissima nostra Deipara sic ait: *Quandoquidem ipse* (Christus) *Rex est, qui natus est ex Virgine, idemq; & Dominus & Deus, ea propter & Mater, quæ eum genuit, &* REGINA, *& Domina, & Deipara proprie & vere censetur*. Et infrà: *Dicimus eam, iterum atq; iterum, & semper, & undequaq; beatissimam. Ad te clamamus, recordare nostri sanctissima Virgo. Aue, gratia plena Dominus tecum, beatam te prædicant omnes Angelorum, & terrestrium hierarchiæ*, &c. *intercede* HERA, *&* DOMINA, *&* REGINA, *& Mater Dei pro nobis*, &c. hæc ille.

B. Ephrem, qui floruit Ann. 370. Orat. de laudibus sanctissimæ Dei Matris ita ait: *Intemerata, prorsusq; pura, Virgo Deipara*, REGINA OMNIUM, SPES *desperantium*, &c. *sublimior cælicolis, purior solis radiis*, HONORATIOR CHERUBIM, SANCTIOR *Seraphim, & nulla comparatione cæteris omnibus superis excellentibus gloriosior*, SPES *Patrum, & gloria Prophetarum*, &c. hæc ille.

Epiphanius, hæresi 79. *Sit in honore Maria, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus adoretur*, &c. ubi merito supponit cultu latriæ B. Deiparam non esse colendam, sed solum Deum; asserit tamen quod sit honoranda. Vtique honore excellentissimo, prout profitetur serm. de laudibus S. Deiparæ Mariæ sic dicens: *Miser ego sum, qui effulgentes splendores, Deiparæ radios*, &c. *verbis consequi tentaui. Dicam de sola Deipara, quatenus assequor*, &c. *de qua leuiter loqui non debet humana lingua, Gabriel ait: Aue gratia plena, mare spirituale habens gemmam cælestem Christum. Aue gratia plena, splendidum cælum, quæ in cælis incomprehensum continet Deum*, &c. & inf. à: *Quid dicam? & quid proloquar? quo pacto beatam prædicabo gloriæ radicem? solo enim Deo excepto, cunctis superior existens, formosior, & ipsis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico, cui prædicandæ cælestis, ac terrenæ linguæ minime sufficit*, &c. & infrà: *Ipsa enim est cæli, & terræ* MEDIATRIX, *quæ unionem naturaliter peregit Beata Virgo, columba pura, & sponsa cælestis Maria, cælum, templum, & thronus diuinitatis*, &c. hæc Epiphanius, nonne sic illam prædicando excellentissimam, quantum creaturæ competit, cultum ei deferebat? de quo ulteriùs infrà respondendo Anonymo 3. libelli. IV.

Gregorius Nazianzenus in tragædia inter plurimos alios cultus de B. Virgine sic canit: *Æquanda nullis Mater, & Virgo, supra omnes decora Virgines, quæ vincis cælitum ordines*, REGINA, DOMINA, *generis humani bonum*. V.

Joannes Chrysostomus serm. de Genesi & interdictione arboris ad Adam, sic ait: *Restauratur per Mariam, quod per Euam perierat, per Christum redimitur, quod per Adam fuit captiuatum, redditur per Mariam vita, quæ per Euam fuerat interempta*, &c.

Idem in liturgia sic ait: *Sanctissima, intemerata, superbenedictæ* REGINÆ *nostræ Matris Domini, & semper Virginis Mariæ cum omnibus Sanctis memoriam celebrando, nosmetipsos, & ad inuicem omnem vitam nostram Christo Deo commendemus*, &c. hæc Chrysost.

Ambrosius lib. 2. de Virginibus, B. Virginem prædicans sic dicit: *Quid nobilius Dei Matre? quid splendidius ea, quam splendor elegit? quid castius ea, quæ corpus sine corporis contagione generauit?* &c. hæc ille.

Augustinus serm. 18. de Sanctis sic ait: *Maledictio Euæ in benedictionem mutatur Mariæ: Aue, inquit, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, quæ vitam viris, & fœminis peperisti*, &c. *Auctrix peccati Eua, Auctrix meriti Maria, Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit, illa percussit, ista sanauit*, &c. *Sancta Maria, succurre miseris*, &c. *sentiant omnes tuum juuamen, quicunq; celebrant tuam commemorationem*, &c. hæc August. nonne sic excellentissimè Deiparam honoravit, & coluit.

Cyrillus Alexandrinus homiliâ Ephesi contra Nestorium habitâ, sic ait: SALVE, *per nos sancta, & mystica Trias, quæ nos omnes ad S. Mariæ Deiparæ Ecclesiam conuocasti: Salue sancta Deipara, eximium illud totius orbis* DECUS, *& ornamentum*, & infrà: *Salue Virgo, per quam S. Trinitas in uniuerso orbe glorificatur, & adoratur, per quam* VI.

Ange-

Angeli, & Archangeli latantur, &c. *per quam universa creatura idolorum vesania detenta ad veritatis lumen perducta est*, &c. *ecquis laudatißimam illam Mariam pro dignitate celebrare queat?* hæc Cyrillus.

Ex his evidens est, quod S. Ecclesia Catholica sanctissimam Deiparam Virginem juxta S. Scripturam cum SS. Patribus, & antiqua Ecclesia justissimè, & piissimè Reginam cælorum, & Angelorum prædicet, ac excellentiore ulli puræ creaturæ convenienti honore colat, & veneretur.

CAPUT II.

Respondetur ad argumenta Acatholicorum contra cultum Sanctorum.

ARTICULUS I.

Refertur argumentum, seu potiùs calumnia Calvini & refutatur.

I. Calvinus lib. 1. Instit. c. 12. §. 1. sic intonat dicens: *Tenendum est, nisi in uno Deo resideat, quidquid est divinitatis proprium, honore suo ipsum spoliari, violariq; ejus cultum, atq; hic intentiore cura animadvertere convenit, quibus astutiis ludat superstitio; neq; enim ad alienos Deos sic discessit, ut videatur summum Deum deserere, vel in alium ordinem redigere; sed dum supernum locum illi concedit, turbam minorum Deorum circumdat, inter quos propria eorum officia partitur; ita* (en mendacem malitiam Calvini) *divinitatis gloria, ne apud unum tota maneat, dissecatur, sic veteres olim tam ex Judæis, quam gentibus, Deorum Patri, & arbitro ingentem turbam subdiderunt, quibus communis esset pro ordinis ratione cœli, & terræ cum summo Deo administratio; sic aliquot retro seculis Sancti, qui hac vita excesserunt in Dei societatem evecti sunt, ut pro illo & colerentur, & invocarentur, & celebrarentur*, &c. hæc impius Calvin. impiè scribere non erubuit.

Respondetur: Quàm impudens & falsa hæc sit calumnia, satis ex hactenus dictis patet; nihil enim prorsus divini honoris, vel etiam, ut Calvinus fingit, ullam particulam honoris Deo debiti ulli creaturæ Ecclesia assignat, vel exhibet; nec ulli aliquam tribuit cum Deo societatem, aut cæli, vel terræ administrationem, ut Deus sit arbiter inter illos si dissentiant: sed in omnibus, & per omnia ipsos esse Deo subjectos, & ministros, à Deo creatos, à Deo omnia habere, ad illius nutum in omnibus dependere, profitetur; licèt per intercessionem hujus, vel illius Sancti fideles subinde sperent se faciliùs aliquid à Deo obtenturos, non ex ipsorum potestate, vel mandato, sed per eorum humiles preces, & Dei absolutam miserendi voluntatem, & Christi merita.

Quis sanæ mentis ex his inferat, quod Ecclesia Sanctos more gentilium pro Diis colat, vel illis Deo debitum exhibeat honorem, vel tribuat potestatem? & tamen Acatholici cum suo Calvino contra clarum solem sic audent calumniari, & condemnare pium Ecclesiæ usum in S. Scriptura fundatum, & traditum.

II. Cæterùm, quo spiritu acti sic procedant, & quorum sint imitatores, patet primò, quia & Ethnici Christianis olim objiciebant, quod & ipsi præter Deum colerent Angelos, quibus SS. Patres, & specialiter S. Aug. in ps. 96. respondet: *quod Christiani Angelos colunt, sed non cultu, qui soli Deo debetur, ipsis sacrificando*, dicens: *Nisi spiritus maligni, qui sibi exigunt superbè sacrificium, & volunt se coli tanquam Deos*: & infrà: *Nonne meliùs erat, ut Angelos sanctos, quàm ut dæmones colerent?* & infrà: *Utinam ipsos colere velletis, facile ab ipsis disceretis, non illos colere*, id est, *non colere ut Deos*, sed ut ministros Dei sanctos qui non sibi, sed soli Deo sacrificari volunt.

Similiter Manichæi hæretici Catholicis improperabant dicentes, *quod idola in Martyres vertant*, quibus D. Augustinus lib. 20. contra Faustum cap. 21. sic respondet dicens: *Quod hinc nobis calumniatur Faustus, quod Martyrum memorias honoramus, in hoc dicens nos idola convertisse, non tam me movet, ut huic calumniæ respondeam*, &c. & infrà: *Cùm enim dixisset nos vertisse idola in martyres, quos votis, inquit similibus colitis, defunctorum umbras vino placatis, & dapibus*, &c. & post pauca respondet August. *populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat*, &c. ut suprà relatum est, & infrà: *Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis, & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Evangelica veritate paßionem paratum esse sentimus, sed illos tanto devotiùs* (NB) *quanto securiùs post incerta omnia superata, quanto etiam fidentiore laude prædicamus jam in vita feliciore victores, quam in ista adhuc pugnantes; at illo cultu, qui Græcè latria dicitur. Latinè uno verbo dici non potest, cùm sit quædam propriè divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum. Cùm autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificii, unde idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent, nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam Martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam Angelo, & quisquis in hunc errorem dilabitur, corripitur per sanam doctrinam sive ut corrigatur, sive ut caveatur*, &c. hæc August.

Hæc ad longum referenda duxi, ut clarè pateat Ecclesiæ Catholicæ doctrina, quæ ibi à D. Augustino est expressa: & confundantur illi, si non converti velint, qui cum Ethnicis, & Manichæis, usque modo Ecclesiam in hac doctrina calumniari non cessant.

ARTICULUS II.

Respondetur ad argumentum Authoris Anonymi primi libelli.

Advertat ante omnia candidus Lector, quod DD. Anonymi impugnantes doctrinam Catholicam non impugnent rem ipsam, quam Ecclesia docet, sed sub nomine adorationis calumniam palliare conantur; illud *adorationis* nomen usurpare volunt non in sua generali significatione, ut scriptura utitur, sed in particulari prout solum Deo debitum significat cultum, ut sic simplices audito nomine adorationis pu- I.

tent Ecclesiam Sanctis cultum Deo debitum tribuere, hoc præmisso, proponetur argumentum primi Anonymi, quod tale est.

De invocatione Sanctorum Epiphanius lib. 3. cap. 79. sic ait: *Sit in honore Maria, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus adoretur; Mariam nemo adoret, non dico mulierem, sed neq; virum, Deo debetur hoc mysterium, neq; Angeli cupiunt glorificationem; deleantur, quæ male scripta sunt in corde deceptorum, tollatur ex oculis cupiditas ligni, conuertatur rursus figmentum ad Dominum, reuertatur Eua cum Adam, Deum colat solum*, &c. Ex his Epiphanii verbis D. Anonymus sic infert: *Ecce nullam facit hic distinctionem adorationis, simpliciter negat quemcunq; adorandum, nisi Deum solum.* Hæc sunt omnia quæ iste Anonymus ex tota primitiva Ecclesia pro suo more adducit contra Ecclesiam.

II. Respondetur autem: Concedo verissima esse, quæ Epiphanius dicit, sed nego ibi venerationem vel cultum, quem Ecclesia B. Virgini exhibet, prohiberi, sed potiùs affirmari, quod ut pateat, videamus textum.

Epiphanius illo loco refert, tunc temporis duas hæreses seu sectas fuisse extremas circa B. Virginem dicens: *Extremitates*, juxta proverbium, *sunt æqualitates*, &c. *æquale est enim in utrisq; his sectis detrimentum, cùm illi quidem vilipendant B. Virginem, hi verò ultra decorem glorificent.* NB. non dicit, malè fieri, quod Virgo glorificetur, sed ultra decorem, quid autem id sit, exprimit: scilicet, quod in Arabia quædam mulieres adorabant B. Mariam ipsi offerentes colyridem, seu placentam in nomen Mariæ: ubi dicit, *harum mulierum insaniam dissipemus*: quæ scilicet ei sacrificare volebant; ubi prolixè probat, quod ab initio mundi neque in lege naturæ, nec veteri Deus ulli mulieri munus sacrificandi commiserit, sed neque in nova lege dicens: *Si mulieribus præceptum esset sacrificare Deo, aut regulare quicquam operari in Ecclesia, oportebat magis ipsam Mariam sacrificium perficere in novo testamento, quæ digne facta est suscipere in propriis finibus*, &c. *Deum*, &c. *at non complacuit*, &c. *Petrus, Andreas, Jacobus, Joannes*, &c. *hi omnes electi sunt Apostoli sacrificantes per terram. A prædictis Apostolis constituti sunt successiones Episcoporum, & Presbyterorum in domo Dei, & nusquam mulier inter hos constituta est; fuerunt autem, inquit, quatuor filiæ Philippo Euangelistæ prophetantes, non tamen sacrificantes*, &c. *& ministrarum quidem Diaconissarum appellatarum Ordo est in Ecclesia, sed non ad sacrificandum.* Et infrà agens de adoratione dicit: *Reuera sanctum erat corpus Mariæ, non tamen Deus, reuera virgo erat ipsa Virgo, & honorata, sed non ad adorationem nobis data, sed ipsa adorans eum, qui ex ipsa carne genitus est*, ecce adorationem soli Deo debitam. Et infrà: *Eximium equidem est vas, sed mulier, & nihil à natura immutata; verum & intellectu, & sensu in honore honorata, velut corpora Sanctorum, & si quid amplius ad glorificationem dixerim*, &c. Ecce venerationem & cultum duliæ, qua B. Virgo colitur, & glorificatur, postea enumerans varios Sanctos subjungit: *Maria adhuc honoratior*, &c. *& carnem induit Deus verbum ex S. Virgine, non tamen, ut adoretur Virgo, neq; ut Deum hanc efficiat, non ut in nomine ipsius offeramus, non ut post tot secula mulieres Sacerdotes, ac sacrificulas ostenderet*, & post hæc subjungit verba ab Anonymo allata: *Sit in honore Maria, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus adoretur*, & postea: *Ne comedas de ligno*, &c. *nam etsi est pulchrum lignum, sed tamen non ad cibum. Etsi pulcherrima est Maria, & sancta, & honorata, at non ad adorationem*, &c. & infrà concludit, &c. *Maria in honore sit, Dominus adoretur*, &c. hæc Epiphan.

III. Ex his evidens est quod illud, quod Epiphanius in illis stultis mulieribus damnabat, hoc Ecclesia consimiliter etiam damnet, scilicet: nulli creaturæ puræ, nec B. Virgini cultum Deo debitum exhibendum, vel sacrificandum, & quod Ecclesia B. Virgini exhibet, scilicet honorem, & reverentiam super alios Sanctos, hoc & Epiphanius profitetur, & monet: *Sit in honore Maria*, & id toties repetit, ut vitentur extremitates, ne vilipendatur Maria, nec etiam ultra debitum, & decorem honore[t]ur, id est, Deo debito cultu afficiatur, & sic adoretur; non tamen honor ut Matri Dei, & sanctissimæ ancillæ & Virgini denegetur; hunc solum cultum Ecclesia exhibendum docet. Quantopere existimaverit honorandam B. Virginem Epiphanius patet in serm. de ejus laudibus ubi dicit: *Aue gratia plena, splendidum cælum, quid dicam? quo pacto Beatam prædicabo gloriæ radicem? solo enim Deo excepto creatis superior existis*, &c. ut infrà impliùs referetur, ubi illam & mediatricem cœli & terræ appellat.

Cùm autem Anonymus dicit: *Ecce Epiphanius nullam facit adorationis distinctionem.* Respondeo negando, quia ibi in re ipsa distinguit, quæ S. Scriptura non distinguit in nomine adorationis: nam S. Scriptura, ut suprà visum est, sub eodem nomine adorationis significat cultum soli Deo debitum, & etiam honorem homini debitum, ut patet 1. paralip. 29. *Inclinauerunt se, & adorauerunt Deum, & deinde Regem*, scilicet David; an non hic adoratio distinguenda est, quæ Deo, & Regi fiebat? at Epiphanius jam distinxit vocans illam solùm adorationem, quæ soli Deo debetur; at vero cultum Mariæ exhibendum dicit honorem, & glorificationem, quæ tamen etiam aliquando in S. script. soli Deo attribuitur, aliquando hominibus, ut suprà ostensum est, & vides in verbis præfatis, quod Epiphanius distinguat glorificationem, nam dicit de B. V. *Et si quid amplius ad glorificationem dixerim*, & tamen de Angelis dicit: *Neq; Angeli cupiunt talem glorificationem*, scilicet Deo debitam, sed quia SS. Patres & Ecclesia jam nomine honoris, & gloriæ in utroque sensu utuntur, non vero nomine adorationis saltem communiter, ideo secundùm sententiam SS. Patrum & Ecclesiæ dicimus B. Virginem suprà omnes SS. sed tamen in infinitum infra Deum honorandam ut Matrem, & ancillam Dei, ac proinde non ut Deam adorandam, nec ipsi sacrificandum esse, vel ulli creaturæ, sed soli Deo trino & uni.

IV. Sincerus Lector jam videat fraudem, & calumnias Acatholicorum hujus & aliorum, qui illa, quæ Ecclesia tam clarè distinguit, & profitetur, ac ipse Epiphanius cum aliis Patribus præstat, sub nudo prætextu nominis adorationis impugnant.

Ex his velim, ut candidus Lector duo observet: Primum, quod D. Anonymus contra doctrinam Catholicam solum hunc Epiphanii locum alleget, qui clarissimè pro doctrina Ecclesiæ est; adeoque pateat ipsos testimonio piæ antiquitatis destitutos, illamque ipsis adversari.

2. Quia D. Anonymus tanti facit authoritatem Epiphanii, ut sufficiat illi pro tota antiquitate in sua causa, quem tamen falsò allegat, cur non sufficiat ipsi Epiphanius pro sacrificio in nova lege ab Apostolis, & successoribus offerri insti-

Digitized by Google

instituto, quòd ipse tam clarè in præmissis affirmat: nec effugium est quoad sacrificium laudis, labiorum & orationis, ut respondere solent, quia tale sacrificium etiam exhibent mulieres in Ecclesia, quas ipse negat esse sacerdotes, vel illis sacrificium à Christo concessum esse. Videat ergo Anonymus ad quem confugerit patronum, qui veritati Catholicæ, non illorum falsitati, & calumniæ patrocinatur.

ARTICULUS III.

Respondetur ad argumenta secundi Anonymi contra cultum Sanctorum.

I. SEcundus Anonymus, ut suprà indicatum est, inter invocationem, & adorationem Sanctorum distinguit, & illam negat à suis dici Idololatriam, hanc verò crassissimam esse dicere non veretur. Ea, quæ contra invocationem adfert, infrà examinabuntur, hîc ad ea, quæ contra cultum Sanctorum sub nomine adorationis producit, respondebimus.

Primò dicit; *Videmus vos Sanctis, Mariæ, &c. cultum divinum deferre; Mariam redemptricem, Mediatricem in præjudicium unici mediatoris vocare, imò horremus, cùm blasphemum illud Bonaventuræ obaudimus dicere ps. 72 avertatur à me ira Dei per te*, &c. & similia ibidem refert.

Respondetur negando nos ulli Sanctorum, vel ipsi B. Virgini divinum deferre honorem, ut toties tam clarè protestatus sum & ostendi.

Quod autem de redemptrice, & Mediatrice allegat, infrà respondebitur de invocatione Sanctorum.

Interim D. Anonyme ex te quæro, si, quod falsissimum est, diceremus B. Virginem redemptricem, & mediatricem, sicut Christum, an in hoc ipsi divinum deferremus cultum? quid turpiùs, & crassiùs loqueris? an ergo Christus secundùm divinitatem est redemptor, & Mediator noster? inter quos ergo Mediator est? an inter Deum & homines? an ergo secundùm divinitatem suam minor est Deo Patre? Vide, quomodo Arianismum spires, nos credimus Christum secundùm humanitatem, quâ minor est Patre, Mediatorem esse juxta illud Augustini in ps. 63. ad illa verba: *Accessit homo ad cor altum, & exaltabitur Deus*; dicit de Christo: *Accessit homo ad illas omnes passiones, quæ in illo nihil valerent, nisi esset homo, sed si ille non esset homo, non liberaretur homo*, &c.

II. Secundò plurimi Doctores docent, quòd humanitas Christi, si non esset verbo unita, sed per se subsisteret, ac proinde homo purus redemptor, & Mediator esse potuisset, si ita Deus voluisset, & talem hominem ad hoc elegisset: sed tamen tunc non fuisset ita perfecta redemptio à supposito creato, ut ex jure suo satisfecisset, sicut jam homo in persona Dei subsistens satisfecit. De hoc loquitur Augustinus lib. 13. de Trinit. cap. 3. & 13. ac specialiter lib. de Agone Christi cap. 11. edit. Basil. 1528. sic ait: *Sunt stulti, qui dicunt: Non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem*, &c. Et si tunc istum Christum hominem redemptorem purum honoraremus, an Dei cultum illi impenderemus? evidens est, quòd Christo summo modo blasphemia inferretur, si ipsum secundùm divinitatem diceremus Mediatorem: vide ergo D. Anonyme, quàm crassè fundas tuam crassissimam Idololatriam fictam in turpissima blasphemia.

Tertiò, hic Anonymus etiam suæ calumniæ patrocinium in S. *Epiphanio* quærit, dicens: *Audi Epiphanium Hæresi 69. Sancta Dei Ecclesia non creaturam adorat, sed filium genitum, Patrem in Filio, Filium in Patre cum S. Spiritu*, &c. Ex his Anonymus vult tam adorationem, quàm invocationem Sanctorum ab Epiphanio damnatam, &c. sed de invocatione infrà patebit, quòd SS. Patres, nec Epiphanius illam cum adoratione confuderint, ut ipse vult; immemor sui verbi, cùm paulò antè dixerit, invocationem ab adoratione distingui: sed quicquid sit de hoc.

Respondetur ergo, ibi *Epiphanius* loquitur de vera adoratione soli Deo debita, ut patet in contextu, cùm contra Arianos probare intendat, verbum Dei non esse creaturam, ut Ariani contendebant, unde post verba recitata, Epiphanius refert sic objicientes: *At revera inquiunt nisi dixerimus, quod creatura est imminutionem Patris facimus, creatum enim non imminuit Creatorem*, &c. III.

Vide ergo D. Anonyme: si Epiphanius ibi tantùm loquatur de invocatione, parum diceret; sed loquitur de vero Dei cultu, qui Verbo Dei exhibetur: hunc autem ulli puræ creaturæ cum Epiphanio exhibendum negamus, ut suprà satis dictum est.

Et hæc omnia sunt, quæ D. Anonymus ex quatuor sæculorum SS. Patribus allegat contra nostram Catholicam doctrinam pro suis calumniis; cùm potiùs nostram inde stabiliat. Ecce quàm longè distent Acatholici ab antiquitate, imò illi contrarientur: ut patet ex SS. Patribus pro Catholica doctrina relatis, qui tam expressis & claris verbis docent, se colere Sanctos, sed non latriâ, seu cultu divino, ut Ecclesia profitetur, illi autem nullum allegare possunt, qui hunc cultum damnet.

ARTICULUS IV.

Respondetur ad argumenta tertii Anonymi contra cultum Sanctorum.

TErtius Anonymus omnia sua dirigit contra invocationem Sanctorum, in qua tamen involvit adorationem, seu potiùs cultum Sanctorum, duo autem allegat. I.

Primum Isaiæ 42. v. 8. *Ego Dominus, hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo.* Respondeo: Hoc verissimum est, ut Ecclesia sancta profitetur, quòd Deus nulli suam gloriam, scilicet ipsi propriam, & debitam dabit: hoc enim est impossibile, quia non potest facere alium Deum, ac proinde nec alteri dare gloriam soli Deo debitam; cùm hoc tamen consistit, quòd Deus possit, & velit aliis dare gloriam creaturæ sibi gratæ convenientem ex misericordia, & gratia, ut promittit Propheta ps. 38. v. 12. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*: & 1. Reg. 2. v. 30. *Quiq; glorificaverit me, glorificabo eum*, ut suprà ostensum est; & hanc gloriam Ecclesia agnoscit in Sanctis, & secundùm hanc illos honorat.

Secundò objicit verbum Domini: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* II.

Respondeo: Hæc omnia verissima sunt, ut solus Deus cultu Deo debito honoretur, & servitium soli Deo tanquam Creatori, & absoluto omnium Domino exhibeatur; sed cùm hoc consistit, quòd Sancti à Deo electi, & glorificati honorentur, & illis obsequium, & servitus exhibeatur, quod etiam fideles in terris sibi mutuò exhibent, monente Apostolo ad Gal. 5 v. 13. *Per charitatem Spiritûs seruite inuicem*, &c. quod etsi ex his clarissimum sit, etiam D. August. epist. 66. ad Maxim. edit. Basil. 1528 locum Scripturæ sic explicat dicens: *Docere non differas, unum scilicet Deum esse solum, cui seruitus illa debetur, quæ Latria Græco vocabulo nuncupatur, ipsum enim verbum est in lege*, &c. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*, &c.

Similiter restringit cultum, & servitutem lib. 1. de Trinit. cap. 6. ead. edit. ut scilicet non quilibet cultus, vel servitus prohibeatur creaturæ fieri; sed illa, quæ soli Deo debetur, &c.

III. Tertiò dicit Anonymus: *Adde geminum illud Angeli* Apocal. 19. v. 8. & 9. ubi dicit Joannes: *Et cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum, & dixit mihi, vide ne feceris, conseruus tuus sum*, &c. *Deum adora*, &c.

Respondeo: Quid ex hoc loco D. Anonymus inferre intendit? an, quòd Angelus prohibeat se adorari cultu Deo debito? & hoc verissimum fuisset, hoc nos libenter confitemur, ut sæpius dictum est, an verò quòd voluerit prohibere sibi ullum cultum, vel honorem exhiberi tanquam illicitum? sed hoc D. Anonymus probet ex Scriptura, cùm nos ex S. Scriptura ostenderimus S. Angelum à Josue adoratum, cultu scilicet non Latriæ, &c. qui & illum admisit.

An tertiò, quia Angelus ex humilitate recusavit se honorari à Joanne, etiam cultu licito, prout D. Gregorius lib. 27. moral. cap. 11. homil. 8. in Euang. exponit, sicu & plures alii SS. Patres, quòd Angelus post Christ Adventum ob ejus incarnationem, quem in cælis adorant, ex humilitate recusarit ab homine Christi Euangelista & Apostolo honorari, etiam cultu licito, quod ante incarnationem permiserunt, quid hinc contra cultum Sanctorum licitum?

Et certè hæc expositio magis conveniens videtur, quia, si dicatur Joannem voluisse Angelo cultum divinum exhibere, certè gravissimæ Idololatriæ reus fuisset, quod in tam sancto viro non est credendum; præsertim, quia cap. 19. ab Angelo monitus iterum cap. 22. idipsum facere voluit: manifestum ergo videtur, quòd Angelum adorare voluerit cultu pio, qui sanctis Angelis exhiberi potest, & Angelus ex humilitate recusaverit.

IV. Audi etiam Augustinum lib. 1. qq. super Gen. quæst. 61. edit. cit. ubi sic ait super illa verba: *Exurgens Abraham adorauit populum terræ, quæritur quomodo scriptum sit: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Cùm Abraham sic honorauerit populum terræ, ut etiam adoraret, sed animaduertendum est, in eodem præcepto non dictum Dominum Deum tuum solum adorabis, sicut dictum est, & illi soli seruies, quod est Græcè* λατρεύσεις *talis enim seruitus, non nisi Deo debetur*, &c. *Nec moueat quod alio loco in quadam Scriptura prohibet Angelus hominem adorare se, & admonet, ut Dominus potiùs adoretur, talis enim apparuerat Angelus, ut pro Deo posset adorari, & ideo fuerat corrigendus adorator*, &c.

Quartò dicit Anonymus: *Lege Epiphanium hæres.* 79. *Reuera inquit, Virgo erat ipsa virgo, & honorata, sed non ad adorationem nobis data.*

Respondeo: Hæc & alia verba suprà ex S. Epiphanio allata sunt, & ad ea responsum.

Respondeo ergo, quòd Epiphanius ibi doctrinam Catholicam tradat per verba *honorata*, &c. per quæ significat B. Virginem colendam cultu Sanctorum gloriæ convenienti; sed negat illam adorandam cultu divino, quod & nos negamus.

Videat Lector, quòd in unico Epiphanio asylum suum Anonymi constituant, unde confundantur.

Demum ait: *Distinctionem vestram latreias, Douleias, Hyperduleias, uti nouum inuentum ignorauit pia vetustas.*

V. Respondeo: Si pia vetustas ista nomina prorsus ignorasset, uti modò in Ecclesia usurpantur; quid inde? an ideo rem ipsam ignoravit? etiam ante Concilium Nicænum nomen Homusion pia vetustas in sensu Concilii ignoravit, an ergo rem ipsam?

Respondeo secundò: Non ignoravit pia vetustas illam distinctionem, prout vel ex Augustino uno sæpius hactenus audisti; qui lib. 20. contra Faustum cap. 21. dicit. *Sanctos colimus eo cultu, quo & sancti homines in hac vita coluntur, at vero illo cultu, qui Græce Latria dicitur, cùm sit quadam Deo debita seruitus, non colimus nisi unum Deum.* Ecce D. Anonyme distinctionem Latreias ab alio cultu Sanctorum, quem jam Ecclesia duliam vocat; ut meliùs distinguatur vox cultus, quæ in generali omnem cultum significat, ut suprà ex S. Scriptura, & SS. Patribus ostensum est; licèt, ut Augustinus notavit, vox Latria ut plurimùm cultui divino applicetur. Cur ergo non licuit Ecclesiæ cultum verum, & licitum à SS. Patribus assertum, sed dictum non Latriam negativè, proprio nomine appellare duliam; quia in hac significatione, pro cultu Sanctis licito, & convenienter usurpatur: at verò humanitas Christi excellit omnes Sanctos, & post ipsum B. Virgo Maria, cur cultum illis debitum non liceat Hyperduliam nominare? quid hîc mali? quid hîc erroris? quid hîc contra piam vetustatem?

Videat candidus Lector, quòd hic Anonymus contra cultum Sanctorum, quem invidiosè adorationem vocat, nihil ex pia vetustate quoad rem ipsam adferat, sed solùm in nova vocis significatione calumnias suas defendere conetur.

CONCLVSIO.

I. Ex hactenus dictis patet primò, quòd Ecclesia Catholica credat dari certum cultum, qui soli Deo ob suam infinitam excellentiam, & absolutum in omnes creaturas dominium debeatur, quique nulli puræ creaturæ exhiberi possit; & hunc cum S. Augustino, & aliis Ecclesia cultum latriæ vocat.

Secundò, quòd alius sit cultus debitus illis creaturis intellectualibus, quæ in Dei gratia existunt; vel jam à Deo gloriam cælestem ex gratia consecutæ sunt, quos Deus se glorificaturum promisit: talem honorem dicit Ecclesia esse distinctum ab illo honore, qui alicui homini ob excellentiam civilem, vel politicam debetur, ut suprà etiam ex S. Scriptura probatum est, &

hunc

Digitized by

hunc vocat duliam. Hunc honorem, & cultum Sanctis exhibendum esse probatum est ex S. Scriptura, & ex SS. Patribus.

Tertiò docet, & credit Ecclesia, quòd iste Sanctorum cultus tantùm differat à cultu Deo debito, quantùm differt Deus, & creatura saltèm objectivè, ita, ut nunquam ulli creaturæ quantumvis excellenti creabili cultus divinus, vel etiam minima illius particula exhibenda sit.

Quartò constat, quòd Ecclesia SS. Angelos non adoret, vel colat cultu divino, cùm potiùs ideo illos honoret, quia Lucifero cum Angelis suis Dei æqualitatem impiè concupiscenti restiterunt, & soli Deo subjecti esse voluerunt.

Quintò, *colit B. Deiparam Virginem*, quia ipsa electa, & facta Mater Dei, nihil sibi ex se tribuit, sed omnem gratiam Deo acceptam retulit, seque humillimam Dei Ancillam pronunciavit, & jam per Dei gratiam supra omnes Angelos est exaltata.

Similiter *colit SS. Martyres*, eo quòd ad mortem usque pro gloria soli Deo exhibenda certarunt contra omnes falsos Deos qualescunq; &c. Quâ ergo fronte & quâ audaciâ Acatholici Ecclesiam Catholicam Idololatriæ condemnant, dum hoc modo, & ob has causas SS. Angelos, B. Virginem, & Martyres, aliosque Sanctos colit, & honorat?

II. Hoc autem facilè conjiciendum, quòd sicut maligni Spiritus invident SS. Angelis & Martyribus honorem, & gloriam, quam dedit illis Dominus, ac inter alios Ethnicos Julianus apostata invidebat, qui videns Martyres à Christianis honorari, ut hunc illis honorem auferret, sub aliis quæsitis falsis causis, ipsos morte plectere studebat, prout Chrysostomus serm. in Juventium & Maximum Martyres de illo refert, quòd dixerit: *Non triumphos, victorias, & coronas illis parabimus, sed quid facit?* & intrà: *Fingebat quoque & alias causas varias, sed nihil profecit*: sic etiam Acatholici sub titulo zeli divini cultûs volentes Sanctorum gloriam abolere, nec proficient, nec calumniæ eorum prævalebunt.

Demum patet ex prædictis, qualiter Ecclesia primæva, & SS. Patres cultum Sanctorum usurparint; è contrà quòd nullum evidens testimonium ullius sancti Patris ab Acatholicis contra hunc cultum Sanctorum allatum sit, vel adferri possit.

Adorat igitur Ecclesia Deum trinum, & unum solum cultu latriæ, & Deo debito; veneratur Sanctos cum Christo regnantes, ob gloriam ipsis à Deo collatam, & ut Dei amicos, Ministros, & fidelissimos servos: maledicti, qui Dei cultum creaturæ tribuunt; maledicti etiam, qui honorem Sanctis à Deo collatum negant, & contemnunt.

***

ANTITHESES,

In quibus Ecclesiæ Catholicæ modernæ Romanæ quoad doctrinam de cultu Sanctorum secundum sacram Scripturam cum sanctis Patribus primitivæ Ecclesiæ conformitas, & Acatholicorum difformitas proponitur.

Primò *SS. Patres docuerunt* Sanctos cum Christo viventes, & regnantes esse venerandos, & colendos non ut Deos, vel propter suam absolutam excellentiam à Deo independentem, quam non habent, sed ut Dei amicos, & fidelissimos servos, qui usque ad mortem Deum solum supra omnia colendum crediderunt, qui à Deo gloriam & honorem per Christi merita sunt adepti, quos Deus ipse se glorificaturum promisit, ut ex S. Scriptura constat. *Ita etiam docet Ecclesia.* I.

Acatholici Ecclesiam Idololatriæ arguunt, quòd hoc modo Sanctos veneretur, & honoret, volentes contra apertum solem Ecclesiæ imponere, quòd Sanctis soli Deo debitum cultum impendat.

2. *SS. Patres docuerunt*, quòd cultus Sanctis exhibitus sit, & dicatur aliqualiter religiosus, ita tamen, ut à cultu Deo debito tantùm differat, quantum distat honos creaturæ à Deo concessus, à cultu soli Deo debito; ita, ut ne quidem ipsi Christi humanitati propter suam propriam excellentiam cultum latriæ, vel soli Deo debitum tribuendum doceant. *Ita etiam docet Ecclesia.*

Acatholici volunt, quòd omnis, qualiscunque cultus religiosè creaturæ exhibitus sit latriæ, & soli Deo debitus, sed absque ullo sacræ Scripturæ, vel SS. Patrum testimonio, sed potiùs contrà: alioquin & humanitati Christi propter se nullus religiosus cultus exhibendus esset.

Tertio, *SS. Patres docuerunt*, quòd soli Deo sacrificandum sit, ac templa pro sacrificio Deo offerendo erigendo erigenda; at verò Sanctis non sacrificarunt, nec illis templa posuerunt, ut in illis sacrificetur illis, sed in memoriam, & honorem Deiparæ Virginis, Apostolorum, & Martyrum Basilicas condiderunt, ut in illis Sancti honorentur, tanquam servi Dei ad mortem fideles; *Ita etiam docet & facit Ecclesia.* II.

Acatholici in his Ecclesiam Idololatriæ damnant, & summa cum impudentia negant in primitiva Ecclesia id factum esse.

Quartò, *SS. Patres & Ecclesia primitiva celebrarunt* festa Apostolorum, & Martyrum ad illorum memoriam, & honorem, & ut fideles ad illorum imitationem excitentur, & precibus adjuventur. *Ita etiam Ecclesia moderna.*

Acatholici id Idololatriæ arguunt, & piæ vetustati id incognitum fuisse turpissimè, & falsissimè asserunt, cùm vel ex solo Augustino lib. 20. contra Faustum c. 21. suprà allegato pateat, cùm dicit: *Populus Christianus Martyrum memorias religiosa solennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut orationibus eorum adjunetur*, &c.

Quintò, *SS. Patres juxta S. Scripturam* sanctiss. Dei-

Deiparam Virginem Mariam prædicarunt esse Reginam & Dominam, Cherubim, & Seraphim, ac omnibus Angelis excellentiorem, honoratiorem, solo Deo excepto, cunctis superiorem, ac omni honore creaturæ convenienti esse dignam ac colendam. *Ita etiam prædicat ecclesia.*

Acatholici impudentissimè negant SS. Patres sic B. Virginem laudasse, & hunc honorem Idololatriæ damnare non erubescunt.

CAPUT IV.

De invocatione Sanctorum.

ARTICULUS I.

Referuntur errores Acatholicorum.

I. HIc erat Articulus Acatholicis ad probandum propositus, *quod Idololatria sit invocare sanctos Apostolos, vel alios SS. Martyres pro Fide Christi passos, ut pro nobis orent.*

Circa hunc primus Anonymus nihil adduxit, nisi locum Epiphanii contra venerationem Sanctorum, quam ipse adorationem vocat, ad quod præcedenti capite responsum est.

Secundus Anonymus distinguit invocationem Sanctorum contra adorationem; profitetur illam non esse Idololatriam, nec à suis sic vocari, sed tantum per illam injuriam fieri Christo, esse actionem vanam, & inutilem, destitui mandato Dei, & praxi Apostolorum, & primitivæ Ecclesiæ, allegans ad hoc Justinum, & Tertullianum, sed potissimùm remittit ad Schulter. Molinæum, &c. ut ibi authoritates SS. Patrum videantur.

Tertius Anonymus absolutè condemnat invocationem Sanctorum Idololatriæ; argumenta infrà referentur, & confutabuntur: interim candidus Lector advertat, quòd isti tres anonymi inter se differant.

Aërius olim ab Ecclesia hæreseos damnatus, inter alia negabat invocandos sanctos Martyres, de quo Pareus Calvinista in commentario ad Epist. ad Rom. cap. 13. dub. 7. sic ait: *Quod vero Aërius de invocatione Sanctorum sese opposuit, in eo non hæreseos, sed Evangelii doctrinam defendit.*

Vigilantius postea Anno 400. hanc negabat dicens: *Dum vivimus mutuo pro nobis orare possumus, postquam autem mortui fuerimus, nullius pro alio exaudienda est Oratio.* Ita refert Hieronymus lib. contra Vig lant. cap. 3. ex quo sequitur, quòd, si non orent pro nobis, nec invocandi sint.

Hunc secuti sunt Anno 1200. *Waldenses*, & postea *Wicleff*, ut patet in ipsius Dialogo cap. 30.

II. *Lutherus* autem manifestiùs, & impudentiùs virus suum evomuit serm. de natali de B. Virginis Mariæ dicens: *se non pluris æstimare preces B. Mariæ, quàm cujuslibet e populo, propterea quod omnes simus æque justi, & sancti*, &c.

Similiter de S. Petro in postilla majore Dominica à Trinitate 7. procedit dicens: *D. Petri merita ne ipse quidem redimerem, quomodo enim mihi auxiliaretur, cùm neq; sibi ipsi tulerit opem.*

Quia tamen cum his Lutheri dicteriis adhuc dubitari poterat, an Sancti pro nobis orarent, Lutherani se declararunt in Apologia confess. Aug. ubi dicitur: *De Sanctis etsi concedimus, quod sicut vivi orent pro Ecclesia universa in genere, ita in cælis pro Ecclesia orent in genere*; ubi falsò & per contemptum addunt: *Tametsi testimonium nullum de mortuis orantibus extet in S. Scriptura, præter illud somnium ex Machabæorum posteriore*, &c. hæc illi.

Verùm negant exinde sequi, quòd liceat illos invocare. Ita *Confess. Saxonica* art. 12.

Catechismus Heidelberg. quæst. 9. absolutè respondet: *Invocationem Sanctorum esse Idololatriam.*

Calvinus lib. 3. Inst. cap. 20. §. 20. sic ait: *Porro merum est nugamentum, quod balbutiunt Sophistæ* (ecce arrogantiam) *Christum esse redemptionis Mediatorem, fideles autem intercessionis*, &c. ubi multa alia effutit, sed quàm falsò infrà patebit. III. Demum post multa §. 24. ait de Sanctis: *Nequaquam probabile est, variis & particularibus votis huc illuc circumferri* (Sanctos) *sed potiùs stata, atq; immota voluntate in Dei regnum aspirare, quod non minùs impiorum interitu, quàm fidelium salute constet*, & infrà: *Tametsi in hunc modum pro nobis orare concedam*, &c. *multo minùs à nobis ideo invocandi erant.* Et infrà: *Quis tamen eo usq; longas illis esse aures revelavit, quæ ad voces nostras porrigantur; oculos etiam tam perspicaces, qui necessitatibus nostris advigilent; nugantur quidem in suis umbris* (sic Sanctos vocat) *nescio quid de fulgore divini vultûs ipsos irradiante, in quo ceu speculo res hominum ex alto despiciant*, &c. hæc modestus Calvinus, quem sui sectantur, quorum aliqui concedunt cum illo, Sanctos in genere orare pro Ecclesia, alii id etiam negare videntur.

ARTICULUS II.

Refertur & declaratur doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa invocationem Sanctorum.

DOctrina Catholica suprà cap. 1. art. 2. ex Concil. Tridentino sess. 25. ac professione Fidei recitata est, pro cujus meliore intelligentia aliqua quoad verba, aliqua quoad rem ipsam observanda sunt. I.

Primò, quoad nomen *Mediatoris, & Advocati, ac Salvatoris*, &c. sicut etiam quoad verba, *salvare, salvos facere, intercedere, interpellare, misereri, & invocare*, &c. Constat quòd, ut suprà notatum fuit, omnes voces ex instituto hominum, & usu significent, nec ultra intentionem utentium currant: ita, ut, si de intentione loquentis constet, parum in verbis sit laborandum, etsi meritò juxta communem modum illis utendum sit.

Secundò constat, quòd prædictis vocibus tam S. Scriptura, quàm SS. Patres in diverso sensu utantur, ut aliquando soli Deo applicentur, aliquando etiam hominibus. Vocem *salvum facere, vel salvare* sæpius S. Scriptura soli Deo attri-

Digitized by Google

attribuit, seu Christo, ut Matt. 1. v. 21. *Vocabis nomen ejus Iesum, ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum*. Et Angelus ad pastores: *Natus est nobis Saluator*, &c. similiter 1. Tim. 2. v. 5. dicitur: *Vnus est Mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus*, item 1. Joann. 2. v. 1. *Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum*, &c. imo Christus Matt. 13. v. 8. prohibet, ne discipuli vocentur magistri, dicens: *Quia unus est Magister vester Christus*: nec Patres: *Quia unus Pater in calis*.

Similiter Christo tribuitur, quòd *interpellat pro nobis* Rom. 8. v. 34. Hebr. 7. v. 15. Iterum *inuocare* Deo tribuitur, ut passim in S. Scriptura præsertim in ps. 4. *Cùm inuocarem, exaudiuit me Deus justitiæ meæ*. Et ps. 49. v. 15. *Inuoca me in die tribulationis*, &c. sic & Deo tribuitur, quòd ei *proprium sit misereri, & parcere*. Sic in ps. 50. *Miserere mei Deus*.

II. 3. Nihilominus eædem voces etiam à S. Scriptura hominibus applicantur, nam Paulus de Moyse ad Gal. 3. v. 19. dicit: *Lex per Moysen data est, & ordinata per Angelos in manu Mediatoris, Mediator autem unius non est, Deus autem unus est*. Et Hebr. 8. v. 6. & 9. v. 15. & 12. v. 24. vocat Christum novi testamenti Mediatorem, ubi de Moyse supponit, quòd antiqui testamenti *Mediator* fuerit, cùm consummasset tabernaculũ, &c. subjungit de Christo: *Nunc autem melius sortitus est ministerium, quanto & melioris testamenti mediator est*, &c. Et Moyses de se ipso Deut. 5. v. 5. dicit: *Ego sequester, & medius fui inter Dominum, & vos*. Quid hoc est aliud, quàm mediator?

Quoad verbum *inuocare* similiter Jacob Gen. 48. v. 16. sic ait: *Inuocetur super eos nomen meum, nomina quoque Patrum meorum*, &c. super quæ August. lib. 1. locut. de Gen. sic ait: *Notandum est non solùm exauditionem, sed etiam inuocationem aliquando dici, quæ non Dei, sed hominum sint*, &c.

Similiter *interponere* se inter Deum & homines proprium munus est mediatoris, & majus videtur, quàm interpellare, vel intercedere, & tamen Deus Ezech. 22. v. 30. dicit: *Quæsiui de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra*, &c. sic etiam Judic. 3. v. 15. dicitur *de Domino, qui suscitauit eis* (filiis Israël) *Saluatorem vocabulo Aod*: sic & Job 19. v. 21. dicit: *Miseremini mei saltèm vos amici mei*, &c. Iterum non obstante illo Christi verbo Matt. 23. *Prædicantes volunt nominari, & esse Magistri, & Patres*.

Demum, quod maximum videtur, etiam *saluare*, vel *saluum facere* hominibus tribuitur, sic Apostolus de se ipso dicit Rom. 11. v. 14. *Ministerium meum honorificabo, & si quomodo, & saluos faciam aliquos ex illis*, &c. Et 1. Cor. 9. v. 22. *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem saluos*. Et 1. Tim. 4. v. 16. *Hoc enim faciens, & te ipsum saluum facies, & eos, qui te audiunt*. Quis Acatholicorum nos non argueret blasphemiæ, si sic de homine quicquam loqueremur? quid gravius videtur dici, quàm quòd homo videatur Deum cohibere, & tamen Exod. 32. v. 10. dicit Dominus ad Moysen: *Dimitte me, ut irascatur furor meus, & deleam eos*, &c. & v. 32. *Dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo*, &c. Ecce qualis interpositio, & interpellatio, si hoc de B. Virgine diceretur, blasphemia esset, &c. Josue 10. v. 14. *Non fuit antea, nec postea tam longa dies obediente Domino voci hominis*, &c. III.

Observandum demum, quòd, licèt has voces sic indifferenter subinde Deo, subinde hominibus Scriptura applicet, non tamen in eadem significatione, seu quoad rem ipsam: ut patebit, adeóque non in vocibus, sed quoad rem ipsam agendum est.

CAPUT V.

De oratione Sanctorum pro hominibus.

ARTICULUS I.

Quòd sancti Angeli & homines mortui cum Christo regnantes pro nobis non tantùm in genere, sed etiam in particulari orent, ostenditur ex S. Scriptura.

I. De SS. Angelis Zach. 1. v. 11. ubi dicitur: *Isti sunt quos misit Dominus, ut perambulent terram, & responderunt Angelo Domini: Perambulauimus terram, & ecce omnis terra habitatur & quiescit, & respondit Angelus Domini, & dixit: Domine exercituum usquequo tu non misereberis Ierusalem & urbium Iuda*, &c. An non hìc patet, quòd Angeli soliciti sint pro hominibus & à Deo missi? & Angelus ille non tantùm in communi pro Ecclesia, vel malorum interitu vel fidelium salute orat, ut dicit Calvinus suprà, sed in particulari pro redemptione Jerusalem, & urbium orabat.

Similiter *Angelus Raphael* Tob. 12. v. 12. dicebat Tobiæ: *Quando orabas cum lachrimis*, &c. *ego obtuli orationem tuam Domino*, &c. Ecce in singulari Raphaël oravit pro Tobia, hoc enim est, quod orationem obtulit, scilicet suas preces Tobiæ precibus jungendo, non quasi Domino aliàs ignotæ essent. Sic de Moyse Exod. 19. v. 8. dicitur: *Cùmq; retulisset Moyses verba populi ad Dominum*, &c.

Similiter ps. 90. *Angelis suis mandauit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*. Et Christus Dominus: *Angeli eorum semper vident faciem Patris*. Unde Justinus Martyr in quæstionibus ad orthodoxos quæst. 30. pag. 319. edit. Hier. 1592. Commel. dicit: *Quemlibet hominem sequitur Angelus custos, ut sacræ docent literæ*, &c. igitur, qui talem de hominibus in particulari curam habent, an non & pro ipsis Deum orant ut juventur.

Item Apoc. 8. v. 3. & 4. *Angelus stetit ante Altare habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum*, &c. *& ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo*, &c. Quid hìc aliud quàm preces Sanctorum Deo obtulerunt suas jungendo? cùm alioquin Deus per se optimè illas norit.

His convictus Calvinus suprà §. 23. concedit Angelos orare, & intercedere pro hominibus, II.

sed negat inde idem sequi quoad Sanctos mortuos: cùm tamen Christus dicat de illis: *Erunt sicut Angeli Dei in cœlo*. Matt. 22. v. 30. Et Calvinus sibi contradicit, cum §. 21. velit injuriam Christo fieri dicendo, quòd Sancti pro nobis intercedant. Sic etiam injuria fieret Christo, si id de Angelis dicatur.

Idem probatur de hominibus sanctis mortuis ex veteri testamento. Jerem. 15. v. 1. Propheta ait: *Dixit Dominus ad me: Si steterit Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum*; unde patet, quòd Sancti mortui poterunt orare, & orabant pro populo, licèt ob malitiam populi tunc non audiebantur.

Similiter 2. Machab. ult. v. 12. Judas refert sibi in visu apparuisse Oniam manus protendentem orare pro omni populo Judæorum, & v. 13. apparuisse alium virum, de quo Onias dixit: *Hic est, qui multum orat pro populo*, &c. *Ieremias Propheta Dei*, &c. Hanc autem visionem sub somnii titulo contemnere, à viro tamen sancto relatam in S. Scriptura, quam & tanta victoria secuta est, temerarium nimis est: sic enim omnes visiones Prophetis & Apostolis factas blasphemè sub titulo somnii contemni possent. Licèt autem Acatholici librum non admittant, S. Ecclesia antiqua illum admisit.

Tertiò, sicut Apoc. 8. de Angelo dicitur, sic cap. 5. v. 8. dicitur de 24. senioribus: *Ceciderunt coram Agno, habentes phialas aureas plenas odoramentis, quæ sunt Orationes Sanctorum*, quas scilicet Deo offerebant.

III. Quartò. In *symbolo Apostolico* dicimus: *Credo in Spiritum Sanctum*, &c. *Sanctorum communionem*, quæ non tantùm est fidelium in terris: sed multò magis cum Sanctis in cælo cum Christo regnantibus: ut patet ad Ephes. 2. v. 19. *Estis cives Sanctorum, & domestici Dei*, & ad Hebr. 12. v. 23. *Accessistis* (dicit fidelibus in terra) *ad Sion montem, & civitatem Dei viventis, Ierusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum*, &c. Si ergo sit communio inter fideles in terra, & Sanctos in cælis, adeóque unius Christi Corporis membra, utique etiam Sancti in cælis, scientes infirmitatem fidelium, multò magis pro ipsis orabunt.

Iterum Dives epulo in inferno recordabatur fratrum suorum, & pro ipsis orabat Luc. 16. an non ergo multò magis Sancti in cælis recordabuntur suorum in terris, ut pro ipsis orent, non tantùm pro iis, quibus tunc conjuncti fuerunt, sed quibus jam cum Deo magis conjuncti sunt per veram charitatem. Cæterùm fideles viventes pro se invicem orant, imò jubentur orare. *Orate pro invicem, ut salvemini* Jacobi 5. v. 16. Et Christus in oratione vult ut pro aliis oremus, dicendo: *Dimitte nobis debita nostra*; An ergo minor erit charitas Sanctorum; vel illos dedecet orare pro fidelibus?

Demum Apocal. 6. v. 10. Animæ Sanctorum clamabant: *Vsquequo Domine sanctus, & verus, non judicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra?* &c. si ergo recordentur impiorum in particulari, qui illos occiderunt, & justo zelo vindictam petunt: quantò magis ex perfecta, quam jam habent, charitate, recordantur fidelium, ut pro illis miserendis solicitent? si nullam aliam, quod tamen falsum est, haberent notitiam de fidelibus in terra.

Nec valet, quod Calvinus ex suo cerebro pronuntiat dicens: *Nequaquam probabile est* (Sanctos) *variis & particularibus votis huc illuc circumferri, sed stata potiùs, & immota voluntate in Dei regnum aspirare*, &c. IV.

Respondeo enim, unde Calvino hæc probabilitas, an quia Sanctis nulla sit solicitudo de nobis? hoc falsum ex prædictis patet; an ex eo, quòd sit contra beatitudinem Sanctorum, ut insinuat, quasi voluntas eorum à Deo averteretur, si pro hominibus orent vel soliciti sint? nunquid de Angelis hoc concedere debet sacrâ Scripturâ urgente, quibus Deus mandavit de nobis, ut soliciti sint, qui curam habent parvulorum, & tamen immotâ voluntate in Dei regnum aspirant, Dei Patris faciem semper vident, quid ergo hoc Sanctos magis impediet; qui æquales & similes in gloria sunt Angelis Dei?

An humanitas Christi in dextera sedens huc illuc non circumfertur ad vota, & preces fidelium pro nobis semper interpellans? & tamen immotâ voluntate manet in Deo in Dei Patris absolutum beneplacitum resignans, quæ simul consistunt.

Hæc ex sacra Scriptura sufficerent, ut tamen veritas magis pateat, & quòd pia antiqua Ecclesia eandem docuerit, ex sanctis Patribus demonstrabitur.

ARTICULUS II.

Doctrina Ecclesiæ Catholicæ de oratione Sanctorum ostenditur ex praxi antiquæ Ecclesiæ.

I. PRaxis antiquæ Ecclesiæ constat primò ex *Liturgiis* variarum Ecclesiarum, non solum Romanæ, sed & Orientalium, ut Hierosolymitanæ, Constantinopolitanæ, & Æthiopiæ ab Apostolis conscriptis, de quibus libro de sacrificio Missæ. In his sæpius fit mentio de oratione Martyrum, quorum precibus, & intercessione Deus dignetur Ecclesiam protegere, &c. & sic Ecclesiæ Orientales usque in hunc diem observant, asserentes se ab initio Ecclesiæ, & sanctis Patribus sic accepisse: ubi objici non potest seductio Romani Pontificis, à cujus obedientia illæ Ecclesiæ ab 800. annis & ultrà recesserant; sufficiat testimonium duorum.

Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus Anno 1580. in suo ad Acatholicos Germaniæ responso cap. 21. sic ait: *Mediatores facimus omnes Sanctos, imprimis autem & excellenter ante alios omnes ipsam Dei genitricem Virginem Mariam, secundùm hanc autem, atque secundùm Angelorum, atque aliorum Sanctorum choros, templis, donariis, supplicationibus, sacris imaginibus eorum non proprio Dei cultu* (NB) *sed relatè & consideratione quadam ad ipsa Exemplaria honorem facimus, eisque adnoluimur*, &c. & infrà: *Nam & hac*

Digitized by Google

hac mediatio quadam est, cùm Angeli, aliique Sancti, atq; adeo non minùs ipsa mundi Domina pro nobis exorat, &c. hæc ille.

Similiter Gabriel Alexandrinus Anno 1595. in Epist. ad Clement. VIII. sic scribit: *Deum altissimum rogemus, ut Ecclesia sit unica Catholica, & Apostolica sine diuisione, & separatione precibus sanctissima Domina Maria semper Virginis, & optimomorum Patrum nostrorum Sanctorum Apostolorum,* &c. hæc ille, jam videamus Concilia antiqua.

In Concilio Chalcedonensi, quod est quartum generale, extat Epistola Episcoporum Europæ ad Leonem Imperatorem, ubi sic scribunt: *Sanctissimum Proterium in choro, & ordine sanctissimorum Martyrum ponimus, & ejus intercessione misericordem, ac propitium Deum habere postulamus,* &c.

Item in ipso Concil. Chalced. Art. 11. edit. Colon. 1538. dicunt Patres: *Flauianus post mortem viuit, Martyr pro nobis oret.*

Similiter *Synodus 6. generalis* cap. 7. sic monet: *Solo Deo adorato, inuocet Christianus Sanctos, ut pro se intercedere apud diuinam Majestatem dignentur.*

Synodus 7. generalis quæ est *Nicæna* 2. act. 6. sic profitetur: *Cum timore Dei omnia agamus, postulantes intercessiones incontaminatæ Deiparæ, & semper Virginis Dominæ nostræ Mariæ, item sanctorum Angelorum, omniumque Sanctorum,* &c. & hæ omnes Synodi in Græcia celebratæ sunt, ex quibus patet antiquæ Ecclesiæ praxis quoad intercessionem, & invocationem Sanctorum.

ARTICULUS III.

Eadem veritas probatur ex sanctis Patribus Græcis.

I. IRenæus lib. 5. contra hæres. antiquissimæ Ecclesiæ Pater, & Martyr, auditor Polycarpi discipuli sancti Joannis, qui floruit Anno 150. cap. 19. edit. Colon. 1596. sic ait: *Sicut illa* (Eva) *seducta est, ut effugeret Deum, sic hæc* (scilicet Maria) *suasa est obedire Deo uti Virginis sua, Virgo Maria fieret aduocata,* &c.

Similiter Origen. hom. 16. in Josue edit. Basil. 1557. *Ego,* ait, *sic arbitror, quod omnes illi, qui dormierunt ante nos, Patres pugnent nobiscum, & adjuuent nos orationibus suis,* &c.

Idem Hom. 3. in cant. eâd. edit. *Omnes Sancti,* inquit, *qui de hac vita decesserunt, habentes adhuc charitatem erga eos, qui in hoc mundo sunt, si dicantur curam gerere salutis eorum, & juuare eos precibus suis, atq; interuentu suo apud Deum, non erit inconueniens: Scriptum namq; est in Machabæorum libris ita: Hic est Hieremias Propheta Dei, qui semper orat pro populo,* &c. hæc ille.

Idem homiliâ 3. in diversos eâdem edit. sic ait: *Bene & secundùm voluntatem Dei eorum* (NB) scilicet innocentûm) *memoriam sancti Patres celebrari mandauerunt sempiternam in Ecclesiis, velut pro Domino morientium, velut pro Iudæis, & gentibus credituris, vel etiam pro ipsis parentibus, quorum parentes præ nimio dolore percutiebantur, ut eis intercessio filiorum apud Deum plurimum profuisset,* &c. hæc ille.

II. *Eusebius Alexand.* circa Annum 260. Hom. de Sanctis colendis, *Ob hanc causam,* inquit, *præcepit nobis celebrare memorias Sanctorum, ut acceptis hymnis, & laudibus auditis, benignum Deum exorent, ut preces nostras caducas admittat,* &c. quid clariùs dici posset?

Euseb. Cæsar Anno 320. lib. 6. Eccles. Histor. c. 5. edit. Basil. 1549. recensens Martyrium Potamienæ refert, quòd *Basilides* unus ex satellitibus alios in Martyrem petulantes cohibuerit, sic ait: *At illa religiosum viri votum erga se & propositum humanitatis amplexa; certus esto, inquit, quod, cùm abiero ad Dominum meum, sine mora bonis hujus tibi remunerationem parabo,* & infrà: *Non multis autem post diebus Basilides,* &c. *quod esset Christianus, & hoc publice fatebatur,* &c. *vinculis traditur. Tum vero visitantibus eum nostris, & causam subitæ ac laudabilis permutationis inquirentibus, dixisse traditur: quod Potamiena post tertium diem martyrii sui assistens coronam capiti suo imposuerit dicens: Deprecatam se pro ipso Dominum, & impetrasse, ut secundum quod scriptum est; qui recipit Martyrem, mercedem martyris consequetur; quibus auditis confestim fratres Dominicum ei signum tradunt, & die postera ob Domini martyrium capite plectitur,* hæc Euseb. tantæ authoritatis Pater, quid clariùs de cura Sanctorum, & precibus pro vivis dici posset?

Athanasius Anno 340. Epistolâ ad Felicem Papam: *Vos igitur periclitantibus subuenite, leges imponite, ut Apostolica doctrina, quæ in Deo est, cito ad victoriam judicium valeat pertrahere nostrum, nosque Apostolorum Principe suffragante Petro ab imminentibus periculis liberare,* &c. hæc ille. III.

Idem *Athanasius* in Euangelio de S. Deipara edit. Parisiens. 1581. sic ait: *Quandoquidem ipse Rex est, qui natus est ex Virgine, idemque & Dominus, & Deus, ea propter & Mater, quæ eum genuit, & Regina, & Domina, & Deipara proprie & vere censetur,* &c. & infrà: *Ad te clamamus, recordare nostri sanctissima Virgo,* &c. *Aue, gratia plena, Dominus tecum, beatam te prædicant omnes Angelorum, & terrestrium Hierarchiæ, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui,* &c. *intercede Hera, & Domina, & Regina, & Mater Dei pro nobis.*

Cyrillus Hierosolymitanus Catechel. Mystag. 5. edition. Colon. 1564. dicit: *Cùm hoc sacrificium offerimus, postea facimus mentionem, primùm etiam eorum, qui ante nos obdormierunt Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus Orationibus illorum, & deprecationibus suscipiat preces nostras,* &c. hæc ille. Quàm clarum de antiquæ Ecclesiæ praxi testimonium.

Basilius Magnus Hom. 20. in 40. Martyres, *Hi sunt,* ait, *qui nostram obtinentes regionem, quasi quædam turres contra aduersariorum incursum refugium exhibent.* Et infrà: *Sæpe operam dedistis, sæpe laborastis, ut unum pro vobis orantem inueniretis, quadraginta hi sunt, unam Orationis emittentes vocem,* &c.

Item ibid. de 40. Martyribus: *O cuneum inexpugnabilem, O communes humani generis custodes, optimi curarum socii,* &c.

Idem in Epistola ad Julianum Apostatam sic profitetur; *Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem, Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum unum Deum, hac tria adoro & glorifico.* Et infrà: *Suscipio vero tot SS. Apostolos, Prophetas,* Mar-

Martyres, qui pro me apud Deum supplicant, quod per illorum mediationem propitius mihi sit Deus noster, &c.

Gregorius Nazianz. orat. funebri in Athanasium quæ est 13. edit. Basil. 1550. ait: *Athanasius in bona senectute vitam finiuit,* &c. & infrà: *Tu autem è supernis propitius nos respice, & populum hunc sanctum dirige.* &c. *& nos in pace quidem foue, & compasce: in certamen autem dirige, & suscipe, & cum te ipso statue.*

IV. *Epiphanius* serm. de laud. S. Deiparæ: *Dicam de sola Deipara quatenus assequor. Gabriel ait: Aue gratiâ plena, quæ es urna aurea continens manna caleste. Aue gratia plena splendidum cælum,* &c *quid dicam? quid proloquar? quo pacto beatam prædicabo gloriæ radicem? solo enim Deo excepto, cunctis superior existis, formosior es Cherubim, & Seraphim,* &c. *ipsa enim est cæli & terræ* MEDIATRIX (NB) *quæ unionem naturaliter peregit,* &c. hæc ille.

Idem Epiphan. in vita Isaiæ edit. Basil. 1560. *Cæterum quandoquidem Isaiæ propheta istud acceptum referunt, in perennem ejus rei memoriam populus accuratè Prophetam istic solo cum gloria & honore reddidit, ut per ejusdem intercessiones in consummationem usq; sæculi aquæ hujusmodi fructus impetratur,* &c. hæc ille.

Ioannes Chrysostomus laudatione in sanctam Pelagiam cap. 15. *Faxit Deus, ut S Virginis & eorum qui similiter certauerunt, orationibus & precibus, & ut hæc & alia, quæ dicta sunt, diligenter memoria tenentes,* &c.

Item hom. de patientia, *Quicunq;* ait, *Sanctos vocauerit luminaria mundi, non peccabit, non solùm, dum essent in hoc corpore; sed etiam magis nunc* (NB) *quando de hac vita migrauerunt: gratia enim, & merita Sanctorum morte non minuuntur, tunc quidem pisces capiebant ad mortem, nunc homines capiunt ad salutem,* hæc ille.

S. Ephrem Anno 370. orat. de laud. sanctæ Dei Matris sic ait: *Intemerata Virgo, Deipara, Regina, omnium spes desperantium, & sublimior Cælicolis, honoratior Seraphim, & nulla comparatione superis exercitibus gloriosior,* &c. & infrà: *Dignare me seruum tuum laudare te, & dicere: Aue Domina Maria, gratia plena,* &c.

Plurima alia adferri possent, sed hæc tantorum clarissimorum Patrum testimonia cuivis veritatis amanti sufficient: ut agnoscat Patres & Ecclesiam Græcam ab initio doctrinam hanc Ecclesiæ Catholicæ tradidisse.

ARTICULUS IV.

Eadem veritas ostenditur ex sanctis Patribus Latinis.

I. CYprianus Epist. 57. edit. Antwerp. 1568. *Memores,* ait, *nostri inuicem simus,* &c. *utrobiq; pro nobis semper oremus,* &c *& si quis istbinc nostrum prior diuinæ dignationis celeritate præcesserit, perseueret apud Dominum nostra dilectio, pro fratribus & sororibus nostris apud Misericordiam Patris non cesset oratio,* &c.

Idem tract. de disciplina & habitu Virginum eâdem edit. ait: *Durate fortiter, spiritaliter pergite, percurrite feliciter, tantùm tunc mementote nostri, cùm incipiet in vobis virginitas honorari,* &c. hæc ille.

Hilarius in ps. 124. edit. Basil. 1570. *Sed neq;* ait, *desunt stare volentibus Sanctorum custodia, neq; Angelorum munitiones, dicitur enim: Montes in circuitu ejus,* &c. & infrà: *Quomodo possumus montes non eos significatos esse intelligere, qui supra terrenam naturam gloriosi jam in Dei rebus exultant? ac ne leue præsidium* (NB) *in Apostolis, Patriarchis ac Prophetis, vel potiùs in Angelis, qui Ecclesiam quadam custodia circumsepiant crederemus: adjectum est, & Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc & usq; in sæculum. Sed fortè Apostolorum, vel Angelorum custodia sufficiens existimetur, verum id quidem est, sed & Moysen audiamus; namque cùm ei Dominus dixisset: Ecce Angelus meus antecedet te; & ille respondit: Nisi tu mecum ambulaturus es, ne me expellas hinc, bonum quidem præsidium Angeli, sed meliùs Domini,* &c. hæc ille, ubi clarissimè doctrinam Ecclesiæ proponit; quòd Angeli & Sancti custodiant nos, & pro nobis orent: sed ita, ut illorum custodia nihil sit sine custodia Dei super omnia, &c.

Ambrosius cùm alibi tum lib. de viduis, edit. Romanâ 1580. *Et tu,* ait, *habes proximos, qui Deo pro te supplicent: Habes Apostolos proximos, habes Martyres proximos, si ipsa Martyribus deuotionis societate misericordia quoque muneribus appropinques,* &c.

Item lib. 8. in Lucam: *Sicut Angeli præsunt, ita & hi qui vitam meruerint Angelorum.*

Hieronymus lib. adversus Vigilant. edit. Antwerp. 1579. & Basil. 1553. cum ipso Vigilantio refert & confutat doctrinam Calvini contra honorem & reverentiam, nam cap. 2. refert verba Vigilantii, postea sic ait: *De Sanctis quod vivant juxta illud Domini* Matth. 12. *Non est Deus mortuorum, sed viuorum; Si ergo viuunt, honesto juxta te carcere non clauduntur, ais enim; vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerii, vel subter aram Dei animas Apostolorum & Martyrum consedisse, nec posse suis tumulis, ubi voluerint adesse præsentes.* Et infrà: *Tu Deo leges pones? tu Apostolis vincula injicies, ut usque ad diem judicii teneantur custodia, nec sint cum Domino suo de quibus scriptum est, sequuntur Agnum quocunq; vadit?* Et infrà: *Et cùm diabolus, & dæmones toto vagentur in orbe & celeritate nimia ubique præsentes sint, Martyres post effusionem sanguinis sui arca operientur occlusi, & inde exire non poterunt?* &c. hæc ille. Quid clariùs contra Calvini specialem doctrinam. II.

Iterum quoad orationes Sanctorum cap. 3. contra Vigilant. sic ait: *Dicis in libello tuo, quod, dum viuimus, mutuo pro nobis orare possumus, postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda Oratio, præsertim cùm Martyres ultionem sui sanguinis obsecrantes impetrare non quiuerint.* Contra hæc Hieronymus dicit: *Si Apostoli, & Martyres adhuc in corpore constituti possint orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti, quanto magis post coronas, victorias & triumphos? unus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam, & Stephanus imitator Domini sui, & primus Martyrum Christo pro persecutoribus veniam deprecatur, & postquam cum Christo esse cæperint, minùs valebunt? Paulus Apostolus ducentas septuaginta sex sibi dicit in naui animas condonatas*

natas Act. 27. & *postquam resolutus esse cœperit cum Christo, tunc ora clausurus est, & pro iis, qui in toto orbe ad suum Euangelium crediderunt, mutire non poterit?* hæc Hieronymus; in quibus Calvini, & sectatorum ejus doctrina, & calumniæ clarissimè proponuntur, & confutantur: ubi vident cujus sint sectatores, & quid Ecclesia antiqua de Sanctorum Orationibus crediderit. Adjungamus etiam sanctum Augustinum.

III. *Augustinus* libro 7. de Baptismo contra Donatistas cap. 1. edit. Basil. 1528. *Adjuvet*, ait, *nos* (Cyprianus) *Orationibus suis in istius carnis mortalitate tanquam in caliginosa nube laborantes: ut donante Domino, quantum possumus, bona ejus imitemur.*

Item lib. 20. contra Faustum cap. 21. ead. edit. profitetur praxin Ecclesiæ dicens: *Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, ut eorum meritis consocietur, atq; Orationibus adjuvetur.*

Iterum tract. 84. in Joan. eâd. edit. *Ideo quippe ad mensam non sic eos* (scilicet Martyres) *commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis ut ipsi* (NB) *orent pro nobis*, &c. quid clarius?

Idem in ps. 85. edit. cit. *Dominus noster Jesus Christus adhuc interpellat pro nobis, omnes Martyres, qui in illo sunt, interpellant* (NB) *pro nobis, non transeunt eorum interpellationes, nisi cùm transit gemitus noster*, &c. hæc ille. Ecce vir sanctus non veretur interpellationem etiam Sanctorum tribuere.

Demum ad ps. 88. in fine sic ait: *Notabilia Sanctorum cum sobrietate celebrate; ut imitemur eos, qui præcesserunt, & gaudeant de vobis, qui orant pro vobis*, &c. hæc ille.

Specialiter de B. Virgine Maria serm. 2. de Annunciat. Domini eâd. edit. sic ait: *Auctrix peccati Eva, Auctrix meriti Maria. Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit*, &c. *Sancta Maria succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles*, &c. *sentiant omnes tuum juvamen, quicunq; celebrant tuam sanctam commemorationem*, &c. quid clariùs dici posset? IV.

Hæc sanctorum Patrum testimonia adeo evidentia sunt; ut mirum sit, quod homo sanæ mentis asserere auderet Sanctos cum Christo regnantes etiam in particulari non orare pro fidelibus, vel illorum curam gerere, & hanc esse doctrinam antiquæ Ecclesiæ, à qua tam apertè damnata est. Quamvis autem ex his etiam satis constet, quod Sancti utiliter & piè à fidelibus invocentur, pro majori tamen claritate & firmitate sequentia subjiciemus.

CAPUT VI.

De invocatione Sanctorum.

ARTICULUS I.

Qualiter sancti Angeli vel sancti Martyres sint invocandi?

I. Ecclesia Catholica docet, nullum Sanctorum ita esse invocandum ut ab ipso tanquam authore gratiam, auxilium, vel alia beneficia, multò minus æternam gloriam obtineat, vel ut ipsi, illa sua authoritate vel potestate conferát. Hæc constant ex verbis Concilii Trid. sess. 25. suprà allatis, & ex S. scriptura & sanctis Patribus, ut opus non sit, ulterius probare vel ostendere: sic enim solus Deus unicus omnium bonorum Author, & largitor est invocandus.

2. S. Ecclesia docet, nullos Sanctos, etiam ipsam B. Virginem, esse invocandos tanquam Mediatorem, Intercessorem, & Advocatum talem; qui suo pretio pro omnibus satisfacere, & suis propriis meritis nobis veniam peccatorum vel gratiam à Deo impetrare possit; vel suo jure, vel authoritate apud Deum pro nobis sollicitare, vel intercedere, vel inter Deum & homines sese interponere, aut Deo nos reconciliare possit: hoc enim soli Christo Jesu Domino nostro competit, ut infrà ostendetur. Hæc etiam clarè patent ex Concil. Trid. suprà; unde patet falsitas Calvini, qui Theologis, quos Sophistas balbutientes vocat, imponit, quasi dicant, Christum esse redemptionis Mediatorem, Sanctos autem suos esse intercessionis mediatores: nam in prædicto sensu Christus solus est redemptionis & intercessionis Mediator.

3. *S. Ecclesia non docet*, quod fideles ex speciali Dei mandato teneantur invocare Sanctos; nec quod Deus non aliter, quàm per Sanctos sit invocandus; vel quod ideo Sancti sint invocandi, ut ipsi preces nostras Deo offerant; alioquin Deo ignotas, nisi per ipsos. Hæc etiam patent ex Concil. Trid. suprà.

4. *Nec S. Ecclesia ideo Sanctos invocari posse docet*, quasi Deus minùs misericors sit, quam illi: cùm ipse sit infinitæ bonitatis, & misericordiæ; sed quia sic divinæ sapientiæ omnia suaviter ordinanti placet; alioquin nec humanitas Christi invocanda esset, nec Angelorum custodia asserenda, nec unus fidelis alium, ut pro ipso oret, rogare posset, &c. placuit ergo sic divinæ sapientiæ; ut talis Ordo, & charitas inter suos electos servari possit, cùm tamen ipse omnia in omnibus operetur. II.

5. *S. Ecclesia docet*: quod bonum & utile sit Sanctos invocare, ut nobiscum, & pro nobis Deum orent; quatenus per merita Christi Domini unici Redemptoris nobis gratiam, & beneficia conferre dignetur, & hoc solum modo Sanctos pro nobis intercedere, vel interpellare, vel esse Mediatores, ita ut omnis intercessio, oratio, & impetratio, vel mediatio Sanctorum apud Deum innitatur totaliter in meritis Domini nostri Jesu Christi, quibus exclusis nihil eorum oratio apud Deum prodesse possit, & invocatio, qua Sanctorum intercessio petitur, ejusdem sit rationis cum illa, qua unus fidelis mortalis alium fidelem mortalem invocat, & rogat, ut pro ipso Deum oret; vel apud Deum intercedat.

Hæc etiam clarè patent ex verbis sacri Concil. Trid. allegatis, & constat ex praxi Ecclesiæ: quia omnes orationes, quibus Deus oratur, ut per intercessionem B. Virginis, vel cujuscunque Sancti aliquid concedat, semper terminantur ad merita Christi dicendo, *per Christum Dominum nostrum.* III.

Digitized by Google

3. *Nunquam intendit ecclesia*, ut intercessio vel oratio alicujus Sancti suppleat merita Christi, vel illa augeat in nostrum bonum: sed supponit Christi merita esse absoluta, solùm vero petitur, ut Deus faciliùs per merita Christi gratiam largiatur: sicut ab homine mortali petitur, ut pro alio oret, quatenus faciliùs per Christum obtineat.

Hæc constant ex S. Scriptura, ubi de Christo solo dicitur, quod in ejus nomine oporteat omnes salvos fieri; quod ipse sit unicus mediator, talis scilicet, *qui dedit semetipsum redemptionem pro nobis*, 1. Tim. 2. quod *ipse solus sit ostium*, per quod ad ovile intratur Joann. 10. quod *ipse sit unicus Aduocatus apud patrem, qui est propitiatio pro peccatis etiam totius mundi* 1. Joann. 2. v. 2. & Christus ipse Joann. 14. v. 6. *Ego sum via*, &c. *nemo venit ad patrem, nisi per me*, &c. & demum Apostolus ad Ephes. 1. de Deo ait: *Benedixit nos in Christo, sicut nos elegit in ipso* & v. 7. *in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus*, &c. & v. 10. *Instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt in ipso*, &c.

ARTICULUS II.

Quòd eo modo, quem Ecclesia docet, Sancti sint invocandi, probatur ex Scriptura.

I. PRobatur primò exemplis Sanctorum in S. Scriptura, nam Gen. 48. v. 16. Jacob Patriarcha benedicens filiis Joseph dicit: *Angelus, qui eruit me de omnibus malis, benedicat pueris istis*, &c. annon ibi invocatur Angelus?

2. Ibid. Jacob subjungit: *Et inuocetur nomen meum super eos, nomina quoq; patrum meorum, Abraham, & Isaac*, &c. an Jacob malè monet, ut posteri nomina sua, & Patrum suorum invocent? quin potiùs ex hoc constat licitè & piè sanctos Martyres invocari, ut D. August. suprà relatus inde colligit.

3. Hinc Jacob monitioni obsecutus *Moyses* Exod. 32. v. 13. orat dicens: *Recordare Domine Abraham, Isaac, & Jacob, Sanctorum tuorum*, &c. Vnde August. quæst. 149. in Exodum edit. Basil. 1528. circa illa verba Dei ad Moysen: *Dimitte me, & iratus conteram eos*, &c. dicit: *Vt eo modo admoneremur, cùm merita nostra nos grauassent, ne diligamur à Deo releuari nos apud Deum illorum meritis posse, quos Deus diligit*, &c.

Similiter *Theodoretus* quæst. 67. in Exod. dicit, quod Moyses, cùm se non existimaret sufficientem ad placandum Deum, petiit Patrum defunctorum patrocinium.

4. Quod autem ibi non solùm Moyses intenderit allegare pactum, quod Deus cum Patribus fecerat, sed etiam illorum patrocinium per eorum merita, patet ps. 131. v. 1. *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis ejus*, & v. 10. *Propter Dauid seruum tuum, non auertas faciem Christi tui.*

Sic Salomon oravit Deum 2. paral. 6. v. 42. cùm David jam mortuus esset, similiter Daniel allegat merita Patrum orando cap. 3. v. 35. dicens: *Ne auferas misericordiam tuam à nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israel sanctum tuum.*

II. Nec obstant illa quæ apud Isai. cap. 63. v. 16. *Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit nos.*

Respondeo enim primò cum *Hieronymo* in illum locum quod intelligatur de notitia approbationis, id est, Abraham non recognoscit nos filios, quia degeneres sumus; sicut Christus dicit Matt. 25. v. 12. *Nescio vos*, &c. si tamen, ut August. lib. de cura pro mortuis cap. 13. exponatur de cognitione absolutè in particulari, hoc nec obstat: Primò, quia Sancti in veteri testamento necdum erant in beatitudine, ubi clarè Deum vident. 2. quia poterant nihilominus invocari, ut Deus per ipsorum intercessionem misereatur, & ipsi possent orare pro suis posteris in generali, & iis specialiter, qui ipsos invocarent, cùm scirent posteros suos in terris esse.

5. Job 5. v. 1. dicitur: *Voca igitur, si est, qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere*, &c. Vbi nomine Sanctorum intelliguntur Angeli, ut D. Augustinus ibid. in annotationibus monet, & licèt non sint verba Job, sed Eliphaz; indicatur tamen, quod tunc piorum consuetudo fuerit, ut Angelos invocarent.

Item ipse Job cap. 19. v. 21. ait: *Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei*; per amicos ibi Angelos intellectos esse Augustin. ibidem dicit: & declarat per illa verba cap. 33. v. 23. ubi dicitur: *Si fuerit pro eo loquens Angelus, unus de millibus miserebitur ejus, & dicet: Libera eum*, &c.

Similiter in novo testamento Apoc. 1. v. 4. Joannes invocat Angelos dicens: *Gratia vobis, & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est, & à septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt, & à Jesu Christo*, &c. quod si nos Angelos sic invocaremus, præsertim illos Christo præmittendo, idololatriæ ab Acatholicis argueremur, & injuriæ in Christum illatæ: sed patet, quod, licèt Joannes iisdem verbis Deum ipsum, Angelos, & Christum Jesum invocarit, tamen diverso sensu à nobis exposito id fecerit.

III. Demum non solùm viri sancti alios pios in hac vita invocarunt, ut pro ipsis Deum orarent, sed etiam subinde Deus mandavit, ut aliqui aliorum preces, & intercessionem requirerent. Primum patet 1. Reg. 7. ubi omnis populus Israel ita ad Samuelem loquitur: *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut saluet nos de manu Philistinorum.* Et Paulus Apostolus Rom. 15. v. 30. sic scribit: *Obsecro ergo vos fratres, ut adjuuetis me in orationibus vestris pro me apud Deum.*

Similiter ad Ephes. 6. v. 14. *State ergo succincti*, &c. & v. 19. *vigilantes cum omni instantia, & obsecratione, pro omnibus Sanctis, & pro me, ut detur mihi sermo*, &c.

Iterum 1. Thessal. 5. v. 26. *Fratres orate pro nobis*, &c. Iterum 2. Thess. 3. v. 1. *De cætero fratres orate pro nobis, ut sermo Dei currat*, &c. & alibi similiter

Digitized by Google

liter invocat fideles. Circa quod ab Acatholicis quæro primò, ubi Apoſtolus acceperit mandatum Dei, ut recurreret ad fidelium orationes, & interceſſionem? 2. cur Apoſtolus invocavit fideles, ſi ſolus Deus ſit invocandus? 3. cur Apoſtolus à fidelibus petit, ut orent quatenus ſermo ipſi detur, & currat, cùm tamen à Chriſto Apoſtolatum, & promiſſionem haberet?

Secundum, quod Deus aliquando id mandarit, patet Job 42. v. 7. dicit Dominus ad Eliphaz. *Iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos, &c. ite ad ſeruum meum Job, & offerte holocauſtum pro vobis, Job autem ſeruus meus orabit pro vobis, faciem ejus ſuſcipiam, ut non imputetur vobis ſtultitia,* &c.

IV. Ex his ſic arguitur: Non fit injuria Deo, quod unus fidelis invocet alium viventem, ut pro ipſo oret, nec fit injuria Chriſto Mediatori, ut alii ſolicitentur ad orandum pro aliis; alioquin Paulus id non feciſſet, nec Deus Eliphaz mandaſſet. Nec Moyſi dixiſſet: *Sine me, ut iratus conteram eos,* volens indicare Moyſi, ut ipſe pro illis intercederet.

Cur ergo Deo, vel Chriſto injuria irrogabitur, ſi ſimili modo fideles invocent Sanctos etiam cum Chriſto regnantes? in hoc enim Acatholici ſe fundant, dum invocationem Sanctorum condemnant. Certum autem eſt, quod Sancti in cœlis ſecuriùs invocentur, qui jam confirmati Dei amici ſunt, & vera membra unius corporis Chriſti, quod conſtat ex fidelibus vivis & defunctis, prout etiam fatetur Calvinus lib. 4. Inſtit. c. 1. dicens: *Diximus de Eccleſia biſariam S. literas loqui: Interdum enim intelligunt, in quantum nulli recipiuntur, niſi vera Chriſti membra; at hac non tantum Sanctos, qui in terra habitant, comprehendit, ſed electos omnes, qui ab initio mundi fuerunt,* &c. hæc ille.

Nec quicquam valet calumnia Acatholicorum, cùm dicunt: Catholicos recurrere ad Sanctos mortuos, ut ipſi preces coram Deo offerant, quaſi alioquin ipſi ignotas.

Falſiſſimum enim hoc eſt, quod illud Catholici intendant, cùm nec hoc intendat S. ſcriptura, cùm dicit, quod Angeli Deo preces fidelium offerant, nec hoc Apoſtolus intendebat, cùm ſuos fideles rogabat, ut pro ipſo Deum orarent; ſupponitur enim ſemper, quod Deus omnia noverit: ſed quia ſic voluit, ut unus pro altero ex charitate oret, & ſic etiam Angeli & Sancti preces fidelium ipſi offerunt. Et hæc merito ad confundendam Acatholicorum calumniam ſufficerent; nihilominus antiquæ Eccleſiæ & SS. Patrum teſtimonia adjungemus.

ARTICULUS III.

Eadem veritas probatur ex praxi antiquæ Eccleſiæ & PP. Græcis.

I. Praxis antiquæ Eccleſiæ imprimis conſtat ex liturgiis ſuprà citatis, in quibus ſæpius SS. invocatio habetur, &c.

Et Eccleſia Orientalis moderna à Romana Eccleſia diviſa, Sanctorum invocationem ſe à Patribus habere profitetur, ut ſuprà ex Hieremia Conſtantinopolitano Patriarcha oſtenſum eſt.

Eadem veritas patet ex verbis Conciliorum, quæ ſuprà recitata ſunt.

Dionyſius Areopag. c. 7. cæleſt. Hierarch. eandem invocationem ſupponit, dum dicit: *Nam profecto idem fit, ac ſi quis ſole ſuos radios ſanis largiente oculis, ſibi oculos enixus ſolari lumine particeps fieri poſtulet, ſic impoſſibilium ſuperflua ſpe ſuſpenſus eſt, qui Sanctorum flagitat preces, & natura eorum conſentaneas ſacras operationes abigit,* &c. hæc ille.

Irenæus ſuprà relatus profitetur *Mariam factam eſſe Aduocatricem Euæ,* &c.

Origenes lib. 2. in Job, in fine edit. Baſil. 1557. *O beate Job,* aït, *viuens in perpetuum apud Deum,* &c. *Ora pro nobis miſeris, ut etiam nos terribilis Dei miſericordia protegat,* &c.

Athanaſius ſerm. in Euang. de Deiparæ Virg. Annunciatione edit. Pariſ. 1581. ſic ait: *Inclina aurem tuam (*Maria*) in preces noſtras, & ne obliuiſcaris populi tui.* Et infrà: *Ad te clamamus, recordare noſtri ſanctiſſima Virgo.* Et infrà: *Intercede Hera, & Domina, & Regina, & Mater Dei pro nobis,* &c. Hæc magnus ille Athanaſius, hic videant Acatholici qualiter arguant Eccleſiæ Antiphonam: *Salue Regina,* &c.

Baſilius hom. 20. in 40. Martyres, *qui aliqua premitur anguſtia, ad hos confugiat, qui rurſus lætatur, hos oret; hic ut à malis liberetur, ille ut duret in rebus lætis,* &c. II.

Gregorius Nazianz. Orat. 18. in laudem S. Cypriani edit. Colon. 1579. ſic ait: *Hac atq; his plura commemorans, Virginemq; Mariam ſupplex obſeruans,* &c.

Item orat. 20. in laudem Baſilii eâd. edit. *Tu vero,* ait, *ſacrum & diuinum caput, nos cælitus quæſo inſpicias, carnisq; ſtimulum à Deo nobis ad diſciplinam datum, aut precibus tuis ſiſtas, aut perſuadeas certè, ut forti animo perferamus.*

Gregorius Nyſſen. Orat. in S. Theodorum Martyrem edit. Baſil. 1571. *Multorum,* ait, *beneficiorum indigemus, intercede, ac deprecare pro patria apud communem Regem, & Dominum.* Et infrà: *Etiamſi ſuperaſti ſeculum, at noſti affectus* (NB) *& uſus, ac neceſſitates humanæ conditionis; pete pacem, ut hi publici conuentus non deſinant, ne debacchetur aduerſus templa altariaue rabioſus barbarus. Nos etiam quod incolumes conſeruati ſumus tibi* (NB) *beneficium acceptum referimus; quod ſi majore opus etiam fuerit aduocatione ac deprecatione, fratrum tuorum Martyrum coge chorum, & cum omnibus una deprecare,* &c. *admone Petrum, excita Paulum, Joannem diſcipulum dilectum, ut pro Eccleſiis quas conſtituerunt, ſoliciti ſint,* &c. hæc ille doctiſſimus & ſanctiſſimus Pater; quod ſi nos hodie Martyrem ita invocaremus, ab Acatholicis idololatriæ argueremur; ſed veritas conſiſtit.

Chryſoſtomus hom. 26. in 2. ad Corinth. edit. Baſil. 1558. ait: *Nam & ipſe ille purpurâ indutus peregrè proficiſcitur, ſepulchra illa complexurus, & faſtu poſito conſiſtit Sanctos rogans, ut ſibi apud Deum patrocinentur, & tabernaculorum artificem, ac piſcatorem patronos etiam mortuos precatur ipſe diadema geſtans; Audebuntne igitur, dic, quæſo, horum Dominum dicere mortuum, cuius famuli etiam mortui huius mundi Regum ſunt patroni? atq; id cernat quis non Roma tantum fieri, ſed etiam Conſtantinopoli, nam & hic Conſtantinum illum Magnum magno ſe honore affecturum exiſtimauit filius, ſi in veſtibulis collocaret piſcatoris,* hæc Chryſoſt. quid clariùs dici poteſt de praxi antiquæ Eccleſiæ Græcæ, & Latinæ pro invocatione. III.

Item hom. in natali Apoſtolorum Petri &

Pauli,

Pauli, *Salue*, ait, *beata biga, qua una es anima in duobus corporibus, Petre & Paule: salutete vos semper in Domino, sine intermißione pro nobis, rogamus, orate; promissa vestra implete, sunt enim hæc vestra conuenta, unius quidem hos: Venite mecum, & bonis ne deficiamur* Gal. 6. *Alterius vero illud: Studebo post meum obitum vestri facere mentionem*, &c. *Pactorum ergo conuentorum nolite obliuisci, sed Trinitati principio carenti nullo intermedio assistentes petite, quæ sunt nobis omnibus salutaria*, &c. Ecce Chrysostomum ex verbis Apostolorum in S. Scriptura positis probat orationem Sanctorum pro fidelibus, &c. hæc SS. Patrum Græcorum clarissimorum testimonia satis ostendunt, quid Ecclesia antiqua crediderit, & egerit.

ARTICULUS IV.

Eadem veritas ex SS. Patribus Latinis ostenditur.

I. Cornelius coæqualis Cypriano epist. 1. *Orantes*, inquit, *Deum & Dominum nostrum Jesum Christum, ut intercedentibus Sanctis suis Apostolis maculas vestrorum purget peccatorum*, &c.

Cyprianus Anno 250. de *stella & Magis* edit. Basil. 1543. sic ait: *In ordine Sanctorum prothomartyres* (innocentes) *primum habeant locum, & secretorum conscii diuinorum propinquitate familiarissima clementiam Dei pro nostris exorent laboribus, quos usq, hodie funestus Herodes persequitur*, &c. hæc ille.

Hilarius in ps. 129. edit. Basil. 1570. *Intercessione Angelorum non natura Dei indiget, sed infirmitas nostra, missi enim sunt propter eos, qui hæreditabunt salutem, Deo nihil ex his, quæ agimus, ignorante, sed infirmitate nostra ad rogandum, & promerendum spiritualis intercessionis ministerio indigente*, &c.

Similiter loquitur de intercessione Prophetarum & Apostolorum in ps. 124. ubi clarè exponit causam, & modum intercessionis, quem Acatholici improbant.

Ambrosius lib. de viduis edit. Romanâ 1580. *Obsecrandi*, ait, *sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt, Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis patrocinium vendicare: possunt pro peccatis* (NB) *rogare nostris, qui proprio sanguine etiamsi, quæ habuerunt, peccata lauerunt; isti enim sunt Dei Martyres nostri præsules, speculatores* (NB) *vitæ, actuumq, nostrorum, non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere, quia & ipsi infirmitatem corporis etiam, cùm viuerent, cognouerunt*, &c. hæc Ambros. Calvinus à S. Doctore inquirat, unde Sancti habeant oculos tam perspicaces, ut actus nostros speculentur?

II. Idem lib. 10. in Lucam eâd. edit. exponens cap. 21. sic ait: *Mortuis regibus in perpetuum Martyres regnum cælestis gratiæ honore succedunt, & illi sunt supplices, hi Patroni.*

Iterum serm. 93. in nat. Mart. Nazarii, edit. Par. 1569. &c. vel in edit. Romana 1585. serm. 14. *Non clauditur*, ait, *locis, quod diffunditur meritis; inuocasti ubiq, Martyrem* (NB) *ubiq, te exaudit ille, qui honoratur in Martyre: moderante itaq, eo, qui pensat vota tua* (NB) *& dispensat munera sua, in tantum vicina præsentia efficacis præbebitur* (NB) *Aduocati, in quantum fuerit fides deuota suscepti*. Er paulò post: *Quæcùm ita sint, honoremus beatos Martyres Principes fidei, intercessores mundi, præcones regni, cohæredes Dei*, &c. hæc Ambros. Qui Martyres non dubitat nominare Advocatos, & mundi intercessores, &c. & modum exauditionis exprimit.

Hieronymus in vita S. Hilarionis edit. Basil. 1553. *Non videtur*, ait, *in calce libri tacenda Constantiæ illius sanctißimæ mulieris deuotio*. Et infrà: *Erat enim solita peruigiles in sepulchro ejus* (Hilarionis) *noctes ducere, & quasi cum præsente ad adjuuandas orationes suas sermocinari*, &c.

Idem epist. 27. ad *Eustochium* de Epitaphio Paulæ cap. 14. eâdem edit. *Vale*, ait, *O Paula, & cultoris tui ultimam senectutem Orationibus juua. Fides & opera tua Christo te sociant, præsens facilius, quod postulas, impetrabis*, &c.

Ecce tantus Doctor, & cultum & invocationem, & intercessionem, & causam illius breviter profitetur.

Idem lib. adversus Vigilantium cap. 3. edit. cit. *de barathro* ait: *pectoris tui cano; am spurcitiem euomens audes dicere: Ergo cineres suos amant animæ Martyrum, & circumuolant eos, semperq, præsentes sunt, ne forte, si aliquis precator aduenerit, absentes audire non poßint, O portentum in terras ultimas deportandum!* &c. quid ad hæc dicunt Acatholici? qui Vigilantium non imitantur solùm, sed etiam laudant.

S. Maximus serm. de S. Agnete, *Itaq*, ait, *O splendida Christo, pulchra Dei filia, & omnibus Angelis, & Archangelis grata, ut nostri meminisse digneris, quibus possumus precibus exoramus*, &c. III.

Augustinus serm. 17. de verbis Apostoli. edit. Basil. 1528. *Habet Ecclesiastica*, ait, *disciplina, quod fideles nouerunt, cùm Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipsis oretur, pro cæteris autem*, &c. *defunctis oretur, injuria est enim pro Martyre orare, cujus nos debemus* (NB) *Orationibus commendari*, &c.

Idem serm. 1. de S. Stephano edit. cit. *Sic ergo exauditus est S. Stephanus, ut eius orationibus deleretur peccatum, quod commiserat Saulus, commendemus ergo nos orationibus eius, multo magis enim nunc exauditur pro bene Oratoribus suis*, &c.

Iterum August. epist. 22. ad Madarium adhuc paganum, *Videtis*, inquit, *nobilissimi imperii eminentißimum culmen ad sepulchrum piscatoris Petri submisso diademate supplicare*, &c.

Similiter in ps. 140. eâd. edit. *Ecce*, ait, *Imperator venit Romam, quo festinat? ad templum Imperatoris, an ad memoriam piscatoris?* &c.

Item serm. 25. de Sanctis edit. cit. *Beatißimum Petrum piscatorem modo genibus prouolutis adorat gentium credentium multitudo*, &c.

Item in toto illo libro de cura pro mortuis D. Augustinus sæpius, ut certum supponit, & tradit, quod Beati invocentur, & quidem in speciali, quod ideo corpora fidelium in Basilicis, vel apud memorias Martyrum sepeliantur, sic enim ait cap. 1. edit. cit. *Homini prodesse post mortem, si prouideatur fide suorum talis locus humando eius corpori, in quo appareat opitulatio etiam isto modo quæsita Sanctorum*, &c. IV.

Item cap. 4. *Non video, quæ sint adjumenta mortuorum, nisi ad hoc, ut, dum recolunt, ubi sint posita eorum, quos diligunt, corpora, eisdem Sanctis illos tanquam patronis* (NB) *susceptos apud Dominum* (NB) *adjuuandos orando commendent*, &c. quid clarius?

Iterum cap. 5. *Cùm ergo fidelis mater filii sui defuncti*

functi corpus desideravit in Basilicam Martyris poni, siquidem credidit ejus animam meritis Martyris adjuvari, hoc quod ita credidit, supplicatio quadam fuit, &c.

Demum cap. 18. *Quod vero quisquam apud memoriam Martyrum sepelitur, hoc tantum mihi videtur prodesse defuncto, ut commendans eum etiam Martyrum patrocinio affectus pro illo supplicationis augeatur*, &c.

Ecce qualiter S. Doctor tradat, quod sancti defuncti magis orent, & exaudiantur pro fidelibus, quàm cùm essent viventes in hoc mundo, &c. item tract. 84. in Joannem. Vbi supponit, quod Sancti illa noverint. Similiter loquitur S. Augustinus lib. 20. contra Faustum cap. 21. cujus verba suprà, & alibi sæpe relata sunt.

ARTICULUS V.

Quæ circa invocationem Sanctorum de fide certa credenda sunt.

I. SCiendum quod plures sint Fidei articuli ex sacra Scriptura, & Ecclesiæ definitione certò credendi, ita tamen, ut aliqua quæ non necessariò ad istos articulos spectant scholasticè disputentur inter Catholicos, salvis illis Fidei articulis. Sic certum est de fide, quod *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sint tres distinctæ personæ, & unius indivisæ essentiæ seu Deitatis unus Deus*; quod Pater genuit Filium, & Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedat. Verùm quales sint personalitates divinæ, an quid absolutum, an relativum? qualiter etiam Filius à Patre generetur, vel Spiritus ab utroque procedat, plura dicuntur, & disputantur, quæ ex fide certo non constant; sic etiam de Incarnationis mysterio, sic de aliis plura in particulari disputantur, supponendo illud S. scripturæ: *Generationem ejus quis enarrabit?* Isai. 53. v. 8.

Ita etiam se res habet quoad invocationem Sanctorum, pro quorum claritate sequentia ponentur.

Dico primò: *Certum est de fide Catholica*, quod utile sit, & pium invocare sanctos Angelos, & sanctos defunctos cum Christo regnantes eo modo, qui in præcedentibus declaratus est.

Nec hoc est contra intentionem Christi, cùm Matt. 6. & Luc. 11. dicit: Orantes dicite, *Pater noster*, &c. quia Christus ibi noluit præcipere, ut tantùm illis verbis oremus Deum; cùm sancti Patres, & ipsi Acatholici variis orationibus utantur, sed solùm ostendere, quænam à Deo petenda sint, & quod Deus ut Pater, & fons omnis boni orandus sit, sic etiam Deus invocatur, cùm Sanctos invocamus, ut nobiscum Deum pro nobis orent, &c.

Dico 2. *De fide certum est*, quod Sancti cum Christo regnantes non tantùm in genere, sed in particulari pro fidelibus etiam singulis orent: hoc ex sacra scriptura & sanctis Patribus Concil. Trid. definivit.

II. Dico 3. *Non est certum de fide*, quod Sancti in particulari nostras necessitates vel orationes in particulari omnes cognoscant, &c. hæc est communior Doctorum Catholicorum sententia, quia illud non constat clarè ex sacra scriptura, nec hactenus ab Ecclesia definitum est, nec ex aliquo Fidei articulo necessario sequitur. Ita asserit Suarez in 1. parte tract. 1. l. 2. cap. 28. n. 18. Bellarmin. lib. 1. de beatitud. Sanctorum cap. 20. §. similem etiam dubitationem, &c. Estius in 4. dist. 45. §. 18. &c. & ratio est, quia potest salvus esse articulus fidei, quod Sancti à nobis invocentur; & ipsi pro nobis etiam in particulari orent, & à Deo pro nobis exaudiantur, licèt omnes preces per se non cognoscant, quia sufficit, quod generaliter Deum pro omnibus illis in particulari orent, qui illorum patrocinium implorant apud Deum, qui omnia videt, & audit. Sic D. August. lib. de cura pro mortuis cap. 16. edit. Basil. 1528. exprimit dicens: *quemadmodum opitulentur Martyres, his quos per eos adjuvari certum est, utrum ipsi per seipsos adsint uno tempore tam diversis locis, an ipsis remotis, & tamen generaliter orantibus pro indigentia supplicantium, sicut nos oramus pro mortuis, quibus utiq; non præsentamur, nec ubi sint, vel quid agant, scimus, Deus omnipotens exaudiens Martyrum preces per angelica Ministeria usquequaq; diffusa prabeat hominibus ista solatia*, &c. hæc ille. Vbi supponit certum Sanctos licitè & piè invocari, & etiam illos pro supplicantibus orare, & exaudiri, sed de notitia in particulari non esse certum.

Hoc etiam constat ex praxi Ecclesiæ, quæ ut plurimùm in publicis precibus orationem immediatè ad Deum dirigit, ut per merita & intercessionem hujus, vel illius Sancti hoc, vel illud largiri dignetur, ubi Sancti invocantur, licèt ipsi per se non cognoscant orationem, sed Deus.

Dico 4. *Possibile est quod Angeli & Sancti cum Christo regnantes non per propriam, sed per supernaturalem à Deo collatam virtutem cognoscant in particulari necessitates, & orationes fidelium*, etiam oretenus fusas, *sive ipsi in cælo remoti existant, sive nobis vicini sint*. Hæc est communis Doctorum, quia in hoc nulla apparet contradictio, multo minùs illa, quæ Acatholici allegant, quod ex hoc sanctis tribuatur *omniscientia* Deo propria, vel *scrutatio* cordium soli Deo in scripturis assignata, primum non valet, quia, licèt Angeli plurima cognoscerent, non tamen haberent Dei omniscientiam, quæ importat, quod Deus ex infinita sua perfectione necessariò & absolutè omnia possibilia non solum cognoscat, sed etiam comprehendat; Deus solus omnia etiam infinita comprehendit, de quo August. epist. 112. cap. 9. at horum nihil haberet Angelus, vel Sanctus, quantumvis multa cognosceret non ex sua virtute, sed per Dei voluntatem, & potentiam, ut patet. III.

Nec alterum obstat; quia Deo soli competit cognitio cordium ex sua natura infallibili, ut omnia secretissima ipsi sint apertissima, juxta illud ad Hebr. 4. v. 13. *Omnia autem nuda, & aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo*, &c. licèt etiam Deus sibi reservavit in hoc mundo, ut nullus sciat, quid in hominis sit corde, nisi Deus, & Spiritus hominis, juxta illud 1. Cor. 2. v. 11. *Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* &c. sed hoc non obstat, quo minùs Deus possit supernatu-

 raliter

Digitized by Google

taliter ostendere, vel revelare uni cogitationes alterius, quod ex sacra Scriptura patet sæpe factum.

IV. Dico 5. *Certum est, quod Angeli, & Sancti alii cum Christo regnantes de facto per Dei virtutem sæpius adsint realiter fidelibus, ac illorum necessitates, & orationes cognoscant.* Hoc patet imprimis de SS. Angelis ex S. scriptura, qui à Deo in custodiam hominum mittuntur, & fidelium orationes Deo offerre dicuntur, ut suprà ostensum; & idem SS. Patres suprà tradunt de Sanctis, qui curam fidelium à Deo commissam gerunt, eosq; sæpe accedunt. Sic August. lib. de cura pro mortuis c. 16. edit. Basil. 1528. *Hinc illa soluitur*, ait, *quæstio, quonam modo Martyres ipsis beneficiis, quæ dantur orantibus, indicant se interesse humanis rebus; si nesciunt mortui, quid agant vivi*; ubi refert S. Felicem apparuisse, &c. & subjungit. *Verum ista diuinitus exhibentur longe aliter, quàm sese habet usitatus Ordo*, & postea: *Alii itaq; sunt humanarum limites rerum; alia diuinarum signa virtutum, alia sunt, quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter fiunt: quamuis & natura Deus adsit, ut sit, & miraculis natura non desit: non igitur ideo putandum est viuorum rebus quoslibet interesse posse defunctos, quoniam quibusdam sanandis, vel adjuuandis Martyres adsunt, sed ideo potius intelligendum est, quod per diuinam potentiam Martyres viuorum rebus intersunt, quoniam defuncti per naturam propriam viuorum rebus interesse non possunt*, &c. hæc Aug. clarissimè.

Quod autem aliqui Sancti mortui ad vivos mittantur probat D. August. ibidem cap. 15. eâd. edit. exemplo Samuelis 1. Reg. 28. & Eccles. 46. addens: *Sed si huic libro ex Hebræorum, quia in eo non est, Canone contradicitur, quid de Moyse dicturi sumus, qui certe & in Deuteronomio mortuus, & in Euangelio cum Elia, qui mortuus non est, legitur apparuisse viuentibus*, &c. hæc ille.

V. Dico 6. *Certum est, quod Angeli, & Sancti cum Christo regnantes etiam in cælo existentes aliquas fidelium inuocationes etiam cordetenus ad illos fusas cognoscant.* Hoc patet ex illo Lucæ 15. v. 7. *Dico vobis, quod ita gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente*, &c. ex quo patet, quod Angeli, & Sancti in cælo existentes cognoscant pœnitentiam peccatoris in corde conceptam; alioquin quomodo de illa gauderent? ad quod videtur attendere D. Augustinus in ps. 88. in fine edit. cit. dicens: *Natalitia Sanctorum cum solemnitate celebrate, ut imitemur eos, qui nos præcesserunt, & gaudeant de vobis, qui orant pro vobis.*

Hoc etiam probatur ex testimoniis sacræ scripturæ, ubi dicitur; quod Sancti viventes cognoverint per Dei potentiam secreta cordis, & etiam longissimè distantia, non per oculos corporeos, sed per cor à Deo illuminatum. Joann. 8. v. 56. dicit Dominus: *Abraham pater vester exultauit ut videret diem meum, vidit, & gauisus est*, &c. Ecce quales oculos Abraham; vel quia Abraham tempore vitæ suæ per Dei potentiam vidit diem Christi, quod satis est ad propositum; vel etiam in limbo existens tempore Christi vidit ejusdem incarnationis præsentiam tantopere desideratam, & hoc scripturæ magis concordat, quia Christus respondens Saducæis, adducit scripturam *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Jacob, non est Deus mortuorum*, demonstrat, quod tunc, cùm illa diceret, Patriarchæ viverent; sic etiam Christus intelligendus congruè videtur etiam, quod Abraham tunc temporis viderit diem Christi.

Sic 1. Reg. 9. v. 19. Samuel dicit Sauli: *Ego sum videns, omnia, quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi*, &c. ecce secreta cordis. de distantia 4. Regum 6. v. 12. dicebat Regi Syriæ: *Elisæus Propheta, qui est in Israel, indicat Regi Israel omnia verba, quæcunq; locutus fueris in conclaui tuo*, & tamen aures Elisæi non protendebantur in conclave Regis.

Item 4. Reg. 5. v. 26. dicit Elisæus puero suo Giezi: *Nonne cor meum in præsenti erat, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tuum?* &c. ubi enumerat, quæ Giezi à Naaman acceperat, &c. certè oculi imprimis Elisæi non erant tam perspicaces, sed cor ejus divinâ virtute illa cognoscebat, & videbat: circa quæ verba D. August. lib. 22. civ. cap. 29. eâd. edit. sic ait: *Corde suo ergo se vidisse dixit hoc propheta adjuto quidem mirabiliter, nullo dubitante diuinitus*, &c. ex quo August. arguit de Sanctis dicens: *Sed quanto amplius tunc omnes munere isto abundabunt, cùm Deus erit omnia in omnibus*, &c. & in fine illius capitis sic concludit: *Patebunt etiam cogitationes nostræ inuicem nobis; tunc enim implebitur, quod Apostolus, cùm dixisset: Nolite ante tempus judicare quicquam; mox addidit Donec veniat Dominus, & illuminet abscondita tenebrarum, & manifestet cogitationes cordis*, &c. hæc ibi. VI.

Similiter epist. 112. cap. 4. edit. cit. *Nemo enim*, ait, *scit, quid agatur in homine, nisi spiritus hominis, qui in ipso est, donec veniat Dominus, & illuminet abscondita tenebrarum, & manifestet cogitationes cordis, ut eas non solum, quis suas videat, sed & aliorum*, &c. hæc ille.

Ex his evidens est, quod sicut per Dei potentiam etiam in hac vita Sancti longè absentia, & cordis secreta noverunt; multo magis id Deus SS. præstabit, ut illis necessitates, & invocationes fidelium pateant, quatenus pro ipsis orent.

Dico 7. *Quamuis de fide non sit certum, quod Sancti cum Christo regnantes fidelium omnes orationes vel inuocationes in particulari cognoscant, id tamen valde certum est moraliter.*

Prima pars constat ex prædictis, quia nihil de hoc in universali constat ex verbo Dei, nec ex Ecclesiæ definitione.

2. pars probatur ex praxi sanctorum Patrum, qui hoc in praxi & doctrina supposuerunt, cùm dicerent, sanctos in cælo prospicere nostras necessitates, ut suprà ex illis relatum est.

2. probatur ex praxi Ecclesiæ, quæ ubique & promiscuè sanctos invocat in litaniis & aliis precibus piè ad minus supponens, quod sanctis preces innotescant. VII.

3. quia possibile est, quod sancti omnes orationes cognoscant; nec Deo, nec Christo Salvatori hoc asserendo injuria irrogatur: sed potiùs Christus honoratur. De possibilitate patet ex supradictis: 1. licèt cognoscerent omnes orationes fidelium, non tamen cognoscerent infinita. 2. nec haberent omniscientiam Dei, nec aliquid horum ex sua propria virtute, quod Deo proprium est, &c. sed ex voluntate, & beneplacito Dei cognoscerent.

4. P os-

Digitized by Google

4. poſſibile eſt, & naturaliter fit, quod oculo corporeo ſimul totum hemiſphærium videatur cum ſtellis, quantò magis poſſibile erit, quod Sancti per intellectum omnes orationes ſimul cognoſcant, idque divina adjuti potentia?

5. Certum eſt, quod Chriſtus ſecundùm humanitatem cognoſcat omnium fidelium preces, *qui ſemper interpellat pro nobis omnibus*, ut conſtat ex S. ſcriptura: nec tamen inde ſequitur, quod ipſi tribuatur omniſcientia divina, quaſi omnia ex neceſſitate abſolutè cognoſcat, & comprehendat, ſed ex Dei voluntate, & donatione; nec humanitas Chriſti per hanc ſcientiam diſtrahitur, vel confunditur in ſua beatitudine; adeoq; non eſt impoſſibile, ut Sanctis cum Chriſto regnantibus, & cum ipſo pro fidelibus ſolicitis, ſaltèm preces, quæ ad ipſos diriguntur, innoteſcant.

VIII. Ex his omnibus Doctores ſatis certitudinaliter concludunt, quod Sanctis prædictis preces omnes innoteſcant.

Dico 8. *Preces fidelium innoteſcunt Sanctis, vel per ipſam viſionem beatam, qua vident Deum, & in ipſo illa, quæ Deus vult in ipſo à Sanctis videri; idq; ab initio beatitudinis vel pro tempore, quo preces fiunt, vel extra verbum per ſpeciales revelationes à Deo ipſis Sanctis factas, quas Deus ordinariò ipſis præſtat.* Prædicti modi omnes ſunt poſſibiles, & à diverſis Doctoribus traduntur, nec ullus dicendi modus verbo Dei contrariatur, ſed conformis eſt.

Primus modus eſt, quod Sancti videant viſione beata in verbo appropriatè, & propriè in eſſentia divina tanquam objecto primario illa creata, quæ ad ipſorum ſtatum aliqualiter ſpectant ex Dei voluntate. Ita D. Thomas 3. p. q. 10. art. 2. nec hinc obſtat: quod tunc Sancti fruſtra invocarentur, ſi ab initio ſciant preces, quia etiam Deus quotidie invocandus eſt, qui ab æterno preces cognovit.

Secundus modus eſt, quod Sancti videant in verbo plura ad ipſorum ſtatum pertinentia, tanquam in objecto eminenter omnia continente, nec tamen ab initio, ſed quando Deo placitum fuerit; ita Scotus 3. diſt. 14. q. 2. n. 20. &c.

Tertius modus eſt, quod per diſtinctas extra verbum à Deo factas revelationes cognoſcantur preces. Ita etiam Scotus in 4. d. 45. q. 4. §. De ſecundo art. n. 4. dicens: *Non eſt neceſſe ex ratione beatitudinis, ut beatus videat orationes noſtras in verbo, &c. tamen quia congruum eſt beatum eſſe coadjutorem Dei in procurando ſalutem electi, eo modo, quo hoc ſibi poteſt competere, & ad iſtud requiritur ſibi revelari orationes noſtras ſpecialiter, quæ ſibi offeruntur, &c. & ideo probabile eſt, quod Deus beatis revelet de orationibus ſibi, vel Deo in nomine eius oblatis, &c.* hæc ille.

IX. Dico ultimo: *Congrue dicitur, quod beati in verbo velut ſpeculo voluntario videant creaturas, &c.* hoc ponitur ob cavillationes Acatholicorum. Quod autem beati videant creaturas in verbo, patet ex *S. Auguſt.* qui idex S. ſcriptura ſupponit, & tradit, ſic enim de Angelorum cognitione matutina, & veſpertina in verbo, & in ſeipſis explicat dies ſex creationis per mane & veſpere, ut lib. 11. de civ. Dei cap. 2. edit. Baſil. 1528. ubi inter alia ſic ait: *Cognitio quippe creaturæ in ſeipſa decoloratior eſt, &c. quam cùm in Dei ſapientia cognoſcitur velut in arte, qua facta eſt, &c.* & cap. 29. *Angeli ſancti non per verba ſonantia Deum diſcunt, ſed per ipſam præſentiam immutabilis veritatis, hoc eſt verbum eius unigenitum,* & infrà: *Ipſam quoq; creaturam melius ibi, hoc eſt in ſapientia Dei, tanquam in arte, qua facta eſt, quam in ea ſciunt, ac per hoc & ſeipſos ibi melius, quam in ſeipſis, veruntamen & in ſeipſis ſciunt,* & infrà: *Omnia hæc aliter in verbo Dei cognoſcuntur ab Angelis, &c. aliter in ſeipſis, illic clariore, hic obſcuriore cognitione, &c.* hæc Auguſt.

Secunda pars, quod Beati in verbo, velut ſpeculo voluntario, dicantur videre, prout Scotus diſt. 14. ſuprà, cum communi Doctorum loquitur: hæc eſt locutio metaphorica, per quam explicatur aliqua ſaltèm nobis nota ſimilitudo, quod ſicut nos in ſpeculo videmus alia ibi repræſentata, ſic etiam Beati in verbo ſeu eſſentia divina viſa videant alia creata, ſed non eſt in his identitas, ſicut nec in ulla metaphora: nam ſpeculum nihil in illa viſione operatur, ſed tantum objectum viſum, cujus ſpecies in ſpeculo reverberatur. Verum verbum, Dei ſeu eſſentia divina, ut objectum infinitum eminenter omnia creata, & ipſorum cognitionem in ſe continens, ſua virtute exhibet omnia creata. Dicitur autem voluntarium, quia Deus ſecundùm eſſentiam ſuam non poteſt naturaliter ab ulla creatura videri, nec proinde ulla creatura in ipſo cognito; ſed ſolum per ſuam voluntatem, ubi, & quando, & quantum vult, prout loquitur D. Auguſt. epiſt. 112. de videndo Deo ad Paul. cap. 4. & ſequent. ſic Apoſt. 1. Cor. 3. v. 12. metaphora ſpeculi utitur pro cognitione Dei obſcura, & ſap. 7. v. 26. ſcriptura æternam ſapientiam vocat ſpeculum dicens: *Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei Majeſtatis, & imago bonitatis illius, &c.*

His omnibus conſideratis, eluceſcit veritas doctrinæ Catholicæ, & falſitas ac calumniæ Acatholicorum diſſipantur.

* * *

Digitized by Google

CAPUT VII.

Referuntur & refutantur argumenta Authorum Anonymorum.

ARTICULUS I.

Refertur & refutatur argumentum de Invocatione B. Virg. Mariæ.

I. PRimus Anonymus contra invocationem, & cultum Sanctorum solùm allegavit verba Epiphanii, ad quæ suprà responsum est.

Secundus Anonymus distinguens adorationem, ut vocat, ab invocatione Sanctorum, de cultu dixit primò, quod Sanctis à Catholicis cultus divinus exhibeatur, Mariam Redemptricem, Mediatricem, in præjudicium unici mediatoris vocando.

Ad hoc respondetur ex supradictis, quod Ecclesia unicum Redemptorem, & Mediatorem credat, & colat Christum Jesum, qui sua authoritate suis meritis nos Deo reconciliavit in sanguine suo, id nulli Sanctorum, ne quidem B. Virgini tribuitur, sed solùm, quod B. Virgo in, & per merita Christi à Deo Patre pro nobis obtineat, vel apud Deum intercedat, & hoc solùm modo Mediatrix dicatur, & Advocata; quod nullatenus Christo Mediatori præjudicat, sed ipsum superexaltat, quod scilicet nihil sine ipso, nec nisi per ipsum à Deo obtineant qualescunque Sancti, ut S. Concil. Trid. suprà relatum clarissimè profitetur.

2. *Anonymus* ostendere vult Catholicos cultum divinum exhibere B. Virgini ex psalmis D. Bonaventuræ qui ps. 72. dicit: *Avertatur à me ira Dei per te, placa eum meritis, & precibus tuis.* Ps. 29. *Domina Salvatrix mea, fiducialiter agam in te, & non timebo; quia fortitudo & laus mea in Domino es tu. Facta es mihi in salutem, exulta, & lauda totum genus humanum, quia talem Mediatricem dedit tibi Dominus Deus tuus,* &c. his Anonymus subjungit, hanc Sanctorum adorationem idololatriam putamus, quia quæ uni Deo competunt creaturæ tribuuntur.

Respondeo 1. Illatio D. Anonymi falsissima est, ut suprà ostensum est; quia supposito, quod tamen falsissimum est, quod Ecclesia coleret B. Virginem, ut veram Redemptricem, & Mediatricem sicut Christum, non tamen in hoc soli Deo debitus cultus exhiberetur, cùm Deus non possit esse Mediator, nec Christus secundùm suam divinitatem, ut evidens est, sed secundùm humanam naturam.

Respondeo secundò: Similibus epithetis SS. Patres erga SS. Deiparam usi sunt, ut suprà patet.

II. Respondeo 3. Illis verbis multo minùs D. Bonaventura B. Virgini cultum latriæ exhibere, seu & Deum invocare voluit, qui in 3. dist. 9. q. 1. §. Respondeo ad argumenta. Cum communi sententia Doctorum profitetur, quod ne quidem humanitati Christi ratione sui cultus latriæ debeatur dicens: *Quoniam caro Christi nunquam est separata à verbo, ideo semper consideranda est, ut conjuncta, & semper adoranda est latriâ, licet humanitati, ut per se considerata, non debeatur nisi dulia;* & similiter §. Ad illud, dicit quod *ratione sui non debeatur, cùm non exeat terminos creaturæ.* Quod autem nec verba S. Bonaventuræ, nec ullius S. Patris Christo mediatori præjudicent, ex prædictis patet; quia qualitercunque aliqui invocant B. Virginem, sensus est, quod non nisi sub Christo, & per Christum præmia ab ipsa petant, non ut ipsa B. Virgo ex se donet, sed per Christum à Deo impetrare velit, sic loquitur S. Bernardus serm. 5. in Assumpt. B. Mariæ dicens: *Opus est nobis Mediatore ad istum mediatorem* (Christum) *nec alter nobis utilior quàm Maria.* Et ibid. serm. 2. sic ait: *Ipsa nempe est Mediatrix nostra, ipsa est, per quam suscepimus misericordiam tuam Deus, ipsa est per quam & nos Dominum Jesum in domus nostras excipimus,* &c. hæc ille. Quod autem nomina Mediatoris, Salvatoris, sicut & verba invocare, interpellare, &c. etiam hominibus applicentur, licèt in diverso sensu, suprà ex S. Scriptura copiosè ostensum est.

ARTICULUS II.

Referuntur alia ejusdem Anonymi argumenta, & refutantur.

I. TErtiò quoad invocationem Sanctorum dicit Anonymus primò, quod Christo fiat summa injuria, qui in cœlo solus est noster advocatus Rom. 8. v. 34. & 1. Joann. 2.

Respondeo negando Christo fieri ullam injuriam, ut sæpe dictum est, nam nullum Sanctum Ecclesia agnoscit, vel invocat, ut Advocatum, qui suo sanguine nos redemit, & suâ propria authoritate & meritis apud Patrem interpellat, hoc soli Christo competit, ut patet ex S. Scriptura; Sanctos vero non aliter invocamus Advocatos, & Mediatores, quam etiam fideles viventes rogamus, ut pro nobis apud Deum, & Christum intercedant, licèt certius & securius id à Sanctis cum Christo regnantibus petamus, hoc autem non est injuriam, sed honorem Christi quærere, & S. Paulus suo facto docuit, ut suprà ostensum est.

4. dicit Anonymus: *Non memini quemquam nostrum invocationem contra distinctè ad adorationem dixisse Idololatriam, ne tamen hic palmam dari putes, docemus omnes invocationem Sanctorum* (etiam ut à Catholicis explicatur) *esse actionem vanam, & inutilem, destitui mandato Dei, praxi Apostolorum, & primitivæ Ecclesiæ,* &c.

Respondeo primò, quod Acatholici aliqui invocationem; ut ab adoratione seu cultu SS. distinguitur, etiam idololatriam esse asserant, pa-

Digitized by Google

tet ex tertio Anonymo, &c. ſic inter ſe cohærent, ſicut vulpes Samſonis.

Reſpondeo 2. Pudeat Anonymum tam viriliter de invocatione Sanctorum loqui, cùm fateri debeat invocationem unius fidelis ad alium fidelem factam, non eſſe vanam, & inutilem.

Reſpondeo 3. Quàm pia & ſalutaris autem ſit, clarè ex exemplis ſanctorum Patrum, & Scriptisconſtat.

II. Reſpondeo ad ſecundum: Si verum eſſet non extare mandatum Dei in S. Scriptura, ut Sanctos defunctos invocaremus, quid ergo? ergóne vanum, & inutile eſt? oſtendat Anonymus unum ex S. Scriptura locum, ubi prohibitum ſit, invocare Sanctos, quod ergo S. Scriptura non prohibuit, ipſi non vituperent, cùm ſine S. Scriptura nihil loqui velint. An vanum & inutile eſt, quòd aliqui ſe ipſos caſtrent propter regnum Dei, quia de hoc nullum eſt Dei mandatum?

Reſpondeo 3. Habemus autem mandatum Dei, ut unus fidelis vivens pro alio fideli oret. *Orate pro invicem ut ſaluemini,* Jacobi 5. v. 16. & Chriſtus in oratione docuit nos, & voluit, ut pro aliis oremus, ut dicendo: *Dimitte nobis debita noſtra,* & non *dimitte mihi*, &c. eatenus etiam Chriſtus aliqualiter mandavit, ut vivens viventis preces petat; & Deus mandabat amicis Job, ut illius interceſſionem requirerent, non ut Deo aliquid ignotum proponerent, nec quòd Deus minùs miſericors ſit, quàm homo, ſed ut viventes inter ſe charitatem, & compaſſionem exhiberent.

Proinde, cùm eodem modo Angeli, & Sancti ex charitate pro nobis orent, etiam dici poſſet probabiliter Chriſtum à potiore mandaſſe, ut illos ſimiliter invocaremus: licèt Eccleſia tale mandatum non urgeat.

Ad tertium, quòd invocatio Sanctorum deſtituatur praxi Apoſtolorum, & primitivæ Eccleſiæ.

Reſpondeo, quòd craſſiſſimum contra clarum ſolem ſit mendacium; de Apoſtolis patet ex Epiſtolis Pauli qui toties Sanctos in terra invocavit, cur non ipſius exemplo & praxi ad invocationem Sanctorum cum Chriſto viventium, & regnantium provocaremur? ad minus eo modo, quo Eccleſia publicè illos invocat, ſcilicet Deum rogando, ut per illorum interceſſionem nobis dona concedat? De praxi primitivæ Eccleſiæ patet ex teſtimoniis SS. Patrum ſuprà copioſè relatis, præſertim Dionyſio, Irenæo, Origene, &c. Cornelio, Cypriano, & reliquis, qui in primitiva Eccleſia floruerunt.

III. Anonymus volens probare praxin invocationis in primitiva Eccleſia non fuiſſe, ſic procedit dicens:

Et quia fruſtra expectamus, ut vos ſecundum veſtrum officium doceatis in primitiua Eccleſia exercitam fuiſſe inuocationem Sanctorum, nos eam ignotam veneranda antiquitati oſtendimus. Recurre, quæſo ad locum Iuſtini Martyris citatum ad quæſt. ſecundam, ibi deſcribitur conſuetudo antiquitatis in initiatione alicujus, & participatione cœna, ubi quæſo interceſſio Sanctorum magis neceſſaria, quam ubi noui Sancti confirmatio petebatur, & cùm in caſu tam neceſſario non legatur uſitata, merito eam nullibi, & nunquam uſurpatam præſumitur, concluditur, &c. adde Tertull. aduerſus gentes ubi ait: Coimus in cœtum & congregationem ut ad Deum quaſi manu facta precationibus ambiamus orantes, hæc vis Deo grata eſt, oramus etiam pro Imperatoribus, &c. ubi Tertullianus tòti mundo exponit, quid faciant Chriſtiani in ſuis cœtibus, an veriſimile ipſum ibi non facturum fuiſſe mentionem interceßionis Sanctorum, ſi ipſis ejus imploratio fuiſſet uſitata, &c. Audi Epiphanium hæreſi 69. Sancta Dei creaturam non adorat Eccleſia, ſed filium genitum, Patrem in Filio, & Filium in Patre, & Spiritu Sancto, ubi hic, quæſo Sancti? proteſtaris forſan Epiphanium hic de adoratione loqui, non inuocatione, atque adeo elenchum ignorari, ſed multum & merito dubito, an apud antiquos voces illæ adorare, inuocare in negotio cultû Religioſi non fuerint ſynonima; quod ſi hoc non admittas Epiphanium deteſtatum fuiſſe inuocationem Sanctorum, vide apud Scultet. &c.

Et ne plura addamus, quàm belli hic ſitis antiquitatis ſectatores docebunt te, ſi legere dignaberis Cham. 4. 2. lib. 20. Molin. noui, pag. lib. 7. &c.

Reſpondeo: Hîc rogo advertat candidus IV.
Lector miſeriam, & nuditatem Acatholicorum; inſultat D. Anonymus mihi, quòd noſtrûm fuiſſet probare invocationem in antiqua Eccleſia uſitatam fuiſſe, ſed conſtat, quòd D. Vexillifero probatio incumbebat, & his, qui partes ejus ſuſceperant, ego tamen jam copioſiſſimè verbis expreſſis ex Liturgiis antiquis, & SS. Patribus demonſtravi. Videamus, qualiter iſte jactabundus probet.

1. Remittit me ad *Iuſtinum Martyrem, & Tertullianum*, &c. quid illi? an ullo modo dicunt, vel docent, quòd invocatio Sanctorum ſit vana, inutilis, & idololatrica, ut vos calumniamini, an ergo veſtram tradunt doctrinam?

Sed dicis: Non meminerunt inuocationis, ubi mentio facienda erat. Reſpondeo, quàm futile ſit argumentum ab authoritate negativa, conſtat novitiis Philoſophis, ſi dicatur: Ariſtoteles hoc ibi non dixit, ergo negavit?

2. Quid tibi Anonyme videtur, ſi dicatur: S. *Ioannes* poſt cœnam legalem, & lotionem pedum nullam facit mentionem inſtitutionis ſacræ Euchariſtiæ, vel cœnæ Domini, ubi maximè fieri debebat, ergo Joannes negavit Chriſtum S. Euchariſtiam inſtituiſſe? an hoc præſumitur, & concluditur? vide abſurditatem tuam.

Iterum ad propoſitum *Iuſtinus & Tertull.* ibi non meminerunt, quòd unus fidelis pro alio vivente oret, ergo non fuit in primitiva Eccleſia uſitata oratio pro aliis, vel invocatio. Vide, quàm turpiter argumenteris contra expreſſam S. Scripturam.

Hæc per ſe ſufficiunt ad falſitatem argumenti demonſtrandam. Verum tamen de *Iuſtino*, quid circa ſanctos Angelos ſenſerit, vide ſuprà allegata ex Apologia 2. paſſim, qualiter de cultu ſanctorum Angelorum profitebatur, quem magis deteſtamini, quàm illorum invocationem.

Ad *Epiphanium* ſuprà reſponſum eſt, quòd expreſsè agat de adoratione latriæ ſoli Deo de- V.
bitæ, quia vult oſtendere Filium Dei non eſſe creaturam, quia æqualiter cum Patre adoratur, &c. Cur hîc quæris, *ubi ſunt Sancti?* quia Sancti non adorantur latriâ, ſed ipſi nobiſcum ſolum Deum cultu latriæ adorant.

Ad illud quod dicis: *Multum & merito dubito, an apud antiquos voces illæ adorare, & inuocare non fuerint ſynonyma.*

Reſpondeo: Pudeat te, quòd in te tanta Fi-

Digitized by Google

dei allegas tuum dubitare, si tu dubites; cur ut Fidei rem allegas? & ex hoc dubio omnia probata vis?

Dicis, *Epiphanium* detestatum fuisse invocationem Sanctorum, vide Sculte. in medull. Patrum.

Respondeo: Si Sculcetus aliquid clariùs pro tua calumnia ex Epiphanio habuisset, utique illud hîc allegasses, vel allegare debuisses: ut non per tuum negativum discursum, vel tuum, *multum & merito dubito*, totam tuam hanc doctrinam probasses.

Ad ultimum quod dicis, *quàm belli hic sitis antiquitatis sectatores docebunt te Cham, Molin.* &c.

Respondeo: Si illi aliquid clariùs pro tua calumnia haberent, cur non unum vel alterum saltèm producis positivum argumentum, vel testimonium? ubi SS. Patres invocationem Sanctorum detestati sint, prout vos facitis, si illorum sectatores sitis. At dices, non potuerunt detestari invocationem Sanctorum, quia nullus veteris Ecclesiæ eam usurpavit, & planè ignota fuit.

VI. Respondeo: Contra Solem meridianum mentimini. Ecce, in S. Scriptura usurpatur invocatio Sanctorum, ut suprà ostensum est: *Invocetur nomen meum*, &c. Gen. 48. & *Memento Domine David*, &c. *Paulus toties invocat alios fideles, ut pro ipso orent*; quòd etiam invocatio Sanctorum defunctorum usitata fuerit etiam temporibus *Iustini*, & *Tertulliani*, ac *Epiphanii*, patet ex *Irenæo*, *Origene*, *Cypriano*, &c. qui iisdem sæculis vixerunt, præsertim cùm *Epiphanius* Anno 360. floruerit; & vide suprà antiquiores Patres tam clarè de invocatione Sanctorum loquentes, imò ipsa generalia Concilia prima, &c. Quis hæc videns non admiraretur summam impudentiam, & crassam Acatholicorum calumniam; quòd audeant dicere, piam antiquitatem cum ipsis contra invocationem Sanctorum sensisse? sed mirum non est, cùm corda obstinata & excœcata nihil curent. Jam videamus, quid tertius Anonymus proferat.

ARTICULUS III.

Respondetur ad reliqua argumenta tertii Anonymi contra invocationem Sanctorum.

I. HIc absolutè profitetur: Invocationem Sanctorum esse Idololatriam. Quod 1. probatum vult dicens: Precatiuncula illa ad D. Virginem Deiparam: *Salve Regina, Mater misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra salve. Ad te clamamus,* &c. *hæc, inquam precatiuncula sicut & alia multa, apud vos, tùm ad eandem, tum ad alios Sanctos demortuos, nihilque de nobis, quod statum nostrum præsentem, ejusq; singulares casus, & momenta concernit, scientes, usitata sunt idololatrica.*

Respondeo primò negando tales precatiunculas esse idololatricas, nec ullo modo B. Virginem, vel ullum Sanctum invocari, ut Deum, nec etiam ut Mediatorem, qui suâ authoritate nobis quicquam vel donet, vel impetret, ut jam clarissimè ostensum est: nec illa nomina *vita, spes nostra,* &c. alio sensu usurpantur, nisi quòd Christus per ipsam nobis datus, qui est vita, & spes nostra, & ipsa apud Christum plurimùm valeat; ut per illius intercessionem, sed tamen per merita, & interpellationem Christi, nobis à Deo omnia donentur, quæ petuntur.

Considera D. Anonyme, an illæ precatiunculæ excedant illa verba Moysi Exod. 32. v. 32. *Dimitte eis hanc noxam, aut, si non facis, dele me de libro vitæ,* &c. & Dominus ibid. v. 10. *Dimitte me, ut irascatur furor meus,* &c. quod Josue 10. v. 14. Dominus dicitur *obedisse voci hominis*, scilicet ob preces, & merita illorum, &c. Cur ergo in simili sensu B. Virginis intercessionem petere non liceat? An Idololatra Athanasius in Euang. de S. Deipara suprà relatus, ubi *Dominam & Reginam* dicit, & addit: *Ad te clamamus,* &c. *recordare,* &c. Vide suprà. An *Epiphanius* suprà relatus, qui B. Virginem dicit *Mediatricem cæli & terræ*?

An B. *Ephrem*, qui dicit: *Virgo Deipara, Regina omnium, spes desperantium,* &c. ut suprà.

An *Augustinus* qui serm. 2. de Annunciat. Dominæ dicit: *Auctrix peccati Eva, Auctrix meriti Maria,* &c. *Sancta Maria, succurre miseris,* &c. ut suprà. Ad aliud quod dicis: Sanctos nihil de nostro statu scire.

II. Respondeo: Id suprà satis ostensum est tam ex S. Scriptura, quàm ex sanctis Patribus: & dato quòd in particulari non scirent, quod falsum est; tamen ab Ecclesia eodem modo adhuc piè invocarentur, quia Deus rogatur, ut per Sanctorum intercessionem nostri misereatur: & Sancti orant pro tota Ecclesia, ut adversarii fatentur, & multò amplius in speciali pro illis, qui illorum intercessionem implorant.

Pergit Anonymus dicens: *Invocationis honor, quocunque in respectu creaturis religiosè defertur, est idololatricus, quia Deus sibi soli illum reservari aliquoties in verbo suo testatus est. Lege illud, & invenies, invoca me in die tribulationis, dicit Dominus ps.* 2. *Heb.* 50. v. 15. ubi etiam allegat aliqua loca de adoratione, ut: *Gloriam meam alteri non dabo* Isa. 42. &c. de quibus suprà.

Respondeo legi verba Psalm. sed ibi non legi ly *solum*, non dicitur: *Invoca me solum in die,* &c. quâ ergo authoritate illud addis S. Scripturæ; cùm Jacob expressè jusserit, ut nomen suum, & Patrum suorum invocetur Gen. 48. Ergo ex illis verbis malè concludis Idololatriam. Fatemur tamen aliter Deum, aliter Sanctos invocandos, ut suprà satis ostensum est. Et quidem si soli Deo invocationis honor religiosè deferendus, ergo Christus secundùm humanitatem religiosè non est invocandus? ergóne Idololatriam committunt, qui Christum qua hominem, ut Advocatum apud sanctissimam Trinitatem invocant? Vidésne falsitatem manifestam, & contradictionem? cùm tu ipse me jubes adire Christum Patronum efficacissimum, qualis etiam est, sed non secundùm divinitatem, sed secundùm humanitatem? ut suprà ostensum est.

III. Pergit D. Anonymus dicens: *Doce aliud mandatum Dei de invocandis mortuis, ostende super hac re promissionem; exhibe deniq; ullum Sanctorum, quotquot fuerunt, sive sub veteri, sive novo testamento ex S. Scripturæ exemplum, & eris mihi magnus Apollo.*

Respondeo: D. Anonyme ante me habuisti, & habes plures tales Apollines; si cor obduratum non haberes, sicut tui similes, non sic insultares: & quidem licèt mandatum vel promissio,

Digitized by Google

ſio, de invocandis Sanctis non eſſet, an ideo illicitè invocabuntur, cùm tu non habeas prohibitionem illius in ſacra Scriptura?

Dic obſecro, ſi tibi cauſa gravis coram Rege eſſet, an mandatum priùs expectares, vel promiſſionem, quàm amicum Regis pro interceſſione ſolicitares? nónne neceſſitate compulſus illius interceſſionem ſupplex orares? an ergo mandatum, & promiſſionem requiris, ut neceſſitate preſſi fideles recurrant ad interceſſionem Dei amicorum, ut pro nobis Deum orent: ſicut recurrimus ad alios fideles viventes, & peccatores, ut Deum pro nobis deprecentur?

Cur non ſufficiat generalis illa promiſſio pſ. 144. v. 19. *Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet*: Si hoc promiſſum eſt timentibus in terra, quantò magis Sanctis cum Chriſto regnantibus?

Reſpondeo 2. Interim mandatum habes in Job & in novo teſtamento de invocandis vivis, & exempla Pauli, &c. quòd ſi tuus falſus ſenſus conſtaret, ſcilicet Deum ſolum invocandum eſſe, & omnem aliam, quæ creaturis religioſè defertur, invocationem eſſe Idololatriam: certè hoc etiam concerneret viventes, qui viventes invocant, quia non aliter Sancti religioſè invocantur mortui, quàm vivi: atqui hoc falſiſſimum eſt contra expreſſam S. Scripturam: Habes ergo non ſolùm exemplum, & promiſſionem, ſed etiam mandatum Dei de invocatione fidelium viventium, ut ad objectionem 2. Anonymi fuſiùs oſtenſum eſt; adeóque abſtine à tali calumnia, ut idololatricam judices Sanctorum invocationem, & veritati, ſi ſapis, acquieſce.

IV. Dicis ulterius: *Diſtinctionem veſtram latreias, duleias, & hyperduleias, uti novum inuentum ignorauit pia vetuſtas. Pia vetuſtas Deum Patrem in nomine Chriſti, adeoque in ſpiritu, & veritate inuocare contenta, neque intelligit eam veſtrum vulgus, totam ſuam deuotionem, dum defunctos Sanctos inuocat, effundens in eoſdem, adeoque idololatriam committens, & exercens.*

Reſpondeo: De diſtinctione illorum nominum piam vetuſtatem nihil ſciviſſe, quàm craſſum ſit mendacium, ex ſuprà dictis patet, præſertim Auguſtino, qui clariſſimè dicit: Sanctos Martyres mortuos colimus, ſed non latriâ, ac proinde alio longè minori cultu, quem duliam vocamus, qualis creaturæ dari poteſt. Et certè, ſi tu illam diſtinctionem non admittas, quomodo excuſabis Abraham, qui populum terræ adoravit? Loth, qui Angelos? Jacob, qui juſſit nomen ſuum ſuper pueros invocari? Joannem in Apocalypſi cap. 6. qui ſeptem ſpiritus cum Deo, & Chriſto invocavit?

Si diſtinctionem in nomine *gloria* non agnoſcas, quomodo Scripturam conciliabis, cùm Dominus Iſa. 42. dicit: *Gloriam meam alteri non dabo.* Et pſ. 83. dicit Spiritus Sanctus: *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*, utique alteri, &c. de quibus & aliis nominibus, & verbis ſubinde Deo, ſubinde hominibus à ſacra Scriptura attributis, ut *adorare, ſervire, latria, dulia, &c.* ſæpius ſuprà demonſtratum eſt.

V. 2. Quod pia vetuſtas contenta fuerit Deum Patrem in nomine Chriſti invocare tanquam authorem omnium bonorum, verum eſt; & cum hoc moderna Eccleſia etiam contenta eſt: ſi verò intelligas, quòd Sanctos mortuos pia vetuſtas non invocarit, ut Deus per illorum interceſſionem daret gratiam; ita tamen, ut illorum interceſſio fundetur in meritis, & interceſſione Chriſti Salvatoris, ſicut etiam interceſſio viventium pro viventibus in illa fundatur, &c. apertiſſimum mendacium eſt, ut patet ex Conciliis, & Patribus allegatis.

3. Quòd vulgus non intelligat diſtinctionem inter invocationem Dei, & Sanctorum, & totam ſuam devotionem in Sanctos effundat, iterum craſſiſſimum eſt mendacium: Quis tam ſimplex inter Catholicos, qui invocet ipſam B. Virginem, ut Deum, quæ ſuâ authoritate largiatur, vel etiam impetret, & non potiùs, ut apud Deum intercedat? quod vulgaribus Litaniis, ubi ſanctiſſima Trinitas invocatur, ut miſereatur, B. Virgo, & omnes Sancti, ut orent pro nobis, utique apud Deum, quæ communior in vulgo oratio, quàm Dominicum Pater noſter, & oratio ad B. Virginem: Sancta MARIA ora pro nobis; idque ſemper per merita Chriſti, ut qui ſolus ſuo ſanguine nos redemit, & ſuâ authoritate, & jure, ac merito apud Patrem interpellat: Ecce impudens, & craſſiſſimum mendacium.

ARTICULUS IV.

Reſpondetur ad reliquâ argumenta illius Anonymi.

DIcis ulterius: *Vis patronum longè efficaciſſimum, adi Ieſum Chriſtum, uti ipſemet ſuadet Ioann. 16 v. 13. & quem unicum S Ioannes* 1. Epiſt. cap. 2. v. 1. *nobis commendat, etiam ſe inter peccatores incluſit, ne eodem illo Aduocato deſtitueretur, ſicut habet Auguſtinus in hunc locum: Vide etiam eundem* lib. de cura pro mortuis, cap. 13. I.

Reſpondeo illum unicum patronum & Advocatum, qui *ſolus eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & totius mundi*, agnoſcit ſancta Eccleſia Catholica, prout ſuprà copioſiſſimè oſtenſum eſt, & fatetur cum D. Auguſtino in pſ. 108. edit. Baſil. 1528. dicens: *Oratio, quæ non fit per Chriſtum, non ſolùm non poteſt delere peccatum, ſed ipſa fit peccatum*; ſic Eccleſia omnes orationes terminat per Chriſtum Dominum; & ſi aliquæ non explicitè ſic fiant, ſemper implicitè intelliguntur, &c. hæc tamen non excludunt invocationem Sanctorum, ut per Chriſtum & illius merita pro nobis orent, & hoc D. Auguſt. ſuprà toties allegatus profitetur, quòd *Martyrum memoria non celebrentur, ut pro eis oremus, ſed magis, ut ipſi pro nobis orent.*

Nec his obſtat diſcurſus *Auguſtini* lib. de cura pro mortuis, cap. 19. ubi diſputat, an mortui naturaliter intelligant noſtra. Videas ipſum ibidem cap. 15. 16. & ſeqq. ubi ex ſacra ſcriptura oſtendit, quòd mortui Sancti per divinam voluntatem ſæpe adſint hominibus, &c. ut ſuprà oſtenſum, ſed nullatenus ibidem negat Sanctos invocandos, ut pro nobis orent, quod probandum erat, per totum illum librum illud ſæpius exprimit, & ſupponit, ut ſuprà relatum eſt, ut mirum ſit quâ fronte D. Anonymus illum librum Auguſtini contra invocationem Sanctorum allegare audeat.

Pergit Anonymus ſua volens probare ex Patribus dicens: *Lege etiam Epiphanium hæreſi 78.* II.

veu-

Digitized by Google

revera, ait, *Virgo erat ipsa B. Virgo, & honorata, sed non ad adorationem nobis data*, &c. *Adde huic Chrysostomum de profectu Evangelii caeterum*, inquit, *non opus est Patronis apud Deum, neque multo discursu, & ut blandiare aliis, sed licet solus sis Patronoque careas, & per te ipsum Deum preceris, omnium voti compos eris*, &c.

Respondeo ad locum *Epiphanii* suprà agendo copiosè dictum est, & ostensum, quòd de adoratione latriae soli Deo debitae ibidem agat contra mulieres haereticas, & tamen cultum, quem Ecclesia B. Virgini defert, ibidem profitetur dicendo: *Sit in honore Maria*, &c. vide suprà.

Chrysostomum, nescio, quâ audaciâ in contrarium D. Anonymus alleget, qui tam clarè tot locis SS. Martyres, & Apostolos invocandos dicit, illos Patronos, & defensores etiam Imperatorum nominat, ut suprà fusè relatum est.

Et quidem ad verba illa allegata 1. respondeo: Si per illa Anonymus velit, quòd illicitum & idololatricum sit, requirere aliquem Patronum apud Deum, certè contra sacram Scripturam expressam loquitur, sic enim illicitum esset, etiam viventes fideles rogare, ut Deum pro nobis orent, sed singuli tantùm pro se ipsis orare deberent.

Respondeo 2. Si verba Chrysostomi intelligantur, ut verè intelligenda sunt, quòd non sit necessarium, ut priùs Sanctos invocemus, quàm Deum oremus, hoc S. Ecclesia Catholica profitetur, & ideo Concil. Trid. dicit, esse *pium & utile*; non verò necessarium, quod tam bene vivos, quàm Sanctos defunctos concernit. Quòd verò *Chrysostomus* non reputet invocationem Sanctorum inutilem, vel contemnendam, sed etiam humiliter usurpandam, patet ex locis suprà allegatis; sola autem intentio isto loco est Chrysostomi, ut fideles non totaliter se orationibus aliorum viventium committant, & ad illos discurrant, ut illis blandiantur, sed ipsimet etiam bene vivant, & orent. Hanc esse mentem illius patet ex hom. 5. in Matt. edit. Basil. 1558. ubi sic ait: *Non igitur oscitantes, & desides ex aliis pendeamus, habent enim vim pro nobis, & quidem maximam* (NB) *Orationes supplicationesq; Sanctorum; sed tunc cùm nos quoq; poenitentiam egerimus, & meliores reddemur.*

Item hom. 1. in 1. ad Thessal. eâd. edit. in persona alterius sic quaerit: *Et quae necessitas est, inquit, ut alius pro me oret, si ipse bene placuero? nunquam hoc dixeris homo; necesse est, & multa prece necesse est.* Et ibidem infrà: *His itaq; cognitis, nec Sanctorum preces contemnamus, neq; totum in illos projiciamus*, &c. haec ille. Quid clariùs?

III. Demum D. Anonymus quasi per haec testimonia vicisset, sic concludit: *Si tua paternitas his contenta esset, prout merito deberet, non opus esset tam anxie hinc inde conquisitis pro antiquitati prisca ignota demortuorum invocatione, excusationibus, distinctionibus, similitudinibus, & nescio qualibus, praeterea quàm multis absurditatibus, de quibus etiam inter eos mutua sunt digladiationes, alteris speculum Trinitatis statuentibus, alteris negantibus, adeoque nihil certum de precum suarum ad Sanctos habitarum exauditione scientibus*, &c. haec ille.

Respondeo magis D. Anonyme: Tuam illam impudentiam, & jactantiam, calumniamque mirarer, nisi consuetum vestrum obduratum in rebus Fidei animum scirem; quâ fronte dicis, me debere tuis mendaciis, & calumniis contra Catholicam veritatem acquiescere ob ea, quae allegasti, testimonia; jam ostensum est ex ipsa S. Scriptura, quòd loca S. Scripturae à te allegata in minimo non obstant invocationi Sanctorum, ut ipsemet fateri debes, si Scripturam mendacii, & contradictionis arguere nolis. *Augustinum* lib. de cura pro mortuis, saepissime invocationem, & intercessionem sanctorum Martyrum tradere, & supponere etiam ostensum est. *Epiphanium* cultum B. Virgini ab Ecclesia exhibitum non damnare, sed suadere fateri debes, ut ex locis suprà allegatis evidens est.

Chrysostomum ubi tuisque planè contrarium esse, manibus palpari potest. Si ergo illos audire, & sequi, ut decet, me jubeas, tuas calumnias, & mendacia detestari debeo.

Quòd dicis, *Invocationem antiquitati priscae ignotam*, clarissimum est mendacium, ut ex tot SS. Conciliorum, & Patrum testimoniis patet.

Demum, quòd dicere audeas: *Anxie hinc inde conquisitis excusationibus, & distinctionibus nos uti, & inter nos esse absurditates, & digladiationes nihilq; certum de precum ad Sanctos exauditione scire vel habere.*

Respondeo: Haec merae calumniae, & aperta mendacia sunt, constat doctrina Catholica ex Concil. Trid. suprà allata, de qua omnes Catholici certissimi sunt, & conveniunt, & quidem licèt de exauditione precum ab ipsis Sanctis in particulari & ubivis factarum percepta, qualiter sancti preces audiant, sive in verbo ut speculo, sive per revelationem Dei, particulariter vel in generali Deo commendatas pro particularibus fidelium necessitatibus aliqui Doctores salvâ Fide disputent, omnes tamen fatentur moraliter certissimum esse Sanctos preces exaudire, prout suprà satis ostensum est, nec tamen ideo minus invocatio Sanctorum & illorum apud Deum pro nobis in particulari oratio certa ab omnibus creditur; sicut etiam circa mysteria sanctissimae Trinitatis, & incarnationis salvâ Fide multa in particulari disputantur, ut suprà etiam dictum est. IV.

Distinctiones quoad cultum Deo, & Sanctis exhibitum in sacra Scriptura & sanctis Patribus fundatas copiosè suprà ostendimus. Illa ergo, quae Ecclesia Catholica de Fide certa universaliter credit, & docet, ab Anonymo improbanda erant, quod minimè factum est, nec fieri potest.

CONCLUSIO.

I. Videat ex his candidus Lector, quàm falsò & impudenter Acatholici Ecclesiam Catholicam arguant. Primò Idololatriae, dum Sanctos cum Christo regnantes, ut pro nobis orent, invocat. 2. Dum negant hunc invocandi modum piae antiquitati fuisse cognitum. 3. Dum asserunt hanc invocationem esse ad minus vanam, & inutilem, & Christo Salvatori injuriosam. Ut autem haec omnia clariùs pateant, ad oculum sequentes ponuntur Antitheses.

***

ANTI-

Digitized by Google

ANTITHESES,

In quibus doctrina Eccleſiæ Catholicæ Romanæ circa invocationem Sanctorum cum SS. Patribus conformitas, & Acatholicorum difformitas exhibetur:

I. SAncti Patres docuerunt, ſolum Deum trinum & unum invocandum eſſe, ut authorem, & largitorem omnis boni. *Ita etiam Eccleſia Catholica.*

Acatholici contrarium Eccleſiæ falſiſſimè imponunt.

2. *SS. Patres docent & credunt*, Chriſtum Dominum eſſe unicum Redemptorem, & Mediatorem, ac Advocatum noſtrum apud Patrem talem, qui ſuo ſanguine nos redemit, qui ſuis propriis meritis, ſuâque authoritate, & jure ſuo apud Patrem pro hominibus intercedat, & per quem ſolum omnia, quæ à Deo hominibus dantur, dona & gratiæ proprio jure impetrantur. *Ita etiam credit & docet Eccleſia Catholica.*

Acatholici cum Calvino contra clarum Solem Eccleſiæ imponunt, quòd plures cum Chriſto mediatores ipſi æquales, & interceſſores invocet.

3. *SS Patres non docuerunt*, quòd Sancti ulli, etiam B. Virgo neceſſariò ſint invocandi, vel quòd per ipſam acceſſus apud Deum ſit neceſſariò quærendus, vel preces, alioquin Deo ignotæ per illos præſentandæ. *Eccleſia Catholica etiam hoc non docet.*

Acatholici contrarium Eccleſiæ falſiſſimè imponunt.

4. *SS. Patres docent*, quòd Sancti omnes, quicquid habent, vel à Deo impetrant, id ſolùm in virtute meritorum Chriſti, vel per Chriſtum obtineant. *Ita etiam docet Eccleſia Catholica.*

Acatholici contrarium Eccleſiæ imponunt.

5. *SS. Patres docuerunt*, quòd Sancti cum Chriſto viventes & regnantes pro fidelibus in terris non tantùm in genere, ſed etiam in ſpeciali pro ſingulis orent. *Ita etiam docet Eccleſia Catholica.*

Acatholici hoc prorſus negant contra S. Scripturam, & SS. Patres.

II. 6. *SS. Patres docuerunt*, quòd bonum & utile ſit Sanctos cum Chriſto regnantes ſuppliciter invocare, ut apud Deum per Chriſtum pro fidelibus intercedant eo prorſus modo, quo etiam unus fidelis alium fidelem viventem invocat, licèt certiùs & ſecurius. *Ita etiam docet S. Eccleſia.*

Acatholici id prorſus negant, & in injuriam Chriſti id fieri contendunt, contra expreſſam SS. Patrum doctrinam, & S. Scripturam, ex qua conſtat, quòd Paulus invocarit alios fideles, ut pro ipſo orarent citra injuriam Chriſti.

7. *SS. Patres docuerunt*, quòd Sancti cum Chriſto regnantes ſint Patroni, & Advocati fidelium apud Chriſtum, & Deum Patrem, ut per Chriſtum veniam, & gratiam obtineant, eo modo, quo etiam unus fidelis pro altero apud Deum intercedens Mediator exiſtit, ut Moyſes & alii. *Ita etiam docet Eccleſia.*

Acatholici id prorſus Chriſto injurioſum eſſe volunt ſibi ipſis, & S. Scripturæ contrarii; cùm fateri debeant, quòd unus fidelis licitè pro altero apud Deum intercedat, & oret, adeóque ſic mediator exiſtat.

8. *Etſi SS. Patres non expreſſè doceant*, quòd Sancti cum Chriſto regnantes fidelium omnium orationes etiam cordetenus conceptas in particulari cognoſcant, & audiant, conſtanter tamen aſſerunt Sanctos fidelium curam habere, è cælo res noſtras inſpicere, & laborantibus manum porrigere, fideles cuſtodire, ut ex Gregorio, Nazianz. Chryſoſtomo, Ambroſ. Hilario oſtenſum eſt. *Ita etiam Eccleſia Catholica* non definivit, quòd Sancti omnes omnino fidelium orationes audiant, ſupponit tamen id Deo eſſe poſſibile, & Sanctos fidelibus orantibus ſubvenire.

Acatholici autem iſta cum Calvino rident, qua- III.
ſi Sancti aures ex cælo in terram porrectas habere debeant, vel oculos naturaliter perſpicaces; divinæ omnipotentiæ nihil tribuunt, qui volentes nolentes fateri debent, quòd *Humanitas Chriſti invocanda ſit, & ipſa preces fidelium percipiat*, licèt nec aures naturales porrectas, nec oculos corporis tam perſpicaces habeat; ſicut ergo Chriſti humanitas divinâ virtute omnia perſpicit, & cognoſcit, cur eâdem Dei virtute Sancti aliquas preces ad ipſos directas non cognoſcerent, quomodo gaudebunt de peccatore pœnitentiam agente, ſi pœnitentiam ignorent? Nos cum SS. Patribus prædictis hæc credimus, quicquid Acatholici cum *Vigilantio heretico*, olim ab Eccleſia damnato, calumnientur.

Cùm ergo prædicta omnia ab Eccleſia Catholica docta, & credita taliter ex ſacra Scriptura conſtent, & in Eccleſia antiqua uſurpata ſint, & à SS. Patribus tradita, injurioſiſſimum, falſiſſimum, & turpiſſimum eſt, Catholicam Eccleſiam Idololatriæ in his arguere, vel invocationem Chriſto Domino injurioſam eſſe, aut illam piæ antiquitati ignotam fuiſſe, aſſerere.

FINIS LIBRI SEXTI.

LIBER VII.

De veneratione Reliquiarum & imaginum Sanctorum.

I. QUia Acatholici Eccleſiam Catholicam Idololatriæ damnant, quòd doceat pio & plus quàm civili cultu venerandas eſſe Reliquias, & imagines Sanctorum cum Chriſto regnantium: inter alios articulos etiam iſtum propoſui D. Vexillifero Anglo probandum: ut ſcilicet oſtenderet, quòd ſancti Patres primitivæ Eccleſiæ hanc venerationem Idololatriæ damnarint, quantum autem tres illi Anonymi partes D. Angli agentes defecerint, patebit.

CAPVT I.

Referuntur ſententiæ circa venerationem ſanctarum Reliquiarum.

ARTICULUS I.

Quid Acatholici de cultu Reliquiarum ſenſerint.

I. INter Chriſtianos primò Reliquias Martyrum deteſtati ſunt *Manichæi*, & *Marcioniſtæ dicentes*, *Martyrum corpora eſſe abominabilia*. Quam hæreſim dicit B. Magnes infrà allegandus.

Ariani ſimiliter Reliquias Martyrum abominantur, nec ulla miracula ad illarum præſentiam fieri credebant; ut refert ſanctus *Ambroſius* ſerm. 91. de SS. Gervaſio & Prothaſio, ut infrà patebit.

S. *Hieronymus* lib. contra Vigilantium refert, quòd *Eunomius*, & poſt ipſum *Vigilantius* Reliquiarum cultum impugnarint, & *quod hæc hæreſis ſit ab Eccleſia damnata*.

II. Hos ſecutus eſt *Ioannes VVicleff* in articulis Conſtantiæ damnatis.

Martinus Lutherus in Poſtilla de Exaltatione S. Crucis, ſic ait: *Quidquid dixi de S. Cruce, intelligi debet de omnibus Sanctorum Reliquiis, Reliquiæ enim nihil aliud ſunt, quàm fraudes, & ſeductiones fidelium, quare omnia oſſa in terram defodiantur*, &c. ubi laudat *Vigilantium* idem feciſſe, & putat Vigilantium, ſi ſcripta extarent, chriſtianiùs de hoc ſcripſiſſe, quàm Hieronymum.

Idem in admonitione de perquirendis Reliquiis venerationem illarum apertam appellat Idololatriam.

Brigtmannus in Apocal. cap. 11. v. 8. illam non minùs idololatricam dicit, ac impiam, & turpem, quàm fuit olim Ægyptiorum bovem, felem, crocodilum, &c. colentium.

III. *Calvinus* lib. de Neceſſitate reformandæ Eccleſiæ dicit de Romanis: *Non ſolùm Sanctos Chriſti loco adorant, ſed etiam eorum Oſſa, veſtes, calceos, ſimulacra*, &c.

Lutherani Magdeburg. in pſ. 6. centuriæ etiam Eccleſiæ imponere audent, quòd Reliquias, ac ſi viverent, invocet, & divino honore afficiat.

ARTICULUS II.

Doctrina Eccleſiæ Catholicæ de veneratione SS. Reliquiarum.

HAnc tradit Concil. Trident. ſeſſ. 26. dicens: *Mandat S. Synodus*, &c. *ut juxta Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ uſum à primævis Chriſtianæ religionis temporibus receptum*, &c. *imprimis*, &c. *de Reliquiarum honore*, &c. *fideles diligenter inſtruant, docentes eos*, &c. *Sanctorum quoque Martyrum, & aliorum cum Chriſto viventium SS. corpora, quæ viva fuerunt Chriſti membra, & templum Spiritûs Sancti ab ipſo ad æternam vitam ſuſcitanda, & glorificanda, à fidelibus veneranda eſſe, per quæ multa beneficia à Deo Fidelibus præſtantur, ita, ut affirmantes Sanctorum Reliquiis venerationem, atque honorem non deberi, vel eas aliaque ſacra monumenta à Fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandæ causa Sanctorum memorias fruſtra frequentare, omnino damnandos eſſe, prout jam pridem eos damnavit, & nunc etiam damnat Eccleſia*, &c. hæc Concil. ubi cauſas æquiſſimas, cur corpora Sanctorum honorentur, allegat. Similes reſpectus ad Sanctos etiam militant pro aliis Sanctorum monumentis, ut ſepulchris, veſtibus, baculis, aliiſque inſtrumentis, quibus Sancti uſi ſunt, vel per quæ martyria ſubierunt. Quòd autem hic Reliquiarum honor in S. Scriptura fundetur, & ab initio Eccleſiæ, ut Concilium tradit, receptus, & uſurpatus fuerit, oſtendemus. I.

CAPUT II.

Veneratio SS. Reliquiarum probatur.

ARTICULUS I.

Doctrina Catholica probatur ex sacra Scriptura.

I. Consultum existimo imprimis hanc veritatem non meis, sed S. Hieronymi verbis ex S. Scriptura demonstrare: ipse enim in Epist. ad Ripar. edit. Basil. 1558. sic scribit: *Ait Vigilantium, qui rectiùs Dormitantium diceretur, os fœtidum rursus aperire, & putorem spurcissimum contra SS. Martyrum proferre Reliquias, & nos, qui eas suscipimus, appellare Cinerarios, & Idololatras,* (videant Acatholici, qualiter hîc repræsententur) *qui mortuorum hominum ossa veneremur. O infelicem hominem, & omni lachrimarum fonte plangendum, qui hæc dicens, non se intelligat esse Samaritanum & Iudæum, qui corpora mortuorum pro immundis habent,* & infrà: *Nos autem non dico Martyrum Reliquias, sed ne Solem quidem, & Lunam, non Angelos, non Cherubim, non Seraphim, & omne nomen quod nominatur, & in præsenti sæculo, & in futuro colimus, & adoramus, ne serviamus creaturæ potiùs, quàm Creatori, qui est benedictus in sæcula. Honoramus autem Reliquias Martyrum, ut eum* (NB) *cujus sunt Martyres adoremus; honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum, qui ait: Qui*
II. *vos suscipit, me suscipit,* &c. Ecce mentem Ecclesiæ circa cultum Reliquiarum. Post hæc Hieronymus arguit ex sacra Scriptura dicens: *Ergo Petri, & Pauli immundæ sunt Reliquiæ; ergo Moysi corpusculum immundum erit, quod juxta Hebraicam veritatem ab ipso sepultum est Domino, & quotiescunq; Apostolorum, & Prophetarum, & omnium Martyrum Basilicas ingredimur* (Ecce Basilicas Martyrum) *toties Idolorum templa veneramur? accensiq; ante tumulos eorum cerei, Idololatriæ* (NB) *insignia sunt?* & infrà: *Si non sunt honorandæ Reliquiæ Martyrum, quomodo legimus, pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus? Si ossa mortuorum polluunt contingentes, quomodo Elisæus mortuus mortuum suscitavit?* 4. Reg. 13. v. 21. *Et dedit vitam corpori, quod juxta Vigilantium jacebat immundum? ergo omnia castra populi Dei fuêre immunda, quia Ioseph, & Patriarcharum corpora portabant in solitudine, & ad sanctam terram immundos cineres pertulerant.* Exod. 13. & Jos. 24. *Ioseph quoque, qui in typo præcessit Salvatoris nostri, sceleratus fuit* (NB) *qui tanta ambitione Iacob in Hebron Ossa portavit, ut immundum patrem avo, & atavo sociaret immundis, & mortuum mortuis copularet?* Gen. 50. *O præcidendam linguam!* &c. & infrà: *Iterum dicam: ergo Martyrum immunda sunt Reliquiæ & quid passi sunt Apostoli, ut immundum Stephani corpus tanta funeris ambitione præcederent,* &c. Act. 8. hæc Hieronymus.

III. Etsi autem Acatholici excipere possint, se non reputare corpora Martyrum immunda, sed non esse veneranda, Hieronymus tamen ex hoc deducit, quòd *Vigilantius,* & ejus sectatores corpora immunda judicent, quicquid tamen sit de hoc, patet ex locis allegatis, quòd in sacra Scriptura Sancti corpora Sanctorum singulari honore affecerint, & quòd Deus ipse corpus Moysis honorarit, sicut & corpus Elisæi per illius contactum excitando mortuum, nobis Sanctorum corpora honorandi occasionem dederit: patet etiam ex Hieronymo, quòd Vigilantius ob venerationem Reliquiarum Catholicos Idololatriæ damnarit, prout etiam faciunt Acatholici moderni, ac proinde consentiunt sectatores cum Vigilantio olim damnato, &c.

Probatur secundò veritas Catholica ex honore, qui Arcæ fœderis in veteri testamento est exhibitus, de qua dicitur ps. 98. *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est*: nam, licèt D. Augustinus spiritualiter illa verba explicet de Carne Christi Salvatoris, ad literam tamen intelligitur de arca Testamenti, ut constat 1. Paralip. 28. v. 2. ubi David ait: *Cogitavi, ut ædificarem domum, in qua requiesceret Arca fœderis Domini, & scabellum pedum Dei nostri,* &c. quæ ideo scabellum pedum Domini vocabatur, quia super illam erat propitiatorium, quod vocabatur Sedes Dei, quam manibus tenebant duo Cherubim, quod colligitur ex diversis locis Scripturæ, præsertim 2. Reg. 6. v. 2. ubi dicitur: *Vt adducerent Arcam Dei, super quam invocatum est nomen Domini sedentis in Cherubim super eam,* &c. Ex his evidens est, quòd specialis cultus debebatur Arcæ fœderis, quæ creatura inanimata erat; solùm, quia dedicata erat ad Dei honorem, & in ea Tabulæ Decalogi continebantur; quantus autem illi honor exhibitus fuerit, patet Josue 3. v. 4. ubi prohibebatur populus à Josue appropinquare Arcæ dicente: *Sitque inter vos, & Arcam spatium cubitorum decem millium,* &c. Et 1. Reg. 6. v. 19. *Percussit de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent arcam Domini, & Oza, quia temerè manum extendit ad arcam, percussus est à Domino.* 2. Reg. 6. v. 7. Quis neget, quòd Deus voluerit Arcæ specialem exhiberi honorem, & reverentiam, quæ religiosa, & non tantùm politica esset, cùm non ad civilem dignitatem, sed ad Dei honorem vergeret?

Probatur tertiò ex locis Scripturæ, ut Exod. 3. v. 5. ubi Dominus ad Moysen ait: *Solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, terra sancta est.* Similiter Angelus Josue 5. v. 13. dicit Josue: *Solve calceamentum tuum de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, sanctus est.* Ecce loca sancta, & ita veneranda jussu Dei, & Angeli, &c.

Probatur quartò ex illo Isai. 11. v. 10. ubi dicit de Messia: *Ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum ejus gloriosum.* Quòd locus ille de Christo intelligatur, patet ex Apostolo ad Rom. 15. v. 12. At verò prophetia non tantùm intelligebatur de Domini sepulchro pro triduo, quo in illo corpus jacebat, cùm tunc non glorificabatur, sed tempore sequenti, quo gentes illud venerantur ab initio Ecclesiæ, ut patet ex sancto Hieronymo Epist. ad Marcellam cap. 3. edit. Basil. 1555. quam hortatur ad migrandum in Beth-

IV.
V.
VI.
VII.

Digitized by Google

Bethlehem, ubi juxta prophetiam Isaiæ sepulchrum honoraret; addens: *Venerabantur quondam Iudæi Sancta Sanctorum,&c. nonne tibi venerabilius videtur sepulchrum Christi, quod, quotiescunque ingredimur, toties jacere in sindone cernimus Salvatorem*, &c. patet etiam ex D. Augustino lib. 22. Civ. cap. 8. circa medium edit. Basil. 1528. ubi dicit: *Acceperat* (vir tribunitius) *ab amico suo terram sanctam* (NB) *de Hierosolymis allatam, ubi sepultus Christus die tertio resurrexit, eamque suspenderat in cubiculo suo* (an Acatholici id superstitionis non arguerent?) *ne quid mali etiam ipse pateretur; at ubi domus ejus ab illa infestatione purgata est, quid de illa terra fieret, cogitabat, quam diutius in cubiculo suo* (NB) *reverentiæ causa habere nolebat: fortè accidit, ut ego, & collega tunc meus Episcopus Synecensis Ecclesiæ Maximinus in proximo essemus, ut veniremus, rogavit, & venimus; cùmque nobis omnia retulisset, etiam hoc petiuit, ut infoderetur alicubi, atque ibi Orationum locus fieret, ubi etiam possent Christiani ad celebranda, quæ Dei sunt, congregari: non restitimus, factum est; erat ibi juvenis Paraliticus rusticanus, qui hoc audito petiit à parentibus suis, ut illum ad eum locum sanctum non cunctanter afferrent, qui cùm fuisset allatus, oravit, atque inde continuò pedibus sanus abscessit*, &c. hæc Augustinus.

Ecce, quanta olim reverentia, etiam erga terram ex S. sepulchro allatam: quam Deus tanto miraculo approbavit.

VIII. Probatur 5. ex locis novi Testamenti, & 1. Matth. 9. v. 21. Christus Emorroissam, quæ cum fiducia fimbriam vestimenti ipsius tangebat, non Idololatriæ, vel superstitionis arguit, sed confirmavit, & sanavit dicens v. 22 *Confide Filia, Fides tua te salvam fecit*: An non cum reverentia mulier vestem attingebat, quia Christi erat? Cur ergo aliquis eadem cum reverentia, & fiducia vestem, quâ Christus vitæ mortalis suæ tempore usus fuit, attingens, superstitiosus esset? cùm sepulchrum Domini, in quo tantùm triduo jacuit, usque modò gloriosum, & sanctum sit.

Secundò probatur ex Act. 5. v. 15. *Credentes in plateas ejiciebant infirmos, ponebant in lectulis, ac grabatis, ut veniente Petro, saltem umbra ejus obumbraret quemquam illorum, qui curabantur omnes*.

Item Actorum 19. v. 11. *Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita, ut etiam super languidos deferrentur à corpore ejus sudaria, & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur*, &c. quid minus ad hominem spectat, quàm umbra? quid vilius sudario, & tamen Deus per hæc, populi devotionem miraculis probavit, & Apostoli non contradixerunt: de utroque sic ait Chrysostomus serm. 35. de virtutibus edit. Basil. 1558. & 1547. tomo 5. dicens: *Pauli vestes morbos fuderunt, Petri umbra mortem fugarunt, sanctorum Martyrum cinis improbos dæmones expulit*, &c. Demum Joann. 5. v. 2. expressè dicitur, quòd in piscina Bethsaida ad descensum Angeli mota aqua, qui primus in illam descendisset, sanus fiebat, anne hæc superstitio erat?

IX. Ex his sacræ Scripturæ locis evidens est, venerationem Sanctorum corporibus, vestibus, & locis exhibere non superstitiosum, idololatricum, & impium esse; quin potiùs pium, & religiosum: quod ipsum Ecclesia Græca, & Latina ab exordio probavit, & exercuit, ut patebit.

ARTICULUS II.

Ostenditur Catholica doctrina ex Conciliis, & Patribus Græcis.

Concilium Gangrense Anno 336. cele- I.
bratum contra Eustathianos, qui memorias seu loca Martyrum, ne corpora eorum venerari viderentur, ingredi contemnebant can. 20. sic decernit: *Si quis conventus, qui per loca & Basilicas Martyrum fiunt, accusaverit, memoriasque* (seu Basilicas) *Sanctorum contemnendas putarit, Anathema sit*, &c.

Concilium generale Nicænum 2. act. 3. edit. Co- II.
lon. 1538. Reliquias vocat fontes salutares, quibus Deus multa beneficia hominibus præstat, & act. 7. jubet Laicum excommunicari, qui reliquias Martyrum contemnit, & non ut rem sacram cum honore tractat.

Iustinus Martyr quæst. 28. ad Orthodoxos III.
Heidelbergæ 1593. edita. Ubi contra Græcos Ethnicos sic ait: *Quomodo multo absurdissimum non est; pura quidem ista* (corpora animalium mactatorum) *usus eorum gratiam existimari; abominationi vero Græcorum subdita esse Sanctorum corpora, & sepulchra Martyrum, quæ & dæmonum amoliuntur insidias, & morborum ab arte medica comploratorum conferunt sanationes*, &c. quid ad hæc dicit D. Anonymus tantopere in Justino gloriatus?

Ecclesia Smyrnensis circa Annum 150. in Epist. IV.
ad Ponti Ecclesias sic scribit: *Nos D. Polycarpi ossa potiora lapillis pretiosis, auroq; puriora ex cineribus sublata eo loco reposuimus, qui illis erat decorus, consentaneusq;*, &c.

De his scribit *Euseb.* lib. 4. Hist. c. 15. edit. Ba- V.
sil. 1549. quòd *Ethnici à Iudæis submoniti, Præsidem exorabant, ne corpus Polycarpi cuiquã daret, ne Christiani* (inquiunt) *crucifixo illo derelicto, hunc venerari inciperent*, &c. Polycarpus autem martyrium circa Annum Domini 142. subiit discipulus Joannis Evangel. unde patet, quali tunc reliquiæ in honore fuerint. Quod ibi fusius Euseb. describit.

Idem *Eusebius Cæsar.* circa Annum 320. ibidem scribit, mare mirabile ejecisse Martyris corpus, utpote tam sacrum pondus sustinere non valens, dicens: *Simul ac* (infideles) *S. Martyrem Apphianum medio mari in profundissimos vortices conjecerant, ex improviso tanta procella non usitata*, &c. *se diffundebat, ut cum terra concuteretur, uno cum isto mirando, & repentino terræ motu ipsum mare Martyris cadaver, utpote tam sacrum pondus* (NB) *sustinere non valens, ante portas civitatis ejecerit*, hæc ille.

Idem lib. 7. cap. 14. edit. Colon. at verò edit. Basil. Anno 1549. cap. 19. & alterius Basil. Anno 1587. cap. 18. sic scribit: *Iacobi Apostoli cathedram ad istud tempus servatam Episcopi, qui illi ordine successerunt, pro magno æstimant; unde declararunt perspicuè quemadmodum veteres Patres* (NB) *ad nostram usq; ætatem sanctis viris ob eorum veram erga Deum pietatem, debitam venerationem, & tribuerint, & tribuere non cessent*.

Idem

Idem de præp. Euang. l. 13. c. 7. ed. Baſ. 1549. dicit: *Hæc nos quotidie factitamus qui veræ pietatis milites, ut Dei amicos venerantes, ad monumenta quoq; eorum accedimus* (NB) *votaq; illis facimus, tamquam veris Sanctis, quorum interceſſione apud Deum non parum adjuvari profitemur*, &c. hæc ille.

VI. *S. Athanaſius* in vita S. Antonii circa finem edit. Pariſ. 1581. ait: *Legatarius Antonii benedicti, qui tritum pallium cum melote imperio ejus meruerat accipere, Antonium in Antonii muneribus amplectitur, & tanquam magna hæreditate ditatus, latanter per veſtimentum recordatus imaginem ſanctitatis*, &c. hæc ille.

VII. *Magnes* circa annum 350. lib. 4. contra Theoſtonem ſic ait: *Oſſa Prophetarum, non ſunt oſſa mortuorum, quia Deus non eſt, niſi vivorum, de his ſcriptum eſt: Conſervat Dominus oſſa eorum: manifeſtum eſt itaq;, quod oſſa Sanctorum non ſunt mortua, ſed plena virtute: ſi enim fimbria propter illum, qui ferebat illam, credentibus dedit virtutem ſanitatis, & ſolo tactu curationem fecit, quomodo non dicamus Sanctos fimbriis inanimis honoratiores non poſſe iis, qui ſine ulla dubitatione credunt tribuere meliora, quibus Chriſtus, dum in corpore vivebant, tanquam veſte induebatur, & poſt mortem tanquam purpuram honore dignitatis regalis affecerit?* & infrà: *Manichæi, & Marcionis hæreſis fuit* (NB) *corpora Martyrum abominabilia eſſe; at pretioſa, inquit ſcriptura, in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus; quod ſi pretioſa, & honorabilis apud Deum, quomodo non eſſe apud homines ab impoſtoribus audiemus?* hæc ille. Quid clariùs dici poteſt pro honore reliquiarum, & de cauſa illas honorandi?

VIII. *Baſilius Magnus* hom. in pſ. 115. edit. Antwerp. 1568 ſic ait: *Pro legis Judaicæ ritu ſi qui moriebantur, horum morticina habebantur abominationi, contra mors ſi cuipiam irrogatur pro Chriſti nomine, pretioſæ cenſentur reliquiæ Sanctorum ejus. In priore lege dicebatur Sacerdotibus non contaminabitur ſuper illo mortuo; nunc è diverſo, Martyris oſſa quiquis attigerit, ob gratiam corpori inſidentem, fit quandantenus ſanctificationis particeps*, &c. hæc ille.

Idem Orat. in Martyrem Julittam ait: *Corpus Julittæ honore* (NB) *præcipuo venerabile aſſervavit*, &c. ubi plura beneficia ubi inde præſtita extollit.

IX. *Cyrillus Hier.* Catecheſ. 18. circa medium edit. Colon. 1564. ſic ait: *Ut autem non ſolum anima Sanctorum honoretur, credaturq;, quod etiam in corporibus mortuorum ineſt virtus, ſeu potentia, jacens in ſepulchro Heliſæi mortuum, mortuumq; corpus Prophetæ attingens vivificatur, exhibensq; alteri vitam, ipſum nihilominus mortuum permanſit qua de cauſa? ne ſi reſurrexiſſet Eliſæus, factum illud ſoli animæ adſcribatur; & ut demonſtretur, quod abſente etiam anima ineſt virtus quædam ejuſmodi corporibus Sanctorum, propter tot annorum inhabitantes in illis animas juſtas, quorum miniſterio uſa ſunt; neq; diffidamus, ut rerum ignari, fieri iſtud; ſi enim ſudaria & ſemicinctia* (NB) *extra corpus exiſtentia contacta ab ægrotis liberabant illos ab infirmitate, quanto magis corpus Prophetæ mortuum ipſum excitavit*, &c. hæc ille.

X. *Greg. Nyſſen.* Orat. in S. Theodorum Martyrem edit. Baſil. 1571. ita ait: *Anima ex quo ſublimius abiit*, &c. *Corpus vero venerandum, & immaculatum illius inſtrumentum*, &c. *cum multo honore, & cultu* (NB) *compoſitum in auguſto, ſacroq; loco ſitum eſt*, & infrà: *His ubi*, &c. *oculos oblectavit* (fidelis) *cupit deinceps etiam ipſi conditorio appropinquare ſanctificationem, & benedictionem contrectationem ejus eſſe credens; quod ſi quis etiam pulverem, quo conditorium obſitum eſt, auferre permittat, pro munere pulvis accipitur, ac tanquam res magni pretii condenda terra colligitur*, &c. hæc ille, ubi patet pietas, & cultus laudatæ piæ vetuſtatis, quam Acatholici ſuperſtitionis arguunt.

XI. *Greg. Nazianz.* Orat. in Julianum Apoſtatam edit. Colon. 1579. ſic ait: *Non victimas pro Chriſto cæſas reveritus es, nec magnos pugiles extimuiſti Joannem illum, Petrum, Paulum*, &c. *quibus præclari honores* (NB) *& feſta conſtituta*, & infrà: *Quorum vel ſola corpora idem poſſunt, quod animæ ſanctæ, ſive manibus contrectentur* (NB) *ſive honorentur, quorum vel ſolæ ſanguinis guttæ, atq; exiguæ paſſionis ſigna idem poſſunt, quod corpora. Hæc non colis, ſed contemnis*, &c. quid aptiùs Calvino diceretur?

Idem Orat. 2. in Julianum eâd. edit. *Non jam* (gentiles) *Martyrium ſepulchris ignem admovebunt, ut per illorum ignominiam alios à certamine deterreant, non jam Sanctorum reliquias cum oſſibus contemptiſſimis per contemptum permixtas, flammis abſument, aut in ventos mittent, ut eos honore* (NB) *talibus hominibus debitos ſpolient*, &c. ecce in gentibus facinora, quæ Acatholici modo in Sanctorum reliquias exercent.

XII. *Epiphanius* in vita Ezechielis edit. Baſil. 1560. *Etenim*, ait, *in terra Syriorum vir pius ille ſepultus jacet, multiq;* (NB) *ad monumentum eius confluunt ad adprecationem, & obſequium: ſane quando tanta eo frequentia, una ad monumentum eius conveniunt, formidant Chaldæi, ac metuunt, ne illum auferant*, &c.

XIII. Joannes Chryſ. ho. 32. in ep. ad Rom. ed. Baſ. 1547. in morali *Roma*, ait, *quemadmodum corpus magnum, & validum habet oculos illuſtres, Sanctorum* videlicet (Petri & Pauli) *corpora, nec ita cælum ſplendeſcit, quando radios ſuos ſol ex ſeſe dimittit, quemadmodum Romanorum urbs duas illas lampades ubiq; terrarum effundens*, & infrà: *Quis mihi nunc dabit circumfundi corpori Pauli affigi ſepulchro, videre pulverem corporis illius, quæ adhuc in Chriſto deerant adimplentis, ſtigmata illius geſtantis*, &c. *pulverem, inquam, oris illius, per quod Chriſtus locutus eſt*, & infrà: *Hoc corpus urbem illam munit, quod quavis turre, innumerisq; mœnibus, ac vallibus eſt tutius & cum iſto corpus etiam Petri*, &c. hæc ibi in edit. Baſil. 1547. to. 4.

Idem lib. contra gentiles, paulò ante medium: *Deus quæ eſt in humanum genus benignitate inter alias, quas infinitas nobis ſalutis noſtræ occaſiones dedit, & hanc quoq; viam nobis à ſe munitam eſſe voluit, idoneum ad virtutem capeſſendam ſtimulum, relictis ſcilicet interim apud nos Sanctorum reliquiis, nam poſt ſermonis facultatem ipſa certe Sanctorum ſepulchra proximum locum obtinent ad animos hominum in ipſos Sanctos intuentium, ad virtutem eorundem æmulationem excitandas*, &c. hæc in edit. Baſil. Anno 1547. to. 5. pag. 1054. Ecce tribuit reliquiis honorem, qui debetur prædicationi verbi Dei.

Iterum hom. 66. ad pop. Antiochen. eâd. edit. *Et quid*, ait, *de Chriſto loquor, cùm & diſcipulos, poſtquam obierunt, tunc effulgere fecerit? quid dico diſcipulos? nam & eorum loca* (NB) *& ſepulchra ſimul, & tempora perenni memoria celebrari curavit. Tu vero mihi ſepulchrum oſtendas Alexandri, & profer diem, quo vitam finiuit; ſed nihil horum inſigne, ſed omnia deſtructa ſunt, & exterminata*, &c. & infrà: *Servorum crucifixi ſepulchra regiis aulis ſunt clariora*,

Digitized by Google

ora, &c. *nam & ipse, qui purpuram indutus est, accedit illa complexurus sepulchra, & fastu deposito stat Sanctis supplicaturus* (NB) *ut pro se apud Deum intercedant*, &c. & infrà: *Et cinis, & ossa, & favilla invisibiles illas potestates dilaniant*, &c. hæc ibi. Nonne ille plus, quàm civilis, sed religiosus erat honor, quem ipsi supremi civilis potestatis Imperatores reliquiis exhibuerunt?

Demum serm. *de Juventio & Maximo* dicit: *Idcirco sæpius eos invisamus, tumulos adornemus* (NB) *magnaq; fide reliquias contingamus, ut inde benedictionem aliquam consequamur*, &c. hæc illi to. 3. edit. Basil. 1558.

Plurima alia piæ antiquitatis circa cultum reliquiarum testimonia adferri possent, sed quæ allata sunt evidentissimè demonstrant, qualis in Ecclesia Græca erga reliquias Sanctorum fuerit reverentia, quam primi non tantùm Sancti, sed etiam alii ab Ecclesia Romana postea separati usque in hunc diem continuant Græci, ut patet ex Jeremia Patriarcha Constantinopolit. Anno 1580. in respons. 2. cap. de Invocat. Sanctorum, ubi dicit: *Quin etiam ex illorum Sanctis reliquiis multifaria beneficia scaturire nemo dubitare debet: si enim è prœduro saxo aqua in solitudine effluxit, si ex asini mandibula Samsoni sitienti aqua erupit, a Martyrum reliquiis idem fieri incredibile sit?* hæc ille. Vnde patet quantum Acatholici à Græcis etiam modernis distent.

ARTICULUS III.

Eadem veritas ex Conciliis & Patribus Latinis ostenditur.

I. CONcilium Carthagin. quintum Ann. 395. tempore D. Augustini celebratum edit. Colon. 1538. sic statuit: *Placuit, ut altaria, quæ passim per agros, aut vias tanquam memoriæ Martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus aut reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab Episcopis, si fieri potest, evertantur*, &c. *plebes admoneantur, ne illa loca frequentent, ut qui rectè sapiunt, nulla ibi superstitione devincti teneantur, & omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi aut ibi corpus, aut aliquæ certæ reliquiæ sint*, hæc Concil. Vbi superstitionem dicit, si in loco, ubi reliquiæ Sanctorum nullæ sunt, colantur reliquiæ, quasi ibi essent, ac proinde religiosum cultum agnoscit, qui veris reliquiis exhibetur.

II. *Pius primus* Anno 142. epist. ad Justin. Episc. ita scribit: *Cura sanctorum Martyrum corpora, sicut membra Dei, quemadmodum curaverunt Apostoli Stephanum.*

III. *Ambrosius* lib. 10. epist. 85. edit. Paris. 1569. *Eruuntur*, ait, *nobiles reliquiæ sepulchro ignobili, ostenduntur cælo trophæa, succedunt victimæ triumphales in locum, ubi Christus hostia est*, &c. *hunc ego locum prædestinaveram mihi: dignum est enim, ut ibi requiescat Sacerdos, ubi offerre consuevit; sed cedo sacris victimis dextram portionem, locus iste Martyribus debebatur, condamus ergo reliquias sacrosanctas* (NB) *& dignis ædibus invehamus, totumq; diem fida devotione celebremus*, &c. hæc ibi.

Idem lib. 10. epist. 85. de Inventione SS. Gervasii & Protasii: *Dominus gratiam dedit*, &c. *jussi eruderari terram*, &c. *invenimus miræ magnitudinis viros duos*, &c. *ossa omnia integra, sanguinis plurimum; ingens concursus populi per totum illud biduum: quid multa? condidimus integra*, &c. *sequenti die transtulimus ea*, & infrà: *Cognovistis, imo vidistis ipsi multos à dæmoniis purgatos; plurimos etiam, ubi vestem Sanctorum* (NB) *manibus contigerunt, iis, quibus laborabant debilitatibus, absolutos*, &c. *umbra quadam Sanctorum corporum plerosq; sanatos cernitis. Quanta oraria jactitantur? quanta indumenta super reliquias sacratissimas, ut tactu ipso medicabilia reposcantur*, &c. hæc ille doctissimus & piissimus Antistes, sed Acatholici ista superstitionis damnant.

Similiter serm. 91. eâdem edit. in festo SS. Gervasii & Protasii, *Celebritati*, ait, *vestræ qui solent, invident, & quia celebritatem vestram invidis animis ferre non possunt, causam celebritatis odere; atq; in tantum amentiæ prodeunt* (NB. an non hîc Acatholici exprimuntur) *ut negent Martyrum merita, quorum opera etiam dæmones confitentur, sed hoc non mirum, siquidem tanta est incredulorum perfidia, ut tolerabilior sit diaboli confessio, dicebat enim diabolus: Jesu fili Dei vivi, quid venisti ante tempus torquere nos*, &c. *Et Ariani dicunt: Non sunt isti Martyres, nec torquere diabolum possunt, nec aliquem liberare* (ecce Acatholici) *cùm tormenta dæmonum ipsorum voce probentur, & beneficia Martyrum remediis cæcorum, & absolutorum indiciis declarentur, negant cæcum illuminatum, sed ille non negat se sanatum; ille dicit, video, qui non videbam; ille dicit, cæcus esse desivi, & probat facto; isti negant beneficium, qui factum negare non possunt*, &c. & infrà: *Clamat, quia ut contigit fimbriam de veste Martyrum, qua sacræ reliquiæ vestiuntur, redditum sibi lumen sit, nonne simile istud est, atq; illud, quod in Evangelio legimus? unius enim* (NB) *potentiam laudamus Authoris, nec interest, utrum opus sit, an munus, cùm & muneretur in opere, & operetur in munere*, &c. hæc ille. Vbi clarè exprimit, quod divina virtus ad tactum Martyrum miracula operetur.

Demum serm. 92. de SS. Nazario & Celso; vel juxta aliam edit. Roman. serm. 14. *Honoremus, ait, Martyres, Principes fidei, intercessores mundi*, &c. *quod si dicat mihi, quid honoras in carne jam resoluta, atq; consumpta, de qua nulla jam Deo cura est* (ecce vocem Acatholicorum) *& ubi est illud charissimi, quod ipsa veritas loquitur per Prophetam: Pretiosa, inquit, in conspectu Domini mors Sanctorum ejus*, &c. *Dominus custodit omnia ossa eorum, & unum ex his non conteretur: honoro ergo in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices*, &c. *honoro per confessionem Domini sacratos cineres* (NB) *honoro in cineribus semina æternitatis, honoro corpus*, &c. *quod me propter Dominum mortem docuit non timere, cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reverentur & dæmones? quod & afflixerunt in supplicio, sed glorificant in sepulchro. Honoro igitur corpus, quod Christus honoravit in gladio, quod cum Christo regnabit in cælo*, &c. hæc ille: Quid clariùs pro honore reliquiarum contra calumnias Acatholicorum dici posset?

S. Maximus serm. de SS. Octavio & Adjutore, &c. *Cuncti*, inquit, *Martyres devotissime percolendi sunt, sed ii præcipue venerandi sunt à nobis, quorum reliquias possidemus*, &c. IV.

Fulgentius Hymno 3. de S. Eulalia sic canit: V.

Hic ubi marmore perspicuo,
Atria luminat alta nitor,
Et peregrinus, & indigena,
Reliquias cineresq; sacros

Servat

Struat humus veneranda sinu, & infrà:
Sic venerarier ossa libet,
Ossibus altare est impositum.

Similiter canit in hymn. de S. Laurentio, & Fructuoso, &c.

VI. *Gaudentius* Brixiæ Episcopus Anno 380. tract. in dedicat. Basilicæ 40. Martyrum Bibl. PP. edit. Colon. to. 4. pag. 287. col. 2. *Vt venerandas*, ait, *Sanctorum Reliquias honoremus, Deus noster tribuit*, &c. ubi enarrat quorum Sanctorum reliquias habeant, ut Joannis Baptistæ, Andreæ, Thomæ, Lucæ, &c. post istos ait: *Habemus Gervasium, Protasium, atq; Nazarium beatissimos Martyres, qui se ante paucos annos apud urbem Mediolanensem sancto Sacerdoti Ambrosio revelare dignati sunt, quorum sanguinem tenemus Gypso collectum*, &c. quid *post istos decem, de* 40. *Martyribus digne loquar?* & infrà: *Venerabiles ipsas Martyrum* 40 *reliquias populis* (NB) *credentibus hodie proponimus*, &c. hæc ille.

VII. *Hieronymus* in vita Hilarionis edit. Antwerp. 1579. & Basil. 1553. scribit: quod Hesichius corpus Hilarionis, &c. *post decem fere menses corpus ejus furatus est; quod* (ex Cypro) *Majomam deferens, totis Monachorum, & oppidorum turmis prosequentibus in antiquo Monasterio condidit, illasâ tunicâ, cucullâ, & palliolo, & toto corpore, quasi adhuc viveret, integro, tantùq; fragrante odoribus, ut delibutum unguentis putares.* Et infrà: *Cernas usq; hodie miram inter Palæstinos, & Cyprios contentionem, his corpus Hilarionis, illis spiritum se habere, certantibus*, &c. hæc ibi.

Idem epist. 17. ad Marcellam cap. 5. eisdem edit. *Martyrum ubi sepulchra veneramur, & sanctam favillam oculis* (NB) *apponentes, si liceat, etiam ore contingimus.*

Et ibid. in fine invitat *Samariam pergere, & Joannis Baptistæ, Helisei quoq; & Abdiæ pariter cineres adorare*, &c. hæc ibi.

Item in Epitaphio Paulæ cap. 6. edit. cit. *Inde divertens*, ait, *vidit duodecim Patriarcharum sepulchra*, & infrà: *Cernebat variis dæmones rugire cruciatibus, & ante sepulchra Sanctorum ululare homines more luporum, vocibus latrare canum fremere leonum, sibilare serpentum, mugire taurorum*, &c. hæc ibi.

Quamvis hæc abunde pro demonstranda piæ antiquitatis fide sufficerent, Augustini testimonia addemus.

VIII. *Augustinus* lib. 9. Confess. cap. 7. Erasmianæ edit. 1528. Deum alloquens ait: *Cum Justina Valentiniani Regis pueri mater ab Arianis seducta Ambrosium prosequeretur*, &c. *memorato Antistiti tuo per visum aperuisti, quo loco laterent Martyrum corpora Protasii, & Gervasii, quæ per tot annos incorrupta in thesauro secreti tui recondideras, unde opportune promeres*, &c. *cùm enim propalata, & effossa digno* (NB) *cum honore transferrentur ad Ambrosianam Basilicam, non solum quos immundi vexabant spiritus, confessis sudem dæmonibus, sanabantur; verum etiam quidam plures annos cæcus civis, civitatiq; notissimus, cum populi tumultuantis lætitiæ causam quæsisset, atq; audisset, exiluit, eoq; se, ut duceret, suum ducem rogavit. Quo perductus impetravit admitti, ut sudario* (NB) *tangeret pheretrum, pretiosa in conspectu tuo mortis Sanctorum tuorum, quod ubi fecit, atq; admovit oculis, confestim aperti sunt*, &c. hæc ille. Annon Acatholici hæc superstitionis arguissent?

Idem lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. ejusdem Erasmi Basil. 1528. ubi agit de miraculis, quæ ut mundus in Christum crederet, facta sunt, & fieri non desinunt, etiam refert miraculum Mediolani circa cæcum, quod tam relatum est.

Ibidem circa medium sic ait: *Ad aquas Tibilitanas Episcopo afferente projecto, reliquias Martyris gloriosissimi Stephani, ad ejus* (NB) *memoriam veniebant magna multitudinis concursus, & occursus: ibi cæca mulier, ut ad Episcopum portantem pignora sacra duceretur, oravit, flores, quos ferebat, dedit* (NB) *recepit, oculis admovit, protinus vidit*, &c. nonne Acatholici mulierem superstitionis damnassent? sed non Augustinus, qui ibidem ulteriùs narrat dicens: *Memorati memoriam Martyris, quæ posita est in castello Synitensi*, &c. *ejusdem loci Lucillus Episcopus, populo præcedente atq; sequente* (ecce solemnem processionem cum deportatione reliquiarum) *in manu portabat: fistula, cujus molestia jam diu laboraverat, & familiarissimi sui medici, qui eam secare vellet, operiebatur manus illius sarcina pia* (NB) *vectatione, ubi sanctas attigit reliquias, repente sanata est*, &c. *Eucharius Presbyter ipse postea morbo alio prævalescente mortuus sic jacebat, ut ei jam pollices ligarentur, opitulatione memorati Martyris; cùm de memoria ejus reportata fuisset, & super jacentis corpus missa, ipsius Presbyteri tunica suscitatus est*, &c. hæc August. qui ibid. plures mortuos per allata reliquiarum S. Stephani vestimenta sibi imposita resuscitatos fuisse, particulatim recenset.

Hæc sanctorum Patrum testimonia manifestè demonstrant, quid non solùm ipsi circa sanctarum reliquiarum cultum crediderint, sed tota antiqua Ecclesia, quem Deus etiam tot miraculis approbarit; & idem omnino hîc cultus illarum fuerit, qui usque modo in Ecclesia exhibetur.

ARTICULUS IV.

Qualis sit cultus SS. Reliquiis exhibendus, & qua de causa.

Quamvis in particulari Theologi Catholici scholastico more, sicut etiam in aliis mysteriis fidei, salvâ ipsa fidei veritate, de quibusdam circa cultum SS. reliquiarum disputent, nos breviter ea, quæ S. Ecclesia credit, & ab omnibus de fide tenentur, indicabimus.

Dico ergo primò: *Certum & indubitatum est in Ecclesia, quod nullæ, qualescunq; Sanctorum Reliquiæ, cultu latriæ seu divino, per se & propter se sint colendæ.* I.
Hæc constat à Potiore, quia, si ipsi Angeli, & sancti Martyres nullo modo colendi, vel adorandi sunt cultu latriæ soli Deo debito, imo nec ipsi Christi humanitati, propter se talis cultus debeatur, ut S. Ecclesia credit, quanto minùs Ecclesia Catholica reliquias inanimes tali cultu adorat, & adorandas docet.

Dico secundo: *Reliquiis Martyrum non inest virtus divina, vel supernaturalis, quæ per se faciat miracula, & morbos curet, sed omnipotentia Dei miracula efficit propter ipsos* II.
Mar-

Digitized by Google

Martyres, vel ad ipſorum prædicationem de fide confirmandam, vel ad ipſorum Martyrum apud Deum gratiam oſtendendam, vel ad majorem in fidelibus ad ipſos Sanctos reverentiam, vel illorum imitationem excitandam, quæ Deus facit ob merita, vel interceſſionem ipſorum Sanctorum. Hoc modo intelligenda ſunt omnia Sanctorum Patrum verba, quibus videntur dicere, quod reliquiæ, vel Sanctificaciant miracula, ut *Aug.* ſerm. 91. dicit de reliquiis S. Stephani inventis, *quod mortuus vivos faciat mortuos, quia non mortuus.* Sic *Chryſoſt.* ſuprà citatus hom. 32. cùm dicit: *Hoc corpus Pauli urbem hanc munit, quod quavis turri eſt tutius,* &c. prout ipſe explicat lib. contra Gentiles ſuprà allegatus. Sic etiam *Ambroſius* ſerm. 91. de Inventione Gervaſii ſuprà in fine exponit, ſicque declarat Concil. Trident. ſuprà, dum dicit, quod *per reliquias beneficia à Deo præſtentur.* Similiter cùm dicit de imaginibus, idem eſt de reliquiis, *non quod credatur ineſſe in iis divinitas, vel virtus propter quæ ſint colendæ.*

Hoc etiam patet, quia umbra Apoſtolorum ſanabat infirmos, at patet, quod umbra ſit tantùm privatio lucis, quæ non eſt capax alicujus propriæ virtutis.

Hinc multo magis patet perverſitas quorundam politicorum hujus temporis, qui verè Athei ſunt, dicere audentes, quod reliquiæ Martyrum habeant naturalem virtutem ſanandi, ſicut magnes attrahendi ferrum, quam vocant magneticam, ex quo diabolus omnia miracula per Apoſtolos, & Martyres in confirmationem veræ fidei à Deo facta tollere conatur, & tamen iſti putiſſimi Chriſtiani videri volunt.

III. Dico 3 *Reliquiis SS Martyrum non debetur per ſe, & propter ſe cultus, aut honor idem, qui ipſis Martyribus, nec ullo modo invocandæ ſunt, vel ab iis aliquid petendum, ut intercedant.*

Hæc conſtat ex S. Concil. Trid. ſuprà; & eſt contra calumnias Acatholicorum, & patet, quia reliquiæ ſeu cadavera Martyrum, multo minùs ſepulchra, vel veſtes, &c. non ſunt rationabilia, quibus ſolis competit qualiscunque invocatio, &c. ſecundo quia creatura inanimata nullam habet in ſe propriam excellentiam, ut propter illam ab homine abſolutè propter ſe colatur, ut per ſe patet.

Dico 4. *Reliquiæ Sanctorum ſunt colendæ & venerandæ propter excellentiam, & dignitatem Martyrum.* Ita Concil. Trid. ſup. quod ideo *corpora Sanctorum ſint veneranda, quia fuerunt templa ſpiritus Sancti, & vera membra Chriſti, & ad vitam æternam reſuſcitanda.* IV.

Sepulchra autem, quia talia corpora continent veſtes vel alia, quia talia corpora contexerunt, vel ob alium reſpectum ad ipſos Sanctos, quæ Deus ipſe ſic honorabilia eſſe declaravit, ut ad illorum contactum, & præſentiam dæmones expulſi ſint, ægroti reſtituti ſanitati, mortui ad vitam revocati fuerint.

Dico 5 *Veneratio, honor, vel cultus exhibendus reliquiis non eſt idem, qui per ſe ipſis Martyribus debetur, ſed longe minor, & dici tantum poteſt cultus, & veneratio ſecundùm quid, reſpectu cultus Sanctorum, ſicut homo pictus ſecundùm quid dicitur homo.* Hæc magis infrà patebunt de cultu SS. imaginum. V.

Dico ultimo: *Veneratio, ſeu cultus reliquiis Sanctorum exhibitus eſt plus, quàm civilis, & ſacer, ac religioſus dicendus.* Hoc patet ex prædictis SS. Patrum teſtimoniis, qui docent reliquiis, & ſepulchris Martyrum longè alium, & majorem cultum eſſe exhibendum, quàm corporibus Regum, & ſepulchris illorum. Vt patet ex *Chryſ. Auguſtino,* &c. ſicut enim Euangelia verè dicuntur ſacra, & religioſè veneranda, ſic etiam reliquiæ, *SS Patres vocant paſſim Reliquias ſacras, ſacroſanctas, venerandas & venerabiles, devotiſſime exoſculandas,* &c. quæ honorem ſacrum, & religioſum ſupponunt, licèt quoad reliquias ſit cultus ſecundùm quid, ſed quatenus tendit ad ipſos Sanctos, cultus ſimpliciter dicendus ſit, & ſicut cultus Martyrum duliæ bene vocatur, ſic cultus reliquiarum illorum ſecundùm quid duliæ dicendus eſt. VI.

CAPVT III.

Reſpondetur ad argumenta Acatholicorum contra cultum ſanctarum Reliquiarum.

ARTICULUS I.

Referuntur argumenta Vigilantii, & eorum refutationes à S. Hieronymo facta.

I. CVm tempore S. Hieronymi *Vigilantius* Reliquias SS. Martyrum nullatenus honorandas eſſe calumniabatur, ipſe *Hieronymus* librum integrum contra eundem ſcripſit, in quo Acatholicorum modernorum calumnias refutat, & Catholicam veritatem defendit: quæ ut cuivis ad oculum pateant, & objectiones Vigilantii, & reſponſa Hieronymi hîc proponam.

II. Itaque *S. Hieronymus* edit. Baſil. 1553. cap. 1. dicit: *Multa in orbe monſtra generata ſunt,* &c. quæ ubi ex S. Scriptura & Vigilantio referens ſubdit: *Sola Gallia monſtra non habuit,* &c. *exortus eſt ſubito Vigilantius ſeu verius Dormitantius, qui immundo ſpiritu pugnet contra Chriſti ſpiritum* (NB) *& Martyrum neget ſepulchra veneranda,* &c. hæc Hieron.

Argumentum primum Vigilantii refert Hieronymus his verbis c 2. & 4. *Sedentem cernunt in Eccleſia* (Vigilantium) *inter cætera verba blaſphemia, iſta quoq; dicentem: Quid neceſſe eſt tanto honore non ſolum honorare, ſed etiam adorare illud, neſcio quid, quod in modico vaſculo transferendo colis?* & rurſum in eodem libro: *Quid pulverem linteamine circumdatum adorando oſcularis?* hæc ſunt verba Vigilantii, qui non videt eadem eſſe Acatholicorum modernorum? III.

Ad hæc reſpondet Hieronymus: *Quis enim O inſanum caput aliquando Martyres adoravit, quis hominem putavit Deum?* ubi ex ſcriptura probat, quod Paulus, & Petrus adorari noluerint, & ſubdit: *Et audes dicere,* &c. *quid eſt illud neſcio quid?*

quid? &c. *expone manifestius, ut tota libertate blasphemes, pulvisculum,* inquit, *nescio quod in modico vasculo pretioso linteamine circumdatum. Dolet Martyrum Reliquias pretioso operiri velamine, & non vel pannis vel Cilicio colligari, vel projici in sterquilinium, ut solus Vigilantius ebrius, & dormiens adoretur,* &c. hæc Hieron. Vbi notandum, quod Vigilantius ex invidia dicebat Catholicos adorare cultu latriæ Martyrum reliquias, dum illas honorant; sicut & Acatholici moderni arguunt; sed Hieronymus negat nos cultu latriæ, seu ut Deos adorare Martyres, vel eorum reliquias; & defendit, quod nihilominus debito honore afficiantur, quod probat variis exemplis, sic procedens: *Ergo sacrilegi sumus, quando Apostolorum Basilicas ingredimur, sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui SS. Reliquias* (NB) *Andreæ, Lucæ & Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas* (NB) *dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantii illorum se sentire præsentiam confitentur? Sacrilegus dicendus & nunc est Augustus Arcadius, qui ossa B. Samuelis longo post tempore* (NB) *de Judæa transtulit in Thraciam? omnes Episcopi non solum sacrilegi, sed & fatui judicandi, qui rem vilissimam, & cineres dissolutos in serico* (NB) *& vase aureo portaverunt? stulti* (NB) *omnium Ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis Reliquiis, & tanta lætitia,* &c. *ut de Palæstina, usq; Chalcedonem jungerentur populorum examina, & in Christi laudem una voce resonarent? videlicet adorabunt Samuelem, & non Christum, cujus Samuel, & Levita, & Prophetes fuit,* &c. hæc Hieron. quibus indicat in reliquiis honorari SS. Christum adorari.

IV. Objectionem 2. *Vigilantii* ibid. cap. 2. refert Hieronymus his verbis: *Prope ritum gentilium videmus sub prætextu religionis introductum in Ecclesiis, sole adhuc fulgente moles cereorum accendi,* &c. *magnum honorem præbent hujusmodi homines beatissimis Martyribus, quos putant de vilissimis cereolis illustrandos, quos Agnus, qui est in medio throni cum omni fulgore majestatis illustrat,* hæc Vigilant. & cum illo moderni Acatholici ridentes cereos mediâ die accendi ad sepulchra Martyrum.

Respondet *Hieronymus* cap. 3. Primò ad calumniam Vigilantii, quasi cerei ad illuminandos Martyres accenderentur: *Cereos non clarâ luce accendimus,* &c. *sed ut noctis tenebras,* &c. *temperemus,* &c. *quod si aliqui propter imperitiam, & simplicitatem sæcularium hominum,* &c. *de quibus verè possumus dicere: confiteor, zelum Dei habent, sed non secundùm scientiam, hoc pro honore Martyrum faciunt, quid inde perdis?* ubi patet, quod Hieronymus id non ut sacrilegum condemnet, si ad honorem Martyrum fiat; sed solùm si ex illa falsa opinione ad illustrandos Martyres facerent, dicit non esse secundùm scientiam, alioquin quod ad honorem Martyrum bene fiat ipse probat dicens: *Causabantur quendam & Apostoli, quod periret unguentum, sed Domini voce correpti sunt, neq; enim Christus indigebat unguento, nec Martyres lumine cereorum, & tamen illa mulier in honorem Christi hoc fecit, devotioq; mentis ejus recipitur, & quicunq;* (NB) *accendunt cereos; secundùm fidem suam habent mercedem, dicente Apostolo: Vnusquisq; in sensu suo abundat. Idololatras appellas hujusmodi homines,* &c. (ecce vox Acatholicorum modernorum) *& quia quondam colebamus idola, nunc Deum colere non debemus, ne simili eum videamur cum idolis honore venerari?* Respondet Hieronymus: *Illud fiebat idolis, & idcirco detestandum est, hoc fit Martyribus, & idcirco recipiendum est,* & usum licitum cereorum probat Hieronymus subsumens: *Nam & absq; Martyrum Reliquiis per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Euangelium, accenduntur luminaria, jam sole rutilante, non utiq; ad fugiendas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum,* &c. quod & ex Euangeliis de virginum lampadibus, & lucernis ardentibus in manibus Apostolorum; & de Joanne Baptista, ille erat lucerna ardens, &c. ostendit, ubi etiam tanquam ab excellentiore arguit dicens: *Male facit ergo Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri, & Pauli secundùm nos ossa veneranda, secundùm te* (Vigilanti) *vilem pulvisculum offert Domino sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitratur altaria,* &c. verùm Acatholici nostri cum Vigilantio utrumque abhorrent.

Quartum argumentum seu potiùs dicterium Vigilantii Hieronymus sic refert: *Post hæc de Barathro pectoris tui cœnosam spurcitiem evomens audes dicere: ergo cineres suos amant animæ Martyrum, & circumvolant eos,* &c. *ne forte, si aliquis precator advenerit, absentes audire non possint.* V.

Respondet Hieronymus: *O portentum in terras ultimas deportandum, rides de Reliquiis Martyrum, & cum Authore hujus hæreseos* (NB) *Eunomio Ecclesiis Christi calumniam struis,* &c. & infrà: *Scribit adversum hæresim tuam, quæ erupit adversum Ecclesiam* (ne & in hoc quasi novi repertor sceleris glorieris) *Tertullianus,* &c. *miror, quod non dicis, nequaquam perpetranda martyria, Deum enim, qui sanguinem hircorum, taurorumq; non quærat, multo magis hominum non requirere,* &c. qui enim Reliquias Martyrum *asseris calcandas esse, prohibes sanguinem fundi, qui nullo honore dignus est,* &c. hæc Hieronym. Nunquid idem ex Acatholicorum calumnia sequitur?

Argumentum 5. Vigilantii Hieronymus cap. 4. his verbis refert: *Argumentatur contra signa atq; virtutes, quæ in Basilicis Martyrum fiunt, & dicit eas incredulis prodesse, non credentibus,* &c Acatholicorum calumnia longè major, qui signa talia & virtutes negant. VI.

Respondet Hieron. *quasi nunc hoc quæratur, quibus fiant, & non quâ virtute fiant, esto,* &c. *Dominus incredulis signa faciebat, & tamen non Domini idcirco sugillanda sunt signa,* &c. *sed responde, quomodo in vilissimo pulvere, & favilla, nescio quâ tanta sit signorum, virtutumq; præsentia* (sic & Acatholici) *sentio, sentio infelicissime mortalium quid doleas, quid timeas. Spiritus est immundus, qui hoc te cogit scribere, sæpe hoc vilissimo tortus est pulvere, imo hodieq; torquetur, & qui te in plagas dissimulat, in cæteris confitetur:* considerent hæc Acatholici.

Adducit Hier. aliud Vigilantii dictum dicens: *Nisi forte in morem gentilium, impiorumq; Porphirii, & Eunomii has præstigias dæmonum esse confingas, & non verè clamare dæmones, sed sua simulare tormenta;* ecce spiritus idem Acatholicorũ, qui omnia miracula ad sepulchra Martyrum conficta dicunt. VII.

Respondet Hier. *Do consilium, ingredere Basilicas Martyrum, & aliquando purgaberis, invenies*

Digitized by Google

ibi multos socios tuos, & nequaquam cereis Martyrum, qui tibi displicent, sed flammis inuisibilibus combureris, & tunc fateberis, quod nunc negas, & tuum nomen, qui in Vigilantio loqueris, libere proclamabis, &c. hæc Hieronymus contra Vigilantium. An non eadem Hieronymus modernis Acatholicis dicat, qui easdem cum Vigilantio contra reliquias Martyrum calumnias eructant?

Malui ad longum verba Hieronymi recitare, ut omnibus constaret, quod fuerit Hieronymi, & antiquæ Ecclesiæ circa honorem reliquiarum fides eadem prorsus cum moderna Ecclesia Catholica, & quàm impudenter Acatholici Hieronymum pro se allegent, qui illos in Vigilantio confutat.

ARTICULUS II.

Respondetur ad argumenta primi Anonymi contra honorem reliquiarum.

I. PRimus Anonymus volens ostendere, quod Ecclesia primorum 4. seculorum detestata sit venerationem reliquiarum SS. Martyrum, adducit verba D. *Hieronymi* in epist. ad Ryparium scilicet: *Nos non dico Martyrum Reliquias, sed nec solem, nec lunam, nec Angelos, nec omne, quod nominatur*, &c. ut suprà, *colimus & adoramus, ne seruiamus creaturæ potiùs, quàm Creatori*, unde sic infert: *Ecce docet Christianos nullum cultum (scilicet religiosum) reliquiis Martyrum, vel ulli creaturæ exhibuisse*, hæc ille.

II. Respondeo: Quis sanæ mentis non miretur hujus Anonymi impudentiam, quod D. Hieronymum unicum ex tota antiquitate contra cultum sanctarum reliquiarum producat, quem constat pro illo maximè decertasse, ut suprà copiosè relatum est, & omnes Acatholici fatentur, & ideo Hieronymum errasse, licèt falsissimè, asserunt.

Cæterùm concedimus cum Hieronymo nullam creaturam cultu latriæ, seu ut Deum adorandam, inde non sequitur, quod alius cultus major, quam civilis non sit illis exhibendus, qui secundùm quid talis est, qualis ipsis Sanctis debetur, qui tamen latriæ non est. Et *Hieron.* in epist. ad Marcellam *inuitat eandem ad cineres Martyrum & Prophetarum adorandos in Palæstina*, sed non cultu latriæ. Verum ostendat Anonymus ex Hieronymo, quod reliquiæ non sint venerandæ vel colendæ cultu jam à nobis sæpe exposito: imo ipse Hieronymus in eadem epistola citata ab Anonymo tam clarè protestatur dicens: *Vigilantium os fætidum aperire contra Martyrum reliquias, & nos*, &c. *qui eas suscipimus, cinerarios, & Idololatras appellare, quod ossa mortuorum veneremur.* Vide suprà. Ecce quàm apertè Hieronymus nos defendat, & Acatholicorum calumniam, & falsum judicium condemnet; & tamen iste Anonymus non vereetur Hieronymum pro se allegare.

***

ARTICULUS III.

Respondetur ad argumenta secundi Anonymi.

SEcundus Anonymus sic arguit; primò: *Nullum est medium inter cultum diuinum, & ciuilem; si ergo dicis, quod Reliquiis cultus plus quàm ciuilis sit exhibendus, diuinum asseris*, &c. *diuinum autem creaturis deferre idololatriam putamus, cum verbo, vel facto tribuuntur, quæ Dei uniussunt.* I.

Respondeo negando quod nullum sit medium inter divinum cultum soli Deo debitum, & civilem, qui hominibus ob excellentiam politicam, vel regiæ, vel secularis dignitatis exhibetur, & per consequens ipsorum vestibus, &c. hæc copiosè suprà ex S. Scriptura demonstrata sunt, ubi Reges, Principes, pauperes Prophetas adorarunt, ut Abdias Eliam, &c. Et ex SS. Patribus, quod Imperatores sepulchra Apostolorum venerati sint, qui cultus verus est, & licitus, nec tamen divinus est, nec civilis; sed propter excellentiam sanctitatis, & gratiæ Dei in Sanctis existentis exhibetur, quem merito plus quàm civilem nominamus positivè, & similiter negativè non latriæ, sicut D. August. cultum SS. non latriæ vocat.

2. Anonymus volens ostendere quid sancti Patres circa reliquias senserint sic ait: *Quantum autem ad Reliquias, agnoscimus Patres (qui tamen per Reliquias non intellexerunt, ut Papatus vestimenta, sed corpora Sanctorum vide Cham* to. 2. lib. 20. c. 8. *Sic reuerentes fuisse erga eas: primo, ut eas præseruarint pro virili ab omni ignominia, 2. agnoscimus eos in iis locis, ubi erant sepultæ Reliquiæ Sanctorum erexisse oratoria, non ad Reliquias, sed Deum adorandum: in loco tamen sepulturæ Reliquiarum piorum, ut se excitarent ad imitationem sepultorum, hæc quidem, nobis nil contradicentibus, facientibus, legimus fecisse Patres, sed nunquam eos adorasse Reliquias*, &c. hæc ille. II.

Respondeo primò quod sancti Patres per reliquias non solùm intellexerint corpora Sanctorum, sed etiam vestimenta, sepulchra, imo cathedras Apostolicas, &c. quis sanæ mentis negaret, cùm nimis clarum sit in Euangelio de fimbria Christi, de sudariis, & semicinctiis Pauli, quæ SS. Patres passim in confirmationem honoris Reliquiarum allegant. 2. patet ex omnibus SS. Patrum suprà allatis testimoniis, quod vestes etiam alienæ sepulchris, vel corporibus SS. impositæ in honore fuerint, & per ipsos Deus miracula plura causarit; patet de sepulchro Domini; licèt ibi Dominus modo sepultus non sit; sed quidquid sit de his, quæ tamen ex SS. Patribus constant; potissimum de corporibus Martyrum quæstio est, & S. Conc. Trid. decernit illa veneranda, Acatholici autem ut suprà visum est, cum Vigilantio illis honorem non deberi volunt.

Videamus qualiter velit Patres fuisse erga reliquias, seu corpora Martyrum reverentes; Primò, ut eas præservarint pro virili ab omni ignominia. Hoc verum est; sed quomodo vos ô Acatholici in hoc reverentes estis, qui passim cum Ethnicis, Arianis, Manichæis, Vigilantio corpora Sanctorum, etiam antiquissimorum primitivæ Ecclesiæ cum summa ignominia exhumata, vel ex locis honestis, & thecis ablata igni tradidistis, pedibus conculcastis, cineres in aquas spar- III.

ſparſiſtis, vel in ſterquilinium abjeciſtis? Hæc tota Gallia, Germania, & Anglia, &c. jam ab initio prætenſæ veſtræ reformationis expertæ ſunt. Ecce ergo, an cum ſanctis Patribus juxta propriam confeſſionem conveniatis?

IV. Dices fortè hoc veſtros ideo feciſſe, ut tollerent cauſam idololatriæ, quam Catholici circa reliquias exercebant.

Sed hæc etiam Judæorum excuſatio fuit, dum Chriſtum ut blaſphemum crucifixerunt, & in Beelzebub ejicere dæmonia blaſphemabant, non tamen ideo inſontes fuerunt, ſic nec vos, qui ſcitis, & ſcire debetis, quod Catholici nullam circa reliquias idololatriam exerceant.

Sic etiam Vigilantius calumniabatur Catholicos, quod reliquias adorarent, ut ſub illo prætextu illas in cloacas effunderet, nec tamen ideo excuſandus, quod ob falſum crimen impoſitum, licitum reliquiis honorem exhibendum negaret.

Ad ſecundum, verum eſt, quod ob illorum cauſam in locis reliquiarum oratoria erecta ſint à ſanctis Patribus, & etiam verum eſt, ut ibi Deus cultu latriæ adoretur, quod & Catholica Eccleſia ſervat.

Tertium etiam ſervat Eccleſia, ut in locis iſtis fideles ad imitationem Martyrum excitentur.

Ad 4. quod dicis: *Hæc vos legiſſe à Patribus eſſe facta, vobis non contradicentibus, facientibus*, cur ergo oratoria & loca, ſepulchraque Martyrum à temporibus primitivæ Eccleſiæ celebriter conſervata evertiſtis? cur non ædificatis?

Ad 5. cùm dicis, *nunquam legimus Patres adoraſſe Reliquias*, &c.

Reſpondeo, ſi intelligas de adoratione ſoli Deo debita, id veriſſimum eſt, & uſque modo S. Eccleſia ſolum Deum eſſe adorandum docet. Si intelligas de adoratione impropriè ſumpta, pro quolibet cultu, vel veneratione ſanctis creaturis exhibenda, hoc falſiſſimum eſt, quâ enim fronte negare audes te non legiſſe S. Hieronymum in epiſt. ad Marcellam, ubi *invitat illam ad adorandos cineres*, ſcilicet veneratione illa dicta, cùm tamen adorationem propriè dictam ulli creaturæ contra Vigilantium denegaret. An non legiſti, qualiter ſancti Patres reliquias vocent *ſacras, ſacroſanctas, venerandas, venerabiles*, &c. ſi venerandæ, ergo aliquis honor illis eſt exhibendus? Nonne legiſti honorem illum à Patribus, & Chriſtianis exhibitum, quanta devotione reliquias venerandas expoſuerint, frequentarint, devotiſſimè etiam ad ſepulchra eorum veluti ſupplices opem Sanctorum implorarint; & vos omnem talem honorem idololatriam vultis? ecce quàm longè à pia ſanctorum Patrum ſententia declinetis, imo illis contradicatis.

V. Pergit ulteriùs Anonymus dicens: *Nunquam legimus*, &c. *Patres caput S. Joannis, caligam, induſium ſacrum Mariæ circumtuliſſe in proceſſionibus ad placandum Deum.*

Reſpondeo, an minùs ſit circumferre caput S. Joannis, vel induſium B. Virginis, ut per ipſorum præſentiam populus excitetur ad devotionem, & Deus per illorum SS. interceſſionem placetur, & dona conferat, quàm quod ſudarium, & ſemicinctium Pauli circumferatur ad diverſos ægrotos, ut ſanentur? tu judex eſto. Cur non ſuperſtitionis arguis Joſue, qui Joſue 6. v. 3. ex mandato Dei cum populo, & Sacerdotibus arcam fœderis portantibus ſeptem diebus circumierunt Jericho? &c. cur non arguis David, qui tanta cum ſolemnitate, & reverentia arcam fœderis de domo Obededom in ſuam deduxit? 2. Reg. 6. v. 12. In Patribus nonne legiſti, quanta cum ſolemnitate, & proceſſione reliquiæ SS. Andreæ, Lucæ, &c. ex Palæſtina Conſtantinopolim ſint deportatæ? qualiter reliquiæ S. Stephani apud Aug. qualiter cineres apud Hieron. per manus Epiſcoporum circumlatæ ſint, &c. prô pudor! qui talia negare, & piam fidelium à ſanctis Patribus uſurpatam devotionem negare, imò ridere audeas.

VI. Iterum dicit noſter Anonymus: *Nunquam legimus SS Patres violenta manu de reliquiarum poſſeſſione certaſſe, ut memini (quamvis locus nunc forte non occurrat) legiſſe Cluſinos, & Peruſinos explicatis ſignis certaſſe pro poſſeſſione annuli pronubi Mariæ. ſi tale Reliquiarum ſtudium tam inſanum in primis ſæculis oſtenderes, eris nobis magnus Apollo*, &c. hæc ille.

Reſpondeo: Puderet te talibus argumentis uti; quod in primitiva laudabili pietate fideles reliquias SS. conquæſierint, & conſervarint, hoc paſſim apud ſanctos Patres leges, quod pia fuerit olim concertatio inter fideles pro poſſeſſione reliquiarum, hoc apud Hier. in vita Hilarionis leges, qui deberet tibi eſſe magnus Apollo, ſi autem aliqui privati zelo aliquo non ſecundùm ſcientiam, & aliquando exorbitante uſi ſint, quid hoc ad doctrinam Eccleſiæ Catholicæ de veneratione Sanctorum? an autem iſte zelus privatorum, licèt non probandus, pro reliquiis magis deteſtandus ſit, quàm furor veſter in reliquiis comburendis, ſancti Patres ſint judices; Deus ſuper omnes, ſed his tuis nugis apertè manifeſtas, quod nullum SS. Patrum pro tua impia contra ſacram reliquiarum venerationem calumnia habeas teſtimonium, ſed potiùs omnes adverſentur, ut ex illorum ſuprà copioſè allatis teſtimoniis ad tuam confuſionem legiſti, & legere poteris.

ARTICULUS IV.

Reſpondetur ad tertii Anonymi argumentum contra honorem Reliquiarum.

I. Tertius Anonymus ſic ait: *Primo reliquiis SS. Martyrum cum honorem deferimus, ut oſſa eorum ſuis conditoriis ſepulta eſſe ſinamus: interim exempla eorum pro gratia, quam Deus largiatur, imitemur. 2. de veſtro vero Reliquiarum, Sanctorumne, an non Sanctorum, incertum eſt etiam apud vos; cultu ſuperſtitioſo nihil antiquitas. 3. ridere tamen debeo prudentiam tuam, ſcilicet, quia plus quàm civilem cultum dicis: & latreuticum, douleuticum, & Hyperdouleuticum interim intelligis, & exigis.* Hæc tota illius Anonymi probatio ex Patribus contra veneratioñe reliquiarum.

II. Reſpondeo ad primum qualem honorem reliquiis SS. deferatis, oſſa eorum in ſuis conditoriis ſepulta ſinendo, prô dolor! tota Europa teſtatur, ut ſuprà indicatum eſt, qualiter exempla SS. imitari ſtudeatis, & illam, quam ipſi amplexi ſunt, doctrinam, & piam vitam, perverſa dogmata veſtra declarant.

Ad 2. quod cultus noſter erga SS. reliquias, ſuprà ſatis explicatus, inter Catholicos incertus ſit, & ſuperſtitioſus, & antiquitati ignotus fuerit, nimis impudens contra S. ſcripturam, & tot clara ſanctorum Patrum teſtimonia calumnia, & mendacium eſt: ſi vel unicum ſanctum Patrem

pro tua calumnia haberes, utique proferres. Verùm tu vides te cum tuis in Manichæis, Marcionistis, Arianis, & Vigilantio dudum à SS. Patribus hæreseos damnatum; quod tui Asseclæ sentientes audent *Hieronymum*, *Chrysostomum*, *Gregorium Nazianz.* &c. erroris & superstitionis, imo & idololatriæ condemnare; sic enim Brigtmannus in Apoc. cap. 14. v. 2. SS. Patres, *Athanasium*, *Basilium*, *Nazianzenum*, *Chrysostomum*, *Ambrosium*, *Hieronymum*, &c. inter alia hoc nomine accusare non veretur dicens: *quod verbo quidem idololatriam condemnauerint, re vera autem stabilierint per inuocationem Sanctorum, venerationem Reliquiarum, & hujusmodi nefarias superstitiones*, &c. hæc ille. Verè insanus, impudens & perversus. Similiter Hospinianus lib. 2. de Orig. Templorum cap. 7. sic scribere audet: *Hieronymi, & Augustini temporibus tanta vanitas colendi defunctas creaturas hominum animos incessit, ut inciperent diuellere reliquias*, &c. *Ita quod August.* lib. 22. *Ciu. cap.* 8. *Reliquiæ S. Stephani in aliquot Asiæ locis extabant*, & infrà: *Manifestum esse puto, cæpisse hanc superstitionem radices agere, & pullulare post* 300. *annos à nato Christo*, &c. & infrà ad testimonia sanctorum Patrum à Bellarmino allata dicere audet, *quod manifestam in Deum blasphemiam confirment, & Idololatriam stabiliant*, &c. hæc ille. An ergo cultus, quem Catholica Ecclesia introduxerat antiquitati ignotus fuit? qui non solùm anno 300. sed ab initio sanctè in Ecclesia usurpatus est, ut suprà ex S. scriptura, & sanctis Patribus est ostensum, & isti fatentur.

III. Demum quod dicis *Sanctorumne, an non Sanctorum.*

Respondeo imprimis sufficit nobis, quod veræ, & probatæ Sanctorum reliquiæ sint à sanctis Patribus honore, & reverentia singulari, ut sæpe dictum, affectæ, quem vos impiè superstitiosum vocatis. 2. quod si contingat subinde reliquias falsas pro veris exponi, id nihil officit intentioni fidelium piè credentium esse veras, quia intentio est ad verum Sanctum, propter quem illas honorat: & sic minus decipitur, quam Spurius ex adulterio natus, qui credens matri, putativum ut verum patrem honorat. Interim certum est, quòd Ecclesia publicè non approbet reliquias, nisi per certa testimonia constet.

Quod tandem rideas meam prudentiam in eo, quod cultum plus quàm civilem dixerim; cur non rideas etiam S. Augustinum, qui cultum Sanctis exhibendum dicit non latriam, volens longè minorem indicare, non habens ita nomẽ propriũ Latinum, ut ipse fatetur. Sufficiebat ipsi res ipsa, sic nobis sufficit, quod sanctis reliquiis sit exhibendus cultus, qui nullo modo est latricus, nec etiam civilis, sed nec propriè duliæ, sed impropriè & secundùm quid, ut suprà satis declaratum est.

Sancti Patres reliquias illo singulari honore afficiendas confirmant, quem ex S. scriptura hauserunt, non attendentes, quo nomine vocandus sit, sic & S. Conc. Trid. licèt Theologi pro claritate nominibus utantur; quid in hoc mali? ut autem clariùs piæ Ecclesiæ Catholicæ doctrina, & Acatholicorum calumniæ pateant, sequentes Antitheses proponuntur.

***

ANTITHESES

In quibus Catholica veritas, & Acatholicorum falsitas ex sanctis Patribus quoad reliquias proponitur.

1. Sancti Patres docuerunt *Reliquiis Sanctorum cultum latriæ, seu soli Deo debitum non esse exhibendum, nec exhibuerunt*; Idem profitetur moderna Ecclesia Catholica Romana, & protestatur.

Acatholici Ecclesiæ contrarium falsissimè perfrictâ fronte imponunt.

2. Sancti Patres testantur, *quod Christiani ab initio Ecclesiæ reliquias Sanctorum ita venerati sint, ut etiam eas thecis aureis argenteis, & pretiosis incluserint, ac honoratiori in Ecclesia loco collocarint*; id & facit moderna Ecclesia Catholica.

Acatholici ista superstitionis damnant, & sanctas reliquias thecis pretiosis furto sublatas in ignem, & cloacas, pedibus conculcatas projecerunt.

3. Sancti Patres passim *Reliquias Sanctorum nominarunt sacras, sacrosanctas, venerandas, ita ut vix nudas aspicere, vel attingere concessum sit*; id Ecclesia similiter facit.

Acatholici Reliquias vocant cadavera mortuorum, & omnem illis exhibitum honorem, ut idololatricum detestantur.

4. Sancti Patres referunt, *quod Reliquiæ sanctorum fuerint populo honorandæ exposita, cum magna populorum veneratione de loco ad loca translata*, &c. Idem facit Ecclesia Catholica.

Acatholici hæc superstitionis & idololatriæ damnant.

5. Sancti Patres profitentur, *quod ideo Sanctorum Martyrum Reliquiæ honorentur, quia ipsi usq; ad mortem unum Deum colendum asseruerunt, ut & alii ad eorum imitationem excitarentur.* Ita etiam S. Ecclesia.

Acatholici cum Luthero volunt illas altissimâ terra defodiendas sub prætextu Idololatriæ.

6. Sancti Patres testantur, *quod Deus voluerit S. Stephani, ac aliorum Martyrum corpora diu esse occulta, quæ postea miraculose reuelauit, ut à populo ad imitationem, & ipsi in Dei gloriam honorarentur; quod pluribus miraculis probauit.* Idem Ecclesia profitetur.

Acatholici cum Arianis & Vigilantio, reliquias amovendas, defodiendas, imo comburendas sub prætextu periculi idololatriæ, volunt.

7. Sancti Patres testantur, *quod fideles ex diuersis mundi partibus ad sepulchra Martyrum voti causa confluxerint, & ad obtinenda à Deo beneficia.* Idem faciunt Catholici.

Acatholici hæc idololatrica vocant.

8. Sancti Patres testantur, *quod ad sepulchra Martyrum, eorum ossa, & cineres inuisibiles potestates tortæ sint, dæmones amoliti, morbi desperati curati sint*: Idem fatetur Ecclesia Catholica.

Acatholici hoc cum Arianis, & antiquis Hæreticis, ut à Diabolo fictum, contemnunt.

9. Sancti Patres testantur, *quod etiam Apostolorum cathedræ in singulari honore asseruatæ sint, vestes & instrumenta martyrii.* Idem facit Ecclesia Catholica.

Acatholici hæc ut superstitiosa rejiciunt.

10. Sancti Patres testantur, *quod reliquiæ Sanctorum, imo & terra ex sepulchro Domini ad abigan-*

Digitized by Google

abigandas dæmonum vexationes in domibus singulari cum honore adservata sint. Idem faciunt Catholici.

Acatholici hoc superstitionis condemnant.

11. SS. Patres testantur, *quod fideles etiam Imperatores cum summa humilitate sepulchra Martyrum venerati sint.* Id faciunt moderni Catholici.

Acatholici hæc Idololatriæ damnant.

12. Sancti Patres testantur, *quod sudaria, vestes, flores SS. Reliquiis admoti, visum, & sanitates variis Fidelibus restituerint, mortuos ad vitam revocarint.* Idem credit Ecclesia per Dei virtutem ad majorem Sanctorum honorem fieri.

Acatholici id prorsus negant, & rident.

13. Sancti Patres testantur, *quod in primitiva Ecclesia, etiam rutilante Sole ad Evangelia decantata, & ad Reliquias Martyrum cerei sint accensi ad demonstrandam lætitiam.* Ita & faciunt Catholici.

Acatholici cum Vigilantio id rident, ut ritum Idolis exhibitum.

14. Demum *Ecclesia primitiva dixit Anathema illis, qui corpora Martyrum abominantur, & Arium, Manichæum, Eunomium, Vigilantium Hæreseos damnavit* etiam ob id, quòd negarint sanctis corporibus honorem exhibendum sub prætextu Idololatriæ. *Sic Ecclesia moderna omnes tales damnat.*

Acatholici è contrà tam sanctos Patres, quàm Ecclesiam Catholicam Idololatriæ ob honorem sacris Reliquiis exhibitum damnare audent.

CONCLUSIO.

Videat, & consideret hæc sincerus Lector, & judicet, an pia vetustas quatuor primorum sæculorum cultum, quem Ecclesia Catholica Reliquiis Sanctorum exhibet, penitùs ignoraverit? An Acatholici sanctos Patres, & antiquam Ecclesiam suarum calumniarum Patronos habeant, vel potius condemnatores, è contrà verò, an non ipsi illorum hæreticorum, quos ipsi tales agnoscunt sint sectatores. Si Acatholici aliquod alicujus S. Patris, etiam posterioris, ut v. g. Theodoreti dictum, imò glossam decreti reperiant, quod pro suo dogmate militare putant, quantum per hoc insultant Catholicæ veritati, allegantes antiquitatem; sed ubi antiquissimi Patres illorum dogmatibus tam expressè contrariantur, illos & damnare non erubescunt, nec moventur, sed illos potius hæreseos arguunt: quis iste spiritus sit, quilibet facilè agnoscit.

An autem modernis Acatholicis potiùs credendum sit, quinam sint hæretici, & errantes quàm ipsis sanctis Patribus, vel antiquæ orthodoxæ Ecclesiæ? an etiam illa Ecclesia spiritum veritatis, & veram Fidem habeat, quæ hæresin ab Ecclesia antiqua damnatam pertinaciter profitetur? sincerus Lector judicet; præsertim cùm ipsi ad Ecclesiam antiquam, & sanctos Patres provocent, se eandem cum ipsis habere doctrinam, & hoc ipsis incumbat probandum.

Videant hæc tres Anonymi, & Acatholici, & confundantur, sed utinam & convertantur.

***

CAPUT IV.

De Imaginibus Dei Christi & Sanctorum diversæ sententiæ.

ARTICULUS I.

Quid Acatholici de Imaginibus Sanctorum sentiant!

I. IVdæi in suo *Thalmud* Anno Christi 474. primum edito ord. 2. tract. 1. dist. 2. dicebant, Ecclesias Christianorum esse domos Idololatriæ idq; propter Imagines; unde patet, quòd tunc imagines in Ecclesiis fuerint.

II. 2. *Mahomet* circa Annum Domini 600. nefariam sectam incipiens suis imagines in templis ponere inhibuit, ut ex *Alcorano* cap. 15. & 17. constat, quod illius sectatores etiam nunc servant, & Christianos Idololatriæ propter imagines damnant.

III. 3. Inter Christianos duæ fuerunt extremè oppositæ hæreses, una Christiano-categororum, altera Eiconoclastarum, quas refert S. Damascenus lib. de Hæresibus in fine, sic dicens: *Christianocategori & sunt, & dicuntur, quod, cùm Christiani unum Deum vivum, & verum venerentur, ipsi venerandas imagines Domini nostri Iesu Christi, Dominaq; nostræ sanctæ Mariæ, quæ Deum sustulit, & peperit, sanctorum Angelorum, atque ejus Sanctorum, ita coluerunt, ut Deos, more Græcorum. Eiconoclastæ autem vocati sunt, quod easdem sanctas & veneratione dignas imagines cum ignominia tractavissent, tum in minutissimas partes comminuerunt, tum conjecerunt in ignem, eodemque modo eas, quæ in parietibus erant depicta, partim aquâ calida, partim calce atramentoque obliterarunt,* &c. hæc ad verbum S. Damascenus.

Eiconoclastarum primus fuit *Leo Isauricus Imperator* Anno 720. qui à Judæis inductus, omnes imagines ex Ecclesiis ejectas comburi curavit; idque, ut Romanus Pontifex faceret, mandavit, qui ei restitit. Ita Paulus Diacon. de Gestis Lombard. lib. 6. cap. 14. ex hoc Leo dictus est Iconomachus, &c. quem imitatus est ejus filius *Constantius*, dictus *Copronymus*, qui gravissimè Catholicos propter imagines persecuti sunt. IV.

Circa Annum 800. *Leo Armenus Imperator*, ejusque successores, *Michaël Balbus*, & *Theophylus* eandem persecutionem continuarunt, quos improbissimos fuisse, & quidem Theophylum Nicromantiæ, & Judaismi studiosissimum *Historici Græci Zonoras*, & *Cedrenus* testantur. V.

Hos secuti circa Annum 1050. sunt *Bogomoti*, qui sanctos Patres, *Basilium, Nazianzenum, Chrysostomum*, &c. reprobos, & Idololatras fuisse dicebant, quia sacras imagines venerati essent, ita refert *Euthymius* in Panopl. p. 2 tit. 23. cap. 1. VI.

Horum vestigiis inhæserunt *VValdenses* Anno 1200. deinde *VVicliff* Anno 1370. VII.

Andreas Carolstadius Lutheri discipulus Anno 1525. primus imagines ex templis auferre cœpit. Ita *Cochleus* in vita Lutheri. VIII.

 Alii

Digitized by Google

Alii Lutherani imagines Sanctorum etiam in templis admittunt ad ornatum, & repræsentationem historiarum. Ita *Kemnit.* in examine Conc. Trid. parte 4.

IX. *Caluinus* autem lib. 1. Inst. cap. 11. gravissimè imaginum cultum condemnat, ejusque sectatores illas, ubi possunt, non tantùm ex Ecclesiis amovent, sed etiam destruunt, & comburunt.

Caluinus quidem docet 1. nefas esse Dei imaginem formare, 2. Idololatriam verò illam colere, ideo §. 9. vocat illa simulacra.

3. Dicit §. 12. quòd imagines illorum pingi, & sculpi liceat, quorum capaces sunt oculi, ut hominum, præsertim, si in historiis exhibeantur, sed illas in templo collocandas negat, multò minùs colendas ubi §. 14. *Synod. Nicænum* 2. gravissimè accusat, quòd imaginum cultum confirmarit, plurimaque gravissima mendaciter eidem Concilio imponit §. 14. 15. 16.

X. *Catechismus Heidelberg.* ad quæst. 96. & 97. dicit: 2. præcepto Decalogi prohibitum, *ne Deus ullo modo depingatur*, creaturæ quidem depingi possent, sed tamen à Deo prohibitum, ne illæ imagines honorentur.

XI. *Dauid Pareus* in cap. 1. ad Rom. dub. 18. dicit, Idololatriam committere eos, qui imagines ad repræsentandum Christum, vel populum rudem docendum, de Christo defendunt.

ARTICULUS II.

Doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa Sanctorum imagines.

I. SCiendum, quòd tria in controversiam trahantur: Primum, an liceat imagines Sanctorum habere? secundum, an specialiter in templis exhibere? tertium, an sint aliquo honore colendæ? primum in hoc capite tractabitur.

II. Doctrinam Catholicam tradit Concil. Trid. sess. 25. ita decernens: *Mandat S. Synodus*, &c. *ut juxta Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ usum à primævis Christianæ religionis temporibus receptum*, &c. *de legitimo Imaginum usu fideles diligenter instruant*, *docentes eos*, &c. & infrà: *Imagines porro Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in templis præsertim habendas & retinendas, eisque debitum Honorem, & venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis diuinitas, vel virtus, propter quam sint colenda, vel quod ab illis sit aliquid petendum, vel quod Fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à Gentilibus, qui in Idolis spem suam collocabant, sed quoniam Honor, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant, ita, ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur, id, quod Conciliorum, præsertim Nicænæ secundæ Synodi, decretis contra imaginum impugnatores est sancitum* Hæc Concil. ubi etiam subjungit, cur imagines Christi, & etiam Sanctorum proponantur populo: Primò, ut mysteria redemptionis simplicibus inculcentur. Secundò, per omnes imagines admoneatur populus beneficiorum, quæ Christus nobis præstitit, *specialiter autem exprimit dicens: Ut etiam, quia Dei per Sanctos miracula, & salutaria exempla oculis Fidelium subjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorum imitationem vitam, moresq; suos componant, excitenturq; ad adorandum, ac diligendum Deum, & ad pietatem colendam*, &c. hæc Concil.

III. Cæterum quoad imagines Dei vel Angelorum Concil. nihil decernit, indicat tamen illas non esse illicitas dicens: *Quod si aliquando Historias, vel narrationes S. Scripturæ, cum id indoctæ plebi expediet exprimi, & figurari contigerit, doceatur populus, non propterea diuinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit*, &c. Et infrà de omnibus qualibuscunque imaginibus subjungit: *Omnis porro superstitio in Sanctorum inuocatione, Reliquiarum veneratione, & imaginum sacro usu tollatur, omnis turpis quæstus eliminetur, omnis deniq; lascivia vitetur, ita, ut procaci venustate imagines non pingantur, nec ornentur*, &c. hæc Concil.

Ex his constat Ecclesiæ Catholicæ doctrina: quamvis autem in quæstione proposita imaginum duntaxat Christi, & Sanctorum mentio facta fuerit, quia tamen imagines Dei etiam in Ecclesia usurpantur, de his etiam agendum erit.

ARTICULUS III.

Ostenditur diversitas inter similitudinem, imaginem simulacrum & Idolum.

I. INter hæc maxima est disparitas; nam similitudo generaliter usurpatur pro relatione inter res quascunque ejusdem naturæ, vel cujuscunque accidentis, licèt apud Philosophos strictè specialiter inter qualitates cum Philosopho 5. Metaphys. cap. de relat. ponatur.

II. *Imago dicitur similitudo vera, non quæcunq; sed unius ad alterum, quod vel in natura, vel in aliquo accidente imitatur tanquam suum exemplar, & prototypum.* Primo modo pater dicitur generare filium ad imaginem suam, scilicet in natura, sic filius dicitur imago Patris in divinis non è contrà, ut notat Scotus in 1. dist. 19. quæst. 1. n. 9. ad 3. quia habet naturam à patre.

De triplici veræ imaginis acceptione pulcherrimè discurrit D. Damascenus orat. 1. de Imaginibus fol. 3. ubi etiam ostendit, qualiter Deus & Angeli dicantur imagines, per quas in illorum notitiam venimus.

III. Secundo modo homo pictus, seu effigies hominis, dicitur illius imago, quia quoad exteriorem figuram, seu lineamenta, & colores illum imitatur.

IV. *Idolum dicitur similitudo picta, vel sculpta falsa alicujus, quod revera non est.* Sic statuæ falsorum Deorum dicuntur, & sunt Idola, quia proponuntur tanquam imagines, seu similitudines repræsentantes Deos, qui non sunt Dii, adeóque sunt imagines falsæ.

Hanc esse inter illa differentiam constat ex S. Scriptura, nam nullibi S. Scriptura tribuit nomen Idoli ulli veræ alicujus imagini, sed tantùm statuis, aut figuris falsorum Deorum, & ideo Idolum etiam dicitur in S. Scriptura *vanum*, seu *inane, falsum, & mendax*, ut SS. Patres colligunt ex cap. 26. Levit. v. 1. & 23. Numer. v. 21.

Paulus dicit illud esse nihil 1. Cor. 8. v. 4. *Scimus, quia nihil est Idolum in mundo*, & causam addit dicens: *quod nullus est Deus, nisi unus*, &c. nam licèt Idolum quoad materiam sit aliqua res,

tamen

Digitized by Google

tamen quoad significationem, seu repræsentationem nihil est, quia repræsentat aliquid, ut Deum, quod non est Deus, adeóque falsò, & mendaciter: nam licèt repræsentent dæmonia juxta illud ps. 95. v. 5. *Omnes Dii gentium demonia*, juxta quod Apostolus 1. Cor. 8. suprà, cùm dixisset verba præmissa ibid. cap. 10. v. 19. dicit: *Quid ergo? dico quod Idolis immolatum sit aliquid? aut quod Idolum sit aliquid? sed quod immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo*, &c. licèt inquam dæmones sint aliquid creatum, tamen non sunt veri Dii, sed falsi, & ideo Idolum dicitur nihil, & mendax, quia dæmonia, ut Deos veros repræsentat, prout D. Augustinus in ps. 135. observat. Quòd autem S. Scriptura nullibi tribuat alicui veræ imagini nomen Idoli, patet, quia Apostolus de Christo dicit 2. Cor. 4. v. 4. *Qui est imago Dei*, & ad Coloss. 1. v. 15. *Qui est imago Dei invisibilis* & ad Hebr. 1. v. 3. *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus*: scilicet Patris, &c. sed nullibi dicitur, quòd sit Idolum Patris. Ita etiam ostendi potest de imaginibus veris creaturarum.

V. *Simulacrum* licèt aliqui putent à similitudine dictum, & ideo tam de vera, quàm falsa imagine dici possit, magis tamen S. Scripturæ conformiter dicitur à *simulando*, ac proinde falsa imago, seu Idolum: sic enim observat D. Augustinus in ps. 135. edit. Basil. 1528. dicens: *Quod attinet ad ipsa simulacra, quæ Græcè appellantur Idola, quo nomine jam utimur pro Latino, oculos habent, & non vident.* Sic Hieron. in cap. 7. Oseæ, edit. Basil. 1553. dicit: *Simulacrum opponi Deo, sicut mendacium opponitur veritati, cùm falsum Deum repræsentet.* Hæc simulacri, & Idoli distinctio à vera imagine etiam constat ex communi vocis usu; nam, etsi filius dicatur imago patris, non tamen ejus Idolum, vel simulacrum, *nec imagines Principum Idola, vel simulacra dicuntur*, alioquin Acatholici Idolis, & simulacris sæpe abundarent.

VI. Ex his patet manifestè, quòd imagines vel Dei, vel Angelorum, vel aliorum Sanctorum nullo modo dici possint Idola, vel simulacra, quia repræsentant rem veram, & quia imagines Dei Deum verum, qui per illam repræsentationem colitur, & adoratur; sed per Idola adorantur dæmonia, ut suprà ostensum est.

Unde patet, quàm falsò Calvinus, & Acatholici ex invidia, & per calumniam omnes Dei, & Sanctorum imagines simulacra, & Idola vocent.

VII. Ulteriùs in speciali circa imagines veras universaliter observandum est; quòd tribus modis aliquid posset dici imago, vel similitudo alterius: Primò, ut scilicet verè imitetur alterum in natura, sitque ejusdem naturæ cum altero, sicut Verbum est vera imago Patris æterni: Secundò, ut est quid formatum ad similitudinem alterius, non ut sit ejusdem naturæ, vel substantiæ cum illo, sed quoad aliquam proportionem cum maxima dissimilitudine in substantia, seu natura univoca, quarum unam Philosophi vocant similitudinē univocationis, & alteram proportionis Sic de viro dicitur ab Apostolo 1. Cor. 11. v. 7. *Quoniam imago, & gloria est Dei.* Et Gen. 1. v. 26. dicit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram,* cùm tamen homo in natura in infinitum distans sit à Deo, sed solùm similitudinem habet proportionis, vel analogiæ, & secundùm quid, idque secundùm animam, ut, sicut Deus unus est in essentia, & trinus in personis & similiter habet memoriam, intellectum, & voluntatem infinitæ perfectionis; sic anima est una in sua natura, & triplex in potentiis intellectu, memoria, & voluntate simpliciter finitis, & sic in sola anima, vel creatura intellectuali reperitur, quantum possibile est, perfecta imago sanctissimæ Trinitatis, ut loquitur Augustinus lib. 14. Trinit. cap. 8. edit. cit. dicens: *Ibi quærenda est, & inuenienda est in nobis*, scilicet imago Trinitatis, *quo etiam natura nostra nihil habet meliùs*, &c. licèt D. August cum communi Doctorum dicat, quòd aliqualis imperfecta imago Trinitatis in qualibet creatura reperiatur, quod dicitur vestigium: sic enim ait lib. 6. Trinit. cap. ult. eâd. edit. *Oportet igitur ut Creatorem per ea, quæ facta sunt, intellectu conspicientes, Trinitatem conspiciamus, cujus in creatura, quomodo dignum est, apparet vestigium*, &c.

Tertiò potest aliquid dici imago alterius secundùm aliquam metaphoram attributionis, prout sunt metaphoricæ locutiones in verbis, cùm significatio propria unius rei ad aliam impropriè transfertur propter aliqualem attributionem, & proportionem, sic *Christus* dicitur *Agnus* Joann. 1. v. 29. & Apocal. 5. v. 6. & alibi; quia agnus habet aliquam similitudinem mansuetudinis, quæ non est vera virtus, quam Christus habet verissimam. Similiter Christus dicitur *Leo de tribu Iuda*, ratione fortitudinis Apoc. 5. v. 5. & ipse se vocat *vitem veram* Joann. 15. v. 1. sic *quatuor Euangelistæ* Apoc. 4. v. 7. *repræsentantur per quatuor animalia.* Sic demum Deus dicitur *habere oculos, manus, faciem humanam*, propter aliquam proportionem oculi, quo homo videt, ad intellectum Dei infinitum, quo omnia intuetur, & sicut homo per manus operatur, significatur Dei omnipotentia, quâ omnia creat, & operatur, &c.

Similiter distingui possunt imagines pictæ, vel sculptæ tripliciter: 1. Ut imago repræsentet perfectam similitudinem naturæ rei imaginatæ, seu prototypi, vel secundùm suam substantiam, vel secundùm aliquid illius; & quidem secundùm substantiam impossibile est, quòd aliqua pictura, vel sculptura detur, quæ sit imago ullius substantiæ, etiam corporeæ, quia picta, vel sculpta imago tantùm consistit in exteriore figura, & coloribus, quæ non possunt perfectam substantiæ illius similitudinem exprimere, vel repræsentare, sed solùm dicuntur substantiæ alicujus imagines imperfectæ, in quantum repræsentant alicujus substantiæ quantitatem, & qualitates corporeas, quæ sunt accidentia illius, secundùm quæ substantiæ corporeæ tantùm sub sensus cadunt; & quod magis est juxta veram Philosophiam, intellectus hominis pro hoc statu non habet conceptum proprium ullius substantiæ, nisi ad summum entis, sed concipit substantiam, vel per negationes accidentium, vel per respectum ad illa; ut *ens non quantum, non quale*, &c. *non inhærens*; vel ens se ipsum movens, intellectuale, vel rationale scilicet per ordinem ad actus, &c. adeóque nec in mente hominis est propria imago substantiæ, secundùm suam propriam specificam naturam; quantò minùs imago picta, vel sculpta, substantiam sic repræsentat. VIII.

Secundò potest aliquid pingi vel sculpi, ut imago

Digitized by Google

imago alterius, non ut illud, vel secundùm propriam naturam, vel aliquid illius per veram similitudinem univocationis exprimat, sed tantùm per aliquam Metaphoram, & proportionem, aut figuratam significationem, sic pingi solent *virtutes in specie virginum, sic Angeli in specie juvenum*, ut per exteriores colores, & figuras spirituales illorum qualitates exhibeantur; prout dicit D. Gregorius Nazianz. orat. 23. in principio: *Angelicus est vestitus candor & splendor, cum corporea forma pinguntur, ad designandam naturalem eorum puritatem*, &c. & hæ imagines potiùs signa rerum vocarentur, quàm imagines, quia significant, vel naturaliter, vel ex instituto res alias, ac quatenus homini illas repræsentant, vel in memoriam deducunt; etiam aliquales illarum similitudines dici possunt, sic Sacramenta dicuntur etiam imagines, juxta illud Augustini: *Si Sacramenta similitudinem illarum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent*; quod non debet intelligi de similitudine univoca, vel etiam naturali; sed proportionis, vel ex instituto.

Tertiò possunt picturæ, vel sculpturæ dici imagines, non ut immediatè repræsentent principale prototypon, sed mediatè, scilicet mediante alio signo, quod repræsentat, prout passim fit in historiis pictis, ubi depinguntur aliqua signa quæ contigerunt; ut si quis depingeret historiam ex Gen. 28. quando tres viri apparuerunt Abrahamo, qui erant signa repræsentantia, vel sanctissimam Trinitatem, vel 3. Angelos. Et similiter, si quis pingeret historiam, ubi Moyses Exod. 3. v. 2. vidit rubum ardere, & non comburi, quæ flamma erat signum præsentiæ Dei, significans sub aliqua Metaphora; hoc modo pictura non esset immediata imago Dei, sed illius flammæ, quæ erat signum, vel imago Dei, & tamen sic etiam illa pictura repræsentaret Deum, & diceretur imago ipsius.

Hæc eò fusiùs proponenda duxi, ut clariùs Catholica veritas proponi, & Acatholicorum calumniæ refelli possint.

CAPUT V.

De Imaginibus Dei.

ARTICULUS I.

Quòd licitum sit imagines, vel sculpturas formare simpliciter.

I. HÆc dicuntur propter errorem Judæorum, qui post Christi adventum negant ullas imagines, vel sculpturas formandas, idque volunt 1. præcepto Decalogi prohibitum; quòd autem hoc falsum sit, infrà declarabitur respondendo ad Anonymi objectionem.

Probatur autem 1. quod Deus mandavit, id non potest esse lege divinâ naturali prohibitum, quod enim sic prohibitum est, est intrinsecè malum, sicut mentiri, vel falsos Deos colere, quod à Deo præcipi ipsius naturæ repugnat. Constat autem ex S. Scriptura, quòd Deus imagines fieri præceperit, ut patet Exod. 25. v. 18, ubi Dominus dicit Moysi: *Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies ex utraque parte oraculi*, &c. Numer. 21. v. 8. *Fac serpentem aneum, & pone eum pro signo, qui percussus aspexerit eum, vivet; fecit ergo Moyses serpentem aneum*, &c. similiter Exod. 31. v. 2. dicit Dominus ad Moysem *de Beseleel filio Uri*, &c. *implens eum spiritu & sapientiâ*, &c. *ad excogitandum, quicquid fabrefieri potest ex auro, & argento*, &c. & infrà: *Et in corde omnis eruditi posui sapientiam, ut faciant cuncta, quæ præcepi tibi, tabernaculum fœderis, & arcam testimonii, & propitiatorium, quod super eam est*, &c. illud propitiatorium autem erant duo Cherubim, &c. Idem Moyses exequitur Exod. 35. v. 10. dicens: *Quicquis vestrûm sapiens est, veniat, & faciat, quod Dominus imperavit*, &c. Imò Dominus Ezechieli 41. cap. in visione exhibens templum reædificandum, ostendit illi similia, sic enim Propheta ait juxta illa, quæ vidit dicens v. 18. *Et fabrefacta Cherubim, & palmæ inter Cherub & Cherub, duas facies habebat Cherub, faciem hominis*, &c. *& faciem leonis*, &c.

Rursus de Salomone 3. Reg. 6. v. 23. dicitur: *Et fecit in oraculo duos Cherubim*, &c. & v. 35. *Sculpsit Cherubim*, &c. & cap. 7. v. 23. *Fecit quoq; mare fusile*, &c. *& sculptura subter labrum*, & v. 29. *& inter coronulas, & plectas leones, & boves, & Cherubim*, &c. *& subter leones, & boves*, &c. nec tamen in his Salomon reprehensus est, quòd contra Dei præceptum egerit; nec his ulteriùs immorandum est, cùm & Acatholici cum suo Calvino concedant, qui lib. 1. cap. 11. §. 12. sic ait: *Neque tamen ea superstitione teneor, ut nullas prorsus imagines faciendas censeam, sed quia Scriptura & pictura Dei dona sunt*, &c. an autem consequenter loquantur, dum volunt cum Judæis omnem prorsus imaginem primo Decalogi præcepto esse prohibitam? Lector judicet.

ARTICULUS II.

Quòd licitum sit imagines Dei, & sanctissimæ Trinitatis habere, & qualiter.

QUamvis non sit de Fide certum, quòd liceat hujusmodi imaginibus uti, quod colligitur ex Trid. suprà, quia non ita determinat de his imaginibus, sicut de Christi, & Sanctorum; & quia aliqui Doctores Catholici etiam sustinent id non licere, ut Durandus in 3. dist. 9. quæst. 2. ad 4. & alii quidam, nihilominus communior Doctorum est sententia, id licere: pro majori claritate ponam sequentes conclusiones. I.

Dico primò: Nullatenus licet, & summum Sacrilegium, & Idololatria esset, imaginem aliquam pictam, vel sculptam habere, vel exhibere quasi ipsa imago haberet naturam Deitatis, vel esset Deus. Hæc est certissima de Fide, eamque definit Concil. Trid. suprà, & clarissimè patet ex S. Scriptura, quæ in omnibus locis detestatur Idola, II.

Digitized by Google

Idola, seu statuas falsorum Deorum, quibus gentes falsò imaginabantur inesse divinitatem, eaque esse veros Deos, à quibus auxilium petebant: hoc enim gentes sensisse nimis patet ex S. Scriptura, ut ps. 113. v. 12. *Simulacra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum, os habent, & non loquentur*, &c. Levit. 26. v. 1. Isai. 2. v. 20. *In die illa ejiciet homo Idola argenti sui, & simulacra auri sui, quæ fecerunt sibi, ut adorarent.* & cap. 44. v. 9. *Plastæ Idoli omnes nihil sunt, & quis formavit Deum, & sculptile conflavit ad nihil utile?* & cap. 28. v. 5. *Ne fortè diceres: Idola mea fecerunt hæc & sculptilia mea, & conflatilia mea mandaverunt illa*, &c. Jerem. 10. v. 5. de istis Deus ait: *In similitudinem palmæ fabricata sunt, & non loquentur, portata tollentur, quia incedere non valent; nolite ergo timere ea, quæ nec male possunt facere, nec bene*, &c. ubi manifestum est, quòd gentes timebant illa lignea Idola, quæ Deus monet, ut Judæi non timerent. Similiter Daniel. 5. v. 4. *Bibebant vinum, & laudabant Deos suos aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneosq; & lapideos*, &c. nec opus est ulteriùs probare, quia nimis insanum est, licèt gentes excœcatæ sic opinatæ sint, ut ex locis allegatis patet. Calvin. tamen cap. 11. §. 10 illud negare audet contra tam manifesta S. Scripturæ loca.

III. *Dico secundo*: Nullatenus licitum est, & gravissima Idololatria, si imago aliqua pingatur, vel sculpatur, eo fine, quasi ipsa propriè repræsentaret Deitatem, & sanctissimam Trinitatem secundùm suam propriam naturam, ejusque vera, & propria similitudo esset. Hanc etiam definit Concil. Trid. suprà dicens: *Doceatur populus divinitatem non figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit.* Et hæc etiam clarissima est ex lumine naturæ, quia, cùm Deus sit prorsus infinitæ, & invisibilis naturæ, non potest vera similitudo ejus corporeis coloribus exprimi, & patet ex prædictis cap. præced. art. 3. cùm nulla imago picta, vel sculpta possit ullam substantiam etiam corpoream, secundùm propriam naturam imitari formaliter, vel exprimere, quantò minus infinitam, & invisibilem Deitatem.

Hæc patet ex Scriptura passim & Deut. 4. v. 12. *Vocem verborum ejus* (Domini) *audistis, & formam penitus non vidistis*, & v. 15. *Non vidistis aliquam similitudinem, ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem*, &c. scilicet, quæ Deum repræsentaret, & adoretur.

Isai. 40. ubi cùm ostenderet Dei immensitatem dicens v. 17. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt & quasi nihilum, & inane reputata sunt ei*, subjungit: *Cui ergo similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?* &c. v. 22. *Qui sedet super gyrum terræ, & qui extendit, ut nihilum, cælos*, &c. & infrà v. 25. *Cui assimilastis me, & adæquastis & comparastis me, dicit Sanctus.* Similiter cap. 46. v. 5. *Cui assimilastis me, & adæquastis, & comparastis me, & fecistis similem?* &c. demum Apost. Act. 17. v. 29. *Genus ergo cùm simus Dei, non debemus æstimare auro, vel argento, aut lapidi, aut sculpturæ artis, & cogitationis hominis divinum esse simile.*

Probatur etiam ratione naturali, quia juxta communem Doctorum sententiam, homo pro hoc statu non potest Deum secundùm propriam suam naturam concipere, nisi ad summum sub conceptu entis, reliqui conceptus sunt negativi: sic concipitur ens infinitum, invisibile, incomprehensibile, scilicet per negationem finitatis, visibilitatis, &c. vel per ordinem ad creaturas, ut per omnipotentiam, omniscientiam, &c. ita, ut per Metaphoram ad res sensibiles, & ut loquuntur, per Analogiam mens concipiat, Deum esse ens supra omne. Cùm itaque Doctores Catholici id asserant, multò minùs intendunt, quòd per aliquam externam imaginem, aut signum Deus secundùm se, & naturam suam figurari, vel repræsentari possit.

Dico tertio: Etsi de Fide certum non sit, nec à Deo mandatum, valde tamen moraliter certum est licere historias pingere, vel sculpere, in quibus Deus metaphoricè repræsentetur, sub aliqua imagine, vel figura, sub qua in S. Scriptura apparuisse narratur, ita, ut pictura per se primò repræsentet figuras, in quibus Deus apparuit, & per consequens hominibus Deum in memoriam revocet; & sic quasi per vestigium argitivè in Dei notitiam veniant, sicut per vestigium hominis in notitiam hominis, qui transiit: sicut August. lib. 8. Trinit. cap. ult. suprà dicit, quòd Creatorem per ea, quæ facta sunt, conspiciamus, &c. præsertim si tali modo explicentur hujusmodi picturæ populo, ut Concil. Trid. mandat, & monet. IV.

Hoc licitum esse ex Concil. Trid. satis colligitur suprà; si enim Concilium tales imagines in historiis formatas non probasset, sed tantùm tolerandas reliquisset, ut aliqui volunt, non addidisset illa verba: *Quod si aliquando*, &c. nam inferiùs mandat omnes abusus circa imagines aboleri.

Probatur itaque ex Scriptura Gen. 3. v. 8. *Et cùm audissent vocem Domini deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem*, &c. scilicet Adam, & Eva. Ecce ibi dicitur vox Domini sensibilis, & deambulatio, quasi hominis.

Secundò Gen. 28. v. 12. dicitur de Jacob: *Viditq; in somnio scalam*, &c. *Et Dominum innixum scalæ dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abraham*, &c.

Tertiò, Exod. 3. v. 2. de Moyse dicitur: *Apparuitq; ei Dominus in flamma ignis de medio rubi*, &c. Et infrà: *Cernens eum Dominus, vocavit eum de medio rubi*; & ait: *Ego sum Deus Patris tui, abscondit Moyses faciem suam; non enim audebat aspicere contra Deum*, &c. sic etiam Deus in nube subinde apparuit, &c.

Iterum Exod. 33. v. 23. dicit Dominus Moysi: *Tollamq; manum meam, & videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.*

Sic Isai. 6. v. 1. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum, & ea, quæ sub ipso erant, replebant templum.* Et ibidem v. 5. dicit Propheta: *Regem Dominum exercituum vidi oculis meis.*

Similiter 3. Reg. ult. v. 19. dicit Michæas Propheta: *Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cœli existentem.*

Ita etiam Daniel 7. v. 9. dicit: *Aspiciebam, donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, vestimentum ejus candidum, quasi nix, & capilli capitis ejus, quasi lana munda*, &c. Et ibidem v. 13. *Et ecce in nubibus cæli, quasi Filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum venit*, &c. circa quem locum D. Augustinus dicit,

Digitized by Google

quam ſymbola erant cæleſtis gloriæ, &c. Secundò dicit: *Apparuit Spiritus Sanctus ſub ſpecie columbæ, ſed dum protinus evanuit, quis non videt unius momenti ſymbolo admonitos eſſe fideles ſpiritum inviſibilem credendum eſſe?* Tertiò addit dicens: *Nam quod ſub forma hominis Deus interdum apparuit, præludium fuit futuræ in Chriſto revelationis*, hæc Calv.

Reſpondeo: Sed quis non videt Calvinum nihil ad rem dicere. In quæſtione eſt: an liceat Deum ſub talibus figuris, vel ſignis, in quibus apparuit, pingere, idque illum in finem, ob quem Deus etiam ſic apparuit? quòd Deus ſe ſub talibus ſignis præſentarit, Calvinus abſque blaſphemia non poteſt dicere fuiſſe malum. Catholici itaque dicunt, quòd liceat ſimilia ſigna formare in ſymbolum divinæ eſſentiæ, ut illius recordentur homines, non verò ut eſſentiam Dei in ſe repræſentent. Atqui Calvinus idem fatetur dicens, quòd *nubes, flamma*, &c. *ſymbola fuerint cæleſtis gloriæ*, &c. Nec ad rem facit, quòd dicit ſacram Scripturam etiam monuiſſe, quòd Deus talis non eſſet ſecundùm eſſentiam, &c. hoc enim falſum eſt, quòd Scriptura ſemper id monuerit, licèt Moyſes ſubinde fecerit; ſicut etiam quòd credendum ſit Spiritum Sanctum eſſe inviſibilem, & ſic Catholici etiam expreſsè informant fideles, quòd credere debeant Dei eſſentiam eſſe immenſam, & inviſibilem, adeóq; non erit malum, ſi adhibitâ ſimili inſtructione Deus ſub ſimilibus ſignis pingatur, & ſculpatur. Quòd autem Calvinus dicit: *Nam quod ſub forma hominis Deus interdum apparuerit, præludium fuit futuræ in Chriſto revelationis*, &c. hoc univerſaliter falſum eſt primò, quia etiam Deus Pater in forma antiqui dierum Danieli, & Spiritus S. in ſpecie columbæ apparuit, qui nunquam ſunt incarnandi, &c. Secundò, quia hoc dici non poteſt ad iſta loca, ubi dicit ſanctiſſima Trinitas: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, & ubi Deo attribuuntur manus, oculi, aures, & alia humana membra.

Cùm ergo Calvinus fateri debeat, quòd illa, in quibus Deus aliquando apparuit, ſive nubes, ſive fumus, aut flamma, aut forma hominis, fuerint ſymbola divinæ eſſentiæ, ſeu, ut ipſe ait, *cæleſtis gloriæ, & Dei præſentiæ*, ut homines Dei recordentur, ſive modico, ſive multo tempore ſub talibus ſignis apparuiſſet, & in re approbare convincitur licitum eſſe imaginum uſum, prout à Catholicis exercetur, ſcilicet, ut ſint ſola ſymbola Dei, quibus Deus repræſentetur, ſicut olim in iiſdem Deus ſeſe repræſentavit; & Catholici docent non eſſe alias Dei imagines formandas, niſi quorum exemplar in ſacris Scripturis habetur, & Concil. Trid. graviſſimè præcipit, ut fideles inſtruantur, qua de cauſa hujuſmodi imagines proponantur.

Ex quibus patet impudens, & nimis injurioſa Calvini calumnia, dum ibid. §. 11. imponit Catholicis dicens: *Tantum abeſt, ut ab illorum* (gentilium Idololatria) *cauſa ſuam ſejungant*, &c. *dum ſymbola, quibus Deum ſibi figurent, & ſuo ingenio ſibi comminiſcuntur, & ſuis manibus conſingunt*, &c. hæc ille. Quibus falſiſſimè imponit, quòd per illa ſymbola Catholici intendant figurare Deum ſecundùm ſe, quaſi Deus eſſet talis figuræ, & eſſentiæ, & quòd talia ſymbola ad libitum comminiſcantur; cùm, ut ſuprà dictum eſt, Catholici aſſerant, Deum ſecundum ſe nequidem per intellectum pro hoc ſtatu concipi poſſe, multò minùs ſymbola illa cultu latriæ colenda docent, ſive in illis dæmonia, ut gentiles circa Idola egerunt, juxta Apoſtolum 1. Cor. 11. v. 19.

Quæ autem ex præcepto Decalogi: *Non facies tibi ſculptile*, &c. Acatholici objiciunt, infrà reſpondendo ad Anonymorum objecta reſolventur.

Reſpondeo hîc breviter, ibi ſolùm prohibitas quaſcunque imagines, ut cultu latriæ adorentur, alioquin forent undecim Decalogi præcepta, & proinde non prohibet imagines illas, quæ illo fine fiunt, prout Deus ipſemet illas formavit, ut eſſent ſymbola, quæ ſuam præſentiam, vel eſſentiam metaphoricè repræſentarent, non verò quaſi Deitatem, in ſe talis formæ eſſe, exhiberent, quæ populo apertiſſimè explicantur.

Ex hactenus dictis calumniæ Acatholicorum ſufficienter refutantur, & uſum imaginum talem licitum eſſe conſtat, nec opus eſſet, pro hoc ſanctorum Patrum authoritates allegare, cùm non aſſeratur, ut de Fide certum, nec à Deo præceptum, ita tamen, ut ex S. Scriptura talem uſum non eſſe prohibitum, ſed licitum pateat, & ideo Concil. Tridentinum illum non improbat, ſed debito modo exercendum eſſe monet. Authoritates & teſtimonia SS Patrum in ſequentibus recitabuntur. Nec oſtendi poteſt, quòd SS. Patres hunc imaginum uſum S. Scripturæ contrarium eſſe docuerint.

Etſi verò harum uſus in primitiva Eccleſia frequens non fuerit, id potiſſimùm factum eſt, ne gentiles calumniandi occaſionem ſumerent, quaſi Chriſtiani etiam Deum corporeum haberent, qui excuſationes juſtas non admiſiſſent, ut patet, quòd etiam Manichæi in ſpeciali Catholicos, & gentiles calumniati ſint Judæos, & ipſum Moyſen, qui ſcripſit Deum in nube, vel flamma apparuiſſe, unde criminabantur ipſos Deum talem coluiſſe, ut fatetur Calvinus ſuprà §. 3. dicens: *Judæis per ludibrium exprobrat Juvenalis quod puras nubes, ut cæli numen, adorent, perversè quidem & impiè*, &c. ſed ipſe Calvinus non minùs perversè & impiè id imponit Catholicis dicens: *Verius tamen loquitur, Dei effigiem apud illos extare negans, quam Papiſtæ, qui viſibilem aliquam Dei effigiem fuiſſe garriunt*, &c. hæc ille, ubi falſiſſimè ſupponit, quòd Catholici dicant, nubem fuiſſe effigiem Dei, quaſi Deus ſecundùm ſe talem figuram haberet, cùm nihil aliud eſſet, quàm ſymbolum divinæ inviſibilis eſſentiæ, ut oſtenſum eſt, & Calvinus fateri debet.

* * *

CAPUT VI.

De Imaginibus Christi & Sanctorum in templis.

ARTICULUS I.

Quòd licitum sit imagines Christi, Angelorum, & Sanctorum formare, etiam extra historiam, & in templis collocare.

I. HÆc est de Fide certa definita in Synodo 7. & patet ex Concilio Trid. suprà, & probatur primò ex sacra Scriptura, & usu primitivæ Ecclesiæ.

Primò de imaginibus Christi patet ex illo Numer. 21. v. 8. de serpente æneo, qui fuit figura Christi ipsum repræsentans per Metaphoram, ut ipsemet Salvator exponit Joann. 3. v. 14. dicens: *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis*, &c.

2. De Angelis patet ex locis S. Scripturæ suprà allatis, quoad figuras Cherubim, quæ non solùm in templo, sed in sancto Sanctorum collocatæ fuerunt, unde ex paritate sequitur, quòd etiam aliæ Sanctorum imagines licitè fiant, & in templis ponantur.

3. Probatur ex omnibus illis S. Scripturæ locis, in quibus Angeli in specie virorum, vel juvenum apparuisse referuntur, ut Gen. 19. v. 1. *Venerunt duo Angeli Sodomam*, &c. & per totum Caput Gen. 32. v. 1. & v. 15. *Vir luctabatur cum Iacob*, &c. & alibi sæpe in veteri testamento, sicut & in novo ad sepulchrum in die resurrectionis Matt. 28. Marc. 16. Luc. 22. Joann. 20. &c. Act. 10. apud Cornelium & in Apoc. sæpe: cur ergo non liceat in tali figura illos pingere?

Probatur 2. ex traditione, & usu Ecclesiæ antiquæ nam Christus ipsemet reliquit sui corporis figuram impressam in sindone, quâ corpus ejus in sepulchro involutum jacuit, quæ Taurini adservari dicitur.

2. Christus Salvator effigiem suam transmisit Abagaro Regi Edessæ, ut ex antiqua traditione referunt *Adrianus* Papa in lib. de Imagin. tomo 3. Conciliorum & *Ivo* 4. parte decreti c. 83. & S. *Damascenus* lib. 4. de Fide Catholica cap. 17. & *Evagrius* lib. 4. historiar. cap. 26. ac *Nicephorus* lib. 2. hist. cap. 17. qui testantur illam imaginem Edessæ adservatam.

Iterum traditio est antiquissima de muliere Hemorroissa ex Cæsarea Philippi (quam alii Paneadam vocant) oriunda, per Christum à sanguinis fluxu liberata, quòd in honorem Christi, & memoriam tanti beneficii ibidem ante domum suam statuam erigi curarit; de qua refert *Eusebius* lib. 7. Histor. cap. 14. *quod ex basi ejusdem statuæ herba alias incognita orta, quæ quamprimum eo usq; excreverat, ut fimbriam vestimenti sculpta imaginis attigisset, virtute eundem morbum curandi prædita fuerit*, *quæ historia in Synodo 7. approbata est*; eandem refert Theophilactus in cap. 9. Matt. Joanne OEcolampadio interprete, de hac statua testatur *Sozomen.* lib. 5. cap. 20. & Niceph. lib. 10. cap. 30. quòd tempore Juliani circa Annum 350. *apud Paneadem in templo constituta fuerit, quam cùm Iulianus Apostata amoveri, & suam eodem loco reponi curasset, ignis de cælo hanc capite à corpore dissecto discerpserit*, nec secùs ac Idolo Dagon 1. Reg. 5. contigerit. Ubi impudens Centuriat. Magdeburg. mendacium notandum, qui contra expressas historias cent. 4. cap. 13. scribere audent, Christi statuam interim in detestationem superstitionis dejectam fuisse.

3. Aliam fuisse Christi crucifixi imaginem à Nicodemo depictam historiæ tradunt, de qua testatur S. Athanasius lib. 1. vel serm. de pass. Christi imaginis cap. 2. & 3. edit. Erasmianæ, *quod à Iudæis per ludibrium lanceâ transfixa copiosus sanguis defluxerit, quo multorum corpora, & mentes sanatæ fuerunt*: idem testatur *Gregor. Turon.* de Gloria Martyr cap. 21.

4. Alias imagines Christi Domini, & B. Virginis à S. Luca depictas, & adservatas fuisse testatur *Niceph.* lib. 2. hist. cap. 23. & lib. 14. cap. 2. &c. qui etiam lib. 7. cap. 33. testatur *S. Sylvestrum Constantino Imperatori* exhibuisse imagines Petri, & Pauli; quales Imperator in somno viderat.

5. *Constantinum* in templis à se in Palæstina exstructis plurimas Sanctorum imagines aureas, & argenteas collocasse testatur *Euseb.* lib. 3. & 4. de vita Constantini, & constat ex edicto ejusdem Constantini, quod habetur tomo 1. Conciliorum.

Ex his arguitur, cùm ex tam authenticis historiis constet dictas Christi statuas, & imagines in primitiva Ecclesia fuisse tempore illorum SS. Patrum qui id testantur, evidens est, illas ab Apostolis, & Apostolorum discipulis honorificè fuisse adservatas; nam certum est, quòd Judæi, vel gentiles non conservarint.

ARTICULUS II.

Eadem veritas probatur ex SS. Patribus Græcis.

ANtiquæ Ecclesiæ usum circa imagines Sanctorum *Synodus 7.* ostendit ex *canone Apostolorum*, ubi sic dicitur: *Ne decipiantur salvati ob Idola, sed pingant ex opposito divinam, humanamq; manufactam impermixtam effigiem Dei vivi, & Salvatoris nostri Iesu Christi, ipsiusq; servorum contra Idola, & Iudæos, neque errent in Idolis, neq; similes fiant Iudæis.* I.

Dionysius Areopagita discipulus Pauli Apostoli in quæst. ad Titum, ut refert *Damascenus* orat. 1. pro imaginibus circa medium sic ait: *Proinde nos etiam oportet deposita vulgari de ipsis opinione intra sacra signa congruentem rebus sacris cogitationem suscipere, nec ea, quæ sunt divinarum formarum notæ, atq; exempla, & perspicue arcanorum naturam q; superantium spectaculorum imagines contemnere*, ubi subjungit Damascenus dicens: *Nota, quomodo rerum præstantium imagines dixerit non esse contemnendas.* II.

Idem

III. Idem *Dionyſius* lib. de Hierarchia cæleſti apud *Damaſcen.* ita ait: *Verum eſſentia atq; ordine illi nobis praſtantiores, de quibus ſacram fecimus mentionem, & corpore vacant, & ſacer ipſorum principatus, quantum ad eos ſpectat, ſolamente percipitur, & mundo ſuperior eſt; quantum autem ad nos pertinet, videmus cum ratione nobis congruente ſignorum, qua ſub ſenſum cadunt varietate plenum. Ex quibus ſacro quidem modo ad diuinitatis conjunctionem pro ratione nobis conuenıente deducimur, ac Deum ſane, diuinamq; virtutem intelligentia (Angeli) quemadmodum illis fas eſt, intelligunt; nos autem imaginibus ſenſum mouentibus ad diuinas contemplationes, quoad fieri poteſt, peruehimur,* &c. hæc Dionyſ.

IV. *Methodius* Anno 260. Orat. 2. de Reſurr. ſic ait: *Quas quidem ex auro imagines conflamus Angelorum ipſius principatus, & poteſtates referentes, eas ad honorem, & gloriam Dei conficimus,* &c.

V. *Euſebius Caſar.* lib. 5. demonſtrat. Euang. c. 9. ſic ſcribit: *Apparuit Deus Abraham ad quercum Mambre, quamobrem ad hoc uſq; tempus is locus, tanquam diuinus, ad honorem eorum, qui illic Abraham apparuerunt, à vicinis populis celebratur, & ſpectatur adhuc firma therebynthus, & qui ab Abraham excepti ſunt hoſpitio* (NB) *pictura ſic expreßi, ut duo quidem utrimq; tertium, ut honore praſtantiorem, medium habeant, ſit autem hic declaratus nobis Dominus ipſe Saluator noſter, quem etiam ignari venerantur, qui diuinis Oraculis credunt,* &c. hæc ille.

VI. *Baſilius* Orat. de S. Barlaam Mart. ait: *Exurgite nunc O praclari Athleticorum geſtorum pictores, mutilam ducis imaginem veſtro illuſtrante artificio, & obſcurius à me depictum coronatum athletam veſtra induſtria coloribus conſpicuum reddite: Abibo certaminum & victoriarum Martyris à vobis poſita imagine victus, & video manus hujus tactam cum igne exactius à vobis depictam, video alacriorem pugilem per veſtram depictam imaginem,* &c. hæc ille. Quæ utique de imagine in templo poſita dixit.

VII. *Gregorius Nazianz.* Orat. 5. 19. in laudem defuncti patris edit. Colon. 1579. *Hoc templum,* ait, *quod Deo, & nobis exſtruxit,* &c. *opus ſane mirabile, ac pradicandum;* &c. *nam & aquilateris* &c. *& laquearia in altum aſſurgit. & quidem ejuſmodi picturis ornata, ut nec natura ipſi concedant,* &c. Similiter loquitur epiſt. ad Olympium eâd. edit. ubi civitatis diocæſatienſis everſionem deplorans, in qua ipſe templum exornavit dicit: *Neq; enim ſi ſtatua dejiciantur, hoc nos excruciat, etiamſi alioquin excruciat,* &c.

Iterum Orat. quæ eſt in laudem Heronis eâd. edit. ait: *Angelis etenim, cum corporeo modo informantur, candida veſtis, atq; hilaris, & exporrecta facies tribui ſolet,* aliter habet alia editio ſuprà relata.

VIII. *Greg Nyſſen.* Orat. de laud. *S* Theodori edit. Baſ. 1571. *Oblectatur,* ait, *dum adest, ut templum Dei,* &c. *ſplendide elaboratum intuetur, ubi & faber,* &c. *induxit autem etiam pictos flores artis in imagine depictos, fortia facta Martyris,* &c. *certaminum praſidis Chriſti humana forma effigiem, omnia nobis tanquam in libro quodam, qui linguarum interpretationes contineat, coloribus artificioſè depingens,* &c. *ſolet enim etiam pictura tacens in pariete loqui, maximeq; prodeſſe,* &c. hæc ille. Vbi patet, quod non ad ſolum ornatum imagines in templo poſitæ fuerint.

Idem Orat. de divinit. Filii & Spiritus Sancti, ubi meminit Iſaac ab Abraham immolandi dicens: *Hujus ergo acerba rei ſpectaculum ſape pictura expreſſum vidi,* &c.

Chryſoſtomus in liturgia quæ habetur to 5. ope- IX.
rum illius interprete Eraſmo edit. Baſil. 1558. dicit: *Sacerdos egreditur è paruo oſtio portans Euangelium,* &c. *& conuerſus ad Chriſti imaginem inter duo oſtia inflexo capite, cùm exclamatione dicit hanc Orationem,* &c.

Idem in Encomio *S. Meletii* dicit: *Quomodo feciſtis in nominibus, hoc etiam feciſtis in illius imagine, etenim in palis annulorum, & in ſimulacris, & in phialis, & ubiq; ſacram illam multi expreſſerunt imaginem, ut non ſolum audiant ſanctam illam appellationem, ſed etiam ubiq; videant figuram corporis,* &c.

Demum in Synodo 6. quæ Trullenſis can. 82. X.
dicitur: *Inter nonnullas venerabilium imaginum picturas, Agnus, qui digito pracurſoris monſtratur, depingitur,* &c.

Et in Synodo 7. quæ eſt Nicæna 2. act. 7. edit. XI.
Colon. 1538. Patres dicunt: *Fatemur unanimiter nos Eccleſiaſticas traditiones ſiue ſcripto, ſiue conſuetudine valentes,* &c. *de numero eſt imaginum effigiatio,* &c. & infrà: *His ſic ſe habentibus regiam viam incedentes, & Sanctorum noſtrorum, & diuinorum Patrum doctrina inſiſtentes, & Catholica Eccleſia, in qua S. Spiritus inhabitat traditionem obſeruantes, definimus cum omni diligentia, & cura venerandas, & ſanctas imagines,* &c. *in templis ſanctis Dei collocandas,* &c. *maxime autem imaginem Domini, & Dei ſeruatoris noſtri Jeſu Chriſti, deinde intemerata Domina noſtra Deipara, venerandorum Angelorum, & omnium deinde ſanctorum virorum,* &c. hæc Concil.

Eâdem 7. Synodi decreta confirmauit *Synodus* XII.
8. *Conſtantinopoli* celebrata can. 3.

Horum ſacrorum Conciliorum, & Patrum veſtigiis uſque in hæc ſæcula Eccleſia Græca inhæſit, ut patet ex reſponſo 2. cap. de invocat. Sanctorum Jeremiæ Patriarchæ Conſtantinop. Anno 1580. edito, prout infrà de honore imaginum referetur.

ARTICULUS III.

Veritas Catholica ex Patribus Latinis probatur.

TErtullianus circa Ann. 200. lib. 2. ad- I.
verſus Marcionem cap. 22. edit. Pariſ. 1584. & Baſil. 1562. *Similitudinem,* ait, *vetans fieri omnium, qua in calo, & in terra, & in aquis, oſtendit & cauſas Idololatria ſcilicet ſubſtantiam cohibentes ſubjicit enim:* Non adorabis ea, neque ſervietis illis: *Serpentis autem anei effigies poſtea pracepto Moyſi à Domino non ad Idololatria titulum pertinebat, ſed ad remediandos eos, qui à ſerpentibus infeſtabantur, & taceo de figura remedii; ſic & Cherubim, & Seraphim aurea in arca figuratum exemplum, certe ſimplex ornamentum accommodata ſuggeſtui, longe diuerſas habendo cauſas, ab Idololatria conditione, ob quam ſimilitudo prohibetur, non videntur ſimilitudinum prohibitarum legi refragari, non in eo ſimilitudinis ſtatu deprehenſa, ob quem ſimilitudo prohibetur,* hæc ille.

Idem lib. de pudicitia cap. 7. iiſd. edit. *Procedant,* ait, *ipſa picturæ calicum,* &c. ubi refert, quod in calicibus ſacris Eccleſiæ Chriſtus in forma Paſtoris ovem in humeris portantem depingi, ſeu ſculpi ſolitus fuerit.

Damaſus in vita S. Sylveſtri ita ſcribit: *Hujus* II.
temporibus fecit Conſtantinus Auguſtus Baſilicam Conſtantinianam, ubi poſuit dona iſta, faſtigium argenteum

Digitized by Google

habens in fronte Salvatorem ſedentem in ſella quinq; pedum, penſantem libras centum viginti, & duodecim Apoſtolos, habentes ſinguli quinos pedes, penſantes libras nonaginta cum coronis ex auro puriſſimo, &c. hæc Damaſus, ubi etiam refert, quod in loco, ubi Conſtantinus fuerat baptizatus, agnum ex auro puriſſimo collocarit, ad dextram argenteam Salvatoris ſtatuam, ad lævam vero Joannis Baptiſtæ ſtatuam argenteam, &c. quod contigit Anno 320.

III. *Ambroſius* ſerm. ſeu epiſt. de SS. Gervaſio & Protaſio, quæ habetur to. 3. Surii ſic ait: *Tertia nocte defoſſo jejuniis corpore, non dormienti, ſed ſtupenti, cum quadam mihi tertia apparuere perſona, quæ ſimilis eſſet B. Paulo, cujus vultum me pictura docuerat, ut tantum ipſe mecum illis tacentibus loqueretur*, &c. hæc ille.

IV. *Prudentius* circa Annum 370. in hymno 10. de S. Caſſiano edit. Antwerp. 1546. ſic canebat.

Erexi ad cælum faciem, ſtetit obvia contra
Fucis colorum picta imago Martyris,
Plagas mille gerens totos lacerata per artus
Ruptam minutis præferens punctis cutem.

Et intrà:

Æditus conſultus, ait, quod proſpicis hoſpes,
Non eſt inanis, aut anilis fabula,
Hiſtoriam pictura refert, quæ tradita libris
Veram vetuſti temporis monſtrat fidem.

Idem in hymno 11. de S. Hyppolito eâd. edit.

Picta ſuper tumulum ſpecies liquidis viget umbris,
Effigians tracti membra cruenta viri.

V. *Auguſtinus* lib. 22. contra Fauſtum c. 73. edit. Baſil. 1528. ubi loquitur de Abraham immolaturo filium ſic ſubjungit: *Quod uſq; adeo ipſa veritas clamat, ut ejus voce deterritus Fauſtus, cùm in ipſum Abraham; quid diceret, unguibus & dentibus quærens, uſq; ad calumnioſum mendacium perveniret, hoc tamen reprehendere non auderet, niſi forte non ei veniret in mentem factum ita nobile, ut & non lectum, nec quæſitum animo occurreret, ut deniq; tot linguis cantatum, tot locis pictum, & aures, & oculos diſſimulantes feriret*, &c. hæc ibi.

Similiter lib. 1. de conſenſu Evang. edit. cit. cùm cap. 9. retuliſſet, quod quidam ſive gentiles, ſive magici finxerint Chriſtum ſcripſiſſe libros ad Petrum & Paulum, in quibus artes magicas docuerit, poſtea cap. 10. indicat illos occaſionem forte ſumpſiſſe ex eo, quod Petrum & Paulum Chriſto familiares putarint, ſic ſcribit: *Cùm enim vellent tale aliquid fingere Chriſtum ſcripſiſſe, ad diſcipulos ſuos, cogitaverunt ad quos potiſſimùm ſcribere potuiſſe facile crederetur*, &c. *& occurrit eis Petrus & Paulus, credo quod pluribus locis ſimul eos cum illo* (ſcilicet Chriſto) *pictos viderint, quia merita Petri & Pauli etiam propter eundem paſſionis diem celebrius, & ſolemniter Roma commendat*, &c. hæc Auguſt. Vnde patet, quod Chriſtus cum Apoſtolis paſſim depictus cernebatur.

VI. *Paulinus Nolanus* Auguſtini coævus epiſt. 12. ad Severum edit. Colon. 1560. *Rectè, ait, in loco refectionis humanæ Martinus pingitur, qui cœleſtis hominis imaginem perfecta Chriſti imitatione portavit, ut deponentibus in lavacro terrenæ imaginis vetuſtatem, imitandæ cæleſtis animæ occurrat effigies*, &c. hæc ille, ubi patet, quod in loco S. cœnæ, & Baptiſmi imago Martini poſita fuerit: ſed Paulinus ibidem Severum arguit, quod ille propriam ſuam cum S. Martini pingi curaverat imaginem; monetque ut carmen, quod ibi præſcribit, addi curet, in quo doceat Paulini imaginem præ ſe ferre peccatorem rogantem, Martini vero ſancti imaginem referre, &c.

Euodius Vzalenſis Epiſcopus circa Ann. 430. lib. 2. de Miraculis S. Stephani cap. 4. refert draconem horribilem apparuiſſe in aëre, cujus horrore omnes concuſſi ad Eccleſiam confluxerunt patrocinium S. Stephani implorantes, proſtrati. VII. *Donec, ait, Stephani prece fusâ clementia Dei draconem illum ſubtraheret: ſequenti die negotiator nuſquam agnitus, aut verius Angelus ſervulo Subdiacono velum attulit variis coloribus pictum, in quo inerat pictura hæc: in dextera veli parte ipſe Stephanus videbatur adſtare, & glorioſam crucem propriis repoſitam humeris bajulare; qua crucis cuſpide portam civitatis videbatur pulſare, ex qua profugiens draco teterrimus cernebatur exire*, &c. *talis itaq; pictura veli à Subdiacono ſuſpenſa eſt ante ipſam memoriam tanti Patroni*, &c. hæc ille.

Ex hoc tam claro antiquæ Eccleſiæ uſu, & tam manifeſtis SS. Patrum qui primis 4. vel 5. ſeculis floruerunt teſtimoniis, manifeſtè impudens Calvinus mendacio convincitur, dum lib. 1. Inſt. cap. 11. §. 13. ſic ſcribere audet: *Principio, ſi quid nos movet veteris Eccleſiæ authoritas, meminerimus quingentis circiter annis, quibus magis adhuc florebat Religio, & ſincerior doctrina vigebat: Chriſtiana templa fuiſſe communiter ab imaginibus vacua*, &c. *ergo tunc primum in ornamentum templorum aſcitæ ſunt, cùm myſterii ſinceritas nonnihil degeneraſſet*, &c. hæc ille. En craſſum & impudens mendacium. VIII.

Quod vero Calvin. dicit: quod poſterioribus ſeculis *primum ad ornamentum ſolum templorum imagines aſcitæ fuerint*, non minùs evidenter ex præmiſſis mendacii convincitur. Patet enim ex Patribus allegatis, & uſu antiquæ Eccleſiæ, quod imagines tam hiſtoricæ, quàm etiam ſolitariæ, & ſtatuæ, tam in honorem Chriſti, B. Virginis, & SS. Martyrum fuerint uſurpatæ, tum ad excitandam in fidelibus eorum memoriam, & imitationem, ut velut libri omnibus inſpicientibus deſervirent, prout ſuprà ex Conc. Trid. dictum eſt; quæ certè nullus ſanæ mentis improbare poteſt, cùm Acatholici quotidie in honorem ſuorum Principum, & majorum imagines, & ſtatuas erigant, & conſervent.

***

CA-

CAPUT VII.

De Veneratione ſeu Cultu Imaginum.

ARTICULUS I.

Proponitur doctrina Eccleſiæ Catholicæ.

I. ETſi moderni Acatholici concedere debeant, quod Imagines Chriſti, & Sanctorum haberi poſſint, & quidem Lutherani illas etiam in templis collocari poſſe ad ornatum fateantur; omnes tamen negant illas ullatenus colendas eſſe. Eccleſia autem Catholica docet, quod etiam aliquo honore ſint venerandæ, & colendæ, ut conſtat ex Concil. Trident. ſeſſ. 25. ſuprà cap. 5. relato. Hanc ipſam doctrinam tradidit, & uſurpavit Eccleſia antiqua, & cùm poſtea *Leo Iſauricus Imperator* contra Imaginum cultum inſurgeret, easque è templis deleri juſſiſſet: plurimi ſancti viri ſeſe illi oppoſuerunt, & ſtatim poſtea diverſa concilia congregata ſunt, in quibus illorum Iconomachorum error damnatus eſt; primò in Eccleſia Latina in *Concilio Romano* ſub Greg. III. ubi ad mille Epiſcopi convenerunt Anno 733. Iterum aliud *Concilium Romæ* ſub Stephano III. Anno 768. celebratum, idem confirmavit, prout præter alios Authores *Adrianus* in lib. de Imaginibus ad Carolum teſtatur.

Poſtea in *Synodo* 7. Nicæna ſecunda in Græcia celebrata abſolutè definitum eſt, ubi Patres Synodi ex uſu antiquæ Eccleſiæ, & ſanctorum Patrum ſcriptis hanc veritatem copioſiſſimè oſtendunt, ex quibus conſtat, quod utraque tam Græca, quàm Latina Eccleſia hanc veritatem conformiter profeſſa ſit.

Quod autem Synodus 7. vera & legitima generalis fuerit, nec quicquam temere ſtatuerit, ut Calvinus ſine fundamento, & mendaciter refert, infrà patebit. Illius Synodi definitio circa imagines *in Concilio Florentino*, ubi utriusque Eccleſiæ Latinæ, & Græcæ Patres convenerunt ſeſſ. 5. propoſita, ſcripta, & confirmata fuit, ſicut demum in *Concil. Trid.* ſeſſ. 25. factum eſt. Hanc ergo Catholicam doctrinam ex ſacra Scriptura, & SS. Patribus demonſtrabimus, & poſtea, qualis veneratio imaginibus exhibenda ſit, declarabimus; priùs tamen etiam oſtendemus, quod liceat imaginibus, vel ſignis Deum metaphoricè repræſentantibus honorem exhibere, ſicut & iis, qui Angelos repræſentant.

***

ARTICULUS II.

Quòd ſignis Deum & Angelos repræſentantibus liceat honorem exhibere ex S. Scriptura probatur.

PRimò, quia figuras illas, in quibus vel Deus, vel Angeli ſanctis Patriarchis, & viris apparuerunt, illi venerati ſunt, ut pat. Gen. 18. v. 1. ubi Abraham tres viros in Mambre apparentes adoravit, ſive ſanctiſſimam Trinitatem, ſive tres Angelos repræſentarint. I.

Similiter Loth Gen. 19. v. 1. *Duos Angelos pronus adoravit.* An non Moyſes Exod. 3. flammam rubi in qua Dominus apparebat humiliter honoravit? ſic Joſue 5. v. 15. intelligens Angelum eſſe, qui in ſpecie viri ſibi loquebatur, *pronus adoravit.* Et Dan. 10. v. 6. Angelum in ſpecie viri *veſtiti lineis, cujus corpus quaſi Chryſolythus*, Daniel cum magno tremore & reverentia alloquitur, & alibi ſæpe.

Ex quibus ſic arguitur: Sancti illi viri certò ſciebant, quod illæ figuræ vel ſpecies, quæ apparebant, non eſſent ipſe Deus, vel ipſi Angeli, ſed tantùm illos repræſentarent, ac imagines, ſeu ſymbola, aut ſigna illorum eſſent; & tamen Deum, vel Angelos in illis adorantes, etiam aliquam venerationem ſpeciebus illis exhibuerunt, ſicut veſti Regis exhibetur. II.

2. Probatur ex eo, quod homo, in quantum eſt imago Dei, honorabilis ſit, juxta illud pſ. 48. v. 13. & 21. *Homo, cùm in honore eſſet, non intellexit*, &c. quod SS. Patres intelligunt potiſſimùm intelligendum eſſe de eo, quod ad imaginem Dei creatus ſit, ut *Cyrillus, Auguſt. Damaſc.* & alii infrà citandi.

3. Probatur ex Exod. 25. v. 18. ubi non obſtante Judæorum proclivitate ad Idololatriam, Deus mandavit Moyſi, ut faceret duos Cherubim aureos, qui utrumque latus propitiatorii tegerent, & ſubjungit Dominus v. 22. *Inde præcipiam, & loquar ad te ſuprà propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt ſuprà arcam fœderis*, &c. quantam autem reverentiam exhibuerint non ſolùm Judæi promiſcuè, ſed etiam Moyſes, & Joſue, & ſeniores, patet ex illo Joſue 7. v. 6. ubi dicitur: *Joſue pronus cecidit in terram coram arca Domini uſq; ad veſperam, tam ipſe, quàm ſenes Iſrael:* ubi certum eſt, quod ipſi arcæ reverentia fuerit exhibita, licèt Dominum coram illa adorarint; quod vero talis reverentia Deo non diſplicuerit, ſed potiùs illam voluerit, patet ex variis locis, ubi Deus mandavit, qualiter arca videri, & tractari deberet, & ex punitione Bethſamitarum, qui arcam Dei nudam aſpexerant. 1. Reg. 6. v. 19. *Percuſſit autem de viris Bethſamitibus, eo quod vidiſſent arcam Domini, & percuſſit de populo 7. viros, & quinquaginta millia plebis*, &c. ſimiliter 2. Reg 6. v. 7. *Percuſſit Dominus Ozam ſuper temeritate ſua, quia v. 6. extendit manum ad arcam Dei, & tenuit eam.* Econtra ex benedictione illorum ubi Arca Domini manebat, ut ibid. v. 12.

Digitized by Google

Alii Lutherani imagines Sanctorum etiam in templis admittunt ad ornatum, & repræsentationem historiarum. Ita *Kemnit*, in examine Conc. Trid. parte 4.

IX. *Calvinus* autem lib. 1. Inst. cap. 11. gravissimè imaginum cultum condemnat, ejusque sectatores illas, ubi possunt, non tantùm ex Ecclesiis amovent, sed etiam destruunt, & comburunt.

Calvinus quidem docet 1. nefas esse Dei imaginem formare, 2. Idololatriam verò illam colere, ideo §. 9. vocat illa simulacra.

3. Dicit §. 12. quòd imagines illorum pingi, & sculpi liceat, quorum capaces sunt oculi, ut hominum, præsertim, si in historiis exhibeantur, sed illas in templo collocandas negat, multò minùs colendas ubi §. 14. *Synod. Nicænum* 2. gravissimè accusat, quòd imaginum cultum confirmarit, plurimaque gravissima mendaciter eidem Concilio imponit §. 14. 15. 16.

X. *Catechismus Heidelberg.* ad quæst. 96. & 97. dicit: 2. præcepto Decalogi prohibitum, *ne Deus ullo modo depingatur*, creaturæ quidem depingi possent, sed tamen à Deo prohibitum, ne illæ imagines honorentur.

XI. *David Paræus* in cap. 1. ad Rom. dub. 18. dicit, Idololatriam committere eos, qui imagines ad repræsentandum Christum, vel populum rudem docendum, de Christo defendunt.

ARTICULUS II.

Doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa Sanctorum imagines.

I. SCiendum, quòd tria in controversiam trahantur: Primum, an liceat imagines Sanctorum habere? secundum, an specialiter in templis exhibere? tertium, an sint aliquo honore colendæ? primum in hoc capite tractabitur.

II. Doctrinam Catholicam tradit Concil. Trid. sess. 25. ita decernens: *Mandat S. Synodus*, &c. *ut juxta Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ usum à primævis Christianæ religionis temporibus receptum*, &c. *de legitimo Imaginum usu fideles diligenter instruant, docentes eos*, &c. & infrà: *Imagines porro Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in templis præsertim habendas & retinendas, eisque debitum Honorem, & reverentiam impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod ab illis sit aliquid petendum, vel quod Fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à Gentilibus, qui in Idolis spem suam collocabant, sed quoniam Honor, qui iis exhibetur, referatur ad prototypa, quæ illæ repræsentant, ita, ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur, id, quod Conciliorum, præsertim Nicænæ secundæ Synodi, decretis contra imaginum impugnatores est sancitum* Hæc Concil. ubi etiam subjungit, cur imagines Christi, & etiam Sanctorum proponantur populo: Primò, ut mysteria redemptionis simplicibus inculcentur. Secundò, per omnes imagines admoneatur populus beneficiorum, quæ Christus nobis præstitit, *specialiter autem exprimit dicens: Ut etiam, quia Dei per Sanctos miracula, & salutaria exempla oculis Fidelium subjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorum imitationem vitam, moresq; suos componant, excitenturq; ad adorandum, ac diligendum Deum, & ad pietatem colendam*, &c. hæc Concil.

III. Cæterum quoad imagines Dei vel Angelorum Concil. nihil decernit, indicat tamen illas non esse illicitas dicens: *Quod si aliquando Historias, vel narrationes S. Scripturæ, cum id indoctæ plebi expediet exprimi, & figurari contigerit, doceatur populus, non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit*, &c. Et infrà de omnibus qualibuscunque imaginibus subjungit: *Omnis porro superstitio in Sanctorum invocatione, Reliquiarum veneratione, & imaginum sacro usu tollatur, omnis turpis quæstus eliminetur, omnis denique lascivia vitetur, ita, ut procaci venustate imagines non pingantur, nec ornentur*, &c. hæc Concil.

Ex his constat Ecclesiæ Catholicæ doctrina: quamvis autem in quæstione proposita imaginum duntaxat Christi, & Sanctorum mentio facta fuerit, quia tamen imagines Dei etiam in Ecclesia usurpantur, de his etiam agendum erit.

ARTICULUS III.

Ostenditur diversitas inter similitudinem, imaginem simulacrum & Idolum.

INter hæc maxima est disparitas; nam similitudo generaliter usurpatur pro relatione inter res quascunque ejusdem naturæ, vel cujuscunque accidentis, licèt apud Philosophos strictè specialiter inter qualitates cum Philosopho 5. Metaphys. cap. de relat. ponatur. I.

Imago dicitur similitudo vera, non quæcunq; sed unius ad alterum, quod vel in natura, vel in aliquo accidente imitatur tanquam suum exemplar, & prototypum. Primo modo pater dicitur generare filium ad imaginem suam, scilicet in natura, sic filius dicitur imago Patris in divinis non è contrà, ut notat Scotus in 1. dist. 19. quæst. 1. n. 9. ad 3. quia habet naturam à patre. II.

De triplici veræ imaginis acceptione pulcherrimè discurrit D. Damascenus orat. 1. de Imaginibus fol. 3. ubi etiam ostendit, qualiter Deus & Angeli dicantur imagines, per quas in illorum notitiam venimus.

Secundo modo homo pictus, seu effigies hominis, dicitur illius imago, quia quoad exteriorem figuram, seu lineamenta, & colores illum imitatur. III.

Idolum dicitur similitudo picta, vel sculpta falsa alicujus, quod revera non est. Sic statuæ falsorum Deorum dicuntur, & sunt Idola, quia proponuntur tanquam imagines, seu similitudines repræsentantes Deos, qui non sunt Dii, adeóque sunt imagines falsæ. IV.

Hanc esse inter illa differentiam constat ex S. Scriptura, nam nullibi S. Scriptura tribuit nomen Idoli ulli veræ alicujus imagini, sed tantùm statuis, aut figuris falsorum Deorum, & ideo Idolum etiam dicitur in S. Scriptura *vanum*, seu *inane, falsum, & mendax*, ut SS. Patres colligunt ex cap. 26. Levit. v. 1. & 23. Numer. v. 21.

Paulus dicit illud esse nihil 1. Cor. 8. v. 4. *Scimus, quia nihil est Idolum in mundo*, & causam addit dicens: *quod nullus est Deus, nisi unus*, &c. nam licèt Idolum quoad materiam sit aliqua res,

tamen

Digitized by Google

tamen quoad significationem, seu repræsentationem nihil est, quia repræsentat aliquid, ut Deum, quod non est Deus, adeóque falsò, & mendaciter: nam licèt repræsentent dæmonia juxta illud ps. 95. v. 5. *Omnes Dii gentium demonia*, juxta quod Apostolus 1. Cor. 8. suprà, cùm dixisset verba præmissa ibid. cap. 10. v. 19. dicit: *Quid ergo? dico quod Idolis immolatum sit aliquid? aut quod Idolum sit aliquid? sed quod immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo*, &c. licèt inquam dæmones sint aliquid creatum, tamen non sunt veri Dii, sed falsi, & ideo Idolum dicitur nihil, & mendax, quia dæmonia, ut Deos veros repræsentat, prout D. Augustinus in ps. 135. observat. Quòd autem S. Scriptura nullibi tribuat alicui veræ imagini nomen Idoli, patet, quia Apostolus de Christo dicit 2. Cor. 4. v. 4. *Qui est imago Dei*, & ad Coloss. 1. v. 15. *Qui est imago Dei invisibilis* & ad Hebr. 1. v. 3. *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus*: scilicet Patris, &c. sed nullibi dicitur, quòd sit Idolum Patris. Ita etiam ostendi potest de imaginibus veris creaturarum.

V. *Simulacrum* licèt aliqui putent à similitudine dictum, & ideo tam de vera, quàm falsa imagine dici possit, magis tamen S. Scripturæ conformiter dicitur à *simulando*, ac proinde falsa imago, seu Idolum: sic enim observat D. Augustinus in ps. 135. edit. Basil. 1528. dicens: *Quod attinet ad ipsa simulacra, quæ Græcè appellantur Idola, quo nomine jam utimur pro Latino, oculos habent, & non vident.* Sic Hieron. in cap. 7. Oseæ, edit. Basil. 1553. dicit: *Simulacrum opponi Deo, sicut mendacium opponitur veritati, cùm falsum Deum repræsentet.* Hæc simulacri, & Idoli distinctio à vera imagine etiam constat ex communi vocis usu; nam, etsi filius dicatur imago patris, non tamen ejus Idolum, vel simulacrum, *nec imagines Principum Idola, vel simulacra dicuntur*, alioquin Acatholici Idolis, & simulacris sæpe abundarent.

VI. Ex his patet manifestè, quòd imagines vel Dei, vel Angelorum, vel aliorum Sanctorum nullo modo dici possint Idola, vel simulacra, quia repræsentant rem veram, & quia imagines Dei Deum verum, qui per illam repræsentationem colitur, & adoratur; sed per Idola adorantur dæmonia, ut suprà ostensum est.

Unde patet, quàm falsò Calvinus, & Acatholici ex invidia, & per calumniam omnes Dei, & Sanctorum imagines simulacra, & Idola vocent.

VII. Ulteriùs in speciali circa imagines veras universaliter observandum est; quòd tribus modis aliquid posset dici imago, vel similitudo alterius: Primò, ut scilicet verè imitetur alterum in natura, sitque ejusdem naturæ cum altero, sicut Verbum est vera imago Patris æterni: Secundò, ut est quid formatum ad similitudinem alterius, non ut sit ejusdem naturæ, vel substantiæ cum illo, sed quoad aliquam proportionem cum maxima dissimilitudine in substantia, seu natura univoca, quarum unam Philosophi vocant similitudinẽ univocationis, & alteram proportionis Sic de viro dicitur ab Apostolo 1. Cor. 11. v. 7. *Quoniam imago, & gloria est Dei.* Et Gen. 1. v. 26. dicit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram,* cùm tamen homo in natura in infinitum distans sit à Deo, sed solùm similitudinem habet proportionis, vel analogiæ, & secundùm quid, idque secundùm animam, ut, sicut Deus unus est in essentia, & trinus in personis & similiter habet memoriam, intellectum, & voluntatem infinitæ perfectionis; sic anima est una in sua natura, & triplex in potentiis intellectu, memoria, & voluntate simpliciter finitis, & sic in sola anima, vel creatura intellectuali reperitur, quantum possibile est, perfecta imago sanctissimæ Trinitatis, ut loquitur Augustinus lib. 14. Trinit. cap. 8. edit. cit. dicens: *Ibi quærenda est, & invenienda est in nobis*, scilicet imago Trinitatis, *quo etiam natura nostra nihil habet melius*, &c. licèt D. August cum communi Doctorum dicat, quòd aliqualis imperfecta imago Trinitatis in qualibet creatura reperiatur, quod dicitur vestigium: sic enim ait lib. 6. Trinit. cap. ult. eâd. edit. *Oportet igitur ut Creatorem per ea, quæ facta sunt, intellectu conspicientes, Trinitatem conspiciamus, cujus in creatura, quomodo dignum est, apparet vestigium*, &c.

Tertiò potest aliquid dici imago alterius secundùm aliquam metaphoram attributionis, prout sunt metaphoricæ locutiones in verbis, cùm significatio propria unius rei ad aliam impropriè transfertur propter aliqualem attributionem, & proportionem, sic *Christus* dicitur *Agnus* Joann. 1. v. 29. & Apocal. 5. v. 6. & alibi; quia agnus habet aliquam similitudinem mansuetudinis, quæ non est vera virtus, quam Christus habet verissimam. Similiter Christus dicitur *Leo de tribu Iuda*, ratione fortitudinis Apoc. 5. v. 5. & ipse se vocat *vitem veram* Joann. 15. v. 1. sic *quatuor Evangelistæ* Apoc. 4. v. 7. *repræsentantur per quatuor animalia.* Sic demum Deus dicitur *habere oculos, manus, faciem humanam*, propter aliquam proportionem oculi, quo homo videt, ad intellectum Dei infinitum, quo omnia intuetur, & sicut homo per manus operatur, significatur Dei omnipotentia, quâ omnia creat, & operatur, &c.

Similiter distingui possunt imagines pictæ, vel sculptæ tripliciter: 1. Ut imago repræsentet perfectam similitudinem naturæ rei imaginatæ, seu prototypi, vel secundùm suam substantiam, vel secundùm aliquid illius; & quidem secundùm substantiam impossibile est, quòd aliqua pictura, vel sculptura detur, quæ sit imago ullius substantiæ, etiam corporeæ, quia picta, vel sculpta imago tantùm consistit in exteriore figura, & coloribus, quæ non possunt perfectam substantiæ ullius similitudinem exprimere, vel repræsentare, sed solùm dicuntur substantiæ alicujus imagines imperfectæ, in quantum repræsentant alicujus substantiæ quantitatem, & qualitates corporeas, quæ sunt accidentia illius, secundùm quæ substantiæ corporeæ tantùm sub sensus cadunt; & quod magis est juxta veram Philosophiam, intellectus hominis pro hoc statu non habet conceptum proprium ullius substantiæ, nisi ad summum entis, sed concipit substantiam, vel per negationes accidentium, vel per respectum ad illa; ut *ens non quantum, non quale*, &c. *non inhærens*; vel ens se ipsum movens, intellectuale, vel rationale scilicet per ordinem ad actus, &c. adeóque nec in mente hominis est propria imago substantiæ, secundùm suam propriam specificam naturam; quantò minùs imago picta, vel sculpta, substantiam sic repræsentat. VIII.

Secundò potest aliquid pingi vel sculpi, ut imago

Digitized by Google

imago alterius, non ut illud, vel secundùm propriam naturam, vel aliquid illius per veram similitudinem univocationis exprimat, sed tantùm per aliquam Metaphoram, & proportionem, aut figuratam significationem, sic pingi solent *virtutes in specie virginum, sic Angeli in specie juvenum*, ut per exteriores colores, & figuras spirituales illorum qualitates exhibeantur; prout dicit D. Gregorius Nazianz. orat. 23. in principio: *Angelicus est vestitus candor & splendor, cum corporea forma pinguntur, ad designandam naturalem eorum puritatem*, &c. & hæ imagines potiùs signa rerum vocarentur, quàm imagines, quia significant, vel naturaliter, vel ex instituto res alias, ac quatenus homini illas repræsentant, vel in memoriam deducunt; etiam aliquales illarum similitudines dici possunt, sic Sacramenta dicuntur etiam imagines, juxta illud Augustini: *Si Sacramenta similitudinem illarum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent*; quod non debet intelligi de similitudine univoca, vel etiam naturali; sed proportionis, vel ex instituto.

Tertiò possunt picturæ, vel sculpturæ dici imagines, non ut immediatè repræsentent principale prototypon, sed mediatè, scilicet mediante alio signo, quod repræsentat, prout passim fit in historiis pictis, ubi depinguntur aliqua signa quæ contigerunt; ut si quis depingeret historiam ex Gen. 28. quando tres viri apparuerunt Abrahamo, qui erant signa repræsentantia, vel sanctissimam Trinitatem, vel 3. Angelos. Et similiter, si quis pingeret historiam, ubi Moyses Exod. 3. v. 2. vidit rubum ardere, & non comburi, quæ flamma erat signum præsentiæ Dei, significans sub aliqua Metaphora; hoc modo pictura non esset immediata imago Dei, sed illius flammæ, quæ erat signum, vel imago Dei, & tamen sic etiam illa pictura repræsentaret Deum, & diceretur imago ipsius.

Hæc eò fusiùs proponenda duxi, ut clariùs Catholica veritas proponi, & Acatholicorum calumniæ refelli possint.

CAPUT V.

De Imaginibus Dei.

ARTICULUS I.

Quòd licitum sit imagines, vel sculpturas formare simpliciter.

I. HÆc dicuntur propter errorem Judæorum, qui post Christi adventum negant ullas imagines, vel sculpturas formandas, idque volunt 1. præcepto Decalogi prohibitum; quòd autem hoc falsum sit, infrà declarabitur respondendo ad Anonymi objectionem.

Probatur autem 1. quod Deus mandavit, id non potest esse lege divinâ naturali prohibitum, quod enim sic prohibitum est, est intrinsecè malum, sicut mentiri, vel falsos Deos colere, quod à Deo præcipi ipsius naturæ repugnat. Constat autem ex S. Scriptura, quòd Deus imagines fieri præceperit, ut patet Exod. 25. v. 18. ubi Dominus dicit Moysi: *Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies ex utraque parte oraculi*, &c. Numer. 21. v. 8. *Fac serpentem aeneum, & pone eum pro signo, qui percussus aspexerit eum, vivet; fecit ergo Moyses serpentem aeneum*, &c. similiter Exod. 31. v. 2. dicit Dominus ad Moysem *de Beseleel filio Uri*, &c. *implens eum spiritu & sapientiâ*, &c. *ad excogitandum, quicquid fabrefieri potest ex auro, & argento*, &c. & infrà: *Et in corde omnis eruditi posui sapientiam, ut faciant cuncta, quæ præcepi tibi, tabernaculum fœderis, & arcam testimonii, & propitiatorium, quod super eam est*, &c. illud propitiatorium autem erant duo Cherubim, &c. Idem Moyses exequitur Exod. 35. v. 10. dicens: *Quicquis vestrûm sapiens est, veniat, & faciat, quod Dominus imperavit*, &c. Imò Dominus Ezechieli 41. cap. in visione exhibens templum reædificandum, ostendit illi similia, sic enim Propheta ait juxta illa, quæ vidit dicens v. 18. *Et fabrefacta Cherubim, & palma inter Cherub & Cherub, duas facies habebat Cherub, faciem hominis*, &c. *& faciem leonis*, &c.

Rursus de Salomone 3. Reg. 6. v. 23. dicitur: *Et fecit in oraculo duos Cherubim*, &c. & v. 35. *Sculpsit Cherubim*, &c. & cap. 7. v. 23. *Fecit quoq; mare fusile*, &c. *& sculptura subter labrum*, & v. 29. *& inter coronulas, & plectas leones, & boves, & Cherubim*, &c. *& subter leones, & boves*, &c. nec tamen in his Salomon reprehensus est, quòd contra Dei præceptum egerit; nec his ulteriùs immorandum est, cùm & Acatholici cum suo Calvino concedant, qui lib. 1. cap. 11. §. 12. sic ait: *Neque tamen ea superstitione teneor, ut nullas prorsus imagines faciendas censeam, sed quia Scriptura & pictura Dei dona sunt*, &c. an autem consequenter loquantur, dum volunt cum Judæis omnem prorsus imaginem primo Decalogi præcepto esse prohibitam? Lector judicet.

ARTICULUS II.

Quòd licitum sit imagines Dei, & sanctissimæ Trinitatis habere, & qualiter.

QUamvis non sit de Fide certum, quòd liceat hujusmodi imaginibus uti, I.
quod colligitur ex Trid. suprà, quia non ita determinat de his imaginibus, sicut de Christi, & Sanctorum; & quia aliqui Doctores Catholici etiam sustinent id non licere, ut Durandus in 3. dist. 9. quæst. 2. ad 4. & alii quidam, nihilominus communior Doctorum est sententia, id licere: pro majori claritate ponam sequentes conclusiones.

Dico primò: Nullatenus licet, & summum II.
Sacrilegium, & Idololatria esset, imaginem aliquam pictam, vel sculptam habere, vel exhibere quasi ipsa imago haberet naturam Deitatis, vel esset Deus. Hæc est certissima de Fide, eamque definit Concil. Trid. suprà, & clarissimè patet ex S. Scriptura, quæ in omnibus locis detestatur Idola,

Digitized by Google

Idola, seu statuas falsorum Deorum, quibus gentes falsò imaginabantur inesse divinitatem, eaque esse veros Deos, à quibus auxilium petebant: hoc enim gentes sensisse nimis patet ex S. Scriptura, ut ps. 113. v. 12. *Simulacra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum, os habent, & non loquentur*, &c. Levit. 26. v. 1. Isai. 2. v. 20. *In die illa ejiciet homo Idola argenti sui, & simulacra auri sui, quæ fecerunt sibi, ut adorarent.* & cap. 44. v. 9. *Plastæ Idoli omnes nihil sunt, & quis formavit Deum, & sculptile conflavit ad nihil utile?* & cap. 28. v. 5. *Ne forte diceres: Idola mea fecerunt hæc & sculptilia mea, & conflatilia mea mandaverunt illa*, &c. Jerem. 10. v. 5. de istis Deus ait: *In similitudinem palmæ fabricata sunt, & non loquentur, portata tollentur, quia incedere non valent; nolite ergo timere ea, quæ nec male possunt facere, nec bene*, &c. ubi manifestum est, quòd gentes timebant illa lignea Idola, quæ Deus monet, ut Judæi non timerent. Similiter Daniel. 5. v. 4. *Bibebant vinum, & laudabant Deos suos aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneosq; & lapideos*, &c. nec opus est ulteriùs probare, quia nimis insanum est, licèt gentes excœcatæ sic opinatæ sint, ut ex locis allegatis patet. Calvin. tamen cap. 11. §. 10. illud negare audet contra tam manifesta S. Scripturæ loca.

III. *Dico secundo*: Nullatenus licitum est, & gravissima Idololatria, si imago aliqua pingatur, vel sculpatur, eo fine, quasi ipsa propriè repræsentaret Deitatem, & sanctissimam Trinitatem secundùm suam propriam naturam, ejusque vera, & propria similitudo esset. Hanc etiā definit Concil. Trid. suprà dicens: *Doceatur populus divinitatem non figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus, aut signis exprimi possit.* Et hæc etiam clarissima est ex lumine naturæ, quia, cùm Deus sit prorsus infinitæ, & invisibilis naturæ, non potest vera similitudo ejus corporeis coloribus exprimi, & patet ex prædictis cap. præced. art. 3. cùm nulla imago picta, vel sculpta possit ullam substantiam etiam corpoream, secundùm propriam naturam imitari formaliter, vel exprimere, quantò minus infinitam, & invisibilem Deitatem.

Hæc patet ex Scriptura passim & Deut. 4. v. 12. *Vocem verborum ejus* (Domini) *audistis, & formam penitus non vidistis*, & v. 16. *Non vidistis aliquam similitudinem, ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem*, &c. scilicet, quæ Deum repræsentaret, & adoretur.

Isai. 40. ubi cùm ostenderet Dei immensitatem dicens v. 17. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt & quasi nihilum, & inane reputatæ sunt ei*, subjungit: *Cui ergo similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?* &c. v. 22. *Qui sedet super gyrum terræ, & qui extendit, ut nihilum, cælos*, &c. & infrà v. 25. *Cui assimilastis me, & adæquastis & comparastis me, dicit Sanctus.* Similiter cap. 46. v. 5. *Cui assimilastis me, & adæquastis, & comparastis me, & fecistis similem?* &c. demum Apost. Act. 17. v. 29. *Genus ergo cùm simus Dei, non debemus æstimare auro, vel argento, aut lapidi, aut sculpturæ artis, & cogitationis hominis divinum esse simile.*

Probatur etiam ratione naturali, quia juxta communem Doctorum sententiam, homo pro hoc statu non potest Deum secundùm propriam suam naturam concipere, nisi ad summum sub conceptu entis, reliqui conceptus sunt negativi: sic concipitur ens infinitum, invisibile, incomprehensibile, scilicet per negationem finitatis, visibilitatis, &c. vel per ordinem ad creaturas, ut per omnipotentiam, omniscientiam, &c. ita, ut per Metaphoram ad res sensibiles, & ut loquuntur, per Analogiam mens concipiat, Deum esse ens supra omne. Cùm itaque Doctores Catholici id asserant, multò minùs intendunt, quòd per aliquam externam imaginem, aut signum Deus secundùm se, & naturam suam figurari, vel repræsentari possit.

Dico tertio: Etsi de Fide certum non sit, nec à Deo mandatum, valde tamen moraliter certum est licere historias pingere, vel sculpere, in quibus Deus metaphoricè repræsentetur, sub aliqua imagine, vel figura, sub qua in S. Scriptura apparuisse narratur, ita, ut pictura per se primò repræsentet figuras, in quibus Deus apparuit, & per consequens hominibus Deum in memoriam revocet; & sic quasi per vestigium argitivè in Dei notitiam veniant, sicut per vestigium hominis in notitiam hominis, qui transiit: sicut August. lib. 8. Trinit. cap. ult. suprà dicit, quòd Creatorem per ea, quæ facta sunt, conspiciamus, &c. præsertim si tali modo explicentur hujusmodi picturæ populo, ut Concil. Trid. mandat, & monet. IV.

Hoc licitum esse ex Concil. Trid. satis colligitur suprà; si enim Concilium tales imagines in historiis formatas non probasset, sed tantùm tolerandas reliquisset, ut aliqui volunt, non addidisset illa verba: *Quod si aliquando*, &c. nam inferiùs mandat omnes abusus circa imagines aboleri.

Probatur itaque ex Scriptura Gen. 3. v. 8. *Et cùm audissent vocem Domini deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem*, &c. scilicet Adam, & Eva. Ecce ibi dicitur vox Domini sensibilis, & deambulatio, quasi hominis.

Secundò Gen. 28. v. 12. dicitur de Jacob: *Viditq; in somno scalam*, &c. *Et Dominum innixum scalæ dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abraham*, &c.

Tertiò, Exod. 3. v. 2. de Moyse dicitur: *Apparuitq; ei Dominus in flamma ignis de medio rubi*, &c. Et infrà: *Cernens eum Dominus, vocavit eum de medio rubi*; & ait: *Ego sum Deus Patris tui, abscondit Moyses faciem suam; non enim audebat aspicere contra Deum*, &c. sic etiam Deus in nube subinde apparuit, &c.

Iterum Exod. 33. v. 23. dicit Dominus Moysi: *Tollamq; manum meam, & videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.*

Sic Isai. 6. v. 1. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum, & ea, quæ sub ipso erant, replebant templum.* Et ibidem v. 5. dicit Propheta: *Regem Dominum exercituum vidi oculis meis.*

Similiter 3. Reg. ult. v. 19. dicit Michæas Propheta: *Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cæli existentem.*

Ita etiam Daniel 7. v. 9. dicit: *Aspiciebam, donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, vestimentum ejus candidum, quasi nix, & capilli capitis ejus, quasi lana munda*, &c. Et ibidem v. 13. *Et ecce in nubibus cæli, quasi Filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum venit*, &c. circa quem locum D. Augustinus dicit, perso-

quàm ſymbola erant cœleſtis gloriæ, &c. Secundò dicit: *Apparuit Spiritus Sanctus ſub ſpecie columbæ, ſed dum protinus evanuit, quis non videt unius momenti ſymbolo admonitos eſſe fideles ſpiritum inviſibilem credendum eſſe?* Tertiò addit dicens: *Nam quod ſub forma hominis Deus interdum apparuit, præludium fuit futuræ in Chriſto revelationis*, hæc Calv.

Reſpondeo: Sed quis non videt Calvinum nihil ad rem dicere. In quæſtione eſt: an liceat Deum ſub talibus figuris, vel ſignis, in quibus apparuit, pingere, idque illum in finem, ob quem Deus etiam ſic apparuit? quòd Deus ſe ſub talibus ſignis præſentarit, Calvinus abſque blaſphemia non poteſt dicere fuiſſe malum. Catholici itaque dicunt, quòd liceat ſimilia ſigna formare in ſymbolum divinæ eſſentiæ, ut illius recordentur homines, non verò ut eſſentiam Dei in ſe repræſentent. Atqui Calvinus idem fatetur dicens, quòd *nubes, flamma*, &c. *ſymbola fuerint cœleſtis gloriæ*, &c. Nec ad rem facit, quòd dicit ſacram Scripturam etiam monuiſſe, quòd Deus talis non eſſet ſecundùm eſſentiam, &c. hoc enim falſum eſt, quòd Scriptura ſemper id monuerit, licèt Moyſes ſubinde fecerit; ſicut etiam quòd credendum ſit Spiritum Sanctum eſſe inviſibilem, & ſic Catholici etiam expreſsè informant fideles, quòd credere debeant Dei eſſentiam eſſe immenſam, & inviſibilem, adeóq; non erit malum, ſi adhibitâ ſimili inſtructione Deus ſub ſimilibus ſignis pingatur, & ſculpatur. Quòd autem Calvinus dicit: *Nam quod ſub forma hominis Deus interdum apparuerit, præludium fuit futuræ in Chriſto revelationis*, &c. hoc univerſaliter falſum eſt primò, quia etiam Deus Pater in forma antiqui dierum Danieli, & Spiritus S. in ſpecie columbæ apparuit, qui nunquam ſunt incarnandi, &c. Secundò, quia hoc dici non poteſt ad iſta loca, ubi dicit ſanctiſſima Trinitas: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, & ubi Deo attribuuntur manus, oculi, aures, & alia humana membra.

Cùm ergo Calvinus fateri debeat, quòd illa, in quibus Deus aliquando apparuit, ſive nubes, ſive fumus, aut flamma, aut forma hominis, fuerint ſymbola divinæ eſſentiæ, ſeu, ut ipſe ait, *cœleſtis gloriæ, & Dei præſentiæ*, ut homines Dei recordentur, ſive modico, ſive multo tempore ſub talibus ſignis apparuiſſet, & in re approbare convincitur licitum eſſe imaginum uſum, prout à Catholicis exercetur, ſcilicet, ut ſint ſola ſymbola Dei, quibus Deus repræſentetur, ſicut olim in iiſdem Deus ſeſe repræſentavit; & Catholici docent non eſſe alias Dei imagines formandas, niſi quorum exemplar in ſacris Scripturis habetur, & Concil. Trid. graviſſimè præcipit, ut fideles inſtruantur, qua de cauſa hujuſmodi imagines proponantur.

Ex quibus patet impudens, & nimis injurioſa Calvini calumnia, dum ibid. §. 11. imponit Catholicis dicens: *Tantum abeſt, ut ab illorum* (gentilium Idololatria) *cauſa ſuam ſejungant*, &c. *dum ſymbola, quibus Deum ſibi figurent, & ſuo ingenio ſibi comminiſcuntur, & ſuis manibus confingunt*, &c. hæc ille. Quibus falſiſſimè imponit, quòd per illa ſymbola Catholici intendant figurare Deum ſecundùm ſe, quaſi Deus eſſet talis figuræ, & eſſentiæ, & quòd talia ſymbola ad libitum comminiſcantur; cùm, ut ſuprà dictum eſt, Catholici aſſerant, Deum ſecundum ſe nequidem per intellectum pro hoc ſtatu concipi poſſe, multò minus ſymbola illa cultu latriæ colenda docent, ſive in illis dæmonia, ut gentiles circa Idola egerunt, juxta Apoſtolum 1. Cor. 11. v. 19.

Quæ autem ex præcepto Decalogi: *Non facies tibi ſculptile*, &c. Acatholici objiciunt, ſuprà reſpondendo ad Anonymorum objecta reſolventur.

Reſpondeo hîc breviter, ibi ſolùm prohibitas quaſcunque imagines, ut cultu latriæ adorentur, alioquin forent undecim Decalogi præcepta, & proinde non prohibet imagines illas, quæ illo fine fiunt, prout Deus ipſemet illas formavit, ut eſſent ſymbola, quæ ſuam præſentiam, vel eſſentiam metaphoricè repræſentarent, non verò quaſi Deitatem, in ſe talis formæ eſſe, exhiberent, quæ populo apertiſſimè explicantur.

Ex hactenus dictis calumniæ Acatholicorum ſufficienter refutantur, & uſum imaginum talem licitum eſſe conſtat, nec opus eſſet, pro hoc ſanctorum Patrum authoritates allegare, cùm non aſſeratur, ut de Fide certum, nec à Deo præceptum, ita tamen, ut ex S. Scriptura talem uſum non eſſe prohibitum, ſed licitum pateat, & ideò Concil. Tridentinum illum non improbat, ſed debito modo exercendum eſſe monet. Authoritates & teſtimonia SS. Patrum in ſequentibus recitabuntur. Nec oſtendi poteſt, quòd SS. Patres hunc imaginum uſum S. Scripturæ contrarium eſſe docuerint.

Etſi verò harum uſus in primitiva Eccleſia frequens non fuerit, id potiſſimùm factum eſt, ne gentiles calumniandi occaſionem ſumerent, quaſi Chriſtiani etiam Deum corporeum haberent, qui excuſationes juſtas non admiſiſſent, ut patet, quòd etiam Manichæi in ſpeciali Catholicos, & gentiles calumniati ſint Judæos, & ipſum Moyſen, qui ſcripſit Deum in nube, vel flamma apparuiſſe, unde criminabantur ipſos Deum talem coluiſſe, ut fatetur Calvinus ſuprà §. 3. dicens: *Judæis per ludibrium exprobrat Juvenalis, quod puras nubes, ut cæli numen, adorent, perversè quidem & impiè*, &c. ſed ipſe Calvinus non minùs perversè & impiè id imponit Catholicis dicens: *Verius tamen loquitur, Dei effigiem apud illos extare negans, quàm Papiſtæ, qui viſibilem aliquam Dei effigiem fuiſſe garriunt*, &c. hæc ille, ubi falſiſſimè ſupponit, quòd Catholici dicant, nubem fuiſſe effigiem Dei, quaſi Deus ſecundùm ſe talem figuram haberet, cùm nihil aliud eſſet, quàm ſymbolum divinæ inviſibilis eſſentiæ, ut oſtenſum eſt, & Calvinus fateri debet.

***

Digitized by Google

CAPUT VI.

De Imaginibus Christi & Sanctorum in templis.

ARTICULUS I.

Quòd licitum sit imagines Christi, Angelorum, & Sanctorum formare, etiam extra historiam, & in templis collocare.

I. HÆc est de Fide certa definita in Synodo 7. & patet ex Concilio Trid. suprà, & probatur primò ex sacra Scriptura, & usu primitivæ Ecclesiæ.

Primò de imaginibus Christi patet ex illo Numer. 21. v. 8. de serpente æneo, qui fuit figura Christi ipsum repræsentans per Metaphoram, ut ipsemet Salvator exponit Joann. 3. v. 14. dicens: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis*, &c.

2. De Angelis patet ex locis S. Scripturæ suprà allatis, quoad figuras Cherubim, quæ non solùm in templo, sed in sancto Sanctorum collocatæ fuerunt, unde ex paritate sequitur, quòd etiam aliæ Sanctorum imagines licitè fiant, & in templis ponantur.

3. Probatur ex omnibus illis S. Scripturæ locis, in quibus Angeli in specie virorum, vel juvenum apparuisse referuntur, ut Gen. 19. v. 1. *Venerunt duo Angeli Sodomam*, &c. & per totum Caput Gen. 32. v. 1. & v. 15. *Vir luctabatur cum Iacob*, &c. & alibi sæpe in veteri testamento, sicut & in novo ad sepulchrum in die resurrectionis Matt. 28. Marc. 16. Luc. 22. Joann. 20. &c. Act. 10. apud Cornelium & in Apoc. sæpe: cur ergo non liceat in tali figura illos pingere?

Probatur 2. ex traditione, & usu Ecclesiæ antiquæ nam Christus ipsemet reliquit sui corporis figuram impressam in sindone, quâ corpus ejus in sepulchro involutum jacuit, quæ Taurini adservari dicitur.

2. Christus Salvator effigiem suam transmisit Abagaro Regi Edessæ, ut ex antiqua traditione referunt *Adrianus* Papa in lib. de Imagin. tomo 3. Conciliorum & *Ivo* 4. parte decreti c. 83. & S. *Damascenus* lib. 4. de Fide Catholica cap. 17. & *Evagrius* lib. 4. historiar. cap. 26. ac *Nicephorus* lib. 2. hist. cap. 17. qui testantur illam imaginem Edessæ adservatam.

Iterum traditio est antiquissima de muliere Hemorroissa ex Cæsarea Philippi (quam alii Paneadam vocant) oriunda, per Christum à sanguinis fluxu liberata, quòd in honorem Christi, & memoriam tanti beneficii ibidem ante domum suam statuam erigi curarit; de qua refert *Eusebius* lib. 7. Histor. cap. 14. *quod ex basi ejusdem statuæ herba aliàs incognita orta, quæ, quamprimum eousq; excreverat, ut fimbriam vestimenti sculptæ imaginis attigisset, virtute eundem morbum curandi prædita fuerit*, *quæ historia in Synodo 7. approbata est*; eandem refert *Theophilactus* in cap. 9. Matt. Joanne OEcolampadio interprete, de hac statua testatur *Sozomen.* lib. 5. cap. 20. & Niceph. lib. 10. cap. 30. quòd tempore Juliani circa Annum 350. *apud Paneadem in templo constituta fuerit, quam cùm Iulianus Apostata amoveri, & suam eodem loco reponi curasset, ignis de cœlo hanc capite à corpore disjectam discerpserit*, nec secùs ac Idolo Dagon 1. Reg. 5. contigerit. Ubi impudens Centuriat. Magdeburg. mendacium notandum, qui contra expressas historias cent. 4. cap. 13. scribere audent, Christi statuam interim in detestationem superstitionis dejectam fuisse.

3. Aliam fuisse Christi crucifixi imaginem à Nicodemo depictam historiæ tradunt, de qua testatur S. Athanasius lib. 1. vel serm. de pass. Christi imaginis cap. 2. & 3. edit. Erasmianæ, *quod à Iudæis per ludibrium lanceâ transfixa copiosus sanguis defluxerit, quo multorum corpora, & mentes sanata fuerunt*: idem testatur *Gregor. Turon.* de Gloria Martyr cap. 21.

4. Alias imagines Christi Domini, & B. Virginis à S. Luca depictas, & adservatas fuisse testatur *Niceph.* lib. 2. hist. cap. 23. & lib. 14. cap. 2. &c. qui etiam lib. 7. cap. 33. testatur S. *Sylvestrum Constantino Imperatori* exhibuisse imagines Petri, & Pauli; quales Imperator in somno viderat.

5. *Constantinum* in templis à se in Palæstina exstructis plurimas Sanctorum imagines aureas, & argenteas collocasse testatur *Euseb.* lib. 3. & 4. de vita Constantini, & constat ex edicto ejusdem Constantini, quod habetur tomo 1. Conciliorum.

Ex his arguitur, cùm ex tam authenticis historiis constet dictas Christi statuas, & imagines in primitiva Ecclesia fuisse tempore illorum SS. Patrum qui id testantur, evidens est, illas ab Apostolis, & Apostolorum discipulis honorificè fuisse adservatas; nam certum est, quòd Judæi, vel gentiles non conservarint.

ARTICULUS II.

Eadem veritas probatur ex SS. Patribus Græcis.

ANtiquæ Ecclesiæ usum circa imagines Sanctorum *Synodus* 7. ostendit ex *canone Apostolorum*, ubi sic dicitur: *Ne decipiantur salvati ob Idola, sed pingant ex opposito divinam, humanamq; manufactam impermixtam effigiem Dei vivi, & Salvatoris nostri Iesu Christi, ipsiusq; servorum contra Idola, & Iudæos, neque errent in Idolis, neq; similes fiant Iudæis.* I.

Dionysius Areopagita discipulus Pauli Apostoli in quæst. ad Titum, ut refert *Damascenus* orat. 1. pro imaginibus circa medium sicait: *Proinde nos etiam oportet deposita vulgari de ipsis opinione intra sacra signa congruentem rebus sacris cogitationem suscipere, nec ea, quæ sunt divinarum formarum notæ, atq; exempla, & perspicuè arcanorum naturamq; superantium spectaculorum imagines contemnere*, ubi subjungit Damascenus dicens: *Nota, quomodo rerum præstantium imagines dixerit non esse contemnendas.* II.

Idem

III. Idem Dionyſius lib. de Hierarchia cæleſti apud Damaſcen. ita ait: *Verum eſſentia atq; ordine illi nobis præſtantiores, de quibus ſacram fecimus mentionem, & corpore vacant, & ſacer ipſorum principatus, quantum ad eos ſpectat, ſolamente percipitur, & mundo ſuperior eſt; quantum autem ad nos pertinet, videmus eum ratione nobis congruente ſignorum, quæ ſub ſenſum cadunt varietate plenum. Ex quibus ſacro quidem modo ad divinitatis conjunctionem pro ratione nobis convenienti deducimur, ac Deum ſane divinamq; virtutem intelligentia (Angeli) quemadmodum illis fas eſt, intelligunt; nos autem imaginibus ſenſum moventibus ad divinas contemplationes, quoad fieri poteſt, pervehimur,* &c. hæc Dionyſ.

IV. *Methodius* Anno 260. Orat. 2. de Reſurr. ſic ait: *Quas quidem ex auro imagines conflamus Angelorum ipſius principatus, & poteſtates referentes, eas ad honorem, & gloriam Dei conficimus,* &c.

V. *Euſebius Cæſar.* lib. 5. demonſtrat. Evang. c. 9. ſic ſcribit: *Apparuit Deus Abraham ad quercum Mambre, quamobrem ad hoc uſq; tempus is locus, tanquam divinus, ad honorem eorum, qui illic Abraham apparuerunt, à vicinis populis celebratur, & ſpectatur adhuc firma therebynthus, & qui ab Abraham excepti ſunt hoſpitio (NB) pictura ſic expreſſi, ut duo quidem utrimq; tertium, ut honore præſtantiorem, medium habeant, ſit autem hic declaratus nobis Dominus ipſe Salvator noſter, quem etiam ignari venerantur, qui divinis Oraculis credunt,* &c. hæc ille.

VI. *Baſilius* Orat. de S. Barlaam Mart. ait: *Exurgite nunc O præclari Athleticorum geſtorum pictores, mutilam ducis imaginem veſtro illuſtrante artificio, & obſcurius à me depictum coronatum athletam veſtra induſtria coloribus conſpicuum reddite: Abibo certaminum & victoriarum Martyris à vobis poſita imagine victus, & video manus hujus tactam tum igne exactam à vobis depictam, video alacriorem pugilem per veſtram depictam imaginem,* &c. hæc ille. Quæ utique de imagine in templo poſita dixit.

VII. *Gregorius Nazianz.* Orat. 5. 19. in laudem defuncti patris edit. Colon. 1579. *Hoc templum,* ait, *quod Deo, & nobis exſtruxit,* &c. *opus ſane mirabile, ac prædicandum;* &c. *nam & æquilateris* &c. *& laquearia in altum aſſurgit. & quidem ejuſmodi picturis ornata, ut nec natura ipſi concedant,* &c. Similiter loquitur epiſt. ad Olympium eâd. edit. ubi civitatis diocæſatienſis everſionem deplorans, in qua ipſe templum exornavit dicit: *Neq; enim ſi ſtatuæ dejiciantur, hoc nos excruciat, etiamſi alioquin excruciat,* &c.

Iterum Orat. quæ eſt in laudem Heronis eâd. edit. ait: *Angelis etenim, cum corporeo modo informantur, candida veſtis, atq; hilaris, & exporrecta facies tribui ſolet,* aliter habet alia editio ſuprà relata.

VIII. *Greg Nyſſen.* Orat. de laud. S. Theodori edit. Baſ. 1571. *Oblectatur,* ait, *dum adeſt, ut templum Dei,* &c. *ſplendide elaboratum intuetur, ubi & faber,* &c. *induxit autem etiam pictos flores artis in imagine depictos, fortia facta Martyris,* &c. *certaminum præſidis Chriſti humanæ formæ effigiem, omnia nobis tanquam in libro quodam, qui linguarum interpretationes contineat, coloribus artificioſè depingens,* &c. *ſolet enim etiam pictura tacens in pariete loqui, maximeq; prodeſſe,* &c. hæc ille. Ubi patet, quod non ad ſolum ornatum imagines in templo poſitæ fuerint.

Idem Orat. de divinit. Filii & Spiritus Sancti, ubi meminit Iſaac ab Abraham immolandi dicens: *Hujus ergo acerbæ rei ſpectaculum ſæpe pictura expreſſum vidi,* &c.

Chryſoſtomus in liturgia quæ habetur to. 5. operum illius interprete Eraſmo edit. Baſil. 1558. dicit: *Sacerdos egreditur è parvo oſtio portans Evangelium,* &c. *& converſus ad Chriſti imaginem inter duo oſtia inflexo capite, cùm exclamatione dicit hanc Orationem,* &c. IX.

Idem in Encomio S. Meletii dicit: *Quemodo feciſtis in nominibus, hoc etiam feciſtis in illius imagine, etenim in palis annulorum, & in ſimulacris, & in phialis, & ubiq; ſacram illam multi expreſſerunt imaginem, ut non ſolum audiant ſanctam illam appellationem, ſed etiam ubiq; videant figuram corporis,* &c.

Demum in Synodo 6. quæ Trullenſis can. 82. X.
dicitur: *Inter nonnullas venerabilium imaginum picturas, Agnus, qui digito præcurſoris monſtratur, depingitur,* &c.

Et in Synodo 7. quæ eſt Nicæna 2. act. 7. edit. XI.
Colon. 1538. Patres dicunt: *Fatemur unanimiter nos Eccleſiaſticas traditiones ſive ſcripto ſive conſuetudine valentes,* &c. *de numero eſt imaginum effigiatio,* &c. & infrà: *His ſic ſe habentibus regiam viam incedentes, & Sanctorum noſtrorum, & divinorum Patrum doctrina inſiſtentes, & Catholicæ Eccleſiæ, in qua S. Spiritus inhabitat traditionem obſervantes, definimus cum omni diligentia, & cura venerandas, & ſanctas imagines,* &c. *in templis ſanctis Dei collocandas,* &c. *maxime autem imaginem Domini, & Dei ſervatoris noſtri Jeſu Chriſti, deinde intemeratæ Dominæ noſtræ Deiparæ, venerandorum Angelorum, & omnium deinde ſanctorum virorum,* &c. hæc Concil.

Eâdem 7. Synodi decreta confirmavit *Synodus* XII.
8. *Conſtantinopoli* celebrata can. 3.

Horum ſacrorum Conciliorum, & Patrum veſtigiis uſque in hæc ſæcula Eccleſia Græca inhæſit, ut patet ex reſponſo 2. cap. de invocat. Sanctorum Jeremiæ Patriarchæ Conſtantinop. Anno 1580. edito, prout infrà de honore imaginum referetur.

ARTICULUS III.

Veritas Catholica ex Patribus Latinis probatur.

TErtullianus circa Ann. 200. lib. 2. adverſus Marcionem cap. 22. edit. Pariſ. 1584. & Baſil. 1562. *Similitudinem,* ait, *vetans fieri omnium, quæ in cælo, & in terra, & in aquis, oſtendit & cauſas Idololatriæ ſcilicet ſubſtantiam cohibentes ſubjicit enim:* Non adorabis ea, neque ſervietis illis: *Serpentis autem ænei effigies poſtea præcepto Moyſi à Domino non ad Idololatriæ titulum pertinebat, ſed ad remediandos eos, qui à ſerpentibus infeſtabantur, & taceo de figura remedii; ſic & Cherubim, & Seraphim aurea in arca figuratum exemplum, certe ſimplex ornamentum accommodata ſuggeſtui, longe diverſas habendo cauſas, ab Idololatria conditione, ob quam ſimilitudo prohibetur, non videntur ſimilitudinum prohibitarum legi refragari, non in eo ſimilitudinis ſtatu deprehenſa, ob quem ſimilitudo prohibetur,* hæc ille. I.

Idem lib. de pudicitia cap. 7. iiſd. edit. *Procedant,* ait, *ipſæ picturæ calicum,* &c. ubi refert, quod in calicibus ſacris Eccleſiæ Chriſtus in forma Paſtoris ovem in humeris portantem depingi, ſeu ſculpi ſolitus fuerit.

Damaſus in vita S. Sylveſtri ita ſcribit: *Hisce temporibus fecit Conſtantinus Auguſtus Baſilicam Conſtantinianam, ubi poſuit dona iſta, faſtigium argenteum* II.

Digitized by Google

CAPUT VII.

De Veneratione ſeu Cultu Imaginum.

ARTICULUS I.

Proponitur doctrina Eccleſiæ Catholicæ.

I. ETſi moderni Acatholici concedere debeant, quod Imagines Chriſti, & Sanctorum haberi poſſint, & quidem Lutherani illas etiam in templis collocari poſſe ad ornatum fateantur; omnes tamen negant illas ullatenus colendas eſſe. Eccleſia autem Catholica docet, quod etiam aliquo honore ſint venerandæ, & colendæ, ut conſtat ex Concil. Trident. ſeſſ. 25. ſuprà cap. 5. relato. Hanc ipſam doctrinam tradidit, & uſurpavit Eccleſia antiqua, & cùm poſtea *Leo Iſauricus Imperator* contra Imaginum cultum inſurgeret, easque è templis deleri juſſiſſet: plurimi ſancti viri ſeſe illi oppoſuerunt, & ſtatim poſtea diverſa concilia congregata ſunt, in quibus illorum Iconomachorum error damnatus eſt; primò in Eccleſia Latina in *Concilio Romano* ſub Greg. III. ubi ad mille Epiſcopi convenerunt Anno 733. Iterum aliud *Concilium Romæ* ſub Stephano III. Anno 768. celebratum, idem confirmavit, prout præter alios Authores *Adrianus* in lib. de Imaginibus ad Carolum teſtatur.

Poſtea in *Synodo* 7. Nicæna ſecunda in Græcia celebrata abſolutè definitum eſt, ubi Patres Synodi ex uſu antiquæ Eccleſiæ, & ſanctorum Patrum ſcriptis hanc veritatem copioſiſſimè oſtendunt, ex quibus conſtat, quod utraque tam Græca, quàm Latina Eccleſia hanc veritatem conformiter profeſſa ſit.

Quod autem Synodus 7. vera & legitima generalis fuerit, nec quicquam temere ſtatuerit, ut Calvinus ſine fundamento, & mendaciter refert, infrà patebit. Illius Synodi definitio circa imagines *in Concilio Florentino*, ubi utriusque Eccleſiæ Latinæ, & Græcæ Patres convenerunt ſeſſ. 5. propoſita, ſcripta, & confirmata fuit, ſicut demum in *Concil. Trid.* ſeſſ. 25. factum eſt. Hanc ergo Catholicam doctrinam ex ſacra Scriptura, & SS. Patribus demonſtrabimus, & poſtea, qualis veneratio imaginibus exhibenda ſit, declarabimus; priùs tamen etiam oſtendemus, quod liceat imaginibus, vel ſignis Deum metaphoricè repræſentantibus honorem exhibere, ſicut & iis, qui Angelos repræſentant.

***

ARTICULUS II.

Quòd ſignis Deum & Angelos repræſentantibus liceat honorem exhibere ex S. Scriptura probatur.

PRimò, quia figuras illas, in quibus vel Deus, vel Angeli ſanctis Patriarchis, & viris apparuerunt, illi venerati ſunt, ut pat. Gen. 18. v. 1. ubi Abraham tres viros in Mambre apparentes adoravit, ſive ſanctiſſimam Trinitatem, ſive tres Angelos repræſentarint. I.

Similiter Loth Gen. 19. v. 1. *Duos Angelos pronus adoravit.* An non Moyſes Exod. 3. flammam rubi in qua Dominus apparebat humiliter honoravit? ſic Joſue 5. v. 15. intelligens Angelum eſſe, qui in ſpecie viri ſibi loquebatur, *pronus adoravit.* Et Dan. 10. v. 6. Angelum in ſpecie viri *veſtiti lineis, cujus corpus quaſi Chryſolythus*, Daniel cum magno tremore & reverentia alloquitur, & alibi ſæpe.

Ex quibus ſic arguitur: Sancti illi viri certò ſciebant, quod illæ figuræ vel ſpecies, quæ apparebant, non eſſent ipſe Deus, vel ipſi Angeli, ſed tantùm illos repræſentarent, ac imagines, ſeu ſymbola, aut ſigna illorum eſſent; & tamen Deum, vel Angelos in illis adorantes, etiam aliquam venerationem ſpeciebus illis exhibuerunt, ſicut veſti Regis exhibetur. II.

2. Probatur ex eo, quod homo, in quantum eſt imago Dei, honorabilis ſit, juxta illud pſ. 48. v. 13. & 21. *Homo, cùm in honore eſſet, non intellexit*, &c. quod SS. Patres intelligunt potiſſimùm intelligendum eſſe de eo, quod ad imaginem Dei creatus ſit, ut *Cyrillus, Auguſt. Damaſc.* & alii infrà citandi.

3. Probatur ex Exod. 25. v. 18. ubi non obſtante Judæorum proclivitate ad Idololatriam, Deus mandavit Moyſi, ut faceret duos Cherubim aureos, qui utrumque latus propitiatorii tegerent, & ſubjungit Dominus v. 22. *Inde præcipiam, & loquar ad te ſuprà propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt ſuprà arcam fœderis*, &c. quantam autem reverentiam exhibuerint non ſolùm Judæi promiſcuè, ſed etiam Moyſes, & Joſue, & ſeniores, patet ex illo Joſue 7. v. 6. ubi dicitur: *Joſue pronus cecidit in terram coram arca Domini uſq; ad veſperam, tam ipſe, quàm ſenes Iſrael:* ubi certum eſt, quod ipſi arcæ reverentia fuerit exhibita, licèt Dominum coram illa adorarint; quod vero talis reverentia Deo non diſplicuerit, ſed potiùs illam voluerit, patet ex variis locis, ubi Deus mandavit, qualiter arca videri, & tractari deberet, & ex punitione Bethſamitarum, qui arcam Dei nudam aſpexerant. 1. Reg. 6. v. 19. *Percuſſit autem de viris Bethſamitibus, eo quod vidiſſent arcam Domini, & percuſſit de populo 7. viros, & quinquaginta millia plebis*, &c. ſimiliter 2. Reg 6. v. 7. *Percuſſit Dominus Ozam ſuper temeritate ſua, quia v. 6. extendit manum ad arcam Dei, & tenuit eam.* E contra ex benedictione illorum ubi Arca Domini manebat, ut ibid. v. 12.

Digitized by Google

Ex quibus ſic arguitur: Si tales res inanimatæ etiam tranſeuntes à S. ſcriptura vocentur, & ſint ſacræ, & etiam feſtivitate venerabiles, & laudabiles, idque ex reſpectu ad Deum, &c. merito etiam imagines, vel ſtatuæ ob reſpectum ad verum Deum, quem ſignificant, vel ad Sanctos, ſacræ, & venerabiles erunt.

VIII. Demum Chriſtus Dominus præceptum Decalogi: *Non perjurabis* Matt. 5. v. 34. extendit dicens: *ego autem dico vobis non jurare, neq; per cælum, quia thronus Dei eſt, neq; per terram, quia ſcabellum pedum ejus eſt.* Conſtat autem, quod *juramentum ſit actus religionis*, quo Deus primario honoratur, & creatura, per quam juratur, ſecundario, idq; ob reſpectum ad Deum, ut Chriſtus exponit; adeoque ob hoc ſunt creaturæ colendæ, & ſi perjuretur illæ injuriâ afficiuntur, non propter ſe, ſed propter Deum, quem repræſentant; cur ergo imagines ob ſimilem ad Deum reſpectum non erunt colendæ?

Et hæc ex S. ſcriptura deſumpta pro cultu & reverentia imaginum ſufficerent, hanc tamen etiam antiquæ Eccleſiæ, & SS. Patrum fuiſſe doctrinam oſtendemus.

ARTICULUS IV.

Probatur eadem veritas ex Patribus Græcis.

I. Methodius Orat. 2. de Reſurrect. ſuprà relatus. Similiter *Euſebius Cæſar.* lib. 5. Demonſtrat. Euangelic. cap. 9. ſuprà relatus cap. 6.

Athanaſius Alexandr. lib. Interrogat. & reſponſ. ad Antiochum Principem cap. 38. relatus à Coccio to. 1. lib. 5. de Sacramentis Eccleſiæ art. 15. *Abſit*, ait, *ut, quemadmodum Græci faciunt nos Chriſtiani tanquam Deos imagines adoremus, affectionum duntaxat, & charitatis noſtræ ſtudium erga figuram perſonæ per imaginem expreſſæ declaramus, itaq; lignum ſæpe, quod jam erat imago, ſi figura deleta ſit, tanquam inutile comburemus: quemadmodum igitur Jacob cùm eſſet è vita diſceſſurus faſtigium virgæ Joſeph adoravit non virgam ipſam honorans, ſed eum qui virgam tenebat. Chriſtiani non alia ratione imagines colimus, niſi quemadmodum etiam cum filios noſtros, & patres noſtros oſculamur, animi noſtri deſiderium indicamus; ſicut & Judæus olim legis tabulas, & duo Cherubim* (NB) *aurea, & ſculptilia quondam adorabat, non lapidis aurive naturam colens, ſed Dominum, qui ea, ut fierent, præceperat*, &c. ecce quàm manifeſtè teſtatur vir ſanctus, tantus Arianorum & hæreticorum hoſtis, & fidei orthodoxæ defenſor, quod tunc temporis Chriſtiani imagines SS. coluerint, & explicat modum illius cultus ac cauſam.

II. *Cyrillus* catecheſi 12. edit. Colon. 1564. probat hominem ideo honorandum, quia eſt imago Dei dicens: *Imago lignea terreni regis honoratur, quanto magis rationalis imago Dei?*

III. *Baſilius* lib. contra Julianum Imperatorem ſic profitetur dicens: *Secundùm fidem immaculatam Chriſtianorum*, &c. prout ſuprà relatum eſt, & poſtea ſubdit: *Vnde & hiſtorias, & caracteres imaginum illorum* (NB. Apoſtolorum, Prophetarum, & Martyrum) *honoro, & adoro, præcipue cùm hoc ſit à SS. Apoſtolis nobis traditum, non eſt prohibendum, ſed in omnibus Eccleſiis noſtris eorum hiſtorias erigimus*, &c. quid clariùs dici poteſt?

Greg. Nazianz. & Nyſſen. ſuprà relati ſunt, IV.
ſicut & Chryſoſtomus in liturgia dicens, quod Sacerdos ad Chriſti imaginem converſus inflexo capite dicit orationem.

Nilus Anno 410. S. Auguſtino coævus epiſt. V.
ad Olympiadem proconſulem dicit: *Novi & veteris teſtamenti hiſtoriis hinc inde parietes templi repleri pictoris opera velim, quo ſcilicet ſic, qui literas non norunt, neq; S. Scripturam legere queunt, contemplatione picturæ in memoriam reducant, quinam germane vero illi Deo per fortia facta ſervierunt, atq; in certamen excitentur glorioſorum facinorum venerantes* (NB) *ſcilicet per contemplationem, ea, quæ non viderunt*, hæc ille.

Theodoretus in hiſtoria de Simone Stylita, *Aiunt*, inquit, *Romæ eum fuiſſe adeo omnium ore celebratum, ut in omnibus officinarum veſtibulis, & porticibus ei parvas poſuerint imagines, hinc ſibi præſidium, & tutelam parantes*, &c. hæc ille. VI.

Et hæc quoad Patres Græcos primorum 4. ſeculorum: ſuccedentibus ſeculis Patres Græci in eadem doctrina perſeverarunt, ut patet ex *Procopio* Ann. 530. *Anaſtaſio, Euagrio, Leontio* lib. 5. contra Judæos, *Germano* Patriarcha Conſtantinopol. *S. Joanne Damaſceno* lib. 4. orthodoxæ fidei cap. 17. edit. Pariſ. 1577. Et quidem S. VII.
Joann. Damaſcen. ait: *Quoniam nonnulli eo nomine nos reprehendunt, quod Salvatoris, ac Dominæ noſtræ, reliquorumq; Sanctorum imagines adoramus, & honore afficimus, audiant velim, quod Deus ab initio hominem ad imaginem ſuam effinxit, qui fit igitur, ut alii alios adoremus, niſi quia ad Dei imaginem facti ſumus? nam & ille magna rerum divinarum eruditione præditus Baſilius ait: Imaginibus honor ad exempla tranſit*, &c.

Idem *Damaſcenus* in orationibus pro imaginibus efficaciſſimè & doctiſſimè ex S. Scriptura, & antiquis SS. Patribus imaginum cultum demonſtrat.

Conſtat etiam ex Synodo 7. Theophylacto, Euthymio, & tandem ex Hieremia Patriarcha Conſtant. Ann. 1580. in reſponſ. 2. cap. de invocat. Sanctorum, ubi ſic dicit: *Adoramus imagines eo modo, ut non ipſi materiæ exhibeamus reverentiam, ſed imaginum interventu illis, qui per ipſas ſignificantur, honos, qui imagini exhibetur, ad prototypon tranſit, ſicut D. Baſilius ait*, &c. & intrà: *Vt qui non honorat filium, non honorat Patrem ſic qui non honorat imaginem, nec illum, quem imago refert, honorat*, &c. hæc ille.

Demum Hypathius Ruthenorum legatus VIII.
Ann. 1595. in fidei ſuæ profeſſione ſic ait: *Firmiſſime aſſero imagines Chriſti, Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum SS. habendas, ac retinendas eſſe, atq; eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam.*

Ex his patet, quod etiam Eccleſiæ Orientales, licèt ab Eccleſiæ Latinæ obedientia defecerint, tamen ex antiqua traditione hanc Eccleſiæ doctrinam profiteantur, quales Acatholici moderni ſuos confratres eſſe volunt.

* * *

zed by Google

ARTICULUS V.

Eadem veritas ex Patribus Latinis ostenditur.

I. Videantur loca Patrum suprà præced. cap. relata, & in speciali hic adjungitur *Ambrosius* serm. 10. in ps. 118. edit. Romanâ 1580. *Qui*, ait, *coronat imaginem Imperatoris, utiq; illum honorat, cujus imaginem coronauit; & qui statuam contempserit Imperatoris, Imperatori utiq;, cujus statuam consputauerit, videtur fecisse injuriam*, &c. hæc ille. Vnde à simili proceditur ad imagines Sanctorum.

Item lib. de dominicæ incarnationis sacramento c. 7. eâd. edit. sic ait: *Nunquid, cùm in Christo imaginem Dei, crucemq; veneramur, diuidimus eum?*

II. *Hieronymus* ad Eustochium de Epitaphio Paulæ edit. Basil. 1553. sic scribit de Paula: *Hierosolymis cuncta loca tanto ardore, ac studio circumiuit, ut, nisi ad reliqua festinaret, à primis non posset abduci, prostrataq; ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat*, &c.

Idem in epist. ad Marcellam eâd. edit. cùm dixisset, quod Judæi olim venerabantur sancta Sanctorum propter Cherubim, Arcam, &c. subdit: *Nonne tibi venerabilius videtur sepulchrum Domini?*

III. *Augustinus* epist. 203. ad Maximum Episcopum Donatistam in initio edit. Basil. 1528. rationem reddens, cur in titulo epistolæ scripserit honorabili fratri, &c. dicit: *Non hoc addidi, ut honorem Episcopatum tuum, mihi enim Episcopus non es*, &c. *honorabilem igitur ex ea regula te libenter appello. qua noui te esse hominem*, &c. *ad imaginem Dei, & similitudinem factum, & in honore positum ipso ordine. & jure naturæ*, &c. *nam ita scriptum est: homo, cùm in honore esset, non intellexit.* Ps. 48.

Item Aug. tract. 47. in cap. 10. Joann. eâd. edit. sic ait: *Ipse Dominus ibi fuit, ibi matrem elegit, ibi sunt vestigia ejus, modo adorantur, ubi nouißime stetit, unde ascendit in cælum*, &c. ecce venerationem vestigiorum, seu imaginis pedum Christi.

Idem lib. 3. de doctr. Christiana cap. 9. cit. edit. sic ait: *Sub signo seruit, qui operatur, aut veneratur aliquam rem significantem, nesciens, quid significet; qui vero aut operatur, aut veneratur aliquod signum diuinitus institutum, cujus vim significationemq; intelligit, non hoc veneratur, quod videtur & transit, sed illud potius, quo talia cuncta referenda sunt, talis autem homo spiritalis est, & liber*, &c. ubi non negat ipsum signum venerandum, sed potiùs & principaliter ipsum significatum, sic autem fit in imaginibus Sanctorum.

Similiter loquens de variis signis lib. 3. Trinit. cap. 4. & seqq. tandem cap. 10. eâd. edit. sic dicit: *Cum Dei persona suscipitur, aliquando in Angelo demonstratur, aliquando in ea specie, quæ non est. quod Angelus, quamuis per Angelum disposita ministretur; aliquando ad hoc fit eadem species, vel aliquantulum mansura sicut serpens æneus Num. 21. sicut & literæ, vel peracto ministerio transitura*, &c. *sed quia hæc hominibus nota sunt*, &c. *quia per homines fiunt honorem tanquam* RELIGIOSA *possunt habere, stuporem tanquam mira non possunt; itaq; illa quæ per Angelos fiunt, quo difficiliora, & ignotiora, eo mirabiliora sunt nobis*, &c. & infrà: hæc Aug. ex quibus patet, quod ipse senserit signis, quæ Deum, vel SS. significant honorem, tanquam religiosis exhiberi posse, tales autem sunt imagines, &c.

Gregorius Magnus lib. 7. epist. 5. induct. 2. ad Ja- IV.
nuarium edit. Basil. 1505. scribit, quod intellexerit quendam Judæum recens baptizatum cum aliquibus in Synagogam irruisse, ac venerandam crucem, & imaginem Genitricis Dei ibi collocasse, &c. & subdit: *His hortamur affatibus, ut sublata exinde cum ea, qua dignum est, veneratione imagine, atq; cruce debeatis*, &c. *reformare*, &c.

Idem lib. 7. epist. 53. circa finem ad Secundinum eâd. edit. *Imagines, ait, quas tibi dirigendas*, &c. *rogasti, misimus; unde valde nobis tua postulatio placuit, quia illum toto corde, tota intentione diligis, cujus imaginem præ oculis habere desideras*, & infrà: *Scio quidem quod Imaginem Saluatoris nostri non ideo petis, ut quasi Deum colas, sed ob recordationem filii Dei*. &c. *& nos quidem non quasi ante diuinitatem* (NB) *ante illam prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem, aut natum, aut passum, sed & in throno sedentem recordamur, & dum nobis ipsa pictura quasi scriptura ad memoriam filium Dei reducit*, &c *ideoq; direximus tibi surtarias duas, imaginem Dei Saluatoris, & S. Dei Genitricis Mariæ, beatorumq; Apostolorum Petri & Pauli continentes*, &c. ubi patet, quod vir sanctus profiteatur fideles venerari imagines, etiam ante illas se prosternendo in terram, licèt non illas, sed Christum, cultu latriæ adorent.

Idem lib. 9. epist. 9. induct. 4. ad Servitum sic scribit: *Perlatum ad nos fuerat, quod inconsiderato zelo succensus SS imagines sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris. Et quidem, quia eas adorari vetuisses omnino laudauimus; fregisse vero reprehendimus, dic frater à quo factum Sacerdote aliquando auditum est* (NB) *quod fecisti? Si non aliud, vel illud te non debuit reuocare, ne despectis aliis fratribus solum te sanctum, & esse crederes sapientem, aliud est enim picturam adorare, aliud per picturæ historiam, quid sit adorandum, addiscere; nam quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus*, & infrà: *Frangi non debuit, quod non est ad adorandum in ecclesiis, sed ad instruendas solummodo mentes fuit nescientium collocatum, & quia in locis venerabilibus SS.* (NB) *depingi historias non sine ratione vetustas admisit*, & infrà: *ergo eis dicendum, si hanc instructionem, ad quam imagines antiquitus factæ sunt habere vultis in Ecclesia, eas modis*
omnibus & fieri, & haberi permitto, &c. Ex his san- V.
cti viri verbis non solùm quid suo tempore in Ecclesia consuetum erat evidens est; sed gravissimum habetur testimonium, quod eundem vetustas scilicet primorum 4. seculorum habuerit morem, imo quod nullus ante illud tempus Episcopus, vel Sacerdos fuerit auditus, qui imagines ex Ecclesia amoverit, vel confregerit, &c.

Etsi autem Acatholici Gregorium Magnum VI.
fateantur virum fuisse sanctissimum, ac in officio Pastoris vigilantissimum doctrinâ, & vita præstantissimum, ut Balæus lib. de Actis Romani Pontificis, & Hieron. Zanhis in præfat. librot. de nat. Dei, & ipse Lutherus, teste Witakero de Ecclesia q. 3. c. 1 ipsum ultimum fuisse Romanum Episcopum, dignum nomine Episcopi, orthodoxum, &c. fassus sit; videns tamen ipse Calvinus Gregorium tam clarè tradere imaginũ usum, & venerationem, non veretur ipsum impudenter arguere lib. 1. inst. c. 11. §. 5 dicens: *Scio quidem illud vulgo esse plus quàm tritum libros idiotarum esse imagines: dixit hoc Gregorius; at longe aliter pronuntiat spiritus Dei, in cujus schola si edoctus fuis-*

Digitized by Go

fuiſſet Gregorius, hac in parte nunquam ita locutus foret, nam quam Jeremias cap. 10. v. 8. *legem eſſe doctrinam vanitatis pronuntiat, quam Habacuc* 2. v. 18. *docet conflatile eſſe Doctorum mendacium, certe hinc generaliter colligenda eſt doctrina, futile eſſe, adeoq; mendax, quicquid de Deo ex imaginibus homines didicerunt*, hæc ille.

VII. Reſpondeo autem primo Calvinum impudenter in hoc arguere Gregorium, cùm id ipſum etiam antiquiores graviſſimi Patres, & Doctores, ut Gregorius Nazianz. & alii ſuprà relati dixerunt, quos omnes in ſchola Spiritus Dei eruditos non fuiſſe nimis mendaciter, & arroganter Calvinus dixerit.

Reſpondeo 2. Calvinum fraudulenter dictum D. Gregorii de imaginibus Sanctorum in hiſtoria poſitis ad imagines Dei transfert, de quibus Gregorius non loquitur; cùm tamen imagines Sanctorum in hiſtoria poni poſſe ipſemet Calvinus ibid. §. 12. fateatur dicens: *priores* (hiſtoriæ, & res geſtæ) *uſum in docendo, vel admonendo aliquem habent*, &c. quid hoc eſt aliud, quàm quod ſint libri Idiotarum? an ergo hic per illa verba Hieremiæ, & Habacuc ſunt prohibitæ generaliter? ſic Calvinus ſeipſum condemnaret.

Reſpondeo 3. Prophetæ allegati (licèt in Habacuc illa verba non legantur) expreſsè loquuntur de ſimulacris falſorum Deorum, ut patet apud Jeremiam ibid. v. 3. clariſſimè, de quibus evidens eſt, quod illa ducunt homines in errorem quaſi effigiem hominis, vel falſi Dei habentia dicantur eſſe Dii, cùm nec homines, nec Dii ſint: ſed an imagines Sanctorum falſos Deos repræſentant, quis ſanæ mentis dixerit? Falſum eſt quoque, quod Prophetæ voluerunt ibi dicere omnem imaginem Dei veri, vel ſignum eſſe Deo contrarium, ut Calvinus ibi vult, cùm ſigna vel imagines Dei non ponantur, ut pro Diis habeantur, nec quaſi Dei ſimilitudinem exprimant, ſed ut per metaphoras in notitiam Dei deducant; ut ſuprà ſæpius dictum eſt.

Similiter falſiſſimum eſt, quod futile ſit, atque mendax quicquid de Deo ex imaginibus homines didicerunt, ſic enim Judæi ex nube, Moyſes ex flamma rubi, &c. ex arca fœderis Dei præſentiam didicerunt; an ergo illud mendax eſt, & futile? an ſi ea, quæ de Adam, & Eva & de Deo in paradiſo illis apparente, & ambulante in S. ſcriptura referuntur, hiſtoricè pingantur?

Si Abraham coram tribus viris, in Mambre pronus adorans pingatur? ſi antiquus dierum apud Danielem in throno ſedens coram Angelis in pictura exhibeatur, an, inquam ex his, aliisq; imaginibus quicquid homines de Deo didicerunt, futile erit, & mendax? Ecce quàm impudenter, & apertè Calvinus mentiatur, ſibimetq; ipſi contradicat; cùm ipſemet ibidem §. 13. urgeat fideles dicens: *Recipiant imagines vivas illas, & iconicas, quas verbo ſuo Dominus conſecravit, Baptiſmum intelligo, & cœnam Domini cum aliis ceremoniis, quibus oculos noſtros & ſtudioſius detineri, & vividius affici convenit*, &c. hæc Calvin. Si hæc ſigna honoranda ſint, ut verum eſt, cur ergo nec alia ſimilia, quæ ad Dei memoriam inducunt?

***

ARTICULUS VI.

Probatur Catholica veritas ex miraculis à Deo pro honore imaginum factis.

Quod vera miracula à Deo facta ſint pro honore imaginum, conſtat imprimis ex authentica hiſtoria illius *ſtatuæ Chriſti ab hæmorroiſſa* Cæſareæ Philippi, ſeu Paneadæ erecta, de qua ex *Euſebio Cæſar.* ſuprà relatum eſt, quod herba ſub illa excreſcens, ubi fimbriam ſtatuæ attigiſſet, ad omnes morbos curandos valuerit: econtra Juliani ſtatua loco illius ſuppoſita fulmine diſſecta fuerit. I.

2. ex miraculis circa *imaginem Chriſti crucifixi* à Judæis transfixam, de qua ſuprà ex *S. Athanaſio, & Gregorio Turonenſi*, ſicut & de aliis Chriſti, B. Virginis, & B. Stephani imaginibus ſuprà relatis.

Plurima in particulari miracula, quæ & Deus imagines honorantibus exhibuit, refert S. Damaſcenus Orat. 1. & 3. de imaginibus, imo ipſi Centuriatores Magdeburgenſes in ſuis centuriis recenſent.

Probatur 3. ex miraculis quæ Deus contrà illos præſtitit, qui imagines Chriſti, vel Sanctorum ludibrio affecerunt, ut SS. Patres referunt, & in ſpecie *Anaſtaſius* Sinaites apud S. Damaſcenum Orat. 3. de imaginibus, ubi refert, *quod, cùm Saraceni templum S. Theodori mirè ſordibus fœdaſſent, unusq; illorum ſagittam in dextrum ſtatuæ S. Theodori humerum jaculatus eſſet, ſtatim ſanguis effluens usq; ad extremam imaginis partem defluxerit, viginti Saracenis, qui præſentes erant, inſpicientibus, qui omnes intra paucos dies morbo deleti fuerunt, nullis aliis morientibus.* Hanc imaginem vulneratam, & ſanguinis veſtigium habentem, honorificè adſervatam ſe vidiſſe idem teſtatur.

Similiter de quodam Iconomacho teſtatur *Paulus Diaconus* lib. 21. rerum Roman. quod ſtatuam aliquam B. Virginis lapidibus injectis confregerit, cui in ſomno B. Virgo apparens terribiliter dixerit: *In caput tuum hoc feciſti*, qui paulò poſt gravi lapide percuſſus, ita ut ſtatim contractus, & comminutus fuerit, &c.

Plurima alia miracula *in Synodo* 7. & apud S. *Damaſcenum, Evagrium* lib. 4. hiſtor. cap. 26. referuntur, ut interim ſileam ea, quæ noſtris temporibus facta ſunt, quorum aliqua retuli lib. de Eccleſia in ſigno Eccleſiæ quoad miracula, licèt ab Acatholicis vel negentur, vel rideantur, prout etiam Judæi Chriſti miracula ridebant, & calumniabantur.

Ex his ſic arguitur: Deus non facit miracula in approbationem alicujus falſi, atqui hæc miracula, quatenus beneficia fuerunt, ſolum illis contigerunt, qui imagines honorarunt, econtra verò miraculoſæ punitiones acciderunt iis, qui illas ludibrio affecerunt, ac proinde Deus per hæc oſtendere voluit hanc imaginum venerationem ſibi gratam eſſe.

Demum probatur honor imaginum SS. ex ratione naturali, quia imagines regum, & amicorum honorantur propter prothotypa, & econtra, ſi illis ignominia inferatur, ipſis principibus illata reputatur, prout *Theodoſius* aliàs pius *Imperator* propter ignominiam ab II.

Antiochenis statuæ uxoris suæ illatam, tot millia trucidari, licèt malè, jusserit, ut refert *Chrysost.* Orat. 2. & 3. ad populum Antiochen. & constat ex *S. Ambrosio* Orat. de morte Theodosii, & experientia testatur quantâ se ignominia, & injuria principes, & magnates affici sentiant, & quàm graviter vindicent, si illorum imagines, vel insignia ludibrio affecta, & contemptui habita sint. Cur ergo imagini Christi, & Sanctorum honor exhibendus non erit propter ipsos? & si ludibrio afficiantur, non tam imagines, quàm Christus ipse, & Sancti ignominia affecti censendi sunt.

Demum Idola, & statuæ falsorum Deorum meritò conteruntur, & abominabiles sunt; non propter aurum, argentum, aut materiam, sed propter respectum, quem habent in repræsentando dæmones, vel falsos Deos: è contrario igitur imagines Christi, & Sanctorum venerandæ sunt.

III. Hic dicendum restaret, qualis honor, vel cultus imaginibus Christi, & Sanctorum exhibendus sit, sed id partim ex prædictis de cultu reliquiarum constat, partim infrà de veneratione S. Crucis patebit. Argumenta Acatholicorum contra cultum SS. Imaginum infrà cap. ult. referentur, & refutabuntur.

ANTITHESES

In quibus ex S. scriptura & SS. Patribus Catholica veritas & Acatholicorum falsitas circa Imaginum Sanctorum cultum proponitur.

1. **S**acra *Scriptura tradit* Deum sæpius in forma visibili, etiam humana, apparuisse Patriarchis, & Prophetis, & juxta hanc sancti Patres primorum 4. seculorum tradunt, quod Deus in talibus formis depingi possit, non quasi Deus esset talis figuræ, & effigiei, sed ut per hujusmodi figuras tanquam symbola metaphorica hominum memoriæ repræsentaretur; & *hoc ecclesia Catholica, ut licitum, permittit.*

Acatholici cum Calvino lib. 1. cap. 11. §. 11. Ecclesiæ Catholicæ falsissimè imponunt, quod Catholici talia signa, vel figuras ad libitum forment, quasi esset effigies divinitatis, & Deus talis esset figuræ.

2. *SS. Patres* figuras Dei præfatas honorarunt, ut signa Deum repræsentantia, non vero ipsa signa, ut Deos coluerunt; *ita Ecclesia Catholica.*

Acatholici cum Calvino Catholicis imponunt falsissimè, quod talibus signis cultum soli Deo debitum exhibeant.

3. *SS. Patres docent*, quod juxta modum in S. scriptura expressum Cherubim, & alii Angeli sculpi possint, & depingi, ac in templis illorum imagines servari, non quod sint veræ illorum effigies, sed tantùm signa metaphorica; *ita Ecclesia Catholica.*

Acatholici hæc idololatriæ damnant.

4. *SS. Patres ex S. Scriptura docent*, quod loca, in quibus Deus, vel Angeli apparuerunt, ipsa arca fœderis, & alia signa Dei, vel Angelorum à SS. Patriarchis, & Prophetis singulariter honorata sint, & honoranda; *ita Ecclesia Catholica.*

Acatholici hæc superstitionis condemnant, & idololatriæ.

5. *SS. Patres ex S. scriptura docent*, quod serpens æneus à Moyse in deserto exaltatus, fuerit typus Christi crucifixi, illumque esse honoratum; *ita docet Ecclesia Catholica.*

Acatholici id prorsus reprobant.

6. *SS. Patres tradunt*, quod Christus Abagaro Regi Edessæ effigiem suam transmiserit, quæ semper in honore apud Christianos fuerit, similiter quod statua Christi ænea à muliere Hæmorroissa, per Christum sanata, erecta, & postea in templo Christianorum honorificè servata fuerit.

Acatholici hæc rident, & condemnant.

7. *Sancti patres tradunt*, quod in primitiva Ecclesia à temporibus Apostolorum imagines Christi, & Sanctorum in locis sacris, ac templis servatæ etiam in calicibus, & annulis exsculptæ, & honoratæ fuerint; *ita etiam ecclesia Catholica.*

Acatholici cum Calvino asserere student, quod primis quingentis annis templa Christianorum imaginibus vacua fuerint.

8. *Sancti Patres dicunt* Christianos ab initio Ecclesiæ imagines Christi, & Sanctorum coluisse, non ut Deos, seu quod ab ipsis aliquid peterent, sed ut per eos memoria Christi, & Sanctorum renovaretur, illisque solum propter prototypa honor congruus exhiberetur, & ut sint quasi libri Idiotarum, qui legere non pôtunt; *ita docet & credit ecclesia Catholica.*

Acatholici cum Calvino falsissimè imponunt Catholicis, quod imaginibus Christi, & Sanctorum latriæ cultum impendant, & rident ea, quæ SS. Patres, etiam antiquissimi, de libris Idiotarum dixerunt.

9. *Catholici* pro usu, & cultu SS. Imaginum adducunt SS. Patrum celeberrimorum clarissima testimonia, quibus clarissimè, & distinctissimè illum in antiqua Ecclesia fuisse testantur, ut suprà copiosè ostensum est.

Acatholici contra tam manifesta SS. Patrum testimonia negant in antiqua Ecclesia Imaginum cultum fuisse, idque solum uno S. Epiphanii sassicto, & altero Lactantii, Arnobii, & Minutii malè, & falsè intellecto testimonio probare nituntur, ut infrà patebit imo, ne quidem usum SS. imaginum, illarumque venerationem in Ecclesia antiqua notum fuisse impudentissimè asserere non verentur.

***

CA-

CAPUT VIII.

De veneratione seu cultu S. Crucis ac illius signi.

QUamvis hæc ex præmissis facilè possint demonstrari, utpote de ipsa S. Cruce, tanquam de sacris Reliquiis, & de signo Crucis, tanquam ipsius Crucis & Christi Domini imagine, vel signo; quia tamen Acatholici specialiter contra Crucis cultum debachantur, veritas Catholica in speciali probanda erit.

ARTICULUS I.

Quid Acatholici de cultu S. Crucis, vel ejus signo sentiant?

I. SPecialis Crucis inimicus fuit Iulianus Apostata, quem Cyrillus Alexand. lib. 6. contra Julian. refert sic contra Christianos scripsisse: *O miseri hominis arma, quæ magnus misit Iupiter cessatis adorare, & colere, & interim Crucis lignum, adoratis, imagines illius in fronte, & ante domos pingitis*, &c. hæc ille.

II. *Mahometani* Crucem abominantur, & Christianos eam adorantes appellant Idololatras. Ita Cedrenus cum Heraclio, &c.

III. Inter Christianos hæresin contra cultum Crucis excitavit quidam *Claudius Turonensis* Anno 800. ut testatur Jonas Aurelianensis lib. 1. de cultu Imaginum.

Hanc hæresim Anno 1150. quidam Petrus Bruis, cujus sectatores *Petrobrusiani* dicti sunt, resuscitavit, ut refert Petrus Cluniacens. Epist. 1. ad Episcopos.

Hos secuti sunt *VVicleffista*, ut refert Thomas Waldensis tomo 3. tit. 20. *Calvin.* lib. 1. Inst. cap. 11. §. 7. sic ait: *Quorsum attinebat tot passim cruces in templis erigi ligneas, argenteas, lapideas, & aureas, si probè illud, & fideliter inculcaretur Christum esse mortuum, ut in cruce maledictionem nostram sustineret*, &c. ubi implicitè honorem Cruci exhibendum negat.

Beza verò in colloquio Mompilgardensi pag. 344. refertur sic loquens: *Fateor me ex animo Crucifixi imaginem detestari, quæ est imago crudelitatis Iudæorum in Christum, ideo eam non possum ferre*, hæc ibi. Sed quàm fraudulentus est ille prætextus: hoc enim modo Judæi potiùs crucem honorarent, quòd per illam Christo ignominia illata sit. Vide Hieron. Epist. ad Marcellam cap. 5. qualiter hoc refutet.

Ioannes Brentius in Catechismo circa symbolum Apostolorum sic audet effutire: *Alii se solent cruce digitis formata signare, ut hoc signaculo tuti sint à diabolo; & tam à se, quàm ab hisce creaturis diabolum abarceant, & incantamenta dissolvant: hæc non est pietas, sed magia; & si diabolus hoc facto signo fugerit, fingit se talem crucem metuere, ut homines hac simulatione seducat, & magicam impietatem confirmet*, &c. hæc ille, quid magis impium Judæus dicere posset?

Hos imitantur prætensi Reformati, qui passim cruces abominantur, evertunt, & confringunt, & si pretiosæ sint, in sua turpia lucra convertunt.

Lutherus lib. de formula Missæ sic ait: *Festa S. Crucis anathema sunto*: similia dicit in Postilla in die Exaltationis S. Crucis, ut suprà relatum est *de Reliquiis Sanctorum*. Et idem Lutherani quoad cultum S. Crucis vel imaginum sentiunt; licèt concedant S. Crucis signum, vel Imagines Sanctorum, etiam in templo licitè reservari posse, ut in colloquio Mompilgardensi ex S. Scriptura probant.

ARTICULUS II.

Declaratur doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa venerationem sanctæ Crucis.

SCiendum imprimis, quòd triplex possit esse de S. Cruce consideratio: 1. ut ipsa S. crux in qua Christus Salvator pependit spectetur. I.

2. Ut imago S. crucis attendatur, quæ scilicet ex ligno, lapide, vel alia materia ad imitationem S. crucis formatur. 3. ut sumatur pro signo crucis per manus formato per aërem in fronte, & alibi.

Sciendum secundò, quòd ipsa S. crux dupliciter considerari possit, semel quatenus attigit Christum, & ejus S. sanguine perfusa est, & hoc modo inter Reliquias sacras præcipuè reputatur, sicut & tunica, clavei, & lancea, &c. Secundò, quatenus est imago Christi Domini crucifixi, seu prout repræsentat Christum Dominum per modum crucis in ipsa extensum, & sic dicitur imago Christi.

Sciendum tertiò, quòd crux vera iterum dupliciter spectetur: 1. quatenus in opprobrium Christi à Judæis præparata fuit, juxta illud Sapientiæ 2. v. 12. *Circumveniamus ergo justum*, &c. & v. 20. *Morte turpissima condemnemus eum*, &c. Et hoc modo crux non est honoranda, scilicet, juxta intentionem Judæorum, secundùm illud Apostoli 1. Cor. 1. v. 18. *Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est, iis autem, qui salvi fiunt, Dei virtus*, & infrà v. 23. *Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis, Christi Dei virtutem, & sapientiam*, &c.

Secundo igitur modo consideratur crux, quatenus ex Dei electione, & intentione fuit instrumentum liberationis humanæ, per quod Christus nos liberaret, & in quo de hostibus diabolo, & peccatis triumpharet, juxta illud Salvatoris Joann. 19. v. 10. ubi Pilato dicenti: *Nescis, quia potestatem habeo crucifigere te*, &c. respondit: *Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi datum esset desuper*, &c. & Joann. 18 v. 11. *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum*, &c. & ipse Salvator elegit crucem, juxta illud Isa. 53. v. 7. *Oblatus est, quia ipse voluit*, & ad Coloss. 1. v. 19. *In ipso complacuit*, &c. *& per eum reconciliare omnia in ipsum pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt*, & cap.

Digitized by Google

& cap. 2. v. 14. *Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & illud tulit de medio, affigens illud cruci. exſpolians principatus, & poteſtates, palàm triumphans illos in ſemetipſo*, &c.

Tertiò; Et quia Chriſtus verus Sacerdos ſemetipſum obtulit in cruce; ipſa crux verum, & ſanctiſſimum eſt altare, in quo unica illa ſanctiſſima Hoſtia pro ſalute mundi oblata eſt. His accedit, quod crux Domini tetigit corpus Domini, & ejus pretioſo ſanguine perfuſa fuit.

Ob has ergo & alias cauſas crux ſanctiſſima eſt, & illam ac etiam minimas ejusdem particulas Eccleſia Dei honorat, & veneratur, & in illa tanquam inſtrumento liberationis, & altari reconciliationis gloriatur cum Apoſtolo ad Galat. 6. v. 14. *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

II. Quia igitur crux ipſa Domini ſancta eſt, & venerabilis, etiam imago crucis ſancta eſt, quia, licèt crucem ipſam repræſentet, tamen primariò ipſum Chriſtum in cruce extenſum repræſentat; & ea de cauſa ſignum crucis manu, vel digito in aëre formatum venerabile eſt.

His præmiſſis de Fide certum eſt, quòd non ſolùm ipſa S. crux, & ejusdem particulæ ſint ſanctæ, & venerabiles, tanquam Reliquiæ Chriſti Salvatoris, ſed etiam imago crucis, vel ſignum illius, idque in Concil. Trid. ſeſſ. 25. ſub termino generali Reliquiarum, & imaginum Chriſti definitum eſt; in ſpeciali verò de imagine, & ſigno crucis expreſsè definitum eſt in Synodo 6. generali can. 73. & Synodo 7. art. 7. & in Synodo 8. can. 3. idque ex cauſis ſuprà ex S. Scriptura allatis.

III. Sciendum denique, quòd non ſolùm ob dictas cauſas crucis imago, vel ſignum ſit venerabile, ſed illis ad varios fines bonos, & pios S. Eccleſia uſa fuerit, ut infrà ex ſanctis Patribus patebit; ſpecialiter verò ad memoriam Paſſionis Domini renovandam, prout S. Damaſcenus lib. 4. orthodoxæ Fidei cap. 17. edit. Pariſ. 1577. optimè exprimit dicens: *Quia non omnibus hoc contigit, ut literas norint, ac lectioni operam impendant, idcirco Patribus viſum eſt, ut refricandæ quamprimum memoriæ cauſa hæc tanquam præclara quædam trophæa in imaginibus pingerentur. ſiquidem perſæpe uſu venit, ut Domini Paſſionem animo minimè verſantes. conſpecta Chriſti crucifixi imagine in ſalutiferæ Paſſionis memoriam redeamus, ac proſtrati non materiam, ſed eum, cujus imago effingitur, adoremus*, &c. hæc ille.

IV. Unde refutatur calumnia fraudulenta Calvini, qui dicit: non opus eſſe crucibus, cùm per verbum concionatoris poſſit mors Chriſti, & paſſio in memoriam reduci, &c. hoc quidem verum eſt, quòd ſic mors Chriſti annuncietur, ſed ideo non ſunt excludenda alia pia media, per quæ eadem memoria refricatur, præſertim, cùm conciones raræ ſint. Quamvis autem ex prædictis cauſis, ex S. Scriptura deſumptis, facilè pateat, crucem, ejusque ſignum eſſe ſanctum, & venerabile, tamen ulteriùs demonſtrabitur.

***

ARTICULUS III.

Veritas Catholica quòd crux ipſa Chriſti veneranda ſit probatur primò ex inventione S. Crucis, & veneratione illius.

PRimò conſtat ex ſanctis Patribus, & aliis hiſtoriis, quòd crux Domini ſit miraculosè inventa eo tempore, quandò perſecutio infidelium ceſſabat, ſcilicet tempore Conſtantini Magni; unde patet, quòd Deus ordinarit, ut Judæi, licèt cruci infenſiſſimi, cùm gentilibus crucem Domini non combuſſerint, ſed ſub terra altiſſimè defoderint, & gentiles ſtatuas falſorum Deorum ſuper-impoſuerint, ſic memoriam illius tollere cupientes. Hiſtoria autem inventionis S. crucis paſſim à ſanctis Patribus traditur. I.

Euſebius Cæſar. in Chron. quod D. Hieron. in Latinum tranſtulit ſic ſcribit: *Anno Domini 325. Imperii Conſtantini XVI. Helena Conſtantini mater divinis monita viſionibus beatiſſimum crucis lignum, in quo mundi Salus pependit, apud Hieroſolymam reperit*, &c. II.

Cyrillus Hieroſol. Epiſt. ad Conſtant. Auguſtum de ſigno crucis in cælo apparente edit. Colon. 1564. ſic ſcribit: *Tempore Deo dilectiſsimi, & beatæ memoriæ Conſtantini Patris tui ſalutare crucis lignum Hieroſolymis repertum eſt, divinâ gratiâ concedente ei, qui rectè quærebat pietatem, etiam abſtruſam locorum ſanctorum inventionem*, &c. III.

Socrates lib. 1. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 13. edit. Baſil. 1587. *Helena Imperatoris mater in ſomniis divinitus admonita, Hieroſolymam iter capit*, &c. *Deo illi opem ferente*, &c. *tres cruces in monumento offendit.* Ubi recenſet, qualiter crux Domini ab aliis duabus diſtincta, & cognita fuerit per Macarium Epiſcopum, qui duas primas mulieri dudum infirmæ, & deſperatæ imponi curavit, illâ infirmâ manente, cùm tertia applicata eſſet, ſtatim ſanata fuerit, &c. ubi ſic concludit: *Ad hunc modum lignum crucis Chriſti inventum eſt*, &c. hæc ille. IV.

Simili modo inventionem S. crucis contigiſſe recenſent *Sozomenus* lib. 2 Eccleſ Hiſtor. cap. 18. idemque graviſſimè teſtatur *Iuſtinianus Imperator* in authentica de Moderatore Helenop cap. 1. dicens; *Helena Conſtantini Magni mater, pientiſſima mulier, nobis ſacrum Chriſtianorum ſignum invenit.* V.

Ambroſius orat. funebri in obitu Theodoſii Imperat. edit. Baſil. 1596. dicit: *Cujus* (Conſtantini) *temporibus completum eſt illud propheticum* Zach. 14. *In illo die erit, quod ſuper frenum equi eſt, ſanctum Domino omnipotenti*, &c. *quod illa S. memoriæ Helena mater ejus infuſo ſibi Spiritu Sancto revelavit*, &c. *magna fœmina, quæ multo amplius invenit, quod Imperatori conferret, quàm quod ab Imperatore acciperet*, &c. & infrà: *Infudit ei Spiritus, ut lignum crucis requireret*, &c. & infrà: *Aperit humum, decutit pulverem, tria patibula confuſa reperit, quæ ruina contexerat, inimicus abſconderat, ſed non potuit obliterari Chriſti triumphus*, &c. hæc ille. VI.

Demum ipſe *Conſtantinus* Magnus hujus inventæ crucis honorificè meminit in Epiſt. ad *Macarium*, quæ habetur apud *Euſebium* lib. 3. de vita Conſtantini cap. 29. edit. Baſil. 1587. ubi ſic ſcribit: *Tanta ſervatoris noſtri erga nos benignitas*

Digitized by Google

tas declarata est, &c. *Nam ut insigne illud sanctissimæ illius Passionis monumentum, quod terra visceribus abditum, tot tamque multis annorum conversionibus jam delituisset, tum illucesceret servis Dei, cùm illi hoste devicto in libertatem essent vindicati, omnem profectò hominum admirationem longe superat*, hæc ille, qui ibid. refert Fidem novis miraculis esse declaratam.

VII. Ex his sic arguitur: quòd Deus tantâ providentiâ sub manibus hostium conservavit, & tam miraculosè revelavit, id utique honorari voluit, id autem factum est circa S. crucem.

VIII. Secundò probatur ex usu antiquæ Ecclesiæ circa venerationem particularum S. crucis sic *Cyrillus Ierosolymit.* catech. 4. edit. Colon. 1564. dicit: *Beatus hic mons Golgotha, in quo nunc propter eum, qui crucifixus est in illo, applaudimus, & ligno crucis universus terrarum orbis per partes repletus est*, &c. & Catechel. 10. *Lignum crucis testatur ad hodiernum diem apud nos apparens, & apud eos, qui secundùm Fidem ex illo capientes hunc universum ferè orbem jam repleuerunt*, hæc ille.

IX. *Chrysostomus* hom. quòd Christus sit Deus, *Tanta*, ait, *veneratione lignum illud habetur, ut, qui parum ex illo habere possunt, auro includant, & ceruicibus imponant*, &c.

Idem in *pretiosæ vitalisque crucis* venerationem sic ait: *Hodiernâ die Christi Ecclesia alter paradisus esse monstratur, quæ & sanctum pretiosæ crucis lignum proponit, & Passionis Christi præsidium* (NB) *crucem facit*, &c.

X. *Ambrosius* orat. in Theodos. edit. Paris. 1569. ait: *Sapienter Helena egit, quæ crucem* (particulam videlicet crucis, nimirum clavum unum) *in capite regum levauit*, &c. *ut crux Christi in regibus adoretur, non insolentia ista, sed pietas est, cùm defertur sacræ redemptioni*, & paulò post: *Ecce & clavus in honore est*, &c. *ferro pedum ejus Reges inclinantur*, &c.

XI. *Socrates* lib. 1. cap. 13. edit. Basil. 1587. sic scribit: *Helena*, &c. *unam crucis partem in theca argentea occlusam pro monimento iis, qui illius spectandi cupiditate ducerentur, ibi reliquit, alteram mittit Imperatori, quam ubi is receperat ratus ciuitatem, in qua illa servaretur, omnino saluam & incolumem fore*, &c.

XII. *Hieronymus* epist. 17. sub nomine Eustachii & Paulæ cap. 8. edit. Basil. 1553. *Ergone*, ait, *erit illa dies, quando nobis liceat speluncam Salvatoris intrare? in sepulchro Domini flere cum sorore, flere cum matre, crucis deinde lambere lignum?* &c.

XIII. *Ruffinus* lib. 1. Histor. Eccles. cap. 8. edit. Paris. 1580. (Helena) *clavos, quibus Corpus Dominicum fuerat affixum, portat ad filium*, & infrà: *Ligni vero ipsius salutaris partem detulit filio, partem vero thecis argenteis conditam dereliquit in loco, quæ etiam* (NB) *nunc ad memoriam sollicita veneratione servatur.*

XIV. *Paulinus Nolanus* Epist. 11. Biblioth. PP. edit. Colon. 1618. tomo 5. parte 1. pag. 167. ad Severum sic scribit: *Invenimus, quod dignè, & ad Basilicæ sanctificationem vobis, & ad Sanctorum cinerum cumulandam benedictionem mitteremus partem particulæ* (NB) *de ligno diuinæ crucis.* Et infrà: *Inventa, & probata crux Christi est, dignoque mox ambitu consecratur, condita in passionis loco Basilica, quæ auratis corrusca laquearibus, & aureis dives altaribus arcano positam sacrario crucem servat, quam Episcopus urbis ejus quotannis, cùm Pascha Domini agitur, adorandam populo Princeps ipse venerantium promit*, &c. hæc ille: quid clarius?

Augustinus in ps. 36. edit. Basil. 1528. de cruce dicit: *Qui tantum honorem dedit pœnis suis, quid servat fidelibus suis?* XV.

Cæterùm, quanto in honore D. Augustinus ipsam crucem habuerit colligitur ex eo, quod suprà ex illo relatum est lib. 22. civit. cap. 8. ubi refert, quòd particulam terræ sanctæ ex sepulchro Domini allatam summè cum altero Episcopo honorarit; quid ni circa ipsam S. crucem, fecisset? qui etiam signum S. crucis maximè extollit, ut infrà patebit.

S. *Damascenus* lib. 4. orthodoxæ Fidei cap. 12. sic ait: *Hoc ingentis pretii lignum, ac venerandum, in quo Christus se ipsum sacrificii causa pro nobis obtulit, ut ex sancto Corporis & Sanguinis contactu sanctificatum, optimo jure adorari debet*, &c. XVI.

Probatur etiam ex miraculosa S. crucis è manu Persarum recuperatione per Heraclium Imperatorem: ex illo miraculo, quod circa Heraclium accidit, dum S. crucem purpurâ, & gemmis ornatus extra portam efferre non poterat, donec illis depositis, & plebæo habitu indutus facilè eam in montem Calvariæ detulit, ut referunt *Zonora* & *Cedrenus* in vita Heraclii. *Suidas* in historia de Heraclio. *Theophanes* in historia miscell. Græci scriptores. XVII.

Demum probatur ex usu antiquæ Ecclesiæ, quæ festum *Inventionis, & Exaltationis S. Crucis* solemniter celebravit ut constat ex Andrea Cretensi, qui vixit Anno 570. orat. de pretiosa crucis Exaltatione cap. 11. ubi sic ait: *Crucis exaltatio, quæ est magna, & supermundana, & ejus inventio non temere celebratur in Dei Ecclesiis, quæ sunt in universa terra*, &c. hæc ille, ex quo patet, quòd longè antea festum in usu fuerit, etiam à Græcis celebratum, nam & S. Chrysostomus duas orationes de S. cruce scripsit, ut suprà ex ipso relatum est. XVIII.

Ex his evidens est, quòd veneratio S. crucis & Deo grata fuerit, & ab antiqua Ecclesia usurpata.

ARTICULUS IV.

Quòd imago crucis Christi vel signum illius sit venerandum probatur ex sacra Scriptura.

SCiendum, quòd fideles ab initio Ecclesiæ, dum ipsa crux Christi latebat, usi sint imagine crucis, sive in stabili materia, ut ligno, lapide, sive in signo manu formato in aëre, pluribus de causis: 1. ut repræsentaret Christum crucifixum, 2. in signum Fidei Christianæ professionis, & ideo cruces erigebantur, vel in processionibus præferebantur, vel in frontibus figurabantur, & fideles se in cruce Christi gloriari profitebantur. 3. signabant se signo crucis contra diabolum. 4. pro obtinenda à Deo benedictione in operibus suis per merita Christi. 5. etiam in benedictionibus sacris eadem de causa usus signi crucis erat, quæ omnia patebunt. Ex quibus omnibus & singulis facilè constat, quòd imago, vel signum crucis sit venerabile. I.

1. Signum S. crucis venerabile esse probatur ex illo Ezech. 9. v. 4. ubi Dominus dicit ad eum: *Transi per mediam ciuitatem in medio Ierusalem, & signa Thau super frontes virorum gementium, & do-*

Digitized by Google

& dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus, & v. 6. *Omnem autem, super quem videritis Thau, ne occidatis*, quod signum Thau præfigurâsse signum crucis in frontibus fidelium tradit *Tertullianus* lib. 3. adversus Marcionem cap. 22. infrà allegandus *Hieronymus* in cap. 9. Ezechielis.

Cyprianus lib. adversus Demet. edit. Basil. 1552 sic ait: *Et ut ad nostra veniamus, antiquis Hebræorum literis, quibus usque hodie utuntur Samaritani, extrema Thau litera Crucis habet similitudinem, quæ in Christianorum frontibus pingitur, frequenti manûs inscriptione signatur.* hæc ille: quid clariùs pro usu signi crucis in antiqua Ecclesia?

2. Apoc. 7. v. 3. dicit Angelus: *Nolite nocere terræ, & mari, neq; arboribus quousq; signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.*

3. Apoc. 14 v 1. *& vidi*, &c *habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus, scriptum in frontibus suis*, &c. quæ loca SS. Patres de signo crucis exponunt.

4. Quòd Jacob cancellatis in crucis modum manibus filiis Joseph benedixerit Gen. 48. v. 14.

5. Similiter Exodi 17. v. 12 dicitur de Moyse orante: *Cùmque levaret Moyses manus, Israël vincebat, sin autem paululum remisisset, superabat Amalec*, &c. ubi etiam signum crucis præfiguratum est, prout asserunt *Iustinus Martyr* infrà allegandus. Item *Gregorius Nazianz.* orat. 6. & in carmine ad Nemetium. *Augustinus* in orat. de 5. Hæresibus cap. 2. *Cyprian.* lib. 2. adversus Judæos cap. 21. infrà allegandi.

Demum Matth. 24. v. 30. ipse Salvator ait de die Judicii: *Tunc parebit signum filii hominis*, &c. quod sancti Patres de ipsa cruce, vel signo crucis Christi explicant, ut *Origenes*, *Chrysostomus* hom. 55. in Matth. etiam infrà allegandus. *Augustinus* serm. 130. de tempore, & *Hieronymus* quidem in illum locum Matth. signum hîc crucis esse intelligendum probat dicens: *Vt videant* (juxta Zachariam & Joannem) Judæi, *quem compunxerunt*, &c. ut Zach. 12. v. 10. prædixit & Joann. 17. v. 37 dicit: *Videbunt in quem transfixerunt. Cyrillus Hierosolymit.* catechet. 15. & Epistolâ ad Constantium Augustum de signo crucis Jerosolymis apparente plura enarrans tandem concludit dicens: *Illud à Prophetis prædictum, etiam in Euangelio secundum Matthæum Saluator*, &c. *prædixit: & tunc inquit apparebit signum filii hominis in cælo*, &c. Ex quo evidenter constat, quàm gloriosum Christus voluerit esse hoc signum, ut illud vocet suum proprium signum, & insigne, prout Reges sua insignia ostendunt, & quòd tunc cum tanto splendore electis in solatium, & reprobis in confusionem coruscans apparebit: ex quibus manifestè sequitur, quòd signum crucis sit honorabile, & venerandum: quòd verò illo Ecclesia ab initio venerabiliter usa sit ex sanctis Patribus demonstrabitur.

ARTICULUS V.

Veritas Catholica probatur ex Liturgiis & Patribus Græcis.

I. PRobatur primò ex Liturgiis Ecclesiarum tam Occidentis, quàm Orientis; de quibus libro de sacrificio Missæ dictum est. Sic in *Liturgia S. Petri* præscribitur, ut sacerdos ter signo crucis super oblata signet.

II. Similiter dicitur in *Liturgia S. Iacobi*: in *Liturgia S. Marci* sic dicitur: *Sacerdos cruce signans patenas & calices, clarâ voce dicit*: &c.

III. *Liturgia D. Basilii* sic dicit: *Tunc Pontifex se convertit ad populum, & facit tres cruces super eum.*

IV. In *Liturgia Æthyopum* ita habetur: *In nomine † Patris, & † Filii, & † Spiritûs Sancti, Domine Deus*, &c.

V. *Ignatius Martyr* Epist. ad Philipp. Bibl. PP. edit. Colon. 1618 tomo 1. pag. 83. *Princeps*, ait, *hujus mundi gaudet, cùm quis crucem negarit*, &c. *id enim trophæum* (NB) *est contra ipsius potentiam quod ubi viderit horret, & audiens timet, & antequam fabricaretur crux, studebat ut fabricaretur*, &c. *cum autem paranda esset crux tumultuabatur, & pœnitentiam immisit proditori*, &c. quibus B. Martyr breviter indicat, quòd crux juxta intentionem diaboli, & Judæorum erat in ignominiam Christi, sed juxta Dei decretum in Christi gloriam, & electorum salutem, & in diaboli confusionem sempiternam.

VI. *Dionysius Areopag.* lib. Hierarch. Eccl. cap. 2. bibl. PP. edit. Colon. 1618. tomo 1. pag. 123. *Ipse*, ait, *cum inungendi ac perfundendi ter exprimendo signo principium facit*: & cap. 5. parte 2. pag. 132. *Vtrisque autem eorum signum crucis à consecrante Pontifice imprimitur.* Et parte 3. *Signum figurâ crucis impressum significat omnium corporis simul cupiditatum cessationem, diuinaque vitæ imitationem*, hæc ille.

VII. *Iustinus* in Dialogo cum Tryphone edit. Hieron. Commel. *Cùm populus*, inquit, *bellum gereret aduersus Amalec, & Naue Filius Iesu nomine cognominatus inter primos pugnaret, Moyses ipse Deum orabat manibus utrimque expansis; Hur autem & Aaron eas die tota sustinebant, ne ipso defatigato demitterentur, nam si quicquam remittebatur de signo isto* (NB) *crucem imitante, prout in Moysis literis est scriptum, populus vincebatur, sin in statu isto permanebat Amalec superabatur, & qui fortis erat, per crucem fortis rem præclarè gerebat, non enim propterea, quod Moyses ita orabat, populus in prælio superior erat, sed* (NB) *quod nomine Iesu in prima acie versante, ipse crucis signum designabat*, &c. hæc ille, quid gloriosius pro crucis signo?

Idem lib. ad orthodoxos ad quæst. 118. eâd. edit. cur Christiani ad Orientem orarent? Respondit: *Eam ob rem precationis tempore vultu ad Orientem omnes convertimur, perinde atq; dextrâ manu in nomine Christi eos consignamus, qui sigillo tali indigent*

Similiter Apol. 2. eâd. edit. sic ait: *Quin & signa vestra figura hujus* (scilicet crucis) *vim præferunt, & declarant*, &c. quid ad hæc dicent DD. Anonymi qui in Justino, licèt falsò, gloriantur?

VIII. *Hypolitus* Anno 220. lib. de consummat. mundi Bibl. PP. edit. Colon. 1618. tomo 3. pag. 15. dicit: *Orabunt* (Antichristum) *quibus dabit characterem in dextra manu, & fronte, ne quis dextra sua pretiosam illam crucem pingat in fronte*, &c. & infrà pag. 17. *Tunc respondebit illis* (impiis) *signo crucis mea notati estis, sed hoc animi duritia delevistis*, &c. X.

Origenes hom. 6. in Exod. cap. 15. edit. Basil. 1557. sic ait: *Quid timent dæmones? quid tremunt? sine dubio crucem Christi, in qua triumphati sunt*, &c. *principatus eorum, & potestates: Timor ergo, & tremor cadent super eos, cùm signum in nobis viderint crucis fideliter fixum*

Idem hom. 2. in ps. 38. eâd. edit. hortatur fideles dicens *Vt ergo non exprobremur ab impietate,* (diabolo) *convertamus nos ab iniquitatibus nostris,*

Digitized by Google

ne deprehendens in nobis, &c. *voluntatis ſuæ inſignia exprobret, & dicas: Ecce hic Chriſtianus dicebatur, & ſigno Chriſti ſignabatur in fronte; meas autem voluntates, & mea chyrographa gerebat in corde*, &c. hæc ibi.

Iterum hom. 8. in diverſa Evangelii loca, eâd. edit. ſic ait: *Illius* (filii Dei) *humilitas, noſtra ſublimitas eſt, illius crux, noſtra victoria eſt, illius patibulum, noſter triumphus, gaudentes levemus hoc ſignum in humeris noſtris, victoriarum vexilla portemus, immortale lavacrum portemus in frontibus noſtris & in Ezechiele Propheta cùm omnes*, &c. *Angelus occidiſſet*, &c. *illi tantummodo ſoſpites reſervabantur, quos T. littera, id eſt crucis pictura ſignaverat. Exultemus itaq; fratres chariſſimi, & ad crucis ſimilitudinem Sanctas in cœlum levemus manus, cum ſic nos dæmones armatos viderint opprimentur*, &c. hæc ille. Quid ad hæc Acatholici?

X. *Euſebius Cæſar.* lib. 1. in vita Conſtant. c. 22. edit. Baſil. 1587. ita ſcribit: *Imperatori Conſtantino*, &c. *precanti*, &c. *viſio quædam divina, & imprimis admirabilis apparuit, quam ſi quis fortè alius dixiſſet, non tam facile hominibus potuiſſet perſuadere, verum cum Imperator ipſe victor nobis ipſis*, &c. *longo tempore poſt*, &c. *narraret, & ſermonem jure jurando confirmaret, cui dubium eſſe poterit, quin*, &c. *fides ſit adhibenda, cum jam ſol ad medium cœlum aſcendiſſet*, &c. *ſe crucis ſignum ex lucis ſplendore figuratum in ipſo cælo ſoli imminens manifeſto oculis aſpexiſſe, inque in eo inſcriptionem conſignatam, quæ hæc verba complectebatur*: in hoc vinces. *Admiratio ingens ipſum & totum exercitum, qui*, &c. *hujus prodigii ſpectator factus erat, inceſſit*, & cap. 23. *atque cùm diu multumq; de eo cogitantem oppreſſit mox: ibi ei dormienti Chriſtum Dei cum ſigno in cælo monſtrato viſum eſſe, præcepiſſeque, ut exemplari ad imitationem illius ſigni, quod in cælo apparuerat fabricato, eo tanquam præſidio in præliis cum hoſtibus committendis uteretur*, &c. hæc ibi.

Ibid. cap. 24. *Ille* Imperator, ait, *ſimul atque dies illuxit*, &c. *deinde artificibus, qui aurum, & lapides pretioſos affabre ſculpere norant, accerſitis, medio inter illos loco aſſidet: verbis ſigni deſcribit effigiem eam auro, & lapidibus pretioſis imitatione adumbrare mandat, quam quidem effigiem contigit, ut*, &c. *Imperator ipſe*, &c. *nobis oſtendere dignatus eſt*, & cap. 25. *erat autem tali figura fabricata: haſtile oblongum, erectumque auro undiq; obductum fuit, quod cornu habuit tranſverſum ad formam crucis conſtructum*, &c.

Idem lib. 3. c. 3. eâd. edit. *quin*, ait, *etiam in tabula depicta, quam in ſublimi ante Palatii veſtibula ſuſpenderat, ſe omnium oculis contemplandum propoſuit, ſalutareque paſſionis inſigne ſupra caput ipſius locatum in pictura exprimendum curavit*, &c. hæc Euſebius. Ecce qualiter Chriſto revelante, & monente ſignum crucis à Conſtantino honoratum fuerit.

XI. *S. Athanaſius* hæreticorum Malleus lib. de Incarnat. verbi edit. Pariſ. 1581. ſic ait: *Nunc vero cum apparuit Dei verbum, ſpectra hujuſmodi, & ludibria imaginum ceſſaverunt: ſolo enim crucis ſigno utens homo, dolos illorum* (dæmonum) *à ſe propellit*, &c. *veniat, qui iſtorum dictorum experimentum capere velit, & in ipſis præſtigiis dæmonum, & impoſturis vaticiniorum, & in miraculis Magiæ utatur ſigno crucis ab ipſis deriſo, nomenque Chriſti invocet, & videbit, quomodo ejus rei metu dæmones fugiant, vaticinia conquieſcant, Magia & veneficia irrita jaceant*, &c. quid ad hæc reſpondebunt noſtri Acatholici, qui conſignationem per ſignum crucis ſuperſtitionis arguunt, & dicere audent, dæmones ſolum fingere fugam, ut magis in errorem inducant?

Athanaſius in vita S. Antonii eâd. edit. ſimiliter ſcribit dicens: *Solent nocte venientes ſe Angelos Dei fingere, laudare ſtudium, mirari perſeverantiam, futura præmia polliceri, quos cum videritis, tam vos, quàm domos veſtras crucis armate ſignaculo, & confeſtim ſolventur in nihilum, quia metuunt illud Trophæum, in quo Salvator aëreas expolians poteſtates, eas fecit oſtentui*, &c. & infrà: *Crucifixum nominamus, & univerſi dæmones, quos vos ut Deos colitis, fugiunt, atque ex obſeſſis corporibus ad primum dominicæ crucis ſignum fugantur*, &c. dixit Antonius, *& invocato nomine Ieſu cum vitale ſignum in ſacro numero Trinitatis preſſiſſet in frontibus, una cum expulſis dæmonibus vana præſentium Philoſophorum confutata ſapientia eſt*, hæc ibi.

Idem *Athanaſius* lib. quæſt. ad Antiochum q. 15. eâd. edit. ubi quæritur: *Num igitur quia Chriſtus vectus eſt inſidens aſino, aſinos honorifice venerari debemus?* Reſponſio: *non per aſinum Chriſtus diabolum devicit, & dæmones, neq; in eo ſalutem operatus eſt, ſed in cruce; unde aſinum quidem ſi videant dæmones, non horrent, neque metuunt, videntes vero crucem terrentur, fugiunt, & evaneſcunt*, &c. hæc ille. Ecce reſponſum ad calumniam Acatholicorum.

Ibidem ad quæſt. 16. reſpondit: *Chriſtianos potius imaginem crucis colere, quam lanceam, vel alia paſſionis inſtrumenta, quia ſi gentiles nos accuſent, quod lignum colamus, poſſemus ſtatim duo ligna crucis ſeparare, & ſeparata conculcare, in hoc oſtendentes, quod non lignum, ſed imaginem typum crucifixi veneremur*, &c. ex quo patet, quod crucis imaginem venerati ſint.

Baſilius Magnus lib. de Spiritu S. cap. 27. edit. Antwerp. 1568. *Si conſuetudines*, ait, *quæ ſcripto prodita non ſunt, tanquam haud multum habentes momenti, conemur rejicere imprudentes, & ea damnabimus, quæ in Evangelio neceſſaria ad ſalutem habentur*, &c. *quod genus eſt (ut ejus quod primum eſt, & vulgatiſſimum primo loco commemorem) ut ſigno crucis eos, qui ſpem collocarunt in Chriſtum, ſignemus, quæ ſcripto docuit?* &c. *nonne à tacita ſecretaq; traditione* &c. *nonne ex doctrina, quam Patres noſtri in ſilentio, quod curioſos & otioſos ſubmovet ſervarunt?* &c. ecce uſum à tempore Apoſtolorum. XII.

Cyrillus Hieroſolimit. Catecheſi 4. edit. colon. 1564. *Non pudeat nos crucis Chriſti*, &c. & Catech. 13. *non pudeat nos crucifixum confiteri, ſed in fronte confidenter ſignaculum crucis digitis imprimatur, & in aliis omnibus crux fiat in panibus comedendis, & in poculis bibendis, in egreſſu, & ingreſſu*, &c. *magna hæc eſt cuſtodia*, &c. *cum à Deo ſit hæc gratia, ſignum fidelium, & timor dæmonum*, &c. quid ad hæc dicent Acatholici noſtri? XIII.

Gregorius Nazianz. orat. 3. in Julian. Apoſt. accuratè refert, qualiter Julianus à fide Chriſti ad idola deficiens dæmonum oracula conſultans, dum ſpectra horrida occurrerent: *Ipſe*, ait, *minacitate perculſus, ad crucem, vetuſq; remedium confugit, hocq; ſe adverſus terrores conſignat*, &c. *valuit ſignaculum, cedunt dæmones, pelluntur timores*, &c. XIV.

Idem in carmine ad Nemeſium edit. Baſil. 1550. pag. 489. hoc modo canit:

Sæpe ſolum dixi, longe vero abiit dæmon,

Stridens, dolensq; clamans robur omnipotentis
aut crucis magna ſigno non autem manente,
Aërem medium deſcripſi, forma autem ſtatuit Tro-
phaum
Quemadmodum prius Moyſis glorioſi in manibus
Volebam, ſuper aëriam ſpeculam eleuatus,
Tonitruoſum omnibus terreſtribus inuocare.

XV. *Epiphanius* hæreſi 30. contra Ebionitas, edit. Baſil. 1560. *Ioſephus*, ait, *comes ex Iudæo Chriſtianus factus*, &c. & infrà: *Accepto aqua vaſe coram omnibus magna voce crucis ſignaculum proprio ſuo digito vaſi impoſuit, & inuocato nomine Ieſu ſic dixit: in nomine Ieſu Nazaræi, quem crucifixerunt Patres mei, fiat virtus hac in aqua ad reprobationem omnis incantationis, ac Magiæ, &c. quo facto protinus diſſoluta ſunt incantamenta omnia*, &c. hæc ille. Quid ad hæc DD. Anonymi, qui in Epiphanio errorem ſuum fundatum volunt?

XVI. *Gregorius Nyſſen* de S. Gregorio Thaumaturgo edit. Baſil. 1571. ſic ait: *At ille ſignum crucis ante ſeſe objiciens, Chriſtiq; nomen inuocans, primum conclaue illæſus tranſiuit*, &c. ſimilia refert cap. 8. & de ſorore Maria c. 18.

XVII. *Theodoſius & Valentinianus Imperatores* l. unica, cùm ſit nobis, &c. lib. 1. codicis tit. 8. ita ſanxerunt: *Cùm ſit nobis cura diligens per omnia ſupremi numinis religionem tueri, ſignum Saluatoris Chriſti nemini licere, vel in ſolo, vel in ſilice, vel in marmoribus humi poſitis inſculpere, vel pingere*, &c. ecce reverentiam ſigno crucis ab Imperatoribus factam, ut ne humi ſculptum pedibus calcaretur.

XVIII. *Tiberius Imperator* cùm in ſuo palatio crucem in marmore humi inciſam vidiſſet, mox erigi juſſit dicens: *Cruce Domini frontem & pectus munire debemus, & nos jam pedibus terimus*. Ita Paulus Diaconus lib. 18. rerum Roman.

XIX. *Chryſoſtomus* demonſtrat. adverſus gentiles quod Chriſtus ſit Deus ſic ait: *Verumtamen hoc maledictum, hoc abominabile, hoc extremi ſupplicii ſymbolum, crux diadematibus, & coronis clarius facta eſt, neque enim ſic regia corona ornatur caput, ut cruce, quæ* (NB) *omni cultu dignior, & quam omnes prius horrebant, ejus figuram tantopere quærunt*, &c. quid ad hæc Beza, & noſtri Anonymi?

Item ibid. *Hanc ubique celebrari videre licet, in domibus, in foro, in ſolitudine, in viis, in montibus, in vallibus, in mari, in vaſis argenteis, in aureis, in margaritis, in corporibus, brutis male affectis, in corporibus à dæmoniis obſeſſis*, &c. *mira eſt hæc gratia, nullus confunditur, nullus erubeſcit, cogitans, quod maledicta mortis ſymbolum fuerit*, &c. hæc ibi.

Item Hom. 55. in Matth. edit. Baſil. 1558 *Sed veluti*, ait, *coronam, ſi læto animo Chriſti crucem circumferamus, omnia enim, quæ ad ſalutem noſtram conducunt* (NB) *per ipſam conſummantur, nam cùm regeneramur, crux Domini adeſt cum ſacratiſſimo alimur cibo, cùm in ordine conſecrandi ſtatuimur, ubique ac ſemper id victoriæ inſigne nobis aſſiſtit*, &c. & infrà: *Noli ergo tanto tu bono verecundari, ne, quando in majeſtate ſua veniet Chriſtus, de te verecundetur, tunc enim ſignum hoc ſuper radios ſolis coruſcans ante Chriſtum videbis*, &c. *hoc ſignum & priſcis, & noſtris temporibus clauſas januas reſerauit, hoc venenorum vires extinxit*, &c. hæc ille, quid clarius?

Idem Chryſoſtomus in ſupplicationibus, ſeu proceſſionibus cruces argenteas cum ardentibus facibus præferri curabat, ut teſtantur *Socrates* lib. 6. cap. 8. *Sozomenus* lib. 8. Eccleſ. hiſtor. cap. 8. &c.

XX. His omiſſis plurimis jungatur Damaſcenus lib. 4. Orthod. fidei cap. 12. edit. Pariſ. 1577. dicens: *Hæc* (crux) *nobis ſigni loco in fronte data eſt, haud ſecùs ac circumciſio Iſraëli; per hanc enim nos, qui fide præditi ſumus, ab infidelibus diſtinguimur, atque agnoſcimur. Hæc clypeus, atque armatura, & trophæum eſt aduerſus diabolum, hæc ſigillum eſt, ne exterminator Angelus nos tangat*, &c. quid ad hoc Acatholici: an ipſi Chriſtiani?

ARTICULUS VI.

Eadem veritas Catholica ex Patribus Latinis probatur.

Martialis qui floruit anno 100. epiſt. ad Burdegalenſes cap. 8. *crucem Domini*, ait, *in quem credidiſtis Deum verum, & Dei Filium ſemper in mente in ore in ſigno tenete; Crux enim Domini armatura eſt, victoria inuicta contra Sathanam, clypeus tela maligni repellens*, &c. hæc ille. I.

II. *Tertullianus* lib. 2. ad uxorem cap. 5. edit. Pariſ. 1584. & Baſil. 1562 *latebisne tu*, ait, *cum lectulum, cum corpuſculum tuum ſignas?*

Item lib. de corona militis cap. 3. iiſdem edit. *ad omnem*, inquit, *progreſſum, atq; promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad veſtitum, ad calceatum, ad lauacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quacunque nos converſatio exercet, frontem crucis ſignaculo terimus harum & aliarum ejuſmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtulas, ſcripturarum nullam invenies, traditio tibi prætenditur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſeruatrix*, &c. hæc ille, ubi declarat, quod licet nullum de ſigno crucis faciendo ſit præceptum Dei, tamen pietas Chriſtiana ab initio obſervârit: Unde patet totius antiquitatis teſtimonium.

Iterum lib. 3. adversùs Marcionem cap. 22. iiſd. edit. *Ipſa eſt*, ait, *litera Græcorum Tau, noſtra autem T. ſpecies crucis, quam prætendebat futuram in frontibus noſtris apud veram, & Catholicam* (NB) *Ieruſalem*; ubi tuetendit viſionem Ezechielis, videant Acatholici, an illi ſint in vera & Catholica Eccleſia, in qua frontes cruce ſignantur.

III. *Cyprianus* lib. 4 epiſt. 6. ſeu epiſt. 56. edit. Baſil. 1543. ait: *Muniantur oculi, ne videant deteſtanda ſimulacra; muniatur frons, ut ſignum Dei incolume conſeruetur, muniatur os, ut Dominum ſuum victrix lingua fateatur, &c.*

Item lib. de lapſis eâd. edit. *frons*, ait, *cum ſigno Dei puro diaboli coronam ferre non potuit, coronam ſe Domini reſeruauit*, &c.

Rurſus lib. de unitate Eccleſiæ eâd. edit. *Sic & Ozias* ait, *Rex cùm thuribulum ferens*, &c. *& lepra varietate in fronte maculatus eſt, ea parte corporis notatus offenſo Domino, ubi ſignantur, qui Dominum promerentur.*

Similiter lib. ad Demetriam edit. cit. *euadere enim*, inquit, *eos ſolos poſſe, qui renati, & ſigno Chriſti ſignati fuerint, alio in loco Dominus loquitur, quando ad vaſtationem mundi Angelos ſuos mittens, gravius in ultimo comminatur dicens: ite, & cædite, & nolite parcere*, &c. *omnem autem, ſuper quem ſignum ſcriptum eſt, ne tetigeritis*. Ezech. 9. cap.

Plura dicit lib. 2. contra Judæos c. 21. eâd. edit. *Quod in hoc ſigno* (crucis) *ſalus ſit omnibus, qui in frontibus notantur; apud Ezech. dicit Dominus: tranſi mediam Ieruſalem, & notabis ſignum*, &c.

De-

Digitized by Google

Demum eodem lib. cap. 20. eâd. edit. *quod in passione crucis, & signo virtus omnis sit, & potestas, apud Habacuc. 3. texit cælos virtus ejus*, &c. *hoc signo crucis; & Amalec victus est ab Iesu per Moysen*, &c. hæc Cyprianus.

IV. *Lactantius* lib. 4. cap. 27. edit. Antverp. 1570. *nunc satis est*, ait, *hujus signi potentiam quantum valeat exponere, quanto terrori sit dæmonibus hoc signum, sic & qui viderit, quatenus adjurati per Christum fugiant, nam sicut ipse, cùm inter homines ageret, universos dæmones verbo fugabat*, &c. *ita nunc sectatores ejus eosdem spiritus inquinatos de hominibus, & nomine Magistri sui, & signo passionis excludunt, cujus rei non difficilis est probatio, nam cum Diis suis immolant, si assistat aliquis signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant*, &c.

Nec responsa potest consultus reddere vates

Et hæc sæpe causa præcipua justitiam persequendi malis Regibus fuit, &c hæc ille.

Idem in carmine de beneficiis Christi eâd. edit. sic canit:

Quisquis ades, mediiq; subis in limina templi
Flecte parum, insontemq; tuo pro crimine passum
Respice me me corde, animo, me in pectore cerne,
Cerne manus clavis fixas, tractosq; acertos.
Atque ingens lateris vulnus, &c.
Flecte genu, lignumq; crucis venerabile adora.

Ex quo patet quod tunc temporis imago crucis in templis exposita, & venerata fuerit.

V. *Ephrem.* lib. de pœnit. cap. 3. edit. colon. 1603. *Depingamus*, ait, *& insculpamus januis nostris, & in frontibus, & oculis & in ore, ac pectore, & in omnibus membris nostris vivificum* (NB) *hoc signum, hac ornemur, atque armemur invincibili Christianorum armatura.* &c.

VI. *Ambrosius* lib. de Isaac & anima cap. 8. edit. Paris. 1569. *Signaculum Christi*, ait, *in fronte, ut semper confiteamur; signaculum in corde ut semper diligamus, signaculum in brachio, ut semper operemur*, &c.

Idem lib. 9. epist. 77. eâd. edit. *Christianus populus*, inquit, *per momenta singula fronti propriæ mortis contemptum inscribit, utpote, qui sciat sine cruce Domini salutem se habere non posse.*

Similiter serm. 43. & serm. 56. eâd. edit. dicit, quod in omni tempore signo crucis sit utendum, &c.

VII. *Prudentius* in hymno de Hemiterio & Caledonio edit. Antverp. 1546. sic canit:

Cæsaris vexilla linquunt, eligunt signum crucis

In Apothæsi contra Judæos

, ―――――― *jam purpura supplex.*
Sternitur Æneadæ rectoru ad atria Christi,
Vexillumq; crucis summus dominator adorat.

Idem in hymno ante somnum eâd. edit.

Fac cum vocante somno
Castum petis cubile
Frontem, locumque cordis
Crucis figura signet, &c.

VIII. *Hieronymus* ad psalm. 85. edit. Basil. 1553. & Antwerp. 1579. circa verba: *Fac mecum signum in bonum*, &c. *muniar*, ait, *crucis tuæ signo, quod videntes potestates adversæ fugiant confusæ, & discedant à me: hac enim pro nostro populo Propheta rogat, sed & nos precamur: Domine ut crucis tuo signo tutati, atque ejus præsidio custoditi mereamur ab omnibus Diabolis insidiis liberari*, &c. hæc ibi.

Item in epist. ad Demet. c. 6. iisd. edit. *claudas*, ait, *cubiculum pectoris, & crebro signaculo crucis munias frontem tuam, ne exterminator Ægypti in te locum reperiat*, &c.

Similiter in epist. ad Eustochium *ad omnem ingressum manus pingat Domini crucem*, &c.

Idem in vita Hilarionis & Pauli Eremitæ refert illos signo crucis contra spectra usos esse.

Ruffinus lib. 2. Eccles. histor. cap 29. edit. Paris. 1580. sic scribit: *Sed & illud apud Alexandriam gestum est, quod etiam thoraces Serapis, qui per singulas quasque domos in parietibus, in ingressibus, in postibus etiam, ac in fenestris erant, ita abscisi sunt omnes, & abrasi, ut ne vestigium quidem usquam*, &c. *remaneret, sed pro his crucis* (NB) *Dominicæ signum unusquisque in postibus, in ingressibus, in fenestris, in parietibus, columnisque depingeret*, &c. hæc ille. IX.

Augustinus tract. 16. in Joann. *quid*, ait, *servat* (Christus) *fidelis suo, qui talem dat honorem supplicio suo. Denique modo in pœnis reorum non est apud Romanos, ubi enim Domini* (NB) *crux honorata est, putatum est, quod & reus honoraretur, si crucifigeretur*, &c. hæc ibi. X.

Idem tract. 118. in capite 19. Joann. edit. Basil. 1528. ait: *Quid est quod omnes noverunt signum Christi, nisi crux Christi? quod signum, nisi adhibeatur sive frontibus* (NB) *credentium, sive ipsi aquæ, ex qua regenerantur, sive oleo, quo Chrismate unguntur, sive sacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur*, &c. hæc ibi, &c. ubi hæc apud Acatholicos fiunt?

Similiter tract. 5. in 1. Joann. 3. eâd. edit. *signent*, inquit, *se omnes signo crucis Christi, respondeant omnes, amen, cantent omnes Alleluja, baptizentur omnes*, &c. hæc ibi.

Iterum serm. 181. de temp. eâd. edit. *hoc*, ait, *signo* (crucis) *consecratur corpus dominicum, consecratur fons baptismatis, initiantur etiam presbyteri, & cæteri, gradus Ecclesiastici, & omnia quæcunque sanctificantur hoc signo Dominicæ crucis, cum invocatione Christi nominis consecrantur.* Quid honorabilius?

Idem serm. 19. de Sanctis, *hoc signum*, ait (crucis) *præsidium est amicis, obstaculum inimicis*, &c. XI.

Idem serm. 111. de diversis cap. 4. edit. Antwerp. 1577. ait: *Christianus es? in fronte portas crucem Christi? character tuus docet, quod profitearis.*

Similiter ait tract. 11. in Joann. eâdem edit. *si dixerimus Catechumeno, credis in Christum? Respondet, credo, & signat se cruce Christi, portat in fronte, & non erubescit de cruce Domini sui*, &c. an hoc Acatholici?

Idem lib. 83. qq. q. 79. iisdem edit. asserit à Deo ordinatum, ut ad signum crucis dæmones fugiant dicens: *Nec mirum est, quid hæc signa valent, cum eis scilicet ab omnibus Christianis adhibentur, quando etiam cùm usurpantur ab extraneis*, &c. *propter honorem* (NB) *excellentissimi Imperatoris valent*, & infrà: *Nam nullo modo ulli spiritus audent hæc signa contemnere, contremiscunt enim hæc, ubicunq; illa prospexerint*, &c. hæc ibi, quid ad hæc Acatholici qui hæc signa summi regis contemnunt, & dæmones solum simulatoriè illa timere dicunt; volentes interim optimi Christi videri discipuli.

Demum lib. 22. civ. cap 8. iisd. edit. inter plurima miracula sic narrat: *In eadem Carthagine Innocentia religiosissima fœmina de primariis ipsius civitatis in mamilla cancrum habebat, rem, sicut medici dicunt, nullis medicamentis sanabilem*, &c. XII.

 hoc

Digitized by Google

hoc illa à perito medico acceperat, & ad ſolum Deum orando ſe converterat, admonetur in ſomnis appropinquante paſcha, ut in parte fœminarum obſeruanti ad baptiſterium quæcunque illi baptizata primitus occurriſſet, ſignaret ei locum ſigno crucis Chriſti fecit, & confeſtim ſanitas ſecuta eſt, &c. hæc Auguſt. ubi addit, quod fœmina illa coram ſe Auguſtino, & multis rem, ut narrata eſt, geſtam edixerit.

Ex his teſtimoniis luce clarius patet, quod in primitiva Eccleſia imago, ſeu ſignum crucis non ſolum in uſu fuerit, ſed etiam in magna veneratione ob multiplices rationes, & reſpectus, quam Deus tot tantisque miraculis approbavit, ut vel hinc facilè pateat, quàm longè Acatholici à primitivæ Eccleſiæ pia fidei praxi receſſerint.

ARTICULUS VII.

Qualis honor, vel cultus S. cruci, vel imagini, aut ſigno ejus ſit exhibendus.

I. HÆc conſtare poſſunt ex iis, quæ ſuprà de cultu reliquiarum dicta, nam Conc. Tird. ſeſſ. 26. de omnium tam imaginum, quàm reliquiarum ſacrarum honore, & veneratione generaliter definit; quòd ſingulis debitus honor, & veneratio ſit impertienda; adeoque S. cruci partim tanquam ſacræ reliquiæ Chriſti, quæ ejus ſacrum corpus attigit, & ejus ſanguine perfuſa eſt, & alias ob cauſas ſuprà relatas, partim quia imago eſt Chriſti crucifixi; & ſimiliter aliæ imagines, & ſigna crucis, quæ etiam Chriſtum crucifixum repræſentant debitè venerandæ ſunt; quia tamen dubia aliqua moventur, & Acatholici S. crucis cultum ſpecialiter calumniantur, omiſſis ſcholaſticis diſcurſibus, ea, quæ S. Eccleſia credenda proponit, explicabimus.

II. Primò itaque S. Eccleſia Catholica credit, & docet, quòd non ſolum ipſa S. Crux, vel ejus particulæ, ſed etiam ejuſdem imagines, ac ſigna debita veneratione colenda ſint. Ita in generali definivit *Conc. Trid* ſuprà & in ſpeciali *ſynodus* 6. *generalis* can. 73. *& ſynodus* 7 *ſeu ſecunda Nicæna*, act. 7. *& ſynodus* 8. can. 3. & hoc copiosè hactenus ex S. ſcriptura, ac SS. Patribus demonſtratum eſt; & quidem quoad venerationem aliquam exhibendam res de fide certa eſt, cùm Synodus 7. ſub anathemate omnes S Reliquias, vel imagines debito honore afficiendas eſſe definiverit: jam videndum, qualis ille ſit honor, vel cultus. Pro quo obſervanda ſunt ea, quæ ſupra hoc lib. cap. 1. & 2. de diverſo modo uſurpandi nomina cultus honoris, & adorationis ex S. ſcriptura, & SS. Patribus notata ſunt.

III. Secundò docet Eccleſia Catholica, *quod nec ipſi S. cruci, aut ejuſdem particulis, nec illius, aut Chriſti imaginibus cultus, honor, aut adoratio latria debeatur, vel exhiberi poſſit, ſecundùm ſuam abſolutam naturam, vel etiam ſecundùm rationem imaginis.* Hoc definitum eſt in Synodo 2. Nicæna 7. act. 7. edit. Colon. 1551. ubi Patres omnes poſt longas collationes tandem declarant ſe ſex univerſalium generalium Conciliorum doctrinæ inhærentes, eorum doctrinas, & acta comprobare, ac deinde juxta præcedentium Conciliorum doctrinam Fidei confeſſionem proponunt, in qua tandem ſic aiunt: *Definimus cum omni diligentia & cura venerandas, & ſanctas imagines ad modum, & formam veneranda, & vivificantis crucis è coloribus, & teſſellis, aut alia quavis materia commode, paratas dedicandas, & in templis ſanctis Dei collocandas, habendasque tum in ſacris vaſis, & veſtibus, tum in tabulis, & parietibus, & ædibus privatis*, &c. *maximè etiam imaginem domini, & Dei Servatoris noſtri Ieſu Chriſti, deinde intemeratæ Deipara Domina noſtra*, &c. *quo ſcilicet per hanc imaginum pictarum inſpectionem omnes, qui contemplantur, ad prototyporum memoriam veniant, illiusque ſalutationem, & honorariam adorationem exhibeant non ſecundùm Fidem noſtram veram* (NB) *latriam, quæ ſolum divinæ naturæ competit, ſed quemadmodum typo veneranda, & vivificantis crucis, & ſanctis Euangeliis*, &c. Hæc Concil. ſimiliter Concil. Trid. ſupra ſeſſ. 25. definit dicens: *Quod imaginibus Chriſti, & Sanctorum debitus honor ſit impertiendus, non quod credatur ineſſe aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ, vel quod ab eis ſit aliquid petendum, vel quod Fiducia in illis ſit figenda, veluti olim fiebat à gentilibus*, &c.

Sciendum quod olim erat hæreſis Cappocratitarum, ex quibus Gnoſtici, ut refert *Epiphanius* hæreſi 27. edit. Baſil. 1560. quæ potiùs gentiliſſimus erat; aſſerebant enim Jeſum eſſe natum ex Joſeph, & Maria, & factum eſſe à mundo, & non à Deo primo principio immediatè, & cætera plura ſtultiſſima, *qui habebant imagines Ieſu per colores depictas, quidam etiam ex auro, & argento; inſuperque Philoſophorum quorundam Pithagora, Platonis, & Ariſtotelis, & has adorabant, & gentium myſteria perficiebant, erectis enim his imaginibus de cætero gentium mores ſervabant, qui vero ſunt gentium mores alii, quàm ſcriptura, & alia.* Ita Epiphan. IV.

Ex quibus duo patent, primò quod imagines ſint debito honore afficiendæ, proportionatè ſcilicet ad prototypa, ut alio majore honore imagines Chriſti, alio B. Virginis, alio aliorum Sanctorum, &c. idque non abſolutè ſecundùm propriam ſuam naturam, ſed propter reſpectum ad ſua prototypa Secundò quòd ille honor imaginibus debitus non ſit latria ſoli Deo, vel Chriſto debita, cùm Concil. dicat eſſe ſimilem illi, qui exhibetur SS. Euangeliis, vel aliis ſacris vaſis. Ita etiam loquitur Synodus 8. can. 3. V.

3. Poteſt Chriſtus in imagine crucis, vel ſigno ita adorari, ut ipſe cultu latriæ adoretur, crux vero, vel imago Chriſtum repræſentans minore honore ſimul colatur. Hæc colligitur ex variis SS. Patrum ſuprà allegatis teſtimoniis, præſertim Gregorio Magno epiſt. 52. ſupra, & Damaſceno, ubi dicunt, quod quidem proſternatur populus ante imaginem crucis, ſed Deus adoretur. Sic etiam exprimitur in illis verſiculis, qui tempore Concilii Nicæni dicuntur compoſiti. VI.

Nam Deus eſt quod imago docet, ſed non Deus ipſa,
Hanc videas, ſed mente colas, quod cernis in ipſa.

Et clariùs in his.

Effigi-

Digitized by Google

Effigiem Chriſti cum tranſis ſemper honora,
Non tamen effigiem, ſed quem deſignat adora.

VII. Juxta hoc dicit *Hieronymus* ſuprà ad Marcellum: edic. Baſil. 1553. quod ſepulchrum Chriſti *quotieſcunq; ingredimur, toties jacere in Syndone cernimus Salvatorem*: ubi patet, quod ipſum Salvatorem non cernant in Syndone, nec Angelos ibi aſſidentes, ut Hier. ibi loquitur, ſed ſolum in memoriam revocet, & Chriſtum ipſum adorant, locum vero ſepulchri honorent, ubi jacuerat.

Ita etiam Hier. de Epitaphio Paulæ in epiſt. ad Euſtochium 72. ſuprà relatus; *Proſtrataq; ante crucem, quaſi pendentem dominum cerneret, adorabat*, &c.

VIII. Ambroſius Orat. in obitu Theodoſ. edit. Pariſ. 1569. ſuprà allegatus, cùm diceret de Helena, quod crucem in capite regum levavit, ut crux in regibus adoretur, &c. etiam dicit: *Invenit titulum, regem adoravit, non lignum utiq;, quia hic gentilis eſt error, &c. ſed adoravit illum, qui pependit in ligno.*

Sic tempore paraſceves, dum imago crucifixi exhibetur populo, & cantatur: *Ecce lignum crucis, in quo Salvator mundi pependit, venite adoremus*; patet, quod illa imago non ſit ipſum lignum, in quo Chriſtus pependit, ſed illud repræſentat, ac etiam Chriſtum crucifixum qui cultu latriæ adoratur; imago autem crucis concomitanter minore cultu honoratur.

IX. Juxta hunc ſenſum Eccleſia canit: O crux ave ſpes unica hoc paſſionis tempore, piis adauge gratiam, reisque dele crimina. Certum enim eſt, quod his verbis adoretur ipſe Chriſtus Dominus, quatenus pro nobis in cruce ſuſpenſus eſt, ut per merita paſſionis ſuæ gratiam largiatur, & ſic etiam crux concomitanter honoratur, per quam Chriſtus nos liberavit. Cùm ergo dicitur: O crux! ſumitur figurativè per metonomiam, qua continens pro contento uſurpatur, ſic crux pro Chriſto in illa ſuſpenſo.

X. Quartò iterum certum eſt in Eccleſia, quod honor, vel cultus cruci, vel imagini crucis, aut Chriſti debitus ſit plus quàm civilis, ſed ſacer, & religioſus. Hoc conſtat ex omnium ſanctorum Patrum teſtimoniis, qui crucem Chriſti venerandam, ſanctam, imo vivificantem nominarunt ob varias cauſas, & reſpectus ad Chriſtum, propter quem honor ille impenditur, quem Sancti dicunt longè eminere ſuper omnem honorem Imperatorum, & Regum, qui civilis dicitur ob excellentiam civilem, ut ſuprà oſtenſum eſt. Et ratio eſt, quia honor imaginis in prototypa, tranſit, & ob excellentiam prototypi debetur. Excellentia autem Chriſti, ob quam cruci honor debetur, conſtat divinam eſſe; & generaliter cultus, qui rei ſacræ exhibetur, ad honorem Dei mediatè, vel immediatè ſpectat, adeoque religioſus eſt, & dicitur.

XI. Quintò demum honor cultus aut veneratio, vel adoratio analogicè ſumpta, quæ cruci, vel imagini crucis debetur, omni modo inferior eſt illo cultu, qui Chriſto Domino debetur. Hoc conſtat ex Conciliis præallegatis ac SS. Patribus, & patet ex ratione; nam licèt imago Cæſaris, vel hominis dicatur Cæſar, vel homo, id tamen plane analogicè, & ſecundùm quid tantum verum eſt, ut patet, & toto cælo inter ſe diſtant. Quia ſolùm Cæſarem repræſentat, ſic etiam honor, qui imagini Cæſaris propter Cæſarem exhibetur, ſe tantum analogicè, & ſecundùm quid habet ad honorem Cæſari in ſe præſtandum; ita multo magis crux, vel imago crucis hac comparatione ab ipſo Chriſto crucifixo, quem repræſentat, diſtare dignoſcitur, & ſic etiam honor illi debitus ſecundùm quid dicitur divinus vel religioſus.

XII. Quod autem non aliter Eccleſia hunc honorem intelligat præter prædicta Concilia, & Patres, etiam patet experientia, cum Eccleſia nec cruci, nec imagini crucis eundem honorem exhibeat, quem ipſi Chriſto in venerabili Sacramento præſenti, & nullus Catholicus imaginem crucis tranſiens, vel aſpiciens, ſic honorat, ut ipſum Deum, licèt coram cruce procumbens illam honoret, & ſimul animum poſſit intendere ad ipſum Chriſtum ipſum adorando, hoc tamen ordinariè non contingit. Ex his conſequenter patet, quid dicendum ſit de honore, & cultu imaginum B. Virginis, aliorumque Sanctorum, quod ſcilicet imagines illæ ſint ſacræ, ſicut ſancta Evangelia, & propter prototypum honorandæ, & ſic honor ille ita ſit, & dicatur religioſus; ſed non ſimpliciter, ſicut honor ipſis Sanctis debitus, ſed tantum analogicè, & ſecundùm quid, quæ ex hactenus dictis ſatis patent. Nunc reſpondendum eſſet ad argumenta trium DD. Anonymorum, ſed prius ad argumentum, quod Acatholici contra honorem imaginum ex Concilio Francofurtenſi contra Concilium Nicænum ſecundum adferunt, reſpondebimus.

***

Digitized by Google

CAPUT IX.

In quo respondetur ad argumenta Acatholicorum contra cultum SS. Imaginum.

ARTICULUS I.

Referuntur calumniæ Acatholicorum contra Synodum 7. generalem, quæ est Nicæna secunda.

I. ACatholici videntes Ecclesiam in universali Concilio Nicæno secundo, quod fuit septimum generale congregatum, tam clarè ipsorum errorem damnasse, illud illegitimum, & falsum, atque à Concilio Francofurtensi circa idem tempus celebrato reprobatum, fuisse clamant.

Verum an Concilium Francofurtense id fecerit, dubia res est, ut diversis rationibus à nostris Doctoribus probatur, prout supra tangitur; totum autem fundamentum desumitur ex quibusdam libris tempore Caroli Magni contra Concilium Nicænum secundum scriptis, qui communiter Carolini vocantur, quasi ab ipso Carolo compositi, sed & hoc falsum esse probatur.

II. *Calvinus* videns se authoritate illius Concilii premi, per Sarcasmos, mendacia, & calumnias authoritatem Concilii tollere conatur, fundans se in libris illis pseudo Carolinis lib. 1. Inst. cap. 11. §. 14. dicens: *Qui hodie simulacrorum usum tuentur Nicænæ illius Synodi patrocinium allegant: extat autem refutatorius liber sub nomine Caroli Magni,* &c.

Ex hoc ergo libro primo refert Episcoporum illius Concilii sententias, & probationes pro imaginibus ex S. Scriptura desumptas, quarum aliquas ipse, pro placito suo omissis primariis, tangit, & inter alia dicit, quod Patres Concilii dixerint; *Sicut Patriarchæ usi sunt gentium sacrificiis, ita Christianis habendas esse imagines pro Idolis gentium;* sed quid Patres dixerint infrà patebit, ipse subjungit: *Deniq; tam putridæ sunt falsitates, ut eas referre pigeat.*

III. Secundo §. 15. quoad cultum seu adorationem imaginum iterum Episcopos in allegandis locis S. Scripturæ deridet dicens: *Eant nunc simulacrorum fautores & Synodi decreto nos urgeant, quasi vero non omnem sibi fidem abrogent venerandi illi Patres scripturas vel tam pueriliter tractando vel tam impie fædeq; lacerando.* Hæc Calvin. pro sua impietate, sed non probat.

IV. 3. Dicit §. 16 *Venio ad impietatum portenta,* &c. *Theodosius Amori Episcopus anathema crepat adversus omnes, qui imagines noluerunt adorare. Constantius Cypri Episcopus se imagines reverenter amplecti profitetur, cultumq; honoris, qui vivificæ Trinitati debetur, illis se exhibiturum confirmat, quisquis idem facere recusaverit, eum anathematizat, & ne putes privatam esse unius hominis sententiam assentiuntur reliqui,* &c. hæc Calvinus, sed quàm falsò, infrà patebit.

V. 4. Concludit dicens: *Cæterum ne suo solemni plaudite fabula careat, additur clausula: gaudeant, & exultent qui Christi habentes imaginem, sacrificium illi afferunt, ubi nunc latriæ, & duliæ distinctio, quæ Dei, & hominum oculos solent perstringere, nam Concilium sine exceptione tantundem simulacro, & Deo vivo largitur,* &c. hæc Calvin. Sed veritas Concilii & Calvini falsitas patebit.

ARTICULUS II.

Respondetur ad calumnias Calvini contra Synodum septimam.

QUod in istis libris Carolinis supina, & crassa mendacia sacro Concilio turpissimè imposita, Calvinus impudenter referat, nimis evidens est ex actis, & decretis Concilii. I.

Quoad *primum & secundum* de locis S. Scripturæ pro imaginibus Sanctorum à Conciliis allegatis, patebit infrà, quæ per omnes actiones ostendunt, ubi gravissima testimonia à SS. Patribus allegata referuntur, ad quæ nec Calvinus, nec Acatholici respondere possunt. II.

Similiter quod Patres concilii imagines loco Idolorum gentium habere voluerint, falsissimum est, ut patet ex anathematibus, & aliis decisis, & specialiter act. 6. in refutatione pseudosynodi sub nomine Epiphanii §. *immoderatæ gravitatis,* & §. *in hoc utuntur encomiis* &c. ubi Patres concilii ex S. Scriptura maximam differentiam ostendunt inter sacrificia à Patriarchis Deo oblata, & quæ dæmoniorum culturæ erant à gentibus deputata, licèt in materia conveniant, & similiter inter idola gentium, quæ, ut Dii, colebantur, & in quibus dæmonia adorabantur, ac imagines SS. quibus illorum memoria renovatur, licèt in materia conveniant, sed in usu, & invocatione maximè differunt. III.

Quoad *tertium* de Episcoporum professionibus patet Act. 1. 2. & 4. cùm enim aliqui antehac Iconoclastarum sectæ adhærentes, pseudoconcilio Constantinopolitano interfuissent, ad saniorem mentem reversi, in hoc Concilio fidei professionem ediderunt. IV.

Et primò Basilii Amyræ Episcopi professio habetur Act. 1. edit. Colon. 1551. in qua sic dicit: *Qui S. Scripturæ verba de Idolis, & gentilium statuis ad venerandas Christianorum imagines exponentes trahunt, execratio.* Et infrà: *Qui asserunt Christianos, ut Deos, imagines adorare, execratio.*

Item eadem Act. 1. *Theodosius* Amori Episcopus fidem suam sic profitetur: *Suscipio, saluto, & veneror ante omnia intemeratam Domini Jesu Christi veri Dei nostri imaginem,* &c. *& S. Matris Virginis* &c. *qui etiam Sanctorum,* &c. *Apostolorum,* &c. *imagines veneror, non ut Deos, absit; verum mentis meæ affectum,* &c. *hoc modo in illos* (Sanctos) *indicans ex toto animo omnes obtestor, ut ad Deum pro me intercedant.* hæc ille.

Constantius Episcopus Constantiæ, quæ est V. post lectas Patriarcharum Constantinopolit. & Hierosolymitani, & aliorum epistolas § *Constan-*

ſtantius Epiſcopus Conſtantiæ, &c. fidem ſuam profitens ſic ait: *Suſcipio & amplector venerandas imagines, adorationem autem* (NB) *quæ fit ſecundùm latriam, hoc eſt,* Dei *culturam tantummodo ſuperſubſtantiali, & viuifica Trinitati conſeruo qui vero aliter ſentiunt,* &c. *anathemati ſubjicio,* &c. ecce quam ediametro contraria ſunt hæc Conſtantii verba, quam quæ à Calvino referuntur: ſimili modo pluresalii Epiſcopi converſi fidem ſuam ibidem profitentur; Et tandem Concilium eandem approbat, & omnes ſubſcribunt. En evidentia Calvini mendacia.

Act. 4. coram S. Synodo lecta ſunt S. Scripturæ loca, & imprimis quod *Deus* Exodi 25. *Mandauit fieri propitiatorium ex auro, & bina Cherubim,* &c. ſimiliter Num. 7. Ezech. 41. & ad Hebræor. 9. unde concludit Patriarcha dicens: *Si vetus ſcriptura habuit Cherubim obumbrantia propitiatorium, & nos quoq; imagines Jeſu Chriſti, & S. Deiparæ Sanctorumq; habebimus, obumbrantes altaria,* &c. *ſancta Synodus dixit: recte Domine, ita eſt veritas.*

VI. Poſt hæc referuntur plura clariſſima teſtimonia SS. Patrum primitivæ Eccleſiæ, *Chryſoſtomi, Gregorii Nyſſeni, Cyrilli Alexandrini, Antipatri, Baſilii, Aſterii, Athanaſii. Nili,* & quidem lecto Nili teſtimonio, *Gregorius Nicænus, & Theodoſius,* qui antehac Iconomachorum pſeudoSynodo adhæſerant, falſi ſunt, quod quidam ex Nilo aliqua teſtimonia deſumpſiſſent, quibus ipſos decepiſſent, ſed totum textum non protuliſſent.

VII. Deinde *S. Maximi* & Synodæ ſextæ teſtimonia lecta, & diſceptatio Leontii Neapolios Epiſcopi contra Judæos prolixè, & doctiſſimè ex S. Scriptura honorem imaginum demonſtrans.

Ad hæc epiſtola *Athanaſii* Epiſcopi Theopolios lecta, in qua inter alia habetur: *Nemo offendatur in adorationis vocabulo, ſiquidem & homines, & SS. Angelos adoratos, non autem quod latriam, hoc eſt, cultum diuinum exhibeamus,* &c.

Dein ex lib. *S. Baſilii* teſtimonia lecta ſunt, & aliorum plurimorum ſanctorum Patrum epiſtolæ, &c.

VIII. Poſt hæc *S. Synodus dixit: diuiniloquorum Patrum doctrina nos correxerunt, ex iis veritatem haurientes,* &c. & infrà: *Credentes unum Deum in Trinitate laudatum: venerandas imagines veneramur,* &c. *nos veteris Eccleſiæ legiſlationi inſiſtamus,* &c. *Nos nuperam Chriſtianorum accuſatorum inuentionem anathematizamus. Nos venerandas imagines ſalutamus,* &c. & dein omnia anathemata ponuntur, & à toto Concilio ſubſcribuntur.

Cæterùm quod Synodus nullatenus cultum SS. Trinitatis debitum imaginibus exhibendum docuerit, ex prædictis patet, & inſuper Act. 6. tomo 2. poſt unam pag. ſub nomine Epiphanii graviſſimè S. Synodus proteſtatur his verbis: *Venerandas imagines Chriſtiani neq; Deos appellant, neq; ut Deo cultum exhibent, neq; ſalutis ſpem in illis conſtituunt, neq; ab iis judicium aliquando futurum exſpectant; quod ſi autem in recordationem, & memoriam, item quod ſingulari quadam affectione in ipſa prototypa ferebantur, ſalutauerint, & honorifice adorauerint imagines, non tamen ob id illis latriam exhibuerunt, aut diuinam venerationem adſcripſerunt, abſit hæc calumniatio,* &c. hæc ibi. Quid clariùs? & in fine Act. 6. S. Synodus compendiolam ex S. Scriptura, & SS. Patribus pro imaginum honore demonſtrationem ſubjungit.

Demum hoc ipſum clariſſimè concilium in ultimata definitione Act. 7. profitetur, cujus verba ſuprà cap. 6. art. 2. allegata ſunt, ex quibus craſſiſſima libri Carolini, & ex illo Calvini mendacia manifeſte patent.

Quod denique Calvinus ex mendaciſſimo illo pſeudocarolino libro clauſulam, *gaudeant, & exultent,* &c. quaſi illius Synodi refert; certè nimis impudens & injurioſum eſt mendacium; nam Act. 6. refertur tota definitio pſeudoſynodi Conſtantinopolitanæ ac Iconoclaſtarum, cui *Gregorius Neocæſar.* præſederat ſub impiis Imperatoribus *Conſtantino, & Leone,* qui Gregorius poſtea cum aliis pluribus Epiſcopis hæreſim abjuravit in hoc Concilio Nicæno, ut ſuprà viſum eſt. IX.

Itaque verba illius pſeudoſynodi Conſtantinopolitanæ per partes in 6. tomos diſtributa ſub nomine *Gregorii* recitantur, & refutationes illorum ſub nomine *Epiphan.* ſingulis paragraphis ſubjiciuntur. In illa ergo Act. 6. to. 3. poſt 2. folia ſub nomine *Gregorii* olim Iconomachi hæc verba pſeudoſynodi ponuntur: *Exultent, & lætentur, & libertate linguæ fruantur, quicunq; veram Chriſti imaginem ſinceriſſima mente facientes deſiderant, & venerantur,* &c. *quam ipſe Dominus noſter Deus ſummus Sacerdos,* &c. *circa paſſionis tempus in typum & recordationem efficaciſſimam ſuis Sacerdotibus, & myſtis tradidit.* Et infrà: *Dixit: accipite, manducate,* &c. *hoc eſt corpus meum,* &c. *ecce igitur, viuificantis corporis illius imaginem, quæ honorifice & glorioſe exhibita eſt,* &c. & infrà: *Panem Euchariſtiæ veluti veram imaginem naturalis carnis per S. Spiritus aggreſſionem ſanctificatam diuinum corpus eſſe voluit,* &c. *medius autem venit Sacerdos, qui ex communi ſanctum id facit ſacra illa ſua anaphora,* &c. hæc pſeudoſynodus, ubi tamen non dicitur, quod illi imagini ſacrificium offerant; prout in libro illo Calvinus mentitur.

Contra hæc Iconoclaſtarum de imagine Euchariſtiæ verba refutatio Synodi Nicænæ ſub nomine Epiphanii ſubjungitur his verbis: *Videtur quidem tota oratio abominanda: nam qui ſemel à veritate exciderunt, in multas & periculoſas abſurditates per conſequentiam proprii erroris deferuntur, ſic & iſtis vaniloquis contigit: nam à via veritatis deſciſcentes propter imaginum formationem, in aliam extremam dementiam perducti ſunt,* & infrà: *Nemo enim unquam SS. Apoſtolorum, qui tubæ ſunt Spiritus Sancti, aut glorioſorum Patrum noſtrorum incruentum noſtrum ſacrificium in memoriam paſſionis Chriſti Domini noſtri, & totius ſuæ diſpenſationis factum, imaginem corporis illius dixerit, nam is, qui accepit à Domino, ſic non dicit, aut confitetur; ſed audiunt eum ſic dicentem euangelice; niſi comederitis carnem filii hominis,* &c. *& qui manducat carnem meam,* &c. Joann. 6. *& cum accepiſſet panem, & gratias egiſſet, fregit, & dedit diſcipulis ſuis, & dixit; accipite, edite, hoc eſt corpus meum,* &c. Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. *Non autem dixit ſumite, edite* (NB) *Imaginem corporis mei,* &c. ſimiliter referuntur verba inſtitutionis venerab. ſacramenti ex 1. Cor. 11. & ſubdit. Concil. *Legas quouſq; voles, nunquam inuenies neq; Dominum, neq; Apoſtolos, neque Patres* (NB. contra Acatholicos) *incruentum illud ſacrificium, quod à Sacerdote offertur imaginem dixiſſe; verum ipſum corpus, & ipſum ſanguinem,* &c. hæc concil. Vbi in his vel aliis concilii verbis Calvinus inveniet ſuam clauſulam; præſertim quod concilium

lium doceat; Imagini Chriſti ſacrificium eſſe exhibendum, & quod longè falſiſſimum eſt. Econtra vero patet, quòd iſta pſeudoſynodus Conſtantinopolitana faverit errori Calvini, quod Euchariſtia ſit nudum ſignum corporis Chriſti, quem errorem Synodus 7. graviſſimè ex verbo Dei damnat.

Quis non obſtupeſceret ad tantam impudentiam, & craſſa mendacia, quæ contra claram lucem tali concilio imponuntur, non excuſabitur Calvinus fundans ſe in illis libris Carolinis, cùm ex ipſo concilii textu contrarium pateat; ipſiusque erat ipſum textum concilii inſpicere, quàm ex tam incerto libro S. Synodum tantæ idololatriæ condemnare.

Hæc fuſiùs ex ipſo concilio referenda duxi, ut quia libri inſtitutionum Calvini paſſim ab Acatholicis quaſi divini habentur, eò manifeſtius Calvini impudentia, & librorum ipſius mendacia conſtarent; ne dum ille tam audacter talia de tanto concilio aſſerit, vera eſſe credantur.

ARTICULUS III.

Quid de libro Carolino & decreto Concilii Francofurtenſis contra imagines ſentiendum?

I. QVod liber pſeudocarolinus nullam mereatur fidem primò evidens eſt ex clariſſimis mendaciis, quæ concilio Nicæno in illo imponuntur, ut ſuprà oſtenſum eſt.

II. Secundò licèt aſcribatur *Carolo Magno*, ipſe Calvinus tamen id aſſerere non audet, ſed dicit, illum ſub nomine Caroli extare, verum certum eſt, quod Carolus non ſit Author, vel promotor illius; quia in illius libri præfatione author proponitur ſub ficto nomine Eli-Phili, qui fictus conatur probare Carolum fuiſſe authorem, quod opus non eſſet, ſi Carolus edidiſſet, nec illa præfatio, in qua mentio fit concilii Francofurtenſis decreti, unquam apparuit, niſi circa annum 1545. quando ab aliquo Acatholico edita eſt, nec additur, ubi vel quando reperta, &c.

III. 3. Quia *Carolus Magnus* miſerat librum ſibi oblatum *Adriano Papa*, ut confutaretur, qui illum libro ſpeciali ad Carolum remiſſo refutavit, & Carolus Adriano, & Romanis Pontificibus fuit amiciſſimus, ob fidem & tutelam Romanæ Eccleſiæ, unde & *Adrianus* imperatoriam dignitatem in ipſum à Græcis ob Iconomachiæ hæreſim tranſtulit, quomodo ergo Carolus tam ineptum, & mendacem librum contra Synodum 7. & honorem Imaginum ſcripſiſſe credendus erit?

IV. Demum, mirum eſt, quod Calvinus adeo inhæreat fidei illius libri carolini, cùm in illo plura contineantur, quæ Calvinus damnat, primò *quod Romanus Pontifex à Deo primatum habeat, & judicium ſupremum in controverſiis fidei. 2. Sancti ſint invocandi, & illorum reliquiæ venerandæ*, &c. cur ergo in his Acatholici non ſequuntur? imo ipſa pſeudoſynodus Conſtantinopolitana tam acerbè imagines Sanctorum impugnans de invocatione Sanctorum definit tomo 6. art. 6. definitione 15. ſic dicens: *Si quis non confitetur S. ſemper Virginem Mariam proprie & vere Deiparam, quavis viſibili & inviſibili creatura ſuperiorem, & cum ſincera fide ejus interceſſiones, tanquam quæ libertatem apud eum, qui ex ſe genitus eſt, Deum habeat, non poſtulaverit, anathema ſit*, &c. hæc ibi, ecce quales Calvinus ſuæ calumniæ patronos habeat, ſed ipſe ad placitum ſuum aſſumit, & reſpuit.

Quoad concilium Francofurtenſe, an in illo aliquid contra Imaginum honorem, & Synodum 7. decretum ſit, valde dubitatur ob multas cauſas. V.

Primò quia in Actis concilii primævis ſolum referuntur illa, quæ in illo acta ſunt de damnatione Felicis, qui Chriſti filiationem adoptivam aſſeverat.

2. Quia in decreto, quod tanquam illius concilii in præfatione libri carolini refertur, craſſi errores ponuntur, ut quod Synodus 7. pro imaginibus *convenisset Conſtantinopoli in Bythinia, cum Conſtantinopolis ſit Metropolis Thraciæ, ut Nicæa in Bythinia*: quod concilium Francofurtenſe ideo damnavit Nicænam Synodum 7. eo *quod ſine authoritate Pontificis Romani eſſet celebrata, ad quem ultimum judicium in fide ſpectaret*, cùm tamen ab *Adriano approbata ſit*, cujus legati in concilio Nicæno præſederunt, ut patet ex ipſius concilii actis, at verò Conſtantinopolitana pſeudoſynodus, paulò ante contra imagines habita, ſine legatis Pontificis Romani, ab illo reprobata fuit.

3. Juxta librum carolinum & authores, qui concilio Francofurtenſi damnationem Synodi 7. attribuunt, *ipſum Concilium Francofurtenſe ſolum damnavit honorem latriæ Imaginibus exhibendum*, quem à Synodo 7. illis attributum putarat, at vero idem *Concil. Francofurtenſe* anathema dixit omnibus, qui Imagines è templis ejicerent, ut fatentur *Centuriatores Magdeburgenſes* cent. 8. c. 9. col. 639.

Demum certum eſt, quod concilium Francofurtenſe fuerit nationale, quod non præjudicat generali. Ex quibus aliisque pluribus plures Authores merito negant Concilium Francofurtenſe aliquid contra imagines decreviſſe. Verum quicquid de hoc ſit, certum eſt, quod illud decretum nihil valeat, cùm ex falſiſſima latriæ cultus informatione proceſſerit, demum quoad authoritatem Synodi 7. in qua trecenti & quinquaginta Patres convenerunt, conſtat 1. quod fuerit legitimè celebrata ex univerſa Eccleſia Græca & Latina, 2. in illaque præſederint legati Adriani Pontificis, qui literas Adriani ad Tharaſium Patriarcham Conſtantinopolitanum, & Concilium tulerint, quæ in Concilio lectæ, & receptæ fuerunt, tanquam Eccleſiæ univerſalis Paſtoris ut patet Act. 2. VI.

3. Quod in omnibus legati Pontificis veteris Romæ ante Patriarchas, omnesque alios ſubſcripſerint, & demum Tharaſius Patriarcha nomine Synodi Adriano ſic reſcripſit: *Itaq; prærogativa quadam literas ſanctitatis tuæ primo legi juſſimus*, &c. *eramus quidem tunc omnes veluti in regio convivio epulis intenti, pedesq; noſtri in viam rectam veritatis per te ducebantur*, &c. & juxta illas Concilium proceſſerat, quæ omnia *Adrianus* poſtea confirmavit, unde patet falſitas librorum VII.

Caro-

Digitized by Google

Carolinorum, & decreti adscripti concilio Francofurtensi.

4. Quia Patres illius concilii Nicæni nullo modo ea, quæ in libris Carolinis ponuntur, docuerunt, sed honorem debitum Imaginibus ex S. scriptura, & SS. Patribus primævis probatum confirmarunt. Ex his evidens est, quod Synodus 7. fuerit legitima universalis, ac proinde ejus authoritas eadem sit cum 6. prioribus conciliis generalibus ante illam celebratis.

ARTICULUS IV.

Refertur & refutatur argumentum Authoris primi libelli.

I. Hic Dominus sufficere sibi putat, quod contra Imaginum cultum, quid primitiva Ecclesia senserit, unicum Epiphanii fictum testimonium adducat, sic dicens: *Epiphanius in epist. ad Joannem Hierosolymitan. (quæ habetur inter ipsius opera, & etiam in Latinum translata est ab Hieron. Tomo 2.) sic scribit: Audivi quosdam murmurare contra me, quia quando venissem ad villam, quæ dicitur Anablatha, & ibi vidi velum pendens in foribus ejusdem Ecclesiæ tinctum, atq; depictum, & habens imaginem quasi Christi, vel Sancti cujusdam, non satis memini, cujus imago fuerit, cùm ergo hoc vidissem in Ecclesia Christi contra authoritatem scripturarum hominis pendere imaginem, scidi illud,* &c. *ecce duas esse contra authoritatem scripturarum, quod imago Christi vel Sancti pendeat in Ecclesia, quid ergo si vidisset homines eam adorantes?* &c. hæc Anonymus.

II. Respondetur primo cum S. Damasceno Orat. 1. de Imaginibus paulò post medium. §. *Quod si dixeris virum admirabilem Epiphanium,* &c. *quod si Epiphanius sic docuisset, is solus non est audiendus contra totam Ecclesiam, & omnes sancti Patres etiam antiquiores, qui Imagines Sanctorum etiam in Ecclesiis habuerunt, & honorarunt,* ut suprà patet ex tot sanctorum Patrum testimoniis, qui ante Epiphanium, & cum ipso vixerunt.

III. Respondetur 2. cum eodem Damasceno, quod illa verba non sint Epiphanii, sed ab hæreticis adjecta, quod variis causis probatur primo, quia in Synodo 7. act. 6. Tom. 5. ex pseudosynodo Constantinopolitana sub nomine Gregorii adferebantur duo loca ex S. Epiphanio, quæ ibidem ab hæreticis supposita fuisse convincuntur, & tamen hic locus non fuit ab Iconomachis allegatus, qui videretur plus urgere, quam illa duo citata, quod signum est tunc in operibus Epiphanii non fuisse, vel saltem fictum esse constitisse. Et Concilium ibidem falsitatem ostendit, primò dicens de D. Epiphanio, *divinus hic Pater librum 80. capitum edidit, in quo omnes hæreses, &c. damnavit, in quo procul dubio etiam posuisset, quæ de Imaginibus ab istis fertur, si alienam à Christi religione hanc existimasset, quod si autem Ecclesiæ has contra venerandas Imagines expositiones suscepisset, profectò non fuissent illis usa in ornatum templorum.* Vbi usum hunc probat ex *Basilio, Chrysostomo, Gregorio Nazianz. Nysseno, Cyrillo,* &c.

IV. 2. Concilium probat, exemplo discipulorum Epiphanii, qui *templum in Cypro, quod ejusdem Patris nomine appellaverunt, ædificarunt, & cum multis aliis picturis, illius quoq; imaginem ibidem collocarunt,* &c. *si ille Imaginum inspectionem fuisset exetratus, quomodo in tantam audaciam illius discipuli erupissent ut illi Imaginem collocarent,* &c. hæc Concil.

V. Secundò probatur idem ex allegata ad Joannem epistola, ubi postquam conclusio facta esset dicendo, *Deus autem pacis præstet nobis,* &c. hæc verba sine ordine adjiciuntur, dicendo, *præterea audivi quosdam,* &c. & in fine monet Joannem, *ut Palladium caveat, quia originis hæresim prædicat, ne forte aliquis de populo tibi credito ad perversitatem inducat sui erroris,* &c. & tamen tota epistola arguit Joannem Hierosolymitanum de errore originis, &c. rogataque, *ut aliud velum recipiat, quæ valde dissona sunt,* ut clarè pateat ista ab alio imperitè & perversè adjecta esse.

VI. Probatur 3. ex ipsius *Hier. epist. ad Pamach. adversus errores Ioann. Hierosolymit.* in qua epistolam Epiphanii ad eundem Joannem à se translatam summatim refert per singula, & tamen hujus appendicis in minimo non meminit, & in fine arguit Joannem mendacii, qui negarat se Epiphanii adversus se literas recepisse, vel vidisse, imo finxisse Epiphanium alias literas scripsisse, ex quibus evidens videtur, quod Epiphanius Joanni in tam gravi epistola nihil de velo tali incerto, in quo nesciat, quid pictum fuerit, scripsisse, & aliud velum mittit, &c. dicendo, ne similia vela suspendi curet, cum sciebat Joannem sibi Epiphanio prorsus inobedientem, ut Hieron. demonstrat.

VII. Demum fundamentum illud, quod contra scripturarum authoritatem imago hominis pendeat in templo, indignum est doctissimo Epiphanio, qui sciebat, quod Cherubim in specie hominis à Deo ordinati fuerint in Sancto Sanctorum, &c. ubi ergo authoritas scripturæ id prohibens?

Ecce D. Anonyme quale unicum testimonium fictum adferas contra tot clarissima SS. Patrum à nobis allegata testimonia.

Vt vero ad cumulum tibi respondeatur vide D. Epiphanium hæresi 30. suprà allegatum de signaculo S. crucis à Josepho ex Judæis ad fidem converso contra incantationes usurpato, &c. nonne vos eâdem audaciâ usum signi crucis, sicut & imagines, ridetis, & condemnatis? Ecce tibi Epiphanius in libro probatissimo plane contrarius.

ARTICULUS V.

Referuntur & refutantur argumenta secundi Anonymi.

Secundus Anonymus contra imaginum honorem, vel cultum dicit primò, *quod cultus, qui non est civilis sit divinus, adeoq; Idololatria sit Imaginibus cultum plus quam civilem exhibere.* I.

2. dicit, *ut autem Patres circa cultum Imaginum forsitan non dixerint eum Idololatricum esse, sufficit eos abstinuisse, & sic facto eum damnasse nondum ortum, quem ortum suis temporibus damnassent.*

3. dicit: *Audi Lactant. lib. 2. C. 19. mihi 109. quare non est dubium, quin Religio nulla sit, ubi simulacrum.*

Digitized by Google

4. *Et Concil. Elibert. cap. 36.* ait, *placuit picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur.*

5. *Et si Athanasius ipse statuisset Sanctorum Imaginibus deferendum cultum divinum, an quidem ausus fuisset dicere contra idola* cap. 10. *qui quaeso eorum* (de gentilibus loquitur) *non misereatis, idq, vel ea de causa, quod ipsi visu praditi ea, qua non vident adoranda existiment, & audientes, qua non audiunt, precibus sollicitent, & anima rationeq, per naturam ut homines instructi ea, qua ne semel moventur, & inanimata sunt, ut Deos salutent, & quod summa est admirationis, quos ipsi sub sua potestate habent, his veluti Dominis inserviant,* &c. haec Athanas.

Non potuisset intrepido animo objicere gentibus, si ipse per adorationem Imaginum eorundem criminum reus fuisset, haec Anonymus.

II. Respondetur ad primum saepius dictum, quod cultus Imaginum non sit civilis, nec etiam divinus soli Deo debitus, sed longè inferior illo, qui ipsis Sanctis debeatur, qui tamen nec latriae cultu adorantur.

Ad 2. iterum ex penuria authoritatis sanctorum Patrum uteris argumento negativo, nihil dixerunt de cultu, ergo damnarunt, vel damnassent, si tunc fuisset, sed falsum utrumque est, quod tunc cultus Imaginum non fuerit, & quod Patres damnarint, ut constat ex suprà allatis testimoniis.

Ad 3. mirum quod illa Lactantii verba adducantur, fatemur libenter, quod non sit vera religio, ubi simulacra habentur, vel coluntur, simulacra sunt Idola daemonum, at Imagines SS. talia non sunt, ut constat. Vis audire ex Lactantio, quae tibi non placent, vide suprà de veneratione signi S. crucis, quantum extollat signum hoc, quanta miracula per id fieri testetur, & in carminibus monet.

Flecte genu, lignumq, crucis venerabile adora.

Quid ad haec Domine Anonyme? an ergo Lactantius nullius erat religionis, qui sic signum, vel imaginem crucis venerandam monuit?

Ad 4. respondetur *Concilium Elibertinum*, quod tempore persecutionis celebratum est à novendecim Episcopis, nihil absolutè contra usum, vel honorem Imaginum decrevit, non enim absolutè prohibet, ne imagines in templis habeantur, sed ne in parietibus depingatur id, quod colitur, vel adoratur, cum quo consistit, quod imagines Sanctorum, quae colebantur, in tabellis haberentur, vel calicibus sacris formarentur, prout Tertullianus longè illo antiquior in Ecclesia moris fuisse testatur, ut suprà visum est, ut faciliùs amoveri possent, ne à gentilibus irruentibus contumelia afficerentur, vel quia in parietibus facillimè corrumperentur, sic enim etiam prohibitum fuit, ne signum crucis in pavimento sculperetur, ut suprà ostensum est.

III. Respondetur secundo ex hoc loco habetur, quod Sancti sint colendi, & adorandi, quia agitur de Imaginibus Sanctorum, quod est Acatholicis contrarium, cùm dicitur ne id, quod colitur, & adoratur in parietibus depingatur.

IV. Respondetur tertiò: Ex hoc concilio habetur, quod tunc usus Imaginum in templis fuerit, alioquin non statuisset modum, quo non deberent in templo haberi.

V. Respondetur 4. Illud concilium fuit tantum provinciale, nec potuit de fide aliquid decernere, nec fuit confirmatum, insuper errores alios continet, quod scilicet *nec in articulo mortis poenitenti absolutio sit danda*, &c. imo plura statuit Acatholicis contraria *ut quod jejunium Sabbathinum sit servandum* can. 26. *& quod Presbyteri, & Diaconi uxorum usu carere debeant*, &c. quid ergo D. Anonymo ex hoc concilio placet?

VI. Demum certum videtur ex textu, quod concilium non voluerit aliquid de fide tenendum contra usum imaginum definire, sed solum decretum aliquod pro illo tempore ordinare, solum statuendo pro majore veneratione Imaginum, licèt id aliis sanctis Patribus non placuerit, cùm *Gregorius Nazianzenus* & alii suprà allegati illo seculo imagines Sanctorum in templis depictas laudarint.

VII. Ad 5. mirum est qua fronte alleget ista verba S. Athanasii contra cultum imaginum, fatemur & nos, & detestamur omnem idolorum cultum, quae ut Dii latriae cultu adorantur, vel daemones à quibus gentiles salutem petebant, & tamen nos Deum unum cultu latriae adorantes, veneramur cultu creaturae convenienti Sanctos Dei, & propter ipsos imagines eorum longè minore cultu, ut saepius visum est. Quod autem haec simul consistant, vide, & audi ipsum S. Athanasium lib. responsionum ad Antiochum Principem cap. 38. suprà allegatum, ubi vides, quod dicat 1. *absit, ut quemadmodum Graci faciunt, nos Christiani tanquam Deos imagines adoremus*, &c. ecce audet arguere idololatras, & tamen dicit *affectionem duntaxat erga figuram personae per imaginem expressa declarans exemplo Jacob, qui fastigium virga Ioseph dicitur adorasse*, &c. ita ait, *nos Christiani non alia ratione imagines colimus*, & quidem in lib. allegato ad qq. 15. & 16. expressè profitetur, quod *Christiani signum crucis venerentur*, & rationem reddit, ut suprà visum. Ex his patet, quod S. Pater non erubescat, sed ausus sit profiteri, quod Christiani imagines colunt, sed non ut Deos, vel idola, ut idololatras meritò arguat.

Vide ergo ô miser Anonyme, qualiter isto haereticorum malleo, sub quo delitescere cupis, tua audacia conteratur, & quidem ex verbis à te allegatis tu cum tuo Calvino confundaris, qui lib. 1. Inst. cap. 11. § 9. dicit: nec ita stupidi fuisse Ethnici credendi sunt, ut non intelligerent Deum alium esse, quam ligna, & lapides, &c. cùm tamen ex S. scriptura S. Athanasius id asserat.

***

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS VI.

Referuntur argumenta tertii Anonymi contra venerationem Imaginum & refutantur.

I. PRimum dicit: *Hæc talia ſunt, de quibus nihil omnium prima ſciuit antiquitas, nam quod ſimulacra ſpectat, antiquitus Chriſtiani nulla habuerunt, uti clare ex* Arnobii *lib. 6. doceri poteſt § ſequitur, ut de ſignis aliquid ſimulachriſq; dicamus. iterum § . & quid fieri petiu eſt injurioſius, contumelius, durius, quam Deum alterum ſcire, & rei alteri ſupplicare?* hæc Arnobius.

2. *Vos Imagini crucifixi ex Thomæ placito latriam debere deferri non negabitis.* 3. *Sic etiam S. Mariam ſcitis quidem in cœlo eſſe, ſed ad papyraceam alteram ſupplicationes facitis, & religioſas ideo peregrinationes ſuſcipitis, quaſi ſanctior ſit iſta papyracea, alia atq; alia, ſiue lignea, ſive ex metallo ſuſa. O vere, Dei etiam judicio haud refutabili, idololatriam!*

4. *Cenſesne illa mitigari aut excuſari poſſe epitheto cultus plus quàm civilis?*

5. *Annon ille altiſonans in lege ſua, & quidem ejus priore tabula cultum, quem ſibi præſtari quam maxime ſincere poſtulat, præcipit, ita neq; hanc neq; hoc negare quiſquam poteſt. niſi perfrictiſſimæ fuerit frontis.*

6. *Quod igitur cultus illi aduerſatur, ut eſt facere imagines cujuſcunq; tandem rei ſiue cæleſtis, ſiue terreſtris habeant ſimilitudinem, eaſq; religioſe colere, & ut verba propria ſonant, ſeſe coram iis incuruare, putasne Domine pater illam eſſe leuem idololatriam?*

7. *Atq; multis modis iſti præcepto contrauenire vos docent extantia ubiq; apud vos εἴδωλα ſimulachriſq; oblata anathemata, baſia, induta ſericæ veſtes, facta circumportationes, luſtrationes & geniculationes.*

8. *At de nobis Reformatis vos dicere nequitis, quod faciamus, quod facta colamus idola; quænam igitur Eccleſia, veſtrane, an noſtra, legi diuinæ eſt hac in parte obſequentior, aut ab Idololatria remotior?*

Reſpondetur ad præmiſſa.

II. Ad primum quod antiquitas nihil ſciverit de cultu reliquiarum, vel Imaginum, aut S. crucis, ut in articulo habetur, ad quem D. Anonymus reſpondere conatur, quàm craſſum ſit mendacium, ex hactenus SS. Patrum teſtimoniis nimis evidens eſt, ut ex Ignatio, & plurimis aliis.

Ad id quod ex Arnobio probare nititur patet primò quod is floruerit circa annum Chriſti 280. quo longè antiquiores ſunt prædicti Patres, *Ignatius Martyr, Dionyſius, Juſtinus, Hyppolitus*, &c. de ſigno S. crucis, &c. *Methodius, Origenes*, &c. & quidem ſingulariter traditio de Imagine Salvatoris ab Hæmorroiſſa erecta, &c. tot Patrum teſtimoniis probata.

III. Reſpondetur ſecundo negatur, quod Arnobius neget uſum Imaginum Sanctorum in primitiva Eccleſia, ſed tantum idola dæmonum, vel falſorum Deorum, nam ex profeſſo argumentatur contra gentiles, qui urgebant, cur Chriſtiani etiam non habuerint ſigna, & ſimulachra, qualia ipſi habebant: quæ ipſi tanquam veros Deos adorabant, tales Arnobius negat Chriſtianos habere, contra talia argumentatur, ſive Gentiles dicant, *quod ſignis quidem ſupplicent, ſed Deos alios eſſe ſciant, qui ſimulachra inhabitant*, ut Arnobius ibidem refert, & hæc vocat ſigna, ideo infrà §. Erubeſcite, ſic ait: *Erubeſcite ergo vel ſero atq; ab animantibus multis vias rationis accipite, doceantq; vos eadem nihil numinis ineſſe ſimulachris.*

Reſpondetur 3. quod Arnobius quævis ſigna in Eccleſia eſſe neget, id ex verbis ejus nullo modo deduci poteſt. Et contrarium ex S. ſcriptura conſtat, ſcilicet, Cherubim fuiſſe in ſancto Sanctorum; ex Patribus antiquis patet, & quidem Acatholici juxta ſuam doctrinam id docere non poſſunt, qui volunt, quod Euchariſtia ſit tantum ſignum corporis Domini, quo utuntur, quod utique volunt in primitiva Eccleſia uſurpatum eſſe, adeoque aliquod ſignum fuiſſe fatentur. IV.

Reſpondetur 4. quæ *Arnobius* improbat, & Eccleſia condemnat, ut patet ex concilio Nicæno 2. & Concil. Trid. ſuprà allegato, ſed oſtendat D. Anonymus, quod Eccleſia Catholica colat ſimulachra, quibus credat ineſſe divinitatem, vel quod ab iis aliquid petat, aut ſperet? aut illis ſupplicet? V.

Ad 2. reſpondetur: hæc ſunt verba D. Thomæ 3. p. q. 25. art. 4. *Reſpondeo dicendum, quod ſicut ſuprà dictum eſt, honor ſeu reuerentia non debetur niſi rationali naturæ*, &c. *& hoc dupliciter, uno modo in quantum repræſentat rationalem naturam, alio modo in quantum ei quocunq; modo conjungitur, primo modo, ſic Regis imago, ſecundo modo ejus veſtimentum venerari ſolet. Crux in qua Chriſtus pependit utroq; modo nobis veneranda eſt, & utroq; modo adoratur eadem adoratione cum Chriſto, ſcilicet adoratione latriæ*, hæc D. Thomas. Vbi nullo modo vult, quod materia crucis cultu latriæ adoretur, ut ſatis explicat, ſed latria terminetur ad Chriſtum, qui ſolus adoratur cultu latriæ propter ſe, & crux tantum concomitanter, ſicut veſtis Regis, ſicut Concil. Trid. clariſſimè exponit, & nos copioſiſſime ex SS. Patribus oſtendimus, cur ergo verbis fallacibus D. Anonymus S. Thomam & Eccleſiam calumniatur? VI.

Ad 3. ſcimus B. Virginem eſſe in cœlis, ſed negamus, quod papyraceam ejus imaginem cultu latriæ adoremus, cum nec ipſam B. Virginem ſic colamus, ut patet: ſed ex illa papyracea imagine conſtare deberet, quod nihil Catholici divinitatis. vel virtutis tribuant imagini, quæ ei inſit, cum conc. Trid. tam clarè contra id proteſtetur. VII.

Sed ad loca ubi imagines B. Virginis quædam adſervantur, ideo Chriſtiani peregrinantur, quia experimento didicerunt, non quod imagines miracula faciant, ſed quod Deus in tali loco ad talem imaginem cujuſcunque materiæ, in qua nihil conſiſtit virtutis, miracula operari velit, & plurimorum peccatorum corda longo tempore obdurata ad pœnitentiam perducat propter B. Virginem, vel etiam ſanctum, ſicut etiam ad certa loca, ubi SS. Martyrum corpora extant; & ſpecialiter ad loca ſancta Palæſtinæ peregrinationes fiunt, ubi Dominus vixit, & pro nobis mortuus eſt. Has peregrinationes ſanctas eſſe, & licitas, conſtat ex S. ſcriptura, cum Deus Deut. 16 v. 5. juſſit, *ut non alibi, ſed in loco, quem elegit Dominus, Paſcha Iſraelitæ immolarent*, & Luc. 2. v. 41 *Ibant parentes Jeſu per omnes annos in Jeruſalem in die ſolemni Paſcha* Act. 20. v. 16. *Feſtinabat Paulus, ſi poſſibile eſſet, ut diem Pentecoſten faceret*

Hierosolymis, & Act. 24. v. 11. dicit: *Non plus sunt mihi dies, quam duodecim, ex quo ascendi adorare in Jerusalem, & ibid. v. 17. eleemosynas facturus in gentem meam, veni, & oblationes & vota*, &c. ex quo loco Hieronymus epist. 17. ad Marcellam probat bonum esse ad loca sancta peregrinari, & hoc ipsum plurimi SS. Patres & facto, & scripto docuerunt, sufficiat unus Augustinus epist. 137. ad Clerum populumque Hipponensem edit. Basil. 1528 ubi enarrata contentione inter duos dicit; *Elegi aliquid medium, ut certo placito se ambo constringerent ad locum sanctum se peregrinaturos*. Et infrà: *Ubiq; quidem Deus est, & nullo continetur, vel concluditur loco, qui condidit omnia, & eum à veris adoratoribus in spiritu, & veritate oportet adorari*, &c. *veruntamen ad ista, quæ hominibus visibiliter nota sunt, quis potest ejus consilium perscrutari, quare in aliis locis hæc miracula fiant, in aliis non fiant, multis enim notissima est sanctitas loci, ubi B. Felicis Nolensis corpus conditum est, quo volui, ut pergerent*, hæc Augustinus. Quid clarius pro pietate peregrinationum, & contra calumnias Acatholicorum dici posset?

Qua fronte ergo ô miser Anonyme dicere audes, quod Deo inretutabili indicio hæc vera idololatria sit? An ergo Deus Deut. 16 Judæos idololatrare mandarit? an parentes Domini? an Paulus idololatriam commiserit peregrinando Hierosolymam?

Ecce falsissima, quæ nobis falsò imponis, *non supplicamus Imagini ulli, nec vota illi facimus, sed Deo votum facimus*, nos ad talia loca ad honorem ipsius, & B. Virginis ituros, ibique Deum cultu latriæ adoraturos, & B. V. pro intercessione invocaturos ubi experimento constat, quod Deus beneficia conferre velit; tune Deo legem pones? sequere Augustinum.

Ad 4. certissimum est, quod in prædictis actibus nulla prorsus committatur idololatria, nec ulli imagini latria exhibeatur, ut satis dictum est. sed imagini exhibetur cultus aliqualis propter B. V. qui tamen longissimè distat à cultu B. Virginis, sicut homo pictus ab homine vero, ut sæpius dictum est, & hunc cultum dicimus nullo modo esse latriæ, cùm nec cultus B. V. latriæ sit, nec est civilis, quia non ob excellentiam politicam hominis, civilis exhibetur, sed ob excellentiam sanctitatis B. Virginis, quam repræsentat, & hunc dicimus reduci ad cultum religiosum, licèt secundùm quid tantum, sicut homo pictus reducitur ad hominem verum; quid in his mali? quid in his idololatriæ nisi in tuo perverso cerebro, qui talem nobis contra solem affingis?

VIII. Ad 5. respond. certissimum est, quod Deus Exod. 20. & Deut. 4. in priore tabula Decalogi prohibeat fieri qualecunque sculptile, cui cultus soli Deo debitus, qui est latria, exhibeatur; sed quid hoc contra nos?

IX. Ad 6. absolutè negatur, quod cultus religiosus, qui Sanctis vel eorum imaginibus exhibetur, adversetur præcepto dicto Dei, dictum est enim sæpissimè cum D. Augustin. 10. de civ. cap. 1. edit. cit. quod etiam creaturæ dicantur religiosè coli, cùm dicit Augustinus, *dicimur enim colere homines, quos honorifica vel recordatione, vel præsentia frequentamus, nec solum ea, quibus nos religiosa* (NB) *humilitate subjicimus*, &c. hæc Augustin. Qui hunc religiosum cultum toto cælo distinguit à cultu latriæ soli Deo debito: vocatur autem hic cultus religiosus, quia exhibetur propter sanctitatem alicujus, & non propter excellentiam aliquam politicam. Deus autem electos suos vocat Sanctos dicens: *Sancti estote, quia ego sanctus sum* Levit. 11. v. 44. Sed sicut illi non sunt Sancti, ut Deus, sic nec honor illorum est religiosus, prout cultus Dei est religiosus, hic cultus exhibetur Sanctis, & alius secundùm quid exhibetur illorum imaginibus, ita ut cultus principaliter tendat ad prototypon. Sic satis declarat Concil. Trid. sess. 26. sæpe allegatum dicens, *quod honor, qui imaginibus exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant, ita ut per imagines, quas osculamur, & coram, quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerant, veneremur*, ubi hic non levis idololatria? nisi in tua perversâ interpretatione, qui veritatem Catholicam tam apertè explicatam non vis agnoscere, ut calumniandi prætextum habeas.

Ad 7. manifesta & impudens calumnia est, non enim sunt ulla in Ecclesia Catholica idola, vel simulachra, quæ scilicet, ut Dii, adorantur, vel quæ referrunt falsos Deos, sed sunt imagines Christi, & Sanctorum, sicut in vestris domibus habetis imagines Principum, quas idola dici non vultis, ut suprà satis ostensum est. X.

Nec ullis imaginibus oblata facimus, sed uni Deo verum S. Eucharistiæ sacrificium offerimus, oblationes autem facimus in honorem Dei, & Sanctorum, pro sustentatione ministrorum Ecclesiæ, vel illius ornamentis, aut pauperibus in locis, ubi Deus per intercessionem Sanctorum ad præsentiam reliquiarum, vel imaginum beneficia præstare dignetur, sicut Paulus Act. 24 v. 17. *Venit in Jerusalem, eleemosynas facturus, & oblationes*, &c. quæ in hoc idololatria? quod etiam imagines osculemur in memoriam, & honorem Christi, vel Sanctorum, vel illis pretiosæ vestes apponantur, vel quod circumportentur, sicut olim arca Dei circa Jericho portabatur Josue 6. v. 9. vel quod ante illas genu flectimus adorantes Christum, nullus fit imaginibus latriæ cultus, ut evidens est, si quis autem à privatis in his abusus fiat, id non probat, sed condemnat S. Ecclesia, ut patet ex verbis Concilii Trid. allegatis præcipiendo dicentis, *omnis porro superstitio in Sanctorum invocatione, reliquiarum veneratione, & imaginum sacro usu tollatur*, &c. unde patet, quod propter abusum nullo modo usus à S. Scriptura, & SS. Patribus probatus, tollendus sit.

Ad 8 quod de vobis prætensis reformatis, dicere non possumus, quod exterius faciatis idola, vel illa colatis, transeat, licèt verè de vobis dicere possimus, quod in mente pessima formetis idola, fingentes falsas doctrinas, & illas pro veris prædicantes. Sed nec de Catholica Ecclesia dicere potestis, quod exterius idola faciamus, vel colamus, nec interius in falsa doctrina hæramus. XI.

Quod autem imagines Cherubim, & Angelorum, Christi, & aliorum SS. faciamus, & propter prototypa debito cultu sæpe explicato honoremus, legi Dei non adversatur, sed legi Dei obsequentes Deum unum cultu latriæ colimus, & exemplis S. script. imagines sic formando inhæremus; vos autem legem Dei perversè explicantes de omni

Digitized by Google

de omni formatione imaginum, & catholicam Eccleſiam in imaginibus ſic formandis condemnantes, legi Dei & S. ſcripturæ adverſamini: ſcriptum eſt enim: *Lex iram operatur, ubi enim non eſt lex, nec prævaricatio* Rom. 4. v. 15. oſtendat nobis legem hunc imaginum uſum prohibentem, quòd cùm non poteſtis, contra legem charitatis facitis nos injuſtè idololatriæ condemnantes.

ARTICULUS VII.

Referuntur argumenta tertii Anonymi contra cultum S. crucis.

I. ANonym. ſic pergit. *Multi vero religioſius antiqui, quam vos cultum divinum præſtare voluere, quando ore rotundo apud Minutium aiebant, cruces nec colimus, nec optamus.*]

Quid igitur videtur tibi Domine Pater de [antiquis illis Chriſtianis utrùm debeant cum Romanenſibus, an vero cum reformatis in eadem Eccleſia navi? cogita deſuper. Hæc ille.

II. Reſpondetur ad primum hic manifeſtè malitiam, vel ignorantiam declaras, ô Anonyme, quod brevi illo Minutii piiſſimi Patris verbo omnem cultum cruci Domini exhibendum condemnatum velis, cum tot ſanctiſſimi Patres ab initio Eccleſiæ, ut *Ignatius, Dionyſius, Iuſtinus,* & cæteri ſupra recitati tantopere etiam S. crucis ſignum venerabile prædicent, & à Deo tot miraculis probatum demonſtrent.

Cæterum lege *Minutium*, & agnoſce tuam calumniam; ipſe ibi refert, quod gentiles Chriſtianis objecerint, primò: *Quod hominem noxium, & reum in cruce punitum pro Deo adorent,* 2. *quod crucem ſimiliter ut Deum adorent.* Ad hæc reſpondet Minutius.

I. dicens: *Quod religioni noſtræ hominem noxium & crucem ejus aſſcribitis longe de vicinia veritatis erratis, qui putatis Deum credi, aut meruiſſe noxium, aut potuiſſe terrenum, ne illi miſerabiles, cujus in homine mortali ſpes omnis innititur, Ægyptii ſane hominem ſibi, quem colant, eligunt illum unum propitiant, illi victimas cædunt, & ille, qui cæteris Deus, ſibi certe homo eſt, velit, nolit,* &c. deinde ſubjicit Minutius ad 2. dicens: *Cruces etiam nec colimus, nec optamus, vos plane, qui ligneos Deos conſecratis, cruces ligneas, ut Deorum veſtrorum partes, adoratis,* &c. hæc ille.

Ecce D. Anonyme qualem Minutius cultum cruci à Chriſtianis exhiberi negat, illum & nos negamus, ſed non negat Minutius crucem propter Chriſtum venerandam, & honorandam, quod omnes SS. Patres tradunt. Quicquid ſit de eo, quod dicit: *Nec optamus*, id quidem ſecundùm affectum naturalem verum eſt, ſed S. Andreas, & alii Sancti ad illam anhelarunt propter Chriſtum.

III. Cæterum ſi omnem honorem cruci exhibendum ex his Minutii verbis urgeas, vide ne impius ſis in ipſum Chriſtum Salvatorem verum Deum, & hominem. Nonne ibidem Minutius dicit, *quod longè à veritatis vicinia erret, qui Chriſtianæ religioni aſſcribit hominem qualemcunque mortalem,* ergone Chriſtus homo pro nobis mortalis ad religionem noſtram non ſpectat? quid ad hæc dicis miſer Anonyme? Ergo verum eſt, quod dicit Minutius, quod nec Chriſtum propter humanitatem, ut verum Deum adoramus, ſicut gentiles opinabantur, & objiciebant, licet tamen adoretur ejus humanitas, quatenus conjuncta eſt verbo. Sic verum eſt, quod nec crucem cultu latriæ propter ſe ullo modo adoremus, ut gentiles calumniabantur, & tamen verum manet, quod crux propter Chriſtum honoretur, quod Eccleſia Catholica docet.

Cæterum ex hac gentilium, ſicut & Juliani IV.
ſuprà relata ac aliorum contra Chriſtianos in primitivâ Eccleſia Calumnia, quod crucem loco Jovis adorarent, manifeſtè conſtat, quod Chriſtiani ſingulari honore crucem Domini venerati ſint, licet ipſi gentiles ſua perverſitate, & malignitate honorem illum ſoli Deo debitum eſſe explicarint, ut contra Chriſtianos, qui illis idolorum cultum exprobrabant calumniandi anſam haberent, ſed Chriſtiani econtra his calumniis minimè moti veram gentilium idololatriam deteſtati ſunt, & in vero crucis Chriſti & imaginum honore perſeverârunt, ut ſuprà copioſè oſtenſum eſt.

Demum dic mihi ô D. Anonyme, ſi tu cum tuis crucē horreas, & averſeris, quatenus diabolus & Judæi illam amabant in Chriſti & diſcipulorum exterminium? hoc ſenſu & SS. Patres, & Eccleſia crucem averſantur: ſed quæritur an diabolus & Judæi ament, & quærant crucem, prout fuit inſtrumentum Redemptionis noſtræ & victoriæ ſignum? utique ſic crucem horrent, & deteſtantur, de quibus Apoſtolus Philipp 3. v. 18. *Inimici crucis Chriſti.* At vero hoc ſenſu SS. Patres, & Eccleſia crucem amant, & honorant. Declarate ergo, quo ſenſu crucem ipſam deteſtemini, ſi in ſenſu SS. Patrum? cur non etiam in ſenſu SS Patrum amatis, ſicut illi hanc honorarunt, præſertim cùm gloriemini vos omnem ſpem in paſſionem Domini collocare, ac proinde illam amare, & honorare oportet cum Apoſtolo ad Galat. 6. v. 14. *mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Et tamen paſſio ipſa, in quantum à diabolo promota, & à Judæis inflicta etiam deteſtanda eſt, ſed non in ſenſu, quo Chriſtus paſſionem à Patre pro nobis ſuſcepit, &c. Cur ergo crucem Domini abſolutè deteſtamini, & ſigna illius horretis cum diabolo & gentilibus? & non cum SS. Patribus in Eccleſiæ ſenſu veneramini?

Reſpondetur igitur ad argumentum alterum. Dic mihi D. Anonyme quid tibi de antiquis Chriſtianis videtur, utrùm debeant cum prætenſis Reformatis, qui cum gentilibus & diabolo crucis Domini & SS. imaginum honorem deteſtantur, abominantur, & horrent; an verò cum modernis Catholicis, qui cum iſtis antiquis Chriſtianis crucem Domini ejusque ſignum, ac Sanctorum imagines debito cultu venerantur in eadem Eccleſiæ Chriſti nave?

Cogita deſuper, & ſi ulla honeſtatis & veritatis ſcintilla in corde extet, dubio procul oculos aperies, & Catholicam Romanam Eccleſiam modernam cum antiqua convenientem, vos autem cum gentilibus conſentientes, agnoſces.

Hoc ut cuilibet ad oculum pateat, ſequentes Antitheſes ex præmiſſis brevitatis gratia declarabunt.

***

ANTITHESES

In quibus Catholica veritas, & Acatholicorum falſitas circa honorem S. crucis, ejusque ſigna ex ſanctis Patribus primorum ſeculorum proponitur.

I. PRimò *SS. Patres tradunt*, quod S. crux Domini, in qua Chriſtus ſalutem noſtram operatus eſt, quam gentiles & Judæi in terra altiſſimè defoderant, per Dei revelationem, & miraculosè ſit inventa tempore Conſtantini Magni Anno 325. quodque non ſolum crux ipſa, ſed & minima particula illius in ſummo apud Chriſtianos honore fuerit, & feſtum Inventionis celebratum ſit, *ita S. Eccleſia Catholica.*

Acatholici S. crucem in terris altiſſimè defodiendam volunt, nec ullo modo honorandam, ſed execrandam, cum Beza Brenzio, &c. multò minùs feſtum ejus celebrandum.

2. *SS. Patres tradunt*, quod juxta verbum Chriſti Matth. 24. v. 30. in die judicii crux, vel ſignum crucis tanquam ſignum Filii hominis parebit in ſolatium electorum, & confuſionem reproborum, ita etiam Eccleſia Catholica credit.

Acatholici id negant, & rident.

3. *SS. Patres tradunt.* quod Chriſtiani ab initio Eccleſiæ, dum ipſa crux adhuc latuit, ſigno crucis ſive in ligno, vel lapide; aut alia materia ſculpto, ſive manu in aëre formato in omnibus locis, & templis, ac actionibus uſi ſint, & ſingularem honorem illi impenderint. *Ita etiam practicat Eccleſia Catholica.*

Acatholici cum Iudæis Iuliano Apoſtata, & Mahomet ſigna crucis abominantur, è templis dejiciunt, ut idola, & ſigna crucis in fronte, vel aëre per manus formata ſuperſtitionis arguunt, ac Catholicos, ut S. crucis idololatras, condemnant.

4. *SS Patres ex S. ſcriptura docent* ſignum crucis in frontibus fidelium formandum ab Ezech. c. 9. v. 4 per ſignum Tau figuratum eſſe traduntque fideles ab initio ſe ſigno crucis in fronte ſignaſſe, multaque miracula edidiſſe, magias & incantationes diſſipaſſe. *Ita etiam Eccleſia Catholica uſurpat.*

Acatholici dicere audent, quod ſignare ſe ſigno crucis non ſit pietas, ſed Magia, & Idololatria, nec dæmones inde terreantur, ſed ſimulent, ut homines in ſuperſtitione conſerventur.

5. *SS. Patres docent*, quod Chriſtiani ſignum crucis ſingulariter coluerint, coram illo proſtrati Chriſtum adorarint, ita etiam Eccleſia obſervat.

Acatholici hæc perfricta fronte negant, & idololatriæ damnant.

6. *SS. Patres tradunt*, quod in primitiva Eccleſia piiſſimi *Imperatores, Conſtantinus Magnus, Theodoſius*, &c. S. crucem ejusque ſigna, ac imagines Chriſti, ac Sanctorum ſingulariter honorarint, in templis collocarint, quos ſectantur Catholici Imperatores, & Reges. *Ita Eccleſia Catholica.*

Acatholici verò ſequuntur illos Imperatores, qui ſeculo 6. & 7. ſigna crucis, & imagines Sanctorum è templis ejicere, igne concremare, & imaginum veneratores viros ſanctiſſimos martyrio afficere cæperunt, de quibus Imperatoribus omnes hiſtorici teſtantur, quod fuerint impiiſſimi, & peſſimæ vitæ, ut *Leo Iſauricus, Conſtantius, Copronymus, Leo Armenus, & Michael balbus*, &c.

7. *S. Synodus 6. & præſertim 7. in Græcia legitimè celebrata* decernunt ex doctrina, & traditione SS. Patrum ab initio Eccleſiæ quod ſignum crucis, & imagines Chriſti, & SS. ſint venerandæ, & debito honore, nullo vero modo cultu latriæ, afficiendæ, ſed ſicut S Scriptura, vel S. Euangelia, idque propter prototypon, & non propter ſe, *ita & Catholica Eccleſia.*

Acatholici cum Calvino SS. conciliis falſiſſima imponunt, quod ſanctiſſimæ cruci, & imaginibus eundem honorem, qui ſanctiſſimæ Trinitati debetur, exhibendum decreverint.

8. *SS. Patres juxta S. Scripturam docent* pias eſſe, & ſalutares peregrinationes ad loca ſancta, ubi vel Reliquiæ, vel memoriæ, aut imagines quædam Sanctorum extant, *ita Eccleſia Catholica.*

Acatholici hæc ſuperſtitionis damnant.

CONCLVSIO.

VIdeat, & conſideret hæc ſincerus Chriſtianus lector, & judicet, an pia vetuſtas in Eccleſia, ut Acatholici dicere audent, primis quingentis annis tam uſum, quam cultum ſigni S. crucis, ac imaginum Chriſti, & Sanctorum ignorarint, vel illum deteſtata ſit, ponderet, & attendat, quàm craſſa, & palpabilia mendacia Acatholici proferant, quantis calumniis Eccleſiam Catholicam impetant, quàm falsò & injuriosè eam Idololatriæ in cultu imaginum condemnent, conſideret, quàm conformiter S. Scripturæ cum SS Patribus Eccleſia S. crucis, & imaginum honorem promoveat, & tandem dijudicet, Catholici, an Acatholici legi Dei obſequentiores, hi, an illi, in eadem cum antiquis Patribus Eccleſiæ Navi vehantur. Videant hæc tres Domini Anonymi, & confundantur, ſed utinam cum aliis converterentur. I.

***

FINIS LIBRI SEPTIMI.

LIBER

Digitized by Google

LIBER VIII.

De Purgatorio, & suffragiis pro defunctis.

INter articulos quos Acatholici contra Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, quasi de fide vera credendos urgent, & quos D. vexilliter quasi ab antiqua Ecclesia creditos ac à SS. Patribus doctos esse probandos susceperat, cujus vicem tres auctores Anonymi subierunt, hi duo erant; scilicet, 1. *quod nullo modo liceat orare pro fidelibus defunctis*, Alter; *quod nullum sit post hanc vitam ante diem judicii purgatorium: Seu talis status, in quo animæ quædam fidelium defunctorum pœnas temporales patiantur.* Qualiter autem isti DD. Anonymi hos suos articulos probare conati sint, in fine videbitur, ubi eorum argumenta referentur & refutabuntur.

CAPVT I.

Referuntur sententiæ diversæ circa Purgatorium.

ARTICULUS I.

Quid Acatholici senserint & sentiant de oratione & suffragiis pro defunctis fidelibus?

I. PRimus inter Christianos qui publicè docuerat sacrificia vel orationes fidelibus defunctis non prodesse, nec pro illis orandum esse fuit *Aërius* sectæ Arianæ circa Annum 350. ut tradunt *Epiphanius* hæres. 53. ut infrà patebit.

VValdenses circa annum 1180. idem negarunt, ut testatur *Æneas Sylvius* hist. Bohem. cap. 38.

Ioannes Huß tamen quem Lutherani & Calvinistæ parentem suum profitentur de fidei suæ elucidat. Tom. 1. fol. 51. dicit. *Beati viventes juvant suis orationibus jejuniis atq; eleëmosynis & aliis operibus sanctis dormientes Ecclesiæ ut à pœnis purgatorii exeant, & in patria citius collocentur*, &c. hæc ille.

II. *Lutherus* de orat. pro defunctis nihil expressè videtur dixisse nisi in lib. de privata Missa, ubi negat purgatorium & suffragia, ´ed ejus discipuli *centuriatores Magdeburgenses* cent. 1. lib. 2. cap. 4. col. 460. damnant orationes pro defunctis.

Confessio Augustana tit. de Missa sic profitetur: *Docent nostri hanc opinionem de merito & applicatione Missæ scilicet pro vivis & defunctis falsam & impiam esse.*

III. *Calvinus* lib. 3. Inst. cap 5. §. 10. sic ait: *Cùm mihi objiciunt adversarii ante mille trecentos annos usu receptum esse, ut precationes fierent pro defunctis, eos vicissim interrogo, quo Dei verbo? quâ revelatione quo exemplo factum sit?* & infrà: *Nunc quum tota lex & Evangelium nec una quidem syllaba, libertatem suggerunt orandi pro mortuis, profanatio Invocationis Dei est tentare plusquam nobis præcipiat*, &c. hæc Calvinus non minus falsò pro more suo quam audacter sententiare audet. Vbi patet quod Calvinus absolutè negat orandum esse pro mortuis prout ego in articulo proposueram quod intelligendum de orationibus quæ pro defunctis funduntur, ut juventur vel liberentur, quia de hoc est absoluta quæstio itaque prius ostendetur quod suffragia prosint defunctis; postea de loco purgatorii dicemus, licèt unum ex altero dependeat & sequatur, si in sensu Catholico intelligatur.

ARTICULUS II.

Propositur doctrina Ecclesiæ Catholicæ quoad orationes pro defunctis & declaratur.

DOctrina Catholica exprimitur & definitur in *Concil. Trid.* sess. 25. in decreto de purgatorio his verbis: *Cum Catholica Ecclesia Spiritu Sancto edocta ex sacris literis & antiqua Patrum traditione in sacris conciliis & novissime in hac æcumenica synodo docuerit, Purgatorium esse, animasq; ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari*, &c. sic autem definit sess. 6. can. 30. *si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exolvendæ, vel in hoc seculo vel in futuro in purgatorio, antequam ad Regna cælorum aditus patere possit, anathema sit*, &c. ita *Concil.* I.

Pro majore declaratione doctrinæ Catholicæ *sciendum* 1. quod dupliciter possit dici sacrificium missæ pro defunctis offerri, semel pro illorum tantum commemoratione & gratiarum actione ad Deum, qui illos salvavit, hoc modo sacrificium offertur pro defunctis illis, quos certò constat cum Christo esse in gloria, ut patebit infrà ex Liturgiis & SS. Patribus, & sic impropriè diceretur etiam oratio fieri pro defunctis talibus, de hoc modo non est quæstio an sic oretur pro defunctis. II.

Aliter sacrificium offertur pro defunctis ad ipsorum refrigerium & solatium à Deo impetrandum & hoc modo Acatholici negant, & Ecclesia Catholica affirmat.

2. *Sciendum* quod Catholica Ecclesia doceat homines nihil à Deo impetrare vel Deo satisfacere pro quacunque culpa vel pœna nisi in virtute meritorum Christi, ut expressè definit quoad pœnas Concil. Trid. sess. 14. can. 13. his verbis: *Si quis dixerit pro peccatis quoad pœnam temporalem minime Deo per Christi merita satisfieri* pu-

Digitized by Google

pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis vel à sacerdote injunctis sed neq; sponte susceptis, vel jejuniis orationibus & eleemosynis, &c. anathema sit. Ubi concilium duo supponit.

III. Primum quod Christus meruerit nobis gratiam & gloriam & pro peccatis quoad pœnam & culpam satisfecerit juxta illud 1. Joann. 2. v. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum sed pro totius mundi*, & illud Joann. 15. v. 5. *Sine me nihil potestis facere* & alibi sæpe.

2. Quod etsi Christus pro nobis satisfecit plenariè non tamen immediatè & nudè omnibus & singulis peccata & pœnæ remittantur sine omni hominis dispositione vel opere, alioquin omnes indifferenter nullo excepto salvarentur, Ethnici, Judæi, pessimi & boni, quia Christus pro omnibus satisfecit ut suprà ex 1. Joann. 2. dictum.

IV. Itaque S. Ecclesia juxta S. Scripturam docet quod per Sacramenta à Christo instituta & veram contritionem merita Christi hominibus applicentur ut à Deo primam gratiam consequantur, in hac autem Dei gratiâ constituti cum Dei auxilio & per merita Christi ulteriora gratiæ & gloriæ dona mereantur, ac etiam pro pœnis debitis satisfaciant, vel pœnarum remissionem pro aliis obtineant, ita ut nulla remissio nec culpæ nec pœnæ pro se vel pro alio à Deo nisi per merita Christi impetretur: unde patet quod Acatholici cum Calvino mendaciter Ecclesiæ imponant, quasi asserat, quod passio & mors Christi pro peccatis & pœnis ante baptismum commissis satisfecerit; pro illis autem peccatis quæ post baptismum commissa sunt oporteat nos hîc vel in purgatorio luere aut satisfacere, quasi non Christus satisfecisset ut indicat Calvinus suprà & Petrus Molinæus in suo mendaci libro intitulato Clypeo fidei impropetat.

V. *Sciendum 3.* quod Ecclesia Dei doceat duplicis generis esse peccata, alia mortalia quæ hominem Dei inimicum constituunt, & reum æterni supplicii. Alia venialia, quæ etiam ab homine in gratia Dei manente committuntur ut ex S. Scriptura & SS. Patribus constat.

4. *Sciendum* quod peccatis mortalibus duplex *pœna* debeatur, una *æterna* inferni, quæ in ipsa prima justificatione cum ipsa culpa mortali à Deo per Christi merita remittitur: Alia *temporalis*, quam Deus remissâ culpâ mortali reservat vel in hoc seculo vel in futuro luendam.

VI. Sciendum 5. quod Ecclesia doceat, hujus pœnæ temporalis post remissionem culpæ reservatæ, posse hominem à Deo per merita Christi obtinere condonationem per diversa bona opera, sicque pro illis satisfacere, quamvis subinde certo Dei judicio aliquæ pœnæ temporales sint, quas Deus toto vitæ tempore remittere nolit, hujusmodi sunt pœnalitates certæ ob peccatum originale homini inflictæ, ut naturales miseriæ & infirmitates ac ipsa mors quam omnes homines incurrunt propter peccatum originale juxta illud Rom. 5. v. 12. *Per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit.* Sic etiam Deus pœnas Moysi & Aaron de non ingrediendo terram promissionis ob peccatum in monte Oreb, & Davidi de morte pueri comminatas non relaxavit, de quibus infrà.

Sciendum 6. docere Ecclesiam; quod in baptismi Sacramento, omnis culpa & pœna etiam temporalis, præter dictas pœnalitates dimittatur, at vero in Sacramento pœnitentiæ non semper omnis pœna temporalis relaxetur quod infrà probabitur. VII.

Sciendum 7. docere Ecclesiam, quod Deus subinde bonis & electis immittat afflictiones & miserias, non in pœnam præteritorum peccatorum, sed ad exercitium patientiæ & exemplum aliorum, subinde vero in pœnam peccatorum, idque ex S. Scriptura colligitur, 1. ex lib. Tobiæ cap. 2. v. 12. ubi dicit Scriptura, hanc tentationem ideo Dominus permisit evenire illi (Tobiæ) ut posteris daretur exemplum patientiæ sicut & S. Job, &c. 2. infrà probabitur.

Itaque priusquam de oratione pro defunctis agetur, probandum erit 1. quod post remissam culpam mortalem ordinario Deus reservet pœnam temporalem luendam. 2. quod in Sacramento pœnitentiæ non semper pœna temporalis remittatur. VIII.

3. Quod illa pœna si in hac vita non exsolvatur vel remittatur, in futuro seculo luenda sit.

4. Quod pro remissione illius pœnæ suffragia viventium defunctos juvare possint sicut viventes possunt suis precibus alios viventes juvare, idque vel per sacrificium missæ, vel per orationes vel alia pia opera aut indulgentias: nos omissis illis quæ salvâ fide inter Catholicos disputantur, doctrinam Catholicam demonstrabimus. IX.

***

CA-

CAPUT II.

De pœna temporali post remissam culpam.

ARTICULUS I.

Quod post remissionem culpa Deus ordinario reservet pœnam temporalem luendam in hac vita.

I. HAnc juxta sacræ Scripturæ auctoritatem & sanctorum Patrum traditionem definivit Concil. Trid. sess. 14. can. 12. his verbis: *Si quis dixerit totam pœnam simul cum culpa remitti semper à Deo, &c. pœnitentium satisfactionemque non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, anathema sit.*

II. Probatur hæc veritas ex sacra Scriptura vet. testamenti 1. Gen. 2. v. 17. *De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas, in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Ubi evidens est quod mors naturalis homini omni comminata sit propter transgressionem hujus præcepti, ut Apost. ad Rom. 5. suprà declarat, hanc pœnam constat omnes subire quibus peccatum originale dimissum est; etiam multos per modum nudæ vindictæ, & non emendationis vel castigationis; ut Calvinus loquitur; nam parvuli, morientes non habent inde motivum emendationis licèt quibusdam adultis, *Et sit pœna peccati, & si pro pietate & justitia pendatur, ipsis fiat gloria renascentis* ut ait *Augustinus* lib. 13. civit. cap. 6.

III. 2. Exod. 32. ubi cùm populus adorasset vitulum aureum, & Deus omnes delere volebat tamen ad preces Moysi dicitur v. 14. *placatusque est Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat adversus populum Moysi*, tamen v. 27. mandavit punitionem per filios Levi, & subjungitur. *Feceruntque Filii Levi juxta sermonem Moysi, cecideruntque in die illa quasi viginti tria millia hominum*, &c. ubi certum est quod Deus jam ignoverat pluribus peccata qui doluerant & tamen morte puniti fuerint, non in castigationem sed vindictam illorum qui mortui fuerant, quod amplius patet in sequentibus v. 31. Moyses pro pro reliquo populo precatus dixit, *aut dimitte, eis hanc noxam*, &c. *& Dominus respondit, tu vade & duc populum istum, ego autem in die ultionis visitabo*, ubi patet quod Deus reservavit pœnam vindictæ pro illo delicto, & tamen cap. sequenti 33. indicatur, quod culpa fuerit remissa, ut patet ex verbis Moysi v. 16 *In quo enim scire poterimus ego & populus tuus invenisse nos gratiam in conspectu tuo.* &c. *& dominus ad Moysen; & verbum istud quod locutus es faciam.*

IV. Similiter Numer. 14. cùm populus murmurasset contra Dominum, orante Moyse dixit Dominus v. 20. *Dimisi juxta verbum, attamen omnes homines*, &c. *qui tentaverunt me jam per decem vices*, &c. *non videbunt terram* & v. 30. *Non intrabitis terram præter Caleb. & Iosue* & v. 34. *Quadraginta annis recipietis iniquitates vestras & scietis ultionem meam.* Ubi certum videtur quod aliqui in populo pœnituerint, & tamen mortem omnes in solitudine luere debebant non in castigationem, sed in ultionem pro ut Deus exprimit.

3. Idem probatur ex peccato *Moysi & Aaron* num. 20. v. 12. *Dixit Dominus ad Moysen & Aaron, quia non credidistis mihi ut sanctificaretis me coram filiis Israël, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis*, &c. ubi dubium non est quod Deus ipsam culpam dimiserit; & tamen pœna mansit, ut patet ibidem v. 24. ubi dominus dicit. *Pergat Aaron ad populos suos, non enim intrabit locum eo quod incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis*, &c. & ibi mortuus est. V.

Similiter Deut. 32. v. 48. dicit Dominus Moysi. *Ascende montem istum Abarim*, &c. *& morere in monte, sicut mortuus est Aaron in monte Hor*, &c. v. 50. *quia prævaricati estis contra me in medio Filiorum Israël ad aquam contradictionis*, &c. ubi patet, quod licèt sæpe Moyses pro remissione illius pœnæ rogarat, & utique correctus erat; tamen pœna mortis inflicta fuerit in ultionem, & non in castigationem qualis post mortem non erat. VI.

Iterum 2. Regum 12. v. 11. *Davidi* Adulterii & Homicidii peccata humiliter agnoscenti & dicenti v. 13. *Peccavi Domino. Dixit Nathan ad David, Dominus quoque transtulit peccatum tuum non morieris. Veruntamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc Filius qui natus est tibi morte morietur.* Ubi expressè assignatur causa mortis filii peccatum præteritum ipsius David: & non dicit, ideo factum ut David in futurum cautior fit. Et ipsemet David tot modis deprecabatur ut pœna illa de morte Filii remitteretur, nec obtinuit, licèt ipse vitam suam emendarit. Cur ergo contra clarum textum Acatholici cum suo Calvino lib. 3. Inst. cap. 4. §. 31. sacram Scripturam explicant seu potiùs depravant? Præsertim cùm David in psalmis idem toties profiteatur, ut psalm. 37. v. 18. *Quoniam ego in flagella paratus sum & dolor meus in conspectu meo semper quoniam iniquitatem meam annunciabo, & cogitabo pro peccato meo.* Et psalm. 84. v. 6. *Nunquid in æternum irasceris nobis aut extendes iram tuam à generatione in generationem.* Et alibi passim, nunquid ira importat punitionem & vindictam? VII.

Similiter 2. Reg. 24. v. 10. cùm David contra Domini præceptum numerari mandasset populum, & dixerat peccavi valdè in hoc VIII.

d by Google

facto, &c. cui Dominus per Gad Prophetam dixit v. 12. *Trium tibi datur optio, elige ex his unum quod volueris ut faciam tibi.* & v. 12. *immisitque Dominus pestilentiam & mortui sunt ex populo septuaginta millia virorum.* Vbi iterum pœna ob delicta præterita patet.

Si igitur Deus viris sibi tam dilectis ut Moysi Aaron, & David dimissâ culpâ pœnam temporalem reservârit luendam, quam illis ob delicta dimissa inflixit, licèt cum misericordia; quis præsumet quod sibi Deus vel aliis semper & absolutè omnem pœnam relaxabit?

IX. Eadem veritas probari potest ex novo testamento ut 1. Cor. 11. ubi Apostolus ob indignam venerabilis Sacramenti Sumptionem dicit v. 30. *Ideo inter vos infirmi multi & imbecilles & dormiunt multi.* At vero illos vel plures saltêm illorum ante mortem culpæ remissionem obtinuisse patet ex v. 32. *Dum judicamur autem à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur*, ubi patet quod talibus non in futuram cautelam, cum mortui fuerint, sed in pœnam peccati mors inflicta fuerit, plura alia sunt clara S. Scripturæ testimonia, sed hæc cuivis pro nunc sufficient.

X. Hanc fuisse etiam primitivæ Ecclesiæ doctrinam patebit ex testimoniis sanctorum Patrum infrà allegandis, & licèt aliqui indicent pœnas infligi amicis Dei in remedium contra futura peccata tamen etiam docent, quod simul fiat in punitionem & ultionem præteritorum.

XI. Et certè cùm loca Scripturæ tam clara sint, mirum est, quod Calvinus suprà § 22. solum velit pœnam præteritorum peccatorum restringere ad solos reprobos in interitum illorum, contrarium enim patet ex locis allegatis, quod etiam electi sint propter præterita puniti, licèt non ad interitum, & tanquam inimici Dei, nec hoc Ecclesia docet, imò ipse Calvinus se suosque electos reputans dicit: lib. eodem cap. 3. §. 15 circa illa verba Apostoli 2. Cor. 7. v. 11. *Hoc ipsum secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem?* &c. *sed vindictam*: sic scribit, *postrema est vindicta, quo enim severiores in nos sumus, &c. de peccatis nostris, eo sperare debemus magis propitium Deum, & certè fieri non potest, quin anima divini judicii horrore perculsa partes ultionis in exigenda de se pœna occupet.*

XII. Similiter ibidem cap. 8. §. 6. dicit: *Quoties affligimur, subire protinus in mentem debet anteacta vita recordatio, ita procul dubio reperiemus nos admisisse, quod dignum ejusmodi castigatione esset neq; tamen à peccati agnitione præcipue, umenda est ad patientiam exhortatio nam Scriptura meliorem longe considerationem suppeditat, quum dicit rebus adversis nos à Domino corrigi, ne cum hoc mundo damnemur*, &c. hæc ille.

Vbi concedere debet, quod Deus quidem præterita etiam dimissa puniat, ut Ecclesia docet, & etiam concedit quod Deus ut misericors Pater à futuris malis præmuniat, quod Ecclesia etiam docet, ita ut unum non impediat alterum, sufficit ergo pro veritate Catholica quod post dimissam culpam mortalem in bonis maneat ordinariò & sæpè reatus ad pœnam temporalem luendam à Deo per merita Christi remittendus.

ARTICULUS II.

Quod in Sacramento pœnitentiæ per se non tollatur omnis pœna temporalis pro peccatis mortalibus debita sicut in Baptismo.

Hoc definit Concil. Trid. sess. 6. cap. 14. his verbis: *Pro iis qui post baptismum in peccata labuntur, Christus Iesus instituit Sacramentum pœnitentiæ cum dixit; Accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt: Vnde docendum est Christiani hominis pœnitentiam post lapsum multo aliam esse à baptismali, eaque contineri non modo cessationem à peccatis & eorum detestationem aut cor contritum aut humiliatum, verum etiam eorundem Sacramentalem confessionem, saltem in voto suo tempore faciendam, & sacerdotalem absolutionem, itemque satisfactionem per jejunia, eleëmosynas, orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia non quidem pro pœna æterna quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto una cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali, quæ ut sacræ literæ docent, non tota semper, ut in baptismo fit, dimittitur illis, qui gratia Dei quam acceperunt, ingrati Spiritum Sanctum contristaverunt, & templum Dei violare non sunt veriti, de qua pœnitentia scriptum est; memor esto unde excideris age pœnitentiam & prima opera fac,* &c. Apoc. 2. v. 5. *& iterum quæ secundum Deum tristitia est pœnitentiam in salutem stabilem operatur* 2. Cor. 7. v. 10. *& rursus pœnitentiam agite* Matth. 3. v. 2. & cap. 4 v 17 *& facite dignos fructus pœnitentiæ.* Luc. 3. v. 8. Hæc Concil. I.

Probatur hæc veritas ex sacra Scriptura.

Primum quod Concil. de baptismo supponit scilicet quod per baptismum ex singulari Dei ordinatione & misericordia per merita Christi omnis culpa & pœna non solum æterna sed & temporalis quæ propter peccata actualia debetur, dimittitur, constat ex S. Scriptura præsertim Joann. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto*, &c. Et ad Titum 3. v. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti.* Iterum ad Ephes. 5. v. 26. *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi.* Hæc loca SS. Patres semper modo prædicto intellexerunt, ut ideo homo per baptismum renasci dicatur quasi planè novus, quod S. Petrus declarat dicens. 1. Pet. 2. v. 2. ad baptizatos. *Sicut modo geniti infantes lac concupiscite*, nec opus est his immorari cum Acatholici licèt ex falso fundamento idem fateantur. II.

Quod vero Concilium de his qui post baptismum in peccata relapsi in gratiam Dei revertuntur ex locis sacræ Scripturæ allegatis docet, idipsum etiam constat ex aliis sacræ Scri- III.

Digitized by Google

Scripturæ locis & praxi Apostolorum atque antiqua Ecclesia, & SS Patres docuerunt, & ipsi Apostoli practicarunt.

Constat enim ex act. Apost. cap. 2. v. 41. quod Apostoli recens baptizatis nulla pœnitentiæ opera imposuerint, qualibuscunque etiam fuerint obnoxii sceleribus, verum Apostolus 1. Cor. 5. v. 1. de illo qui inter fideles talem fornicationem commiserat, *qualis nec inter gentes auditur, ut uxorem Patris sui habeat*, sic sententiat v. 3. *Iam judicaui*, &c. *tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis ut Spiritus salvus fiat in die domini*, quem tamen constat contritum fuisse de tali peccato ut patet 2. Cor. 2. v. 7.

IV. Idem probatur ex illo ad *Hebræos* cap. 6. v. 4. *Impossibile est enim eos qui semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus Sancti*, &c. *& prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam*, &c. ubi certum est quod Apostolus non loquatur de absolutâ impossibilitate, nec de omni pœnitentia quasi nullo modo redire possint, sed quod non possint ad tam facilem pœnitentiam. Quidem in baptismo consecuti sunt renovari, ut ex textu colligitur & sancti Patres exponunt. Hoc idem Apostolus tradit ad Hebræos 10. v. 26. dicens: *voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccato hostia, terribilis autem quædam exspectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios.* Vbi iterum certum est quod Apostolus non intendat dicere, quod lapsis post baptismum nulla prorsus restet propitiatio, sed quod non relinquatur alia hostia scilicet Christus iterum patiens & moriens, cum quo in baptismo mori & renasci possit, sed restet ignis æmulatio, non semper infernalis, sed gravis afflictio vel in hoc vel futuro seculo subeunda,

ARTICULUS III.

Eadem veritas probatur ex praxi antiquæ Ecclesiæ & sanctis Patribus.

I. QUod autem ita antiqua Ecclesia intellexerit, patet ex praxi illius, quæ more Apostolorum baptizatis nulla pœnitentiæ opera imposuit, verum post baptismum relapsis graves etiam per plures annos pœnarum afflictiones & opera injunxit. Hoc ipsum ita sancti Patres passim testantur ex quibus paucos referemus.

II. *Cyprianus* serm de lapsis edit. Basil. pag. 221. & 223. reprehendit eos qui absque pœna relapsos dimiserunt dicens: *Contra Euangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem temeritate quorundam laxatur incautis communicatio*, & infrà: *Contra Euangelium facere non possunt qui de Euangelio Martyres fiunt.*

Similiter lib. 1. epist. 3. post medium iterum arguit quosdam dicens: *Datur opera ne satisfactionibus & lamentationibus justis delicta redimantur*, &c. hoc notent Acatholici, qui tantopere Ecclesiam cum suo Calvino reprehendunt quod dicat pœnitentes satisfacere pro peccatis.

Idem serm de opere & Eleëmosyna sic ait: *Loquitur in scripturis Spiritus Sanctus & dicit eleëmosynis & fide delicta purgantur, non utique illa delicta quæ fuerant ante* (scilicet Baptismum) *contracta, nam illa Christi Sanguine & sanctificatione purgantur.*

Vbi etiam advertant ex Cypriano Acatholici quod calumniantur in Ecclesia, non enim III.
vult S. Cyprianus vel Ecclesia quasi sanguis & satisfactio Christi solum pro delictis ante baptismum valeat, postea vero operibus nostris satisfiat, hoc enim falsum est, sed quod ex speciali Dei voluntate peccata ante baptismum per solum Christi sanguinem & satisfactionem, quoad culpam & pœnam tollantur: At vero post baptismum primariò etiam sanguis & satisfactio Christi requiratur, sed insuper homo opera pœnosa, &c. subire debeat pro pœna temporali quæ tamen opera omnem vel merendi vel satisfaciendi vim ex Christi meritis & satisfactione habeant. IV.

Similiter *Basilius magnus* de peccatis ante & post baptismum perpetratis juxta sacram Scripturam loquitur scribens ad cap. 4. Isa edit. Antwerp. 1568. his verbis: *Equidem peccata per ignorantiam admissa, utique cum sint veluti sordes quædam, egent purgatione per lotionem; peccata vero eorum qui post cognitionem certa animi destinatione flagitia committunt, hæc plecti necesse est ardore seu exæstuatione judicii* (nota quod respiciat ad verba Apostoli ad Hebræos 10. suprà) *Illi quidem rudes & insciti divinorum dogmatum peccarunt; opus habent aspersione aquæ ut eluantur, qui vero post acceptam vitæ notitiam consulto ac studiose ipsos reddunt obnoxios sanguinis utique tales opus est purgari per ignem.* Quæ aliter intelligi non possunt nisi quod peccata ante baptismum commissa, sine omni onere vel reatu pœnæ dimittantur alia post baptismum cum reatu pœnæ in futuro seculo vel hoc sint exsolvendæ, cùm certum sit quod utrimque in baptismo & pœnitentia culpa & pœna æterna semper remittatur. V.

Chrysost. Homil. 10. circa finem in Matth. edit. Basil. 1558 locum Luc 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, exponens sic ait: *quo autem modo id præstabimus? si utique contraria egerimus exempli gratia, aliena rapuisti, incipe donare jam & propria*, &c. (ecce eleëmosinam) *delitiis antea & temulentia diffluebas? jeiunio & aquæ potu utrumque compensa*, hæc ille, quæ certè circà peccata ante baptismum commissa non exigebantur.

His accedat *S. August.* in Enchridion ad Laurentium cap. 64. edit. Basil. 1528. ubi sic ait: VI.
Excepto baptismatis munere, quod contra originale peccatum donatum est, ut quod generatione attractum est regeneratione detrahatur, & tamen actiua quoque peccata, quæcunque corde, ore, opere commissa inuenerit, tollit: Hac ergo excepta magna indulgentia (NB. nomen indulgentiæ) *unde incipit hominis renouatio in qua soluitur* (NB) *omnis reatus & ingeneratus & additus, ipsa etiam vita jam ratione utentis ætatis quan-*

Google

salibet prapalleat fœcunditate justitia sine remissione peccatorum non agitur, &c. & infrà : *Sed neque de ipsis criminibus quantumlibet magnis remittendis in sacra Ecclesia Dei desperanda est misericordia agentibus pœnitentiam, secundum modum sui cujusque* (NB) *peccati, in actione autem pœnitentia*, &c. *non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris* hæc Augustinus. Vbi clarissimè ex S. Scriptura supponit quod de peccatis ante baptismum non requirantur talia pœnæ opera, sed ibi fiat magna indulgentia quoad omnem reatum etiam pœnæ, sed de aliis oporteat juxta qualitatem & quantitatem eorum dignos pœnitentiæ fructus agere, &c.

VII. Demum Augustinus in psalm. 50. eâd. edit. circa illa verba : *Et à delicto meo munda me*, sic ait : *Implora misericordiam sed attende justitiam, misericordia est ut ignoscat peccanti, justitia est ut puniat peccatum, quid ergo? Quaris misericordiam, peccatum impunitum remanebit? respondeat David, respondeant lapsi, respondeant cum David ut misericordiam mereantur sicut David, & dicant : Non Domine, non erit impunitum peccatum meum*, &c. *non impunitum erit, sed ideo nolo ut tu punias, quia ego peccatum meum punio.* Hæc August. ecce quàm clarè redarguitur Calvinus cum suis qui negant post culpam dimissam peccatum puniri pœna temporali. Similiter Augustinus in Enchiridion. cap. 70. loquitur dicens : *In melius est vita mutanda, & per Eleemosynas de peccatis prateritis est Deus propitiandus non ad hoc quodammodo emendus ut ea liceat semper impune committere, nemini enim dedit laxamentum peccandi quamvis miserando deleat jam facta peccata, si non congrua satisfactio negligatur.* Quid his clariùs dici posset?

VIII. Eodem prorsus modo alii SS. Patres de pœnitentia circa peccata post baptismum commissa peragenda docent, utique non quoad culpam & pœnam æternam sed quoad pœnæ temporalis reatum satisfaciendum in sensu sæpius exposito, nec opus est plura ad hoc testimonia adducere cum ipse Calvinus lib. 3. Inst. cap. 4. §. 38. id fateatur, dicens : *Parum me movent qua in veterum scriptis de satisfactione passim occurrunt, video quidem eorum nonnullos, dicam simpliciter omnes fere quorum libri extant, aut in hac parte lapsos esse aut nimis dure & aspere locutos*, hæc Calvin.

IX. Ex his evidens est quod doctrina Ecclesiæ Catholicæ quoad reatum pœnæ temporalis post dimissionem culpæ & pœnæ æternæ remanentem, ejusque per pia opera satisfactionem eadem sit cum primitivæ Ecclesiæ fide, à qua Calvinus se defecisse profiteri non erubescit, qui proinde à veritate S. Scripturæ, in qua SS. Patres se fundarunt, alienus esse convincitur.

***

ARTICULUS IV.

Quod sæpissimè pœna temporalis post hanc vitam luenda sit ab illis fidelibus qui in hac vita culpa omnis mortalis remissionem à Deo obtinuerunt.

I Dipsum definivit Concil. Florent. his verbis : *Definimus si vero pœnitentes in Dei charitate discesserint, antequam dignis pœnitentia fructibus de commissis satisfecerint & omissis eorum animas pœnis purgatorii post hanc mortem purgari*, &c. Idem definit Concil. Trid. sess. 25. suprà relatum. I.

Pro declaratione doctrinæ Catholicæ sciendum, primò : quod Ecclesia ex sacra Scriptura doceat, quod usque ad finem vitæ homo peccator habeat spem veniæ & remissionis peccatorum qualiumcunque, & sæpe accidat quod gravissimis peccatis obnoxii in fine vitæ conterantur, confiteantur, & à peccatis mortalibus liberentur, qui tamen vix aliquos pœnitentiæ fructus pro pœna sibi debita fecerunt, quod etiam de pluribus aliis fidelibus intelligendum, & huic ergo post hanc vitam satisfaciendum sit, cùm nihil coinquinatum etiam quoad pœnæ obligationem in regnum cœlorum intrabit, & sic peccata mortalia dicuntur post hanc vitam remitti integrè scilicet quoad pœnam temporalem. II.

2. Contingit sæpè quod aliqui fideles possint verè dolere de omnibus peccatis mortalibus, & tamen permanere in complacentia aliquorum venialium, ita ut peccata mortalia dimittantur & sic in gratia Dei moriantur non dolentes de venialibus, quæ tunc post mortem dimittuntur, quia cum illis non intrabunt in regnum cœlorum juxta illud Apoc. 21. v. 27. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum.* Hæc itaque probanda erunt. III.

Probatur Catholica veritas ex sacra Scriptura.

Primò Matth. 21. v. 32. *Qui dixerit contra Spiritum Sanctum non remittetur ei neque in hoc seculo neque in futuro.* Ex hoc loco SS. Patres colligunt, ut infrà patebit, quod sint aliqua peccata quæ usque in futurum seculum maneant, ita ut post mortem dimittantur, vel quoad pœnam temporalem peccatis mortalibus remissis debitam, vel etiam quoad culpam & pœnam in futuro remittuntur alioquin frustrà Christus addidisset verbum neque in futuro, licèt autem Acatholici circa hoc multa effugia quærant nihil tamen veraciter adducere possunt; sufficit nobis verbum Christi & expositio SS. Patrum & illorum argumenta à doctoribus nostris clarè refutari, quibus proinde hîc non est immorandum. IV.

Probatur 2. ex illo Matth. 5. v. 25. ubi Christus ait : *Esto consentiens adversario tuo, dum es in via cum eo ne judex tradat te ministro & in carcerem mittaris, amen dico tibi non exies inde d nec reddas novissimum quadrantem*, vel prout dicit Lucas 12. v. 59 *non exibis inde, donec etiam novissimum minutum reddas*; ubi per viam intelligi hanc præsentem vi- V.

Digitized by Google

vitam constat ex textu Lucæ, quia Christus ibi monet præmissâ parabolâ de virginibus dicens: *Vigilate quia nescitis diem neq; horam*, & postea hæc verba subjungit. Quod autem Dominus ibi loquatur tam de peccatis venialibus, quæ ante mortem non sunt remissa quam de pœnis pro mortalibus debitis nondum persolutis etiam SS. Patres consequenter exponunt, ut infrà ostendetur, & effugia Acatholicorum prolixissime & efficacissime à Doctoribus Catholicis refutantur sufficit nobis verbum Domini & expositio SS. Patrum.

VI. Probatur 3. ex illis verbis Domini Matt. 5. v. 22. *Ego autem dico vobis quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio, qui autem dixerit fratri suo racha reus erit concilio, qui autem dixerit fatue: reus erit gehenna ignis.* Hunc locum sancti Patres intelligunt de diversis peccatorum gradibus, quæ in divino judicio circa animas punientur post mortem.

VII. Sufficit hic Augustin. de serm. Domini in monte lib. 1. c. 9. edit. Basil. 1528. dicens: *Gradus sunt in istis peccatis, ut primo quisq; irascatur & eum motum retineat corde conceptum, jam si extorserit vocem indignantis ipsa commotio non significantem aliquid, &c. qua feriatur ille cui irascitur, plus est utiq; quam si surgens ira silentio premeretur; sin vero non solum vox indignantis audiatur, sed etiam verbum quo jam certam ejus vituperationem in quem profertur designet & notet: quis dubitet amplius hoc esse quam si solus indignationis sonus ederetur?* &c. & intrà: *Vide nunc etiam tres reatus judicii, concilii & gehenna ignis, nam in judicio adhuc defensioni datur locus, &c videtur ad concilium pertinere sententia prolatio, quando non jam cum ipso reo agitur utrum damnandus sit, sed inter se qui judicant conferunt, quo supplicio damnari oporteat quem constat esse damnandum. Gehenna vero ignis nec damnationem habet dubiam sicut Judicium, nec damnati pœnam sicut concilium, in gehenna vero ignis certa est & damnatio & pœna damnati. Videntur ergo aliqui gradus in peccatis & in reatu, sed quibus modis inuisibiliter exhibeantur meritis animarum quis potest dicere? Audiendum est itaq; quantum intersit inter Justitiam Pharisæorum & Justitiam maiorum quæ in regnum cœlorum introducit, &c. ibi occisio reum facit Judicio, hic autem ira facit reum Judicio, quod trium illorum peccatorum leuissimum est, quia illic quæstionem homicidii inter homines agitabant, hic autem omnia*
VIII. *diuino Judicio dimittuntur*, &c. hæc August. Vbi supponit quo illi levissimo peccato iræ post mortem sit pœna infligenda, qualis à Judice terreno infligitur propter homicidium, sed non æterna sicut ultimo; adeoque pœna est temporalis, & ita alii SS. Patres exponunt, quod facilè patet de homine in statu justitiæ subito moriente qui tamen obnoxius est huic iræ primi gradus, adeoq; post mortem pœna temporalis luenda est. Plura loca S. scripturæ pro hac veritate infrà allegabuntur.

Eadem veritas probatur ex SS Patribus.

IX. *Cyprianus* lib 4. epist. 2. edit. Basil. 1543. post medium sic ait: *Aliud est ad veniam stare, aliud, missum in carcerem non exire inde donec soluat nouissimum quadrantem, aliud statim fidei & virtutis accipere mercedem, aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari & purgari diu igne, aliud peccata omnia purgasse*, &c. hæc Cyprian. ubi clarissimè ostendit, quod Martyres statim perveniant ad coronam, sed alii plures discedentes ex hoc mundo purgentur longo dolore antequam ad gloriam perveniant.

X. *Origenes* in epist. ad Roman. circa verba Christi, Matt. 15. sic ait: *Quamuis promittatur exeundum quandoq; de carcere tamen designatur non inde exire posse, nisi quisq; reddat nouissimum quadrantem*, &c.

XI. *Eusebius* emiss. hom. 3. de Epiphania Bibl. PP. edit. col. t. 5. p. 1. pag 519. sic ait: *Hi vero qui temporalibus pœnis digna gesserunt ad quos sermo Dei dirigitur, quod non exeant inde donec reddant nouissimum quadrantem per fluuium igneum*, &c. ubi iterum patet quod juxta verbum Christi supponat in quibusdam post mortem manere reatum pœnæ temporalis.

XII. *Ambrosius* locum Lucæ 12. edit. Romana 1580. exponens sic ait in fine: *Quadrantem in balneis dare solere reminiscimur, cuius oblatione, ut illic unusquisq; lauandi accipiat facultatem; ita & hic accipit eluendi quia unluscuiusq; peccatum suprascripta genere conditionis eluitur cùm tam diu exercetur obnoxius pœnis, ut commissi supplicia erroris expendat*, hæc ille.

XIII. *Hieron.* verba Domini Matt 5. exponens sic dicit: *Hoc est quod dicit, non egredieris de carcere, donec etiam minima peccata persoluas.*

Iterum idem ad c. 7. Michææ ita ait: *Post cruciatus atq; supplicia educta de tenebris exterioribus anima, & reddito nouissimo quadrante dicit: Videbo Justitiam ejus & loquar, justificata sunt Judicia sua Deus*, &c. hæc ille.

XIV. *Augustinus* lib 21. civ. Dei c. 13. edit. Bas. 1528. sic ait: *Temporarias pœnas alii in hac vita tantum, alii post mortem, alii & nunc & tunc, veruntamen ante Judicium illud seuerissimum nouissimumq; patiuntur; non autem omnes veniunt in sempiternas pœnas, quæ post illud Judicium his sunt futuræ, qui post mortem sustinent temporales, nam quibusdam quod in isto non remittitur, remitti in futuro seculo, id est. ne futuri seculi æterno supplicio puniantur, jam suprà diximus*, &c. quid his clariùs?

XV. Idem lib. 6 contra Julianum c. 5. eâd. edit. sic ait: *Peccata quidem nulla remittuntur in regno, sed si nulla remitterentur in Judicio illo nouissimo, puto quod Dominus non dixisset, de quodam peccato: non remittetur neq; in hoc seculo neq; in futuro, quando sibi remitti sperabat latro ille qui dicebat: Memento mei, cùm veneris in regnum tuum*, &c.

Similiter loquitur *August.* lib. 21. civ. c 24. dicens: *Facta resurrectione mortuorum non deerunt quibus post pœnas quas patiuntur, spiritus mortuorum* (NB) *impertiatur misericordia, ut in ignem non mittantur æternum; neq; enim de quibusdam veraciter diceretur, quod non eis remittatur, neq; in hoc seculo neq; in futuro, nisi essent, quibus etsi non in isto, tamen remitteretur in futuro*, &c hæc Aug.

Ecce quam absolutè concludat ex verbis Christi veraciter sequi quod aliqua peccata in futuro seculo dimittantur; quam tamen consequentiam Acatholici ex subtilitate sua dialectica negare audent, sufficit nobis verbum Domini & sententiæ SS. Patrum.

Digitized by Google

salibet prepolleat fœcunditate juſtitia ſine remiſſione peccatorum non agitur, &c. & infrà: *Sed neque de ipſis criminibus quantumlibet magnis remittendis in ſacra Eccleſia Dei deſperanda eſt miſericordia agentibus pœnitentiam, ſecundum modum ſui cujusque* (NB) *peccati, in actione autem pœnitentia*, &c. *non tam conſideranda eſt menſura temporis, quàm doloris* hæc Auguſtinus. Vbi clariſſimè ex S. Scriptura ſupponit quod de peccatis ante baptiſmum non requirantur talia pœnæ opera, ſed ibi fiat magna indulgentia quoad omnem reatum etiam pœnæ, ſed de aliis oporteat juxta qualitatem & quantitatem eorum dignos pœnitentiæ fructus agere, &c.

VII. Demum Auguſtinus in pſalm. 50. eâd. edit. circa illa verba: *Et à delicto meo munda me*, ſic ait: *Implora miſericordiam ſed attende juſtitiam, miſericordia eſt ut ignoſcat peccanti, juſtitia eſt ut puniat peccatum, quid ergo? Quæris miſericordiam, peccatum impunitum remanebit? reſpondeat David, reſpondeant lapſi, reſpondeant cum David ut miſericordiam mereantur ſicut David, & dicant: Non Domine, non erit impunitum peccatum meum*, &c. *non impunitum erit, ſed ideo nolo ut tu punias, quia ego peccatum meum punio.* Hæc Auguſt. ecce quàm clarè redarguitur Calvinus cum ſuis qui negant poſt culpam dimiſſam peccatum puniri pœna temporali. Similiter Auguſtinus in Enchiridion. cap. 70. loquitur dicens: *In melius eſt vita mutanda, & per Eleemoſynas de peccatis præteritis eſt Deus propitiandus non ad hoc quodammodo emendus ut ea liceat ſemper impune committere, nemini enim dedit laxamentum peccandi quamuis miſerando deleat jam facta peccata, ſi non congrua ſatisfactio negligatur.* Quid his clariùs dici poſſet?

VIII. Eodem prorſus modo alii SS. Patres de pœnitentia circa peccata poſt baptiſmum commiſſa peragenda docent, utique non quoad culpam & pœnam æternam ſed quoad pœnæ temporalis reatum ſatisfaciendum in ſenſu ſæpius expoſito, nec opus eſt plura ad hoc teſtimonia adducere cum ipſe Calvinus lib. 3. Inſt. cap. 4. §. 38. id fateatur, dicens: *Parum me movent quæ in veterum ſcriptis de ſatisfactione paſſim occurrunt, video quidem eorum nonnullos, dicam ſimpliciter omnes fere quorum libri extant, aut in hac parte lapſos eſſe aut nimis dure & aſpere locutos*, hæc Calvin.

IX. Ex his evidens eſt quod doctrina Eccleſiæ Catholicæ quoad reatum pœnæ temporalis poſt dimiſſionem culpæ & pœnæ æternæ remanentem, ejusque per pia opera ſatisfactionem eadem ſit cum primitivæ Eccleſiæ fide, à qua Calvinus ſe defeciſſe profiteri non erubeſcit, qui proinde à veritate S. Scripturæ, in qua SS. Patres ſe fundarunt, alienus eſſe convincitur.

***

ARTICULUS IV.

Quod ſæpiſſimè pœna temporalis poſt hanc vitam luenda ſit ab illis fidelibus qui in hac vita culpa omnis mortalis remiſſionem à Deo obtinuerunt.

IDipſum definivit Concil. Florent. his verbis: *Definimus ſi vero pœnitentes in Dei charitate diſceſſerint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint & omiſſis eorum animas pœnis purgatorii poſt hanc mortem purgari*, &c. Idem definit Concil. Trid. ſeſſ. 25. ſuprà relatum. I.

Pro declaratione doctrinæ Catholicæ ſciendum, primò: quod Eccleſia ex ſacra Scriptura doceat, quod uſque ad finem vitæ homo peccator habeat ſpem veniæ & remiſſionis peccatorum qualiumcunque, & ſæpe accidat quod graviſſimis peccatis obnoxii in fine vitæ conterantur, confiteantur, & à peccatis mortalibus liberentur, qui tamen vix aliquos pœnitentiæ fructus pro pœna ſibi debita fecerunt, quod etiam de pluribus aliis fidelibus intelligendum, & huic ergo poſt hanc vitam ſatisfaciendum ſit, cùm nihil coinquinatum etiam quoad pœnæ obligationem in regnum cœlorum intrabit, & ſic peccata mortalia dicuntur poſt hanc vitam remitti integrè ſcilicet quoad pœnam temporalem. II.

2. Contingit ſæpè quod aliqui fideles poſſint verè dolere de omnibus peccatis mortalibus, & tamen permanere in complacentia aliquorum venialium, ita ut peccata mortalia dimittantur & ſic in gratia Dei moriantur non dolentes de venialibus, quæ tunc poſt mortem dimittuntur, quia cum illis non intrabunt in regnum cœlorum juxta illud Apoc. 21. v. 27. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum.* Hæc itaque probanda erunt. III.

Probatur Catholica veritas ex ſacra Scriptura.

Primò Matth. 21. v. 32. *Qui dixerit contra Spiritum Sanctum non remittetur ei neque in hoc ſeculo neque in futuro.* Ex hoc loco SS. Patres colligunt, ut infrà patebit, quod ſint aliqua peccata quæ uſque in futurum ſeculum maneant, ita ut poſt mortem dimittantur, vel quoad pœnam temporalem peccatis mortalibus remiſſis debitam, vel etiam quoad culpam & pœnam in futuro remittuntur alioquin fruſtrà Chriſtus addidiſſet verbum neque in futuro, licèt autem Acatholici circa hoc multa effugia quærant nihil tamen veraciter adducere poſſunt; ſufficit nobis verbum Chriſti & expoſito SS. Patrum & illorum argumenta à doctoribus noſtris clarè refutari, quibus proinde hîc non eſt immorandum. IV.

Probatur 2. ex illo Matth. 5. v. 25. ubi Chriſtus ait: *Eſto conſentiens adverſario tuo, dum es in via cum eo ne judex tradat te miniſtro & in carcerem mittaris, amen dico tibi non exies inde d nec reddas noviſſimum quadrantem*, vel prout dicit Lucas 12. v. 59 *non exibis inde, donec etiam noviſſimum minutum reddas*; ubi per viam intelligi hanc præſentem vi- V.

Digitized by Google

vitam constat ex textu Lucæ, quia Christus ibi monet præmissâ parabolâ de virginibus dicens: *Vigilate quia nescitis diem neq; horam*, & postea hæc verba subjungit. Quod autem Dominus ibi loquatur tam de peccatis venialibus, quæ ante mortem non sunt remissa quam de pœnis pro mortalibus debitis nondum persolutis etiam SS. Patres consequenter exponunt, ut infrà ostendetur, & effugia Acatholicorum prolixissime & efficacissime à Doctoribus Catholicis refutantur sufficit nobis verbum Domini & expositio SS. Patrum.

VI. Probatur 3. ex illis verbis Domini Matt. 5. v. 22. *Ego autem dico vobis quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio, qui autem dixerit fratri suo racha reus erit concilio, qui autem dixerit fatue: reus erit gehennæ ignis.* Hunc locum sancti Patres intelligunt de diversis peccatorum gradibus, quæ in divino judicio circa animas punientur post mortem.

VII. Sufficit hic Augustin. de serm. Domini in monte lib. 1. c. 9. edit. Basil. 1528. dicens: *Gradus sunt in istis peccatis, ut primo quisq; irascatur & eum motum retineat corde conceptum, jam si extorserit vocem indignantis ipsa commotio non significantem aliquid,* &c. *qua feriatur ille cui irascitur, plus est utiq; quam si surgens ira silentio premeretur; sin vero non solum vox indignantis audiatur, sed etiam verbum quo jam certam ejus vituperationem in quem profertur designet & notet: quis dubitet amplius hoc esse quam si solus indignationis sonus ederetur?* &c. & infrà: *Vide nunc etiam tres reatus judicii, concilii & gehennæ ignis, nam in judicio adhuc defensioni datur locus,* &c *videtur ad concilium pertinere sententiæ prolatio, quando non jam cum ipso reo agitur utrum damnandus sit, sed inter se qui judicant conferunt, quo supplicio damnari oporteat quem constat esse damnandum. Gehenna vero ignis nec damnationem habet dubiam sicut Judicium, nec damnati pœnam sicut concilium, in gehenna vero ignis certa est & damnatio & pœna damnati. Videntur ergo aliqui gradus in peccatis & in reatu, sed quibus modis invisibiliter exhibeantur meritis animarum quis potest dicere? audiendum est itaq; quantum intersit inter Justitiam Pharisæorum & Justitiam maiorum quæ in regnum cælorum introducit,* &c. *ibi occisio reum facit Judicio, hic autem ira facit reum Judicio, quod trium illorum peccatorum levissimum est, quia illic quæstionem homicidii inter homines agitabant, hic autem omnia*
VIII. *divino Judicio dimittuntur,* &c. hæc August. Vbi supponit quod illi levissimo peccato iræ post mortem sit pœna infligenda, qualis à Judice terreno infligitur propter homicidium, sed non æterna sicut ultimo; adeoque pœna est temporalis, & ita alii SS Patres exponunt, quod facilè patet de homine in statu justitiæ subito moriente qui tamen obnoxius est huic iræ primi gradus, adeoq; post mortem pœna temporalis luenda est. Plura loca S. scripturæ pro hac veritate infrà allegabuntur.

Eadem veritas probatur ex SS Patribus.

IX. *Cyprianus* lib 4. epist. 2. edit. Basil. 1543. post medium sic ait: *Aliud est ad veniam stare, aliud, missum in carcerem non exire inde donec solvas novissimum quadrantem, aliud statim fidei & virtutis accipere mercedem, aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari & purgari diu igne, aliud peccata omnia purgasse,* &c. hæc Cyprian. ubi clarissimè ostendit, quod Martyres statim perveniant ad coronam, sed alii plures discedentes ex hoc mundo purgentur longo dolore antequam ad gloriam perveniant.

Origenes in epist. ad Roman. circa verba Chri- X.
sti Matt. 15. sic ait: *Quamuis promittatur exeundum quandoq; de carcere tamen designatur non inde exire posse, nisi quisq; reddat novissimum quadrantem,* &c.

Eusebius emiss. hom. 3. de Epiphania Bibl. PP. XI.
edit. col. t. 5. p. 1. pag. 519. sic ait: *Hi vero qui temporalibus pœnis digna gesserunt ad quos sermo Dei dirigitur, quod non exeant inde donec reddant novissimum quadrantem per fluvium igneum,* &c. ubi iterum patet quod juxta verbum Christi supponat in quibusdam post mortem manere reatum pœnæ temporalis.

Ambrosius locum Lucæ 12. edit. Romana 1580. XII.
exponens sic ait in fine: *Quadrantem in balneis dare solere reminiscimur, cuius oblatione, ut illic unusquisq; lavandi accipiat facultatem; ita & hic accipit eluendi quia uniuscuiusq; peccatum suprascriptæ genere conditionis eluitur cùm tam diu exercetur obnoxius pœnis, ut commissi supplicia erroris expendat,* hæc ille.

Hieron. verba Domini Matt 5. exponens sic XIII.
dicit: *Hoc est quod dicit; non egredieris de carcere, donec etiam minima peccata persolvas.*

Iterum idem ad c. 7. Michææ ita ait: *Post cruciatus atq; supplicia educta de tenebris exterioribus anima, & reddito novissimo quadrante dicit: Videbo Justitiam ejus & loquar, justificata sunt Judicia tua Deus,* &c. hæc ille.

Augustinus lib. 21. civ. Dei c. 13. edit. Bas. 1528. XIV.
sic ait: *Temporarias pœnas alii in hac vita tantum, alii post mortem, alii & nunc & tunc, veruntamen ante Judicium illud severissimum novissimumq; patiuntur; non autem omnes veniunt in sempiternas pœnas, quæ post illud Judicium his sunt futuræ, qui post mortem sustinent temporales, nam quibusdam quod in isto non remittitur, remitti in futuro seculo, id est, ne futuri seculi æterno supplicio puniantur, jam suprà diximus,* &c. quid his clariùs?

Idem lib. 6 contra Julianum c. 5. eâd. edit. XV.
sic ait: *Peccata quidem nulla remittuntur in regno, sed si nulla remitterentur in Judicio illo novissimo, puto quod Dominus non dixisset, de quodam peccato: non remittetur neq; in hoc seculo neq; in futuro, quando sibi remitti sperabat latro ille qui dicebat: Memento mei, cùm veneris in regnum tuum,* &c.

Similiter loquitur *August.* lib. 21. civ. c. 24. dicens: *Facta resurrectione mortuorum non deerunt quibus post pœnas quas patiuntur, spiritus mortuorum* (NB) *impertiatur misericordia, ut in ignem non mittantur æternum; neq; enim de quibusdam veraciter diceretur, quod non eis remittatur, neq; in hoc seculo neq; in futuro, nisi essent, quibus etsi non in isto, tamen remitteretur in futuro,* &c hæc Aug.

Ecce quam absolutè concludat ex verbis Christi veraciter sequi quod aliqua peccata in futuro seculo dimittantur; quam tamen consequentiam Acatholici ex subtilitate sua dialectica negare audent, sufficit nobis verbum Domini & sententiæ SS. Patrum.

d by Google

CAPUT III.

De suffragiis pro animabus fidelium defunctorum.

ARTICULUS I.

Quod fideles in gratia defuncti peccatis venialibus & pœnis temporalibus obnoxii viventium suffragiis juvari possint.

I. Hoc definitum est in Concil. Trid. sess. 25. ut suprà relatum est, & olim contrarium hæreseos damnatum est, ut testantur *Epiphanius & Augustinus* infrà allegandi.

II. Pro declaratione doctrinæ Catholicæ *sciendum* est primò, quod quia probatum est, aliquæ animæ fideles in gratia discedentes pœnis obnoxiæ sunt temporalibus in futuro luendis, ipsæ quidem possunt in virtute meritorum Christi pro illis satisfacere sed valde lentè, eo quod animæ illæ non sint in statu merendi nec ita in libertate integra sicut in hac vita, & ideo satisfactio illarum tardior fit donec exoluantur, & propriè satispassio dicitur.

III. Secundò, quod sicut homo in hac vita per merita Christi potest pro se Deum orare & pro suis peccatis satisfacere, ut suprà ostensum est, & tamen etiam per alias fidelium preces juvari juxta illud Jacobi 5. v. 16. *Orate pro invicem ut salvemini*, &c. ad quod adducit exemplum Eliæ qui oravit & cœlum dedit pluviam, ita Ecclesia credit & docet quod fideles defuncti precibus viventium possint juvari, & præsertim sacro Missæ sacrificio.

IV. 3. Etsi ut suprà dictum est subinde dicatur à SS. Patribus quod sacrificium Missæ offeratur pro SS. Apostolis & Martyribus, id non est intelligendum eo fine, ut illi juventur vel liberentur sed in gratiarum actionem & congratulationem ut ipsi pro nobis orent, hîc autem quæstio est de suffragiis quibus animæ juvantur ut à pœnis liberentur.

V. 4. Quæstio est inter Doctores Catholicos quot & quibus modis animæ defunctorum juventur, circa quæ salvâ fide diversimodè loquuntur, ita tamen ut in fidei doctrina conveniant quod sacrificii Missæ pretium singulariter prosit fidelibus defunctis ex Christi institutione; & similiter quod preces & alia pia opera viventium pro refrigerio defunctorum Deo oblata illis impetrent à pœnis liberationem, qualiter & quantum divinæ misericordiæ placitum fuerit.

Hæc itaque ex S. scriptura & SS. Patribus probanda erunt.

***

ARTICULUS II.

Quod S. Missæ sacrificium pro fidelium defunctorum refrigerio & liberatione pie & salubriter offeratur & pro iisdem orationes & alia pia opera fiant.

Probatur 1. ex S. scriptura sic argumentando: sacrificia veteris legis offerebantur etiam pro defunctis fidelibus, ergo multo amplius sacrificium Missæ pro illis offerri potest: consequentia patet, quia sacrificiū missæ est excellentissimum, quod omnia veteris legis sacrificia præfigurarunt ut lib. de sacrificio Missæ ostensum est, adeoque si illa licitè & salubriter pro defunctis offerebantur multo magis hoc offerendum est. I.

Antecedens probatur 1. ex generalibus S. scripturæ terminis quibus dicitur quod sacrificia offerebantur pro peccatis populi, atqui defuncti fideles spectant etiam ad populum Dei, & plures opus habent subsidio, ergo. 2. in speciali 2. Machab. 12. v. 43. ubi sic dicitur: *Fortissimus Judas facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymam offerri pro peccato sacrificium, bene & religiosè de resurrectione cogitans: nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret superfluum videretur & vanum orare pro mortuis, & quia considerabat quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant optimam haberent repositam gratiam, sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* II.

Etsi autem Acatholici contra hunc librum excipiant quod non sit Canonicus hoc ex D. Augustino refutatur, qui lib. 18 civ. Dei cap. 36. edit. Basil. 1528. loquens de quibusdam libris S. scripturæ sic ait: *In quibus sunt & Machabæorum libri quos non Iudæi sed ecclesia pro Canonicis habet*, &c. & ipse August. lib. de cura pro mortuis cap. 1. & lib. de orig. animæ c. 11. ex præallegatis verbis probat quod defunctis sacrificia pro ipsis oblata prosint, ut infrà allegabitur, sed quoad libros canonicos S. scripturæ suo loco dictum est. III.

Itaque ex hoc S. scripturæ loco constat primò, quod Judas curaverit sacrificium offerri pro defunctis qui cum pietate dormitionem acceperant. 2. quod pium sit & salutare pro defunctis sacrificium offerre & pro iisdem orare ut à peccatis solvantur, sive quoad culpam venialem sive ad minus quoad pœnam temporalem, sic enim dicitur anima à peccato plene solvi, quia quæ adhuc obligata est ad pœnam non plene soluta est. IV.

3. Quod in veteri testamento moris fuerit ut sacrificia pro defunctis in talem finem offerrentur, nec his obstat quod scriptura de resurrectione mentionem faciat, quia id fiebat propter Saducæos qui resurrectionem negantes etiam asserebant animas cum corporibus interire; at veri Judæi fideles credebant & animas esse immortales V.

tales & resurrectionem mortuorum futuram, unde contra Saducæos bene infertur: quod nisi eos qui crediderunt resurrecturos speraret Judas frustra pro iis orasset, quia ex supposito Saducæorum etiam ipsæ animæ interiissent.

VI. Nec obstat 2. quod apud illos pro quibus Judas offerri curaverat inventa fuerint de donariis Idolorum, quæ Judæis prohibita erant, & ob id credebantur interfecti adeoque in peccato mortali & sic frustra orabatur.

Non obstat inquam, quia illa culpa poterat excusari ob varias causas, ut esset tantum venialis, vel poterat pie de illis præsumi quod ante mortem de isto peccato doluerint & sic gratiam Dei obtinuerint, licèt pœna, sicut Davidi remansisset; quod patet ex verbis S. scripturæ quod Judas cogitaret illos cum pietate dormitionem accepisse, & tunc non tollitur quod pium & salutare sit pro defunctis orare vel quod in ultimo fuerit in veteri lege pro defunctis sacrificium offerre, vel pro illis orare ut à peccatis solvantur quod est ad propositum & sic SS. Patres intellexerunt.

VII. Alter locus pro defunctis sumitur ex illo Tobiæ 4. v. 14. ubi senior dicit juniori: *Panem tuum & vinum super sepulturam justi constitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus*, &c. ubi per justum intelligitur qui in gratia Dei obiit, & hunc locum SS. Patres exponunt, quod fiebat ab amicis convivium, & mittebantur panes pauperibus tanquam Eleëmosyna in refrigerium defuncti, ut infrà patebit ex sanctis Patribus.

VIII. Similiter probatur ex verbis Christi Luc. 16. v. 9. *Et ego dico vobis, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* Hunc locum SS. Patres *Hieronymus, Ambrosius, Augustinus*, &c. explicant de Sanctis cum Christo regnantibus qui suis precibus juvarent illos post mortem, qui in vita illis eleëmosynas præstiterunt.

IX. Rursus idem probatur ex illo 1. Cor. 15. v. 29. *Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgant, ut quid baptizantur pro illis?* quem locum SS. Patres etiam explicant quod fideles baptizentur pro mortuorum refrigerio scilicet baptismo pœnitentiæ & lachrimarum, sic *Cyprianus, Greg. Nazianz.* dicunt esse *baptismum lachrimarum* & dolorum juxta illud Christi Luc. 12. *baptismo habeo baptizari*, &c.

ARTICULUS III.

Probatur eadem veritas ex Patribus Græcis.

I. Dionysius Areopag. lib. Eccl. Hierarch. cap. 7. Biblioth. PP. Colon. to. 1. pag. 135. ubi refert Ecclesiæ antiquæ morem sepeliendi defunctos & subjungit de Antistite sic dicens: *Precibus quidem à divina benignitate contendit, ut & omnia peccata quæ humana fragilitate imbecillitateq; admissa sunt ei qui excessit è vita, remittat & eum in lucem & regionem viventium in sinus Abrahæ Isaac & Jacob deducat.* Et infrà: *Sed tamen justorum bonorumq; etiam preces in hac vita, nedum post mortem iis tantum prodesse, qui digni sunt sanctis precibus, ea quæ prodita sunt divinarum literarum monumentis nos docent*, &c. hæc ille.

Clemens Romanus circa An. Domini 80. in ep. 1. edit colon. 1569. sic ait: *Quotidiana ejus* (Petri) *prædicatio inter cætera divina mandata hæc erat*, &c. *quantum unusquisq; sapit & potest totis intimi cordis visceribus Deum diligere*, &c. *pauperes recreare, nudos vestire, infirmos visitare, sitientes potare, mortuos sepelire, & diligenter eorum exequias peragere, pro iis orare, & eleemosynam dare*, &c. hæc Clemens. II.

Eusebius Alexandr. homilia de Dominica: *Memento, ait, in oblatione parentum & fratrum qui jam è vita excesserunt, hoc enim faciendo magnam requiem defunctis concilias; comple tuas preces*, &c. hæc ille. III.

Concil Nicæn primum can. 65. arabico. *Nuntietur de morte Episcopi omnibus Ecclesiis & Monasteriis illius diœcesis, ut fiat oratio pro eo.* IV.

Eusebius Cæsar. in vita Constantini lib. 4. c. 71. edit. Basil. 1587. dicit: *Populus frequens una cum Sacerdotibus non sine lachrimis & sane magno cum gemitu preces pro anima Imperatoris Deo fundebant.* V.

Athanasius lib. quæstion. ad Antiochum principem quæst. 34. edit. Paris. 1581 sic ait: *Quid ergo? num sentiunt aliqua beneficia etiam peccatorum animæ cùm super illis fiunt conventus & peractiones bonorum operum vel oblationum?* & respondet: *nisi aliqua beneficia participarent ex illo non utiq; in cura & exequiis fieret commemoratio. At sicut vitis floreseit extra in agro, & odorem sentit in vase vinum reclusum, sicq; conflorescit etiam ipsum; ita quoq; peccatorum animæ piorum precibus & bonis operibus consolantur*, &c. hæc ille, quid clarius? VI.

Ephrem in suo testamento edit. colon. 1603. ita ait: *Ego Ephrem morior*, &c. & infrà: *Reminiscamini autem mei vilis & abjecti in sanctis vestris precibus, cunctisq; deprecationibus; nam in vanitate & peccatis vitam meam complevi atq; transegi.* Et infrà: *Et comitamini me in Psalmis atq; orationibus vestris & assidue pro mea parvitate oblationes facere dignemini; & quando diem trigesimum complevero mei memoriam faciatis. Mortui enim in precationibus atq; oblationibus commemorationis Sanctorum viventium beneficio afficiuntur*, hæc ille. VII.

Cyrillus Hierosol. catechesi 5. mystagogica ed. colon. 1564. *Postquam, ait, confectum est illud spirituale sacrificium & ille cultus incruentus super ipsa propitiationis hostia obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi*, &c. *postea facimus mentionem etiam eorum, qui ante nos obdormierunt primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum ut Deus orationibus illorum & deprecationibus suscipiat preces nostras*, &c. *demiq; pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes* (NB) *animarum juvamen pro quibus offertur obsecratio Sancti illius & tremendi quod in altari positum est sacrificii, quo exemplo nobis demonstrare volumus, si enim multos dicere, quid juvat animam in peccatis ex hoc mundo decedentem, etiamsi in hoc sacrificio mentio illius fiat?* ubi narrato exemplo de exule, subjungit: *Ad eundem modum & nos pro defunctis precationes adhibentes quamvis sint peccatores, non quidem coronam plectimus, sed Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, ut & nobis & illis eum, qui est benignissimus, propitium reddamus*, &c. hæc ille. Ubi clarissime ostendit & distinguit qualiter Apostolorum & Sanctorum men- VIII.

mentio fiat & aliorum defunctorum, illorum, ſcilicet, ut pro nobis orent, horum verò, ut Deus per Chriſtum ſit illis propitius, quid clarius pro doctrina Eccleſiæ dici poſſet?

IX. *Gregorius Nazianz.* orat. 10. quæ eſt in laudem defuncti fratris Cæſarii edit. Baſil. 1550. ſic ait: *Et ſic de noſtra habent, &c. & hæc quidem præſtitimus, alia autem præſtabimus, &c. O animarum noſtrarum cuſtos & benefactor! O qui facis omnia!* &c. *nunc quidem Cæſarium ſuſcipe, peregrinationis noſtræ primitias,* &c.

X. *Epiphanius* lib. 3. tom. 1. edit. Baſil. 1560. hæreſ. 75. de Aërio agens, refert illius errores inter alios quod Catholicis objecerit dicendo; *Quid eſt paſcha quod apud vos perficitur? Iudaicis fabulis rurſus addicti eſtis non enim oportet paſcha agere,* &c. *deinde qua ratione poſt mortem nominatis* (inquit) *nomina mortuorum, orat enim* (inquit) *vivus aut diſpenſationem facit, quid profuerit mortuo; ſi vero omnino preces eorum qui hic ſunt, pro illis ſunt, qui iſthinc ſunt, igitur nemo ſit pius neque boni quicquam faciat, ſed acquirat amicos quosdam per quem vult modum, aut per pecunias perſuadens, aut amicis id in obitu demandans & orent pro ipſo, ut ne quid illic patiatur neque immedicabilia peccata ab ipſo perpetrata requirantur,* &c hæc ab Aërio verba ironicè prolata, nunquid noſtris modernis Acatholicis communia ſunt?

XI. Idem *Epiphanius* de eodem Aërio in libello quem inſcripſit Anacephalæoſim ſeu ſummarium totius operis de hæreſibus, paulò poſt medium eâd. edit. ſic ſcribit: *Hic Aërius,* &c. *& adhuc hodie ſupereſt tentatio vitæ; fide quidem exiſtens Arianus perfectiſſimus, verum amplius docet, non oportere offerre pro his qui obdormierunt, prohibet autem & & jejunare quarta: & pro ſabbatho & quadrageſima & paſchate,* &c. *carnis eſu omnis generis utitur, & voluptatum deliciis licentiſſime, ſi quis vero ex diſcipulis ejus jejunare velit ne in diebus ordinatis hoc facito, inquit, ſed quando volueris,* &c. hæc de Aërio Epiphanius, quid adhæc dicent DD. noſtri Anonymi, qui unum Epiphanium contra cultum SS. imaginum ſibi pro omnibus ſufficere jactabant, ſed falsò. Oſtendant illi unicum dogma Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, quod inter hæreſes ab Epiphanio ſit relatum, ſicut in Aërio tot illorum dogmata hæreſeos contra antiquam Eccleſiam damnantur.

XII. *Chryſoſtomus* Hom. 32. in Matth. edit. Baſil. 1558. *Cur poſt mortem tuorum pauperes convocas? Cur presbyteros ut pro eo velint orare obſecras? non ignoro te reſponſurum, ut defunctus requiem adipiſcatur, ut propitium Iudicem inveniat.* &c.

Idem hom. 61. in Joann. eâd. edit. *Quod ſi peccator & qui ſæpenumero offendit moritur, is deflendus eſt, vel potius minime, cùm nihil illis adferat utilitatis. ſed ea facienda, quæ ei aliquid conferre poſſunt, eleemoſynas oblationes,* &c. *Honor enim mortuo non fletus eiulatus ſed hymni & pſalmi,* &c. *vis mortuum honorare? alia via aggrediendum eſt fac Eleemoſynas,* &c. quid clarius?

XIII. Idem hom. 21. in acta Apoſtolorum ſic ait: *Si voluerimus illi, mortuo, leve facere ſupplicium: Itaq, ſi preces pro illo faciamus, ſi eleemoſynam demus, etſi ille indignus ſit, nobis Deus placatior erit.* Et infra: *Omnes jube pro illo facere ſupplicationes & preces,* &c, & infrà: *Hoc dogma* (NB) *eſt divinæ miſericordiæ,* &c. *multas nobis Deus dedit ſalutis vias,* &c. & infrà: *Non fruſtra* (NB) *oblationes pro defunctis ſiunt non fruſtra preces, non fruſtra Eleemoſynæ: Hæc omnia* (NB) *ſpiritus diſpoſuit volens ut nos mutuum juvemus,* &c. *non temere Diaconus clamat pro his qui defuncti ſunt in Chriſto, & pro his qui illorum memoriam faciunt,* &c. *hæc ſcientes conſideremus quantas conſolationes poſſimus mortuis pro lachrimis pro lamentis,* &c. *præſtare, nempe Eleemoſynas, preces orationes,* &c. quid clarius dici poſſet?

Iterum Hom. 41. in 1. ad Cor. eâd. edit. ſic ait: XIV.
Non eſt temere hoc excogitatum, nec fruſtra memoriam mortuorum inter ſacra myſteria celebramus; aut accedimus, pro iſtis agnum illum jacentem & peccata mundi tollentem deprecantes: ſed ut his conſolatio hinc aliqua fiat. Nec temere qui altari aſſiſtit, inter horrenda myſteria clamat pro omnibus in Chriſto dormientibus, & pro his qui memoriam celebrant illorum. Nam nunquam iſta fiant, neq, hæc dicantur, ſi pro illis commemorationes non fierent. Opitulemur igitur his fratres, memoriam pro ipſis faciamus. Et infra: *Ne defatigemur mortuis auxilium ferendo, preces pro ipſis offerendo: communis totius orbis victima preces ſunt. Hinc pleni fiducia pro toto etiam orbe ſupplicamus, inter Martyres, inter confeſſores, inter ſacerdotes mortuos recenſemus: unum enim corpus omnes ſumus, ſint membra licet alia aliis illuſtriora, undiq, veniam ipſos impetrare licet, precibus pro ipſis affectu, muneribus datis, conſortio coram inter quos velut commune corpus referuntur,* &c. hæc ibi. Ecce quàm clarè vir celeberrimus uſum Eccleſiæ illius tempori teſtatur; ſed & illum ab initio Eccleſiæ fuiſſe etiam in ſequentibus oſtendit.

Item ſerm. 3. in epiſt. ad Philipp. eâd. edit. XV.
Defleamus, inquit, *iſtos, juvemus eos pro viribus, procuremus illis aliquid auxilii, modici quidem, attamen juvemus eos. Quomodo? qua ratione? precantes adhortemur & alios ut pro illis orent, pauperibusq, indeſinenter pro illis Eleemoſynas demus.* Et infrà: *Non fruſtra ab Apoſtolis ſancitum eſt, ut in celebratione venerandorum myſteriorum memoria fiat eorum, qui hinc diſceſſerunt. Noverunt illis multum hinc emolumentum fieri, multum utilitatis. Stante Siquidem univerſo populo, manus in cælos extendente, cætu item ſacerdotali verendoq, poſito ſacrificio, quomodo Deum non placaremus pro iſtis orantes?* &c. ubi præter ſuffragia pro defunctis advertant Acatholici quam reverenter S. Pater de S. Altaris ſacrificio loquitur quod ipſi ſacrilegè ore ita derident, & idololatriæ condemnant, ipſe autem S. Pater teſtatur quod SS. Apoſtoli ordinarint ut in ſacrificio oretur pro defunctis.

Similiter loquitur S. Pater hom. 69. ad popu- XVI.
lum Antiochen. eâd. edit. dicens: *Non temere ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, ut in tremendis myſteriis defunctorum agatur commemoratio, ſciunt enim illis multum inde contingere lucrum, utilitatem multam, cùm enim totus conſtiterit populus extenſis manibus, ſacerdotalis plenitudo, & tremendum proponitur ſacrificium, quomodo Deum non exorabimus pro his deprecantes?* &c. & infrà: *Sicut itaq, pro viventibus deprecamur, qui nihil à mortuis differunt, ita pro illis quoq, licet orare,* &c. Hoc tanti viri teſtimonium tale ac tantum eſt, ut ſolum pro veritatis antiquitate contra Acatholicorum falſam novitatem ſufficeret.

Theodoretus lib. 5. Eccleſ. hiſtor. c. 36. edit. Co- XVII.
lon. 1573. ſic ſcribit: *Imperator Theodoſius vultu & oculis in ſancti illius viri loculo defixis pro parentibus preces fudit oravitque ut per ignorationem factarum injuriarum veniam illis tribueret; jam pri-*

dem

dem autem eius parentes mortem obierant illo jam tum valde adolescente orbe relicto, &c.

Horum antiquorum SS. Patrum Græcorum doctrinæ inhæserunt sequentibus seculis viri sanctissimi, quos longum nimis esset recensere. Solum referemus professionem Græcorum in Concilio Basil. seu Florentino exhibitam, ubi inter alia sic profitentur, *porro Ecclesia pro defunctis preces cum iis qui eorum obitum antecesserunt precibus coniunctas aliquid præstare posse, hoc etiam prorsus statuimus, credentes iis, quæ de hac re à Patribus sunt decreta*, &c. hæc ibi.

XVIII. Similiter *Jeremias Patriarcha Constant.* anno 1580. in suo responso 1. cap. 12. sic ait: *Nec viuis tantum beneficentia, omniaq; à Deo beneficia præstita prosunt, sed illis etiam, qui pia confeßione vitâ discesserunt*, & infrà: *Hinc magnus ille Dionysius: precatio inquit diuinæ maiestatis bonitatem orat, velit omnia remittere errata, quæ, qui obdormiuit, humana fragilitate admisit; ac collocare ipsum in regione viuentium, in sinu Abrahæ*, &c. hæc ille, in quem finem etiam *Greg. Nazianz. Chrysostomi*, &c. aliorum allegat testimonia. Iterum cap. 13. sic ait: *Misericordiam Dei in Missa imploramus pro viuis mortuisq; supplicantes*, &c.

XIX. Similia confessus est *Gabriel Patriarcha Alexandrinus* anno. 1595. in epist. ad Clementem VIII. & Hypathius Ruthenorum legatus in fidei suæ professione, ut infrà dicetur. Quid ad hæc nostri Acatholici, qui Græcos suos in fide fratres esse volunt & jactitant?

ARTICULUS IV.

Eadem veritas probatur ex Conciliis & Patribus Latinis.

I. ANno 395. *Concilium 3. Carthag.* cap. 29. edit. Colon. 1538. cui S. Augustinus interfuit sic statuit: *Sacramenta altaris non nisi à jeiunis hominibus celebrentur*, &c. *nam si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum commendatio facienda est, solis orationibus fiat.*

II. Concil. Carthag. 4. An. 398. celebratum c. 29. eâd. edit. sic ordinat: *pœnitentes qui attente leges pœnitentiæ exequuntur, si casu in itinere vel in mari mortui fuerint; ubi eis subueniri non poßit, memoria eorum & orationibus & oblationibus commendetur*, hæc ibi.

III. *Tertullianus* de corona militis cap. 3. edit. Paris. 1584. & Basil. 1562. *Oblationes*, ait, *pro defunctis facimus, harum & aliarum disciplinarum si legem expostules Scripturarum nullam inuenies, traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix & Fides obseruatrix*, &c. ubi fatetur quidem quod in S. Scriptura non extet præceptum, sed non negat in scriptura legi id esse licitum, sed ostendit quod à tempore Apostolorum sit obseruatum, sicut & alii sancti Patres dicunt.

Idem exhortat. ad castitatem cap. 11. sic ait, *etiam repete apud Deum pro cuius spiritu postules, pro qua oblationes annuas reddas, stabis ergo ad Deum*, &c. & infrà: *Et ascendet sacrificium tuum libera fronte*, &c.

Similiter lib. de Monogamia cap. 10. edit. cit. *Pro anima eius orat, & refrigerium interim, adpostulat ei, & in prima resurrectione consortium, & offert annuis diebus dormitionis eius.*

IV. *Cyprianus* lib. 1. epist. 9. edit. Basil. 1540. vel alias epist. 66. edit. Antwerp. 1568. ad plebem & clerum Primitanum dicit: *Quod episcopi antecessores nostri religiose considerantes & salubriter prouidentes censuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret & si quis hoc fecisset non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur.* Et infrà: *Ideo Victor eum contra formam nuper in Concilio à Sacerdotibus datam hominem Faustinum Presbyterum ausus fuit actorem constituere, non est quod pro eius dormitione apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine eius in Ecclesia frequentetur*, &c. hæc ille.

V. *Ambrosius* lib. 4. contra gentes circa finem edit. Romana 1580. *Cur*, ait, *inaniter conuenticula meruerint dirui? in quibus summus Deus oratur, pax cunctis & venia postulatur Magistratibus*, &c. *familiaribus, inimicis adhuc vitam degentibus & resolutis corporum vinctione*, &c. hæc ille.

Idem de obitu Satyri fratris eâd. edit. *Fleuerunt*, ait, *& pauperes, & quod multo est pretiosius, multoq; liberius lachrimis suis ejus delicta lauerunt; istæ sunt lachrimæ redemptrices, isti gemitus qui dolorem mortis abscondunt*, &c. & post aliquot paginas. *Non ergo dubium est vestris lachrimis Apostolorum patrocinium comparari, non, inquam, dubium est, Christum misericordia motum cùm vos flentes videret. Etsi nunc non tetigit loculum, suscepit tamen spiritum commendatum etsi non appellauit corporis voce defunctum, diuina tamen potestatis authoritate à cruciatibus mortis & nequitiæ spiritalis incursionibus eius animam liberauit.*

Idem orat. 1. præparat. ad Missam eâd. edit. *Rogamus etiam te sancte Pater pro spiritibus fidelium defunctorum.* Et infrà: *ita ut placide ac benigne sacrificium suscipias de manibus meis ad salutem omnium tam viuorum quam defunctorum.*

VI. Idem *Ambros.* orat. de exitu *Theodosii Imperatoris. Eius ergo*, ait, *Principis*, &c. *nunc quadragesimum celebramus aßistente sacris altaribus Honorio Principe, quia sicut S. Joseph Patri suo Jacob 40. diebus humationis officia detulit; ita & hic Theodosio Patri justa persoluit.* Et infrà: *Tu Domine*, &c. *da requiem perfectam seruo tuo Theodosio, requiem illam quam præparasti sanctis tuis*, &c.

Item lib. 8. epist. 2. ad Faustinum de obitu sororis eâd. edit. *Hanc, ait, non tam deplorandam quam prosequendam Orationibus reor, nec mæstificandam lachrimis tuis, sed magis oblationibus animam eius Domino commendandam arbitror*, &c. hæc ille.

VII. *Hieronymus* in epist. ad Pammachum de obitu Paulinæ uxoris suæ sic scribit: *Cæteri mariti super tumulos conjugum spargunt violas, rosas, lilia, floresq; purpureos, Pammachius noster sanctam familiam ossaq; veneranda Eleëmosyna balsamo rigat his pigmentis atq; odoribus fouet cineres quiescentes, sciens scriptum: sicut aqua extinguit ignem ita eleemosyna peccatum*, &c. hæc ille.

Idem in fine contra Vigilantium edit. Basil. 1553. pag. 122. sic ait: *Dicis in libello tuo, quod dum viuimus mutuo pro nobis orare possumus, postquam autem mortui fuerimus nullius sit pro alio exaudienda oratio, præsertim cùm Martyres ultionem sui sanguinis obsecrantes impetrare non quiuerint, si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse soliciti quanto magis post coronas, victorias & triumphos*, &c. hæc ibi. Vbi licèt loquatur de orationibus Sanctorum

pro viatore, ſatis indicat, quod etiam intelligat pro omnibus adhuc extra patriam conſtitutis, ſicut Vigilantius abſolutè negabat, preces audiri pro aliis, qui non ſunt in hac mortali vita.

VIII. Paulinus epiſt. 1. ad Amandum alias 19. edit. Colon. 1560. Ob hoc, ait, impenſe rogamus, ut quaſi frater, &c. orandi labore conſpires ut miſericors & miſerator Deus, &c. refrigeret animam ejus ſtillicidiis miſericordiæ ſuæ per orationes veſtras pro eo (defuncto) infirmitati noſtræ. Hæc ille.

IX. Auguſtinus ſerm. 32. de verbis Apoſtoli edit. Baſil. 1528. ſic ait: Orationibus S. Eccleſiæ & Sacrificio ſalutari & Eleemoſynis quæ pro eorum (ſcilicet defunctorum) ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandũ mortuos adjuvari, ut cum eis miſericordius agatur, &c. quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum univerſa obſervat Eccleſia, ut pro iis, qui in corporis & ſanguinis Chriſti communione defuncti ſunt, cùm ad ipſum Sacrificium ſuo loco commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur, &c. hæc ille. Ubi S. Pater omnem de hac re doctrinam non ſolum brevibus verbis exprimit, ſed etiam graviſſimum eſt teſtimonium ita ab antiquis Patribus traditum in Eccleſia obſervari.

Idem Aug. integrum librum ſcripſit de cura pro mortuis de quo ipſe teſtatur lib. 2. retract. c. 64. eâd. edit. dicens: Librum de cura pro mortuis gerenda ſcripſi cum interrogatus literis fuiſſem, utrum proſit cuiq; poſt mortem quod corpus ejus apud ſancti alicujus memoriam ſepeliatur, hic liber ſic incipit: Deum ſanctitati tuæ, &c. Hunc librum Calvinus cùm non poſſet negare eſſe Auguſtini tanquam frigidum contemnit lib. 3. Inſt. cap. 5. §. 10.

Aug. cap. 1. refert verba Paulini, ſcilicet: Nam dicis videri tibi non eſſe inanes motus animorum religioſorum atq; fidelium pro ſuis iſta curantium; Adiungis etiam vacare non poſſe, quod univerſa pro defunctis Eccleſia ſupplicare conſuevit, &c.

Ad hæc reſpondet Auguſt. ibid. cap. 1. dicens: In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis Sacrificium, ſed etſi nuſquam in Scripturis veteribus legeretur, non parva (NB) hac conſuetudine claret auctoritas, ubi in precibus ſacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum.

X. Similiter cap. 4. Cùm recolit animus ubi ſepultum ſit chariſſimi corpus, &c. martyri animam dilectã commendat recordantis & precantis affectus. qui cum defunctis à fidelibus exhibetur, eum prodeſſe non dubium eſt, &c. & infra: Verum & ſi aliqua neceſſitas vel humari corpora vel in talibus locis humari nulla data facultate permittat, non ſunt prætermittendæ ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorum quas faciendas (NB) pro omnibus in Chriſtiana ſocietate defunctis etiam tacitis nominibus quorum ſub generali commemoratione ſuſcepit Eccleſia, ut quibus ad iſta deſunt parentes aut filii aut quicunq; cognati vel amici ab una eis exhibeatur pia matre communi, &c.

Iterum cap. 5. Cùm ergo fidelis mater filii ſui defuncti corpus deſideravit ad baſilicam Martyris poni, &c. & ad idem ſepulchrum occurrit animo, & Filium magis magiſq; precibus commendat, adiuvat defuncti ſpiritum, &c. hæc ibi.

Idem lib. 20. de civ. Dei c. 9. eâd. edit. cauſam allegat cur Eccleſia oret pro fidelibus defunctis dicens: Neq; enim piorum animæ mortuorum ſeparantur ab Eccleſia, quæ etiam nunc eſt regnum Chriſti alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communione corporis Chriſti.

Idem lib. 21. civ. Dei c. 24. eâd. edit. ubi exponit, pro quibus defunctis Eccleſia oret dicens: XI.
Si qui uſq; ad mortem habebunt cor impœnitens, nec ex inimicis convertentur in filios, nunquid jam pro eis, id eſt pro talium defunctorum ſpiritibus orat Eccleſia? cur ita? niſi quia jam in parte diaboli computantur, qui dum eſſent in corpore non ſunt tranſlati ad Chriſtum, &c. & infrà ſic ait: Nam pro defunctis quibusdam vel ipſius Eccleſiæ, vel quorundam piorum exauditur oratio ejus. licet qui in Chriſto renati non ideo ita male vixerint in corpore, ut tali miſericordia habeantur indigni: nec iidem ſic bene, ut inveniantur tali miſericordia non egere, &c. & infrà: Neq; enim de quibusdam veraciter diceretur, quod non eis remittatur, neq; in hoc ſeculo neq; in futuro, niſi eſſent quibus etſi non in iſto, tamen remitteretur in futuro, &c. hæc ibi.

Iterum in Enchiridio de fide ſpe & charitate cap. 110. eâd edit. ſic ait: Neq; negandum eſt defunctorum animas pietate ſuorum viventium relevari, cum pro illis ſacrificium (NB) Mediatoris offertur, vel eleëmoſynæ in Eccleſia fiunt: ſed eis hæc proſunt, qui cùm hic viverent, ut hæc ſibi poſtea prodeſſe poſſent meruerunt; eſt enim quidam vivendi modus, nec tam bonus ut non requirat iſta poſt mortem, &c. eſt vero talis in bono, ut iſta non requirat, & eſt rurſus talis in malo, ut nec his valeat, &c. adjuvari quocirca hic omne meritum comparatur, quo poſſit poſt hanc vitam relevari quispiam vel gravari, &c. & infrà: Auguſtinus per hæc occurrit objectioni modernorum Acatholicorum ſic ſubjungens: Non igitur iſta quæ pro defunctis commendandis frequentat Eccleſia illi Apoſtolicæ ſunt adverſa ſententiæ, &c. ut referat unuſquiſq; ſecundùm ea quæ per corpus geſſit, &c.

Iterum ibid. infert dicens: Cùm ergo ſacrificia ſive altaris ſive quarumcunq; Eleemoſynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis XII.
gratiarum actiones ſunt, &c. ut ſit plena remiſſio, &c. hæc Auguſt. Ecce quàm clarè totam Eccleſiæ doctrinam tradit.

Idem tract. 84. in Joann. edit. cit. loquens de XIII.
Martyribus pro Chriſto mortuis dicit: Ideo quippe ad ipſam menſam (unde ſumitur corpus & ſanguis ejus, qui pro nobis poſuit animam ſuam, ut paulò ante dixerat) non ſic eos commemoramus quemadmodum alios qui in pace requieſcunt, ut etiam pro eis oremus, ſed magis ut orent ipſi pro nobis, &c. hæc ibi.

Similiter loquitur ſerm. 17. eâd. edit. de verbis Apoſt. cap. 1. dicens: Ideoq; habet Eccleſiaſtica diſciplina, quod fideles noverunt, cùm Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ibi non pro ipſis oretur, pro cæteris autem commemoratis defunctis oretur, injuria enim eſt pro martyre orare cuius nos debemus orationibus commendari.

Demum Auguſt. lib. 9. confeſſ. cap. 11. edit. cit. refert verba piiſſimæ Matris ſuæ Monicæ dicentis, ponite, inquit, hoc corpus ubicunq; nihil vos eius cura conturbet, tantum illud vos rogo ut ad Domini altare memineritis mei ubi fueritis. & c. 12. Auguſtinus ſic dicit: Cùm offerretur pro ea ſacrificium pretii noſtri jam juxta ſepulchrum poſito cadavere, &c. & c. 13. Deum orans ſic ait: Quanquam illa (Monica) in Chriſto vivificata etiam nondum carne reſoluta ſic vixerat, ut laudetur nomen tuum in fide & moribus eius, non tamen audeo dicere ex quo eam poſt baptiſmum regeneraſti, nullum

Digitized

nullum verbum exiisse ab ore ejus contra præceptum tuum; & dictum est à veritate filio tuo, si quis dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis, &c. *quia vero non exquiris delicta vehementer fiducialiter speramus aliquem apud te locum invenire* (NB) *indulgentia*. *Ego itaq*, &c. & post pauca. *Nunc pro peccatis matris meæ deprecor te, exaudi me per medicinam vulnerum nostrorum quæ pependit in ligno & sedens ad dexteram tuam te interpellat pro nobis*, &c. *dimitte illi & tu debita sua, si qua etiam contraxit per tot annos post aquam salutis*. Et infrà: *Illa imminente die resolutionis non cogitavit suum corpus sumptuose contegi aut condiri aromatibus*, &c. *sed tantummodo memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit, cui nullius diei prætermissione servierat, unde sciret dispensari victimam sanctam, qua est Chyrographum quod erat contrarium nobis*, &c. *ad cujus pretii nostri Sacramentum ligavit ancilla tua animam suam*, &c. & infrà: *Inspira servis tuis fratribus meis*, &c. *ut quotquot hæc legerint meminerint ad altare tuum Monica famulæ tuæ*, &c. *meminerint cum affectu pio parentum meorum*, &c. *& fratrum meorum, sub te Patre in Matre Catholica*, &c. hæc Augustinus quid clarius dici posset & pro tremendo Missæ Sacrificii pretio, & pro suffragiis defunctorum?

ARTICULUS V.

Refertur calumnia Calvini contra sanctum Augustinum & refutatur.

I. HÆc videns Calvinus lib. 3. cap. 5. §. 10. tam manifesta, cum ab Augustino dicta esse negare non posset, ecce impudenter in calumnias & irrisiones contra tantum Ecclesiæ Doctorem erumpit dicens: *Monicam matrem suam in libris confess. Augustinus narrat vehementer rogasse, ut sui memoria in mysteriis peragendis ad altare fieret acute scilicet votum quod filius non exigit ad normam scripturæ sed pro naturæ affectu probari aliis voluit*, &c. hæc Calvinus quis non miretur hanc Calvini impudentiam, quod soli naturali affectui Augustini id adscribat, idque illum contra scripturam fecisse arguat; cùm S. Doctor verbis tam claris ibidem profiteatur, se pro matre orare sumpto ex S. Scriptura fundamento, quia post baptismum renata verba otiosa dixerit, & alia ob quæ juxta verbum Christi adhuc luere deberet, &c. & similiter ex aliis hactenus allatis testimoniis constet, quod Augustinus orationem pro defunctis vocet *Ecclesiarum disciplinam à Patribus traditam in universa Ecclesia usurpatam* & in S. Scriptura fundatam, & tam asseveranter asserat, non esse dubium quin defunctis prosint sacrificia & eleëmosynæ pro ipsis oblatæ, &c. sic sic damnat tantum Ecclesiæ Doctorem, cùm illum sibi contrarium experitur, cùm tamen idem Calvinus lib. 3. Inst. cap. 3. §. 10. dicat: *Neque opus est multum investigando laborare quid hic veteres senserint, quando unus Augustinus sufficere ad id potest, qui fideliter magna diligentia omnium sententias collegit, ex illo ergo sumant lectores si quid de sensu antiquitatis habere certi velint*, &c. hæc ibi.

II. Similiter ait lib. 4. Inst. cap. 14. §. 16. sic dicens: *Atque id est quod voluit idem Augustinus quem ut optimum ex tota antiquitate & fidelissimum testem sæpius citamus*, &c. similiter passim ubi aliquam ex sancto Augustino sententiam invenire potest, quam ad sua dogmata detorquere qualitercunque possit, hunc Doctorem omnibus aliis Patribus præfert. Ecce Augustinus tam clarè tradit doctrinam antiquitatis & à Calvino tanquam anilis deliræ matris affectu abreptus deridetur; certe in aliis libris non ex affectu matris locutus est, sed ex fonte veritatis; ita & hîc cùm protestetur cap. 12. dicens ad Deum: *Ego jam sanato corde ab illo vulnere in quo poterat redargui carnalis affectus, fundo tibi Deus noster pro illa famula tua longe aliud lachrimarum genus*, &c. & postea pergit orando, ut suprà relatum est.

III. Cæterum ut abundantius Calvini calumnia confundatur, & ostendatur, quod sanctus Augustinus non ex affectu naturæ, sed ex veritate Ecclesiæ de defunctorum suffragiis docuerit, videatur ipse lib. de hæresibus ubi hæres. 53. edit. Basil. 1528. sic ait: *Aeriani ab Aerio quodam sunt nominati, qui cùm esset presbyter, doluisse fertur quod Episcopus non potuerit ordinari & in Arianorum hæresim lapsus propria quoque dogmata addidisse nonnulla, dicens* (NB) *orare vel offerre pro mortuis oblationem non oportere, nec statuta solemniter celebranda esse jejunia, sed cùm quisq; voluerit jejunandum ne videatur esse sub lege*, &c.

IV. An hæc Augustinus ex naturæ affectu, dum ex Ecclesiæ communi consensu refert *Aerium* dogmata illa contra Ecclesiæ doctrinam addidisse, & ex eo singularem hæresim constituisse? Verum ut evidentius hujus Calvini impudens arrogantia pateat, ecce non solum Augustinum sic arguit, sed & totam antiquitatem ibid. §. 10. dicens: *Quum ergo mihi obiecerint adversarii ante mille trecentos annos usu receptum fuisse ut precationes fierent pro defunctis, eos vicissim interrogo; quo Dei verbo, qua revelatione, quo exemplo factum sit?* hæc Calvinus; quem suum Magistrum Petrus Martyr secutus & superaddens in locis communibus clas. 3. cap. 9. §. 33. dicit: *Solet & nobis illud obiici Ecclesiam semper pro defunctis orasse quod equidem non inficior, sed assero istius facti neq; verbo Dei, neq; exemplo, quod desumatur ex sacris literis authoritatem habere*, &c.

V. Ecce hic sine limitatione fatetur Ecclesiam semper ac proinde à tempore Apostolorum pro defunctis orasse, prout certissimum est ex testimoniis SS. Patrum suprà relatis; & tamen impudenter hanc orationem præstandam negat, nec minus falsò quam impudenter illius in S. Scriptura exemplum vel auctoritatem non haberi asserit: cum ex locis ex S. Scriptura allatis contrarium pateat, & expressè ex illo lib. 2. Machabæorum S. Augustinus probet.

VI. Verum etsi expressa in S. Scriptura de hoc non esset sententia, quod tamen falsum est, nunquid sufficeret totius Ecclesiæ à tempore Apostolorum auctoritas? quæ hoc in conciliis approbavit & usu docuit & tradidit? nunquid plures articuli fidei etiam ab Acatholicis credendi ex Conciliorum & SS. Patrum auctoritate determinationem habent, cum loca S. Scripturæ olim ab hæreticis negarentur vel in falsum sensum apparenter detorquerentur: ut patet de *mysterio SS. Trinitatis, consubstantialitatis Filii cum Patre, de duabus voluntatibus in Christo, de duabus naturis in unitate personæ Christi*, &c. item de baptismo

parvulis conferendo, torumq, peccato originali, &c. de quo D. Augustinus fatetur contra Pelagium non extare clarum exemplum in S. scriptura, sed sufficere totius Ecclesiæ ab initio usum & sensum.

VII. Demum nobis sufficit quod Ecclesia universalis à tempore Apostolorum usu receperit precationes pro defunctis, quales Calvinus, Petrus Martyr & asseclæ eorum superstitionis & erroris quasi essent contra S. scripturam damnant, & ex Ethnicorum more desumptas fingunt, ut Calv. §. 10. & Petrus Martyr dicere audent, cùm tamen ex SS. Patrum testimoniis evidentissimè constet orationum hunc usum ex S. Scriptura & Apostolorum traditione accepisse; sufficit, inquam, nobis quod S. Ecclesia universalis & Catholica quam S. scriptura docet, & Calvinus fatetur errare non posse, hunc precationis usum habuerit, & insuper illius contradictores Aërianos condemnarit hæreseos testibus Epiphanio & August. ex quo constat, quod Acatholici à primitivæ Ecclesiæ fide alieni imo illi contrarii sint, & damnatis à primitiva Ecclesia hæresibus inhæreant.

Hæc cùm ita in confesso sint apud Acatholicos non opus esset nostris DD. Anonymis respondere, qui adhuc ex SS. Patribus suum contra orationem pro defunctis dogma stabilitum putant, nihilominus in particulari respondebimus.

ARTICULUS VI.

Referuntur & refutantur argumenta Authoris 2. libelli.

I. PRimus Anonymus nullum alicujus S. Patris testimonium contra orationes pro defunctis adfert, sed solum contra purgatorium & indulgentias ex *Cardinali Roffensi* argumentatur, de quo sequenti capite videbimus.

II. Secundus Anonymus sic ait: *Quare non agis candide proponendo statum quæstionis suis legitimis terminis, nos non dicimus Patres docere nullo modo orandum pro fidelibus defunctis, verum quod Patres doceant aliquibus modis orandum pro fidelibus defunctis, quam bene vel male jam non disputamus, nec multum referret, si quasdam orationum pro defunctis species à Patribus defensas rejiceremus, nonnunquam enim & bonus dormitat Homerus; orarunt Patres etiam pro damnatis & iis qui peccarunt in Spiritum Sanctum, quas orationum species vos ipsos admittere non crediderim, quod si autem vobis fas sit rejicere Orationes Patrum pro damnatis, quo jure nos obligabimur ad recipiendas omnes Orationum pro fidelibus defunctis species? sed quid hic Patres egerint, nil ad rem. Quæstio inter nos & vos est, an orandum pro fidelibus defunctis patientibus in & liberandis ex purgatorio, hanc clausulam astute omittebas Bernardine. Vide de hac re Jac. Laur. de purg. c. 17. nullum hic Patrum testimonium proferimus, quia sic sensu quæstionis legitime constituto, hujus determinatio pendet à determinatione sequentis, si enim Patres ignorarint purgatorium, negarint etiam Orationes pro defunctis patientibus in & liberandis ex purgatorio, quia non entis nulla affectiones*, &c. hæc ille.

Respondetur ad secundum Anonymum.

III. Quis non videt hunc Anonymum id agere quod mihi imponit statum quæstionis mutando, & veritatis lucem declinando, quam tamen agnoscens obscurare conatur.

Respondeo itaque primo me candidè agere, quia propono articulum iisdem terminis, quibus Calvinus, Petrus Martyr, &c. illum exprimunt, qui scilicet absolutè negant precationes pro defunctis faciendas, easque in S. scriptura fundatas.

Cùm ergo sit articulus vestræ doctrinæ, & tu D. Anonyme susceperis partes D. Elberston demonstrandi, quod omnes vestri articuli in quibus à Catholica Ecclesia Romana differtis à sanctis Patribus quatuor primorum seculorum sint docti & crediti, etiam hic articulus ut proponitur, & à Calvino asseritur, ex SS. Patribus probandus erat, an autem tu candidè in probando procedas patebit.

Respondeo ad secundum nonne volens nolens fateri debes sanctos Patres docere aliquibus modis pro defunctis orandum esse, & hoc ipsum tu arguere audes dicendo: *Sed quam bene vel male jam non disputamus.* Imo hoc disputamus. Agnoscis ergo, te nec tuos in hoc cum SS. Patribus concordare; nec Patres primorum 4 seculorum negasse has orationes, sed usurpasse, quas vos damnatis. II.

Ad secundum, sed quod dicis: *Non multum referret, si quasdam Orationum species à Patribus defensas rejiceremus, nonnunquam bonus dormitat Homerus.* Ecce qualiter tenebras quæris & tamen errorem prodis; cur non significas orandi species à Patribus defensas quas tu rejiciendas judicas? cur putas sub prætextu quod ex inadvertentia & dormitatione Patres talia defenderint, te sub illorum protectione morari? id proverbium dicitur de aliquo qui casu vel ex inadvertentia in aliquo erravit, sed vides totam antiquitatem preces illas approbasse, usurpasse, & ut ipse fateris defendisse, imo ut ostensum est, contrarium asserentes, hæreseos damnasse, est ne hoc quod subinde bonus dormitet Homerus? mirum: non erubescas sic contra lucem meridianam tenebras fingendo.

Ad tertium ostende illos SS. Patres qui pro damnatis orarunt, & pro iis qui in Spiritum Sanctum peccantes obierunt, vel preces illas exhibe, vel quod primarium est, quinam dixerint orandum esse pro damnatis, qui nobis certo damnatos esse constiterint. Contrarium habes in locis SS. Patrum suprà allegatis pro quibus S. Ecclesia orare soleat ac possit, qui præter alia S. scripturæ loca in verbis illis Domini doctrinam Ecclesiæ fundatam asserunt, cùm dixit Matt. 21. *Qui dixerit in Spiritum Sanctum non remittetur ei neq, in hoc neq, in futuro seculo.* Unde duo colligunt, primò: quod pro talibus non sit orandum, 2. quod aliqua sint peccata quæ in futuro dimittantur, & pro talibus defunctis peccatoribus orandum sit qua fronte ergo contrarium SS. Patribus imponis? forsan ad *Trajanum* respexisti, qui dicitur per preces S Gregorii ex inferno liberatus, sed hæc te non juvant, nec SS. Patrum doctrinam evacuant ut patebit. III.

Respondeo ergo I. si vera sit ista historia; certum est quod D. Greg. non orarit pro Trajano supponens illum esse damnatum, sed ex certis causis speraverit ipsius damnationem fuisse à Deo suspensam, & hoc supposito sic ipsum pro illo orasse, illum autem per preces sancti Gregorii IV.

gorii

Digitized by Google

gorii vel fuiſſe reſuſcitatum, & pœnitentiam egiſſe, & baptizatum eſſe, vel ſaltèm alibi pœnitentiam egiſſe, &c. & ſic ad cœlum perveniſſe ut aliqui putant, hoc modo ſupponuntur aliqui per Apoſtolos & alios Sanctos ad vitam reſuſcitati qui in peccatis mortalibus obierunt ut patet de Adoleſcente filio præfecti, qui à diabolo ſuffocatus per preces *S. Agnetis* reſuſcitatus fuit, tales enim nondum fuerunt condemnati ad infernum ſed tanquam dormientes à Deo reſervati ad vitam, &c. his modis nihil actum eſſet contra communem doctrinam quæ habet quod pro his quos certo ſcimus cum diabolo eſſe condemnatos non liceat orare, ſive quos certo ſcimus ad infernum jam prædeſtinatos, vel in peccato contra Spiritum Sanctum obiiſſe, ut D. Auguſtinus ſuprà relatus tradit.

V. Reſpond. tamen 2. negando totam illam hiſtoriam de Trajano & quibuſdam aliis tam malis ex inferno per preces aliorum vel alias liberatis; nam hiſtoria illa nititur auctoritate D. Damaſceni, qui dicitur auctor libri in quo hiſtoria illa refertur; quod falſum eſt, quia in illa etiam dicitur, quod ab inferno damnatorum plures fuerint liberati à Chriſto dum ad inferos deſcendit cujus contrarium Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 4. expreſsè docet.

2. Quia nec ipſe D. Gregorius, nec ullus ipſi coævus vel familiaris, ut Paulus Diaconus, Anaſtaſius Bibliothecarius, Beda, &c. hujus hiſtoriæ meminerunt.

3. Quia ipſe D. Gregorius lib. 34. Moral. c. 13. ſcribit: *Non poſſe orari pro infidelibus defunctis ſicut nec pro diabolo, quandoquidem in eadem aeterna & irrevocabili ſint damnatione.* Quomodo ergo credendum eſt, quod B. Gregorius pro talibus infidelibus oravit? quæ autem pro fide illius hiſtoriæ referuntur nullius momenti ſunt, & à Bellarmino & aliis Doctoribus ſatis refutata ſunt.

VI. Jam dic D. Anonyme, qua fronte ex hac inventa & ficta hiſtoria vel aliis ſimilibus imponis SS. Patribus falſa, ut ex illis etiam veriſſima ab illis dicta & tradita rejicere poſſis? quæ eſt hæc conſequentia, cum ſic dicis: *Quod ſi vobis fas ſit rejicere orationes Patrum quas pro damnatis fecerunt, quo jure nos obligabimur ad recipiendas omnes orationum pro defunctis ſpecies?*

Reſpondetur enim antecedens eſſe falſum, quòd Patres tales orationes tradiderint, & ideo merito illas rejicimus ſed alias orationum ſpecies SS. Patres ex S. Scriptura & uſu Eccleſiæ ab initio traditas docuerunt, & ideo veri Chriſtiani ut Eccleſiæ filii illas credere tenentur.

Verum quod veritate convictus dicis: *Sed quid hic Patres egerint nihil ad rem.* Certè turpiter loqueris, multum enim ad rem, quod Patres orârint, & orandum docuerint pro defunctis ut à peccatis & pœnis liberentur, *de hoc enim præcipua quæſtio eſt*, & in hac tuus Calvinus & illius ſectatores tantopere Eccleſiam cum SS. Patribus damnant, ut conſtat; econtra vero & antiqua & moderna Eccleſia Catholica damnant eos, qui negant orandum pro defunctis.

VII. Judicet æquus lector, an ego, ut vis, an tu minus candidè in hac quæſtione procedas, non hæreamus in verbis ſed in re ipſa, nega vel concede quod SS. Patres orârint pro defunctis, id tuus Calvinus fatetur illos feciſſe, ſed falsò eos damnat quaſi ſuperſtitiosè egiſſent, ſi tamen neges, id probandum contra tot clara SS. Patrum teſtimonia, quæ Calvinum & Petrum martyrem ad id fatendum coegerunt, licèt ex ſua malitia Patres damnent. Nec te juvat quod dicas me aſtutè omiſiſſe id quod primarium eſt ſcilicet *quod orandum ſit pro defunctis patientibus, & liberandis ex purgatorio.* Quia diſtinctæ ſunt quæſtiones, una ſimpliciter, *an orandum ſit pro defunctis, ut liberentur à peccatis, quibusdam vel pœnis ubicunq; illi fuerint?* & ſecunda *an hujuſmodi animæ patiantur in purgatorio?* Sciendum quod nomen purgatorii ſtrictè vel latè ſumi poteſt, & in uno ſenſu coincidit cum priore quæſtione, in altera diverſa eſt quæſtio, ut infrà patebit; quod autem non aſtutè declinem conſtat quod in ſequenti articulo illam quæſtionem expreſſi, unde vides candorem meum, quod nihil ſubterfugiam, ſed manifeſtas tuam fallaciam & defectum probandi, ut ſic ad calumnias declinando aliquid dixiſſe videreris.

ARTICULUS VII.

Refertur & refutatur argumentum auctoris tertii libelli.

Tertius Anonymus ſic ait: *Quod nullo modo liceat orare pro fidelibus defunctis, hoc negabunt reformati ſequentes illud Apoſtoli 2. Tim. 1. v. 18. det illi Dominus invenire miſericordiam à Domino in illa die; quo etiam voto reformati exprimunt ſuam certitudinem de glorioſe reſuſcitandis ad æternam beatitudinem illis, quos norunt in Domino vitam egiſſe & clauſiſſe, ab his vero votis longe aberunt Pontificiorum preces offertoriaq; pro defunctis, quorum animas putant in ficto illo purgatorio torreri, maturius vero propter preces ſuas iſtas & oblationes miſſaticas poſſe ex eo evolare. Conſentit cum Reformatis Hieronymus in repudiandis talibus interceſſionibus pro defunctis quando* in cap. 2. *ad Galat. ſic ait: in præſenti ſeculo ſumus, ſive orationibus, ſive conſiliis poſſe nos coadjuvari, cùm autem ante tribunal Chriſti venerimus, nec Iob, nec Daniel, nec Noë rogare poſſe pro quoquam ſed unumquemq; portare onus ſuum,* &c. hæc ſola probatio Anonymi contra orationes pro defunctis. I.

Veruntamen quis ex his non cognoſcit, qualiter iſti Doctores ſplendore veritatis deterriti, & SS. Patrum auctoritate deſtituti calumniarum & diverticulorum tenebris ſeſe protegere conentur, quod ex ſequentibus patebit; an autem ego, an vero iſti ſtatum quæſtionis controverſum mutent vel declinent ex declaratione opinionum, quæ contra Catholicam veritatem fuerint facilè conſtabit.

Reſpondetur

D. Anonymus aſſeruit quod in quæſtionem non venit; nam cùm quæritur, an ſit orandum pro fidelibus defunctis, non eſt quæſtio an poſſimus aliquibus defunctis fidelibus congratulari de felici tranſitu tanquam certi de eorum beatitudine, & ſolum inſuper congratulari quod cum corporibus in die judicii reſurgent glorioſi, hoc enim quoad aliquos defunctos in confeſſo eſt apud SS. Patres, qui cum Eccleſia profitentur quod SS. Apoſtoli & Martyres, in miſſa commemorarentur tanquam ex congratulatione, II.

 ſed

sed hæc non est oratio, propriè dicta, nisi ad summum quod oret Ecclesia pro illorum corporum resuscitatione, licèt sit certa, sicut pro re futura certa etiam orari potest, & sic Apostolus 2. Tim. 1. 16. Onesiphoro *precabatur misericordiam in die judicii* ut patet: sed quod D. Anonymus dicit: quod prætensi reformati simili modo precentur pro defunctis quod certi sint de omnium eorum salute, hoc falso principio nititur, quo sibi persuadent se certò esse prædestinatos. Sed licèt hoc quilibet prætensus reformatus sibi ipsi, licèt falsò, persuadere posset, eo quod in seipso certo imaginaretur fidem talem esse qua certitudinaliter credat se salvandum & etiam esse prædestinatum; quomodo unus prætensus reformatus de altero certus esse potest, quod talem fidem in corde habeat? *Cùm omnis homo mendax.* Ecce quàm frivolè & falsò prætensi reformati sic suis defunctis congratulantur, sed hoc nihil ad præsens. *Quæritur igitur* an orandum sit pro defunctis, ut à peccatis vel pœnis solvantur, & hoc modo intelligitur articulus propositus an nullo modo sit orandum pro defunctis fidelibus, de quibus non certo constat quod vel damnati sint, vel per Martyrium vel alias beati, &c. quia illis nihil prodest, & his fieret injuria qui non egent; sed potius ipsi pro nobis orant, sic ergo supposito quæstionis statu,

III. Respond. ad verba *D. Hieronymi* quæ habentur in edit. Basil. 1553. non cap. 2. sed cap. 6. ad Galat sicut & in edit. Antwerp. 1578. optimè idem Bellarm. respondet 1. quod Hieronymus loquatur de iis qui in peccato mortali moriuntur, quibus nulla post mortem prodest oratio: & hæc responsio satis colligitur ex verbis Hieronymi ibidem quæ immediatè præcedunt, scilicèt *unusquisque enim suum portabit*, ubi dicit: *videtur superioribus contraire, ubi ait. Alter alterius onera portabit, sed videndum quod ibi præceperit ut peccantes in hac vita nos invicem sustentemus, &c. hic autem de Domini dicat in nos judicio, quod non exalterius peccato & comparatione deteriores, sed juxta nostrum opus aut peccatores ab eo judicemur aut sancti recipiente unoquoque secundum opus suum, &c.* ubi patet, quod loquatur de peccatis mortalibus in quibus homo moritur & à Deo judicatur ut peccator.

IV. Et idem patet ex verbis sequentibus, ubi circa illa verba Apostoli: ergo dum tempus habemus, &c. sic ait: *Ultimum sementis hoc tempus est*, &c. seminare autem est bona meritoria præstare, ut ibid. explicat.

Similiter ibid. in comment. brevi circa verba Apostoli ad Galat. 6. *In Christo enim Iesu neq; circumcisio*, &c. sic ait in utraque edit. Antwerp. & Basileensi, *hoc tempore solum hoc prodest; si quis renatus in Christo noua conuersatione utatur, ut Propheta Ierem. 4. ait: innouate vobis nouam messem, & ne seminaueritis inter spinas, circumcidite vos Deo vestro*, &c. ubi patet, quod loquatur de iis qui in statu peccati mortalis sunt; nisi enim illi in hoc seculo ab illo circumcidantur & renascantur; ubi possunt etiam adhuc juvari consilio & oratione aliorum, post mortem ab illis peccatis liberari non possunt ullius oratione.

V. Respondet Bellarm. 2. quod intelligatur Hieronymus de tempore extremi judicii, ubi omnes ante tribunal Christi stabunt: ubi finis erit Purgatorii & etiam suffragiorum; sed nuda sententia judicis feretur, &c. & hoc Acatholici fateri debent qui non agnoscunt aliud judicium ante tribunal Christi, nisi extremum. Hæc etiam responsio patet ex Hieronymo supra qui loquitur contra Originem asserentem post ultimum judicium omnes liberandos. Quod autem verba Hieronymi aliquo istorum modorum sint intelligenda, patet primò ex aliis ipsius locis clarissimis suprà allatis de oratione pro defunctis; præsertim libro contra Vigilantium, inter cujus errores refert quod dixerat posse nos pro invicem dum vivimus orare, post mortem vero nullius pro altero orationem esse exaudiendam, &c. & patebit ex locis infrà allegandis de pœnis Purgatorii ante extremum diem judicii ab ipso Hieronymo assertis: patet etiam ex verbis D. Augustini in Enchyridion suprà allegatis ubi ait, quod oratio pro defunctis, non adversetur illi sententiæ Apostoli, ut referat unusquisque secundum ea quæ gessit in corpore, &c.

VI. 3. Cùm *D. Epiphanius & Augustinus* referant Aërium ideo hæreticum quod negarit pro defunctis esse orandum, & ipsemet Calvinus fateatur ante 1300. annos usu receptum fuisse & à Patribus doctum ut oretur pro defunctis, quomodo credendum quod Hieronymus tales precationes pro defunctis fidelibus negarit?

Cum itaque hîc nostri DD. Anonymi nullum verum alicujus S. Patris testimonium contra orationem pro defunctis adferre possint, & hoc Hieronymi non urgeat, alii vero nullum prorsus producant, sed cum Calvino fateantur SS. Patres probasse precationes pro defunctis, evidens est; quod in hoc articulo Acatholici à fide antiquæ 4. seculorum Ecclesiæ defecerint, eique contrarientur: ut hæc clarius pateant, Antitheses subjungemus.

ANTITHESES

Catholicæ veritatis & Acatholicorum falsitatis circa orationem pro fidelibus defunctis ex S. Scriptura & SS. Patribus.

I. PRimò *S. Scriptura & SS. Patres tradunt* quod homini post remissionem culpæ sæpius remaneat reatus ad pœnam temporalem in vita luendam. Ita *etiam Ecclesia Catholica moderna.*

Acatholici id prorsus negant.

2. *S. Scriptura & SS. Patres tradunt*: Viros pios & electos post remissionem culpæ sæpius à Deo punitos in pœnam peccati commissi; *Idem credit & docet Ecclesia Catholica moderna.*

Acatholici id negant dicentes afflictiones illas tantum à Deo immissas in cautelam & futuram emendationem.

II. 3. *SS. Patres juxta S. Scripturam docent*, quod in Sacramento baptismi omnia peccata quoad culpam & pœnam omnem etiam temporalem remittantur; at vero in Sacramento pœnitentiæ ordinariè pœna temporalis reservetur luenda. *Idem docet ecclesia Catholica moderna.*

Acatholici omnino hoc improbant.

4. *SS. Patres juxta S. Scripturam docent*, quod post hanc vitam fidelibus defunctis sæpe remittantur aliqua peccata, & remaneat pœna tempora-

poralis pro peccatis exoluenda. *Similiter docet Eccleſia Catholica moderna.*

Acatholici hoc abſolutè rejiciunt & rident.

III. 5. *SS. Patres docent juxta S. Scripturam*, quod S. Miſſæ Sacrificium pie & ſalubriter pro fidelibus defunctis offerri poſſit, ita *etiam Eccleſia moderna.*

Acatholici id omnino deteſtantur & rident.

6. *SS. Patres juxta S. Scripturam docent*, quod fideles pro defunctis fidelibus pie & utiliter orare poſſint, ut à peccatis ſolvantur, & à pœnis temporalibus liberentur. *Similiter docet Eccleſia.*

Acatholici id abſolutè negant.

IV. 7. *SS. Patres teſtantur*, quod Eccleſia à tempore Apoſtolorum uſum habuerit orandi pro defunctis ut à peccatis liberentur, idque Sanctos à Deo doctos tradidiſſe. *Ita etiam Eccleſia moderna.*

Calvinus, Petrus Martyr, &c. fatentur SS Patres idipſum docere, ſed arguunt illos, quod ex ſuperſtitione gentilium acceperint contra Scripturam.

8. *SS. Patres inter errores & hæreſes Aërianorum* recenſent quod negarint pro fidelibus defunctis oblationes vel preces eſſe offerendas, *ſimiliter Eccleſia moderna tales damnat.*

Acatholici idem dogma pertinaciſſimè defendunt.

9. Non ſolum Patres Græci primis quadringentis annis, ſed etiam *Græci poſt defectionem* ab Eccleſia Romana docuerunt Sacrificium Miſſæ & preces pro defunctis ut à pœnis liberentur eſſe offerendas.

Acatholici Græcos pro ſuis veris in fide vera fratribus habere volunt, & tamen hanc doctrinam erroris & ſuperſtitionis damnant.

V. 10. *SS. Patres apertiſſimè docent*, quod in Sacrificio Miſſæ Apoſtolorum & Martyrum fiat memoria in gratiarum actionem & congratulationem de vita beata adepta, & ſubinde orant pro corporum illorum glorioſa reſuſcitatione; at vero pro aliis fidelibus defunctis de quibus ſpes eſt quod in gratia Dei mortui ſint docent, quod etiam ſit orandum ut à peccatis & pœnis liberentur, quibus obnoxii eſſe poſſent, & profitentur viventes non poſſe eſſe de omnibus certos, quod ſtatim poſt mortem ſalventur, *eadem docet Eccleſia Catholica moderna.*

Acatholici non volunt admittere aliam orationem pro defunctis niſi votum quo ipſis de æterna beatitudine certitudinaliter adepta & futura glorioſâ reſurrectione congratulentur. Quod falſum eſt & ſacræ Scripturæ contrarium.

CONCLVSIO.

Videat igitur & judicet Chriſtianus ſincerus lector, primò: an pia vetuſtas ſeu primitiva Eccleſia ac ſancti Patres dogma modernorum Acatholicorum crediderint vel approbarint quo negant orandum eſſe pro fidelibus defunctis ut à peccatis vel pœnis liberentur. VI.

2. An primitiva Eccleſia doctrinam Eccleſiæ Catholicæ modernæ quoad orationes pro defunctis hæreſeos damnarit, prout Acatholici moderni damnant, quod ipſis DD. Anonymus ex promiſſione probandum erat.

3. Conſideret quam clara & manifeſta ſint ſanctorum Patrum pro uſu & doctrina Eccleſiæ Catholicæ Romanæ circa offerendum & orandum pro defunctis teſtimonia, ut etiam ipſemet Calvinus & alii, id ipſum fateri coacti ſint, & tamen ſuis falſis dogmatibus adeo pertinaciter inhærent, ut ipſos SS. Patres ſuperſtitionis arguere non vereantur, vel ex inadvertentia aut naturali affectu locutos eſſe vel egiſſe aſſerere præſumant. VII.

4. Patet quod ſancti Patres hunc uſum non ad gentilium morem, non ad naturalem affectum ſed ad ſacram Scripturam & Apoſtolicam traditionem referant, & Aërianos & alios contrarium ſentientes hæreſeos damnarint. Hæc videant & confundantur omnes qui Calvinum ſectantur, utinam, dum adhuc tempus eſt, convertantur. VIII.

***

CA-

CAPUT IV.

De Purgatorio.

ARticulus nonus à D. Vexillifero & Acatholicis probandus ex sanctis Patribus talis erat, *quod nullum sit post hanc vitam ante diem ultimi judicii Purgatorium; seu talis status in quo animæ quadam fidelium pœnas temporales patiantur.*

ARTICULUS I.

Quid Acatholici de Purgatorio sentiant?

I. APud antiquos non legitur ullus qui directè purgatorium negarit, sed solum indirectè, qualis fuit omnium *primus Aerius*, qui cùm negaret orandum esse pro defunctis ut liberentur; consequenter etiam negavit ullum esse locum vel statum ubi animæ liberandæ essent, cum nullas esse, quæ precibus egerent, assereret.

II. Primò ergo qui expressè Purgatorium negarunt fuerunt Petrobrusiani seu Apostolici circa Ann. 1124. qui negabant ignem Purgatorii post mortem, sed animas post mortem statim vel ad cœlum vel ad infernum transire asserebant Ita refert *S. Bernardus* serm. 66. super Cant. & epist. 240. & *Petrus Cluniacensis* ad omnes Episcopos.

Eundem errorem amplexi sunt circa annum 1140. *Armeni Rutheni, Moscouitæ ac Græci* ut refert Guido Carmelita in summa de hæreticis. Verum *de Græcis & Armenis* alii testantur, quod non negarint purgatorium post hanc vitam, sed tantum ignem, quo purgentur de quibus infrà.

III. Circa ann. 1180. *VValdenses* secuti sunt *Petrobrusianos*, ut refert Guido.

Lutherus in suis articulis negavit Purgatorium ex S. Scriptura probari posse, contra quem scripsit *Cardinalis Roffensis* & alii; cùm tamen idem Lutherus in disputatione lypsica sic scripsisset: *Ego qui credo fortiter, imo ausim dicere scio Purgatorium esse, facile persuadeor in Scripturis de eo fieri mentionem.* Verum ultimatè absolutè illud negavit epist. ad Waldenses sic scribens: *Cùm negatis purgatorium, damnatis missas, vigilias, cœnobia & monasteria, &c. per omnia etiam probo.* Item lib. de missa privata, *tutius*, ait, *est purgatorium negare; quam Gregorio credere referenti animarum apparitiones suffragia petentium, &c.* illum sequuntur suæ asseclæ

IV. tam molles quàm rigidi Lutherani.

Calvinus lib. 3. Inst. cap. 5. §. 6. sic scribere audet: *Clamandum ergo non modo vocis sed gutturis & lateris contentione purgatorium exitiale esse Sathanæ commentum, quod Christi crucem euacuat, quod contumeliam Dei misericordiæ non ferendam irrogat, quod Fidem nostram labefacit & euertit, quid enim illis est purgatorium, nisi quæ post mortem à defunctorum animis pendatur pro peccatis satisfactio:* hæc ille. Sed hæc falsissima esse partim ex prædictis, partim ex sequentibus constabit, cùm omnis satisfactio fundetur in misericordia Dei & meritis Christi, nec justitia Dei misericordiæ contrariatur, justus enim Deus & misericors est; quid autem purgatorium sit ex sequentibus patebit.

ARTICULUS II.

Proponitur doctrina Catholica de purgatorio & declaratur.

COncil. Florent. hanc doctrinam his verbis definivit: *Definimus, si verè pœnitentes in Dei charitate decesserint antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint & omissis; eorum animas pœnis purgatorii post mortem purgari,* &c. I.

Concil. Trident. sess. 6. can. 30. sic definit: *Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatorum pœnitenti ita culpam remitti & reatum pœnæ æternæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exoluendæ vel in hoc sæculo vel in futuro in purgatorio antequam ad regna cœlorum aditus patere possit, anathema sit.*

Pro majore Ecclesiæ doctrinæ intelligentia sciendum primò, quod Ecclesia Catholica credat & doceat juxta S. Scripturam post hanc mortalem vitam esse vel fuisse quinque status seu loca in quibus animæ morarentur *primus status beatorum & locus cœlestis* ubi animæ cum Angelis Deum clarè vident beatæ 2. *status damnatorum & locus inferni*, in quo animæ illorũ qui in peccato mortali moriuntur cum diabolo cruciantur. 3. fuerit status seu locus SS. Patrum ante Christi adventum, in quo sine pœna sensus detinebantur extra cœleste gaudium; donec Christus ipsos liberatos ad cœlum perduceret. 4 *status* est parvulorum, qui sine baptismo cum peccato originali absque omni peccato actuali moriuntur. 5. *est status illorum* fidelium qui post baptismum in peccata relapsi & in pristinam per merita Christi gratiam Dei restituti in peccatis venialibus & cum reatu pœnæ temporalis defuncti sunt. II.

Sciendum 2. quod S. Ecclesia ex S. Scriptura certo credat, quod locus beatorum sit certus, scilicet in cœlo; non tamen ita ut ibi constringantur esse, sed possint pro Dei & sua libertate ad terram venire. Similiter locus certus diaboli & damnatorum sit infernus in inferioribus & infimis terræ partibus, ita tamen ut ante diem judicii non semper diaboli ibi maneant, ut patet ex S. Scriptura, & de his duobus statibus & locis non est controversia. III.

Sciendum 3. quod *status beatorum & damnatorum sit æternus*, ut Ecclesia & SS. Patres ex Scriptura docent contra Originistas & alios qui asserebant vel diabolos & damnatos omnes post mille annos à suppliciis liberandos, vel saltèm omnes homines damnatos sic aliquando salvandos de quibus *D. Augustinus* lib. 21. civ. cap. 24. IV.

Sciendum 4. quod status SS. Patrum qui dicitur *lymbus Patrum* fuerit temporalis usq; ad Christum, quod autem talis fuerit SS. Patres passim docuerunt ex S. Scriptura, ut infrà ostendetur.

Scien-

Digitized by Google

V. Sciendum 5. *ſtatus parvulorum* ſine Baptiſmo cum ſolo peccato originali morientium etiam à SS. Patribus ex S. Scriptura docetur, & hic eſt æternus ut iidem SS. Patres docent, & hic ſpectat ad ſtatum damnatorum: licèt parvuli diſparibus à damnatis puniantur pœnis ſcilicet pœnâ damni, quorum ſtatus dicitur *lymbus parvulorum*, & probabiliter locus in viſceribus terræ, licèt de hoc nihil ſit definitum. Sed hæc nihil ad præſentem quæſtionem, ſufficiat hîc obiter indicaſſe 1. quòd infantes etiam fidelium non baptizati defuncti non introibunt in regnum Dei juxta verbum Domini Joann. 3 v. 3 & 5. v. 20. certum eſt de Fide quòd tales parvuli damnabuntur juxta illud Apoſt. ad Rom. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum*, &c. & infrà: *Nam judicium quidem ex uno delicto in condemnationem*, &c. juxta quod Auguſt. lib. 2 Retract. cap. 45. edit. Baſil. 1528. dicit: *De originali peccato Fides Catholica novit in parvulis niſi regenerentur in Chriſto, ſine dubitatione damnandis.*

Verùm quâ pœnâ damnandi ſint, Fides Catholica non definit, ſed probabiliùs dicitur quòd ſolâ pænâ damni puniantur, ſcilicet pænâ mitiſſimâ, de qua ſic loquitur Aug. lib. 5. in Julian. c 8. eâd ed *Quis dubitaverit parvulos non baptizatos*, &c. *in damnatione omnium leviſſima futuros? quæ qualis & quanta erit, quamvis definire non poſſim, non tamen audeo dicere quod eis ut nulli eſſent, quàm ut ibi eſſent potiùs expediret*, &c. juxta hæc Doctores docent probabiliùs, quòd in loco ſeparato erunt ab aliis damnatis, de quibus Chriſtus dicit: *Meliùs erat illi, ſi natus non fuiſſet homo iſte.*

Demum ſtatus illorum fidelium qui in gratia Dei mortui ſunt in reatu pœnæ temporalis exolvendæ poſt mortem, dicitur *purgatorium*, qui ſtatus à SS. Patribus ex S. Scriptura demonſtratur: & de hoc aliqua ſunt de Fide, aliqua ſalvâ Fide diſputantur.

VI. *De Fide Catholica* itaque certum eſt, quòd poſt hanc vitam ſit talis defunctorum ſtatus, qui duret uſque ad extremum diem judicii ſed nõ ultrà.

2. Certum eſt, quòd tales animæ in tali ſtatu ob reatum pœnæ temporalis puniantur, donec vel ſatis paſſæ ſint juxta Dei judicium & miſericordiam per Chriſti merita, vel per ſacrificium Miſſæ, aliaque ſuffragia fidelium per eadem Chriſti merita inde liberentur.

VII. 3. Certum eſt, quòd ſit aliquis locus vel aliqua loca, in quibus tales animæ in tali ſtatu detinentur, quia debent eſſe ſaltèm alicubi; nec tamen ſunt in cælo nec in inferno damnatorum.

4. Etſi probabile ſit talem locum ordinarium eſſe in partibus terræ inferioribus ab inferno damnatorum ſeparatum; tamen de hoc nihil certi vel ex S. Scriptura vel ex SS. Patribus conſtat, nec ab Eccleſia hactenus eſt definitum, ubi ſit ille locus, quibus vel qualibus pœnis animæ puniantur, an verò igne infernali, & ſimili, &c.

Ob hæc itaque in articulo probando non expreſſi certum locum, ubi eſſet purgatorium nec certas pœnas quæ ad Fidem non ſpectabant; ſed illa duo, quòd ſcilicet poſt hanc vitam ſit ſtatus vel locus aliquis in quo animæ fidelium in gratia defunctorum ob reatum pœnæ ad tempus prout à Deo ordinatum fuerit ante diem judicii puniantur, *hoc Eccleſia Catholica de Fide certum credit, & Acatholici mordicus negant.*

VIII. Denique non eſt quæſtio de nomine purgatorii, an illud expreſsè habeatur in S. Scriptura vel SS. Patribus, ſed de re ipſa, quam Eccleſia Catholica per illud nomen ſignificat: ſicut enim ſæpius dictum eſt, quòd plura nomina, quæ circa Fidei myſteria uſurpantur, in ſacra Scriptura non exprimantur, ut nomen *Homouſios* ſeu *conſubſtantialis* & alia plura; nihilominus illud apud ſanctos Patres extat ut patebit. His præmiſſis res ipſa probanda erit.

ARTICULUS III.

Quòd purgatorium ſeu talis ſtatus aut locus vel loca dentur, in quo vel quibus aliquæ animæ fidelium defunctorum pænâ temporali ante diem judicii puniuntur; donec inde liberentur: probatur primò ex S. Scriptura.

I. HÆc veritas 1. probatur ex illis locis S Scripturæ quibus ſuprà probatum eſt: quòd ſacrum Miſſæ ſacrificium & orationes viventium piè & ſalubriter pro defunctis fidelibus offerantur, ut à pænis liberentur, ut 2. Machab. 12. v. 43. Tobiæ 4. v. 13. Luc. 16. v. 1. Cor. 13. v. 29. ſi enim ex illis locis probetur, ut ſancti Patres probant, quòd aliquæ animæ poſt mortem per talia ſuffragia liberentur, evidenter ſequitur; quòd ſit aliquis ſtatus, vel locus animarum fidelium, quæ tali modo liberantur, etſi non ſequeretur econtra: quòd ſi detur talis ſtatus animarum, quæ temporaliter affliguntur, etiam hoc ipſo verum eſſet, quòd per ſuffragia vivorùm juvari poſſint; quia poſſent à Deo puniri uſque ad extremum quadrantem & tunc liberari, licèt nunquam per ſuffragia juvarentur: jam autem utrumque verum eſt.

II. Probatur 2. etiam ex illis locis S. Scripturæ quibus ſuprà probatū eſt, quòd ſæpe poſt mortem remaneat in fidelibus reatus pœnæ temporalis luendæ, ut ex Matt. 21. v. 32. & Matt. 5. v. 22. & 25. ubi infertur ſtatus vel locus talium defunctorum, imo exprimitur Matt. 5. v. 25. *Ne judex tradat te miniſtris & in carcerem mittaris, amen dico tibi, non exies inde donec reddas noviſſimum quadrantem.* Prout & Luc. 12. v. 59. dicitur, quæ loca S. Scripturæ ſancti Patres explicant de ſtatu animarum poſt hanc vitam ut ſuprà oſtenſum eſt.

III. Probatur tertiò in ſpeciali ex illo 1. Cor. 3. v. 12. *Si quis autem ſuperædificavit ſuper fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam uniuscujusq; opus manifeſtum erit, dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscujusq; opus quale ſit, ignis probabit, ſi cujus opus manſerit quod ſuperædificavit, mercedem accipiet, ſi cujus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem*, &c. hæc Apoſtolus: etſi autem hic locus difficilis ſit; de quo D. Auguſt. ipſemet lib. de Fide & Operibus cap. 15. edit. Baſil. 1528. fatetur ſic dicens: *Diligenter oportet attendere, quomodo accipienda ſit Apoſtoli Pauli illa ſententia planè ad intelligendum difficilis, ubi ait fundamentum, ſi quis autem ſuperædificavit ſuper fundamentum aurum*, &c. hæc ille.

IV. Plura circa hunc locum enucleanda eſſent, quæ à Doctoribus noſtris accuratè examinantur & reſolvuntur, ad quos curioſum remitto, hîc nobis ſufficit, quòd SS. Patres per illum ignem,

Digitized

de quo Apoſtolus ait, *ſalvus erit, ſic tamen, quaſi per ignem* intellexerint pœnam aliquorum temporalem, per quam purgabuntur illi, qui poſt mortem in die particularis judicii Dei invenientur præter bona opera, quæ per aurum, argentum intelliguntur, pro quibus mercedem ſeu vitam æternam accipient, etiam ſuperædificarunt opera inutilia & alia, pro quibus luent, & in quibus detrimentum patientur, ſic tamen, ut pœnâ illâ exantlatâ ad beatitudinem perveniant, & ſic ſalvi fiant.

Ita autem intellexerunt SS. Patres, præſertim *Cyprianus, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus*, &c. infrà allegandi, ex quibus patet, quòd licèt locus obſcurus ſit, tamen quia ſancti Patres illum in hoc ſenſu intellexerunt, is præcipuè à Spiritu S. intentus eſſe, cenſendus ſit.

V. Probatur 4. ex illo Act. 2. v. 24. ubi Petrus de Chriſto loquens, ſic ait: *Quem Deus ſuſcitauit ſolutis doloribus inferni, juxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo.* quòd autem illa verba intelligantur de doloribus inferni poſt mortem Chriſti, & non de doloribus quos Chriſtus in cruce paſſus eſt, ut volunt Acatholici, patet ex textu, cùm Apoſtolus id probat ex pſ. 15. v. 8. dicens: *David enim dicit in eum: Prouidebã Dominum in conſpectu meo ſemper*, &c. *& caro mea requieſcet in ſpe*, quod utiq; intelligitur de Chriſti carne poſt mortẽ, & ſubjungitur, *quoniã non derelinques animam meam*, id eſt carnem *videre corruptionem*, &c. Hi ergo dolores inferni qui dicuntur ſoluti non poſſunt intelligi de doloribus ipſiusmet Chriſti poſt mortem, cùm ipſe in cruce dixerit: *Conſummatum eſt*; & latroni: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Nec poſſunt intelligi de doloribus damnatorum, quibus nulla eſt redemptio; nec de doloribus Patriarcharum, qui nullos patiebantur; ac proinde intelliguntur dolores illorum, quorum animæ adhuc in pœnis temporalibus detinebantur, quas purgatorium Eccleſia vocat. Et licèt Acatholici more ſuo contradicant, ſufficit nobis, quòd SS. Patres infrà allegandi ſic intellexerint, noſtrûm enim hîc potiſſimùm eſt probare doctrinam Catholicam ex ſanctis Patribus, quibus magis ſtandum eſt circa intellectum ſacræ Scripturæ, quàm iſtis novatoribus vel illorum propriis diſcurſibus.

ARTICULUS IV.

Eadem veritas probatur ex SS. Patrum Græcorum teſtimoniis.

I. HUc imprimis ſpectant omnia teſtimonia SS. PP. ſuprà allegata, quibus docent in antiqua Eccleſia uſitatum fuiſſe, ut pro fidelibus defunctis oretur, prout ex *Clemente, Dionyſio Areopagita, Euſebio Alexandrino, Concilio Niceno, Athanaſio, Ephrem, Cyrillo Hieroſolymit. Epiphanio & Chryſoſt. conſtat*: his addendi ſunt etiam illi ſancti Patres Græci, qui expreſsè de expurgatione animarum poſt hanc vitam per cruciatus locuti ſunt.

II. *Origenes* hom. 14. in Lev. edit. Baſil. 1557. ſic ait: *Poſſumus adhuc etiam addere illud quod natura peccati ſimilis eſt materia quæ igni conſumitur, quam ædificari Paulus Apoſtolus à peccatoribus dicit, qui ſupra fundamentum Chriſti ædificant ligna, fœnum, ſtipulam. In quo manifeſte oſtenditur eſſe quædam peccata ita levia, ut ſtipulæ comparentur, cui utiq;* IGNIS (NB) *illatus diu non poteſt immorari, alia vero fœno eſſe ſimilia, quæ ipſa non difficulter ignis abſumat, verùm aliquanto tardiùs, quàm in ſtimulis immoretur*, &c.

Similiter Hom. 25. in Num. oſtendens quòd illi, qui in hac vita diſcedunt, purgatione indigeant, allegat locum Apoſtoli 1. Cor. 3. dicit: *Probantur tamen omnia hæc*, &c. *uniuscujuſq; enim opus quale fuerit, ignis probabit.* & adducto loco ex lib. Num. ſubjungit: *Vides, quomodo purgatione indigeat omnis qui exierit de prælio vitæ hujus*, &c. hæc ille.

Baſilius Magnus ad cap. 4. Iſa. edit. Antwerp. 1568. circa illa verba, *quia abluit Dominus ſordes filiorum & filiarum Sion, & ſanguinem Hieruſalem expurgabit de medio ejus in ſpiritu judicii, ſpiritu ardoris*, &c. ſic ait: *Perſpicue atteſtantur hæc prædicta eſſe Ioanni dicenti de Domino: quia ipſe eſt, qui vos baptizavit in Spiritu S. & igne quin etiam tacite innuit duas eſſe ſpecies Baptiſmatis*, &c. & infrà: *Illud quidem expurgatio fuit ſordium, itaq; ablutio quidem pro tali diſpoſitione peccati accipitur, hoc autem in ſpiritu judicii & ſpiritu ardoris, ad eam* (NB) *refertur probationem ſive examen, quod per ignem fiet in ſæculo futuro.* & infrà: *Qui poſt acceptam vitæ notitiam conſulto ac ſtudio ſe ipſos reddunt obnoxios ſanguini; utiq; tales opus eſt* (NB) *purgari per ignem*, &c. hæc ibi. Quid autem eſt purgari per ignem, niſi purgatorium. III.

Similiter *Baſilius* lib. de Spiritu S. cap. 15. allegatum locum Matt. 3. *Ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne*, exponit, quòd Chriſtus ſuos baptizabit in Spiritu Sancto in hac vita, at verò in igne in futura, &c. IV.

Idem in c. 9. Iſa. eâd. ed. circa illa verba: *Ut gramen aridum devorabitur ab igne* (juxta ipſius lectionem) ſic ait: *Si per confeſſionem detexerimus peccatum, jam ſuccreſcens gramen areſecimus dignum plane quod depaſcatur ac devoret purgatorius* (NB) *ignis*, hæc ibi. Ecce in terminis.

Similiter in c. 9. Iſa. in fine exponens illa verba, *& erit populus ab igne deuſtus* vel aduſtus, ut ipſe legit, cùm noſtra lectio habeat: & erit populus eſca ignis, &c. ſic ait: *Non omnimodam internecionem, & exterminium comminatur, ſed innuit expurgationem juxta Apoſtoli ſententiam, quia ſi cujus opus exarſerit damnum patietur, ipſe autem ſalvus fiet, ſic tamen, ut per ignem*, &c. hæc Baſilius.

Gregorius Nazianz. orat. de Epiphania circa finem edit. Baſil. 1550. in locum ſuprà allegatum Matt. 3. ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto dicit: *Forte ibi igni obviantes, Baptiſmate ultimo baptizabuntur*. V.

Ephrem lib. de Everſione ſuperbiæ ed. Colon. 1603. ſic ait: *Immundus vere apud Dominum omnis qui elato eſt corde, an non conſideras illum, per quem tranſibimus ignem*, &c. *dies enim Domini uniuscujusq; opus declarabit*, &c.

Gregor. Nyſſen. orat. quòd non ſit dolendum ob eorum obitum qui in Fide diſceſſerunt, ſic ait: *Quam ob rem ut ſimul & humanæ naturæ relinqueretur dignitas liberæ voluntatis, & ipſum auferretur malum, hanc divina Sapientia rationem excogitavit, ut in eis hominem eſſe ſineret, quæ ſibi ipſe elegiſſet, quo guſtatis malis quæ concupierat, experiendoq; diſcens quæ quibus commutaſſet ea cupiditate rurſum incenderetur ut vitiorum perturbationumq; quæ rationi inimica ſunt, onere depoſito & vel in præſenti vita precibus ſapientiæq; ſtudio purgatus, vel poſt obitum* (NB) PURGATORII IGNIS *fornacem expiatus ad priſtinam vellet redire felicitatem*, &c. & infrà: *Aliud ei deinde erit ineundum conſilium ut ad bonum perveniat cognita, quæ inter virtutem & vitium eſt differentiâ, non potuit divinitatis particeps fieri, niſi maculas animo immixtas* (NB) *purgatorius ignis abſtulerit*, & infrà: *Aliis au-* VI.

tem

tem post hanc vitam PVRGATORIO (NB) *IGNE materiæ labes & propensionem ad malum abstergentibus*, &c. hæc ille.

Idem lib. de Anima & Resurrect. edit. Basil. 1571. *Planè, ait, necessè est, ut dum vitiositas purgatorio* (NB) *igne absumitur, anima quoque quæ cum vitiositate unita est, in igne sit, donec id, quod inspersū est adulterinum materiale atque fucatum & corruptum totum aboleatur igni consumptum*, &c. *pro quantitate vitiositatis quæ in unoquoque fuerit cruciatus* (NB) *ac doloris modus adhibetur, non enim par est utrumque, tum eum qui in malu vetitis tamdiu versatus sit, tum eum qui in mediocria delicta quadam inciderit, per purgationem vitiosi habitus ex æquo discruciari*. &c. hæc ille.

VII. *Eusebius Emissen.* Hom. 3. de Epiphan. Bibl. PP. ed. Colon. 1618. tom. 5. part. 1. pag. 549. sic ait: *Hæc pœna illis manebit, qui amisso & non servato Baptismo in æternum pereunt*, &c. *hi verò, qui temporalibus pœnis digna gesserunt*, &c. *per FLVVIVM IGNEVM, per unda ferventibus globis horrenda transibunt*, &c. hæc ille. similiter loquitur August. infrà Hom. 16.

VIII. *Theodoretus* ad cap. 3. prioris ad Cor. sic ait: *Dicit Apostolus, qui salvabitur sic tanquam per ignem conflatorium ignem purgantem*, &c. *quicquid intervenit per incautelam præteritæ vitæ saltem pedum terreni sensûs, in quo tamdiu manet, quamdiu quicquid corruptelæ & terreni sensûs, subsistit, purgetur, pro quo mater Ecclesia hostias & dona pacifica devotè offert.* Ita refert D. Thom. in lib. adversus errores Græcorum & Armenorum: qui etiam hæc Theodoreti verba recitat circa locum Apost. scilicet: *Hunc credimus ignem purgatorium quo purgantur animæ ut aurum in conflatorio*, &c. quæ etiā habentur in scholis Græcis ad c. 3. ad Cor. 1.

IX. Ex his abundè patet, quid SS. Patres Græci in primis quatuor & 5. sæculis de purgatorio crediderint; etsi autem posterioribus sæculis aliqui Græci negarint animas igne cruciari, concesserunt tamen, quòd opus habeant precibus vivorū ut liberentur, prout constat: nam Græci Patriarchæ & Episcopi in Concilio Florent. congregati sess. ult. interrogati; quid de purgatorio igne sentirent; responderunt 1. privatim his verbis: *Profitemur ex nobis iustorum animas perfectam lauream in cœlo iam consecutas esse, ac impiorum perpetuas pœnas luere, medias verò* (NB) *in purgatorio esse, quod quidem sive ignis, sive obscuritas sive turbo, sive id genus aliud sit, nil referre.* Verùm postea ex consensu communi in literis unionis Græci & Latini sic unanimiter concordarunt: *In nomine SS. Trinitatis*, &c. *hoc S. Concilio universali approbante Florentino definimus*, &c. *Item si verè pœnitentes in Dei charitate discesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, & omissis, eorum animas pœnis purgatoriis post mortem purgari, & ut à pœnis huiusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum sacrificia, orationes, Eleemosynas, & alia pietatis officia quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt*, &c. hæc Patres Græci & Latini in Concilio Florentino, & hoc ad Fidem sufficit.

X. Et sic etiam *posteriores Græci* Anno 1560. in responsionibus ad Cardin. *Guisium* responderunt ad quæst. 10. dicentes: *Eorum hominum animæ, qui mortiferis in peccatis diem extremum non clauserunt, nec tamen omnino expertes culpæ fuerunt, pœnitentiæque fructu declararunt; horum animæ creduntur à nostris eiusmodi delictorum ratione purgari, non per purgatorium aliquem ignem, vel determinata certo quodam loco supplicia; sed nonnullæ in ipso diremptu à corpore per solum metum; nonnullæ post diremptum à corpore fortassis etiam apud orcum detentæ, non quòd in igne supplicio eis sint, sed velut in custodia & vinculis coerceantur. His omnibus opitulari preces eorum nomine factas dicimus convenienter in his divinâ bonitate & clementiâ*, &c. *ut magnus Dionysius ait: nam alios ut diximus expurgat metus, alios tortura conscientiæ, quæ animam acriùs rodit, quàm quivis ignis*, &c. hæc illi.

Zaga Zabo Æthiops in confessione Fidei Æthiopicæ ita ait: *Diebus Sabbathis & Dominicis credimus animas piorum defunctorum in purgatorio minimè cruciari, quam quietem Deus in his sanctissimis diebus animis concedit, donec indefinito termino suarum pœnarum pro facinoribus in hoc sæculo meritarum penitùs emergant, ad quas pœnas minuendas ac cruciatus tempus attenuandum, eleemosynas pro Defunctis factas credimus ipsis animis in purgatorio degentibus maximè prodesse*, &c. hæc ibi. XI.

Gabriel Alexandr. Patriarcha in epist. ad Clementem VIII. Anno 1595. sic profitetur: *Credo, quòd si verè pœnitentes in Dei charitate discesserint antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissorum & omissorum pœnis satisfecerint coram divina Iustitia eorum animas* (NB) *poenis purgatorii post mortem purgari, atque ut ab eiusmodi pœnis releventur prodesse illis fidelium vivorum suffragia*, &c. hæc ille. XII.

Similiter *Ruthenorum Legatus* Anno 1595. in Fidei suæ professione sic ait: *Constanter teneo, purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari*, &c. videant hæc Acatholici & iactitent, quòd Græci ipsis consentiant. XIII.

ARTICULUS V.

Veritas eadem probatur ex Patribus Latinis.

TErtullianus lib. de Anima cap. 35. edit. Paris. 1584. & Basil. 1552. sic ait: *Hæc erit amicitia, observatio sponsionis, ne quid eius postea resumas ex his quæ ei exerasti, quæ illi reddidisti, ne te ut fraudatorem, ut pacti transgressorem Iudici Deo obiiciat*, &c. *& Iudex te tradat Angelo executionis, & ille te in carcerem mandet infernum, unde non dimittaris, nisi modico quoque delicto mora resurrectionis expenso*, &c. I.

Cyprianus ad Antonian. lib. 4. epist. 2. edit. Basil. 1540. *Aliud, ait, est ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire, aliud missum in carcerem, non exire inde, donec solvat novissimum quadrantem; aliud statim Fidei & virtutis accipere mercedem, aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emendari, &* (NB) *PVRGARI diu IGNE, aliud peccata omnia passione purgasse, aliud denique pendere in die Iudicii ad sententiam Domini, aliud statim à Domino coronari*, &c. hæc ille. Ecce quàm paucis & claris verbis doctrinam Catholicam ex verbis Christi & Pauli tradit vir tantus? II.

Lactantius lib. 7. Instit. cap. 21. edit. Antwerp. 1570. *Sed & iustos, ait, cùm iudicaverit Dominus, etiam igni eos examinabit: tunc quorum peccata vel pondere, vel numero prævaluerint, perstringentur igni atque amburentur, quos autem plena iustitia & maturitas virtutis incoxerit ignem il-* III.

lum non sentient, &c. ubi patet, quòd de justis loquatur quibusdam, quorum peccata plena justitia non decoxerit, illos igne amburendos attendens ad verba Apostoli 1. Cor. 3.

IV. Hilarius Pictaviens. ad ps. 59. edit. Basil. 1570. Est & olla secundùm Ieremiam, ait, urens peccata atque tollens, sicut & Dominus ipse mittere ignem venit super terram. Et multi secundùm Apostolum tanquam per ignem erunt salvi cum defæcatis & perustis vitiis ut argentum ignitum probabiles iudicentur, &c.

Idem Hilarius in ps. 118. eâd. edit. circa illa verba: Concupivit anima mea ut desiderem iudicia tua, sic ait: Nobis est ille indefessus ignis obeundus, in quo subeunda sunt gravia illa expiandæ à peccatis animæ supplicia, &c. hæc ille.

V. Ambrosius in cap. 3. prioris ad Cor. edit. Rom. 1580. sic ait: Sed cùm Paulus dicit sic tamen quasi per ignem ostendit quidem salvum illum futurum, sed (NB) pœnas ignis passurū ut per ignem purgatus fiat salvus, & non sicut perfidi æterno igne in perpetuum torqueatur, &c.

Idem Ambrosius in illud ps. 36. eâd. edit. Gladium evaginaverunt peccatores, sic ait: Etsi salvos faciet Dominus servos suos, salvi erimus per Fidem, sic tamen salvi, quasi per ignem, etsi non exuremur, tamen uremur; quomodo tamen aliqui remaneant in igne, alii pertranseant, alio loco nos doceat Scriptura divina, nempe in mari rubro demersus est populus AEgyptiorum, transiit autem populus Hebræorum, Moyses pertransivit, præcipitatus est Pharao, quoniã gravia eum peccata morserunt, & modò præcipitabuntur sacrilegi in lacum ignis ardentis, &c.

VI. Hieronymus in cap. 66. Isa. in fine edit. Basil. 1553. dum retulisset aliquorum sententiam, qui volunt omnium supplicia aliquando finiri subdit: Quòd nos Dei solius debemus scientiæ relinquere, cuius non solum misericordiæ, sed & tormenta in pondere sunt, & novit quem, quomodo aut quamdiu debeat iudicare. Solùm dicamus, quod humanæ convenit fragilitati, Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me, & sicut diaboli & omnium negatorum atque impiorum qui dixerunt in corde suo: Non est Deus, credimus æterna tormenta, sic peccatorum atque impiorum & tamen Christianorum, quorum opera (NB) in igne probanda sunt atque purganda moderatam arbitrantur & mixtam clementiæ sententiam Iudicis, &c. hæc ille.

Idem lib. 1. contra Pelagian. eâd. edit. ultra medium, Si autem, ait, Origines omnes rationabiles creaturas dicit non esse perdendas, & diabolo tribuit pœnitentiam, quid ad nos qui & diabolum & satellites eius, omnesque impios & prævaricatores dicimus perire perpetuò, & Christianos si in peccato præventi fuerint, salvandos esse post pœnas, &c. hæc ille.

Idem in cap. 7. Micheæ eâd. edit. ad illa verba: Iram Domini portabo vel sustinebo, sic ait: Sentiens igitur anima se peccasse, &c. constanter dicit, mei vitii fuit ut vulnerarer, mei doloris sit, ut tot tormenta sustineam, &c. verusque medicus iam sospiti; atque secura ostendit causam medicaminis, & rectè se docet fecisse quod fecit, denique post cruciatus atque supplicia educta de tenebris exterioribus anima & reddito (NB) novissimo quadrante dicit: Videbo iustitiam eius & loquar iustificata sunt iudicia tua Deus, &c. ubi respicit verba Christi Matth. 5. & Luc. 12.

VII. Idem Hieronymus vel alius antiquus Pater, ut habetur inter opera ejus in cap. 11. Proverb. eâd. edit. circa illa verba: Mortuo impio homine, nulla erit ultrà spes, sic dicit: Heu miserè hanc sententiam pertransiit Origenes, qui post universale extremúmque iudicium vitam credidit omnibus impiis & peccatoribus dandam; notandum autem, quòd licèt impiis post mortem spes veniæ non est, sunt tamen, qui de levioribus peccatis, cum quibus obligati defuncti sunt post (NB) mortem possunt absolvi, vel pœnis videlicet castigati, vel suorum precibus & eleemosynis, Missarumque celebrationibus: sed hæc quibuscunque fiunt & ante iudicium & de levioribus fiunt erratis, &c. quid clariùs pro Catholica doctrina dici potuisset? videat hæc Anonymus, qui in solo Hieronymo se triumphasse putat.

Paulinus Nolanus in paraphrasi ps. 1. edit. Colon. 1560. sic canebat: VIII.

In lege lapsus lege iudicabitur
Opus per omne currit ignis arbiter
Quod non cremarit flamma probaverit:
Illud perenni præmio pensabitur
Qui concremanda gesserit damnum feret
Sed ipse salvus evolabit ignibus.

Idem epist. 1. ad Amandum eâd. edit. Hoc impense rogamus, &c. ut pro eo (defuncto) orandi ab ore conspires, ut misericors & miserator Deus refrigeret illius animam stillicidiis misericordiæ suæ per orationes vestras, quia sicut ignis accensus ab eo ardebit usque ad inferos deorsum, ita procul dubio etiam ros indulgentiæ eius inferna penetrabit, ut roscido pietatis eius lumine in tenebris ardentibus æstuantes refrigeremus, &c. hæc ille.

Omissis autem plurium aliorum SS. Patrum testimoniis concludat Augustinus.

Augustinus itaque lib. 1. de Genes. contra Manichæos cap. 20. edit. Basil. 1528. circa illa verba, Maledicta erit terra tibi. &c. sic ait. Qui enim coluerit agrum suum interiùs, & ad panem suum quamvis cum labore pervenerit, potest usque ad finem vitæ huius hunc laborem pati; post hanc autem vitam non est necesse ut patiatur, si quis fortè agrum suum non coluerit, & spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terræ suæ in omnibus operibus suis. & post hanc vitam habebit vel IGNEM (NB) PVRGATIONIS, vel pœnam æternam, ita nemo evadet istam sententententiam; sed agendum est ut in hac vita tormentum sentiatur, &c. quid clariùs? IX.

Idem lib. 21. de Civit. Dei cap. 13. edit. Basil. 1529. per Ludov. & Erasm. Roterodam. recognita sic ait: Nos verò etiam in hac quidem mortali vita esse quasdam pœnas purgatorias confitemur, non quibus affliguntur, quorum vita vel non inde fit melior, vel potiùs inde fit peior, sed illis sunt purgatoriæ qui iis coërciti corriguntur. Cæteræ omnes pœnæ sive temporaneæ sive sempiternæ sicut unusquisque divinâ providentiâ tractandus est inferuntur vel pro peccatis sive præteritis, sive in quibus adhuc vivit ille qui plectitur, &c. & post pauca: Sed temporarias pœnas alii in hac vita tantùm, alii post mortem, alii & nunc & tunc (NB) veruntamen ante iudicium illud severissimum novissimumque patiuntur, &c. nam quibusdam quod in isto non remittitur, remitti in futuro sæculo, id est; ne futuri sæculi æterno supplicio puniantur, &c. hæc ibi.

Item ibid. cap. 16. sic ait: Tanta est Dei misericordia in vasa misericordiæ. &c. ut etiam prima hominis ætas, id est infantia, & secunda quæ pueritia nuncupatur; si Sacramenta mediatoris acce- X.

Digitized by Google

acceperit, etiamsi hanc in eis annis vitam finiat translata scilicet à potestate tenebrarum in regnum Christi non solùm pœnis non præpararetur æternis, sed ne ulla quidem post mortem purgatoria (NB) *tormenta patiatur*, &c. ubi patet, quod Augustinus agnoscat post mortem tormenta purgatoria pro aliis ut ex sequentibus patebit.

XI. Idem cap. 24. loquens de adultis cùm dixerat, quod Ecclesia non orat pro defunctis infidelibus & impiis, sicut nec pro diabolo, ut suprà relatum est, subjungit: *Nam pro defunctis quibusdam vel ipsius Ecclesiæ, vel quorundam piorum exauditur oratio ejus, licet qui in Christo renati, non adeo ita male vixerint in corpore, ut tali misericordia habeantur indigni, nec idem sic bene, ut inveniantur tali misericordia non egere, tales etiam* (NB) *constat ante diem judicii per pœnas temporales* (NB) *quas eorum spiritûs patiuntur* (NB) *purgatos receptis corporibus æterni ignis supplicus non tradendos*, &c. quid clariùs dici posset pro purgatorii pœnis.

Sic etiam S. Doctor ibid. cap. 16. postquam de infantibus dixerat, *de adultis loquamur*, ait, *quisquis igitur cupit pœnas euadere sempiternas, non solùm baptizetur, verumetiam justificetur in Christo, ac sic vere transeat à Diabolo ad Christum; purgatorias autem pœnas nullas futuras opinetur, nisi ante illud ultimum tremendumq; judicium*, &c. hæc ibi. Vbi excludit sententiam Platonicorum & Origenis de damnatis temporaliter tantum puniendis.

XII. Idem in ps. 37. eâdem edit. sic ait: *Domine ne in indignatione tua arguas me*, &c. *non sim inter illos*, quibus Matt. 25. *dicturus es: Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus, neq; in ira tua emendes me, ut in hac vita purges me, & talem me reddas cui jam* EMUNDATORIO IGNE *non opus sit; propter illos qui salui erunt, sic tamen quasi per ignem, quare? nisi quia hi ædificant supra fundamentum ligna, fœnum stipulam; Hi ædificarunt autem aurum, argentum, lapides pretiosos, & de utroq; igne securi essent non solùm de illo æterno, qui in æternum cruciaturus est impios, sed etiam de illo, qui emendabit eos, qui per ignem salui erunt. Dicitur enim, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem; & quia dicitur, saluus erit, contemnitur ille ignis, ita plane quamuis solui per ignem, grauior tamen erit ille ignis, quam quicquid potest homo pati in hac vita*, &c. hæc ille. Ecce quàm absolutè Augustinus ex verbis Apostoli & communi Ecclesiæ sensu profitetur ignem post hanc vitam emundatorium pro pœnis? quis ille alius quàm ignis purgatorius? qui purgat & emundat temporaliter illos, qui in gratia Christi mortui pœnis temporalibus obnoxii sunt?

XIII. Rursus August. hom. 16. lib. 50. Homiliar. eâdem ed. circa illa verba ps. 68 *Neq; absorbeat me profundum neq; urgeat super me puteus os suum*; sic ait: *Ideo autem dixit, neq; urgeat super me puteus os suum, quia cùm sine pœnitentiæ remedio infelices peccatores exceperit, claudetur sursum, aperietur deorsum ac dilabitur in profundum*, &c. & infrà: *Hæc pœna illos manebit, qui amisso & non reparato per pœnitentiam baptismo in æternum peribunt; ad quos dicitur: Palias autem comburet igne inextinguibili: Hi vero qui temporalibus* (NB) *pœnis digna gesserunt, de quibus Apostolus dicit: si cujus opus arserit detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem*. &c. *per fluuium igneum & vada feruentibus globis horrenda transibunt; quanta fuerit peccati materia, tanta & pertranseundi mora; quantum exegerit culpa, tantum sibi ex homine vendicabit quædam flamma rationabilis disciplina, & quantum stulta iniquitas suggesserit, tantum sapiens pœna deseuiet*. Et infrà: *Quæ omnia hic ab anima separari per Eleëmosynas & lacbrimas compendiosa transactione potuissent. Ecce sic exigere habet ab homine rationem, qui se ipsum pro homine dedit, & confixus clauis legis mortis se junxit*, &c. hæc Augustin. Quomodo accuratiùs explicari posset pœna purgatorii post hanc vitam, distincta à pœna æterna damnatorum? ubi & S. Doctor obviat objectioni Calvini & aliorum, qui dicunt esse contra Dei misericordiam, contra Christi satisfactionem, quod animæ sic post hanc vitam patiantur cùm dicit: *Ecce sic exigere habet ab homine rationem*. An ergo Augustino secundùm scripturam loquenti, an Calvino plus tribuendum?

XIV. Idem in Enchridion ad Laurent. cap. 110. sic ait: *Neq; negandum est defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cùm pro illis sacrificium mediatoris offertur vel Eleemosynæ in Ecclesia fiunt, sed eis hæc prosunt, qui cùm viuerent, ut hæc illis postea prodesse possent, meruerunt. Est enim quidam viuendi modus nec tam bonus, ut non requirat ista post mortem, nec tam malus, ut ei non prosint ista post mortem*, &c. & intrà: *Non igitur ista, quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi Apostolicæ sunt aduersa sententiæ, quâ dictum est: omnes enim stabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisq; secundùm ea, quæ gessit per corpus*, &c. *quia etiam hoc meritum sibi quisq; cùm in corpore viueret comparauit, ut ei possent ista prodesse. Non enim omnibus prosunt; & quare non omnibus prosunt? nisi propter differentiam vitæ quam quisq; gessit in corpore*, &c. hæc ibi.

XV. Demùm Augustinus serm. 41. de Sanctis eâdem edit. tractans Verba Apostoli 1. Cor. 3. *Si quis autem superædificat*, &c. sic ait: *Multi sunt, qui lectionem istam male intelligentes falsa securitate decipiuntur, dum credunt quod si supra fundamentum Christi capitalia crimina ædificent peccata ipsa per ignem transitorium possint purgari, & ipsi postea ad vitam perpetuam peruenire* (ubi patet, quod Doctor loquatur de igne transitorio post hanc vitam ut opinabantur Originistæ) & subjungit: *Intellectus iste fratres charissimi corrigendus est. quia ipsi se seducunt, qui taliter sibi blandiuntur, illo enim transitorio* (NB) *igne, de quo dixit Apostolus: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem, non capitalia sed minuta peccata purgantur*, &c. & postquam aliqua peccata capitalia specificasset, ut sacrilegium homicidium, adulterium, falsum testimonium, &c. subjungit: *Quicunq; enim aliqua de istis peccatis in se dominari cognouerit, nisi digne se emendarit, & si habuerit spatium, longo tempore pœnitentiam egerit, & longas eleemosynas erogauerit, & à peccatis ipsis abstinuerit illo transitorio igne, de quo ait Apostolus purgari non poterit, sed æterna flamma sine ullo remedio illum cruciabit*, &c. post hæc enarrat aliqua minuta peccata ut cùm quis in cibo & potu plus sumit quàm necesse, plus loquitur quam oportet, si majori personæ adulari voluerit, si fabulis otiosis se occuparit, & plura alia ubi subjungit: *A quibus non solùm populus Christianus, sed etiam nullus Sanctorum immunis esse potuit*, &c. *quibus peccatis licet animam occidi non credamus*,

Digitized by Google

ita tamen ea velut quibusdam pustulis, & quasi horrenda scabie replentes deformem faciunt, ut eam ad amplexum illius cælestis sponsi aut vix aut cum grandi confusione venire permittant, de quo scriptum est, aptavit sibi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, & ideo continuis Orationibus, & frequentibus jejuniis & largioribus Eleëmosynis, & præcipue per indulgentiam eorum, qui in nos peccant, assidue redimantur, &c. *quicquid enim* (NB) *de istis peccatis à nobis redemptum non fuerit*, ILLO IGNE PURGANDUM est, &c. *aut enim dum in hoc mundo viuimus, ipsi nos per pœnitentiam fatigamus, aut certe volente aut permittente Deo multis tribulationibus pro istis peccatis affligimur, &, si Deo gratias agimus liberamur,* &c. *& minus nos pati quàm meremur, cum vera humilitate proferamus, ita peccata ipsa in hoc seculo purgantur, ut in futuro ignis ille* (NB) *purgatorius aut non inueniat, aut certe parum inueniat quod exurat; si autem nec in tribulatione Deo gratias agimus, nec bonis operibus peccata redimimus ipsi tam diu* (NB) *in illo purgatorio igne moras habebimus quamdiu supradicta peccata minuta tanquam, ligna, fœnum stipula consumantur. Sed dicet aliquis. Non pertinet ad me, quamdiu moras habeam, si tamen ad vitam æternam perrexero. Nemo hoc dicat fratres charissimi, quia ille* PURGATORIUS IGNIS *durior erit, quam quid potest in hoc seculo pœnarum videri aut cogitari aut sentiri,* &c. *unde scit unusquisq; utrum diebus an mensibus, an fortè etiam & annis per illum ignem sit transiturus?* hæc August. quæ prolixiùs ad hunc deducit.

XVI. Hæc eò fusiùs referenda duxi, quia in his plura Catholicæ fidei capita tanguntur & Acatholicorum errores refelluntur; primò, quod sit distinctio inter peccata mortalia & venialia, quorum illa æternam damnationem mereantur & gratiam Dei auferant, hæc verò gratiam Dei non auferant, & pænam temporalem mereantur, prout alibi sæpe S. Doctor tradit, ut lib. 83. qq. q. 26. lib. de Spiritu & Litera cap. 36. lib. de Natura & Gratia cap. 38. lib. 14. Civit. cap. 11. lib. 2. in cap. 2. Jacobi, &c. lib. 2. contra Julianum cap. 10.

Secundò specificantur *peccata mortalia & venialia*. 3. Quod venialia peccata etiam in viris sanctis reperiantur, & illorum animas defœdent. 4. quod cum talibus morientes non possint venire ad amplexum cælestis sponsi, sed priùs mundari. 5. quod verè post hanc vitam sit purgatorius ignis, in quo animæ peccatis venialib' vel pœnis temporalibus obnoxiæ purgentur. 6. quod peccata per Dei gratiam & semper per merita Christi in hac vita possint redimi bonis operibus, prout Augustinus ibi concludit dicens: *Et ideo sicut sæpe jam dixi, quantum possumus cum Dei adjutorio laboremus, ut majora peccata possimus euadere, & minuta sine quibus esse non possumus jugiter amore inimicorum & Eleëmosynarum largitate redimere præstante Domino Jesu Christo,* &c. XVII.

Hæc sola sufficerent pro doctrina totius antiquitatis tam clara, ut impudens tergiversari non possit, nisi planè obdurati cordis fuerit, nunc ad argumenta DD. Anonymorum respondendum erit.

CAPUT V.

Respondetur ad argumentum trium Authorum anonymorum.

ARTICULUS I.

Referuntur & refutantur argumenta Authoris primi libelli.

I. ARgumentum primi Anonymi contra orationes pro defunctis & purgatorium tale est: *De purgatorio & indulgentiis sufficit testimonium Cardinalis Roffensis* (*quod est apud Polydorum Virgilium lib. 8. de Inuent. rerum cap. 1.*) *De purgatorio apud priscos nulla, vel quàm leuissima fiebat mentio; sed & Græcis ad hunc usq; diem non est creditum esse; quamdiu autem nulla fuerat de purgatorio cura, nemo quæsiuit indulgentias, nam ex illo pendet omnis indulgentiarum existimatio, si tollas purgatorium, quorsum indulgentiis opus,* &c. dixerat paulò antè: *nonnullum fuisse usum indulgentiarum (ut aiunt) apud Romanos vetustissimum, quod ex stationibus intelligi potest, sed stationes inuentas esse à Gregorio I. testatur Platina, ergo nec vetustior usus indulgentiarum nec fides purgatorii,* &c. hæc ille Anonymus.

RESPONSIO.

II. REspond. primò: Quod si ego tale duntaxat testimonium pro doctrina Catholica adducerem ad probandam illam à sanctis Patribus primævis esse traditam, nunquid D. Anonymus me exsibilaret? ecce *Polydorus Virgilius* scripsit anno 1525. ut constat ex ejus libro Coloniæ primum eodem anno impresso; an ex his duobus pendeat veritas totius antiquitatis? quis sanæ mentis dixerit, præsertim cùm Polydorus ibidem protestetur dicens: *Originem quæritans non reperio ante fuisse quod sciam, quam D. Gregorius ad suas stationes id proæmii proposuerit,* & sibi non fidens adducit testimonium Cardinalis Roffensis ipso junioris, &c. ergo in testimonio & authoritate Roffensis tota vis argumenti consistit.

Respondeo ergo primò ex ipso Roffensi qui sic ait de indulgentiis: *Respondeo non certo constare, à quo tradi cœperunt*, &c. adeoque Roffensis fatetur se originem post tempora Apostolorum non reperire. Secundò quod dicit de Gregorio I. quod aliquas indulgentias concesserit, id verum est, sed non dicit, illum omnium primò tales dedisse; sufficit ergo, quod constet Gregorium primum illas dedisse, quem constat etiam testimonio ipsius Calvini fuisse sanctissimum & verum Episcopum; adeoque certo supponendum est, quod ipse tales indulgẽtias ex suo cerebro non finxerit, sed ex majorum traditione usurparit, idque non sine authoritate III.

S. Scri-

Digitized by Google

S. Scripturæ, ut Roffenſis ſubdit dicens: *Neq; cuiquam obſcurum eſt, quin poſterioribus ingeniis multa ſint tam ex Euangeliis quàm ex S. ſcripturis cæteris nunc excuſſa luculentius*, &c. quod ibi prolixiùs oſtendit.

IV. Sed idem Roffenſis ſuprà ad articulum 5. Lutheri ſic reſpondet: *Nobis ſatis eſt tam ex S. ſcriptura quàm ex Patribus oſtendiſſe pro peccatorum qualitate ſatisfactionem omnino breuiorem aut prolixiorem aſperiorem aut remiſſiorem oportere ferre, quæ res non immeritò ſuccedentes Epiſcopos admonere potuit, quatenus illi juxta unctionem à Spiritu S. ſibi datam, Canones quoſdam inſtituerint, quibus Eccleſiarum præfecti ſatisfactionem pœnitentibus injungendã moderarentur*, &c. *num credis tot Epiſcopos pro ſalute animarum congregatos nihil amplius apud eos, qui pie ſapiunt ponderis habituros, quam unum Lutherum & eundem audaciſſimum tam ſcripturarum, quàm Patrum temeratorem*, &c. hæc ibi.

V. Idem iterum ad art. 17. ſic ait: *Ex ſcripturis abunde monſtrauimus manere poſt deletam culpam peccatorum reliquias; ex iiſdem & has condonari docuimus apertiſſime, ſed & ob condonata nullum diuinæ juſtitiæ præjudicium fieri palàm oſtendimus*, &c. hæc ibi, ex quibus patet, quod *Roffenſis* non negarit uſum indulgentiarum apud veteres primitivæ Eccleſiæ fuiſſe; *cùm indulgentia nihil aliud ſit, quàm condonatio pœnæ temporalis poſt culpam remiſſam manentis, à Prælatis Eccleſiæ virtute poteſtatis à Chriſto datæ in traditione clauium*, ut idem Roffenſis oſtendit, adeoq; ſi quid Roffenſis ad art. 18. dicat, ſolùm eſt de frequentiore uſu indulgentiarum, verum quod ibidem de purgatorio ait: *De quo apud priſcos illos nulla vel quam rariſſima fiebat mentio*, &c. non negat ullam factam eſſe mentionem, ſufficit quod rara mentio fuerit quoad nomen, quod ipſe procul dubio intendit, cùm aliter à propoſito loquitur ad art. 37. Lutheri.

VI. Vt verò hæc clariùs pateant, addamus verba ejuſdem Roffenſis ad art. 37. Lutheri, ubi à propoſito de purgatorio contra Lutherum ſic reſpondet primò: *Si non poſſit ex ſcripturis probari purgatorium, veritas ejus nihilominus Chriſtianis cunctis credenda eſt & maxime, cùm ex Eccleſiæ vetuſtiſſima conſuetudine pro defunctorum animabus in miſſa commemoratio fieri conſueuerit. Propter quod & Auguſtinus lib. de Cura pro mortuis agenda, poſtquam oſtenderat ex S. ſcriptura prodeſſe defunctis ea ſuffragia, quæ poſt mortem eorum fiunt; docent nihilominus ejus rei ſufficientem probationem capi poſſe ex longa totius Eccleſiæ conſuetudine*, &c. ubi refert verba *Auguſtini* à nobis ſuprà relata, & verba *S. Chryſoſtomi*, qui etiam illam ex traditione apoſtolica exortam teſtatur, ubi patet conſuetudinem non à Gregorio I. ſed ab Apoſtolis profectam SS. Auguſtinum & Chryſoſtomum teſtari. Et infrà dicit: *Tertio, cùm à tot Patribus tam Græcis quàm Latinis affirmetur*, &c. poſtea ex S. Scriptura adducit teſtimonia à nobis ſuprà allata pro purgatorio, & ea ſic à Græcis & Latinis intellecta fuiſſe oſtendit.

VII. Tandem ad id, quod Lutherus objiciebat; quod Græca Eccleſia non credit purgatorium manens catholica. Reſpondet Roffenſis: *Vulgus, opinor, intelligis, & non ipſos Eccleſiæ Græcanicæ Patres, nam hos fauere purgatorio, libri, quos edidêre, teſtantur*, ubi refert teſtimonia Origenis, D. Athanaſii, Dionyſii, Chryſoſtomi, &c. ſuprà à nobis allata, unde ſic concludit: *Ab Apoſtolis igitur hæc inſtitutio manauit, ut inter ſacra defunctorum ageretur memoria, quatenus inde aliquid lucri conſequerentur. Cæterum animabus, quæ vel in cælo beatæ ſunt, vel in gehenna damnatæ nihil accedere lucri poteſt, quo fit, ut purgatorium eſſe locum exiſtimemus, ubi conſiſtentes ad tempus animæ deuotis viuorum precationibus refocillantur, & releuantur eleemoſynis. Extat & libellus Græce ſcriptus, tempore Concilii Baſileenſis editus, in quo præter hos & alii complures Græcorum authores aduerſus hunc errorem citantur, quorum teſtimoniis aiunt Græcos in Concilio Florentino ceſſiſſe, & à pertinacia ſua reſipuiſſe*, &c. hæc Cardinalis *Roffenſis*, quid ad hæc D. Anonymus reſpondebit? nunquid illius Roffenſis prima verba dubia, per hæc poſtrema clariſſimè intelligenda ſunt? unde etiam colligitur, quod Roffenſis non inſpexerit acta concilii Florentini, ubi expreſsè habetur *profeſſio purgatorii*, de qua Græci non dubitarunt, ut ſuprà oſtenſum eſt. Si etiam Roffenſis illa acta non inſpexerit, non mirum quod plura alia SS. Patrum teſtimonia non viderit, cùm ſic de antiqua purgatorii fide dixit, quod poſtea ad art. 37. explicavit.

Ad illud, quod de ſtationibus ait, à Gregorio primo primum inventas patet falſum ex ipſo Polydoro Virgilio, qui loco citato paulò antè dixit: *Stationes ex S. Scriptura originem habere*, & ſubjungit dicens: *Igitur ſtationes noſtras à ſtando dictas eſſe, & D. Gregorium tam nomen quàm conſuetudinem priſtinam intermiſſam retuliſſe, reſtauraſſe, renouaſſeq; ſatis certum eſt*, &c. hæc Polydorus, ſi ergo ſatis certum eſt, ergo falſum eſt, quod Gregorius primus ſit inventor ſtationum. De Polydoro & Roffenſi art. 9. iterum mentio fiet. VIII.

Vide D. Anonyme, quod ſi his novellis authoribus ſtandum eſſet, nunquid confunderetis ex verbis *D. Roffenſis* ad art. 37. Lutheri jam allatis? ubi abſolutè probat ex S. Scriptura & antiquiſſimis Patribus doctrinam de purgatorio, & fatetur Græcanam Eccleſiam antiquam & veterem idem ſenſiſſe: unde patet, quod priore loco ſolùm intelligat, quod apud veteres verbum, purgatorium paſſim non legitur, verè tamen res ipſa, quod animæ fideles aliquæ ſint obnoxiæ pœnis temporalibus, quas luere debeant, & à quibus per preces vivorum relevari poſſint, ſed quod inde inferas apud priſcos non fuiſſe fidem purgatorii, quàm falſum eſt? ſic & inferres, quod, quia in S. Scriptura nec apud priſcos nomen *homouſion* in uſu erat, etiam fides homouſion in *Conc. Nicæn.* incepiſſet.

Reſpondeo itaque ultimo, quicquid ſit de nomine purgatorii, res eſt in SS. Patribus antiquis, ut hæreticus ſit qui negaret, jam enim tot Græcorum & Latinorum Patrum clariſſima teſtimonia, adducta ſunt, quibus aſſerunt ex S. Scriptura, quod animæ fideles poſt mortem pœnis temporalibus ſubjiciantur, quas & diverſi purgatorias pœnas nominarunt, & his animas purgari aſſerunt, & quod per ſacrificium & preces, &c. eleëmoſynas fidelium juventur, hoc ipſum Eccleſia dicit eſſe *purgatorium*, ſcilicet *ſtatum & locum illorum defunctorum, qui nec in cælo nec in inferno damnati eſſe poſſunt*, adeoque in alio loco, ubi Deus ordinavit. Et tu ipſe Domine aſſeris quæſtionem illam, an pro defunctis ſit orandum ut liberentur ex pœnis coincidere cum purgatorio; qui ergo unum aſſerit, etiam alterum concedit. IX.

***

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De Indulgentiis.

I. QUamvis ex prædictis satis confutatum sit illius Anonymi argumentum: quia tamen ad *indulgentias* more Acatholicorum cavillandas declinat, quæ singularem alioquin tractatum requirerent, obiter hîc dicendum est primò, quod ille discursus ex Roffensi allatus non subsistat, scilicet primò, quod *indulgentia olim non fuerint quæsita, dum non esset cura de purgatorio, 2. si tollas purgatorium, quorsum indulgentiis opus est?* quod autem hæc non sint necessario inter se connexa breviter declaratur, licèt de facto simul vera sint.

II. *Indulgentia*, prout in Ecclesia usurpatur, *significat condonationem pœnæ temporalis, quæ dimissa culpa manet, quando scilicet à Pontifice ac Episcopis virtute potestatis clavium à Christo S. Petro ac Apostolis eorumq; successoribus tradita hujusmodi pœna relaxatur extra sacramentum pœnitentiæ, per applicationem satisfactionis principalis Christi & Sanctorum, quæ dicuntur thesaurus Ecclesiæ, idq; per modum absolutionis.* Vbi sciendum, quod Ecclesia Catholica credat, satisfactionem Christi abundantissimè sufficere pro reatu culpæ & pœnæ, ac proinde non ex illius defectu adjungi satisfactiones Sanctorum, sed has ad majorem Christi meritorum gloriam accedere; utpote quod Christus meruit, ut & Sancti per ipsius gratiam mereri & satisfacere possint.

III. Hujusmodi autem condonatio dicta est indulgentia ad modum quo Augustinus in Enchir. ad Laurent. c. 64. de plena condonatione omnis culpæ & pœnæ in Baptismo sic ait: *Hac ergo excepta magna indulgentia, in qua solvitur omnis reatus*, &c. ubi potissimùm respicit reatum pœnæ, quia etiam alias in sacramento pœnitentiæ solvitur omnis reatus culpæ, &c. similiter condonationem pœnæ temporalis vocat indulgentiam lib. 9. Confess. cap. 14. orans pro matre defuncta, *ut apud Deum inveniat locum indulgentiæ*; ad hunc inquam, modum prædictæ dicuntur indulgentiæ.

IV. Hæc autem *indulgentia* per modum absolutionis concernit fideles solùm in hac vita, nam, cùm Papa sit Christi Vicarius, & tantùm pastor Ecclesiæ Christi visibilis in terris non habet potestatem directam absolvendi defunctos, sed solùm illis tanquam membris universalis Christi corporis potest satisfactiones Christi & Sanctorum applicare per modum *suffragii*, ita ut tanquam dispensator fidelis thesauri satisfactiones Christi & Sanctorum Deo offerre possit pro defunctis, & ob hanc causam Papa nunquam ipsis defunctis immediatè indulgentias concedit, sed vivis, ut sic præstitis certis piis operibus illas indulgentias per modum suffragii defunctis applicent.

His ergo suppositis patet, quod, licèt nullus post hanc vitam esset status, ubi pro pœnis temporalibus anima lueret, quod tamen falsum est, nihilominus indulgentiarum usus esset pro fidelibus vivis pro relaxatione pœnæ temporalis, & sic usurpata fuit ab Apostolo Paulo 2. Cor. 5. v. 10. circa fornicarium, ubi dicit: *Cui autem & aliquid donastis, & ego, nam & ego, quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi*, &c. & sic frequens usus fuit in Ecclesia primitiva, imo & Martyres suas satisfactiones aliis fidelibus communicarunt, ut patet ex Cypriano, Tertulliano & aliis.

Hinc patet imprimis falsum, quod olim indulgentiæ tantùm fuerint quæsitæ propter purgatorium; quia etiam in vita quæsitæ fuerunt, ut non esset opus purgatorio. Secundò, etsi (quod tamen falsum est) indulgentiæ nullo modo applicari possent defunctis, tamen defuncti in purgatorio juvari possent *sacrificio missæ*, *Orationibus*, *Eleemosynis*, & aliis piis operibus, ut clarissimè ex SS. Patribus demonstratum est. V.

Cæterùm doctrinam Ecclesiæ circa indulgentias, posui & probavi, in *compendio controversiarum* & Doctores Catholici abundè demonstrant, & artic. 9. iterum mentio erit. Hîc obiter solùm ostendam, quod usus Ecclesiæ Romanæ, concedendi multorum annorum indulgentias ab initio Ecclesiæ viguerit.

Pro quo sciendum, quod Ecclesia antiqua pro qualitate delictorum certas pœnas multo tempore subeundas his, qui à peccatis absolvebantur, ordinaverat, ut patet ex *Concil. Ancyrano* circa annum Domini 300. celebrato, ubi Can. 4. *Illis qui vi sacrificarunt, & ad idola pransi sunt*, &c. multorum annorum pœnitentiæ præscribuntur.

Similiter in *Concil. Nican.* primo can. 11. & 12. his qui à fide defecissent, si reverterentur, *duodecim annorum pœnitentia designata fuit*, scilicet, ut *tribus annis starent inter auditores, septem vero annis prosternerentur supplices, duobus annis absq; oblatione essent.* VI.

Basilius magnus epist. ad Amphiloch. refert Can. 58. ubi sic dicitur: *Qui adulteravit, quindecim annis sacramentis non communicabit*, & can. 59. *Fornicator septem annis non communicabit*, &c.

Gregorius Nyssenus epist. ad Latoium refert can. 4. *Qui fornicatione polluti fuerint, in tribus quidem annis ab Oratione expellantur omnino, in tribus autem annis sint solius auditionis participes, in tribus autem substernantur*, &c. hæc ibi.

Cæterùm hic usus injungendi plurium annorum pœnitentias pro qualitate delictorum adeo in primitiva Ecclesia communis fuit, & ex omnium ferè sanctorum Patrum historiis & Conciliorum decretis constat, ut nullus, qui vel obiter illa inspexerit, negare possit.

Ex his patet, unde originem habeat modus loquendi, quod pœnitenti *aliquot millia annorum indulgentiæ* communicentur. Cùm enim Ecclesia antiqua judicarit dignam temporalem pænitentiam propter unam fornicationem vel adulterium septem vel duodecim annis prædicto modo peragendam, quot non annorum millia juxta hunc modum deberentur illis, qui centum vel mille fornicationes, blasphemias vel alia peccata mortalia perpetrarunt? etsi autem SS. Patres scirent hominem VII.

Digitized by Google

nem tot annis non victurum, pœnam tamen dignam talem judicarunt, quam aliis graviotibus pœnis abbreviare poterant, & licèt purgatorium ante diem judicii sit finiendum, Deus tamen in purgatorio pœnam brevi tempore tantam infligere potest ut tantæ tot annorum pœnitentiæ correspondeat.

VIII. Sciendum secundò, quòd fideles talibus pœnitentiis subjecti, duobus modis alleviari solebant: Primò per intercessionem Martyrum in carcere detentorum, à quibus fideles libellos petebant, ut ipsorum meritorum participes effecti pœnitentia abbreviaretur, vel pars illius remitteretur, ut patet ex S. Cypriano qui lib. de lapsis, sic ait: *Necesse et in agenda pænitentia atq; in Domini misericordia deprecanda, ne quod minus esse in qualitate delicti videtur in neglecta satisfactione cumuletur*, & infrà: *Pænitenti, operanti, roganti potest clementer ignoscere, potest in acceptum referre, quicquid pro talibus & petierint Martyres & fecerint Sacerdotes.* Idem lib. 3. epist. 15. Erasmianæ edit. monens Martyres, ne nimis facilè lapsos recommendent, sic ait: *Oro vos quibus possum precibus, ut Evangelii memores & considerantes, quæ & qualia in præteritum antecessores vestri Martyres concesserint* (ubi advertè antiquorum usum) *quam soliciti in omnibus fuerint, vos quoq; soliciti & caute petentium desideria ponderetis*, & infrà: *Ipsorum quoq; delictorum genera & qualitates cogitetis, ne, si quid abrupte vel indigne à vobis promissum vel à nobis factum fuerit apud gentiles quoq; ipsos Ecclesia nostra erubescere incipiat*, &c. hæc ille.

IX. Similiter Tertullianus circa annum 200. libro ad Martyres 1521. Basil. edit. quem scripsit adhuc Catholicus cap. 1. sic ait: *Quam pacem quidam in Ecclesia non habentes à Martyribus in carcere exorare consueverunt*, hæc ille, ubi indicat hanc in Ecclesia fuisse consuetudinem antiquam.

Quod autem Martyres intercedendo pro lapsis obtulerint passionem suam in partem satisfactionis pro ipsis, constat ex S. Cypriano: & patet ex ipso Tertulliano lib. de pudicitia in edit. Basil. 1562. pag 768. qui in hæresi Novati lapsos (qui negabat lapsos ad Ecclesiam recipiendos, ac proinde libellos Martyrum recipiendos) pro lapsis rationem ex suo errore reddens, quia ipsis Martyribus nulla satisfactio superesset; ideo c. 22. dicit: *Sufficiat Martyri propria delicta purgasse, ingrati & superbi est in alios quoq; spargere, quod pro magno fuerit consecutus*, & infra Martyrem alloquens ait: *Si peccatores, quomodo oleum faculæ tuæ sufficere & tibi, & mihi poterit?* hæc ille oppugnans Ecclesiæ Catholicæ usum; ex quibus evidens est, quod Ecclesia tunc lapsos ad instantiam Martyrum recipiens. & pœnam relaxans crediderit Martyres potuisse suam satisfactionē aliis communicare, unde patet, quod Acatholici in Tertulliano hæretico, ejus argumento utentes, impugnent Ecclesiæ antiquæ & SS. Marty ũ usum, qui etiam ex aliis SS. Patribus constat.

X. Alter modus *remittendi vel abbreviandi pœnitentias* lapsis impositas erat, quod Episcopi suppositis certis causis absolverent vel remitterent.

Hic modus patet ex *Concil. Ancyrano*, ubi post verba suprà allegata sic dicitur: *Penes Episcopos erit potestas vel humanius circa eos agere*, & can. 22. *modus pœnitentiæ in Episcoporum sit arbitrio, ut secundùm conversationem pœnitentiam possint minuere.*

Similiter in Concil. Nicæn. primo post verba suprà recitata sic dicitur: *In his omnibus examinare convenit consilium & spem pœnitentiæ*, &c. & infrà: *Liceat Episcopo humanius aliquid de iis statuere.*

Quod autem hæ remissiones non solùm pœnas coram Ecclesia, sed etiam apud Deum debitas spectareut, patet ex SS. Patribus, specialiter Cypriano serm. de lapsis ubi sic dicit: *Si quis plus Deum suis satisfactionibus moverit. Si ejus iram, si indignantis offensam certa deprecatione placaverit*, &c. *qui sic Deo satisfecerit pœnitentia facti sui exauditus & adjutus à Domino quem contristaverat nuper, lætam faciet Ecclesiam*, &c hæc ille. Si itaque lapsus per pœnitentiam Deo satisfaciebat, patet quod per remissionem pœnæ ab Episcopo factam non solum pœna Ecclesiæ, sed & Deo debita condonabatur, & hic erat verus indulgentiarum usus, quam Ecclesia usque modo conservat à tot Conciliis primævis & Ecclesia antiqua usurpatus. Cùm itaque ut ait August. epist. 118. ad Januarium, *in Ecclesia semper plenariorum Conciliorum fuerit saluberrima authoritas, & ibid. quod tota Dei Ecclesia facit & probat insanum est ei contradicere.* Clarum est quod Acatholici hanc indulgentiarum doctrinam & usum contemnentes non solum antiquæ Ecclesiæ; sed Spiritui S. Ecclesiam docenti & regenti insane contradicant. XI.

ARTICULUS III.

Referuntur argumenta authoris 2. libelli.

I. Argumentum 2. Anonymi tale est. Primò: *Nibil jam dicimus ad tuam purgatorii definitionem, nil ad dubium loquendi modum quoad pœnas temporales relicta ad Patres.*

2. *Sic ergo Ambrosius de bono mortis cap. 4. Mors hæc transitus est universorum, opus est, ut constanter transeas, transitus autem à corruptione ad incorruptionem, à mortalitate ad immortalitatem à perturbatione ad* (NB) *tranquillitatem, non igitur te mortis nomen offendat; sed boni transitus beneficia delectent.* Item de bono mortis c. 12. *Intrepide pergamus ad Redemptorem nostrum Jesum, intrepide pergamus ad illum Sanctorum cœtum justorumq; congregationem* &c. *ibimus, & ubi sinum suum Abraham sanctus expandit, ibimus eo ubi Paradysus est jucunditatis*, &c. *ubi nulla nubes, nulla tonitrua, nulla corruscationes, nulla ventorum procellæ, nullæ tenebræ*, &c.

3. Ex his procedit Anonymus dicens: *Vah Ambrosium vel ignorantem purgatorium, statum tortura medium inter hanc & futuram vitam vel temere supponentem omnes suos auditores privilegio exemptionis fruituros*, &c.

4 *Sed priora inspiciamus secula Ambrosio antiquiora, si forte Ambrosius ut degener discipulus desciuisset à doctrina antecessorum. Sic ergo Justinus Martyr qui ad orthodox. p. 300. post exitum ex corpore statim fit justorum & injustorum discrimen, ducuntur enim ab Angelis in loca se digna, videlicet justorum animæ in Paradysum, ubi congressio & aspectus est Angelorum & Archangelorum, addo & conspectum Salvatoris Christi, injustorum autem animæ ducuntur in inferni loca*, &c. *quam altum de purgatorio silentium eo loco, ubi expressa ejus fuisset facienda mentio, si Justinus quid novi de eo rescivisset.* II.

5. *Adde Cyprianum ad Demetrian. epist. 2. quando istinc* (*loquitur de vita præsente*) *excessum fuerit nullus jam pœnitentiæ locus, nullus* (NB) *satisfactionis effectus, hic vita aut amittitur aut tenetur. Quid ais Cypriane? an nesciebas Romanos rerum dominos dicturos esse satisfactionis locum esse, & effectu post hanc* III.

 vitam

Digitized by Google

vitam patienti in purgatorio etiam post hanc vitam æternam pariter comparari?

VI. 6 *Nec dissentit Athanasius de Virgin. non est justis mors ad transitum, quippe qui transferuntur ex hoc mundo in requiem æternam, non aliter, quam si quis de excubiis abeat. ita quoq; Sancti à mala vita ista discedunt ad bona quæ illis præparata sunt, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis subierunt, quæ Deus diligentibus se præparaverit. Peccatores contra & hic misere laborant, & ibi denuo omnes gehenna expectat*, &c. *En quomodo Athanasius non tam negato quam ignorato purgatorio mortem vocat transitum ad vitam æternam, & nil medium agnoscit inter discessum ex vita mala & ingressum in summam gloriam. Sic manifestum Patribus ignotum fuisse illud diverticulum purgatorii, & quamvis plura in promptu sint testimonia, tamen ne actum agamus præstat te remittere ad Vlesf. Cham*, &c.

Imprimis Navarrum vestrum tibi consulendum æstimo qui tom 3. comment. de Jubil. & Indulg. septimo notabili art. 516. quod ne vo tam dubitas, orthodoxus an purgatorium fit, de quo tamen apud (NB) *priscos illos nulla vel rarißima fiebat mentio*, &c. *Eheu Navarre? quid ais Bernardine? dicam spem vultu simulas, premis altum corde dolorem* &c. hæc ille Anonymus.

ARTICULUS IV.

Respondetur ad argumenta secundi Anonymi

I. Verba Anonymi talia sunt, ut quis non injustè respondere posset illud Isai 16. v. 6. *Audivimus superbiam Moab; superbia ejus & arrogantia ejus plus quàm fortitudo ejus*, &c. Cum ita contemptibiliter agendo putat ea subversa, quæ in definitione purgatorii & de pœnis post mortem temporalibus non dubiè, sed clarè proposui juxta fidei doctrinam; videamus autem quam rectà pergat ad Patres sibi patrocinantes.

II. Priùs autem aliqua generaliter sunt inquirenda: Primò, an Patres ad quos pergit vel ulli unquam alii SS Patres primorum seculorum expressis verbis vel positivè affirmerint, quod nullum post hanc vitam sit Purgatorium, seu talis status in quo plures animæ fideles in gratia Christi discedentes pœnas temporales luant, antequam ad cælum perveniant? 2. an SS Patres negarint quod non sit pro fidelibus defunctis sacrificium offerendum vel orandum ut à peccatis solvantur? prout Acatholici nostri positivè negant. Contrarium autem nos positivè à SS Patribus traditum & usurpatum esse ostendimus, sed etiam Calvinus fassus est, Beza, &c. ut suprà ostensum est. 3. An SS. Patres testentur, quod doctrina illa de oratione & oblatione pro defunctis, à primitiva Ecclesia vel SS. Patribus hæreseos & erroris sit condemnata? sicut nos ostendimus oppositum inter hæreses ab Epiphanio & Augustino relatum esse; unde non poterit D. Anonymus negare, quod orationes pro defunctis SS. Patribus notæ fuerint. His præmissis in nomine Domini rectà ad Patres.

III. Respondeo ergo primò admittendo verba *S. Ambrosii* quæ verissima sunt, sed quid infers ô bone Anonyme, an hic S. Doctor positivè negat alium statum vel locum animarum, in quo aliquæ in gratia existentes temporaliter priùs puniantur quàm ad cœlum veniant, ubi precibus juvari possint? hoc tibi probandum erat.

Sed quid tu? *Vah Ambrosii vel ignorantem purgatorium statum tortura medium inter hanc & futuram vitam.*

Respondeo: Non ignoravit; sed non opus erat omni in loco de isto scribere vel loqui, cùm ex clarissimis locis suprà ex illo Ambrosio allatis constet ipsum scivisse statum talem medium, in quo animæ fidelium essent, quæ egerent, & juvari possent precibus viventium, ut præcedenti cap ostensum est. Agnovit etiam ignem per quem animæ purgandæ essent ut patet ex ipso in cap. 3. prioris ad Cor. & in ps. 36 &c. suprà allatis ubi exprimit; qualiter aliqui salvi fiant, quasi per ignem, ut urantur sed non exorantur: quomodo aliqui maneant in igne, & aliqui pertranseant, ubi transitum vides ex hac vita in aliam sed ignem, quid his clarius?

Quid ergo tu ad hæc? *Vah Ambrosium vel temere supponentem omnes suos auditores privilegio exemptionis fruituros!*

IV. Respondeo. Cavillationes iniquæ hæ sunt, tu potiùs temere tantum Doctorem judicas; non temere supponit S. Doctor de privilegio, sed certo ipsi constabat ex S. scriptura quod non fideles non omnes sed illi qui in hac vita piè & sanctè vivunt, vel martyrium subeunt ut sine ulla culpa & pœna morientes statim ad cælestem beatitudinem venirent, meritò suos hortabatur, ut sic viverent: nam hoc necessario supponendum erat, alioquin etiam auditores adulteros quales aliqui inter illos facilè erant impunibiles supposuisset ex hac vita ad æternam venturos vitam per mortem. 2. etiam supponebat ex S. scriptura, quòd fideles qui in statu gratiæ moriuntur, licèt obnoxii pœnis temporalibus per mortem venirent ad securitatem æternæ beatitudinis, licèt non statim ad ipsam pervenirent. & hoc constat ex contextu verborum cap. 4. & 10. ante allatorum. Jam vide miser Anonyme qualiter de S. Ambrosio triumphes tanquam plane tuæ opinionis; certè non fuit Ambrosius degener ut descivisset à doctrina antecessorũ, sed illorum & illius doctrina tuis erroribus contraria est, ut patet.

V. Respondeo ad argumentum ex verbis *Justini Martyris*, quæ habentur in responsione ad quæst. 75. concedo verba *S. Justini*, sed quid D. Anonymus ex illis concludit. scilicet, *quam altum de purgatorio silentium, eo loco cujus mentio facienda esset, si Justinus quid de eo rescivisset.*

Respond. Nunquid sæpius responsum est, & tu sæpius concessisti, quod argumentum ab authoritate negativa nihil concludat, alioquin dicendum esset, quod S Joannes Evangelista nihil scivisset de institutione V. Sacramenti in ultima cœna, cùm tam accuratè lotionem pedum & prolixè tot Christi exhortationes referat; & tamen altissimum de institutione S. Eucharistiæ silentium; ubi maximè mentio facienda erat: & talia plurima adduci possent.

Itaq; sufficiebat ibi Justino respondere quod justi statim post mortem separentur ab injustis, & non maneant cum illis permixti, nec essent subjecti generationi & morti, ut ibi enarrat, nec etiam incerti de sua beatitudine, sed fruantur requie & solatio angelorum; cùm hoc consistit quod aliquæ illarum animarum statim ad cælestem beatitudinem & claram Dei visionem admittantur, ut Martyrum & aliorum, aliquæ verò ad tempus purgentur; pro quibus Ecclesia tempore Apostolorum orare solebat, quod Justino non latebat, licèt exprimere necesse non erat.

Digitized by Google

Sed tu D. Anonyme quid dicis ad ea quæ Calvinus affirmat de statu justorum post mortem quos dicit non venturos ad Dei visionem ante diem judicii, ut infrà referetur?

VI. Respondeo ad verba ex lib. *S. Cypriani* ad Demetrianum allegata, quæ habentur circa finem. Primò vide D. Anonyme, ne dum laqueum mihi paras tu illo constringaris, quid enim tibi, tuisq; cum Calvino adeo tremendum est, quam audire de satisfactione alicujus alterius qualiscunque præter Christum? nonne Calvinus suprà detestatur purgatorium, *quasi à defunctis pœn latur pro peccatis satisfactio*? Ecce jam ex Cypriano à te allegato habes, quod nullus sit post mortem quidem *satisfactionis*, effectus, bene tamen in hac vita; si verba dicta non sufficiunt, inspice textum Cypriani ibidem paulò ante edit. Basil. 1540. ubi sic ait: *Hortamur dum, facultas adest, dum adhuc aliquid de seculo superest Deo satisfacere, & ad vera Religionis candidam lucem de profundo tenebrosæ superstitionis emergere* (nam Demetrianus Gentilis erat) & post pauca sic dicit: *Credite & vivite, & qui nos ad tempus persequimini in æternum gaudete nobiscum*; & tunc subjicit verba allegata, scilicet: *Quando excessum fuerit*, &c. & statim subjungit: *Hic saluti æternæ cultu Dei & fructu fidei providetur, in isto adhuc mundo manenti pœnitentia nulla sera est*, hæc Cyprianus.

VII. Ecce primo, Cyprianus nullam ibi facit mentionem satisfactionis Christi? ergone illam negavit? 2. hortatur Demetrianum, ut Deo satisfaciat, & ad fidei lumen accedat. 3. quod saluti æternæ Dei cultu & fructu fidei non nuda fide provideatur: quid ad hæc D. Anonyme? adhuc Cyprianus timebit Dominos Romanos cum quibus consentit, & tua confundit?

VIII. Respond. 2. verum est quod dicit S. Cyprianus quod post hanc vitam nullus sit pœnitentiæ locus pro iis qui in peccatis mortalibus sunt vel decesserunt, de tali enim pœnitentia ibi loquitur, nec proinde satisfactionis talis effectus quâ ante peccatorum mortalium dimissionem homo Ethnicus vel in peccato mortali existens satisfaciat, vel se ad gratiam Dei disponat: hæc solum in hac vita currunt, nulla talis pœnitentia, nulla talis satisfactio in purgatorio, multo minus meritum, quibus anima sibi comparet vitam æternam ut Anonymus falsò imponit, sed anima in hac vita per merita Christi justificata & hæres regni cælestis effecta in purgatorio solum satispatitur, & sic satisfacit pro reatu pœnæ, ut ab illa purgata ad gloriam transeat. Hæc non negat *Cyprianus* ibi, ergo nec tu inde insultare debes, quin imo *Cyprianus* lib. 4. epist. 2. vel alias epist. 52. ad Anton. sup. allegata clarissimis verbis dicit: *Aliud esse ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire, aliud missum in carcerem*, &c. vide suprà & confundere.

Ecce nos expressa verba Cypriani pro purgatorio adducimus; & tu contra purgatorium verba non purgatorio sed tuæ doctrinæ contraria adducis, & tamen tam insultanter dicis: *Quid ais Cypriane?* &c. mirum esset si non confunderis ô bone Anonyme.

Jam videamus quid ex *S. Athanasio* adferas, dicis enim *nec dissentit Athanasius lib de virg.* &c.

IX. Respond. primo verum est, quod Athanasius non ab Ambrosio nec à Justino & Cypriano, sed longè à te dissentiat. Dic quæso an ibi Athanasius positivè neget purgatorium seu statum medium, ut tu cum tuis audacter negas. Ecce ex ore tuo condemnaris cùm dicis: *En quomodo Athanasius non tam negato quam ignorato purgatorio*, &c. Itaque fateris Athanasium ibi non negare purgatorium, quod satis est contra te, 2. quod autem non ignoraverit, ex verbis illis tu non concludes æque minus quam ex eo, quod quia S. Joannes non fecit mentionem institutionis S. cænæ inferri possit S. Joannem illam institutionem ignorasse, & hoc etiam contra te sufficeret.

Respond. 2. at vero positivè constat, quod Athanasius agnoverit talem statum, ut patet ex verbis illis clarissimis suprà allegatis ad quæst. 34. ad Antiochum Principem; ubi absolutè ad q. de defunctis edit. Paris. 1581. dicit: *Num sentiant beneficia peccatorum animæ, cùm super illis fiunt conventus & peractiones bonorum operum & oblationum*, & respondit, *nisi beneficia participarent ex illo, non utiq; in cura & exequiis fieret commemoratio*, &c. & similitudinem addit, vide suprà ubi patet quod tempore Athanasii preces & oblationes pro defunctis factæ sint, & quod fideles crediderint defunctis per hæc beneficium fieri, quod non intelligitur de defunctis in cælo nec de damnatis in inferno, vide D. Anonyme: adhuc ne tam insolenter urges Athanasio ignotum fuisse statum medium? X.

Resp. 3. illa verba Athanasii bene consistunt licèt animæ aliquorum in gratia defunctorum ad tempus impediantur ab introitu cælestis gaudii; nam per mortem liberantur à laboribus & maxime à periculis peccatorum & æternæ damnationis quibus in hac vita exponuntur, sicut miles in excubiis exponitur periculis mortis. 2. certificantur de æterna beatitudine, quam clarius cognoscunt, & de qua summè gaudent, licèt adhuc pœnas sustineant, & de his loquitur D. August. lib. de prædestinat. Sanctorum cap. 14. edit. Basil. 1528. adducens verba Cypriani serm. 4. qui est de mortalitate dicens: *His atq; hujusmodi Doctor ille sententiis in Catholicæ fidei luce clarissime satis aperteq; testatur usq; ad hujus corporis depositionem peccandi pericula tentationesq; metuendas, deinceps nulla talia quempiam esse passurum*, & subjungit, *quod etsi non testaretur quando de hac re Christianus qualiscunq; dubitaret*: &c. hæc Aug de omnibus justis mortuis. At vero de aliis Martyrum, & illorum qui piissimè vixerunt animabus certum est, quod statim ad beatitudinem perveniant, & ideo S. Athanasius optimè dicere poterat; quod omnes transire possint ad beatitudinem modo se disponant, quod semper requiritur, quod tamen ante adventum Christi non contingebat Sanctis. Verum an tu cum tuo Calvino convenias vide, qui negat animas ante extremum judicium ad gloriam venturas, ut infrà patebit. XI.

Demum addendum est ad plenam D. Anonymi si non (qualis tamen est) satisfactionem saltem confusionem, cùm ex lib. de virginibus contra nos arguat, & tamen sine fundamento, cur non ex eodem libro videt, qualis fuerit status fidelium virginum & viduarum tempore *Athanasii* in Ecclesia Dei, cùm librum illum scripserit ad virginem religionem ingredientem de *servanda virginitate & operibus mortificationum, jejuniis crebris, vigiliis nocturnis, psalmis per diem & noctem legendis*, &c. an tu & tui sic ad virginitatem & talia opera tuas filias & viduas hortatis, vide an hic sit inter vos puellarum & viduarum status, quem XII.

Digitized by Google

ex S. ſcriptura Athanaſius ſummopere commendat. Hæc conſidera, & vide ad quid S. Athanaſium allegaveris niſi ad tuam confuſionem.

Reſp. ad illud quod D. Anonymus pro concluſione addit dicens: *Sit manifeſtum Patribus ignotum fuiſſe illud diverticulum purgatorii, & quamvis plura in promptu ſint teſtimonia, tamen ne actum agamus præſtat te remitti ad Pleſſ.* &c.

Reſpondeo certè ex Patribus prædictis patet manifeſtum eſſe te minime probaſſe, quod illis ignotum fuerit purgatorium, & quod de pluribus teſtimoniis gloriaris, clarum eſt, ſi clariora & efficaciora apud alios inveniſſes, utique adduxiſſes, & cùm hi Patres nihil te juvent, ſed tibi contrarii ſint, quid de aliis lector judicabit?

XIV. Ad ultimum cùm dicis; *imprimis Nauarrum veſtrum conſulendum æſtimo,* &c. *Eheu Nauarre,* &c.

Reſpondeo, quis non obſtupeſceret ad tantam hujus Anonymi impudentem audaciam, qui talem allegat authorem, ex quo ſolo ſufficienter confunderetur, & quia ipſe illius authoritatem ut irrefragabilem pro concluſione allegat, operæ pretium erit illius pii doctique viri verba integrè referre.

Itaque *Nauarrus* loco citato notab. 7. de orig. & *antiquitate indulgentiarum* primò refert extravagantem cap. de pœnit. & remiſſ. quæ an. 1300. fuit condita, in qua aſſeritur, & demonſtratur, quod ab antiquorum fide habeat relatio de indulgentiis conceſſis ad Baſilicas Apoſtolorum, &c. ubi Navarrus num 2. dicit: *Nota condonationes & indulgentias non eſſe nouum inuentum, ut noui hæretici ſomniant, ſed rem eſſe in Chriſtiana Eccleſia valde antiquam,* &c. ubi per ordinem & ſecula recenſet, & deinde n. 3. refert S. Gregorium Magnum circa annum D. 609. qui indulgentias conceſſerit.

XV. Deinde n. 4. ſic ait: *Adde quod quamuis Polidorus* lib. 8. de invent. rerum c. 1. *Primum Authorem Jubilæi fecerit Bonifacium VIII. hujus extrauag. conditorem; Joannes tamen monachus qui eius tempore floruit Cardinalis* in 4. col. gloſſa 9. ait: *Vulgatam rem eo tempore fuiſſe quod illa Jubilæi indulgentia centeſimo quoq; anno ſemper concedi ſolita fuerat,* &c *longe ante illum teſtatus fuit Jacobus Cardinalis. S. Gregorii,* &c. *Indulgentiarum autem fundamentum continebit notabile decimum tertium.* Hæc Navarrus, & quidem notabili 13. efficaciter indulgentias probat ex S. ſcriptura tam veteris quam novi Teſtamenti & SS. Patribus.

XVI. Poſt hæc Navarrus eodem notab. 7. n. 5. refert ex *Cardinali Roffenſi* cauſas, ob quas apud antiquos tam rara, & apud recentiores tam frequens ſit indulgentiarum mentio, ubi illas enarrat, quas ſuprà recitavimus, & inter alias, *quod tunc* (in primitiva Eccleſia) *Charitas adeo ardebat, ut quiſquis paratiſſimus eſſet pro Chriſto mortem oppetere; item quod rara erant crimina & ea quæ contingebant magna Canonum ſeueritate vindicabantur* (ut patet ex illis quæ in fine art. 7. dicta ſunt) *quod nunc bona pars populi magis Chriſtianiſmum exueret quam Canonum rigorem pateretur,* &c. hæc Navarr. ex ſententia Roffenſis refert.

Idem Navarr. n. 7. adducit pro indulgentiis authoritatem ſcripturæ dicens quod ex illo Matt. 16. *quodcunq; ſolueris,* &c. & illud Apoſtoli 2. Cor. 5. *Si quid donaui propter vos in perſona Chriſti,* &c. adjuncta expoſitione Theodoreti, *Oecumenii, Theophylacti, Ambroſii, Chryſoſtomi & aliorum, quod inde efficaciter colligatur, quod indulgentiarum uſus* (NB) *jam inde ab Apoſtolis cœpit, quod confirmat hiſtoria Martini Poloni & Theodorici, quæ prodit à Cleto Romano Pontifice* (qui Petro immediate ſucceſſit) *reſponſum, peregrinationem illorum qui veniunt ad viſitationem S. Petri eſſe duorum annorum jeiunio ad ſalutem validiorem,* &c. hæc Navarr. poſt hæc conciliat hæc cum Roffenſi dictis dicens: *Aliud eſt dicere non eſſe formaliter expreſſum in ſacris literis nec doctoribus antiquiſſimis prædictas indulgentias ab Eccleſia concedi poſſe & debere, quod Antonius,* &c. *intendunt aliud dicere* (NB) *colligi ex eis* (ſcilicet ex S. ſcriptura & antiquiſſimis Doctoribus) *Efficaciter concedi poſſe & debere quod in contrarium citata & infraſcripta notab.* 13. *probant,* &c.

Iterum n. 8. ſic ait: *Illud item Joannis Roffenſis ſuprà relatum:* quod de purgatorio apud Priſcos rariſſima aut nulla fiebat mentio; *intelligendum eſt de mentione formali; per hoc verbum* (NB *nunc vulgatiſſimum purgatorium, ſiue locus purgatorius, non de illi æquipollenti, omnia enim loca, quibus probatur frequentiſſime & quaſi ſemper culpam mortalem per ſolam contritionem vel attritionem & ſacramenta pœnitentiæ deleri commutatâ à pœnâ æterna in temporalem vel aliquos cum gratia Dei gratum faciente, ſed cum peccatis venialibus decedentes cruciari antequam ad Dei viſionem perueniant, illam faciunt, ex quibus eſt, illud* 2. *Machab.* 12. *ſancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis orare, & illud, qui ædificat ſuper hoc fundamentum,* &c. 1. *Cor.* 3. *irrefragabiliter* (NB) *à S. Thoma cum mentione formali purgatorii inductum & à D. Auguſtino lib.* 21. *de ciuit. Dei* c. 21. & 27 *tractatum, licet abſq; tali mentione formali, qui tamen* (Auguſtinus) *ſerm.* 41. *de Sanctis, de igne purgatorio* (NB) *in titulo & in corpore ſermonis ter vel quater formaliter meminerat, quod ipſum facit* (Auguſtinus) *in Enchiridio,* &c. *& alii, quos Soto, Medina, & alii adducunt præſertim illud Dionyſii coëtanii Apoſtolorum, videlicet: nam venerandus Antiſtes precem ſacram ſupra mortuum agebat,* &c. prout nos ſuprà allegavimus. XVII.

His ſic explicatis & probatis pro purgatorio, Navarrus ſic ad Roffenſis verba reſpondit dicens: *Illud item Roffenſis dum nulla fuit de purgatorio cura. & illud poſtquam ad purgatorii cruciatus trepidari cœpit,* &c. *non ita ſunt accipienda, ut credatur nullum fuiſſe tempus* (NB) *in quo explicite vel implicite, formaliter vel æquipollenter non fuerit cura & timor de illo à principio quam poſtea fuit per ſuprà dicta,* &c. hæc pius & doctiſſimus Navarrus. XVIII.

Accede jam D. Anonyme. Ecce conſului noſtrum Navarrum illius verba tibi & omnibus exhibeo inſpicienda; ex his ſi potes conclude aliquid contra purgatorii antiquitatem vel doctrinam, ecce loca S. ſcripturæ à nobis allegata & ipſe allegat, juxta expoſitionem SS. Patrum ut ait irrefragabilem, & SS. Patres qui vel verbis æquipollentibus ab ipſo propoſitis vel etiam expreſſis, ut Auguſtinus, purgatorium aſſeruerunt, & verba Roffenſis explicant, & ego ſuprà ex ipſo Roffenſi ad art. 37. Lutheri ita explicanda eſſe oſtendi, priusquam textum Navarri inſpexiſſem. Quid jam D. Anonyme, an adhuc inſultabis dicendo, *eheu Nauarre,* quid ais Bernardine? credo quod niſi plane perfrictæ fueris frontis & cordis obdurati, vel tu talibus mihi ſic inſultantibus, vel alii de te dicent:

Spem vultu ſimulat, premit altum
corde dolorem.

Digitized by Google

ARTICULUS V.

Refertur & refutatur argumentum authoris tertii libelli, ubi etiam agitur de ſtatu parvulorum defunctorum ſine baptiſmo.

I. ARgumentum 3. Anonymi pro ſuo contra purgatorium articulo ſic habet.

Quod nullum ſit poſt hanc vitam ante diem judicii ultimi purgatorium ſeu ſtatus talis, in quo animæ quædam fidelium pœnas temporales ſubeant.

Reſp. *pure inconſtans & dubia Theſis, quod oſtendere facillimum eſſet, niſi tædium temporis tam infructuoſe, utpote toties refutatos hoc in puncto pontificios, terendi oborıretur.*

Dicam tamen quod habet Auguſt. de purgatorii figmento; ille ſic hyprognoſt. lib. 5. primum, inquit, Fides Catholicorum divina authoritate Regnum eſſe credit Cœlorum, ſecundam Gehennam, ubi omnes Apoſtata vel à Chriſti fide alienus ſupplicia experitur, tertium penitus ignoramus nec eſſe in ſcripturis ſacris reperimus, &c. hæc 3. libelli author Anonymus.

Reſponſio ad Argumentum tertii Anonymi.

II. Ad primum reſp. ſic reſpondere ſolent illi, qui quod reſpondere verè poſſint, non habent. Theſis iſta clara & aperta præciſè & expreſsè continet illa quæ vos oppugnatis, & Eccleſia Catholica aſſerit, ut hactenus ſatis viſum eſt.

Ad 2. ſi toties Catholica ſententia, ut falsò jactitas, refutata ſit, eò facilius tibi erat aliqua ex irrefragabilibus argumentis adducere, cur enim onus probandi loco D. Elberſton ſuſcepiſti, ſi tædio afficiaris? Sed credo tædium illud obortum ex deſperatione probationis, ut ſic te expedires; ſed ex argumento ex S. Auguſtino allato patebit tuus in probando defectus, cum illud tanquam Achillem producas.

III. Reſpondeo itaque ad verba allata ex libris illis, quod nolim illos rejicere tanquam falſos S. Doctori attributos, ut plures notarunt & Eraſmus expreſsè indicat non eſſe Auguſtini, ſed ſuppoſititios, verum admitto verba tanquam S. Aug. vel alius antiqui Patris, & reſp.

D. Auguſtinus vel ille, qui author eſt libri, pugnavit contra Pelagium; qui poſt extremum judicium parvulis non baptizatis aſſignabat tertium locum, ubi in perpetuum manerent extra cœlum & infernum læti & ſalvi contra hunc errorem D. Aug. ſæpius egit, ut lib. 1. de peccator. merit. & remiſſ. cap. 23. edit. Baſil. 1528. ubi ſic ait: *Nulla præter baptiſmum Chriſti ſalus æterna promittitur infantibus, quam non promittit Scriptura divina humanis omnibus ingeniis præferenda.* Et hic etiam ibidem cap. 28. ait: *Nec eſt ullus ulli medius locus, ut poſſit eſſe niſi cum diabolo qui non eſt cum Chriſto,* juxta illud Chriſti *qui mecum non eſt adverſum me eſt* Matth. 12.

Item lib. 1. de orig. animæ cap. 9. dicit: *Non baptizatis parvulis nemo promittat inter damnationem regnumque cœlorum quietis vel felicitatis cujuslibet atq; ubilibet quaſi medium locum, hoc enim eis hæreſis Pelagiana promiſit, &c.*

IV. Hoc ergo ſenſu in hoc libro tertius locus negatur, ubi in perpetuū infantes vel alii extra cœlum & gehennam felices permanſuri ſunt. Quod autem hoc Auguſt. intendat, patet ex toto textu præcedenti, ubi à propoſito impugnat Pelagianos & probat dicens, *parvuli utiq;* ut dicit Apoſtolus *ſunt natura Filii iræ.* Et deinde dicit de Chriſto. *Ejus enim edictum eſt, ſi quis non renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum cœlorum. Ecce non baptizatus dividitur à regno cœlorum, &c. ubi fons viventium permanet Chriſtus.* Et ſtatim ſubjungit: *Da mihi præter hunc alterum locum, ubi vita poſſit requies eſſe* (NB) *perennis. Primum enim locum Fides Catholicorum divina auctoritate* &c. ut ſuprà relatum eſt, &c. Vbi expreſsè patet quod loquatur de locis perennibus & perpetuis poſt judicium, quod amplius patet ex ſequentibus, ubi ſic ſubjungit.

V. *Finge Pelagiane locum ex officina dogmatis tui ubi alieni à Chriſti gratia vitam requiri & gloriæ poſſidere parvuli poſſunt; dextera juſti judicis ſedentis & ſiniſtra, regnum eſt & gehenna, vita eſt & mors, juſti & iniqui; in dextera igitur juſti ſunt conſtituti; in ſiniſtra operarii iniquitatis, in Regno requies baptizatorum; in gehenna pœna incredulorum. vita ad lætitiam gloriæ, mors ad fletum & ſtridorem dentiū, juſti in regno patris cum Chriſto, iniqui in igne* (NB) *æterno parato diabolo & Angelis ejus,* &c. hæc ibi: Et hæc *eſt Fides Catholica,* quod poſt judicium duo tantum jam dicta loca perpetua erunt, in quibus juſti & iniqui manebunt: ſed hæc nihil contra doctrinam Catholicam, qua docetur & creditur, quod aliquæ defunctorum animæ in gratia Dei diſcedentes ante diem judicii temporalibus pœnis cruciantur & purgantur, donec ad cœlum recipiantur; quæ non poſſunt tunc eſſe in cœlo nec in inferno, ut ſæpe oſtenſum eſt, & hoc ex S. Scriptura oſtenſum & ex SS. Patribus & ex ipſo Aug. tot locis ſuprà allegatis, quæ absq; controverſia ipſius Auguſtini ſunt. Inter alia vide expreſſiſſimè verba lib. 21. civ. c. 13. *Temporarias pœnas alii in hac vita tantum, alii poſt mortem; alii & nunc & tunc, veruntamen* (NB) *ante Iudicium illud ſeveriſſimū noviſſimumq; patiuntur,* &c. Et ib. c. 24. ubi reddit rationem cur cœlum non erit pro infidelibus & impiis defunctis ſicut nec pro diabolo; ſed pro illis, qui in Chriſto renati non adeo malè, nec ſic bene, &c. *Tales etiam conſtat ante diem Iudicii per pœnas temporales, quas eorum ſpiritus patiuntur, purgatos receptis corporibus æterni ignis ſuppliciis non tradendos,* &c. quid clarius dici poſſet ſicut & in aliis locis præſertim ſerm. 41. vide ſuprà. Vbi tam clare ex S. Scriptura ſupponit animas in purgatorio igne mundandas ante judicium. Quis ergo ſanæ mentis ex Auguſtini verbis inferet, quod non ſit tertius ſtatus vel locus poſt hanc vitam temporalis, qui non duret ultra judicium extremum, & ſolum pro illis qui baptizati in gratia Dei defuncti ſunt.

VI. Vide itaq; D. Anonyme, qualiter te Achilles ille juvet; ſed amplius ſentire debes quod Achilles à te adductus te cum tuis confodiat & confundat. Vis audire? Ecce Auguſtinus ex S. Scriptura & uſu Eccleſiæ à tempore Apoſtolorum confundit & confodit Pelagiū, qui parvulis non baptizatis locum perpetuum beatitudinis extra cœlū promittebat, non audens aſſerere parvulos in regnū

Digitized by Google

cœlorum recipiendos, cùm hoc videret claris Chriſti verbis negatum eſſe. Sed tu cum tuo Calvino tuiſque non vereris parvulis Chriſtianorum non baptizatis non tantum perpetuam fœlicitatem aliquam cum Pelagio attribuere, ſed illos etiam in regnum cœlorum recipiendos eſſe docere: nunquid id longe enormius contra clarum Chriſti verbum & Apoſtoli? Vide ergo quomodo in tuum caput hunc Auguſtini locum adduxeris.

VII. *Calvinus* enim lib. 4. Inſtit. cap. 45. §. 20. Lauſanæ edit. 1576. ſic ait: *Quantum damni intulerit dogma illud male expoſitum, baptiſmum eſſe de neceſſitate ſalutis* pauci animadvertunt, &c. & §. 21. ſciens Auguſtinum ſibi plane contrarium ſic ait: *Qualis vero ante natum Auguſtinum conſuetudo fuerit*, &c. In quo falſiſſimè loquitur, cum Auguſtinus neceſſitatem baptiſmi parvulorum maximè probet ex uſu Eccleſiæ à tempore Apoſtolorum; imo Calvinus ſibi ipſi contradicit cum lib. 3. Inſt. cap. 3. §. 10. ut ſæpe relatum eſt dicat, *Auguſtinus ſufficere ad id poteſt qui fideliter magnaq; diligentia omnium ſententias collegit, ex illo igitur ſumant lectores ſi quid de ſenſu antiquitatis habere certi volent*, &c.

Iterum cap. 16. §. 24. de infante à fidelibus nato ſic ait: *Qui hæreditario jure ſecundum promiſſionis formulam jam à matris utero in fœdere continetur.* Et infrà: *Qui à Chriſtianis Originem ducunt cum ſanctis & in fœderis hæreditatem ſtatim ac nati ſunt à Deo excipiuntur*, &c.

VIII. Similiter docet *Petrus Martyr* in cap. 7. prior. ad Corinth. &c. Si ergo cum his eadem doces, manifeſtè S. Scripturæ & Auguſtino ſanctiſque Patribus contradicis. Vt vero clarius veritas Catholica pateat ad argumenta alia, quæ contra locum ſeu ſtatum defunctorum poſt mortem extra cœlum & infernum ab Acatholicis adferri ſolent, breviter reſpondebitur.

ARTICULUS VLT.

Argumenta Acatholicorum contra Purgatorium.

ACatholici volunt, quod S. Scriptura aſſerat, quod duo tantum ſint loca animarum poſt mortem, ut cœlum & infernus, vel duo tantum illorum ſtatus, unus Salvatorum & alter damnatorum; unde concludunt, quod non detur tertius locus vel ſtatus purgatorii antecedens probant.

1. Sap. 3. v. 1. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt & non tanget illos tormentum mortis, viſi ſunt oculis inſipientium mori*, &c. *illi autem ſunt in pace*, &c. ergo nullas patiuntur pœnas.

II. Reſpond. primò non poſſunt Acatholici teſtimonio iſtæ uti, qui negant hunc librum eſſe canonicum.

Reſpond. 2. ſed Eccleſia Catholica illum canonicum agnoſcit, & tamen negatur quod ibi dicatur, quod non ſit tertius locus ante diem judicii, vel quod juſtorum animæ non patiantur aliquas pœnas purgatorias.

Reſp. 3 negatur illata conſequentia, nam verum eſt, quod juſtorum animas non tangat tormentum mortis, nec temporalis nec æternæ, & etiam ſunt in pace, quia ſecuræ de æterna beatitudine, ſed cùm hoc conſiſtit quod pœnas temporales ſubire poſſint.

2. Eccleſiaſtæ 9. v. 5. *Mortui nihil noverunt amplius nec habent ultra mercedem*, & v. 10. *quodcunq; facere poteſt manus tua, inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia nec ſcientia, erunt apud inferos, quo tu properas*, &c. ergo defuncti non poſſunt ſatisfacere pro peccatis. III.

Reſpond. primò, ſi ad literam velint procedere de omnibus etiam juſtiſſimis, patet falſitas, quia certum eſt, quod apud animas Sanctorum ſit ratio, ſcientia, & ſapientia, &c. & omnia optimè noverunt; adeoque intelligendum vel de ſolis impiis ut exponit *S. Hieron.* in illum locum dicens: *Fac quodcunque nunc potes & labora, quando enim ad infernum deſcenderis locus non erit pœnitentiæ, huic quid ſimile à Saluatore præcipitur: operamini dum dies eſt, venit nox, quando nemo operari poteſt*, &c. hæc ille. Scilicet ibi non poteſt acquirere gratiam nec remiſſionem de peccatis mortalibus, ut ex injuſto fiat juſtus, ſicut in hac vita; & tunc nihil officit animabus juſtorum in Purgatorio.

Reſpond. 2. omnia concedendo etiam de juſtis, quod poſt mortem nihil de novo poſſint mereri, ut Eccleſia Catholica profitetur, ſed ibi ſolum animæ perfectorum juſtorum mercedem accipiunt: aliæ adhuc pœnis obligatæ, nihil etiam ibi merentur, ſed juxta merita in vita ſua præſtita juvantur precibus viventium, & paulatim patiendo liberantur, unde patet quod non ſequatur ex verbis S. Scripturæ, quod animæ iſtæ non poſſint juvari precibus fidelium; nec pati pro peccatis hoc enim in textu nec habetur nec colligitur. IV.

3. Objiciunt illud Eccleſtæ 11. v. 3. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum aut ad Aquilonem in quocunque loco ceciderit ibi erit*, &c. unde inferunt; ergo non eſt poſt mortem aliquis locus unde exeatur vel liberetur. V.

Reſpond. quamvis ex litera nihil Acatholici concludere poſſint, niſi quod homo ſi moriatur per ſe non reſurget ſicut arbor cadens: Reſpondetur tamen ibi ad ſummum intelligi de ſtatu perpetuo animarum, ut per *Auſtrum* intelligatur *ſtatus gratiæ* ſeu juſtorum, & per *Aquilonem ſtatus damnationis* ſeu impiorum, & ſic veriſſimum eſt, quod in quocunque tali ſtatu homo moritur in illo manebit, ita ut nec ex juſto vel beato injuſtus & damnatus, nec ex injuſto & damnato juſtus & beatus fieri poſſit; ſic animæ in purgatorio manent in ſtatu gratiæ & tales ſtatus tantum duo ſunt ut ſæpius dictum.

4. Objiciunt pſ. 116. *Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas domini, merces filii fructus ventris*, &c. Ergo poſt mortem ſtatim juſtis datur hæreditas. VI.

Reſpond. primò: Quod Sanctis non ſtatim poſt mortem data fuerit merces, patet ex illo, quod SS. Patres ante mortem Chriſti non pervenerunt ad gloriam uti ſuprà patet.

Reſpond. 2. negando conſequentiam; non enim ibi dicitur quod cuilibet juſto ſtatim detur hæreditas, ſed cùm dederit dilectis ſuis ſcilicet omnibus ſomnum. ſic Auguſt. in illum locum ait: *Dat hoc ergo Deus, cùm dormiunt dilecti ejus, hinc ſurgent dilecti ejus, id eſt Chriſtiani. Omnes enim ſurgent, ſed non quomodo dilecti ejus. Apoſtolus: Omnes quidem reſurgemus ſed non omnes immutabimur, reſurgent*

gent illi ad pœnas, resurgemus nos, quomodo surrexit dominus noster. Et infrà: *ecce hæreditas Domini, merces, fructus ventris: quando dicit fructus ventris partu-riti sunt filii isti, parit enim Ecclesia filios conjunx Christo, generat eos Ecclesia, parturit illos Ecclesia. In illa resurrectione mortuorum apparebit partus Ecclesiæ, transiet dolor & gemitus & quid dicetur? ecce hæreditas Domini,* &c. hæc ille. Nihil ergo contra locum purgatorii ante resurrectionē communem.

VII. 5. Objiciunt: Scriptura docet quod Deus ita peccatum pœnitenti ignoscat, ut non recordetur ampliùs peccati, sic Ezech. 18. v. 22. *Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est non recordabor.* Similiter ps. 102. v. 12. *Quantum distat ortus ab occidente longe fecit à nobis iniquitates nostras.* Et Michææ 7. v. 19. *Miserebitur nostri & projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Ex his concludunt quod Deus post dimissam culpam non puniat peccata, ac proinde nec in purgatorio.

Respond. primò mirum quod Acatholici hæc loca contra reatum pœnæ temporalis adferant; cùm ipsi cum suo Calvino asserant, quod nulla peccata in hac vita omnino deleantur sed maneant & solum non imputentur ad damnationem in electis. Sic enim Calvinus passim docet & specialiter lib. 4. Inst. cap. 15. §. 10. de Justitia generaliter, de fidelibus sic loquitur: *Justitiam quoq; apprehendunt sed qualem in hac vita obtinere populus Dei potest. nempe imputatione duntaxat, quia pro justis & innocentibus eos sua misericordia Dominus habet,* &c. si ergo peccata verè maneant in justis, & solùm non imputentur, quomodo in veritate dici posset: *quantum distat ortus ab occidente, longe fecit à nobis iniquitates nostras?*

Respond. 2. juxta veritatem quòd pateat illam argumenti illationem esse falsissimam ex tot & tam claris S. Scripturæ locis suprà allegatis *de Moyse, Aaron & David*: quod Deus dimissâ culpâ adhuc pœnas inflixerit; adeoque ille non potest esse sensus illorum verborum nec ex illis inferri potest.

Respondetur ergo, quòd Deus non recordetur peccatorum, sed illa longè removeat, imo planè dimittat; ut non recordetur illorum ad [illegible] vel aversionem & inimicitiam, vel etiam ad punitionem æternam, quam merebantur. Quis enim tam blasphemus qui dicat Deum [illegible] vel oblivisci simpliciter?

VIII. 6. Objiciunt illa Matth. 25. v. 34. & 41. ubi Christus dicturus est, illis qui sunt à dextris, *venite benedicti,* &c. & à sinistris: *Discedite à me maledicti,* ubi tantum duos status Christus exprimit. Similiter Matth. 3. v. 12. *Permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburent igni extinguibili.* Et Marci 16. v. 16. *qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit, qui verò non crediderit condemnabitur.* &c. in his locis tantum duorum statuum sacra Scriptura meminit.

Respond. loca Matthæi 3. & 25. clara sunt, quod intelligantur de statu hominum in die judicii seu post illud; de quo sæpe dictum, quod tunc tantū duo erunt, quia illi qui in purgatorio fuerunt, tunc inter electos audient: Venite benedicti: & inter triticum in horreum colligentur. Quoad locum Marci respond. primò, in illo loco Marci non negatur esse aliquem statum post mortem in pœnis, post quem tamen salvabuntur.

Respond. 2. Locus Marci intelligitur de statu gratiæ vel disgratiæ, ut si quis crediderit & alia requisita egerit, & in gratia Dei usque ad mortem perseveraverit is salvus erit, licèt subinde per ignem, ut sæpius SS. Patres ex Apostolo docuerunt. Et sic unus est status perpetuus justorum in gratia morientium, licèt ad tempus sit alius locus quidam ubi purgentur; alter status disgratiæ, ubi statim damnantur.

7. Objiciunt exemplum latronis orantis in cruce, cui Christus dixit: *Hodie mecum eris in paradiso,* ergo similiter omnibus justis fiet. IX.

Respond. Nego consequentiam, quia SS. Patres docent tali latroni specialem gratiam præstitā, dum actualiter Christus proprium sanguinem effunderet, & ipse latro, omnibus Apostolis deficientibus, ad Christi crucem tam patienter pœnas sustinebat & in Christo confidebat, & alia perfectissima *Fidei, spei, charitatis, pœnitentiæ & patientiæ* opera tunc præstabat ut & verè inter Martyres sit censendus.

8. Objiciunt, illud ad Rom. 8 v. 1. *Nihil ergo nunc damnationis est iis qui sunt in Christo Iesu,* &c. ergo justi post mortem nihil damnationis habent, ergo non puniuntur. X.

Respond. Mirum quòd Acatholici hunc locum adducant contra reatum pœnæ temporalis post remissionem culpæ manentem; cùm ipsi cum suo Calvino doceant 1. quod peccatum originale etiam post baptismum in renatis maneat. Sic enim ait lib. 4. Inst. c. 15. §. 10. *Iam perspicuum est, quàm falsum sit quod docuerunt pridem nonnulli per baptismum solui nos & eximi à peccato originali,* &c. & lib. 2. Inst. cap. 1. §. 8. sic ait: *Videtur ergo peccatum originale hæreditaria naturæ pravitas & corruptio in omnes partes diffusa quæ facit reos iræ Dei,* &c. si ergo rei iræ Dei, utique manet damnatio in renatis.

Resp. 2. juxta veritatem concedendo, quod nihil sit damnationis, si sic moriantur, quia damnatio infert æternam pœnam & iram Dei; sed non pœnam temporalem, quæ etiam Moysi & David inflicta est.

9. Objiciunt 2. Corinth 5. v. 1. *Scimus, si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cœlo,* &c. Ergo statim post mortem justi transeunt in cœlum. XI.

Respond. negando consequentiam: Quia verùm est quod justis sit parata domus in cœlis sed post mortem non ante in cœlum ingredi possunt, nisi tales sint, ut Apostolus addit: *Si tamen vestiti,* id est pœnitentiæ fructus fecisse, *& non nudi inveniamur,* hoc enim patet ex 1. Cor. 3. v. 15. ubi aliqui salvi fiunt, *sic tamen quasi per ignem,* & sic in cœlum transibunt. XII.

10. Objiciunt ex eodem c. v. 10. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum sive malum.*

Ergo in purgatorio nihil merentur, nec ibi præstant, propter quod præmientur hoc autem fieret si ibi peccata remitterentur.

Similiter Rom. 2. v. 6 *In die iræ & justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua,* &c. Et ad Galat. 6. v. 8. *Quæ enim seminaverit homo hæc & metet.*

Respond. primò hæc loca militant contra Aca-

Samuelis, constat primò ex illo Eccli. 46. v. 23. *Dormivit Samuel, & notum fecit regi, & ostendit illi finem vitæ suæ*, &c. Ita Justinus Martyr in Tryph. Basilius Magnus epist. 80. Tertullianus, &c.

III. 3. Zachar. 9. v. 11. dicit: *Tu in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua*, &c. ubi patet, quod Zacharias prophetarit de Christo, cùm antea dixisset: *Exulta satis Filia Sion, ecce rex tuus venit tibi justus & Salvator*, &c. qui in suo sanguine eduxit SS. Patres de lacu. Ita explicant SS. Patres hunc locum.

4. Probatur ex illis locis, quibus dicitur, quod Christus descenderit ad inferos, prout Ecclesia ab initio in symbolo Apostolico profitetur; licèt Acatholici per inferos falsò intelligant sepulchrum in quo Christus positus fuerat, vel dolores in cruce passos. Probatur autem veritas ex illo Matth. 12. v. 40. *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.* Atqui Jonas vivus fuit in ventre ceti, adeoq; Christus saltèm secundùm animam vivens fuit in corde terræ, sed non in sepulchro, quod non erat in corde terræ, & sic exponunt SS. Patres.

IV. 5. S. Petrus allegat illud ps. 15. v. 10. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno*, ad Christum post mortem act. 2. v. 27. ubi clarè patet animam Christi fuisse in inferno, & sic exponunt SS. Patres specialiter Hieron. in ps. 15. Aug. in epist. 99. ad Euodium.

6. Ad Ephes. 4. v. 9. *Propter quod dicit: Ascendens in altum captivam duxit captivitatem*, &c. *quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit in inferiores partes terræ.* Hæc verba non possunt intelligi de sepulchro quia sepulchrum Christi fuit in superficie terræ, imo suprà terram *de Petra excisum* Marci 15. v. 46. quod non dici potest inferior pars terræ. Cum itaque Acatholici velint nudæ literæ standum esse; oportet ut non intelligatur de sepulchro, sed de inferno: prout SS. Patres intellexerunt.

V. Demum 1. Pet. 3. v. 18. & 19. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est*, &c. *mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu, in quo & his, qui in carcere erant spiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noe cum fabricaretur Arca*, &c. Hunc carcerem intellexerunt SS. Patres fuisse in inferno, ubi spiritus veterum detinebantur. Ita *Clemens Alexandrin.* lib. 6. Stromatum, *Athanas.* in epist. ad Epictetum. *Epiphanius* hæresi 77. &c. infrà allegandi.

ARTICULUS II.

Eadem veritas probatur ex SS. Patribus Græcis.

I. PRimò *Eusebius* lib. 1. histor. cap. ult. edit. Basil 1557. refert verba S. Thadæi discipuli Christi; inter quæ sunt hæc de Christo: *Docebo te de adventu Iesu*, &c. *quomodo crucifixus sit, & ad inferos descenderit, sepemq; illam antea nunquam diruptam, sciderit, resurrexerit etiam, ac mortuos qui à seculis dormierant una excitaverit: & quomodo solus quidem descenderit multa vero turba comitatus ad Patrem ascenderit.* Hæc ibi.

Similiter loquitur *S. Ignatius* epist. ad Trallianos dicens: *Descendit ad infernum solus, regressus autem cum multitudine.*

Iustinus Martyr in Dialogo cum Tryphone pag. 232. edit. Hieron. Commel. protestatur, quod Judæi post mortem Christi, non longè ante sua tempora multos locos Scripturæ sustulerint, qui adhuc in aliquibus Hebræorum textibus reperiuntur, & inter alios hunc in Jeremia: *Recordatus est Dominus Deus mortuorum suorum ex Israele, qui obdormierant in terra aggeris, & descendit ad eos, ut evangelizaret, & læto eius significaret nuntio salutare suum*, &c. II.

Clemens lib. 6. Stromat. edit. Paris. 1572. ait: *prædicavit Dominus iis quoq; qui erant apud inferos*, &c. quod non potest intelligi de corpore Domini in sepulchro jacente. III.

Athanasius lib. de Incarnat. edit. Paris. 1581. qui incipit, *Mos hominis*: Credite, ait, *animam intercorem hominem esse.* &c. *cum non solum in nobis, sed etiam in Christi corpore idipsum pateat, corpore non ultrà sepulchrum delato, anima ad inferos penetrante locis ingenti intervallo discriminatis*, &c. Plenius hoc testimonium sequenti capite referetur.

Basilius in ps. 14. *Itaq;*, ait, *Christi fragrantiam myrrham quidem spirat propter passionem, stacten vero propterea, quod non immobilis neq; inefficax & otiosus mansit tribus noctibus & descendit ad infernum*, &c. & infrà: *Habes igitur myrrham propter sepulturam; stacten propter descensum ad inferos*, hæc ille. IV.

Idem in ps. 48. edit. Antwerp. 1568. circa illa verba: *Deus redimet animam meam de manu inferi*, &c. sic ait: *Palam vaticinatur Christi ad infernum descensionem, qui una cum aliis Prophetæ ipsius animam sit liberaturus, ut ibi nequaquam remaneat*, hæc ille.

Chrysostomus hom. 2. de symbolo edit. Basil. 1558. post expositionem articuli de sepultura sic ait: *Descendit ad infernum, ut & ibi à miraculo non vacaret.* V.

Idem hom. 4. in Marcum eâd. edit. *In lege Abraham apud inferos, in Evangelio latro in Paradiso, non detrahimus Abrahæ*, &c *sed Christum præferimus Abrahæ Evangelium legi*, &c. & ibid. *Ideo Christus mortuus est, ideo descendit ad inferos, ut animæ quæ ibi vinctæ fuerant, laxarentur*, &c. quid his testimoniis clarius dici posset.

ARTICULUS III.

Idem probatur ex Patribus Latinis.

TErtullianus lib. de anima cap. 32. edit. Basil. 1562. sic ait: *Si Christus descendit in inferiora terrarum, ut illic patriarchas & prophetas compotes sui faceret, habes & originem inferûm subterraneam credere*, &c. hæc ille. I.

Cyprianus serm. de unct. Chrismatis, *passus est*, ait, *Rex illius diei & vita occidi descendensq; ad inferos, captivam ab antiquo captivitatem abduxit*, &c. hæc ille.

Gaudentius Tract. 6. de Exodo. Bibl. PP. edit. Colon. 1615. to. 4 pag. 811. *Nocte*, ait. *qua corpus exanime relinquens in cruce Dei Filius transiit cum anima ad Ægyptum inferiorem ut animas in inferno positas visitaret*, &c. hæc ille. II.

Ambros. in c. 9. ad Hebr. edit. Romaæ 1580. *Cælum*, ait. *quod inaccessibile mortalibus soleret esse, jam adiri potest*, ubi loquitur de statu ante & post adventum Christi.

Digitized by Google

III. Hieron. in comment. ad c.9. Eccles. edit. Basil. 1553. circa illa verba: *Omnia quæ inuenit manus tua, ut facias in virtute tua, fac, &c. quia nec scientia erunt apud inferos quo tu properas;* sic ait: *Nota ut Samuelem quoq; vere in inferno credas fuisse, & ante aduentum Christi, quamuis sanctos omnes inferni lege detentos,* &c. hæc ibi.

Idem in epist. ad Dardanum eâd. edit. *Hæc est terra viventium, in qua sanctis viris atq; mansuetis bona Domini præparantur, quæ ante aduentum Domini Saluatoris, nec Abraham, nec Isaac, nec Iacob, nec Prophetæ & alii justi viri consequi potuerunt,* &c.

IV. August. lib. 20. de Civ. Dei cap. 15. edit. Basil. 1528. sic ait: *Si enim non absurde credi videtur antiquos illos sanctos, qui venturi Christi tenuerunt fidem, locis quidem à tormentis impiorum remotissimis, sed apud inferos fuisse, donec eos inde sanguis Christi, & ad ea loca descensus erueret,* &c. hæc ibi.

Similiter epist. 57. ad Dardan. q. 1. eâd. edit. *Neq; ipso die, ait, in cœlo futurus erat homo Christus Iesus, sed in inferno secundum animam, in sepulchro autem secundum carnem,* &c.

Item epist 99. edit. cit sic ait: *Quis ergo nisi* (NB) *infidelis negauerit fuisse apud inferos Christum?* hoc notent Acatholici, & infrà: *Secundum animam eum fuisse apud inferos Scriptura aperte declarat,* hæc Aug. ergo Acatholici juxta Augustinum infideles sunt.

Rursus tract. 78. in Joann. ed. cit. *Quis, ait, non est derelictus in inferno? Christus Iesus sed in anima sola: quis resurrecturus triduo jacuit in sepulchro? Christus Iesus, sed in carne sola,* &c. hæc ibi.

V. Ex his nimis manifestum est, quod & animæ Sanctorum ante Christi adventum non fuerint in cœlo, multò minùs beatæ; sed in loco inferni, licèt à damnatorum longè separato: ad quos Christus liberandos secundum animam verè descenderit, manens secundum corpus tantum in sepulchro. Vnde patet, quod fuerit tertius locus ante Christi adventum pro defunctis.

ARTICULUS IV.

Refertur & refutatur sententia Calvini quoad statum animarum Iustorum; qui ante vel post Christi adventum defuncti sunt.

I. OPeræ pretium existimavi Calv. de his doctrinã proponere; ut & Catholici & Acathol. videant, quod, quia Calv. obdurato animo relicto vero veritatis spiritu Ecclesiæ à Christo promisso propriũ & privatum spiritum prætulit: mirum non sit, quod in tenebris oberrans omnia, quæ unquam potuit, invertere conatus sit. Etsi enim orationem pro defunctis, ut à pœnis liberentur, & purgatorium, ut suprà visum est, summè detestatus sit, volens se variis falsò applicatis S. Scripturæ testimoniis defendere; ac consequenter etiam post hanc vitam negarit alia loca vel statum defunctorum esse præter cœlum & infernum damnatorum: plura tamen partim authoritate S Scripturæ convictus, partim suis falsis insistens principiis contra S. Scripturam de his asseruit, prout ex sequentibus patebit.

II. Primò quidem quoad animas justorum vet. testamenti in libello qui dicitur Psychopannychia sic dicit: *Nec nimis euidenter apostolus Petrus animas à morte & esse & viuere ostendit, cùm tradit Christum his qui in carcere erant spiritibus, nec spiritibus modo piorum remissionem ad salutem, sed impiorum quoque spiritibus confusionem,* &c. hæc ille.

Et ibidem hæc addit: *Nec vero miretur quisquam includi sanctos Patres qui redemptionem Christi exspectabant,* &c.

Similiter in cap. 3. prioris Petri, sic docet: *quod spiritus fidelium, qui hic ex corpore excesserant, in carcere detinebantur, atque illic astricti & inclusi votis ardentibus exspectabant adventum Christi, quia spiritus libertatis nondum plene illis concessus erat,* &c. hæc ibi. Quæ certè nullo modo dici possunt, vel stare cum cœlesti gloria, aut clara Dei visione, vel etiam ipso cœlo, ut in cœlo fuerint incarceratæ, &c. III.

Eodem ferè modo idem Calvinus loquitur de animabus justorum post Christi passionem defunctorum: licèt falsò.

Primò in c. Joann. 14. v. 2 sic ait: *Natura enim exulat humanum genus à regno Dei; Filius autem, qui unicus est hæres possessionem nostro nomine adiit, ut per ipsum accessus nobis pateat: nam in ejus persona jam spe cœlum possidemus, non tamen fruemur tanto bono quousq; justus in cœlo appareat,* &c. hæc ille. Ubi clarè dicit, quod nullæ animæ ad cœlum vel ad visionem Dei ante diem judicii admittantur.

Similiter loquitur lib. 3 Instit. cap. 20 §. 20. *Intelligimus sic Christum apparere coram facie Dei, ut mortis eius virtus ad perpetuam pro nobis intercessionem valeat, sic tamen, ut sanctuarium cœli ingressus ad consummationem usq; seculorum solus populi eminus in atrio residentis vota ad Deum deferat,* &c. hæc ille ibi.

Vnde patet, quod nolit animas justorum in cœlum ingredi, nec frui visione Dei, sed tantùm in votis esse, quæ Christus offerat Patri.

Iterum lib. 3. Inst. cap. 25 § 6. sic ait: *Porro de intermedio eorum statu,* &c. IV. ubi in margine sic notatur: *De statu animarum à morte ad diem ultimi,* &c. Itaque sic ait: *De intermedio earum statu curiosius inquirere, neq; fas est, neq; expedit: valde se torquent multi disputando quem locum occupent, & an cœlesti gloria fruantur nec ne? atqui stultum & temerarium est de rebus incognitis altius inquirere, quam Deus nobis scire permittat.* Et post pauca: *De loco non minus inepta & futilis est quæstio, quando scimus non eam esse animæ dimensionem quam corporis.* Et infrà: *Interea quo Scriptura ubiq; jubeat pendere ab exspectatione adventus Christi & gloriæ* (NB) *coronam eousq; differat, contenti simus his finibus diuinitus nobis præscriptis animas piorum iustitiæ labore perfunctas in beatam quietem concedere, ubi cum felicis lætitia fruitionem gloriæ promissæ exspectant atq; ita omnia* (NB) *suspensa teneri donec Christus Redemptor appareat,* &c. hæc ille.

Ex his evidens est, primò quod Calvinus absolutè negarit ullas Sanctorum animas esse in V. cœlo, sed solum Christum hominẽ illuc introisse. 2. quod sint in aliquo statu usque ad diem judicii suspensæ & exspectantes coronam gloriæ. 3. quod neget illas in aliquo loco, quia sunt spiritus, &c. sed hoc ultimum, de quo ipse futile esse inquirere dicit, verè futiliter loquitur; cùm certum sit angelos esse in cœlo juxta illud Salvatoris. *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris.* Matth. 18. v. 10. sic etiam animæ damnatæ sunt & cruciantur in inferno, licèt non more corporis circumscribantur loco dimensionaliter.

Et

Digitized by Google

Et, licèt Calvinus dicat S. Scripturam non plura revelasse, id falsum esse constat ex ipsa S. Scriptura & SS. Patribus: & eo ipso, quod negat sanctos perfrui gloriâ cœlesti, sed illam exspectare apertè fatetur, quod sint in alio statu, quam post judicium extremum futuri sint, qui est distinctus à statu Angelorum & damnatorum; ac proinde juxta ipsum detur tertius status justorum post hanc vitam.

VI. His itaque ex sententia Calvini suppositis mirum est: qualiter Acatholici contra statum animarum purgandarum & locum purgatorium objiciant loca Scripturæ, ex quibus urgent duos tantùm esse status defunctorum, vel piorum in cœlo, vel damnatorum in inferno; & quod in quemcunque statum post mortem veniant, in illo semper permaneant: siquidem juxta Calvini doctrinam animæ justorum non solum usq; ad diem judicii, sed in æternum suspensæ manerent. Unde patet qualiter Calvinus & Acatholici non tantum contra S. Scripturæ & SS. Patrum doctrinam; sed etiam contra propriam licèt falsam sententiam tertium defunctorum piorum statum inverecundè negent.

CAPUT ULT.

De Descensu Christi ad inferos.

ARTICULUS I.

Referuntur dicta D. Vexilliferi & trium DD. Anonymorum.

I. Sciendum, quod cùm Urdingæ cum D. Vexillifero ageretur circa articulos fidei, an moderni reformati cum Ecclesia antiqua sentirent; inter alia quæstio mota fuerit circa articulum symboli Apostolici, *de Descensu Christi ad inferos post mortem*: ubi cum D. Vexillifer se expedire non poterat, quod dicerem prætensos Reformatos illum articulum vel ex symbolo delere, vel si ponant, in falso sensu explicare de descensu Christi in sepulchrum; cum tamen sint duo distincti articuli unus: *mortuus & sepultus est*, & alter: *& descendit ad inferos*, &c. cum dicerem Christum secundum corpus in sepulchro positum: at secundum animam ad inferos descendisse ut liberaret Patres, &c. D. Vexillifer objecit plurimos esse in Ecclesia Romana DD. celeberrimos qui docerent, Christum secundum corpus & animâ descendisse ad inferos, quod ego categoricè negavi, & unicũ talem doctorem celeberrimum demonstrari postulavi, quod D. Vexillifer se præstiturum promisit. Jam videamus qualiter illi tres Anonymi, qui partes D. Vexilliferi defendendas susceperunt ad hanc quæstionem respondeant; vel potius illud assertum de Catholicis doctoribus probent.

II. Primus Anonymus sic ait: *Istud ultimum est nisi privati alicujus scriptum, & nihil ad Ecclesiæ fidem; sed tantum est illa: descendit ad inferos, non invenitur in nullis earum Ecclesiarum & Patrum confeßionibus & symbolis, uti fuse declarat Perkinsius in demonstratione problematis, & Ruffinus (qui vixit circa annum 400.) in expositione symboli scribit: Sciendum est, quod in Ecclesia Romana symbolo non descendit ad inferna, sed neq; in orientis Ecclesiis habetur hic sermo; vis tamen verbi idem videtur esse in eo quod sepultus dicitur, &c. hæc Ruffinus. Si quis hoc sensu scripserit Christum in corpore descendisse ad inferna, nihil est contra Catholica Ecclesia Fidem*, &c. hæc ille Anonymus.

III. 2. Anonymus sic respondet: *De Doctoribus Catholicis asserentibus in inferno fuisse Christum secundum corpus nil reperio, cum illa Quæstio non sit de religione apud aliquam partem generaliter recepta, sed de simplici dicto facta*, &c.

IV. 3. Anonymus sic sententiam ex cathedra pronunciat: *Quod tandem D. Pater ad suos de descensu Christi ad inferos, indicium est, quod illam phrasin ex Scriptura S. desumptam non satis intelligat, requirit ea res peculiarem elucidationem, quam propediem dabo, dabis mihi vicissim ad tandem paucorum dierum moram, & tunc ostendam ex ipso Athanasio rectè & orthodoxe etiam dici Christum etiam secundum corpus suum ad inferos descendisse*, &c. hæc ille.

ARTICULUS II.

Respondetur ad dicta 3. Anonymorum.

Videat hic sincerus lector modum agendi istorum Anonymorum: verum est, quod quæstio inter D. Vexilliferũ & me mota erat facti, an essent celeberrimi doctores in Ecclesia Romana Catholica qui docerent Christum secundum corpus & animã descendisse ad inferos, cùm Catholici Romani credunt Christum secundùm animam non in sepulchrum, sed in inferiores terræ partes descendisse, hoc D. Vexillifer graviter asserebat coram viris primariis, adeoq; necessarium erat, hanc imposturam à viris Catholicis removere nisi D. Vexillifer probaret: patet itaq; ex his Anonymorum responsis, quod nullum talem doctorem Romanæ Ecclesiæ allegare possint, qui sic docuerit; unde patet, quàm temere & audacter Acatholici sæpe mendacia & falsa dogmata imponant vel Ecclesiæ Catholicæ, vel doctoribus, per quod homines simplices reddunt perplexos. Hæc mihi pro veritate & innocentia Doctorum Catholicorum sufficiunt. I.

Verum quoad rem ipsam; an & qualiter Christus descenderit ad inferos, suprà c. 5. declaratum & probatum est ex S. Scriptura & SS. Patribus; ubi ostensum est, quod sit verus fidei articulus in symbolo Apostolorum expressus: quem quidem *Calvinus* verbotenus admittit, sed in veritate planè negat & absurdè exponit de pœnis damnatorum, scilicet quod ideo Christus dicatur descendisse ad inferos, non quod post mortem descenderit ad inferiores terræ partes pro liberandis Patribus, ut SS. Patres unanimiter intellexerunt, & patet ex contextu, cùm Christus dicatur in symbolo ad inferos descendisse postquam mortuus est. Verum Calv. exponit in hoc sensu, quod Christus tempore passionis expertus sit veras damnatorum pœnas, lib. 2. Inst. c. 16. §. 10. dicens: *Diros in anima (Christus) cruciatus, damnati & perditi hominis pertulit*, & quidem II.

Digitized by Google

dem in tantum, ut non fuerit certus de ſua propria ſalute, ſed timuerit: ſic enim ait ibid. §. 11. dicens: *Chriſtus igitur cum lachrimis & clamore valido orans à metu ſuo exauditur, non ut à morte ſit immunis, ſed ne abſorbeatur ut peccator, quia illic perſonam noſtram gerebat: & certe nulla fingi poteſt magis formidabilis abyſſus quam ſentire te à Deo derelictum & alienatum, & cùm invocaveris non exaudiri, proinde ac ſi in tuam perniciem ipſe* (Deus) *conſpiraſſet*, &c. iterum §. 12. *hic nebulones, ait, quidam licet indocti, malitia tamen magis quam inſcitia impulſi clamitant, me atrocem Chriſto facere injuriam, quia minime conſentaneum fuit eum de animæ ſalute timere*, &c. hæc ibi, imo dicere auſus eſt in harmonia in cap. 27. Matth. *quod licet Chriſtus non deſperaverit, tamen vocem deſperationis in cruce emiſerit, dicens: Deus Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Hos autem inferni dolores, timores & metus incœpiſſe in horto dicit, & excreviſſe uſque ad mortem, ut ait lib. 2. ſuprà § 12. &c. imo in cap. 27. Matth. dicit: *Chriſtus cum deſperatione luctatus eſt, non fuit tamen victus*, & lib. 2. Inſt. cap. 16. §. 10. *Diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulit*, &c. atqui primarius damnatorum cruciatus eſt deſperatio, ſi ergo damnati cruciatus pertulit, ergo ipſam deſperationem præſertim quia §. 10 ibid. dicit: *quod Chriſtus omnes pœnas damnatorum ſubire debebat, uno hoc duntaxat excepto, quod doloribus mortis non poterat detineri.* Et in catechiſmo parvo dicit *hoc interfuiſſe inter damnatũ & Chriſtum quod ille in perpetuum Chriſtus ad breve tempus pœnas ſuſtinuerit*, adeoque deſperationem, quantumcunque Calvinus excuſet, præſertim cum lib. 3. Inſtit. cap. 2. §. 16. dicat; *quod dubitare de ſua ſalute ſit peccatum mortale contra Fidem*; cum ergo dicat Chriſtum dubitaſſe de ſua ſalute ipſum conſequenter peccaſſe. Verum quis non exhorreat ad tam nefandam doctrinam & ſymboli explicationem, præſertim cum Calvinus cum ſuis velit, quod omnis juſtus debeat eſſe ſecurus & certus de ſua ſalute, &c. tamen hoc Chriſto in paſſione defuiſſe aſſerit.

III. Hanc nefandam articuli explicationem contra claram ſacram Scripturam Luc. 22. v. 43. ubi Chriſtus latroni in cruce dicebat ſub juramento: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo*, &c. adeoque certus erat de beatitudine latronis, multo magis de propria, &c. hanc, inquam explicationem ponit Catechiſmus Heidelbergenſis quærendo, *quare in ſymbolo ſequitur: Deſcendit ad inferos* ſeu Germanicè Abgeſtiegen zu der Höllen? Reſpondetur, *ut in graviſſimis tentationibus certus ſim quod Chriſtus Dominus meus per ſuas indicibiles anxietates dolores & terrores, quos ipſe etiam in anima ſua in cruce & ante pro me paſſus eſt, me ab inferni pœnis liberaverit.* Hæc Catechiſ.

IV. Conſideret hæc ſincerus lector qualiter de Chriſto illi audent loqui, & id negantes vocant nebulones & indoctos; cùm aliàs clament Scripturam eſſe clariſſimam, & multò magis ſymbolum Apoſtolorum clarum eſſe debet: ſed quis hoc per illa verba intelligeret, niſi à Calvino ita violenter ingereretur?

Alii vero Acatholici volunt, quod *per deſcenſum ad inferos* nihil aliud intelligatur, quàm quod Chriſtus ſepultus ſit, & jacuerit in ſepulchro, ita *Beza* in c. 2. act. qui tamen ſibi contrarius lib. contra Brentium dicit: *eos in meridie cæcutire qui ex hiſtoria Lazari & divitis Luc. 16. non deducunt verum locum inferorum, ubi damnati torqueantur.* Sed quidquid ſit de his miſeris, qui ad nutum S. Scripturas torquent, jam ex ſymbolo Apoſtolico patet, quòd ſint duo diſtincti articuli, ſcilicet *ſepultus eſt*, & *deſcendit ad inferos.*

Nec obſtat quod ex *Ruffino* D. Anon. allegat. V.

Reſp. enim primò mirum eſſe quod Anonymus *Ruffinum* circa ann. 400 & Eccleſiæ Romanæ uſum alleget; cùm ipſi conſtet, quod ille articulus, *deſcendit ad inferos*, contineatur in ſymbolo prout ab Apoſtolis fuit traditus, & id fatetur *Calvinus* & alii, quod ſi ego ſic ipſi reſponderem, qualiter me exſibilaret.

Reſpond. 2. licèt *Ruffinus* illa verba habeat, nec tamen ipſe, nec Eccleſia Romana negabant *deſcenſum ad inferos* eſſe fidei articulum, nam in illo ſenſu Catholico, quod Chriſtus ſecundùm animam non in ſepulchrum, ſed in inferiores partes terræ deſcenderit continetur, ſed hoc ſupponit per verba *& ſepultus eſt* brevitatis gratiâ comprehendi; ut patet ex eodem Ruffino, ſic enim ſtatim ſubjicit: *Sed quoniam erga Scripturas S. tibi divinus amor & ſtudium ſubjacet, ſine dubio dices mihi, oportere hæc magis evidenter divinæ Scripturæ teſtimoniis approbari*, &c. *vera quippe & conſequens eſt hæc propoſitio*, &c. unde procedit ut ex S. Scriptura articulos omnes ſymboli probet, & poſt duo folia. ad probandum articulum utrumque *ſepultus eſt.* & *deſcendit ad inferos*, ſic dicit: *Evidentiſſimè hæc ſepulturæ ejus indicia propheticis vocibus deſignata ſunt*, &c. Et poſtea ſic ſubdit: *Sed etiam quod in infernum deſcendit evidenter pronuntiatur in pſalmis ubi dicit: Et in pulverem mortis deduxiſti me, & iterum quæ utilitas in ſanguine meo dum deſcendo in corruptionem. Et iterum: deſcendi in limum profundi & non eſt ſubſtantia*, &c. *ſed & Ioannes dicit: Tu es qui venturus es* (*in infernum ſine dubio* NB) *an alium exſpectamus?* Certe Joannes cum aliis Patribus non exſpectabat Chriſtum in ſepulchro, *unde & Petrus dicit: quia Chriſtus mortificatus carne vivificatus autem ſpiritu, qui in ipſo habitat eis qui in carcere concluſi erant; deſcendit ſpiritibus prædicare, qui increduli fuere in diebus Noë in quo etiam quid operis in inferno egerit declaratur.* Ecce an hæc Chriſtus in ſepulchro egerit. Pergit Ruffinus. *Sed & ipſe Dominus per Prophetam dicit tanquam de futuro, quia non derelinques animam meam in inferno*, &c. *quod prophetice nihilominus oſtendit impletum cum dicit: Domine eduxiſti ab inferno animam meam*, &c. hæc Ruffinus.

VI. Vide D. Anonyme ad quem ex omnibus primorum ſeculorum Patribus unicum appellaſti, ille ex ſacra Scriptura tot modis probat *deſcenſum animæ Chriſti ad inferos*, & non ad ſepulchrum, nec abſurdiùs dici poteſt, quàm quod anima Chriſti illo triduo in ſepulchro cum corpore fuiſſet. Cum verò Ruffinum allegas, cur non attendis verba illius quæ in principio de ſymbolo Apoſtolico ponit dicens: *Cùm in his verbis Spiritus Sanctus prævideris; nihil ambiguum, nihil obſcurum, nil à reliquis diſſonum poni*, &c. Sed quid obſcurius, quàm quod pro deſcenſu ad inferos dicitur Chriſtus ſecundùm animam in

ſe-

ſepulchro hæſiſſe, &c. aut Chriſtum in paſſione infernales dolores ſuſtinuiſſe, ac deſperationis verba protuliſſe, &c. ut *Caluinus* explicat. At vero quod Chriſtus ſecundum animam tantum ad inferiores terræ partes deſcenderit, & ſecundùm corpus in ſepulchro ſupra terram poſito manſerit, Eccleſia credit: pro quo teſtimonia SS. Patrum ab initio Eccleſiæ per ſingula quatuor ſecula ſuprà c. 5. allegata ſunt.

VI. Cur etiam D. Anonyme non attendis verba Ruffini fol. 1. ubi ſic dicit: *In Eccleſia urbis Romæ hoc non deprehenditur factum, quod ego propterea eſſe arbitror, quod neq; hæreſis ulla illic ſumpſit exordium*, &c. hæc ille, quam Eccleſiam vos pro arbitrio hæreticam appellatis.

Hinc patet etiam, quàm falsò 2. Anonymus ab hac quæſtione ſe ſubducat dicens: *Illam non eſſe de religione*, certum enim eſt quod quæſtio, an Chriſtus ſecundum corpus & animam ſimul deſcenderit in inferiores terræ partes ſit de fide; ſana enim fides docet, quod Chriſtus ſecundum corpus illo triduo jacuerit in ſepulchro. Similiter ſi per inferos, licè falsò intelligatur ſepulchrum etiam de fide eſt, quod Chriſtus ſecundum animam illo triduo non fuerit vel manſerit in ſepulchro ſed in infernum deſcenderit.

VII. Demum quod 3. Anonymus pro ſuo magiſterio dicat *de illo deſcenſu Chriſti ad inferos, indicium eſt, quod illam phraſim ex S. ſcriptura deſumptam non ſatis intelligas*, &c. Neſcio unde hoc ſibi velit, quid ego intelligam, vel non intelligam, cùm mentem meam ipſi nondum aperueram: non ſatis eſt magiſtraliter alium de inſcitia damnare, niſi prius ipſo audito, &c. ſed ſic à quæſtione honeſte ſe ſubduci poſſe putat per promiſſionē ab ipſo factam. *quod habitâ paucorum dierum morâ me inſtruere & oſtendere velit ex Athanaſio rectè & orthodoxe etiam dici Chriſtum etiam ſecundùm corpus ſuum deſcendiſſe ad inferos*, &c. Hanc inquam promiſſionem poſt aliquot annorum jam elapſorum moram datam nondum recepi; interim ego D. Magiſtro demonſtro ex ipſo Athanaſio, quid ipſe rectè & orthodoxè de hac re ſenſerit: vide lib. de Incarnatione qui incipit: *Mos pii hominis*, &c. ubi ſic ait: *Credite animam interiorem hominem eſſe*, &c. *cùm non ſolum in nobis, ſed & in Chriſti quoq; morte idipſum pateat, corpus non ultra* (NB) *ſepulchrum delato, anima ad inferos penetrante locis ingenti intervallo diſcriminatis, ſepulchro quidem id quod corporeum erat, quia ibi corpore aderat* (NB) *recipiente, inferno vero id, quod incorporeum fuit, qua ratione igitur factum eſt, ut cùm Dominus adeſſet incorporaliter pro homine à morte ſit agnitus? ut earum animarum quas infernus tenebat vincula, ſua anima inobnoxia quidem vinculo mortis, ſed tamen qua quaſi obnoxia facta eſſet diſrumperet, explicans illud modum, rationemq; ſuæ reſurrectionis*, &c. hæc Athanaſius. Neſcio quid clarius dici poſſet?

VIII. An ergo ex Athanaſio D. Anonymus oſtendet quod Chriſtus etiam ſecundùm corpus ad inferos deſcenderit? vel quod ſecundùm corpus & animam ad inferos, id eſt, ad ſepulchrum deſcenderit, cùm dicat *Corpus non ultra ſepulchrum, animam ad inferos penetraſſe locis ingenti intervallo diſcriminatis*, &c.

Idem Athanaſius hom. de Semente ſic ait: *Jeſus propter nos mortuus eſt, & deſcendit ad inferna in medium mortuorum & inter mortuos incedens, non ſolum liber, ſed & liberator mortuorum erat.* Similiter de ſalutari Chriſti adventu loquitur.

Hæc eſt vera & orthodoxa fides, quam SS. Patres juxta S. ſcripturam tradiderunt, & Eccleſia Catholica Romana profitetur.

Vt autem Eccleſiæ Catholicæ veritas & Acatholicorum falſitas ad oculum pateat, ſequentes Antitheſes ponuntur.

ANTITHESES

Catholicæ veritatis & Acatholicorum falſitatis circa ſtatum defunctorum ante & poſt adventum Chriſti uſq; ad diem Iudicii juxta S. Scripturam & SS. Patres.

PRima *SS. Patres ſecundùm S. ſcripturam docent*, quod nullæ animæ juſtorum, ante Chriſti paſſionem fuerint admiſſæ in regnum cælorum, ſed in ſubterraneis locis detentæ. quædam ſine dolore, quædam ad tempus cum doloribus. *Ita etiam docet Eccleſia Catholica moderna.* I.

Acatholici id negant, aſſerentes poſt mortem, duos tantùm eſſe defunctorum ſtatus & loca, unum in cælis, & alterum in inferno.

2. *SS. PP. juxta S. ſcripturam tradunt*, quod Chriſtus poſt mortem ſecundùm corpus triduo fuerit in ſepulchro, ſecundùm animam vero deſcenderit in inferiora inferorum loca, è quibus animas juſtorum liberatas ad cælum aſcendens conduxerit. *Ita etiam Eccleſia Catholica.* II.

Acatholici prorſus negant Chriſtum ſecundùm animam ad inferos deſcendiſſe, vel inde animas liberaſſe.

3. *SS. Patres docent* diverſas animas Patriarcharum, aliorumque juſtorum planè mundas ante Chriſti paſſionem fuiſſe in locis ſubterraneis à cælo & ab inferno damnatorum remotiſſimis. *Ita etiam docet Eccleſia.* III.

Acatholici id prorſus negant, aſſerentes duos tantùm poſt mortem eſſe ſtatus defunctorum permanentes, ita ut nullus ſit ſtatus, ex quo transferantur ad ſtatum perpetuum Angelorum.

4. *SS. Patres ſecundùm S. ſcripturam docent*, quod poſt Chriſti Aſcenſionem animæ SS. Martyrum aliorumque juſtorum qui nihil purgandum poſt mortem habuerunt, ſtatim ad cæleſtem gloriam ac claram Dei fruitionem perveniant. *Ita etiam docet Eccleſia Catholica.* IV.

Acatholici cum ſuo Caluino id prorſus negant, aſſerentes, quod ſolus Chriſtus in cælum ingreſſus ſit, omnes vero qualeſcunque juſtorum animæ in atrio eminus detineantur, nec fruantur tanto bono, ſed fruitionem gloriæ promiſſæ expectent, ac ſic omnia ſuſpenſa teneantur, donec Chriſtus Redemptor appareat, & eouſque gloriæ corona differatur, quem ſtatum intermedium animarum Calvinus vocat.

5. *SS. Patres ſecundùm S. ſcripturam docent*, quod animæ fidelium in gratia Dei defunctorum, adhuc reatu peccatorum venialium vel pœnæ temporalis obnoxiæ tam ante, quàm poſt Chriſti adventum ad tempus majus vel minus crucientur, donec perſolverint ultimum quadrantem. *Ita etiam Eccleſia docet.* V.

Acatholici hoc ipſum abſolute negant.

6. *SS. Patres ſecundùm S. Scripturam docent*,

quod animæ defunctorum justorum in pœnis temporalibus detentæ *juvari possint sacrificiis & orationes ac eleemosynis viventium*, idque ex Dei misericordia & in virtute meritorum Christi. *Ita etiam Ecclesia docet.*

Acatholici cum suo Calvino hoc prorsus negant & detestantur, fingentes contra verbum Dei, id esse contra Dei misericordiam & enervare charitatem Christi.

7. *SS. Patres statum & loca*, in quibus animæ pœnis temporalibus affliguntur, *vocant fluvium igneum, undam ferventibus globis horrendam; ignem purgatorii purgantem; conflatorium; ignes emendatorios, purgatorios*, &c. per quos aliquæ animæ transire debeant; antequam ad cælestem gloriam perveniant. *Ita Ecclesia Catholica.*

Acatholici cum suo Calvino asserunt purgatorium, seu statum illum aut locum defunctorum esse prorsus exitiale Sathanæ commentum & figmentum, ab antiquis Patribus prorsus ignoratum.

8. *SS. Patres in tantum docent* certum esse: quod aliquæ defunctorum animæ sint in tali statu pœnarum, in quo juvari, & à quo liberari possint, sacrificiis & precibus viventium: ut *Aerianos* id negantes hæreseos damnatos esse asserant. *Ita etiam damnat Ecclesia.*

Acatholici adhuc perfrictâ fronte negant SS. Patres agnovisse talem statum: aliqui vero ipsos SS. Patres erroris arguere non verentur.

Præter SS. Patres Græcos in primis quatuor seculis florentes, qui suprà dictam de purgatoriis cruciatibus doctrinam, tradiderunt, etiam Græca Ecclesia & Orientalis tota semper usque ad præsens seculum credidit, esse purgatorium in quo animæ fidelium, qui in Dei gratia, antequam de commissis peccatis dignos pœnitentiæ fructus egerint, ex hac vita discesserunt, pœnis purgatoriis purgentur, illisque ut à pœnis releventur, Missæ sacrificia & orationes ac alia pietatis officia à viventibus præstita, prodesse; ut professi sunt *in Concil. Florent.* ac passim in libris suis editis sic docent & definiunt de fide certum esse: licèt aliqui dubitent, an purgatorium sit verus ignis, vel alius locus obscurus, in quo crucientur vel purgentur.

Acatholici impudenter asserere audent Ecclesiam Græcam nunquam purgatorium credidisse.

10. *SS Patres juxta S. Scripturam docent*, quod status vel cruciatus temporalis, in quo animæ justorum purgantur, non duret ultra diem judicii: sed ex tunc tantùm duo remaneant status, unus electorum in cælesti gloria, alter damnatorum in inferno, æternaliter duraturi. *Ita etiam Ecclesia.*

Acatholici in hoc secundo consentiunt. Primum negant.

11. *SS. Patres juxta S. scripturam docent*, quod infantes etiam fidelium sine baptismo morientes non solùm è cælo in æternum sint excludendi: sed etiam cum diabolo & aliis damnatis in inferno licèt disparibus pœnis sint puniendi, & *Pelagium asserentem* tales infantes in æternum quidem à cælo arcendos, alibi tamen perpetuam fœlicitatem habituros hæreseos condemnarunt. *Ita etiam Ecclesia docet.*

Acatholici plus quam Pelagiani cum Calvino fidelium infantibus contra expressam S. scripturam non tantum perpetuam fœlicitatem extra cælum, sed etiam ingressum in cælum ad cælestem gloriam attribuere non verentur.

12. Demum *nullus S. Pater quatuor priorum seculorum ab Acatholicis allegatus vel allegabilis expressis* vel æquipollentibus verbis negavit purgatorium, quale ab Ecclesia Catholica creditur: sed econtra id expressis vel æquipollentibus verbis plurimi asseruerunt.

Acatholici, cùm nullum locum expressum negantem allegare possint dicere audent SS. Patres non tam negasse, quàm prorsus ignorasse purgatorium: & ad hoc allegare audent piissimum *Cardinalem Roffensem & Navarrum*: quasi ipsi testarentur SS. Patres purgatorium vel negasse vel prorsus ignorasse, cùm tamen prædicti Doctores à proposito & efficaciter ex S. scriptura & SS. Patribus purgatorium esse demonstrent.

CONCLVSIO.

13 Consideret sincerus Christianus lector ea quæ hactenus ex S. scriptura & SS. Patribus allegata sunt, & judicet an S. Scriptura, vel SS. Patres negaverint purgatorium post hanc vitam: in quo animæ quædam in gratia Dei defunctorum patiantur & purgentur, in quo juvari, & ex quo per sacrificia & orationes fidelium liberari possint.

Primò, an Ecclesia primitiva hunc articulum hæreseos damnaverit; prout moderni Acatholici damnant, quod DD. Anonymis erat probandum.

2. An SS. Patres tale quid exitiale Sathanæ commentum dixerint, quod contumeliam Dei misericordiæ non ferendam irroget, quod crucem Christi evacuet, &c. ut Calvinus contra S. Scripturam & veritatem vociferatur; & an in veritate hæc ullo modo dici possint?

3. An SS. Patres tale purgatorium prorsus ignoraverint, & fides illa primùm tempore S. Gregorii circa annum 600. incæperit.

4. An SS. Patres duos tantùm status animarum post mortem statim in perpetuum subeundos asseruerint; ut nullus sit vel fuerit aliquarum animarum status intermedius, inter mortem & diem judicii, prout Anonymi volunt, ipso Calvino contradicente.

Videat autem, quàm clarè & manifestè SS. Patres Catholicam veritatem juxta S. scripturam profiteantur & tradant, ac *Aerianos & Pelagianos*, quos Acatholici in errore superant, hæreseos damnarint.

Videant hæc DD. Anonymi, & confundantur, utinam convertantur.

* *
*

LIBER

LIBER IX.

De justificatione hominis.

PRÆFATIO.

DOminus Author primi libelli Anonymus volens ostendere Ecclesiam Catholicam Romanam in fidei articulis à primitiva Ecclesia defecisse, sufficere sibi putat verba D. Augustini, dicens: *De justificatione nostra Augustinus de verbis Domini serm. 15. sic scribit: Gratiâ salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ne forte dicas promerui, & ideo accepi, non putes te promerendo accepisse quæ non promereres nisi accepisses; gratia præcessit meritum tuum; non gratia ex merito, sed meritum ex gratia; nam si gratiam ex merito emisti, non gratis accepisti, pro nihilo, inquit, salvabis eos, quid est pro nihilo facies salvos? nihil in eis invenis, unde salves, & tamen salvas, gratis das, gratis salvas, omnia merita præcedit, ut dona sua consequantur merita tua, prorsus gratis das, gratis salvas, qui nihil invenis unde salves, & multum invenis unde damnes,* &c. *At Pontificii obtrudunt meritum congrui, meritum digni, meritum condigni, meritum supererogationis, meritum secundæ justificationis; sed Augustinus universaliter negat omne meritum nostrum, sicut & reformata Ecclesia.* Hæc ille Anonymus.

Sed quàm falsò Anonymus hæc asserat, vel ex ipsis Augustini allegatis verbis constant, quod non universaliter omne meritum neget, sed illud quod gratiam præcedere asseritur; at vero Ecclesiam modernam eadem prorsus cum antiqua & D. Augustino docere ostendetur.

Plurima quidem circa materiam de justificatione, justitia, & gratia pertractari possent: quæ partim cum Acatholicis controversa sunt, partim inter Doctores Catholicos salvâ fide disputantur; ac à plurimis per plures libros accuratè discussa sunt: sed quia hujus operis propositum id, nec ob multitudinem patitur, nec exigit; cùm solum ea, quæ Catholica Ecclesia circa hanc materiam de fide certa esse tradit, ex S. Scriptura & SS. Patribus probanda sint; summatim ea attingam & sufficienter ex S. scriptura & SS. Patribus Deo propitio probabo.

CAPUT I.

De Nominibus justificationis justitiæ, & gratiæ.

ARTICULUS I.

Referuntur variæ acceptiones justificationis.

I. SCiendum quod harum vocum varia sit in S. scriptura usurpatio, & quidem *Justificatio* accipitur primò pro ipsis legibus, quas Deus homini dedit ut Nu. 9. v. 14 *Facient Phase Domino juxta cæremonias & justificationes ejus.* Sic ps. 104. v. 45. *Ut custodiant justificationes eius, & legem eius requirant,* & sæpissime ps. 118.

Secundò accipitur pro pronunciatione seu declaratione justitiæ de aliquo facta; idque dupliciter, semel si à Judice aliquis accusatus declaratur justus; sive verè, ut ps. 81. v. 3. *Humilem & pauperem justificate,* sive falsò, ut Prov. 12. v. 15. *Qui justificat impium, & qui condemnat justum uterq; abominabilis est apud Deum,* & hæc dicitur justitia forensis. Aliter intelligitur de quolibet privato, qui vel se venditat pro justo, ut Luc. 10. v. 29. *Ille autem volens seipsum justificare,* & Job. 4. v. 20. *Si justificare me voluero*: vel dum alterum sic pronunciat, sic Luc. 7. v. 37. *justificata est sapientia ab omnibus filiis suis.*

3 Sumitur pro donatione veræ justitiæ, idque vel activè, ut Rom. 4. v. 5. *Credenti autem in eum qui justificat impium,* & cap. 8 v. 30. *Quos vocavit, hos & justificavit*: vel passivè, idque dupliciter, vel pro acquisitione vel adeptione justitiæ à Deo, ut 1. Cor. 6. v. 11. *Hæc quidem fuistis sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis,* &c. ubi intelligitur de illis, qui ex impiis fiunt justi, & vocatur justificatio prima, aliter sumitur pro acquisitione augmenti justitiæ, ut, dum aliquis habens justitiam, accipit majorem, ut Eccles. 18. v. 22. *Ne verearis usq; ad mortem justificari,* & Apoc. 22. v. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc.* Acatholici vero hanc tertiam justificationem negant, ut infrà patebit.

ARTICULUS II.

De variis Iustitiæ acceptionibus.

IUstificationis nomen à *justitia* derivatur, quæ generalissimè definitur, quod sit rectitudo voluntatis propter se servata, ut Scotus lib. 4. Sent. dist. 46. q. 1. n. 2. ex S. Anselmo notat, & ex Aristotele lib. 5. Ethicor. I.

Secundò sic sumpta justitia, alia est Deo competens, alia hominibus conveniens; *justitia Dei est,* quâ ipse essentialiter justus est, vel in se, ut dicitur ps. 10. v. 7. *Iustus Dominus & justitias dilexit.* Sic Deus in seipso est perfectissimè justus cum non solum habeat rectitudinem voluntatis, sed voluntatem inobliquabilem, & est prima regula omnis justitiæ. 2. Deus etiam justitiam habet ad alterum aliqualiter, non quod ad creaturam determinetur necessario ad ei aliquid tribuendum; quod est contra Dei perfectionem, sed quia justissimè facit, quod vult; unde dicit Anselmus de Deo: *Illud solum est justum, quod vis; non justum quod non vis,* &c.

3 Iusti-

3. *Justitia* generaliter dividi solet, in *commutatiuam & distributiuam, commutatiua* dicitur, quâ redditur æqualitas, vel simpliciter æquale pro æquali; & hæc non cadit simpliciter in Deum respectu creaturæ; ut Scotus supra cum D. Thoma, &c. ostendit; quia non potest inter Deum & creaturam esse æqualitas simpliciter in obligatione; potest tamen esse aliqualiter secundùm aliquam proportionem, sicut inter Dominum & servum; Dominum enim liberalem decet retribuere majus bonum, quàm servus possit mereri; quod incomparabiliter magis currit in Deo respectu creaturæ, qui in infinitum illam excedit, & absolutè Dominus est, nihil ipsi debens simpliciter juxta illud Apostoli Rom. 11. v. 35. *Quis prior dedit illi & retribuetur ei, quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia. Distributiua* est, quâ bonum aliquod pluribus debitum juxta proportionem cujusque meriti illis datur.

II. 4 *Justitia* Dei sumitur pro lege ab ipso data & scripta, sic Deut. 4. v. 5. dicitur: *Scitis quod docuimus vos præcepta & justitias*, &c. & ps. 18. v. 9. *Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda; præceptum Domini lucidum*, &c. & ps. 147. *qui annunciat verbum suum Jacob, Justitias & Judicia sua Israël*, &c.

Justitia hominum subinde sumitur pro jure, quod homo habet, ut Gen. 30. v. 33. dicebat Jacob: *Respondebitq; mihi cras Justitia mea*, &c.

Secundò sumitur pro *Justitia politica* quoad actiones externas; quæ duplex assignatur, una dicitur *generalis* seu *legalis*, quæ juxta Philosophum 5. Ethic. non est una virtus, sed est quasi aggregatio omnium virtutum moralium; *Particularis* vero est, quæ ordinat hominem ad alterum, ut *suum cuiq; jus tribuat*; & talis in scriptura aliquando sumitur pro verè bonis operibus; aliquando pro apparentibus, ut Matt. 5. v. 20. *Nisi abundauerit Justitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum*, & cap. 6. v. 1. *Attendite, ne Justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis*, ubi sumitur pro opere bono exteriore, & hæc in S. scriptura passim dicitur justitia legis, de qua Apostolus loquitur ad Rom. & ad Gal. sæpe, quam homines sine supernaturalis gratiæ auxilio faciunt, ex sola legis cognitione.

Demum *Justitia hominis vera est*, quâ homo verè & rectè ad Deum & homines ordinatur, ut coram Deo & hominibus justus sit; quæ ex gratia Dei habetur; ac ideo justitia Dei dicitur, & justitia fidei vocatur, quia fides est illius initium, de qua Apostolus loquitur Rom. 6. v. 19 *Nunc exhibete membra, servire Justitiæ in sanctificationem*. De utraque justitia legis & fidei dicit Philipp. 3. v. 9. *Non habens meam Justitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex Fide est Christi Jesu, quæ ex Deo est Justitia in Fide.*

Hæc autem justitia duplex est; una habitualis, quæ à Deo donatur, dum ex impio fit homo justus, & semper in illo manet, donec mortaliter peccet; à qua homo simpliciter justus nominatur, & per quam justificari dicitur, seu quam homo per justificationem accipit: Altera est *actualis*, scilicet actio quam homo vel ex gratia justificante, vel saltèm cum gratiæ actualis auxilio operatur; & quidem de justitia habituali potissimum agitur in materia de justificatione quænam illa sit & qualiter fiat.

ARTICULUS III.

De variis gratiæ Vsurpationibus.

Variæ etiam sunt in S. Scriptura *gratiæ* acceptiones; quæ tamen generaliter inde dicitur, quia gratis datur, prout loquitur D. August. in ps. 40. ad vers. 17. *A facie inimici & persequentis*, dicens: *Quid non ab eo gratis accepisti? merito & gratia nominatur, quia gratis datur*: & ideo gratia opponitur debito, ut ad Rom. 4. v. 4. *Ei autem qui operatur merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum*, & ideo cap. 3. v. 24. dixerat: *Justificati gratis per gratiam ipsius.* I.

Quamvis autem omnia, quæ à Deo dantur, gratis dari dici possint & debeant; quia Deus nihil ex simpliciter debito & necessitate facit, vel dedit; & ideo sicut creaturas ex sola voluntate fecit; sic omnia etiam, quæ creaturis donat, gratis donare merito dicitur; quia tamen aliqua sunt creaturæ, & præsertim hominis naturæ naturaliter convenientia; illa quidem beneficia & dona Dei sunt & dicuntur; & sic etiam nomine gratiæ veniunt; scriptura tamen communiter nomine gratiæ utitur, quando loquitur de his quæ hominis naturæ non conveniunt naturaliter, ad illam constituendam, vel conservandam in esse naturali; ac sic quodammodo debentur; sed quæ naturæ superadduntur, vel præstantur, ex speciali & supernaturali Dei benevolentia: specialiùs vero ea, quæ homini in peccato constituto ac indigno conferuntur per meritum Christi Domini, & sic Apostolus in epistolis passim utitur nomine gratiæ.

Primò igitur gratia hoc modo sumitur pro Dei speciali amore & favore, quo ab æterno electos dilexit: quæ est quasi gratia activa, de qua dicit Apostolus Ephes. 1. v. 5. *Qui prædestinauit nos in adoptionem Filiorum per Jesum Christum in ipsum secundùm propositum voluntatis suæ, & in laudem gloriæ gratiæ suæ.*

2. Sumitur pro gratia quasi passiva seu à Deo data, quæ multiplex assignari solet: ad propositum, primò sumitur pro gratia gratis data, tali, quæ est donum supernaturale sine ullo debito data à Deo homini proximè ad aliorum salutem; qualia sunt dona curationum, genera diversarum linguarum, interpretatio sermonum, &c. de quibus Apost. 1. Cor. 12. v. 5. dicit: *Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem spiritus*, quæ non constituunt hominem Deo gratum, unde Christus Matt. 7. v. 22. dicit: *Multi dicent mihi in illa die Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus, & tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos*, &c. II.

Alia est *gratia*, quæ datur à Deo proximè ad proprium cuiusque bonum & salutem; & hæc distinguitur in actualem & habitualem: Actualis gratia dicitur, omne auxilium Dei, quod supernaturaliter confert homini, ut possit eas operationes exercere, ad quas ex naturæ virtute non sufficit; & hoc auxilium distinguitur in *excitans*, sive *preueniens*, qua Deus hominis voluntatem ad bonum actum excitat; juxta illud Apoc 3. v. 20. *Ecce sto ad ostium & pulso*, &c. Similiter ps. 58. v. 11. dicitur: *Misericordia eius preueniet me.*

Aliud

Digitized by Google

Aliud dicitur auxilium ſeu *gratia adjuvans*, vel *cooperans*, de qua dicitur Pſ. 22. v. 6. & *miſericordia tua ſubſequetur me*. De utraque dicit Auguſt. lib. 2. de peccat. meritis & remiſſ. cap. 18. *Quod ad Deum nos convertimus, niſi ipſo excitante & adjuvante non poſſumus*, & lib. de gratia & lib. arb. c. 17. ait: *Ipſe ut velimus operatur incipiens, qui volenti cooperatur perficiens*, & paulò infrà: *Sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus*. Ideo Eccleſia Catholica ſic orat: *Actiones noſtras quæſumus Domine aſpirando præveni, & adjuvando proſequere*, &c. Similiter Dominicâ 16. poſt Pentecoſt. in collecta orat dicens: *Tua nos Domine gratia ſemper, & præveniat, & ſequatur*, &c.

III. Præter hanc gratiam actualem ſeu auxilium Dei, ad operationem concurrentem, quæ cum operatione quaſi tranſit, etiam datur gratia Dei *permanens* in homine; quâ homo Deo gratus fit ſemper, niſi in peccatum mortale relabatur, & quæ ad vitam æternam ordinatur. Hæc conſtat ex variis S. ſcripturæ locis, ubi dicitur, quod Dei amicis infundatur gratia per modum *unctionis*, *ſigilli*, *pignoris*, & *ſeminis*, quæ manent, ſic 2. Cor. 1. v. 22. dicitur: *Qui unxit nos Deus, qui & ſignavit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris*. Et 1. Joann. 2. v. 17. *Unctionem quam accepiſtis ab eo maneat in vobis*. Similiter cap. 3. v. 9. *Omnis*, inquit, *qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quia ſemen ejus manet in eo*.

Quod talis gratia in homine permanens à Deo infundatur SS. Patres juxta S. ſcripturam docuerunt, ſufficiat hic Auguſt. l. 1. de peccator. mer. & remiſſ. c. 9 ſic dicens: *Ille in quo omnes vivificabuntur, præterquam quod ſe ad Juſtitiam exemplum imitantibus præbet, dat etiam ſui ſpiritus occultiſſimam gratiam quam etiam latenter infundit & parvulis*, &c. quod ſanè intelligendum eſt de gratia habituali, cùm parvuli non ſint capaces operationum intellectualium; prout Auguſt. paſſim docet.

ARTICULUS IV.

Quæ dicatur gratia gratum faciens?

I. ETſi prædicta apud Doctores Catholicos certa ſint, in particulari tamen ſalvâ fide diſputant: quænam & qualis hæc ſit gratia habitualis gratum faciens; aliqui dicunt quod ſit donum ſeu lumen aliquod ſupernaturale à Deo infuſum, ipſi animæ immediatè inhærens, diſtinctum à *Fide*, *ſpe* & *charitate*, quæ in potentiis animæ proximè ſubjectantur; alii tamen, ut videtur probabilius docent; eſſe tria illa dona, ſcilicet *Fidem*, *ſpem* & *charitatem*, ac præcipuè *charitatem*, nam charitati S. ſcriptura expreſsè tribuit, quæ gratiæ gratum facienti tribuuntur: nam gratia eſt, per quam Spiritus Sanctus datur, & habitat in amicis Dei, & hæc eſt charitas ad Rom. 5. v. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis*. Iterum gratia eſt radix & perfectio virtutum, & hoc competit charitati Rom. 13. v. 10. *Plenitudo legis eſt dilectio*. Item 1. Cor. 13. v. 5. *Charitas patiens eſt, benigna eſt*, &c. *non cogitat malum*, &c. *omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet*, &c.

Rurſus gratia hæc eſt omnium Dei donorum maximum; talis eſt charitas 1. Cor. 13. v. 1. 2. & 3 ubi illam omnibus donis anteponit, & ad Coloſſ. 3. v. 14. *Super omnia hæc charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis*.

Iterum gratia conjungit hominem Deo; hoc facit charitas, ut patet 1 Joann. 4. v. 16. *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*; ad hoc ſpectat illud 1. Cor. 6. v. 17. *qui autem adhæret Domino, unus ſpiritus eſt*, quod maximè fit per charitatem, quæ conjungit.

Gratia hominem Dei amicum facit: id præſtat charitas, juxta illud Joann. 15. v. 14. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ præcipio vobis*; quod fit per charitatem, juxta illud Joann. 14. v. 22. *qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt qui diligit me*.

Gratia eſt quæ hominem regenerat, & juſtum facit; hoc facit charitas, cum Fide; juxta illud Gal. 5. v. 6. *Nam in Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed Fides quæ per dilectionem operatur*.

Gratia dividit inter filios regni & inter filios perditionis, ſic etiam charitas, ut ſupponit Auguſt. 15. Civ. c. 18. &c.

Cæterum, etſi à Doctoribus pluribus gratia & charitas eadem omnino virtus & habitus à Deo infuſus eſſe aſſeratur: diſtinguunt tamen illam juxta diverſos reſpectus; ita enim ait Scotus in 2. diſt. 26. q. unicâ n. 4. *Charitas dicitur, quâ habens eam habet Deum charum, ita quod reſpicit Deum non in ratione diligentis, ſed in ratione diligibilis; gratia autem eadem virtus dicitur, quâ Deus habet aliquem charum, ita quod ipſa reſpicit Deum acceptantem ſive diligentem non autem dilectum: non autem dicitur gratia quodcunque propter quod Deus diligit, quia tunc eſſentia divina in filio poſſet dici gratia, quia propter eam diligit filium; ſed eſt illud, propter quod Deus acceptat habens ut dignum beatitudine, dignitate, quæ eſt in correſpondentia meriti ad præmium; illud dicitur gratia; & ita aliquam imperfectionem includit, quod eſt gratia. quia talis dignitas aliquam imperfectionem ponit in digno, quia non eſt per ſe beatus*, &c. hæc Scotus: II. quæ ideo dicit, quia licèt etiam charitas, ut eſt in homine adhuc imperfectionem habeat, quia eſt quid creatum; tamen charitas per ſe abſolutè conſiderata, non involvit in ſuo conceptu imperfectionem, & ideo dicitur *perfectio ſimpliciter*; & juxta talem conceptum reperitur in Deo, quâ Deus ſeipſum diligit, & omnes perſonæ ſe invicem diligunt, & ſic *Deus dicitur charitas*. 1. Joann. 4. v. 16. non autem Deus dicitur gratia.

Hæc doctrina videtur ſatis conformis SS. Patribus ut patet ex Auguſtino lib. de nat. & grat. c. 70. ubi dicit: *Charitas inchoata, inchoata juſtitia eſt, charitas provecta, provecta juſtitia eſt, charitas magna, magna juſtitia eſt, charitas perfecta, perfecta juſtitia eſt*, &c. conſtat autem quod gratia juſtificans ſit ipſa juſtitia.

Eadem doctrina videtur à Conc. Trid. ut probabilior tradita ſeſſ. 6. cap. 7. ubi dicit: *In ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Jeſum Chriſtum, cui inſeritur, Fidem, ſpem, & charitatem*, &c. ubi videtur Concilium ſupponere; quod in his tribus conſiſtat gratia, quâ homo juſtificatur; ſi enim ab his planè diſtincta eſſet, utique exprimi debebat.

Nec obſtat, quod Conc. Vienienſe in clementinis, de ſumma Trin. & fide Catholica definierit; III.

Digitized by Google

quod in baptismo etiam parvulis infundatur gratia informans, & virtutes; & Concil. Trid. suprà cap. 7. dicat quod sanctificatio hominis fiat per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum, &c. ubi videtur gratiam à tribus donis distinguere, & Can. 11. dicit: *Si quis dixerit hominem justificari, &c. exclusa gratiâ & charitate, quæ in cordibus per Spiritum Sanctum diffundatur, anathema sit.* Nam illa Concilia solum definire voluerunt, id quod hæretici negant, scilicet gratiam esse donum à Deo datum animæ inhærens, &c non autem definire intenderunt, quod salvâ fide inter Doctores disputabatur.

Docent ergo Concilia, quod gratia, id est charitas, & virtutes, id est dona, fides, & spes detur, & licèt in Conc. Trid. can. 11. exprimatur gratia & charitas, non tamen ut distincta sint, cùm Concilium statim explicet dicens in singulari *quæ in cordibus per Spiritum S diffundatur*, alioquin dicendum erat, diffundantur.

Demum ostenditur ex Conc. Trid. sess. 6. c. 10. ubi sic ait: *Hoc vero justitiæ incrementum petit S. Ecclesia cum orat: Da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum*, ubi patet, quod per gratiam justificantem, vel justitiam intelligat tres illas virtutes, alioquin præter illas Ecclesia etiam ipsam gratiam distinctè petere deberet; quæ maximè necessaria est, si ab illis distinguatur.

Hæc obiter insinuanda duxi, quia Acatholici in his Doctores calumniantur, sed falsò: quæ autem cum Acatholicis de gratia justificante controversa sunt, infrà tractabuntur; nam etsi plerique illorum admittere cogantur, quod homini in justificatione virtutes prædictæ infundantur; tamen per has formaliter ipsum justificari negant, licèt illum sanctificari per virtutes dictas concedant, distinguentes inter justificationem & sanctificationem; sed valde subdolè & malè: ut patebit.

CAPUT II.

De Causis justificationis.

ARTICULUS I.

Referuntur errores antiquorum circa causas justificationis.

I. ALiqui tempore Apostolorum erant ex Græcis & Judæis, qui justificationem suam & vocationem ad fidem non attribuebant gratiæ Christi; sed Judæi attribuebant suis meritis, quia legem Moysi servassent, & ideo illis datam esse fidem; Græci econtra asserebant, se vocationem promeruisse ex operibus bonis moralibus, quæ naturæ viribus præstiterant, contra utrosque scripsit Apostolus in epist. ad Rom. & ad Gal.

Oppositus error erat etiam quorundam tempore Apostolorum, ut ait Aug. lib. de Fide & Operibus c. 14. *Qui asserebant ad obtinendam salutem sufficere solam fidem, non intellectis quibusdam sententiis obscuris Apostoli Pauli, hoc eum arbitrati sunt dicere*, &c. hæc August.

De Eunomio ait Aug. hær. 54. *Eunomius adeo bonis operibus fuit inimicus, ut asseveraret nil cuiq; obesse quorumlibet perpetrationem, perseverantiam peccatorum, si hujus quæ ab ipso docebatur fidei particeps esset.* Idem de eodem refert Hieron. ad cap. 4. Osee.

Jovinianus inter alios suos errores docebat: *Quod Justi post baptismum non possent peccare; & si forte peccent, eos quidem fuisse lotos aquâ, spiritum autem gratiæ minime recepisse.* ita refert Hieron. lib. 2. contra Jovin. & August. hæres. 82.

II. *Pelagius* tempore Hieronymi & Augustini exurgens inter alios errores docebat; quod homo sine speciali Dei gratia per naturæ vires seu per liberum arbitrium ad Fidem Christi venire justitiam, & salutem obtinere, & præcepta omnia servare possit; & cùm ipsi opponeretur dictum Apostoli, *Deus in nobis operatur & velle, & perficere*, respondebat, id eatenus fieri quod Deus dedisset nobis liberum arbitrium, & hoc vocabat gratiam: insuper Deus curaret nobis proponi legem & scripturas, & per eas operari, ut velimus; quas vel legimus, vel audimus, sed eis consentire ita nostrûm est, ut, si velimus fiat, si autem nolumus nihil in nobis operationem Dei valere faciamus; sic asserebat, quod liberum arbitrium sine ullis præcedentibus meritis natura hominis à Deo accepisset; Fidem vero & salutem per opera liberi arbitrii sine speciali Dei gratia consequatur; gratiam specialem solum à Deo dari, ut opera bona faceret, vel præcepta impleret, sine qua tamen omnia per liberum arbitrium facere posset, licèt difficilius, &c. ita refert Aug. epist. 106. & 107. ac lib. de hæres. cap. 88. & alibi sæpe; sicut & Hieron. in dial. contra Pelagianos: qui proinde negabant Christum pro nobis passum, sed tantum nobis in exemplum datum, ut ipsum imitemur, quam hæresim Acatholici mendacissimè Ecclesiæ Romanæ imponunt.

ARTICULUS II.

Referuntur errores Lutheri & sectatorum ejus circa causas justificationis.

LUtherus variis locis docuit, solam Fidem justificare, ut lib de Captiv Babil. ubi sic ait: *Vides quàm dives sit homo Christianus, sive baptizatus, qui etiam volens non potest perdere salutem, quantumcunq; peccatis, nisi nolit credere, nulla peccata eum damnare possunt, nisi sola incredulitas*, &c. I.

Item ad cap. 2. ad Gal. ait: *Sola Fides Christi necessaria est, ut justi simus, cætera omnia liberrima, neq; præcepta amplius, neq; prohibita*, &c. & infrà: *Quando sic docetur, Fides justificat quidem, sed simul oportet servare mandata Dei, quia scriptum est, si vis ad vitam ingredi, serva mandata, ibi Christus statim negatus est, & Fides abolita*, &c.

Lutherus iterum ad cap. 2. ad Gal. sic ait: *Fides sine & ante charitatem justificat.*

Rursus lib. de Votis monast. ait: *Opus non potest doceri, nisi lædas Fidem, cùm Fides & opera in re justi-*

Digitized by Google

juſtificationis extremè adverſentur, ita fit, ut doctrina operum neceſſario ſit doctrina dæmoniorum, &c. hæc Luther.

Demum omiſſis aliis locis to. 1. ſuorum operum propoſit. 5. ſic dicit: *Fides niſi ſit ſine ullis etiam minimis operibus, non juſtificat; imo non eſt Fides*, &c.

Cæterùm, ut hanc de ſola Fide doctrinam defenderet; docuit Fidem non eſſe nudum aſſenſum, quo verbum Dei credatur eſſe verum, ſed *eſſe fiduciam certam altiſſime animo inſidentem de divina bonitate & gratia per verbum Dei cognitam & manifeſtam*, ita ait in ſerm. Dom. 2. Quadrag.

Similiter Philipp. *Melanchton* in locis comm. loquitur dicens: *Quod Paulus, dum dicit, juſtificamur Fide, &c. ſignificat non tantum hiſtoriæ notitiam, ſed fiduciam miſericordiæ promiſſæ propter filium*, &c.

II. *Oſiander* in confutat. ſcripti, quod Melanchton contra ipſum ediderat, oſtendit, quod inter Lutheranos viginti diſcrepantes ſententiæ de juſtificatione numerentur: ipſe quidem Oſiander exiſtimans ſe genuinam ſententiam Lutheri tenere ex illius libris dicit, *quod formalis Juſtitia, qua homo juſtus eſt, & juſtificatur, ſit ipſa juſtitia Dei, qua ipſe Deus eſſentialiter juſtus eſt, & hominem inhabitat, & hanc ſolum acceptare Deum.*

Verùm alii Lutherani hanc Oſiandri doctrinam rejecerunt, & docent, quod totum opus, quod Chriſtus homo & Deus in una perſona mediator noſter pro toto genere humano præſtitit, ſit formalis juſtitia, quæ per Fidem apprehendatur, ita *Centuriat.* Magdeb. cent. 1. lib. 2. colum. 238.

Similiter *Theologi Lutherani Saxonici* in colloquio Altenburg. tam Ducis electoralis, quàm Ducis Saxonici; quorum hi *Lutherani rigidi* dicuntur; illi vero *molles*; licèt quoad opera diſcreparint, tamen concordanter fol. 3. definierunt, *Fidem juſtificantem; quod ſit fiducia in voluntate, & corde acquieſcens in mediatore Chriſto certò ſtatuens propter Chriſtum nobis Deum remittere peccata gratis, nosq; acceptare in filios, & hæredes vitæ æternæ*, &c.

Iterum dicunt Electorales; *Inter nos nulla eſt dubitatio, quin S. ſcriptura Juſtitiam Chriſti, per quam coram Deo juſtificamur, & qua juſti ſumus, paſſionem & obedientiam Chriſti appellet.*

Similiter Saxonici dicunt: *Obedientia & meritum Chriſti eſt res ipſa, quæ nobis imputatur; eſt Juſtitia ipſa, quæ nobis donatur, atq; adſcribitur*, &c. hæc illi.

ARTICULUS III.

Refertur ſententia Calvini & eius Sectatorum.

I. Calvinus, ut ſuam de ſola Fide juſtificante doctrinam ſtabiliret, lib. 3. Inſt. c. 2. de diverſis Fidei Acceptionibus prolixè diſſerit, & quidem §. 9. hæc indicat: *primum Fidem miraculorum, quâ quis credit Deum poſſe facere miracula; vel ipſemet donum faciendi miracula per fidem habeat. Secundum. Fidem hiſtoricam, qua quis credit Evangelicam hiſtoriam & alias ſcripturas eſſe veras*: & de his dicit §. 10. *quod indignæ ſint Fidei appellatione* §. 12. pronuntiat: quod *Fides vera ſit notitia divinæ erga nos benevolentiæ, & certa de eius veritate perſuaſio.* Similiter loquitur de pluribus Fidei acceptionibus §. 13.

Ex quibus patet, quod Calvinus velit Fidem eſſe certam notitiam, quam quisque in particulari haberet de ſua ſalute ob promiſſiones Dei; & hanc vocat *vivam Fidem.* Quamvis autem illam à ſpe diſtinguat; dicit tamen illam ſemper cum Fide hac coniunctam, ut pat. §. 42. ubi ſic ait: *Jam vero, ubicunq; viva erit hæc Fides, fieri non poterit, quin ſpem æternæ ſalutis ſecum habeat individuam.* Poſtea ad juſtificationem ipſam deſcendens cap. 11. §. 1. non vult, quod Fides ipſa per ſe in formando hominem juſtificet, quaſi ipſa Fides eſſet juſtitia; ſed quod per Fidem tanquam per inſtrumentum vel per manum Chriſti juſtitia à nobis apprehendatur Dei benignitate nobis data: ubi proſuo beneplacito §. 2. definit, quæ ſit juſtificatio coram Deo, ſeu quid Fide ſit juſtificari, vel juſtificari ex operibus, dicens: *Juſtificabitur ille Fide, qui operum Juſtitia excluſus Chriſti Juſtitiam per Fidem apprehendit, qua veſtitus in Dei conſpectu non ut peccator, ſed tanquam juſtus apparet; Ita nos Juſtificationem ſimpliciter interpretamur acceptionem, qua nos Deus in gratiam receptos pro juſtis habet, eamq; in peccatorum remiſſione, ac Juſtitiæ Chriſti imputatione poſitam eſſe dicimus*, &c.

III. Et iterum § 3. *Juſtificare itaq; nihil aliud eſt, quàm eum, qui reus agebatur, tanquam approbata innocentia à reatu abſolvere. Cùm itaq; nos Chriſti interceſſione juſtificet Deus, non propria innocentiæ approbatione, ſed Juſtitiæ imputatione, nos abſolvit: ut pro Juſtis in Chriſto cenſeamur, qui in nobis non ſumus*, &c.

Idem lib. 4. c. 17. §. 2. ſic ait: *Hinc ſequitur, ut nobis ſecure ſpondere audeamus, vitam æternam noſtram eſſe, cuius ipſe* (Chriſtus) *eſt hæres, nec regnum cælorum, quo jam ingreſſus eſt, poſſe magis nobis excidere, quàm ipſi*: rurſum, *peccatis noſtris non poſſe nos damnari; à quorum reatu nos abſolvit; quum ea ſibi imputari voluerit, ac ſi ſua eſſent*, &c. hæc ibi.

Sic etiam *Catechiſmus Heidelbergenſis* Germanicè Hannoniæ 1615. impreſſus profitetur primò de Fide, q. 21. ubi quæritur, *quæ eſt vera Fides?* & reſpondetur: *Non eſt tantum certa notitia, qua omne verum eſſe teneo, quod Deus in verbo ſuo nobis revelavit; ſed etiam cordialis Fiducia, quam Spiritus S. per Evangelium in me operatur, quod non ſolum aliis, ſed etiam mihi remiſſio peccatorum, æterna Juſtitia, & beatitudo à Deo donata ſit ex mera gratia tantùm propter merita Chriſti*, &c.

IIII. Similiter q. 60. quæritur, *quomodo es juſtus coram Deo?* reſpondetur, *tantum per veram Fidem in Jeſum Chriſtum; ita ut, licet contra omnia præcepta Dei peccaverim, & adhuc ad omne malum inclinatus ſim, Deus ſine ullis meis meritis ex mera gratia plenam mihi ſatisfactionem Juſtitiam & gloriam Chriſti donet, & imputet: ac ſi nunquam peccaſſem, & ipſemet omnem obedientiam præſtitiſſem, quam Chriſtus pro me præſtitit, ſi tantummodo tale beneficium fideli corde apprehendam*, &c.

Iterum q. 61. *Quare dicis, quod per Fidem tantum juſtus ſis?* Reſpondetur: *Non quod ob dignitatem Fidei Deo placeam: ſed ideo, quia Chriſti Juſtitia tantum coram Deo mea eſt Juſtitia, & illam non aliter, quàm per Fidem apprehendere, & mihi appropriare poſſum.*

IV. Ex his patet, quod prætenſi Reformati nullum in homine juſto agnoſcant donum à Deo datum; quo formaliter coram Deo verè juſtus ſit, vel dicatur; nihilominus authoritate S. ſcripturæ & SS. Patrum coacti fatentur, quod homini in juſtificatione dona à Deo conferantur, quibus etiam ſanctificetur, & renovetur; & quæ etiã inhærens juſti-

Digitized by Google

justitia dicatur, & à quibus etiam justus nominetur, sed dicunt hanc non esse propriè justitiam, quâ homo coram Deo justus fit, sed illam esse solam justitiam Christo intrinsecam, & homini à Deo extrinsecè imputatam, & per fidem apprehensam; dona autem inhærentia solum infallibiliter illam comitari, & ideo distinguunt; ut justificationem propriè dictam velint illam esse, quâ justitia Christi imputatur; verum collationem donorum inhærentium vocant sanctificationem. Ita Calv. lib. de vera Ecclesiæ reformat. pag. 363. dicens: *Etsi enim nunquam reconciliamur Deo, quin simul donemur inhærente Justitia, distingui tamen debent, quæ separari nequeunt.*

Similiter loqui ur l. 3. Inst. c. 11. § 6. dicens: *Sicut non potest discerpi Christus in partes, ita inseparabilia hæc duo quæ simul & conjunctim in ipso percipimus Justitiam, & sanctificationem; & verum si solis claritas non potest à calore separari, an ideo dicemus luce calefieri terram, calore vero illustrari,* &c. ubi dicit quod similiter reconciliatio justificati cum sanctificatione sit conjuncta, & tamen distincta habeant officia, &c.

V. Similiter Petrus Martyr loc. commun. class. 3. c. 2. §. 33. ait: *Exponitur deinde quod duplicem Justitiam habere dicamur; unam inquam à Deo nobis imputatam, qua revera justificamur, & eam ex operibus nostris non obtinemus, verum Fide apprehendimus; altera vero Justitia est, quæ nobis inhæret, constatq; Fide, spe, & charitate, omnibusq; bonis operibus*: similiter alii loquuntur.

VI. Hæc ita videntur dici, ut solùm de nomine videretur esse quæstio; ita ut Acatholici fateantur remitti peccata in justificatione, & merita Christi applicari; ac etiam fidem, spem, & charitatem simul infundi; adeoque solum videretur quæstio, quæ inter hæc dicenda sit justitia, quâ homo propriè justificetur, verum in re est magna differentia & quidem præter alia infrà dicenda, hæc est, quod Acatholici nomine tenus illas tres virtutes infusas vocent sanctitatem, justitiam, &c. sed in re dicunt illas esse vitiosas & maculatas; & quod ideo coram Dei tribunali talis justitia non subsistat, nec vera sit: imo quod coram stricto Dei Judicio talis Justitia damnabilis sit; prout ex prædictis constat: & licèt moderni Acatholici variis modis loquantur; tamen ad hoc ultimatè descendunt, ut ex diversis illorum authoribus constat.

Hoc etiam inde patet; quia, licèt Acatholici dicant, charitatem & bona opera semper comitari fidem justificantem, tamen asserunt bona opera in se non esse bona, sed mala coram Dei Judicio. Ita Calv. lib. 3. Inst. c. 12. §. 4. dicens: *Qui autem serio tanquam sub Dei conspectu de vera Justitiæ regulam quærent, illi certo comperient omnia hominum opera, si sua dignitate censeantur, nihil nisi inquinamenta esse & sordes; & quæ Justitia vulgo habetur eam apud Deum meram esse iniquitatem, quæ integritas pollutionem,* &c. hæc ibi.

VII. Imo de ipsa sanctificatione & regeneratione, quæ per infusa dona fit, Calvinus idem docet ibid. c. 11. § 11. dicens: *Tenendum memoria est, quod jam dixi, non separari justificandi gratiam à regeneratione, licet res sint distinctæ sed quia experientia plus satis notum est, manere semper in justis reliquias peccati, necesse est longe aliter justificari quàm reformantur in vitæ novitatem. Nam hoc secundum sic inchoat Deus in electis suis, totoq; vitæ curriculo paulatim & interdum lente in eo progreditur, ut semper obnoxii sint apud tribunal mortis Judicio,* &c. hæc ille. Ecce qualis regeneratio & renovatio; aut sanctificatio quod reliquiæ peccatorum maneant, quod de peccatis mortalibus intelligatur, ut patet; quia dicit, quod mortis Judicio obnoxii sint, falsissimum est; si de peccatis venialibus, nihil ad rem, ut suo loco dicetur: nec Calvinus ulla peccata venialia agnoscit, sed omnia esse mortalia asserit.

Licèt autem aliqui Acatholici hæc non ita exprimant; nihilominus in re idem docent, dum ideo negant cum Calvino hominem per Justitiam inhærentem verè justum esse, quia illa justitia coram Dei tribunali non subsistit, ut justitia; quod dicere non possent, nisi illam dicant coram Deo esse vitium vel injustitiam & damnabilem; ac opera bona per illam præstita esse peccata: quod etiam ex eo patet, quia volunt, quod peccata non deleantur, sed tegantur: & remissio peccatorum illa fit, quando licèt peccata in homine maneant, Deus tamen illi ista non imputet, sed pronuntiet hominem esse liberum à reatu pœnæ, quam peccator incurrit: certè nimis absurdum, imo impium est dicere; quod dona illa à solo Deo infusa, sint in se maculosa, & vitiosa, ac damnabilia. VIII.

ARTICULUS IV.

Proponitur sententia Ecclesiæ Catholicæ de causis justificationis.

SVpponitur quod hic agatur de prima Iustificatione, quâ homo peccator iustificatur, seu ex impio peccatore & inimico Dei fit iustus & amicus Dei. Hanc Conc. Trid. sess. c. 4. sic describit: *Est translatio ab eo statu in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Iesum Christum Salvatorem nostrum*; & hoc quidem quoad quoscunque parvulos & adultos in peccato originali; quoad adultos peccatis propriis obnoxios, asserit idem Concil. ibid. c. 7. dicens: *Iustificatio non est sola peccatorum remissio, sed sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum; unde homo ex injusto fit justus, & ex inimico amicus; ut sit hæres secundùm spem vitæ æternæ.* I.

Cùm autem hæc sanctificatio sit vera actio, qua homo verè justus & amicus seu filius Dei efficitur: etiam causæ illius sunt: scilicet *finalis*, ob quem finem iustus fiat: *efficiens*, quis iustum efficiat, *materialis* subiectum, quod iustum efficitur, & *formalis*, scilicet forma quæ efficitur in subiecto, à quo subiectum fiat, & nuncupatur iustum, & de his sic ait Concilium: *Finalis hujus justificationis causa est gloria Dei & Christi, ac vita æterna.* Hæc evidentia sunt, nec ab ullo negari possunt: nam quoad *gloriam Dei* patet, quia Deus omnia primario facit ad suam gloriam, multo magis justificationem; ut constat ex illo Isai. c. 43. v. 7. *Et omnis, qui invocat nomen meum, in gloriam creavi illum.* Quoad gloriam Christi patet ex illo ad Hebr. 2. v. 10. *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat authorem salutis eorum per passionem consummare,* &c.

Quod

Quod *vita æterna* justificati etiam sit finis, constat ex illo 1. Pet. 1. v. 9. *Reportantes Finem Fidei vestræ salutem animarum*, &c.

Efficiens primaria justificationis causa est ipse misericors Deus, ut ait Concilium; & patet ex illo Job. 14. v. 4. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?*

Constat etiam quod remissio peccatorum, vel absolutio à peccatis à solo Deo fieri possint; nemo enim ab offensa Dei absolvere, vel delicta per peccata in Deum contracta remittere potest, nisi ipse Deus principaliter, vel alius ex ipsius commissione.

Justitia etiam seu gratia gratum faciens, quæ homini infunditur, à solo Deo creari potest; & quod aliquis ex inimico amicus Dei efficiatur, etiam à solo Deo præstari potest.

Alia est *causa meritoria*, quæ ad efficientem reducitur, quæ scilicet mereatur & impetret à Deo, ut justum faciat ex injusto, & hæc causa respectu justificationis, ut ait Concil. ibid *est dilectissimus unigenitus Dominus noster Iesus Christus, qui cum essemus inimici*, &c. *sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit.*

III. Hoc etiam evidens, & certum est, ut patet ex illo Isaiæ 53. v. 10. *Si posuerit pro peccato animam suam*, &c. v. 11. *justificabit ipse justus servus meus & iniquitates eorum ipse portabit*, &c. & 1. Pet. 1. v. 18 *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis*, &c *sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi*, & 1. Joann. 2. v. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*, &c. similiter ad Rom. 3. v. 24. *justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per Fidem in sanguine ipsius*, &c. ubi Apostolus duo dicit; quod & gratis justificemur, & per redemptionem Christi; quæ viderentur contraria, si enim per merita Christi, non gratis, &c.

Ad hoc respondet *Scotus* in 4. d. 2. n. 11. dicens: *Intellectus Apostoli est, quod gratia non habeat causam meritoriam de condigno in illo, cui confertur*, &c. *bene tamen causam meritoriam de condigno extrinsecam, maxime si illa causa meritoria extrinseca gratuite sit data illi, pro quo est causa meritoria, ut sit illi talis causa. Et si objicis, gratia data pro tali causa condigna non est gratia quia aliquibus meritis est debita etsi non meritis recipientis; posset dici, quod in universis operibus Dei non fuit aliquod opus mere gratia, nisi sola incarnatio Filii Dei*, &c. & ideo n. 7 & 8. ostendit, qualiter in collatione gratiæ homini factæ concurrat misericordia & justitia dicens; *Misericordia Dei maxima est opus, quod talia remedia homini contulerit, maxima etiam Iustitia est, quod propter obsequium tam gratum, persona tam dilecta, scilicet Christi, conferat remedium illis pro quibus illa persona obtulit illud obsequium, scilicet, quod se usq; ad mortem crucis obtulerit pro Iustitia*, &c. hæc Scotus.

IV. Demum *causa instrumentaria*, quâ Deus efficiens ex suo beneplacito utitur, *est Sacramentum Baptismi, quod est Sacramentum Fidei, sine qua nulli unquam contigit sanctificatio*; & ideo dicitur universale, quasi instrumentum justificationis, omnes concernens, de hoc loquitur Apostolus ad Tit. 3. v. 5 *Secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*, &c. idem etiam intelligitur de verbo Dei & Sacramento pœnitentiæ & illorum ministris, quæ sunt particulares causæ instrumentales, quia non ad parvulos, sed ad adultos pertinet. De verbo Dei dicitur Jacobi 1. v. 18. *Voluntarie nos genuit verbo veritatis.* Sic de ministris verbi Dei dicitur 1. Cor. 6. v. 4. *Quid igitur est Apollo, quid vero Paulus? Ministri eius, cui credidistis*, & v. 9. *Coadjutores Dei sumus* De Ministris pœnitentiæ Joann. 20. v. 22. *Quorum remiseritis peccata remittentur eis*, & hæc clara sunt ex S. Scriptura. Sed quod fides particularis ab Acatholicis ficta sit instrumentalis causa justificans, quasi per eam homo peccator justitiam Christi sibi infallibiliter applicet, ex S Scriptura non habent, ut patebit quæ autem fides, & qualiter justificet, ostendetur.

V. Cùm etiam Justificatio vel Justitia, quæ per Justificationem homini confertur, non sit substantia; sed accidens: cùm possit adesse, & abesse homini, oportet: ut etiam causam habeat materialem seu subjectum; hoc autem est ipse homo, qui accipit Justitiam vel justificatur, & dicitur justus; proximum vero subjectum est, anima hominis sive immediatè sive mediantibus potentiis, quia Justitia est quid spirituale, & ideo in anima vel potentiis proximè inhæret; à qua tamen totus homo denominatur, sicut à visione in oculo totus homo videns est, & nominatur; de proximo subjecto est quæstio scholastica ad fidem non pertinens.

Ad hanc *causam materialem* pertinent dispositiones præviæ ad justificationem; nam sicut in naturalibus mutationibus requiruntur dispositiones in subjecto, ut v. g. ad introducendam formam ignis in materiam ligni, prærequiruntur calor, siccitas, &c. quæ non efficiunt ignem, sed requiruntur in ligno, ut disponatur materia ad recipiendam formam ignis; sic etiam in moralibus actionibus dispositiones requiruntur: & sic in proposito ex voluntate Dei ad hoc, ut homo adultus ex impio fiat justus, vel justificetur, requiruntur certæ præviæ dispositiones, quæ non causant justificationem, sed hominem ad illam disponunt: tales autem dispositiones potissimum sunt sex, quas Concil. Trid sess. 6. c. 6. ex S. Scriptura specificat: scilicet actus *Fidei, timoris, spei, dilectionis, pœnitentiæ & propositi novæ vitæ*, sic dicens de peccatoribus adultis: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia & adjuti fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata & promissa sunt, atq; illud imprimis à Deo justificari impium per gratiam ejus per redemptionem, quæ est in Christo Iesu* (ecce fidem) *& dum peccatores se esse intelligentes à divinæ Iustitiæ timore, quo utiliter concutiuntur* (ecce timorem) *ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore* (ecce spem) *illumq; tanquam omnis Iustitiæ fontem diligere incipiunt* (ecce dilectionem) *ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est per eam pœnitentiam, quam ante baptisma agi oportet. Denique, dum proponunt inchoare novam vitam* VI.
& servare divina mandata, &c. *Docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis* Matth. 28. v. 20.

Demum *Iustificationis causa formalis* est, quæ scilicet homini à Deo per merita Christi donatur, à qua formaliter constituitur justus & nominatur,

Digitized by Google

tur, sicut in naturalibus, v.g. dum ex frigido homo fit calidus, calor est formalis causa calefactionis ab agente introductus, à quo formaliter constituitur in esse calidi, & calidus nominatur. De hac sic definit Concil. Trid. suprà cap. 7. dicens: *Demum unica formalis causa* (justificationis) *est Iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati renouamur spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed verè Iusti nominamur, & sumus, Iustitiam in nobis recipientes*, &c. hæc Concil.

VII. Præter has causas etiam assignari solet *causa exemplaris*, scilicet illa Justitia, ad quam velut exemplar Deus justitiam in homine creat, vel ad cuius similitudinem & imaginem Deus hominem iustum efficit. Sicut Deus hominem secundùm naturam *creauit ad imaginem & similitudinem suam* Gen. 1. v. 27. sic in spirituali hominis renovatione & regeneratione Deus ad imaginem & similitudinem Christi Justitiæ hominem iustum efficit juxta illud ad Rom. 8. v. 29. *Nam quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primo genitus in multis fratribus.* An autem hæc hæc causa exemplaris ad causam formalem, an ad efficientem sit referenda, disputatur. Volunt aliqui quod ad causam formalem, sed vocant formalem extrinsecam, verùm Scotus 1. dist. 36. n. 5. de causa exemplari in generali sic ait: *Causa exemplaris non est, nisi quoddam efficiens per intellectum, efficiens enim diuiditur in efficiens per intellectum, & efficiens per naturam secundum Philosoph. 2. Physicor. sicut igitur naturaliter producens, non est alia causa ab efficiente, ita nec exemplaris vel exemplariter producens est alia causa ab efficiente per intellectum*, &c. parum tamen refert, utrum horum dicatur, licèt conformius, ut videtur ad Concilii verba, refertur ad causam efficientem, quia unicam causam formalem iustificationis ponit inhærentem iustitiam, quæ ad imitationem iustitiæ Christi à Deo efficitur. Hæc est doctrina Fidei Ecclesiæ Catholicæ, in qua omnes Catholici consentiunt.

ARTICULUS V.

Proponitur status controversiæ inter Ecclesiam Catholicam & Acatholicos quoad causas iustificationis.

I. QUoad *causam efficientem* scilicet Deum misericordem, & *meritoriam* scilicet Christum passum, Acatholici cum Ecclesia consentiunt.

Quoad *formalem* vero & *materialem* dissentiunt, cùm ipsi formalem causam assignent vel justitiam Dei essentialem infinitam, quâ iustus est; vel Christum passum, aut iustitiam Christi, quâ ipse iustus est, ut art. 2. ostensum est; ac proinde Christo inhæret, ut subiecto, sed homini extrinsecè imputatur, prout paries denominatur extrinsecè visus à visione in oculo hominis.

Ecclesia autem credit, quod iustitia Christi seu passio eius sit causa iustificationis meritoria, eaque sola, sed non formalis; eo quod Deus nouam iustitiam homini infundat ad similitudinem iustitiæ Christi; ita ut, sicut Christus propriâ suâ inhærente iustitiâ creatâ perfectissimâ sibi infusâ, perfectissimè formaliter iustus est & dicitur: non verò Iustitiâ infinitâ Deo essentiali increatâ, licèt à Deo gratis in humanitate illius productâ & infusa sit; ita credit Ecclesia quod Deus similem iustitiam, sed longè minorem ad similitudinem iustitiæ Christi homini infundat propter merita Christi, à qua homo formaliter fit & dicatur iustus, sicut etiam Deus homini propriam finitam naturam indidit, quâ formaliter est & dicitur homo, ad imaginem divinæ naturæ in infinitum perfectioris: & hæc infrà probabuntur.

II. Rursus quoad dispositiones ad iustificationem requisitas Acatholici ab Ecclesia diffidentes, nam, licèt videantur admittere omnes sex dispositiones præcedenti art. recitatas, & ex S. Scriptura probatas, aliter tamen de his docent contra S. Scripturam.

Caluinus quidem lib. 3. Inst. cap. 3. §. 1. fatetur, quod cum fide debeat esse pœnitentia, timor Domini & Fiducia, &c. ipse tamen vult primò, quod sola Fides iustificet, & illam statim necessariò sequantur, pœnitentia, timor, Fiducia, & ex Fide nascantur.

2. vult quod Fides iustificans nunquam inveniatur sine vitæ sanctitate & aliis dictis.

3. Vult, quod non Fides universalis iustificet, sed quædam particularis, quâ homo in particulari certò & infallibiliter credat sibi remissa esse peccata sibi applicatam & imputatam iustitiam Christi, seque esse Filium & hæredem regni cœlestis. 4. vult, quod illa Fides non sit dispositio, vel aliquod prævium ad iustificationem, nec sit opus aliquod per se alicuius pretii, vel quod etiam particulariter disponat, vel aliqualiter impetret iustitiam, sed sit purum instrumentum, quo homo immediatè apprehendat iustitiam Christi, sicut manus quâ homo à divite accipit aurum.

III. Idem Calvinus lib. 3. Inst. cap. 11. §. 2. respondens Osiandro sic ait: *Quod obijcit vim justificandi non inesse Fidei ex seipsa, sed quatenus Christum recipit, libenter admitto*, &c. & infrà: *Fidem quasi vasi conferimus*, &c. *neq; enim diuersa est ratio, quum Fides etiam nullius per se dignitatis sit vel pretii, nos justificet Christum afferendo, sicut olla pecuniis referta hominem locupletat*, &c. *inscite ergo Fidem, qua instrumentum est duntaxat percipiendæ justitiæ dicis misceri cum Christo*, &c. hæc ibi.

Ecclesia autem Catholica docet primò quod in adultis Deus prærequirat sex illas dispositiones, quas homo per gratiam Dei specialem supernaturalem adiutus exercere debet, antequam Deus illum iustificet. 2. quod illæ dispositiones non mereantur justificationem, tamen Deo gratæ sint, & placeant, ita vero, ut Deus non ex debito sed gratis propter merita Christi iustitiam & gratiam infundat, ac peccata dimittat. 3. quod illæ dispositiones ob dictam causam dicuntur hominem iustificare, scilicet dispositivè, non efficienter, nec meritoriè. 4. quod Fides inter illas dispositiones sit quasi prima & fundamentum & radix necessariò requisita prævia ad iustificationem, & ideo per Fidem iustificari dicamur, ut ait Concilium suprà c. 8. 5. quod fides illa sic requisita non sit illa particularis ab Acatholicis assignata, sed illa, quâ homo credit vera esse, quæ Deus revelavit, & promisit; atque illud imprimis, quod *impius à Deo justificetur per gratiam eius per redemptionem eius, quæ est in Christo Iesu*, ut præced. art. dictum est. 6. quod fides illa actualis prærequisita & iustificans dicta possit esse sine aliis dispositionibus, & sine vitæ sanctitate, imo etiã fides in iustificatione infusa postea sine operibus & charitate manere possit, & tunc nõ iustificet.

7. de:

7. demum quod habitus fidei, spei & charitatis propter merita Christi à Deo infusi non sint nudum instrumentum, vel nuda olla, sed ipsa formalis justitia, quâ homo formaliter coram Deo sit justus.

Plurima circa hæc à Doctoribus tam Catholicis, quàm ab Acatholicis tractantur, in quib. partim conveniunt partim discrepant, & plura non ad fidem ipsam, sed ad scholasticam doctrinam spectare videntur: ego hîc illa solùm, quantum ad præsens institutum pertinere visum fuerit, tangere & probare conabor, quæ sunt fidei Catholicæ, ut illa, quæ ab Ecclesia de fide certa docentur S. Scripturæ & SS. Patribus conformia esse constent; Acatholicorum autem doctrina huic contraria falsa ostendatur.

CAPUT III.

De Fide & Operibus ad justificationem requisitis.

ARTICULUS I.

Ostenditur quod nulla opera qualiacunque ex solis naturæ viribus facta ad fidem sufficiant, nec ad justificationem disponant, multo minus illam mereantur.

I. Quamvis in hac propositione Acatholici cum Ecclesia Catholica consentiant; quia tamen ipsi Ecclesiæ contrarium vulgò imponunt, illam hîc ostendam.

Ad quod sciendum, quod *Pelagius* ut suprà cap. 2. art. 1. ex D. Augustino ostensum est, inter alia docebat: quod homo cui verbum Dei proponitur, per nudum liberum arbitrium sine speciali Dei gratia credere possit, & opera bona præstare, ut justus sit, & vitam æternam possideat. Contra hoc Concil. Trid. sess. 6. can. 3. sic statuit: *Si quis dixerit sine preveniente Spiritus Sancti inspiratione atq; ejus adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet; ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.*

Ita olim ab Ecclesia fuit etiam definitum: nam Pelagius in Palæstina suam hæresim primitus evulgans coram Concilio con... ctus esset (ut scribit Augustinus epist. 106. 2. fol. à fine) *& obiectaslli essent quædam, quæ nisi remota omni tergiversatione anathematizasset, ipse anathematizatus esset;* inter alia obiecta eum ... rat: *Gratiam Dei atq; adiutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, & gratiam Dei secundum merita nostra dari,* &c. hæc Augustinus. Ipse tamen Pelagius sic coactus nihilo melior factus, virus suum spargere non cessavit.

II. Eodem tempore, cùm errores Pelagii in Africa innotuissent, in duobus Conciliis damnati fuerunt, ut statim dicetur.

Quia vero in Gallis quidam aliquibus Pelagii erroribus adhærebant, unde *semi Pelagiani* dicti sunt, inter alia dicentes; quod *homo sine speciali Dei gratia ad Fidem venire, & vere credere posset,* in Concilio Arausicano damnati sunt, ubi Can. 3. definitur, quod *nemo sine gratia possit invocare gratiam* & can. 4 *Quod per gratiam fiat, non solùm ut purgemur, sed etiam ut purgari velimus.* Iterum can. 5. sic definitur: *Si quis sicut augmentum, ita etiam initium Fidei non per gratiæ donum nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur.* Et can. 7. *Si quis per naturæ vigorem euangelizanti, prædicatori consentire posse confirmat absq; illuminatione Spiritus Sancti,* &c. Iterum ibid. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet æternæ vitæ cogitare aut eligere posse confirmat,* &c. *hæretico fallitur spiritu.*

III. Demum can. 14. definitur: nullum miserum de quacunque miseria liberari, nisi gratiâ præventum, &c. hæc in illo Concilio.

Sententiam horum Conciliorum Pontifices Romani tunc temporis confirmarunt, & quidem de *Innocentio* testatur *Augustinus* epist. 106. circa initium sic dicens: *Missæ sunt itaq; de hac re ex duobus Conciliis Carthaginensi & Mileuitano relationes ad Apostolicam sedem,* &c. *scripsimus etiam ad beatæ memoriæ Papam Innocentium,* &c. *ad omnia nobis ille rescripsit eodem modo, quo fas erat, atque oportebat Apostolicæ sedis antistitem,* &c. hæc Augustinus.

Hæc veritas ex S. Scriptura patet, ex qua SS. Patres illam probarunt, præsertim ex illo Matth. 11. v. 27. *Nemo nouit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis nouit, nisi Filius & cui voluerit Filius revelare.*

Nec potest ad hoc responderi, quod Filius revelet per exteriorem Euangelii prædicationem, & tunc homo absque interna gratia spirituali credere possit.

IV. Contra hoc est illud Joann. 6. v. 29. *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille,* & clariùs v. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum,* &c. atqui constat, quod venire ad Christum nihil aliud sit, quàm credere in ipsum, prout Christus ibidem explicat dicens v. 65. *Sunt quidam ex vobis, qui non credunt,* &c. *propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo,* &c. ubi trahi à Patre explicat etiam per datum vel dari à Patre ex speciali gratia: Similiter explicat ibid. v. 46 dicens: *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* Item Joann. 15. v. 5. *Sine me nihil potestis facere.*

Constat autem ex Euangelio, & præsertim ex illo Matth. 11. v. 21. ubi Christus dicit: *Væ tibi Corazain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent,* &c. & alibi passim. Constat, inquam, quod Christus Scribis & Pharisæis Euangelium prædicârit, & miracula coram illis fecerit, ubi quidem illi culpabiles erant, quod non crediderint, ne tamen alii credentes suis naturæ viribus tribuerent, quod ipsi Christo credidissent, ibid. Matth. 11. v. 25. subjungit: *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus,* &c. *& nemo nouit Filium,* &c. ut supra: Similiter Joann. 12. v. 38. dicitur; *ut sermo Isaiæ*

Digitized by Google

Iſaia impleretur, quem dixit: Domine quis credidit auditui noſtro, & propterea non poterant credere quia iterum dixit Iſaias excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde. Conſtat autem quod Deus illos excæcare dicatur, quibus ob illorum demerita non dat ſpecialem gratiam, quâ adjuti credere poſſint, quod verum non eſſet, ſi homo ex naturæ viribus audito Euangelio credere poſſet abſque tali gratia.

V. Hæc veritas clariſſimè ab Apoſtolo paſſim tradita eſt, ut Rom. 11. v. 35. *Quis prior dedit ei, & retribuetur ei,* &c. ubi planè tam Fides, quàm omnia ad gratiam ſpectantia à puris naturæ viribus excipiuntur. Item cap. 12. v. 3. *Vnicuiq; ſicut Deus diuiſit menſuram ſpiritus.* Similiter in generali 1. Cor. 4. v. 7. *Quid autem habes, quod non accepiſti.* Et 1. Cor. 12. v. 3. *Nemo poteſt dicere Dominus Ieſus, niſi in Spiritu Sancto,* & v. 6. *Idem Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Iterum 2. Cor. 3. v. 5. *Non quod ſimus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Rurſus epiſt. 2. v. 8. *Gratia enim ſaluati eſtis per Fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt.* Demum Philipp. 1. v. 6. *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet uſq; in diem Chriſti Ieſu,* &c. & v. 29. *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut in eum credatis, ſed etiam ut pro illo patiamini,* &c.

Hæc veritas cùm à Conciliis & SS. Patribus, ex S. Scriptura tam clarè docta ſit, non opus habet ſpecialibus Patrum teſtimoniis, non nulla tamen ex S. Auguſtino adducentur.

VI. Ille itaq; lib. 1. de Gratia & libero Arbitrio, cùm cap. 4. edit. Baſil. 1528. dixiſſet: *Sed metuendum eſt, ne iſta omnia diuina teſtimonia in defenſione liberi arbitrii ſic intelligantur, ut ad vitam piam & bonam conuerſationem, cui merces æterna debetur, adjutorio & gratiæ Dei locus non relinquatur,* &c. *talis eſt hæreſis Pelagianorum.* Poſtea cap. 5. ſic ait: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, unum horum videtur eſſe noſtra voluntatis, alterum vero ipſius gratia,* &c. *ubi poſſent putare Pelagiani, ſuam obtinere ſententiam, quâ dicunt, gratiam ſecundùm merita noſtra dari,* &c. & infrà: *Nec attendunt, qui hoc ſentiunt, quia niſi donum Dei eſſet, etiam ipſa ad Deum noſtra conuerſio non ei diceretur.* Pſ. 79. & 84. *Conuerte nos Deus,* &c. *laborant quantum poſſunt oſtendere gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari, hoc eſt gratiam non eſſe gratiam,* &c. *meritum quidem fuit in Apoſtolo Paulo, ſed malum, quando perſequebatur Eccleſiam Dei; unde dicit.* 1. Cor. 15. *Gratia Dei ſum, quod ſum,* & infrà: *ut autem de cœlo vocaretur & tam magna & efficaciſſima vocatione conuerteretur, gratia Dei erat ſola: quia merita ejus erant magna, ſed mala.* Hæc ibi.

Iterum cap. 8. eâd. edit. *Quomodo ergo non ex operibus? non ex operibus dictum, tanquam tuis ex te ipſo exiſtentibus, ſed tanquam his, in quibus te Deus finxit, id eſt, formauit, & creauit.* Epheſ. 2. *Non illa creatione, quâ homines facti ſumus, ſed ea de qua ille dicebat* pſ. 50. *Cor mundum crea in me Deus,* &c.

VII. Idem lib. 3. contra 2. epiſt. Pelagiani cap. 3. eâd. edit. ſic ait: *Putant ſe arbitrii ſui viribus implere legem iubentem, & iſta implicati ſuperbia ad gratiam non conuertuntur iuuantem.* Et infrà: *Quod planius & breuius ita dici poteſt, iuſtitiam Dei non impleri, cum lex iubet, & homo quaſi viribus ſuis facit, ſed cùm Spiritus adiuuat, & hominis non libera, ſed Dei gratia liberata voluntas facit,* &c. hæc Aug. de operibus poſt gratiam acceptam factis: ubi tam Pelagiani, quàm Acatholici moderni confunduntur, qui liberum arbitrium negant.

Iterum quoad Fidem lib. 1. de prædeſtinat. SS. cap. 2. edit. Baſil. 1528. Sic ait: *Prius itaq; Fidem, quâ Chriſtiani ſumus, donum Dei eſſe debemus oſtendere.* Vbi allegat verba Apoſt. Rom. 11. & Philipp. 1. ſuprà allata & ſubjungit dicens: *Vtrumq; oſtendit Dei donum, quia utriq; dixit eſſe donatum; nec ait, ut pleniùs & perfectiùs credatis in eum, ſed, ut credatis in eum; nec ſeipſum miſericordiam conſecutum dixit, ut fidelior; ſed ut fidelis eſſet: quia ſciebat non ſe initium Fidei ſuæ dediſſe Deo, & retributum ſibi ab illo ejus augmentum, ſed ab eo ſe factum fidelem,* &c. & infrà: *Et ideo commendans illam gratiam, quæ non datur ſecundum aliqua merita, ſed efficit omnia bona merita, non quia idonei ſumus, inquit cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* 2. Cor. 3. *Attendant hic & verba iſta perpendant, qui putant ex nobis eſſe Fidei cœptum, & ex Deo eſſe Fidei ſupplementum; quis enim non videat prius eſſe cogitare, quàm credere.* Et infrà: *Si non ſumus idonei cogitare aliquid quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, profectò non ſumus idonei credere quaſi ex nobiſmetipſis, quod ſine cogitatione non poſſumus, ſed ſufficientia noſtra, quâ credere incipimus, ex Deo eſt,* &c. hæc ibi.

Vbi cap. 3. eâd. edit. pius & ſincerus Doctor agnoſcit ſuum errorem, in quo ante Epiſcopatum fuerat, allegans verba Apoſtoli 2. Cor. 4. ſcilicet: *Quid autem habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* &c. dicit: *Quo præcipuo teſtimonio conuictus ſum cum ſimiliter errarem putans Fidem quâ in Deum credimus non eſſe donum Dei; ſed à nobis eſſe in nobis, & per illam nos impetrare dona Dei, quibus pie viuamus: quem meum errorem nonnulla opuſcula indicant ante Epiſcopatum meum ſcripta,* &c. hæc ibi.

VIII. Rurſus epiſt. 106. fol. 1. edit. Baſil. 1525. ſic ait: *Vnde Apoſtolus interrogat dicens: Quis enim te diſcernit? Vbi ſi dixerit homo Fides mea voluntas mea, bonum opus meum; reſpondetur ei: Quid enim habet quod non accepiſti, ſi autem & accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* & infrà: *Non quia bona opera iſta pia cogitatione fruſtrantur, cum Deus reddet unicuiq; ſecundū opera eius; ſed quia opera ex gratia, non ex operibus gratia, quoniam Fides, quæ per dilectionem operatur, nihil operaretur, niſi ipſa dilectio Dei* (NB) *diffunderetur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis, nec ipſa Fides eſſet in nobis, niſi Deus unicuiq; partiretur menſuram Fidei.* Rom. 12. v. 3.

In epiſt. 107. edit. eâdem, Primò idem probat ex orationibus Eccleſiæ, quæ orat pro infidelibus, ut Deus eos ad Fidem conuertat: quod fruſtra fieret, ſi ſolùm ſufficeret, ut illis Euangelium prædicaretur. Idem probat ex Apoſtolo 2. Cor. 15. qui pro talibus orabat. Et ex pſ. 36. & ex illo ad Philipp. 2. *Præparatur voluntas à Domino,* & *Deus enim eſt, qui operatur in nobis & velle,* ſubdens: *Multa hujuſmodi quibus commendatur vera Dei gratia, hoc eſt, quæ non ſecundùm merita noſtra datur, ſed dat merita ipſa, cum datur, quia præuenit hominis voluntatem bonam, nec eam cujuſpiam inuenit in corde, ſed facit,* &c. hæc ibi.

IX. Idem in Enchiridio cap. 32. edit. eâdem ſic ait: *Ne quiſquam etſi non de operibus de ipſo glorietur libero arbitrio voluntatis, tanquam ab ipſo incipiat meri-*

meritum, cui tanquam debitum reddatur premium beneoperandi, ipſa libertas audiat, Philipp. 1. *Deus eſt qui operatur in nobis velle,* & Rom. 9. *Non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Et infrà: *Reſtat propterea, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam,* &c. *nolentem præuenit, ut velit, volentem ſubſequitur, ne fruſtra velit,* &c. Ibid. cap. 36. *Hic omnino grauiter & euidenter Dei gratia commendatur; quid enim natura humana in homine Chriſto meruit, ut in unitatem perſonæ unici Filii Dei ſingulariter eſſet aſſumpta.* Et infrà: *Vt intelligant homines per eandem gratiam ſe juſtificari à peccatis, per quam factum eſt, ut homo Chriſtus nullum habere poſſet peccatum,* &c. hæc Aug.

IV. Demum lib. 2. ad Bonifacium cap. 8. ſic ait; *Si ſine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipſum cœptum erit meritum, cui tanquam ex debito veniat adjutorium, ac ſi gratia Dei non gratis donabitur, ſed merito noſtro dabitur,* &c. hæc ibi, Et ſic paſſim in aliis libris Auguſt.

V. Ex his evidens eſt quod antiqua Eccleſia contra Pelagianos ex S. Scriptura docuerit, quod non tantùm ad gratiam gratum facientem nullum meritum hominis præcedat, ſed nec ad ullam gratiam qualemcunque aliquod hominis ex puris naturæ viribus meritum ſive de condigno, ſive de congruo dicatur, qualecunque vel opus detur, propter vel ad quod Deus gratiam ullam vel auxilium ſupernaturale donet, aut per quod homo diſponatur, vel præparetur, ut Deus ipſi dona gratiæ qualiacunque conferat, ſed tam initium, quàm continuatio eorum, quæ ad ſalutem ſpectant, ex Dei gratia fiant, ita ut Deus ex gratia hominem ad Fidem excitet, & cor præparet, ut poſſit & velit credere, & alia pia opera agere, & ad juſtificationem pervenire, ac in iis perſeverare; adeoque nulla prorſus ſint opera ſive à Judæis, ſive à gentibus facta, propter quæ Deus illos ad Fidem vel ad gratiam receperit, ſed Fides & omnia alia Juſtitiæ dona, ex pura Dei gratiâ initium & continuationem habent; quod Apoſt. in epiſt. ad Rom. cap. 2. 3. & 4. ad Gal. 2. v. 3. & Epheſ. 2. &c. maximè intendit.

Hanc autem eſſe modernæ Catholicæ Eccleſiæ doctrinam patet ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. in initio articuli allegatâ, & ibid. cap. 5. ubi ſic dicitur: *Declarat præterea* (Synodus) *ipſius Juſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Ieſum præueniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab eius vocatione, qua nullis eorum præcedentibus meritis vocantur,* &c.

Similiter declarat cap. 8. undè patet; quàm falsò Acatholici Eccleſiæ Catholicæ Pelagianorum hæreſin affingant, quod idcircò copioſiùs deducendum duxi.

ARTICULUS II.

Qualis Fides juſtificet.

I. Hic primò ſupponitur certum ex S. Scriptura & doctrina SS. Patrum, ac Eccleſiæ; quod Fides Chriſti vera juſtificet, ut patet ex illo Act. 15. v. 9. *Fide purificans corda eorum.* Rom. 1. v. 17. allegans illud Abacuc 2. v. 4. *Juſtus autem ex Fide vivit,* & c. 3. v. 28. *Arbitramur juſtificari hominem per Fidem ſine operibus legis.* Gal. 2. v. 16. *Vt juſtificemur ex Fide Chriſti, & non ex operibus legis.* Et c. 3. v. 9. *Quia ex Fide juſtificat gentes Deus,* &c. & alibi ſæpiſſimè: verùm, quæ hæc Fides ſit, & qualiter juſtificet, diſputatur, ut patet ex illis, quæ cap. præced. referendo ſententias Acatholicorum dicta ſunt.

2. obſervandum eſt, quod dupliciter poſſit dici fides juſtificare; ſemel ut tanquam diſpoſitio à Deo in homine excitata ad juſtificationem prærequiratur; 2. ut ipſa Fides ad actualem juſtificationem concurrat, & qualiter.

3. Obſervandum quod Fides poſſit ſumi vel pro actu Fidei, vel pro habitu; prout habitus Fidei ſupernaturalis cum habitu ſpei, & charitatis in ipſa Juſtificatione infunditur. Hîc agitur de actu Fidei, & de hoc quæritur; quiſnam actus Fidei ad Juſtificationem diſponat, vel prærequiratur. Itaque ſententia Eccleſiæ Catholicæ eſt, quod per Fidem illam homo peccator ad Iuſtitiam diſponatur ſeu juſtificetur, *qua per gratiam divinam excitatus & adiutus credit vera eſſe, quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt; atque illud imprimis, à Deo juſtificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Ita Concil. Trid. ſeſſ. 6. c. 5.

Ex quibus patet, quod Eccleſia Catholica illam agnoſcat Fidem juſtificantem, quæ verſatur circa omnia à Deo revelata, ea ſaltèm implicitè per intellectum non ſolùm apprehendendo, quod etiam infideles faciunt, ſed etiam illis aſſenſum præbendo; ita tamen, ut ſpecialiter homo credat, promiſſiones à Deo propter merita Chriſti factas quoad juſtificationem impii; & quidem etiam in particulari, quando ex generali Dei promiſſione omnibus facta homo credit ſe juſtificari poſſe. Hanc autem Fidem eſſe in intellectu patet, quia intellectus actus eſt aſſentiri. Sic D. Aug. lib. de prædeſt. Sanctorũ c. 2. volens probare quod Fides, quâ homo juſtificatur, ſit per gratiam, & non per vires naturæ probat ex illo 2. Cor. 3. *Non quia idonei ſumus cogitare aliquid ex nobiſmetipſis,* &c. dicit; *Ipſum credere nihil aliud eſt, quàm cum aſſentione cogitare,* &c. *cogitat omnis qui credit, & credendo cogitat, & cogitando credit,* &c. hæc ille. II.

Verùm; quia aſſenſus Fidei non eſt propter evidentiam obiecti; alioquin eſſet ſcientia; ſed; quia obiectum Fidei omne in ſe intellectui obſcurum & ignotum eſt; ſolùm propter teſtimonium Dei qui illud revelavit opus eſt aliquâ voluntatis motione, quâ velit, & imperet intellectui, ut credat ſeu aſſentiatur iis quæ Deus revelavit juxta illud 2. Cor. 10. v. 5. *Captiuantes omnem intellectum in obſequium Chriſti,* &c. ſeu Fidei. Quod clariùs exprimit D. Auguſtinus tract. 36. in Joann. dicens: *Intrare quiſquam Eccleſiam poteſt nolens, accedere ad altare poteſt nolens, accipere poteſt Sacramentum nolens; credere non poteſt, niſi volens,* &c.

Quod itaque hæc Fides univerſalis & quoad aliqua particularis Catholica ſit juſtificans, ac diſponens ad juſtitiam, probatur ex illo ad Hebr. 11. v. 6. *Sine Fide impoſſibile eſt placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator eſt.* Vbi patet quod de Fide juſtificante loquatur: & hanc Fidem deſcribit ibidem v. 1. dicens: *Eſt autem Fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium,* ubi Apoſtolus ſatis indicat; quod Fides juſtificans ſit illa, quâ omnia III.

credantur, quæ Deus revelavit, sive præterita, sive præsentia & futura, quæ non videntur; & hæc exemplificat per plurima exempla ibidem, præsertim, dum ait v. 7. *Fide Noë responso accepto de iis, quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domus suæ, per quam damnavit mundum, & Justitiæ, quæ per Fidem est, hæres est constitutus*, &c. ecce per illam Fidem, quâ Deo credidit, diluvium futurum, Justitiæ hæres est constitutus, similiter ex aliis exemplis ibi adductis patet.

Vnde Augustinus in Enchiridio volens ostendere quod Fide, spe & charitate colendus sit Deus, de Fide ad salutem necessaria dicit, quod illa summatim ea credat, quæ in symbolo Apostolico continentur dicens cap. 8. edit. Basil. 1528. *est Fides præteritarum rerum, præsentium & futurarum, credimus enim mortuum Christum, quod præteriit; credimus sedere ad dextram Patris, quod nunc est; credimus venturum ad iudicandum, quod futurum est.* Et infrà: *In Epistola quippe ad Hebræos, qua testes usi sunt illustres Catholicæ regulæ defensores Fides esse dicta est cognitio rerum, quæ non videntur.*

IV. Similiter lib. 3. contra 2. epist. Pelagii ead. edit. sic ait: *Nostra Fides, hoc est Catholica Fides iustos ab iniustis, non operum, sed ipsa Fidei lege discernit; quia justus ex Fide vivit*, &c. Similiter in symbolo Athanasii articuli Fidei proponuntur tanquam absolutè necessarii.

Ex quibus refutatur responsio Acatholicorum, qui ad illa & alia S. Scripturæ loca dicunt, quod Fides justificans habeat quidem pro objecto omnia, quæ Deus revelavit, sed tamen non, quatenus universalis est, justificet, sed specialiter, in quantum credit misericordiam Dei specialem, quâ homo credit sibi esse peccata remissa: & ideo utuntur illis terminis: *Fides, quæ justificat, tendit in omnia revelata, sed tamen non illa Fides, quatenus in omnia tendit*, sed quâ seu quatenus in misericordiam Dei tendit, sic tantùm iustificat.

Veruntamen verba S. Scripturæ clara sunt & de universali Fide loquuntur, quæ non solùm iustificat, sed etiam quatenus iustificat, seu quâ iustificat, universa revelata respicit, & non præcisè misericordiam Dei præsentem in speciali, ut patet, dum de Noë dicitur, ubi nullo modo fit mentio illius misericordiæ specialis.

V. Patet etiam ex aliis ibi ab Apostolo enarratis exemplis, quæ frustra enumerasset, nisi ad Fidem iustificantem spectassent. Patet specialiter ex illis verbis: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est*, &c. scilicet, quod Deus verus existat omnipotens, ubi patet, quod etiam hâc Fide, quatenus hoc creditur, homo iustificetur; cur ergo contra S. Scripturam sic restringunt Acatholici? Catholica Ecclesia credit, quod specialiter quidem objectum Fidei iustificantis sit misericordia Dei promittens gratiam per Christum, ut patet ex verbis Concilii, ut nihilominus Fidei, quatenus circa omnia à Deo revelata saltèm implicitè versatur Justificatio tribuatur juxta S. Scripturam. Deinde licèt Doctores Catholici doceant quod homo iustificandus possit & debeat credere se per Dei misericordiam iustificandum, & iustificari posse; alioquin desperaret, iuxta illud Augustini lib. 1. de doctr. Christ. cap. 18. *quisquis in Ecclesia eius dimitti sibi peccata non crederet, non ei dimitterentur.* Et infrà: *Quisquis enim non credit, dimitti sibi posse peccata, fit deterior desperando*, &c. hæc ille. Negant tamen, quod credere possit & debeat, quod sibi certitudinaliter sint peccata remissa, *ut Acatholici volunt*, alioquin non disponeretur ad Justificationem, sed iam haberet Justitiam & remissionem, de quo infrà. Nec etiam peccator credere potest aut debet, quod sibi absolutè & simpliciter à Deo sint peccata remittenda, sed sub conditione, si requisita à Deo habeat, ut infrà patebit, de quibus sperare quidem potest, ac debet, sed de illis non est certus certitudine Fidei divinæ.

Nec enim Acatholici ullam in S. Scriptura Dei promissionem absolutam ostendere possunt, quâ huic vel illi in particulari, imo nec ullam, quâ omnibus & singulis peccatoribus gratia & remissio peccatorum absolutè sine conditione promittatur; sed ad minus Fides præerequiritur, non quæcunque, sed quæ per charitatem operatur, juxta illud Galat. 5. v. 6. *Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed Fides, quæ per charitatem operatur.* De hac Fide & charitate nemo absque speciali Dei revelatione certus est: & ideo nemo certus etiam est, quod credat, ut oportet, vel ut Deus vult, & requirit. Vnde Concilium Trid. sess. 6. can. 3. specialiter exprimit, quod *homo sine Spiritus Sancti præveniente gratia non possit credere, sperare, ut oportet, ut ei gratia Iustificationis conferatur.* Sic passim S. Scriptura enunciat, quod Iustificatio & salus etiam dependeat ex conditione agendæ pœnitentiæ, & specialiter Luc. 13. v. 3. *Nisi pœnitentiam habueritis, similiter peribitis*, & Act. 2. v. 38. *pœnitentiam agite & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti, vobis enim repromissio est*, &c. ecce repromissio sub conditione illis, qui iam credebant. VI.

Per hoc excluditur exceptio Acatholicorum, cùm dicunt in promissione generali includi omnes particulares, ut, dum dicitur Joann. 3. v. 14. & 35. *Qui credit in Filium Dei habet vitam æternam.* Vnde dicunt, quod in hac propositione idem sit, ac si dicatur, & ille & illi, & cæteri, qui credunt in Filium Dei habent vitam æternam. VII.

Verùm illud Joann. & quæcunque similia loca non habent absolutam promissionem, sed conditionatam, scilicet hanc, si hic, vel ille, vel iste verè credat in Filium Dei, tunc habet vitam æternam; at verò illa Hypothesis non est homini certa certitudine Fidei divinæ. Quod *ipse credat, ut oportet Fide per charitatem operante.* 2. quia plurimi sibi persuadent, quod habeant Fidem veram, & tamen decipiuntur; nullus enim est cuiuscunq; abominandæ hæresis sectator pertinax, qui non sibi persuadeat se habere veram Fidem, & tamen decipitur; ac proinde nec habet vitam æternam, nec de illa securus est.

Cæterùm, quod Fides ideo præcisè, quâ homo firmiter & absolutè apprehendat, & credat Dei misericordiam sibi in particulari infallibiliter applicatam vel applicandam sit propriè iustificans, ita ut sub alia ratione, quâ alia Fidei objecta respicit vel credit, non iustificet, etiam manifestè sacræ Scripturæ contrariatur. VIII.

Nam

Nam loca citata Joann. 3. quæ Acatholici pro sua Fide justificante etiam sola allegant, nullo modo loquuntur de Fide, quatenus apprehendit aliquis Dei benevolentiam, seu misericordiam infallibiliter erga se, ut patet ex textu sed solùm requirunt, ut Fideles credant Christum esse verum Dei filium, prout ipse Joann. epist. 1. cap. 5. v. 1. explicat dicens: *Omnis qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est.* Et v. 5. *Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Jesus est Filius Dei.* Ecce interpretatio ex ipsa Scriptura, legant autem Acatholici suam interpretationem ex Scriptura, quod credere in Filium idem sit, quod credere sibi in speciali remissa esse peccata; vel Deum sibi benevolum & misericordem esse; hanc ex suo capite fingunt, qui nihil extra Scripturam admittunt. Idem clariùs convincitur ex Apostolo Paulo, qui semper de Fide justificante agit; præsertim in epist. ad Rom. ubi cap. 10. cùm dixisset v. 3. *Ignorantes justitiam Dei & suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti.* Et postea v. 8. ait: *Hoc est verbum Fidei, quod prædicamus, quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quod Deus suscitavit illum à mortuis, salvus eris,* &c. ubi hic illa Acatholicorum propositio, *omnis qui credit sibi per Christum absolute remissa esse peccata, salvus erit?* nec unquam illam in S. Scriptura leges.

Demum, etsi Christus sæpe priùs exegerit Fidem, quàm alios in gratiam receperit, vel sanârit; idque in testimonium fidei justificantis, quàm prædicabat; nunquam tamen illam Fidem specialem ab Acatholicis fictam exegit, ut patet Matth. 9. v. 28. *Accesserunt ad eum cæci, & dicit eis Jesus, creditis quia hoc possum facere vobis, dicunt ei; utique Domine, tunc tetigit oculos eorum dicens, secundùm Fidem vestram fiat vobis;* ubi patet, quod Christus non quæsierit ex illis, an crederent specialem misericordiam circa remissionem peccatorum ipsis factam? Sed an crederent ipsius Omnipotentiam. Similiter Matth. 16. cùm v. 16. Petrus dixisset: *Tu es Christus Filius Dei,* Christus tantopere Fidem illius à Patre datam tanquam vivificam & perfectam commendavit, supra quam, ut aiunt SS. Patres, Ecclesiam fundavit.

IX Ipse Christus Dominus Joann. 6. cùm v. 42. dixisset: *Qui credit in me habet vitam æternam,* & Capharnaitis discedentibus diceret Apostolis v. 68. *Numquid & vos vultis abire, respondit Petrus: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credidimus, quia tu es Christus Filius Dei vivi.* Ecce Fidem, de qua Christus dixerat, qui credit in me habet vitam æternam, &c. illam Petrus explicat, & tamen illa fides specialis non exprimitur; sed quod crediderint verba, quæ Christus prædicaverit, & ipse sit Filius Dei, adeoque illa justificans est.

Iterum, cùm Christus Joann. 11. Marthæ hanc fidem exponeret dixit v. 25. *Ego sum resurrectio & vita,* &c. *omnis qui vivit & credit in me non morietur in æternum credis hoc? ait illi: utique Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti,* &c. ecce iterum fidem justificantem, quâ creditur Christus Dei Filius, nec exposcitur fides illa particularis.

Similiter Joann. 20. v. 29. Thomæ dicenti, *Dominus meus & Deus meus,* Christus dixit: *Quia vidisti me Thoma, credidisti, beati qui non viderunt & crediderunt.* Ubi patet; quod fides illa beatum faciens, non tendat in misericordiam Thomæ applicatam, sed in Christi essentiam & divinitatem.

Demum Joann. ibid. subjunxit dicens v. X.
30. *Multa alia signa fecit Iesus,* &c. *hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis æternam,* &c. ubi fides circa Christi divinitatem commendatur, quod vitam æternam conferat.

Ex his sicut & aliis sacræ Scripturæ locis evidens est, quod Fides, quatenus omnia illa, quæ Deus revelavit, respicit, sit justificans: prout etiam SS. Patres art. 5. allegandi docuerunt; licèt verum sit, quod specialiter respiciat misericordiam Dei per Christum obtinendam, priusquam homo justificetur; non tamen sacra Scriptura requirit, vel intendit illam Fidem justificare, quâ aliquis in particulari credat, sibi infallibiliter misericordiam Dei applicatam, & peccata esse dimissa, in qua Calvinus suæ doctrinæ fundamentum ponit.

ARTICULUS III.

Quod præter veram fidem etiam aliæ dispositiones, seu actus in homine prius requirantur, quàm justificetur.

Extra controversiam est, quod Deus I.
ordinariè non in momento hominem adultum impium justificet, seu ei peccata dimittat; sed prius cor ejus excitet, & præparet per internas inspirationes, & actus seu motus bonos, ad quos per gratiam suam hominem excitat & adjuvat, & ipse homo sic adjutus cooperatur, & sese præparat; licèt extraordinariè subito Deus facere possit, ut cum Apostolo Paulo & aliis fecit; priùs tamen natura etiam tunc dispositiones excitantur, & præcedunt. Hos autem actus præparatorios seu dispositiones Concil. Trid. sess. 6. cap. 8. recenset prout suprà cap. 2. art. 4. relatum est: inter quas prima est *Fides*, secundus *Timor divinæ justitiæ*; quo homo respectu peccatorum suorum concutitur. Postea *spes*, qua confidit Deum sibi fore propitium per Christum; Inde *Dei dilectio*, quâ incipit Deum Justitiæ & misericordiæ fontem diligere, ex quo *odium peccatorum, propositum vitæ emendandæ & suscipiendi Sacramenta procedunt.* De his dispositionibus simul sumptis Concilium cap. 7. sic ait: *Hanc dispositionem seu præparationem justificatio ipsa subsequitur,* sicut in naturalibus, quando subjectum est sufficienter dispositum, agens naturale formam introducit, sic Deus animæ sic dispositæ justitiam confert, eamque justificat.

Hos actus ad justificationem requiri, patet ex pluribus sacræ Scripturæ locis, ubi illi exiguntur: Sufficiunt hîc aliqua,

Digitized by Google

ubi Deus ſub horum conditione veniam promittit, ut Deuter. 4. ubi cùm Moyſes prædixiſſet, quod populus ex terra ſancta propter peccata diſpergendus eſſet, poſtea promittens veniam dicit v. 29. *Cùmq; quæſieris ibi Dominum inuenies eum, ſi tamen in toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ* Similiter Ezech. 18. v. 21. *Si impius egerit pœnitentiam, ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt,* &c. *vita viuet.* Luc. 13. v. 5. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis.*

II. Verùm hæc ex S. Scriptura & SS. Patribus, quorum aliqua teſtimonia infrà referentur, adeo certa ſunt; ut plerique Acatholici eadem fateantur: nam, licèt Lutherus, quem rigidi Lutherani ſunt ſecuti, ut cap. 2. art. 2. relatum eſt, abſolutè aſſeruerit, quod homo non juſtificetur, niſi adſit ſola Fides, ſine ullis etiam minimis operibus, adeoque velit, quod homo non habeat ullas alias prædictas diſpoſitiones, quæ vere ſunt hominis opera per Dei ſpecialem gratiam facta, quod nimis clarè ſacræ Scripturæ contrariatur, & per ſe abſurdum eſt; alii tamen Lutherum aliter excuſant, & ſimpliciter profitentur, quod tales præparatorii actus in homine requirantur, priusquam juſtificetur.

Sic etiam *ex Caluini aſſeclis* Petrus Martyr locor. comm. Claſſ. 3. cap. 4. §. 26. proteſtatur contra Catholicos dicens: *Accuſant iſti nos, quaſi opera, quæ appellantur præparatoria, negligamus, vel potius prorſus inficiemur, quod certe non facimus,* hæc ille, &c. nec mirum quod Catholici hoc illis objiciunt, quia tunc temporis plerique Acatholici cum Luthero hoc clamabant.

III. Sic *protestantes* in Concilio Dordrechtano in terminis profitentur in actis illius Synodi ad art. 3. & 4. ubi Theologi Palatini dicunt: *Certum eſt, quoſdam actus agnitionis peccati, doloris, contritionis,* &c. *præcedere Fidem, & conuerſionem in homine regenerando,* &c. hæc ibi.

Ibidem dicunt Theologi Britanniæ: *Sunt quædam effecta ad conuerſionem ſiue regenerationem præuia, quæ virtute verbi, ſpiritusque in nondum juſtificatorum cordibus excitantur; qualia ſunt: Notitia voluntatis diuinæ, ſenſus peccati, timor pœnæ, cogitatio de liberatione, ſpes aliqua veniæ,* &c. & infrà: *Ad ſtatum Iuſtificationis, in quo pacem habemus ad Deum per D. N. Jeſum Chriſtum, non ſolet gratia Dei homines perducere per ſubitum Enthuſiaſmum, ſed multis præuiis actionibus miniſterii verbo ſubactos & præparatos; hoc videre licet in illis, qui audita Petri concione, onus ſentiunt, timent, dolent, liberationem deſiderant, ſpem aliquam veniæ concipiunt, quæ omnia ex verbis illis concipi poſſunt* act. 2. v. 37. hæc ibi. Ecce eadem, quæ Concil. Trid. docet.

IV. Eadem profitetur *Catechiſmus Heidelbergenſis* Hannoniæ Germanicè impreſſus anno 1615. quæſt. 87. ubi quæritur: *Poſſuntne illi ſaluari, qui ſe ab ingrato & impœnitente ſtatu ad Deum non conuertunt?* Reſpondetur, *nullo modo, nam, prout Scriptura dicit, neque fornicarii, neque Idolis ſeruientes, fures auari, ebrioſi, maledici, rapaces,* &c.] *regnum Dei poſſidebunt.*

Deinde quæſt. 88. quæritur, *in quot partibus conſiſtit vera pœnitentia aut conuerſio hominis?* Reſpond. *in duabus, in mortificatione veteris, & reſuſcitatione noui hominis.*

Iterum quæſt. 89. quæritur: *Quid eſt mortificatio veteris hominis?* Reſpond. *quod ei peccata ex corde diſpliceant, & illa magis magisq; oderit, & fugiat.*

Demum quæſt. 90. quæritur: *quid eſt reſuſcitatio noui hominis?* Reſpond. *Cordiale gaudium in Deo per Chriſtũ delectationem & amorem habere juxta voluntatem Domini, in omnibus bonis operibus viuere,* &c. hæc ibi.

Ex his patet, quod Acatholici, licèt in initio tempore Lutheri, & adhuc verba eorum de Fide aliter ſonent, tamen veritate ſacræ Scripturæ convicti cum Eccleſia Catholica profiteantur; quod talia opera præparatoria in homine prærequirantur, antequam Juſtificationis gratiam conſequatur.

V. Verùm ipſi in aliis adhuc ab Eccleſia diſcrepant, dicentes: quod, licèt tales actus ſeu opera prærequirantur ante juſtificationem ut diſpoſitiones, tamen illam non cauſent ſed ſola Fides, diverſitatem inter illa aſſignantes: quod diſpoſitiones aliæ præcedant, ſed Fides ſola, quam cum Fiducia confundunt poſtea apprehendat iuſtitiam, & ſic ſola iuſtificet.

Ubi neceſſariò ſupponere debent duplicem Fidem; ſcilicet unam initialem & univerſalem, quâ homo peccator credit Deum & juſtum ac miſericordem eſſe; & inſuper credat, & ſperet ſibi à Deo poſſe remitti peccata; nam illa neceſſariò priùs haberi debent, quàm homo timeat pœnam; vel doleat de peccatis, aut ab illis liberari deſideret, quod Theologi Britanniæ exprimunt, dum dicunt, *quod inter effecta ad regenerationem præuia prima ſit notitia voluntatis diuinæ, poſtea ſenſus peccati,* &c. Cùm itaque fateantur, quod *timor, ſenſus peccati* talia ſint in corde Peccatoris nondum juſtificati; utique etiam Fidem & ſpem ad illa præviam ponunt, quæ non iuſtificet, adeoque ponunt *aliam Fidem ſpecialem*, quæ illas diſpoſitiones ſequatur: Quam indicant Palatini, quâ homo ſic diſpoſitus juſtificetur; ita tamen, ut illa Fides ſpecialis non per modum operis, ſed nudi inſtrumenti juſtitiam apprehendat, & homini applicet, quod de aliis diſpoſitionibus negant, adeoque volunt, quod hoc modo ſola illa fides juſtificet.

***

A R-

ARTICULUS IV.

Quòd non sola fides vera, sed etiam aliæ dispositiones prærequisitæ justificent, licèt fides prima sit & fundamentum.

I. HÆc est doctrina Ecclesiæ Catholicæ, quam tradit Concilium Trid. sess. 6. cap. 8. dicens: *Cùm Apostolus dicit justificari hominem per fidem & gratis, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit & expreßit; ut scilicet per Fidem ideo justificari dicamur, quia Fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis; sine qua impoßibile est placere Deo, & ad Filiorum ejus consortium pervenire,* definit autem absolutè ibidem can. 9. dicens: *Si quis dixerit sola Fide impium justificari ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse cum suo voluntatis motu præparari, atq; disponi, anathema sit,* &c. hæc Concil.

II. In his Concilii verbis primò damnatur sententia Lutheri, qui nulla bona opera prærequirit. 2. damnantur etiam alii Acatholici, qui volunt aliquam specialem esse fidem, quæ sola speciali modo justificet, quasi aliæ dispositiones non justificent. 3. Concilium per hæc verba ostendit, quod non agnoscat alium modum justificandi in Fide, quàm in aliis actibus præparatoriis; ut tam alii actus, quàm actus Fidei justificent: sic intelligendo, quod omnes sibi mutuò cooperentur ad justificationem in hoc, quod omnes disponant peccatorem ad hoc, ut justificetur: adeoque ut, dum omnes illi actus in homine per gratiam Dei existunt, homo à Deo justificetur; & sic quo modo dicatur Fides justificare, eo modo etiam alii actus justificare dicantur: quod quidem sub ratione dispositionis evidens est, & Acatholici concedunt, sed quod Fides sola per modum instrumenti justificet, & præsertim illa particularis à Calvino asserta, quam voluit non posse separari à charitate, hoc Ecclesia negat: an autem tam Fides quàm aliæ dispositiones aliqualiter mereantur justificationem, clarè non asserit: prius igitur probandum est, quod reliquæ dispositiones justificent, sicut Fides vera, quam S. scriptura, & SS. Patres agnoverunt, ita ut ex similibus principiis & verbis S. scripturæ, ob quæ Fides justificare dicitur, etiam idem de aliis dispositionibus ostendatur.

III. Itaque, quod Fides justificet, seu justificare dicatur, manifestum est ex pluribus S. scripturæ locis, quorum aliqua suprà art. 2. tacta sunt; insuper, quod hoc Fides peculiare habeat, ut sit initium salutis, & fundamentum, ac radix justificationis Concilium ostendit ex verbis Apostoli, ad Hebræos 11. v. 6. *Sine fide impoßibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum,* &c. idem patet ex illo Joann. 1. v. 12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus,* ubi patet, quod antequam fiant Filii Dei, oporteat credere in nomine ejus, idque ante omnia; & ratio clara est, quia quo modo homo Deum timere, vel diligere, aut in ipsum sperare poterit, nisi priùs credat in ipsum, & specialiter in Christum, ut unicum Redemptorem; non tamen sufficit, ut patebit.

Hoc ipsum SS Patres unanimiter docuerunt; sufficiat unus Augustinus, ille lib. de bono perseverantiæ cap. 2. edit. Basil. sic ait: *Quod est initium verius Christiano, quàm credere in Christum.* IV.

Idem lib. de prædestinat Sanctorum cap. 7. eâd. edit. *Ex Fide,* inquit, *ideo dicit justificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex quâ impetrantur cætera, quæ propriè opera nuncupantur,* &c.

Similiter sermon. 16. de verbis Apostoli eâd. edit. ait: *A Fide incipit homo, sed, quia & dæmones credunt, necesse est addere spem & charitatem.* Iterum ibid. serm. 22. *Domus,* ait, *Dei credendo fundatur; sperando erigitur, diligendo perficitur,* &c.

Præter hoc ergo, quod Fides proprium habet, ut sit simpliciter initium illorum, quæ ad justificationem prærequiruntur; reliquis actibus recensitis seu dispositionibus eadem assignantur in S. Scriptura, ob quæ Fides justificare dicitur.

Et quidem *timori Domini,* quæ prima dispositio post Fidem assignatur, etiam tribuitur, quod sit *initium sapientiæ* ps. 110. v. 9. ubi per sapientiam intelligitur completa justificatio hominis seu beatitudo, quam homo per regenerationem renovati hominis in hac vita habere potest, ut ostendit August. lib. 1. de serm. Dom. in monte fol. 2. & quidem timor ille adhuc servilis est respectu Dei justitiæ, ut August. ibid. declarat post fol. 1. dicens: *Incipit beatitudo ab humilitate, dum se divinæ authoritati subdit animus timens post hanc vitam, ne pergat ad pœnas,* &c. V.

Secundò Fides dicitur justificare, quia per eam Christus formatur in nobis, juxta illud ad Gal. 4. v. 19. *Quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*: quod fit per Fidem initialiter.

Similiter per timorem Domini dicitur spiritus Dei concipi, juxta illud Isa. 26. v. 17. *Sicut quæ concepit, cùm appropinquat ad partum, dolens clamat in doloribus suis, sic facti sumus à facie tua.* Vbi supponitur timor Dei, & subiungitur v. 18. *Concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum,* &c. ubi juxta 70. interpretes ponitur: *A timore tuo concepimus, & peperimus spiritum salutis.*

3. Fides justificare dicitur, quia *justus ex Fide vivit,* Habacuc 2. v. 4. Gal. 3. v. 11. Hebr. 10. v. 38. sic etiam de timore Domini dicitur *fons vitæ* Prov. 14. v. 17.

Rursus Fides dicitur justificare, quia purgat à peccatis, juxta illud Act. 15. v. 9. *Nihil discernit inter illos & nos fide purificans corda eorum*: similiter de timore dicitur Eccl. 1. v. 17. *Timor Domini expellit peccatum: nam, qui sine timore est, non poterit justificari,* &c. VI.

Tertia ad justificationem dispositio est, *spes* quam homo ex Fide de Dei misericordia concipit, sperans se veniam peccatorum & gratiam obtenturum per merita Christi; huic spei justificatio tribuitur, sicut Fidei, ut patet ps. 36. v. 40. *Salvabit eos, quia speraverunt in eo.* & ps. 90. v. 14. *Quoniam in me speravit, liberabo eum.* Sic Christus Matt. 9. v. 3. dicit paralitico *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*: quibus locis patet, quod spes exigitur ante justificationem, & illi salus ac remissio peccatorum assignetur.

Digitized by Google

Quarta *dilectio Dei*, quam incipit habere peccator, etiam sicut Fides justificat requisita ad justificationem, juxta illud Eccles. 2. v. 10. *Qui timetis Deum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra.* Sic Christus Luc. 7. v. 47. dilectioni tribuit remissionem peccatorum dicens: *Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, similiter 1. Joann. 3. v. 14. dicitur: *Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*, &c.

Quod etiam *pœnitentia* seu *dolor de peccatis* justificet, sicut Fides, patet ex illo Act. 11. v. 18. ubi aliqui Apostoli auditis iis, quæ Petrus narravit, dixerunt: *Ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam* & 1. Cor. 7. v. 10. dicit Apostolus: *Quæ secundùm Deum tristitia est pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Quid autem aliud est justificare, quam salutem stabilem operari?

Sexta dispositio requisita ad justificationem quæ est *propositum suscipiendi Sacramentum re ipsa*, quod justificet, patet ex illo Act. 2. v. 38. ubi plures compuncti dixerunt, *quid faciemus viri fratres?* Petrus vero ad illos, *pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisq; vestrum in nomine Domini Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti*, &c.

Similiter Joann. 20. v. 22. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c.

VII. Demum de *proposito emendandi vitam, & servandi mandata Dei*, patet ex illo Ezech. 18. v. 27. *Cùm averterit*, &c. *& fecerit judicium & justitiam, ipse animam suam vivificabit.* Christus Matt. ult. v. 20. *Docete omnes gentes baptizantes eos*, &c. *docentes eos servare omnia, quæcunq; mandavi vobis*, &c. nisi itaque tale propositum adsit, non justificatur.

Concludat August. lib. expositionis inchoatæ in epist. ad Rom. dicens: *De pœnitentia & emendatione vitæ, quomodo intelligenda sit justitia Judicis Dei, cùm gratiam præbet ignoscendo peccatis*, &c. *ea est humana justitiæ disciplina, non in se amare nisi quod Dei est, & odisse, quod proprium est; nec approbare peccata sua; nec putare satis sibi esse, ut sua peccata displiceant, nisi etiam vigilantissima deinceps intentione viteantur, nec in eis vires suas æstimare sufficere, nisi divinitus adjuvetur*, &c. *Justa ergo est gratia Dei, & grata Justitia, cùm in eo etiam pœnitentiæ meritum gratia præcedat; quod neminem peccati sui pœniteret, nisi admonitione aliqua vocationis Dei*, &c. hæc ille.

Ex his evidens est, quod non sola Fides, sed etiam aliæ prædictæ dispositiones, per auxilium gratiæ Dei, in homine peccatore præcedentes justificationem, juxta S. scripturam hominem justificare dicantur.

***

ARTICULUS V.

Quòd fides vera, quæ verè justificat, possit esse sine aliis dispositionibus, sed non sine illis justificare, probatur ex S. Scriptura.

Cùm Acatholici nimis claris tam S. scripturæ, quàm SS. Patrum testimoniis convicti fateantur; Fidem posse esse sine illis dispositionibus: diversos Fidei actus assignant cum Calvino, ut cap. 1. art. 3. ostensum est, & quidem de Fide historica & miraculorum fatentur, illam posse esse sine dispositionibus illis, & specialiter sine charitate; adeoque nec justificare. Fidem tamen suam specialem, quam solam volunt esse veram justificantem, negant posse esse sine illis dispositionibus, vel sine charitate; ita tamen, ut sola Fides justificet, similitudine adducta de calore solis, qui non potest esse sine splendore, ita tamen ut solus calor calefaciat, & solus splendor illuminet; similiter quia Fides est instar arboris bonæ, quæ fructus bonos necessario gignat, Fiduciæ, dilectionis, ut Calv. suprà lib. 3. cap. 11. §. 6. sed quod hæc sint extra & contra S. scripturam hactenus ostensum est, & amplius patebit. I.

II. Itaque ostendemus, quod Fides vera à S. scriptura & SS. Patribus tradita & agnita, quæ justificat, cùm adfuerint aliæ dispositiones, seu præparationes, possit esse sine illis, sed tunc justificare nequeat.

Primò quidem, quod Fides sola justificet, adversarii nunquam ex S. scriptura ostenderunt; cùm nullibi dicatur, quod Fides sola justificet, ipsi autem volunt nihil esse credendum, quàm quod in S. Scriptura exprimitur, &c. econtra vero S. Scriptura expressè dicit, quod non Fides sola, vel non tantum justificet, ut ostendetur.

2. S. Scriptura nullibi distinguit Fidem justificantem à Fide historica vel miraculorum, adeoque Acatholici contra sua principia sic Fidem distinguunt.

III. Quod autem Fides vera à charitate separari possit, probatur ex illo Joann. 12. v. 42. *Veruntamen & ex Principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, ut è Synagoga non ejicerentur, dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei*, &c. ex his clarè patet, quod Principes habuerint veram Fidem in Christum, sed tamen absque dilectione Dei, quod patet ex contextu, ubi Christus illos agnoscens v. 44. clamavit, & dixit: *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me. Ego lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat*, &c. ubi patet, quod de vera Fide Christus loquatur, quæ hominem ex tenebris in lucem ducat; adeoque Euangelista eandem Fidem Principes habuisse dixit, qui tamen in tenebris manserunt ob defectum dilectionis gloriæ Dei, &c.

IV. Hoc ipsum ut clarum supponebat Augustinus tract. 43. in Joann. in fine ad hunc locum sic dicens: *Videte quemadmodum notaverit Euangelista, & improbaverit quosdam, quos tamen in eum credidisse dixit, qui in hoc ingressu Fidei si proficerent, amorem quoq; humanæ gloriæ proficiendo superarent, quam*

supe

Digitized by Google

ſuperauit Apoſtolus dicens: Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, &c. ubi patet, quod ſupponat ipſos habuiſſe veram Fidem; quæ eadem proficere poterat, & cum charitate coniungi, ut in Apoſtolo. Si autem diverſa Fides fuiſſet à Fide juſtificante, prout Calvinus toto cœlo diverſam ponit, non diceretur Fides proficere, ſed alia ſuccedere.

Idem declarat Auguſtinus ſtatim ſequenti tractatu 44. circa verba Chriſti: *Qui credit in me, non credit in me*, &c. dicens: *Loquente Domino noſtro Jeſu Chriſto apud Judæos, & tanta miraculorum ſigna faciente; quidam crediderunt prædeſtinati in vitam æternam, quos etiam vocauit oues ſuas; quidam vero non crediderunt: nec poterant credere*, &c. *deſerente illo, qui ſuperbis reſiſtit: eorum autem, qui crediderunt, alii uſq; adeo confitebantur, ut palmarum ramis acceptis venienti occurrerent, in eadem laudis confeſſione lætantes; alii autem ex Principibus non audebant confiteri, ut de Synagoga non ejicerentur, quos notauit Euangeliſta*, &c. hæc Auguſt. Vbi ſupponit utroſque verè credidiſſe, ſed Principes in dilectione Dei defeciſſe, & proinde iuſtificatos non fuiſſe.

V. Probatur ſecundò eadem veritas ex illo 1. Cor. 13. v. 2. *Si habuero omnem Fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum*; ubi expreſsè de omni quacunque Fide loquitur. Vnde imprimis oſtenditur, quod Fides etiam excellens poſſit eſſe abſque charitate; 2. quod tunc nihil proſit ad ſalutem. Nec valet Acatholicorum ſubterfugium, dum dicunt, ſe fateri talem Fidem miraculorum non juſtificare. Primò, quia Apoſtolus expreſsè de omni Fide loquitur. 2. etiam certum eſt ex S. ſcriptura, quod Fides miraculorum ſit vera Fides, & quidem in excellenti gradu, qualis non omnibus eſt neceſſaria, hoc patet ex illo Marci ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Vbi clarum eſt, quod de Fide juſtificante dicatur, & ſtatim loquitur: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia ejicient*, adeoque patet, quod ad veram Fidem in excellenti gradu ſigna ſequantur.

Idem patet ex illo Luc. 17. ubi cùm Apoſtoli dixiſſent Domino v. 5. *Adauge nobis Fidem*, ubi utique de vera Fide juſtificante agebant, Chriſtus dixit illis, *ſi habueritis Fidem ſicut granum ſinapis, diceretis huic arbori moro eradicare, & transplantare in mari.* Similiter dixit Matt. 17. v. 19.

VI. Licèt autem aliqui Doctores Catholici hanc Fidem miraculorum diſtinguant à Fide Catholica, hoc ſolum intendunt, de Fide aliqua particulari, quâ quis credit ſe hic & nunc miracula facturum, & eſt donum gratis datum; quæ tamen ſemper ſupponit Fidem Catholicam, quâ omnia creduntur, & quod miracula fieri poſſint, & in teſtimonium Fidei Catholicæ hic & nunc miracula fiant, ut patet.

Hanc autem Fidem Catholicam, quam omnes Doctores Catholici fatentur eſſe juſtificantem, in quibusdam re ipſa à charitate ſeparatam fuiſſe, patet ex illo Matt 7. v. 22. *Multi dicent mihi in illa die, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & virtutes multas fecimus, & tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos, diſcedite à me, qui operamini iniquitatem*, &c. Ecce Fidem veram & magnam, quæ ſine operibus nihil profuit, ſed cum multis malis extiterat.

Vnde refutatur alia reſponſio Acatholicorum quorundam: qui dicunt Apoſtolum ibi dicere voluiſſe, quod impoſſibile ſit Fidem veram à charitate ſeparari, cùm dixerat antea; *ſi linguis hominum loquar, & Angelorum*, &c. quod videretur impoſſibile.

Verùm per hæc verba Apoſtolus ſolùm indicare voluit, quod quantamcunque excellentem Fidem aliquis habuerit, ſi tamen charitas abſit, nihil proſit, poſſe autem illam abeſſe, conſtat ex facto, & locis jam allegatis; & ſic SS. Patres intellexerunt.

Aliud autem inde argumentum efficax conficitur; nam ſuppoſito, licèt falſum ſit, quod Fides VII.
vera non poſſit eſſe ſine charitate, ex illo tamen loco Apoſtoli haberetur, quod Fides ſola non juſtificet præſente charitate, ſed charitas ſimul juſtificet, & quidem primariò, & ſic non valet exemplum ſeu ſimilitudo Calvini de calore & ſplendore ſolis: nam, ſi per poſſibile vel impoſſibile ſplendor abeſſet à calore ſolis, tunc tamen calor calefaceret, & ſic ſplendor ſolùm eſt præſens non cooperans ad calefactionem; at verò conſtat ex Apoſtolo, ſi charitas à Fide abſit, tunc hæc nihil eſt, nec juſtificat, alioquin, ſi illa ſola juſtificet, tunc ſi per poſſibile vel impoſſibile charitas abeſſet, adhuc iuſtificaret, quia dicitur ſola Fides iuſtificandi rationem habere.

Vnde etiam evidenter concluditur, quod ſi Fides ſola iuſtificandi rationem habeat, etiam hominem iuſtum conſtituerit, licèt non eſſet in charitate, contra illud 1. Joann. 3. v. 10. *Omnis, qui non eſt juſtus, non eſt ex Deo, & qui non diligit fratrem*, & v. 14. *Qui non diligit, manet in morte.*

Quod etiam Fides à charitate ſeparari poſſit, VIII.
patet, quia realiter diſtinguuntur, & Fides dicitur ab Acatholicis cauſa charitatis, at vero cauſa poteſt ſeparari à ſuo effectu, ſicut ignis à calefactione in fornace Babylonica: & licèt hæc negentur; tamen certum eſt, quod iuxta illam ſententiam homo priùs naturâ intelligeretur eſſe gratus Deo, & iuſtus, quam cogitetur charitas, & ſic homo abſque charitate iuſtus eſſet, & etiamſi peccata maxima adiuncta adeſſe cogitentur, tamen Fides iuſtum conſtitueret, quod Lutherus candidè faſſus eſt, licèt abſurdiſſimum ſit.

Eadem veritas probatur ex illis verbis Apo- IX.
ſtoli ibid. 1. Cor. 13. v. 13. *Nunc autem manent Fides, ſpes, charitas, tria hæc, major autem horum eſt charitas.* Vbi patet, quod loquatur de vera Fide, quæ cum ſpe, & charitate manens iuſtificat, adeoque de eadem Fide in eodem capite intelligitur: *Si habuero omnem Fidem*, &c. Hoc modo SS. Patres intellexerunt; ſufficiat Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap. 18. edit. Baſil. 1528. ubi ſic ait de dilectione: *Nullum eſt iſto Dei dono excellentius, ſolum eſt, quod diuidit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ*, &c. ſi hoc de Fide diceret, Acatholici triumpharent; ſed Auguſtinus dictum ſuum ex hoc Apoſtoli loco probat dicens: *Dantur & alia per Spiritum Sanctum dona, ſed ſine charitate nihil proſunt*, &c. *quâm qui non habuerit, ſi linguis hominum loquatur, & Angelorum ſonans æramentum eſt*, &c. *& ſi habuerit omnem fidem, ita ut montes transferat, nihil eſt*, &c. & poſt pauca: *Ita ut ipſorum fidem non faciat utilem niſi charitas, ſine charitate quippe Fides poteſt quidem eſſe, ſed non & prodeſſe: propter quod & Apoſtolus Paulus in Chriſto, inquit, Jeſu neq; circumciſio, neq; præputium aliquid valet, ſed*

Digitized by Google

ſed fides, quæ per dilectionem operatur, &c. hæc Auguſt. Quid clariùs hîc dici poſſet? ſi eſſet alia Fides, præter omnem Fidem ab Apoſtolo expreſſam, quæ ſola prodeſſet, licèt charitas adeſſet, cur nec Apoſtolus, nec Auguſtinus illam expreſſerunt?

X. Tertius locus S. Scripturæ pro hac veritate eſt Jacobi cap. 2. v. 14. *quid proderit fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat, nunquid poteſt fides ſaluare illum?* ubi clarum eſt, quod loquatur de Fide juſtificante, alioquin ipſi reſponderi potuiſſet, ego oſtendam tibi Fidem, quæ me ſalvare poterit ſine operibus; nempe quam Calvinus profert; ſed Apoſtolus talem non agnovit, ſed declarat, quod Fides juſtificet, ſed non ſola dicens v. 20. *Vis autem ſcire O homo inanis, quoniam Fides ſine operibus mortua eſt: Abraham Pater noſter nonne ex operibus juſtificatus eſt, offerens filium*, &c. *vides, quoniam Fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus Fides conſummata eſt, & ſuppleta eſt ſcriptura dicens: Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad juſtitiam*; ſcilicet quia cooperatus eſt Fidei, & infert: *Videtis, quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex Fide tantum*. Ecce dicitur, quod ex Fide homo juſtificetur, adeoque ſit vera juſtificans. Sed expreſsè negatur, quod ex illa tantùm, ubi manifeſtè Acatholici redarguuntur.

Apoſtolum Paulum & Jacobum de Fide juſtificante locutos eſſe, apertè docet Auguſtinus lib. 21. de Civ. Dei cap. 26. edit. Antw. 1576. dicens: *Recta itaq; Fides eſt, per quam Chriſtus eſt fundamentum*, &c. & infrà: *Reſpondeat eis breuiter Apoſtolus Jacobus: ſi quis dicat ſe Fidem habere, opera autem non habeat, nunquid Fides poterit ſaluare eum*, &c.

XI. Similiter lib. de Fide & Operibus cap. 13. edit. Baſil. 1528. ait: *Nunc in hac quæſtione verſor, in qua eis videtur baptizatos admonendos eſſe de moribus ad Chriſtianam vitam pertinentibus, baptizandis autem ſolam inſinuandam Fidem; quod ſi ita eſſet, præter tam multa, quæ diximus, non Joannes Baptiſta venientibus ad baptiſmum ſuum diceret*, &c. *facite ergò fructum dignum pœnitentiæ*, &c. & cap. 14. oſtendit, quod Apoſtolus Paulus de his obſcuriùs ſcripſerit, unde aliqui tempore Apoſtolorum ex epiſtolis eius male intellectis docuerint, ſolam Fidem ad ſalutem ſufficere; ipſe illos ex ipſo Apoſtolo redarguit, & ſubdit dicens: *Quoniam ergo hæc opinio tunc fuerat exorta, aliæ Apoſtolicæ Epiſtolæ Petri, Joannis, Jacobi, Judæ contra eam maximè dirigunt intentionem, ut vehementer aſtruant Fidem ſine operibus nihil prodeſſe, ſicut etiam ipſe Paulus non quamlibet Fidem, quâ in Deum creditur, ſed eam ſalutarem planeq; euangelicam definiuit, cujus opera ex dilectione procedunt, & Fides, inquit, quæ per dilectionem operatur*. Ecce euangelicam & ſaluiferam Fidem, ubi hîc Fides particularis Acatholicorum? ſubdit Auguſtinus eodem cap. dicens: *Jacobus autem vehementer infeſtus eſt illis, qui ſapiunt Fidem ſine operibus valere ad ſalutem, ut etiam illos dæmonibus comparet dicens: Tu credis, quia unus eſt Deus, bene facis; & dæmones credunt & contremiſcunt, quid verius, breuius, vehementius dici potuit?* &c. & infrà: *Quid proderit, ait Jacobus, fratres mei, ſi Fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? nunquid Fides poterit ſaluare illum? dicit etiam, quia Fides ſine operibus mortua eſt: quouſq; igitur falluntur, qui Fide mortuâ ſibi vitam perpetuam pollicentur?* &c. hæc Auguſt.

Similiter de hac Apoſtoli Pauli & Jacobi concordia loquitur Auguſtinus in præfat. ad pſ. 31. *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates*. XII.

Hæc clariſſimè imprimis confutant Lutherum cum ſuis, qui vult Fidem veram poſſe, imò debere eſſe abſque operibus, & tunc ſalvare, ut verba eius locis ſuprà allegatis ſonant: qui tamen in comment. ad cap. 15. Gen. dicit: *Scio fidem ſine his donis non exiſtere: hic apertè dico, quid faciat ſola fides, non cum quibus virtutibus coniuncta ſit, ſola autem Fides apprehendit*, &c.

Similiter Calvinus & alii Acatholici, qui volunt, quod Fides vera juſtificans non poſſit eſſe abſque bonis operibus, & tamen illa ſola juſtificet: nihilominus etiam hinc redarguuntur; nam S. Jacobus, & juxta illum SS. Patres, præſertim Auguſtinus, ſupponunt, quòd Fides illa, quæ ſalutem adfert, poſſit eſſe ſine operibus; at tunc non ſalvet, ſed quando ex dilectione operatur, adeoque dilectio Fidei ad ſalutem cooperetur.

Eadem veritas Catholica probari poteſt ex omnibus illis S. ſcripturæ locis, ubi oſtenditur, quod in Eccleſia Catholica ſint boni & mali; atqui nullus poteſt eſſe membrum Eccleſiæ, niſi ad minus habeat veram Fidem: & multi dicuntur damnandi, non ex defectu Fidei, ſed ob mala opera, licèt Fidem habuerint, quod verum non eſſet, ſi Fides vera non poſſit eſſe ſine bonis operibus, cùm alioquin Chriſtus dicat aliquos judicandos Joann. 16. v. 10. *Quia non crediderunt in me*, &c.

Idipſum graviſſimè urget D. Auguſt. ſuprà lib. de Fide & Operibus cap. 15. ubi plurima abſurda contra S. ſcripturam infert ex ſententia illorum, qui dicunt hominem poſſe ſalvari per Fidem ſine operibus, & cum malis operibus, contra plura expreſſa S. ſcripturæ loca, quæ allegat, quod illa deberent eſſe falſa, dicens: *Falſum eſt, ſi haberem omnem Fidem*, &c. 1. Cor. 13. *Falſum erit, quid proderit fratres, ſi quis Fidem habere ſe dicat*, &c: Jacob. 2. Item: *Falſum erit: manifeſta ſunt opera carnis, qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt. Falſa erit hæc: ſi enim tantùm credant, & baptizentur*, &c. *illud quomodo verum erit, quod eis, qui ad ſiniſtram poſiturus eſt, dicet: Ite maledicti*, &c. *nec increpat, quia in eum non crediderunt, ſed quia opera bona non fecerunt*, &c. quæ ibi prolixè proſequitur. XIII.

Tandem cap. 16. ait: *Hîc à me fortaſſe quæratur de ipſa Apoſtoli ſententia, quid ego ſentiam ſcilicet* 1. Cor. 3. v. 13. *Si quis ſuperædificat ſuper fundamentum hoc*, &c. *fœnum, ſtipulam*, &c. *fateor me hic malle audire doctiores, qui ſic eam exponant, ut illa omnia vera & inconcuſſa maneant, quæ ſuprà commemoraui*, &c. *quibus aperriſſime ſcriptura teſtatur, nihil prodeſſe fidem, niſi eam, quam definiuit Apoſtolus, id eſt, quæ per dilectionem operatur, ſine operibus autem ſaluare non poſſe*, &c. & infrà: *Fundamentum Chriſtus eſt, ſi autem Chriſtus, procul dubio Fides Chriſti, per Fidem quippe habitat Chriſtus in cordibus noſtris, ſicut idem Apoſtolus dicit. Porro Fides Chriſti, illa utiq; quam definiuit Apoſtolus, quæ per dilectionem operatur. Non enim Fides illa dæmonum, cùm & ipſi credunt & contremiſcunt, & Filium Dei confitentur Jeſum, poteſt accipi in fundamentum, quare? quia non eſt Fides, quæ operatur per dilectionem, ſed quæ exprimitur per timorem. Fides igitur Chriſti, Fides gratiæ Chriſtianæ, id eſt, ea*

Fides,

Fides, quæ per dilectionem operatur posita in fundamento neminem perire permittit, &c. hæc Aug.

Sed cur tantus Doctor tantopere laborasset, si agnovisset illam Fidem particularem Acatholicorum, quæ non possit esse sine dilectione; dixisset ergo breviter, nec dæmones, nec ulli mali veram Fidem habere possunt, quia non potest à charitate separari. At vero Augustinus ex S. Scriptura supponit: Primò, quod Fides vera possit haberi sine dilectione. 2. quod si sine illa sit, nihil prosit. 3. si cum illa sit, tunc justificet cum illa, quæ Fidei cooperatur, imo per quam Fides operatur.

ARTICULUS VI.

Eadem Catholica veritas probatur testimoniis SS. Patrum.

I. HAnc doctrinam Ecclesiæ, quod Fides vera possit esse sine dilectione, vel operibus; & tamen tunc non justificare, SS. Patres, tam Græci, quàm Latini tradiderunt.

S. Ignatius Martyr in epist. ad Ephes. Bibl. Patrum, sic ait: *Principium vitæ est Fides, finis vero ejus dilectio, ambæ autem junctæ, & in unitate factæ, hominem Dei perficiunt*; ubi supponit, quod separari possint, sed tunc Fides non perficiat.

Gregorius Nazianz. Orat. 40. quæ est in sanctum baptisma, edit. Antwerp. 1612. sic ait: *Decimo & postremo loco hoc dogmatum fundamento bona opera extrue; quandoquidem Fides sine operibus mortua est, quemadmodum & opera, si Fides absit*, &c. hæc ille. Ecce S. Doctor non aliam Fidem agnovit, nisi dogmaticam, quæ sit fundamentum justificationis, & hanc supponit posse absque dilectione esse, sed mortuam.

Gregor. Nyssen. hom. 8. in Eccles. edit. Colon. 1617. *Cùm Apostolus*, ait, *cum Fide connexuisset, & contexuisset justitiam, per eam armatur, thoracem munit*, & infrà: *Neq; enim Fides sine operibus justitiæ sufficit ad servandum; neq; rursus vita Justitiæ per se tuta est ad salutem, si sejuncta sit Fides*, &c. hæc ille.

II. *Chrysost.* hom. seu serm. 11. in epist. ad Phil. edit. Basil. anno 1558. circa medium sic ait: *Vides quod non simpliciter oporteat Fidem habere, sed quæ fit per opera? nam iste potissimum credit Christum resurrexisse, qui sui nullam habet rationem, periculu seipsum tradens, illiq; in passionibus communicans*, &c. hæc ibi.

Idem hom. 30. in Joann. eâd. edit. sic ait: *Nunquid ergo satis est ad vitam æternam in filium credere? minime, non enim omnis, inquit, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Et infrà: *Cùm ergo dicit: ipsa est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum; nolimus hoc nobis ad salutem satis arbitrari: opus namq; est nobis, & vitæ & morum puritate pollere; & licet hoc in loco dicat, qui credit in Filium, habet vitam æternam; nec bona tantum, sed suppliciorum quoq; formidinem proponit; quod, qui incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum; non tamen dicimus satis esse solam Fidem ad salutem. Quod, quæ de vita sæpe in Evangelio dicuntur, ostendunt: cur enim non dixit, ipsa est vita æterna sola; neq; qui credit in Filium solùm, habet vitam æternam, sed in utroq; vitam esse significavit, nam nisi mores sequantur, sequetur supplicium*, &c. hæc Chrysost. quid clariùs tam contra Lutheri quàm Calvini doctrinam dici posset? qui volunt Fidem solam justificare, idque ex verbis Christi jam allegatis, ubi S. Doctor dicit: non dixisse (solum) & ipse etiam ostendit, quod, licèt Fides det vitam, non tamen sola, sed utraq; scilicet Fides, & dilectio, cùm Calvinus econtra velit quidem dilectionem adesse, sed soli Fidei suæ tribuit vitam.

III. Similiter Ambrosius lib. 2. de Officiis edit. Paris. 1569. c. 2. *Scripturæ divinæ*, ait, *vitam beatam incognitione posuit divinitatis, & fructu bonæ operationis. Deniq; utriusq; assertionis Evangelicum suppetit testimonium, de scientia ita dicit Dominus Jesus, hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solùm verum Deum, & quem misisti Jesum Christum, & de operibus ita respondit: Omnis qui reliquerit domum, vel fratres*, &c. *propter nomen meum, centuplum habebit, & vitam æternam possidebit*, &c. hæc ille, ubi iterum patet, quod S. Doctor justificationem, quæ dat vitam beatam, in Fide & dilectione sitam esse ex Evangelio supponat.

Idem Ambros. lib. 7 in c. 14. Luc. eâd. edit. sic ait: *Fides & ratio quæritur.* Et infrà: *Nec hoc tamen plenum est, ut aliquis vocatus adveniat, nisi vestem habeat nuptialem, hoc est, Fidem habeat, & charitatem.*

Iterum in ps. 61. eâd. edit. circa illa verba: *effundite coram illo corda vestra*, sic ait: *Qui induit Fidem, prius perfidiam debet exuere, evacuare cor suum omni labe malitiæ, ut capax fiat cor ejus gratiæ spiritualis; ideoq; Apostolus ait, renovamini spiritu mentis vestræ, cùm enim effunditur vetus malitia, nova sumitur gratia, qua unusquisq; renovatur*, &c. hæc ibi. Ubi patet, quod præter Fidem requirat veram pœnitentiam, & quod per Fidem non renovetur homo, sed per gratiam.

Rursus circa c. 4. ad Hebr. eâd. edit. sic ait: *Magna quidem res est Fides, & sine hac non est salvari possibile, sed sola Fides non sufficit, operari Fidem per dilectionem necessarium est*, hæc Ambros.

IV. *Hieron.* lib. 1. in Jovin. edit. Basil. 1553. sic ait: *Circumcisio nihil est & præputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei: cùm etiam, Fides, quæ propriè Christianorum est, si opera non habuerit, mortua esse dicatur*, &c. hæc ibi, sed quæ Fides alia propria est Christianorum nisi justificans?

Idem ad c. 3. Micheæ eâd. edit. *Si autem*, inquit, *juxta septuaginta, quod dicitur de hæreticis, voluerimus accipere, qui verè pseudoprophetæ sunt, & dicunt Hæc dicit Dominus, & Dominus non misit eos, non errabimus. illi enim*, &c. *& dicunt, non necesse est, ut vivas continenter & sanctè; habeto Fidem, quam docemus, & omnia promissa Domini consequeris, quæ loquentes magis adversum eos iram Dei concitant*, &c. hæc ille. Licèt autem Acatholici protestentur, se hæc non docere, sequitur tamen ex illorum doctrina, ut patebit.

V. Concludat August. epist. 106. edit Bas. 1528. dicens: *Fides quæ per dilectionem operatur, nihil operaretur, nisi dilectio Dei diffunderetur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Et paulò infrà: *Siquis autem dixerit, quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus; imo vero gratissime confitemur, hanc enim fidem volumus, habeant, qua impetrent charitatem, quæ sola verè bene operatur*, &c. hæc ibi. Ecce contra Acatholicos; qui volunt quidem, quod Fidem suam justificantem infallibiliter comitetur, vel potius ab illa oriatur, charitas, soli tamen fidei tribuunt salutem justificationis, cùm August. velit, quod non quidem infallibiliter fidem charitas sequatur, sed quod fidelis

 per

Digitized by Google

per Fidem impetrare poſſit illam, cui ſoli attribuit, quod verè bene operetur; quid autem eſt verè bene operari, niſi juſtum eſſe, adeoque hoc ſolum vel præcipuè charitati tribuit.

Idem l. de Gratia & libero Arbitrio eâd. edit. cap. 7. ſic ait: *Homines non intelligentes, quod ait ipſe Apoſtolus; arbitramur hominem juſtificari per Fidem ſine operibus legis putaverunt eum dicere ſufficere homini Fidem, etiamſi male vivat, & bona opera non habeat; quod abſit ut ſentiat vas electionis qui cum dixiſſet quodam loco: In Chriſto enim Jeſu neq; circumciſio aliquid valet, neq; præputium, mox addidit: Sed Fides, quæ per dilectionem operatur, ipſa eſt Fides, quæ fideles ſeparat ab immundis dæmonibus; nam & ipſi credunt, & contremiſcunt; ſicut dicit Jacobus Apoſtolus, ſed non bene operantur. non ergo habent iſtam Fidem, ex qua juſtus vivit, id eſt, quæ per dilectionem operatur*, &c. hæc ibi.

Vbi patet, quod Auguſtinus non diſtinguat Fidem Fidelium à Fide dæmonum, quod Fideles habeant particularem Fidem, qua ſibi applicant merita Chriſti, & dæmones habeant Fidem ſolius notitiæ Dei: hoc enim faciliùs aſſignare poſſet, prout Acatholici faciunt, ſed ſupponit eandem utrobique Fidem, quæ tamen dæmones non juſtificat, quia non habent charitatem, quæ primariò juſtificat.

Idem tract. 87. in Joann. edit. Baſil. 1569. *Charitas ergo*, ait, *eſt fructus noſter, quam definit Apoſtolus de corde puro, & conſcientia bona, & Fide non ficta, hac diligimus invicem, hac diligimus Deum*, & infrà: *Quis bene gaudet, qui bonum non diligit, unde gaudet, quis ſalubriter fidelis, niſi eâ fide, quæ per dilectionem operatur*, &c. hæc ibi, ubi patet, quod nullam Fidem agnoſcat veram, & ſalutarem, niſi quæ per dilectionem operatur circa Deum, & proximum.

Rurſus tract. 10. in epiſt. Joann. eâd. edit. paulò poſt initium ſic ait: *Statim Fides conjunxit dilectionem, quia ſine dilectione Fides inanis eſt; Cum dilectione Fides Chriſtiani; ſine dilectione Fides dæmonis; qui autem non credunt, pejores ſunt quàm dæmones jam credit in Chriſto, ſed odit Chriſtum habet confeſſionem Fidei in timore pœnæ, non in amore coronæ: nam & illi puniri timebant. Adde huic Fidei dilectionem, ut fiat Fides, qualem dixit Apoſtolus Paulus*, &c. hæc ibi. Vbi iterum patet, quod Auguſtinus eandem Fidem ſupponat in malis & bonis, cui in bonis charitas additur, ut homo bonus ſit, vel juſtus, ſed Acatholici volunt, quod Fides juſtificans ſit in ſolis electis.

Similiter ſerm. 16. de verbis Apoſtoli eâd. edit. ait: *A Fide incipit homo, ſed quia & dæmones credunt, neceſſe eſt, addere ſpem & charitatem, ut juſtificentur*, &c. ubi patet, quod eandem Fidem ponat in malis.

Demum ibid ſerm 22. ſic ait: *Domus Dei credendo fundatur, ſperando erigitur, diligendo perficitur*, &c. hæc ibi, quæ eſt domus hæc, niſi interioris hominis renovatio, per quam Deus habitat in homine? & huius domus fundamentum Fidei, perfectio ſeu complementum charitati tribuitur, ut Auguſt. ex Apoſtolo Paulo ſæpius oſtendit,

***

ARTICULUS VII.

Quòd fides ſola nullo, qualicunque, modo juſtificet.

CVm Acatholici authoritate S. ſcripturæ & SS. Patrum teſtimoniis convicti fateri debeăt, quod fides quæ cum aliis diſpoſitionibus ante juſtificationem requiritur, non ſola juſtificet, & ſine charitate eſſe poſſit; tamen negant illam juſtificare, quam vocant Fidem univerſalem, hiſtoricam, & miraculorum, imo Calvinus illam Fidei nomine indignam dicere non veretur, ut ſuprà cap. 2. art. 3. viſum eſt, contra S. ſcripturam & SS. Patres. I.
Ad tuendam autem ſuam opinionem volunt, quod poſt illam Fidem, & alias dictas diſpoſitiones, alia Fides particularis ab homine concipiatur, *qua homo ſolida & certa perſuaſione ſibi Deum propitium, benevolumq; Patrem eſſe perſuaſus de ejus benignitate omnia ſibi pollicetur*, ut ait Calvin. lib. 3. cap. 7. §. 12. ubi Fidem cum Fiducia & confidentia de Dei benignitate confundit: licèt ibid. §. 15. diſtinguat dicens: *Quare Apoſtolus ex Fide deducit Fiduciam, & ex Fiducia audaciam. quod adeo verum eſt, ut ſupra ſæpe pro Fiducia nomen Fidei uſurpetur*. Hanc autem particularem Fiduciam diſtinguit à ſpe, quam dicit eſſe expectationem futurorum §. 42.

Itaque per hanc Fidem atque Fiduciam particularem tantùm dicunt hominem juſtum eſſe, non quod ob dignitatem illius Fidei Deo placeat; ſed quia Chriſti juſtitiam, quâ, ut dicunt, homo juſtus fit, non aliter, quam per Fidem hanc apprehendi, & homini applicari poſſit, ut Catechiſmus Heidelb. q. 60. c. 2. art. 3. relatus edicit; idque exponunt per ſimilitudinem inſtrumenti ſeu manus, quâ eleëmoſyna accipitur, quod nec charitati, nec aliis competere poſſe volunt.

Ad hoc ſtabiliendum volunt, quod nullum qualecunque opus, ut tale, ad juſtificationem concurrat, eo quod velint; ſi opus, ut tale, ad juſtificationem concurrere dicatur, tunc illud juſtificationem abſolutè mereri dicatur; unde inferunt, quod, quia omnia alia opera non poſſunt dici ad juſtificationem concurrere, niſi ut opera ſunt, & ſic non niſi ut opera meritoria; & ideo ab Apoſtolo opera excludantur: ſed quia, ut dicunt, ſola Fides duplicem habet rationem, ſcilicet operis & inſtrumenti, ideo Fides non quà opus, & proinde quà dignum vel meritorium, diceretur; ſed quà inſtrumentum eſt, ſola ad juſtificationem concurrat; ſcilicet, quia per Fidem talem homo juſtitiam Chriſti apprehendit, & ſibi appropriat, vel Dei abſolutionem, quâ hominem à peccatis liberum pronuntiat, apprehendit. Ad hoc etiam addunt, quod fides apprehendens, & Deus juſtificans, ſeu abſolvens, ſint correlativa, & ſimul natura in hoc, quod homo credendo accipiat id, quod Deus promittendo offert, & præſtat, adeoque ipſa fides prius naturâ juſtitiam apprehendat, & poſteà charitas, & alia ex illa orta ſequantur, ac proinde illa ſola ſic juſtificet. Verum quis non videt, quot cuniculos & modos falſitas inquirat, ut veritatis ſpeciem habeat, quis hominum hæc capiat, niſi à S. ſcriptura ad dialecticam remittatur; & tamen ibi verum refugium non invenit, ut patebit; & confutari poteſt ex ipſa eorum doctrina, nam correlativa ſunt ſimul natura; II.

tur;

tura; at vero Fides juxta ipſos non eſt ſimul natura cum remiſſione peccatorum, ſed illam ſupponit; volunt enim, quod Fides juſtificans ſit illa, qua homo credit ſibi peccata eſſe remiſſa, non vero, quod tunc remittantur.

III. Veruntamen Eccleſia Catholica antiqua & moderna juxta S. Scripturam ſimpliciter & clarè credit, & docet, quod Fides & alia opera ex ſpeciali Dei gratia facta ad juſtificationem concurrant, etiam quatenus opera ſunt, quia ex natura ſua & formaliter ſunt opera. Hoc imprimis patet de diſpoſitionibus ſeu operibus ad juſtificationem præparatoriis; de quibus Acatholici fateri debent, quod, ut diſpoſitiones ad juſtificationem concurrant, ſint opera; nec tamen ideo concedunt, quod illæ diſpoſitiones ſint opera meritoria. Sic etiam Eccleſia Catholica agnoſcit juxta S. ſcripturam, quod illa opera ſint verè opera præparatoria & diſpoſitoria, ſed tamen non aſſerit, quod ſint meritoria, ut infrà patebit: aliud eſt opus præparatorium, aliud meritorium. Fruſtra ergo ad illam fictionem Acatholici recurrunt, quod alia opera non poſſint concurrere, niſi ut meritoria, adeoque abſolutè non poſſint dici juſtificare, quaſi omne, quod ut opus ad juſtificationem concurrit, neceſſario ut meritum concurrat, quod falſum eſt.

Secundò, quoad rationem inſtrumenti ad juſtificationem, quam Acatholici ſoli fidei aſſignant, etiam falſum eſt; & quidem Eccleſia Catholica agnoſcit inſtrumentalem cauſam juſtificationis Sacramentum Baptiſmi, ut patet ex verbis Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 2. ſuprà c. 2. art. 4. relatis. Et ſimiliſ ratio eſt de Sacramento Pœnitentiæ, & verbo Dei, ut ibid. eſt dictum; quia illa ſunt inſtrumenta, per quæ Deus ex inſtitutione Chriſti applicat merita Chriſti, & confert gratiam, & corda purificat, ut patet ex S. ſcriptura, nam ſicut fide, & per Fidem homo dicitur purificari, ita etiam per Baptiſmum & baptiſmo. Sic ad Ephel. 5. v. 26. dicit Apoſtolus de Eccleſia, *ut illam ſanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*. Et ad Tit. 3. v. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*, &c. quomodo ergo ſoli fidei ratio inſtrumenti aſſignabitur?

IV. Nec huic ſatisfacit, quod Acatholici reſpondent dicentes: quod Baptiſmus ſit inſtrumentum ex parte Dei, quaſi manus Dei, quâ applicat gratiam, Fides autem ſit quaſi manus hominis, quâ recipit gratiam.

Non ſatisfacit, inquam, quia tam Fides, quàm Sacramentum eſt inſtrumentum Dei, quibus hominem juſtificat, Deus enim per Fidem, & Fidè purificat corda, ut patet: adeoque non ſola Fides dici poteſt per modum inſtrumenti juſtificare; imo, quatenus Fides eſt Dei inſtrumentum, ſic juſtificat, cùm inſtrumentum ſpectet ad cauſam efficientem; quatenus vero eſt ex parte hominis, potiùs ſpectat ad cauſam materialem, & diſpoſitivam, nec propriè inſtrumentum dicitur.

Quod autem dicunt ſe non excludere per ly (*ſolum*) Sacramenta, ſed alia opera, patet imprimis, quod temere contra S. ſcripturam paſſim urgeant: quod ſola Fides juſtificet, & hoc etiam patet in Baptiſmo parvulorum, ubi Fides parvuli nulla eſt, per quam quaſi per manum apprehendat Dei benevolentiam, niſi cum Luthero fingant parvulos habere uſum rationis, &c.

Veruntamen quod alia opera præparatoria etiam, ut Fides, juſtificent, hactenus copioſè ex S. ſcriptura oſtenſum eſt.

Ut autem abundè falſa Acatholicorum opinio confutetur, etiam ex ſuperfluo oſtendi poteſt, quod ſpes & charitas etiam per modum inſtrumenti perfectiùs apprehendant Dei benevolentiam, & bonitatem, & Chriſti merita, quam Fides: licèt enim intellectus dicatur apprehendere objectum, dum ſimpliciter aliquam propoſitionem quoad terminos cognoſcit, hæc tamen non eſt Fides, cùm & infideles propoſitionem Fidei apprehendant; nec tamen Fidem habeant, nec juſtificentur; ſed requiritur, ut intellectus aſſentiatur propoſitioni objectivæ prout ſuprà art. 2. cum D. Auguſtino dictum eſt, & per ſe patet; atqui, dum intellectus aſſentitur propoſitioni, non propriè dicitur, quod objectum illud ſibi appropriet, ſed ſolùm quod acquieſcat objectivè ſibi propoſitæ propoſitioni, non vero ſibi appropriatæ, vel unitæ: ad Fidem etiam requiritur actus voluntatis non enim credere poſſum niſi volens: juxta Auguſtinum tract. 26. in Joann. Secundò per ſpem, quâ Dei benevolentia ſperatur, ſeu de ea confiditur, adhuc magis homo illam ſibi appropriat, quam per Fidem, ut evidens eſt, quia ſi quis credat Dei benevolentiam, & non confidat de ea, nullo modo poteſt juſtificari, quod patet in illis, qui deſperant. Quod adeò clarum eſt, ut idcirco Acatholici Fidem cum ſpe ſeu Fiducia confundant, certum tamen eſt, quod diſtinguantur ex verbis Apoſtoli Ephes. 3. v. 12. cùm dicit de Chriſto Domino: *In quo habemus Fiduciam & acceſſum in confidentia per Fidem ejus*. Niſi igitur Fides juſtificans eſſet à Fiducia diſtincta, fruſtra & nugatoriè diceretur, quod Fiduciam per Fidem habeamus. Adeoque ex hoc etiam clarum eſt; quod Acatholici in ſua doctrina ſoli Fidei juſtificationis inſtrumentalem rationem non tribuant, ſed etiam Fiduciæ, quamquam nec hæc Fiducia, licèt firma, objectum ſibi in ſe planè appropriet, cùm multi plura ſperent, vel etiam confidant ſe habere, quæ non habent. V.

Verùm de dilectione, vel amore, aut charitate evidentiùs eſt, quod objectum amatum ſibi appropriet, & uniat, juxta illud 1. Cor. 6. v. 17. *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt*. Quomodo autem perfectiùs Deo adhæretur, quàm per charitatem. Unde 1. Joan. 4. v. 16. *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. Et Joann. 15. v. 4. *Manete in me, & ego in vobis*, &c. circa quæ verba dicit Aug. tract. 27. in Joann. ante medium: *Manemus in illo, cùm ſumus membra ejus; manet autem ipſe in nobis, cùm ſumus templum ejus, ut autem ſimus membra ejus, unitas nos compaginat, ut compaginet unitas, quid facit, niſi charitas*, &c. hæc ille. Si autem per ſolam Fidem nobis Chriſtus donetur, & uniatur, quid ergo charitas? ſi ſcriptura & SS. Patres docent, quod per charitatem uniamur, utique per illam etiam, ut perfectius inſtrumentum nobis Chriſtum appropriamus, & ipſi unimur; imo Auguſtinus dicit, quod nil niſi charitas compaginet. VI.

Cæterùm, etſi prædicto modo homo per Fidem, ſpem, & charitatem Dei miſericordiam, & Chriſti merita apprehendat, ſcilicet per Fidem credendo Deum ſibi fore miſericordem, & per Chriſti merita ſibi veniam obtinendam; per ſpem etiam eandem ſperet, & confidat, ſi ſufficienter pæniteat, & per dilectionem Deum & Chriſtum diligere VII.

Digitized by Google

incipiat; falsum tamen est: quod hæc sint correlativa cum Deo justificante, quia correlativa sunt simul naturâ; at vero dispositiones ad formam, & etiam causa efficiens non sunt simul natura; nam dispositiones præcedunt prius naturâ ad formam. Causa etiam efficiens est prior natura ipsa actione & forma. Jam autem hactenus est ostensum, quod *Fides, timor, spes, & dilectio* sint dispositiones ad justificationem; Deus autem misericors est causa efficiens, & Christi justitia seu meritum est causa meritoria justificationis, quæ ad causam efficientem pertinet, & licèt in eodem instanti, quo justificatio fit, maneant dispositiones, tamen sunt priores natura, quam ipsa justificatio; multò minus ergo sola Fides correlativè justificat.

ARTICULUS VIII.

Quòd fides & aliæ dispositiones justificationem præcedentes, illam absolutè non mereantur.

I. Constat ex hactenus dictis, quod duplicis generis sint opera, quæ homo peccator faciat, antequam justificetur: aliqua sunt, quæ ex solis naturæ viribus fiunt, & de his ostensum est art. 1. quod ne quidem ad justificationem disponant, multò minùs illam mereantur. Alia sunt opera, quæ homo peccator per Dei gratiam excitatus, & adjutus facit, quæ sine gratia facere non posset, & hæc sunt opera, de quibus hactenus ostensum est, quod sint dispositiones ex Dei voluntate requisitæ, priusquam homo justificetur: inter quas prima est Fides, &c. de his quæstio esse posset, an mereantur justificationem, si homo illa omnia per Dei gratiam præstiterit.

Circa hoc Acatholici Ecclesiæ Catholicæ falsò imponunt, quod doceat, quod per illa opera ex Dei gratia facta homo mereatur justificationem ad minus tanquam per merita de congruo, & hoc multis modis derident, & detestantur, quasi contra expressam S. scripturam & SS. Patres.

Verùm, quàm hoc falsum sit, ostendetur. Imprimis autem sciendum, quod etsi in S. Scriptura vel sanctis Patribus inveniatur nomen meriti bonorum operum; non tamen illa distinctio inter opera meritoria de congruo & condigno, licèt res ipsa probabiliter ostendi possit, ut infrà patebit.

II. Itaque absolutè asseritur, quod Ecclesia Catholica nec docuerit, nec doceat, ut de Fide certum, quod Fides & alia opera justificationem præcedentia illam mereantur, sive de condigno, sive de congruo. Hæc est communis & concors omnium Catholicorum sententia, ut patet ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 7. ubi omnes justificationis causas recensens dicit: *Meritoria autem Jesus Christus, qui cùm essemus inimici, &c. sua sanctissima passione in ligno crucis nobis Justificationem meruit*, &c. ubi causa meritoria illius soli Christo tribuitur, quod clariùs exprimit cap. 8. dicens: *Gratis autem justificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive Fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur, si enim gratia est, jam non ex operibus, aliàquin, ut idem Apostolus inquit, gratia jam non est gratia*, &c. hæc Concil. ubi non solùm opera solis naturæ viribus, sed etiam ipsa Fides, & aliæ dispositiones ex Dei gratia factæ expressè excluduntur à ratione meriti, ubi Concilium etiam rationem ex sacra Scriptura reddit; quod etiam inde constat, quia Concilium nunquam facit mentionem meriti bonorum operum, nisi illorum, quæ jam ab homine justificato per Dei gratiam efficiuntur. Vnde patet falsitas & impudentia Acatholicorum, cùm contrarium Concilio & Ecclesiæ imponunt. Verùm tamen est, quod aliqui Doctores tam antiqui, quàm recentiores, inter quos etiam est *Scotus* in 4. dist. 4. quæst. 2. n. 11. & dist. 14. q. 2. n. 16. & alibi, non tanquam de Fide certum, sed tanquam probabile asserant; quod Fides & alia opera per Dei gratiam facta justificationem præcedentia illam aliquo modo mereri dici possint, non tamen absolutè & simpliciter; eo modo, quo opera justificati vitam æternam merentur: & ideò assignant illam distinctionem meriti de condigno, & de congruo, ut *meritum de condigno* id dicatur, cùm opus tale est, quod ex absoluta & certa Dei promissione & pacto, ac ex justitia meretur coronam & mercedem, & sic opus ex gratia Dei à justificato factum dicitur de condigno mereri vitam æternam, unde & vita æterna vocatur in S. Scriptura, *merces & corona justitiæ*, &c. *opus autem meritorium de congruo* vocant, quod quidem in se bonum est ex gratia Dei factum, sed cui Deus non ex pacto præmium vel mercedem promiserit, sed tamen homini aliquam spem dederit aliqualiter promittendo, si homo fecerit, non tamen ex absoluta obligatione: & hoc modo dicunt Fidem & alias dispositiones dici posse mereri justificationem, quia Deus illis, qui credunt, & pœnitentiam agere volunt, spem veniæ indicavit, non tamen ex pacto promisit, & ideo non dicitur Deus illis veniam, ut Judex justus, dare; sicut justo coronam, sed ut misericors Dominus, & sub verbis aliqualiter dubitantibus, prout patet Joël. 2. ubi v. 13. dicitur: *Convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus & misericors est, patiens, & multæ misericordiæ, quis scit, si convertatur, & ignoscat.* Similiter dicitur Jonæ 3. v. 8. *Clament ad Dominum*, &c. & v. 9. *Quis scit, si convertatur, & ignoscat Deus?* Vnde dicunt hæc pœnitentiæ opera aliqualiter mereri, ita tamen ut Deus ex pacto non obligetur, sed tamen disponant hominem ex Dei ordinatione & gratia, tanquam conditiones requisitæ; ut homini peccata dimittat, & ex congruitate illi gratiam conferat, ita ut licèt absolutè non mereatur, nec Deus obligetur, congruum tamen sit, ut Deus tali homini, qui cùm ipsius adjutorio voluntariè talia opera præstat, gratiam largiatur, & veniam.

IV. Sic autem explicata hæc sententia nec ab Acatholicis rejici potest, qui, ut suprà visum est, fatentur talia opera præparatoria ex Dei voluntate præcedere debere justifi-

ficationem, ut diſpoſitiones & conditiones requiſitæ, ſine quibus Deus ordinariè nolit hominem juſtificare, & hoc omnes Catholici Doctores etiam docent. Sed an dicenda ſint talia opera aliqualiter meritoria, nec ne; Catholici diſputant, qui potiùs in nomine quàm in re differunt. Acatholici adhuc aliud negant dicentes, nec talia opera, imo nec fidem ipſam, ut opera ſunt ad juſtificationem concurrere, ſed hæc ſuprà refutata ſunt, & per ſe abſurdum eſt negare, quod tales actus ſeu opera, quæ Deo excitante, incipiente, & cooperante fiunt, nullam habeant bonitatem vel dignitatem, licèt non habeant talem, quæ abſolutè juſtificationem mereatur: Sed tamen talia ſunt ob Dei gratiam cooperantem, ut Deo, licèt imperfectè aliqualiter placeant, & congruum ſit, ut homo illa habens à Deo non ex debito, ſed ex gratiâ juſtificetur.

ARTICULUS IX.

Etſi de Fide certum non ſit, probabiliter ſalvâ fide dici, poteſt quod fides, & aliæ diſpoſitiones ad juſtificationem requiſitæ, illam aliqualiter, ſeu de congruo mereantur.

NE verò Acatholici ſuo more contra hanc quorundam Doctorum ſententiam inſoleſcant, quâ dicunt, quod fides & aliæ diſpoſitiones dici poſſint aliqualiter mereri juſtificationem, quam præcedunt, oportet ut ex S. Scriptura & SS. Patribus oſtendam, quod illud ſaltèm probabile ſit.

Ex S. Scriptura probatur primò, quia his operibus aliqua cauſalitas reſpectu juſtificationis tribuitur per præpoſitiones *per* & *ex*, ſic quoad Fidem patet Rom. 3. v. 28. *Arbitramur hominem juſtificari per Fidem.* Et Rom. 5. v. 1. *Juſtificati ergo ex Fide*, &c. Item ad Hebr. 11. Apoſtolus per plura exempla oſtendit, quod Sancti per Fidem Deo placuerint, tanquam per bonum opus.

II. Et quoad SS. Patres ſufficiat Auguſtinus, qui paſſim oſtendit, quod per Fidem impetretur remiſſio peccatorum, & gratia, ut lib. de ſpiritu & litera cap. 13. ubi dicit: *quod factorum lex minando imperat, hoc Fidei lex credendo impetrat.* Et c. 30. *Per legem cognitio peccati, per Fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam ſanatio animæ*, &c.

Item lib. de prædeſt. Sanctorum cap. 7. ait: *Ex fide ideo dicit Apoſtolus juſtificari hominem, non ex operibus, quia ipſa prima datur, ex qua impetrantur cætera, quæ propriè opera nuncupantur, cum quibus juſte vivitur*, &c.

Ex his patet, quod Fides etiam ut opus bonum per Dei gratiam factum impetret remiſſionem peccatorum, & juſtitiam, ac proinde non nudè relativè, quâ nudè reſpiciet benevolentiam Dei, ut Acatholici volunt.

Idem quod de fide oſtenſum eſt, etiã de timore Dei, ac dilectione, dolore de peccatis, &c. ante Juſtificationem requiſitis oſtendi poteſt; quod ſcilicet aliqualiter impetrent juſtificationem, quia aliqualis cauſalitas illis in S. Scriptura tribuitur, utpote Ezech. 18. v. 27. *Cùm averterit ſe impius ab impietate ſua, quam operatus eſt*, &c. *ipſe animam ſuam vivificabit.* Luc. 7. v. 42. *Remiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* 1. Joann. 3. v. 14. *Tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*, &c.

Similiter de aliis diſpoſitionibus oſtendi poteſt, & patet ex his quæ art. 4. ex S. Scriptura allegata ſunt; ex quibus conſtat, quod illæ diſpoſitiones, etiam ut bona opera hominem ex Dei voluntate præparent ad Juſtificationem, & eatenus illam aliqualiter impetrent: quod Doctores illi mereri de congruo dicunt; unde *Scotus* ſuprà pro eodem accipit, diſponere ad juſtificationem, & mereri de congruo diſt. 14. q. 2. n. 16. dicens: *ad quod talis actus diſponit meritoriè de congruo*, &c. quod autem hoc modo ſalvâ Fide illi actus juſtificationem mereri dici poſſint, patet ex SS. Patribus, qui his actibus aliquam meriti rationem, ut ſileam nomen, tribuerunt.

Origenes hom. 11. in Levit. cap. 20. edit. Baſil. 1557. ſic ait: *Purgatio peccati, per pænitentiam conſtat, quam utrum quis dignè gerat, ita ut mereri veniam ex ea poſſit, video*, &c. III.

Cyprianus hom. 5. de Lapſis concludit dicens: *Qui ſic Deo ſatisfecerit, qui pænitentia facti ſui, qui pudore delicti, plus virtutis & Fidei de ipſo lapſus ſui dolore conceperit, exauditus, & adjutus à Domino, quam contriſtaverat nuper, lætam faciet Eccleſiam, nec jam ſolum Dei veniam* MEREBITUR, *ſed coronam*, &c.

Athanaſius lib. de Virginit. edit. Pariſ. 1581. *Vides*, ait, *quale remedium in lachrimis; ſpecta, quaſo quam iniquitatem deleverint*, &c. *quippe qui ter iurejurando Dominum abnegaverit, tantum tamen ſcelus per lachrimas deleuit*, ubi patet, quod velit dicere, quod per lachrimas, ſeu dolorem de peccato veniam impetrârit.

Ambroſius lib. 2. de Pœnit. cap. 3. edit. Pariſ. 1569. *Tam citò*, ait, *veniam meretur, ut venienti, & adhuc longè poſitò occurrat Pater, oſculum tribuat*, &c.

Idem lib. 10. in cap. 22. Luc. ſic ait: *Reſpexit Dominus Petrum, & lachrimæ veniam non poſtulant, ſed merentur.* Et infrà: *Et tu ſi veniam vis mereri, dilue culpam lachrimis tuis*, &c. hæc ille.

Hieronymus lib. 2. contra Pelagianos, edit. Baſil. 1553. *Qui peccata ſimpliciter confitentur, merentur humilitate clementiam Salvatoris*, &c.

Demum *Auguſtinus*, licèt juſtiſſimè & graviſſimè contra Pelagianos egerit, oſtendens nullum eſſe meritum, ex naturæ viribus ſecluſa gratia ad juſtificationem; tamen, actibus fidei & dilectionis ex gratia Dei factis aliquam meriti rationem, & nuncupationem tribuit; ſic enim expreſsè ait epiſt. 105. fol. 2. edit. Baſil. 1528. dicens: *Nec ipſa remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi Fides hanc impetrat; neq; enim nullum eſt meritum Fidei, qua Fide ille dicebat, Deus propitius eſto mihi peccatori, & deſcendit juſtificatus merito fidelis humilitatis, quoniam, qui ſe humiliat, exaltabitur; reſtat igitur, ut ipſam Fidem, unde omnis Juſtitia ſumit exordium*, &c. *non humano tribuamus arbitrio, nec ullis præcedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona opera, quæcunq; ſunt merita ſed gratuitum donum Dei eſſe fateamur, ſi gratiam veram, id eſt, ſine meritis cogitamus*, &c. ubi patet, quod Fidei tribuat meritum reſpectu juſtificationis, ita tamen, ut IV.

ipſa Fides ſit ex nuda gratia ſine ullis præcedentibus meritis.

V. Similiter epiſt. 106. eâd. edit. ſic ait: *Juſtificati igitur ex Fide, pacem habemus ad Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum; juſtificati autem gratis per gratiam ipſius, ne Fides ipſa ſuperba ſit, nec dicat ſibi; Si ex Fide, quomodo gratis? quod enim Fides meretur, cur non potiùs redditur, quàm donatur? non dicat iſta homo fidelis, quia, cum dixerit: Vt merear iuſtificationem habeo Fidem, reſpondetur ei: Quid habes, quod non accepiſti?* Cùm ergo FIDES IMPETRAT JUSTIFICATIONEM, *ſicut unicuique Deus partitus eſt, etiam ipſius menſuram Fidei, non gratiam ipſius præcedit meriti aliquid humani, ſed ipſa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici*, &c. hæc ibi, ubi clariſſimè obiectio aliorum refutatur, & oſtenditur quod Fides præcedens iuſtificationem, eamque impetrans, ſit ex gratia, adeoque adhuc gratis detur iuſtificatio, quia per Fidem ex gratia datam.

Idem lib. 1. Retract. cap. 26. eâd. edit. circa libros 83. quæſtionum ſic ait ad quæſt. 68. *De eo quod ſcriptum eſt, O homo, tu quis es, qui reſpondeas? ubi dixi, quia, etiamſi levioribus quibuſque peccatis, aut certe quamvis gravioribus & multis, tamen magno gemitu & dolore pœnitendi miſericordia Dei dignus fuerit, non ipſius eſt, qui ſi relinqueretur, interiret, ſed miſerentis Dei; qui eius precibus doloribuſque ſubvenit, parum enim eſt velle, niſi Deus miſereatur: ſed Deus non miſeretur, qui ad pacem vocat, niſi voluntas præceſſerit ad pacem, hoc dictum eſt poſt pœnitentiam: nam eſt miſericordia Dei, etiam ipſam præveniens voluntatem, quæ ſi non eſſet, non præpararetur voluntas à Domino, & ad eam miſericordiam pertinet & ipſa vocatio, quæ etiam Fidem prævenit*, &c. hæc ibi, ubi hominem dicit dignum miſericordiâ per gemitus, ita tamen, ut alia miſericordia & ipſos gemitus, & Fidem præveniat.

Similiter lib. 1. Retract. cap. 23. eâd. edit. ſic dicit: *Deinde ſubiunxi: Quod ergo credimus, noſtrûm eſt, quod autem bonum operamur, illius eſt, qui credentibus dat Spiritum Sanctum: profecto non dicerem, ſi jam ſcirem ipſam Fidem inter Dei munera reperiri, quæ dantur in eodem ſpiritu, utrumque ergo noſtrûm eſt propter arbitrium voluntatis, & utrumque tamen datum eſt per ſpiritum Fidei & charitatis; nec enim ſola charitas, ſed, ſicut ſcriptum eſt, charitas cum Fide à Deo Patre, & Domino noſtro Ieſu Chriſto.* Epheſ. 6. & infrà: *Quia neque velle poſſumus, ut vocemur, & cùm poſt vocationem voluerimus, non ſufficit voluntas noſtra, & curſus noſter, niſi Deus & vires currentibus præbeat & perducat*, &c. & infrà: *Itaque quod paulo poſt dixi, ſicut enim in his, quos elegit Deus, non opera, ſed Fides inchoat* MERITUM, *ut per munus Dei bene operetur*, &c. *veriſſime dixi, ſed Fidei meritum, etiam ipſum eſſe donum Dei, nec putavi quærendum eſſe, nec dixi*, &c. hæc ibi. Vbi patet quod licèt vir ſanctus retractaverit illud, quod dixerat: *Quod credimus noſtrûm eſt*, quaſi Fides eſſet ex nobis tantùm, & non ex gratia Dei, cùm & Fides ſit munus Dei. Confirmat tamen, quod veriſſimè dixerit, quod Fides inchoet meritum eſſe donum Dei, adeoque affirmat Fidem inchoare meritum, & Fidei eſſe meritum, ſed ex gratia donum Dei.

Iterum tract. 44. in Joann. edit. Baſil. 1529. circa finem ſic ait: *Adhuc inunctus loquitur, nam & peccatores exaudit Deus; ſi enim peccatores Deus non exaudiret, fruſtra ille publicanus*, &c. *diceret: Deus propitius eſto mihi peccatori, & iſta confeſſio meruit iuſtificationem*, &c. hæc ibi.

Ex his SS. Patrum teſtimoniis patet, quod ipſi Fidem & alios actus pœnitentiæ ac dilectionis ex gratia Dei factos, qui juſtificationem præcedunt, non dubitaverint vocare merita; & dixerint, illos mereri, ſeu impetrare iuſtificationem; & ſic aliqui Doctores hunc modum loquendi SS. Patrum ſequuntur; fatentur tamen omnes, quod non ſint, nec abſolutè ſint dicenda merita, ſicut illa opera, quæ ab homine jam juſtificato fiunt, quibus à Deo merces & corona eſt promiſſa; non enim his promiſſio talis facta eſt. Cùm itaque hæc merita in ſe ſint prorſus diſtincta iuxta S. Scripturam & SS. Patres, & tamen ab illis generaliter merita vocentur, Doctores illam diſtinctionem adhibent, ut opera iuſtificati vocent de condigno, alia verò opera iuſtificationem præcedentia de congruo appellent; in re autem nihil aliud dicere volunt, quàm quod hæc ſint opera ab homine per gratiam Dei excitantem & adiuvantem facta, quibus quidem Deus ex certa promiſſione non obligetur, ſed illa tamen ex Dei voluntate in homine requirantur, ut hominem præparent, & diſponant, ut congruum ſit, quod Deus illos quos ſic vocavit, & diſpoſuit ex miſericordia, & non ex debito, vel juſtitia, juſtificet.

Et hoc ſenſu omnes Doctores Catholici docent, quod Fides iuſtificet, ſicut etiam aliæ diſpoſitiones, prout paſſim S. Scriptura loquitur: ſcilicet, quod hominem ad Juſtificationem diſponant, & ſic aliqualiter illam impetrent.

Cùm ergo etiam Acatholici fateri debeant, quod Fides initialis, & alii actus hominem præparent, & diſponant ad Juſtificationem; & hoc ſolum aliqui Doctores Catholici per nomen meriti de congruo intelligant, cur ita inſoleſcunt contra nomina, qui rem ipſam fateri debent?

VII. Conſtat autem ex prædictis, quod Eccleſia Catholica cum Concilio Trid. tales diſpoſitiones non agnoſcat abſolutè merita; imo nec nomine meriti vocet, ſed nomine diſpoſitionis, cùm dicit ſeſſ. 6. c. 8. *Nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive Fides, ſive opera, ipſam iuſtificationis gratiam promerentur*; licèt c. 7. dicat: quod *Spiritus Sanctus iuſtitiam partitur ſingulis prout vult, & ſecundum propriam cuiuſque diſpoſitionem, & cooperationem*: Quod clarum ex S. Scriptura. An autem hæc diſpoſitio dicenda ſit meritum de congruo, non determinat, imo nec unquam meriti de congruo meminit. Itaque licèt illæ diſpoſitiones dicto modo hominem præparent, & juſtificationem impetrent; tamen Juſtificatio planè gratis datur, quia ex nuda gratia & miſericordia Dei abſque ullis præcedentibus meritis propriè dictis, quibus ſimpliciter merces debeatur.

Hæc videat author Anonymus primi libelli, & erubeſcat, quod dicat D. Auguſtinum univerſaliter negare omne meritum noſtrum. Quod Pontificii aſſerunt, cùm ex prædictis conſtet D. Aug. ſuſtinuiſſe, ſe veriſſimè dixiſſe, quod fides inchoet meritum, & merita etiam ante iuſtificationem aſſignet; quod tamen Eccleſia Catholica non aſſerit de fide certum, nec ulli Catholici; ſed aliqui D. Auguſtinum in hac impropriè locutum fuiſſe dicunt.

AR-

ARTICULUS X.

Reſpondetur ad argumenta Acatholicorum ex S. Scriptura.

A Catholici ſuam de ſola Fide juſtificante opinionem ex S. Scriptura probare contendentes, primò allegant illa loca, ubi omnibus credentibus promittitur vita æterna, quod, ut volunt, verum non eſſet, niſi ſola Fides juſtificaret. Sic autem dicitur Joann. 3. v. 36. *Vt omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Act. 13. v. 38. de Chriſto dicitur: *In hoc omnis, qui credit juſtificatur.* Rom. 10. v. 11. *Omnis qui credit in illum non confundetur.* 1. Joann. 5. v. 1. *Omnis qui credit, quoniam Jeſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt,* &c.

Reſp. primò: Oſtendant Acatholici, quod ibi Scriptura de Fide ipſorum particulari loquatur.

Reſp. 2. quod, licèt ibi de vera Fide Catholica ſit ſermo, quæ ad ſalutem eſt neceſſaria, non tamen S. Scriptura intendit, quod omnis, qui ſolùm credit, vitam habeat, excludendo alia: id patet ex ſimilibus Scripturæ locis, ubi ſicut his omnibus vitam promittit, qui credunt, ſic etiam aliis actibus eadem promittit, utpote Eccleſiaſt. 2. v. 11. dicitur: *Nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt.* Item ibidem. *Quis invocavit eum, & deſpexit illum?* Et proverb. 16. v. 20. *Qui ſperat in Domino, beatus eſt.* Luc. 11. v. 10. *Omnis qui petit, accipit;* & ſicut Rom. 10. v. 11. dicitur: *omnis, qui credit in illum, non confundetur.* Ita ibid. v. 13. dicitur: *Omnis enim quicunque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.* Et ſicut 1. Joann. 5. dicitur: *Omnis qui credit,* &c. ſic ibid. cap. 4. v. 7. dicitur: *Omnis qui diligit, ex Deo eſt,* &c. ubi patet, quod licèt de ſingulis illis ſeorſim dicatur, quod omnes, qui illa agunt, ſalvi fiant, non tamen intelligitur, quod excludatur Fides & alia, ita nec cum hoc dicitur de fide; *ſpes, invocatio Dei, dilectio,* &c. excluduntur.

II. 2. Objiciunt loca S. Scripturæ, ubi videtur ſoli Fidei tribui ſalus, ut Luc. 7. v. 50. *Fides tua te ſalvam fecit.* Et Luc. 8. v. 48. *Fides tua te ſalvam fecit.* Et ibid. v. 50. *Dominus dicit patri puellæ defunctæ: Noli timere, crede tantum, & ſalva erit,* &c. ubi videntur alia excludi, & ſoli Fidei ſalus attribui.

Reſp. ergo iterum, Acatholici doceant, quod ibi de Fide ſpeciali agatur. Reſp. 2. etſi de Fide vera Luc. 7. ſermo ſit, non excluditur dilectio, quia ibid. 47. de eadem Maria Dominus dicit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniã dilexit multum.* Quoad locum alterum Luc. 8. v. 48. patet, quod Dominus loquatur de Fide miraculorum, quâ mulier fluxu ſanguinis laborans tangebat fimbriam veſtimenti ejus credens ſe ſanandam. Tertius locus etiam manifeſtè agit de Fide miraculorum, quàm Acatholici nolunt juſtificare; & quidem verum eſt, quod ſola Fides miraculorum ſufficiat ad obtinendum miraculum, vel ad illud etiam faciendum, cùm conſtet, quod multi in nomine Chriſti dæmonia ejecerint, qui in die judicii condemnabuntur, ut patet Matth. 7. adeoque inde formare argumentum, de Fide ſola ad juſtificationem, & ſalutem, tam in re ipſa, quàm ex ſententia Acatholicorum falſum eſt.

III. Objiciunt 3. loca diverſa Apoſtoli, qui ſæpius excludit omnia opera à Juſtificatione, & tamen attribuit Fidei, ut ad Rom. 3. v. 27. *Vbi eſt ergo gloriatio tua? excluſa eſt. per quam legem? factorum? non, ſed per legem Fidei.* 2. ibid. 28. *Arbitramur enim juſtificari hominem per Fidem ſine operibus legis,* &c. Item Gal. 2. v. 16. *Scientes quod non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per Fidem Jeſu Chriſti.* Vbi ly (niſi) videtur ſolùm Fidem demonſtrare.

Item ad Philipp. 3. v. 9. *Vt inveniar in illo non habens meam Juſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam, quæ ex Fide eſt Jeſu Chriſti.* &c.

Rurſus Epheſ. 2. v. 8. *Gratiâ ſalvati eſtis per Fidem. & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur,* &c. ubi legis non opera, ſed omnia abſolutè opera excludi videntur; adeoque etiam ipſa Fides, ut eſt opus, &c.

Similiter ad Tit. 3. v. 4. *Non ex operibus Juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit.*

Demum ad Rom. 3. v. 24. dicitur: *Juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, quam propoſuit Deus propitiationem per Fidem.*

IV. Reſp. pro declaratione verborum S. Apoſtoli: Sciendum eſt primò, quod inter Fideles ex Judæis, & alios ex gentibus converſos, æmulatio erat; dum illi ſibi arrogabant Euangelium, ſeu gratiam Chriſti factam, quaſi per obſervantiam legis illam meruiſſent; hi ſibi ex operibus naturalibus Philoſophiæ illam attribuebant. Apoſtolus autem docet, quod omnes tam Judæi, quàm Gentiles ſub peccatis fuerint, ut patet ex cap. 1. ad Rom. nec per ulla opera propria meritoria ab illis liberari potuerint, ſed ſolùm per gratiam Chriſti. Unde ut dicit Auguſt. lib. Expoſit. epiſt. ad Rom. edit. Baſil. 1522. *Apoſtolus tanta moderatione, uti nec Judæos inflari permittat, tanquam de meritis operum legis, nec gentes merito Fidei adverſus Judæos inflari, quod ipſi Chriſtum receperint, quem illi crucifixerunt,* &c. & infrà: *Vtrisque auferens omnem ſuperbiam meritorum, & juſtificandos utroſque per diſciplinam humilitatis,* &c.

V. Sciendum 2. quia ex obſcuris quibuſdam verbis Apoſtoli malè intellectis de Fide juſtificante ſine operibus opinionem quidam conceperant, quaſi Apoſtolus omnia opera bona excluſiſſet, quod nihil prodeſſent, ſive ante juſtificationem, ſive poſt illam, ſed ſola Fides etiã cum operibus malis ad ſalutem ſufficeret, ideo dicit *Auguſtinus* lib. de Fide & Oper. cap. 14. ut ſuprà relatum eſt, quod Apoſtolus Jacobus, Petrus, Judas contra hunc errorem ſcripſerint. Idem dicit lib. 83. qq. cap. 76. ubi ait de Apoſtolo Jacobo: *Cùm bona opera commemorat Abrahæ, quæ ejus Fidem comitata ſunt, ſatis oſtendit Paulum Apoſtolum non ita per Abraham docere juſtificari hominem ſine operibus, ut ſi quis crediderit, non ad eum pertineat bene operari; ſed ad hoc potius, ut nemo meritis priorum operum arbitretur ſe pervenire ad donum juſtificationis, quæ eſt in Fide.* Et infrà: *Vnde manifeſtum eſt, quod Paulus dicit: Arbitramur enim hominem juſtificari per Fidem ſine operibus non tamen ita intelligendum eſt; ut accepta Fide, ſi vixerit, dicamus eum juſtum, etiamſi male vixerit,* &c. hæc ibi.

Quod

Digitized by Google

VI. Quod autem iustificatio, quæ est in Fide, non excludat dilectionem, & alias conditiones requisitas; quæ ex gratia Christi, prærequiruntur; patet ex prædictis, cùm *Augustinus* dicit Jacobum allegasse opera, quæ Fidem comitata sunt, quales sunt dispositiones, &c. & Paulum exclusisse opera, quæ Fidem præcedunt.

Similiter idem August. passim ex Apostolo ostendit, specialiter lib. de Fide & Operibus cap. 16. dicens: *Fundamentum Christus est, si autem fundamentum Christus, procul dubio Fides Christi; per Fidem quippe habitat Christus in cordibus nostris, idem Apostolus dicit, porro Fides Christi illa utiq., quam definiuit Apostolus, quæ per dilectionem operatur*, &c. hæc August. similiter alii Patres loquuntur.

VII. Ex his patet, quod Apostolus Paulus, cùm vel opera legis, vel opera absolutè à justificatione excludit, de operibus à Judæis, & à gentilibus ex viribus naturalibus sine speciali gratia ante Fidem factis loquatur; qui putabant se per illa Fidem, & alia Dei dona accepisse, adeoque nec Fides, nec alia dona, vel ipsa justificatio ex gratia vel gratis, sed ob propria merita, data essent; & tunc frustra Christus pro peccatis mortuus esset, ut passim Apostolus urget: Omnis autem justificatio incipit à Fide Christi quæ per gratiam Dei specialem ex merito Christi in homine excitatur, ut ad justificationem præparet; quam per Dei gratiam aliæ dispositiones sequuntur, ad quas Justificatio ex misericordia Dei datur, ut Augustinus epist. 105. edit. Basil. 1528. dicit: *Restat igitur, ut ipsam Fidem, unde omnis justitia originem sumit, non humano, quo illi extelluntur, tribuamus arbitrio, nec ullis præcedentibus meritis*, &c.

VIII. Sciendum est 3. quod SS. Patres præsertim Aug. explicet, quid Apostolus per legem factorum, & per legem Fidei intelligat; scilicet per legem factorum intelligat non solùm legem veterem, sed quamcunque etiam novam, quatenus ostendunt, & iubent, quid servandum sit; per legem Fidei intelligat ipsam Fidem Christi, quæ ostendit, & præbet gratiam, quâ lex impleri potest ad salutem; adeoque, qui legis præcepta solùm sine Fide Christi & gratia illius servasse videntur, nihil illis prosit ad remissionem peccatorum, vel ad salutem.

Sic August. lib. de Spir. & Lit. cap. 10. eâdem edit. tractans illa verba Apostoli: Exclusa est ergo gloriatio tua, &c. *non per legem factorum, sed legem Fidei, de lege factorum dicit*: Non enim *ex ea iustificatus est, sed ex lege Fidei. qua credidit, nullo modo posse sua infirmitati ad implenda ea, quæ lex factorum iuberet, nisi diuina gratia subueniri.* Ideo dicit: *Vbi est ergo gloriatio? exclusa est, per quam legem? factorum? non: sed per legem Fidei*, &c. hæc ille, ubi dupliciter explicat illa verba: *Exclusa est gloriatio*; semel ut intelligatur *gloriatio laudabilis, quæ in Domino est* (de qua Apost. 2. Cor. 10. qui gloriatur in Domino glorietur) *tamq. exclusam Apostolus dixerit, id est, non ut abscederet, pulsam, sed ut emineret expressam, quæ scilicet per legem Fidei bona eminet: aliam gloriationem vitiosam, qui gloriantur, quasi non acceperint, quæ per legem Fidei excluditur, seu abjicitur, quia, ut aic per legem Fidei quisq. agnoscit, si quid bene viuit, Dei gratia se habere*, &c. hæc August.

IX. Cæterùm, ut legem factorum à lege Fidei accuratiùs distinguat, procedit cap. 13. dicens: *Cito quisque dixerit legem operum esse in Judaismo, legem autem Fidei in Christianismo; propterea, quia circumcisio, cæteraque opera talia legis sunt, quæ Christiana disciplina non seruat*, &c. ubi ostendit illam distinctionem non valere, quia & vetus & lex nova dicit: *Non concupisces*, & per utramq. est cognitio peccati, & sic eatenus utraque lex est factorum, quæ prohibet peccatum. Sed subjungit dicens: *Quid igitur interest, breuiter dicamus: quod lex operum minando imperat, hoc Fidei lex credendo impetrat. Illa dicit: Non concupisces, ista dicit, cùm scirem, quia nemo esse potest continens, nisi Deus det, & hoc erat sapientiæ scire cujus esset hoc donum, adii Dominum, & deprecatus sum, ipsa est illa sapientia, quæ pietas vocatur, quâ colitur Pater luminum, à quo est omne datum optimum*, &c. *ut cultor eius non in seipso, sed in illo glorietur, ac per hoc lege operum dicit Deus: Fac, quod iubeo; lege Fidei dicitur, da, quod iubes; ideo enim jubet lex, ut admoneat, quid faciat Fides. id est, ut cui iubetur, si nondùm potest, sciat, quid petat, si autem continuo potest, & obedienter facit, debet etiam scire, quo donante possit.* &c.

Demum concludit dicens: *His consideratis colligimus non iustificari hominem præceptis bonæ vitæ, nisi per Fidem Jesu Christi, hoc est, non lege operum, sed lege Fidei, non litera, sed spiritu, non factorum meritis, sed gratuitâ gratiâ*, &c. hæc August. ubi manifestè supponit, quod lex Fidei non solùm per modum manus Justitiam Dei apprehendat, sed ipsa Fides, à Deo data etiam gratiam ulteriorem obtineat, seu impetret, ut legem servet.

X. Ex quibus patet, quod per legem factorum D. Augustinus cum SS. Patribus intelligat legem, quæ præcipit, quid faciendùm sit, sed non indicat, quâ virtute impleri possit, nec dat virtutem; adeoq; per hanc legē non habet homo, ut ipsam legem impleat, lex autem fidei dicitur, quæ ostendit hominem ex sua naturali virtute non posse legem implere, multò minùs obtinere remissionē peccatorum vel gratiam, sed hæc omnia per merita Christi à Deo danda esse, unde homo ex lege fidei per gratiā Dei acceptam excitatur, ut doleat, speret, Deum diligere incipiat, & à Deo veniam petat, & iustificationem, de qua ipse ex suis operibus gloriari non possit, sed in Domino: & sic tota iustificatio legi fidei tribuitur, sive in novo, sive in veteri Testam. ut nemo aliter iustificatus fuerit.

XI. Sciendum 4. quod magna sit distinctio similiter inter iustitiam, quæ ex lege est, & iustitiam, quæ ex Deo est, nam iustitia, quæ ex lege est, dicitur illa, quando homo facit aliqua opera exteriora, quæ lex præcipit, sed non ex gratia Dei, sed ex naturæ viribus, sibiq; adscribit, & putat se facere bona, quæ tamen non facit sincera; quæ ex Deo est, charitate; adeoq; non prosunt; Justitia autem ex Deo seu fidei est, quam facit ex gratia Dei, & ut talis à Deo agnoscitur. De hac loquitur *Aug.* lib. 3. contra epist. Pelagian. c. 7. circa medium allegans verba Apostoli ad Philippenses 3. *Et inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est*, &c. dicens: *Cùm lex illa, ut dixi, Dei sit, iustitiam suam* (Apostolus) *dicit esse, quæ ex lege est, quam suam iustitiam noluit habere, sed projecit ut stercora; cur ita? nisi quia hoc est eos esse sub lege, qui ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei subjecti non sunt*, &c scilicet, quia opera suis viribus attribuunt, & in re verè iusta non sunt. Vnde subdit

Pa-

putant enim se arbitrii sui viribus implere legem jubentem, & ista implicati superbia ad gratiam non convertuntur juvantem; sic eos litera occidit, aut aperte etiam sibi reos, non faciendo quod præcipit, aut putando se facere, quod spiritali, quæ ex Deo est, non faciunt charitate, ita remanent aut aperte iniqui, aut fallaciter justi, &c ac per hoc miro quodam modo, sed tamen vero justitiam legis non implet Justitia, quæ in lege est, vel ex lege, sed quæ in spiritu gratiæ; justitia quippe legis impletur in eis, sicut scriptum est, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum; secundum justitiam vero, quæ in lege est, se fuisse sine querela in carne, non in spiritu, dicit Apostolus, & justitiam, quæ ex lege est, suam dicit fuisse, non Dei: intelligendum est igitur justitiam legis non impleri secundum justitiam, quæ in lege est, vel ex lege, id est secundum Justitiam hominis, sed secundum Justitiam quæ est in spiritu gratiæ, ergo secundum Justitiam Dei, hoc est, quæ homini ex Deo est: quod planius & brevius ita dici potest, Justitiam legis Dei non impleri, cum lex jubet, & homo quasi suis viribus facit; sed cum spiritus adjuvat, & hominis non libera, sed Dei gratia liberata voluntas facit: legis itaque Justitia est, jubere, quod Deo placet, vetare; quod displicet; in lege autem justitia est, servire literæ, & extra eam nullum Dei adjutorium ad recte vivendum requirere: Cum enim dixisset, non habens meam justitiam quæ ex lege est, sed eam quæ est per Fidem Christi addidit, quæ ex Deo est. Ipsa est ergo Justitia Dei, quam superbi ignorantes suam volunt constituere: non enim propterea Justitia Dei dicitur, quoniam Deus justus est, sed quia homini ex Deo est. Secundùm autem hanc justitiam Dei, hoc est, quæ ex Deo nobis est, nunc Fides operatur per dilectionem, &c. hæc August.

Hæc ad verbum ex D. August. allegand duxi, ut magis pateat, quàm conformiter Ecclesia Catholica cum antiqua Ecclesia & SS. Patribus in materia de Fide justificante doceat.

XII. Jam facilis est declaratio circa loca ex Epistolis Pauli allegata pro sola Fide justificante.

Itaque Apostoli Rom. 3. verba: *Exclusa est gloriatio tua*, &c. sic intelliguntur, quod omnis tam Judæos, quàm Gentilis remissionem peccatorum accipere debeat per Christum, prout præmiserat in textu præcedenti Apostolus. Unde infert: *Exclusa est gloriatio tua*. Scilicet (tua) Judæe, quâ gloriabaris te per observantiam legis; Vel ô Gentilis, per alia tua & ex tuis viribus facta opera, & merita ad Fidem venisse, vel te justificatum esse; hanc gloriationem dicit excludi per legem Fidei quæ docet Fidem, & gratiam ex solis Christi meritis obtineri, quæ est lex Fidei; adeoq; lex Fidei, excludit opera illa prædicta, sed non excludit omnem legem, cùm ipsa lex Fidei etiam lex sit, nec excludit opera illa, quæ Fidem ex Christi gratia consequuntur, vel concomitantur; quia de illis homo non gloriatur, quasi sua sint, sed in Domino, quia per Christi gratiam accepit, prout August. suprà cum Apostolo dicit.

Et juxta hoc ad alterum locum patet, *arbitramur hominem justificari sine operibus per Fidem*, &c. quia certum est quod homo nullus justificetur ex operibus legis, scilicet factorum, sive illis, quæ ex cognitione legis sive veteris, sive novæ jubentis, per proprias vires sunt facta; quia illa nullatenus ad justificationem, nec ut merita, nec ut conditiones concurrunt, vel sufficiunt, imo nihil prosunt, sed justificatur homo per fidem, quæ per dilectionem operatur, adeoque comprehendit alias dispositiones ad justificationem requisitas, ex gratia Christi factas, quæ est lex fidei, seu spiritus gratiæ, qui vitam donat; & ideo non solùm Christiani, sed nec ulli ante Christum justificati fuerunt per legem istam factorum, sed per legem Fidei, seu spiritum gratiæ Christi, quâ adjuti & justificati, legis mandata spiritali charitate servârunt; ut proinde non in se, sed in Domino gloriari potuerint; & hoc est, quod Apostolus intendit, ut patet ex toto textu, & cap. 4. cùm de Fide Abraham loquitur, & in seqq. capitibus, & in epist. ad Hebr. 11. ubi ostendit, quod per Fidem antiqui salvati fuerint.

Hinc etiam patet intellectus verborum Apostoli ad Gal. 2. *Scientes quod non justificatur homo*, &c. quia ibi per ly *nisi* excludit opera legis factorum, seu opera ante Fidē ex viribus naturæ facta, non vero excludit gratiā Christi, nec seipsam, ut patet; ipsa autem Fides non aliter justificat, nisi quia per charitatem operatur, ut Apostolus passim docet; adeoq; cum dicit Apostolus, *nisi per Fidem*, comprehendit spem, timorem, dilectionem, quæ per gratiam Dei Fidem comitantur, vel ex ipsa quasi gignuntur, & hoc patet ex textu ibid. num. 21. cum Apostolus dicit: *Si per legem Justitia, ergo gratis* (seu frustra) *Christus mortuus est*. Et Rom. 4. v. 14. *Si enim, qui ex lege, hæredes sunt, exinanita est Fides, abolita est promissio*, &c. ubi patet quod excludat opera legis, quæ Fidem præcedunt, vel ex viribus naturæ; quia, si per illam justitia accipiatur, tunc Fides frustra datur, Christus frustra mortuus esset. XIII.

Similiter locus ad Philipp. 3. *ut inveniar in illo non habens meam justitiam, quæ ex lege est*, &c. jam à D. Augustino expositus est lib. 3. contra epist. Pelag. supra relato, ubi Apostolus fatetur se illam justitiam, quam ex lege habuerat (quam suam vocat) scilicet quatenus legem Mosaicam externè sine querela ex suis viribus servârat sine spiritu gratiæ, illam ut stercora reputavit; quia nihil proderat: præsertim, quia cum illa externa Justitia habuerant etiam gravissima peccata, dum persequeretur Ecclesiam Christi; unde postea ex nuda gratia accepit justitiam, *quæ ex Fide est Christi Jesu, quæ ex Deo est justitia in fide*, & hæc justitia ex Fide est viva, quæ per dilectionem operatur, adeoque non excludit dilectionem, sed necessariò includit, ut absq; hac nec Fides justitiam, quæ ex Deo est, consequeretur.

Locus ad Ephes. 2. *Gratia salvi facti estis per Fidem*, eodem modo intelligitur: quod fideles salutem gratiâ seu gratis consecuti sint, scilicet justificationem, quæ est salus in spe, *per Fidem, & non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus*, &c. ubi manifestè Apostolus dicit, quod per Fidem justificati sint, quam non ex se, vel suis viribus acceperant per præcedentia opera, quia Fides est donum Dei; adeoque non ex præcedentibus operibus illam habebant, nec idcirco gloriari poterant, se ex suis operibus, & meritis Fidem, & per consequens justitiam, vel salutem consecutos esse; de quibus operibus Judæi, & Gentiles gloriabantur. Ubi fatemur quod omnia opera tam legis, quàm alia Fidem præcedentia, excludantur; negamus tamen, quod

opus Fidei, quod est Dei donum, excludatur, & illa quæ ex Fide sequuntur, *timor, fiducia, dilectio*, &c. quæ etiam Dei dona sunt, & ideo gratis data sicut Fides; unde non glorietur homo, nisi in Domino qui gratis donat.

Similiter locus ad Tit. 3. intelligitur *non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos*; quia illa opera justitiæ legis, vel factorum ex lege, vel naturæ viribus facta, Fidem & justificationem præcedentia, nec illam merentur, nec ad illam sufficienter etiam disponunt; sed Deus per suam misericordiam confert Fidem, & salutem per lavacrum baptismi, *& gratiam spiritus Christi*.

XIV. Demum quoad locum ad Rom. 3. *Justificati gratis*, &c. ex hoc patet primò, quod ibi Apostolus non loquatur de Fide speciali, quâ aliquis certissimè credat sibi per Christum remissa esse peccata, & se esse justificatum, cùm dicit: quod *Deus Christum nobis proposuit per Fidem in sanguine ipsius propitiationem*, quod fit per Fidem universalem.

2. Ad propositum conceditur, quod Apostolus dicat, *quod sine ullis præcedentibus meritis Justificatio fiat*, & quidem de operibus Fidem præcedentibus clarum est ex hactenus dictis; imo Concil. Trident. expressè docet, quod nec ipsa Fides, nec aliæ dispositiones justificationem præcedentes illam mereantur: ita enim sess. 6. cap. 8. dicit: *Gratis justificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive Fides, sive opera justificationis, gratiam promerentur: si enim gratia est, jam non ex operibus, alioquin, ut & idem Apostolus* Rom. 11. v. 6. *inquit: Gratia jam non est gratia*, &c. hæc Concil. adeoq; Ecclesia clarè docet cum Apostolo, quod etiam ipsa opera dispositiva per Dei gratiam facta cum Fide non justificent hominem meritoriè, quasi justificationem mereantur: cùm hoc tamen consistit, quod disponant, cùm nec Fides sic mereatur; & tamen per Fidem homo justificari in sacra Scriptura dicatur; hoc verum est, non meritoriè sed dispositivè, quæ longè diversa sunt: potest enim aliquis dives gratis & ex pura gratia puerum pauperem sibi proponere adoptare in hæredem; ita tamen, ut certas conditiones in illo requirat, ad quas etiam auxilium præbet, scilicet ut studiis & bonis operibus operam navet, & aliter se disponat, ad quæ ipsi necessaria præbet; non tamen pauper per illa meretur adoptionem, sed sunt conditiones & dispositiones, quas dives requirit, antequam ipsum adoptet; & ideo Concil. Trid. cap. 6. ex sacra Scriptura ostendit, quod homo prius disponi debeat per certos actus, quàm justificetur, ut per *Fidem, timorem*, &c. & tamen negat, quod istæ dispositiones gratiam justificationis mereantur; insuper negat, quod tales actus sint sufficientes dispositiones, nisi ex speciali Dei gratia auxilio, & dono fiant, unde dicit ibid. can. 3. *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Hæc est Catholicæ Ecclesiæ doctrina, & hoc etiam omnes Doctores docent, qui verò dicunt probabiliter, quod hæ dispositiones mereantur justificationem de congruo explicant Apostolum & Concilium de merito condigno, quod simpliciter est meritum.

XV. Hîc autem dubium moveri posset, cùm Acatholici etiam concedant, quod Fides & alia opera, ut dispositiones & conditiones ante justificationem requirantur, nec tamen illam mereantur, quæ sit ergo diversitas? Cùm Ecclesia Catholica etiam doceat, quod illæ dispositiones prærequisitæ justificationem non mereantur.

XVI. Hujus resolutio ex hactenus dictis constare potest; nam licèt Acatholici in duobus prædictis consentiant; tamen in hoc dissentiunt, quod Ecclesia Catholica doceat juxta sacram Scripturam: Primò, quod, dum sacra Scriptura docet hominem per Fidem justificari, id intelligatur de Fide universali & Catholica, quâ homo per gratiam Dei excitatus, & adjutus credit omnia à Deo revelata, prout credit Ecclesia Catholica, sine qua impossibile est placere Deo, ut Concil. Trident. sess. 6. cap. 8. ex sacra Scriptura tradit, & D. Augustinus lib. 3. contra 2. epist. Pelag. cap. 5. supponit, quod licèt hæreticus aliqua bona opera, quæ videntur valde bona, habere videatur, *si tamen*, ut ait, *non in Deum rectam & Catholicam Fidem teneat, de hac vita damnandus abscedet.* Constat autem quod diversarum sectarum hæretici Fidem illam specialem Calvini concipiant, quæ non est Catholica; per hanc autem Fidem Catholicam homo etiam credit specialiter, & expressè, quod Deus sit justus, & misericors, veniam seriò pœnitentibus promittens, quâ eadem Fide homo etiam credit Deum sibi fore propitium, si seriò pœnitentiam agat, unde ob peccata sibi timet, & ob misericordiam Dei per Christi merita sperat veniam, & petit, dolet, & Deum diligere incipit, &c. & cùm per hos actus ex gratia Dei elicitos homo dispositus fuerit, illosque habuerit, Deus ex misericordia Justificationis gratiam donet, quam tamen donare non sit obligatus; nec actus illi illam merentur: nihilominus quia illi actus à Deo prærequisiti sic hominem ad justificationem disponunt, ideo per illos actus homo justificari, vel justificationem obtinere in sacra Scriptura dicatur; nam sicut sacra Scriptura per Fidem hominem justificari dicit, similiter per alios actus justificari hominem docet, ut suprà art. 4. ostensum est, licèt Apostolus sæpe expressiùs de Fide loquatur; id fit ex eo, quia Fides inter alios actus est prima, sine qua nemo rectè timet, sperat, vel diligit, &c.

2. Ecclesia docet, quod Fides illa vera cum aliis actibus per gratiam factis sint vera opera hominis, & Dei dona, prout Aug. profitetur lib. 1. Retract. c. 23. ubi id, quod aliquando dixerat: *Quod credimus nostrum est, quod bene operemur illius est*, corrigit dicens. *Profectò non dicerem, si jam scirem ipsam fidem inter Dei munera reperiri, utrumq; ergo nostrum est propter arbitrium voluntatis, & utrumq; tamen datum est per spiritum*, &c. hæc ille. Eodem modo reliqui actus & nostri sunt, & dona Dei, & per hæc opera Fidei, timoris, spei, &c, ut opera sunt, docet Ecclesia, quod homo dispositivè justificetur, & hoc S. Scriptura docet, licèt justificationis gratiam non mereatur, quæ distincta sunt, ut suprà dictum est, adeoque non sola Fides hoc modo justificet.

Aca-

Digitized by Google

Acatholici verò, licèt concedere debeant, quod Fides universalis cum timore & aliis actibus Justificationem præcedant, & ad illam disponant, negant tamen, quod ideo dici possit hominem per illos justificari, eò quòd velint, nullum opus, quatenus opus dici posse iustificare, nisi etiam dicatur iustificationem mereri, hoc autem negat Ecclesia Catholica, nec hoc Acatholici ex S. Scriptura probare possunt.

2. Acatholici, ut suam opinionem de sola Fide iustificante tueantur, fingunt dari etiam Fidem particularem, quæ Fidem universalem, & alios actus dispositorios sequatur, quâ homo credat certissimè sibi peccata esse remissa, & sibi iustitiam Christi applicatam; & in hac Fide duo assignant: unum, quod sit opus, & hâc ratione negant, quod justificet, alioquin, ut ipsi volunt, etiam diceretur mereri; alterum, quod sit instrumentum, quo tanquam per manum homo à Deo recipiat remissionem peccatorum & iustitiam, ita ut simul natura sint, quod homo per Fide m recipiat remissionem, & Deus donet remissionem & in hoc sit iustificatio, adeoq; hæc Fides non possit esse sine remissione, tanquam duo correlativa.

XVIII. Hanc autem fictionem de Fide particulari, & de tali modo iustificandi, sicuti & contra verbum Dei allectam negat Ecclesia Catholica, licèt Catholici Doctores doceant, quod Fides non sola, sed cum dilectione apprehendat remissionem peccatorum, & Dei gratiam, sed non aliter, quàm, ut sunt opera ex gratia facta ad iustificationem disponentia, & cum illa in homine permanentia: *Fides* quidem proponendo & assentiendo Dei misericordiæ, *spes* verò confidendo, seu adhærendo; *charitas* autem hominem Deo uniendo; & si hunc modum instrumentalem licet appellare, constat quod non soli Fidei competat, quæ sola sine spe, & dilectione nihil prodest, proinde minimè ita cum iustificatione conjuncta est, ut correlativa simul natura sint.

ARTICULUS ULT.

Respondetur ad loca, quæ Acatholici SS. Patribus pro sola sua fide adducunt.

I. Acatholici suam opinionem etiam ex SS. Patribus probatam volunt, qui sæpius dicunt, quod sola Fides iustificet, exprimendo ly *sola.*

Primò allegant *S. Hilarium* qui can. 8. in Matth. sic ait: *Movet Scribas remissum ab homine peccatum, hominem enim tantum in Iesu Christo intuebantur, & remissum abeo, quod lex laxare non poterat, Fides enim sola iustificat,* &c.

2. *Ambrosium* Comment. in c. 3. ad Rom. ubi dicitur: *Justificati sunt gratis, quia nihil operantes, neq; vicem reddentes, sola Fide iustificati sunt dono Dei.*

Ibid. in c. 4. dicitur: *Non ergo opus est lex, quando impius per solam Fidem iustificatur,* &c.

3. *Chrysostomum* homil. 3. in epist. ad Titum, ubi sic ait: *Si credis Fidei cur alia infers, quasi Fides iustificare non sufficiat sola* &c.

4. *Augustinum* lib. 1. contra 2. epist. Pelag. c. 21. ubi dicit: *Quanta libet fuisse virtutis antiquos prædices iustos, non eos salvos fecit, nisi Fides mediatoris.* Item lib. 83. qq. q. 76. *Si quis, cùm crediderit, mox de hac vita discesserit, iustificatio Fidei manet cum illo. nec præcedentibus bonis operibus, quia non merito ad illam, sed gratia pervenit, nec consequentibus, quia in hac vita esse non sinitur,* &c. hæc ibi.

5. *Leonem Papam* epist. 70. sic dicentem: *Sola Fides Catholica vivificat, & sanctificat.*

Pro intellectu dictorum SS. Patrum sciendum quod diversimodè possit de Fide dici, quod sola justificet: Primò, quod inter omnes Fides, quæ de Christo prædicantur vel usurpantur, sola Fides Catholica ad salutem conducat (& nulla hæreticorum Fides, licèt in Christum credat) sine qua nemo Deo placere queat, & hic sensus certissimus est, de quo sensu S. Leo loquitur. II.

2 Quod comparando Fidem Christi, cum lege Moysi, etiam verissimum est, quod sola Fides in Christum absq; lege iustificet, sic lex Fidei opponitur leg. Moysi, vel operibus ex lege factis. Lex autem Fidei includit spem & charitatem, quæ Fidem sequuntur ex gratia Christi.

3. Sumitur Fides non simpliciter, sed per charitatem operans, & sic etiam verum est, quod illa sola iustificet, ita ut non excludat, sed includat alios actus ad iustificationem prærequisitos.

4. Etiam sumitur Fides per dilectionem quidem in corde operans, tamen nulla opera externa exercens ob defectum occasionis.

Itaq; Ecclesia Catholica non absolutè negat hunc loquendi modum, quod sola fides iustificet, sed solū in illo sensu, quo Acatholici dicunt quod ipsa sola ita iustificet, ut nulli alii act⁹ ad iustificationē requirantur, prout *Lutherus* volebat, & contra hos dicit Concil. Trid. sess. 6. can. 9. *Si quis dixerit sola Fide impium iustificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari, atq; disponi, anathema sit.* Ubi Concilium indicat, quod aliis modis prædictis dici possit solam Fidem iustificare, scilicet, vel per Charitatem operantem, vel alios actus dispositivos, tanquam radicem includentem. III.

His suppositis resp. primò: Acatholici ostendant, quod aliquis S. Pater in illo sensu docuerit solam Fidem iustificare, quo ipsi docent, scilicet, quod talem Fidem specialem tradiderit, & de illa docuerit, quod sola iustificet sic apprehendendo relativè iustitiam Dei; horum nihil nec ex S. Scriptura, nec ex SS. Patribus ostendere possunt.

Resp. 2. quod certum sit prædictos, & alios SS. Patres in sensu verò aliquo ex prædictis dixisse solam Fidem iustificare, sed non in sensu Acatholicorum. De *Hilario* patet ex texto, quod Fidem comparet cum lege, & sic dicit, quod sola Fides Christi seclusâ lege justificet, quod verissimum est; non verò excludit actus *timoris, spei & dilectionis ex Fide procedentes,* & ad iustificationem ex S. Scriptura requisitos, quod etiam patet ex ipsius verbis can. 7. in Matth. ubi sic dicit: *Salus gentium omnis in Fide est, & in præceptis Domini vita est universorum;* ubi patet, quod vitam, ponat non in sola Fide, sed etiam in observantia præceptorum, quæ est iustitia.

Similiter *Ambrosius* dicto loco per ly *solam* excludit cæremonialia legis veteris: non autem excludit charitatem, ut patet ex eodem in Comment. ad 4. cap. ad Hebr. edit. Paris. 1569. ubi sic ait: *Magna res est Fides, & salutaris, & sine hac non est salvari* IV.

 possi-

Digitized by Google

poßibile, operari Fidem per dilectionem necessarium est, & conuersari digne Deo, &c. & ex aliis locis suprà allegatis.

Similiter *Chrysostomus* loquitur de Fide, ut cum lege ceremoniali comparatur, & sic dicit Fidem Christi sufficere solam sine legalibus, & ideo illa non esse inserenda; quod autem de legalibus intelligat, patet ex contextu, cùm dicit: *Quid te spontaneæ seruituti subdis, & legis jugo colla submittis?* hæc ibi. Quod autem ipse per ly *sola* non excluserit opera, quæ Fidem Christi sequuntur, spem, dolorem, & dilectionem, quasi illa non cooperarentur Fidei, patet ex pluribus locis, præsertim ex illo suprà art. 6. allegato Hom. 30. In Joann. ubi sic ait: *Nunquid ergo satis est ad vitam æternam in Filium credere? minime*, &c. & infrà: *Non tamen dicimus Fidem satis esse solam ad salutem*, &c. *cur enim non dixit, ipsa est vita sola*, &c. vide suprà similiter homil. 70. in Matth. sic ait: *Ne fideles sola se Fide saluari posse confidant, de pœna malorum disseris*, &c. & homil. 1, in 1. ad Timot. sic dicit: *Non Fide solum opus est; sed etiam charitate.*

Quoad *D. Augustinum* res nimis evidens est,
V. quod nunquam Fidei soli tribuerit justificationem excludendo charitatem, ut patet ex locis suprà articulo 6. allegatis epist. 105. ubi dicit: *Fides, quæ per dilectionem operatur, nihil operaretur, nisi dilectio Dei diffunderetur*, &c. & lib. de Gratia & lib. Arbitrio cap. 7. ibid. relato & alibi sæpe: quod autem lib. 1. contra 2. epist. Pelag. de Antiquis dicit: Verissimum & indubitatum est, quod non nisi Fides mediatoris, qui, ut ait, in remissionem peccatorum sanguinem fudit, ipsos salvos fecit, sicut omnes alios, non verò lex, vel opera naturæ, unde subdit: *Per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus nos saluos fieri, quemadmodum & illi, hoc vos non vultis inimici gratiæ Christi, ut eadem gratia Jesu Christi salui facti credantur antiqui, sed distribuentes tempora secundum Pelagium, in cuius libris hoc legitur, & ante legem dicit eos saluos factos esse per naturam, deinde per legem, postremo per Christum, quasi hominibus duorum superiorum temporum, ante legem scilicet, & in lege, sanguis Christi non fuerit necessarius, euacuantes quod dictum est, unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus*, &c. hæc August. ubi patet, quod Fidem Christi opponat legi, & naturæ, ita ut non ex lege, vel viribus naturæ salvi facti sint, sed per Fidem Christi, quæ comprehendit gratiam, & dilectionem in Christo, ut idem sit, per Fidem Christi salvari, ac per gratiam, & merita ipsius, & non ex meritis legis, vel naturæ; hoc Fides docet, & obtinet, quæ per charitatem operatur, ut ibid. lib. 3. cap. 5. eadem tractans de Antiquis generaliter dicit: quod *homo ducens vitam sine homicidio, castus*, &c. ubi plura bona opera recenset, & subjicit: *Si non in Deum Fidem rectam & Catholicam teneat, de hac vita damnandus abscedat; alius autem habens quidem bona opera ex Fide recta, quæ per dilectionem operatur; non tamen ita, ut ille bene memoratus*, &c. *de hac vita liberandus, & in consortium cum Christo regnaturorum recipiendus emigrat*, &c. & infrà: *Sine ipsa* (Fide) *vero, etiam quæ videntur bona opera, in peccata vertuntur*, &c. hæc ille. Ubi patet quod intendat neminem sine fide in Christum salvari; Sed non solâ Fide, ut contra dilectionem distinguitur, sed quæ per dilectionem operatur.

Alius locus lib. 83. qq. q. 76. clarè loquitur de operibus Fidem præcedentibus, & iustificatio- VI.
nem sequentibus; & quidem præcedentia excludit, quod nullo modo mereantur; sequentia verò non excludit, quasi non mereantur, sed quod non sint necessaria ad justificationem, quam sequuntur; non autem excludit dilectionem, quæ Fidem comitatur in ipsa Justificatione: hæc patent ex contextu; nam præcedentia Fidem excludit, cùm ante verba allegata dixisset: *Paulus dicit posse hominem sine operibus præcedentibus iustificari per Fidem*. &c. *quamuis antea nihil operatus iuste ad Fidei Iustificationem peruenit, non merito bonorum operum, sed gratia Dei, quæ in illo jam vacua esse non potest, cum iam per dilectionem bene operatur*, &c. & tunc verba allegata subjicit, quod possit homo justificatus mox mori cum hac Fide, & non operari postea bene, quia moritur; ubi dicit, quod sine illis sequentibus iustificationem operibus salvus fit: quod clarum est, sed non excludit internum opus bonum dilectionis, quod Fidem in Justificatione comitatur; asserit autem, quod homo post iustificationem vivens, si non bene operetur, damnabitur, licèt Fidem habeat veram, quod multis testimoniis Pauli, & Euangelii probat, & specialiter ex illo Rom. 2. *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur*. Et subdit de Paulo, cùm dicit 1. Cor. 6. *qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt; satis ostendit, iam ex quo crediderunt, bene operari debere*, &c. per quod ostendit Paulum & Jacobum sibi non esse contrarios dicens in fine: *Quapropter non sunt sibi contrariæ duorum Apostolorum sententiæ Pauli & Jacobi; cùm dicit unus iustificari hominem per Fidem sine operibus; quia ille dicit de operibus, quæ Fidem præcedunt: iste de his, quæ Fidem sequuntur. Sic etiã Paulus ipse multis locis ostendit*, &c. hæc Aug. per quæ Acatholicorum opinio manifestè damnatur, qui volunt: quod Fides vera justificans non possit esse sine bonis operibus, & tamen Augustinus supponit, quod eadem Fides, per quam homo iustificatus est, scilicet habens adiunctam dilectionem, si homo post justificationem supervivat, posset manere sine operibus bonis, & sine dilectione, & tunc sit inanis iuxta Pauli & Jacobi sententiam; imo possit homo manens fidelis graviter peccare, & damnari.

CONCLVSIO.

HActenus ex S. Scriptura & SS. Patribus ostensum est.

Primò, quod in homine adulto peccatore, antequam iustificetur, requirantur, *actus Fidei, timoris, spei, doloris, dilectionis*, &c. quibus homo per specialem Dei gratiam excitatus, & adjutus, liberè ad Deum moveatur, & disponatur; ut Justificationis gratiam consequi possit: & hoc modo tales actus hominem disponentes & præparantes iustificare dicuntur; non verò, quod per illos homo iustificationis gratiam mereatur, multò minus per opera legis, vel ex solis naturæ viribus facta; quæ ne quidem ad iustificationem disponunt: sed Deus homini per dictos actus disposito gratis propter merita Christi gratiam largiatur.

Secundò,

Digitized by Google

Secundò, quod Fides ad justificationem disponens sit ipsa Fides Catholica, quâ homo universaliter credit ea, quæ à Deo revelata sunt, prout ab Ecclesia Catholica creduntur; ita tamen, ut hâc eadem Fide in speciali credat Deum misericordem, qui veniam peccatorum, & gratiam promiserit seriò pœnitentibus; adeoque & ipsi misericordem fore, si seriò pœniteat; cui Fidei, si spes, timor, dilectio accedant, homo sufficienter dispositus sit, ut à Deo justificetur; gratis tamen.

3. Quod, licèt justificatio tribuatur Fidei in sacra Scriptura, ut ipsa dicatur justificare, non tamen illi soli, quasi illa sola sufficienter disponeret, vel aliquo speciali modo sola justitiam obtineret: cùm S. Scriptura etiam de spe, & dilectione asserat, quod justificet, & vivificet; adeoque omnes simul ad justificationem requirantur, & disponant: sæpius quidem Fides justificare dicatur, quia est radix & fundamentum, unde justificatio incipit; quæ specialiter proponit, & ostendit gratiam Christi, per quam justificamur, & ad quam alii actus dispositorii sequuntur, & sine qua prodesse non possunt; ac proinde semper dum de Fide dicitur, quod justificet, etiam per illam intelliguntur alii actus; seu Fides per timorem, spem, & dilectionem operans.

4. Ostensum est, quod Fides illa, quæ ad justificationem disponit, possit esse sine aliis actibus; & tamen tunc non justificet: etiam eadem Fides, per quam justificari homo prædicto modo dicitur, jam in homine justificato manere sine operibus bonis possit, & cum malis operibus; sed tunc non sufficere ad salutem, sed potiùs talem credentem damnari.

5. Ostensum est, quod SS. Patres, dum subinde asserunt solam Fidem justificare, hoc intelligant vel de Fide Christi Catholica, ut opponitur vel legi Moysis, vel operibus ex naturæ viribus factis; vel etiam Fidei Hæreticorum, sic enim sola Fides Christi vera & Catholica salvat; sine qua impossibile est placere Deo; vel intelligitur de Fide, prout dilectionem, & alios actus comprehendit.

Demum sicut hæc ex S. Scriptura & SS. Patribus probata sunt, sic Acatholici nec ex S. Scriptura, nec ex SS. Patribus probare possunt; quod præter Fidem Catholicam generalem, quæ ad justificationem disponit, detur aliqua Fides divina specialis, quâ homo certissimè credat sibi esse peccata remissa, & justitiam applicatam; multò minus, quod illa sola justificet, idque per modum non operis, sed nudi instrumenti correlativè, prout in sequentibus magis patebit.

***

ANTITHESES,

In quibus doctrina Ecclesiæ Catholicæ Romanæ quoad causas & dispositiones ad justificationem S. scripturæ & SS. Patribus conformis, Acatholicorum verò doctrina illis contraria proponitur

PRimò, *SS. Patres juxta S. scripturam docuerunt*, quod Deus misericors solus sit efficiens causa justificationis. *Ita etiam Ecclesia Romana Catholica moderna.*

Acatholici moderni in hoc consentiunt.

2. *SS. Patres juxta S. scripturam docuerunt*, quod causa meritoria, propter quam Deus hominem justificet, sit solus Christus homo, qui pro peccatis Deo Patri in cruce satisfecit, & gratiam ac veniam impetravit. *Ita etiam Ecclesia Romana Catholica.*

Acatholici moderni in hoc consentiunt; at verò *Pelagiani* olim negabant.

3. *SS. Patres juxta S. scripturam docuerunt*, quod homo peccator adultus sine præveniente & excitante Spiritûs Sancti gratia, atque ejus adjutorio, non possit Fidem veram habere, seu in Christum, ut oportet, credere. *Ita Ecclesia Catholica Romana moderna.*

Pelagiani olim docebant, quod sufficeret homini audire Evangelium; & illo supposito, possit solis naturæ, & arbitrii sui viribus credere, & etiam justificationem obtinere, ac vitam æternam; ita ut non requiratur meritum Christi, sed illius passio sola esset in exemplum, & documentum ad imitationem.

4. *SS. Patres juxta S. scripturam docuerunt*, quod nullus actus præcedens Fidem ex solis naturæ viribus elicitus, ullatenus Fidem mereatur, vel etiam sufficienter ad illam, multò minùs ad justificationem disponat. *Ita etiam docet Ecclesia Catholica Romana.*

Pelagiani volebant, quod homo per naturæ vires posset audire verbum Dei, & sic sufficienter non solùm se disponere, sed etiam credere, & alia, quæ ad salutem necessaria, perficere, licèt commodius per novam Christi gratiam adjutus facere possit, ipsum autem liberum arbitrium homini innatum gratiam Dei falsò vocabant.

Hæc Acatholici Ecclesiæ Romanæ falsò imponunt.

5. *SS. Patres juxta S. scripturam docuerunt*, quod homo peccator adultus præter Fidem divinâ excitante, & adjuvante gratia conceptam; etiam alios actus Spiritu Sancto specialiter adjuvante factos, scilicet timorem ex Dei justitia conceptum; spem de Dei misericordia; inchoatam Dei dilectionem, pœnitentiam seu odium peccatorum, & dolorem de illis, ac propositum vitam emendandi habere debeat, priusquam justificetur. *Ita etiam Ecclesia Rom. Catholica.*

Acatholici moderni potiores consentiunt, licèt aliqui cum Luthero aliter senserint.

6. *SS. Patres docuerunt juxta S. scripturam*, quod Fides vera sit humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis, sine qua sit impossibile placere Deo. *Ita etiam Ecclesia Romana Catholica.*

Acatholici in hoc etiam consentiunt.

7. *SS. Patres juxta S. scripturam docuerunt*, quod Fides vera sola non justificet, nec ad justificationem sufficiat, si excludatur præsertim charitas Dei: bene autem sola justificare dicatur, si sit per dilectionem operans, & excludat legem Moysi, vel falsam hæreticorum in Christum Fidem; sic enim sola Catholica Fides per charitatem operans justificat. *Ita etiam Ecclesia Romana Catholica.*

Acatholici duplicem assignant Fidem: unam generalem, qua creduntur omnia de Deo revelata, & hanc fatentur non justificare solam; imo negant simpliciter illam justificare; alteram specialem, quâ quilibet credit sibi dimissa esse peccata, & hanc volunt solam justificare.

8. *SS. Patres juxta S. scripturam docuerunt*, quod Fides vera justificet ex eo, quia est prima radix & dispositio ad justificationem requisita, quâ homo ad illam præparetur, nec alium justificandi modum Fidei assignarunt. *Ita etiam Ecclesia Romana Catholica.*

Acatholici volunt, quod illa Fides specialis per modum nudi instrumenti justitiam Christi apprehendat, & tali modo justificet.

9. *SS. Patres juxta S. scripturam docuerunt*, quod eo modo, quo Fides justificat, etiam alii prædicti actus justificent, & omnes simul ad justificationem concurrant, & requirantur; scilicet per modum dispositionis & præparationis hominis subiecti justificationis. *Ita etiam docet Ecclesia.*

Acatholici volunt, quod, licèt alii actus cum Fide universali ad justificationem dispositivè requirantur, tamen nulli tales justificent, sed sola Fides specialis ab illis ficta.

10 *SS. Patres juxta S. scripturam docuerunt*, quod vera divina Fides justificans possit esse sine aliis actibus dispositivis, sed tunc non justificet; vel ad justificationem sufficienter disponat; imo quod inter omnes actus dilectio principaliùs, & perfectiùs ad illam concurrat. *Ita etiam Ecclesia Catholica.*

Acatholici, etsi fateantur, quod Fides universalis possit esse sine dilectione, negant tamen Fidem specialem suam posse esse sine illa, vel aliis donis; ita vero, ut sola illa Fides justificet.

11. *SS. Patres juxta S. scripturam docuerunt*, quod nec vera Fides, nec alia opera, quæ justificationem præcedunt, licèt cum speciali divina gratia sint facta, ipsam justificationem promereantur. *Ita etiam Ecclesia, ut patet ex Conc. Trid.*

Acatholici hoc etiam asserunt, licèt Catholicæ Ecclesiæ contrarium falsò affingant. Quamvis autem aliqui Doctores juxta modum loquendi SS Patrum probabiliter defendant, quod de congruo illam mereantur, non tamen absolutè & simpliciter, de quo est quæstio.

12. *SS. Patres juxta S. scripturam docuerunt*, quod, licèt opus Fidei & alia opera ad justificationem disponentia illam non mereantur, ut Deus ex justitia illam dare obligetur, sint tamen opera bona cum divina gratia facta, Deo grata, & ad justificationem disponant, quæ Deus requisivit, ut ex misericordia hominem justificet, & sic iustificare dicantur. *Ita & Ecclesia Catholica.*

Acatholici volunt, quod nec Fides universalis, vel alii actus dispositivi, nec etiam ipsa Fides particularis, ut opera sunt, ullatenus justificent; imo nullius sint pretii, vel dignitatis, sed sola Fides particularis instar instrumenti, vel ollæ vilis iustitiam Christi contineat, & sic iustificet.

13. *SS. Patres juxta S. scripturam docuerunt*, quod opus Fidei, & alii actus dispositivi, & opera cum Dei gratia facta, ad iustificationem concurrant, nec tamen ideo illam simpliciter mereantur, nec illum modum instrumentalem à ratione operis in actibus distinxerunt, qui tamen modus potius spei & dilectioni, quàm Fidei, convenit. *Ita etiam docet Ecclesia.*

Acatholici absolutè volunt illam distinctionem in uno actu, scilicet operis, & instrumenti, ita ut actus, si instar operis requiratur, necessariò debeat mereri iustificationem, non vero prout habet rationem instrumenti, quâ ratione non dicatur mereri; hanc autem soli Fidei competere posse, præter rationem operis, asserunt, in quo totam suam doctrinam de sola Fide speciali iustificante, quam à Fide, ut vocant, historica distinguunt, fundant, quam in S. scriptura non legunt, cùm tamen fundamentales Fidei articulos in S. scriptura expressos esse debere urgeant.

CAPUT IV.

De Causa formali justificationis.

ARTICULUS I.

Referuntur opiniones Acatholicorum.

NUnc ostendendum est, quæ sit ipsa actualis iustificatio, & quæ sit forma, quæ homini detur in iustificatione, seu communicetur, à qua formaliter iustificatus, vel iustus fit, & nominetur.

Opiniones Acatholicorum cap. 2. relatæ sunt, qui licèt verbotenus conveniant, quod sola Fides iustificet, tamen in re ipsa plurimùm dissentiunt, nam *Lutherus* etsi varius in sua hac doctrina fuerit, tamen subinde dicit; solam Fidem esse formalem causam iustificationis; subinde ipsum Christum per Fidem apprehensum, seu Christi merita, prout *Melanchton* etiam indicat: *Osiander* autem vult, quod ex sententia Lutheri ipsa Justitia Dei essentialis sit causa formalis, quæ per Fidem inhabitet. Verùm *alii Lutherani* hâc reiectâ sententia dicunt cum Melanchtone, quod Christi Justitia, seu omne opus à Christo in humana natura pro hominibus præstitum, per Fidem homini applicatum, sit Justitia formalis, à qua homo formaliter iustus fit, & dicatur; ita, ut nec Fides, nec ulla alia qualitas homini inhærens sit causa formalis, à qua homo iustus fit, vel dicatur.

Cal-

Calvinus lib. 3. Inst. c. 11. §. 2. duo ponit, scilicet *remissionem peccatorum, & Justitiæ Christi applicationem*, seu imputationem, dicens de Justificatione: *Eamq; in peccatorum remissione ac Justitiæ Christi imputatione positam esse dicimus*, &c. ac proinde vult, *quod homo hac Christi justitia vestitus coram Deo justus appareat, qui in se justus non est*, ut ibid. §. 3. dicit, & suprà cap. 2. relatum est; unde ibid. concludit, quod justificare nihil aliud sit, *quam eum, qui reus agebatur, tanquam approbata innocentia à reatu absolvere, & sic Deus hominem justificet Christi Justitiæ imputatione, non propriæ innocentiæ approbatione*, &c.

ARTICULUS II.

Refertur sententia Ecclesiæ Catholicæ de causa formali justificationis, & declaratur.

I. HAnc tradit Conc. Trid. sess. 6. cap. 7. aliis justificationis causis recensitis, dicens: *Demum unica formalis causa est Justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit; qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed vere justi nominamur, & sumus, Justitiam in nobis recipientes, unusquisq; suam secundùm mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult, & secundùm propriam cujusq; dispositionem, & cooperationem; quamquam enim nemo possit esse justus, nisi cui merita passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur; id tamen in hac impii Justificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atq; ipsis inhæret; unde in ipsa Justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem; nam fides, nisi ad eam spes accedat, & charitas, neq; unit perfecte cum Christo, neq; corporis eius vivum membrum efficit*, &c. hæc Concil.

II. Ex hac Concilii doctrina constat, primò, quod in justificatione concurrant & remissio peccatorum, & infusio Justitiæ; quia in omni mutatione est terminus à quo, & terminus ad quem: justificatio autem est mutatio seu translatio qua homo ex statu peccati transfertur, seu mutatur in statum gratiæ, & Justitiæ, juxta illud Coloss. 1. v. 13. *Gratias agentes Deo Patri*, &c. *qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii dilectionis suæ*, &c. utrumque autem fit effectivè à solo Deo misericorde, qui peccata dimittit, & gratiam infundit; at vero meritoriè utrumque solummodo propter merita Christi, à Deo præstatur sine ullis præcedentibus ipsius hominis meritis.

2. quod formalis justificationis causa non sit una simplex qualitas infusa, sed consistat in tribus illis virtutibus infusis, *fide, spe, & charitate*; ita tamen, ut charitas sit quasi ultimata forma, sine qua Fides, & spes non constituant hominem justum.

3. Quod illa Justitia vera à Deo infusa sit stola per Christum Jesum donata, candida, & immaculata; quam iubentur statim renati per Baptismum conservare, ut eam perferant ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, ut ait ibid. Concil. adeoque per illam stolam sint formaliter justi coram Dei tribunali; quod Acatholici prorsus negant, dicentes; quod iustitia habitualis homini inhærens, licèt aliqualiter illam nomine iustitiæ subinde dignentur, tamen non sit candida, & pura. sed nimiis sordibus contaminata; unde nec coram Dei tribunali subsistat; & hoc satis indicat Calvin. suprà dicens, quod *per Justitiam Christi homo justus coram Deo appareat, qui in se iustus non est*; ipse quidem, eiusque sectatores concedunt quod habitus illi infundantur, sed negant esse tales, ut homo formaliter per eos iustus sit. vel dicatur; eo quod in se sordidi sint coram Dei tribunali, quod tamen valde absurdum est, cùm constet, quod tales habitus à solo Deo infundantur.

4. Supponit *Conc.* ex S. Scriptura, quod quilibet homo in iustificatione suam quisque propriam sibi inhærentem à Deo per merita Christi infusam accipiat iustitiam, per quam formaliter iustus sit, & dicatur: at vero Acatholici, licèt fateri debeant tria illa dona à Deo homini infundi, eique inhærere, dum justificatur; negant tamen, quod per hæc iustus constituatur, sed prius naturâ fieri iustus per unicam Christo soli inhærentem iustitiam, ac nobis extrinsecè à Deo solum imputatam; per illa autem dona homo sanctificetur, nam inter iustificationem & sanctificationem distinguunt: at vero illam sanctificationem in se imputam esse volunt.

III. Vt vero Ecclesiæ Catholicæ doctrinam reddant odiosam; confundunt causam meritoriam cum causa formali, dicentes: quod, dum Catholici docent hominem per iustitiam inhærentem iustificari formaliter, seu formaliter iustum constitui, destruant Christi meritum; quasi Deus hominem propter illam iustitiam inhærentem, ut causam meritoriam, & satisfactoriam iustificet, & non propter merita Christi, quod falsissimum esse patet ex verbis Concilii: quod unicam causam meritoriam iustificationis asserit Christi merita, &c. & quod Deus non propter illam iustitiam infusam, ut causam meritoriam iustificet; quod implicat in terminis; quia nihil potest esse causa sui ipsius seu seipsum præcedere, quod fieret, si Deus iustitiam homini daret, propter eandem iustitiam ut causam meritoriam, quia causa meritoria debet præcedere saltèm priùs natura ipsum donum: sed Deus propter merita Christi dat homini iustitiam & innocentiam, quam antea non habebat, sed peccator erat; & sic per iustitiam non tanquam causam meritoriam, sed tanquam formam novam ob Christi merita datam existit iustus, & nominatur; sicut si quis parietem propter alicuius merita & intercessionem dealbaret, non diceretur paries dealbari propter albedinem, ut meritoriam causam, quam nondum habebat, sed propter intercessionem alterius; & cùm paries sic albedinem recepit, dicitur formaliter albus per albedinem sibi inhærentem, non autem per albedinem, quæ forte inhæret intercessori, sed per illam, quam accepit ab artifice propter alterius hominis intercessionem.

IV. Itaque Concilium iuxta S. Scripturam talem ordinem & modum circa iustificationem proponit: ut scilicet homo peccator adultus omnium primo sine ullis suis meritis per Dei gratiam excitatus & adiutus incipiat credere, timere, sperare, diligere, &c. & dum has dispositio-

ſitiones habet; Deus per ſuam miſericordiam & propter juſtitiam & merita Chriſti ipſi peccata dimittat, ac ipſi infundat gratiam, ſeu Juſtitiam, quæ in Fide, ſpe, & charitate conſiſtit; ſicque illi peccata dimittens juſtum efficiat; ſeu ex ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ transferat: ac per hæc tria dona ipſum formaliter faciat membrum vivum Chriſti, ut capitis, & Eccleſiæ ut Chriſti corporis; quod Concil. verbis ultimis ſuprà citatis indicat; quod per charitatem Chriſto, ut membrum vivum, inſeratur, id Auguſt. ſupponit tract. 27. in Joann. dicens: *Manemus autem in illo, cùm ſumus membra eius,* &c. *ut autem ſimus membra eius, unitas nos compaginat, ut compaginet unitas, quid facit? niſi charitas, & charitas Dei unde? Apoſtolum interroga: Charitas Dei, inquit, diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis,* &c. hæc ille. Adeoque patet, quod priùs naturâ homo propter merita Chriſti per Spiritum Sanctum accipiat charitatem, quam inſeratur Chriſto, aut ſit vivum membrum eius: quia per charitatem formaliter unitur, & inſeritur, ſingula itaque ex S.Scriptura & SS. Patribus probanda erunt.

ARTICULUS III.

Quòd ſola fides, vel fiducia divinæ miſericordiæ, non ſit cauſa formalis juſtificationis, nec juſtitia Dei eſſentialis.

I. HÆc duo docuit Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. & can. 11. & 12. Primum contra Lutherum, qui idipſum aſſeruit in commentario ad cap. 2. Gal. dicens: *Eſt ergo formalis noſtra Juſtitia ipſa Fides, & nebula cordis, hoc eſt, fiducia in rem, quæ non videtur,* &c. verùm contrarium nimis clarum eſt ex S. Scripturæ locis præced. cap. allatis, ex quibus ſicut & SS. Patribus clarè conſtat, quod ſola Fides non juſtificet, ne quidem in ratione diſpoſitionis, multò minùs, ut cauſa formalis, à qua ſola homo formaliter fit juſtus: unde & *Lutherani, ac Acatholici* hoc ipſum negant, ſed volunt quod per Fidem, ſolum ut inſtrumentum apprehendatur Chriſti juſtitia, per quam homo formaliter ſit juſtus; ita ut Fides non faciat hominem juſtum, ſed per illam tantum ipſi juſtitia Chriſti applicetur, de quo præced. cap. actum eſt, & infrà dicetur.

Secundum, etſi *Lutherus* non clarè docuiſſe videatur, tamen Oſiander dicit ſe ex illius doctrina hauſiſſe; at hæc ſententia tam abſona eſt, ut & alii Acatholici illam abhorreant, & Calvin. lib. 3. Inſt. cap. 11. §. 5. illam Oſiandro aſcribens dicit, *verum quia Oſiander monſtrum neſcio, quod eſſentialis juſtitiæ invexit,* &c. ubi ex illius ſcriptis varia figmenta refert, inter alia, quod *homo juſtus eſſentialiter & ſubſtantialiter Deo uniatur, & ſic juſtus ſit formaliter per ipſam Dei Juſtitiam increatam,* &c.

Verùm imprimis nimis irrationabilis eſt hæc fictio, & accedit ad *Manichæos*, qui volebant Dei eſſentiam non ſolùm in hominem, ſed in quodlibet vivens ſubſtantialiter transfundi, ut S. Auguſtinus ſæpius refert.

Secundò, etſi Deus dicatur in S. Scriptura habitare ſpecialiter in homine, ut 1. Cor. 3. v. 16. *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis,* &c. id tamen non fit, niſi prius per gratiam ſit homo Deo reconciliatus, unde Sap. 1. v. 5. de ſapientia divina dicitur: *In malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.*

3. Illud commentum omnem de Chriſti meritis doctrinam Evangelicam evertit, nam S. Scriptura paſſim docet, quod per paſſionem & ſanguinem Chriſti redempti ſimus & juſtificemur, ut patet Iſa. cap. 53. v. 5. *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras,* &c. *& livore eius ſanati ſumus.* Et v. 11. *Pro eo, quod laboravit anima eius,* &c. *in ſcientia ſua juſtificabit ipſe juſtus ſervus meus multos.* Sic ad Rom. 5. v. 9. *Chriſtus pro nobis mortuus eſt, multo igitur magis nunc juſtificati in ſanguine ipſius ſalvi erimus ab ira per ipſum: ſi enim, cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filii eius,* &c. & alibi ſæpe ſimiliter 1. Joann. 1. v. 7. dicitur: *Sanguis Jeſu Chriſti filii eius emundat nos ab omni peccato,* & cap. 2. v. 1. *Advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris,* &c.

II. Verùm hæc omnia tollerentur ex fictione illa Oſiandri, qui vult; quod Deus nullam juſtitiam ut ſufficientem acceptet, niſi ſuam eſſentialem pro redemptione; adeoque ſequitur, quod nec juſtitiam Chriſti hominis, quæ creata eſt: conſtat autem ex S. Scriptura, quod Deus merita Chriſti ſecundùm humanitatem ut ſufficientia pro redemptione hominum ſuſceperit. Sicut autem nulla unquam hæreſis fuit, quæ ſub litera S. Scripturæ refugium non ſumpſit, ſic etiam Oſiander pro ſua fictione allegabat illud 2. Pet. 1. v. 4. *Efficiamini divinæ conſortes naturæ;* unde inferebat, quod homo poſſet juſtitiam Dei eſſentialem accipere.

Sed patet ex ipſo textu ſpiritus literæ, cùm Apoſtolus immediatè præmiſerit de Chriſto dicens: *per quem maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ.* Itaque ſenſus eſt, quod Deus per merita Chriſti nobis pretioſa donavit, quæ promiſerat, ſcilicet; ut per dona illa fugerent concupiſcentias, quæ ducunt ad corruptionem, ideo ſubiungit dicens: *Fugientes eius, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem,* illa autem dona enumerat, ſcilicet *Fidem, virtutem, ſcientiam, patientiam, pietatem, & charitatem,* per quam reddimur filii Dei, ut dicitur 1. Joann. 3. v. 1. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & ſimus,* per hanc manet Deus in nobis, & nos in eo. Et ibid. cap. 4. v. 16. dicitur, & ſic divinæ conſortes naturæ efficimur. Quod autem per eſſentialem Dei juſtitiam conſortes efficiamur divinæ naturæ, hoc ex ſcriptura non habetur, ſed ex deliriis Manichæi trahitur.

III. Hæc eſt communis SS. Patrum ſententia, ſufficiat pro omnibus Auguſtinus, qui tract. 26. in Joann. ſic ait: *Quid eſt Juſtitia Dei, & Juſtitia hominis? Juſtitia dicitur, non qua Deus juſtus eſt, ſed quam dat homini Deus, ut juſtus ſit homo per Deum,* &c. Item lib. de Spir. & Lit. cap. 32. ſic dicit: *Charitas Dei dicta eſt diffundi in cordibus noſtris, non qua ipſe nos diligit* (quæ eſt increata) *ſed qua nos facit dilectores ſuos, ſicut Juſtitia Dei, qua juſti eius munere efficimur, & Domini ſalus, qua nos ſalvos facit, & fides Chriſti, qua nos fideles facit,* &c. hæc ille.

Ubi

ubi patet, quod, ſicut fides non dicitur Chriſti, vel Dei, quaſi in Chriſto eſſet, ſed quæ à Chriſto data eſt, per quam credimus, ita etiam juſtitia Dei dicatur, quæ à Deo infunditur.

ARTICULUS IV.

Quòd homo non juſtificetur per ſolam peccatorum remiſſionem.

I. CAlvinus, ut ſuam fulciat opinionem, generalem & unicam juſtificationis aſſignat definitionem l. 3. cap. 11. §. 3. dicens: *Juſtificare ergo nihil aliud eſt, quàm eum, qui reus agebatur, tanquam approbata innocentia à reatu abſolvere*; unde infert: *Quum itaq; nos Chriſti interceſſione juſtificet Deus, non propriæ innocentiæ approbatione, ſed* Juſtitiæ (Chriſti) *imputatione abſolvit, ut pro juſtis in Chriſto cenſeamur, qui in nobis non ſumus*, hæc ille: ex hac ad ſuum libitum fabricata definitione concludit; quod, licèt in illo inſtanti, in quo homini dimittuntur peccata, etiam infundantur dona ſpiritualia, tamen per infuſionem non dicatur homo juſtificari, ſed ſanctificari; at vero per remiſſionem peccatorum juſtificari.

Eccleſia Catholica in Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 7. ſic docet: *In ipſa Juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul accipit homo per* Jeſum *Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem, charitatem*, &c. & can. 11. ſic definit: *Si quis dixerit homines juſtificari vel ſola imputatione* Juſtitiæ *Chriſti, vel ſola remiſſione peccatorum excluſa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atq; illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua juſtificantur, eſſe tantum favorem* Dei, anathema ſit.

II. Pro declaratione doctrinæ Catholicæ ſciendum, quod juſtificationis vox variè in S. Scriptura uſurpetur, ut cap. 1. art. 1. indicatum eſt. Calvinus & alii volunt, quod illa unica ſit vera ratio, quando modo forenſi aliquis juſtificatur, ſcilicet dum à Judice aliquis pronunciatur, & denuntiatur innocens illius criminis, de quo accuſabatur, licèt aliud nihil circa ipſum fiat: ſic vult, quod præciſè ex eo, dum Deus remittit homini peccata, juſtificet eum, ut per hoc præciſè juſtus reputetur per Juſtitiam Chriſti illi imputatam, ad quod unum aut alterum S. ſcripturæ locum allegat, ut Rom. 8. v. 34. *Deus qui juſtificat, quis eſt qui condemnet?* unde ſic arguit, juſtificatio ibi opponitur condemnationi; atqui condemnatio ſolùm dicitur, quando homo Judex aliquem pronuntiat reum criminis, ergo juſtificatio fit, quando ipſum juſtum vel innocentem pronunciat; ſed unde Calvinus, & Acatholici habent, quod non perfectior ſit juſtificatio à Deo, quàm ab homine facta? vel quod condemnatio ab homine circa fidelem facta, inferat, quod juſtificatio, quâ Deus hominem juſtificat, præciſè ſit idem, ac ſi ſolum pronunciet hominem juſtum excludendo alia?

III. Verùm conſtat ex pluribus S. Scripturæ locis, quod juſtificatio propriè dicta etiam ſumatur pro collatione, vel acquiſitione, & incremento juſtitiæ, ut cap. 1. oſtenſum, unde Eccleſia & SS. Patres collegerunt; quod juſtificatio prima non ſolùm includat remiſſionem peccatorum, ſed etiam Juſtitiæ collationem; nec quicquam valet exemplum de judice homine, qui ſolum aliquem pronunciat, imo ſolum pronunciare poteſt hominem criminis accuſatum eſſe innoxium, cùm tamen in re noxius manere poſſit: verius tamen homo Judex aliquem juſtificaret, ſi non ſolum pronuntiaret aliquem innoxium, ſed etiam juſtum faceret; quod quia homines non poſſunt, ideo Gentiles, ly *juſtificare*, pro juſtum pronunciare, uſurpant, ex quo Gentilium loquendi modo Acatholici ducunt argumentum contra S. ſcripturam, & SS. Patres, cùm docent Deum juſtificare: *Dei autem perfecta ſunt opera*, ac proinde, cùm Deus perfectè hominem juſtificet, in ipſa juſtificatione non ſolùm peccata dimittit, ſed hominem ex impio, vel peccatore juſtum facit.

IV. Hæc eſt communis SS. Patrum ſententia, pro qua ſufficiunt *Chryſoſtomus & Auguſtinus*, ille hom. 40. in 1. ad Cor. cap. 15. edit. Baſil. 1547. tractans verba Chriſti Matt. 9. utrum facilius dictu: peccata tibi dimittuntur, an grabatum tolle, ſic ait: *Et quî hoc difficile eſt, inquis, quod Reges & Principes poſſunt? adulteros & homicidas quoties abſolvunt? ludis arbitror, qui hæc dicis, peccata dimittere ſolus Deus poteſt, Reges porro & Principes, etiamſi homicidas, adulteros abſolvant, peccati ſupplicio quidem liberant, peccato abſolvere non poſſunt.* &c. *ſolus Deus poteſt, quod in iſto regenerationis lavacro facit, mentem gratia tangit, tunc radicale peccatum evellit. Itaq; qui crimine Regis beneficio abſolutus eſt, inquinatum animum ſervat, quem abluit baptiſma, non item; ſed ſolis radiis puriorem mentem habet.* Et infrà: *Ut tu ferrum aurumve recoquendo purum, novumq; facis, ſic Spiritus Sanctus in baptiſmate velut in fornace recoquit ipſam, & peccatum conſumendo quolibet auro purius ſplendentem reddit*, &c. hæc ille, ubi patet, quod longè aliter Deus juſtificet, quàm Judex, vel Rex, qui à ſupplicio liberos pronunciant, ſed non à peccato liberant: hoc autem intendunt Acatholici, quod homo extrinſecus à Deo pronuncietur juſtus per Chriſti juſtitiam, & tamen maneat ipſe coram Deo peccator, & injuſtus: nam; licèt verbotenus concedant authoritate S. Scripturæ convicti, quod ſimul contingat ſanctificatio per habitus infuſos, tamen dicunt illam ſanctificationem eſſe impuram, & illos habitus maculoſos, fideles in ſe ſpectatos eſſe damnabiles ob juſtitiæ inhærentis imperfectionem; imo peccata in homine manere, & ſolum tegi; ita ut ſolum non imputentur ad condemnationem: & ideo volunt, quod homo in ſe injuſtus maneat non habens juſtitiam propriam, qua juſtus ſit. Et licet etiam verbotenus dicant authoritate S. ſcripturæ convicti, quod Deus homini dimittat peccata, volunt tamen illam remiſſionem ſolam eſſe ex parte Dei non imputantis, ita ut in homine peccata maneant; & ipſe in ſe juſtus non ſit.

V. Quod autem juſtificatio, quâ Deus hominem juſtificat, non conſiſtat in ſola, etiam vera, remiſſione peccatorum, S. Auguſtinus etiam ſæpe exprimit, ut in pſ. 30. Conc. 1. edit. Baſil. 1529. circa illa verba *in tua Juſtitia erue me*, dicens: *Quia non inveniſti in me Juſtitiam meam. erue me in tua, hoc eſt, illud me eruat, quod me juſtificat, quod ex impio, pium facit, quod ex iniquo, juſtum & quod ex cæco, videntem*, hæc ibi.

Similiter in pſ. 118. Conc. 26. eàd. edit. circa

illa verba, *feci Judicium & justitiam*, sic ait: *Justitia nomine hoc loco non ipsa virtus, sed opus eius, significatum est, quis enim facit in homine justitiam, nisi qui justificat impium? hoc est, per gratiam suam ex impio facit justum, unde ait Apostolus; justificati gratis per gratiam ipsius*, &c.

Rursus epist. 105. contra Pelagian. fol. 2. ab initio edit. Basil. 1528 *Sunt*, inquit, *plane, quia justi sunt, sed ut justi fierent, merita non fuerunt, justi enim facti sunt, cùm justificati sunt; sed sicut dicit Apostolus, justificati gratis per gratiam ipsius*, &c.

Similiter epist. 106. 2 folio ab initio sic ait: *Profectò, antequam gratiâ justificetur, ut justus efficiatur, impius quid est nisi impius?*

Demum epist 120. cap. 20. ait: *ut, qui gloriatur, in Domino glorietur, credens in eum, qui justificat impium, hoc est, qui ex impio facit pium*, &c. hæc August.

VI. Ex his evidens est, quod S. scriptura non dicat impii justificationem in sola peccatorum remissione consistere, sed in translatione, quâ Deus ex impio iustum facit; prout SS. Patres eam clarè iuxta S. Scripturam docuerunt. Vnde evanescit figmentum Calvini, & aliorum Acatholicorum, qui volunt, quod, licèt, dum homini peccata dimittuntur, etiam simul charitas & habitus infusi donentur; tamen non iustificetur per donationem charitatis, sed per solam remissionem, & per charitatem solum sanctificetur, non tamen verè; sed adhuc iniustus maneat; & ideo nolunt, quod charitas sit, vel vocetur iustitia, de quo infrà.

ARTICULUS V.

Quòd, licèt propter justitiam Christi homo iustificetur tamen Iustitia Christi non sit causa formalis, quâ homo iustus formaliter constituitur.

I. A Catholici videntes, quod S. Scriptura hominem iust ficatum absolutè iustum pronunciet, & quidem iustus non possit denominari nisi ab aliqua forma, seu iustitia, quia iustus idem est, ac iustitiam habens, cùm nolint hominem in se habere iustitiam, à qua sic nominetur; volunt illam esse iustitiam Christi, quam Christus habet sibi intrinsecam, & propriam, sive sit iustitia ipsi inhærens, sive iustitia actualis, quam tempore mortalitatis exercuit, scilicet opera, quibus gratiam à Deo pro nobis meruit: hanc volunt eatenus homini extrinsecè applicari, quatenus Deus propter illam homini peccata non imputat, & quatenus Christus hominis sibi incorporati, peccata tegit, ut non ei ad pœnam imputentur, & sic coram Deo iustus appareat; hoc satis constat ex verbis Calvini lib. 3. Inst. cap. 11. §. 3. suprà art. 1. allatis.

II. Sententia autem Ecclesiæ Catholicæ hæc est; quod aliud sit, esse causam efficientem, vel meritoriam, aliud vero esse causam formalem iustificationis: & quidem, quod unica sit causa meritoria iustificationis hominum, scilicet iustitia Christi, clarè docet Conc. Trid. sess. 6. cap. 7. dicens: *Huius Justificationis causæ sunt*, &c. *meritoria dilectissimus unigenitus Dominus noster Jesus Christus, qui, cùm essemus inimici, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis Justificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit*, &c. hæc Concil. quia ergo Deus Pater propter Christum, & ipsius merita homini peccata dimittit, & gratiam donat, ideo Doctores Catholici docent, quod eatenus homini Christi iustitia donetur, & imputetur, quia scilicet per illam Christus Patri pro homine satisfecit, & propter illam Deus homini peccata dimittit, & gratiam donat; sicut etiam propter illam hominem Christo, quasi membrum capiti, incorporat; quia tamen homo est verè distinctus à Christo homine, & etiam capax iustitiæ inhærentis, quæ est similis Christi justitiæ, licèt longè imperfectior, ac etiam verè à peccatis emundari potest, sicut ante lapsum Adæ homo erat; ideo docet Ecclesia Catholica juxta S. Scripturam & SS. Patres, quod Deus propter merita Christi homini verè peccata remittat, & gratiam seu justitiam infundat, quâ formaliter iustus sit, & nominetur, ac similis, licèt longè inæqualis, capiti Christo constituatur: unde clarè patet, quod Ecclesia Catholica nullatenus doceat, quasi propter justitiam inhærentem, ut causam meritoriam, Deus peccata dimittat, sed propter justitiam, & merita Christi sola; ita ut justitia Christi sit unica causa meritoria; at vero remissio peccatorum, ac justitia inhærens, homini data, sint effectus justitiæ Christi, prout Concil. Trid. suprà clarè exprimit, & ideo imputatio justitiæ Christi ordine naturæ utrumque præcedit, sicut causa suos effectus: nec tamen hinc sequitur, quod homo, in illo priori naturæ sit, & dicatur propriè iustus, sicut nec Acatholici asserere possunt, quod quia misericordia Dei ordine naturæ præcedit merita Christi, ideò priùs natura homo per misericordiam Dei sit justus, quam Christi merita applicentur; sed solùm indicatur, quod in eodem instanti Deus misericors ut causa principalis propter merita Christi, ut causam meritoriam & satisfactoriam, remittat peccata, & donet gratiam: & sic homo ex impio justus efficiatur qui est ultimus effectus. Quod itaque homo, qui justificatur propter merita Christi, ut per causam meritoriam & satisfactoriam, non tamen constituatur justus per Justitiam Christo inhærentem, & homini extrinsecus tantum imputatam tanquam per causam formalem, decernit Conc. Trid. juxta S. Scripturam & SS. Patres sess. 6. can. 10. dicens: *Si quis dixerit homines sine Christi Justitia, per quam nobis meruit justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse, anathema sit*, ubi breviter utrumque decernitur, quod Christi Justitia sit causa meritoria Justificationis, & quod illa non sit causa formalis, à qua formaliter homo justus constituatur, quæ plenè distincta sunt, ut suprà art. secundo ostensum est. Quod autem non sit mens Concilii, quod iustitia Christi imputata sit partialis causa formalis, & alia partialis iustitia inhærens homini, prout aliqui cum Kemni-

Kemnitio volunt colligere ex verbis can. 11. art. 4. relatis, ubi dicitur: *Si quis dixerit homines juſtificari vel ſola imputatione Juſtitiæ Chriſti, excluſa gratia*, &c. patet ex verbis can. 10. quod Concilium non agnoſcat cauſalitatem formalem quoad juſtitiam Chriſti; idem patet etiam ex verbis Concilii ibid. cap. 7. ubi dicitur: *Unica formalis cauſa eſt Juſtitia Dei, non qua ipſe juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit.* Concilium autem can. 11. ſolum damnat errores varios Acatholicorum, ut patet, nec ibi can. 11. loquitur Concilium de juſtificatione in ſenſu cauſæ formalis, de quo can. 10. determinat, ſed in ſenſu cauſæ efficientis; quia remiſſio activa peccatorum, & favor Dei, & imputatio meritorum Chriſti, ſe tenent ex parte Dei efficientis, quæ Concilium admittit, ſed Acatholici volunt, quod per illa tantùm abſolvatur juſtificatio, excludendo formalem Juſtificationem per gratiam inhærentem.

V. Hæc Eccleſiæ doctrina duobus modis probatur: Primò refutando fundamenta Acatholicorum, ob quæ volunt Juſtitiam Chriſti ſolam eſſe cauſam formalem. Secundò poſitivè probando, quod juſtitia homini à Deo infuſa ſit cauſa formalis: primum hic oſtendetur, 2. in ſequenti art.

Probatur itaque primò, quia, cùm Acatholici volunt omnes Fidei articulos expreſſos in S. ſcriptura, & hunc ponunt fundamentalem & præcipuum; oſtendant ex S. ſcriptura, ubi dicatur, *quod homines formaliter juſti ſint, & nominentur per Juſtitiam Chriſti hominibus imputatam, vel quod Juſtitia Chriſti homini* ad juſtitiam imputetur, ita ut per illam formaliter juſtus ſit, quod autem id non poſſint, nec ullius ex antiqua Eccleſia S. Patris teſtimonium habeant, patebit ex reſponſione ad argumenta.

Probatur ſecundò, quia argumentum, quod extra & contra S. Scripturam Calvinus & Acatholici adducunt, non valet, ſcilicet, quod ideo per ſolam Chriſti Juſtitiam imputatam homo juſtus ſit, & extrinſecùs denominetur, quia in ſe juſtitiam non poteſt habere, vel juſtus non eſt, ſed peccata manent; & ideo homo quaſi per juſtitiam Chriſti exteriùs veſtiatur, ut juſtus coram Deo appareat, qui in ſe juſtus non eſt, & peccata tegantur, quæ non deleantur, ſed maneant, eo quod juſtitia infuſa non ſubſiſtat coram Dei tribunali, ut per eam juſtus ſit, ſed ſit maculoſa, & ob illam homo ſit adhuc damnabilis. Sicut Æthiops veſte albâ indutus albus apparet.

VI. Verùm utrumque eſt contra S. Scripturam, quoad primum, quia impium eſt aſſerere, quod illa juſtitia ſeu gratia à Deo homini infuſa ſit maculoſa, & ob illam homo ſit damnabilis, quia illa à ſolo Deo creatur, & infunditur ſine ulla hominis cooperatione, adeoque ſequeretur, quod Deus eſſet ſolus author peccati, ſeu illius, ob quod homo damnabilis eſſet, & Deus id ſolus homini infunderet, ob quod illum damnandum judicet.

Secundò Juſtitia inhærens, ſeu infuſa, vel habitus infuſi in juſtificatione, ut fatentur Acatholici, ſunt *fides, ſpes, charitas*, de quibus abſurdum eſt dicere, quod ſint talia, ob quæ Deus hominem damnabilem ſtricto Judicio judicet, cùm ipſe dona illa ex miſericordia infundat, & ſacra ſcriptura tantopere illa commendet, ac præcipuè charitatem per Spiritum Sanctum in cordibus diffuſam.

ARTICULUS VI.

Quòd peccata in juſtificatione verè deleantur.

I. Quoad ſecundum Acatholicorum fundamentum, quod peccata in homine juſtificato ſolùm tegantur, & non deleantur, ſed maneant, nimis etiam abſurdum eſt, & contra expreſſam S. ſcripturam, quæ tot modis exprimit, quod per miſericordiam Dei peccata penitùs deleantur, & abſolvantur, & cor hominis intrinſecè ab omnibus inquinamentis mundetur: pro hoc ſunt plura S. ſcripturæ loca, quorum aliqua attuliſſe ſufficiet.

Pſalmo 50. v. 9. dicitur: *Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.* Quomodo homo ſuper nivem dealbaretur, ſi peccatis adhuc in ſe maculatus & niger maneat? iterum v. 10. *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis.* Quomodo cor mundum Deus creat, & ſpiritum rectum, ſi relinquat peccati ſordes, & creet dona in ſe maculoſa? ſecundò pſ. 102. v. 12. dicitur: *Quantum diſtat ortus ab occidente, longe fecit à nobis iniquitates noſtras.* Quomodo hoc verum, ſi adhuc peccata in corde maneant?

3. Pſ. 50. v. 2. *Dele iniquitatem meam*, & Iſa. 44. v. 22. dicit Dominus: *Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua*; ſi delevit, quomodo manent, ut tegantur? certè, ſi aër à nube purgetur, illa in aëre non manet.

Quartò Cant. 4. v. 7. de anima juſtificata dicitur: *Tota pulchra es, & macula non eſt in te*, &c. quomodo hoc verum? ſi ipſa charitas infuſa ſit maculoſa: nam, licèt anima juſta poſſet habere peccata adjuncta venialia; tamen quoad gratiam ſeu charitatem à Deo ipſi infuſam tota pulchra eſt, & dici poteſt. II.

Quintò Joann. 1. v. 29. dicit Joannes de Chriſto: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*, ſi tollit, quomodo manent?

Sextò Act. 3. v. 19. dicit Petrus: *Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra.* Et 1. Cor. 6. v. 11. dicit Apoſtolus: *Hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti*, &c.

Septimò Epheſ. 5. v. 8. *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*; patet autem, quod lux illa dicatur, quæ corpus, cui inhæret, lucidum facit, ut luceat aliis, juxta illud Matt. 5. v. 14. *Vos eſtis lux mundi*, & v. 16. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus*, &c. econtra ſi corpus non habeat ſibi inhærentem lucem, ſed ab alio corpore illuminetur, quod lucem habet; non poteſt eſſe, vel dici lux, aut lucidum, proinde fideles juſti, cùm lux ſint; habent lucem gratiæ ſibi inhærentem, ſed ex gratia Domini, quâ coram Deo lucent, ac proinde in illis non ſunt tenebræ luci oppoſitæ.

Similiter Apoſtolus ibidem Epheſ 5. v. 26. ſic ait: *Seipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ; ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, neq; rugam.*

III. Octavo 1. Joann. 1. v. 7. *Sanguis Jeſu Chriſti filii ejus emundat nos ab omni peccato*, & v. 9 *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate*, &c. quomodo hæc vera erunt, ſi homo juſtificatus in ſe adhuc maneat peccator, & peccatis fœdatus, & tenebris peccatorum involutus? & ſolùm juſtificatus nominetur, quod Chriſti meritum ipſius peccata ſic tegat, ut verè maneant & non ad pœnam imputentur; quis hoc ex his locis S. Scripturæ per ullam conſequentiam veram deducat? verum ergo eſt ſecundùm S. Scripturam, quod Deus propter juſtitiam Chriſti, eiusque merita homini verè peccata remittat, & ipſum mundum ac purum in conſpectu ſuo reddat per donum charitatis in corde hominis infuſum; nec hoc in minimo derogat omnimodæ ſatisfactioni & redemptioni Domini noſtri Jeſu Chriſti: quia illa omnimoda redemptio Chriſti conſiſtit cum hoc, quod per illam, & propter illam homo ſit redemptus, & intrinſecus juſtificatus; alioquin ſi homo nihil intrinſecè per Chriſtum reciperet, nec intrinſecè à peccatis liberaretur, maneret in tenebris & ſimul in luce. Quod abſurdum eſt, & contra S. Scripturam juxta illud 2. Cor. 6. v. 14. *Quæ participatio Juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? quæ conventio Chriſti ad Belial? qui autem conſenſus templo Dei cum idolis:* hæc autem juxta Acatholicos contingerent: ſi in anima, quæ eſt templum Dei, manerent peccata, per quæ filius Belial exiſtit.

ARTICULUS VII.

Qualiter homo juſtitia Chriſti veſtiatur.

I. Quod Acatholici dicunt hominem juſtificatum per juſtitiam Chriſti, quaſi veſtiri, ut juſtus appareat; ita tamen ut intrinſecè impius maneat, etiam nimis abſurdum eſt, quaſi Deus alium hominem agnoſceret in iudicio ſuo, quam in ſe ipſo eſſet; & quidem abſurdè aliquis æthiops veſte albâ indutus, diceretur abſolutè albus, manens intrinſecè totus niger, niſi ſolum ad aſpectum hominum, qui propriam nigredinem non viderent; ſed quid hoc ad Judicium Dei abſolutiſſimum? veſtitur quidem homo juſtitiâ Chriſti tanquam cauſa meritoriâ, & ſatisfactoriâ, ita ut propter illam à Deo deleatur peccatum & producatur juſtitia propria in homine; unde intrinſecè juſtus ſit propter merita Chriſti ipſum ſic quaſi veſtientis.

Hic etiam bene Doctores Catholici objiciunt Acatholicis, ſi per juſtitiam Chriſti imputatam, quæ eadem & unica eſt, omnes homines formaliter juſti ſint & dicantur, ſequeretur; quod omnes etiam æque intrinſecè ſint juſti inter ſe contra S. Scripturam 1. Cor. 15. v. 41. *Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, alia claritas ſtellarum, ſtella autem à ſtella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum.*

Iterum, ſi homo verè juſtus ſit, & dicatur per juſtitiam Chriſti, quia ipſi imputatur tanquam propria; etiam quilibet æquè juſtus cenſendus eſſet, ac ipſe Chriſtus, quod nimis abſurdum eſt. Nec eorum effugium valet, cùm dicunt, quod juſtitia ſingulis imputetur juxta cuiusque neceſſitatem, non juxta univerſalem juſtitiæ Chriſti valorem: nam hoc non ſubſiſtit; ſi enim quis verè coram Deo juſtitiam Chriſti habet, ut per illam juſtus conſtituatur, utique taliter juſtus eſt, qualis eſt juſtitia; quis enim non ut abſurdus derideretur; ſi diceret, duos parietes per eandem numero albedinem eſſe formaliter albos, & tamen unum eſſe longè minus album, quam alterum; nam forma naturaliter & neceſſario dat, & cauſat ſuum effectum formalem. II.

At vero in doctrina Catholica optimè intelligitur, quod per juſtitiam Chriſti, ipſe Chriſtus, ut per cauſam formalem, ſit formaliter in ſe perfectiſſimè juſtus, & per illam juſtitiam homines meritoriè veſtiantur, id eſt, quod propter eandem juſtitiam, ſeu per illius valorem Deus diſtribuat minorem vel maiorem juſtitiam aliis fidelibus ſecundum ſuum beneplacitum; & prout vult; valor enim maior vel minor currit in cauſa meritoria, non vero in cauſalitate formali: nam forma in ratione ſua formali eiusdem ſemper eſt dignitatis, & non aliter cauſat formaliter, niſi communicando ſeipſam totam ſecundum ſuum eſſe ipſi ſubiecto; adeoque ſicut paries tam albus dicitur, & eſt, quia tantam habet albedinem; ita quilibet tam juſtus eſt, & dicitur, quantam habet juſtitiam: omnes autem juxta Acatholicos habent cum Chriſto eandem numero juſtitiam, adeoque omnes etiam tam juſti ſunt, quàm iuſtus eſt ipſe Chriſtus. Et hoc eo magis urget in ſententia Calvini, qui vult, quod omnes per Fidem ſibi applicent juſtitiam Chriſti, & Fides nihil ſit niſi nudum inſtrumentum, quo theſaurus apprehenditur, vel ſicut ſaccus, aut olla fictilis, qua theſaurus continetur: cùm ergo omnes eundem theſaurum habeant iuſtitiæ Chriſti, etiam æque divites, & iuſti ſunt, ac ipſe Chriſtus. Ecce abſurditatem ex Acatholicorum opinione, præterquam quod S. Scripturæ repugnet.

ARTICULUS VIII.

Quòd favor vel benevolentia Dei non ſit cauſa formalis, quâ homo formaliter ſit, & dicatur iuſtus.

Ante omnia ut certiſſimum ſupponitur, quod ex favore Dei, & eius miſericordia homo juſtificetur; contrarium enim impium eſſet, & planè contra Fidem: nam S. Scriptura paſſim clamat, & exprimit, quod ex miſericordia, vel ſecundum miſericordiam Dei homo juſtificetur, & ſalvetur, prout inter plura loca patet ex illo ad Tit. 3 v. 4. *Cùm autem benignitas, & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei, non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit*, &c. & paſſim in pſ. 50. *Miſerere mei Deus ſecun-* I.

ſecundum magnam miſericordiam tuam, & alibi ſæpiſſime. Sic Thren. 3. v. 22. dicitur, *miſericordia Domini quod non ſumus conſumpti.*

Hoc ergo ut certiſſimo ſuppoſito, quæſtio eſt, an gratia iuſtificans, quâ homo formaliter Deo gratus eſt, & nominatur, ſit favor ſeu gratia Dei, quâ Deus homini afficitur, & inclinatur, illumque diligit; an verò ſit donum aliquod à Deo ex miſericordia infuſum, quod gratia dicitur.

Eccleſia Catholica docet, quod favor Dei ſeu miſericordia Dei, ſcilicet ipſi Deo intrinſeca, hominem juſtificet effectivè, ſeu quod favor Dei ſe habeat ex parte cauſæ efficientis, & fontis gratiæ, non verò ex parte cauſæ formalis, quæ hominem formaliter gratum Deo vel iuſtum conſtituat.

II. At verò Acatholici, ut effugiant veritatem S. Scripturæ, volunt, quod dum Deus dicitur hominem per gratiam iuſtificare, ſolùm intelligatur favor, vel gratia activa, quæ in Deo eſt, ideo ad verba Apoſtoli Rom. 3. v. 24. ſcilicet *iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiationem per Fidem in ſanguine ipſius*, & c. volunt Acatholici, quod ibi per gratiam intelligatur Dei favor, ut clarum illud teſtimonium declinent, quo probatur, quod iuſtificatio fiat per gratiam à Deo homini infuſam, ex gratia & miſericordia: ſed hoc repugnat verbis Apoſtoli, vel ſaltèm illa inutilia reddit; nam per ly *gratis* Apoſtolus indicat, quod juſtificatio non fiat ob merita, ſed ex favore, & mera Dei miſericordia, tanquam à Deo efficiente iuſtificationem: at per gratiam intelligitur donum ex miſericordia in juſtificatione collatum, tanquam cauſa formalis juſtificationis; & per redemptionem, quæ eſt in Chriſto, intelligitur cauſa meritoria, propter quam juſtificatio a Deo facta ſit.

Veruntamen quod præter favorem & gratiam, quæ in Deo eſt, & ſe tenet ex parte efficientis, detur alia gratia à Deo creata, & homini donata, quæ formaliter juſtificetur, probatur primo ex illo Joann. 1. v. 16. *De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia, quia lex per Moyſen data eſt gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Vbi gratia, quam accepimus, non poteſt intelligi de gratia activa, ſeu Dei favore & benevolentia, quia illa non eſt facta, ſed eſt Deo intrinſeca.

III. Similiter dicitur ad Epheſ. 4. v. 7. *Vnicuique autem noſtrûm data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti*, &c. at verò favor ſeu benevolentia Dei non donatur à Chriſto, ſed gratia inhærens, quæ eſt verum donum Chriſti.

Iterum Rom. 5. v. 17. dicitur: *Multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iuſtitiæ accipientes in vita regnabunt per unum Ieſum Chriſtum*: ubi neceſſariò gratia intelligitur pro dono per Chriſtum accepto, &c.

Sic homo iuſtificatus dicitur nova creatura, ut 2. Cor. 5. v. 17. *Si qua ergo in Chriſto nova creatura, vetera tranſierunt.* Item Gal. 6. v. 15. *In Chriſto Ieſu, neq; circumciſio aliquid valet, neq; præputium, ſed nova creatura*, quod non poteſt intelligi de favore Dei increato.

IV. Rurſus gratiam iuſtificantem, per quam Deo grati ſumus, Apoſtolus dicit eſſe charitatem, ut patet ad Rom. 5. ubi cum dictum eſſet *juſtificati ergo ex Fide pacem habeamus*, Apoſtolus ſubdit v. 5. *Spes autem non confundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*, &c. at verò non Dei favor, vel charitas, quâ nos diligit, diffunditur, ſed charitas, qua Deum diligimus. Licèt autem Acatholici aliqui charitatem hanc de Dei increata intelligi velint, ſeu ipſius benevolentia; conſtat tamen ex textu ſatis contrarium, & SS. Patres de charitate, qua nos Deum diligimus intellexerunt, prout inter alios D. Auguſt. lib. de Spiritu & Lit. cap. 32. cujus verba ſuprà art. 3. relata ſunt.

ARTICULUS IX.

Quod unica cauſa formalis Iuſtificationis ſit Gratia ſeu Iuſtitia à Deo creata & homini infuſa, eique inhærens.

HÆc doctrina Eccleſiæ Catholicæ à Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. explicata ſufficienter ex hactenus dictis & probatis conſtare poſſet; nihilominus, quia Acatholici illi maximè infenſi ſunt, ampliùs probatur. I.

Probatur autem primò, ex eo quod ſinguli Iuſtificati in S. Scriptura dicantur propriam accipere iuſtitiam, per quam iuſti conſtituantur, quod non poteſt intelligi, niſi de dono cuilibet infuſo & inhærente: hoc autem probatur ex Apoſtolo Rom. 5. ubi allegat, quid homines per Adamum mali incurrerint, & quid boni per Chriſtum acceperint, dicens v. 12. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt* & v. 15. *Sed non ſicut delictum, ita & donum, ſi enim unius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Ieſu Chriſti in plures abundavit. Et non ſicut per unum peccatum ita & donum; nam iudicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem: ſi enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ, & donationis & Iuſtitiæ accipientes in vita regnabunt per unum Jeſum Chriſtum. Igitur ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; ſic & per unius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ; ſicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita per unius obeditionem iuſti conſtituentur multi.* &c.

II. Ex hac Apoſtolica doctrina SS. Patres & antiqua Eccleſia contra Pelagianos demonſtrarunt, quod omnes cum Adamo peccaverint, & quod non ſolum Adam habuerit peccatum ſibi inexiſtens, nec ſola mors abſque peccato in omnes alios tranſierit, ſed per propagationem in ſingulos proprium originale peccatum tranſierit, ob quod omnes morti obnoxii eſſent, quod Concil. *Arauſicanum* 2. can. 2. expreſsè oſtendit dicens: *Iniuſtitiam Deo dare convincitur, qui mortem, quæ eſt pœna peccati, ſine peccato, quod eſt meritum mortis, ad noſtra tranſiſſe dicit.* Hæc Concil. unde idipſum ſub anathemate Concil. Trid. docet ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali, quod ſcilicet *Adæ peccatum origine unum, & propagatione non imitatione omnibus tranſfuſum, unicuiq; inest proprium*,

 per

per quod formaliter peccator constituitur, quod ipsum Acatholici moderni vocetenus concedere debent, licèt, quale illud peccatum sit, dissentiant.

III. Ex his propositum nostrum clarè probatur: quia Apostolus ponit hic tot antitheses inter Adamum, & Christum, ut quid in Adamo mali in alios transfusum sit, econtra multo abundantiùs per Christum plus boni in multos transfundatur. Cùm ergo Apostolus clarissimè doceat, quod peccatum non solùm in ipso Adamo fuerit, nec voluit, quod illud solum per imputationem, vel denominationem extrinsecam alios homines concernat, ut solum propter peccatum, quod Adamo infuit, peccatores sint, & morte digni, sed quod per Adæ peccatum in singulos proprium peccatum transfunditur, quo formaliter peccatores non solùm denominentur, sed etiam constituantur, & per hanc injustitiam sibi inhærentem formaliter injusti sint, licèt causaliter ab Adamo descendat; multò magis dicendum est, quod multi per obedientiam seu obeditionem Christi tanquam causam meritoriam à Deo accipiant Justitiam sibi inhærentem, per quam formaliter justi constituantur sine omni præjudicio Christi, sed ad illius honorem, à quo, & propter quem justitiam accipiunt, ac proinde non in se, sed in Domino gloriari possint, se justos esse, licèt longè minùs, quàm ipse Christus sua perfectissima justitia justus est.

2. Quod justitia, per quam homines formaliter justificantur, sit donum inhærens, à Deo gratis datum, constat ex verbis Apostoli ad Rom. 3. v. 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius*, prout præcedenti art. ostensum est, ubi Apostolus dicit, quod per gratiam justificemur, adeoque illa gratia est justitia, & proinde per justificationem non solùm peccata dimittuntur, sed gratia seu justitia datur, per quam formaliter justificemur.

IV. 3. Idem probatur ex diversis S. Scripturæ locis, ubi homo dicitur ablutus, sanctificatus, renovatus, regeneratus, imo immaculatus, ut Ps. 118 *Beati immaculati in via*. Et Cant. 4. v. 7. *Tota pulchra es, & macula non est in te.* Et 1. Cor. 6 dum gravissimos peccatores Apostolus recensuisset subdit v. 11. dicens: *Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in spiritu Dei nostri.*

Item Ephes. 4. v. 23 *Renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis.*

1. Petri 1. v. 3. *Qui secundum misericordiam suam magnam regenerauit nos*, &c. quod fit in baptismo, ut patet ad Tit. 3. v. 5. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis.*

Hæc omnia intelligi non possunt, nisi quod homini intrinsecè justitia infundatur, per quam *absoluitur à peccatis, justificatur, sanctificatur, renouatur, & regeneratur*, ut in se novus homo existat, qui priùs formam Adæ gesserat per peccatum sibi inhærens.

V. Nec valet responsio Acatholicorum, qui convicti his & aliis S. Scripturæ locis concedunt, quod homini in justificatione dona infundantur, quibus formaliter sanctus, & renovatus existat, sed volunt quod illa dona non sint justitia, ut per illa justus constituatur, sed per priùs justus constituatur per justitiam Christi, & posteà sanctificetur per illa dona, quam tamen sanctitatem & renovationem vocant imperfectam, imo maculosam, ac mortis judicio obnoxiam coram Dei tribunali, ut cap. 2. art. 3. ex Calvino relatum est. Sed contra hoc impium est, quod id dicendo Deum faciant authorem talis maculosi doni, ob quod homo damnabilis sit, quod impium est dicere, Deus autem renovans hominem non facit ipsum malum, sed bonum per dona sua.

2. Acatholici contra S. Scripturam negant, quod justificatio vera, & perfecta conferat talia dona, quibus homo justus fiat, ut suprà sæpius ostensum est, & patet ex loco ad Tit. 3. jam allegato, ubi cùm Apostolus dixisset: *Cùm autem apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Saluatorem nostrum*, subjungit: *ut justificati gratia ipsius heredes simus secundum spem vitæ æternæ*, &c. ubi patet, quod Apostolus declarare voluerit, ipsam justificationem, qualis sit, & qualiter fiat, scilicet à Deo secundum misericordiam, per baptismum ut causam instrumentalem, per Christum & Salvatorem ut causam meritoriam, per Spiritum Sanctum diffusum ut causam formalem, quæ regeneramur, & renovamur: ubi patet, quod per Spiritum Sanctum diffusum intelligatur donum Spiritus Sancti, scilicet charitas, juxta illud Rom. 5. v. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Unde patet, quod Apostolus velit nos justificari per renovationem sic factam, adeoque ipsa renovatio sit ipsa justificatio, & proinde charitas per Spiritum Sanctum diffusa, sit justitia, quâ formaliter justificamur: quod etiam patet ex illo ad Rom. 8. v. 10 *Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus verò viuit propter justificationem*, ubi clarum est, quod justificationi tribuatur vita, quâ homo in gratia vivit, & non tantum remissio peccatorum.

Rursus Christus dicit Joann. 17. v. 3. *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*, &c. ubi vita spiritualis ponitur in Fide non sola vel mortua, sed quæ per charitatem operatur.

Demum hæc veritas probatur ex eo, quod homines justificati in S. Scriptura *dicantur & sint Filii Dei conformes imagini Christi, ejusque imaginem portent*, sic Joann. 1. v. 12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem Filios Dei fieri.* Item 1. Joann. 3. v. 1. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur, & simus*, similiter Rom. 8 v. 15. *Accepistis spiritum adoptionis Filiorum Dei, in quo clamamus abba Pater*, &c. *si autem Filii, & heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi*, & v. 29 *Nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.*

Et 1. Cor. 15. v. 49. *Sicut portauimus imaginem terreni*, scilicet Adam, *portemus & imaginem cœlestis Jesu Christi.*

Iterum 2. Cor. 3 v. 18. *Nos vero omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur*, &c.

Demum Coloss. 3. v. 10. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum,*

cum

eum qui renovatur in agnitionem, ſecundum imaginem ejus, qui creavit illum, &c.

VII. Ex his patet primò, quod non per denominationem extrinſecam dicamur Filii Dei, ſicut paries dicitur viſus à viſione, quæ non eſt in pariete, ſed in oculo, nec paries aliquid per viſionem in ſe accipit; ſicut volunt Acatholici, quod nominemur Filii Dei, & iuſti per juſtitiam Chriſto inhærentem, quæ nihil in homine ponat. Sed Scriptura dicit, quod dicamur, & ſimus Filii Dei, idque per charitatem, quam dat nobis Pater, & per Spiritum adoptionis, quem accepimus, quæ charitas in nobis recipitur.

2. Scriptura docet, quod ſiamus *conformes imaginis Filii Dei*, ſcilicet Chriſti ſecundum humanitatem; Chriſtus autem ſecundum humanitatem eſt verè & intrinſecè iuſtus per propriam ſibi inhærentem iuſtitiam creatam, licèt perfectiſſimam; cùm ergo conformes ſimus imaginis ejus, utique iuſtitiam creatam nobis inhærentem per merita eius accipimus, quâ ipſi conformes ſimus, alioquin, ſi ſolum extrinſecè iuſti nominemur, & intrinſecè iniuſti coram Deo ſimus, ac in nobis peccata habeamus, & ipſa dona Dei ſint damnabilia, non habemus in nobis imaginem Chriſti, ſed potiùs diaboli, quod horrendum eſt dictu.

3. Apoſtolus dicit, quod fideles portent imaginem Chriſti cœleſtis, ſicut peccatores portarunt imaginem terreni Adam. Atqui, ut ſuprà oſtenſum eſt, homo in originali peccato exiſtens portat imaginem Adam, quia in ſe habet peccatum originale, per quod ſimilis eſt Adamo; adeoque potius fidelis habet in ſe iuſtitiam, in qua Chriſto ſimilis eſt, ejusque frater, & proinde portat imaginem ejusdem: quod longè faciliùs eſt conceptu, quàm alterum, & Scripturæ conſonum.

VIII. Demum duplex ratio evidens Acatholicos convincit, quæ ex prædictis colligitur, ſcilicet: prima, ipſi ideo volunt, quod fideles non ſint iuſti per donum aliquod intrinſecum creatum, quaſi id præjudicaret Chriſti redemptioni; ſed hoc falſum eſt, quod à majori patet; quia Chriſti humanitas eſt intrinſecè iuſta, coram Dei tribunali, ut fateri debent per iuſtitiam creatam ipſi inhærentem, nec hoc præiudicat Dei infinitæ miſericordiæ, ex qua ſola Deus humanitatem in unitatem perſonæ Filii aſſumpſit, & illi tantam gratiam, & iuſtitiam contulit, ut ſit per illam formaliter & verè juſtus coram Deo, imo ut etiam per opera ab humanitate Chriſti facta non tantùm ex juſtitia meruerit ſibi exaltationem ſuper omnes, iuxta illud Philipp. 2. v. 8. *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*, &c. ſed etiam Chriſtus per opera ſua nobis omnibus inimicis ex iuſtitia à Deo Patre veniam, & gratiam meruerit, ut evidens eſt; cur ergo præiudicaret iuſtitiæ & redemptioni Chriſti humanitatis, ſi dicatur, quod alii homines, ex miſericordia Dei & per merita humanitatis Chriſti accipiant ſimilem iuſtitiam creatam? licèt longè minorem, qualem habet humanitas Chriſti, ut per illam ſint formaliter iuſti coram Dei tribunali, ſicut Chriſti humanitas iuſta eſt, & ſic ſint illi ſimiles: ita tamen, ut ipſe ſit primogenitus in fratribus, & propter ipſum alii filii, & hæredes ſint.

2. Ratio eſt, quia beatitudo in ſpe eſt ſimilis beatitudini in re, beatitudo autem in re, quam habent Sancti in cœlis, non eſt per imputationem beatitudinis Chriſti, ſed per propriam, quam ſinguli Sancti habent, licèt propter merita Chriſti illam acceperint. Prima propoſitio patet, quia beati in ſpe ſunt, qui iam per Chriſtum redempti acceperunt promiſſionem vitæ æternæ, & ius ad hæreditatem tanquam Filii Dei, & hæredes Chriſti. Quod autem Sanctorū in cælo beatitudo non conſiſtat in imputatione beatitudinis Chriſti, nimis evidens eſt: quia beatitudo in cœlis conſiſtit in clara viſione, & fruitione ipſius Dei, quam ſinguli beati habent, dum Deum facie ad faciem vident, atque fruuntur ſicut Angeli, de quibus dicit Chriſtus: *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris.* Matth. 18. v. 10. Sancti autem erunt ſimiles Angelis Matth. 22. v. 30. quæ utique viſio, & fruitio illis inhærēt, & intrinſeca eſt; alioquin ſi beati eſſent per ſolam imputationem beatitudinis Chriſti, ita ut in ſe propriam Dei viſionem non haberent, certè beati non eſſent ampliùs, quàm homo viator in terris, imo ſic homo peccator, vel in peccatis exiſtens dici poſſet beatus in cœlis: imò diabolus, quantumvis malus & damnatus; quia extrinſecè ipſi imputari poſſet beatitudo Chriſti, quam nullo modo habet, imo contrarium: ſic autem Acatholici volunt, quod homo in ſe coram Dei tribunali ſit iniuſtus, & tamen cenſeatur iuſtus per imputationem iuſtitiæ Chriſti ipſi extrinſecæ: quis non miretur hanc abſurditatem? IX.

His accedat argumentum ad hominem ex verbis Calvini, qui lib. 3. cap. 11. §. 12. referens & refutans objectionem Oſiandri contra virtutem iuſtificandi in humanitate Chriſti, ſic ait: *Stulte etiam ab eo objicitur iuſtificandi virtutem tam Angelis, quam hominibus longe ſuperiorem eſſe, quando hoc non ex dignitate creaturæ cujusquam, ſed ex Dei ordinatione procedit, ſi Angeli iubeat Deo ſatisfacere, nihil proficiunt, quia non ſunt ad hoc deſtinati, homini autem Chriſto hoc ſingulare fuit, qui legi ſubjectus eſt, ut nos a maledictione legis redimeret*, &c. hæc Calv. Unde ſic arguitur: Si ex ſola Dei ordinatione eſt, quod iuſtitia creata hominis Chriſti non ſolū ipſum juſtum formaliter coram Dei tribunali conſtituat, ſed etiam pro nobis ſatisfaciat, cur ergo non ex eadem Dei ordinatione fieri poſſet, ſalva Chriſti mediatione, ut ſimilis iuſtitia, licèt longè minor, à Deo hominibus propter merita Chriſti infuſa homines formaliter iuſtos coram Dei iudicio conſtituat? conſtat autem Deum hoc voluiſſe ex locis S. Scripturæ allegatis, ſtultè ergo Calvinus Eccleſiæ Catholicæ objicit, quod doceat, quod homines ex miſericordia Dei propter merita Chriſti donentur iuſtitia inhærente, quâ formaliter coram Deo iuſti ſint, & dicantur. X.

Sicut itaque Chriſtus ſecundum humanitatem eſt primogenitus inter fratres habens ex Dei miſericordia gratiam & iuſtitiam creatam, quâ formaliter iuſtus eſt, & etiam alios iuſtificat ſine præjudicio divinæ miſericordiæ, à qua gratis illam accepit; ſic etiam alii homines propter juſtitiam Chriſti redempti à Deo miſericorde ſimilem iuſtitiam habent quâ formaliter iuſti XI.

con-

onstituuntur, sine præjudicio iustitiæ, & redemptionis Christi, propter quam illam accipiunt, & se accepisse profitentur, ac proinde non in se, sed in Christo Jesu gloriantur, sicut nec ipsa humanitas in se gloriatur, quasi ex se justitiam habeat, sed in Deo, à quo illam accepisse profitetur, prout de sua doctrina dicebat Joann. 7. v. 16. *Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me,* &c.

ARTICULUS X.

Eadem veritas probatur ex testimoniis SS. Patrum.

I. QVod homo iustus & sanctus constituatur per interius à Deo infusum donum, SS. Patres passim juxta S. Scripturam supponunt, & docent, quorum aliquos referam.

Irenæus lib. 5. cap. 6 edit. Colon. 1596. adversus hæreses sic ait: *Cùm autem spiritus commixtus animæ unitur plasmati, propter effusionem spiritus, spiritalis, & perfectus homo factus est, & hic est, qui secundum imaginem & similitudinem factus est Dei,* &c. ubi supponit, quod id, quod dicitur Tit. 3. v. 5. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde,* &c. & de quo præced. art. ostensum est, quod intelligatur donum Spiritûs Sancti, &c. dicit ergo Irenæus quod homo propter hanc effusionem perfectus fiat, quid autem aliud est perfectum fieri, quàm iustum fieri?

Cyprianus Ep. 2. l. 2. ad Donatum edit. Basil. 1531. ita dicit: *Postquam unda genitalis auxilio superioris æui labe detersa in expiatum pectus, ac purum desuper se lumen infundit, postquam cœlitùs spiritu hausto in nouum me hominem natiuitas secunda reparauit,* &c. *ipse profectò quid detraxerit nobis, quidue contulerit mors ista criminum, vita virtutum,* &c. hæc ille. Similiter supponit verba ad Tit. 3. ubi expresse dicit, quod duo in nativitate secunda fiant, scilicet, *mors criminum*, seu remissio eorum, & *vita virtutum*, quæ donantur.

II. *S. Ambrosius* lib. 6. Hexameron edit. Paris. 1569. cap. 8. *Vtrum, ait, iustificatio secundum corpus, an secundum animam tibi conferri videatur, quæso, respondeas sed dubitare non potes, cum iustitia unde iustificatio deriuata est, mentis tuæ utiq; non corporis sit. Pictus es ergo O homo, & pictus à Domino Deo tuo, bonum habes artificem, atq; pictorem, noli delere bonam picturam, non fuco sed veritate fulgentem, non cera expressam, sed gratia,* &c. hæc ille.

Ecce quàm clarè dicit iustificationem esse, & dici à Justitia, quæ in mente est, quam Deus in illa pingit, & exprimit, scilicet dando gratiam, quæ Justitia est.

III. *S. Chrysostomus* Hom. 40. in 1. Ep. ad Cor. edit. Basil. 1547. c. 15. expressè docet, quod Deus hominem iustificet absolvendo à peccatis, & mentem radiis solis puriorem reddendo, cuius verba suprà art. 4. relata sunt, ubi specialiter illa notanda sunt, dum dicit, *ut tu ferrum aurumue recoquendo purum nouumq; facis, sic Spiritus Sanctus in baptismate velut in fornace recoquit ipsam* (animam) *& peccatum consumendo quolibet auro purius splendentem reddit,* &c. ubi patet, quod Spiritus Sanctus hominem iustificet per hoc, quod peccata deleat, & donum animæ conferat, quod splendens, & pura sit.

Similiter *Chrysost.* in illa verba ad Ephes. 1. eâd. edit. *In qua gratificauit nos in dilecto Filio suo,* sic ait: *Gratiosos nos reddidit, hoc est, non solum peccatis liberauit, sed & dilectos amicos effecit, quemadmodum enim, si quis scabiosum quendam peste, morbo, senio, paupertate pariter, ac fame corruptum nactus, formosum mox adolescentem reddat qui quosuis venustate superet, vehementem splendorem ex genis emittat, ipsaq; fulgura oculorum repercussionibus absconderet, quem deinde & in ipso ætatis flore constituat, atq; insuper & purpura & omnigeno mundo vestiat, atq; exornet. Non aliter animam nostram, & elaboratam, & pulchram, & desiderabilem, ac dilectam reddidit,* &c. hæc Chrysost. quid his clarius? quomodo talis anima in se adhuc fœda, peccatis obnoxia, & damnationis rea manet?

Cyrillus lib. 1. in Gen. circa finem sic ait: *In similitudinem prauaricationis Adæ necessario creator omnium suis creaturis succurrendum putauit, radicemq; quasi generis seruandam molitus est, quæ ad pristinam nos immortalitatem restituat ut sicut primi hominis imago impressionem in nobis effecit, adeo, ut omnino nos mori oporteat, corruptionisq; laqueo capi, ita post, cum secundum nostrum principium, id est, Christus, & ad eum per spiritum similitudo immortalitatem nobis imprimeret.* Et infrà: *Quippe per absurdum est, ut Adam terrenum hominem vim maledictionis, veluti hereditatem quandam naturalem, ad totum humanum genus posse transmittere arbitremur; Emmanuelem verò, qui de cœlo est, Deumq; suapte natura, & nobis similis esse voluit, secundusq; Adam factus est, non tantum roboris habuisse existimemus, ut illos, qui familiaritatem adepti sunt, per Fidem suæ vitæ participes facere possit,* &c. hæc ille. Vbi clarè supponit, quod Christus obtineat suis vitam infusam quâ ipsi similes sint, iuxta ea, quæ suprà de Adam & Christo ex Apostolo dicta sunt. IV

S. Hieronymus lib. 1. adversus Pelagianos edit. Basil. 1553. sic ait: *Hæc est hominis summa justitia, quidquid potuerit habere iustitiæ, non suum esse putare, sed Domini, qui largitus est,* &c. ubi clarè supponit homini iusto datum esse donum iustitiæ.

Item lib. 3. sic ait: *Nunc mundus factus es in lauacro; & de te dicitur, quæ est ista, quæ ascendit dealbata, & tota quidem sit, sed custodire non valeat puritatem suam, nisi à Domino sustentetur,* &c. ubi clarum est, quod non per extrinsecam iustitiæ Christi imputationem, sed per internam puritatem datam anima dealbetur, seu iustificetur.

S. Cyrillus Alexandr. lib. 4. Comm. in Isaiam edit. Basil. 1566. orat. 2. dum explicat verba Prophetiæ cap. 44. scilicet: *Memento horum Jacob, & Israël, quia puer meus es tu formaui te puerum,* &c. sic ait: *Formatur iterum in Filium Dei, intelligibiliter informatus diuinarum legum scientia ad speciem effigiemq; excellentem, quæ virtutum ornatu in animis hominum inhæret, ac insidet, hæc autem pulchritudo intelligi potest spiritualis formantur etiam veluti in Christo per Sancti Spiritus participationem, ad ejus speciem scilicet, siquidem ad Galatas diuinus Paulus: Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis, formatur autem in nobis Christus Sancto Spiritu nobis diuinam quandam formam per sanctificationem, & iustitiam indente; sic enim in animis nostris relucet character substantiæ Dei ac Patris, reformamur, ut dixi, Sancto Spiritu nos per sanctificationem in*

ipsum,

ipſam, &c. hæc ille, ubi patet, quod ex hoc dicatur formari Chriſtus in nobis, non quia ejus iuſtitia extrinſecè imputatur, ſed quia Spiritus Sanctus propter merita Chriſti divinam ſui ſupernaturalem formam nobis indit, quæ nobis inhæreat, & hanc iuſtitiam eſſe dicit.

V. Concludat *Aug.* qui, quo ferventiùs contra Pelagianam hæreſin gratiæ inimicam ſuo tempore exortā pugnavit, eo magis iuſtificationis, iuſtitiæ & gratiæ rationem ex S. Scriptura demonſtravit.

Itaq; lib. 12. confeſſ. c. 15. edit. Baſil. 1528. ſic ait: *Sapientia quæ creata eſt, intellectualis natura ſcilicet, quæ contemplatione luminis lumen eſt, dicitur enim & ipſa quamvis creata ſapientia, ſed quantum intereſt inter lucem, quod illuminat, & quod illuminatur, tantum intereſt inter ſapientiam, quæ creat, & iſtam, quæ creata eſt, ſicut inter Juſtitiam iuſtificantem, & iuſtitiam, quæ iuſtificatione facta eſt, nam & nos dicti ſumus Iuſtitia ſua, ait enim quidam ſervus tuus, ut nos ſimus iuſtitia Dei in ipſa*, &c hæc Aug. ecce quàm clarè dicit iuſtitiam in nobis fieri per iuſtificationem.

Iterum lib. 1. de peccatorum Meritis & remiſſ. eâd. edit. c. 10. ſic ait: *Legimus iuſtificari in Chriſto, qui credunt in eum, propter occultā communicationem, & inſpirationem gratiæ ſpiritualis, quâ quiſquis hæret Domino, unus ſpiritus eſt*, &c. ecce quod iuſtificatio fiat per inſpirationem gratiæ.

Item ibid. cap. 13. ſic ait: *Quid eſt autem, quod abundantiam gratiæ & iuſtitiæ accipiunt, niſi quod non ei tantum pecato, in quo omnes peccaverunt, ſed etiam eis, quæ addiderunt, gratia remiſſionis datur, eiſq; hominibus tanta iuſtitia donatur, ut cum Adam conſenſerit ad peccatum ſuadenti, non cedant iſti etiam cogenti*, ſcilicet diabolo, &c. hæc ibi.

Idem lib. de Nat. & Gratia eâd. edit. c. 38. ſic ait: *poſtremo ſi in Abel iuſto charitas Dei, quæ una vere iuſtus eſt, quicunq; iuſtus eſt, adhuc erat*, &c.

Iterum ibid. c. 42. de charitate; *ipſa eſt*, inquit, *enim veriſſima, pleniſſima, perfectiſſimaq; iuſtitia*, &c. & paulò pòſt; *Dum charitas Dei, quantum pleniſſime natura noſtra ſana atq; purgata capere poteſt, diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*, &c. hæc ibi.

VI. Rurſus ibid. cap. 70. ſeu ult. circa verba pſalmi 16 Cuſtodivi vias duras, ſic ait: *Duræ ſunt timori, leves amori, charitas ergo inchoata, inchoata Iuſtitia eſt, charitas provecta, provecta Iuſtitia eſt, charitas magna, magna Iuſtitia eſt, perfecta, perfecta Juſtitia eſt, ſed charitas de corde puro, & conſcientia bona, & Fide non ficta, quæ tunc maxima eſt in hac vita, quando pro illa ipſa contemnitur vita*, &c. hæc ibi. Quid clariùs dici poſſet, quod iuſtitia ſit inhærens charitas, ac proinde, cùm illa diffunditur, homo iuſtificetur.

Idem lib. 15. de Trinit. cap. 8. eâd. edit. tractans verba Apoſtoli: *Nos autem revelata facie gloriam Domini ſpeculantes in eandem imaginem transformamur*, ſic ait: *Vir quidem non debet velare caput, cum ſit imago & gloria Dei: quæ natura in rebus creatis excellentiſſima, cum à ſuo creatore ab impietate juſtificatur, à deformi forma formoſam transfertur in formam. Eſt quippe & in ipſa impietate, quanto magis damnabile vitium, tanto certius natura laudabilis. & propter hoc addidit, de gloria in gloriam; de gloria creationis, in gloriam iuſtificationis*, &c. hæc ille. Ecce quàm clarè oſtendit per iuſtificationem hominem transferri à ſtatu peccati ad iuſtitiam, quæ per iuſtificationem confertur, ubi nullo modo poteſt per juſtitiam intelligi Juſtitia illi imputata, nec intelligi poteſt, quod natura poſt iuſtificationem in ſe maneat deformis ſub peccato.

Idem de Spir. & Lit. cap. 9. eâd. edit. ſic ait: *Iuſtitia Dei manifeſtata eſt, non dixit juſtitia hominis, vel iuſtitia propriæ voluntatis, ſed iuſtitia Dei, non* (nota) *quâ Deus iuſtus eſt, ſed quâ induit hominem, cum juſtificat impium.* Et infrà: *Nam ſicut ſequitur, & adjungit dicens, iuſtitia autem Dei per Fidem Jeſu Chriſti, hoc eſt, per Fidem, quâ creditur in Chriſtum, ſicut autem iſta Fides Chriſti dicta eſt, non quâ credit Chriſtus, ſic illa Iuſtitia Dei, non quâ iuſtus eſt Deus: utrumq; enim noſtrum eſt, ſed ideo Dei & Chriſti dicitur, quod ejus largitate nobis donatur*, &c. hæc Aug. VII. Ecce ſicut fides noſtra eſt nobis inhærens, ita & iuſtitia Dei, quâ iuſtificamur, noſtra eſt ex Dei largitate.

Similiter loquitur tract. 26. in Joann. edit. Baſil. 1529. in initio tractans verba Apoſtoli: *Ignorantes Dei Juſtitiam, & ſuam volentes conſtituere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti*, ſic ait: *Quid eſt hoc, Iuſtitia Dei & Iuſtitia hominis? Juſtitia Dei hic dicitur: non quâ iuſtus eſt Deus, ſed quam dat homini Deus, ut iuſtus ſit homo per Deum, quæ autem illorum Iuſtitia erat, qui de ſuis viribus præſumebant*, &c. *nemo implet legem, niſi adiuverit gratia, id eſt, panis, qui de cœlo deſcendit, legis enim plenitudo compendio, ut ait Apoſtolus, charitas eſt, charitas non nummi, ſed Dei, unde iſta charitas homini. Ipſum audiamus: Charitas*, inquit, *Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*, &c. hæc Aug.

VIII. Rurſus lib. de Hæreſ. 88. eâdem edit. referens hæreſin Pelag. & explicans, in quo conſiſtat Gratia Dei, quâ iuſtificamur, ait: *Quâ eruimur de poteſtate tenebrarum, ut in eum credamus atq; in regnum ipſius transferamur, & quâ diffunditur charitas in cordibus noſtris, ut Fides per dilectionem operetur.* Ecce quàm clarè dicit iuſtificationem conſiſtere in eo, quod transferamur de ſtatu peccati ad regnum Chriſti conferendo Fidem & charitatem.

Iterum in pſ. 98. edit. Baſil. 1529. ſic ait: *Vide, quid dixit, iudicium & iuſtitiam in Jacob tu feciſti, exaltate Dominum Deum noſtrum, vere exaltate, bene exaltate, laudemus & exaltemus illum, qui fecit ipſam iuſtitiam, quam habemus. ipſe in nobis fecit, quis enim in nobis fecit ipſam Iuſtitiam, niſi qui nos iuſtificavit? De Chriſto autem dictum eſt qui iuſtificat impium, nos ergo impii, ille Juſtificator, quomodo & ipſam iuſtitiam ipſe in nobis fecit, quâ illi placeamus, ut ad dexteram nos ponat*, &c. hæc ille. Quomodo clarius iuſtificatio explicari poſſit per collationem juſtitiæ nobis inhærentis à Chriſto factæ, & non per imputationem iuſtitiæ Chriſti extrinſecus nobis applicatæ? in tantū, ut etiam dicat, quod hâc iuſtitiâ in nobis factâ ipſi placeamus, ut ad dexteram, id eſt, in gloriam nos recipiat, quod ad minus formaliter intelligendum, cum S. Aug. ſemper ſupponat, quod ex gratia Dei, & per merita Chriſti, hæc iuſtitia conferatur.

IX. Hæc adeo clarè à S. Aug. toties tradita ſunt, ut ipſe Calvinus fateri cogatur lib. 3. Inſt. c. 11. §. 15. poſtquam multis calumniis & mendaciis ſcholaſticam doctrinam affeciſſet, tandem dicit: *At ne quidem Auguſtini ſententia, vel ſaltem loquendi ratio per omnia recipienda eſt, tametſi enim egregie hominem omni Iuſtitiæ laude ſpoliat, ac totum Dei gratiæ transſcribit, gratiam tamen ad ſanctificationem refert, quâ in vitæ novitatem per ſpiritum regeneramur*, &c. hæc ille. Qui vult, quod gratia & iuſtifi-

ſitiones habet; Deus per ſuam miſericordiam & propter juſtitiam & merita Chriſti ipſi peccata dimittat, ac ipſi infundat gratiam, ſeu Juſtitiam, quæ in Fide, ſpe, & charitate conſiſtit; ſicque illi peccata dimittens juſtum efficiat; ſeu ex ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ transferat: ac per hæc tria dona ipſum formaliter faciat membrum vivum Chriſti, ut capitis, & Eccleſiæ ut Chriſti corporis; quod Concil. verbis ultimis ſuprà citatis indicat; quod per charitatem Chriſto, ut membrum vivum, inſeratur, id Auguſt. ſupponit tract. 27. in Joann. dicens: *Manemus autem in illo, cùm ſumus membra eius, &c. ut autem ſimus membra eius, unitas nos compaginat, ut compaginet unitas, quid facit? niſi charitas, & charitas Dei unde? Apoſtolum interroga: Charitas Dei, inquit, diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*, &c. hæc ille. Adeoque patet, quod priùs naturâ homo propter merita Chriſti per Spiritum Sanctum accipiat charitatem, quam inſeratur Chriſto, aut ſit vivum membrum eius: quia per charitatem formaliter unitur, & inſeritur, ſingula itaque ex S. Scriptura & SS. Patribus probanda erunt.

ARTICULUS III.

Quòd ſola fides, vel fiducia divinæ miſericordiæ, non ſit cauſa formalis juſtificationis, nec juſtitia Dei eſſentialis.

I. HÆc duo docuit Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. & can. 11. & 12. Primum contra Lutherum, qui idipſum aſſeruit in commentario ad cap. 2. Gal. dicens: *Eſt ergo formalis noſtra Juſtitia ipſa Fides, & nebula cordis, hoc eſt, fiducia in rem, quæ non videtur*, &c. verùm contrarium nimis clarum eſt ex S. Scripturæ locis præced. cap. allatis, ex quibus ſicut & SS. Patribus clarè conſtat, quod ſola Fides non juſtificet, ne quidem in ratione diſpoſitionis, multò minùs, ut cauſa formalis, à qua ſola homo formaliter fit juſtus: unde & *Lutherani, ac Acatholici* hoc ipſum negant, ſed volunt quod per Fidem, ſolum ut inſtrumentum apprehendatur Chriſti juſtitia, per quam homo formaliter ſit juſtus; ita ut Fides non faciat hominem juſtum, ſed per illam tantum ipſi juſtitia Chriſti applicetur, de quo præced. cap. actum eſt, & infrà dicetur.

Secundum, etſi *Lutherus* non clarè docuiſſe videatur, tamen Oſiander dicit ſe ex illius doctrina hauſiſſe; at hæc ſententia tam abſona eſt, ut & alii Acatholici illam abhorreant, & Calvin. lib. 3. Inſt. cap. 11. §. 5. illam Oſiandro aſſcribens dicit, *verum quia Oſiander monſtrum neſcio, quod eſſentialis juſtitiæ invexit*, &c. ubi ex illius ſcriptis varia figmenta refert, inter alia, quod *homo juſtus eſſentialiter & ſubſtantialiter Deo uniatur, & ſic juſtus ſit formaliter per ipſam Dei Juſtitiam increatam*, &c.

Verùm imprimis nimis irrationabilis eſt hæc fictio, & accedit ad *Manichæos*, qui volebant Dei eſſentiam non ſolùm in hominem, ſed in quodlibet vivens ſubſtantialiter transfundi, ut S. Auguſtinus ſæpius refert.

Secundò, etſi Deus dicatur in S. Scriptura habitare ſpecialiter in homine, ut 1. Cor. 3. v. 16. *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis*, &c. id tamen non fit, niſi prius per gratiam ſit homo Deo reconciliatus, unde Sap. 1. v. 5. de ſapientia divina dicitur: *In malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.*

3. Illud commentum omnem de Chriſti meritis doctrinam Evangelicam evertit, nam S. Scriptura paſſim docet, quod per paſſionem & ſanguinem Chriſti redempti ſimus & juſtificemur, ut patet Iſa. cap. 53. v. 5. *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras*, &c. *& livore eius ſanati ſumus*. Et v. 11. *Pro eo, quod laboravit anima eius*, &c. *in ſcientia ſua juſtificabit ipſe juſtus ſervus meus multos*. Sic ad Rom. 5. v. 9. *Chriſtus pro nobis mortuus eſt, multo igitur magis nunc juſtificati in ſanguine ipſius ſalvi erimus ab ira per ipſum: ſi enim, cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filii eius*, &c. & alibi ſæpe ſimiliter 1. Joann. 1. v. 7. dicitur: *Sanguis Jeſu Chriſti filii eius emundat nos ab omni peccato*, & cap. 2. v. 1. *Advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*, &c.

Verùm hæc omnia tollerentur ex fictione illa II.
Oſiandri, qui vult; quod Deus nullam juſtitiam ut ſufficientem acceptet, niſi ſuam eſſentialem pro redemptione; adeoque ſequitur, quod nec juſtitiam Chriſti hominis, quæ creata eſt: conſtat autem ex S. Scriptura, quod Deus merita Chriſti ſecundùm humanitatem ut ſufficientia pro redemptione hominum ſuſceperit. Sicut autem nulla unquam hæreſis fuit, quæ ſub litera S. Scripturæ refugium non ſumpſit, ſic etiam Oſiander pro ſua fictione allegabat illud 2. Pet. 1. v. 4. *Efficiamini divinæ conſortes naturæ*; unde inferebat, quod homo poſſet juſtitiam Dei eſſentialem accipere.

Sed patet ex ipſo textu ſpiritûs literæ, cùm Apoſtolus immediatè præmiſerit de Chriſto dicens: *per quem maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ*. Itaque ſenſus eſt, quod Deus per merita Chriſti nobis pretioſa donavit, quæ promiſerat, ſcilicet; ut per dona illa fugerent concupiſcentias, quæ ducunt ad corruptionem, ideo ſubiungit dicens: *Fugientes eius, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem*, illa autem dona enumerat, ſcilicet *Fidem, virtutem, ſcientiam, patientiam, pietatem, & charitatem*, per *quam* reddimur filii Dei, ut dicitur 1. Joann. 3. v. 1. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & ſimus*, per hanc manet Deus in nobis, & nos in eo. Et ibid. cap. 4. v. 16. dicitur, & ſic divinæ conſortes naturæ efficimur. Quod autem per eſſentialem Dei juſtitiam conſortes efficiamur divinæ naturæ, hoc ex ſcriptura non habetur, ſed ex deliriis Manichæi trahitur.

Hæc eſt communis SS. Patrum ſententia, ſuf- III.
ficiat pro omnibus Auguſtinus, qui tract. 26. in Joann. ſic ait: *Quid eſt Juſtitia Dei, & Juſtitia hominis? Iuſtitia dicitur, non qua Deus juſtus eſt, ſed quam dat homini Deus, ut iuſtus ſit homo per Deum*, &c. Item lib. de Spir. & Lit. cap. 32. ſic dicit: *Charitas Dei dicta eſt diffundi in cordibus noſtris, non qua ipſe nos diligit* (quæ eſt increata) *ſed qua nos facit dilectores ſuos, ſicut Iuſtitia Dei, qua iuſti eius munere efficimur, & Domini ſalus, qua nos ſalvos facit, & fides Chriſti, qua nos fideles facit*, &c. hæc ille.

Vbi

ubi patet, quod, ſicut fides non dicitur Chriſti, vel Dei, quaſi in Chriſto eſſet, ſed quæ à Chriſto data eſt, per quam credimus, ita etiam juſtitia Dei dicatur, quæ à Deo infunditur.

ARTICULUS IV.

Quòd homo non juſtificetur per ſolam peccatorum remiſſionem.

I. CAlvinus, ut ſuam fulciat opinionem, generalem & unicam juſtificationis aſſignat definitionem l. 3. cap. 11. §. 3. dicens: *Juſtificare ergo nihil aliud eſt, quàm eum, qui reus agebatur, tanquam approbata innocentia à reatu abſolvere*; unde infert: *Quum itaq; nos Chriſti interceſſione juſtificet Deus, non propriæ innocentiæ approbatione ſed Juſtitiæ* (Chriſti) *imputatione abſolvit, ut pro juſtis in Chriſto cenſeamur, qui in nobis non ſumus*, hæc ille: ex hac ad ſuum libitum fabricata definitione concludit; quod, licèt in illo inſtanti, in quo homini dimittuntur peccata, etiam infundantur dona ſpiritualia, tamen per infuſionem non dicatur homo juſtificari, ſed ſanctificari; at vero per remiſſionem peccatorum juſtificari.

Eccleſia Catholica in Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 7. ſic docet: *In ipſa Juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul accipit homo per Jeſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem, charitatem*, &c. & can. 11. ſic definit: *Si quis dixerit homines juſtificari vel ſola imputatione Juſtitiæ Chriſti, vel ſola remiſſione peccatorum excluſa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atq; illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua juſtificamur, eſſe tantum favorem Dei*, anathema ſit.

II. Pro declaratione doctrinæ Catholicæ ſciendum, quod juſtificationis vox variè in S. Scriptura uſurpetur, ut cap. 1. art. 1. indicatum eſt. Calvinus & alii volunt, quod illa unica ſit vera ratio, quando modo forenſi aliquis juſtificatur, ſcilicet dum à Judice aliquis pronunciatur, & denuntiatur innocens illius criminis, de quo accuſabatur, licèt aliud nihil circa ipſum fiat: ſic vult, quod præcisè ex eo, dum Deus remittit homini peccata, juſtificet eum, ut per hoc præcisè juſtus reputetur per Juſtitiam Chriſti illi imputatam, ad quod unum aut alterum S. ſcripturæ locum allegat, ut Rom. 8. v. 34. *Deus qui juſtificat, quis eſt qui condemnet?* unde ſic arguit, juſtificatio ibi opponitur condemnationi; atqui condemnatio ſolùm dicitur, quando homo Judex aliquem pronuntiat reum criminis, ergo juſtificatio fit, quando ipſum juſtum vel innocentem pronunciat; ſed unde Calvinus, & Acatholici habent, quod non perfectior ſit juſtificatio à Deo, quàm ab homine facta? vel quod condemnatio ab homine circa fidelem facta, inferat, quod juſtificatio, quâ Deus hominem juſtificat, præcisè ſit idem, ac ſi ſolum pronunciet hominem juſtum excludendo alia?

III. Verùm conſtat ex pluribus S. Scripturæ locis, quod juſtificatio propriè dicta etiam ſumatur pro collatione, vel acquiſitione, & incremento juſtitiæ, ut cap. 1. oſtenſum, unde Eccleſia & SS. Patres collegerunt; quod juſtificatio prima non ſolùm includat remiſſionem peccatorum, ſed etiam Juſtitiæ collationem; nec quicquam valet exemplum de judice homine, qui ſolum aliquem pronunciat, imo ſolum pronunciare poteſt hominem criminis accuſatum eſſe innoxium, cùm tamen in re noxius manere poſſit: verius tamen homo Judex aliquem juſtificaret, ſi non ſolum pronuntiaret aliquem innoxium, ſed etiam juſtum faceret, quod quia homines non poſſunt, ideo Gentiles, ly *juſtificare*, pro juſtum pronunciare, uſurpant, ex quo Gentilium loquendi modo Acatholici ducunt argumentum contra S. ſcripturam, & SS. Patres, cùm docent Deum juſtificare: *Dei autem perfecta ſunt opera*, ac proinde, cùm Deus perfectè hominem juſtificet, in ipſa juſtificatione non ſolùm peccata dimittit, ſed hominem ex impio, vel peccatore juſtum facit.

Hæc eſt communis SS. Patrum ſententia, pro qua ſufficiunt *Chryſoſtomus & Auguſtinus*, ille hom. 40. in 1. ad Cor. cap. 15. edit. Baſil. 1547. tractans verba Chriſti Matt. 9. utrum facilius dictu: peccata tibi dimittuntur, an grabatum tolle, ſic ait: *Et quî hoc difficile eſt, inquit, quod Reges & Principes poſſunt? adulteros & homicidas quoties abſoluunt? ludis arbitror, qui hæc dicis, peccata dimittere ſolus Deus poteſt, Reges porro & Principes, etiamſi homicidas, adulteros abſoluant, peccati ſupplicio quidem liberant, peccato abſoluere non poſſunt*, &c. *ſolus Deus poteſt, quod in iſto regenerationis lauacro facit, mentem gratia tangit, tunc radicale peccatum euellit. Itaq; qui crimine Regis beneficio abſolutus eſt, inquinatum animum ſeruat, quem abluit baptiſma, non item; ſed ſolis radiis puriorem mentem habet*. Et infrà: *Vt tu ferrum aurumue recoquendo purum, nouumq; facis, ſic Spiritus Sanctus in baptiſmate velut in fornace recoquit ipſam, & peccatum conſumendo quolibet auro purius ſplendentem reddit*, &c. hæc ille, ubi patet, quod longè aliter Deus juſtificet, quàm Judex, vel Rex, qui à ſupplicio liberos pronunciant, ſed non à peccato liberant: hoc autem intendunt Acatholici, quod homo extrinſecus à Deo pronuntietur juſtus per Chriſti juſtitiam, & tamen maneat ipſe coram Deo peccator, & injuſtus: nam, licèt verbotenus concedant authoritate S. Scripturæ convicti, quod ſimul contingat ſanctificatio per habitus infuſos, tamen dicunt illam ſanctificationem eſſe impuram, & illos habitus maculoſos, fideles in ſe ſpectatos eſſe damnabiles ob juſtitiæ inhærentis imperfectionem; imo peccata in homine manere, & ſolum tegi, ita ut ſolum non imputentur ad condemnationem: & ideo volunt, quod homo in ſe injuſtus maneat non habens juſtitiam propriam, qua juſtus ſit. Et licet etiam verbotenus dicant authoritate S. ſcripturæ convicti, quod Deus homini dimittat peccata, volunt tamen illam remiſſionem ſolam eſſe ex parte Dei non imputantis, ita ut in homine peccata maneant, & ipſe in ſe juſtus non ſit. IV.

Quod autem juſtificatio, quâ Deus hominem juſtificat, non conſiſtat in ſola, etiam vera, remiſſione peccatorum, S. Auguſtinus etiam ſæpe exprimit, ut in pſ. 30. Conc. 1. edit. Baſil. 1529. circa illa verba *in tua Juſtitia erue me*, dicens: *Quia non inueniſti in me Juſtitiam meam, erue me in tua, hoc eſt, illud me eruat, quod me juſtificat, quod ex impio, pium facit, quod ex iniquo, juſtum, quod ex cæco, videntem*, hæc ibi. V.

Similiter in pſ. 118. Conc. 26. eâd. edit circa illa

illa verba, *feci Judicium & justitiam*, sic ait: *Justitia nomine hoc loco non ipsa virtus, sed opus eius, significatum est, quis enim facit in homine justitiam, nisi qui justificat impium? hoc est, per gratiam suam ex impio facit justum, unde ait Apostolus; justificati gratis per gratiam ipsius.* &c.

Rursus epist. 105. contra Pelagian. fol. 2. ab initio edit. Basil. 1528 *Sunt*, inquit, *plane, quia justi sunt, sed ut justi fierent, merita non fuerunt, justi enim facti sunt, cùm justificati sunt; sed sicut dicit Apostolus, justificati gratis per gratiam ipsius*, &c.

Similiter epist. 106. 2 folio ab initio sic ait: *Profectò, antequam gratiâ justificetur, ut justus efficiatur, impius quid est nisi impius?*

Demum epist. 120. cap. 20. ait: *ut, qui gloriatur, in Domino glorietur, credens in eum, qui justificat impium, hoc est, qui ex impio facit pium*, &c. hæc August.

VI. Ex his evidens est, quod S. scriptura non dicat impii justificationem in sola peccatorum remissione consistere, sed in translatione, quâ Deus ex impio iustum facit; prout SS. Patres tam clarè iuxta S. Scripturam docuerunt. Vnde evanescit figmentum Calvini, & aliorum Acatholicorum, cum volunt, quod, licèt, dum homini peccata dimittuntur, etiam simul charitas & habitus infusi donentur; tamen non iustificetur per donationem charitatis, sed per solam remissionem, & per charitatem solum sanctificetur, non tamen verè; sed adhuc iniustus maneat; & ideo nolunt, quod charitas sit, vel vocetur iustitia, de quo infrà.

ARTICULUS V.

Quòd, licèt propter justitiam Christi homo iustificetur, tamen Iustitia Christi non sit causa formalis, quâ homo iustus formaliter constituitur.

I. A Catholici videntes, quod S. Scriptura hominem iustificatum absolutè iustum pronunciet, & quidem iustus non possit denominari nisi ab aliqua forma, seu iustitia, quia iustus idem est, ac iustitiam habens, cùm nolint hominem in se habere iustitiam, à qua sic nominetur; volunt illam esse iustitiam Christi, quam Christus habet sibi intrinsecam, & propriam, sive sit iustitia ipsi inhærens, sive iustitia actualis, quam tempore mortalitatis exercuit, scilicet opera, quibus gratiam à Deo pro nobis meruit: hanc volunt eatenus homini extrinsecè applicari, quatenus Deus propter illam homini peccata non imputat, & quatenus Christus hominis sibi incorporati, peccata tegit, ut non ei ad pœnam imputentur, & sic coram Deo iustus appareat; hoc satis constat ex verbis Calvini lib. 3. Inst. cap. 11. §. 3. suprà art. 1. allatis.

II. Sententia autem Ecclesiæ Catholicæ hæc est; quod aliud sit, esse causam efficientem, vel meritoriam, aliud vero esse causam formalem iustificationis: & quidem, quod unica sit causa meritoria iustificationis hominum, scilicet iustitia Christi, clarè docet Conc. Trid. sess. 6. cap. 7. dicens: *Huius Justificationis causæ sunt*, &c. *meritoria dilectissimus unigenitus Dominus noster Jesus Christus, qui, cùm essemus inimici, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis Justificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit*, &c. hæc Concil. quia ergo Deus Pater propter Christum, & ipsius merita homini peccata dimittit, & gratiam donat, ideo Doctores Catholici docent, quod eatenus homini Christi iustitia donetur, & imputetur, quia scilicet per illam Christus Patri pro homine satisfecit, & propter illam Deus homini peccata dimittit, & gratiam donat; sicut etiam propter illam hominem Christo, quasi membrum capiti, incorporat; quia tamen homo est verè distinctus à Christo homine, & etiam capax iustitiæ inhærentis, quæ est similis Christi justitiæ, licèt longè imperfectior, ac etiam verè à peccatis emundari potest, sicut ante lapsum Adæ homo erat; ideo docet Ecclesia Catholica juxta S. Scripturam & SS. Patres, quod Deus propter merita Christi homini verè peccata remittat, & gratiam seu justitiam infundat, quâ formaliter iustus sit, & nominetur, ac similis, licèt longè inæqualis, capiti Christo constituatur: unde clarè patet, quod Ecclesia Catholica nullatenus doceat, quasi propter justitiam inhærentem, ut causam meritoriam, Deus peccata dimittat, sed propter justitiam, & merita Christi sola; ita ut justitia Christi sit unica causa meritoria; at vero remissio peccatorum, ac justitia inhærens, homini data, sint effectus justitiæ Christi, prout Concil. Trid. suprà clarè exprimit, & ideo imputatio justitiæ Christi ordine naturæ utrumque præcedit, sicut causa suos effectus: nec tamen hinc sequitur, quod homo, in illo priori naturæ sit, & dicatur propriè iustus, sicut nec Acatholici asserere possunt, quod quia misericordia Dei ordine naturæ præcedit merita Christi, ideò priùs natura homo per misericordiam Dei sit justus, quam Christi merita applicentur; sed solùm indicatur, quod in eodem instanti Deus misericors ut causa principalis propter merita Christi, ut causam meritoriam & satisfactoriam, remittat peccata, & donet gratiam: & sic homo ex impio justus efficiatur qui est ultimus effectus. Quod itaque homo, qui justificatur propter merita Christi, ut per causam meritoriam & satisfactoriam, non tamen constituatur justus per Justitiam Christo inhærentem, & homini extrinsecus tantum imputatam tanquam per causam formalem, decernit Conc. Trid. juxta S. Scripturam & SS. Patres sess. 6. can. 10. dicens: *Si quis dixerit homines sine Christi Justitia, per quam nobis meruit justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse, anathema sit*, ubi breviter utrumque decernitur, quod Christi Justitia sit causa meritoria Justificationis, & quod illa non sit causa formalis, à qua formaliter homo justus constituatur, quæ planè distincta sunt, ut suprà art. secundo ostensum est. Quod autem non sit mens Concilii, quod iustitia Christi imputata sit partialis causa formalis, & alia partialis sit iustitia inhærens homini, prout aliqui cum

Kemnitio volunt colligere ex verbis can. 11. art. 4. relatis, ubi dicitur: *Si quis dixerit homines juſtificari vel ſola imputatione Juſtitiæ Chriſti, excluſa gratia*, &c. patet ex verbis can. 10. quod Concilium non agnoſcat cauſalitatem formalem quoad juſtitiam Chriſti; idem patet etiam ex verbis Concilii ibid. cap. 7. ubi dicitur: *Vnica formalis cauſa eſt Juſtitia Dei, non qua ipſe juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit.* Concilium autem can. 11. ſolum damnat errores varios Acatholicorum, ut patet, nec ibi can. 11. loquitur Concilium de juſtificatione in ſenſu cauſæ formalis, de quo can. 10. determinat, ſed in ſenſu cauſæ efficientis; quia remiſſio activa peccatorum, & favor Dei, & imputatio meritorum Chriſti, ſe tenent ex parte Dei efficientis, quæ Concilium admittit, ſed Acatholici volunt, quod per illa tantùm abſolvatur juſtificatio, excludendo formalem Juſtificationem per gratiam inhærentem.

V. Hæc Eccleſiæ doctrina duobus modis probatur: Primò refutando fundamenta Acatholicorum, ob quæ volunt Juſtitiam Chriſti ſolam eſſe cauſam formalem. Secundò poſitivè probando, quod juſtitia homini à Deo infuſa ſit cauſa formalis: primum hic oſtendetur, 2. in ſequenti art.

Probatur itaque primò, quia, cùm Acatholici volunt omnes Fidei articulos expreſſos in S. ſcriptura, & hunc ponunt fundamentalem & præcipuum; oſtendant ex S. ſcriptura, ubi dicatur, *quod homines formaliter juſti ſint, & nominentur per Juſtitiam Chriſti hominibus imputatam, vel quod Juſtitia Chriſti homini* ad juſtitiam imputetur, ita ut per illam formaliter juſtus ſit, quod autem id non poſſint, nec ullus ex antiqua Eccleſia S. Patris teſtimonium habeant, patebit ex reſponſione ad argumenta.

Probatur ſecundò, quia argumentum, quod extra & contra S. Scripturam Calvinus & Acatholici adducunt, non valet, ſcilicet, quod ideo per ſolam Chriſti Juſtitiam imputatam homo juſtus ſit, & extrinſecùs denominetur, quia in ſe juſtitiam non poteſt habere, vel juſtus non eſt, ſed peccata manent; & ideo homo quaſi per juſtitiam Chriſti exteriùs veſtiatur, ut juſtus coram Deo appareat, qui in ſe juſtus non eſt, & peccata tegantur, quæ non deleantur, ſed maneant, eo quod juſtitia infuſa non ſubſiſtat coram Dei tribunali, ut per eam juſtus ſit, ſed ſit maculoſa, & ob illam homo ſit adhuc damnabilis. Sicut Æthiops veſte albâ indutus albus apparet.

VI. Verùm utrumque eſt contra S. Scripturam, quoad primum, quia impium eſt aſſerere, quod illa juſtitia ſeu gratia à Deo homini infuſa ſit maculoſa, & ob illam homo ſit damnabilis, quia illa à ſolo Deo creatur, & infunditur ſine ulla hominis cooperatione, adeoque ſequeretur, quod Deus eſſet ſolus author peccati, ſeu illius, ob quod homo damnabilis eſſet, & Deus id ſolus homini infunderet, ob quod illum damnandum judicet.

Secundò Juſtitia inhærens, ſeu infuſa, vel habitus infuſi in juſtificatione, ut fatentur Acatholici, ſunt *fides, ſpes, charitas*, de quibus abſurdum eſt dicere, quod ſint talia, ob quæ Deus hominem damnabilem ſtricto Judicio judicet, cùm ipſe dona illa ex miſericordia infundat, & ſacra ſcriptura tantopere illa commendet, ac præcipuè charitatem per Spiritum Sanctum in cordibus diffuſam.

ARTICULUS VI.

Quòd peccata in juſtificatione verè deleantur.

I. Quoad ſecundum Acatholicorum fundamentum, quod peccata in homine juſtificato ſolùm tegantur, & non deleantur, ſed maneant, nimis etiam abſurdum eſt, & contra expreſſam S. ſcripturam, quæ tot modis exprimit, quod per miſericordiam Dei peccata penitùs deleantur, & abſolvantur, & cor hominis intrinſecè ab omnibus inquinamentis mundetur: pro hoc ſunt plura S. ſcripturæ loca, quorum aliqua attuliſſe ſufficiet.

Pſalmo 50. v. 9. dicitur: *Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.* Quomodo homo ſuper nivem dealbaretur, ſi peccatis adhuc in ſe maculatus & niger maneat? iterum v. 10. *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis.* Quomodo cor mundum Deus creat, & ſpiritum rectum, ſi relinquat peccati ſordes, & creet dona in ſe maculoſa? ſecundò pſ. 102. v. 12. dicitur: *Quantum diſtat ortus ab occidente, longe fecit à nobis iniquitates noſtras.* Quomodo hoc verum, ſi adhuc peccata in corde maneant?

3. Pſ. 50. v. 2. *Dele iniquitatem meam*, & Iſa. 44. v. 22. dicit Dominus: *Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua*; ſi delevit, quomodo manent, ut tegantur? certè, ſi aër à nube purgetur, illa in aëre non manet.

II. Quartò Cant. 4. v. 7. de anima juſtificata dicitur: *Tota pulchra es, & macula non eſt in te*, &c. quomodo hoc verum? ſi ipſa charitas infuſa ſit maculoſa: nam, licèt anima juſta poſſet habere peccata adjuncta venialia; tamen quoad gratiam ſeu charitatem à Deo ipſi infuſam tota pulchra eſt, & dici poteſt.

Quintò Joann. 1. v. 29. dicit Joannes de Chriſto: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*, ſi tollit, quomodo manent?

Sextò Act. 3. v. 19. dicit Petrus: *Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra.* Et 1. Cor. 6. v. 11. dicit Apoſtolus: *Hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti*, &c.

Septimò Ephel. 5. v. 8. *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*; patet autem, quod lux illa dicatur, quæ corpus, cui inhæret, lucidum facit, ut luceat aliis, juxta illud Matt. 5. v. 14. *Vos eſtis lux mundi*, & v. 16. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus*, &c. è contra ſi corpus non habeat ſibi inhærentem lucem, ſed ab alio corpore illuminetur, quod lucem habet, non poteſt eſſe, vel dici lux, aut lucidum, proinde fideles juſti, cùm lux ſint; habent lucem gratiæ ſibi inhærentem, ſed ex gratia Domini, quâ coram Deo lucent, ac proinde in illis non ſunt tenebræ luci oppoſitæ.

Similiter Apoſtolus ibidem Epheſ 5. v. 26. ſic ait: *Seipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ; ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, neq; rugam.*

III. Octavo 1. Joann. 1. v. 7. *Sanguis Jeſu Chriſti filii ejus emundat nos ab omni peccato*, & v. 9 *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate*, &c. quomodo hæc vera erunt, ſi homo juſtificatus in ſe adhuc maneat peccator, & peccatis fœdatus, & tenebris peccatorum involutus? & ſolùm juſtificatus nominetur, quod Chriſti meritum ipſius peccata ſic tegat, ut verè maneant & non ad pœnam imputentur; quis hoc ex his locis S. Scripturæ per ullam conſequentiam veram deducat? verum ergo eſt ſecundùm S Scripturam, quod Deus propter juſtitiam Chriſti, eiusque merita homini verè peccata remittat, & ipſum mundum ac purum in conſpectu ſuo reddat per donum charitatis in corde hominis infuſum; nec hoc in minimo derogat omnimodæ ſatisfactioni & redemptioni Domini noſtri Jeſu Chriſti: quia illa omnimoda redemptio Chriſti conſiſtit cum hoc, quod per illam, & propter illam homo ſit redemptus, & intrinſecus juſtificatus; alioquin ſi homo nihil intrinſecè per Chriſtum reciperet, nec intrinſecè à peccatis liberaretur, maneret in tenebris & ſimul in luce. Quod abſurdum eſt, & contra S. Scripturam juxta illud 2. Cor. 5. v. 4. *Quæ participatio Juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? quæ conventio Chriſti ad Belial? qui autem conſenſus templo Dei cum idolis:* hæc autem juxta Acatholicos contingerent: ſi in anima, quæ eſt templum Dei, manerent peccata, per quæ filius Belial exiſtit.

ARTICULUS VII.

Qualiter homo juſtitia Chriſti veſtiatur.

I. QVod Acatholici dicunt hominem juſtificatum per juſtitiam Chriſti, quaſi veſtiri, ut juſtus appareat; ita tamen ut intrinſecè impius maneat, etiam nimis abſurdum eſt, quaſi Deus alium hominem agnoſceret in judicio ſuo, quam in ſe ipſo eſſet; & quidem abſurdè aliquis æthiops veſte albâ indutus, diceretur abſolutè albus, manens intrinſecè totus niger, niſi ſolum ad aſpectum hominum, qui propriam nigredinem non viderent; ſed quid hoc ad Judicium Dei abſolutiſſimum? veſtitur quidem homo juſtitiâ Chriſti tanquam cauſa meritoriâ, & ſatisfactoriâ, ita ut propter illam à Deo deleatur peccatum & producatur juſtitia propria in homine; unde intrinſecè juſtus ſit propter merita Chriſti ipſum ſic quaſi veſtientis.

Hîc etiam bene Doctores Catholici objiciunt Acatholicis, ſi per juſtitiam Chriſti imputatam, quæ eadem & unica eſt, omnes homines formaliter juſti ſint & dicantur, ſequeretur; quod omnes etiam æque intrinſecè ſint juſti inter ſe contra S Scripturam 1. Cor. 15. v. 41. *Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, alia claritas ſtellarum, ſtella autem à ſtella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum.*

II. Iterum, ſi homo verè juſtus ſit, & dicatur per juſtitiam Chriſti, quia ipſi imputatur tanquam propria; etiam quilibet æquè juſtus cenſendus eſſet, ac ipſe Chriſtus, quod nimis abſurdum eſt. Nec eorum effugium valet, cùm dicunt, quod juſtitia ſingulis imputetur juxta cuiusque neceſſitatem, non juxta univerſalem juſtitiæ Chriſti valorem: nam hoc non ſubſiſtit; ſi enim quis verè coram Deo juſtitiam Chriſti habet, ut per illam juſtus conſtituatur, utique taliter juſtus eſt, qualis eſt juſtitia; quis enim non ut abſurdus derideretur; ſi diceret, duos parietes per eandem numero albedinem eſſe formaliter albos, & tamen unum eſſe longè minus album, quam alterum; nam forma naturaliter & neceſſario dat, & cauſat ſuum effectum formalem.

At vero in doctrina Catholica optimè intelligitur, quod per juſtitiam Chriſti, ipſe Chriſtus, ut per cauſam formalem, ſit formaliter in ſe perfectiſſimè juſtus, & per illam juſtitiam homines meritoriè veſtiantur, id eſt, quod propter eandem juſtitiam, ſeu per illius valorem Deus diſtribuat minorem vel maiorem juſtitiam aliis fidelibus ſecundum ſuum beneplacitum; & prout vult; valor enim maior vel minor currit in cauſa meritoria, non vero in cauſalitate formali: nam forma in ratione ſua formali eiusdem ſemper eſt dignitatis, & non aliter cauſat formaliter, niſi communicando ſeipſam totam ſecundum ſuum eſſe ipſi ſubiecto; adeoque ſicut paries tam albus dicitur, & eſt, quia tantam habet albedinem; ita quilibet tam juſtus eſt, & dicitur, quantam habet juſtitiam: omnes autem juxta Acatholicos habent cum Chriſto eandem numero juſtitiam, adeoque omnes etiam tam juſti ſunt, quàm juſtus eſt ipſe Chriſtus. Et hoc eo magis urget in ſententia Calvini, qui vult, quod omnes per Fidem ſibi applicent juſtitiam Chriſti, & Fides nihil ſit niſi nudum inſtrumentum, quo theſaurus apprehenditur, vel ſicut ſaccus, aut olla fictilis, qua theſaurus continetur: cùm ergo omnes eundem theſaurum habeant juſtitiæ Chriſti, etiam æque divites, & juſti ſunt, ac ipſe Chriſtus. Ecce abſurditatem ex Acatholicorum opinione, præterquam quod S. Scripturæ repugnet.

ARTICULUS VIII.

Quòd favor vel benevolentia Dei non ſit cauſa formalis, quâ homo formaliter ſit, & dicatur juſtus.

I. ANte omnia ut certiſſimum ſupponitur, quod ex favore Dei, & eius miſericordia homo juſtificetur; contrarium enim impium eſſet, & planè contra Fidem: nam S. Scriptura paſſim clamat, & exprimit, quod ex miſericordia, vel ſecundum miſericordiam Dei homo juſtificetur, & ſalvetur, prout inter plura loca patet ex illo ad Tit. 3 v. 4. *Cùm autem benignitas, & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei, non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit*, &c. & paſſim in pſ. 50. *Miſerere mei Deus ſecun-*

ſecundum magnam miſericordiam ſuam, & alibi ſæpiſſime. Sic Thren. 3. v. 22. dicitur, *miſericordia Domini quod non ſumus conſumpti.*

Hoc ergo ut certiſſimo ſuppoſito, quæſtio eſt, an gratia juſtificans, quâ homo formaliter Deo gratus eſt, & nominatur, ſit favor ſeu gratia Dei, quâ Deus homini afficitur, & inclinatur, illumque diligit; an verò ſit donum aliquod à Deo ex miſericordia infuſum, quod gratia dicitur.

Eccleſia Catholica docet, quod favor Dei ſeu miſericordia Dei, ſcilicet ipſi Deo intrinſeca, hominem juſtificet effectivè, ſeu quod favor Dei ſe habeat ex parte cauſæ efficientis, & fontis gratiæ, non verò ex parte cauſæ formalis, quæ hominem formaliter gratum Deo vel juſtum conſtituat.

II. At verò Acatholici, ut effugiant veritatem S. Scripturæ, volunt, quod dum Deus dicitur hominem per gratiam juſtificare, ſolùm intelligatur favor, vel gratia activa, quæ in Deo eſt, ideo ad verba Apoſtoli Rom. 3. v. 24. ſcilicet *juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiationem per Fidem in ſanguine ipſius*, &c. volunt Acatholici, quod ibi per gratiam intelligatur Dei favor, ut clarum illud teſtimonium declinent, quo probatur, quod juſtificatio fiat per gratiam à Deo homini infuſam, ex gratia & miſericordia: ſed hoc repugnat verbis Apoſtoli, vel ſaltèm illa inutilia reddit; nam per ly *gratis* Apoſtolus indicat, quod juſtificatio non fiat ob merita, ſed ex favore, & mera Dei miſericordia, tanquam à Deo efficiente juſtificationem: at per gratiam intelligitur donum ex miſericordia in juſtificatione collatum, tanquam cauſa formalis juſtificationis; & per redemptionem, quæ eſt in Chriſto, intelligitur cauſa meritoria, propter quam juſtificatio à Deo facta ſit.

Veruntamen quod præter favorem & gratiam, quæ in Deo eſt, & ſe tenet ex parte efficientis, detur alia gratia à Deo creata, & homini donata, quæ formaliter juſtificetur, probatur primo ex illo Joann. 1. v. 16. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia, quia lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Ubi gratia, quam accepimus, non poteſt intelligi de gratia activa, ſeu Dei favore & benevolentia, quia illa non eſt facta, ſed eſt Deo intrinſeca.

III. Similiter dicitur ad Epheſ. 4. v. 7. *Unicuique autem noſtrûm data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti*, &c. at verò favor ſeu benevolentia Dei non donatur à Chriſto, ſed gratia inhærens, quæ eſt verum donum Chriſti.

Iterum Rom. 5. v. 17. dicitur: *Multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & juſtitiæ accipientes in vita regnabunt per unum Ieſum Chriſtum*: ubi neceſſariò gratia intelligitur pro dono per Chriſtum accepto, &c.

Sic homo juſtificatus dicitur nova creatura, ut 2. Cor. 5. v. 17. *Si qua ergo in Chriſto nova creatura, vetera tranſierunt.* Item Gal. 6. v. 15. *In Chriſto Ieſu, neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed nova creatura*, quod non poteſt intelligi de favore Dei increato.

IV. Rurſus gratiam juſtificantem, per quam Deo grati ſumus, Apoſtolus dicit eſſe charitatem, ut patet ad Rom. 5. ubi cum dictum eſſet *juſtificati ergo ex Fide pacem habeamus*, Apoſtolus ſubdit v. 5. *Spes autem non confundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*, &c. at verò non Dei favor, vel charitas, quâ nos diligit, diffunditur, ſed charitas, qua Deum diligimus. Licèt autem Acatholici aliqui charitatem hanc de Dei increata intelligi velint, ſeu ipſius benevolentia; conſtat tamen ex textu ſatis contrarium, & SS. Patres de charitate, qua nos Deum diligimus intellexerunt, prout inter alios D. Auguſt. lib. de Spiritu & Lit. cap. 32. cujus verba ſuprà art. 3. relata ſunt.

ARTICULUS IX.

Quod unica cauſa formalis Juſtificationis ſit Gratia ſeu Juſtitia à Deo creata & homini infuſa, eique inhærens.

HÆc doctrina Eccleſiæ Catholicæ à Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. explicata ſufficienter ex hactenus dictis & probatis conſtare poſſet; nihilominus, quia Acatholici illi maximè infenſi ſunt, ampliùs probatur. I.

Probatur autem primò, ex eo quod ſinguli juſtificati in S. Scriptura dicantur propriam accipere juſtitiam, per quam juſti conſtituantur, quod non poteſt intelligi, niſi de dono cuilibet infuſo & inhærente: hoc autem probatur ex Apoſtolo Rom. 5. ubi allegat, quid homines per Adamum mali incurrerint, & quid boni per Chriſtum acceperint, dicens v. 12. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt* & v. 15. *Sed non ſicut delictum, ita & donum, ſi enim unius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Ieſu Chriſti in plures abundavit. Et non ſicut per unum peccatum ita & donum; nam judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in juſtificationem: ſi enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ, & donationis & juſtitiæ accipientes in vita regnabunt per unum Jeſum Chriſtum. Igitur ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ; ſicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita per unius obeditionem juſti conſtituentur multi.* &c.

II. Ex hac Apoſtolica doctrina SS. Patres & antiqua Eccleſia contra Pelagianos demonſtrarunt, quod omnes cum Adamo peccaverint, & quod non ſolum Adam habuerit peccatum ſibi inexiſtens, nec ſola mors abſque peccato in omnes alios tranſierit, ſed per propagationem in ſingulos proprium originale peccatum tranſierit, ob quod omnes morti obnoxii eſſent, quod Concil. *Arauſicanum* 2. can. 2. expreſsè oſtendit dicens: *Injuſtitiam Deo dare convincitur, qui mortem, quæ eſt pœna peccati, ſine peccato, quod eſt meritum mortis, ad noſtra tranſiiſſe dicit.* Hæc Concil. unde idipſum ſub anathemate Concil. Trid. docet ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali, quod ſcilicet *Adæ peccatum origine unum, & propagatione non imitatione omnibus tranſfuſum, unicuique ineſt proprium*,

per quod formaliter peccator constituitur, quod ipsum Acatholici moderni vocetenus concedere debent, licèt, quale illud peccatum sit, dissentiant.

III. Ex his propositum nostrum clarè probatur: quia Apostolus ponit hic tot antitheses inter Adamum, & Christum, ut quid in Adamo mali in alios transfusum sit, econtra multo abundantiùs per Christum plus boni in multos transfundatur. Cùm ergo Apostolus clarissimè doceat, quod peccatum non solùm in ipso Adamo fuerit, nec voluit, quod illud solum per imputationem, vel denominationem extrinsecam alios homines concernat, ut solum propter peccatum, quod Adamo infuit, peccatores sint, & morte digni, sed quod per Adæ peccatum in singulos proprium peccatum transfunditur, quo formaliter peccatores non solùm denominentur, sed etiam constituantur, & per hanc iniustitiam sibi inhærentem formaliter injusti sint, licèt causaliter ab Adamo descendat; multò magis dicendum est, quod multi per obedientiam seu obedientiam Christi tanquam causam meritoriam à Deo accipiant Justitiam sibi inhærentem, per quam formaliter justi constituantur sine omni præjudicio Christi, sed ad illius honorem, à quo, & propter quem iustitiam accipiunt, ac proinde non in se, sed in Domino gloriari possint, se justos esse, licèt longè minùs, quàm ipse Christus sua perfectissima justitia justus est.

2. Quod justitia, per quam homines formaliter justificantur, sit donum inhærens, à Deo gratis datum, constat ex verbis Apostoli ad Rom. 3. v. 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius*, prout præcedenti art. ostensum est, ubi Apostolus dicit, quod per gratiam iustificemur, adeoque illa gratia est justitia, & proinde per iustificationem non solum peccata dimittuntur, sed gratia seu iustitia datur, per quam formaliter iustificemur.

IV. 3. Idem probatur ex diversis S. Scripturæ locis, ubi homo dicitur ablutus, sanctificatus, renovatus, regeneratus, imo immaculatus, ut ps. 118 *Beati immaculati in via* Et cant. 4. v. 7. *Tota pulchra es, & macula non est in te.* Et 1. Cor. 6 dum gravissi nos peccatores Apostolus recensuisset subdit v. 11. dicens: *Et hæc quidem fuistis sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri.*

Item Ephes. 4. v. 23 *Renovamini autem spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis.*

1. Petri 1. v. 3. *Qui secundùm misericordiam suam magnam regeneravit nos*, &c. quod fit in baptismo, ut patet ad Tit. 3. v. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis.*

Hæc omnia intelligi non possunt, nisi quòd homini intrinsecè iustitia infundatur, per quam *absolvitur à peccatis, iustificatur, sanctificatur, renovatur, & regeneratur*, ut in se novus homo existat, qui priùs formam Adæ gesserat per peccatum sibi inhærens.

V. Nec valet responsio Acatholicorum, qui convicti his & aliis S. Scripturæ locis concedunt, quod homini in iustificatione dona infundantur, quibus formaliter sanctus, & renovatus existat, sed volunt quod illa dona non sint iustitia, ut per illa iustus constituatur, sed per prius iustus constituatur per iustitiam Christi, & postea sanctificetur per illa dona, quam tamen sanctitatem & renovationem vocant imperfectam, imo maculatam, ac mortis iudicio obnoxiam coram Dei tribunali, ut cap. 2. art. 3. ex Calvino relatum est. Sed contra hoc impium est, quod id dicendo Deum faciant authorem talis maculosi doni, ob quod homo damnabilis sit, quod impium est dicere, Deus autem renovans hominem non facit ipsum malum, sed bonum per dona sua.

2. Acatholici contra S. Scripturam negant, quod iustificatio vera, & perfecta conferat talia dona, quibus homo iustus fiat, ut suprà sæpius ostensum est, & patet ex loco ad Tit. 3. jam allegato, ubi cùm Apostolus dixisset: *Cùm autem apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Salvatorem nostrum*, subiungit: *ut iustificati gratia ipsius hæredes simus secundum spem vitæ æternæ*, &c. ubi patet, quod Apostolus declarare voluerit, ipsam iustificationem, qualis sit, & qualiter fiat, scilicet à Deo secundùm misericordiam, per baptismum ut causam instrumentalem, per Christum & Salvatorem ut causam meritoriam, per Spiritum Sanctum diffusum ut causam formalem, quæ regeneramur, & renovamur: ubi patet, quod per Spiritum Sanctum diffusum intelligatur donum Spiritus Sancti, scilicet charitas, juxta illud Rom. 5. v. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Vnde patet, quod Apostolus velit nos iustificari per renovationem sic factam, adeoque ipsa renovatio sit ipsa iustificatio, & proinde charitas per Spiritum Sanctum diffusa, sit iustitia, quâ formaliter justificamur: quod etiam patet ex illo ad Rom. 8. v. 10. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus verò vivit propter iustificationem*, ubi clarum est, quod iustificationi tribuatur vita, quâ homo in gratia vivit, & non tantum remissio peccatorum.

Rursus Christus dicit Joann. 17. v. 3. *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*, &c. ubi vita spiritualis ponitur in Fide non sola vel mortua, sed quæ per charitatem operatur.

Demum hæc veritas probatur ex eo, quod homines iustificati in S. Scriptura *dicantur & sint Filii Dei conformes imagini Christi, ejusq; imaginem portent*, sic Joann. 1. v. 12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem Filios Dei fieri.* Item 1. Joann. 3. v. 1. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur, & simus*, similiter Rom. 8 v. 15. *Accepistis spiritum adoptionis Filiorum Dei, in quo clamamus abba Pater*, &c. *si autem Filii, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*, & v. 29 *Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.*

Et 1. Cor. 15. v. 49. *Sicut portavimus imaginem terreni, scilicet Adami, portemus & imaginem cœlestis Jesu Christi.*

Iterum 2. Cor. 3 v. 18. *Nos verò omnes revelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur*, &c.

Demum Coloss. 3. v. 10. *Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum* eum

eum qui renouatur in agnitionem, ſecundum imaginem ejus, qui creauit illum, &c.

VII. Ex his patet primò, quod non per denominationem extrinſecam dicamur Filii Dei, ſicut paries dicitur viſus à viſione, quæ non eſt in pariete, ſed in oculo, nec paries aliquid per viſionem in ſe accipit; ſicut volunt Acatholici, quod nominemur Filii Dei, & iuſti per juſtitiam Chriſto inhærentem, quæ nihil in homine ponat. Sed Scriptura dicit, quod dicamur, & ſimus Filii Dei, idque per charitatem, quam dat nobis Pater, & per Spiritum adoptionis, quem accepimus, quæ charitas in nobis recipitur.

2. Scriptura docet, quod fiamus *conformes imaginis Filii Dei*, ſcilicet Chriſti ſecundum humanitatem; Chriſtus autem ſecundum humanitatem eſt verè & intrinſecè iuſtus per propriam ſibi inhærentem iuſtitiam creatam, licèt perfectiſſimam; cùm ergo conformes ſimus imaginis ejus, utique iuſtitiam creatam nobis inhærentem per merita eius accipimus, quâ ipſi conformes ſimus, alioquin, ſi ſolum extrinſecè iuſti nominemur, & intrinſecè iniuſti coram Deo ſimus, ac in nobis peccata habeamus, & ipſa dona Dei ſint damnabilia, non habemus in nobis imaginem Chriſti, ſed potiùs diaboli, quod horrendum eſt dictu.

3. Apoſtolus dicit, quod fideles portent imaginem Chriſti cœleſtis, ſicut peccatores portarunt imaginem terreni Adam. Atqui, ut ſuprà oſtenſum eſt, homo in originali peccato exiſtens portat imaginem Adam, quia in ſe habet peccatum originale, per quod ſimilis eſt Adamo; adeoque potius fidelis habet in ſe iuſtitiam, in qua Chriſto ſimilis eſt, ejusque frater, & proinde portat imaginem ejusdem: quod longè faciliùs eſt conceptu, quàm alterum, & Scripturæ conſonum.

VIII. Demum duplex ratio evidens Acatholicos convincit, quæ ex prædictis colligitur, ſcilicet: prima, ipſi ideo volunt, quod fideles non ſint iuſti per donum aliquod intrinſecum creatum, quaſi id præjudicaret Chriſti redemptioni; ſed hoc falſum eſt, quod à majori patet; quia Chriſti humanitas eſt intrinſecè iuſta, coram Dei tribunali, ut fateri debent per iuſtitiam creatam ipſi inhærentem, nec hoc præiudicat Dei infinitæ miſericordiæ, ex qua ſola Deus humanitatem in unitatem perſonæ Filii aſſumpſit, & illi tantam gratiam, & iuſtitiam contulit, ut ſit per illam formaliter & verè juſtus coram Deo, imo ut etiam per opera ab humanitate Chriſti facta non tantùm ex juſtitia meruerit ſibi exaltationem ſuper omnes, iuxta illud Philipp. 2. v. 8. *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*, &c. ſed etiam Chriſtus per opera ſua nobis omnibus inimicis ex iuſtitia à Deo Patre veniam, & gratiam meruerit, ut evidens eſt; cur ergo præiudicaret iuſtitiæ & redemptioni Chriſti humanitatis, ſi dicatur, quod alii homines, ex miſericordia Dei & per merita humanitatis Chriſti accipiant ſimilem iuſtitiam creatam? licèt longè minorem, qualem habet humanitas Chriſti, ut per illam ſint formaliter iuſti coram Dei tribunali, ſicut Chriſti humanitas iuſta eſt, & ſic ſint illi ſimiles: ita tamen, ut ipſe ſit primogenitus in fratribus, & propter ipſum alii filii, & hæredes ſint.

2. Ratio eſt, quia beatitudo in ſpe eſt ſimi- IX.
lis beatitudini in re, beatitudo autem in re, quam habent Sancti in cœlis, non eſt per imputationem beatitudinis Chriſti, ſed per propriam, quam ſinguli Sancti habent, licèt propter merita Chriſti illam acceperint. Prima propoſitio patet, quia beati in ſpe ſunt, qui tam per Chriſtum redempti acceperunt promiſſionem vitæ æternæ, & ius ad hæreditatem tanquam Filii Dei, & hæredes Chriſti. Quod autem Sanctorũ in cœlo beatitudo non conſiſtat in imputatione beatitudinis Chriſti, nimis evidens eſt: quia beatitudo in cœlis conſiſtit in clara viſione, & fruitione ipſius Dei, quam ſinguli beati habent, dum Deum facie ad faciem vident, atque fruuntur ſicut Angeli, de quibus dicit Chriſtus: *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris.* Matth. 18. v. 10. Sancti autem erunt ſimiles Angelis Matth. 22. v. 30. quæ utique viſio, & fruitio illis inhæret, & intrinſeca eſt; alioquin ſi beati eſſent per ſolam imputationem beatitudinis Chriſti, ita ut in ſe propriam Dei viſionem non haberent, certè beati non eſſent ampliùs, quàm homo viator in terris, imo ſic homo peccator, vel in peccatis exiſtens dici poſſet beatus in cœlis: imò diabolus, quantumvis malus & damnatus; quia extrinſecè ipſi imputari poſſet beatitudo Chriſti, quam nullo modo habet, imo contrarium: ſic autem Acatholici volunt, quod homo in ſe coram Dei tribunali ſit iniuſtus, & tamen cenſeatur iuſtus per imputationem iuſtitiæ Chriſti ipſi extrinſecæ: quis non miretur hanc abſurditatem?

His accedat argumentum ad hominem ex X.
verbis Calvini, qui lib. 3. cap. 11. §. 12. referens & refutans objectionem Oſiandri contra virtutem iuſtificandi in humanitate Chriſti, ſic ait: *Stulte etiam ab eo objicitur iuſtificandi virtutem tam Angelis, quam hominibus longe ſuperiorem eſſe, quando hoc non ex dignitate creaturæ cujusquam, ſed ex Dei ordinatione procedit, ſi Angeli iubeat Deo ſatisfacere, nihil proficiunt, quia non ſunt ad hoc deſtinati, homini autem Chriſto hoc ſingulare fuit, qui legi ſubjectus eſt, ut nos à maledictione legis redimeret*, &c. hæc Calv. Unde ſic arguitur: Si ex ſola Dei ordinatione eſt, quod iuſtitia creata hominis Chriſti non ſolù ipſum juſtum formaliter coram Dei tribunali conſtituat, ſed etiam pro nobis ſatisfaciat, cur ergo non ex eadem Dei ordinatione fieri poſſet, ſalva Chriſti mediatione, ut ſimilis iuſtitia, licèt longè minor, à Deo hominibus propter merita Chriſti infuſa homines formaliter iuſtos coram Dei iudicio conſtituat? conſtat autem Deum hoc voluiſſe ex locis S. Scripturæ allegatis, ſtultè ergo Calvinus Eccleſiæ Catholicæ objicit, quod doceat, quod homines ex miſericordia Dei propter merita Chriſti donentur iuſtitia inhærente, quâ formaliter coram Deo iuſti ſint, & dicantur.

Sicut itaque Chriſtus ſecundum humanita- XI.
tem eſt primogenitus inter fratres habens ex Dei miſericordia gratiam & iuſtitiam creatam, quâ formaliter iuſtus eſt, & etiam alios iuſtificat ſine præjudicio divinæ miſericordiæ, à qua gratis illam accepit; ſic etiam alii homines propter juſtitiam Chriſti redempti à Deo miſericorde ſimilem iuſtitiam habent quâ formaliter iuſti

con-

ipſum, &c. hæc ille, ubi patet, quod ex hoc dicatur formari Chriſtus in nobis, non quia ejus iuſtitia extrinſecè imputatur, ſed quia Spiritus Sanctus propter merita Chriſti divinam ſui ſupernaturalem formam nobis indit, quæ nobis inhæreat, & hanc iuſtitiam eſſe dicit.

V. Concludat *Aug.* qui, quo ferventiùs contra Pelagianam hæreſin gratiæ inimicam ſuo tempore exortā pugnavit, eo magis iuſtificationis, iuſtitiæ & gratiæ rationem ex S. Scriptura demonſtravit.

Itaq; lib. 12. confeſſ. c. 15. edit. Baſil. 1528. ſic ait: *Sapientia quæ creata eſt, intellectualis natura ſcilicet, quæ contemplatione luminis lumen eſt, dicitur enim & ipſa quamvis creata ſapientia, ſed quantum intereſt inter lucem, quod illuminat, & quod illuminatur, tantum intereſt inter ſapientiam, quæ creat, & iſtam, quæ creata eſt, ſicut inter Juſtitiam iuſtificantem, & iuſtitiam, quæ iuſtificatione facta eſt, nam & nos dicti ſumus Iuſtitia ſua, ait enim quidam ſervus tuus, ut nos ſimus iuſtitia Dei in ipſo*, &c. hæc Aug. ecce quàm clarè dicit iuſtitiam in nobis fieri per iuſtificationem.

Iterum lib. 1. de peccatorum Meritis & remiſſ. eâd. edit. c. 10. ſic ait: *Legimus iuſtificari in Chriſto, qui credunt in eum, propter occultā communicationem, & inſpirationem gratiæ ſpiritualis, qua quiſquis hæret Domino, unus ſpiritus eſt*, &c. ecce quod iuſtificatio fiat per inſpirationem gratiæ.

Item ibid. cap. 13. ſic ait: *Quid eſt autem, quod abundantiam gratiæ & iuſtitiæ accipiunt, niſi quod non ei tantum peccato, in quo omnes peccaverunt, ſed etiam eis, quæ addiderunt, gratia remiſſionis datur, eiſq; hominibus tanta iuſtitia donatur, ut cum Adam conſenſerit ad peccatum ſuadenti, non cedant iſti etiam cogenti*, ſcilicet diabolo, &c. hæc ibi.

Idem lib. de Nat. & Gratia eâd. edit. c. 38. ſic ait: *Poſtremo ſi in Abel iuſto charitas Dei, quæ una vere iuſtus eſt, quicunq; iuſtus eſt, adhuc erat*, &c.

Iterum ibid. c. 42. de charitate; *ipſa eſt*, inquit, *enim veriſſima, pleniſſima, perfectiſſimaq; iuſtitia*, &c. & paulò pòſt; *Dum charitas Dei, quantum pleniſſime natura noſtra ſana atq; purgata capere poteſt, diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*, &c. hæc ibi.

VI. Rurſus ibid. cap. 70. ſeu ult. circa verba pſalmi 16 Cuſtodivi vias duras, ſic ait: *Duræ ſunt timori, leves amori, charitas ergo inchoata, inchoata Iuſtitia eſt, charitas provecta, provecta Iuſtitia eſt, charitas magna, magna Iuſtitia eſt, perfecta, perfecta Iuſtitia eſt, ſed charitas de corde puro, & conſcientia bona, & Fide non ficta, quæ tunc maxima eſt in hac vita, quando pro illa ipſa contemnitur vita*, &c. hæc ibi. Quid clariùs dici poſſet, quod iuſtitia ſit inhærens charitas, ac proinde, cùm illa diffunditur, homo iuſtificetur.

Idem lib. 15. de Trinit. cap. 8. eâd. edit. tractans verba Apoſtoli: *Nos autem revelata facie gloriam Domini ſpeculantes in eandem imaginem transformamur*, ſic ait: *Vir quidem non debet velare caput, cum ſit imago & gloria Dei: quæ natura in rebus creatis excellentiſſima, cum à ſuo creatore ab impietate juſtificatur, à deformi forma formoſam transfertur in formam. Eſt quippe & in ipſa impietate, quanto magis damnabile vitium, tanto certius natura laudabilis. & propter hoc addidit, de gloria in gloriam; de gloria creationis, in gloriam iuſtificationis*, &c. hæc ille. Ecce quam clarè oſtendit per iuſtificationem hominem transferri à ſtatu peccati ad iuſtitiam, quæ per iuſtificationem confertur, ubi nullo modo poteſt per juſtitiam intelligi Juſtitia illi imputata, nec intelligi poteſt, quod natura poſt iuſtificationem in ſe maneat deformis ſub peccato.

VII. Idem de Spir. & Lit. cap. 9. eâd. edit. ſic ait: *Iuſtitia Dei manifeſtata eſt, non dixit juſtitia hominis, vel iuſtitia propriæ voluntatis, ſed iuſtitia Dei, non* (nota) *qua Deus iuſtus eſt, ſed qua induit hominem, cum juſtificat impium.* Et infrà: *Nam ſicut ſequitur, & adjungit dicens, iuſtitia autem Dei per Fidem Jeſu Chriſti, hoc eſt, per Fidem, qua creditur in Chriſtum, ſicut autem iſta Fides Chriſti dicta eſt, non qua credit Chriſtus, ſic illa Iuſtitia Dei, non qua iuſtus eſt Deus: utrumq; enim noſtrum eſt, ſed ideo Dei & Chriſti dicitur, quod ejus largitate nobis donatur*, &c. hæc Aug. Ecce ſicut fides noſtra eſt nobis inhærens, ita & iuſtitia Dei, quâ iuſtificamur, noſtra eſt ex Dei largitate.

Similiter loquitur tract. 26. in Joann. edit. Baſil. 1529. in initio tractans verba Apoſtoli: *Ignorantes Dei Juſtitiam, & ſuam volentes conſtituere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti*, ſic ait: *Quid eſt hoc, Iuſtitia Dei & Iuſtitia hominis? Juſtitia Dei hic dicitur: non qua iuſtus eſt Deus, ſed quam dat homini Deus, ut iuſtus ſit homo per Deum, quæ autem illorum Iuſtitia erat, qui de ſuis viribus præſumebant*, &c. *nemo implet legem, niſi adjuverit gratia, id eſt, panis, qui de cœlo deſcendit, legis enim plenitudo compendio, ut ait Apoſtolus, charitas eſt, charitas non nummi, ſed Dei, unde iſta charitas homini. Ipſum audiamus: Charitas, inquit, Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*, &c. hæc Aug.

Rurſus lib. de Hæreſ. 88. eâdem edit. referens hæreſin Pelag. & explicans, in quo conſiſtat Gratia Dei, qua iuſtificamur, ait: *Qua eruimur de poteſtate tenebrarum, ut in eum credamus atq; in regnum ipſius transferamur, & qua diffunditur charitas in cordibus noſtris, ut Fides per dilectionem operetur.* Ecce quàm clarè dicit iuſtificationem conſiſtere in eo, quod transferamur de ſtatu peccati ad regnum Chriſti conferendo Fidem & charitatem. VIII.

Iterum in pſ. 98. edit. Baſil. 1529. ſic ait: *Vide, quid dixit, iudicium & iuſtitiam in Jacob tu feciſti, exaltate Dominum Deum noſtrum, vere exaltate, bene exaltate, laudemus & exaltemus illum, qui fecit ipſam iuſtitiam, quam habemus, ipſe in nobis fecit, quis enim in nobis fecit ipſam Iuſtitiam, niſi qui nos iuſtificavit? De Chriſto autem dictum eſt qui iuſtificat impium, nos ergo impii, ille Juſtificator, quomodo & ipſam iuſtitiam ipſe in nobis fecit, qua illi placeamus, ut ad dexteram nos ponat*, &c. hæc ille. Quomodo clariùs iuſtificatio explicari poſſit per collationem juſtitiæ nobis inhærentis à Chriſto factæ, & non per imputationem iuſtitiæ Chriſti extrinſecus nobis applicatæ? in tantū, ut etiam dicat, quod hâc iuſtitiâ in nobis factâ ipſi placeamus, ut ad dexteram, id eſt, in gloriam nos recipiat, quod ad minus formaliter intelligendum, cùm S. Aug. ſemper ſupponat, quod ex gratia Dei, & per merita Chriſti, hæc iuſtitia conferatur.

IX. Hæc adeo clarè à S. Aug. toties tradita ſunt, ut ipſe Calvinus fateri cogatur lib. 3. Inſt. c. 11. §. 15. poſtquam multis calumniis & mendaciis ſcholaſticam doctrinam affeciſſet, tandem dicit: *At ne quidem Auguſtini ſententia, vel ſaltem loquendi ratio per omnia recipienda eſt, tametſi enim egregie hominem omni Iuſtitiæ laude ſpoliat, ac totum Dei gratiæ transſcribit, gratiam tamen ad ſanctificationem refert, qua in vitæ novitatem per ſpiritum regeneramur*, &c. hæc ille. Qui vult, quod gratia & iu-

tatum comedent. Vnde patet, quod ex eo, quod Chriſto fuerit peccatum noſtrum imputatum, non ut eſſet peccator, ſed ut ſatisfaceret, & offerretur pro eo, non fuit habitus peccator coram Deo, ſed juſtiſſimus, qui pro alienis etiam peccatis ſatisfecit.

III. Hinc reſpondetur negando conſequentiam, nam Chriſtus pro nobis factus eſt peccatum, id eſt, victima pro peccato, & ipſi imputatum tantū eſt peccatum noſtrum, ut ſatisfaceret pro illo, quod verum eſt, ſed non ſequitur: ergo Chriſti juſtitia nobis imputatur, ut per illam tantùm juſti reputemur, quales non ſumus, quia Chriſtus illo modo non potuit cenſeri peccator, ſed potiùs juſtificator peccatorum, unde nos non poſſumus dici juſti per imputationem juſtitiæ Chriſti, ſi in nobis injuſti ſimus. Quod autem Apoſtolus dicit, *ut efficeremur Juſtitia Dei in ipſo*, non dicit, ut imputetur tantum nobis juſtitia Chriſti, ſed ut ſimus juſtitia Dei, quæ ſcilicet à Deo nobis per Chriſtum infunditur, ut paſſim juſtitiam Dei, SS. Patres, & præſertim Aug. exponunt. Dicimur autem effici juſtitia Dei, ſicut etiam Apoſtoli dicebantur, *lux mundi*, propter excellentiam juſtitiæ, ſeu gratiæ, quæ infunditur, & quia Dei Filii efficimur, ita Aug. in Enchiridio c. 41. edit. Antw. 1576. dicens, *eum qui non noverat peccatum, id eſt, Chriſtum pro nobis peccatum fecit Deus, cui reconciliandi ſumus, hoc eſt ſacrificium pro peccatis, per quod reconciliari valeremus; ipſe ergo peccatum, ut nos juſtitia, nec noſtra, ſed Dei*, &c. quid clarius contra Calv.

IV. Alia autem vera conſequentia ex hoc loco Apoſtoli formatur, ſcilicet, ſicut Chriſtus verè pro nobis factus eſt peccatum, id eſt, ſacrificium pro noſtro peccato, ſic etiam nos non fictè, & imputativè, ſed verè efficimur juſtitia Dei in illo, ſeu propter Chriſti merita accipientes in nobis juſtitiam Dei, quæ à Deo eſt, & non ex noſtris meritis, quâ juſti verè ſumus, prout dicit Aug. lib. de Spir. & Lit. cap. 32. *Charitas Dei dicta eſt diffundi in cordibus noſtris, non qua ipſe nos diligit, ſed qua nos ſuos dilectores facit, ſicut juſtitia Dei, qua juſti ejus munere efficimur, & Domini ſalus, qua nos ſalvos facit, & fides Chriſti, qua nos fideles facit*, &c. vide reſponſionem ex ipſis Calvini verbis lib. 3. Inſt. cap. 11. §. 9. contra Oſiandrum, prout ſeq. art. ad argumentum tertium reſponſ. 4. habetur

V. 3. Objicit Calv. ibid. dicens: *Alio loco juſtificatio accuſationi opponitur* Rom 8. v. 33. *Quæ Antitheſis clarè demonſtrat ſumptam eſſe* (de juſtificatione) *loquendi formam à forenſi uſu*, &c. ſcilicet in forenſi uſu ſolū uſurpatur pro abſolutione, vel pro juſti pronunciatione ergo etiā in juſtificatione divina

Reſp. primò, licèt juſtificatio ibi uſurpetur, ut opponitur accuſationi, vel condemnationi, non tamen excluditur à juſtificatione ipſa juſtitiæ, vel gratiæ collatio, quæ alibi ab Apoſtolo in juſtificatione includitur, ut ſuprà art. 7. oſtenſum eſt.

Reſp. 2. negando quod Apoſtolus ſumat juſtificationem præciſè ab uſu forenſi, ubi ſolùm judex pronuntiat aliquem juſtum, qui revera injuſtus eſt, vel poteſt manere, nec enim judex illi peccata dimittere poteſt; ſed ſi poſſet dimittere ei peccata, & etiam poſitivè juſtitiam dare, utiq; perfectè juſtificaret; Deus autem & peccata ſolus dimittere, & juſtitiam, quâ homo juſtus, & ſanctus coram ipſo ſit, infundere poteſt; adeoque Deus ſi pronuntiaret aliquem juſtum, qui injuſtus eſt, falsò pronunciaret, quod blaſphemum eſt, ſicut homines qui impios juſtificant, falſi ſunt, & abominabiles apud Deum, Proverb. 17. v. 15. videatur Chryſoſt. art. 40. allegatus, ubi dicit: *Qui crimine regis beneficio abſolutus eſt, inquinatum animū ſervat; quem abluit baptiſma, non item, ſed ſolis radiis puriorem mentem habet*, &c hinc patet, quod ſolus Deus impium poſſit verè juſtificare, cùm alioquin quilibet more forenſi alium juſtificare poſſit. Hoc etiam patet ex verbis Apoſtoli, cùm dicit: *Quis accuſabit adverſus electos Dei? Deus qui juſtificat, quis eſt qui condemnet?* ac ſi diceret, licèt in forenſi judicio aliquis poſſit accuſari, qui ab aliquo judice juſtificatus eſt, ſeu juſtus pronuntiatus, cùm adhuc nocens eſſe poſſit, at verò is, quem Deus juſtificat, accuſari non poteſt, eo quod & peccata revera remiſſa ſint, & ipſe per miſericordiam Dei gratiam, & juſtitiam conſecutus, verè jam juſtus ſit.

4. Calvinus ſic arguit ibid. dicens: *Jam vero* VI.
mihi reſpondeat Oſiander, ubi dicit Paulus deſcribi à Davide juſtitiam ſine operibus in his verbis Rom. 4. v. 7. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, ſitne plena definitio, an dimidia? certe Prophetam non adducit teſtem, ac ſi doceret partem juſtitiæ eſſe veniā peccatorum, vel ad hominem juſtificandum concurrere, ſed totam juſtitiam in gratuita remiſſione includit, beatum hominem pronuncians, cujus tecta ſunt peccata, cui remiſit Deus iniquitates, & cui tranſgreſſiones non imputat, fælicitatem ejus inde æſtimat, & cenſet, quia hoc modo juſtus eſt, non reipſa, ſed imputatione*, &c. hæc Calv.

Reſp. primò: Oſtendat Calvinus quod Paulus ex illis verbis pſalmi voluerit integram juſtitiæ ſeu juſtificationis definitionem dare; hoc ex textu non habet, imo eſt clarè contra verba Prophetæ in pluribus pſalmis, ut pſ. 1. *Beatus vir, qui non abiit in viam impiorum*, &c. ubi non fit mentio remiſſionis peccatorum, ſed quod non fecerit peccatum, item pſ. 39. v. 5. *Beatus vir cujus eſt nomen Domini ſpes ejus.* Item pſ. 40. v. 1. *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem*, Pſ. 83. v. 13. *Beatus homo qui ſperat in te* Pſ. 105. v. 3. *Beati qui cuſtodiunt judicium, & faciunt juſtitiam*, &c. pſ. 111. v. 1. *Beatus vir qui timet Dominum*, & quidem pſ. 118. videtur Propheta integram beatitudinis definitionem tradere, cùm dicit: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini, beati qui ſcrutantur teſtimonia ejus, in toto corde exquirunt eum.* Similiter Chriſtus Dominus Matth. 5. v. 3. dicit: *Beati pauperes ſpiritu*, &c. *beati mites*, ubi de octo diverſis prædicat beatitudinem.

Jam quæritur, an Propheta in ſingulis locis in- VII.
tegram beatitudinis ſeu Juſtitiæ definitionem poſuerit, nec ne? ſi integram, ergo plures ſunt definitiones, & Propheta ſibi contrarius eſt, quia ſi una integra ſit, omnia alia excludit; & Chriſtus ſimiliter, quod blaſphemum eſt dicere; patet ergo, quod Propheta, vel Paulus per illa verba, *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates*, non voluerit à fælicitate vel juſtitia excludere dona infuſa gratiæ, ſicut nec in aliis locis excluſit remiſſionem peccatorum, licèt non exprimat. Si dicatur, quid ergo Paulus per verba pſalmi obtinere intendit? Reſpondetur, id, quod juſtificatio fiat gratis à Deo ſine meritis præcedentibus, & hoc bene probatur per remiſſionem peccatorum, quæ ex ſola gratia Dei fieri poteſt, dum ſupportat homo peccator, qui mereri non poteſt; non autem excludit gratiam infuſam, quæ etiam gratis à Deo datur, & dari poteſt, hoc patet

ex contextu, cùm Apostolus dixisset v. 5. *Ei vero, qui non operatur* (scilicet meritoriè) *credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur Fides ad iustitiam secundum propositum gratiæ Dei.* Vbi patet, quod Apostolus ipsam Fidem dicat reputari ad iustitiam, quæ est ex gratia Dei, & non ex meritis; Fides autem non sola, sed per charitatem operans, & hæc Fides non in remissione peccatorum, quæ in Deo est, sed inhæret homini, quæ cum charitate ad iustitiam reputatur, non falsò, sed verè: hoc patet etiam ex verbis immediatè præmissis, dum probat ex verbis Prophetæ dicens v. 6. *Sicut & David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus, beati quorum remissæ sunt,* &c. ubi Apostolus ex non imputatione peccatorum tanquam necessariò infert justitiam à Deo dari sine operibus, adeoque supponit, quod Deus gratis remittendo peccata etiam gratis iustitiam homini imputet, non falsò, more hominum, qui illam dare non possunt, sed verè. quia illam dare potest, & donat.

VIII. Hanc fuisse mentem tam Prophetæ, quàm Apostoli, præterquam quod ex prædictis S. Scripturæ locis pateat, etiam SS. Patres tradiderunt: inter alios *Iustinus* Martyr in Dialogo cum Tryphone circa finem secundi Tomi edit. Heidelb. sic dicens: *Beatus cui non imputavit Dominus peccatum, hoc est, cui pœnitenti Deus peccata remittit. Nam, sicut prædicatis vosmetipsos fallaciter, & alii quidam vestri similes asseverant, etiamsi peccatores fuerint, modo Deum noverint, non imputabit eis Dominus peccata,* &c. hæc ille. Ecce quid clarius contra Calvini & Acatholicorum dogma, quod justus non sit reipsâ, sed imputatione, & maneat coram Dei tribunali mortis judicio obnoxius, ut Calv. ibid. vult.

Præterea argumentum potest ad hominem fieri ex verbis Calv. contra ipsum sic: Paulus non adducit Prophetam testem, ac si doceret, partem justitiæ esse veniam peccatorum, &c. sed totam iustitiam in remissione gratuita includit, ergo imputatio iustitiæ Christi, non includitur in tota iustitia, quia Deus potest absolutè remittere peccata sine Justitiæ Christi imputatione, quam David non excludit, vel exprimit, sed totam iustitiàm in remissione collocat, ut vult Calv. at verò Calv. lib. 3. dist. c. 11. §. 1. de iustificatione sic ait: *Eamq; in peccatorũ remissione & Iustitiæ Christi imputatione positam esse dicimus,* &c. ecce quomodo mentitur iniquitas sibi, & seipsam confundit.

IX. Hinc etiam patet responsio ad argumentum Acatholicorum, quod ex illis verbis psalmi ducunt, scilicet, quia dicitur: *Beati quorum tecta sunt peccata,* quod ideo post iustificationem peccata adhuc maneant, & non deleantur, sed solùm abscondantur, & tegantur; ut quidem sint in homine, sed non videantur, vel ad pœnã imputentur.

Responsio patet ex præmissis, & ex illis quæ suprà art. 5. allata sunt ex S. Scriptura, quod peccata verè deleantur.

Quod autẽ peccata tegi dicantur, non inde est, quasi maneant, & abscondantur, cùm coram Deo nihil abscondi possit, sed potiùs patet, quod deleantur. Hoc ipsum SS. Patres docent, & specialiter Aug. enarrat. in istũ ps. 31. edit. Basil. 1529. dicens: *Ne sic intelligatis, quod dixit peccata cooperta sunt, quasi ibi sint, & vivant;* & post medium folium, cum de Pharisæi superbia, & publicani humilitate discurrisset, dicit de Pharisæo: *Habebat ergo ille peccata, sed perversus, & nesciens quo venisset. Erat enim tanquam in statione medici curandus, sed sana membra ostendebat, vulnera tegebat; Deus ergo tegat vulnera, nolis tu: Nam si tegere volueris erubescens, medicus non curabit, medicus tegat, & curet, emplastro enim tegit, sub tegmine medici sanatur vulnus, sub tegmine vulnerati celatur vulnus, cui celas? qui omnia novit,* &c. hæc ille. Ecce quàm clarè iustificatio exprimatur, quâ peccata teguntur emplastro gratiæ, quod Deus imponit. Christus Deus Medicus, justitia Christi meritoria; emplastrum, quo causatur sanitas, scilicet iustitia inhærens, & vulnus peccati tollitur, ac evanescit; quo peccata teguntur, & abolentur, ac sanitas datur.

5. Calvinus ibid. suam de iustificationis & sanctificationis distinctione opinionem probare nititur ex verbis Apostoli ad Rom. 7. v. 24. & 8. v. 33. quod regeneratio consistat cum peccatis; at verò imputatio iustitiæ Christi sola hominem coram Deo iustificet in se iniustum manentem, sic dicens: *Hoc discrimen iustificandi, & regenerandi (quæ duo confundens Osiander duplicem iustitiam nominat) pulchrè exprimuntur à Paulo, nam de reali sua iustitia loquens, vel de integritate, qua donatus erat, flebiliter exclamat, miser ego? quis me liberabit ex corpore mortis huius ad Justitiam vero confugiens, quæ in sola Dei misericordia fundata est, magnifice, & vitæ, & morti, & probris, & inediæ, rebusq; omnibus adversis insultat, quis accusabit contra electos Dei, quos ipse iustificat,* &c. & infrà: *Hæc diversitas satis nota est, adeoq; Sanctis omnibus, qui sub onere iniquitatum gemunt, & interea victrice Fiducia emergunt, supra omnes motus,* & infrà: *Sed hæc est mirabilis iustificandi ratio, ut Christi iustitia tecti non exhorreant iudicium, quo digni sunt, & dum se ipsos merito damnant, iusti extra se censeantur,* &c. hæc ille.

Respondetur, quidquid sit de Osiandro, Ecclesia Catholica agnoscit unicam iustitiam, quâ formaliter homo iustificatur, scilicet gratiam, seu charitatem à Deo infusam ex solis meritis, vel propter sola merita justitiæ Christi, & ex sola misericordia Dei, in qua fundatur omnis iustitia; falsum autem est, quod Apostolus jam conversus, & integritate iustitiæ formalis à Deo donatus, ideo exclamaverit, miser ego? quasi adhuc peccatis antiquis maximis obnoxius, & infectus esset, vel quod omnes subjecti adhuc sub onere iniquitatum gemant, & seipsos exhorreant, quod adhuc in se judicio & damnationi obnoxii sint, & solùm extra se iustitia Christi tecti, censeantur iusti, hæc omnia inquam falsa sunt, S. Scripturæ contraria, ut hactenus ostensum est.

Quoad verba Apostoli: *Scio, quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum,* &c. cætera usque ad illa, *miser ego homo,* &c. aliqui SS. Patres ita intellexerunt, quod Apostolus illa non dixerit in sua propria persona, sed in persona magni peccatoris, qui nondum per gratiam Christi sit iustificatus. Ita *Origenes & Chrysost.* in hunc locum, & *ipse August.* lib. 1. Retract. cap. 23. & lib. 6. contra Julian. cap. 11. fatetur se alias ejusdem fuisse opinionis, sed postea re meliùs considerata, cum Hilario, Gregorio, Ambrosio, & aliis Ecclesiæ Doctoribus intellexisse, quod, ut ait *Apostolus adversus carnales concupiscentias, quas habere nolebat, & tamen habebat, strenue conflixerit, eundemq; conflictum illis verbis contestatus fuerit,* &c. & quidem juxta priorem sententiam Calvinus nihil ex illis verbis habet contra justificatos, ut patet.

XII. Quoad alteram ſententiam, quæ probabilior eſt, etiam nihil Calvino ſuffragatur, nam iidem SS. Patres docent, quod illa carnis concupiſcentia, ſeu rebellio, licèt ſit vitium, vel malum ex originali peccato ortum, & pœna peccati; negant tamen eſſe propriè dictum formale peccatum, ſi illi reſiſtatur, & conſenſus non præbeatur, ſed ex hoc victoria per Chriſtum obtineatur. Vocatur autem ſubinde peccatum, quia vitium eſt, & cauſa peccati; peccatum autem formale nullum eſt ſine conſenſu, ut D. Auguſt. cum SS. Patribus paſſim docet, & peccato formali nemo bene uti poteſt; dicit autem Auguſt. lib. 3. contra Julian. cap. 24. edit. Baſil. 1528. de hac concupiſcentia, quam malum vocat. *Hoc ſi de concupiſcentia carnis ſentis, non abſurde ſentis, hoc enim malo bene utuntur fideles coniugati, & ex hoc, qui generantur, reatum trahunt, ideoq; & ipſi regenerandi ſunt; id autem malum non euadit ſupplicium, hoc eſt enim eius ſupplicium, ut cum generatis, ſi regenerati non fuerint, puniatur, in regeneratis autem, cùm ex omni parte ſanati fuerint, conſumatur*, & infrà: *Sed de carnali concupiſcentia, contra quod malum & ipſe confligis, quo malo coniugati bene utuntur, ſi ſola coniuges propagationi gratia miſceantur*, &c. hæc ille.

XIII. Vocat autem S. Auguſtinus hanc concupiſcentiam ſpecialiter peccatum & malum, quia non ſolùm eſt pœna peccati, ſicut fames, ſitis, &c. quibus conſentire poſſumus, & ſatisfacere, ſed quia nunquam conſentire licet, ideo lib. 5. c. 4. circa medium eàd. edit. ſic ait: *Nec tamen ideo debes iſtam libidinem fami, vel aliis moleſtiis comparare; quod enim nemo, cùm vult, eſurit, aut ſitit, aut digerit, indigentia ſunt iſta reficiendi, vel exonerandi corporis, quibus ſuccurrendum eſt, ne lædatur, aut occidat, nunquid autem læditur, aut occidit corpus, ſi libidini non adhibeatur aſſenſus? diſcerne ergo mala, quæ per patientiam ſuſtinemus ab eis malis, quæ per continentiam refrænamus, nam & illa mala ſunt, quæ in corpore mortis huius potuimus experiri*, hæc Auguſt.

Itaque Auguſtinus cum SS. Patribus docet, quod contra hoc malum Sancti cum Apoſtolo pugnent ad coronam ibid. lib. 5. cap. 4. in fine de Sanctis loquens eàd. edit. ſic ait: *Sed dicunt ſane cum Apoſtolo, video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, eſſe tamen eam ſub animi poteſtate, gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum*, &c. & lib. 6. cap. 11. eàd. edit. *Contra quos*, ait: *Motus priùs utiq; debellandos, ne dominentur, & poſtea ſanandos, ut penitus extinguantur, etiam ipſa glorioſa certamina Sanctos exercere confeſſus es. Hoc enim modo non viuimus nos, ſed viuit Chriſtus in nobis, ſi & ad pugnam contra concupiſcentias exercendam, & ad victoriam uſq; ad conſumptionem eorundem hoſtium capeſcendam, in illo fidamus, non in nobis*, &c. & infrà: *Neq; enim rectè cuiuſquam ſpiritus concupiſceret aduerſus carnem ſuam, niſi habitaret in illo ſpiritus Chriſti*, &c. & infrà, *cùm dicat* (Apoſtolus) *Non ego operor illud, oſtendens concupiſcentias carnis ſolum impulſum libidinis operari ſine conſenſione peccati*, &c. hæc Aug.

XIV. Ex quibus patet, quod Apoſtolus non ingemuerit, quaſi conſentiret concupiſcentiis & ſub gravibus adhuc eſſet peccatorum oneribus, ſed ob luctam illam, quam ſentiebat, à qua per gratiam Chriſti ſe liberandum dixit; nec Sancti aliter gemunt, niſi de his motibus, & peccatis venialibus, quibus adhuc obnoxii ſunt: non vero quaſi adhuc in peccatis magnis exiſtant, vel illa committant; ita tamen, ut confidant, quod per Dei miſericordiam, & propter Chriſti merita à peccatis gravibus liberati, gratiam juſtificationis conſecuti ſint, & per gratiam Chriſti confortati peccata effugient, & tentationibus qualibuscunque reſiſtent, prout Auguſt. cap. 8. confidebat, & ſic non in ſe, ſed in Domino gloriantur.

Cæterùm, ſi Sancti, imo & ipſe Apoſtolus, ut vult Calvin. adhuc verè gravibus peccatis obnoxii eſſent, & peccarent, quomodo non exhorrerent Dei Judicium? vel quomodo extra ſe tecti Chriſti juſtitiâ coram Deo juſti cenſerentur, qui revera in ſe iniuſti, & peccata gravia habent? & qui ſe ipſos ob peccata, quæ habent, juſtè damnant, quomodo Deus juſtiſſimus illos innoxios reputaret, & non damnaret? cùm dicatur Prov. 15. v. 9. *Abominatio eſt Domino via impii*, & cap. 24. v. 24. *Qui dicunt impio: Juſtus es, maledicent eis populi*, &c. & Sap. 14. v. 9. *Odio ſunt Deo impius, & impietas eius*, &c. Certum autem eſt, quod Deus homines juſtificet, non damnet, quia ex ſua miſericordia & propter merita Chriſti illorum peccata remittit, delet, & quantum diſtat ortus ab occidente, longe facit ab eis iniquitates, eoſque per gratiam ſuam à gravibus peccatis conſervat, licèt adhuc concupiſcentiâ impugnati gemant.

6. Calvinus ſupra §. 9. ſuam opinionem quaſi certam ſupponens ait: *Quomodo enim juſtificati ſimus, ſi quæritur, reſpondit Paulus, Chriſti obedientiâ*. Rom. 5. v. 19. XV.

Reſp. quod Apoſtolus ibi non dicat, nos Chriſti obedientiâ vel juſtitiâ juſtificari formaliter, ita ut non ſit Juſtitia formalis in nobis. Suprà art. 7. clarè oſtenſum eſt ex textu Apoſtoli, qui dicit, quod juſti conſtituamur obedientiâ Chriſti, ſicut peccatores ſumus conſtituti inobedientiâ Adami: ſed non ſumus formaliter peccatores per peccatum ipſi Adamo inhærens, ſed per proprium peccatum ab Adamo cauſatum, & contractum; ſic etiam per obedientiam Chriſti, tanquam cauſam efficientem, & meritoriam, donatur nobis à Deo juſtitia inhærens, qua formaliter juſti ſumus, ut patet ex verbis Apoſtoli, *ſicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita per unius obeditionem, juſti conſtituuntur multi*.

ARTICULUS XII.

Reſpondetur ad alia Acatholicorum argumenta.

PRimò objiciunt illud Apoſtoli ad Rom. 10. v. 3. *Ignorantes juſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, Juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti*, hoc autem faciunt Catholici, ergo, &c. I.

Reſp. negando, quod hoc faciant Catholici; Apoſtolus enim loquitur ibi de illis, qui operibus ſuis propriis juſtitiam tribuunt, quod juſti ſint, & ſic juſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti, ut declaravit Auguſtinus ſæpius, ſpecialiter lib. 3. contra 2. epiſt. Pelagian. cap. 7. edit. Baſil. 1528. dicens: *Intelligendum eſt igitur juſtitiam*

legis non impleri secundum Justitiam, qua in lege est, vel ex lege, id est secundum justitiam hominis, sed secundum Justitiam Dei hoc est, qua homini ex Deo est, &c. & infrà: *Ipsa est ergo justitia Dei, quam super bi ignorantes suam volunt constituere. non enim propterea Justitia Dei dicitur, quoniam Deus justus est, sed quia homini ex Deo est, secundum autem hanc Justitiam Dei, hoc est quæ ex Deo nobis est, nunc fides operatur per dilectionem*, &c. hæc ille, & ita docet Ecclesia, ut copiosè ostensum est.

Secundò objicitur illud Rom. 4. v. 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad Justitiam*, ex quo inferunt, ergo Christi Justitia nobis imputatur, ut per eam justi simus, licèt in nobis justi non simus, quia per fidem Christi justitia apprehenditur, quæ reputatur ad Justitiam.

II. Resp. negando consequentiam Acatholicorum, nam Apostolus non dicit, quod Justitia Christi nobis ad justitiam imputetur per fidem apprehensa, ut patet ex textu, sed quod credidit Abraham, seu fides, quâ credidit, sit reputata ad justitiam, at vero fides in Christum, non est ipsa justitia Christi, ut patet, sed fides est in nobis, quæ ad justitiam reputatur, non fictè, sed verè à Deo, nec sola, sed cum spe & charitate, quæ est justitia Dei, qua formaliter justi constituimur, quam non ex nobis, vel nostris meritis, sed ex misericordia Dei, & propter merita Christi accipimus, cui soli gloria debetur.

3. Objiciunt illud 1. Cor. 1. v. 30. *Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio, ut, quemadmodum scriptum est, qui gloriatur in Domino, glorietur.* Ex hoc loco sic arguunt, si Christus est nostra justitia, ergo per Christi justitiam formaliter justi coram Deo reputamur, qui in nobis justi non sumus.

III. Resp. primò, si argumentum Acatholicorum valeret, etiam sequeretur, quod per redemptionem Christi activam simus redemptores coram Deo, etiam sapientes sapientiâ Christi; quia æqualiter de omnibus loquitur Apostolus, at vero constat, quod præter & propter sapientiam Christi, qua nobis prædicavit fidem, aliam à Deo inhærentem accipimus sapientiam, & fidem, quâ formaliter sapientes, & fideles constituimur; ita etiam propter justitiam, & redemptionem Christi accipiamus justitiam inhærentem.

Resp. 2. Constat ex variis locis S. Scripturæ, quod Dei attributa homini tribuuntur, non quibus homo talis formaliter constituatur, sed effectivè, sic ps. 17. v. 1. dicitur: *Diligam te Domine fortitudo mea.* Et ps. 27. v. 8 *Dominus fortitudo plebis*, & ps. 42. *Quia tu es fortitudo mea*; quis autem dicet, quod homo per Dei fortitudinem formaliter sit fortis, & illa solùm illi imputetur? sed potiùs, quia Deus dat homini fortitudinem propriam, vel maximè, quia Deus sua fortitudine effectivè protegit homines, iuxta illud: *Nisi Dominus custodierit civitatem* ps. 126. Similiter dicitur ps. 26. v. 1. *Dominus illuminatio mea, & salus mea*, &c. & ps. 70. v. 5. *Quoniam tu es patientia mea*, &c. Item ps. 60. v. 4. dicitur: *Deduxisti me, quia factus es spes mea*, & ps. 90. v. 9. *Quoniam tu es Domine spes mea*, &c. quomodo hæc dicentur esse in Deo formaliter & solum homini imputari? sensus ergo est, quod salus, & patientia efficiantur à Domino, ut dicitur ps. 36. v. 39. *Salus autem justorum à Domino.* Et ps. 3 v. 4. dicitur: *Tu autem Domine susceptor meus, & gloria mea*, &c. non quod homo per Dei gloriam essentialem gloriosus fit formaliter, sed quia ipse homini dat gloriam, unde subdit: *Tu exaltans caput meum.* Sic etiam Deus spes hominis dicitur, quia Deus est objectum spei illius: & sic SS. Patres intellexerunt; inter alios Augustin. lib. de Spir. & Lit. cap. 32. ut suprà hoc art. respondendo ad secundum argumentum, relatum est.

Resp. 3. duobus modis, Iustitia Christo inhærens considerari potest, semel, prout formaliter iustificat, ipsumque Christum iustum coram Deo constituat. 2. prout satisfacit Deo Patri pro peccatis hominum, & meretur veniam, ac dona pro illis; priore modo non potest iustitia Christi dici iustitia nostra, quia sic tantùm competit illi, cui inhæret; similis tamen iustitia potest homini, licèt longè minor, donari, & infundi, quâ formaliter iustus est, quâ homo per merita Christi accipit, & eatenus illa dicitur iustitia Christi. 2. modo iustitia Christi inhærens potest dici nostra, licèt nobis non inhæreat, quia optimè intelligi potest, quod aliquis debitor per alienam pecuniam creditori satisfaciat, iuxta illud, *quod quis per alium facit, per se facere videtur*, cùm ergo homines ex se Deo satisfacere non possint, Deus donavit nobis Christum, eiusque merita, & Christus eadem donavit, ut per illa satisfaciamus, iuxta illud Rom. 8. v. 32. *Qui proprio filio suo non pepercit. sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit.* Quia itaque nec per opera nostra, nec etiam per iustitiam nobis inhærentem, Deo satisfacere possumus, cum iustitia inhærens postea nobis detur, quando priùs natura Christus pro nobis satisfecit, ac sic propter merita Christi donatur, proinde hoc modo Christi satisfactio est nobis iustitia, & nostra iustitia, & redemptio; quia ipse sua iustitia satisfecit pro nobis, & redemit nos, ac si nos ipsi satisfaceremus, & nos redimeremus, imo & ipsam iustitiam intrinsecam nobis per illam acquireremus, qua iusti constitueremur, hinc tamen non sequitur, quod iustitia Christi nostra sit, qua formaliter iusti simus, ut patet. IV.

Resp. 4. mirum quod Calvinus & eius sectatores ita inhæreant literæ, quâ Christus dicitur iustitia nostra, cùm in simili Osiander pro sua opinione allegaret verba Apostoli 2. Cor. 5. v. 21. *Ut nos efficeremur Justitia Dei.* Q[illegible] ideo justitia Dei essentialis esset nostra justitia, qua formaliter justi reputaremur; ad quod Calvinus lib. 3. Inst. cap. 11. §. 9 sic respondet, *similiter in altis verbis (quæ sæpius citatis, quomodo Osiandrum non pudeat, valdemiror) non alibi statuit Justitiam nostram, quam in carne Christi, eum, qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit, ut efficeremur Justitia Dei in illo, justitiam Dei inflatu bucca attollit Osiander, & triumphum canit, quasi evicerit esse spectrum illud suum essentialis justitiæ: quum longe aliud verba sonent, justos esse [illegible] expiationem per Christum facta, justitiam Dei accipi pro ea, qua Deo probatur, notum esse debuerat elementa [illegible] sicut apud Joann. 12. v. 43. confertur gloria Dei hominum gloriæ, scio interdum vocari Dei justitiam, cuius [illegible] est author, & qua nos donat*, &c. hæc Calvin. [illegible] ergo ipse miratur Osiandrum, [illegible] nos mir[illegible] ipsum, & suos, qui plenis buccis tanquam [illegible]

mentarii inhærent verbis illis: *Chriſtus eſt nobis factus juſtitia*, quaſi ideo per illum formaliter juſti ſimus, ſicut Oſiander volebat, quod, ob ſimilia verba per juſtitiam Dei eſſentialem formaliter juſti eſſemus, ſicut ergo Calvinus ſcit Juſtitiam Dei aliter in ſcriptura ſumi, ſic etiam Juſtitiam Chriſti, ſcilicet, cuius ille eſt author, & cauſa meritoria, & qua nos donat, &c. prout SS. Patres intellexerunt.

Vltimatè ergo patet, quod Chriſtus ipſe & juſtitia eius dicatur noſtra, & nobis imputetur in ratione ſatisfactionis, quia illa nobis donata eſt, ut per illam ſatisfaciamus Patri; non autem Chriſtus donatus eſt nobis, vel juſtitia eius intrinſeca, ut per illam formaliter juſti extrinſecè dicamur, ſicut paries denominatur extrinſecè viſus à viſione, quæ illi non ineſt, ſed oculo inhæret, cuius paries eſt incapax: at anima hominis eſt capax ſimilis juſtitiæ, quæ Chriſto ineſt, & hanc per merita Chriſti homo à Deo accipit, à qua formaliter juſtus conſtituitur.

VI. Objicitur 4. ex c. 1 ad Epheſ. v. 5. *Qui prædeſtinauit nos, & in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo*, &c. ubi Acatholici pro ly *gratificauit*, legunt acceptos ſeu gratioſos nos habuit in dilecto filio, unde arguunt: ergo homo in ſe non eſt gratioſus, ſed tantùm habetur, & reputatur à Deo gratioſus in filio, illius juſtitiam imputando.

Reſp. verſio Acatholicorum non poteſt corrigere ipſos SS. Patres Græcos, præſertim ipſum S. Chryſ. Græcæ linguæ eloquentiſſimum, ipſe autem legit, *gratificauit*, ſeu *gratioſos nos effecit*, in commentario huius loci, cuius verba ſuprà hoc cap. art. 8. relata ſunt, ubi dicit, quod Deus nos non ſolùm à peccatis liberet, ſed etiam gratioſos & pulcherrimos efficiat, ut ſplendeat anima in ſe pulchra, deſiderabilis, & dilecta reddita; adeoque non tantum extrinſecus reputatur pulchra, quæ in ſe ſit fœda. Et hanc pulchritudinem fatemur, quod Deus animæ conferat propter merita filii ſui dilecti, & ideo nos totum bonum à Deo acceptum debemus Chriſto Salvatori, & hoc Apoſtolus vult, cùm dicit, *quod in filio ſuo nos gratificauit, ſeu gratos fecit*.

VII. Objiciunt 5. illud ad Epheſ. 4. v. 23. *Induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt*, ex hoc arguunt, veſtimentum non inhæret homini, ſed tantùm circumdat, & reddit extrinſecus pulchrum, licèt in cute fœdus maneat, ſicut etiam Gen. 27. Jacob indutus veſtibus Eſau primogeniti, & pellibus veſtitus, apparens piloſus, cùm in cute eſſet lenis, & ſic reputatus Eſau, primogeniti benedictionem accepit, ita volunt, quod anima peccatoris extrinſecus veſtiatur juſtitia Chriſti, & propter illam reputetur juſta, quæ in ſe eſt peccatrix.

Reſp. primò, ex hoc potiùs patet oppoſitum, ſcilicet, quod homo intrinſecè juſtus conſtituatur, ſicut juſtus fuit primus homo à Deo creatus. Reſp. 2. negando, quod homo tantùm extrinſecè juſtitia Chriſti circumdetur, & intrinſecè injuſtus maneat: nec imprimis ſimilitudo veſtis urget, quia omnis ſimilitudo claudicat, ſed ſufficit, quod in aliquo ſit ſimilitudo, ſcilicet, quod ſicut veſtis homini non innaſcitur, ſed ab extrinſeco datur, ſic etiam juſtitia non innaſcitur homini, ſed à Deo datur, & in hoc eſt ſimilitudo, ſed in illo eſt diſſimilitudo, quod veſtis ſolùm adhæreat, cùm aliter naturaliter fieri non poſſit, ſed juſtitia per Dei potentiam homini infunditur, & inhæret, ſic intelligit D. Aug. ſerm. 15. de verbis Apoſtoli paulò ultra medium ſic dicens: *Juſtitia ſit, ſed ex gratia ſit, à Deo tibi ſit, non tua ſit. Sacerdotes tui, inquit, induantur juſtitia; veſtis accipitur, non cum capillis naſcitur; pecora de ſuo veſtiuntur*, &c. hæc ille.

Reſp. 3. Hæc reſponſio patet etiam ex contextu Apoſtoli, nam ſic habet textus. *renouamini autem ſpiritu mentis veſtræ & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt. in juſtitia, & ſanctitate veritatis.* Vbi patet, quod Apoſtolus velit, nos in mente per ſpiritum renovari in juſtitia, & ſanctitate, quæ omnia intrinſecam homini juſtitiam à Deo creatam, & infuſam dicunt. VIII. 2. quia ibid. Apoſt. præmittit dicens: *Deponere veterem hominem*, & ſtatim poſtea dicit: *Propter quod deponentes mendacium*, tanquam veſtem malam, *ſequimini veritatem*, quod eſt induere novum hominem, ſic etiam ad Coloſſ. 3. v. 9. dicit: *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum eum, qui renouatur in agnitionem ſecundum imaginem ejus, qui creauit eum*, &c. ubi patet, quod, ſicut Chriſtus, vel novus homo tanquam veſtimentum dicitur indui, ſic etiam vetus homo, ſeu Adam dicitur tanquam veſtimentum exui, nec tamen Adæ peccatum ſolum dicitur extrinſece peccatori imputari, ſed quia homo ex Adam proprium originale peccatum ſibi inhærens contraxit, & illum in concupiſcentiis imitatur: ſic etiam dicitur juſtus Chriſtum induere, quia ab ipſo, & per ipſum accepit ſpiritum renovationis, & gratiæ, ut ipſum in bonis actibus imitetur, & Chriſtus in nobis, tanquam in imagine imitante ipſum, eluceat, ut patet ex contextibus. Et ſic intellexerunt SS. Patres inter alios Chryſoſtomus in illud ad Rom. 12. v. 14. *Induimini Dominum Jeſum Chriſtum*, ſic ait: *Induere Chriſtum eſt, undiq; in nobis per ſanctimoniam, & manſuetudinem Chriſtum conſpicuum eſſe*, &c.

Exemplum etiam Jacob allatum ſimilitudo eſt, non identitas, & ſic in aliquo convenit, in pluribus differt, ſimile eſt, quod Jacob alienâ veſte Eſau, & fictis pellibus apparuit piloſus in illum finem, ut benedictionem Patris acciperet, ſic etiam homo adhuc exiſtens peccator, veſtitur extrinſecè meritis Chriſti, ut per illa ſatisfiat Patri, ipſi peccata remittantur, ac gratia hæreditatis donetur; in hoc autem differt, quod Jacob in cute propria lenis manens extrinſecus pellibus piloſus videbatur, ac ſic cæcutiens Pater decipiebatur, at vero Deus decipi non poteſt, ſed videt merita Chriſti, quæ Chriſtus Patri præſentat, & homini donat, ut per illa ſatisfaciat, & inſuper per eadem merita hominis peccata verè delet, ac gratiam, & Juſtitiam infundit, quâ vero ſimilis Chriſto ſit, & appareat, ac ſic Chriſtus per imitationem in ipſo eluceat. Veſtitur itaque homo adhuc peccator per Chriſtum, & merita Chriſti, ut per cauſam ſatisfactoriam, quæ non inhæret: veſtitur etiam per gratiam infuſam, tanquam effectum juſtitiæ Chriſti, quæ Chriſti eſt, quia propter ipſum data, in qua Chriſto aſſimilatur, & cohæret, ac verè juſtus coram Deo efficitur. IX.

Demum Acatholici ſic arguunt: membrum unum denominatur à forma, quæ alteri membro X.

bro eiusdem corporis inhæret; sic totus homo dicitur videns à visione, quæ soli oculo inhæret, cùm ergo fideles sint membra unius corporis, cuius Christus est caput, juxta illud Coloss. 1. v. 18. *Ipse est caput corporis Ecclesiæ*, & alibi sæpe; unde Christus sibi fieri reputat quod membris infertur, ut Act. 9. v. 5. cùm dicit: *Saule, Saule, quid me persequeris?* & vicissim Apost. Ephes. 2. v. 5. dicit: *Conuiuificauit nos in Christo, & conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo.* Iterum Christus sibi assumit peccata nostra ps. 21. v. 1. *Deus Deus meus*, &c. *longe à salute mea verba delictorum meorum*, &c. ex his inferunt: ergo etiam fideles justi verè denominantur à justitia, quæ Christo capiti inhæret, licèt non habeant propriam, quâ justi dicantur, & sint, sed in se injusti sint.

Resp. primò, etsi in pluribus verum non sit; tamen transeat, quod ab eo, quod capiti competit, etiam alia membra denominentur; non tamen sequitur id, quod Acatholici volunt: nam evidens est, quod ex illo non sequatur, ut aliquid, quod non est membrum, à capite denominetur; sed priùs debet fieri, vel esse membrum: constat autem, quod homo non fiat, nec sit membrum corporis Ecclesiæ, vel Christi capitis, nisi per fidem & charitatem illis incorporetur, alioquin omnes infideles essent membra Ecclesiæ, &c. Et licèt fides extrinsecùs professa faciat membrum Ecclesiæ, non tamen facit membrum vivum, nisi charitas, juxta illud 1. Joann. 3. v. 14. *Qui non diligit, manet in morte.* Itaque frustra aliquis gloriatur, de capite Christo, qui non est membrum illius; priùs ergo homo debet esse justus, & vivus per fidem, & charitatem, quam sit membrum Christi, quia per illa membrum constituitur, licèt à Christo hæc iustitia tanquam à causa effectiva, & meritoria in homine infundatur; & sic per hæc formaliter membrum Ecclesiæ, & Christi efficitur, adeoque priùs natura homo per hanc iustitiam justus constituitur, quam membrum Christi efficitur, adeoque non fit, nec denominatur iustus per justitiam Christi ipsi imputatam; sed per iustitiam Christi meritoriè efficitur iustitia inhærens, qua formaliter justus constituitur.

XI. Resp. 2. Corpus mysticum & morale desumitur à similitudine corporis naturalis; in hoc autem dupliciter membra considerari possunt respectu alicuius formæ; Primò, si unum tantum membrum formæ capax sit, & non reliqua, tunc omnia membra ab illa denominantur, non seorsim, sed quatenus in toto sunt, quod denominatur: ut v.g. in homine, solus oculus est capax visionis, si ille visionem habeat, totus homo dicitur videns, prout dicit Dominus Luc. 11. v. 34. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Et sic pedes, & reliqua membra ratione totius nominantur, non tamen secundum se seorsim dicuntur videre, utpote, pes, vel manus videns.

Secundò, si autem omnia membra sint capacia eiusdem formæ, & caput quidem illam habeat, aliqua autem membra illa careant, imo oppositam formam habeant, non denominantur à forma capitis, ut patet in Æthiope, qui dentes albos habet, & alia membra nigra sunt, hæc non dicuntur alba, sed nigra, & ipse Æthiops non simpliciter, sed secundum quid albus dicitur, scilicet secundum dentes, simpliciter autem niget. Similiter si caput, & cor, & aliqua membra vitam haberent; pes autem, vel manus eiusdem vitæ capaces materialiter quidem juncta, vitâ careant, non dicuntur viva ratione vitæ in capite, sed arida, & mortua; sic ergo, cùm omnes fideles sint membra Christi capitis, & capaces illius vitæ, quam Christus ut fons in se habet, juxta illud Joann. 10. v. 10. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant*, quæ est gratia, & iustitia, ac potissimum in charitate consistit; si solus Christus in se hanc vitam haberet, & membra illa carerent, imo haberent contrariam formam, scilicet maculatam, & damnabilem injustitiam, ut volunt Acatholici, non possent à Christi iustitia denominari, vel esse justi, multò minùs à Deo justi propter illam verè reputari, qui decipi non potest, nec aliter reputare, quam homo in se est; sed potiùs essent coram Deo membra diaboli, cuius similem injustitiam intra se haberent, & solùm justi dicerentur secundum quid, quia Christus justus est, sicut dicitur Æthiops albus.

Ex his patet, qualiter Christus ps. 21. dixerit peccata nostra esse sua, non enim hoc dixit, quod ipse sumpserit in se peccata nostra, quasi ipse illa fecerit, & ipse verè coram Deo peccator haberetur, sed quia ipse peccata nostra in se sumpsit, ut per suam iustitiam pro illis satisfaceret, tanquam suorum membrorum futurorum, qui passus est pro nobis, cùm adhuc peccatores essemus, & sic iustitia ipsius fieret nostra, non ut per illam formaliter justi simus, sed ut per illam satisfaceret Patri, & nos à peccatis liberati, gratiæ & Justitiæ donum consequeremur, quo justi fieremus, sicut Christus suâ Justitia perfectissima justus est. Sic etiam non solum caput mysticum pro suis membris, sed etiam aliquis extraneus posset debitum alterius in se sumere, non quia ipse debitor verus esset, sed ut pro illo satisfaceret, & sic pecunia illa diceretur debitoris, non tamen verè per illam esset dives, quia verè sua non est. Sicut ergo ex eo, quod Christus peccata nostra, tanquam sua, assumpserit, ut pro illis satisfaceret, non sequitur, quod Christus propter illa peccata sic imputata, & assumpta verè coram Deo peccator fuerit, ita nec ex eo, quod Christus nobis Justitiam suam dedisse dicatur, vel quod justitia Christi nobis imputata sit ad hoc, ut satisfaciat pro peccatis nostris, non sequitur, quod per illam Justitiam formaliter coram Deo justi constituamur, præsertim si verè coram Deo in nobis iniustitia damnabilis maneat, & verè iniusti simus. Quomodo hæc cohærent cum S. scriptura, quæ dicit, quod *Christus acquisiuerit* sibi & fecerit *sponsam non habentem maculam*, neque rugam? quam turpe foret illud corpus Ecclesiæ, non solum in terra, sed etiam in cœlis, si caput quidem aureum esset, totum autem corpus semper maneret fœdissimum, in se iniustum, & iniquum coram Dei tribunali, quam indecorum foret Christo, quasi ipse non potuerit, vel noluerit pro corpore, & sponsa sua obtinere justitiam, qualem ipse gratis à Deo Patre secundum humanitatem accepit, & cuius Ecclesia ac membra sua capacia sunt, sed semper in æternum illam sic fœdam coram Deo Patre relinquat, & solum dicatur pulchra, & justa ab extrinseca Christi Justitia, fœda

autem;

autem, & in ſe abominabilis, & Diabolo ſimilis, ſicut Æthiops dicitur albus propter dentes, at vero totus niger manet; Cùm tamen Apoſt. ad Phil. 3 v. 21. dicat, quod Chriſtus poſt reſurrectionem *reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ*, ita ut corpus noſtrum nõ extrinſecè per corporis Chriſti claritatem dicetur clarũ, & in ſe fœdum, ſed propriam à Chriſto claritatem accipiat; quanto magis anima erit cõfigurata animæ claritatis Chriſti, ut per ipſius merita in ſe clara, immaculata, & ſplendida, juſtaq; ſit coram Deo, cùm etiam tunc Angelis juſtis & immaculatis homines ſimiles erunt. Si autem hoc in cœlis abſq; Chriſti præiudicio erit, ſimiliter juſti ſunt in terra, licèt adhuc peccatis venialibus obnoxii.

ARTICULUS ULT.

Reſpondetur ad argumentum Acatholicorum ex ratione formatum.

I. ACatholici cum Calv. l. 3. Inſt. c. 11. § 11. fatentur cum Catholicis, quod remiſſio peccatorum non fiat, niſi ſimul fiat regeneratio, ſeu infundatur gratia, & dona; ſed inde ſic arguunt: licèt hæc non ſeparentur, tamen remiſſio peccatorum eſt prior natura, & ſic priùs naturâ homo per remiſſionem peccatorum à Deo factam juſtificatur, & in hac juſtificatio priùs abſolvitur, quam gratia infundatur, adeoq; infuſio gratiæ non ſpectat ad juſtificationem, licèt illam in eodem temporis inſtanti comitetur.

Reſp. licèt in aliquo ſenſu, ut ſtatim dicetur, priùs naturâ peccatum dimittatur, ſeu culpa deleatur, quam gratia infundatur, negatur tamen, quod in illa remiſſione ſola conſiſtat juſtificatio in S. ſcript. & à SS. Patribus tradita; oſtenſum eſt enim hactenus, quod in juſtificatione ſit tranſlatio à ſtatu injuſtitiæ ad ſtatum juſtitiæ, & gratiæ, ita ut per juſtificationem homo ex injuſto fiat juſtus, & ex inimico Dei amicus, ex filio iræ filius Dei, ex veteri homine novus homo, ex mortuo vivus, ſicut in naturalibus, dum paries ex nigro fit albus per dealbationem, vel aqua ex frigida fit calida per calefactionem, ubi ad talem mutationem duo ſpectant, ſcilicet frigus, ut terminus à quo, & calor, ut terminus ad quem, ſic etiam peccati remiſſio, vel deletio eſt terminus à quo, & infuſio gratiæ terminus ad quem, ſeu potiùs ipſum peccatum terminus à quo, & gratia terminus ad quem, adeoq; juſtificatio eſt, & dicitur regeneratio, renovatio, ſanctificatio, &c.

II. Cæterùm pro ultimata juſtificationis declaratione obſervandum eſt, quod plura in juſtificatione concurrant, tum ex parte Dei, & Chriſti effectivè juſtificantis, tum ex parte hominis juſtificati. *Ex parte efficientis* primò eſt ipſe Deus miſericors, ſeu Dei miſericordia, & favor Deo intrinſecus, quæ hominem ex ſtatu inimici in ſtatum gratiæ transfert ſua omnipotentia. 2. eſt *Chriſtus* ſecundum humanam naturam *ſatisfaciens* pro peccatorum debito, & ſuis meritis impetrans culpæ & peccati remiſſionem. 3. ex parte Dei tria occurrunt, primò eſt ipſa *remiſſio activa* Dei, quâ & gratuitè ignoſcit culpam, ſeu peccatum, illud que delet, per quod inimicus Dei & injuſtus erat. 2. eſt *condonatio pœnæ*, quam peccator ob peccatum incurrit, ſeu *ſublatio obligationis activæ*, quâ Deus hominem ob peccatum dignum judicarat pœna, ſeu ad pœnam obligarat. 3. *Ipſa Dei omnipotentia*, quâ miſericorditer infundit gratiam, & hominem ſibi amicum facit, & juſtum, & filium. Ex parte *Chriſti hominis* eſt, primò *reconciliatio* ſeu ipſa *impetratio*, quâ Chriſtus per merita ſua veniam culpæ ſeu remiſſionem ipſius peccati obtinet, 2. eſt *ſatisfactio* pro debito pœnæ, ſeu *redemptio activa* à debito pœnæ, quod planè à culpa differt; nam ipſum peccatum, ſeu reatus culpæ eſt per ſe malum ab homine per defectum cauſatũ, & moraliter manens, donec remittatur; at vero debitum pœnæ eſt ex Juſtitia Dei, juxta quam debetur homini pœna propter peccatum, & ad quã Deus hominem ex juſtitia obligat, prout cum communi ait Scotus in 4. diſt. 16. q. 2 n. 19. §. Sed ſi quæratur, ſic dicens: *Sola voluntas divina ex ſua juſtitia determinat illam obligationem ad pœnam condignam*. Sciendum autẽ, quod impetratio ab ipſa ſatisfactione differt; nam ſatisfactio Chriſti, ſicut & merita longè præcedunt ipſam juſtificationẽ, & remiſſionem peccatorum, quia, ut evidens eſt, Chriſtus in cruce meruit omnibus veniam, & ſatisfecit pro omnibus, ut patet Rom. 5. v. 7. *Cùm adhuc peccatores eſſemus ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt*. Et 2 Cor. 5. v. 15. *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus*. Hebr. 9. v. 28 *Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata*, &c. conſtat autem, quod licèt Chriſtus pro omnibus ſatisfecerit, non tamen omnes juſtificentur, ſed illi, pro quibus Chriſtus impetrat veniam, 3. *eſt ipſa acceptatio* meritorum & ſatisfactionis Chriſti à Patre, quâ Deus merita Chriſti hic & nunc acceptat, 4. *eſt ipſa acceptatio meritorum & ſatisfactionis Chriſti*, quâ Deus hic & nunc propter merita Chriſti homini veniam indulget, peccata dimittit, & gratiã confert, quæ *applicatio* dici poteſt *imputatio juſtitiæ*, ſeu meritorum, & ſatisfactionis Chriſti; hæc omnia, ut patet, ſe habent ex parte cauſæ efficientis, & meritoriæ reſpectu ſatisfactionis. Ex III. parte hominis, dum actu juſtificatur, primò eſt *remiſſio paſſiva* ipſius culpæ ſeu peccati, aut deletio & injuſtitiæ abolitio. 2. eſt *redemptio paſſiva* correſpondens redemptioni Chriſti activæ, quâ hominis pœna per Chriſti merita redimuntur, 3. eſt *remiſſio paſſiva* ipſius pœnæ ob culpam debitæ, quæ correſpondet remiſſioni activæ Patris, quâ SS. Patres ut ait Scotus 4. diſt. 21. q. 1. n 8. §. Sic iſte modus, &c. *diſtinguunt inter remiſſionem culpæ & pœnæ*, ut ex ſuprà dictis patet, 4. eſt receptio gratiæ ſeu juſtitiæ, vel donorum Dei, fidei, ſpei & charitatis, quâ formaliter homo in ſe pulcher, Deo gratus, & amicus, & coram Deo juſtus conſtituitur, 5. eſt incorporatio paſſiva, quâ corpori Chriſti Eccleſiæ incorporatur, & illius, & Chriſti vivũ membrũ efficitur, & Dei filius conſtituitur, quod effectivè fit à Deo, meritoriè à Chriſto, formaliter per gratiam ſeu charitatem, quã niſi quis habere intelligitur, non eſt vivum Chriſti membrũ; & ideo licet Chriſtus priùs ſatisfecerit pro homine, per hoc tamen non adhuc intelligitur membrum vivum, ſed membrum futurum, donec à Deo charitas infundatur; quia, ut dictum, ſatisfactio longè præcedit juſtificationem.

Quamvis autem prædicta omnia in ſatisfactione occurrunt, potiſſimum tamen in his IV. duobus continentur, ſcilicet in *remiſſione peccatorum*, & *infuſione gratiæ*, ut homo ex peccatore fiat juſtus, & gratus; & licèt in præmiſſis DD. Catholici, ut de Fide certis, conve-

niant; quæstio tamen scholastica salva fide inter illos movetur, qualiter habitus gratiæ, seu justitiæ infusæ opponatur peccato: an contrariè, an privativè; scilicet, an sint duæ quasi formæ sibi contrariæ; vel an una sit forma, scilicet gratia, & peccatum sit illius privatio; & juxta hoc diversæ sunt sententiæ, qui enim dicunt peccatũ esse privationem gratiæ, sustinent non posse deleri peccatum, nisi gratia infundatur. Alii autẽ sustinent quod peccatum non sit privatio justitiæ seu gratiæ habitualis, licèt concedant, quod sit privatio rectitudinis debitæ inesse actui, qui transit, ita tamen ut peccatum ipsum seu actus peccaminosus moraliter in homine maneat, donec à Deo remittatur, & sic peccatum se habet instar alicuius entis nõ realis, sed moralis, quo anima hominis maculata, fœda, & Dei inimica cõstituitur, cui negatio opponitur, scilicet nõ peccatum. Quod peccatũ illud non opponatur gratiæ propriæ ut privatio, vel negatio, probat Scotus 4. dist. 16. q. 2. n. 4 §. Respondeo pluribus claris rationibus, inter quas una est, *quia potest gratia infundi sine peccati remissione, v.g. posset in statu innocentiæ in genere humano (& ita factũ est in Angelis, qui non peccaverunt) gratia infundi absq; culpæ remissione, quia nulla culpa, vel peccatum infuit, &c. & similiter posset Deus de potentia absoluta homini peccata remittere non infundendo gratiã, quia potest Deus de potentia absoluta hominem creare in puris naturalibus sine culpa, & sine gratia, ergo & post lapsum talem reparare, & ita remittere culpã sine infusione gratiæ*, &c. hæc Scotus, & tali casu homo nõ esset peccator, nec justus, aut gratus Deo speciali gratitudine, præter bestias, sed esset non peccator.

V. Etsi hæc de potentia absoluta fieri possint, certũ tamen est apud omnes Doctores de fide juxta S. script. & SS. Patres, quod de facto ita non fiat, ut ait Scotus 1. dist. 17. q. 3. n. 29. § de 2. art. dicens: *Quantum ad istum artic. non est necessarium ponere habitum supernaturalem gratificatum, loquendo de necessitate respiciente potentiã Dei absolutam*, &c. *licet de necessitate, quæ respicit potentiam Dei ordinariam, quam ordinationem ex scriptura & dictis SS. colligimus, ubi habemus, quod peccator est indignus vitæ æternæ, & justus dignus*, &c. similiter 4. dist. 1. q. 6. n. 9. §. de potentia, &c sic ait: *Quoad hoc tenso, quod non est possibile de potentia ordinata culpam originalem, nec aliquam aliam mortalem dimitti sine infusione gratiæ, quia licet absolute sine contradictione possit esse medium in specie humana inter filium regni, & filium perditionis, scilicet homo in puris naturalibus; tamen secundũ legem sapientiæ divinæ post lapsum nullum est medium inter gratum, qui est filius regni, & peccatorem, qui est filius carceris: nec potest esse loquendo de potentia ordinata, id est conformi legibus à sapientia & voluntate divina determinatis, ideo nullum liberat, nec sic liberare potest à culpa, nisi cui dat gratiam*, hæc ibi. Similiter 4. dist. 16. q. 2. n. 15. dicit: *De potentia ordinata Deus nulli remittit pro A.* (scilicet pro certo instanti) *quin illũ pro tunc gratificat, sed de potentia absoluta*, &c. *possent separari*, hæc ibi.

Juxta hæc ait Scotus 4. dist. 1. q. 6. n. 8. *In justificatione peccatoris est una mutatio privativa, qua de inimico fit non inimicus* (quod fit per remissionem peccatorũ) *est etiam alia positiva, qua de indigno vitæ æternæ, fit dignus vitæ æternæ*, &c. hæc ille, seu de injusto fit justus, scilicet per gratiam infusam. Hæc accidunt in plerisq; mutationibus naturalibus, ut cũ aqua frigida fit calida, sunt duæ mutationes, una privativa, quâ aqua ex frigida fit nõ frigida, & ex non calida fit calida, ita tamen, ut juxta communem Philosophiam sit una mutatio à contrario in contrarium, à frigore ad calorem, quâ dicitur aqua calefieri: nec enim, dum ex frigida fit nõ frigida, calefieri dicitur; sic etiam licèt in justificatione duæ prædictæ mutationes occurrant, est tamen unica absoluta mutatio ab injustitia ad justitiam, & ideo cùm ex peccatore fit non peccator, nõ dicitur justificari, sed dum justitia infunditur.

Hinc tamen oritur dubium quænam inter illas mutationes sit prior natura, licèt in eodem temporis instanti fiant, de quo sic ait Scotus 4. dist. 16. q. 2. n. 18. *Secundum argum. de priore & posteriore ponderatur ab aliquibus*, &c. *breviter dico quod secundum Philosophum 5. Metaph. c. de priori & 9. Metaph. c. 7. aliqua sunt priora generatione, & aliqua perfectione; & istæ prioritates communiter è converso se habent; in via enim generationis, imperfectiora sunt priora, hoc modo dico, quod si expulsio culpæ esset aliquod ens* (ubi loquitur de ente reali, quod negat, sed non negat, quod sit ens morale) *& infusio gratiæ, via generationis prior esset expulsio culpæ, sed è converso via perfectionis prior esset infusio gratiæ, quia immediatior ipsi fini, quod est simpliciter perfectum in isto ordine. Similiter de prioritate consequentiæ patet, quod imperfectius sit prius, sicut animal est prius secundùm consequentiam quam homo, & universaliter consequens est imperfectius, quam antecedens, sic eodem modo, quo esset consequentia inter illa, expulsio sequeretur ad infusionem gratiæ, non è converso: non enim sunt opposita immediata simpliciter ex natura extremorũ, sed ex institutione divina*, &c. & paulò infrà. *Si quæras quem ordinem habent ista, scilicet gratia, & non culpa ut sunt objecta secundaria divinæ voluntatis. Respondeo sicut dictum est l. 1. dist. 41. q. de prædest. eo modo, quo est ordo volitionis divinæ ad objecta secundaria, prius enim vult isti pro A. postquam scilicet peccavit, gratiam, quam non vindicare loquendo de prioritate intentionis sed exequendo vult è converso; sicut enim prius vult istum habere merita, quam gloriam, ita vult prius ordine executionis isti non inesse culpã, quam inesse gratiam: vel potest dici consequenter, quod hæc objecta secundum perfectionem habent ordinem quendam, ut in ea tendit voluntas divina* (& sic prior est infusio gratiæ) *sed secundum causalitatem vel generationem nullum ordinem habent*, &c. hæc Scotus.

Unde resp. ad argumentum Acathol. 1. negando, quod remissio peccatorũ sit prior natura infusione gratiæ, eo quod Deus priùs intendat gratiæ infusionem, quam peccati expulsionem, vel remissionem, prioritate perfectionis, ut Scotus optime ostendit & probat: sic ergo cadit primum argumentum Acatholicorum. VII.

Resp. tamen 2. posito quod ordine executionis, vel generationis (si sit talis ordo inter illa duo, quæ in eodem instanti à Deo fiunt, quod Scotus negat) priùs Deus remittat culpam, quam infundat gratiam; tamen negatur, quod in illo priore absolvatur justificatio, quia justificatio principaliter importat gratiæ collationem, ut ex S. script. & SS Patribus ostensum est; & si de potentia absoluta peccata demitterentur sine infusione gratiæ homo non diceretur justificatus, prout de facto justificatur, juxta S script. & SS. Patres, quidquid Calv. de forensi justificatione ab Ethnicis & politicis trahat; qui aliter non possunt justificare. VIII.

Si autem hæc Acatholicis non sufficiunt, formo tale argumentum ad hominem ex ipsorum principiis, Potest Deus de absoluta potentia dimittere homini peccata, & ab illis eum absolvere sine meritis Christi, & multo magis sine Christi Justitiæ, quam ipsi volunt, imputatione, quod per se notum est: quia Deus

non

non necessitatur, ut merita aliqua prærequirat; sicque hoc modo etiam de facto natura prior est remissio peccati, quàm imputatio Christi Iustitiæ, ergo cùm juxta Calvinum & Acatholicos justificatio sit tantum forensis, quâ Iudex pronunciat immunem à crimine, absq; ullius intercessione, vel redemptione alicuius tertii: sic Deus ex nuda misericordia de potentia absoluta potest remittere peccata sine meritis Christi, & proinde de facto prius natura peccata remittit, quàm Iustitia Christi imputatur: nam prioritas naturæ etiam sumitur pro prioritate consequentiæ, quando unum ex altero infertur, & non è converso; constat autem, quod ex imputatione iustitiæ, & meritorum Christi sequitur, quod Deus remittat peccata, nam imputatio ista fieri non potest sine Dei acceptatione, vel remissione, bene valet consequentia etiam absolutè loquendo, scilicet homini remittuntur peccata propter merita Christi, ergo Deus remittit, qui est causa principalis remissionis, sed non sequitur de potentia absoluta: Deus remittit peccata, ergo propter merita Christi satisfactoria; multò minùs de potentia absoluta sequitur hoc: Deus remittit peccata, ergo constituit hominem iustum per Iustitiam Christi imputatam. Imo ultra illam prioritatem in proposito est prioritas causalitatis, quia misericordia Dei est prior natura, quam iusti ia Christi, cùm sit causa illius; nam Dei misericordia Christo homini confert Iustitiam, per quam satisfacere possit pro peccatoribus: unde ipsa misericordia Dei multò magis est prior ipsa imputatione justitiæ Christi, quam etiã ordinat. Cum ergo non solùm misericordia Dei, ut causa, sed etiam remissio peccati sit prior natura, quam satisfactionis applicatio, vel imputatio justitiæ Christi, etiam juxta Calvinum; sequeretur, quod homo priùs sit justificatus perfectè per remissionem ranquam Iustificationem forensem, quam ipse simpliciter urget esse perfectam; & sic illa imputatio iustitiæ Christi tantum comitatur, sicut ipse vult, quod infusio gratiæ ob similem prioritatem tantũ comitetur justificationem; & sicut ipsi volũt, quod remissio peccati, & imputatio justitiæ Christi non constituant duplicem iustificationem, vel duplicem causam formalem; ita nec remissio peccati, & infusio gratiæ duplicem inferunt, sed unam, quâ justus constituitur.

IX. Si Acatholici dicant, quod, licèt justificatio absolutè fieri posset à Deo sine tali imputatione, tamen Deus de facto non voluerit hominem iustificare ex sola misericordia, sed etiã per imputationem iustitiæ Christi, prout Calv. l. 3. Inst. c. 11. § 12. respondet Osiandro dicẽ: *stultè ab eo objicitur*, &c. cuius verba supra art. 7. relata sunt, ita & nos juxta S. Script. respondemus, quod Deus noluerit hominem more forensi iustificare, solum remittendo peccatum, relinquendo ipsum in puris naturalibus, vel quod absurdius est, relinquendo ipsum adhuc intrinsecè iniustum, maculosum & peccatorem, ut Acatholici volunt, sed voluerit perfectè iustificare, prout ipse solus potest, & iustificatio ipsa importat, scilicet, transferendo hominem ex statu peccati in statum gratiæ, seu justitiæ, ipsi intrinsecè & formaliter infundendo ustitiam Dei per Christũ, & sic justum & gratum, constituendo & peccata prorsus delendo. Prout Apost. 2. Cor. 5. dicitur nos fieri iustitia Dei in ipso, de qua sæpe dicit August. & specialiter l. de Spir. & Lit. c. 18. *Hæc est illa iustitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos ab eo facti.*

Simile argumentum etiam suprà art. 9. resp. ondendo ad 4. Calvini obiectionẽ factum est: scilicet quia ipse vult, quod in illis ps. 31. verbis *Beati, quorum remissa sunt iniquitates*, &c. integra iustificationis definitio tradatur; ubi non fit mentio expressa infusionis gratiæ, ac proinde juxta Calvini hanc à iustificatione excludit. Sumitur argumentum, quod ibi non fiat mentio justitiæ Christi imputatæ, ut patet, quia sola remissio exprimitur: & quidem additur: *Beatus, cui non imputavit Dominus peccatũ*, sed non dicitur, *cui Dominus imputaverit justitiam Christi hominis*, ergo nec illa ad iustificationẽ pertinet; quam tamen Acatholici cum ipso Calv. maximè urgent, & consequenter iustificatio hominis etiam in ipsorum sententia non debet intelligi nudè juxta morem Iudicum, & forensem, qui hominem justum pronunciare sive verè sive falsò possunt, sed intrinsecè peccata delere, & justitiam infundere non possunt; hoc autem solus Deus potest, & facere voluit, & licèt non in omni loco S. Script. exprimatur, tamen per alia S. Scripturæ loca constat, quod subintelligatur, prout etiam de aliis fidei articulis notum est, quod non omnes in uno loco dicantur. X.

Demũ patet, quod falsò inferatur, quod homo in illo priori naturæ sit ultius per iustitiam Christi imputatã, quàm gratia infundatur, quia illa prioritas naturæ non infert quicquam prius in homine, sed solum denotat ordinem aliquem inter causam meritoriam, & effectum illius causæ, scilicet; quod iustitia Christi sit causa gratiæ, quà formaliter homo justus constituitur. Falsissimum etiam est, quod Acatholici dicunt, quod S. script. iustificationem forensem propriè, & quasi ubicũ, usurpet, similiter quod S. scriptura justificationem hominis formalem in imputatione extrinsecè justitiæ Christi constituat per fidem reprahensæ, cum nulla S. scripturæ loca allegare possint, ubi hoc legatur. XI.

CONCLUSIO.

XII. HActenus ex S. script. & SS Patribus demonstratum est, quæ sit *causa formalis justificationis* inter alia, quæ in ipsa concurrunt. Imprimis quidem *Dei essentialis omnipotentia, justitia, & misericordia*, quæ ut antea fontalis causa propriè efficiens iustificationis, sed illa non est causa formalis illius, quâ homo formaliter justus constituitur, ut contra Osiandrum, Calvinus & alii cum Ecclesia consentiunt.

2. Concurrit *iustitia Christi hominis seu ipsius merita*, quibus ipse ex justitiâ Deo Patri pro peccatis satisfecit, & veniã ad justificationem promeruit, quæ etiam non est causa formalis justificationis, sed causa meritoria, ipsa ad causam efficientem, & prius natura justificationem præcedit, ut causa effectum. 3 concurrit *remissio delicti*, seu *expulsio peccati* homini inhærentis formaliter, & *infusio iustitiæ habitualis*, seu charitatis, quæ gratia dicitur, quia gratis sine ullis peccatoris præcedentibus meritis à solo Deo creata homini infunditur, seu in cordibus nostris per Spiritum S. diffunditur, quæ justitiæ habitualis Christi homini similis est, licèt longè minor, pro, ter ipsum tamen donata: & hæc est causa formalis justificationis tanquam illius terminus ad quem, sicut dealbationis causa formalis est albedo, quâ homo formaliter & intrinsecè justus, & à Deo gratus constituitur, & non natur, & ideo homo à Deo propter merita Christi iustificatur, ex inju-

Digitized by Google

catum comedent. Vnde patet, quod ex eo, quod Chriſto fuerit peccatum noſtrum imputatum, non ut eſſet peccator, ſed ut ſatisfaceret, & offerretur pro eo, non fuit habitus peccator coram Deo, ſed juſtiſſimus, qui pro alienis etiam peccatis ſatisfecit.

III. Hinc reſpondetur negando conſequentiam, nam Chriſtus pro nobis factus eſt peccatum, id eſt, victima pro peccato, & ipſi imputatum tantū eſt peccatum noſtrum, ut ſatisfaceret pro illo, quod verum eſt, ſed non ſequitur: ergo Chriſti juſtitia nobis imputatur, ut per illam tantùm juſti reputemur, quales non ſumus, quia Chriſtus illo modo non potuit cenſeri peccator, ſed potiùs juſtificator peccatorum, unde nos non poſſumus dici juſti per imputationem juſtitiæ Chriſti, ſi in nobis injuſti ſimus. Quod autem Apoſtolus dicit, *ut efficeremur Juſtitia Dei in ipſo*, non dicit, ut imputetur tantum nobis juſtitia Chriſti, ſed ut ſimus juſtitia Dei, quæ ſcilicet à Deo nobis per Chriſtum infunditur, ut paſſim juſtitiam Dei, SS. Patres, & præſertim Aug. exponunt. Dicimur autem effici juſtitia Dei, ſicut etiam Apoſtoli dicebantur, *lux mundi*, propter excellentiam juſtitiæ, ſeu gratiæ, quæ infunditur, & quia Dei Filii efficimur, ita Aug. in Enchridio c. 41. edit. Antw. 1576. dicens, *eum qui non noverat peccatum, id eſt, Chriſtum, pro nobis peccatum fecit Deus, cui reconciliandi ſumus, hoc eſt ſacrificium pro peccatis, per quod reconciliari valeremus; ipſe ergo peccatum, ut nos juſtitia, nec noſtra, ſed Dei*, &c. quid clarius contra Calv.

IV. Alia autem vera conſequentia ex hoc loco Apoſtoli formatur, ſcilicet, ſicut Chriſtus verè pro nobis factus eſt peccatum, id eſt, ſacrificium pro noſtro peccato, ſic etiam nos non fictè, & imputativè, ſed verè efficimur juſtitia Dei in illo, ſeu propter Chriſti merita accipientes in nobis juſtitiam Dei, quæ à Deo eſt, & non ex noſtris meritis, quâ juſti verè ſumus, prout dicit Aug. lib. de Spir. & Lit. cap. 32. *Charitas Dei dicta eſt diffundi in cordibus noſtris, non qua ipſe nos diligit, ſed qua nos ſuos dilectores facit, ſicut juſtitia Dei, qua juſti ejus munere efficimur, & Domini ſalus, qua nos ſalvos facit, & fides Chriſti, qua nos fideles facit*, &c. vide reſponſionem ex ipſis Calvini verbis lib. 3. Inſt. cap. 11. §. 9. contra Oſiandrum, prout ſeq. art. ad argumentum tertium reſponſ. 4. habetur

V. 3. Objicit Calv. ibid. dicens: *Alio loco juſtificatio accuſationi opponitur* Rom 8. v. 33. *Quæ Antitheſis clare demonſtrat ſumptam eſſe* (de juſtificatione) *loquendi formam à forenſi uſu*, &c. ſcilicet in forenſi uſu ſolū uſurpatur pro abſolutione, vel pro juſti pronunciatione ergo etiā in juſtificatione divina

Reſp. primò, licèt juſtificatio ibi uſurpetur, ut opponitur accuſationi, vel condemnationi, non tamen excluditur à juſtificatione ipſa juſtitiæ, vel gratiæ collatio, quæ alibi ab Apoſtolo in juſtificatione includitur, ut ſuprà art. 7. oſtenſum eſt.

Reſp. 2. negando quod Apoſtolus ſumat juſtificationem præciſè ab uſu forenſi, ubi ſolùm judex pronuntiat aliquem juſtum, qui revera injuſtus eſt, vel poteſt manere, nec enim judex illi peccata dimittere poteſt; ſed ſi poſſet dimittere ei peccata, & etiam poſitivè juſtitiam dare, utiq; perfectè juſtificaret; Deus autem & peccata ſolus dimittere, & juſtitiam, quâ homo juſtus, & ſanctus coram ipſo ſit, infundere poteſt; adeoque Deus ſi pronuntiaret aliquem juſtum, qui injuſtus eſt, falsò pronunciaret, quod blaſphemum eſt, ſicut homines qui impios juſtificant, falſi ſunt, & abominabiles apud Deum, Proverb. 17. v. 15. videatur Chryſoſt. art. 40. allegatus, ubi dicit: *Qui crimine regis beneficio abſolutus eſt, inquinatum animū ſervat; quem abluit baptiſma, non item, ſed ſolis radiis puriorem mentem habet*, &c hinc patet, quod ſolus Deus impium poſſit verè juſtificare, cùm alioquin quilibet more forenſi alium juſtificare poſſit. Hoc etiam patet ex verbis Apoſtoli, cùm dicit: *Quis accuſabit adverſus electos Dei? Deus qui juſtificat, quis eſt qui condemnet?* ac ſi diceret, licèt in forenſi judicio aliquis poſſit accuſari, qui ab aliquo judice juſtificatus eſt, ſeu juſtus pronuntiatus, cùm adhuc nocens eſſe poſſit, at verò is, quem Deus juſtificat, accuſari non poteſt, eo quod & peccata revera remiſſa ſint, & ipſe per miſericordiam Dei gratiam, & juſtitiam conſecutus, verè jam juſtus ſit.

4. Calvinus ſic arguit ibid. dicens: *Iam vero mihi reſpondeat Oſiander, ubi dicit Paulus deſcribi à Davide juſtitiam ſine operibus in his verbis* Rom. 4. v. 7. *Beati quorum remiſſa ſunt iniquitates, ſitne plena definitio, an dimidia? certe Prophetam non adducit teſtem, ac ſi doceret partem juſtitiæ eſſe veniā peccatorum, vel ad hominem juſtificandum concurrere, ſed totam juſtitiam in gratuita remiſſione includit, beatum hominem pronuncians, cujus tecta ſunt peccata, cui remiſit Deus iniquitates, & cui transgreſſiones non imputat, fœlicitatem ejus inde æſtimat, & cenſet, quia hoc modo juſtus eſt, non reipſa, ſed imputatione*, &c. hæc Calv. VI.

Reſp. primò: Oſtendat Calvinus quod Paulus ex illis verbis pſalmi voluerit integram juſtitiæ ſeu juſtificationis definitionem dare; hoc ex textu non habet, imo eſt clarè contra verba Prophetæ in pluribus pſalmis, ut pſ. 1. *Beatus vir, qui non abiit in viam impiorum*, &c. ubi non fit mentio remiſſionis peccatorum, ſed quod non fecerit peccatum, item pſ. 39. v. 5. *Beatus vir cujus eſt nomen Domini ſpes ejus.* Item pſ. 40. v. 1. *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem*, Pſ. 83. v. 13. *Beatus homo qui ſperat in te* Pſ. 105. v. 3. *Beati qui cuſtodiunt judicium, & faciunt juſtitiam*, &c. pſ. 111. v. 1. *Beatus vir qui timet Dominum*, & quidem pſ. 118. videtur Propheta integram beatitudinis definitionem tradere, cùm dicit: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini, beati qui ſcrutantur teſtimonia ejus, in toto corde exquirunt eum.* Similiter Chriſtus Dominus Matth. 5. v. 3. dicit: *Beati pauperes ſpiritu*, &c. *beati mites*, ubi de octo diverſis prædicat beatitudinem.

Jam quæritur, an Propheta in ſingulis locis integram beatitudinis ſeu Juſtitiæ definitionem poſuerit, nec ne? ſi integram, ergo plures ſunt definitiones, & Propheta ſibi contrarius eſt, quia ſi una integra ſit, omnia alia excludit; & Chriſtus ſimiliter, quod blaſphemum eſt dicere; patet ergo, quod Propheta, vel Paulus per illa verba, *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates*, non voluerit à fœlicitate vel juſtitia excludere dona infuſa gratiæ, ſicut nec in aliis locis excluſit remiſſionem peccatorum, licèt non exprimat. Si dicatur, quid ergo Paulus per verba pſalmi obtinere intendit? Reſpondetur, id, quod juſtificatio fiat gratis à Deo ſine meritis præcedentibus, & hoc bene probatur per remiſſionem peccatorum, quæ ex ſola gratia Dei fieri poteſt, dum ſupponitur homo peccator, qui mereri non poteſt; non autem excludit gratiam infuſam, quæ etiam gratis à Deo datur, & dari poteſt, hoc patet VII.

ex contextu, cùm Apostolus dixisset v. 5. *Ei vero, qui non operatur* (scilicet meritoriè) *credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur Fides ad iustitiam secundum propositum gratia Dei.* Vbi patet, quod Apostolus ipsam Fidem dicat reputari ad iustitiam, quæ est ex gratia Dei, & non ex meritis; Fides autem non sola, sed per charitatem operans, & hæc Fides non in remissione peccatorum, quæ in Deo est, sed inhærer homini, quæ cum charitate ad iustitiam reputatur, non falsò, sed verè: hoc patet etiam ex verbis immediatè præmissis, dum probat ex verbis Prophetæ dicens v. 6. *Sicut & David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus, beati quorum remissæ sunt,* &c. ubi Apostolus ex non imputatione peccatorum tanquam necessariò infert justitiam à Deo dari sine operibus, adeoque supponit, quod Deus gratis remittendo peccata etiam gratis iustitiam homini imputet, non falsò, more hominum, qui illam dare non possunt, sed verè. quia illam dare potest, & donat.

VIII. Hanc fuisse mentem tam Prophetæ, quàm Apostoli, præterquam quod ex prædictis S. Scripturæ locis pateat, etiam SS. Patres tradiderunt; inter alios *Iustinus* Martyr in Dialogo cum Tryphone circa finem secundi Tomi edit. Heidelb. sic dicens: *Beatus cui non imputauit Dominus peccatum, hoc est, cui pœnitenti Deus peccata remittit. Nam, sicut prædicatis vosmetipsos fallaciter, & alii quidam vestri similes asseuerant, etiamsi peccatores fuerint, modo Deum nouerint, non imputabit eis Dominus peccata,* &c. hæc ille. Ecce quid clarius contra Calvini & Acatholicorum dogma, quod justos non fit reipsâ, sed imputatione, & maneat coram Dei tribunali mortis judicio obnoxius, ut Calv. ibid. vult.

Præterea argumentum potest ad hominem fieri ex verbis Calv. contra ipsum sic: Paulus non adducit Prophetam testem, ac si doceret, partem justitiæ esse veniam peccatorum, &c. sed totam iustitiam in remissione gratuita includit, ergo imputatio iustitiæ Christi, non includitur in tota iustitia, quia Deus potest absolutè remittere peccata sine Justitiæ Christi imputatione, quam David non excludit, vel exprimit, sed totam iustitiam in remissione collocat, ut vult Calv. at verò Calv. lib. 3. dist. c. 11. §. 1. de iustificatione sic ait: *Eamq; in peccatorũ remissione & Iustitia Christi imputatione positam esse dicimus,* &c. ecce quomodo mentitur iniquitas sibi, & seipsam confundit.

IX. Hinc etiam patet responsio ad argumentum Acatholicorum, quod ex illis verbis psalmi ducunt, scilicet, quia dicitur: *Beati quorum tecta sunt peccata,* quod ideo post iustificationem peccata adhuc maneant, & non deleantur, sed solùm abscondantur, & tegantur; ut quidem sint in homine, sed non videantur, vel ad pœnã imputentur.

Responsio patet ex præmissis, & ex illis quæ suprà art. 5. allata sunt ex S. Scriptura, quod peccata verè deleantur.

Quod autẽ peccata tegi dicantur, non inde est, quasi maneant, & abscondantur, cùm coram Deo nihil abscondi possit, sed potiùs patet, quod deleantur. Hoc ipsum SS. Patres docent, & specialiter Aug. enarrat. in istũ ps. 31. edit. Basil. 1529. dicens: *Ne sic intelligatis, quod dixit peccata cooperta sunt, quasi ibi sint. & viuant;* & post medium folium, cum de Pharisæi superbia, & publicani humilitate discurrisset, dicit de Pharisæo: *Habebat ergo ille peccata, sed peruersus, & nesciens quo venisset. Erat enim tanquam in statione medici curandus, sed sana membra ostendebat, vulnera tegebat; Deus ergo tegat vulnera, noli tu: Nam si tegere volueris erubescens, medicus non curabit, medicus tegat, & curet, emplastro enim tegit, sub tegmine medici sanatur vulnus, sub tegmine vulnerati celatur vulnus, cui celas? qui omnia nouit,* &c. hæc ille. Ecce quàm clarè iustificatio, exprimatur, quâ peccata teguntur emplastro gratiæ, quod Deus imponit. Christus Deus Medicus, justitia Christi meritoria; emplastrum, quo causatur sanitas, scilicet iustitia inhærens, & vulnus peccati tollitur, ac evanescit; quo peccata teguntur, & abolentur, ac sanitas datur.

5. Calvinus ibid. suam de iustificationis & sanctificationis distinctione opinionem probare nititur ex verbis Apostoli ad Rom. 7. v. 24. & 8. v. 33. quod regeneratio consistat cum peccatis; at verò imputatio iustitiæ Christi sola hominem coram Deo iustificet in se iniustum manentem, sic dicens: *Hoc discrimen iustificandi, & regenerandi (quæ duo confundens Osiander duplicem iustitiam nominat) pulchrè exprimuntur à Paulo, nam de reali sua iustitia loquens, vel de integritate, quæ donatus erat, flebiliter exclamat, miser ego? quis me liberabit ex corpore mortis huius? ad Justitiam vero confugiens, quæ in sola Dei misericordia fundata est, magnifice, & vita, & morti, & probris, & inediæ, rebusq; omnibus aduersis insultat, quis accusabit contra electos Dei, quos ipse iustificat,* &c. & infrà: *Hæc diuersitas satis nota est, adeoq; Sanctis omnibus, qui sub onere iniquitatum gemunt, & interea victrice Fiducia emergunt, supra omnes motus,* & infrà: *Sed hæc est mirabilis iustificandi ratio, ut Christi iustitia tecti non exhorreant iudicium, quo digni sunt, & dum se ipsos merito damnant, iusti extra se censeantur,* &c. hæc ille.

Respondetur, quidquid sit de Osiandro, Ecclesia Catholica agnoscit unicam iustitiam, quâ formaliter homo iustificatur, scilicet gratiam, seu charitatem à Deo infusam ex solis meritis, vel propter sola merita justitiæ Christi, & ex sola misericordia Dei, in qua fundatur omnis iustitia; falsum autem est, quod Apostolus jam conversus, & integritate iustitiæ formalis à Deo donatus, ideo exclamaverit, miser ego? quasi adhuc peccatis antiquis maximis obnoxius, & infectus esset, vel quod omnes subjecti adhuc sub onere iniquitatum gemant, & seipsos exhorreant, quod adhuc in se judicio & damnationi obnoxii sint, & solùm extra se iustitia Christi tecti, censeantur iusti, hæc omnia inquam falsa sunt, S. Scripturæ contraria, ut hactenus ostensum est.

Quoad verba Apostoli: *Scio, quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum,* &c. cætera usque ad illa, *miser ego homo,* &c. aliqui SS. Patres ita intellexerunt, quod Apostolus illa non dixerit in sua propria persona, sed in persona magni peccatoris, qui nondum per gratiam Christi sit iustificatus. Ita *Origenes & Chrysost.* in hunc locum, & *ipse August.* lib. 1. Retract. cap. 23. & lib. 6. contra Julian. cap. 11. fatetur se alias ejusdem fuisse opinionis, sed postea re meliùs considerata, cum Hilario, Gregorio, Ambrosio, & aliis Ecclesiæ Doctoribus intellexisse, quod, ut ait *Apostolus aduersus carnales concupiscentias, quas habere nolebat, & tamen habebat, strenue conflixerit, eundemq; conflictum illis verbis contestatus fuerit,* &c. & quidem juxta priorem sententiam Calvin' nihil ex illis verbis habet contra justificatos, ut patet.

Quoad

XII. Quoad alteram ſententiam, quæ probabilior eſt, etiam nihil Calvino ſuffragatur, nam iidem SS. Patres docent, quod illa carnis concupiſcentia, ſeu rebellio, licèt ſit vitium, vel malum ex originali peccato ortum, & pœna peccati; negant tamen eſſe propriè dictum formale peccatum, ſi illi reſiſtatur, & conſenſus non præbeatur, ſed ex hoc victoria per Chriſtum obtineatur. Vocatur autem ſubinde peccatum, quia vitium eſt, & cauſa peccati; peccatum autem formale nullum eſt ſine conſenſu, ut D. Auguſt. cum SS. Patribus paſſim docet, & peccato formali nemo bene uti poteſt; dicit autem Auguſt. lib. 3. contra Julian. cap. 24. edit. Baſil. 1528. de hac concupiſcentia, quam malum vocat. *Hoc ſi de concupiſcentia carnis ſentis, non abſurde ſentis, hoc enim malo bene utuntur fideles coniugati, & ex hoc, qui generantur, reatum trahunt, ideoq; & ipſi regenerandi ſunt; id autem malum non euadit ſupplicium, hoc eſt enim eius ſupplicium, ut cum generatis, ſi regenerati non fuerint, puniatur, in regeneratis autem, cùm ex omni parte ſanati fuerint, conſumatur*, & infrà: *Sed de carnali concupiſcentia, contra quod malum & ipſe confligis, quo malo coniugati bene utuntur, ſi ſola coniuges propagationi gratia miſceantur*, &c. hæc ille.

XIII. Vocat autem S. Auguſtinus hanc concupiſcentiam ſpecialiter peccatum & malum, quia non ſolùm eſt pœna peccati, ſicut fames, ſitis, &c. quibus conſentire poſſumus, & ſatisfacere, ſed quia nunquam conſentire licet, ideo lib. 5. c. 4. circa medium eâd. edit. ſic ait: *Nec tamen ideo debes iſtam libidinem fami, vel aliis moleſtiis comparare; quod enim nemo, cùm vult, eſurit, aut ſitit, aut digerit, indigentiæ ſunt iſtæ reficiendi, vel exonerandi corporis, quibus ſuccurrendum eſt, ne lædatur, aut occidat, nunquid autem læditur, aut occidit corpus, ſi libidini non adhibeatur aſſenſus? diſcerne ergo mala, quæ per patientiam ſuſtinemus ab eis malis, quæ per continentiam refrænamus, nam & illa mala ſunt, quæ in corpore mortis huius potuimus experiri*, hæc Auguſt.

Itaque Auguſtinus cum SS. Patribus docet, quod contra hoc malum Sancti cum Apoſtolo pugnent ad coronam ibid. lib. 5. cap. 4. in fine de Sanctis loquens eâd. edit. ſic ait: *Sed dicunt ſane cum Apoſtolo, video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, eſſe tamen eam ſub animi poteſtate, gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum*, &c. & lib. 6. cap. 11. eâd. edit. *Contra quos*, ait: *Motus priùs utiq; debellandos, ne dominentur, & poſtea ſanandos, ut penitus extinguantur, etiam ipſa glorioſa certamina Sanctos exercere confeſſus es. Hoc enim modo non viuimus nos, ſed viuit Chriſtus in nobis, ſi & ad pugnam contra concupiſcentias exercendam, & ad victoriam uſq; ad conſumptionem eorundem hoſtium capeſcendam, in illo fidamus, non in nobis*, &c. & infrà: *Neq; enim rectè cujuſquam ſpiritus concupiſceret aduerſus carnem ſuam, niſi habitaret in illo ſpiritus Chriſti*, &c. & infrà, *cùm dicat* (Apoſtolus) *Non ego operor illud, oſtendens concupiſcentias carnis ſolum impulſum libidinis operari ſine conſenſione peccati*, &c. hæc Aug.

XIV. Ex quibus patet, quod Apoſtolus non ingemuerit, quaſi conſentiret concupiſcentiis & ſub gravibus adhuc eſſet peccatorum oneribus, ſed ob luctam illam, quam ſentiebat, à qua per gratiam Chriſti ſe liberandum dixit; nec Sancti aliter gemunt, niſi de his motibus, & peccatis venialibus, quibus adhuc obnoxii ſunt: non vero quaſi adhuc in peccatis magnis exiſtant, vel illa committant; ita tamen, ut confidant, quod per Dei miſericordiam, & propter Chriſti merita à peccatis gravibus liberati, gratiam juſtificationis conſecuti ſint, & per gratiam Chriſti confortati peccata effugient, & tentationibus qualibuſcunque reſiſtent, prout Auguſt. cap. 8. confidebat, & ſic non in ſe, ſed in Domino glorientur.

Cæterùm, ſi Sancti, imo & ipſe Apoſtolus, ut vult Calvin. adhuc verè gravibus peccatis obnoxii eſſent, & peccarent, quomodo non exhorrerent Dei Judicium? vel quomodo extra ſe tecti Chriſti juſtitiâ coram Deo juſti cenſerentur, qui revera in ſe injuſti, & peccata gravia habent? & qui ſe ipſos ob peccata, quæ habent, juſtè damnant, quomodo Deus juſtiſſimus illos innoxios reputaret, & non damnaret? cùm dicatur Prov. 15. v. 9. *Abominatio eſt Domino via impii*, & cap. 24. v. 24. *Qui dicunt impio: Juſtus es, maledicent eis populi*, &c. & Sap. 14. v. 9. *Odio ſunt Deo impius, & impietas eius*, &c. Certum autem eſt, quod Deus homines juſtificet, non damnet, quia ex ſua miſericordia & propter merita Chriſti illorum peccata remittit, delet, & quantum diſtat ortus ab occidente, longe facit ab eis iniquitates, eoſque per gratiam ſuam à gravibus peccatis conſervat, licèt adhuc concupiſcentiâ impugnati gemant.

6. Calvinus ſupra §. 9. ſuam opinionem quaſi certam ſupponens ait: *Quomodo enim juſtificati ſimus, ſi quæritur, reſpondit Paulus, Chriſti obedientiâ*. Rom. 5. v. 19. XV.

Reſp. quod Apoſtolus ibi non dicat, nos Chriſti obedientiâ vel juſtitiâ juſtificari formaliter, ita ut non ſit Juſtitia formalis in nobis. Suprà art. 7. clarè oſtenſum eſt ex textu Apoſtoli, qui dicit, quod juſti conſtituamur obedientiâ Chriſti, ſicut peccatores ſumus conſtituti inobedientiâ Adami: ſed non ſumus formaliter peccatores per peccatum ipſi Adamo inhærens, ſed per proprium peccatum ab Adamo cauſatum, & contractum; ſic etiam per obedientiam Chriſti, tanquam cauſam efficientem, & meritoriam, donatur nobis à Deo juſtitia inhærens, qua formaliter juſti ſumus, ut patet ex verbis Apoſtoli, *ſicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita per unius obeditionem, juſti conſtituuntur multi.*

ARTICULUS XII.

Reſpondetur ad alia Acatholicorum argumenta.

PRimò objiciunt illud Apoſtoli ad Rom. 10. v. 3. *Ignorantes juſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, Juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti*, hoc autem faciunt Catholici, ergo, &c. I.

Reſp. negando, quod hoc faciant Catholici; Apoſtolus enim loquitur ibi de illis, qui operibus ſuis propriis juſtitiam tribuunt, quod juſti ſint, & ſic juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti, ut declaravit Auguſtinus ſæpius, ſpecialiter lib. 3. contra 2. epiſt. Pelagian. cap. 7. edit. Baſil. 1528. dicens: *Intelligendum eſt igitur juſtitiam legis*

legis non impleri secundum Justitiam, quæ in lege est, vel ex lege. id est secundum justitiam hominu, sed secundum Justitiam Dei hoc est, quæ homini ex Deo est, &c. & infra: *Ipsa est ergo justitia Dei, quam superbi ignorantes suam volunt constituere. non enim propterea Justitia Dei dicitur, quoniam Deus justus est, sed quia homini ex Deo est. secundum autem hanc Justitiam Dei, hoc est quæ ex Deo nobis est, nunc fides operatur per dilectionem*, &c. hæc ille, & ita docet Ecclesia, ut copiosè ostensum est.

Secundò objicitur illud Rom. 4. v. 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad Justitiam*, ex quo inferunt, ergo Christi Justitia nobis imputatur, ut per eam justi simus, licèt in nobis justi non simus, quia per fidem Christi justitia apprehenditur, quæ reputatur ad Justitiam.

II. Resp. negando consequentiam Acatholicorum, nam Apostolus non dicit, quod Justitia Christi nobis ad justitiam imputetur per fidem apprehensa, ut patet ex textu, sed quod credidit Abraham, seu fides, quâ credidit, sic reputata ad justitiam, at vero fides in Christum, non est ipsa justitia Christi, ut patet, sed fides est in nobis, quæ ad justitiam reputatur, non fictè, sed verè à Deo, nec sola, sed cum spe & charitate, quæ est justitia Dei, qua formaliter justi constituimur, quam non ex nobis, vel nostris meritis, sed ex misericordia Dei, & propter merita Christi accipimus, cui soli gloria debetur.

3. Objiciunt illud 1. Cor. 1. v. 30. *Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio, ut, quemadmodum scriptum est, qui gloriatur in Domino, glorietur.* Ex hoc loco sic arguunt, si Christus est nostra iustitia, ergo per Christi iustitiam formaliter iusti coram Deo reputamur, qui in nobis iusti non sumus.

III. Resp. primò, si argumentum Acatholicorum valeret, etiam sequeretur, quod per redemptionem Christi activam simus redemptores coram Deo, etiam sapientes sapientiâ Christi; quia æqualiter de omnibus loquitur Apostolus, at vero constat, quod præter & propter sapientiam Christi, qua nobis prædicavit fidem, aliam à Deo inhærentem accipimus sapientiam, & fidem, quâ formaliter sapientes, & fideles constituimur, ita etiam propter iustitiam, & redemptionem Christi accipiamus iustitiam inhærentem.

Resp. 2. Constat ex variis locis S. Scripturæ, quod Dei attributa homini tribuantur, non quibus homo talis formaliter constituatur, sed effectivè, sic ps. 17. v. 1. dicitur: *Diligam te Domine fortitudo mea.* Et ps. 27. v. 8 *Dominus fortitudo plebis*, & ps. 42. *Quia tu es fortitudo mea*; quis autem dicet, quod homo per Dei fortitudinem formaliter sit fortis, & illa solùm illi imputetur? sed potiùs, quia Deus dat homini fortitudinem propriam, vel maximè, quia Deus sua fortitudine effectivè protegit homines, iuxta illud: *Nisi Dominus custodierit civitatem* ps. 126. Similiter dicitur ps. 26. v. 1. *Dominus illuminatio mea, & salus mea*, &c. & ps. 70. v. 5. *Quoniam tu es patientia mea*, &c. Item ps. 60. v. 4. dicitur: *Deduxisti me, quia factus es spes mea*, & ps. 90. v. 9. *Quoniam tu es Domine spes mea*, &c. quomodo hæc dicentur esse in Deo formaliter & solum homini imputari? sensus ergo est, quod salus, & patientia efficiantur à Domino, ut dicitur ps. 36. v. 39. *Salus autem justorum à Domino.* Et ps. 3 v. 4 dicitur: *Tu autem Domine susceptor meus, & gloria mea*, &c. non quod homo per Dei gloriam essentialem gloriosus sit formaliter, sed quia ipse homini dat gloriam, unde subdit: *Tu exaltans caput meum.* Sic etiam Deus spes hominis dicitur, quia Deus est obiectum spei illius: & sic SS. Patres intellexerunt; inter alios Augustin. lib. de Spir. & Lit. cap. 32. ut suprà hoc art. respondendo ad secundum argumentum, relatum est.

IV. Resp 3. duobus modis, iustitia Christo inhærens considerari potest, semel, prout formaliter iustificat, ipsumque Christum iustum coram Deo constituat. 2. prout satisfacit Deo Patri pro peccatis hominum, & meretur veniam, ac dona pro illis; priore modo non potest iustitia Christi dici iustitia nostra, quia sic tantùm competit illi, cui inhæret; similis tamen iustitia potest homini, licèt longè minor, donari, & infundi, quâ formaliter iustus est, quam homo per merita Christi accipit, & eatenus illa dicitur iustitia Christi. 2. modo iustitia Christi inhærens potest dici nostra, licèt nobis non inhæreat, quia optimè intelligi potest, quod aliquis debitor per alienam pecuniam creditori satisfaciat, iuxta illud, *quod quis per alium facit, per se facere videtur*, cùm ergo homines ex se Deo satisfacere non possint, Deus donavit nobis Christum, eiusque merita, & Christus eadem donavit, ut per illa satisfaciamus, iuxta illud Rom. 8. v. 32. *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit.* Quia itaque nec per opera nostra, nec etiam per iustitiam nobis inhærentem, Deo satisfacere possumus, cum iustitia inhærens prius detur, quando priùs natura Christus pro nobis satisfecit, ac sic propter merita Christi donatur, proinde hoc modo Christus factus est nobis iustitia, & nostra iustitia, & redemptio; quia ipse sua iustitia satisfecit pro nobis, & redemit nos, ac si nos ipsi satisfaceremus, & nos redimeremus, imo & ipsam iustitiam intrinsecam nobis per illam acquireremus, qua iusti constitueremur, hinc tamen non sequitur, quod iustitia Christi nostra sit, qua formaliter iusti simus, ut patet.

Resp. 4. mirum quod Calvinus & eius sectatores ita inhæreant literæ, quâ Christus dicitur iustitia nostra, cùm in sim. l. Osiander pro sua opinione allegaret verba Apostoli 2 Cor. 5. v. 21. *Ut nos efficeremur Justitia Dei.* Quasi ideo justitia Dei essentialis esset nostra justitia, qua formaliter justi reputaremur; ad quod Calvinus l. b. 5. Inst. cap. 11. §. 9 sic respondet, *similiter in aliis verbis (quæ sæpius citaut, quomodo Osiandrum non pudeat, valde miror) non alibi statuit Justitiæ fontem, quam in carne Christi, eum, qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit, ut efficeremur Justitia Dei in illo, justitiam Dei inflatu bucca attollit Osiander, & triumphum canit, quasi eum eruerit esse spectrum illud suum essentialis justitiæ: quum longe aliud verba sonent, justos esse nos expiatione per Christum facta, justitiam Dei accipi pro ea, quæ Deo probatur, notum esse debuerat clementariis, sicut apud Joann. 12. v. 43. confertur gloria Dei hominum gloriæ, scio interdum vocari Dei justitiam, cujus ipse est author, & qua nos donat*, &c. hæc Calvin. Sic ergo ipse miratur Osiandrum, ac nos miramur ipsum, & suos, qui plenis buccis tanquam e[...]

mente

mentarii inhærent verbis illis: *Chriſtus eſt nobis factus juſtitia*, quaſi ideo per illum formaliter juſti ſimus, ſicut Oſiander volebat, quod ob ſimilia verba per juſtitiam Dei eſſentialem formaliter juſti eſſemus, ſicut ergo Calvinus ſcit Juſtitiam Dei aliter in ſcriptura ſumi, ſic etiam Juſtitiam Chriſti, ſcilicet, cuius ille eſt author, & cauſa meritoria, & qua nos donat, &c. prout SS. Patres intellexerunt.

Vltimatè ergo patet, quod Chriſtus ipſe & juſtitia eius dicatur noſtra, & nobis imputetur in ratione ſatisfactionis, quia illa nobis donata eſt, ut per illam ſatisfaciamus Patri; non autem Chriſtus donatus eſt nobis, vel juſtitia eius intrinſeca, ut per illam formaliter juſti extrinſecè dicamur, ſicut paries denominatur extrinſecè viſus à viſione, quæ illi non ineſt, ſed oculo inhæret, cuius paries eſt incapax: at anima hominis eſt capax ſimilis juſtitiæ, quæ Chriſto ineſt, & hanc per merita Chriſti homo à Deo accipit, à qua formaliter juſtus conſtituitur.

VI. Objicitur 4. ex c. 1 ad Epheſ. v. 5. *Qui prædeſtinauit nos, & in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo,* &c. ubi Acatholici pro ly *gratificauit*, legunt acceptos ſeu gratioſos nos habuit in dilecto filio, unde arguunt: ergo homo in ſe non eſt gratioſus, ſed tantùm habetur, & reputatur à Deo gratioſus in filio, illius juſtitiam imputando.

Reſp. verſio Acatholicorum non poteſt corrigere ipſos SS. Patres Græcos, præſertim ipſum S. Chryſ. Græcæ linguæ eloquentiſſimum, ipſe autem legit, *gratificauit*, ſeu *gratioſos nos effecit*, in commentario huius loci, cuius verba ſuprà hoc cap. art. 8. relata ſunt, ubi dicit, quod Deus nos non ſolùm à peccatis liberet, ſed etiam gratioſos & pulcherrimos efficiat, ut ſplendeat anima in ſe pulchra, deſiderabilis, & dilecta reddita; adeoque non tantum extrinſecus reputatur pulchra, quæ in ſe ſit fœda. Et hanc pulchritudinem fatemur, quod Deus animæ conferat propter merita filii ſui dilecti, & ideo nos totum bonum à Deo acceptum debemus Chriſto Salvatori, & hoc Apoſtolus vult, cùm dicit, *quod in filio ſuo nos gratificauit, ſeu gratos fecit*.

VII. Objiciunt 5. illud ad Epheſ. 4. v. 23. *Induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt*, ex hoc arguunt, veſtimentum non inhæret homini, ſed tantùm circumdat, & reddit extrinſecus pulchrum, licèt in cute fœdus maneat, ſicut etiam Gen. 27. Jacob indutus veſtibus Eſau primogeniti, & pellibus veſtitus, apparens piloſus, cùm in cute eſſet lenis, & ſic reputatus Eſau, primogeniti benedictionem accepit, ita volunt, quod anima peccatoris extrinſecus veſtiatur juſtitia Chriſti, & propter illam reputetur juſta, quæ in ſe eſt peccatrix.

Reſp. primò, ex hoc potiùs patet oppoſitum, ſcilicet, quod homo intrinſecè juſtus conſtituatur, ſicut juſtus fuit primus homo à Deo creatus. Reſp. 2. negando, quod homo tantùm extrinſecè juſtitia Chriſti circumdetur, & intrinſecè injuſtus maneat: nec imprimis ſimilitudo veſtis urget, quia omnis ſimilitudo claudicat, ſed ſufficit, quod in aliquo ſit ſimilitudo, ſcilicet, quod ſicut veſtis homini non innaſcitur, ſed ab extrinſeco datur, ſic etiam juſtitia non innaſcitur homini, ſed à Deo datur, & in hoc eſt ſimilitudo, ſed in illo eſt diſſimilitudo, quod veſtis ſolùm adhæreat, cùm aliter naturaliter fieri non poſſit, ſed juſtitia per Dei potentiam homini infunditur, & inhæret, ſic intelligit D. Aug. ſerm. 15. de verbis Apoſtoli paulò ultra medium ſic dicens: *Juſtitia ſit. ſed ex gratia ſit, à Deo tibi ſit, non tua ſit. Sacerdotes tui, inquit, induantur juſtitia; veſtis accipitur, non cum capillus naſcitur; pecora de ſuo veſtiuntur*, &c. hæc ille.

VIII. Reſp. 3. Hæc reſponſio patet etiam ex contextu Apoſtoli, nam ſic habet textus. *renouamini autem ſpiritu mentis veſtræ & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt. in juſtitia, & ſanctitate veritatis.* Vbi patet, quod Apoſtolus velit, nos in mente per ſpiritum renovari in juſtitia, & ſanctitate, quæ omnia intrinſecam homini juſtitiam à Deo creatam, & infuſam dicunt. 2. quia ibid. Apoſt. præmittit dicens: *Deponere veterem hominem*, & ſtatim poſtea dicit: *Propter quod deponentes mendacium*, tanquam veſtem malam, *ſequimini veritatem*, quod eſt induere novum hominem, ſic etiam ad Coloſſ. 3. v. 9. dicit: *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum eum, qui renouatur in agnitionem ſecundum imaginem ejus, qui creauit eum*, &c. ubi patet, quod, ſicut Chriſtus, vel novus homo tanquam veſtimentum dicitur indui, ſic etiam vetus homo, ſeu Adam dicitur tanquam veſtimentum exui, nec tamen Adæ peccatum ſolum dicitur extrinſece peccatori imputari, ſed quia homo ex Adam proprium originale peccatum ſibi inhærens contraxit, & illum in concupiſcentiis imitatur: ſic etiam dicitur juſtus Chriſtum induere, quia ab ipſo, & per ipſum accepit ſpiritum renovationis, & gratiæ, ut ipſum in bonis actibus imitetur, & Chriſtus in nobis, tanquam in imagine imitante ipſum, eluceat, ut patet ex contextibus. Et ſic intellexerunt SS. Patres inter alios Chryſoſtomus in illud ad Rom. 12. v. 14. *Induimini Dominum Jeſum Chriſtum*, ſic ait: *Induere Chriſtum eſt, undiq; in nobis per ſanctimoniam, & manſuetudinem Chriſtum conſpicuum eſſe*, &c.

IX. Exemplum etiam Jacob allatum ſimilitudo eſt, non identitas, & ſic in aliquo convenit, in pluribus differt, ſimile eſt, quod Jacob alienâ veſte Eſau, & fictis pellibus apparuit piloſus in illum finem, ut benedictionem Patris acciperet, ſic etiam homo adhuc exiſtens peccator, veſtitur extrinſecè meritis Chriſti, ut per illa ſatisfiat Patri, ipſi peccata remittantur, ac gratia hæreditatis donetur; in hoc autem differt, quod Jacob in cute propria lenis manens extrinſecus pellibus piloſus videbatur, ac ſic cæcutiens Pater decipiebatur, at vero Deus decipi non poteſt, ſed videt merita Chriſti, quæ Chriſtus Patri præſentat, & homini donat, ut per illa ſatisfaciat, & inſuper per eadem merita hominis peccata verè delet, ac gratiam, & Juſtitiam infundit, quâ vero ſimilis Chriſto ſit, & appareat, ac ſic Chriſtus per imitationem in ipſo eluceat. Veſtitur itaque homo adhuc peccator per Chriſtum, & merita Chriſti, ut per cauſam ſatisfactoriam, quæ non inhæret: veſtitur etiam per gratiam infuſam, tanquam effectum juſtitiæ Chriſti, quæ Chriſti eſt, quia propter ipſum data, in qua Chriſto aſſimilatur, & cohæres, ac verè juſtus coram Deo efficitur.

X. Demum Acatholici ſic arguunt: membrum unum denominatur à forma, quæ alteri membro

bro eiusdem corporis inhæret; sic totus homo dicitur videns à visione, quæ soli oculo inhæret, cùm ergo fideles sint membra unius corporis, cuius Christus est caput, juxta illud Coloss. 1. v. 18. *Ipse est caput corporis Ecclesiæ*, & alibi sæpe; unde Christus sibi fieri reputat quod membris infertur, ut Act. 9. v. 5. cùm dicit: *Saule, Saule, quid me persequeris?* & vicissim Apost. Ephes. 2. v. 5. dicit: *Conuiuificauit nos in Christo, & conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo.* Iterum Christus sibi assumit peccata nostra ps. 21. v. 1. *Deus Deus meus*, &c. *longe à salute mea verba delictorum meorum*, &c. ex his inferunt: ergo etiam fideles justi verè denominantur à justitia, quæ Christo capiti inhæret, licèt non habeant propriam, quâ justi dicantur, & sint, sed in se iniusti sint.

Resp. primò, etsi in pluribus verum non sit; tamen transeat, quod ab eo, quod capiti competit, etiam alia membra denominentur; non tamen sequitur id, quod Acatholici volunt: nam evidens est, quod ex illo non sequatur, ut aliquid, quod non est membrum, à capite denominetur; sed priùs debet fieri, vel esse membrum: constat autem, quod homo non fiat, nec sit membrum corporis Ecclesiæ, vel Christi capitis, nisi per fidem & charitatem illis incorporetur, alioquin omnes infideles essent membra Ecclesiæ, &c. Et licèt fides extrinsecùs professa faciat membrum Ecclesiæ, non tamen facit membrum vivum, nisi charitas, juxta illud 1. Joann. 3. v. 14. *Qui non diligit, manet in morte.* Itaque frustra aliquis gloriatur, de capite Christo, qui non est membrum illius; priùs ergo homo debet esse justus, & vivus per fidem, & charitatem, quam sit membrum Christi. quia per illa membrum constituitur, licèt à Christo hæc iustitia tanquam à causa effectiva, & meritoria in homine infundatur; & sic per hæc formaliter membrum Ecclesiæ, & Christi efficitur, adeoque priùs natura homo per hanc iustitiam justus constituitur, quam membrum Christi efficitur, adeoque non fit, nec denominatur iustus per justitiam Christi ipsi imputatam; sed per iustitiam Christi meritoriè efficitur iustitia inhærens, qua formaliter justus constituitur.

XI. Resp. 2. Corpus mysticum & morale desumitur à similitudine corporis naturalis; in hoc autem dupliciter membra considerari possunt respectu alicuius formæ; Primò, si unum tantum membrum formæ capax sit, & non reliqua, tunc omnia membra ab illa denominantur, non seorsim, sed quatenus in toto sunt, quod denominatur: ut v.g. in homine, solus oculus est capax visionis, si ille visionem habeat, totus homo dicitur videns, prout dicit Dominus Luc. 11. v. 34. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Et sic pedes, & reliqua membra ratione totius nominantur, non tamen secundum se seorsim dicuntur videre, utpote, pes, vel manus videns.

Secundò, si autem omnia membra sint capacia eiusdem formæ, & caput quidem illam habeat, aliqua autem membra illa careant, imo oppositam formam habeant, non denominantur à forma capitis, ut patet in Æthiope, qui dentes albos habet, & alia membra nigra sunt, hæc non dicuntur alba, sed nigra, & ipse Æthiops non simpliciter, sed secundum quid albus dicitur, scilicet secundum dentes, simpliciter autem niger. Similiter si caput, & cor, & aliqua membra vitam haberent; pes autem, vel manus eiusdem vitæ capaces materialiter quidem juncta, vitâ careant, non dicuntur viva ratione vitæ in capite, sed arida, & mortua; sic ergo, cùm omnes fideles sint membra Christi capitis, & capaces illius vitæ, quam Christus ut fons in se habet, juxta illud Joann. 10. v. 10. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant*, quæ est gratia, & iustitia, ac potissimum in charitate consistit; si solus Christus in se hanc vitam haberet, & membra illa carerent, imo haberent contrariam formam, scilicet maculatam, & damnabilem injustitiam, ut volunt Acatholici, non possent à Christi iustitia denominari, vel esse justi, multò minùs à Deo justi propter illam verè reputari, qui decipi non potest, nec aliter reputare, quam homo in se est; sed potiùs essent coram Deo membra diaboli, cuius similem injustitiam intra se haberent, & solùm justi dicerentur secundum quid, quia Christus justus est, sicut dicitur Æthiops albus.

XII. Ex his patet, qualiter Christus ps. 21. dixerit peccata nostra esse sua, non enim hoc dixit, quod ipse sumpserit in se peccata nostra, quasi ipse illa fecerit, & ipse verè coram Deo peccator haberetur, sed quia ipse peccata nostra in se sumpsit, ut per suam iustitiam pro illis satisfaceret, tanquam suorum membrorum futurorum, qui passus est pro nobis, cùm adhuc peccatores essemus, & sic iustitia ipsius fieret nostra, non ut per illam formaliter justi simus, sed ut per illam satisfaceret Patri, & nos à peccatis liberati, gratiæ & Justitiæ donum consequeremur, quo justi fieremus, sicut Christus suâ Justitia perfectissima justus est. Sic etiam non solum caput mysticum pro suis membris, sed etiam aliquis extraneus posset debitum alterius in se sumere, non quia ipse debitor verus esset, sed ut pro illo satisfaceret, & sic pecunia illa diceretur debitoris, non tamen verè per illam esset dives, quia verè sua non est. Sicut ergo ex eo, quod Christus peccata nostra, tanquam sua, assumpserit, ut pro illis satisfaceret, non sequitur, quod Christus propter illa peccata sic imputata, & assumpta verè coram Deo peccator fuerit, ita nec ex eo, quod Christus nobis Justitiam suam dedisse dicatur, vel quod justitia Christi nobis imputata sit ad hoc, ut satisfaciat pro peccatis nostris, non sequitur, quod per illam Justitiam formaliter coram Deo justi constituamur, præsertim si verè coram Deo in nobis iniustitia damnabilis maneat, & verè iniusti simus. Quomodo hæc cohærent cum S. scriptura, quæ dicit, quod *Christus acquisiuerit* sibi & fecerit *sponsam non habentem maculam*, neque rugam? quam turpe foret illud corpus Ecclesiæ, non solum in terra, sed etiam in cœlis, si caput quidem aureum esset, totum autem corpus semper maneret fœdissimum, in se iniustum, & iniquum coram Dei tribunali, quam indecorum foret Christo, quasi ipse non potuerit, vel noluerit pro corpore, & sponsa sua obtinere justitiam, qualem ipse gratis à Deo Patre secundum humanitatem accepit, & cuius Ecclesia ac membra sua capacia sunt, sed semper in æternum illam sic fœdam coram Deo Patre relinquat, & solum dicatur pulchra, & justa ab extrinseca Christi Justitia, fœda

autem,

autem, & in ſe abominabilis, & Diabolo ſimilis, ſicut Æthiops dicitur albus propter dentes, at vero totus niger manet; Cùm tamen Apoſt. ad Phil. 3 v. 21. dicat, quod Chriſtus poſt reſurrectionem *reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ*, ita ut corpus noſtrum nõ extrinſecè per corporis Chriſti claritatem dicetur clarũ, & in ſe fœdum, ſed propriam à Chriſto claritatem accipiat; quanto magis anima erit cõfigurata animæ claritatis Chriſti, ut per ipſius merita in ſe clara, immaculata, & ſplendida, juſtaq; ſit coram Deo, cùm etiam tunc Angelis juſtis & immaculatis homines ſimiles erunt. Si autem hoc in cœlis abſq; Chriſti præiudicio erit, ſimiliter juſti ſunt in terra, licèt adhuc peccatis venialibus obnoxii.

ARTICULUS ULT.

Reſpondetur ad argumentum Acatholicorum ex ratione formatum.

I. Acatholici cum Calv. l. 3. Inſt. c. 11. § 11. fatentur cum Catholicis, quod remiſſio peccatorum non fiat, niſi ſimul fiat regeneratio, ſeu infundatur gratia, & dona; ſed inde ſic arguunt: licèt hæc non ſeparentur, tamen remiſſio peccatorum eſt prior natura, & ſic priùs naturâ homo per remiſſionem peccatorum à Deo factam juſtificatur, & in hac juſtificatio priùs abſolvitur, quam gratia infundatur, adeoq; infuſio gratiæ non ſpectat ad juſtificationem, licèt illam in eodem temporis inſtanti comitetur.

Reſp. licèt in aliquo ſenſu, ut ſtatim dicetur, priùs naturâ peccatum dimittatur, ſeu culpa deleatur, quam gratia infundatur, negatur tamen, quod in illa remiſſione ſola conſiſtat juſtificatio in S. ſcript. & à SS. Patribus tradita; oſtenſum eſt enim hactenus, quod in juſtificatione ſit tranſlatio à ſtatu injuſtitiæ ad ſtatum juſtitiæ, & gratiæ, ita ut per juſtificationem homo ex injuſto fiat juſtus, & ex inimico Dei amicus, ex filio iræ filius Dei, ex veteri homine novus homo, ex mortuo vivus, ſicut in naturalibus, dum paries ex nigro fit albus per dealbationem, vel aqua ex frigida fit calida per calefactionem, ubi ad talem mutationem duo ſpectant, ſcilicet frigus, ut terminus à quo, & calor, ut terminus ad quem, ſic etiam peccati remiſſio, vel deletio eſt terminus à quo, & infuſio gratiæ terminus ad quem, ſeu potiùs ipſum peccatum terminus à quo, & gratia terminus ad quem, adeoq; juſtificatio eſt, & dicitur regeneratio, renovatio, ſanctificatio, &c.

II. Cæterùm pro ultimata juſtificationis declaratione obſervandum eſt, quod plura in juſtificatione concurrant, tum ex parte Dei, & Chriſti effectivè juſtificantis, tum ex parte hominis juſtificati. Ex *parte efficientis* primò eſt ipſe Deus miſericors, ſeu Dei miſericordia, & favor Deo intrinſecus, quo hominem ex ſtatu inimici in ſtatum gratiæ transfert ſua omnipotentia. 2. eſt *Chriſtus* ſecundum humanam naturam *ſatisfaciens* pro peccatorum debito, & ſuis meritis impetrans culpæ & peccati remiſſionem. 3. ex parte Dei tria occurrunt, primò eſt ipſa *remiſſio activa* Dei, quâ & gratuitè ignoſcit culpam, ſeu peccatum, illudque delet, per quod inimicus Dei & injuſtus erat. 2. eſt *condonatio pœnæ*, quam peccator ob peccatum incurrit, ſeu *ſublatio obligationis activa*, qua Deus hominem ob peccatum dignum judicarat pœna, ſeu ad pœnam obligarat. 3. *Ipſa Dei omnipotentia*, qua miſericorditer infundit gratiam, & hominem ſibi amicum facit, & juſtum, & filium. Ex parte *Chriſti hominis* eſt, primò *reconciliatio* ſeu ipſa *impetratio*, qua Chriſtus per merita ſua veniam culpæ ſeu remiſſionem ipſius peccati obtinet, 2. eſt *ſatisfactio* pro debito pœnæ, ſeu *redemptio activa* à debito pœnæ, quod planè à culpa differt; nam ipſum peccatum, ſeu reatus culpæ eſt per ſe malum ab homine per defectum cauſatũ, & moraliter manens, donec remittatur; at vero debitum pœnæ eſt ex Juſtitia Dei, juxta quam debetur homini pœna propter peccatum, & ad quã Deus hominem ex juſtitia obligat, prout cum communi ait Scotus in 4. diſt. 16. q. 2. n. 19. § Sed ſi quæratur, ſic dicens: *Sola voluntas divina ex ſua juſtitia determinat illam obligationem ad pœnam condignam.* Sciendum autẽ, quod impetratio ab ipſa ſatisfactione differt; nam ſatisfactio Chriſti, ſicut & merita longè præcedunt ipſam juſtificationẽ, & remiſſionem peccatorum, quia, ut evidens eſt, Chriſtus in cruce meruit omnibus veniam, & ſatisfecit pro omnibus, ut patet Rom. 5. v. 7. *Cùm adhuc peccatores eſſemus ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Et 2. Cor. 5. v. 15. *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Hebr. 9. v. 28. *Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata*, &c. conſtat autem, quod licèt Chriſtus pro omnibus ſatisfecerit, non tamen omnes juſtificentur, ſed illi, pro quibus Chriſtus impetrat veniam, 3. *eſt ipſa acceptatio meritorum & ſatisfactionis Chriſti à Patre*, quâ Deus merita Chriſti hic & nunc acceptat, 4. *eſt ipſa acceptatio meritorum & ſatisfactionis Chriſti*, quâ Deus hic & nunc propter merita Chriſti homini veniam indulget, peccata dimittit, & gratiã confert, quæ *applicatio* dici poteſt *imputatio juſtitiæ*, ſeu meritorum, & ſatisfactionis Chriſti; hæc omnia, ut patet, ſe habent ex parte cauſæ efficientis, & meritoriæ reſpectu ſatisfactionis. Ex parte hominis, dum actu juſtificatur, primò eſt III.
remiſſio paſſiva ipſius culpæ ſeu peccati, aut deletio & injuſtitiæ abolitio. 2. eſt *redemptio paſſiva* correſpondens redemptioni Chriſti activæ, quâ hominis pœna per Chriſti merita redimuntur, 3. eſt *remiſſio paſſiva* ipſius pœnæ ob culpam debitæ, quæ correſpondet remiſſioni activæ Patris, quâ SS. Patres ut ait Scotus 4. diſt. 21. q. 1. n. 8. § Si iſte modus, &c. *diſtinguunt inter remiſſionem culpæ & pœnæ*, ut ex ſuprà dictis patet. 4. eſt receptio gratiæ ſeu juſtitiæ, vel donorum Dei, fidei, ſpei & charitatis, quâ formaliter homo in ſe pulcher, Deo gratus, & amicus, & coram Deo juſtus conſtituitur, 5. eſt incorporatio paſſiva, quâ corpori Chriſti Eccleſiæ incorporatur, & illius, & Chriſti vivũ membrũ efficitur, & Dei filius conſtituitur, quod effectivè fit à Deo, meritoriè à Chriſto, formaliter per gratiam ſeu charitatem, quã niſi quis habere intelligitur, non eſt vivum Chriſti membrũ; & ideo licet Chriſtus priùs ſatisfecerit pro homine, per hoc tamen non adhuc intelligitur mẽbrum vivum, ſed membrum futurum, donec à Deo charitas infundatur; quia, ut dictum, ſatisfactio longè præcedit juſtificationem.

Quamvis autem prædicta omnia in ſatisfactione occurrunt, potiſſimum tamen in his duobus continentur, ſcilicet *in remiſſione peccatorum, & infuſione gratiæ*, ut homo ex peccatore fiat juſtus, & gratus; & licèt in præmiſſis DD. Catholici, ut de Fide certis, conve- IV.

non necessitatur, ut merita aliqua prærequirat; sicque hoc modo etiam de facto natura prior est remissio peccati, quàm imputatio Christi Justitiæ, ergo cùm juxta Calvinum & Acatholicos justificatio sit tantum forensis, quâ Judex pronunciat immunem à crimine, absque illius intercessione, vel redemptione alicuius tertii: sic Deus ex nuda misericordia de potentia absoluta potest remittere peccata sine meritis Christi, & proinde de facto prius natura peccata remittit, quam justitia Christi imputatur: nam prioritas naturæ etiam sumitur pro prioritate consequentiæ, quando unum ex altero infertur, & non è converso; constat autem, quod ex imputatione iustitiæ, & meritorum Christi sequitur, quod Deus remittat peccata, nam imputatio ista fieri non potest sine Dei acceptatione, vel remissione, bene valet consequentia etiam absolutè loquendo, scilicet homini remittuntur peccata propter merita Christi, ergo Deus remittit, qui est causa principalis remissionis, sed non sequitur de potentia absoluta: Deus remittit peccata, ergo propter merita Christi satisfactoria; multò minùs de potentia absoluta sequitur hoc: Deus remittit peccata, ergo constituit hominem justum per Justitiam Christi imputatam. Imo ultra illam prioritatem in proposito est prioritas causalitatis, quia misericordia Dei est prior natura, quam meritum Christi, cùm sit causa illius; nam Dei misericordia Christo homini confert Justitiam, per quam satisfacere possit pro peccatoribus: unde ipsa misericordia Dei multò magis est prior ipsa imputatione justitiæ Christi, quam etiã ordinat. Cum ergo non solùm misericordia Dei, ut causa, sed etiam remissio peccati sit prior natura, quam satisfactionis applicatio, vel imputatio justitiæ Christi, etiam juxta Calvinum, sequeretur, quod homo priùs sit justificatus perfectè per remissionem tanquam Justificationem forensem, quam ipse simpliciter urget esse perfectam; & sic illa imputatio iustitiæ Christi tantum comitatur, sicut ipse vult, quod infusio gratiæ ob similem prioritatem tantū comitetur justificationem; & sicut ipsi volunt, quod remissio peccati, & imputatio justitiæ Christi non constituant duplicem justificationem, vel duplicem causam formalem; ita nec remissio peccati, & infusio gratiæ duplicem inferunt, sed unam, quâ justus constituitur.

Si Acatholici dicant, quod, licèt justificatio absolutè fieri posset à Deo sine tali imputatione, tamen Deus de facto non voluerit sic nudè justificare ex sola misericordia, sed etiã per imputationem justitiæ Christi, prout Calv. l.3. Inst. c. 11. § 12. respondet Osiandro dicẽ. *stultè ab eo objicitur*, &c. cuius verba supra art. 7. relata sunt. ita & nos juxta S. Script. respondemus, quod Deus noluerit hominem more forensi justificare, solum remittendo peccatum, relinquendo ipsum in pravis naturalibus, vel quod absurdius est, relinquendo ipsum à fide intrinsecè injustum, maculosum & peccatorem, ut Acatholici volunt, sed voluerit perfectè justificare, prout ipse solus potest, & justificatio ipsa importat, scilicet, transferendo hominem ex statu peccati in statum gratiæ, seu justitiæ, ipsi intrinsecè & formaliter infundendo justitiam Dei per Christū, & sic justum & gratum constituendo & peccata prorsus delendo. Prout Apost. 2. Cor. 5. dicitur nos fieri *iustitia* Dei in ipso, de qua sæpe dicit August. & specialiter l. de Spir. & Lit. c. 18. *Hæc est illa justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos ab eo facti.*

Simile argumentum etiam suprà art. 9. respondendo ad 4. Calvini objectionẽ factum est: scilicet quia ipse vult, quod in illis ps. 31. verbis: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates*, &c. integra justificationis definitio tradatur; ubi non fiat ulla expressa infusionis gratiæ, ac proinde juxta Calvin. hanc à justificatione excludit. Similiter arguitur, quod ibi non fiat mentio justitiæ Christi imputatæ, ut patet, quia sola remissio exprimitur. Et quidem additur: *Beatus, cui non imputavit Dominus peccatū*, sed non dicitur, *cui Dominus imputavit justitiam Christi hominis*, ergo nec illa ad justificationẽ pertinet: quam tamen Acatholici cum ipso Calv. maximè urgent, & consequenter justificatio hominis etiam in ipsorum sententia non debet intelligi nudè juxta morem Judicum, & forensem, qui hominem justum pronunciare sive verè sive falsò possunt, sed intrinsecè peccata delere, & justitiam infundere non possunt; hoc autem solus Deus potest, & facere voluit, & licèt non in omni loco S. Script. exprimatur, tamen per alia S. scripturæ loca constat, quod subintelligatur, prout etiam de aliis fidei articulis notum est, quod non omnes in uno loco dicantur. X.

Demū patet, quod falsò inferatur, quod homo in illo priori naturæ sit justus per justitiam Christi imputatã, quàm gratia infundatur, quia illa prioritas naturæ non infert quicquam priùs in homine, sed solum denotat ordinem aliquem inter causam meritoriam, & effectum illius causæ, scilicet, quod iustitia Christi sit causa gratiæ, quâ formaliter homo justus constituitur. Falsissimum etiam est, quod Acatholici dicunt, quod S. script. justificationem forensem propriè, & quasi unicè, usurpet, sin licet quod S. scriptura justificationem hominis formalem in imputatione extrinsecè justitiæ Christi constituat per fidem apprehensæ, cum nulla S. scripturæ loca allegare possint, ubi hoc legatur. XI.

CONCLVSIO.

HActenus ex S. script. & SS Patribus demonstratum est, quæ sit *causa formalis justificationis* inter alia, quæ in ipsa concurrunt. Impiis quidem *Dei essentialis omnipotentia, justitia, & misericordia*, quæ est unica *fontalis* causa propriè effectiva justificationis, sed illa non est causa formalis illius, quâ homo formaliter justus constituitur, ut contra Osiandrum, Calvinus & alii cum Ecclesia consentiunt. XII.

2. Concurrit *justitia Christi hominis seu ipsius merita*, quibus ipse ex justitia Deo Patri pro peccatis satisfecit, & veniam ac justificationem promeruit, quæ etiam non est causa formalis justificationis, sed causa meritoria, ipsa & causam efficientem, & priùs natura justificationem præcedit, ut causa effectum. 3 concurrit *remissio delicti*, seu *expulsio peccati* homini inhærentis formaliter, & *infusio justitiæ habitualis*, seu charitatis, quæ gratia dicitur, quia gratis sine ullis peccatoris præcedentibus meritis à solo Deo creata homini infunditur, seu in cordibus nostris per Spiritum S. diffunditur, quæ justitiæ habitualis Christi hominis similis est, licèt longe minor, propter ipsum ut talis donata: & hæc est causa formalis justificationis tanquam illius terminus ad quem (sicut dealbationis causa formalis est albedo) quâ homo formaliter & intrinsecè justus, & à Deo gratus constituitur, & non tantum, & hic homo à Deo propter merita Christi iustificatur, ex

Digitized by Google

iniusto fit justus, ex inimico amicus Dei, ex filio Adæ filius Dei, ex iræ & filio perditionis filius gratiæ & adoptionis, ex tenebris lux, ita ut non tantùm à luce Christi extrinsecus meritoriè & satisfactoriè circumfundatur, quasi in se tenebrosus & opacus, peccatis adhuc involutus maneret, sed intrinsecè inhærentem habeat lucem à Deo propter Christum infusam, quæ non compatitur secum tenebras, & hac coram Deo pulcher & lucidus est, & per quam Christo homini assimilatur, & illius intrinsecè imaginem inhærentem portat, sicut imaginem Adæ intrinsecè inhærentem portaverat, & sicut per & propter peccata Adæ in se habens proprium peccatum mortuus & peccator constitutus erat, ita per & propter justitiam seu merita Christi accipiens propriam sibi à Deo infusam justitiam seu gratiam justus constituitur intrinsecè, renovatur, regeneratur, reviviscit, Filius Dei, Christo homini similis, eiusque frater, & membrum vivum, cohæresque efficitur, sicque veterem hominem seu Adam, quem per proprium peccatum, Adæ simile, induerat, deponens; novum hominem Adam Christum induit per Justitiam, Christi justitiæ similem, propter illius merita donatam, coram Deo justus, mundus, pulcher, & lucidus existit, sicut Christus homo propriam habet Justitiam ex sola misericordia à Deo ipsi infusam perfectissimam, qua ipse intrinsecè & formaliter justissimus & speciosissimus præ filiis hominum, & Angelis constituitur, primogenitus in multis fratribus, quos suo sanguine acquisivit, & sibi similes meritoriè constituit; sicut in cœlo beati singuli propriam habent gloriam ex meritis Christi datam, quâ beati sunt, & non per gloriam Christo inhærentem, quasi in se miseri essent, & solum beati dicerentur, quia Christus caput illorum est beatus, quod absurdum est. Demum, si homines solum per imputatam Christi justitiam justi dicerentur, & in se coram Deo manerent peccatores abominabiles, æternæ damnationi obnoxii, potiùs filii antiqui Adæ, imo Diaboli, cui intrinsecè per peccatum manens, similes essent, filii & fratres remanerent; & homo non aliter diceretur justus per justitiam, quæ Christo inhæret, ut capiti, quam pes vel manus Æthiopis diceretur albus, eo quod una pars Æthiopis, scilicet dentes, albi sint; vel sicut pes aridus vitâ carens diceretur vivus propter cor adhuc vivens in homine: quæ omnia clarissimè S. Scripturæ & rationi repugnant, & tamen ex Calvini & Acatholicorum sententia sequuntur. Vt autem cuilibet lectori veritas doctrinæ Catholicæ Ecclesiæ, & falsitas Acatholicorum, velut in speculo, exponatur, sequentes pono antitheses.

ANTITHESES,

In quibus doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa causam formalem justificationis juxta S. scripturam & SS. Patres, veritas, & Acatholicorum falsitas exhibetur.

I. PRimò *SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt*, quod Christus per suam justitiam seu per merita passionis suæ Deo Patri satisfecerit pro peccatoribus, & gratiam impetraverit, tanquam unicus Salvator & redemptor, ita ut sine ullis præcedentibus ipsius peccatoris meritis propter Christum justificetur, *Ita etiam docet Ecclesia Catholica Romana.*

Acatholici in hoc consentiunt.

2. *SS. Patres juxta S. scripturam docuerunt*, quod peccata Deus homini remittens, illa prorsus deleat, ita ut nullo modo in homine maneant, & dum Deus illa tegere dicitur, ita tegat, ut sanet, sicut chirurgus emplastro vulnus tegit, & illud prorsus curat, & sanitatem restituit. *Ita etiam docet Ecclesia Catholica Romana.*

Acatholici verbotenus concedentes, quod Deus homini peccata remittat, volunt, quod tamen verè in homine maneant, & solùm tegantur, ut propter illa homo non puniatur.

II. 3. *SS. Patres juxta S. scripturam docuerunt*, quod in justificatione Deus non solùm peccata remittat, sed etiam justitiam, quæ gratia est, & dicitur, quia propter merita Christi gratis datur, cordi hominis inhærentem infundat. *Ita etiam Ecclesia Rom. Catholica.*

Acatholici volunt, quod justificatio impii absolvatur per solam peccatorum talem qualem remissionem.

4. *SS. Patres juxta S. scripturam docuerunt*, quod Christus, & ipsius justitia, seu merita nobis sint donata, ut per illa Deo Patri satisfaciamus, & propter illa justitiam à Deo nobis infusam accipiamus, qua justi constituamur. *Ita etiam docet Ecclesia Romana.*

Acatholici volunt, quod ita justitia Christi nobis donetur, ut ab illa extrinsecè justi nominemur, in nobis iniusti permanentes, quod nec in S. Scriptura, nec ex SS. Patribus unquam traditum est; sed contrarium.

5. *SS. Patres juxta S. scripturam docuerunt*, quod humana natura, cùm à suo creatore ab impietate justificatur, à deformi forma, formosam transferatur in formam, & ideo scriptura dicat de gloria in gloriam, de gloria creationis in gloriam justificationis. *Ita etiam docet Ecclesia Rom.*

Acatholici negant hominem justificari per translationem à forma deformi, ad formosam formam.

III. 6. *SS. Patres juxta S. scripturam docuerunt*, quod Deus in justificatione charitatem, quæ justitia est, per Spiritum Sanctum diffundat in cordibus, qua ex deformibus, fœdis, & tenebrosis, intrinsecè justi, pulchri, lucidi, & Dei filii constituantur. *Ita etiam docet Ecclesia Rom. Cathol.*

Acatholici authoritate S. scripturæ coacti fatentur quidem, quod cum remissione peccatorum Deus charitatem, & dona spiritualia conferat, sed negant, quod per hæc homo justificetur, vel justus constituatur; imo volunt, quod illa dona non sint vera justitia, sed verè maculosa, ut secundùm illa homo coram Dei tribunali adhuc abominabilis sit, & iniustus in se maneat.

7. *SS. Patres juxta S. scripturam docuerunt*, quod Christus in nobis formetur, Spiritu Sancto divinam quandam formam per sanctificationem, & justitiam nobis indente, & sic in animis nostris reluceat caracter Dei & Patris, reformante nos Spiritu Sancto. *Ita etiam Ecclesia Rom. Cath.*

Acatholici hoc negant, sed volunt, quod Christus in nobis formetur per extrinsecam illius justitiæ nobis imputationem, ita ut in nobis iniusti maneamus.

8. SS. Pa-

8. *SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt*, quod charitas Dei insit homini, qua una verè iustus fit, quicunque iustus est, & quod charitas inchoata sit inchoata iustitia, charitas provecta, provecta Iustitia, charitas magna, magna iustitia, charitas perfecta, perfecta iustitia, sed charitas de corde puro, & fide non ficta, quæ tunc maxima sit in hac vita, quando pro illa ipsa contemnitur vita. *Ita etiam docet Ecclesia Rom. Cath.*

Acatholici negant, quod charitas vel aliud donum nobis inhærens, sit iustitia, qua iusti sumus.

IV. 9. *SS. Patres docuerunt*, quod in sacra Scriptura Fides Christi dicatur, non quâ ipse Christus credit, sed quâ in ipsum creditur, sic etiam iustitia Dei dicatur, non quâ ipse justus est, sed quam facit in homine, utraque nostra sit, sed ideo dicatur Dei & Christi, quod ejus largitate nobis donetur; idem charitas Dei dicta sit diffundi in cordibus nostris, non qua ipse nos diligit, sed qua nos suos dilectores facit, sicut iustitia Dei, quâ

VI. iusti eius munere efficimur. *Ita etiam docet Ecclesia Rom. Catholica.*

Acatholici volunt iustitiam, quâ iusti sumus, esse iustitiam, quâ Christus iustus est, & non illam, quam in nobis facit.

10. *SS. Patres iuxta S. Scripturam docuerunt*, quod Deus iustitiam, quam habemus, in nobis fecit, & ille in nobis fecit justitiam, qui nos iustificat, de Christo dictum sit, qui iustificat impium; nos ergo impii, Ipse iustificator, quando & ipsam iustitiam in nobis facit, quâ illi placeamus. *Ita etiam Ecclesia.*

Acatholici negant, quod in nobis Deus vel Christus faciat iustitiam, quâ ipsi placeamus, sed volunt nos in nobis manere iniustos, & abominabiles, & solùm Deo placere per iustitiam, quâ Christus iustus est.

11. *SS. Patres docuerunt*, quod, dum sacra Scriptura dicit: Justitia Dei manifestata est, non dicat, iustitia hominis, vel iustitia propriæ voluntatis, sed iustitia Dei, non qua Deus iustus est, sed qua induit hominem, cùm iustificat impium, induantur autem homines Justitia tanquam veste, ut sicut vestis accipitur aliunde, & non cum capillis nascitur, ut bestiis, sic Justitia à Deo accipiatur, & non cum homine nascatur. *Ita etiam docet Ecclesia Rom. Catholica.*

Acatholici negant, quod per inhærentem nobis Justitiam homo dicatur indui, sed per Iustitiam, qua Christus iustus est, & extrinsecè denominetur.

V. 12. *SS. Patres docuerunt iuxta S. Scripturam*, quod Deus nos in dilecto filio suo gratiosos effecit, hoc est, non solùm à peccatis liberavit, sed & dilectos amicos fecit, ut, quemadmodum si quis scabiosum peste, senio, fame, &c. correptum mox formosum, mox reddat adolescentem, qui quosvis venustate superet, splendorem ex genis emittat, purpura & omnigeno mundo vestiat, & exornet, non aliter animam nostram Deus, & elaboratam, & pulchram, & desiderabilem, ac dilectam reddat. *Ita etiam docet Ecclesia Rom.*

Acatholici volunt, quod anima iustificati maneat in se fœda, tenebrosa, maculosa, abominabilis, & damnationis rea.

13. *SS. Patres iuxta S. Scripturam docuerunt*, quod homo in baptismo mundus fiat, & de ipso dicatur. Quæ est ista, quæ ascendit dealbata. *Ita & Ecclesia.*

Acatholici volunt, quod homo in baptismo non fiat intrinsecè mundus.

14. *SS. Patres iuxta S. Scripturam docuerunt*, quod Justitia, unde iustificatio derivata est, mentis sit, & non corporis, pictus ergo sit homo à Deo artifice & pictore, pictura sit, quam homo delere non debeat, non fuco, sed veritate fulgens, non cera expressa, sed gratia. *Ita etiam docet Ecclesia Rom. Catholica.*

Acatholici volunt, quod iustificatio in absolutione forensi peccatorum consistat, nec homo per illam à Deo in anima depingatur pictura sic fulgente.

15. *SS. Patres iuxta S. Scripturam docuerunt*, quod, sicut homo in Adamo peccavit, & per illum constitutus est peccator, habens proprium in se peccatum ab Adamo contractum; ita homo per Christi iustitiam, & in Christo satisfaciat Deo Patri, & per illam accipiat in se iustitiam propriam, qua iustus constituatur. *Ita etiam ecclesia Romana Catholica.* VI.

Acatholici plerique concedere debent, quod homines in Adamo peccarint, & ab eo proprium originale contraxerint, quo peccatores constituti sint; sed negant, quod homines per Christum meritoriè & effectivè iustificati accipiant propriam iustitiam, qua iusti formaliter constituantur.

16. *SS. Patres docuerunt iuxta S. Scripturam*, quod homo per iustificationem fiat conformis imagini Christi, portet imaginem cœlestis Christi, sicut portavit imaginem terreni Adam, transformetur in eandem imaginem, exuat veterem hominem cum actibus, & induat novum, qui renovetur secundum imaginem eius, qui creavit illum; ac proinde, sicut Christus homo non per iustitiam essentialem Dei, sed per propriam à Deo infusam iustus est, sic homo iustificatus secundum imaginem Christi similem, per iustitiam à Deo propter merita Christi ipsi infusam intrinsecè renovetur, & iustus sit. *Ita etiam docet Ecclesia Romana Catholica.*

Acatholici volunt, quod homo solùm dicatur conformis Christo, eiusque imaginem portare, quia extrinsecè imputatur iustitia Christi, ita ut in se maneat iniustus, & peccator; unde sequitur quod intrinsecè portet imaginem veteris Adæ, & diaboli, cui per peccatum similis est, & quod membrum quidem aridum Christi, sed verum diaboli sit.

***

gelio revelatum, sibi peccatorum remissionem à Deo donatam esse, quod his verbis enunciatur in Synopsi disp. 16. thesi 4. *Iustificati indubitate certi sunt, sibi remissa esse peccata, seq; in gratia Dei esse certitudine Fidei diuinæ, cui non potest subesse falsum* hæc ibi.

VI. Hanc doctrinam de sua Fide iustificante Acatholici volunt esse fundamentum totius suæ, ut volunt, religionis, cum Calvino suprà cap. 17. §. 1. ubi sic ait: *quid Fides sit*, &c. *summa hæc fuit, Christum nobis Dei benignitate datum Fide à nobis apprehendi, & posside ri*, & infrà: *Vt meminerimus præcipuum esse sustinendæ religionis cardinem*, &c. hæc ille.

Hoc ipsum expressiùs, sed impius cum crassa calumnia inter alios profitetur *Paræus* in proœmio librorum de iustificatione & lib. 2. de iustit. cap. 1. ubi sic ait: *Est quæstio hæc una ex maximis, quibus sana Theologia à Philosophia humana, Euangelium à lege, Ecclesia Christi à Iudæis, Turcis, & Paganis, Euangelium à papatu separantur, si enim rectè consideres, Papatus causam formalem iustificationis suæ tandem prorsus habet cum Iudæis, Turcis, paganis, Philosophis, nempe habitum Iustitiæ inhærentis*, &c. hæc ille.

Sed quomodo hæc cohærent cum doctrina Synopsis iam allegata, quæ Fidem iustificantem in duplici habitu ponit, sed pergit Paræus: *Ea potissima est, & fuit causa divortii, quod Ecclesiæ euangelicæ annis abhinc 97. à Romano Papatu facere coactæ fuerunt*. hæc ille. Sed quàm falsò hæc asserat, patebit.

ARTICULUS II.

Proponitur & declaratur doctrina Ecclesiæ Catholicæ quoad certitudinem iustificationis.

I. HAnc tradit Concil. Trid. sess. 6. cap. 9. his verbis: *Quamuis autem necessarium sit credere neq; remitti, neq; remissa unquam fuisse peccata, nisi gratis diuina misericordia propter Christum; nemini tamen Fiduciam & certitudinem remissionis peccatorum suorum iactanti, & in ea sola quiescenti, peccata dimitti, vel dimissa esse dicendum est; cùm apud hæreticos, & schismaticos possit esse, imo nostra tempestate sit & magna contra Ecclesiam Catholicam contentione prædicetur vana hæc, & ab omni pietate remota Fiducia; sed neq; illud asserendum est, oportere eos, qui vere iustificati sunt, absq; ulla omnino dubitatione apud semetipsos statuere se esse iustificatos, neminemq; à peccatis absolui ac iustificari, nisi eum, qui certo credat se absolutum, & iustificatum esse, atq; hac sola Fide absolutionem & iustificationem perfici, quasi, qui hoc non credit, de Dei promissis, deq; mortis & resurrectionis Christi efficacia dubitet: nam sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deq; Sacramentorum virtute, & efficacia dubitare debet, sic quilibet dum seipsum, suamq; propriam infirmitatem, & indispositionem respicit, de sua gratia formidare, & timere potest, cum nullus scire valeat certitudine Fidei, cui non potest subesse falsum se gratiam esse consecutum*, hæc ibi.

II. Similiter ibid. cap. 16. sic dicitur: *Et quia in multis offendimus omnes, unusquisq; sicut misericordiam* (Dei) *& bonitatem, ita seueritatem, & iudicium ante oculos habere debet, neq; seipsum aliquis, etiamsi nihil sibi conscius sit, iudicare, quoniam omnis hominum vita, non humano iudicio examinanda, iudicanda est, sed Dei*, &c. hæc ibi.

Hinc ibid. can. 12. Conc. sic definit: *Si quis dixerit: Fidem iustificantem nihil aliud esse, quam Fiduciam diuinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum; vel eam Fiduciam solam esse, qua iustificamur; anathema sit.*

Item can. 13. *Si quis dixerit omni homini ad remissionem peccatorum assequendam, necessarium esse, ut credat certo, & absq; ulla hæsitatione propriæ infirmitatis, & indispositionis, peccata sibi esse remissa; anathema sit.*

Demum can. 14. *Si quis dixerit hominem à peccatis absolui, & iustificari ex eo, quod se absolui ac iustificari certo credat, aut neminem vere esse iustificatum, nisi qui credat se esse iustificatum, & hac sola Fide absolutionem, & iustificationem perfici*; anathema sit.

Pro declaratione hujus doctrinæ Catholicæ aliqua de certitudine fidei, & fiducia prænotanda sunt.

Quoad certitudinem in generali: Primò, quoad nomen juxta Calepinum derivatur à nomine certus, certus autem à verbo cerno, quasi video, id est, clarè & indubitatè agnosco; licèt autem certitudo ab aliquibus assignetur rebus, seu objectis, non tamen iuxta usum Philosophi & antiquorum tribuitur rebus seu obiectis: Nam res simplices, aut obiecta simplicia semper sunt vera, ut omne ens est unum, verum, bonum, obiectum autem complexum, seu propositio dicitur vel vera vel falsa, necessaria vel contingens, evidens vel obscura. Certitudo igitur propriè opponitur dubitationi, & deceptioni; nam ut Scotus 1. dist. 3. q. 4. n. 6. ex communi sententia ait: *Certitudo habetur, quando excluditur dubitatio, & deceptio.* Hæc autem propriè sunt in intellectu, seu in ejus cognitione, ac proinde etiam certitudo illis opposita. *Dubitatio* strictè dicitur, quando intellectus in neutram contradictionis partem se resolvere, vel determinare potest, sed suspensus & anceps hæret, cùm verò ad unam partem se resolvit, eique assentitur, dubitatio tollitur, & intellectus in tantum certitudinem habere dicitur, & sic intellectus ex quocunque motivo, vel etiam ex nudo voluntatis affectu se resolvens, dicitur non dubitare, & certus; si tamen ex nudo affectu voluntatis fiat, potiùs persuasus, quàm certus dicitur. III.

Alio strictiore modo certitudo sumitur, prout tam determinationem, quam conformitatem cum objecto, seu veritatem includit, & sic opponitur dubitationi, & deceptioni. Certitudo firma est cum intellectus sine formidine, vel hæsitatione ex quocunque motivo similem assensum præbet. IV.

2. *Certitudo intellectus vel cognitionis vera & firma* potest oriri, ex evidentia objecti, seu propositionis, aut necessariæ, aut contingentis: nam ut Scotus suprà n. 7. 8. & 9 cum communi ex D. August. ostendit, etiam de quibusdam contingentibus est notitia certa, & evidens, & quidem hæc habetur per experientiam, circa quæ sunt aliquæ *propositiones per se notæ*. Certitudo evidens ex objecto necessario est, vel dum propositio est ex terminis, & per se nota, ac necessaria; vel dum

Digitized by Google

duo certò & infallibiliter ex principiis per se notis, & necessariis, ipsi objecto, seu propositioni intrinsecis, deducitur.

Alia est certitudo inevidens & obscura, quando intellectus habet assensum certum alicuius propositionis non propter experientiam, nec per causas ipsi intrinsecas, sed ab extrinseco, vel propter authoritatem alicujus testantis, & sic fides dicitur; vel propter rationem aliquam apparentem, aut conjecturam, vel signum, & tunc opinio est, cui falsum subesse potest.

V. *Certitudo Fidei* duplex est, una Fidei divinæ, ut, quando intellectus assentitur propositioni propter divinum testimonium, scilicet, quia Deus revelavit; cui non potest subesse falsum, nec deceptio; altera est *Fidei humana*, dum propter hominum vel plurium vel paucorum testimonium assensus præbetur, huic falsum subesse potest.

Certitudo Fidei divinæ duplex esse potest, nam una dicitur Fides divina Catholica, & generalis, qua creduntur omnia Fidei dogmata à Deo Ecclesiæ revelata, quam omnis habere debet: Alia dicitur Fides particularis, quando Deus alicui Prophetæ, vel alteri in particulari aliquid revelat, quod non pertinet ad dogmata Fidei communia, tunc ille solum Fide divina credit, ad quam alii, quibus non est sic revelatum, non obligantur.

VI. In proposita igitur controversia primò Calvin. lib. 3. Inst. cap. 2 §. 14. & Acatholici moderni, quidquid sit de Luthero, fatentur, quod nullus fidelis certus sit, certitudine evidenti ex causis intrinsecis, seu per scientiam naturalem ex principiis per se notis, aut necessariis, quod ipse sit iustus, quia illud dependet cùm ex aliis, tum maximè ex voluntate Dei, quam homo ex principiis intrinsecis naturalibus evidenter scire non potest.

2. Certum est apud omnes, quod, si alicui Deus privatim revelet suam iustificationem, is Fide divina credat se iustum esse, quod supponit Concil. Trid. locis suprà citatis, & exprimit can. 16. dum de dono perseverantiæ definit dicens: *Si quis se illud certo habiturum absoluta & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit.*

VII. Quæstio igitur est, an quilibet fidelis certus esse possit, & debeat certitudine Fidei Catholicæ, vel divinæ, quod ipse sit iustus ex communi verbo Dei revelato; hoc volunt Acatholici, sed Ecclesia Catholica negat.

Hinc alia quæstio dependet de Fiducia, an quilibet fidelis firmissimè fidere possit, & debeat sibi dimissa esse peccata, ut formidare non debeat de opposito; si enim certitudine Fidei divinæ homo certus sit se esse iustificatum, tunc etiam sine formidine confidere potest, & debet, quia certitudo Fiduciæ, si vera sit, dependet ex certitudine Fidei seu cognitionis: non enim propriè actus voluntatis dicitur certus, ut patet ex præmissis, sed actus intellectus, qui dicitur propriè cernere seu cognoscere; actus autem voluntatis dici potest propriè firmus, si sine formidine confidat: patet autem voluntas etiam ex pravo affectu firmiter de aliqua re confidere, de qua nullam habet intellectus certitudinem, vel si habet aliquam ex falsis rationibus, tunc, si sine formidine confidat, *vana proteruia est*, *& præsumptio*: & sic Concil. suprà dich. de hæreticis, & schismaticis, *quod vanam, & ab omni pietate remotam Fiduciam habeant*. Fiduciam autem esse actum voluntatis, Acatholici suprà allegati concedunt, & patet, quia Fiducia nihil aliud est, quàm *spes*, ut aiunt Theologi, *roborata*, seu *perfecta & firma*, juxta illud Job. 8. v. 13. *Spes hypocritæ peribit*, &c. *& sicut tela aranearum Fiducia ejus*, & passim in S. Scriptura sperare & confidere pro eodem sumuntur: Spes autem generaliter dicitur actus ille, quo homo sibi desiderat aliquod bonum possibile, qui est actus voluntatis secundum affectionem commodi, & est *amor concupiscentiæ*, distinctus *ab amore amicitiæ*, qui est actus charitatis, ut cum communi notat Scotus lib. 3. dist. 26. n. 17. ubi dicit n. 4. *hanc spem à Fide & charitate distinctam esse, Sanctos Patres docere, fundatos in Apostoli verbis* 1. Cor. 13. *Nunc autem manent Fides, spes, charitas, tria hæc*, &c. & sic D. Augustinus cum alibi, tum in Enchir. cap. 8. edit. Basil. 1528. concludit dicens: *Distinguenda erit Fides à spe, sicut vocabulo, ita & rationali differentia*: Quamvis autem ibid. dicat: *Spes non nisi bonarum rerum est, nec nisi futurorum, & ad eum pertinentium, qui earum spem gerere dicitur*. Quod utique de spe strictè sumpta intelligitur, nam Fiducia non solum habetur de futuris, sed etiam de præsentibus, & præteritis, sic enim homo confidit, seu Fiduciam habet de alio homine, quod ipsi de præsenti sit fidelis, vel affectus; sic etiam quia fideles certo credunt Christum pro nobis passum esse, ita firmiter confidit quilibet, quod pro se passus sit.

Spes igitur theologica est, qua homo fidelis Deum amat, ut sibi bonum, per Fidem, ut possibile, propositum; vel *qua desiderat Deum sibi omni meliori modo communicandum*, quod fit per æternam beatitudinem, & sic etiam consequenter desiderat omnia, quæ ad beatitudinem consequendam sunt necessaria, vel etiam utilia, idque propter Dei promissiones, & juxta modum, quo Deus illa vult desiderari, ut scilicet homo sit prius iustificatus, & perseveret usque ad finem in gratia. Hic igitur quæritur, an fidelis quilibet firmiter confidere debeat ex certitudine Fidei, cui non possit subesse falsum, quod ei dimissa sint peccata, & ipse sit iustificatus: In qua confidentia seu Fiducia duo complectuntur, unum est primarium, quod homo confidat de Dei misericordia, ejusque promissione; alterum, quod homo illa egerit, vel habeat, quæ Deus requisivit ad remissionem peccatorum obtinendam, de quibus præced. cap. actum est, scilicet, ut *credat, speret, diligat, & pœniteat, sicut oportet*; & quidem quoad divinam promissionem illa certa Fide divina constat, quia sicut Fides divina in generali docet, quod omnis iustus finaliter perseverans sit salvandus, eâdem Fide homo in particulari sibi applicata credit se, si finaliter iustus fuerit, salvandum, ut ait Scotus, suprà n. 22. §. Ad argumenta pro prima via, & in tantum Fiducia etiam firmissima est; sed quia illa promissio est conditionalis quoad dispositionem hominis, de quibus homo non habet revelationem divinam, ideo Fiducia ex hac parte minor est, & non firmissima, cum dependeat ex cognitione propriæ dispositionis, quæ divinam non habet certitudinem, ideo absolutè & simpliciter sine omni formidine confidere non potest sibi esse dimissa peccata, po- VIII.

test tamen moralem ex signis habere in intellectu certitudinem, & ob illam etiam firmiter & securè confidere.

IX. Hanc Fiduciam admittit Ecclesia, sed negat Fiduciam, quâ homo sine ulla formidine confidat, seu potiùs certò sine ullo timore statuat sibi esse peccata dimissa; præsertim ex eo solo, quod certa Fide divina credat sibi peccata esse dimissa sine respectu ad tales dispositiones. Unde primaria quæstio ad hoc tendit, an fidelis quilibet possit, & debeat credere Fide divina, cui non possit subesse falsum, sibi esse peccata dimissa, & per hoc ipsum solum peccata dimitti, & hominem iustificari; ad quod necessario sequatur infallibilis & certa Fiducia. Hoc asserunt Acatholici, & Ecclesia Catholica negat, in quo Doctores Catholici consentiunt; licèt aliqui scholasticè sustineant & dicant; quod præter Fidem divinam Catholicam detur Fides quædam particularis, tamen humana & moralis, quâ homo credat certò se à Deo gratiam obtenturum, si faciat, quod in se est: & deinde, quod etiam ex conjecturis certis quoad dispositiones requisitas in se expertas moraliter certus sit se esse in gratia; ita tamen, ut qualiscunque hæc Fides sit, & dicatur, talis sit, ut ei possit subesse falsum, & licèt secundum hanc Fidem etiam firmam Fiduciam habeat, quæ subinde omnem formidinem excludat, tamen, talis sit, ut si homo se reflectat ad hanc dispositionem, de qua certitudinem divinam non habet, formidare possit: His ergo præmissis doctrina Ecclesiæ Catholicæ probanda erit.

ARTICULUS III.

Quod fidelis non possit, multò minùs debeat esse certus certitudine fidei divinæ, cui non possit subesse falsum, sibi peccata esse dimissa, vel se esse justificatum, citra revelationem Dei specialem, probatur ex sacra Scriptura.

I. PRimò sacra Scriptura positivè negat aliquem esse certum de sua iustitia, ut patet primò ex illo proverb: 28. v. 9. *Quis potest dicere: Mundum est cor meum, purus sum à peccato*, &c. at vero, si quilibet fidelis Fide divinâ credere debeat sibi esse peccata dimissa; hoc omnes dicere possunt quod sacra Scriptura generaliter negat. Nec valet interpretatio Calvini lib. 3. Inst. cap. 13. §. 3. ubi hunc locum pro sua sententia allegat, quod scilicet homo in se ipso sit plenus peccatis, & infinita colluvie obruatur, etiam perfectissimus quisque, si in suam conscientiam descendat, & ideo solum per justitiam Christi sibi imputatam iustificetur.

Non valet, inquam, quia hæc interpretatio est planè contra expressa sacræ Scripturæ loca, quæ asserunt, quod aliqui sint verè in se immaculati, ut psalm. 118. *Beati immaculati in via*, & Matth. 5. *Beati mundo corde*. Et David. psalm. 50. *Cor mundum crea in me Deus*, &c. quod frustra peteret, si esset in hoc mundo impossibile habere cor mundum, etiam perfectissimis. Sensus igitur literalis est, prout SS. Patres intelligunt; quod, licèt multi sint, & esse possint mundo corde, prout copiosè præced. cap. ex sacra Scriptura, & sanctis Patribus ostensum est, tamen id certo dicere non possint: quia non sunt certi de sua munditia, quam tamen coram Deo habere possunt, & sic cohæret cum aliis sacræ Scripturæ locis.

II. Est autem alia explicatio S. August quod ille locus intelligatur, quod nullus qualiscunque gloriari possit, se purum esse à peccato veniali, sic enim libro de sancta virginitate allegavit hunc locum, quia omnes dicere debent orationem dominicam *& dimitte nobis debita nostra* dicens: *Cùm vero eam* (orationem) *baptizati orant, præpositi, & plebes, Pastores & greges, satis ostenditur in hac vita, quæ tota tentatio est, neminem se tanquam ab omnibus peccatis immunem debere gloriari*, &c. idem indicat lib. de Nat. & Gratia contra Pelagianos, ubi allegans illud Joannis Apostoli: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*, & hoc de omnibus, exceptâ Maria Virg. Deipara, intelligit, & etiam Apostolis. Sed hæc interpretatio non juvat Acatholicos, qui volunt, quod nulla sint peccata venialia, sed omnia mortalia, quod clarè S. Scripturæ & SS. Patribus est contrarium.

III. Quamvis autem illa S. Augustini interpretatio sit probabilis, cum qua consistit, quod homo sit absque peccato mortali; tamen magis ad mentem Scripturæ apparet, quod intelligatur, quod nullus dicere possit se mundum à peccatis mortalibus, licèt ab illis coram Deo mundus sit, eò quòd non ipsi certò constet, prout ex aliis locis ejusdem Salomonis, & sacra Scriptura ostenditur: nam ille verè mundus est, qui caret peccatis mortalibus, licèt habeat venialia, ut patet ex illo Salvatoris Joann. 13. v. 10. *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus, & vos mundi estis, sed non omnes.*

IV. Probatur 2. ex verbis ejusdem Salomonis Eccles. 9. v. 1. ubi dicit: *Omnia tractavi in corde meo, ut curiose intelligam, sunt iusti, & sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit, sed in futurum servantur incerta.* Vnde satis manifestè constat propositum, quamvis Calvinus more suo, prout illi, qui veritatem protervè negant, facere solent, derideat Catholicos, quod id ex verbis illis concludant, quasi pessimè detorqueant verba Ecclesiastæ, ut ait lib. 3. cap. 2. §. 38. ubi primò vult illum locum in vulgari editione mendosè positum esse, quæ editio tot sæculis à SS. Patribus probata fuit, & specialiter hunc locum S. Hieronymus linguarum expertissimus sic posuit, & etiam juxta doctrinam Catholicam illum locum exposuit ibid. in commentario edit. Basil. 1553. dicens: *Porro hic sensus est, & jam in hoc dedi cor meum, & scire volui, quos Deus diligeret, & quos odisset, & inveni iustorum quidem opera in manu Dei esse, & tamen, utrum amentur à Deo, an non, nunc eos scire non posse, & ambiguos fluctuare, utrum ad probationem sustineant, quæ sustinent, an ad supplicium. In futuro igitur scient,*

Digitized by Google

ent, & in vultu eorum sunt omnia, id est, antecedet eos, cùm de hac vita discesserint notitia istiusret, quia tunc est judicium, & nunc certamen, & quicunque adversa sustinent, utrum per amorem Dei sustinent, ut Iob, an per odium, ut plurimi peccatores, nunc habetur incertum, hæc ille, quid clariùs dici potest? unde refutatur Calvinus, qui ibi vult, *quod pueris notum sit illo loco Salomonem solum velle ostendere, quod ex eventibus non possit colligi, quod aliquis odio, vel amore dignus sit*, cum eadem sæpe iustis, & injustis eveniant. Sed Salomonem plus voluisse dicere patet ex textu; si enim iustus possit alia via certiore, scilicet per Fidem divinam internam, & Spiritus Sancti doctrinam, ut vult Calv. ibid. §. 39. certus esse, quod iustus sit, frustra Scriptura sic absolutè loqueretur, & Salomon non sic hæsitasset circa iustos, cum de illis solum loquatur, nam de impiis patet ex eorum sceleribus, quod odio digni sint. Et certe Hieron. puer non erat, qui tamen sic intellexit, cui plus tribuendum, quam Calvino. Citatur apud Calvinum ibidem in margine S. Bernardus serm. 2. in die Ascens. & serm. 2. in octava Paschæ; sed ille clarè se explicat, serm. 1. septuages. dicens: *Quis potest dicere, ego de electis sum, ego de prædestinatis ad vitam, ego de numero Filiorum, quis hoc* (*inquam*) *dicere potest? reclamante Scriptura, nescit homo; an sit dignus amore, an odio*, &c. hæc ille, similiter loquitur serm. 5. de omnibus Sanctis, ubi clarè loquitur tam de incertitudine præsentis justitiæ, quod sint Filii Dei, quàm de certitudine prædestinationis, quam utramque Calvin. asserit.

VI. Probatur 3. ex illo Ecclesiastici cap. 5. v. 4. *Ne dicas, peccavi, quid mihi accidit triste? altissimus enim est patiens redditor, de propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum.* Etsi hunc librum Acatholici respuant, constat tamen ex illis, quæ lib. de sacra Scriptura ostendimus, illum authenticum esse: & licèt aliqui dicant ibi sermonem esse de propitiatione peccati futuri, constat tamen ex præcedenti textu, quod loquatur de peccato præterito, de quo homo jactitat, nihil sibi evenisse mali: ubi sapiens de utroque monet, ne de præterito peccato sit securus, nec ideo peccare pergat. Patet etiam clariùs ex illo Ecclesiastici cap. 21. v. 1. *Fili peccasti? non adjicias iterum, sed & de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur.* Ubi supponitur, quod homo non debeat esse securus de remissione præteritorum, ut volunt Acatholici, quia si certe Fide divina credat sibi peccata dimissa, cur precabitur, ut dimittantur?

VII. Eadem veritas probatur ab exemplis Sanctorum *Iob, David, & Pauli*, qui de justificatione sua se certos esse non asseruerunt, id minus alii asserere debent, verba S. Job. sunt cap. 9. v. 2 *Vere scio, quod ita sit, & quod non justificetur homo compositus Deo*, & v. 11. *Si venerit ad me non videbo eum, si abierit, non intelligam*, & v. 20. *Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me, si innocentem ostendero, pravum me comprobabit, etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, & tædebit me vitæ meæ.* Et v. 27. *Commuto faciem meam, & dolore torqueor, verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* Ex quibus manifestum videtur, quod licèt Job piè vixerit, cùm dicat cap. 27. v. 6. *Justificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram, neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea*, & Deus ipse cap. 1. v. 8. dixit, *quod sit homo simplex ac rectus*. Tamen patet, quod Fide divinâ certus non fuerit de sua iustitia, alioquin, si ita certus fuisset, absque mendacio, & injuria Dei non potuisset sic loqui. Et sic inter alios SS. Patres, S. Gregorius intellexit lib. 9. moral. cap. 19. ubi sic ait: *Sed iustorum corda, quia ad profectum se examinare nequeunt, ægre hoc exitium cæcitatis ferunt, unde & bene subditur, & tædebit me vitæ meæ. Tædet iustum vivere, quia & operando vitam non desinit quærere, & tamen ejusdem vitæ suæ meritum non valet invenire*, hæc Gregor. Ideo simul vera sunt, quod Job coram Deo iustus fuerit, & quod etiam ipsum non reprehenderit cor ejus, præsertim in illis peccatis, de quibus ipsum amici accusabant, & quod ideo cap. 6. v. 2. etiam dixerit: *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in statera, quasi arena maris hæc gravior appareret.* Nihilominus formidabat ne oculus Dei, adhuc in ipso defectum videret, quo minus iustus esset, licèt de Dei misericordia confideret, prout dicta Job verba D. Hieron. lib. 1. contra Pelagianos per alia ejus verba posteriora exponit.

Similiter David generaliter ait ps. 18. v. 13. *Delicta quis intelligit?* & licèt de ipso 1. Reg. cap. 13. v. 14. Samuel dicat: *Quæsivit Dominus sibi virum iuxta cor suum*; ipse tamen ibid. in ps. 18. de se dicit: *Ab occultis meis munda me Domine.* Et sic Hieronymus lib. 1. & 2. contra Pelagianos intellexit, quod nemo iustorum plenè intelligat, an careat peccatis. Et licèt Davidi revelatum fuerit per Prophetam 2. Reg. 12. v. 13. quod Dominus *transtulisset peccatum eius*, unde de hoc Fide divinâ certus erat, postea tamen adhuc peccare poterat, sicut peccavit in numeratione populi, ut habetur 2. Reg. cap. 24. Itaque, licèt postea pœnitens cor illum non reprehenderit, timebat tamen ne occulta peccata haberet, pro quibus veniam petebat, quod certe iuxta Acatholicorum sententiam facere non debebat, si Fide divina certus esset, sibi per iustitiam Christi imputatam peccata esse dimissa, nec imputata. VIII.

Sic etiam Apostolus 1. Cor. 4. v. 3. dicit: *Mihi autem pro minimo est, ut à vobis iudicer, aut ab humano die, sed neque me ipsum iudico, nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, qui autem me iudicat, Dominus est*, &c. ubi Apostolus volens fideles hortari, ne alios judicent, quorum conscientiam non vident, ex eo probat, quod homo se ipsum plenè iudicare non possit, licèt nullius criminis sibi conscius sit, quia possunt aliqua latere, quæ Deus videt & iudicat. Ita hunc locum SS. Patres intellexerunt, & inde deduxerunt, quod nullus certò suum iustitiæ statum cognoscere possit, sed illum Dei iudicio reservari; prout infrà ex illorum verbis patebit, quibus magis credendum est, quàm vanis Acatholicorum expositionibus. IX.

Ex quo loco etiam patet falsitas ipsorum, dum dicunt, *omnia hominis opera esse peccata mortalia*, & quod homo perfectissimus obrutus sit colluvie infinita peccatorum, prout Calvinus lib. 3. Inst. cap. 13. §. 3. in initio hujus ar-

Digitized by Google

articuli relatus, dicere audet: si enim omnia opera sunt peccata mortalia, quomodo Apostolus verè dicere potuisset, *nihil mihi conscius sum*? si infinita colluvie in corde obrutus fuisset, tunc propter illa se merito judicare debuisset, & simpliciter dicere, ego omni damnatione dignus sum, sed tamen justificatus sum per justitiam Christi peccata non imputantis, & sic etiam se judicare poterat justum in sensu Acatholicorum, sed nec hoc dixit: sed, *qui judicat me, Dominus est, & nolite ante tempus judicare, quoad usque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*? quæ frustra dicerentur si quilibet certus esset de sua justitia, sive interna, sive externa. Apostolus ergo generaliter asserere voluit, quod nemo certus esset; & licèt in sua conscientia nulla crimina agnosceret, id non sufficiat; ut inde certe agnoscat, se justificatum esse, nisi Deus specialiter revelaret: multò minùs voluit, quod quilibet certus esset per Fidem de justitia Christi imputata se esse justum, prout patebit ex testimoniis SS. Patrum.

X. Eadem veritas probatur ex omnibus illis S. Scripturæ locis, ubi dicitur, quod nemo adultus justificetur, nisi aliquos bonos actus fecerit, *Fidei, spei, timoris, pœnitentiæ, & dilectionis*; quod adeò clarum est, ut plerique Acatholici hoc fateantur, prout cap. 3. art. 3. relatum est ex *Catechismo Heidelb. & Theologis Palatinis, & Britannia in Synodo Dordrechtana*, &c. licèt dicant, quod illi actus requisiti non causent justificationem, sed solum ut dispositiones requirantur, &c. de quo ibid. dictum: sed ad propositum sufficit aperta veritas, quod secundum sacram Scripturam nemo sine talibus actibus & dispositionibus justificetur, atqui nullus certitudine Fidei divinæ est certus, quod ille credat, speret, timeat, pœnitentiam agat, diligat, ut oportet cum auxilio gratiæ; ideoque etiam nemo nullus certus est quod justificetur; præsertim, cum S. Scriptura dicat, si pœnitentiam egeris ex toto corde, ut patet Deut. 4. v. 29. *Invenies eum* (Dominum) *si tamen ex toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ.*

XI. Demum probatur ex his locis ps. 2. v. 11. *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*, iterum Proverb. 28. v. 14. *Beatus homo, qui semper est pavidus*, 2. Cor. 10. v. 18. *Non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat*. Similiter ad Philipp. 2. v. 12. *Cum metu & tremore salutem vestram operamini*, &c. ex quibus patet; quod homo quilibet non debeat esse certus certitudine Fidei, de suâ salute: nam certitudo Fidei excludit omnem timorem, & dubitationem, sicut homo non debet timere, an verum sit, quod Deus sit unus & trinus; at verò hoc verū non esset in proposito, si semper oporteat, ut cum timore & pavore agat, quod utique provenit ex eo, quia licèt de misericordia certus sit, non tamen est certus, an ipse præster ea opera, quæ Deus ad justificationem requirit, licèt piè confidere possit de misericordia Dei, ejusque adjutorio, quod ita operetur, sicut oportet: & ideo S. Bernardus serm. 1. septuag. postquam illa, quæ suprà hoc art. relata sunt, dixisset, quod certitudinem non habeamus, subdit: *Sed Spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis hujus anxietate penitus cruciemur: propter hoc data sunt signa quædam, & indicia manifesta salutis*. &c. ubi patet, quod non loquatur de signis evidenter manifestis, sed moraliter, alioqui in contra S. Scripturam, & seipsum loqueretur.

ARTICULUS IV.

Eadem veritas probatur ex testimoniis SS. Patrum.

I. HAnc veritatem supponebat *S. Cyprianus* tract. de Lapsis, edit. Basil. 1530. ubi sic ait: *Putas tu Dominum cito posse placari? Putas eum facile misereri tui? orare oportet impensius, & rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes & fletibus ducere, tempus omne lachrimosis lamentationibus occupare, stratos solo adhærere cineri, in Cilicio & sordibus volutari*. Hæc ille, ubi patet, quod ad justificationem non reputet sufficere, ut homo credat peccata sibi per Christum remissa, sed etiam talia opera præcipiantur: de quibus homo Fide divina certus non est, an sint talia, ut coram Deo esse oporteat.

S. Basilius Magnus in Constitut. monasticis edit. Antvv. 1568. volens instruere, qualiter fidelis, quisque, etiam conjugatus, Deum timere, quærere, servire, & se gerere debeat, inter alia cap. 2. præscribit modum quo orare debeat dicens: *Ubi jam satis gratias egeris, Deumque petitis è divina Scriptura laudibus glorificaveris: tum iterum adhibita humilitate ordire, & dic equidem non sum dignus Domine, qui coram te verba faciam, quoniam vehementer peccator sum, & licet nullius tibi culpæ conscius sis; nihilominus tamen ita te oportet dicere. etenim cùm in multis rebus offendimus omnes, majorem tamen offensarum partem, ne intelligimus quidem, idcirco Apostolus dicebat, nihil mihi conscius sum, sed in hoc justificatus non sum; quod idem est, ac si diceret, multa delicta committo, quæ committere me non intelligo, propter hanc causam etiam Propheta ait, delicta quis intelligit? quare nihil mentitus es, si te peccatorem appellaveris*. Et infrà: *Cum timore igitur humilitateque Deum orato*, hæc ille: ecce qualiter loca S. Scripturæ intellexerit.

Item *Basilius* in regulis brevioribus, interrog. 296. edit. cād. sic quærit: *Qua ratione persuaderi possit anima unquam, quod à peccatis libera sit, & expurgata*. Respondet: *Si quis in se ipso animi affectionem illam eandem Davidis inesse animadverterit, apud quem est, iniquitatem odio habui*, &c. *aut affectionem se præceptum illud Apostoli, qui dixit: Mortificate igitur membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, ut verè dicere possit, non adhæsit mihi cor pravum, vide prævaricatores, & tabescebam*, &c. *Apostoli vero Quis scandalizatur, & ego non uror, quis infirmatur, & ego non infirmor*, &c. *& apud David, iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum*, &c. & infrà: *Quandocunque igitur quis vel in suis vel in alienis peccatis eo modo, quemadmodum diximus, animo affectum se esse animadverterit, tunc sine dubio credat se liberum esse à peccato*, &c. hæc ille. Ecce certitudo moralis ab Ecclesia asserta. Ubi hic certitudo fidei particularis, si credis tibi esse peccata dimissa tam certò, sicut Christus est passus &c. hoc non agnoverunt SS. Patres ex S. Scriptura.

S. Ambrosius in ps. 118. serm. 5. edit. Rom. 1580. II.
circa illa verba: *Amputa*, seu, ut ipse legit, *aufer op*-

probrium meum, quod suspicatus sum, ita ait: *Subobscure dictum videtur, sed explanauit Apostolus, quod hic videbatur obscurum, ubi ait: Nihil quidem mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum; sciebat enim se esse hominem, & sibi cauebat, ut poterat, ne post susceptum baptismi Sacramentum peccaret, ideoq; delicti sibi conscius non erat, sed quia homo erat peccatorem se fatebatur*, & infrà: *Similiter ergo Propheta, etsi peccatum declinare cupiebat, seu volebat auferri opprobrium, quod suspicatus est, vel quia cogitauerat in corde, & non fecerat, & pœnitentia licet abolitum, suspectus tamen erat, ne forte adhuc maneret ejus opprobrium, & ideo Deum precatur, ut illud auferat, qui solus nouit, quod nescire potest etiam ipse, qui fecit*, &c. hæc ille. Ecce supponit, quod nec David, nec Paulus de sua iustificatione certus fuerit; ubi hic Fides Acatholicorum?

III. *S. Hieronymus* lib. 3. edit. Antw. 1578. Comment. ad cap. 13. Hieremiæ dicit: *Hac ebrietate impletur omnis humana conditio dicente Propheta: Non justificabitur in conspectu tuo omnis viuens, non ad computationem Dei (ut veteres, & noui hæretici volunt, & patroni hæreticorum) sed ad scientiam ejus: homo enim videt in facie, Deus in corde, & quod nobis interdum mundum videtur, illius oculis sordidum deprehenditur*, &c. hæc ibi, ubi indicat hæresin Pelagianorum, qui, prout exprimit lib. 1. contra eosdem, volebant, quod homo ex viribus naturæ, seu liberi arbitrii, & voluntatis, potest esse sine omni peccato, si modo velit, ita tamen ut non æquipararetur Deo, seu iustus esset in comparatione ejus; idque sine speciali nova gratia Dei vel auxilio per Christum dandis: nam ipsi dicentes, quod cum auxilio Dei fieret, per auxilia explicabant ipsam voluntatem homini datam. Contra quos ex S. Scriptura ferventer scribit lib. 1. & 2. & quidem libro secundo ostendit contra eosdem, qui verba Apostoli edit. Antw. 1578. *Quod enim operor, non cognosco*, &c. non in persona propria, sed alicujus peccatoris dicta volebant. Ipse primo folio post initium sic ait: *Si hoc Pauli testimonio non moueris, audi aliud ejusdem, cui contradicere non potes: nihil mihi conscius sum: & cætera Mire, nec me ipsum iudico, nihil mihi conscius sum nec tamen in hoc iustificatus sum, qui hoc dicebat, nullius utiq; peccati sibi conscius erat, sed quia legerat, delicta quis intelligit? Et: Sunt viæ, quæ videntur viro iustæ, nouissima autem earum respiciunt in profundum inferni. Et iterum: Omnis vir videtur sibi iustus, Deus autem corda hominum dirigit: idcirco temperabat sententiam, ne forte per ignorantiam deliquisset, maxime cum Scriptura testetur: est iustus, qui perit in iustitia sua, & alibi: Iuste quod iustum est sectaberis, ne opinione Iustitiæ à justitia declinemus, recordantes Saulis & Achab*, ead. edit. & post unum fol. sic ait: *Vnde scriptum est, ne beatum dixeris quempiam ante mortem, quam diu enim viuimus in certamine sumus, nulla est certa victoria, quæ etiam Apostolo fortissimè præliantii in futuro seculo reseruatur.* Et paulò infrà eâd. edit. *Sunt iusti, ad quos peruenit quasi opus impiorum. Et sunt impii, ad quos peruenit quasi opus iustorum. Hoc idcirco dicitur, quia certum judicium solius Dei est, & quos putamus iustos, sæpe peccatores inueniuntur, & quos è contrario peccatores, apud Dei sententiam iusti sunt, quantumcunq; laborauerit homo, ut inquirat, non reperiet*, &c. hæc ille, si certum judicium de hominis Justitia solius Dei est, & quantumcunque homo laboraverir, non reperiet, quomodo ergo quilibet certus est? & si plures apud Dei scientiam iusti sunt, quomodo omnes in se sunt peccatis pleni coram Dei tribunali? ut Acatholici volunt.

S. Ioannes Chrysost. hom. 87. in Joann. edit. Basil. 1547. statim in initio sic ait: *Multa quidem alia sunt, quæ apud Deum nobis Fiduciam præbent, & quæ nos claros & probatos ostendunt; quod autem maxime diuinum nobis amorem conciliat, est proximi dilectio, quam à Petro Christus exigit*, &c. *Simon Ioannis diligis me plus his?* Et infrà: *Cùm ergo semel atq; iterum interrogatus, ipsum arcanorum cordis perscrutatorem testem aduocasset; & adhuc tertiò interrogaret, perturbatus est Petrus, veritus superiora. Nam cum forti animo esset, reprehensus est postmodum, ideo iterum ad ipsum confugit dicens. Tu omnia scis, hoc est præsentia & futura. Vide quanto melior factus est, & modestior, non amplius temere perstat in sententia, neq; contradicit: propterea contristatus sum, ne forte, me amare arbitratus, non amem; ut antea, cùm me fortem & constantem putarem, postmodum imbecillis deprehensus sum*, &c. hæc ille. Ecce ostendit Petrum, etiam postquam Deo reconciliatus, & iustificatus erat, non fuisse certum de vera erga Christum dilectione, quæ maximè ad iustificationem requiritur: quomodo ergo de iustitia sua certus fuisset? quod si hoc in Petro, qui tantam in Christum habebat Fidem, ut Christi testimonio vera esset, & à Patre cœlesti data, quid de aliis fidelibus? IV.

Idem hom. 11. in cap. 4. 1. ad Corinth. edit. Basil. 1547. circa verba Apostoli, *mihi pro minimo est*, &c. sic ait: *Nemo Paulum ut arrogantem reprehendat, quod neminem dignum dicit, qui de se ferat sententiam, primum enim non propter se hoc dicit, sed alios, ab illorum molestatione liberari volens. Præterea neq; Corinthios tantum, sed se ipsum quoq; hoc priuat iudicio, quod cognitione sua maius esse attestatur, subdidit enim. sed neq; me ipsum iudico.* Et infrà circa finem sic ait: *Duabus igitur rationibus, vel tribus potius, incertum est nostrum iudicium. Prima quidem, quod & si nihil nobis ipsis conscii simus, ejus tamen indigemus, qui peccata nostra certa ratione corripiat. Altera, quod multa opera nostra nos latent*, &c. hæc ibi.

S. Augustinus lib. 83. qq. in quæst. 59. tom. 4. tractans quæstionem de 10. virginibus, circa medium edit. Basil. 1528. sic ait: *Vnusquisque pro se rationem reddet, nec alieno testimonio quisquam adjuuatur apud Deum, cui secreta cordis apparent, & vix sibi quisque sufficit, ut ei testimonium perhibeat conscientia sua, quis enim gloriabitur mundum se habere cor? Inde est quod Apostolus ait: Mihi autem minimum est, ut à vobis iudicer, aut ab humano die, sed neque meipsum iudico: quia propter cum de seipso quisque aut omnino aut vix possit veram ferre sententiam, quomodo potest de alio judicare*, &c. hæc ibi. V.

Idem tomo 8. in psalm. 41. eâd. edit. circa illa verba, *abyssus abyssum inuocat*, &c. sic ait: *Si profunditas est abyssus, putamus quod cor hominis abyssus est: Quid enim profundius hac abysso?* Et infrà: *Vt autem noueris, quia abyssus & ipse; Apostolus ait: Minimum est, ut à vobis iudicer, aut ab humano die; quanta autem abyssus sit, audite amplius. Neque enim ego meipsum iudico, tantamne profunditatem creditis esse in homine, quæ lateat ipsum hominem in quo est? quanta profunditas infirmitatis latebat in Petro, quando, quod in se ageretur intus, nesciebat, & se moriturum cum Domino, vel pro Domino temere promittebat:*

Quanta

Digitized by Google

Quanta abyſſus erat? quæ tamen abyſſus nuda erat oculis Dei. Nam hoc illi Chriſtus prænunciabat, quod in ſe ipſe ignorabat. Ergo omnis homo licet ſanctus, licet juſtus, licet in multis proficiens, abyſſus eſt, &c. hæc ibi.

Rurſus in pſ. 50. edit. Baſil. 1529. circa illa *incerta & occulta ſapientiæ tuæ*, &c. ſic ait: *Quæ occulta? quæ incerta? quia Deus ignoſcit, & talibus nihil tam occultum, nihil tam incertum. Ad hoc incertum Ninivitæ pœnitentiam egerunt, dixerunt enim, quamvis poſt minas Prophetæ*, &c. *quis novit, ſi Deus flectat in melius ſententiam ſuam, & miſereatur? incertum erat, cùm diceretur, quis novit? de incerto pœnitentiam egerunt, cer-* VI. *tam miſericordiam meruerunt*, &c. hæc ibi.

Similiter in pſ. 149 edit. Baſil. 1529. circa verba, *exultabunt Sancti in gloria*, agens de modo gloriandi in conſcientia dicit in ea poſſe conſiſtere peccatum occultum, allegans illud Prov. 20. *Quis gloriabitur mundum ſe eſſe à peccato*, ita ait: *Eſt ergo modus quidam in conſcientia gloriandi, ut noveris fidem tuam eſſe ſinceram, noveris eſſe ſpem tuam certam, noveris charitatem tuam eſſe ſine ſimulatione, ſed quoniam multa ſunt adhuc forte, quæ poſſunt offendere oculos Dei, lauda eum, qui tibi iſta donavit.*

Iterum ſerm. 23. de verbis Domini ultra medium ſic ait edit. Baſil. 1529. *Quamvis enim bonam habeat conſcientiam, unde ſcit, quemadmodum judicet ille, qui neminem fallit*, & infrà: *Vix enim de nobis judicamus, quanto minus de vobis poſſumus judicare? quid eſt, vix de nobis poſſumus judicare? quia cùm Rex juſtus ſederit in throno, quis gloriatur ſe caſtum cor habere? forte tu non invenis aliquid in conſcientia tua, & invenit ille, qui melius videt, cujus acies divina pe-* VII. *netrat altiora*, &c. hæc ibi.

Demum omiſſis aliis locis idem lib. 50. homiliar. hom. 35. eâd. edit. iterum tractans parabolam de 10. virginibus, ſic ait: *Quid reſponderunt illis ſtultis, ne forte non ſufficiat nobis & vobis: quando Apoſtolus dixit: ſed neq; meipſum dijudico; ſi ergo conſcientia noſtra ſub examine judicis Dei trepidat, & quamvis ſibi recta putet, tamen timet, ne exeat juſtitiæ regula de theſauro illius, & inveniatur tortum, quod videbatur rectum, quanto minus curare debemus aliena judicia.* Et paulò poſt eâd. edit. *Quamdiu autem vivimus hîc, de nobis ipſis nos ipſi judicare non poſſumus; non dico, quid cras erimus, ſed quid hodie ſimus; quanto minus debemus moveri judiciis alienis, quam de conſcientia noſtra, quæ nobis perhibet teſtimonium, nam gloria noſtra debet eſſe conſcientia noſtra.*

Ex his SS. Patrum teſtimoniis evidens videtur, quod homo citra ſpecialem Dei revelationem non habeat fidei divinæ certitudinem de ſuorum peccatorum remiſſione, & Dei gratia.

ARTICULUS V.

Probatur veritas rationibus.

I. ACcedant rationes juxta S. Scripturam & ipſorummet Acatholicorum doctrinam.

Prima eſt, quidquid fide divinâ creditur; vel debet ſpecialiter à Deo alicui eſſe revelatum, ut de ipſa revelatione certus ſit, ſicut Prophetæ; vel debet conſtare ex verbo Dei univerſaliter Eccleſiæ revelato; hæc propoſitio eſt evidens: nam fides divina nititur ſolum veritati divinæ revelanti, cui falſum ſubeſſe non poſſit: non eſt autem alius modus, quo de hac Dei revelatione conſtet, niſi vel in ſpeciali tunc aliquid reveletur, vel in verbo Dei univerſaliter includatur. De primo modo non eſt difficultas; tamen ſi alicui reveletur, hoc illi ſoli conſtat; & hoc concedit Eccleſia, quod hoc modo aliquis credere poſſit, & debeat, ſi ipſi ſpecialiter reveletur.

Quæſtio autem eſt, an juxta verbum Dei Eccleſiæ revelatum quilibet fidelis poſſit, & debeat credere fide divina ſibi eſſe dimiſſa peccata, alioquin non juſtificetur: unde ſubſumitur; ſed ex verbo Dei quilibet in particulari non poteſt de ſuorum peccatorum remiſſione certam habere fidem, ſcilicet, ego *Lutherus*, ego *Calvinus* ſum juſtiſſimus, vel mihi ſunt remiſſa peccata, quod probatur: vel enim hoc expreſsè in verbo Dei ſcripto contineretur, & legeretur, vel ex verbo Dei ſcripto per certam & evidentem conſequentiam deduceretur (non ago de verbo Dei tradito, quia Acatholici, licèt malè illud non admittunt, nec tamen ex illo habetur) atqui neutro modo ex verbo ſcripto habetur, nam evidens eſt, quod nullibi legatur, quod Luthero, vel Calvino, vel omnibus aliis in particulari ſint peccata remiſſa, ſicut legimus de *Davide*, quod Deus tranſtulerit peccatum 2. Reg. 12. v. 13. & *Magdalenæ* dictum, *remittuntur ei peccata multa*, Luc. 7. v. 47. & tamen Acatholici clamant, nihil eſſe credendum, quod non expreſsè in S. Scriptura legatur; unde ſemper ingeminant: *Ubi hoc eſt ſcriptum?* reſtat ergo ut per manifeſtam & evidentem conſequentiam ex verbo Dei ſcripto deducatur, prout Acatholici volunt, licèt contra ipſorum principium jam dictum. Et licèt quæſtio ſit inter Theologos, II. an concluſio, quæ infertur ex una propoſitione ex verbo Dei certa, & ex altera naturaliter certa & nota concluſio ſit infallibilis de Fide divina certa, vi illius diſcurſus eò quòd concluſio ſequatur ſemper partem debiliorem, adeoque non poſſit ſimpliciter dici de Fide divina certa vi illius diſcurſus; hoc tamen in ſuo ſenſu ſuppoſito, etiam ſubſumitur: ſed nec per talem diſcurſum ſeu conſequentiam illa concluſio deduci poteſt. Et ſi quis diſcurſus eſſet, utique eſſet ille, quo ipſi utuntur, ſcilicet Joann. 6. v. 40. *Hæc eſt voluntas Patris mei, qui miſit me, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam*; at vero ego credo in Filium Dei, ergo ego habeo vitam æternam. Sed verbum Chriſti non dicit de qualicunque fide, alioquin omnes hæretici, qui in Filium Dei credunt, licèt reliquas omnes hæreſes docerent, haberent vitam æternam: deinde quod Calvinus, vel tu, vel hic habeat veram fidem Catholicam in Chriſtum, hoc non habetur ex illis verbis Chriſti, nec ex illis deducitur; ſic enim quilibet hæreticus ſubſumere poſſet. Certum eſt, quod non fides abſolutè, ſed per charitatem operans intelligatur: certum etiam eſt, prout Acatholici fatentur, quod ad fidem juſtificantem neceſſariò requirantur diſpoſitiones, utpote ſpei, timoris, pœnitentiæ, dilectionis, ut patet ex ſuprà dictis.

Itaque alii hunc diſcurſum formant: *Unusquisq; fidelis tenetur certitudine fidei divinæ credere omne id, quod Deus fidelibus promiſit, atqui Deus promiſit fidelibus remiſſionem peccatorum, ergo omnes & ſinguli tenentur credere* &c. major eſt certa de fide, III.

minor etiam est de fide certa, ut patet passim ex S. Scripturæ, & specialiter ex illo Act. 10. v. 43. *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum*, ergo omnes tenentur hoc credere, &c. hic totus discursus admittitur, sed si subsumatur, *ego credo in Christum*, scilicet verâ fide divinâ *per veram charitatem operanti*, *quod subsumi debet*; hoc ex illis locis non habetur, & patet ex prædictis de quibuslibet hæreticis quarumcunq; hæresum, qui dicunt se credere in Christum, sed non verâ fide faciunt.

Tertiò alii hunc discursum formant: *Quicunq; vere ad Deum convertitur, & pœnitentiam sinceram suorum peccatorum habet, ac Deum amat, ipsi juxta S. Scripturam remissio peccatorum est promissa, atqui mihi evidens est, quod vere ad Deum conversus sim, & sincerum peccatorum dolorem habeam, ergo mihi evidens est, quod mihi remissa sint peccata.* Maior constat ex S. Scriptura, minor constat ex mea experientia, & juxta Doctores Catholicos in contingentibus possunt esse propositiones per se notæ per experientiam, ut quod ego videam, vel quod ego sentiam; sic etiam experior in me, quod in Christum credam, quod de peccatis doleam, & quod Deum diligam, ergo certus sum fide divinâ, quod peccata sint dimissa.

IV. Sed ista minor patet, quàm falsa sit. Primò; quidem concedo, quod homo tales aliquos similes in se actus experiatur, sed an illi actus sint sinceri ex gratia Dei procedentes, quod necessarium est, non habet ab experientia: quia imprimis gratia Dei supernaturalis non cognoscitur per experientiam, ut ex S. Scriptura, & ratione constat; deinde de actu veræ fidei, jam antea dictum est, & licèt aliquis catholicus sentiat in se actum veræ fidei, de quo aliqui disputant, & meritò: nam, licèt aliquis possit in se experiri, quod habeat veram Fidem Catholicam ex parte obiecti, quia firmiter credit omne, quod credit Ecclesia Catholica, tamen certus non est, an credat fide solùm acquisita, an per Spiritum Sanctum excitata & adiuta, qualis juxta Conc. Trid. ad justificationem requiritur. Quidquid autem sit de hoc, certum tamen est, quod de actibus veræ pœnitentiæ, & amoris Dei nemo per experientiam sit certus. Hoc patet primò in generali, quia plures hæretici pro certo in se experiuntur magnam in Deum spem, & Fiduciam, ac etiam amorem, ut etiam propter Deum, mortem obire velint, prout olim Donatistæ ultra se morti offerebant, & in omni hæresi tales aliqui inveniri possunt, & inveniuntur, & tamen certum est, quod non habeant veram charitatem, quia vera charitas non est, ubi non est vera Fides, sine qua impossibile est placere Deo Hebr. 17. & qui non est in vera Ecclesia, ut lib. de Ecclesia ex S. Scriptura & SS. Patribus ostensum est, specialiter cùm SS. Patres dicant: *Martyr esse non potest, qui in vera Ecclesia non est.*

V. 2. Constat ex illo 1. Cor. 13. ubi Apostolus supponit, quod aliqui possunt tradere corpus suum, ita ut ardeant, & tamen veram charitatem non habeant: & SS. Patres rationem reddunt, quia vera charitas non dissolvit corpus Ecclesiæ, quod faciunt omnes hæretici, & schismatici.

Idem probatur per exempla S. Scripturæ, præsertim S. Petri, quod ad hoc propositum allegant SS. Patres, *Chrysost.* hom. 87. & Aug. in ps. 41. suprà art. præced. relati. Ipse Petrus sibi videbatur per experientiam habere perfectam charitatem erga Christum in cœna, & tamen non habebat; quam tamen, licèt post resurrectionem reconciliatus haberet, certò non agnoscebat, sed de illa timebat, licèt in se amorem Christi experiretur, adeoque experientia non probat veram in homine charitatem. Similiter patet de Paulo Apostolo, dum persequebatur Christi Fideles, tunc enim certo credebat, seu potius sibi persuadebat, quod haberet veram Fidem & amorem erga Deum, quo videbatur zelare legem, & persequi Fideles, & tamen fallebatur. Sic Christus prædixit Joann. 16. v. 2. *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Sic ergo alii ex multis persuasionibus se certos putabunt, quod verè credant, verè Deum ament, & falluntur, quod facillimè fit in re obscura & fidei, quæ creditur, ubi facile ex privato amore, præsumptione, passione, superbia, vel affectu homines sibi persuadent vera esse, quæ non sunt, & sub similitudine actuum falluntur, quos affectu, vel etiam crassa ignorantia non discernunt, nec sine speciali Dei gratia discernere possunt, de quibus proinde fide divinâ certi non sunt.

Præter hæc exempla S. Scripturæ manifestè VI
id patet per experientiam quotidianam, quæ adeo clara & communis est ut ipsemet Calvinus fateatur lib. 3. Inst. cap. 2. §. 10. dicens: *Tot vanitatis recessus habet, tot mendacii latebris scatet cor humanum, tam fraudulenta hypocrisi obtectum est, ut seipsum sæpe fallat*, & §. 11. dicit, *& si in fidem non illuminentur, nec Evangelii efficaciam vere sentiant, nisi qui præordinati sunt ad salutem, experientia tamen ostendit reprobos interdum simili fere sensu atq; electos affici, ut ne suo quidem judicio quicquam ab electis differant*, & in fine §. 12. sic ait: *Nec Paulus requireret à filiis Dei fidem non fictam, nisi quia multi sibi audacter arrogant, quod non habent, & inani fuco, vel alios, vel interdum seipsos fallunt*, hæc ille.

Nec obstat signum differentiæ inter illos, qui verè agunt, & qui decipiuntur, quod assignat Calvin. ibid. §. 10. dicens: *Respondeo, quamvis magna sit similitudo & affinitas inter Dei electos, & qui fide caduca ad tempus donantur, vigere tamen in solis electis fiduciam illam, quam celebrat Paulus, & pleno ore clamat, Abba Pater, ergo & solos electos semine incorruptibili Deus in perpetuum regnat, ut nunquam dispereat semen vitæ eorum cordibus insitum, ita solide in illis obsignat adoptionis gratiam, ut stabilis ac rata sit*, &c. hæc ille.

Sed hæc responsio inanis est. Primò quod VII
supponat solos electos habere veram Fidem, quod suprà improbatum est. 2. quod tales nunquam ab illa excidere possint, ut in sequentibus dicetur, sed quidquid sit de his, saltèm manifestum est, quod illi, qui vera sentiunt; & qui decipiuntur eodem sensu afficiantur, ut per experientiam discerni non possit, ut volens nolens Calvinus fatetur, adeoque in præsenti hic & nunc non habetur certitudo, præsertim cùm etiam illi, qui falso sensu ducuntur, vel affectu proprii amoris, aut alio naturali, qui illis videtur divinus, sibi persuadeant, quod semper tales mansuri sint, sicut etiam electi, & quidem omnes etiam magno affectu clamare possunt, Abba Pater. Hoc patet in Acatholicis diversarum

Digitized by Google

rum sectarum modernarum; nam omnes cujuscunque sectæ firmissimè credunt sibi per Christum esse remissa peccata, tam Calvinistæ, quàm Lutherani, & Anabaptistæ, & alii, quantumvis inter se divisi sint, & se mutuo damnent; omnes ex corde clament, *Abba Pater*, & tamen his non obstantibus experientiis Calvinistæ dicunt Lutheranos & Anabaptistas decipi, nec veram peccatorum remissionem obtinere, & sic vice versa alios condemnant, licèt sit contra ipsorum principia omnibus communia, cùm docent; quod fides vera justificans sola appræhendat infallibilem justitiam Christi, & remissionem peccatorum: & ipsi autem omnes profitentur se talem fidem habere, scilicet, dum credunt infallibiliter sibi propter Christum peccata esse dimissa, & hoc unicum fidei fundamentum esse volunt. Ex his evidens est, quod homo per experientiam non sit certus, quod veram fidem & pœnitentiam Spiritu Sancto movente habeat, proinde nec conclusio certa est fide divina, quod ipsis sint remissa peccata.

ARTICULUS VI.

Respondetur ad argumenta Acatholicorum.

I. PRo majore intelligentia locorum S. scripturæ & SS. Patrum observandum est; quod juxta communem sententiam *spes* describatur, *quod sit, per quam certa cum fiducia nostra salutis, & æterna vita bona à Deo misericordie expectantur.* Vbi fiducia certa ponitur, quæ ad spem specialiter pertinet: hæc autem certitudo spei seu fiduciæ communiter sumptæ, quatenus est actus voluntatis, non propriè dicitur certitudo, ut suprà ostensum est, sed est firmitas, quia scilicet *fiducia est, qua desiderando firmiter adhaeretur objecto*, & hoc maximè competit spei in Deum; & ideo comparatur *anchora* ab Apost. Hebr. 6. v. 19. ubi dicit: *Fortissimum solatium habeamus, qui confugimus, ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam & firmam*, &c. hæc autem firmissima adhæsio spei in intellectu duplicem supponit certitudinem, unam absolutam & perfectam, quà scilicet intellectus fide divina credit Deum promisisse hominibus gratiam, & misericordiam, idque jurejurando, prout ibid. præmittit Apost. dicens: *In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit Jusjurandum*, &c. *quibus impossibile est mentiri Deum*, &c.

II. Similiter ad Tit. 1. v. 2. *In spem vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur Deus*, &c. hac ergo intellectus certitudine voluntas freta firmissimè sperat, & confidit: sed quia promissio Dei non est absolutè omnibus facta, alioquin omnes homines infallibiliter salvarentur, sed sub conditione, scilicet, quia promisit justificationem illis adultis, qui per motionem Spiritus Sancti credunt, dolent, & diligunt, prout oportet, ut sæpius probatum est, & quoad spem vitæ æternæ prærequiritur charitas in homine, juxta illud Rom. 5. v. 5. *Spes autem non confundit; quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*, &c. itaque præter certitudinem intellectus quoad Dei promissa, requiritur alia certitudo in intellectu, ut homo certus sit se habere charitatem, vel dispositiones requisita, ad justificationem, vel se consecuturum has dispositiones. Si de his haberet homo certitudinem Fidei divinæ, tunc certum est, quod divina Fide esset certus de justificatione & gratia, sed hanc certitudinem non potest homo habere ex generalibus Dei promissis, ut suprà ostensum est, sed habere deberet ab experientia; sed nec per experientiam homo est simpliciter certus, quod habeat tales dispositiones, prout requiritur, scilicet à Spiritu Sancto & sincerè factas, ut etiam ostensum est; sed potest habere certitudinem moralem, quæ non est Fidei, quia non credit, ob Dei vel hominis alicuius testimonium, sed est opinionis, qua homo hic & nunc in se experitur Fidem, spem, dilectionem, dolorem de peccatis, nec etiam sibi conscius est alicuius criminis, aut malæ voluntatis; dum itaque homo

per intellectum ista in se experitur, habet utique aliquam certitudinem de illis, sed non Fidei divinæ, ut ostensum est: Habet ergo certitudinem moralem, quæ sufficit, ut homo, dum Fide divina est certus de Dei promissis, & moraliter certus quod illa habeat, quæ Deus requirit, firmiter speret sibi peccata esse remissa, vel se esse in gratia. Vbi patet, quod totum primarium fundamentum spei sit Dei promissio, dispositiones tamen tales requirens: quia vero de his quidem homo moraliter certus esse potest, non tamen evidenter, nec Fide divina, ideo cum tali morali certitudine consistit aliqua formido, non de promissis Dei, sed de dispositionibus, an sint veræ, prout à Deo requiruntur, an etiam nihil lateat Deo displicens: hac tamen formidine non obstante homo firmissimè sperare, & confidere potest, quod sit in gratia, & per Dei misericordiam requisita consecutus, si sibi non sit malè conscius, & pro conatu suo facere studeat; quod adeo verum est, ut si homo certitudine Fidei certus esset, non solùm de promissis & misericordia Dei, sed etiam dispositionibus, tunc propriè non esset spes, sed certissima expectatio, vel possessio gratiæ. Similiter etiam si Deus absolutè promisisset huic vel illi dare gratiam, de qua ipsi constaret, non opus esset sperare, vel confidere, sed certus esse deberet sine omni spe; sic etiam inter homines usus habet: ut cùm aliquis videt oculis se ab alio aliquid accipere, non dicitur de ipso confidere illud, sed accipere, certitudo autem

Fidei certior est quam visus hominis. Sic Christus Dominus secundum humanitatem non habebat propriè spem de futura sua post resurrectionem exaltatione, quam certò sciebat scientia divina; sic etiam animæ in cælis non sperant propriè corporum resurrectionem, quam certa scientia à Deo facta exspectant. Spes ergo nostra firmissima est, & esse debet quoad promissa Dei: firma etiam est in illis, qui per Dei gratiam sperant se dispositiones habituros, & sic sibi peccata remittenda; similiter, qui in se experiuntur dispositiones & requisita, firmiter confidunt, sibi remissa esse peccata, adeoque etiam securitatem & lætitiam habere possunt, licèt cum aliqua formidine, juxta illud ps. 2. *Exultate ei cum tremore*. His præmissis ad obiectiones Acatholicorum respondebitur. IV.

Objiciunt itaque illud Joann. 14. 17. *Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum, vos autem cognoscetis eum, quia apud* V.

apud vos manebit, & in vobis erit, unde sic argueunt. Christus promisit, quod cognoscent Spiritum Sanctum in ipsis manere, idque cognitione Fidei divinæ, quod probant ex verbis sequentibus v. 20. ubi Christus dicit *In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis*. atqui Fide divinâ credimus Christum esse in Patre, ergo eadem Fide credimus Christum & Spiritum Sanctum in nobis esse, adeoque nos esse gratos Deo.

V. Resp. primò negando simpliciter quod Christus v. 17. promiserit Apostolos cognituros, quod Spiritus Sanctus in ipsis maneat, sed solum promittit, quod cognoscerent Spiritum Sanctum, qui in illis manebit, quod fieri potest, licèt non cognoscant illum in ipsis manere.

Resp. 2. Spiritus Sanctus dupliciter potest manere in homine, semel per motionem, quâ excitat & adjuvat hominem ad credendum Deum Spiritum S. Secundo modo, quod maneat in homine per gratiam in justificato: priore itaque modo dici potest, quod homo ex eo cognoscat Spiritum Sanctum in ipso manere, quia scit, se non posse credere Spiritum Sanctum sine ipsius gratia adjuvante, quod tamen fieri potest ab homine adhuc peccatore: non enim sic habetur Spiritus Sanctus ab homine, qui nondum Fidem habet, qui per mundum significatur, prout ait August. tract. 74. dicens: *Mundum quippe ait hoc loco mundi significans dilectores, quæ dilectio non est a Patre*: inde tamen non sequitur, quod homo justificatus cognoscat Spiritum Sanctum in ipso manere per infusionem gratiæ, vel per remissionem peccatorum. Sic explicat August. eodem tract. 74. illa verba Joann. in fine de Spiritu S. dicens: *Datur quippe ut sit & in nobis, sed videri & sciri, quemadmodum videndus & sciendus est, non potest a nobis, si non sit in nobis*. Vbi per totum tractatum explicat, qualiter Spiritus Sanctus nobis detur, semper supponendo, si diligamus Christum non solo ore, sed opere & veritate; quod ibid. probat ex illo 1. Cor. 12. v. 3 *Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto*, scilicet, *qui animo, verbo, facto, corde, ore, & opere dicit, ille est, qui diligit.*

VI. Resp. 3. quod Christus ibi promiserit, quod Apostoli & alii fideles postea clariùs cognoscant Spiritum S. per experimentalem notitiam, quam per gratiã adjunctam Spiritûs Sancti experiantur, quæ tamen experientia non est fidei divinæ, sed experientia probabilis, quia in se experiuntur affectum dilectionis.

Resp. 4. Potest etiam intelligi de ipsis solis Apostolis, qui in festo Penthecostes accepturi erant Spiritum Sanctum, & fortè specialiter certificandi erant de gratia illius.

Resp. 5. Potest etiam explicari de Ecclesia in universum, quia per Fidem divinam certè cognoscit Ecclesia, quod Spiritus Sanctus maneat in Ecclesia, & aliquibus, etiam per inhabitantem gratiam, sic ergo non sequitur evidenter ex illo loco, quod quilibet fidelis debeat, & possit certò fide divinâ credere, se esse in gratia per Spiritum Sanctum, licèt credat, quod sit Spiritus Sanctus.

VII. Ad alterum locum, qui ad probationem adducitur, negatur, quod Christus ibi de eadem cognitione loquatur; nam D. Augustinus tract. 75. illum diem intelligit, in quo Sancti resurgent in gloria, sic dicens: *In illo die, inquit, vos cognoscetis, quia ego sum in Patre, & vos in me, & ego in vobis; in quo die, nisi de quo ait, & vos vivetis? tunc enim erit, ut possimus videre, quod credimus, nam & nunc est in nobis, & nos in illo, sed hoc nunc credimus, tunc etiam cognoscemus*, &c. hæc ille.

Resp. 2. si intelligatur de cognitione fidei, quam Apostoli post resurrectionem habituri erant, hoc ad solos Apostolos spectabat, vel si ad alios fideles extendatur, etiam verum est, quod cognoscant fideles Christum esse in Ecclesia, & Ecclesiam in Christo, sicut caput in corpore, & corpus in capite, quod fide divinâ creditur; sed non sequitur, quod cognoscatur, quod in singulis in particulari sit per gratiam, licèt in omnibus membris Ecclesiæ sit per Fidem, etsi aliqua membra mortua sint per charitatis defectum, quod non constat.

Resp. 3. etiam intelligi potest, quod fideles pii cognoscant Christum sibi inesse ex signis, quæ in anima sentiunt, quæ non est Fides divina, sed moralis, seu potiùs opinio valde probabilis: nec enim consequens est, quod eadem certitudine cognoscamus Christum in nobis esse, qua cognoscimus Christum esse in Patre, sicut in simili patet Joann. 17. v. 12. *Pater serva eos, ut sint unum, sicut & nos*, &c. ubi non intelligitur eadem unitas, ut volebant Arriani, nam de Christo absolutè & infallibiliter a Deo revelatum est, quod ipse sit in Patre, & unum cum Patre substantialiter, non autem revelatum est, quod absolutè omnes sint in Christo per gratiam, sed sub conditione, qui ad hoc dispositi fuerint, de quibus dispositionibus non est huic vel illi facta divina promissio in particulari, ut ex S. Scriptura ostensum est.

2. Objiciunt ex verbis Apostoli Rom. 8. v. 15. & 16. *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater, ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei*. Vnde sic arguunt, atqui testimonium Spiritûs Sancti est testimonium Dei, cui non potest subesse falsum, ergo spiritus noster habens assensum ex hoc testimonio, quod sumus Filii Dei, habet assensum, cui non potest subesse falsum. VIII.

Resp. dupliciter: Spiritus Sanctus potest dici aliquid testari, vel testimonium reddere, semel per revelationem, seu per verbum expressum, & hoc homini, cui revelatur, est infallibile.

2. dicitur testari per certos effectus, quos in homine excitat, & homo in se experitur; scilicet, ut homo confidenter Deum invocet Patrem, in ipsum speret, & affectuosè in amore Dei effervescat, qui effectus, cùm simul à Spiritu S. & ab homine fiant; dicitur homo habere testimonium Spiritus S. quo excitante & adjuvante illa facit, & per illa verba, *Abba Pater*, testatur se agnoscere Deum in Patrem. Verùm, quia hi effectus, vel illis valde similes, etiam fieri possunt absque adjutorio Spiritus Sancti speciali ex proprio amore, affectu, & persuasione, prout etiam homo in peccatis affectuosè dicit; *Pater noster*, & omnes veri hæretici crebrius dicunt *Abba Pater*, sicut etiam dum Judæi Joann. 8. v. 41. dicebant: *Nos ex fornicatione non sumus nati, verum Patrem habemus Deum*, quibus tamen Christus v. 45. dixit: *Vos ex Patre diabolo estis*; patet, quod licèt pios & sanctos Spiritus Sanctus excitet, ut De-

Digitized by Google

ut Deum Patrem invocent dicendo, *Abba Pater*, tamen non sint certi certitudine fidei per hos effectus, quod hos excitante Spiritu S. faciant, cùm etiam possint esse extra statum gratiæ, de quo certi non sunt, & alii peccatores, ut dictum, eadem ex affectu dicere possint; adeoque tale testimonium Spiritûs Sancti per effectum non erit quoad nos infallibile: nam, licèt in se sit verum, quando Spiritus Sanctus excitat, non tamen est homini certum, quod ab illo fiat. Verùm si sibi nullius mortalis criminis conscius homo sit, & in se odium sincerum & dolorem peccatorum, dilectionem Dei & proximi, ac sui ipsius contemptum sentiat, & sic de Dei misericordia sperans Deum Patrem invocet, moralem seu conjecturalem certitudinem habet ex his effectibus, quod à Spiritu Sancto procedant, & per hos Spiritus Sanctus ipsi testimonium præstet, quod sit filius Dei, quæ certitudo non est Fidei divinæ, ut patet, alioquin omnes Judæi & hæretici sic Deum invocantes certi essent, quod sint filii Dei.

IX. Tertiò argumentantur ex illis verbis Apostoli Rom. 8. v. 38. & 39. *Certus sum enim, quia neq; mors, neq; vita*, &c. *poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu.* Unde sic inferunt, ergo electi certâ fide divinâ credunt se peccare non posse, & esse in charitate Dei, & gratia.

Respond. negando consequentiam, quod enim electi peccare possint, nimis clarè ex S. Scriptura constat. Secundò, licèt hoc concederetur de electis, qui se electos esse sciunt, hoc nihil ad propositum, cùm probandum sit, quod singuli fideles certò credere debeant se esse electos; verba autem Apostoli in diversis veris sensibus explicantur, quorum nullus Acatholicis suffragatur.

Primò explicatur, quod Apostolus illa dixerit in persona omnium prædestinatorum, quod finaliter à charitate Dei non separentur, ex hoc non probatur quod singuli de præsenti certi sint se esse prædestinatos, vel in gratia.

X. Secundò explicatur, quod Apostolus ibi loquatur de se in particulari, idque dupliciter, vel quia ipsi revelata erat sua justificatio, & prædestinatio, quod tamen alii negant, propter verba 1. Cor. 13. &c. vel quia ex signis in se repertis moraliter erat certus se esse in gratia, & in illa perseveraturum per Dei gratiam: & huic explicationi convenit, quod Doctores notant circa vocem *certus sum*, pro qua in Græco habetur, πέπεισμαι, quod idem est, ac, *certam in Domino spem habeo, seu persuasum habeo, vel confido*, sicut etiam legit *Ambrosius* in commentario hujus loci, *Hieron.* in epist. ad Algasiam quæst. 9. Et probatur ex eodem Apostolo, qui hâc voce alibi utitur pro confido, ut in hac eadem epist. Rom. 15. v. 14. dicens: *Certus sum autem fratres mei, & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ut possitis alterutrum monere*, &c. & 2. Tim. 1. v. 5. *Recordationem accipiens ejus fidei, quæ est in te non ficta, quæ & habitavit primum in avia tua Loide*, &c. *certus sum autem, quod & in te*, &c. atqui certum est, quod Apostolus divina fide non erat certus, quod omnes & singuli Romani essent pleni dilectione, & omni scientia, aut quod Timotheus in corde haberet Fidem non fictam, &c. sed hæc per signa confidebat, quæ confidentia non infert certitudinem Fidei divinæ.

3. Explicatur à D. Aug. lib. de Moribus Ecclesiæ cap. 11. edit. Basil. 1525. ubi hunc locum intelligit de charitate erga Deum, quod nihil ita amandum sit, quàm Deus, & subdit: *Quis, quæso dubitaverit his omnibus constitutis, & firmissime creditis, nihil nobis aliud esse optimum, ad quod adipiscendum postpositis cæteris festinare oporteat, quàm Deum*, &c. & postea in particulari recenset dicens: *Nemo nos separat à charitate Domini minando mortem*, &c. sic de reliquis, *quia Deus sua perfectione omnia superat, ut potiùs ipsi adhærendum sit, quam ob quodvis aliud ab ipsius charitate recedere*, &c. hæc ille, quod verissimum est, ubi tamen etiam indicat, posse hominem ex fragilitate à charitate deficere, ideo subdit: *Quid terreret infernus, ut Deum deseram? quem si nunquam deseruissem, inferna nescirem*, &c. & ideo monet charitatem diligentissime servandam dicens: *Sed rursus cavere debet, ne ab ipsius Dei charitate, quâ sanctificatur, ut beatissimus maneat, alterius creaturæ, id est, hujus sensibilis mundi amore, separetur*, &c. hæc ille, ex quibus patet, quod hæc expositio contraria sit Acatholicis, qui volunt fideles certos esse se nunquam lapsuros per alicujus amorem, &c. XI.

Quartò ipsi Acatholici, sicut etiam aliqui Catholici, hunc locum intelligant de charitate Dei, non quam Paulus vel alius homo habet erga Deum, sed de charitate Dei, quâ homines diligit propter merita Christi, quæ adeo potens est, ut nulla creatura illam impedire possit, quo minus hominem diligat. Quod videtur etiam aliqualiter ex textu præcedenti intelligi, dum v. 30. dicitur: *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit. Deus qui justificat, quis est, qui condemnet? Christus Jesus*, &c. *qui etiam interpellat pro nobis*, &c. ubi patet, quod Apostolus præponat potentiam Dei, & ejus charitatem, & tunc subjiciat: *Quis igitur nos separabit à charitate Christi*, & postea: *Certus sum enim, quod neq; mors*, &c. ut suprà. Quæ omnia certissima sunt circa eos, quos Deus sic prædestinavit; sed quod hic vel ille sic sit prædestinatus à Deo, ex his non habetur. XII.

Demum certum etiam est fide divinâ, quod nulla extrinseca creatura possit hominem separare à charitate Dei, quam habet, nisi ipse sponte peccare velit, & à charitate recedere, ideo dicebatur pulchrè: *Nemo læditur, nisi à seipso*, de quo Chrysostomus tom. 5. hom. 5. cui ille titulus est, *eleganter* discurrit, & ideo dum Apostolus omnes creaturas examinasset, non tangit se ipsum, qui ipse poterat se per malitiam à charitate Dei separare; ideo non dixit, neque nos ipsi, &c. Ex his ergo tot expositionibus nulla Acatholicis, ut patet, suffragatur, præsertim cum scriptura semper supponat, quod aliquis sit in gratia, vel habeat charitatem erga Deum, vel quod Deus diligat ipsum; de hoc enim controvertitur,

Digitized by Google

titur, an homo id Fide divinâ certò cognoscere possit, quod Acatholicis probandum est.

XIII. Quartò argumentantur ex illo 1. Cor. 2. v. 12. *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis.* Vnde sic arguunt, ergo quilibet fidelis scit, & credere debet se habere remissionem peccatorum, & dona Dei, &c.

Respond. negando consequentiam, nam Apostolus ibi non agit de donis, quæ huic vel illi in particulari Deus donat, vel donare vult; sed de donis, quæ dedit Ecclesiæ, & promisit electis, quæ nobis per Spiritum Sanctum per verbum Dei revelantur, non vero per spiritum seu sapientiam hujus mundi: ideo ibidem v. 1. dicit: *Et ego cùm venissem ad vos, veni non in sublimitate sermonis aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi.* Et infrà: *Vt Fides vestra non sit in sapientia verbis, sed in virtute Dei*, &c. *& loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante secula in gloriam suam*, & infrà: *Quod oculus non vidit*, &c. & in fine: *Quis enim cognoscit sensum Domini, qui instruat eum? Nos autem sensum Christi habemus:* ex quibus patet, quod Apostolus ostendere velit, humanitus non posse sciri ea, quæ Deus donavit Ecclesiæ, & præparavit electis, sed per Spiritum Sanctum Apostolis & Ecclesiæ revelavit, ut omnes sciant illa, & ad ea tendant. Hinc patet, quod nihil concludatur, quod singulis fidelibus certitudine Fidei donatum sit, ut scire & credere debeant sibi peccata esse dimissa.

XIV. Quintò allegant illa 2. Cor. 13. v. 5. *Vosmetipsos tentate, si estis in Fide, ipsi vos probate, an non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Jesus in vobis est? nisi forte reprobi sitis*, &c. unde sic inferunt, ergo singuli fideles Fide divina certi esse debent, quod Christus sit in ipsis per gratiam, & remissionem peccatorum.

Respond. negando consequentiam, nam Christus dupliciter poterat esse in Corinthiis; semel per virtutem & miracula, quæ per Apostolos inter illos fecerat, per quæ Fidem illis dederat. Secundò per gratiam internam & remissionem peccatorum. Sed quod de hoc secundo non intelligat Apostolus, patet ex utraque epistola, dum arguit Corinthios præsertim 1. Cor. 4. v. 19. dicens: *Veniam ad vos citò, & cognoscam, non sermonem eorum, qui inflati sunt, sed virtutem, quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?* & cap. 5. v. 1. *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes.* Ecce an opus erat, ut singuli se probarent, an essent in gratia & peccata dimissa per Christum, ut sic Christus esset in singulis? cùm contrarium esset manifestum; etiam adhuc postea, ut patet 2. Corinth. 13. v. 2. *Prædixi, & prædico, ut præsens, & nunc absens iis, qui ante peccaverunt, & cæteris omnibus, quoniam, si venero, iterum non parcam*, &c. & postea subjicit: *Vosmetipsos tentate*, &c. patet itaque, quod non intendat, ut omnes se tentent, an sint in gratia, sed an adhuc sint in Fide, quam illis prædicaverat, & multis virtutibus, & signis per Christum confirmaverat; an vero à pseudo-apostolis seducti sint. Si autem in pristina Fide persistatis, tunc credetis, quod Christus sit potens in vobis per me ad correctionem, & ad miracula. Hæc manifestè ex contextu patent, & insuper constat ex illis verbis Apostoli, quæ subjungit dicens: *Spero autem, quod cognoscetis, quia nos non sumus reprobi*, quæ cognitio non poterat Corinthiis attribui de interna gratia Apostoli, quam illi Fide divinâ non poterant scire, sed de cognitione per signa externa, quod Apostolus esset verus Christi Apostolus. Ecce ergo quam falsò Acatholici hæc loca pro suo errore allegent.

Sextò allegant verba Ephes. 3. v. 12. *In quo habemus Fiduciam & accessum in confidentia per Fidem ejus.* Vbi in Græco loco Fiduciæ habetur παῤῥησία, id est, libertas loquendi; unde Calvinus libro 3. cap. 2. §. 15. sic arguit: *Quibus sane verbis ostendit non esse rectam Fidem, nisi quum tranquillis animis audemus nos in conspectu Dei sistere, quæ audacia non nisi ex divina benevolentiæ, virtutisq; certa Fiducia nascitur*, &c. hæc ille. XV.

Respond. primò negando, quod Apostolus velit non esse rectam Fidem in homine, nisi quando sic audacter se ponit in conspectu Dei; nam potest fieri salvâ Fide, quod homo non ita audacter agat, dum considerat suas infirmitates, & occulta peccata, licèt confidat de Dei benignitate secundum Fidem; quod ipsum Calvinus §. 17. fateri debet dicens: *Atqui, dicet quispiam, longe aliud experiuntur fideles, qui in recognoscenda erga se Dei gratia non modo inquietudine tentantur (quod sæpe illis contingit) sed gravissimis etiam terroribus interdum quatiuntur, tanta est ad deturbandas eorum mentes tentationum vehementia*, &c. & subdit: *Nos certe, dum Fidem docemus esse debere certam ac securam, non certitudinem aliquam imaginamur, quæ nulla tangatur dubitatione; nec securitatem, quæ nulla sollicitudine impetatur: quin potiùs dicimus perpetuum esse fidelibus certamen cum sua ipsorum diffidentia, tantum abest, ut eorum conscientias in placida aliqua quiete collocemus, quæ nullis omnino turbis interpelletur. Rursum tamen qualemcunq; in modum affligantur, decidere ac desciscere negamus à certa illa, quam de misericordia Dei conceperunt, fiducia*, &c. hæc Calvinus, quæ omnia bene juxta Fidem Catholicam: sed quod ultimum addit, non posse fideles decidere à certa illa fiducia, id falsum est.

Respond. igitur primò, quod fideles veri certam habeant Fiduciam seu firmam, non ex Fide illa particulari, quam Acatholici sibi imaginantur, quâ Fide, ut volunt, divina quisque credit per Christum sibi peccata esse dimissa; sed ex fide vera Catholica, quâ credunt *investigabiles divitias Christi*, ut Apostolus ibidem v. 8. dicit, quas Gentibus evangelizavit; quod scilicet Christus sit pro nobis natus, & passus, & pro nobis apud Patrem interpellet, & Deus ex summo amore Christum pro nobis dederit. Ex qua fide fideles firmiter sperant Dei gratiam per Christum, & audent confidenter accedere ad thronum divinæ gratiæ, & hoc Apostolus XVI.

præ-

prædicat; & Ecclesia docet: cùm hoc tamen consistit, quod fidelis attendens suam infirmitatem aliqualiter formidet, ne fortè propter occulta peccata non subsistat; vel etiam ex propria fragilitate à Dei mandatis deficiat: unde Apostolus ibid. v. 14. dicit: *Propter quod peto, ne deficiatis in tribulationibus meis: hujus rei gratia flecto genua mea ad patrem, &c. ut det vobis secundùm divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per spiritum ejus in interiorem hominem, Christum habitare per fidem in cordibus vestris in charitate radicati*, &c. hæc Apostolus, quorsum illa, si fideles Fide divina certò credere debeant se esse in gratia, nec ex ea excidere posse, aut deficere?

XVII. Demum allegantur verba 1. Joann. 3. v. 14. *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Et v. 21: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum*, ergo, inferunt, Fide divinâ quilibet debet credere se esse in vita.

Resp. negando consequentiam; juxta secundum locum conceditur, quod præbeat Fiduciam, si homo sibi nullius sit mali conscius; sed ex hoc non est certitudo Fidei de statu gratiæ. Quoad primum locum S. Joannes expressè causam scientiæ addit dicens: *Quoniam diligimus fratres*; at hoc Acatholici non volunt, quod ideo simus in vita, quia diligimus, sed quia tantùm credimus nos esse in gratia, Apostolus autem addit: *Qui non diligit, manet in morte*; adeoque, licèt credat, in morte manet, si non diligat. Secundò non est fidelis certus, quod diligat fratres, sicut oportet, ideo non est certus, nec scit fide divinâ, sed tantum opinione, & scientia morali, quia homo in se experitur amorem proximi, de quo non est certus, an verus sit.

XVIII. Similiter respondetur ad alium locum 1. Joann. 4. v. 13. *In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis*: nam patet, quod non loquitur de scientia Fidei divinæ, sed morali, quando experimur in nobis opera spiritûs Christi, scilicet dilectionis proximi, &c.

Illud denique 1. Joann. 5. v. 10. *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se*, non infert, quod omnis habeat testimonium Dei in se, sed de divinitate Christi, nam sanctus Joannes subdit: *Qui non credit filio, mendacem facit eum* (scilicet Deum) *quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de Filio suo.* Quod autem addit: *Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus*, hoc ad Ecclesiam spectat, non ad quoslibet in particulari, pro quibus Christus sanguinem fudit, quia pro toto mundo fudit; sed dedit omnibus vitam, promittens per Christum vitam iis, qui se disponunt per ipsius gratiam, sed quinam illi sint, Fide divinâ non constat in particulari, sed ex signis moraliter certis, ut docet Ecclesia.

Demum illud 1. Joann. 4. v. 18. *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem*, &c. ergo perfecti in charitate sunt securi & certi.

Resp. S. Augustinus tract. 9. in epist. Joann. quod duo sint timores; unus, qui timet gehennam, & ille ejicitur à charitate; alter, qui timet, ne à charitate excidat, & de priore loquitur Joannes, de posteriore ps. 18. v. 10. *Timor Domini castus seu sanctus permanens in sæculum sæculi*, &c. Unde iterum patet contra Acatholicos, quod homo justus possit excidere à gratia.

ARTICULUS VII.

Ipsi Acatholici fatentur doctrinam Ecclesiæ Romanæ de justificatione à SS. Patribus ab initio Ecclesiæ traditam esse.

I. HÆc sunt S. scripturæ loca, quæ Acatholici pro sua particulari fide divina allegant. Consideret autem sincerus lector, an in illis expressè dicatur, vel per evidentem consequentiam ex illis ista inferatur ipsorum ficta Fides, qui in hac Fide suam reformatam, ut volunt, religionem fundant, & semper clamant: *ubi est scriptum?* Catholica autem doctrina clarissimis S. scripturæ verbis traditur, ut suprà ostensum est, sine ulla consequentia, prout etiam SS. Patres expressè intellexerunt, & docuerunt, prout ex testimoniis clarissimis suprà allegatis patet, nec ipsi ullum expressum alicujus sancti Patris locum allegare possunt, ubi dicat, *quod quilibet fidelis fide divina certus esse possit, & debeat de sua justificatione, vel peccatorum remissione*; sed si dicant subinde hominem esse certum, satis explicant de certitudine morali, quæ consistit in eo, quod adhuc incerti sint simpliciter, semper se fundantes in illo Apostoli: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum, neque me ipsum judico, sed qui judicat me, Dominus est*, & hoc judicium reservari dicit,
II. donec Dominus venerit. Et quidem D. Augustinus suprà expressè monet, qualiter intelligendum sit illud 2. Cor. 1. v. 12. *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ*, &c. dicens in ps. 149. *Est ergo modus gloriandi in conscientia*, vide supra, ubi addit, *sed quoniam multa sunt forte, quæ possunt offendere oculos Dei*, &c. similiter hom. 23. de verbis Domini loquitur de bona conscientia, ut suprà relatum est; & patet ex ipsis verbis Apostoli, cum subdit: *In simplicitate cordis, & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo*, &c. nullus autem de se habet certitudinem Fidei, quod ita conversetur, ut Apostolus exigit; qui non dicit gloria nostra hæc est testimonium hoc conscientiæ nostræ, quod scilicet Fide divinâ quilibet credat sibi esse dimissa peccata, &c. hoc legant Acatholici in sacra Scriptura vel in sanctis Patribus: quod, quia non possunt, ficta & falsa est illorum doctrina fundamentalis, quam in Fide hac speciali sitam esse profitentur cum Calvino lib. 3. Instit. cap. 11. §. 1. cujus verba suprà art. 1. relata sunt, sicut & Pareus l. 2. de justit. c. 1. ubi ait: *Ea potissima fuit, & est causa divortii, quod Ecclesiæ*

Digitized by Google

Euangelicæ annis abhinc 97. à Romano Papatu facere coactæ fuerunt, hæc ille. O miserum fundamentum, quod nullum in S. scriptura & sanctis Patribus habet fundamentum, ô cæcam & vanam falsitatis suæ confessionem, quâ fatentur; quod illæ prætensæ Euangelicæ Ecclesiæ (bene dicit Pareus in plurali, quia non sunt una vera Ecclesia) ab annis 97. à Papatu divortium fecerint, scilicet, cum quo ante illud tempus conjunctæ erant, adeoque illæ Ecclesiæ, ante 97. annos non erant tales Ecclesiæ, quales modo sunt, proinde nec veræ; cùm Ecclesia vera semper à temporibus Christi fuerit. Fundamentum autem Religionis Romanæ Ecclesiæ non est illa ficta particularis Fides, sed fides Catholica hactenus explicata, quæ est radix *justificationis, cujus causa efficiens est misericors Deus, meritoria Christus, formalis autem justitia, seu charitas per Spiritum Sanctum in cordibus diffusa*, quæ nullatenus cum Judæis, vel Turcis, aut Gentilibus cohæret; sed in S. scriptura & à sanctis Patribus tradita, à tempore Apostolorum semper docta, in Ecclesia credita fuit, ut hactenus copiosè demonstratum est, prout etiam ipsorum primarii Magistri fateri debuerunt, ut *Melanchton* in commentario in 1. Cor. 3. ubi dicit, *Scriptores veteres* (sancti Patres) *obscurarunt doctrinam de justitia fidei*. Et *Magdeburgenses* cent. 2. c. 4. sic scribunt: *Tametsi hæc ætas Apostolis admodum vicina fuit, tamen doctrina Christi & Apostolorum non parum obfuscari cæpit.* Et infrà: *Doctrina de justificatione negligentius & obscurius ab his Doctoribus tradita est, videlicet, non docent nos solâ fide justificari*, &c. hæc illi, quasi vero illa esset doctrina Christi & Apostolorum, quod falsum esse copiosè ostensum est.

IV. *Petrus Martyr* classe 3. locor. comm. cap. 4 §. 88. allegans Hieron. in cap. 5. ad Gal. dicentem: *Sola est charitas, quæ cor mundum efficit*, ipse dicit: *Quid hic respondebimus, quam quod ejus dictum, si rigide ac simpliciter urgeatur, falsum esset.*

Similiter §. 89. allegans *Augustinum* l. de Nat. & Grat. c. 38. ubi dicit: *Charitas Dei est, qua unus justus est, quicunq; justus est*, &c. & Chrys. dicentem: *Fides sola non sufficit ad salutem*, &c. juxta duplicem justificationem ipsos interpretari conatur, & tandem concludit sic dicens: *Quod si verba illorum Patrum, ut fit interdum, hujusmodi expositionem non patiantur quod æquissimum est, provocabimus ab illis negligentius scribentibus ad eosdem illos alibi sanius & magis orthodoxe scribentes*, &c. hæc ille, sed quàm constanter sancti Patres veritatem Catholicam docuerint, ex illorum testimoniis suprà allatis constat. Ex his patet, quod doctrina Ecclesiæ Catholicæ Romanæ à sanctis Patribus à primis sæculis adeo clarè tradita sit, ut adversarii id fateri cogantur, adeoque non sit doctrina Judæorum, nec Turcarum, sed Christi, Apostolorum, ac primitivæ Ecclesiæ, prout etiam abunde probatum est.

***

ARTICULUS VIII.

Refutantur calumniæ Acatholicorum contra doctrinam de justificatione.

Acatholici, dum contra veritatem Catholicam, ut in se est, nec ex S. Scriptura, nec ex SS. Patribus proficere possunt, ad mendacia & calumnias, ut ipsis familiare est, confugiunt. I.

Sic *Calvinus* lib. 3. Inst. cap. 2. §. 24. affingendo falsa Catholicis sic ait: *Neq; tamen sic locum facimus pestilentissimæ philosophiæ, quam nonnulli semipapistæ cudere hodie in angulis incipiunt. Quia enim crassam illam dubitationem, quæ in scholis tradita fuit, tueri nequeunt, confugiunt ad aliud commentum, ut fiduciam incredulitate mixtam faciant. Quoties in Christum respicimus, fatentur illic nos invenire plenam bene sperandi materiam: sed quia semper indigni sumus illis omnibus bonis, quæ in Christo nobis offeruntur, volunt indignitatis nostræ intuitu nos fluctuari, & hæsitare. In summa conscientiam sic statuunt inter spem & metum, ut per intervalla & vices huc atq; illuc alternet; spem vero & metum sic inter se conferunt, ut illa exoriente hic opprimatur, hoc resurgente illa rursus concidat. Ita Sathan ubi jam videt apertas machinas illas, quibus fidei certitudinem destruere antea solitus erat, nunc nihil valere, obliquis cuniculis eam labefactare conatur. Qualis autem erit illa fiducia, quæ subinde desperationi cedet?* &c. *Quasi vero Christum veluti procul stantem, & non potius in nobis habitantem debeamus cogitare*, hæc Calvin.

Quis non putaret Calvinum, sic audacter de doctrina Catholicorum agentem, ea loqui, quæ manifestissima essent; verumtamen falsissima sunt. Non est Sathan, sed Spiritus Sanctus, qui non Fidei veræ certitudinem, sed illam fictam Calvini Fidei certitudinem per verbum Dei destruxit, & destruere non cessat: Sathan autem est, qui talia mendacia inspirat. Nec enim Doctores Catholici unquam illam, quam Calvinus ipsis affingit, in scholis doctrinam communiter tradiderunt, nec tradunt. In manibus, etiam Acatholicorum, sunt tot præclari illustrium, qui Calvinum præcesserunt, Doctorum libri, ex quibus patet, quod non docuerint illam crassam dubitationem, quâ fidelis suspensus hæreat, an confidat, nec ne, de Dei misericordia: nec olim, nec modo docent Christianum fluctuari & hæsitare; inter spem & metum alternare, multò minùs subinde de salute desperare debere. II.

Communis Doctorum olim fuit, & etiamnum est doctrina, quæ à Concilio Tridentino sess. 6. tradita, suprà art. 2. relata est, hæc scilicet, quod si homo adultus per gratiam Dei excitatus & adjutus credat ea, quæ divinitus revelata, & promissa sunt, atq; illud imprimis à Deo justificari impium per gratiam ejus per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, non quidem quemlibet absolutè per nudam, etiam veram, Fidem, sed ut S. Scriptura exigit, illum III.

illum qui se peccatorem esse agnoscens à divinæ iustitiæ timore utiliter concussus, ad Dei misericordiam se convertendo in spem erigitur, confidens Deum sibi per Christum propitium fore, si illum, ut iustitiæ fontem, diligere incipiat; ac ideo moveatur contra peccata per odium aliquod, & detestationem, seu per pœnitentiam, quam agi oportet, novam vitam inchoare, & Dei mandata servare, ac denique Sacramenta, quæ Christus in remissionem peccatorum instituit, suscipere proponat: talem, inquam, hominem sic agentem docet Ecclesia nullatenus debere desperare de sua salute, nec de ea dubitare, ut suspensus hæreat, nec etiã alternatim timere, & sperare sed firmiter confidere, quod veniã peccatorum & gratiam Dei obtinebit; & si ea, quæ S. Scripturam dispositivè exigere ostensum est, seriò agere conatus sit, ac præsertim vel baptismi vel pœnitentiæ Sacramentum susceperit, firmiter confidere possit sibi peccata remissa, & gratiam datam: ita tamen ut, quia omnino Fide divinâ certus non est se illa ita egisse, ut oportet, non absolutè securus sit, sed cum aliqua formidine, & timore de sua insufficientia; simul tamen supponat se per Dei misericordiam sufficienter illa requisita præstitisse, ac sic stante etiam illa formidine securè, moraliter & firmiter confidat Deum per merita Christi ipsi peccata remisisse, seque in gratia Dei esse, nec Christum procul stantem, sed Christum in ipso & ipsum in Christo per gratiam & charitatem manere.

Hæc est & fuit doctrina Doctorum Catholicorum, & Ecclesiæ veræ. Vbi hîc docetur hominem taliter constitutum crassè dubitare vel desperare debere? vel inter spem & metum fluctuari? aut spem excutere metum, & metu exsurgente spem concidere? ecce crassam Calvini in Doctores Calumniam.

IV. Quod autem cum firma Fiducia in Dei misericordia simul consistat aliqua formido, & hæsitatio, seu anxietas, non ex parte divinæ misericordiæ, sed ex parte hominis insufficientiæ, nimis clarè suprà ostensum est, & ipse Calvinus illam etiam cum sua Fidei divinæ certitudine & Fiducia stare fateri debet, ut patet lib. 3. cap. 2. §. 17. dicens: *Dum tudem docemus esse debere certam & securam, non certitudinem aliquam imaginamur, quæ nulla tangatur dubitatione, quia potius dicimus perpetuum esse fidelibus certamen cum sua ipsorum diffidentia*, &c. prout suprà art. 6. ad 5. relatum est, & ibid. §. 23. ad illud Philipp. 2. v. 13. *Cum timore & tremore operemur salutem*, fatetur, *quod in animis fidelium sit concepta ex conscientia nostræ calamitatis anxietas.* Item circa illud ps. 5. v. 8 *In multitudine misericordiæ tuæ*, &c. dicit: quod Propheta *decenter Fidei audaciam, quæ Dei misericordia innititur, cum religioso timore conjungit*, & infrà: *Verè etiam Salomon* Proverb. 28. v. 14. *Dum beatum hominem pronunciat, qui terret assiduè cor suum. At terrorem intelligit, qui nos cautiores reddat, non autem quo afflicti concidamus*, &c. & infrà: *Proinde nihil obstat, quin simul & terreantur fideles, & securissima consolatione potiantur*, &c. hæc Calvin. Cur ergo doctrinam Doctorum ita traducit, & calumniatur, qui docent hominem illum, qui, ut suprà dictum est, iuxta requisita per S. Scripturam sese ad gratiam disposuit, firmiter confidere posse, & debere de Dei misericordia, ita tamen, ut formidet simul, & hæsitet aliqualiter ratione propriæ dispositionis, de qua omnino certus non est, sed bene moraliter; & sic satis securus confidit, & quietâ conscientia fruitur, ac etiam sæpe pio & abundanti gaudio reficitur.

Verùm, quâ conscientiâ Calvinus & Acatholici, veritate coacti, fateantur talem in fideli cum certa sua Fide, quam divinam volunt, esse anxietatem, & dubitationem, non video; nam ipsi volunt, quod fidelis non solum certitudine Fidei divinæ debeat esse securus respectu divinæ misericordiæ, quod docet Ecclesia Catholica; sed volunt, quod eadem Fidei certitudine credere & confidere debeat, idque per Fidem illam solam, sibi esse dimissa peccata, seu sibi peccata non fore imputanda, ad pœnam; quæ erit causa anxietatis ratione peccatorum suorum? cùm velint, quod credere debeant peccata pessima manere, & illis non obstantibus per Christi justitiam se securissimos coram Dei tribunali esse, adeoque ratione talis Fidei divinæ nullam de hoc anxietatem & dubitationem habere debere, multò minùs illam admittere, æquè minùs ac de eo, quod credat Deum esse, vel Christum pro nobis passum esse, eò quod juxta illos sit articulus Fidei principalis. V.

Et si dicant talem anxietatem & timorem quidem concurrere; sed esse repellendum: nec hoc consequenter dicunt, quia Calvinus vocat illum religiosum timorem, ut patet ex S. Scriptura, quæ ad hunc timorem hortatur, & illum requirit, dum Salomon dicit *beatum, qui semper est pavidus*, & Apostolus hortatur, *ut cum timore & tremore salutem operemur*; at verò S. Scriptura non hortatur, ut cum timore, dubitatione, & anxietate credamus Deum esse, vel Christum pro nobis passum esse: quia Fidei divinæ certitudo hæc omnia excludit, & detestatur, ut verè fidelis non sit, qui illum timorem, ne dicam dubitationem, circa articulos, præsertim fundamentales, qualis ille de sola illa Fide sua apud ipsos est, admittit.

CONCLVSIO.

EX hactenus dictis & demonstratis patet veritas doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ Romanæ quoad certitudinem, quam fideles citra specialem Dei revelationem de sua justificatione habent, & habere possunt, scilicet; quod quoniam Deus verè pœnitentibus, seu dignos pœnitentiæ fructus facientibus promisit remissionem peccatorum, & gratiam, adeoque sine tali conditione veræ pœnitentiæ, ad quam etiam speciale offert gratiæ auxilium, non possit, nec debeat fidelis Fide divinâ absolutè credere sibi esse remissa peccata, nisi sibi divinitus esset revelatum, vel ipsi ad minus evidenter constaret, quod verè pœniteat, & ea agat, quæ Deus dispositivè in peccatore requirit: Cùm verò de his actibus, an ille ipsos sic fecerit, ut oportet ex speciali Dei gratia, &c. non habeat revelationem specialem, ut Acatholici fateri debent, nec etiam id per evidentem experientiam cognoscere possit, proinde nec potest Fide divinâ credere certitudinaliter sibi esse peccata dimissa; quod ex tot claris sacræ scripturæ locis & sanctorum Patrum testimoniis probatum est. I.

Digitized by Google

II. Econtra verò Acatholici nullum locum S.Scripturæ allegare possunt, in quo ipsorum doctrina expressè legatur: cùm tamen ipsi velint omnes Fidei articulos in S.Scriptura expressè scriptos esse, & legi debere, inter quos articulus hic apud ipsos fundamentalis est: nec hunc ex SS. Patribus probare possunt, quin potiùs fateri debent, quod doctrina Ecclesiæ Catholicæ de iustificatione ab initio Ecclesiæ docta & tradita fuerit à SS. Patribus: quæ etiam habet, quod, licèt homo Fide divinâ & absolutè certus non sit de sua justificatione; nihilominus moraliter ita certus esse possit, ut firmiter confidat, se ex Dei misericordia, & per merita Christi iustificatum, & sibi peccata esse remissa: quando scilicet ipse testimonium conscientiæ suæ habet, id est, non est sibi conscius peccati mortalis de novo commissi, & de præteritis ex corde dolet, ac alios actus dispositivè pro suo posse elicit, ac insuper Sacramentum pœnitentiæ suscipit à sacerdotibus absolvendus, quibus Christus potestatem dedit remittendi peccata, si scilicet pœnitens debitè dispositus fuerit, de qua dispositione cùm moraliter certus sit, veram & firmam Fiduciam habere potest, ac debet, & sic securè sacrum Ecclesiæ Sacramentum suscipere potest; quæ Fiducia consistit cum aliqua anxietate, non ex parte Dei misericordiæ, sed ex parte propriæ dispositionis, de qua absolutè certus non est, licèt moraliter certus sit, quod sufficit ad hoc, ut in conscientia quietus & securus sit, cum aliquo timore & formidine; quod ipsum homini salutare esse, & ideo sic à Deo dispositum esse docet S. Ecclesia: ne scilicet, si homo Fide divinâ, vel saltèm evidenter certus esset de sua iustificatione, facilè superbiret, præsumptuosus fieret, & sic faciliùs in peccata relaberetur, prout SS. Patres tradiderunt, & inter alios D. Augustinus lib. de Corrept. & Grat. cap. 13. edit. Basil. 1528. dicens: *Quæ præsumptio in isto tentationum loco non expedit, ubi tanta est infirmitas, ut superbiam possit generare securitas*, &c. quod adeò clarum est, ut ipse Calvin. suprà §. 17. & 18. etiam non obstante illa sua particularis Fidei divinæ ficta certitudine, fateatur fideles manere in anxietate & certamine conscientiæ & §. 11. sic dicat: *Interea docentur fideles solicite & humiliter seipsos excutere, ne pro Fidei certitudine obrepat carnis securitas*, &c.

Quod autem carnis securitati Fides illa particularis Acatholicorum maximam præbeat occasionem, experientia prô dolor demonstrat.

ANTITHESES,

In quibus doctrinæ Ecclesiæ Romanæ circa certitudinem singulorum fidelium quoad propriam iustificationem cum SS. Patrum doctrina conformitas; & Acatholicorum deformitas proponitur.

I. PRima: *SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt*, quod homo fidelis sine speciali revelatione non sciat an odio, an amore dignus sit, ac proinde nec Fide divinâ, cui non possit subesse falsum, certus sit, quod peccata ei dimissa sint, vel ipse iustificatus. *Ita etiam docet Ecclesia Catholica moderna.*

Acatholici pro primario suæ prætensæ religionis fundamento ponunt hunc articulum; quod quilibet fidelis possit, imo debeat Fide divinâ certò credere sibi esse peccata per Christum dimissa, & se hâc solâ Fide justificatum esse: quem articulum in S. Scriptura non legunt, nec apud SS. Patres.

2. *SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt*, quod homo fidelis, licèt nullius peccati sibi conscius sit, tamen non sit certus Fide divinâ, quod nulla habeat occulta peccata, vel quod de iis doleat, ut oportet, ob quæ timere debeat, ne sit in gratia. *Ita etiam Ecclesia Catholica.*

Acatholici volunt, quod homo, licèt sibi etiam conscius sit gravissimorum criminum, & illis adhuc obrutus sit, tamen Fide divinâ certò credere debeat sibi per illam Fidem specialem peccata esse dimissa, nec nocere, & se iustificatum esse.

3. *SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt*: quod homo fidelis non facilè sibi persuadere debeat sibi dimissa esse gravissima peccata, sed impensiùs Deum orare, tempus lachrimosis lamentationibus occupare, &c. ut remissionem obtineat. *Ita etiam Ecclesia Catholica.*

Acatholici volunt, quod homo sola illa sua Fide speciali peccatorum remissionem, & Dei gratiam obtineat.

4. *SS. Patres iuxta S. Scripturam docuerunt*, quod, licèt immensa sit Dei misericordia, & peccata solùm per Christi merita dimittantur; tamen Deus etiam ex parte hominis requirat, ut credat, speret, doleat de peccatis, Deum & proximum amet, ut oportet, adhoc ut peccatorum veniam obtineat; de quibus homo Fide divinâ non est certus, an illa, ut oportet, præstiterit; unde nec divinâ Fide certus est, quod peccata ei sint remissa. *Ita etiam docet Ecclesia Catholica.*

Acatholici, licèt prædictas dispositiones requiri dicere cogantur, de quibus Fide divina certi non sunt, quod illas habeant; tamen volunt, quod sola Fide illa speciali homo credens, remissionem Fide divina certam habeat.

II. 5. *SS. Patres iuxta S. Scripturam docuerunt*, quod, licet homo sentiat in se pium affectum, ex quo clamet, *Abba Pater*, non tamen Fide divina certus sit, an ita oret ex corde, & amore debito, nec proinde certus sit, quod sit in gratia Dei. *Ita etiam docet Ecclesia.*

Acatholici volunt, quod illi, qui ex affectu, *Abba Pater*, dicunt, habeant Spiritum Sanctum: cùm tamen omnes hæretici sic orent.

6. *SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt*, quod fidelis, licet testimonium conscientiæ habeat, non tamen certus sit Fide divina, quod in simplicitate cordis & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei in hoc mundo conversetur, ac proinde coram Deo vere iustus sit. *Ita etiam docet Ecclesia.*

Acatholici volunt, quod non obstantibus peccatis, quibus qualiscunque homo obrutus est, Fide divina certus sit, se coram Dei tribunali iustum esse.

7. *SS. Patres iuxta S. Scripturam docuerunt*, quod nullus fidelis de seipso judicium ferre possit, an vere coram Deo iustificatus sit, vel peccata ipsi sint remissa, licet conscientia ipsum de nullo crimine arguat, cum aliqua habere possit, quæ oculis Dei pateant. *Ita etiam docet Ecclesia.*

Acatho-

Digitized by Google

Acatholici volunt, quod, licet hominis conscientia peccatis plena sit, tamen se coram Dei tribunali iustum Fide divina iudicare debeat, si Fidem specialem habeat.

8. *SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt*, quod cor hominis sit abyssus, quam solus Deus agnoscat, nec ipse homo certò agnoscat peccata sua, quibus adhuc obnoxius sit, vel quod Deum sincerè amet; prout ipsi Petro in cœna contigit, ac proinde nec quod peccata dimissa sint, vel iustus sit. *Ita etiam docet Ecclesia.*

Acatholici volunt, quod illis non obstantibus homo per Fidem specialem certus sit de remissione peccatorum & gratia, ut decipi non possit.

9. *SS. Patres iuxta S. Scripturam docuerunt*, quod quilibet fidelis, licèt non sit certus Fide divinâ de suorum peccatorum remissione; tamen firmiter confidere debeat, & moraliter securus esse possit, licèt cum aliqua formidine, quod per Dei misericordiam sibi sint remittenda, vel remissa peccata: si illa, quæ Deus ex parte hominis requirit, præstare conetur, vel præstiterit. *Ita etiam docet Ecclesia.*

Acatholici volunt, quod fidelis quilibet absolutè Fide divinâ sibi persuadere, & Fiduciam habere, imo securus esse debeat, sibi esse remissa peccata per solam Fidem specialem.

III. 10. *SS. Patres iuxta S. Scripturam docuerunt*, quod, licèt quilibet fidelis de Dei misericordia, meritis Christi ac Sacramentorum efficacia nullatenus dubitare, sed certa Fide credere illa debeat, ac proinde de illis sperare; tamen attendens propriam suam infirmitatem & dispositionem à Deo requisitam, de qua certus non est, timere debeat, ne fortè non sit in gratia: adeoque simul confidere & timere, ac sic Deo in timore servire, ac cum tremore exultare debeat, & ad Sacramenta accedere possit. *Ita etiam docet Ecclesia.*

Acatholici volunt, quod non obstante hominis infirmitate & indispositione etiam peccatorum conscientia, per solam Fidem specialem se iustum esse, & coram Dei tribunali securum consistere divinâ Fide credere possit, & debeat.

11. *SS. Patres iuxta S. Scripturam docuerunt*, quod homo fidelis Fide divinâ certus non sit se justificari, vel justificatum esse sola Fide etiam vera Fiducia in Deum; secluso vero Dei amore. *Ita etiam docet Ecclesia.*

Acatholici volunt, quod non per verum Dei amorem, sed per solam Fidem specialem, & Fiduciam in Christi merita iustificatus sit: cùm tamen omnes moderni in varias sectas divisi, Acatholici, non obstante quod hanc Fidem, & Fiduciam habeant, sese mutuò damnent, & anathematizent.

Hæc consideret sincerus lector, & videat, quàm longè Acatholici à sacra Scriptura & sanctorum Patrum doctrina discesserint.

CAPUT VI.

De Certitudine Prædestinationis & Perseverantiæ.

ARTICULUS I.

Referuntur errores Acatholicorum.

I. Circa hunc articulum tres potissimùm errores ab Acatholicis contra Ecclesiam Catholicam docentur: Primò, quod quilibet fidelis Fide divinâ, cui non potest subesse falsum credere debeat, se esse prædestinatum, 2. quod veri fideles nunquam possint amittere gratiam iustificationis. 3. quod illi, qui non sunt prædestinati, seu electi, nunquam veram fidem nec veram justificationem obtineant.

Primus error communis est, omnium Acatholicorum, nam *Lutherani* id passim docuerunt; & *Bucerus* in colloquio Ratisbonensi affirmabat non esse verum Christianum, qui non eadem Fidei certitudine crederet se adepturum esse vitam æternam, qua credit Christum, vel Deum esse.

Kemnitius etiam in examine Concil. Trid. impugnando verba Concilii sess. 6. cap. 12. prædestinatos dicit omnes justificatos posse & debere certò statuere iuxta verbum Dei, de sua prædestinatione.

Calvinus lib. 3. cap. 2. §. 16. dicit: *In summa vere fidelis non est, nisi qui divinæ erga nos benevolentiæ promissionibus fretus indubitatam salutis exspectationem præsumit.* Et §. 40. allegans Catholicorum sententiam, quasi maneat in suspenso finalis perseverantiæ notitia, dicit: *Egregia vero salutis Fiducia nobis relinquitur, si ad præsens momentum nos esse in gratia, conjectura morali æstimamus, quid in crastinum sit futurum nescimus.* Idem in cap. 5. & 13. Joann. & in cap. 3. Matth. asserit, *quod quilibet fidelis credere debeat Deum Patrem non minùs sibi favere, quàm proprio Filio, & ipsum damnari non posse nisi Christus damnetur.*

2. Error olim à *Joviniano* inter alios tradebatur, ut testatur *August.* lib. de hæres. 82. dicens: *Hic* (Jovinianus) edit. Antw. 1576. *dicebat non posse peccare hominem lavacro regenerationis accepto*, &c. Idem de eodem refert *Hieron.* lib. 1. contra eundem & libro secundo contra eundem in initio refert Jovinianum dixisse eos edit. Basil. 1553. *Qui fuerunt baptizati, à diabolo non posse tentari, quicunque autem tentati fuerint, ostendit eos aqua, & non spiritu baptizatos esse*, &c. ubi videtur per tentationem intellexisse illam, circa quam homo per peccatum consentit. Quoad unam partem hunc errorem Lutherus reproduxit, prout constat ex catalogo errorem ejus ab Echio notatorum, dum dixit: *Prorsus non dubitamus nos esse salvos, postquam baptizati sumus, quia promissio ibi facta non est mutabilis ullis peccatis, unde baptizatus, etiam volens, non potest perdere salutem. quia nulla peccata possunt eum damnare, nisi incredulitas*, &c. ubi tamen supponit, quod per incredulitatem gratiam amittere possit. Sed II.

Cal-

Digitized by Google

Calvinus integrè Jovinlani errorem cum tertio reſuſcitavit, dum lib 3. cap. 2. §. 11. dicit: *Scio quibuſdam durum videri, ubi Fides reprobis tribuitur: quum Paulus eam fructum electionis eſſe aſſerat.* Qui *tamen nodus facile ſolvitur, quia etſi in Fidem non illuminantur, nec Evangelii efficaciam vere ſentiunt, niſi qui præordinati ſunt ad ſalutem*, &c. & infrà: *Ergo ut ſolos electos ſemine incorruptibili Deus in perpetuum regenerat, ut nunquam diſpereat ſemen vitæ eorum cordibus inſitum: Ita ſolide in illis obſignat adoptionis ſuæ gratiam, ut ſtabilis & rata ſit*, &c. *adde quod reprobi nunquam ſenſum gratiæ niſi confuſum percipiant, ut umbram potius apprehendant, quam ſolidum corpus: quia peccatorum remiſſionem ſpiritus proprie in ſolis electis obſignat.* Item §. 12. *Hoc*, ait, *tenendum eſt, quantumvis exigua ſit ac debilis in electis Fides, quia tamen ſpiritus Dei certa illis arrha eſt, ac ſigillum ſuæ adoptionis, nunquam ex eorum cordibus deleri poſſe eius ſculpturam, reprobos vero tali luce aſpergi, quæ poſtea diſpereat*, &c. hæc ille. Qui tamen lucem in reprobis non agnoſcit veræ Fidei, ut patet ex prædictis.

III. Calvini ſectatores hanc ſententiam ſuſtinentes veritate compulſi fateri debent electos ſæpe graviter poſſe peccare, ſed volunt illa peccata non eſſe ad mortem, vel in Spiritum Sanctum, ita ut tales ſemper maneant in gratia Dei & adoptione, & ſemen vitæ æternæ in illis, quod conſequenter dicere debent, dum falſiſſimè volunt, quod omnia opera iuſtorum ſint peccata mortalia.

Eundem errorem ſequuntur anabaptiſtæ: Verùm Lutherani hunc damnant, ut patet in confeſſione Auguſtana, ubi ſic de Lutheranis dicitur: *Damnant anabaptiſtas, qui negant ſemel iuſtificatos iterum poſſe amittere Spiritum Sanctum.* Sed Lutherani non conſequenter loquuntur, dum volunt, quod Fide divinâ homo credere debeat ſe prædeſtinatum, ac ſimul concedunt poſſe talem fidelem amittere gratiam, niſi dicant, quod infallibiliter certi ſint ſe iterum gratiam adepturos, prout aliqui dicunt.

Calvinus autem vult, quod Fideles nunquam à gratia excidere poſſint, qualitercunque peccent.

ARTICULUS II.

Proponitur doctrina Eccleſiæ Catholicæ, & explicatur.

I. HAnc declarat Concil. Trid. contra prædictos errores ſeſſ. 6. cap. 12. ſic dicens: *Nemo, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædeſtinationis myſterio uſque adeo præſumere debet, ut certo ſtatuat ſe omnino eſſe in numero prædeſtinatorum, quaſi verum eſſet, quod iuſtificatus, aut amplius peccare non poſſit, aut ſi peccavit, certam ſibi reſipiſcentiam promittere debeat, nam niſi ex ſpeciali revelatione ſciri non poteſt, quos Deus ſibi elegerit.*

Item cap. 13. ſic dicit: *Similiter de perſeverantiæ munere, de quo ſcriptum eſt, qui perſeveraverit uſque in Finem, hic ſalvus erit, quod quidem aliunde haberi non poteſt, niſi ab eo, qui potens eſt eum, qui ſtat, ſtatuere, ut perſeveranter ſtet, & eum qui cadit, reſtituere. Nemo ſibi certi aliquid abſoluta certitudine polliceatur, tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare & reponere omnes debent: Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle & perficere*, &c.

Poſtea ſic definit can. 15. dicens: *Si quis dixerit hominem renatum & iuſtificatum teneri ex Fide ad credendum, ſe certo eſſe in numero prædeſtinatorum, anathema ſit.* Et can. 16. *Si quis magnum illud uſq; in Finem perſeverandi donum ſe certo habiturum abſoluta & infallibili certitudine dixerit, niſi hoc ex ſpeciali revelatione didicerit anathema ſit.*

Demum can. 17. *Si quis iuſtificationis gratiam non niſi prædeſtinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos vero omnes, qui vocantur, vocari quidem, ſed gratiam non accipere, utpote divina poteſtate prædeſtinatos ad malum, anathema ſit*, hæc Concil.

Circa hanc Catholicam doctrinam obſervanda ſunt ea, quæ præcedenti capite de certitudine quoad juſtificationem dicta ſunt, nam II. alia eſt certitudo Fidei divinæ, alia Fidei humanæ, ſeu opinionis ex ſignis & conjecturis: Similiter Fidei divinæ certitudo abſoluta eſt, & perfectiſſima, quæ ſoli verbo Dei revelanti innititur, & ex illo ſolo habetur. Spes etiam theologica & divina innititur verbo Dei, iuxta quod verbum Dei rem ſperandam proponit, ac promittit, vel abſolutè, vel ſub conditione, & quidem ſi ſub conditione, quæ eſt ex parte hominis requiſita à Deo; ſpes abſoluta quidem firmitate in objectum tendit, ſed tamen cum formidine de conditione. Sic verbum Dei hominibus promittit gratiam, ſi pœnitentiam agant, juxta illud Luc. 3. v. 8. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Act. 2. v. 38. *Pœnitentiam agite*, & act. 26. v. 20. *Et gentibus annunciabam, ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes.* Sic etiam verbum Dei promittit illis, qui juſtificati ſunt, ſalutem & vitam æternam, ſi in gratia uſque in Finem perſeveraverint, ita ut ſaltèm in Fine vitæ in gratia fuerint. Cùm autem hæ conditiones ex parte hominis incertæ ſint, ut probabitur ex S. Scriptura, non poteſt eſſe Fidei divinæ certitudo abſoluta de ſalute. Cum hoc tamen conſiſtit, quod homo per ſpem firmiſſimè confidat de Dei auxilio, & gratia, & miſericordia ſine abſoluta dubitatione, ita tamen, ut adſit aliqua formido ratione propriæ infirmitatis, cui uſque ad finem vitæ ſubjectus eſt, & ex qua à Dei gratia per peccatum excidere poteſt: Deus enim auxilium ſuum promiſit, ſed cum conditione, niſi homo gratiæ & Spiritui Sancto reſiſtat, de quo non habetur abſoluta certitudo ex Fide divina, ſeu Dei promiſſione, ut oſtendetur. Vnde patet, quod quoad firmiſſimam ta- III. lem Fiduciam non ſit controverſia, quia homo quilibet illam, *ut Concilium docet*, habere debet, alioquin peccaret deſperando, & hæc ſoli Dei gratiæ & miſericordiæ innititur, prout Eccleſia probat in oratione Dom. 5. poſt Epiph. ubi ſic dicitur: *Familiam tuam continua pietate cuſtodi, ut quæ in ſola ſpe gratiæ cœleſtis innititur.* Sed cum hac ſpe conſiſtit aliqua formido: quia Fides vera docet non omnes, ſed aliquos tantùm à Deo eſſe electos; unde licèt quilibet ſimiliter ſperare poſſit, & debeat, ſe eſſe inter electos, etiam timere poteſt ne ſit inter reprobos. Controverſia autem eſt, an quilibet fidelis ita abſolutè & certò credere debeat iuxta verbum Dei Eccleſiæ traditum, ſe eſſe electum & prædeſtinatum, vel ſe nunquam peccaturum, aut ſaltèm finaliter con-

convertendum, sicut absolutè credere debet, quod Christus pro nobis passus sit, vel quod Christus in æternum regnabit: hoc negat Ecclesia Catholica juxta sacram Scripturam, & communem sanctorum Patrum sententiam, ut patebit; non autem docet, quod homo fidelis debeat esse suspensus, seu dubius de sua salute, ut falsò imponit Calvinus; sed credere debeat sub conditione, si perseveraverit, ut Scriptura docet, & sic firmissimè confidere, & sperare, & sperando in charitate conari proficere cum timore, ne deficiat.

ARTICULUS III.

Quod Fideles non teneantur, nec possint Fide divinâ absolutè credere se prædestinatos esse, sed id tamen piè & firmiter credere, probatur ex S. Scriptura, & SS. Patribus.

I. PRimò, quia S. Scriptura passim monet Fideles, ut sibi caveant, ne ex gratia, & Fide excidant, imo ut etiam sibi timeant ex parte suæ infirmitatis, licèt confidere debeant ex parte Deo misericordiæ, hoc patet, ex illo psalm. 2. v. 11. *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*; ubi patet, quod Fiducia cum timore jungatur: Fiducia in exultatione circa Dei misericordiam, timor vero ratione propriæ infirmitatis; quod patet etiam psalm. 17. v. 12. ubi dicitur: *Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis de via justa.*

Sic Rom. 11. ubi Apostolus monet Fideles ex gentibus conversos dicens v. 20. *Tu autem Fide stas, noli altum sapere, sed time: si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat*, scilicet si superbires: Et v. 22. *Si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris.* Et 1. Cor. 10. v. 12. *Qui se existimat stare, videat, ne cadat.* Et Philipp. 2. v. 12. hortatur fideles dicens: *Cum metu & tremore salutem vestram operamini*, & epist. 2. Joann. v. 8. *Videte vosmetipsos, ne perdatis, quæ operati estis, sed ut mercedem plenam accipiatis*, & Apoc. 3. v. 11. dicit Dominus: *Ecce venio cito, tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Ex his sic concluditur: Si quilibet fidelis Fide divina credere debeat se esse prædestinatum, sicut Christum esse in cœlis, ergo nullo modo timere debet, multò minùs sacra Scriptura hortari debet Fideles, ut timeant, ne cadant à via recta, vel à salute: nam hoc esset hortari Fideles, ut etiam timeant, ne Christus pereat, vel ne verbum Dei nos fallat, quæ blasphema sunt, ergo ex hoc certum est, quod S. Scriptura non revelet, quod omnes Fide divinâ credere debeant se esse salvandos, vel prædestinatos.

II. 2. S. Scriptura absolutè docet neminem adultum salvandum, nisi sub conditione, si opera bona præstiterit, & perseveraverit, ut patet Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Iterum Rom. 8. ubi Apostolus loquitur de his, qui jam sunt in gratia v. 17. *Si autem Filii & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*, sed addit: *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur*, similiter 2. Tim. 2. v. 12. *Si commortui sumus, & conviuemus si sustinebimus & conregnabimus*, &c. ecce conditionem ex parte hominis incertam, ut patet ibidem cùm dicit: *Si negaverimus, & ille negabit nos*, ubi supponit, quod fidelis possit negare Christum, & sic deficere à salute, adeoque cum timore salutem operari debeat, nec homo Fide divina absolutè certus sit de sua salute, idque magis urget Acatholicos, qui volunt, quod homo non possit Dei mandata servare, quæ tamen Christus exegit ad vitam, quomodo ergo tam securè sibi sine mandatorum observantia vitam certò adscribunt?

Similiter hortabatur Apostolus Fideles sub conditione ad Hebr. 3. v. 12. dicens: *Videte fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi à Deo vivo, sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati: participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ ejus usq; in finem firmiter retineamus*, &c. ecce conditionem salutis, si scilicet quis perseveraverit, si hoc autem est de Fide omnibus certum, cur Apostolus sic hortatur? III.

Demum Apostolus 2. Tim. 2. dum ostendisset Hymenæum & Philetum à Fide excidisse, & quorundam Fidem subvertisse, ne ideo Fideles turbarentur, quasi omnes subvertendi sint, subjungit v. 19. dicens: *Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Cognovit Dominus qui sunt eius*, &c. patet, quod supponit decretum & præscientiam Dei de electione & prædestinatione, quod scilicet Deus ab æterno præsciverit, & prædestinaverit certos ad salutem, quod decretum est firmissimum fundamentum, & non potest mutari circa electos; hoc autem vocat signaculum, de quibus dicit: *Cognovit Dominus qui sunt eius*, si hoc soli Deo tribuitur, non ergo omnes & singuli electi cognoscunt, quod tales sint, alioquin dixisset, singuli Fideles cognoscunt, quod sint Dei electi.

Hanc esse S. Scripturæ sententiam, SS. Patres semper docuerunt tam Græci, quàm Latini, ex quibus trium præcipuorum verba allegasse sufficiet.

S. Hieron. lib. 2. adversus Pelagium edit. Antw. 1579. sic ait: *Et iterum ne glorieris in crastinum, nescis enim quid adveniens pariat dies, unde scriptum est, ne beatum dixeris quempiam ante mortem: quamdiu enim vivimus, in certamine sumus, & quamdiu in certamine, nulla est certa victoria, quæ in Apostolo fortissimè præliantis in futuro sæculo reservatur*, &c. & paulò infrà ex Scriptura allegat dicens: *Nemo scit, quid futurum sit, quia sicuti est, quis annunciabit ei*, &c. hæc ille, ecce quàm clarè ex S. Scriptura refutat illos, qui dicunt se divina Fide certos esse de sua salute, & perseverantia.

S. Chrysost. hom. seu serm. 11. in cap. 3 ad Phil. circa illa verba Apostoli v. 11. edit. Basil. 1541. *Si quomodo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis*, sic ait: *Si quo pacto pertingam, inquit ad resurrectionem mortuorum, quid dicis? atqui omnes illam assequentur, nam non quidem inquit omnes obdormiemus, immutabimur vero omnes & non solum resurrectionem omnes, sed & incorruptionem consequentur, illi quidem ad honorem, illi vero ad ingres-* IV.

Digitized by Google

greſſum & viaticum ſupplicii: ſi ergo reſurrectionem, conſequentur omnes, & non ſolum reſurrectionem, ſed & incorruptionem, quomodo tanquam præcipuum quicquam adepturus dixit, in quo pacto pertingam? propterea, inquit iſta patior, ut aliquo pacto ad reſurrectionem ex mortuis pertingam, niſi enim mortuus fuerit, non reſurget, quid eſt igitur? videtur magnum quid hic innuere, erat enim adeo magnum, ut liquido deuenire non auſus ſit, ſed dixerit, ſi quo pacto. Credidi in illum & reſurrectionem ejus, imo & patior propter ipſum ſed nondum poſſumus de reſurrectione confidentes eſſe (NB) *& ſecuri, quam hic ergo reſurrectionem dicit? eam ſcilicet, quæ ad Chriſtum ducit. Dixi me in eum credidiſſe, & potentiam reſurrectionis eius, conſortemq; paßionis ipſius factum, & conformatum morti eius: veruntamen poſt omnia iſta nondum ſecurus ſum, quod & alibi dicit, qui ſtare videtur, videat, ne cadat, & iterum: Metuo ne cum aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar, non quod jam apprehenderim, aut iam perfectus ſim; perſequor autem, ſi quo modo apprehendam, quatenus & apprehenſus ſum, à Chriſto Jeſu, non quod iam apprehenderim, quid eſt, iam apprehenderim? Brauium dicit, ſi ergo qui tanta paſſus eſt, ſi qui perſecutionem tulit, ſi qui mortificationem habebat, nondum de reſurrectione illa ſecurus fuit, quid ſane nos dicemus?* & paulò infrà: *Si vero Paulus ita perſequens, tantaq; paſſus adhuc dicit, ſi forte apprehendam, quid nos dicemus?* hæc ille. Quid clarius contra iſtam Fidem Acatholicorum dici poſſet, quâ volunt fidelem quemvis eadem certitudine credere ſe ſalvandum, & ad vitam reſurrecturum, qua credit in Chriſtum, & illius reſurrectionem. Hanc autem fidem Paulum non habuiſſe, patet ex verbis ejus, & ſententia Chryſoſtomi. Paulus credebat in Chriſtum, ſed nondum ſecurus erat de ſua ſalute, ut patet, ita tamen ut in ſpe firma viriliter certaret, quatenus illam obtineret.

V. *S. Auguſtinus* lib. 11. de Civ. Dei cap. 12. edit. Baſil. 1529. ſic ait: *Hodie non imprudenter beatos vocemus, quos videmus iuſte ac pie cum ſpe futuræ immortalitatis hanc vitam ducere ſine crimine vaſtante conſcientiam,* &c. *qui licet de ſuæ perſeuerantiæ præmio certi ſint, de ipſa tamen perſeuerantia ſua reperiuntur incerti: quis enim hominum ſe in actione profectuq; Iuſtitiæ perſeueraturum uſq; in Finem ſciat, niſi aliqua reuelatione ab illo fiat certus, qui hac de re latentiq; iudicio non omnes inſtruit, ſed neminem fallit,* &c. hæc Auguſt. Ecce iterum quàm clarè damnetur Acatholicorum Fides divina de ſalute. Dicit Auguſtinus, quod Fidelis de præmio perſeverantiæ, ſcilicet, de vita æterna, quæ perſeverantibus danda eſt, certi ſint, utique ex Fide divina iuxta promiſſa Dei, ſed negat illos eſſe certos de ipſa perſeverantia, quod ſcilicet ipſi perſeveraturi ſint; quia hoc non conſtat ex verbo Dei; ſed hic tantum certus eſſe poſſit, ſi Deus alicui revelavit, de quo dicit Deum non omnes inſtruere, ſic etiam docet Eccleſia Catholica, Acatholici volunt omnes ex verbo Dei de ipſa perſeverantia certos eſſe.

Idem lib. de Bono Perſeverantiæ cap. 8. edit. Baſil. 1528. dicit: *Deus melius eſſe iudicauit miſcere quoſdam non perſeueraturos certo numero Sanctorum ſuorum, ut, quibus non expedit in huius vitæ tentatione ſecuritas, non poſſint eſſe ſecuri: multos enim à pernicioſa elatione reprimit, quod ait Apoſtolus, quapropter qui videtur ſtare, videat, ne cadat; voluntate autem ſua cadit, qui cadit, & voluntate Dei ſtat, qui ſtat,* hæc ibi. Similiter ibid cap. 13. ubi diſtinguit vocationem fidelium in communi ab illa, qua vocantur aliqui, ut perſeverent, eâd. edit. ſic dicit: *Vnde ſatis dilucide oſtenditur, & inchoandi, & uſq; in Finem perſeuerandi gratiam Dei non ſecundum merita noſtra dari, ſed donari ſecundum ipſius ſecretißimam, rectißimam, beneficentißimam, ſapientißimamq; voluntatem; quoniam quos prædeſtinauit, ipſos & vocauit vocatione illa, de qua dictum eſt, ſine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei; ad quam vocationem pertinere nullus eſt homo ab hominibus certa aſſeueratione dicendus, niſi cùm de hoc ſeculo exierit, in hac autem vita humana, quæ tentatio ſuper terram, qui videtur ſtare, videat ne cadat, ideo quippe, ſicut jam ſupra diximus, non perſeueraturi perſeueraturis prouidentißima Dei voluntate miſcentur, ut eſſe diſcamus non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes, & cum timore & tremore noſtram ipſorum ſalutem operemur,* &c. hæc ibi, ubi iterum oſtendit ex S. Scriptura, quod electi non ſint certi, & hoc illis expediat.

VI. Similiter clariſſimè docet lib. de Corrept. & Gratia cap. 13. edit. Baſil. 1528. ubi, cùm ex variis ſacræ Scripturæ locis oſtendiſſet certum electorum eſſe numerum, etiam de his illud dici aſſerit, quod timere debeant, ne cadant, ſubdit dicens: *Quod autem etiam perſeueraturis Sanctis ſic iſta dicuntur, quaſi eos perſeueraturos habeatur incertum, non aliter hoc audire debent, quibus expedit non altum ſapere, ſed timere, quis enim ex multitudine Fidelium quamdiu in hac mortalitate viuitur, in numero prædeſtinatorum ſe eſſe præſumat, quia id occultum opus eſt in hoc loco, ubi ſic cauenda eſt elatio, ut etiam per Satanæ Angelum, ne extolleretur, tantus colaphizaretur Apoſtolus, hinc Apoſtolis dicebatur: Si permanſeritis in me, dicente illo qui illos utiq; ſciebat eſſe manſuros, & per Prophetam: Si volueritis, & audieritis mè, cum ſciret ipſe in quibus operaretur & velle: & ſimilia multa dicuntur propter hujus utilitatem ſecreti, ne forte quis extollatur, ſed omnes etiam, qui bene viuunt, timeant, dum occultum eſt, quo peruenient,* &c. hæc ibi, ecce quàm clarè rejicitur Acatholicorum Fides: ſi enim juxta ipſos quilibet fidelis de ſua ſalute Fide divina certus eſt, quomodo ipſis occultum, quo pervenient? quod autem electis expediat id eſſe occultum idem S. Pater ex ſacra Scriptura oſtendit ibidem ead. edit. dum ſubjungit dicens: *Propter huius ergo utilitatem ſecreti credendum eſt, quoſdam de Filiis perditionis, non accepto dono perſeuerandi uſq; in finem in Fide, quæ per dilectionem operetur, incipere viuere, & aliquamdiu fideliter ac iuſte viuere, & poſtea cadere, neq; de hac vita priusquam hoc eis contingat, auferri. Quorum ſi nemini contigiſſet, tamdiu haberent homines iſtum ſalutarem timorem, quo vitium elationis opprimitur, donec ad Chriſti gratiam, quæ pie viuitur, peruenіant, deinceps jam ſecuri nunquam ſe ab illo eſſe caſuros, quæ præſumptio in iſto tentationum loco non expedit, ubi tanta eſt infirmitas, ut ſuperbiam poſſit generare ſecuritas. Deniq; etiam hoc erit ſed tunc, quod jam eſt in Angelis, etiam in hominibus erit, quando ulla ſuperbia eſſe non poterit,* &c. hæc Aug. ubi patet, quod nec ſecuritas in hac vita de ſalute habeatur, nec expediat, ſed in cœlis, niſi Deus paucis id revelet: quibus etiam gratiam ſpecialem donet, ut non

ideo

ideo superbiant, sed magis se humilient, ac in Dei amore exardescant.

Hic etiam militat argumentum quod August. allegans S. Cyprianum eodem lib. cap. 8. ponit contra Pelagianos, qui dicebant perseverantiam non haberi ex gratia Dei, sed ex libero arbitrio, sic ergo arguit: *Cùm in oratione Dominica Deo Patri dicimus, sanctificetur nomen tuum, quid aliud dicimus, quàm ut nomen eius sanctificetur in nobis? quod cum per lauacrum regenerationis effectum sit, quare quotidie à Fidelibus poscitur, nisi ut in eo, quod factum est in nobis, perseueretur in nobis? Nam & S. Cyprianus hac sic intelligit exponens eandem orationem: Dicimus, inquit, sanctificetur nomen tuum. non quod optemus Deo, ut sanctificetur orationibus nostris, sed quod petamus à Deo, ut nomen ejus sanctificetur in nobis: caterum à quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat? sed quia ipse dixit: Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum, id potimus, id rogamus, ut, qui in baptismo sanctificati sumus, in eo, quod cœpimus, perseueremus*, &c. *Nullo autem dubitante quisquis à Domino, ut in bono perseueret, precatur, donum eius esse talem perseuerantiam confitetur.* Hæc Aug. cum S. Cypriano. Similiter nos arguimus si pro perseverantia precamur non sumus certi Fide divinâ quod perseverabimus sicut non oramus, ut Christus sedeat ad dexteram Patris.

VII. Hæc Catholica veritas etiam probari potest ex omnibus illis S. Scripturæ locis, & SS. Patrum testimoniis, quibus suprà ostensum est, quod homo non habeat certitudinem Fidei divinæ de statu gratiæ, in quo pro tempore fortè existit, quia S. Scriptura promittit gratiam illis, qui credunt, & pœnitentiam agunt, ut oportet, quod an homo faciat, non ipse ex verbo Dei cognoscit, nec per experientiam habere potest, ut suprà ostensum est. Si ergo homo de præsenti gratia sic certus non est, quomodo de futuro certus erit, quod perseveraturus sit usque in Finem in tali statu gratiæ Deum amando, ut oportet, per Fidem, quæ per dilectionem operatur, quod S. Scriptura requirit: at de futuro homo non potest esse certus per experientiam, ut patet, nec per S. Scripturam, quia S. Scriptura non dicit omnes homines salvandos, sed eos, qui perseveraverint in gratia, nec promisit omnes homines in gratia perseveraturos, sed eos, qui usque in finem vel saltèm in fine vitæ veram Fidem per veram dilectionem operantem habuerint, de quo nullus certus esse potest, nisi Deus specialiter revelaverit. Vt SS. Patres juxta S. Scripturam ostendunt.

ARTICULUS IV.

Respondetur ad argumenta Acatholicorum contra præmissam veritatem.

I. PRimò de perseverantiæ certitudine probant ex illo Rom. 8. v. 38. *Certus sum enim, quia neq; mors;* &c. *neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei.* Unde inferunt, ergo omnes Fideles Fide divina certi sunt, quod perseverabunt, & salvabuntur.

Ad hoc copiosè responsis in cap. præced. art. 6. respondendo ad argumenta.

Respondetur hîc breviter, quod certum sit de Fide, quod nulla alia creatura possit illum, qui est in charitate, ab illa separare, bene tamen ipse homo ex sua malitia se separare potest. 2. Nullus sine speciali revelatione Dei certus est de Fide, quod sit fidelis, & in charitate vera Dei, prout Scriptura requirit. 3. quia Apostolus hoc dicit de prædestinatis, sed probandum est, quod quilibet sciat se prædestinatum. 4. si autem de omnibus Romanis loquitur, est tantùm certitudo Fiduciæ, non Fidei, quia Paulus non sciebat Fide divinâ, quod omnes Romani essent in charitate vera Christi.

2. Objiciunt ibid. Rom. 8 v. 30. *Quos autem prædestinauit, hos & vocauit, quos autem vocauit, hos & justificauit, quos autem iustificauit, hos & glorificauit.* Unde subsumunt, at Fideles Fide divinâ certi sunt se vocatos quia credunt, ergo eadem Fide certi sunt se esse prædestinatos. II.

Resp. eo, quidquid sit de illo subsumpto, quod omnes Fideles sciant Fide divinâ se vocatos ad veram Fidem, de quo suprà actum est; certum est, quod non omnes vocati sint prædestinati juxta Matth. 22. ubi Dominus post parabolam de invitatis ad nuptias subjungit, v. 14. *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi*, & hi sunt prædestinati. Vnde necessariò verba Apostoli, *quos & vocauit, hos & justificauit*, distinguenda sunt, ut SS. Patres, & præsertim D. August. distinguunt, ex verbis ejusdem Apostoli eodem cap. v. 28. cum dicit: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt Sancti.* Vbi expressè supponit quod aliqui sint vocati non secundum propositum, & sic cohærent ejus verba cum verbis Christi. De tali speciali vocatione agit etiam Apostolus 2. Tim. 1. v. 9. dicens: *Qui nos liberauit, & vocauit vocatione sua sancta non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia*, &c. hunc distinctionem ex sacra Scriptura probat & supponit S. August. edit. Basil. 1528. lib. de Corrept. & Grat. cap. 7. ubi sic ait: *Cùm autem audimus, quos autem prædestinauit, illos & vocauit, secundum propositum vocatos debemus agnoscere, quoniam inde cœpit dicens, omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt, ac deinde subjunxit, quoniam quos autem præsciuit, & prædestinauit, conformes fieri, atque his præmissis subdit, quos autem prædestinauit, illos & vocauit: eos itaq; vult intelligi, quos secundum propositum vocauit, ne putentur in eis esse aliqui vocati, & non electi, propter illam Domini sententiam, multi vocati, pauci electi, quicunque enim electi sine dubio etiam vocati, non autem quicunque vocati, sine dubio electi, illi ergo electi, ut sæpe dictum, qui secundum propositum vocati, qui etiam prædestinati*, &c. hæc August.

Hinc respondetur, quod, licet aliquis agnosceret se vocatum simpliciter ad Fidem, non tamen certa Fide agnosceret se illa vocatione speciali secundum propositum esse vocatum, prout illud ostendit idem Augustinus lib. de bono persever. cap. 13. edit. Basil. 1528. cujus verba suprà art. 3. relata sunt, ubi notanda illa cùm dicit: *Quoniam quos prædestinauit, ipsos & vocauit vocatione illa, de qua dictum est,* III.

Digitized by Google

ad quam vocationem pertinere nullus est homo ab hominibus certa assueratione dicendus, nisi cùm de hoc seculo exierit. Nec valet, quod aliqui dicunt, quod licèt alius non possit de alio dicere, quod sic sit vocatus, tamen homo de seipso hoc sentire, & certus esse possit: Nam verba S. Scripturæ clara sunt, nec ex illis aliud habetur, quàm quod, illi sint prædestinati, qui secundum propositum sunt vocati, hoc autem nemo de seipso scire potest, ex eo quod vocatus sit, cum vocatio etiam si aliqua vera sed non secundum illud Dei propositum.

Nec valet etiam, si dicatur, quod certum sit, nullum vocari ad Fidem, vel etiam ad gratiam ad tempus, nisi Deus ab æterno prævideri, & ad hoc ipsum prædestinaverit, quia Deus omnia ab æterno disposuit.

Resp. enim, quod, licèt Deus ab æterno omnes qualescunque vocatos præscivetit, & vocare disposuerit, & voluerit, non tamen omnes secundum propositum disposuit: nam hoc amplius comprehendit, quod illos proposuerit & decreverit ad vitam æternam recipere, & secundum illud propositum etiam disposuit illos vocare ad Fidem & gratiam, sed non sic disposuit alios non electos vocare. Cum ergo Deus dicitur aliquem prædestinasse, id intelligitur ante omnia de prædestinatione ad gloriam, ex qua infallibiliter etiam sequitur prædestinatio ad gratiam, & vocationem Fidei: sed econtra ex vocatione ad Fidem vel gratiam non sequitur prædestinatio ad gloriam.

IV. Hinc patet etiam falsitas Acatholicorum, dum sic dicunt: Electio nobis patefit in tempore, quoniam per verbum & spiritum Dei regeneramur, seu efficaciter vocamur, ut in Christum credamus, sanctè vivamus, & spem æternæ gloriæ certam concipiamus: hæc enim non sufficiunt, ut Fide divinâ homo sciat se electum; quia etiam aliqui reprobi sic vocantur, & ad tempus sanctè vivunt, & sperant, ut ostensum est ex S. Scriptura.

3. Objiciunt illud Marci 11. v. 24. *Dico vobis omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis.* Et Luc. 11. v. 9. *Petite, & dabitur vobis,* & v. 13. *Quanto magis Pater vester dabit spiritum bonum petentibus se,* &c. & illud Jac. 1. v. 5. *Postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, postulet autem in Fide nihil hæsitans*; unde sic arguunt: De Fide, juxta verbum Christi certum est, quod illud, quod quis à Deo petit ad salutem necessarium, & id credit sine hæsitatione, accipiet: atqui spiritus perseverantiæ est simpliciter necessarius ad salutem, ergo quicunque illum petit in Fide non hæsitans, illum accipiet; potest autem homo certus esse, quod illum sic à Deo petat, ergo & certus esse, quod accipiet.

V. Respond. primò: Non promittit Christus omnia danda, quæ petuntur, si ad malum, vel malè petantur, unde dicitur Jacobi 4. v. 3. *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis.*

Resp. 2. quia vero bonum perseverantiæ & spiritus bonus ad salutem necessarius est, utique Deus dabit illud petentibus bene; bene petit, qui petit, ut vult Deus, Deus autem vult, ut semper usque ad Finem vitæ illud bonum petamus: ideo docuit ut in oratione dominica quotidie petamus, *ut sanctificetur nomen ejus: ut adveniat regnum ejus*: qui ergo ad tempus orat, & postea deficit, non bene petit, & ideo non accipit. Verùm homo non est certus Fide divinâ, quod semper perseverabit in petendo, & etiam sincerâ intentione petat: hoc enim ex illis aut aliis S. Scripturæ locis non habetur.

Resp. 3. Certum est, quod omnis qui bene petit aliquid à Deo, quod ad salutem est necessarium, & præsertim ipsam salutem, firmiter sine hæsitatione in Fide sperare debeat se illam obtenturum, quia firma spes seu Fiducia fundatur in Fide divina quoad Dei promissiones, quæ certissimæ sunt: sed quia promissio Dei non est absoluta, sed sub conditione, si nos faciamus, quod Deus requirit; ideo cum illa spe firmissima sine hæsitatione quoad Dei promissa consistit timor & hæsitatio ex parte nostra, ut suprà ostensum est.

4. Objiciunt illud 1. Joann. 5. v. 13. *Hæc scribo vobis, ut sciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei,* &c. unde sic arguunt: ergo omnis, qui credit in Filium Dei, de Fide certus est, quod habiturus sit vitam æternam, ac proinde etiam perseverantiam. VI.

Resp. primò, quod ibi per scire, non intelligatur Fides divina, sed Fiducia firma, quæ stat cum timore & incertitudine Fidei, ut patet ex verbis Apostoli, cùm dicit; *Hæc scribo, ut sciatis*: si enim quilibet fidelis debeat ex Fide divina credere, quod sit electus, & habiturus vitam æternam, ut Acatholici volunt, non opus erat, ut Apostolus illa scriberet, & adhuc illos de hoc informaret, cùm jam essent fideles.

Resp. 2. qui Fide divinâ per charitatem operante credit in Filium Dei, ille habet vitam æternam, non quidem de facto seu in re; quia certum est, quod nondum sit in cœlo beatus, sed habet vitam æternam in spe, prout Rom. 8. v. 24. dicitur: *Spe enim salvi facti sumus*: quia habet gratiam, per quam vitam obtinebit, sed si in illa perseveraverit usque in Finem; atqui nec homo est certus Fide divinâ, quod habeat Fidem per dilectionem operantem, nec quod in illa perseverabit.

5. Objiciunt illud ad Ephes. 1. v. 13. *In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ,* &c. v. 17. *Memoriam vestri faciens in orationibus meis, ut Deus det vobis spiritum sapientiæ,* &c. *illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis, quæ sit spes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in Sanctis.* Unde arguunt: qui habet pignus hæreditatis æternæ, etiã certus est de illa, at Fideles sunt certi quod habeant pignus ejus, &c. etiam Apostolus orat, ut illuminatos habeant oculos ad sciendum, quod sint prædestinati. VII.

Resp. primò negando quod fideles Fide divinâ certi sint, se habere pignus hæreditatis seu spiritum promissionis, pignus enim est Fides vera per charitatem operans, de qua certi non sunt.

Resp. 2. Etsi de eo certi essent, nondum essent certi de hæreditate, quia juxta verbum Christi requiritur, ut illud pignus semper retineant, in Fide & charitate perseverando: si enim hoc non faciant, tunc pignus perdunt, ac proinde hæreditatem.

Ad aliud negatur, quod Apostolus oret pro ipsis;

ipſis, ut ſciant ſe eſſe prædeſtinatos, ſed ut ſciant illa, quæ Deus in gloria promiſit Sanctis, hoc ad Fidem pertinet: ſed ex hoc non ſequitur, quod, qui hoc credunt, etiam certi ſint ſe ad gloriam perventuros, vel ſe in gratia perſeveraturos.

ARTICULUS V.

Quòd Electi poſt juſtificationem poſſint ad tempus ex gratia excidere, licèt ad illam redeant.

I. HOc nimis evidens eſt ex S. ſcriptura, & SS. Patrum teſtimoniis jam allegatis; ubi ſupponitur, quod etiam electi poſſent excidere ex gratia ſaltèm ad tempus, & ideo moneantur, quatenus videant, ne cadant, licèt in fine vitæ reſurgant, prout ſupponit S. Auguſt. lib. de Corrept. & Grat. cap. 7. de electis dicens eâd. edit. *Iſti ſignificati ſunt ad Timotheum, ubi cùm dictum fuiſſet Hymenæum & Philetum Fidem quorundam ſubuertere, mox additum eſt. Firmum autem fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc: ſciuit Dominus qui ſunt ejus. Horum Fides, quæ per dilectionem operatur, profectò aut omninò non deficit, aut ſi qui ſunt, quorum deficit, reparatur, antequam vita iſta finiatur, & deletâ, quæ interçurrerat, iniquitate, uſq; in finem perſeuerantia deputatur*, &c. hæc Auguſt.

Hoc patet ex exemplis S. ſcripturæ, de illis, qui verè electi fuerunt, & tamen graviter peccarunt, ut patet præſertim de *Dauide, & Petro, & Adamo*: nam certum eſt, quod David verè fuerit coram Deo juſtus, antequam committeret adulterium, & homicidium Uriæ, ut patet ex illo 1. Reg. 13. v. 22. ubi dicitur de Davide: *Quæſiuit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum*. & Act. 13. v. 22. Apoſtolus ait: *Suſcitauit illis David Regem, cui teſtimonium perhibens dixit, inueni Dauid Filium Jeſſe virum ſecundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*, &c. ubi patet ex Dei teſtimonio, quod erat in gratia Dei, & tamen poſtea tam graviter peccavit, ut patet, & ipſe in pſalmis toties confitetur & deplorat, qui poſtea Deo reconciliatus, ſalvatus eſt.

De *S. Petro* idem patet, quod priùs fuerit à Deo juſtificatus, quàm Chriſtum in paſſione negaret; id patet ex illo Joann. 13. v. 10. ubi Chriſtus dixit Petro: *Vos mundi eſtis, ſed non omnes*, excipiens Judam, adeoque Petrus mundus ac juſtus erat, & tamen poſtea Chriſtum negavit, & negationem perjurio confirmavit; poſtea verò Chriſto ipſum per miſericordiam reſpiciente converſus, rediit in gratiam.

II. De his ita loquitur D. Auguſt. lib. de corrept. & Grat. cap. 9. loquens de iis, qui jam juſti ſunt, quos S. ſcriptura hortatur, ut caveant, ne cadant, dicens edit. Baſil. 1528. *Non pereant de via juſta, in qua ambulare cæperunt, dum ſibi hoc ipſum aſſignant, quod in ea ſunt, his verbis uſus eſt. & Apoſtolus, ubi ait: Cum timore & tremore veſtram ipſorum ſalutem operamini. Et oſtendens, quare cum timore & tremore, ait; Deus eſt, inquit, qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate. Non enim habebat hunc timorem & tremorem, qui dicebat* (David) *in abundantia mea non mouebor in æternum, ſed quia Filius erat promiſſionis, non perditionis, expertus Deo paululum deſerente quid eſſet ipſe, Domine, inquit, in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem, auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus, ecce doctior & ob hoc etiam humilior*, &c. & poſt pauca: *Factus eſt ergo conturbatus, ut ſe inueniret & humiliter ſapiens. Hæc vox & Apoſtoli Petri eſſe potuit, dixerat quippe & ipſe in abundantia ſua, animam meam pro te ponam, ſibi feſtinando tribuens, quod ei fuerat à Domino poſtea largiendum: auertit autem ab illo faciem Dominus, & factus eſt conturbatus, ita ut etiam mori pro illo metuens, ter negaret, ſed rurſus conuertit ad eum faciem ſuam Dominus, & culpam lachrimis deleuit*, &c. hæc ibi. Si Petrus non peccavit, quomodo culpam delevit? peccaſſe autem ipſum graviter patet ex verbis Domini: *Qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo*, &c. Matt. 10. v. 33. Idque SS. Patres III. communiter fatentur, ſpecialiter Auguſtin. non ſolùm loco jam allegato, ſed tract. 66. in Joann. edit. Baſil. 1529. ubi de hac Petri negatione agens dicit: *Quanta enim eſt vita confiteri Chriſtũ, tanta mors eſt negare Chriſtum.* Et ibi quoſdam volentes Petrum excuſare, quaſi Chriſtum hominem & non Deum negaſſet, ex verbis Chriſti refutat dicens: *Quaſi vero qui hominem Chriſtum negat, non Chriſtum neget, & hoc in eo negat, quod factus eſt propter nos* Et infrà: *Non enim ait: non cantabit gallus, donec hominem neges, aut donec Filium hominis neges, ſed ait, donec me neges, quid eſt me niſi quod erat, & quid niſi Chriſtus erat?* & infrà: *Agnouit plane peccatum ſuum infirmitas Petri, prorſus agnouit, & quantum mali Chriſtum negando commiſerit, plorando monſtrauit*, & infrà: *Ante mortem & reſurrectionem Domini & mortuus eſt negando, & reuixit plorando, ſed mortuus eſt, quia ſuperbè præſumpſit, reuixit autem, quia benignè ille reſpexit*, hæc Auguſt. Si mortuus fuit Petrus negando, utique morte ſpirituali per amiſſionem gratiæ, revixit dum Chriſtus ipſum reſpexit in gratiam recipiendo, adeoque interea temporis Petrus peccarat peccato ad mortem, in quo recentiores Acatholici diſtinctionem pro refugio falsò ponunt.

Nec obſtat Acatholicorum objectio, dum dicunt Chriſtum Luc. 22. v. 32. dixiſſe: *Ego rogaui pro te Petre, ut non deficiat Fides tua.* Ad hoc reſpondetur primò verum eſſe, quod Fides in corde Petri non defecerit, ſed defecit confeſſio exterior, quæ eſt ad ſalutem: & ideo peccavit graviter: utrumque enim veriſſimum eſt propter verbum Domini. Primum: *Ego rogaui pro te*, & alterum, *non cantabit gallus, donec me negabis.* Sic D. Auguſtinus lib. 6. de Corrept. cap. 8. IV. eâd. edit. quoad primum dicit: *Quando rogauit ergo, ne Fides ejus deficeret, quid aliud rogauit, niſi ut haberet in Fide liberrimam, fortiſſimam, inuictiſſimam, perſeuerantiſſimam voluntatem?* de ſecundo quoad negationem dicit Auguſtinus ibid. cap. 9. & tract. 66. ſup. quod Petrus in peccato mortuus fuerit, & ſic utrumque ſimul verum fuit juxta verbum Domini, quod Fides invicta manſerit, licèt mortua charitas tempore negationis fuerit, quæ negatio fidem non tollebat: Fidem Chriſtus promiſerat manſuram, ſed non promiſerat pro tempore paſſionis conſtantiam in charitate & confeſſione.

Reſpond. ſecundò cum D. Hieron. in cap. 16. Matt. ubi dicit: *Si prudens lector inquiras, cur Chriſtus dixit priùs Petro: Beatus es Bariona, &*

poſtea, vade retro me Sathana dicit. ſi conſideret, qui hoc quæris, Petro illam beatitudinem ac ædificationem ſuper eum Eccleſiæ in futuro promiſſam, non in præſenti datam intelliget, &c. *ut omnia de futuro, quæ ſi ſtatim dediſſet ei, nunquam in eo prauæ confeſſionis error inueniſſet locum,* hæc ille.

Idem D. Auguſtin. indicat tract. 109. edit. Baſil. 1528. in cap. 17. Joann. de Apoſtolis ante paſſionem ſic dicens: *Intelligendum eſt igitur, quod nondum ſic in eum crediderant, quomodo in ſe ipſe credi volebat, quandoquidem & ipſe Petrus, cui confitenti & dicenti: Tu es Chriſtus Filius Dei viui, tam magnum teſtimonium perhibuerat, magis eum mori nolebat, quam eum mortuum reſurrecturum eſſe credebat: unde mox ab eo appellatus eſt Sathanas,* & infrà: *Nihil itaq; melius credimus, quam poſt ejus reſurrectionem impertito Spiritu Sancto edoctos & confirmatos Apoſtolos, eosq; in Eccleſia Doctoribus conſtitutos,* &c. hæc ille.

V. Similiter de Adamo primo homine conſtat ipſum in gratia eſſe creatum, poſtea vero per peccatum mortuum, & iterum ad gratiam rediiſſe, juxta illud 1. Cor. 15. v. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur,* utique morte ſpirituali, *ita in Chriſto viuificabuntur,* de hoc S. Aug. lib de Corrept. & Grat. cap. 10. ſic ait edit. Baſil. 1528. *Quæritur à nobis, quantum attinet ad hoc donum Dei, quod eſt in bono perſeuerare uſq; in finem, quid de ipſo primo homine ſentiamus, qui certe ſine ullo vitio factus eſt rectus,* &c. *huic interrogationi facile reſpondemus, eum perſeuerantiam non habuiſſe, quia in eo bono, quo ſine vitio factus, non perſeuerauit; cœpit enim habere vitium, ex quo cecidit, & ſi cœpit, antequam cœpiſſet, utiq; ſine vitio fuit: Aliud eſt enim non habere vitium, & aliud eſt in ea bonitate, in qua nullum vitium eſt, manere.* Et infrà: *In quo ſtatu recto & ſine vitio, ſi per ipſum liberum arbitrium manere voluiſſet, profectò ſine ullo mortis experimento acciperet beatitudinem,* &c. *quia vero per liberum arbitrium Deum deſeruit, juſtum Dei judicium expertus eſt, ut cum tota ſua ſtirpe, quæ in illo adhuc poſita tota cum illo peccauerat, damnaretur,* hæc Aug. Ecce Adam rectus & juſtus creatus, poſtea per peccatum mortuus, & damnationi obnoxius per Chriſtum revixit.

Demum Auguſtin. eodem lib. cap. 12. de electis generaliter loquitur ſic eàd. edit *Quamuis ergo de omnibus regeneratis & piè viuentibus loqueretur Apoſtolus dicens: Tu quis es, qui judicas ſeruum alienum, ſuo Domino ſtat, aut cadit: continuo tamen reſpexit ad prædeſtinatos, & ait: Stabit autem, & ne hoc ſibi arrogarent, potens eſt enim Deus, inquit, ſtatuere eum, ipſe itaq; dat perſeuerantiam, qui ſtatuere poteſt eos, qui ſtant, ut perſeueranter ſtent, vel reſtituere qui ceciderunt, Dominus enim erigit eliſos,* &c. hæc ibi. Item ibid. cap. 13. in fine edit. eàd. *Patiantur ergo homines ſe corripi, quando peccant, & ſi is, qui corripitur, ad prædeſtinatorum numerum pertinet, ſit ei correptio ſalubre medicamentum. ſi autem non pertinet, ſit ei correptio pœnale tormentum: ſub iſto ergo incerto ex charitate adhibenda eſt, cujus exitus ignoratur, & pro illo, cui adhibetur, orandum eſt, ut ſanetur,* hæc Aug.

VI. Ex his clariſſimè patet, quod electi & prædeſtinati, licèt priùs juſtificati fuerint, peccare poſſint graviſſime, & pro illo ſtatu peccati non habeant Dei gratiam, ſed ſint filii perditionis, quantum eſt ex illo ſtatu; licèt poſtea per gratiam Dei reſurgant ad minus circa finem vitæ, & ſic electionis decretum in illis permaneat: adeoque falſiſſimum eſt dogma *Caluini,* in quo cum *heretico Jouiniano* aſſerit, neminem juſtificatum peccare, & ſi peccet, nunquam verè juſtificatum fuiſſe.

ARTICULUS VI.

Reſpondetur ad argumenta Acatholicorum.

Calvini ſectatores ad ſuam Fidem, quâ volunt ſingulos fideles Fide divina certos eſſe de ſua ſalute, in quo cum Lutheri ſectatoribus conſentiunt, ſtabiliendam inſuper ſuſtinere volunt, quod electi nunquam ex gratia ſemel accepta excidere poſſint, ad quod loca aliqua ſcripturæ adducunt. Et quia negare non poſſunt, quin juſti aliquando graviter peccent, diſtinguunt de peccatis ad mortem, & de peccatis, quæ non ſunt ad mortem; unde aſſerunt, quod electi non peccent peccato, quod eſt ad mortem, ad quod allegatur illud 1. Joann. 5. v. 16. *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem; petat, & dabitur ei vita, eſt peccatum ad mortem, non pro illo, dico oret quis,* &c. Ad hoc reſpondeo cum D. Auguſt. l. 1. Retract. cap. 19. *quod ibi Joannes vocet peccatum ad mortem id, quando homo in tam ſcelerata mentis perverſitate finierit hanc vitam, quoniam de quocunq; peſſimo in hac vita conſtituto, non eſt utiq; deſperandum, nec pro illo imprudenter oratur,* &c. hæc Auguſt. de tali peccato non eſt quæſtio, ſed de aliis graviſſimis peccatis, quæ ex gratia excludunt, ad quam redire poſſumus. I.

Objiciunt primò Joann. 4. v. 13. dicit Chriſtus: *Omnis, qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum, qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, ſed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Vnde ſic arguunt, aqua eſt gratia Chriſti, ergo qui illam accepit nunquam illam amittet, alioquin iterum ſitiret. II.

Reſpond. Verum eſt, quod gratia Chriſti talis ſit, ut is, qui illam habet, dum & quàm diu illam habet, non ſitiet ſiti ſpirituali, id eſt, non erit in malo ſtatu, quia habet gratiam, quæ eſt fons vitæ & ſatians; ſed negatur conſequentia, quod habens gratiam non poſſit illam amittere, nec enim Chriſtus dixit, quod is, qui habet aquam gratiæ abſolutè non ſitiet iterum, vel in æternum, ſed dum bibet aquam, & quamdiu bibit, ſeu illam habet, non ſitiet in æternum; & quod aqua illa ſit talis naturæ, ut ex ſe non deficiat, & ſic ſemper maneat, & hominem ſatiet, niſi homo voluntariè per peccatum illam amittat; ſicut ſi aliunde fons aquarum exſiccetur. In quo opponitur aquæ naturali, quæ ſi ab homine bibatur, ſine hominis culpa paulo poſt conſumitur, & ſic homo ſitit iterum ex defectu naturali aquæ, quod non eſt in aqua gratiæ, quæ talis eſt naturæ, ut non pereat, neque deficiat, niſi homo per peccatum mereatur illam amittere, quod autem homo gratiam acceptam amittere poſſit, clarè ex S. ſcriptura oſtenſum eſt.

Secundò allegant illud Joann. 17. v. 20. ubi Chriſtus dicit: *Non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro iis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me, ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, & ipſi in nobis unum ſint,* &c. ex quibus ſic arguunt: ergo Chriſtus rogavit pro omnibus, qui in ipſum verè credunt, quod nunquam ex gratia ſemel accepta excidere poſſint. III.

Reſpond.

Respond. negando illam Acatholicorum explicationem, quia hanc verba Christi non habent, & illa explicatio apertè pugnat cum tot manifestis S. scripturæ locis suprà allegatis 1. Tim. 1. v. 19. *Quidam circa fidem naufragaverunt* Gal. 5. v. 4. *A gratia excidistis*, &c. imo S. Petrus ipse postea Christum negavit, & alii Apostoli scandalum passi sunt. Sensus ergo est, quod Christus rogarit pro illis, qui electi sunt; ut saltem finaliter in Patre & Filio per gratiam maneant: vel etiam ut reprobi in ipsum verè crederituri gratiam accipiant, & sic unum sint, quamdiu gratiam habent, non autem rogavit pro omnibus, ut gratia in illis nunquam deficiat, cùm nec hoc ad tempus verum fuerit de Petro, pro quo rogaverat, ut non deficeret Fides ejus Luc. 22. v. 32. quia stante fide à gratia defecit ad tempus, ut suprà ostensum est. Et licèt illa verba Christi Luc. 22. ad Petrum dicta, etiam extendantur ad Ecclesiam, cujus ipse Pastor futurus erat, & inde bene inferatur, quod fides Ecclesiæ universalis nunquam deficiet; non tamen infertur, quod quilibet fidelis semper in Fide, multò minùs in gratia perseverabit.

IV. 3. allegant illa verba Rom. 8. v. 37. *Quis nos separabit à charitate Christi*, & v. 38. *Certus sum, quia neq; mors*, &c. *neq; creatura alia*, unde inferunt, ergo ad minus certum est, quod illi, qui semel in charitate sunt, nunquam illam perdant.

Respond. Ad hoc copiosè cap. præced. art. 6. & suprà art. 4. responsum est.

Quartò illud 1. Cor. 13. v. 8. *Charitas nunquam excidit*, ergo, qui semel eam habet, nunquam amittit.

Respondetur negando consequentiam: nam non est ille sensus Apostoli, quod nullus eam possit amittere per peccatum, sed quod charitas talis sit, ut ex se nunquam deficiat, vel evacuetur; prout patet ex contextu, dum subjungit: *Sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt*, sic & fides, & spes cessabunt, cùm venerit id, quod perfectum est, scilicet in gloria; & ibi charitas manebit, si homo usque in finem perseveraverit.

V. 5. Objiciunt illud 1. Joann. 3. v. 9. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet; & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Unde sic arguunt, semen Dei est incorruptibile, adeoque semper manet in homine, qui illud semel suscepit, nec talis potest illud semen perdere, quod solum per peccatum perditur; atqui habens tale semen non potest peccare, ergo nec illud semen perdere, quod est gratia Dei justificans.

Respond. primo: Hunc locum usurpabant Pelagiani, quo probare volebant, quod justificati habuissent quidem peccatum, sed post justificationem non possent peccare ampliùs, contra quos arguit D. August. tract. 5. in epist. Joann. & quidem in initio proponit difficultatem circa hunc locum ex ipsa eadem epistola dicens: *Est enim non parva quæstio quomodo dicat in ista* edit. Basil. 1529. *epistola, qui natus est ex Deo, non peccat, & quomodo in eadem epistola superius dixit, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est: quid facturus est, quem utereq; sermo ex eadem epistola in medio coarctavit?* & infrà: *Veritas in nobis, inquit, non est, si dixerimus, quia peccatum non habemus; non ait, non habuimus, ne forte de præterita vita dictum videretur, habuit peccatum homo iste, sed ex quo natus est ex Deo, cœpit non habere; si ita esset, nulla nos angustiaret quæstio, diceremus enim, fuimus peccatores, sed modo justificati sumus, habuimus peccatum, sed modo non habemus.* (Ecce vocem Pelagianorum & etiam modernorum Acatholicorum) sed Aug. pergit dicens: *Sed quid ait* (Joannes) *si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est, post aliquantum rursus: Qui natus est ex Deo, inquit, non peccat, nunquid Joannes ipse non erat natus ex Deo?* Hanc difficultatem D. Augustin. ibid. exaggerat, & illam duobus potissimùm modis resolvit.

Primò igitur D. August. lib. 2. de Peccator. Mer. & Remiss. cap. 8. ostendit, quod homo justus partim dicatur filius Dei, partim filius hujus seculi, & dicit edit. Basil. 1528. *Proficimus ergo in renovationem justamq; vitam, per quod filii Dei sumus, & per hoc peccare omnino non possumus, & etiam illud, per quod adhuc filii sæculi sumus, per hoc enim & peccare adhuc possumus, ita fit, ut & qui natus est ex Deo, non peccet, & si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est*, hæc ibi. VI.

Idem clariùs ostendit lib. 1. de Gratia Christi cap. 20. dicens, quod in homine justo duplex sit possibilitas, scilicet voluntas ad duplicem radicem, quam voluntas habere possit, quarum *una est bonorum operum, quæ est charitas, quam ex Deo habet*, altera est *cupiditas*, seu *concupiscentia oculorum, quæ hominis deceptorem habet authorem*; hinc ait cap. 21. edit. eâd. 1528. *Charitas autem, quæ virtus est, ex Deo nobis est, non ex nobis scriptura teste, quæ dicit, charitas ex Deo est, & omnis, qui diligit, ex Deo natus est; secundum istam charitatem melius intelligitur dictum, qui natus est ex Deo, non peccat, & quia non potest peccare, quia charitas, secundum quam natus, est ex Deo, non agit perperam, non cogitat malum; Cùm ergo peccat homo non secundum charitatem, sed secundum cupiditatem peccat, secundum quam non est natus ex Deo, quoniam illa possibilitas, ut dictum est, utriusq; radicis capax est.*

Hoc modo D. August. ibi conciliat duo illa loca Joannis; unde patet, quod, licèt homo justus habeat charitatem, & per illam non possit peccare; tamen per cupiditatem adhuc peccare possit venialiter, manens justus prout S. Joannes de omnibus justis dixit, & sic etiam secundum hanc cupiditatem possunt peccare mortaliter, & perdere charitatem.

Verùm D. Aug. tract. 5. in epist. Joann. magis ad intentionem S. Joannis aliam dat responsionem; nam intentio Apostoli erat dare signa manifesta, per quæ filii Dei à filiis diaboli discerni possent, quod non fieret per hoc, quod filii Dei non peccent venialiter, & alii sic peccent, quia & filii Dei sic peccant manentes filii Dei. VII.

Itaque verba illa Joannis de peccato mortali explicat, dum dicit: *Qui ex Deo natus est, non peccat, juxta illa verba, omnis, qui non peccat, in ipso manet, & omnis, qui peccat, non vidit eum, & in hoc manifesti sunt filii Dei, & filii diaboli, omnis, qui non est justus, non est ex Deo. Et omnis, qui natus est ex Deo, non facit peccatum, quia semen ejus in ipso manet, & non potest peccare, quia ex Deo natus est.* Unde sic subsumit Augustin. *Fortasse*

taſſe ſecundum quoddam peccatum dixit, non peccat, non ſecundum omne peccatum; certum peccatum quoddam intelligas, quod non poteſt admittere homo, qui ex Deo natus eſt; & tale peccatum eſt illud, ut, ſi quiſquam illud admiſerit, continuet cætera, ſi quis autem hoc non admiſerit, ſolvet cætera. Quod eſt hoc peccatum? facere contra mandatum? mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis, intendite, hoc mandatum Chriſti dilectio vocatur, per hanc dilectionem peccata ſolvuntur, hac ſi non teneatur, & gravis peccatum eſt, & radix omnium peccatorum. Et infrà: *Qui in dilectione fraterna conſtitutus eſt, certa ſunt peccata, quæ non poteſt admittere, & hoc maxime ne oderit fratrem. Et quid de cæteris peccatis facit, unde dictum eſt, ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus: audiat ſecuritatem de alio loco ſcriptura: charitas operit multitudinem peccatorum*, &c. & dum hoc prolixiùs oſtendiſſet, tandem concludit dicens: *Videte, quia circuitus ille verborum hunc habet finem, hunc habet exitum, omnis, qui natus eſt ex Deo, non peccat, quia ſemen ejus in ipſo manet, ſemen* DEI, *id eſt, verbum Dei; unde dicit Apoſtolus, per Euangelium ego vos genui, & non poteſt peccare, quia ex Deo natus eſt.* Dic adhuc: *Videamus, in quo non poteſt peccare. In hoc manifeſtati ſunt Filii Dei, & Filii diaboli; omnis, qui non eſt juſtus, non eſt à Deo, & qui non diligit fratrem ſuum, certe jam manifeſtum eſt, unde dicat, & qui non diligit fratrem ſuum: dilectio ergo ſola diſcernit inter filios Dei & diaboli, ſignent ſe omnes ſigno crucis Chriſti, reſpondeant omnes* AMEN, *cantent omnes* ALLELUJA, *baptizent omnes, intrent omnes* ECCLESIAS, &c. *non diſcernuntur filii Dei à* FILIIS *diaboli, niſi in charitate; qui enim diligit alterum, legem implevit, ait* APOSTOLUS, *& plenitudo legis charitas*, hæc Auguſtin. ecce quàm contrariæ ſunt his Acatholicorum ſententiæ, qui volunt, quod ſola fides particularis juſtificet, & filios Dei conſtituat, quæ prolixius duxi referenda, ut inde Catholica veritas, & Acatholicorum falſitas pateat.

VIII. His præmiſſis ad argumentum Acatholicorum, quod ex verbis Apoſtoli faciunt, reſpondetur primò, quod malè pro ſe hæc verba Apoſtoli allegent, quia ipſi volunt, quod, quantumvis homo juſtus ſit, maneat in peccatis graviſſimis, imo quod omnia opera juſtorum ſint peccata graviſſima; at verò Apoſtolus dicit, quod qui juſtus eſt, ex Deo ſit, & non peccet.

Reſpond. ſecundò quoad ſemen exponit Auguſtinus ſuprà de *verbo* DEI juxta parabolam Chriſti & verba Apoſtoli 1. Pet. 1. v. 23. quod in ſe eſt incorruptibile, licèt in homine ſæpe pereat, ut patet ex parabola, ubi in diverſa loca cecidit, & non manſit. Si autem ſemen intelligitur ipſa Dei gratia vel charitas, illa etiam in ſe eſt incorruptibilis, quantum eſt ex parte ſua, ſed perdi poteſt per peccatum, cùm ſublumitur; habens tale ſemen non poteſt peccare, diſtinguitur, non poteſt peccare peccato ille, de quo Auguſtinus exponit Apoſtoli verba, ſcilicet contra charitatem, ſi illam habeat in ſenſu compoſito, verum eſt, quia actu diligens non poteſt odiſſe ſimul fratrem, quod non poteſt dici de alia quacunque virtute, quia poteſt aliquis illas habere abſque charitate, & fratrem odiſſe; multò minùs id poteſt per ipſam charitatem, quod eſt impoſſibile, quia charitas non facit malum: verùm in ſenſu diviſo ille, qui habet habitum charitatis, poteſt per ſuam cupiditatem & concupiſcentiam facere contra charitatem, & ſic in illo inſtanti, dum odit fratrem, illam perdere, & ſic intelliguntur verba Joannis, quod, qui ex Deo natus eſt, ſeu qui habet ſemen Dei vel charitatem, non peccat contra charitatem, & ex hoc cognoſcitur, quod pro illo tempore ſit inter filios Dei, & ille, qui peccat contra charitatem, ſit filius diaboli ſeu imitator diaboli, quia diabolus multa gignit, ut ait Aug. loco allegato.

Ex his patet clarè Apoſtoli intentio, qui voluit charitatem commendare, oſtendens, quod per ſolam illam agnoſcatur aliquis filius eſſe Dei; ſed Apoſtolus noluit oſtendere, quod omnes illi, qui ſic nati ſunt ex Deo, & ſemen gratiæ acceperunt, non poſſint in peccatum grave cadere, & ſic illam perdere, ſi contra charitatem agant, ut patet manifeſtè ex ipſo ibid. cap. 2. v. 1. cùm dicit: *Filioli mei, hæc ſcribo vobis, ut non peccetis, ſed, ſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem*, cur monet illos, quos jam præſupponebat eſſe filios Dei, ut in charitate permaneant, & non peccent: quod fruſtra dixiſſet, ſi tales non poſſent peccare etiam taliter, ut fiant filii diaboli; nec D. Auguſt. & alii PP. tantopere laboraſſent circa intellectum verborum Apoſtoli, quæ ſibi contraria videbantur, imo fruſtra Chriſtus docuiſſet, & monuiſſet in oratione dominica, ut omnes orent: *Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo*, ſi juſti & fideles ſecuri ſint & certi, quod nunquam peccabunt. IX.

Denique objiciunt illud Cant. 8. v. 7. *Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*, ergo nunquam amittent.

Reſpond. negando conſequentiam, quia ſcriptura ſolùm docet, quod nulla adverſitas poſſit charitatem tollere, quia charitas omnia ſuffert, omnia ſuſtinet, juxta Apoſtolum 1. Corinth. 13. & Rom. 8. *Quis nos ſeparabit à charitate*, &c. *certus ſum, quod neque ulla creatura alia*, ut ſuprà: cum hoc conſiſtit, quod homo ex propria voluntate ab ea poſſit deficere, & excidere, ut patet ex locis S. ſcripturæ ſuprà allegatis.

ARTICULUS VII.

Quòd homines etiam non electi ſeu prædeſtinati poſſint verè coram Deo juſtificari per gratiam, licèt poſtea illam perdant per ſua peccata.

I. HÆc veritas clarè patet tam ex S. ſcriptura, quàm ex SS. Patribus. Primò Ezech. 18. v. 24. *Si averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem ſecundum omnes abominationes*, &c. *in peccato ſuo, quod peccavit, in ipſis morietur*, &c. ubi expreſsè ſupponitur, quod verè coram Deo juſtus fuerit ante peccatum, & tamen ſi in illis perſeveravit, æternaliter damnabitur; & de

& de non electis patet, de electis verò etiam verificatur, quia per peccatum omnes ſpiritualiter moriuntur.

Secundò patet ex illo Matth. 24. v. 12. *Multi Pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos, & quoniam abundauit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum, qui autem perſeuerauerit uſq; in finem, hic ſalvus erit.* Ex his Domini verbis clarum eſt, quod erunt multi, qui veram habent charitatem, & tamen non ſalvabuntur, eo quod charitatem amittant: adeoque in hoc diſtinctio à Domino aſſignatur, quod erunt plures juſti, qui veram habeant juſtitiam & charitatem, in qua ſi omnes perſeverarent, ſalvarentur, ſed, quia aliqui non perſeverant, non ſalvantur, perſeverantes autem ſalvantur: adeoque Dominus ſupponit, quod vera ejuſdem rationis fuerit charitas (adeoque vera Juſtitia, ut ex ſacra ſcriptura & ſanctis Patribus oſtenſum eſt) in utriſque ſaltèm pro aliquo tempore; alioquin non dixiſſet, quod charitas multorum refrigeſcet, nec in perſeverantia ſalutem poſuiſſet. Nec obſtat, quod Chriſtus ibid. v. 24. dicit: *Surgent Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi.* Ex hoc enim non habetur primò, quod aliqui non electi ad tempus non ſint habituri charitatem & juſtitiam, ſed quod in errorem inducentur. Secundò, nec de electis habetur, quod aliqui illorum ad tempus non inducentur in errorem & peccata; ſed quod non inducentur in errorem finalem, ita quod uſque in finem vitæ errarent: quia illud non poteſt fieri propter decretum electionis Dei, cum quo conſiſtit, quod ad tempus vel errent, vel peccent, ut de Petro, Davide, &c. oſtenſum eſt, & ex textu patet.

II. Probatur 3. ex Luc. 8. v. 13. ubi Chriſtus exponens parabolam de ſemine dicit: *Nam qui ſupra petram, hi ſunt, qui cum gaudio ſuſcipiunt verbum, & radices non habent, ſed ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt*, &c. Ecce Chriſtus æqualiter dicit de illis, qui ad tempus credunt, & de his, qui in corde perfecto ſuſcipiunt verbum, & perſeverant, ac retinent, ubi utique loquitur de Fide viva, & juſtificante, cùm de eodem ſemine agat, & de omnibus, quod credant, aſſerat, & ſolum de diverſitate hominum differentiam ponat, ac in perſeverantia credendi.

4. Joann. 15 v. 3. Chriſtus dicit: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum*, ſcilicet, Pater, quod non poteſt intelligi de palmite ab initio ſemper arido, ſed de eo, qui in initio viridis erat, alioquin non fuiſſet renatus in Chriſto per baptiſmum, ſed ideo tolletur à Chriſto, quia à fide viva receſſit, licèt fortè exterius in fide & Chriſto manere videatur, & ſic tandem planè tolletur.

5. Act. 8. 13. dicitur: *Tunc Simon & ipſe credidit, & cum baptizatus eſſet, adhæſit Philippo* &c. quod verè crediderit, patet ex contextu, quia refertur crediſſe, ſicut cæteri, qui verè credebant. Nec obſtat, quod v. 23. dicit ei Petrus: *In felle amaritudinis video te eſſe;* ex quo non habetur, quod etiam tempore baptiſmi talis fuerit, cùm dicatur, quod tunc *adhæſerit Philippo, & ſtupens ſigna Philippi mirabatur*, ſed poſtea perverſus fuit cupiens per pecunias ſignorum gratiam obtinere.

III. Hoc ut certum ſuppoſuit D. Aug. agens contra Donatiſtas, qui negabant apud Schiſmaticos verum Baptiſmum eſſe, nec veram peccatorum remiſſionem, contra quos lib. 1. de Bapt. cap. 11. ſic arguit dicens edit. Baſil. 1528. *Hanc eis (Donatiſtis) quæſtionem ſolvendam proponimus, Magus ille Simon, utrum vere Chriſti Baptiſmate tinctus ſit? reſpondebunt ita, quia S. Scripturæ authoritate coguntur; quæro ergo utrum fateantur ei dimiſſa peccata? profectò fatebuntur. Item quæro, cur ei dixerit Petrus, non eum habere partem in ſorte Sanctorum? quia inquiunt, poſtea peccauit pecunia volens emere donum Dei,* hæc Auguſt. ubi oſtendit, quod ex S. Scriptura clarum ſit Simonem verè baptizatum, eique peccata dimiſſa fuiſſe, prout Donatiſtæ coacti ſunt dicere, & tamen Simon in peſſimum hæreſiarcham perverſus eſt.

Similiter de Juda argui poteſt, de quo S. *Hieron.* l. 3. adverſus Pelagianos, ex illis verbis Chriſti Joann. 17. *Pater quos dediſti mihi cuſtodivi, & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis*, probat ipſum fuiſſe priùs juſtificatum: & idem ſupponit l. 2 adverſus Jovinianum paulò poſt medium ſic dicens edit. Baſil 1553 *Judas, cùm eſſet arbor bona, ſigna faciens cum Apoſtolis, poſtea verſus in proditorem fecit fructus malos*, &c. hæc ibi.

Idem i dicat D. Aug. l. de Corr. & Grat. cap. 9. edit. eâd. dicens: *Si manſeritis, inquit, in verbo meo, vere diſcipuli mei eſtis, nunquid in his computandus eſt Judas, qui non manſit in verbo ejus*, &c. ubi ſupponit, quod fuerit in Chriſto, ſed non manſerit, manere enim ſupponit fuiſſe.

IV. 6. Probatur ex illo 1. Tim. 1. v. 19. *Vt milites in illis bonam militiam habens fidem, & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes circa Fidem naufragauerunt, ex quibus eſt Hymeneus & Alexander*, &c.

Hinc patet, quod illi duo habuerunt veram Fidem, & bonam conſcientiam, alioquin non dicerentur illam repuliſſe, vel potiùs ab ea naufragium paſſos eſſe, ſi nunquam in navi veræ Fidei & gratiæ fuiſſent.

7. Similiter patet ex illo 1. Tim. 4. v. 1. *Spiritus manifeſte dicit, quia in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à Fide*, &c. neque aliquis à loco diſcedit, qui in loco nunquam fuit, ſic nec à fide, ſi in illa non fuerit.

8. Similiter patet ex illo ad Gal. 5. v. 4. *Euacuati eſtis à Chriſto, qui in lege juſtificamini, à gratia excidiſtis.* Quomodo à Chriſto evacuatur, qui nunquam in Chriſto fuit, aut quomodo à gratia excidit, qui in illa nunquam extitit? Illi Galathæ priùs bene crediderant, ſed poſtea judaizabant.

V. 9. Ad Heb. 6. c. 4. dicit Apoſtolus: *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti, guſtauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſq; ſeculi futuri, & prolapſi ſunt, renouari iterum ad pœnitentiam, rurſum crucifigentes ſibimet ipſis filium Dei.* Ecce quàm clarè Apoſtolus oſtendit, quod aliqui verè juſtificati prolabantur ex gratia; ita etiam, ut ſit impoſſibile, id eſt, valde difficile & rarum tales iterum ad gratiam renovari. Sic impoſſibile explicavit Chriſtus de divitibus Matt. 19. v. 26. *Quod impoſſibile eſt apud homines, poſ-*

fibile est apud Deum, & præmisit, *quia diues difficile intrabit in regnum cælorum*. Vnde redarguuntur Acatholici, quorum aliqui volunt omnem justum, qui peccat, certitudinaliter iterum in gratiam restituendum, licèt id de electis verum sit.

10. Similiter Apost. ibid. cap. 10. v. 22. dicit: *Accedamus cum vero corde in plenitudine Fidei, aspersi corda à conscientia mala*, &c. *consideremus inuicem in prouocationem charitatis, & bonorum operum non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam*. Vbi patet, quod loquatur de quibusdam, qui in plenitudine Fidei aspersi corda à peccatis liberata habebant & defecerunt, unde subdit: *Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis hostia*, &c. quod maximè de iis intelligit, qui à Fide & Ecclesia per apostasiam defecerunt, præsertim ad Judaismum, de quibus agebat, quia tales non habent hostiam veram pro peccato, quæ est Christus, & sic multa alia de illis refert: ideo v. 29. subdit dicens: *Qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est*, &c. quis aliter justificatur, quam in sanguine Christi sanctificatus? & tales aliqui deseruerunt juxta Apostolum, & ideo monet alios adhuc fideles, ne illos sequantur.

VI. Similiter 2. Pet. 1. postquam monuisset fideles, ut in Fide virtutem, abstinentiam, patientiam, amorem fraternitatis, & charitatem ministrarent, subdit v. 9. *Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est, & manu tentans, obliuionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum*, &c. ubi clarè supponit, quod aliqui justificati à peccatis, postea à charitate defecerint, non attendentes purgationem, quam acceperant.

Idipsum clarissimè tradit ibid. cap. 2. v. 21. dicens: *Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato; contingit enim illos illud veri prouerbii, canis reuersus ad vomitum, & sus lota in volutabro luti*. Ecce quàm clarè dicitur, quod illi, qui semel peccata quasi comederant, & evomuerant, ad illa revertantur, & qui semel à peccatis abluti, in eadem relabantur.

Demum Apoc. 2. v. 4. dicitur: *Habeo aduersum te pauca, quod charitatem tuam primam reliquisti; memor esto itaq; unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac, sin minus, venio tibi, & mouebo candelabrum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris*. Ecce clarissimè dicitur, quod ille habuerit charitatem, & pia opera fecerit, ac proinde in gratia fuerit, à quo per peccata exciderit damnandus, nisi pœnitentiam egerit.

VII. Hanc Ecclesiæ Catholicæ doctrinam sancti Patres primitivæ Ecclesiæ semper tradiderunt; sufficiat hic testimonium D. August. cum alibi, tum lib. de Corr. & Grat. cap. 8. edit. Basil. 1528. *His si à me quæratur, cur eis Deus perseuerantiam non dederit, qui eam, quâ christianè viuerent, dilectionem dedit, me ignorare respondeo*, &c. *O altitudo diuitiarum sapientiæ Dei*, &c. & cap. 9. eâdem edit. ubi de filiis perditionis, qui scilicet non sunt prædestinati, seu electi, quorum aliqui sunt in Ecclesia, & ab illa recedunt, de quibus agitur 1. Joann. 2. dicit: *Non quia Justitiam simulauerunt, sed quia in ea non permanserunt, neq; enim ait, nam si fuissent ex nobis, veram non fictam Justitiam tenuissent, utiq; nobiscum, sed, si fuissent, inquit ex nobis, permansissent utiq; nobiscum, in bono illos volebat proculdubio permanere. Erant itaq; in bono, sed quia in eo non permanserunt, id est, non usq; in finem perseuerauerunt, non erant, inquit, ex nobis*. Ecce quàm clarè refutantur Acatholici, qui volunt, reprobos nunquam veram Fidem, vel charitatem, aut justitiam habere, sed fictam, sed umbram.

Similiter ibid. cap. 12. edit. eâd. sic ait: *Quamuis ergo de omnibus regeneratis, & piè viuentibus loqueretur Apostolus, dicens: Tu quis es, qui judicas seruum alienum? Domino suo stat, aut cadit; continuo tamen respexit ad prædestinatos, & ait: Stabit autem, & ne hoc sibi arrogarent*, &c. *ipse itaq; dat perseuerantiam*, ubi certò supponit non solùm prædestinatos, sed etiam alios non electos verè regenerari, & piè ad tempus vivere. VIII.

Idem ibid. cap. 13. edit. eâd. sic ait: *Omnes etiam, qui bene currunt, timeant, dum occultum est, quo perueniant, propter hujus ergo utilitatem secreti credendum est quosdam de filiis perditionis, non accepto dono perseuerandi usq; in finem in Fide, quæ per dilectionem operatur, incipere viuere, & aliquamdiu fideliter ac justè viuere, & postea cadere*. Et infrà: *Omnes mali, & pro ipsa diuersitate diuersis suppliciis judicandi, aut gratiam Dei suscipiunt, sed temporales sunt, nec perseuerant, deserunt & deseruntur*, hæc Aug. quæ adeo clara sunt, ut cuivis pateant.

Demum falsitas doctrinæ Acatholicorum ex ipsorummet principiis convincitur, nam docent de infantibus fidelium, quod vel omnes in Baptismo regenerentur, & justificentur, in *Ecclesia* Catholica, ut concedit Lutherus, vel quod ex utero matris nascantur justi, & Sancti, ut vult *Caluinus*. Si itaque omnis, qui semel justificatus est, sit verè electus, ergo omnes infantes Fidelium, saltem baptizati, sunt electi, atqui hoc partim in re, partim in illorum opinione falsum est, de re patet, quia plures tales, dum adolescunt, gravissima peccata perpetrant, & usque ad mortem in illis perseverant, proinde non salvantur, juxta verbum Christi: *Qui perseuerauerit usq; in Finem, saluus erit*. IX.

Hoc supponit August. lib. de Corr. & Grat. cap. 8. edit. Basil. 1528. sic dicens: *Mirandum est quidem, multumq; mirandum, quod filiis suis Deus quibusdam, quos regenerauit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, non det perseuerantiam*, hæc quoad adultos contra Acatholicos, postea subdit de infantibus fidelium dicens: *Sed illud etiam non minus mirum est, & tamen verum, atq; ita manifestum, ut nec ipsi inimici gratiæ Dei, quomodo id negent, valeant inuenire, quod filios quosdam amicorum suorum, hoc est, regeneratorum, bonorumq; Fidelium sine Baptismo hinc paruulos exeuntes, quibus utiq;, si vellet, hujus lauacri gratiam procuraret, alienet à regno suo, quo parentes mittit illorum*, hæc Augustinus.

Quid

X. Quid ad hoc Calvinus? cæterùm, quod falſitas etiam doctrinæ eorum, ex ipſorum opinione convincatur, patet ex eo; quia plures à parentibus Acatholicis nati & baptizati, poſtea redeunt ad Eccleſiam Catholicam damnantes Fidem parentum: an illi electi juxta ipſorum opinionem, qui tamen in baptiſmo, vel ex utero ſanctificati fuerunt?

Iterum juxta ipſorum etiam doctrinam, infantes à Catholicis parentibus nati, & baptizati juſtificantur, & verum eſt, adeoque omnes electi erunt; & tamen Acatholici omnes Catholicos, licèt baptizatos, ſi Fidem Catholicam expreſsè profiteantur, & ipſorum doctrinam damnent, tanquam Judæis, & Turcis pejores, & velut Antichriſti filios damnant: quomodo ergo conſiſtit ipſorum doctrina etiam juxta propria principia, quod ſemel juſtificati tandem ſalvabuntur, & electi ſint? Ecce qualiter iniquitas ſibi mentitur.

ARTICULUS VIII.

Reſpondetur ad argumenta Acatholicorum.

I. Acatholici eadem argumenta, quibus probare volunt, quod electi non poſſint peccare, etiam adducunt contra non electos, quod nunquam verè juſtificentur, ad quæ ſuprà reſponſum eſt; inter quæ primarium eſt illud Rom. 8. v. 30. *Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit, quos autem vocavit, hos & juſtificavit, quos autem juſtificavit, hos & glorificavit.* Vnde ſubſumunt, ſed Deus non electos non glorificabit, ergo nec verè vocavit, nec juſtificavit.

Ad hoc reſponſum eſt art. 4. breviter hìc reſpondetur, quod Apoſtolus ibi loquatur de prædeſtinatis & vocatis ſecundum propoſitum, de quibus certum eſt, quod & juſtificentur, & glorificabuntur; ſed Apoſtolus non dixit, quod Deus ſolos illos vocavit, & juſtificavit, quos prædeſtinavit, cùm Chriſtus dixerit: *Multi vocati, pauci vero electi.* Argumentum ſi urgeret, tale eſſe deberet, Deus quos prædeſtinavit & vocavit ſecundum propoſitum, etiam glorificabit; hos ſolos juſtificavit & vocavit vocatione vera, licèt non ſecundum propoſitum, ſed hæc propoſitio falſa eſt, nec ab Apoſtolo poſita.

II. In ſpeciali etiam ſic arguunt: Nemo verè juſtificatur, niſi verè regeneretur per ſemen incorruptibile, & adoptetur in filium Dei, & fiat hæres regni cæleſtis; atqui non electus non adoptatur in filium Dei, nec fit hæres regni, proinde nec verè juſtificatur. Majorem probant, quia per juſtificationem fit adoptio, ut patet Rom. 8 v. 15. *Accepiſtis ſpiritum adoptionis Filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* Et Gal. 4. v. 5. *Miſit Deus Filium ſuum, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem Filiorum reciperemus, quoniam autem eſtis Filii,* &c. *itaq; jam non eſt ſervus, ſed Filius, quod ſi Filius, & hæres per Deum.*

Similiter Epheſ. 1. v. 5. *Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem,* & v. 5. *Qui prædeſtinavit nos in adoptionem Filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ,* quod autem regenerentur ex ſemine incorruptibili patet 1. Pet. 1. v. 23. *Renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbum Dei vivi, & permanentis in æternum,* &c. quod autem non electi non ſic regenerentur, nec adoptentur in filios, probant, quia illi non habent ſemen incorruptibile, nec aſſequuntur regnum.

III. Idem probare volunt ex illis verbis 1. Joann. 2. v. 19. *Ex nobis prodeunt, ſed non erant ex nobis, nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utiq; nobiſcum.* Hanc eſſe ſententiam Auguſtini volunt allegantes illum lib. 2. de Corr. & Grat. cap. 9. ubi dicit: *Non erant in numero filiorum, etiam quando erant in fide filiorum,* & infrà: *Nec vero filii Dei fuerunt, etiam quando eſſe videbantur, & ita vocabantur.*

Reſpondetur, quod dupliciter poſſit homo dici filius Dei adoptivus, & hæres regni; ſemel abſolutè, & ſimpliciter ac ſemper, licèt non pro ſemper, & hoc modo illi, qui ſecundum propoſitum Dei ab æterno prædeſtinati ſunt ad gloriam, dicuntur filii Dei & hæredes, quia in corde Dei ſemper ad gloriam decreti ſunt, licèt non ſemper ſint in ſtatu filiorum Dei, ſed tunc quando juſtificantur, & ex filiis iræ fiunt filii Dei adoptivi, ita tamen ut adoptionem plenam nondum habeant, niſi quando gloriam conſequuntur, juxta illud Rom. 8. v. 23. *Ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis noſtri,* & ideo D. Auguſtinus lib. de Peccat. Merit. & Remiſſ. cap. 8. ait: *Adoptio ergo plena Filiorum in redemptione fiet etiam corporis noſtri,* &c. edit. Baſil. 1528. verùm in ſpe hanc adoptionem habent, dum accipiunt gratiam, quæ eſt pignus adoptionis & hæreditatis. Aliter dicitur filius Dei adoptivus etiam verè, non abſolutè, ſed ad tempus, ſcilicet ille, qui quidem per gratiam Dei verè & ſimpliciter juſtificatur, & regeneratur etiam per ſemen incorruptibile verbi Dei & gratiæ, ac per hanc habet etiam jus ad gloriam; ſed, quia ſua voluntate peccat, & gratiam amittit, ſic etiam adoptione ac jure ad gloriam privatur, & quia Deus ab æterno quidem huic decrevit dare gratiam, & jus ad gloriam, ſed prævidit ipſum ſua culpa non permanſurum, ſed illam gratiam amiſſurum, ſic etiam non decrevit ipſum ad gloriam, ac proinde licèt ad tempus ipſius filius adoptivus ex gratia futurus ſit, non tamen ſimpliciter filius ſubinde à S. Scriptura dicitur.

IV. Hæc diſtinctio patet manifeſtè ex locis S. Scripturæ ſuprà allegatis. Quod autem SS. Patres; & præſertim D. Aug. juxta dictam diſtinctionem verba S. ſcripturæ intellexerint, patet ex ipſo 1. lib. 2. de Bono Perſeverantiæ cap. 8. edit. Baſil. 1528. in fine, ubi de electis & non electis ſic ait: *Nonne utriq; vocati fuerunt, & vocantem ſecuti, utriq; ex impiis juſtificati, & per lavacrum regenerationis utriq; renovati? ſecundum hæc omnia ex nobis erant; veruntamen ſecundum aliam quandam diſtinctionem non erant ex nobis,* &c. *non erant ex eis, quia non erant ſecundum propoſitum vocati, non erant in Chriſto electi, non erant prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus,* &c. hæc ibi. Idem clariùs exprimit loco ab Acatholicis objecto libro de Corrept. & Grat.

Digitized by Google

greſſum & viaticum ſupplicii: ſi ergo reſurrectionem, conſequentur omnes, & non ſolum reſurrectionem, ſed & incorruptionem, quomodo tanquam præcipuum quicquam adepturus dixit, in quo pacto pertingam? Propterea, inquit iſta patior, ut aliquo pacto ad reſurrectionem ex mortuus pertingam, niſi enim mortuus fuerit, non reſurget. quid eſt igitur? videtur magnum quid hic innuere, erat enim adeo magnum, ut liquido devenire non cujus ſit, ſed dixerit. ſi quo pacto. Credidi in illum & reſurrectionem ejus, imo & patior propter ipſum ſed nondum poſſumus de reſurrectione confidentes eſſe (NB) *& ſecuri, quam hic ergo reſurrectionem dixit? eam ſcilicet, quæ ad Chriſtum ducit. Dixi me in eum credidiſſe, & potentiam reſurrectionis eius, conſortemq; paſſionis ipſius factum, & conformatum morti eius: veruntamen poſt omnia iſta nondum ſecurus ſum, quod & alibi dicit, qui ſtare videtur, videat, ne cadat, & iterum: Metuo ne cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar, non quod jam apprehenderim, aut iam perfectus ſim; perſequor autem, ſi quo modo apprehendam, quatenus & apprehenſus ſum, à Chriſto Jeſu, non quod iam apprehenderim, quid eſt, iam apprehenderim? Bravium dicit, ſi ergo qui tanta paſſus eſt, ſi qui perſecutionem tulit, ſi qui mortificationem habebat, nondum de reſurrectione illa ſecurus fuit, quid ſane nos dicemus?* & paulò infrà: *Si vero Paulus ita perſequens, tantaq; paſſus adhuc dicit, ſi forte apprehendam, quid nos dicemus?* hæc ille. Quid clarius contra iſtam Fidem Acatholicorum dici poſſet, quâ volunt fidelem quemvis eadem certitudine credere ſe ſalvandum, & ad vitam reſurrecturum, quia credit in Chriſtum, & illius reſurrectionem. Hanc autem fidem Paulum non habuiſſe, patet ex verbis ejus, & ſententia Chryſoſtomi. Paulus credebat in Chriſtum, ſed nondum ſecurus erat de ſua ſalute, ut patet, ita tamen ut in ſpe firma viriliter certaret, quatenus illam obtineret.

V. S. *Auguſtinus* lib. 11. de Civ. Dei cap. 12. edit. Baſil. 1529. ſic ait: *Hodie non imprudenter beatos vocemus, quos videmus iuſte ac pie cum ſpe futuræ immortalitatis hanc vitam ducere ſine crimine vaſtante conſcientiam,* &c. *qui licet de ſua perſeverantiæ præmio certi ſint, de ipſa tamen perſeverantia ſua reperiuntur incerti: quis enim hominum ſe in actione profectuq; Iuſtitiæ perſeveraturum uſq; in Finem ſciat, niſi aliqua revelatione ab illo fiat certus, qui hac de re latentiq; iudicio non omnes inſtruit, ſed neminem fallit,* &c. hæc Auguſt. Ecce iterum quàm clarè damnetur Acatholicorum Fides divina de ſalute. Dicit Auguſtinus, quod Fidelis de præmio perſeverantiæ, ſcilicet, de vita æterna, quæ perſeverantibus danda eſt, certi ſint, utique ex Fide divina iuxta promiſſa Dei, ſed negat illos eſſe certos de ipſa perſeverantia, quod ſcilicet ipſi perſeveraturi ſint; quia hoc non conſtat ex verbo Dei; ſed hic tantum certus eſſe poſſit, ſi Deus alicui revelavit, de quo dicit Deum non omnes inſtruere, ſic etiam docet Eccleſia Catholica, Acatholici volunt omnes ex verbo Dei de ipſa perſeverantia certos eſſe.

Idem lib. de Bono Perſeverantiæ cap. 8. edit. Baſil. 1528. dicit: *Deus melius eſſe iudicavit miſcere quoſdam non perſeveraturos certo numero Sanctorum ſuorum, ut, quibus non expedit in huius vitæ tentatione ſecuritas, non poſſint eſſe ſecuri: multos enim à pernitioſa elatione reprimit, quod ait Apoſtolus, quapropter qui videtur ſtare, videat, ne cadat; voluntate autem ſua cadit, qui cadit, & voluntate Dei ſtat, qui ſtat,* hæc ibi. Similiter ibid cap. 13. ubi diſtinguit vocationem fidelium in communi ab illa, qua vocantur aliqui, ut perſeverent, eâd. edit. ſic dicit: *Unde ſatis dilucide oſtenditur, & inchoandi, & uſq; in Finem perſeverandi gratiam Dei non ſecundum merita noſtra dari, ſed donari ſecundum ipſius ſecretiſſimam, rectiſſimam, beneficentiſſimam, ſapientiſſimamq; voluntatem; quoniam quos prædeſtinavit, ipſos & vocavit vocatione illa, de qua dictum eſt, ſine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei; ad quam vocationem pertinere nullus eſt homo ab hominibus certa aſſeveratione dicendus, niſi cùm de hoc ſeculo exierit, in hac autem vita humana, quæ tentatio ſuper terram, qui videtur ſtare, videat ne cadat, ideo quippe, ſicut jam ſupra diximus, non perſeveraturi perſeveraturis providentiſſima Dei voluntate miſcentur, ut eſſe diſcamus non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes, & cum timore & tremore noſtram ipſorum ſalutem operemur,* &c. hæc ibi, ubi iterum oſtendit ex S. Scriptura, quod electi non ſint certi, & hoc illis expediat.

Similiter clariſſimè docet lib. de Corrept. & Gratia cap. 13. edit. Baſil. 1528. ubi, cùm ex variis ſacræ Scripturæ locis oſtendiſſet certum electorum eſſe numerum, etiam de his illud dici aſſerit, quod timere debeant, ne cadant, ſubdit dicens: *Quod autem etiam perſeveraturis Sanctis ſic iſta dicuntur, quaſi eos perſeveraturos habeatur incertum, non aliter hoc audire debent, quibus expedit non altum ſapere, ſed timere, quis enim ex multitudine Fidelium quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero prædeſtinatorum ſe eſſe præſumat, quia id occultum opus eſt in hoc loco, ubi ſic cavenda eſt elatio, ut etiam per Satanæ Angelum, ne extolleretur, tantus colaphizaretur Apoſtolus, hinc Apoſtolis dicebatur: Si permanſeritis in me, dicente illo q i illos utiq; ſciebat eſſe manſuros, & per Prophetam: Si volueritis, & audieritis me, cum ſciret ipſe in quibus operaretur & velle: & ſimilia multa dicuntur propter hujus utilitatem ſecreti, ne forte quis extollatur, ſed omnes etiam, qui bene vivunt, timeant, dum occultum eſt, quo pervenient,* &c. hæc ibi, ecce quàm clarè rejicitur Acatholicorum Fides: ſi enim juxta ipſos quilibet fidelis de ſua ſalute Fide divina certus eſt, quomodo ipſis occultum, quo pervenient? quod autem electis expediat id eſſe occultum idem S. Pater ex ſacra Scriptura oſtendit ibidem ead. edit. dum ſubjungit dicens: *Propter huius ergo utilitatem ſecreti credendum eſt, quoſdam de Filiis perditionis, non accepto dono perſeverandi uſq; in finem in Fide, quæ per dilectionem operetur, incipere vivere, & aliquamdiu fideliter ac iuſte vivere, & poſtea cadere, neq; de hac vita priuſquam hoc eis contingat, auferri. Quorum ſi nemini contigiſſet, tamdiu haberent homines iſtum ſalutarem timorem, quo vitium elationis opprimitur, donec ad Chriſti gratiam, quâ pie vivitur, pervenirent, deinceps jam ſecuri nunquam ſe ab illo eſſe caſuros, quæ præſumptio in iſto tentationum loco non expedit, ubi tanta eſt infirmitas, ut ſuperbiam poſſit generare ſecuritas. Deniq; etiam hoc erit ſed tunc, quod jam eſt in Angelis, etiam in hominibus erit, quando ulla ſuperbia eſſe non poterit,* &c. hæc Aug. ubi patet, quod nec ſecuritas in hac vita de ſalute habeatur, nec expediat, ſed in cœlis, niſi Deus paucis id revelet: quibus etiam gratiam ſpecialem donet, ut non ideo

ideo superbiant, sed magis se humilient, ac in Dei amore exardescant.

Hic etiam militat argumentum quod Augúst. allegans S. Cyprianum eodem lib. cap. 8. ponit contra Pelagianos, qui dicebant perseverantiam non haberi ex gratia Dei, sed ex libero arbitrio, sic ergo arguit: *Cùm in oratione Dominica Deo Patri dicimus, sanctificetur nomen tuum, quid aliud dicimus, quàm ut nomen eius sanctificetur in nobis? quod cum per lauacrum regenerationis effectum sit, quare quotidie à Fidelibus poscitur, nisi ut in eo, quod factum est in nobis, perseueretur in nobis? Nam & S. Cyprianus hac sic intelligit exponens eandem orationem: Dicimus, inquit, sanctificetur nomen tuum. non quod optemus Deo, ut sanctificetur orationibus nostris, sed quod petamus à Deo, ut nomen ejus sanctificetur in nobis: caterum à quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat? sed quia ipse dixit: Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum, id petimus, id rogamus, ut, qui in baptismo sanctificati sumus, in eo, quod cœpimus, perseueremus,* &c. *Nullo autem dubitante quisquis à Domino, ut in bono perseueret, precatur, donum eius esse talem perseuerantiam confitetur.* Hæc Aug. cum S. Cypriano. Similiter nos arguimus si pro perseverantia precamur non sumus certi Fide divinâ quod perseverabimus sicut non oramus, ut Christus sedeat ad dexteram Patris.

VII. Hæc Catholica veritas etiam probari potest ex omnibus illis S. Scripturæ locis, & SS. Patrum testimoniis, quibus suprà ostensum est, quod homo non habeat certitudinem Fidei divinæ de statu gratiæ, in quo pro tempore fortè existit, quia S. Scriptura promittit gratiam illis, qui credunt, & pœnitentiam agunt, ut oportet, quod an homo faciat, non ipse ex verbo Dei cognoscit, nec per experientiam habere potest, ut suprà ostensum est. Si ergo homo de præsenti gratia sic certus non est, quomodo de futuro certus erit, quod perseveraturus sit usque in Finem in tali statu gratiæ Deum amando, ut oportet, per Fidem, quæ per dilectionem operatur, quod S. Scriptura requirit: at de futuro homo non potest esse certus per experientiam, ut patet, nec per S. Scripturam, quia S. Scriptura non dicit omnes homines salvandos, sed eos, qui perseveraverint in gratia, nec promisit omnes homines in gratia perseveraturos, sed eos, qui usque in finem vel saltèm in fine vitæ veram Fidem per veram dilectionem operantem habuerint, de quo nullus certus esse potest, nisi Deus specialiter revelaverit. Vt SS. Patres juxta S. Scripturam ostendunt.

ARTICULUS IV.

Respondetur ad argumenta Acatholicorum contra præmissam veritatem.

I. PRimò de perseverantiæ certitudine probant ex illo Rom. 8. v. 38. *Certus sum enim, quia neq; mors;* &c. *neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei.* Unde inferunt, ergo omnes Fideles Fide divina certi sunt, quod perseverabunt, & salvabuntur.

Ad hoc copiosè responsis in cap. præced. art. 6. respondendo ad argumenta.

Respondetur hîc breviter, quod certum sit de Fide, quod nulla alia creatura possit illum, qui est in charitate, ab illa separare, bene tamen ipse homo ex sua malitia se separare potest. 2. Nullus sine speciali revelatione Dei certus est de Fide, quod sit fidelis, & in charitate vera Dei, prout Scriptura requirit. 3. quia Apóstolus hoc dicit de prædestinatis, sed probandum est, quod quilibet sciat se prædestinatum. 4. si autem de omnibus Romanis loquitur, est tantùm certitudo Fiduciæ, non Fidei, quia Paulus non sciebat Fide divinâ, quod omnes Romani essent in charitate vera Christi.

2. Objiciunt ibid. Rom. 3 v. 30. *Quos autem prædestinauit, hos & vocauit, quos autem vocauit, hos & iustificauit, quos autem iustificauit, hos & glorificauit.* Unde subsumunt, at Fideles Fide divinâ certi sunt se vocatos quia credunt, ergo eadem Fide certi sunt se esse prædestinatos. II.

Resp. eo, quidquid sit de illo subsumpto, quod omnes Fideles sciant Fide divinâ se vocatos ad veram Fidem, de quo suprà actum est; certum est, quod non omnes vocati sint prædestinati juxta Matth. 22. ubi Dominus post parabolam de invitatis ad nuptias subjungit, v. 14. *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi,* & hi sunt prædestinati. Vnde necessariò verba Apostoli, *quos & vocauit, hos & justificauit,* distinguenda sunt, us SS. Patres, & præsertim D. August. distinguunt, ex verbis ejusdem Apostoli eodem cap. v. 28. cum dicit: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt Sancti.* Vbi expressè supponit quod aliqui sint vocati non secundum propositum, & sic cohærent ejus verba cum verbis Christi. De tali speciali vocatione agit etiam Apostolus 2. Tim. 1. v. 9. dicens: *Qui nos liberauit, & vocauit vocatione sua sancta non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia,* &c. hunc distinctionem ex sacra Scriptura probat & supponit S. August edit. Basil. 1528. lib: de Corrept. & Grat. cap. 7. ubi sic ait: *Cùm autem audimus, quos autem prædestinauit, illos & vocauit, secundum propositum vocatos debemus agnoscere, quoniam inde cœpit dicens, omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt, ac deinde subjunxit, quoniam quos autem præsciuit, & prædestinauit, conformes fieri, atque his præmissis subdit, quos autem prædestinauit, illos & vocauit: eos itaq; vult intelligi, quos secundum propositum vocauit, ne putentur in eis esse aliqui vocati, & non electi, propter illam Domini sententiam, multi vocati, pauci electi, quicunque enim electi sine dubio etiam vocati, non autem quicunque vocati, sine dubio electi, illi ergo electi, ut sæpe dictum, qui secundum propositum vocati, qui etiam prædestinati,* &c. hæc August.

Hinc respondetur, quod, licet aliquis agnosceret se vocatum simpliciter ad Fidem, non tamen certa Fide agnoscit se illa vocatione speciali secundum propositum esse vocatum, prout illud ostendit idem Augustinus lib. de bono persever. cap. 13. edit. Basil. 1528. cujus verba suprà art. 3. relata sunt, ubi notanda illa cùm dicit: *Quoniam quos prædestinauit, ipsos & vocauit vocatione illa, de qua dictum est,* III.

Digitized by Google

ad quem vocationem pertinere nullus est homo ab hominibus certa assueratione dicendus, nisi cùm de hoc seculo exierit. Nec valet, quod aliqui dicunt, quod licè alius non possit de alio dicere, quod sic sit vocatus, tamen homo de seipso hoc sentire, & certus esse possit: Nam verba S. Scripturæ clara sunt, nec ex illis aliud habetur, quàm quod, illi sint prædestinati, qui secundum propositum sunt vocati, hoc autem nemo de seipso scire potest, ex eo quod vocatus sit, cum vocatio etiam sit aliqua vera sed non secundum illud Dei propositum.

Nec valet etiam, si dicatur, quod certum sit, nullum vocari ad Fidem, vel etiam ad gratiam ad tempus, nisi Deus ab æterno præviderit, & ad hoc ipsum prædestinaverit, quia Deus omnia ab æterno disposuit.

Resp. enim, quod, licèt Deus ab æterno omnes qualescunque vocatos præscivérit, & vocare disposuerit, & voluerit, non tamen omnes secundum propositum disposuit; nam hoc amplius comprehendit, quod illos proposuerit & decreverit ad vitam æternam recipere, & secundum illud propositum etiam disposuit illos vocare ad Fidem & gratiam, sed non sic disposuit alios non electos vocare. Cum ergo Deus dicitur aliquem prædestinasse, id intelligitur ante omnia de prædestinatione ad gloriam, ex qua infallibiliter etiam sequitur prædestinatio ad gratiam, & vocationem Fidei: sed econtra ex vocatione ad Fidem vel gratiam non sequitur prædestinatio ad gloriam.

IV. Hinc patet etiam falsitas Acatholicorum, dum sic dicunt: Electio nobis patefit in tempore, quoniam per verbum & spiritum Dei regeneramur, seu efficaciter vocamur, ut in Christum credamus, sanctè vivamus, & spem æternæ gloriæ certam concipiamus: hæc enim non sufficiunt, ut Fide divinâ homo sciat se electum; quia etiam aliqui reprobi sic vocantur, & ad tempus sanctè vivunt, & sperant, ut ostensum est ex S. Scriptura.

3. Objiciunt illud Marci 11. v. 24. *Dico vobis omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis.* Et Luc. 11. v. 9. *Petite, & dabitur vobis,* & v. 13 *Quanto magis Pater vester dabit spiritum bonum petentibus se,* &c. & illud Jac. 1. v. 5. *Postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, postulet autem in Fide nihil hæsitans;* unde sic arguunt: De Fide, juxta verbum Christi certum est, quod illud, quod quis à Deo petit ad salutem necessarium, & id credit sine hæsitatione, accipiet: atqui spiritus perseverantiæ est simpliciter necessarius ad salutem, ergo quicunque illum petit in Fide non hæsitans, illum accipiet; potest autem homo certus esse, quod illum sic à Deo petat, ergo & certus esse, quod accipiet.

V. Respond. primò: Non promittit Christus omnia danda, quæ petuntur, si ad malum, vel malè petantur, unde dicitur Jacobi 4. v. 3. *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis.*

Resp. 2. quia vero bonum perseverantiæ & spiritus bonus ad salutem necessarius est, utique Deus dabit illud petentibus bene; bene petit, qui petit, ut vult Deus, Deus autem vult, ut semper usque ad Finem vitæ illud bonum petamus: ideo docuit ut in oratione dominica quotidie petamus, *ut sanctificetur nomen ejus: ut adveniat regnum ejus*: qui ergo ad tempus orat, & postea deficit, non bene petit, & ideo non accipit. Verùm homo nón est certus Fide divinâ, quod semper perseverabit in petendo, & etiam sincerâ intentione petat: hoc enim ex illis aut aliis S. Scripturæ locis non habetur.

Resp. 3. Certum est, quod omnis qui bene petit aliquid à Deo, quod ad salutem est necessarium, & præsertim ipsam salutem, firmiter sine hæsitatione in Fide sperare debeat se illam obtenturum, quia firma spes seu Fiducia fundatur in Fide divina quoad Dei promissiones, quæ certissimæ sunt: sed quia promissio Dei non est absoluta, sed sub conditione, si nos faciamus, quod Deus requirit; ideo cum illa spe firmissima sine hæsitatione quoad Dei promissa consistit timor & hæsitatio ex parte nostra, ut suprà ostensum est.

4. Objiciunt illud 1. Joann. 5. v. 13. *Hæc scribo vobis, ut sciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei,* &c. unde sic arguunt: ergo omnis, qui credit in Filium Dei, de Fide certus est, quod habiturus sit vitam æternam, ac proinde etiam perseverantiam. VI.

Resp. primò, quod ibi per scire, non intelligatur Fides divina, sed Fiducia firma, quæ stat cum timore & incertitudine Fidei, ut patet ex verbis Apostoli, cùm dicit; *Hæc scribo, ut sciatis*: si enim quilibet fidelis debeat ex Fide divina credere, quod sit electus, & habiturus vitam æternam, ut Acatholici volunt, non opus erat, ut Apostolus illa scriberet, & adhuc illos de hoc informaret, cùm jam essent fideles.

Resp. 2. qui Fide divinâ per charitatem operante credit in Filium Dei, ille habet vitam æternam, non quidem de facto seu in re; quia certum est, quod nondum sit in cœlo beatus, sed habet vitam æternam in spe, prout Rom. 8, v. 24. dicitur: *Spe enim salvi facti sumus*: quia habet gratiam, per quam vitam obtinebit, sed si in illa perseveraverit usque in Finem; atqui nec homo est certus Fide divinâ, quod habeat Fidem per dilectionem operantem, nec quod in illa perseverabit.

5. Objiciunt illud ad Ephes. 1. v. 13. *In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ,* & v. 17. *Memoriam vestri faciens in orationibus meis, ut Deus det vobis spiritum sapientiæ,* &c. *illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis, quæ sit spes vocationis eius, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis eius in Sanctis.* Unde arguunt: qui habet pignus hæreditatis æternæ, etiã certus est de illa, at Fideles sunt certi quod habeant pignus ejus, &c. etiam Apostolus orat, ut illuminatos habeant oculos ad sciendum, quod sint prædestinati. VII.

Resp. primò negando quod fideles Fide divinâ certi sint, se habere pignus hæreditatis seu spiritum promissionis, pignus enim est Fides vera per charitatem operans, de qua certi non sunt.

Resp. 2. Etsi de eo certi essent, nondum essent certi de hæreditate, quia juxta verbum Christi requiritur, ut illud pignus semper retineant, in Fide & charitate perseverando: si enim hoc non faciant, tunc pignus perdunt, ac proinde hæreditatem.

Ad aliud negatur, quod Apostolus oret pro ipsis,

ipsis, ut sciant se esse prædestinatos, sed ut sciant illa, quæ Deus in gloria promisit Sanctis, hoc ad Fidem pertinet: sed ex hoc non sequitur, quod, qui hoc credunt, etiam certi sint se ad gloriam perventuros, vel se in gratia perseveraturos.

ARTICULUS V.

Quòd Electi post justificationem possint ad tempus ex gratia excidere, licèt ad illam redeant.

I. HOc nimis evidens est ex S. scriptura, & SS. Patrum testimoniis jam allegatis; ubi supponitur, quod etiam electi possent excidere ex gratia saltèm ad tempus, & ideo moneantur, quatenus videant, ne cadant, licèt in fine vitæ resurgant, prout supponit S. August. lib. de Corrept. & Grat. cap. 7. de electis dicens eâd. edit. *Isti significati sunt ad Timotheum, ubi cùm dictum fuisset Hymenæum & Philetum Fidem quorundam subuertere, mox additum est. Firmum autem fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: sciuit Dominus qui sunt ejus. Horum Fides, quæ per dilectionem operatur, profectò aut omnino non deficit, aut si qui sunt, quorum deficit, reparatur, antequam vita ista finiatur, & deletâ, quæ intercurrerat, iniquitate, usq; in finem perseuerantia deputatur*, &c. hæc August.

Hoc patet ex exemplis S. scripturæ, de illis, qui verè electi fuerunt, & tamen graviter peccarunt, ut patet præsertim de *Dauide, & Petro, & Adamo*: nam certum est, quod David verè fuerit coram Deo justus, antequam committeret adulterium, & homicidium Uriæ, ut patet ex illo 1. Reg. 13. v. 22. ubi dicitur de Davide: *Quæsiuit Dominus sibi virum juxta cor suum*. & Act. 13. v. 22. Apostolus ait: *Suscitauit illis Dauid Regem, cui testimonium perhibens dixit, inueni Dauid Filium Jesse virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*, &c. ubi patet ex Dei testimonio, quod erat in gratia Dei, & tamen postea tam graviter peccavit, ut patet, & ipse in psalmis toties confitetur & deplorat, qui postea Deo reconciliatus, salvatus est.

De *S. Petro* idem patet, quod priùs fuerit à Deo justificatus, quàm Christum in passione negaret; id patet ex illo Joann. 13. v. 10. ubi Christus dixit Petro: *Vos mundi estis, sed non omnes*, excipiens Judam, adeoque Petrus mundus ac justus erat, & tamen postea Christum negavit, & negationem perjurio confirmavit; postea verò Christo ipsum per misericordiam respiciente conversus, rediit in gratiam.

II. De his ita loquitur D. August. lib. de correpț. & Grat. cap. 9. loquens de iis, qui jam justi sunt, quos S. scriptura hortatur, ut caveant, ne cadant, dicens edit. Basil. 1528. *Non pereant de via justa, in qua ambulare cæperunt, dum sibi hoc ipsum assignant, quod in ea sunt, his verbis usus est, & Apostolus, ubi ait: Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini. Et ostendens, quare cum timore & tremore, ait; Deus est, inquit, qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate. Non enim habebat hunc timorem & tremorem, qui dicebat* (David) *in abundantia mea non mouebor in æternum, sed quia Filius erat promissionis, non perditionis, expertus Deo paululum deserente quid esset ipse, Domine, inquit, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem, auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus, ecce doctior & ob hoc etiam humilior*, &c. & post pauca: *Factus est ergo conturbatus, ut se inueniret & humiliter sapiens. Hæc vox & Apostoli Petri esse potuit, dixerat quippe & ipse in abundantia sua, animam meam pro te ponam, sibi festinando tribuens, quod ei fuerat à Domino postea largiendum: auertit autem ab illo faciem Dominus, & factus est conturbatus, ita ut etiam mori pro illo metuens, ter negaret, sed rursus conuertit ad eum faciem suam Dominus, & culpam lachrimis deleuit*, &c. hæc ibi. Si Petrus non peccavit, quomodo culpam delevit? peccasse autem ipsum graviter patet ex verbis Domini: *Qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram*
Patre meo, &c. Matt. 10. v. 33. Itaque SS. Pa- III.
tres communiter fatentur, specialiter Augustin. non solùm loco jam allegato, sed tract. 66. in Joann. edit. Basil. 1529. ubi de hac Petri negatione agens dicit: *Quanta enim est vita confiteri Christũ, tanta mors est negare Christum*. Et ibi quosdam volentes Petrum excusare, quasi Christum hominem & non Deum negasset, ex verbis Christi refutat dicens: *Quasi vero qui hominem Christum negat, non Christum neget, & hoc in eo negat, quod factus est propter nos* Et infrà: *Non enim ait: non cantabit gallus, donec hominem neges, aut donec Filium hominis neges, sed ait, donec me neges, quid est me nisi quod erat, & quid nisi Christus erat?* & infrà: *Agnouit plane peccatum suum infirmitas Petri, prorsus agnouit, & quantum mali Christum negando commiserit, plorando monstrauit*, & infrà: *Ante mortem & resurrectionem Domini & mortuus est negando, & reuixit plorando, sed mortuus est, quia superbè præsumpsit, reuixit autem, quia benignè ille respexit*, hæc August. Si mortuus fuit Petrus negando, utique morte spirituali per amissionem gratiæ, revixit dum Christus ipsum respexit in gratiam recipiendo, adeoque interea temporis Petrus peccarat peccato ad mortem, in quo recentiores Acatholici distinctionem pro refugio falsò ponunt.

Nec obstat Acatholicorum objectio, dum dicunt Christum Luc. 22. v. 32. dixisse: *Ego rogaui pro te Petre, ut non deficiat Fides tua.* Ad hoc respondetur primò verum esse, quod Fides in corde Petri non defecerit, sed defecit confessio exterior, quæ est ad salutem: & ideo peccavit graviter: utrumque enim verissimum est propter verbum Domini. Primum: *Ego rogaui pro te*, & alterum, *non cantabit gallus, donec me negabis.*
Sic D. Augustinus lib. 6. de Corrept. cap. 8. IV.
eâd. edit. quoad primum dicit: *Quando rogauit ergo, ne Fides ejus deficeret, quid aliud rogauit, nisi ut haberet in Fide liberrimam, fortissimam, inuictissimam, perseuerantissimam voluntatem?* de secundo quoad negationem dicit Augustinus ibid. cap. 9. & tract. 66. sup. quod Petrus in peccato mortuus fuerit, & sic utrumque simul verum fuit juxta verbum Domini, quod Fides invicta manserit, licèt mortua charitas tempore negationis fuerit, quæ negatio fidem non tollebat: Fidem Christus promiserat mansuram, sed non promiserat pro tempore passionis constantiam in charitate & confessione.

Respond. secundò cum D. Hieron. in cap. 16. Matt. ubi dicit: *Si prudens lector inquirat, cur Christus dixit priùs Petro: Beatus es Bariona, &*

poſtea, vade retro me Sathana dicit. ſi conſideret, qui hoc quærit, Petro illam beatitudinem ac ædificationem ſuper eum Eccleſiæ in futuro promiſſam, non in præſenti datam intelliget, &c. ut omnia de futuro, quæ ſi ſtatim dediſſet ei, nunquam in eo prauæ confeſſionis error inueniſſet locum, hæc ille.

Idem D. Auguſtin. indicat tract. 109. edit. Baſil. 1528. in cap. 17. Joann. de Apoſtolis ante paſſionem ſic dicens: *Intelligendum eſt igitur, quod nondum ſic in eum crediderant, quomodo in ſe ipſe credi volebat, quandoquidem & ipſe Petrus, cui confitenti & dicenti: Tu es Chriſtus Filius Dei viui, tam magnum teſtimonium perhibuerat, magis eum mori nolebat, quam eum mortuum reſurrecturum eſſe credebat: unde mox ab eo appellatus eſt Sathanas*, & infrà: *Nihil itaq; melius credimus, quam poſt ejus reſurrectionem impertito Spiritu Sancto edoctus & confirmatus Apoſtolus, eiq; in Eccleſia Doctoribus conſtitutos*, &c. hæc ille.

V. Similiter de Adamo primo homine conſtat ipſum in gratia eſſe creatum, poſtea vero per peccatum mortuum, & iterum ad gratiam rediiſſe, juxta illud 1. Cor. 15. v. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur*, utique morte ſpirituali, *ita in Chriſto viuificabuntur*, de hoc S. Aug. lib de Corrept. & Grat. cap. 10. ſic ait edit. Baſil. 1528. *Quæritur à nobis, quantum attinet ad hoc donum Dei, quod eſt in bono perſeuerare uſq; in finem, quid de ipſo primo homine ſentiamus, qui certe ſine ullo vitio factus eſt rectus*, &c. *huic interrogationi facile reſpondentior, eum perſeuerantiam non habuiſſe, quia in eo bono, quo ſine vitio fuit non perſeuerauit; cœpit enim habere vitium, ex quo cecidit, & ſi cœpit, antequam cœpiſſet, utiq; ſine vitio fuit: Aliud eſt enim non habere vitium, & aliud eſt in ea bonitate, in qua nullum vitium eſt, manere*. Et infrà: *In quo ſtatu recto & ſine vitio, ſi per ipſum liberum arbitrium manere voluiſſet, profecto ſine ullo mortis experimento acciperet beatitudinem*, &c. *quia vero per liberum arbitrium Deum deſeruit, juſtum Dei judicium expertus eſt, ut cum tota ſua ſtirpe, quæ in illo adhuc poſita tota cum illo peccauerat, damnaretur*, hæc Aug. Ecce Adam rectus & juſtus creatus, poſtea per peccatum mortuus, & damnationi obnoxius per Chriſtum revixit.

Demum Auguſtin. eodem lib. cap. 12. de electis generaliter loquitur ſic eàd. edit *Quamuis ergo de omnibus regeneratis & pie viuentibus loqueretur Apoſtolus dicens: Tu quis es, qui judicas ſeruum alienum, ſuo Domino ſtat, aut cadit: continuo tamen reſpexit ad prædeſtinatos, & ait: Stabit autem, & ne hoc ſibi arrogarent, potens eſt enim Deus, inquit, ſtatuere eum, ipſe itaq; dat perſeuerantiam, qui ſtatuere poteſt eos, qui ſtant ut perſeuerantiſſime ſtent, vel reſtituere qui ceciderunt. Dominus enim erigit eliſos*, &c. hæc ibi. Item ibid. cap. 13. in fine edit. eàd. *Patiantur ergo homines ſe corripi, quando peccant, & ſi is, qui corripitur, ad prædeſtinatorum numerum pertinet, ſit ei correptio ſalubre medicamentum. ſi autem non pertinet, ſit ei correptio pœnale tormentum: ſub iſto ergo incerto ex charitate adhibenda eſt, cujus exitus ignoratur, & pro illo, cui adhibetur, orandum eſt, ut ſanetur*, hæc Aug.

VI. Ex his clariſſimè patet, quod electi & prædeſtinati, licèt priùs juſtificati fuerint, peccare poſſint graviſſime, & pro illo ſtatu peccati non habeant Dei gratiam, ſed ſint filii perditionis, quantum eſt ex illo ſtatu; licèt poſtea per gratiam Dei reſurgant ad minus circa finem vitæ, & ſic electionis decretum in illis permaneat: adeoque falſiſſimum eſt dogma *Caluini*, in quo cum *hæretico Jouiniano* aſſerit, neminem juſtificatum peccare, & ſi peccet, nunquam verè juſtificatum fuiſſe.

ARTICULUS VI.

Reſpondetur ad argumenta Acatholicorum.

CAlvini ſectatores ad ſuam Fidem, quâ volunt ſingulos fideles Fide diuina certos eſſe de ſua ſalute, in quo cum Lutheri ſectatoribus conſentiunt, I.
ſtabiliendam inſuper ſuſtinere volunt, quod electi nunquam ex gratia ſemel accepta excidere poſſint, ad quod loca aliqua ſcripturæ adducunt. Et quia negare non poſſunt, quin juſti aliquando graviter peccent, diſtinguunt de peccatis ad mortem, & de peccatis, quæ non ſunt ad mortem; unde aſſerunt, quod electi non peccent peccato, quod eſt ad mortem, ad quod allegatur illud 1. Joann. 5. v. 16. *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem; petat, & dabitur ei vita, eſt peccatum ad mortem, non pro illo, dico oret quis*, &c. Ad hoc reſpondeo cum D. Auguſt. l. 1. Retract. cap. 19. *quod ibi Joannes vocet peccatum ad mortem id, quando homo in tam ſcelerata mentis perverſitate finierit hanc vitam, quoniam de quocunq; peſſimo in hac vita conſtituto, non eſt utiq; deſperandum, nec pro illo imprudenter oratur*, &c. hæc Auguſt. de tali peccato non eſt quæſtio, ſed de aliis graviſſimis peccatis, quæ ex gratia excludunt, ad quam redire poſſumus.

Objiciunt primò Joann. 4. v. 13. dicit Chri- II.
ſtus: *Omnis, qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum, qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, ſed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*. Vnde ſic arguunt, aqua eſt gratia Chriſti, ergo qui illam accepit nunquam illam amittet, alioquin iterum ſitiret.

Reſpond. Verum eſt, quod gratia Chriſti talis ſit, ut is, qui illam habet, dum & quàm diu illam habet, non ſitiet ſiti ſpirituali, id eſt, non erit in malo ſtatu, quia habet gratiam, quæ eſt fons vitæ & ſatians; ſed negatur conſequentia, quod habens gratiam non poſſit illam amittere, nec enim Chriſtus dixit, quod is, qui habet aquam gratiæ abſolutè non ſitiet iterum, vel in æternum, ſed dum bibet aquam, & quamdiu bibit, ſeu illam habet, non ſitiet in æternum; & quod aqua illa ſit talis naturæ, ut ex ſe non deficiat, & ſic ſemper maneat, & hominem ſatiet, niſi homo voluntariè per peccatum illam amittat; ſicut ſi aliunde fons aquarum exſiccetur. In quo opponitur aquæ naturali, quæ ſi ab homine bibatur, ſine hominis culpa paulo poſt conſumitur, & ſic homo ſitit iterum ex defectu naturali aquæ, quod non eſt in aqua gratiæ, quæ talis eſt naturæ, ut non pereat, neque deficiat, niſi homo per peccatum mereatur illam amittere, quod autem homo gratiam acceptam amittere poſſit, clarè ex S. ſcriptura oſtenſum eſt.

Secundò allegant illud Joann. 17. v. 20. ubi III.
Chriſtus dicit: *Non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro iis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me, ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, & ipſi in nobis unum ſint*, &c. ex quibus ſic arguunt: ergo Chriſtus rogavit pro omnibus, qui in ipſum verè credunt, quod nunquam ex gratia ſemel accepta excidere poſſint.

Reſpond.

Respond. negando illam Acatholicorum explicationem, quia hanc verba Christi non habent, & illa explicatio apertè pugnat cum tot manifestis S. scripturæ locis suprà allegatis 1. Tim. 1. v. 19. *Quidam circa fidem naufragaverunt* Gal. 5. v. 4. *A gratia excidistis*, &c. imo S. Petrus ipse postea Christum negavit, & alii Apostoli scandalum passi sunt. Sensus ergo est, quod Christus rogarit pro illis, qui electi sunt; ut saltem finaliter in Patre & Filio per gratiam maneant: veletiam ut reprobi in ipsum verè credituri gratiam accipiant, & sic unum sint, quamdiu gratiam habent, non autem rogavit pro omnibus, ut gratia in illis nunquam deficiat, cùm nec hoc ad tempus verum fuerit de Petro, pro quo rogaverat, ut non deficeret Fides ejus Luc. 22. v. 32. quia stante fide à gratia defecit ad tempus, ut suprà ostensum est. Et licèt illa verba Christi Luc. 22. ad Petrum dicta, etiam extendantur ad Ecclesiam, cujus ipse Pastor futurus erat, & inde bene inferatur, quod fides Ecclesiæ universalis nunquam deficiet; non tamen infertur, quod quilibet fidelis semper in Fide, multò minùs in gratia perseverabit.

IV. 3. allegant illa verba Rom. 8. v. 37. *Quis nos separabit à charitate Christi*, & v. 38. *Certus sum, quia neq; mors*, &c. *neq; creatura alia*, unde inferunt, ergo ad minus certum est, quod illi, qui semel in charitate sunt, nunquam illam perdant.

Respond. Ad hoc copiosè cap. præced. art. 6. & suprà art. 4. responsum est.

Quartò illud 1. Cor. 13. v. 8. *Charitas nunquam excidit*, ergo, qui semel eam habet, nunquam amittit.

Respondetur negando consequentiam: nam non est ille sensus Apostoli, quod nullus eam possit amittere per peccatum, sed quod charitas talis sit, ut ex se nunquam deficiat, vel evacuetur; prout patet ex contextu, dum subjungit: *Sive prophetia evacuabuntur, sive linguæ cessabunt*, sic & fides, & spes cessabunt, cùm venerit id, quod perfectum est, scilicet in gloria; & ibi charitas manebit, si homo usque in finem perseveraverit.

V. 5. Objiciunt illud 1. Joann. 3. v. 9. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet; & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Unde sic arguunt, semen Dei est incorruptibile, adeoque semper manet in homine, qui illud semel suscepit, nec talis potest illud semen perdere, quod solum per peccatum perditur; atqui habens tale semen non potest peccare, ergo nec illud semen perdere, quod est gratia Dei justificans.

Respond. primo: Hunc locum usurpabant Pelagiani, quo probare volebant, quod justificati habuissent quidem peccatum, sed post justificationem non possent peccare ampliùs, contra quos arguit D. August. tract. 5. in epist. Joann. & quidem in initio proponit difficultatem circa hunc locum ex ipsa eadem epistola dicens: *Est enim non parva quæstio quomodo dicat in ista* edit. Basil. 1529. *epistola, qui natus est ex Deo, non peccat, & quomodo in eadem epistola superius dixit, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est: quid facturus est, quem utergq; sermo ex eadem epistola in medio coarctavit?* & infrà: *Veritas in nobis, inquit, non est, si dixerimus, quia peccatum non habemus; non ait, non habuimus, ne forte de præterita vita dictum videretur, habuit peccatum homo iste, sed ex quo natus est ex Deo, capit non habere; si ita esset, nulla nos angustiaret quæstio, diceremus enim, fuimus peccatores, sed modo justificati sumus, habuimus peccatum, sed modo non habemus.* (Ecce vocem Pelagianorum & etiam modernorum Acatholicorum) sed Aug. pergit dicens: *Sed quid ait* (Joannes) *si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est, post aliquantum rursus: Qui natus est ex Deo, inquit, non peccat, nunquid Joannes ipse non erat natus ex Deo?* Hanc difficultatem D. Augustin. ibid. exaggerat, & illam duobus potissimùm modis resolvit.

Primò igitur D. August. lib. 2. de Peccator. Mer. & Remiss. cap. 8. ostendit, quod homo justus partim dicatur filius Dei, partim filius hujus seculi, & dicit edit. Basil. 1528. *proficimus ergo in renovationem justamq; vitam, per quod filii Dei sumus, & per hoc peccare omnino non possumus, & etiam illud, per quod adhuc filii sæculi sumus, per hoc enim & peccare adhuc possumus, ita fit, ut &c. qui natus est ex Deo, non peccet, & si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est*, hæc ibi. VI.

Idem clariùs ostendit lib. 1. de Gratia Christi cap. 20. dicens, quod in homine justo duplex sit possibilitas, scilicet voluntas ad duplicem radicem, quam voluntas habere possit, quarum *una est bonorum operum, quæ est charitas, quam ex Deo habet*, altera est *cupiditas*, seu *concupiscentia oculorum, quæ hominis deceptorem habet authorem*; hinc ait cap. 21. edit. eâd. 1528. *Charitas autem, qua virtus est, ex Deo nobis est, non ex nobis scriptura teste, quæ dicit, charitas ex Deo est, & omnis, qui diligit, ex Deo natus est, secundum istam charitatem melius intelligitur dictum, qui natus est ex Deo, non peccat, & quia non potest peccare, quia charitas, secundum quam natus, est ex Deo, non agit perperam, non cogitat malum; Cùm ergo peccat homo non secundum charitatem, sed secundum cupiditatem peccat, secundum quam non est natus ex Deo, quoniam illa possibilitas, ut dictum est, utriusq; radicis capax est.*

Hoc modo D. August. ibi conciliat duo illa loca Joannis; unde patet, quod, licèt homo justus habeat charitatem, & per illam non possit peccare; tamen per cupiditatem adhuc peccare possit venialiter, manens justus prout S. Joannes de omnibus justis dixit, & sic etiam secundum hanc cupiditatem possunt peccare mortaliter, & perdere charitatem.

Verùm D. Aug. tract. 5. in epist. Joann. magis ad intentionem S. Joannis aliam dat responsionem; nam intentio Apostoli erat dare signa manifesta, per quæ filii Dei à filiis diaboli discerni possent, quod non fieret per hoc, quod filii Dei non peccent venialiter, & alii sic peccent, quia & filii Dei sic peccant manentes filii Dei. VII.

Itaque verba illa Joannis de peccato mortali explicat, dum dicit: *Qui ex Deo natus est, non peccat, juxta illa verba, omnis, qui non peccat, in ipso manet, & omnis, qui peccat, non vidit eum, & in hoc manifesti sunt filii Dei, & filii diaboli, omnis, qui non est justus, non est ex Deo. Et omnis, qui natus est ex Deo, non facit peccatum, quia semen ejus in ipso manet, & non potest peccare, quia ex Deo natus est.* Unde sic subsumit Augustin. *Fortasse*

Digitized by Google

taſſe ſecundum quoddam peccatum dixit, non peccat, non ſecundum omne peccatum; certum peccatum quoddam intelligas, quod non poteſt admittere homo, qui ex Deo natus eſt, & tale peccatum eſt illud, ut, ſi quisquam illud admiſerit, continuet cætera, ſi quis autem hoc non admiſerit, ſoluet cætera. Quod eſt hoc peccatum? facere contra mandatum? mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis, intendite, hoc mandatum Chriſti dilectio vocatur, per hanc dilectionem peccata ſolvuntur, hæc ſi non teneatur, & grave peccatum eſt, & radix omnium peccatorum. Et infrà: *Qui in dilectione fraterna conſtitutus eſt, certa ſunt peccata, quæ non poteſt admittere, & hoc maxime ne oderit fratrem. Et quid de cæteris peccatis facit, unde dictum eſt, ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus: audiat ſecuritatem de alio loco ſcriptura: charitas operit multitudinem peccatorum*, &c. & dum hoc prolixiùs oſtendiſſet, tandem concludit dicens: *Videte, quia circuitus ille verborum hanc habet finem, hunc habet exitum, omnis, qui natus eſt ex Deo, non peccat, quia ſemen ejus in ipſo manet, ſemen* DEI, *id eſt, verbum Dei; unde dicit Apoſtolus, per Euangelium ego vos genui, & non poteſt peccare, quia ex Deo natus eſt.* Dic adhuc: *Videamus, in quo non poteſt peccare. In hoc manifeſtati ſunt Filii Dei, & Filii diaboli; omnis, qui non eſt juſtus, non eſt à Deo, & qui non diligit fratrem ſuum, certe jam manifeſtum eſt, unde dicat, & qui non diligit fratrem ſuum: dilectio ergo ſola diſcernit inter filios Dei & diaboli, ſignent ſe omnes ſigno crucis Chriſti, reſpondeant omnes* AMEN, *cantent omnes* ALLELUJA, *baptizent omnes, intrent omnes* ECCLESIAS, &c. *non diſcernuntur filii Dei à* FILIIS *diaboli, niſi in charitate; qui enim diligit alterum, legem implevit, ait* APOSTOLUS, *& plenitudo legis charitas*, hæc Auguſtinus. ecce quàm contrariæ ſunt his Acatholicorum ſententiæ, qui volunt, quod ſola fides particularis juſtificet, & filios Dei conſtituat, quæ prolixiùs duxi referenda, ut inde Catholica veritas, & Acatholicorum falſitas pateat.

VIII. His præmiſſis ad argumentum Acatholicorum, quod ex verbis Apoſtoli faciunt, reſpondetur primò, quod malè pro ſe hæc verba Apoſtoli allegent, quia ipſi volunt, quod, quantumvis homo juſtus ſit, maneat in peccatis graviſſimis, imo quod omnia opera juſtorum ſint peccata graviſſima; at vero Apoſtolus dicit, quod qui juſtus eſt, ex Deo ſit, & non peccet.

Reſpond. ſecundò quoad ſemen exponit Auguſtinus ſuprà de *verbo* D[ei] juxta parabolam Chriſti & verba Apoſtoli 1. Pet. 1. v. 23. quod in ſe eſt incorruptibile, licèt in homine ſæpe pereat, ut patet ex parabola, ubi in diverſa loca cecidit, & non manſit. Si autem ſemen intelligitur ipſa Dei gratia vel charitas, illa etiam in ſe eſt incorruptibilis, quantum eſt ex parte ſua, ſed perdi poteſt per peccatum, cùm ſubſumitur; habens tale ſemen non poteſt peccare, diſtinguitur, non poteſt peccare peccato ille, de quo Auguſtinus exponit Apoſtoli verba, ſcilicet contra charitatem, ſi illam habeat in ſenſu compoſito, verum eſt, quia actu diligens non poteſt odiſſe ſimul fratrem, quod non poteſt dici de alia quacunque virtute, quia poteſt aliquis illas habere abſque charitate, & fratrem odiſſe; multò minùs id poteſt per ipſam charitatem, quod eſt impoſſibile, quia charitas non facit malum: verùm in ſenſu diviſo ille, qui habet habitum charitatis, poteſt per ſuam cupiditatem & concupiſcentiam facere contra charitatem, & ſic in illo inſtanti, dum odit fratrem, illam perdere, & ſic intelliguntur verba Joannis, quod, qui ex Deo natus eſt, ſeu qui habet ſemen Dei vel charitatem, non peccat contra charitatem, & ex hoc cognoſcitur, quod pro illo tempore ſit inter filios Dei, & ille, qui peccat contra charitatem, ſit filius diaboli ſeu imitator diaboli, quia diabolus multa gignit, ut ait Aug. loco allegato.

Ex his patet clarè Apoſtoli intentio, qui IX.
voluit charitatem commendare, oſtendens, quod per ſolam illam agnoſcatur aliquis filius eſſe Dei; ſed Apoſtolus noluit oſtendere, quod omnes illi, qui ſic nati ſunt ex Deo, & ſemen gratiæ acceperunt, non poſſint in peccatum grave cadere, & ſic illam perdere, ſi contra charitatem agant, ut patet manifeſtè ex ipſo ibid. cap. 2. v. 1. cùm dicit: *Filioli mei, hæc ſcribo vobis, ut non peccetis, ſed, ſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem*, cur monet illos, quos jam præſupponebat eſſe filios Dei, ut in charitate permaneant, & non peccent: quod fruſtra dixiſſet, ſi tales non poſſent peccare etiam taliter, ut fiant filii diaboli; nec D. Auguſt. & alii PP. tantopere laboraſſent circa intellectum verborum Apoſtoli, quæ ſibi contraria videbantur, imo fruſtra Chriſtus docuiſſet, & monuiſſet in oratione dominica, ut omnes orent: *Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo*, ſi juſti & fideles ſecuri ſint & certi, quod nunquam peccabunt?

Denique objiciunt illud Cant. 8. v. 7. *Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*, ergo nunquam amittent.

Reſpond. negando conſequentiam, quia ſcriptura ſolùm docet, quod nulla adverſitas poſſit charitatem tollere, quia charitas omnia ſuffert, omnia ſuſtinet, juxta Apoſtolum 1. Corinth. 13. & Rom. 8. *Quis nos ſeparabit a charitate*, &c. *certus ſum, quod neque ulla creatura alia*, ut ſuprà: cum hoc conſiſtit, quod homo ex propria voluntate ab ea poſſit deficere, & excidere, ut patet ex locis S. ſcripturæ ſuprà allegatis.

ARTICULUS VII.

Quòd homines etiam non electi ſeu prædeſtinati poſſint verè coram Deo juſtificari per gratiam, licèt poſtea illam perdant per ſua peccata.

HÆc veritas clarè patet tam ex S. ſcri- I.
ptura, quàm ex SS. Patribus. Primò Ezech. 18. v. 24. *Si averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem ſecundum omnes abominationes*, &c. *in peccato ſuo, quod peccavit, in ipſis morietur*, &c. ubi expreſsè ſupponitur, quod verè coram Deo juſtus fuerit ante peccatum, & tamen ſi in illis perſeveravit, æternaliter damnabitur; & de

& de non electis patet, de electis verò etiam verificatur, quia per peccatum omnes ſpiritualiter moriuntur.

Secundò patet ex illo Matth. 24. v. 12. *Multi Pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos, & quoniam abundauit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum, qui autem perſeuerauerit uſq; in finem, hic ſaluus erit.* Ex his Domini verbis clarum eſt, quod erunt multi, qui veram habent charitatem, & tamen non ſalvabuntur, eo quod charitatem amittant: adeoque in hoc diſtinctio à Domino aſſignatur, quod erunt plures juſti, qui veram habeant juſtitiam & charitatem, in qua ſi omnes perſeverarent, ſalvarentur, ſed, quia aliqui non perſeverant, non ſalvantur, perſeverantes autem ſalvantur: adeoque Dominus ſupponit, quod vera ejuſdem rationis fuerit charitas (adeoque vera Juſtitia, ut ex ſacra ſcriptura & ſanctis Patribus oſtenſum eſt) in utriſque ſaltèm pro aliquo tempore; alioquin non dixiſſet, quod charitas multorum refrigeſcet, nec in perſeverantia ſalutem poſuiſſet. Nec obſtat, quod Chriſtus ibid. v. 24. dicit: *Surgent Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi.* Ex hoc enim non habetur primò, quod aliqui non electi ad tempus non ſint habituri charitatem & juſtitiam, ſed quod in errorem inducentur. Secundò, nec de electis habetur, quod aliqui illorum ad tempus non inducentur in errorem & peccata; ſed quod non inducentur in errorem finalem, ita quod uſque in finem vitæ errarent: quia illud non poteſt fieri propter decretum electionis Dei, cum quo conſiſtit, quod ad tempus vel errent, vel peccent, ut de Petro, Davide, &c. oſtenſum eſt, & ex textu patet.

II. Probatur 3. ex Luc. 8. v. 13. ubi Chriſtus exponens parabolam de ſemine dicit: *Nam qui ſupra petram, hi ſunt, qui cum gaudio ſuſcipiunt verbum, & radices non habent, ſed ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt*, &c. Ecce Chriſtus æqualiter dicit de illis, qui ad tempus credunt, & de his, qui in corde perfecto ſuſcipiunt verbum, & perſeverant, ac retinent, ubi utique loquitur de Fide viva, & juſtificante, cùm de eodem ſemine agat, & de omnibus, quod credant, afferat, & ſolum de diverſitate hominum differentiam ponat, ac in perſeverantia credendi.

4. Joann. 15 v. 3. Chriſtus dicit: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum*, ſcilicet, Pater, quod non poteſt intelligi de palmite ab initio ſemper arido, ſed de eo, qui in initio viridis erat, alioquin non fuiſſet renatus in Chriſto per baptiſmum, ſed ideo tolletur à Chriſto, quia à fide viva receſſit, licèt fortè exterius in fide & Chriſto manere videatur, & ſic tandem planè tolletur.

5. Act. 8. 12. dicitur: *Tunc Simon & ipſe credidit, & cum baptizatus eſſet, adhæſit Philippo* &c. quod verè crediderit, patet ex contextu, quia refertur credidiſſe, ſicut cæteri, qui verè credebant. Nec obſtat, quod v. 23. dicit ei Petrus: *In felle amaritudinis video te eſſe*; ex quo non habetur, quod etiam tempore baptiſmi talis fuerit, cùm dicatur, quod tunc *adhæſerit Philippo, & ſtupens ſigna Philippi mirabatur*, ſed poſtea perverſus fuit cupiens per pecunias ſignorum gratiam obtinere.

Hoc ut certum ſuppoſuit D. Aug. agens contra Donatiſtas, qui negabant apud Schiſmaticos verum Baptiſmum eſſe, nec veram peccatorum remiſſionem, contra quos lib. 1. de Bapt. cap. 11. ſic arguit dicens edit. Baſil. 1528. *Hanc eis* (Donatiſtis) *quæſtionem ſoluendam proponimus, Magus ille Simon, utrum vere Chriſti Baptiſmate tinctus ſit? reſpondebunt ita, quia S. Scripturæ authoritate coguntur; quæro ergo utrum fateantur ei dimiſſa peccata? profectò fatebuntur. Item quæro, cur ei dixerit Petrus, non eum habere partem in ſorte Sanctorum? quia inquiunt, poſtea peccauit pecunia volens emere donum Dei*, hæc Auguſt. ubi oſtendit, quod ex S. Scriptura clarum ſit Simonem verè baptizatum, eique peccata dimiſſa fuiſſe, prout Donatiſtæ coacti ſunt dicere, & tamen Simon in peſſimum hæreſiarcham perverſus eſt. III.

Similiter de Juda argui poteſt, de quo S. Hieron. l. 3. adverſus Pelagianos, ex illis verbis Chriſti Joann. 17. *Pater quos dediſti mihi cuſtodiui, & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis*, probat ipſum fuiſſe priùs juſtificatum: & idem ſupponit l. 2 adverſus Jovinianum paulò poſt medium ſic dicens edit. Baſil 1553 *Judas, cùm eſſet arbor bona, ſigna faciens cum Apoſtolis, poſtea verſus in proditorem fecit fructus malos*, &c. hæc ibi.

Idem dicat D. Aug. l. de Corr. & Grat. cap. 9. edit. eâ d. dicens: *Si manſeritis, inquit, in verbo meo, vere diſcipuli mei eſtis, nunquid in his computandus eſt Judas, qui non manſit in verbo ejus*, &c. ubi ſupponit, quod fuerit in Chriſto, ſed non manſerit, manere enim ſupponit fuiſſe.

6. Probatur ex illo 1. Tim. 1. v. 19. *Vt milites in illis bonam militiam habens fidem, & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes circa Fidem naufragauerunt, ex quibus eſt Hymeneus & Alexander*, &c. IV.

Hinc patet, quod illi duo habuerunt veram Fidem, & bonam conſcientiam, alioquin non dicerentur illam repuliſſe, vel potiùs ab ea naufragium paſſos eſſe, ſi nunquam in navi veræ Fidei & gratiæ fuiſſent.

7. Similiter patet ex illo 1. Tim. 4. v. 1. *Spiritus manifeſte dicit, quia in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à Fide*, &c. neque aliquis à loco diſcedit, qui in loco nunquam fuit, ſic nec à fide, ſi in illa non fuerit.

8. Similiter patet ex illo ad Gal. 5. v. 4. *Euacuati eſtis à Chriſto, qui in lege juſtificamini, à gratia excidiſtis.* Quomodo à Chriſto evacuatur, qui nunquam in Chriſto fuit, aut quomodo à gratia excidit, qui in illa nunquam extitit? Illi Galathæ priùs bene crediderant, ſed poſtea judaizabant.

9. Ad Heb. 6. c. 4. dicit Apoſtolus: *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti, guſtauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſq; ſeculi futuri, & prolapſi ſunt, renouari iterum ad pœnitentiam, rurſum crucifigentes ſibimet ipſis filium Dei.* Ecce quàm clarè Apoſtolus oſtendit, quod aliqui verè juſtificati prolabantur ex gratia; ita etiam, ut ſit impoſſibile, id eſt, valde difficile & rarum tales iterum ad gratiam renovari. Sic impoſſibile explicavit Chriſtus de divitibus Matt. 19. v. 26. *Quod impoſſibile eſt apud homines, poſ-* V.

X. Quid ad hoc *Calvinus*? cæterùm, quod falsitas etiam doctrinæ eorum, ex ipsorum opinione convincatur, patet ex eo; quia plures à parentibus Acatholicis nati & baptizati, postea redeunt ad Ecclesiam Catholicam damnantes Fidem parentum: an illi electi juxta ipsorum opinionem, qui tamen in baptismo, vel ex utero sanctificati fuerunt?

Iterum juxta ipsorum etiam doctrinam, infantes à Catholicis parentibus nati, & baptizati justificantur, & verum est, adeoque omnes electi erunt; & tamen Acatholici omnes Catholicos, licèt baptizatos, si Fidem Catholicam expressè profiteantur, & ipsorum doctrinam damnent, tanquam Judæis, & Turcis pejores, & velut Antichristi filios damnant: quomodo ergo consistit ipsorum doctrina etiam juxta propria principia, quod semel justificati tandem salvabuntur, & electi sint? Ecce qualiter iniquitas sibi mentitur.

ARTICULUS VIII.

Respondetur ad argumenta Acatholicorum.

I. ACatholici eadem argumenta, quibus probare volunt, quod electi non possint peccare, etiam adducunt contra non electos, quod nunquam verè justificentur, ad quæ suprà responsum est; inter quæ primarium est illud Rom. 8. v. 30. *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit, quos autem vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, hos & glorificavit.* Vnde subsumunt, sed Deus non electos non glorificabit, ergo nec verè vocavit, nec justificavit.

Ad hoc responsum est art. 4. breviter hîc respondetur, quod Apostolus ibi loquatur de prædestinatis & vocatis secundum propositum, de quibus certum est, quod & justificentur, & glorificabuntur; sed Apostolus non dixit, quod Deus solos illos vocavit, & justificavit, quos prædestinavit, cùm Christus dixerit: *Multi vocati, pauci verò electi.* Argumentum si urgeret, tale esse deberet, Deus quos prædestinavit & vocavit secundum propositum, etiam glorificabit; hos solos justificavit & vocavit vocatione vera, licèt non secundum propositum, sed hæc propositio falsa est, nec ab Apostolo posita.

II. In speciali etiam sic arguunt: Nemo verè justificatur, nisi verè regeneretur per semen incorruptibile, & adoptetur in filium Dei, & fiat hæres regni cælestis; atqui non electus non adoptatur in filium Dei, nec fit hæres regni, proinde nec verè justificatur. Majorem probant, quia per justificationem fit adoptio, ut patet Rom. 8 v. 15. *Accepistis spiritum adoptionis Filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* Et Gal. 4. v. 5. *Misit Deus Filium suum, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus, quoniam autem estis Filii,* &c. *itaq; jam non est servus, sed Filius, quod si Filius, & hæres per Deum.*

Similiter Ephes. 1. v. 5. *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*, & v. 5. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per* Jesum Christum *in ipsum secundum propositum voluntatis suæ*, quod autem regenerentur ex semine incorruptibili patet 1. Pet. 1. v. 23. *Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi, & permanentis in æternum*, &c. quod autem non electi non sic regenerentur, nec adoptentur in filios, probant, quia illi non habent semen incorruptibile, nec assequuntur regnum.

III. Idem probare volunt ex illis verbis 1. Joann. 2. v. 19. *Ex nobis prodeunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscum.* Hanc esse sententiam Augustini volunt allegantes illum lib. 2. de Corr. & Grat. cap. 9. ubi dicit: *Non erant in numero filiorum, etiam quando erant in fide filiorum*, & infrà: *Nec vero filii Dei fuerunt, etiam quando esse videbantur, & ita vocabantur.*

Respondetur, quod dupliciter possit homo dici filius Dei adoptivus, & hæres regni; semel absolutè, & simpliciter ac semper, licèt non pro semper, & hoc modo illi, qui secundum propositum Dei ab æterno prædestinati sunt ad gloriam, dicuntur filii Dei & hæredes, quia in corde Dei semper ad gloriam decreti sunt, licèt non semper fiot in statu filiorum Dei, sed tunc quando justificantur, & ex filiis iræ fiunt filii Dei adoptivi, ita tamen ut adoptionem plenam nondum habeant, nisi quando gloriam consequuntur, juxta illud Rom. 8. v. 23. *Ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis nostri*, & ideo D. Augustinus lib. de Peccat. Merit. & Remiss. cap. 8. ait: *Adoptio ergo plena Filiorum in redemptione fiet etiam corporis nostri*, &c. edit. Basil. 1528. verùm in spe hanc adoptionem habent, dum accipiunt gratiam, quæ est pignus adoptionis & hæreditatis. Aliter dicitur filius Dei adoptivus etiam verè, non absolutè, sed ad tempus, scilicet ille, qui quidem per gratiam Dei verè & simpliciter justificatur, & regeneratur etiam per semen incorruptibile verbi Dei & gratiæ, ac per hanc habet etiam jus ad gloriam; sed, quia sua voluntate peccat, & gratiam amittit, sic etiam adoptione ac jure ad gloriam privatur, & quia Deus ab æterno quidem huic decrevit dare gratiam, & jus ad gloriam, sed prævidit ipsum sua culpa non permansurum, sed illam gratiam amissurum, sic etiam non decrevit ipsum ad gloriam, ac proinde licèt ad tempus ipsius filius adoptivus ex gratia futurus sit, non tamen simpliciter filius subinde à S. Scriptura dicitur.

IV. Hæc distinctio patet manifestè ex locis S. Scripturæ suprà allegatis. Quod autem SS. Patres; & præsertim D. Aug. juxta dictam distinctionem verba S. scripturæ intellexerint, patet ex ipso 1. lib. 2. de Bono Perseverantiæ cap. 8. edit. Basil. 1528. in fine, ubi de electis & non electis sic ait: *Nonne utriq; vocati fuerunt, & vocantem secuti; utriq; ex impiis justificati, & per lavacrum regenerationis utriq; renovati? secundum hæc omnia ex nobis erant; veruntamen secundum aliam quandam distinctionem non erant ex nobis*, &c. *non erant ex eis, quia non erant secundum propositum vocati, non erant in Christo electi, non erant prædestinati secundum propositum ejus*, &c. hæc ibi. Idem clariùs exprimit loco ab Acatholicis objecto libro de Corrept. & Grat. cap.

Digitized by Google

cap. 9. eâd. edit. dicens *Nec nos moveat, quod filiis suis quibusdam Deus non dat istam perseverantiam, absit enim, ut ita esset, si de illis prædestinatis essent, & secundum propositum vocatis, qui vere sunt filii promissionis, nam isti cùm pie vivunt, dicuntur filii Dei, sed quoniam victuri sunt impie, & in eadem impietate morituri, non eos dicit Filios Dei, præscientia Dei, sunt enim Filii Dei, qui nondum sunt nobis, & jam sunt Deo, de quibus ait Evangelista Joannes, quia Jesus moriturus erat pro gente, nec tantum pro gente, sed etiam, ut Filios Dei dispersos congregaret in unum, quod utiq; credendo futuri erant per Evangelii prædicationem, & tamen, antequam esset factum, jam Filii Dei erant in memoriali Patris sui inconcussa stabilitate conscripti. Et sunt rursus quidam, qui Filii Dei propter susceptam temporaliter gratiam dicuntur à nobis, nec sunt tamen à Deo, de quibus idem Joannes ait:* Ex nobis *exierunt, sed non erant ex nobis, quod si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscum, non ait, ex nobis exierunt, sed quia non manserunt nobiscum, jam non sunt ex nobis, verum ait:* Ex nobis *exierunt, sed non erant ex nobis, hoc est, & quando videbantur in nobis, non erant ex nobis.* Et *tanquam ei diceretur, unde id ostendis? quod si fuissent, inquit, ex nobis, permansissent utiq; nobiscum. Filiorum Dei vox est, Joannes loquitur in Filiis Dei loco præcipuo constitutus. Cùm ergo Filii Dei dicant de his, qui perseverantiam non habuerunt, ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, & addunt, quod si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscum, quid aliud dicunt, nisi non erant Filii, etiam quando erant in professione, & nomine filiorum,* hæc ib.

V. Hic Acatholici insultant, sed audiant, quid August. eâd. edit. dicat, scilicet, *non quia justitiam simularunt, sed quia in ea non permanserunt, neq; enim ait: nam si fuissent ex nobis veram, non fictam justitiam tenuissent, utiq; nobiscum; sed si fuissent, inquit, ex nobis, permansissent utiq; nobiscum. In bono illos utiq; volebat procul dubio permanere, erant itaq; in bono, sed quia in eo non permanserunt, id est, non usq; in finem perseverarunt, non erant, inquit ex nobis: & quando erant nobiscum, hoc est, non erant ex numero filiorum, & quando erant in Fide filiorum, quoniam qui vere Filii sunt, præsciti & prædestinati sunt conformes imaginis Filii ejus, & secundum propositum vocati sunt, ut electi essent, non enim perit Filius promissionis, sed Filius perditionis, fuerunt ergo illi ex multitudine vocatorum, ex electorum autem paucitate non fuerunt,* hæc Aug. Ex quibus clarè patet, quod juxta S. Scripturam non neget; sed expressè asserat aliquos non electos ad tempus verè justificari, & veram Justitiam accipere, ac sic verè dici filios Dei adoptivos; sed quia absolutè illi dicuntur filii Dei, qui usque in finem perseverant in Justitia, hoc modo negat esse verè filios Dei, etiam pro tunc, quando in gratia sunt, quia nec tunc sunt ex prædestinatis & electis, qui specialiter filii promissionis sunt, & dicuntur.

***

CONCLUSIO.

HActenus ex S. Scriptura & sanctis Patribus ostensa est doctrina Ecclesiæ Catholicæ de Fiducia & certitudine salutis, quod magna sit differentia inter Fiduciam, quam quilibet fidelis habere possit, & debeat circa salutem suam, & perseverantiam usque in finem, & inter certitudinem de iisdem, quam Fide divinâ quemlibet habere Acatholici volunt; nam, licèt juxta S. Scripturam quilibet fidelis firmissimam in Dei misericordia, gratia, & auxilio spem seu Fiduciam non solum habere possit, sed & debeat, quod à Deo auxilium ad gratiæ statum consequendum, si in eo nondum sit consecuturus sit; vel si in illo sit, etiam usque in finem in illo perseveraturus, ac ad æternam vitam perventurus, adeoque unus ex electis sit, quia tamen Deus in sacra scriptura non absolutè omnibus & singulis gratiam promisit, sed iis, qui ad illam sese cum ipsius auxilio debitè disposuerint, nec etiam omnibus perseverantiam in gratia dandam absolutè promisit, sed sub conditione, si homo ex sua voluntatis infirmitate vel malitia Dei gratiæ non defuerit, aut Spiritui Sancto non restiterit, ac demum etiam sub conditione, si usque in finem in gratia perseveraverit, vitam & salutem æternam promisit: Hinc necessariò sequitur, quod quidem fidelis quilibet firmiter sperare & confidere debeat de Dei gratia, & salute juxta Dei promissa; nihilominus etiam timere debeat ex parte suæ infirmitatis, ne auxilio Dei & Spiritui Sancto desit, quod Deus requirit, ac proinde cavere, dum stat, ne cadat, & pereat. Ex quo patet, quàm falsò *Calvinus* Ecclesiæ Catholicæ imponat, quasi doceret, quemlibet fidelem suspensum & dubium de sua salute esse debere, quin potiùs Ecclesia docet juxta sacram scripturam, quod fideles exultent Deo cum tremore, scilicet exultent in firma confidentia de Dei misericordia, & simul cum tremore ratione propriæ infirmitatis, ac sic *cum timore & tremore confidenter salutem operentur*: ita ut confidentia firma & timor simul consistant, ac proinde nullus fidelis, citra specialem Dei revelationem in hac vita Fide divina certus sit, nec absolutè statuere, & sibi persuadere possit se esse in gratia, vel in illa perseveraturum, vel salutem consecuturum, aut electum esse, idque multò minùs verum esse, quod sola illa Fide speciali Acatholicorum, qua homo certò credit sibi dimissa esse peccata, verè justus sit, & salvandus, in qua, & ex qua Fide absolutam Fiduciam necessariò sequi volunt, cùm id sacræ scripturæ contrarium sit, & falsum esse pateat ex Acatholicorum praxi, qui in varias inter se sectas divisi se mutuo damnant, & tamen omnes illam Fidem specialem profitentur, & asserunt. VI.

Docet autem S. Ecclesia juxta sacram Scripturam cum sanctis Patribus, quod Deus ad magnum suorum electorum bonum ordinavit, ut, licèt bene sperent, tamen non sint de salute sua Fide divinâ securi, quod nunquam ex gratia excident, & quod VII.

electi ſint, quæ ſecuritas ſuperbiam magnam generare poſſet. Quamvis Deo certus ſit electorum numerus, quos ab æterno ad gloriam prædeſtinavit, & ſecundum propoſitum certum in tempore ad Fidem & gratiam vocat, non tamen illos ſolos ad veram Fidem vocat, vel in tempore in gratiam recipit, cùm multi ſint vocati; pauci verò electi vocatione ſpeciali vocentur, quam Apoſtolus *ſecundum propoſitum prædeſtinationis nominat*, juxta quam non ſolum ad Fidem & gratiam vocantur, & recipiuntur, quod etiam non electis eſt commune, ſed etiam, dum ex ſua infirmitate ad tempus à Fide, vel à gratia excidunt, finaliter tamen ad illam per Dei gratiam revertuntur, & perſeverant; non electi verò per ſuam pravam voluntatem à gratia excidunt, & ſic in malo uſque in Finem perſeverant: unde, licèt electi Fide divinâ certi ſint de promiſſione Dei, quâ electis promiſit coronam perſeverantiæ, tamen certi non ſunt de ſua perſeverantia, licèt firmiter illam ſperent. Verum etiam eſt, quod ſinguli confidere poſſint ſe eſſe in gratia, & charitate, & Fide divinâ etiam certi ſint, quod non quidem ſola Fides, ſed ſola charitas conſtituat filios Dei adoptivos, hæredes regni cœlorum, ad illudque jus tribuat, diſtinguat inter Filios Dei & diaboli dum homini ineſt, & quod nulla alia creatura hominem ab illa ſeparare poſſit, verum Fide divinâ certi non ſunt, quod habeant veram charitatem, multò minùs quod in illa ſint perſeveraturi, & non per propriam voluntatem ab illa defecturi, & ſic jus hæreditatis & adoptionis Filiorum Dei amiſſuri, ut ideo ſperare debeant cum timore, ad quem timorem S. Scriptura fideles hortatur; quod non fieret, ſi S. Scriptura doceret, quod quilibet fidelis de ſua ſalute Fide divinâ certus eſſe deberet, ſicut abſurdum eſſet, ſi diceretur, quod S. Scriptura doceat fidelem timere debere, ne Deus deſinat eſſe, vel Chriſtus ex gloria ſua turbandus foret, quod ex Acatholicorum doctrina ſequitur. Ut autem veritas Catholica & Acatholica falſitas quaſi in ſpeculo pateat, Antitheſes ſubjunguntur.

ANTITHESES,

In quibus doctrina Eccleſiæ Catholicæ Romanæ circa certitudinem ſingulorum fidelium, quoad cuiusq; perſeverantiam in gratia, & prædeſtinationem ſeu electionem ad gloriã cum SS. Patrum doctrina conformitas, & Acatholicorum diſformitas proponitur.

I. PRima: *SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt*, quod, licèt Deus ab æterno electos ſuos in certo numero ad gloriam prædeſtinâtit, ipſe tamen ſolus cognoſcat, qui ſunt ejus, nemo vero fidelium ſine ſpeciali Dei revelatione certus ſit Fide divinâ quod ipſe ſit in numero electorum. *Ita etiam docet Eccleſia Romana.*

Acatholici volunt, quod fideles ſinguli per Fidem ſuam ſpecialem certi ſint, ſe eſſe in numero electorum, in quo decipi non poſſint.

2. *SS. Patres iuxta S. Scripturam docuerunt*, quod, licèt in S. Scriptura Deus promiſerit perſeverantibus coronam, non tamen in S. Scriptura ſpecificâtur, quinam perſeveraturi ſint, & ideo electi certi ſint de corona perſeverantiæ, non tamen de ſua perſeverantia. *Ita etiam docet Eccleſia Romana.*

Acatholici volunt, quod quilibet fidelis certus ſit, & credere debeat ſe uſque in finem in gratia perſeveraturum.

3. *SS. Patres iuxta S. Scripturam docuerunt*, quod quilibet fidelis de Dei miſericordia confidere debeat ſe eſſe electum & de Dei auxilio quoad perſeverantiam, quia tamen Deus ſalutem ſub conditione promiſit, ſi quis perſeveraverit uſque in finem, & ad perſeverantiæ auxilium requirit, ne quis auxilio Dei & Spiritui Sancto ex propria voluntate reſiſtat, de quo Fide divinâ certus non eſt, ac proinde ex propria infirmitate deficere poſſit, ideo Fide divinâ nec de ſua electione, nec de perſeverantia certus ſit.

Acatholici volunt, quod quilibet non obſtante propria infirmitate non ſolùm confidere, ſed & fide divinâ credere debeat ſe perſeveraturum, & electum eſſe. II.

4. *SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt*, neminem ante mortem beatum eſſe dicendum, eò quòd nemo ſciat, quid futurum ſit, imo quod nec Paulus ipſe de ſua gloria certus fuerit, licèt in Fide vera plurima pro Chriſto paſſus eſſet, ſed tamen firma Fiducia ſecutus ſit, ſi quo modo apprehendat, & corpus caſtigavit, ne reprobus efficeretur. *Ita etiam docet Eccleſia Romana.*

Acatholici volunt, quod quilibet fidelis Fide divinâ de ſua ipſius beatitudine certus ſit.

5. *SS. Patres iuxta S. Scripturam docuerunt*, quod illi, qui verè coram Deo electi ſunt, & iuſtificati, poſt iuſtificationem in peccata gravia incidere poſſint, & ex gratia excidere, ſicut David, & Petrus. *Ita etiam docet Eccleſia Romana.*

Acatholici Caluini ſectatores volunt, quod nemo ſemel iuſtificatus ex gratia excidere poſſit.

6. *SS. Patres docuerunt iuxta S. Scripturam*, quod electi, licèt poſt iuſtificationem ex gratia per peccata ad tempus excidant, tamen ad illam infallibiliter redeant, & uſque ad mortem in illa perſeverent. *Ita etiam docet Eccleſia Romana.*

Acatholici Caluini ſectatores licèt negent electos ex gratia excidere poſſe, in altero conſentiunt.

7. *SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt*, quod non omnes vocati ad Fidem & gratiam Dei ſint electi, ſed plures ex illis ex propria voluntate in peccatum relapſi damnentur. *Ita etiam Eccleſia Romana.*

Acatholici tam Lutherani, quàm Caluini ſectatores volunt, quod omnes ad fidem & gratiam ſemel vocati ſint electi, & ſaltèm ante mortem in gratiam revertuntur, & ad gloriam pervenient. III.

8. *SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt*, quod omnes & ſinguli Fideles orare Deum debeant, ut ipſos *non inducat in tentationem, ſed liberet à malo*, ac ipſos in gratia, quàm in baptiſmo acceperunt, perſeverare faciat. *Ita etiam docet Eccleſia Romana.*

Acatholici fateri debent, quod omnes ſic orare debeant, ſed ſuperfluè, quia volunt omnes eſſe certos de ſua perſeverantia.

9. *SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt*, quod magna ſit diſtinctio inter *vocatos ſimpliciter*, & *vocatos ſecundum propoſitum prædeſtinationis Dei*, ita ut

ut vocati simpliciter & non secundum propositum subinde ad veram Fidem, justitiam & gratiam perveniant; sed in illa per propriam voluntatem finaliter non perseverent; *vocati autem secundum propositum* veri & electi sint; & licèt aliqui post justificationem ad tempus à gratia excidant, finaliter tamen ad illam revertantur. *Ita etiam docet Ecclesia Romana.*

Acatholici volunt, quod soli electi sint verè vocati, & ad Fidem & gratiam veniant, aut iustitiam accipiant.

10. *SS. Patres juxta S. Scripturam docuere*, quod S. Scriptura ideo omnes & singulos fideles hortetur, *ut cum timore & tremore Deo serviant, & suam salutem operentur*, quia non sunt certi, licèt stent, quod non cadent, vel damnabuntur. *Ita etiam docet Ecclesia.*

Acatholici hoc negant.

11. *SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt*, quod timor ille, quo Fideles timent, ne à charitate & gratia excidant, sit justus & sanctus permanens cum vera & perfecta charitate; & quod ad hunc timorem S. Scriptura fideles hortetur. *Ita etiam docet Ecclesia.*

Acatholici talem timorem negant, vel saltèm juxta sua principia negare debent, quod ad illum sacra Scriptura Fideles hortetur: nam ipsi volunt, quod quilibet fidelis ita divina Fide credere debeat se in gratia perseveraturum, & & ad gloriam perventurum, sicut credit, quod Christus sit in gloria Patris, & illa nunquam privabitur; sed S. Scriptura non hortatur ad timorem, ut timeamus, ne Christus sua gloria aliquando privetur, quod blasphemum & infidelitate plenum esset, sic juxta Acatholicos S. Scriptura non deberet hortari ad timorem, ne Fidelis à gratia excidat, quam Fide divina certam credit.

IV. 12. *SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt*, quod Deus ad magnum electorum bonum disposuerit; ut electi sint permixti non electis, ut electi non sint certi de sua electione, & salute, ne superbiant: sed omnes etiam, qui bene currunt, timeant, ne cadant, dum occultum est, quo perveniant, licèt firmiter confidere debeant se esse inter electos & ideo piè Deo servire, tamen cum formidine, ne peccent, & pereant. *Ita etiam docet Romana Ecclesia.*

Acatholici hoc prorsus negant, non solùm contra S. Scripturam & SS. Patres, sed etiam contra experientiam, cùm quotidie constet plures inter Acatholicos in gravissima peccata labi, & in illis usque in finem vitæ perseverare, & mori: qui tamen persuasi certissimè credebant se esse in gratia Dei & certos de sua salute, sicut ipse Christus ad dexteram Patris sedet, & juxta Calvini monitum ita securi erant, ut insultarent diabolo. Nec sufficit excusatio à Calvino assignata, quod tales non habuerint veram Fidem, sed tantùm illius umbram: quia sic quilibet Acatholicus timere debet, ne solum habeat fictam Fidem, & illam Fidei umbram; & proinde non sunt verè certi de sua salute.

13. *SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt*, quod sola charitas vera constituat Filios Dei & hæredes regni, distinguat Filios Dei à Filiis diaboli, quod ille, qui illam habet, pro tempore, quo illam habet, ex Deo natus sit, & quod nulla creatura alia ipsum ab illa separare possit; ita tamen, quod homo ipse habens charitatem non possit quidem peccare per ipsam, nec etiam illam retinens peccare possit mortaliter: nihilominus per propriam voluntatem & cupiditatem contra charitatem peccare possit, & sic illam in illo instanti peccato perdere. *Ita etiam docet Ecclesia.* V.

Acatholici volunt, quod non vera charitas, sed Fides specialis distinguat inter Filios Dei & diaboli, & quod tales nunquam peccare possint: cùm tamen velint, quod omnes qualescunque electi gravissimis peccatis obruti sint, & omnia eorum opera sint peccata mortalia.

14. *SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt*, quod, licèt aliqui non electi pro aliquo tempore ad Fidem, & veram iustitiam ac charitatem veniant, & maneant, ac pro illo tempore Filii Dei nati sint, & ius ad regnum habeant: tamen postea per finale peccatum hæc perdant; & econtra electi aliqui pro tempore, quo ex gratia excidunt, & in peccato sunt, Filii iræ & diaboli sint, & ius ad regnum perdiderint; quia tamen non electi non perseverant, simpliciter Filii Dei non vocentur; electi verò ex eo, quod à Deo ab æterno prædestinati sunt, & finaliter in gratia persistent, simpliciter & absolutè Filii Dei vocentur. *Ita etiam docet Ecclesia Romana.*

Acatholici hæc prorsus negant.

15. *SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt*, dogma Joviniani asserentis, *quod Justi post baptismum non possint peccare, & si fortè peccent, eos quidem fuisse lotos aqua spiritum autem gratia minime recepisse*, impium & erroneum esse, & ab Ecclesia antiqua hæreseos damnatum fuisse retulerunt. *Idem dogma damnat Ecclesia Romana.*

Calvinus autem idem dogma non tantùm docet sed pro suæ prætensæ religionis fundamento posuit.

Ex his ad oculum patet quàm longè Acatholici à veritate sacræ Scripturæ & SS. Patrum doctrina in suo fundamentali dogmate defecerint.

***

LIBER

Digitized by Google

LIBER X.

De bonis Operibus juſtificatorum.

PRæcedenti libro oſtenſum eſt quod homo per gratiam Dei juſtificetur ſine ullis præcedentibus meritis; ita tamen, ut bona aliqua opera per auxilium Dei facta in adultis prærequirantur.

Jam oſtendendum eſt quod homo per Dei gratiam poſſit facere opera bona, præſertim juſtificatus, & quod illa ſint neceſſaria ad ſalutem, & inſuper meritoria poſt juſtificationem facta.

CAPUT I.

Quòd bona opera dentur, & neceſſaria ſint ad ſalutem.

ARTICULUS I.

Referuntur errores antiquorum & modernorum Acatholicorum.

I. TEmpore Apoſtolorum erat ſecta quorundam qui dicebantur *pſeudo Apoſtoli*, aſſerentes ut ait Auguſt. lib. de Fide & Oper. *Ad obtinendam ſalutem ſufficere ſolum Fidem; non intellectis quibusdã ſententiis Apoſtoli Pauli, hoc eum arbitrati ſunt dicere,* &c. *quoniam ergo, ait, hæc opinio ſic fuerat exorta, aliæ Epiſtolæ Apoſtolicæ, Petri, Ioannis, Iacobi, & Iudæ contra eam maxime dirigunt intentionem; ut vehementer aſtruant, Fidem ſine operibus nihil prodeſſe; ſicut etiam ipſe Paulus, non quamlibet Fidem, qua in Deum creditur, ſed eam ſalubrem planeq; Euangelicam definiuit, cujus opera ex dilectione procedunt, & Fides, inquit, quæ per dilectionem operatur,* &c. hæc Auguſt. qui in initio ejusdem capitis ſic ait: *Quare jam illud videamus, quod excutiendum eſt à cordibus religioſis, ne mala ſecuritate ſuam ſalutem perdant, ſi ad eam obtinendam ſufficere ſolam Fidem putauerint*, hæc Aug.

Eodem Tempore *Simon magus* docebat hominibus liberum eſſe; ut agerent, quodcunque vellent, non extimeſcendas legis minas: & rationem attexebat, ſecundum ipſius gratiam homines ſalvari, non ſecundum opera juſta: addens iniuſtam eſſe ſervitutem, quod homines debeant bonis & honeſtis operibus vacare, ita refert *Irenæus* lib. 1. cap. 20. & *Theodoretus* de hæreticorum fabulis.

II. *Valentiniani* hæretici circa Ann. Domini 140. dicebant: *Aliis ut naturalibus neceſſariam eſſe continentiam & bona opera, ut ſaluentur; ſemetipſos autem, eo quod ſpirituales eſſent, non per opera ſaluari: & rationem reddebant, quia id quod ſpirituale eſt* (quales ſemetipſos dicebant) *impoßibile eſt corruptelam percipere, licet in quibuscunq; fuerit factis, quemadmodum aurum in cœno depoſitum non amittit decorem ſuum; ſed ſuam naturam conſeruat, ſic & ſemetipſos dicunt, licet in quibuscunq; materialibus operibus nihilo ſemetipſos moueri,* &c. *quapropter & intimorate omnia, quæ vetantur, hi qui ipſimet ſunt perfecti operantur, de quibus Scripturæ confirmant, quoniam, qui faciunt ea, regnum Dei non hæreditabunt,* &c. ita ait, & refert *Irenæus* lib. 1. cap. 1.

Eunomius hæreticus, ut ait S. Auguſt. lib. de Hæreſ. hæreſi 54. *Vſq; adeo bonis operibus fuit inimicus, ut aſſeueraret, nihilo cuiq; obeſſe quorumlibet perpetrationem & perſeuerantiam peccatorum, ſi hujus, quæ ab ipſo docebatur, Fidei particeps eſſet,* &c. Ita refert Hieron. in cap. 4. Oſee.

Etiam *Lutherus* hoc audacter ſecutus docuit: Primò, quod mandata Dei obſervare ſit impoſſibile. Ita in confutatione rationis Latomianæ, quem ſecutus eſt *Melanchton* ad cap. 4. epiſt. ad Rom. medit. prima dicens: *Cùm lex mandat diligi Deum, perinde impoßibilia iubet, ac ſi præcipiat transvolare caucaſum.* 2. Lutherus docet bona opera non prodeſſe, nec mala opera obeſſe, ſic lib. de Libert. Chriſtiana dicit: *Bona opera non faciunt virum bonum, nec malum mala,* & ibid. *Quod ſi* (homo Chriſtianus) *operibus non habet opus, nec lege opus habet: Si lege non habet opus, certe liber eſt à lege, verumq; eſt; juſto non eſt lex poſita: atq; hæc eſt Chriſtiana Fides, libertas noſtra.* III.

Item ibidem: *Nullo opere, nulla lege homini Chriſtiano opus eſt, cùm per Fidem ſit liber ab omni lege.*

Item lib. contra Ambroſ. Catharinum: *Nullum*, ait, *eſt peccatum, niſi incredulitas, nulla Iuſtitia niſi Fides.*

Similiter lib. de Capt. Babyl. cap. de Baptiſmo, *vides*, ait, *quàm diues ſit homo Chriſtianus, vel baptizatus; ut etiam volens non poßit perdere ſalutem ſuam, quantiscunq; peccatis; niſi nolit credere: nulla enim peccata poſſunt eum damnare, niſi ſola incredulitas, nulla alia via poteſt homo cum Deo conuenire, aut agere, quàm per Fidem, opera ille nihil curat,* &c. hæc ibi.

Rurſus ſerm. cui titulus: *Sic Deus dilexit mundum*, ſic ait: *Vbi Fides eſt nullum peccatum nocere poteſt.* Et iterum: *Ego dico tibi, quia anguſta eſt via, oportet te fieri tenuem, ſi vis per eam venire. Cæterum qui operibus onerati ſunt, ſicut conchilibus onuſtos videmus Iacobi peregrinos, ii non poterunt penetrare,* &c. hæc ibi. Quid aliud *Eunomius, Simon magnus, & Valentinianus docebant.*

Sed *Lutherus* adhuc addit in ſermone de novo Teſtamento, ſeu de Miſſa dicens: *Caueamus à peccatis, ſed multo magis in legibus & operibus bonis, tantum attendamus Dei promißionem, & Fidem: Ipſa enim breuis eſt perfectio, nec aliquam legem requirit, nec opus: imo & legem præſcindit, & opus.* IV.

Similiter ſerm. de piſcatura Petri: *Erga Deum* ait, *non operibus, ſed nuda Fide indigemus: debemus enim cum ſolo Iſaac venire, hoc eſt, in Fide, ſeruos & aſinos, hoc eſt, opera deorſum dimittere oportet, quanto ſte-*

Digitized by Google

sceleratior es, tanto citius Deus suam gratiam infundit, &c. hæc ibi.

Iterum in Comment. ad cap. 2. ad Galat. *Sola Fides necessaria est, ut justi simus, cætera omnia liberrima, neq; præcepta amplius, neq; prohibita*, & ibid. *Si conscientia dictat, peccasti, responde, peccavi, ergo Deus puniet, & damnabit? Non; at lex hoc dicit sed nihil mihi cum lege, quare? quia habeo libertatem*, &c. hæc ille.

Bone Deus! quis sincerus Christianus non horreret istam doctrinam, quæ omnibus ad omne malum planissimam sternit viam: cùm homines naturaliter ad malum inclinati, licèt per veram doctrinam à peccatis deterreantur, tamen illa sæpe perpetrant, quid non facient secundum illam horrendam doctrinam? quæ certe adeo fœda est, ut plures Lutherani illam abominati sint & detestentur; prout patet in *colloquio Altenbergensi Genæ* 1570. impresso, in quo *Theologi Ducis Electoris* defenderunt, quod opera bona ad salutem sint necessaria; sic tamen, ut negarent illa secundum efficientiam, sed tantùm secundum præsentiam esse necessaria; ita ut necessariò Fidei deberent esse præsentia, ut homo salvetur.

V. Veruntamen *rigidi Lutherani* Theologi Ducis Saxoniæ acerrimè negarunt, imò damnarunt illos, qui docerent opera esse necessaria ad salutem, etiam quoad præsentiam, sic enim dixerunt: *Legis promissiones sunt conditionales: proponunt enim cum conditione obedientiæ, sed promissiones Euangelii non sunt conditionales, sed gratuitæ. opera bona legis & noua obedientia non ad regnum Christi, sed ad mundum pertinent; nihil ad nos Christianos præcepta decalogi pertinent. Ad Sathanam spectant Christiani cum operibus bonis: Sola Fides sine operibus bonis efficit omnia, non solum quoad meritum, sed etiam quoad præsentiam bonorum operum attinet. Precari oportet Deum, ut in Fide sine bonis operibus omnibus ad Finem usq; constanter perseueremus. Ab Apostolo Paulo non solum bonorum operum meritum, sed etiam bona opera nostra excluduntur*, &c. *falsa est propositio: Opera sunt necessaria; adeo necessaria illa non sunt, ut etiam ad salutem incommendent, sintq; perniciosa*, &c. Ita rigidi Lutherani in isto colloquio. Idem acerrimè ursit *Nicolaus Amsdorffius* in libro, quem inscripsit: *Quod opera bona sint perniciosa ad salutem*, ubi contra *Georgium Maiorem* Theologum Electoralem ex pluribus Lutheri locis probare contendit, quod ipse bona opera perniciosa esse docuerit.

VI. *Calvinus* etsi verbotenus bona opera in fidelibus requirat, tanquam fructum veræ Fidei, re ipsa tamen negat illorum necessitatem ad salutem, ut patet ex duobus: Primum est, *quia docet omnia justorum opera coram Dei tribunali esse peccata mortalia*, ut patet lib. 3. Instit. cap. 12. §. 4. ubi sic ait: *Qui serio tanquam sub Dei conspectu de veræ justitiæ regula quærent, illi certo comperient, omnia hominum opera, si sua dignitate censeantur, nihil nisi inquinamenta esse, & sordes, & quæ Iustitia vulgo habetur, eam apud Deum meram esse iniquitatem; quæ integritas censetur, pollutionem; quæ gloria dicitur, ignominiam.*

Similiter ibid. cap. 14. §. 9 sic concludit: *Habemus nec unum à Sanctis exire opus, quod si in se censeatur, non mereatur justam opprobrii mercedem*, & §. 10. *Si ipsi ex nostra dignitate æstimamur, quicquid aut meditemur, aut moliamur, nos tamen cum omnibus nostris conatibus & studiis morte & interitu dignos esse.*

Item §. 11. *Duobus his fortiter insistendum, nullum unquam extitisse Pii hominis opus, quod si severo Dei judicio examinaretur, non esset damnabile.*

Et cap. 15. §. 3. *Nihil enim ab homine exit, quantumuis perfecto, quod non sit aliqua macula inquinatum*, &c. hæc Calv. ex quibus manifestè sequitur, quod nulla opera bona sint ad salutem necessaria: quia licèt dicantur bona, ut vult Calvinus, tamen coram Deo sunt peccata mortalia; at Deus non requirit peccatum mortale ab homine, ut salvetur; adeoque perinde erit homini ad salutem, si adulterium committat, vel si in occasione ab illo abstineat; si pauperi eleëmosynam tribuat, vel illam deneget; hoc est, quod Simon Magus, & Eunomius volebant.

Alterum Calvini dogma est, de qualitate libertatis Christianæ, quam lib. 3. Inst. cap. 19. §. 2. in tribus partibus sitam esse docet. De prima sic dicit: *Prima, ut fidelium conscientiæ, dum fiducia sua coram Deo justificationis quærenda est, sese supra legem erigant, atq; efferant, totamq; legis justitiam obliuiscantur, ac sic quidem, ut nulla prorsus operum ratio habeatur: Non enim illic quæritur, quomodo justi simus, sed quomodo, injusti licet ac indigni, pro justis habeamur*, &c. ubi §. 3. dicit, hoc non solùm esse intelligendum de ceremonialibus legis antiquæ, sed de universa lege. VII.

2. partem assignat §. 4. dicens: *Ut conscientiæ non quasi legis necessitate coactæ, legi obsequantur, sed legis ipsius jugo liberæ, voluntati Dei ultro obediant.* Et infrà: *Si legem intuentur, quicquid tentant, aut meditantur operis, maledictum esse vident*, & §. 5. *Si ab hac severa legis exactione, vel potius toto legis rigore liberatæ paterna lenitate se à Deo appellari audiant, hilares respondebunt*, &c. & infrà: *Tales nos esse oportet, qui certo confidamus obsequia nostra indulgentissimo Patri probatum iri, quantulacunque sint, & quantumuis rudia & imperfecta*, &c. quæ suprà dixit esse opprobrio & morte digna, ac damnabilia.

3. partem tradit §. 7. dicens: *Ut nulla rerum externarum, quæ per se sunt* ἀδιάφορα, seu indifferentes, *religione coram Deo teneamur, quin eas nunc usurpare, nunc omittere indifferenter liceat*, &c. hæc Calv. quod amplificat de jejuniis, abstinentiis à cibo, cultu vestitum, &c. ad quæ nulla lege obligari possimus. Ex quo etiam sequitur, quod nec ad baptismum vel ad Eucharistiam fideles obligentur, quia sunt actiones exteriores, quas ipse vult esse indifferentes.

Demum Calvinus vult legem Dei impossibilem esse servatu, quod in prædictis satis exprimit, sed apertè addit lib. 2. Inst. cap. 7. §. 5. dicens: *Quod autem impossibilem legis observantiam diximus, id est paucis verbis explicandum, & confirmandum: Solet enim vulgo absurdissima sententia videri, & Hieronymus non dubitanter anathema illi denuntiare, quid visum sit Hieronymo nihil moror*, &c. hæc ille. Hoc ergo falso posito fundamento, Calvinus cum Luthero asserebat, Christianos ab obligatione legis etiam decalogi liberatos: nam, quia lex damnat illos, qui illam non servant, ad quam obligantur; & quia ipsi volebant, quod nullus justus illam servare possit; ne omnes justi dicerentur damnandi, volunt VIII.

ipsos

Digitized by Google

ipsos à lege liberatos, ut non peccent agendo contra illam, sed omnia ipsis esse libera. Quis non videt, quanta absurda ex tali doctrina sequantur; dum Fideles à legis etiam decalogi obligatione absolvat, dum volunt omnia externa opera esse indifferentia, nec quempiam ad illa obligari, imo omnia opera quantacunque iustorum esse peccata damnabilia; nullum igitur remanet opus verè bonum; sufficit illis ad salutem Fides sola, licèt cum maximis peccatis admixta, sicut *Valentiniani* volebant suam animam tanquam aurum in stercore puram manere, & *Simon Magus* nullas legis minas extimescendas volebat; adeoque sic cum Simone consequenter docent, quod iniusta sit servitus, quâ homines bonis & honestis operibus vacare debeant, quàm SS. Patres, ut fœdissimam hæresim, damnarunt.

IX. Itaque tam Lutheri plerique, quàm Calvini sectatores has absurditates videntes, sæpe protestantur dicentes, quod ipsi doceant bona opera esse ad salutem necessaria: sic enim *Lutherani in confessione* August. Art. 20. *Protestantur sibi falsò imponi quod bona opera negligant, vel damnent, quin potius dicant, quod, dum per Fidem homo Deo reconciliatur, necessario sequatur Iustitia bonorum operum, quæ Deus nobis mandavit, sicut & Christus præcepit.* Ipse tamen *Philippus Melanchton* author illius confessionis in eadem confessione Art. 6. & in locis anno 1521. editis, titulo de peccato sic ait: *Consequitur itaq; omnium hominum, quantumuis laudabilia opera plane vitiosa esse, & morte digna peccata,* &c. quomodo illa cohæreant, lector iudicet.

Cæterum in Confess. Saxonica dicitur *bona opera esse necessaria: Primo, quia debitum seu ordo immutabilis est, ut creatura Deo obtemperet, unde Paulus dicit debitores estis. 2. ad euitandas pœnas præsentes. 3. quia Christus Matth. 5. dixit: Nisi abundauerit Iustitia vestra plus supra, quam Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum,* &c.

X. *Caluini* sectatores in synopsi pur. Theol. dicunt opera bona esse necessaria: *Primo necessitate præcepti diuini. 2. necessitate medii ad Dei gloriam, & salutem nostram ordinati, 3. necessitate cultus, & obsequii Deo ex obligatione naturali debiti. 4. necessitate bonæ & tranquillæ conscientiæ de sua electione ad salutem, 5. necessitate officii charitatis proximo præstandi,* &c. hæc ibi.

Similiter *Confessio Argentinensis* sic habet: *Bona opera tam non rejicimus, ut prorsus negemus, quemquam plene posse salvum fieri, nisi huc per spiritum Christi euaserit, ut, nihil iam bonorum operum in eo desideretur ad quæ quidem Deus illum condidit,* &c.

Verum *Confessio Heluetica* posterior sic habet: *Neq; vero potuit, aut potest ulla caro legi Dei satisfacere, & hanc adimplere ob imbecillitatem in carne nostra ad extremum usq; spiritum in nobis hærentem, atq; permanentem,* &c.

XI. Verùm qualitercunque protestentur, & explicent Acatholici suam doctrinam, satis patet; quod in re Luthero & Calvino consentiant; quia constanter docent, quod omnia hominis, qualiscunque etiam iusti; opera sint peccato maculata, & omnia peccata in se sint mortalia, omnia etiam bona opera coram ejus iudicio sint damnabilia. Ex quibus sequitur, quod nullus homo possit conari legem Dei observare, quin illam observando peccet mortaliter, adeoque non observet, & ideo Lutherus & Calvinus tollebant obligationem legis, & tamen docebant omnia opera bona esse in se peccata mortalia, & proinde ad salutem non necessaria; sicut nullum peccatum ad salutem necessariò requiritur, ut per se patet. Et consequenter ex hac doctrina sequitur, quod inter opera bona iustorum, & peccata impiorum, in se non sit differentia, nisi ob extrinsecam Dei imputationem, vel non imputationem, ita ut omnia iustorum opera in se sint vera peccata mortalia, & damnabilia, sicut opera impiorum; sed Deus illa iustorum opera peccaminosa non imputet ad pœnam, dicèt illa faciant, & in illis perseverent; at verò impiorum ad damnationem imputet. Quid hâc doctrinâ absurdius, & magis impium? Si autem Acatholici protestentur sibi illa falsò imponi, ergo profiteantur, quod iusti possint legem implere, & illam servando non peccent, nec omnia eorum opera coram Dei iudicio peccata mortalia, sed verè bona, & sic veritati Ecclesiæ acquiescent.

ARTICULUS II.

Proponitur & declaratur doctrina Ecclesiæ Catholicæ quoad bona opera.

Hanc tradit Conc. Trid. sess. 6. cap. 11. dicens: *Nemo, quantumuis iustificatus, liberum se esse ab obseruatione mandatorum putare debet, nemo temeraria illa & à Patribus sub anathemate prohibita voce uti; Dei præcepta homini iustificato ad obseruandum esse impossibilia.* Et infrà: *Licet in hac vita mortali quantumuis sancti & iusti in leuia saltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadunt, non propterea desinunt esse iusti: nam iustorum illa vox est humilis & verax: dimitte nobis debita nostra.* Et infrà: *Nemo sibi in sola Fide blandiri debet, putans sola Fide se hæredem esse constitutum, hæreditatemque consecuturum, etiamsi Christo non compatiatur, ut & conglorificetur.* Et infrà: *Constat eos orthodoxæ religionis doctrinæ aduersari, qui dicunt iustum in omni bono opere saltem venialiter peccare aut, quod intolerabilius est, pœnas æternas mereri: atq; etiam eos, qui statuunt in omnibus operibus iustos peccare,* &c. I.

Similiter decernitur can. 18. his verbis. *Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam iustificato, & sub gratia constituto esse ad obseruandum impossibilia, anathema sit.*

Et can. 19. *Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Euangelio præter Fidem, cætera esse indifferentia; neq; præcepta, neq; prohibita, sed libera, aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit.*

Can. 20. *Si quis hominem iustificatum & quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad obseruantiam mandatorum Dei, & Ecclesiæ; sed tantum ad credendum; quasi vero Euangelium sit nuda & absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione obseruationis mandatorum, anathema sit.*

Can. 21. *Si quis dixerit Christum Iesum à Deo hominibus datum fuisse, ut redemptorem, cui fidant, non etiam, ut legislatorem, cui obediant, anathema sit.*

Demum can. 22. *Si quis dixerit iustificatum vel sine speciali auxilio Dei, in accepta Iustitia perseuerare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.* Hæc est constans Ecclesiæ Catholicæ modernæ & anti-

Digitized by Google

antiquæ doctrinæ, quam omnes Catholici concorditer profitentur.

II. Priùs autem, quam ea probetur ex S. Scriptura, & SS. Patribus, observandum est: Primò, quod dum de bonorum operum ad salutem necessitate Catholici loquuntur, non intelligunt de operibus, quæ homo ex solis naturæ viribus in statu peccati sine speciali Dei auxilio facit; quia licèt illorum aliqua dici possint, aliqualiter bona moraliter, & etiam per illa subinde legem Dei secundum substantiam impleri, ut aliqui Doctores Catholici concedunt; tamen certum est de Fide Catholica: Primò, quod homo peccator sine speciali Dei auxilio præsertim ad magnum tempus, nec etiam omnia præcepta Dei observare possit.

III. 2. Quod talia opera licèt dicantur bona moraliter, tamen plenè etiam moraliter bona non sunt ut plurimum; prout D. Aug. lib. de Spiritu & Litera cap. 27. dicit his verbis: *Si autem hi, qui naturaliter, quæ legis sunt, faciunt, nondum sunt habendi in numero eorum, quos Christi iustificat gratia; sed in eorum potius, quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter pieq́; colentium, quadam tamen facta vel legimus, vel nouimus, vel audiuimus, quæ secundum Iustitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito rectéq́; laudamus: quamquam si discutiantur, quo fine fiant, vix inueniuntur, quæ Iustitiæ debitam laudem defensionemue mereantur*, hæc ille.

3. Certum est de Fide, quod nemo per ulla opera moraliter bona sine speciali Dei auxilio facta ullam tentationem superare possit, ut definitum est in *Concilio Mileuitano*, & SS. Patribus contra Pelagium docuerunt. Similiter certum est, quod per talia opera non possit homo sese sufficienter disponere, ut iustificationis gratiam consequatur prout cap. 2. lib. præced. copiosè ostensum est.

4. De Fide certum est, quod opera Fidei, spei, timoris, &c. per speciale Dei auxilium facta ante iustificationem non sint peccata, sed bona: & licèt justificationem propriè non mereantur, tamen ad illam à Deo, ut dispositiones, requirantur, ut lib. de Justificat. cap. 3. ostensum est. Et in hoc sensu Concil. Trid. sess. 6. can. 7. contra Lutherum asserentem omnia opera ante justificationem facta esse peccata, definit dicens: *Si quis dixerit opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacunq́; ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, anathema sit.*

IV. Observandum 2. quod omissis istis operibus; hîc quæstio sit de bonis operibus, quæ ab homine justificato, & in gratia constituto, & insuper cum speciali Dei auxilio fiunt; an illa sint simpliciter bona, & justa coram Deo, & non peccata, 2. an per illa lex Dei impleri possit. 3. an illa sint ad salutem necessaria. In his omnibus Ecclesia Catholica affirmativam partem docet; Acatholici autem negativam volunt: nam, licèt aliqui concedant, talia opera non esse peccata, & aliqualiter esse necessaria ad salutem ratione præsentiæ, eò quod velint Fidem veram talia opera debere habere conjuncta, ut fructus; tamen negant, quod efficienter moraliter concurrant ad majorem gratiam, vel ad salutem,

Observandum 3. quod necessitas operum bonorum ad salutem non intelligatur talis; ut sint necessitate medii semper necessaria, sicut est ipsa gratia habitualis, sine qua nemo salvus fit: nam certum est, quod infantes salventur baptizati morientes, qui nullum opus bonum elicìunt: similiter, ut SS. Patres deducunt, potest homo adultus statim post baptismum mori justificatus, qui non habet occasionem faciendi aliquod opus bonum, aut servandi aliquod præceptum affirmativum; illis enim sufficit gratia, & justitia, seu charitas habitualis in baptismo infusa, & quia nullam legem positivè violarunt, sicque servarunt. Sed quæstio intelligitur de adultis post baptismum diutius viventibus, & quibus occasio venit servandi legem, vel alia opera bona faciendi, an hi sine bonis operibus ex gratia Dei factis salvari possint, si legem non servent, vel opera bona talia non faciant? Ecclesia docet tales non salvari, Acatholici tales salvari volunt, ut ex ipsorum dictis art. 1. relatis constat, licèt aliqui verbotenus protestentur. Nos veritatem Catholicam ostendemus contra eos, qui illam negant. V.

Demum dum de efficientia bonorum operum respectu incrementi justitiæ & salutis agitur, non est quæstio, an opera bona propriè physicè efficiant salutem: nam hoc non est de Fide, ut patet in salute seu vita æterna, quam opera causare dicuntur, quæ in hac vita quoad physicam entitatem transeunt, & desinunt, antequam vita beata sanctis post mortem conferatur; sed quæstio est de efficientia morali, an scilicet tanquam conditiones & dispositiones ad gratiam majorem & salutem à Deo requirantur, ita ut habeant etiam relationem ad illa, sicut Fides. VI.

Acatholici aliqui, licèt admittant necessitatem operum quoad præsentiam; negant tamen, quod requirantur, sicut Fides; vel quod habeant relationem & respectum ad majorem gratiam, & salutem per ipsa obtinendam. Ecclesia autem Catholica id docet & patet ex verbis Concil. Trid. sess. 6. cap. 10. ubi ex Scriptura probans ita ait: *Sic ergo justificati & amici Dei, ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem renouantur, ut Apostolus inquit, de die in diem: hoc est mortificando membra carnis suæ, & exhibendo ea arma justitiæ in sanctificationem per obseruationem mandatorum Dei, & Ecclesiæ, cum ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante Fide bonis operibus crescunt atq́; magis justificantur sicut scriptum est, qui justus est, justificetur adhuc*, &c. & rursus: *Videtis quoniam ex operibus justificatur homo & non ex Fide tantum.* Hæc Concil. ubi sensus est de justificatione secunda, seu qua homo iustus majorem justitiam accipit, non vero de prima justificatione, qua homo ex iniusto fit iustus. De quo lib. de Justific. cap. 3. actum est. VII.

***

CA-

Digitized by Google

CAPVT II.

De Obſervantia Legis.

ARTICULUS I.

Poſſe hominem iuſtificatum ſpeciali Dei auxilio adjutum legem ſeu mandata Dei ſeruare.

I. HÆc veritas probatur primò ex Illo Deuter. 30. v. 9. *Reuertetur Dominus, ut gaudeat ſuper te in omnibus bonis; ſicut gauiſus eſt in patribus tuis; ſi tamen audieris vocem Domini Dei tui, & cuſtodias præcepta ejus, & ceremonias, quæ in hac lege conſcripta ſunt, & reuertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua; mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cælo ſitum, ut poſſis dicere, quis noſtrum valet cælum aſcendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus* & infrà v. 14. *Sed juxta te eſt ſermo valde, in ore tuo & in corde tuo ut facias illum,* &c. quem locum SS. Patres paſſim allegant pro poſſibilitate ſervandi præcepta Dei

II. Concil. Trid. eandem veritatem probat ex illo Matth. 11. v. 29. *Tollite jugum meum ſuper vos, iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Et ex illo 1. Joann. 5. v. 3. *Hæc eſt enim Charitas Dei, ut mandata eius cuſtodiamus, & mandata eius grauia non ſunt.* Ex his probat Concil. Tridenr. cap. 11. quod ad minus homini juſtificato, & per ſpeciale Dei auxilium adjuto poſſibile ſit portare iugum, & onus Chriſti præceptorum, & ſervare Dei mandata: alioquin nec iugum ſuave vel onus leve eſſet, nec præcepta gravia non eſſent, ſed importabilia & impoſſibilia, ut Acatholici volunt, ſed contra clara verba S. Scripturæ.

Nec obſtat effugium ipſorum, dum dicunt: Primò, quod ideo mandata dicantur non gravia, ſed levia, & ſuavia electis, quia Deus ipſos non obligat per Chriſtum ad illa. 2. quia non imputat illis prævaricationem contra legem.

Contra enim primum eſt ipſum Dei verbum iisdem locis, quia ibidem expreſsè Chriſtus dicit: *Tollite iugum meum,* ſcilicet, quod ipſe electis imponit, adeoq; non ſunt exempti à jugo; & Joannes dicit, quod electis incumbat, ut mandata cuſtodiant: adeoque lex illos obligat ad cuſtodiendum, quod eſt de intrinſeca ratione legis.

2. Abſurdum eſt, & contra clara ſacra Scripturæ verba: ſi enim juſtus in omni actione contra legem mortaliter peccet, eamque obſervare non poteſt, & ſolùm dicatur lex levis & ſuavis, quia Deus non imputat peccata, quæ contra legem facit, certè lex eſſet in ſe duriſſima & graviſſima contra textum.

III. 2. Concil. Trid. hanc veritatem cap. 11. etiam probat ex verbo Dei hoc modo; qui ſunt Filii Dei, Chriſtum diligunt, qui autem eum diligunt, ut ipſemet teſtatur, ſervant ſermones ejus. Hoc ſimiliter conſtat ex Joann. 14. v. 21. *Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt, qui diligit me.* Et v. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & qui non diligit me, ſermones meos non ſeruat.* Similiter ad Rom. 13. v. 9. *Qui diligit proximum, legem impleuit; nam non adulterabis, non occides, non concupiſces, & ſi quod aliud eſt mandatum, in hoc verbo inſtauratur. Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Similiter dicit Apoſtol. ad Gal. 5. v. 15. *Omnis lex in uno ſermone impletur, diliges proximum tuum ſicut te ipſum,* &c.

IV. Ex quibus patet, quod illi, qui Deum & proximum diligunt, mandata Dei ſervant: atque poſſibile eſt, quod electi ſaltèm Deum & proximum diligant, alioquin non eſſent Dei amici, nec Chriſti diſcipuli: cùm Chriſtus dicat Joann. 13. v. 35. *In hoc cognoſcent omnes; quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* Et cap. 15. v. 12. dicit: *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis inuicem, ſicut dilexi vos.* Et v. 14. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis;* certum autem eſt, quod Apoſtoli undecim poſt cœnam dum Chriſtus hæc locutus eſt, erant veri diſcipuli, & amici Chriſti, ut de illis teſtatus eſt ipſe Chriſtus Luc. 12. ut infrà patebit. Ergo certum eſt, quod ſervârint præceptum dilectionis, in quo omnis lex impletur: adeoque poſſibile eſt per Dei gratiam legem Dei implere non ſolùm Apoſtolis, ſed etiam aliis eos ſequentibus: quis enim neget ullos alios in Eccleſia fuiſſe vel eſſe, qui veri Chriſti amici ſint, vel fuerint?

Probatur 3 Exemplis Sanctorum, de quibus V.
ſacra Scriptura teſtatur, quod Deum ex toto corde dilexerint, & mandata illius cuſtodierint. Sic Joſue cap. 11. v. 15. dicitur: *Sicut præceperat Dominus Moyſi ſeruo ſuo, ita præcepit Moyſes Ioſue, & ille uniuerſa compleuit, non præteriit de uniuerſis mandatis nec unum quidem verbum, quod iuſſerat Dominus Moyſi,* hæc ibi. Sic etiam Deus teſtatur de David per Prophetam 3. Reg. 14. v. 8. dicens ad Jeroboam: *Non feciſti, ſicut ſeruus meus Dauid, qui cuſtodiuit mandata mea, & ſecutus eſt me in toto corde ſuo, faciens quod placitum eſt in conſpectu meo,* &c. ſimiliter Scriptura dicit ibid. c. 15. v. 4 *Propter Dauid dedit ei Dominus Deus ſuus lucernam in Ieruſalem, eo quod feciſſet Dauid rectum in oculis Domini, & non declinaſſet ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ ſuæ, excepto ſermone Vriæ Hethæi* De eodem David teſtatur Apoſtolus act. 13. v. 22 dicens: *Suſcitauit illis Dauid Regem, cui teſtimonium perhibens dixit: Inueni Dauid Filium Jeſſe virum ſecundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas,* &c. ecce Scriptura teſtatur, quod David non ſolùm coram hominibus, ſed etiam in oculis Dei mandata ſervavit.

Idipſum David de ſeipſo coram Deo profitetur dicens pſ. 118. v. 10. *In toto corde meo exqui-*

quisiui te, & v. 55. *Memor fui nocte*, &c. *& custodiui legem tuam*. V. 32. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*, & v. 167. *Custodiuit anima mea testimonia tua*, & v. 168. *Seruaui mandata tua, & testimonia tua.*

VI. Similiter S. Scriptura testatur de rege Josia 4. Reg. 23. v. 25. dicens: *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in uniuersa virtute sua iuxta omnem legem Moysi*, &c.

Item de Rege Asa & populo 2. paralip. cap. 15. v. 15. dicitur: *In tota voluntate quæsierunt eum*, (scilicet Dominum) *& inuenerunt.*

Eodem modo S. Scriptura in novo testamento de Zacharia & Elizabeth Luc. 1. v. 6. dicit: *Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela*, &c.

1. Joann. 3. v. 22. *quidquid petierimus accipiemus ab eo, quoniam mandata ejus custodimus, & ea, quæ sunt placita coram eo, facimus.*

An hi Sancti mentiti sunt? Cùm etiam S. Scriptura dicat de Noë Gen. 6. v. 9. *Noe vir iustus atq; perfectus fuit, & cum Deo ambulauit*. Et de Job. lib. Job. cap. 1. v. 1. *Erat vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo*, &c. utique coram Deo servavit mandata ejus, quæ sunt legis naturæ, seu moralia. Christus Dominus ipse de Apostolis suis Joann. 17. v. 6. dicit: *Tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum seruauerunt*, &c. quid clariùs? & Luc. 12. v. 4. loquens discipulis ait: *Dico autem vobis amicis meis*, &c. si amici Christi, ergo servabant sermonem ejus, juxta illud Joann. 15. v. 14. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis.*

Quis contra tam clara S. Scripturæ testimonia dicere audeat, quod illi omnes nunquam coram Deo legem servaverint, sed illam in omnibus etiam mortaliter, & damnabiliter prævaricati sint? & ideo solùm dicantur legem servasse, quia vel Deus ipsos ad legem non obligavit, vel illorum peccata damnabilia non imputavit ipsis ad pœnam? Nunquid hæc interpretatio est contra clarum solem, quis illam clarè ex S. Scriptura sumeret, quam Acatholici volunt esse clarissimam, & tamen hæc asserere non verentur.

VII. Verum est, quod circa hæc Sanctorum exempla SS. Patres observant, quod illi verè coram Deo fuerint iusti, & mandata Dei servârint, ita tamen ut subinde peccârint, saltem venialiter, juxta illud 1. Joann. 1. v. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, veritas in nobis non est*, &c. idque contra Pelagianos, qui ex illis exemplis probare volebant quod homo etiam ex solis liberi arbitrii viribus posset esse absque omni peccato, de quibus agit D. Hieron. lib. 1. adversus Pelag. cap. 3. & D. August. lib. de Nat. & Grat. c. 36. contra eosdem, & alibi sæpe, & Concilium Trid. suprà cap. 11. profitetur. Hic nobis sufficit, quod iusti aliquando servârint omnia mandata, licèt venialiter peccârint, quod ad præsentem veritatem sufficit.

***

ARTICULUS II.

Eadem veritas probatur ex SS. Patribus Græcis & Latinis.

I. Clemens Alexandrinus apud Jod. Coccium de justificatione c. 3. art. 2. fol. 220. edit. Colon. 1601. circa ann. 200. lib. 4. Stromatum cap. 8. sic ait: *Quin etiam præcepta sunt eiusmodi, ut à nobis possint fieri, vel non fieri, quæ consentaneum est, ut consequatur laus vel vituperatio*, hæc ille.

S. Cyprianus edit. Basil. 1531. lib. de Baptismo Christi Deum alloquens sic ait: *Neq; lex tua scripta à lege naturali in aliquo dissonat; sed reprobatio mali & electio boni sic animæ rationali infixa sunt diuinitus, ut de hoc nemo recte causetur: quia ad harum rerum persecutionem deest scientia, sine potentia: quia, & quid agendum est, scimus, & quod scimus, facere possumus. Quod si impossibilia essent* (NB) *præcepta tua, vel tantis difficultatibus onerata, vel voluntas tua sic abdita, ut non posset intelligi, quid à nobis tua expeteret altitudo, licèt inuitus nemo peccet, posset tamen ex multis excusare delictum, nisi nobis, & moderatio mandati, & veritatis cognitio, & agendorum distinctio authoritate cognoscibili prouidisses, & simul se complecterentur possibilitas & facultas, scientia & potestas. Præcipis mihi Domine Deus, ut diligam te, hoc & possum, & debeo, & totum me & interius tibi jubes esse obnoxium, & de proximo jubes, ut ad meam eum mensuram complectar. Gratias ago tibi clementissime Deus, quia quod quæris à me prius ipse donasti*, &c. *nec digne possum eloqui, nec uniuersa complecti, quæ mihi gratia tua contulit amplitudo*, &c. & infrà: *Non pertinet Domine ad te, nec de tuis est, qui te non diligit: nec diligit te, qui sciente offendit*, &c. Hæc iste tam insignis Ecclesiæ primitivæ Doctor, & Martyr, ubi & possibilitatem implendi præcepta, & modum, scilicet per Dei gratiam, ostendit.

S. Basilius edit. Antw. 1568. orat. in illud Moysis, *attende tibi ipsi* absolutè pronunciat dicens: *Impium proinde est asserere præcepta Spiritus sancti impossibilia esse obseruatu*, &c. quid ad hoc Acatholici? II.

Idem in regulis brevioribus edit. eadem Resp. 176. sic ait: *Nos quoque ad idem faciendum hortatur* (Paulus) *cum dicit: Estote ergo imitatores Dei, sicut Filii charissimi, & ambulate in dilectione, sine dubio autem non præcepisset hoc, qui bonus ac iustus est, nisi etiam facultatem, qua id faceremus, fuisset largitus*, &c. hæc ille, quid clarius contra Acatholicos dici posset?

S. Hilarius ad psalm. 118. circa illa verba, *latum mandatum tuum vehementer*, sic ait: *Latum igitur mandatum Dei est, & in omnia spei nostræ genera diffunditur, ut non sit difficile, si voluntas adsit, præcepto Dei obtemperare: cùm latum & diffusum sit ad placendum officiosa religionis varietate*, &c. hæc ille.

S. Hieronymus Tom. 9. lib. 1. Comment. in cap. 5. Matth. edit. Basil. 1553. circa illa verba, *ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*, sic ait: *Multi præcepta Dei sua imbecillitate non sanctorum viribus æstimantes, putant esse impossibilia, quæ præcepta sunt, & dicunt sufficere virtutibus non odisse inimi-*

inimicos, cæterum diligere, plus præcipi, quàm humana natura patiatur. Sciendum ergo eſt Chriſtum impoſsibilia non præcipere, ſed perfecta, quæ fecit David in Saul & in Abſalon; Stephanus quoq; Martyr pro inimicis lapidantibus deprecatus eſt. & Paulus anathema eſſe cupit pro perſecutoribus ſuis. Hoc autem Jeſus & docuit, & fecit dicens: Pater ignoſce illis, &c. hæc Hieronymus.

III. Idem tom. 2. edit. eâdem epiſt. ad *Cteſiphontem* cap. 4. Pelagii verba adducit, ſcilicet, *poſsibilia inquit* (Pelagius) *mandata dedit Deus,* & reſpondet, *ecquis hoc negat?* ubi tamen addit, id ſine ſpeciali Dei gratia fieri non poſſe.

Iterum tom. & edit. iiſdem lib. 1. adverſus Pelagianos cap. 3. ubi dicit: *Criton* Pelagianus, *oro te, ut hoc mihi reſpondeas, poſsibilia Deus mandata dedit, an impoſsibilia? Atticus* catholicus reſpondet, *reſeruato igitur hoc, quod fatemur poſsibilia Deum dediſſe mandata, ne ipſe author injuſtitiæ ſit, ſi id exigat fieri, quod fieri non poteſt,* &c. hæc ille.

Ecce Acatholici Deum peccati authorem faciunt juxta Hieronymum; dum dicunt, Deum impoſſibilia dediſſe mandata.

Idem ibid. lib. 3. cap. 1. ubi *Crito* Pelag. voluit, quod homo ex ſolis naturæ viribus poſſet eſſe ſine omni peccato. *Atticus* reſpondet diceus: *Ego impoſsibile hoc in homine eſſe reſpondeo, non quia ſtatim à Baptiſmate homo non careat, ſed illud tempus, quando ſine peccato eſt, nequaquam poſsibilitati humanæ, ſed Dei gratiæ deputatur.* Et paulò poſt: *Tu enim dicis non eſſe hominem ſine peccato, ſed eſſe poſſe; cùm è contrario ego tibi tribuam, quod negaſti, eſſe hominem ſine peccato per Dei gratiam, & tamen per ſe non poſſe.* Crito Pelag. dicit. *Fruſtra ergo dantur præcepta, ſi ea implere non poſſumus,* Atticus reſpondet: *Deus poſsibilia mandauit, hoc nulli dubium eſt,* &c. & paulò infrà: *Hoc & nos dicimus, poſſe hominem non peccare, ſi velit, pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea, quamdiu intentus eſt animus,* &c. deinde cap. 2. ſic ait: *Hoc longa diſcretione concluſum eſt, ut gratiâ ſua Dominus, qua nobis conceſsit liberum arbitrium, in ſingulis operibus juuet atq; ſuſtentet,* hæc Hier. ubi teſtatur illam eſſe ſententiam omnium Catholicorum.

IV. *S. Joann. Chryſoſt.* eandem veritatem paſſim profitetur, ſpecialiter in pſ. 111. apud Coccium de Juſtif. l. 3. art. 2. fol. 220. edit. Colon. 1601. ubi dicit: *Dei præcepta, quæ ſunt ſalutaria, & gloriæ plena, & magnam nobis præbent Philoſophiam, & animam meliorem efficiunt, oportet cum magna voluptate ſuſcipere, & nihil eſſe difficile in eis æſtimare: difficultatem enim non natura præceptorum, ſed multorum ſolet ſocordia efficere.* Item, *ſi quis ea cum ſtudio & alacritate animi ſuſcipiat, videbit ea eſſe leuia & facilia, quocirca dicebat Chriſtus: Jugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue,* &c. hæc ille.

Similiter tom. 2. ed. Baſil. 1558. homil. 18. in Matt. cùm oſtendiſſet ea, quæ Chriſtus dixit: *Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo,* & poſtea circa medium ſic ait: *Ne igitur impoſsibilia putemus eſſe præcepta, quæ certe, & utilia nobis ſunt, & valde facilia, ſi aduigilemus.*

Iterum edit. eâdem homil. 39. in Matt. circa illa verba: *Tollite jugum meum ſuper vos,* ſic ait: *Nolite igitur onus pertimeſcere, ſuauitatis enim eximiæ plenum. Quomodo enim in ſuperioribus dicebat, anguſtam eſſe januam, & arduam tribulationibus viam, quando videlicet deſidis, quando ignauia diſſolutus es; nam quando, quæ dicta ſunt, perfeceris, leue tunc onus erit, quapropter magnitudine retributionis etiam nunc leue appellatur, quomodo autem, inquies, quæ dicta ſunt perficiam animo? ſi humilitate ſincerâ, ſi manſuetudine vera, ſi moderatione integra te communies. Humilitas quippe virtus eſt, & ſublimioris Philoſophiæ mater eſt, atq; origo; Propterea etiam cum nobis diuina traderet, inſtituta ab humilitate initium fecit,* &c. hæc ille.

Idem tom. 5. edit. Bal. 1547. hom. 8. de Pœnit. ſic ait: *Nequaquam Dominum incuſes, haud mandat impoſsibilia, multi & ipſa ſuperant mandata. ergo ſi impoſsibilia fuiſſent, minus ſua ſponte ſuperaſſent: virginitatem, in bonisq; nihil poſsidere, nuſquam mandat, atq; à ſe propriam ſubſtantiam multi abjiciunt, ipſis operibus reddentes teſtimonium legibus mandatorum ineſſe multum facilitatis, nequaquam ergo ſuperaſſent ea, niſi facilia approbaſſent,* &c. hæc ibi.

Similiter loquitur homil. 2. in 1. ad Cor. dicens: *Nonne præcepta ejus adeo facilia ſunt, adeo leuia, ut multi philoſophica tantum ratione ea exceſſerint? quid oportuit, inquit fieri vineæ quod non fecerim?* hæc ibi. Hoc urget tom. 4. edit. eâd. hom. 2. in epiſt. ad Philipp. in morali exhortatione ſic dicens: *Quid enim graue, quid oneroſum eſt in præceptis Chriſti? In virginitate degere nequis? licet tibi nubere. Non potes ferre ut omnibus bonis tuis priueris? potes de illis, quæ habes, aliquid dare, ut veſtra, inquit, abundantia ſuppleat illorum inopiam.* 2. Cor. 8 *Hæc quidem. quæ ad ſuperandas corporales concupiſcentias attinent, grauia videntur. Alia vero nullo indigent ſumptu, nullâ violentia; quæ namq; fuerit, dic quæſo, violentia, ſimpliciter nemini maledicere, neq; calumniam omnino ſtruere? quæ vis fuerit, non inuidere aliorum bonis? aut quæ vis, gloriâ non capi: & ſi tactus fueris, patienter ferre: conſtantiæ eſt, Philoſophiam ſectari, conſtantiæ eſt, pauperiem perpeti, conſtantiæ eſt, cum fame & ſiti certare, quando vero nihil horum fuerit, ſed licet, ut bonis tuis, quatenus Chriſtianum decet fruaris, quæ quæſo violentia fuerit, aliorum bonis non inuidere?* hæc ibi, ubi obſerva, circa illa verba, *in virginitate degere nequis? licet tibi nubere,* &c. quod non loquatur de illis, qui virginitatem voverunt, quod liceat illis nubere, nam edit. eâd. homil. 19. in 1. Cor. cap. 7. in morali circa illa verba Apoſtoli, *& ſi uxorem acceperis, non peccaſti,* ſic ait: *Neq; de ea, quæ ſibi elegerit virginitatem, loquitur, tum enim peccauerit. Nam ſi viduæ, quæ ſecundis ſe nuptiis alligarunt, judicium ſubeunt, ſi ſemel viduitatem elegerint, multo magis virgines,* &c.

Idem edit. eâd. hom. 19. in epiſt ad Hebr. in morali ſic ait: *Et quomodo poſsibile eſt hoc, inquit, diligere proximum, ſicut ſeipſum? ſi non fecerunt etiam hoc alii, bene putas impoſsibile: ſi autem fecerunt, manifeſtum eſt, quia per negligentiam à nobis non efficitur, ſed & alias nihil impoſsibile imperat Chriſtus, in tantum etiam, ut etiam multi ſupergreßi ſint ejus præcepta, quis ergo, inquis, fecit hoc? Fecit hoc Paulus, Petrus, omnis chorus Sanctorum, ſed ſi dicam, quia proximos dilexerunt, nihil magnum dico, inimicos ſic amauerunt, quomodo non amauit quiſquam ſuos unanimes:* quod exemplificat de Paulo, & poſtea ſubdit: *Beatus item Moyſes ante iſtum pro inimicis, voluit, lapidantibus eum, deleri de libro Dei, & David, & Saulem inter manus habens occidere noluit, quin etiam ſaluavit, idq; cùm ipſe in periculo eſſet conſtitutus. Si autem hæc in veteri teſtamento, qualem nos veniam habebimus in nouo teſtamento conuerſantes, & neq; ad menſuram illorum peruenientes? niſi enim abundauerit, inquit, juſtitia veſtra plus quàm ſcribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* VI.

Cùm ergo etiam minus habeamus ab illis, quomodo intrabimus? diligite, inquit, inimicos vestros, dilige igitur inimicum; non enim illi præstas, sed tibi, &c. hæc Chrysost.

VII. *D. Augustinus* passim hanc veritatem tradit, sufficiant aliqua loca primo lib. de Spir. & Lit. tom. 3. edit. Bas. 1528. ostendit multis modis, qualiter *litera occidat, & Spiritus vivificet*, scilicet: *Lex etsi bona, tamen sola legis cognitio non sanat, sed occidit, nisi accedat spiritus vivificans, scilicet, charitas Dei per Spiritum Sanctum.* Ita ostendit usque ad cap. 19. ubi concludit dicens: *Lex ergo data est, ut gratia quæreretur, gratia data est, ut lex impleretur*, &c. quod prolixiùs deducit. Item in ps. 118. circa illa verba, *ideo dilexi mandata tua super aurum, & topazion*, ita ait: *Id agit gratia, ut dilectione impleantur mandata Dei, quæ timore non poterant; gratiâ quippe Dei diffunditur charitas in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*, &c.

Idem tom. 7. ed. eâdem lib. de Nat. & Grat. cap. 43. loquens de homine post lapsum Adami, dicit, illum ex propriis liberi arbitrii viribus non posse resurgere à peccato, nec illud vitare, bene tamen gratiâ Dei adjutum, sic dicens: *Nunc de illo agitur, quem semivivum latrones in via reliquerunt*, &c. *qui etiamsi jam in stabulo est, adhuc curatur; Non igitur impossibilia Deus jubet, sed jubendo admonet & facere, quod possis, & petere, quod non possis*, &c. *ego dico, voluntate quidem non est justus homo, si natura potest, sed medicina poterit, quod vitio non potest*, &c. ubi c. seq. distinguit inter duas quæstiones, quas *Pelagiani* movebant; quarum una erat, utrum homo post lapsum possit semper esse sine omni peccato, etiam veniali. Altera quæstio est, an homo absque gratia speciali possit esse sine peccato, ut saltèm non semper agat contra præcepta; de priore dicit August. illam non esse ad propositum sic dicendo: *Sicut ipse dicit, ad quod nunc agit non pertinere, ut quæratur, utrum fuerint, vel sint aliqui homines in hac vita sine peccato, sed utrum esse potuerint, sive possint: Ita ego etiam, si fuisse vel esse consentiam, nullo tamen modo potuisse, vel posse confirmo, nisi justificati gratia Dei per solum Christum Dominum nostrum*, &c. & quidem Augustinus, sicut & Hieronymus docuerunt, quod nemo sit, qui non subinde venialiter peccet; verum etiam constanter docuerunt, quod homines præcepta Dei servare possint, ut non semper contra legem agant, adjuti gratiâ Dei, & etiam sæpe servent.

VIII. Hoc ipsum August. ibidem cùm dixisset, quod sine fide nemo Deo placere possit cap. 68. dicit: *Primitus exhortemur ad fidem, quâ Christiani fiant*, &c. *si autem jam Christiani sunt, & rectè vivere negligant, verberentur terroribus, & præmiorum laudibus erigantur*, &c. *& ubi difficultatem aliquam sentiunt, fidelissimis & perseverantissimis precibus facilitatem à Domino impetrare persistant; sic autem proficientes, ubi & quando plenissima justitia perficiantur, non nimis curo, ubicunque autem & quandocunque perfecti fuerint, non nisi gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum perfici posse confirmo*, hæc ibi.

Deinde cap. 69 sic concludit: *Valde autem bona sunt præcepta, si legitime his utamur; eo quippe ipso, quo firmissime creditur Deum justum, & bonum impossibilia non potuisse præcipere; hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus, quid petamus: omnia quippe fiunt facilia charitati, cui uni Christi sarcina levis est; aut ea una est sarcina ipsa, quæ levis est: secundum hoc dictum est, & præcepta ejus gravia non sunt, ut cui gravia sunt, consideret non potuisse divinitus dici, gravia non sunt; nisi quia potest esse cordis affectus, cui gravia non sunt; & petat, quo destituitur, ut impleat, quod jubetur*, & infrà: *Quomodo est enim grave, cùm dilectionis sit mandatum? aut enim quisque non diligit, & ideo grave est, aut diligit, & grave esse non potest. Diligit autem, si, quod illic admonetur Israel* (Deuteron. 30.) *conversus fuerit ad Dominum Deum suum ex toto corde suo, & ex tota anima sua. Mandatum novum, inquit, do vobis, ut vos invicem diligatis; & qui diligit proximum, legem implevit; & plenitudo legis, charitas: secundum hoc & illud dictum est, si ambularent semitas bonas, invenissent utique semitas justitiæ leves: quomodo ergo dicitur? propter verba labiorum tuorum, ego custodivi vias duras, nisi quia utrumque verum est? duræ sunt timori, leves amori, charitas ergo inchoata, inchoata justitia est, charitas perfecta, perfecta justitia est*, &c. *quæ tunc maxima est in hac vita, quando pro illa contemnitur ipsa vita*, &c. hæc ibi. Quomodo clariùs contra Acatholicorum dogma dici posset? quod quia Deus justus est, & bonus, non possit impossibilia præcipere, & tamen hoc illi volunt.

Idem Augustinus lib. 2. de Peccat. Merit. IX.
& Remiss. cap. 3. eâd. edit. loquens de Pelagianis sic ait: *Acute autem sibi videntur dicere, quasi nostrum hoc ullus ignoret, quod si nolumus, non peccamus, nec præciperet Deus homini, quod esset humanæ impossibile voluntati*, &c. hoc autem Acatholici volunt ignorare, adeoque non sunt ex illis, qui cum Augustino erant.

Idem ibidem ponit quatuor quæstiones, quarum uni, an homo possit esse sine peccato? respondet, quod possit; sed ita, *ut gratia Dei non solum ostendat, quid faciendum sit, sed adjuvet etiam, ut possit fieri, quod ostenderit*, quod probat variis locis S. scripturæ, & postea subjicit: *His atque hujusmodi aliis innumerabilibus testimoniis dubitare non possum, nec Deum impossibile homini præcepisse, nec Deo ad opitulandum & adjuvandum, quo fiat, quod jubet, impossibile aliquid esse, ac per hoc potest homo, si velit, esse sine peccato, adjutus à Deo*, hæc ibi. De his Acatholici non solum dubitant, sed etiam absolutè negant.

Similiter loquitur *Augustinus* tom. 7. edit. Bas. X.
1528 lib. de Gratia, & lib. Arb. cap. 15. dicens: *Gratia Dei semper est bona, & per hanc fit, ut sit homo bonæ voluntatis, qui prius fuit voluntatis malæ; per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas, quæ jam esse cœpit, augeatur, & tam magna fiat, ut possit* (nota) *implere divina mandata, quæ voluerit, cùm valde perfecteque voluerit*, &c. & cap. 16. *Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt: Non juberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri, quis hoc nesciat? sed ideo jubet aliqua, quæ non possumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus.* Et infrà: *Certum est enim nos mandata servare, si volumus: sed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus*, &c. hæc ibi. Ecce quàm clarè dicit omnes Catholicos scire, quod per Dei gratiam præcepta servari possint; sed hoc ignorant, vel scire nolunt, imo negant Acatholici.

Demum

Digitized by Google

Demum D. Aug. docet, quod homo per Dei gratiam plus præstare possit, quàm Deus præcepit, sic enim serm. 18. de verbis Apostoli tom. 10. edit. Bas. 1529. ait: *Non grande onus impositum est virginibus; major amor imposuit majus onus*, &c. *tanquam dicerent, quid jubes? ne adultera simus? hoc præcipis, amando te, plus facimus, quam præcipis*, hæc ibi.

XI. Ex his patet concors SS. Patrum primitivæ Ecclesiæ sententia, quod præcepta Dei sint observatu possibilia, quod ipsum ut de fide certum in Conc. Arausicano definitum est can. ult. his verbis: *Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratiâ omnes baptizati Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere*, hæc ibi.

His accedit manifesta ratio in S. scriptura fundata, quam supponunt SS. Patres, scilicet, si Deus præciperet homini ea, quæ nec per ejus auxilium præstare posset, & æternam pœnam prævaricantibus minaretur, esset injustus, & quovis tyranno crudelior, ut patet, & ideo SS. Patres dicunt, quod quia Deus bonus est & justus, non præceperit impossibilia.

Iterum si Dei præcepta essent impossibilia, nullo modo obligarent, nec essent præcepta, nec homo contra illa agendo peccaret: quomodo enim peccaret, ut pœnam mereatur, qui id facit, quod vitare non potest? frustra Deus legem tulisset, & æquè minus hominem punire deberet, quam bestiam, quæ hominem occidit.

Hoc ipsum August. cum SS. Patribus sæpe profitetur. Sufficiat hic unus locus lib. de Perfect. Justitiæ, ubi in initio ad interrogatum primum Cælestii dicentis, quod sit peccatum quodcunque, quod vitari potest, vel quod vitari non potest, ait: *Respondemus, vitari posse peccatum, si natura vitiata sanetur gratia Dei per Jesum Christum. Ad interrogatum 2. peccatum voluntatis, an necessitatis est? si necessitatis est, peccatum non est, si voluntatis est, vitari potest; respondemus, quod suprà, & ut sanemur, invocamus eum*, &c. hæc ibi.

Demum frustra Christus docuisset nos orare, fiat voluntas tua, sicut in cælo ita & in terra, si impossibile sit, quod Dei voluntas unquam in terra fiat, vel impleatur ab hominibus.

ARTICULUS III.

Respondetur ad argumentum Acatholicorum, quoad præceptum de diligendo Deum, & non concupisces.

I. Quia nulla veritas tam manifesta est ex S. Scriptura, quin hæretici hactenus contra illam ex ipsa S. Scriptura falsò intellecta argumenta adduxerint; ita etiam in proposito aliqua ingerunt.

Primò ex illo præcipuo præcepto Deut. 6. v. 5. & Marc. 22. v. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*, &c. *& proximum sicut te ipsum*: & ex illo, *non concupisces*: unde sic arguunt; hæc præcepta à nullo impleri possunt, ad quod allegant D. August. lib. de Perfect. Justitiæ, ubi in responsione ad ratiocinationem Cælestii Pelag. de charitate dicit, quod in patria erit perfecta, & subdit: *In qua plenitudine charitatis præceptum illud implebitur, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. *nam cùm est adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ, quod vel continendo frenetur, non omnimodè ex tota anima diligitur Deus, non enim caro sine anima concupiscit, quamvis caro concupiscere dicatur, Rom. 7 quia carnaliter anima concupiscit.* Vnde sic arguunt: Manet autem concupiscentia in homine quamdiu est in mortali corpore, ut constat ex S. Scriptura & exemplis Pauli & Sanctorum.

Resp. primò, quod homines adjuti Dei gratiâ in hac vita servare possint mandatum illud; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, abunde ostensum fuit ex S. scripturæ testimoniis, & ex SS. Patribus, & ex ipso D. Augustino.

Resp. secundò sciendum, quod duobus modis intelligi possit, *diliges Deum ex toto corde*, &c. semel ut intelligitur præcipi, quod Deus ab homine secundum omnes animæ potentias semper & perfecto modo, qualis in cælis erit, diligatur.

Secundò, ut per illa verba intelligatur, quod homo ita diligat Deum, ut non ficto, sed sincero corde, nec ob aliud, sed, quia est summum bonum, diligat; ita ut nullam creaturam Deo in amando præponat, quod dici solet, *Deus appretiativè super omnia diligitur*: ad quod non est opus, ut omni momento & perfectissimum amoris actum eliciat, & omnes potentias in Deum elevet, quod certè impossibile est in hac vita, ut in vigilia, & somno; nec S. scriptura unquam exprimit; sed sufficit, quod paratus sit omni modo juxta omnes vires Deo servire, & quando occasio occurrit, ut Deus offendatur, tunc homo ex amore Dei à malo abstineat, & sic Dei amorem eliciat, vel bonum operetur, & hoc omnis scriptura indicat, & sic plerique SS. Patres intelligunt. II.

Quod attinet ad D. Augustinum, non est mens illius, quasi homo peccet semper, quia non tali perfecto modo semper Deum diligit; sicut in cælo speratur, cùm contrarium pateat ex tot clarissimis illius testimoniis allatis, sed mens ipsius est ostendere contra Pelagianos, prout ipse declarat lib. de Spir. & Lit. cap. 1. 2. & 3. quod Deus homini præcepta dedit continenter, & justè, & piè vivendi; sed homo illud servare non posset sine speciali Dei adjutorio & charitate, quæ per Spiritum Sanctum in cordibus nostris infunditur, quod Pelagiani negabant; an autem homo ita per Dei gratiam præcepta servare possit in hac vita, ut ne semel venialiter peccet, hoc quidem non dicit esse absolutè erroneum, sed tamen juxta illius sententiam S. Scripturæ contrarium, ideoque probat, quod in hac vita non possit esse homo semper sine omni peccato, saltèm veniali, & in illa perfectione charitatis, quæ in cælis erit; prout etiam Concil. Trid. cap. 11. docet. Ad hoc quidem allegat, quod præceptum illud, *diliges Dominum Deum*, perfectè in cælis implebitur, non quasi præceptum illud in cælo obliget, quod ipse semper negat; sed quod ibidem illud perfectè obtinebitur tanquam præmium, ad quod in mundo homo obligatur tendere per charitatem proficientem, tanquam per meritum. Constat autem, quod præmium non dicatur propriè

Digitized by Google

priè præcipi laboranti, sed promitti & ostendi; præcipitur autem labor, quoad præmium perveniat. Sic nec finis præcepti præcipitur, ut à subdito fiat, sed à legislatore proponitur, & media ad illum præcipiuntur, ut fiant ad illum finem obtinendum, & ideo dicit Augustinus, quod homo admoneatur per illud præceptum, qualiter Deum amare studeat, ut ad plenum in cælis amorem perveniat. Hoc patet ex ipso Augustino loco citato lib. de Perfect. Justitiæ, ubi subdit: *Cur ergo non præciperetur homini illa perfectio, quamvis illam nemo in hac vita habeat? non enim recte curritur, si quo currendum sit, nesciatur? quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur? sic ergo curramus, ut comprehendamus*, &c.

III. Cùm autem Cælestius multa testimonia ex SS. Patribus allegasset, quibus ostendit posse hominem esse sine macula, respondet: *Horum testimoniorum aliqua currentes exhortantur, ut perfecte currant, aliqua ipsum finem commemorant, quo currendo prætendant; ingredi autem sine macula non absurde ille dicitur, non qui jam perfectus est, sed qui ad perfectionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus damnabilibus; atq; ipsa peccata venialia non negligens mundare eleemosynis*, & postea dicit: *Deinde iste adhibet testimonia, cùm præceptum generale sit charitas, quia finis præcepti est charitas, plenitudo legis est charitas, non esse grave, quod diligendo fit, non timendo: laborant autem in Dei præceptis, qui ea timendo conantur implere, sed perfecta charitas foras mittit timorem, & facit præcepti sarcinam levem, non solum premientem onere ponderum, verum etiam sublevantem vice pennarum; quæ tamen charitas, ut habeatur etiam tanta, quanta in corpore mortis hujus haberi potest, parum est nostræ voluntatis arbitrium, nisi adjuvet gratia Dei per Jesum Christum*, &c. ubi patet, quod concedat præcepta Dei in hac vita per charitatem servari posse, licèt illa charitas non sit tam perfecta, quàm in cælis erit; adeoque etiam præceptum dilectionis servari possit. De hac charitate, quam homines in hac vita habere possunt, dicit Aug. tract. 9. in epist. Joann. quod

IV. illa non timeat diem judicii, sed in illo fiduciam habeat, adeoque coram Deo sit absque peccato: hoc ipsum Aug. declarat tom. 7. ed. Basil. 1528. lib. 3. contra 2. Epist. Pelagian. c. 7. dicens: *Quis autem ferat eos objicere nobis, quod post resurrectionem tales processus futuros esse dicamus, ut ibi incipiant homines, quæ hic noluerint Dei mandata complere, quoniam dicimus ibi omnino nullum futurum esse peccatum, nec cum aliqua cupiditate conflictum, tanquam ipsi audeant hoc negare? sapientiam quoq; & cognitionem Dei tunc perfici in nobis, & in Domino tantam exultationem, ut ea sit plena & vera securitas, quis negabit? Verum hæc non erunt in præceptis, sed in eorum, quæ hic observanda sunt præmio præceptorum: quorum quidem præceptorum contemptus illo non perducit ad præmium, sed hîc studium præcepta servandi gratia Dei tribuit*, &c. hoc contra Acatholicos, qui præcepta contemnunt tanquam ad illos non pertinentia, subjungit August. dicens: *Hic ergo præceptum est, ut non peccemus, imo præmium non posse peccare; hîc præceptum est, ut desideriis peccandi non obediamus; ibi præmium, ut desideria peccati non habeamus*, &c. & post unum folium: *Justitia quippe legis impletur in eis, sicut scriptum est, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum*. Et paulò post: *Non enim propterea justitia Dei dicitur, quoniam Deus justus est, sed quia homini ex Deo est; secundum hujusmodi autem justitiam nunc fides operatur per dilectionem, id est, operatur quomodo perveniat homo ad eũ, in quem modo non videns credit, quem cùm viderit, tunc quod erat in fide per speculum in ænigmate, jam erit in specie, facie ad faciem, tunc perficietur & ipsa dilectio. Nimis quippe insipienter dicitur tantum amari Deum, antequam videatur, quantum amabitur, cùm videbitur. Porro si in hac vita pio neminẽ dubitante, quanto amplius diligimus Deum, tantoq; utiq; sumus justiores quis dubitet piam veramq; justitiam, cùm fuerit dilectio Dei perfecta, tunc perfici? Tunc ergo lex, ita ut nihil omnino desit, implebitur, cujus legis, secundum Apost. plenitudo dilectio est*, &c. & hoc ipsum exemplo & verbis Apostoli ostendit, & postea dicit: *Quotquot ergo inquit, perfecti hoc sapiamus tanquam diceret, si secundum hominis mortalis capacitatem pro hujus vitæ modulo perfecti sumus, ad ipsam perfectionem hoc quoq; pertinere intelligamus; ut angelica illa, quæ in Christi manifestatione nobis erit, justitia nondũ nos perfectos esse sapiamus*, &c. & infrà: *Justitia vero, secundum quam justus ex fide vivit, quoniam per spiritum gratiæ homini ex Deo est, vera justitia est, quæ licet non immerito in aliquibus justis pro hujus vitæ capacitate perfecta dicitur, parva tamen est ad illam magnam, quam capit æqualitas Angelorum* &c. *sed plane minor illa justitia facit meritum, major illa fit præmiũ; unde qui istam non sequitur, illam non assequitur*, &c. *non autem illic incipere homines, quæ hic noluerint Dei mandata complere, verissimum est; erit enim perfectissima plenitudo justitiæ non tantum hominum mandata sectantium, & ad eam plenitudinem proficiendo nitentium, sed in ictu oculi eis, qui hic mandata fecerint, præmium dabitur, non & ipsa facienda mandabitur*, hæc Aug. Ex his clarè patet, quod D. Aug. non velit præcepta in hac vita servari non posse, sed in futuro tantùm impleri, cùm potiùs dicat impletionem dilectionis, seu ejus perfectionẽ esse præmium illorum; qui in hac vita mandata servarunt, licèt non habuerint tam perfectam dilectionem, qualem ibi habituri sunt, nec ob hunc defectum peccarunt contra legem, sed potiùs meruerunt præmium in cælo. Hoc ipsum etiam exprimit, l. de Spir. & Lit. c. ult. ed. Bas. 1528. loquens de justitia hujus vitæ, quæ in cælo perficienda est, dicit: *Dici potest quædam justitia minor huic vitæ competens, quâ justus ex fide vivit, quamvis peregrinus à Domino, & ideo per fidem ambulans nondum per speciem, non absurde dicitur etiam ad istam pertinere, ne peccet; neq; enim, si esse nondum potest tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plene perfecteq; debetur, jam culpæ deputandum est: aliud est enim totam nondum assequi charitatem, aliud nullam sequi cupiditatem. Quamobrem debet homo, quamvis longe minus amet Deum, quam possit eum amare conspectum, nihil tamen appetere illicitum: sicut etiam in his, quæ adjacent sensibus corporis, potest oculus nullis tenebris delectari, quamvis non possit in fulgentissima luce defigi*, &c. hæc Aug. Ex quibus patet, quod Aug. supponat, licèt homo in hac vita non possit habere tantam dilectionem, & justitiam, quantam in cælis est habiturus, sed longè minorem, & tali modo non dicatur Deum diligere ex toto corde, tamen in hoc non peccet, nec quicquam illicitum faciant; sicut nec in hac vita, quia unus magis & perfectiùs diligit Deũ, quam alius, & ideo justior est, ut Aug. suprà dicebat, tamẽ minus diligens non peccat contra præceptum; alioquin justus non esset: multo minùs in cælis peccat unus beatus, qui minor est in charitate & gloria, quam alius, & tamen juxta Augustinum ibi verè ex toto corde diligit Deum. V.

Respon-

Digitized by Google

Reſpondeo itaque ultimatè, quod præceptum de diligendo Deum ex toto corde, &c. verè & propriè impleri poſſit, ut homo Deum ſupra omnia creata diligat, & ſic ex toto corde, &c. prout S. ſcriptura toties teſtatur, & SS. Patres communiter loquuntur. Similiter præceptum illud impleatur, etiam ſecundum alium ſenſum à S. Auguſtino uſurpatum: nam, licèt dilectio ipſa ſit minor, quam in cælis futura ſit in ſua entitate formali, tamen ex parte objecti eadem eſt, quia in eundem Deum ſupra omnia tendit; & iſtum ſic diligendo non offendit, nec illicitum aliquid committit; adeoque non peccat, ſed ſervat mandatum; præſertim cùm per hanc dilectionem mereatur illam in cælis perfectam, tanquam præmium, ut ait Auguſt. at vero per peccatum contra legem Dei nemo gloriam in cælis meretur, nec Deus præcipit ſub peccato, ut homo in hac vita habeat tantam dilectionem, quantam in cælis obtinebit, cum illa ſit præmium, & ſupponat Dei claram viſionem, ſed dilectionem ſub peccato præcipit, per quam tendat ad aliam, & aliam per hoc præceptum, juxta Auguſt. oſtendit, & demonſtrat, ut illam obtinere conetur, quod ſi fecerit, præceptum implet, licèt etiam minore cum dilectione, quam alius juſtior diligat, de his vide ea, quæ præced. art. ex Auguſt. lib. de Peccat. Merit. & Remiſſ. cap. 69. relata fuit. 2. objiciunt de præcepto, *non concupiſces*, non poſſe ſervari in hac vita, quod probant ex loco allegato S. Aug. quia concupiſcentia ſemper manet, quæ refrænetur, ipſaque eſt peccatum.

VI. Reſpond. illud præceptum duobus modis exponi poteſt: Semel, ut ſolum prohibeat, ne homo conſenſum præbeat concupiſcentiæ inſurgenti; ita ut, ſi non conſentiat, non peccet contra præceptum, & ſic SS. Patres communiter intellexerunt. 2. ut illud præceptum etiam comprehendat, non ſolùm ne homo conſentiat, ſed etiam, ut ſit liber ab omni motu concupiſcentiæ, prout D. Aug. loco citato & aliis locis allegatis indicat; ſed ipſe ſimul ſupponit: quod eſſe liberum ab omni concupiſcentiæ motu non ſit hujus vitæ, ſed futuræ; nec ſpectat per ſe ad hoc præceptum, ut quis liber ſit in hac vita, tanquam actus ſub peccato præſtandus, & medium uſurpandum; ſed ſit finis præcepti, ſeu præmium illorum, qui in hac vita reſiſtunt concupiſcentiæ non conſentiendo; ſed quotidie ſtudendo ſe ipſos ſuperare, & tendendo ad perfectam liberationem, quæ erit in cælis; ſicut ergo dilectio perfecta Dei in cælis erit præmium, & finis, & eatenus cadit ſub præceptum dilectionis, ut ſuprà ex D. Aug. dictum; ſic etiam liberatio omnimoda ab omni motu concupiſcentiæ ad finem & præmium ſpectat; ſed conatus ſuperandi concupiſcentiam cadit ſub præcepto, ut meritum, & ſub peccato: & ideo ſemper allegat *Auguſtinus*, quod ſub peccato prohibeatur, ne conſentiat, prout paſſim loquitur, præſertim tom. 7. ed. Baſ. 1528. lib. 3. contra 2 Epiſt. Pelag. cap. 7. verba ſuprà relata ſunt, ſpecialiter ibi: ***Hic ergo præceptum eſt, ut non peccemus, ibi præmium, non poſſe peccare. Hic præceptum eſt, ut deſideriis peccati non obediamus; ibi præmium, ut deſiderium peccati non habeamus.*** Et lib. de Spir. & Lit. c. ult. ed. eâd. ubi poſt verba ſuprà allegata de juſtitia hujus vitæ & futuræ loquens ſic ait: *Conſtituamus animam humanam in hoc corruptibili corpore, quæ etſi nondum illâ ſupereminentiſſimâ perfectione charitatis Dei omnes motus terrenæ libidinis abſorbuerit, atq; conſumpſerit; tamen in iſta minore juſtitia ad illicitum aliquod operandum eidem libidini nulla inclinatione conſentiat; ut ad illam vitam jam immortalem pertineat, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde,* &c. *Ad hanc autem non regnet peccatum in veſtro mortali corpore ad obediendum deſideriis ejus.* Et infrà: *Hic conſtitutis peccatum erit ex fide viventis aliquando alicui delectationi illicitæ conſentire, non tantum in illis horrendis facinoribus & flagitiis perpetrandis, verum etiam in iſtis levioribus, ut vel aurem alicui voci quæ audienda non eſſet, vel linguam alicui, quæ dicenda non eſſet, accommodet; vel in ipſo corde aliquid ita cogitet, ut mallet licitum, quod male delectat, & per præceptum ſcitur illicitum: etiam iſta quippe conſenſio eſt ad peccatum, quæ utiq; fieret, niſi pœna terreret,* &c. ubi ſupponit, quod ſi aliquis talis eſſet, qui nondum perfectiſſimâ charitate omnes motus libidinis abſorbuerit, ſeu illis nondum caruerit, & tamen nunquam conſentiret, nunquam peccaret, ſic enim ſubdit dicens: *Tales juſti ex fide viventes, non opus habent dicere, dimitte nobis debita noſtra,* ſed oſtendit, quod tales nulli ſint, juxta illud 1. Joann. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, veritas in nobis non eſt,* &c. unde oſtendit, quod nulli ſint homines, quin aliquando in levioribus ad minus concupiſcentiæ conſentiant, & ſic peccent, ac dicere debeant, *dimitte nobis:* licèt concedat, quod Deus poſſit homini dare talem gratiam, ut nunquam peccet, quod tamen non facit, ut homo agnoſcat ſe hominem, & humilis ſit, ac in infirmitate ad perfectionem tendat.

Idem clarè ſupponit ed. eâdem lib. de Per- VII.
fect. Juſtitiæ in fine, ubi cùm dixiſſet neminem eſſe ſine peccato, juxta verba S. Joann. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus,* &c. ſic ait: *Quod ſi quis aſſerit de illo peccato eſſe dictum; quod habitat in carne mortali noſtra ſecundum vitium, quod peccantis primi hominis voluntate contractum eſt; cuius peccati deſideriis, ne obediamus, Paulus Apoſtolus præcepit: non autem peccare, qui eidem peccato, quamvis in carne habitanti, ad nullum opus malum omnino conſentit vel facti, vel dicti, vel cogitati, quamvis ipſa concupiſcentia moveatur, quæ alio modo peccati nomen accepit, quod ei conſentire peccare ſit, nobiſq; moveatur invitis; ſubtiliter quidem iſta diſcernit, ſed videat, quid agatur de Dominica oratione, ubi dicimus, dimitte nobis debita noſtra; quod, niſi fallor, non opus eſſet dicere, ſi nunquam vel in lapſu linguæ, vel in oblectanda cogitatione ejuſdem peccati deſideriis aliquantulum conſentiremus, ſed tantummodo dicendum eſſet: Ne nos inferas in tentationem, ſed libera nos à malo. Nec Jacobus Apoſtolus diceret, in multis offendimus omnes.* Jacobi 3 *Non enim offendit, niſi cui mala concupiſcentia contra juſtitiæ rationem appetendo vel vitando, faciendum, vel dicendum, vel cogitandum aliquid, quod non debuit, ſive fallens, ſive prævalens perſuadet,* &c. hæc Auguſtinus. Ubi manifeſtè ſupponit, quod ſi quis concupiſcentiæ non acquieſcat, nullatenus offendat, vel peccet, adeoque nec contra præceptum Dei faciat.

Digitized by Google

Quod autem Acatholici volunt, etiam ipſam concupiſcentiam, quam invitam ſentimus, eſſe offenſam, & propriè peccatum; idque ex verbis Apoſtoli Rom. 6. & 7. probare nituntur, ubi Apoſtolus illam vocat peccatum, & malum; ad quod etiam D. Auguſtinum allegant; ad hoc ſup. cap. 4. copioſè reſponſum eſt. Patet autem ex verbis jam recitatis, quod concupiſcentia illa non ſit offenſa, vel propriè peccatum; ſed dicatur peccatum, quia eſt vitium naturæ per peccatum originale cauſatum, & inclinans ad peccatum. Sic enim Auguſtinus etiam dicit lib. 2. contra Julian. in Epilogo, paulò ante medium, ubi ex verbis S. Ambroſii juxta S. Scripturam oſtendit, quod omnia peccata in Baptiſmo, etiam ipſum originale, ſint mortua, & tamen illud mortuum dicatur regnare in corpore, & tanquam lex peccati, repugnare legi mentis, ſubdit Auguſt. dicens: *Quomodo enim peccatum mortuum eſt; cùm multa operetur in nobis reluctantibus nobis; quæ multa? niſi deſideria ſtulta & noxia, quæ conſentientes mergunt in interitum & perditionem; quæ utiq; perpeti, eiſq; non conſentire certamen eſt, conflictus eſt, pugna eſt*, &c. & infrà: *Quomodo ergo mortuum dicimus hoc peccatum in Baptiſmate, ſicut etiam iſte vir dicit, & quomodo habitare in membris fatemur, & multa operari deſideria reluctantibus nobis, quibus non conſentiendo reſiſtimus? ſicut etiam hic vir fatetur, niſi quia mortuum eſt in eo reatu, quo nos tenebat, & donec ſepulturæ perfectione ſanetur, rebellat & mortuum? quamvis jam non eodem modo appelletur peccatum, quo facit reum, ſed quod ſit* (NB) *reatu primi hominis factum, & quod rebellando nos trahere nititur ad reatum, niſi adjuvet nos gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum*, &c. *In hoc bello laborantes, quamdiu vita humana tentatio eſt ſuper terram, non ideo ſine peccato non ſumus, quia hoc, quod eo modo peccatum dicitur, operatur in membris repugnans legi mentis, etiam non ſibi ad illicita conſentientibus nobis. Quantum enim ad nos attinet, ſine peccato ſemper eſſemus, donec ſanaretur hoc malum, ſi ei nunquam conſentiremus ad malum. Sed in quibus ab illo rebellante, etſi non lethaliter, ſed venialiter tamen vincimur, in his contrahimus, unde quotidie dicamus,*
IX. *dimitte nobis debita noſtra*, &c. hæc Auguſt. ubi clarè patet, quod concupiſcentia in ſe non ſit propriè peccatum, ſeu offenſa Dei, quæ reatum habeat, ſed conſenſio in illam, peccatum ſit, & hoc modo loca Apoſtoli intelligenda ſunt: & dum Auguſt. tom. 7. ed. Baſil. 1528. lib. 6. in Julian. cap. 8. dicit: *Neq; enim nulla eſt iniquitas, cùm in uno homine vel ſuperiores inferioribus turpiter ſerviunt, vel inferiora ſuperioribus contumaciter reluctantur, etiamſi vincere non ſinantur*, &c. ubi videtur concupiſcentiam ipſam vocare iniquitatem, ſed tamen, hoc non intellexit, quod ſit iniquitas formaliter; ſed cauſaliter; quia cauſat iniquitatem. Quod enim non ſit formaliter iniquitas, patet ex prædictis; ut ibidem lib. 6. cap. 5. Julianum Pelagianum redarguit dicens: *Dixiſſe me affirmas quod gratia non perfectè hominem novum faciat; Non hoc dico, attende quod dico; gratia perfectè hominem novum facit, quandoquidem & ad corporis immortalitatem, plenamq; fœlicitatem ipſa perducit, nunc etiam perfectè innovat hominem, quantum attinet ad liberationem ab omnibus omnino peccatis, non quantum ad liberationem attinet ab omnibus malis, & ab omni corruptione mortalitatis, quæ nunc corpus aggravat animam*, &c.

Similiter tom. 9. ed. Baſil. 1529. ex tract. X
41. in Joann. ubi cùm oſtendiſſet, quod Chriſtus diceretur peccatum, non quia peccatum fecit, ſed quia factus eſt ſacrificium pro peccato, quod in lege veteri dici ſolet peccatum; poſtea deducit, qualiter Chriſtus nos liberet à peccato, licèt adhuc poſt Baptiſmum maneat lex peccati in membris, quæ eſt infirmitas, & ſubdit dicens: *Nondum tota, nondum pura, nondum plena libertas, quia nondum plena æternitas; habemus enim ex parte infirmitatem, ex parte accepimus libertatem: quidquid peccatum eſt, à nobis antea deletum eſt in Baptiſmo: nunquid quia deleta eſt tota iniquitas, nulla remanſit infirmitas?* Ecce quàm manifeſtè dicit, quod concupiſcentia poſt Baptiſmum manens non ſit iniquitas formaliter dicta, ſed eſt talis infirmitas mala, cui nullus aſſentire poſſit, & quæ facilè inducit ad peccatum ad minus veniale, prout ſuprà D. Aug. dixit; & ideo hoc loco ſubjungit dicens: *Si non remanſiſſet* (infirmitas illa concupiſcentiæ) *ſine peccato hic viveremus*: non quia illa eſt propriè peccatum, ſed quia rebellando ſpiritum facile trahit ad peccatum; ut ibidem ex verbis, & exemplo Apoſtoli oſtendit; quod concupiſcentiæ reſiſtendo, eamque refrænando homo bene agat: licèt cum Apoſtolo optet; ut careat omnino concupiſcentia, quam frænare debet, ut ideo ingemiſcat: *O infœlix ego, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Roman. 7. v. 24.

ARTICULUS IV.

Reſpondetur ad alia Acatholicorum argumenta.

HActenus oſtenſum eſt, quod verè I.
duo illa præcepta, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, &c. *non concupiſces*, ab hominibus cum Dei gratia in hac vita ſervari poſſint, juxta S. Scripturam & SS. Patres, in quibus etiam alia præcepta continentur, juxta verbum Chriſti Matth. 22. v. 40. *In his duobus mandatis univerſa lex pendet & Prophetæ.* Reſtant aliqua Acatholicorum argumenta contra veritatem Catholicam.

Primò objiciunt illa verba S. Petri Act. 13. v. 10. *Nunc ergo quid tentatis Deum imponere jugum ſuper cervices Diſcipulorum, quod neq; Patres noſtri, neq; nos portare potuimus? ſed per gratiam Domini noſtri credimus ſalvari, quemadmodum & illi*, &c. hinc ſic argumentantur: Hîc dicitur, quod lex ſit importabilis, etiam ipſis Apoſtolis, qui gratiam Chriſti habebant. Secundò, quod ibi lex intelligatur, non ſolùm ceremonialis, ſed etiam moralis, ſeu etiam Decalogi, adeoque omnis obligatio ad omnem legem à Chriſtianis ſit ſublata, cùm Petrus dicat, quod per *gratiam Chriſti*, legi oppoſitam, ſalventur.

Reſp. 1. quod ibi Apoſtolus Petrus loquatur de lege ceremoniali, ut circumciſione, & aliis ſexcentis præceptis, prout conſtat ex intentione illius Concilii ad inſtantiam Pauli, & Barna-

Barnabæ congregati; cùm aliqui pſeudoApoſtoli ſparſiſſent omnes Chriſtianos obligari ad circumciſionem, & alias cæremonias, alioquin non poſſent ſalvari; hoc ibi conſtitutum eſt, ut patet. Quod autem Petrus dicat illam legem fuiſſe jugum importabile, patet hoc non eſſe intelligendum de abſoluta importabilitate, ſed de magna difficultate; cùm conſtet ex pluribus S. Scripturæ locis, ubi S. ſcriptura teſtatur, quod aliqui cuſtodierint omnia præcepta legis Moſaicæ, ut de Davide 3. Reg. cap. 14. v. 8. pſ. 118. v. 32. &c. de aliis ſuprà, ſicut de Zacharia & Elizabeth, &c. quod autem valde difficile eſt, vocatur impoſſibile apud homines, juxta illud Matt. 19. v. 26. *Apud homines hoc impoſſibile eſt, apud Deum omnia poſſibilia ſunt*; ubi loquitur de divitibus, quod ſalvari non poſſint.

II. Quod autem S. Petrus, aut Apoſtoli ibidem concluſerint, quaſi Chriſtiani non obligarentur ad præcepta moralia, ſeu ad Decalogum, nimis impudenter dicitur, nam, ſi Acatholici velint, quod ibi concluſum ſit, ut fideles tantùm illa obſervent, quæ ibi ſpecificantur, ſcilicet, *viſum eſt Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, à ſanguine ſuffocato, & fornicatione*, &c. ſi, inquam hæc ſolum ex omni lege etiam morali neceſſaria eſſent Chriſtianis, ergo non obligarentur Chriſtiani ad præceptum de non colendis Diis alienis, de non jurando, & reliquis; quod manifeſtè abſurdum eſt; & patet paſſim ex Evangelio & epiſtolis Apoſtolorum, quod præcepta Decalogi ſervanda ſint, ſpecialiter ex illo ad Rom. 13. v. 8. *Nemini quicquam debeatis, niſi ut invicem diligatis, qui enim diligit proximum, legem implevit. Nam non adulterabis, non occides, non furaberis*, &c. *& ſi quod eſt aliud mandatum in hoc verbo inſtauratur. Diliges proximum*, &c. & 1. Cor. 6. v. 9. *Neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt; nolite errare, neq; fornicarii, neq; idolis ſervientes*, &c. *regnum Dei poſſidebunt*. Et Jacobi 2. v. 8. *Si tamen legem perficitis regalem ſecundum*
III. *Scripturas*, &c. Certè hoc Acatholicorum dogma tam abſurdum eſt, ut D. Aug. lib. de Spir. & Lit. cap. 14. dicat: *In illis igitur præceptis, excepta Sabbathi obſervatione dicatur mihi, quid non ſit obſervandum à Chriſtiano; ſive de non faciendis colendisq; idolis, aliisq; ullis Diis præter unum verum Deum; ſive de non accipiendo nomine Dei in vanum; ſive de honore parentibus deferendo; ſive de cavendis fornicationibus, homicidiis, furtis, falſis teſtimoniis, adulteriis, re aliena concupiſcenda? quid horum quisquam dixerit Chriſtianum non debere ſervare?* & infrà: *Porro autem præcepta ipſa tam utilia facienti, atq; ſalubri, ut, niſi quis ea fecerit, vitam habere non poſſit*, &c. hæc Aug. Qui neminem tam effrontem putavit, qui hoc diceret, & tamen Acatholici dicere non verentur.

Nec valet id, quod dicunt Petrum ideo dixiſſe, quod per gratiam Chriſti ſalventur, quaſi ideo omnis obligatio legis ceſſaret, hoc falſum eſt; ſed ſolùm per hoc indicare voluit, quod nulla lex ex ſe ſalvet hominem, ſed gratia Domini Jeſu Chriſti, per quam & in veteri, & in novo teſtamento omnes ſalvantur; ita tamen, ut legem obſervent, quam ſine gratia Chriſti ſervare non poſſunt: lex ceremonialis non erat neceſſaria, de qua quæſtio erat, quæ in adventu Chriſti abrogata fuit, præſertim, quia pſeudo-Apoſtoli urgebant, quod ſine illa nullus ſalvari poſſet, quam Moyſes tulerat, & de qua Prophetæ prædixerant, quod abroganda eſſet: de lege autem morali non erat quæſtio, quia illa ante Moyſen ex jure naturæ erat neceſſaria, ſi enim Petrus intendiſſet, quod omnis obligatio legis ceſſaret, Apoſtoli non debuiſſent pronunciare, quod illa neceſſaria obſervarent, *abſtinere ab immolatis & fornicatione*, &c. ſed illa etiam excluſa fuiſſent; de illis autem ſpecialiter dicunt, quod obligent, quia aliqua erant ex lege Moyſi, & fornicatio apud Gentiles non reputabatur peccatum.

Secundò objiciunt illud ad Gal. 3. v. 10. IV.
Quicunque ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt, ſcriptum eſt enim, maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea, & infrà: *Chriſtus nos liberavit à maledicto legis factus pro nobis maledictum*; unde ſic arguunt: Apoſtolus per hoc dicere voluit, quod nullus poſſit ſervare legem, & ideo omnes ſub maledicto ſunt, qui ad legem ſervandam obligantur; ſed Chriſtus nos liberavit ab illo maledicto tollens à nobis obligationem legis.

Reſpond. Verba Apoſtoli veriſſima & ſanctiſſima ſunt, ſed Acatholicorum explicatio falſiſſima; patet enim ex prædictis, quod Chriſtus ſuos non liberaverit à lege Decalogi, ſed arctiùs ad illam arctaverit, ſeu declaraverit Matth. 5. v. 21. *Dictum eſt antiquis, non occides; ego autem dico vobis, quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus eſt judicio*, &c. ubi Chriſtus declarat, quod non ſolum externi actus per Decalogum ſint prohibiti, ut plures Phariſæi docebant, ſed etiam conſenſus interni. Intentio utique Apoſtoli eſt oſtendere, quod lex ſub maledicto obliget, ita ut ſint maledicti, qui non obſervant; ſed lex non det homini vires, ut ſervare poſſit, ſed hanc præſtet gratia Chriſti, ſine qua nec antiqui Patres legem ſervare potuerunt, & ideo ſine gratia Chriſti ſub maledicto manſiſſent; unde Apoſtolus 2. Cor. 3. v. 6. dicit: *Litera occidit, ſpiritus autem vivificat*, quod copioſè declarat D. Auguſt. lib. de Spir. & Lit. cap. 4. & ſeqq. tom. 3. edit. Bal. 1528. ſcilicet, quod lex quidem bona ſit, quæ per literam intelligitur, ſed tantum oſtendit, & præcipit, quid homo facere debeat ſub comminatione æternæ damnationis, & maledicti: ſed homo ex ſuis viribus illam ſervare non poſſit; ſed opus habeat gratia Dei per Spiritum Sanctum infuſa, quæ vivificat & juvat, ut lex impleri poſſit, quæ per ſolum Chriſtum datur. Ideo dicit Auguſt. ibid. cap. 4. *Doctrina quippe illa, qua mandatum accipimus continenter recteq; vivendi, litera eſt occidens, niſi adſit vivificans ſpiritus.* Iterum in fine cap. 9. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius, non quod ſine noſtra voluntate fiat, ſed voluntas oſtenditur infirma per legem, ut ſanet gratia voluntatem, & ſana voluntas* (NB) *impleat legem*, &c. & cap. 10. *Quomodo enim juſto non eſt lex poſita, ſi & juſto eſt neceſſaria, non quâ injuſtus ad juſtificantem gratiam perducatur, ſed quâ legitime jam*

Iustus utatur, &c. & infrà: *Ita non erunt contraria, neq; inter se duo illa pugnabunt, ut etiam iustus bona lege legitime utatur, & tamen iusto lex posita non sit, non enim ex ea iustificatus est, sed ex lege fidei, qua credidit nullo modo posse sua infirmitati adimplenda ea, qua lex factorum iuberet, nisi gratia diuina subueniret*, &c. ideo dicit cap. 17. *Plenitudo autem legis charitas: Hac non in tabulis lapideis conscripta, sed diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, lex ergo Dei est charitas; Huic prudentia carnis non est subiecta, neq; enim potest; sed ad hanc prudentiam carnis terrendam, cùm in tabula scribuntur opera charitatis; lex est operum, & litera occidens praeuaricatorum; cùm autem ipsa charitas diffunditur in corde credentium, lex est Fidei, & spiritus viuificans dilectorem*, demum cap. 19. sic ait: *Lex ergo data est, ut gratia quaereretur, gratia data est, ut lex impleretur; neq; enim suo vitio non implebatur lex, sed vitio prudentia carnis, quod vitium per legem demonstrandum, per gratiam sanandum fuit*, &c. hæc Aug.

V. Itaque ultimatè respondetur, quod Apostolus intendat ostendere, quod lex bona præcipiat multa sub maledicto, & comminatione, quæ ad hoc data erat, ut homines terreret, & sic ad quærendam Dei gratiam cogeret, sine qua illam implere non possent, quam lex dare non potest, sed meritum Christi; quod per maledictum in cruce sustinendo obtinuit, sine cujus gratia lex impleri non potest, sed per illius gratiam impleri potest; & sic homo à maledicto legis liberatur per Christum, dum per ipsius gratiam legem observat.

VI. 3. Objiciunt illud 1. Joann. 1. v. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus; ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*, &c. unde sic argunt: Omnes, quantumcunque Sancti, fateri debent, quod peccatum habeant, prout etiam D. Hieronymus & August. contra Pelagianos urgent, ex hoc loco, & ex oratione Dominica, quâ tota Ecclesia orat: *Dimitte nobis debita*, unde inferunt, ergo nullus potest præcepta Dei servare, si enim servaret, non haberet peccatum.

Respond. negando consequentiam; ille autem locus S. scripturæ variè à SS. Patribus intelligitur, & quidem SS. Patres dicunt, quod non ita intelligatur, quasi omnis homo semper vel sæpè peccet contra legem Decalogi, vel præcepta Dei mortaliter; sed ad aliquod tempus etiam diu vel semper sine talibus vivere possit, sed non ex suis naturæ viribus, sed per gratiam Dei adjutus, & sic servat, & implet præcepta Dei: cùm hoc tamen consistit, quod facilè & subinde venialiter peccet in levioribus (de quibus D. Aug. lib. de Spir. & Lit. cap. ult. suprà relatus loquitur) quæ non tollunt gratiam, vel justitiam, nec propriè contra præcepta Dei fieri dicuntur, & ob hoc omnes justi qualescunque cum Joanne dicunt, se habere peccatum, & orant Deum, *& dimitte nobis debita*. Et quidem S. Hier. & August. urgent contra Pelagianos maximè, quod homo sine speciali Dei gratia non possit servare præcepta, nec à peccatis cavere: docent etiam, quod homo non possit esse semper sine omni peccato veniali, cùm hoc tamen docent constanter, quod præcepta Dei servari possint; insuper concedunt, quod homo pius ad aliquod tempus etiam ab omni veniali abstinere possit per Dei gratiam, & sic absolutè præcepta quæcunque servare possit ad tempus; sed de hoc non debent præsumere, eò quod occulta sint judicia Dei, prout dicit August. lib. de Spir. & Lit. cap. 2. & alii SS. Patres suprà relati de incertitudine gratiæ; & ideo, quia incertus est homo, an sit in gratia, vel an præcepta servaverit, licèt coram Deo in gratia sit, & præcepta servarit, ac insuper facilè in levioribus peccet, meritò & justè dicit se habere peccata, & orat, ut Deus dimittat: unde patet falsitas consequentiæ Acatholicorum.

CAPUT III.

Quòd opera Justorum bona, sint simpliciter bona & justa, & non vitiosa.

ARTICULUS I.

Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ.

I. Quid Acatholici de operibus Justorum sentiant cap. 1. art. 1. ex Lutheri & Calvini aliorumque sententiis relatum est.

Doctrina Ecclesiæ Catholicæ refertur in Conc. Trid. sess. 6. cap. 11. de Justificat. ubi sic dicitur: *Constat eos orthodoxa Religionis doctrina aduersari, qui dicunt justum in omni bono opere saltem venialiter peccare, aut, quod intolerabilius est, pœnas aternas mereri; atque etiam eos, qui statuunt in omnibus operibus justos peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando, & sese ad currendum in stadio cohortando, cùm hoc, ut inprimis glorificetur Deus, mercedem quoq; intueatur aternam*, &c.

Similiter can. 25. *Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius est, mortaliter; atq; ideo pœnas aternas mereri, tantumq; ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputat ad damnationem; anathema sit.*

Circa quam doctrinam sciendum, quod Ecclesia non doceat omnia omnino opera justorum esse bona; cùm ex præmissis clarè constet, quod Apostoli & alii Sancti habuerint peccata venialia, de quibus loquitur S. Joannes 1. Joan. 1. *Si dixerimus*, &c. & hoc etiam profitetur Concil. Trid. cap. 11. citato, *quod quantumuis Sancti & justi in leuia saltem, & quotidiana quandoq; cadant, non tamen propterea desinant esse justi*, &c. Sed docet Ecclesia, quod non omnia justorum opera sint peccata venialia, vel peccato veniali II.

macu-

macolata; multò minùs mortalia, ſed aliqua ſimpliciter bona & iuſta coram Dei tribunali per gratiam Chriſti facta: Hæc adeo clara ex S. Scriptura ſunt, ut etiam moderni aliqui Acatholici, à Luthero & Calvino diſſentientes, idipſum fateantur; ſic *Ameſius* lib. 6. cap. 8 Theſi 5. reſpondens Bellarmino, qui lib. 4. de Juſtif. cap. 15. doctrinam Catholicam probabat, ex illo Jacobi 3. v. 2. *In multis offendimus omnes*. Vnde Bellarminus ſic dicit: *Quare, quæſo, non dixit in omnibus offendimus omnes? nam ſi omnia opera juſtorum ſint peccata mortalia, certe non tantum in multis, ſed etiam in omnibus offendimus.* Ad quod reſpondet Ameſius: *In multis notabiliter, non in omnibus*, proinde fatetur, quod non omnia opera ſint peccata.

Obſervandum 2. quod hîc agatur de operibus ab homine poſt juſtificationem per Dei gratiam factis, nam de aliis ante juſtificationem factis actum eſt lib. de Juſtif.

ARTICULUS II.

Veritas Catholicæ Eccleſiæ probatur ex S. Scriptura.

I. PRimò S. Scriptura teſtatur de piis hominibus, quod in pluribus operibus non peccârint, ut patet ex illo Job. 1. v. 22. *In omnibus his non peccauit Job labiis ſuis, neq; ſtultum quid contra Deum locutus eſt*; Nec valet quorundam exceptio, quaſi Job labiis non peccaſſe ideo dicatur, quia in corde peccaſſet; ſed hoc in primis ex ſacra Scriptura non habent. 2. Deus ipſe poſtea teſtatur cap. 2. v. 3. ad Sathan dicens: *Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quod non ſit ei ſimilis in terra, vir ſimplex & rectus, timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam*, &c. quomodo à malo receſſiſſet, & innocentiam ſervaſſet, ſi in corde peccaſſet, idque mortaliter?

2. David ad Deum loquens de ſeipſo dicit pſ. 7. v. 9. *Iudica me Domine ſecundum juſtitiam meam, & ſecundum innocentiam ſuper me*, &c. ſuper quæ verba Auguſt. in eundem pſalm. ſic ait: *Iſta eſt vera innocentia, quæ nec inimico nocet: Itaq; bene ſe iudicari poſtulat ſecundum innocentiam ſuam, qui vere dicere potuit; ſi reddidi retribuentibus mihi mala; quod autem addidit ſuper me, non ad innocentiam tantum, ſed ad iuſtitiam quoq; ſubaudiri debet, quo additamento demonſtrat idipſum, quod anima iuſta eſt & innocens, non per ſe habere, ſed per illuſtrantem Deum*, &c.

II. Similiter pſalm. v. 1. *Exaudi Domine juſtitiam meam.* Et v. 2. *De vultu tuo judicium meum prodeat, oculi tui videant æquitates, probaſti cor meum, & viſitaſti nocte, igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas*, & v. 15. *Ego autem in iuſtitia apparebo conſpectui tuo.* Iterum pſ. 17. v. 21. *Et retribuet mihi Dominus ſecundum iuſtitiam meam.* Auguſtinus: *Et retribuet mihi Dominus ſecundum iuſtitiam bonæ voluntatis, qui prior præbuit miſericordiam, antequam haberem voluntatem*, & v. 22. *Et ſecundum puritatem manuum mearum.* Auguſtinus: *Et ſecundum puritatem factorum meorum retribuet mihi, qui tribuit, ut bene facerem, educendo me in latitudine Fidei.* Et v. 22. *Quia cuſtodiui vias Domini.* Auguſtinus: *Vt latitudo bonorum operum, quæ per Fidem ſunt, & longanimitas perſeuerandi conſequatur.* Et ibid. *Nec impie geſſi à Deo meo, quoniam omnia iudicia eius in conſpectu meo.* Auguſt. id eſt, *Præmia iuſtorum, & pœnas impiorum, & flagella corrigendorum, & tentationes probandorum perſeuerandi contemplatione conſidero*, & v. 23. *Et juſtitias ejus non repuli à me.* Aug. *Quod faciunt deficientes ſub ſarcina earum, & reuertuntur ad vomitum ſuum.* V. 24. *Et ero immaculatus cum eo, & obſeruabo me ab iniquitate mea.* Aug. *Itaq; non ſolum propter latitudinem Fidei, quæ per dilectionem operatur, ſed etiam propter latitudinem perſeuerantiæ retribuet mihi Dominus ſecundum juſtitiam meam.* V. 25. *Et ſecundum puritatem manuum mearum in conſpectu oculorum ejus*: Aug. *Non quod homines vident, ſed* (NB) *in conſpectu oculorum ejus*, &c.

Rurſus pſ. 25. v. 1. *Judica me Domine, quoniam ego innocentia mea ingreſſus ſum.* Aug. *Iudica me Domine, quoniam poſt miſericordiam, quam mihi prærogaſti, innocentiæ meæ habeo aliquod meritum, cujus viam cuſtodius.* V. 9. *Ne perdas cum impiis animam meam*, &c. *in quorum manibus iniquitates ſunt*, Aug. *Ne ergo ſimul perdas cum his, qui te oderunt, animam meam, quæ dilexit decorem domus tuæ, & cum viris ſanguinum vitam meam*, Aug. *Et cum his, qui oderunt proximum. Nam duobus præceptis decoratur domus tua*, & v. 12. *Pes meus ſtetit in directo.* Aug. *Dilectio mea non receſſit à juſtitia tua.* Rurſus pſ. 118. v. 121. *Feci judiciū & iuſtitiam, non tradas me calumniantibus me.* Aug. *Iuſtitiæ nomine hoc loco non ipſa virtus, ſed opus eius ſignificatum eſt, quis enim fecit in homine iuſtitiam* (virtutem) *niſi qui iuſtificat impium? hoc eſt per gratiam ſuam ex impio fecit iuſtum, facit ergo opus Iuſtitiæ, qui habet in ſe Juſtitiam, id eſt, opus gratiæ. Feci, inquit, Iudicium & Iuſtitiam, ne tradas me nocentibus me, id eſt, feci Iudicium iuſtum, ne tradas me illis, qui me propterea perſequuntur*, &c. hæc Auguſtinus.

Ecce David per ſpiritum directus dixit; quod in conſpectu & judicio Dei *impie* non egiſſet, *& innocens eſſet, vias Domini cuſtodiſſet, & rectam judicium feciſſet*, & ideo à Deo ſic judicari petebat; quod certè Spiritu Sancto dictante non dixiſſet, ſi omnia opera ejus coram Deo fuiſſent peccata mortalia, & æternâ pœnâ digna. Imò ipſe Deus 3. Reg. cap. 14. v. 8. dicit: *Non feciſti ſicut ſeruus meus David, qui cuſtodiuit mandata mea, & ſecutus eſt in toto corde ſuo, faciens quod placitum eſſet in conſpectu meo.* Si autem omnia opera David fuiſſent peccata coram Deo, & æternâ pœnâ digna; quomodo fecit quod placitum erat in conſpectu ejus? an ergo peccata Deo placent? Ecce quàm impia & abſurda ex dictis Acatholicorum ſequuntur contra expreſſam ſacram Scripturam.

3. Chriſtus Matth. 5. v. 16. dicit: *Sic luceat* III.
lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem. Si autem omnia opera iuſtorum ſint peccata mortalia, quomodo Chriſtus hortatur, ut illa faciamus? Nec etiam dici poteſt, quod omnia ſint maculata venialiter, cùm Chriſtus Matth. 6. v. 22. & Luc. 11. v. 34. dicat: *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit, ſi autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit*, ubi patet, quod loquatur de opere in ſubſtantia ſua bono, quod vocat corpus, & de intentione cordis, quam vocat oculum, & circumſtantiis operis, ut ſi intentio ſincera ad Deum fuerit, opus totum lucidum ſit, ſed quomodo totum lucidum? quod

est peccatum mortale, vel quod est maculatum peccato etiam veniali?

4. Apostolus 1. Cor. 3. v. 11. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id, quod positum est, quod est Christus Iesus, si quis autem superaedificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, stipulas,* &c. *uniuscujusq; opus manifestum erit, dies enim Domini declarabit, & uniuscuiusq; opus quale sit, ignis probabit, si cuius opus manserit, quod superaedificauit, mercedem accipiet, si cujus opus arserit, detrimentum patietur.* Etsi hæc verba variè explicentur, certum tamen est apud omnes & ex textu patet, quod ibi agatur de operibus à fidelibus factis; inter quæ Apostolus distinguit, quod aliqua sint bona, ut aurum, quæ maneant in examine Dei judicii, seu ignis, ut nullum patiatur detrimentum, sed mercedem habeant: si autem omnia opera fidelium sint peccata mortalia, & pœnâ æternâ digna, quomodo in judicio Dei subsisterent, & mercedem acciperent? Falsum ergo est dogma Acatholicorum, & verbis Apostoli contrarium.

IV. 5. Similiter ad Gal. 5. Apostolus distinguit inter opera carnis, & fructus Spiritûs, de illis dicit v. 19 *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, Immunditia, Idolorum servitus, Iræ, Rixæ,* &c. *qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Fructus autem Spiritus est Charitas, gaudium, pax, patientia,* &c. *qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis, si spiritu vivimus, spiritu & ambulemus,* &c. si autem omnia opera justorum sunt peccata mortalia, quomodo sunt fructus Spiritûs Sancti? quomodo illi qui Christi sunt, carnem crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis, si omnia ex concupiscentia carnis fiunt, & vitia sunt?

5. Rursus ad Ephes. 2. v. 10. *Ipsius*, ait, *sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Si autem opera omnia illorum, qui in Christo sunt regenerati, sunt peccata mortalia, quomodo in illis in Christo Jesu creati sunt? quomodo Deus præparavit, ut in illis scilicet in talibus peccatis, ambulemus? nisi Deus author peccati impiè dicatur.

6. In sacra Scriptura quædam opera fidelium dicuntur simpliciter bona, & sacra Scriptura fideles ad illa facienda hortatur, & illa Deo placere testatur, ut patet Matt. 5. *Sic luceat lux vestra* &c. 2. 1. Timoth. 6. v. 17. *Divitibus hujus seculi præcipe non sublim sapere,* &c. *sed in Deo vivo bene agere, divites fieri in bonis operibus.* Ad Tit. 3. v. 8. *De his volo te confirmare, ut curent bonis operibus præesse, qui credunt Deo. Hæc sunt bona & utilia hominibus*, &c. Philipp. 4. v. 18. *Habeo omnia, & abundo, repletus sum, acceptis ab Epaphrodito, quæ misistis, odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo.*

S. Petrus 1. Pet. 2. v. 9. hortatur fideles, ut tanquam *lapides vivi Christo superaedificentur, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum*, & consequenter explicat opera bona quæ facere debent, sed si opera non sint simpliciter bona absque vitio, quomodo placebunt Deo, quomodo ad illa sacra Scriptura hortatur? multò minùs, si essent peccata mortalia.

V. Constat autem, quòd sacra Scriptura semper detestetur quodcunque peccatum, & ab illis homines dehortetur, ut patet ps. 4. v. 5. *Irascimini & nolite peccare.* Ps. 36. v. 27. *Declina à malo, & fac bonum.* Isai. 1. v. 16. *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perversè, discite benefacere*, &c. sic Christus Joann. 5. v. 14. dicit: *Ecce sanus factus es: iam noli peccare.* Similiter Joann. 8. v. 11. dicit adulteræ: *Vade, & iam ampliùs noli peccare.*

Et Apostolus 1. Cor. 15. v. 34. dicit: *Evigilate justi, & nolite peccare*, &c. & 1. Joann. 2. v. 1. *Hæc scribo vobis, ut non peccetis.*

Veruntamen, quâ ratione Spiritus Sanctus hortaretur fideles ad opera bona facienda, & peccata vitanda, si omnia opera justorum sint peccata mortalia contra Apost. 1. Cor. 7. v. 36. qui dicit: *Si quis turpem videri se existimat super virgine sua*, &c. *quod vult faciat, non peccat, si nubat*, adeòque non omnia sunt peccata.

Rursus dicitur 2. Pet. 1. v. 10. *Magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis, hæc enim facientes non peccabitis aliquando*: si enim bona opera sint peccata mortalia, ergo hæc faciendo peccant, ut volunt Acatholici; Spiritus Sanctus autem dicit, quòd non peccent, ergo Spiritui Sancto contradicunt.

Nec valet subterfugium, cùm dicunt; quòd opera bona dicantur, quæ ex objecto quidem suo sunt bona, licèt ex circumstantiis, & cupiditate, vel fine sint mala; talia autem sunt omnia bona opera justorum; mala autem dicuntur, quæ ex objecto sunt mala. VI.

Non valet, inquam, quia quodcunque opus sive ex objecto, sive ex circumstantia malum, vel vitiosum, est simpliciter peccatum, & malum, nec ad talia Deus hortatur, nec illa Deo placent, sed illa detestatur. Hoc pater Matth. 6. v. 1. ubi Christus dicit: *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, cùm ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciũt* v. 5. *Et cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ*, v. 16. *Cùm jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes*, &c. Ecce illa opera Eleëmosynæ, Orationis, & Jejunii ex objecto bona sunt, sed ob circumstantias mali finis, mala simpliciter fiunt, & Christus ea detestatur, & ab illis suos dehortatur; at verò ad eadem bona opera cum debitis circumstantiis facienda hortatur, adeòq; illa simpliciter bona pronuntiat, quæ Deo placeant, & quibus merces à patre danda sit; & Petrus dicit, quòd illa facientes non peccent, adeòque supponunt, quòd cum debitis circumstantiis per gratiam Christi fieri possint.

ARTICULUS III.

Eadem veritas probatur ex SS. Patribus & rationibus in sacra Scriptura fundatis.

HÆc veritas à sanctis Patribus passim supponitur: dum juxta sacram Scripturam fideles hortantur ad opera bona, eaque necessaria esse ad salutem, ac meritoria, prout infrà patebit; unde evidenter constat, quòd sint opera simpliciter bona, quomodo enim per peccatum homo mereretur? vel quomodo per peccatum obtineretur remissio peccatorum? cum & Scriptura hortetur dicens: *Peccata tua eleemosynis redime* Dan. 4. v. 24. & Christus moneat, ut oremus: *Dimitte nobis debita*, si autem sic orando peccamus, quomodo Deus dimittet? I.

Hic tamen aliqua ſanctorum Patrum teſtimonia referentur. *Baſilius* edit. Antw. 1568. in proœmio, de judicio ait: *Cauſam, cur ita ab ſe diſcedere illos jubeat, ſubjicit; non quod aut quempiam interfeciſtis, inquit. aut fornicati eſtis,* &c. *ſed quid? quod bona opera facere neglexiſtis: eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare,* &c. hæc ille.

Cyrillus Hieroſol. Catecheſi. 15. *Tremendum*, ait, *eſt judicium*, &c. *quomodo dixerit aliquis, ignem effugiemus, & quomodo regnum cœlorum ingrediemur? Eſuriui*, inquit, *& dediſtis mihi manducare. diſcite viam.* &c. *Hæc ſi nunc feceris, regnabis; ſi non feceris, damnaberis.*

Chryſoſtomus edit. Baſil. 1558. ſerm. in beatos Job & Abraham, dicit: *Diues erat Iob ex benedictionibus, utebaturq; pro neceſſitate diuitiis, ita; ut ſatiando pauperes diabolum mirum in modum contriſtaret: bona enim opera humana plagæ & vulnera ſunt dæmonibus,* &c. quomodo plagæ ſunt dæmonibus, ſi ſint peccata, quæ illis placent?

II. *Ambroſius* in lib. de Apologia David ſic ait: *Etenim quia ſine peccato non poteſt eſſe humana fragilitas, cauendum eſt, ne plura peccata ſint, quàm opera virtutum,* &c. ubi loquitur de peccatis venialibus, & illa diſtinguit ab operibus bonis virtutum, ut patet.

Idem lib. 10. Epiſt. 82. ait: *Quæ nobis ſalus eſſe poteſt, niſi jejunio eluerimus peccata noſtra, cum Scriptura dicat: Ieiunium & Eleemoſyna à peccato liberat, qui ſunt ergo hi præceptores noui, qui meritum excludunt jejunii? nonne gentilium vox iſta eſt dicentium, manducemus, & bibamus,* &c. hæc ille.

Hieron. lib. 3. adverſus Pelagianos cap. 1. expreſsè profitetur poſſe hominem poſt baptiſmum ad tempus eſſe abſque omni peccato, non ex ſua virtute, ſed Dei gratia; cuius verba ſuprà præced. Cap. art. 2. relata ſunt. Quòd autem ibi agat de peccatis etiam venialibus, patet ex contextu, cùm peccata quæ homo juſtus facit, ſubinde alleget, adducens exempla in Paulo & aliis Sanctis, qui in levioribus ſubinde peccarunt: unde manifeſtum eſt, quòd ſupponat hominem juſtum non in omni opere peccare, &c.

III. D. *Auguſt.* tom. 6. edit. Baſil. 1529. lib. de bono conjug. contra Jovinian. cap. 6. ſic ait: *Conjugalis concubitus generandi gratia non habet culpam; concupiſcentiæ vero ſatiandæ, ſed tamen cum conjuge, propter fidem thori venialem habet culpam; adulterium vero ſiue fornicatio lethalem habet culpam,* &c. hæc ille, ubi clariſſimè docet, quòd primi generis concubitus nullam habeat culpam, etiam venialem, licèt ſit inferioris meriti, quàm continentia, prout ſubiungit dicens: *Ac per hoc melior eſt quidem ab omni concubitu continentia, quàm vel ipſe matrimonialis concubitus, qui fit cauſa gignendi,* &c.

Iterum cap. 7. *Continentia meriti eſt amplioris; reddere debitum conjugale nullius eſt criminis; exigere ultra generandi neceſſitatem culpæ venialis; fornicari, vel mœchari puniendi criminis,* &c.

Similiter cap. 8. de connubio, ait: *Quod non ſic dicimus bonum, ut in fornicationis comparatione ſit bonum: alioquin duo mala erunt, quorum alterum pejus,* &c. *non ergo duo mala ſunt connubium & fornicatio, quorum alterum eſt pejus; ſed duo bona ſunt connubium & continentia, quorum alterum eſt melius,* &c. hæc ibi.

Idem tomo 7. edit. Baſil. 1528. lib. de Gratia & libero Arb. cap. 6. cùm dicit de gratia: *Planè cùm data fuerit, incipiunt eſſe etiam merita noſtra bona, per ipſam tamen,* &c. & infrà de anima iuſtificata dicit: *Dealbata eſt enim, quæ per ſe ipſam alba eſſe non poſſet,* &c. & infrà: *Iam vero alba facta bene ambulat, ſed ſi ſuper eam, à quo dealbata eſt, perſeueranter incumbat,* &c. hæc ibi: quomodo bene ambulat, quæ in omni opere mortaliter peccat?

Idem lib. 3. contra 2. Epiſt. Pelag. cap. 7. dicit: *Hic ergo præceptum eſt, ut non peccemus, ibi præmium eſt, non poſſe peccare,* &c. verba integra ſup. art. 3. relata ſunt.

Similiter tomo 3. edit. Baſil. 1528. lib. de IV.
Spir. & Lit. cap. ult. loquens de juſtitia, quam homo in hac vita habet, dicit: *Non abſurdè dicitur etiam ad iſtam pertinere, ne peccet: neq; enim ſi eſſe non poteſt tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenè perfectèq; debetur, jam culpæ deputandum eſt; aliud eſt enim, totam nondum aſſequi charitatem, aliud nullam ſequi cupiditatem,* &c. hæc ibi, quæ integrè ſup. art. 3. relata ſunt: ubi patet, quòd D. Auguſt. ſupponat, hominem in hac vita habere poſſe talem juſtitiam, ut non peccet, nec aliquid illicitum faciat, &c ſi autem in omni opere peccaret, hæc falſa forent; imò homo ſe continens ab omni actu carnali juxta Acatholicos adhuc mortaliter peccaret, cùm Auguſt. non tantùm ab illa malitiam omnem abeſſe, ſed magnum meritum adeſſe aſſerat.

Quis autem dicat, quòd Deus pro peccato mortali præmium reddet. Hoc autem non ſolùm Auguſt. aſſerit, ſed & S. Paulus profitetur 2. Tim. 4. v. 8. dicens: *Bonum certamen certaui,* &c. *in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi in illa die juſtus judex,* &c. Si omnia acta Pauli fuerint peccata in conſpectu & iudicio Dei, quomodo Deus juſtus Judex pro illis gloriam dabit? quibus ſecundum juſtitiam infernus debetur?

Similiter Jacobi 1. v. 12. dicitur: *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam, cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe,* &c. ſed non peccantibus contra illum: adeoque diligendo Deum non peccatur.

Demum quomodo hæc cohærent cum Apo- V.
ſtolo 2. Cor. 5. v. 10. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unusquiſq; propria corporis prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum,* &c. ſi omnia quæ geſſit, ſeu fecit, mala ſunt? imò quomodo cohærent cum verbis Chriſti Matth. 25. v. 31. *Tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ, & ſtatuet oues quidem à dextris ſuis, hædos autem à ſiniſtris. Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius ſunt: Venite Benedicti,* &c. *eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare,* &c. & v. 41. *Tunc dicet & his, qui à ſiniſtris erunt: Diſcedite à me Maledicti,* &c. *eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare,* &c. ſi enim omnia opera hominum ſunt peccata mortalia, quomodo pro aliquibus peccatis Chriſtus dabit regnum, & pro aliquibus alios damnabit? quid ex hac doctrina aliud ſequitur, quàm quòd hominibus via lata ſternatur ad omne malum, ut non curent ulla opera, quæ dicuntur bona; ſi non ſint verè bona, ſed peccata mortalia; ſive ergo pauperi dent Eleemoſynam, ſive negent, ſive abſtineat homo à furto, & adulterio, ſive illa perpetret, ſive ex dilectione, & pro Fide martyrium ſubeat, ſive Chriſtum abneget, ſemper mortaliter peccabit, & erit gehennæ ignis

coram Dei judicio dignus, sive diligat proximum, & pro inimicis oret, sive eos odio habeat, & persequatur, sufficiet ipsi qualiacunque opera faciat, modò credat sibi per Christum dimissa esse peccata.

VI. Nec valet effugium Calvini, qui fateri debet dari bona opera prout in sacra Scriptura nominantur, & quæ Deus exigit, quæ etiam fatetur semper in justificatione adesse debere & illam comitari; sed vult, quòd hæc eatenus reperiantur in regeneratis, quæ bona sint, quatenus à Deo præparantur ut in illis ambulent, ut ait lib. 3. cap. 15. §. 7. & dicit homines etiam Deo in illis placere, sed *quatenus ab homine procedunt semper esse vitiosa & maculata*; cùm tamen evidens sit, quòd unum idemque opus, si peccaminosum sit quacunque ex causa, nullatenus bonum opus sit, sed malum, prout ipse dicit, nam opus bonum est ex integra causa, malum autem ex quocunque defectu. Ipse autem Calvinus de opere quovis bono tenati cap. 17. §. 10. dicit: *Gratum enim opus sic demum esse incipit, ubi cum venia suscipitur; porro unde venia; nisi quia Deus nos & omnia in Christo intuetur? quemadmodum ergo nos ipsi ubi in Christum insiti sumus, ideo justi apparemus coram Deo, quia eius innocentia conteguntur nostra iniquitates, sic opera nostra iusta sunt, & habentur, quia, quidquid alias vitii in ipsis est, Christi puritate sepultum non imputatur*, &c. hæc ille, & paulò antè cap. 15. §. 3 dixerat, *quod omnia opera nostra immunditie sint plena*, &c.

VII. Sed quis non miretur hanc Calvini explicationem: nam, quòd homo à Deo creatus, & natura suâ bonus per Christi gratiam & merita, dicatur à Deo acceptari, eiusque peccata non imputari, ut sit justus, & dicatur, adhuc apprehendi potest; sed quis apprehendit, quòd ipsum peccatum manens peccatum quoad propriam malitiam, puritate Christi non imputetur, & fiat Deo gratum? sequitur enim manifesta contradictio, quòd peccatum non sit gratum Deo, & sit gratum, imo sit peccatum & non sit peccatum.

Primum patet ex sacra Scriptura & ex ratione: quia, quod Deo formaliter displicet, non potest Deo esse gratum, & tamen juxta Calvinum ipsum opus quoad malitiam in se est bonum, & etiam Deo gratum est, sicut ipse homo, eò quòd Deus non imputet malitiam ipsi operi malo propter merita Christi, adeóque Deus judicat peccatum non esse peccatum, quod est peccatum, & quidem mortale æternâ morte dignum: unde sequitur, quòd opera bona non differant à malis in ratione peccati vel malitiæ, quia omnia in se verè sunt peccata, & immunditie plena, ut Acatholici volunt, sed quia Deus aliqua opera peccaminosa non reputat talia, alia verò talia reputat, licèt omnia in se verè sint peccata, & ideo bona sunt aliqua, & aliqua mala; eo modo dici posset, quòd inter Æthiopes omnes nigros, aliqui sint albi, quia albi reputantur, licèt verè in se nigri sint; imo quod amplius est, quòd ipsa nigredo una reputetur alba, & altera nigra, cùm utraque verè nigredo sit, quod quàm absurdum sit & contradictorium, nemo non videt.

VIII. Quòd demum Calvinus refugium quærit in causa, ob quam opus bonum sit, nihil ad præsens spectat, de quo infrà dicetur, sed hîc quæstio est, an omne opus qualecumque bonum hominis jam per Christum justificati, quod in sacra Scriptura absolutè bonum dicitur, sit in se & simpliciter malum, ita ut sit peccatum, & habeat rationem peccati, vel Dei iram & æternam pœnam mereatur, ut Acatholici volunt; an verò sint aliqua opera justorum non mala, sed in se & simpliciter bona, ita, ut coram Deo iram vel damnationem non mereantur, sed Deo placeant? ut docet S. Ecclesia, & hactenus demonstratum est.

ARTICULUS IV.

Respondetur ad argumenta Acatholicorum.

Primò objiciunt illud psalmi 142. v. 2. *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Vnde inferunt, ergo omnia opera, etiam justorum, coram Dei judicio sunt peccata. I.

Resp. 1. negando consequentiam, nam inde non sequitur, quòd omnia opera cuiusvis justi sint peccata, qualitercunque textus intelligatur; sed quòd omnis homo habeat aliqua peccata, ob quæ non possit absolutè à Dei judicio esse immunis, quod de venialibus verum est, in quæ homo sæpius cadit, præter quæ tamen etiam facit opera bona, prout profitetur David ps. 1. v. 1. dicens: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in viam peccatorum non stetit, sed in lege Domini voluntas eius*, & ps. 100. v. 2. *Perambulabam in innocentia cordis mei, non proponebam ante oculos meos rem injustam, non adhæsit mihi cor pravum*, &c. & hoc modo plures sancti Patres hunc locum exponunt, quòd scilicet quilibet homo justus præter opera bona habeat aliqua peccata venialia, propter quæ semper orare debeat: *Dimitte nobis debita nostra*, & suprà ex D. August. lib. de Perfectione Justitiæ, & Hieron. adversus Pelagianos relatum est, de his venialibus peccatis etiam in Apostolis exponit eadem verba in expositione ipsius psalmi August. ubi etiam indicat alium sensum, quòd homo ex se non habeat justitiam, sed ex Deo, & ideo non debeat superbè cum Deo intrare in judicium, quia ex se non habet, nisi peccata.

Resp. 2. quòd ibi David intelligatur loqui de homine, ita, ut non sit justus in comparatione ipsius Dei, quia hoc sensu etiam justitia Angelorum non reputatur justitia, quia in infinitum imperfectior est, quàm ipsa Dei justitia, non tamen justitia Angelorum est injustitia, sed vera justitia; & hoc sensu dicitur Job. 4. v. 17. *Nunquid homo Dei comparatione justificabitur? ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, & in angelis suis reperit pravitatem*, & cap. 9. v. 2. Job dicit: *Verè scio, quod ita sit, & quod non justificabitur homo compositus Deo*, &c. sic August. lib. ad Orosium cap. 10. intellexit illum locum Job. dicens: *In comparatione justitia Dei, si nec Sancti in cælis Angeli justi esse dicuntur, non mihi videtur importuna sententia, non quia, ut hoc essent, à justitia lapsi sint, sed quia facti sunt, & Deus non sunt; Ibi enim summa justitia, ubi summa sapientia, & hoc est Deus*, &c. & infrà: *Cujus participatione justi sunt, eius comparatione nec justi sunt*, &c.

Quis autem hinc inferet, quòd Angeli in cælis semper peccent? hoc sensu nec ipsa Christi humanitas in conspectu Dei justificatur, nec tamen aliquis absque blasphemia dicet ipsam semper peccare. Vnde hoc sensu nihil prorsus ex hoc loco Acatholici habent.

II. 2. Objiciunt illud Eccle. 7. v. 21. *Non est enim homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet*, unde inferunt, ergo in omni opere bono peccat.

Resp. negando consequentiam; Potest enim verum esse, quòd justus faciat aliqua bona opera & præter illa etiam subinde peccet, qui sensus exprimitur Prov. 24. v. 16. ubi dicitur: *Septies enim cadit justus*, scilicet in peccata aliqua venialia, ut SS. Patres, & præsertim Hieron. in illum locum: *& resurget*, ubi licèt per septies intelligatur *sæpius*, non tamen intelligitur semper, cùm expressè dicatur, *& resurget*, cùm autem resurgit, tunc non cadit, ac proinde sic non peccat, adeóq; non in omni opere peccat.

3. Objiciunt illud Isa. 64. v. 6. *Facti sumus, ut immundus, omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ*, &c. unde inferunt, ergo omnia opera quantumvis bona & justa, sunt peccaminosa & maculata, quorumcunque justorum.

Resp. 1. negando consequentiam, nam, ut hoc sequeretur, oporteret in textu exprimi, quod in conclusione infertur, scilicet, omnes nos homines, qualescunq; à Deo justificati, immundi sumus, & universæ qualescunque justitiæ nostræ, &c. hoc non est in textu, adeòque nec in conclusione inferri debet.

Resp. 2. quòd Propheta ibi non loquatur de omnibus omnino hominibus quocunque tempore viventibus, nec etiam pro illo tempore viventibus, sed de sceleratis quales tunc plerique erant Judæi, propter quorum scelera populus erat in captivitatem Babylonicam abductus vel abducendus, licèt aliqui inter ipsos essent boni, ut *Ieremias, Tobias*, & alii plurimi, ut aliqui exponunt.
III. At verò D. *Hieron.* & alii Catholici exponunt de populo Judæorū per Titum & Romanos vastato, & captivato, & tunc patet, quòd nihil hoc valeat de operibus justorum, & Christianorum. 2. Ipse Isaias non intelligebat illa verba de se, & pluribus aliis, ut patet ex contextu v. 7. cùm dicit: *Non est, qui invocet nomen tuum qui consurgat, & teneat te*, &c. at verò Isaias Dei nomen invocabat, & justi omnes Dei nomen invocant, adeòque illi non comprehendebantur. 3. Nec Isaias ibi loquitur de universis omnino justorum operibus vel justitiis, quas faciunt, sed de illis justitiis Judæorum, quas externi scelerati faciebant; si de prima captivitate intelligatur, quas ipsi justitias appellabant, & in quibus confidebant, ut erant sacrificia & ceremoniæ, quas in malo statu, & cum mala intentione exercebant, ac proinde Deo ingrata erant, & abominabilia, ut patet Isai. 1. v. 13. ubi dicit Dominus: *Ne offeratis ultra sacrificium frustra, incensum abominatio est mihi*, &c. *calendas vestras & solemnitates vestras odivit anima mea*, &c. & hæ universæ justitiæ erant, quasi pannus menstruatæ, non propter sacrificia in se, sed malam sacrificantium intentionem, cùm alioquin Deus & sacrificia & incensa sibi grata dixerit, ut patet Levit. 2. v. 2. *Vnus tollet pugillum plenum similæ & olei, ac totum thus, & ponet memoriale super altare in odorem suavissimum Domino*. & cap. 4. v. 3. *Ponetq; de eodem sanguine super cornua altaris thymiamatis gratissimi Domino*, & cap. 8. v. 21. *Totumq; simul arietem incendit super altare, eo quod esset holocaustum suavissimi odoris Domino*, &c. & alibi sæpe Deo accepta dicuntur sacrificia justorum, sed non impiorum, ut patet de Abel, & Cain Gen. 4. IV.

3. Quòd non omnia justorum opera, quæ justitiæ dicuntur, sint peccata & immunda, patet ex aliis S. Scripturæ locis Art. 2. allegatis; inter alia 1. Pet. 2. *Offerentes spirituales hostias acceptabiles Deo*, quæ utique sunt justitiæ, & opera justorum, & Isai. hoc cap. v. 5 ante verba prædicta dicit Deo: *Occurristi lætanti & facienti justitiam: in viis tuis recordabuntur tui*, &c. proinde illa verba *universæ justitiæ*, &c. non intelliguntur de omni opere justorum, & justitia eorum; alioquin dicendum esset, quòd Deo placita sint peccata, sed intelliguntur de justitiis universis exterioribus à sceleratis factis; vel ut S. Hieron. ait: de operibus, quæ fiunt ex lege & non ex gratia Christi, quæ Apostolus ut stercora arbitratus est. Imò ipse Lutherus & Calvinus in commentario ad hunc locum Isaiæ fatentur hunc locum non rectè opponi contra justitiam operum.

Sed dicet aliquis: Cur ergo Isaias dixit in prima persona pluralis numeri? Facti sumus omnes nos, ut immundus & universæ justitiæ nostræ, &c.

Respondetur 1. Si juxta textum literalem, ut D. Hieron. & alii exponunt, intelligatur de populo Judaico à Romanis captivato, patet, quòd Isaias non fuerit inter illos, tamen sese inter illos eatenus nominabat; quia illi futuri erant ex genere Judæorum, ex quo ille erat, & sic Apostolus 1. Thess. 4. v. 14. loquens de adventu Domini in die Judicii ait: *Quia nos, qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non præveniemus eos, qui dormierunt*, &c. ubi etiam se inter illos nominat, qui tunc vivent; cum tamen ipse dudum dormierit, & tunc resurget. V.

Resp. 2. cum D. Augustino qui ad similia testimonia a Donatistis allegata generaliter respondet tomo 7. edit. Basil. 1528 lib. de unitate Ecclesiæ cap. 12. dicens: *Hoc ideo de Iuda & Israel commemorandum arbitratus sum, maximè, ut admoneantur isti, non obesse justis in medio impiorum constitutis, quidquid in ipsos populos propter impiorum multitudinem dicitur, ut desinant colligere testimonia quæcunq; sive per Prophetas, sive per os Domini, sive per Euangelistas in zizaniam vel Paleam orbis terrarum dicta inveniuntur: plerumq; enim sermo divinus impias turbas Ecclesiæ, quæ nec in Ecclesia deputantur, tamen propter Sacramenta, quæ cum Sanctis communiter habent, quia in eis est quædam forma pietatis, cujus virtutem negant, sicut ait Apostolus, habentes formam pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, sic redarguit, tanquam omnes tales sint, & nullus omnino bonus remanserit; inde quippe admonemur in suo quodam numero eos dici omnes, id est, omnes filios gehennæ, quo eos Deus pertinere præscivit*, &c. hæc August.

Hoc ipsum patet expressè in aliis sacræ Scripturæ locis, ut Gen. 6. v. 12. *Cùmque vidisset Deus terram esse corruptam, omnis quippe caro corruperat viam suam*, &c. & tamen v. 8. dicit: *Noe vero invenit gratiam coram Domino*, & v. 9. *Noë vir justus, & perfectus fuit*, &c. & psalm. 52. v. 4. *Deus de cælo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum, omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est*, VI.

Digitized by Google

est, qui faciat bonum, non est usq; ad unum, &c. & tamen ipse David à S. Scriptura commendatur, quòd bonum fecit in oculis Domini: & in eodem ps. dicitur v. 7. *Cùm converterit Deus captivitatem plebis suæ, exultabit Iacob*, &c. ubi patet, quòd excipiantur multi fideles plebis, & prædicta de multis intelligantur. Vnde SS. Patres, & alii expositores, tam Hebræi, quàm Catholici illa intelligunt de Rege Antiocho, vel alio cum suo populo infideli, qui filios Israël captivare voluerunt, quòd de illo sic locutus sit, & in illo populo nullus repertus fuerit requirens Deum, non autem intelligatur de populo Judæorum, & tamen verba videntur generalia.

Similiter Apost. 1. Cor. 1. v. 2. dicit Ecclesiæ, quæ est Corinthi: *Sanctificatis in Christo*, &c. & v. 4. *Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Iesu, quod in omnibus divites facti estis in illo*, &c. *ita ut nihil vobis desit in illa gratia*, &c. & tamen ibid. cap. 3. v. 1. dicit: *Non potui vobis loqui, quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis, adhuc enim carnales estis*, &c. Ecce Apostolus de Corinthiis ut pluribus dicit, tanquam de omnibus, quòd nihil desit in ulla gratia; ubi tamen ostendit postea, quòd aliqui erant carnales, & peccatis gravibus obnoxii.

Similiter Rom. 15 v. 4. dicit: *Certus sum autem fratres & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia*, &c. quod tamen non de omnibus in particulari verum erat, & de plerisque confidebat, & tamen omnes nominat.

VII. Ex his aliisque S. Scripturæ locis patet, quòd Isaias, licèt in plurali etiam se ipsum ob causas dictas comprehenderit; non tamen de se in particulari intellexit, sed quatenus unus erat de populo, & de populo in generali loquebatur, se ipsum comprehenderit & alios bonos.

Resp. denique, si cum S. Bernardo serm. 5. de verbis Isaiæ explicetur de operibus etiam iustorum post lapsum, tunc, ut ipse explicat, sensus est: quod justitia justorum non sit munda, sicut Angelorum & Adami ante lapsum, ex eo, quia homo in peccato originali fuit, licet ab illo liberatus sit, & quia omnes aliquando venialiter peccant; inde tamen non sequitur, quòd ipsum opus bonum vel justitia actualis per gratiam Christi facta sit in se immunda, & maculata. Vnde constat, quòd quocunque sensu locus explicetur, nihil Acatholicis suffragetur.

VIII. Demum objiciunt illud Matt. 6. ex oratione Dominica: *Sanctificetur nomen tuum, fiat voluntas tua, dimitte nobis debita nostra*. Unde sic arguunt: Nullus petit id, quod habet, ergo, cùm petimus, ut sanctificemus nomen Dei, & fiat voluntas ejus, fatemur, quòd nondum sanctificemus nomen Dei, nec ejus voluntatem faciamus, ac proinde quòd semper polluamus nomen Domini, & contra voluntatem Domini faciamus: adeóq; semper peccemus, & semper in omni opere necessè habeamus dicere: *Dimitte nobis debita*, &c.

Resp. negando consequentias illatas, nam non solùm possumus, imò debemus petere ea, quæ nondum sunt, vel habemus; sed etiam, ut ea, quæ sunt, & habemus, etiam conservemus, & in illis perseveremus. Sic ait Cypr. serm. de orat. Dom. *Id petimus, & rogamus, ut, qui in Baptismo sanctificati sumus, in eo, quod esse cœpimus perseveremus*, &c. quia etiam perseverantia donum Dei est. Quòd autem in orat. petimus; *Dimitte nobis debita*, non significatur, quòd in omni opere peccemus; hoc enim ex illis verbis non constat; sed quia omnes, licèt multa bona per Dei gratiam faciant, tamen ex fragilitate sæpe venialiter peccant, & quia certitudine Fidei certi non sunt, quòd peccata illis sint dimissa; vel aliqua occulta, meritò omnes hi orant, ut SS. Patres exponunt, & monent. Illa autem verba orationis Dominicæ militant contra Acatholicos; nam nullus petit, vel à Deo jubetur petere, quòd scit certitudinaliter se nunquam impetraturum; si ergo nunquam possumus sanctificare nomen Dei, vel ejus voluntatem facere, frustra oraremus, & frustra nos Christus de hoc instrueret; Contrarium autem patet ex verbis Christi Matt. 7. v. 7. & Luc. 11. v. 7. *petite, & dabitur vobis*, &c. ergo multi petentes obtinent, & in illis sanctificatur nomen Dei, & fit voluntas Dei. Vt sileam, quòd ex illo argumento sequatur blasphemia in Christum, qui in horto orabat, dicens: *Pater non mea, sed tua voluntas fiat*; si ergo omnes, qui orant, fiat voluntas tua, nondum faciant voluntatem Dei & semper peccent, ergo & Christus peccabat. Ecce quo dogma & Acatholicorum argumenta vergant, ex quibus tam absurda sequuntur.

Demum, qualitercunque suum dogma excusare, & sacram Scripturam explicare conentur, hoc expressè constat ipsos docere; quòd nullum opus sit tam bonum à piissimo homine factum, quin sit in se peccatum mortale, & æternam damnationem mereatur, & non distinguatur ab operibus malis, nisi duobus modis; vel quoad majus & minus; sic autem fornicatio distinguitur ab adulterio, non tamen fornicatio à sacra Scriptura dicitur opus bonum, nec ad illam Deus & sacra Scriptura hortatur, sed potiùs damnationem minatur. Et licèt Christus accuratè declarans præceptum Decalogi, *non occides*, distinguat inter iram, quâ homo in corde indeliberatè irascitur fratri, & quâ Racha dicat, vel stultum, &c. & distinctas pœnas explicet, & ab illis suos dehortetur, inter quæ major & minor est malitia; nunquam tamen ad ullum illorum hortatur: Econtrà Christus nunquam dehortatur à dilectione proximi, nec ab aliis bonis operibus, sed hortatur, & mandat dicens: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem*; & ad opera pietatis hortatur, & illis, qui illa præstiterint, à dextris ponendis regnum promittit, sicut & passim in tota sacra Scriptura patet; si autem omnia opera bona sint peccata mortalia, licèt minora, cur ergo Deus illa præcepit, laudat, & ad illa provocat, & sibi placere dicit? Nec illa Calvini alia valet distinctio, quòd illa bona opera, quæ bona dicuntur, sed in se mala, & peccata sunt, Deus propter Christum non reputet mala, & tamen alia minora mala & peccata, ut fornicationem, iram in corde indeliberatè conceptam, &c. pro peccatis reputare velit: hæc, inquam distinctio non satisfacit prædictis, cur Deus alia prohibeat, & ad alia hortetur & mandet? quid hoc est aliud, quàm Deum peccati authorem & hortatorem IX.

Digitized by Google

hortatorem facere? certè hæc absurda distinctio, & doctrina, ab ullis antiquis hæreticis, qualiacunque absurda docuerint, nunquam tradita legitur, multò minùs à SS. Patribus docta est.

CONCLVSIO.

I. EX hactenus dictis constat, quid doceant SS. Patres, & S. Ecclesia moderna, scilicet, quòd homo justus multa opera in se simpliciter bona, & Deo grata, & non maculata per Dei gratiam faciat, ita tamen, ut sæpius etiam peccata venialia ex fragilitate committat: & ideo docent homines justos esse peccatores, & pro venia horum semper orare debere, non tamen pro remissione illorum bonorum, sed pro illis gratias agere Deo, ex cuius auxilio & gratia fiunt. Similiter docent hominis justi vitam laudabilem egere misericordiâ Dei, quia vita laudabilis justi illâ eget, non quoad omnia, & singula opera, sed quoad peccata venialia; & hoc sensu D. Aug. lib. 9. Confess. cap. 13. dicit Deo: *Væ etiam laudabili vitæ hominum si remota misericordia discutias eam*, quia scilicet in illa vita repetiuntur admixta peccata venialia, & patet ex contextu ibid. ubi loquitur de operibus matris suæ, & pro bonis Deo gratias agit, & pro malis veniam petit, & ipse lib. 3. contra 2. Epist. Pelag. cap. 7. dicit expressè: *Iustitia, secundùm quam justus ex fide viuit, quoniam per spiritum gratiæ homini à Deo est, vera justitia est*, &c. *quæ licet pro huius vitæ capacitate perfecta dicitur, tamen in comparatione ad illam Angelorum, quæ in cælis est, non est perfecta, sed minor illa*. Verba fusius suprà relata sunt lib. de Spir. & Lit. cap. ult. Et licèt hoc modo dicatur imperfecta, dicit tamen quòd ideo illa justitia non sit culpabilis vel vitiata, *nec hoc culpæ deputandum sit*: & aliis locis suprà allegatis. Subinde etiam aliqui Patres, dum omne virtutis nostræ meritū dicunt esse vitium, si à Deo districtè dijudicetur, intelligunt de operibus, quæ homo facit ex propriis viribus, & præcipue sibi, non Dei gratiæ adscribit, seque Deo quasi comparat, prout ipsimet satis explicant locis sup. allegatis contra Pelag. & S. Greg. Magnus lib. 9. moral. cap. 2. exprimit. Ex quibus patet mens SS. Patrum in quibusdam locis, quæ Acatholici pro suo dogmate allegant, veritatē autem doctrinæ Catholicæ SS. Patres nimis clarè locis sup. allegatis declararūt.

CAPVT IV.

De necessitate operum bonorum ad salutem.

ARTICULUS I.

Proponitur status quæstionis.

I. QValiter intelligatur necessitas bonorum operum ad salutem cap. 1. art. 2. explicatum est, scilicet de hominibus adultis post Baptismum ad tempus viventibus, cùm fieri possit, ut homo statim post Baptismum moriatur, dum non est occasio aliquod opus bonum faciendi; ille enim habet gratiam, & voluntatem, quâ paratus esset opus bonum præstare, si occasio adesset, & sic virtualiter præcepta servat. Et quia nihil contra illa facit.

Sciendum autem est, ut ibid. dictum, quod, quia loca S. Scripturæ nimis clara sunt de necessitate bonorum operum Acatholici aliqui ut suum falsum dogma tegant, duplicem distinguant necessitatem, unam dicunt esse præsentiæ, alteram efficientiæ, vel conditionis, primam concedunt, quòd scilicet omnis homo salvandus debeat habere bona opera, quæ sint fructus ex vera Fide provenientes, & signa Fidei veræ, & ideo Fidei adsint.

II. Secundam efficientiæ vel conditionis necessitatem ad salutem negant, nam volunt quod sola Fides respiciat salutem, & illam impetret, nec opera bona respiciant salutem, vel directè ad salutem ut conditiones requirantur; & ideo volunt, quòd illa sit distinctio inter legem Moysis & Euangelium quòd lex Moysis sub conditione servandorum præceptorum & obedientiæ legis promittat salutem, at verò Euangelium absolutè salutem soli Fidei promittat: unde aliqui Lutherani prorsus etiam præsentiā bonorum operum necessariam esse negabant; demum omnes negant conditionalem præsentiam, vel Christum esse Legislatorem, sed tantùm dicunt esse Salvatorem; quamvis re ipsâ omnes opera bona, etiam quoad præsentiam, negent communiter, dum asserunt omnia opera bona esse in se peccata mortalia, adeóque simpliciter non esse opera bona.

Catholica veritas à Conc. Trid. sess. 6. explicata & tradita est, cujus verba cap. 1. art. 2. relata sunt, quæ in hoc consistit, quòd opera verè bona in homine justificato requiruntur non solùm ratione præsentiæ Fidei, sed etiam respectu salutis obtinendæ, ut conditiones, sicut ipsa Fides.

ARTICULUS II.

Quòd Christiani ad præcepta Decalogi obligentur.

PRobatur 1. quia Christus omnes fideles suos obligavit ad præcepta moralia Decalogi, ita, ut sine illorum observantia nullus salvari possit, hoc probatur. I.

1. Ex illo Matth. 5. v. 16. ubi Christus monet discipulos: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona*, &c. quòd autem illa opera sint legis, & ipse illa præcipiat servanda, subjungit statim v. 17. *Nolite putare, quoniam veni soluere legem, non veni soluere, sed adimplere*: & v. 19. *Qui ergo soluerit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum*; ubi patet, quòd non pro Judæis explicavit legem, sed etiam suos fideles obligavit, præsertim dum subjungit v. 20. *Dico autem vobis, nisi abundauerit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum*; & statim explicat, qualiter lex à fidelibus magis observanda sit, quàm Pharisæi docuerunt, dum

Digitized by Google

dum dicit: *Dictum est antiquis: Non occides*, ubi Pharisæi dicebant illud solùm intelligi de actu exteriore, ita, ut ira in corde, &c. non prohiberetur, ipse autem subjungit dicens: *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio*; ubi expressè suum mandatum addit, & vetus explicat.

Probatur secundò ex eo, quia sacra Scriptura testatur, quòd Christus fuerit verus Legislator; id constat 1. ex illo Isa. cap. 33. v. 22. *Dominus Iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus Rex noster, ipse saluabit nos*, &c. similiter cap. 24. v. 1. dicit Dominus: *Ecce seruus meus, suscipiam eum, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea, dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet*, &c. ubi de Christo sermo est, ut omnes SS. Patres intellexerunt, si autem Legislator, & & Rex, & judicium proferet, ergo legem tulit.

II. Secundò Christus fuit Legislator sicut Moyses, cui fideles debeant obedire, prout Moyses prædixit Deut. 18. v. 15. dicens: *Prophetam de gente tua, & de fratribus, sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies*, ubi de Christo prophetatum esse testatur Petrus Act. 3. v. 22. ubi addit: *Ipsum audietis juxta omnia, quæ locutus fuerit vobis; erit autem, omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe*, &c.

Tertiò, Apostolus ad Hebr. cap. 3 Christum ut Legislatorem cum Moyse comparat, eique præponit tanquam filium servo, & dicit illa verba ps. 94. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*, ad Christum pertinere, cui oporteat obedire, quod sub gravi comminatione exprimit ibid. cùm dixisset cap. 5. v. 9. *Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ*, subjungit cap. 12. v. 25. dicens: *Videte, ne recusetis loquentem, si enim illi non effugerunt, recusantes eum, qui super terram loquebatur, multo magis nos, qui de cælo loquentem nobis auertimus*.

Tertio Christus dedit legem seu mandata servanda, ut patet 1. generaliter ex illis verbis Matth. 11. v. 29. *Tollite jugum meum super vos*, &c. *jugum enim meum suaue est, & onus meum leue*; quid est aliud jugum, quàm lex suavis Christi, & lex vetus à S. Petro Act. 15. dicitur *jugum importabile* quoad cæremonialia, quæ Christus abrogavit, prout sancti Patres ex sacra Scriptura docuerunt, quia ceremonialia erant umbræ, & figuræ tantum futurorum; at verò moralia Christus confirmavit dicens Joann. 15. v. 12. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis inuicem*: & cap. 13. v. 34. *Mandatum nouum do vobis, ut diligatis inuicem*, quia renovavit legem naturalem, quæ erat naturæ, & Moysis, quæ consistit in dilectione Dei & proximi, juxta illud Matth. 22. v. 40. *In his duobus mandatis universa lex pendet, & Prophetæ*.

III. Hoc prædictum est Isa. 2. v. 3. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem*, similiter Micheæ 14. v. 2. *De Sion egredietur lex, & verbum Domini de Ierusalem*. Rursus Isa. 42. v. 4. cùm dixisset v. 1. *Ecce electus meus*, &c. v. 4. dicit: *Legem ejus insulæ expectabunt*. Et cap. 51. v. 4. *Attendite ad me populus meus*, &c. *quia lex à me exiet, & judicium meum in lucem populorum requiescet*, &c. *prope est justus meus, egressus est Salvator meus*, &c. *me insulæ expectabunt*, quæ manifestè de Christo intelliguntur.

Idem probatur ex illo 1. Cor. 9. v. 21. *Factus sum*, &c. *his, qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cùm ipse non essem sub lege) ut eos, qui sub lege erant, lucrifacerem, his, qui sine lege erant, tanquam sine lege essem (cùm sine lege non essem, sed in lege essem Christi) ut lucrifacerem eos*, &c. similiter Gal. 6. v. 2. dicit: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*, &c. unde patet, quòd Christus legem tulerit, de essentia autem legis est, ut obliget.

Hoc ipsum etiam in particulari probatur 1. quia Christus mandavit, ut omnes baptizarentur Joann. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, &c. & Joann. 6. v. 54. *Nisi manducaueritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; quæ certè in lege veteri præcepta non erant.

Similiter Apost. 1. Cor. 7. v. 10. dicit: *His, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari; & vir uxorem non dimittat*, &c. hoc autem Christus præcepit Matt. 5. v. 32. quod in lege antiqua permissum erat, unde dicit Christus: *Dictum est autem, quicunque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii, ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiserit uxorem suã, exceptâ fornicationis causa, facit eã mœchari*, &c.

Rursum Christus Matt. ult. v. 19. ait: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus S. docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis*, &c. Ecce, quàm clarè Christus declarat se Legislatorem, & mandata observanda dedisse. His accedit, quod Apostoli expressè docuerint, quòd fideles ad legem Decalogi, seu moralem obligarentur, ut patet ex illo ad Rom. 3. v. 31. *Legem ergo destruimus per Fidem? absit, sed legem statuimus*, &c. item Rom. 13. v. 8. *Nemini quicquam debeatis, nisi ut inuicem diligatis, qui enim diligit proximum, legem impleuit: nam, non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quid est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur; Diliges proximum tuum sicut te ipsum, dilectio proximi, malum non operatur, plenitudo ergo legis est dilectio*, &c. IV.

Similiter ad Ephes. 6. v. 1. *Filioli obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim justum est, honora patrem tuum, & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione*, &c.

Sic & Jacobus cap. 2. cùm fideles de quibusdam agendis instruxisset, v. 8. dicit: *Si tamen legem perficitis regalem, secundùm Scripturam, diliges proximum tuum sicut te ipsum, bene facitis; si autem personam accipitis, peccatum operamini redarguti à lege, quasi transgressores: quicunque autem totam legem seruauerit, offendit autem in uno, factus est omnium reus, qui enim dixit: Non mœchaberis, dixit &, Non occides, quod si non mœchaberis, occidis autem, factus es transgressor legis*, &c.

ARTICULUS III.

Quòd Christiano justificato bona opera necessaria sint ad salutem.

HOc 1. patet ex præcedenti articulo, si enim Christus obligavit fideles ad præcepta Decalogi utiua; utique qui illa facere non vult, dum potest, non salvabitur. I.

Probi-

Probatur in speciali ex S. Scripturæ locis, ubi manifestè exprimitur, quod fidelibus non simpliciter, & absolutè promissa sit salus, sed sub conditione, si mandata servaverit.

Hoc constat ex verbis Christi Matt. 5. v. 16. *Nisi abundaverit justitia verba plusquam scribarum & Pharisaeorum, non intrabitis in regnum cælorum*, ubi Christus loquitur discipulis suis, non de justitia aliqua imputativa, quam Acatholici ponunt, sed de justitia operum, quibus lex moralis servatur, prout ibidem declarat per singula præcepta, *non occides, non mœchaberis*, &c. qualiter sint servanda à fidelibus, alioquin promissionem regni cælorum obtinere non possint, quæ promissio propriè ad Euangelium spectat: nam lex vetus terrena promittebat; prout utramque distinguit D. August. lib. 16. de civ. Dei cap. 11. dicens: *educto populo in monte Syna, divinitus acceptam tradidit legem, quod vetus dicitur Testamentum, quia promissiones terrenas habet, & per* Jesum *Christum futurum fuerat Testamentum novum, quo regnum cælorum promitteretur*, &c.

Rursus Matth. 19. cùm Christus de parvulis dixisset: *Talium est enim regnum cælorum* v. 16. *Unus accedens*, & ut Marc. 10. v. 17. additur: *Genuflexo eum rogabat, Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* Christus dixit, *si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; ubi apud Matth. & Marcum sicut Luc. 18. præcepta Decalogi enumerantur, quæ servanda sint.

II. *Calvinus* tot & tam clara S. scripturæ testimonia solùm contemnendo Doctores Catholicos eludere conatur: nam lib. 3. Inst. cap. 18. §. 9. sic pro suo modesto more dicit: *Nolo singula persequi, quæ hodie stulti Sorbonistæ arrepta ex scripturis temere (ut quodq; primum obvium se tulit) testimonia adversus nos jaculantur, sunt enim quædam ita ridicula, ut nec commemorare ipse possim, nisi velim haberi merito ineptus*, &c. sed consideret candidus lector, an hoc verum sit quoad testimonia hactenus allegata.

Testimonium autem Matthæi 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, cùm ejus oculos nimis perstrinxerit, etiam eludere conatur trahendo in sensum falsum & fictum contra literam claram, & communem SS. Patrum sententiam. Dicit ergo primò, quod *Christus ibi respondeat legis consulto, qui in operum fiducia cacutiebat, & quem Dominus vana operum confidentia turgere noverat.* Secundò dicit, quod *Christus sua responsa iis attemperare soleat, quibuscum negotium sibi esse videbat.* Quasi diceret, quod non sincere veritatem ediceret, sed illis ironicè responderet.

3. Dicit, *quia ille legisperitus non aliud quærebat, nisi quæ essent opera justitiæ, quibus salus compararetur, merito ipsum ad legem remiserit, & ad mandata servanda.*

4. Dicit: *Nos quoq; illam vocem prædicamus servanda esse mandata, si in operibus vita quæritur, quibus instituimur ad perfectam justitiam*, quam dicit neminem habere posse.

5. Ideo subdit: *Sed non est hic hærendum, nisi velimus in medio cursu deficere, nemo enim nostrum servandis mandatis par est.*

6. dicit, ideo mandata proponi servanda, non quod fideles putent illa ab ipsis servari posse, sed, quod videant, se illa prævaricari, & esse peccatores, tremendo æterno mortis judicio obnoxios, & ideo legis peritum in operibus legis confidentem ad legem Christus remiserit, ut videret se damnationi obnoxium, non vero quod mandata servando (quod ipsi impossibile esset) ad vitam pervenire posset.

7. Subjungit, quod Christus *alios, qui ejusmodi sua notitiâ humiliati sunt*, id est, qui vident se non posse servare præcepta, sed prævaricatores esse, *alibi omissa legis mentione gratiæ promissione solatur, venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, & invenietis requiem animabus vestris* Matt. 11. hæc Calvin.

Summa hujus Calvinicæ expositionis hæc est, quod Christus non voluerit illum Legisperitum, multo minùs suos fideles instruere, & hortari, ut præcepta Dei servent, si ad vitam ingredi cupiant, sed illi Doctori quasi ironicè dixerit: quia tu confidis in observantia mandatorum, & sic solùm te vitam ingredi posse existimas, vade, & serva illa, sed quia videbis te illa servare non posse, desperabis, & æternæ damnationi obnoxium te reperies; Christus autem suis fidelibus, qui sciunt se mandata servare non posse, aliam viam monstravit, promittendo absolutè gratiam, & salutem, si credant sibi per Christum peccata esse dimissa, &c. III.

Verùm, quis non videt hanc expositionem fictam, & textui S. Scripturæ & SS. Patrum doctrinæ planè contrariam? quis hanc ex textu luce clariùs videret, sicut Calvinus vult S. scripturam claram esse?

Hanc autem falsam esse demonstratur ex textu. Ad primum patet, quod Christus illa verba Matth. 19. non dixerit legisperito tentanti illum, sed alicui adolescenti, qui humiliter à Christo quærebat viam salutis edoceri; de quo etiam Marci 10. & Luc. 18. agitur, ubi non dicitur, quod ille adolescens Christum tentarit, vel turgidus fuerit in operibus, sed simpliciter dixerit: *Omnia hæc custodivi à juventute mea*; & Marcus dicit: *Jesus ipsum intuitus, dilexit eum*: ex quo patet, quod nec juvenis tentando, & turgidus locutus sit, nec Christus ironicè responderit, sed dixerit sincerè: *Serva mandata*, &, *si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & veni, sequere me.* Quæ omnia sincerè à Christo non tantùm inveni, sed omnibus fidelibus dicta esse SS. Patres intellexerunt. Specialiter Augustinus lib. de Fide & Oper. cap. 13. cujus verba infrà art. 5. referentur. Licèt autem Augustinus de juvene non resolvat, an ipse mandata servarit, non tamen negat, ut Calvinus: sic enim ait D. August. epist. 89. q. 4. *Viderit ille juvenis, quemadmodum illa legis mandata servaverit, verumtamen Magister bonus mandata legis ab ista excellentiore perfectione distinxit: ibi enim dicit, si vis venire ad vitam, serva mandata, hic autem, si vis perfectus esse, vade, vende omnia*, &c. hæc Augustinus. Hinc patet, quod adolescentem, de quo Matth. Marc. & Lucas cap. 18. loquuntur, Christus non reprehenderit, sed hortatus sit. Quoad legisperitum autem, de quo Lucas cap. 10. agit, verum est ex textu v. 25. quod ille turgidus fuerit; qui *surrexit tentans eum, & dicens: Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo, at ille dixit, in lege quid scriptum est? ille respondens dixit: Diliges Dominum* IV.

Digitized by Google

num Deum tuum ex toto corde, &c. *& proximum tuum sicut te ipsum.* Cui Christus: *Recte respondisti, hoc fac, & vives.* Ubi patet quod, licèt Doctor tentando quæsierit, putans illum aliquid contra legem dicturum, tamen à Christo interrogatus sincerè respondere debuerit scriptum esse: *Diliges*, &c. & ideo Christus sincerè ipsum monuerit dicens: *Recte respondisti, hoc fac, & vives.* Et licèt ille ulterius tentaret, volens se justificare, quærendo quis esset proximus ejus, Christus dixit parabolam de illo, qui incidit in latrones, &c. quam utique Christus non ironicè, sed sincerè edixit; & postea etiam legisperitus veritatem fateri debuit, quod Samaritanus fuerit proximus vulnerati, *qui fecit misericordiam in illum*, ubi Christus supponit misericordiam factam esse, & tunc dicit Doctori. *Vade, & tu fac similiter*, scilicet, *si vis vitam æternam possidere.* Quis dicet hoc ironicè à Christo dictum? quasi dixisset: Vade, si tu putes te posse sic diligere proximum sicut ille Samaritanus, erit tibi impossibile, & peribis? certè absurda expositio.

V. Rursus falsum est, quod Christus illis, qui illum tentaverunt, ironicè responderit, sed potiùs veritatem dicendo illos, vel confuderit, vel instruxerit, ut patet Matt. 22. dum v. 15. dicitur: *Pharisæi consilium inierunt, ut caperent eum in sermone*, &c. *dic nobis, quid tibi videtur, licetne mihi censum dare Cæsari, an non?* Christus autem dixit: *Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* an hoc ironicè dictum?

Similiter ibid. v. 23. Saducæi negantes resurrectionem dum tentando dicerent de uxore septem successivè fratrum v. 28. *In resurrectione cujus erit de septem uxor?* Christus respondit, *erratis nescientes scripturas. In resurrectione enim neq, nubent, neq, nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei*, &c. an hæc ironicè dicta?

Rursus ibid. alius *legis Doctor tentans eum dixit: Magister, quod est mandatum magnum in lege? ait illi Jesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, &c. num dicet Calvinus, quod hic Christus ironicè illorum dictis sese attemperarit? cur ergo dicere audet, quod illi adolescenti ironicè responderit, qui sincerè de via salutis interrogavit, non tentando, ut patet ex textu trium Evangelistarum.

VI. Demum, quod Calvinus dicit Christum suis fidelibus observantia legis desperantibus gratiam sine legis mentione absolutè promisisse illis verbis: *Venite ad omnes*, &c. manifestè falsitatis ex ipso textu convincitur, nam sic textus habet: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris*, &c. Ecce Christus expressè vult, ut jugum ipsius tollamus super nos, si velimus invenire requiem, ergone nulla legis mentio facta? an ista verba Christus etiam ironicè ibi addiderit, quæ Calvinus omittit? sed Calvinus imitatur diabolum, qui Matt. 4. Christo suadens præcipitium è templi pinnaculo allegabat verba psalmi 90. sed truncatè, dicens: *Quia Angelis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*, sed verba illa, *in omnibus viis tuis*, fraudulenter omittebat, sic & Calvinus omisit.

VII. Verum est autem, quod Christus ibi gratiam promiserit, & viam ad salutem docuerit, quod scilicet, quotquot sunt oppressi peccatis, & in statu damnationis, non possunt salvari, nisi veniant ad Christum, qui illos gratis sine præcedentibus meritis à peccatis liberabit, & suâ gratia reficiet, sed postea vult, ut sic liberati præcepta ejus servent, quæ sunt jugum ipsius suave, & sic ad requiem veniant; quia lex Christi est charitatis, quæ onus & jugum est allevians, ut aiunt SS. Patres, præsertim August. lib. de Perfect. Justitiæ post ratiocinationem 16. dicens: *Perfecta charitas foras mittit timorem, & facit præcepti sarcinam levem, non solum non prementem onere ponderum, verum etiam sublevantem vice pennarum*, hæc ibi. Hæc est clara verborum Christi sententia, quam Acatholici negant, & Ecclesia docet. Sunt & plurima alia sacræ Scripturæ loca, ubi ad vitam æternam conditio bonorum operum requiritur, nec ulla ironica locutio fingi potest, ut in verbis Christi suprà allegatis Matth. 5. *Nisi abundaverit justitia vestra*, &c. & Matth 6. v. 14. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater cælestis delicta vestra, si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra*, &c.

Similiter Joann. 13. cùm Christus post lotionem pedum Apostolos ad opera charitatis, & humilitatis hortatus esset v. 17. *Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea*, & cap. 14. v 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Similiter dicitur 1. Joann. 3. v. 24. *Qui servat mandata ejus, in illo manet, & ipse in eo, & in hoc scimus, quoniam manet in nobis de spiritu quem dedit nobis.*

Rursus Christus cum Joann. 15. dixisset; *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* V. 14. dicit: *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.*

An his locis Christus ironicè locutus est? an his verbis Apostolos ideo ad præcepta sua, & dilectionem remittere voluit, ut viderent se illa servare non posse, & ideo æternæ damnationi obnoxios esse, sed ad solam fidem confugerent, quâ crederent sibi remissa esse peccata, cùm jam fidem habebant, & Christum relictis omnibus secuti erant; & tamen Christus observantiam præceptorum suorum, & dilectionis, ut necessariam conditionem exegit, si vellent esse ipsius amici, vel quod ipse cum Patre apud eos maneret, quis ex verbis illis, nisi absurdissimus, eliceret, quod Christus voluerit ostendere Apostolos non posse sermones illius servare, nec se invicem diligere, & proinde non posse esse Christi amicos, nec ipsum cum Patre apud illos manere? & tamen obstinatus Calvinus cum suis hæc asserit.

His accedunt testimonia Apostolorum, quibus fideles tantopere hortantur, ut si ad salutem venire cupiant, opera bona præstent, & hæc ut conditiones ad salutem requisitas asserunt. Hoc patet Rom. 8. v. 13. *Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Ubi expressè patet, quod mortificatio concupiscentiæ, ut conditio ad vitæ salutem requiratur, sicut opera carnis ad damnationem vergunt, prout ibid. dicit: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* VIII.

Similiter ibid. v. 17. cùm dixisset, quod spiritus

Digitized by Google

ritus testimonium reddet spiritui nostro, quod simus *filii Dei, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*, expressè subjungit, qualiter ad hæreditatem perveniemus, dicens: *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur, existimo enim, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*, &c. ubi conditio perveniendi ad gloriam ponitur compassio, & tribulatio patienter tolerata, quæ ad gloriam ordinatur, licèt sit longè inferior.

Similiter 2. Cor. 4. v. 17. ait: *Id enim, quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æterna gloriæ pondus operatur in nobis*, &c. Ecce quàm manifestè docet, quod opera patientiæ non solùm ad salutem respectum habeant, sed illam etiam operentur.

Rursus ad Philipp. 2. v. 12. Apostolus seriò hortatur fideles dicens: *Cum metu & tremore salutem vestram operamini.* Vbi patet, quod opera bona non solùm concomitentur fidem, sed etiam requirantur ad salutem obtinendam.

Similiter 2. Cor. 7. loquitur Apostolus v. 10. *Quæ enim secundum carnem tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Vnde pœnitentia non solùm ratione fidei præsentiæ necessaria, sed etiam ad salutem consequendam requiritur.

Verùm ad Hebr. cap. 10. clariùs necessitatem operum ad salutem requirit dicens v. 36. *Patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis repromissiones*, &c. ecce necessitatem patientiæ ad gloriam promissam obtinendam.

Rursus ad Rom. 10. v. 9. dicit: *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*: ecce confessioni oris tribuitur salus, quæ est distincta à fide, & est opus bonum præter fidem, quæ in corde habetur, nec tamen credens salvari potest, nisi etiam confessus fuerit Christum, etiam sub comminatione mortis, prout Christus dixit Matth. 10. v. 32. *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre*, &c. ecce necessitatem confessionis ad salutem.

Demum Christus Matth. 25. dum proponit statum extremi judicii, clarissimè ostendit, quantum opera bona ad salutem sint necessaria, dum his, qui à dextris erunt, dicet: *Venite benedicti*, &c. *esurivi enim*, &c. econtra his, qui à sinistris, *discedite à me maledicti*, &c. *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare*, &c. quod autem Acatholici dicunt, hæc opera à Christo recenseri solum in signum, quod tales veram fidem habuerint, vel non habuerint; hæc expositio est contra clarum textum, cùm Christus non meminerit fidei, licèt illam supponat: sed quia illa est in utrisque, per opera distinguit hædos ab ovibus, & expressè tribuit operibus salutem; addens causalem, *enim*, idque specialiùs quàm fidei, quia dilectio per illa opera significatur, quæ primario requiritur.

Demum plenæ sunt epistolæ Petri, Jacobi, Joannis & Judæ, de operibus bonis ad salutem præter fidem necessariis; qui ideo specialius de his scripserunt, propter hæresim tempore Apostolorum à quibusdam pseudo-Apostolis excitatam, sumptâ falsâ occasione ex quibusdam verbis Pauli, prout D. Aug. lib. de Fide & Operibus cap. 14. refert.

ARTICULUS IV.

Quòd præcepta Decalogi Christianos obligent, & opera bona ad salutem sint necessaria, probatur ex SS. Patribus Græcis.

Clemens Romanus ed. Colon. 1569. I.
circa ann. 50. lib. 3. Constit. Apostolicarum cap. 12. sic ait: *Nomen viduitatis non introducet eas in regnum (cælorum) sed potiùs vera fides, & opera sancta*, &c. ecce illa æqualiter salutem respicere docet.

Idem eâdem ed. lib. 6. cap. 19. *Cognoscitis*, ait, *Deum per Christum, universamq; ejus dispensationem à principio institutam; quod dedit nobis legem simplicem ad auxilium legis naturalis, puram, salutarem, sanctam; in qua & proprium nomen reposuit: perfectam, absolutam, decem præcepta continentem plenam, reprehensione carentem, convertentem animas*, &c. hæc ille, ubi supponit obligationem ad præcepta Decalogi.

Justinus Martyr ed. Heidelberg. 1529. anno 150. Orat. ad Antoninum pium sic inquit: *Sempiternam & puram vitam concupiscentes, ad consuetudinem cum Deo parente & opifice universorum vivendi aspiramus, & ad confessionem Christianam festinamus, persuasum habentes atq; credentes consequi eos posse, qui factis Deo probant se illum consectari*, &c. & infrà: *qui si dignos se operibus ipsis illius consilio & voluntati præstiterint, conversatione sua dignatum iri scimus, cum illo simul regnaturos*, &c. hæc ille, ubi potissimum opera ad salutem supponit.

Irenæus Anno 180. lib. 1. cap. 1. & 2. refert hæreses *Simonis Magi & Valentiniani*, quod II.
necessitatem operum bonorum ad salutem negarint, verba ejus cap. 1. art. 1. relata sunt.

Clemens Alexandr. apud Jodoc. Coccium de Justif. art. 3. edit. Colon. 1601. fol. 228. circa Annum 200. lib. 3. Stromat. sic ait: *Hæc dicit Dominus Eunuchis, si custodieritis Sabbatha mea, & feceritis quæcunq; præcipio vobis, dabo vobis locum meliorem à filiis & filiabus. Non sola enim justificat castitas, sed nec Sabbathum Eunuchi, nisi fecerit mandata*, &c. hæc ad Christianos dixit.

Idem lib. 6. *Quando*, ait, *audierimus; fides tua te salvum fecit, non accipimus eum dicere absolute, eos salvos futuros, qui quomodocunq; crediderint, nisi facta quoq; fuerint consecuta. Proportione habita, sunt variæ mansiones pro dignitate & meritis eorum, qui crediderint*, hæc ille. Vbi in terminis doctrina Acatholicorum rejicitur, quod non sola Fides salutem respiciat, sed ipsa facta; juxta quæ salus major vel minor detur.

Origenes ed. Basil. 1537. parte 2. Anno 240. hom.

Digitized by Google

hom. in Ezech. *Quare, inquit, agre fers, nisi, laborare, contendere, & per bona opera teipsum causam salutis tuæ fieri*, &c.

Idem tract. 32. in Matth. eâdem ed. parte 2. *Qui profitentur quidem fidem in Jesu, non autem præparant se bonis operibus ad salutem reliquis quinq; assimilantur virginibus fatuis*, &c.

Similiter ad cap. 2. ad Rom. eâdem ed. parte 2. sic ait: *Nunc requiramus de justo Dei judicio, in quo reddet unicuiq; secundum opera sua: Et primo quidem excludentur hæretici, qui dicunt animarum naturas bonas vel malas; & audiant, quia non pro natura cuiq; Deus, sed pro operibus suis reddit; Secundo in loco ædificentur fideles, ne putent sibi hoc solum sufficere posse, quod credunt, sed sciant justum Judicium Dei reddere unicuiq; secundum opera sua*, &c. hæc ille.

Basilius ed. Ant. 1568. in procemio de judicio Dei suprà relatus dicit: *Causam, cur ita abs se discedere illos jubeat, subjicit; non quod aut quemquam interfecistis, inquit, aut fornicati estis, sed quid? quod opera bona facere neglexistis. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare*, &c.

IV. *Cyrillus* Hierosolym. catechesi 15. *Tremendum*, ait, *est judicium, ita ut per ea etiam, quæ de illo nuntiamus, timor incutiatur: nam regnum cælorum proponetur, & ignis æternus præparabitur; quomodo igitur dixerunt aliqui ignem effugiemus, & quomodo regnum cælorum ingrediemur? disce te viam*, &c. *hæc si nunc feceris, regnabis, si non feceris, condemnaberis*. Et infrà: *Non in hoc solo confidas, quod credis; sed fidem ardenter conserva, ut luceat lux tua coram hominibus per bona opera*, &c. hæc ille.

Greg. Nazianz. Orat. 40. & *Greg. Nyssen.* hom. in Eccles. similia habent.

V. *Chrysost.* hom. 16 in Matth. sic ait: *Vis, ostendam tibi charissime, ut in omni necessitate nunquam desperes? Fac bene, & operare justitiam, ut spem habeas apud Deum, & non desperabis in terra: Bona enim opera sunt, quæ sperare faciunt, & mala opera desperare compellunt*, &c. hæc ille, ubi patet, quod præter Fidem requirat ad salutem bona opera.

Idem ed. Basil. 1547. hom. 9. in Joann. *Nolimus*, ait, *Fidem vobis ad salutem satis esse existimare; nam nisi vitam puram exhibuerimus, & hac cælesti vocatione digna nos induerimus vestimenta, quibus ad nuptias admittamur, nihil nos eripiet, quin eodem, quo miser ille, afficiamur supplicio*, &c.

Item eâdem editione hom. 30. in Joann. *Nunquid*, inquit, *ergo satis est ad vitam æternam in Filium credere? minime; Non enim omnis, inquit, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum*, &c. & infrà: *Nam si in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum recte credideris, non autem recte vixeris, nulla tibi ad salutem utilitas, cùm ergo dicit: Ipsa est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, nolimus hoc nobis ad salutem satis arbitrari, opus namq; nobis est, & vita, & morum puritate pollere, & licet hoc in loco dicat, qui credit in Filium, habet vitam æternam: Nec bona tantum, sed suppliciorum quoq; formidinem proponit, quod qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum; non tamen dicimus satis esse solam Fidem ad salutem, quod quæ de vita sæpe in Evangeliis dicuntur, ostendunt; cur enim non dixit, ipsa est vita sola; neq; qui credit in Filium, solum habet vitam æternam; sed in utroq; vitam esse significavit? nam nisi mores sequantur, sequetur supplicium*, &c. hæc ille.

VI. Ecce quàm clarè ostendit, quod non sola Fides respiciat & apprehendat salutem, ut Acatholici volunt, & refutat illorum argumenta; dum ex verbis Christi, *hac est vita æterna*, volunt probare, quod sola Fides ad vitam tendat, quia sicut per verba Christi de Fide filii, non excluditur fides in Patrem, sic nec per verba illa, *hac est vita æterna*, cùm dicitur de fide, excluduntur bona opera.

Rursus Orat. 7. in ep. ad Hebr. *Magna quidem res est Fides & salutaris, & sine hac non licet unquam salvari quenquam; verum per seipsam non est illa sufficiens, opus est & conversatione recta. Proinde etiam Paulus admonet eos, qui dignationem mysteriorum suscipere meruerunt, dicens: Festinemus igitur intrare in illam requiem, festinemus, inquit, quoniam non sufficit Fides, sed debet addi & vita, & multum studium adhiberi: Opus est quippe revera magno studio, ut intremus in regna cælorum*.

Iterum hom. 5. in ep. ad Rom. eâd. ed. circa illa: *His quidem qui perseverantes in benefaciendo*, &c. sic ait: *Excitat hoc loco eos, qui in tentationibus succubuerunt, ostendens non debere Fide sola securos esse, nam illud tribunal, & in opera inquisiturum*, &c. hæc Chrysost.

Plura alia sunt SS. Patrum Græcorum testimonia; sed ex his patet, quod juxta S. Scripturam senserint non solùm Fidem etiam qualemcunque, sed etiam opera ad salutem, sicut ipsam fidem, necessaria esse, & ad illam requiri; & potissimum in die judicii examinari.

ARTICULUS V.

Eadem veritas probatur ex SS. Patribus Latinis.

Cyprianus ed. Basil. 1531. epist. 14. sic ait: *Pœnitentiam ille agit, qui divinis præceptis mitis, & patiens, & Sacerdotibus Dei obtemperans, obsequiis suis & operibus justis Dominum promeretur*, hæc ille, ubi paucis verbis & obligationem præceptorum, & operum necessitatem ad salutem exprimit. I.

Hilarius in Matth. cap. 6. sic ait: *De nostro est beata illa æternitas promerenda, præstandumq; aliquid est ex proprio; ut bonum velimus, malum omne vitemus, totoq; affectu præceptis cælestibus obtemperemus, ac talibus officiis Deo cogniti simus, agamusq; potiùs, quod vult, quàm, quod potest, gloriemur*, &c.

Similiter ibid. can. 7. dicit: *Salus gentium omnis ex Fide est, & in præceptis Domini vita est universorum*, &c. ubi æquè observantiam præceptorum ac Fidem asserit respicere salutem.

Ambrosius tomo 4. ed. Rom. 1582. lib. 2. de Officiis cap. 2. *Scriptura divina*, inquit, *vitam beatam in cognitione posuit divinitatis, & fructu bonæ operationis. Deniq; utriusq; assertionis Evangelium suppetit testimonium: & de scientia ita dicit Dominus Jesus. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum: Et de operibus ita respondet; Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, vel sorores*, &c. *propter nomen meum, centuplum accipiet*, &c. *Habet ergo vitam æternam Fides, quia fundamentum est bonum; Habent & bona facta, quia vir justus, & dictis & factis probatur*, &c. hæc ibi.

Idem

Digitized by Google

Idem tom. 5. ed. Parif. 1569. ad cap. 11. Luc. fic ait: *Ne rursus Fidei nos studiosos faciat operum negligentes, perfectionem fidelis viri breui sermone concludit, ut & Fide & operibus approbetur dicens: Hæc oportuit facere, & illa non omittere*, &c. ubi fatis indicatur neceffitas operum. Extant etiam inter opera Ambrofii commentaria in Epiftolas Pauli, ubi plura dicuntur de neceffitate operum ad falutem, præter fidem.

II. *Hieronym.* in Commentario ad cap. 26. Ifaiæ tom. 6. ed. Bafil. 1553. circa illa verba, *Murus & antemurale ponetur in ea*, fic ait: *Murus bonorum operum, & ante murale recta Fidei*, &c. *non enim sufficit murum habere Fidei, nisi ipsa fides bonis operibus confirmetur*, &c.

Similiter in cap. 4. Ofeæ ed. & tom. iisdem, *Perdulces*, ait, *Sermones deuorant domus viduarum, cùm enim viderint aliquos delinquentes, aiunt, nihil aliud quærit Deus, nisi Fidei veritatem, quam si custod eritis, non curat, quid agatis*, &c. hæc Hieron. longè ante de Luthero quafi prædixit, qui lib. de Capt. Bab. cap. de Euchariftia fic dicere non verebatur: *Nos cum Deo nunquam aliter agere possumus, quàm Fide, opera ille nihil curat*, &c. fed Hieron. dicit talia verba decipere infœlices.

Similiter eâdem ed. in cap. 3. Michææ de hæreticis fic ait: *Illi enim populum quondam Dei errore decipiunt, & hoc faciunt, ut comedant eos.* & infrà: *Et dicunt*, &c. *habeto Fidem, quam docemus, & omnia promissa Domini consequeris*; Ecce affertionem Acatholicorum expreffam, fed Hier. fubjungit: *Quæ loquentes magis aduersum eos iram Domini concitant*, &c. hæc ibi.

Idem ed. eâdem lib. 1. contra Jovinianum cap. 6. *Circumcisio, inquit, nihil est, & præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei: Nihil enim prodest absq; operibus calibatus, & nuptiæ; cùm etiam Fides, quæ propria est Christianorum, si opera non habuerit, mortua esse dicatur*, &c.

III. Similiter ibidem lib. 2. cap. 1. dicit: *Frustra nobis in eo plaudimus, cuius mandata non facimus, scienti bonum, & non facienti illud, peccatum est, quomodo corpus sine spiritu mortuum est, sic & Fides sine operibus mortua est: Nec grande putemus unum Deum nosse, cum & dæmones credant, & contremiscant; qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ipse ambulauit, & ipse ambulare* 1. Joann. 2. *Eligat aduersarius è duobus, quod vult, optionem enim damus. Manet in Christo, an non manet? si manet, ita ergo ambulet, ut Christus; si autem temerarium est similitudinem virtutum Domini polliceri, non manet in Christo, quia non ingreditur, ut Christus*, hæc Hieron. Ecce quàm claré Acatholicorum dogma refutatur ex S. Scriptutura, qui dicunt folam fidem falvare, impoffibile effe mandata fervare, nec illa ad falutem conducere; etiam dicunt cum illo hæretico, quem Hieronymus impugnat, temerarium effe fimilitudinem virtutum Chrifti polliceri, &c. quod S. Joannes exigit, ficut & Apoftolus 1. Cor. 11. v. 1. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Et 1. Pet. 2. & 21. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius*, &c. cùm ergo Acatholici volunt, quod nullus poffit ambulare, ficut Chriftus, etiam convincuntur; quod nullus illorum in Chrifto maneat.

Idem tom. 9. ed. eâdem in cap. 5. ad Gal. fic ait: *Si ergo omne mandatum recapitulatur in eo, quod dictum est, diliges proximum tuum tanquam te; Fides autem per charitatem operata valet plurimum; manifestum est operationem Fidei per charitatem plenitudinem mandatorum omnium continere; quomodo autem juxta Apostolum Jacobum Fides absq; operibus mortua est, sic absq; Fide, quamuis opera bona sint, mortua computantur*, hæc Hieron.

S. Gaudentius Brixienfis Hieronymo coætaneus lib. ad Geminianum Biblioth. PP. novæ tom. 4. fic ait: *Vis autem nosse, quod ad æternam vitam non per notitiam secretorum, sed per operum bonorum efficientiam peruenitur? Dominus sic respondet: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, &c. *sicut caro sine anima mortua est, ita Fides sine operibus mortua est secundum Jacobi Apostoli sententiam*, &c. hæc ille. Ecce qualiter in terminis doctrinam Ecclefiæ Catholicæ profiteatur contra Acatholicos. IV.

S. Augustin. fæpius oftendit, qualiter Chriftiani non obligentur ad præcepta ceremonialia vet. Teftamenti, bene tamen ad Decalogum, præfertim lib. de Spiritu & Litera ed. Bafil. 1528. tom. 3. ubi fic ait: *Quamuis itaq; illos, quibus circumcisio persuadebatur, ita corripere, & corrigere videatur Apostolus, ut legis nomine eandem circumcisionem appellet, cæterasq; eiusmodi legis obseruationes, quas tanquam umbras futuri jam nunc respuunt Christiani; id tenentes, quod per illas umbras figurate promittebatur.* Et infrà: *Certe legem Moyses ministrandam populo accepit in monte*, &c. *& hac decem præceptis constringitur*, &c. *in illa igitur decem præceptis, excepta Sabbathi obseruatione, dicatur mihi, quid non sit obseruandum à Christiano*, &c. ubi præcepta fingula refert, & fubjungit: *Quid bonum quisquam dixerit Christianum non debere seruare*, &c. hæc ille. At Acatholici dicunt, quod ad nullum obligantur, ergo juxta Auguftinum Chriftiani non funt.

Idem lib. 10. contra Fauftum eâdem ed. tom. 3. 1528. cap. 2. fic ait: *Judæo dicenti mihi; cur tenes vetus testamentum, cuius præcepta non seruas? Respondeo seruari à Christianis etiam ex ipsis libris præcepta vitæ agendæ, præcepta vero vitæ significandæ tunc recte obseruata, cùm prænuntiarentur ista, quæ nunc reuelata sunt*, &c. hæc ibi.

Similiter tract. 3. in Joann. ed. Bafil. tom. 9. 1529. prope finem dicit: *Legite vetus testamentum, & videte, quia carnali adhuc populo ea quidem præcipiebantur, quæ nobis; nam unum Deum colere, & nobis præcipitur. Non accipies in vanum nomen Dei tui, & nobis præcipitur, quod est secundum præceptum. Obserua diem Sabbathi; magis nobis præcipit, quia spiritualiter obseruandum præcipitur*, &c. *spiritualiter obseruat Sabbathum Christianus abstinens se ab opere seruili; quid est enim ab opere seruili? à peccato. Dominum interroga: omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati, ergo & nobis præcipitur spiritualiter obseruatio Sabbathi; Nam illa omnia præcepta nobis magis præcipiuntur, & obseruanda sunt, non occides, non mœchaberis*, &c. *Nonne omnia ista nobis præcipiuntur?* ubi oftendit, quod Judæis præcepta funt ob mercedem temporalem, & infrà: *Ea ibi jubentur in Decalogo legis, quæ & nobis, sed non ea promittuntur, quæ nobis: Nobis quid promittitur? vita æterna*, &c. hæc Aug. V.

Similiter loquitur in pf. 73. tom. 8. ed. eâd. dicens: *Si enim discernimus duo testamenta, vetus &* VI.

 nouum;

Digitized by Google

nouum; non sunt eadem sacramenta, nec eadem promissa; eadem tamen pleraq; præcepta, nam non occides, non mœchaberis, &c. *& nobis præceptum est, &*
VI. *quisquis ea non obseruauerit, deuiat, nec omnino dignus est, qui accipere mereatur montem sanctum Dei, de quo dictum est*; quis habitat in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? *innocens manibus, & mundo corde,* &c. & infrà: *Discussa ergo præcepta, aut omnia eadem inueniuntur, aut vix aliqua in Euangelio, quæ non dicta sint in Prophetis: Præcepta eadem; sacramenta non eadem; promissa non eadem,* &c. & infrà: *Promissa quare non eadem? quia promissa est terra Chananæa lacte & melle affluens,* &c. & infrà: *Ideo Deus ostendens se utriusq; creatorem, etiam utriusq; testamenti se voluit esse authorem, ut & terrena promitteret in veteri testamento, & cælestia in nouo testamento,* &c. hæc August. Ubi non solùm confutat dogma Acatholicorum, quod non obligentur Christiani ad præcepta; sed etiam illud, quod negat observantiam Præceptorum respicere vitam æternam, quam Augustinus dicit esse promissam observatoribus Præceptorum.

Iterum tom. 4. ed. eàd. lib. de Fide & Operibus cap 13. sic ait: *Quid ipse Dominus, ut alia omittam, cùm ab eo diues ille quæreret, quid boni faceret, ut vitam æternam consequeretur, recolant quid responderit. si vis, inquit, venire ad vitam, serua mandata,* &c. & infrà: *Videant igitur, non ei dictum esse, ut crederet, & baptizaretur, quod solo adiutorio putant isti venire hominem ad vitam, sed morum præcepta homini data, quæ utiq; sine fide custodiri, obseruariq; non possunt: nec tamen, quia hic de insinuanda fide Dominus videtur tacuisse, præscribimus nos, atq; contenti sumus, morum tantummodo præcepta esse hominibus ad vitam peruenire cupientibus: utraq; enim mutuo connexa sunt,* &c. & infrà: *Ut etiam hoc modo intelligatur alterum sine altero esse non posse, quia & qui credit Deo, debet facere, quod præcipit Deus; & qui propterea facit, quia præcipit Deus, necesse est, ut credat Deo,* &c. hæc ibi. Ecce quàm clarè Aug. ex verbis Domini præter fidem concludat necessitatem servandorum præceptorum ad salutem; quæ Calvinus vult ironicè illi diviti dicta esse.

VII. Idem ibid cap. 14. sic subjungit: *Quare jam illud videamus, quod excutiendum est a cordibus Religiosis, ne mala securitate salutem suam perdant, si ad eam obtinendam sufficere solam fidem putauerint; bene autem viuere, & bonis operibus viam Dei tenere neglexerint. Nam etiam temporibus Apostolorum non intellectis quibusdam sub obscuris sententiis Apostoli Pauli, hoc eum quidam arbitrati sunt dicere,* & infrà: *Cùm ergo Apostolus dicit arbitrari se justificari hominem per Fidem sine operibus legis; non hoc agit, ut, percepta & professa Fide, opera justitiæ contemnantur; sed ut sciat se quisq; per Fidem posse justificari, etiamsi legis opera non præcesserint, sequuntur enim justificatum, non præcedunt justificandum,* &c. & infrà: *Quoniam ergo hæc opinio tunc fuerat exorta, aliæ Apostolicæ Epistolæ Petri, Joannis, Jacobi, Judæ, contra eam maxime dirigunt intentionem; ut vehementer astruant Fidem sine operibus nihil prodesse, sicut & ipse Paulus non quamlibet Fidem, qua in Deum creditur; sed eam salubrem planeq; Euangelicam definiuit, cuius opera ex dilectione procedunt:* Et Fides, inquit, quæ per *dilectionem operatur,* &c. hæc ibi, ubi ostendit, quod opera bona post adeptam justificationem debeant adesse fidei, non ut signum fidei veræ, sed quatenus prosint ad salutem, & fides sola nihil prosit; cùm Acatholici contrarium velint; ut sileam, quod ipsi velint, nulla opera esse bona, sed omnia peccata mortalia, quæ non possunt esse signa veræ fidei, multo minùs ab Acatholicis, ut necessaria ad salutem, requiruntur.

Similiter August. ibid. cap. 16. plurima absurda ex hæreticorum dogmate infert dicens: *Sed falsa erunt illa, quæ ambiguitatem non habent, si habeam omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Et quid quid proderit fratres mei, si Fidem dicat quis se habere, opera autem non habeat? nunquid Fides poterit saluare eum? falsum erit illud, nolite errare, neq; fornicatores, neq; idolis seruientes, neq; adulteri, neq; auari,* &c. *regnum Dei possidebunt. Falsum erit & illud, manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio,* &c. *quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt,* & infrà: *Illud quoq; non video, cur Dominus dixerit,* si vis venire ad vitam, serva mandata, *& commemorat ea, quæ ad bonos mores pertinent, si etiam his non seruatis ad vitam veniri potest per solam fidem, quæ sine operibus mortua est. Illud deinde quomodo verum erit, quod eis, quos ad sinistram positurus est, dicet: Ite in ignem æternum,* &c. & infrà: *Si ergo hæc omnia, & cætera, quæ innumerabilia per omnes scripturas sine ambiguitate dicta reperiri possunt, falsa erunt; potius verum esse ille intellectus.* Et infrà: *Si autem ista & vera, & clara sunt,* &c. hæc Aug. Quid clariùs contra dogma Acatholicorum?

Similiter arguit hæreticos tom. 5. ed. Basil. 1529. lib. 21. de Civ. Dei cap. 26. adducens illorum argumentum dicens: *Sed habent, inquiunt Christiani Catholici in fundamento Christum, a cuius unitate non recesserunt; tametsi huic fundamento superædificauerint quamlibet pessimam vitam, velut ligna, fœnum, stipulam: Recta itaq; Fides est, per quam Christus est fundamentum, quamuis cum damno, quoniam illa, quæ superædificata sunt, exurentur, tamen poterit eos ab illius ignis perpetuitate saluare,* hæc ibi. Nunquid hoc est dogma etiam Acatholicorum, quod quantumvis pessima peccata homo egerit, si credat sibi illa esse dimissa, salvabitur: sed subjungit Aug. *Respondeat ergo eis breuiter Apostolus Jacobus: Si quis dicat se habere fidem, opera autem non habeat, nunquid poterit Fides saluare eum?* hæc August. Acatholici respondent, quod fides illum salvare possit, ergo & Jacobo, & Augustino contradicunt. VIII.

Demum D. Aug. tom. 8. ed. eàd. 1529. in præfat. ad ps. 31 circa initium sic ait: *Anceps animus humanus, & fluctuans inter confessionem infirmitatis, & audaciam præsumptionis plerumq; hinc atq; inde contunditur, & ita impellitur; ut et in quamlibet partem cadere præcipitium fit,* &c. qualiter autem hæretici hæc præcipitia evitare conentur per solam fidem, sed graviùs cadant, subjungit dicens: *Si enim se infirmitati propriæ omni ex parte donauerit, & in hanc cogitationem se inclinauerit, ut dicat; quia misericordia Dei omnibus peccatoribus in quibuslibet peccatis perseuerantibus tantum credentibus; quia Deus liberat, Deus ignoscit, ita parata est in finem, ut nemo pereat fidelium iniquorum, id est, nemo pereat eorum, qui sibi dicunt, quidquid ibi faciam, quibuslibet facinoribus & flagitiis inquiner, quantumlibet peccem, liberat me Deus misericordia sua, quia credidi in eum,* hæc August. Nunquid hoc ipsum est Lutheri dogma lib. de Capt. Bab. cap. IX. de

de Bapt. dum ait: *Vide quàm diues sit homo Christianus, vel baptizatus, ut etiam volens non possit perdere salutem suam, quantuncunq; peccatis, nisi nolit credere*, &c. plura suprà c. 1. art. 1. videantur. Sed audiamus Augustinum, quid de his subjungit dicens: *Qui enim dicit neminem perire talium cogitatione mala inclinatur in impuritatem peccatorum; & Deus ille justus, cui cantatur misericordia & judicium, non sola misericordia, sed & judicium, inuenit hominem male de se præsumentem, & ad interitum suum misericordia Dei abutentem, & necesse est, ut damnetur*, &c. hæc August. qui juxta S. Scripturam judicat omnem talem necessariò damnari, qui prædicta facit; hoc autem ex doctrina Acatholicorum sequitur, qui volunt; quod impossibile sit hominem servare mandata Dei, sed in omni opere mortaliter peccare; illi sufficere, si solùm credat sibi per Christum peccata remissa esse, qualiacunque

X. faciat. Hæc in re est doctrina omnium Acatholicorum, licèt aliqui dicant opera bona adesse debere, sed in re asserunt omnia opera esse peccata mortalia; ac proinde juxta ipsos nunquam bona opera adsunt fidei, sed semper mala, quæ damnationem merentur; licèt enim aliqua sint minora, alia majora, ideo minora mala non fiunt bona, sicut nec fornicatio ideo bonum opus, quia minus malum, quam adulterium, vel incestus est. Nonne per hoc dogma lata omnibus sternitur via ad quæcunque peccata liberè perpetranda, dum promittitur; quod si quis credat tantum sibi peccata per Christum esse dimissa salvabitur.

ARTICULUS VI.

Respondetur ad argumenta Acatholicorum.

I. PLeraque argumenta illorum procedunt ex illis locis, ubi videtur S Scriptura Fidei tribuere salutem, quæ lib. de Justif. cap. 2. art. 10. relata sunt, dum soli Fidei volunt competere, quod justificet, etiam ut conditio, sed ibi copiosè responsum est.

Specialiter objiciunt primò contra obligationem legis, quod Euangelium distinguatur à lege ex eo, quod lex contineat comminationes, Euangelium verò sit lætum nuncium, quod probant ex illo ad Rom. 8. v. 15. *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater*, &c. & ibid. cap. 3. v. 27. *Vbi est ergo gloriatio tua? exclusa est, per quam legem: factorum? Non, sed per legem Fidei*, &c. Item 1. Tim. 1. v. 9. *Justo non est lex posita.* Vnde inferunt, quod lex factorum spectet ad vetus testamentum, & lex fidei ad novum, adeoque lex factorum non obliget Christianos.

Respondetur primò negando consequentiam, ut patet ex textu, cùm Apostolus subjungit v. 31. *Legem ergo destruimus per fidem? absit: sed legem statuimus.*

II. Respond. 2. hæc loca D. Aug. pertractat. tomo 3. ed. Basil. 1528. lib. de Spiritu & Lit. cap. 10. & seq. ubi sic ait: *Justo enim non est lex posita, quæ tamen bona est, si quis ea bene utatur. Hæc duo Apostolus velut inter se contraria connectens, monet, mouetq; lectorem ad perscrutandam quæstionem, atq; soluendam; quomodo enim bona est lex, si quis ea legitime utatur, si etiam, quod sequitur, verum est, sciens hoc, quia Justo lex non est posita, nam quis legitime utitur lege, nisi justus? at ei non est posita, sed injusto*, &c. & infrà: *Quomodo cum Justo non est lex posita, si & Justo est necessaria; non qua injustus ad justificantem gratiam perducatur, sed qua legitime iam Justus utatur? an forte, imo vero non forte, sed certe, sic legitime utatur lege iam justus, cùm eam tenendam imponit injustis, ut cum & in ipsis cœperit insolita concupiscentia morbus incentiuo prohibitionis, & cumulo præuaricationis augeri, confugiant per fidem ad justificantem gratiam, & per donum spiritus suauitate Justitiæ delectati pœnam litteræ minantis effugiant. Ita non erunt contraria, neq; inter se duo ista pugnabunt, ut etiam justus bona lege legitime utatur, & tamen Justo lex posita non sit; non enim ex ea justificatus est, sed ex lege Fidei, qua credidit nullo modo posse suâ infirmitate adimplere ea, quæ lex factorum juberet, nisi diuina gratia subueniat; ideo dicit, ubi est ergo gloriatio tua? exclusa est, per quam legem: factorum? non, sed per legem Fidei*, &c. hæc August. ubi dicit, quod duplex gloriatio esse possit, una laudabilis, quæ est in Domino, & hanc dicit non excludi, quasi ut abscedat, sed ut emineat; aliam dicit gloriationem vitiosam de superbia venientem, quâ homo, qui sibi videtur rectè vivere, ita gloriatur, quasi non acceperit; quam dicit excludi, & ejici, & expelli; non per legem factorum, sed per legem Fidei, *quia per legem Fidei cognoscit quisq;, si quid bene viuit per Dei gratiam se habere*, &c. *ut profiteatur in dilectione justitiæ, non se aliunde consecuturum*, &c.

Ulterius ibid. cap. 13. dicit: *Lex ergo factorum, id est, operum, per quam non excluditur illa gloriatio, & lex Fidei per quam excluditur, quo inter se differant, operæ pretium est considerare; si tamen valemus aduertere, & discernere: cito enim quisq; dixerit legem operum esse in Judaismo, legem vero Fidei in Christianismo.* Ecce dogma Acatholicorum, sed Aug. subjungit, dicens: *Sed quantum fallat illa discretio, jam diu quidem est, ut molimur ostendere* (scilicet ex verbis Apostoli) *ipsam dixit legem ex qua nemo justificatur*, & infrà: *Quid ergo dicemus? lex peccatum est? absit: sed peccatum non cognoui nisi per legem. nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces*, &c. *lex quidem sancta*, &c. *Ipsa est igitur litera occidens*, &c. *per legem enim cognitio peccati*, &c. *lex ergo factorum ipsa est, quæ dicit: Non concupisces; quia per illam cognitio peccati est. Volo igitur scire, si quis mihi dicere audeat, utrum lex Fidei non dicat, non concupisces*, hoc autem dicunt Acatholici, sed Aug. infert ut absurdum dicens: *Si enim non dicit, quid causæ est, cur non in ea positi securè & impunè peccemus?* & infrà: *Si autem dicit etiam ipsa, non concupisces, sicut tam multa præcepta Euangelica & Apostolica testificari, & clamare non cessant.* Ecce quàm certò supponat Aug. ex S. Script. quod Euangelium obliget Christianos ad præcepta Decalogi, postea procedit dicens: *quare lex factorum etiam ipsa non dicitur?* & infrà: *Quid igitur interest: breuiter dicam; quod operum lex minando imperat; hoc Fidei lex credendo impetrat: Illa dicit, non concupisces, ista dicit; cùm scirem, quia nemo potest esse continens, nisi Deus det*, &c. *hoc erat etiam sapientiæ scire, cuius esset hoc donum, adii Dominum, & deprecatus sum. Ipsa est illa sapientia, quæ pietas vocatur, quâ colitur Pater luminum, à quo est omne datum optimum*, &c. ubi prolixè ostendit, quod lex operum dicatur illa, quæ jubet, quæ sint facienda, sed non dat gratiam, qua facienda impleantur; sed hanc gratiam donat Spiritus S. qui in Euangelio promittitur, III.

Digitized by Google

& quam fides Christi docet, & dicitur lex Fi-
IV. dei. Vnde cap. 14. cùm dixisset, quod, licèt Christiani ad legem Decalogi præter Sabbathum absque dubio servandam obligentur, tamen non habeant ex litera vel ex ipso præcepto, si impleant, sed ex gratia Christi, concludit dicens: *Illa ergo nouem præcepta, quæ sic rectè obseruantur, & scripta sunt, non ad legem operum, ex qua nemo justificatur, sed ad legem fidei, ex qua justus viuit; pertinere putanda sunt.* Rursus cap. 17. dicit, quod lex cum terrore in monte Sinai data sit; quia lex terret, cùm minetur pœnam, & non dat virtutem; at Spiritus Sanctus dat charitatem, quæ delectat, quæ est perfectio legis, ubi etiam dicit: *Cùm in tabulis scribantur opera charitatis, lex est operum, & litera occidens præuaricatorem; cùm autem ipsa charitas diffunditur in corde credentium, lex est fidei, & spiritus viuificans dilectionis.* Demum cap. 19. *Lex ergo data est, ut gratia quæreretur, gratia data est, ut lex impleretur,* &c. hæc Aug.

V. Ex his patet, qualiter loca Apostoli ab Acatholicis objecta intelligenda sint; negatur autem imprimis, quod in hoc Euangelium, seu etiam lex nova à lege veteri discrepet, quod lex vetus pœnas comminetur, sed Euangelium solum consoletur; cùm pateat, quod Euangelium etiam minetur illis pœnas, qui præcepta non servant, ut patet ex Euangelio, & Epistolis Apostolorum: sed in hoc differunt, quod lex vetus præcipiat, & minetur, sed non det gratiam implendi; at Euangelium principaliter annuntiat Salvatorem, à quo gratia implendi legem datur per Spiritum Sanctum, qui lætificat eos, qui gratiâ utuntur, & tamen etiam Euangelium terret eos,
VI. qui non utuntur. Quoad secundum locum de spiritu servitutis eodem modo patet; quia lex vetus solum præcipit, & minatur, qui est spiritus servitutis, at Euangelium seu doctrina novi testamenti, præterquam quod præcipiat præcepta servari, ostendit charitatem, quæ per Spiritum Sanctum datur, per quam illi, qui justificati sunt, ex amore præcepta servare possint. Et hoc modo justo non est lex posita, scilicet ad comminationem, quia illam servat ex amore. Ideo Apostolus ibid. cùm dixisset, *Justo non est lex posita*, subjungit, *sed injustis, & non subditis, sed impiis*, &c. quia illis posita est ad terrendum, & ad emendandum, quod justo opus non est, qui amore legem servat.

Hinc patet, quàm falsò Acatholici velint, quod lex Decalogi Christianos non obliget, quod ut nimis absurdum D. Aug. suprà rejicit.

VII. Aliud est Acatholicorum argumentum, scilicet: promissiones Euangelii gratuitæ sunt, ergo sunt absolutæ, & non conditionales, nec sub conditione operum. Antecedens probant ex variis locis Apostoli, ut, cùm dicit: *Promissionem vitæ, quæ est in Christo Jesu.* 2. Tim. 1. & alibi passim, quod ex gratia Christi.

Respond. negando consequentiam; nam, licèt promissio vitæ æternæ sit gratuita, quia ex sola gratia Christi fit; non tamen excluditur conditio servandi præcepta Dei, quæ etiam ex gratia sola Christi servari possunt; & sic omnia sunt gratuita; sicut nec per hoc fides ipsa, nec Baptismus excluditur, quæ maximè requiruntur, juxta illud Marci ult. v. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur,* &c. ubi certè conditionatè salus promittitur.

3. Objiciunt illa loca Apostoli ad Rom. 6.
v. 14. *Non enim sub lege estis, sed sub gratia.* Item VIII.
2. Cor. 3. v. 17. *Vbi autem spiritus Domini, ibi libertas.* Item Gal. 5. v. 18. *Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege,* &c. unde inferunt, ergo Christiani non obligantur ad legem.

Respond. negando consequentiam, quæ falsissima est, ut patet ex tot & tam claris S. Scripturæ, & SS. Patrum testimoniis: Verba Apost. ad Rom. 6. explicat. D. Aug. in enarr. ad ps. 1. circa illa verba, *sed in lege Domini fuit voluntas eius, & in lege eius meditabitur,* sic dicens: *Justo non est lex posita, ut dicit Apostolus, sed aliud esse in lege, aliud sub lege; qui est in lege, secundum legem agit, qui est sub lege, secundum legem agitur. Ille vere liber est, iste seruus,* &c. Idem patet ex textu Apostoli, dum subjungit dicens: *Quid ergo? peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? absit, gratias Deo, quod fuistis serui peccati,* &c. *liberati autem à peccato serui facti estis justitiæ,* &c. & 1. Cor. 9. v. 21. dicit: *Cùm ipse non essem sub lege,* &c. subdit: *Cùm sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi.*

Iterum August. lib. de Continentia cap. 3. sic ait: *Qui sub lege viuunt, qua jubetur, quod bonum est, & non datur, non viuunt sub gratia, quæ dat Spiritum Sanctum, quod per legem jubetur.* Et infrà: *Id ergo nunc agitur, quamdiu est mortalis hæc vita nostra sub gratia; ne peccatum, id est, concupiscentia peccati, hanc enim hoc loco peccati nomine appellat, regnet in nostro mortali corpore: tunc autem regnare ostenditur, si desideriis ejus obeditur,* &c. *sic enim peccatum nobis non dominabitur; Non enim sumus sub lege, bonum quidem jubente, non tamen dante; sed sumus sub gratia, quæ id, quod lex jubet, faciens amare, potest liberis imperare.* Et infrà: *Suprà autem dixerat Apostolus, spiritu ambulate, & desideria carnis ne feceritis* Gal. 5. *Quod si spiritu ducemini, non estis sub lege, ergo sub gratia constitutos vult istum aduersus opera carnis habere conflictum, manifesta autem sunt opera carnis,* &c. hæc Aug. ibid.

Similiter loquitur tom. 7. ed. eâdem lib. de IX.
Nat. & Grat. cap. 57. dicens: *Si spiritu, inquit, ducimini, non estis sub lege, utiq; lege, quæ timorem incutit, non tribuit charitatem,* &c. summa rei est, quod illi dicantur esse sub lege, qui tantùm stant in litera legis, & non confidunt in gratia Christi, & sic præcepta servare non possunt, qui autem in gratia Christi sunt, non dicantur, nec sint sub lege, sed in lege, & in spiritu, & gratia, quæ tribuit, ut ea, quæ lex præcipit, servare possint, non autem, quod ad legem non obligentur.

Similiter intelligendus est locus 2. Cor. 3. *ubi spiritus, ibi libertas.* Prout exponit August. lib. de Spiritu & Litera cap. 18. dicens: *Proinde, quia lex, sicut alibi dicit Apostolus, præuaricationis gratia posita est, id est, litera ista extra hominem scripta, propterea eam, ut ministrationem damnationis appellat: Hanc autem, id est, noui testamenti, ministrationem spiritus, & ministrationem justitiæ dicit, quia per donum spiritus operamur justitiam, & à præuaricationis damnatione liberamur.* (Hæc Acatholici planè negant, qui volunt, quod per solam fidem credendo, nobis esse remissa peccata, liberemur) sed pergit Aug. *Ideo illud euacuatur, hoc manet, quoniam terrenus Pædagogus auferetur, cùm timori successerit Christus, ubi enim spiritus Domini, ibi libertas,* &c. & cap. 19. de lege bona præceptorum loquens ait:

Illa

Digitized by G

Illa enim ſine adjuuante ſpiritu procul dubio eſt litera occidens, cùm vero adeſt viuificans ſpiritus, hoc ipſum intus conſcriptum facit diligi, quod foris ſcriptum lex faciebat timeri, &c. hæc Auguſt. adeóque non eſt ſenſus, quòd, ubi eſt ſpiritus Dei, ibi ſit libertas ab omni præcepto, ſed ſit libertas à peccato, & libertas à timore; quia ſpiritus Chriſti per charitatem facit, ut homo impleat præceptum, & ſic liber ſit à peccato, & à prævaricationis damnatione, quam juxta legem inveniret, ſi illam non ſervaret. Obligantur ergo Chriſtiani ad legem, ſed quia per donum ſpiritûs infuſum illam ſervant, non ſunt ſub lege in timore, ſed in lege illam ſervantes, quam cum delectatione die ac nocte meditantur.

X. Objiciunt 4. illud Luc. 16. v. 16. *Lex & Prophetæ uſq; ad Ioannem, ex eo regnum Dei euangelizatur*, &c. ergo lex nos non obligat.

Reſp. negando conſequentiam: Verba ſua apud Matth. cap. 11. ipſemet Chriſtus explicat v. 23. dicens: *Omnes enim Prophetæ, & lex uſq; ad Ioannem prophetauerunt.* Ubi patet, quòd lex & Prophetæ, in quantum de regno Chriſti venturo prophetaverunt, ſolùm uſque ad Joannem durarunt, & ſic poſtea ceſſarunt, cùm regnum Chriſti adeſſet: & hoc verum eſt de legibus ceremonialibus, quæ ſolùm erant figuræ eorum, quæ in regno Chriſti futura erant, & ideo ceſſarunt; non autem de lege morali, quæ tam manifeſtè à Chriſto præcipitur.

XI. Demum, quòd opera bona non pertineant, nec efficiant ſalutem, probare volunt ex illa abſoluta promiſſione. 1. Cor. 1. v. 21. *Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes*, & ex aliis locis, ubi juſtificatio tribuitur Fidei ſine operibus legis.

Reſpond. Ad hæc ſufficienter reſponſum eſt lib. de Juſtificat. cap. 1. ſufficiat hîc breviter; quòd ſalus Fidei ſpecialiter aſſignetur, quia eſt *humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt Deo placere*, ut juxta ſacram Scripturam loquitur Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 8. ex hoc non ſequitur, quòd ſola Fides ad ſalutem ſufficiat.

XII. Hîc operæ pretium duxi referre reſponſionem ipſius D. Auguſt. qui ſæpiſſimè diſtinguit inter opera, quæ Fidem antecedunt, & quæ illam ſequuntur; & de illis dicit, quòd ſine talibus homo juſtificetur; affirmat autem, quòd homo juſtificatus debeat facere bona opera, poſt Fidem & juſtificationem acceptam; idque eâ intentione, ut vitam æternam conſequatur, quod ſpecialiter deducit in præfat. ad pſ. 31. tomo 8. edit. Baſil. 1529. dicens: *Si ergo non ex operibus juſtificatus eſt Abraham, unde juſtificatus eſt? ſequitur, & dicit, unde? quid enim Scriptura dicit?* id eſt, *unde dicit Scriptura Abraham juſtificatum? credidit autem Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad juſtitiam, ergo ex Fide juſtificatus eſt Abraham, jam qui audit, non ex operibus, ſed ex Fide, obſeruet illam voraginem, de qua locutus ſum. Vides ergo, quia ex Fide, non ex operibus juſtificatus eſt Abraham, faciam ergo quicquid volo, quia etſi bona opera non habuero, & tantùm credidero in Deum, deputabitur mihi ad juſtitiam.* Ecce vocem Lutheri & Acatholicorum, ſed Auguſt. tali ſic opponit: *Si dixit, & decreuit, lapſus demerſus eſt: ſi adhuc cogitat, & fluctuat, periclitatur*, ſcilicet ille, qui hoc ex verbis Apoſtoli concludit. Auguſt. pergit: *Scriptura autem Dei, veruſq; intellectus, non ſolùm periclitantem à periculo liberat, ſed & demerſum à profundo eleuat. Reſpondeo ergo tanquam contra Apoſtolum, & dico de ipſo Abraham, quod inuenimus etiam in Epiſtola alterius Apoſtoli, qui volebat corrigere homines, qui malè intellexerant illum Apoſtolum, Iacobus enim in Epiſtola ſua contra eos, qui nolebant bene operari de ſola Fide præſumentes, ipſius Abrahæ opera commendauit, cujus Paulus Fidem, & non ſunt ſibi aduerſi Apoſtoli; dicit autem, opus omnibus notum, Abraham Filium ſuum immolandum Deo obtulit, magnum opus, ſed ex Fide; laudo ſuperædificationem operis, ſed video Fidei fundamentum; laudo fructum boni operis, ſed in Fide agnoſco radicem, ſi enim hoc præter Fidem rectam faceret Abraham, nihil illi prodeſſet, qualecunq; illud opus eſſet. Rurſum ſi ſic teneret Fidem Abraham, ut, cùm ei Deus imperaret offerre ſibi immolandum filium ſuum, diceret apud ſemetipſum; Non facio, & tamen credo, quia me etiam contemnentem juſſa ſua liberat Deus. Fides ſine operibus mortua eſſet, & tanquam radix ſine fructu ſterilis atq; arida remaneret: quid ergo? debemus nulla opera præponere Fidei*, id eſt, *ut ante Fidem quiſquam dicatur benè operatus; ea enim ipſa opera, quæ dicuntur ante Fidem, quamuis videantur hominibus laudabilia, inania ſunt*, &c. *Nemo ergo computet opera bona ſua ante Fidem; ubi Fides non erat, bonum opus non erat. Bonum enim opus intentio facit, intentionem Fides dirigit. Non valde attendas, quid homo faciat, ſed quid, cùm facit, aſpiciat*, &c.

XIII. Vbi ponit exemplum de uno, qui bene currit, ſed præter rectam viam; & de gubernatore navis, qui illam bene dirigit, ſed neſcit, quo tendat, &c. ſic etiam de illo qui operatur ſine Fide, unde infert dicens: *Ergo fratres ex Fide juſtificatus eſt Abraham, ſed ſi Fidem opera non præceſſerint, tamen ſecuta ſunt. Tene ergo Fidem operaturus: ſed dices, non hoc ait Apoſtolus Paulus, imo hoc ait Paulus Apoſtolus: Fides, inquit, quæ per dilectionem operatur; & alio loco; plenitudo ergo legis Chriſtus, & alio loco, omnis enim lex in uno ſermone impletur, eo quod ſcriptum eſt, diliges proximum tuum tanquam te ipſum, vide ſi non vult te operari qui dicit: Non adulterabis, non homicidium facies, non concupiſces*, &c. *plenitudo autem legis charitas; nunquid charitas permittet aliquid mali te facere ei, quem diligis? ſed fortè tantummodo mali nihil facis, non etiam aliquid boni? Ergo nec charitas permittit te non præſtare, quicquid potes ei, quem diligis*, &c. *ipſa dilectio vacare non poterit*, &c. *Non vobis dicitur nihil ametis, abſit: Amate, ſed quid ametis videte; Amor Dei, amor proximi, charitas dicitur; amor huius ſæculi, cupiditas dicitur; cupiditas refrenetur, charitas excitetur*, &c.

XIV. Acatholici volunt, quòd omnia ex cupiditate procedant, & ideo mala ſint, & præceptum, *non concupiſces*, obſervari non poſſit; ſed Auguſtinus ſubjungit dicens: *Finis præcepti eſt, dixit, quid eſt finis præcepti? quo perficiuntur præcepta, non quo conſumantur: Aliter enim dicimus finitus eſt cibus, aliter dicimus finita eſt tunica, quæ texebatur; finitur ut perfecta ſit, non ergo hic finem præcepti dixit, quo quaſi pereant præcepta, ſed quo perficiantur, & conſummentur non conſumantur.* Ecce quàm clarè oſtendit, quòd opera charitatis & præceptorum poſt Fidem neceſſaria ſint. Et infrà: *Charitas de corde puro, & conſcientia bona, & Fide non ficta, ut autem habeat bonam conſcientiam, credat, & operetur; quod credit, Fidei eſt, quod operatur, Charitatis eſt. Quomodo ergo dicit Apoſtolus juſtificari hominem ſine operibus ex Fide, cùm alio loco*

Digitized by Google

dicat, Fides, quæ per dilectionem operatur. Non ergo Iacobum Apostolum Paulo, sed ipsum Paulum ipsi Paulo opponamus, & dicamus ei, &c. *Te ipsum audi Apostole, certè Fidem mihi hic sine operibus vis commendare, opus autem Fidei dilectio est, quia dilectio vacare non potest, nisi & mali nihil operetur, & quidquid potest boni operetur, quid enim facit dilectio? declina à malo, & fac bonum. Hanc ergo Fidem sine operibus commendas, & alio loco dicis, etsi Fidem habeam, ita, ut montes transferam, Charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest*, &c. *Respondet ipse Apostolus, propterea hoc tibi dixi, O Homo, ne quasi de operibus tuis præsumere videreris, & merito operum tuorum te accepisse Fidei gratiam. Noli ergo præsumere de operibus ante Fidem, noveris quia peccatorem te Fides invenit, quo faceret justum, credenti, inquit, in eum, qui justificat impium, deputatur Fides eius ad justitiam*, &c. ubi ostendit, quòd aliquis infidelis, licèt exteriora opera ejus videantur bona, verè tamen opera bona non faciat, quia illa non fiunt rectâ intentione, ut perveniat ad regnum cælorum, nec ex Fide; quia non credit in Christum, per quem solum datur vita æterna; & postea sub-
XV. dit: *Malis operibus quid debetur, nisi damnatio? Bonis quid debetur? Regnum cælorum.* Vbi patet, quòd opera bona ex Fide facta referuntur ad regnum cælorum, & infrà: *Dum antè in malis operibus invenitus, scilicet ante Fidem, & si bona videatur facere, tamen quia facis sine Fide, nec bona vocanda sunt. Credenti autem in eum, qui iustificat impium, deputatur Fides ad iustitiam*, &c. *Iustitiam, quam Fides, quam bona opera non præcesserunt, quam bona opera consequuntur. Intendite ergo vos, alioquin malè intelligendo projicitis vos in illam voraginem impune peccandi, & ego liber sum sicut ipse Apostolus ab omnibus male intelligentibus liber fuit; libenter enim male intellexerunt, ne bona opera sequerentur. Nolite esse de numero talium fratres, dicitur in quodam psalmo, noluit intelligere, ut bene ageret*, &c. hæc August.

Hæc prolixiùs referenda duxi, ut Lectori clarè pateat ex ipsa sancti Augustini vera non minus, quàm docta deductione, qualiter simul cohæreant verba Apostoli Pauli non solùm inter se, quàm cum S. Jacobi, & aliorum Apostolorum epistolis, quoad opera bona; quæ Ecclesia Catholica docet post justificationem esse præter Fidem ad salutem necessaria.

CONCLVSIO.

XVI. HActenus demonstratum est ex sacræ Scripturæ & sanctorum Patrum testimoniis veritas doctrinæ S. Ecclesiæ, quoad bona opera illorum, qui jam per Dei gratiam justificati sunt: quòd scilicet, etsi homo per suas vires naturales pro statu hoc præcepta Dei servare non possit, tamen jam justificatus speciali divinæ gratiæ auxilio adiutus illa servare possit, licèt in statu gratiæ seu justitiæ manens subinde, imo sæpius, præter legem Dei venialiter peccet; ita tamen, ut multa opera per Dei gratiam præstet, quæ verè & simpliciter coram Dei judicio bona sint, & justa; ac proinde non omnia iustorum bona opera coram Dei tribunali sint mala, vitiosa, multò minùs peccata mortalia, & æternâ damnatione digna, ut Acatholici comminiscuntur; quin imo opera simpliciter bona in homine iusto adulto ad tempus post Baptismum vivente requirantur, & necessaria sint, ut ad vitam æternam perveniat, ac proinde non sola Fides salutem respiciat, sed etiam bona opera ex Fide per charitatem facta; nec Deus absolutè verè credentibus vitam æternam promiserit, sed sub conditione, si mandata Dei servaverint; non quidem tali modo, ut nunquam peccarint contra præcepta, sed ut illa ita observent, ut, licèt subinde contra illa peccent, & ex gratia Dei excidant, tamen per gratiam Dei resurgentes finaliter in præceptorum Dei observantia, & bonis operibus perseverent; ad quorum mandatorum observantiam, & bonorum operum executionem Euangelium, & lex Fidei omnes Christi fideles adultos obligat; & specialiter etiam gratiam, quâ illa observare possit, & postea si illa observaverint, salutem & vitam æternam promisit, ad quam nos Deus misericorditer perducat. Vt autem hæc Catholica veritas, & Acatholica falsitas ad oculum pateat, sequentes Antitheses subiungam.

ANTITHESES,

In quibus doctrinæ Ecclesiæ Romanæ Catholicæ circa iustorum bonorum operum justitiam, & ad salutem necessitatem cum SS. Patrum doctrina, conformitas, & Acatholicorum doctrinæ difformitas exhibetur.

PRima, *SS. Patres juxta sacram Scripturam docuerunt*, quòd homo ex gratia Dei justificatus, & speciali Dei gratiâ adjutus, servare possit mandata Dei. *Ita etiam docet Ecclesia Romana Catolica.*

Acatholici absolute asserunt impossibilem esse legis, & mandatorum Dei observantiam.

2. *SS Patres juxta sacram Scripturam docuerunt*, quòd mandata Dei homini per Dei gratiam gravia non sint, & onus præceptorum Christi leve, ac jugum suave. *Ita etiam docet Ecclesia Catholica.*

Acatholici volunt mandata Dei homini Christiano, licèt gratiâ adjuto, gravia esse, & onus Christi importabile.

3. *SS. Patres juxta sacram Scripturam docuerunt*, quòd Deus nihil homini impossibile præceperit, nec Deo ad opitulandum & adjuvandum, quo fiat, quod jubet, aliquid sit impossibile. *Ita etiam docet Ecclesia Catholica.*

Acatholici volunt, quòd Deus non ideo homini præcepta dederit, quia illa servare posset, sed, ut homo videat, qualiter contra Deum delinquat.

4. *SS. Patres juxta sacram Scripturam docuerunt*, quòd præcepta Decalogi, excepto illo de ceremoniali Sabbathi, in nova lege obligent Christianos. *Ita etiam Ecclesia Cathol.*

Acatholici negant, quòd fideles Christiani ad præcepta Decalogi obligentur.

5. *SS. Patres juxta sacram Scripturam docuerunt*, quòd, licèt Christus Dominus principaliter, ut Salvator mundi, advenerit; tamen etiam verus Legislator fuerit, tam quoad præcepta Decalogi, quàm alia specialia mandata fidelibus servanda præcipiendo. *Ita etiam docet Ecclesia Catholica.*

Aca-

Digitized by

Acatholici volunt, quòd Christus solùm ut Salvator advenerit.

6. *SS. Patres juxta sacram Scripturam damnarunt illos*, qui in hoc novum testamentum à veteri distinguebant, quasi vetus dederit præcepta, & pœnas comminatum fuerit; at novum nihil præceperit, nec minas ullas habeat, sed puram consolationem adferat; imo sancti Patres ut absurdum ex talium dogmate inferebant, quòd juxta illud Christianis liberum esset omne flagi iorum genus perpetrare. *Ita etiam damnat Ecclesia Catholica Rom.*

Acatholici prædictam inter utrumque testamentum volunt distinctionem.

7. *SS. Patres juxta sacram Scripturam docuerunt*, quòd in hoc testamentum novum à veteri differat, quia vetus testamentum præcepta bona tradebat, & proponebat; sed non dabat gratiam illa implendi, & præmia temporalia promittebat: Euangelium autem principaliter annunciat salutem & gratiam per Christum dandam ad implenda præcepta, & vitam æternam promittit; & ideo lex vetus dicatur litera occidens, lex Christi spiritus vivificans. *Ita etiam docet Ecclesia Catholica.*

Acatholici negant, quòd Euangelium det gratiam ad implenda præcepta, sed solùm Fidem doceat, quâ credatur peccata dimissa, quæ contra præcepta fiunt: cùm tamen negent præcepta obligare fideles.

8. *SS. Patres iuxta sacram Scripturam docuerunt*, quòd litera occidens dicantur mandata extrinsecùs in tabulis scripta, sive proposita, sive in veteri, sive in nova lege, quæ ostendant homini, quid facere debeat, & in quo peccet, sed non det gratiam ea implendi; Lex autem Fidei sit lex Christi scripta in cordibus, quia per Spiritum Sanctum charitas, & gratia diffunditur, & datur, quâ lex impleri possit; ita, ut hanc ex Christi gratia habuerint, quicunque etiam in veteri testamento præcepta servarunt, vel Deo placuerunt. *Ita etiam docet Ecclesia Romana Catholica.*

Acatholici prorsus negant talem legem Fidei, sed volunt illam, quâ homo credat sibi esse peccata per Christum dimissa.

9. *SS. Patres iuxta sacram Scripturam docuerunt*, quòd homo justificatus, & Dei gratiâ adjutus Deum ex toto corde diligere possit; licèt non ita perfectâ dilectione, qualis in cælis erit, non tamen ideo peccet. *Ita etiam docet Ecclesia Catholica.*

Acatholici volunt nullos homines illud servare posse, sed contra illud peccare.

10. *SS. Patres juxta sacram Scripturam docuerunt*, quòd præceptum, *non concupisces*, quoad reatum culpæ vitandum ab homine justificato per gratiam perfectè servari possit, resistendo, & non consentiendo motibus concupiscentiæ. *Ita etiam docet Ecclesia Catholica Rom.*

Acatholici hoc prorsus negant, sed volunt, quòd omnes motus concupiscentiæ etiam involuntarii, & quibus resistitur, sint peccata mortalia.

11. *SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt*, quòd, licèt homo justificatus sæpius venialiter peccet; non tamen omnia opera illius sint peccata mortalia; sed aliqua illius opera sint verè & simpliciter bona ac justa, etiam in conspectu Dei, ex speciali ipsius gratiæ auxilio facta. *Ita etiam docet Ecclesia Cathol. Rom.*

Acatholici quidam hæc absolutè negant, aliqui distinguunt.

12. *SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt*, quòd, sicut Fides salutem respicit, & ad illam necessaria est, ut conditio, sine qua homo salvari non possit, ita etiam opera bona. *Ita etiam docet Ecclesia Rom. Cathol.*

Acatholici omnes hoc negant; & licèt aliqui concedant necessitatem operum bonorum ad salutem: id ita explicant, ut opera non respiciant salutem, sed tantùm sint necessaria in signum veræ Fidei, quæ sola salutem apprehendat, in re tamen contradicunt Scripturæ & sanctis Patribus; prælertim quia volunt, quòd nulla sint opera simpliciter bona, sed peccata mortalia, quæ certè non sunt vera signa veræ Fidei, vel gratiæ Dei, sed potiùs aversionis.

13. *SS. Patres juxta sacram Scripturam docuerunt*, quòd Christus non absolutè, sed sub conditione, si mandata servaverint, fidelibus vitam æternam promiserit. *Ita etiam docet Ecclesia Romana.*

Acatholici volunt, quòd Christus absolutè fidelibus sine ulla conditione observantiæ mandatorum salutem promiserit: imo *Caluinus* ipse vult, quòd Christus ironicè locutus sit, dum dixit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, quasi dixisset, si hoc coneris, nunquam vitam intrabis, ad quod Christi verba, *venite ad me omnes*, more diaboli Christum tentantis, mutilatè allegat.

14. *SS. Patres juxtà S. Scripturam docuerunt*, quòd nullus possit esse Christi amicus, & quòd Christus cum Patre apud neminem manebit, nisi qui sermonem, & mandata ejus servat. *Ita etiam docet Ecclesia Rom.*

Acatholici volunt, quòd per solam Fidem homo Christi amicus sit, & Christus in ipso maneat, licèt mandata non servet, sed peccatis obnoxius sit.

15. *SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt*, quòd vera Fides ad salutem non sufficiat, nisi quæ per charitatem operatur, ac opera charitatis ex Fide procedentia ad salutem conducant, imo necessaria sint. *Ita etiam Ecclesia Rom.*

Acatholici soli Fidei salutem tribuunt, licèt illa sola esset sine charitate, sicut lux Solis illuminaret, licèt esset sine calore.

16. *SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt*, quòd necesse sit cum timore & tremore salutem operari, & ad salutem & gloriam consequendam cum Christo adversa patienter tolerare. *Ita etiam docet Ecclesia Romana Catholica.*

Acatholici volunt, quòd non possimus opera præstare ad salutem consequendam.

Quantùm ergo ipsorũ dogmata à veritate S. Scripturæ & SS. Patrum doctrinæ discrepent; cuilibet facilè patet.

***

CA-

Digitized by Google

CAPUT V.

De meritis bonorum operum.

I. IN libro de Justificatione actum est de operibus hominis, quæ justificationem præcedunt, quæ duplicia sunt; aliqua ex viribus solius naturæ fiunt, de quibus ostensum est, quòd nullo modo mereantur justificationem, nec ad ipsam disponant: Alia sunt, quæ ex speciali Dei auxilio excitante & juvante fiunt, ut Fides, timor divini Judicii, spes veniæ, inchoata Dei dilectio, &c. de quibus ostensum, quòd, licèt justificationem propriè non mereantur; verè tamen ad illam requirantur, & ad ipsam disponant. Hactenus etiam in hoc libro ostensum est; quòd homo post justificationem per Dei specialem adjutus gratiam, possit facere opera, quæ non sint vitiosa, nec peccata; sed verè bona, Deo grata, & simpliciter justa; & ad illa quoad præceptorum observantiam facienda obligetur; quæ & ut conditiones ad vitam æternam consequendam in adultis præter Fidem necessariò requirantur: Restat jam demonstrandum de operibus bonis justificatorum, quòd non solùm ut conditiones requirantur ad vitam æternam obtinendam; sed etiam tam quoad augmentum justitiæ vel gratiæ, quàm etiam quoad vitam æternam ipsam verè meritoria sint.

ARTICULUS I.

Referuntur errores Acatholicorum.

I. OPpositæ olim erant hæreticorum opiniones quoad opera, aliqui illa prorsus negabant ad salutem necessaria, ut antehac *de pseudo Apostolis, Eunomianis*, &c. relatum est. Alii requirebant opera ad salutem, sed asserebant illa esse meritoria salutis, quæ sine Christi merito, & sine speciali Dei gratia per solum liberum arbitrium fierent: *Ita Pelagiani*, de quibus refert D. August. epist. 106. & 107. & lib. de Hæres. cap. 88. de Pelagio dicens: *Sic asserebat, quod liberum arbitrium sine ullis præcedentibus meritis natura hominis à Deo accepisset; Fidem vero, & salutem per opera liberi arbitrii sine speciali Dei gratia consequatur, gratiam specialem solum à Deo dari, ut opera bona faceret, vel præcepta impleret; sine qua tamen omnia per liberum arbitrium posset, licet difficiliùs*, &c. Ita refert D. August. unde *S. Augustin. & Hieronymus* inferebant, quòd juxta Pelagium Christus frustra pro nobis mortuus esset, si sine ipso salus obtineri posset, quod & fatebatur dicens: *Christum solùm passum pro nobis, ut daret nobis exemplum patientiæ*, &c.

Hâc autem hæresi condemnatâ & eliminatâ, postea non leguntur aliqui, qui sic docuèrint, vel qui etiam merita per Dei gratiam facta negaverint; nam, licèt *Ioannes VVicleff*, & *Ioannes Huß*, novas hæreses excitârint; in doctrina tamen de meritis bonorum operum Ecclesiæ Catholicæ consenserunt; sicut & in multis aliis Fidei articulis, quos moderni Acatholici negant, & damnant; quamvis Wicleff excesserit in materia de meritis, Pelagium secutus, ut refert *Thomas VValdensis* tomo 3. cap. 7. sententia Joannis Huss ex ejus operibus sæpe constat, præsertim tomo 2. de exequiis fol. 50. ubi sic ait: *Nemo recipit de mercede post hanc vitam, nisi secundùm quod meruit in hac vita, patet ex hoc; quia solus status viatoris est status meritorius præmii beatitudinis sic merenti*, & infrà: *Christus Dominus noster est basis totius meriti membrorum Ecclesiæ, nam dicit Apostolus, ubi supra; fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est Christus Jesus, ubi vult Apostolus, quod solus Christus est Homo fundamentaliter promerens humano generi beatitudinem, sic; quod nemo alius, nisi in virtute hujus lapidis promeretur*, &c. hæc ille, quæ consonant Ecclesiæ Catholicæ, ut infrà patebit.

Verùm *moderni Acatholici*, licèt sese ad Huss & Wicleff referant tanquam ad Patres & avos suæ Fidei; tamen sicut in multis aliis, sic & in hoc articulo, quem volunt fundamentalem, illis contradicunt.

Cæterum, quantum *Lutherus* execratus sit merita bonorum operum, ex hactenus allegatis sæpe locis constat; qui solam Fidem sine omnibus operibus esse debere asseruit, si homo salvari cupiat; multò magis merita operum ad salutem negabat. II.

Calvinus etiam, ut hactenus visum est, negabat ulla esse verè justa & bona opera in judicio Dei, sed verè peccata omnia esse volebat, præsertim lib. 3. Instit. cap. 12. § 4. dicens: *Qui serio tanquam sub Dei conspectu de vera justitiæ regula quærent; illi certo comperient omnia hominum opera, si sua dignitate censeantur; nihil, nisi inquinamenta esse & sordes, & quæ justitia vulgo habetur, eam apud Deum meram esse iniquitatem*, &c. hæc ille. Et alibi sæpe, unde patet, quòd nullatenus velit opera ulla esse meritoria coram Deo, & ibid. cap. 14. §. 9. expressè dicit: *Nullum à Sanctis exire potest opus, quod non mereatur justam opprobrii mercedem*, &c. & quidem quoad rationem meriti & mercedis adeo infensus fuit: ut & nomen meriti & mercedis eliminandum dixerit, & SS. Patres hoc nomine utentes condemnare non sit veritus: nam lib. 3. Instit. cap. 14. §. 21. Inprimis negat operibus bonis aliquam efficientiam salutis non obstantibus verbis S. Scripturæ, licèt concomitantiam concedat, dicens: III. *quod autem præterea bona opera Scriptura causas esse ostendit, cur illis Dominus benefaciat, sic intelligendum est*, &c. & cap. seq. seu 15. ubi §. 1. statum quæstionis de meritis posuit dicens: *Utcunque ad justificandum hominem minimè sufficiant opera, an non tamen illa apud Deum gratiam promereantur?* Sed sincerum statum non proponit, ut infrà patebit. Postea §. 2. sic ait: *Primum de meriti nomine id mihi proferre necesse est, quicunque primus illud operibus humanis ad Dei judicium comparatis aptavit, eum Fidei sinceritati pessime consuluisse*, &c. *superem eam servatam fuisse inter Christianos Scriptores sobrietatem, ne usurpare*, &c. & infrà: *Usi sunt (fateor) passim vetusti Ecclesiæ Scriptores, atque utinam vocula*

anius ab uſu erroris materiam poſteris non præbuiſſent, &c. hæc ille. Verùm quanta arrogantia SS. Patres in hoc ſic cenſuret, qui non ſolùm voce illâ uſi ſunt, ſed etiam re ſignificatâ, infrà patebit; & ideo Calvinus non veretur eos ſic arguere, quia ipſi apertè contrarii ſunt: ſicut autem Calvinus fateri debuit ſanctos Patres nomine meriti uſos eſſe, licèt non vereatur eos in hoc arguere; ita econtrà *Martinus Bucerus*, ut habetur in actis Ratisbonenſibus, negare impudenter audet; vel ſacram Scripturam, vel ſanctos Patres illo meriti nomine uſos eſſe; hoc addito, ſi fortè Patres eo uſi ſint, *duram eſſe in illa voce catachreſin*, ſcilicet, quia illis contraria eſt.

Hunc Bucerum toties confuſum adhuc ſequi auſus eſt noſter Anonymus, qui dicere audet: *ſed Auguſtinus univerſaliter negat omne meritum noſtrum, ſicut & reformata Eccleſia*, &c.

IV. Cæterùm aliqui tamen ex Lutheri, quàm Calvini ſectatoribus concedunt, quòd articulus ille de meritis non ſit fundamentalis; qualem tamen alii volunt eſſe; ita more ſuo in Fide conſentiunt.

Aliqui cum *Confeſſione Auguſtana* fatentur bona opera Deo placere, & eſſe meritoria præmiorum; ſed hoc ita intelligunt, ut non ipſam vitam æternam mereantur, ſed alia præmia temporalia, & ſpiritualia, & gradus præmiorum; quod aliqui exponunt de gradibus gloriæ, &c. *Apologia tamen Confeſſionis Auguſtanæ dicit: Cum operibus redditur vita æterna, redditur iuſtificatis, quia neque bene operari poſſunt homines, niſi iuſtificati, qui aguntur ſpiritu Chriſti. Nec ſine Mediatore Chriſto, & Fide placent bona opera. Cùm dicit Paulus: Reddet unicuique ſecundùm opera eius, intelligi debet non tantùm opus externum, ſed tota iuſtitia, redditur igitur vita æterna iuſtitiæ*, &c. quod in ſenſu Catholico verum eſt, ſed quid ipſi per juſtitiam intelligant; patet ex illis, cùm per ſolam juſtitiam imputativam hominem juſtum eſſe velint, & opera bona non eſſe in ſe bona & juſta, ſed mala, & ſolùm per Fidem in Chriſtum non imputari, ac ſic à Deo acceptari ut juſta; & ſic ſubterfugere ſolùm volunt verba Scripturæ, quæ operibus mercedem promittunt; adeóque in re negant, quòd ipſa opera bona juſtorum mereantur vitam æternam, vel in ſe ſint meritoria; de quo principalis eſt quæſtio.

ARTICULUS II.

Proponitur & declaratur doctrina Eccleſiæ Catholicæ.

I. HÆc doctrina traditur in Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 10. *De merito quoad incrementum iuſtitiæ*, ubi ſic dicitur: *Sic ergo iuſtificati*, &c. *euntes de virtute in virtutem renovantur, ut Apoſtolus ait, de die in diem: hoc eſt mortificando membra carnis ſuæ, & exhibendo ea arma iuſtitiæ in ſanctificationem, per obſervantiam mandatorum Dei & Eccleſiæ, in ipſa iuſtitia per Chriſti gratiam accepta, cooperante Fide bonis operibus creſcunt, atque magis iuſtificantur; ſicut ſcriptum eſt, qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc*, hæc ibi. Et quoad merita vitææternæ ponitur cap. 16. cui talis imponitur titulus: *De fructu iuſtificationis, hoc eſt, de merito bonorum operum, deque ipſius meriti ratione*, & in ipſo Capite ſic procedit: *Iuſtificatis hominibus, ſive acceptam gratiam perpetuò conſervaverint, ſive amiſſam recuperaverint, proponenda ſunt Apoſtoli verba: Abundate in omni opere bono; ſcientes; quòd labor veſter non eſt inanis in Domino, non enim iniuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri*, &c. *atque ideo bene operantibus uſque in finem, & in Deo ſperantibus, proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Chriſtum Ieſum miſericorditer promiſſa, & tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus, & meritis fideliter reddenda. Hæc eſt enim illa corona Iuſtitiæ, quam poſt ſuum certamen, & curſum repoſitam ſibi aiebat Apoſtolus à iuſto iudice ſibi reddendam, non ſolùm autem ſibi, ſed & omnibus, qui diligunt adventum eius.* 1. Tim. 4. v. 8. poſt II.
hæc Concilium exponit rationem meriti dicens: *Cùm enim ille ipſe Chriſtus Ieſus, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos iuſtificatos iugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſunt: nihil ipſis iuſtificatis ampliùs deeſſe credendum eſt, quò minùs plenè illis quidem operibus, quæ in Deo ſunt facta, divinæ legi pro huius vitæ ſtatu ſatisfeciſſe, & vitam æternam ſuo etiam tempore, ſi tamen in gratia deceſſerint, conſequendam verè promeruiſſe cenſeantur.* & paulò pòſt: *Itaque neque propria noſtra iuſtitia tanquã ex nobis propria ſtatuitur, neque ignoratur, aut repudiatur iuſtitia Dei: quæ enim iuſtitia noſtra dicitur, quia per eam nobis inhærentem iuſtificamur, illa eadem Dei eſt, quia à Deo nobis infunditur per Chriſti meritum: neque verò illud omittendum eſt, quod licet bonis operibus in ſacris literis uſque adeò tribuatur, ut etiam qui uni ex minimis ſuis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Chriſtus eum non eſſe ſuâ mercede cariturum, & Apoſtolus teſtatur, id quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ ſupra modũ in ſublimitate æternæ gloriæ pondus operari in nobis; abſit tamen ut Chriſtianus homo in ſe ipſo vel confidat, vel glorietur, & non in Domino; cuius tanta eſt erga omnes homines bonitas, ut eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona.* hæc ibi.

Juxta hanc doctrinam Conc. ibid. can. 24. ſic III.
definit dicens: *Si quis dixerit iuſtitiam acceptam non conſervari, atque etiam augeri per bona opera; ſed opera ipſa fructus ſolummodo, & ſigna eſſe iuſtificationis adeptæ, non autem ipſius augendæ cauſam; anathema eſto.* Item can. 26. *Si quis dixerit iuſtos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta expectare & ſperare æternam retributionem à Deo per eius miſericordiam & IeſuChriſti meritum, ſi bene agendo, & divina mandata cuſtodiendo uſque in finem perſeveraverit, anathema ſit.* Iterum can. 31. *Si quis dixerit iuſtificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis operatur, anathema ſit.* Demum can. 32. *Si quis dixerit hominis iuſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, ut non ſint etiam bona ipſius iuſtificati merita; aut ipſum iuſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & IeſuChriſti meritum, cuius vivum membrum eſt, fiant, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema ſit.*

In hac doctrina ut de Fide certa, à qua Aca- IV.
tholici diſſentiunt, omnes Doctores Catholici conſentiunt, licèt ſalvâ Fide de quibuſdam inter ſe ſcholaſticè diſputent, ita tamen, ut omnia, quæ

Digitized by Google

juxta diversas opiniones à diversis asserūtur, huic Catholicæ doctrinæ non repugnent, sed cum illa consistant. Hoc ipsum sic breviter ostenditur: Nam omnes Doctores Catholici cum Concil. Trid. credunt, & docent, quòd homines per donum gratiæ, seu charitatis, vel justitiæ à Deo per Spiritum Sanctum propter merita Christi in cordibus diffusum, & infusum, ac verè & simpliciter bonum, formaliter justi, Deo grati, ac filii Dei, & cœlestis Regni misericorditer promissi hæredes constituantur. At verò Acatholici hoc ipsum negant, sed volunt, quòd homo per solam extrinsecam Justitiæ Christi imputationem iustus, & filius regni constituatur, vel potiùs æstimetur: An autem ad hoc donum gratiæ, seu charitatis, ut homo per illud hæres Regni constituatur, præter entitatem ipsius gratiæ bonam, sanctam, & Deo gratam propter Christum homini misericorditer infusam, specialis aliqua Dei acceptatio, & promissio requiratur, scholasticè disputatur.

V. 2. Fides Catholica docet, quòd vita æterna duplici titulo iustificatis conferatur, semel *titulo filiationis*, ad quam sequitur hæreditatis titulus, juxta illud Apost. Rom. 8. v. 17. *Si autem filii, & hæredes*, & hoc titulo tam adulti, quàm infantes post Baptismum morientes vitam æternam misericorditer promissam consequuntur: *alter titulus est mercedis, & præmii*, qui opera bona meritoria iustorum respicit, quibus Deus vitam æternam, ut mercedem promisit: an autem vita æterna in primo gradu sub solo titulo hæreditatis; & sub titulo etiam mercedis in aliis gratiæ essentialis gradibus sit reddenda, scholasticè disputatur. Acatholici aliqui hoc secundum verbotenus asserunt, re ipsâ tamen negant, ut patet ex iis, quæ præcedenti articulo allegata sunt; si tamen concedant, Ecclesiæ consentiunt.

VI. 3. Certum est de Fide Catholica, quòd sint certa hominum justificatorum bona opera, quæ verè coram Deo bona sint, & nullatenus peccata, vel vitiosa, ut suprà ostensum est; & insuper verè meritoria tam gratiæ augmenti, quàm vitæ æternæ. Acatholici hoc negant: an autem hæc opera meritoria sint dicenda ex condigno? Ecclesia non definivit; plerique tamen Doctores id asserunt, sed qualiter hæc condignitas intelligatur, scholasticè disputatur.

4. Ecclesia Catholica de Fide certum credit, quòd illud opus hominis justificati verè coram Deo, & non aliter, sit meritorium augmenti gratiæ, & vitæ æternæ, quod per gratiam, seu charitatem cordibus infusam, virtute Christi illud opus semper antecedente, comitante, & subsequente efficitur, an autem in hoc includatur pactum, seu promissio specialis Dei, & acceptatio, vel non includatur, scholasticè disputatur: Acatholici hoc prorsus negant.

VII. 5. Ecclesia credit, quòd tale opus meritorium verè sit opus hominis ab ipso liberè partialiter factum, & simul ac primariò etiam donum Dei; quia non solùm à Deo, ut à causa prima communi concursu naturæ debito, sed etiam ex gratia supernaturali à Deo infusa, & per specialem supernaturalem gratiam actualem prævenientem, & adjuvantem propter merita Christi efficitur; ac proinde specialiter sit simul verè Dei donum, & ex Dei bonitate, & voluntate verè hominis meritum; & ideo homo non in se, sed in Domino solùm gloriari possit. Acatholici hoc ultimum concedunt, sed priora negant.

6. Similiter Ecclesia credit, quòd, nisi Christus Jesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites in justificatos jugiter virtutem influeret, nullum opus justificatorum Deo gratum, aut meritorium esse possit: Acatholici quidem concedunt, quòd Christo dictis modis justificati inserti sint; sed negant, quòd ipsi idcirco opera bona meritoria exerceant; quin potiùs volunt, quòd homines dicantur præcisè bene operari, quia Caput Christus bene operatus est, cujus merita ipsis imputantur; licèt opera illorum in se mala sint, modò in Christum credant.

ARTICULUS III.

Quòd Iustificati per opera bona ex gratia facta verè mereantur eiusdem augmentum.

Probatur primò ex illo Eccli. cap. 18. v. 22. *Non impediaris orare semper, & ne verearis* (vel, ut alii legunt veteris) *usque ad mortem iustificari, quoniam merces Dei manet in æternum.* Vbi patet, quòd sermo sit de illo, qui jam justificatus est, ut magis se justificare studeat, non dicitur de initio justificationis, sed de illius cōtinuatione, supponendo illius initium, quod non datur, ut merces, sed ex nuda gratia: hîc autem merces promittitur. Quòd autem justificationis continuatio intelligatur, & non eius initium, patet ex contextu, cùm dicitur: *Non impediaris orare semper*, ubi non initium, sed continuatio orationis clarè exprimitur, & hoc modo SS. Patres Scripturam legerunt, & intellexerunt; licèt aliqui Acatholici in alium sensum detorquere conentur. Secundò patet ex illa parabola Matth. 25. *De talentis à Domino datis servo fideli*, quæ sunt gratia Dei, sine qua lucrari non potest, sed habens illa talenta lucratus est alia quinque, seu ulteriorem gratiam, propterea & meretur ingredi in vitam æternam. Tertiò Apostolus 2. ad Cor. 7. v. 1. ait: *Has ergo habentes promissiones charissimi mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus perficientes sanctificationem in timore Domini*, ubi supponit Apostolus, quòd fideles iam justificati quotidie ad maiorem sanctificationem proficere possint. Similiter ibidem cap. 9. v. 10. *Qui autem administrat semen seminanti, multiplicavit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ*; ubi Apostolus clarè indicat, quòd justificatis, qui eleēmosynam præstant temporalem, Deus augebit fructum spiritualem iustitiæ. Idem clarissimè asserit Jacobus Apostolus cap. 2. v. 21. dicens: *Abraham Pater noster nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super Altare? vides quoniam Fides cooperabatur operibus, & ex operibus Fides consummata est, & suppleta est Scriptura, dicens, credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus Dei appellatus est, videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex Fide tantum* 1.

Hîc

Hîc Apoſtolus manifeſtè loquitur de Fide, quæ juſtificat, quod negant Acatholici, & tamen patet ex textu, cùm dicit: *Vides quòd ex operibus juſtificatur homo, & non ex Fide tantùm*, adeòque patet, quòd de Fide juſtificante loquatur, ſed ait, quòd, ſi ſola ſit, non proſit, ſed mortua ſit; at verò cum operibus conjuncta juſtificet, de qua Apoſtolus: *Fides quæ per charitatem operatur*.

II. Quòd Jacobus Apoſt. non loquatur de prima juſtificatione, de qua Apoſt. Paulus ad Rom. cap. 5. & 4. etiam patet ex textu, quia ſequitur de Abraham, qui jam juſtificatus erat. Hoc ipſum D. Aug. lib. de Fide & Oper. cap. 14. & præſertim in præfat. in pſ. 31. clariſſimè oſtendit: ubi hortatur fideles, ut poſt Baptiſmum, & acceptam Fidem, & juſtificationem opera bona faciant eâ intentione, ut vitam æternam conſequantur, ſupponens, quòd per illa opera magis juſtificentur; idque probat ex his Apoſtoli Jacobi verbis, & conciliat verba Jacobi cum Pauli verbis, qui exemplum Abrahæ pro Fide tantùm allegare videtur; verba S. Auguſtini cap. præced. art. ult. ante concluſionem prolixè relata ſunt; ubi oſtendit, quòd Paulus adduxerit exemplum Abrahæ ob id præcipuè, ut probaret, quòd nullum opus ſit bonum, niſi ex vera Fide procedat, non verò intendat negare, quòd juſtificati per opera, quæ ex Fide procedunt, magis juſtificentur, vel mereantur; cujus contrarium ex pluribus Apoſtoli locis infrà allegandis patet, & ſpecialiter ad Rom. 3. v. 13. *Non enim auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur*: ubi de juſtificatione ſecunda, quæ Fidem præſupponit, loquitur, idque non coram hominibus, ſed apud Deum.

Eadem veritas probatur ex illo Apoc. ult. v. 11. *Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc, & qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc.* ubi patet primò, quòd, ſicut is, qui in ſordibus peccatorum eſt, adhuc ſordeſcat, plures ſordes accipiat; ita etiam qui juſtus eſt, majorem juſtitiam acquirat, quia ampliùs juſtificatur & ſanctificatur. Secundò, quòd ſicut homo malus per mala opera majoribus ſordibus inquinatur, ſic econtrà juſtus per bona opera in juſtitia creſcat.

III. Et hæc eſt communis SS. Patrum ſententia, & ex locis ſuprà allegatis conſtat. Hîc ſufficiat ſolus *Auguſtinus*, qui edit. Baſil. 1529. tomo. 9. tract. 74. in Joann. ſic ait: *Reſtat ergo, ut intelligamus Spiritum Sanctum habere, qui diligit, & habendo mereri, ut plus habeat, & plus habendo, plus diligat. Jam itaque habebant Spiritum diſcipuli, quem Dominus promittebat, ſine quo eum Dominum non dicebant; nec tamen adhuc habebant, ſicut eum Dominus promittebat. Et habebant ergo, & non habebant, quia quantum habendus fuerat nondum habebant, habebant itaque minùs, dandus erat eis ampliùs*, &c. hæc ille, ubi clariſſimè oſtendit, quòd juſtus majorem gratiam Spiritûs Sancti plus diligendo mereatur.

Similiter epiſt. 106. tomo 2. edit. Baſil. 1528. ſic ait: *Sicut unicuique Deus partitus eſt, etiam ipſius menſuram Fidei, non gratiam aliquid meriti præcedit humani: ſed ipſa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici*, &c. hæc ibi.

***

ARTICULUS IV.

Quòd homo juſtificatus per opera bona ex gratia facta æternam vitam mereatur, probatur ex S. Scriptura.

Probatur 1. ex locis S. Scripturæ, ubi expreſsè opera dicuntur meritoria, ut Eccli. 16. v. 15. *Omnis miſericordia faciet locum unicuique ſecundùm meritum operum ſuorum.* I.

2. Apoſt. ad Hebr. 13. v. 16. ait: *Beneficentiæ autem & communionis nolite oblivisci, talibus enim hoſtiis promeretur Deus*: & ſic de merito vitæ æternæ hunc locum intellexerunt SS. Patres.

Prob. 2. quia operibus talibus promittitur vita æterna ut merces, ergo opera talia merentur vitam æternam: Conſequentia patet, quia merces & meritum ſunt correlativa, juxta illud Apoſt. Rom. 4. v. 4. *Ei, qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum*, meritum autem inducit debitum. Antecedens probatur ex illo Gen. 15. v. 1. *Noli timere Abraham, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* Sic 2. Paralip. 25. 7. Azarias Propheta hortans populum, ut relictâ Idololatriâ ſerviat Domino, dicit: *Vos ergo confortamini, & non diſſolvantur manus veſtræ, erit enim merces operi veſtro*, ſic Sap. 5. v. 16. *Juſti autem in perpetuum vivent, & apud Dominum eſt merces eorum.* Iſa. 40. v. 10. *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium ejus dominabitur, ecce merces ejus cum eo.* ſimiliter Matth. 5. v. 12. Chriſtus dicit: *Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* hanc mercedem ſtatim explicârat dicens v. 10. *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt Regnum cœlorum*, & cap. 10. v. 41. dicit Dominus: *Quicunque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine diſcipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.* Et Apoſt. 1. Corinth. 3. v. 8. *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem.* Item Matth. cap. 20. Chriſtus ponit parabolam de operariis, quæ intelligitur de fidelibus vocatis, & in fine v. 8. dicit: *Voca operarios, & redde illis mercedem*, & v. 9. *Acceperunt ſingulos denarios.* ubi per denarium ſingulis datum ſancti Patres intelligunt vitam æternam.

Nec obſtat, quòd ſingulis Juſtis ex titulo filiationis Regnum cœlorum, & hæreditas obveniat, ſi in gratia moriantur, etiam infantibus abſque operibus: tamen clarum eſt ex parabola, quòd laborantibus in vinea ob laborem merces detur, utique major gloria regni, quam nudæ filiationi competat: licèt enim omnes primum gloriæ gradum accipiant, qui per denarium intelligitur, non tamen excluditur, quòd pro qualitate meritorum major vel minor gloria conferatur, juxta illud Joann. 14. v. 2. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, & 1. Cor. 15. v. 41. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas ſtellarum: ſtella enim à ſtella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum.* II.

Vide D. Hieron. lib. 2. in Jovinianum, cujus verba infrà referuntur, & D. Auguſtin. tract. 67. in Joann. cujus verba etiam infrà referuntur.

Digitized by Google

III. Probatur secundò, quia operibus bonis justorum promittitur vita æterna, & præmium, idque juxta vel secundùm proportionem operum. Ex quo evidenter sequitur, quòd meritum operum respiciatur, & non sola Dei liberalitas, vel promissio: cur enim sacra Scriptura toties asserit, quòd secundùm mensuram & qualitatem seu quantitatem operum merces danda sit, si nullum sit meritum operum? cùm constet in humanis, quòd præmium ipsum non respondeat soli liberalitati Principis, sed etiam operi præstito & exacto à Principe. Quòd autem sic Regnum cœlorum dandum sit, patet ps. 61. v. 13. *Quia tu reddes unicuique juxta opera sua*, & similiter Christus Matth. 16. v. 27. dicit: *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet unicuique secundùm opera sua.* Luc. 6. v. 38. *Date, & dabitur vobis, mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabit in sinum vestrum; eadem quippe mensura, quâ mensi fueritis, remetietur vobis.* quod Christus explicat Joann. 5. v. 29. dicens: *Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei; & procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicii.* similiter Apost. Rom. 2. v. 5. *Thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis iusti iudicii Dei, qui reddet unicuique secundùm opera eius: iis quidem, qui secundùm patientiam boni operis, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam.* Iterum ad Cor. 3. v. 8. *Vnusquisque enim propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem*, similiter Gal. 6. v. 8. *quæ enim seminaverit homo, hæc & metet, quoniam qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Vbi clarè excluditur effugium Acatholicorum, qui ad prædicta loca respondent, quòd retributio fiet juxta opera, quoad aliqua præmia, sed non quoad vitam æternam ipsam; quam Apostolus exprimit ùt præmium reddendum ipsis operibus: & juxta hoc etiam dicitur Apocal. ult. v. 12. *Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundùm opera sua.* Constat autem, quòd Christus in die judicii peccatoribus juxta opera sua mala reddet damnationem, & mortem æternam, adeóque justis vitam æternam, quia Christus non erit parcior in reddendo suis electis propter opera bona vitam, quàm erit justus in puniendis malis morte æternâ.

IV. Probatur tertiò, quia S. Scriptura sæpe pronunciat, quòd vita æterna justis sit danda, & hujus causam assignat opera bona, quæ fecerunt, quæ utique est causa meritoria, ut Matth. 19. v. 29. *Amen dico vobis, omnis, qui reliquit domum, vel fratres, vel sorores, &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Ecce Christus sub juramento promittit vitam æternam, qui sic faciunt, nonne hæc promissio vitæ propter opera illa? sic Matt. 25. v. 34. dicit Dominus, quod in die judicii dicet electis: *Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi, esurivi enim, & dedistis mihi manducare.* ubi per particulam *enim*, quæ causalis est, clarè indicatur, quòd causa meritoria regni, sint opera præstita. Similiter ibid. v. 21. & 23. in parabola de Servis, quibus Dominus dedit talenta ad lucrandum, ait: *Euge serve bone, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* ubi patet 1. quòd servus qui 5. vel 2. talenta acceperat, quæ est gratia, & virtus à Deo data, sine qua lucrari nihil possunt, per illam operantes majorem gratiã lucrati sint; & ideo propter hunc laborem, tanquam meritoriam causam, datur gaudium, quod conjunctio *quia* causalis exprimit.

Cur autem Christus tam clarè tam opera misericordiæ quàm lucra diceret allegandà fore in reddendo regno, nisi ut præmio operũ. Similiter Apoc. 7. v. 14. de SS. Martyribus dicitur: *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, &c. ideo sunt ante thronum Dei.* Et patet è contrario de damnandis, cùm Christus Matt. 25. v. 41. ibid. dicit: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, &c. esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* & v. 30. *Inutilem servum eiicite in tenebras exteriores*, ubi negari non potest, quin illæ particulæ, *enim*, & *quia*, causaliter significent, scilicet, quòd illorum mala opera sint causæ meritoriæ damnationis illorum. Et certè evasio Calvini lib. 3. Inst. c. 14. §. 21. planè falsa ex his convincitur. Verùm claris S. Scripturæ verbis convictus fatetur quædam dicens: *S. Scriptura bona fidelium opera causam esse ostendit, cur Dominus illis benefaciat, sed hoc sic intelligendum est*, & infrà: *Opera Dominus, tanquam causas inferiores amplectitur*, quod sic explicat: *quod Deus illos, quos æternæ vitæ destinavit, per opera bona inducit in eius possessionem*, non quòd sint causæ illius, sed effectus præmii, ita ut, quod ordine præcedit, dicatur causa posterioris, *non quòd eis referenda sint accepta, sed quòd quos eligit iustificat, ut demum glorificet, priorem gratiam, quæ gradus est ad sequentem, causam quodammodo facit. At quoties assignanda est una causa, non ad opera iubet confugere, sed in sola misericordiæ cogitatione nos retinet, quale est istud, quod per Apostolum docet, stipendium peccati mors, gratia Domini vita æterna, cur non ut peccatũ mortis, ita iustitiam vitæ causam statuit?* hæc ille. contra faciunt verba tam clara S. Scripturæ jam allegata, quæ ipsum Calvinum convincunt, ut fateri debeat opera esse & dici à sacra Scriptura causam vitæ, quod non salvatur per solum ordinem prioris & posterioris effectûs, nec hæc causalitas operum ab Ecclesia asserta obstat, vel derogat misericordiæ Dei, vel meritis Christi, ut infrà magis patebit. Cùm ergo simul consistant, verbis tam claris S. Scripturæ inhærendum est potius, quàm fictæ Calvini explicationi contra SS. Partum sententiam, ut patebit. VI. Cur autem Apostolus non dixerit, *stipendium iustitiæ vita æterna*, inde est, quia omnis justitia operum fundatur in misericordia & gratia Dei, & tamen stipendium dici possunt, ut infrà ex D. *August.* epist. 105. & lib. de Grat. & lib. Arb. patebit, non quòd justis operibus referenda sit vita æterna tanquam causæ principali absolutè meritoriæ, hoc enim solis Christi meritis convenit, sed tanquam causæ inferiori à meritis Christi in merendo planè dependenti: sic Scriptura ad solam Dei misericordiam, ut causam efficientem, & ad sola merita Christi, ut ad causam meritoriam absolutam, nos jubet confugere; cum quo consistit, quòd eadem Scriptura nos toties jubeat ad opera confugere per gratiam Dei facienda, quæ nõ solùm ut priores effectus indicat, sed tam clarè iis promitti mercedem, & illis causalitatem vitæ tribuit, licèt minimam, si cum Christi merito cóparentur; Sed illa Christi meritum semper includunt tanquã radicem & fontẽ omnis meriti.

Quòd autẽ aliqua causalitas operibus tribuatur præ-

præter ea, quæ allegata ſunt, plurima S. Scripturæ teſtimonia teſtantur, ut inter alia 2. Cor. 4. v. 17 *Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis.* Et ad Philip. 2. v. 13. *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini.* Similiter alibi ſæpe, ubi patet, quod non requirantur opera, ut effectus præmii; ſed illis tribuitur vera cauſalitas reſpectu ſalutis, ſcilicet meritoriè.

Interim ad refutandum Calvini effugium, hoc etiam addatur, ſi omnia opera juſtorum ſint coram Dei judicio abominabilia, & æterno opprobrio digna, ut vult Calvinus, quomodo Deus illa, ut effectus ſuæ miſericordiæ prævios ad ſalutem requirit, imo efficit? niſi velit Deum peccati authorem: an peccata ſunt gratiâ priora, & gradus ad gloriam? ecce qualiter doctrina Calvini cohæreat.

VII. Cæterùm veritas Catholica etiam probatur ex illis locis S. ſcript. ubi promittitur bonis operibus præmium, & quidem ex juſtitia reddendum, & corona juſtitiæ, ac bravium curſus ſpiritualis, ut patet 2. Theſſ. 1. v. 4. *Abundat charitas veſtra uniuſcujuſq; veſtrûm ad inuicem, ita ut nos ipſi in vobis glorie-mur in Eccleſiis Dei pro patientia veſtra, & fide, & in omnibus perſecutionibus veſtris, & tribulationibus, quas ſuſtinetis in exemplum juſti judicii Dei, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini; ſi tamen juſtum eſt apud Deum retribuere his, qui vos tribulant, & vobis, qui tribulamini, requiem nobiſcum.* Ecce quàm clarè dicit fideles non ſolùm pro fide, ſed & pro patientia, & pro tribulationibus, quas ſuſtinent, *ſint in exemplum juſti judicii Dei, & digni in Dei judicio habeantur*, & quod juſtum ſit, ut Deus illis retribuat requiem, ſicut perſecutoribus ſupplicium, quod illi promerentur; retributio enim meritum reſpicit. Sic etiam dicit Chriſtus Apoc. 3. v. 4. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt*, quid eſt ambulare in albis cum Chriſto, niſi vita æterna, quam habebunt, quia digni ſunt, quid eſt eſſe dignum, niſi mereri?

Rurſus 2. Tim. 4. v. 4. ait Apoſt. *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex, non ſolùm autem mihi, ſed & iis, qui diligunt aduentum ejus.*

Similiter ad Hebr. 6. v. 10. *Non enim injuſtus Deus, ut obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis quam oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis Sanctis, & miniſtratis.* Ecce quàm clarè dicit Deum ex juſtitia retributurum pro illis operibus, qui injuſtus eſſe nõ poteſt: quod non ſequeretur, ſi ex tota liberalitate vitam daret, & nullatenus opera præmiaret.

Sic 1. Cor. 9. v. 24. *Neſcitis quod ii, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit brauium, ſic currite, ut comprehendatis*, ecce Apoſt. vitam æternam comparat bravio, quod datur bene cur-
VIII. renti, idque ex juſtitia?

Similiter Jacobi 1. v. 12. dicitur: *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam, cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Sic etiam Apoc. 2. v. 10. dicitur: *Eſto fidelis uſq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Quomodo clariùs operibus meriti ratio tribueretur? niſi his verbis, quod corona dabitur juſtitiæ, quam Deus illis promiſit, qui bene operati fuerunt: cur præmia & corona juſtitiæ vocantur, ſi Deus nullo modo opera hominum ut meritoria in conferenda vita æterna attenderet? vel tandem quæ cauſa, cur Deus homines etiam juſtificatos in judicio judicandos comparituros dicit, ſi non juxta merita judicandi ſint? ſi ſola fides ibi attendenda foret, quâ crediderunt? cur Chriſtus & Apoſtoli tam clarum operum in judicio examen proponunt? Demum ſi opera nihil mereantur, cur Deus ipſe ſub juramento promittit operibus coronã? Si dicant, quod Deus ſic hortetur homines, ut opera faciant, tanquam ſigna veræ fidei, ergone Deum mendacem, & deceptorem faciunt, qui ſub tali modo ad opera hortetur, quod illis corona danda ſit, quæ verè illis non dabitur? non opus habet Deus mendaciis, qui ipſa Veritas eſt. Huic iterum addo, quod juxta Acatholicorum doctrinam Deus ne quidem ad talia opera bona hortari deberet, quæ juxta illos vera peccata ſunt. Quanto ergo veriùs Eccleſia Catholica credit, juxta tot & tam clara S. ſcript. teſtimonia, quod & opera juſtorum bona ſint, & Deus ad illa exhortetur, ut illis mercedem, præmium, bravium, & coronam vitæ æternæ promittat reddendam, quæ etſi ipſius dona ſunt, tamen, quia cum ſuo ſpeciali auxilio etiam ab homine liberè fiunt, voluit eſſe merita hominum, & ſic illa præmiare. *Et an non licet ei, quod vult facere?* Hæc veritas adeo clarè ex S. ſcriptura conſtat, ut cuilibet pateat: quod verò eandem SS Patres agnoverint, & docuerint, inſuper oſtendendum eſt.

ARTICULUS V.

Eadem veritas probatur ex teſtimoniis I.
SS. Patrum Græcorum.

SAnctus Clemens Ann. 90. epiſt. 4. ſic ait: *Audiri a Deo demum meremus, ſi orationes ipſæ bonis moribus, & bonis operibus adjuuantur.*

S. *Ignatius* ann. 100 in epiſt. ad Rom. *Sinite*, ait, *ut beſtiarum eſca ſim, per quam Deum poßim promereri.* Utique reſpexit ad Verba Apoſtoli Act. 13. v. 16. *Talibus hoſtiis promeretur Deus.*

Idem *Ignatius* ad Mariam Caſſobolitem, *Hortor*, ait, *ut labori huic tuo incrementa adjicias, præſens namq; labor modicus, multa autem, quæ hinc expectatur merces*; hæc ille.

Dionyſius ann. 100. Eccleſ. Hierarch. c. 7. p. 3. apud Jod. Cocc. l. 3. de Juſtif. art. 3. p. 227. ed. Colon. 1601. ſic ait: *Oſtendit per id profectò omnes in reſurrectione illas conſecuturos ſortes, ad quas hic vitam propriam direxerunt*, & infrà: *Si autem ad ſummam illam non peruenit effigiem, ſanctè tamen ſe in vita habuit, paria & iſta meritis præmia referet*, hæc ille.

Juſtinus martyr ed. Heidelb. 1592. ann. 150. in Apologia 2. ad Antoninum Imperat. circa mediũ: *Ad conſuetudinem cum Deo parente aſpiramus*, &c. *perſuaſum habentes, atq; credentes, conſequi hanc eos poſſe, qui factis ipſis Deo probant ſe illum conſectari*, & infrà: *Qui ſi dignos ſe operibus ipſis illius conſilio & voluntate præſtiterint, conuerſatione ſuâ, dignatum iri ſcimus, cum illo ſimul regnaturos*, & infrà: *Nos immortales duntaxat eos fieri ſcimus, qui ſanctè per virtutem ad imitationem Dei vixerunt*, hæc Juſtinus. Ecce quàm clarè hi primi SS. Patres operum merita reſpectu æternæ vitæ tradiderunt.

Digitized by Google

Irenæus l. 4. adversus hæref. c. 72. sic ait: *Pretiosam arbitremur coronam, quæ per agonem nobis acquiritur, sed non ultro coalitam, & quanto per agonem nobis aduenit, tanto est pretiosior*, hæc ibi.

II. *S. Clemens Alexandrin.* apud Jod. Cocc. l. 3. de Justif. art. 3. ed. Colon. 1601. fol. 228 Anno 200. lib. 4. Stromatum, *Deus*, ait, *omnibus omnia distribuit pro meritis, cùm justa sit dispensatio & œconomia.* Item lib. 6. sic dicit: *Quando audierimus*, fides tua te salvum fecit, *non accipimus eum dicere absolute eos saluos futuros, qui quomodocunq; crediderint, nisi facta quoq; fuerint consecuta proportione habita sunt variæ mansiones pro dignitate, & meritis eorum, qui crediderunt.* Idem in Parænetico sic ait: *Nec pigeat vos laborasse, licet vobis, si velitis, pretiosissimam salutem emere proprio thesauro, charitate, & fide vita, quod quidem justum est pretium, quod libenter Deus accipit*, hæc ille, quid clariùs dici posset pro meritis respectu vitæ?

Origenes Anno 240. hom. 1. in Ezech. ed. Basil. 1557. p. 1. *Quare*, inquit, *ægre fers, niti, laborare, contendere, & per bona opera teipsum causam tuæ fieri salutis?*

Idem tract. 32. in Matth. ait: *Qui autem profitentur quidem fidem in Jesu, non autem præparant se bonis operibus ad salutem, reliquis quinq; assimulantur virginibus fatuis*, hæc ibi. Et lib. 2. in epist. ad Rom. eâd. ed. p. 2. sic ait: *Nunc requiramus de justo judicio Dei, in quo reddet unicuiq; secundùm opera sua; & primo quidem excludantur hæretici, qui dicunt animarum naturas bonas vel malas, & audiant, quia non pro natura unicuiq; Deus, sed pro operibus* (vel, ut alii legunt, meritis) *sua reddet; Secundo in loco ædificentur fideles, ne putent hoc sibi solum sufficere posse, quod credunt, sed sciant justum judicium Dei reddere unicuiq; secundùm opera sua*, hæc ille, quid clariùs contra Acatholicorum doctrinam dici posset?

III. *S. Basilius* Anno 350. lib. de Spiritu Sancto ed. Antwerp. 1568. cap. 24 dicit: *Homo qui salvus fit per justitiam operum plurimum absit ab eo, ut spiritum debita gloria fraudet.*

Item serm. de ascesi, id est, de cultu seu exercitatione monastica, *Custodientibus*, inquit, *mandata ejus, retributio multa merces nimirum illa copiosa est, & corona justitiæ, vita finem nunquam habitura, gaudium inenarrabile.*

Idem hom. 12. seu, ut alii allegant, oratione in initium Proverbiorum, *Omnes*, ait, *qui euangelicam vitam incedimus* (seu ut alii legunt) *angelicam viam ambulantes, mercatores sumus per opera mandatorum nobis possessionum cælestium negotiantes* (vel ut alii legunt) *comparantes*, &c.

S. Cyrillus Hierosolym. ed. Colon. 1564. catechesi 1. *Si parum*, ait, *laboraueris, parum accipies; si vero multum operaberis, multa tibi merces manet.*

Item catechesi 15. *Sic*, inquit, *tremendum est judicium: nam regnum cælorum proponetur, & ignis æternus præparabitur; quomodo igitur dixerit aliquis, ignem effugiemus, & quomodo regnum cælorum ingrediemur? Esuriui, inquit, & dedistis mihi manducare; discite viam*, & infrà: *Hæc si nunc feceris, regnabis; si non feceris, condemnaberis: Jam igitur incipe hæc operari, & perseueres in fide, ne sicut stultæ virgines empturus oleum, excludaris.* Et infrà: *Non in hoc solum confidas, quod credis, sed fidem ardentem conserua, ut luceat lux tua coram hominibus per opera bona*, hæc ille. Ecce quàm clarè excludit Acatholicam confidentiam in sola fide ad salutem; sed fidem per charitatem ardentem, seu opera ex fide facta mereri regnum cælorum, quibus regnum in mercedem datur.

S. Gregor. Nazianz. Orat. 40. quæ est in S. Baptisma sic ait: *Crede resurrectionem, judicium, mercedem ad justam Dei lancem exigendam.*

S. Gregor. Nyssenus Orat. 1. de Pauperibus amandis apud Jodocum Coccium ed. Colon. 1601. lib. 3. de Justific. art. 3. sic ait: IV.
Pro suis quemq; meritis ornatum cerno, illis, qui boni benigniq; fuerint, summa & perpetua quies tribuitur in regno cælesti; Inhumanis autem & improbis supplicium ignis, idq; sempiternum.

Item apud eundem orat. 2. de Paup. amand. *Quid ergo faciendum est nobis?* & infrà: *Nam quæ proportio est inter res veras & adumbratas picturas, eadem obtinent verba, si ab operibus sejungantur: non enim in verbis salutem consistere dicit Dominus, sed in salutis operibus faciendis*, hæc Greg. Nyssen.

Theophilus Alexandr. epist. 3. paschal. ait: *Qui jejunia, id est: conuersationem angelicam imitantur in terris, meminerint illius dicti, regnum Dei non est cibus & potus, sed Justitia, & gaudium, & pax, & lætitia, quæ per continentiam præuio & paruo labore magna sibi & æterna conciliant præmia*, hæc ille.

Chrysost. hom. 42. in Genes. ed. Basil. V.
1558. *Corona*, ait, *quæ pro virtute & ejus sudoribus datur, nihil habet sensibile, neq; in hoc sæculo nobiscum dissoluitur, sed perpetua est, immortalis, extendens se in omnia sæcula; & labor quidem est parui temporis, merces autem laborum finem non habet, neq; cedit tempori, neq; marcescit*, &c. hæc ille.

Idem homil. 4. de Lazaro sic ait: *Si justus est* (Deus) *& his & illis reddet pro meritis, & hoc in confesso est; quod si & his, & illis rependet pro meritis; hic vero nullus eorum recepit, neq; ille improbitatis pœnam, neque hic virtutis præmia, perspicuum est restare tempus aliquod in quo congruens præmium horum uterque ferat*, &c.

Item eâdem ed. in epistolam ad Philemonem homil. 2. *Fides*, ait, *efficax est, si habeat opera; nam sine operibus fides mortua est*, hæc ibi, quæ est efficacia nisi in ordine ad salutem. Hæc ex sanctorum Patrum Græcorum quatuor priorum sæculorum testimoniis abunde sufficiant.

ARTICULUS VI.

Testimonia sanctorum Patrum Latinorum pro eadem veritate.

TErtullianus Anno 200. lib. de Resurrect. Carnis cap. 48. *Vnusquisq;*, I.
ait, *in suo ordine, scilicet, quia in suo corpore, ordo enim non aliud, quàm meri-*

Digitized b

meritorum diſpoſitor (vel, ut alii legunt) ordo meritorum diſpoſitorum nomine diſponetur, MERITA autem cùm corpori quoq; aſcribantur, ordo quoq; corporum diſponatur neceſſe eſt, ut poſſit eſſe MERITUM, &c.

Idem lib. 2. contra Marcion. cap. 6. Quoniam, ait, & aliàs poſitum hominem ſub judicio Dei oportebat juſtum illud efficere de arbitrii ſui MERITIS, liberi ſcilicet. Cæterum nec boni, nec mali merces jure penſaretur ei, qui aut bonus, aut malus neceſſitate fuiſſet inuentus, non voluntate.

Idem in Scorpiaco cap. 6. Quomodo, ait, multæ manſiones apud Patrem, niſi pro varietate MERITORUM, quomodo & ſtella à ſtellæ diſtabit in gloria, niſi pro diuerſitate radiorum? hæc Tertull.

II. S. Cyprianus ed. Baſil. 1531. Anno 250. lib. de unitate Eccleſiæ, Juſtitia, ait, opus eſt, ut promereri quis poſſit Deum Judicem præceptis ejus & monitis obtemperandum eſt, ut accipiant merita noſtra mercedem, hæc ibi, quid clariùs?

Idem ſerm. de Opere & Eleëmoſ. ſic ait: Quæ illa erit fratres chariſſimi operantium gloria, quàm grandis & ſumma lætitia, cùm populum ſuum Dominus cœperit recenſere, & MERITIS atq; operibus noſtris præmia promiſſa contribuens, pro terrenis cæleſtia, pro temporalibus ſempiterna, &c. & infrà: Res in poteſtate facientis, res & grandis, & facilis, ſine periculo perſecutionis corona pacis, verum Dei munus, & maximum, infirmis neceſſarium, fortibus glorioſum, quo Chriſtianus adjutus perfert gratiam ſpiritualem promeretur Chriſtum Judicem, Deum computat DEBITOREM. Ad hanc operum ſalutarium PALMAM libenter & prompte certemus, omnes in agone Juſtitiæ Deo & Chriſto ſpectante curramus, & infrà: Si expeditos, ſi celeres, ſi in hoc operis agone currentes, dies nos vel redditionis, vel perſecutionis inuenerit, nuſquam Dominus MERITIS noſtris ad præmium deerit, in pace vincentibus coronam candidam pro operibus dabit, in perſecutione purpuream pro paſſione geminabit, hæc ibi, quid clariùs de meritis ad vitam æternam?

Idem lib. 3. epiſt. 18. Pœnitentiam, ait, ille agit, qui diuinis præceptis mitis, & patiens obſequiis ſuis, & operibus juſtis Dominum promeretur, hæc ibi.

III. Similiter lib. 3. cap. 25. An ego, inquit, poſſum tacere, & vocem meam ſilentio premere, cùm de chariſſimis meis tam multa & glorioſa cognoſcam, quibus vos diuina dignatio honorauit, ut ex vobis pars jam martyrii ſui conſummatione præceſſerit, MERITORUM ſuorum CORONAM de Domino receptura, pars adhuc in carcerem clauſtris, &c. ad MERITORUM titulos ampliores tormentorum tarditate proficiens, habitura tot MERCEDES in cæleſtibus præmiis, quot nunc dies numerantur in pœnis, hæc S. Cyprianus martyr tam clarè pro meritis bonorum operum.

Lactantius Anno 300. in Epitome divinarum inſtructionum cap. 12. ſic ait: Teneat innocentiam, proſit quàm plurimis, incorruptibiles ſibi theſauros bonis operibus acquirat, ut poſſit Deo Judice pro virtutis ſuæ MERITIS, vel coronam fidei, vel præmium immortalitatis adipiſci, hæc ille.

S. Hilarius ed. Baſil. 1570. Anno 150. can. 5. in Matth. Regnum, ait, Dei vitæ noſtræ STIPENDIIS quæramus, & hæc rectè perfecteq; viuentium MERCES eſt, ut in nouam cæleſtemq; ſubſtantiam ex hac corruptibilis corporis materie transferantur.

Ibid. eâdem ed. can. 6. De noſtro eſt beata illa æternitas PROMERENDA, præſtandumq; eſt aliquid ex proprio, ut bonum velimus, malum omne vitemus, totoq; affectu præceptis cæleſtibus obtemperemus.

Rurſus can. 28. eâdem ed. Ita enim, ait, in univerſorum fidelium corporibus mentibusq; transfunditur, ut hæc humanitatis officia, aut gratiam ſuam impenſa MEREANTUR, aut offenſam negata commoueant, hæc Hilar.

S. Ambroſ. tom. 4. ed. Rom. 1579. lib. 1. IV.
de Offic. cap. 15. adducens exemplum de divite Epulone & Lazaro, dicit: Poſt obitum vero utriusq;, pauper erat in ſinu Abrahæ, requiem habens, dives in ſuppliciis; nonne euidens eſt MERITORUM aut præmia, aut ſupplicia poſt mortem manere? & rectè, quia in certamine labor eſt, poſt certamen aliis victoria, aliis ignominia, nunquid priusquam curſus conficitur, palma cuiquam datur, aut defertur corona? meritò Paulus, certamen, inquit, bonum certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, quod reliquum: repoſita eſt mihi corona Juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex. In illa, inquit, die reddet, non hic, &c ergo non poteſt quis præmium accipere, niſi legitime certauerit, &c. hæc ibi.

Item lib. 10. epiſt. 82. ad Vercellenſ. Eccleſiam commendans jejunium, & multorum Sanctorum exemplis probans ejus utilitatem, ſubjungit dicens: Qui ſunt ergo hi Præceptores noſtri, qui meritum excludunt jejunii? nonne Gentilium vox iſta eſt dicentium, manducemus, & bibamus, quos bene irridet Apoſtolus, &c. Illorum ergo eſt cibis & potibus indulgere, qui nihil poſt mortem ſperant, &c.

Rurſus tom. 2. ed. Rom. 1580. in pſ. 118. V.
ſerm. 7. circa verſum 49. Memor eſto verbi tui Domine, in quo mihi ſpem dediſti, ſic ait: Ergo David vocatus erat verbo Dei, & ſpem in eo habuit, quoniam ſæpe reſponſis erat inuitatus cæleſtibus, quibus remunerationem fidei MERITORUMQUE ſperaret fore, & infrà: Conuenit Dominum, ut meminerit promiſſorum ſuorum, quorum immemor eſſe non ſoleat; Sanctis enim, quodcunq; ſpoſponderit, implere conſueuit: vult etiam conuenire, ut, ſi quis propoſita ſecutus virtutibus præmia, bene certauerit, fructum REMUNERATIONIS exſpectet, quem etiam exigat, ſicut habet ſcriptura: Certamen bonum certaui, curſum conſummaui, repoſita eſt mihi CORONA juſtitiæ, non eſt arrogans uſurpatio, ſed fidelis, quia verum Deum non poſſe fallere confitetur, & infrà: BRAVIUM peto verbi tui, quod promiſiſti, memor eſto promiſſorum tuorum, quæ ſpoſpondiſti ſeruo tuo, ſeruus ſum, exſpecto alimentum à Domino, miles ſum, exſpecto ab Imperatore STIPENDIUM, hæc Ambroſ. Ecce quàm clarè veritatem Catholicam contra Acatholicos exponit, & defendit.

S. Hier. lib. 2. adverſus Jovinianum à propo- VI.
ſito impugnat Joviniani hæreſin, qui adductis aliquot S. ſcripturæ locis pravè explicatis aſſerebat, peccata eſſe paria, & etiam merita juſtorum paria, ac inſuper præmia in cælo æqualia.

S. Hieron. econtra ex S. ſcriptura demonſtrat, quod præmia in cælis erunt inæqualia, & tandem cap. 15. concludit dicens: Vides ergo quod in cælis ſit maximus & minimus, & paulò infrà Chriſtum inducit dicens: In domo, inquit, Patris mei manſiones multæ ſunt, &c. locus & manſiones, quas præparare ſe dicit Chriſtus Apoſtolis, in domo utiq; ſunt Patris, id eſt, in regno cælorum, non in terra, in qua præſens Apoſtolos relinquebat, ſimulq; ſenſus ſcripturæ intuendus: dicerem, inquit, vobis, quia vado, & præparabo vobis locum, ſi non manſiones multæ eſſent apud Patrem, hoc eſt, ſi non unusquisq; manſionem ſibi non ex largitate Dei, ſed ex propriis operibus præpararet, ideo non eſt meum parare, ſed veſtrum, & paulò poſt: Parate, inquit,

Digitized by Google

inquit, sunt in cælo diversæ & plurimæ mansiones, plurimis diversisq; virtutibus, quas non personæ accipiunt, sed opera: Frustra ergo à me petitis, quod in vobis solum est, quod Pater meus illis paravit; qui DIGNIS VIRTUTIBUS *ad tantum ascensuri sunt* DIGNITATEM, & infrà: *Sine causa diversitas nominum est, ubi non est diversitas* MERITORUM, & post medium folium: *Putasne ejusdem esse meriti eos, qui parturiuntur, & qui parturit?* & post unum fol. respondens Joviniano de denario allegato dicit: *Porro si de operariis prima hora, & tertia, & sexta, & nona, & undecima unus denarius redditur, & ab eis incepit præmium, qui novissimi in vinea laborarunt, & hic non unius temporis & ætatis homines describuntur; sed ab exordio mundi usq; ad finem vocationum sacramenta sunt diversarũ. Prima hora vocatus est Abel, & Seth,* &c. *Vnus autem denarius non unum est præmium, sed una vita, & una de gehenna liberatio. Cæterum quomodo ad indulgentiam principalem, diversorum criminum rei dimittuntur de carcere, & utrimq; pro labore, vel operibus suis in hoc vel illo statu vita est, ita & denarius quasi indulgentia veri Principis, omnes per baptismum emittit è carcere: jam nostri laboris est, pro diversitate virtutum diversa nobis* PRAEMIA *proponere,* hæc Hieron. pro veritate catholica contra Jovinian. & Acatholicos tunc nondum existentes. Hi autem Joviniano deterius docent; ille adhuc fatebatur merita & præmia, licèt æqualia, hi autem omne meritum prorsus negant.

Cæterum D. Aug. quò vehementiùs impugnavit hæresin Pelagianorum, qui asserebant per opera solius naturæ, sive liberi arbitrii viribus homines mereri & gratiam & gloriam, cò clariùs docuit, & probavit, quod opera hominis per solam gratiam Christi justificati ex fide & gratia Christi facta verè sint meritoria vitæ æternæ, sive cœlestis gloriæ.

VII. Ipse ergo variis locis hanc catholicam veritatem proponit, & probat, quorum aliqua in superioribus allegata sunt, hic aliqua referam.

Lib. 3. contra 2. ep. Pelagianorum ed. Bas. 1528. to. 7. c. 7. circa finem sic ait: *Justitia, secundùm quam justus ex fide vivit, quoniam per spiritum gratiæ homini ex Deo est, vera justitia est, quæ licet non immerito in aliquibus justis pro hujus vitæ capacitate perfecta dicitur, parva tamen est ad illam magnam, quam capit æqualitas Angelorum,* &c. *sed plane minor, ista justitia facit* MERITUM, *major illa fit* PRAEMIUM. *Vnde qui istam non sequitur, illam non assequitur, &c.* hæc ibi.

Lib. de Gratia & lib. Arb. cap. 6. de Apost. Paulo eâdem ed. sic ait: *Quem certe invenimus sine ullis meritis bonis, imo cum multis meritis malis Dei gratiam consecutum reddentis bona pro malis, videamus, quid dicat, suâ jam appropinquante passione, scribens ad Timotheum: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, ista utiq; jam* MERITA *sua bona commemorat, ut post bona* MERITA *consequatur* CORONAM, *qui post merita mala consecutus est gratiam, deniq; attendite, quid sequatur: superest, inquit, mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex, cui redderet coronam justus Judex, si non donasset gratiam misericors Pater? & quomodo esset illa corona justitiæ, nisi præcessisset gratia quæ justificat impium, quomodo ista debita redderetur, nisi priùs illa gratuita donaretur, &c.* quid hic clariùs dici posset pro veritate catholica, quod ex S. scriptura probat, & ibid. subjungit dicens: *His & talibus testimoniis dicimus, probatur gratia Dei, non secundùm merita nostra dari, quandoquidem non solum multis bonis, verum etiam multis meritis malis præcedentibus videmus datam, & quotidie dari videmus: sed plane cum* (gratia) *data fuerit, incipiunt esse* MERITA *nostra bona, per illam tamen: nam si illa se subtraxerit, cadit homo non erectus, sed præcipitatus libero arbitrio. Quapropter quando cœperit homo habere* MERITA *bona, non debet sibi tribuere illa, sed Deo; uti dicitur in psalmo: adjutor meus esto,*
ne derelinquas me, &c. ubi nota contra Acatholicos, qui negant hominem justificatum posse iterum à gratia excidere. Pergit August. eàdem ed. infrà dicens: *Sed dicunt Pelagiani hanc esse solam non secundùm merita nostra gratiam, qua homini peccata dimittuntur, illam vero, quæ datur in finem, id est, æternam vitam, meritis nostris reddi: respondendum est; si enim* MERITA *nostra sic intelligant, ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscant, non esset reprobanda ista sententia* (ecce sententia catholica quàm Acatholici reprobant) pergit August. *Quoniam vero merita humana sic prædicant, ut ea ex semetipso hominem habere dicant* (ecce sententia Pelagianorum, quam reprobat Ecclesia catholica) *prorsus rectissime respondet Apostolus: Quis enim te discernit? quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? prorsus talia cogitanti verissime dicitur: Dona sua coronat Deus, non merita tua, si tibi à te ipso, non ab illo sunt merita tua: hæc enim si talia sunt* (scilicet à te ipso) *mala sunt, quæ mala sunt, non coronat Deus. Si autem bona sunt, Dei dona sunt,* &c. VIII.

Ita etiam Ecclesia catholica docet, & cap. 7. eâd. ed. *Si ergo Dei dona sunt bona merita tua, non Deus coronat merita tua, tanquam merita tua, sed tanquam dona sua, &c.* hæc ille. Rursus c. 8. sic ait: *Et nascitur inde non parva quæstio, quæ Domino donante solvenda est: si enim vita æterna bonis operibus redditur, sicut apertissime dicit scriptura* (nota contra Acatholicos) *quoniam Deus reddet unicuiq; secundùm opera ejus, quomodo gratia est vita æterna, cum gratia non operibus reddatur, sed gratis detur, ipso Apostolo dicente: Ei, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm meritum,* &c. *Ista ergo quæstio nullo modo mihi videtur posse dissolui, nisi intelligamus, & ipsa bona opera nostra, quibus æterna redditur vita, ad Dei gratiam pertinere, propter illud, quod ait Dominus Jesus: sine me nihil potestis facere?* & infrà: *Quomodo ergo non ex operibus, ne forte quis extollatur? sed audi, & intellige, non ex operibus dictum, tanquam tuis ex te ipso tibi existentibus, sed tanquam his, in quibus te Deus finxit, id est, formavit, & creavit. Hoc enim ait, ipsius sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis,* &c. hæc ille. Vbi clarè patet, quod D. Aug. profiteatur dari vera merita post justificationem, quæ à Deo coronantur; sed illa dicit esse, quæ non ex se ipso homo facit, sed quæ cum gratia Dei facit, sine qua non faceret, & ideo sunt verè dona Dei, & hæc coronat, quæ principaliter Dei dona sunt, & simul opera hominis, à quo fiunt: ubi patet contra Acatholicos, qui dicunt omnia opera bona justorum esse peccata, & mala; unde sequitur, quod nulla opera coronet Deus, etiam quæ illius dona sunt. IX.

Idem S. Doctor volens refutare hæresin Pelagianorum, & defendere veritatem Catholicam epist 66. ad Valent. de lib. Arb. sic ait: *Nec quisquam dicat meritis operum suorum, vel meritis fidei suæ, sibi traditam Dei gratiam, & putetur verum esse, quod illi hæretici docent, gratiam Dei secundùm* X.

merita

merita nostra dari, quod omnino falsissimum est, ecce contra Pelagianos, sed subjungit pro veritate Catholica: *Non quia nullum est* MERITUM, *vel bonum piorum, vel malum impiorum, alioquin quomodo judicabit Deus mundum, sed misericordia, & gratia Dei conuertit hominem, ut justificetur impius, hoc est, ex impio fiat justus, & incipiat habere* MERITUM *bonum, quod Deus* CORONABIT, *quando judicatur mundus*, &c. hæc ibi, ecce quàm claré exponitur veritas Catholica, & Acatholica doctrina confunditur, ut Augustinus judicet, Deum non posse judicium extremum, prout in S. Scriptura prædicitur, servare, si non sint merita justorum bona, quæ coronabuntur, & mala impiorum, quæ damnabuntur, adeoque indicat illam doctrinam, quæ negat bona merita justorum, & illorum coronam, tollere articulum fidei de extremo Judicio.

XI. Similiter epist. 105. ad Sixtum paulo post initium, cùm ostendisset, quod prima gratia detur homini gratis, sine ullis præcedentibus meritis, adeoque indigno & liberato indebita conferatur gratia, ac proinde solâ misericordiâ indignus liberetur à peccato, subiungit dicens: *Qua igitur sua merita jactaturus est liberatus, cui si digna suis meritis redderentur, non esset nisi damnatus*, &c. & hæc quoad primam justificationem, prout etiam docet Ecclesia, sed de operibus post justificationem sic subiungit dicens: *Nullane igitur sunt* MERITA *Justorum? sunt plane, quia iusti sunt; sed ut iusti fierent, merita non fuerunt, Justi enim justi sunt, cùm iustificati sunt, sed sicut dicit Apostolus, iustificati gratis per gratiam ipsius*, &c. hæc ibi, & post duo folia, *Spiritus*, ait, *ubi vult, spirat, sed, quod fatendum est, aliter adiuuat nondum inhabitans, aliter inhabitans: nam nondum inhabitans adiuuat, ut sint fideles; inhabitans adiuuat iam fideles; quod est ergo meritum hominis ante gratiam, cùm omne meritum nostrum non in nobis faciat nisi gratia, & cùm Deus coronat* MERITA *nostra, nihil aliud coronat, quàm munera sua*, &c. *sicut enim ab initio fidei misericordiam consecuti sumus, non quia fideles eramus, sed ut essemus; sic in fine, quod erit in vita aterna coronabit nos, sicut scriptum est, in miseratione & misericordia, non enim frustra Deo cantatur, & misericordia eius preueniet me, & misericordia eius subsequetur me. Vnde & ipsa vita aterna, qua utiq; in fine sine fine habebitur, & ideo* MERITIS *pracedentibus redditur, tamen quia eadem* MERITA, *quibus redditur, non à vobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta sunt per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur, non ob aliud, nisi quia gratis datur, nec ideo, quia* MERITIS *non datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur*, &c. hæc ibi. Ecce qualiter simul consistat, quod merita vera sint Justorum coronanda, & etiam gratia vocentur, quia homo justus non sufficit ad illa facienda, nisi per gratiam fiant, & in hoc ponit differentiam inter merita bona, & merita mala, & ideo ipsa etiam corona & vita æterna dicitur gratia.

XII. Et quia Acatholici cum Calvino objiciunt illud Apostoli, *stipendium peccati mors, gratia autem Dei vita aterna*: ex quo arguunt, quod vita æterna non sit stipendium meritorum. Hoc D. Augustinus præveniens, ibid. subiungit causam, cur Apostolus non dixerit, *stipendium Justitia vita aterna*, cùm tamen id verum sit, dicens: *Cùm enim dixisset, stipendium peccati mors, quis non congruentissime & consequenter addere judicaret:* STIPENDIUM *autem* JUSTITIÆ *vita aterna. Et verum est, quia sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors: Ita* MERITO *Justitia tanquam* STIPENDIUM, *vita aterna, aut si nollet dicere Justitia, diceret Fidei, quia iustus ex Fide viuit, unde etiam* (vita æterna) MERCES *appellatur plurimis sanctarum scripturarum locis: Nusquam porro dicta est merces Justitia, vel fides, quia Justitiæ, vel Fides redditur merces, quod est autem merces operanti, hoc militanti stipendium*, hæc August. ubi ex S. Scriptura, ut clarùm supponit, quod Justitiæ, vel fidei sit merces, vel stipendium reddendum, scilicet post justificationem factam: at verò juxta S. Scripturam ante fidem, vel Justitiam non præcedit aliquod meritum, cui Fides, vel Justitia ut merces, vel stipendium reddatur; cùm ergo juxta S. Scripturam Justitiæ stipendium debeatur, causam reddit, cur Apostolus illud non expresserit dicens: *Sed beatus Apostolus aduersus elationem, qua usq; adeo magnis tentat irrepere, ut sibi propter ipsam dicat datum Angelum Sathana, à quo colaphizaretur, ne verticem præsumptionis erigeret, aduersus hanc ergo elationis pestem, ne Justitia de humano se extolleret bono merito*, &c. ecce causam, cur non dixerit Apostolus stipendium Justitiæ, vita æterna, ne aliquis præsumeret, quod ex suis naturæ viribus Justitiam haberet, cui stipendium vitæ æternæ deberetur. Hoc autem excluso errore, Augustinus subiungit dicens: *Cui debetur vita aterna*, VERA JUSTITIA *est, si vera Justitia est, ex te non est, desursum est, descendens à Patre luminum, ut haberes eam, profecto accepisti; quid enim habes, quod non accepisti? quapropter, O homo, si accepturus es vitam aternam*, JUSTITIÆ *quidem* STIPENDIUM *est, sed tibi gratia est, cui gratia est & ipsa Justitia: tibi enim tanquam debita redderetur, si ex te tibi esses justitia, cui debetur*, &c. hæc August. Ex quibus clarissimè XIII. patet doctrina Ecclesiæ Catholicæ, quæ docet; quod ex sola Dei misericordia sine præcedentibus meritis per merita Christi homo peccator accipiat fidem, & justitiam, qua justificatur; ac proinde ipsa Justitia, quæ à Deo gratis datur, sit homini gratia; per hanc autem Justitiam, quæ gratia est, homo justificatus operans mereatur vitam æternam, tanquam stipendium justitiæ, seu operibus justis debitum: nam opus ipsum ex gratia factum verè Justitia est; de quo homo non potest gloriari, quasi ex se vel viribus naturæ facto, sed in Domino, qui gratiam dedit, seu Justitiam, cum qua operatus est, & sine qua nec sic operari, nec mereri posset. Vnde patet, quod licèt vita æterna sit stipendium justitiæ, vel bonorum operum; non tamen eo modo, quo mors est stipendium peccati, quia hoc homo ex se solo facit; sed homo justus bona opera ex se solo non potest facere, sed cum gratia, cui primariò ratio meriti tribuitur.

Rursus Aug. eandem Apostoli sententiam XIV. tractans lib. de Grat. & lib Arb. c. 9. sic ait: *Merito enim stipendium, quia militia diabolica mors aterna tanquam debitum redditur. Vbi cùm posset dicere,* STIPENDIUM *autem justitia, vita aterna, maluit dicere; gratia autem Dei vita aterna; ut hinc intelligeremus, non meritis nostris Deum nos ad vitam aternam. sed pro sua miseratione perducere, de quo in psalmo dicit homo*

 anima

Digitized by Google

CAPUT V.

De meritis bonorum operum.

I. IN libro de Justificatione actum est de operibus hominis, quæ justificationem præcedunt, quæ duplicia sunt; aliqua ex viribus solius naturæ fiunt, de quibus ostensum est, quòd nullo modo mereantur justificationem, nec ad ipsam disponant: Alia sunt, quæ ex speciali Dei auxilio excitante & juvante fiunt, ut Fides, timor divini Judicii, spes veniæ, inchoata Dei dilectio, &c. de quibus ostensum, quòd, licèt justificationem propriè non mereantur; verè tamen ad illam requirantur, & ad ipsam disponant. Hactenus etiam in hoc libro ostensum est; quòd homo post justificationem per Dei specialem adjutus gratiam, possit facere opera, quæ non sint vitiosa, nec peccata; sed verè bona, Deo grata, & simpliciter justa; & ad illa quoad præceptorum observantiam facienda obligetur; quæ & ut conditiones ad vitam æternam consequendam in adultis præter Fidem necessariò requirantur: Restat jam demonstrandum de operibus bonis justificatorum, quòd non solùm ut conditiones requirantur ad vitam æternam obtinendam; sed etiam tam quoad augmentum justitiæ vel gratiæ, quàm etiam quoad vitam æternam ipsam verè meritoria sint.

ARTICULUS I.

Referuntur errores Acatholicorum.

I. OPpositæ olim erant hæreticorum opiniones quoad opera, aliqui illa prorsus negabant ad salutem necessaria, ut antehac *de pseudo Apostolis, Eunomianis*, &c. relatum est. Alii requirebant opera ad salutem, sed asserebant illa esse meritoria salutis, quæ sine Christi merito, & sine speciali Dei gratia per solum liberum arbitrium fierent: *Ita Pelagiani*, de quibus refert D. August. epist. 106. & 107. & lib. de Hæres. cap. 88. de Pelagio dicens: *Sic asserebat, quod liberum arbitrium sine ullis præcedentibus meritis natura hominis à Deo accepisset; Fidem vero, & salutem per opera liberi arbitrii sine speciali Dei gratia consequatur, gratiam specialem solum à Deo dari, ut opera bona faceret, vel præcepta impleret; sine qua tamen omnia per liberum arbitrium posset, licet difficiliùs*, &c. Ita refert D. August. unde *S. Augustin.* & *Hieronymus* inferebant, quòd juxta Pelagium Christus frustra pro nobis mortuus esset, si sine ipso salus obtineri posset, quod & fatebatur dicens: *Christum solùm passum pro nobis, ut daret nobis exemplum patientiæ*, &c.

Hâc autem hæresi condemnatâ & eliminatâ, postea non leguntur aliqui, qui sic docuèrint, vel qui etiam merita per Dei gratiam facta negaverint; nam, licèt *Ioannes VVicleff*, & *Ioannes Huß*, novas hæreses excitârint; in doctrina tamen de meritis bonorum operum Ecclesiæ Catholicæ consenserunt; sicut & in multis aliis Fidei articulis, quos moderni Acatholici negant, & damnant; quamvis Wicleff excesserit in materia de meritis, Pelagium secutus, ut refert *Thomas VValdensis* tomo 3. cap. 7. sententia Joannis Huss ex ejus operibus sæpe constat, præsertim tomo 2. de exequiis fol. 50. ubi sic ait: *Nemo recipit de mercede post hanc vitam, nisi secundùm quod meruit in hac vita, patet ex hoc; quia solus status viatoris est status meritorius præmii beatitudinis sic merenti*, & infrà: *Christus Dominus noster est basis totius meriti membrorum Ecclesiæ, nam dicit Apostolus, ubi supra: fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est Christus Jesus, ubi vult Apostolus, quod solus Christus est Homo fundamentaliter promerens humano generi beatitudinem, sic; quod nemo alius, nisi in virtute hujus lapidis promeretur*, &c. hæc ille, quæ consonant Ecclesiæ Catholicæ, ut infrà patebit.

Verùm *moderni Acatholici*, licèt sese ad Huss & Wicleff referant tanquam ad Patres & avos suæ Fidei; tamen sicut in multis aliis, sic & in hoc articulo, quem volunt fundamentalem, illis contradicunt.

II. Cæterum, quantum *Lutherus* execratus sit merita bonorum operum, ex hactenus allegatis sæpe locis constat; qui solam Fidem sine omnibus operibus esse debere asseruit, si homo salvari cupiat; multò magis merita operum ad salutem negabat.

Calvinus etiam, ut hactenus visum est, negabat ulla esse verè justa & bona opera in judicio Dei, sed verè peccata omnia esse volebat, præsertim lib. 3. Instit. cap. 12. §. 4. dicens: *Qui serio tanquam sub Dei conspectu de vera justitiæ regula quærent; illi certo comperient omnia hominum opera, si sua dignitate censeantur; nihil, nisi inquinamenta esse & sordes, & quæ justitia vulgo habetur, eam apud Deum meram esse iniquitatem*, &c. hæc ille. Et alibi sæpe, unde patet, quòd nullatenus velit opera ulla esse meritoria coram Deo, & ibid. cap. 14. §. 9. expressè dicit: *Nullum à Sanctis exire potest opus, quod non mereatur justam opprobrii mercedem*, &c. & quidem quoad rationem meriti & mercedis adeo infensus fuit: ut & nomen meriti & mercedis eliminandum dixerit, & SS. Patres hoc nomine utentes condemnare non sit veritus: nam lib. 3. Instit. cap. 14. §. 21. In- III. primis negat operibus bonis aliquam efficientiam salutis non obstantibus verbis S. Scripturæ, licèt concomitantiam concedat, dicens: *quod autem præterea bona opera Scriptura causas esse ostendit, cur illis Dominus benefaciat, sic intelligendum est*, &c. & cap. seq. seu 15. ubi §. 1. statum quæstionis de meritis posuit dicens: *Utcunque ad justificandum hominem minimè sufficiant opera, an non tamen illa apud Deum gratiam promereantur?* Sed sincerum statum non proponit, ut infrà patebit. Postea §. 2. sic ait: *Primum de meriti nomine id mihi proferre necesse est, quicunque primus illud operibus humanis ad Dei judicium comparatis aptavit, eum Fidei sinceritati pessime consuluisse*, &c. *cuperem eam servatam fuisse inter Christianos Scriptores sobrietatem, ne usurpare*, &c. & infrà: *Usi sunt (fateor) passim vetusti Ecclesiæ Scriptores, atque utinam vocula unum.*

Digitized by Google

nnius ab usu erroris materiam posteris non præbuissent, &c. hæc ille. Verùm quanta arrogantia SS. Patres in hoc sic censuret, qui non solùm voce illâ usi sunt, sed etiam re significatâ, infrà patebit; & ideo Calvinus non veretur eos sic arguere, quia ipsi apertè contrarii sunt: sicut autem Calvinus fateri debuit sanctos Patres nomine meriti usos esse, licèt non vereatur eos in hoc arguere; ita econtrà *Martinus Bucerus*, ut habetur in actis Ratisbonensibus, negare impudenter audet; vel sacram Scripturam, vel sanctos Patres illo meriti nomine usos esse; hoc addito, si fortè Patres eo usi sint, *duram esse in illa voce catachresin*, scilicet, quia illis contraria est.

Hunc Bucerum toties confusum adhuc sequi ausus est noster Anonymus, qui dicere audet: *sed Augustinus universaliter negat omne meritum nostrum sicut & reformata Ecclesia*, &c.

IV. Cæterùm aliqui tam ex Lutheri, quàm Calvini sectatoribus concedunt, quòd articulus ille de meritis non sit fundamentalis; qualem tamen alii volunt esse; ita more suo in Fide contendunt.

Aliqui cum *Confessione Augustana* fatentur bona opera Deo placere, & esse meritoria præmiorum; sed hoc ita intelligunt, ut non ipsam vitam æternam mereantur, sed alia præmia temporalia, & spiritualia, & gradus præmiorum; quod aliqui exponunt de gradibus gloriæ, &c. *Apologia tamen Confessionis Augustanæ* dicit: *Cum operibus redditur vita æterna, redditur iustificatis, quia neque bene operari possunt homines, nisi iustificati, qui aguntur spiritu Christi. Nec sine Mediatore Christo, & Fide placent bona opera. Cùm dicit Paulus: Reddet unicuique secundùm opera eius, intelligi debet non tantùm opus externum, sed tota iustitia, redditur igitur vita æterna iustitiæ*, &c. quod in sensu Catholico verum est, sed quid ipsi per iustitiam intelligant; patet ex illis, cùm per solam iustitiam imputativam hominem iustum esse velint, & opera bona non esse in se bona & justa, sed mala, & solùm per Fidem in Christum non imputari, ac sic à Deo acceptari ut justa; & sic subterfugere solùm volunt verba Scripturæ, quæ operibus mercedem promittunt; adeóque in re negant, quòd ipsa opera bona justorum mereantur vitam æternam, vel in se sint meritoria; de quo principalis est quæstio.

ARTICULUS II.

Proponitur & declaratur doctrina Ecclesiæ Catholicæ.

I. Hæc doctrina traditur in Conc. Trid. sess. 6. cap. 10. *De merito quoad incrementum iustitiæ*, ubi sic dicitur: *Sic ergo iustificati*, &c. *euntes de virtute in virtutem renovantur, ut Apostolus ait, de die in diem: hoc est mortificando membra carnis suæ, & exhibendo ea arma iustitiæ in sanctificationem, per observantiam mandatorum Dei & Ecclesiæ, in ipsa iustitia per Christi gratiam accepta, cooperante Fide bonis operibus crescunt, atque magis iustificantur; sicut scriptum est, qui iustus est, iustificetur adhuc*, hæc ibi. Et quoad merita vitææternæ ponitur cap. 16. cui talis imponitur titulus: *De fructu iustificationis, hoc est, de merito bonorum operum, deque ipsius meriti ratione*, & in ipso Capite sic procedit: *Iustificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuò conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba: Abundate in omni opere bono; scientes; quòd labor vester non est inanis in Domino, non enim iniustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri*, &c. *atque ideo bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus, proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda. Hæc est enim illa corona Iustitiæ, quam post suum certamen, & cursum repositam sibi aiebat Apostolus à iusto iudice sibi reddendam, non solùm autem sibi, sed & omnibus, qui diligunt adventum eius.* 1. Tim. 4. v. 8. post hæc Concilium exponit rationem meriti dicens: *Cùm enim ille ipse Christus Iesus, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possunt: nihil ipsis iustificatis ampliùs deesse credendum est, quò minùs plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, divinæ legi pro huius vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam verè promeruisse censeantur.* & paulò pòst: *Itaque neque propria nostra iustitia tanquã ex nobis propria statuitur, neque ignoratur, aut repudiatur iustitia Dei: quæ enim iustitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhærentem iustificamur, illa eadem Dei est, quia à Deo nobis infunditur per Christi meritum: neque verò illud omittendum est, quod licet bonis operibus in sacris literis usque adeò tribuatur, ut etiam qui uni ex minimis suis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Christus eum non esse suâ mercede cariturum, & Apostolus testatur, id quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ supra modũ in sublimitate æternæ gloriæ pondus operari in nobis; absit tamen ut Christianus homo in se ipso vel confidat, vel glorietur, & non in Domino; cuius tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona.* hæc ibi. II.

III. Juxta hanc doctrinam Conc. ibid. can. 24. sic definit dicens: *Si quis dixerit iustitiam acceptam non conservari, atque etiam augeri per bona opera; sed opera ipsa fructus solummodo, & signa esse iustificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam, anathema sito.* Item can 26. *Si quis dixerit iustos non debere pro bonis operibus quæ in Deo fuerint facta expectare & sperare æternam retributionem à Deo per eius misericordiam & IesuChristi meritum, si bene agendo, & divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverit, anathema sit.* Iterum can. 31. *Si quis dixerit iustificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis operatur, anathema sit.* Demum can. 32. *Si quis dixerit hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius iustificati merita; aut ipsum iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & IesuChristi meritum, cuius vivum membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema sit.*

IV. In hac doctrina ut de Fide certa, à qua Acatholici dissentiunt, omnes Doctores Catholici consentiunt, licèt salvâ Fide de quibusdam inter se scholasticè disputent, ita tamen, ut omnia, quæ

juxta diversas opiniones à diversis asserūtur, huic Catholicæ doctrinæ non repugnent, sed cum illa consistant. Hoc ipsum sic breviter ostenditur: Nam omnes Doctores Catholici cum Concil. Trid. credunt, & docent, quòd homines per donum gratiæ, seu charitatis, vel justitiæ à Deo per Spiritum Sanctum propter merita Christi in cordibus diffusum, & infusum, ac verè & simpliciter bonum, formaliter justi, Deo grati, ac filii Dei, & cœlestis Regni misericorditer promissi hæredes constituantur. At verò Acatholici hoc ipsum negant, sed volunt, quòd homo per solam extrinsecam Justitiæ Christi imputationem iustus, & filius regni constituatur, vel potiùs æstimetur: An autem ad hoc donum gratiæ, seu charitatis, ut homo per illud hæres Regni constituatur, præter entitatem ipsius gratiæ bonam, sanctam, & Deo gratam propter Christum homini misericorditer infusam, specialis aliqua Dei acceptatio, & promissio requiratur, scholasticè disputatur.

V. 2. Fides Catholica docet, quòd vita æterna duplici titulo iustificatis conferatur, semel *titulo filiationis*, ad quam sequitur hæreditatis titulus, juxta illud Apost. Rom. 8. v. 17. *Si autem filii, & hæredes*, & hoc titulo tam adulti, quàm infantes post Baptismum morientes vitam æternam misericorditer promissam consequuntur: *alter titulus est mercedis, & præmii*, qui opera bona meritoria iustorum respicit, quibus Deus vitam æternam, ut mercedem promisit: an autem vita æterna in primo gradu sub solo titulo hæreditatis; & sub titulo etiam mercedis in aliis gratiæ essentialis gradibus sit reddenda, scholasticè disputatur. Acatholici aliqui hoc secundum verbotenus asserunt, re ipsâ tamen negant, ut patet ex iis, quæ præcedenti articulo allegata sunt; si tamen concedant, Ecclesiæ consentiunt.

VI. 3. Certum est de Fide Catholica, quòd sint certa hominum justificatorum bona opera, quæ verè coram Deo bona sint, & nullatenus peccata, vel vitiosa, ut suprà ostensum est; & insuper verè meritoria tam gratiæ augmenti, quàm vitæ æternæ. Acatholici hoc negant: an autem hæc opera meritoria sint dicenda ex condigno? Ecclesia non definivit; plerique tamen Doctores id asserunt, sed qualiter hæc condignitas intelligatur, scholasticè disputatur.

4. Ecclesia Catholica de Fide certum credit, quòd illud opus hominis justificati verè coram Deo, & nōn aliter, sit meritorium augmenti gratiæ, & vitæ æternæ, quod per gratiam, seu charitatem cordibus infusam, virtute Christi illud opus semper antecedente, comitante, & subsequente efficitur, an autem in hoc includatur pactum, seu promissio specialis Dei, & acceptatio, vel non includatur, scholasticè disputatur: Acatholici hoc prorsus negant.

VII. 5. Ecclesia credit, quòd tale opus meritorium verè sit opus hominis ab ipso liberè partialiter factum, & simul ac primariò etiam donum Dei; quia non solùm à Deo, ut à causa prima communi concursu naturæ debito, sed etiam ex gratia supernaturali à Deo infusa, & per specialem supernaturalem gratiam actualem prævenientem, & adjuvantem propter merita Christi efficitur; ac proinde specialiter sit simul verè Dei donum, & ex Dei bonitate, & voluntate verè hominis meritum; & ideo homo non in se, sed in Domino solùm gloriari possit. Acatholici hoc ultimum concedunt, sed priora negant.

6. Similiter Ecclesia credit, quòd, nisi Christus Jesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites in justificatos jugiter virtutem influeret, nullum opus justificatorum Deo gratum, aut meritorium esse possit: Acatholici quidem concedunt, quòd Christo dictis modis justificati inserti sint; sed negant, quòd ipsi idcirco opera bona meritoria exerceant; quin potiùs volunt, quòd homines dicantur præcisè bene operari, quia Caput Christus bene operatus est, cujus merita ipsis imputantur; licèt opera illorum in se mala sint, modò in Christum credant.

ARTICULUS III.

Quòd Iustificati per opera bona ex gratia facta verè mereantur eiusdem augmentum.

Probatur primò ex illo Eccli. cap. 18. v. 22. *Non impediaris orare semper, & ne verearis* (vel, ut alii legunt *veteris*) *usque ad mortem iustificari, quoniam merces Dei manet in æternum.* Vbi patet, quòd sermo sit de illo, qui jam justificatus est, ut magis se justificare studeat, non dicitur de initio justificationis, sed de illius cōtinuatione, supponendo illius initium, quod non datur, ut merces, sed ex nuda gratia: hîc autem merces promittitur. Quòd autem justificationis continuatio intelligatur, & non eius initium, patet ex contextu, cùm dicitur: *Non impediaris orare semper*, ubi non initium, sed continuatio orationis clarè exprimitur, & hoc modo SS. Patres Scripturam legerunt, & intellexerunt; licèt aliqui Acatholici in alium sensum detorquere conentur. Secundò patet ex illa parabola Matth. 25. *De talentis à Domino datis servo fideli*, quæ sunt gratia Dei, sine qua lucrari non potest, sed habens illa talenta lucratus est alia quinque, seu ulteriorem gratiam, propterea & meretur ingredi in vitam æternam. Tertiò Apostolus 2. ad Cor. 7. v. 1. ait: *Has ergo habentes promissiones charissimi mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus perficientes sanctificationem in timore Domini*, ubi supponit Apostolus, quòd fideles iam justificati quotidie ad maiorem sanctificationem proficere possint. Similiter ibidem cap. 9. v. 10. *Qui autem administrat semen seminanti, multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ*; ubi Apostolus clarè indicat, quòd justificatis, qui eleëmosynam præstant temporalem, Deus augebit fructum spiritualem iustitiæ. Idem clarissimè asserit Jacobus Apostolus cap. 2. v. 21. dicens: *Abraham Pater noster nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super Altare? vides quoniam Fides cooperabatur operibus, & ex operibus Fides consummata est, & suppleta est Scriptura, dicens, credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus Dei appellatus est, videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex Fide tantum*

Hîc

Hîc Apoſtolus manifeſtè loquitur de Fide, quæ juſtificat, quod negant Acatholici, & tamen patet ex textu, cùm dicit: *Vides quòd ex operibus juſtificatur homo, & non ex Fide tantùm*, adeòque patet, quòd de Fide juſtificante loquatur, ſed ait, quòd, ſi ſola ſit, non proſit, ſed mortua ſit; at verò cum operibus conjuncta juſtificet, de qua Apoſtolus: *Fides quæ per charitatem operatur.* Quòd

II. Jacobus Apoſt. non loquatur de prima juſtificatione, de qua Apoſt. Paulus ad Rom. cap. 5 & 4. etiam patet ex textu, quia ſequitur de Abraham, qui jam juſtificatus erat. Hoc ipſum D. Aug. lib. de Fide & Oper. cap. 14. & præſertim in præfat. in pſ. 31. clariſſimè oſtendit: ubi hortatur fideles, ut poſt Baptiſmum, & acceptam Fidem, & juſtificationem opera bona faciant eâ intentione, ut vitam æternam conſequantur, ſupponens, quòd per illa opera magis juſtificentur; idque probat ex his Apoſtoli Jacobi verbis, & conciliat verba Jacobi cum Pauli verbis, qui exemplum Abrahæ pro Fide tantùm allegare videtur; verba S. Auguſtini cap. præced. art. ult. ante concluſionem prolixè relata ſunt; ubi oſtendit, quòd Paulus adduxerit exemplum Abrahæ ob id præcipuè, ut probaret, quòd nullum opus ſit bonum, niſi ex vera Fide procedat, non verò intendat negare, quòd juſtificati per opera, quæ ex Fide procedunt, magis juſtificentur, vel mereantur; cujus contrarium ex pluribus Apoſtoli locis infrà allegandis patet, & ſpecialiter ad Rom. 3. v. 13. *Non enim auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur:* ubi de juſtificatione ſecunda, quæ Fidem præſupponit, loquitur, idque non coram hominibus, ſed apud Deum.

Eadem veritas probatur ex illo Apoc. ult. v. 11. *Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc, & qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc.* ubi patet primò, quòd, ſicut is, qui in ſordibus peccatorum eſt, adhuc ſordeſcat, plures ſordes accipiat; ita etiam qui juſtus eſt, maiorem juſtitiam acquirat, quia ampliùs juſtificatur & ſanctificatur. Secundò, quòd ſicut homo malus per mala opera maioribus ſordibus inquinatur, ſic econtrà juſtus per bona opera in juſtitia creſcat.

III. Et hæc eſt communis SS. Patrum ſententia, & ex locis ſuprà allegatis conſtat. Hîc ſufficiat ſolus *Auguſtinus*, qui edit. Baſil. 1529. tomo. 9. tract. 74. in Joann. ſic ait: *Reſtat ergo, ut intelligamus Spiritum Sanctum habere, qui diligit, & habendo mereri, ut plus habeat, & plus habendo, plus diligat. Iam itaque habebant Spiritum diſcipuli, quem Dominus promittebat, ſine quo eum Dominum non dicebant; nec tamen adhuc habebant, ſicut eum Dominus promittebat. Et habebant ergo, & non habebant, quia quantum habendus fuerat nondum habebant, habebant itaque minùs, dandus erat eis ampliùs*, &c. hæc ille, ubi clariſſimè oſtendit, quòd juſtus maiorem gratiam Spiritûs Sancti plus diligendo mereatur.

Similiter epiſt. 106. tomo 2. edit. Baſil. 1528. ſic ait: *Sicut unicuique Deus partitus eſt, etiam ipſius menſuram Fidei, non gratiam aliquid meriti præcedit humani: ſed ipſa gratia meretur augeri, ut auctâ mereatur perfici*, &c. hæc ibi.

***

ARTICULUS IV.

Quòd homo juſtificatus per opera bona ex gratia facta æternam vitam mereatur, probatur ex S. Scriptura.

PRobatur 1. ex locis S. Scripturæ, ubi expreſsè opera dicuntur meritoria, ut Eccli. 16. v. 15. *Omnis miſericordia faciet locum unicuique ſecundùm meritum operum ſuorum.* I.

2. Apoſt. ad Hebr. 13. v. 16. ait: *Beneficentiæ autem & communionis nolite oblivisci, talibus enim hoſtiis promeretur Deus:* & ſic de merito vitæ æternæ hunc locum intellexerunt SS. Patres.

Prob. 2. quia operibus talibus promittitur vita æterna ut merces, ergo opera talia merentur vitam æternam: Conſequentia patet, quia merces & meritum ſunt correlativa, juxta illud Apoſt. Rom. 4. v. 4. *Ei, qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum*, meritum autem inducit debitum. Antecedens probatur ex illo Gen. 15. v. 1. *Noli timere Abraham, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* Sic 2. Paralip. 25. 7. Azarias Propheta hortans populum, ut relictâ Idololatriâ ſerviat Domino, dicit: *Vos ergo confortamini, & non diſſolvantur manus veſtræ, erit enim merces operi veſtro*, ſic Sap. 5. v. 16. *Iuſti autem in perpetuum vivent, & apud Dominum eſt merces eorum.* Iſa. 40. v. 10. *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur, ecce merces eius cum eo.* ſimiliter Matth. 5. v. 12. Chriſtus dicit: *Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* hanc mercedem ſtatim explicârat dicens v. 10. *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt Regnum cœlorum*, & cap. 10. v. 41. dicit Dominus: *Quicunque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine diſcipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.* Et Apoſt. 1. Corinth. 3. v. 8. *Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem.* Item Matth. cap. 20. Chriſtus ponit parabolam de operariis, quæ intelligitur de fidelibus vocatis, & in fine v. 8. dicit: *Voca operarios, & redde illis mercedem*, & v. 9. *Acceperunt ſingulos denarios.* ubi per denarium ſingulis datum ſancti Patres intelligunt vitam æternam.

Nec obſtat, quòd ſingulis Juſtis ex titulo filiationis Regnum cœlorum, & hæreditas obveniat, ſi in gratia moriantur, etiam infantibus absque operibus: tamen clarum eſt ex parabola, quòd laborantibus in vinea ob laborem merces detur, utique maior gloria regni, quam nudæ filiationi competat: licèt enim omnes primum gloriæ gradum accipiant, qui per denarium intelligitur, non tamen excluditur, quòd pro qualitate meritorum maior vel minor gloria conferatur, juxta illud Joann. 14. v. 2. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, & 1. Cor. 15. v. 41. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas ſtellarum: ſtella enim à ſtella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum.* II.

Vide D. Hieron. lib. 2. in Jovinianum, cuius verba infrà referuntur, & D. Auguſtin. tract. 67. in Joann. cuius verba etiam infrà referuntur.

Digitized by Google

III. Probatur secundò, quia operibus bonis justorum promittitur vita æterna, & præmium, idque juxta vel secundùm proportionem operum. Ex quo evidenter sequitur, quòd meritum operum respiciatur, & non sola Dei liberalitas, vel promissio: cur enim sacra Scriptura toties asserit, quòd secundùm mensuram & qualitatem seu quantitatem operum merces danda sit, si nullum sit meritum operum? cùm constet in humanis, quòd præmium ipsum non respondeat soli liberalitati Principis, sed etiam operi præstito & exacto à Principe. Quòd autem sic Regnum cœlorum dandum sit, patet ps. 61. v. 13. *Quia tu reddes unicuique iuxta opera sua*, & similiter Christus Matth. 16. v. 27. dicit: *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet unicuique secundùm opera sua.* Luc. 6. v. 38. *Date, & dabitur vobis, mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabit in sinum vestrum; eadem quippe mensura, quâ mensi fueritis, remetietur vobis.* quod Christus explicat Joann. 5. v. 29. dicens: *Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei; & procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicii.* similiter Apost. Rom. 2. v. 5. *Thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis iusti iudicii Dei, qui reddet unicuique secundùm opera eius: iis quidem, qui secundùm patientiam boni operis, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam.* Iterum ad Cor. 3. v. 8. *Unusquisque enim propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem*, similiter Gal. 6. v. 8. *quæ enim seminaverit homo, hæc & metet, quoniam qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Ubi clarè excluditur effugium Acatholicorum, qui ad prædicta loca respondent, quòd retributio fiet juxta opera, quoad aliqua præmia, sed non quoad vitam æternam ipsam; quam Apostolus exprimit ùt præmium reddendum ipsis operibus: & juxta hoc etiam dicitur Apocal. ult. v. 12. *Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundùm opera sua.* Constat autem, quòd Christus in die judicii peccatoribus juxta opera sua mala reddet damnationem, & mortem æternam, adeòque justis vitam æternam, quia Christus non erit parcior in reddendo suis electis propter opera bona vitam, quàm erit justus in puniendis malis morte æternâ.

IV. Probatur tertiò, quia S. Scriptura sæpe pronunciat, quòd vita æterna justis sit danda, & hujus causam assignat opera bona, quæ fecerunt, quæ utique est causa meritoria, ut Matth. 19. v. 29. *Amen dico vobis, omnis, qui reliquit domum, vel fratres, vel sorores, &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Ecce Christus sub juramento promittit vitam æternam, qui sic faciunt, nonne hæc promissio vitæ propter opera illa? sic Matt. 25. v. 34. dicit Dominus, quod in die judicii dicet electis: *Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi, esurivi enim, & dedistis mihi manducare.* ubi per particulam *enim*, quæ causalis est, clarè indicatur, quòd causa meritoria regni, sint opera præstita. Similiter ibid. v. 21. & 23. in parabola de Servis, quibus Dominus dedit talenta ad lucrandum, ait: *Euge serve bone, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* ubi patet 1. quòd servus qui 5. vel 2. talenta acceperat, quæ est gratia, & virtus à Deo data, sine qua lucrari nihil possunt, per illam operantes majorem gratiâ lucrati sint; & ideo propter hunc laborem, tanquam meritoriam causam, datur gaudium, quod conjunctio *quia* causalis exprimit.

Cur autem Christus tam clarè tam opera misericordiæ quàm lucra diceret alleganda fore in reddendo regno, nisi ut præmio operũ. Similiter Apoc. 7. v. 14. de SS. Martyribus dicitur: *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione*, &c. *ideo sunt ante thronum Dei.* Et patet è contrario de damnandis, cùm Christus Matt. 25. v. 41. ibid. dicit: *Discedite a me maledicti in ignem æternum*, &c. *esurivi enim, & non dedistis mihi manducare*, &c. & v. 30. *Inutilem servum eiicite in tenebras exteriores*, ubi negari non potest, quin illæ particulæ, *enim*, & *quia*, causaliter significent, scilicet, quòd illorum mala opera sint causæ meritoriæ damnationis illorum. Et certè evasio Calvini lib. 3. Inst. c. 14. §. 21. planè falsa ex his convincitur. Verùm clatis S. Scripturæ verbis convictus fatetur quædam dicens: *S. Scriptura bona fidelium opera causam esse ostendit, cur Dominus illis benefaciat, sed hoc sic intelligendum est*, & infrà: *Opera Dominus, tanquam causas inferiores amplectitur*, quod sic explicat: *quod Deus illos, quos æternæ vitæ destinavit, per opera bona inducit in eius possessionem*, non quòd sint causæ illius, sed effectus præmii, ita ut, quod ordine præcedit, dicatur causa posterioris, *non quod eis referenda sint accepta, sed quod quos eligit iustificat, ut demum glorificet, priorem gratiam, quæ gradus est ad sequentem, causam quodammodo facit. At quoties assignanda est una causa, non ad opera iubet confugere, sed in sola misericordiæ cogitatione nos retinet, quale est istud, quod per Apostolum docet, stipendium peccati mors, gratia Domini vita æterna, cur non ut peccatũ mortis, ita iustitiam vitæ causam statuit?* hæc ille. contra faciunt verba tam clara S. Scripturæ jam allegata, quæ ipsum Calvinum convincunt, ut fateri debeat opera esse & dici à sacra Scriptura causam vitæ, quod non salvatur per solum ordinem prioris & posterioris effectûs, nec hæc causalitas operum ab Ecclesia asserta obstat, vel derogat misericordiæ Dei, vel meritis Christi, ut infrà magis patebit. Cùm ergo simul consistant, verbis tam claris S. Scripturæ inhærendum est potiùs, quàm fictæ Calvini explicationi contra SS. Patrum sententiam, ut patebit. Cur VI.
autem Apostolus non dixerit, *stipendium iustitiæ vita æterna*, inde est, quia omnis justitia operum fundatur in misericordia & gratia Dei, & tamen stipendium dici possunt, ut infrà ex D. *August.* epist. 105. & lib. de Grat. & lib. Arb. patebit, non quòd justis operibus referenda sit vita æterna tanquam causæ principali absolutè meritoriæ, hoc enim solis Christi meritis convenit sed tanquam causæ inferiori à meritis Christi innitendo planè dependenti: sic Scriptura ad solam Dei misericordiam, ut causam efficientem, & ad sola merita Christi, ut ad causam meritoriam absolutam, nos jubet confugere; cum quo consistit, quòd eadem Scriptura nos toties jubeat ad opera confugere per gratiam Dei facienda, quæ nõ solùm ut priores effectus indicat, sed tam clarèis promittit mercedem, & illis causalitatem vitæ tribuit, licèt minimam, si cum Christi merito cõparentur; Sed illa Christi meritum semper includunt tanquã radicem & fontẽ omnis meriti.

Quòd autẽ aliqua causalitas operibus tribuatur præ-

Digitized by Google

præter ea, quæ allegata sunt, plurima S. Scripturæ testimonia testantur, inter alia 2. Cor. 4. v. 17. *Id enim, quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis.* Et ad Philip. 2. v. 13. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.* Similiter alibi sæpe, ubi patet, quod non requirantur opera, ut effectus præmii; sed illis tribuitur vera causalitas respectu salutis, scilicet meritoriè.

Interim ad refutandum Calvini effugium, hoc etiam addatur, si omnia opera justorum sint coram Dei judicio abominabilia, & æterno opprobrio digna, ut vult Calvinus, quomodo Deus illa, ut effectus suæ misericordiæ prævios ad salutem requirit, imo efficit? nisi velit Deum peccati authorem: an peccata sunt gratiâ priora, & gradus ad gloriam? ecce qualiter doctrina Calvini cohæreat.

VII. Cæterùm veritas Catholica etiam probatur ex illis locis S. script. ubi promittitur bonis operibus præmium, & quidem ex justitia reddendum, & corona justitiæ, ac bravium cursus spiritualis, ut patet 2. Thess 1. v. 4. *Abundat charitas vestra uniuscujusq; vestrûm ad inuicem, ita ut nos ipsi in vobis gloriemur in ecclesiis Dei pro patientia vestra, & fide, & in omnibus persecutionibus vestris, & tribulationibus, quas sustinetis in exemplum justi judicii Dei, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini: si tamen justum est apud Deum retribuere his, qui vos tribulant, & vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum.* Ecce quàm clarè dicit fideles non solùm pro fide, sed & pro patientia, & pro tribulationibus, quas sustinent, *sint in exemplum justi judicii Dei, & digni in Dei judicio habeantur*, & quod justum sit, ut Deus illis retribuat requiem, sicut persecutoribus supplicium, quod illi promerentur; retributio enim meritum respicit. Sic etiam dicit Christus Apoc. 3. v. 4. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt*, quid est ambulare in albis cum Christo, nisi vita æterna, quam habebunt, quia digni sunt, quid est esse dignum, nisi mereri?

Rursus 2. Tim. 4. v. 4. ait Apost. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex, non solùm autem mihi, sed & iis, qui diligunt aduentum ejus.*

Similiter ad Hebr. 6. v. 10. *Non enim injustus Deus, ut obliuiscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis Sanctis, & ministratis.* Ecce quàm clarè dicit Deum ex justitia retributurum pro illis operibus, qui injustus esse nō posset: quod non sequeretur, si ex tota liberalitate vitam daret, & nullatenus opera præmiaret.

Sic 1. Cor. 9. v. 24. *Nescitis quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit brauium, sic currite, ut comprehendatis.* ecce Apost. vitam æternam comparat bravio, quod datur bene currenti, idque ex justitia?

VIII. Similiter Jacobi 1. v. 12. dicitur: *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam, cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* sic etiam Apoc. 2. v. 10. dicitur: *Esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Quomodo clariùs operibus meriti ratio tribueretur? nisi his verbis, quod corona dabitur justitiæ, quam Deus illis promisit, qui bene operati fuerunt: cur præmia & corona justitiæ vocantur, si Deus nullo modo opera hominum ut meritoria in conferenda vita æterna attenderet? vel tandem quæ causa, cur Deus homines etiam justificatos in judicio judicandos comparituros dicit, si non juxta merita judicandi sint? si sola fides ibi attendenda foret, quâ crediderunt? cur Christus & Apostoli tam clarum operum in judicio examen proponunt? Demum si opera nihil mereantur, cur Deus ipse sub juramento promittit operibus coronā? Si dicant, quod Deus sic hortetur homines, ut opera faciant, tanquam signa veræ fidei, ergone Deum mendacem, & deceptorem faciunt, qui sub tali modo ad opera hortetur, quod illis corona danda sit, quæ verè illis non dabitur? non opus habet Deus mendaciis, qui ipsa Veritas est. Huic iterum addo, quod juxta Acatholicorum doctrinam Deus ne quidem ad talia opera bona hortari deberet, quæ juxta illos vera peccata sunt. Quanto ergo verius Ecclesia Catholica credit, juxta tot & tam clara S. script. testimonia, quod & opera justorum bona sint, & Deus ad illa exhortetur, ut illis mercedem, præmium, bravium, & coronam vitæ æternæ promittat reddendam, quæ etsi ipsius dona sunt, tamen, quia cum suo speciali auxilio etiam ab homine liberè fiunt, voluit esse merita hominum, & sic illa præmiare. *Et an non licet ei, quod vult facere?* Hæc veritas adeo clarè ex S. scriptura constat, ut cuilibet pateat: quod verò eandem SS. Patres agnoverint, & docuerint, insuper ostendendum est.

ARTICULUS V.

Eadem veritas probatur ex testimoniis SS. Patrum Græcorum.

I. **S**Anctus Clemens Ann. 90. epist. 4. sic ait: *Audiri à Deo demum meremur, si orationes ipsæ bonis moribus, & bonis operibus adjuuentur.*

S. Ignatius ann. 100 in epist. ad Rom. *Sinite*, ait, *ut bestiarum esca sim, per quam Deum possim promereri.* Vtique respexit ad Verba Apostoli Act. 13. v. 16. *Talibus hostiis promeretur Deus.*

Idem *Ignatius* ad Mariam Cassobolitem, *Hortor*, ait, *ut labori huic tuo incrementa adjicias, præsens namq; labor modicus, multa autem, quæ hinc expectatur merces*; hæc ille.

Dionysius ann. 100. Eccles. Hierarch. c. 7. p. 3. apud Jod. Cocc. l. 3. de Justif. art. 3. p. 227. ed. Colon. 1601. sic ait: *Ostendit per id profectò omnes in resurrectione illas consecuturos sortes, ad quas hic vitam propriam direxerunt*, & infrà: *Si autem ad summam illam non peruenit effigiem, sanctè tamen se in vita habuit, paria & ista meritis præmia referet*, hæc ille.

Justinus martyr ed. Heidelb. 1592. ann. 150. in Apologia 2. ad Antoninum Imperat. circa mediū: *Ad consuetudinem cum Deo parentē aspiramus*, & c *persuasum habentes, atq; credentes, consequi hanc eos posse, qui factis ipsis Deo probant se illum consectari*, & infrà: *Quis si dignos se operibus ipsis illius consilio & voluntate præstiterint, conuersatione suâ, dignatum iri scimus, cum illo simul regnaturos*, & infrà: *Nos immortales duntaxat eos fieri scimus, qui sanctè per virtutem ad imitationem Dei vixerunt*, hæc Justinus. Ecce quàm clarè hi primi SS. Patres operum merita respectu æternæ vitæ tradiderunt.

Digitized by Google

Irenaus l. 4. adversus hæres. c. 72. sic ait: *Pretiosam arbitremur coronam, quæ per agonem nobis acquiritur, sed non ultro coalitam, & quanto per agonem nobis aduenit, tanto est pretiosior*, hæc ibi.

II. *S. Clemens Alexandrin.* apud Jod. Cocc. l. 3. de Justif. art. 3. ed. Colon. 1601. fol. 228 Anno 200. lib. 4. Stromatum, *Deus*, ait, *omnibus omnia distribuit pro meritis, cùm justa sit dispensatio & œconomia.* Item lib. 6. sic dicit: *Quando audierimus*, fides tua te salvum fecit, *non accipimus eum dicere absolute eos saluos futuros, qui quomodocunq; crediderint, nisi facta quoq; fuerint consecuta proportione habita sunt variæ mansiones pro dignitate, & meritis eorum, qui crediderunt.* Idem in Parænetico sic ait: *Nec pigeat vos laborasse, licet vobis, si velitis, pretiosissimam salutem emere proprio thesauro, charitate, & fide vita, quod quidem justum est pretium, quod libenter Deus accipit*, hæc ille, quid clariùs dici posset pro meritis respectu vitæ?

Origenes Anno 240. hom. 1. in Ezech. ed. Basil. 1557. p. 1. *Quare*, inquit, *ægre fers, niti, laborare, contendere, & per bona opera teipsum causam tuæ fieri salutis?*

Idem tract. 32. in Matth. ait: *Qui autem profitentur quidem fidem in Jesu, non autem præparant se bonis operibus ad salutem, reliquis quinq; assimulantur virginibus fatuis*, hæc ibi. Et lib. 2. in epist. ad Rom. eâd. ed. p. 2. sic ait: *Nunc requiramus de justo judicio Dei, in quo reddet unicuiq; secundùm opera sua; & primo quidem excludantur hæretici, qui dicunt animarum naturas bonas vel malas, & audiant, quia non pro natura unicuiq; Deus, sed pro operibus* (vel, ut alii legunt, meritis) *suis reddet; Secundo in loco ædificentur fideles, ne putent hoc sibi solum sufficere posse, quod credunt, sed sciant justum judicium Dei reddere unicuiq; secundùm opera sua*, hæc ille, quid clariùs contra Acatholicorum doctrinam dici posset?

III. *S. Basilius* Anno 350. lib. de Spiritu Sancto ed. Antwerp. 1568. cap. 24 dicit: *Homo qui saluus fit per justitiam operum plurimum absit ab eo, ut spiritum debita gloria fraudet.*

Item serm. de ascesi, id est, de cultu seu exercitatione monastica, *Custodientibus*, inquit, *mandata ejus, retributio multa merces nimirum illa copiosa est, & corona justitiæ, vita finem nunquam habitura, gaudium inenarrabile.*

Idem hom. 12. seu, ut alii allegant, oratione in initium Proverbiorum, *Omnes*, ait, *qui euangelicam vitam incedimus* (seu ut alii legunt) *angelicam viam ambulantes, mercatores sumus per opera mandatorum nobis possessionum cælestium negotiantes* (vel ut alii legunt) *comparantes*, &c.

S. Cyrillus Hierosolym. ed. Colon. 1564. catechesi 1. *Si parum*, ait, *laboraueris, parum accipies; si vero multum operaberis, multa tibi merces manet.*

Item catechesi 15. *Sic*, inquit, *tremendum est judicium: nam regnum cælorum proponetur, & ignis æternus præparabitur; quomodo igitur dixerit aliquis, ignem effugiemus, & quomodo regnum cælorum ingrediemur? Esuriui, inquit, & dedistis mihi manducare; discite viam*, & infrà: *Hæc si nunc feceris, regnabis; si non feceris, condemnaberis: Jam igitur incipe hæc operari, & perseueres in fide, ne sicut stultæ virgines empturus oleum, excludaris.* Et infrà: *Non in hoc solum confidas, quod credis, sed fidem ardentem conserua, ut luceat lux tua coram hominibus per opera bona*, hæc ille. Ecce quàm clarè excludit Acatholicam confidentiam in sola fide ad salutem; sed fidem per charitatem ardentem, seu opera ex fide facta mereri regnum cælorum, quibus regnum in mercedem datur.

S. Gregor. Nazianz. Orat. 40. quæ est in S. Baptisma sic ait: *Crede resurrectionem, judicium, mercedem ad justam Dei lancem exigendam.*

IV. *S. Gregor. Nyssenus* Orat. 1. de Pauperibus amandis apud Jodocum Coccium ed. Colon. 1601. lib. 3. de Justific. art. 3. sic ait: *Pro suis quemq; meritis ornatum cerno, illis, qui boni benigniq; fuerint, summa & perpetua quies tribuitur in regno cælesti; Inhumanis autem & improbis supplicium ignis, idq; sempiternum.*

Item apud eundem orat. 2. de Paup. amand. *Quid ergo faciendum est nobis?* & infrà: *Nam quæ proportio est inter res veras & adumbratas picturas, eadem obtinent verba, si ab operibus sejungantur: non enim in verbis salutem consistere dicit Dominus, sed in salutis operibus faciendis*, hæc Greg. Nyssen.

Theophilus Alexandr. epist. 3. paschal. ait: *Qui jejunia, id est: conuersationem angelicam imitantur in terris, meminerint illius dicti, regnum Dei non est cibus & potus, sed Justitia, & gaudium, & pax, & lætitia, quæ per continentiam prauio & paruo labore magna sibi & æterna conciliant præmia*, hæc ille.

V. *Chrysost.* hom. 42. in Genes. ed. Basil. 1558. *Corona*, ait, *quæ pro virtute & ejus sudoribus datur, nihil habet sensibile, neq; in hoc sæculo nobiscum dissoluitur, sed perpetua est, immortalis, extendens se in omnia sæcula; & labor quidem est parui temporis, merces autem laborum finem non habet, neq; cedit tempori, neq; marcescit*, &c. hæc ille.

Idem homil. 4. de Lazaro sic ait: *Si justus est* (Deus) *& his & illis reddet pro meritis, & hoc in confesso est; quod si & his, & illis rependet pro meritis; hic vero nullus eorum recepit, neq; ille improbitatis pœnam, neque hic virtutis præmia, perspicuum est restare tempus aliquod in quo congruens præmium horum uterque ferat*, &c.

Item eâdem ed. in epistolam ad Philemonem homil. 2. *Fides*, ait, *efficax est, si habeat opera; nam sine operibus fides mortua est*, hæc ibi, quæ est efficacia nisi in ordine ad salutem. Hæc ex sanctorum Patrum Græcorum quatuor priorum sæculorum testimoniis abunde sufficiant.

ARTICULUS VI.

Testimonia sanctorum Patrum Latinorum pro eadem veritate.

I. TErtullianus Anno 200. lib. de Resurrect. Carnis cap. 48. *Vnusquisq;*, ait, *in suo ordine, scilicet, quia in suo corpore, ordo enim non aliud, quàm meri-*

Digitized by Google

meritorum diſpoſitor (vel, ut alii legunt) ordo meritorum diſpoſitorum nomine diſponetur, MERITA autem cùm corpori quoq; aſcribantur, ordo quoq; corporum diſponatur neceſſe eſt, ut poſſit eſſe MERITUM, &c.

Idem lib. 2. contra Marcion. cap. 6. Quoniam, ait, & aliàs poſitum hominem ſub judicio Dei oportebat juſtum illud efficere de arbitrii ſui MERITIS, liberi ſcilicet. Cæterum nec boni, nec mali merces jure penſaretur ei, qui aut bonus, aut malus neceſſitate fuiſſet inventus, non voluntate.

Idem in Scorpiaco cap. 6. Quomodo, ait, multæ manſiones apud Patrem, niſi pro varietate MERITORUM, quomodo & ſtella à ſtella diſtabit in gloria, niſi pro diverſitate radiorum? hæc Tertull.

II. S. Cyprianus ed. Baſil. 1531. Anno 250. lib. de unitate Eccleſiæ, Juſtitia, ait, opus eſt, ut promereri quis poſſit Deum Judicem præceptis ejus & monitis obtemperandum eſt, ut accipiant merita noſtra mercedem, hæc ibi, quid clariùs?

Idem ſerm. de Opere & Eleëmoſ. ſic ait: Quæ illa erit fratres chariſſimi operantium gloria, quàm grandis & ſumma lætitia, cùm populum ſuum Dominus cœperit recenſere, & MERITIS atq; operibus noſtris præmia promiſſa contribuens, pro terrenis cæleſtia, pro temporalibus ſempiterna, &c. & infrà: Res in poteſtate facientis, res & grandis, & facilis, ſine periculo perſecutionis corona pacis, verum Dei munus, & maximum, infirmis neceſſarium, fortibus glorioſum, quo Chriſtianus adjutus perfert gratiam ſpiritualem promeretur Chriſtum Judicem, Deum computat DEBITOREM. Ad hanc operum ſalutarium PALMAM libenter & prompte certemus, omnes in agone Juſtitiæ Deo & Chriſto ſpectante curramus, & infrà: Si expeditos, ſi celeres, ſi in hoc operis agone currentes, dies nos vel redditionis, vel perſecutionis invenerit, nuſquam Dominus MERITIS noſtris ad præmium deerit, in pace vincentibus coronam candidam pro operibus dabit, in perſecutione purpuream pro paſſione geminabit, hæc ibi, quid clariùs de meritis ad vitam æternam?

Idem lib. 3. epiſt. 18. Pœnitentiam, ait, ille agit, qui divinis præceptis mitis, & patiens obſequiis ſuis, & operibus juſtis Dominum promeretur, hæc ibi.

III. Similiter lib. 3. cap. 25. An ego, inquit, poſſum tacere, & vocem meam ſilentio premere, cùm de chariſſimis meis tam multa & glorioſa cognoſcam, quibus vos divina dignatio honoravit, ut ex vobis pars jam martyrii ſui conſummatione præceſſerit, MERITORUM ſuorum CORONAM de Domino receptura, pars adhuc in carcerem clauſtris, &c. ad MERITORUM titulos ampliores tormentorum tarditate proficiens, habitura tot MERCEDES in cæleſtibus præmiis, quot nunc dies numerantur in pœnis, hæc S. Cyprianus martyr tam clarè pro meritis bonorum operum.

Lactantius Anno 300. in Epitome divinarum inſtructionum cap. 12. ſic ait: Teneat innocentiam, proſit quàm plurimis, incorruptibiles ſibi theſauros bonis operibus acquirat, ut poſſit Deo Judice pro virtutis ſuæ MERITIS, vel coronam fidei, vel præmium immortalitatis adipiſci, hæc ille.

S. Hilarius ed. Baſil. 1570. Anno 150. can. 5. in Matth. Regnum, ait, Dei vitæ noſtræ STIPENDIIS quæramus, & hæc recte perfecteq; viventium MERCES eſt, ut in novam cæleſtemq; ſubſtantiam ex hac corruptibilis corporis materie transferantur.

Ibid. eâdem ed. can. 6. De noſtro eſt beata illa æternitas PROMERENDA, præſtandumq; eſt aliquid ex proprio, ut bonum velimus, malum omne vitemus, totoq; affectu præceptis cæleſtibus obtemperemus.

Rurſus can. 28. eâdem ed. Ita enim, ait, in univerſorum fidelium corporibus mentibuſq; transfunditur, ut hæc humanitatis officia, aut gratiam ſuam impenſa MEREANTUR, aut offenſam negata commoveant, hæc Hilar.

IV. S. Ambroſ. tom. 4. ed. Rom. 1579. lib. 1. de Offic. cap. 15. adducens exemplum de divite Epulone & Lazaro, dicit: Poſt obitum vero utriuſq;, pauper erat in ſinu Abrahæ, requiem habens, dives in ſuppliciis; nonne evidens eſt MERITORUM aut præmia, aut ſupplicia poſt mortem manere? & recte, quia in certamine labor eſt, poſt certamen aliis victoria, aliis ignominia, nunquid priuſquam curſus conficitur, palma cuiquam datur, aut defertur corona? merito Paulus, certamen, inquit, bonum certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi, quod reliquum: repoſita eſt mihi corona Juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex. In illa, inquit, die reddet, non hic, &c ergo non poteſt quis præmium accipere, niſi legitime certaverit, &c. hæc ibi.

Item lib. 10. epiſt. 82. ad Vercellenſ. Eccleſiam commendans jejunium, & multorum Sanctorum exemplis probans ejus utilitatem, ſubjungit dicens: Qui ſunt ergo hi Præceptores noſtri, qui meritum excludunt jejunii? nonne Gentilium vox iſta eſt dicentium, manducemus, & bibamus, quos bene irridet Apoſtolus, &c. Illorum ergo eſt cibis & potibus indulgere, qui nihil poſt mortem ſperant, &c.

V. Rurſus tom. 2. ed. Rom. 1580. in pſ. 118. ſerm. 7. circa verſum 49. Memor eſto verbi tui Domine, in quo mihi ſpem dediſti, ſic ait: Ergo David vocatus erat verbo Dei, & ſpem in eo habuit, quoniam ſæpe reſponſis erat invitatus cæleſtibus, quibus remunerationem fidei MERITORUMQUE ſperaret fore, & infrâ: Convenit Dominum, ut meminerit promiſſorum ſuorum, quorum immemor eſſe non ſoleat; Sanctis enim, quodcunq; ſpoſponderit, implere conſuevit: vult etiam conveniri, ut, ſi quis propoſita ſecutus virtutibus præmia, bene certaverit, fructum REMUNERATIONIS expectet, quin etiam exigat, ſicut habet ſcriptura: Certamen bonum certavi, curſum conſummavi, repoſita eſt mihi CORONA juſtitiæ, non eſt arrogans uſurpatio, ſed fidelis, quia verum Deum non poſſe fallere confitetur, & infrà: BRAVIUM peto verbi tui, quod promiſiſti, memor eſto promiſſorum tuorum, quæ ſpoſpondiſti ſervo tuo, ſervus ſum, exſpecto alimentum à Domino, miles ſum, exſpecto ab Imperatore STIPENDIUM, hæc Ambroſ. Ecce quàm clarè veritatem Catholicam contra Acatholicos exponit, & defendit.

VI. S. Hier. lib. 2. adverſus Jovinianum à propoſito impugnat Joviniani hæreſin, qui adductis aliquot S. ſcripturæ locis pravè explicatis aſſerebat, peccata eſſe paria, & etiam merita juſtorum paria, ac inſuper præmia in cælo æqualia.

S. Hieron. econtra ex S. ſcriptura demonſtrat, quod præmia in cælis erunt inæqualia, & tandem cap. 15. concludit dicens: Vides ergo quod in cælis ſit maximus & minimus, & paulò infrà Chriſtum inducit dicens: In domo, inquit, Patris mei manſiones multæ ſunt, &c. locus & manſiones, quas præparare ſe dicit Chriſtus Apoſtolis, in domo utiq; ſunt Patris, id eſt, in regno cælorum, non in terra, in qua præſens Apoſtolos relinquebat, ſimulq; ſenſus ſcripturæ intuendus: dicerem, inquit, vobis, quia vado, & præparabo vobis locum, ſi non manſiones multæ eſſent apud Patrem, hoc eſt, ſi non unuſquiſq; manſionem ſibi non ex largitate Dei, ſed ex propriis operibus præpararet, ideo non eſt meum parare, ſed veſtrum, & paulò pòſt: Parata, inquit,

Digitized by Google

merita nostra dari, quod omnino falsissimum est, ecce contra Pelagianos, sed subjungit pro veritate Catholica: *Non quia nullum est* MERITUM, *vel bonum piorum, vel malum impiorum, alioquin quomodo judicabit Deus mundum, sed misericordia, & gratia Dei convertit hominem, ut justificetur impius, hoc est, ex impio fiat justus, & incipiat habere* MERITUM *bonum, quod Deus* CORONABIT, *quando judicatur mundus*, &c. hæc ibi, ecce quàm clarè exponitur veritas Catholica, & Acatholica doctrina confunditur, ut Augustinus judicet, Deum non posse judicium extremum, prout in S. Scriptura prædicitur, servare, si non sint merita justorum bona, quæ coronabuntur, & mala impiorum, quæ damnabuntur, adeoque indicat illam doctrinam, quæ negat bona merita justorum, & illorum coronam, tollere articulum fidei de extremo Judicio.

XI. Similiter epist. 105. ad Sixtum paulo post initium, cùm ostendisset, quod prima gratia detur homini gratis, sine ullis præcedentibus meritis, adeoque indigno & liberato indebita conferatur gratia, ac proinde solâ misericordiâ indignus liberetur à peccato, subjungit dicens: *Qua igitur sua merita jactaturus est liberatus, cui si digna suis meritis redderentur, non esset nisi damnatus*, &c. & hæc quoad primam justificationem, prout etiam docet Ecclesia, sed de operibus post justificationem sic subjungit dicens: *Nullane igitur sunt* MERITA *Justorum? sunt plane, quia justi sunt; sed ut justi fierent, merita non fuerunt, Justi enim justi sunt, cùm justificati sunt, sed sicut dicit Apostolus, justificati gratis per gratiam ipsius*, &c. hæc ibi, & post duo folia, *Spiritus, ait, ubi vult, spirat, sed, quod fatendum est, aliter adjuvat nondum inhabitans, aliter inhabitans: nam nondum inhabitans adjuvat, ut sint fideles; inhabitans adjuvat jam fideles; quod est ergo meritum hominis ante gratiam, cùm omne meritum nostrum non in nobis faciat nisi gratia, & cùm Deus coronat* MERITA *nostra, nihil aliud coronat, quàm munera sua*, &c. *sicut enim ab initio fidei misericordiam consecuti sumus, non quia fideles eramus, sed ut essemus; sic in fine, quod erit in vita æterna coronabit nos, sicut scriptum est, in miseratione & misericordia, non enim frustra Deo cantatur, & misericordia eius præveniet me, & misericordia eius subsequetur me. Unde & ipsa vita æterna, quæ utiq; in fine sine fine habebitur, & ideo* MERITIS *præcedentibus redditur, tamen quia eadem* MERITA, *quibus redditur, non à vobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta sunt per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur, non ob aliud, nisi quia gratis datur, nec ideo, quia* MERITIS *non datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur*, &c. hæc ibi. Ecce qualiter simul consistat, quod merita vera sint Justorum coronanda, & etiam gratia vocentur, quia homo justus non sufficit ad illa facienda, nisi per gratiam fiant, & in hoc ponit differentiam inter merita bona, & merita mala, & ideo ipsa etiam corona & vita æterna dicitur gratia.

XII. Et quia Acatholici cum Calvino objiciunt illud Apostoli, *stipendium peccati mors, gratia autem Dei vita æterna*: ex quo arguunt, quod vita æterna non sit stipendium meritorum. Hoc D. Augustinus præveniens, ibid. subjungit causam, cur Apostolus non dixerit, *stipendium Justitiæ vita æterna*, cùm tamen id verum sit, dicens: *Cùm enim dixisset, stipendium peccati mors, quis non congruentissimè & consequenter addere judicaret*: STIPENDIUM *autem* JUSTITIÆ *vita æterna. Et verum est, quia sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors: Ita* MERITO *Justitiæ tanquam* STIPENDIUM, *vita æterna, aut si vellet dicere Justitia, diceret Fidei, quia justus ex Fide vivit, unde etiam* (vita æterna) MERCES *appellatur plurimis sanctarum scripturarum locis: Nusquam porro dicta est merces Justitia, vel fides, quia Justitia, vel Fides redditur merces, quod est autem merces operanti, hoc militanti stipendium*, hæc August. ubi ex S. Scriptura, ut clarum supponit, quod Justitiæ, vel fidei sit merces, vel stipendium reddendum, scilicet post justificationem factam: at verò juxta S. Scripturam ante fidem, vel Justitiam non præcedit aliquod meritum, cui Fides, vel Justitia ut merces, vel stipendium reddatur; cùm ergo juxta S. Scripturam Justitiæ stipendium debeatur, causam reddit, cur Apostolus illud non expresserit dicens: *Sed beatus Apostolus adversus elationem, quæ usq; adeo magnis tentat irrepere, ut sibi propter ipsam dicat datum Angelum Sathanæ, à quo colaphizaretur, ne verticem præsumptionis erigeret, adversus hanc ergo elationis pestem, ne Justitia de humano se extolleret bono merito*, &c. ecce causam, cur non dixerit Apostolus stipendium Justitiæ, vita æterna, ne aliquis præsumeret, quod ex suis naturæ viribus Justitiam haberet, cui stipendium vitæ æternæ deberetur. Hoc autem excluso errore, Augustinus subjungit dicens: *Cui debetur vita æterna,* VERA JUSTITIA *est, si vera Justitia est, ex te non est, desursum est, descendens à Patre luminum, ut haberes eam, profectò accepisti; quid enim habes, quod non accepisti? quapropter, O homo, si accepturus es vitam æternam,* JUSTITIÆ *quidem* STIPENDIUM *est, sed tibi gratia est, cui gratia est & ipsa Justitia: tibi enim tanquam debita redderetur, si ex te tibi esset justitia, cui debetur*, &c. hæc August. Ex quibus clarissimè patet doctrina Ecclesiæ Catholicæ, quæ docet; quod ex sola Dei misericordia sine præcedentibus meritis per merita Christi homo peccator accipiat fidem, & justitiam, qua justificatur; ac proinde ipsa Justitia, quæ à Deo gratis datur, sit homini gratia; per hanc autem Justitiam, quæ gratia est, homo justificatus operans mereatur vitam æternam, tanquam stipendium justitiæ, seu operibus justis debitum: nam opus ipsum ex gratia factum verè Justitia est; de quo homo non potest gloriari, quasi ex se vel viribus naturæ facto, sed in Domino, qui gratiam dedit, seu Justitiam, cum qua operatus est, & sine qua nec sic operari, nec mereri posset. Unde patet, quod licèt vita æterna sit stipendium justitiæ, vel bonorum operum; non tamen eo modo, quo mors est stipendium peccati, quia hoc homo ex se solo facit; sed homo justus bona opera ex se solo non potest facere, sed cum gratia, cui primariò ratio meriti tribuitur. XIII.

XIV. Rursus Aug. eandem Apostoli sententiam tractans lib. de Grat. & lib. Arb. c. 9. sic ait: *Merito enim stipendium, quia militiæ diabolicæ mors æterna tanquam debitum redditur. Ubi cùm posset dicere,* STIPENDIUM *autem justitiæ, vita æterna, maluit dicere; gratia autem Dei vita æterna, ut hinc intelligeremus, non meritis nostris Deum nos ad vitam æternam. sed pro sua miseratione perducere, de quo in psalmo dicit homo*

Digitized by Google

anima sua, qui coronat te in miseratione, & misericordia: nunquid non corona bonis operibus redditur? sed quia ipsa bona opera ille in bonis operatur, de quo dictum est; Deus est enim, qui operatur in vobis & velle, & operari pro bona voluntate; ideo dicit psalmus: Coronat te in miseratione, & misericordia: *quia eius miseratione bona operamur, quibus corona reddetur.* Non enim, *quia dixit, Deus est enim, qui operatur in vobis, & velle, & operari pro bona voluntate, ideo liberum arbitrium abstulisse putandus est, quod si ita esset, non superius dixisset, cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini: quando enim iubetur, ut operentur; liberum eorum conuenitur arbitrium; sed ideo cum timore & tremore, ne sibi tribuendo, quod bene operantur, de bonis, tanquam suis, extollantur operibus. Itaq; fratres debetis quidem per liberum arbitrium non facere mala, & facere bona, hoc enim nobis lex Dei præcipit in libris sanctis siue veteribus, siue nouis,* hæc Augustin. Vbi clarè refutat doctrinam Acatholicorum, qui volunt, quod vita æterna non reddatur pro operibus bonis ab ipso homine per liberum arbitrium in gratia Dei factis: & simul ostendit, quod vita æterna reddatur ex miseratione, scilicet, quia ex Dei misericordia per solum Christum datur gratia, quâ Deus adiuvat liberum arbitrium, sine qua homo bona opera non potest facere, & ideo, non in se, sed in Domino gloriari debet. Hoc ipsum iterum declarat epist. 106. paulo pòst initium, dicens: *Vnde Apostolus interrogat, quis enim te discernit? ubi si dixerit homo, fides nostra, voluntas nostra, bonum opus meum; respondetur ei: quid enim habes, quod non accepisti; si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis. Hoc solum ideo, non ut homo non glorietur, sed, ut qui gloriatur, in Domino glorietur, non ex operibus ne forte quis extollatur; non quia bona opera ista pia cogitatione frustrantur, cùm Deus reddet unicuiq; secundum* OPERA *eius, siq;* GLORIA, *& honor, & pax omni operanti bonum; sed quia opera ex gratia, non ex operibus gratia, quoniam fides, quæ per dilectionem operatur, nihil operaretur* (nota contra Acatholicos) *nisi ipsa dilectio Dei diffunderetur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis; nec ipsa fides esset in nobis, nisi Deus unicuiq; partiretur mensuram Fidei. Bonum est igitur homini, ut cum totis viribus liberi arbitrii sui veraciter dicat, fortitudinem meam ad te custodiam, quia ille, qui putavit sine ipsius adiutorio se posse custodire, quod dedit, profectus est in regionem longinquam, & viuens prodige cuncta consumpsit,* hæc ibi, ex quibus iterum veritas Catholica clarè patet, & Acatholicorum doctrina refellitur.

XV. Idem tom. 9. ed. Bal. 1529. tract. 67. in Joan. sic ait: *Sed cùm audiuit, in domo Patris mei mansiones multæ sunt, si quo minus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum, à perturbatione recreantur, certi ac fidentes etiam post pericula tentationum se apud Deum ei in Christo esse mansuros, quia etsi alius est alio fortior; alius alio sapientior, alius alio iustior, in domo Patris mei mansiones multæ sunt, nullus eorum alienabitur ab illa domo, ubi mansionem pro suo quisq; accepturus est,* merito: *Denarius quidem ille æqualis est omnibus, quam Paterfamilias eis, qui operati sunt in vinea, jubet dari omnibus, non in eo discernens, qui minus, & qui amplius laborarunt, quo utiq; denario vita significatur æterna, ubi amplius alio nemo viuit, quoniam viuendi non est diuersa in æternitate mensura, sed multæ mansiones diuersas* MERITORUM *in vita æterna significant dignitates: alia est enim gloria Solis, alia gloria Lunæ, alia gloria stellarum, stella enim differt à stella in gloria, sic & resurrectio mortuorum, tanquam stellæ sancti diuersas mansiones, diuersas claritates tanquam in cælo, sortiuntur in regno, sed propter unum denarium nullus separatur à regno,* & infrà: *Non erit itaq; aliqua inuidia imparis claritatis, quoniam regnabit in omnibus unitas charitatis,* hæc Aug. ibi.

Item D. Aug. lib. de moribus Ecclesiæ c. 25. sic ait: *Diligamus igitur Deum ex toto corde, quicunq; ad vitam æternam peruenire proposuimus, vita enim æterna est solum* PRÆMIUM, *cuius promissione gaudemus, nec præmium potest præcedere* MERITA, *& priùs dari homini, quam* DIGNUS *est, quid enim hoc iniustius, & quid justius Deo? non ergo debemus poscere præmium, antequam* MEREAMUR *accipere,* &c. hæc ibi, quid clariùs dici posset, ubi etiam supponit, quod Deum ex toto corde diligere possimus.

Similiter tomo 7. ed. Basil. 1528. ait lib. de Nat. & Grat. cap. 2. dicens: *Non est iniustus Deus, qui iustos fraudet mercede Iustitiæ,* &c. XVI.

Item lib. 4. in Julian. tom. 7. ed. eâdem cap. 3. *Per quod,* ait, *vera justitia, per hoc & regnum Dei, Deus namq; ipse, quod absit, erit iniustus, si ad eius regnum non admittatur justus,* hæc ibi.

Sic & in ps. 83. circa versum, *Misericordiam & veritatem diligit Deus,* tomo 8. ed. Basil. 1529. dicit: *Ecce videmus, quia tenet eum Paulus debitorem;* & iterum, *debitorem Dominus ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo; non ei dicitur, redde, quod accepisti, sed redde, quod promisisti,* serm. 17. de verbis Domini super verba, *si vis ad vitam ingredi, serua mandata,* tom. 10 ed. eâd. sic concludit de vita æterna dicens: *Hunc diem, vel hos dies, & hanc vitam, & veram vitam in promissu habemus; Alicuius ergo operis merces est, si enim mercedem amamus, in opere non deficiamus, & in æternum cum Christo regnabimus.*

Demum tomo eodem serm. 16. de verbis Apostoli in initio sic ait: *In his, quæ jam habemus, laudemus Deum largitorem; in his, quæ nondum habemus, tenemus debitorem; debitor enim factus est, non aliquid à nobis accipiendo, sed quod ei placuerat promittendo.* Et infrà: *Illo ergo modo possumus exigere Dominum nostrum, ut dicamus, redde, quod promisisti, quia fecimus, quod jussisti,* &c. *nemo ergo dicat, ideo me vocauit Deus, quia colui Deum quomodo coluissem, si vocatus non fuissem* hæc Aug. Vbi brevissimè & clarissimè docet, quod Deus operibus bonis tanquam verè meritoriis, sed ex sua gratia factis, juxta promissionem suam reddet, ut debitor, vitam æternam. XVII.

S. Prosper Episcopus Augustino familiarissimus, & in oppugnandis Pelagianis simillimus in respons. ad cap. 6. Gallorum sic scribit: *Justificatur homo, id est, ex impio pius factus nullo præcedente bono merito accipit bonum, quo medio acquirat & meritum,* &c. XVIII.

Idem in ps. 111. circa illa verba, *Potens in terra semen eius,* sic ait: *Semen justitiæ messis opera esse misericordiæ Apostolus testis est dicens bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim proprio metemus; quid autem potentius hoc semine, cuius impendio comparatur regnum cælorum, & vita æterna,* rursus ad ps. 125. *De fructu,* ait, *bonorum operum pii coronabuntur agricolæ, & cum manipulis gloriæ, id est,* MERITIS *actionum aduentus Domini Saluatoris exultantes occurrent,* hæc Prosper.

Concil.

Digitized by Google

Concil. Arauſicanum, cui interfuit D. Auguſtinus can. 18. ſic declarat: *Debetur merces bonis operibus, ſi fiant; ſed gratia, quæ non debetur, precedit, ut fiant*, hæc Concilium.

XIX. Demum S. Cæleſtinus, qui *Concil. œcumenicum Epheſinum* promovit, & confirmavit in epiſt. ad Gallos cap. 12. ſic ſcribit: *Tanta erga homines eſt bonitas Dei, ut noſtra velit eſſe* MERITA, *quæ ſunt ipſius dona, atq; pro his, quæ largitus eſt, æterna præmia ſit donaturus*, hæc ille. Hæc eadem eſt modernæ Eccleſiæ Catholicæ doctrina, tam quoad ſenſum, quàm etiam quoad verba, ut patet ex verbis Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 16. ſup. art. 2. relatis.

Ex his patet, qualiter intelligendum ſit, quod D. Aug. ſubinde videtur dicere, Deum non coronaturum merita, ut, dum in pſ. 70. Conc. 2. dicit: *Tua peccata ſunt, merita Dei ſunt, ſupplicium tibi debetur, & cùm præmium venerit ſua dona coronabit, non merita tua.* Similiter dum ſerm. 15. de verbis Apoſtoli dicit: *Pro nihilo ſaluos facies illos, nihil invenis, unde ſalues, & multum invenis, unde damnes.*

Rurſus lib. de Grat. & l. Arb. c. 9. ubi circa verba Apoſt. *Stipendium peccati mors*, ait: *Maluit dicere, gratia Dei vita æterna, ut intelligeremus, non pro meritis noſtris Deum nos ad vitam æternam, ſed pro ſua miſericordia perducere.*

Alia adducit Calvin. l. 3. Inſt. c. 15. §. 2. ex S. Aug. l. de Prædeſt. SS. ſcilicet: *Humana merita hic conticeſcant, quæ perierunt per Adam, & regnet Dei gratia per Jeſum Chriſtum.* Item in pſ. 139. *Meritis ſuis nihil tribuunt Sancti, totum non niſi miſericordiæ tuæ tribuunt, O Deus!* & alibi in pſ. 88. *Et quum viderit homo, quidquid boni habet, non ſe habere à ſe, ſed à Deo ſuo, videt id ſolum, quod in eo laudatur, non de ſuis meritis, ſed de Dei miſericordia eſſe*, &c. hæc Calvinus ex D. Aug.

XX. Hæc aliaque ſimilia, in qua qualitate intelligenda ſint conformiter ad doctrinam Catholicam, ipſemet D. Aug. tot locis ſuprà allegatis clariſſimè declarat, quod per merita hominis intelligat merita, quæ homo ex ſe ipſo facit; vel quæ ipſe ex ſeipſo ſe bene facere jactitat, ſine gratia Dei & Chriſti: negat enim cum Eccleſia Catholica, quod poſt lapſum Adami homo ſine gratia Dei per Jeſum Chriſtum opus meritorium facere poſſit, ſed ſi quæ bona facere ex ſe ipſo videatur, vel mala ſunt, vel nullo modo meritoria: cùm hoc optimè conſiſtit, quod homo ex miſericordia Dei per Chriſtum juſtificatus, & gratiam accipiens ex gratia, & cooperante gratia, & meritis, Chriſti adjutus, cum libero arbitrio bona opera faciat verè meritoria, quæ verè dona Dei ſunt, & ex gratia Dei meriti virtutem habent, prout S. Aug. clariſſimè docet, & diſtinguit. Et ſic etiam veriſſimè dicitur, quod Deus in homine ſine gratia ipſius nihil invenerit, propter quod illum ſalvet, ſed multa mala, propter quæ illum damnet: at verò in homine juſto invenit gratiam à ſe infuſam, & opera per gratiam, & in gratia ſua facta, quæ verè juſta ſunt, & ipſe coronat. Quoad verba Apoſt. *Stipendium peccati mors*, &c. clariſſimè Auguſtinus profitetur, quod *Apoſtolus rectè dicere poterat, & verum erat, ſicut ſtipendium peccati mors, ita ſtipendium juſtitiæ vita æterna*; licèt maluerit dicere, gratia Dei vita æterna, ne homo ſumeret occaſionem gloriandi, quaſi juſtitiam ex ſe haberet, & non ex miſericordia Dei; & ideo ipſa juſtitia etiam verè dicitur gratia reſpectu hominis, cui gratis datur, ut patet ex verbis D. Aug. l. de Grat. c. 9. & ep. 105. ſup. recitatis. Vnde quivis facilè cognoſcet, quam falsè & fraudulenter Acatholici aliquando D. Auguſtini loca contra doctrinam Catholicam ab ipſo Aug. tantopere prædicatam, & prolatam allegare præſumant, cùm hæc ipſe D. Aug. explicarit.

ARTICULUS VII.

Quòd liceat bene operari propter mercedem vitæ æternæ.

Hanc veritatem tradit Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 9. dicens: *Conſtat eos orthodoxæ religionis doctrinæ adverſari, qui ſtatuunt juſtos peccare, ſi ſuam ipſorum ſocordiam excitando, & ſeſe ad currendum in ſtadio, exhortando, cum hoc, ut imprimis glorificetur* Deus, *mercedem quoq; intueantur æternam*, & can. 31. ſic definit: *Si quis dixerit juſtificatum peccare, dum intuitu mercedis æternæ bene operatur; anathema ſit.* Vbi Conc. ſatis exprimit, quod primaria intentio operis ſit gloria Dei, ſecundaria vero merces, licèt hoc ſecundarium ſubinde magis moveat, & excitet ad operandum. I.

Hæc doctrina Catholica ex variis S. ſcripturæ locis probari poteſt, primò ex illo pſ. 118. v. 112. *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum, propter retributionem*, & Chriſtus ipſemet ſic hortatur Matt. 6. v. 33. *Quærite primum regnum Dei.* Et Luc. 6. v. 9. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Similiter hortatur Apoſt. 1. Cor. 9 v. 7. II. dicens: *Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit?* & v. 10. *Nam propter nos ſcripta ſunt, quoniam debet in ſpe, qui arat, arare, & qui triturat in ſpe fructus percipiendi.*

Similiter docuerunt SS. Patres, ſufficiat S. Auguſt. in pſ. 120. dicens: *Quando facis opus bonum, propter vitam æternam fac.*

Nec huic doctrinæ obſtant, quæ ab Acatholicis objiciuntur 1. Joann. 10. ubi Chriſtus mercenarios reprobat: & ſic etiam videntur aliqui Patres negare, quod propter mercedem ſit bene agendum, quod eſt ſervile, & non filiale. Secundò, quia Deus amore amicitiæ eſt diligendus, & non amore concupiſcentiæ, qualis eſt mercenarius.

Reſpondeo cum Scoto 3. diſtinct. 18. n. 5. quod meritum conſiſtat primo & radicaliter in affectione juſtitiæ, ſeu amicitiæ, quâ homo amat Deum propter ſe, ſeu qua vult Deo ſuum bonum infinitum, quo ſuppoſito, poteſt voluntas regulare, ordinare, & moderare affectionem commodi ſeu concupiſcentiæ, quando priùs vult Deo bonum propter ſe, & poſtea homo vult Deum ſibi conjungi, quod fit per beatam vitam, ita ut ſibi cupiat vitam propter Deum ſummè diligẽdum. Hinc reſpondeo 2. quod illi ſint mercenarii & ſervi, qui ſolo intuitu mercedis affectione commodi & concupiſcentiæ operantur, & illi non merentur: at vero, qui Deum propter ſe ſuper omnia diligit, & vitam æternam ſibi cupit, ut Deo conjungatur, verè eſt filius, & meretur ſecundum amorem amicitiæ, ſeu affectum juſtitiæ.

***

Digitized by Google

ARTICULUS VIII.

Respondetur ad argumenta Acatholicorum ex S. Scriptura deducta.

I. Diversa sunt, quæ Acatholici objiciunt, & quidem 1. Calvin. lib. 3. Inst. cap. 5. §. 3. sic arguit: *Quid promereantur omnia opera nostra, scriptura ostendit, quoniam Dei conspectum ferre posse negat, quia immunditia sunt plena*, &c. hæc ille.

Respondetur quod falsissimum sit S. scripturam ostendere omnia omnino opera justorum mala esse, suprà ex S. scriptura ostensum est.

2. Calvin. ibi sic arguit dicens: *Quid promeritura sit perfecta legis observatio (si qua reperiri posset) quum præcipit, ut nos inutiles servos reputemus*, Luc. 17. v. 10. *Quum fecerimus omnia, quæ præcipiuntur nobis; quia nihil gratuitum impenderimus Domino, sed debitis obsequiis tantum defuncti simus, quibus non est habenda gratia*, &c.

Respondetur primò redarguendo ad hominem, vel Calvinus cum suis ex his Domini verbis vult deducere, quod isti sint, & dici debeant servi inutiles, qui omnia Dei præcepta servarint, vel fecerint, aut quia non servarint? si hoc secundum, nihil sequitur contra doctrinam Ecclesiæ, vel contra opera justorum, qui omnia præcepta servant; at certum est, quod illi, qui non servant præcepta, sint inutiles, nec mereantur vitam, sed damnationem. Si autem velit, quod de illis Dominus loquatur, qui omnia præcepta servant, sequitur contra Calvinum, & suos, quod aliqui possint omnia præcepta servare juxta verbum Christi, quo autem sensu inutiles dicantur, jam declarabitur.

II. Respond. 2. sicut Christus ibi de justis dicit, quod dicere debeant, *servi inutiles sumus*, sic de iisdem dicit Apostolus 2 Tim. 2. v. 21. *Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum & utile Domino, ad omne opus bonum paratum*, & ibid. cap. 4. Apost. de se dicit: *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi justus Judex*, &c. itaque utrumque verum est, sed in diverso sensu, quem SS. Patres tradunt. Et quidem semel verba Christi Luc. 17. exponuntur, quod Christus nos docere voluerit, opera bona, quæ facimus, non esse ex nostris viribus, sed ex gratia Dei, & ideo respectu nostræ naturæ servi inutiles sumus, cùm ex natura nihil boni facere possimus, cum quo consistit, quod ex gratia renati, & cum gratia Christi operantes simus utilia vasa juxta Apostolum. Hanc explicationem indicat D. Ambros. lib. 8. in Lucam circa verba: *Si habueritis fidem*, &c. dicens: *Non te præferas quia filius Dei diceris, agnoscenda gratia, sed non ignoranda natura.*

III. Alia expositio est, quod Christus moneat, ut in omnibus operibus, & servitiis, quæ Deo præstamus, verè agnoscamus, quod Deus servitiorum nostrorum non indigeat, juxta illud ps. 15. v. 1. *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*, & sic respectu Dei servi inutiles sumus; cum quo consistit, quod servando mandata Dei per ipsius gratiam, nobis utiles simus, adeoq; cum omni humilitate, & gratiarum actione ipsi servire debeamus, qui nos in servos admittere dignatur. Ita ven. Beda.

IV. Tertia expositio est, quod Christus à proposito non dixerit, *cùm omnia feceritis*, &c. absolutè *servi inutiles estis*, sed: *Dicite, servi inutiles sumus*, per quæ monere voluerit, quod justi debeant semper de se humiliter sentire, licèt opera bona fecerint, etiam meritoria, quia ex se non habent, sed ex gratia, adeoque, licèt homo sic de se dicere possit, & debeat, servus inutilis sum, tamen Deus illum dicit utilem, quod verè utilis sit, sed per gratiam ab ipso datam, juxta illud Matt. 25. v. 21. ubi Dominus dicit illi servo, qui talenta bene impendens superlucratus est, *euge serve bone, & fidelis*, &c. *supra multa te constituam*; at verò illi, qui absconderat talentum, dicit *serve male, & piger*: sic ergo justus se dicere debet servum inutilem, & simul agnoscere potest, quod per gratiam Dei sit servus fidelis, & utilis. Ita hunc locum exponit S. Chrysost. hom. in illa verba: *Elatum est cor Oziæ*, &c.

V. Demum alia expositio est, quod ideo verè dicere debeamus nos servos inutiles esse, quia omnia, quæ fecimus, vel facere possumus, Deo debita sunt multis titulis, & ideo per se loquendo nihil mercedis à Deo de jure exigere possemus; sed quia ipse ex sua misericordia & liberalitate mercedem promisit his, qui servant mandata ipsius, simul consistit meritum operis. Hoc sensu D. Aug. serm. 3. de verbis Domini circa illa verba: *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum*, loquitur dicens: *Vos amici mei estis, inquit, si feceritis ea, quæ mando vobis. O magna bonitas Dei, cui cum pro conditione reddere debeamus obsequia, utpote servi Domino, famuli Deo, subjecti potenti, mancipia redemptori, amicitiarum nobis præmia repromittit, ut nobis obsequia debita servitutis extorqueat: ut quos nolle servire conspicit, sponte suorum beneficiorum possit promissionibus invitare, & quorum voluntates à se comperit alienas, eorum mentes præmiorum liberalitatibus constituat suas*, &c. hæc Augustinus.

Ecce tot veræ & sanctæ verborum Christi SS. Patrum expositiones, quæ ostendunt simul consistere, quod servi inutiles simus, & nihilominus justi per mandatorum Dei observantiam vitam æternam promereantur; unde patet falsitas consequentiæ Calvini, quæ ex illo, quod servi inutiles simus, & nihil gratuitum Domino impenderimus, scilicet nihil, quod non gratis à Domino acceperimus, & debitis tantùm obsequiis defuncti simus, quæ vera sunt, vult inferre, quod opera nostra vitam non mereantur; cùm ex S. scriptura SS. Patres doceant, quod Deus ex sua liberalitate per Christum promiserit mercedem operibus bonis, quæ aliàs ipsi debita sunt & ipsius dona.

VI. 3. Calv. cum suis objicit, quod regnum cælorum detur titulo hæreditatis, ergo non titulo meriti, sic enim arguit l. 3. c. 18. §. 2. *Ex mercedis nomine non est cur opera nostra ratiocinemur causam esse salutis. Principio illud sancitum sit in cordibus nostrum, regnum cælorum servorum stipendium, sed filiorum esse hæreditatem, quam soli potientur, qui à Domino in filios adoptati fuerint, neq; aliam ob causam, quam ob hanc adoptionem, adeoq; iis ipsis locis, quibus gloriam æternam mercedem fore pollicetur Spiritus S. hæreditatem nominatim exprimendo, aliunde nobis provenire denuntiat.*

Resp. negando consequentiam, quia simul consistunt, quod vita æterna titulo filiationis obtineatur, & etiam titulo meriti, licèt forte non secun-

Digitize

ſecundùm eundem gradum gloriæ: ſic omnes electi primum gradum gloriæ titulo filiationis & adoptionis obtinent, tam infantes, quàm adulti; ſed adulti ultra illum gradum juxta diverſitatem meritorum majores gradus gloriæ conſequuntur, qui omnes gradus una vita & gloria æterna eſt, & vocatur, licèt una major, altera minor. Cùm ergo Spiritus Sanctus tam clarè in ſacra Scriptura vitam æternam, ut mercedem dandam dicat, prout Calvinus fateri cogitur; & illam ſubinde hæreditatem nominet, utrumque verè conſiſtit, præſertim cum ipſo Calvino fatente ſubinde utrumque conjungat, ita tamen, ut hæreditatis titulus ſit fundamentalis, ut nullus mereri poſſit majorem gloriam, niſi qui filius eſt, & tamen filius poteſt præſtare opera Patri grata, quibus mereatur, ut maneat in gratia Patris, & jure hæreditatis, ac inſuper etiam mercedem, & ſtipendium, ac coronam mereatur ampliorem, prout ſacra Scriptura tam clarè exprimit. Hoc ipſum clarum eſt in ipſo Chriſto Domino, qui verè Filius Dei erat, & hæres regni, & ex hoc titulo debebatur ipſi omnis gloria, quo non obſtante iterum meruit ſuis operibus ſibi ipſi gloriam aliquam, prout Apoſt. ad Philipp. 2. v. 8. dicens: *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſq; ad mortem, &c. propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.*

VII. Sicut itaque non obſtante titulo filiationis, cui debebatur etiam gloria, ſeu exaltatio nominis, & gloria corporis, illa etiam ut generoſus miles promeruit, ſic electi adulti Filii Dei poſſunt majorem gloriam per Chriſtum ut milites, & ſervi fideles promereri, cùm Chriſtus dicat: *Euge ſerve bone, & fidelis, ſupra multa te conſtituam.*

4. Calvin. ibid. §. 3. clara loca ſacræ Scripturæ, quæ mercedem regni promittunt, eludere conatur per illam parabolam, quâ Matth. 20. Chriſtus dicit ſingulis operariis ſingulos denarios datos eſſe, ut, ſicut dicit Calvinus, *omnis intelligat dona ſe gratiæ, non operum accepiſſe mercedem*; & hoc probatum vult ex lib. de vocat. gentium ſub Ambroſii nomine, ubi dicitur: *Hujus comparationis regula Dominus multimodæ vocationis varietates ad unam gloriam pertinentes adſtrinxit*, &c.

VIII. Reſpond. SS. Patres fatentur per denarium unum intelligi regnum cælorum, & vitam æternam, ut mercedem datam, quod eſt contra Calvinum, cùm hoc tamen conſiſtit, quòd vita æterna major, vel minor juxta qualitatem meriti conferatur, prout S. Hieron. clarè oſtendit, & probat lib. 2. contra Jovinian. & ſimiliter Auguſt. tract. 67. in Joann. quorum verba ſuprà relata ſunt: ſic etiam intelligendus eſt ille antiquus Scriptor ſub Ambroſii nomine, quem Calvinus aliàs non reciperet.

5. Objicit Calvin. ibid. §. 5. dicens: *Cùm Scriptura dicit Deum juſtum Iudicem redditurum olim ſuis juſtitiæ coronam, non tantùm cum Auguſtino excipio, cui redderet juſtus Iudex coronam, ſi non donaſſet gratiam miſericors Pater? & quomodo eſſet juſtitia, niſi præceſſiſſet gratia, quæ juſtificat impium? quomodo iſta debita redderentur, niſi illa prius indebita darentur?* ſubdit Calvinus: *Sed aliud ego addo, quomodo juſtitiam imputaret noſtris operibus, niſi quod injuſtitiæ in illis eſt abſconderet indulgentia? quomodo cenſeret digna mercede, niſi quod in illis pœnâ dignum eſt, immenſa benignitate aboleret?* ſolet ille vir (Auguſtinus) *gratiam nominare vitam æternam, quia gratuitis Dei donis reddatur, dum operibus rependitur*, &c. ſed ex ſuo ſubjungit, *quod Scriptura doceat etiam iſta opera bona eſſe ſemper ſordibus inquinata, ut ſatisfacere non poſſint, ſi ad judicii ejus regulam examinentur*, &c. hæc Calvin.

Reſpond. S. Scriptura clariſſimè docet, IX.
quòd Deus juſtus Judex ſit redditurus coronam operibus; & quæ D. Auguſt. Epiſt. 105. ſuprà relata dicit, etiam veriſſima ſunt, & à S. Eccleſia docentur, ut ſuprà patet; ſed quæ Calvin. ex ſuo cerebro addit, falſiſſima ſunt, ut hactenus probatum eſt.

D. Auguſt. clariſſimè dicit, quòd opera juſtorum ex gratia facta ſint vera juſtitia, cui debeatur vita æterna, & ideo illam juſtitiam non habeat homo à ſe ipſo, ſed à Patre luminum, & ſit donum Dei, quod remuneret. Calvinus vult, quòd illa opera bona in ſe ſint mala, & damnatione digna. Ecce, qualiter contradicat ſacræ Scripturæ, & S. Auguſtino, imo qualiter pugnet Calvinus ſecum, cùm ibid. cap. 14. §. 21. & cap. 18. §. 1. dicit: *Tametſi ſola miſericordia ſuos ad vitam ſuſcipiat, quia tamen in ejus poſſeſſionem ipſos deducit per bonorum operum ſtudium, ut quo deſtinaverit ordine, ſuum in illis opus impleat, nihil mirum, ſi ſecundùm opera ſua dicuntur coronari: quibus haud dubie ad recipiendam immortalitatis coronam præparavit*, &c. hæc ibi. Si opera hominis adoptati ſint dona Spiritûs Sancti, & talia, quæ Deus per Spiritum Sanctum in filiis efficit, bona ſint, quæ Deus non poſſit non amare; quomodo eadem opera mala æternâ damnatione digna ſunt? ſi autem illa bona opera coram Dei Judicio mala ſunt, & damnatione digna, quomodo Deus per illa ſuos præparat, & deducit ad vitam? cùm Apoſt. Rom. 3. v. 8. dicat, *& non (ſicut blaſphemamur, & ſicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala, ut veniant bona*, &c. ſi hoc Apoſtolus tanquam blaſphemum de ſe dici proteſtatur, quantò minùs hoc de Deo dicendum eſt, quòd faciat per Spiritum Sanctum opera in homine damnatione digna, ut illos ad vitam perducat, cur non ſimili modo diceretur hominem per adulteria, & idololatriam ad vitam perducere?

6. Objiciunt ex pſ. 102. v. 4. *Qui coronat te* X.
in miſericordia & miſerationibus, & Matth. 5 v. 7. *Beati miſericordes, quoniam miſericordiam conſequentur*, ergo non eſt corona Juſtitiæ.

Reſpond. negando conſequentiam, quia, ſicut primum dicitur à Spiritu Sancto per Pſalmiſtam, ſic ſecundum per Apoſtolum 2. Tim. 4. v. 8. *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ*, & ſimul conſiſtunt: nam certum eſt, quòd homo non poſſit mereri vitam æternam, ut coronam juſtitiæ, niſi priùs ex miſericordia Dei fiat juſtus, ſeu accipiat gratiam, quâ conſtituitur filius regni. Iterum non poteſt facere opus bonum meritorium, niſi Deus adjuvet ſuam gratiam, & ideo opus bonum propriè vocatur donum Dei, & verè eſt juſtitia reſpectu coronæ; ſed reſpectu hominis eſt gratia, quia gratia, quâ opus facit, gratuito illi datur, ut clariſſimè explicat D. Auguſt. Epiſt. 105. ſuprà allegatus: hinc ipſa corona juſtitiæ, quæ operibus datur, etiam vocatur corona miſericordiæ reſpectu hominis, cui gratia datur, quâ opus facit. Vide verba Augu-

Digitized by Google

III. Probatur secundò, quia operibus bonis justorum promittitur vita æterna, & præmium, idque juxta vel secundùm proportionem operum. Ex quo evidenter sequitur, quòd meritum operum respiciatur, & non sola Dei liberalitas, vel promissio: cur enim sacra Scriptura toties asserit, quòd secundùm mensuram & qualitatem seu quantitatem operum merces danda sit, si nullum sit meritum operum? cùm constet in humanis, quòd præmium ipsum non respondeat soli liberalitati Principis, sed etiam operi præstito & exacto à Principe. Quòd autem sic Regnum cœlorum dandum sit, patet ps. 61. v. 13. *Quia tu reddes unicuique iuxta opera sua*, & similiter Christus Matth. 16. v. 27. dicit: *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet unicuique secundùm opera sua.* Luc. 6. v. 38. *Date, & dabitur vobis, mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabit in sinum vestrum; eadem quippe mensura, quâ mensi fueritis, remetietur vobis.* quod Christus explicat Joann. 5. v. 29. dicens: *Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei; & procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicii.* similiter Apost. Rom. 2. v. 5. *Thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis iusti iudicii Dei, qui reddet unicuique secundùm opera eius: iis quidem, qui secundùm patientiam boni operis, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam.* Iterum ad Cor. 3. v. 8. *Unusquisque enim propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem*, similiter Gal. 6. v. 8. *quæ enim seminaverit homo, hæc & metet, quoniam qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Vbi clarè excluditur effugium Acatholicorum, qui ad prædicta loca respondent, quòd retributio fiet juxta opera, quoad aliqua præmia, sed non quoad vitam æternam ipsam; quam Apostolus exprimit ùt præmium reddendum ipsis operibus: & juxta hoc etiam dicitur Apocal. ult. v. 12. *Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundùm opera sua.* Constat autem, quòd Christus in die judicii peccatoribus juxta opera sua mala reddet damnationem, & mortem æternam, adeóque justis vitam æternam, quia Christus non erit parcior in reddendo suis electis propter opera bona vitam, quàm erit justus in puniendis malis morte æternâ.

IV. Probatur tertiò, quia S. Scriptura sæpe pronunciat, quòd vita æterna justis sit danda, & hujus causam assignat opera bona, quæ fecerunt, quæ utique est causa meritoria, ut Matth. 19. v. 29. *Amen dico vobis, omnis, qui reliquit domum, vel fratres, vel sorores, &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Ecce Christus sub juramento promittit vitam æternam, qui sic faciunt, nonne hæc promissio vitæ propter opera illa? sic Matt. 25. v. 34. dicit Dominus, quod in die judicii dicet electis: *Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi, esurivi enim, & dedistis mihi manducare.* ubi per particulam *enim*, quæ causalis est, clarè indicatur, quòd causa meritoria regni, sint opera præstita. Similiter ibid. v. 21. & 23. in parabola de Servis, quibus Dominus dedit talenta ad lucrandum, ait: *Euge serve bone, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* ubi patet 1. quòd servus qui 5. vel 2. talenta acceperat, quæ est gratia, & virtus à Deo data, sine qua lucrari nihil possunt, per illam operantes majorem gratiā lucrati sint; & ideo propter hunc laborem, tanquam meritoriam causam, datur gaudium, quod conjunctio *quia* causalis exprimit.

V. Cur autem Christus tam clarè tam opera misericordiæ quàm lucra diceret allegandа fore in reddendo regno, nisi ut præmio operū. Similiter Apoc. 7. v. 14. de SS. Martyribus dicitur: *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, &c. ideo sunt ante thronum Dei.* Et patet è contrario de damnandis, cùm Christus Matt. 25. v. 41. ibid. dicit: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, &c. esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* & v. 30. *Inutilem servum eiicite in tenebras exteriores*, ubi negari non potest, quin illæ particulæ, *enim*, & *quia*, causaliter significent, scilicet, quòd illorum mala opera sint causæ meritoriæ damnationis illorum. Et certè evasio Calvini lib. 3. Inst. c. 14. §. 21. planè falsa ex his convincitur. Verùm claris S. Scripturæ verbis convictus fatetur quædam dicens: *S. Scriptura bona fidelium opera causam esse ostendit, cur Dominus illis benefaciat. sed hoc sic intelligendum est*, & infrà: *Opera Dominus, tanquam causas inferiores amplectitur*, quod sic explicat: *quod Deus illos, quos æternæ vitæ destinavit, per opera bona inducit in eius possessionem*, non quòd sint causæ illius, sed effectus præmii, ita ut, quod ordine præcedit, dicatur causa posterioris, *non quòd eis referenda sint accepta, sed quòd quos eligit iustificat, ut demum glorificet, priorem gratiam, quæ gradus est ad sequentem, causam quodammodo facit. At quoties assignanda est una causa, non ad opera iubet confugere, sed in sola misericordiæ cogitatione nos retinet, quale est istud, quod per Apostolum docet, stipendium peccati mors, gratia Domini vita æterna, cur non ut peccatū mortis, ita iustitiam vitæ causam statuit?* hæc ille. contra faciunt verba tam clara S. Scripturæ jam allegata, quæ ipsum Calvinum convincunt, ut fateri debeat opera esse & dici à sacra Scriptura causam vitæ, quod non salvatur per solum ordinem prioris & posterioris effectûs, nec hæc causalitas operum ab Ecclesia asserta obstat, vel derogat misericordiæ Dei, vel meritis Christi, ut infrà magis patebit. Cùm ergo simul consistant, verbis tam claris S. Scripturæ inhærendum est potiùs, quàm fictæ Calvini explicationi contra SS. Patrum sententiam, ut patebit. VI.

Cur autem Apostolus non dixerit, *stipendium iustitiæ vita æterna*, inde est, quia omnis justitia operum fundatur in misericordia & gratia Dei, & tamen stipendium dici possunt, ut infrà ex D. *August.* epist. 105. & lib. de Grat. & lib. Arb. patebit, non quòd justis operibus referenda sit vita æterna tanquam causæ principali absolutè meritoriæ, hoc enim solis Christi meritis convenit, sed tanquam causæ inferiori à meritis Christi in merendo planè dependenti: sic Scriptura ad solam Dei misericordiam, ut causam efficientem, & ad sola merita Christi, ut ad causam meritoriam absolutam, nos jubet confugere; cum quo consistit, quòd eadem Scriptura nos toties jubeat ad opera confugere per gratiam Dei facienda, quæ nō solùm ut priores effectus indicat, sed tam clarè iis promittit mercedem, & illis causalitatem vitæ tribuit, licèt minimam, si cum Christi merito cōparentur; Sed illa Christi meritum semper includunt tanquā radicem & fontē omnis meriti.

Quòd autē aliqua causalitas operibus tribuatur præ-

Digitized b

præter ea, quæ allegata ſunt, plurima S. Scripturæ teſtimonia teſtantur, ut inter alia 2. Cor. 4. v. 17. *Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis.* Et ad Philip. 2. v. 13. *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini.* Similiter alibi ſæpe, ubi patet, quod non requirantur opera, ut effectus præmii; ſed illis tribuitur vera cauſalitas reſpectu ſalutis, ſcilicet meritoriè.

Interim ad refutandum Calvini effugium, hoc etiam addatur, ſi omnia opera juſtorum ſint coram Dei judicio abominabilia, & æterno opprobrio digna, ut vult Calvinus, quomodo Deus illa, ut effectus ſuæ miſericordiæ prævios ad ſalutem requirit, imo efficit? niſi velit Deum peccati authorem: an peccata ſunt gratiâ priora, & gradus ad gloriam? ecce qualiter doctrina Calvini cohæreat.

VII. Cæterùm veritas Catholica etiam probatur ex illis locis S. ſcript. ubi promittitur bonis operibus præmium, & quidem ex juſtitia reddendum, & corona juſtitiæ, ac bravium curſus ſpiritualis, ut patet 2. Theſſ. 1. v. 4. *Abundat charitas veſtra uniuscujusq; veſtrûm ad invicem, ita ut nos ipſi in vobis glorie mur in Eccleſiis Dei pro patientia veſtra, & fide, & in omnibus perſecutionibus veſtris, & tribulationibus, quas ſuſtinetis in exemplum juſti judicii Dei, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini; ſi tamen juſtum eſt apud Deum retribuere his, qui vos tribulant, & vobis, qui tribulamini, requiem nobiſcum.* Ecce quàm clarè dicit fideles non ſolùm pro fide, ſed & pro patientia, & pro tribulationibus, quas ſuſtinent, *ſint in exemplum juſti judicii Dei, & digni in Dei judicio habeantur*, & quod juſtum ſit, ut Deus illis retribuat requiem, ſicut perſecutoribus ſupplicium, quod illi promerentur; retributio enim meritum reſpicit. Sic etiam dicit Chriſtus Apoc. 3. v. 4. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt*, quid eſt ambulare in albis cum Chriſto, niſi vita æterna, quam habebunt, quia digni ſunt, quid eſt eſſe dignum, niſi mereri?

Rurſus 2. Tim. 4. v. 4. ait Apoſt. *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex, non ſolùm autem mihi, ſed & iis, qui diligunt aduentum ejus.*

Similiter ad Hebr. 6. v. 10. *Non enim injuſtus Deus, ut obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis Sanctis, & miniſtratis.* Ecce quàm clarè dicit Deum ex juſtitia retributurum pro illis operibus, qui injuſtus eſſe nō poteſt: quod non ſequeretur, ſi ex tota liberalitate vitam daret, & nullatenus opera præmiaret.

Sic 1. Cor. 9. v. 24. *Neſcitis quod ii, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit brauium, ſic currite, ut comprehendatis*, ecce Apoſt. vitam æternam comparat bravio, quod datur bene currenti, idque ex juſtitia?

VIII. Similiter Jacobi 1. v. 12. dicitur: *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam, cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* ſic etiam Apoc. 2. v. 10. dicitur: *Eſto fidelis uſq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Quomodo clariùs operibus meriti ratio tribueretur? niſi his verbis, quod corona dabitur juſtitiæ, quam Deus illis promiſit, qui bene operati fuerunt: cur præmia & corona juſtitiæ vocantur, ſi Deus nullo modo opera hominum ut meritoria in conferenda vita æterna attenderet? vel tandem quæ cauſa, cur Deus homines etiam juſtificatos in judicio judicandos comparituros dicit, ſi non juxtà merita judicandi ſint? ſi ſola fides ibi attendenda foret, quâ crediderunt? cur Chriſtus & Apoſtoli tam clarum operum in judicio examen proponunt? Demum ſi opera nihil mereantur, cur Deus ipſe ſub juramento promittit operibus coronã? Si dicant, quod Deus ſic hortetur homines, ut opera faciant, tanquam ſigna veræ fidei, ergone Deum mendacem, & deceptorem faciunt, qui ſub tali modo ad opera hortetur, quod illis corona danda ſit, quæ verè illis non dabitur? non opus habet Deus mendaciis, qui ipſa Veritas eſt. Huic iterum addo, quod juxta Acatholicorum doctrinam Deus ne quidem ad talia opera bona hortari deberet, quæ juxta illos vera peccata ſunt. Quanto ergo veriùs Eccleſia Catholica credit, juxta tot & tam clara S. ſcript. teſtimonia, quod & opera juſtorum bona ſint, & Deus ad illa exhortetur, ut illis mercedem, præmium, bravium, & coronam vitæ æternæ promittat reddendam, quæ etſi ipſius dona ſunt, tamen, quia cum ſuo ſpeciali auxilio etiam ab homine liberè fiunt, voluit eſſe merita hominum, & ſic illa præmiare. *Et an non licet ei, quod vult facere?* Hæc veritas adeo clarè ex S. ſcriptura conſtat, ut cuilibet pateat: quod verò eandem SS Patres agnoverint, & docuerint, inſuper oſtendendum eſt.

ARTICULUS V.

Eadem veritas probatur ex teſtimoniis SS. Patrum Græcorum. I.

Sanctus Clemens Ann. 90. epiſt. 4. ſic ait: *Audiri a Deo demum meremus, ſi orationes ipſæ bonis moribus, & bonis operibus adjuuantur.*

S. Ignatius ann. 100 in epiſt. ad Rom. *Sinite, ait, ut beſtiarum eſca ſim, per quam Deum poſſim promereri.* Vtique reſpexit ad Verba Apoſtoli Act. 13. v. 16. *Talibus hoſtiis promeretur Deus.*

Idem Ignatius ad Mariam Caſſobolitem, *Hortor, ait, ut labori huic tuo incrementa adjicias, præſens namq; labor modicus, multa autem, quæ hinc expectatur merces*, hæc ille.

Dionyſius ann. 100. Eccleſ. Hierarch. c. 7. p. 3. apud Jod. Cocc. l. 3. de Juſtif. art. 3. p. 227. ed. Colon. 1601. ſic ait: *Oſtendit per id profectò omnes in reſurrectione illas conſecuturos ſortes, ad quas hic vitam propriam direxerunt*, & infrà: *Si autem ad ſummam illam non peruenit effigiem, ſanctè tamen ſe in vita habuit, paria & iſta meritis præmia referet*, hæc ille.

Juſtinus martyr ed. Heidelb. 1592. ann. 150. in Apologia 2. ad Antoninum Imperat. circa mediũ: *Ad conſuetudinem cum Deo partitæ aſpiramus, &c. perſuaſum habentes, atq; credentes, conſequi hanc eos poſſe, qui factis ipſis Deo probant ſe illum conſectari*, & infrà: *Quis ſi dignos ſe operibus ipſis illius conſilio & voluntate præſtiterint, conuerſatione ſuâ, dignatum iri ſcimus, cum illo ſimul regnaturos*, & infrà: *Nos immortales duntaxat eos fieri ſcimus, qui ſanctè per virtutem ad imitationem Dei vixerunt*, hæc Juſtinus. Ecce quàm clarè hi primi SS. Patres operum merita reſpectu æternæ vitæ tradiderunt.

Irenæus l. 4. adversus hæres. c. 72. sic ait: *Pretiosam arbitremur coronam, quæ per agonem nobis acquiritur, sed non ultro coalitam, & quanto per agonem nobis advenit, tanto est pretiosior*, hæc ibi.

II. *S. Clemens Alexandrin.* apud Jod. Cocc. l. 3. de Justif. art. 3. ed. Colon. 1601. fol. 228 Anno 200. lib. 4. Stromatum, *Deus*, ait, *omnibus omnia distribuit pro meritis, cùm justa sit dispensatio & œconomia.* Item lib. 6. sic dicit: *Quando audierimus*, fides tua te salvum fecit, *non accipimus eum dicere absolute eos salvos futuros, qui quomodocunque crediderint, nisi facta quoque fuerint consecuta proportione habita sunt variæ mansiones pro dignitate, & meritis eorum, qui crediderunt.* Idem in Parænetico sic ait: *Nec pigeat vos laborasse, licet vobis, si velitis, pretiosissimam salutem emere proprio thesauro, charitate, & fide vitæ, quod quidem justum est pretium, quod libenter Deus accipit*, hæc ille, quid clariùs dici posset pro meritis respectu vitæ?

Origenes Anno 240. hom. 1. in Ezech. ed. Basil. 1557. p. 1. *Quare*, inquit, *ægre fers, niti, laborare, contendere, & per bona opera teipsum causam tuæ fieri salutis?*

Idem tract. 32. in Matth. ait: *Qui autem profitentur quidem fidem in Jesu, non autem præparant se bonis operibus ad salutem, reliquis quinque assimulantur virginibus fatuis*, hæc ibi. Et lib. 2. in epist. ad Rom. eâd. ed. p. 2. sic ait: *Nunc requiramus de justo judicio Dei, in quo reddet unicuique secundùm opera sua; & primo quidem excludantur hæretici, qui dicunt animarum naturas bonas vel malas, & audiant, quia non pro natura unicuique Deus, sed pro operibus* (vel, ut alii legunt, meritis) *suis reddet; Secundo in loco ædificentur fideles, ne putent hoc sibi solum sufficere posse, quod credunt, sed sciant justum judicium Dei reddere unicuique secundùm opera sua*, hæc ille, quid clariùs contra Acatholicorum doctrinam dici posset?

III. *S. Basilius* Anno 350. lib. de Spiritu Sancto ed. Antwerp. 1568. cap. 24 dicit: *Homo qui salvus fit per justitiam operum plurimum absit ab eo, ut spiritum debita gloria fraudet.*

Item serm. de asceti, id est, de cultu seu exercitatione monastica, *Custodientibus*, inquit, *mandata ejus, retributio multa merces nimirum illa copiosa est, & corona justitiæ, vita finem nunquam habitura, gaudium inenarrabile.*

Idem hom. 12. seu, ut alii allegant, oratione in initium Proverbiorum, *Omnes*, ait, *qui evangelicam vitam incedimus* (seu ut alii legunt) *angelicam viam ambulantes, mercatores sumus per opera mandatorum nobis possessionum cælestium negotiantes* (vel ut alii legunt) *comparantes*, &c.

S. Cyrillus Hierosolym. ed. Colon. 1564. catechesi 1. *Si parum*, ait, *laboraveris, parum accipies; si vero multum operaberis, multa tibi merces manet.*

Item catechesi 15. *Sic*, inquit, *tremendum est judicium: nam regnum cælorum proponetur, & ignis æternus præparabitur; quomodo igitur dixerit aliquis, ignem effugiemus, & quomodo regnum cælorum ingrediemur? Esuriui, inquit, & dedistis mihi manducare; discite viam*, & infrà: *Hæc si nunc feceris, regnabis; si non feceris, condemnaberis: Jam igitur incipe hæc operari, & perseveres in fide, ne sicut stultæ virgines empturus oleum, excludaris.* Et infrà: *Non in hoc solum confidas, quod credis, sed fidem ardentem conserva, ut luceat lux tua coram hominibus per opera bona*, hæc ille. Ecce quàm clarè excludit Acatholicam confidentiam in sola fide ad salutem; sed fidem per charitatem ardentem, seu opera ex fide facta mereri regnum cælorum, quibus regnum in mercedem datur.

S. Gregor. Nazianz. Orat. 40. quæ est in S. Baptisma sic ait: *Crede resurrectionem, judicium, mercedem ad justam Dei lancem exigendam.*

S. Gregor. Nyssenus Orat. 1. de Pauperibus amandis apud Jodocum Coccium ed. Colon. 1601. lib. 3. de Justific. art. 3. sic ait: IV.
Pro suis quemque meritis ornatum cerno, illis, qui boni benignique fuerint, summa & perpetua quies tribuitur in regno cælesti; Inhumanis autem & improbis supplicium ignis, idque sempiternum.

Item apud eundem orat. 2. de Paup. amand. *Quid ergo faciendum est nobis?* & infrà: *Nam quæ proportio est inter res veras & adumbratas picturas, eadem obtinent verba, si ab operibus sejungantur: non enim in verbis salutem consistere dicit Dominus, sed in salutis operibus faciendis*, hæc Greg. Nyssen.

Theophilus Alexandr. epist. 3. paschal. ait: *Qui jejunia, id est: conversationem angelicam imitantur in terris, meminerint illius dicti, regnum Dei non est cibus & potus, sed Justitia, & gaudium, & pax, & lætitia, quæ per continentiam prævio & parvo labore magna sibi & æterna conciliant præmia*, hæc ille.

Chrysost. hom. 42. in Genes. ed. Basil. V.
1558. *Corona*, ait, *quæ pro virtute & ejus sudoribus datur, nihil habet sensibile, neque in hoc sæculo nobiscum dissolvitur, sed perpetua est, immortalis, extendens se in omnia sæcula; & labor quidem est parvi temporis, merces autem laborum finem non habet, neque cedit tempori, neque marcescit, &c.* hæc ille.

Idem homil. 4. de Lazaro sic ait: *Si justus est (Deus) & his & illis reddet pro meritis, & hoc in confesso est; quod si & his, & illis rependet pro meritis; hic vero nullus eorum recepit, neque ille improbitatis pœnam, neque hic virtutis præmia, perspicuum est restare tempus aliquod in quo congruens præmium horum uterque ferat*, &c.

Item eâdem ed. in epistolam ad Philemonem homil. 2. *Fides*, ait, *efficax est, si habeat opera; nam sine operibus fides mortua est*, hæc ibi, quæ est efficacia nisi in ordine ad salutem. Hæc ex sanctorum Patrum Græcorum quatuor priorum sæculorum testimoniis abunde sufficiant.

ARTICULUS VI.

Testimonia sanctorum Patrum Latinorum pro eadem veritate.

Tertullianus Anno 200. lib. de Resurrect. Carnis cap. 48. *Unusquisque*, ait, *in suo ordine, scilicet, quia in suo corpore, ordo enim non aliud, quàm meri-* I.

meritorum diſpoſitor (vel, ut alii legunt) *ordo meritorum diſpoſitorum nomine diſponetur*, MERITA *autem cùm corpori quoq; aſcribantur, ordo quoq; corporum diſponatur neceſſe eſt, ut p:ſſit eſſe* MERITUM, *&c.*

Idem lib. 2. contra Marcion. cap. 6. *Quoniam, ait, & aliàs poſitum hominem ſub judicio Dei oportebat juſtum illud efficere de arbitrii ſui* MERITIS, *liberi ſcilicet. Cæterum nec boni, nec mali merces jure penſaretur ei, qui aut bonus, aut malus neceſſitate fuiſſet inuentus, non voluntate.*

Idem in Scorpiaco cap. 6. *Quomodo*, ait, *multæ manſiones apud Patrem, niſi pro varietate* MERITORUM, *quomodo & ſtella à ſtella diſtabit in gloria, niſi pro diuerſitate radiorum?* hæc Tertull.

II. *S. Cyprianus* ed. Baſil. 1531. Anno 250. lib. de unitate Eccleſiæ, *Juſtitia*, ait, *opus eſt, ut promereri quis poſſit Deum Judicem præceptis ejus & monitis obtemperandum eſt, ut accipiant merita noſtra mercedem*, hæc ibi, quid clariùs?

Idem ſerm. de Opere & Eleëmoſ. ſic ait: *Quæ illa erit fratres chariſſimi operantium gloria, quàm grandis & ſumma lætitia, cùm populum ſuum Dominus cœperit recenſere, &* MERITIS *atq; operibus noſtris præmia promiſſa contribuens, pro terrenis cœleſtia, pro temporalibus ſempiterna, &c.* & infrà: *Res in poteſtate facientis, res & grandis, & facilis, ſine periculo perſecutionis corona pacis, verum Dei munus, & maximum, infirmis neceſſarium, fortibus glorioſum, quo Chriſtianus adjutus perfert gratiam ſpiritualem promeretur Chriſtum Judicem, Deum computat* DEBITOREM. *Ad hanc operum ſalutarium* PALMAM *libenter & prompte certemus, omnes in agone Juſtitiæ Deo & Chriſto ſpectante curramus*, & infrà: *Si expeditos, ſi celeres, ſi in hoc operis agone currentes, dies nos vel redditionis, vel perſecutionis inuenerit, nuſquam Dominus* MERITIS *noſtris ad præmium deerit, in pace vincentibus coronam candidam pro operibus dabit, in perſecutione purpuream pro paſſione geminabit*, hæc ibi, quid clariùs de meritis ad vitam æternam?

Idem lib. 3. epiſt. 18. *Pœnitentiam*, ait, *ille agit, qui diuinis præceptis mitis, & patiens obſequiis ſuis, & operibus juſtis Dominum promeretur*, hæc ibi.

III. Similiter lib. 3. cap. 25. *An ego*, inquit, *poſſum tacere, & vocem meam ſilentio premere, cùm de chariſſimis meis tam multa & glorioſa cognoſcam, quibus vos diuina dignatio honorauit, ut ex vobis pars jam martyrii ſui conſummatione præceſſerit*, MERITORUM *ſuorum* CORONAM *de Domino receptura, pars adhuc in carcerem clauſtris, &c. ad* MERITORUM *titulos ampliores tormentorum tarditate proficiens, habitura tot* MERCEDES *in cœleſtibus præmiis, quot nunc dies numerantur in pœnis*, hæc S. Cyprianus martyr tam clarè pro meritis bonorum operum.

Lactantius Anno 300. in Epitòme divinarum inſtructionum cap. 12. ſic ait: *Teneat innocentiam, proſit quàm plurimis, incorruptibiles ſibi theſauros bonis operibus acquirat, ut poſſit Deo Judice pro virtutis ſuæ* MERITIS, *vel coronam fidei, vel præmium immortalitatis adipiſci*, hæc ille.

S. Hilarius ed. Baſil. 1570. Anno 150. can. 5. in Matth. *Regnum*, ait, *Dei vitæ noſtræ* STIPENDIIS *quæramus, & hac rectè perfecteq; viuentium* MERCES *eſt, ut in nouam cœleſtemq; ſubſtantiam ex hac corruptibilis corporis materie transferantur.*

Ibid. eâdem ed. can. 6. *De noſtro eſt beata illa æternitas* PROMERENDA, *præſtandumq; eſt aliquid ex proprio, ut bonum velimus, malum omne vitemus, totoq; affectu præceptis cœleſtibus obtemperemus.*

Rurſus can. 28. eâdem ed. *Ita enim*, ait, *in uniuerſorum fidelium corporibus mentibusq; transfunditur, ut hæc humanitatis officia, aut gratiam ſuam impenſa* MEREANTUR, *aut offenſam negata commoueant*, hæc Hilar.

IV. *S. Ambroſ.* tom. 4. ed. Rom. 1579. lib. 1. de Offic. cap. 15. adducens exemplum de divite Epulone & Lazaro, dicit: *Poſt obitum vero utriuſq; pauper erat in ſinu Abrahæ, requiem habens, dives in ſuppliciis; nonne euidens eſt* MERITORUM *aut præmia, aut ſupplicia poſt mortem manere? & rectè, quia in certamine labor eſt, poſt certamen aliis victoria, aliis ignominia, nunquid priuſquam curſus conficitur, palma cuiquam datur, aut defertur corona? meritò Paulus, certamen, inquit, bonum certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, quod reliquum: repoſita eſt mihi corona Juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die juſtus Judex. In illa, inquit, die reddet, non hic, &c ergo non poteſt quis præmium accipere, niſi legitime certauerit, &c.* hæc ibi.

Item lib. 10. epiſt. 82. ad Vercellenſ. Eccleſiam commendans jejunium, & multorum Sanctorum exemplis probans ejus utilitatem, ſubjungit dicens: *Qui ſunt ergo hi Præceptores noſtri, qui meritum excludunt jejunii? nonne Gentilium vox iſta eſt dicentium, manducemus, & bibamus, quos bene irridet Apoſtolus, &c. Illorum ergo eſt cibis & potibus indulgere, qui nihil poſt mortem ſperant, &c.*

V. Rurſus tom. 2. ed. Rom. 1580. in pſ. 118. ſerm. 7. circa verſum 49. *Memor eſto verbi tui Domine, in quo mihi ſpem dediſti*, ſic ait: *Ergo David vocatus erat verbo Dei, & ſpem in eo habuit, quoniam ſæpe reſponſis erat inuitatus cœleſtibus, quibus remunerationem fidei* MERITORUMQUE *ſperaret fore*, & infrà: *Conuenit Dominum, ut meminerit promiſſorum ſuorum, quorum immemor eſſe non ſoleat; Sanctis enim, quodcunq; ſpoſponderit, implere conſueuit: vult etiam conueniri, ut, ſi quis propoſita ſecutus virtutibus præmia, bene certauerit, fructum* REMUNERATIONIS *exſpectet, quem etiam exigat, ſicut habet ſcriptura: Certamen bonum certaui, curſum conſummaui, repoſita eſt mihi* CORONA *juſtitiæ, non eſt arrogans uſurpatio, ſed fidelis, quia verum Deum non poſſe fallere confitetur*, & infrà: BRAVIUM *peto verbi tui, quod promiſiſti, memor eſto promiſſorum tuorum, quæ ſpoſpondiſti ſeruo tuo, ſeruus ſum, exſpecto alimentum à Domino, miles ſum, exſpecto ab Imperatore* STIPENDIUM, hæc Ambroſ. Ecce quàm clarè veritatem Catholicam contra Acatholicos exponit, & defendit.

VI. *S. Hier.* lib. 2. adverſus Jovinianum à propoſito impugnat Joviniani hæreſin, qui adductis aliquot S. ſcripturæ locis pravè explicatis aſſerebat, *peccata eſſe paria, & etiam merita juſtorum paria, ac inſuper præmia in cœlo æqualia.*

S. Hieron. econtra ex S. ſcriptura demonſtrat, quod præmia in cœlis erunt inæqualia, & tandem cap. 15. concludit dicens: *Vides ergo quod in cœlis ſit maximus & minimus*, & paulò infrà Chriſtum inducit dicens: *In domo, inquit, Patris mei manſiones multæ ſunt, &c. locus & manſiones, quas præparare ſe dicit Chriſtus Apoſtolis, in domo utiq; ſunt Patris, id eſt, in regno cœlorum, non in terra, in qua præſens Apoſtolos relinquebat, ſimulq; ſenſus ſcripturæ intuendus: dicerem, inquit, vobis, quia vado, & præparabo vobis locum, ſi non manſiones multæ eſſent apud Patrem, hoc eſt, ſi non unuſquiſq; manſionem ſibi non ex largitate Dei, ſed ex propriis operibus præpararet, ideo non eſt meum parare, ſed veſtrum*, & paulò pòſt: *Parata, inquit,*

Digitized by Google

merita nostra dari, quod omnino falsissimum est, ecce contra Pelagianos, sed subjungit pro veritate Catholica: *Non quia nullum est* MERITUM, *vel bonum piorum, vel malum impiorum, alioquin quomodo judicabit Deus mundum, sed misericordia, & gratia Dei conuertit hominem, ut justificetur impius, hoc est, ex impio fiat justus, & incipiat habere* MERITUM *bonum, quod Deus* CORONABIT, *quando judicatur mundus*, &c. hæc ibi, ecce quàm clarè exponitur veritas Catholica, & Acatholica doctrina confunditur, ut Augustinus judicet, Deum non posse judicium extremum, prout in S. Scriptura prædicitur, servare, si non sint merita justorum bona, quæ coronabuntur, & mala impiorum, quæ damnabuntur, adeoque indicat illam doctrinam, quæ negat bona merita justorum, & illorum coronam, tollere articulum fidei de extremo Judicio.

XI. Similiter epist. 105. ad Sixtum paulo post initium, cùm ostendisset, quod prima gratia detur homini gratis, sine ullis præcedentibus meritis, adeoque indigno & liberato indebita conferatur gratia, ac proinde solâ misericordiâ indignus liberetur à peccato, subiungit dicens: *Quæ igitur sua merita jactaturus est liberatus, cui si digna suis meritis redderentur, non esset nisi damnatus*, &c. & hæc quoad primam justificationem, prout etiam docet Ecclesia, sed de operibus post justificationem sic subiungit dicens: *Nullane igitur sunt* MERITA *Justorum? sunt plane, quia iusti sunt; sed ut iusti fierent, merita non fuerunt, Justi enim justi sunt, cùm iustificati sunt, sed sicut dicit Apostolus, iustificati gratis per gratiam ipsius*, &c. hæc ibi, & post duo folia, *Spiritus*, ait, *ubi vult, spirat, sed, quod fatendum est, aliter adiuuat nondum inhabitans, aliter inhabitans; nam nondum inhabitans adiuuat, ut sint fideles; inhabitans adiuuat iam fideles; quod est ergo meritum hominis ante gratiam, cùm omne meritum nostrum non in nobis faciat nisi gratia, & cùm Deus coronat* MERITA *nostra, nihil aliud coronat, quàm munera sua*, &c. *sicut enim ab initio fidei misericordiam consecuti sumus, non quia fideles eramus, sed ut essemus; sic in fine, quod erit in vita æterna coronabit nos, sicut scriptum est, in miseratione & misericordia, non enim frustra Deo cantatur, & misericordia eius præueniet me, & misericordia eius subsequetur me. Vnde & ipsa vita æterna, quæ utiq; in fine sine fine habebitur, & ideo* MERITIS *præcedentibus redditur, tamen quia eadem* MERITA, *quibus redditur, non à vobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta sunt per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur, non ob aliud, nisi quia gratis datur, nec ideo, quia* MERITIS *non datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur*, &c. hæc ibi. Ecce qualiter simul consistat, quod merita vera sint Justorum coronanda, & etiam gratia vocentur, quia homo justus non sufficit ad illa facienda, nisi per gratiam fiant, & in hoc ponit differentiam inter merita bona, & merita mala, & ideo ipsa etiam corona & vita æterna dicitur gratia.

XII. Et quia Acatholici cum Calvino objiciunt illud Apostoli, *stipendium peccati mors, gratia autem Dei vita æterna*: ex quo arguunt, quod vita æterna non sit stipendium meritorum. Hoc D. Augustinus præveniens, ibid. subiungit causam, cur Apostolus non dixerit, *stipendium Justitiæ vita æterna*, cùm tamen id verum sit, dicens: *Cùm enim dixisset, stipendium peccati mors, quis non congruentissime & consequenter addere judicaret:* STIPENDIUM *autem* JUSTITIÆ *vita æterna. Et verum est, quia sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors: Ita* MERITO *Justitiæ tanquam* STIPENDIUM, *vita æterna, aut si nollet dicere Justitia, diceret Fidei, quia iustus ex Fide viuit, unde etiam* (vita æterna) MERCES *appellatur plurimis sanctarum scripturarum locis: Nusquam porro dicta est merces Justitia, vel fides, quia Justitiæ, vel Fidei redditur merces, quod est autem merces operanti, hoc militanti stipendium*, hæc August. ubi ex S. Scriptura, ut clarùm supponit, quod Justitiæ, vel fidei sit merces, vel stipendium reddendum, scilicet post justificationem factam: at verò juxta S. Scripturam ante fidem, vel Justitiam non præcedit aliquod meritum, cui Fides, vel Justitia ut merces, vel stipendium reddatur; cùm ergo juxta S. Scripturam Justitiæ stipendium debeatur, causam reddit, cur Apostolus illud non expresserit dicens: *Sed beatus Apostolus aduersus elationem, quæ usq; adeo magnis tentat irrepere, ut sibi propter ipsam dicat datum Angelum Sathanæ, à quo colaphizaretur, ne verticem præsumptionis erigeret, aduersus hanc ergo elationis pestem, ne Justitia de humano se extolleret bono merito*, &c. ecce causam, cur non dixerit Apostolus stipendium Justitiæ, vita æterna, ne aliquis præsumeret, quod ex suis naturæ viribus Justitiam haberet, cui stipendium vitæ æternæ deberetur. Hoc autem excluso errore, Augustinus subiungit dicens: *Cui debetur vita æterna*, VERA JUSTITIA *est, si vera Justitia est, ex te non est, desursum est, descendens à Patre luminum, ut haberes eam, profecto accepisti; quid enim habes, quod non accepisti? quapropter, O homo, si accepturus es vitam æternam*, JUSTITIÆ *quidem* STIPENDIUM *est, sed tibi gratia est, cui gratia est & ipsa Justitia: tibi enim tanquam debita redderetur, si ex te tibi esset justitia, cui debetur*, &c. hæc August. Ex quibus clarissimè patet doctrina Ecclesiæ Catholicæ, quæ docet; quod ex sola Dei misericordia sine præcedentibus meritis per merita Christi homo peccator accipiat fidem, & justitiam, qua justificatur; ac proinde ipsa Justitia, quæ à Deo gratis datur, sit homini gratia; per hanc autem Justitiam, quæ gratia est, homo justificatus operans mereatur vitam æternam, tanquam stipendium justitiæ, seu operibus justis debitum: XIII. nam opus ipsum ex gratia factum verè Justitia est; de quo homo non potest gloriari, quasi ex se vel viribus naturæ facto, sed in Domino, qui gratiam dedit, seu Justitiam, cum qua operatus est, & sine qua nec sic operari, nec mereri posset. Vnde patet, quod licèt vita æterna sit stipendium justitiæ, vel bonorum operum; non tamen eo modo, quo mors est stipendium peccati, quia hoc homo ex se solo facit; sed homo justus bona opera ex se solo non potest facere, sed cum gratia, cui primariò ratio meriti tribuitur.

Rursus Aug. eandem Apostoli sententiam XIV. tractans lib. de Grat. & lib. Arb. c. 9. sic ait: *Merito enim stipendium, quia militiæ diabolicæ mors æterna tanquam debitum redditur. Vbi cùm posset dicere*, STIPENDIUM *autem justitiæ, vita æterna, maluit dicere; gratia autem Dei vita æterna, ut hinc intelligeremus, non meritis nostris Deum nos ad vitam æternam, sed pro sua miseratione perducere, de quo in psalmo dicit homo*

Digitized by Google

animæ suæ, qui coronat te in miseratione, & misericordia: nunquid non corona bonis operibus redditur? sed quia ipsa bona opera ille in bonis operatur, de quo dictum est; Deus est enim, qui operatur in vobis & velle, & operari pro bona voluntate; ideo dicit psalmus: Coronat te in miseratione, & misericordia: quia eius miseratione bona operamur, quibus corona reddetur. Non enim, quia dixit, Deus est enim, qui operatur in vobis, & velle, & operari pro bona voluntate, ideo liberum arbitrium abstulisse putandus est, quod si ita esset, non superius dixisset, cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini: quando enim jubetur, ut operentur; liberum eorum conuenitur arbitrium; sed ideo cum timore & tremore, ne sibi tribuendo, quod bene operantur, de bonis, tanquam suis, extollantur operibus. Itaq; fratres debetis quidem per liberum arbitrium non facere mala, & facere bona, hoc enim nobis lex Dei præcipit in libris sanctis siue veteribus, siue nouis, hæc Augustin. Vbi clarè refutat doctrinam Acatholicorum, qui volunt, quod vita æterna non reddatur pro operibus bonis ab ipso homine per liberum arbitrium in gratia Dei factis: & simul ostendit, quod vita æterna reddatur ex miseratione, scilicet, quia ex Dei misericordia per solum Christum datur gratia, quâ Deus adiuvat liberum arbitrium, sine qua homo bona opera non potest facere, & ideo, non in se, sed in Domino gloriari debet. Hoc ipsum iterum declarat epist. 106. paulo pòst initium, dicens: *Vnde Apostolus interrogat, quis enim te discernit? ubi si dixerit homo, fides nostra, voluntas nostra, bonum opus meum; respondetur ei: quid enim habes, quod non accepisti; si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis Hoc solum ideo, non ut homo non glorietur, sed, ut qui gloriatur, in Domino glorietur, non ex operibus, ne forte quis extollatur; non quia bona opera ista pia cogitatione frustrantur, cùm Deus reddet unicuiq; secundum* OPERA *eius, sitq;* GLORIA, *& honor, & pax omni operanti bonum; sed quia opera ex gratia, non ex operibus gratia, quoniam fides, quæ per dilectionem operatur, nihil operaretur* (nota contra Acatholicos) *nisi ipsa dilectio Dei diffunderetur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis; nec ipsa fides esset in nobis, nisi Deus unicuiq; partiretur mensuram Fidei. Bonum est igitur homini, ut cum totis viribus liberi arbitrii sui veraciter dicat, fortitudinem meam ad te custodiam, quia ille, qui putavit sine ipsius adiutorio se posse custodire, quod dedit, profectus est in regionem longinquam, & viuens prodige cuncta consumpsit*, hæc ibi, ex quibus iterum veritas Catholica clarè patet, & Acatholicorum doctrina refellitur.

XV. Idem tom. 9. ed. Bas. 1529. tract. 67. in Joan. sic ait: *Sed cùm audiuit, in domo Patris mei mansiones multæ sunt, si quo minus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum, à perturbatione recreantur, certi ac fidentes etiam post pericula tentationum se apud Deum ei in Christo esse mansuros, quia etsi alius est alio fortior; alius alio sapientior, alius alio justior, in domo Patris mei mansiones multæ sunt, nullus eorum alienabitur ab illa domo, ubi mansionem pro suo quisq; accepturus est,* merito: *Denarius quidem ille æqualis est omnibus, quam Paterfamilias eis, qui operati sunt in vinea, jubet dari omnibus, non in eo discernens, qui minus, &, qui amplius laborarunt, quo utiq; denario vita significatur æterna, ubi amplius alio nemo viuit, quoniam viuendi non est diuersa in æternitate mensura, sed multæ mansiones diuersas* MERITORUM *in vita æterna significant dignitates: alia est enim gloria Solis, alia gloria Lunæ, alia gloria stellarum, stella enim differt à stella in gloria, sic & resurrectio mortuorum, tanquam stellæ sancti diuersas mansiones, diuersas claritates tanquam in cœlo, sortiuntur in regno, sed propter unum denarium nullus separatur à regno*, & infrà: *Non erit itaq; aliqua inuidia imparis claritatis, quoniam regnabit in omnibus unitas charitatis*, hæc Aug. ibi.

Item D. Aug. lib. de moribus Ecclesiæ c. 25: sic ait: *Diligamus igitur Deum ex toto corde, quicunq; ad vitam æternam peruenire proposuimus, vita enim æterna est solum* PRÆMIUM, *cuius promissione gaudemus, nec præmium potest præcedere* MERITA, *& priùs dari homini, quam* DIGNUS *est, quid enim hoc iniustius, & quid justius Deo? non ergo debemus poscere præmium, antequam* MEREAMUR *accipere*, &c. hæc ibi, quid clariùs dici posset, ubi etiam supponit, quod Deum ex toto corde diligere possimus.

Similiter tomo 7. ed. Basil. 1528. ait lib. de Nat. & Grat. cap. 2. dicens: *Non est iniustus Deus, qui justos fraudet mercede Justitiæ*, &c. XVI.

Item lib. 4. in Julian. tom. 7. ed. eâdem cap. 3. *Per quod, ait, vera justitia, per hoc & regnum Dei, Deus namq; ipse, quod absit, erit iniustus, si ad eius regnum non admittatur justus*, hæc ibi.

Sic & in ps. 83. circa versum, *Misericordiam & veritatem diligit Deus*, tomo 8. ed. Basil. 1529. dicit: *Ecce videmus, quia tenet eum Paulus debitorem*; & iterum, *debitorem* Dominus *ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo; non ei dicitur, redde, quod accepisti, sed redde, quod promisisti*, serm. 17. de verbis Domini super verba, *si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, tom. 10 ed. eâd. sic concludit de vita æterna dicens: *Hunc diem, vel hos dies, & hanc vitam, & veram vitam in promissu habemus; Alicuius ergo operis merces est, si enim mercedem amamus, in opere non deficiamus, & in æternum cum Christo regnabimus.*

Demum tomo eodem serm. 16. de verbis Apostoli in initio sic ait: *In his, quæ jam habemus, laudemus Deum largitorem; in his, quæ nondum habemus, tenemus debitorem; debitor enim factus est, non aliquid à nobis accipiendo, sed quod ei placuerat promittendo.* Et infrà: *Illo ergo modo possumus exigere Dominum nostrum, ut dicamus, redde, quod promisisti, quia fecimus, quod jussisti, &c. nemo ergo dicat, ideo me vocauit Deus, quia colui Deum quomodo coluissem, si vocatus non fuissem* hæc Aug. Vbi brevissimè & clarissimè docet, quod Deus operibus bonis tanquam verè meritoriis, sed ex sua gratia factis, juxta promissionem suam reddet, ut debitor, vitam æternam. XVII.

S. Prosper Episcopus Augustino familiarissimus, & in oppugnandis Pelagianis simillimus in respons. ad cap. 6. Gallorum sic scribit: *Justificatur homo, id est, ex impio pius factus nullo præcedente bono merito accipit bonum, quo medio acquirat & meritum*, &c. XVIII.

Idem in ps. 111. circa illa verba, *Potens in terra semen eius*, sic ait: *Semen justitiæ messis opera esse misericordiæ Apostolus testis est dicens bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim proprio metemus; quid autem potentius hoc semine, cuius impendio comparatur regnum cælorum, & vita æterna*, rursus ad ps. 125. *De fructu, ait, bonorum operum pii coronabuntur agricolæ, & cum manipulis gloriæ, id est,* MERITIS *actionum aduentus Domini Saluatoris exultantes occurrent*, hæc Prosper.

Concil.

Digitized by Google

Concil. Arausicanum, cui interfuit D. Augustinus can. 18. sic declarat: *Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant*, hæc Concilium.

XIX. Demum S. Cælestinus, qui *Concil. œcumenicum Ephesinum* promovit, & confirmavit in epist. ad Gallos cap. 12. sic scribit: *Tanta erga homines est bonitas Dei, ut nostra velit esse* MERITA, *quæ sunt ipsius dona, atq; pro his, quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus*, hæc ille. Hæc eadem est modernæ Ecclesiæ Catholicæ doctrina, tam quoad sensum, quàm etiam quoad verba, ut patet ex verbis Conc. Trid. sess. 6. cap. 16. sup. art. 2. relatis.

Ex his patet, qualiter intelligendum sit, quod D. Aug. subinde videtur dicere, Deum non coronaturum merita, ut, dum in ps. 70. Conc. 2. dicit: *Tua peccata sunt, merita Dei sunt, supplicium tibi debetur, & cùm præmium venerit sua dona coronabit, non merita tua.* Similiter dum serm. 15. de verbis Apostoli dicit: *Pro nihilo salvos facies illos, nihil invenis, unde salves, & multum invenis, unde damnes.*

Rursus lib. de Grat. & l. Arb. c. 9. ubi circa verba Apost. *Stipendium peccati mors*, ait: *Maluit dicere gratia Dei vita æterna, ut intelligeremus, non pro meritis nostris Deum nos ad vitam æternam, sed pro sua misericordia perducere.*

Alia adducit Calvin. l. 3. Inst. c. 15. §. 2. ex S. Aug. l. de Prædest. SS. scilicet: *Humana merita hic conticescant, quæ perierunt per Adam, & regnet Dei gratia per Jesum Christum.* Item in ps. 139. *Meritis suis nihil tribuunt Sancti, totum non nisi misericordiæ tuæ tribuunt, O Deus!* & alibi in ps. 88. *Et quum viderit homo, quidquid boni habet, non se habere à se, sed à Deo suo, videt id solum, quod in eo laudatur, non de suis meritis, sed de Dei misericordia esse*, &c. hæc Calvinus ex D. Aug.

XX. Hæc aliaque similia, in qua qualitate intelligenda sint conformiter ad doctrinam Catholicam, ipsemet D. Aug. tot locis suprà allegatis clarissimè declarat, quod per merita hominis intelligat merita, quæ homo ex se ipso facit; vel quæ ipse ex seipso se bene facere jactitat, sine gratia Dei & Christi: negat enim cum Ecclesia Catholica, quod post lapsum Adami homo sine gratia Dei per Jesum Christum opus meritorium facere possit, sed si quæ bona facere ex se ipso videatur, vel mala sunt, vel nullo modo meritoria: cùm hoc optimè consistit, quod homo ex misericordia Dei per Christum justificatus, & gratiam accipiens ex gratia, & cooperante gratia, & meritis, Christi adjutus, cum libero arbitrio bona opera faciat verè meritoria, quæ verè dona Dei sunt, & ex gratia Dei meriti virtutem habent, prout S. Aug. clarissimè docet, & distinguit. Et sic etiam verissimè dicitur, quod Deus in homine sine gratia ipsius nihil invenerit, propter quod illum salvet, sed multa mala, propter quæ illum damnet: at verò in homine justo invenit gratiam à se infusam, & opera per gratiam, & in gratia sua facta, quæ verè justa sunt, & ipse coronat. Quoad verba Apost. *Stipendium peccati mors*, &c. clarissimè Augustinus profitetur, quod *Apostolus rectè dicere poterat, & verum erat, sicut stipendium peccati mors, ita stipendium justitiæ vita æterna*; licèt maluerit dicere, gratia Dei vita æterna, ne homo sumeret occasionem gloriandi, quasi justitiam ex se haberet, & non ex misericordia Dei; & ideo ipsa justitia etiam verè dicitur gratia respectu hominis, cui gratis datur, ut patet ex verbis D. Aug. l. de Grat. c. 9. & ep. 105. sup. recitatis. Vnde quivis facilè cognoscet, quam falsè & fraudulenter Acatholici aliquando D. Augustini loca contra doctrinam Catholicam ab ipso Aug. tantopere prædicatam, & prolatam allegare præsumant, cùm hæc ipse D. Aug. explicarit.

ARTICULUS VII.

Quòd liceat bene operari propter mercedem vitæ æternæ.

Hanc veritatem tradit Conc. Trid. sess. 6. c. 9. dicens: *Constat eos orthodoxæ religionis doctrinæ adversari, qui statuunt justos peccare, si sua in ipsorum socordiam excitando, & sese ad currendum in stadio, exhortando, cum hoc, ut imprimis glorificetur* Deus, *mercedem quoq; intueantur æternam*, & can. 31. sic definit: *Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu mercedis æternæ bene operatur; anathema sit.* Vbi Conc. satis exprimit, quod primaria intentio operis sit gloria Dei, secundaria vero merces, licèt hoc secundarium subinde magis moveat, & excitet ad operandum. Hæc doctrina Catholica ex variis S. scripturæ locis probari potest, primò ex illo ps. 118. v. 112. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem*, & Christus ipsemet sic hortatur Matt. 6. v. 33. *Quærite primum regnum Dei.* Et Luc. 6. v. 9. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Similiter hortatur Apost. 1. Cor. 9. v. 7. dicens: *Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit?* & v. 10. *Nam propter nos scripta sunt, quoniam debet in spe, qui arat, arare, & qui triturat in spe fructus percipiendi.* I. II.

Similiter docuerunt SS. Patres, sufficiat S. August. in ps. 120. dicens: *Quando facis opus bonum, propter vitam æternam fac.*

Nec huic doctrinæ obstant, quæ ab Acatholicis objiciuntur 1. Joann. 10. ubi Christus mercenarios reprobat: & sic etiam videntur aliqui Patres negare, quod propter mercedem sit bene agendum, quod est servile, & non filiale. Secundò, quia Deus amore amicitiæ est diligendus, & non amore concupiscentiæ, qualis est mercenarius.

Respondeo cum Scoto 3. distinct. 18. n. 5. quod meritum consistat primo & radicaliter in affectione justitiæ, seu amicitiæ, quâ homo amat Deum propter se, seu qua vult Deo suum bonum infinitum, quo supposito, potest voluntas regulare, ordinare, & moderate affectionem commodi seu concupiscentiæ, quando priùs vult Deo bonum propter se, & postea homo vult Deum sibi coniungi, quod fit per beatam vitam, ita ut sibi cupiat vitam propter Deum summè diligendum. Hinc respondeo 2. quod illi sint mercenarii & servi, qui solo intuitu mercedis affectione commodi & concupiscentiæ operantur, & illi non merentur: at vero, qui Deum propter se super omnia diligit, & vitam æternam sibi cupit, ut Deo coniungatur, verè est filius, & meretur secundum amorem amicitiæ, seu affectum justitiæ.

***

Digitized by Google

ARTICULUS VIII.

Respondetur ad argumenta Acatholicorum ex S. Scriptura deducta.

Diversa sunt, quæ Acatholici objici-
I. unt, & quidem 1. Calvin. lib. 3. Inst. cap. 5. §. 3. sic arguit: *Quid promereantur omnia opera nostra, scriptura ostendit, quoniam Dei conspectum ferre posse negat, quia immunditiis sunt plena*, &c. hæc ille.

Respondetur quod falsissimum sit S. scripturam ostendere omnia omnino opera justorum mala esse, suprà ex S. scriptura ostensum est.

2. Calvin. ibi sic arguit dicens: *Quid promeritura sit perfecta legis observatio (si qua reperiri posset) quum præcipit, ut nos inutiles servos reputemus*, Luc. 17. v. 10. *Quum fecerimus omnia, quæ præcipiuntur nobis; quia nihil gratuitum impendimus Domino, sed debitis obsequiis tantum defuncti simus, quibus non est habenda gratia*, &c.

Respondetur primò redarguendo ad hominem, vel Calvinus cum suis ex his Domini verbis vult deducere, quod isti sint, & dici debeant servi inutiles, qui omnia Dei præcepta servarint, vel fecerint, aut quia non servarint? si hoc secundum, nihil sequitur contra doctrinam Ecclesiæ, vel contra opera justorum, qui omnia præcepta servant; at certum est, quod illi, qui non servant præcepta, sint inutiles, nec mereantur vitam, sed damnationem. Si autem velit, quod de illis Dominus loquatur, qui omnia præcepta servant, sequitur contra Calvinum, & suos, quod aliqui possint omnia præcepta servare juxta verbum Christi, quo autem sensu inutiles dicantur, jam declarabitur.

II. Respond. 2. sicut Christus ibi de justis dicit, quod dicere debeant, *servi inutiles sumus*, sic de iisdem dicit Apostolus 2. Tim. 2. v. 21. *Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum & utile Domino, ad omne opus bonum paratum*, & ibid. cap. 4. Apost. de se dicit: *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi justus Judex*, &c. itaque utrumque verum est, sed in diverso sensu, quem SS. Patres tradunt. Et quidem semel verba Christi Luc. 17. exponuntur, quod Christus nos docere voluerit, opera bona, quæ facimus, non esse ex nostris viribus, sed ex gratia Dei, & ideo respectu nostræ naturæ servi inutiles sumus, cùm ex natura nihil boni facere possimus, cum quo consistit, quod ex gratia renati, & cum gratia Christi operantes simus utilia vasa juxta Apostolum. Hanc explicationem indicat D. Ambros. lib. 8. in Lucam circa verba: *Si habueritis fidem*, &c. dicens: *Non te præferas quia filius Dei diceris, agnoscenda gratia, sed non ignoranda natura.*

III. Alia expositio est, quod Christus moneat, ut in omnibus operibus, & servitiis, quæ Deo præstamus, verè agnoscamus, quod Deus servitiorum nostrorum non indigeat, juxta illud ps. 15. v. 1. *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*, & sic respectu Dei servi inutiles sumus; cum quo consistit, quod servando mandata Dei per ipsius gratiam, nobis utiles simus, adeoq; cum omni humilitate, & gratiarum actione ipsi servire debeamus, qui nos in servos admittere dignatur. Ita ven. Beda.

IV. Tertia expositio est, quod Christus à proposito non dixerit, *cùm omnia feceritis*, &c. absolutè *servi inutiles estis*, sed: *Dicite, servi inutiles sumus*, per quæ monere voluerit, quod justi debeant semper de se humiliter sentire, licèt opera bona fecerint, etiam meritoria, quia ex se non habent, sed ex gratia, adeoque, licèt homo sic de se dicere possit, & debeat, servus inutilis sum, tamen Deus illum dicit utilem, quod verè utilis sit, sed per gratiam ab ipso datam, juxta illud Matt. 25. v. 21. ubi Dominus dicit illi servo, qui talenta bene impendens superlucratus est, *euge serve bone, & fidelis*, &c. *supra multa te constituam*; at vero illi, qui absconderat talentum, dicit *serve male, & piger*: sic ergo justus se dicere debet servum inutilem, & simul agnoscere potest, quod per gratiam Dei sit servus fidelis, & utilis. Ita hunc locum exponit S. Chrysost. hom. in illa verba: *Elatum est cor Oziæ*, &c.

Demum alia expositio est, quod ideo verè dicere debeamus nos servos inutiles esse, quia V.
omnia, quæ fecimus, vel facere possumus, Deo debita sunt multis titulis, & ideo per se loquendo nihil mercedis à Deo de jure exigere possemus; sed quia ipse ex sua misericordia & liberalitate mercedem promisit his, qui servant mandata ipsius, simul consistit meritum operis. Hoc sensu D. Aug. serm. 3. de verbis Domini circa illa verba: *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum*, loquitur dicens: *Vos amici mei estis inquit, si feceritis ea, quæ mando vobis. O magna bonitas Dei, cui cum pro conditione reddere debeamus obsequia, utpote servi Domino, famuli Deo, subjecti potenti, mancipia redemptori, amicitiarum nobis præmia repromittit, ut nobis obsequia debita servitutis extorqueat: ut quos nolle servire conspicit, sponte suorum beneficiorum possit promissionibus invitare, & quorum voluntates à se comperit alienas, eorum mentes præmiorum liberalitatibus constituat suas*, &c. hæc Augustinus.

Ecce tot veræ & sanctæ verborum Christi SS. Patrum expositiones, quæ ostendunt simul consistere, quod servi inutiles simus, & nihilominus justi per mandatorum Dei observantiam vitam æternam promereantur: unde patet falsitas consequentiæ Calvini, quæ ex illo, quod servi inutiles simus, & nihil gratuitum Domino impenderimus, scilicet nihil, quod non gratis à Domino acceperimus, & debitis tantùm obsequiis defuncti simus, quæ vera sunt, vult inferre, quod opera nostra vitam non mereantur; cùm ex S. scriptura SS. Patres doceant, quod Deus ex sua liberalitate per Christum promiserit mercedem operibus bonis, quæ aliàs ipsi debita sunt & ipsius dona.

3. Calv. cum suis objicit, quod regnum cælorum detur titulo hæreditatis, ergo non titulo VI.
meriti, sic enim arguit l. 3. c. 18. §. 2. *Ex mercedis nomine non est cur opera nostra ratiocinemur causam esse salutis. Principio illud sancitum sit in cordibus nostrum, regnum cælorum servorum stipendium, sed filiorum esse hæreditatem, quam soli potientur, qui a Domino in filios adoptati fuerint, neq; aliam ob causam, quam ob hanc adoptionem, adeoq; iis ipsis locis, quibus gloriam æternam mercedem fore pollicetur Spiritus S. hæreditatem nominatim exprimendo, aliunde nobis provenire denuntiat.*

Resp. negando consequentiam, quia simul consistunt, quod vita æterna titulo filiationis obtineatur, & etiam titulo meriti, licèt forte non secun-

ſecundùm eundem gradum gloriæ: ſic omnes electi primum gradum gloriæ titulo filiationis & adoptionis obtinent, tam infantes, quàm adulti; ſed adulti ultra illum gradum juxta diverſitatem meritorum majores gradus gloriæ conſequuntur, qui omnes gradus una vita & gloria æterna eſt, & vocatur, licèt una major, altera minor. Cùm ergo Spiritus Sanctus tam clarè in ſacra Scriptura vitam æternam, ut mercedem dandam dicat, prout Calvinus fateri cogitur; & illam ſubinde hæreditatem nominet, utrumque verè conſiſtit, præſertim cum ipſo Calvino fatente ſubinde utrumque conjungat, ita tamen, ut hæreditatis titulus ſit fundamentalis, ut nullus mereri poſſit majorem gloriam, niſi qui filius eſt, & tamen filius poteſt præſtare opera Patri grata, quibus mereatur, ut maneat in gratia Patris, & jure hæreditatis, ac inſuper etiam mercedem, & ſtipendium, ac coronam mereatur ampliorem, prout ſacra Scriptura tam clarè exprimit. Hoc ipſum clarum eſt in ipſo Chriſto Domino, qui verè Filius Dei erat, & hæres regni, & ex hoc titulo debebatur ipſi omnis gloria, quo non obſtante iterum meruit ſuis operibus ſibi ipſi gloriam aliquam, prout Apoſt. ad Philipp. 2. v. 8. dicens: *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſq; ad mortem, &c. propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.*

VII. Sicut itaque non obſtante titulo filiationis, cui debebatur etiam gloria, ſeu exaltatio nominis, & gloria corporis, illa etiam ut generoſus miles promeruit, ſic electi adulti Filii Dei poſſunt majorem gloriam per Chriſtum ut milites, & ſervi fideles promereri, cùm Chriſtus dicat: *Euge ſerve bone, & fidelis, ſupra multa te conſtituam.*

4. Calvin. ibid. §. 3. clara loca ſacræ Scripturæ, quæ mercedem regni promittunt, eludere conatur per illam parabolam, quâ Matth. 20. Chriſtus dicit ſingulis operariis ſingulos denarios datos eſſe, ut, ſicut dicit Calvinus, *omnis intelligat dona ſe gratia, non operum accepiſſe mercedem*; & hoc probatum vult ex lib. de vocat. gentium ſub Ambroſii nomine, ubi dicitur: *Hujus comparationis regula Dominus multimodæ vocationis varietates ad unam gloriam pertinentes adſtrinxit, &c.*

VIII. Reſpond. SS. Patres fatentur per denarium unum intelligi regnum cælorum, & vitam æternam, ut mercedem datam, quod eſt contra Calvinum, cùm hoc tamen conſiſtit, quòd vita æterna major, vel minor juxta qualitatem meriti conferatur, prout S. Hieron. clarè oſtendit, & probat lib. 2. contra Jovinian. & ſimiliter Auguſt. tract. 67. in Joann. quorum verba ſuprà relata ſunt: ſic etiam intelligendus eſt ille antiquus Scriptor ſub Ambroſii nomine, quem Calvinus aliàs non reciperet.

5. Objicit Calvin. ibid. §. 5. dicens: *Cùm Scriptura dicit Deum juſtum Iudicem redditurum olim ſuis juſtitiæ coronam, non tantùm cum Auguſtino excipio, cui redderet juſtus Iudex coronam, ſi non donaſſet gratiam miſericors Pater? & quomodo eſſet juſtitia, niſi præceſſiſſet gratia, quæ juſtificat impium? quomodo iſta debita redderentur, niſi illa prius indebite darentur?* ſubdit Calvinus: *Sed aliud ego addo, quomodo juſtitiam imputaret noſtris operibus, niſi quod injuſtitiæ in illis eſt abſconderet indulgentia? quomodo conferret digna mercede, niſi quod in illis pœnâ dignum eſt, immenſa benignitate aboleret? ſolet ille vir* (Auguſtinus) *gratiam nominare vitam æternam, quia gratuitis Dei donis reddatur, dum operibus rependitur*, &c. ſed ex ſuo ſubjungit, *quod Scriptura doceat etiam iſta opera bona eſſe ſemper fæcibus inquinata, ut ſatisfacere non poſſint, ſi ad judicii ejus regulam examinentur*, &c. hæc Calvin.

Reſpond. S. Scriptura clariſſimè docet, quòd Deus juſtus Judex ſit redditurus coronam operibus; & quæ D. Auguſt. Epiſt. 105. ſuprà relata dicit, etiam veriſſima ſunt, & à S. Eccleſia docentur, ut ſuprà patet; ſed quæ Calvin. ex ſuo cerebro addit, falſiſſima ſunt, ut hactenus probatum eſt. IX.

D. Auguſt. clariſſimè dicit, quòd opera juſtorum ex gratia facta ſint vera juſtitia, cui debeatur vita æterna, & ideo illam juſtitiam non habeat homo à ſe ipſo, ſed à Patre luminum, & ſit donum Dei, quod remuneret. Calvinus vult, quòd illa opera bona in ſe ſint mala, & damnatione digna. Ecce, qualiter contradicat ſacræ Scripturæ, & S. Auguſtino, imo qualiter pugnet Calvinus ſecum, cùm ibid. cap. 14. §. 21. & cap. 18. §. 1. dicit: *Tametſi ſola miſericordia ſuos ad vitam ſuſcipiat, quia tamen in ejus poſſeſſionem ipſos deducit per bonorum operum ſtudium, ut quo deſtinaverit ordine, ſuum in illis opus impleat, nihil mirum, ſi ſecundùm opera ſua dicuntur coronari: quibus haud dubie ad recipiendam immortalitatis coronam præparavit*, &c. hæc ibi. Si opera hominis adoptati ſint dona Spiritûs Sancti, & talia, quæ Deus per Spiritum Sanctum in filiis efficit, bona ſint, quæ Deus non poſſit non amare; quomodo eadem opera mala æternâ damnatione digna ſunt? ſi autem illa bona opera coram Dei Judicio mala ſunt, & damnatione digna, quomodo Deus per illa ſuos præparat, & deducit ad vitam? cùm Apoſt. Rom. 3. v. 8. dicat, *& non (ſicut blaſphemamur, & ſicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala, ut veniant bona*, &c. ſi hoc Apoſtolus tanquam blaſphemum de ſe dici proteſtatur, quantò minùs hoc de Deo dicendum eſt, quòd faciat per Spiritum Sanctum opera in homine damnatione digna, ut illos ad vitam perducat, cur non ſimili modo dicetur hominem per adulteria, & idololatriam ad vitam perducere?

6. Objiciunt ex pſ. 102. v. 4. *Qui coronat te in miſericordia & miſerationibus*, & Matth. 5 v. 7. *Beati miſericordes, quoniam miſericordiam conſequentur*, ergo non eſt corona Juſtitiæ. X.

Reſpond. negando conſequentiam, quia, ſicut primum dicitur à Spiritu Sancto per Pſalmiſtam, ſic ſecundum per Apoſtolum 2. Tim. 4. v. 8. *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ*, & ſimul conſiſtunt: nam certum eſt, quòd homo non poſſit mereri vitam æternam, ut coronam juſtitiæ, niſi priùs ex miſericordia Dei fiat juſtus, ſeu accipiat gratiam, quâ conſtituitur filius regni. Iterum non poteſt facere opus bonum meritorium, niſi Deus adjuvet ſuam gratiam, & ideo opus bonum propriè vocatur donum Dei, & verè eſt juſtitia reſpectu coronæ; ſed reſpectu hominis eſt gratia, quia gratia, quâ opus facit, gratuito illi datur, ut clariſſimè explicat D. Auguſt. Epiſt. 105. ſuprà allegatus: hinc ipſa corona juſtitiæ, quæ operibus datur, etiam vocatur corona miſericordiæ reſpectu hominis, cui gratia datur, quâ opus facit. Vide verba Augu-

Digitized by Google

stini suprà relata ex lib. de Grat. & lib. Arb. cap. 9. ubi ostendit, quòd simul consistant illa duo, quòd Deus coronet in misericordia, & quòd corona bonis operibus reddatur, prout jam dictum est.

XI. 7. Objicit Calvin. lib. 3. cap. 14. §. 21. allegans illud Apostoli Rom. 6. v. 23. *Stipendium peccati mors, gratia autem Domini vita æterna.* Ita quærit: *Cur non ut vitam morti, sic peccato justitiam opponit? Cur non ut peccatum mortis, ita justitiam vitæ causam statuit? sic enim rite constitura erat Antithesis, quæ ista variatione nonnihil abrumpitur.* hæc Calvin.

Respond. Calvino respondet D. August. Epist. 105. & lib. de Grat. & lib. Arb. cap. 9. cujus verba suprà copiosè relata sunt, qui ibid. clarissimè dicit, potuisse Apostolum verissimè dicere stipendium justitiæ vita æterna, sicut dicit stipendium peccati mors, sed causam allegat, ut suprà dictum est.

XII. 8. Objiciunt illud Isa. 55. v. 1. *Venite, emite absq; argento & absq; ulla commutatione vinum, & lac*; unde inferunt, ergo vita æterna offertur absque ullis meritis.

Respond. negando consequentiam, quia ibi per vinum & lac non intelligitur vita æterna, sed gratia, quâ homo justificatur, ut exponit S. Hieron. & patet ex contextu præcedenti, cùm dicitur: *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite*, & sequitur: *Venite*, &c. sic etiam Christus dicit Joann. 7. v. 37. *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat*: ubi patet, quòd loquatur de his, qui in peccatis sunt, & gratiam desiderant, ut ad Christum veniant, qui dabit gratis, & hoc patet ex textu sequenti v. 38. ubi subjungit Christus: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent*, & Joannes addit: *Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*, &c. quæ est gratia, quam sine præcedentibus meritis Deus impio dat; at coronam non confert, nisi illi, qui legitimè certaverit, juxta illud 2. Tim. 2. v. 5. *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.*

XIII. 9. Objiciunt illud ad Philipp. 3. v. 7. *Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christũ detrimenta*, &c. *propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror, ut stercora, ut Christum lucrifaciam, & inveniar in illo, non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed quæ ex Fide est Christi Iesu, quæ ex Deo est justitia in Fide*, &c. unde inferunt, ergo nulla opera bona justorum sunt meritoria regni cælestis, sed stercora.

Respondetur negando consequentiam: Apostolus enim ibi loquitur de operibus, quæ fecerat in judaismo, ut patet ex contextu, quæ præcesserunt justificationem, & non erant facta ex gratia Christi, quæ vocantur opera ex lege, & opponuntur operibus Fidei Christi, seu gratiæ, quæ ex Fide Christi per gratiam Dei fiunt ab his qui iam sunt justificati, ut cùm Fides per charitatem operatur, quæ opera Apostolus maximè laudat, & quibus coronam paratam asserit, prout D. August. passim distinguit, & sæpius suprà relatum est.

XIV. 10. Objiciunt illud Rom. 3. v. 27. *Ubi est ergo gloriatio tua, exclusa est, per quam legem? factorum? non, sed per legem Fidei.* Ergo nulla facta justorum merentur vitam æternam, alioquin in illis gloriarentur.

Respond. negando consequentiam, quia Apost. ibi expressè loquitur de prima justificatione, quòd illam nullis propriis meritis acquirantur, sed per nudam Christi gratiam, ideo subdit: *Arbitramur enim justificari hominem per Fidem sine operibus legis*, cùm alioquin de justis dicat 1. Cor. 10. v. 31. *Qui gloriatur in Domino glorietur*, sic Justi gloriantur in Domino, cui tribuunt gloriam, quòd per ipsius gratiam justificati sunt, & per ipsius gratiam opera Justitiæ ad salutem præstant, prout D. August. sæpius declarat, & suprà sæpius relatum est, quòd excludatur gloriatio omnis, quam homo de suis operibus ex semetipso factis, vel quasi factis, sibi assumit. Sic specialiter dicit lib. de Fide & Oper. cap. 14. *Cum ergo Apostolus dicit, arbitrari se justificari hominem sine operibus legis, non hoc agit, ut percepta ac professa Fide, opera justitiæ contemnantur; sed ut sciat se quisq; per Fidem posse justificari, etiamsi legis opera non præcesserint, sequuntur enim justificatum, non præcedunt justificandum.* Sic etiam in præfat. ad ps. 31. dicit: *Iustitiam Fidei, quam bona opera non præcesserunt, quam bona opera consequuntur*, &c. & ibid. *Malis operibus quid debetur? damnatio, bonis operibus quid debetur? Regnum cælorum*, &c. & alibi passim.

Similiter intelliguntur alia Apostoli loca, ut dum dicit, Ephes. 2. v. 8. *Gratia estis salvati per Fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus ne quis glorietur.* Item ad Tit. 3. v. 4. *Non ex operibus Iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit.* &c. ubi manifestè loquitur, non de salute æterna, sed de inchoata, quæ fit in iustificatione, alloquitur enim fideles, & ostendens, quòd antea in peccatis ambulassent, ut Ephes. 2. & ex illis per Christum salvati essent, sic & ad Tit. subiungit: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs Sancti, quem effudit in nos*, &c. & ideo dicit, quòd non ex operibus præcedentibus justificati sint, sed per Fidem & gratiam Christi, quod verum est, sed non contradicit operibus, quæ iustificationem sequuntur, ut suprà D. August. loquitur. XV.

11. Objiciunt illud Rom. 8. v. 18. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*: unde inferunt, ergo passiones non merentur gloriam, quia inter meritum & præmium debet esse aliqua proportio dignitatis. XVI.

Respond. negando consequentiam, quia utrumque simul verum est, nam, sicut Apostolus illo loco dicit: *Non sunt condignæ passiones*, &c. sic 2. Thess. 1. v. 5. dicit: *Ut digni habeamini regno Dei, pro quo patimini*, ubi ascribit passionibus illorum dignitatem regni, &c.

Itaque Apost. dum dicit: *Non sunt condignæ passiones*, attendit durationem passionum & gloriæ, inter quæ non est proportio, nec talis esset condignitas, quæ inde sequeretur; dum autem dicit, quòd passiones dignæ sint, attendit gratiam, acceptationem & promissionem Dei, ex quibus fiunt opera bona digna, & sic habent proportionem, & merentur gloriam, prout Apostolus utrumque exprimit 2. Cor. 4. v. 17. *Id quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, &c. ecce ubi simul dicit, quod opus sit momentaneum & leve respectu æternitatis gloriæ, & sic

Digitized

& sic nulla comparatio, tamen asserit, quod operetur illam gloriam, quod non aliter intelligi potest, nisi meritoriè, non verò dispositivè, quod ad causam materialem spectat; sed operari ad causam efficientem, quæ hic non est Physica, sed moralis, & meritoria. *Hoc ipsum patet in ipsius Christi Domini passione, quæ fuit quasi momentanea, sed meruit nobis omnibus gloriam æternam.*

XVII. Demum sic arguunt: Christus nobis sufficientissimè meruit gloriam, ergo illam nostris meritis non meremur, alias Christus non sufficeret, imo ipsi injuria fit, quòd ipsi pars causalitatis tribueretur, & hominibus altera pars causalitatis, ut arguit Calvinus.

Respond. negando consequentiam, ut autem veritas pateat, sciendum est, quòd dupliciter intelligi possit, quòd nos cum Christo meremur gloriam, semel, si nostra merita distinguerentur à meritis Christi, ita ut ex nobis illa habeamus, sicut duæ causæ partiales ad eundem effectum concurrunt, quarum una non sufficeret ad effectum, & tamen singulæ ex se virtutem habent, & hoc modo certissimum est, quòd nos non concurramus cum meritis Christi. 2. intelligi potest, quòd Christus non solùm meruerit nobis gratiam & gloriam, sed etiam illam virtutem seu gratiam, quâ opera nostra, per ipsius gratiam facta, etiam eandem gloriam merentur, & sic Deus etiam voluit & ordinavit, ut homo cum Christo operetur, non ex defectu meritorum Christi, sed ad ipsius majorem gloriam, ac proinde totum, quod est meriti, vel laudis in operibus nostris, redundat in gloriam Christi, qui non solùm nobis gratiam, & gloriam meruit, sed etiam virtutem merendi obtinuit, & hoc ipse satis expressit Joann. 15. v. 4. dicens. *Ego sum vitis, vos palmites, sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis*, & iterum v. 5. *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum*, &c. quis est hic fructus nisi bonorum operum? quomodo in hoc Christo fit injuria, cum dicatur, quòd nihil sine ipso facere possint, & tamen in ipso, & per ipsum operentur, quod ipsi gloriosissimum est.

XVIII. Non quidem hæc ideo fiunt, quasi Christi meritum non esset abundè sufficiens, sed quia ex suo abundanti merito etiam virtutem merendi suis palmitibus tribuit, & quia sic Deo placitum fuit, qui etiam ut causa prima omnis creaturæ efficiens, solâ suâ omnipotentiâ sufficientissimus est ad omnia creanda, facienda, & operanda, & omnia in omnibus operatur; nihilominus tamen admittit cum sua operatione etiam operationem causarum secundarum, quibus ipse virtutem omnem operandi tribuit, quæ respectu Dei non dicuntur causæ partiales, sed singulæ in suo ordine sunt totales, ita tamen, ut causæ secundæ nihil sine causa prima operari possent, juxta veram Philosophiam: sic etiam in causalitate meritoria homo justus, qui meretur, non comparatur cum Christo, ut causa partialis, quasi ipse ex se unam partem meriti haberet, & alteram Christus, sed ut causa secunda ad primam, à qua dependet, ita ut tota ratio & virtus merendi soli Christo tribuatur, qui illam operibus nostris confert, & in opera justorum jugiter influit, ut Concil. Trid. sess. 6. cap. 15. profitetur, & sic opus totum est nostrum ut causæ secundæ, & totum idem est Christi ut causæ primæ, quæ totam virtutem merendi homini tribuit, sine qua nihil mereri potest. Unde patet, quòd homo justus eò magis sit Christo obligatus, quàm si Christus solus gloriam sine hominis meritis obtineret, quia jam homini præstat utrumque, ut & ipsi gloriam meruerit & etiam gratiam, quâ ipse cum Christo etiam mereri possit, à Patre obtinuerit, nulla ergo Christo fit injuria, nec gloriæ ejus detrahitur, sed augetur, qui voluit, ut palmites sui non aridi, & infructiferi sed fructiferi sint, alioquin, si fructum non ferant, sed tantùm vitam à radice vel vite habeant, dicerentur quidem vivere, sed non dicerentur fructum ferre, quod Christus asserit. Verùm Acatholici & vitam, & fructum palmitibus denegant, dum volunt, quòd fideles in se non habeant vitam, vel opera bona, sed in se sint aridi, & gravissimi peccatores, & solùm Christi gratia, & meritum extrinsecè ipsis imputetur; quod verè Christi gloriam, & virtutem aufert, quasi non habeat membra viva, sed arida, mortua, & fœtida, ita ut membra in se sint diaboli membra, secundùm propria peccata, & solùm Christi reputentur membra; sic & diabolus manens in peccatis Christi membrum reputari posset, qualitercunque Deum offendat.

Calvinus videns tot & tam clara sacræ Scripturæ loca, quæ operibus mercedem, & præmium vitæ æternæ promittunt, cùm frustra & falsò illa eludere conatus esset, tandem lib. 3. Instit. cap. 18 § 3. sic concludit: *Etsi more suo pertinaciter urgeant operum mercedem, regerere illud Petri libebit, vitam æternam Fidei esse mercedem.* 1. Pet. 1. v. 9. XIX.

Respondeo: Hoc verissimum S. Petri testimonium etiam Calvinum & Acatholicos convincit, quia, si vita æterna sit merces Fidei, prout Calvinus legit, cùm in Græco & Latino habeatur finis Fidei, & tamen est idem sensus, ergo etiam opus Fidei est meritum, quia meritum & merces sunt correlativa, & sic etiam D. August. epist. 105. cujus verba suprà relata sunt, dicit, quòd *justitiæ vel Fidei merces redditur, & quod merces est operanti, id militanti est stipendium*; at verò negat, quòd justitia, vel Fides sit merces, quia nullum opus meritorium præcedit, quod illas mereatur; & sic Apostolus 2. Tim. 4. v. 7. dicit. *Bonum certamen certavi, Fidem servavi*, &c. *in reliquo reposita est mihi corona justitiæ*, &c. sic ergo non quæcunque Fides, sed per dilectionem operans & servata, ut opus meritorium obtinet vitam æternam, & mercedem, & coronam; & de Fide per dilectionem operante semper Scriptura intelligitur, ut SS. Patres exponunt, & S. Petrus ibid. supponit dicens v. 7. *Ut probatio vestræ Fidei, multo pretiosior auro, inveniatur in laudem in revelatione Iesu Christi, quem cùm non videritis, diligitis*, &c. *reportantes finem Fidei vestræ salutem animarum.* At verò Calvin. cum suis negat, quòd Fides, ut opus, salutem operetur, vel mercedem accipiat, hoc autem dicunt Apostoli Petrus, & Paulus; videant ergo Acatholici qualiter Calvinus convictus veritatem fallus sit.

Digitized by Google

CAPUT VI.

De Conditionibus bonorum Operum.

ARTICULUS I.

De adjectivis meriti vocibus congrui, & condigni.

I. HActenus ex S. Scriptura & sanctis Patribus ostensum est, quòd dentur opera justorum verè bona coram Deo, & etiam meritoria, tam augmenti gratiæ, quàm ipsius vitæ æternæ, quæ de Fide Catholica certa sunt, & ab omnibus Doctoribus Catholicis unanimiter docentur, prout suprà ex Concil. Trid. relatum est. Verùm quænam ad meriti rationem pertineant, & qualiter opera vitam æternam mereantur, quoad aliqua Ecclesia definivit, quæ ex Concil. Trid. relata sunt; quoad aliqua verò Ecclesia nihil definivit, sed scholasticæ disputationi salvâ Fide reliquit; nam, licèt Doctores in aliquibus diversa doceant, certum tamen est, quòd singulorum asserta salvâ Fide consistant, & cum his, quæ de Fide certa Ecclesia ex sacra Scriptura & SS. Patribus profitetur, prorsus cohæreant: quorum aliqua pro claritate doctrinæ tractabo, præsertim ea, quæ Doctor subtilis Scotus circa hæc docuit, & à pluribus Doctoribus salvâ Fide docentur.

II. Primò quidem verum est, & certum de Fide, quod S. Scriptura, & sancti Patres asserant, quòd opera bona justorum sint verè meritoria, sed an dicenda sint meritoria ex condigno, non exprimunt verbotenus ordinariò, licèt rem satis indicent, sic nec Concil. Trid. his adjectivis utitur: & quia diversimodè sancti Patres nomen meriti aliquando usurpant, Theologi claritatis gratiâ addiderunt adjectivum congrui, vel de congruo, & condigni vel de condigno aut digno; dignum enim & condignum pro eodem communiter usurpant.

III. Meritum igitur congruum, seu de congruo communiter vocatur illud opus, quod quidem bonum est, & ex quadam congruentia, seu decentia, aut honestate, ut aliquid ei retribuatur, sed non ex justitia, vel obligatione respectu Dei, ita ut, licèt tale opus in Scriptura recommendetur, & etiam homines ad tale moneantur, Deus tamen non obligetur ex justitia tali operi dare mercedem: talia opera à Doctoribus assignantur illa, quæ ab homine adhuc peccatore cum gratia Dei excitante, & adjuvante fiunt, ut *actus Fidei, Spei, doloris de peccatis, inchoatæ dilectionis*, & aliæ dispositiones, quæ justificationem præcedunt, & requiruntur, quæ à sanctis Patribus subinde merita vocantur, prout lib. de Justificat. cap. 3. art. 9. ostensum est, sed tamen simpliciter & absolutè merita esse negantur. Vnde etiam Concil. Trid. sess. 6. cap. 8. de his dispositionibus docet, quòd sive Fides, sive opera, quæ justificationem præcedunt, ipsam justificationis gratiam non promereantur. At verò sancti Patres & Concil. Trid. juxta sacram Scripturam docent, quòd opera post justificationem facta verè sint meritoria, unde Doctores meritum distinguendum duxerunt, in meritum secundùm quid, seu de congruo, de quo jam dictum est, & in meritum absolutè, propriè, & simpliciter, quod dignum, vel condignum, aut de condigno vocant. Vbi tamen imprimis observandum est, quod Theologi non vocent opus meritorium de condigno ex justitia rigorosa, qualis est inter homines, ubi inter contrahentes requiritur, ut nulla intercedat gratia, vel liberalitas, sed reddatur aliquod æquivalens indebitum pro æquivalente, quod unus ex se ipso habet, & non ab altero contrahente; tale condignum, vel dignum meritum Theologi negant inter Deum & hominem.

Illud ergo meritum de condigno vocant, cui verè coram Deo debetur præmium, & merces, quam Deus ex justitia reddat, sed ita, ut Deus illud meritum ex gratia dederit; & hoc quoad rem ipsam de operibus justorum ex sacra Scriptura & SS. Patribus hactenus probatum est, & licèt vox, *dignum* vel *condignum* non semper exprimatur, & sine illis vocibus Fides Catholica sufficienter proponeretur, tamen ob causas prædictas Doctores illa adjectiva pro distinctione & claritate usurpant, quæ rem ipsam Fidei explicant, nec illi ullatenus contradicunt; sicut etiam sancti Patres in antiqua Ecclesia diversa nomina ad res Fidei magis explicandas de novo usurparunt in divinis, ut has *Trinitas, persona, consubstantialitas*, &c. de quibus Calvinus lib. 1. cap. 13. §. 3. fatetur, quòd bene ab Ecclesia usurpata sint, ac subdit: *Si quis verborum novitatem tum reprehendat, nonne meritò judicetur lucem veritatis indignè ferre, ut qui tantùm hoc reprehendat, veritatem planam ac dilucidam reddi*, hæc Calvin. sic etiam hæ voces congrui & condigni usurpantur, licèt non adeo sint necessariæ, sicut *Trinitatis*, quia sine his Fides Catholica sufficienter contra Acatholicos defenditur, & docetur, si dicatur, quòd opus justorum sit verè meritorium coram Deo, cui Deus ex justitia reddat præmium, & coronam, vel mercedem, prout SS. Patres & Concil. Trid. ex S. Scriptura demonstrant. IV.

Nihilominus hæ voces non solùm convenienter à Doctoribus usurpantur, sed etiam quoad literam in S. Scriptura fundamentum habent, præter rem significatam, sic enim patet ex illo Sap. 3. v. 5. *In paucis vexati, in multis bene disponentur, quoniam Deus tentavit eos, & invenit illos dignos se*, &c. & Christus Luc. 10. v. 7. de Apostolis laborantibus dicit: *Dignus est enim operarius mercede sua*, &c. ubi non potest solùm intelligi merces de victu, quia illa nimis vilis est respectu operum virtutis, item Lucæ 20. v. 35. *Illi verò, qui digni habebuntur sæculo illo, & resurrectione ex mortuis, non nubent*, &c. *æquales enim erunt Angelis*, &c. V.

Apostolus ad Coloss. 1. v. 10. dicit: *Vt ambuletis dignè Deo*, Homo autem ambulat dignè Deo per bona opera, ut patet ex variis S. Scriptura

pturæ locis ut Gen. 5. v. 22. *Et ambulauit Henoch cum Deo*, & 6. v. 7. *Noë vir justus*, &c. *cum Deo ambulauit*, & cap. 17. v. 1. dicit Dominus ad Abraham: *Ambula coram me, & esto perfectus*. Itaque dignè Deo ambulat, qui præmium à Deo per opera meretur, sic Apostolus ibid. v. 12. dicit: *Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum*. Similiter 2. Thess. 1. v. 4. ait: *Pro patientia vestra & Fide in omnibus persecutionibus vestris & tribulationibus, quas sustinetis in exemplum justi Judicii Dei, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini*. Rursus Apocal. 3. v. 4. dicitur: *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt*, &c. Ecce, quàm clarè sacra Scriptura asserat, quòd justi sint digni Regni cœlestis per opera bona, quæ præstant.

VI. Etsi autem aliqui distinctionem inter meritum dignum & condignum sumere velint ex eo, quod sacra Scriptura asserat locis prædictis, quòd justi sint digni regno, & tamen Apostolus Rom. 8. v. 18. dicat: *Non sunt condignæ passiones*, &c. hoc tamen nihil urget: quia in textu Græco semper eadem vox ἄξιο͵ legitur tum locis allegatis, ubi in Latino legitur digni, & Rom. 8. ubi legitur condignæ; & sic Latinus interpres idem per utrumque intellexit.

Sancti Patres etsi ordinariò non utantur voce digni circa opera bona, rem tamen ponunt, & subinde etiam voce utuntur, ut patet apud S. Hieron. lib. 2. contra Jovinianum, ubi infert Christum dicentem: *Quod Pater meus illis parauit, qui dignis virtutibus ad tantam ascensuri sunt dignitatem*. Verba copiosè suprà præced. cap. relata sunt, & August. lib. de moribus Ecclesiæ cap. 25. dicens: *Nec præmium potest præcedere merita, & priùs dari homini, quàm dignus est*, &c. prout præced. cap. art. 6. relatum est.

Et hæc tam quoad vocem meriti, quæ passim à SS. Patribus usurpatur, ut suprà patet; quàm adjectiva digni vel condigni, ad confundendos Acatholicos, qui talia rident, & ut ficta contemnunt.

ARTICULUS II.

Quòd ad meritum propriè dictum requiratur, ut sit verè bonum liberè ab homine viatore factum.

I. NUnc videndum quænam ad meritum propriè dictum requirantur juxta sacram Scripturam & SS. Patres; & quidem Concil. Trid. sess. 6. cap. 16. aliqua principalia expressit, cujus verba suprà relata sunt; Doctores tamen Catholici pro claritate plures conditiones ponunt, quarum aliquot Concilium supponit: sunt autem potissimùm quinque: Prima, *ut sit moraliter bonum*, secunda, *ut sit liberum*, tertia *sit hominis viatoris*, quarta, *ut fiat à filio, seu in gratia constituto*, quinta, *ut intercedat Dei promissio, & acceptatio*. De tribus prioribus hîc obiter dicam: Prima quidem, ut opus propriè meritorium sit moraliter, & verè bonum coram Deo, & nullatenus peccatum, facilè patet: nam peccatum est meritum malum, quo homo meretur damnationem, & non vitam. 2. ut fiat ab homine viatore, etiam constat, quia solùm tempore hujus vitæ datur locus meriti, post hanc vitam merita bona præmiantur, & mala puniuntur juxta illud Joann. 9. v. 4. *Venit nox, quando nemo potest operari*, sic 1. Cor. 7. v. 29. dicitur: *Tempus breue est, reliquum est, ut, qui habent uxores, tanquam non habentes sint*, & 2. Cor. 6. v. 2. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*, & Gal. 6. v. 9. *Bonum facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes, ergo dum tempus habemus, operemur bonum*. 3. conditio, ut opus sit liberum & liberè fiat, seu ex libero arbitrio, hoc patet ex illo Eccli. 31. v. 10. *Qui probatus est in illo, & perfectus est, erit illi gloria æterna, qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit, ideo stabilita sunt bona illius in Domino*, qui locus satis probabiliter à pluribus Doctoribus pro hac veritate allegatur, illum tamen Scotus in 3. distinct. 16. quæst. 2. num. 15. cum aliis Doctoribus exponit quoad unam partem de Christo Domino, ut est *Caput Ecclesiæ*, qui non est transgressus in ullo; & alteram de membris ejus, qui potuerunt transgredi, &c. quicquid autem sit de hoc loco, clariùs hanc conditionem ostendit Apostolus 1. Cor. 9. v. 17. de euangelizatione sua loquens: *Si enim volens hoc ago, mercedem habeo, si autem inuitus, dispensatio mihi credita est*, &c. & 2. Cor. 9. v. 7. *Quisq; prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus*.

Et hoc passim tradunt SS. Patres inter alios S. *Irenæus* lib. 4. cap. 71. dicens: *Qui operantur bonum, gloriam & honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cùm possent non operari illud*, &c.

S. *Basilius* in orat. quòd Deus non sit author malorum, sic ait: *Deo non est gratum, quod coactum, sed quod ex virtute rectè geritur; virtus autem ex voluntate, & non ex necessitate fit, voluntas autem ex his, quæ in nobis sunt, dependet, in nobis autem est liberum arbitrium*, &c. hæc ille. II.

S. *Hilarius* in ps. 2. *Quid, ait, honoris aut præmii bonitatis necessitas meretur, cùm malos nos esse vis quædam inserta non sineret? voluntati ergo promissa bonitas est, ut præmium sibi voluntas bonitatis acquireret*.

S. *Hieron*. tomo 2. edit. Basil. 1553. lib. 2. in Jovinian. ait: *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur; alioquin ubi necessitas est, nec corona, nec damnatio est*.

S. *Augustinus*, lib. 2. de libero Arb. cap. 1. sic ait: *Deinde illud bonum, quod commendatur, ipsa justitia in damnandis peccatis, rectéq; factis honorandis, quomodo esset, si homo non haberet voluntatem liberam? non enim rectè factum aut peccatum esset, quod non fieret voluntate, ac per hoc & pœna injusta esset, & præmium, si homo voluntatem non haberet liberam*. hæc ibi. Ecce quàm clarè contra Acatholicos liberum arbitrium in operibus ad salutem negantes.

Idem tomo 7. edit. Basil. 1528. lib. de Grat. & lib. Arb. cap. 9. sic ait: *Non enim, quia dixit* (Apostolus) *Deus est enim qui operatur in vobis & velle, & operari pro bona voluntate, ideo liberum arbitrium abstulisse putandus est: quod si ita esset, non superius dixisset, cum timore & tremore salutem vestram operamini, quando enim jubetur, ut operentur, liberum eorum conuenitur arbitrium*, &c. & infrà: *Itaq; fratres debetis quidem per liberum arbitrium non facere mala, & facere bona*, &c. hæc ibi. III.

Digitized by Google

Unde patet, quòd & status viatoris, & libertas ad meritum requiratur.

IV. Nec his obstat 1. quòd Deus mortem Innocentium ab Herode interfectorum acceptavit, & coronavit, ut martyrum, quam tamen liberè non subierunt.

Respondetur enim, quòd, licèt Deus ex sua extraordinaria misericordia voluerit illis infantibus propter Christum occisis dare gloriam Martyrum, non tamen instar coronæ vel præmii dedit, quia non propriè illam meruerunt, sicut alii Martyres.

V. Secundò objicitur, quod Christus maximè & principaliter meruit, nec tamen viator fuit, cùm esset perfectè beatus, nec liberè operatus est, alioquin etiam potuisset peccare, etiam sequeretur, quòd alii beati possent mereri, quod nemo dicit.

Respond. cum Scoto in 3. distinct. 18. num. 5. quòd Sancti in cælo mereri non possint, quia jam sunt secundùm omnem animæ portionem tam superiorem quàm inferiorem in statu quietis & termino, & quo ad affectionem commodi & justitiæ omnino Deo conjuncti; & ideo non possunt habere actum oppositum affectioni commodi, ut liberè velint aliquid, quod non sit iis commodum. At verò Christus secundum aliquid fuit viator, & passibilis, scilicet secundùm partem sensitivam & portionem inferiorem voluntatis, & ideo habuit multa objecta circa quæ potuit liberè velle, contra affectionem commodi, & proinde orando, jejunando, & multis aliis actibus potuit mereri, vel exercendo talia exteriùs, vel volendo interius talia propter Deum.

Et cùm dicitur, quòd Christus fuit perfectè conjunctus Deo, & in termino, ac proinde non potuerit peccare. Respondet Scotus, quòd fuerit quidem simpliciter in termino secundùm portionem superiorem, per quam peccatum fit, & ideo non potuerit peccare, non tamen fuit in termino secundùm portionem inferiorem omnimodo, ideo passibilitati subjectus erat, & multa contra illam affectionem commodi illi accidere poterant, quæ liberè & voluntariè sustinuit, sicut de ipso prædictum fuit Isa. 53. v. 7. *Oblatus est, quia ipse voluit*, &c. & ideo dicit Scotus, quòd secundum portionem superiorem Christus mereri potuerit ex speciali Dei acceptatione, & ordinatione.

VI. Quòd autem Beati in cælis non mereantur, ideo est, quia Deus sic ordinavit, ut in patria sit finis meriti. Cùm autem Christus secundùm aliqua fuerit in statu viæ, ideo in terris meruit, non autem jam ampliùs residens ad dexteram Patris, ubi jam perfectissimè quoad omnia est in termino, & Deo summo bono conjunctus, qui in terris sufficientissimè meruit, nec ex eo, quod erat impeccabilis, ipsius libertas sufficiens impedita fuit, ut dicetur: nam ut Scotus ibidem distinct. 16. quæst. 2. num. 14. ait: *Voluntas potest habere actum meritorium circa objectum, quod non est in illius potestate, imo quod est necessarium, & impossibile, aliter se habere, sicut potest amare Deum amore amicitia volendo Deo bonum, puta ipsum esse justum, sapientem*, &c. *& tamen, velit, nolit voluntas, Deus est justus*, &c. *sic etiam voluntas Christi mereri potuit de passione sua, quamvis non fuerit in ejus potestate impedire eam, complacendo scilicet illi passioni, & acceptando illam propter bonum consequens ex ipsa, & quia accepta fuit Deo*, &c. hæc Scotus, & hoc modo Passio Christi non erat violenta, sed voluntaria & libera, à voluntate acceptata, & meritoria: & asserit Scotus etiam ibidem num. 15. quòd Christus, ut homo, accepit mandatum à Patre ponendi animam suam (prout Joann. 10. v. 18. Christus dicit: *Hoc mandatum accepi à Patre*) dicens: *Quia ut homo accepit mandatum ponendi animam*, id est, *complacendo, & patiendo animam poni*, &c. quam à semetipso ponebat secundùm divinam naturam, prout ibid. Christus v. 17. dicit: *Ego pono eam à me ipso*, &c. hæc Scotus.

ARTICULUS III.

Quòd ad meritum vitæ æternæ requiratur, ut homo sit in statu gratiæ, & ab illa Meriti actus procedat.

De Fide Catholica certum est, ut in Conc. Trid. exprimitur sess. 6. cap. 16. & can. 32. quòd homo justificatus, seu habens gratiam à Deo infusam, mereri possit juxta S. Scripturam *Regnum cælorum, seu vitam æternam, filiis Dei per Christum misericorditer promissum*, adeóque nullus homo verè & propriè vitam æternam mereri possit, nisi sit filius adoptivus Dei, seu justificatus, & in gratia existens, & membrum vivum Christi. I.
Circa hæc, duo certa sunt, unum, quòd meritum debeat fieri ab homine in gratia constituto, alterum quòd etiam debeat procedere ab ipsa gratia, sive elicitivè, sive imperatè, seu virtualiter; primum negavit quidam Doctor Lovaniensis *Michael Bajus*, asserens sufficere ad actum meritorium, quòd fieret cum auxilio supernaturali Dei, licèt homo non esset in gratia, sed hoc cum aliis ejusdem articulis damnatum fuit, à Pio V. & Gregorio XIII.

Quòd autem necessariò requiratur ad meritum, ut fiat ab homine jam justificato, patet ex variis S. Scripturæ locis 1. ex illo Gen. 4. v. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus, ad Cain vero & ad munera ejus non respexit.* Ubi patet, quòd munera Deo non sint grata, nisi persona offerens grata sit per gratiam.

2. Ex verbis Christi Joann. 15. v. 4. *Manete in me, & ego in vobis, sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis: ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum*, &c.

Ex quibus patet, quòd nullum opus meritorium fieri possit, nisi homo sit in Christo, ut membrum vivum, seu palmes, & Christus in illo, quod fit per gratiam, per quam Christus inhabitat. II.

Idem probatur ex illo Rom. 8. v. 15. *Accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba Pater*, & v. 17. *Si autem filii, & heredes*, adeóque nullus est hæres, nisi sit filius adoptionis: sic etiam 1. Cor. 13. v. 3. dicit Apostolus: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas*, &c. *Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* At hæc est charitas diffusa in cordibus per Spiritum Sanctum, quæ est gratia habitualis justificans, ut lib. de Justific. ostensum est.

Hanc veritatem sancti Patres ut claram supponunt: specialiter D. *Hieron.* & D. *August.* contra Pelagianos, ut videre est locis suprà recitatis, sufficiant hîc aliqua ex S. August. ut lib. de Fide & Operib. cap. 14. ubi dicit: *Sequuntur bona opera justificatum, non praecedunt justificandum,* & praefat. in psalm. 31. *Iustitiam Fidei*, ait, *quam bona opera non praecesserunt, quam opera bona consequuntur*, sic & lib. de Spir. & Lit. cap. 29. dicit: *Per spiritum incorporatus, factusq; membrum eius, potest quisq; illo incrementum intrinsecùs dante,*
III. *operari justitiam*, &c. haec August. Idem probatur ex eo, quod in opere bono Deus maximè attendat personae operantis dignitatem; ut patet in Christo Salvatore, cujus opera tanti pro totius mundi salute fuerunt pretii, quia à persona divina verbi per naturam ipsius humanam erant facta, ut SS. Patres supponunt, & Doctores communiter docent, & ratio ipsa convincit, & juxta haec dicit Scotus 4. dist. 2. q. 1. num. 7. *Quod cùm totum genus humanum esset Deo inimicum de una massa perditionis, & ideo non potuit habere ex se aliquem, qui ipsum placare posset. Ergo disposuit Trinitas personam sibi ante omnia dilectam dare generi humano, ac ipsam ad hoc inclinare, ut ipsa offerret obsequium pro toto genere humano, talis persona non est nisi Christus, & tale obsequium est illud, in quo maxime apparet Charitas, quod est offerre se ad mortem pro justitia: ergo Trinitas nullum adjutorium pertinens ad salutem contulit homini viatori, nisi in virtute huius oblationis Christi in Cruce factae, & à persona dilectissima, & ex maxima charitate*, &c. & num. 8. ait: *Maxima justitia est propter obsequium tam gratum personae tam dilectae tantum remedium conferre illis, pro quibus illa persona obtulit illud obsequium*, &c. haec Scotus cum communi Doctorum: qualiter autem meritum Christi sit, & dicatur infinitum, salvâ Fide, diversimodè explicatur, de quo infrà dicetur.

IV. Demum praedicta veritas probatur ex absurdo, quod ex contraria opinione sequitur; scilicet quòd aliquis existens Dei inimicus possit mereri vitam aeternam, & sic simul esset dignus vitâ aeternâ propter actum, & dignus aeternâ damnatione propter statum inimicitiae Dei.

Secundum, quòd actus meritorius non solùm debeat fieri ab homine in gratia constituto, sed etiam ab ipsa gratia procedere vel eliciendo vel imperando, etiam communis est Doctorum sententia, licèt aliqui disputent, quam supponit Scotus 1. dist. 17. quaest. 3. num. 21. dicens: *Ad actus acceptationem plùs requiritur, quàm quod agens habeat hunc decorem spiritualem*, (qui est gratia) *alioquin habens talem habitum non posset habere actum indifferentem, nec peccare venialiter: quod est inconveniens* (& contra expressam S. Scripturam) *consequentia patet, quia neutrum istorum tollit illum decorem operantis* (seu gratiae) *& ita utrumq; esset acceptum* (seu meritorium) *si actus acceptaretur ex solo decore operantis*, &c. haec Scotus. Et haec veritas etiam patet ex sacra Scriptura, quae saepius vitam aeternam promittit actibus charitatis, seu dilectioni Dei ut Joann. 14. v. 21. *Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo*, &c. 1. Cor. 2. v. 9. *Oculus non vidit, nec auris audivit*, &c. *quae praeparavit Deus iis, qui diligunt eum*, & Jacob. 1. v. 12. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se*, &c. Quod etiam ex charitate opus meritorium procedere debeat, satis indicat Apostolus 1. Cor. ult. v. 13. dicens: *Omnia vestra ex charitate fiant*: adeóque supponit, quòd homines justi etiam aliqua faciant, quae non fiunt ex charitate.

V. Quaestio autem inter Doctores est; an omne opus bonum meritorium debeat actualiter à charitatis habitu elici, vel imperari, an sufficiat, quòd virtualiter fiat: ita ut, licèt homo actu non intendat opus ad finem charitatis, si tamen antea intenderit, & virtute illius intentionis agat, sufficiat. Hoc resolvit Scotus 4. dist. 6. quaest. 5. num. 3. dicens: *Quod in omni actu humano requiratur intentio finis, alioquin esset actus fortuitus*, & quidem in actu meritorio dicit quaest. 6. num. 2. quòd *soleat duplex intentio assignari, una actualis, altera habitualis*, hanc dicit non esse sufficientem, quia talis est in dormiente; nec actualis semper requiritur, ut patet in Martyribus, qui aliquando prae nimio dolore privabantur usu rationis, & tamen merebantur: unde assignat tertiam intentionem scilicet virtualem, quam tunc esse dicit, *quando homo virtute alicuius intentionis actualis prius habitae, facit aliqua opera ex illa actuali intentione, quasi radice; ita quod illa intentio actualis fuit principium ordinatum ad omnes istos alios actus, & habet in se virtualiter intentionem propriam cuilibet istorum actuum; sicut intentio finis habet in se virtualiter intentionem propriam cuiuscunq; ordinati ad finem, & pro tanto, manente intentione cuiuscunq; ad finem ordinati, manet ista intentio actualis prima virtualiter in omnibus istis.* Hujus exemplum assignat de illo, qui intendit ire ad S. Jacobum, & ex intentione hujus multa ordinat necessaria ad illum finem facienda, quae postea exequitur, licèt non semper actu cogitet de fine; & sic in omnibus semper meretur: sic etiam dicit, quod subinde *SS. Martyres forte in martyrio non semper habuerunt actualem intentionem sustinendi martyrium, sed virtualem, quia immensitas poenarum forte absorbebat subinde usum rationis, ista tamen perpessio poenarum erat quidam effectus derivatus ex intentione actuali servandi fidem Dei, & omnia potiùs patiendi, & ideo dum durabat passio, durabat semper ista prima intentio actualis virtualiter, sicut in effectu*, &c. haec Scotus, quae ad propositum sufficiunt.

ARTICULUS IV.

Quòd ad meritum vitae aeternae requiratur specialis acceptatio divina, & promissio ex misericordia per merita Christi.

I. HOc ipsum juxta sacram Scripturam & sanctos Patres supponit & tradit Concil. Trid. sess. 6. cap. 16. cujus verba suprà cap. 5. art. 2. relata sunt: ubi duplicem modum, quo justificati vitam aeternam obtineant, exponit; unum, tanquam haereditatem filiis Dei per Christum misericorditer promissam, & hic modus communis est adultis, & infantibus, qui nulla opera bona exercent, sed tantùm per Christi merita ex misericordia Dei gratiam conse-

cuti sunt in cordibus diffusam habitantem.

Alter modus exprimitur, *quod vita æterna ex Dei promissione bonis justorum operibus & meritis tanquam merces fideliter sit reddenda*, ubi patet, quòd Concilium semper supponat, quòd in utroque modo promissio Dei ex misericordia, & meritum Christi requirantur.

Idem definit ibid. can. 26 dicens: *Si quis dixerit justos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, exspectare, & sperare æternam retributionem à Deo per ejus misericordiam, & Jesu Christi meritum, si bene agendo, & divina mandata custodiendo usq; in finem perseveraverint, anathema sit.*

II. Hoc ut de Fide certo supposito, quæstio scholastica est inter Doctores: an opera meritoria justorum ex sua propria & intrinseca ratione, quatenus à voluntate, concurrente gratiâ habituali, liberè facta sunt, habeant tantam dignitatem, ut seclusâ Dei acceptatione, & promissione digna sint vitæ æternæ? circa quod aliqui hoc ipsum asserunt; Scotus verò cum pluribus Doctoribus 1. dist. 17. quæst. 3. id negat, aliqui verò distinguunt, dicentes: quòd opus meritorium prædicto modo factum sit quidem dignum vitæ æterna, sed tamen Deus non obligetur seclusâ promissione pacti, illam dare, quod exemplificat de homine, qui in aliena vinea totâ die laborat à Domino vineæ non conductus, cui Dominus nihil ex justitia debet, quia justitia commutativa includit pactum de reddendo æquivalens pro æquivalente, cùm itaque Dominus non inierit pactum cum tali operario, licèt æquivalens opus fecerit cum alio, qui à Domino conductus erat, non tamen Dominus ad mercedem obligatur. Similiter licèt unus habeat pretium dignum equo, & illud Domino equi offerat, Dominus tamen non obligatur ipsi dare equum, nisi pactum intercedat, & sic Doctores docent hoc maximè valere inter Deum & hominem, ut Deus non obligetur sine promissione & pacto facto.

III. Cæterùm omissis disputationibus, sententiam Scoti & plurium Doctorum simpliciter proponam, pro cujus intelligentia priùs aliqua præsupponenda sunt.

Primò quidem, quòd, Dei erga hominem vel qualemcunque creaturam non possit esse justitia rigorosa, vel de rigore obligans absolutè loquendo, idque plurimas ob causas, inter quas prima est ex parte Dei, quia, ut ait Scotus, 4. distinct. 46. quæst. 1. num. 7. *Cum justitia propriè sit rectitudo voluntatis quasi habituata, & per consequens quasi naturaliter inclinans ad alterum, vel ad se quasi ad alterum, & voluntas divina non habeat rectitudinem inclinantem deservientem ad aliquid, nisi ad suam bonitatem, quasi ad alterum, nam ad quodcunq; aliud objectum mere contingenter se habet, ita quod æque potest in hoc, & in ejus oppositum, sequitur, quod nullam justitiam habet, nisi ad reddendum suæ bonitati vel voluntati, quod eam condecet.* hæc Scotus, & patet, quia Deus non obligatur creare ullam creaturam, nec per consequens creaturæ quicquam dare, nisi quantum placuerit.

IV. Secunda causa est, quia Deus nullius creaturæ servitio indiget, juxta illud psalmi 15. *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*, quod adeo verum est, ut nihil Deo accedat per omne cujuscunque creaturæ servitium, aut laudem, incomparabiliter minùs, quàm Soli aliquid claritatis accedat, ex eo, quòd hæc inferiora ab ipso illuminentur, quia æquè in se clarus est, licèt nulla alia corpora ab ipso illuminarentur. Sic etiam incomparabiliter Deus ipse ab æterno æquè infinitè in se gloriosus fuit, & esset, licèt nulla creatura fuisset, vel ab ulla creatura laudaretur, sed creaturæ rationalis beatitudo est, quòd Deum laudare videndo, & fruendo possit: proinde Deus non obligatur ipsius servitium præmiare seclusâ promissione, & pacto.

Tertia causa est, quia omnis homo, & creatura ex libera Dei voluntate facta est, & conservatur, & quidquid reale habet, & operatur ex solo Dei auxilio facit, nec sine illo quicquam facere posset, juxta illud Joann. 1. v. 5. *Sine ipso factum est nihil*, & Joann. 15. v. 5. *Sine me nihil potestis facere*. Actor. 17. v. 28. *In ipso vivimus, movemur, & sumus*, Rom. 11. v. 35. *Quis prior illi dedit, & retribuetur ei*, &c. sic enim omnis creatura in suo esse, & conservari à Dei nutu dependet, & ad ipsius nutum in nihilum redigeretur, & per ipsum omnia sunt, & conservantur, *quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*. Cum itaque quoad homines non sit propria justitia rigorosè sumpta inter patrem, & filium, inter Dominum & servum, ubi tamen filius solùm obiter à patre gignitur, non autem ab illo conservatur, & ex se opera omnia præstat, & servus licèt captus vel emptus sit à Domino, tamen ex natura sua liber est, & sæpe melior Domino, & opera sua ex sua virtute facit, quantò minùs potest esse rigida justitia hominis respectu Dei, respectu cujus homo incomparabiliter magis obligatus est, à quo omnia omnino habet, quæcunque habet, & omnia Dei sunt simpliciter & absolutè, si autem ex justitia rigida alicui aliquid debeatur, oportet quod ex suo proprio habeat, *quid autem habes*, dicit Apostolus 1. Cor. 4. v. 7. *quod non accepisti*, scilicet à Deo? & ideo de rigore loquendo homo ex se ita ex justitia obligatur Deo omni modo servire, ut sine ulla mercede omnia præstare teneatur, nec adhuc satisfacere possit. V.

Secundò præmittendum est, quòd licèt non possit rigida esse justitia obligans Deum erga hominem, potest tamen esse aliqualis justitia secundùm quid, & secundùm proportionem, sicut inter Dominum & servum, licèt incomparabiliter minor, ut ait Scotus ibidem num. 4. dicens: *Dominum enim liberalem decet retribuere maius bonum, quàm servus possit mereri. Sic etiam decet Dei liberalitatem, ut homini servienti bonum retribuat*, sed hæc decentia per se in nullo obligat, cùm sine ulla comparatione servitia hominis plus Deo debita sint, quàm servi respectu domini; si tamen Deus ex liberalitate velit homini condescendere, & dare auxilia ad bona opera, ut possit mereri, quæstio est, an illa opera sic à Deo data, & per gratiam facta, sint ex se digna vitâ æternâ, ita ut habeant aliquam ex se æqualitatem in dignitate cum dignitate vitæ æternæ, ita ut si homo illa (per impossibile) ex se sine Dei auxilio haberet, verè VI.

verè essent digna vitâ æternâ, licèt Deus non obligaretur vitam æternam dare sine promissione, vel pacto; cùm verò homo illa non habeat, nec habere possit tam sine generali Dei auxilio, quàm sine gratia inhabitante & speciali Dei auxilio, & Christi merito, illis tamen suppositis, quod opera bona sic præstentur, quæritur: an digna sint ex se vita æterna seclusa promissione. Hoc aliqui Doctores asserunt.

VII. Verùm sententia Scoti hæc est, 1. dist. 17. q. 3. n. 22 quod nullum opus verè & propriè meritorium haberi possit ab homine, nisi habeat gratiam habitualem, quæ ad illud opus bonum à voluntate eliciendum, vel imperandum concurrat. Similiter ait 3. dist. 13. q. 4. n. 20 & 21. dicens: *Dico quod gratia requiritur ad meritum, quia meritum formaliter requirit, ut actus libere & actiue eliciatur à voluntate, & ita habeat eum in potestate sua*, &c. gratia autem hæc habitualis duo habet; unum quod reddat hominem formaliter Deo gratum, seu quod sit ratio formalis, quâ Deus acceptat, & ordinat hominem ad vitam æternam, ut hæredem; alterum quod etiam sit ratio formalis, qua actus elicitus hominis acceptetur à Deo, tanquam meritorius, ut ait Scotus supra 1. dist. 17. n. 22. quæ gratia est supernaturaliter infusa, & decor naturæ complacens divinæ voluntati, & concurrens cum voluntate ad actum meritorium: asserit tamen ibid. n. 29. quod ille habitus supernaturalis de potentia absoluta non esset necessarius ad hoc, ut homo Deo gratus esset, vel qui hominem Deo formaliter gratificaret, quia, ut ait, Deus posset acceptare naturam beatificabilem ad vitam æternam in puris naturalibus; quia nulla creatura potest esse ratio necessaria actus divini, nec in se, nec ut tendit supra tale obiectum; de potentia vero Dei ordinata, quam ordinationem colligimus ex Scriptura, & ex dictis Sanctorum, talis habitus infusus requiritur, ut homo justus sit, vel meritorie operetur. ibid. autem n. 27. asserit, quod in habitu gratiæ duo sint, scilicet unum, *quod sit quedam qualitas habens relationem ad rationem rectam, in quantum est habitus bonus formaliter, & præter illam, habeat relationem ad voluntatem diuinam acceptantem ipsum*, &c. scilicet ut sit ratio ordinandi hominem ad vitam æternam, tanquam filium regni.

VIII. Similiter ib. n. 24. & n. 27. Scotus de ipso actu meritorio dicit: quod in actu meritorio duo cōsiderentur, unum est ipse actus realis cum sua rectitudine, quatenus elicitur liberè à voluntate secundum inclinationem, seu concursum gratiæ habitualis, cum actuali supernaturali Dei concursu, qui sit in se actus bonus, rectus, & laudabilis, & etiam habeat aliquam dignitatem propriam, ob quam acceptabilis sit à Deo, ut secundum quid mereatur à Deo acceptari ad vitam æternam, ut condignum meritum ad præmium: & ut ait Scotus n. 27. *Accipiendo actum secundum rationem meritorii, potest dici, quod principaliter illa conditio conuenit actui ab habitu, & minus principaliter à voluntate; magis enim acceptatur actus, ut dignus præmio, quia elicitus est à charitate, quam quia est à voluntate libere elicitus, quamuis utrumq; necessario requiratur*, hæc ibi.

IX. Non tamen actus sic acceptabilis est ultimatè & completè meritorius, quod probat Scotus num. 24. dicens: *Quia quicunque actus ex solis intrinsecis agentis, non habet hunc ordinem ad beatitudinem tanquam digni complete: tunc enim Deus non posset ei, qui sic operatus est, non retribuere beatitudinem, nam iniuste eam sibi subtraheret, hoc autem est falsum*, &c. unde dicit, quod ulterius requiratur ad actum meritorium, ut Deus ex sua misericordia & liberalitate illum ordinet, vel acceptet, ut dignum ad beatitudinem, ut præmium, quod sic explicat de acceptatione actus dicens: *Quod prædictum est, intelligendum est de acceptatione æterna, qua Deus ab æterno præuidens hunc actum ex talibus principiis eliciendum, voluit ipsum ordinatum ad præmium, & ita actu voluntatis suæ ordinando ipsum ad præmium, voluit ipsum esse meritum, qui secundum se consideratus, absq; tali acceptatione diuina, secundum strictam justitiam non fuisset dignus tali præmio ex intrinseca bonitate, quam haberet ex suis principiis; quod patet, semper enim præmium est maius bonum merito, & justitia stricta non reddit melius pro minus bono: ideo bene dicitur, quod Deus semper præmiat ultra meritum condignum*, &c. quod explicat, dicens: *Vniuersaliter quidem ultra dignitatem actus, qui est meritum; quia quod ille actus sit condignum meritum, hoc est ultra naturam & bonitatem actus intrinsecam ex mera gratuita acceptatione diuina*, hæc Scotus. Vbi patet, quod Scotus non ponat totam rationem meriti condigni in sola acceptatione divina; sed vult, quod ratio meriti includat actum rectum, bonum à gratia elicitum, & insuper completivè acceptationem divinam, sine qua actus quidem esset bonus, & etiam talis dignitatis, ut congruum sit, quod Deus illum acceptet, & illi promittat præmium, sicut attritio, seu dispositio ad justificationem dicitur secundum quid illam mereri, non tamen de condigno esset meritorius vitæ sine acceptatione & promissione à Deo facta; actus autem suppositâ acceptatione & promissione à Deo facta habet integram rationem meriti condigni. Et sic præmium vitæ æternæ dicitur ultra condignum dari merito, si meritum spectetur præcisè secundum substantiam actus, seclusa acceptatione & promissione Dei; at verò meritum est condignum vitæ æternæ, si actus includat acceptationem & promissionem Dei. X.

Hanc doctrinam re ipsâ agnoscere debent recentiores aliqui, licèt velint videri se aliam à Scoto sententiam tenere, qui docent: *quod si opera meritoria considerentur ex natura sua; remota promissione & dignitate principii operantis, nullam habeant proportionem ad beatitudinem illam supernaturalem, ac proinde non eis debeatur ex justitia merces æterna vita, si ex natura sua tantummodo consideretur.* Ita Bellarminus lib. 4. de Justif. cap. 14. §. Ratio prima: ubi licèt dignitatem principii operantis adiungat, quæ est, quod sit in gratia, hoc quidem requiritur, non tamen sufficit sine acceptatione, & promissione; prout patet ex argumentis, quæ allegat ex S. Scriptura, & SS. Patribus.

Primò ex illis verbis Apostoli Rom. 8. v. 18. *Existimo, quod non sunt condignæ passiones ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*, & 2. Cor. 4. v. 17. *Id enim, quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis*, &c. ubi Bellarminus subsumit, quod ista loca non doceant opera non esse meritoria vitæ æternæ, sed non esse meritoria tanti præmii ex natura sua, sed aliunde, nimirum ex promissione, ex dignitate principii.

Digitized by Google

quod sicut omne aliud à Deo ideo est bonum, quia à Deo est volitum, & non è converso, sic meritum illud tantum bonum erat, pro quanto acceptabatur, & ideo meritum, quia acceptatum, & non è converso, quia meritum est, & bonum, ideo est acceptatum, & tantum poterit acceptari passive, quantum tota Trinitas potuit, & debuit acceptare active, sed ex ratione sua formali, quam (actus Christi) *habuit, non potuit acceptari in infinitum, & pro infinitis, sed finitis, tamen ex circumstantia suppositi, & de congruo ratione suppositi, habuit quandam rationem extrinsecam, quare Deus potuit acceptare illud in infinitum, scilicet extensive, pro infinitis, si autem illud meritum fuisset alterius personæ, tunc nec ratione operis, nec ratione operantis fuisset congruitas acceptationis illius pro infinitis, pro quantis autem, & pro quot Deus voluit passionem illam, sive bonum velle* (Christi humanitatis) *acceptare, pro tot sufficit, sed quantum est de formali ratione rei acceptabilis in se, non fuit acceptabilis pro infinitis, sicut nec in se fuit formaliter infinita*, &c. hæc Scotus. Ex quibus patet, quod, licèt ipsum Christi meritum fuerit valde bonum in entitate sua, & ideo ex se erat congruum, ut acceptaretur, quia tamen erat finitum, completivam condignitatem meriti habet ab acceptatione Dei, sic misericorditer volentis, & acceptantis.

IV. Certum autem est, quod ipsum Christi meritum, prout omnes etiam Acatholici fateri debent, sit meritum ex justitia, & condignum, ut propter illud Deus hominibus conferat gratiam, & gloriam, sic etiam opera justorum ex gratia per Christum collata, & cum auxilio speciali per ipsum Christum concurrente facta, sunt in se bona, & sancta, & congrua, ut à Deo acceptentur per Christum ad gloriam, & sic acceptata ex Justitia sint condigna gloriæ. Unde patet, quod opera bona sic à Deo acceptata sint digna regni, licèt Deus non obligaretur regnum dare, nisi insuper promisisset, ac proinde absoluta obligatio reddendi regnum cælorum bonis operibus tanquam mercedem, & bravium, ex illa promissione procedit, quia Deus se debitorem constituit, quod in seq. art. probabitur.

ARTICULUS V.

Quòd præcipua ratio obligationis ad reddendam vitam æternam pro merito procedat ex acceptatione, & promissione Dei.

I. HOc tam ex S. Scriptura, quam ex SS. Patribus constat, & quidem quoad S. Scripturam patet ex illo 2. Tim. 2. v. 13. ubi dicitur: *Si sustinebimus, & conregnabimus, si negaverimus, & ille negabit nos, si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest*, & ad Tit. 1. v. 2. *In spem vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur Deus.* Hebr. 6. v. 10. *Non est injustus Deus, ut obliviscatur operis justi, & dilectionis, quam ostendistis*, & v. 17. *In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus*, &c. & ibid. cap. 10. v. 23. *Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem, fidelis enim est, qui repromisit.* Similiter Jacobi 1. v. 12. *Accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se*, &c. ex quibus patet, quod opera bona justorum Deo grata sint, & ipse ex misericordia, & per merita Christi promiserit illis coronam fideliter reddendam.

Hoc ipsum etiam patet ex omnibus illis S. Scripturæ locis, ubi vita æterna comparatur bravio bene currentibus promisso 1. Cor. 9. v. 14. similiter Matt. 20 dicitur denarius, *ex quo Dominus cum laborantibus convenit*, & alibi; unde patet, quod Deus se obligavit promittendo bene sperantibus vitam æternam.

Idem supponunt SS. Patres, sufficiant aliqui. II.

Ambrosius tom. 2. ed. Rom. 1580. serm. 7. in ps. 118. circa illa verba, *memor esto verbi tui*, ubi sic ait: *Vult Deus conveniri, ut si quis proposita secutus virtutibus præmia, bene certaverit, fructum remunerationis expectet, quin etiam exigat*, &c. integra verba suprà relata sunt.

Augustinus tom. 8. ed. Basil. 1529. in ps. 83. circa illa verba, *misericordiam, & veritatem diligit Dominus*, ita inquit: *Ecce videmus, quia tenet eum Paulus debitorem.* Similiter iterum: *Debitorem Dominus ipse se fecit non accipiendo, sed promittendo. Non ei dicitur, redde, quod accepisti, sed redde, quod promisisti.*

Similiter tom. 10. ed. eâdem serm. 16. de verbis Apostoli: *Debitor, ait, nobis factus est Deus, non aliquid accipiendo, sed quod ei placuit, promittendo: aliter enim dicimus homini, debes mihi, quia dedi tibi: & aliter dicimus, debes mihi, quia promisisti mihi*, &c. *Deo igitur quid dicimus? redde mihi, quia dedi tibi? quid dedimus Deo, quando totum quod sumus, & quod habemus boni, ab illo habemus? nihil ergo ei dedimus, non est quemadmodum ista voce exigamus debitorem Deum*, &c. *illo ergo modo possumus exigere Dominum nostrum, ut dicamus, redde, quod promisisti, quia fecimus, quod jussisti. Et hoc tu fecisti, qui laborantes juvisti*, &c. hæc ibi. Hâc Dei promissione supposita dicit August. tom. 7. ed. eâd. lib. de Nat. & Grat. cap. 2. *Non est injustus Deus, qui justos fraudet mercede justitiæ.* Et lib. 4. in Julianum cap. 3. *Per quod vera Justitia, per hoc & regnum Dei, Deus namque ipse, quod absit, erit injustus, si ad ejus regnum, verus non admittatur justus*, &c. hæc August. sic etiam loquitur *Fulgentius* in prologo lib. ad Monimum dicens: *Nam & se ipsum sua largitate dignatus est facere debitorem.* III.

Demum S. Bernardus lib. de Grat. & lib. Arb. circa finem ed. Paris. 1551. sic ait: *Promissum quidem ex misericordia, sed tamen ex Justitia persolvendum*, &c. Hinc Scotus sup. & alii plerique Theologi dicunt, quod Deus ex Justitia stricta sibi soli debeat, & cùm Deus creaturæ aliquid debet, ideo fit, quia sibi ipsi debet, quia actus tales ad talem coronam acceptavit, & talibus coronam promisit, ut sit fidelis & verax in promissis. IV.

Posset autem hic objici, quod culpæ mortali stricto jure debeatur pœna infinita, licèt in momento peccatum committatur, ergo multo potiùs dicendum esset, quod sine omni acceptatione & promissione Dei actui bono ex gratia elicito stricto jure debeatur vita æterna, cùm Doctores communiter dicant, quod Deus præmiet citra condignum. Respondet Scotus 3. dist. 19. quæst. 1. num. 14. dicens: *Ad tertium cùm dicitur, quod pœna debita mortali sit infinita, verum est, si voluntas finaliter maneat in peccato, illa pœna est infini-* V.

infinita extensive, & hoc, quia subiectum manet semper sub culpa, & hoc ex ordinatione divina, quod ubi ceciderit lignum, ibi erit Eccli. 11. *Non quia Deus possit punire aliter peccatum illud, unde si Deus puniret animam per diem tantum pro culpa mortali, & post annihilaret animam, non faceret injustitiam: hinc ad formam. pœna est infinita extensive ex ordinatione divina, non tamen, quin aliter posset punire, si vellet.* &c. hæc Scotus, sic etiam ex acceptatione Dei operi bono debetur vita æterna, quod enim Deus vult, illud justum est, & non aliter, ut suprà ostentum est.

Respondetur secundò negando consequentiam, nam, licèt peccato mortali debeatur pœna æterna extensivè justa sine ullo novo pacto, id ideo est, quia homo ex jure naturæ obligatur Deo, ut summo bono, Creatori, & Domino obedire in omnibus, ac proinde, quia ex propria sola malitia peccat, meretur punitionem eo graviorem, quo major est Deus offensus, & læsus, & ad Deo offenso satisfaciendum magis obligatur. Sed quoad actum bonum dispar est ratio, quia illum non habet ex se, sed ex Dei gratia, & obligatur jure naturæ ad omne servitium possibile, & ideo sine speciali Dei acceptatione & promissione homini propter ullum actum aliquod præmium vel merces non debetur.

VI. Pro sententia, quæ docet, quod opera sint digna vita æterna secluso pacto, licèt non obligetur Deus illam dare sine pacto, vel promissione, sic arguitur: solum opus bonum ex gratia factum, seu actus charitatis in via ex charitate factus, habet quandam similitudinem & proportionem cum actu charitatis, & fruitionis in patria, sicut gratia seu charitas habitualis in via cum gratia vel charitate in patria, ergo habet dignitatem aliquam secluso pacto respectu illius, sicut labor diurnus habet aliquam dignitatem respectu denarii, licèt non debeatur sine pacto, hoc confirmatur ex illo Joann. 1. v. 16. *De plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia.* Circa quem locum D. August. lib. de Grat. & lib. Arb. cap. 8. sic ait: *Creamur in operibus bonis, quæ non præparavimus nos, sed præparavit Deus, ut in illis ambulemus, itaq; charissimi vita nostra bona nihil aliud est, quàm Dei gratia, sine dubio & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est, & ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa* (vita bona) *tantummodo gratia est* (quia nullis præcedentibus meritis datur) *hæc autem* (vita æterna) *quæ illi* (vitæ bonæ) *datur, quoniam præmium eius est, gratia est pro gratia, tanquam merces pro justitia, ut verum sit, quoniam verum est, quia reddet Dominus Deus secundum opera eius,* &c. hæc probat cap. sequenti, scilicet 9. ex verbis Joann. 1. suprà relatis dicens: *Ex eius* (Christi) *itaq; plenitudine accepimus pro modulo nostro tanquam particulas nostras, ut bene vivamus,* &c. & paulo pòst: *Et ipsa est gratia, & insuper accipiemus, & gratiam pro gratia, quando nobis vita æterna reddetur,* &c. hæc Aug.

Respondetur concedendo, quod actus charitatis ex gratia habituali in via causatus habeat aliquam proportionem, & similitudinem, sed exilem cum actu charitatis in patria, & uterque etiam sit supernaturalis ex speciali gratia elicitus, sed negatur, quod ideo seclusa acceptatione gratuita & promissione Dei sit in se dignus ultimatè, tanquam meritum condignum respectu vitæ beatæ, seu actus charitatis perfecti, & æterni in patria: sed habet solùm dignitatem inchoatam, ob quam congruum sit, ut, licèt longe in se imperfectus sit, & momentaneus, tamen ex liberalitate Dei propter merita Christi acceptetur, & sic valorem accipiat plenum, & dignus sit tanto præmio; sicut cursus equestris in stadio in se non est dignus tanto bravio, fit tamen dignus ex acceptatione & promissione Principis, & nihil aliud ex locis scripturæ vel S. Augustini habetur.

Ex hactenus ostensis & probatis constat, quod simul illa duo consistant, scilicet primum, quod homo omni modo obligatus sit servire Deo, prout multis modis suprà art. præced. ostensum est, & ideo, per se loquendo, nullam à Deo ob quæcunque opera ex justitia mercedem requirere possit, cum illa præstando adhuc non satisfaceret suæ obligationi, & omnia, quæ facit, Dei sunt, etiam ipsa opera perfecta gratiæ & charitatis, quæ specialiter ex sola Dei gratia habentur, idque incomparabiliter magis in homine valeat respectu Dei, quàm in servo respectu Domini, vel in filio ad Patrem. VII.

Secundum est, quod cum hoc consistat, quod sicut Dominus potest ex liberalitate sua servo donare opera sua, & pro iisdem mercedem promittere, sicut extraneo, & tunc servus justè mercedem requirere potest, ita Deus ex summa misericordia & liberalitate potuit, & voluit opera, quæ ipsi omni modo debita sunt, & ipsa ut dona hominibus dare, & illa ut digna vitâ æternâ acceptare, ac pro illis mercedem promittere; sic imprimis Deo placuit ipsi naturæ humanæ Christi in Verbo suppositæ dare summam gratiam, & gloriam, ac conferre concursum ad opera perfectissima, quæ Deo debita erant, tamen acceptavit illa, ut essent meritoria de condigno pro redemptione totius humani generis, ita ut sine illis nemini gratiam vel gloriam dare velit, quam tamen ex absoluta potentia sine meritis Christi dare potuisset, sicut ipsi humanitati Christi in primo instanti sine ullis meritis gratiam, & gloriam contulit, ut supponit, & probat Scotus 3. dist. 18. q. 1. n. 13. & dist. 20. q. 1. n. 9. & 4. dist. 15. q. 1. n. 6. Ex hoc autem, quod humanitas Christi de condigno pro omnibus, per opera sua sic acceptata, satisfecit, & meruit, non præjudicatur Dei misericordiæ, sed illa exaltatur, quod voluerit ex liberalitate opera Christi humanitatis, ut meritoria acceptare, ut essent de condigno meritoria ad sufficientiam pro infinitis hominibus extensivè, licèt in sua entitate creata finita, & Deo debita essent.

Quod sine meritis ullis humana Christi natura gratiam accepit, similiter supponit D. August. in Enchirid. cap. 36. dicens: *Hic omnino granditer & evidenter Dei gratia commendatur, quid enim natura humana in Christo homine meruit, ut in unitatem personæ unici filii Dei singulariter esset assumpta? quæ bona voluntas cujus boni propositi studium, quæ bona opera præcessere, quibus mereretur iste homo, ut una fieret persona cum Deo?* & infrà: *Unde natura humana tanta gloria nullis præcedentibus meritis, sine dubitatione gratuita,* &c. *ut intelligant homines, per eandem gratiam se justificari à peccatis, per quam factum est, ut homo Christus nullum habere possit peccatum,* &c. hæc Aug. VIII.

Simili itaque modo Deus ex gratia & miseri- IX

cordia

cordia sua voluit propter merita Christi hominibus dare gratiam, quâ fierent formaliter filii Dei adoptivi, & hæredes regni cælestis, ut hoc titulo, si usque in finem in gratia perseverarent, regnum cæleste, seu vitam æternam obtinerent, prout infantes baptizati de facto illam obtinent: sed ut adulti maiorem gloriam, vel vitam cælestem obtinerent, voluit ex sua misericordia etiam propter merita Christi illis præter gratiam adoptionis filiorum dare talia opera, ad quæ quidem ipsi facienda obligarentur erga Deum, tanquam Deum, & Dominum suum, sed quia ex se illa facere non poterant, etiam auxilium supernaturale præstare, ut illa cum gratia habituali supernaturali efficerent; & licèt tot modis Dei dona essent, & ex sua entitate non essent comparabilia cum gloria æterna, prout art. præced. referendo verba Bellarmini ostensum est, talia tamen essent ex eo, quod à voluntate, concurrente gratiâ habituali gratum faciente, & filium adoptivum constituente, liberè fiant, ut congruum esset, quod Deus illa ex sua liberalitate, & misericordia propter merita Christi tanquam meritoria vitæ æternæ acceptaret, & illis præmium tantum, seu maiorem gloriam promitteret, & per hoc opera illa justum valorem respectu tanti præmii haberent. Vnde patet, quod licèt bona opera meritoria justorum sint per se Deo multifariè debita, & etiam specialiter Dei dona, ut si Deus nihil illis rependere vellet, tamen fieri deberent: quia tamen ipse ex sua bonitate voluit illa propter merita Christi acceptare, ut essent digna tantæ gloriæ, & illis tantam gloriam ut mercedem promitteret, ideo verè meritoria sunt, quia Deo sic placuit, ac proinde licèt homo cum gratia à Deo infusa, & speciali auxilio Dei adiutus opus illud meritorium facit, & sic opus totum hominis est, & totum est etiam Dei, quia ad totam entitatem Deus & homo concurrit, ratio tamen meriti non est ex homine, sed ex gratia Dei, qui & gratiam infusam dedit, & auxilia contulit, ac insuper dignitatem completam respectu vitæ æternæ ex liberali acceptatione, & promissione propter merita Christi confert, sicque homo multo magis Deo Patri & Christo Redemptori est obligatus; & totam integramque salutem & gloriam, quam consequitur, Deo ut misericordi Patri, & Christo Redemptori acceptam referre debet, quam si sine ullis meritis gloriam à Deo propter merita Christi acciperet, quia non tantum per Dei gratiam propter meritum Christi accipit vitam æternam, sed à Deo propter Christi meritum etiam accipit gratiam habitualem & actualem ac insuper gratiam acceptationis & promissionis, ut illam maiorem gloriam verè mereatur, & sic verissimè gratiam pro gratia accipit, & Deus liberalissimè & fidelissimè sua dona remunerat, quia illa sic acceptavit, & illis promisit.

X. Ex his patet primò, quod merita hominum justorum non derogent, nec præiudicent Dei infinitæ dignitati, vel misericordiæ, sed illam potiùs exaltent, sicut nec merita Christi derogant Dei dignitati & misericordiæ, ut patet, quia Deus ex sua liberalitate voluit opera Christi ad tantam dignitatem meriti acceptare: & similiter opera justorum acceptavit, quæ nec derogat meritis Christi; quia Deus propter illius merita sic aliorum merita acceptavit, & præmium promisit.

Patet 2. quod ex eo, quod dicimus opera Justorum ex gratia habituali facta, non esse ex sua entitate digna tantâ gloriâ, nisi à Deo acceptentur, & illis promissio fiat, non detrahatur gloriæ Christi, ut aliqui Doctores objiciunt, quia hæc acceptatio fit propter merita Christi, & proinde gloria Christi per hoc exaltatur, quia sic Christus homo meritoriè jugiter influit in merita Justorum tanquam membrorum suorum, ut meritoria sint, prout Conc. Trid. sess. 6. c. 16. loquitur.

ARTICULUS VI.

Quòd fideles fiduciam suam totam tutiùs in sola Dei misericordia, & meritis Christi collocare debeant, cum quo consistit quod etiam aliquam fiduciam de meritis propriis habeant.

Hæc doctrina ex prædictis, & aliis, quæ lib. de Justificatione, agendo de incertitudine, quam homo habet de sua Justificatione, facilè constat. I

Primò autem supponendum, quod fiducia, quæ est spes firma, & certa, quam homo fidelis habere debet de vita æterna, dupliciter considerari possit, semel quoad hominem, qui adhuc est in peccatis, 2. quoad hominem, qui jam baptizatus, & justificatus est, uterque enim sperare debet se salvandum, alioquin desperaret, quod est peccatum gravissimum, sed is, qui nondum baptizatus est, sperare debet, quod per misericordiam Dei & merita Christi justificari & salvari possit, si baptizetur, & ea agat, quæ Deus requirit, ut lib. de Justificatione ostensum est, ille etiam, qui baptizatus est, & justificatus, sic salutem per Dei misericordiam, & propter merita Christi sperare debet, ut etiam agat illa, quæ Deus requirit, scilicet, ut servet mandata Dei, juxta illud Matt. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, de quibus suprà ostensum est, & ideo etiam opus habet, ut se in bonis operibus exerceat, prout nimis clarè ex S. Scriptura patet, alioquin aliquis sperare posset se vitam æternam obtenturum, qualiacunque peccata committat, quod nimis absurdum est, neç ipsi Acatholici dicere audent, licèt ex ipsorum sententia sequatur, cùm dicunt omnia opera bona Justorum esse peccata mortalia.

His ergo suppositis, primò certum est, quod omnis radix & omne fundamentum spei seu Fiduciæ quoad vitam æternam sit in sola Dei misericordia, quia ab ipsa dependet omnis salus juxta illud, *qui secundum suam misericordiam salvos nos fecit*. Tit. 3. v. 4. ipse autem Deus constituit non aliter homines salvare, quàm propter merita Christi, juxta illud Act. 4. v. 12. *Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*, &c.

Secundò: Hactenus ostensum est, quod opera bona non solùm sint ad salutem necessaria in adultis, sed etiam meritoria salutis æternæ, ita tamen, ut ipsa opera meritoria sint dona ex misericordia Dei, & propter merita Christi data homini, & his meritis debeatur merces ex misericordia, II.

cordia, acceptatione, & promissione Dei propter merita Christi, adeoque totum meritum resolvitur in ipsam misericordiam Dei.

3. Ostensum est lib. de Justif. quod homo non sit certus certitudine fidei de suo statu gratiæ, vel de suis bonis operibus, quod verè ex gratia facta sint; & quod homo non habeat occulta peccata, ob quæ non sit in gratia, licèt sibi nihil mali conscius sit, juxta illud 1. Cor. 4. v. 3. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*, &c. prout SS. Patres intelligunt: quod homo etiam justificatus, licèt nullius criminis sibi conscius sit, tamen certâ fide divina nesciat, an justificatus sit, vel aliqua occulta non lateant; licèt si fecerit, quod in se est, & conscientia non mordeat, confidere possit se esse in gratia, prout copiosè lib. de Justif. cap. 5. art. 3. & 4. ex sacra Scriptura & sanctis Patribus ostensum est.

III. 4 Ex sacra scriptura & SS. Patribus probatum est, quod homo fidelis sicut de præsenti suo statu in gratia certus non est, multò minùs de futuro, an in illo perseveraturus sit, juxta illud Aug. l. 50. homiliar. hom. 35. ubi dicit: *Quamdiu autem vivimus hic, de nobis ipsis nos ipsi judicare non possumus: non dico, quid cras erimus, sed quid hodie simus; quanto minus debemus moveri judicio alieno, quam de conscientia nostra, quæ nobis fert testimonium, nam gloria nostra debet esse conscientia nostra*, &c. hæc ibi, de qua tamen gloria in ps. 149. allegans illud Proverb. 20. *Quis gloriabitur mundum se esse à peccato*, sic ait: *Est ergo modus quidam in conscientia gloriandi, ut noveris fidem tuam esse sinceram, noveris spem tuam certam, noveris charitatem tuam esse sine simulatione, sed quoniam multa sunt adhuc forte, quæ possunt offendere oculos Dei, lauda eum, qui ista tibi donavit*, hæc ibi.

IV. Juxta hæc itaque credit, & docet Ecclesia Catholica, quod primaria, imo tota fiducia respectu salutis sit figenda in sola Dei misericordia propter merita Christi, & sic exprimit in publicis orationibus, ut Dominicâ 5. post Epiphaniam: *Familiam tuam, quæsumus, Domine, continua pietate custodi, ut quæ in sola spe gratiæ cælestis innititur, tua semper protectione muniatur.* Similiter in oratione Dominicæ in sexagesima: *Deus qui conspicis, quia ex nulla nostra actione confidimus*, &c. Hoc modo Daniel cap. 9. v. 18. orabat dicens: *Neq; enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis*, &c. sic etiam monent SS. Patres, ut homo qualitercunque bene vivat, primariam fiduciam in Dei misericordia ponat, à qua omnis salus pendet, de se nihil præsumens ob causas prædictas.

Cùm hoc tamen consistit, quod homo fidelis de bona conscientia gaudeat, non in se, sed in Domino, juxta illud: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* 1. Cor. 1. v. 31. scilicet, quia Deo gratias agit, qui ipsi gratiam dedit, ut faciat opera bona, & conscientiam liberet à peccatis per misericordiam suam: ex quo enim in corde experitur, quod in Deum credat, speret, & de peccatis doleat, Deum amare cupiat, ac bona opera præstare contendat, quæ agnoscit se non ex se, sed ex gratia Dei habere, majore spe in Deum erigitur, ut maiora à Deo exspectet, utique per gratiam ipsius.

Hoc modo D. August. in ps. 31. dicit: *Ille sperat, qui bonam conscientiam gerit, quem vero pungit mala conscientia, retrahit se à spe, & non sibi sperat, nisi damnationem: ut ergo speret regnum, habeat bonam conscientiam, credat, & operetur.* Similiter serm. 16. de Verbis Apostoli, ubi ait: *Quæ spes est, nisi de aliqua conscientiæ bonitate?* V.

Et hæc fundantur in S. Scriptura Rom. 5. v. 3. *Tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio vero spem*, & 1. Tim. 3. v. 13. *Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent, & multam Fiduciam ex Fide*, &c. ad Hebr. 10. v. 34. *Vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam: nolite itaq; amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.* Similiter 1. Joann. 3. v. 21. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, Fiduciam habemus ad Deum*, &c.

Ex quibus evidens est, quod fiducia salutis includat, & supponat bonam conscientiam, & bona opera, vel præterita, vel saltèm præsentia, quod scilicet homo pro præsente suo statu confidat se esse in statu gratiæ, ut bene operetur, in Deum sperando, Deum amando, & de peccatis dolendo; quia hoc Deus necessariò requirit in homine, ut misericordiam illi præstet, & bonis operibus salutem promisit, unde fiducia in Deum augetur.

Veruntamen, quia homo facilè inani gloriæ exponitur, si opera sua bona multum respiciat, licèt verè bona essent, de quo certus non est, & sic per superbiam amittere posset gratiam, si vel existimet se ex se illa habere, vel alios despiciat cum Pharisæo, aut sibi plus tribuat, quàm habeat, & insuper homo etiam in gratia constitutus omni momento à Dei misericordia, & gratia dependet, quæ ipsum in gratia conservet, & à peccatis præservet, alioquin lapsurus esset, ideo S. Scriptura monet fideles: *Cum metu & tremore salutem vestram operamini.* Phil. 2. v. 12. ut soliciti sint, ne per superbiam, vel aliam causam à gratia excidant, ideo Apostolus dicit, sibi datum Angelum Sathanæ, qui ipsum colaphizet, ne magnitudo revelationum ipsum extolleret 1. Cor. 12. v. 7.

Hinc SS. Patres, licèt juxta S. scripturam Deus bonis operibus salutem promisisset, tamen hortabantur fideles, ne ad sua bona opera attenderent, sed ea diligenter agendo Deo committerent, ipsi verò in misericordia Dei starent, sese humiliando, agnoscentes omnia se ab ipso habere, sic inter alios S. Chrysost. hom. 3. in illud 2. Paralip. c. 26. v. 16. *Elevatum est cor eius* (scilicet Oziæ) ait: *Nihil perinde gignit superbiam, ut bona conscientia, nisi aduigilemus, unde & Christus sciens, quod post benefacta nos hic morbus adoritur, dicebat discipulis, cùm omnia feceritis, dicite, servi inutiles sumus.* Similiter hom. 3. in Matt. *Noli*, inquit, *mercedem reposcere, ut accipias mercedem, tu salvari te per gratiam confitere, ut se illa tibi debitorem fateatur, nec modo pro operibus tuis, sed etiam pro hac æquanimitate. Quando enim aliqua præclare fecerimus, habemus eum debitorem ob res bene gestas, quando vero nihil arbitramur nos operatos egregium, amplius etiam ob talem meremur affectum, quam propter opera ipsa, quæ fecimus: minimum itaq; de se sensisse, tam magnum est, quam maximas res fecisse*, hæc Chrysost. VI.

Simi-

Similiter loquuntur alii SS. Patres; & ita etiam sancti viri practicarunt, qui licèt piè viverent, ac multa opera bona præstarent, ac etiam scirent Deum operibus mercedem promisisse, tamen se indignos peccatores reputabant propter venialia peccata, & suam negligentiam, ut sic in humilitate manentes, non extollerentur, sed soli Deo darent gloriam, ex cuius gratia, & misericordia omne opus bonum venit, & homo in bono confirmatur, sicque in Domino solo confidebant, ita tamen, ut solatium ex bonis operibus, quæ per Dei gratiam fecerant, haberent, & fiduciam ex illis. Sic de S. Francisco scribit S. Bonaventura in vita eiusdem cap. 6. n. 3. dicens: *Sæpe, cùm beatificaretur à pluribus, verbum huiusmodi proferebat: filios & filias adhuc habere possum, nolite laudare nondum securum, nemo laudandus, cuius incertus est exitus. Ita quidem laudantibus; Ad se autem sic: Latroni si tanta contulisset altissimus, gratior te foret Francisce, dicebat fratribus sæpe, de omni eo, quod peccator potest, nemo debet sibi iniquo applausu blandiri, peccator, ait, jejunare potest, orare, plangere, carnemq; propriam macerare, hoc solum non potest, Domino scilicet suo esse fidelis, in hoc itaq; gloriandum, si suam Domino gloriam reddimus, si fideliter servientes ipsi, quidquid donat, fideliter adscribimus*, &c. hæc S. Bonaventura de verbis S. Francisci. Hoc sensu S. Bernardus serm. 9. in ps. *Qui habitat*, dicebat: *Prætendat alter meritum, sustinere se inftet pondus diei & æstus, mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* Quod autem Bernardus non reprobet merita, patet ex variis locis, præsertim in cant. serm. 68. ubi utrumque exprimit, dicens: *Perniciosa paupertas penuria meritorum, præsumptio autem spiritus, fallaces divitiæ; Et ideo divitias, & paupertatem ne dederis mihi Domine, ait Sapiens: Fœlix Ecclesia, cui nec merita sine præsumptione, nec præsumptio absq; meritis deest. Habet merita, sed ad promerendum, non ad præsumendum*, hæc ille. Et

VIII. quidem quoad hanc fiduciam Cardinalis Hosius conf. cap. 73. morem Ecclesiæ observat dicens: *Tutius fuerit, ut cum S. Job vereamur omnia opera nostra, cùm non sine causa videamus in Ecclesia Catholica semper observatum, ut qui morti jam sunt proximi, diligenter admoneantur etiam simulacro Christi crucifixi ante oculos posito, quo propria justitia diffisi, in una Christi justitia spem suam & fiduciam omnem habeant collocatam, illam Patri cælesti repræsentent, illi uni innitantur, sic enim futurum est, ut manem gloriam fugiamus, dum præcipuum auctorem & consummatorem nostræ justitiæ Christum profiteamur, & ipsius merita denuo nobis applicari promereamur, ad eas, quæ hic occurrerunt, tentationes superandas*, hæc ille, & hæc

IX. non minus sanctè, quàm piè in Ecclesia usurpantur, quia sicut Diabolus aliquando hominem ad superbiam per merita propria incitat, sic sæpe & præsertim circa finem vitæ hominem ad desperationis barathrum protrudere conatur, dum homini antiqua peccata objicit, incertitudinem bonorum operum proponit, sic nihil sanctius & consultius est, quàm ut homo quoad opera bona, quæ præstitit dicat: qualiacunque fuerint opera mea bona Deus novit, si quid bonum factum, ex ipsius gratia habui, ipsi gloria, hoc ipsius bonitati relinquo, agnosco, & confiteor peccata mea, ac de illis ex corde doleo, & confido in misericordia Dei, qui per merita amarissimæ passionis Christi, mihi peccata dimittat, & salutem conferat in hoc tota mea spes & fiducia: sic Ecclesia monet fidelem quemque, ut confidat.

ARTICULUS VII.

Refertur summatim doctrina Ecclesiæ circa merita, & refutantur calumniæ Calvini.

HÆc est itaque Catholicæ Ecclesiæ doctrina, quod quilibet fidelis credere debeat, dari opera justorum, quæ ex gratia seu charitate per Christum infusa cum supernaturali Dei auxilio facta, nullo modo sint peccata, sed in se bona, & Deo grata, quæ licèt omni modo homo Deo, ut summo bono, & omnis creaturæ Domino, tanquam exilis servus sine omni retributione præstare teneretur, tamen Deus ex summa benignitate, & misericordia propter merita Christi promiserit illis, ut meritis, vitam æternam; ut mercedem, quæ est corona justitiæ; quam Apostolus profitebatur sibi à Deo, ut justo Judice, reddendam 2. Timoth. 4. v. 6. & ideo dicit ad Hebr. 6. v. 10. *Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri.* I.

Secundò, quod idcirco homo in se ipso non debeat, vel possit confidere, vel gloriari, sed, ut ait Conc. Trid. sess. 6. cap. 16. *absit, ut homo Christianus in se ipso vel confidat, vel glorietur, & non in Domino, cuius tanta est erga homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona.*

Tertiò, quod, licèt, ut hortatur Apostolus 1. Cor. 15. v. 58. fideles conari debeant, *ut abundent in opere Domini, scientes, quod labor non est inanis in Domino*; tamen seipsos judicare non debeant, licèt nullius sibi conscii sint; sed judicium Deo relinquere debeant, *qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, tunc laus erit unicuiq; secundum opera ejus*, ut Concilium ibid. ita tamen, ut piè confidere debeant. II.

4. Docet, & practicat Ecclesia, quod fideles totam suam fiduciam ponere debeant in misericordia Dei, & meritis Christi, & quidem, si in peccatis sint, confidant Deum sibi propter Christum propitium fore, si pœnitentiam egerint, ut ait Concil. Trid. sess. 6. c. 6. Si autem justificati sint, non *amittant confidentiam suam*, ut monet ex Apostolo ibid. cap. 16. *Quæ magnam habet remunerationem*, scilicet, ut confidant in Dei misericordia, & fidelitate, qui remunerationem promisit bonis operibus. Spes itaque certa & firma in Deo ponenda de æterna salute per misericordiam Dei, ejusque promissionem obtinenda includit, quod homo conetur bonis operibus insistere, seu diligere Deum, & proximum opere & veritate: si enim malè agere non desinat, quomodo à Deo Judice mercedem bonam expectabit, sicque aliqualiter spes ex operibus fovetur, sed quia homo certus non est, quod habeat vera merita, aut in gratia perseveraturus sit, & insuper merita omnia Dei dona sunt, tutissimè

Digitized by Google

homo omnem fiduciam in Dei misericordia, & Christi meritis, quæ certa sunt, constituit, non ponderans sua merita, sed illa, si quæ habet, Deo accepta refert, & commendat; & de sua fragilitate timens, suamque vilitatem & inutilitatem agnoscens, semper à Deo per merita Christi gratiam, & gloriam sperat, & petet.

III. Ex his clarè refutantur calumniæ & mendacia Acatholicorum cum suo Calvino, præsertim lib. 3. Inst. cap. 15. §. 3 ubi dicit: *Gratiam Dei esse non dubium est, quicquid in operibus est, quod laudem meretur, nullam esse guttam, quam proprie nobis adscribere debeamus, id si vere serioq; agnoscimus evanescit qualibet meriti non fiducia tantum, sed opinio. Bonorum, inquam, operum laudem non (ut Sophistæ faciunt) inter Deum & hominem partimur, sed totam, integram, ac illibatam Domino servamus, tantum hoc homini aßignamus, quod ea ipsa, quæ bona erant, sua impuritate polluit, & contaminat*, hæc ille.

Patet autem ex hactenus dictis: Primò, quod nullam Ecclesia absolutè in meritis ponat fiduciam, licèt verè agnoscat fide divinâ, quod opera sint meritoria. Secundò constat, quod Ecclesia Catholica non dividat laudem operibus bonis inter Deum & hominem; quod falsissimum est, quasi homo ex se aliquid habeat, sed totam laudem tribuit Deo, ex cuius gratia & benignitate tota bonitas & dignitas operum proficiscitur, & cuius dona sunt: qui tamen vult, ut etiam sint merita hominis, & homo per illa laudem & gloriam obtineat, quæ non derogat laudi & gloriæ Dei, sed illam exaltat, quia ab illa venit, Matt. 20. v. 15. *An non licet Deo facere, quod vult?* an oculus Calvini nequam est, quia Jesus bonus est? falsissimum etiam est, quod omnia opera bona, quæ bona erant, homo commaculet, ut suprà probatum est, quomodo autem opus bonum est, si homo illud commaculet. Et ipse Calvinus ibid. docet: *Dominus, quæ in nos contulit bona opera, & nostra appellat, & non tantum accepta sibi testatur, sed remunerationem etiam habitura, nostrum est vicißim tanta promißione animari, animosq; colligere, ne bene agendo defatigemur & tantam Dei benignitatem verâ gratitudine prosequi.* Et infrà: *Placent itaq; Deo bona opera, nec suis auctoribus sunt infructuosa, quia magis amplißimam Dei beneficentiam remunerationis loco referant*, &c. hæc ibi, & bene cum Catholica Ecclesia. Si autem bona sunt opera, quæ homo facit, & non debemus defatigari bene agendo, quomodo homo in iisdem operibus peccat? si Deo placent, quomodo in se mala & maculata? an ergo peccata Deo placent? an peccata remunerationem amplissimam à Deo referunt? an Deus hortatur, ut non defatigemur peccata committere? quia juxta Calvinum bene faciendo peccamus. Quod
IV. autem addit Calvinus, *non quia ita merentur, sed quia divina benignitate hoc illis ex se ipsa pretium statuit.* Hoc etiam Catholici docent, quod opera bona justorum non sint ex se digna tanti præmii, nisi à Deo ex sua bonitate acceptentur propter merita Christi, vel nisi Deus illis tale præmium promittat, supposita tamen Dei acceptatione, & promissione verè merentur. Nec quidquam obstat cavillatio Calvini, quam ibid. subjungit dicens: *Quæ autem illa malignitas, non contentos illa Dei benignitate, quæ nihil tale merentia opera in debitis præmiis munerat, sacrilega ambitione ultra contendere, ut operum meritis videatur rependi, quod divinæ totum est munificentiæ.* Ubi subiungit: Exemplum de illo, qui *usum fructum in alieno agro ex liberalitate habet, quod proprietatis titulum sibi vendicet*, &c. sed frustra hæc.

Constat enim, quod Ecclesia non ambiti- V.
osè, multo minus sacrilegè, contendat; quasi operibus bonis seclusâ Dei acceptatione, & promissione, ac misericordia tanta præmia debeantur: si tamen includatur Dei bonitas, & promissio, sic constat operibus talibus Deum obligari, & opera ipsa mereri, & sic Deus est debitor ex sua bonitate, & promissione. Nec Ecclesia docet, quod homo sibi aliquid vendicet, tanquam proprium in opere bono, quasi ex se haberet, sed totum ex gratia Dei, qui vult, ut dona sua sint merita hominis, nec homo sic se ingenuum esse dicere debeat, quasi ex se ingenuus sit, sed servus, quia tamen Deus illi voluit dare potestatem non tantum ut sit ingenuus, sed etiam filius Dei, *an non licet ei facere, quod vult?* videant ergo Acatholici, qualia sint mendacia, & calumniæ, quas contra Ecclesiam cum Calvino ingerunt: videant etiam, quod Calvinus tam claris S. Scripturæ testimoniis convictus fateri debuerit, quod *Dominus bona opera, quæ in nos contulit, & nostra appellat, & non tantum accepta sibi testetur, sed etiam remunerationem habitura.* Hoc est, quod docet Ecclesia, quod opera bona sint dona Dei, quia sola ipsius virtute ex speciali gratia in nobis sunt, & tamen, quia Deus etiam vult, ut nos ad illa concurramus, & illa operemur, etiam nostra sunt: sed quod meritoria sint, id solum est ex ipsius benignitate, acceptatione, & promissione, propter Christum, qui specialiter & meritoriè concurrit ad opera bona justorum, sicut caput ad opera membrorum, & hoc est, quod Concil. Trid. sess. 6. cap. 16. profitetur dicens: *Cùm enim ille ipse Christus Jesus, tanquam vitis in palmites in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possent, nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quo minus plene illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, &c. vitam æternam vere promisisse censeantur*, hæc Concil.

Demum, ut illorum calumniatorum os ob- VI.
struatur, quæritur ab Acatholicis, an non agnoscant verum & propriè dictum meritum in Christo Salvatore secundum naturam humanam? qui utique fateri debent, quod ex condigno nobis gratiam & gloriam meritus sit, non enim secundum divinam naturam ipsum meruisse dicere possunt, nisi Ariani esse velint: sed nunquid Christus secundum humanam naturam vera fuit creatura, & servus Dei? nunquid omnia opera ipsius obligata erant Deo, tanquam Domino, & Regi suo infinito? nunquid omnia erant dona Dei? si ergo valeat argumentum Calvini loco citato, ubi de operibus justorum dicit: *Quum præcipit nobis Christus, ut nos inutiles servos reputemus, quum fecerimus omnia quæ præcipiuntur nobis, quia nihil gratuitum impenderimus Domino, sed debitis obsequiis tantum defuncti sumus, quibus non est habenda gratia*; si hoc argumentum valeret, quæ gratia habenda erat ex operibus humanitatis

Christi,

Digitized by Google

Christi? quæ tot modis ad omnia obsequia S. Trinitati præstanda obligabatur: ac proinde nihil gratuitum impendere poterat, sed omnia debita erant; an ergo Christus secundùm humanam naturam nihil meruit? cùm nobis ipse sit justitia nostra: & Acatholici dicunt, quòd non per justitiam Christi divinam, ut Calvinus bene contra Osiandrum defendit, sed per solam ipsius humanitatis justitiam & opera Deus nobis promiserit, & reddat vitam æternam: unde ergo hæc justitia in Christi humanitate? unde meritum tam excellens, ut etiam de rigore justitiæ satisfecerit pro omnibus peccatoribus, & de condigno omnibus etiam infinitis extensivè vitam æternam meruerit? ita ut hâc justitiâ Christi vestiti Justi coram Dei Judicio compareant? nunquid hoc ideo, quia sic sanctissimæ Trinitati placuit, ut opera talis naturæ, quæ personæ divinæ conjuncta est, licèt aliàs tanquam creaturæ Deo debita, & à Deo humanitati data ex gratia; placuit, inquam, ut talia opera à tali persona in tali natura præstita acceptarentur, & verè essent digna merita pro toto humano genere, quod ipsum Calvinus lib. 3. Inst. cap. 11. §. 12. Osiandro respondens profitetur dicens: *Stultè etiam ab eo objicitur, justificandi virtutem tam Angelis, quàm hominibus superiorem esse: quando hoc non ex dignitate creaturæ cujusquam, sed ex Dei ordinatione pendet. Angeli non sunt ad hoc destinati, homini autem Christo hoc singulare fuit*, &c. si ergo hoc fateri debent, quòd ex sola gratia, & beneplacito Dei humanitas Christi sit copulata verbo, & acceperit summam gratiam, ut opera ejus essent tam digna simpliciter: cur non potuit Deus etiam aliis hominibus ex sua misericordia propter merita Christi dare gratiam, licèt longè minorem? & acceptare illorum opera bona ex ipsius gratia facta, licèt non adeo perfecta, ut essent digna vitæ æternæ, licèt alioquin essent debita, & Dei dona? quis sanæ mentis neget, quòd Deus hoc facere potuerit, sed quòd illa de facto voluerit, & decreverit manifestissimè ex S. Scriptura constat. Facessant itaque Acatholici cum suis calumniis istis, nisi Christo Redemptori injuriam irrogare velint. Ut autem veritas doctrinæ Catholicæ, & falsitas Acatholicorum, quasi in speculo pateat, sequentes Antitheses subjungo:

ANTITHESES,

In quibus doctrina Ecclesiæ Catholicæ Romanæ modernæ circa merita bonorum operum cum doctrina SS. Patrum primitivæ Ecclesiæ conformitas, & Acatholicorum difformitas exhibetur.

PRimò, *SS. Patres juxta sacram Scripturam ab initio Ecclesiæ docuerunt*, quòd fideles per gratiam Christi justificati faciant opera bona, quæ merita sunt, & nominantur. *Ita etiam Ecclesia Catholica moderna docet.*

Acatholici aliqui contra Solem mentientes, negant nomen MERITI à SS. Patribus usurpatum: alii cum Calvino fatentur quòd vetustæ Ecclesiæ Scriptores passim hoc nomine usi sint, illud tamen detestantur.

2. *SS. Patres juxta sacram Scripturam docuerunt*, opera quædam Justorum coram Deo verè esse merita, & illis mercedem ad justam Dei lancem esse exigendam: & in justo Dei Judicio unicuique reddendam juxta opera sua. *Ita etiam docet Ecclesia.*

Acatholici cum Calvino dicunt: Quicunque primus nomen MERITI operibus humanis ad Dei Judicium computatis aptavit, eum Fidei sinceritati pessimè consuluisse.

3. *SS. Patres juxta sacram Scripturam docuerunt*, quòd fideles adulti, habentes Spiritûs Sancti gratiam, diligendo mereantur, ut plus illam accipiant, & quòd gratiâ mereatur augeri, ut aucta mereatur perfici. *Ita etiam Ecclesia moderna.*

Acatholici tale meritum negant.

4. *SS. Patres juxta sacram Scripturam docuerunt*, quòd, licèt vita æterna universaliter conferatur electis, tam infantibus, quàm adultis, ut hæreditas, prout denarius vocatur: tamen adultis major gloria vitæ æternæ ut merces, & corona propter merita bonorum operum conferatur. *Ita etiam Ecclesia Catholica.*

Acatholici volunt, quòd gloria vitæ æternæ solo titulo hæreditatis detur.

5. *SS. Patres juxta sacram Scripturam docuerunt*, quòd major vel minor gloria vitæ beatæ cælestis dabitur juxta majora vel minora merita hujus vitæ: ut inter illos sit futura disparitas gloriæ, sicut inter claritatem Solis, Lunæ, & stellarum. *Ita etiam docet Ecclesia Cathol.*

Acatholici hoc negant.

6. *SS. Patres juxta sacram Scripturam docuerunt*, quòd pretiosissima salus ematur proprio thesauro, charitate, & Fide vitæ, quòd quidem justum sit pretium, & Deus libenter accipiat. *Ita etiam Ecclesia Catholica.*

Acatholic hoc negant.

7. *SS. Patres juxta sacram Scripturam docuerunt*, quòd custodientibus mandata sit retributio multa, merces copiosa, corona Justitiæ, vita æterna; & fideles parvo labore magna & æterna sibi concilient. *Ita etiam Ecclesia.*

Acatholici negant mandata servari posse, nec proinde ob illa mercedem dandam.

8. *SS. Patres juxta sacram Scripturam docuerunt*, quòd opus sit justitiâ ad hoc, ut fideles promereri possint Deum Judicem; præceptis ejus obtemperandum sit, ut merita accipiant mercedem. *Ita etiam docet Ecclesia.*

Acatholici volunt, quòd omnia opera fidelium coram Dei Judicio non præmium, sed supplicium mereantur.

9. *SS. Patres juxta sacram Scripturam docuerunt*, quòd Christianus Dei munere adjutus promereatur Christum Judicem, Deum computet debitorem, Deus nusquam meritis nostris deerit, pro operibus candidum, pro passione purpuream coronam dabit. *Ita & Ecclesia.*

Acatholici id negant.

10. *SS. Patres juxta sacram Scripturam docuerunt*, quòd stipendiis vitæ nostræ regnum Dei quærendum sit, hoc perfectè viventium merces sit, & de nostro beata illa æternitas promerenda sit, nulli corona justitiæ reddenda sit, nisi legitimè certaverit. *Ita & Ecclesia.*

Acatholici hoc negant.

11. *SS. Patres juxta sacram Scripturam docuerunt*, quòd Deus velit conveniri, ut, si quis proposita secutus virtutibus præmia bene certaverit, fructum remunerationis expectet, quin etiam ex-

am exigat, juxta illud, bonum certamen certavi; nec sit arrogans usurpatio, sed fidelis: quia verum Deum non posse fallere confitetur. *Ita & Ecclesia.*

Acatholici hoc prorsus negant.

13. *SS. Patres juxta sacram Scripturam docuerunt*, quòd si nullum esset meritum, vel bonum piorum, vel malum impiorum, non esset, cur Deus judicaret mundum: è contra vero, quòd homo ex impio per Dei gratiam fiat justus, & incipiat habere meritum bonum, quod Deus coronabit, quando judicabitur mundus. *Ita & Ecclesia Catholica.*

Acatholici talia bona merita negant, & per consequens futurum Judicium.

14. *SS. Patres iuxta sacram Scripturam docuerunt*, quòd dentur utique merita Justorum, quia justi sunt; sed, ut justi fierent, merita nulla præcesserint, sed per gratiam Dei justi facti sint: vita æterna reddatur meritis præcedentibus, quia tamen illa merita, quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta sunt per Dei gratiam, etiam ipsa merita sunt gratia, quia & ipsa à Deo gratis donantur: & ideo vita æterna gratis datur, non quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur. *Ita & Ecclesia Catholica.*

Acatholici hoc negant.

16. *SS. Patres iuxta sacram Scripturam docuerunt*, quòd ideo justus in misericordia & miseratione coronabitur, quia ipsa opera bona, ut velle, & perficere, Deus pro sua bona voluntate in homine operatur: Ita tamen, ut ipsum liberum arbitrium etiam concurrat, cùm Paulus hortetur fideles, ut cum timore & tremore salutem operentur: quia verò homo sine gratia id non potest, non sibi tribuat, quòd bene operetur, vel de bonis, tanquam suis, extollatur operibus, sed in Domino glorietur. *Ita & Ecclesia.*

Acatholici cum Calvino liberum arbitrium ad opus bonum negant: sed potiùs volunt, quòd inde opus bonum maculetur, & æterno supplicio dignum reddatur.

17. *SS. Patres juxta sacram Scripturam docuerunt*: Cui debetur vita æterna, vera justitia est, si vera justitia est, ex te non est, desursum est, descendens à Patre luminum; quapropter ô homo, si accepturus es vitam æternam, justitiæ quidem stipendium est, sed tibi gratia est, cui gratia est, & ipsa justitia, tibi enim tanquam debita redderetur, si ex te tibi esset justitia, cui debetur. *Ita & Ecclesia Catholica.*

Acatholici absolutè negant, quòd homo habeat veram justitiam, licèt à Deo datam, sed sola justitia & gratia Christi ipsi applicetur.

18. *SS. Patres juxta sacram. Scripturam docuerunt*, quòd in his, quæ habemus, laudare debeamus Deum Largitorem; in his verò, quæ nondum habemus, ipsum teneamus debitorem: debitor enim factus sit non aliquid à nobis accipiendo, sed quod ei placuit promittendo: & hoc modo possumus exigere Dominum nostrum, ut dicamus, redde, quod promisisti, quia fecimus, quod jussisti, & hoc tu fecisti, qui laborantes juvisti. *Ita etiam docet Ecclesia Catholica.*

Acatholici absolutè negant, quòd Deus promittendo sit debitor operibus Justorum; vel quòd vitam æternam donet nobis, quia fecimus, quod jussit.

19. *SS. Patres juxta sacram Scripturam docuerunt*, quòd homo post lapsum Adami nullum meritum ex se ipso habere potuerit, sed solùm ex gratia Dei per Jesum Christum vivum illius membrum constituatur, & opera bona meritoria Dei gratiâ adjutus facere possit, quibus Deus vitam æternam promisit. *Ita etiam docet Ecclesia*, quòd nulla opera hominis bona Deo grata, & vitæ æternæ meritoria esse possint, nisi homo sit vivum Christi membrum, ut palmes, in quem ipse, ut caput, & vitis virtutem suam influat, quæ virtus bona hominis opera semper antecedat, comitetur, & subsequatur.

Acatholici dicunt, quòd opera quidem à Deo acceptentur propter Christi meritum; negant tamen, quòd sint in se bona, & meritoria, ut illis debeatur vita æterna.

20. *SS. Patres iuxta sacram Scripturam docuerunt*, quòd vita æterna sit solum præmium nostrum, cuius promissione gaudemus, nec præmium possit præcedere merita, & prius dari homini, quàm dignus sit, nec poscere possimus præmium, antequam mereamur illud accipere. *Ita docet Ecclesia.*

Acatholici negant hæc merita, vel quòd homo dignus sit.

21. *SS. Patres juxta sacram Scripturam docuerunt*, quòd non sit iniustus Deus, qui iustos fraudet mercede justitiæ, imo ipse (quod absit) foret iniustus, si ad eius regnum non admittatur justus, quia ex gratia Dei vera in homine justitia est, & ex gratia Dei Regnum Dei iustis promissum est, & debetur. *Ita docet Ecclesia.*

Acatholici negant justitiam veram in homine, licèt à Deo datam.

22. *SS. Patres juxta sacram Scripturam docuerunt*, quòd Christi humanitas ex nuda sanctissimæ Trinitatis gratia sine ullis præcedentibus meritis unita sit verbo in unitate personæ, & omnem justitiæ plenitudinem acceperit, & Christus secundùm humanitatem verissimè, perfectissimè, iustissimè, & ex condigno pro toto humano genere sufficienter meruerit vitam æternam per opera sua bona in passione præstita, licèt finita sint in sua entitate, & Dei dona, & multis modis Deo debita; simili modo Deus propter merita Christi hominibus dederit gratiam longè minorem, per quam concurrente merito Christi opera bona præstare possint, quibus vitam æternam verè mereantur. *Ita docet & Ecclesia.*

Acatholici de meritis Christi negare non possunt sed tamen negant de meritis justorum; partim ex eo, quòd omnia opera illorum sint dona Dei, quod tamen etiam currit in operibus Christi: partim ex eo, quasi omnia opera justorum sint in se peccata, quod falsissimum est, ut ex S. Scriptura, & SS. Patribus ostensum est.

23. *SS. Patres juxta sacram Scripturam docuerunt*, quòd, licèt fideles bona opera primariò propter voluntatem & honorem Dei sedulò facere, & præcipuam fiduciam in Dei misericordia collocare debeant: nihilominus etiam propter promissæ vitæ æternæ mercedem opera bona secundariò facere possint, & sic de bonorum operum fructu aliqualiter confidere, & gaudere; quia tamen homo non est certus, quod faciat

ciat opera verè bona & meritoria, & facilè de his, quasi de suis, superbire, & ideo gratiam, quam habet, perdere possit, tutissimum esse suaserunt; ut fideles omni conatu opera bona agere satagent, & si quæ merita habeant, Dei misericordiæ asscribant, & committant; ad proprios verò defectus & infirmitatem attendentes, totam fiduciam de perseverantia in bono, & æterna vita in Dei misericordia ac Christi meritis ponant, atque bonum facientes non deficiant, tempore suo messuri non deficientes. *Ita etiam docet & practicat Ecclesia Catholica.*

Acatholici cum Calvino negant, quòd opera bona propter retributionem licitè fieri possint, vel quòd ulla veri meriti opinio multò minùs fiducia haberi possit.

CONCLVSIO.

Ex hactenus ostensis & probatis, sincero Lectori patebit: quòd doctrina Ecclesiæ Catholicæ Romanæ modernæ circa merita bonorum operum in sacra Scriptura sit fundata, & à SS. Patribus primitivæ Ecclesiæ credita, & docti, utpote quòd dentur opera aliqua bona justificatorum, quæ non solum bona sint coram Dei Judicio, sed etiam meritoria vitæ æternæ, quibus Deus obligetur conferre vitam æternam, ut mercedem, in quantum inter Deum & homines obligatio esse potest; quæ quidem opera homo ex se ipso seu ex propriis suæ naturæ viribus facere non possit, sed cooperante gratiâ seu charitate (quæ ipsius cordi à Deo per Spiritum Sanctum propter merita Christi est infusa) & speciali supernaturali Dei auxilio adjuvante, ac influente jugiter virtute Christi, tanquam capitis in membrum efficere, & operari possit, atque per hæc vitam æternam, mercedem & coronam justitiæ talibus operibus à Deo misericorditer propter Christum promissam promereri valeat, quæ licèt specialiter Dei dona supernaturalia sint, & multis modis ipsi ab homine debita; tamen Deus ex summa sua bonitate etiam hominis vera merita esse, seque illis obligatum esse voluit: & hæc quidem de Fide certa esse cap. 5. ex S Scriptura & SS. Patribus copiosè demonstratum est.

An autem hæc bona justorum opera sic facta dicenda sint dignè vel ex condigno mereri vitam æternam? Ecclesia Catholica non definivit. Communiter tamen Doctorum sententia hoc asserit; licèt salvâ Fide diversimodè id explicent: nam aliqui sustinent, quod hæc operum dignitas partim ex vi operum ipsorum, ut à gratia, vel charitate procedunt, partim & principaliter, ut ex Dei pacto seu promissione proveniat: alii verò asserunt, quòd, licèt opera concurrente Dei gratiâ à justo facta sint in se bona & Deo grata, ac aliqualiter digna, ut congruum sit illa à Deo acceptari, completivè tamen digna non sint vitâ æternâ: & hoc modo juxta Apostolum, non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, nisi à Deo ex sua misericordia acceptentur, & ipsis per Christum promissio fiat; opera autem sic facta, & à Deo acceptata, & promissionem habentia verè digna & condigna sint vitæ æternæ. Etsi autem S. Scriptura & SS. Patres has voces (de quibus non est multum contendendum) non ita passim exprimant, rem tamen ipsam sufficienter declarant, & subinde etiam ipsas voces indicant. S. Scriptura quidem rem ipsam per voces significatam satis tradit, ut patet ex locis cap. 5. art. 4. allegatis, cùm testatur vitam æternam electis dandam esse, 1. ut mercedem, cui correlativè correspondet meritum dignum. 2. ut præmium juxta mensuram operis, vel laboris. 3. ut coronam ex justitia à justo Judice, 4 ut bravium currentibus promissum, ac proinde ex pacto debitum; ut Deus (quod absit) foret injustus, si operis boni obliviscatur: quæ omnia dignitatem veram operis, prout erga Deum esse potest, indicant. Eadem S. Scriptura etiam illam vocetenus significat, dum dicit: *Operarium in vinea Domini dignum mercede. & electos dignos esse, qui ambulent in albis, & dignos illo sæculo.*

SS. Patres rem ipsam sæpissime supponunt, & exprimunt, ut ex testimoniis ipsorum cap. 5. art. 5 & 6 relatis patet: præsertim cùm dicunt juxta S Scripturam: 1. *Quod homo bonis operibus promereatur Deum, & Christum Iudicem*, 2. *quod operibus mandatorum Dei possessionem cælestium mereatur*, 3. *quod operibus Charitatis, ut justo pretio salutem pretiosissimam emat*, 4. *quod coronam gloriæ per agonem acquirat*. 5. *quod vita nostra stipendiis Regnum Dei quæramus*, 6. *quod merita nostra mercedem accipiant*. 7. *quod Deus in pace viventibus coronam candidam pro operibus dabit, pro persecutione purpuream geminabit*. 8. *quod justus coronam justitiæ, à Deo exigere possit, ut miles ab Imperatore stipendium*. 9. *quod sicut merito peccati tanquam stipendium mors redditur, ita merito justitiæ, tanquam stipendium vita æterna, quæ omnia dignitatem operum respectu vitæ æternæ satis indicant.* Vocetenus etiam SS. Patres subinde expresserunt, ut *Iustinus* apologia 2. dicens, *homines, qui se dignos Dei voluntate operibus præstiterunt, cum eo regnaturos.* *Augustinus* lib. de Moribus Ecclesiæ cap. 25 *Nec præmium potest præcedere merita, & priùs homini dari, quàm dignus sit.* *Hieron.* lib. 2. contra Jovinianum loquens de mansionibus in cælis, dicit de electis: *Qui dignis virtutibus ad tantam ascensuri sunt dignitatem.* hæc ille. Ecce rem ipsam, ecce vocem dignitatis, & meriti bonorum operum respectu vitæ æternæ ex S. Scriptura, & SS. Patribus demonstratam. Falsissimè itaque author Anonymus primi libelli, sic scribit: *Pontificii obtrudunt meritum congrui, meritum digni, meritum condigni, sed Augustinus universaliter negat omne meritum nostrum, sicut & reformata Ecclesia.* Nimis apertè hic homo contra clarum Solem mentitur; ut patet ex locis D. Augustini hactenus allegatis: ex quibus constat, quòd, licèt neget omne meritum nostrum, quod nos ex nobis, vel ex nostræ naturæ viribus habere dicebant Pelagiani, manifestissimè tamen asserit verè meritum nostrum, quod ex gratia Dei habemus, qui suum donum voluit esse nostrum meritum; & hoc cum Augustino docet Ecclesia Romana Catholica: verùm Ecclesia prætensè reformata contra claram S. Scripturæ veritatem negat: sed veritas Domini manet in æternum, sit nomen Domini benedictum, Amen.

***

LIBER

LIBER XI.

De Voto Castitatis, & aliis Monasticis.

QUia Acatholici statui Sacerdotum & Monachorum specialiter quoad cælibatum & alia vota perpetua, maximè infensi sunt: quid de his cum Ecclesia catholica, juxta sacram Scripturam & sanctos Patres tenendum sit, Deo propitio, demonstrabimus; primò quidem de statu Monachorum; postea de cælibatu Sacerdotum agemus.

CAPUT I.

De Statu Monachorum in generali.

ARTICULUS I.

Referuntur errores Acatholicorum.

I. DOnatistæ damnabant statum Monachorum, ut constat apud *Augustinum* lib. 3. contra Petilian. cap. 40. ubi de illo Petiliano sic ait: *Deinde perrexit ore maledico in vituperationem Monasteriorum & Monachorum arguens etiam me, quod hoc genus vitæ à me fuerit institutum*, &c. hæc ibi.

II. *Ariani* Monachos non detestati solùm, sed persecuti sunt, ut testatur S. *Athanasius* in lib. qui inscribitur: Apologia de sua fuga, &c.

III. *Valens Imperator Arianus* persequens Monachos legem tulit; ut Monachi omnes aut arma sumerent militesque fierent, aut fustibus cæderentur, ac mactarentur. Ita refert Hieron. in chronicis.

IV. *De Lucio Arianorum pseudo Episcopo* Ruffinus lib. 2. Hist. cap. 3. edit. Paris. 1580. sic scribit: *Inde ad monasteria furoris sui arma conuertit; vastat eremum, & bella quiescentibus indicit; ter mille simul, aut eo ampliùs viros per totam solitudinem secretâ & solitaria habitatione dispersos oppugnare pariter aggreditur; mittit armatam Equitum ac peditum manum*, &c. *tanquam aduersus Barbaros pugnaturus elegit; qui cùm venissent, nouam belli speciem vident; hostes suos gladiis objectare ceruices, & nihil aliud dicere, nisi; Amice ad quid venisti?* &c. hæc Ruffinus.

V. *VValdenses*, ut refert Alphonsus in lib. contra Hæreses dicebant, *Religiones mendicantium esse malorum dæmonum inuentum.*

VI. Hos progenitores tandem circa annum 1400. secutus est *Ioannes VVicleff* profundius in errorem lapsus; qui inter articulos in concilio Constant. sess. 8. damnatos, art. 21. dicere non est veritus: quòd *illi, qui ingrediuntur religiones eo ipso se ineptos reddant ad seruanda Dei mandata; imo omnes Religiosorum ordines à diabolo in Ecclesiam essent introducti, & Sancti Augustinus, Benedictus, Bernardus*, &c. *ad inferos sint damnati, nisi pœnitentiam egerint, quod Monachi, & Monachorum Patres fuerunt.*

VII. Hunc imitatus est *Lutherus* lib. de votis monasticis: ubi statum Monachorum, si Deo placet, evertere intendens, inter alia sic dicit: *Cupio eradicata, & extincta, & abolita esse universa Monasteria, quæ utinam Dominus igne & sulphure cælesti ad exemplum Sodomæ & Gomorrhæ demergat*, &c.

Insuper in com. 1. Cor. cap. 7. & in suo turpissimo Epithalamio dicere audet, quòd illi, *qui cælibem vitam in Monasteriis agunt, omnes idolo Moloch corpora sua cremarent; imo Religiosorum status nihil valeat, sed Ethnicus, terrenus, ac velut luteus sit: econtra vero status matrimonialis sit cælestis, spiritualis, diuinus, & aureus*, &c. sic novus ille Euangelista, ut ex terreno, ethnico, & luteo se cælestem & spiritualem factum esse hominibus persuaderet; dum relicto, quem Deo voverat statu religioso, sanctimonialem sibi carnaliter copularat: sanè insignis Apostolorum sectator, illi relictis uxoribus, &c. ad statum cælibatûs transeuntes, & ex hoc à Christo laudati, si Luthero placet, ex divinis, spiritualibus & aureis facti fuerunt carnales, terreni, & lutei, &c. O *insanum caput!*

Caluinus Luthero nihil melior lib. 4. Inst. cap. 13. omni modo statum Monachorum damnatum cupiens subtiliter suo more modernum statum Monachorum à veterum Monachorum instituto planè vult degenerasse; §. 9. & seqq. ut infrà patebit: in re tamen omnium Monachorum statum damnat. VIII.

Cæterùm, quo authore antiqui hæretici Monachos detestati sint, declaravit S. *Antonius*, ut refert S. Athanasius in vita ipsius edit. Paris. 1581. dum dixit, 3. fol. ab initio: *Hostile illis* (dæmonibus) *contra omnes Christianos, maximè vero contra Monachos, & virgines Christi odium est*, &c. IX.

ARTICULUS II.

Quòd status Monachorum à tempore Apostolorum viguerit.

MOnachorum status seu ordo est illorum Christi fidelium; qui juxta christi Domini consilia, possessionibus propriis relictis, in cælibatu & sub obedientia vivunt, ut eò commodiùs & perfectiùs Deum colere, eique in contemplatione adhærere, vel etiam in activa vita proximo propter Deum servire possint. Quamvis autem tales fideles diversimodè nominati fuerint; tamen Monachi specialiter ab initio Ecclesiæ dicti sunt; & hoc nomen usitatissimum est apud Patres Græcos, & Latinos. I.

Hunc statum à tempore Apostolorum incepisse constat ex SS. Patribus Græcis & Latinis, quorum aliquot testimonia referemus. II.

Digitized by Google

III. Dionysius Areopag. edit. Argentin. 1503. discipulus Apostolorum lib. de Eccles. Hierarch c. 6. sic ait: *Perficiendorum autem omnium altior ordo Monachorum sana dispositio omni quidem mundata purgatione, universali virtute, & perfectissima propriarum actionum castitate, omniq; quantacunq;, ut decet, eam contemplando, & sanctificatione in intellectuali theoria*, &c. & infrà: *Inde divini duces nostri nominationibus eos sacris dignati sunt; alii quidam therapeutas (seu cultores) alii autem ipsos Monachos nominantes ex Dei puro ministerio, & famulatu*, &c. quod idem est ac religiosi, quia religio Dei culturam exercet.

IV. Circa annum 320. *Eusebius Cæsariensis* lib. Eccl. Histor. cap. 16. apud Jod. Coccium hic lib. 4. edit. Colon. 1601. refert de Philone Judæo, qui tempore Apostolorum viguit, & scripsit sic dicens: *Iam vero philo, cùm eorum vivendi rationem, qui apud nos Asseta*, id est, *Monachi Religiosiq; virtutis studio & exercitationi maxime dediti appellati sunt. quam accuratissime percenseat, cùmque eos viros, qui ejus ætate tam piam, tamq; Apostolicam vitam agerent, & divina laude efferat, satis constare potcrit, illum eandem non oculis solùm vidisse, sed sententiâ approbasse*, &c. & infrà: *Principio illos facultates suas opesque abjicere, & fortunis omnibus prorsus exuere testatur, & in locis solitariis extra urbes & domicilia collocare*. &c. & infrà circa finem. *Verùm quod præterea attinet commemorare, frequentes in unum congressus, & virorum in uno, mulierum autem in altero loco separatim congregatarum exercitationes, & severam disciplinæ rationem*, &c. hæc hæc Eusebius ex Philone tempore Apostolorum.

V. Similiter *Hieronymus* tomo 1. edit. Basil. 1553. in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum testatur, ubi sic ait: *Philo Iudæus ideo à nobis inter Scriptores Ecclesiasticos ponitur; quia librum de prima Marci Evangelistæ apud Alexandriam scribens Ecclesia, in nostrorum laude versatus est; non solùm eos ibi, sed in multis quoq; provinciis esse memorans, & habitacula eorum dicens Monasteria: Ex quo apparet talem primam Christo credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc Monachi esse nituntur, & cupiunt; ut nihil cujusquam proprium sit, nullus inter eos dives, nullus pauper, patrimonia egentibus dividuntur, orationi vacatur, & psalmis, doctrina quoq; & continentiæ, quales & Lucas refert primùm Hierosolymæ fuisse credentes*, &c. hæc Hieronymus.

VI. Tria autem Monachorum genera fuisse in primitiva Ecclesia, refert idem Hieron. Epist. ad Eustochium de custodia virginitatis 2. fol. à fine edit. eâdem sic dicens: *Quoniam Monachorum fecimus mentionem, & te scio libenter audire, quæ sancta sunt; aurem paulisper accommoda. Tria sunt in Ægypto genera Monachorum; primum Cœnobitæ*, &c. *secundum Anachoretæ, qui soli habitant per deserta. Tertium genus est, quod Remoboth dicunt, deterrimum atq; neglectum*, &c. *hi bini, vel terni habitant*, &c. *His igitur quasi quibusdam pestibus exterminatis, veniamus ad eos, qui plures sunt, & in commune habitant*, &c. *quos vocari cœnobitas diximus. Prima apud eos confœderatio est, obedire majoribus, & quicquid jusserint facere; divisi sunt per decurias, atq; centurias; ita ut novem hominibus decimus præsit; & rursus decem præpositos sub se centesimus habeat*, &c. hæc Hieron.

VII. De his Cænobitis & eorum origine loquitur *Augustinus* cum alibi, tum tract. 97. in Joann. edit. Basil. 1529. tomo 9. dicens: *In Antiochia primùm post Ascensionem Domini appellati sunt discipuli Christiani; sicut legitur in Actibus Apost. & Monasteria & Xenodochia postea sunt appellata novis nominibus; res tamen ipsæ, & ante nomina sua erant, & religionis veritate firmantur, quæ etiam contra improbos defenduntur*, &c. hæc ibi.

Idem in psl. 132 eâd. edit. tomo 8. circa illa verba: *Ecce quàm bonū & quàm jucundum habitare fratres in unum*, &c. sic ait: *Hoc primum etiam atq; etiam consideremus; utrum de omnibus Christianis dictum sit; quàm bonum & quàm jucundū sit habitare fratres in unum; an aliqui sint certi atq; perfecti, qui habitant in unum; nec ad omnes pertineat ista benedictio, sed ad quosdam, à quibus tamen descendat ad cæteros: ista enim verba psalterii iste dulcis sonus, ista suavis melodia, tam in cantico, quàm in intellectu etiam Monasteria* (NB) *peperit: ad hunc sonum excitati sunt fratres, qui habitare in unum concupierunt*, &c. & infrà loquens de primis fidelibus act. 4. dicit: *Ipsi primùm habitaverunt in unum, qui omnia, quæ habebant, vendiderunt, rerumq; suarum pretia ad pedes Apostolorum posuerunt*, &c. *& distribuebatur unicuiq; sicut cuiq; opus erat: & nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia: & quid est in unum? & erat illis*, inquit, *anima una, & cor unum in Deum. Ergo ipsi priùs audierunt. Ecce quàm bonum*, &c. *primi audierunt, sed non soli audierunt; non enim usq; ad illos ista dilectio, & unitas fratrum venit, venit enim & ad posteros ista charitatis exultatio, & votum Deo*, &c. & infrà: *Ex voce hujus psalmi appellati sunt* (NB) *& Monachi, ne quis vobis de isto nomine insultet Catholicis; quando vos rectè hæreticis de circumcellionibus insultare cœperitis, ut erubescendo salventur, illi vobis insultant de Monachis*, &c. & infrà: *Sed tamen dicere consueverunt, quid sibi vult nomen Monachorum? quanto meliùs dicimus nos, quid sibi vult nomen Circellionum?* & post duas columnas; *Quare ergo & nos non appellemus Monachos, cùm dicit psalmus*: Ecce quam bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum? *Monos enim unus dicitur, & non unus quomodocunq;; nam & in turba est unus, sed una cum multis, unus dici potest, Monos non potest*; id est, *solus; Monos enim unus solus est: qui ergo sic vivunt in unum, ut unum hominem faciant, ut sit illis vere, quomodo scriptum est una anima & unum cor, multa corpora, sed non multæ animæ* &c. *rectè dicitur Monos*, id est, *unus solus*, &c. & infrà: *Merito illis displicet nomen Monachorum, quia illi nolunt habitare in unum cum fratribus; sed sequentes donatum Christum dimiserunt*, &c. hæc August. ubi & nominis Monachorum & statûs ac originis rationem reddit.

Severus Sulpitius in vita S. Martini circa annum IX.
360. cap. 4. *Cùm, ait, intra Gallias quiq; discessu S. Hilarii, quem ad exilium hæreticorum vis abegerat, turbatam Ecclesiam compesceret, Mediolani sibi Monasterium statuit; ibi quoque Auxentius Princeps Arianorum gravissime infestatus est, multimque affectum injuriis de civitate exturbavit*, &c. Ecce prædecessores Acatholicorum Ariani contra Monachos.

Ioannes Cassianus Anno 420. in vitis sanctorum X.
Patrum edit. Colon. 1547. celeberrimus Monachorum Magister Augustini coætaneus collat. 18. cap. 4. cum Hieronymo & Augustino concorditer sic scribit: *Tria sunt in Ægypto genera Monachorum, quorum duo sunt optima, tertium tepidum, atq; omnimode evitandum: Primum est Cœnobitarum, qui scilicet in congregatione*

 pariter

pariter conuersantes unius superioris judicio gubernantur; cujus generis & maximus numerus Monachorum qui per uniuersam commoratur Ægyptum. Secundum Anachoretarum, qui priùs in cœnobiis instituti & exercitati jamq; in actiua conuersatione perfecti, solitudinis eligunt abdita & secreta; cujus professionis nos quoq; optamus esse participes. Tertium reprehensibile genus Sarabaitarum est, &c. *harum enim trium professionum fundatores primum, ut diximus, debetis agnoscere*, &c. hæc ibi.

XI. Idem Biblioth. novæ sanctorum Patrum edit. Colon. 1618. tomo 1. parte 2. cap. 5. sic ait: *Itaq; cœnobitarum disciplina à tempore* (NB) *prædicationis Apostolicæ sumpsit exordium; nam talis extitit in Hierosolymis omnis illa credentium multitudo, quæ in Actibus Apostolorum sic describitur:* Multitudinis credentium erat cor unum & anima una; nec quisquam eorum quæ possidebant aliquid suum esse dicebat, &c. prout in Actibus legitur. *Talis, inquam tunc erat omnis Ecclesia*, &c. de illis subjungit: *Hi autem quibus Apostolicus inerat feruor memores illius pristinæ perfectionis discedentes à ciuitatibus suis*, &c. *in locis suburbanis ac secretioribus commanere; & ea quæ ab Apostolis per uniuersum Ecclesiæ corpus generaliter meminerant instituta, priuatim ac peculiariter exercere cœperunt*, &c. *qui paulatim tempore procedente segregati à credentium turbis, ab eo, quod à conjugiis abstinerent, & à parentum se consortio mundique istius conuersatione secernerent, Monachi siue Monazontes*, &c. *nominati sunt: unde consequens fuit, ut ex communione consortii cœnobitæ, cellæque ac diuersoria eorum cœnobia vocarentur; istud ergo solùm fuit antiquissimum* (NB) *Monachorum genus; quod non modo tempore, sed & gratiâ primum est, quodque per annos plurimos solùm inuiolabile usq; ad Abbatis Pauli, vel Antonii durauit ætatem; cujus etiam nunc in districtis cœnobiis cernimus residere vestigia*, & cap. 6. *De hoc perfectorum numero, &, ut ita dixerim, fœcundissima radice, sanctorum etiam Anachoretarum post hæc flores fructusque prolati sunt; cujus professionis principes hos, quos paulo ante commemorauimus, sanctum videlicet Paulum, vel Antonium nouimus extitisse*, &c. *Ita ergo processit ex illa, quam diximus, disciplina, aliud perfectionis genus; cujus sectatores Anachoretæ*, id est, *secessores merito nuncupantur*, &c. *eo quod vastos eremi recessus penetrare non timeant ad imitationem S. Ioannis Baptistæ*, &c. *Heliæ quoque, & Helisæi*, &c. hæc Cassianus.

XII. His accedat sanctus *Chrysostomus*, qui passim Monachorum statum summis effert laudibus, & ipsos imitatores Prophetarum & Apostolorum prædicat; utpote tomo 2. edit. Basil. 1547. hom. 69. in Matth. circa medium inter alia sic dicens: *Ferte igitur obsecro, ut facilè videatis Monachorum & crucifixorum vitam, quæ onerosior ac molestior vobis solet videri, multo hac tenera molli & flexibili jucundiorem esse*, &c. & post unam columnam, sic ait, de vestibus Monachorum: *Non enim effœminatæ ac enerues per terram sibi vestes trahuntur, sed ita eis præparatæ sunt, ut beatissimis Angelis illis Heliæ, dico, Helisæo, Ioanni ac uniuersis Apostolis*, &c. hæc ibi.

XIII. Idem lib. 3. adversus vituperatores vitæ Monasticæ tomo 5. eâdem edit. secundo fol. à fine sic ait: *Quod si eos qui solitudines habitant, quiq; diuinis literis olim assueti sunt, nosses; agnosceres perfectè, quod & Monachi, & ante hos Apostoli; atq; ante illos ipsos veteres justi diligentissime Philosophiæ hujus documenta dederunt*, &c. hæc ibi. ubi per Philosophiam semper intelligit vitam Monachorum, &c.

XIV. Rursus; quòd tempore Apostolorum in Jerusalem fideles more Monachorum vixerint, supponit tomo 3. edit. eâdem Hom. 11. in cap. 4. Act. Apost. circa verba illa: *Credentium erat cor unum*, &c. & in Morali sic ait; *Nonne diuisio semper minora commoda affert, unanimitas autem, & consensus incrementum? sic qui nunc in Monasteriis viuunt, quemadmodum olim fideles*, &c. hæc Chrysost.

XV. Idem supponit Monachorum statum à Christo fuisse institutum, dum tomo 5. edit. eâdem Hom. 17. ad pop. Antiochen. paulò post initium sic ait: *Tunc vertices montium habitantes Monachi, propriam exhibuêre sapientiam*, &c. & postea circa medium sic ait: *Monachi vero homines pauperes pallio plùs nihil habentes, vili viuentes in rusticitate, nulli esse apparentes, in montibus & saltibus versantes*, &c. *& hi die una & descenderunt, & deseruerunt, & soluerunt calamitatem, & ad propria reuersi sunt tabernacula; Tanti est Philosophia à Christo introducta*, &c. hæc Chrysostomus, ubi Monachos tanquam veros à Christo institutos Philosophos opponit vanis ethnicis Philosophis.

Idem tomo 2. edit. eâdem Hom. 1. in Marcum sic ait: *Sicut sacerdotum Principes sunt sacerdotes Apostoli; sic Monachorum Princeps Ioannes Baptista est*, &c. hæc ibi.

XVI. Ex quibus evidens est, quòd Chrysostomus agnoverit statum Monachorum à Christo & Apostolis habuisse initium, qui Joannem Baptistam sequuntur.

XVII. Nec his obstat quod *Chrysostomus* tomo 4. edit. eâdem ait Hom. 25. in Epist. ad Hebræos in Morali circa finem dicens: *Neq; vestigium tunc Monachi erat, sed omnia ad sæculares tunc loquebatur beatus Paulus*, &c. ibi enim tractat verba Apostoli 1. ad Cor. 5. v. 11. *Si is qui frater nominatur*, &c. & dicit: *Fratrem in hoc loco omnem fidelem simpliciter intelligi, non Monachum tantùm; quid est autem quod facit fraternitatem nisi lauacrum regenerationis, quod facit posse vocari Deum Patrem*, &c. & infrà: *Si quis*, inquit, *frater nominatur, neque vestigium*, &c. ubi patet, quòd loquatur de Corinthiis, qui ex Gentilibus potissimùm conversi erant, & apud ipsos non erat talis vita, qualis in Jerusalem fidelium, qui omnia reliquerant, & Monasticum statum agebant, ut idem scribit in cap. 4. Act. Apost. suprà.

XVIII. Nec iterum obstat quod ait Hieronymus tomo 1. edit. Basil. 1553. Epist. ad Eustochium post verba suprà allegata, sic dicens: *Hujus vitæ author Paulus, illustrator Antonius, & ut ad superiora ascendam Princeps Ioannes Baptista*, &c. nam ibi loquitur de Anachoretis, quos à cænobitis ibidem distinguit; qui soli habitant in eremo; nam, postquam Monachorum cænobitarum statum descripsisset, qualem tempore Apostolorum fuisse dixit, & ibidem dixisset, quid de his locuti fuerint Philo, Josephus, & Græcus Livius, qui tempore Apostolorum scripserunt, & illos effrenos vocarunt, postea subdit: *Ad tertium genus* (Monachorum) *veniam, quos Anachoretas vocant, qui & de cænobiis exeuntes excepto pane & sale ad deserta nihil ferunt amplius*,

Digiti

amplius, &c. & ſubjungit: *Hujus vitæ author*, &c. adeóque Monachos & cœnobia à tempore Apoſtolorum fuiſſe ſupponit, prout etiam Caſſianus ſuprà retulit.

ARTICULUS III.

Quòd ſtatus Monachorum pius, ſanctus, & Deo gratus ſit.

I. Quamvis nullus, niſi planè impius conſiderato Monachorum inſtituto ſtatum illum ſanctum & Deo gratum eſſe negare poſſit; quia tamen Acatholici illum damnare non erubeſcunt, ex ſacra Scriptura patebit. Veritas in ſequentibus, & ex præcedenti articulo conſtat.

II. Quanti autem ſancti Patres juxta ſacram Scripturam hunc Monachorum ſtatum fecerint; nimis patet ex claris ipſorum teſtimoniis, ſufficiat hîc aliquot allegaſſe.

Euſebius Cæſar. edit. Baſil. 1549. lib. 1. de Demonſtrat. Euangel. cap. 8. ſic ait: *In Eccleſia Dei duo inſtituti ſunt modi viuendi; alter quidem naturam noſtram & communem hominum vitæ rationem excedens, non nuptias, non ſobolem, non ſubſtantiam, non opum facultatem requirens*, &c. *& ſoli diuino cultui ex immenſo rerum cæleſtium amore addictus*, &c. *& talis quidem exiſtit in Chriſtianiſmo perfectus vitæ modus. Alter vero remiſſior & humanior; hic & modeſto coniugio ſobolis procreatione implicatur*, &c.

III. *Athanaſius* in præfatione ad vitam S. Antonii edit. Pariſ. 1581. ſic ait: *Optimum fratres iniiſtis certamen, aut æquari Ægypti Monachis, aut ſuperare nitentes virtutis inſtantia*, &c.

Idem in vita S. *Antonii* circa initium ſupponit, quòd ante S. Antonium fuerint Monaſteria dicens: *Necdum autem tam crebra in Ægypto erant Monaſteria*, &c. ubi etiam refert, quòd Antonius à diverſis Monachis diverſas virtutes didicerit.

Iterum in vita S. Antonii commendans Monachorum ſtatum dicit: *Erant in monte Monaſteria tanquam tabernacula plena diuinis choris pſallentium, legentium, orantium*, &c. & infrà: *Quis tantum Monachorum agmen aſpiciens*, &c. *non in hanc ſtatim vocem erumperet? quàm bona domus tua Iacob, tabernacula tua Iſraël, tanquam nemora obumbrantia, tanquam Paradiſus ſuper fluuios.*

Idem quæſt. 78. apud Jodocum Coccium tomo 2. edit. Colon. 1601. fol. 360. *Quando*, ait, *homo relicto mundo aſperioris vitæ in deſerto exercitium ſubierit, à Sancto Spiritu igne calefactus à ſuis affectibus areſcit, & ab omni repurgatur immunditia, atq; per virtutes accepta Deo fit hoſtia.* hæc Athanaſius. Arianorum malleus longè aliter ſentiens, quàm *Lutherus & Caluinus* ſuprà relati.

IV. *Baſilius* in commonitorio ad complexum Monaſtici propoſiti apud Coccium ſuprà ſic ait: *Qui ſibi propoſuit Chriſto obedire, & ad vitæ genus rerum omnium poſſeſſuræ nudum, neq; ullis diſtractum ſæculi hujus curis feſtinat, vere admirabilis ille beatuſq; dicendus*, &c. hæc ibi.

V. *Ioannes Chryſoſtomus* tomo 5. edit. Baſil. 1547. lib. in comparat. Regis & Monachi, *Qui ſi*, ait, *& noctis tempus examinare voluerimus Monachorum quidem videbimus Dei optimi cultu ac precibus inſignem multo ante gallinaceos tempore canentem Angelis conuictoribus utentem, cum Deo colloquentem, cæleſtibus bonis fruentem*, &c. hæc ibi.

Idem lib. 3. adverſus vituperatores vitæ Monaſticæ apud Jodoc. Coccium ſuprà ſic ait: *Monachi conuerſationem plane cæleſtem elegerunt, nihilq; deteriùs Angelis effecti ſunt*, &c. hæc ibi.

VI. Idem apud Coccium ibidem hom. 8. in Matth. ſic ait: *Si quis nunc ad Ægypti veniat ſolitudines, paradiſo quouis omnem illā eremum videbit digniorem*, &c. *& innumerabiles Angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus; eſt enim cernere tota illa regione diffuſum exercitum Chriſti, & admirabilem illum regium gregem, virtutumq; cæleſtium conuerſationem in terris micantem, atq; hac non in viris ſolùm, verùm etiam in fœminis ſplendore conſpicias, non ita variis aſtrorum choris cælum fulget, ut Ægyptus innumeris Monachorum ac virginum diſtinguitur tabernaculis*, &c. hæc Chryſoſtomus.

VII. *Ambroſius* edit. Pariſ. 1569. tomo 3. Epiſt. 82. ad Eccleſiam Vercellenſ. ſic ait: *Hæc duo in attentiore Chriſtianorum deuotione eſſe præſtantiora quis ambigat? Clericorum officia & Monachorum inſtituta?* hæc ille, & tamen Acatholici damnant.

VIII. *Hieronymus* tomo 1. edit. Baſil. 1553. Epiſt. 1. ad Heliodorum cap. 9. *O deſertum*, ait, *Chriſti floribus vernans, O ſolitudo, in qua illi naſcuntur lapides, de quibus in Apocalypſi ciuitas magni Regis extruitur, O eremus familiarius Deo gaudens*, &c. hæc ibi.

Idem Epiſt. 17. ad Marcellum edit. Baſil. 1553. tomo 1. cap. 6. *Certè*, ait, *flos quidam & pretioſiſſimus lapis inter Eccleſiaſtica* (NB) *ornamenta Monachorum & virginum chorus eſt*, &c. & infrà: *Quid referamus Armenios & Perſas, quid Indiæ, quid Æthyopum populos, ipſamq; juxta Ægyptum fertilem Monachorum*, &c. *cunctaq; Orientis agmina*, &c. hæc ille.

IX. Idem lib. 2. comment. in cap. 3. Lamentat. Jeremiæ, &c. eâd. edit. ad illa verba, *Bonum eſt viro*, &c. *Militum*, ait, *Chriſti perfectio eſt, exutam mentem habere à cunctis terrenis negotiis & tumultu ſæculi, juxta illud Apoſtoli, nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus*, &c. *eamq; quantùm humana imbecillitas ſinit, feſtinat unire cum Chriſto, quam quidem ſpeciem conuerſationis boni Eremitæ & Monachi, qui voto* (NB) *Monaſtica diſciplina obligati ſunt imitari contendunt*, &c. & infrà: *ſed tamen quantùm ſuperexcellat ſerenitas tranquillæ vitæ turbulentiam ſæcularis conuerſationis, nouit qui hanc expertus eſt, & dominicum judicium in Euangelio inter duas mulieres cernit ad Martham dicens*: Martha Martha, &c. Maria optimam partem elegit, &c. hæc ibi.

X. Demùm in pſalmo 115. *Sicut Martyres*, inquit, *laudant Dominum in regione viuorum, ita & Monachi qui die ac nocte pſallunt Domino debent eandem puritatem habere Martyrum, ſiquidem ipſi martyres ſunt; quod enim faciunt Angeli in cælis, hoc Monachi faciunt in terris*, &c. hæc Hieronymus.

XI. *Auguſtinus* paſſim extollit ſtatum Monachorum, aliis omiſſis lib. 8. confeſſ. c. 6. edit. Baſil. 1529. tomo 1. ſic ait: *Inde ſermo Politiani deuolutus eſt ad monaſteriorū greges & mores ſuaueolentiæ tuæ, & ubera*

Digitized by Google

Rurſùm de vera charitate cap. 10. dicitur: *Fratres attendant, quod ſuper omnia deſiderare debent habere ſpiritum Domini & ſanctam eius operationem, orare ſemper ad Deum puro corde, & habere humilitatem & patientiam in perſecutione & infirmitate*, &c. Ecce charitas euangelica fundamentum Monachiſmi moderni.

VI. *Caſtitatem* Monachorum ſupponunt SS. Patres locis ſuprà citatis ſpecialiter Auguſtinus ſuprà lib. 1. de Moribus Eccleſiæ eâdem ed. tom. 1. cùm dicit cap. 31. *Jam accipite Manichæi perfectorum Chriſtianorum, quibus ſumma caſtitas non laudanda tantum, ſed etiam capeſſenda viſa eſt, mores & continentiam ſingularem*, &c. *quis non illos miretur & prædicet, qui contemptu atq; deſertis huius mundi illecebris in communem vitam caſtiſſimam, ſanctiſſimamq; congregati*, &c. hæc ille.

VII. Hanc caſtitatem omnes moderni Monachi profitentur, dum vovent *caſtitatem*, &c. de quibus in Regula FF. Minorum cap. 11. etiam ſic dicitur: *Præcipio fratribus uniuerſis, ne habeant ſuſpecta conſortia, vel conſilia mulierum*, &c.

VIII. *Paupertatem* SS. Patres *in Monachis antiquis prædicant*; ut patet ex locis ſuprà allegatis, & infrà allegandis, utpote; *quod nemo eorum quicquam proprium poſſideat, ſed in communi ipſis de neceſſariis prouidebatur*, juxta exemplum primorum fidelium Act. 4.

IX. Hanc Fratres Minores in Regula non tantùm in particulari, quod omnibus Religioſis commune eſt; juxta exemplum Act. 4. ſed etiam in communi profitentur, dum cap. 6. dicitur: *Fratres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem*, &c.

X. *Obedientiam* demum SS. Patres Monachorum ſpecialiter laudarunt; ut patet locis ſuprà allegatis, & infrà referendis, & ſpecialiter ex Auguſtino lib. 1. de Moribus cap. 31. eâdem ed. tomo eodem ubi dicit: *Hi vero Patres*, &c. (ſcilicet præpoſiti Monachorum) *nullâ ſuperbia, conſulunt his, quos filios vocant, magnâ ſua in jubendo authoritate, magnâ illorum in obtemperando voluntate*, &c hæc ibi.

XI. Hujuſmodi regendi & obediendi modum profitentur Monachi moderni, ut patet ex Regula FF. Minorum cap. 10. ubi dicitur de Superioribus: *Fratres qui ſunt miniſtri & ſerui aliorum fratrum humiliter & charitatiue corrigant eos, non præcipientes eis aliquid, quod ſit contra animam ſuam*, &c. *Fratres vero, qui ſunt ſubditi, recordentur, quod propter Deum abnegauerint proprias voluntates*. &c. *obediant ſuis miniſtris in omnibus, quæ Domino promiſerunt obſeruare, & non ſunt contraria animæ ſuæ*, &c. hæc ibi.

Et iterum ibidem: *Fratres, qui ſciunt ſe non poſſe Regulam ſpiritualiter obſeruare, ad ſuos miniſtros debeant, & poſſint recurrere: Miniſtri vero charitatiue & benigne eos recipiant, & tantam familiaritatem habeant circa ipſos, ut dicere poſſint eis, & facere ſicut Domini ſeruis ſuis; nam ita debet eſſe, quod miniſtri ſint ſerui omnium fratrum*, &c.

XII. Conſideret jam quilibet bonus lector omnia SS. Patrum de ſtatu antiquo Monachorum eloquia, & videbit; quod in præmiſſis quaſi eſſentiam & ſubſtantiam illius ſtatûs eſſe ſuppoſuerint, & hæc verè principalia ſunt: *Charitas, perpetua continentia, paupertas, & obedientia*; nec aliud S. Scriptura de fidelibus Act. 4. enarrat, quos ſancti Patres ſtatus monachatus initium dediſſe aſſerunt. Cùm autem, ut patet, omnes qualeſcunque moderni Religioſi eſſentiam ſui ſtatus in iiſdem conſtituant, eademque ſacroſanctè Deo voveant & profiteantur; quis ſanæ mentis niſi perfrictæ frontis negarit eundem eſſe præſentium & antiquorum Monachorum ſtatum, idemque inſtitutum?

ARTICULUS V.

Quòd in antiqua Eccleſia ſub generali Monachorum ſtatu fuerint diverſi ſtatus particulares ſicut & moderno tempore.

Verum autem eſt, quod præter illa eſſentialia antiqui Monachi, aliqua particularia uſurparint, & diverſi diverſa, quæ ſtatum monachiſmi eſſentialem non turbarint vel mutarint. I.

Sic enim conſtat primò, quod plurimi in ſolitudine extra urbes cœnobia habuerint, ut patet ex SS. Patribus ſuprà allegatis; ſed tamen *Caſſianus* ſuprà aſſerit, id ab initio Eccleſiæ non fuiſſe, ſed poſtea cæpiſſe, cùm in urbibus zelus ille deferbuerat: poſtea tamen inſtitutum hoc Monachorum intra urbes ſalubriter introductum eſt; ut non tantùm contemplativæ, ſed etiam activæ vitæ ad bonum proximi intenderent.

Sic *Baſilius Magnus* fecit, ut teſtatur *Gregorius* Nazianz. Orat. 20. in laudem Baſilii Magni, apud Jodoc. Coccium ed. Colon. 1601. tomo 2. fol. 351. inter alia dicens: *Cùm igitur ſolitaria vita, & ea quæ ſocietate gaudet, ut plurimum inter ſe diſſiderent*, &c. *præclare eas inter ſe reconciliauit, & permiſcuit, pietatis nimirum gymnaſia & monaſteria extruens*, &c. Idem in vita S Baſilii dicit: *Monaſteriis extructis ita Monachorum inſtitutum temperauit, ut ſolitariæ atq; actuoſæ vitæ utilitates præclare ſimul coniungeret*, &c. II.

Similiter *Ambroſius* ed Pariſ. 1569. tom. 3. epiſt. 82. ad Eccleſiam Vercellenſem loquitur dicens: *In Vercellenſi Eccleſia, ubi duo pariter exigi videntur ab Epiſcopo, Monaſterii continentia, & diſciplina Eccleſiæ: hæc enim primus in Occidentis partibus diuerſa inter ſe Euſebius ſanctæ memoriæ conjunxit; ut & in ciuitate poſitus inſtituta Monachorum teneret, & Eccleſiam regeret jejunii ſobrietate*, &c. *hinc illi præceſſerunt viri Helias, Heliſæus, Joannes*, &c. hæc Ambroſ. III.

Auguſtinus lib. 1 de Moribus Eccleſiæ ed Baſil. 1529. tom. 1. cap. 31. & 32. cùm locutus fuiſſet de Monachis in ſolitudine, poſtea cap. 33. ſic ait: *Nec ideo laudabile Chriſtianorum genus contempſerim, eorum ſcilicet, qui in ciuitatibus degunt à vulgari vita remotiſſimi: vidi ego diuerſoria Sanctorum Mediolani non paucorum hominum; quibus unus Presbyter præerat*, &c. *Romæ etiam plura cognoui, in quibus ſinguli grauitate, atq; prudentia, & diuina ſcientia præpollentes, cæteris ſecum habitantibus præſunt*, &c. de quibus ibi refert, quod in jejuniis & labore manuum ſe exercerent, & ſuſtentarent. IV.

Conſtat etiam ſecundò, quòd Monachi in primitiva Eccleſia tam in ſolitudine, quàm in urbibus degentes, præter quatuor prædicta eſſentialia, diverſos modos exercuerint; Sufficiat V.

VII. hic testimonium Epiphanii qui lib. 3. tom. 2. contra hæreses, cùm hæreses varias retulisset, & confutasset, in fine loquens de Ecclesia catholica sub nomine unicæ columbæ inter varios status & ordines Ecclesiæ, etiam de monastico plura sanctissimè meminit; & tandem circa finem Monachorum varios particulares mores refert dicens: *Quidam ex solitariam vitam degentibus in ipsa Ecclesia habitant in ciuitatibus, aliqui vero in monasteriis desident, & procul secedunt. Placuit autem quibusdam etiam capillos nutrire, honestæ videlicet vitæ gratia, ex propriæ mentis inuento, non ex Euangelii præcepto, neq; ex Apostolorum traditione*, &c. *Nam Paulus Apostolus hunc habitum amputauit: sunt plures aliæ præminentes vitæ conuersationes, quæ in eadem sancta catholica Ecclesia seruantur, eorum, inquam, qui, ab omnibus carnibus abstinent, quadrupedibusq;. & volatilibus, & piscibus, ouo item & caseo: & alia diuersa vitæ instituta: nam unusquisq; secundum proprium laborem accipiet mercedem*, &c. *aliqui vero à quadrupedibus solum abstinent, volatilibus vero & reliquis vescuntur: aliqui vero à volucribus abstinent, utuntur autem ouis & piscibus; alii neq; ouis vescuntur; alii piscibus solis; alii etiam à piscibus abstinent, caseo vero vescuntur*, &c *Jam vero etiam alii à pane abstinent*, &c. *multi etiam humi dormiunt, alii neq; calceamenta induunt, alii saccum gestant occultum*, &c. *Et quidam vitæ renuntiarunt, artesq; tenues & nullius negotii sibi ipsis excogitarunt, ut ne otiosam vitam degant, neq; panem gratuitum comedant, plerumq; vero in psalmodiis & assiduis orationibus, lectionibusq; sacrarum scripturarum & sessionibus exercentur*, &c. hæc Epiphanius.

VIII. Ex his evidens est, quod antiqui Monachi, licèt in illis quatuor essentialibus suprà relatis, quoad generalem monachismi statum convenerint; tamen ob diversas pias intentiones diversa particularia instituta servarint, quod nullatenus intelligi potest de his, qui in eadem congregatione & cænobio degerunt: hæc enim summa confusio fuisset contra illud: *Erat cor unum, & anima una*, & illud psalmi 67. v. 7. *Deus qui inhabitare facit unius moris in domo*, &c.

IX. Erant itaque diversæ congregationes, quæ etiam diversis & specialibus regulis gubernabantur, ut patet de S. *Basilio*, qui specialem Monachis à se institutis regulam præscripsit, & D. *Augustinus* lib. 3. contra Petilian. cap. 40. & alibi profitetur, quod genus Monachorum ab ipso fuerit institutum; quod non potest de primo vel omni intelligi, sed de certo genere sub specialibus regulis: qui singulares status dicuntur Ordines, prout & ab ipso Augustino lib. 1. de Moribus Ecclesiæ cap. 3. suprà nominantur, eò quod secundum certas regulas ordinatè in illis vivatur.

X. Præter autem Ordines *S. Basilii, Augustini, & Hieronymi* postea diversas ob causas, pios & sanctos fines diversi ordines Monachorum instituti sunt sub distinctis Regulis, utpote à *D. Benedicto, Bernardo, Brunone, Dominico, Francisco, Ignatio*, &c. non sine speciali Dei providentia & ordinatione, ut experientiâ constat.

XI. Et hinc etiam à conciliis communi vocabulo Regulares vocantur: similiter etiam generali nomine Religiosi appellantur à Dei cultu: nam, licèt omnes Christi fideles veræ Ecclesiæ dici possint Religiosi, quia in vera fide Deum colunt, & sic status Ecclesiæ vocetur Religio, ut *Augustinus* lib. de vera Religione ait, quia tamen ultra communem omnibus fidelibus debitum Dei cultum Monachi & Regulares per specialia vota Deo ad ipsum specialius diu noctuque colendum consecrantur specialiter Religiosi nominantur, prout etiam D. *Dionysius* lib. de Ecclesiast. Hierarch. cap. 6. testatur: quod ab Apostolis Monachi *cultores* seu *Religiosi* dicti sint, ut suprà art. 2. relatum est, & Synodus prima Nicæna in can. 76. Arabico, sic ordinabat: *Religiosi tum Monachi, tum moniales habeant alia indumenta, & alios mores, quàm Laici*, &c.

Nec hæc Monachorum seu Regularium varietas dissolvit, sed unit & exornat Ecclesiam, XII.
juxta illud ps. 44. *Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.* Ecclesia scilicet Christi universalis veste aureâ charitatis omnibus statibus communi decoratur; ita tamen, ut diversi sint fidelium status; ut patet de statu matrimoniali, cælibatu clericorum & monachorum; sic etiam diversi monastici Ordines Ecclesiam ornant.

ARTICULUS VI.

Refelluntur argumenta, vel potiùs mendacia Calvini de disparitate antiqui & moderni monachismi.

CAlvinus aliquot argumentis ad hoc utitur. Primum est lib. 4. Inst. cap. I.
13 §. 8. ubi dicit: *Notandum est, fuisse olim in monasteriis longe aliud vivendi institutum*, &c. *humi dormiebant, potus erat aqua, cibus panis, herba & radicula. Ab omni delicatiore victu, & corporis cultu abstinebant*, &c. *Talibus vero rudimentis se ad majora munera præparabant; Monastica enim collegia fuisse tunc veluti seminaria Ordinis Ecclesiastici*, quod probat exemplo Basilii, Gregorii Nazianz. & Chrysostomi, qui ex monasteriis ad Episcopale munus vocati sunt, & ex verbis Augustini epist. 81. ad Monachos Insulæ Capratiæ & 76. ad Aurelium, tandem concludit: *Ex his apparet pios homines sese ad Ecclesiæ gubernationem monastica disciplina solitos fuisse præparare, quo aptiores & melius formati tantum munus subirent*, &c. hæc ille.

Respond. primò falsissimum esse, quod mo- II.
nasteria ad illum finem sint instituta, ut ibi sese ad Episcopatum præpararent, contrarium enim patet ex primitivæ Ecclesiæ Monachis, *Antonio* & omnibus Eremitis, qui, ut seculum fugerent talem vitam subierunt. Patet etiam ex ipsis sanctis Patribus allegatis, præsertim *Gregorio Nazianzeno, Chrysostomo, & Basilio*, qui omni modo sese ab Episcopatu subducere studuerunt, imo *Gregor. Nazianzenus* tandem se subduxit ab Episcopatu. Et certè summa injuria SS. viris irrogatur, quasi ex ambitione tale vitæ institutum suscepissent, ut faciliùs ad Episcopatum promoverentur; sed contrarium patet, quod coacti, tale munus susceperint, mens autem *August.* patet dum tomo 2. ed. Basil. 1529. epist. 81. monet Monachos dicens: *Vos autem fratres exhortamur in Domino, ut propositum vestrum custodiatis, & usq; in finem perseveretis*, &c. ecce intentio primæva Augustini circa Monachorum statum,

statum, tamen subdit: *Si quam operam vestram mater Ecclesia desideraverit, nec elatione avidi suscipiatis*, &c. ecce quod multò minùs velit, ut eâ intentione Monachi fieri debeant, &c. *nec blandiente desidiâ respuatis, sed miti corde obtemperetis Deo, nec vestrum otium necessitatibus Ecclesiæ præponatis*, &c. hæc August. tali modo ex obedientia Monachi pii munera Episcopalia susceperant.

III. Respond. secundò, quod si Calvino cordi fuerit id, quod dixit, quod pii homines sese ad Ecclesiæ gubernationem per monasticam disciplinam soliti fuerint præparare, cur ipse non instituit talis rigoris & disciplinæ monasteria, ut in illis exercerentur sui sequaces ad munus prædicantium promovendi?

IV. Secundò Calvinus dicit: *Augustinus duobus locis veteris monastici formam nobis depingit.* Ubi primò allegat verba Augustini lib. 1. de Moribus Ecclesiæ catholicæ ed. Basil. 1529. tome 1. cap. 31. suprà art. 3. recitata, ubi cap. 33. Augustinus etiam recitatis jejuniis & austeritatibus in cibo & potu Monachorum dicit: *Nemo urgetur in aspera, quæ ferre non potest*, &c. *meminerunt enim quantopere scripturis omnibus commendata sit charitas*, &c. *multi vinum non bibunt*, &c. *languidioribus, & qui sine ipso nequeunt salutem corporis obtinere, humanissime* &c. *præberi faciunt; & nonnullos stulte recusantes, fraterne admonent, & ita pietatem sedulo exercent, & charitas præcipue custoditur*, &c. hæc August. Ex quibus Calvinus infert, quod modernus monachismus falsò alleget antiquitatem, quasi in prædictis diversus.

V. Respond. tamen Calvinum ex his potiùs confundendum, ut suprà ostensum est; nam Augustinus ibidem allegat, quod Monachi antiqui continentiam & paupertatem maximè coluerint; quod & moderni faciunt: quoad jejunia & austeritates, quæ accidentalia sunt, constat ex *Epiphanio* art. præcedenti relato, quod diversimodè servata sint: & hoc tempore Monachi sua habent jejunia, austeritates, abstinentias, &c. & quod Augustinus maximè commendet pietatem; quod infirmi non cogantur ad ea, quæ ferre non possint, quod etiam in omnibus Monachorum Regulis præscribitur: sic in Regula FF. Minorum circa infirmos præscribitur, ut suprà relatum est.

VI. 3. dicit Calvin. §. 10. quod August. prædictis locis, *dum sanctum ac legitimum monachatum nobis deformat omnem rigidam exactionem vult abesse earum rerum; quæ nobis verbo Domini libera relinquuntur, atqui nihil est, quod hodie severius exigatur, scelus enim inexpiabile esse dicunt, si quis in colore aut specie vestis, si quis in genere cibi, si quis in aliis frivolis ceremoniis vel minimum à præscripto deflexerit*; hæc Calvin.

VII. Respond. primò Calvino ex ore verbum verum excidit, dum sanctum & legitimum monachatum ab Augustino descriptum ponit; adeoq; status monasticus tempore Augustini talis fuit; talem ipse & sui amplecti debuissent; sed more suo mentiri non cessat.

Primò certum est, quod August. ibi non intendat relinquendam Monachis libertatem circa continentiam vel paupertatem, ut ex ejus verbis ibid. clarissimè patet; sed solùm libertatem in victu & potu quoad infirmos commendat, quod & moderni Monachi servant. Constat etiam ex August. lib. de Opere Manuali, quod Monachis non fuerit liberum orare contra præceptum præpositi, ut infrà ostendetur.

2. Falsissimum est, quod modo ista minuta maximè exigantur, plus quàm charitas & præceptum Dei; verum est, quod minora ista requirantur ad uniformitatem Religiosorum; sicut etiam August. lib. de Opere Monachorum exigebat *tonsuram*, ut infrà patebit; sed charitas Dei & præcepta majora maximè requiruntur, ut patet ex verbis Regulæ FF. Minorum cap. 10. *Fratres attendant, quod super omnia desiderare debent, habere spiritum Domini*, &c. hanc pietatem, hunc Dei timorem Monachi moderni cum antiquis zelant, quicquid Calvinus de novo ficto pietatis modo mentiatur.

4. *Calvinus* allegat D. Augustinum lib. de Opere Monachorum: *Fortiter August. contendit, non licere Monachis de alieno otiosis vivere; tale exemplum suo tempore extitisse negat bene constituti monasterii: Nostri præcipuam sanctimoniæ suæ partem in otio collocant*, &c. *August. deniq; monachismum requirit, qui nihil aliud sit, quam exercitium adjumentumq; ad pietatis officia, quæ Christianis omnibus commendantur* &c. hæc Calvinus. VIII.

Respond. Calvinus iterum mentitur, quasi Augustinus diceret, nullo modo licere Monachis ex Eleëmosynis vivere, ex cap. 16. lib. de Opere Monachorum veritas patebit: verum est, quod Augustinus graviter corripiat aliquos Monachos, qui cùm in aliis officiis extra psalmodiam non occupabantur, reliquum tempus otiosè contra præceptum superiorum transigebant, contra quos allegat illud Apostoli: *Si quis non vult operari, non manducet.* 2. Thess. 3. v. 10. ubi ipse Apostolus causam addit dicens: *Audivimus enim inter vos quosdam ambulare in quiete nihil operantes, sed curiose agentes: iis autem, qui ejusmodi sunt, denuntiamus*, &c. *ut cum silentio operantes panem suum manducent*, &c. ubi patet, quod Apostolus nolit hoc de omnibus Christianis intelligi, & resipsa declarat, quia illa verba non ad Monachos, sed ad fideles Christianos dicta sunt; quod nec Acatholici, nec Prædicantes de se intelligere vellent. An Calvinus olim, & modo Prædicantes de opere & labore manuum suarum vivunt? ut sileam de aliis cujuscunque statûs Acatholicis, quos juxta Calvinum verba Pauli comprehendunt? Verùm August. ex variis locis Pauli probat, quod alii Apostoli non ex opere manuum, sed ex Eleëmosynis aliorum vixerint, & ipse Dominus Jesus habuit mulierculas, quæ necessaria ministrarunt; & ideo juxta Apostoli testimonia ostendit; quod illi, qui serviunt Euangelio & Altari possint inde vivere, sicut & alii infirmi; vel aliis spiritualibus servitiis occupati, ut patet cap. 20. & 21. ubi declarat se loqui de illis Monachis, qui in seculo rusticanis, vel aliorum Opificum laboribus fuerunt astricti, & in monasterio volunt vacare ad alia minus apti, sed de aliis, qui sanctiora obeunt munia generaliter cap. 16. ed. Basil. 1528. tomo 3. concludit dicens: *Propter has igitur vel occupationes servorum Dei, vel infirmitates corporales, &c. non solum permittit Apostolus Sanctorum indigentias suppleri à bonis fidelibus, sed etiam saluberrime hortatur*, &c. & infrà: *Sape testatur etiam Sanctis, qui omnia sua vendita distribuebant, & Jerosolymis habitabant in sancta communione vitæ non dicentes aliquid proprium* &c. *& ab Ecclesiis gentium necessaria conferri* IX. X.

pra-

Digitized by Google

præcipit, ut testatur ad Rom. 15. 1. Cor. 9. 2. Cor. 8. &c. quod prolixè prosequitur, & tandem sic concludit: *Sicut ergo non cessavit Apostolus, imò Spiritus Dei, &c. agere cor eius exhortari fideles, qui haberent hujus mundi substantiam, ut nihil deesset necessitatibus servorum Dei, qui celsiorem sanctitatis gradum in Ecclesia tenere voluerunt, ut spei secularis vincula cuncta præciderent, & animum liberum divinæ militiæ dedicarent*, &c. hæc ibi. Ex quibus patet manifestè, quod eodem modo liceat aliis Monachis Eleëmosynas recipere, qui more fidelium in Jerusalem omnia reliquerunt, ut animum liberum divinæ militiæ dedicarent, vel servitiis spiritualibus intenderent, & cap. 17. eâdem ed. tomo eodem dicit: *Quid enim agant, qui operari corporaliter nolunt, cui rei vacent, scire desidero*, &c. *respondent, quod orationibus, psalmis, & lectione, & verbo Dei*, &c.

XI. Augustinus illa quidem laudat, sed vult, ut tempore intermedio obediant mandato præpositi ad labores dicens: *Citius enim exauditur una obedientis oratio, quam decem millia contemptoris*, &c. ubi patet, quod de illis loquatur, qui aliis spiritualibus & sanctioribus operibus non occupantur, sed tempus intermedium otio terere volunt, præsertim quando ex instituto & obedientia superiorum laborandum est. Ex quo etiam patet, quod Augustinus nunquam intenderit, Monachis omnem libertatem esse permittendam in iis, quæ Deus libera reliquit, ut vult Calvinus, cùm etiam dicat orationem aliàs sanctam non exaudiri, si tempore à superiore non permisso fiat, hæc fusiùs adducenda fuerunt contra Calvini calumnias.

XII. Cæterùm, quod & moderni Monachi otium juxta regulas detestentur, patet ex Regula FF. Minorum cap. 5. ubi dicitur: *Fratres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter & devotè, ita ut excluso otio animæ inimico sanctæ orationis & devotionis spiritum non extinguant*, &c.

Sicut etiam August. ed. Basil. 1529. tom. 1. lib. 10. de Moribus Eccles. cap. 31 de Monachis dicit. *Operantur manibus ea, quibus & corpus pasci, & à Deo mens impediri non possit*, &c.

XIII. Certum autem est, quod labor quem Monachi impendunt in visitandis & consolandis infirmis, & pauperibus; in erudiendis fidelibus catechizando, concionando, confessiones audiendo, S. Scripturam & SS. Patres legendo, ut fideles in fide confortent, hæreticos refutent, labor, inquam, ille longè sanctior sit, quàm manualis, & ille tempus magnum requirat; unde & August. ibid. cap. 29. de se fatetur, quod ipsemet quotidie per duas horas manibus laboraret, si negotia gravia & sanctiora non impedirent.

XIV. Constat etiam ex S. Epiphanio suprà allegato, quod tunc temporis aliqui Monachi erant, qui ex opere manuum vivebant; plerique tamen in psalmodiis exercebantur, supponens quod ex Eleëmosynis viverent.

Sive ergo de labore corporali, sive de spirituali agatur, clarum est: quod Monachi moderni cum antiquis conveniant.

XV. Mirum autem, quod, cùm Calvinus adeo authoritatem Augustini urgeat, non etiam meminerit *tonsuræ vel rasuræ* Monachorum, quam passim derident Acatholici; de qua etiam suprà ex Epiphanio relatum est, quamque Augustin. ibid. cap. 31. urget, ex præcepto etiam Apostolico 2. Cor. 3. ubi dicitur: *Vir quidem, si comatus sit, ignominia est illi*; & per hoc corripit quosdam Monachos, qui capillos nutriunt, & arguit, quod perversè illum Apostoli locum interpretentur; ecce quàm graviter *Augustinus* hanc *rasuram vel tonsuram* urgeat, quæ tamen videtur res levior, quam uniformitas in vestis colore, &c. nec tamen per hoc Augustinus excludit charitatem, imo ibid. cap. 33. dicit, quod tales per illam deformitatem in capillis nutriendis lædant charitatem: sic, licèt Monachi exteriora uniformiter zelent, non tamen magis quàm charitatem; imo per hanc uniformitatem fovetur charitas inter ipsos, ad quam omnia diriguntur.

Videant ergo Acatholici, Calvini sectatores, qualiter Augustini doctrinam circa instituta Monachorum sequantur, & quàm falsò & malitiosè ex Augustino statum modernum illorum damnent.

Calvinus aliud argumentum fingit §. 14. dicens: *Jam illud extremum, quod apud veteres Monachos fuisse dicit Augustinus, ut scilicet totos se ad charitatem accommodarent, quid opus est verbis demonstrare esse ab hac novitia professione alienissimum? Res ipsa loquitur eos omnes, qui in cœnobia conceduni, dissessionem ab Ecclesia facere, quid enim? an non se à legitima fidelium societate separant, peculiare sibi ministerium adsciscendo? quid simile hac in parte habent cum veteribus Monachis? illi tametsi separatim ab aliis habitabant, non tamen habebant separatam Ecclesiam, sacramenta participabant cum aliis, ad solemnes conventus se sistebant illis pars plebis erat; isti privatum altare sibi erigendo, quid aliud quàm vinculum unitatis abruperunt? Nam & se ab universo Ecclesiæ corpore excommunicarunt & ordinarium contempserunt ministerium, quo pacem & charitatem voluit Dominus inter suos conservari; itaq; quot sunt hodie monasteria, tot esse dico Schismaticorum conventicula*, &c. hæc Calvinus dictator. XVI.

Resp. 1. Impia certè Calvini est impudentia, dum Monachos schismatis in talibus arguit, qui charitatem & unitatem Ecclesiæ maximè zelant. Constat, quod schisma Ecclesiæ non facit distinctio locorum, sed animorum, & fidei diversitas: hanc Calvinus & sequaces ejus invexerunt, ab Ecclesiæ, fide & unitate deficientes. Sic Augustinus passim arguit Donatistas, & specialiter in ps. 131. circa illa verba: *Ecce quam bonum*, &c. *habitare fratres in unum*, &c. ut suprà art. 2. relatum est. Vbi hæc præsertim verba in Monachis quantumvis loco in solitudine separatis impleta esse ostendit, ac tandem de hæreticis ait: *Meritò illis displicet nomen Monachorum, quia illi nolunt habitare in unum cum fratribus, sed sequentes donatum Christum dimiserunt*, &c. hæc August. sic & Calvinus cum suis noluit habitare cum fratribus in unum, dimisit Christum aliam fidem fabricando, sacramenta Ecclesiæ vel negando, vel adulterando, fideles à communione Ecclesiæ avocando, &c. hoc est Altare contra altare Ecclesiæ veræ erigere, prout SS. Patres ostendunt. XVII.

Verùm, quod Monachi habeant speciales Ecclesias materiales, ubi juxta ritum Ecclesiæ catholicæ per ministros legitimos ab Episcopis ordinatos & approbatos de consensu Ecclesiæ universalis sacramenta participant, nullam fidei, chari- XVIII.

charitatis vel unitatis dissolutionem causant; æquè minùs, quàm quod fideles per totum orbem in diversis templis conveniant. Quis non miretur Calvini impudentiam, quod in his schisma fingat, & in suis clarjs & gravissimis fidei schismatibus securè obdurescat.

XIX. Quod autem de veteribus Monachis dicere audeat illos non habuisse separatas Ecclesias, sed *sacramenta cum aliis fidelibus participasse, ad solemnes conventus comparuisse, partem plebis fuisse*, &c. pura sunt mendacia: res ipsa clamat contrarium, cùm plurimi in desertis remotissimis habitarint; vel si in urbibus cœnobia essent, suos habebant præpositos & presbyteros, qui illis sacramenta administrabant, cujus clarissimum extat testimonium *Epiphanii* ed. Bas. 1560. in epist. ad Joann. Episcopum Jerosolym. in fine operum, quæ S. Hieronymus Latinæ reddidit linguæ, ubi dicit: *Cùm vidissem, quia multitudo sanctorum fratrum in monasterio consisteret, & sancti presbyteri, Hieronymus & Vincentius propter verecundiam & humilitatem nollent debita nomini suo exercere sacrificia, & laborare in hac parte ministerii, quæ Christianorum præcipua salus est*, &c. (Hoc notent Acatholici, qui sacrificia Missæ blasphemando contemnunt) ubi ostendit, quod alius presbyter ideo ordinandus fuerit, qui se semper subtraxerat, ut Joannes Episcopus illum ordinare non posset, qui sacramenta ministraret, ideo addit: *Invenire autem & comprehendere Dei servum non posses, qui te, eo quod grave onus sacerdotii nollet suscipere, ape fugiebat*, &c. unde subdit: quod illum cum aliis diaconis monasterii & cæteris fratribus ad se venientem ipsum teneri jusserit, & sacerdotem ordinaverit; *Valde quippe obnitebatur indignum se esse contestatus*, &c. & infrà: *Post hæc scripsimus ad sanctos presbyteros monasterii & cæteros fratres, & increpavimus eos, quare non scripsissent super eo*, &c. *cur non haberent, qui sibi Domini sacramenta conficerent*, hæc Epiphan. Ex quibus clarè patet, quod Monachi in suis monasteriis sacramenta participarint.

XX. Iterum quod Monachi veteres in diebus solemnibus non convenerint in Parochiis, sed inter se subinde ad tria millia in solitudine, clarè tradit Augustinus lib. 1. de Moribus Eccles. cap. 31. Quod etiam non fuerint *pars plebis* patet ex Augustino, ubi illos distinguit à plebe in ps. 131. dicens: *Sunt etiam Monachi falsi, quàm & Clerici & fideles falsi*, &c. & licèt ibi Monachos à clericis distinguat, qui scilicet in solitudine habitabant: tamen etiam plures clericos fuisse Monachos patet, ex ipso epist. 81. ad Hilarium, ubi in fine dicit se statum paupertatis assumpsisse, & plures secum ad hoc induxisse, verba infrà, agendo de paupertate euangelica referentur. Hoc etiam patet ex *Ambrosio* epist. 82. ad Ecclesiam Vercellensem suprà art. 5. relato, ubi dicit; quod Eusebius Episcopus in illa Ecclesia monasterii continentiam cum disciplina Ecclesiæ conjunxerit, *ut in civitate positus instituta Monachi teneret, & Ecclesiam regeret*, &c. sic usque modo sunt clerici regulares & omnes Monachi in clero censentur; sed cur sic excommunicati sunt? sive sint pars cleri, sive plebis; uterque status in Ecclesiæ unione est. Calvinus nodum in scirpo quæsivit.]

Similis farinæ argumentum est Calvini ibid. §. 14. dum dicit: quod Monachos non pudet gloriari in eo, quod sic execratur Paulus 1. Cor. 1. v. 12. ut satis exaggerare non possit, scilicet: dum unus diceret, *ego sum Pauli, alius, ego Apollo, ego Cephæ, ego autem Christi*, &c. *& nisi forte Christum fuisse à Corinthiis divisum arbitremur, cum alius alio Doctore superbiret, & nunc sine ulla Christi injuria fieri, quod pro Christianis alios Benedictinos, alios Franciscanos, alios Dominicanos vocari audimus*, &c. hæc Calvin. XXI.

Respond. Falsò Calvinus allegat dissidium Corinthiorum, quasi ob hoc correpti essent; quod unus glorietur se ab hoc Doctore Paulo, alius ab Apollo, in fide instructum esse; vera causa patet ex contextu, dum Paulus cap. 1. v. 13. subjungit dicens: *Divisus est Christus? nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis*, &c. ubi constat causa schismatis vera; quod unus se melius baptisma suscepisse jactitaret, qui à meliore baptizatus esset, prout cum aliis Patribus exponit Augustinus tract. 5. in Joann. &c. ideo Paulus hæc multis modis detestatur & ostendit, quod omnes sint ministri Christi, & fideles, gratiam baptismi & omnia à Christo habent, & Christi sunt: ac proinde tali modo gloriari possit absque injuria Christi; sed quid hoc ad Monachôrum cognomina? omnes se profitentur Christianos, cum aliis fidelibus se in nomine Christi baptizatos, nec quoad similia in ullo homine gloriantur. Quod autem unus dicatur Benedictinus, alius Dominicanus, Franciscanus, &c. solum indicatur, quod præter præcepta Dei habeant particulares distinctas vivendi Regulas, vel status constitutiones vel ordines salvâ unione pacis & Christianæ charitatis. Quis enim diceret Christo injuriam inferri, si aliqui Christiani se vocent Hispanos, alii Gallos ob diversos ipsorum Reges & diversas singulorum Regnorum leges positivas: vel alii dicuntur Clerici, alii conjugati, alii cælibes, &c. si autem subinde unus Monachus suum ordinem præferat alteri, vel ex æmulatione non laudabili, vel ex alia causa, hoc nihil ad fidei vel Ecclesiæ schisma. Ecce Calvini inanes calumniæ. XXII.

Calvinus virus suum non ita continere potuit, quin & domum ipsam veterem Monachorum formam detestetur à S. Augustino descriptam, quam §. 16. accusat dicens: *In exterioris rigidioris disciplinæ exercitiis immodicam affectionem non abfuisse dico.* Secundò dicit: *Pulchrum fuit abdicatis facultatibus omni terrena solicitudine carere; at pluris à Deo fit, familiæ piæ regendæ cura, ubi sanctus Paterfamilias omni avaritia solutus in certa vocatione Deo serviat*, &c. *pulchrum est in secessu philosophari; at christianæ mansuetudinis non est, quasi odio humani generis in solitudinem confugere, & simul ea officia deserere, quæ Dominus imprimis mandavit*, &c. hæc Calvin. sicque damnat veterem monachismum. XXIII.

Respond. hæc adeò falsa, & S. scripturæ ac SS. Pa- XXIV.

Digitized by Google

SS. Patribus contraria sunt, ut ea retulisse, refutasse sit: vult enim occultis verbis indicare, quod melius sit bona temporalia retinere, & uxorem habere, liberos procreare, quàm omnibus relictis Deo purius in castitate adhærere & servire, quasi Deus mandasset omnibus illa facere, &c. de quibus infrà agetur. Sed turpissimum mendacium est, quod Monachi ex odio humani generis solitudinem petant; cùm non ex odio tali, sed manentes in charitate fidelium à secularibus negotiis & curis, quæ mentem impediunt, & sæpe sauciant, sese subtrahunt; ut quietius & purius Deo serviant, juxta illud Salvatoris, *Maria optimam partem elegit* Luc. 10. v. 42. de quibus infrà ex S. Scriptura & SS. Patribus dicetur.

ARTICULUS VII.

Refelluntur ea, quæ Calvinus de vitiis modernorum Monachorum obiicit.

I. Calvinus non tantùm mores modernorum Monachorum; sed etiam ipsum institutum per se vitiosum esse audet asserere dicens: §. 15. *Hæc quæ hactenus inter veteres & nostræ ætatis Monachos discrimina recensui, non in moribus sunt, sed in ipsa professione*, &c. *proinde meminerint lectores*, &c. *ea vitia notasse, non quæ in paucorum vita hærent, sed quæ ab ipso vivendi instituto separari nequeunt*, &c. hæc Calvin.

II. Verùm quàm impudens hoc sit mendacium, patet ex præmissis: modernorum enim Monachorum institutum cum antiquo conforme est, imprimis quoad essentialia, scilicet, quoad vitæ castitatem, rerum temporalium expropriationem, & obedientiam simplicem, ac fraternam charitatem; quod vitæ institutum nemo nisi insanus & Ethnicus damnare potest; & tamen hæc sunt, quæ Calvinus & Acatholici maximè detestantur, & SS. Patres maximè commendant. Secundò, quoad alias regulas & constitutiones, quæ in omnibus & singulis modernorum Monachorum ordinibus reperiuntur, omnia piè & sanctè præscribuntur, prout suprà ex Regula S. Francisci dictum est: quod principaliter in eadem præscribitur, ut secundùm S. Euangelium vivant; & in omnibus attendatur, ut Dei amor & proximi promoveatur: quæ sunt hîc vitia, quæ ab hoc ipso vivendi instituto separari nequeant?

III. Quod si Acatholici dicant, esse vota illa, quibus castitas, paupertas & obedientia Deo promittuntur, hoc turpissimè dicitur contra S. scripturam, ut infrà patebit: & hæc vota ab antiquis Monachis facta sunt, & à SS. Patribus in Monachis laudata, si ergo veterum institutum sanctum fuit, cur ergo hoc vitiosum?

IV. Ipse Calvin. ibid. dicit: *Nunquam adeo bene constituta fuit in monasteriis vivendi regula & disciplina, quin extarent aliqui longe alius dissimiles; ita non sic hodie à sancta illa antiquitate Monachos degenerasse dico, quin aliquos in suo grege bonos adhuc habeant*, &c. hæc Calv. At verò si institutum ipsum, vel quoad vota, vel alia vitiosum est; quomodo dicit, quod in monasteriis bene constituta fuerit sanctè vivendi Regula? & quod hodie adhuc aliqui Monachi à sancta antiquitate non degenerarint? cùm omnes ex professione ad institutum observandum se obligarint, si ergo institutum per se malum, quomodo aliqui sanctam antiquitatem sequuntur? si autem verum est, quod sanctè vivendi regula sit, & sancta antiquitas, ut verissimum est; Calvinus ergo & Acatholici falsò hoc institutum calumniantur.

Calvinus non veritus institutum ipsum tam falsò condemnare, eò liberius in mores Monachorum debachatur dicens eod. §. 15. *In moribus; quanta sit disparitas* (ab antiquis) *quid attinet sigillatim exponere; hoc constat nullum esse hominum ordinem magis omni vitiorum turpitudine inquinatum, nusquam magis fervent factiones, odia*, &c. *In paucis quidem cœnobiis pudice vivitur. si pudicitia vocanda est, ubi catenus reprimitur libido, ne palam fit infamis; decimum tamen, quodq; vix reperitur, quod non lupanar sit potius, quàm castitatis sacrarium*, &c. hæc ille, ad quod allegat D. *Augustinum* de Monachis aliquibus, qui martyrum reliquias vendebant, lib. de Opere Monachorum, &c. V.

Hæ Calvini impudentes & mendaces calumniæ potiùs contemnendæ essent, quàm refutandæ. Verùm, quia moderni Acatholici non cessant quotidie similia objicere, veritas demonstranda est. VI.

Verum imprimis est, quod nullus pro hac vitæ ratione status sit in Ecclesia Dei, quin in eo sint boni & mali, quod D. August. epist. 137. ed. Basil. 1529. tom. 2. etiam de domo sua fatetur dicens: *Quantumlibet vigilet disciplina domus meæ, homo sum, & inter homines vivo, nec mihi arrogare audeo, ut domus mea sit melior quàm Arca Noe, domus Abrahæ*: hæc August. Et constat, quod in agro Christi triticum & zizania semper erunt; ideo tamen nullus status damnandus est, sicut nec ipsa Christi Ecclesia: posito ergo, sed non concesso, quod aliquando tempore Calvini tanta in monasteriis fuissent vitia, quid hoc contra statum Monachorum, cùm ipse fateatur aliquos in illo statu sanctè juxta antiquitatem sanctam vixisse, poterant mali corrigi, & reformari juxta statum. VII.

Sed quis credet omnia monasteria sic degenerasse, ut Calvinus mentitur: unde illi constabat qualiter ubique per totam Ecclesiam Monachi viverent, & quod solum ob timorem infamiæ ab exteriore libidine pauci adhuc reprimerentur? ecce occulta temeraria & falsissima judicia contra S. Scripturam & charitatem. VIII.

Verum est, quod usque modo Apostatæ similia de monasteriis calumnientur; cùm tamen falsitas omnium fidelium manibus palpetur; & si tales apostatæ Monachi tantam scortandi libertatem in monasteriis habuissent, cur illa reliquerunt? nisi dicant, se apud Acatholicos uno honesto matrimonio contentos malle: sed cur toties tales adhuc in adulteriis & lupanaribus deprehenduntur, ut ipsi principes Acatholici tales sæpe abominentur? causa vera est, quod nullus à Religione apostatet; nisi vel ambitiosus, qui ad nutum non promovetur: vel quia furta, vel scortationes commisit, & committere intendit, quæ non permittuntur; & sic sæpius correctus & monitus tandem aufugit; & si turpissima illorum vitia detegantur, licèt publicis Judicum secularium IX.

tabu-

Digitized by Google

tabulis probentur, tamen se apud Acatholicos mille juramentis innocentes esse protestantur: exempla sunt odiosa, sed, eheu, certa: & tales Acatholici, ut Prædicantes fovent, & honorant.

X. Tales igitur nominales Monachi contra suum institutum peccantes sordibus involuti, ut se purgent apud Acatholicos talia calumniantur; &, quia Acatholici talium sordidam vitam vident, alios tales esse judicant; vident autem sæpè, ut nuper generosus quidam Gubernator Acatholicus, dum solum audisset aliquem Monachum ad illos transfugisse, statim dixerit; iterum ergo novum nebulonem, & scelestum accepimus, &c. ex his, inquam, Acatholici alios Monachos judicant.

XI. Hoc D. August. epist. 137. eâdem ed. tomo eodem notavit dicens: *Ad quid enim aliud sedent isti, & quid aliud captant, nisi ut quisquis Episcopus, vel Clericus, vel Monachus, vel sanctimonialis ceciderit, omnes tales esse credant, sed non omnes posse manifestari? & tamen ipsi, cùm aliqua maritata invenitur adultera, nec projiciunt uxores suas, nec accusant matres suas; cùm autem de aliquibus, qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falsi sonuerit, vel veri patuerit, instant, satagunt, ambiunt, ut de omnibus hoc credatur*, &c. hæc Augustin. nunquid Acatholici ista faciunt?

XII. Idem August. ibid. etiam fatetur, quod Calvinus sine loci notatione suprà allegat, dicens: *Fateor*, &c. *quomodo difficile sum expertus meliores, quàm qui in monasteriis profecerunt; ita non sum expertus pejores, quàm qui in monasteriis ceciderunt, ita ut hinc arbitrer in Apocalypsi scriptum: Justus justior fiat, & sordidus sordescat adhuc*, &c. hæc ille. Tales autem sunt, qui à Fide & religione, ac votis suis deficiunt, quos tacet ordo, ut mare mortuos, & venter sanus excrementa non sustinet. Si tales juxta institutum suum sanctum castè humiliterque vivere cuperent, majorem in monasteriis absq; dubio haberent occasionem, nec aliorum mala vita ipsos à bona ad pessimam dejiceret; cùm Calvinus fateatur suo tempore aliquos sanctè in monasteriis vixisse, licèt dicat illos paucos fuisse, & ab omnibus oppressos, sed falsissimè.

XIII. Contrarium patet non tantùm hoc tempore, quo omnes Regularium ordines in omni virtute florent, sed etiam tempore Lutheri & Calvini, constat, qualiter antiqui ordines institutum zelarint, ut patet inter alios in Ordine FF. Minorum, qualiter per *S. Bernardinum* & alios sanctissimos viros Anno 1450. in pristino statu conservatus fuerit, & tempore *Leonis* Anno 1517. qualiter omnes *Patres superiores in capitulo generalissimo congregati* puram S. Regulæ & Euangelii observantiam professi sint. Constat, quod non solùm hi Patres per Italiam, & Hispaniam, ac alia loca zelosissimè vixerint; sed cùm in Germania Lutherus plures Monachos & seculares à sancta Fide & Christi ovili post se traheret; & perderet FF. Minores Reg. observantiæ tum antea, tum illo tempore in novum ante hac incognitum orbem primi omnium Religiosorum profecti sunt, qui sua amplitudine Europam, Africam, & Asiam superat; ubi homines Idololatria, & feritate plenos, ad humanos mores & fidem Christi verbo & exemplo ac miraculis, etiam & sanguine sæpè fuso induxerunt; ita ut spatio sexennii, ultra duodecies centena Barbarorum millia *P. Martinus de Valentia* cum suis sociis circa annum 1624. in Regno Mexicano baptizarit; postea accedentes plures aliorum ordinum Religiosi innumerabilem hominum Barbarorum multitudinem ad Fidem Christi converterunt, & ab illo tempore tam in India Orientis quàm Occidentis usque in præsens convertere non desinunt. Hæc fecerunt tunc temporis *Monachi & Regulares* vitam & omnia pro salute animarum exponendo; quis dicet ergo fuisse tunc pessimos omnium Monachorum mores? si autem in quibusdam Germaniæ & XIV.
Galliæ partibus plurium Monachorum sordida vita fuerit; considerent Acatholici, quales progenitores habuerint, ex talibus enim Lutherus & Calvinus suos Prædicantes coadjutores aptarunt; nam, licèt, ut vult Calvinus, *omnes Monachi omnium vitiorum turpitudine inquinati erant, exceptis paucis, qui suo tempore dispersi in monasteriis delitescentes à sancta antiquitate non degeneraverant, sed in illa perseverabant*, utique in castitate, paupertate, obedientia, humilitate, &c. hi ergò cùm in monasteriis (fatente Calvino) manserint; & tamen tot centeni Monachi ad Lutherum & Calvinum transierint; quales obsecro illi fuerunt, nisi quales Calvinus descripsit? quos per conversationem probare potuit pessimos.

Verum est, quod SS. Patres etiam suo tempore de malis Monachis conquesti sint, prout XV.
Aug. suprà epist. 137. & similiter lib. de Opere Monach. cap. 28. ed. Basil. 1528. tomo 3. conqueritur dicens: Multi hypocritæ sub habitu Monachorum vagantur; *alii membra Martyrum, si tamen Martyrum venditant*, &c. quæ Calvinus in vituperium monachismi pluribus additis allegat, sed omittit reliqua, quibus *Augustinus* Monachos bonos & statum eorum commendat dicens de illis vagis: *Ubicunq; in factis suis malis deprehensi fuerint, sub generali nomine Monachorum vestrum propositum blasphematur, tam bonum, tam sanctum, quod in Christi nomine cupimus, sicut per alias terras, sic per totam Africam pullulare*, &c. hæc Aug.

Iterum Aug. in ps. 131. eâdem ed. 1529 tomo 8. dum institutum Monachorum in illis verbis: *Ecce quàm bonum*, & exemplo fidelium Act. 4. commendasset, subjungit: *Sunt, & qui Monachi falsi sunt, & nos novimus tales, sed non perit fraternitas pia propter eos, qui profitentur, quod non sunt, tam sunt enim Monachi falsi, quàm & Clerici falsi, & fideles falsi. omnia ista tria genera* &c. *habent bonos suos, habent malos suos; de tribus enim ipsis generibus dictum est, duo in agro, unus assumetur, & unus relinquetur*, &c. hæc ibi. XVI.

Demum idem lib. de Moribus Ecclesiæ eâd. ed. 1529. tom. 1. cum cap. 31. enarrasset vitam Monachorum sanctissimam in fine subdit dicens: *Hæc Manichæi reprehendite, si potestis, nolite cæcis hominibus & discernere invalidis zizania nostra ostentare*, &c. & c. 34. *Nunc vos illud admoneo, ut aliquando Ecclesia Catholicæ maledicere desinatis, vituperando mores hominum, quos & ipsa condemnat, & quos quotidie tanquam malos filios corrigere studet*, &c. hæc Aug. XVII.

Ita & modernos Acatholicos, cùm Calvin. in locum suum abierit; merito alloquor, ut desinant statui Monachorum maledicere vitupe- XVIII.

 rando

Digitized by Google

rando mores hominum Monachorum; quos & ipsa Ecclesia condemnat, & ipsi boni Monachi condemnant, & superiores quotidie corrigere student: sic concil. Trid. sess. 25. de reform. quoad Regulares sanctissimè sanxit; & Religiosi seu Monachi in capitulis generalibus & provincialibus, ac continuis visitationibus invigilare non cessant: si interim aliqui in tam sancto statu, & inter tot bona exempla, ac monitiones indurescant, & pejores fiant, eò magis deplorandi sunt, & statui nihil derogatur; ut tempore suo D. August. etiam protestatus est; & hi in castitate & pietate juxta statum suum vivere non volentes, sed libidinibus servientes (quantumvis in charitate moneantur, cùm in monasteriis libertas peccandi illis non permittatur) ad Acatholicos apostatando transfugiunt, & ab illis in Prædicantes assumuntur; ubi liberè libidini vacantes, & vitiis immersi sese è tenebris ad lucem pervenisse turpissimè gloriantur, & acceptantur. ô cæcitatem!

XIX. Denique, quod si Calvino cum suis sectariis veterum Monachorum institutum, ut sanctum, prout & ipse fatetur, verè & ex corde agnovisset, prout SS. Patres illud commendarunt, cùm ex illorum moribus & vita S. Ecclesiam illustrem prædicarint, etiam objiciendo hæreticis, ut suprà ex D. Aug. lib. de Moribus Ecclesiæ dictum est, si, inquam, Calvino tale veterum institutum ita cordi fuisset, & modernorum Monachorum vitam planè degenerasse vidisset, cur ipse veterum institutum non reduxit? cur non reformavit? nam circa mores reformatio in Ecclesia locum habet; cur nullo in loco vel Monachorum, vel sanctimonialium monasteria juxta primævæ Ecclesiæ instituta erexerunt? vel in antiqua monasteria reduxerunt? sed ex operibus fraus & mendacium patet; dum qualiacunque monasteria vastant & evertunt, nec ullum signum antiquorum Monachorum instituti exhiberi sinunt: in veritate autem sicut modernos Monachos, ita & antiquos detestantur, quia illorum operibus contrarii fuerunt, & sunt: ut magis agendo de castitate & votis patebit.

CAPUT II.

De Consiliis Euangelicis in communi eorumque Perfectione.

ARTICULUS I.

Referuntur errores Acatholicorum, & doctrina Catholica.

I. Quæstio est, an sint aliqua bona opera, quæ quidem à Christo in Euangelio sint commendata, sed non præcepta; ita ut Christus in arbitrio hominis illa sic reliquerit, quod si ea non fecerit, non peccet; si vero fecerit, excellens præmium à Christo promissum consequatur: præcepta vero Dei sic ad opus obligent, ut si non serventur, peccet, juxta illud Hieronymi in epist. ad Eustochium de servanda virginitate. *Vbi consilium, ibi offerentis arbitrium; ubi præceptum datur, ibi necessitas est servientis*, &c. in quæstione igitur est, inter Ecclesiam & Acatholicos an talia consilia, præsertim *continentiæ, obedientiæ, & paupertatis voluntariæ perpetua* in Euangelio dentur. Acatholici negant talia dari consilia; sed omnia præcepta esse: licèt diverso sensu asseruerint.

II. Erant olim hæretici dicti *Apostolici*, qui cælibatum & paupertatem à Christo præceptam dicebant, *ita ut negarent quemquam salvari posse, nisi viveret more Apostolorum in cælibatu & paupertate*, ita refert *Epiphanius* hæres. 62. Augustin. hæres. 40.

III. Similiter alii dicti *Encratitæ* Tatianum secuti asserebant, *quod omnes Christiani sub præcepto cælibes esse deberent, & à nuptiis abstinere*, ut refert *Iren.* lib. 1. cap. 30.

IV. *Pelagiani* inter alios errores docebant, quod *Christiano non esset spes salutis, qui non actualiter renuntiaret omnibus, quæ possidet.* Ita Hilarius quidam scribit *Augustino* epist. 88. quod Aug. epist. 89. & 106. refutat.

Econtra *Jovinianus* concedebat quidem *continentiam vel cælibatum* non esse præcepta; sed tamen negabat ullum de hoc esse Christi consilium; insuper nullam esse differentiam inter *cælibatum & matrimonium*, sed ambo esse ejusdem meriti asserebat; ita refert *August.* hæres. 82. & *Hieron.* lib. 1. contra Jovinianum. V.

Wicleff, ut suprà cap. 1. art. 1. relatum est, non solùm negabat illa tria esse Euangelica consilia, sed potius à Deo esse prohibita, prout à Monachis servantur. dicere ausus fuit. VI.

Hunc imitatus est *Lutherus*, qui negat etiam talia consilia lib. de Votis Monasticis dicens: *Hic duo incidunt eorum principia fidei seu potiùs perfidia tractanda; quorum primum, Euangelium non esse omnibus commune; sed partitum in consilia & præcepta, quæ reliquo vulgo proposita sunt.* Et infrà: *Si probare poterimus non esse consilia, quæ illi jactant, & vovent, nonne deprehendemus eos damnabiliter errare, imo & Deum blasphemare*, &c. hæc miser Lutherus, ubi intendit probare, quod illa, quæ Matt. 19. de omnibus vendendis, & Christum sequendo, ac quæ de continentia Christus dixit, omnia illa non sint consilia, sed necessaria mandata; verba Christi in falsum sensum detorquens, ut patebit. VII.

Caluinus statum monasticum, ut hactenus visum est, omnibus modis impugnat, & specialiter quatuor in illo detestatur. Primum lib. 4. Inst. cap. 13. & imprimis §. 11. *Quod dicatur status perfectionis*, non obstante, quod eo modo id dicatur, quia in illo ad perfectionem tenditur. Secundum, *quod professio monastices baptismo comparetur.* §. 14. Tertium rejicit *generaliter consilia Euangelica* §. 12. arguens Monachos, quod dicant, *se plus oneris suscipere, quàm Christus imposuerit*; quoniam VIII.

Digitized by Google

quoniam scilicet Euangelica Consilia de diligendis inimicis, de non appetenda vindicta, de non jurando, &c. *se servaturos promittunt, quibus non sint communiter adstricti Christiani: in eo quam nobis antiquitatem obtendent? nulli unquam hoc veterum venit in mentem, omnes una voce clamant, nullam voculam à Christo emissam, cui non sit necessario obtemperandum. Et hæc ipsa nominatim, quæ isti boni interpretes Christum consuluisse duntaxat nugantur, jussa esse nulla dubitatione ubique docent*, &c. hæc Calvin. sed fraudulenter & mendaciter ponit illa exempla *de diligendis inimicis, de non jurando*, &c. licèt enim hæc Religiosi observare studeant, non tamen ut consilia hæc vovent, sed ut præcepta vera observare debent: de veris consiliis quantopere etiam mentiatur, infrà patebit.

Quartò agit in particulari contra tria vota *continentiæ, paupertatis, & obedientiæ* perpetuæ §. 13. 17. 18 & 19.

IX. *Ecclesia Catholica* juxta sacram Scripturam & sanctorum Patrum doctrinam tradit, plura esse opera bona; quæ verè & propriè à Christo Domino sint tantùm consulta & non præcepta, pia, Deo grata, iisque singularia præmia promissa, specialiter *continentiam, paupertatem, & obedientiam perpetuam*: quia autem Acatholici duo potissimùm negant; primum quòd dentur talia consilia Euangelica; secundum verò ampliùs detestantur, quòd talia Deo voveri possint, præsertim ad illum colendum, in hac quæstione ostendetur, quòd sint talia consilia in generali: in sequenti de tribus in speciali; in tertia, quòd talia piè Deo voveantur, etiam ad ipsum colendum.

ARTICULUS II.

Quòd Status Consiliorum bene dicatur Status Perfectionis.

I. Primò quidem, quòd dentur quædam euangelica Consilia vera, non præcepta, infrà agendo de his tribus principalibus ex sacra Scriptura & sanctis Patribus ostendetur: ubi manifestè patebit, quàm enormiter Calvinus mentitus sit, quasi nulli veteri unquam in mentem venerit, quòd aliqua sint consilia; sed omnia Christi verba sint præcepta:

II. Quoad perfectionem autem status consiliorum hîc sufficiat August. edit. Basil. 1529. tomo 6. lib. 1. de adulterinis conjugiis, cap. 14. dicens: *Multa sunt facienda non jubente lege, sed libera charitate, & ea sunt in nostris officiis gratiora, quæ cùm liceret nobis non impendere, tamen causa dilectionis impendimus*, &c. plurima testimonia infrà adducemus.

Chrysostomus tomo 5. edit. Basil. 1547. Hom. 8. de Pœnit. *Nequaquam*, ait, *Dominum incuses, haud mandat impossibilia, multi ipsa superant mandata*, ubi exempla ponit de castitate, & paupertate voluntaria, & postea in persona Dei de his dicit: *Non cogo, non gravo, sed proficientem quidem coronabo, non proficientem non punio*, &c. hæc Chrysostomus.

III. Sciendum ad propositum 1. quòd juxta communem Doctorum sententiam status aliquis dupliciter dici potest perfectionis; semel, quòd scilicet illi, qui in tali statu sunt, perfecti esse debeant, quantùm humanitus fieri potest; Hoc modo Doctores Catholici vocant statum Episcopalem perfectionis, quia Episcopos decet ut taliter sint perfecti juxta illud 1. Timoth. 3. v. 2. *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse*, &c. & ad Titum 1. v. 7. *Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem*, &c. *justum, sanctum, continentem.*

Alius dicitur status perfectionis illorum, qui quidem perfecti non sunt, sed ad perfectionem per specialia media pia & sancta, juxta institutum illius status tendere debent. IV.

Sciendum 2. quòd DD. Catholici juxta sacram Scripturam doceant, veram & absolutam Christiani hominis perfectionem in charitate vera Dei & proximi consistere, quod patet ex illo Matth. 22. v. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, &c. *hoc est primum & maximum mandatum*, &c. & 1. Cor. 13. v. 1. *Si linguis hominum loquar & Angelorum*, &c. *& si distribuero in cibos pauperum omnes facultates*, &c. *Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* & 1. Tim. 1. v. 5. *Finis autem præcepti est charitas de corde puro*, &c. Item ad Coloss. 3. v. 14. *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*: & ratio est, quia perfectio vera hominis consistit in unione cum Deo, quantùm possibile est; hæc autem unio fit per charitatem juxta illud 1. Joann. 4. v. 16. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo*, &c. V.

De hac loquitur Augustinus edit. Basil. 1528. tomo 7. lib. de Natura & Gratia cap 70. dicens: *Charitas inchoata, inchoata justitia est; charitas provecta, provecta justitia est; charitas magna, magna justitia est; charitas perfecta, perfecta justitia est: sed charitas de corde puro & conscientia bona, & Fide non ficta, quæ tunc maxima est in hac vita, quando pro illa contemnitur vita*, &c. hæc ille. VI.

Tertiò, perfectio charitatis tripliciter considerari potest; primò absolutè & simpliciter, quâ Deus sic diligitur, quantùm in se diligibilis est, ut nihil desit: perfectum enim absolutè est, cui nihil deest, talis perfectio charitatis in solo Deo est, quia Deus in infinitum est diligibilis, & sic solus seipsum perfectè diligit, & est essentialiter charitas, 1. Joann. 4. suprà: *Deus charitas est*, &c. VII.

Secundò perfectio charitatis sumitur pro illa, quâ Deus diligitur, in quantùm à creatura diligibilis est: & hanc perfectionem Sancti in cælis habent; sed talem pro hoc statu homines non habent, ideo dicebat Apostolus ad Philipp. 3. v. 12. *Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim, sequor autem, si quo modo comprehendam*, &c. VIII.

Tertio modo dici potest perfecta charitas secundùm certum modum: cui scilicet nihil deest eorum quæ ad vitam æternam acquirendam sunt necessaria: & hoc modo perfectus dicitur omnis Christianus habens charitatem, qui servat præcepta Dei, &c. juxta illud 1. Joann. 2. v. 5. *Qui servat verbum ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta est*; qui ideo perfectus dicitur, quia omnia præcepta servat, respectu illius qui aliqua non servat, & simpliciter imperfectus est, & hoc modo Christus dicit omnibus Matth. 5. v. 48. *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* IX.

Eo modo in charitate perfectus dici potest, cui non solùm aliquid eorum non deest, quæ ad vitam æternam sunt necessaria, utpote servanda præ-

Digitized by Google

præcepta Dei servat consilia Euangelica à Christo commendata: & hoc modo status monachalis dicitur perfectior, seu status perfectionis, quòd secundùm illum professores illius per prædictorum observantiam tendere debeant ad perfectionem.

XI. Sciendum 4. quòd status Religiosorum seu Monachorum non ideo dicatur perfectionis, quòd in illo solùm observari debeant Euangelica consilia; sed quod principaliter observari debet charitas, tanquam præcipua perfectionis ratio; consilia verò Euangelica tanquam instrumenta & adminicula, per quæ homo juvatur, ut meliùs præcepta Dei in charitate observet, & in illa proficiat. Unde in collationibus Patrum dicebat Abbas Moyses: *Ieiunia, meditatio Scripturarum, nuditas, & priuatio omnium facultatum*, &c. *non perfectio, sed perfectionis sunt instrumenta, quia non in istis consistit disciplina illius finis; sed per illa peruenitur ad finem*, &c. hæc ille. Idem docent SS. Patres & Doctores, ac proinde dicit *Hieronymus* lib. 3. in Matth. quòd Christus non dixerit adolescenti absolutè: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia*, &c. sed cum addito, *& sequere me*. Item nec Apostolis absolutè dixit: *Vos, qui omnia reliquistis, sedebitis super sedes*, &c. *hoc enim & Crates fecit Philosophus, & alii multi contempserunt diuitias, sed qui secuti estis me, quod proprium est Apostolorum atq; credentium*, &c. hæc ille.

XII. Similiter *August.* loquitur in Enchiridio ad Laurentium edit. Basil. 1528. tomo 3. cap. 121. dicens: *Quæcunq; ergo mandat Deus, ex quibus unum est: Non mœ. haberis, & quæcunq; non jubentur, sed speciali consilio monentur, ex quibus unum est; Bonum est homini mulierem non tangere; tunc rectè fiunt, cùm referuntur ad diligendum Deum, & proximum propter Deum*.

XIII. Hinc omnes DD. Catholici docent, quòd *continentia, paupertas, & obedientia* dupliciter considerari possint; semel secundùm se, & secundùm propriam rationem tantùm; aliter prout conjunguntur charitati, & ab ea imperantur: priori modo, ut suprà dictum est, non sunt perfectio, sed tamen instrumenta ad perfectionem esse possunt; ac proinde, si à charitate non imperentur, nihil prosunt, juxta Apostolum suprà 1. Cor. 13. *Si distribuero*, &c.

Secundo modo includunt & supponunt charitatem perfectiorem; quæ ultra præcepta etiam talia consilia imperat; & hæc imperando, & exercendo intenditur, & perficitur.

XIV. Itaque nullo modo comparatio facienda est inter charitatem & consilia, quasi hæc essent perfectiora, quod falsissimum est; cùm nec perfecta sint absque charitate: sed comparatio fit inter consilia cum charitate conjuncta, & inter status conjugum ac divitum charitate præditorum, & sic hic status conjugalis etiam perfectus est; sed status consiliorum perfectior.

XV. Ex his facilè patet, quòd status Religiosorum juxta sacram Scripturam, & præsertim illud verbum Christi Matth. 19. *Si vis perfectus esse*, &c. bene dicatur *status perfectionis respectu status communis fidelium*; ex eo, quòd secundum hunc statum Monachi teneantur proficere in charitate Dei, non solùm quoad observantiam præceptorum Dei, ad quam omnes obligantur; sed etiam per aliarum virtutum opera, quæ Christus non præcepit, sed consuluit, & quæ plurimùm ad charitatis profectum deserviunt; quæ sunt prædicta tria consilia ex Euangelio à sanctis Patribus observata & commendata; ad quæ alii fideles secundùm vocationem suam non obligantur: & juxta hæc SS. Patres, ac in particulari D. *Hieronymus* lib. contra Vigilantium distinguunt tres gradus perfectionis circa distributionem bonorum in pauperes; ut infrà agendo de paupertate verba illius clariùs ostendunt.

Unde patet & refutatur *Calumnia Caluini* lib. 4. cap. 13. §. 10. & 11. cùm imponit Doctoribus Catholicis, quos Sophistas vocat, quasi titulum perfectionis omnibus aliis Dei vocationibus adimant, & soli Monachorum statui attribuant, idque ob ista consilia servata, Cùm, ut ait, *in charitate omnibus fidelibus communi perfectio consistat*; quasi Monachi hâc exclusâ, ut ait §. 10. *nouam sibi imaginentur pietatem, cujus meditatione sint aliis omnibus perfectiores*, &c. patet enim ex dictis; quòd charitas omnibus fidelibus tribuatur, & ejusdem perfectio: sed ob specialem causam quâ charitas etiam consilia in Monachis juxta institutum imperat, specialius perfectio dicitur: quod clarum est, nec aliquis sani sensûs negare posset, licèt Calvinus Sophisticè aliter detorqueat, ut liberiùs calumniaretur. XVI.

ARTICULUS III.

Quòd Consilia Euangelica ad charitatis perfectionem plurimùm conducant.

Hoc ipsum tam ex sacra Scriptura, quàm ex ratione naturali patet; illa enim consilia exprimunt tres principales virtutes, quæ vitiis charitatis profectum multum impedientibus contrariantur; de quibus dicitur 1. Joann. 2. v. 15. *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo, quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*, &c. I.

Etsi autem omnes fideles in omni statu contra hæc capitalia vitia militare debeant; ita ut illis non consentiant, non tamen omnes ex vi statûs sui obligantur vitare plures occasiones, quæ faciliùs ad vitia trahunt; sicenim conjuges uti possunt actu maritali licito, & alii divitiis, & possessionibus, ubi faciliùs ad illicitam concupiscentiam tales trahuntur, & à vera charitate deficiunt; quod indicat Christus Dominus Luc. 14. ubi referens impedimenta quibus homines à cœna charitatis detinentur dixit, quòd unus dixerit v. 18. *Villam emi*, alter v. 19. *Iuga boum emi quinque*, &c. & tertius, *uxorem duxi, non possum venire*, &c. quod ad minùs intelligendum est, quòd tales difficulter in charitate Dei proficere possint, cùm semper sint in occasione, & in his quæ licitè agunt, facilè excedere possint; idipsum etiam Christus indicat, & exponit Matt. 13. v. 2. ubi loquens de seminibus ait: *Alia ceciderunt in spinas, & spinæ creuerunt, & suffocauerunt ea*, &c. spinas autem ibid. interpretatur dicens: *Solicitudo sæculi istius, & fallacia diuitiarum suffocat verbum*. Similiter Luc. 8. v. 14. dicit: *Quod autem in spinas cecidit; hi sunt, qui audiunt, & a solicitudinibus, & diuitiis, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur*, &c. hæc Dominus. II.

Quis

Digitized by Google

III. Quis quæso nisi effrons negaret, quòd illi, qui se ipsos castrarunt propter Regnum cælorum, id est, qui absolutè propter Dei servitium, & animæ bonum resignarunt omnibus carnalibus actibus, etiam in Matrimonio licitis, & ideo occasiones vitant; non possint securiùs resistere concupiscentiis carnis, quàm illi, qui actibus carnalibus etiam licitis utuntur? ubi natura quotidie excitatur, nec ita facilè cohibetur, ut intra limites maneat; ut scilicet *utantur hoc mundo, quasi non uterentur*, prout indicat Apostolus 1. Cor. 7. v. 28. & non dicit de virgine, sed de conjugata, *si nupserit virgo, non peccavit, tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi*, &c. & iterum v. 33. qui cum uxore est, sollicitus est, *quæ sunt hujus mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est*, &c. de virgine autem ait: *Mulier innupta & virgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu*, &c. quid clarius dici posset?

IV. Similiter illi, qui propter Deum omnia reliquerunt, & nolunt divitiis hujus mundi occupati; sed cum Apostolo 1. Tim. 6. v. 8. *Habentes alimenta, & quibus tegantur, his contenti sunt*; faciliùs effugiunt concupiscentias noxias, quibus divites facilè illaqueantur, ut ex ratione naturali patet, de quibus Apostolus dicit ibid. v. 9. *Nam qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt hominem in perditionem*, &c. hinc Salvator ipse Matth. 19. v. 24. ait: *Dives difficile intrabit in Regnum cælorum, faciliùs est camelum per foramen acus transire*, &c. hæc sacræ Scripturæ loca S. Cyprianus allegans edit. Basil. 1540. lib. de Lapsis dicit: *Decipit multos patrimonii sui amor cæcus, nec ad recedendum parati aut expediti esse potuerunt, quos facultates suæ velut compedes ligaverunt*, &c. hæc ille.

V. Cùm itaque Religiosus status hominem à talibus periculis abstrahat, ac ipsi Religiosi per Dei gratiam heroico animo illa relinquant, licèt naturali affectui grata, & quibus absque Dei offensa, tamen cum periculo spirituali, uti possent, eo fine, ut Deo ferventiùs in vera charitate adhærere studeant, & possint; meritò status perfectionis præ statu communi dicitur: licèt contingere possit, quòd aliquis in Matrimonio, vel inter divitias existens per specialem Dei gratiam minùs adhæreat terrenis, & ferventius Deo serviat, quàm Religiosus vel Monachus: sed hoc Monachi, non Monachismi vitium est; qui sancta media præscribit juxta Christi consilia; quòd autem illa vera consilia, & non præcepta sint, insequentibus agendo de iisdem in particulari ex sacra Scriptura & SS. Patribus ostendetur.

ARTICULUS IV.

Refutantur & refelluntur argumenta Acatholicorum contra Evangelica Consilia.

I. PRimò arguunt hoc modo: Præceptum primum est, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex omni mente tua*, &c. Luc. 10. v. 26. Ergo omnia opera homo facere debet ex præcepto dilectionis; ac proinde nullum est opus bonum liberum & sub consilio tantùm vel supererogationis; sed omnia ex debito facienda: quibus addunt authoritatem Augustini lib. 1. de doctrina Christiana cap. 22. edit. Basil. 1528. tomo 3. ubi dicit: *Cùm autem*, ait, *toto corde, tota mente*, &c. *nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat*. &c. Item lib. de Perfectione justitiæ eâdem edit. tomo 7. circa medium sic ait: *In qua plenitudine charitatis nimirum in patria præceptum illud implebitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. *nam, cùm est adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ; quod vel continendo frænetur, non omni modo ex tota anima diligitur Deus*, &c. hæc August.

Ex his inferunt, cùm præceptum charitatis sine mensura se extendat ad omnia opera bona omni tempore; ergo nulla Christus reliquit sub consilio, nec impleri potest. II.

Respond. 1. quòd mens S. Augustini non fuerit, asserere omnia opera esse sub præcepto, & nulla sub consilio, nimis patet ex aliis clarissimis testimoniis; sufficiat hîc unum Augustini tetigisse. III.

Primò Serm. 18. edit. Basil. 1529. tomo 1. de Verbis Apostoli dicit de Virginibus: *Virgines quod licebat noluerunt, ut plùs placerent ei, cui se devoverunt, ambierunt illam majorem pulchritudinem cordis sui, quid jubes? tanquam dicerent, quid jubes? ne adulteræ simus, hoc præcipis? amando te, plùs facimus, quàm jubes. De virginibus ait Apostolus, præceptum Domini non habeo, ergo quare hoc faciunt? consilium autem do; illæ autem amantes, quibus terrenæ nuptiæ viluerunt, quæ terrenos amplexus non desideraverunt, usque adeo acceptaverunt præceptum, ut non recusarent Consilium, ut plùs facerent, plùs se ornaverunt*, &c. hæc ibi, quæ clarissima sunt.

Pro resolutione itaque sciendum est, quòd duobus modis à SS. Patribus intelligantur illa verba: *Ex toto corde, ex omnibus viribus*, &c. semel; ut intelligatur hoc præcepto mandari omnis gradus charitatis, qui vel in hoc mundo, vel in cælo haberi possit; ita tamen, ut per hoc præceptum homo ad tales gradus habendos sub peccato minimè obligetur, sed solùm ostendatur, ad quantam charitatis perfectionem tendere debeat, ut semper conetur, & humilior sit. Quod ipsum *Augustinus* expresè asserit sæpius, præsertim lib. de Spiritu & Lit. cap. ult. edit. Basil. 1528. tomo 5. ubi cùm dixisset, hoc præceptum in hac vita perfectè impleri non posse, tamen subdit: *Neq; enim se esse nondum potest tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenæ perfectæq; debetur, jam culpæ deputandum est*, &c. hæc ibi. IV.

Similiter lib. de Perfectione justitiæ, cùm similiter dixisset, quòd illa perfectio esset præcepta, ad quam in futuro tendere debeat, ubi etiam nulli erunt motus involuntarii, tamen in fine dicit: *Hæc non esse peccata, nequidem venialia, ut opus nequidem sit pro illorum venia deprecari dicendo, dimitte nobis debita nostra*, &c. Verba Augustini prolixè relata sunt lib. de bonis Operibus, ubi actum est de præceptis, quòd in hac vita servari possint. V.

In hoc ergo sensu adhuc consistit, quòd, etsi omnia tali lato modo dicantur esse sub præcepto, respectu finis futuræ vitæ, non tamen sub præcepto obligante ad culpam; cum quo consistit, quòd aliqua sint sub consilio, & sic conciliantur loca S. Scripturæ & S. Augustini. VI.

Altera

Digitized by Google

VII. Altera expositio est plurium etiam sanctorum Patrum circa illud præceptum dilectionis, *ex toto corde*, scilicet, quòd hoc præcepto non jubeatur homo diligere Deum, quantum etiam in futura vita diligendus est, ut scilicet juxta supremum gradum charitatis diligatur, ut homo nihil agat nisi actualiter & intensissimè omnia propter amorem Dei, sed ut per ly *toto corde*, &c. intelligatur, quòd Deus appretiativè præ omni creatura ametur; ut scilicet homo nihil amori Dei præponat, vel etiam æquiparet, sed super omnia Deum diligat; & hoc præceptum dilectionis omnes homines obligat, cui contrariantur peccata mortalia, per quæ creatura Deo præponitur: & sic hoc præceptum per Dei gratiam servari potest, & cum hoc consistunt opera ex consilio facta, ac etiam peccata venialia, & motus concupiscentiæ involuntarii; & sic Deus potest magis vel minus diligi, ille enim Deum diligit ex toto corde, qui propter Deum abstinet à peccatis mortalibus, & potiùs vitam perdere vellet; sed minus diligit, quàm alius, qui ex amore Dei etiam abstinet, & sibi temperat à licitis, ut D. August. serm. 18. de verbis Apostoli suprà relatus supponit. Hoc modo præceptum dilectionis explicant sancti Patres, specia-
VIII. liter *Hilarius* edit. Basil. in illud psalmi 118 *Latum mandatum tuum nimis*, vel ut ipse legit, *vehementer*, sic dicens: *Latum igitur mandatum Dei est, & in omnia spei nostræ genera diffunditur, ut non difficile sit, si voluntas adsit, præcepto Dei obtemperare*, &c. hæc ibi.

Idem ibid. circa verba: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum*, sic ait: *Via quæ ad vitam ducit, & angusta & tribulata est*, &c. *ergo insolens Propheta existimabitur, qui se tamen hanc currere gloriatur*, &c. *Idcirco*, &c. *hoc addidit*: Cùm dilatasti cor meum, &c. *Cor igitur dilatatur*, &c. *in quo capaci habitatione Spiritus Sanctus dilatatur*, &c. hæc Hilar.

IX. *Hieronymus* lib. 3. contra Pelag. edit. Basil. 1553. tomo 2. paululum ab initio sub respons. sic ait: *Deus possibilia mandavit, hoc nulli dubium est*, &c. hæc Hieronymus, & ipse *Augustinus*
X. lib. de Natura & Gratia cap. 69. edit. Basil. 1528. tomo 7. seu ult. sic ait: *Valde autem bona sunt præcepta, si legitime his utamur, eo quippe ipso, quo firmissime creditur Deum justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere; hinc admonemur & in facilibus, quid agamus, & in difficilibus, quid petamus, omnia quippe fiunt facilia charitati; cui uni Christi sarcina levis est, aut ea una est sarcina ipsa, quæ levis est, secundum hoc dictum est, & præcepta ejus gravia non sunt*, &c. hæc ibi.

XI. Similiter *August.* tomo 8. edit. Basil. 1529. in psalmo 56. in initio tractans mandatum dilectionis ait: *Ne quæremus dubitantes*, &c. *quantum nos debeamus inimicum diligere, quantaq; illa sit, quæ Deo placeat, charitatis perfecta mensura; ea enim perfecta est, quæ maior esse non potest, ipse expressit, ipse docuit*, & ait: *Majorem hac charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat pro amicis suis; fecit ipse, quod docuit; fecerunt Apostoli, quod ab illo didicerunt & nobis facienda prædicaverunt*, & infrà: *In eo quod homo erat imitati sunt servi Dominum*, &c. *& fecerunt, qui nos præcesserunt*, &c. *neq; enim imperaret hoc Deus, ut faceremus, si impossibile esse judicaret, ut hoc ab homine fieret*, &c. hæc August. ubi clarissimè supponit, præceptum dilectionis impleri posse, & esse impletum; neque pro hac vita esse impossibile; quod etiam spectat ad præceptum de diligendo Deo.

Et hæc expositio conformis est sacræ Scripturæ quæ sæpius dicit: homines posse hoc præceptum observare & observasse, ut Deut. cap. 13. v. 3. ubi cùm Moyses dixisset, quòd fugerent falsos Prophetas, qui somnia enuntiant, subdit: *Quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palàm fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde & in tota anima vestra*, &c. quod verè non dixisset, si esset hoc impossibile in hac vita. XII.

Similiter Deut. 30. v. 6. dicitur: *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum*, &c. *ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, ut possis vivere*, &c. si autem impossibile sit illud præceptum ex toto corde, &c. in hac vita servare, ad quid promittit Deus, quòd circumcidat cor, ut diligat in toto corde, &c. & ibid. v. 9. *Revertetur enim Dominus, ut gaudeat super te*, &c. *sicut gavisus est in Patribus tuis, si tamen audieris vocem Domini Dei tui, & custodieris præcepta ejus*, &c. *& revertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est*, &c. ubi Moyses clarè supponit, quòd Patres in toto corde servarint, & quòd filii Israël præcepta servare possint. XIII.

Hoc ipsum clariùs exprimitur 3. Reg. 14. v. XIV.
8. ubi Dominus per Prophetam dicit Jeroboam: *Non fuisti sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo*, &c.

Similiter 4. Reg. cap. 23. v. 25. dicitur de XV.
Josia Rege Juda: *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, in tota anima sua, & in universa virtute sua juxta omnem legem Moysi*, &c. in qua principale erat præceptum dilectionis Dei Deut. 6. ubi præcepta dantur, & v. 5. dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c.

Demum ipse David non superbiendo, sed XVI.
gratias agendo ps. 118 v. 10 dicit: *In toto corde meo exquisivi te*, &c. & v. 58. *Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo*, &c. Ex quibus clarissimè patet, quòd in sensu supradicto juxta sacram Scripturam homo per gratiam Dei possit in hac vita in toto corde Deum diligere, & tamen unus adhuc ampliùs altero. Cùm de Josia dicitur, quòd illi non fuerit similis, & tamen de Patribus & David dicitur, quòd Deum ex toto corde dilexerint, &c.

Secundum argumentum Acatholicorum est XVII.
ex illis verbis Domini Luc. 17. v. 10. *Cùm feceritis omnia, dicite servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus*, ergo omnia ex debito, & nihil ex consilio fit.

Respond. Ex ipso textu argumentum solvi- XVIII.
tur, cùm Christus expressè addit restrictionem dicens: *Cùm feceritis hæc omnia, quæ præcepta sunt vobis*, &c. ubi clarè excipit consilia prout sancti Patres notarunt, & inter alios Ambrosius lib. de Viduis sic ait: *Qui præcepta impleverint dicere possunt servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus; hoc virgo non dicit; hoc non dicit ille, qui bona sua vendidit; sed quasi repositum expectat præmium sicut sanctus Apostolus ait: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? non enim quasi inutilis servus, quod debuit facere, fecisse se dicit: sed*

quasi

quasi utilis Domino, qui commissa sibi talenta quæsitis multiplicavit usuris; mercedem Fidei atque virtutis, bene sibi conscius meritorumque securus expectat, &c. & infrà: *Ideo ergo præceptum non datur, consilium datur, præceptum enim castitatis est, consilium integritatis*, &c. hæc Ambros. similiter alii Patres quoad consilia loquuntur.

XX. Tertium argumentum est: Deus tantæ dignitatis est, & tanta nobis beneficia præstat, ut impossibile sit, quòd ei æquale reddamus; adeóque omnia opera nostra illi sunt debita; nec adhuc satisfaciunt, multò minùs restãt opera, quæ ex consilio, & arbitrio nostro aut supererogatione sine debito faciamus.

XXI. Respond. verum est, quòd Deus tantæ sit dignitatis, & tanta homini præstat, non tantùm semel, sed omni momento, ut homo, si possibile esset, omni momento ipsi gratias agens & serviens per se loquendo debita servitia præstare non possit: verùm constat ex sacra Scriptura, quòd Deus pro sua benignitate humanæ infirmitati condescendens tantam obligationem sub præcepto non dederit, nec imposuerit; sed certa præcepta dedit, quæ si homo per ipsius gratiam observaret, satisfaceret, & Regnum cælorum intraret, juxta illud Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, &c. ac proinde hâc Dei ordinatione stante quoad mandata expressa, possunt dari consilia, quæ ultra præcepta serventur: ut ex verbis Christi & Apostoli constat, & SS. Patres docent.

XXII. Ex quo etiam patet confutatio calumniæ Acatholicorum, quâ dicere audent, quòd homini impossibile sit servare mandata Dei; quod si verum esset, etiam foret impossibile, ut aliquis ad vitam ingrediatur, quia Christus ad hoc exigit, ut mandata serventur; quòd autem illa servari possint, patet ex variis sacræ Scripturæ locis, & specialiter ex illo Joann. 14. v. 121. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.* & v. 13. *Si diligitis me, mandata mea servate*, &c.

Item 1. Joann. 2. v. 3. *In hoc scimus, quia cognovimus eum, si mandata ejus observemus, qui dicit se nosse eum, & mandata ejus non custodit mendax est.* & cap. 5. v. 3. *Mandata ejus gravia non sunt.* quomodo Acatholici cognoscunt Christum, si mandata non servent?

XXIII. Demum Calvinus specialiter triumphando invehitur in professionem Monastices lib. 4. Inst. cap. 13. §. 14. dicens: *Quinquam nihil minùs cogitaverunt Patres, quàm stabilire hujusmodi professionem, quæ postea à cucullatis Sophistis fabricata fuit, ut duplicem Christianismum sic erigerent: Nondum erat sacrilegum illud dogma, quod professionem Monastices Baptismo comparat; imò palàm asserit formam esse secundi Baptismi: ab hac blasphemia quis dubitat Patres toto animo abhorruisse*, &c.

Hæc pro sua authoritate Calvinus sine teste, sine ratione, sine pudore contra veritatem, verè ipse blasphemus.

XXIV. Resp. hæc more suo fingit & mentitur Calvinus; nulli enim Doctores catholici duplicem ponunt Christianismum: sed in una Ecclesia multa ponunt membra quæ diversas habeant operationes, ut clarum est, ex sacra Scriptura 1. Cor. 12. v. 5. & seqq. Variæ sunt institutiones, & vocationes; inter quas una est Monachorum, ut sæpe dictum & demonstratum est.

2. Quoad formam professionis, nullus dicit illam esse alterum Baptismum, qui est Sacramentum ex ordinatione Christi salutem & gratiam conferens, ut dici solet, ex opere operato; quod nullatenus professioni Monastices assignatur; sed hoc solum docetur, quòd si Monachus ex charitate tria illa vota offerat, magnum habeat apud Deum meritum; sicut omnes, qui in gratia existentes ex charitate bona opera præstant, & sic etiam pro peccatis præteritis satisfaciunt per Christi merita: sed nullus docet, quòd talis professio conferat primam gratiam, sicut Baptismus. XXV.

Similiter docent catholici, quòd Monachus in gratia existens possit proximum meritorum suorum reddere participem; juxta illud ps. 118. *Particeps sum ego omnium timentium te*, &c. sed nullus somniat, quòd possit proximo primam gratiam promereri aut salvare suis operibus: quæ omnia ficta sunt. XXXVI.

Verum est: quòd Doctores ponant aliquas similitudines inter Baptismum & professionem Monastices, sed non identitatem; similitudo est, quòd sicut in Baptismo homo renuntiat diabolo & actibus malis, & novus secundùm Deum novam vitam instituere proponit; sic Monachus in professione non solùm prædictis, sed etiam aliis licitis voluptatibus renuntiat, & novam perfectiorem charitatis vitam proponit. Unde valde probabile est, quòd Monachus in gratia existens, & sincerè sic se Deo consecrans, non solùm majorem gratiam obtineat, licèt non primam, quæ in Baptismo confertur verùm etiam remissionem omnis pœnæ temporalis pro præteritis peccatis debitæ; licèt hoc certum non sit, sicut in Baptismo certum est omnem culpam & pœnam remitti. XXVII.

Quòd autem SS. Patres prædicto modo professionem Monastices Baptismo assimilarint, constat ex Hieron. edit. Basil. 1553. tomo 1. epist. ad Paulam de obitu Bresillæ, circa medium de illa sic ait: *Nunc verò, cùm (propitio Christo) ante quatuor ferme menses secundo quodammodo propositi se Baptismo laverit; & ita deinceps vixerit, ut calcato mundo semper monasterium cogitârit, ne verearis*, &c. hæc Hieron. Ecce Calvini mendacium, quòd apud SS. Patres talis sententia non fuerit. XXVIII.

Quòd etiam in professione probabiliter peccatorum pœna remittatur, si bene dispositi sint, colligitur ex S. *Athanasio* in vita S. *Antonii* paulùm ultra medium; ubi refert, qualiter S. *Antonius* in spiritu raptus à dæmonibus accusatus fuerit de peccatis ab exordio nativitatis, quibus angeli respondebant; non debere eos à nativitate ejus delicta narrare, quæ jam Christi essent bonitate sopita; si quæ autem fecerit eo tempore, quo factus esset Monachus, & Deo se consecrasset, licere proferre, &c. hæc Athanas. unde patet quòd moderni Doctores & Monachi nihil novi circa hæc finxerunt. XXIX.

Quæ præterea contra consilia & opera supererogationis moventur ab Acatholicis, suo loco agendo de meritis bonorum operum tradita sunt.

***

CAPUT III.

De Consilio Continentiæ perpetuæ.

ARTICULUS I.

Referuntur errores Acatholicorum & doctrina Ecclesiæ Catholicæ.

I. HÆretici olim dupliciter circa *Continentiam* errârunt, nam aliqui dicebant illam esse præceptam, alii planè rejiciebant.

II. *Apostolici* volebant neminem salvari posse, nisi viveret in cælibatu, &c. ita refert *Epiphan.* Hæres. 62. & August. de Hæres. cap. 40.

III. Similiter *Encratitæ* docebant, quòd omnes Christiani cœlibes esse debeant, & à nuptiis abstinere, ut refert *Irenæus* lib. 1. cap. 3.

IV. Econtrà, *Nicolaus* unus ex septem primis Diaconis Hæresiarcha dicebat: *Nisi quis Venerem quotidie exerceret, non posse eum vitæ æternæ participem fieri,* &c. ita referunt *Epiphan.* & *August.* de hæresi Nicolaitarum.

V. *Gnosticis* adeò invisa erat *castitas*, ut continentes ludibrio haberent, *Epiphan.* Hæres. 26.

VI. *Eunomius* negabat virginitatem majoris esse meriti, quàm conjugium, & relicto Monachatu seduxit virgines, ut nuberent. Ita referunt *Hieronymus* ad cap. 4. Osee. & *Augustinus* Hæres. 54.

VII. *Vigilantius* continentiam dixit esse hæresim, pudicitiam libidinis seminarium, &c. nulli pudicitiam credidit. *Hieronymus* lib. contra Vigilant. cap. 1.

VIII. De *Iovinianis* sic scribit August. tomo 7. edit. Basil. 1529. lib. de Hæres. cap. 82. *à Ioviniano quodam Monacho ista hæresis orta est.* &c. *hic virginitatem etiam sanctimonialium, & continentiam sexûs virilis in sanctis eligentibus cælibem vitam coniugiorum castorum atque fidelium meritis adæquabat; ita ut quædam virgines sacræ provectæ iam ætatis in urbe Roma, ubi hæc docebat, eo audito, nupsisse dicantur.* &c. *cito tamen ista hæresis extincta fuit.* hæc August.

IX. Hos sequuntur moderni Acatholici, *Lutherus*, hostis continentiæ passim illam detestatur, ut lib. contra Ambrosium Catherinum dicebat: *Decima facies Antichristi est insignis ille cælibatus & castitatum monasticæ multitudo; planè angelica facies, sed res diabolica,* &c.

X. Item ad cap. 7. prioris ad Corinth. *Nemo*, ait, *hominum ad continentiam creatus est, sed omnes viri ad generandam sobolem conditi sumus; & tolerandas Matrimonii miserias,* &c.

XI. Item lib. de Vita conjugali, ait: *Crescite & multiplicamini, non est præceptum, sed plùs quàm præceptum; quod nos non possumus impedire vel prætermittere: & perinde necessarium est, ac edere & bibere, & purgare, exspuere, dormire,* &c. *sicut in mea potestate non est, quò minùs sum mas, ita minimè situm est in me, quò minùs sim sine muliere,* &c. hæc pudicus, & spiritualis ille.

XII. Idem in *Epithalamio* asserit mulieres non nisi ad Matrimonium creatas esse: idem esse consultare, sitne uxor ducenda, & sit ne comedendum? & alia stulta; tandem dicit: *Virginitatem quidem præstare coniugio, tamen mulierem coniugalem meliorem esse coram Deo, quàm sit virgo,* &c. quæ hæc cohærentia?

XIII. Demum in lib. de Votis monasticis inter alia dicit: *Christum nunquam consuluisse virginitatem, sed ab ea potiùs deterruisse, & Apostolum, cùm dixit: De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do,* &c. *voluisse dicere, non consulo, sed absterreo,* &c. hæc Lutherus, quæ Christianæ aures meritò abhorrent, & tamen sectatores habet.

XIV. *Calvinus* lib. 4. Instit. cap. 13. Etsi continentiam absolutè non videatur damnare; nullo tamen modo agnoscit, quòd sit Euangelicum consilium de illa perpetuò servanda: & nemo illam præsumere possit; adeòque nec vovere, ita §. 12. & 17. ubi dicit: *Qui habent* (quales putat paucissimos) *donum Continentiæ, eo utantur, si quando se à carne sua inquietari sentiunt, confugiant ad eius opem, cuius solâ virtute possunt resistere; si non proficiant, citantur ad coniugium,* &c. hæc ille, adeòque in nullo perpetuam continentiam probat, imo in Commentario ad cap. 7. prioris ad Corinth. dicit idem, quod Lutherus, *bonum est mulierem non tangere, sicut bonum esset non comedere, si fieri posset.*

XV. *Ioviniani* autem hæresim profitetur, imo superat: dum conjugalem statum casto antiquorum Monachorum statui præfert §. 16. & cùm §. 9. ex D. Augustino retulerat, quòd *olim Monachi contemptis mundi illecebris castissimam sanctissimamque congregati simul ætatem agunt in solitudine,* &c. verùm ipse §. 16. hoc quidem non vituperat, sed dicit pulchrum esse, verùm subjicit: *At pluris fit à Deo, familiæ piè regendæ cura,* &c. hæc ille, ubi satis indicat, se statum matrimonialem præferre statui continentiæ.

XVI Fatentur quidem Acatholici, quòd continentia sit bona & laudabilis, si non ut cultus Dei servetur, nec meritoria dicatur; sed solùm usurpetur, ut expeditiùs munera Euangelica vel Ecclesiæ administrentur; & si tentatio ingruat, ad Matrimonium confugiant.

XVII Doctrina Ecclesiæ Catholicæ est, quòd continentia etiam perpetua sit donum Dei, & possit à Deo obtineri; idque à plurimis non ut præcepta, sed ut consulta, & meritoria singularis præmii cœlestis, excellentior, quàm castitas matrimonialis: prout olim Ecclesia catholica contra hæreticos docuit, & sic in Concilio Trid. iterum declaravit sess. 24. de Matrimonio can. 10. ubi sic dicitur: *Si quis dixerit statum coniugalem anteponendum esse statui virginitatis vel cælibatûs, & non esse meliùs ac beatiùs manere in virginitate aut cælibatu, quàm iungi Matrimonio, anathema sit,* &c.

In

In hoc capite oſtendemus, quòd Continentia perpetua pluribus ſit poſſibilis, & melior, quàm caſtitas matrimonialis, & Deo grata, non præcepta, ſed conſulta, ac meritoria ſingularis præmii. Quòd autem voveri poſſit etiam ad colendum Deum, in alio Capite probabitur.

ARTICULUS II.

Quòd Continentia perpetua Deo grata ſit, à Chriſto non præcepta, ſed conſulta, & commendata, probatur ex verbis Matt. 19. *iuxta communem ſanctorum Patrum expoſitionem.*

I. HÆc veritas probatur ex illo Matth. 19. ubi cùm Chriſtus Phariſæis reſpondiſſet, *non licere dimittere uxorem quacunque ex cauſa, niſi ob fornicationem*, & diſcipuli poſtea Chriſto dixiſſent v. 10. *Si ita eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere; qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt; ſunt enim Eunuchi, qui de matris utero ſic nati ſunt; & ſunt Eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus; & ſunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter Regnum cælorum, qui poteſt capere, capiat*, &c. quæ verba clariſſimè oſtendunt, primò: quòd Chriſtus non præceperit Continentiam, quia alioquin prohibuiſſet Matrimonium, cùm tamen antea dixerat Phariſæis v. 7. *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet*, &c. ſecundò, cùm diſcipuli apprehendentes difficultatem Matrimonii dicerent, *ergo non expedit nubere*, Dominus pro ſua ſapientia ita approbat illorum dictum; ut tamen non prohibeat Matrimonium, cùm dicit: *Non omnes capiunt verbum iſtud.* ubi per *capere* non intelligitur, quaſi non omnes hoc intelligerent, ſed quòd non omnes hoc ſuſcipiant vel approbent; ſicut Joann. 8. v. 37. dicit Dominus Judæis, *quia ſermo meus non capit in vobis*, &c. unde, ut ad continentiam tanquam opus melius hortetur, non propter difficultates corporales Matrimonii evitandas; ſed potiſſimùm ad meliùs Deo ſerviendum; inducit tria genera Eunuchorum: quorum duo priora naturalia ſunt, nec laude digna: ut per hæc ad tertium ſanctum genus inducat non præcipiendo, ſed ſuadendo; ideo ſubjungit, *qui poteſt capere, capiat.* ac ſi diceret, non præcipio, ſed qui volunt, ipſi accepent, &c. ubi patet tam conſilium, quàm etiam poſſibilitas, ut homo habere poſſit hoc donum, ſi quærat, & petat.

II. Eadem veritas patet ex verbis Apoſtoli 1. Cor. 7. *De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do*, &c. etſi hæc ex textu pateant, quia tamen Acatholici, ſemper inveniunt modos etiam manifeſtas Scripturas ad ſuum falſum ſenſum trahendi, Chriſtianus Lector potiùs acquieſcet communi SS. Patrum circa hæc loca expoſitioni; quorum aliqua teſtimonia adducemus.

III. *Clemens Roman.* Conſtit. Apoſtol. lib. 4. cap. 13. edit. Colon. 1569. dicit: *De virginibus præceptum non accepimus: volentium autem poteſtati id remittimus*, &c.

IV. *Cyprianus* lib. de Habitu Virginum propè finem ſic ait: *Nec hoc iubet Dominus, ſed hortatur; nec iugum neceſſitatis imponit, quando manet voluntatis arbitrium liberum, ſed cùm habitationes multas apud patrem ſuum eſſe dicat, melioris habitaculi hoſpitia demonſtrat: habitacula iſta meliora vos petitis carnis deſideria caſtrantes*, &c. hæc ille.

V. *Tertullianus* edit. Baſil. 1562. lib. de Monogamia circa finem circa verba Chriſti, *Non omnes capiunt verbum hoc.* ſic ait: *Elige quod bonum eſt, ſi non potes, quia non vis (poſſe enim te, ſi velis, oſtendit; quia tuo arbitrio utrumque propoſuit)* &c. hæc ille.

VI. *Origenes* edit. Baſil. 1557. p. ſecundâ in Commentar. eiusdem loci, tract. 7. in Matth. ſic ait: *Quoniam quidam calumniantur, quòd Chriſtus ait, quibus datum eſt, quaſi excuſationem habentes, & volentes quidem eſſe in caſtitate, non autem prævalentes: quibus reſpondendum eſt; ſiquidem ſimpliciter accipimus, quod dictum eſt, ſed quibus datum eſt, non autem attendimus, quod alibi dicit: Petite & dabitur vobis*, &c. *qui petit, accipit*, &c. Et iterum: *qui vult capax eſſe verbi, quod de caſtitate poſitum eſt, petat credens dicenti, & accipiet non dubitans de illo, quod dictum eſt; omnis qui petit, accipit.* hæc ille, quid clariùs?

VII. Idem *Origenes* edit. eâd. ad cap. 2. ad Rom. dicit: *Quòd verò dicunt, quia, ſi neceſſaria non erat illa pars membri, fieri à Creatore non debuit, ſi neceſſaria facta eſt, non debet auferri, interrogentur eos & nos; ſi neceſſariam dicant filiorum procreationem? neceſſariam ſine dubio reſpondebunt: erunt ergo culpabiles, qui continentiæ & virginitatis obtentu naturæ officiis non miniſtrant, & erunt cogendi ad nuptias, qui ſecundùm Euangelii leges ſe ipſos caſtrauerunt propter Regnum Dei, habentes exempli huius authorem cùm multos alios Sanctorum, tum etiam ipſum Dominum Ieſum*, &c. Ecce refutatio Lutheri & Calvini calumniarum de neceſſitate conjugii.

VIII. *Clemens Alexandr.* apud Coccium tomo 2. fol. 391. edit. Colon. 1601. lib. 3. Stromatum dicit: *Nos propter dilectionem in Dominum, & propter ipſum honeſtum amplectimur continentiam templum Spiritus ſanctificantes; honeſtum enim eſt, propter Regnum cælorum ſeipſum caſtrare ab omni cupiditate, & emundare conſcientiam à mortuis operibus ad ſerviendum Deo viventi; qui autem propter odium adverſus carnem ſuſceptum à coniugali coniunctione liberari deſiderant, indocti ſunt, & impii, & abſque ratione continentes*, &c. hæc ille, ubi rejicit Gnoſticos, qui Matrimonium damnabant, uti Manichæi.

IX. *Gregorius Nazianz.* orat. 31. circa illa tria Eunuchorum genera, apud Cocc. tom. 2. Theſauri Catholici fol. 57. edit. Colon. 1601. ſic ait: *Cùm audieris, quibus datum eſt, adde volentibus datum eſt, atque iis qui eâ animi propenſione ſunt*, &c. quid breviùs & clariùs de conſilio, & poſſibilitate continentiæ?

X. Idem *Greg. Naz.* apud Cocc. fol. 342. tom. 2. ed. Colon. 1601. orat. 3. quæ eſt invectiva prima in Julianum ſic ait: *Quomodo illud non animadvertis*, &c. *quod in legibus noſtris alia parendi neceſſitatem imponunt*, &c. *alia non neceſſitate conſtringunt, ſed in arbitrio ac voluntate poſita ſunt; ac proinde hanc rationem habent, ut, qui ea cuſtodierint, præmiis ac honore afficiantur: qui autem minùs ea expleverint, nihil periculi pertimeſcant*, &c. hæc ille, quid clariùs pro conſiliis?

Digitized by Google

XI. *Baſilius* lib. de Virginit. edit. Antwerp. 1568. pag. 540. ſic ait: *Voluit* (Dominus) *quippe eximiæ virtutis meritum non juſſionis neceſſitati obnoxium fieri; ſed egregii ac ſingularis animi ſpecimen atque indicium eſſe; dum ſponte ſuâ nullâ imperii neceſſitate cogente,* (NB) *quod mandata omnia excedit, & ſupra humanæ naturæ modum eſt, deſiderio, affectuque virtutis efficeret,* &c. hæc ille.

XII. *Epiphanius* edit. Baſil. 1560. Hæreſ. 58. allegans verba: *Et ſunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter regnum,* &c. *quinam igitur,* ait, *hi fuerunt, quam generoſi Apoſtoli, ac Monaſticam vitam degentes, & deinceps virgines,* &c. hæc ibi.

XIII. Idem apud Cocc. fol. 395. tomo 2. in compendiaria doctrina Fidei Catholicæ ſic ait: *Eccleſiaſtici ordinis veluti fundamentum eſt ſancta virginitas, quam multi ſanctè magna cum laude perpetuò conſervant,* &c. ecce poſſibilitatem ab experientia.

XIV. Chryſoſtomus Hom. 21. in 1. ad Corinth. edit. Baſil. 1547. tomo 4. fol. 486. dicit de Chriſto: *Nam cùm ſit benignus Dominus, multam præceptis ſuis inſtituit manſuetudinem, ut non ſolùm ex præcepto, ſed ex propria multa faciamus ſententia. Etenim niſi ita voluiſſet, arctiùs inſtituere præcepta poterat, & dicere: Qui non ſemper ieiunat, puniatur: qui non ſervat virginitatem, ſupplicio afficiatur: qui non omnibus ſuis rebus ſe exuit, pœnam luat graviſsimam. Verùm non ita ſanxit, tibi volens, ſi volueris, indulgere. Propterea cùm de virginitate diſſereret, dixit: Qui poteſt capere, capiat. Et diviti quædam præcepit, quædam ipſius permiſit arbitratui: Non enim dixit, vende res tuas, ſed ſi vis perfectus eſſe, vende,* &c.

XV. Idem Chryſoſtomus Hom. 63. in Matth. edit. eâdem fol. 524. *Nam* (Dominus noſter) *quibus ad perpetuam virginitatem arduum atque durum videtur, neceſſitate legis in cupiditatem virginitatis impellit. Poſſe autem nos perpetuam ſervare continentiam oſtendit, dicens: Sunt Eunuchi, qui ex ventre matris ita nati ſunt; & ſunt, qui ab hominibus facti ſunt: & ſunt qui ſeipſos caſtraverunt propter Regnum cælorum. His omnibus ad optandam, eligendamque virginitatem inducit: poſsibile namque id eſſe hominibus hoc fere modo confirmat. Cogita tecum, ſi aut à natura Eunuchus eſſes, aut iniuria hominum ſic effectus; quid faceres, cùm & eiuſmodi voluptate careres, & nullam carendo mercedem conſequereris? Gratias igitur Deo agas quia magna præmia, rutilanteſque coronas habebis; ſi ita vives quemadmodum ſine aliquo illi præmio: imò verò multò faciliùs, tutiùs atque iucundiùs; tum quia ſpe retributionis corroborans; tum quia conſcientia virtutis gaudes, & ad hæc non ita ingentibus cupiditatis fluctibus iactaris.* Et infrà de illis, qui ut Regnum cælorum conſequantur, ſe continent, ſubjungit, dicens: *Qui poteſt capere capiat. Ita magis animat atque incendit, vel quia magnitudinem virtutis oſtendit, vel quia inæſtimabili miſericordiâ ſuâ, noluit rem in neceſſitatem legis concludere. Et ad hæc poſsibile id eſſe monſtrat, ut eligendi cupiditas creſcere poſſit,* &c. hæc Chryſoſtomus.

XVI. *Hieronymus* in Commentario circa locum Matthæi ſic ait: *His datum eſt, qui petierunt, qui voluerunt, qui, ut appeterent, laboraverunt, omni enim petenti dabitur, & quærens inveniet,* &c. hæc ibi.

Similiter tomo ſecundo edit. Baſil. 1553. lib. 1. adverſus Jovinianum cap. 7. ſic ait: *In propatulo eſt, cur Apoſtolus dixit: De virginibus præceptum Domini non habeo; profectò quia præmiſerat Dominus: Non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt; & qui poteſt capere, capiat,* &c. *non dicit: velitis nolitis bibendum vobis eſt atque currendum, ſed qui voluerit, qui potuerit currere, atque potare, ille vincet, ille ſatiabitur; & ideo plus amat virgines Chriſtus, quia ſponte tribuunt; quod ſibi non fuerat imperatum: maioriſque gratiæ eſt offerre, quod non debeas, quam reddere, quod exigaris,* &c. hæc Hieronymus. ubi prolixiùs verba Chriſti de Eunuchis proſequitur.

Similiter *Hieronymus* edit. Baſil. 1553. tomo XVII.
1. lib. de Cuſtodia virginitatis ad Euſtochium fol. 3. ſic ait: *De virginibus,* inquit Apoſtolus *præceptum Domini non habeo, cur? quia & ipſe, ut eſſet virgo, non fuit imperii, ſed propriæ voluntatis, neque enim audiendi ſunt; qui eum uxorem habuiſſe confingunt* (nota) *cùm de Continentia diſſerens & ſuadens perpetuam* (nota) *caſtitatem intulerit; volo autem omnes eſſe ſicut me ipſum,* &c. & infrà: *Quare ergo non habet de virginitate Domini præceptum? quia maioris eſt mercedis, quod non cogitur & offertur, quia ſi fuiſſet virginitas imperata, nuptiæ videbantur ablatæ,* &c. hæc ibi.

Ambroſius edit. Pariſienſ. 1569. tomo 1. lib. XVIII.
de Viduis, *Sunt,* inquit, *ſpadones, qui ſe ipſos caſtraverunt propter regnum cælorum. Sed hoc non omnibus imperatur; ſed ab omnibus flagitatur,* &c. & infrà: *Scit Creator omnium affectus eſſe varios ſingulorum; & ideo præmiis virtutum provocavit, non infirmitatem vinculis alligavit,* &c.

Idem eâdem editione eodem libro ultra me- XIX.
dium ſic ait: *qui præceptum impleverint, dicere poſſunt; ſervi inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus; hoc virgo non dicit, non dicit ille, qui bona ſua vendidit,* &c. & infrà: *Ideo ergo præceptum non datur, conſilium datur; præceptum enim caſtitatis eſt; conſilium integritatis,* &c. hæc Ambroſius.

Auguſtinus tomo 10. editione Baſil. 1529. XX.
ſermone 61. de Tempore ſic ait: *Aliud eſt conſilium, aliud præceptum, conſilium datur, ut virginitas conſervetur,* &c. *ut vendantur omnia, & pauperibus erogentur, præceptum verò datur, ut iuſtitia cuſtodiatur,* &c. *denique de virginitate dicitur, qui poteſt capere, capiat; de iuſtitia verò non dicitur, qui poteſt facere faciat; ſed omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Conſilium qui libenter audierit & fecerit, maiorem habebit gloriam: præceptum qui non impleverit, niſi pœnitentia ſubvenerit, evadere pœnam non poterit,* &c. hæc Auguſtinus. Quomodo clariùs conſilia Euangelica à præceptis diſtingui poſſent?

Concludat *Auguſtinus* libro de Virginitate XXI.
cap. 33. edition. Baſil. tomo 6. 1529. *Vos etiam,* ait, *qui hoc nondum voviſtis, qui poteſtis capere, capite, perſeveranter currite, ut comprehendatis, tollite hoſtias,* &c. *non ex neceſſitate poteſtatem habentes voluntatis veſtræ; neque enim ſicut non mœcha-*

mœchaberis, non occides, ita dici poteſt, non nubes: illa exiguntur, iſta offeruntur; ſi fiant iſta, laudantur; niſi fiant illa, damnantur; illis Dominus debitum imperat, vobis autem, ſi quid amplius ſupererogaveritis, in redeundo reddet, &c. hæc ibi, quid clarius dici poſſet de conſilio virginitatis etiam omnibus poſſibilis, qui illam petere non ceſſant? ecce etiam opus ſupererogationis expreſſum, quod Acatholici negant SS. Patres agnoviſſe.

XXII. Similiter loquitur Auguſt. ſerm. 18. de Verbis Apoſtoli: *Virgines, quod licebat, noluerunt, ut plus placerent, &c.* reliqua vide ſuprà cap. præcedenti art. ult. in reſponſione 1.

XXIII. Hæc ex S. ſcripturæ & SS Patrum teſtimoniis adeo clara ſunt; ut mirum ſit, quod Acatholici contrarium aſſerere audeant. Quicquid contra rationem conſiliorum, vel meriti, aut ſupererogationis falsò objiciunt; de quibus amplius agendo de meritis bonorum operum dictum eſt.

XXIV. Convincitur autem ex præmiſſis *Calvinus apertiſſimi mendacii*, dum dicere audet: *Nulli unquam veterum in mentem venit, omnes una voce clamant, nullam vocular à Chriſto emiſſam, cui non ſit neceſſariò obtemperandum, &c.* vide verba illius ſuprà cap. 2. art. 1. allegata; ubi fraudulenter ponit aliqua exempla, de non appetenda vindicta, de diligendis inimicis, *&c.* quaſi Catholici doceant illa eſſe conſilia: & de illis, proteſtatur, quod veteres doceant illa eſſe præcepta, quod etiam moderna Catholica Eccleſia docet; ſed quod ſub hoc prætextu negat veteres docuiſſe virginitatem, & alia eſſe ſub conſilio, & non ſub præcepto, falſiſſimè aſſerit, ut ex prædictis patet; & ſic etiam de paupertate, & obedientia infrà patebit; conſtat enim, quod verba Chriſti de Eunuchis non ſint præcepti neceſſitate prolata, ut omnes Patres profitentur.

ARTICULUS III.

Quòd continentia perpetua ſit excellens Dei donum, & ab omnibus inſtanter petentibus à Deo obtineri poſſit.

I. QUòd continentia perpetua Dei donum ſit, nemo negare poteſt, juxta verba Chriſti Matt. 19. *Qui poteſt capere, capiat.* Quod etiam excellentis donum ſit, ſatis patet ibidem. Et ex verbis Apoſtoli 1. Cor. 7. v. 38 *Qui matrimonio jungit virginem ſuam, benefacit; & qui non jungit, melius facit, &c.*

II. Idem etiam patet ex ſingulari præmio ſolis virginibus promiſſo, ut ſequenti articulo oſtendetur.

Verùm quia Acatholici & hoc negare audent, & ſpecialiter dicunt, hoc donum rariſſimè à Deo dari; & à pauciſſimis obtineri poſſe; cujus contrarium tamen ex verbis S. ſcripturæ conſtat; ut hoc magis pateat, ſanctorum Patrum ſententias allegabimus, præter illas, quæ præced. artic. habentur: ex quibus eadem veritas patet.

III. *Ignatius* Apoſtolorum diſcipulus epiſt. ad Tharſenſes ait: *Eas, quæ in virginitate ſunt, honorate, ſicut ſacras Chriſti, viduas pudicas ut ſacrarium Dei veneremur, &c.*

Juſtinus Martyr apolog. 2. ad Antonium Imperat. ed. Heidelb. 1593. ait. *Permulti profectò utriusq; ſexus, & ſexaginta & ſeptuaginta nati annos apud nos, qui à pueris diſciplinam Chriſti ſunt affectati, incorrupti, & cœlibes perdurant; & glorior me per omne genus hominum noſtrorum tales monſtrare poſſe, &c.* hæc ille. Ecce qualiter confundantur Acatholici, qui hanc caſtitatem pauciſſimos conſequi poſſe dicunt, *&c.*

IV. *Theophilus* Alexandr. anno 170. lib. 2. allegor. in Marcum. *Hi ſunt*, inquit, *qui ſuper terram bonam ſeminati ſunt, qui ſuper terram bonam ſeminati ſunt, & ii faciunt unum triceſimum, quod ad conjuges pertinet; aliud ſexageſimum, quod ad viduas reſpiciens dicit; aliud centeſimum virginibus fructus ille convenit, &c.* hæc ille.

V. *Clemens* Alexandr. apud Jod Cocc. tom. 2. ed. Colon. 1601. fol 592. ann. 200. l. 4. Strom, ait: myſticè admodum & ſanctiſſimè docens Apoſtolus eam, *quæ vere grata eſt electionem, non quod alia tanquam mala reprobet, ſed quod bonis meliora cenſet eſſe, ſignificavit dicens: Qui matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit, & qui non jungit, melius facit, &c.*

VI. *Tertullianus* ed Baſ. 1562. l. 1. ad uxorem ait: *Prohiberi nuptias nunquam omnino legimus; ut bonum ſcilicet, quid tamen bono iſto melius ſit accipiam ab Apoſtolo permittente quidem nubere: ſed abſtinentiam præferente, &c.*

VII. *Idem* eâd. ed. lib. 1. contra Marcionem num. 21. *Sanctitatem ſine nuptiarum damnatione novimus, & teſtamur, & præferimus, non ut malo bonum, ſed ut bono melius, &c.*

Item eâd ed. lib. 5. contra Marcionem num 31. *Continentiam & virginitatem nuptiis anteponens; ſed non prohibens, deſtructores enim Dei nuptiarum non ſectatores caſtitatis retundo, &c.* hæc Tertull.

VIII. *Cyprianus* ed. Baſ. 1540. lib. de diſciplina & Habitu Virg. ſic ait: *Nunc nobis ad virgines ſermo eſt, quarum quo ſublimior gloria, major & cura eſt: flos eſt ille Eccleſiaſtici germinis, decus & ornamentum gratiæ ſpiritualis, &c. Dei imago, reſpiciens ad ſanctimoniam Domini; illuſtrior portio gregis Chriſti, &c.* & infrà: *Servate Virgines, ſervate, quod cepiſtis, &c. cùm caſtæ perſeveratis, & virgines Angelis Dei eſtis æquales. Prima ſententia creſcere & generare præcepit.* Gen. 3. *Secunda continentiam ſuaſit: cùm adhuc rudis mundus & inanis eſt copiam fœcunditate generantes propagamur; cùm jam refectus eſt orbis, qui capere poſſunt continentiam, ſpadonum more viventes caſtrantur ad regnum, &c.* hæc ille. Ecce excellentiam virginum, & reſponſio ad argumentum de creſcite, &c.

IX. *Athanaſius* ed. Pariſ. 1591. in apolog. ad Conſtantinum Imperat. ſic ait: *Dei filius, Dominus & Salvator noſter Jeſus Chriſtus, &c. inter cætera dona ſua largitus eſt nobis in virginitate exemplar* (nota) *Angelicæ ſanctitatis; certe puellas eâ virtute præditas, eâ virtute præditas ſponſas Chriſti, Catholica Eccleſia appellare ſolita eſt; quas Ethnici conſpectas, ut templum verbi admiratione proſequantur.* Ubi nota Acatholicos pejores Ethnicis, qui illas deteſtantur. Pergit Athanaſ. *Nuſquam enim alibi illud, illud cœleſtis æternæ virginitatis mandatum fœliciter adimpletur, niſi duntaxat apud nos Chriſtianos, atq; in eo magnum documentum eſt, apud nos eſſe veram religionem, &c.* hæc Athanaſ. Videat lector, an ergo apud Acatholicos ſit vera religio, quæ continentiam perpetuam non ſervat, ſed perſequitur.

X. *Baſilius* ed. Antw. 1568 lib. de vera Virginitate in initio: *Magnum, ait, revera quiddam ac præclarum eſt virginitas quæ* (ut totum ſimul explicem) *hominem incorruptibili Deo ſimillimum facit, &c.*

Digitized by Google

rando mores hominum Monachorum; quos & ipsa Ecclesia condemnat, & ipsi boni Monachi condemnant, & superiores quotidie corrigere student: sic concil. Trid. sess. 25. de reform. quoad Regulares sanctissimè sanxit; & Religiosi seu Monachi in capitulis generalibus & provincialibus, ac continuis visitationibus invigilare non cessant: si interim aliqui in tam sancto statu, & inter tot bona exempla, ac monitiones indurescant, & pejores fiant, eò magis deplorandi sunt, & statui nihil derogatur; ut tempore suo D. August. etiam protestatus est; & hi in castitate & pietate juxta statum suum vivere non volentes, sed libidinibus servientes (quantumvis in charitate moneantur, cùm in monasteriis libertas peccandi illis non permittatur) ad Acatholicos apostatando transfugiunt, & ab illis in Prædicantes assumuntur; ubi liberè libidini vacantes, & vitiis immersi sese è tenebris ad lucem pervenisse turpissimè gloriantur, & acceptantur. ô cæcitatem!

XIX. Denique, quod si Calvino cum suis sectariis veterum Monachorum institutum, ùt sanctum prout & ipse fatetur, verè & ex corde agnovisset, prout SS. Patres illud commendarunt, cùm ex illorum moribus & vita S. Ecclesiam illustrem prædicarint, etiam objiciendo hæreticis ut suprà ex D. Aug. lib. de Moribus Ecclesiæ dictum est, si, inquam, Calvino tale veterum institutum ita cordi fuisset, & modernorum Monachorum vitam planè degenerasse vidisset, cur ipse veterum institutum non reduxit? cur non reformavit? nam circa mores reformatio in Ecclesia locum habet; cur nullo in loco vel Monachorum, vel sanctimonialium monasteria juxta primævæ Ecclesiæ instituta erexerunt? vel in antiqua monasteria reduxerunt? sed ex operibus fraus & mendacium patet; dum qualiacunque monasteria vastant & evertunt, nec ullum signum antiquorum Monachorum instituti exhiberi sinunt: in veritate autem sicut modernos Monachos, ita & antiquos detestantur, quia illorum operibus contrarii fuerunt, & sunt: ut magis agendo de castitate & votis patebit.

CAPUT II.

De Consiliis Euangelicis in communi eorumque Perfectione.

ARTICULUS I.

Referuntur errores Acatholicorum, & doctrina Catholica.

I. Quæstio est, an sint aliqua bona opera, quæ quidem à Christo in Euangelio sint commendata, sed non præcepta; ita ut Christus in arbitrio hominis illa sic reliquerit; quod si ea non fecerit, non peccet; si vero fecerit, excellens præmium à Christo promissum consequatur: præcepta vero Deus sic ad opus obligent, ut si non serventur, peccet, juxta illud Hieronymi in epist. ad Eustochium de servanda virginitate. *Vbi consilium, ibi offerentis arbitrium; ubi præceptum datur, ibi necessitas est servientis*, &c. in quæstione igitur est, inter Ecclesiam & Acatholicos an talia consilia, præsertim *continentiæ, obedientiæ, & paupertatis voluntariæ perpetuæ* in Euangelio dentur. Acatholici negant talia dari consilia; sed omnia præcepta esse: licèt diverso sensu asseruerint.

II. Erant olim hæretici dicti *Apostolici*, qui cælibatum & paupertatem à Christo præceptam dicebant, *ita ut negarent quemquam salvari posse, nisi viveret more Apostolorum in cælibatu & paupertate*, ita refert *Epiphanius* hæres. 62. Augustin. hæres. 40.

III. Similiter alii dicti *Encratitæ* Tatianum secuti asserebant, *quod omnes Christiani sub præcepto cælibes esse deberent, & à nuptiis abstinere*, ut refert Iren. lib. 1. cap. 30.

IV. *Pelagiani* inter alios errores docebant, quod *Christiano non esset spes salutis, qui non actualiter renuntiaret omnibus, quæ possidet*. Ita Hilarius quidam scribit *Augustino* epist. 88. quod Aug. epist. 89. & 106. refutat.

Econtra *Jovinianus* concedebat quidem *continentiam vel cælibatum* non esse præcepta; sed tamen negabat ullum de hoc esse Christi consilium; insuper nullam esse differentiam inter *cælibatum & matrimonium*, sed ambo esse ejusdem meriti asserebat; ita refert *August.* hæres. 82. & *Hieron.* lib. 1. contra Jovinianum. V.

Wicleff, ut suprà cap. 1. art. 1. relatum est, non solùm negabat illa tria esse Euangelica consilia, sed potiùs à Deo esse prohibita, prout à Monachis servantur, dicere ausus fuit. VI.

Hunc imitatus est *Lutherus*, qui negat etiam talia consilia lib. de Votis Monasticis dicens: *Hic duo incidunt eorum principia fidei seu potiùs perfidia tractanda; quorum primum, Euangelium non esse omnibus commune; sed partitum in consilia & præcepta, quæ reliquo vulgo proposita sunt*. Et infrà: *Si probare poterimus non esse consilia, quæ illi jactant, & vovent, nonne deprehendemus eos damnabiliter errare, imo & Deum blasphemare*, &c. hæc miser Lutherus, ubi intendit probare, quod illa, quæ Matt. 19. de omnibus vendendis, & Christum sequendo, ac quæ de continentia Christus dixit, omnia illa non sint consilia, sed necessaria mandata; verba Christi in falsum sensum detorquens, ut patebit. VII.

Calvinus statum monasticum, ut hactenus visum est, omnibus modis impugnat, & specialiter quatuor in illo detestatur. Primum lib. 4. Inst. cap. 13. & imprimis §. 11. *Quod dicatur status perfectionis*, non obstante, quod eo modo id dicatur, quia in illo ad perfectionem tenditur. Secundum, *quod professio monastices baptismo comparetur*. §. 14. Tertium rejicit *generaliter consilia Euangelica* §. 12. arguens Monachos, quod dicant, *se plus oneris suscipere, quàm Christus imposuerit*; VIII.

quoniam

Digitized by Google

quoniam scilicet Euangelica consilia de diligendis inimicis, de non appetenda vindicta, de non jurando, &c. *se servaturos promittant, quibus non sint communiter adstricti Christiani in eo quam nobis antiquitatem obtendent? nulli unquam hoc veterum venit in mentem, omnes una voce clamant, nullam voculam à Christo emissam, cui non sit necessario obtemperandum. Et hac ipsa nominatim, quæ isti boni interpretes Christum consuluisse duntaxat nugantur, jussa esse nulla dubitatione ubique docent*, &c. hæc Calvin. sed fraudulenter & mendaciter ponit illa exempla *de diligendis inimicis, de non jurando*, &c. licèt enim hæc Religiosi observare studeant, non tamen ut consilia hæc vovent, sed ut præcepta vera observare debent: de veris consiliis quantopere etiam mentiatur, infrà patebit.

Quartò agit in particulari contra tria vota *continentiæ, paupertatis, & obedientiæ* perpetuæ §. 13. 17. 18 & 19.

IX. *Ecclesia Catholica* juxta sacram Scripturam & sanctorum Patrum doctrinam tradit, plura esse opera bona; quæ verè & propriè à Christo Domino sint tantùm consulta & non præcepta, pia, Deo grata, iisque singularia præmia promissa, specialiter *continentiam, paupertatem, & obedientiam perpetuam*: quia autem Acatholici duo potissimùm negant; primum quòd dentur talia consilia Euangelica; secundum verò ampliùs detestantur, quòd talia Deo voveri possint, præsertim ad illum colendum, in hac quæstione ostendetur, quòd sint talia consilia in generali: in sequenti de tribus in speciali; in tertia, quòd talia piè Deo voveantur, etiam ad ipsum colendum.

ARTICULUS II.

Quòd Status Consiliorum bene dicatur Status Perfectionis.

I. PRimò quidem, quòd dentur quædam euangelica Consilia vera, non præcepta, infrà agendo de his tribus principalibus ex sacra Scriptura & sanctis Patribus ostendetur: ubi manifestè patebit, quàm enormiter Calvinus mentitus sit, quasi nulli veteri unquam in mentem venerit, quòd aliqua sint consilia; sed omnia Christi verba sint præcepta:

II. Quoad perfectionem autem status consiliorum hîc sufficiat August. edit. Basil. 1529. tomo 6. lib. 1. de adulterinis conjugiis, cap. 14. dicens: *Multa sunt facienda non jubente lege, sed libera charitate, & ea sunt in nostris officiis gratiora, quæ cùm liceret nobis non impendere, tamen causa dilectionis impendimus*, &c. plurima testimonia infrà adducemus.

Chrysostomus tomo 5. edit. Basil. 1547. Hom. 8. de Pœnit. *Nequaquam*, ait, *Dominum incuses, haud mandat impossibilia, multi ipsa superant mandata*, ubi exempla ponit de castitate, & paupertate voluntaria, & postea in persona Dei de his dicit: *Non cogo, non grauo, sed proficientem quidem coronabo, non proficientem non punio*, &c. hæc Chrysostomus.

III. Sciendum ad propositum 1. quòd juxta communem Doctorum sententiam status aliquis dupliciter dici potest perfectionis; semel, quòd scilicet illi, qui in tali statu sunt, perfecti esse debeant, quantùm humanitus fieri potest; Hoc modo Doctores Catholici vocant statum Episcopalem perfectionis, quia Episcopos decet ut taliter sint perfecti juxta illud 1. Timoth. 3. v. 2. *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse*, &c. & ad Titum 1. v. 7. *Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem*, &c. *justum, sanctum, continentem.*

Alius dicitur status perfectionis illorum, qui quidem perfecti non sunt, sed ad perfectionem per specialia media pia & sancta, juxta institutum illius statûs tendere debent. IV.

Sciendum 2. quòd DD. Catholici juxta sacram Scripturam doceant, veram & absolutam Christiani hominis perfectionem in charitate vera Dei & proximi consistere, quod patet ex illo Matth. 22. v. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, &c. *hoc est primum & maximum mandatum*, &c. & 1. Cor. 13. v. 1. *Si linguis hominum loquar & Angelorum*, &c. *& si distribuero in cibos pauperum omnes facultates*, &c. *Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* & 1. Tim. 1. v. 5. *Finis autem præcepti est charitas de corde puro*, &c. Item ad Coloss. 3. v. 14. *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*: & ratio est, quia perfectio vera hominis consistit in unione cum Deo, quantùm possibile est; hæc autem unio fit per charitatem juxta illud 1. Joann. 4. v. 16. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo*, &c. V.

De hac loquitur Augustinus edit. Basil. 1528. tomo 7. lib. de Natura & Gratia cap. 70. dicens: *Charitas inchoata, inchoata justitia est; charitas provecta, provecta justitia est; charitas magna, magna justitia est; charitas perfecta, perfecta justitia est: sed charitas de corde puro & conscientia bona, & Fide non ficta, quæ tunc maxima est in hac vita, quando pro illa contemnitur vita*, &c. hæc ille. VI.

Tertiò, perfectio charitatis tripliciter considerari potest; primò absolutè & simpliciter, quâ Deus sic diligitur, quantùm in se diligibilis est, ut nihil desit: perfectum enim absolutè est, cui nihil deest, talis perfectio charitatis in solo Deo est, quia Deus in infinitum est diligibilis, & sic solus seipsum perfectè diligit, & est essentialiter charitas, 1. Joann. 4. suprà: *Deus charitas est*, &c. VII.

Secundò perfectio charitatis sumitur pro illa, quâ Deus diligitur, in quantùm à creatura diligibilis est: & hanc perfectionem Sancti in cælis habent; sed talem pro hoc statu homines non habent, ideo dicebat Apostolus ad Philipp. 3. v. 12. *Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim, sequor autem, si quo modo comprehendam*, &c. VIII.

Tertio modo dici potest perfecta charitas secundùm certum modum: cui scilicet nihil deest eorum quæ ad vitam æternam acquirendam sunt necessaria: & hoc modo perfectus dicitur omnis Christianus habens charitatem, qui servat præcepta Dei, &c. juxta illud 1. Joann. 2. v. 5. *Qui servat verbum ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta est*; qui ideo perfectus dicitur, quia omnia præcepta servat, respectu illius qui aliqua non servat, & simpliciter imperfectus est, & hoc modo Christus dicit omnibus Matth. 5. v. 48. *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* IX.

Eo modo in charitate perfectus dici potest, cui non solùm aliquid eorum non deest, quæ ad vitam æternam sunt necessaria, utpote servanda præ-

Digitized by Google

præcepta Dei servat consilia Euangelica à Christo commendata: & hoc modo status monachalis dicitur perfectior, seu status perfectionis, quòd secundùm illum professores illius per prædictorum observantiam tendere debeant ad perfectionem.

XI. Sciendum 4. quòd status Religiosorum seu Monachorum non ideo dicatur perfectionis, quòd in illo solùm observari debeant Euangelica consilia; sed quod principaliter observari debet charitas, tanquam præcipua perfectionis ratio; consilia verò Euangelica tanquam instrumenta & adminicula, per quæ homo juvatur, ut meliùs præcepta Dei in charitate observet, & in illa proficiat. Unde in collationibus Patrum dicebat Abbas Moyses: *Iejunia, meditatio Scripturarum, nuditas, & priuatio omnium facultatum,* &c. *non perfectio, sed perfectionis sunt instrumenta, quia non in istis consistit disciplina illius finis; sed per illa peruenitur ad finem,* &c. hæc ille. Idem docent SS. Patres & Doctores, ac proinde dicit *Hieronymus* lib. 3. in Matth. quòd Christus non dixerit adolescenti absolutè: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia,* &c. sed cum addito, *& sequere me.* Item nec Apostolus absolutè dixit: *Vos, qui omnia reliquistis, sedebitis super sedes,* &c. *hoc enim & Crates fecit Philosophus, & alii multi contempserunt diuitias sed qui secuti estis me, quod proprium est Apostolorum atq; credentium,* &c. hæc ille.

XII. Similiter *August.* loquitur in Enchridio ad Laurentium edit. Basil. 1528. tomo 3. cap. 121. dicens: *Quæcunq; ergo mandat Deus, ex quibus unum est: Non mœchaberis, & quæcunq; non jubentur, sed speciali consilio monentur, ex quibus unum est; Bonum est homini mulierem non tangere; tunc rectè fiunt, cùm referuntur ad diligendum Deum, & proximum propter Deum.*

XIII. Hinc omnes DD. Catholici docent, quòd *continentia, paupertas, & obedientia* dupliciter considerari possint; semel secundum se, & secundùm propriam rationem tantùm; aliter prout conjunguntur charitati, & ab ea imperantur: priori modo, ut suprà dictum est, non sunt perfectio, sed tamen instrumenta ad perfectionem esse possunt; ac proinde, si à charitate non imperentur, nihil prosunt, juxta Apostolum suprà 1. Cor. 13. *Si distribuero,* &c.

Secundo modo includunt & supponunt charitatem perfectiorem; quæ ultra præcepta etiam talia consilia imperat; & hæc imperando, & exercendo intenditur, & perficitur.

XIV. Itaque nullo modo comparatio facienda est inter charitatem & consilia, quasi hæc essent perfectiora, quod falsissimum est; cùm nec perfecta sint absque charitate: sed comparatio fit inter consilia cum charitate conjuncta, & inter status conjugum ac divitum charitate præditorum, & sic hic status conjugalis etiam perfectus est; sed status consiliorum perfectior.

XV. Ex his facilè patet, quòd status Religiosorum juxta sacram Scripturam, & præsertim illud verbum Christi Matth. 19. *Si vis perfectus esse,* &c. bene dicatur *status perfectionis respectu status communis fidelium*; ex eo, quòd secundum hunc statum Monachi teneantur proficere in charitate Dei, non solum quoad observantiam præceptorum Dei, ad quam omnes obligantur; sed etiam per aliarum virtutum opera, quæ Christus non præcepit, sed consuluit, & quæ plurimùm ad charitatis profectum deserviunt; quæ sunt prædicta tria consilia ex Euangelio à sanctis Patribus observata & commendata; ad quæ alii fideles secundùm vocationem suam non obligantur: & juxta hæc SS. Patres, ac in particulari D. *Hieronymus* lib. contra Vigilantium distinguunt tres gradus perfectionis circa distributionem bonorum in pauperes; ut infrà agendo de paupertate verba illius clariùs ostendunt.

Unde patet & refutatur *Calumnia Caluini* lib. 4. cap. 13. §. 10. & 11. cùm imponit Doctoribus Catholicis, quos Sophistas vocat, quasi titulum perfectionis omnibus aliis Dei vocationibus adimant, & soli Monachorum statui attribuant, idque ob ista consilia servata, *Cùm,* ut ait, *in charitate omnibus fidelibus communis perfectio consistat*; quasi Monachi hâc exclusâ, ut ait §. 10. *nouam sibi imaginentur pietatem, cujus meditatione sint aliis omnibus perfectiores,* &c. patet enim ex dictis; quòd charitas omnibus fidelibus tribuatur, & ejusdem perfectio: sed ob specialem causam quâ charitas etiam consilia in Monachis juxta institutum imperat, specialius perfectio dicitur: quod clarum est, nec aliquis sani sensûs negare posset, licèt Calvinus Sophisticè aliter detorqueat, ut liberiùs calumniaretur. XVI.

ARTICULUS III.

Quòd Consilia Euangelica ad charitatis perfectionem plurimùm conducant.

HOc ipsum tam ex sacra Scriptura, quàm ex ratione naturali patet; illa enim consilia exprimunt tres principales virtutes, quæ vitiis charitatis profectum multum impedientibus contrariantur; de quibus dicitur 1 Joann. 2. v. 15. *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo, quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ,* &c. I.

Etsi autem omnes fideles in omni statu contra hæc capitalia vitia militare debeant; ita ut illis non consentiant, non tamen omnes ex vi status sui obligantur vitare plures occasiones, quæ facilius ad vitia trahunt; sic enim conjuges uti possunt actu maritali licito, & aliis diviriis, & possessionibus, ubi faciliùs ad illicitam concupiscentiam tales trahuntur, & à vera charitate deficiunt; quod indicat Christus Dominus Luc. 14. ubi referens impedimenta quibus homines à cœna charitatis detinentur dixit, quòd unus dixerit v. 18. *Villam emi,* alter v. 19. *Iuga boum emi quinque,* &c. & tertius, *uxorem duxi, non possum venire,* &c. quod ad minùs intelligendum est, quòd tales difficulter in charitate Dei proficere possint, cùm semper sint in occasione, & in his quæ licitè agunt, facilè excedere possint; idipsum etiam Christus indicat, & exponit Matt. 13. v. 2. ubi loquens de seminibus ait: *Alia ceciderunt in spinas, & spinæ creuerunt, & suffocauerunt ea,* &c. spinas autem ibid. interpretatur dicens: *Solicitudo sæculi istius, & fallacia diuitiarum suffocat verbum.* Similiter Luc. 8. v. 14. dicit: *Quod autem in spinas cecidit; hi sunt, qui audiunt, & à solicitudinibus, & diuitiis, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur,* &c. hæc Dominus. II.

Quis

III. Quis quæso nisi effrons negaret, quòd illi, qui se ipsos castrarunt propter Regnum cælorum, id est, qui absolutè propter Dei servitium, & animæ bonum resignarunt omnibus carnalibus actibus, etiam in Matrimonio licitis, & ideo occasiones vitant; non possint securiùs resistere concupiscentiis carnis, quàm illi, qui actibus carnalibus etiam licitis utuntur? ubi natura quotidie excitatur, nec ita facilè cohibetur, ut intra limites maneat; ut scilicet *utantur hoc mundo, quasi non uterentur*, prout indicat Apostolus 1. Cor. 7. v. 28. & non dicit de virgine, sed de conjugata, *si nupserit virgo, non peccavit, tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi*, &c. & iterum v. 33. qui cum uxore est, solicitus est, quæ *sunt hujus mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est*, &c. de virgine autem ait: *Mulier innupta & virgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu*, &c. quid clariùs dici posset?

IV. Similiter illi, qui propter Deum omnia reliquerunt, & nolunt divitiis hujus mundi occupari; sed cum Apostolo 1. Tim. 6. v. 8. *Habentes alimenta, & quibus tegantur, his contenti sunt*; faciliùs effugiunt concupiscentias noxias, quibus divites facilè illaqueantur, ut ex ratione naturali patet, de quibus Apostolus dicit ibid. v. 9. *Nam qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt hominem in perditionem*, &c. hinc Salvator ipse Matth. 19. v. 24. ait: *Dives difficilè intrabit in Regnum cælorum, faciliùs est camelum per foramen acus transire*, &c. hæc sacræ Scripturæ loca S. Cyprianus allegans edit. Basil. 1540. lib. de Lapsis dicit: *Decipit multos patrimonii sui amor cæcus, nec ad recedendum parati aut expediti esse potuerunt, quos facultates suæ velut compedes ligaverunt*, &c. hæc ille.

V. Cùm itaque Religiosus status hominem à talibus periculis abstrahat, ac ipsi Religiosi per Dei gratiam heroico animo illa relinquant, licèt naturali affectui grata, & quibus absque Dei offensa, tamen cum periculo spirituali, uti possent, eo fine, ut Deo ferventiùs in vera charitate adhærere studeant, & possint; meritò status perfectionis præ statu communi dicitur: licèt contingere possit, quòd aliquis in Matrimonio, vel inter divitias existens per specialem Dei gratiam minùs adhæreat terrenis, & ferventiùs Deo serviat, quàm Religiosus vel Monachus: sed hoc Monachi, non Monachismi vitium est; qui sancta media præscribit juxta Christi consilia; quòd autem illa vera consilia, & non præcepta sint, insequentibus agendo de iisdem in particulari ex sacra Scriptura & SS. Patribus ostendetur.

ARTICULUS IV.

Refutantur & refelluntur argumenta Acatholicorum contra Evangelica Consilia.

I. PRimò arguunt hoc modo: Præceptum primum est, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex omni mente tua*, &c. Luc. 10. v. 26. Ergo omnia opera homo facere debet ex præcepto dilectionis; ac proinde nullum est opus bonum liberum & sub consilio tantùm vel supererogationis; sed omnia ex debito facienda: quibus addunt authoritatem Augustini lib. 1. de doctrina Christiana cap. 22. edit. Basil. 1528. tomo 3. ubi dicit: *Cùm autem, ait, toto corde, tota mente*, &c. *nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat*. &c. Item lib. de Perfectione justitiæ eâdem edit. tomo 7. circa medium sic ait: *In qua plenitudine charitatis nimirum in patria præceptum illud implebitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. *nam, cùm est adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ; quod vel continendo frænetur, non omni modo ex tota anima diligitur Deus*, &c. hæc August.

Ex his inferunt, cùm præceptum charitatis sine mensura se extendat ad omnia opera bona omni tempore; ergo nulla Christus reliquit sub consilio, nec impleri potest. II.

Respond. 1. quòd mens S. Augustini non fuerit, asserere omnia opera esse sub præcepto, & nulla sub consilio, nimis patet ex aliis clarissimis testimoniis; sufficiat hîc unum Augustini tetigisse. III.

Primò Serm. 18. edit. Basil. 1529. tomo 1. de Verbis Apostoli dicit de Virginibus: *Virgines quod licebat noluerunt, ut plùs placerent ei, cui se devoverunt, ambierunt illam majorem pulchritudinem cordis sui, quid jubes? tanquam dicerent, quid jubes? ne adulteremus, hoc præcipis? amando te, plùs facimus, quàm jubes. De virginibus ait Apostolus, præceptum Domini non habeo, ergo quare hoc faciunt? consilium autem do; Illæ autem amantes, quibus terrenæ nuptiæ viluerunt, quæ terrenos amplexus non desideraverunt, usque adeo acceptaverunt præceptum, ut non recusarent Consilium, ut plùs facerent, plùs se ornaverunt*, &c. hæc ibi, quæ clarissima sunt.

Pro resolutione itaque sciendum est, quòd duobus modis à SS. Patribus intelligantur illa verba: *Ex toto corde, ex omnibus viribus*, &c. semel; ut intelligatur hoc præcepto mandari omnis gradus charitatis, qui vel in hoc mundo, vel in cælo haberi possit; ita tamen, ut per hoc præceptum homo ad tales gradus habendos sub peccato minimè obligetur, sed solùm ostendatur, ad quantam charitatis perfectionem tendere debeat, ut semper conetur, & humilior sit. Quod ipsum *Augustinus* expresè asserit sæpius, præsertim lib. de Spiritu & Lit. cap. ult. edit. Basil. 1528. tomo 5. ubi cùm dixisset, hoc præceptum in hac vita perfectè impleri non posse, tamen subdit: *Neq; enim se esse nondum potest tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenæ perfectæq; debetur, jam culpæ deputandum est*, &c. hæc ibi. IV.

Similiter lib. de Perfectione justitiæ, cùm similiter dixisset, quòd illa perfectio esset præcepta, ad quam in futuro tendere debeat, ubi etiam nulli erunt motus involuntarii, tamen in fine dicit: *Hæc non esse peccata, nequidem venialia, ut opus nequidem sit pro illorum venia deprecari dicendo, dimitte nobis debita nostra*, &c. Verba Augustini prolixè relata sunt lib. de bonis Operibus, ubi actum est de præceptis, quòd in hac vita servari possint. V.

In hoc ergo sensu adhuc consistit, quòd, etsi omnia tali lato modo dicantur esse sub præcepto, respectu finis futuræ vitæ, non tamen sub præcepto obligante ad culpam; cum quo consistit, quòd aliqua sint sub consilio, & sic conciliantur loca S. Scripturæ & S. Augustini. VI.

Altera

Digitized by Google

VII. Altera expositio est plurium etiam sanctorum Patrum circa illud præceptum dilectionis, *ex toto corde*, scilicet, quòd hoc præcepto non jubeatur homo diligere Deum, quantum etiam in futura vita diligendus est, ut scilicet juxta supremum gradum charitatis diligatur, ut homo nihil agat nisi actualiter & intensissimè omnia propter amorem Dei, sed ut per ly *toto corde*, &c. intelligatur, quòd Deus appretiativè præ omni creatura ametur; ut scilicet homo nihil amori Dei præponat, vel etiam æquiparet, sed super omnia Deum diligat; & hoc præceptum dilectionis omnes homines obligat, cui contrariantur peccata mortalia, per quæ creatura Deo præponitur: & sic hoc præceptum per Dei gratiam servari potest, & cum hoc consistunt opera ex consilio facta, ac etiam peccata venialia, & motus concupiscentiæ involuntarii; & sic Deus potest magis vel minus diligi, ille enim Deum diligit ex toto corde, qui propter Deum abstinet à peccatis mortalibus, & potiùs vitam perdere vellet; sed minus diligit, quàm alius, qui ex amore Dei etiam abstinet, & sibi temperat à licitis, ut D. August. serm. 18. de verbis Apostoli suprà relatus supponit. Hoc modo præceptum dilectionis explicant sancti Patres, specia-
VIII. liter *Hilarius* edit. Basil. in illud psalmi 118 *Latum mandatum tuum nimis*, velut ipse legit, *vehementer*, sic dicens: *Latum igitur mandatum Dei est, & in omnia spei nostræ genera diffunditur, ut non difficile sit, si voluntas adsit, præcepto Dei obtemperare*, &c. hæc ibi.

Idem ibid. circa verba: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum*, sic ait: *Via quæ ad vitam ducit, & angusta & tribulata est*, &c. *ergo insolens Propheta existimabitur, qui se tamen hanc currere gloriatur*. &c. *Idcirco*, &c. *hoc addidit*: Cùm dilatasti cor meum, &c. *Cor igitur dilatatur*, &c. *in quo capaci habitatione Spiritus Sanctus dilatatur*, &c. hæc Hilar.

IX. *Hieronymus* lib. 3. contra Pelag. edit. Basil. 1553. tomo 2. paululum ab initio sub respons. sic ait: *Deus possibilia mandavit, hoc nulli dubium est*, &c. hæc Hieronymus, & ipse *Augustinus*
X. lib. de Natura & Gratia cap. 69. edit. Basil. 1528. tomo 7. seu ult. sic ait: *Valde autem bona sunt præcepta, si legitime his utamur, eo quippe ipso, quo firmissime creditur Deum justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere; hinc admonemur & in facilibus, quid agamus, & in difficilibus, quid petamus, omnia quippe fiunt facilia charitati; cui uni Christi sarcina levis est, aut ea una est sarcina ipsa, quæ levis est, secundum hoc dictum est, & præcepta ejus gravia non sunt*, &c. hæc ibi.

XI. Similiter *August.* tomo 8. edit. Basil. 1529. in psalmo 56. in initio tractans mandatum dilectionis ait: *Ne quæremus dubitantes*, &c. *quantum nos debeamus inimicum diligere, quantaq; illa sit, quæ Deo placeat, charitatis perfecta mensura; ea enim perfecta est, quæ maior esse non potest, ipse expressit, ipse docuit*, & ait: *Majorem hac charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat pro amicis suis; fecit ipse, quod docuit; fecerunt Apostoli, quod ab illo didicerunt & nobis facienda prædicaverunt*, & infrà: *In eo quod homo erat imitati sunt servi Dominum*, &c. *& fecerunt, qui nos præcesserunt*, &c. *neq; enim imperaret hoc Deus, ut faceremus, si impossibile esse judicaret, ut hoc ab homine fieret*, &c. hæc August. ubi clarissimè supponit, præceptum dilectionis impleri posse, & esse impletum; neque pro hac vita esse impossibile; quod etiam spectat ad præceptum de diligendo Deo.

XII. Et hæc expositio conformis est sacræ Scripturæ quæ sæpius dicit: homines posse hoc præceptum observare & observasse, ut Deut. cap. 13. v. 3. ubi cùm Moyses dixisset, quòd fugerent falsos Prophetas, qui somnia enuntiant, subdit: *Quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palàm fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde & in tota anima vestra*, &c. quod verè non dixisset, si esset hoc impossibile in hac vita.

XIII. Similiter Deut. 30. v. 6. dicitur: *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum*, &c. *ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, ut possis vivere*, &c. si autem impossibile sit illud præceptum ex toto corde, &c. in hac vita servare, ad quid promittit Deus, quòd circumcidat cor, ut diligat in toto corde, &c. & ibid. v. 9. *Revertetur enim Dominus, ut gaudeat super te*, &c. *sicut gavisus est in Patribus tuis, si tamen audieris vocem Domini Dei tui, & custodieris præcepta ejus*, &c. *& revertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est*, &c. ubi Moyses clarè supponit, quòd Patres in toto corde servarint, & quòd filii Israël præcepta servare possint.

XIV. Hoc ipsum clariùs exprimitur 3. Reg. 14. v. 8. ubi Dominus per Prophetam dicit Jeroboam: *Non fuisti sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo*, &c.

XV. Similiter 4. Reg. cap. 23. v. 25. dicitur de Josia Rege Juda: *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, in tota anima sua, & in universa virtute sua juxta omnem legem Moysi*, &c. in qua principale erat præceptum dilectionis Dei Deut. 6. ubi præcepta dantur, & v. 5. dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c.

XVI. Demum ipse David non superbiendo, sed gratias agendo ps. 118 v. 10 dicit: *In toto corde meo exquisivi te*, &c. & v. 58. *Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo*, &c. Ex quibus clarissimè patet, quòd in sensu supradicto juxta sacram Scripturam homo per gratiam Dei possit in hac vita in toto corde Deum diligere, & tamen unus adhuc ampliùs altero. Cùm de Josia dicitur, quòd illi non fuerit similis, & tamen de Patribus & David dicitur, quòd Deum ex toto corde dilexerint, &c.

XVII. Secundum argumentum Acatholicorum est ex illis verbis Domini Luc. 17. v. 10. *Cùm feceritis omnia, dicite servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus*, ergo omnia ex debito, & nihil ex consilio fit.

XVIII. Respond. Ex ipso textu argumentum solvitur, cùm Christus expressè addit restrictionem dicens: *Cùm feceritis hæc omnia, quæ præcepta sunt vobis*, &c. ubi clarè excipit consilia prout sancti Patres notarunt, & inter alios Ambrosius lib. de Viduis sic ait: *Qui præcepta impleverint dicere possunt servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus; hoc virgo non dicit; hoc non dicit ille, qui bona sua vendidit; sed quasi repositum expectat præmium sicut sanctus Apostolus ait: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? non enim quasi inutilis servus, quod debuit facere, fecisse se dicit: sed*

quasi

quasi utilis Domino, qui commissa sibi talenta quæsitis multiplicavit usuris; mercedem Fidei atque virtutis, bene sibi conscius meritorumque securus expectat, &c. & infrà: *Ideo ergo præceptum non datur, consilium datur, præceptum enim castitatis est, consilium integritatis*, &c. hæc Ambros. similiter alii Patres quoad consilia loquuntur.

XX. Tertium argumentum est: Deus tantæ dignitatis est, & tanta nobis beneficia præstat, ut impossibile sit, quòd ei æquale reddamus; adeóque omnia opera nostra illi sunt debita; nec adhuc satisfaciunt, multò minùs restāt opera, quæ ex consilio, & arbitrio nostro aut supererogatione sine debito faciamus.

XXI. Respond. verum est, quòd Deus tantæ sit dignitatis, & tanta homini præstat, non tantùm semel, sed omni momento, ut homo, si possibile esset, omni momento ipsi gratias agens & serviens per se loquendo debita servitia præstare non possit: verùm constat ex sacra Scriptura, quòd Deus pro sua benignitate humanæ infirmitati condescendens tantam obligationem sub præcepto non dederit, nec imposuerit; sed certa præcepta dedit, quæ si homo per ipsius gratiam observaret, satisfaceret, & Regnum cælorum intraret, juxta illud Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, &c. ac proinde hâc Dei ordinatione stante quoad mandata expressa, possunt dari consilia, quæ ultra præcepta serventur: ut ex verbis Christi & Apostoli constat, & SS. Patres docent.

XXII. Ex quo etiam patet confutatio calumniæ Acatholicorum, quâ dicere audent, quòd homini impossibile sit servare mandata Dei; quod si verum esset, etiam foret impossibile, ut aliquis ad vitam ingrediatur, quia Christus ad hoc exigit, ut mandata serventur; quòd autem illa servari possint, patet ex variis sacræ Scripturæ locis, & specialiter ex illo Joann. 14. v. 121. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.* & v. 13. *Si diligitis me, mandata mea servate*, &c.

Item 1. Joann. 2. v. 3. *In hoc scimus, quia cognovimus eum, si mandata eius observemus, qui dicit se nosse eum, & mandata eius non custodit mendax est.* & cap. 5. v. 3. *Mandata eius gravia non sunt.* quomodo Acatholici cognoscunt Christum, si mandata non servent?

XXIII. Demum Calvinus specialiter triumphando invehitur in professionem Monastices lib. 4. Inst. cap. 13. §. 14. dicens: *Quinquam nihil minus cogitaverunt Patres, quàm stabilire huiusmodi professionem, quæ postea à cucullatis Sophistis fabricata fuit, ut duplicem Christianismum sic erigerent: Nondum erat sacrilegum illud dogma, quod professionem Monastices Baptismo comparat; imò palàm asserit formam esse secundi Baptismi: ab hac blasphemia quis dubitat Patres toto animo abhorruisse*, &c.

Hæc pro sua authoritate Calvinus sine teste, sine ratione, sine pudore contra veritatem, verè ipse blasphemus.

XXIV. Resp. hæc more suo fingit & mentitur Calvinus; nulli enim Doctores catholici duplicem ponunt Christianismum: sed in una Ecclesia multa ponunt membra quæ diversas habeant operationes, ut clarum est, ex sacra Scriptura 1. Cor. 12. v. 5. & seqq. Variæ sunt institutiones, & vocationes; inter quas una est Monachorum, ut sæpe dictum & demonstratum est.

2. Quoad formam professionis, nullus dicit illam esse alterum Baptismum, qui est Sacramentum ex ordinatione Christi salutem & gratiam conferens, ut dici solet, ex opere operato; quod nullatenus professioni Monastices assignatur; sed hoc solum docetur, quòd si Monachus ex charitate tria illa vota offerat, magnum habeat apud Deum meritum; sicut omnes, qui in gratia existentes ex charitate bona opera præstant, & sic etiam pro peccatis præteritis satisfaciunt per Christi merita: sed nullus docet, quòd talis professio conferat primam gratiam, sicut Baptismus. XXV.

Similiter docent catholici, quòd Monachus in gratia existens possit proximum meritorum suorum reddere participem; juxta illud ps. 118. *Particeps sum ego omnium timentium te*, &c. sed nullus somniat, quòd possit proximo primam gratiam promereri aut salvare suis operibus: quæ omnia ficta sunt. XXXVI.

Verum est: quòd Doctores ponant aliquas similitudines inter Baptismum & professionem Monastices, sed non identitatem; similitudo est, quòd sicut in Baptismo homo renuntiat diabolo & actibus malis, & novus secundùm Deum novam vitam instituere proponit; sic Monachus in professione non solùm prædictis, sed etiam aliis licitis voluptatibus renuntiat, & novam perfectiorem charitatis vitam proponit. Unde valde probabile est, quòd Monachus in gratia existens, & sincerè sic se Deo consecrans, non solùm majorem gratiam obtineat, licèt non primam, quæ in Baptismo confertur verùm etiam remissionem omnis pœnæ temporalis pro præteritis peccatis debitæ; licèt hoc certum non sit, sicut in Baptismo certum est omnem culpam & pœnam remitti. XXVII.

Quòd autem SS. Patres prædicto modo professionem Monastices Baptismo assimilarint, constat ex Hieron. edit. Basil. 1553. tomo 1. epist. ad Paulam de obitu Bresillæ, circa medium de illa sic ait: *Nunc verò, cùm (propitio Christo) ante quatuor ferme menses secundo quodammodo propositi se Baptismo laverit; & ita deinceps vixerit, ut calcato mundo semper monasterium cogitârit, ne vereris*, &c. hæc Hieron. Ecce Calvini mendacium, quòd apud SS. Patres talis sententia non fuerit. XXVIII.

Quòd etiam in professione probabiliter peccatorum pœna remittatur, si bene dispositi sint, colligitur ex S. *Athanasio* in vita S. *Antonii* paulùm ultra medium; ubi refert, qualiter S. *Antonius* in spiritu raptus à dæmonibus accusatus fuerit de peccatis ab exordio nativitatis, quibus angeli respondebant; non debere eos à nativitate ejus delicta narrare, quæ jam Christi essent bonitate sopita; si quæ autem fecerit eo tempore, quo factus esset Monachus, & Deo se consecrasset, licere proferre, &c. hæc Athanas. unde patet quòd moderni Doctores & Monachi nihil novi circa hæc finxerunt. XXIX.

Quæ præterea contra consilia & opera supererogationis moventur ab Acatholicis, suo loco agendo de meritis bonorum operum tradita sunt.

***

Digitized by Google

CAPUT III.

De Consilio Continentiæ perpetuæ.

ARTICULUS I.

Referuntur errores Acatholicorum & doctrina Ecclesiæ Catholicæ.

I. HÆretici olim dupliciter circa *Continentiam* errârunt, nam aliqui dicebant illam esse præceptam, alii planè rejiciebant.

II. *Apostolici* volebant neminem salvari posse, nisi viveret in cælibatu, &c. ita refert *Epiphan.* Hæres. 61. & August. de Hæres. cap. 40.

III. Similiter *Encratitæ* docebant, quòd omnes Christiani cœlibes esse debeant, & à nuptiis abstinere, ut refert *Irenæus* lib. 1. cap. 3.

IV. Econtrà, *Nicolaus* unus ex septem primis Diaconis Hæresiarcha dicebat: *Nisi quis Venerem quotidie exerceret, non posse eum vitæ æternæ participem fieri*, &c. ita referunt *Epiphan.* & *August.* de hæresi Nicolaitarum.

V. *Gnosticis* adeò invisa erat *castitas*, ut continentes ludibrio haberent, *Epiphan.* Hæres. 26.

VI. *Eunomius* negabat virginitatem majoris esse meriti, quàm conjugium, & relicto Monachatu seduxit virgines, ut nuberent. Ita referunt *Hieronymus* ad cap. 4. Osee. & *Augustinus* Hæres. 54.

Vigilantius continentiam dixit esse hæresim,
VII. pudicitiam libidinis seminarium, &c. nulli pudicitiam credidit. *Hieronymus* lib. contra Vigilant. cap. 1.

De *Iovinianis* sic scribit August. tomo 7. edit.
VIII. Basil. 1529. lib. de Hæres. cap. 82. *à Ioviniano quodam Monacho ista hæresis orta est*, &c. *hic virginitatem etiam sanctimonialium, & continentiam sexûs virilis in sanctis eligentibus cælibem vitam coniugiorum castorum atque fidelium meritis adæquabat; ita ut quædam virgines sacræ provectæ iam ætatis in urbe Roma, ubi hæc docebat, eo audito, nupsisse dicantur*, &c. *cito tamen ista hæresis extincta fuit.* hæc August.

IX. Hos sequuntur moderni Acatholici, *Lutherus*, hostis continentiæ passim illam detestatur, ut lib. contra Ambrosium Catherinum dicebat: *Decima facies Antichristi est insignis ille cælibatus & castitatis monasticæ multitudo; planè angelica facies, sed res diabolica*, &c.

Item ad cap. 7. prioris ad Corinth. *Nemo*, ait,
X. *hominum ad continentiam creatus est, sed omnes viri ad generandam sobolem conditi sumus; & tolerandas Matrimonii miserias*, &c.

Item lib. de Vita conjugali, ait: *Crescite &*
XI. *multiplicamini, non est præceptum, sed plùs quàm præceptum; quod nos non possumus impedire vel prætermittere: & perinde necessarium est, ac edere & bibere, & purgare, exspuere, dormire*, &c. *sicut in mea potestate non est, quò minùs sum mas, ita minimè situm est in me, quò minùs sim sine muliere*, &c. hæc pudicus, & spiritualis ille.

XII. Idem in *Epithalamio* asserit mulieres non nisi ad Matrimonium creatas esse: idem esse consultare, sitne uxor ducenda, & sit ne comedendum? & alia stulta; tandem dicit: *Virginitatem quidem præstare coniugio, tamen mulierem coniugalem meliorem esse coram Deo, quàm sit virgo*, &c. quæ hæc cohærentia?

Demum in lib. de Votis monasticis inter alia XIII.
dicit: *Christum nunquam consuluisse virginitatem, sed ab ea potiùs deterruisse, & Apostolum, cùm dixit: De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do*, &c. *voluisse dicere, non consulo, sed absterreo*, &c. hæc Lutherus, quæ Christianæ aures meritò abhorrent, & tamen sectatores habet.

Calvinus lib. 4. Instit. cap. 13. Etsi continen- XIV.
tiam absolutè non videatur damnare; nullo tamen modo agnoscit, quòd sit Euangelicum consilium de illa perpetuò servanda: & nemo illam præsumere possit; adeòque nec vovere, ita §. 12. & 17. ubi dicit: *Qui habent* (quales putat paucissimos) *donum Continentiæ, eo utantur, si quando se à carne sua inquietari sentiunt, confugiant ad eius opem, cuius solâ virtute possunt resistere; si non proficiant, citantur ad coniugium*, &c. hæc ille, adeòque in nullo perpetuam continentiam probat, imo in Commentario ad cap. 7. prioris ad Corinth. dicit idem, quod Lutherus, *bonum est mulierem non tangere, sicut bonum esset non comedere, si fieri posset.*

Ioviniani autem hæresim profitetur, imo su- XV.
perat: dum conjugalem statum casto antiquorum Monachorum statui præfert §. 16. & cùm §. 9. ex D. Augustino retulerat, quòd *olim Monachi contemptis mundi illecebris castissimam sanctissimamque congregati simul ætatem agunt in solitudine*, &c. verùm ipse §. 16. hoc quidem non vituperat, sed dicit pulchrum esse, verùm subjicit: *At pluris fit à Deo, familiæ piè regendæ cura*, &c. hæc ille, ubi satis indicat, se statum matrimonialem præferre statui continentiæ. XVI.

Fatentur quidem Acatholici, quòd continentia sit bona & laudabilis, si non ut cultus Dei servetur, nec meritoria dicatur; sed solùm usurpetur, ut expeditiùs munera Euangelica vel Ecclesiæ administrentur; & si tentatio ingruat, ad Matrimonium confugiant.

Doctrina Ecclesiæ Catholicæ est, quòd con- XVII.
tinentia etiam perpetua sit donum Dei, & possit à Deo obtineri; idque à plurimis non ut præcepta, sed ut consulta, & meritoria singularis præmii cœlestis, excellentior, quàm castitas matrimonialis: prout olim Ecclesia catholica contra hæreticos docuit, & sic in Concilio Trid. iterum declaravit sess. 24. de Matrimonio can. 10. ubi sic dicitur: *Si quis dixerit statum coniugalem anteponendum esse statui virginitatis vel cælibatûs, & non esse meliùs ac beatiùs manere in virginitate aut cælibatu, quàm iungi Matrimonio, anathema sit*, &c.

In

In hoc capite oſtendemus, quòd Continentia perpetua pluribus ſit poſſibilis, & melior, quàm caſtitas matrimonialis, & Deo grata, non præcepta, ſed conſulta, ac meritoria ſingularis præmii. Quòd autem voveri poſſit etiam ad colendum Deum, in alio Capite probabitur.

ARTICULUS II.

Quòd Continentia perpetua Deo grata ſit, à Chriſto non præcepta, ſed conſulta, & commendata, probatur ex verbis Matt. 19. iuxta communem ſanctorum Patrum expoſitionem.

I. HÆc veritas probatur ex illo Matth. 19. ubi cùm Chriſtus Phariſæis reſpondiſſet, *non licere dimittere uxorem quacunque ex cauſa, niſi ob fornicationem*, & diſcipuli poſtea Chriſto dixiſſent v. 10. *Si ita eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere; qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt; ſunt enim Eunuchi, qui de matris utero ſic nati ſunt; & ſunt Eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus; & ſunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter Regnum cœlorum, qui poteſt capere, capiat*, &c. quæ verba clariſſimè oſtendunt, primò: quòd Chriſtus non præceperit Continentiam, quia alioquin prohibuiſſet Matrimonium, cùm tamen antea dixerat Phariſæis v. 7. *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet*, &c. ſecundò, cùm diſcipuli apprehendentes difficultatem Matrimonii dicerent, *ergo non expedit nubere*, Dominus pro ſua ſapientia ita approbat illorum dictum; ut tamen non prohibeat Matrimonium, cùm dicit: *Non omnes capiunt verbum iſtud.* ubi per *capere* non intelligitur, quaſi non omnes hoc intelligerent, ſed quòd non omnes hoc ſuſcipiant vel approbent; ſicut Joann. 8. v. 37. dicit Dominus Judæis, *quia ſermo meus non capit in vobis*, &c. unde, ut ad continentiam tanquam opus melius hortetur, non propter difficultates corporales Matrimonii evitandas; ſed potiſſimùm ad meliùs Deo ſerviendum; inducit tria genera Eunuchorum: quorum duo priora naturalia ſunt, nec laude digna: ut per hæc ad tertium ſanctum genus inducat non præcipiendo, ſed ſuadendo; ideo ſubjungit, *qui poteſt capere, capiat.* ac ſi diceret, non præcipio, ſed qui volunt, ipſi accepient, &c. ubi patet tam conſilium, quàm etiam poſſibilitas, ut homo habere poſſit hoc donum, ſi quærat, & petat.

II. Eadem veritas patet ex verbis Apoſtoli 1. Cor. 7. *De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do*, &c. etſi hæc ex textu pateant, quia tamen Acatholici, ſemper inveniunt modos etiam manifeſtas Scripturas ad ſuum falſum ſenſum trahendi, Chriſtianus Lector potiùs acquieſcet communi SS. Patrum circa hæc loca expoſitioni; quorum aliqua teſtimonia adducemus.

III. *Clemens Roman.* Conſtit. Apoſtol. lib. 4. cap. 13. edit. Colon. 1569. dicit: *De virginibus præceptum non accepimus: volentium autem poteſtati id remittimus*, &c.

IV. *Cyprianus* lib. de Habitu Virginum propè finem ſic ait: *Nec hoc iubet Dominus, ſed hortatur; nec iugum neceſſitatis imponit, quando manet voluntatis arbitrium liberum, ſed cùm habitationes multas apud patrem ſuum eſſe dicat, melioris habitaculi hoſpitia demonſtrat: habitacula iſta meliora vos petitis carnis deſideria caſtrantes*, &c. hæc ille.

Tertullianus edit. Baſil. 1562. lib. de Monogamia circa finem circa verba Chriſti, V.
Non omnes capiunt verbum hoc. ſic ait: *Elige quod bonum eſt, ſi non potes, quia non vis (poſſe enim te, ſi velis, oſtendit; quia tuo arbitrio utrumque propoſuit)* &c. hæc ille.

Origenes edit. Baſil. 1557. p. ſecundâ in VI.
Commentar. eiuſdem loci, tract. 7. in Matth. ſic ait: *Quoniam quidam calumniantur, quòd Chriſtus ait, quibus datum eſt, quaſi excuſationem habentes, & volentes quidem eſſe in caſtitate, non autem prævalentes: quibus reſpondendum eſt; ſiquidem ſimpliciter accipimus, quod dictum eſt, ſed quibus datum eſt, non autem attendimus, quod alibi dicit: Petite & dabitur vobis*, &c. *qui petit, accipit*, &c. Et iterum: *qui vult capax eſſe verbi, quod de caſtitate poſitum eſt, petat credens dicenti, & accipiet non dubitans de illo, quod dictùm eſt; omnis qui petit, accipit.* hæc ille, quid clariùs?

Idem *Origenes* edit. eâd. ad cap. 2. ad Rom. VII.
dicit: *Quòd vero dicunt, quia, ſi neceſſaria non erat illa pars membri, fieri à Creatore non debuit, ſi neceſſaria facta eſt, non debet auferri. interrogemus eos & nos; ſi neceſſariam dicant filiorum procreationem? neceſſariam ſine dubio reſpondebunt: erunt ergo culpabiles, qui continentiæ & virginitatis obtentu naturæ officiis non miniſtrant, & erunt cogendi ad nuptias, qui ſecundùm Euangelii leges ſe ipſos caſtrauerunt propter Regnum Dei, habentes exempli huius authorem cùm multos alios Sanctorum, tum etiam ipſum Dominum Ieſum*, &c. Ecce refutatio Lutheri & Calvini calumniarum de neceſſitate conjugii.

Clemens Alexandr. apud Coccium tomo 2. VIII.
fol. 391. edit. Colon. 1601. lib. 3. Stromatum dicit: *Nos propter dilectionem in Dominum, & propter ipſum honeſtum amplectimur continentiam templum Spiritûs ſanctificantes; honeſtum enim eſt, propter Regnum cœlorum ſeipſum caſtrare ab omni cupiditate, & emundare conſcientiam à mortuis operibus ad ſerviendum Deo viventi; qui autem propter odium adverſus carnem ſuſceptum à coniugali coniunctione liberari deſiderant, indocti ſunt, & impii, & abſque ratione continentes*, &c. hæc ille, ubi rejicit Gnoſticos, qui Matrimonium damnabant, uti Manichæi.

Gregorius Nazianz. orat. 31. circa illa tria Eu- IX.
nuchorum genera, apud Cocc. tom. 2. Theſauri Catholici fol. 57. edit. Colon. 1601. ſic ait: *Cùm audieris, quibus datum eſt, adde volentibus datum eſt, atque iis qui eâ animi propenſione ſunt*, &c. quid breviùs & clariùs de conſilio, & poſſibilitate continentiæ?

Idem *Greg. Naz.* apud Cocc. fol. 342. tom. 2. X.
ed. Colon 1601. orat. 3. quæ eſt invectiva prima in Julianum ſic ait: *Quomodo illud non animadvertis*, &c. *quod in legibus noſtris alia parendi neceſſitatem imponunt*, &c. *alia non neceſſitate conſtringunt, ſed in arbitrio ac voluntate poſita ſunt; ac proinde hanc rationem habent, ut, qui ea cuſtodierint, præmiis ac honore afficiantur: qui autem minùs ea expleverint, nihil periculi pertimeſcant*, &c. hæc ille, quid clariùs pro conſiliis?

mœchaberis, non occides, ita dici poteſt, non nubes: illa exiguntur, iſta offeruntur; ſi fiant iſta, laudantur; niſi fiant illa, damnantur; illis Dominus debitum imperat, vobis autem, ſi quid amplius ſupererogaveritis, in redeundo reddet, &c. hæc ibi, quid clariùs dici poſſet de conſilio virginitatis etiam omnibus poſſibilis, qui illam petere non ceſſant? ecce etiam opus ſupererogationis expreſſum, quod Acatholici negant SS. Patres agnoviſſe.

XXII. Similiter loquitur Auguſt. ſerm. 18. de Verbis Apoſtoli: *Virgines, quod licebat, noluerunt, ut plus placerent, &c.* reliqua vide ſuprà cap. præcedenti art. ult. in reſponſione 1.

XXIII. Hæc ex S. ſcripturæ & SS Patrum teſtimoniis adeo clara ſunt; ut mirum ſit, quod Acatholici contrarium aſſerere audeant. Quicquid contra rationem conſiliorum, vel meriti, aut ſupererogationis falsò objiciunt; de quibus amplius agendo de meritis bonorum operum dictum eſt.

XXIV. Convincitur autem ex præmiſſis *Calvinus apertiſſimi mendacii*, dum dicere audet: *Nulli unquam veterum in mentem venit, omnes una voce clamant, nullam voculam à Chriſto emiſſam, cui non ſit neceſſariò obtemperandum, &c.* vide verba illius ſuprà cap. 2. art. 1. allegata; ubi fraudulenter ponit aliqua exempla, de non appetenda vindicta, de diligendis inimicis, *&c.* quaſi Catholici doceant illa eſſe conſilia: & de illis proteſtatur, quod veteres doceant illa eſſe præcepta, quod etiam moderna Catholica Eccleſia docet; ſed quod ſub hoc prætextu negat veteres docuiſſe virginitatem, & alia eſſe ſub conſilio, & non ſub præcepto, falſiſſimè aſſerit, ut ex prædictis patet; & ſic etiam de paupertate, & obedientia infrà patebit; conſtat enim, quod verba Chriſti de Eunuchis non ſint præcepti neceſſitate prolata, ut omnes Patres profitentur.

ARTICULUS III.

Quòd continentia perpetua ſit excellens Dei donum, & ab omnibus inſtanter petentibus à Deo obtineri poſſit.

I. QUod continentia perpetua Dei donum ſit, nemo negare poteſt, juxta verba Chriſti Matt. 19. *Qui poteſt capere, capiat.* Quod etiam excellentis donum ſit, ſatis patet ibidem. Et ex verbis Apoſtoli 1. Cor. 7. v. 38 *Qui matrimonio jungit virginem ſuam, benefacit; & qui non jungit, melius facit, &c.*

II. Idem etiam patet ex ſingulari præmio ſolis virginibus promiſſo, ut ſequenti articulo oſtendetur.

Verum quia Acatholici & hoc negare audent, & ſpecialiter dicunt, hoc donum rariſſimè à Deo dari, & à pauciſſimis obtineri poſſe; cujus contrarium tamen ex verbis S. ſcripturæ conſtat; ut hoc magis pateat, ſanctorum Patrum ſententias allegabimus, præter illas, quæ præced. artic. habentur: ex quibus eadem veritas patet.

III. *Ignatius* Apoſtolorum diſcipulus epiſt. ad Tharſenſes ait: *Eas, quæ in virginitate ſunt, honorate, ſicut ſacras Chriſti, viduas pudicas ut ſacrarium Dei veneremur, &c.*

Juſtinus Martyr apolog. 2. ad Antonium Imperat. ed. Heidelb. 1593. ait. *Permulti profectò utriusq; ſexus, & ſexaginta & ſeptuaginta nati annos apud nos, qui à pueris diſciplinam Chriſti ſunt affectati, incorrupti, & cælibes perdurant; & glorior me per omne genus hominum noſtrorum tales monſtrare poſſe, &c.* hæc ille. Ecce qualiter confundantur Acatholici, qui hanc caſtitatem pauciſſimos conſequi poſſe dicunt, *&c.*

IV. *Theophilus* Alexandr. anno 170. lib. 2. allegor. in Marcum. *Hi ſunt,* inquit, *qui ſuper terram bonam ſeminati ſunt, qui ſuper terram bonam ſeminati ſunt, & ii faciunt unum triceſimum, quod ad conjuges pertinet; aliud ſexageſimum, quod ad viduas reſpiciens dicit; aliud centeſimum virginibus fructus ille convenit, &c.* hæc ille.

V. *Clemens* Alexandr. apud Jod Cocc. tom. 2. ed. Colon. 1631. fol. 392. ann. 200. l. 4. Strom. ait: myſticè admodum & ſanctiſſimè docens Apoſtolus eam, *quæ vere grata eſt electionem, non quod alia tanquam mala reprobet, ſed quod bonis meliora cenſet eſſe, ſignificavit dicens: Qui matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit, & qui non jungit, melius facit, &c.*

VI. *Tertullianus* ed Baſ. 1562. l. 1. ad uxorem ait: *Prohiberi nuptias nunquam omnino legimus; ut bonum ſcilicet, quod tamen bono iſto melius ſit accipiam ab Apoſtolo permittente quidem nubere: ſed abſtinentiam præferente, &c.*

VII. *Idem* eâd. ed. lib. 1. contra Marcionem num. 21. *Sanctitatem ſine nuptiarum damnatione novimus, & teſtamur, & præferimus, non ut malo bonum, ſed ut bono melius, &c.*

Item eâd. ed. lib. 5. contra Marcionem num. 31. *Continentiam & virginitatem nuptiis anteponens; ſed non prohibitis, deſtructores enim Dei nuptiarum non ſectatores caſtitatis retundo, &c.* hæc Tertull.

VIII. *Cyprianus* ed. Baſ. 1540. lib. de diſciplina & Habitu Virg. ſic ait: *Nunc nobis ad virgines ſermo eſt, quarum quo ſublimior gloria, major & cura eſt: flos eſt ille Eccleſiaſtici germinis, decus & ornamentum gratiæ ſpiritualis, &c. Dei imago, reſpiciens ad ſanctimoniam Domini; illuſtrior portio gregis Chriſti, &c.* & infrà: *Servate Virgines, ſervate, quod cepiſtis, &c. cùm caſtæ perſeveratis, & virgines Angelis Dei eſtis æquales. Prima ſententia creſcere & generare præcepit.* Gen. 3. *Secunda continentiam ſuaſit: cùm adhuc rudis mundus & inanis eſt copiam fœcunditate generantes propagamur; cùm jam refectus eſt orbis, qui capere poſſunt continentiam, ſpadonum more viventes caſtrantur ad regnum, &c.* hæc ille. Ecce excellentiam virginum, & reſponſio ad argumentum de creſcite, &c.

IX. *Athanaſius* ed. Paris. 1591. in apolog. ad Conſtantinum Imperat. ſic ait: *Dei filius, Dominus & Salvator noſter Jeſus Chriſtus, &c. inter cætera dona ſua largitus eſt nobis in virginitate exemplar* (nota) *Angelicæ ſanctitatis; certe puellas eâ virtute præditas, eâ virtute præditas ſponſas Chriſti, Catholica Eccleſia appellare ſolita eſt; quas Ethnici conſpectas, ut templum verbi admiratione proſequantur.* Ubi nota Acatholicos pejores Ethnicis, qui illas deteſtantur. Pergit Athanaſ. *Nuſquam enim alibi illud, illud cæleſte æternæ virginitatis mandatum fœliciter adimpletur, niſi duntaxat apud nos Chriſtianos, atq; in eo magnum documentum eſt, apud nos eſſe veram religionem, &c.* hæc Athanaſ. Videat lector, an ergo apud Acatholicos ſit vera religio, quæ continentiam perpetuam non ſervat, ſed perſequitur.

X. *Baſilius* ed. Antw. 1568 lib. de vera Virginitate in initio: *Magnum, ait, revera quiddam ac præclarum eſt virginitas quæ* (ut totum ſimul explicem) *hominem incorruptibili Deo ſimillimum facit, &c.*

Idem post medium: *Virginitas vitam nostram de corruptione ad [...]litatis gloriam colligit*, & infrà: *Praoccuparunt virtutis opere virgines, quod in regeneratione per eam corporum mutationem, qua in resurrectione continget, in ipsis Dei virtute perficiendum est.*

De præmio ibidem testatur: *Hic enim Angelorum instar, neq; nubunt, neq; nubentur, verum & virtute anima & corporis integritate Angelis aquales sunt*, &c. *quocirca quoniam integerrima hac castitas pretiosissima omnium est, &c.* hæc ille.

XI. *Gregor Nazianz.* apud Jodoc. Cocc. ed. Colon. 1601. tom. 2. fol. 394. orat. 31. circa illa verba, *cùm consummasset Jesus hos sermones*, sic ait: *Bonum est matrimonium, sed quod virginitate præstantius sit, dicere non possum. Neq; enim magnum aliquid esset virginitas, nisi re aliqua bona melior ac præclarior esset*, &c. *quod enim conjugatæ est pars, id virgini totum est* (nota) *Angelorum vitam elegisti, in eorum ordinem te aggregasti, &c.* hæc Gregor.

XII. *Cyrillus Hierosol.* ed. Colon. 1564. catechef. 15. *Inscriptum*, ait, *est omne conjugium rectè custoditum; inscripta est continentia propter Deum instituta; præcipuã enim coronam in scripturis habet virginitas, & castitas, cujus gratia lucebis sicut Angelus, &c.* hæc ille.

XIII. *Epiphanius* apud Jod. Cocc. ed. Colon. tomo 2. fol. 395. in compendio ait: *Ecclesiastici ordinis veluti fundamentum est sancta virginitas, quam multi sanctè cum laude perpetuo servant*, &c. hæc ille. Quid ad hoc Calvinus?

XIV. *Gregorius Nyssenus* apud eundem l. 4. de Vita monastica art. 4. dicit in lib. de vera & incorrupta Virginit. c. 10. *Ego tam excellens hoc & admirabile bonum, quantum in me erit, prædicare nunquam desinam, propriamq; virginalem laudem ac maxime omnium accommodatam, rectè agentibus naturaliter inesse dixerim, &c.* & infrà: *Ergo quæ laus virginitatis est? ut scilicet statuat quis virtutem ipsam omni laude præstantiorem esse, &c.* hæc ille.

XV. *Amb* l. 1. de Virginib. de virg. to. 1. ed. Par. 1569 loquẽs sic ait: *Quis humano eam ingenio possit comprehendere, quam nec natura sua inclusit legibus, aut quis naturali voce complecti, quod supra naturæ usum? è cælo accersivit, quod imitaretur in terris, nec immerito sibi vivendi usum quæsivit è cælo, quæ sponsum sibi invenit in cælo.* Et infrà: *Postremo non meum est illud, quoniã quæ non nubunt, neq; nubentur, erunt sicut Angeli in cælo, nemo ergo miretur, si Angelis comparentur, qui Angelorum Domino copulantur.* Et paulò pòst: *Et quid pluribus exequar laudem castitatis? castitas enim Angelos fecit, qui eam servavit, Angelus est, qui perdidit, diabolus est*, &c. *nam de resurrectione quid dicam? cujus præmia jam tenetis? In resurrectione autem neq; nubent, neq; nubentur, sed erunt sicut Angeli, inquit, in cælo*, &c.

Idem eâd. ed. l. de Viduis: *Honorabile*, ait, *conjugium, sed honorabilior integritas, nam & qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, & qui non jungit, melius facit, &c.* hæc ibi.

Idem ep 82. tom. 3. eâd ed. *Quid loquar*, inquit, *quanta sit virginitatis gloria, quæ meruit à Christo eligi, ut esset etiam corporale Dei templum, in qua corporaliter (ut legimus) habitavit plenitudo divinitatis? virgo genuit mundi salutem, virgo peperit vitam universorum, &c.* hæc ille.

XVI. *Hieron.* tom. 2 ed Bas. 1553. in apologia ad Pamachium ep. 50. c. 1. *Reprehendunt*, ait, *me quidam, quod in libris quos adversus Jovinian scripsi, nimis fuerim vel in laude virginum, vel in sugillatione nuptiarum*&c. *ego si bene problematis memini, inter Jovinianum & nos ista contentio est, quod ille exæquet virginitati nuptias, nos subjiciamus*, &c. *deniq; idcirco te post Dominum faciente damnatus est, quod ausus sit perpetuæ virginitati matrimonium comparare, &c.* & infrà: *Aurum virginitatem, argentum diximus matrimonium, centesimum & sexagesimum, & tricesimum fructum de una terra exposuimus, & de una semente generari, licet multum differant in numero, &c.* hæc ibi.

Idem tom. 1. ed. eâd. ep. 22. ad Eustochium de custodia virginitatis, sic ait: *Dicat aliquis, & audes nuptiis detrahere, quæ à Deo benedictæ sunt? non est detrahere nuptiis, cum illis virginitas antefertur, nemo malum bono comparat, glorientur & nuptæ, cùm à virginibus sint secundæ, crescite, ait, & multiplicamini, & replete terram, crescat & multiplicetur ille, qui impleturus est terram; tuum agmen in cælis est, &c.* & infrà: *Laudo nuptias, laudo conjugium, sed quia mihi virgines generant, lego de spinis rosam, de terra aurum, de concha margaritam, &c.* hæc Hier. Quid ad hæc impius Lutherus, qui conjugium auro, virginitatem luto comparat? &c. XV

Joannes Chrys. l. de Virginit. c. 11. apud Cocc. tom. 2. ed. Colon. 1601. fol. 395. *Virginitas*, ait, *est bonum, id ego quoq; fateor, atq; nuptiis etiam melior, & istud tibi assentior: ac si libet illud adjungã, tanto nuptiis eam præstare, quanto cælum terræ, quanto hominibus Angeli antecellunt*, &c. *nam si neq; nubunt Angeli, neq; uxorem ducunt, non etiam carne & sanguine coagmentati sunt, in terris præterea non commorantur, &c.* & cap. 12. *At neq; virgo nubit*, &c. *videsne virginitatis præstantiam?* hæc ibi. XVI

Idem ibid. c. 34 *Etiamne, quæso, nuptias quisquam cum virginitate conferre, vel omnino in ejus conspectu ponere audeat? at non id permittit D. Paulus, qui magnum inter utrumq; ponit intervallum, hæc enim, inquit, cogitat, quæ Domini sunt, illa autem cogitat, quæ sunt mundi*, &c. *quò magis (virginitas) diutiusq; servatur, eo majorem habet laudem; conjugio vero cùm quis ad satietatem abutitur, tunc maxime omni laude privatur*, &c. hæc ille. XI

Gaudentius Bibl. mag. SS. PP. tom. 4. ed. Col. 1680. de lectione Evangelii tract. 1. qui in ordine est octavus sic ait: *Benedixit ergo quod constituerat à principio legitimum Christus conjugium, dum pergere ad nuptias non renuit invitatus: & tamen virginitatem docuit esse meliorem, dum magis per eam nasci dignatur, &c.* & infrà: *Ideoq; vas electionis Apostolus*, &c. *post longam monitionem, qua castimoniæ beatitudinem conditioni prætulit, nuptiarum sententia postrema conclusit: igitur, & qui dat virginem suã nuptiis, bene facit, & qui non dat, melius facit*, hæc Gaud. concludat Aug. prædictis PP. ætate minor & fide & doctrinâ æqualis, qui l. de S. Virg. c. 13. sic ait: *Virginalis integritas*, &c. *per piam continentiã ab omni concubitu immunitas angelica portio est, & in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio; cedat huic omnis fœcunditas carnis, omnis pudicitia conjugalis, &c.* hæc ibi, quid clariùs? X

Et to. 6. ed. Bas. 1529. c. 20. *Nos secundùm scripturarũ SS fidem, sanamq; doctrinam, nec peccatũ esse dicimus nuptias, & earum tamen bonum, non solùm infra virginalem, verum etiam infra vidualem continentiam constituimus, &c.* hæc ibi, ecce fundamentũ doctrinæ.

Demum quod alii SS. Patres docuerunt juxta S script. posse quemlibet illud continentiæ donũ à Deo obtinere, si instanter petierit, juxta illud, *petite & accipietis*, hoc D. Aug. & verbo & facto demonstravit, specialiter to. 1. ed. eâd. l. 6. conf. c. 11. dum Deum alloquens dicit, *utiq; dares, si gemitu interno pulsarem aures tuas*, ubi loquitur de continentia, quam sibi difficilem sentiebat, postea lib. 8. cap. 11. exponens coram Deo angustias cordis sui, in quibus versatus fuerat, primò introducit X

vani-

vanitates & blanditias carnis, sic ipsum alloquentes, dicens: *Detinebant me nugæ nugarum, & vanitates vanitatum antiquæ amicæ meæ, & succutiebant vestem meam carneam, & submurmurabant, dimittis ne nos? & à momento isto non erimus tecum ultra in æternum; & à momento isto non tibi licebit hoc & illud ultrà in æternum? quas sordes suggerebant quæ dedecora, &c.* & infrà: *Cùm diceret mihi consuetudo viol nta, putasne sine illis poteris?* &c. *aperiebatur ab ea parte,* &c. *quo transire trepidebam casta dignitas continentiæ serena,* &c. *& extendens ad me suscipiendum pias manus plenas gregibus bonorum exemplorum, &c.* (nota) *ibi tot pueri & puellæ, ibi juventus multa, & omnis ætas,* &c. *viduæ & virgines, anus,* &c. *& irridebat me irrisione exhortatoria, quasi diceret: Tu non poteris* (NB) *quod isti & istæ? an vero isti & istæ in semetipsis possunt,* &c. *non in* (nota) *Domino Deo suo? Dominus Deus eorum me dedit eis, quid in te stas & non stas? projice te in eum, noli metuere, non se subtrahet, ut cadas, projice te securus, excipiet te & sanabit te,* &c. *obsurdesce adversus immunda illa membra tua super terram, &c.* hæc *Aug.* quid ad hæc Calvinus, utique ut, dum caro non cessat, vel minimas titillationes movere, ineas matrimonium, non voveas Deo continentiam, nisi priùs tecum Deus pepigerit, quod te servare velit. Sed non sic *August.* qui confidebat in Deo, & sperabat ab eo accipere, quod tot pueri & puellæ acceperunt.

Mirum igitur est, quod Acatholici contra tam clara de continentiæ perpetuæ excellentia & possibilitate sacrarum scripturarum testimonia, & unanimem SS. Patrum sententiam potiùs miserum Calvinum sequi velint.

ARTICULUS IV.

Quòd continentia perpetua propter Christum suscepta, sit etiam meritoria specialis præmiis in cælis, probatur ex S. Scriptura.

I. A Catholici clarâ S. Scripturæ authoritate, & tantis SS. Patrum testimoniis convicti, fatentur quidem continentiam perpetuam esse bonam & laudabilem, si absque opinione cultus Dei asseratur; sed negant ullam aliam illius utilitatem præter illam temporalem, quod à curis & molestiis matrimonii liberet. Ita *Lutherus* in Epithalamio. Alii etiam addunt utilitatem illam spiritualem, ut scilicet continentes expeditius possint orare, & alia Ecclesiæ munia obire: nullum verò præmium in cælis continentes mereantur.

II. *Catholica doctrina* est, quod præter hæc bona continentia etiam ex Dei promissione speciale in cælis præmium mereatur; si scilicet propter Deum servetur; hoc ipsum ex S. Scriptura per se clarum est, & ita SS. Patres ex S. Scriptura docuerunt.

III. Testimonium primum clarum est Isa. 56. v. 3. ubi sic dicitur: *Et, non dicat eunuchus: Ecce ego lignum aridum, quia hæc dicit Dominus Eunuchis, qui custodierint sabbatha mea, & elegerint ea, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum: dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit, &c.* hæc Domini Verba sic clarè intelliguntur de iis, qui non ex necessitate, sed ex voluntate propter Deum se continent ab actibus carnalibus; & non tantùm de aliqua utilitate terrena, sed præmio æterno; nihilominus Acatholici cum Petro Muntzero lib. de Cælibatu & Votis dicere audent; quod illa verba Dominus dixerit pro solatio aliquo Eunuchorum, qui naturaliter castrati essent; nec de ullo præmio cælesti intelligatur.

Verùm hoc ipsi textui contrariatur, & communi sanctorum Patrum expositioni: sufficiat loco omnium solius Augustini testimonium; qui clarissimè illam Acatholicorum sententiam refutat, cùm alibi, tum specialiter lib. de Virginit. ubi taliter locum illum intelligentes impudentissimè & dementissimè pervicaces esse pronuntiat; & à proposito hæresim Joviniani impugnat, qui tali modo hunc locum exponebat, ut patebit: ideo Augustini verba prolixiùs referam; sic ergo tomo 6. ed. Basil. 1529. c. 24. ait: *De quibus autem spadonibus loquitur Deus per Isaiam, quibus se dicit daturum in domo sua & in muro suo locum nominatum meliorem multo, quàm filiorum & filiarum; nisi de his, qui seipsos castrant propter regnum cælorum? nam illis quibus ipsum virile membrum debilitatur, ut generare non possint; sicut sunt Eunuchi divitum & Regum, sufficit utiq; cùm Christiani fiunt, & Dei præcepta custodiunt, eo tamen proposito sunt, ut conjuges si possint, haberent, cæteris in domo Dei conjugatis fidelibus adæquari,* &c. *non autem accipere meliorem locum, quam est filiorum & filiarum; neq; enim uxores animi virtute, sed carnis necessitate non ducunt, &c.* Ecce quàm clarè Acatholicos refellit, & amplius procedit dicens: *Concordant sanè, qui voluerint, de his Prophetam spadonibus hoc prænuntiasse, qui corpore abscissi sunt; ille quoq; error causæ quam suscepimus suffragatur, &c.* ubi nota, quod Augustinus illud dictum erroris damnet, & tamen hoc errore non concesso, non supposito, sic arguit: *Itane tanta dementia quisquam est contrarius veritati, ut in carne factos Eunuchos meliorem quàm conjugatos locum in domo Dei habere credat, & pio proposito* (nota) *continentes, qui corpus usq; ad contemptas nuptias castigantes, se ipsos non in corpore, sed in ipsa concupiscentiæ radice castrantes,* CÆLESTEM & ANGELICAM VITAM *in terrena mortalitate meditantes, conjugatorum meritis pares esse contendat; & Christo laudante eos, qui seipsos castraverunt, non propter hoc seculum, sed propter regnum cælorum, Christianus contradicat affirmans, hoc præsenti vita esse utile, non futura? quid aliud istis restat, nisi ut ipsum regnum cælorum ad hanc temporalem vitam asserant pertinere, cur enim non & in hanc insaniam progrediatur cæca præsumptio? & quid hac assertione furiosius, &c.* hæc Augustin. quid ad hæc dicet *Calvinus*, qui lib. 4. Instit. cap. 13 §. 4. deridet Catholicos dicens: *De virginitate quam impudentissime angelicam vocant, &c.* sed ita vocat August. & alii SS. Patres; Quid respondebunt Augustino Acatholici, qui non tantum continentes conjugatorum meritis pares esse dicunt, sicut *Jovinianus*, sed longè inferiores. Sed audiatur ulterius *August.* sic enim pergit cap. 25. hunc errorem convincendo, dicens: *Nec sane Spiritus Sanctus tacuit, quod contra illos impudentissime* (ecce Calvine, quis impudentissimus sit) *& dementissime pervicaces apertum atq; inconcussum valeret, coramq; belluinum impetum ab ovibus suis inexpugnabili munitione repelleret; cùm enim de spadonibus dixisset, dabo eis in domo mea, & in muro meo locum nominatum meliorem multo, quàm filiorum & filiarum: nequis nimiū carnalis*

IV. (right margin, beside "Verùm hoc ipsi textui contrariatur")
V. (right margin, beside "tellit, & amplius procedit dicens")
VI. (right margin, beside "Patres; Quid respondebunt Augustino")

exsti-

Digitized by Google

existimaret in his verbis aliquid temporale sperandum, continuò subjecit: Nomen æternum dabo eis, nec unquam deerit; tanquam diceret, quid tergiversaris impia cæcitas? quid tergiversaris? (nota) *quid serenitati veritatis nebulas tuæ perversitatis offundis? quid in tanta Scripturarum luce tenebras, unde insidieris, inquiris? quid temporalem tantummodo utilitatem promittis continentibus sanctis?* Nomen æternum dabo eis, *quid ab omni concubitu immunes, & eo quoq; ipso, quod hinc sese abstinent, ea quæ Domini sunt cogitantes, quomodo placeant Domino, ad terrenam commoditatem referre conaris?* Nomen æternum dabo eis, &c. *Et si forte hic ipsum æternum pro diuturno conaris accipere; addo, accumulo, inculco, nec unquam deerit: quid quæris amplius? æternum hoc nomen quicquid illud est, spadonibus Dei, quod utiq;* GLORIAM *quandam propriam excellentemq; significat, non erit commune cum multis, quamvis in eodem regno, & in eadem domo constitutis; nam ideo fortassis, & nomen dictum est, quod eos, quibus datur, distinguit à cæteris,* &c. hæc Augustin. quomodo quæso clariùs & efficaciùs Acatholicorum error remonstrari possit?

VII. Cæterùm *August.* ibid. cap. 21. occurrit objectioni, quam etiam Acatholici usurpant ex Evangelio Matt. 20. de denario; quod omnes & singuli in regno cælorum accepturi sint singulos denarios; sive unâ hora, sive integra die laborarint dicens: *Quid utiq;* (*denarius*) *nisi aliquid significat, quod omnes communiter habebunt; sicut est ipsa vita æterna, ipsum regnum cælorum? hic est ille denarius merces omnium; stella tamen ab stella differt in gloria; sic & resurrectio mortuorum* 1. Cor. 15. v. 41. *Hæc sunt merita diversa Sanctorum, si enim cælum significaretur illo denario, nonne in cælo esse omnibus commune est syderibus? & tamen alia est gloria solis, alia lunæ, alia stellarum,* &c. hæc August. Ecce quàm clarè ex S. Scriptura error Acatholicorum à S. Doctore confutatur, quod amplius in sequenti articulo patebit.

ARTICULUS V.

Eadem veritas probatur ex aliis S. Scripturæ locis.

I. ALter locus S. Scripturæ pro speciali præmio perpetuæ continentiæ habetur; Matt. 19. v. 11. ubi cùm Apostoli dixissent: *Si ita est, non expedit nubere.* Christus dixit: *Non omnes capiunt verbum illud, sed quibus datum est; sunt Eunuchi, qui de matris utero sic [...]ati sunt; & sunt Eunuchi, qui facti sunt ab hominibus, & sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum cælorum: qui potest capere, capiat,* &c. ubi patet & consilium Domini de perpetua continentia, quæ castratio vera dicitur spiritualis; & præmium æternum, scilicet propter regnum cælorum.

II. Nec valet falsa Acatholicorum expositio, dum dicunt, quod per illa verba propter regnum cælorum intelligenda sint, propter Evangelium prædicandum; ita ut de illis Dominus dixerit, qui se continent, ut expeditius Evangelium prædicare possint.

Verùm, quod hæc expositio planè falsa sit, & contra Christi intentionem patet ex ipso textu, & SS. Patribus specialiter ex verbis Aug. præced. art. allegatis ex l. de Virginit. & insuper c. 24. ubi sic ait: *Christo laudante eos, qui se castraverunt, non propter hoc seculum, sed propter regnum cælorum, Christianus contradicat affirmans hoc præsenti vitâ esse utile, non futura,* hæc August. Qui non reputat illum Christianum, qui sic verba Christi exponit, imò Christo contradicit.

Sufficiant hîc duo Cyprianus ed. Basil. 1540. lib. de Habitu Virg. dicit: *Nec ornari jam aut placere cuiquam, nisi Domino suo studeant; à quo & mercedem virginitatis expectant, dicente ipso,* &c. *sunt spadones, qui seipsos castraverunt propter regnum Dei,* &c. hæc ille. III.

Vbi per regnum Dei indicat mercedem in cælis, ut infrà clarè patebit art. sequenti, & non vult Dei prædicationem, quæ certè mulieri non permittitur, juxta Apostolum 1. Cor. 14. v. 34. *Mulieres in Ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui,* &c. *turpe enim est mulierem loqui in Ecclesia,* &c. quod si loqui turpe, multò magis prædicare Evangelium in Ecclesia: ergone mulieres frustra virginitatem servant?

Item *Chrysost.* hom. 63. in cap. 19. Matt. sic ait: *Gratias age Deo, quia magna præmia rutilantesq; coronas habebis, si ita vivas, quemadmodum sine aliquo præmio,* &c. hæc ille, opponens voluntariè continentes Eunuchis naturaliter castratis; quod etiam hæc sit communis SS. Patrum expositio, patet ex sup. art 2. & 3. allegatis testimoniis. IV.

Tertius, ut plura alia omittam, S. Scripturæ locus est 1. Cor. 7. ubi Apostolus clarè declarat, quod continentia perpetua non sit præcepta, sed consulta, & præmium habeat, utpote cum v. 1. dicit: *Bonum est mulierem non tangere,* & v. 7. *Volo autem vos esse sicut meipsum* (ipse autem erat continens) ut pat. v 8. *Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego,* iterum v. 5. *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do,* & v. 27 *Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem,* & v. 28. *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, & qui non jungit, meliùs facit,* demum v. 39. *Mulier si dormierit vir ejus, liberata est,* & v. 40. *Beatior erit, si sic permanserit secundùm meum consilium, puto autem, quod & ego spiritum Domini habeam,* &c. Quid clariùs pro bono & excellentia ac merito continentiæ perpetuæ dici posset? & tamen Acatholici tam clara S. Scripturæ verba ad falsum sensum trahere non erubescunt, & quidem quoad primum Calvinus in comment. ad hunc locum dicere audet, *bonum est homini mulierem non tangere; sicut si diceret, bonum est homini non comedere, si abstinere posset; sed quia id sine miraculo fieri non posset, quilibet uxorem suam habeat propter fornicationem.* V. VI.

Verum patet primò ex ipso textu, quod Apostolus non loquatur de re impossibili, cùm dicit, volo vos esse, sicut ego sum, &c. an ergo Apostolus nubere debeat propter fornicationem? si unusquisque uxorem habere ideo deberet? quid turpiùs contra Verba Apostoli? & cur Apostolus tot modis ad continentiam omnes hortatur, si omnibus uxor sit necessaria sicut cibus? hæc pro refutatione sufficerent. VII.

Communis etiam SS. Patrum sententia talem expositionem confutat, ut patet ex locis art. 2. & 3. allegatis, sufficiat hîc *August.* qui tom. 6. ed. Basil. 1529. lib. de Virginit. cap. 13. sic ait: *Virginalis integritas & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas angelica portio est; & in carne corru-* VIII.

Digitized by Google

corruptibili incorruptionis perpetua meditatio. Cedat huic omnis fœcunditas carnis, omnis pudicitia conjugalis: illa non est in potestate, illa non est in æternitate, &c. *profectò habebunt magnum aliquid præter cæteros in illa communi immortalitate, qui habent aliquid jam non carnis in carne. Vnde mirabiliter* DESIPIUNT, *qui putant hujus continentiæ bonum non esse necessarium propter regnum cœlorum, sed propter præsens seculum; quod scilicet coniugia terrenis curis pluribus atq; arctioribus distenduntur, qua molestia virgines & continentes carent; quasi ob hoc tantum* (vide errorem Acatholicorum) *melius sit non coniugari, ut huius temporis relaxentur angustiæ, non quod in futurum seculum aliquid prosit,* &c.

IX. Jam videamus argumentum Acatholicorum, & illius refutationem ab Augustino, dum subdit dicens: *Hanc vanam sententiam, ne cordis propriâ vanitate* (Jovinianus) *protulisse videantur, adhibent ex Apostolo testimonium, ubi ait: de virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Deo,* &c. *Existimo itaq; hoc bonum esse propter præsentem necessitatem, quia bonum est homini sic esse: Ecce inquiunt, ubi manifestat Apostolus hoc propter præsentem necessitatem, bonum esse, non propter futuram æternitatem,* respondet August. *Quasi præsentis necessitatis rationem haberet Apostolus, non prouidens & consulens in futurum, cùm omnis ejus dispensatio non nisi ad vitam æternam vocet,* &c. quod ipsum ex verbis Apostoli ostendit c. 14. & concludit: *Hoc est,* inquit, *unde præceptum Domini non habeo, sed consilium do, hoc est, de virginibus existimo bonum esse propter præsentem necessitatem; noui enim quid præsentis temporis, cui conjugia seruiunt, necessitas cogat, ut ea, quæ Dei sunt, minùs cogitentur, quam sufficit adipiscendæ illi gloriæ, quæ non erit omnium, quamuis in æterna vita ac salute manentium, stella enim à stella differt in gloria, sic & resurrectio mortuorum, bonum est ergo homini sic esse,* &c. hæc ibi.

X. Item cap. 16. eâd. ed. sic ait circa verba Apostoli dicentis: *Et si acceperis uxorem, non peccasti, & si nupserit virgo, non peccat, addidit tamen, tribulationem autem carnis habebunt eiusmodi, hoc modo exhortatur ad virginitatem continentiamq; perpetuam, ut aliquantulum à nuptiis etiam deterreret,* &c. & infrà: *Quod autem se dicit eis parcere, quos ait tribulationem carnis habituros, nihil mihi interim sanius occurrit, quàm tum noluisse aperire & explicare verbis eandem ipsam carnis tribulationem, quam prænunciauit eis, qui eligunt nuptias,* &c. hæc ibi.

XI. Demum ibid. eâd. ed. c. 22 sic procedit: *Nunc jam scripturarum diuinarum euidentißimis testimoniis clarius appareat, non propter præsentem huius seculi vitam, sed propter futuram, quæ in regno cœlorum promittitur,* PERPETUAM CONTINENTIAM *diligendam.* &c. ubi primò allegat verba Apostoli, *qui sine uxore est, cogitat quæ Domini sunt,* & ex illis propositum probat. 2. allegat c. 23. verba Domini Matt. 19. *Sunt spadones, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum,* &c. & subdit: *Quid veraciùs, quid lucidiùs dici potest? Christus dicit, veritas dicit eos, qui pio proposito ab uxore ducenda se continuerint, castrare seipsos propter regnum cœlorum, & contrà humana vanitas* (Nota) *impia temeritate contendit eos, qui hoc faciunt, præsentem tantummodo necessitatem molestiarum coniugalium deuitare, in regno cœlorum amplius quicquam cæteris non habere,* &c. hæc Aug. Vbi subjungit testimonium Isaiæ, de quo præcedenti articulo dictum est.

XII. Hæc Augustini verba eò prolixiùs adduxi, ut pateat; quod ipse ex S. script. clarissimè demonstrari dicat, præmium in cœlis promissum continentiæ perpetuæ; & contrariam sententiam Acatholicorum cum Joviniano communem, nō tantùm erroneam esse, sed & vanā, & ex propria cordis vanitate prolatam, & assertores minimè Christianos, Christo & veritati magna dementia contradicere, ac impudentissimè & dementissimè pervicaces esse asserat: mirum si talia nō moverent sincerum hominem; mirum quod talia non attendant Acatholici, Calvini sectatores, quos ipse monet lib. 3. Inst. c. 5. §. 10. dicens: *Neq; opus est multum inuestigando laborare, quid hic veteres senserint, quando unus August. sufficere ad id potest, qui fideliter magnaq; diligentia omnium sententias collegit, ex illo igitur sumant lectores si quid de sensu antiquitatis habere certi volent,* &c. hæc Calv. Ecce quàm clarè Aug. ex S. script. & communi sententia SS. Patrum PERPETUAM CONTINENTIAM commendat, & præmium illis in cælo speciale promerendum ostendit; contrariumq; docentes tantopere condemnat.

ARTICULUS VI.

Respondetur ad obiectiones Acatholicorum.

QUæ verò Acatholici cum Luthero & Calv. contra continentiam adferunt, verè vana sunt, ut S. Aug. suprà dixit; sed nimis absurdum est, quod *Lutherus* dicit, illa verba Domini Gen. 9. v. 1. *Crescite, & multiplicabimini, ac replete terram,* &c. Noë & filiis dicta, omnes homines concernere, & plusquam præceptum continere. I.

Respond. autem 1. dici posset, non quidem Noë & filiis datum esse præceptum illis verbis, sed tantùm Dei benedictionem, ut dum uxores jam habebant, & etiam illæ fœcundæ essent; sicut Gen. 1. v. 22. de piscibus & volucribus dicitur: benedixitque eis, dicens: *Crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris, avesq; multiplicentur super terram,* &c. ubi patet, bestiis non dari præceptum illis verbis imperativis, sed benedictionem, & hoc in proposito sufficeret. II.

Resp. tamen 2. posito, quod ibi datum sit illis paucis præceptum, ut multiplicarentur; quod tamen in illorum potestate non erat, licèt præcipi poterat, ut coirent, quia plures conjuges coeunt, sed absque fructu, &c. nihilominus evidens est, quod per illa verba, multiplicato jam per totum mundum genere humano, omnibus & singulis hominibus hoc nullatenus, multò minùs graviter Deus præceperit, ut matrimonium inirent, & multiplicarentur; alioquin quotquot matrimonium non iniissent, graviter peccassent: quod nimis falsum est, sic enim *Elias, Joannes Baptista,* imo, quod horrendum dictu est, ipse *Christus Salvator* peccasset: similiter Christus & Apostoli malè suasissent, etiam juxta Acatholicorum concessionem continentiam illis, qui cōtinentiæ donum à Deo haberent; & tales etiam non tentati peccarent, non ineundo matrimonium; quæ nimis absurda sunt, & blasphema. Ecce quo Acatholicorum doctrina vergat. III.

Sensus igitur verborum Dei est, quod Dominus Noë & filiis ipsius vel præceperit, vel eos monuerit, vel potiùs benedictionem dederit, ut crescerent; quia, cùm omnes alii homines præter illos in diluvio deleti essent, per illos genus humanum erat reparandum, quod postea non circa singulos homines, multò minùs hoc tempore necessarium est, sic hunc locum IV.

SS. Patres intellexerunt, ut *Cyprianus* lib. de Habitu Virginum ed. Bas. Anno 1543. circa finem sic dicens: *Prima sententia, crescere & generare praecepit; secunda ad continentiam suasit; cùm adhuc rudis mundus & inanis est, copia fœcunditatis generante propagamur, & crescimus ad humani generis augmentum; cùm jam refertus est orbis & mundus impletus, qui capere continentiam possunt, spadonum more viventes castrantur ad regnum, nec hoc jubet Dominus, sed hortatur, &c. sed cùm habitationes multas apud Patrem suum dicat, melioris habitaculi hospitia demonstrat: habitacula illa meliora vos petitis; carnis desideria castrantes majoris gratiæ præmium in cælestibus obtinetis, &c.* hæc Cyprianus.

V. Similiter loquitur *Tertullianus* l. de Monogamia ed. Bas. ann. 1562. & *Hier.* l. 10. in Jovinianum c. 9. ed. Bas. 1553. *Aug.* lib. de Virgin. c. 9. ed. Basil. & Antw. c. 21. & quidem curiosæ & inutili quorundam quæstioni respondent SS. Patres, & inter alios *Hier.* supra, ubi sic ait: *At dices, si omnes virgines fuerint, quomodo stabit humanum genus? noli metuere, ne omnes virgines fiant, difficilis res est virginitas, & ideo rara, quia difficilis, &c.* hæc ille.

VI. Similiter *Ambrosius* tom. 1. lib. 3. de Virginit. ed. Paris. 1569. dicit: *Nonnullos dixisse audivi, quod periit mundus, defecit genus humanum, conjugia labefactata sunt: quæro, quis tandem quæsiuit uxorem, qui non invenerit,* &c. hæc ille, ecce responsum ad vanam quæstionem contra Christi & Apostoli exhortationem.

CAPUT IV.

De Euangelico Consilio voluntariæ Paupertatis.

ARTICULUS I.

Referuntur errores Acatholicorum.

I. Circa voluntariam paupertatem, contrarii fuerunt errores. nam aliqui olim illam necessariò ex præcepto servandam volebant; sed posteriores prorsus illam detestantur.

II. Hæretici dicti, *Apostolici*, olim asserebant neminem salvari posse, nisi viveret in cœlibatu & paupertate voluntaria more Apostolorum: ita referunt *Epiphan.* hæres. 62. & *August.* lib. de hæres. cap. 40.

III. *Pelagiani* inter alia docebant, *quod Christiano non esset spes salutis, qui non actualiter renuntiaret omnibus, quæ possidet.* Ita refert quidam Hilarius in epist. ad Augustinum, quæ est 88. & hoc *August.* epist. 89. & 106. refutat.

IV. *Julianus Apostata Imperator*, ut refert *Greg. Nazianz.* Orat. 1. in Julian. per ludibrium tulerat legem contra Christianos; ne se defenderent, licèt bonis spoliarentur, & occiderentur, rationem legis reddens; quia vellet illos cogere ad servandum Euangelium; quod, ut ipse volebat, præciperet, ut nihil possiderent, & percutienti unam maxillam præberent alteram, &c.

V. Econtra *Vigilantius* hæreticus inter alia docebat, meliùs eos facere, qui retinerent suas possessiones, & paulatim earum fructus pauperibus dividerent; quàm eos, qui possessionibus venundatis, simul omnia largirentur; ita refert *Hier.* lib. contra Vigilant.

VI. *Desiderius Lombardus* circa annum 1240. volebat non esse licitum omnia relinquere; nisi quis talem religionem intraret, quæ possessiones haberet; vel nisi ex opere manuum vivere posset, ita refert *Alphonsus* lib. contra hæreses.

VII. *Guilhelmus* de sancto amore circa Ann. 1260. in lib. contra monachos mendicantes dicebat: paupertatem non esse licitam actualem, sed tantùm habitualem; scilicet in casu necessitatis, ita ut solùm quis paratus esset omnia relinquere potiùs, quàm Christum negare; sed hoc verè præceptum est.

VIII. *Lutherus* lib. contra triginta duos Articulos Lovaniensium thesi 59. dicit de monachis; *Paupertas, quam vovent, est rapina orbis terrarum*, & lib. de Votis monasticis dicit: *Votum paupertatis à Sathana effectum*, &c.

Calvinus lib. 4. Inst. c. 13. §. 19. cùm *votum continentiæ* impugnasset; tandem de *voto paupertatis & obedientiæ* sic ait: *In reliquis duobus votis impugnandis non insistam: hoc tantùm dico, præterquam quod non paucis superstitionibus sunt implicata (ut hodie res habent) in hoc composita esse videntur, ut, qui ea nuncupant, Deo illudant & hominibus, &c.* hæc ibi, sed, quàm falso patebit, & § 13. vult verba Christi, *vade, & vende omnia*, non spectare ad paupertatem voluntariam, ut infrà videbitur. IX.

Catholica Ecclesiæ doctrina est, quod Christus voluntariam paupertatem extra casum necessitatis, quo fides abneganda esset, non præceperit; sed tamen, ut opus & medium bonum ac sanctum, suaserit. X.

ARTICULUS II.

Quòd paupertas voluntaria sit Deo grata, & sancta, ac meritoria, non à Christo præcepta sed consulta, probatur ex S. Scriptura.

Paupertatem voluntariam docuit Christus ipse exemplo & verbo: exemplo quidem ab initio nativitatis, utpote, quem beatissima virgo peperit, & pannis involvit, *& reclinavit in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio*, &c. Luc. 2. v. 7. &c. & sic consequenter usque in finem, quem *secutæ erant mulieres à Galilæa ministrantes ei*, &c. Matt. 27. v. 55. & Matt. 6 v. 20. *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet*, &c. quod ipsum de externa paupertate verum fuisse patet 1. ex textu euangelico & vita Salvatoris, 2. ex verbis Apostoli 2. Cor. 8 v 9 ubi dicit: *Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset dives*, &c. quod autem Christus Dominus hanc paupertatem non præceperit, sed fidelibus suaserit. I.

Probatur 1. ex illo Matt. 5. v. 3. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*, etsi enim aliqui SS Patres hoc intelligant de humilibus, ut *Aug.* l. 1. de Serm. Domini in monte, quod etiam verum est, nihilominus his verbis etiam Christus voluit commendare voluntariam paupertatem propter Dei servitium susceptam, quam etiam humi- II.

Digitized by Google

humilitas sequitur, vel comitatur; hoc patet 1. ex Luc. 6. v. 20. ubi Dominus, cùm dixisset, *Beati pauperes spiritu*, &c. illos opponit divitibus v. 24. *Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram*, &c.

III. Et hoc ex ratione patet, quia divitiæ periculosa sunt, ut experientiâ constat, & suprà c. 2. art. 3. ostensum est, ex illo Luc. 14. v. 18. *Villam emi*, &c. & Matt. 13. v. 7. *Alia ceciderunt inter spinas, & spinæ creverunt, & suffocaverunt ea*, & v. 22. *Fallacia divitiarum suffocat verbum*, & Matt. 19. v. 24. *Dives difficilè intrabit in regnum cælorum, faciliùs camelus*, &c. & 1. Tim. 6. v. 9. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem*, &c. & ideo alii SS. Patres, ut infrà patebit, hæc loca, *Beati pauperes*, &c. de voluntaria paupertate intellexerunt.

IV. Probatur 2. ex illo Matt. 19. v. 21. ubi Christus Adolescenti dixit: *Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me*, &c. quibus verbis Christus Dominus imprimis expressit consilium paupertatis, 2. perfectionem illius, 3. speciale ejusdem præmium: primum, quod non præceperit illi juveni, multò minùs omnibus Christianis, ut omnia venderent, & darent pauperibus, quoad juvenem patet; quia, si præceptum esset, hoc fuisset ad salutem illi necessarium, at ille priùs à Domino petierat v. 16. dicens: *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam*, dixit Dominus, *si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, & illa ibi enumerat dicens, quod, qui illa servat, vitam habebit, inter quæ non erat paupertas, & postea subdit: *Si vis perfectus esse*, &c. ubi patet non præcipi absolutè, sed suaderi sub conditione; ut, si altiorem gradum salutis & perfectionis desideret, vadat, &c.

V. Nec obstat, quod Marci 10. v. 21. Christus dixerit, *unum tibi deest, vade, & vende*, &c. Hoc enim patet Christum non dixisse, quod aliquid ipsi deesset ex præceptis ad salutem necessariis; cùm jam Christus ipsi dixerat, sufficere ad salutem, ut servaret præcepta Decalogi, inter quæ non est, ut quilibet actualiter vendat omnia, & det pauperibus, quod Acatholici fateri debent: hoc ergo illi deerat ad majorem perfectionem consequendam, quam ipse desiderare indicabat, cùm diceret, *hæc omnia servavi, quid adhuc mihi deest?* Matt. 19. & sic SS. Patres intellexerunt.

VI. Quod etiam Christus per hæc verba, *vade, & vende*, non præceperit aliis Christianis evidens est ex prædictis, & ex eo, quia alioquin nulli divites retinentes divitias suas salvari possent, licèt ex illis eleëmosynas darent, quod est contra illud Christi ibid. ubi, cùm ad verba Christi: *Faciliùs est camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum cælorum*, Apostoli dicerent v. 25. *Quis ergo poterit salvus esse, Christus respondit, apud homines impossibile est, apud Deum omnia possibilia sunt*, &c. & Apostolus 1. Tim. 6. ait: *Divitibus hujus seculi præcipe, non superbè sapere, nec sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo bene agere; divites fieri in bonis operibus; facile tribuere; thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam.* ubi Apostolus manifestè supponit, quod divites retinentes possessiones suas salvari possint.

VII. Secundum, quod Christus illis verbis expressit, est; quod paupertas voluntariè suscepta, ut quis sequatur Christum, sit perfectionis.

3. Quod etiam speciale præmium mereatur in cælis, scilicet, *habebis thesaurum in cælis*, &c. patet; nisi enim Christus speciale præmium præter communem salutem intellexisset, frustra illa verba addidisset, cùm jam dixisset, *si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, &c. VIII.

Ubi observandum, quod dupliciter aliquis omnia possit relinquere; semel in casu necessitatis, quando vel bona essent relinquenda, vel Dei præceptum transgrediendum, aut fides neganda: in hoc casu omnes fatentur esse præceptum de omnibus potiùs relinquendis: quia hoc spectat ad præceptum de diligendo Deo super omnia; & sic etiam omnis homo obligatur habitualiter, sive in animi præparatione, ut resolutus sit potiùs omnia relinquere, quàm Deum offendere, & hoc modo intelligitur illud Luc. 14. v. 33. *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*, &c. cùm v. 26. dixisset; *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & matrem*, &c. *adhuc & animam suam, non potest meus esse discipulus*, &c. IX.

Aliter autem intelligitur, quando talis necessitas non urget, nec illa respicitur, sed solùm, ut meliùs Deo serviatur, & pauperibus ex pio affectu succurratur, tunc doctrina Ecclesiæ ex Christi verbis est; quod sit consilium, & hoc modo patet, quod Christus adolescenti locutus sit. X.

Quod autem per hæc verba Christus non solùm juveni suadere, sed & omnibus fidelibus tale consilium dare voluerit, patet ex textu: Primò, quia verba Christi dicta juveni, scilicet, *si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, non solùm ad juvenem illum spectabant, sed & ad omnes fideles: sic etiam alia, *si vis perfectus esse*, etiam per modum consilii aliis dicta sunt; 2. Patet etiam ex textu sequenti, cùm enim Apostoli audîssent hæc verba Christi, de difficultate divitum ingrediendi regnum cælorum, & promissione thesauri adolescenti factæ, si omnia vendat, & Christum sequeretur, Petrus nomine omnium dixit v. 27. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Christus præter communem vitam beatam, speciale præmium Apostolis promisit, dicens v. 28. *Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim*, &c. Et ne solis Apostolis hæc dicta putarentur, cùm de duodecim sedibus dicatur, licèt & hoc SS. Patres, aliqui voluntariè pauperibus promissum dicant, certum est tamen; quod Christus speciale præmium omnibus talibus dandum expresserit dicens v. 29. *Et omnis, qui reliquerit domum, fratres, aut sorores, aut uxores, aut agrum*, &c. *propter nomen meum centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*, &c. ecce speciale præmium illis promissum, & non aliis divitibus, qui mandata Dei servant. XI. XII.

Ubi etiam patet, quòd voluntaria illa Apostolorum paupertas non erat sub præcepto; quia nullum tale de relinquendis omnibus præceptum audierant; sed tantum ut Christum, faciliùs sequerentur: nec Christus ullum præceptum quoad alios exprimit, cùm dicit, *& omnis, qui reliquerit*, &c. sed præmium relinquentibus promittit. XIII.

***

Digitized by Google

ARTICULUS III.

Eadem veritas probatur ex communi sanctorum Patrum sententia & expositione.

I. SAncti Patres docent, quod verba illa Christi, *si vis perfectus esse*, per modum consilii, non solùm illi juveni, sed & aliis fidelibus dicta sint.

II. Sic *Clemens Alexandrinus* apud Coccium tomo 2. ed. colon. 1601. fol. 371. Anno 200. lib. 2. Pædag. cap. 3. supponit dicens: *Aurum enim & argentum, & priuatim & publice est inuidiosa, ut semel dicam possessio, si usum excesserit, rara ad acquirendum, difficilis ad custodiendum*, &c. *quocirca dicit Dominus, vende, quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me.*

III. *Athanasius* in vita S. Antonii ed. Paris. 1581. sic de illo ait: *Recordabatur, quomodo & Apostoli omnibus spretis secuti fuissent Saluatorem; & multi, ut legitur in actis Apostolorum facultatibus suis venditis, pretia ad eorum pedes detulissent, egentibus partienda; quæve, & quanta spes iisdem reposita esset in cælis: talia secum voluens intrauit Ecclesiam, & accidit, ut tunc legeretur Euangelium; in quo Dominus dicit ad diuitem, si vis perfectus esse, vade, vende omnia tua*, &c. *quo audito*, &c. *veluti propter se hæc esset scriptura recitata*, &c. *statim regressus, possessiones, quas habebat, vendidit.* Et infrà: *Et indigentibus dedit*, hæc Athanas. Et de eodem in vita illa habetur; quod postea in Eremo multorum monachorum pater illos exhortando dixerit; *Mihi credite fratres, pertimescit Satanas piorum vigilias, orationes, jejunia, voluntariam paupertatem*, &c. *maxime vero ardentem amorem in Christum Dominum*, &c.

IV. *Basilius* ed. Antwerp. 1568. in Regulis fusiùs disputatis interrogatione 9. sic ait: *Cùm Dominus noster Jesus Christus dixerit, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me* Matt. 19. Item: *Vendite, quæ possidetis, & date Eleemosynam*, Luc. 12. *Equidem ex hoc colligo, qui hac mente à suis discedat hunc hujusmodi curam de parte patrimonii sui nullo modo oportere negligere*, &c. *ut eam, veluti rem jam Domino consecratam summa cum religione distribuat*, &c. hæc ille.

V. *Gregor. Nazianz.* apud Jod. Cocc. tom. 2. fol. 374. ed. colon. 1601. Orat. 16. quæ est de pauperum amore: *Pulchra*, ait, *res inopia, & pecuniarum contemptio, testis est Zachæus, atq; etiam Christus. Ille dum domum suam Christo ingredienti omnes propemodum opes suas dono obtulit: hic, dum diuiti illi* PERFECTAM *vitam hac re definiuit*, &c. hæc ille.

VI. *Tertullianus* ed. Bal. 1562. l. 4. contra Marcionem n. 18. *Beati*, ait, *mendici (sic enim exigit interpretatio vocabuli, quod est in Græco) quoniam illorum est regnum Dei*, &c. hæc ille.

VII. *Cyprianus* l. de Lapsis, *Decepit*, inquit, *multos patrimonii sui amor cæcus*, &c. & infrà: *Idcirco Dominus bonorum magister*, &c. *præmonens &* CONSULENS *in futurum, si vis, inquit, perfectus esse, vade, vende omnia tua, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me*, &c. *si hoc diuites facerent, per diuitias suas non perirent, thesaurum in cælo reponentes*, &c. *nec vinci à seculo posset, qui unde vinceretur in seculo non haberet, sequeretur Dominum solutus & liber, ut Apostoli, & sub Apostolis multi, & nonnulli sæpe fecerunt*, hæc ille.

VIII. *Chrysost.* tom. 2. ed. Bas. 1558. in illum locum Matt. 19 *Si vis perfectus esse*, &c. sic ait: *Ut alliciatur, ingentem ei mercedem futuram ostendit, & voluntati ejus uniuersa relinquit*, hæc ille.

Rursus eâd. ed. 1547. tom. 3. in locum ad Romanos, *salutate Priscam & Aquilam*. sic ait: *Cùm dicit si vis perfectus esse consulendo, & admonendo dicit; Non est autem idem* CONSULERE, *& legem ponere; nam qui legem statuit, modis omnibus fieri vult, quod præcipit; qui vero consulit, & adhortatur, sententiæ & arbitrio auditoris permittit, ut ex dictis, quod voluerit, eligat; sicq; faciendorum Dominus auditor relinquitur; propterea non simpliciter dixit, vade, vende facultates tuas, sed ut discas, quod in arbitrio audientium res sita sint*, &c. hæc ille. Quid clariùs contra falsam Calvini & Acatholicorum expositionem? IX.

Similiter *Ambrosius* ed. Par. 1569. tom. 1 l. de Viduis ait: *Ut intelligas distantiam præcepti atq; consilii, illum recorderis, cui in Euangelio ante præscribitur, ne homicidium faciat, ne adulterium admittat*, &c. *præceptum etenim ibi est, ubi est pœna peccati: at vero cùm se præcepta legis memorasset implesse*, CONSILIUM *ei datur; ut vendat omnia, & sequatur Dominum; Hæc enim non præcepto imperantur, sed pro consilio deferuntur*, &c. hæc ibi, quid iterum clariùs? X.

Idem eâd. ed. tom. 3. epist 36 ad Sabinum Episcopum sic ait: *Paulinum splendore generis in partibus Aquitaniæ nulli secundum, venditis facultatibus tam suis quàm etiam coniugalibus, in hos se induisse cultus ad fidem comperi; ut ea in pauperes conferat, quæ redegit in pecuniam; & ipse pauper ex diuite factus, tanquam deoneratus graui sarcinâ, domui, Patriæ, cognationi quoq; valedicat, quo impensius Deo seruiat*, &c hæc Ambr. XI.

Hieron. tom. 1. ed Bal. 1553. epist. 8. ad Demetriadem de seruanda Virgin. cap 7. sic ait: *Apostolici fastigii est, perfectæq; virtutis, vendere omnia, & pauperibus distribuere, & sic leuem atq; expeditum cum Christo ad cælestia subuolare. Nobis, imo tibi diligens credita est, dispensatio; quanquam in hoc omni ætati, omni personæ libertas arbitrii relicta sit; si vis, inquit, perfectus esse. Non cogo, non impero, sed propono palmam; ostendo præmia, tuum est eligere*, &c. hæc ille. Quid clariùs de consilio paupertatis? XII.

Idem tom. 9. ed. eâd. in cap. 19. Matt. super illa verba, *si vis perfectus esse*, sic ait: *In potestate nostra est, utrum velimus esse* PERFECTI: *tamen quicunq; perfectus esse voluerit, debet vendere quæ habet, & non ex parte vendere, sicut Ananias*, &c. *sed totum vendere, & cùm vendiderit, omne dare pauperibus & sic sibi præparare thesaurum in regno cælorum; & hoc ad perfectionem non sufficit, nisi post contemptas diuitias Saluatorem sequatur, id est, relictis malis faciat bona*, &c. hæc ibi. XIII.

Idem tom. 3 ed. eâd. epist. 150. ad Hedibiam q. 1. sic ait: *Interrogas quomodo quis perfectus esse possit? & quomodo viuere debeat vidua; quæ sine liberis derelicta est?* &c. *itaq; & ego tibi Domini nostri respondebo sermonibus: si vis esse perfecta, & tollere crucem tuam, & sequi Dominum Saluatorem, & imitari Petrum dicentem. Ecce, nos dimisimus omnia, & secuti sumus te; vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & sequere Saluatorem*, &c. *qui cùm diues esset, pro nobis pauper factus est*, & infrà: *Dicunt Apostoli, se omnia, quæ sua fuerunt, dimisisse, & mercedem pro hac* VIRTUTE *audacter exposcunt quibus respondit Dominus: Omnis, qui reliquerit domum, aut fratres*, &c. *centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. O quanta beatitudo pro paucis magna recipere, æterna pro breuibus*, &c. *habere Dominum debitorem*, &c. hæc ibi. XIV.

Idem tom. 1. ed. eâd. epist 26. cap. 3. ad Pammach. sic ait: *Parua dimisimus, & grandia possidemus; Centuplicato fœnore Christi promissa redduntur*, &c. *Si vis, inquit, perfectus esse, vade, & vende omnia*, &c. *semper grandia in audientium ponuntur arbitrio.* Et infrà: XV.

Non

Non tibi imponitur necessitas, ut voluntas præmium consequatur, &c. hæc ibi.

XVI. Demùm tom. 2. ed. eâd. lib. contra Vigilant. ait: *Quod autem asseris eos meliùs facere, qui utuntur rebus suis, & paulatim fructus possessionum suarũ pauperibus diuidunt; quàm eos, qui possessionibus venundatis semel omnia largiuntur; non à me ei, sed à Domino respondebitur: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, &c. *ad eum loquitur, qui vult esse perfectus, qui cum Apostolis patrem, & nauiculam, & rete dimittit; iste, quem tu laudas, secundus, & tertius gradus est; quem & nos recipimus, dummodo sciamus prima secundis & tertiis præferenda*, &c. hæc ibi.

XVII. *Augustinus* Epist. 89. ad Hilarium ad quæst. 4. edit. Basil. tomo 2. 1528. sic ait: *Audi jam pauca de diuitibus, quod in tua epistola sequitur inquirendum; hoc enim posuisti illos dicere: Diuitem manentem in diuitiis suis, Regnum Dei non posse ingredi, nisi omnia sua vendiderit; nec ei prodesse, si forte ex ipsis diuitiis mandata fecerit*, &c. ubi hoc ex Scriptura refutat, & postea sic ait: *Sed totum audiant, totum aduertant*, &c. *cui enim Dominus hoc præcepit? profecto illi diuiti, qui vitæ æternæ consequendæ consilium quærebat accipere*, &c. *ille autem non ei respondit, si vis venire ad vitam, vade, & vende omnia quæ habes, sed si vis venire ad vitam, serua mandata: quæ juuenis cùm sibi à Domino ex lege commemorata seruasse dixisset, & quæsiuisset, quid sibi adhuc deesset, responsum accepit: si vis perfectus esse vade & vende*, &c. *Et ne se illa, quæ multùm amabat, hoc modo perdere existimaret, & habebis inquit, thesaurum in cælo: Deinde addidit, & veni, sequere me, ne cuiquam cùm hæc fecerit aliquid prodesse existimetur, si non sequitur Christum. At ille quidem tristis abscessit, qui viderit quemadmodum illa legis mandata seruauerat. Puto enim quod se arrogantiùs quàm veriùs seruasse responderat, veruntamen Magister bonus mandata legis ab ista* EXCELLENTIORE PERFECTIONE *distinxit; ibi enim dixit, si vis venire ad vitam, serua mandata; hic autem, si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes; cur ergo negamus diuites, quamuis ab illa* PERFECTIONE *absint, venire tamen ad vitam, si mandata seruauerint*, &c. & post unum folium: *Hac quippe lege & conditione, non illi tantùm, qui mentis excellentia* PERFECTIONIS *consilium receperunt, ut vendita sua pauperibus distribuerent*, &c. *sed etiam quisquis infirmior & illi gloriosissimæ* PERFECTIONI *minùs idoneus*, &c.

XVIII. Iterum ibid. eâd. edit. paulò pòst sic ait: *Qui illius* PERFECTIONIS *de vendendis rebus suis* CONSILIVM *tam* GRANDE *tamq;* PRÆCLARUM *non receperunt; & tamen à damnabilibus immunes criminibus esurientem Christum pauerunt*, &c. *non sedebunt quidem cum Christo sublimiter judicaturi; sed ad ipsius dexteram stabunt misericorditer judicandi*, &c. Ecce quale præmium paupertatis ex verbis Christi?

XIX. Demum in fine epistolæ eâdem edit. sic scribit: *Ego, qui hæc scribo*, PERFECTIONEM *de qua Dominus locutus est, vade & vende omnia quæ habes*, &c. *vehementer adamaui, & non meis viribus, sed gratia ipsius adjuuante sic feci*, & infrà: *Et ad hoc propositum quantis possum viribus* (nota) *exhortor: & in nomine Domini habeo consortes, quibus hoc per meum ministerium persuasum est: sic tamen, ut præcipuè sana doctrina teneatur, nec eos, qui ista non faciunt, vana contumacia judicemus*, &c. hæc Augustinus.

Similia scribit serm. 49. de Diversis cap. 1. & 2. ubi dicit qualiter omnia reliquerit; & à Valerio Episcopo locum ædificandi monasterium obtinuerit, in quo cum aliis vixerit, antequam Episcopus fieret. XX.

Ecce tantus Doctor non solùm verbo, sed & facto suo doctrinam Christi de voluntariæ paupertatis perfectione declaravit.

ARTICULUS IV.

Refutatur argumentum Calvini contra perfectionem paupertatis.

ETsi verba Christi per se clara sint, & tam evidenter SS. Patres illa de voluntariæ paupertatis consilio, perfectione, & præmio intellexerint; idque quoad omnes fideles etiam utriusque sexûs: audet tamen Calvinus lib. 4. Inst. cap. 13 § 13. de illo loco Matth. 19. *Si vis perfectus esse*, sic dicere: *Fateor hunc locum fuisse à quibusdam ex Patribus malè intellectum; atq; hinc natum esse voluntariæ paupertatis affectationem*, &c. hæc ille: sed quàm arroganter & malè dicat hunc locum malè intellectum à quibusdam Patribus, patet ex præmissis, cùm SS. Patres unanimiter, ut certum hoc supponunt; nec ille ullum in contrarium suum sensum allegare possit; quòd ad illum refutandum sufficeret. I.

Ipse, ut contrarium suum errorem defendat Catholicos arguens sic dicit §. 13. *Perfectos igitur se factos jactant omnia sua relinquendo, si in hoc sua est perfectionis summa; quid sibi vult quod Paulus docet, eum, qui omnia sua distribuerit pauperibus, nisi charitatem habeat, nihil esse*, &c. *hic respondeant necesse est, summum hoc quidem, sed unicum hoc esse perfectionis opus; verùm hic quoq; reclamat Paulus, qui non dubitat charitatem sine ejusmodi renuntiatione facere vinculum perfectionis*, &c. *si certum est inter magistrum & discipulum nihil esse discretionis, alter autem clare negat hominis perfectionem in eo consistere, & rursum sine eo constare asserit*, hæc ille. II.

Respond. 1. constat ex dictis suprà cap. 2. art. 2. qualiter consilia Euangelica dicantur perfectionis; certum inprimis est ex verbis Christi & sanctorum Patrum expositione, quòd Christus huic paupertati aliquam specialem perfectionem tribuerit. III.

Secundò certum est, quòd renunciatio omnium bonorum per se loquendo sit instrumentum & adminiculum ad charitatem majorem, quæ perfectio simpliciter est, consequendam.

Tertiò certum est; quòd si hæc renunciatio bonorum ex imperio charitatis propter Deum fiat, sit eximium perfectionis opus, & actus excellens charitatis; & hoc tertio modo Christum potissimùm intellexisse SS. Patres notarunt, dum dicunt non sufficere ad perfectionem, ut quis bona vendat, & distribuat, sed etiam ut sequatur Christum, id est, ex charitate Christi fiat: & hoc modo SS. Patres voluntariam paupertatem ex amore Christi præponunt diviti, etiam Christum amanti, ut ex prædictis evidens est.

Respond. itaque secundò: Non jactant catholici inaniter, sed in verbis Christi fundati, asserunt perfectionem paupertatis voluntariæ; quam etiam SS. Patres prædicarunt. IV.

Digitized by Google

Respond. 3. Christi & Apostoli verba consonant; nam Christus non opponit paupertatem charitati, sed illam includit: Apostolus autem dicit distributionem bonorum sine charitate nihil prodesse ad vitam, & hoc verum est. Similiter, cùm Apostolus dicit charitatem esse vinculum perfectionis, hoc verum est, etiam sine distributione tali; adeòque verum est, quòd neget in tali sola distributione consistere perfectionem; non tamen negat talem distributionem esse bonum medium ad perfectionem charitatis, multò minus negat Apostolus charitatem talem, quâ non solùm mandata Dei servantur, sed etiam sponte omnia relinquuntur & pauperibus dantur, ut quis perfectiùs Christum sequatur; non, inquam, negat Apostolus talem charitatem esse perfectiorem quàm alteram, quæ hoc non præstat; fallaciter & fraudulenter itaque Calvinus procedit, ut patet.

VI. *Calvinus* ex sua falsa deductione quasi verba Apostoli clarè negarent ullam perfectionem à distributione qualicunque bonorum etiam ex amore Dei facta, vult verba Christi aliter esse explicanda; ita ut Christus nullam perfectionem intelligere voluerit, per illa verba, *si vis perfectus esse*, &c. sed nec ullam perfectionem viam ad vitam, nec aliam vitæ formandæ rationem tradere; quàm quæ Judæis in lege Domini tradita olim fuerat, &c. unde de juvene sic ait: *Divitiis quum abundaret, cor illis affixum habebat, ergo quia verbum hoc secretum non sentiebat, à Christo lancinatur*: Vade inquit vende omnia, quæ habes, *si tam bonus custos fuisset legis non discederet mœstus: nam qui Deum diligit ex toto corde, quidquid cum ejus dilectione pugnat, non tantùm pro amore habet, sed tanquam exitiale abominatur; ergo quod divitem avarum omnia relinquere jubet Christus, perinde est ac si ambitiosum omnibus honoribus, voluptuosum & impudicum omnibus libidinis instrumentis juberet renuntiare*, &c. *frustra igitur Hypothesin illam ad generalem interpretationem trahit, ac si Christus hominis perfectionem in renunciatione bonorum constitueret*, &c. hæc Calvinus pro sua authoritate.

VII. Resp. 1. quàm falsò Calvinus hæc dixerit, clarum est ex verbis Euangelii & SS. Patrum communi sententia.

VIII. Respond. 2. quòd Christus non docuerit perfectiorem vitæ rationem, quàm lex antiqua, etiam falsum est; contrarium patet, cùm Christus dicat Joann. 13. v. 34. *Mandatum novum do vobis*: & constat ex communi SS. Patrum sententia.

IX. Respond. 3. licèt lex dicat: *Diliges Deum ex toto corde*, hoc suprà cap. 2. art. 2. declaratum est, patet tamen quòd in charitate possit unus altero esse perfectior; nec lex ita obligat ad omnia distribuenda actualiter, alioquin Acatholici ad illa obligarentur, sed obligat solùm ad pravum & avarum animum deponendum; at Christus hîc suadet, ut actualiter omnia relinquat.

X. Respond. 4. Quidquid sit de illius juvenis animo, ad quem Calvinus vult Christum solum in particulari respexisse, de quo sunt diversæ sententiæ, & quidem verisimiliùs est, quòd juvenis bene intenderit, cùm Marc. 10. v. 21. dicatur: *Iesus autem intuitus illum dilexit eum*, &c. quod non fecisset, si mentitus esset, vel tentare voluisset, & hoc Euangelistæ expressissent; sicut de alio legis Doctore & Scriba Matth. 22. v. 35. & Luc. 10. v. 25. dicitur quod tentans illum, &c. sed Luc. 18. v. 18. de hoc juvene dicitur, quòd quidam Princeps interrogaverit eum, nec dicitur, quòd tentans, &c. sed quidquid sit de juvenis animo in particulari, sancti Patres absolutè & unanimiter omnes ex verbis Christi concludunt, quòd Christus occasione hujus juvenis voluerit generalem pronuntiare sententiam non jubendo, sed consulendo; ut omnia vendantur, & dentur pauperibus, prout patet ex textu; qualiter Petrus & Apostoli intellexerunt, & ex testimoniis sanctorum Patrum allegatis, & specialiter Augustinus suprà epist. 89. ubi de juvene ait: *Quidam putant quod arrogantiùs quàm veriùs locutus sit, sed addit, qui viderit quemadmodum mandata servaverit*, quasi diceret, parum refert, qualiter ipse servârit, de quo non est litigandum; sed de principali Christi intentione agendum; ideo absolutè dicit, quòd Christus non attento juvenis animo, tanquam *Magister bonus mandata legis ab illa* EXCELLENTIORE PERFECTIONE *distinxerit*: ut suprà visum est, & hoc pro fidelibus aliis declaravit.

Falsum ergo est, quod Calvinus dicit Christum illa verba solùm dixisse, ut vulnus avaritiæ ejus contra legem detegeret: sed juvenem monere voluit sincerè de via perfectionis, & si in illo locus non esset, fidelibus illam viam ostendere voluit: non quòd in sola renuntiatione bonorum perfectio hominis consisteret, ut fallaciter Calvinus dicit, sed in renuntiatione ex charitate propter Deum facta consistere declaravit, prout nimis clarè ex SS. Patribus constat. XI.

Sic intellexerunt Apostoli, etiam Petrus cùm diceret, *Ecce nos reliquimus omnia*; & Christus absolutè postea declaravit dicens: *Et omnis qui reliquerit domum*, &c. & verba Christi confirmant cum dicit, *& habebis thesaurum in cælis*, &c. quæ certè dicere fictè à Christo dicta esse blasphemia est. XII.

Sic intellexerunt primi Apostolorum discipuli in Jerusalem Act. 4. v. 34. *Quotquot possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum, dividebatur autem singulis prout cuique opus erat*, &c. sic postea semper Ecclesia intellexit; unde tot ab initio fuerunt, qui omnia voluntariè propter Christum reliquerunt, ut suprà cap. 1. art. 2. copiosè ostensum est. XIII.

Hunc igitur *voluntariæ paupertatis* non affectationem (ut Calvinus calumniatur) sed sanctum & pium usum, non aliqui solùm Patres ex loco Matth. 19. malè intellecto, ut etiam mentitur Calvinus; sed omnes SS. Patres antiqui, & tota Ecclesia à tempore Apostolorum ex claro Christi verbo, & exemplo, & promissione docuit, & recommendavit, & plures SS. Patres, ut *Basilius, Gregor. Nazianz. Hieronymus, Augustinus* pulchrimè practicarunt. XIV.

Ex his patet, quàm falsò & arroganter Calvinus loco citato, rejectâ SS. Patrum circa verba Christi explicatione, ut mala, sic dicit: *confido bonis omnibus & non contentiosis satisfactum cum hac mea explicatione*, &c. hæc ille: quin potius omnibus bonis patet Calvinum falsò mentem Christi contra clara Christi verba, Apostolorum doctrinam, & exempla, ac sanctorum Patrum XV.

tum

Digitized by Google

trum unanimem explicationem ad suum perversum errorem detorsisse; ut meritò ipse, ejusque sequaces verè contentiosi censendi sint, qui hisce pertinaciter contradicunt: quod eò turpiùs est, cùm Calvinus velit sacram Scripturam adeò esse claram, ut ejus verus sensus à falso discerni possit, sicut lux à tenebris, & tamen hæc verba Christi & sanctorum Patrum explicatio tam clara sunt pro voluntariæ paupertatis consilio, perfectione, & præmio, ut verè Calvinus tenebras Solis luci offundere velle convincatur; quod evidens erit Lectori, si ipsius dicta cum verbis Christi & SS. Patrum, specialiter S. Augustini, ad quem aliàs, si quid certi de sensu antiquitatis habere velint, remittit Lectores, testimoniis allegatis conferre voluerit.

CAPUT V.

De obedientiæ Consilio.

ARTICULUS I.

Referuntur errores Acatholicorum.

I. OBedientia, quam ex consilio Christi suis superioribus præstant clerici, sed specialiùs Monachi, in hoc consistit; quod non solùm in iis, ad quæ ex præcepto Dei & Ecclesiæ omnes fideles obligantur; sed etiam in aliis honestis & bonis operibus, quæ aliàs libera sunt, judicium & voluntatem superiorum, relictâ propriâ, sequantur & observent, ut eò meliùs & securiùs Deo serviant.

II. Hanc obedientiam olim antiqui hæretici contemnebant, præsertim *Lampetiani*, de quibus refert *Damascenus* lib. de Hæres. hæres. 98. de illis dicens sic: *Qui vitam in communitatibus & cœnobiis degere instituerint, sinunt, quod quisq; velit, & probet vivendi genus, id sequi: quod etiam de vestitu judicandum*, &c. *nihil enim inquiunt Christianus invitus facere debet, propterea scriptum est, voluntariè sacrificabo tibi*, &c. hæc Damasc. de illis dicens, quòd in multis etiam cum Arianis sentirent.

III. Hos secuti sunt *Ioannes Huß* qui art. 12. inter damnatos Constantiæ sess. 15. dicebat, quòd *obedientia Ecclesiastica* esset secundùm adinventionem sacerdotum præter authoritatem expressam Scripturæ.

IV. *Lutherus* lib. de Votis monasticis t. de obedientia dicit: *Peccant hic eadem insania Monastici, qua & in paupertatem; Primo, quod consilium eam faciunt*, &c. sed graviùs exorbitavit lib. de capt. Babylon. dicens: *Christianis nihil ulla in re imponi potest, sive ab hominibus, sive ab Angelis, nisi quantùm volunt: liberi enim sunt ab omnibus*, &c. unde occasionem dedit rusticis contra Principes rebellandi.

V. *Calvinus* lib. 4. Inst. cap. 13. §. 12. generaliter omnia consilia Evangelica rejicit.

VI. Catholica Ecclesia docet obedientiam monasticam esse consultam & sanctam.

ARTICULUS II.

Quòd obedientia Clericorum, & præsertim Monachorum sit à Christo consulta, sancta, & meritoria, probatur ex S. Scriptura.

I. PRobatur 1. ex lumine rationis, etiam à sacra Scriptura fundato; quia constat experientiâ, quòd post lapsum Adæ ratio hominis multùm obscurata fuerit; & amor proprius inordinatus ob pravas inclinationes hominem ab amore Dei distragat; ut faciliùs in peccatum labantur, & ex illo omne peccatum germinet: prout eleganter August. lib. 14. de civit. Dei cap. 28. ostendit dicens: *Fecerunt civitates duas, amores duo; terrenam scilicet, amor sui usq; ad contemptum Dei; cælestem vero, amor Dei usq; ad contemptum sui*, &c. hæc ille: unde fit, quòd in propriis homo magis cæcutiat, quàm in alienis; ac ideo consultius est alienum sequi judicium, juxta illud Proverb. 3. v. 5. *Ne innitaris prudentiæ tuæ*, & ibidem v. 7. *Ne sis sapiens apud temetipsum*, ad hoc autem deservit obedientia monastica, ut patet.

Probatur 2. exemplo Christi, qui Joann. 4. v. 34. dicit: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me*, & Matth. 26. v. 4. *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Iterum Marci 14. v. 36. Luc. 22. v. 42. sic ad Philipp. 2. v. 8. de Christo dicitur, *Factus obediens usque ad mortem.* Nec solùm Deo Patri obediens fuit, sed etiam hominibus; ut patet Luc. 20. v. 51. *Descendit cum eis* (Maria & Joseph) *& venit in Nazareth, & erat subditus illis*, &c. licèt ipse esset sapientia Patris; utique in exemplum fidelium. II.

Probatur 3. ex Christi verbo Matth. 16 v. 24. ubi dicit: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*, &c. quid est sequi Christum, nisi ipsius exemplum imitari? ipse autem obediens fuit usque ad mortem, quid est abnegare se ipsum, nisi proprium judicium & amorem relinquere, ac potiùs alterius judicium & voluntatem facere? III.

Verum quidem est, quòd Christus ibi primariò loquatur de obedientia à Deo præcepta; scilicet, quòd homo fidelis quicunque debeat esse animo paratus seipsum & omnia abnegare potiùs, quàm Dei præceptum prævaricari, vel fidem Christi negare: cùm Christus v. 25. subdit dicens: *Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam*, &c. & hoc in casu necessitatis præstandum est; nihilominus extra casum necessitatis suam voluntatem ob amorem Christi abnegare, non est præceptum, ut patet; & tamen pium & sanctum est; quòd enim in necessitate necessarium, & bonum, & sanctum est, cur extra necessitatem bonum & sanctum non esset? & ideo hoc consilium in illis verbis Christi includitur tanquam perfectior obedientiæ gradus, ut SS. Patres intellexerunt. IV.

Probatur 4. ex illo Matth. 19. v. 21. *Si vis perfectus esse, vade*, &c. *& veni sequere me, & habebis thesaurum in cælo*; ubi non solùm consulitur abre- V.

abrenunciatio bonorum temporalium, sed potissimùm sequela Christi; quæ consistit 1. in illius exemplo imitando, qui fuit etiam obediens hominibus. 2. Perfectio consistit in actuali sequela, quæ non est omnibus præcepta; sicut Apostoli Christum secuti sunt, etiam corporaliter ipsi obediendo non tantùm in præceptis, sed etiam in aliis; cùm tamen Christus non usurparet sibi regnum terrenum, ut patet Joann. 18. v. 36. *Regnum meum non est de hoc mundo*, & Christus de Apostolis & successoribus illorum dixit: *Qui vos audit, me audit.* Luc. 10. v. 16. & Apostolus ad Hebr. cap. 13. v. 16. *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis*, similiter 2. Cor. 8. v. 5. commendat obedientiam Macedoniorum, qui semetipsos Apostolo obtulerunt, & ibidem cap. 10. v. 6. de Corinthiis dicit: *In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, cùm impleta fuerit vestra obedientia*, &c. quæ de obedientia Ecclesiasticis præpositis exhibenda intelliguntur; ut patet, adeóque obedientia Ecclesiastica ad minus sancta, & pia est, & meritoria; quia huic sequelæ Christus thesaurum in cælo promisit.

VI. Quòd autem obedientia non solùm in necessariis, sed etiam in aliis, alioquin liberis Deo grata sit; clarè patet ex exemplo Rechabitarum, quos Deus in hoc summè commendavit Jerem. 35. ubi cùm Jeremias ad monitum Domini illis propinasset vinum, ipsi v. 6. responderunt: *Ionadab filius Rechab pater noster præcepit nobis dicens; Non bibetis vinum vos & filii vestri in sempiternum*, &c *obedivimus ergo voci Ionadab filii Rechab.* Hoc facto Dominus præcepit Jeremiæ, ut diceret viris Judæ, &c. v. 14. *Nunquid non accipietis disciplinam ut obediatis verbis meis, prævaluerunt sermones Ionadab, quos præcepit filiis suis, & non biberunt vinum usq; in diem hanc; quia obedierunt verbo patris sui, ego autem locutus sum ad vos*, &c. *& non obedistis mihi*, v. 18. *Domui autem Rechabitarum*, &c. *hæc dicit Dominus pro eo quod obedistis præcepto Ionadab patris vestri*, &c. *non deficiet vir de stirpe Ionadab*, &c. Ex his patet: quòd obedientia erga alium, etiam in his, quæ aliàs libera erant, Deo grata sit, & meritoria.

VII. Nec obstat responsio Acatholicorum, cùm dicunt, quòd, licèt Deus filiis Rechab non præceperit in speciali ne biberent vinum, &c. tamen in generali præcepto Decalogi, *Honora patrem*, ad hoc ex præcepto patris obligabantur; ac proinde non erat illis liberum.

VIII. Contra hoc primò patet ex textu quòd Deus supponat filios Rechab non fuisse obligatos ex præcepto Decalogi; ut in illo obedirent Patri: quia expressè dicit v. 16. *Firmaverunt igitur filii Ionadab filii Rechab præceptum patris sui quod præceperat eis, populus autem ille non obedivit mihi*, ubi patet, quòd spontè sese firmaverunt; alioquin Deus in hoc illos specialiter non laudasset, quòd se in hoc firmassent, ut obedirent homini, quos opponit Judæis, qui non obedierunt Deo, nec aliquid speciale fuisset, quia potuisset quoscunque alios etiam allegare, qui Deo obedivissent in aliis præceptis vel in necessariis præceptis à parentibus datis; nec Deus ipsis speciale præmium promisisset, ut patet.

IX. Secundò patet ex eo, quia filii non obligantur obedire parentibus in quibuslibet; præterim si pervenerint ad pubertatis annos, & singularem familiam alant: alioquin nec filii possent adhærere uxori relicto patre invito, contra verbum Domini Matth. 19. v. 5. *Propter hoc dimittet homo patrem*, &c. & certè Acatholici non volunt fateri se obligatos ad obediendum parentibus, si illis præciperent, quæ Jonadab filiis suis præcepit: Nec obstat verbum Apostoli Coloss. 3. v. 30. *Filii obedite parentibus per omnia*; quia vel hoc intelligitur de filiis, cùm sub parentum cura parvuli sunt; vel ad summum, quòd in omnibus obedire debeant ad quæ patriæ potestas se extendit: vel ipsimet Acatholici fateri debent.

ARTICULUS III.

Eadem veritas probatur ex testimonio sanctorum Patrum & miraculis.

QUòd Monachorum obedientia in primitiva Ecclesia juxta sacram Scripturam laudata & usurpata fuerit, testantur sancti Patres: inter alios est Basilius Magnus, qui floruit circa Annum 360. ipse lib. Regularum fusiùs disputatarum interrogat. 41. edit. Antwerp. 1658. sic de Monachis ait: *Cæterum in his quæ concessa sunt artificiis neutiquam permittendum est unicuique; ut arbitratu suo discat, quod velit; sed illud tantummodo, ad quod aptum esse illum Antistites judicaverint; qui enim seipsum abnegavit, seseque voluptatibus suis omnibus spoliavit, is non, quod vult, facit, sed quod docetur: neque vero ratio permittit eum sibi ipsi, quod expediat, diligere; qui gubernationem sui aliis tradiderit*, &c. & infrà id ex Apostolo probat dicens: *Ex prompta ubiq; omnibus in rebus obedientia laudi semper tribuitur, cùm idem Apostolus laudat quosdam, ac dicat* 2. Cor. 8. v. 5. *Semetipsos dederunt primùm Domino, deinde nobis propter voluntatem Dei*, &c. hæc Basilius; ubi Apostolus loco citato loquitur de fidelibus in Ecclesiis Macedoniæ, quos commendat; primò, quòd Eleëmosynas largas tribuerint in sua paupertate dicens: *Altißima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum, quia secundum virtutem testimonium illis reddo, & supra virtutem voluntarii fuerunt*, &c. & postea subdit, quòd præter Eleëmosynas, quas Apostolus petierat, semetipsos dederint, &c. scilicet se ad obedientiam in omnibus offerentes. I.

Idem *Basilius* in Constitutionibus monasticis cap. 22. vel juxta aliam edit. Antwerp. cap. 23. sic ait: *Nunc rursus quod de obedientia ante dicere instituimus accuratiùs etiam pertractemus*, &c. *doceamusq; quàm magna ea obedientia sit, quam erga Antistites suos Religionis vera præstare cultores debent; ejusque magnitudinem non aliunde explicare adnitar, quàm ex sacrosancta Scripturæ authoritate*, &c. ubi allegat Apostolum dicentem: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, unde infert, quòd hoc multò ampliùs superiores spirituales concernat; & ideo allegat illud Apostoli Hebr. 13. v. 17. *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis*, & infrà illud Luc. 10. v. 16. *Qui vos audit, me audit*; unde infert, dicens: *quod Christus Apostolis dixit, intelligendus est in communem legem sanxisse in posteros, qui aliorum futuri erant* II.

erant moderatores, &infrà: *Quemadmodũ igitur Paſtori oves ſuæ obtemperant, & viam, quamcunque ille vult, ingrediũtur: ſic qui ex Deo pietatis cultores ſunt, moderatoribus ſuis obſequi debent; nihil illorũ iuſſa curioſiùs perſcrutantes, quando libera ſunt à peccato, &c.* & infrà: *Iterum quoque convenit verum pietatis cultorem, perinde ùt inſtrumentum quoddam utile opificis, ad complendam ſpiritualem fabricam omnibus in rebus parere, &c.* Demum rationem reddens hujus obedientiæ dicit: *illud firmiſſimum tenendum rem omnium eſſe difficillimam, ſeipſum cognoſcere, & curare; propterea quòd naturaliter ſeipſum quisque amat,* &c. *quilibet propterea, quòd in ſe ipſos propenſiùs, in veritatis iudicio falluntur; porrò ab alio cognoſci curarique facile eſt.* hæc Baſilius. qui Arianæ hæreſi ſe ùt murum oppoſuit; & teſte Greg. Nazianz. nemo S. ſcripturæ libros illo veriùs & uberiùs explicavit: qui & ipſe Monachus fuit, & monachorum inſtitutum propagavit.

II. *Ephrem* edit. Colon. 1603. Baſilii contemporaneus lib. de Virtut. & Vitiis, cap. de Obedientia ſic ait: *Beatus, qui vera & minimè ſimulata præditus eſt obedientiâ, quoniam hic imitator eſt optimi noſtri præceptoris; qui obediens fuit uſque ad mortem,* hæc ille, ubi prolixè illam laudat, & tandem concludit dicens: *Multi igitur ſunt fructus obedientiæ; quamobrem beatus eſt, qui poſſidet illam.*

III. Similiter hanc obedientiam de virtute cap. 2. plurimùm commendat, ab exemplis ſanctorum veteris teſtamenti dicens: *In ea frater Sanctorum vita illuſtris eſt & magnifica; Moyſes enim ſervus Domini,* &c. *Ietro ſe ſubiecit,* &c. *Ieſus Nave filius perfectâ ſuâ obedientiâ tantum donum promeruit, ut Moyſi ſucceſſor fieret: Samuel per obedientiam, quam Heli ſacerdoti præſtitit, dignus habitus eſt, qui vocem Dei audiret: Eliſæus huius adminiculo pallium & gratiam ſui accepit Magiſtri, &c.* hæc ille.

IV. *Gregorius Nazianz.* apud Jod. Cocc. tomo 2. fol. 411. edit. Colon. 1601. orat. 9. de ſuis ſermonibus & ad Iulianum tributorum exactorem, *&c.* ſic ait: *Ne quis, cùm ſine periculo alium ſequi liceat, præire cum periculo expetat; nec obedientiæ lex, quæ tam terrena quàm cœleſtia tuetur, atque conſervat, infringatur: neque committamus, ut perfectorum multitudo in diſſolutam ſine ullis præfectis vivendi licentiam recidat, &c.* hæc ille.

V. *Ambroſius* edit. Pariſ. 1569. tomo 3. ſerm. 65. *Sunt plerique qui ſingularem vitam proponentes ſinguli eſſe non poſſunt; ſed quærunt ſibi contubernia, atque utinam fratrum: Inveniſti Chriſtianum Monachum, cui cum fratre non convenit, & libentiùs ei convenit cum ſorore; qui non ſequitur ſeniorem utilia commonentem, & ſequitur adoleſcentulam incongrua cachinnantem,* &c. *ſed & ille clericus iter Domino facit, qui ſecundum Euangelium vivit, & per omnia obtemperat ſacerdoti, &c.* hæc ille, ubi S. Doctor depinxit Lutherum & ejus ſimiles apoſtatas Monachos.

VI. *Ioannes Chryſoſtomus* tomo 4. edit. Baſ. 1547. ad cap. 1. ad Galat. ſic ait: *Verùm enimvero etiamſi, qui præſunt, improbi forent, innumerisque ſcaterent malis, nec ſic quidem fas eſſet diſcipulo dictis non audientem eſſe; Etenim ſi de Iudæorum doctoribus dictum eſt, quoniam ſuper cathedram Moyſis ſedebant, eos eſſe dignos qui à diſcipulis audirentur, quanquam operibus erant tam malis, ut Dominus præciperet, ne illa imitarentur; quâ veniâ digni erunt, qui Eccleſiæ præſides per gratiam Dei modeſte viventes conſpuunt & conculcant, quod ſi nefas eſt, ut alius alium iudicet, quantò magis fas non eſt iudicare doctores,* hæc ille. Si talis obedientia pia & ſancta eſt, & in fidelibus requiritur erga Antiſtites; quantò magis in Monachis?

Hieronymus exemplo & verbo hanc obedientiam docuit, præſertim tomo 1. edit. Baſ. 1553. VII.
epiſt. ad Ruſticum: quâ illum inſtruit & hortatur ad vitam in monaſterio agendam; ubi, poſtquam multa de ſeipſo, quàm aliis exempla adduxiſſet, poſtmodum ſic ait: *Vt doceam te, non tuo arbitrio dimittendum, ſed vivere debere in Monaſterio ſub unius diſciplina Patris, conſortióque multorum; ut ab alio diſcas humilitatem, ab alio patientiam,* &c *non facias, quod vis; comedas, quod iuberis; veſtiare, quod acceperis,* &c. *ſubyciaris, cui non vis,* & paulò pòſt: *Præpoſitum monaſterii timeas, ut Dominum diligas, ùt parentem; credas tibi ſalutare, quicquid ille præceperit; nec de maiorum ſententia iudices, cuius officii eſt obedire, & implere, quæ iuſſa ſunt, &c.* hæc ille.

Idem in epiſt. ad Euſtochium de cuſtodia virgin. 2. folio à fine referens tria diverſa monachorum genera in Ægypto, illos præfert aliis, qui VIII.
cœnobitæ dicuntur; de quibus ſic ait: *Veniamus ad eos: qui plures ſunt, & in commune habitant, primum apud eos confœderatio eſt obedire maioribus, & quicquid iuſſerint, facere, &c.* hæc ille.

Similiter epiſt. 8. ad Demetriad. de ſervanda Virginit. cap. 10. ita ait: *Bonum eſt obedire maioribus: parére præfectis: & poſt regulas Scripturarum vitæ ſuæ tramitem ab aliis diſcere, &c.* hæc ille. IX.

Auguſtinus ſe Monachorum inſtitutum promoviſſe profitetur, cùm lib. 3. contra Petilianum cap. 40. art. 1. & epiſt. 89. ad Hilar. ùt præcedenti art. relatum eſt; tum alibi ſæpe; & quidem quoad obedientiam in ſpeciali epiſt. 109. edit. Baſ. tomo 2. 1525. ad Monachos ſic ait: *Præpoſitæ tanquam Matri obediatur honore ſervato: ne in illa offendatur Deus; multò magis presbytero, qui omnium veſtrûm curam gerit, &c.* hæc ibi. X.

Idem lib. 1. de Moribus Eccleſiæ cap. 31. edit. Baſ. tomo 1. 1525. de cœnobitis loquens ait: *Hi verò patres non ſolùm ſanctiſſimis moribus, ſed etiam divinâ doctrinâ excellentiſſimi,* &c. *nullâ ſuperbiâ conſulunt his, quos filios vocant, magnâ ſuâ in IVBENDO AVTHORITATE, magnâ ipſorum in OBEDIENDO VOLVNTATE.* hæc ibi. XI.

Rurſus lib. de Opere Monachorum edit. Baſil. 1528. tomo 3. cap. 17. agens de Monachis, XII.
qui Superioribus obedire nolunt, ſed ad ſuum placitum vacare, *&c.* dicit: *Quid enim agant, qui operari corporaliter nolunt; cui rei vacent, ſcire deſidero: orationibus, inquiunt, & pſalmis, & lectioni, & verbo Dei: ſancta planè vita in Chriſti ſuavitate laudabilis; ſed ſi his avocandi non ſumus, nec manducandum eſt, nec ipſa eſcæ quotidie præparandæ,* & infrà: *Citiùs enim exauditur una obedientis oratio, quàm decem millia contemptoris, &c.* & infrà: *Quis neſciat tantò citiùs quemque proficere, cùm bona legit, quantò citiùs facit, quod legit?* hæc Aug.

Severus Sulpitius S. Auguſtini coætaneus in vita S. Martini dialogo 1. edit. Colon. 1618. tomo 3. cap. 12. de Virtutibus Monachorum Orientalium ſic loquitur: *Præcipua ibi virtus & PRIMA eſt OBEDIENTIA; neque aliter adveniens ad Monaſterium Abbatis ſuſcipitur, quàm qui tentatus priùs fuerit, & probatus, nullum unquam recuſaturus quamlibet arduum & difficile, indignúmque toleratu Abbatis imperium, &c.* hæc ibi. XIII.

Digitized by Google

XIV. Ibid. cap. 13. eâdem edit. tomo eod. sic ait: *Duo vobis referam incredibilis obedientiæ admodum magna miracula; licet plura suppetant recolenti, sed ad excitandam virtutum æmulationem, cui pauca non sufficiunt, multa proderunt, ergo cùm quidam sæculi actibus abdicatis monasterium ingressum cœpisset rogare; Abbas ei cœpit multa proponere, graues esse istius disciplinæ labores,* &c. *ille verò nihil his terroribus permoueri, sed magis ita omnem obedientiam polliceri; ut si eum Abbas in ignem ire præciperet, non recusaret intrare,* &c. *casu clibanus prope ardebat,* &c. *hunc igitur aduenam illum jubet magister intrare; nec distulit parere præcepto, medias flammas nihil cunctatus ingreditur, quæ mox tam audaci fide victa, velut illis quondam Hebræis pueris cessêre venienti; superata natura est; fugit incendium, & qui putabatur arsurus, velut frigido rore perfusus se ipse miratus est,* &c.

XV. Ibid. paulò pòst eâdem edit. eodem cap. sic ait: *In eodem Monasterio factum id, quod dicturus sum; Recenti memoriâ ferebatur: quidam ibidem ad eundem Abbatem recipiendus aduenerat; cùm prima ei lex obedientiæ poneretur, ac perpetim polliceretur ad omnia vel extrema patientiam, casu Abbas storacinam virgam jam pridem aridam manu gerebat, hanc solo fixit, atq; illi aduenæ id operis imponit; ut tam diu virgulæ aquam irriguam ministraret, donec, quod contra omnem naturam erat, lignum aridum in solo arente viuisceret: subjectus aduena duræ legis imperio, aquam propriis humeris quotidie conuehebat; quæ à Nilo flumine per duo ferè milliaria petebatur; jamq; emerso anni spatio, labor non cessabat operantis, & de fructu operis spes esse non poterat; tamen* OBEDIENTIÆ VIRTUS *in labore durabat: sequens quoq; annus vanum laborem jam affecti fratris illudit: tertio demum succedentium temporum labente curriculo; cùm neq; noctu neq; interdiu aquarius ille cessaret operator, virga floruit: Ego ipsam ex illa virga arbusculam, quæ hodie intra atrium Monasterii est, ramis virentibus vidi, quæq; quasi in testimonium manens, quantùm* OBEDIENTIA MERUIT, *& quantum Fides possit, ostendit,* &c. hæc Sulpitius.

XVI. Simile obedientiæ miraculum refert S. *Gregorius* Magnus lib. 2. Dialog. de vita S. Benedicti Abbatis edit. Paris. 1533. cap. 7. dicens: *Quadam die Placidus puer, S. Benedicti Monachus, ad hauriendam de lacu aquam egressus est, qui vas, quod in aquam tenuerat, incautè submittens, ipse quoq; cadendo secutus est; quem mox unda rapuit, & penè ad unius sagittæ cursum eum à terra introrsus traxit: Vir autem Dei intra cellam positus hoc protinus agnouit, & Maurum festino vocauit, dicens: Frater Maure, curre; quia puer ille, qui ad hauriendum aquam perrexerat, in lacum cecidit, jamq; eum unda longiùs trahit; res mira & post Petrum Apostolum inusitata: Benedictione etenim postulata atq; percepta ad Patris sui imperium concitus perrexit; Maurus itaq; usq; ad eum locum, quo ab unda deducebatur puer, per terram se ire existimans super aquam cucurrit; eumq; per capillos tenens cursu rapido rediit, qui mox ut terram tetigit, ad se reuersus post tergum respexit, & quia super aquas cucurrisset, agnouit,* &c. hæc Gregor.

Idem lib. 35. in cap. 42. Job. cap. 12. sic ait: *Quia ad ostendendam virtutem obedientiæ occasio opportuna se præbuit; libet hanc paulo vigilantiùs sollicitiùsq; discutere, & quanti sit meriti demonstrare; sola namq; virtus est obedientia quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasq; custodit: unde & primus homo præceptum, quod seruaret, accepit, cui se si vellet obediens subdere, ad æternam beatitudinem sine labore perueniret; hinc Samuel ait: Melior est obedientia, quàm victimæ, & auscultare magis, quàm offerre adipem arietum; quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere,* &c. 1. Reg. 1. hæc Gregor. XVII.

Ex his SS. Patrum testimoniis in sacra Scriptura fundatis clarè patet obedientiæ bonitas; eòque ampliùs, quòd tot tantisque miraculis, quæ solâ Dei virtute fieri possunt, Deus eandem comprobavit. XVIII.

Quis ergo non miretur Acatholicorum pertinaciam; qui nec sacræ Scripturæ authoritate, nec sanctorum Patrum doctrinâ, nec tantis miraculis moventur; sed obedientiam Monachorum sic probatam detestantes, omnia præmissa vel pertinaciter negant, vel derident, sicut & Judæi Christi doctrinam miraculis probatam rejiciebant. XIX.

CAPVT VI.

De votis Religiosorum & Christianorum in generali.

ARTICULUS I.

Referuntur errores Acatholicorum.

I. Vota præcipua *Monachorum* sunt tria, scilicet *paupertatis, castitatis, & obedientiæ perpetuæ.* Quamvis autem Acatholici has tres virtutes impugnent, ut in præmissis visum est, specialiter verò negant, imo detestantur, si hæc tria vota Deo offerantur.

II. Ex antiquis hæreticis præter Lampetianos nulli repeiiuntur, qui vota hæc impugnaverint.

III. De *Gerardo* quodam *Sagarello* refert Guido de erroribus *pseudo Apostolorum* circa annum 1260. quòd docuerit *perfectiùs esse viuere sine voto, quàm cum voto.*

Lutherus lib. de Capt. Babylon. ait: *Vnum hoc addo, quod utinam cunctis queam persuadere, id est, ut vota omnia prorsus tollerentur, aut vitarentur, siue sint Religiosorum siue peregrinantium, siue quorumcunq; operum,* &c. IV.

Idem de votis monasticis sic ait: *Quod ad ipsam voti rationem attinet, neq; præcipit, neq; consulit Scriptura, ut quicquam deuoueatur, non probat autem Deus, nisi quod præcipit, vel consulit.* V.

Idem turpiùs processit lib. de Vita conjugali dicens: *Et aduersum hæc nihil te mouebit, etiamsi decies juraueris, voueris mira, ferrea & adamantina pacta peregeris, nam ut nihil minus vouere potes, quàm ut non sis mas aut fœmina (& si voueres stultum esset votum, nec quicquam valeret, non enim potes te alium formare) tanto minus etiam potes vouere, quod non velis coire, & multiplicare terram,* &c. prò pudor qualis discursus, sed Monacho Apostatæ gratus? VI.

Idem

Digitized by Google

VII. Idem ad Epiſcopos & Diaconos Eccleſiæ Wittenbergenſis de voto Religioſorum diſputantes, ſic audet dicere: *Votum Religionum aut quodcunque omnino, quadam lex eſt conſcientiam captivans; itaq; vovere virginitatem, cælibatum Religionem & quodlibet ſine Fide, tale votum ſacrilegum, impium, idololatricum dæmonibus vovetur*, &c. hæc ille novus Euangeliſta & Propheta præ pudore adhuc addidit *ſine Fide*, &c. ſed fruſtra & falsò.

VIII. *Calvinus Lutherum reipſa imitatus*, cautiùs tamen agere videri volens, aliqua vota probat; ſed primaria deteſtatur: diſtinguit autem de votis, quâ intentione fiant, & quidem ſi ad colendum Deum, ſeu per modum cultûs Dei emittantur, vult: quòd talia ſolùm fieri poſſint circa illa, quæ à Deo præcepta ſunt, de aliis non præceptis negat, quòd circa illa ad colendum Deum vota fieri poſſint; imo dicit, talia eſſe abominabilia, quaſi contra Dei voluntatem fiant, ad quod aliqua ſuâ authoritate præſupponit lib. 4. Inſt. cap. 13. §. 1. dicens: *Principia jam antea poſita teneant Lectores; docuimus enim primùm, quicquid ad vitam piè ſancteq; inſtituendam deſiderari poteſt, in lege eſſe comprehenſum*, &c. quod falſum eſſe ex ſuprà dictis conſtat, cùm Euangelica conſilia excludat.

IX. §. 2. ſupponit dicens; *Nam quod inter homines dicitur promiſſio, id Dei reſpectu votum appellatur; hominibus autem pollicemur ea, quæ vel putamus illis fore grata, vel quæ ex officio debemus; longe igitur majorem in votis obſervantiam eſſe decet, quæ ad ipſum Deum, cum quo maxime ſerio agendum eſt, diriguntur*, &c. hæc ibi & bene: ſed falsò inde damnat antiquitatem ab initio Eccleſiæ dicens: *Hic mirum in modum omnibus ſeculis graſſata eſt ſuperſtitio; ut homines ſine judicio, ſine delectu quidquid in mentem, vel etiam in buccam veniret, Deo protinus voverent*, &c. hæc ille, ſed Eccleſia nunquam ſic vota probavit, ille autem ſub hoc prætextu antiquam Eccleſiam damnare audet.

X. 3. §. 2. tria ad legitima vota requirit, ad quod ſupponit nullum cultum Deo acceptum, ſed abominabilem eſſe, niſi qui ejus verbo approbetur, vel potiùs mandetur, poſtea dicit, *ſit igitur hæc prima in votis cautio, ut nunquam ad aliquid vovendum deſcendamus, quin certo priùs conſcientiæ conſtiterit, ſe nihil temere tentare*, &c.

XI. §. 3. dicit, ſecundò requiri, *ut vires metiamur noſtras*, &c. non tamen excludèndo gratiam Dei, &c. quod verum eſt, ſed ipſe falsò hinc damnat dicens: *In quo genere primatum veſana audacia tenet cælibatus, ſacrifici enim Monachi & moniales ſuæ infirmitatis obliti, cælibatui ſe pares eſſe confidunt, quo autem oraculo edocti ſunt conſtaturam ſibi tota vita caſtitatem, in cujus finem eam vovent*, &c. hæc ille, ſed quàm falsò patet ex ſacra Scriptura & ſanctis Patribus ſuprà allegatis.

XII. §. 4. Tertium requirit, *quo animo votum nuncupet, ſi velis ipſum Deo approbari*, &c. *vini abſtinentiam, ſi ita voves, quaſi in ea ſubſit aliquid ſanctimoniæ, ſuperſtitioſus es, ſi in alium finem non perverſum reſpicis, nemo poteſt improbare*. Ubi quatuor, licitos fines aſſignat, quorum duo præteritum tempus reſpiciunt, duo futurum. Ad præteritum pertinent vota quibus noſtram erga Deum gratitudinem pro beneficiis acceptis teſtamur, vel ad iram ejus deprecandam ipſi à nobis pœnam ob admiſſa delicta exigimus, &c. primi generis *pacificorum vota per ſacrificia, quæ pii Reges, juſtum bellum ſuſcepturi vovebant, aut alii cum aliqua difficultate premebantur uſurpata* dicit, addens *ejuſmodi vota hodie quoque nobis in uſu eſſe poſſunt*. Secundi generis ponit in eo, *quæ ſi quis in aliquod flagitium Gulæ vitio prolapſus ſit, nihil obſtabit, quo minùs ad caſtigandum intemperiem lautitiis omnibus poſſit ad aliquod tempus renuntiare, idque facere voto adhibito quo arctiore veraciter ſe aſtringit*, &c. hæc ibi. Vota quæ futurum tempus ſpectant ponit §. 5. quæ fiunt, *ut reddamur cautiores partim ut quibusdam velut ſtimulis ad officium excitemur, vidit aliquis ſe adeo proclivem eſſe in certum vitium ut in re aliàs non mala ſibi temperare nequeat quin protinus in malum delabatur nihil abſurdum faciet, ſi ejus rei uſum ad aliquod tempus ſibi voto præcidat*, &c. hæc autem talia eſſe vult ut nulla ſint quaſi ad colendum Deum.

§. 6. Vult, votum omnibus fidelibus ſanctum & commune eſſe quod in Baptiſmo fiat, XIII.
& in cœnæ ſumptione confirmetur: quod tamen verum votum non eſt, ſed tantùm in Baptiſmo acceptatur lex Dei, & renunciatur diabolo, quod etiam infantibus ſufficit, qui non vovent, &c.

De particularibus, ut vult, licitis prædictis XIV.
votis ſubdit: *Neq; tamen ea ipſa vota, quæ ſancta eſſe aſſero, ſic commendare me putes, ut quotidiana eſſe velim*, &c. *ſi enim ad multa vota nuncupanda ſubinde erumpas, tota Religio aſſiduitate viléſcit*. Ubi etiam diſſuadet, ne quis voto perpetuo ſe obſtringat. Tandem §. 7. deteſtatur vota antiquorum, quibus abſtinentiam vini quaſi cultum per ſe Deo gratum vovebant, ac ad loca ſancta votivas peregrinationes faciebant.

Tandem, cùm multa contra ſtatum Mona- XV.
chorum falsò effutiiſſet §. 17. in hæc prorumpit verba: *Nunc videamus cujusmodi ſint vota, quibus in præclarum hunc ordinem hodie initiantur Monachi.*

Primùm, quia novum fictitium cultum promerendi Dei cauſa inſtituere illis animus eſt, abominationem eſſe apud Deum, quidquid ſic vovent, ex ſuperioribus concludo, &c. *Præterea quum ad multos ſimul perverſos atque impios cultus, quos hodie unus Monachatus ſub ſe continet, ſeipſos aſtringant, eos non Deo conſecrari, ſed dæmonio contendo*. Ubi ad votum virginitatis etiam procedit: ſed quàm perversè & falsò Calvinus hæc evomuerit, ex præcedentibus & ſequentibus patebit.

ARTICULUS II.

Proponitur & declaratur doctrina Eccleſiæ Catholicæ quoad vota præſertim Monaſtica.

DOctores Eccleſiæ Catholicæ ſemper docuerunt, & docent, primò, I.
quòd *votum ſit promiſſio deliberata & ex libera voluntate ſeu ſpontaneè Deo facta de bono aliquo majore ſeu excellentiore*.

II. Vnde primò certum est, quòd res vel actio, quam quis Deo vovet, vel promittit, debeat esse bona & licita, ac Deo grata, adeóque nullum peccatum cadit sub votum, sed tale votum esset Deo abominabile, multò minùs servandum.

Secundò, quòd maturè & cum sufficiente deliberatione votum fieri debeat, alioquin non obligat.

Tertiò votum est de majore bono seu excellentiore, quàm sit id, quod per votum omittitur, ita ut meliùs sit illud opus facere, quàm omittere; nam si quis voveat actum minùs bonum, ut se à meliore impediat, non potest esse Deo gratum, ut v. g. si quis voveat se initurum Matrimonium, ut non possit intrare Religionem, cùm juxta Apostolum 1. Cor. 7. v. 38. *Qui Matrimonio jungit virginem suam bene facit, & qui non jungit, meliùs facit*, &c. nisi in casu accidentali, ex parte subjecti; quando aliquis experitur se adeò uri, ut non possit moraliter castè vivere, sed sæpissime peccet, is juxta Apostolum ibidem v. 9. *meliùs nubit*; & sic etiam meliùs facit vovendo Matrimonium, ut peccatum evadat: tunc enim non est comparatio inter *nubere*, & *castè vivere*, sed inter *nubere* & *incastè vivere*.

III. Hinc etiam constat, quòd votum de re inutili, vana, indifferente, vel impossibili non sit verè votum, sed potiùs stulta superstitio: de illa enim dicitur Eccl. 5. v. 3. *Displicet ei infidelis & stulta promissio*, nisi aliqua circumstantia accedat, quæ bonum faciat, ut v. g. si quis voveat se nolle intrare in hanc vel illam domum sine ulla causa, non est votum; sed si accedat causa, ne ibi impudicam personam accedat, vel, ut ibi Deum laudet, tunc bonum est votum, &c.

IV. Communis etiam est sanctorum Patrum & Doctorum sententia, quòd vota circa res vel actiones à Deo non præceptas fiant; an autem circa illa, quæ à Deo præcepta sunt, etiam fieri possint, diversæ sunt sententiæ, sed in re consentiunt, scilicet quòd votum non fiat circa rem præceptam, ut à Deo præcepta est, quia ad hoc per se obligatur homo, & sic inutile esset; nihilominus votum fieri posset illâ intentione, ut si præcepta non essent, tamen vellet esse obligatus, vel etiam ad majorem præcepti observantiam; ut si quis voveat se non se inebriaturum, vel furaturum, ut magis abstineat: quòd autem votum ut plurimùm de rebus vel actionibus aliàs liberis & spontaneis fiat, & fieri possit, patet ex illo Deut. 23. v. 21. ubi dicitur: *Cùm voveris votum Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum, si nolueris polliceri, absque peccato eris*, &c. sic psalmo 131. *Votum vovit Deo Iacob*, &c. scilicet ædificare templum ad colendum Deum, quod tamen facere ipsi præceptum non erat, & filii Rechab, Jerem. 35. vovose firmaverunt, ut non biberent vinum, quod tamen ipsis aliàs liberum esset, simil a passim ex sacra Scriptura constant.

V. Hæc adeò clara sunt, ut ipse Calvinus id fateatur suprà allegatus, ut plura particularia vota admittat circa res alias liberas, si ob certos bonos fines fiant. Licèt *Lutherus* lib. de Captivit. Babyl. suprà allegatus omnia vota velit sublata; & *Petrus martyr* lib. de Votis Monachorum & cælibatu docere audeat, nulla vota in nova lege valere, vel licita esse, sed solum in lege veteri valuisse, ut cæremonias, quas Christus sustulerit, sed falsissimè, ut patet ex illo Isai. 19. v. 21. ubi dicitur: *Et cognoscent Ægyptii Dominum in die illa, & colent eum in hostiis, & in muneribus, & vota vovebunt Domino, & solvent*, &c. ubi certum est, quòd Propheta sub nomine Ægyptiorum loquatur de Christianis ex gentilitate conversis, & hoc magis ex S. Scriptura, & SS. Patribus constabit.

Quòd demum Ecclesia Catholica non probet ulla vota temerè facta, ut Calvinus falsò VI. imponit, & calumniatur, nimis evidens est; cujus calumnia in duobus consistit. Primò, quòd sacerdotes & Monachi ideo temerè voveant cælibatum, quia sine certo oraculo non sciunt se servare posse, &c. sed hoc non requiri, sed sufficere, quòd homo statum suum probet, & Dei auxilium imploret, suprà cap. 3. agendo de consilio perpetuæ castitatis art. 3. ex sacra Scriptura & SS. Patribus ostensum est: & patet etiam in matrimoniali contractu, qui certè difficilis est; ubi conjuges sibi fidem mutuò perpetuò servandam promittunt, licèt certo oraculo non sint edocti constanturam sibi totâ vitâ castitatem conjugalem, sed sufficiat de Dei auxilio, fiducia, &c.

Longè autem majorem providentiam Eccle- VII. sia gerit circa eos, qui perpetua Monachorum vota omittere cupiunt, quàm circa Matrimonium ullibi requiratur.

Sic Concil. Trid. sess. 25. de Regular. cap. VIII. 15. ordinavit: *In quacunq; Religione tam virorum, quàm mulierum professio non fiat ante decimum sextum annum expletum, nec qui minore tempore, quàm per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur, professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus Regulæ observantiam, aut alios quoscunque effectus*, &c.

Item cap. 17. sic statuitur: *Libertati professi-* IX. *onis virginum Deo dicandarum: prospiciens S. Synodus statuit, atq; decernit, ut si puella, quæ habitum regularem suscipere voluerit, major duodecim annis sit, non ante eum suscipiat, nec postea ipsa vel alia professionem emittat, quam exploraverit Episcopus*, &c. *virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat, quid agat, & si voluntas ejus pia ac libera cognita fuerit*, &c.

Demum cap. 18. sic rigide decernit: *Ana-* X. *themati S. Synodus subjicit omnes & singulas personas cujuscunque qualitatis vel conditionis fuerint*, &c. *si quomodocunq; coëgerint aliquam virginem, vel viduam aut aliam quamcunq; mulierem invitam*, &c. *ad ingrediendum monasterium*, &c. *vel ad emittendam professionem, quiq; consilium, auxilium vel favorem dederit*. hæc Concil.

***

AR-

ARTICULUS III.

Quòd omnia Vota piè & licitè fiant ad colendum Deum.

I. CAlvinus ut calumniæ ſuæ fucum faciat, & vota monachorum abſolutè damnet, ex eo, quod dicantur fieri ad Deum colendum, ac ſic per illa voventes ſanctificentur, contendit quod omnis cultus Dei, qui voluntarius eſt, nec à Deo eſt præceptus, ſit abominabilis & ſuperſtitioſus, ad quod ſubſidium ſumit ex Apoſtolo ad Coloſſ. 2. & ad Rom. 14. ſicut omnes hæreſes ex S. Scriptura malè intellecta promanant. De Apoſtolo infrà videbitur, alterum eſt, quod arguat Catholicos, quaſi in quibusdam rebus non præceptis, circa quæ vota fiant, ponant aliquam ſanctimoniam, & quod talia per ſe ſint Deo grati cultus, &c.

II. Cæterùm pro veritatis declaratione ſciendum; quod duæ in quolibet voto actiones reperiantur, una eſt ipſa actio vovendi, ſeu promiſſio, quâ homo Deo promittit, & ſe obligat ad aliquod præſtandum, ac ſic promiſſum implet, & hoc eſt formale votum: altera actio eſt, quaſi materialis ſeu materia voti, circa quam votum verſatur, ſed quam quis Deo per votum promittit ſe præſtiturum, ut orare, jejunare, abſtinere à vino, &c. quæ ſunt objecta votorum.

III. Hæ autem actiones materiales duplicis ſunt generis; aliquæ enim ſunt per ſe ſanctæ, & Deo gratæ, etiam per modum cultûs, ut orare, ſacrificare, & ſpectant ad virtutem religionis; aliæ ſunt actiones, quæ per ſe non ſpectant ad religionis virtutem, ſed ad alias virtutes, ut temperantiam, &c. quæ quidem ex ſe non tendunt ad Deum colendum, ſed ad virtutem aliquam exercendam, aut præceptum obſervandum, & ſic etiam per ſe bonæ ſunt moraliter, & ſic v. g. abſtinentia à vino licèt ſimpliciter ex ſe ſit indifferens, nec ex ſe bona, nec mala, ſi tamen per virtutem temperantiæ exerceatur, tunc bona eſt, prout omnes actiones exteriores potiſſimum ex intentione agentis ſuum, bonitatem vel malitiam habent, ut jejunare, caſtè vivere, & ab iis, quæ virtutibus poſſunt eſſe impedimento, abſtinere.

IV. Sciendum 2. eſt, quod *Religio actualis eſt actus, quo Deus verus colitur*, ſeu qui à virtute religionis elicitur, vel imperatur ad Deum colendum & honorandum, idque in re bona, & licita, & meliore, ut ſuprà dictum eſt.

V. Ex quo evidens eſt, quod omne verum votum quoad formale, ſit actus religionis, quia eſt promiſſio de re bona Deo facta, quæ implenda eſt, & ſervanda: clarum enim eſt primò, quod homo ſic Deo promittens ipſum honoret, & ad ipſius honorem faciat; adeoque Deum colat, 2. quia implere votum eſt ſervare Deo fidem, quod etiam eſt Deum colere, & honorare, 3. patet ex contrario; quia omnis idololatria eſt, quâ falſi Dii coluntur, & honorantur; atque etiam de re bona votum, quod falſis Diis præſtatur & ſervatur, eſt idololatria; & proinde Dii falſi per hæc coluntur: adeoque è contrario omne votum de re bona, licèt non præcepta Deo vero factum & ſervatum, eſt cultus Dei & actus religionis. Quod ipſum Calvinus ipſe fatetur, dum

VI. de votis illis particularibus circa res non præceptas ex bono aliquo fine, ut ait, factis §. 6. dicit: *Hæc ipſa vota quæ ſancta eſſe aſſero*, & nuncupationem illorum vocat *religionem*: dum ſuadet, *ne quotidiana ſint & frequentia* dicit; *ne tota religio ipſa aſſiduitate veleſcat*, adeoque per illa Deus colitur: & tamen illa vota ſunt circa abſtinentiam vini, & circa alia plurima, ut ibidem Calvinus ſpecificat; proinde frivolum eſt & falſum, negare quod per vota talia Deus verè colatur; vel quod in illis ſic Deo promiſſis non ſit cultus Dei. Quamvis igitur non omnis illa res vel actio quæ vovetur, ſeu circa quam votum verſatur, per ſe ſit ſancta, vel in ſe cultum Dei contineat; tamen cùm per votum Deo offertur, & Deo promittitur, ſancta fit & conſecratur, ac per illam, ut per objectum actus religionis, Deus colitur.

VII. Hoc ipſum, præterquam quod ex definitione religionis allegata, conſtet etiam ex S. Scriptura evidens eſt, prout patet ex illo Levit. 23. v. 12. ubi dicitur: *In eodem die quo manipulus conſecratur*, &c. & cap. 27. v. 9. *Animal autem, quod immolari poteſt Domino, ſi quis voverit ſanctum erit*, & v. 10. *& illud pro quo mutatum eſt, conſecratum erit Domino*, & generaliter de votis dicitur Deut. 12. v. 26. *Quæ autem ſanctificaveris & voveris Domino, tolles & venies ad locum*, &c. ex quibus patet, quod etiam res inanimatæ, quæ per ſe ſanctæ non ſunt, ex eo, quod homo eas Domino voverit ſanctæ, ſanctificatæ & conſecratæ dicantur, & ſint, quia ad honorem Dei deputatæ ſunt, ſic multò amplius homines, qui ſeipſos Deo per votum offerunt, conſecrati dicuntur, ut patet de Nazaræis Levit. 6. v. 2. ubi dicitur: *Vir ſive mulier, cùm fecerint votum, ut ſanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare*, &c. & v. 8. *Omnibus diebus ſeparationis ſuæ ſanctus erit Domino*, &c.

VIII. Hoc ſenſu etiam aliarum virtutum cultus verè religioſi dicuntur ſi propter Dei honorem exerceantur, ſeu à virtute religionis imperentur, ut patet ex illo ad Philipp 4. v. 8. *Repletus ſum acceptis ab Epaphrodito, quæ miſiſtis, odorem ſuavitatis hoſtiam acceptam, Deo placentem*, &c. ecce eleëmoſynam ad Dei honorem miſſam, Apoſtolus vocat hoſtiam; hoſtia autem eſt ſacrificium ad Dei honorem, quo Deus colitur, ſimiliter loquitur Apoſtolus Hebr. ult. v. 16. dicens: *Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci, talibus enim hoſtiis promeretur Deus*, &c. & Jacobi 1. v. 27. generaliter & expreſsè dicitur: *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc eſt, viſitare pupillos & viduas in tribulationibus eorum.* Demum patet ex illo Isai. 19. v. 21. ſuprà allegato, *& cognoſcent Ægyptii Dominum in die illa, & colent eum in hoſtiis & muneribus, & vota vovebunt Domino, & ſolvent*, &c. ubi patet, quod Propheta explicet ea, per quæ Chriſtiani Deum culturi eſſent, ſcilicet per vota, &c. adeoque per omnia vera vota Deus colitur.

IX. Ex his patet, quàm falsò Calvinus neget, quod omnia vera vota ad colendum Deum licitè fiant: licèt non ſint circa illa, quæ à Deo præcepta ſunt, ſed alioquin libera; & qualiter ipſe ſibi contradicat, cùm approbat plura vota, quæ fiunt ob certos fines circa res non præce-

 ptas,

ptas, quæ tamen vocat sancta, & religionem adeoque ad colendum Deum facta.

X. Patet etiam, quàm falsò Catholicis imponat §. 7. quasi dicerent abstinentiam vini per se esse cultum Deo gratum; Catholici enim dicunt, non quamcunque abstinentiam vini, sed ad bonum finem virtutis factam esse bonam, & si per votum Deo promittatur, & servetur, sit sancta, & per illam Deus colatur, ut de aliis ex locis Levit. & Deut. & Apostoli allegatis, patet: sic etiam jejunia, peregrinationes & alia, licèt ex se sanctitatem non habeant; tamen si voveantur ad loca sancta, ut Deus & Sancti ibi honorentur & invocentur, & si etiam in pœnam peccatorum, vel ad obtinendum Dei auxilium etiam nudis pedibus iter conficiendum, & alia similia voveantur, sancta sunt & religiosa.

XI. Peregrinationes tales sanctas esse patet ex vet. Test. & praxi primitivæ Ecclesiæ, pro qua sufficiat testimonium Eusebii Cæsariens. anno 320. qui lib. 13. de Præparat. Euangel. cap. 7. ed. Basil. 1549. sic ait: *Hac nos quotidie factitamus, qui veræ pietatis milites, ut Dei amicos honorantes ad monumenta quoq; illorum accedimus, votaq; ipsis facimus, tanquam viris sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum juuari profitemur*, &c. hæc Eusebius. Licèt Calvinus ibid. illa non solùm derideat, ut nugatoria; sed etiam plena superstitionis & manifestæ impietatis damnet contra S. Scripturam, & sua propria asserta, ut ostensum est.

ARTICULUS IV.

Refellitur objectio seu calumnia Calvini.

I. Quod autem impia & falsa sua doctrina, quâ omnia Religiosorum vota & alia quasi contra Dei voluntatem ad ipsum colendum emittantur, Calvinus Apostoli authoritatem ad Coloss. 2. allegat, plane fictitium & Apostolo contrarium est. Verba Apostoli ad Coloss. 2. v. 23. hæc sunt, *quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione & humilitate*, &c. ubi pro ly *superstitione*, in Græco habetur ly ἐθελοθρησκείᾳ, quod idem significat ac *voluntarius seu confictus cultus*; unde SS. Patres in Latinum verterunt *superstitionem*, ut *Hieron.* & *Ambros.* in hunc locum; idem ad Algasium quæst. 10. interpretatur, ut sit falsa religio. Erasmus in scholis ad epist. Hieron. ad Algasium dicit, hanc vocem dictam à spontaneo cultu Deorum, &c.

II. Ex his Calvinus sic arguit suprà §. 2. dicens primò Deus *ἐθελοθρησκείας omnes, quamuis in oculis hominum speciosa sint, maledicta esse pronuntiat, 2. si voluntarii omnes cultus, quos ipsi sine mandato excogitamus, Deo sint abominabiles, sequitur nullum ei acceptum esse posse, nisi qui ejus verbo approbetur, ergo ne tantum licentiæ nobis sumamus, ut audeamus Deo vovere, quod nullum testimonium habeat, qualiter ab ipso æstimetur, nam quod Paulus docet peccatum esse, quidquid sit abq; fide, quàm ad actiones quaslibet extendat, hic certe præcipue locum habet, ubi cogitationem tuam recta in Deum dirigis*, &c. hæc ille, unde vult, quod omnia vota qualiacunque quæ non sunt in materia à Deo præcepta, sint abominabilia, & talia vult omnia vota esse, licèt aliàs bona sint, si ad Deum colendum fiant absque expresso Dei mandato.

Respond. primò, quod S. Paulus per illud verbum *voluntarium cultum*, non velit, nec intendat omnem cultum Dei damnare, qui circa rem bonam, licèt non à Deo præceptam, fiat, nimis clarum est ex locis suprà allegatis ad Philipp. 4. Hebr. ult. ubi eleëmosynas non præceptas, sed voluntariè datas, vocat hostias Deo placentes, ac proinde ad Deum colendum factas, & patet ex pluribus S. Scripturæ locis, specialiter ex voto Jacob Gen. 28. v. 20. *Vouit etiam votum dicens, si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via*, &c. *reuersusq; fuero prospere*, &c. *erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste, quem erexi, vocabitur domus Dei*, &c. ubi patet votum de re libera non præcepta, quoad lapidis erectionem, & futuram Dei domum, etiam ad colendum Deum, &c. similiter ex illo voto David ps. 131. *Votum vouit Deo Jacob*, dum vovisset se Deo templum ædificaturum, quod utique erat ad colendum Deum, & Deo gratum, sed non à Deo præceptum, cùm Deus noluerit, ut impleret, ut patet 2. Reg. 7. v. 12. III.

Respond. 2. Nec verba Apostoli allegata ullo modo ad hæc nostra vota spectant; ut patet ex textu, nam Apostolus ibi à proposito instruit Colossenses, ne se permittant seduci à Philosophis Gentilibus & Judæis sub falso & ficto Dei cultu à vera Christi fide & religione: ideo v. 4. dicit: *Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundum Christum*, &c. circa quæ verba dicit Hieron. ibid. *Contra Philosophos, ait, quorum omnis pene disputatio de elementis est, & de visibilibus creaturis*, &c. *& ex rebus naturalibus virtutem existimant Dei dicentes ex nihilo nihil fieri posse & animam, aut initium non habere, aut esse mortalem, & virginem omnino parere non posse*, &c. hæc Hieron. & quoad Judæos v. 16. *Nemo ergo nos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut Sabbathorum, quæ sunt umbræ futurorum, corpus autem Christi*, &c. & v. 18. *Nemo nos seducat volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit, ambulans*, &c. *& non tenens caput*, scilicet Christum. IV.

Vbi ex textu patet, & ex communi SS. Patrum sententia, quod Apostolus agat contra Philosophos, & Judæos, & quidem quoad Philosophos, qui jactabant se doctrinam ab Angelis, & ex visionibus Angelorum habere, quos ut Deos colebant, quales erant Platonici; de quibus agit Augustinus lib. 10. de Civ. Dei cap. 7. & seqq. sic *Tertullianus* ed. Basil. 1562. contra Marcionem lib. 5. n. 40. ait: *Si autem & aliquos taxat, qui ex visionibus angelicis dicebant cibis abstinendum*, &c. V.

Et Hieron. in hunc locum dicit: *Nemo ficta humilitate superbus, ut Angelos videre mentiens, frustra se super homines jactet, qui visiones à suo corde loquitur; hinc nemo tam humilis sibi & religiosus videatur, ut Angelos, qui Deum vident, se videre mentiatur, Christo non credens, qui omnium Sanctorum caput est*, &c. hæc Hieron. VI.

Idem eadem de Judæis exponit epist. ad Algasium, ubi ostendit, qualiter Judæi col... cultu latriæ Angelos, & militiam cæli, & ... judaizantes volebant Christianos debere servate VII.

vare legalia, & à cibis vetitis in lege abstinere, quæ omnia sunt contra Christi doctrinam, & à Christo capite avertunt.

VIII. His omnibus præmissis Apostolus subjunxit dicens: *Quæ sunt omnia in interitum ipso usu, secundum doctrinam & præcepta hominum, quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione, & humilitate*, &c. ubi patet, quod damnet talium Philosophorum doctrinam, & Judæorum præcepta circa legalia, quæ ipso usu vergunt in interitum, si quis illa usurpet, licèt habeant speciem sapientiæ, sed sunt vana superstitiosa, quibus Deus non colitur, qualia sunt omnia legalia post Christi ascensionem, & multò magis traditiones vanæ Pharisæorum, ut prolixiùs declarat Hieron. ad Algasiam suprà.

Hæc ex communi SS. Patrum interpretatione constant. Quis quæso sanæ mentis inde omnia pia Christianorum vota ad colendum Deum emissa esse abominabilia inferat? hæc Calvinus cum suis facere audet.

IX. Respond. tamen 3. in particulari; quod licèt Apostolus ibi de speciali cultu Philosophorum & Judæorum malò loquatur, adeoque nihil ad vota nostra spectent; tamen per se loquendo conceditur, quod omnis voluntarius cultus ab homine excogitatus & fictus, quo quis Deum in re vana, futili, mala, vel superstitiosa vult colere, sit illicitus, & malus, ut Ecclesia Catholica docet, ut suprà dictum est, sed talia non sunt vota, quæ Ecclesia usurpat circa res pias, licèt liberas, & Deo gratissimas; ut est *perpetua castitas, obedientia, paupertas*, &c. quæ ex S. Scriptura testimonium habent, quod Deus illa approbet non solùm, sed & consulat ut fiant, vel saltèm certum est, quod Deo placeant, ut sunt actus virtutum, ac proinde etiam evidens est, quod ipsi gratum sit, ut ad ipsius honorem voveantur; cùm omnia bona ad Dei honorem referenda sint, & referri possint. Insuper ostensum est, quod omne verum votum fiat ad colendum Deum: Calvinus etiam admittit multa vota circa res liberas, ut suprà patet, adeoque seipsum damnat. Demum id, quod Calvinus ex Rom. 14. allegat, nihil obstat, certum est, quod ibi Apostolus loquatur de fide, ut significat conscientiam, scilicet; quidquid non est ex fide, peccatum est, seu quod fit contra conscientiam, peccatum est; nam ibidem expressè dicit, de illis, qui bona conscientia carnem manducant; non peccare, si verò quis judicet esse malum, tunc esse peccatum contra tale judicium agere; ideo dicit: *Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide*, id est, quia contra conscientiam facit, &c. X. XI.

Cùm autem Christiani vel monachi vota Deo offerunt ad ipsum colendum in rebus & actibus in S. Scriptura commendatis ut Deo gratis, ex fide vovent, & ex bona conscientia, ad Dei honorem offerunt, & certi sunt, se in his nihil temerè agere: & sic SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt, ut patebit: unde patet, quàm fictitium & falsum suæ doctrinæ, imo calumniæ fundamentum Calvinus posuerit. XII.

CAPUT VII.

De Votis Religiosorum in particulari.

ARTICULUS I.

Quod Paupertas perpetua voluntaria sanctè Deo voveatur, probatur ex sacra Scriptura.

I. Ostensum est in præmissis, quod tria illa, paupertas, obedientia, & castitas perpetua sint à Christo consulta, Deo grata, & meritoria. Nunc ostendendum est, quod eadem piè & sanctè Deo voveri possunt, in quo etiam continetur, quod ad Deum colendum piè voveantur, ut ex præced. cap. constat, & infrà magis patebit, quod Acatholici potissimùm calumniantur.

II. Itaque quod *paupertas perpetua* Deo licitè & sanctè voveri seu promitti possit, hoc duplici argumento probatur, primò omne illud sanctè & piè Deo promittitur seu vovetur, quod ex Dei testimonio in S. Scriptura expressò ipsi gratum, imo gratius, ac meritorium est, talis autem est paupertas voluntaria, adeoque piè voveri potest. Majorem ipse Calvinus lib. 4. Inst. cap. 13. §. 2. proponit, minor probata est copiosè suprà cap 4.

III. Alio argumento probatur, scilicet id, quod Sancti in S. Scriptura etiam hortante Christo Domino piè fecisse referuntur, & SS. Patres juxta S. Scripturam commendarunt, licitè & sanctè fit, atqui S. scriptura testatur Sanctos piè vovisse paupertatem perpetuam, & SS. Patres idem commendant, adeoque piè fit.

Quod Sancti in S. scriptura referantur paupertatem perpetuam vovisse, & Christum ad hoc omnes fideles hortatum esse, probatur ex illo Matt. cap. 19. v. 21. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia*, &c. ex quo suprà ostensum est, quod Christus voluntariam paupertatem commendavit, & consuluit, quod verè etiam ad illam vovendam hortatus sit, patet, quia ex ipso, quod Christus hortatus est, ut fideles omnia vendant, & ipsum sequantur, qui nunquam terrena possedit, clarum est, quod etiam pium esse probavit, si fideles perfectè illam paupertatem servare vellent, quod fit si se voto ad illam adstringant: nam si liberè eam servant, ut omni tempore iterum ad divitias redire possent, & facilè redirent, qualis ibi spiritus paupertatis, aut qualis perfectio foret? Hanc Christi intentionem fuisse & Apostolos fecisse SS. Patres tradiderunt, sufficiat hic Augustinus in ps. 103. ed. Basil. 1529. tom. 8 comment. circa illa verba, *illic passeres nidificabunt*, ubi sic ait, *qui sunt passeres? sunt ergo quidam spirituales nidificantes in cedru libani. id est sunt quidam servi Dei audientes in Euangelio, dimitte omnia tua, vel vende omnia tua, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & ve-* IV. V.

Digitized by Google

& veni, sequere me; *Et non tantum hoc audierant magni, sed audierunt & p[...]i : & voluerunt hoc facere parui, & esse spirituales*, &c. *non habere proprias sedes, sed ire in vitam quandam communem*, &c. hæc ille: ubi de monachis loquitur, quod exemplo Petri & Apostolorum omnia reliquerint, qui per vota se Deo obstrinxerunt, ut infrà magis patebit ex ps. 132.

VI. Idem clarè asserit lib. 17. de Civ. Dei cap. 4. ed. Basil. 1529. tom. 5. dicens : *Dixerant potentes illi, ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te, hoc votum potentissimi vouerant; sed unde hoc eis, nisi ab illo, de quo hic continuo dictum est, dans votum voventi*, &c. hæc August.

VII. Quod etiam fideles alii in S. Scriptura de voto paupertatis commendentur, patet Act. 4. v. 32. *Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebant aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia*, & v. 35. *Diuidebatur autem singulis prout cuiq; opus erat*, &c.

VIII. Fideles autem illos hunc paupertatis vivendi modum in Hierusalem vovisse, licèt non omnes, sed qui voluerunt, SS. Patres testantur, sufficiat Augustinus cùm alibi, tum in ps. 132. circa illa verba : *Ecce quàm bonum*, &c. ubi de primis fidelibus Act. 4. sic ait ed. Basil. 1529. tom. 8. *Ipsi primo habitauerunt in unum, qui omnia, quæ habebant, vendiderunt*, &c. *& nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia*; *& quid est in unum? & erat illis, inquit, anima una, & cor unum in Deum. Ergo ipsi prius audierunt, ecce quàm bonum*, &c. *primi audierunt, sed non soli audierunt, non enim usq; ad illos ista dilectio & unitas fratrum venit: Venit enim & ad posteros ista charitatis exultatio, &* VOTUM *Deo, vouetur enim aliquid Deo, ut dictum est, vouete & reddite Domino Deo vestro : Melius est autem non vouere, & reddere, quàm vouere, & non reddere. Sed debet esse impiger animus, ut & vouеat, & reddat*, &c. & infrà : *Ex voce hujus psalmi appellati sunt & Monachi*, &c. hæc ille, ubi supponit fideles primos paupertatem vovisse, quos monachi sequuntur.

IX. Idem probatur ab exemplo *Ananiæ & Saphiræ* Act. 5. ex quorum actibus constat, quod cum aliis fidelibus voverint paupertatem alioquin illis liberam, cùm dicitur v. 1. *Vendidit agrum, & fraudauit de pretio agri conscia uxore sua, & afferens partem quandam ad pedes Apostolorum posuit*. Unde patet, quod promiserunt omnia ad pedes Apostolorum ponere, alioquin non dicerentur fraudasse de pretio, quod etiam id Deo promiserint, colligitur ex verbis Petri v. 3. *Cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri*, &c. quomodo Spiritui Sancto mentiti essent, nisi Deo promisissent omnia? quod autem ipsis liberum fuerat, antequam promitterent, patet ex illis verbis, *nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate*, &c.

X. Ita SS. Patres intellexerunt; inter alios *Cyprianus* ed. Bas. 1540. lib. 3. ad Quirinum c. 30. dicens : *Quod quis Deo vouerit cito reddendum*, &c. *de hoc ipso in Deuteron. si autem voueris votum Domino Deo tuo, non tardabis reddere illud*, &c. & in ps. 49. *Redde altissimo vota tua*, &c. *de hoc ipso in actibus Apostolorum: cur impleuit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto, cùm esset fundus in tua potestate? non hominibus mentitus es, sed Deo*, &c. hæc Cyprianus, ubi supponit, quod Deo voverit.

Basilius ed. Antw. 1568. serm. 1. de Inst. monachorum ait : *Danda nobis sedulo opera est, ne quid quoquo pacto professione nostra indignum faciamus, nene simili, atq; Ananiæ judicio efficiamur obnoxii; licebat enim initio Ananiæ possessiunculam suam Deo non polliceri, ac vouere, sed postquam humanæ gloriæ cupiditate inductus quidquid in bonis habebat, per professionem Deo consecrauit, de pretio autem postea nescio quid interuertit, aduersum se indignationem Dei prouocauit, cujus Petrus minister fuit*, &c. hæc ille. XI.

Hieron. tomo 1. ed. Basil. 1553. in epist. ad Demetriadem, *Ananias*, ait, *& Saphira dispensatores timidi, imo corde duplici, & ideo condemnati, quia post votum obtulerunt quasi sua, & non ejus, cui semel ea vouerant, partemq; sibi alienæ substantiæ reseruauerunt*, &c. hæc ille, quid clariùs? XII.

Chrysostomus tomo 3. ed. Basil. 1547. homil. 12. in acta Apostolorum de Anania, *Quare*, inquit, *hoc fecisti? voluisti habere? oportebat initio habere, & non promittere, nunc autem, postquam consecrasti majus sacrilegium commisisti, qui enim aliena rapit, forsan alienarum rerum desiderio rapit, tibi autem licebat tua retinere, cur igitur sacra fecisti ea, & postea accepisti*, &c. hæc ille, ubi supponit per votum illa Deo consecrata fuisse, & ideo ad colendum Deum votum emissum esse. XIII.

Augustinus serm. 27. de verbis Apostoli de Anania sic ait : *Dum ex eo, quod promiserat, partem subtraxit, sacrilegii simul condemnatur, & fraudis*, &c. hæc ille. XIV.

Fulgentius in epist. de debito conjugali cap. 8. ed. Colon. Bibl. magnæ PP. tomo 6. parte prima 1618. sic dicit : *Quàm sit malum, quamq; solicite fugiendum, si quis de hoc, quod Deo vouerit, aut retinere, aut repetere aliquid mortifera præuaricatione pertentet, exemplo sunt Ananias & Saphira*, &c. hæc ille. XV.

Ex his non solùm patet, quid Ananias fecerit, sed etiam, quod fideles in Hierosolyma piè & sanctè Deo sua omnia voverunt, & obtulerunt, quos Ananias se imitari simulabat, ex quibus abundè patet, quàm sanctum & pium sit Deo vovere, & promittere, quod omnia quis vendat, & det pauperibus, ac in voluntaria paupertate Deo serviat. XVI.

De votis in generali & speciali Augustinus ed. Bas. 1529. tom. 8. in ps. 75. super illud, *Vouete & reddite Domino Deo vestro*, sic ait : *Quisq;, quod potest, voueat, & reddat*, &c. *non sitis pigri ad vouendum, non enim viribus vestris implebitis* (ecce responsio ad Calvini calumniam) *deficietis, si de vobis præsumitis, si autem de illo, cui vouetis, vouete, securi reddetis, est quidam modus communis omnibus furtum non facere*, &c. *adulterium non facere omnibus præcipitur*, &c. *hoc totum omnes vouere debemus, sunt etiam vota propria singulorum, alius vouet Deo castitatem conjugalem, ut præter uxorem suam non nouerit aliã*, &c. *alii autem vouent, etsi experti tale conjugium, ultra tale nihil pati, nihil tale concupiscere, & ipsi vouerunt aliquid majus, quàm illi, alii* (NB) *virginitatem ipsam ab ineunte ætate vouent, ut nihil tale, vel experiantur, quale illi experti sunt, & reliquerunt, & isti vouerunt plurimum. Alius vouet relinquere omnia sua distribuendo pauperibus, & ire in communem vitam in societatem Sanctorum* (NB) *magnum votum vouit, vouete & reddite*, &c. *unusquisq; Deo, quod vouet, si respicit retrorsum, malum est*, &c. hæc Aug. ecce quàm clarè Calvini calumnias redarguit. XVII.

Imo

XVIII. Imo S. Doctor lib. 17. Civ. Dei cap. 4. ed. Baſil. 1529. tom. 5. Calvinum & ſectatores paupertatis voti inimicos à Spiritu Sancto damnatos aſſerit, nam poſtquam ex cantico Annæ, cùm dixiſſet de Chriſto: *Pauper ſuper omnes divites ſuſcitatus, & de ſtercore erectus eſt, ſuper omnes opulentos ille inops, ut ſedeat cum potentibus populi, quibus ait: Sedebitis ſuper ſedes duodecim; dixerant enim potentes illi: Ecce nos dimiſimus omnia, & ſecuti ſumus te, hoc votum potentiſſimi voverunt, &c.* ut ſuprà relatum, poſtea ſic ait: *Dominus infimum faciet adverſarium ejus, illum ſcilicet, qui homini voventi invidet, & reſiſtit, ne valeat implere, quod vovit, &c.* hæc Auguſt. quod ſi juxta verbum Dei Dominus tales deſtruet, qui invident voventi paupertatem, quam Apoſtoli voverunt, de qua ibi ſermo eſt; quid de illis qui hoc votum ut ſacrilegum damnant? Ecce quàm longè Calvinus à S. Auguſtino, imo à verbo Dei, aberret.

ARTICULUS II.

Quòd obedientia ſub Eccleſiaſticis Superioribus Deo ſanctè voveri poſſit.

I. Hoc ipſum probari poteſt ex S. Scriptura ſimili argumento, quo præcedenti articulo de paupertate probatum eſt, ſcilicet: Illud quod eſt Deo gratum & meritorium juxta S. ſcripturam, ipſi piè voveri poteſt: atqui obedientia ſub Eccleſiaſticis Prælatis, Deo grata eſt & meritoria juxta S. Scripturam, adeòque piè voveri poteſt. Major eſt clara, minor probata eſt ſupra cap. 5. ubi exemplo Chriſti obedientia Chriſti probata eſt, & ex ipſius conſilio Matt. 16. v. 24. *Abneget ſemetipſum*, & 19. v. 25. *Veni, ſequere me*; ac ab exemplo Rechabitarum Jerem. 35. vel potiùs ex teſtimonio Dei, qui illorum obedientiam non ſolùm commendavit, ſed etiam illi ſpeciale præmium promiſit, ubi non ſolùm de obedientia ſimplici dicitur, ſed de illa, quæ promiſſa erat ſponte ſine Dei præcepto, ut ibi oſtenſum eſt, & ex illis verbis ibid. v. 16. *Firmaverunt igitur filii Jonadab filii Rechab præceptum Patris ſui, quod præceperat eis*, ſcilicet de non bibendo vinum, quod aliàs ipſis liberum erat, nec à Patre ipſis invitis præcipi poterat, ut ibi probatum eſt.

II. Probatur 2. ſub eadem majore, ſcilicet id, quod Deo gratum eſſe ex S. ſcriptura conſtat, ſanctè & piè voveri poteſt, atqui quod homo non innitatur propriæ prudentiæ, ſed alterius conſilium & judicium ſequatur, Deo placet Prov. 3. v. 5. & 7. ſimiliter quod fideles audiant præpoſitos Eccleſiaſticos & illis obediant Lucæ 10. v. 16. *Qui vos audit, me audit.* 2. Cor. 8 v. 5. & cap. 10. v. 6. Hebr. 13. v. 16. ergo hæc obedientia ſic conſulta, Deo grata, piè voveri poteſt.

III. Hanc obedientiam à monachis in primitiva Eccleſia promiſſam & Deo votam fuiſſe teſtantur ſancti Patres, qui eandem ex S. ſcriptura ut ſanctam probant, ut cap. 5. art. 3. ex *Baſilio, Ephrem, Greg. Nazianz.* & aliis oſtenſum eſt, quod monachi obligati fuerint obedire ſuperiori, nec ab illius obedientia recedere potuerint, quod abſque voto non eſt factum, cum alioquin ad talem obedientiam
IV. non tenerentur. Sufficiat hìc teſtimonium Auguſtini, qui in pſ. 75. ed. Baſil. 1529. tom. 8. circa illa verba, *vovete & reddite, &c.* cùm de diverſis votis meminiſſet, ut præced. art. relatum eſt, de monachis ſubjungit dicens: *Nemo ergo poſitus in monaſterio frater dicat; recedo de monaſterio, neq; enim ſoli, qui ſunt in monaſterio perventuri ſunt ad regnum cælorum, & illi, qui ibi non ſunt, ad Deum non pertinent. Reſpondetur ei, ſed illi non voverunt, tu voviſti, tu retro reſpexiſti. De die judicii cùm Dominus minaretur, quid ait? mementote uxoris Loth. Omnibus dixit; Quid enim fecit uxor Loth? liberata eſt à Sodomis & in via poſita retrorſũ reſpexit,* &c. *Nam & modo dicimus illud quibusdam fratribus noſtris, quos forte viderimus velut infirmari in propoſito bono, & tales eſſe vis, quales illi? objicimus illis quoſdam, qui retro reſpexerunt, illi fatui ſunt in ſe,* & infrà: *Jam quia iſta tractavimus, forte volebas vovere, & modo non vis vovere. Sed quid tibi dixerit pſalmus attende: non dixit, nolite vovere, ſed vovete, & reddite. Quia audiſti reddite, non vis vovere? ergo vovere volebas, & non reddere: imo utrumq; fac. Unum fit ex profeſſione tua, aliud ex adjutorio Dei perficietur. Aſpice eum, qui te ducit, & non reſpicies retro, unde te eduxit, qui te ducit, ante te ambulat, unde te eduxit, poſt te eſt. Ama ducentem, & non te damnat retro reſpicientem, &c.* hæc Auguſt. quibus ex ſacra ſcriptura piiſſima monachorum vota commendat, & Acatholicorum & Apoſtatarum calumnias & fraudes detegit, & refutat; qui & vota deteſtantur, & vota promiſſa non ſervant; imò non eſſe ſervanda turpiſſimè docent.

Idem in expoſit. pſ. 99. ed. Baſil. 1529. tom. V.
8. cùm multum diſcurriſſet circa vitam monachorum in monaſteriis, quorum aliqui ſunt boni, & aliqui mali, unde occaſione malorum aliquis prætexens recedit, de quo ſic in illius perſona ait: *Ego putabam, quia charitas eſſet hic, & paucorum hominum moleſtia irritatus, dum non perſeveraverit implere, quod vovit, deſertor tam ſancti inſtituti, & reus voti non redditi, jam vero cùm inde exierit, fit & ipſe vituperator & maledicus, & dicit ea ſola, quæ quaſi ſe pati non potuiſſe aſſeverat*, &c.

Verum, quia nullum eſt tam abſurdum hære- VI.
ticorum aſſertum, quin illud ex falſo S. ſcripturæ intellectu palliare conentur; ſic etiam contra obedientiam monachorum objiciunt Acatholici illud 1. Cor. 7. v. 23. *Pretio empti eſtis, nolite fieri ſervi hominum*, unde inferunt, ergo nec homo liber ſe Abbati per votum obedientiæ ſubjiciat.

Reſp. negando conſequentiam, quæ falſiſſima eſt, nec ex verbis Apoſtoli ſequitur, cùm etiam conſequens planè S. ſcripturæ & Apoſtolicæ doctrinæ contrarium ſit.

Clarum eſt enim, quod Apoſt. non loquatur VII.
de omni obedientia, alioquin nec ſubditi Chriſtiani deberent obedire Regi vel Magiſtratui, contra expreſſam ſcript. 1. Pet. 2. 13. *Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi, &c. ſive ducibus, &c. quia ſic eſt voluntas Dei, &c.* & ipſe Paulus vult, *ut ſervi obediant Dominis, &c.* & ad Hebr. 13. mandat, *ut obediant præpoſitis ſuis, &c.* loquitur autem hìc Apoſt. de ſervitute mancipiorũ apud Ethnicos conſueta; quæ & circa gentiles adhuc uſurpatur, nec verò illam deteſtatur, ut malum, cùm dicit 1. Cor. 7. v. 21. *Unuſquiſq; in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat, ſervus vocatus es, non ſit tibi curæ; ſed & ſi fieri potes liber, magis utere: qui enim in Domino vocatus eſt ſervus, libertus eſt Domini; ſimiliter qui liber vocatus eſt, ſervus eſt Chriſti. pretio empti eſtis, nolite fieri ſervi hominum, unuſquiſq; enim, in quo vocatus eſt, fratres, in hoc permaneat apud Deũ*, &c.

Digitized by Google

Ex quibus clarè patet, quod Apoſtolus loquatur de illis, qui apud Gentiles erant mancipia, ubi maxima erat occaſio ſeductionis, & etiam ignominia, quod Chriſtiani illis ſervirent; nec tamen Apoſtolus dicit illos per Baptiſmum à tali ſervitute liberari; ſed debere permanere : ita tamen, ut heris taliter ſerviant, ne Deum offendant; quod clariùs exprimit ad Epheſ 3 v. 5. *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto, non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed ut ſervi Chriſti*, &c. *ſcientes quoniam unusquisq; quodcunq; fecerit bonum, hoc recipiet à Domino ſive ſervus, ſive liber*, &c. ecce talibus ſervis coactis, ſi propter Chriſtum illam ſervitutem ſuſtinerent, merces promittitur; quanto magis religioſæ obedientiæ. Quia verò illa ſervitus pericula & difficultates habet, ſuadet Apoſtolus, ut ſi à tali mancipatu infidelium liberi eſſe poſſent, id magis eligant: quid hoc contra S. obedientiam, quam monachi ex Chriſti conſilio voluntariè amplectuntur, & vovent; ut eò melius & ſecuriùs Deo ſervire poſſint, relicta propria prudentia & voluntate, per quam plurimi à Dei ſervitio & amore ſeducun-
IX. tur. Monachi etiam in ſuperioribus Chriſto obediunt, & ſerviunt, cujus omnes ſervi ſunt, & ipſum audiunt, juxta illud; *Qui vos audit, me audit*, Luc. 10. adeoque monachi veram potiùs Chriſti & Spiritus libertatem habent, dum ſeſe à ſervitute peſſima proprii judicii & privati noxii amoris expediunt, & Chriſti ſervituti perfectè ſubjiciunt per votum obedientiæ, quam obedientiam Deus etiam tot miraculis ſæpe comprobavit, ut ſup. cap. 5. relatum eſt, in qua obedientia ſpecialiter etiam humilitas & charitas foventur, dum ſubditi obediunt, ut filii Patribus, & in plerisque Religionibus Prælati certo tempore evoluto, iterum aliis propter Deum ſubjiciuntur.

ARTICULUS III.

Quòd continentia perpetua piè & rectè Deo voveri, & per illam homo Deo conſecrari poſſit.

I. HIc ſimili, ut ſuprà argumento agendum eſt, ſcilicet, illud quod eſt Deo gratum, & poſſibile Dei auxilium petentibus, ac ad quod Chriſtus conſilium dedit, & cui præmium promiſit in S. ſcriptura, rectè & piè Deo voveri poteſt, talis eſt continentia perpetua, *&c.* major per ſe clara eſt, minor cap. 3. ex S. ſcriptura & SS. Patribus abunde probata eſt.

II. Jam etiam probatur, quod expreſſis verbis S. ſcriptura doceat, votum continentiæ ſeu perpetuæ virginitatis Deo gratum eſſe.

Primò Matt. 19. v. 12. *Sunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter regnum cælorum*, &c. ubi ex textu patet, quod Chriſtus ſupponat eſſe plures, qui non à natura & violenter, ſed ex propria voluntate ad Dei honorem voveant continentiam; non enim intelligitur de ſimplici continentia absque voto, à quo ſemper homo recedere poteſt, & illi non dicuntur in præterito caſtrati, quales ſunt illi, qui ſunt impotentes ad nubendum; ſicut alii per naturam, ideo dicit Dominus, *qui ſe caſtraverunt*, ſemel pro ſemper, *&c.* quod fit per votum; ſic ſancti Patres intellexerunt, ut ex teſtimoniis illorum ſuprà cap. 3. allegatis patet; ſufficiant hic aliquorum.

Primò *Juſtinus martyr* apologia 2. ad An- III.
tonium Imperatorem ſuprà cap. 3. relatus gloriatur, quod per omne genus hominum inter Chriſtianos monſtrare poſſit, qui utriusque ſexûs ſexaginta & ſeptuaginta annos nati à pueris ſunt diſciplinam Chriſti aſſectati, & incorrupti, ac cælibes perdurant, *&c.* quæ eſt illa Chriſti diſciplina, niſi hæc Matt. 19. tradita?

Secundò *Origenes* ad cap. 2. ad Rom. con- IV.
tra illos, qui volunt eſſe neceſſarium, ut nubatur, opponit verba Euangelii, de illis, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum Dei, & exemplo Sanctorum ac ipſius Chriſti.

Idem ed. Baſil. 1557. p. 1. hom. 2. in V.
Num. ait : *Qui in caſtitate vivit, corpus ſuum vovit Deo, ſecundum eam, quæ dixit, virgo autem cogitat, quomodo ſit ſancta corpore & ſpiritu* : *Nam & hoc ipſum, quod dixit ſancta, ad hoc reſpicit, ſancti enim dicuntur illi, qui ſe voverunt Deo, unde & aries verbi cauſa, ſi vovetur Deo, ſanctus appellatur, quem tondere ad communem uſum non licet*, *&c.* hæc ibi, hæc videant Acatholici.

3. *Clemens Alexandrinus* apud Coccium to- VI.
mo 2. fol. 391. ed. Colon. 1601. lib. 3. Stromat. *Nos*, ait, *propter dilectionem in Dominum, & propter ipſum honeſtum, amplectimur continentiam, templum ſpiritus ſanctificantes : honeſtum enim eſt propter regnum cælorum ſe ipſum caſtrare*, &c. *ab omni cupiditate emundare conſcientiam*, hæc ille.

4. *Cyprianus* l. de Diſcipl. & Habitu Virginum VII.
ſuprà allegatus in fine dicit : *Cùm jam refertus eſt orbis, qui capere poſſunt continentiam ſpadonum more viventes caſtrantur ad regnum.*

5. *Synodus Grangenſis* anno 330. celebrata cap. VIII.
21. ait : *Nos & continentiam, quæ cum caſtitate & religione ſuſcipitur, approbamus, & nuptiarum arctum vinculum honoramus.*

6. *Euſebius Cæſar.* lib. 4. de Vita Conſtantini IX.
cap. 26. apud Jod. Cocc. hic ed. Colon. 1601. ait : *Caſtitatem & inviolatam virginitatem multæ mulieres ſacræ dicatæ conſtanter retinuere, cum omni puritate & ſanctitate perfuſa vita ſe totas corporibus & animis Deo conſecrarunt*, *&c.* hæc ille. Ecce quod virgines caſtitatem voverint ad Dei cultum, & Deo conſecratæ fuerint, quod Calvinus deteſtatur.

7. *Chryſoſtomus* hom. 63. in Matt. ait : *Dominus* X.
noſter, quia ad virginitatem hortari grave eſſe videbatur, à neceſſitate legis de non ſolvendo matrimonio, eos ad cupiditatem illius trahere ſtudet, deinde, ut eam poſſibilem eſſe oſtendat, hic inquit, *ſunt Eunuchi*, &c.

8. *Epiphanius* ed. Baſil. 1560. hæreſ. 58. quæ XI.
erat Valeſianorum, allegans verba Domini, *& ſunt Eunuchi*, *&c.* ſic ait : *Quinam hi fuerunt, qui ſe caſtraverunt propter regnum cælorum, quàm generoſi Apoſtoli, ac monaſticam vitam agentes, & deinceps virgines*; ubi oſtendit, quod Apoſtoli, & poſtea monachi, & virgines ſe non caſtrarunt per membri reſectionem, ſed per continentiam : unde concludit de

verbis

verbis Domini & Apostoli dicens, *Vides quod de continentia dicit, & non de membrorum ablatione.* hæc Epiphan. ubi clarè indicat, quòd castrare sit votum continentiæ facere, ut monachi solebant.

XII. *Athanasius* lib. de Incarnat. Verbi ultra medium edit. Par. 1581. sic ait: *Salvator noster & omnium Rex Christus tantùm valuit in huiusmodi præceptis, ut pueri nondum maturi legum disciplinæ virginitatem, quæ supra leges est, profiteantur, &c.* hæc ille, ubi patet votum, unde præceptum oritur.

XIII. Idem *Athanasius* lib. de Virginit. serm. de Meditat. sic ait: *A quo tempore statuisti casta esse, corpus tuum sanctificatum, & templum Dei est, &c.* ecce votum ad Dei cultum.

XIV. Decimò *Basilius* lib. de vera Virginit. edit. Antverp. 1568. cum illam plurimùm ex S. Scriptura prædicasset, dicit de quibusdam, *cùm enim virginitatem domino professæ sint, carnali postmodum voluptate male blanda delinitæ ac devictæ, stupri scelus honesto coniugii nomine obtegere cupiunt, &c.* hæc ille, quid ad hoc Acatholici?

XV. 11. *Ambros.* edit. Parif. 1569. lib. de Viduis, *Sunt,* inquit, *spadones, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum, &c.* vide suprà.

Idem eâdem edit. lib. de Virginit. *Virgo*, ait, *Dei donum est, munus parentum, sacerdotium castitatis. Virgo matris hostia est, cuius quotidiano sacrificio vis divina placatur.* hæc ille. ecce qualiter virgo per votum Deo offeratur.

XVI. Duodecimò *Hieronymus* tomo 2. edit. Basil. 1553. lib. 1. adversus Jovinianum cap. 7. ubi circa verba Christi, *sunt Eunuchi*, sic inducit Christum loquentem: *Mihi illi Eunuchi placent, quos castravit, non necessitas, sed voluntas, libenter illos in meos sinus recipio, qui se castrârunt propter regna cœlorum, ob mei CVLTVM, noluerunt esse, quod nati sunt, &c.* ecce votum virginitatis ad Deum colendum. & infrà: *Grandis fidei est, grandisque virtutis Dei templum esse, purissimum totum se HOLOCAVSTVM offerre Domino, & iuxta eundem Apostolum esse sanctum corpore & spiritu. Hi sunt Eunuchi, qui se lignum aridum ob sterilitatem putantes audierunt per Isaiam, quòd pro filiis & filiabus locum habeant in cœlis paratum, &c.* hæc Hieron.

XVII. Decimotertiò *Optatus Milevitanus* lib. 6. contra Parmenianum de Virginit. Bibliothecæ magnæ PP. edit. Colon. tomo 4. 1621. sic ait: *Spirituale nubendi hoc genus est, in nuptias sponsi venerant voluntate & PROFESSIONE sua, & ut sæcularibus se renuntiasse monstrarent, spirituali sponso solverant crinem, iam cœlestes celebraverant nuptias, quid est, quòd eas iterum crines solvere coegistis?* hæc ille. ubi & votum virginis & morem in Ecclesia consuetum ostendit, ac in Donatistis Acatholicos arguit.

XVIII. Decimoquartò *Concilium Carthaginense* 5. cap. 4. sic statuit: *Placuit ut ante viginti quinque annos ætatis nec diaconi ordinentur, nec virgines consecrentur.*

Idem cap. 36. *Presbyter inconsulto Episcopo virgines non consecret, &c.* quid est consecrari, nisi ad Dei honorem offerri & deputari.

XIX. *Concilium Carthag.* IV. cap. 11. sic statuit: *Sanctimonialis virgo, cùm ad consecrationem suo Episcopo offertur, in talibus vestibus applicetur, qualibus semper usura est, professioni & sanctimoniæ aptis, &c.* His conciliis cum aliis ducentis & quatuordecim Episcopis S. Augustinus interfuit, quid ad hæc Calvinus cum Acatholicis?

Augustinus quantopere virginitatem perpetuam ex S. Scriptura commendavit suprà cap. 3. copiosè ostensum est. Sufficiant hîc pauca de Voto lib. 20. contra Faustum cap. 21. edit. Baf. tom. 6 1529 sic ait: *Sicut non ideo contemnenda vel detestanda est virginitas sanctimonialium, quia & vestales virgines fuerunt, sic non ideo reprehendenda sacrificia patrum, quia sunt & sacrificia gentium, quia sicut inter illas virginitates multùm distat, quamvis nihil aliud distet, nisi quæ cui voveatur & reddatur, &c.* hæc ibi. XX.

Lib. de Virginit. cap. 23. eâdem edit. ubi post verba Domini Matth. 19. *Sunt spadones qui seipsos castraverunt*, allegata sic dicit: *Veritas dicit, virtus & sapientia Dei dicit eos, qui pio proposito ab uxore ducenda se continuerint castrare seipsos propter regnum cœlorum, & contra humana vanitas impia temeritate contendit, &c.* hæc ibi. XXI.

Idem cap. 29. eâd. edit. sic ait: *Vos igitur sequimini eum, tenendo perseveranter, quod vovistis ardenter. Facite, cùm potestis, ne virginitatis bonum à vobis pereat,* & post pauca: *Præsumite itaque, fidite, roboramini, permanete, qui vovetis & redditis Domino Deo vestro VOTA PERPETVAE CONTINENTIAE, non propter præsens seculum, sed propter regnum cœlorum, &c.* quid clariùs?

Idem cap. 30. eâdem edit. dicit: *Vos etiam qui hoc nondum vovistis, qui potestis capere, capite, &c.* scilicet monet, ut à Deo petant, & etiam voveant.

Demum in psalm. 75. super illud *vovete & reddite* suprà art. 1. eâd. edit. copiosiùs allegata sunt verba Augustini, ubi inter alia sic dicit: *Alii virginitatem ipsam ab ineunte ætate vovent, ut nihil tale vel expectantur, quale illi experti sunt* (vidui) *& isti VOVERVNT PLVRIMVM, &c.* hæc Aug. XXII.

Ex his sufficientissimè constat, quid SS. Patres primitivæ Ecclesiæ juxta S. Scripturam de votis continentiæ perpetuæ etiam ad Deum colendum senserint; plura infrà constabunt, dum ostendetur; quòd his, qui virginitatem voverunt, matrimonium inire non liceat. XXIII.

ARTICULUS IV.

Votum perpetuæ continentiæ licitum & sanctum esse probatur ab exemplo B. Virginis.

Quòd sanctissima Deipara Virgo, antequam Angelus Dominicam incarnationem annunciaret, Deo perpetuam virginitatem voverit, patet ex ipsis verbis Luc. 1. v. 34. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.* Constat autem primò quòd B. Virgo non dubitaverit hæc dicendo, cùm B. Elizabeth ibidem v. 45. illi ex S. Spiritûs instinctu dixerit, *Beata quæ credidisti*, unde patet, quòd non fuerint verba dubitantis, sed inquirentis, scilicet: cùm crederet verbo Dei per Angelum, de modo quærebat, quo conceptura esset, de quo certè non inquisivisset, si impedimentum Deo notum non adesset: quod aliud non erat, nisi votum jam emissum; alioquin si id non obstitisset, nulla inquirendi causa fuisset; cùm jam actu esset desponsata, quomodo diceret *virum non cognosco*, quem si actu non cognosceret, facilè cognoscere potuisset, sensus igitur clarus est, quasi diceret; quoniam ob votum emissum non I.

Digitized by Google

licèt mihi affectu carnali virum cognoscere, de quo sermo esse poterat.

II. Hunc esse horum verborum sensum, etsi ex textu pateat, etiam SS. Patres docuerunt, inter alios *Gregorius Nyssen.* orat. de Nat. Domini ed. Basil. 1562. sic ait: *Nam si nuptiarum causa assumpta erat à Josepho, quomodo Angelum de partu prædicentem quasi re noua atq; insolita obstupefacta, aduersata esset? sed quoniam* DEO DICATAM & CONSECRATAM CARNEM *veluti sanctum quoddam donarium intactum seruari oportebat: propterea, etsi Angelus sis, inquit, vel de cœlo veneris, attamen, ut virum cognoscam fieri non potest, quî mater ero absq; viro? Josephum enim sponsum quidem noui, virum autem non cognosco, &c.* hæc ille.

III. *Augustinus* lib. de Virginit. ed. Basil. 1529. tomo 6. cap. 4. loquens de B. Virgine sic ait: *Ipsa quoq; virginitas ejus ideo gratior & acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo quam conservaret ipse, præripuit; sed priusquam conciperetur jam* DEO DICATAM, *de qua nasceretur, elegit, hoc indicant verba quæ sibi fœtum annuncianti Angelo Maria reddidit*, quomodo, *inquit*, fiet istud, quoniam virum non cognosco? *quod profectò non diceret, nisi* DEO VIRGINEM *se antea* VOVISSET; *sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro justo, non violenter ablaturo, sed potiùs contra violentos custodituro, quod illa jam* VOVERAT. Et infrà: *exemplo sanctis futura virginibus ne putaretur sola virgo esse debuisse, quæ prolem etiam sine concubitu concipere meruisset, ut in terreno mortaliq; corpore cœlestis vita imitatio* VOTO *fieret non præcepto, amore eligendi, non necessitate seruiendi, ita Christus nascendo de Virgine, quæ antequam sciret, quis de illa fuerat nasciturus,* VIRGO *statuerat permanere, virginitatem sanctam approbare maluit, quàm imperare, &c.* hæc Aug. quid clariùs tam de immaculatæ Virginis, quàm aliarum vir-
IV. ginum subsequentium votis dici posset? Verùm Acatholici licèt hæc satis agnoscere possint, & SS. Patrum sententiam agnoverint, contradicere maluerunt non à Spiritu Sancto, sed ab antiquo serpente, qui B. Virginis calcaneo insidiatur, instigati.

V. Quod ipsum in Apocal. cap. 12. declaratur, cùm dicitur v. 1. *Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim,* & v. 5. *Peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea,* &c. hæc mulier, licèt in aliquo sensu de Ecclesia intelligatur propriè, & ad literam de B. Virgine Maria intelligitur, ut clarum est ex textu, cùm dicitur, peperit filium, qui recturus erat gentes in virga ferrea; quod de solo Christo intelligi potest, de quo prædictum est ps. 2. v. 8. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & reges eas in virga ferrea*, sic etiam san-
VI. cti Patres intellexerunt. Inter alios *Augustinus* lib. 4. de Symbolo ad Catechumenos cap. 1. dicens: *In Apocalypsi scriptum est hoc, quod staret draco in conspectu mulieris, quæ paritura erat, &c. draconem diabolum nullus vestrûm ignorat, mulierem illam Virginem Mariam significasse, quæ caput nostrum integra integrum peperit, quæ etiam ipsa figuram in se S. Ecclesiæ demonstrauit, &c.* hæc August.

VII. Sic autem ab initio Ecclesiæ hæretici B. Virginis honori variè detrahere studuerunt: *Cerinthus* volebat Christum ex Joseph & Maria natum, & *Carpocrates* ut *Irenæus* lib. 1. cap. 25. & *Epiphanius* hæresi 27. referunt, ac *Helvidius* post Christum alios ex Maria, & Joseph filios genitos dixit, ut refert *Hieronymus* contra eundem, Epiphan. hæres. 48. & Augustinus hæres. 84. quorum figmenta ex sacra Scriptura malè intellecta, inter alios ex sacra Scriptura doctissimè refutat, Ambrosius lib. de Virginit. inst. cap. 5. *Jovinianus*, ut refert Augustin. hæresi 82. asserebat beatam Virginem Christum pariendo fuisse corruptam. *Nestoriani* negabant B. Virginem esse verè Deiparam.

Cæterùm moderni Acatholici tales anti- VIII.
quitus condemnatas hæreses subterfugiunt quidem; sed à contradictione & maledictis non cessant; *Lutherus* in Euangelium Dominicæ 7. post Epiphaniam dicit de B. Maria; suâ culpâ Christum in templo amissum, addens blasphemè, *& quis inter homines major peccator (ut conscientia tenerrima) quam hæc ipsa Mater Dei, &c.* & serm. de Nat. Mariæ sic ait: *Sumus pares Matri Dei, & æquè sancti, sicut illa; nisi quod non possumus esse Dei Matres, sicut illa fuit,* &c.

Calvinus in Comment. horum verborum, IX.
quomodo fiet, apud Marloratum sic dicit: Primò *videtur sancta Virgo non minùs maligne restringere Dei potentiam, quàm priùs Zacharias, quod enim præter communem naturæ ordinem est, impossibile esse collegit; sic enim ratiocinatur, virum non cognosco, qui credam igitur futurum, quod nuntias? nec vero magnopere laborandum est, ut eam purgemus ab omni vitio, &c.* hæc Calvin.

Certè hoc nec ex sacra Scriptura, nec ex X.
sanctis Patribus, ac specialiter ex S. Augustino hausit, ad quem lectores lib. 3. Inst. cap. 3. §. 10. semper remisit pro antiquitatis doctrina: hic enim cùm aliàs, tum lib. de Nat. & Gratia contra Pelagianos cap. 36. ed. Basil. 1528. tomo 7. sic ait: *Excepta igitur S. Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem, unde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos Sanctos & Sanctas cùm hic viverent congregare possimus, & interrogare utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus,* &c. *una voce clamassent, quod ait* Joannes; *si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, &*
veritas in nobis non est, &c. hæc S. August. Sed Cal- XI.
vinus nec Augustinum attendens nec S. Scripturam veritus, B. Virginem in illis verbis peccasse dicere audet; de Augustino patet, de S. scriptura similiter, nam si B. Virgo dubitasset, sicut Zacharias, cur illam non reprehendit Angelus, sicut Zachariam Luc. 1. v. 20. reprehendit, & pœnam indixit; Cur Elizabeth Spiritu Sancto repleta v. 45. dixit: *Beata, quæ credidisti,* cui plus credendum? Spiritui Sancto, an Calvino?

Hâc calumniâ in B. Virginem non contentus XII.
Calvin. ibid. sic ait: *Quod autem ex hoc loco occasionem quidam sumpserunt, ut dicerent Virginem habuisse votum perpetuæ virginitatis, quod alioquin supervacanea fuisset illa responsio, nimis infirmum est; imo absurdum ac ridiculum; existimabimusne Virginem passam fuisse marito*

se col-

si collocari, ut eum luderet? fuisset profectò perfidia, gravi reprehensione digna, si sanctum coniugii fœdus non sine Dei ludibrio sprevisset, &c. hæc ibi.

XIII. Similiter in Harmon. Euangelica ad cap. 1. Luc. v. 24. loquitur dicens: *Quod suspicati sunt quidam Mariam perpetuæ virginitatis conceptum habuisse votum, nimis infirmum est, imò prorsus absurdum, perfidum enim fuisset se marito locare, sanctúmque coniugii fœdus non sine Dei ludibrio sprevisse.* hæc impius ille Calvinus.

XIV. Respondetur 1. S. Scriptura satis exprimit B. Virginem sine omni culpa votum cum laude priùs emisisse: & SS. Patres, præsertim *Nyssenus, & Augustinus* relati omnia illa, quæ Calvinus movere potuit satis perspexerunt; & tamen B. Virginem votum perpetuæ continentiæ longè antè emisisse, & Matrimonio postea copulatam fuisse sine perfidia, vel Dei ludibrio, asseruerunt, quibus magis credendum? sufficeret, quòd B. Virgo ante Incarnationis annuntiationem, votum emisisset, ut S. Scriptura indicat.

XV. Respond. 2. Nunquid potuit etiam B. Virgo, antequam Joseph copularetur, non intendere copulam carnalem; sed sperare se intactam per Dei gratiam consentiente Joseph, cujus innocentiam noverat, permansuram; & sic sine omni, quam Calvinus fingit, Matrimonii injuria copulari? & tamen post Matrimonium contractum, antequam ab Angelo salutaretur, consentiente Joseph votum emisisse, quid hic Calvinus?

XVI. Respond. 3. Nullatenus dicendum est, quòd B. Virgo ante Matrimonium animum illud consumandi habuerit; alioquin non fuisset purissima, & immaculata Virgo mente, & spiritu; prout SS. Patres unanimiter prædicant: nec tamen peccavit contrahendo Matrimonium, ut Calvinus blasphemat; cùm plures rationabiles causæ essent illud contrahendi sine intentione carnalis copulæ, quas *Hieronymus* lib. 1. Comment. in cap. 1. Matth. circa B. Virg. recenset; & ultra has consistit verum Matrimonii vinculum inter conjuges, absque ulla carnali copula, prout plures Sancti in Ecclesia ex mutuo consensu continentiam voventes in Ecclesia fecerunt, ut SS. Patres referunt, & commendant.

XVII. De B. Virgine autem hoc singulare esse potuit, quòd à Spiritu Sancto certificata fuerit se à Josepho intactam mansuram, etiam ex ipsius consensu, ut *Augustinus* suprà indicat; licèt ipsi potestatem corporis sui traderet, quæ potestas dari & consistere potuit sine intentione illam potestatem in actum deducendi; cùm rei, præsertim usu non consumptibilis, dominium, sine actuali illius usu consistere possit, juxta omnia jura; unde Augustinus toties prædicat dicens:

XVIII. *Melior est copula mentis, quàm ventris.* Fuisse inter Josephum & B. Virginem verum Matrimonium, licèt ab omni carnali actu & concupiscentia alieni fuerint, D. Augustinus passim ex sacra Scriptura probat, ut lib. 1. de Nuptiis & Concupiscentia ad Valerium cap. 11. & lib. 5. contra Julianum, Pelagianum cap. 12. & lib. 23. edit. Basil. 1529. tomo 6. contra Faustum cap. 8. ubi specialiter dicit, *ut Ioseph maritus Mariæ diceretur, habens eam coniugem continenter, non concubitu, sed affectu, non commixtione corporum, sed copulatione, quod est charius, animorum,* &c. sicergo nec B. Virgo consentiens in Matrimonium XIX.
dicenda est Iosephum ludere voluisse; nec quid perfidum egisse; nec conjugii fœdus cum Dei ludibrio sprevisse; sed illud quidem honoravit, virginitatis tamen conservationem sanctè prætulit. Cùm itaque tot modis intemerata B. Vir- XX.
ginis virginitas mentis & corporis, absque ullo peccato salvari possit, etiam stante voto emisso, & sancti Matrimonii fœdere, videat candidus Lector, quàm temerè, imo blasphemè Calvinus audeat B. Virginem perfidiæ accusare, si tali modo Matrimonium inisset; qualem SS. Patres ex S. Scriptura tradiderunt.

ARTICULUS V.

Refutatur argumentum Acatholicorum contra votum Continentiæ perpetuæ.

Acatholici suam vanam sententiam; nec cordis propriâ vanitate (ut Augustinus suprà de Iovinianis lib. de Virginit. ait) protulisse videantur, adhibent ex S. Scriptura testimonia, quibus ostendere volunt, quòd, licèt continentia sit bona, quia tamen est Dei donum, nec omnibus datur, ideo temere & malè, imo ut Calvinus vult, sacrilegè perpetua voveatur, præsertim si ad colendum Deum fiat. I.

Primò allegant Sap. 8. v. 21. ubi Salomon ait: *Vt scivi, quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det,* secundò Matth. 19. v. 11. dicit Dominus: *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est,* & v. 12. *Qui potest capere, capiat,* & 1. Cor. 7. v. 7. *Volo autem omnes homines esse sicut me ipsum, sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, unus sic, alius autem sic,* &c. II.

Ex his sic argumentantur: Nemo debet vovere, nisi illud, quod certò scit se posse præstare, alioquin exponeret se periculo peccandi, & insuper tale votum Deo displicet juxta illud Eccles. 5. v. 3. *Displicet ei infidelis, & stulta promissio.* Sed nemo certò scit, quòd habeat donum continentiæ, & multò minùs, quòd possit illud perpetuò retinere, &c. III.

In hoc argumento Calvinus se fundatum putans lib. 4. Inst. cap. 13. §. 3. dicit: *Sacrifici Monachi & Moniales suæ infirmitatis obliti cœlibatui se pares esse confidunt, quo autem oraculo edocti sunt constaturam sibi totâ vitâ castitatem, in cuius finem eam vovent?* & §. 17. *Iam quæ votorum species? virginitatem Deo perpetuam promittunt, quasi cum Deo antè pepigerint, ut se à coniugii necessitate liberaret,* &c. hæc Calvinus. Sed quàm vana, mala, & temeraria ista sint argumenta, seu potiùs dicteria, patebit. IV.

Respond. itaque 1. loca sacræ Scripturæ allegata verissima sunt; sed nihil obstant doctrinæ Catholicæ, imo illam stabiliunt. Noverant hæc loca SS. Patres, & tamen juxta sacram Scripturam docuerunt sanctum esse, vovere perpetuam virginitatem; & non solùm ipsi, sed ipse Deus Salvator, & Apostolus ad illam fideles exhortati sunt; ut patet ex testimoniis allegatis, quis autem Christianus dixerit illos exhortatos esse ad stultam & vanam promissionem? quod verum esset, si Acatholicis standum foret, nam etsi concedere debeant, quòd Christus & Apostoli fide- V.

ed by Google

les illos exhortati sint, qui donum continentiæ à Deo habent, ipsi tamen asserunt, quòd nullus de illo dono certus sit, imo requirunt pactum Dei de perseverantia in illo, quod nulli datum esse Calvinus dicit, & ideo Calvin. vult suprà §. 17. quòd, qui habent donum continentiæ, eo utantur, si quando se à carne sua inquietari sentiunt, *confugiant ad eius opem, cuius solâ virtute possint resistere*, & hoc bene, sed malè subjicit: *Si non proficiat, ne remedium quod ipsis offertur contemnant, certâ enim Dei voce citantur ad coniugium, quibus sustinendi facultas denegatur.* hæc ille.

VI. Ex hac impia doctrina sequitur, quòd etiam illi, qui sentiunt se donum illud habere, stultè & malè se castrant propter Regnum cælorum, scilicet perpetuam castitatem vovendo; eò quòd non sint certi, an nunquam à carne affligendi sint; & sic ad Matrimonium juxta Calvinum citantur; ecce quàm absurda & falsa contra clara Christi verba, & communem SS. Patrum sententiam.

VII. Respond. ergo secundò ad loca S. Scripturæ, primum Sap. 8. clarum est, quòd ibi Salomon non loquatur de continentia virginali tantùm, sed etiam conjugali, cùm constet ipsum vel tunc dudum in Matrimonio fuisse, vel ad minus illud intendisse, ut de se ipso loquitur, & proinde Spiritus Sanctus per ipsum pronunciavit, quòd omnis continentia tam virginalis, quàm conjugalis à Deo detur, quod Ecclesia libenter credit, & sic etiam verba Christi Matthæi verissima sunt, sed ad argumentum Acatholicorum respondetur, negando quòd vovens se continentiam servaturum certus esse debeat per oraculum, quòd Deus ipsum semper præservaturus sit, & ipse perseveraturus in ea; sed sufficit, quòd ex verbo Dei spem habeat se à Deo præservandum, si ipse fideliter oret, & agat, & de Dei auxilio confidens piè vovebit; quòd autem talem fiduciam fidelis habere possit juxta sacram Scripturam suprà cap. 3. art. 3. copiosè ostensum est ex sanctis Patribus, sicut & hoc capite art. 3. specialiter ex August. citato.

VIII. Hoc etiam patet de continentia conjugali, quam conjuges sibi mutuò firmiter promittunt; nec tamen certo oraculo edocti sunt se plus perseveraturos in ea, quàm virgines in sua: bene tamen conjuges promittunt confidentes de Dei auxilio, quod petere debent, & tamen illa continentia est difficilior virginali, juxta illud Apostoli 1. Cor. 7. v. 28. *Si nupserit virgo, non peccavit, tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi*, sicut ergo conjuges, licèt sæpe non longo tempore deliberantes, non stultè sibi fidelitatem promittunt, sic multò minùs virgines de Dei auxilio confidentes, & se multo tempore probantes temere vel stultè virginitatem Deo promittunt, & vovent, qui dixit; *Petite, & accipietis:* si autem contingat, quòd aliquis sentiens se habere donum continentiæ illam perpetuò vovit, & postea se à carne inquietari senserit, à Deo auxilium petere debet: sed si non liberetur à tentatione, ulteriùs instare debet, nullo vero modo talis ad conjugium à Deo citatur; ut falsissimè Calvinus dicit, sicut & falsò supponit, quòd tali à Deo continendi facultas denegatur: cujus contrarium patet ex sacra Scriptura & Sanctorum exemplis.

IX. Hoc etiam manifestè patet in conjugibus, nam si, vir absens ab uxore, vel uxore per morbum ad copulam inidoneâ à carne inquietetur, & orans Deum non statim liberetur, quis Christianus dixerit, quòd vir ad aliud Matrimonium vel ad fornicationem à Deo citetur? sicut ergo conjux, sic & virgo Deo devota constare debet, & Deum rogare.

Hoc insuper ostenditur ex manifesto absurdo, quod ex tam falsa sententia sequitur: nam casu posito, quòd aliquis Monachus sentiens carnis inquietationem Calvinum perfidè secutus contra votum suum illam per Matrimonium effugere resolvat, an statim honestam conjugem accipiet? an talis statim parata erit? cùm multi honesti adolescentes liberi sponsas multis annis quærant; quid interea faciet? an fornicabitur? sicut autem ille pro tali tempore abstinere debet nolens volens, & Dei auxilium implorare, cur Monachus Deo fidelis esse cupiens, de ejusdem auxilio sperans, non magis tentationibus resistet cum Apostolo 2. Cor. 12. v. 9. qui stimulo carnis ab angelo Satanæ colaphizatus non ad Matrimonium, sed ad orationem confugit: nec tamen liberatus, à Domino sustinere jussus est, & 1. Cor. 9. v. 27. corpus castigans in servitutem redigebat? &c. hunc Sancti plurimi imitati sunt, & superarunt. X.

Quod autem ex Ecclesiast. 5. allegatur verum est; sed negatur, quòd votum perpetuæ continentiæ sit infidelis & stulta promissio: hoc enim intelligitur de eo, qui sine consideratione & voluntate reddendi temere vovet aliquid quodcunque, ut patet ex textu, cùm dicitur: *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere, displicet enim ei infidelis & stulta promissio, multoque meliùs est non vovere, quam post votum promissum reddere*, &c. ubi clarè supponitur, quòd multa Deo sanctè & piè voveri possint cum proposito illa reddendi, & fiducia de Dei adjutorio, licèt nullus homo absque Dei auxilio illa præstare possit, juxta illud 1. Cor. 4. v. 7. *Quid enim habes, quod non accepisti?* nec tamen in his oraculum requiritur, vel illi priùs cum Deo pactum ineunt, quod certò reddere possent, sed sufficit Dei generalis promissio, *petite & accipietis*: juxta quam maturè & deliberatè vovere possint sperantes Dei auxilium, prout virgines religiosæ faciunt. XI.

Hoc ipsum Calvinus nolens volens fateri debet, cùm enim dicit, quòd multa vota sanctè & religiosè ad certum tempus fieri possint; tamen nec hi per oraculum edocti sunt, quòd per horam illa vota servabunt; quia nec sic sine Dei adjutorio quidquam possunt: sicut ergo his sufficit pia de Dei adjutorio fiducia, sic & de votis perpetuis. XII.

Ad verba Christi, *Non omnes capiunt verbum hoc*, &c. respond. quòd Christus noluerit dicere, non omnes habere facultatem vel possibilitatem obtinendi illud donum continentiæ; alioquin Christus frustra omnes ad hoc exhortatus esset: prout SS. Patres suprà cap. 3. art. 3. clarè docent; sed sensus est, quòd licèt omnes sint ad illud donum accipiendum capaces, tamen ex propria voluntate pro illo non orant, nec illud quærunt, vel etiam à Deo subinde oblatum servare nolunt. XIII.

Similiter verba Domini, *qui potest capere, capiat*, intelliguntur, quòd Christus indicet posse quidem omnes capere, sed tamen non omnes capiunt ex propria voluntate, quos Christus ad XIV.

capi-

Digitized by Google

capiendum non urget, sed hortatur: qui ergo sentiunt se ad continentiam inclinari, sperantes de Dei auxilio, juxta Christi consilium piè se castrant, ut ait Augustinus lib. 2. de Adult. conjug. cap. 19. patet ergo, quòd verba illa Domini sint contra Acatholicos, imo etiam illos, qui nondum sentiunt se ad continentiam inclinari, etiam Christus his verbis hortatur, ut Deum orent pro tali inclinatione & dono; sicut D. Augustinus lib. 6. Confess. suprà allegatus, sentiens adhuc carnis afflictiones, fatetur se illud continentiæ donum accipere posse, si gemitu interno pulsaret aures Dei, quod utique fecit, & obtinuit.

XV. Hæc responsio patet ex simili loquendi modo, Christi Matth. 13. v. 9. *qui habet aures audiendi, audiat:* ubi patet, quòd Dominus supponat omnes habere aures audiendi, sed hortatur non solùm, verùm etiam præcipit, ut audiant, & utantur facultate ad Fidem, quam prædicabat; sicut Joann. 8. v. 37. dicit: *Sermo meus non capit in vobis*, &c. quasi diceret, licèt capere possitis, & deberetis, tamen ex mala vestra voluntate non accipitis; certum autem est, quòd Fides sit donum Dei, quam sine speciali Dei gratia habere non possunt; nihilominus Dominus dicit, quòd nolunt audire vel capere verbum Domini ex propria voluntate, quod facere possent, si orent: sic etiam, licèt continentia perpetua sit donum Dei, tamen Christus indicat, quòd à Deo obtineri possit, si pro illo instetur, & ideo hortatur, ut capere contendant, licèt non sint certi de perseverantia, sed piè de Dei auxilio confidant: sicut licèt homo certus non sit, quòd in Fide perseveret, tamen tenetur orare, ut in illa perseveret, & etiam promittere, quòd in illa sit perseveraturus, cùm & ex Dei gratia, & hominis voluntate pendeat: similiter per verba prædicta, *quibus datum est*, Christus indicat, quòd continentia sit donum Dei, & per alia, *qui potest capere*, etiam indicat, quòd sit in arbitrio hominis, sicut & per illa verba, cùm dicit: *Sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt*, & non dicit; sunt, qui à Deo castrati sunt, indicans quòd ex Dei gratia homines seipsos castraverunt, sperantes sic se à Deo conservandos.

Deinum verba Apostoli allegata 1. Cor. 7. v. 7. non plus militant contra votum virginalis continentiæ, quàm contra promissionem continentiæ conjugalis, cùm dicit, *unusquisque donum suum habet*, scilicet à Deo unus ad hanc, alter ad illam continentiam; at verò conjuges non dicuntur infideliter & stultè sibi mutuò promittere continentiam, quam à Deo sperant dandam, licè certi non sint: proinde nec virgines stultè Deo promittunt perpetuam continentiam, cujus donum sibi à Deo dandum confidunt. XVI.

Ex his patet, quàm temere, perversè, falsò, etiam impiè Acatholici cum suo Calvino votum perpetuæ continentiæ contra sacram Scripturam & unanimem SS. Patrum sententiam damnent; imo quàm impiè Calvinus asserat lib. 4. Inst. cap. 13 §. 17. quòd *Monachis novum & fictitium cultum promerendi Dei causâ instituere animus sit, & quòd nullo vocationis Dei intuitu, nullâque eius approbatione vivendi genus sibi comminiscantur, & ad multos perversos atque impios cultus seipsos astringunt, & se non Deo, sed dæmonio consecrant.* Certè Ethnici talia non dicerent, ut sileam de Christianis. XVII.

Patet ex hactenus dictis, quòd illa, quæ Monachi Deo vovent, ad ipsum colendum, utpote obedientia, paupertas, & castitas, cultus illi non novi sint; sed in Ecclesia primitiva usitati, & in sacra Scriptura à Deo approbati, iisque præmia promissa, & quòd per illa Deo consecrantur: ut SS. Patres suprà relati ex S. Scriptura supponunt, & pronunciant. XVIII.

CAPUT VIII.

De voto Continentiæ Sacerdotum, & Clericorum.

ARTICULUS I.

Quòd Ecclesia à tempore Apostolorum piè constituerit, ut nulli Clerici ad maiores ordines admittantur, nisi perpetuam Continentiam voveant.

I. PRo hujus veritatis intellectu sciendum est 1. quòd Ecclesia Catholica nulli immediatè vel absolutè præcipiat Continentiam perpetuam aut illius votum; sed omnibus libertatem ipsis à Deo concessam permittit: nihilominus exigit sub conditione, ut scilicet ille, qui liberè statum clericalem quoad sacerdotium, Diaconatum, & Subdiaconatum suscipere petit, prius Deo perpetuam voveant continentiam: & hoc modo votum castitatis tribus dictis majoribus sacris ordinibus annexum dicitur.

II. Secundò Ecclesia Catholica Romana non docet, nec declaravit; quòd sit de jure divino; ut dicti Clerici continentiam voveant, sed quòd sit ex præcepto Ecclesiæ à tempore Apostolorum, in quo dispensari possit; prout Ecclesia Romana non damnat modernos Græcos, qui uxoribus ante ordinationem ductis utuntur: ut constat ex capitulo: *Cum olim*, &c. de clericis conjugatis, &c: ubi de aliquo cantore in Pastorem canonicè electo sic respondetur Archenatino Episcopo: *Movit te tamen, quod cùm pater eius Græcus fuerit, & juxta ritum Græcorum uxorem duxerit, in minoribus ordinibus constitutus cantorem ipsum ex uxore legitima in sacerdotio suscepisset. Nos igitur attendentes, quod Orientalis Ecclesia votum Continentiæ non admisit, quoniam Orientales in minoribus ordinibus contrahunt, & in superioribus utuntur Matrimonio iam contracto, mandamus, &c. Si aliud Canonicum non obsistat ad consecrationem eiusdem sine dubitatione procedas*, &c. hæc ibi.

Duo itaque probanda sunt: Primùm, quòd Ecclesia à tempore Apostolorum tale præceptum tulerit; secundum, quòd illud non fuerit, III.

aut

d by Google

aut sit contrarium, sed potiùs conveniens Scripturæ.

IV. Probatur itaque primo argumento à minori ad majus ex veteri testamento, quia: quandocunque aliqua sancta erant facienda vel tractanda, oportebat Israëlitas ab uxoribus abstinere, ùt inter alia patet Exod. 19. v. 10. ubi Dominus dicit Moysi: *Vade ad populum, & sanctifica illos hodie & cras, & lavent vestimenta sua, & sint parati in diem tertium*, quando scilicet legem erant accepturi, & 1. v. 14. *Cúmque lavissent vestimenta sua, ait Moyses ad eos, estote parati in diem tertium, & non appropinquetis uxoribus vestris.* Similiter 1. Reg. 21. v. 3. dum David peteret ab Achimelech sacerdote panes, respondit sacerdos v. 4. *Non habeo laicos panes ad manum, sed tantùm panem sanctum, si mundi sunt pueri, maxime à mulieribus*, &c.

V. De Sacerdotibus autem veteris testamenti constat; quòd, quando officium præstituri erant, à domo & uxoribus abessent: habebant enim singulæ familiæ sacerdotum vices suas, quibus jugiter in templo manebant, ùt patet 1. Paralip. cap. 24. & juxta hoc Luc. 1. v. 8. dicitur de Zacharia: *Factum est autem, cùm sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum*, &c.

Ex quibus locis SS. Patres infrà allegandi argumentum duxerunt; quod si filii Israël vestimenta lavare, & ab uxoribus triduo abstinere debebant, ut acciperent legem, & sacerdotes, ut sacrificarent; multò magis congruum sit, ut sacerdotes novi Testamenti, qui semper tremenda Mysteria celebrant, ab uxoribus abstineant.

VI. Idem ostenditur ex illo 1. Cor. 7. v. 5. Apostolus dicit conjugatis: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi*, &c. ex quo SS. Patres inferunt, quòd multò magis conveniens sit, ut sacerdotes semper abstineant.

VII. Hoc autem tempore Apostolorum esse observatum probatur primò ex illo ad Titum 1. v. 7. *Oportet Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, &c.* & v. 8. *sed hospitalem, sobrium, justum, sanctum, continentem, &c.* ubi SS. Patres notant, quòd Apostolus dixerit continentem, ut prorsus scilicet sit continens, quod non convenit conjugatis, licèt casti esse possint.

VIII. Quòd etiam Apostoli & sacerdotes, licèt aliqui antea uxores habuissent, postea continentiam servârint, patet primò ex illo Matt. 19. ubi Petrus dicit: *Ecce nos reliquimus omnia.* Secundò constat ex testimoniis SS. Patrum infrà referendis, specialiter Epiphanii hæresi 25. edit. Basil. 1560. ubi narrat de Nicolao diacono dicens: *Cùm haberet uxorem formosam, & ab ipsa se continuisset ad imitationem eorum, quos Deo addictos videbat, &c.* qui illi essent, nisi Apostoli?

ARTICULUS II.

Eadem veritas probatur ex Conciliis Græcis & Latinis primitivæ Ecclesiæ.

I. QUòd verò ab initio Ecclesiæ ita præceptum fuerit, & nulli in sacris constituti, uxoribus, quas antea duxerant, uterentur; patet tam ex Conciliis, quàm ex SS. Patribus primitivæ Ecclesiæ Græcis & Latinis.

II. Concilium Neocæsariense in Græcia celebratum Anno 310. can. 1. edit. Colon. 1538. sic statuit: *Presbyter, si uxorem acceperit, ab ordine deponatur, si verò fornicatus fuerit, vel adulterium perpetraverit, ampliùs pelli debet.*

In *Concil. Nicæno* I. can. 3. ex Græco translato edit. cit. sic habetur: *Omnibus modis interdixit S. Synodus, neque Episcopo, neque presbytero, neque diacono, neque ulli clericorum omnino licere habere secum mulierem extraneam, nisi fortè Mater, aut soror, aut avia, aut amita vel matertera sit: in his namque solis personis & harum similibus omnis, quæ ex mulieribus est suspicio, declinatur, qui autem præter hæc agit, periclitatur de clero, &c.* hæc Concil. ubi patet, quòd nulla fiat uxoris mentio, quæ meritò nominari debuisset, si licuisset cum illa maritaliter vivere; nec causa est, cur Concilium prohiberet, ut mulier extranea cum clericis habitaret, si liceat uti uxore, quæ Ancillas habere possunt sine suspicione, sicut alii conjuges. III.

Patet etiam ex his falsitas illius historiæ, quam Acatholici de Paphnutio in hoc Concilio protestante allegare solent: si enim talis protestatio facta esset, vel prævaluisset, talem canonem non tradidisset Concilium; de quo canone dubitari non potest, cum à S. Basilio & aliis allegetur, ùt infrà patebit. IV.

Nec obstat, quòd *Socrates* & *Theodoretus* referant ad verba Paphnutii Concilium reliquisse continentiam ab uxore in arbitrio clericorum; nam canon Concilii expressè contrariatur, ùt SS. Patres *Epiphanius, Basilius, Hieronymus* & alii referunt, qui sunt antiquiores Socrate & Theodoreto, qui in multis sæpe mentiti sunt; & si quid illis credendum, solum est pro Græcis, quod scilicet permissum sit clericis, qui ante ordinationem uxores duxerant, ut illis uterentur: sed nunquam concessum fuit, ut post ordinationem uxores ducerent, ùt patet ex omnium SS. Patrum, etiam Græcorum testimoniis. V.

Concilium Elibertinum Anno 313. edit. cit. sic statuit cap. 33. *Placuit in totum prohibere Episcopis, presbyteris, Diaconis & Subdiaconis positis in Monasterio, abstinere se à conjugibus suis, & non generare filios; quod quicunque fecerit, ab honore clericatûs exterminetur*, &c. VI.

Concil. Arelatense II. Anno 325. cap. 2. eâd. edit. dicit: *assumi aliquem ad sacerdotium non posse in vinculo conjugii constitutum, nisi fuerit promissa conversio*, &c. VII.

Item cap. 3. *Si quis de clericis à gradu Diaconatûs in solatio suo mulierem præter Aviam, matrem, sororem, filiam, neptem vel conversam secum uxorem habere præsumpserit, a communione alienus habeatur, &c.* ubi per conversam uxorem intelligitur illa, quæ vult servare continentiam.

Concil. Carthaginense II. Anno 396. cap. 2. eâd. edit. sic habet: *Aurelius Episcopus dixit, cùm in præterito Concilio de continentiæ & castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres conscriptione quâdam castitatis per consecrationes annexi sunt. Episcopos, inquam, presbyteros & Diaconos, ita placuit, ut condecet sacrosanctos Antistites & Dei sacerdotes, nec non & Levitas, vel qui sacramentis divinis inserviunt,* (NB) *continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod à Deo postulant, impetrare, ut, quod Apostoli* (nota) *docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus*, &c. *ab omnibus dictum est. Placet, ut in omnibus & ab omnibus pudicitia custodiatur, quia altari deserviunt, &c.* hæc *Concil.* ubi clarissimè Concilium testatur, quòd talis clericorum continentia ab Apostolis docta, & ab antiquitate servata fuerit. VIII.

Con-

IX. *Concilium Carthag.* V. Anno 400. celebratum cap. 3. edit. cit. sic dicit: *Cùm de quorundam Clericorum, quamvis erga uxores* (nota) *proprias, incontinentia referretur, placuit Episcopos, & presbyteros, & Diaconos secundum priora statuta etiam ab uxoribus continere, quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio, &c.* his Conciliis cum aliquot centenis Patribus interfuit Augustinus.

ARTICULUS III.

Idem probatur ex SS. Patribus Græcis.

I. Hoc ipsum SS. Patres Græci & Latini in Ecclesia antiqua usurpatum, & præceptum fuisse testantur.

Clemens can. Const. Apost. 25. Anno Domini 80. discipulus Petri edit. Col. 1569. sic ait: *Ex his qui cœlibes in clerum pervenerunt, jubemus, ut lectores tantùm & cantores (si velint) nuptias contrahant.* Hunc canonem allegat *Concilium Trullanum* can. 6. circa Annum Domini 711. dicens: *Quoniam in Apostolicis canonibus dictum est, eorum, qui non ductâ uxore in clerum promoventur, solos lectores & cantores uxorem posse ducere: & nos hoc servantes decernimus, ut nulli penitùs deinceps Hypodiacono vel Diacono, vel presbytero post sui ordinationem contrahere liceat, &c.* ubi tamen Patres illi declinantes ab antiqua Ecclesia concedunt, quòd uti possint uxoribus, quas ante ordinationem duxerunt.

II. De *Clementis* authentico canone testatur D. *Hieronymus* lib. 1. contra Jovin. cap. 7. edit. Antverp. 1579. & Bas. 1553. dicens: *Ad hos & Clemens successor Apostoli Petri, cujus Paulus Apostolus meminit, scribit epistolas, omnémque penè sermonem suum de Virginitatis Puritate contexuit, &c.*

III. *Origenes* Græcus Hom. 4. in Levit. edit. Basil. 1557. attendens verba Scripturæ, quòd sacerdos lineis uti jubetur, dicit: *Sacerdos campestri lineo cingitur, vel femoralibus utitur, qui luxuriam fluxæ libidinis cingulo strinxerit castitatis. Ante omnia enim sacerdos, qui divinis assistit altaribus, castitate debet accingi, &c.*

IV. Idem hom. 23. in lib. Numer. eâd. edit. sic arguit ex Apostolo: *Si oratio justi sicut incensum offertur in conspectu Domini, &c. dicit autem Apostolus iis, qui in conjugiis sunt,* nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vaceris orationi, &c. *certum est, quia impeditur sacrificium indesinens iis, qui conjugalibus necessitatibus serviunt. Unde mihi videtur, quod illius solius est offerre sacrificium, qui indesinenti, & (NB) perpetuæ se devoverit castitati, &c.* hæc ille.

V. *Eusebius Cæsar.* Græcus lib. 1. de Demonstrat. Euang. cap. 9. edit. Basil. 1549. prolixiùs rationem reddit, cur in lege nova magis suadeatur abstinentia à nuptiis, quàm in lege veteri; & tandem de clericis ait ex Apostolo: *Oportere enim, dicit sermo divinus, Episcopum unius uxoris virum esse; veruntamen eos, qui sacrati sint, atque in Dei ministerio cultúque occupati (NB) continere deinceps seipsos à commercio uxoris decet, qui autem non ad tantum assumpti sint sacerdotii munus, iis idem sermo divinus indulget, &c.* hæc ille.

VI. *Basilius* in Canonibus ad Amphilochium can. 6. edit. Antverp. 1568. sic ait: *Canonicorum fornicatio pro Matrimonio non reputetur, sed eorum contubernio omnino divellatur: hoc enim & Ecclesiæ ad securitatem est utile, & non dabit hæreticis adversus nos ansam, quod propter peccandi libertatem ad nos attrahamus, &c.* contrarium faciunt Acatholici.

VII. Idem epist. 17. ad Paregorium presbyterum eâd. edit. *Nec primi, ait, nec soli Paregori sancivimus* (nota) *non debere mulierculas cohabitare viris, lege canonem à SS. Patribus nostris in Nicæna Synodo constitutum, qui manifestè interdixit: ne quis mulierculam subintroductam habeat, &c.* Itaque, *si quis cœlibatum nomine tenus professus, reipsà faciat ea, quæ à conjugatis fiunt, manifestum est; quod virginitatis honestatem nuncupatione quidem illius præstet, verùm interea ab inconveniente voluptate non desistat, &c.* & infrà: *Ob hanc causam constitutionem sanctorum Patrum secuti, præcipimus, ut à muliercula separeris. &c. ejice igitur illam ex ædibus tuis, & trade in monasterium, &c.* hæc ille. Ecce si presbytero liceret habere conjugem, cur illa S. Basilius juxta canones præcipit?

VIII. *Cyrillus Ierosolymit.* catech. 4. edition. Colon. 1564. *Tu* ait, *in libros Evangelicos inscriptus cum sis, propter institutum continentiæ; cave igitur, ne delearis propter scortationem, &c.*

IX. *Epiphanius* Hæresi 59. edit. Basil. 1560. sic ait: *Revera non suscipit sancta Dei prædicatio post Christi adventum eos, qui à nuptiis, mortuâ ipsorum uxore, secundis nuptiis conjuncti sunt* (nota) *propter excellentem sacerdotii honorem ac dignitatem. Et hæc certò sancta Dei Ecclesia cum sinceritate observat. Sed & adhuc viventem, & liberos gignentem unius uxoris virum non suscipit, sed eum, qui se ab una continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum, & Presbyterum, & Episcopum, & Hypodiaconum: maximè ubi sinceri sunt canones Ecclesiastici, &c.*

X. *At dices* (nota) *mihi: omnino in quibusdam locis adhuc liberos gignere, & presbyteros, & Diaconos, & Hypodiaconos. At hoc non est juxta Canonem, sed juxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit, &c. nam, quod decentius est, id semper Ecclesia per Spiritum Sanctum bene dispositum videns statuit apparare, &c.* & infrà: *Si enim etiam populo præcipit sanctus Apostolus dicens, ut ad tempus vacent orationi; quantò magis* (NB) *sacerdoti idem præcipit, ut indistractus sit unquam, ad vacandum secundum Deum sacerdotio, &c.*

XI. Id. ed. Col. 1601. apud Cocc. to. 2. l. 8. fol. 940. hær. 79. *Nunquid ait, inhonestæ sunt nuptiæ? nunquid impurum cubile? at à prophetis, & Pontificibus prohibentur propter majus ministerium. Nam, postquam prophetavit Moyses, non ampliùs conjunctus est uxori, non amplius liberos genuit: habet enim vitam Domino vacantem, vacare autem* (nota) *Domino non potest, qui Mariti officio fungitur, &c.* hæc ille, quid clarius pro continentia sacerdotum?

XII. Idem edit. Basil. 1560. lib. 3. tom. 2. contra hæreses in fine operis in compendiaria vera doctrina de fide catholica fol. ult. sic ait: *Vertex autem horum omnium aut mater, ut ita dicam genitrix est sanctum sacerdotium ex virginibus quidem ut plurimùm procedens, &c. at ex solitariam vitam degentibus. Si verò non suffecerint ad ministerium, &c. de his qui continent à propriis uxoribus, aut ab unis nuptiis viduitatem servantibus, &c. etiamsi is qui ab initio continens viduus fuerit possit habere locum Episcopi, Presbyteri, Diaconi, &c.* hoc Epiphanius. Ecce claram Ecclesiæ doctrinam.

XIII. Gregorius Nyssenus lib. de Virginit. cap. ultimo, *Quomodo, ait, offeres Deo, tametsi ad hoc unctus sis, qui non audis legem, quæ prohibet consecrare non castum?* Ita Greg. Nyss. cit. à J. Coccio tomo 2.

 The-

Thesauri Catholici edit. Colon. 1601. fol. 886.

XIV. *Ioannes Chrysostomus* Hom. 33. in Genes. edit. Basil. 1558. *Tametsi vos, inquit, debiti genus ignoretis; utpote curis multis impliciti, & soliciti, pro uxoribus & liberis*, &c. *verùm nos, qui nullis id genus curis turbamur, & vobis debiti memoriam suggerimus*, &c.

XV. Idem Hom. 2. in Job. eâd. edit. sic ait: *Paulus Apostolus ubi in orbe adulteriis, fornicationibusque repleto voluit orbis pastores constituere, & quoniam virtutes raro inveniebantur, Episcopos ordinans* Tito *dixit:* Constitue Episcopos, sicut ego tibi disposui, unius uxoris viros, &c. *non eâ ratione, ut id* (nota) *nunc in Ecclesia observetur; oportet enim omni prorsus castitate sacerdotem ornatum esse, sed quòd id quandoque ad eos, qui in fornicatione erant, magnum fuit, ideo dicit: Constitue eos Episcopos, sicut ego disposui tibi, si quis est sine crimine unius uxoris*, &c. *non quòd* (nota) *id legis loco posuerit, sed quòd errori ignoscebat*, &c. hæc ille, ubi & Ecclesiæ praxin probat, & objectioni, quam Acatholici ex Apostolo movent, respondet.

XVI. Ex his patet doctrina & usus antiquæ Ecclesiæ Græcæ; quæ duravit etiam adhuc tempore *Justiniani Imperatoris* circa Annum 530. qui gravissimas leges desuper tulit; ut habentur in Codice. Sic enim habetur C. lib. 1. tit. 3. *de Episcopis & Clericis* num. 42. L. omnem, &c. *Convenit enim huiusmodi eligi & ordinari sacerdotes; quibus nec liberi sint, nec nepotes; etenim fieri vix potest, ut vacent huius quotidianæ vitæ curis, quas liberi creant; omne studium omnemque cogitationem circa divinam lyturgiam, & res Ecclesiasticas consumment*, &c. hæc ibi.

XVII. Etsi autem Græci postea hanc Ecclesiæ legem in aliquibus relaxârint; tamen in multis strictè servant, ut patet ex Jeremia Patriarcha Constantin. Anno 1580. in respons. 1. cap. 21. ubi sic ait: *Nos illis sacerdotibus, qui in virginitate persistere non possunt, priusquam tamen consecrentur, & sacerdotes fiant, accipiendi uxores potestatem damus, Ille autem, qui semel virginitatem professus est, virgo* (NB) *permanet, nec iam illi ullam amplius licentiam post votum susceptum damus: nemo enim mittens in enim ad aratrum, & respiciens retro, idoneus est consequendo Regno cælesti, si verò huic humanitus quid contigerit, hunc Ecclesiasticâ disciplinâ coërcemus, ac ad omnem vitæ Continentiam revocamus*, &c. hæc ille. Ecce quàm longè Acatholici etiam à modernis Græcis, quos suos confratres cupiunt, in hac re dissident.

ARTICULUS IV.

Idem probatur ex sanctis Patribus Latinis.

I. Quòd verò hæc Continentia Clericorum in Ecclesia Latina semper viguerit; patet ex SS. Patribus: sufficiat hic inter alios *Ambrosius* lib. 1. de Officiis cap. 50. seu ult. edit. Paris. 1569. ubi dicit: *Inoffensum exhibendum, & immaculatum ministerium: nec ullo* (NB) *coniugali coitu violandum cognoscitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipso* (NB) *consortio coniugali, sacri Ministerii gratiam recepistis, quod eò non prætervi, quia in plerisque abditioribus locis cùm ministerium gererent, vel etiam sacerdotium, filios susceperunt, & id tanquam usu veteri defendunt* (scilicet in veteri testamento) *quando per intervalla dierum sacrificium deferebatur, & tamen castificabatur etiam populus per biduum, aut per triduum, ut ad sacrificium purus accederet, ut in veteri testamento legimus, & lavabat vestimenta sua* Exodi 19. *Si in figura tanta observantia* (nota) *quanta in veritate? disce sacerdos atque Levita, quid sit lavare vestimenta sua; ut mundum corpus celebrandis exhibeas Sacramentis*, &c. hæc ille.

Idem eâdem edit. tomo 3. Epistolâ 82. ad Ecclesiam Vercellensem eâdem edit. circa verba Apostoli sic ait: *Vnius uxoris virum præcipit esse, non quo exortem excludat coniugii* (NB) *nam hoc supra legem præcepti est: sed ut coniugali castimoniâ servet ablutionis suæ gratiam, neque iterum ut filios in sacerdotio crearet Apostolicâ invitetur authoritate; habentem enim* (NB) *dixit filios non facientem, neque coniugium iterare*, &c. hæc Ambros. ubi Acatholicis respondetur. II.

Idem fol. 2056. ad cap. 3. prioris ad Timotheum eâdem editione *Veteribus* ait (scilicet in veteri testamento) *idcirco concessum est Levitis, aut sacerdotibus uxores ad usum habere; quia multum tempus otio vacabant à ministerio, aut sacerdotio*, &c. *Hic enim David viginti & quatuor classes sacerdotum constituit, ut vicibus deservirent*. &c. *ita ut tempore, quo non illos contingebat deservire altari, domorum suarum agerent curam. At ubi tempus imminebat Ministerii purificati, aliquantis diebus accedebant ad templum offerre Deo. Nunc autem septem Diacones esse oportet; aliquantos presbyteros, ut bini sint per Ecclesias; & unus in civitate Episcopus; ac per hoc omnes à conventu fœminæ abstinere debere; quia necesse est eos quotidie præsto esse in Ecclesia*, &c. & infrà: *Si plebeis hominibus orationis causa ad tempus se abstinere præcipit, ut vacent orationi; quantò magis sacerdotibus aut Levitis, quos die noctuque pro plebe sibi commissa oportet orare?* III.

Idem in cap. 1. prioris ad Tim. dicit de iisdem: *Deinceps ab usu fœminæ cohibentur*, &c. hæc Ambros.

Hieronymus tomo secundo editione Basil. 1553 lib. 1. adversus Vigilantium cap. 1. *Proh nefas, ait, Episcopos sui sceleris dicitur habere consortes; si tamen Episcopi nominandi sunt, qui non ordinant Diaconos, nisi prius uxores duxerint; nulli cœlibi credentes pudicitiam, imò ostendentes, quam sancte vivant* (Ecce Acatholicos Vigilantianorum imitatores) *qui malè de omnibus suspicantur, & nisi prægnantes uxores viderint Clericorum*, &c. *Christi Sacramenta non tribuunt; quid facient* (NB) *Orientis Ecclesiæ? quid Ægypti & Sedes Apostolicæ? quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt?* &c. hæc ibi. Ecce grave testimonium de totius Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis ac Sedium Apostolicarum praxi. IV.

Idem lib. 1. contra Iovinian. cap. 14. edit. Antwerp. 1579. & Basil. 1553. ait: *Petrus & cæteri Apostoli; ut ei ex superfluo interim concedam, habuerunt quidem uxores, sed quas eo tempore acceperant, quo Euangelium nesciebant; qui assumpti postea in Apostolatum relinquunt officium coniugale; nam, cùm Petrus ex persona Apostolorum dicit ad Dominum:* Ecce reliquimus omnia, & secuti sumus te, *Respondit ei* Domi- V.

Dominus : Amen dico vobis, *quoniam nemo est, qui dimiserit aut parentes*, &c. *aut uxorem*, &c. *propter Regnum Dei, qui non recipiat multò plura*, &c.

VI. Ubi etiam respondet ad objectionem Joviniani ex Apostolo 1. Cor. 9. *Numquid non habemus potestatem mulieres, vel uxores circumducendi* (quia vox Græca utrumque significat) *sicut cæteri Apostoli, & Cephas, & fratres Domini*, &c. ubi ex facto Salvatoris, & ex verbis Apostoli adductis ostendit; quòd non illud verbum intelligatur de uxoribus, sed de sororibus, vel mulieribus sanctis, quæ comitabantur Apostolos, & illis ex sua vel aliorum substantia ministrabant, quæ dicebantur, ut Hieronymus ait, *sorores in spiritu*, &c. ubi tandem dicit: quòd, quia Scriptura solùm de Petro indicat, quòd uxorem habuerit, de cæteris quòd uxores non habuerint intelligere debemus, &c. & hoc Acatholici fateri debent, qui nihil credere volunt, nisi quod scriptum est.

VII. Idem ibid. cap. 19. eiusd. edit. ait: *Non dicit Paulus eligatur Episcopus, qui unam ducat uxorem, & filios faciat: sed qui unam habuerit uxorem, & filios in omni subditos disciplinâ. Certè confiteris non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat: alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur* : Ecce quod Joviniani adhuc servabant, sed Acatholici tales nolunt esse adulteros, sed viros. Et infrà: *Si laicus & quicunque fidelis orare non potest, nisi careat officio coniugali; sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est, si semper orandum est; ergo semper carendum Matrimonio. Nam & in veteri lege, qui pro populo hostias offerebant, non solùm in domibus suis non erant, sed purificabantur ad tempus ab uxoribus separati*, &c. hæc ibi.

VIII. Idem tomo 2. edit. Basil. 1553. in Apologia ad Pammach. cap. 3. *Ecce, ait, perspicuè diximus nuptias concedi in Evangelio; sed tamen easdem in suo officio permanentes, præmia castitatis capere non posse. quod si indignè accipiunt mariti, non mihi irascantur, sed Scripturis sanctis: imò Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, & universo choro sacerdotali & levitico; qui se noverunt hostias offerre non posse, si operi serviant coniugali*, &c.

Idem ibid. cap. 8. *Apostoli, vel virgines, vel post nuptias continentes. Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post sacerdotium semper pudici*, &c. hæc Hieronymus, qui objectionibus Acatholicorum, quasi Ecclesia nuptias damnet, dum sacerdotes continentes esse præcipit, satis respondet. IX.

Hanc Clericorum continentiam, ut certam supponit D. *Augustinus* lib. 2. de Adult. Conjug. cap. 20. edit. Basil. 1528. ubi de adulteris loquens dicit: *Unde istos, qui virilem excellentiam non putant nisi peccandi licentiam; quando terremus ne adulterium coniugus hærendo pereant in æternum: solemus eis proponere etiam continentiam* (nota) *clericorum: qui plerumque ad eandem sarcinam subeundam capiuntur inviti, eamque susceptam usque ad debitum finem, Domino adiuvante perducunt. Dicimus ergo eis, quid si & vos ad hoc subeundum populorum violentiâ caperemini; nonne susceptum castè custodiretis officium? repente conversi ad impetrandas vires à Domino, de quibus nunquam antea cogitastis*, &c. hæc August. X.

Ecce supponit vir sanctus, quòd illo tempore etiam viri insignes, qui inviti ad Episcopatum vel sacerdotium trahebantur, postea initiati continenter vivere debebant, & ad hoc auxilium à Deo petere: quid dicerent Acatholici, si modò Ecclesia id faceret? & tamen tunc piè & sanctè factum est; quantò magis ab illis continentia perpetua exigitur, qui sponte & non coacti, ac bene præmeditati officia Ecclesiastica suscipiunt? XI.

Ex his clarissimè patet, quòd usus Ecclesiæ Catholicæ modernæ, quæ à Clericis in sacris ordinibus constitutis votum continentiæ requirit, à tempore Apostolorum in Ecclesia tam Græca, quàm Latina viguerit, & solùm ab hæreticis, quos SS. Patres redarguunt, vel diminutus vel damnatus fuerit; ex quibus ista jam ab Acatholicis adferri solita, clarissimè refutata sunt. XII.

CAPUT IX.

De Incapacitate Clericorum & Religiosorum ad Matrimonium.

ARTICULUS I.

Quòd omnibus voto perpetuæ Continentiæ adstrictis illicitum sit transire ad nuptias probatur ex S. Scriptura.

I. Quamvis hæc veritas ex præmissis satis constaret; quia tamen Acatholici specialiter contra hanc calumniantur, ulteriùs probanda erit: ubi sciendum, quòd Ecclesia, ut suprà dictum est, de omnibus voto adstrictis doceat, quòd sine peccato mortali non possint Matrimonium contrahere ex jure divino: distinguendum tamen, quòd illi, qui sacris Ordinibus initiati, vel in Religioso statu professionem ediderunt, non solùm peccent contrahendo, sed quòd Matrimonium nullum sit; idque ex præcepto Ecclesiæ ob particulares causas; præsertim etiam, quia cum multa & magna præparatione & examine votum emittunt; alii verò, qui voluntariè vovent, peccant quidem contrahendo Matrimonium, sed Matrimonium contractum valet; & ratio prioris est, quia, quando personæ lege prohibitæ contrahunt, tunc Matrimonium nullum est, quia contractus debet esse legitimus: nec hoc Acatholici Ecclesiæ improperare possunt, cùm ipsimet leges ferant, quibus volunt; quòd *filii contra voluntatem parentum* & in secundo, vel tertio gradu *contrahentes nullatenus coniuges sint, & Matrimonium irritum* ut Calvin. lib. 4. Inst. c. 19. §. ult. Ecclesiæ Cathol. improperando, quòd contrarium permittat, absolutè pronuntiat: imo in provinciis Belgicis confœderatis statuerunt, quòd nisi personæ in domo senatoria coram certis deputatis Matrimonium contrahant, illud prorsus irritum sit, & nullum;

Digitized by Google

cur ergo ob graves causas id non liceat Ecclesiæ Dei ordinare?

II. Doctrina igitur Ecclesiæ Catholicæ hæc est, quam S. Concil. Trid. sess. 24. de Matrimonio can. 9. exprimit dicens: *Si quis dixerit clericos vel Religiosos castitatem solenniter professos posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiasticâ, vel voto: & oppositum nil aliud esse, quam damnare Matrimonium, posseque omnes contrahere Matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum, anathema sit, cùm Deus id rectè petentibus non deneget; nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari,* &c. hæc Concil.

III. His præmissis probatur assertio, quod illicitum sit voto adstrictis nubere, primò ex locis sacræ Scripturæ, quibus mandatur, ut id, quod homo liberè vovit, impleat, alioquin graviter peccet, ùt Deut. 23. v. 21. *Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus; & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum,* &c. sic passim in Levitico, Num. & Deut. de votis sub præcepto reddendis præcipitur.

IV. Rü. (sic) ps. 75. v. 12. dicitur: *Vovete, & reddite Domino Deo vestro,* &c. *terribili, & ei qui aufert spiritum principum.* & Eccli. 5. v. 3. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere, displicet enim stulta & infidelis promissio.*

V. Quòd autem hæc vota non solùm concernant Judæos, ùt Acatholici volunt, sed etiam Christianos; ita ut vota liberè emissa valeant, & eadem sub præcepto divino servare teneantur, patebit ex verbis Apostoli citandis, & communi SS. Patrum sententia, & ex ipsa ratione: quia homo qui deliberatè homini aliquid promittit, tenetur sub peccato illud servare; quantò magis, si quis Deo deliberatè promiserit, quod est vovere? nec hoc ipse Calvinus lib. 4. cap. 3. negat de quibusdam votis, licèt de perpetuæ continentiæ voto ex suo cerebro improbet.

VI. Probatur secundò ex Apostolo 1. Tim. cap. 5. v. 11. *Adolescentiores autem viduas devita; cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, volunt nubere, habentes damnationem, quia primam Fidem irritam fecerunt,* &c. ubi ex textu patet, quòd Apostolus moneat Timotheum, ne facilè viduas juniores ad publica Ecclesiæ ministeria admittat, quæ continentiam voverunt; ne postea à voto recedentes per fornicationem, sub honesto prætextu velint nubere, quas Apostolus damnationem habere dicit, quia primam Fidem irritam fecerunt; quæ non est alia, nisi quòd Christo fidelitatem Continentiæ promiserint; si enim illam non vovissent, cur non liceret iis etiam post lapsum nubere? & sic omnes SS. Patres hunc locum intellexerunt, ut ex Conciliis & SS. Patribus suprà relatis, & infrà referendis patebit;

VII. Imo ipse Calvinus lib. 4. cap. 13. §. 18. id fatetur dicens: *Verùm instant adhuc, & sub Apostolis usitatum fuisse tale votum ostendere conantes; quia Paulus viduas quæ semel in publicum ministerium receptæ, nuberent, primam Fidem abnegare dicat: Ego verò minime illis nego, viduas, quæ sese suasque Ecclesiæ operas addicerent, perpetui cœlibatûs legem simul suscepisse,* &c. *quod si datâ fide ad novas nuptias respectarent, quid hoc erat aliud, quam Dei vocationem excutere,* &c. hæc Calvinus convictus veritate; licèt illa in alium sensum detorquere suo spiritu conetur, quasi non Religionis gratiâ viduæ perpetui cœlibatûs legem suscepissent; sed, ùt Calvinus ait, *quia nisi sui iuris, & iugo maritali solutæ functionem illam sustinere non possent,* &c. sed qualitercunque Calvinus tergiversetur; patet viduas votum Continentiæ emisisse, & quia, quæ postea contra illud nupserunt, damnationem habebant, quod ad propositum sufficit contra Calvinum, qui generaliter vult, quòd omnes, qui Continentiam vovetunt perpetuam, si se sentiant à carne tentari, liberè & licitè nubere possint; & sic viduæ illæ apud Paulum etiam excusatæ fuissent; quod Paulus negat; præsertim, si non Deo promisissent, sed tantùm Ecclesiæ, cœlibatum, ut meliùs serviant.

Probatur etiam ex verbis Calvini, quòd si tales viduæ cælibatûs legem subiissent, quia in Matrimonio existentes talia ministeria præstare non possent, quantò potiùs id de Sacerdotibus, Clericis, & Monachis semper Dei servitio deputatis dicendum? VIII.

ARTICULUS II.

Eadem veritas probatur ex Conciliis & SS. Patribus.

HÆc veritas patet ex testimoniis Conciliorum & sanctorum Patrum suprà art. 10. allegatis, quibus hæc accedant. I.

Concilium Ancyranum Anno 300. can. 19. edit. Colon. 1538. universaliter statuit dicens: *Quotquot virginitatem pollicitam prævaricati sunt professione contemptâ, inter bigamos haberi debebunt,* &c. II.

Concilium Calcedon. generale can. 16. eâdem edit. statuit: *Virginem, quæ se Domino Deo consecravit, similiter & Monachum non licere nuptialia iura contrahere; quod si hoc inventi fuerint perpetrantes, excommunicentur,* &c. III.

Concilium Aurelianense III. can. 2. eâd. edit. ordinat, *ut nullus Clericorum à Subdiacono, & suprà, propriæ, si fortè iam habeat, misceatur uxori,* &c. quantò minùs novam ducat. IV.

Concilium Arelatense II. de Clericis eâd. edit. mandat, quòd nec uxorem, quæ castitatem vovit, secum habitare permittant, suprà relatum est. V.

Similiter ex *Concilio Carthag.* IV. can. 104. suprà art. 10. eâd. edit. relatum est de viduis, etiam junioribus, quæ Deo se devoverunt, si ad nuptias transeant, damnationem habeant secundùm Apostolum. VI.

Concilium Toletanum IV. cap. 55. eâd. edit. dicit: *Duo sunt genera viduarum, sæculares & sanctimoniales,* & infrà: *Hæ si ad nuptias transierint, iuxta Apostolum, non sine damnatione erunt: quia se primitùs Deo voventes, postea castitatis propositum abierunt,* &c. VII.

Clemens Alexand. lib. 3 Stromat. VIII.

Tertullianus lib. de Monogamia.

Cyprianus lib. de Habitu Virginum.

Idem lib. primo Epistolâ undecimâ ad Pomponium editione Basil. 1540. sic scribit: *Postulans,* &c. *ut tibi rescriberemus, quid nobis de iis virginibus videatur, quæ cùm semel statum* IX.

ſtatum ſuum continenter, & firmiter tenere decreuerint, detectæ ſunt: poſtea in eodem lecto pariter manſiſſe cum maſculis, ex quibus unum diaconum fuiſſe dicis, &c. & infrà: *Si ſuperueniens maritus ſponſam ſuam jacentem cum altero videat, nonne indignatur, & fremit? & per zeli dolorem fortaſsis & gladium in manum ſumit? quia Chriſtus Dominus & Judex noſter, cùm virginem ſuam ſibi dicatam, & ſanctitati ſuæ deſtinatam, jacere cum altero cernat, quam indignatur, & iraſcitur: & quas pœnas inceſtis ejusmodi conjunctionibus comminatur?* &c.

X. Ecce ſi inceſta ſit talis conjunctio, utique illicita & per hoc intelliguntur verba *Cypriani* ibidem poſita, & ab Acatholicis objici ſolita ſcilicet: *Quod ſi ſe ex fide Chriſto dicauerint, pudice & caſte ſine ulla fabula perſeuerent; ita fortes & ſtabiles præmium virginitatis expectent. Si autem perſeuerare nolunt, vel non poſſunt, melius eſt, ut nubant, quàm in ignem delitiis ſuis cadant, &c.* ibi enim certum eſt, quod poſteriore loco non loquatur de virginibus, quæ jam Deo ſe devoverunt; cùm de illis dicat, quod inceſtum committant, ſed de aliis, quæ adhuc liberæ ſunt: alioquin nec juxta Acatholicos excuſari poſſent, cùm *Cyprianus* dicat: *Si perſeuerare nolunt, aut non poſſunt,* adeoque etiam dicat de illis, quæ donum continentiæ habent, ſi illo uti nolint, quod poſſint nubere: at Calvinus non volet, quod illi, qui voverunt, & donum continentiæ habent, liberè nubere poſſint.

Quod ampliùs patet ibid. cùm dicit de virginibus, quæ poſt votum lapſæ ſunt, ut à viro ſeparentur, dicens: *Quod ſi pœnitentiam hujus illiciti concubitus ſui egerint, & à ſe inuicem receſſerint, inſpiciantur interim virgines ab obſtetricibus diligenter, & ſi virgines inuentæ fuerint,* &c. *admittantur; hac tamen interminatione, ut ſi ad eosdem maſculos poſtmodum reuerſæ fuerint,* &c. *grauiore cenſura ejiciantur,* &c. *ſi autem de eis aliqua corrupta fuerint deprehenſa, agat pœnitentiam plenam; quia quæ hoc crimen admiſit non mariti, ſed Chriſti adultera eſt,* &c. *quod ſi obſtinatæ perſeuerant, nec ſe ab inuicem ſeparant; ſciant ſe cum hac ſua impudica obſtinatione, nunquam à nobis admitti in Eccleſiam poſſe,* &c. hæc ille. Quomodo hæc ſubſiſtunt, ſi *Cyprianus* velit, quod virgines Deo dicatæ, ſi nolint perſeverare, licitè poſſint nubere? cùm ſtatim dicere potuiſſet, ut tales nubant cum illis, quos deſerere nolunt, ut vult Calvinus; ſed ſic non Cyprianus juxta S. ſcripturæ & Eccleſiæ doctrinam.

XI. *Baſilius* lib. de Virginit. ed. Antwerp. 1568. ſuprà relatus eſt, ubi dicit: *Cùm enim virginitatem Domino profeſſæ ſint, carnali poſtmodum voluptate male blanda delinitæ & deuictæ ſtupri ſcelus honeſto conjugii nomine obtegere cupiunt: non ignorant hujusmodi, quamuis ignorantiam ſimulent, quæ ſponſi dexteram, & fœdera præuaricata ſit, eam nec illius ultrà eſſe ſponſam, quem, nequitiæ dans manus, dereliquit: Neq; ejus uxorem per ullas leges dici poſſe, cui ſe deſerto ſponſo libidine incitata conjunxit,* & infrà: *Non ſe fallat qui à virginitatis curriculo ad carnis vitia deflexit: conjugium quippe illi in peccatum reputabitur,* &c. hæc ille, quid clarius dici poſſet, licèt Acatholici ex quibusdam illius Sancti verbis, quibus dicit; quod expediviſſet tales nubere, volunt contrarium oſtendere; ſed verba de virginibus jam voto adſtrictis nimis clarè contra Acatholicos faciunt; *Baſilius* autem dicit, quod expediviſſet illas ante votum nubere, &c. hoc verum eſt, ſed nihil facit pro illis, quæ jam voluntariè ſeſe Deo devoverunt.

Epiphanius hæreſ. 25 de Nicolaitis. Item hæreſ. 59. contra Catharos ſuprà cap. præced. relatus clariſſimè tradit, quod juxta Eccleſiæ Canones non liceat ſubdiacono filios generare, &c. XII.

Item hæreſ. 61. contra Apoſtolicos ed. Baſil. 1560. oſtendit; quod in Eccleſia, quam navi comparat, diverſi ſint ſtatus; conjugalis, virginalis, continentiæ, &c. ſic ait: *At ne putent rurſus quidam diluti ſientes, ſi dicamus de virgine, quod præceperit Apoſtolus, ut nubant, nunquid Apoſtolus* (NB) *eam, quæ ſemel virginitatem Deo ſeruare decreuit, à proprio curſu detrahere volens hæc præcepit?* &c. Ecce argumentum Acatholicorum, audi reſponſum Epiphanii: *Non enim de his ſermo eſt, ſed de virginibus, quæ nubendi tempus exceſſerunt, quæ non ob virginitatem in vigore permanſerunt; ſed quod viros non habuerunt qui eas ad nuptias petiuiſſent, &c.* ubi oſtendit, qualiter contigerit quod plures non potuerint habere maritos, &c. & ſubdit de illarum virginum parentibus dicens: *Qui igitur tunc habebant filias virgines, cùm non daretur copia ipſas Chriſtianis elocandi, ſeruabant virgines ſuas ad multum tempus; illæ vero nubiles annos transgreſſæ incidebant in ſcortationem propter naturalem neceſſitatem; Apoſtolus itaq; videns damnum,* &c. *permiſit dicens,* &c. *dicit igitur, qui conſiſtit firmiter in propria mente, & hoc debet facere, nubat, inquit, non peccat; nubat, etiamſi non fuerit copia, non peccat,* &c. *& propterea dixit: alligatus es uxori, ne quæras diuortium; ſolutus es ab uxore, ne quæras uxorem; qui dicit: Volo omnes eſſe ſicut me ipſum, dixit: ſi non continent, nubant,* &c. *quomodo non proprio Domino contradicere reperietur, qui dicit:* Qui non reliquerit Patrem, & matrem, & uxorem, &c. non poteſt meus eſſe diſcipulus, &c. & infrà: *Speculatione indigent, & ſenſu,* &c. *oportet & traditione uti* (NB) *non enim omnia à diuina ſcriptura accipi poſſunt; quapropter aliqua in ſcripturis, aliqua in traditione SS. Apoſtoli tradiderunt,* quemadmodum dicit S. Apoſtolus: Sicut tradidi vobis, &c. & infrà: *Tradiderunt itaq; SS Dei Apoſtoli* (NB) *peccatum eſſe poſt decretam virginitatem ad nuptias conuerti; & ſcripſit Apoſtolus:* XIII. Si nupſerit virgo, non peccavit, *quomodo igitur hoc cum illo concordat?* Ecce iterum argumentum Acatholicorum. Vide reſponſum Epiphanii qui ſic reſpondet: *Imo etiam illam virginem dicit* (Apoſtolus) *quæ non eſt dicata Deo, ſed propter raritatis penuriam in illo tempore eorum, qui in Chriſtum credebant, neceſſario ſic fiebat,* ſcilicet, quia non erat occaſio mariti, &c. & id probat Epiphanius dicens: *Et quod hæc ſic ſe habeant, docet nos idem Apoſtolus dicens:* Juniores *viduas rejice, poſtquam enim laſciuierunt contra Chriſtum, nubere volunt, habentes judicium quod primam fidem rejecerunt. Si itaq; & ea, quæ poſt mundi experientiam vidua fuit, atq; Deo dicata, & poſtea nupſit, judicium* (NB) *& condemnationem habebit, quod primam fidem rejecit, quantò magis* (nota) *quæ citra mundi experientiam Deo dicata virgo fuit, & nupſit, contra Chriſtum laſciuiit, & maiorem fidem rejecit, & judicium habebit, velut quæ proprium erga Deum propoſitum relaxauit?* XIV.

Ruſus: *Nubant itaq;, liberos gignant, domum gubernent.* Vbi Epiphanius dicit, quod illa verba Apoſtoli nubant itaque, non ſpectent ad virgines devotas, ſed ſit ſermo intermedius, & XV.

Digitized by Google

compendiarius dicens: *Medius sermo, &c. qui quidem sermo rejicit eos, qui se Apostolicos ac Encratitas vocant,* qui scilicet nuptias malas dicebant, *rejicit & eos, qui diluti in Ecclesia sunt, & persuadent mulierem à perfecto relaxatam cursu rejicere talem cursus perfectionem, &c.* ubi dicit de virgine, quæ non fuit Deo dicata, & virginitatem rejicit; quod peccatum habeat, scilicet si scortetur, & in tali scortatione perseveret in occulto, & in publico videri velit virgo, & subdit: *Melius est unum peccatum habere, & non plura; melius est lapsum à cursu palam sibi uxorem sumere, &c. & non quotidie occultis jaculis sauciari, &c.* hæc Epiphan. quid clarius dici posset de virginibus voto adstrictis; quod illis non liceat nubere, prout Epiphanius tam clarè docet, & distinguit à virginibus lapsis, quæ non voverunt? unde patet malitia quorundam Acatholicorum, qui omissis aliis, ultima duntaxat verba Epiphanii, scilicet, *melius est lapsum palam ducere uxorem, &c.* allegant pro illis, qui voto adstricti sunt; quod Epiphanius expressè negat, ut patet ex toto discursu, quem ex traditione & verbis Apostoli probat.

XVI. *Ambrosius* ad virginem lapsam cap. 5. fol. 149. ed. Paris. 1569. sic ait: *Non es memorata diei sanctæ Dominicæ resurrectionis, in quo diuino altari te obtulisti velandam? In tanto itaq; solemni conuentu Ecclesiæ Dei, &c. quasi Regina Regi nuptura processeras, &c.* & infrà: *Seruare te oportuit fidem, quam sub tantis testibus pollicita es, semper cogitare, cui virginem spospondera. Faciliùs te oportuit sanguinem cum spiritu fundere, quàm perdere castitatem tuam, &c.* & infrà: *Dicit aliquis;* melius est ergo nubere, quàm uri. *Hoc dictum* (nota) *ad non pollicitam pertinet, ad nondum velatam: Cæterùm quæ se spopondit Christo, & sanctum velamen accepit, jam nupsit, jam immortali juncta est viro. Et si jam* (NB) *voluerit nubere, communi lege conjugii adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur.* Ecce quàm clarè Ambrosius doctrinam Catholicam profitetur, & Acatholicorum objectionem refutat, & damnat.

XVII. *Hieron.* suprà allegatus ostendit, quod Clericis non liceat uxorem ducere, &c. Et specialiter passim non tantùm docet, sed & probat, quod illi, qui post castitatis votum ad nuptias transeunt, graviter peccent; licèt fateatur, quod nuptiæ sic contractæ adhuc valeant, de primo loquitur pluribus locis lib. 1. contra Jovinian. cap. 7. circa medium ed. Antwerp. 1579. & Basil. 1553. *Si nupserit virgo non peccauit, non illa virgo, quæ semel Dei cultui dedicauit; harum enim, si quæ nupserit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit, &c. virgines enim, quæ post consecrationem nupserint, non tam adulteræ sunt* (nota) *quam incestæ, &c.* quid clariùs?

XVIII. Item cap. 22. iisd. ed. dicit: *Dicam & ego nuptiatoribus meis, qui post castitatem & diuturnam continentiam subant ad coitum, & pecudum more lasciuiunt; sic insipientes estis, ut jam cæperitis spiritu, nunc carne consummamini?* quæ ibidem ex S. Scriptura prolixè prosequitur.

XIX. Idem epist. 47. de vitando suspecto consortio ad virginem sacram, quam hortatur ad custodiam cap. 1. ed. cit. cùm dixisset: *Si virgo es, quid times diligentem custodiam? si corrupta es, cur non palam nubis?* subdit dicens: *Neq; hoc dico, quod post peccatum tollam pœnitentiam, ut, quod male capit, male perseueret, sed quod desperem in istiusmodi copula diuulsionem; alioquin, si ad matrem migraueris post ruinam, faciliùs poteris cum ea plangere, quod per illius absentiam perdidisti. Quod si adhuc integra es, & non perdidisti, serua, ne perdas: quid tibi necesse est in ea versari domo, in qua necesse habeas quotidie aut perire, aut vincere? Quis unquam mortalium juxta viperam securos somnos capit? &c.* hæc Hieronym. quia virgo illa relictâ matre sub aliquo prætextu morabatur cum aliquo juvene; adeoque quia ab illo avelli non poterat, melius judicabat, ut illi nuberet, licèt in hoc peccaret, quàm semper in fornicatione viveret. XX

Chrysostomus suprà cap. præced. allegatus ostendit non licere Episcopis vel Clericis uxores ducere, ac proinde peccent, si ducant; in speciali Theodorum monachum post vota recedentem graviter peccasse pluribus modis deflet, & ad reditum ad pœnitentiam hortatur epist. 5. ad Theodor. Et quidem epist. 6. ad eundem sic ait in initio ed. Basil. 1558. *Equidem fleo, non quod paternarum rerum solicitudinem geras, sed quod ex fraterno te deleueris numero, quod negligendo calcaueris, quicquid ante de pectore* (NB) *Christo sposponderas; ad hæc inhorresco, his angor, crucior, propter ista formido non immeritò; ut enim non objicitur desertio militiæ non militanti; ita is, qui semel cæperit esse miles, cùm deseruisse detegitur, pœnâ dignus ultima judicatur; non est graue Theodore charissime, cadere luctantem, sed jacere dejectum; non est perniciosum in prælio vulnerari, sed post vulnus acceptum desperatione curandi medelam ulceri denegare, &c.* hæc ibi, quod si juxta Calvinum talis monachus liberè poterat transire ad nuptias, cur Chrysostomus ita illum plangit, & revocat ad monasterium, alioquin damnandum? XX

Idem *Chrysost.* contra virgines, quæ continentiæ votum emiserunt, & viris cohabitabant, oratione seu sermone, quod Regulares fœminæ viris cohabitent, gravissimè invehitur folio 2. eâdem ed. dicens: *Vtinam non omnia fecisses, & omnibus operam dedisses, per quæ gloria Dei infamaretur, & quomodò hoc, ais? quia viris tecum in domo inclusis semper tu assides, nam si habere cohabitatores concupiscis, non oportebat virginitatem eligere, sed ad nuptias transeundum erat; multo enim melius sic nupsisse, quam illo modo virginem profiteri, fuisset: nam illas nuptias neq; Deus condemnat, neq; homines reprehendunt; honesta enim res est neminem offendens, neminem lædens: virginitas autem illa cum viris plus ab omnibus arguitur, quam stuprum ipsum, nam quæ suum perdit ordinem, in profundius, quam sit stupri barathrum, ejecta est, &c.* & post unam paginam: *Nam si concupiscunt & nuptias, & id genus conuersationis appetentes sunt; quis prohibebat, & adimebat libertatem, ne hoc facerent? quo neq; offensus Deus, neq; ipsæ ab hominibus redargutæ fuissent, &c.* hæc Chrysost. ubi expressè supponit, quod, licèt ante votum liberè nubere potuissent; id tamen post vota non liceat; nec suadet illis, ut nubant, sed ut à cohabitatione virum ejiciant. XXI

Idem hom. 19. in priorem ad Corinth. in fine eâdem ed. circà illa verba Apostoli: *Si nupserit virgo, non peccauit.* sic ait: *Neq; de ea, quæ sibi elegerit virginitatem loquitur, tum enim peccauerit; nam si viduæ, quæ secundis se nuptiis alligarunt, judicium subeunt, si semel viduitatem elegerant, multo magis virgines, &c.* hæc Chrysostomus.

Augu-

XXIII. *Augustinus* passim eandem tradit doctrinam specialiter lib. 1. de Adulter. conjug. cap. 15. ed. Basil. 1529. sic ait: *Sed ea, quæ in his talia sunt, ut, quamvis sint licita, non expediant, non in eis dici potest: Bonum est hoc, sed illud melius; sicut dictum est, qui dat nuptum, bene facit, & qui non dat nuptum, melius facit: Ibi enim utrumq; licet, & hoc aliquando, aliquando illud expedit; Nam illis qui se non continent utiq; expedit nubere, & quod licet, expedit: quæ autem voverint continentiam, nec licet, nec expedit,* &c.

XXIV. Idem clariùs exprimit cap. 24. eâdem ed. dicens: *Quisquis non alligatus uxori, continentiam Deo voverit, nullo modo debet ista compensatione peccare; ut ideo credat uxorem sibi esse ducendam, quia promisit, quæ nuptias ejus appetit, futuram se esse Christianam: quod enim cuiquam, antequam vovisset, licebat cùm id se nunquam facturum voverit, non licebit: si tamen id voverit, quod vovendum fuit, sicut est* (ecce apertè contra Calvinum) *perpetua virginitas, vel continentia post experta connubia solutis à vinculo conjugali, vel ex consensu viventibus, & carnalia debita sibi invicem relaxantibus, fidelibus castisq; conjugibus: quod alterum sine altera, vel alteram sine altero vovere fas non est. Hæc ergo & si quæ alia sunt, quæ rectissime voventur, cùm homines voverint, nulla conditione rumpenda sunt,* &c. *quæ sine ulla conditione voverunt. Quia & hoc Dominum præcepisse intelligendum est, ubi legitur;* Vovete & reddite Domino Deo vestro: *Unde Apostolus de quibusdam, quæ continentiam vovent, & postea nubere volunt, quod eis, antequam vovissent* (NB) *utiq; licebat, habentes, inquit damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt. Nihil ergo expedit, quod illicitum est, &c.* hæc August. quid clariùs dici posset, quod etiam ob quamcunque causam, etiam spirituale proximi bonum, non liceat votum violare? Ubi cap. 25. dicit, quod verba Apostoli 1. Cor. 7. *Qui & si acceperit uxorem, non peccat, & qui dat nuptam, bene facit,* dicit de his intelligenda, qui adhuc liberi sunt, nec ullo Domini præcepto constringuntur.

XXV. Similiter ed. eâdem tract. 9. in Joann. dum ostendisset quod nuptiæ non essent malæ, ùt quidam hæretici Manichæi volebant, sed à Deo, postea subdit dicens: *Nec illi qui virginitatem Deo voverunt, quanquam ampliorem gradum honoris & sanctitatis in Ecclesia teneant, sine nuptiis sunt; nam & ipsi pertinent ad nuptias cum tota Ecclesia in quibus nuptiis sponsus est Christus,* &c. hæc ibi, ubi supponit, quod tales ad carnales nuptias transire non possint.

XXVI. Idem in ps. 75. eâdem ed. dicit: *Quid autem ait* Apostolus *de quibusdam quæ voverunt, & non reddiderunt? habentes, inquit, damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, quid est, primam fidem irritam fecerunt? voverunt, & non reddiderunt, &c.* hæc ibi.

XXVII. Idem lib. de Bono Viduitatis cap. 8. eâdem ed. sic ait: *Quod alibi dicit* (Apostolus) *volo igitur juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nuptiarum bonum Apostolicâ sobrietate & authoritate commendat: non procreandi officium, etiam eis* (NB) *quæ continentiæ bonum capiunt, tanquam ad obsequelam legis imponit. Deniq; cur hoc dixerit, pandit, cùm dicit, nullam occasionem dare adversario maledicti gratiâ; jam enim quædam conversæ sunt retro post Sathanam; ut his verbis eius intelligamus, eas, quas nubere voluit, melius posse continere, quàm nubere, sed melius nubere, quàm retro post Satanam ire, id est, ab illo excellenti virginalis vel vidualis castitatis proposito in posteriora respiciendo cadere, & interire; proinde qui se non continent, nubant; antequam Deo voveant; quod nisi reddant* (NB) *jure damnantur, &c.* hæc August. ecce quàm clarè dicit, illas damnari, quæ post vota nubunt.

Item eâdem ed. tom. eodem cap. 9. sic ait: *In viduali & virginali continentia, excellentia muneris amplioris expetitur, quæ expetitâ & electâ, ut voti debito oblatâ, jam non solum non capessere nuptias, sed etiam si non nubatur, nubere velle, damnabile est: nam ut hoc demonstraret Apostolus, non ait: cùm in delitiis egerint in Christo, nubunt, sed nubere volunt, habentes inquit damnationem; quoniam primam fidem irritam fecerunt, & si non nubendo, sed tamen volendo, non quia ipsæ nuptiæ vel talium damnandæ judicantur, sed damnatur propositi fraus, damnatur fracta voti fides, &c.* quid clarius? XXVIII.

Ubi cap. sequenti 10. non probat quidem illorum sententiam, qui dicunt; quod virginum post votum contractæ nuptiæ irritæ sint, sed tamen dicit; quod graviter peccent nubendo. Unde cap. 11. dicit: *Quapropter, non possum quidem dicere à proposito meliore lapsas, si nupserint, fœminas, adulteria esse, non conjugia; sed plane non dubitaverim* (NB) *dicere lapsus & ruinas à castitate sanctiore, quæ vovetur Deo, adulteriis esse peiores: si enim, quod nullo modo dubitandum est* (NB) *ad offensionem Christi pertinet, cùm membrum eius fidem non servat marito, quanto gravius offenditur, cùm illi ipsi non servatur fides in eo, quod exigit oblatum, qui non exegerat offerendum,* &c. hæc Augustin. ubi hoc ipsum docet, quod & Ecclesia, quæ dicit; illas quæ voto castitatis simplici adstrictæ sunt, si nubunt, graviter peccare; matrimonium tamen esse validum: aliud est de Clericis, & monachis, qui speciali præcepto redduntur inhabiles ad contrahendum: ut in initio hujus capitis dictum est. XXIX.

ARTICULUS III.

Respondetur ad argumenta Acatholicorum.

Quamvis Catholica veritas & Acatholicorum falsitas abunde ex sacra scriptura & sanctorum Patrum testimoniis constare possit; quia tamen Acatholici contra claram lucem non verentur ex verbis S. Scripturæ malè intellectis pugnare, argumenta adducemus. I.

Primum *Calvinus* qui vult esse temerarium votum perpetuæ continentiæ, eò quod non pepigerit homo cum Deo de tali certa præservatione à lapsu dicens: *Virginitatem perpetuam Deo promittunt, quasi cum Deo antea pepigerunt, ut se à conjugii necessitate liberaret*: quod tamen falsum est, quia sufficit, quod Deus in generali promiserit omnibus auxilium in his, quæ sunt ad salutem: *Petite, & accipietis*: Sed Calvinus ex sua falsa opinione ponit falsam nubendi necessitatem, & vult; quod illi, qui continentiam vovent, & postea non tantùm in peccatum carnis labuntur, sed etiam II.

qui

Digitized by Google

qui tentatione carnis affliguntur, debeant recurrere ad matrimonium, tanquam remedium à Deo oblatum, sic dicens lib. 4. Inst. cap. 13. §. 17. *Qui habent* (donum continentiæ) *eo utantur, si quando à carne se inquietari sentiunt, confugiant ad eius opem; cuius solius virtute poßint resistere: si non proficiunt, ne remedium, quod ipsis offertur, contemnant, certa enim Dei voce citantur ad coniugium,* & infrà: *Neq; enim externam lasciviam, sed animi quoq; ustionem Paulus caveri præcipit, &c.* ad hoc allegatur illud Apostoli 1. Cor. 7. v. 9. *Qui non se continent, nubant, melius est enim nubere, quàm uri.* Item, *propter fornicationem unusquiq; uxorem suam habeat.* ibid. v. 2. iterum: *Volo juniores nubere,* &c. 1. Tim. 5.

III. Resp. quod votum perpetuæ continentiæ non sit temerarium, sed sanctum, & meritorium; & quod nec Deus, nec Apostolus illis præceperit conjugium, qui jam sponte Deo perpetuam continentiam obtulerunt, & voverunt, ùt patet ex S. Scriptura & SS. Patribus jam allegatis. Quod autem *Cyprianum* Calvinus ibid. pro se allegat, patet falsum supra in fine Cypriani testimonii. Item *Epiphanius* hæres. 61. ed. Basil. 1560. expressè excipit virgines voto adstrictas, & Apostoli sententiam declarat *Ambrosius* lib. ad virginem lapsam cap. 5. ed. Paris. 1569. *Chrysost.* lib. de Virginit. *Hieron.* lib. 1. contra Jovinianum c. 7. ed. Antwerp. 1579. & Bas. 1553 &c. *August* lib. 1. de Adult. Conjug. c. 15. & 24. ed. Bas. 1528 *&c.* & hoc SS. Patres probant ex ipsis Apostoli verbis 1. Tim. 5 de viduis, quæ post votum nubentes damnationem habent; quomodo enim damnationem habent, si citentur à Deo, & Apostolo ad nuptias, ut placet Calvino? falsissimum autem est, quod Calvinus supponit dicens: illos qui animi ustionem & tentationem sentiunt, nec statim ab ea per preces liberantur, habeant necessitatem nubendi; cùm ipse Apostolus, ut infrà probabitur, tales tentationes habuerit, nec ab illis fuerit liberatus, non tamen habuit nubendi necessitatem, sed per Dei gratiam sustinuit tentationem, quem plurimi Sancti & Sanctæ imitati sunt, & præmium virginitatis obtinuerunt.

IV. Resp. 2. sententia Ecclesiæ & SS. Patrum ex S. scriptura probata, etiam patet ex absurdo & inconveniente, quod nec Acatholici admittere possunt, scilicet: si omnibus illis dictum sit, ut nubant, qui uruntur, seu ùt Calvinus vult, carnis tentationes habent, etiam marito sentienti carnis infestationem & ustionem peregrè existenti ab uxore ad annum, vel annos, vel uxori præsenti, sed infirmæ & impotenti ad reddendum debitum, etiam liceret aliam uxorem ducere; aut certe licitè fornicari, quæ contra expressam scripturam sunt, & verba Christi Matt. 19. *Qui aliam duxerit, mœchatur.*

V. Sicut ergo tali marito necessarium est, ut Fidem conjugalem servet, & à fornicatione, vel adulterio abstineat, & pro hoc Deo supplicet, id etiam voto adstrictis faciendum est: nec Deus minùs his denegabit gratiam, quam conjugatis; nec hi majorem habebunt tentationem, quam illi, cum his liceat actus conjugalis, & ab actu licito per absentiam vel infirmitatem conjugis impediantur, & in matrimonio assueti tali actui, difficiliùs continent, quàm qui occasionem non habent, & sciunt sibi illicitum esse; ideo etiam dicit Apostolus de illis, qui nubunt: *Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi* 1. Cor. 7. quod non dicit de illis, qui non nubunt.

Utinam quotidiana experientia non probaret, quod plures conjuges ad incontinentiam proni, etiam propriâ uxore non contenti, quantumvis idonea, sed illâ etiam contemptâ, adulteriis sese defœdent; qui nec erubescunt alienas mulieres turpibus osculis, amplexibus, & verbis, quæ fœdas libidinis flammas non extinguunt, sed instar olei fovent, publicè aggredi, eaq; sibi, ut conjugibus licita defendunt: cùm alioquin castis conjugibus juxta Apostolum ipso matrimonio utendum sit, quasi non uterentur; quantò faciliùs illi, qui continentiam voverunt, se continere possunt, quibus occasiones tales præscinduntur, & qui de talibus erubescere debent. Sunt autem alia efficaciora contra tentationes remedia, quæ SS. scripturæ exhibent, & SS. Patres usurparunt: hoc ostenditur ab exemplo ipsius Apostoli, qui gravibus carnis tentationibus afflictus non sumpsit refugium ad connubium, sed ad orationem, ad jejunium, & corporis castigationem, ùt patet 2. Cor. 12. v. 7. *Datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Sathanæ, qui me colaphizet, propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet à me, & dixit mihi, sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur, &c.* non ei dixit, ducas uxorem. V

Similiter Rom. 7. v. 7. *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces, &c.* & v. 18. *Scio, quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum, nam velle quidem adiacet mihi, perficere autem bonum, non invenio, non enim, quod volo bonum facio, sed quod nolo, malum, hoc ago,* & v. 23. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ,* &c. ubi Apostolus exclamat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius:* nunquid diceretur Apostolo, assume conjugium tanquam remedium, & liberaberis; præsertim quia Calvinus cum suis vult, omnem concupiscentiam esse peccatum mortale, *&c.* sed Apostolus tibi respondet: *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum me liberabit.* Nec ipse dixit hoc esse peccatum verum, sed effectum peccati originalis; ideo concludit. *Igitur ego ipse mente servio legi Dei carne autem legi peccati, &c.* quis autem dicat Apostolum non nubendo semper in peccato permansisse? VI VII

Similiter 1. Cor. 9. v. 27. dicit: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.*

Ecce Apostolica & SS. Patrum contra tentationes carnis remedia pro conjugatis, & Deo consecratis. Et ipse Calvinus fateri debet, quod tentati debeant recurrere ad orationem, & hoc scriptura monet; at non monet scriptura, ut, si tentatio non statim auferatur ad conjugium eatur; quia Christus monet, ut in oratione perseveretur: *Pulsate, & aperietur vobis, &c.* IX

His addo quod nec etiam cuilibet tentato etiam libero extra matrimonium existenti copia datur conjugii, dum placet; sed sæpe pluribus annis sponsa procanda est, quid interim talis faciet, an fornicabitur? absit: utique orabit; id potiùs faciunt Deo devoti, juxta S. scripturæ & SS. Patrum certam & piam doctrinam, & praxin; qui in tentationibus cum Apostolo in oratione, corporis castigatione, aliisque piis exerci- X

exercitiis perſeverantes à Deo conſervati ſunt; ſunt enim efficaciſſima remedia, dum fideles Deo devoti, imò conjuges in tentationibus ad orationes confugiunt, occaſiones malas vitant, verba inhoneſta horrent, ſæpe paſſionem Domini mente revolvunt; pœnas inferni ac cœli gaudia apprehendunt, aliaque pietatis opera exercent, & in omnibus Dei gratiam conſtanter implorant.

XI. Ex prædictis etiam patet ſenſus verborum Apoſtoli: *Propter fornicationem unusquisque uxorem ſuam habeat*, quod non concernit illos, qui continentiam voverunt: alioquin & Apoſtolus Paulus uxorem ducere debuiſſet, & omnes Apoſtoli, *&c.* ſi præceptum eſſet, ut unusquisque duceret uxorem propter periculum fornicationis.

XII. Hæc ſunt S. Scripturæ & SS. Par. contra tentationes remedia; verùm illud, quod Calvinus illis, qui voto adſtricti tentationes experiuntur, dicit à Deo oblatum remedium; ſcilicet conjugium, non ex S. Scriptura nec à SS. Patribus hauſit, ſed à Baſilide hæreſiarcha, de quo ſic ſcribit *Clemens Alexandrinus* Anno 200. Stromat. in initio edit. Pariſ. 1572. *Baſilidis autem ſectatores cùm interrogâſſent, inquiunt, Apoſtoli, num ſit meliùs uxorem non ducere, dicunt reſpondiſſe Dominum*, &c. & infrà: *Qui autem regni cœleſtis gratiâ ſeipſos caſtraverunt, propterea, inquiunt, quæ ex Matrimonio eveniunt, cogitationem hanc ſuſcipiunt, in neceſſariis rebus comparandis veriti negotia, & illud*, meliùs eſt nubere, quàm uri, *aiunt dicere Apoſtolum, ne animam tuam in ignem injicias noctu & interdiu reſiſtens, & timens ne à Continentia excidas; Nam cùm in reſiſtendo occupata fuerit anima, à ſpe eſt diviſa; apprehende ergo, inquit his verbis Iſidorus in Moralibus, robuſtam mulierem, ne à Dei gratia avellaris, & cùm ignem in ſemine excreveris, cum bona ores conſcientia, &c.* his aliiſque ùt abſurdis Baſilidis relatis, ſubdit Clemens: *Has voces adduxi ad reprehendendos Baſilidianos, qui non rectè vivunt, &c.* hæc Clemens.

XIII. Ideo SS. Patres docent, quòd Apoſtolus ibi loquatur de conjugibus ad fidem converſis, inter quos erat quæſtio, an ab actu maritali abſtinere deberent, & de his loquitur inter alios *Hieronymus* lib. 1. in Julian. cap. 4. circa medium edit. Antverp. 1579. & Baſil. 1553. circa verba Apoſtoli: *Non dixit autem, unusquisque propter fornicationes ducat uxorem, alioquin hâc excuſatione libidini fræna laxâſſet, &c. ſed unusquisque uxorem ſuam habeat; ſuam, inquit, habeat, ſuâ utatur, quam habebat, antequam crederet, quàm bonum erat non tangere: & poſt fidem Chriſti ſororem tantùm nôſſe, non conjugem; niſi fornicatio tactum eius excuſabilem faceret, &c.* hæc ille. Et ſic alii SS. Patres loquuntur, quòd Apoſtolus illos, qui uxores habebant, ut illis uterentur, docuerit, ídque non ſecundum imperium, ſed indulgentiam; ibi enim de conjugatis agit, & poſtea ſubdit: *Dico autem innuptis & viduis, bonum eſt, ſi ſic permanſerint*; & ſi verba Apoſtoli etiam ad innuptos referantur, patet non ſpectare ad Deo devotos, ſed alios liberos; ſi ſentiant ſe non poſſe continere, & ſæpius peccare, non jubet, ſed permittit, ut uxorem ducant; & hoc etiam Eccleſia Catholica permittit & ſuadet.

XIV. Cæterùm, quod verba Apoſtoli 1. Tim. 5. *Volo iuniores nubere, &c.* Acatholici adducant, quaſi Apoſtolus præcipiat idipſum quibuscunque junioribus, valde abſurdum eſt, ùt patet: quia Apoſtolus ſibi ipſi contradiceret, cùm 1. Cor. 7. dicat, *volo omnes vos eſſe, ſicut meipſum, &c.* ipſe autem continebat, ùt patet ex illis ibid. v. 8. *Dico autem non nuptis & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego, &c.* ſi ibi per *volo* intelligatur præcipio, ut *omnes ſint continentes*, & ad Timot. dicat, *volo iuniores nubere*, nonne eſſet expreſſa contradictio; ſcilicet: *Volo omnes continentes eſſe, & nolo omnes continentes eſſe*, ſed aliquos nubere?

XV. Similiter pugnarent cum aliis expreſſis verbis Apoſtoli, cùm dicit: *De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do:* quomodo daret conſilium contra præceptum, ſi omnes juniores præcipiat nubere? verus igitur ſenſus verborum Apoſtoli eſt: quòd optet quidem omnes eſſe continentes, & ſic ſuadeat; ſed quia non omnes capiunt verbum hoc, & in periculo ſunt fornicationis, ſuadet; ut nubant: non tamen omnes juniores promiſcuè, ſed quæ ſe fragiles ſentiunt; nullo autem modo, quæ jam voto adſtrictæ ſunt, cùm tales nubentes damnationem habeant, ùt ibid. expreſſit, & patet ex contextu, cùm Apoſtolus addit: *Volo iuniores nubere, filios procreare, &c.* anne hoc ſub præceptum cadit, ut procreent filios? & tamen Apoſtolus dicit: *Volo iuniores filios procreare, &c.* adeòque patet eſſe infirmitatis conſilium.

XVI. Objiciunt etiam illud Apoſtoli 1. Cor. 7. v. 35. *Non ut laqueum vobis injiciam, &c.* unde volunt, quòd Apoſtolus nullos hortatus ſit ad vovendum perpetuam continentiam; ne ſic voto ſint illaqueati, ſed ex libertate contineant, quamdiu placet, & bonum videtur.

XVII. Reſp. autem cum SS. Patribus, præſertim Auguſtino, lib. de Bono Viduit. cap. 5. edit. Baſil. 1528. tom. 4. ubi ſic ait: *Ab his autem illicitis* (ſcilicet adulterio & fornicatione) *valde longè eſt, quæ voti libertate ſe obſtrinxit, & ſibi etiam licita, ne licerent non imperio legis, ſed conſilio charitatis effecit. Et bonum eſt pudicitia coniugalis, ſed melius bonum eſt Continentia vidualis, &c.* & infrà: *Quod autem Apoſtolus, cùm cælibum & innuptarum commendaret fructum, quia cogitant, quæ ſunt Dei, quomodo placeant Deo, ſubiecit & ait: Hoc autem ad utilitatem veſtram dico, non ut laqueum vobis injiciam, id eſt, non ut vos cogam, ſed ad id, quod honeſtum eſt, hortor, &c.* hæc Auguſt. volens oſtendere, quòd per illam cœlibatûs commendationem noluerit Apoſtolus dicere; quaſi conjugium eſſet turpe, vel malum, & à diabolo (ùt volebant cataphryges, de quibus loquitur Auguſtinus tract. 9. in Joann.) & ideo fideles cogerentur ad continentiam ſervandam; ſed ut ex libera & pia intentione ſe voluntariè continentia tanquam meliori bono obſtringant; in quo fideles ſibi ipſis vinculum imponunt, ſicut conjuges ex ſua libertate matrimonii vinculo ſeſe innodant; adeóque nihil plus neceſſitatis ex voto continentiæ, quàm ex matrimonii vinculo cauſatur, non aliunde coacti, ſed ex propria voluntate & Dei amore commoti, quod omni ſancto voto commune eſt.

XVIII. Demum objicere ſolent illud 2. Tim. 4. *Spiritus autem manifeſtè dicit, quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, &c. prohibentium nubere, abſtinere à cibis, quos Deus creavit,* unde inferunt, quòd hæc faciat Eccleſia Catholica, dum prohibet ſacerdotibus & monachis nubere, ac omni-

omnibus fidelibus in quadragesima à carnibus abstinere.

XIX. Sed ad hæc olim D. August. respondit Fausto Manichæo, qui, dum Catholici Manichæis illum locum Apostoli objicerent, replicabat; quod eadem Catholici facerent, quæ Apostolus ibi proponit, dum scilicet persuadent virginibus, ut virginitatem promittant, & omnibus tempore quadragesimali esum carnium interdicunt.

XX. Respondet autem Aug. ed Bas. 1529. tom. 6 l. 30. contra Faustum c. 3. dicens: *Christiani non hæretici sed Catholici edomandi corporis causa, &c. non quod illa esse immunda credant non olùm à carnibus verum à quibusdam etiam terræ fructibus abstinent, vel semper, sicut pauci, vel certis diebus atq; temporibus sicut per quadragesimam fere omnes.* &c. *Vos autem ipsam creaturam negatis bonam, & immundam dicitis, quod carnes diabolus operetur fæculentiore materia mali; ac per hoc eas tanquam immundiora & truculentiora Dei vestri vincula, exhorrentes abjicitis, &c.* & infrà: *Ac per hoc illud quod sequitur, ea verba Apostoli*, &c. *Ipsum est omnino quod nos facit hoc testimoniũ vobis objicere, &c. cùm enim Apostolus dixisset, abstinentes à cibis, quos Deus creavit, &c. secutus ait; & his, qui cognoverunt veritatem, quoniam omnis creatura Dei bona est, &c. hæc sunt quæ negatis hoc animo, &c. quod non significatione, sed natura mala & immunda sint. Quâ in re Creatorem earum sine dubio blasphematis; hoc est, quod pertinet ad doctrinam dæmoniorum &c. Iterum si ad virginitatem sic adhortaremini, quemadmodum hortatur apostolica doctrina; qui dat nuptum, bene facit; & qui non dat nuptum, melius facit; ut bonum esse nuptias diceretis, sed meliorem virginitatem sicut facit Ecclesia, &c. non vos Spiritus Sanctus ita prænuntiaret, dicens; prohibentes nubere. Ille enim prohibet, qui hoc malum esse dicit, non qui huic bono aliud melius anteponit. Deniq; vos eum præcipue concubitum detestamini, qui solus honestus & conjugalis est, & quem matrimoniales quoq; tabulæ præ se gerunt, liberorum procreandorum causa, unde viro non tam concumbere, quàm nubere prohibetis. Concubitus enim etiam causa libidinum; nubetur autem non nisi filiorum, &c. Videtis ergo multum interesse inter hortantes ad virginitatem, bono minori bonum amplius præponendo, & prohibentes nubere, concubitum propagationis, qui solus propriè nuptialis est, vehementius accusando: multum interesse inter abstinentes à cibis propter sacratam significationem, vel propter corporis castigationem, & abstinentes à cibis, quos Deus creavit dicendo: quod eos Deus non creavit, proinde illa doctrina est Prophetarum & Apostolorum, hæc dæmoniorum mendaciloquorum,* hæc August. ubi tam clarè Acatholicorum objectioni respondetur, ut nihil addendum sit.

CONCLVSIO.

I. EX hactenus dictis patet, quàm pia & sancta S. scripturæ & SS. Patribus conformis sit Ecclesiæ Catholicæ doctrina, ac praxis; cùm docet: matrimonium esse bonum, sed continentiam esse meliorem; ad neutrum adstringi hominem, sed cuilibet liberum relinqui, an hunc vel illum statum suscipiat; prout sibi in Domino visum fuerit, ut, si qui sentiant se continere non posse, in Domino nubant, si nupserint, alligatos se sciant, ut fidelitatem conjugi servent; id ipsumque etiam occurrente gravi tentatione vel occasione aut conjugis malitiâ, ita ut, si secùs faxit, adulter reus sit; sed in tentatione ad Deum recurrat, & alia pia fidelitati conjugali non contraria usurpet remedia.

Ita similiter is, qui libertatem voluntatis suæ habet, nec conjugii vinculo innodatus juxta Christi & Apostoli consilium sese castrare ex pia intentione voluerit propter regnum cælorum, id est, sibi ipsi libertatem conjugii *per votum Deo oblatum auferre, sentiens se à gravibus tentationibus liberum, ac sperans per Dei gratiam* se perseveraturum, & sic prævia sufficiente deliberatione, tum ut eò liberius Deo serviat, tum ad majus meritum apud Deum obtinendum, perpetuæ continentiæ votum emittit; Ecclesia docet, quod melius faciat, quàm si nubat: si autem postea carnis tentationibus infestetur, non illi ad conjugium, cujus sese per votum incapacem reddidit, sed ad Dei gratiam, & auxilium, recurrendum sit: sicut & conjugibus in tali occasione necessarium est, qui sæpe temere & sine ullo Dei timore vel piâ intentione, sed ex mero carnali affectu vel temporalium cupiditate matrimonii vinculum sibi imponunt; & tamen illud postea quacunque oriente tentatione frangere non possunt; cur ergo potiùs illi, qui continentiam voluntariè & piè vovit in tentatione licitum erit contra votum nubere, quam conjugi in graviore tentatione, dum conjux abest, vel impotens est, ad alienæ mulieris concubitum pro remedio confugere? II.

Constat ex omnibus sanctorum Patrum testimoniis doctrina Ecclesiæ Catholicæ; sed quos Acatholici suæ doctrinæ prædecessores habuerint, patet ex sanctorum Patrum testimoniis, scilicet, Nicolaitas, Basilidianos, Vigilantianos, Lampetianos, & Jovinianos; sed moderni Acatholici illos in hoc longè excedunt, quod isti docebant virginitatem non esse excellentiorem, nec majoris meriti, quàm matrimonium, sed esse solùm commodiorem à molestiis conjugalibus; at Acatholici votum perpetuæ continentiæ, ut temerarium damnant; imo Calvinus tria vota castitatis, paupertatis & obedientiæ, & promissionem observandi Euangelii, ut impios cultus damnare audet lib. 4. cap. 13. §. 17. dicens: *Quum ad multos simul perversos atq; impios cultus, quos hodiernus monachismus sub se continet, se ipsos adstringunt, non Deo consecrari, sed dæmonio contendo*, ita Calvinus. Nulli autem alii sunt cultus, ad quos monachi se adstringunt, quam prædicti, ut patet ex Regula FF. Minorum, & aliorum: quis autem Christianus observantiam Euangelii impium cultum dixerit, & per ejus promissionem dæmonio consecrari? hoc autem novus ille Euangelii zelator contendit, & ideo vult illis, qui votum illud contemnunt, à Deo sint illuminati, & per Christum ab ipso eximantur. *Sit impossibile; & certum animæ exitium, adeoq; in illo non sit permanendum, &c.* quid turpius, quid fædius contra S. scripturæ, contra sanctorum Patrum doctrinam & communem Ecclesiæ antiquæ praxin dici posset? III.

Cùm constet, quod in antiqua Ecclesia tot millia virginum in Eremis & monasteriis ex testimoniis sanctorum Patrum castissimè & sanctissimè vixerint. Videatur suprà articulo sexto testimonium Ambrosii libro 3. de Virgin. ubi dicit: *quod in solius Orientis & Africanis Ecclesiis plures quotannis virgi-* IV.

virgines Deo consecrentur, quàm hic homines prodeant, &c. & certum est, quod etiamnum in Ecclesia Catholica innumerabiles virgines castissimè, & piissimè per Dei gratiam vivant, licèt Calvinus suo pede alios metiens, mentiri audeat dicens: *Experientia me tacente loquitur, neq; enim est ignotum, quanta obscœnitate scateant omnia fere monasteria, & si qua videntur honestiora, magisq; verecunda esse aliis, non tamen ideo casta sunt, quod impudicitiæ malum in his premunt, & continent, &c.* hæc castus & Christianus Calvinus.

V. Sic omnes omnino alios condemnans etiam de occultis sibi minimè notis, nisi quod ex sua vita alios omnes judicet, si forte aliqui inter plurimos fragiles sint, an ideo omnes damnandi, an ideo status perpetuæ continentiæ à Christo & Apostolo commendatus, ac à SS. Patribus prædicatus, ac usurpatus taliter condemnandus erit? an matrimonium ideo malum, quia, prô dolor, plurimi suis uxoribus non contenti, adulterinis fœditatibus sese involvunt? hæc est illa casta & pura euangelica Calvini doctrina.

VI. Hoc demum Christianus lector consideret, quod si quis doceat marito in tentatione posito, si uxor non adsit, vel impotens esset, licitum esse fidem datam frangere, aliam uxorem ducere, utique talis doctrina, ut Deo & Euangelio ejus contraria, damnaretur, quid ergo de illa doctrina sentiendum, quæ docet illi, qui piè & sponté Deo fidem castitatis promisit, in simili tentatione licitum esse, imo sanctum, si fidem Deo datam frangat, & uxorem ducat.

VII. Grave quidem delictum est, si aliquis maritus adulterium committat, & tamen fidelis manet, sed longè graviùs est docere adulterium esse licitum, imo pessima hæresis esset; sic etiam grave peccatum est votum continentiæ Deo factum violare, sed longe gravius peccatum, imo pestilens hæresis est docere, quod vota continentiæ Deo facta licitè frangantur, imo quod vota talia Deo sint abominabilia, & sic condemnare omnes, quotquot à tempore Apostolorum fuerunt Deo consecratæ virgines, quæ etiam pro virginitate Martyrium subierunt, ut B. Agnes, Agatha, Lucia, &c. insuper hominibus lubricis ad omnem libidinem & votum violandum campum aperire.

Vt autem candido lectori prædicta velut in speculo pateant, sequentes Antitheses subjungũtur.

ANTITHESES,

In quibus veritas doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ circa vota perpetuæ continentiæ, & alia, juxta S. Scripturam sanctis Patribus tam Græcis, quàm Latinis primitivæ Ecclesiæ conformis, & Acatholicorum falsitas proponitur.

PRima: *SS. Patres juxta S. Scripturam & exempla ipsiusmet Christi Salvatoris,* Joannis Baptistæ, Eliæ, & filiorum Prophetarum, aliorumq; Sanctorum innumera, docuerunt: *quod nec status matrimonialis, nec virginalis omnibus & singulis hominibus, præsertim post Christi adventum à Deo sit præceptus, sed singulorum, qui liberi sunt, arbitrio & electioni relictus fuerit.* Ita etiam docet Ecclesia Romana moderna.

Acatholici volunt, quod status matrimonialis omnibus sit præceptus illis verbis Gen. 9. v. 1. *Crescite, & multiplicamini,* sed idem Deus Gen. 1. v. 22. dixit piscibus & avibus; ubi præceptum nullum esse potest, sed tantùm benedictio. *Lutherus* autem vult, quod crescere & multiplicari omnibus plusquam præceptum sit, & perinde necessarium ac edere, & bibere, dormire, &c.

2. *SS. Patres docuerunt* juxta S. scripturam, *quod status virginalis sit excellentior conjugali, & non tantum ob præsentis vitæ necessitates vitandas, sed præcipuè ob specialis cælestis præmii meritum, sit illo melior.* Ita & Ecclesia Catholica.

Acatholici cum antiquis Hæresiarchis Nicolao ex primis Diaconis, à quo Nicolaitæ dicti Apoc. 2. v. 15. *Basilide,* Joviniano, *Vigilantio, &c.* volunt, *quod status continentiæ vel virginalis solum dicatur melior ad vitandas præsentis vitæ incommoditates, &c.* imo *Calv.* lib. 4. c. 13. § 20. ultra antiquos dicere audet: *quod pluris à Deo fiat familiæ piæ regendæ cura, quam abdicatis facultatibus in secessu procul hominum consuetudine philosophari.*

3. *SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt,* quod Christus dicendo: *Sunt qui se ipsos castraverunt propter regnum cælorum,* fideles ad continentiam perpetuam exhortatus sit, & consilium Apostolus dederit; quodque omnes qui Deum constanter orant donum continentiæ obtinere possint, licèt illud ex defectu suo non obtineant, sicut etiam omnes donum fidei obtinere possunt, si fidelissimè instent, & ad hoc obtinendum instare debeant. *Ita & Ecclesia Catholica.*

Acatholici volunt cum Luthero, quod Christus nunquam de virginitate consilium dederit, sed ab ea deterruerit, & Apostolus, cùm dixit, *de virginibus, &c. consilium do,* voluerit dicere, non consulo, sed absterreo, *&c.* ùt *Calvinus* vult, quod dum Apostolus dicit, *bonum est mulierem non tangere,* idem sit, sicut *bonum esset non comedere, si fieri posset.*

4. *SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt, quod illi licitè & sanctè faciant, qui præviâ deliberatione, non sentientes notabiles carnis difficultates, & de Dei auxilio confidentes, ad Deo melius serviendum perpetuam continentiam Deo promittunt, & vovent.* Ita & Ecclesia.

Calvinus *votum perpetuæ continentiæ dicit esse temerarium, illicitum, ac impossibile, ac animæ exitium, nec nostrum esse de dono talis continentiæ à Deo dando fiduciam concipere;* cùm tamẽ concedere debeat, quod homo contrahens matrimonium de dono fidelitatis conjugalis à Deo dando fiduciam concipere possit, & debeat, quam conjugi promittit.

5. SS. Patres juxta S. script. docuerunt, *quod B. deipara Virgo Maria, priusquam Josepho desponsata fuerit, votum perpetuæ virginitatis emiserit, nec ullo peccato, quantumvis minimo, actuali unquam obnoxia fuerit.* Ita etiam Ecclesia Catholica.

Calvinus impudenter asserit, *quod si B. Virgo Maria emisso priùs virginitatis voto nupsisset Josepho, non intendens concubitũ, perfidiæ rea fuisset,* ex quo sequitur, *quod B. Maria non semper mente purâ virgo fuerit:* imo dicere non veretur, *quod B. V. non minus de potentia Dei dubitando peccavit, quàm Zacharias, nec magnopere sit laborandum, ut eam ab omni vitio purgemus,* contra verba S. scripturæ: Beata, quæ credidisti, & communem SS. Patrum sententiam.

6. SS. Patres juxta S. script. virginalem integritatem, seu perpetuam ab omni concubitu continentiam docuerunt, & prædicarunt, *quod sit flos Ecclesiastici gregis, decus & ornamentum gratiæ spiritualis, læta soboles, Dei imagini respondens, illustris & angelica gregis Christi portio exemplar angelicæ sanctitatis, angelica vita, virtus omni laude præstãtior, quæ angelos in terris faciat, ut Christis ipse, virgo per votũ perpetuæ casti-*

tatis Deo consecretur, Deo se totum in hostiam offerat, corpus eius Dei purissimum sit templum, cuius quotidiano sacrificio vis diuina placatur, sancta sit, & sanctimonialis. Ita etiam Ecclesia Catholica.

Acatholici hæc omnia negant, & derident, Imo Calvinus eos, *qui continentiam perpetuam vocant angelicam, impudentissime loqui arguere non veretur,* sicque florem primitivæ Ecclesiæ à suo cætu extirpant: quem tamen Ecclesiæ primitivæ restauratricem Ecclesiam falsò prædicant.

7. SS. Patres juxta S. scripturam docuerunt, *quod non solum votum perpetua continentia, sed etiam voluntaria paupertatis, & obedientia sint Deo gratissima hostia, & per eas fideles Deo in holocaustum offerantur, & consecrentur.* Ita etiam Ecclesia Catholica.

Calvinus dicere audet, quod *quicquid monachi Deo in perpetuum ad ipsum colendum vouent, præsertim illa tria, sint abominationi apud Deum, nec eos per hoc Deo, sed dæmonio consecrari,* &c.

8. SS. Patres juxta S. scripturam docent, *quod virginibus per votum perpetua continentia speciale in cælis præmium, & gloria quadam excellens aliis Sanctis non communis sit, & eos, qui hoc negant, impudentissimè & dementissimè peruicaces, impii, & cæci sint, & mirabiliter desipiant, &c.* ita etiam Ecclesia Cath.

Acatholici prorsus negant virginibus talibus ullum speciale in cælis præmium esse promissum, *&c.* Ita olim Joviniani hæretici.

9. Sancti Patres docuerunt juxta S. scripturam, *quod illi qui contra vota sua ex humana fragilitate delinquunt, non ideo vota contemnere, vel statum relinquere debeant, aut possint, sed ad ea, quæ vouerunt, obseruanda corrigi, & reformari debeant.* Ita etiam docet Ecclesia.

Acatholici qui se reformatores Ecclesiæ & reformatos dici volunt *sub prætextu impossibilitatis,* (quam falsissimè contra S. scripturam & doctrinam SS. Patrum, ac tot sanctorum & piorum exempla confingunt) *defectus contra vota Deo facta non corrigant, sed excusant, & tanquam optime facta prædicant.*

10. SS. Patres juxta S. scripturam docuerunt, *sanctum, & meritorium, & possibilem esse statum Religiosorum seu monachorum tria prædicta vota offerentium, in monasteriis vel Eremis degendo, idq; plures cum S. Antonio, Paulo, aliisq; innumeris usq; ad finem vitæ obseruarunt, & congregationes tales instituerunt, ac mirifice laudarunt, & prædicarunt, ac recommendarunt,* inter alios Chrysost. hom. 8. in Matt. ed. Bas. 1558. dicens: *Non ita variis astrorum choris cælum refulget, ut Ægypti eremus, scenas ubiq; nobis ostendens monachorum.* Ita etiam docet & commendat Ecclesia.

Calvinus impudenter profitetur, *quod ipse non tam ipsos monachos, quàm ipsum monachismum, & monachorum professionem, quæ in tribus prædictis votis potissimum consistit, absolute damnet; ipsorumq; SS. Patrum monachismi professionem reprehendit.* Idem olim hæretici Donatistæ, ut testatur August. lib. 3. contra Petilian. cap. 40. qui ore maledico vituperabat monasteria, & monachos, ac ipsum Augustinum, qui tale vitæ genus instituerat, similiter Ariani monachos persequebantur.

11. SS. Patres docuerunt, *tria potissimum esse euangelica consilia sancta à Christo non præcepta, sed consulta, ut continentiam perpetuam,* sunt Eunuchi, qui se ipsos castrant propter regnum cælorum, *paupertatem voluntariam,* si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, & da pauperibus, & sequere me, &: omnis, qui reliquerit domum, *&c.* propter nomen meum, centuplum accipet, & vitam æternam possidebit. *Et obedientiam,* si quis vult post me venire, abneget semetipsum, &c. *Et hæc tria talia bona esse docuerunt, quæ licitè & sanctè Deo in perpetuum voueri possint, & postea reddenda ac seruanda sint.* Ita etiam docet Ecclesia moderna.

Acatholici *hæc prorsus negant, & ut impossibilia damnant, ac ab Ecclesia Christi eliminata cupiunt.*

12. SS. Patres juxta S. scripturam docuerunt, *pium & sanctum esse, quod Episcopi, Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi perpetuam continentiam seruent, & insuper à tempore Apostolorum Ecclesiam statuisse, ut nullus ad illos ordines admitteretur, quin priùs illam voluntarie Deo vouisset, ne quidem illi, qui antea uxores habuissent, nisi ex mutuo consensu continentiam promisissent.* Ita etiam docet, & observat Ecclesia Catholica.

Acatholici cum Nicolaitis hoc prorsus damnant, in hoc excedentes antiquos hæreticos Jovinianos, qui Episcopum esse non posse dicebant, qui filios in Episcopatu faceret, *&c* & similiter à Græcis longè dissident, qui à mille annis licèt ab Ecclesia Catholica divisi, ab antiquis SS. Patribus Græcis deflexerunt, & Clericis permittunt uxorum usum, quas ante Clericatum duxerunt, non tamen post ordinationē tales ducere permittunt, imo generaliter illis, qui votum continentiæ emiserunt, nullam nubendi licentiam concedunt, sed ad votum continentiæ servandum defectuosos, per disciplinam revocant.

13. *SS Patres docuerunt* juxta S. scripturam & ex verbis ipsiusmet Apostoli, quod nullus, qui perpetuam continentiam vovit, absq; gravi peccato nubere possit, & quod verba Apostoli, *quod si non continent, nubant,* &, *melius est nubere, quàm uri,* nullo modo concernant illos, qui continentiam perpetuam voverunt, sed si tales nubant, imo si nubere velint, juxta Apostolum 1. Tim. 5. *peccent, & damnationem habeant,* & tales adulteros esse edixerunt: nec etiam ob carnis tentationes ad conjugium confugere possint, sed ad orationem, & alia pia exercitia, juxta exempla Apostoli, & aliorum Sanctorum. *Ita etiam Ecclesia Catholica.*

Acatholici cum Caluino volunt, quod illi, qui perpetuam continentiam vovent, nullo modo ad illam obligentur, & si carnis tentationes sentiāt, & non statim se per orationem liberari sentiant, ad coniugium à Deo invitētur, imo certâ Dei voce ad illud citentur, cùm tamen dicere non possint, quod maritus ab uxore absens, vel uxorē impotentem habens, à carne quantumvis vexatus, aliam uxorem ducere possit, sed ad orationes, & alia exercitia se conferre debeat, cur hæc sancta remedia Deo dicatis personis denegātur? & contra expressa Apostoli verba, quod tales damnationem habeant, ad conjugia invitentur, imo citentur, falsissimè prædicant?

14 *SS. Patres* non obstante quod plures subinde Deo devoti contra vota continentiæ, & alia deliquerint, vel monachismum, vel religiosum statum non servarint, nullatenus vota illa perpetua dixerunt esse mala, multo minùs statum religiosum damnarunt, sed ùt sanctissimum in Ecclesia laudarunt, & promoverunt, qui à S. scriptura probatus & laudatus, ac in Ecclesia à tempore Apostolorum sanctissimè observatus fuit; sicut nec ob multitudinem adulteriorum, quæ in Ecclesia fiunt, status matrimonialis unius viri cum unica uxore damnari potest. *Ita etiam obseruat Ecclesia Catholica.*

Aca-

Digitized by Google

Acatholici autem sub falso prætextu plurium delinquentium allegando impossibilitatem contra expressam S. Scripturam & tot millium Sanctorum, & aliorum experientiam, sanctissimum in Ecclesia statum in perpetua Continentia, paupertate, & obedientia viventium, prorsus abolitum volunt.

Videant & considerent hæc qualescunque sinceri Christiani an Acatholici reformati dici volentes, modernæ Ecclesiæ statum, quem deformatum volunt, hoc modo ad primævum Ecclesiæ à Christo, & Apostolis institutum, & formatum statum reducant, & reforment, an potiùs quantùm in ipsis est bene formatum prorsus deformare, defœdare, & deflorare conentur: sed portæ inferi nunquam prævalebunt, imo potiùs per illorum impugnationem Ecclesiæ status clarior redditur, sicut & eorum hæreses, & errores magis & magis palpabiles redduntur.

LIBER XII.

De Sacramentis novæ Legis in genere.

QUandoquidem tres illi Anonymi jactitent, suos in materia de Sacramentis cum Ecclesia antiqua convenire; dum duo tantùm Sacramenta esse asserunt, & Ecclesiam Catholicam ab illa defecisse asserendo septem esse Sacramenta; licèt ipsi de his nihil probent: Pro veritate tamen doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ, & illorum falsitate ostendenda, de Sacramentis in genere hunc librum instituimus.

CAPUT I.

De Sacramentorum Substantia.

ARTICULUS I.

Referuntur errores antiquorum hæreticorum, & Acatholicorum modernorum.

I. ERant olim hæretici *Archontici* seu *Asvvodriti* dicti, qui nulla prorsus in nova lege Sacramenta esse asserebant; ita ut etiam *Baptismum* & *Eucharistiam* rejicerent, dicentes: nullis visibilibus signis utendum esse, *&c.* ita refert *Epiphanius* Hæresi 40. edit. Basil. 1560.

II. Alia fuit hæresis *Caianorum*, qui Baptismum necessarium esse negabant, eò quòd Fides satis esset: ita refert *Tertullianus* lib. de Bapt. cap. 13. edit. Paris.

III. *Paulitiani* hæretici verbotenus quidem Sacramenta admittebant; sed negabant in ullis Sacramentis aliquâ materiâ utendum esse; nec aquâ, nec pane, vel vino, aut oleo; sed sola verba adhibebant, & quidem in Baptismo his verbis utebantur: *Ego sum aqua viva*; ùt refert *Euthymius* in 2. parte panopliæ tit. 21.

IV. Similiter *Seleuciani* & *Herminiani* Baptismum in aqua non recipiebant; sed dicebant Joannem in aqua baptizasse, Christum baptizaturum in spiritu & igne; teste *Augustino* Hæresi 59. ed. Basil. 1528.

V. *Messaliani* etiam Sacramenta recipiebant, sed illa nihil ad salutem conferre, nec per illa peccata tolli dicebant, quæ solis precibus ab ipsis rectè fusis purgarentur: ita referunt *Epiphanius* Hæresi 80. ed. Basil. 1560. *August.* Hæresi 57. edit. Basil. 1528. *Damasc.* lib. de Hæresibus.

VI. *Bogomili* asserebant Eucharistiæ Sacramentum aliud nihil esse, quàm solum *Pater noster*, ità *Euthymius* suprà tit. 22.

Novatiani Sacramentum Pœnitentiæ negabant; ita referunt *Epiphan.* Hæresi 59. ed. Basil. 1560. & *Augustinus* Hæresi 38. editione Basil. 1528. VII.

Montanistæ negabant aliquem per Pœnitentiam posse renovari. Ita *Hieron.* epist. 54. ad Marcellam & lib. 1. adversus Jovinianum cap. 2. edit. Antwerp. 1579. VIII.

Manichæi dicebant Baptismum in aqua nihil cuiquam salutis conferre, teste *August.* Hæresi 46. ed. Basil. 1528. iidem etiam eodem Augustino teste ibid. *Matrimonium* auferebant. IX.

Armenii Sacramentum extremæ unctionis negabant; ùt refert *Guido* Hæresi Armen. 21. similiter *Albigenses*, ut refert S. *Antoninus* 4. parte tit. 11. cap. 7. §. 5. X.

Peputiani seu *Pepuritæ* Ordinis Sacramentum etiam fœminis conferebant; ùt refert *Epiphan.* Hæresi 49. & *Augustinus* Hær. 27. editione citatâ. XI.

Novatus asserebat eos, qui simulachris immolassent, Deo permittendos esse; nec ad mysteria recipiendos; nullam sacerdotibus potestatem esse, quâ pœnitentes absolvere possent, ita refert *Cyprianus* lib. 4. cap. 2. ed. Basil. 1543. *Euseb.* lib. 6. cap. 39. *Ambrosius* l. de Pœnitentia cap. 2. ed. Paris. 1569. XII.

Novatiani & Ariani Sacramentum Confirmationis non admittebant; ut constat ex can. 31. Arabico *Concilii Nicæni* ed. Colon. 1538. & *Theodoreto*, l. 3. hæreticarum fabularum de Novato. XIII.

Demum ex Lutheri discipulis Schwenckfeldiani asserebant, hominem sine Sacramentis salvari posse: ita Confessio Mansfeldensium cap. de Schwenckfeldianis: imò omnia Sacramenta repudiabant tanquam sensibilia, cùm ipsi tanquam XIV.

d by Google

quam spirituales solo spiritu vivendum esse dicerent.

Ex præmissis facilè patet, quales moderni Acatholici in antiqua Ecclesia suæ circa Sacramenta doctrinæ consortes habeant.

XV. *Lutherus* sibi ipsi non constitit, & ejus sectatores inter se divisi sunt, ut infrà dicetur.

Calvinus lib. 4. Inst. cap. 18. §. 19. de Bapt.
XVI. & Eucharistia concludens sic ait: *Habent Lectores omnia quæ sciri de duobus istis Sacramentis referre duximus*, & infrà: *Præter hæc duo, ut nullum aliud à Deo institutum est, ita nec ullum agnoscere debet fidelium Ecclesia.* Item §. 20. *His ergo duobus contenta sit Christiana Ecclesia: nec modò nullum aliud tertium ad præsens admittat aut agnoscat, sed ne appetat quidem*, &c. *usque ad consummationem sæculi*, &c. qui tamen ibidem cap. 19. §. 31. agens de iis, quæ in ordinatione sacerdotum fiunt, illa quidem detestatur, sed addit: *Superest impositio manuum, quam ut in veris legitimisque ordinationibus Sacramentum esse concedo, ita nego locum habere in hac fabula.* An autem impositionem manuum verum Sacramentum agnoscat vix apparet; cùm cap. 19. §. 3. allegans August. dicat: *Cùm Baptismum & Eucharistiam nominat, alia subticet: an non satis innuit, hæc duo mysteria singulorum dogmate præstare; alias cæremonias inferiore loco subsistere?* &c. hæc ille; cùm ibid. §. 2. dixisset multas alias cæremonias ab Apostolis usurpatas, ut genuflexiones & orationes versus Orientem, posse dici Sacramenta; sed imperfectè & largè.

XVII. Concordant etiam Acatholici moderni cum antiquis hæreticis, quòd negent per Sacramenta conferri gratiam, vel peccata dimitti, sed per solam Fidem.

ARTICULUS II.

Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa Sacramenta novæ legis.

I. Hanc *Concilium Tridentinum* sess. 7. declarat dicens in procemio: *Sacrosancta Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata*, &c. *sanctarum Scripturarum doctrinæ Apostolicis traditionibus, atque aliorum Conciliorum & Patrum consensui inhærendo, hos præsentes Canones statuendos & decernendos censuit*, &c.

II. Can. 1. *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora, quàm septem, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, extremam Vnctionem, Ordinem & Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem, non esse verè & propriè Sacramentum, anathema sit.*

III. Can. 4. *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, & sine eis, aut eorum voto per solam Fidem homines à Deo gratiam iustificationis adipisci, licèt omnia singulis necessaria non sint, anathema sit.*

IV. Can. 5. *Si quis dixerit, hæc Sacramenta propter solam Fidem nutriendam instituta fuisse, anathema sit.*

V. Can. 6. *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre; quasi signa tantùm externa sint acceptæ per Fidem gratiæ, vel iustitiæ, & notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus; anathema sit.*

Can. 7. *Si quis dixerit, non dari gratiam per huiusmodi Sacramenta semper & omnibus, quantùm est ex parte Dei, etiamsi ritè ea suscipiant, sed aliquando & aliquibus; anathema sit.* VI.

Can. 8. *Si quis dixerit, per ipsa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam Fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere; anathema sit.* Hæc Concilium. Hæc est unanimis omnium Catholicorum Fides & doctrina. VII.

ARTICULUS III.

De Nomine & Etymologia Sacramenti.

Nomen Sacramenti veriè tam à Grammaticis Gentilibus & Christianis, quàm Jurisperitis usurpatur; ab his præsertim pro juramento obligatorio. I.

In sacra Scriptura etiam in diverso sensu accipitur; quod enim Latinè dicitur in sacra Scriptura Sacramentum, Græcè Mysterium nominatur. II.

Mysterium autem in quadruplici potissimùm sensu sumitur: Primò pro aliqua re latente vel abscondita aut occulta. Secundò pro signo alicujus rei latentis & occultæ aut secretæ prophetiæ. Vtroque modo sumitur Dan. 2. Nam subinde Mysterium & secretum usurpatur pro ipso somnio, quod Nabuchodonosor Rex de quadam statua habuerat, & non poterat illius recordari, sic v. 6. Rex dicit sapientibus: *Somnium igitur & interpretationem eius dicite mihi*, &c. & infrà v. 17. *Daniel monuit socios, ut quærerent misericordiam à facie Dei cœli super facto isto.* & v. 19. *Tunc Danieli mysterium per visionem revelatum est*, ubi Sacramentum & mysterium pro utroq; sumitur, tam pro somnio & statua, quæ apparuerat; quàm pro rebus per statuam significatis, scilicet quatuor regnis sibi invicem successivis. & v. 47. dicit Rex: *Verè Deus vester Deorum est & relevans mysteria, quoniam tu potuisti aperire hoc Sacramentum.* Vbi patet, quòd per Sacramentum intelligitur statua, quatenus significabat regna occulta & futura. III.

Similiter Apoc. 17. v. 5. dicitur de muliere meretrice, *& in fronte eius nomen scriptum Mysterium.* & v. 7. dicit Angelus: *Ego dicam tibi Sacramentum mulieris*, &c. ubi patet, quòd Mysterium & Sacramentum sumantur pro muliere, quatenus erat signum Antichristi occulti. IV.

Tertiò sumitur pro re sacra occulta & secreta, ùt Tob. 12. v. 7. *Sacramentum Regis abscondere bonum est.* Et ad Ephes. 1. v. 9. *Vt notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ.* Et 1. Tim. 3. v. 16. *Manifestè magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne*, &c. ubi loquitur de Christi Incarnatione. Sic etiam de mysterio ad Coloss. 1. v. 26. *Vt impleam verbum Dei, mysterium quod absconditum fuit à sæculis & generationibus; nunc autem manifestum est Sanctis eius, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ Sacramenti huius in Gentibus*, &c. V.

Quartò sumitur pro signo rei sacræ, ùt patet ex illo ad Ephes. 5. v. 32. ubi Apostolus de Matrimonio ait: *Sacramentum hoc magnum est, ego*

autem

Digitized by Google

autem dico in Chriſto & in Eccleſia. Etſi enim hæretici nolint hîc admittere, quòd Apoſtolus loquatur de Sacramento ſpecificè dicto, ùt convenit veris Eccleſiæ Sacramentis; quod tamen infrà probabitur: conſtat nihilominus, quòd Sacramentum ibi uſurpetur pro ſigno rei ſacræ, ſcilicet quatenus Matrimonium inter virum & mulierem ſignificat conjunctionem ſpiritualem & ſacram Chriſti cum Eccleſia; licèt *Calvinus & Lutherus* velint ibi Sacramentum ſumi pro ipſa conjunctione Chriſti cum Eccleſia; quod tamen ex textu conſtat eſſe falſum.

VI. Ex his patet etiam error *Lutheri*, qui in initio ſuæ defectionis lib. de Captiv. Babylon. 1520. edita cap. de Matrimon. ſic dixerat: *Non habet univerſa ſacra Scriptura hoc nomen Sacramentum in ea ſignificatione, qua noſter uſus, ſed in contraria: ubique enim ſignificat non ſignum rei ſacræ, ſed rem ſacram, ſecretam & abſconditam.* Ex quo falſo Lutheri aſſerto *Andreas Carolſtadius* ejus diſcipulus occaſionem ſumpſit, ùt lib. de Signis & Sacramentis, nomen Sacramenti planè rejecerit; contra quem *Lutherus* poſtea invectus eſt, lib. contra cœleſtes Prophetas, parte 2. inquiens: *Dicit Carolſtadius Chriſtum & Apoſtolos non appellaſſe cœnam Sacramentum, velle ſe habere nomen ex Biblis.* contra quem Lutherus ſic ſubjicit: *Age Animadverte, tu & ſpiritus peccati; fatemur quidem Deum non dixiſſe Sacramentum, nec præcepiſſe, ut Sacramentum diceretur; ſed dic nobis contrà, ubi prohibuit Sacramentum dici? quis ergo tibi dedit poteſtatem prohibendi, quod Deus non prohibuit?* hæc Lutherus; & bene. An verò juxta ſua & Acatholicorum principia? qui nihil volunt, niſi quod ſcriptum eſt.

VII. Cæterùm, cùm varia ſit in ſacris Scripturis huius nominis Sacramenti uſurpatio, ùt dictum eſt; communiter ab initio Eccleſiæ ſancti Patres hâc voce uſi ſunt pro ſignis, quæ res divinas ſignificant. Sic *Auguſtinus* epiſtolâ 5. ad Marcellam editione Baſil. 1528. dicit: *Longum eſt convenienter diſputare de varietate ſignorum; quæ cùm ad res divinas pertinent, Sacramenta appellantur.*

VIII. Rurſus cùm multa & plurima ſigna hoc modo generali Sacramenta dici poſſint; quia res arcanas & divinas ſignificant, ſancti Patres ſpecialiter tamen hanc vocem applicârunt illis ſignis ſpecialibus in nova lege; quæ Chriſtus in Eccleſia inſtituit ſemper uſurpanda, uſque ad finem ſæculi; quibus fideles ſpecialiter ſacrarentur & initiarentur; ſic ſanctus Auguſt. lib. 15. de Civ. Dei, cap. 26. eâdem editione dicit: *Inde Sacramenta manarunt, quibus credentes initiantur.*

IX. Similiter *Ambroſius* edit. Pariſ. 1569. librum de Sacramentis Baptiſmi & Euchariſtiæ inſcripſit hoc titulo: *De iis, qui myſteriis initiantur*: licèt hîc non ſit primarius Sacramentorum finis, ùt infrà patebit. De iiſdem loquitur ulteriùs *Auguſt.* lib. 3. de Doctrina Chriſtiana cap. 9. eâdem edit. dicens: *Quædam pauca (ſigna) pro multis* (ſcilicet veteris legis) *eademque factu facillima, intellectu auguſtiſſima, obſervatione caſtiſſima, ipſe Dominus & Apoſtolica tradidit diſciplina*, &c. Et in hoc ſenſu antiquiſſimi ſancti Patres Sacramenta novæ legis nominarunt duntaxat Baptiſmum, Euchariſtiam, Confirmationem, & reliqua: ob ſpecialem à Chriſto datam virtutem, quam alia ſigna ſacra non habent. Quamvis autem *Lutherus & Calvinus* in his videantur conſentire cum Eccleſia Catholica, negant tamen talia Sacramenta plura eſſe, quàm duo, negant etiam per illa homini conferri gratiam, vel dimitti peccata; requirunt etiam plura alia ad Sacramentum præter ſacram Scripturam, & contra eandem ac rationem; ut ſic aliqua à numero Sacramentorum excludant.

ARTICULUS IV.

Refertur ſententia Acatholicorum quoad rationem Sacramentorum, & refutatur.

I. Lutherus in libro de Captiv. Babylonica cap. ultimo dicit: Sacramentum propriè eſſe promiſſionem ſigno externo annexam; quam Sacramenti definitionem Lutherani in Confeſſione Auguſtana art. 13. extendunt dicentes: *quòd ſit ritus, qui habet mandatum Dei, & cui eſt addita promiſſio gratiæ.* Et addunt ibidem, *quòd Sacramentum ſit teſtimonium infallibile; ac ſi Deus novo miraculo de cœlo promitteret; ſe dare gratiam & reconciliari peccatori, & remittere ipſi peccata.*

II. Hoc Kemnitius in ſecunda parte Examinis de efficacia Sacramentorum & alii Lutherani exponunt dicentes: quòd promiſſio illa gratiæ, quæ alioquin generalis eſt ad omnes, per Sacramentum applicetur, & obſignetur ſingulis in particulari; qui cum Fide Sacramentum ſuſcipiunt. Vnde & in Auguſtana Confeſſione, art. 13. dicunt: *Sacramenta ſunt inſtituta, ut ſint ſigna & teſtimonia voluntatis Dei erga nos ad excitandam & confirmandam Fidem in his, qui utuntur, propoſitam.* Ac demum dicunt: *Sacramenta eſſe ſigilla, quibus promiſſio Dei homini certitudinaliter obſignetur & confirmetur*, ita ut ſicut ſigillum regium diplomati appenſum confirmat idipſum; ſic Sacramentum additum verbo Dei promiſſorio per concionem propoſito idipſum certitudinaliter obſignet & confirmet; ſicut etiam miracula confirmabant prædicationem Apoſtolorum.

III. *Calvinus* cum Lutheranis in prædictis conſentiens aliqua addit, ùt patet ex his quæ refert libro quarto Inſtitutionum cap. 14. §. 1. dicens: *Videtur mihi hæc ſimplex & propria fore definitio; ſi dixerimus* (Sacramentum) *externum eſſe ſymbolum quo benevolentiæ erga nos ſuæ promiſſiones conſcientiis noſtris Dominus obſignat ad ſuſtinendam fidei noſtræ imbecillitatem, & nos viciſſim pietatem erga eum noſtram, tam coram eo & Angelis eius, quam apud homines teſtamur.* Aliam etiam addit dicens: *Licet etiam maiore compendio definire; ut vocetur divinæ in nos gratiæ teſtimonium externo ſigno confirmatum, cum mutua noſtræ erga ipſum pietatis teſtificatione.* hæc ille.

IV. Idem ibidem §. 4. dicit: *Hoc eſt, quod vulgò dicunt conſtare Sacramentum verbo & externo ſigno: Verbum enim intelligere debemus, non*

quod

quòd ſine ſenſu & Fide inſuſurratum ſolo ſtrepitu, velut magica incantatione (ſic pro ſuo modo blaſphemus) *conſecrandi elementi vim habeat,* &c. *omnia Latinè pronunciarunt apud homines illiteratos.* Et infrà: *Ergo quum de verbo ſacramentali fieri mentionem audimus, promiſſionem intelligamus, quæ clarâ voce à miniſtro prædicata, plebem eò manu ducat, quò ſignum tendit, ac nos dirigit,* &c. ubi etiam §. 5. propugnat, quòd *Sacramenta ſint ſigilla, quibus promiſſiones Dei confirmantur, ſicut ſigilla, quæ diplomatibus, aliiſque actis publicis appenduntur,* &c. in quo cum Luthero cohæret.

V. Verùm *Calvinus* à Luthero in hoc diſcrepat, quòd Lutherus quidem aſſerat per ſolam Fidem dari gratiam, & hominem juſtificari: quæ Fides per concionem Miniſtri excitetur & augeatur, quod etiam Calvinus docet; ſed *Lutherus* agnoſcit, quòd illa gratia in ſuſceptione Sacramenti obtineatur per Fidem antea per concionem excitatam, & per Sacramentum confirmetur. At verò *Calvinus* vult, quòd Sacramentum ſit ſignum & ſigillum non gratiæ tunc datæ vel inſuſæ; ſed divinæ benevolentiæ, quâ Deus ab æterno hominem in gratiam per prædeſtinationem recepit; ut ſic ſolùm homo magis certificetur de hac prædeſtinationis gratia, & ſe viciſſim Deo obliget. Sic enim explicat ſe in Antidoto ſeſſ. 6. cap. 5. dicens de Baptizatis: *Non à Baptiſmo initium habet eorum ſalus, ſed quæ iam in verbo erat fundata, Baptiſmo obſignatur,* &c.

VI. Hæ ſunt Acatholicorum opiniones circa requiſita ad rationem Sacramenti; ut ſuſtineant alium ſuum errorem fundamentalem, quòd *per ſolam Fidem homo iuſtificetur,* & vera aliqua Sacramenta excludant.

ARTICULUS V.

Refutantur Acatholicorum aſſerta.

I. PRæmiſſa Acatholicorum aſſerta, tam ipſorum principiis, quàm ſacræ Scripturæ, &c. veritati contrariantur.

Primò enim contra ſua principia in his procedunt; cùm multa Acatholici in his ad rationem Sacramenti requirant, quæ ſacra Scriptura alicui Sacramento non aſſignat. Oſtendant ullibi in ſacra Scriptura tales Sacramenti definitiones, cùm ipſi nihil de Fide admittant, niſi quod ſcriptum eſt.

II. 2. Plura etiam aſſignant, quæ nec Sacramento Baptiſmi vel Euchariſtiæ, quæ vera eſſe Sacramenta profitentur, vel juxta ſacram Scripturam vel ſanctos Patres, vel rationem, competunt, ſed potiùs contrariantur. Primò quidem, quod apud Lutheranos & Calvinum principale eſt, oſtendant in ſacra Scriptura mandatum, quo Chriſtus præceperit, ùt verbum concionatorium, in quo promiſſio Dei proponatur in Baptiſmo & Euchariſtia præmittendum ſit; prout ipſi faciunt, & Epiſtolam 1. ad Corinthios 11. cap. prælegunt: Nec enim Chriſtus nec Apoſtoli leguntur talē concionem Baptiſmo præmiſiſſe, multo minus epiſtolam ad Corinth. nondum ſcriptam prælegiſſe, vel hoc ipſum mandaſſe. Secundò, hoc etiam falſum eſſe tum in veritate, tum ex Acatholicorum confeſſione & praxi, patet; quia infantes validè & bene baptizantur, quibus tamen concio non præmittitur, quâ illi ad Fidem excitentur: licèt *Lutherus* ſine teſtimonio ſacræ Scripturæ, imo contra illam & experientiam dicat: Infantes in Baptiſmo intelligere & credere; prout *D. Auguſt.* epiſt. 57. ed. Baſil. 1528. circa medium, quæ eſt ad Dardanum taliter aſſerentes arguit, dicens: *quod noſtris ſenſibus iniuriam faceremus, ſi hoc credamus de infantibus, cùm omni modo ſub Baptiſmo renitantur,* &c. & ſubdit: *Porro ſi iam uterentur rationis & voluntatis arbitrio, quo illi ſanctificationi* (in Baptiſmo) *adhiberi deberet aſſenſus, quantùm mali eſſet reſiſtere tantæ gratiæ: quanquam non ſolùm nihil prodeſſet, quod fieret, verùm etiam inde reatus accreſceret, quis Chriſtianus ignoret?* hæc Auguſtinus. Sed tamen Lutherani, volentes eſſe Chriſtiani, hoc aſſerunt.

3. Iterum Acatholici fatentur baptiſmum in Eccleſia Catholica collatum, eſſe validum; III
ac proinde illos, qui ab Eccleſia ad illos deficiunt, non rebaptizant, ut Calvin. lib. 4. Inſt. cap. 15. §. 16. loquens de Donatiſtis, qui ſacramenti vim ex miniſtri dignitate metiebantur, reſpondit Anabaptiſtis dicens: *Tales hodie ſunt Catabaptiſtæ noſtri, qui rite nos baptizatos pernegant; quod ab impiis & idololatris* (ecce conſuetam maledicam linguam Calvini) *in regno Papali baptizati ſimus; ideoq; anabaptiſmum furioſè urgent, &c.* Etſi autem Calvinus bene contra Donatiſtas & Anabaptiſtas bonitatem miniſtri excludat; à qua non dependet valor ſacramenti: quomodo valorem ſacramenti ſuſtinebit, ubi infantes apud Catholicos ſine verbo concionatorio fidem & promiſſionem explicante per verba Latina, *ego te baptizo in nomine Patris, &c.* (quæ ipſe magicæ incantationi comparat) *baptizantur?* non enim ſacramentum eſt validum, ſi id deſit, quod Chriſtus mandavit ſervandum, ſicut ſi aqua deeſſet. Quod autem ipſe intendat tale verbum concionatorium ad valorem ſacramenti requiri, patet ex verbis ſuprà allegatis, præſertim cap. 14. §. 40. ubi allegans dictum Auguſtini: *Accedat verbum ad elementum, & fiat ſacramentum.* Hoc Calvinus intelligit de verbo concionatorio, ſine quo ſacramentum nihil ſit; & hoc vult eſſe ſacramentale ab Auguſtino intentum. Sed quomodo illa cohærent cum prædictis Calvini verbis, de Baptiſmo à Catholicis collato, & ex praxi illorum? nec unquam ex S. ſcriptura probabunt, quod Chriſtus tale verbum concionatorium præceperit; nec ex SS. Patribus oſtendent, qui ſufficere docuerunt, ſi Baptiſmus conferatur in nomine Patris, *&c.* etiamſi baptizatus verba illa ſanctiſſima non intelligat.

***

AR-

ARTICULUS VI.

Acatholicorum aſſertum de ſigillo refutatur.

I. Falſum eſt & fictum, quòd Sacramentum inſtar ſigilli vel miraculi adhibeatur ex Dei ordinatione, ut promiſſio Dei per verbum concionatorium propoſita confirmetur & certificetur. Nam imprimis iterum requiritur ab Acatholicis, ubi in ſacra Scriptura, Deus in inſtitutione Sacramenti, vel alibi dixerit, quòd Sacramenta ſint futura talia ſigilla promiſſionis & benevolentiæ divinæ? præſertim illius, quam Calvinus dicit ab æterno baptizatum ex prædeſtinatione habere.

II. Econtrà patet ex ſacra Scriptura; quòd tribuatur Sacramentis virtus & efficacia ſanctificandi, non verò ante Sacramentum præſupponatur; ùt de Baptiſmo patet Joann. 3. v. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poterit introire in Regnum Dei.* Et ad Ephel. 5. v. 25. *Chriſtus dilexit Eccleſiam & ſemetipſum tradidit pro ea, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* Et ad Tit. 3. v. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs Sancti,* &c. ubi patet, quòd non ſupponatur ante Baptiſmum regeneratio; quæ per illum confirmetur, ſed per illum fiat.

III. Nec Acatholicis ſuffragatur locus ad Rom. 4. v. 11. ubi dicitur de Abraham: *Signum accepit circumciſionis ſignaculum Iuſtitiæ Fidei, quæ eſt in præputio: ut ſit Pater omnium credentium,* &c. quæ verba Calvinus infrà §. 5. pro ſua aſſertione allegat.

VI. Reſpondetur enim primò: Si id de circumciſione concederetur, quomodo hoc (præſertim juxta Acatholicorum principia) ad Sacramenta novæ legis à Chriſto data dirigetur? iterum ab ipſis quæro: ubi ſacra Scriptura dicit, quòd etiam Baptiſmus & Euchariſtia ſint talia ſignacula?

V. Secundò patet, quod Apoſtolus volebat oſtendere; Abraham juſtificatum fuiſſe ante circumciſionem, & ideo ipſe ſolùm in ſignum pacti illam acceperit. At verò in Baptiſmo juxta Apoſtolum locis jam allegatis homo ſanctificatur, & juſtitiam accipit.

VI. Tertiò patet ex textu, quòd circumciſio in ratione ſignaculi juſtitiæ Fidei ſoli perſonæ Abrahæ data ſit, cùm cauſa addatur: *ut ſit Pater omnium credentium*, tam eorum, qui ſine circumciſione quàm qui cum circumciſione Fidem Abrahæ ſectantur; quæ certè omnibus & ſingulis circumciſis non competunt, ut & quilibet ſit pater omnium credentium. Etſi ergo circumciſio fuerit ſignum à Deo inſtitutum pro Judæis omnibus, non tamen in ratione ſignaculi, quod ſigillum importat, omnibus commendatum eſt; nec etiam ut ſignum divinæ benevolentiæ, ſed vel diſtinctivum à Gentibus, vel in memoriam pacti cum Abraham & ſemine ejus; vel etiam juxta probabilem ſententiam in ſignum gratiæ per illam conferendæ; quod tamen plures Doctores negant. Demum, quòd Sacramenta dicantur ſigilla, quibus confirmentur promiſſiones Dei factæ hominibus, & ſint illarum infallibile teſtimonium, nec hoc ex ſacris Scripturis habent; ſed repugnat iiſdem ac rationi.

VII. Primo: Quia, ſi Baptiſmus eſſet tale infallibile teſtimonium, tunc omnes quotquot baptizantur, certitudinaliter juſtificarentur, vel juſti fierent, adeóque Deus, quod impium eſt dicere; inſtitutor eſſet falſi ſigilli, quia ipſi inprimis docent, licèt falsò, quòd aliqui baptizati ſint coram Deo reprobi nec poſſint juſtificari. Secundò ipſi non admittunt id quod docet Eccleſia, quòd Sacramenta conferant infallibiliter gratiam, niſi ſuſcipiens ponat obicem peccati; ſed ipſi tribuunt abſolutè ipſi Sacramento, quòd ſigillet, obſignet & confirmet ac infallibiliter teſtetur ſuſcipientem jam per Fidem ſalvum & juſtificatum eſſe. Sic *Melanchton* in locis cap. de Baptiſmo refert verba Miniſtri baptizantis hæc: *Ego mandato divino & loco Chriſti baptizo te*, id eſt, *hoc ſigno teſtificor ablui peccata tua, & te reconciliatum eſſe vero Deo*, &c. Imò juxta Calvinum ab æterno eſſe prædeſtinatum; cùm tamen fateri debeant, quòd plurimi impii baptizentur.

VIII. Tertiò: Quia, ſi Sacramenta eſſent ſigilla confirmatoria promiſſionis Dei per verbum Dei propoſitum, jam illa eſſent certiora, quàm ipſum Dei verbum, quod abſurdum eſt: quia ſigillum Regis appenſum literis certius eſt, quàm ipſæ literæ Regis: alioquin fruſtra appenderetur. Nec valet diſtinctio Calvini §. 3. ſuprà data, cùm dicit, quòd Dei veritas, ſeu verbum Dei ex parte Dei & in ſe ſit certius nec certius fieri poſſit, ſed Sacramentum ex parte noſtræ infirmitatis, & quoad nos certiùs eſſe ad nos ſtabiliendos in Fide; hoc patet falſum, quia ſignum illud eſt planè nudum & naturale, quod non poteſt ex ſe nobis dare certitudinem, niſi ex verbo Dei. At verò miraculum quoad nos, poteſt eſſe certius, quàm verbum, quod ab aliquo prædicatur; adeóque quoad nos miraculum confirmat, quòd aliquis verum Dei verbum prædicet, priusquam veritas Dei verbi agnoſcatur.

IX. Quartò: Si etiam verbum Dei homini propoſitum excitet Fidem, & hæc ad illam juſtitiam ſufficiant, juxta illos: &, ut verum eſt, quòd certius ſit, quàm externum aliquod ſignum; cur ergo Sacramentum uſurpatur? cur neceſſariò requiritur juxta illud Joann. 3. *Niſi quis renatus fuerit*, &c. cur illi ſanctificatio & mundatio in ſacra Scriptura tribuitur? Ecce quàm falſa ad Sacramentum contra ſacram Scripturam requirunt.

X. Demum, quòd ad rationem Sacramenti non pertineat, ut per illud dimittantur peccata, vel homo Deo reconcilietur, patet de Euchariſtia; ad quam homo priùs in gratia conſtitutus accedere tenetur, juxta illud Apoſtoli 1. Corinth. 11. *Probet autem ſe ipſum homo*, &c. *qui enim manducat indignè*, &c. adeóque hoc Sacramentum non eſt inſtitutum ut homo reconcilietur Deo, vel à peccatis mundetur; ſed ut jam per aliqua reconciliatus & vivificatus, per alia Sacramenta in gratia foveatur & nutriatur: unde non minus verè,

quàm piè monet D. Augustinus tract. 26. in Joann. editione Basil. 1528. circa medium, dicens: *Videte ergo fratres, panem cœlestem spiritualiter manducate, innocentiam ad Altare apportate,* &c. adeòque per Eucharistiam per se peccata mortalia non remittuntur.

XI. Ex his patet, quòd definitiones vel rationes, quas Acatholici Sacramentis novæ legis etiam ab ipsis agnitis assignant, in verbo Dei non legantur, sed potiùs illi contrarientur, nec ipsis Sacramentis conveniant; nec à sanctis Patribus assignentur. Verum quidem est, quòd sancti Patres subinde baptismum vocent sigillum vel signaculum, sed non in sensu Acatholicorum. Ostendant ipsi, ubi sancti Patres dicant, Sacramenta ideo esse signacula, quia obsignant & conferunt promissiones divinæ benevolentiæ; vel quòd sint infallibile testimonium prædestinationis aut justificationis illi, qui illa suscipit; vel, quòd verbum concionatorium necessariò requiratur ad Sacramentum, sine quo nihil sit, cùm contrarium pateat in parvulis baptizatis.

XII. Vocant autem sancti Patres Sacramenta subinde signacula; vel quia obsignant fideles tanquam certæ notæ & signa, per quæ ab infidelibus distinguuntur. Sic Augustinus libro 19. contra Faustum cap. undecimo, eâdem editione dicit: *In nullum nomen Religionis sive verum, sive falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur,* &c. hæc ibi. Vbi Sacramentum valde latè sumi patet, etiam pro Sacramentis Religionis falsæ.

XIII. Subinde Sacramenta dicuntur signacula, quia continent, claudunt, vel obsignant plura mysteria fidelibus nota; sic Gregor. Nazianz. orat. de baptismo dicit: *Cætera intus addisces, quæ etiam apud te ipsum occulta, clausaque habebis Baptismo obsignata atque retenta,* &c.

XIV. Denique etiam signacula vocantur, quia continent inter se rem sacram seu gratiam quam conferunt, quantum ex ipsis est; licèt ex defectu suscipientis non conferant. Sic *August.* lib. de catechizandis rudibus, cap. 26. ed. Basil. 1528. loquitur circa baptizatum instruendum dicens: *De Sacramento sanè quod accepit, cùm ei bene commendatum fuerit, signacula quidem rerum divinarum esse visibilia, sed res ipsas invisibiles in eis honorari,* &c. His modis etiam S. Ecclesia profitetur Sacramenta esse signacula.

ARTICULUS VII.

Quid ad rationem Sacramenti novæ legis juxta doctrinam Catholicam requiratur?

I. *Sacramentum* communiter sive definiri sive describi solet, primò, quòd sit *signum* vel *symbolum rei sacræ.* Aliter etiam, *quòd sit invisibilis gratiæ forma visibilis.* Sic indicat *Concilium Tridentinum* sess. 13. cap. 3. & est communis Theologorum sententia ex verbis D. *Augustini* sumpta; quas descriptiones etiam Calvinus libro quarto Inst. cap. 14. §. 1. ex August. admittit, sed longè à vero sensu explicat; ut visum est.

Catholici Doctores etiam variis modis illas definitiones exponunt, prout verbum gratiæ vel etiam signum variè usurpatur; ita ut Sacramentum generaliter sumatur pro signo rei sacræ, cujuscunque vel qualiscunque sanctificationis vel gratiæ. Sic aliqui dicunt, omnes cæremonias veteris legis fuisse propriè Sacramenta genericè sumpta, vel quia significabant gratiam legalem, juxta quam utentes exteriùs purificabantur, ut possint ad sacrificia accedere; vel quia significabant gratiam in lege nova dandam, eò quòd omnes illæ cæremoniæ essent figuræ eorum, quæ in novo Testamento futura erant, juxta illud Apostoli: *Hæc omnia in figura contingebant illis* 1. Cor. 10. v. 11. sic Augustinus libro 19. contra Faustum cap. 11. editione Basil. 1528. illas veteris Testamenti figuras vocat Sacramenta. II.

Alii verò Doctores docent; illa Sacramenta veteris legis, fuisse quidem Sacramenta, sed non univocè, nec secundùm genus, sed vel æquivocè vel analogicè: omnes tamen fatentur, quòd differant à Sacramentis novæ legis; sed hæc juxta diversas Theologorum opiniones, quas circa Sacramenta in generali salvâ Fide tradunt. III.

Sacramentum itaque specificè sumptum novæ legis in Catechismo Concilii Tridentini sic definitur: *Sacramentum est res sensibus subiecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis & iustitiæ tum significandæ tum efficiendæ vim habet;* Et in hac omnes Catholici consentiunt; quæ ex verbo Dei partim scripto, partim non scripto, & ex sanctorum Patrum testimoniis desumitur. Juxta hanc ad rationem Sacramenti novæ legis requiritur. IV.

Primò, quòd *sit signum sensibile,* scilicet, res quæ significat, sit sensibus perceptibilis. V.

Secundò, quòd licèt illa res significans, aliquam cum re sacra vel gratia, quam significat, convenientiam & similitudinem proportionis habeat; prout loquitur D. Augustinus Epistolâ 23. eâdem editione ad Bonifacium dicens: *Si Sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent;* non tamen habet ex se vel sua natura significationem ad Sacramentum requisitam. Una enim in rebus ad Sacramentum requisitis est significatio præcedens Sacramentum naturalis, ut significatio quam habet ablutio corporis ad ablutionem animæ quasi speculativam; Et similiter significatio verborum ab hominibus instituta; sic verba, *ego te abluo* speculativè significant ablutionem animæ, sed ultra hanc est significatio à Christo instituta; quâ efficaciter significatur ablutio animæ à peccatis, & sanctificatio illius, & efficitur.

Tertiò itaque, quòd Sacramentum sit signum à solo Deo institutum in Ecclesia semper usurpandum, ita, ut à creatura institui non possit, quia Sacramenta novæ legis significant, & conferunt gratiam sanctificantem; quæ à nulla creatura causari potest: ac proinde tale signum à nulla creatura institui potest.

Quartò

Quartò requiritur, quòd non ſit ſignum nudum vel quaſi ſpeculativum, ſed practicum, & efficaciter ſignificet ſuum ſignificatum; ita ut ſignificet gratiam infallibiliter cauſandam ad poſitionem ipſius Sacramenti, niſi ex parte ſuſcipientis obex vel impedimentum ponatur; adeóque per Sacramentum tanquam per inſtrumentum verè dicatur cauſari ſignificatum.

VIII. Quintò, quòd ſignificatum Sacramenti novæ legis vel immediatè, ùt in aliis Sacramentis; vel mediatè, ut in Euchariſtia, ſit ipſa gratia Dei ſanctificans à Deo animæ infuſa, vel ipſa gratia ſubſiſtens, ſeu corpus Chriſti non abſolutè; ſed prout fit, vel eſt præſens in Euchariſtia in ordine ad gratiam ſanctificantem homini manducanti conferendam.

IX. Et hæc eſſentialiter & principaliter ad Sacramenti rationem ſpectant; licèt alioquin Sacramenta tres præcipuas habeant ex prima Chriſti inſtitutione ſignificationes; utpote primò, quòd ſignificent ipſam Chriſti paſſionem præteritam, per quam gratia ſanctificans obtenta eſt. Secundò ipſam gratiam. Tertiò vitam æternam quæ per gratiam obtinetur. Triplicem hanc ſignificationem indicat Apoſtolus, dum ſic de baptiſmo loquitur Rom. 6. v. 3. *Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus.* Et v. 4. indicat gratiam ſanctificantem dicens: *Conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem; ut quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Et v. 7. *Qui enim mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccato.* Sic & de vita æterna v. 5. *Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius* (ſcilicet in baptiſmo) *ſimul & reſurrectionis erimus.* Et v. 22. *Nunc verò liberati à peccato; ſervi autem facti Deo, habebitis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam.*

X. Sic etiam Euchariſtia eſt ſignum rememorativum mortis Domini, prout Chriſtus dicit Luc. 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*; quod Apoſtolus clariùs exprimit dicens: 1. Cor. 11. v. 26. *Quotieſcunque enim manducabitis panem hunc, vel calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat*, &c.

XI. Etſi hæ tres ſignificationes, Sacramentis competant, ſpecialiter tamen intenditur ſignificatio gratiæ, quæ per illa confertur; in quo ſenſu juxta ſententiam ſanctorum Patrum dicitur, quòd Sacramenta novæ legis id efficiunt, quod ſignificant; in quo Acatholici potiſſimùm ab Eccleſiæ Catholicæ doctrina diſſident; Catholici autem Doctores unanimiter in hoc conſentiunt. Duo ergo reſtant probanda contra Acatholicos: 1. quòd ad valorem Sacramenti novæ legis certa verba conſecratoria vel aliqua æquivalentia & non concionatoria requirantur. 2. quòd Sacramenta novæ legis gratiam ſanctificantem, quam ſignificant, etiam cauſent.

(***)

ARTICULUS VIII.

Quòd certæ res & verba, non tamen concionatoria, ad valorem Sacramenti novæ legis requirantur.

DOctrina Eccleſiæ Catholicæ eſt, I.
quòd ad Sacramenti novæ legis valorem, prout de facto inſtituta ſunt ex Chriſti ordinatione, requirantur *certæ res & verba* à Chriſto Domino determinata, ita ut res ſe habeant inſtar *materiæ*, *& verba inſtar formæ*; quòd ſicut materia propriè dicta ex ſe indeterminata per formam ad tertiam ſpeciem determinatur, ita ſit in Sacramentis, ut una res ſit ex ſe magis indeterminata in ſignificando, v. g. in baptiſmo aqua, vel ablutio in aqua, quàm verba, *ego te baptizo*, &c. quæ quodammodo determinant ablutionem ad ſignificationem baptiſmi, & hoc ſenſu dixit D. Auguſtinus tract. 80. in cap. 13. Joann. edit. Baſil. 1528. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*, ſimiliter in Euchariſtia, panis triticeus & vinum de vite habent ſe inſtar materiæ & verba conſecrationis à Chriſto prolata, quibus ſacerdos utitur, *hoc eſt corpus meum*, habent ſe tanquam forma; prout declarat *Concilium Florentinum* edit. Colon. 1538. *in inſtructione Armenorum* §. 5. *Eccleſiaſticorum Sacramentorum veritatem*, &c. ubi enumeratis ſeptem Sacramentis, dicitur: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet, rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & perſona Miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Eccleſia*, &c. Nec tamen res & verba ita requiruntur, ut id, quod ſe habet ex parte materiæ, etiam non poſſit eſſe verbum in aliquibus Sacramentis, ut Pœnitentia; vel quod inſtar formæ requiritur neceſſariò ſit verbum, ut in Matrimonio, ubi Concilium Florent. §. *Septimum eſt Sacramentum*, dicit: *Cauſa efficiens Matrimonii regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus.* cùm dicit *regulariter*, ſupponit quòd non neceſſariò conſenſus per verba, ſed per nutus ſufficientes loco verborum ſufficiat.

Hæc doctrina quoad baptiſmum fundatur in II.
ſacra Scriptura. Nam 1. Joann. 3. v. 5. Chriſtus indicat materiam certam baptiſmi his verbis: *Niſi quis renatus fuerit, ex aqua & Spiritu Sancto*, &c. Iterum Matt. 28. v. 19. indicat rem ſeu materiam, & verba ſeu formam dicens: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Similiter ad Epheſ. 4. v. 26. *Vt illam ſanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*, &c.

Hoc quidem veriſſimum eſt, quòd in tali ſen- III.
ſu dicta S. Scripturæ loca ſint intelligenda, ut ſcilicet in baptiſmo exprimantur tres perſonæ SS. Trinitatis, ſed non poteſt id efficaciter ex ſolis ſacræ Scripturæ verbis convinci, ùt ſuprà oſtenſum eſt; quia poſſet aliquis baptizari in nomine Patris, &c. non exprimendo illa verba, ùt patet ex illis ad Coloſſ. 3. v. 17. *Omnia in nomine Domini Ieſu Chriſti facite*, &c. quod fieri poteſt abſque eo, quòd homo dicat, ſe omnia in nomine Domini facere, ſi ad ipſius honorem dicat, ſicut etiam Dominus dixit Marci ultimo v. 17. *In nomine meo dæmonia ejicient*, &c. & tamen non erat opus, ut Apoſtoli vel alii dicant: Ego in nomine Chriſti ejicio, ſed ſufficit,

quòd in illius authoritate & Fide fiat; sic etiam posset aliquis baptizare in nomine & authoritate sanctissimæ Trinitatis, non exprimendo illa verba: veruntamen quòd talia verba in Baptismo exprimenda sint, & hoc Christus in sacra Scriptura intenderit efficaciter, probatur ex traditione Apostolica seu verbo Dei tradito, quod nobis constat ex unanimi sanctorum Patrum doctrina à tempore Apostolorum, ex quibus aliquos proferemus.

IV. *Iustinus Martyr* Apologiâ ad Antoninum pium editione Heidelbergensi ex typograph. Hieronymi Commelini 1593. circa finem sic ait: *Deinde* Catechumeni *eò adducuntur, ubi est aqua, atque eo generationis modo, quo ipsi regenerati sumus, regenerantur: nam in nomine cunctarum rerum Parentis & Servatoris nostri Iesu Christi, & Spiritûs Sancti in aqua tum lavantur.* & infrà: *Parentis rerum omnium & Domini Dei nomen nominatur, atque id ipsum solum* (NB) *lavaturum istum ad lavacrum ducentes, invocamus,* &c. hæc ille.

V. *Martialis* circa annum 100. Epistolâ ad Tholosanos cap. 4. Bibl. PP. editione Colon. 1618. tomo I. p. 169. ait: *Adorate Deum & Salvatorem vestrum, in cujus nomine, nisi quis baptizatus fuerit per aquam regenerationis, salvari non potest.*

VI. *Tertullianus* lib. de Baptismo cap. 4. edit. Paris. 1584. & Basil. 1562. dicit: *Omnes aquæ de pristina originis prærogativa Sacramentum sanctificationis consequuntur invocato Deo,* &c.

VII. *Cyprianus* sermone de Baptismo edit. Antwerp. 1568. sic ait: *Verborum solemnitas & sacri invocatio nominis & signa institutionibus Apostolicis sacerdotum ministeriis attributa, visibile celebrant Sacramentum; rem vero ipsam Spiritus Sanctus format,* &c.

VIII. *Athanasius* sermone 3. contra Arianos circa medium editionis Paris. 1581. *Cur,* ait, *dum initiamur Baptismate una cum Patre, Filii quoque nomen recensetur? Nam, ut Pater sit insufficiens, nefaria vox est,* &c. *sed quia sunt unius indivisæ substantiæ.*

IX. *Gregorius Nyssenus* lib. de Baptismo, editione Basil. 1571. ita ait: *Omitte mecum confligere, & oppone te, si potes Domini vocibus* (NB) *quæ invocationem & cognominationem Baptismatis hominibus instituerunt. Et quæ sunt verba Dominici præcepti? baptizantes eos in nomine Patris,* &c.

X. *Cyrillus Hierosolymitanus* Catechesi 3. editione Colon. 1564. *Aqua,* ait, *simplex per Sancti Spiritûs, Christi & Patris invocationem acceptâ virtute sanctitatem consequitur.*

XI. *Basilius* edit. Antwerp. 1568. de Spiritu Sancto, cap. 15. *Tribus igitur,* inquit, *demersionibus, ac totidem invocationibus magnum Baptismatis mysterium peragitur,* &c.

XII. *Ambrosius* lib. 2. de Sacramentis, cap. 5. edit. Paris. 1569. *Venit sacerdos,* ait, *precem dicit ad fontem, invocat Patris nomen, præsentiam Filii & Spiritûs Sancti, utitur verbis cœlestibus, quæ Christi sunt, quod baptizemus in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.*

XIII. *Hieronymus* lib. contra Luciferianos, cap. 3. edit. Antwerp. 1579. & Basil. 1553. sic ait: *Cùm in Patre & Filio & Spiritu Sancto baptizatus homo templum Domini fiat, cùm veteri æde destructâ novum Trinitatis delubrum ædificetur; quomodo dicis, sine adventu Spiritus Sancti apud Arianos peccata posse dimitti?* hæc ille.

Augustinus lib. 6. de Baptismo contra Donat. cap. 25. edit. Basil. 1528. loquens de iis, qui ex errore preces vitiosas Baptismo adjungerent, dicit: *Plerumque precis vitium superat precantis affectus, & quia certa illa Euangelica verba* (NB) *sine quibus non potest Baptismus consecrari tantum valent, ut per illa sic evacuentur, quæcunque in prece vitiosa contra regulam Fidei dicuntur, quemadmodum dæmonium Christi nomine excluditur.* Et infrà: *Si autem ipse malus est atque perversus, si precem integram dicat, & nulla ex parte Fidei Catholicæ adversam, non ideo ipse rectus est, quia illa recta est; & si in aliquibus perversam precem adferat. Deus adest verbis Euangelicis suis* (NB) *sine quibus Baptismus Christi consecrari non potest, & ipse sanctificat Sacramentum suum.* Vbi per verba Euangelica intelligit, ùt patet ex verbis ipsius lib. 3. de Baptismo cap. 15. quæ infrà recitabuntur; *Ego te baptizo in nomine Patris,* &c. XIV.

Hæc autem clarissimè constant ex *Concilio Nicæno* can. 19. ubi permittit Arianos & alios hæreticos baptizatos sine novo Baptismo recipi; at verò Paulianistas ad Ecclesiam redeuntes jubebat rebaptizari, ùt etiam testatur Hieronymus in Dialogo extremo contra Luciferianos edit. Basil. 1553. dicens: *Synodus quoque Nicæna omnes hæreticos suscepit,* &c. *exceptis Pauli Samosateni discipulis.* &c. XV.

Idipsum etiam statuit *Concilium Laodicenum* can. 8. edit. Basil. 1538. quòd Cataphryges rebaptizari deberent. XVI.

Similiter *Concilium I. Arelatense* can. 8. eâdem edit. Arianos prohibuit rebaptizari, &c. cujus diversitatis hæc erat causa, quia, etsi *Ariani, Eunomiani* & alii hæretici negarent consubstantialitatem Patris & Filii, tamen in Baptismo utebantur consuetâ formâ & verbis Christi, scilicet, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Pauli verò discipuli & cataphryges his verbis non utebantur, adeóque Concilia ex Apostolica traditione supposuerunt ista verba in Baptismo necessariò esse adhibenda. XVII.

Hoc ipsum clarè exprimit D. Augustinus lib. 3. de baptismo cap. 15. edit. Basil. 1528. dicens: *Si Euangelicis verbis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti Marcion Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum, quamvis ejus Fides sub iisdem verbis aliud opinantis, quam Catholica veritas docet, non esset integra; sed fabulosis falsitatibus inquinata. Nam sub iisdem verbis* (id est) *in nomine Patris & Filii,* &c. *non solùm Marcion aut Valentinus, aut Arius, aut Eunomius, sed ipsi carnales parvuli Ecclesiæ, si possent singuli diligenter interrogari, tot diversitates opinionum fortassis, quot homines numerarentur,* &c. *nunquid tamen ideo non integrum Sacramentum accipiunt?* hæc ille. XVIII.

***

AR-

ARTICULUS IX.

Ex præmissis ostenditur veritas Catholica de verbo Sacramentorum consecratorio, & falsitas Acatholicorum de verbo concionatorio.

I. EX his Conciliorum & SS. Patrum testimoniis tria clarissimè patent.

Primò, quod in Baptismo certa verba à Christo ordinata exprimi debeant, scilicet: *In nomine Patris, &c.* hoc etiam admittunt & practicant Acatholici.

2 Quod illa *verba sint consecratoria Baptismi*, scilicet, quibus invocatur SS. Trinitas, & sacramentum integrum efficitur, ut patet. Hoc ipsum negant Acatholici cum Calvino lib. 4. cap. 14. §. 4. blasphemè dicentes, quod verba Latinè ad Baptismum adhibita, quæ à populo non intelliguntur, sint velut magicæ incantationes; cùm tamen sancti Patres asserant, Christum instituisse illa verba in Baptismo exprimenda, ac proinde licèt non intelligantur à populo, tamen ex Christi instituto valent & sacra sunt.

II. 3 Ex iisdem evidens est, quod ad sacramenti valorem non requiratur verbum concionatorium, quo exponatur virtus & mysterium Baptismi, licèt enim in adultis talis instructio præmitti debeat, non tamen essentialiter ad valorem sacramenti requiritur, ut patet in Baptismo parvulorum, & ex testimoniis Conciliorum & sanctorum Patrum, qui non inquisierunt, an illi, qui ab hæreticis baptizati fuerant, essent de veritate doctrinæ Christianæ bene instructi, scilicet de mysterio sanctissimæ Trinitatis, cùm contrarium illis constaret, quod falsò instructi essent; adeoque si per verbum sacramentale vel ad Baptismum necessarium intelligeretur verbum verum concionatorium, utique omnes isti hæretici erant rebaptizandi, quod Concilia & sancti Patres negant; si modo verbis Christi Euangelicis in baptismo usi fuissent, licèt malè ab ipsis intellectis.

III. Ex his etiam patet, quàm falsò Calvinus ibid. postquam verba aliqua Augustini pro verbo concionatorio adduxerat, subdat dicens: *Nec est, quod in hac probatione laboremus, quando minime obscurum est, quid Christus fecerit, quid nobis facere mandarit, quid secuti sint Apostoli, quid purior Ecclesia observarit, &c.* hæc ille.

IV. Sed falsitas manifesta est, quia Calvinus non legit in S scriptura, quod Christus ante Baptismum concionem præmiserit de mysterio baptismi. Et si subinde Apostoli id fecerint, & faciat Ecclesia, non legit Calvinus, quod Christus mandarit concionem talem necessariò ad valorem sacramenti esse præmittendam; nec hoc ab Apostolis traditum ostendit; nec similiter, quod Ecclesia antiqua hoc crediderit & docuerit, ipse probavit. Contrarium enim patet ex Conciliis & SS.PP. prædictis, ac ex ipsius Calvini confessione, qui, prout suprà ostensum est, fatetur, baptismum in Ecclesia Catholica Latinis verbis, sive adultis, sive parvulis sine concione collatum esse validum, & non reiterandum, quando ab Ecclesia deficiunt; quod tamen faciendum esset, si ob defectum verbi concionatorii quod ipse putat esse sacramentale, baptismus non valeret, sicut olim sancti Patres baptismum sine forma verborum *in nomine Patris, &c.* reiterandum judicarunt. Unicus est Augustini locus, ex quo Calvinus totum suum errorem de verbo concionatorio probatum putat scil. Tract. 80. ed. Basil. 1528. in Joann. ubi cùm August. dixisset: *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum;* subdit: *Unde ista virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat: nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur. Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens: hoc est verbum fidei quod prædicamus. Unde in actu Apostolorum legimus: Fide mundans corda eorum; & in epistola sua B. Petrus: Sic & vos Baptisma salvos facit, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio, hoc est verbum fidei, quod prædicamus; quo sine dubio, ut mundare possit, consecratur & Baptismus, &c.* hæc Augustin. Ex quo Calvinus vult, quod ubicunq; de verbo sacramentali fit mentio, intelligi debeat promissio divinæ benevolentiæ, quæ clarà voce à ministro prædicatur, *&c.* sed V.

Respondetur: verba D. Augustini plurimi Doctores satis clarè & abunde explicarunt, quæ vera & sancta sunt, sed doctrinæ Calvini nullatenus suffragantur, quod breviter declaratur. Quia Augustinus ibi non dicit expressè, quod verbum concionatorium, præsertim de certitudine divinæ benevolentiæ, necessariò requiratur ad valorem baptismi, & quod non sit aliud verbum sacramentale, quo baptismus perficiatur, & sine quo baptismus invalidus sit, cùm contrarium constet ex verbis ipsius Augustini suprà allegatis, ubi dicit, quod licèt baptizans ex errore suo vitiosas preces adhibeat, vel etiam Arianus, vel Marcionista aliter sacramentum explicet, & falsum verbum de SS. Trinitate prædicet, si tamen verba Euangelica Christi in baptismo adhibeat, sacramentum perficiatur ac conferatur, ac virtutem suam habeat, quæ Calvinus negat. VI.

Intentio itaque D. Augustini est, quod aqua baptismi virtutem quidem habeat sanctificandi & cor abluendi, quod Calvinus negat; non tamen illam habeat ipsa aqua ex sua natura, nec etiam verbum, quod accedit ex suo naturali sono vel significatione ab hominibus instituta aquæ illam virtutem tribuat, sed quatenus est verbum Christi, tum ab ipso prædicatum, tum ab ipso institutum, ut significat mysteria spiritualia sola fide perceptibilia de sanctissima Trinitate, & ex ipsius voluntate confert gratiam, quà homo baptizatus salvus fiat; quod indicat Augustinus per id, cùm dicit de verbo: *Non quia dicitur, sed quia creditur: nam & in ipso verbo, aliud est sonus transiens, aliud virtus manens;* id est, in quantum credibile est, gratiam Christi significans & conferens, & hoc etiam generaliter fiat per verbum Christi prædicatum; quia fides Christi est principium omnis salutis, quæ actualis per auditum verbi Dei habet initium, licèt habitualis in parvulis non fit per auditum, sed per virtutem Christi, etiam in verbo Trinitatis baptismo collatam. Scopus enim D. Augustini ibid. erat, exponere illa verba Christi Joann. 15. v. 3. *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Ex quibus ostendere voluit, quod omnis salus & mundatio proveniat ex verbo Christi; non quoad sonum exteriorem, sed quoad significationem spiritualem VII.

by Google

tualem & virtutem ex Chriſti virtute & gratia procedentem, & per verbum ipſius manifeſtatam. Sed hæc nihil obſtant, quo minùs verba invocatoria ſanctiſſimæ Trinitatis à Chriſto inſtituta ſint verbum ſacramentale, & cum aqua cor mundent, quin potiùs hoc ipſum Auguſtinus ſupponit, ſed originem oſtendit illius virtutis.

VIII. Demum: quomodo ex verbis Auguſtini, Calvinus deducet, quod verbum ſacramentale ſit ſolum concionatorium ſpeciale, quo baptizatus certitudinaliter aſſecuretur de benevolentia Dei, ipſi ab æterno promiſſa? cùm hæc falſa ſint, & ſuprà oſtenſum ſit eſſe contra verbum Dei; & in Baptiſmo parvulorum locum non habere pateat? 2. quomodo per illud verbum concionatorium benevolentiæ Dei conſecratur Baptiſmus, ùt mundare poſſit, quod aſſerit Auguſtinus, cùm Calvinus neget, quod Baptiſmus conſecretur vel mundet, ſed velit, quod Baptiſmus ſolùm ſit ſigillum, quo aſſecuretur baptizatus de munditie per fidem antea acquiſita? *&c.*

Videat ergo candidus lector, quàm falsè & incongruè ex his Auguſtini verbis totam ſuam doctrinam Calvinus probatam voluit. Sicut autem jam ex S. ſcriptura, & præſertim ex Dei verbo tradito oſtenſum eſt, quod ad ſacramentum baptiſmi requirantur certa verba conſecratoria, in ſenſu ad minus æquivalenti eadem, & non concionatoria, ita etiam de ſingulis ſuo loco oſtendetur. IX.

CAPVT II.

De Efficacia Sacramentorum novæ Legis.

ARTICULUS I.

Proponitur ſententia Acatholicorum.

I. ETſi Acatholici tam Lutherani, quàm prætensè Reformati multùm videantur tribuere ſacramentis dignitatis, efficaciæ, & virtutis; in re tamen omnino illis derogant. Et quidem *Lutherus* in initio id rotundè profeſſus eſt, ut patet ex lib. de Capt. Babyl. cap. de baptiſmo Anno 1528. edito, ubi ſic ait: *Baptiſmus neminem juſtificat, nec ulli prodeſt, ſed fides in verbum promiſſionis, cui additur Baptiſmus, hæc enim juſtificat.* Similiter in aſſertione 1. articuli anno 1521. ſic ait: *Nos dicimus, nec novi, nec veteris Teſtamenti ſacramenta, ſed ſolam fidem juſtificaſſe.* Imo ibid. in aſſertione articulorum à Leone X. damnatorum art. 1. ſic auſus eſt pronunciare dicens: *Hæretica, ſed uſitata eſt ſententia, ſacramenta novæ legis dare gratiam non ponentibus obicem, &c.* hæc ille. Verum poſtea convictus argumentis S. ſcripturæ & ſanctorum Patrum verbotenus ſententiam mutavit in homilia 1. de Baptiſmo 1535. edita ſic dicens: *Ad hoc institutus eſt Baptiſmus ut nobis ſerviat, nobis proſit, nobis donet non carnale aliquid vel corporale, ſed æternam vitam, æternam munditiem & ſanctitatem, &c.* & iterum: *Tantam virtutem & energiam habet Baptiſmus, ut homo, qui in peccatis conceptus & natus eſt, regeneretur coram Deo, & qui antea ad mortem erat damnatus, jam ſit filius Dei,* &c.

II. Hanc poſteriorem Lutheri ſententiam vel potius dicendi modum ipſius ſectatores ſervant, ut inter alios Kemnitius in 2. parte exam. pag. 101. ſic dicens: *Sacramenta ſunt cauſæ inſtrumentales, ita quod per illa media ſeu organa Pater vult gratiam ſuam exhibere, donare, applicare; Filius meritum ſuum communicare credentibus, Spiritus Sanctus efficaciam ſuam exercere ad ſalutem omni credenti,* &c. hæc ille.

III. *Calvinus* etiam ſimili modo loquitur, ut in Antid. Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 5. ſic dicens: *Semper memoria repetendum eſt, ſacramenta nihil quàm inſtrumenta eſſe conferendæ nobis gratiæ,* quod expreſſiùs profitetur can. 6. dicens: *Si qui ſint qui negent ſacramentis contineri gratiam, quam figurant, illos improbamus, &c.* hæc ibi.

Quæ omnia verbotenus videntur planè catholicæ doctrinæ conformia; verùm in re totaliter diſcrepant, ut patet, dum efficaciam Sacramentorum Acatholici explicant, volentes illam nullam eſſe aliam; quam, *quod Sacramenta ſolum objectivè moveant ſuſcipientem ad excitandam vel augendam fidem, quæ ſola juſtificet, ſicut & verbum prædicatum illam excitat.* Sic enim Calvin. ibid. can. 5. & 8. explicat, quod ſacramenta cauſent inſtrumentaliter gratiam. Idem profitetur lib. 4. Inſt. cap. 14. §. 6. dicens: *Sacramenta igitur exercitia ſunt, quæ certiorem verbi Dei fidem faciunt, &c.* & infrà: *Hac ratione Auguſtinus ſacramentum, verbum viſibile nuncupat; quod Dei promiſſiones velùt in tabula depictas repræſentet,* & clariùs ibid. §. 17. ſic ait: *Quamobrem fixum maneat, non eſſe alias ſacramentorum, quàm verbi Dei partes; quæ ſunt offerre nobis ac proponere Chriſtum, & in eo cœleſtis gratiæ theſauros.* Et infrà: *Sacramenta enim* (ut ſuprà attigimus) *id ſunt nobis à Deo, quod ab hominibus rerum lætarum nuncii, vel arrhæ in pactis ſanciendis, &c.* ubi fatetur ſe à ſanctorum Patrum ſententia alienum, quos erroris damnat dicens: *Cavendum præterea, ne in errorem hujus affinem nos abducant, quæ ad amplificandam Sacramentorum dignitatem, paulò magnificentiùs à veteribus ſcripta ſunt.* Et infrà: *Quum hoc tantum illis divinitus injunctum ſit munus, teſtificari nobis, ac ſancire Dei in nos benevolentiam, &c.* Et hoc unicum munus à veteribus prætermiſſum fatetur ibid dicens: *Interim illud tollitur figmentum, quo juſtificationis cauſa, virtusq; Spiritus Sancti elementis ſeu vaſculis ac plauſtris includitur, & præcipua illa vis quæ ab aliis prætermiſſa fuit, diſerte explicatur,* &c. hæc ille. Vbi etiam falſum quæſtionis inter Catholicam Eccleſiam & ſuos ſtatum format dicens: *Tantum hìc quæritur, propriâne & intrinſeca* (ut loquitur) *virtute operetur Deus, an externis ſymbolis reſignet ſuas vices, &c.* ubi falſiſſimam & iniquiſſimam Catholicæ Eccleſiæ affingit ſententiam, quaſi ſacramenta à Deo accipiant talem virtutem, ut tanquam principalis cauſa loco Dei gratiam operentur. Contrarium patebit.

Etſi

Etsi autem tam variè Acatholici de efficacia sacramentorum loquantur, & verbotenus magnam illis assignent dignitatem & efficaciam, ut eodem §. 17. Calvinus loquitur, in re tamen negant, quod illa gratiam conferant, sed hoc munus soli fidei tribuunt, idque etiam in fallo sensu.

VII. Est enim fundamentalis ipsorum opinio, quod in justificatione vel sanctificatione duo potissimùm conveniant, scilicet Deus & homo; ut Deus sit quasi offerens & porrigens homini gratiam, quam per verbum promissionis vel per sacramenta homini offerat, & per hæc homo excitetur ad fidem, homo autem sit accipiens & apprehendens hanc gratiam per fidem, quasi per manum, quæ per verbum Dei & sacramenta excitata apprehendat Dei benevolentiam & favorem, quò certò & infallibiliter homo credat se esse in Dei gratia & favore, quod suprà refutatum est. Ipsi autem nullam agnoscunt gratiam animæ à Deo infusam, quâ formaliter justificetur; hoc quoque suo loco agendo de justificatione, refutatum est; hîc verò de vera sacramentorum efficacia agemus.

ARTICULUS II.

Proponitur sententia Ecclesiæ Catholicæ.

I. Catholica doctrina proponitur in decreto Eugenii in instructione Armenorum § quinto, ut habetur in Concilio Florent. ubi sic de sacramentis veteris & novi Testamenti dicitur: *Illa non causabant gratiam, sed eam solùm per passionem Christi dandam esse figurabant: hæc vero nostra & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt, &c.* hæc ibi.

II. Quod aliqui DD. exponunt de sacramentis veteris legis per Moysen institutis; ita ut excipiant circumcisionem, de qua Christus dicit Joan. 7. v. 22. *Propterea dedit vobis Moyses circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex patribus, &c.* & sic *D. Augustinus* variis locis sensit, præsertim lib. 4. de Bapt. cap. 24. ed. Basil. 1528. ubi efficaciam baptismi probat ex circumcisione. Aliqui tamen Patres videntur aliter sensisse, adeoque plures recentiores, id etiam de circumcisione negant; sed de hoc nihil de fide certum est, nec à Conciliis determinatum; sicut de sacramentis novæ legis definitum est.

III. De his similiter Concil. Trid. sess. 7. can. 5. 6. & 8. cujus verba suprà relata sunt, determinat; ubi anathema dicitur iis; qui dicunt sacramenta propter solam fidem nutriendam esse instituta; vel qui negant sacramenta novæ legis continere gratiam, quam significant, aut gratiam non ponentibus obicem conferre, aut qui dixerint per sacramenta novæ legis ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam

IV. sufficere, *&c.* Hanc autem sacramentorum efficaciam esse instrumentalem declarat idem Concil. ibid. sess. 6. cap. 7. loquens de justificationis causis, ubi dicit: *quod efficiens causa sit piissimus Deus, meritoria autem Christus Jesus, qui sua passione nobis justificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit; instrumentalis item, sacramentum Baptismi, &c.*

Pro doctrinæ Catholicæ intelligentia. V.

Sciendum primò, quod in multis fidei articulis certum sit, quod sint credendi quoad substantiam, sed modi aliqui, qualiter talia mysteria existant, de fide certi non sint, ùt patet in mysterio SS. Trinitatis, Incarnationis, & aliis, ubi salva fide inter Doctores disputari solet de variis modis illorum.

Sciendum 2. quod quoad efficaciam sacramentorum aliqua sint de fide certa, & ab omnibus Catholicis unanimiter credantur; utpote primò, quod sacramenta novæ legis seu symbola externa non habeant ex se ullam virtutem, quâ vel physicè vel moraliter conferant gratiam sanctificandi. 2. quod nec talem virtutem à Deo habeant principalem sicut aliæ causæ secundæ, ut ignis respectu caloris. 3. quod habeant certam virtutem conferendi gratiam ex Dei institutione & promissione, quam conferant suscipientibus, qui obicem non ponunt indignitatis vel defectus eorum, quæ Christus Dominus requisivit; ita ut, licèt homo aliter non cooperetur, sed prædicto modo sit dispositus, tunc gratia per sacramenta illi conferatur à Deo. 4. quod Deus sit, qui physicè gratiam suscipienti infundat, cùm sacramentum suscipitur, ita ut Deus ex sua voluntate & ordinatione in hac gratiæ infusione, sacramento tanquam instrumento utatur, quatenus ad positionem sacramenti gratiam conferat per sacramentum significatam. VI.

Sciendum 3. quod hîc modus sufficiat, ut sacramentum sit & verè dicatur instrumentum morale Dei ad causandam gratiam: Similiter etiam sacramentum dicatur habere virtutem conferendi gratiam moraliter, quia Deus ex sua ordinatione ad illius susceptionem gratiam tribuit, ita ut verè ex eo, quod aliquis sacramentum suscipit, gratiam à Deo accipiat; & hoc modo sacramenta sunt causæ instrumentales, respectu Dei efficientis gratiam. VII.

Sciendum 4. quod sacramenta etiam sint causæ instrumentales respectu passionis Christi meritorum; quia scilicet Christus pro nobis passus meruit gratiam, ac proinde sic Christus est causa principalis meritoria gratiæ; qui voluit gratiam per sua merita obtentam per sacramenta conferre vel applicare fidelibus tanquam per sua organa & instrumenta, ut tota ratio causandi sacramentorum dependeat in genere meritorio à meritis Christi. VIII.

Sciendum 5. quod hæc sufficiant ad rationem veræ causæ instrumentalis moralis omnes Catholici fatentur, & patet ex eo; quia passio Christi est vera causa moralis justificationis fidelium; nec tamen physicè causat, cùm tot annis desierit esse: Meritum etiam est & dicitur causa præmii, licèt transierit physicè, dum præmium datur. Multò magis aliquid existens & præsens potest esse causa instrumentalis moralis ex voluntate efficientis. Id similiter ex instrumentis naturalibus probari potest: nam serra est verè instrumentum naturale artificis in secando, non tamen aliud facit, quam quod recipiat aliquem motum prævium ab artifice respectu sectionis. Motus etiam dicitur instrumentum respectu termini, quia est quid prærequisitum ad terminum vel effectum; & universa- IX.

Digitized by Google

versaliter Doctor subtilis Joannes Duns Scotus in 4. dist. 1. q. 5. n. 12. ex doctrina Philosophi ostendit, quod omnis dispositio necessitans naturaliter ad formam; quæ non est ratio receptivi, dici possit causa instrumentalis respectu formæ; & sic etiam in genere moris id, quod ex voluntate agẽtis præmittitur vel requiritur ad agendum, instrumentum dicitur; prout Aug. in ps. 63. ad vers 2. ed. Bas. 1528. de Judæis dicit: *Non dicant Judæi, non occidimus Christum.* Et infrà: *Vos, O Judæi, occidistis, unde occidistis? gladio linguæ, & quando percussistis, nisi quando clamastis, crucifige, crucifige: &c.* & clarissimè patet ex illo 2 Reg. 12. v. 9. ubi dicitur ad David: *Vriam Hethæum percussisti gladio, &c. & interfecisti eum gladio filiorum Ammon, &c.* scilicet, quia ex suo mandato Joab Uriam exposuit interfectioni Sic generaliter quilibet mandans vel consentiens in actum dicitur causa moralis illius: huc modo Deus volens certitudinaliter uti sacramentis ad conferendam gratiam, illa, ut causas instrumentales instituit. Hæc est communis Doctorum sen-

X. tentia. An autem Deus in administratione sacramentorum, ipsis aliquam physicam virtutem transeuntem tribuat, quâ physicè instrumentaliter efficiant gratiam, vel aliquem effectum prævium ad illam? aut an Deus per suam omnipotentiam sine impressione alicujus virtutis physicè utatur signis sacramentalibus per potentiam aliquam obedientialem, ut aliqualiter etiam physicè attingant & producant gratiam Deo supernaturaliter movente & operante? de his nihil Ecclesia unquam decrevit; sed sunt tantùm probabiles aliquorum Doctorum sententiæ, quas alii Doctores salvâ fide improbant. At verò in prædictis omnes conveniunt, & in illis Acatholici dissentiunt, licèt verbotenus dicant: sacramenta esse causas instrumentales gratiæ, vel quod contineant & conferant gratiam; negant enim primò, quod

XI. Deus ad susceptionem sacramenti conferat homini gratiam internam, imo nec benevolentiam internam, sed volunt, quod gratia externa seu Dei benevolentia ab æterno sit præparata, ut Calvinus; & sacramentum solum testetur illam benevolentiam.

2. Quod sacramenta solum suscipientem excitent, ut fide certâ credat, se jam esse in gratia, vel ut augeatur gratia, ita ut sacramenta nullatenus gratiam illam causare dici possint.

3. Ideo volunt, quod baptismus infantibus nullam gratiam conferat, sed quod infans ex fideli progenitus (ùt ait Calv. l. 4. Inst. c. 16. §. 24. *Qui hæreditario jure, secundum promissionis formulam jam à matris utero, in fœdere continetur, Baptismum in signum fœderis solum accipiat.*

XII. Rursus pro intelligentia illius termini, quo utitur Concilium Trident. suprà can. 8. *Quod sacramenta conferãt gratiam ex opere operato*; prout etiam illo usus est Innoc. 3. l. 3. de Mysterio Missæ, & communiter omnes Doctores, sciendũ est: quod, etsi gratia omnis à solo Deo detur ex meritis passionis Christi, tamen hominibus ex Dei ordinatione dupliciter potissimùm applicetur & detur. Primò per certa signa seu sacramenta à Deo instituta cum certis requisitis ex parte suscipientis; scilicet ut suscipiens non ponat obicem per incredulitatem vel peccatum; adeoq; adultus suscipiens sacramentum credere & sperare debet, & cætera agere, quæ tanquam dispositiones in ipso requiruntur, ut declarat Concil. Trid. sess. 6. c. 6. sed tales dispositiones non concurrunt activè ad gratiam sacramentalem nec physicè, nec moraliter; sic autem homini disposito, si sacramentum baptismi suscipiat, Deus per merita Christi, ut causam principalem meritoriam, & per sacramentum ùt causam instrumentalem infundit gratiam, ita ut per illa sacramenta applicata ex Dei ordinatione, & ex merito Christi gratia detur, & nõ ex merito illius, qui baptizat, vel qui baptizatur; quod vocatur *opus operantis*, & sic administratio sacramenti dicitur *opus operatum*, quod scilicet sine merito operãtis, sed ex opere Christi operato gratiam confert. Cùm verò homo justificatus majorem gratiam ex opere bono consequitur, etiam principaliter per merita Christi; tunc dicitur gratia dari ex opere operantis, eo quod operans in tali opere, licèt minùs principaliter, mereatur.

Et hæc distinctio clarè patet in parvulis bapti- XI
zatis, in quibus nullus est actus, quo ipsi credant, vel aliquid mereantur vel cooperentur, ut per illam gratiam consequi dicantur; sed à Deo ex meritis Christi per sacramentum baptismi gratia infunditur, scilicet per opus operatum in administratione sacramenti ex Dei promissione, & non ex ullo opere ullius operantis.

Etsi autem SS. Patres his formalibus termi- XI
nis non sint usi, rem tamen ipsam docuerunt; ùt patet ex D. Augustino lib. 4. contra Cresconium Grammat cap. 16. ed. Basil. 1528. ubi dicit: *Non eorum meritis, à quibus ministratur, neq; eorum, quibus ministratur, constat Baptismus, sed propriâ sanctitate atq; veritate propter eum, à quo institutum est.* Similiter l. 4. de Bapt. c. 24. eâd ed. ait: *Ipsum per se ipsum sacramentum multum valebat, &c.* Vt autem hæc clarius exprimerentur, DD. & ipsa Concilia hujusmodi verbis utuntur contra Acatholicos, qui verbotenus dicunt, Sacramenta conferre gratiam, sed in re, Sacramentis nihil secundùm se tribuunt, sed operi operantis, scilicet fidei suscipientis. Sic etiam olim SS. Patres vocem *consubstantialitatis* Filii cum Patre de novo usurpabant contra Arianos, licèt res ipsa ab initio credita esset. Itaque ex S. scriptura & SS. Patribus probandum, quod sacramenta prædicto modo instrumentaliter causent & conferant gratiam, & non solum ad excitandam fidem deserviant.

ARTICULUS III.

Quòd Sacramenta novæ legis verè instrumentaliter causent & conferant gratiam, probatur ex S. scriptura.

SUfficiet hîc istam virtutem de Baptismo probare; quia eadem est ratio de reliquis, quæ suo loco ostendentur. Acatholici enim id negant de sacramento quocunq; etiam ab ipsis admisso. Probatur itaque

Primò ex illo Luc. 3. v. 16. ubi dicit Joannes: *Ego quidem aquâ baptizo vos, &c. ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni.* Idem Joann. 1. v. 33. dicit de Christo: *Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto.* Vbi Joannes expressè fatetur magnam differentiam inter suum & Christi Baptismum, licèt Acatholici negent contra sacram Scripturam, patet enim ex textu & alibi: atqui Baptismus Joannis etiam ex-
cita-

Digitize

citabat baptizatos suos ad fidem, quod Acatholici solùm tribuũt baptismo & sacramentis. Proinde clarum est, quod Christus ideo dicatur baptizare in Spiritu S. quia per suum baptismum voluit conferre gratiam justificantem, quæ dicitur in scriptura Spiritûs S. & ignis, quia ex virtute Spiritus Sancti datur.

III. 2. Marci ult. v. 16. dicit Dominus: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*; ubi patet, quod salutem homini per baptismum tanquam per instrumentum dandam promiserit; ac proinde baptismo virtutem hoc modo conferendi salutem seu gratiam dederit. Necullo modo dici potest, quod baptismus salvet excitando fidem, per quam homo salvetur: quia Christus præmisit fidem ante baptismum. Si autem baptismus excitaret fidem, non dixisset Christus: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit*; sed prærequirit quoque fidem in adultis, quâ præviâ vult homines baptismum suscipere, per quem salvi fiant in virtute meritorum ipsius Christi; adeoque clarè patet, quod baptismus ad hoc non sit institutus, ut excitet fidem, sed præsuppositâ fide salvos faciat.

IV. 3. Joann. 3. v. 3. dixit Dominus: *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei*; & ut hoc de baptismo intelligatur, subdit dicens v. 5. *Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*. Ubi patet: Primò, quod eodem modo Christus loquitur de baptismo & Spiritu S. & præpositio (ex) semper causalitatem indicat; at Spiritus S. principaliter causat regenerationem; proinde baptismus instrumentaliter eandem efficit.

V. 2. Si baptismus aquæ nihil operetur nisi excitando fidem in baptizato, posset baptismus æquè fieri in vino, cerevisia, *&c.* ùt aliquando Lutherus voluit, ut in suis symposiaticis colloquiis cap. 17. ubi interrogatus: an in aquæ defectu liceret in cerevisia, *&c.* baptizare, priùs quidem hæret, postea resolvit; quod, quidquid balnei nomine nuncupari possit, id ad baptismum aptum esset. Et quod per talem baptismum etiam fides excitari posset adhibita concione; quod tamen S. scripturæ & sanctis Patribus est contrarium.

VI. 3. Non esset ratio, cur Christus necessitatem baptismi in aqua prænunciasset, si sufficeret fides ad salutem, quæ aliis modis etiam perfectiùs, ut per Concionem, *&c.* excitari potest.

VII. *Calvinus* vim hujus S. scripturæ effugere volens lib. 4. Inst. cap. 16. § 25. negat, ibi Christum baptismi mentionem facere dicens: *Primum in eo falluntur, quod baptismi mentionem fieri hoc loco putant, quia aqua nomen audiunt*. Ipse autem ibi vult, quod per aquam Christus idem velit, quod per spiritum, ut non ex aqua naturali, sed ex Spiritu S. homo regeneretur, unde dicit: *Aquam & spiritum simpliciter accipio pro spiritu, qui aqua est*, &c. *& instar aqua animam mundat*, hæc ille.

VIII. Sed hæc expositio Calvini primo contrariatur omnibus SS. Patribus ab initio Ecclesiæ, qui intellexerunt locum illum Joann. de Baptismo aquæ. Sic *Justinus martyr* apologia 2. tertio folio ante finem ed. Hieron. Commel. 1593. describens modum, quo Christiani baptizentur, dicit: *Deinde eò adducuntur à nobis, ubi aqua est, atq; eo regenerationis modo, quo ipsi regenerati sumus, regenerantur, &c.* Et subdit: *In aqua tum lavantur, Christus enim ipse dixit: Nisi regenerati fueritis, non introibitis in regnum cælorum, &c.* ubi patet, quod verba illa Christi non solùm ipse, sed tota Ecclesia antiqua de Baptismo aquæ intellexerit. Sic consequenter omnes alii sancti Patres intellexerunt, ut infrà patebit ex *Clemente Romano, Origene, Cyrillo Hierosol. Tertulliano*, &c.

Hoc ipsum Calvinus satis novit, sed suum sensum omnibus præfert, dicens ibid. *Scio alios aliter interpretari, sed hunc esse genuinum sensum non dubito, &c.* sed illum suum sensum omnibus sanctis Patribus contrarium esse, nobis sufficiat pro illius refutatione. IX.

Accedit, quod si per aquam Joan. 3. dicat interpretari Spiritum S. eodem modo alia loca S. scripturæ, ubi de baptismo dicitur, non de aqua naturali, sed de Spiritu S. explicarentur, & sic tolleretur baptismus aquæ, quod ipsi Acatholici nolunt. X.

4. Probatur veritas ex illis S. scripturæ locis; ubi manifestè dicitur: quod homines priùs crediderint, & postea necessariò baptizari adhuc debuerint in remissionem peccatorum, & quod per baptismum à peccatis mundati sint, ùt patet Act. 2. ubi cùm multi jam credidissent de quibus dicitur v. 37. *His autem auditis compuncti sunt corde & dixerunt*, &c. *Quid faciemus viri fratres? Petrus vero ad illos: Pœnitentiam* (inquit) *agite, & baptizetur unusquisq; vestrûm in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus S.* similiter act. 22. ubi Paulus refert acta conversionis suæ, cùm jam credidisset in Christum, & triduo in jejunio & oratione perseverasset; ut habetur c. 9. v. 11. Ananias à Domino missus, illi dixerit v. 16. prædicti c. 22. *Exurge & baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine ipsius*, &c. XI.

Ex quibus patet, quod non ad excitandam fidem, sed ad abluenda & remittenda peccata baptismus datus sit.

5. Probatur ex illis locis: ubi baptismus expressè assignatur causa instrumentalis respectu gratiæ vel remissionis peccatorum, ut ad Ephes. 5. v. 26. *Ut illam* (Ecclesiam) *sanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*. Ubi patet, quod ad modum, quo artifex per instrumentum operans dicitur, quando serrâ scindit lignum, sic Christus lavacro mundet Ecclesiam. Similiter ad Tit. 3. v. 5. dicit Apostolus: *Secundùm misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, &c.* ubi clarissimè Apostolus indicat lavacrum esse causam instrumentalem, per quam salus detur & applicetur, & ipsa regeneratio & renovatio fiat, alioquin, quomodo lavacrum regenerationis diceretur? XII.

Ex his sacræ scripturæ locis sic etiam contra Acatholicos ad hominem arguitur. XIII.

Primò, si sacramentum baptismi non aliter justificet, quàm excitando fidem, sicut verbum prædicatum, tunc non opus est, ut unusquisq; baptizetur contra dictum Petri Act. 2. suprà: quia sufficeret unum baptizari, & alios videntes per illius baptismum excitari ad fidem, & in fide confirmari. Cùm autem necessarium sit unumquemque baptizari, signum est, quod Christus per baptismum voluerit gratiam conferre suscipientibus.

2. Si prædicta loca S. script. de baptismo non

versaliter Doctor subtilis Joannes Duns Scotus in 4. dist. 1. q. 5. n. 12. ex doctrina Philosophi ostendit, quod omnis dispositio necessitans naturaliter ad formam; quæ non est ratio receptivi, dici possit causa instrumentalis respectu formæ; & sic etiam in genere moris id, quod ex voluntate agentis præmittitur vel requiritur ad agendum, instrumentum dicitur; prout Aug. in ps. 63. ad vers 2. ed. Bas. 1528. de Judæis dicit: *Non dicant Judæi, non occidimus Christum.* Et infrà: *Vos, O Judæi, occidistis, unde occidistis? gladio linguæ, & quando percussistis, nisi quando clamastis, crucifige, crucifige:* &c. & clarissimè patet ex illo 2 Reg. 12. v. 9. ubi dicitur ad David: *Uriam Hethæum percussisti gladio,* &c. *& interfecisti eum gladio filiorum Ammon,* &c. scilicet, quia ex suo mandato Joab Uriam exposuit interfectioni Sic generaliter quilibet mandans vel consentiens in actum dicitur causa moralis illius: hoc modo Deus volens certitudinaliter uti sacramentis ad conferendam gratiam, illa, ut causas instrumentales instituit. Hæc est communis Doctorum sententia. An autem Deus in administratione sacramentorum, ipsis aliquam physicam virtutem transeuntem tribuat, quâ physicè instrumentaliter efficiant gratiam, vel aliquem effectum prævium ad illam? aut an Deus per suam omnipotentiam sine impressione alicujus virtutis physicè utatur signis sacramentalibus per potentiam aliquam obedientialem, ut aliqualiter etiam physicè attingant & producant gratiam Deo supernaturaliter movente & operante? de his nihil Ecclesia unquam decrevit; sed sunt tantùm probabiles aliquorum Doctorum sententiæ, quas alii Doctores salvâ fide improbant. At verò in prædictis omnes conveniunt, & in illis Acatholici dissentiunt, licèt verbotenus dicant: sacramenta esse causas instrumentales gratiæ, vel quod contineant & conferant gratiam; negant enim primò, quod

X. (beside "An autem Deus in administratione")

XI. Deus ad susceptionem sacramenti conferat homini gratiam internam, imo nec benevolentiam internam, sed volunt, quod gratia externa seu Dei benevolentia ab æterno sit præparata, ut Calvinus; & sacramentum solum testetur illam benevolentiam.

2. Quod sacramenta solum suscipientem excitent, ut fide certâ credat, se jam esse in gratia, vel ut augeatur gratia, ita ut sacramenta nullatenus gratiam illam causare dici possint.

3. Ideo volunt, quod baptismus infantibus nullam gratiam conferat, sed quod infans ex fideli progenitus (ùt ait Calv. l. 4. Inst. c. 16. §. 24. *Qui hæreditario jure, secundum promissionis formulam jam à matris utero, in fœdere continetur, Baptismum in signum fœderis solum accipiat.*

XII. Rursus pro intelligentia illius termini, quo utitur Concilium Trident. suprà can. 8. *Quod sacramenta conferāt gratiam ex opere operato*; prout etiam illo usus est Innoc. 3. l. 3. de Mysterio Missæ, & communiter omnes Doctores, sciendū est: quod, etsi gratia omnis à solo Deo detur ex meritis passionis Christi, tamen hominibus ex Dei ordinatione duplicìter potissimùm applicetur & detur. Primò per certa signa seu sacramenta à Deo instituta cum certis requisitis ex parte suscipientis; scilicet ut suscipiens non ponat obicem per incredulitatem vel peccatum; adeoq; adultus suscipiens sacramentum credere & sperare debet, & cætera agere, quæ tanquam dispositiones in ipso requiruntur, ut declarat Concil. Trid. sess. 6. c. 6. sed tales dispositiones non concurrunt activè ad gratiam sacramentalem nec physicè, nec moraliter; sic autem homini disposito, si sacramentum baptismi suscipiat, Deus per merita Christi, ut causam principalem meritoriam, & per sacramentum ùt causam instrumentalem infundit gratiam, ita ut per illa sacramenta applicata ex Dei ordinatione, & ex merito Christi gratia detur, & nō ex merito illius, qui baptizat, vel qui baptizatur; quod vocatur *opus operantis*, & sic administratio sacramenti dicitur *opus operatum*, quod scilicet sine merito operātis, sed ex opere Christi operato gratiam confert. Cùm verò homo justificatus majorem gratiam ex opere bono consequitur, etiam principaliter per merita Christi; tunc dicitur gratia dari ex opere operantis, eo quod operans in tali opere, licèt minùs principaliter, mereatur.

Et hæc distinctio clarè patet in parvulis baptizatis, in quibus nullus est actus, quo ipsi credant, vel aliquid mereantur vel cooperentur, ut per illam gratiam consequi dicantur; sed à Deo ex meritis Christi per sacramentum baptismi gratia infunditur, scilicet per opus operatum in administratione sacramenti ex Dei promissione, & non ex ullo opere ullius operantis. XIII.

Etsi autem SS. Patres his formalibus terminis non sint usi, rem tamen ipsam docuerunt; ùt patet ex D. Augustino lib. 4. contra Cresconium Grammat. cap. 16. ed. Basil. 1528. ubi dicit: *Non eorum meritis, a quibus ministratur, neq; eorum, quibus ministratur, constat Baptismus, sed propriâ sanctitate atq; veritate propter eum, a quo institutus est.* Similiter l. 4. de Bapt. c. 24. eâd ed. ait: *Ipsum per se ipsum sacramentum multum valebat,* &c. Vt autem hæc clarius exprimerentur, DD. & ipsa Concilia hujusmodi verbis utuntur contra Acatholicos, qui verbotenus dicunt, Sacramenta conferre gratiam, sed in re, Sacramentis nihil secundùm se tribuunt, sed operi operantis, scilicet fidei suscipientis. Sic etiam olim SS. Patres vocem *consubstantialitatis* Filii cum Patre de novo usurpabant contra Arianos, licèt res ipsa ab initio credita esset. Itaque ex S. scriptura & SS. Patribus probandum, quod sacramenta prædicto modo instrumentaliter causent & conferant gratiam, & non solum ad excitandam fidem deserviant. XIV.

ARTICULUS III.

Quòd Sacramenta novæ legis verè instrumentaliter causent & conferant gratiam, probatur ex S. scriptura.

Sufficiet hìc istam virtutem de Baptismo probare; quia eadem est ratio de reliquis, quæ suo loco ostendentur. Acatholici enim id negant de sacramento quocunq; etiam ab ipsis admisso. Probatur itaque I.

Primò ex illo Luc. 3. v. 16. ubi dicit Joannes: *Ego quidem aquâ baptizo vos,* &c. *ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni.* Idem Joann. 1. v. 33. dicit de Christo: *Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto.* Vbi Joannes expressè fatetur magnam differentiam inter suum & Christi Baptismum, licèt Acatholici negent contra sacram Scripturam, patet enim ex textu & alibi: atqui Baptismus Joannis etiam exci- II.

citabat baptizatos suos ad fidem, quod Acatholici solùm tribuũt baptismo & sacramentis. Proinde clarum est, quod Christus ideo dicatur baptizare in Spiritu S. quia per suum baptismum voluit conferre gratiam justificantem, quæ dicitur in scriptura Spiritûs S. & ignis, quia ex virtute Spiritus Sancti datur.

III. 2. Marci ult. v. 16. dicit Dominus: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*; ubi patet, quod salutem homini per baptismum tanquam per instrumentum dandam promiserit; ac proinde baptismo virtutem hoc modo conferendi salutem seu gratiam dederit. Nec ullo modo dici potest, quod baptismus salvet excitando fidem, per quam homo salvetur: quia Christus præmisit fidem ante baptismum. Si autem baptismus excitaret fidem, non dixisset Christus: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit*; sed prærequirit quoque fidem in adultis, quâ prævià vult homines baptismum suscipere, per quem salvi fiant in virtute meritorum ipsius Christi; adeoque clarè patet, quod baptismus ad hoc non sit institutus, ut excitet fidem, sed præsuppositâ fide salvos faciat.

IV. 3. Joann. 3. v. 3. dixit Dominus: *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei*; & ut hoc de baptismo intelligatur, subdit dicens v. 5. *Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ubi patet: Primò, quod eodem modo Christus loquatur de baptismo & Spiritu S. & præpositio (ex) semper causalitatem indicat; at Spiritus S. principaliter causat regenerationem; proinde baptismus instrumentaliter eandem efficit.

V. 2. Si baptismus aquæ nihil operetur nisi excitando fidem in baptizato, posset baptismus æquè fieri in vino, cerevisia, *&c.* ùt aliquando Lutherus voluit, ut in suis symposiaticis colloquiis cap. 17. ubi interrogatus: an in aquæ defectu liceret in cerevisia, *&c.* baptizare, priùs quidem hæret, postea resolvit; quod, quidquid balnei nomine nuncupari possit, id ad baptismum aptum esset. Et quod per talem baptismum etiam fides excitari posset adhibita concione; quod tamen S. scripturæ & sanctis Patribus est contrarium.

3. Non esset ratio, cur Christus necessitatem
VI. baptismi in aqua prænunciasset, si sufficeret fides ad salutem, quæ aliis modis etiam perfectiùs, ut per Concionem, *&c.* excitari potest.

Calvinus vim hujus S. scripturæ effugere vo-
VII. lens lib. 4. Inst. cap. 16. § 25. negat, ibi Christum baptismi mentionem facere dicens: *Primum in eo falluntur, quod baptismi mentionem fieri hoc loco putant, quia aqua nomen audiunt.* Ipse autem ibi vult, quod per aquam Christus idem velit, quod per spiritum, ut non ex aqua naturali, sed ex Spiritu S. homo regeneretur, unde dicit: *Aquam & spiritum simpliciter accipio pro spiritu, qui aqua est*, &c. *& instar aquæ animam mundat*, hæc ille.

VIII. Sed hæc expositio Calvini primo contrariatur omnibus SS. Patribus ab initio Ecclesiæ, qui intellexerunt locum illum Joann. de Baptismo aquæ. Sic *Justinus martyr* apologia 2. tertio folio ante finem ed. Hieron. Commel. 1593. describens modum, quo Christiani baptizantur, dicit: *Deinde eò adducuntur à nobis, ubi aqua est, atq; eo regenerationis modo, quo ipsi regenerati sumus, regenerantur, &c.* Et subdit: *In aqua tum lavantur, Christus enim ipse dixit: Nisi regenerati fueritis, non introibitis in regnum cælorum, &c.* ubi patet, quod verba illa Christi non solùm ipse, sed tota Ecclesia antiqua de Baptismo aquæ intellexerit. Sic consequenter omnes alii sancti Patres intellexerunt, ut infrà patebit ex *Clemente Romano, Origene, Cyrillo Hierosol. Tertulliano*, &c.

Hoc ipsum Calvinus satis novit, sed suum sensum omnibus præfert, dicens ibid. *Scio alios aliter interpretari, sed hunc esse genuinum sensum non dubito, &c.* sed illum suum sensum omnibus sanctis Patribus contrarium esse, nobis sufficiat pro illius refutatione. IX.

Accedit, quod si per aquam Joan. 3. dicat interpretari Spiritum S. eodem modo alia loca S. scripturæ, ubi de baptismo dicitur, non de aqua naturali, sed de Spiritu S. explicarentur, & sic tolleretur baptismus aquæ, quod ipsi Acatholici nolunt. X.

4. Probatur veritas ex illis S. scripturæ locis; ubi manifestè dicitur: quod homines priùs crediderint, & postea necessariò baptizari adhuc debuerint in remissionem peccatorum, & quod per baptismum à peccatis mundati sint, ùt patet Act. 2. ubi cùm multi jam credidissent de quibus dicitur v. 37. *His autem auditis compuncti sunt corde & dixerunt*, &c. *Quid faciemus viri fratres? Petrus vero ad illos: Pœnitentiam* (inquit) *agite, & baptizetur unusquisq; vestrûm in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus S.* similiter act. 22. ubi Paulus refert acta conversionis suæ, cùm jam credidisset in Christum, & triduo in jejunio & oratione perseverasset; ut habetur c. 9. v. 11. Ananias à Domino missus, illi dixerit v. 16. prædicti c. 22. *Exurge & baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine ipsius*, &c. XI.

Ex quibus patet, quod non ad excitandam fidem, sed ad abluenda & remittenda peccata baptismus datus sit.

5. Probatur ex illis locis: ubi baptismus expressè assignatur causa instrumentalis respectu gratiæ vel remissionis peccatorum, ut ad Ephes. 5. v. 26. *Ut illam* (Ecclesiam) *sanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* Ubi patet, quod ad modum, quo artifex per instrumentum operans dicitur, quando serrâ scindit lignum, sic Christus lavacro mundet Ecclesiam. Similiter ad Tit. 3. v. 5. dicit Apostolus: *Secundùm misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, &c.* ubi clarissimè Apostolus indicat lavacrum esse causam instrumentalem, per quam salus detur & applicetur, & ipsa regeneratio & renovatio fiat, alioquin, quomodo lavacrum regenerationis diceretur? XII.

Ex his sacræ scripturæ locis sic etiam contra Acatholicos ad hominem arguitur. XIII.

Primò, si sacramentum baptismi non aliter justificet, quàm excitando fidem, sicut verbum prædicatum, tunc non opus est, ut unusquisq; baptizetur contra dictum Petri Act. 2. suprà: quia sufficeret unum baptizari, & alios videntes per illius baptismum excitari ad fidem, & in fide confirmari. Cùm autem necessarium sit unumquemque baptizari, signum est, quod Christus per baptismum voluerit gratiam conferre suscipientibus.

2. Si prædicta loca S. script. de baptismo

 non

non deberent in sensu causali exprimi, sequeretur contra Acatholicos, quòd nec ipsa fides sit instrumentum justificationis, licèt de illa dicatur etiam instrumentaliter *per*, vel in ablativo, *fide purificans corda eorum* Act. 15. v. 9. & *justus ex fide vivit*. Rom. 1. v. 17. &, *arbitramur enim justificari hominem per fidem*. Rom. 3. v. 28. *&c.* In his placet, ut instrumentaliter intelligatur, in aliis verò non, idque contra S. Scripturam, & SS. Patrum sensum, solùm, quia ita ipsis placet, ideo Scriptura sic intelligenda est, præsertim, cùm ipsi causam justificationis soli fidei tribuant, quod S. Scriptura non dicit; & fidei non veræ, sed ab ipsis fictæ contra S. Scripturam approprient.

ARTICULUS IV.

Eadem veritas probatur ex Conciliis & SS. Patribus Græcis.

I. PRimò Concilium Constantinopolitanum in Symbolo sic profitetur: *Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum.* Quomodo hoc? nisi per Baptismum remissio daretur.

II. *Clemens Romanus* Anno 80. Epist. 4. edit. Colon. 1596. *Sed dicitis fortasse*, inquit, *quid confert aqua Baptismus ad cultum Dei? primò quidem, quia, quod Deo placuit, impletur secundò, quia regenerato ex aquis, & Deo renato, fragilitas* (NB) *prioris nativitatis, quæ vobis per hominem facta est, amputatur, & ita demum pervenire poteritis ad salutem. Aliter impossibile est, sic enim nobis cum sacramento verus propheta testatus est dicens:* Amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit ex aqua viva, non introibit in regnum cœlorum, *& ideo accelerate; Est enim in aquis istis misericordia eius* (NB) *quadam*, &c. *& eripit eos de suppliciis futuris, quasi donum quoddam offerens Deo animas per Baptismum consecratas*, &c. *Confugite ergo ad aquas istas, solæ sunt enim, quæ possunt vim futuri ignis extinguere, &c.* An hîc fidei excitatio?

III. *Justinus Martyr* Apologiâ 2. edit. Heidelberg. ex Typograph. Hieron Commel. 1593. suprà, cùm retulisset, baptismum juxta Christi institutum esse suscipiendum, subdit dicens: *Rationem autem huius rei ab Apostolis illam accepimus*, &c. *ne necessitatis & ignorantiæ liberi permaneamus, sed delectus & scientiæ* (filii fiamus) *ac remissionem ante commissorum peccatorum consequamur in aqua*, &c.

Idem quæst. 56. eâd. edit. ad orthodoxos sic quærit: *Si infantes mortem oppetentes ex operibus nec laudem nec reprehensionem habent, quod discrimen erit in resurrectione inter eos, qui ab aliis sint baptizati, & nihil egerint, & eos, qui baptizati non sint, & similiter nihil egerint? Respondeo, hoc discrimen est inter baptizatos & non baptizatos, quòd illi bona per baptismum obvenientia consequuntur, hi verò non consequuntur, &c.* Quid clariùs dici posset? cùm in parvulis nulla excitetur fides, per quam bona illa consequantur.

IV. *Dionysius Areopag.* Ecclesi. hierarch. cap. 3. edit. Argent. 1503 sic ait: *Et sacram divinæ generationis theletam, quoniam primum lumen tradit, & omnium est principium divinarum in lumine introductionum, ex perfecto veram illuminationis nominationem laudamus, &c.* hæc ille.

V. Similiter *Clemens Alexand.* lib. 1. Pædagogi c. 6. edit. Paris. 1572. sic ait: *Tincti illuminamur, illuminati in filios adoptamur, adoptati perficimur, perfecti immortales reddimur*, &c. *Multis autem modis vocatur hoc opus, Gratia, illuminatio, perfectum & lavacrum, lavacrum quidem, per quod peccata* (NB) *abstergimus; Gratia autem, quâ remittuntur pœna, quæ peccatis debentur; illuminatio autem, per quam sanctam illam & salutarem lucem intuemur; perfectum autem dicimus, cui nihil deest, quid enim ei deest, qui Deum novit? est enim revera absurdum, Dei vocari gratiam, quæ non sit perfecta, &c.* hæc ille.

Origenes hom. 4. in Cant. edit. Basil. 1557. ait: *Amputantur & execrantur ab hominibus peccata, cùm in Baptismo donatur remissio peccatorum.* VI.

Idem tract. 7. in Matth. eâd. edit. *Et forsitan*, ait, *ideo dicitur de turbis sequentibus Dominum ad baptismum Iordanis* & lavavit eos ibi. *Verè enim omnes ab infirmitatibus suis* (NB) *spiritualibus salvantur in Baptismo.*

Idem homil. 14. in cap. 2. Lucæ eâd. edit. sic ait: *Quia per Baptismi sacramentum nativitatis sordes* (NB) *deponuntur, propterea baptizantur & parvuli; Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poterit introire in regnum cœlorum Ioann. 3. &c.* hæc Origenes.

Gregorius Neocæsariensis orat. in Theophaniam bibl. PP. edit. Colon. 1618. tomo 3. pag. 45. col. 2. H. sic ait: *Baptiza me, qui per aquam & spiritum ac ignem baptizaturus sum credentes: per aquam, quæ* (NB) *peccatorum sordes abluere valeat: per spiritum, qui terrenos efficere spiritales possit: per ignem, qui ad scelerum spinas comburendas est idoneus*, &c. hæc ille. VII.

Cyrillus Hierosol. edit. Colon. 1564. in præfatione Catecheseos sic ait: *Magnum est sanè propositum hoc Baptisma: Captivitatis liberatio, peccatorum remissio, mors peccati, animæ regeneratio, vestimentum candidum, signaculum sanctum & indelebile, currus ad cœlum, regni cœlestis conciliatio*, &c. VIII.

Idem Catech. 3. eâd. edit. *Qui in aquam*, ait, *descensurus es, non aquæ simplicitati mentem adhibes, sed Spiritus Sancti virtute salutem suscipe, nam sine utrisque ad perfectionem deduci* (NB) *non poteris.* Et infrà: *Si quis non baptizatur, salutem non habet.* Et infrà: *Descendis quidem in aquam ferens peccata, sed gratiæ invocatio signans animam non permittit deinceps ab horrendo illo submergi dracone, mortuus in peccatis descendisti, & ascendis vivificatus in justitia*, &c. *descendens in aquam & quodammodo consepultus illi* (Christo) *sicut ille in petra excitaris.* hæc ille. Ubi hic mentio de sola fide excitante per Baptismum?

Basilius apud Jod. Cocc. tomo 2. Thesauri Catholici fol. 491. Exhortat. ad Baptismum, *At nunc*, inquit, *cum anima tua, quam omni scelere contaminatam reddidisti per* (nota) *Baptismum renovari ac regenerari nunciatur, tantum despicis beneficium, nec ultrò properas*, &c. *Num non tanti muneris rem miram videre desideras? quomodo videlicet absque matre regeneretur homo*, &c. *Baptismus igitur est captivorum & æris alieni remissio* (nota) *peccati mors, animæ regeneratio, amictus splendens, Character indeprehensibilis, &c.* hæc ille. Quorsum hæc, si Baptismus solam fidem excitet, quæ absque eo per conciones perfectiùs excitatur? IX.

Idem lib. de Spiritu S. cap. 14. edit. Antverp. 1568. *Num*, ait, *quia per figuram in Moyse baptizati sumus, ideo protinus exigua est gratia Baptismatis, &c.* & cap. 15. unde hæc gratia sit, dicit: *Itaque, si qua est gratia in aqua, non est ex ipsius aquæ natura, sed ex Spiritus præsentia, &c.* ubi de gratia non dubitat, sed, unde sit, ostendit.

Grego-

d by Google

X. *Gregor. Nazianz.* orat. in S. baptisma ed. Colon. 1576. pluribus encomiis extollit baptisma, & subjungit dicens: *Baptismus omnium Dei beneficiorum praeclarissimum est, & praestantissimum.* Et infrà: *Donum vocamus, gratiam, baptismum, unctionem, illuminationem, immortalitatis indumentum, regenerationis lavacrum, sigillum, &c. donum dicitur, quia iis, qui nihil priùs contulerunt datur; gratia, quia etiam poenae obnoxiis; Baptismus, quia peccatum* (nota) *aqua obrutum sepelitur, &c. Indumentum, quia ignominiae nostrae velamen est. Lavacrum, quia abluit. Sigillum, quia conservatio est & dominii significatio, &c.* & infrà: *Atq; haec Baptismi gratia & facultas est, non orbem terrarum ut olim, aquis obruens, sed uniuscujusq; hominis* (nota) *peccatum purgans; eásq; obstructiones vel maculas, quae vitio contrahuntur, prorsus abstergens, &c.* haec ille. Quomodo clariùs efficacia baptismi proponi posset? ubi inter tot encomia est excitatio ad fidem, vel sigillum de benevolentia divina certitudinaliter assecurans? ùt vult Calvinus.

XI. *Epiphanius* haeresi 8. ed. Bas. 1510. de Epicureorum secta ait: *Illic circumcisio fuit carnalis, quae inservivit usq; ad magnam circumcisionem, hoc est, baptismum, qui circumcidit nos à peccatis; & obsignat nos in nomen Dei, &c.*

Idem in Ancorato, *Aqua, ait, non in uno hominis membro fluunt; sed totum hominis corpus purificant & circumcidunt, & ab omnibus* (nota) *malis liberant, &c.*

XII. *Gregor. Nyssen.* orat. de Bapt. ed. Bas. 1571. sic ait: *Baptisma igitur peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis & regenerationis* (nota) *causa; regenerationem autem intellige eam, quae cogitatione cernitur, oculis non videtur.* Et infrà: *Hoc autem beneficium non aqua largitur (esset enim omni creatura sublimior) sed Dei praeceptum & spiritus, &c.* & infrà volens declarare, qualiter aqua à Deo hanc virtutem habeat, ponit exempla de virga Aaron & aliis, per quae miracula sunt facta, & subjungit: *Haec omnia, cùm materia sint inanimata atq; sensus expertes, postea quam vim Dei accepissent, magnis miraculis media intercesserunt: ac simili consequentia rationum, etiam aqua, cùm nihil aliud sit, quàm aqua, superna gratia benedicente ei, in eam, quae mente percipitur hominem renovat regenerationem. Quid si quis mihi rursus dubitando & ambigendo negotium exhibeat interrogans, quâ ratione aqua regeneret? dicam optimo jure ad eum, ostende mihi modum nativitatis, quae fit secundùm carnem. Dices fortassis: Semen causa hominis effectrix est; audi igitur contrà à nobis, quod aqua, quae benedicitur* (nota) *purgat & illuminat hominem, &c.* haec ille. Quod si baptismus nihil aliud praestet, quàm quod objectivè excitet hominem ad fidem, cur Gregorius tot modis & miraculis causalitatem baptismi demonstrat? qui breviter dicere potuisset, aqua nihil facit, sed solum fides concipitur visa vel susceptâ aquâ, *&c.* ipse autem astruit, quod aqua Dei virtuti subserviat & regeneret, ac regenerationis causa sit.

XIII. *Chrysost.* hom. 39. in Gen. ed. Bas. 1558 ait: *Nam id, quod illic operatur circumcisio in depositionem carnis, hoc hic agit Baptismus* (nota) *in depositione peccatorum.*

Idem hom. ad Neophytos, de baptizatorum donis eâd. ed. sic ait: *Non enim sunt tantum liberi, sed & sancti, non tantum sancti, sed & justi, nec solum justi, sed & filii; nec solum filii, sed & haeredes nec solum haeredes, sed & fratres Christi, nec tantum fratres Christi, sed cohaeredes; non solù cohaeredes, sed & membra; non membra tantum, sed & templum; nec tantum templum, sed organa spiritus, &c. vides, quot sint baptismatis largitates. Sed multis quidem videtur caelestem gratiam in peccatorum tantum remissione consistere, nos autem honores computavimus decem. Hac de causa & jam infantulos baptizamus, ut non sint coinquinati peccato, ut iis addatur* (nota) *sanctitas, Justitia, adoptio, haereditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint omnes, ut spiritus habitatio fiant, &c.* haec ille. Vbi inter tot dona baptismi est excitatio fidei? ecce quid Chrysost. dicat parvulis per baptismum dari; quos Calv. vult illa omnia ab utero matris habere. & tantùm per baptismũ accipere extrinsecum signũ foederis, *&c.*

Cyrillus Alexandr. apologia ad Theodosium ed. Bas. 1566. sic ait: *Justificamur* (NB) *per S. baptisma, mortem Christi annunciantes, & simul resurrectionem ejus confitentes.* XIV.

Idem l. 2. in Joan. c. 24 eâd. ed. *Quemadmodum, ait, viribus ignis intensius aqua calefacta, non aliter quàm ignis urit, sic Spiritus S operatione* (nota) *ad divinam aqua reformamur virtutem, qua baptizati corpus abstergunt, &c.* quomodo clariùs dici posset, quod Spiritus S. per aquas baptismi causet justificationem? sed quid talibus exemplis opus, si solùm objectivè excitent fidem? XV.

Ex praemissis evidentissimè constat, quod SS. Patres Graeci primitivae Ecclesiae idem prorsus de efficacia baptismi docuerint, quod & moderna Ecclesia Catholica: illud autem inhaesit & posterioribus Graecis, licèt in quibusdam ab Ecclesia defecissent. Sufficiat unus Jeremias Constantinopolitanus Patriarcha anno 1580. qui respons. 1. c. 7. sic ait: *Baptisma regenerat spiritu, quia primam qua sub innocentiae statu, generationem amisimus, & in peccatis concepit unumquemq; nostrum mater sua: quibus malis lavacrum divinum subvenit ea expurgans, &c.* haec ille. XVI.

ARTICULUS V.

Eadem de efficacia sacramentorum veritas ex Conciliis & SS. Patribus Latinis probatur.

Concilium Mileuit. c. 2. ed. Col. 1538. sic declarat: *Parvuli, qui nihil peccatorum adhuc in semetipsis committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in ejus regeneratione mundetur, quod regeneratione traxerunt, &c.* ubi hîc locus excitationi fidei? aut quomodo hic subsistet quod vult Calv. l. 4. Inst. c. 16 §. 14. quod scilicet fidelium infantes ideo solùm baptizentur, ut accipiant exterius signum foederis, ab utero matris sanctificati? I.

Concil. Arausicanum 2. can. 25. sic ait: *Hoc etiam secundùm fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, &c omnes baptizati, &c.* ubi manifestè dicitur, quod fides Catholica teneat gratiam per baptismum accipi, *&c.* II.

Martialis circa ann. 100. ep. ad Tholosanos c. 1. Bibl. PP. ed. Colon. 1618. to. 1. pag. 169. *Vos enim, ait, membra ejus* (Christi) & infrà: *Jam enim sanctificati & mundati estis aquâ regenerationis, &c.* Et c. 4. *Adorate Deum & Salvatorem vestrum Jesum Christum, in cujus nomine, nisi quis baptizatus* (nota) *fuerit per aquam regenerationis, salvari non potest,* haec ille. III.

Tertullianus l. de Bapt. c. 4. ed. Paris. 1584. & Basil. 1562. *Omnes, ait, aquae de pristina originis praerogativa sacramentum sanctificationis consequuntur, invocato Deo, supervenit enim statim spiritus de caelis, & aquis superest sanctificans eas de semetipso* (NB) *ita sanctificatae vim sanctificandi combibunt, &c.* IV.

Digitized by Google

V. Idem cap. 15. Hic ergo, ait, scelestissimi illi (Caini) prouocant quæstiones, adeo dicunt, Baptismus non (NB) est necessarius, quibus fides satis est. Nam & Abraham nullius aquæ, nisi fidei sacramento Deo placuit, &c. fuerit salus retro per fidem nudam ante Domini passionem, &c. Lex enim tingendi imposita est, & forma præscripta: Ite, inquit, docete omnes nationes tingentes eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Matt. 28. Huic legi collata definitio illa, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non intrabit in regnum cælorum Joann. 3. Obstrinxit fidem ad baptismi necessitatem; itaq; omnes exinde credentes tingebantur; Tunc & Paulus, ubi credidit, tinctus est, &c. hæc ille. Ecce necessitatem baptismi ad salutem etiam post fidem, & non ad excitandam fidem, &c.

VI. Idem l. de Resurrect. iisdem ed. Caro, ait (NB) abluitur, ut anima emaculetur, &c. quid hoc est aliud, quàm quod baptismus, ut instrumentum à Deo adhibeatur ad sanctificandam animam?

VII. Cyprian. l. 2. ep. 2. Basileæ 1540. per Erasmum, Ego, ait, cùm in tenebris atq; in nocte cæca jacerem, &c. difficile prorsus & durũ pro illis tunc moribus opinabar, quod in salutem mihi diuina indulgentia pollicebatur, ut quis renasci denuo posset, utq; in nouam vitam lauacro (NB) aquæ salutaris animatus, quod priùs fuerat, exponeret, corporis licet manente compage hominem animo ac mente mutaret; qui possibilis aiebam, est tanta conuersio? hæc egomet mecum sæpe, &c. sed postquam undæ genitalis (NB) auxilio superioris æui labe detersa expiatum pectus ac purum se desuper lumen infudit, postquam cælitus Spiritu S. in novum me hominem natiuitas secunda reparauit, &c. quod priùs difficile videbatur geri posse, quod impossibile putabatur, ut esset, agnoscere, &c & Dei esse capisse, quod jam Spiritus S. animaret, &c. hæc ille. Vbi manifestè patet, quod Cyprianus agnoscat à Deo per baptismum factam esse tantam renovationem, &c.

VIII. Idem l. 3. ep. 8. ad Fidum eâd. ed. sic ait: Quantũ vero ad causam infantium pertinet, quos dixisti intra secundum vel tertium diem quo nati sunt, constitutos baptizari non oportere, &c. longe aliud in Concilio nostro omnibus visum est; in hoc enim, quod tu putabas esse faciendum, nemo consensit, sed uniuersi potiùs judicauimus, nulli homini nato misericordiam Dei & gratiam denegandam. Et infrà: Porrò si etiam grauissimis delictoribus, cũ postea crediderint, remissa peccatorũ detur, & à Baptismo & gratia nemo prohibetur; quantò magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nil peccauit, nisi quod secũdùm Adam carnaliter natus contagiũ mortis antiquæ primâ natiuitate contraxit: qui ad remissam peccatorũ accipiendam hoc ipso faciliùs audit, quod illi remittantur non propria sed aliena peccata, &c. hæc Cyprian. Ecce quàm clarè docet parvulos baptizãdos, ut remittatur peccatũ originale! quàm longè hoc à Calv. qui vult tales infantes jã sanctos & liberatos, &c.

IX. Item l. 4. ep. 7. ad Magnum eâd. ed. Cùm, ait, ad aquã salutarem atq; baptismi sanctificationem venitur, scire debemus, & fidere, quia illic diabolus opprimitur, & homo Deo dicatus diuina indulgentiâ liberatur. Nã sicut scorpii & serpentes, qui in sicco praualent, in aquã præcipitati praualere non possunt, aut sua venena retinere, sic & spiritus nequam (qui scorpii & serpentes appellantur) & tamen per nos data à Domino potestate calcantur, permanere non possunt ultra in hominis corpore, in quo baptizato & sanctificato incipit Spiritus S. habitare, &c. hoc deniq; in rebus ipsis exprimitur, ut necessitate urgente in ægritudine baptizati, & gratiam consecuti careant immundo spiritu, quo antea mouebantur, &c. hæc ille. Ad quid illa, si solùm baptismus ad excitandam fidẽ moveat, quam etiã ante baptismum habent, nec tamẽ sic liberantur & sanctificantur juxta Cypriã.

X. Lactant. l. 3. Inst. c. 26. ed. Venet. 1515. Da mihi, ait, virũ, qui sit immundus, maledicus, effrenatus, &c. paucissimis Dei verbis tam placidum, quàm ouem reddam, & infra: Vno enim lauacro omnis malitia aboletur. & infrà: Nemo vereatur nos, aquam non vendimus, nec solem mercede præstamus, Dei fons uberrimus patet cunctis, &c.

XI. Idem l. 7. c. 5. eâd. ed. Quæ ratio docet, inquit, mortalem nasci hominem, postea vero immortalem fieri, &c. quod tũ fit, cùm homo cælesti lauacro (NB) purificatur, exponit infantiã cum omni labe vitæ prioris & incremento diuini vigoris accepto fit homo perfectus, &c. hæc ille.

XII. Ambros. l. 2. de Pœnit. c. 2. ed. Par. 1569. Impossibile, ait, videbatur, ut peccatum ablueret aqua; deniq; Naaman Syrus lepram suam mundari per aquam posse non credidit: sed quod impossibile erat, fecit Deus possibile esse; qui tantam nobis donauit gratiam, &c.

XIII. Idẽ l. 1. de Sacrã. c. 4. eâd. ed. Qui per hunc, inquit, fontem transit, transit à terrenis ad cælestia: Hoc est in Pascha, id est, transitus ejus (NB) transitus à peccato ad vitam, à culpa ad gratiam, ab inquinamento ad sanctificationem, &c.

XIV. Similiter l. de iis, qui mysteriis initiãtur c. 3 eâd. ed. Aqua est, ait, qua caro mergitur, ut omne (NB) abluatur peccatum; sepelitur illic omne vitium.

XV. Idẽ c. 9. ibid. Si superueniens Spiritus S. in Virginem, conceptionem operatus est, & generationis munus impleuit; non utiq; dubitandum est (NB) quod superueniens in fontem, vel super eum, qui baptismum consequitur, veritatem regenerationis cooperetur, &c. hæc ibi.

Ad quid hæc comparatio, si nullatenus per aquam etiam instrumentaliter & moraliter ad minus gratia detur?

XVI. Idem ad c. 22. Luc. eâd. ed. O aqua, ait, quæ sacramentum Christi esse meruisti, quæ lauas omnia, nec lauaris, per te fætor tabidæ carnis abolетur.

XVII. Rursus ad c. 6. ad Rom. eâd. ed. sic ait. Ideo per aquã baptisma celebratur, ut sicut aqua sordes corporis abluit, ita & nos (NB) per baptismũ ab omni peccato spiritualiter purgatos & innouatos credamus, &c.

XVIII. Demũ l. de Jejunio & Helia c. 22. eâd. ed. Nonne, ait, hoc dicit, qui excusat se à baptismate ad quantã gratiam vocaris o homo, purgaris & non exureris; sanaris & non doles; reformaris, sed non dissolueris; ictum mortis non excipis, & resurgis, &c. hæc Ambros.

XIX. Optatus Mileuit. l. 5. contra Parmen. Bibl. PP. ed. Col. 1618. to. 4. pag. 286. A. Baptisma, ait, Christianorum Trinitate confectum, confert (NB) gratiam; si repetatur, facit vitæ jacturam, &c. & infrà C. Quis nesciat singulare baptisma virtutum esse vitam, criminum mortem, natiuitatem immortalem, &c.

XX. Hier. l. 1. Adv. Ruffinum circa finẽ ed. Bas. 1553. Audio, inquit, præterea obijci mihi à Chrysogono sectatore ejus; cur in baptismate dixerim uniuersa peccata dimitti, & mortuo bimarito, nouũ virum in Christo resurgere, &c. audiat nos iterum proclamantes, veterem Adã in lauacro totum mori, & nouum cum Christo in baptismate resuscitari; perire Choicũ, & nasci supercælestẽ, &c. hæc ille, ecce Hieron. responsum ad Acatholicos.

XXI. Idẽ in dial. contra Luciferian. c. 3. ed. Ant. 1579. & Bas. 1553. Neq; enim, ait, aqua lauat animã, sed priùs ipsa lauatur à spiritu, ut alios lauare spiritualiter possit: inquit Moyses, spiritus Domini ferebatur super aquas. Ex quo apparet baptisma non esse sine Spiritu S. &c.

XXII. Rursus ep. 83. ad Oceanũ c. 2. ejusd. ed. Omnia, ait, scorta & publicæ colluuionis sordes impietas in Deũ, parricidium, &c. Christi fonte purgantur, &c. & infrà: Omnia in baptismate cõdonata sunt crimina, &c. & infrà: quantam vim habeat baptisma (NB) & aqua in Christo sanctificata gratiã, paululum post docebo, &c.

Idem

XXIII. Idem ad cap. 13. Zachariæ apud Jod. Cocc. Thel. Cath. tomo. 2. l. 5. a. 4. ait: *Baptismum in Iordanis fluente idcirco quasi pœnitens, cùm esset à peccatis liber, Christus accepi ; ut cæteros doceret mundandos* (NB) *esse per Baptismum, & in filios novâ adoptione generari*, &c. hæc Hieron.

XXIV. Plures alii SS. Patres eadem docent; sufficiat pro coronide *August.* qui lib. 1. contra 2. epist. Pelag. cap. 13. ed. Basil. 1528. *Dicimus*, ait, *Baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre* (nota) *crimina, non radere; nec ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum resecanda peccata*, &c. ubi Augustinus & efficaciam Baptismatis declarat, & errorem Acatholicorum rejicit, qui volunt, quòd peccata in justis non deleantur, sed tantùm tegantur.

XXV. Similiter ibid. lib. 3. cap. 3. eâd. ed. *Baptismus*, ait, *abluit quidem peccata omnia, prorsus omnia, factorum, dictorum, cogitatorum, sive originalia, sive addita, sive quæ ignoranter, sive quæ scienter admissa sunt; sed non aufert infirmitatem cui regeneratus resistit, quando bonum agonem luctatur*, &c.

Ubi etiam refutatur error *Calvini*, qui vult ipsam infirmitatem esse verè peccatum, &c. ut suprà visum est.

XXVI. Similiter loquitur præfatus *August.* ed. Basil. tom. 3. 1528. in Enchridio ad Laurentium cap. 64. dicens: *Excepto Baptismatis munere, quod contra originale peccatum donatum est, ut quod generatione attractum est, regeneratione detrahatur* (hoc Calv. in infantibus fidelium negat) *& tamen activa quoque peccata, quacunque corde, ore, opere commissa invenerit* (NB) *tollit. Hac ergo excepta magna indulgentia unde incipit hominis renovatio, in qua solvitur omnis reatus*, &c.

XXVII. Idem lib. 4. de Bapt. cap. 22. ed. Basil. cit. *Invenio, ait, non tantùm passionem pro nomine Christi id, quod ex Baptismo deerat, posse supplere; sed etiam Fidem conversionemque cordis, si fortè ad celebrandum mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest*, &c. Quomodo clariùs ostendi posset, quòd baptismus justificet vel conferat salutem non excitando Fidem, sed immediatè propter merita Christi? cùm Augustinus dicat, quòd in casu necessitatis, Fides & cordis conversio suppleat, quod alioquin baptismus per se faceret? Hoc expressè ostendit ibid. cap. 24. in parvulis, quibus ostendit prodesse baptismum, licèt Fide careant, idque probat ex simili de circumcisione dicens: *Cur ergo ei præceptum est, ut omnem deinceps infantem masculum octavo die circumcideret, qui nondum poterat corde credere, ut ei deputaretur ad justitiam, nisi quia & ipsum per se ipsum Sacramentum multum valebat?* Hæc ille. Adeóque non excitando Fidem, quæ in parvulis locum non habet.

XXVIII. Huc spectant ea, quæ Aug. tract. 80. in Joann. ed. cit. dicit: quibus Calv. suum errorem confirmatum volebat, ut suprà visum est. Nam ibi August. expressè, ut de Fide certum supponit, quòd baptismus habeat virtutem cor abluendi, & quærit dicens: *unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?* &c. quam habere dicit ex verbo vitæ, non quoad sonum transeuntem, sed ex promissione & virtute Christi, quam per verbum Dei cognoscimus, vel etiam ex verbo vitæ, quo nomen SS. Trinitatis invocatur, unde subdit: *Mundatio nequaquam fluxo & labili tribueretur elemento nisi adderetur in verbo*, &c. Quàm falsò itaque Calv. hinc infert, quòd baptismus nihil faciat, sed solum verbum concionatorium Fidem excitans, *&c.* cùm Aug. expressè supponat in aqua per Christi verbum esse virtutem, & aquæ tribuit mundationem, ùt patet.

Sic & lib. 1. Retract. cap. 7. eâd. ed. asseverat dicens: *Lavacrum regenerationis purgat à reatu omnium peccatorum, quæ humana traxit nativitas, & contraxit iniquitas*, &c.

Demum, quòd *Aug.* juxta mentem antiquæ Ecclesiæ & aliorum SS. PP. senserit: quòd ipsum Sacramentum baptismi ex sua institutione vim salvandi habeat, ipse clarissimè declarat epist. 23. ad Bonifac. eâd. ed. dum in fine de baptismo parvulorum sic ait: *Itaque parvulum, & si nondum Fides illa, quæ in credentium voluntate consistit, jam tamen ipsius Fidei Sacramentum fidelem facit*, &c. & infrà: *Et tantum valebit* (Sacramentum) *ut si ante rationis usum ex hac emigraverit* (NB) *per ipsum Sacramentum commendante Ecclesia charitate, ab illa condemnatione, quæ per unum hominem intravit in mundum, Christiano adiutorio liberetur* (contra Calvin. qui vult, quòd à matris utero liberatus sit) *hoc* (NB) *qui non credit, & fieri non posse arbitratur, profectò infidelis est; & si habeat Fidei Sacramentum; longèque melior est ille parvulus, qui etiamsi Fidem nondum habeat in cogitatione, non ei tamen obicem contrariæ cogitationis opponit, unde Sacramentum eius salubriter percipit*, &c. hæc Aug. ubi clarè profitetur, quòd de Fide certum sit, 1. Sacramentum baptismi mundare parvulum ab originali peccato sine Fide ipsius; & qui hoc negat, infidelis sit. 2. quòd Sacramentum conferat suum effectum illi, qui non ponit obicem peccati, quod maximè detestantur Acatholici. XXIX.

CONCLVSIO.

HÆc SS. PP. doctrina adeò clara est, ut ipse Calv. lib. 4. Inst. c. 14. §. 17. suprà allegatus fateatur SS. Patres, quos *veteres* appellat, *ad amplificandam Sacramentorum dignitatem magnificentiùs scripsisse.* & §. ult. dicere audet: *Porrò istos miseros Sophistas deceperunt immodica etiam illa Sacramentorum encomia, quæ de signis nostris apud veteres leguntur, quale est illud Augustini, quod veteris legis Sacramenta Salvatorem tantùm promittebant, posteà verò dabant salutem. Has & similes dicendi figuras, quia non adverteret hyperbolicas esse, & ipsi hyperbolica sua dogmata promulgarunt*, &c. hæc ille. I.

Consideret autem candidus Lector omnia SS. PP. verba, & videat, an hyperbolicè tantùm loqui voluerint, ut nihil tribuerint Baptismi Sacramento ex institutione Christi, licèt Fides in parvulis non adsit, & licèt fides in adultis requiratur, non tamen per ipsam Fidem (ut vult Calv.) sed per ipsum Sacramentum in virtute meritorum Christi ex Dei voluntate peccata tollantur & gratia donetur. Et qui hoc negant, infideles sint, ùt S. Augustinus jam allegatus profitetur. II.

Patet etiam ex præmissis, quòd falsa & injuriosa sit Calvini calumnia, quâ Ecclesiæ imponit: quòd, dum asserit per Sacramenta conferri gratiam; homines à Christo ad muta elementa retrahat, & Sacramentis tanquam plaustris inclusis virtutem assignet, quâ vices Dei agant, *&c.* profitetur enim Ecclesia, quòd omnis virtus Sacramenti sit ex solis meritis Christi, & quòd Deus seu Spiritus S. sit primarius efficiens per Sacramenta, ut mera instrumenta, gratiam conferens, & peccata remittens; adeóque per externa signa ad Christum & Deum reducantur: sicut olim III.

Digitized by Google

quòd in illius authoritate & Fide fiat; ſic etiam poſſet aliquis baptizare in nomine & authoritate ſanctiſſimæ Trinitatis, non exprimendo illa verba: veruntamen quòd talia verba in Baptiſmo exprimenda ſint, & hoc Chriſtus in ſacra Scriptura intenderit efficaciter, probatur ex traditione Apoſtolica ſeu verbo Dei tradito, quod nobis conſtat ex unanimi ſanctorum Patrum doctrina à tempore Apoſtolorum, ex quibus aliquos proferemus.

IV. *Iuſtinus Martyr* Apologiâ ad Antoninum pium editione Heidelbergenſi ex typograph. Hieronymi Commelini 1593. circa finem ſic ait: *Deinde* Catechumeni *eò adducuntur, ubi eſt aqua, atque eo generationis modo, quo ipſi regenerati ſumus, regenerantur: nam in nomine cunctarum rerum Parentis & Servatoris noſtri Ieſu Chriſti, & Spiritûs Sancti in aqua tum lavantur.* & infrà: *Parentis rerum omnium & Domini Dei nomen nominatur, atque id ipſum ſolum* (NB) *lavaturum iſtum ad lavacrum ducentes, invocamus*, &c. hæc ille.

V. *Martialis* circa annum 100. Epiſtolâ ad Tholoſanos cap. 4. Bibl. PP. editione Colon. 1618. tomo 1. p. 169. ait: *Adorate Deum & Salvatorem veſtrum, in cuius nomine, niſi quis baptizatus fuerit per aquam regenerationis, ſalvari non poteſt.*

VI. *Tertullianus* lib. de Baptiſmo cap. 4. edit. Pariſ. 1584. & Baſil. 1562. dicit: *Omnes aquæ de priſtina originis prærogativa Sacramentum ſanctificationis conſequuntur invocato Deo*, &c.

VII. *Cyprianus* ſermone de Baptiſmo edit. Antwerp. 1568. ſic ait: *Verborum ſolemnitas & ſacri invocatio nominis & ſigna inſtitutionibus Apoſtolicis ſacerdotum miniſteriis attributa, viſibile celebrant Sacramentum; rem vero ipſam Spiritus Sanctus format*, &c.

VIII. *Athanaſius* ſermone 3. contra Arianos circa medium editionis Pariſ. 1581. *Cur*, ait, *dum initiamur Baptiſmate unà cum Patre, Filii quoque nomen recenſetur? Nam, ut Pater ſit inſufficiens, neſaria vox eſt*, &c. *ſed quia ſunt unius indiviſæ ſubſtantiæ.*

IX. *Gregorius Nyſſenus* lib. de Baptiſmo, editione Baſil. 1571. ita ait: *Omitte mecum confligere, & oppone te, ſi potes Domini vocibus* (NB) *quæ invocationem & cognominationem Baptiſmatis hominibus inſtituerunt. Et quæ ſunt verba Dominici præcepti? baptizantes eos in nomine Patris*, &c.

X. *Cyrillus Hieroſolymitanus* Catecheſi 3. editione Colon. 1564. *Aqua*, ait, *ſimplex per Sancti Spiritûs, Chriſti & Patris invocationem acceptâ virtute ſanctitatem conſequitur.*

XI. *Baſilius* edit. Antwerp. 1568. de SpirituSancto, cap. 15. *Tribus igitur*, inquit, *demerſionibus, ac totidem invocationibus magnum Baptiſmatis myſterium peragitur*, &c.

XII. *Ambroſius* lib. 2. de Sacramentis, cap. 5. edit. Pariſ. 1569. *Venit ſacerdos*, ait, *precem dicit ad fontem, invocat Patris nomen, præſentiam Filii & Spiritûs Sancti, utitur verbis cœleſtibus, quæ Chriſti ſunt, quod baptizemus in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.*

XIII. *Hieronymus* lib. contra Luciferianos, cap. 3. edit. Antwerp. 1579. & Baſil. 1553. ſic ait: *Cùm in Patre & Filio & Spiritu Sancto baptizatus homoq; templum Domini fiat, cùm veteri æde deſtructâ novum Trinitatis delubrum ædificetur; quomodo dicis, ſine adventu Spiritus Sancti apud Arianos peccata poſſe dimitti?* hæc ille.

XIV. *Auguſtinus* lib. 6. de Baptiſmo contra Donat. cap. 25. edit. Baſil. 1528. loquens de iis, qui ex errore preces vitioſas Baptiſmo adjungerent, dicit: *Plerumque precis vitium ſuperat precantis affectus, & quia certa illa Euangelica verba* (NB) *ſine quibus non poteſt Baptiſmus conſecrari tantum valent, ut per illa ſic evacuentur, quæcunque in prece vitioſa contra regulam Fidei dicuntur, quemadmodum dæmonium Chriſti nomine excluditur.* Et infrà: *Si autem ipſe malus eſt atque perverſus, ſi precem integram dicat, & nulla ex parte Fidei Catholicæ adverſam, non ideo ipſe rectus eſt, quia illa recta eſt; & ſi in aliquibus perverſam precem adferat, Deus adeſt verbis Euangelicis ſuis* (NB) *ſine quibus Baptiſmus Chriſti conſecrari non poteſt, & ipſe ſanctificat Sacramentum ſuum.* Vbi per verba Euangelica intelligit, ùt patet ex verbis ipſius lib. 3. de Baptiſmo cap. 15. quæ infrà recitabuntur; *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c.

XV. Hæc autem clariſſimè conſtant ex *Concilio Nicæno* can. 19. ubi permittit Arianos & alios hæreticos baptizatos ſine novo Baptiſmo recipi; at verò Paulianiſtas ad Eccleſiam redeuntes jubebat rebaptizari, ùt etiam teſtatur Hieronymus in Dialogo extremo contra Luciferianos edit. Baſil. 1553. dicens: *Synodus quoque Nicæna omnes hæreticos ſuſcepit*, &c. *exceptis Pauli Samoſateni diſcipulis*, &c.

XVI. Idipſum etiam ſtatuit *Concilium Laodicenum* can. 8. edit. Baſil. 1538. quòd Cataphryges rebaptizari deberent.

XVII Similiter *Concilium I. Arelatenſe* can. 8. eâdem edit. Arianos prohibuit rebaptizari, &c. cujus diverſitatis hæc erat cauſa, quia, etſi *Ariani, Eunomiani* & alii hæretici negarent conſubſtantialitatem Patris & Filii, tamen in Baptiſmo utebantur conſuetâ formâ & verbis Chriſti, ſcilicet, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Pauli verò diſcipuli & cataphryges his verbis non utebantur, adeóque Concilia ex Apoſtolica traditione ſuppoſuerunt iſta verba in Baptiſmo neceſſariò eſſe adhibenda.

XVII Hoc ipſum clarè exprimit D. Auguſtinus lib. 3. de baptiſmo cap. 15. edit. Baſil. 1528. dicens: *Si Euangelicis verbis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti Marcion Baptiſmum conſecrabat, integrum erat Sacramentum, quamvis eius Fides ſub iisdem verbis aliud opinantis, quam Catholica veritas docet, non eſſet integra; ſed fabuloſis falſitatibus inquinata. Nam ſub iisdem verbis* (id eſt) *In nomine Patris & Filii*, &c. *non ſolùm Marcion aut Valentinus, aut Arius, aut Eunomius, ſed ipſi carnales parvuli Eccleſiæ, ſi poſſent ſinguli diligenter interrogari, tot diverſitates opinionum fortaſſis, quot homines numerarentur*, &c. *nunquid tamen ideo non integrum Sacramentum accipiunt?* hæc ille.

***

ARTICULUS IX.

Ex præmissis ostenditur veritas Catholica de verbo Sacramentorum consecratorio, & falsitas Acatholicorum de verbo concionatorio.

I. EX his Conciliorum & SS. Patrum testimoniis tria clarissimè patent.

Primò, quod in Baptismo certa verba à Christo ordinata exprimi debeant, scilicet: *In nomine Patris, &c.* hoc etiam admittunt & practicant Acatholici.

2 Quod illa *verba sint consecratoria Baptismi*, scilicet, quibus invocatur SS. Trinitas, & sacramentum integrum efficitur, ùt patet. Hoc ipsum negant Acatholici cum Calvino lib. 4. cap. 14. §. 4. blasphemè dicentes, quod verba Latinè ad Baptismum adhibita, quæ à populo non intelliguntur, sint velut magicæ incantationes; cùm tamen sancti Patres asserant, Christum instituisse illa verba in Baptismo exprimenda, ac proinde licèt non intelligantur à populo, tamen ex Christi instituto valent & sacra sunt.

II. 3 Ex iisdem evidens est, quod ad sacramenti valorem non requiratur verbum concionatorium, quo exponatur virtus & mysterium Baptismi, licèt enim in adultis talis instructio præmitti debeat, non tamen essentialiter ad valorem sacramenti requiritur, ut patet in Baptismo parvulorum, & ex testimoniis Conciliorum & sanctorum Patrum, qui non inquisierunt, an illi, qui ab hæreticis baptizati fuerant, essent de veritate doctrinæ Christianæ bene instructi, scilicet de mysterio sanctissimæ Trinitatis, cùm contrarium illis constaret, quod falsò instructi essent; adeoque si per verbum sacramentale vel ad Baptismum necessarium intelligeretur verbum verum concionatorium, utique omnes isti hæretici erant rebaptizandi, quod Concilia & sancti Patres negant; si modo verbis Christi Euangelicis in baptismo usi fuissent, licèt malè ab ipsis intellectis.

III. Ex his etiam patet, quàm falsò Calvinus ibid. postquam verba aliqua Augustini pro verbo concionatorio adduxerat, subdat dicens: *Nec est, quod in hac probatione laboremus, quando minime obscurum est, quid Christus fecerit, quid nobis facere mandarit, quid secuti sint Apostoli, quid purior Ecclesia observarit, &c.* hæc ille.

IV. Sed falsitas manifesta est, quia Calvinus non legit in S scriptura, quod Christus ante Baptismum concionem præmiserit de mysterio baptismi. Et si subinde Apostoli id fecerint, & faciat Ecclesia, non legit Calvinus, quod Christus mandarit concionem talem necessariò ad valorem sacramenti esse præmittendam; nec hoc ab Apostolis traditum ostendit; nec similiter, quod Ecclesia antiqua hoc crediderit & docuerit, ipse probavit. Contrarium enim patet ex Conciliis & SS. PP. prædictis, ac ex ipsius Calvini confessione, qui, prout suprà ostensum est, fatetur, baptismum in Ecclesia Catholica Latinis verbis, sive adultis, sive parvulis sine concione collatum esse validum, & non reiterandum, quando ab Ecclesia deficiunt; quod tamen faciendum esset, si ob defectum verbi concionatorii quod ipse putat esse sacramentale, baptismus non valeret, sicut olim sancti Patres baptismum sine forma verborum *in nomine Patris, &c.* reiterandum judicarunt. Unicus est Augustini locus, ex quo Calvinus totum suum errorem de verbo concionatorio probatum putat scil. Tract. 80. ed. Basil. 1528. in Joann. ubi cùm August. dixisset: *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum*; subdit: *Unde ista virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat: nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur. Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens: hoc est verbum fidei quod prædicamus. Unde in actu Apostolorum legimus: Fide mundans corda eorum; & in epistola sua B. Petrus: Sic & vos Baptisma salvos facit, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio, hoc est verbum fidei, quod prædicamus; quo sine dubio, ut mundare possit, consecratur & Baptismus, &c.* hæc Augustin. Ex quo Calvinus vult, quod ubicunq; de verbo sacramentali fit mentio, intelligi debeat promissio divinæ benevolentiæ, quæ clarâ voce à ministro prædicatur, *&c.* sed V.

Respondetur: verba D. Augustini plurimi Doctores satis clarè & abunde explicarunt, quæ vera & sancta sunt, sed doctrinæ Calvini nullatenus suffragantur, quod breviter declaratur. Quia Augustinus ibi non dicit expressè, quod verbum concionatorium, præsertim de certitudine divinæ benevolentiæ, necessariò requiratur ad valorem baptismi, & quod non sit aliud verbum sacramentale, quo baptismus perficiatur, & sine quo baptismus invalidus sit, cùm contrarium constet ex verbis ipsius Augustini suprà allegatis, ubi dicit, quod licèt baptizans ex errore suo vitiosas preces adhibeat, vel etiam Arianus, vel Marcionista aliter sacramentum explicet, & falsum verbum de SS. Trinitate prædicet, si tamen verba Euangelica Christi in baptismo adhibeat, sacramentum perficiatur ac conferatur, ac virtutem suam habeat, quæ Calvinus negat. VI.

Intentio itaque D. Augustini est, quod aqua baptismi virtutem quidem habeat sanctificandi & cor abluendi, quod Calvinus negat; non tamen illam habeat ipsa aqua ex sua natura, nec etiam verbum, quod accedit ex suo naturali sono vel significatione ab hominibus instituta aquæ illam virtutem tribuat, sed quatenus est verbum Christi, tum ab ipso prædicatum, tum ab ipso institutum, ut significat mysteria spiritualia sola fide perceptibilia de sanctissima Trinitate, & ex ipsius voluntate confert gratiam, quâ homo baptizatus salvus fiat; quod indicat Augustinus per id, cùm dicit de verbo: *Non quia dicitur, sed quia creditur: nam & in ipso verbo, aliud est sonus transiens, aliud virtus manens*; id est, in quantum credibile est, gratiam Christi significans & conferens, & hoc etiam generaliter fiat per verbum Christi prædicatum; quia fides Christi est principium omnis salutis, quæ actualis per auditum verbi Dei habet initium, licèt habitualis in parvulis non sit per auditum, sed per virtutem Christi, etiam in verbo Trinitatis baptismo collatam. Scopus enim D. Augustini ibid. erat, exponere illa verba Christi Joann. 15. v. 3. *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Ex quibus ostendere voluit, quod omnis salus & mundatio proveniat ex verbo Christi; non quoad sonum exteriorem, sed quoad significationem spiritualem VII.

Digitized by Google

tualem & virtutem ex Chriſti virtute & gratia procedentem, & per verbum ipſius manifeſtatam. Sed hæc nihil obſtant, quo minùs verba invocatoria ſanctiſſimæ Trinitatis à Chriſto inſtituta ſint verbum ſacramentale, & cum aqua cor mundent, quin potiùs hoc ipſum Auguſtinus ſupponit, ſed originem oſtendit illius virtutis.

VIII. Demum: quomodo ex verbis Auguſtini, Calvinus deducet, quod verbum ſacramentale ſit ſolum concionatorium ſpeciale, quo baptizatus certitudinaliter aſſecuretur de benevolentia Dei, ipſi ab æterno promiſſa? cùm hæc falſa ſint, & ſuprà oſtenſum ſit eſſe contra verbum Dei; & in Baptiſmo parvulorum locum non habere pateat? 2. quomodo per illud verbum concionatorium benevolentiæ Dei conſecratur Baptiſmus, ùt mundare poſſit, quod aſſerit Auguſtinus, cùm Calvinus neget, quod Baptiſmus conſecretur vel mundet, ſed velit, quod Baptiſmus ſolùm ſit ſigillum, quo aſſecuretur baptizatus de munditie per fidem antea acquiſita? &c.

IX. Videat ergo candidus lector, quàm falsè & incongruè ex his Auguſtini verbis totam ſuam doctrinam Calvinus probatam voluit. Sicut autem jam ex S. ſcriptura, & præſertim ex Dei verbo tradito oſtenſum eſt, quod ad ſacramentum baptiſmi requirantur certa verba conſecratoria, in ſenſu ad minus æquivalenti eadem, & non concionatoria, ita etiam de ſingulis ſuo loco oſtendetur.

CAPUT II.

De Efficacia Sacramentorum novæ Legis.

ARTICULUS I.

Proponitur ſententia Acatholicorum.

I. ETſi Acatholici tam Lutherani, quàm prætensè Reformati multùm videantur tribuere ſacramentis dignitatis, efficaciæ, & virtutis; in re tamen omnino illis derogant. Et quidem *Lutherus* in initio id rotundè profeſſus eſt, ut patet ex lib. de Capt. Babyl. cap. de baptiſmo Anno 1528. edito, ubi ſic ait: *Baptiſmus neminem juſtificat, nec ulli prodeſt, ſed fides in verbum promiſſionis, cui additur Baptiſmus, hæc enim juſtificat.* Similiter in aſſertione 1. articuli anno 1521. ſic ait: *Nos dicimus, nec novi, nec veteris Teſtamenti ſacramenta, ſed ſolam fidem juſtificaſſe.* Imo ibid. in aſſertione articulorum à Leone X. damnatorum art. 1. ſic auſus eſt pronunciare dicens: *Hæretica, ſed uſitata eſt ſententia, ſacramenta novæ legis dare gratiam non ponentibus obicem, &c.* hæc ille. Verum poſtea convictus argumentis S. ſcripturæ & ſanctorum Patrum verbotenus ſententiam mutavit in homilia 1. de Baptiſmo 1535. edita ſic dicens: *Ad hoc inſtitutus eſt Baptiſmus ut nobis ſerviat, nobis proſit, nobis donet non carnale aliquid vel corporale, ſed æternam vitam, æternam munditiem & ſanctitatem, &c.* & iterum: *Tantam virtutem & energiam habet Baptiſmus, ut homo, qui in peccatis conceptus & natus eſt, regeneretur coram Deo, & qui antea ad mortem erat damnatus, jam ſit filius Dei*, &c.

II. Hanc poſteriorem Lutheri ſententiam vel potius dicendi modum ipſius ſectatores ſervant, ut inter alios Kemnitius in 2. parte exam. pag. 101. ſic dicens: *Sacramenta ſunt cauſæ inſtrumentales, ita quod per illa media ſeu organa Pater vult gratiam ſuam exhibere, donare, applicare; Filius meritum ſuum communicare credentibus, Spiritus Sanctus efficaciam ſuam exercere ad ſalutem omni credenti*, &c. hæc ille.

III. *Calvinus* etiam ſimili modo loquitur, ut in Antid. Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 5. ſic dicens: *Semper memoria repetendum eſt, ſacramenta nihil quàm inſtrumenta eſſe conferendæ nobis gratiæ*, quod expreſſiùs profitetur can. 6. dicens: *Si qui ſunt qui negent ſacramentis contineri gratiam, quam figurant, illos improbamus, &c.* hæc ibi.

IV. Quæ omnia verbotenus videntur planè Catholicæ doctrinæ conformia; verùm in re totaliter diſcrepant, ut patet, dum efficaciam Sacramentorum Acatholici explicant, volentes illam nullam eſſe aliam; quam, *quod Sacramenta ſolum objectivè moveant ſuſcipientem ad excitandam vel augendam fidem, quæ ſola juſtificet, ſicut & verbum prædicatum illam excitat.*

V. Sic enim Calvin. ibid. can. 5. & 8. explicat, quod ſacramenta cauſent inſtrumentaliter gratiam. Idem profitetur lib. 4. Inſt. cap. 14. §. 6. dicens: *Sacramenta igitur exercitia ſunt, quæ certiorem verbi Dei fidem faciunt, &c.* & infrà: *Hac ratione Auguſtinus ſacramentum, verbum viſibile nuncupat; quod Dei promiſſiones velùt in tabula depictas repræſentet*, & clariùs ibid. §. 17. ſic ait: *Quamobrem fixum maneat, non eſſe alias ſacramentorum, quàm verbi Dei partes; quæ ſunt offerre nobis ac proponere Chriſtum, & in eo cæleſtis gratiæ theſauros.* Et infrà: *Sacramenta enim (ut ſuprà attigimus) id ſunt nobis à Deo, quod ab hominibus rerum lætarum nuncii, vel arrha in pactis ſanciendis, &c.* ubi fatetur ſe à ſanctorum Patrum ſententia alienum, quos erroris damnat dicens: *Cavendum præterea, ne in errorem hujus affinem nos abducant, quæ ad amplificandam Sacramentorum dignitatem, paulò magnificentiùs à veteribus ſcripta ſunt.* Et infrà: *Quum hoc tantum illis divinitus injunctum ſit munus, teſtificari nobis, ac ſancire Dei in nos benevolentiam, &c.* Et hoc unicum munus à veteribus prætermiſſum fatetur ibid dicens: *Interim illud tollitur figmentum, quo juſtificationis cauſa, virtuſq; Spiritus Sancti elementis ſeu vaſculis ac plauſtris includitur, & præcipua illa vis quæ ab aliis prætermiſſa fuit, diſerte explicatur*, &c. hæc ille. Ubi etiam falſum quæſtionis inter Catholicam Eccleſiam & ſuos ſtatum format dicens: *Tantum hîc quæritur, propriâne & intrinſeca (ut loquitur) virtute operetur Deus, an externis ſymbolis reſignet ſuas vices, &c.* ubi falſiſſimam & iniquiſſimam Catholicæ Eccleſiæ affingit ſententiam, quaſi ſacramenta à Deo accipiant talem virtutem, ut tanquam principalis cauſa loco Dei gratiam operentur. Contrarium patebit.

Etſi

Etsi autem tam variè Acatholici de efficacia sacramentorum loquantur, & verbotenus magnam illis assignent dignitatem & efficaciam, ut eodem §. 17. Calvinus loquitur, in re tamen negant, quod illa gratiam conferant, sed hoc munus soli fidei tribuunt, idque etiam in falso sensu.

VII. Est enim fundamentalis ipsorum opinio, quod in justificatione vel sanctificatione duo potissimùm conveniant, scilicet Deus & homo; ut Deus sit quasi offerens & porrigens homini gratiam, quam per verbum promissionis vel per sacramenta homini offerat, & per hæc homo excitetur ad fidem, homo autem sit accipiens & apprehendens hanc gratiam per fidem, quasi per manum, quæ per verbum Dei & sacramenta excitata apprehendat Dei benevolentiam & favorem, quò certò & infallibiliter homo credat se esse in Dei gratia & favore, quod suprà refutatum est. Ipsi autem nullam agnoscunt gratiam animæ à Deo infusam, quâ formaliter justificetur; hoc quoque suo loco agendo de justificatione, refutatum est; hîc verò de vera sacramentorum efficacia agemus.

ARTICULUS II.

Proponitur sententia Ecclesiæ Catholicæ.

I. CAtholica doctrina proponitur in decreto Eugenii in instructione Armenorum § quinto, ut habetur in Concilio Florent. ubi sic de sacramentis veteris & novi Testamenti dicitur: *Illa non causabant gratiam, sed eam solùm per passionem Christi dandam esse figurabant: hæc vero nostra & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt, &c.* hæc ibi.

II. Quod aliqui DD. exponunt de sacramentis veteris legis per Moysen institutis; ita ut excipiant circumcisionem, de qua Christus dicit Joan. 7. v. 22. *Propterea dedit vobis Moyses circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex patribus, &c.* & sic D. *Augustinus* variis locis sensit, præsertim lib. 4. de Bapt. cap. 24. ed. Basil. 1528. ubi efficaciam baptismi probat ex circumcisione. Aliqui tamen Patres videntur aliter sensisse, adeoque plures recentiores, id etiam de circumcisione negant; sed de hoc nihil de fide certum est, nec à Conciliis determinatum; sicut de sacramentis novæ legis definitum est.

III. De his similiter Concil. Trid. sess. 7. can. 5. 6. & 8. cujus verba suprà relata sunt, determinat; ubi anathema dicitur iis; qui dicunt sacramenta propter solam fidem nutriendam esse instituta; vel qui negant sacramenta novæ legis continere gratiam, quam significant, aut gratiam non ponentibus obicem conferre, aut qui dixerint per sacramenta novæ legis ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam

IV. sufficere, *&c.* Hanc autem sacramentorum efficaciam esse instrumentalem declarat idem Concil. ibid. sess. 6. cap. 7. loquens de justificationis causis, ubi dicit: *quod efficiens causa sit piissimus Deus, meritoria autem Christus* Jesus, *qui sua passione nobis justificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit; instrumentalis item, sacramentum Baptismi*, &c.

V. Pro doctrinæ Catholicæ intelligentia.

Sciendum primò, quod in multis fidei articulis certum sit, quod sint credendi quoad substantiam, sed modi aliqui, qualiter talia mysteria existant, de fide certi non sint, ùt patet in mysterio SS. Trinitatis, Incarnationis, & aliis, ubi salva fide inter Doctores disputari solet de variis modis illorum.

VI. *Sciendum* 2. quod quoad efficaciam sacramentorum aliqua sint de fide certa, & ab omnibus Catholicis unanimiter credantur; utpote primò, quod sacramenta novæ legis seu symbola externa non habeant ex se ullam virtutem, quâ vel physicè vel moraliter conferant gratiam sanctificandi. 2. quod nec talem virtutem à Deo habeant principalem sicut aliæ causæ secundæ, ut ignis respectu caloris. 3. quod habeant certam virtutem conferendi gratiam ex Dei institutione & promissione, quam conferant suscipientibus, qui obicem non ponunt indignitatis vel defectus eorum, quæ Christus Dominus requisivit; ita ut, licèt homo aliter non cooperetur, sed prædicto modo sit dispositus, tunc gratia per sacramenta illi conferatur à Deo. 4. quod Deus sit, qui physicè gratiam suscipienti infundat, cùm sacramentum suscipitur, ita ut Deus ex sua voluntate & ordinatione in hac gratiæ infusione, sacramento tanquam instrumento utatur, quatenus ad positionem sacramenti gratiam conferat per sacramentum significatam.

VII. *Sciendum* 3. quod hîc modus sufficiat, ut sacramentum sit & verè dicatur instrumentum morale Dei ad causandam gratiam. Similiter etiam sacramentum dicatur habere virtutem conferendi gratiam moraliter, quia Deus ex sua ordinatione ad illius susceptionem gratiam tribuit, ita ut verè ex eo, quod aliquis sacramentum suscipit, gratiam à Deo accipiat; & hoc modo sacramenta sunt causæ instrumentales, respectu Dei efficientis gratiam.

VIII. *Sciendum* 4. quod sacramenta etiam sint causæ instrumentales respectu passionis Christi meritorum; quia scilicet Christus pro nobis passus meruit gratiam, ac proinde sic Christus est causa principalis meritoria gratiæ; qui voluit gratiam per sua merita obtentam per sacramenta conferre vel applicare fidelibus tanquam per sua organa & instrumenta, ut tota ratio causandi sacramentorum dependeat in genere meritorio à meritis Christi.

IX. *Sciendum* 5. quod hæc sufficiant ad rationem veræ causæ instrumentalis moralis omnes Catholici fatentur, & patet ex eo; quia passio Christi est vera causa moralis justificationis fidelium; nec tamen physicè causat, cùm tot annis desierit esse: Meritum etiam est & dicitur causa præmii, licèt transierit physicè, dum præmium datur. Multò magis aliquid existens & præsens potest esse causa instrumentalis moralis ex voluntate efficientis. Id similiter ex instrumentis naturalibus probari potest: nam serra est verè instrumentum naturale artificis in secando, non tamen aliud facit, quam quod recipiat aliquem motum prævium ab artifice respectu sectionis. Motus etiam dicitur instrumentum respectu termini, quia est quid prærequisitum ad terminum vel effectum; & universa-

Digitized by Google

versaliter Doctor subtilis Joannes Duns Scotus in 4. dist. 1. q. 5. n. 12. ex doctrina Philosophi ostendit, quod omnis dispositio necessitans naturaliter ad formam; quæ non est ratio receptivi, dici possit causa instrumentalis respectu formæ; & sic etiam in genere moris id, quod ex voluntate agẽtis præmittitur vel requiritur ad agendum, instrumentum dicitur; prout Aug. in ps. 63. ad vers. 2. ed. Bas. 1528. de Judæis dicit: *Non dicant Judæi, non occidimus Christum.* Et infrà: *Vos, O Judæi, occidistis, unde occidistis? gladio linguæ, & quando percussistis, nisi quando clamastis, crucifige, crucifige: &c.* & clarissimè patet ex illo 2. Reg. 12. v. 9. ubi dicitur ad David: *Vriam Hethæum percussisti gladio, &c. & interfecisti eum gladio filiorum Ammon, &c.* scilicet, quia ex suo mandato Joab Uriam exposuit interfectioni Sic generaliter quilibet mandans vel consentiens in actum dicitur causa moralis illius: hoc modo Deus volens certitudinaliter uti sacramentis ad conferendam gratiam, illa, ut causas instrumentales instituit. Hæc est communis Doctorum sententia.

X. An autem Deus in administratione sacramentorum, ipsis aliquam physicam virtutem transeuntem tribuat, quâ physicè instrumentaliter efficiant gratiam, vel aliquem effectum prævium ad illam? aut an Deus per suam omnipotentiam sine impressione alicujus virtutis physicè utatur signis sacramentalibus per potentiam aliquam obedientialem, ut aliqualiter etiam physicè attingant & producant gratiam Deo supernaturaliter movente & operante? de his nihil Ecclesia unquam decrevit; sed sunt tantùm probabiles aliquorum Doctorum sententiæ, quas alii Doctores salvâ fide improbant. At verò in prædictis omnes conveniunt, & in illis Acatholici dissentiunt, licèt verbotenus dicant: sacramenta esse causas instrumentales gratiæ, vel quod contineant & conferant gratiam;

XI. negant enim primò, quod Deus ad susceptionem sacramenti conferat homini gratiam internam, imo nec benevolentiam internam, sed volunt, quod gratia externa seu Dei benevolentia ab æterno sit præparata, ut Calvinus; & sacramentum solum testetur illam benevolentiam.

2. Quod sacramenta solum suscipientem excitent, ut fide certâ credat, se jam esse in gratia, vel ut augeatur gratia, ita ut sacramenta nullatenus gratiam illam causare dici possint.

3. Ideo volunt, quod baptismus infantibus nullam gratiam conferat, sed quod infans ex fideli progenitus (ùt ait Calv. l. 4. Inst. c. 16. §. 24. *Qui hæreditario jure, secundum promissionis formulam jam à matris utero, in fœdere continetur, Baptismum in signum fœderis solum accipiat.*

XII. Rursus pro intelligentia illius termini, quo utitur Concilium Trident. suprà can. 8. *Quod sacramenta conferãt gratiam ex opere operato*; prout etiam illo usus est Innoc. 3. l. 3. de Mysterio Missæ, & communiter omnes Doctores, sciendũ est: quod, etsi gratia omnis à solo Deo detur ex meritis passionis Christi, tamen hominibus ex Dei ordinatione dupliciter potissimùm applicetur & detur. Primò per certa signa seu sacramenta à Deo instituta cum certis requisitis ex parte suscipientis; scilicet ut suscipiens non ponat obicem per incredulitatem vel peccatum; adeoq; adultus suscipiens sacramentum credere & sperare debet, & cætera agere, quæ tanquam dispositiones in ipso requiruntur, ut declarat Concil. Trid. sess. 6. c. 6. sed tales dispositiones non concurrunt activè ad gratiam sacramentalem nec physicè, nec moraliter; sic autem homini disposito, si sacramentum baptismi suscipiat, Deus per merita Christi, ut causam principalem meritoriam, & per sacramentum ùt causam instrumentalem infundit gratiam, ita ut per illa sacramenta applicata ex Dei ordinatione, & ex merito Christi gratia detur, & nõ ex merito illius, qui baptizat, vel qui baptizatur; quod vocatur *opus operantis*, & sic administratio sacramenti dicitur *opus operatum*, quod scilicet sine merito operãtis, sed ex opere Christi operato gratiam confert. Cùm verò homo justificatus majorem gratiam ex opere bono consequitur, etiam principaliter per merita Christi; tunc dicitur gratia dari ex opere operantis, eò quod operans in tali opere, licèt minùs principaliter, mereatur.

Et hæc distinctio clarè patet in parvulis baptizatis, in quibus nullus est actus, quo ipsi credant, vel aliquid mereantur vel cooperentur, ut per illam gratiam consequi dicantur; sed à Deo ex meritis Christi per sacramentum baptismi gratia infunditur, scilicet per opus operatum in administratione sacramenti ex Dei promissione, & non ex ullo opere ullius operantis. XIII.

Etsi autem SS. Patres his formalibus terminis non sint usi, rem tamen ipsam docuerunt; ùt patet ex D. Augustino lib. 4. contra Cresconium Grammat. cap. 16. ed. Basil. 1528. ubi dicit: *Non eorum meritis, à quibus ministratur, neq; eorum, quibus ministratur, constat Baptismus, sed propriâ sanctitate atq; veritate propter eum, à quo institutus est.* Similiter l. 4. de Bapt. c. 24. eâd. ed. ait: *Ipsum per se ipsum sacramentum multum valebat, &c.* Vt autem hæc clariùs exprimerentur, DD. & ipsa Concilia hujusmodi verbis utuntur contra Acatholicos, qui verbotenus dicunt, Sacramenta conferre gratiam, sed in re, Sacramentis nihil secundùm se tribuunt, sed operi operantis, scilicet fidei suscipientis. Sic etiam olim SS. Patres vocem *consubstantialitatis* Filii cum Patre de novo usurpabant contra Arianos, licèt res ipsa ab initio credita esset. Itaque ex S. scriptura & SS. Patribus probandum, quod sacramenta prædicto modo instrumentaliter causent & conferant gratiam, & non solum ad excitandam fidem deserviant. XIV.

ARTICULUS III.

Quòd Sacramenta novæ legis verè instrumentaliter causent & conferant gratiam, probatur ex S. scriptura.

Sufficiet hîc istam virtutem de Baptismo probare; quia eadem est ratio de reliquis, quæ suo loco ostendentur. Acatholici enim id negant de sacramento quocunq; etiam ab ipsis admisso. Probatur itaque I.

Primò ex illo Luc. 3. v. 16. ubi dicit Joannes: *Ego quidem aquâ baptizo vos, &c. ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni.* Idem Joann. 1. v. 33. dicit de Christo: *Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto.* Vbi Joannes expressè fatetur magnam differentiam inter suum & Christi Baptismum, licèt Acatholici negent contra sacram Scripturam, patet enim ex textu & alibi: atqui Baptismus Joannis etiam excita- II.

Digitized by Google

citabat baptizatos suos ad fidem, quod Acatholici solùm tribuũt baptismo & sacramentis. Proinde clarum est, quod Christus ideo dicatur baptizare in Spiritu S. quia per suum baptismum voluit conferre gratiam justificantem, quæ dicitur in scriptura Spiritûs S. & ignis, quia ex virtute Spiritus Sancti datur.

III. 2. Marci ult. v. 16. dicit Dominus: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*; ubi patet, quod salutem homini per baptismum tanquam per instrumentum dandam promiserit; ac proinde baptismo virtutem hoc modo conferendi salutem seu gratiam dederit. Neculllo modo dici potest, quod baptismus salvet excitando fidem, per quam homo salvetur: quia Christus præmisit fidem ante baptismum. Si autem baptismus excitaret fidem, non dixisset Christus: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit*; sed prærequirit quoque fidem in adultis, quâ præviâ vult homines baptismum suscipere, per quem salvi fiant in virtute meritorum ipsius Christi; adeoque clarè patet, quod baptismus ad hoc non sit institutus, ut excitet fidem, sed præsuppositâ fide salvos faciat.

IV. 3. Joann. 3. v. 3. dixit Dominus: *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei*; & ut hoc de baptismo intelligatur, subdit dicens v. 5. *Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*. Ubi patet: Primò, quod eodem modo Christus loquitur de baptismo & Spiritu S. & præpositio (ex) semper causalitatem indicat; at Spiritus S. principaliter causat regenerationem; proinde baptismus instrumentaliter eandem efficit.

V. 2. Si baptismus aquæ nihil operetur nisi excitando fidem in baptizato, posset baptismus æquè fieri in vino, cerevisia, *&c.* ùt aliquando Lutherus voluit, ut in suis sympoliaticis colloquiis cap. 17. ubi interrogatus: an in aquæ defectu liceret in cerevisia, *&c.* baptizare, priùs quidem hæret, postea resolvit; quod, quidquid balnei nomine nuncupari possit, id ad baptismum aptum esset. Et quod per talem baptismum etiam fides excitari posset adhibita concione; quod tamen S. scripturæ & sanctis Patribus est contrarium.

3. Non esset ratio, cur Christus necessitatem
VI. baptismi in aqua prænunciasset, si sufficeret fides ad salutem, quæ aliis modis etiam perfectiùs, ut per concionem, *&c.* excitari potest.

VII. *Calvinus* vim hujus S. scripturæ effugere volens lib. 4. Inst. cap. 16. § 25. negat, ibi Christum baptismi mentionem facere dicens: *Primum in eo falluntur, quod baptismi mentionem fieri hoc loco putant, quia aquæ nomen audiunt*. Ipse autem ibi vult, quod per aquam Christus idem velit, quod per spiritum, ut non ex aqua naturali, sed ex Spiritu S. homo regeneretur, unde dicit: *Aquam & spiritum simpliciter accipio pro spiritu, qui aqua est, &c. & instar aquæ animam mundat*, hæc ille.

VIII. Sed hæc expositio Calvini primo contrariatur omnibus SS. Patribus ab initio Ecclesiæ, qui intellexerunt locum illum Joann. de Baptismo aquæ. Sic *Justinus martyr* apologia 2. tertio folio ante finem ed. Hieron. Commel. 1593. describens modum, quo Christiani baptizantur, dicit: *Deinde eò adducuntur à nobis, ubi aqua est, atq; eo regenerationis modo, quo ipsi regenerati sumus, regenerantur, &c.* Et subdit: *In aqua tum lavantur, Christus enim ipse dixit: Nisi regenerati fueritis, non introibitis in regnum cælorum, &c.* ubi patet, quod verba illa Christi non solùm ipse, sed tota Ecclesia antiqua de Baptismo aquæ intellexerit. Sic consequenter omnes alii sancti Patres intellexerunt, ut infrà patebit ex *Clemente Romano, Origene, Cyrillo Hierosol. Tertulliano*, &c.

Hoc ipsum Calvinus satis novit, sed suum sensum omnibus præfert, dicens ibid. *Scio alios aliter interpretari, sed hunc esse genuinum sensum non dubito, &c.* sed illum suum sensum omnibus sanctis Patribus contrarium esse, nobis sufficiat pro illius refutatione. IX.

Accedit, quod si per aquam Joan. 3. dicat interpretari Spiritum S. eodem modo alia loca S. scripturæ, ubi de baptismo dicitur, non de aqua naturali, sed de Spiritu S. explicarentur, & sic tolleretur baptismus aquæ, quod ipsi Acatholici nolunt. X.

4. Probatur veritas ex illis S. scripturæ locis; ubi manifestè dicitur: quod homines priùs crediderint, & postea necessariò baptizari adhuc debuerint in remissionem peccatorum, & quod per baptismum à peccatis mundati sint, ùt patet Act. 2. ubi cùm multi jam credidissent de quibus dicitur v. 37. *His autem auditis compuncti sunt corde & dixerunt*, &c. *Quid faciemus viri fratres? Petrus vero ad illos: Pœnitentiam* (inquit) *agite, & baptizetur unusquisq; vestrûm in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus S.* similiter act. 22. ubi Paulus refert acta conversionis suæ, cùm jam credidisset in Christum, & triduo in jejunio & oratione perseverasset; ut habetur c. 9. v. 11. Ananias à Domino missus, illi dixerit v. 16. prædicti c. 22. *Exurge & baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine ipsius*, &c. XI.

Ex quibus patet, quod non ad excitandam fidem, sed ad abluenda & remittenda peccata baptismus datus sit.

5. Probatur ex illis locis: ubi baptismus expressè assignatur causa instrumentalis respectu gratiæ vel remissionis peccatorum, ut ad Ephes. 5. v. 26. *Ut illam* (Ecclesiam) *sanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*. Ubi patet, quod ad modum, quo artifex per instrumentum operans dicitur, quando serrâ scindit lignum, sic Christus lavacro mundet Ecclesiam. Similiter ad Tit. 3. v. 5. dicit Apostolus: *Secundùm misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, &c.* ubi clarissimè Apostolus indicat lavacrum esse causam instrumentalem, per quam salus detur & applicetur, & ipsa regeneratio & renovatio fiat, alioquin, quomodo lavacrum regenerationis diceretur? XII.

Ex his sacræ scripturæ locis sic etiam contra Acatholicos ad hominem arguitur. XIII.

Primò, si sacramentum baptismi non aliter justificet, quàm excitando fidem, sicut verbum prædicatum, tunc non opus est, ut unusquisq; baptizetur contra dictum Petri Act. 2. suprà: quia sufficeret unum baptizari, & alios videntes per illius baptismum excitari ad fidem, & in fide confirmari. Cùm autem necessarium sit unumquemque baptizari, signum est, quod Christus per baptismum voluerit gratiam conferre suscipientibus.

2. Si prædicta loca S. script. de baptismo

 non

non deberent in sensu causali exprimi, sequeretur contra Acatholicos, quòd nec ipsa fides sit instrumentum justificationis, licèt de illa dicatur etiam instrumentaliter *per*, vel in ablativo, *fide purificans corda eorum* Act. 15. v. 9. & *iustus ex fide vivit*. Rom. 1. v. 17. &, *arbitramur enim iustificari hominem per fidem*. Rom. 3. v. 28. *&c.* In his placet, ut instrumentaliter intelligatur, in aliis verò non, idque contra S. Scripturam, & SS. Patrum sensum, solùm, quia ita ipsis placet, ideo Scriptura sic intelligenda est, præsertim, cùm ipsi causam justificationis soli fidei tribuant, quod S. Scriptura non dicit; & fidei non veræ, sed ab ipsis fictæ contra S. Scripturam approprient.

ARTICULUS IV.

Eadem veritas probatur ex Conciliis & SS. Patribus Græcis.

I. PRimò Concilium Constantinopolitanum in Symbolo sic profitetur: *Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum.* Quomodo hoc? nisi per Baptismum remissio daretur.

II. *Clemens Romanus* Anno 80. Epist. 4. edit. Colon. 1596. *Sed dicitis fortasse*, inquit, *quid confert aquæ Baptismus ad cultum Dei? primò quidem, quia, quod Deo placuit, impletur secundò, quia regenerato ex aquis, & Deo renato, fragilitas* (NB) *prioris nativitatis, quæ vobis per hominem facta est, amputatur, & ita demum pervenire poteritis ad salutem. Aliter impossibile est, sic enim nobis cum sacramento verus propheta testatus est dicens:* Amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit ex aqua viva, non introibit in regnum cœlorum, *& ideo accelerate; Est enim in aquis istis misericordia eius* (NB) *quædam.* &c. *& eripit eos de suppliciis futuris, quasi donum quoddam offerens Deo animas per Baptismum consecratas*, &c. *Confugite ergo ad aquas istas, solæ sunt enim, quæ possunt vim futuri ignis extinguere, &c.* An hîc fidei excitatio?

III. *Iustinus Martyr* Apologiâ 2. edit. Heidelberg. ex Typograph. Hieron Commel. 1593. suprà, cùm retulisset, baptismum juxta Christi institutum esse suscipiendum, subdit dicens: *Rationem autem huius rei ab Apostolis illam accepimus*, &c. *ne necessitatis & ignorantiæ liberi permaneamus, sed delectûs & scientiæ* (filii fiamus) *ac remissionem ante commissorum peccatorum consequamur in aqua*, &c.

Idem quæst. 56. eâd. edit. ad orthodoxos sic quærit: *Si infantes mortem oppetentes ex operibus nec laudem nec reprehensionem habent, quod discrimen erit in resurrectione inter eos, qui ab aliis sint baptizati, & nihil egerint, & eos, qui baptizati non sint, & similiter nihil egerint? Respondeo, hoc discrimen est inter baptizatos & non baptizatos, quòd illi bona per baptismum obvenientia consequuntur, hi verò non consequuntur, &c.* Quid clariùs dici posset? cùm in parvulis nulla excitetur fides, per quam bona illa consequantur.

IV. *Dionysius Areopag.* Ecclesi hierarch. cap. 3. edit. Argent. 1503. sic ait: *Et sacram divinæ generationis theletam, quoniam primum lumen tradit, & omnium est principium divinarum in lumine introductionum, ex perfecto veram illuminationis nominationem laudamus, &c.* hæc ille.

V. Similiter *Clemens Alexand.* lib. 1. Pædagogi c. 6. edit. Paris. 1572. sic ait: *Tincti illuminamur, illuminati in filios adoptamur, adoptati perficimur, perfecti immortales reddimur*, &c. *Multis autem modis vocatur hoc opus, Gratia, illuminatio, perfectum & lavacrum, lavacrum quidem, per quod peccata* (NB) *abstergimus; Gratia autem, quâ remittuntur pœnæ, quæ peccatis debentur; illuminatio autem, per quam sanctam illam & salutarem lucem intuemur; perfectum autem dicimus, cui nihil deest, quid enim ei deest, qui Deum novit? est enim revera absurdum, Dei vocari gratiam, quæ non sit perfecta, &c.* hæc ille.

Origenes hom. 4. in Cant. edit. Basil. 1557. ait: *Amputantur & execrantur ab hominibus peccata, cùm in Baptismo donatur remissio peccatorum.* VI.

Idem tract. 7. in Matth. eâd. edit. *Et forsitan*, ait, *ideo dicitur de turbis sequentibus Dominum ad baptismum Iordanis* & lavavit eos ibi. *Verè enim omnes ab infirmitatibus suis* (NB) *spiritualibus salvantur in Baptismo.*

Idem homil. 14. in cap. 2. Lucæ eâd. edit. sic ait: *Quia per Baptismi sacramentum nativitatis sordes* (NB) *deponuntur, propterea baptizantur & parvuli; Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poterit introire in regnum cœlorum Ioann. 3. &c.* hæc Origenes.

Gregorius Neocæsariensis orat. in Theophaniam bibl. PP. edit. Colon. 1618. tomo 3. pag. 45. col. 2. H. sic ait: *Baptiza me, qui per aquam & spiritum ac ignem baptizaturus sum credentes: per aquam, quæ* (NB) *peccatorum sordes abluere valeat: per spiritum, qui terrenos efficere spiritales possit: per ignem, qui ad scelerum spinas comburendas est idoneus*, &c. hæc ille. VII.

Cyrillus Hierosol. edit. Colon. 1564. in præfatione Catecheseos sic ait: *Magnum est sanè propositum hoc Baptisma: Captivitatis liberatio, peccatorum remissio, mors peccati, animæ regeneratio, vestimentum candidum, signaculum sanctum & indelebile, currus ad cœlum, regni cœlestis conciliatio*, &c. VIII.

Idem Catech. 3. eâd. edit. *Qui in aquam*, ait, *descensurus es, non aquæ simplicitati mentem adhibeas, sed Spiritus Sancti virtute salutem suscipe, nam sine utrisque ad perfectionem deduci* (NB) *non poteris.* Et infrà: *Si quis non baptizatur, salutem non habet.* Et infrà: *Descendis quidem in aquam ferens peccata, sed gratiæ invocatio signans animam non permittit deinceps ab horrendo illo submergi dracone, mortuus in peccatis descendisti, & ascendis vivificatus in iustitia*, &c. *descendens in aquam & quodammodo consepultus illi* (Christo) *sic ut ille in petra excitaris.* hæc ille. Vbi hic mentio de sola fide excitante per Baptismum?

Basilius apud Jod. Cocc. tomo 1. Thesauri Catholici fol. 491. Exhortat. ad Baptismum, *At nunc*, inquit, *cum anima tua, quam omni scelere contaminatam reddidisti per* (nota) *Baptismum renovari ac regenerari nunciatur, tantum despicu beneficium, nec ultrò properas*, &c. *Num non tanti muneris rem miram videre desideras? quomodo videlicet absque matre regeneretur homo*, &c. *Baptismus igitur est captivorum & æris alieni remissio* (nota) *peccati mors, animæ regeneratio, amictus splendens, Character indeprehensibilis, &c.* hæc ille. Quorsum hæc, si Baptismus solam fidem excitet, quæ absque eo per conciones perfectiùs excitatur? IX.

Idem lib. de Spiritu S. cap. 14. edit. Antverp. 1568. *Num*, ait, *quia per figuram in Moyse baptizati sumus, ideo protinus exigua est gratia Baptismatis, &c.* & cap. 15. unde hæc gratia sit, dicit: *Itaque, si qua est gratia in aqua, non est ex ipsius aquæ natura, sed ex Spiritus præsentia, &c.* ubi de gratia non dubitat, sed, unde sit, ostendit.

Grego-

Digitized by Google

X. *Gregor. Nazianz.* orat. in S. baptisma ed. Colon. 1576. pluribus encomiis extollit baptisma, & subjungit dicens: *Baptismus omnium Dei beneficiorum præclarissimum est, & præstantissimum.* Et infrà: *Donum vocamus, gratiam, Baptismum, unctionem, illuminationem, immortalitatis indumentum, regenerationis lavacrum, sigillum,* &c. *donum dicitur, quia iis, qui nihil priùs contulerunt datur; gratia, quia etiam pœnæ obnoxiis; Baptismus, quia peccatum* (nota) *aqua obrutum sepelitur,* &c. *Indumentum, quia ignominiæ nostræ velamen est. Lavacrum, quia abluit. Sigillum, quia conservatio est & dominii significatio, &c.* & infrà: *Atq; hæc Baptismi gratia & facultas est, non orbem terrarum ut olim, aquis obruens, sed uniuscujusq; hominis* (nota) *peccatum purgans; easq; obstructiones vel maculas, quæ vitio contrahuntur, prorsus abstergens,* &c. hæc ille. Quomodo clariùs efficacia baptismi proponi posset? ubi inter tot encomia est excitatio ad fidem, vel sigillum de benevolentia divina certitudinaliter assecurans? ùt vult Calvinus.

XI. *Epiphanius* hæresi 8. ed. Bas. 1510. de Epicureorum secta ait: *Illic circumcisio fuit carnalis, quæ inservivit usq; ad magnam circumcisionem, hoc est, baptismum, qui circumcidit nos à peccatis; & obsignat nos in nomen Dei,* &c.

Idem in Ancorato, *Aqua*, ait, *non in uno hominis membro fluunt; sed totum hominis corpus purificant & circumcidunt, & ab omnibus* (nota) *malis liberant, &c.*

XII. *Gregor. Nyssen.* orat. de bapt. ed. Bas. 1571. sic ait: *Baptisma igitur peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis & regenerationis* (nota) *causa; regenerationem autem intellige eam, quæ cogitatione cernitur, oculis non videtur.* Et infrà: *Hoc autem beneficium non aqua largitur (esset enim omni creatura sublimior) sed Dei præceptum & spiritus, &c.* & infrà volens declarare, qualiter aqua à Deo hanc virtutem habeat, ponit exempla de virga Aaron & aliis, per quæ miracula sunt facta, & subjungit: *Hac omnia, cùm materia sint inanimata atq; sensus expertes, posteaquam vim Dei accepissent, magna miracula media intercesserunt: ac simili consequentia rationum, etiam aqua, cùm nihil aliud sit, quàm aqua, superna gratia benedicente ei, in eam, quæ mente percipitur hominem renovat regenerationem. Quid si quis mihi rursus dubitando & ambigendo negotium exhibeat interrogans, quâ ratione aqua regeneret? dicam optimo jure ad eum, ostende mihi modum nativitatis, quæ fit secundùm carnem. Dices fortassis: Semen causa hominis effectrix est; audi igitur contrà à nobis, quod aqua quæ benedicitur* (nota) *purgat & illuminat hominem, &c.* hæc ille. Quod si baptismus nihil aliud præstet, quàm quod objectivè excitet hominem ad fidem, cur Gregorius tot modis & miraculis causalitatem baptismi demonstrat? qui breviter dicere potuisset, aqua nihil facit, sed solum fides concipitur visa vel susceptâ aquâ, &c. ipse autem astruit, quod aqua Dei virtuti subserviat & regeneret, ac regenerationis causa sit.

XIII. *Chrysost.* hom. 39. in Gen. ed. Bas. 1558. ait: *Nam id, quod illic operatur circumcisio in depositionem carnis, hoc hic agit Baptismus* (nota) *in depositione peccatorum.*

Idem hom. ad Neophytos, de baptizatorum donis eâd. ed. sic ait: *Non enim sunt tantum liberi, sed & sancti, non tantum sancti, sed & justi, nec solum justi, sed & filii; nec solum filii, sed & hæredes nec solum hæredes, sed & fratres Christi, nec tantum fratres Christi, sed cohæredes; non solû cohæredes, sed & membra; non membra tantum, sed & templum; nec tantum templum, sed organa spiritus, &c. vides, quot sint baptismatis largitates. Sed multis quidem videtur cælestem gratiam in peccatorum tantum remissione consistere, nos autem honores computavimus decem. Hac de causa & jam infantulos baptizamus, ut non sint coinquinati peccato, ut iis addatur* (nota) *sanctitas, Justitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint omnes, ut spiritus habitatio fiant, &c.* hæc ille. Ubi inter tot dona baptismi est excitatio fidei? ecce quid Chrysost. dicat parvulis per baptismum dari; quos Calv. vult illa omnia ab utero matris habere, & tantùm per baptismû accipere extrinsecum signû fœderis, &c.

Cyrillus Alexandr. apologia ad Theodosium ed. Bas. 1566. sic ait: *Justificamur* (NB) *per S. baptisma, mortem Christi annunciantes, & simul resurrectionem ejus confitentes.* XIV.

Idem l. 2. in Joan. c. 24 eâd. ed. *Quemadmodum*, ait, *viribus ignis intensius aqua calefacta, non aliter quàm ignis urit, sic Spiritus S. operatione* (nota) *ad divinam aqua reformamur virtutem, qua baptizatis corpus abstergunt, &c.* quomodo clariùs dici posset, quod Spiritus S. per aquas baptismi causet justificationem? sed quid talibus exemplis opus, si solùm objectivè excitent fidem? XV.

Ex præmissis evidentissimè constat, quod SS. Patres Græci primitivæ Ecclesiæ idem prorsus de efficacia baptismi docuerint, quod & moderna Ecclesia Catholica: illud autem inhæsit & posterioribus Græcis, licèt in quibusdam ab Ecclesia defecissent. Sufficiat unus Jeremias Constantinopolitanus Patriarcha anno 1580. qui respons. 1. c. 7. sic ait: *Baptisma regenerat spiritu, quia primam quam sub innocentia statu, generationem amisimus, & in peccatis concepit unumquemq; nostrum mater sua: quibus malis lavacrum divinum subvenit ea expurgans,* &c. hæc ille. XVI.

ARTICULUS V.

Eadem de efficacia sacramentorum veritas ex Conciliis & SS. Patribus Latinis probatur.

Concilium Milevit. c. 2. ed. Col. 1538. sic declarat: *Parvuli, qui nihil peccatorum adhuc in semetipsis committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in ejus regeneratione mundetur, quod regeneratione traxerunt, &c.* ubi hîc locus excitationi fidei? aut quomodo hic subsistet quod vult Calv. l. 4. Inst. c. 16 § 14. quod scilicet fidelium infantes ideo solùm baptizentur, ut accipiant exterius signum fœderis, ab utero matris sanctificati? I.

Concil. Arausicanum 2. can. 25. sic ait: *Hoc etiam secundùm fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, &c omnes baptizati, &c.* ubi manifestè dicitur, quod fides Catholica teneat gratiam per baptismum accipi, &c. II.

Martialis circa ann. 100. ep. ad Tholosanos c. 1. Bibl. PP. ed. Colon. 1618. to. 1. pag. 169 *Vos enim*, ait, *membra ejus* (Christi) & infrà: *Jam enim sanctificati & mundati estis aquâ regenerationis,* &c. Et c. 4. *Adorate Deum & Salvatorem vestrum Jesum Christum, in cujus nomine, nisi quis baptizatus* (nota) *fuerit per aquam regenerationis, salvari non potest,* hæc ille. III.

Tertullianus l. de Bapt. c. 4. ed. Parif. 1584. & Basil. 1562. *Omnes*, ait, *aquæ de pristina originis prærogativa sacramentum sanctificationis consequuntur, invocato Deo, supervenit enim statim spiritus de cælis, & aquis superest sanctificans eas de semetipso* (NB) *ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt,* &c. IV.

XXIII. Idem ad cap. 13. Zachariæ apud Jod. Cocc. Thes. Cath. tomo. 2. l. 5. a. 4. ait: *Baptismum in Iordanis fluente idcirco quasi pœnitens, cùm esset à peccatis liber, Christus accepi; ut cæteros doceret mundandos* (NB) *esse per Baptismum, & in filios novâ adoptione generari*, &c. hæc Hieron.

XXIV. Plures alii SS. Patres eadem docent; sufficiat pro coronide *August.* qui lib. 1. contra 2. epist. Pelag. cap. 13. ed. Basil. 1528. *Dicimus*, ait, *Baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre* (nota) *crimina, non radere; nec ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum resecanda peccata*, &c. ubi Augustinus & efficaciam Baptismatis declarat, & errorem Acatholicorum rejicit, qui volunt, quòd peccata in justis non deleantur, sed tantùm tegantur.

XXV. Similiter ibid. lib. 3. cap. 3. eâd. ed. *Baptismus*, ait, *abluit quidem peccata omnia, prorsus omnia, factorum, dictorum, cogitatorum, sive originalia, sive addita, sive quæ ignoranter, sive quæ scienter admissa sunt; sed non aufert infirmitatem cui regeneratus resistit, quando bonum agonem luctatur*, &c.

Ubi etiam refutatur *error Calvini*, qui vult ipsam infirmitatem esse verè peccatum, &c. ut suprà visum est.

XXVI. Similiter loquitur præfatus *August.* ed. Basil. tom. 3. 1528. in Enchridio ad Laurentium cap. 64. dicens: *Excepto Baptismatis munere, quod contra originale peccatum donatum est, ut quod generatione attractum est, regeneratione detrahatur* (hoc Calv. in infantibus fidelium negat) *& tamen activa quoque peccata, quæcunque corde, ore, opere commissa invenerit* (NB) *tollit. Hac ergo excepta magna indulgenta unde incipit hominis renovatio, in qua solvitur omnis reatus*, &c.

XXVII. Idem lib. 4. de Bapt. cap. 22. ed. Basil. cit. *Invenio*, ait, *non tantùm passionem pro nomine Christi id, quod ex Baptismo deerat, posse supplere; sed etiam Fidem conversionemque cordis, si fortè ad celebrandum mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest*, &c. Quomodo clariùs ostendi posset, quòd baptismus justificet vel conferat salutem non excitando Fidem, sed immediatè propter merita Christi? cùm Augustinus dicat, quòd in casu necessitatis, Fides & cordis conversio suppleat, quod alioquin baptismus per se faceret? Hoc expresè ostendit ibid. cap. 24. in parvulis, quibus ostendit prodesse baptismum, licèt Fide careant, idque probat ex simili de circumcisione dicens: *Cur ergo ei præceptum est, ut omnem deinceps infantem masculum octavo die circumcideret, qui nondum poterat corde credere, ut ei deputaretur ad justitiam, nisi quia & ipsum per se ipsum Sacramentum multum valebat?* Hæc ille. Adeóque non excitando Fidem, quæ in parvulis locum non habet.

XXVIII. Huc spectant ea, quæ Aug. tract. 80. in Joann. ed. cit. dicit: quibus Calv. suum errorem confirmatum volebat, ut suprà visum est. Nam ibi August. expresè, ut de Fide certum supponit, quòd baptismus habeat virtutem cor abluendi, & quærit dicens: *unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?* &c. quam habere dicit ex verbo vitæ, non quoad sonum transeuntem, sed ex promissione & virtute Christi, quam per verbum Dei cognoscimus, vel etiam ex verbo vitæ, quo nomen SS. Trinitatis invocatur, unde subdit: *Mundatio nequaquam fluxo & labili tribueretur elemento nisi adderetur in verbo*, &c. Quàm falsò itaque Calv. hinc infert, quòd baptismus nihil faciat, sed solum verbum concionatorium Fidem excitans, &c. cùm Aug. expresè supponat in aqua per Christi verbum esse virtutem, & aquæ tribuit mundationem, ùt patet.

Sic & lib. 1. Retract. cap. 7. eâd. ed. asseverat dicens: *Lavacrum regenerationis purgat à reatu omnium peccatorum, quæ humana traxit nativitas, & contraxit iniquitas*, &c.

Demùm, quòd *Aug.* juxta mentem antiquæ Ecclesiæ & aliorum SS. PP. senserit: quòd ipsum Sacramentum baptismi ex sua institutione vim salvandi habeat, ipse clarissimè declarat epist. 23. ad Bonifac. eâd. ed. dum in fine de baptismo parvulorum sic ait: *Itaque parvulum, & si nondum Fides illa, quæ in credentium voluntate consistit, jam tamen ipsius Fidei Sacramentum fidelem facit*, &c. & infrà: *Et tantum valebit* (Sacramentum) *ut si ante rationis usum ex hac emigraverit* (NB) *per ipsum Sacramentum commendante Ecclesia charitate, ab illa condemnatione, quæ per unum hominem intravit in mundum, Christiano adiutorio liberetur* (contra Calvin. qui vult, quòd à matris utero liberatus sit) *hoc* (NB) *qui non credit, & fieri non posse arbitratur, profectò infidelis est; & si habeat Fidei Sacramentum; longèque melior est ille parvulus, qui etiamsi Fidem nondum habeat in cogitatione, non ei tamen obicem contrariæ cogitationis opponit, unde Sacramentum eius salubriter percipit*, &c. hæc Aug. ubi clarè profitetur, quòd de Fide certum sit, 1. Sacramentum baptismi mundare parvulum ab originali peccato sine Fide ipsius; & qui hoc negat, infidelis sit. 2. quòd Sacramentum conferat suum effectum illi, qui non ponit obicem peccati, quod maximè detestantur Acatholici. XXIX.

CONCLUSIO.

HÆc SS. PP. doctrina adeò clara est, ut ipse Calv. lib. 4. Inst. c. 14. §. 17. suprà allegatus fateatur SS. Patres, quos *veteres* appellat, *ad amplificandam Sacramentorum dignitatem magnificentiùs scripsisse.* & §. ult. dicere audet: *Porrò istos miseros Sophistas deceperunt immodica etiam illa Sacramentorum encomia, quæ de signis nostris apud veteres leguntur, quale est illud Augustini, quod veteris legis Sacramenta Salvatorem tantùm promittebant, posteà verò dabant salutem. Has & similes dicendi figuras, quis non adverteret hyperbolicas esse, & ipsi hyperbolica sua dogmata promulgarunt*, &c. hæc ille. I.

Consideret autem candidus Lector omnia SS. PP. verba, & videat, an hyperbolicè tantùm loqui voluerint, ut nihil tribuerint Baptismi Sacramento ex institutione Christi, licèt Fides in parvulis non adsit, & licèt fides in adultis requiratur, non tamen per ipsam Fidem (ut vult Calv.) sed per ipsum Sacramentum in virtute meritorum Christi ex Dei voluntate peccata tollantur & gratia donetur. Et qui hoc negant, infideles sint, ùt S. Augustinus jam allegatus profitetur. II.

Patet etiam ex præmissis, quòd falsa & injuriosa sit Calvini calumnia, quâ Ecclesiæ imponit: quòd, dum asserit per Sacramenta conferri gratiam; homines à Christo ad muta elementa retrahat, & Sacramentis tanquam plaustris inclusis virtutem assignet, quâ vices Dei agant, &c. profitetur enim Ecclesia, quòd omnis virtus Sacramenti sit ex solis meritis Christi, & quòd Deus seu Spiritus S. sit primarius efficiens per Sacramenta, ut mera instrumenta, gratiam conferens, & peccata remittens; adeóque per externa signa ad Christum & Deum reducantur: sicut olim III.

Digitized by Google

Deus per virgam Aaron tot miracula fecit, & linguâ asini usus est: sicut & Christus per vestimenti fimbriam sanitatem dedit; luto usus est ad cœcum illuminandum, &c. an ideo homines à Deo ad illa exteriora attracti sunt? sic nec per Sacramenta, quibus Deus ordinatiò uti decrevit homines à Deo abstrahantur, sed ad Deum, qui mirabilia facit, reducuntur.

IV. Similiter nec ulla virtus permanens in sacramentis agnoscitur, multò minùs, quòd gratia Dei spiritualis in signis exterioribus physicè vel ut in arca contineatur; sed solùm in tantum Sacramenta continent, & continere verè dicuntur gratiam, sicut effectus dicitur in causa contineri; cùm autem Sacramenta sint causa duntaxat instrumentalis & moralis, eatenus gratiam continere dicuntur; quod nihil aliud est, quàm quòd sint signa à Deo ordinata & instituta, ad quorum administrationem velit conferre gratiam, & hoc apertissimè sancti Patres unanimiter juxta S. Scripturam profitentur, & ut ex prædictis patet. At verò modus, quem Calvinus Sacramentis affingit, & juxta quem sanctos Pattres intelligendos urget, in SS. Patrum scriptis non legitur, imò illis & sacræ Scripturæ contrariatur. Et hæc de primario Sacramentorũ omnium affectu. Restat ut de secundario quorundam Sacramentorum effectu etiam veritas probetur.

ARTICULUS ULTIMUS.

De secundario effectu quorundam Sacramentorum, qui dicitur Character.

I. CUm certum sit de Fide, quòd per omnia & singula Sacramenta novæ legis ex Christi promissione & instituto gratia sanctificans ad proprios cujusque Sacramenti fines à Spiritu Sancto infundatur; aliqua tamen etiam habent certum quendam effectum secundarium, qui vocatur *character*, & est donum spirituale: quod præter gratiam justificantem in tribus Sacramentis scilicet in Baptismo, Confirmatione & Ordine à Deo infunditur & animæ imprimitur, quod semper manet, etiamsi ille, qui Sacramentum suscipit, per peccata sua gratiam justificantem amittat, & ideo illa tria Sacramenta sunt irreiterabilia.

II. Sciendum autem, quòd *character*, vox Græca, Latinè idem significat quod forma vel figura; & à SS. Patribus pro signo aut signaculo usurpatur; & sic sensus est, quòd certa forma vel signaculum animæ à Deo imprimatur indelebile, quod aliqui sancti Patres præsertim *Augustinus*, & post ipsum alii Doctores characterem vocant.

III. *Character baptismalis* est, quo homo aptus est ad alia Ecclesiæ Sacramenta suscipienda, & quo Christo & Ecclesiæ consignatur.

VI. *Character Confirmationis* est, quo anima consignatur, ut Deus assistat ad profitendam constanter Fidem.

V. *Character autem Ordinis* est, quo homo Christo specialiter consecratur; & capax est, ut validè Sacramenta administret.

VI. Quòd autem *character* per Baptismum imprimatur, probatur ex illo 2. Cor. 1. v. 22. *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* ubi patet; quòd Apostolus distincta in Baptismo dari asserat, 1. quòd Deus Baptizatum ungat, utique gratiâ sanctificante, quâ anima sanatur. 2. quòd Deus baptizatum signet, quo baptizatus semper ab aliis distinguitur, & Christo consecratur, ùt probatur ex illo ad Eph. 1. v. 13. *In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto*, &c. Item ex illo ad Ephes. 4. v. 30. *Nolite contristare Spiritum S. Dei, in quo signati estis in diem redemptionis*, &c. ubi patet, quòd baptizati dicantur specialiter per Spiritum S. signati; cùm autem Deus possit reale signum imprimere, quo sic obsignetur fidelis, hoc meritò asserendum est. Quod ita intelligendum esse, *Traditio Apostolica* habet, quæ ex sanctorum PP. testimoniis constat, qui illa loca sic intelligunt ut patebit. Probatur itaque ex sanctis Patribus.

Dionysius de Eccles. Hierarch. cap. 2. p. 1. edit. Argent. de Bapt. sic ait: *Quoddam igitur est principium sanctissimorum mandatorum sacræ actionis ad ad aliorum divinorum eloquiorum & sacrarum actionum susceptivam opportunitatem, formans animales nostros habitus ad supercœlestis quidem anagogen nostrum iter faciens & divinissima nostræ regenerationis traditio*, &c. ubi per formare idem signatur, quòd obsignare; quod clariùs exprimit parte 3. dicens: *Eum verò sic ascendentem divina beatitudo in suam participationem recipit, & proprio lumine tanquam ipsi signo tradit divinũ perficiens, & communicantem divinorũ partis & sacræ ordinationis*. hæc ille. VII.

Basilius exhort. ad Bapt. relatus à Jod. Coccio tomo 2. Thes. Catholici fol. 485. edit. Colon. 1601. sic ait: *Tesseram Duces sub se militantibus dant, ut amici faciliùs invicem se noscentes exhortentur; & si cum hostibus commisceantur, eò faciliùs discerni, ac separari possint*, &c. *Quòd si fortè commilitonum separatio fiat, nemo te, quarum, nostrarum, an Adversarii partium sis, noverit, nisi in mysticis signis familiaritatem præ te feras*, &c. *nisi characterem (NB) agnoscat in te Angelus, quomodo pro te pugnabit?* &c. *aut ab inimicis vindicabit? Quomodo, inquam dices, Dei sum, signa non ostendens?* & infrà: *Thesaurus non obsignatus furibus facilè patebit; ovis absque nota insidiis protinus est obnoxia*, &c. & infrà: *Baptismus est captivorum & æris alieni remissio, peccati mors, animi regeneratio, character indeprehensibilis*, &c. hæc ille. VIII.

Cyrillus Ierosolym. in præfatione Catecheseos ed. Colon. 1564. similiter ait: *Magnum est propositum hoc Baptisma captivitatis liberatio, peccatorum remissio, animæ regeneratio, signaculum sanctum & (NB) indelebile*, &c. Patet autem, quòd ipse Baptismus, qui in ablutione consistit, transeat, adeóque manet indelebilis in suo effectu. IX.

Idem Catechesi 3. eâd. ed. *Aqua, ait, sanè mundat corpus, spiritus autem signat animam*, &c.

Iterum Catech. 16. eâd. ed. *Hic* (Spiritus Sanctus) *ad hodiernum usque diem obsignat animas in Baptismo*, &c.

Demum Catech. 17. eâdem ed. *Tu quidem, ait, accede ad Baptismum*, &c. *non vultum tantum istum visibilem baptizantium respiciens, sed memineris istius Spiritus Sancti*, &c. *hic enim paratus adest obsignare animam tuam, & dare tibi signaculum (NB) quod dæmones tremunt, cœleste quoddam & divinum, sicut scriptum est, in quo etiam credentes signati estis Spiritu Sancto promissionis*, &c. hæc ille. X.

Quòd si nihil reale à Spiritu Sancto in anima imprimeretur, quomodo dicetur divinum & cœleste signaculum? &c.

Gregorius

Digitized by Google

Gregorius Nazianz. orat. in S. Baptisma edit. Colon. 1579. dicit: *At, si tu antevertens per Baptismum teipsum obfirmaveris ac praeclarißimo auxilio tibi in futurum caveris, animum scilicet & corpus unctione & spiritu consignans, quemadmodum olim Israël nocturno illo, primigenosque tuente cruore, quid tibi accidet?* & infrà: *Pecus enim signata non facilè insidiis appetitur,* &c. hæc ille.

XII. *Epiphanius* Hæresi 8. edit. Basil. 1560. sic ait: *Illic circumcisio fuit carnalis, quæ inserviit tempori usque ad magnam circumcisionem, hoc est Baptismum, qui circumcidit nos à peccatis, & obsignat nos in nomine Dei,* &c.

XIII. *Chrysostomus* apud Jodocum Coccium tomo 2. Thes. Cathol. edit. Colon. 1601. fol. 486. Homiliâ 2. in Ephes. circa illa verba: in quo & credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, &c. sic ait: *Porrò idem charactere Spiritûs Sancti nos insignivit,* &c. & infrà: *Magnum est indicium curæ & providentiæ, quòd sint signati, non separati, neque quòd non solùm sint sorte vocati, sed etiam signati,* &c. & infrà: *signati fuerunt etiam Israelitæ, sed circumcisione sicut ovis & bruta; nos quoque signati sumus ut filii Spiritu Sancto,* &c.

XIV. *Ambrosius* libro 1. de Spiritu Sancto, cap. 6. edit. Paris. 1569. sic ait: *sicut Apostolus ad Ephes. ait:* in quo credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto: *Sancto igitur Spiritu signati sumus, non naturâ, sed à Deo, quia scriptum est: Qui unxit nos Deus, & qui signavit nos & dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris, signati ergo spiritu à Deo sumus,* &c. *spiritu signamur, ut splendorem atque imaginem ejus & gratiam tenere poßimus, quod est utique spirituale signaculum: nam etsi specie signemur in corpore, veritate tamen* (nota) *in corde signamur,* &c. hæc ibi.

Idem libro de iis, qui Mysteriis initiantur cap. 7. eâdem edit. *Unde*, ait, *repete, quia accepisti signaculum spirituale,* &c. *signavit te Deus Pater,* &c. hæc ille.

XV. *Augustinus* concludat, qui lib. 6. de baptismo cap. 1. edit. Basil. 1528. sic ait: *Satis eluxit Pastoribus Ecclesiæ Catholicæ toto orbe diffusæ, per quos postea plenarii Concilii authoritate originalis consuetudo firmata est, & ovem, quæ foris errabat, & dominicum* (nota) *characterem à fallacibus deprædatoribus suis foris acceperat, venientem ad Christianæ unitatis salutem ab errore corrigi,* &c. *à vulnere sanari, characterem tamen dominicum in ea* (nota) *agnosci potiùs, quàm improbari,* &c. hæc ille.

Idem lib. 1. contra Cresconium cap. 30. eâd. edit. ubi de illis, qui ad Ecclesiam revertuntur, dicit: *Neque enim propterea immutandus vel improbandus est regius character in homine, si erroris seu veniam & militandi ordinem à Rege impetraverit, quia eundem characterem, quo sibi satellites congregaret, desertor infixit, aut propterea signa mutanda sunt ovibus, cum dominico gregi socientur, quia eis dominicum signum fugitivus servus impressit,* &c. XVI.

Similiter August. tract. 6. in Joann. eâd. edit. *Tene ergo, ait, quod accepisti: non mutatur, sed agnoscitur, character est Regis mei, non ero sacrilegus: corrigo desertorem, non immuto characterem,* &c. XVII.

Iterum epist. 1. ad Bonifacium, *sic enim*, ait, *error corrigendus est ejus, ut non corrumpatur signaculum Redemptoris,* &c.

Rursus libro secundo contra epistolam Parmen. cap. 13. edit. cit. adductâ similitudine de Charactere militari in corpore militis impresso Imperatoris sic subjungit: *An fortè minùs hærent Sacramenta Christiana, quàm corporalis hæc nota, cùm videamus nec apostatas carere Baptismate, quibus utique per pœnitentiam redeuntibus non restituitur, & ideo amitti non posse judicatur,* &c. hæc ille. XVIII.

Refutatur ex his responsio Acatholicorum, quasi sancti Patres solùm dicant, quòd Baptismus dicatur imprimere characterem ex eo solùm, quòd exteriùs sciatur, quòd aliquis aliquando sit baptizatus; hoc enim modo etiam Eucharistia imprimeret characterem, sed sancti Patres volunt, quòd in anima à Spiritu Sancto imprimatur indelebilis, & ideo Baptismus repeti non possit; cùm Eucharistia repeti possit. Hæc quoad characterem Baptismi; & similiter sancti Patres docent de Confirmatione & Ordine. XIX.

CAPUT III.

De Numero Sacramentorum novæ legis.

ARTICULUS I.

Referuntur opininiones Acatholicorum de Sacramentorum numero, & quænam sint.

I. Errores veterum hæreticorum de Sacramentis suprà relati sunt; quorum aliqui nulla Sacramenta recipiebant; moderni Acatholici etiam inter se de numero Sacramentorum dissentiunt.

II. *Lutherus* in lib. de Capt. Babyl. valde variè de Sacramentis loquitur. Nam in initio dicit, quòd si secundùm Scripturæ usum sit loquendum, *unicum tantùm sit Sacramentum*; negat autem esse septem, postea admittit tria: Baptismum, Panem, & Pœnitentiam. Tandem verò dicit in rigore loquendo esse *tantùm duo, Baptismum & Panem.*

Lutheri sectatores divisi sunt. Aliqui enim duo tantùm Sacramenta asserunt Baptismum & Eucharistiam, ita Philippus Melanchton in locis com. anni 21. & 22. cap. de Signis. Aliqui tria admittunt, *Baptismum, Eucharistiam & Pœnitentiam.* Ita Confessio Augustana art. 13. & sic communiter Lutherani in suis Catechismis tradunt. III.

Verùm Lutherani dicti *molles* septem Sacramenta agnoverunt, prout decreverunt in *Concilio suo Lipsiensi*, ubi cum Melanchtone adfuerunt plures Theologi Lipsienses & Wittenbergenses, ut refert *Schleidanus* lib. 20. Hist. circa annum 1548. quos in hoc arguit *Illyricus* in lib. quem inscripsit: *Adhortatio Illyrici ad constantiam in August. Confeßione,* &c. unde patet, quàm inconstans Fides fuerit ipsius Lutheri & Melanchtonis, IV.

Digitized by Google

nis, qui præcipuorum Lutheranorum antesignani sunt.

V. *Calvinus* lib. 4. Inst. cap. 18. §. 19. Duo tantùm Sacramenta agnoscit baptismum & Eucharistiam; de quibus dicit: quorum usus à primordio novi Testamenti ad consummationem sæculi usque Ecclesiæ Christianæ est traditus. Similiter §. 20. dicit: *His ergo duobus contenta sit Christiana Ecclesia.*

VI. Verùm cap. 14. §. 20. ubi etiam duo tantùm instituta dicit Sacramenta, *Baptismum & Eucharistiam,* se explicat dicens: *Loquor autem de iis, quæ in usum totius Ecclesiæ sunt instituta, nam impositionem manuum, quâ Ecclesiæ Ministri in suum munus initiantur, ut non invitus patior vocari Sacramentum, ita inter ordinaria Sacramenta non numero,* &c. hæc ibi.

Sed illam *ordinationem* juxta Cathol. Ecclesiæ morem rejicit ibid. cap. 19. §. 31. ubi, cùm multa in hoc Sacramentum prout in Ecclesia usurpatur pro sua consueta maledicendi libidine dixisset, subjungit: *Fœtet igitur eorum unctio; superest impositio manuum; quam ut in veris legitimisque ordinationibus Sacramentum esse concedo, ita nego locum habere in hac fabula,* &c. hæc ibi, qui tamen eodem cap. §. 3. aliter videtur sentire ut suprà relatum est.

ARTICULUS II.

Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ, & declaratur.

I. Doctrina Cathol. Ecclesiæ proponitur in Conc. Trid. sess. 7. can. 1. ubi dicitur: *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora, quàm septem, scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse verè & propriè Sacramentum, anathema sit.*

II. Idem olim in *Concilio Florent.* declaratum fuit, in instructione Armenorum, ubi tam Græci, quàm Latini PP. convenerant, & unanimi consensu septem Ecclesiæ Sacramenta à Christo instituta esse professi sunt.

Pro intelligentia doctrinæ Catholicæ.

III. Observandum 1. quòd ad hanc ostendendam non sit necessarium, ut in S. Scriptura hæc septem vocentur Sacramenta vel illis nominibus, quibus usitata sunt, ut Confirmatio, Confessio, extrema Unctio & Ordo, *&c.* 1. quia nunquam ad articulum Fidei requiritur, ut nomen in S. Scriptura exprimatur, modò res ipsa in verbo Dei comprehendatur; ùt patet de nomine *Incarnationis, consubstantialitatis,* &c. Secundò, quia si id requireretur, nec ipse Baptismus & Eucharistia Sacramenta essent; cùm nec illa in Scriptura nominentur sacramenta: Immo alia in scriptura vocantur Sacramenta, quæ nullatenus vel ab Ecclesia, vel ab Acatholicis vera sacramenta agnoscuntur; ut patet ex iis, quæ suprà ex sacra Scriptura de varia significatione Sacramenti retulimus.

IV. Observandum 2. quòd nec ad hanc doctrinam Fidei spectet, ut in S. Scriptura dicatur illa septem habere rationem sacramenti, cùm nec hoc ipsum de Baptismo & Eucharistia ostendi possit; nec ipsa ratio Sacramenti in sacra Scriptura præcisè exprimatur vel describatur. Ecclesia verò Cath. certã Sacramenti rationem, & ipsum nomen partim ex verbo Dei scripto, potissimùm ex verbo Dei tradito, certis Ecclesiæ ceremoniis à Christo institutis & ex sanctorum PP. testimoniis colligit; unde autem Acatholici illa de Baptismo & Eucharistia, ut de Fide certa credant, ostendere possunt? qui nullum Dei verbum traditum agnoscunt.

Observandum 3. quòd similiter necessarium non sit an Fidem, ut in ipsa S. Scriptura determinetur & specificetur *septenarius Sacramentorũ numerus,* & quòd non sint plura nec pauciora: cùm nec Acatholici ostendere possint, ubi S. Scriptura determinet *binarium vel ternarium Sacramentorum numerum,* vel an Ordo, ùt Calv. vult, vel Pœnitentia, ut Lutherani dicunt, cum reliquis duobus ternarium numerum constituant. V.

Observandum 4. quòd ad ostendendum Fidei articulum de Sacramentis in specie & illorum numero sufficiat, quòd ex testimonio sanctorum PP. de illis septem constet; quòd illa septem ab initio Ecclesiæ ùt Sacramenta à Christo instituta, sint tradita & usurpata; ita ut ostendi nõ possit de aliquo illorũ, quòd post tempora Apostolorum ab aliquo Concilio vel Pontifice primùm ordinata sint; juxta illud Aug. lib. 2. contra Donatistas c. 7. & lib. 4. c. 24. ed. Basil. 1528. ubi ait: *quod universa per orbem tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum sed semper retentum est, id non nisi authoritate Apostolicâ traditũ esse rectissimè creditur,* &c. VI.

Ex his sufficienter probaretur, quòd illa septem sint Sacramenta, licèt in sacra Scriptura de aliquibus nihil exprimeretur; nihilominus ex eadem de singulis ostendi poterit, & quòd ab Apostolis sint usurpata, & rationem Sacramenti habeant, ac etiam ex verbo Dei tradito, quod per sanctos Patres nobis innotescit: & hoc in libris sequentibus quoad singula probatur. VII.

Observandum deniq; quòd, quia Ecclesia Catholica rationem Sacramenti propriè dicti assignat, quam Acatholici rejiciunt; econtrà hi rationem proponunt, quæ ab Ecclesia ex ipsa S. Scriptura & sanctis PP. reprobatur, ùt suprà ostensum est; & ideo sufficeret, si juxta mentem SS. Patrum ratio Sacramenti illis septem competere probaretur prout ostendemus; nihilominus quia Acatholici generalem aliquam definitionem Sacramenti admittunt, ut quòd Sacramentum sit *signum sensibile significans invisibilem gratiam,* vel quòd sit *ritus externus ex Christi institutione in Ecclesia usurpandus habens annexam promissionem gratiæ iustificantis,* &c. licèt Acatholici aliter hanc gratiam & promissionem sine & contra textum S. Scripturæ explicent; etiam hoc modo de singulis ostenderetur, quòd sint propriè & verè Sacramenta, licèt non sit Christi mandatum, ut omnia ab omnibus & singulis recipiantur; hoc enim sine authoritate S. Scripturæ vel SS. Patrũ testimonio Acatholici addunt. Nec etiam, ut res in sacramento debeat esse elementum strictè loquendo, sicut aqua in Bapt. sic enim Eucharistia non esset sacramentum, ubi panis & vinum sunt materia quæ non sunt propriè elementa, sed corpora mixta; sed sufficit, quòd sint aliquæ res sensibiles, quæ per verba determinentur, & sic intellexit D. Aug. tract. 80. in Joann. dicens: *Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum.* VIII.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

De ceremoniis Sacramentorum.

ARTICULUS I.

Referuntur errores & mendacia Acatholicorum circa ceremonias.

I. SCiendum quòd ceremoniæ juxta usum S. Scripturæ significent ritus seu actus externos sacros, qui ad honorem Dei in Ecclesia exercentur: quarum aliquæ sunt & dicuntur divinæ; quæ scilicet à Deo immediatè sunt institutæ & ordinatæ, quales plurimæ erant in lege veteri, ut circumcisio, & plures aliæ in libris Moysis, præsertim Deuteronomio expressæ, tales etiam in novo testamento sunt sacramenta à Christo instituta, aliæ sunt humanæ seu ecclesiasticæ, quæ ab Apostolis, eorúmque successoribus sunt ordinatæ, tales etiam in veteri testamento erant festa ab hominibus ordinata, ut à Mardochæo festum Esther 9. & festum quod in memoriam victoriæ tempore Judith obtentæ ab Hebræis institutum & observatum fuit, ut habetur Judith ult. cap. aliud etiam festum dedicationis altaris novi à Machabæis ordinatum erat 1. Machab. 4. v. 59. quod ipsum Christus honoravit, dum eidem interfuit, ùt patet Joann. 10 v. 22. ubi dicitur: *Iusta sunt autem sunt Encænia in Ierosolymis,* &c. *Et ambulabat Iesus in templo, &c.* similiter in Ecclesia festa sunt instituta Paschæ, Pentecostes, & reliqua. Sic etiam ordinata sunt tempora jejuniorum. Aliæ ceremoniæ sunt quoad modum in publicis orationibus genuflectendi, vel standi. Aliæ sunt quoad benedictiones aquæ, vini, olei, vestium, palmarum, *&c.* aliquæ sunt ad exorcizandos dæmones, aliquæ ad decorem & modum in administratione sacramentorum servandum.

II. Quamvis autem ipsa sacramenta à Christo instituta sint cæremoniæ, per quas solas gratia justificans confertur, non tamen in communi usu de sacramentis intelligitur. Cùm de ceremoniis quæstio est, sed de ceremoniis ab Apostolis & Ecclesia institutis, quæ gratiam justificantem non conferant, licèt alios effectus aliquæ habeant. Hîc potissimùm de ceremoniis, quæ circa administrationem sacramentorum in Ecclesia observantur, agemus.

III. Fuerunt olim errores contra quasdam Ecclesiæ ceremonias quoad festa, & jejuniorum tempora, & imprimis quoad ipsum Pascha celebrandum. Sic *Manichæi ridebant Catholicos quoad Pascha celebrandum* dicentes: *Cur & vos ad solis & lunæ computationem Pascha celebratis?* ùt refert Augustinus epist. 119. cap. 7.

IV. Gravior autem commotio fuit aliorum in Asia *quartodecimani* dicti sunt urgentes, ut pascha more Judæorum semper lunâ decimâ quartâ celebraretur, de his refert D. Augustinus lib. de hæres. cap. 27. dicens: *Tesseri scadecatitæ appellati sunt, quòd non nisi quartâ decimâ lunâ, mense martio pascha celebrabant, quilibet septem dierum occurreret dies, etsi dies Dominicus occurrerit, ipso die vigilabant & ieiunabant, &c.* Contra hos *Concilium Nicænum primum* fuit congregatum, ùt refert *Epiphan.* hæresi 70. ubi mandatum, ut omnes ordinationi Ecclesiæ pareren, pertinaces verò hæretici declarati sunt.

V. *Aëriani*, ùt refert *Epiphan.* hæresi 75. *ultra Arianorum hæreses addebant inter alia hæc dicentes, quòd pascha, quod peragitis Iudaicis fabulis adducti estis,* &c. *sed neque ieiunium erit ordinatum, hæc enim Iudaica sunt, Iustis enim non est lex posita* (nota modernorum Acatholicorum patentes) *unde nunquam iuxta legem Ecclesiæ feriâ quartâ, vel in sabbatho, vel in quadragesima ieiunabant, sed tunc commessabantur, & die dominicâ ad placitum ieiunabant, &c.* hæc Epiphan. De iisdem dicit *August.* hæresi 59. *Aërius ad Arianam hæresin aliqua dogmata addidit,* scilicet inter alia; *statuta solemniter ieiunia celebranda non esse.*

VI. *Ioviniani* referente August. ibid. hær. 82. inter alia dicebant, *nec aliquid prodesse ieiunia vel à cibus quibusdam abstinentiam,* &c.

VII. *Faustus Manichæus* apud August. lib. 20. contra eundem cap. 4. Catholicis objiciebat, dicens: *Sacrificia gentium in Agapes vertistis, idola in martyres, quos votis similibus colitis, defunctorum umbras vino placatis & dapibus, solemnes gentium dies in ipsis celebratis, &c.* Ipse autem Faustus cap. 3. dicit: *Ego honores divinos ac sacrificia in solis orationibus, & ipsis puris ac simplicibus pono, &c.* quem Aug. refutat ostendens, quòd soli Deo Catholici sacrificium corporis & sanguinis Domini offerant; nulli creaturæ sacrificent; martyres honorent c. 21. quæ copiosiùs Art. 5. referentur.

Hi fuerunt antiquorum Hæreticorum errores contra ceremonias Ecclesiæ quoad festa, jejunia, *&c.*

VIII. *Donatistæ* etiam contra ceremonias Baptismi agebant urgentes; quòd nulli possint validè baptizari, nisi in Ecclesia Catholica vel à Catholicis, adeóque ab hæreticis baptizatos iterum baptizabant: ùt refert Aug. lib. de Hær. cap. 69. & passim in suis libris.

IX. *Vigilantius* reprehendebat Catholicos, quòd sole adhuc fulgente moles cereorum ad memorias martyrum accenderent; ùt refert & refutat Hieron. lib. contra eundem cap. 27.

X. *Vlpianus Iurisconsultus* Ethnicus, ùt habetur apud Justinianum de variis extraordin. Cognit. L. præses Provinciæ, negabat per exorcismos quicquam effici, & Christianos id asserentes impostores vocabat.

Posterioribus seculis exsurrexerunt plures, qui ceremonias Ecclesiæ circa Sacramentorum administrationem contempserunt.

XI. *VValdenses* circa Ann. 1180. deridebant omnes benedictiones, quas Ecclesia usurpat, super panem, aquam, oleum, *&c.* ùt refert Æneas Sylvius Histor. Bohem. cap. 35.

Circa Ann. 1480. *VVicleffistæ* similiter dicebant, benedictiones salis, aquæ, vini & olei nihil habere efficaciæ, ùt refert Bernardus Luxenburgensis & Thomas Waldensis tom. 3. de Sacramentalibus.

Moderni Acatholici adeò hæreticos veteres imitantur; ut pleraque ceremonias Ecclesiæ circa Sacramentorum usum derideant & damnent.

XIV. *Lutherus* lib. de Visione Danielis contra Cathatinum damnat omnes creaturarum benedictiones.

Idē in confessione dicebat: *Lampades cerei & quæcunque huius generis sunt indifferentia & proinde libera indicamus, &c.* sic paulatim incepit.

XV. *Magdeburgenses* centur. 7. lib. 2. cap. 6. negant patrinos seu fidejussores in baptismo adhibendos, centur. 1. lib. 2. cap. 6. exorcismos rejiciunt.

XVI. *Calvinus* lib. 4. Instit. cap. 10. §. 20. negat aquam lustralem vel benedictam ab Apostolis ordinatam, sed hanc, ùt vocat, inventionem alicui Romano Episcopo historias tribuere dicit, addens de illo: *Qui si Apostolos in Concilium adhibuisset, nunquam profectò contaminâsset baptismum alieno & intempestivo symbolo.* cap. 15. §. 19. dicere audet, *quasi res esset contemptibilis ex Christi præcepto aquâ baptizari, inventa est benedictio, vel potiùs incantatio, quæ veram aquæ consecrationem pollueret.* hæc ibi.

Ibidem subdit dicens: *Additur postea cereus cum chrismate, exsufflatio verò ianuam ad baptismum aperire visa est. Etsi autem me non latet, quàm vetusta sit adventitiæ huius farraginis origo, respuere tamen mihi & omnibus piis fas est, quicquid ad Christi institutionem addere ausi sunt homines, quum autem videret Satan, &c. inter ipsa Euangelii receptas esse suas imposturas ad crassiora ludibria prorupit: hinc sputum & similes nugæ palàm in baptismi probrum effreni licentiâ invectæ, &c.* hæc impudens Calvinus contra antiquæ Ecclesiæ agnitum usum.

XVII. *Ioannes Casimirus Comes Palatinus* in sua ecclesiastica reformatione plura addit, utpote art. 8. dicens: *Nulla baptisteria in Ecclesia ferenda sunt.* Item art. 10. *Quæstio ad baptizandum*, abrenuncias diabolo, *nihili æstimabitur, & prorsus antiquabitur*, &c.

XVIII. Cæterùm hi falsi Reformatores agnoscentes se in veritate non posse subsistere, ut ceremonias, quas Ecclesia Catholica in Sacramentorum usu observat, simplicioribus exosas redderent; crassissima Ecclesiæ affinxerunt mendacia: prout patet apud *Kemnitium* Lutheranum 2. parte Exam. Concilii Trid. pag. 157. & in ipso Calvino, inter quæ sunt ista: Primò, quòd Concil. Trid. approbârit quoscunque Ritus etiam absurdissimos ab hominibus excogitatos, secundò, quòd Catholici ceremonias ecclesiasticas anteponunt Dei præceptis. Tertiò, quòd doceant sine talibus ritibus Sacramenta à Christo instituta non habere efficaciam.

XIX. Et quidem *Calvinus* lib. 4. inst. cap. 10. §. 9. dicere non erubescit, quòd Catholici præcipuum Dei cultum in istis ceremoniis constituant dicens: *Nónne authores ipsi clarâ voce definiunt, ipsissimum* (ut ita loquar) *Dei cultum in ipsis contineri*; sed hæc falsissima esse ostendetur. Calvinus calumniis his non contentus alias addit §. 10. quasi Ecclesia Catholica irritum faciat præceptum Dei propter ceremonias, quòd majoris delicti arguat transgressores ceremoniarum, quàm præceptorum Dei, dicens: *quàm immenso apud eos sceleratiùs fit auricularem confessionem vertente anno prætermisisse, quàm nequissimam vitam in solidum annū produxisse, linguam die Veneris infecisse modico carnis gustu, quàm totum corpus diebus omnibus scortando fœdâsse, &c.* & alia plura exaggerat, tandémque dicit, quòd Ecclesia suos ita instruat: *ut a...u ore animo universam Dei legem subversam visuri sint, quàm apiculum in præceptis* (ùt vocant) *Ecclesia violatum, &c.* hæc mendax & Calumniator Calvinus; quæ falsissimè Ecclesiæ imponi quilibet fidelis agnoscit: hæc tamen referenda sunt, ut malitia Calvini & sequacium ejus constet, qualiter suis fictis mendaciis Ecclesiæ Catholicæ veram doctrinam exosam reddere studuerint & studeant: quid autem Ecclesia Catholica doceat, ostendetur.

ARTICULUS II.

Refertur Doctrina Ecclesiæ Catholicæ quoad Ceremonias circa Sacramenta.

Hanc proponit Concil. Trid. sess. 7. de Sacramentis in genere can. 13. ubi sic definitur; *Si quis dixerit receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ Ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libitu omitti, aut per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.* I.

Item sess. 22. cap. 5. dicitur: *Cúmque natura hominum ea sit, ut non facilè queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli: propterea pia mater Ecclesia Ritus quosdam, ut scilicet, quædam summissâ voce, alia verò clariore in Missa pronunciarentur, instituit, ceremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliáque id genus multa ex Apostolica disciplina & traditione, quo maiestas tantò ferventiùs commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latēt, contemplationem excitarentur.* II.

Ibid. can. 9 sic definitur: *Si quis dixerit Ecclesiæ Romanæ ritum, quo summissâ voce pars canonis & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse, aut linguâ tantùm vulgari missam celebrari debere, aut aquam non miscendam vino in calice offerendo, eò quòd sit contra Christi institutionem. anathema sit.* III.

Item sess. 23. can. 5. sic definitur: *Si quis dixerit sacram unctionem, quâ Ecclesia in actu ordinationis utitur, non tantummodo requiri, sed contemnendam & perniciosam esse, similiter & alias ordinis ceremonias, anathema sit.* IV.

Demum sess. 24. can. 11. sic definitur: *Si quis dixerit prohibitionem nuptiarum certis annis temporibus superstitionem esse tyrannicam ab Ethnicorum superstitione profectam aut benedictiones & alias ceremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit, anathema sit, &c.* V.

Ex his patet quòd Acatholici falsissimè imponant Concilio Trid. quasi absurdissimos quosque actus ab hominibus excogitatos approbârit. Cùm solùm illos, qui vel ex Apostolica traditione habentur, vel à successoribus eorum instituti Ecclesiæ universali usu recepti & ordinati fuerunt ad majorem in Sacramentorum administratione decorem, & reverentiam, approbet: nullo modo autem approbat ritus, quos quisque privatus pro suo arbitrio usurpat. VI.

De ritibus Ecclesiæ agit D. Augustinus epist. 119. ad Januarium, ubi refert & explicat aliquos Ecclesiæ ritus; utpote cur pascha non cum Judæis sit institutum; & cur dies Dominicus celebretur pro sabbatho? cur & quando quadragesimale ieiunium servetur? cur item tempore paschali & dominicis diebus stantes orent fideles? cur festum Pentecostes celebretur? Alleluja cantetur, *&c.* quoad particulares variarum Ecclesiarum Ritus tomo 2. edit. Bal. 1529. cap. 18. sic ait: *Miror sanè, quòd ita volueris, ut de his, quæ variè per diversa* VII.

lo-

loca observantur, tibi aliqua conscriberem, cùm non sit necessarium, ut una in his saluberrima regula retinendi sit, ut quæ non sunt contra Fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris ubicunque institui videmus vel instituta cognoscimus; non solùm non improbemus, sed etiam laudando & imitando sectemur, &c. hæc Aug. Ecce quàm latè & prudenter Ritus extendat.

VIII. De aliis verò Ritibus, qui in diversis locis variè servantur, sine certo fine concludit cap. 19. dicens: *Omnia itaque talia, quæ neque sanctarum Scripturarum authoritatibus continentur, nec in Conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universæ Ecclesiæ roborata sunt, sed diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter vestiantur, ita ut vix aut omnino nunquam inveniri possint causæ, quas in his instituendis homines secuti sint, ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione resecanda existimo.* Ubi conqueritur, quòd in quibusdam locis tot oneribus fideles premantur, *ut tolerabilior sit conditio Iudæorum*, &c. hoc quidem Acatholici arripiunt contra Ritus Ecclesiæ circa Sacramentorum usum & aliorum, sed malevolè, nam & Aug. statim subjungit dicens: *Sed Ecclesia Dei inter multā paleam multaq; zizania constituta multa tolerat, & tamen, quæ sunt contra Fidē vel bonam vitā non approbat, nec tacet, nec facit*, &c. hæc Aug.

XI. Ex quibus patet, quòd D. Augus. in Ecclesia antiqua juxta S. Scripturam supposuerit, prout Concil Trid. supponit, quòd ritus non solum illi, qui in sacra Scriptura exprimuntur, sed etiam alii qui vel ab Episcoporum Concilio instituti sunt, vel Ecclesiæ universæ usu roborati sunt, meritò recipiendi, laudandi & observandi sint: prout ampliùs tam ex S. Scriptura, quàm ex SS. Patribus demonstrabitur.

ARTICULUS III.

Quòd Ritus seu Ceremoniæ ab Apostolis vel Ecclesia institutæ & præceptæ in conscientia obligent, probatur ex S. Scriptura.

I. Probatur 1. in generali, quia Apostoli & Ecclesia habent potestatem ferendi leges, quæ in conscientia fideles obligent, hoc patet 1. ex illo Rom. 13. v. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt, itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*, & ibid. v. 5. *Ideo necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam*, &c. Cùm itaque Apostolus doceat, quòd præceptis alioquin bonis Principum infidelium, quales tunc temporis erant, fideles non solùm propter externum timorem, sed etiam propter conscientiam ex Dei ordinatione obedire debeant, multò magis hoc intelligendum est de Principibus fidelibus & maximè Ecclesiasticis: cùm Apostolus dicat, non est potestas nisi à Deo, ac si diceret, omnis potestas est à Deo, & ex Dei ordinatione.

II. Quòd autem Ecclesiæ Præpositi potestatem habeant, Apostolus de seipso ostendit 2. Cor. 13. v. 10. dicens: *Ideo hæc absens scribo, ut non præsens durius agam secundùm potestatem, quam Dominus mihi dedit in ædificationem & non in destructionē*, &c. & hanc specialiter supponit ad Hebr. 13. v. 17. dicens: *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis, ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri*, &c. Ex quibus clarè patet, quòd illa quæ ab Ecclesiæ Præpositis instituuntur & præcipiuntur servanda & in conscientia obligent.

III. Calv. tamen lib. 4. Inst. c. 10. §. 5. contra tam clara Scripturæ verba, audet ad locum Apostoli Rom. 13. respondere dicens: *In hoc ordine Pauli versatur disputatio, magistratus, quoniam à Deo ordinati sunt, honore prosequendos esse, interea minimè docet, quæ ab illis scribuntur leges ad interiorem animæ gubernationem pertinere.* quod si intelligeret de legibus quæ solos actus internos præscriberent, verum esset, quia Ecclesia docet quòd potestas humana non versetur circa actus merè internos, sed circa externos, & sic indirectè tantùm circa internos, quatenus externi per internos dirigi debent: verùm Calv. generaliter vult intelligi, ibid. dicens: *Alterum quoque notatu dignum est, leges humanas sive à Magistratu sive ab Ecclesia ferantur, tametsi sint observatu necessariæ (de probis & iustis loquor) ideo tamen non ligare per se conscientiam*, &c. sed verba Apostoli clarissima sunt, quòd leges humanæ in conscientia obligare possint.

IV. Ad alterum locum Hebr. 13. pro suo placito ibid. §. 6. de Episcopis Ecclesiæ dicit: *Sanè, si veri Episcopi essent aliquid eis in hac parte authoritatis tribuerem, non quantùm sibi postulant, sed quantùm ad politiam Ecclesiæ ritè gubernandam requiritur*, &c. hæc Calvinus.

V. Veruntamen Ecclesiæ Præpositi nullam aliam sibi potestatem vendicant; scilicet circa actus externos, qui spectant ad bonum Ecclesiæ ordinem tam circa Sacramenta, quàm alia: quòd autem Episcopi Rom. Ecclesiæ sint veri, ex S. Scripturæ capitibus ostensum est lib. de Ecclesia.

VI. Probatur assertio 2. in speciali, quòd Episcopi in Ecclesia potestatē habeant ordinandi & præcipiendi illos Ritus, qui ad decorem & debitam Sacramentorum administrationem conducere visi fuerint; hoc primò patet ex illo 1. Cor. 11. in fine, ubi Apost. ait: *Cætera cùm venero disponam*: ubi constat in illo cap. quòd multa ordinaverit, & addit, quod plura disponere adhuc vellet. Circa quem locum D. Aug. epist. 118. c. 6. ed. Basil. 1529. tomo 2. supponit, quòd Christus Apostolis dederit potestatem ordinandi ea, quæ ad debitum Sacramentorum usum spectant, & quidem in speciali, quod licèt Christus post communem cænā instituisset cænam Eucharistiæ, & hic usus in initio Ecclesiæ fuerit, dicit tamen August (Christus) *non præcepit quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat hunc servaret locum. Nam si hoc ille monuisset, ut post cibos alios semper acciperetur, credo quòd eū morem nemo variasset, Cùm verò ait Apost. de hoc Sacramento loquens: propter quod fratres, non convenitis ad manducandum, invicem exspectate, si quis esurit, domi manducet, ut non ad iudicium conveniatis, statim subtexuit cætera autem cùm venero, ordinabo. Unde intelligi datur, quia multum erat, ut in Epistola totum illum agendi ordinem insinuaret quem universa per orbem servat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse, quòd nullà morum diversitate variatur*, &c. hæc Aug. Ecce potestatem Apostolorum & Ecclesiæ.

VII. Eadem potestas probatur 2. ex illo 1. Cor. 14. v. 40. ubi Apost. dicit: *Omnia autem honestè & secundùm ordinem fiant.* ubi Apost. clarè supponit, quod in Ecclesia seu Ecclesiæ Præpositis sit potestas quâ honestū & decentem ordinem fidelibus præscribat vel præcipiat, qualiter inter se &

Digitized by Google

maximè in Eccleſia converſari debent, de quo converſandi modo plura in illo cap. præſcripſerat, & tandem per verba allegata concludit: *Omnia autem honeſtè, &c.* quod ſpecialiter circa ſacramentorum adminiſtrationē eſt intelligendum. Si autem Præpoſiti Eccleſiæ non habeant poteſtatem præcipiendi hujuſmodi ordinem, quomodo talis ordo ſervabitur? cùm alioquin quot capita tot ſententiæ vel modi forent.

VIII. Hoc ipſum Calv. fateri debet loco allegato, & eodem cap. §. 14. ubi licèt multùm debachatus eſſet contra ceremonias Eccleſiæ Cathol. eas tyrannidis calumniando, & aſſerendo; quòd Chriſtus in nova lege non voluerit externas ceremonias quibus Deus adoratur, ſicut in lege Moyſi: ſed mulieri Samaritanæ Joann. 4. dixerit, quòd veri cultores adorabunt Deum in ſpiritu & veritate; veruntamen videns hoc falſum eſſe, quia ſic nō ſolùm omnes ceremoniæ ab Eccleſia inſtitutæ, ſed etiā illæ, quas Chriſtus inſtituit; ſcilicet ſacramentum Bapt. & Euchariſtiæ tollerentur, ſubjicit dicens: *Ergóne (inquies) nihil ceremoniarum rudioribus dabitur ad iuvandā eorum imperitiam, id ego non dico, omnino enim utile illis ſentio hoc genus adminiculi, &c.* & generaliùs §. 27. dicit: *Quum in hominum moribus tanta inſit diverſitas, tanta in animis varietas, &c. neque politia ulla ſatis firma eſt, niſi certis legibus conſtituta, neque ſine ſtata quadam forma ſervari Ritus quiſpiā poteſt. Hæc ergo quæ condunt leges tantùm abeſt, ut damnemus, ut his ablatis diſſolvi ſuis nervis Eccleſias, totasque deformari & diſſipari contendamus, neque enim haberi poteſt, quod Paulus exigit, ut decenter omnia & ordine fiant, niſi additis obſervationibus tanquā vinculis quibusdā ipſe ordo ipſe & decorū conſtet, &c.* hæc Calv. veritate coactus.

IX. Sic etiam Acatholici paſſim practicant; dum in ſingulis ferè locis agendas licèt ſæpe diverſas ordinatas habent; quas Eccleſiaſticas ordinationes vocant, juxta quas in Eccleſia converſandum & agendum ſit.

X. Verum Calv. cum ſuis aliud vult in Eccleſia reprehendere; quòd doceat, illas ceremonias ab Eccleſia ordinatas in conſcientia fideles obligare, & quòd illæ ceremoniæ etiam ad Dei cultum pertineant; ſic enim Calv. ibid. §. 3. ait: *Ab hoc ordine procul diſtant quæ & novam formam præſcribunt colendi Deum & neceſſitatem conſtituunt in rebus liberis.* & §. 27. dicit; *Id tantùm ſemper in iſtis obſervationibus excipiendum eſt, ne aut ad ſalutem credantur neceſſaria, atque ita conſcientias religione obſtringant, aut ad Dei cultum conferantur, atque ita in illis reponatur pietas, &c.*

XI. Rurſus dicit, ceremonias ab Eccleſia ordinatas eſſe inutiles, ita §. 11. *Etſi præter inane oblectamentū nihil habeant*, cujus exemplum ponit §. 29. dicens: *Quale exemplum videmus in illo theatrico apparatu, quo Papiſtæ utuntur in ſuis fanis, ubi nihil, quàm inutilis elegantiæ larva*, ſic Calvinus pro ſuo placito calumniatur.

ARTICULUS IV.

Doctrina Eccleſiæ Catholicæ quoad Ceremonias probatur.

I. Doctrinā Eccleſiæ Cath. quoad ceremonias in his conſiſtit, 1. quòd Eccleſia poſſit ordinare & præcipere ceremonias obſervandas quæ in conſcientia obligent, hoc ipſum ex ſacra Scriptura demonſtratum eſt.

Quod etiam clariſſimè probatur ex iis, quæ in primitiva Eccleſia practicata ſunt, nam clarum eſt, quòd olim *Quartodecimani* hæreſeos damnati fuerunt, quia nolebant obedire ordinationi Eccleſiæ quoad tempus celebrandi Paſcha. II.

Similiter inter Manichæorum & Aërianorum & aliorum hæreſes ab Eccleſia damnatas à SS. Patribus Epiphanio & Auguſtino referuntur; quòd Catholicos damnârint in eo, quòd Paſcha celebrarent, jejunia certis temporibus ſervarent prout art. 1. relatum eſt, quod ſi illa in conſcientia non obligaſſent fideles ſed planè libera fuiſſent, cur ab Eccleſia his contradicentes damnati fuiſſent? III.

Et quidem ipſe Calvinus ſup. §. 31. poſtquam juxta ſuum ſenſum determinaſſet, quæ ceremoniæ veræ eſſent, dicit: *Iam verò Chriſtiani populi officium eſt, quæ ſecundùm hunc canonem fuerint inſtituta liberā quidem conſcientiā nullāque ſuperſtitione, piā tamen & facili ad obſequendum propenſione ſervire, non contemptim habere, non ſupinā negligentiā præterire: tantùm abeſt, ut per faſtum vel contumaciam violare aperte debent: Qualis (inquies) in tanta obſervantia & cautione conſcientiæ libertas eſſe poterit, imò verò præclare conſtabit, ubi reputabimus non fixas eſſe & perpetuas functiones quibus adſtricti ſumus, ſed externa humanæ infirmitatis rudimenta, &c.* hæc ille. ubi volens nolens fateri debet; quòd populus ad illas obſervandas adſtringatur: ſed frivola eſt excuſatio, ut dicat, id fieri cum conſcientiæ libertate ex eo, quòd non ſint perpetuæ: quia ſaltèm fateri debet, quòd pro tempore, quo ordinatæ ſunt, populus obſervare debeat & crimen committat ſi contemptim omitteret; & licèt excuſare velit illa, quæ Paulus 1. Cor. 14. in Eccleſia obſervanda monet quaſi libera ſint, tandem tamen concludit dicens: *Nam quantarum rixarum ſemen futura ſit earum rerum confuſio, ſi prout cuique libitum ſit, mutare liceat, quæ ad communem ſtatum pertinent, &c. quod ſi quis obſtrepet, & plùs ſapere hic velit, quàm oportet, viderit ipſe, quā moroſitatem ſuam ratione Domino approbet, &c.* hæc Calvinus. IV.

Hoc ipſum eſt quod Eccleſia Catholica docet; ceremonias ab Eccleſia ad communem uſum & decorem ordinatas & præſcriptas ita in conſcientia obligare, ut non cuilibet liceat eas per contemptum vel craſſam negligentiam omittere, ſed veram Deo rationem reddere debeat, ùt Calvinus concludit, quod verum non eſſet, niſi coram Deo & in conſcientia obligarent. V.

2. Quod Eccleſia Cath. quoad ceremonias docet, eſt, *quod ſint utiles*; ita tamen ut non ſint per ſe neceſſariæ ad ſalutem eo modo quo Sacramenta ſunt neceſſaria neceſſitate medii, vel quòd conferant gratiam juſtificantem quod falſiſſimè Acatholici Eccleſiæ imponunt. VI.

Hoc ſecundum evidens eſt, quia ſola illa Sacramenta quæ à Chriſto ipſo ſunt inſtituta gratiam illam conferunt; quales non ſunt ceremoniæ ab Eccleſia inſtitutæ, ut ſuprà relatum eſt. *Sunt autem utiles variis modis*, ſpecialiter verò VII.

1. Quia excitant fideles & inſtruunt ad pietatem ac majorem reverentiam Sacramentorum, dum illa certis & decentibus ritibus exercentur: prout in Eccleſia Catholica populus informatur, hoc ipſum D. Aug. Epiſt. 119. ad Januarium in actibus Eccleſiæ commendat, & ipſe VIII.

Calvi-

Calvinus ſup. §. 28. juxta Pauli verba, ut decorum fiat, dicit: *Ac decori quidem ſinis eſt, partim ut dum adhibentur ritus, qui venerationem rebus ſacris concilient, talibus adminiculis ad pietatem excitemur; partim etiam, ut modeſtia & gravitas, quæ in omnibus honeſtis actionibus ſpectari debet, illic maximè eluceat,* &c. hæc ille. Jam vero quisque judicet, an non ritus Eccleſiæ Catholicæ circa uſum ſacramentorum & verbum Dei in Eccleſia ad iſtos fines longe utiliores ſint, quàm ritus pauci, & quidem prophani, quos Acatholici in locis ſuis uſurpant, ut dum ſuam cœnam, ut volunt, dominicam, quaſi ad communem menſam quidam ſedentes, alii ſtantes, quidam etiam tectis capitibus ſumunt. Certè plures ſinceri Acatholici venientes ad templa Catholica multum ædificantur & excitantur, ac ſuorum in ritibus ruditatem deteſtantur, prout ſæpius audivi. Falſiſſimū autem eſt, *quod ritus in ſacrificio Miſſæ ſint inutiles, theatrici & ad ſolum luxum ſervientes*, ut Calv. calumniatur. Nam omnes ritus habent ſuas ſignificationes, quibus populus ad conſideranda paſſionis Chriſti myſteria excitatur, & ad majorem tremendi illius ſacrificii reverentiam movetur. Similiter ceremoniæ, quæ in baptiſmi adminiſtratione adhibentur, plurimum reverentiæ excitant & pietatis, prout SS. Patres infrà allegandi teſtantur.

IX. Tertium, quod Eccleſia de ceremoniis docet, illud eſt *Quòd etiam ſpectent ad aliquem cultum Dei, quibus Deus colatur, licet non ſint præcipuus Dei cultus:* hoc ſecundum falſiſſimè Calvinus ſuprà §. 9. Eccleſiæ imponit, dicens: *Nonné Authores ipſi clarâ voce definiunt, ipſiſſimum (ut ita loquar) Dei cultum in ipſis contineri,* ſed mera calumnia eſt, nec talis definitio allegari poteſt. Certum autem eſt, quod Eccleſia Catholica juxta S. ſcript. docet, quod Deus præcipuè per actus internos, *fidei, ſpei, & charitatis* colatur, de quo Chriſtus Joann. 4. v. 23. dicit: *Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate,* & v. 4. *Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare,* &c. ſic Marci 12. v. 33. dicitur de dilectione Dei & proximi, *majus eſt omnibus holocauſtomatibus & ſacrificiis,* &c. & juxta hoc D. Aug. in Enchiridion ad Laurent. c. 3. dicit: *Deus fide, ſpe, & charitate colitur,* &c. in quibus præcipuus Dei cultus conſiſtit; ſicut & in interno actu virtutis religionis, qui ſpecialiter verſatur circa Deum ut ſummum bonum colendum & honorandum. Quia verò homo conſtat ex anima & corpore, & ex totis viribus Deum amare obligatur, etiam per actus exteriores Deum colere tenetur, qui per actus internos religionis & trium virtutum theologicarum imperantur. Tales autem actus exteriores aliqui à Deo ipſo ordinati ſunt in nova lege; ut ſunt ſacrificium Miſſæ & omnia ſacramenta, quæ ad colendum Deum exercentur. Plures alii etiam expreſsè in S. ſcriptura indicantur Epheſ. 5. v. 19. Apoſtolus hortatur, dicens: *Loquentes vobiſmet ipſis in pſalmis & Hymnis & canticis ſpiritualibus.* &c. ubi ſupponit actus internos, addens; *Cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino, gratias agentes ſemper,* &c.

X. Præter hos autem externos ritus, quibus Deus colitur, etiam Eccleſia agnoſcit ritus ab Apoſtolis & Eccleſia ordinatos, licèt in S. ſcriptura expreſsè non ponantur.

XI. Quod autem etiam per tales ritus piè & laudabiliter Deus colatur, nimis clarum eſt, licèt Acatholici contradicant. Hoc enim patet ex ipſa naturali ratione, & ex generali Dei præcepto, quod Deus ſuper omnia ſit colendus; & quod ſicut homo ex toto corde Deum amare tenetur, ſic etiam ex totis viribus: & proinde omnes ſuas actiones ad Dei honorem dirigere, ſaltem implicitè obligatur; & explicitè dirigere poteſt, juxta illud Coloſſ. 3. v. 17. *Omne, quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Ieſu Chriſti,* &c & 1. Cor. 10. v. 31. *Sive ergo manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite,* &c. quid eſt aliud Deum colere, quàm in gloriam ejus omnia facere? ſi hæc Apoſtolus de ſingulis particularibus externis actibus dixerit, multò magis intelligendum eſt de actibus & ritibus, quos Eccleſia ſpecialiter inſtituit & ordinavit, ut ad majorem Dei honorem circa uſum ſacramentorum exerceantur.

Ex his confutatur turpis illa Calvini exceptio, dum ſup. cap. 10. §. 27. dicit: *Id ſemper in iſtis obſervationibus excipiendum eſt, ut ad Dei cultum non ferantur, atque in illis ponatur pietas.* Primum evidenter falſum eſt, quia omnia ad Dei cultum ferri poſſunt, quantò magis iſta? Secundum ſi intelligat, quod tota & primaria pietas in illis ponatur, hoc Eccleſia non docet, ſed quod aliqua pietas externa per actus internos intenta & imperata ponatur, & hoc clarum eſt, quia ex pia cordis intentione fiunt. Rurſus fruſtrà Calvinus aliam regulam format, dicens ibid. § 30. *Hic teſtari operæ pretium eſt, eas demum ceremonias conſtitutiones me probare, quæ & Dei authoritate fundatæ, & ex ſacra ſcriptura deſumptæ, adeóque prorſus divinæ ſunt,* &c. hæc ille. Vnde exiſtimat ceremonias ab Eccleſia ordinatas in S. ſcriptura non expreſſas non ſpectare ad cultum Dei, tanquam ab hominibus inventas. Sed hæc fruſtra dici patet ex prædictis. Vel enim Calvinus vult, quod nullus actus exerceri poſſit ad colendum Deum, niſi Deus in S. ſcriptura ipſum in ſpeciali expreſsè ad hoc ordinaverit & præceperit, vel quod ſaltem in generali ex verbis S. ſcripturæ colligatur: Primum manifeſtè falſum eſt, quia plura exempla ſunt in S. ſcriptura, ubi viri juſti aliqua ad colendum Deum exercuerunt, licèt id in ſpeciali ipſis à Deo præceptum non eſſet, prout patet in facto Abel Gen 4. v. 4. dicitur: *Abel quoque obtulit de primogenitis ſuis, & de adipibus eorum.* &c ſic Noe, Abraham, Iſaac & Iacob ædificarunt altaria, in quibus offerebant Deo, *nec tamen in ſcriptura exprimitur, quod Deus ipſis illa præceperit.* Et ſimilia plura referri poſſunt. Si autem dicatur, quod ſaltem in generali in ſcriptura dicatur per talia Deum coli poſſe, & aliqualiter ſic à Deo præcepta vel deſignata eſſe; hoc admitti poteſt, & id patet ex ritibus ab Eccleſia ordinatis, quia Deus præcepit generaliter, ut fideles præpoſitis obediant, ac proinde etiam quoad ceremonias ab Eccleſia ordinatas. XII.

2. Quia ſcriptura paſſim docet, & ex Apoſtolo ſuprà conſtat, quod omnia poſſunt ad Deum colendum referri, &c. quia virtus religionis & charitatis omnes actus externos ad Deū colendum imperare poteſt, & ſic in generali Deus præcepit & ordinavit. XIII.

Demum Calvin. volens nolens hæc admittere debet, nam ſup. §. 30. cùm illam replicam poſuiſſet, ſtatim poſt verba ſuprà poſita ſubjungit dicens: *Exemplum ſit in geniculatione, quæ fit, dum ſolennes habentur precationes.* De qua conſtat, quod non expreſsè in S. ſcript. XIV.

præcipiatur. Sed ipſe Calvinus vult illam eſſe divinam & à Deo præceptam in generali; ſubjungens de illa: *Quæritur, ſitne humana traditio, quam repudiare vel negligere cuivis liceat, dico, ſic eſſe humanam, ut ſimul ſit divina; Dei eſt, quatenus pars eſt decori illius, cuius cura & obſervatio nobis per Apoſtolum commendatur; hominum autem quatenus ſpecialiter deſignat, quòd in genere fuerit indicatum magis quàm expoſitum ab hoc uno exemplo æſtimare licèt, quid de toto hoc genere ſit ſentiendum, nempe, quia Dominus & totam veræ iuſtitiæ ſummam & omnes cultus numinis ſui partes, & quicquid ad ſalutem neceſſarium erat, ſacris ſuis vinculis tam fideliter complexus eſt, tam perſpicuè enarravit,* &c. hæc Calv. Quæ ad longum referre volui, ut pateat inanis ipſius & ſequacium ejus calumnia contra Eccleſiam; dum clamant, Deum expreſsè & perſpicuè omnes ſui cultus partes in ſcriptura enarraſſe; quod falſum eſt, juxta ipſum Calvinum; nam evidens eſt, quod geniculatio perſpicuè in ſcriptura nõ præcipiatur; ſed ad hoc Calvino ſufficit, quod Apoſtolus in generali dixerit, *omnia autem honeſtè, &c. fiant,* ubi Calvinus per honeſtum exponit decorum; & ſub illo generali nomine decorum intelligit, quod geniculatio contineatur, ac hæc à Deo indicata magis, quàm expoſita, ſed ab hominibus, ſcilicet à Præpoſitis Eccleſiæ ſpecialiter deſignata ſit.

XV. Hoc eſt, quod Eccleſia Catholica docet, quod omnia illa, quæ honeſtè & decorè Deo ſerviendũ ſpectare poſſunt, ab Eccleſia præcipi poſſint; juxta illud Pauli monitum; & ſic ſub illo decoro vel honeſto non magis in generali continetur geniculatio, quàm ſtatio ſub oratione, vel quævis alia honeſta actio, quæ ad majorem decentiam ordinatur: ſic enim patet, quod Eccleſia antiqua ordinavit, ut tempore Paſchali & Dominicis diebus in memoriam reſurrectionis Dominicæ in publicis orationibus ſtetur, prout conſtat ex D. Aug. ep. 119. &c. vel quod ad Orientẽ oretur, &c. aliis autem diebus genuflectatur; quod ſi autem tempore Paſchali aliquis genuflecteret, dum ſolemnes precationes fiunt, utiq; contra decorum faceret, ut fateri debet Calv. Illud ergo generaliter honeſtè & decorè fit, quod ad Dei honorem & juxta Eccleſiæ ordinationem in Eccleſia obſervatur, quæ proinde non ſunt meræ humanæ inventiones ſeu traditiones, quas repudiare vel negligere cuivis liceat, ſed ſunt humanæ ſimul & divinæ. Humanæ, quia ſpecialiter ab Eccleſia præpoſitis deſignatæ; divinæ: quatenus Deus præcepit ut Præpoſitis obtemperetur, & ut Calv. ait: *Quia pars ſunt decori illius, cuius cura & obſervatio nobis per Apoſtolum commendatur.* Sicut ergo geniculatio exinde eſt pars decori & cultus Dei in genere à S. ſcriptura indicata licet non expoſita, & eatenus ſit inter partes cultus divini numinis in ſacris Dei vinculis complexa; quis ſani ſenus negabit, quod non ſimili prorſus ratione, ſtatio ſub oratione certis diebus, & aliæ ceremoniæ ad decorum & honeſtum Dei cultum ordinatæ, etiam ſint pars decori illius, cujus obſervatio ab Apoſtolo in genere commendata fuit, ac proinde per illas etiam Deus colatur.

***

ARTICULUS V.

Reſpondetur ad objectiones & calumnias Acatholicorum.

I. Ex præmiſſis patet manifeſta reſponſio ad omnia illa, quæ Calvin. & ſequaces ejus objiciunt; quaſi ceremoniæ ab Eccleſia ordinatæ etiam ad colendum Deum ſint novæ formæ, & humana inventa & figmenta colendi Deum; & proinde ſuperſtitioſa, ut Calvin. calumniatur: falſitas enim patet, cùm ex locis S. ſcripturæ allegatis & ipſa naturali ratione, tum ex ipſius Calvini regula, quod *geniculatio* & ſimiles ceremoniæ ad decorum ab Apoſtolo indicatum ſpectantes, non ſint humanæ inventæ, ſed divinæ Deo dirigente & judicante ab Eccleſia ordinatæ; proinde nullo modo ſuperſtitioſæ vel humana figmenta; alioquin & geniculatio talis eſſet.

II. Hinc facilè conſtabit, quàm frivolè Calvinus contra ceremonias & leges Eccleſiæ loquatur ſuprà § 8. dicens primò: *Paulus in epiſt. ad Coloſſ. exequitur non eſſe de vero Dei cultu petendam ab hominibus doctrinam, quia Dominus fideliter nos & plenè inſtituit, qualiter ſit colendus, quo hoc demonſtret, primo capite dicit in Euangelio contineri omnem ſapientiam, quâ perfectus reddatur homo Dei in Chriſto, initio capitis ſecundi dicit, omnes ſapientiæ & intelligentiæ theſauros eſſe abſconditos in Chriſto, inde poſtea concludit, caveant fideles, ne per inanem Philoſophiam abducantur à grege Chriſti ſecundùm conſtitutiones hominum. In fine capitis damnat omnes fictitios cultus, quos homines ſibi ipſis comminiſcuntur,* &c. *Habemus ergo impias eſſe omnes conſtitutiones, in quarum obſervatione cultus Dei ſitus eſſe fingitur,* &c. hæc Calvinus.

III. Reſpondetur concedendo verum eſſe; quod infert, impias eſſe conſtitutiones omnes, in quibus cultus Dei ſitus eſſe fingitur: ſed falſiſſimũ eſt, quod tales ſint conſtitutiones & ceremoniæ Eccleſiæ: in quibus cultus Dei non fingitur eſſe, ſed ex S. ſcriptura habetur: Ipſe vero more conſueto falſa veris miſcendo ad ſuum placitum verba Apoſtoli trahit. Apoſtolus clariſſimè loquitur de doctrina inani Philoſophorum Gentilium, quam aliqui pſeudo Apoſtoli volebant tradere fidelibus ſecundùm elementa hujus mundi, & non ſecundùm Chriſtum; ac ſic à Chriſto avertere; ùt patet ex cap. 2. v. 8. Aliqui volebant, ut circumciſionem & alia Judaica ſervarent, quæ tantùm umbræ erant futurorum v. 16. Alii docebant, ut neceſſariò per ſpecialem Angelorum cultum vel religionem ad Deum accederent, quaſi Chriſtus non eſſet ſufficiens nec caput; ex quo totum corpus Eccleſiæ creſcit v. 10. De expoſitione hu-
IV. jus loci ad Coloſſ. 2. D. Auguſtinus agit epiſt. 59. ad Paulinum reſpondens ad quæſtionem ſeptimam. De falſa religione Angelorum D. Auguſt. contra Philoſophos agit lib. 10. de Civ. Dei cap. 16. & alibi; ſed hæc longiſſimè à ceremoniis Eccleſiæ diverſa ſunt; quæ omnes ad hoc inſtitutæ ſunt, ùt fideles magis excitentur ad devotionem & reverentiam in uſu ſacramentorum, quæ Chriſtus inſtituit, tanquam unicus Salvator & ſufficientiſſimus.

V. Ad illud, quod Calvinns dicit: *Dominus nos ad plenum inſtituit, qualiter ſit colendus,* diſtinguitur, ſi in-

si intelligatur, quod Christus in generali nos instituit de omnibus in Euangelio, hoc verum est; quia non solùm præcepta Dei intimavit, sed etiam in generali mandavit, ut fideles obediant Apostolis & eorum successoribus Luc. 10. v. 16. *Qui vos audit, me audit*; ac insuper quædam sacramenta in S. scriptura expressa instituit, ut de singulis patebit; quædam autem instituta Apostolis promulganda commisit, ùt patet de extrema unctione & chrismate confirmationis, licèt enim sacramentum confirmationis satis exprimatur in actibus Apostolorum, non tamen exprimitur chrisma, prout antiqua Ecclesia ab Apostolis accepit, & credidit: sic quoad ceremonias circa usum sacramentorum Christus etiam de illis fideles instituit in generali, ut obediant Apostolis & eorum successoribus.

VI. Verùm, quod Christus fideles in particulari de his, quæ ad cultum Dei spectant expressè, ad plenum in Euangelio instituerit, id falsum est; nec ex Apostolo, nec ex ullo S. scripturæ loco probatur; imo contrarium constat: Primò ex ceremonia, quâ fideles *jejuni S. Eucharistiam percipiunt*, cùm Christus post alios cibos illam Apostolis dederit, nec ullibi exprimitur in speciali, ut jejuni fideles communicarent; & tamen ex Apostolica traditione observatur ad majorem S. Eucharistiæ reverentiam, licèt ex verbis Apostoli 1. Cor. 11. *Cætera cùm venero, disponā*, aliqualiter in generali colligatur, quod Apost. ordinarit; ut D. Aug colligit.

VII. Rursus patet de *geniculatione*, quæ servanda est in publicis precibus etiam ad Deum colendum, ut Calv. concedit; quæ tamen in particulari in S. script. non præscribitur, sed tantam colligitur ex verbis Apost. 1 Cor. 14. *Omnia honeste, &c.* ubi tamen etiam comprehenditur, ut aliquando sub precibus stetur, ut suprà ostensum est, & sic de omnibus aliis ceremoniis ad majorē Dei honorem institutis constat, quod nō ab hominibus sint fictæ, per quas à Christo fideles amoveantur, de quibus loquitur Apost. sed sunt eatenus à Christo institutæ, quia mandavit, ut præpositis Ecclesiæ in his, quæ ad Dei cultū spectant, obediant; & Apostolus omnia illa sufficienter comprehendit sub illis verbis 1. Cor. 14 sicut enim Calvin. fatetur, quod illis verbis geniculatio divina & humana sit, licèt in genere tantum sub verbo (decorū) insinuato à S. scripr. sic etiam omnia alia, quæ juxta Ecclesiæ sensum ad decorum spectant, & in speciali ordinantur, à Deo in generali instituta intelliguntur, sed per Ecclesiā in particulari ordinata.

VIII. 2. Calv. §. 10. vocat ceremonias Ecclesiæ vana figmenta religionis, & dicit; quod inde sequatur pravitas, quam Christus Pharisæis exprobrabat, *ut irritum fiat præceptum Dei propter hominum traditiones* & §. 15. adducit Isa. 55. v. 2. *Frustra me colunt præceptis hominum.*

IX. Respond. 1. falsissimè Calv. ibid. imponit Ecclesiæ, quod pluris faciat mandata sua, quàm Dei: & constat de Pharisæis, quod aliqua docebāt servanda à filiis contra præceptum Dei de honorandis parentibus, *&c.* tale quid non potest ostendi in præceptis Ecclesiæ. 2. Pharisæi multas habebāt traditiones inutiles; ut patet de lotione manuum sæpissime repetita, de qua Christus Marci 7. corripit Pharisæos, quod illa ita juxta seniorū traditione surgebant, præcepta autem Dei negligebāt; & de his vanis & inutilibus præceptis hominum Christus allegabat Isaiā quod *frustra Deum illi colerent*, quæ propriè vocantur mandata hominum. 3. Pharisæi ex traditione seniorum offerebant decimas rerum minimarum, ùt patet Matt. 23. & illas præcipiebant, & urgebant; sed præcepta Dei negligebant, & quidem Christus illas decimas nō repudiabat, sed v. 8. dicit: *Hæc* (scilicet legis) *mandata graviora oportuit facere, & illa*, scilicet minora, *non omittere.* Ecclesia autem juxta Christi institutionem, ante omnia urget mandata Dei, & usum sacramentorum; ut autem illa melius serventur, & hæc honestius administrentur, posuit præcepta non multa, ut patet in quinque Ecclesiæ præceptis, & ceremonias etiam tales, quæ ad decorum spectant, & ad colendum Deum juxta Apostolum, ut fatetur Calvinus.

Tertiò Calvinus calumniatur §. 12. dicens: *De his ceremoniis loquor, quibus subesse magna mysteria volunt Romanenses magistri; nos nihil quàm mera ludibria experimur*, &c. *quia partim ex gentibus deliriis exemplar sibi sumpserunt, partim seniorum more temerè imitati sunt veteres mosaica legis ritus*, qui nihilo magis ad nos pertinebant, quàm pecudum victimæ & reliqua his similia, *&c.* hæc Calvinus. X.

Respondetur. Hæ meræ sunt calumniæ, cum antiquis hæreticis communes contra ritus Ecclesiæ: sic enim Manichæi calumniabantur, ùt patet apud August. to. 6. ed. Bas. 1529. l. 20. contra Faustum c. 4. ubi hæc verba Fausti refert contra Catholicos, scilicet; *Solemnes gentium dies cum ipsis celebratis, ut calendas, solstitia*, &c. *quare constat vos atq; Judæos schismata esse gentilitatis, cujus fidem tenentes & ritus, &c.* hæc prolixè refutat D. Aug. & tandem c. 21. sic ait: *Sicut non ideo contemnenda vel detestanda est virginitas sanctimonialium, quia & vestales virgines fuerunt*, &c. *quia sicut inter illas virginitates multum distat, quamvis nil aliud distet, nisi quæ cui voveatur & reddatur, &c.* & c. 23. sic ait: *Qui etiam dicit, nihil nos mutasse de moribus gentium, nesciens quid loquatur; cùm enim justus ex fide vivat, finisq; præcepti sit charitas de corde puro & conscientia bona*, &c. *maneantq; ad confirmandam vitam fidelium tria hæc, fides, spes, charitas: unde fieri potest, ut pares cum aliquo mores habeat, qui hæc tria cum illo paria non habet &c.* & infrà: *Etsi usus quarundam rerum similis videtur nobis esse in Gentibus, sicut cibi & potus, tectorum, vestimentorum, lavacrorum*, &c. *longè tamen aliter his rebus utitur, qui ad alium finem earum usum refert: & aliter ex his Deo gratias agit, de quo prava & falsa non credit, &c.* hæc August. XI.

Simili modo ostendit eâdem ed. cap. 15. & seqq. quod Christiani cum Judæis non conveniant, in eo, quod Christiani sacrificium servarent: specialiter cap. 18. quia Judæi ultimas & alia servabant tanquam prophetiam futuri sacrificii in cruce, *Christiani autem peracti ejusdem sacrificii memoriam celebrant, sacrosancta oblatione & participatione corporis & sanguinis Christi*, hæc Aug. XII.

Hinc patet confutatio calumniarum Calvini & ejusdem cum antiquis hæreticis correspondentia.

Respond. 2. quod si Calvinus calumnietur Catholicos quasi aliquos ritus veteris legis imitentur Simiarum more; quid ipse respondebit de baptismo, qualem quoad externum ritum Judæi, imo & Gentes servarunt? constat in lege, quod baptisma Judæi servarint; & in Gentilibus similiter, qui sacras ablutiones habebant: de quibus Trismegistus & Sybillæ ordinarant, ut non aliis quàm adultis fierent vel convenirent: à quibus impius servetur ad Baptismum Christi non nisi adultis dandum XIII.

trahens

Digitized by Google

trahens argumentum bene à Calvino refutatur lib. 4. cap. 16. §. 31. ad argumentum 29.

XIV. Iterum quid Calvinus respondebit de *cœna Dominica*, cùm & Judæi panes propositionum in mensis appositos, & gentes suas sacras cœnas servabant? nisi planè Christo contradicere velit; utiq; dicet, quod, licèt similes exteriores ritus Ecclesia servet, non tamen illa intentione & fine, prout Judæi vel Gentes servabant, ut constat. Iterum cur Calv. cum suis Pascha & Pentecosten celebrat quæ Judæis solemnia erant, & sic de aliis, nisi quia illi Pascha celebrabãt in memoriam exitus de Ægypto, nos autem in memoriam Resurrectionis Domini, Pentecosten in memoriã adventus Spiritus S. *&c.* scimus quod ritus Judaici juxta institutum legis ad Ecclesiã non pertinent, quia erant in prophetiam & umbram futurorũ; similes tamen aliquos ritus Ecclesia usurpat in memoriam præteritorum; prout sub sacrificio Missæ omnia & vitam & passionem Domini exterius fidelibus exhibẽt: per hæc etiam aliæ similes Calvini & Acatholicorum contra cæremonias Ecclesiæ calumniæ facilè confutantur.

XV. Et ex his patet vera regula, quam D. Aug. quoad ritus assignat ep. 119. art. 2. relatus, *ut qui non sunt contra fidem aut bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ meliorũ, ubicunq; institui videmus, vel instituta cognoscimus: laudando & imitando sectemur, &c.* Et talia supponit esse illa, quæ vel S. scripturæ authoritate continentur, vel in Conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, vel consuetudine universæ Ecclesiæ roborata sunt, *&c.* 2. supponit quod Ecclesia possit adhuc instituere similes ceremonias, dum ait: *Ubicunq; institui videmus.* Facessant ergo vanæ & perversæ Acatholicorum contra has Ecclesiæ universalis ceremonias calumniæ; dum illas, ut humana figmenta & superstitiosa dãnant; cùm talia dici non possint, quæ juxta Apost. 1. Cor. 14. ab Ecclesia ad decorum & ordinem servandum ordinata sint; quæ eatenus divina instituta dici possunt, quia ab Apostolo in S. script. in generali Ecclesiæ sunt commendata; ut Ecclesia pro tempore & loco ordinaret, & ipse Deus hanc potestatem Ecclesiæ præpositis dedit; adeoq; fatente Calvin. divinæ sunt, quia in generali à Deo & Apost. indicata sunt; humanæ vero, quia Deo dirigente ab Apostolis & Præpositis Ecclesiæ in speciali ordinata sunt.

ARTICULUS VI.

Cæremoniæ, quas Ecclesia circa usum sacramentorum observat, recensentur & probantur ex SS. Patribus.

I. Quamvis hactenus ex S. scriptura sufficienter demonstratum sit: quod ceremoniæ ab Ecclesia ad Deum colẽdum usurpatæ, licitæ, piæ, & utiles sint; idipsum tamen ex usu primitivæ & SS. PP. doctrina ostendetur: Cùm autem plures sint ceremoniæ in administratione sacramentorũ usurpari solitæ; quas Doctores Catholici plurimi particulariter enarrant, & ex SS. Patrum testimoniis probant, hic sufficiat quasdam ex iis, quæ præsertim in sacramento baptismi exercentur, & ab Acatholicis maximè contemnuntur & deridentur, probare: unde de aliis facilè erit dijudicare.

II. Prima itaque ceremonia in baptismo solemni exercetur, ut *aqua baptismalis priùs benedicatur*: non quasi aqua non benedicta non sufficiat; sed ut majore cum reverentia baptisma administretur.

Clemens Romanus apud Cocc. to. 2. l. 5. fol. 528. circa ann. Domini 80. l. 7. constit. Apostol. c. 44. describens modum baptismi, ait: *Postea venit ad aquam, & benedicit, &c. & nunc deprecetur Sacerdos instante baptismo, & dicat: Aspice è cœlo, & sanctifica hanc aquam, &c.* III.

Dionys. Areopag. l. Eccles. hierarch. ed. Argent. 1503. c. 2. part. 2. sic ait: *Ipse Pontifex ad matrem filiolitatis venit, & tunc aquam sacris invocationibus sanctificans, & tribus sanctissimi chrismatis, &c.* IV.

Basilius in ps. 28. ed. Antw. 1568. *In universo,* ait, *orbe, qui sub sole est, baptismatis administratur mysterium; divina invocatione aquarum sanctificante naturam, &c.* V.

Idem eâd. ed. l. de Spiritu Sancto c. 27. *Consecramus,* ait, *aquam baptismatis & oleum unctionis: præterea ipsum, qui baptismum accipit, ex quibus scriptis? Nonne à tacita secretaq; traditione?* hæc ille.

Cyrillus Hierosolym. ed. Colon. 1564. catech. 3. *Nam ut illa,* ait, *quæ in aris offeruntur, cum natura sint pura, invocatione dæmonum impura efficiuntur: sic contrà aqua simplex per S. Spiritus, Christi & Patris invocationem accepta virtute sanctitatem consequitur,* hæc ille. VI.

Cyprian. ed. Bas. 1540. to. 4. l. 1. ep. 12 vel ep. 70. *Oportet,* inquit, *mundari & sanctificari aquam priùs à Sacerdote; ut possit baptismo suo peccata hominis, qui baptizatur, abluere, &c.* VII.

Ambrosius ed. Paris. 1569. l. 1. de Sacram. c. 5. dicit: *Nam ubi primum ingreditur Sacerdos, exorcismum facit secundo super creaturam aquæ invocationem, postea & precem defert: ut sanctificetur fons, &c. adsit præsentia Trinitatis æternæ, &c.* VIII.

Idem ed. eâd. l. de his, qui mysteriis initiantur c. 3. de aqua loquens dicit: *Cùm salutaris fuerit crucis mysterio consecrata, tunc ad usum spiritualis lavacri & salutaris poculi temperatur, &c.* hæc Ambros.

August. ed. Bas. 1529 to. 10. l. 50. Homil. hom. 27. ait: *Quia Baptismus, id est, salutis aqua, non est salutis, nisi in nomine Christi consecrata, qui pro nobis sanguinem fudit, cruce ipsius aqua signatur, &c.* IX.

Idem lib. 6. contra Donatistas cap. 25. supponit etiam à Donatistis servari, quod aqua baptismi per certas preces consecretur, & idem variis locis ostendit.

Secunda ceremonia, quâ baptizandus abrenunciat diabolo & pompis ejus, & fidem profitetur. X.

Clemens Romanus apud Cocc. to. 2. lib. 5. fol. 562. l. 7. constit. Apostol. cap. 41. & 42. de hac agit, & tandem dicit: *Ergo, qui baptizatur, cùm renunciat diabolo, hæc recitet, renuncio Sathanæ, & operibus ejus. & pompis ejus; & cultui ejus, & Angelis ejus, & inventis ejus.*

Dionys. Areopag Eccles. hierarch. ed. Argent. 1503. cap. 2. sic ait: *Orationem sacram facit, & hanc omni sic Ecclesia faciente, subintroducit quidem eum, & exuit per ministros: deinde statuens in occiduis intentum & manus erigentem ad ipsam conversas regionem, exsufflare quidem ipsi ter jubetur Sathanæ. Et adhuc quæ sunt abrenuntiationis confiteri, & ter ei abrenuntiationem contestans confitentem ter hoc transducit ad se, &c. jubet coordinari, &c. omnibus à Deo traditis sacris eloquiis, &c.* XI.

Clemens Alexandr. Anno 200. lib. 1. Pædagogi apud Coccium tom. 2. thes. cath. cap. 6. *Eodem, ait, modo, nos quoq; nostrorum peccatorum mori pœnitentia ipsorum detrimentis renunciantes,* XII.

Bapti-

Baptismo percolati ad æternam quoque lucem recurrimus filii ad Patrem, &c. hæc ille.

XIII. *Origenes* tomo 1. ed. Basil. 1557. hom. 12. in Num. *Recordetur*, inquit, *unusquisque fidelium, cùm primum venit ad aquas Baptismi, cùm signacula fidei prima suscepit, & ad fontem salutaris accessit, quibus ibi tunc usus sit verbis, & quid denuntiaverit diabolo non se usurum pompis eius, ac voluptatibus pariturum*, &c. hæc ille.

XIV. *Tertullianus* ed. Basil. 1562. lib. de Corona Militis cap. 3. ait: *Aquam adituri ibidem, sed & aliquantò priùs in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur; nos renunciare diabolo, & pompæ, & Angelis eius*, &c.

Cyprianus ed. Bas. 1540. l. 1. ep. 5. in ep. 7. *Seculo*, ait, *renunciavimus, cùm baptizati sumus*, &c.

Idem eâd. ed. de Orat. Domin. ait: *Potest verò & sic intelligi, ut qui seculo renunciavimus, & divitias eius & pompas fide gratiæ spiritualis abiecimus*, &c. hæc ille.

XV. *Cyrillus Hierosol.* ed. Col. 1564. catech. 1. mystag. ait: *Primum ingressi estis in porticum domum baptisterii*, &c. & infrà: *Veruntamen audis, quòd nutu manus tanquam ad præsentem dicitur: Renuntio tibi Satana*, &c. & infrà: *Doceris mox & alteram renuntiationis partem addere: Et omnibus tuis operibus*, &c. & infrà: *Postea dicis; Et omni pompæ illius*, &c. & infrà: *Dicis præterea, & omni tuo cultui*, &c. hæc ille.

XVI. *Basilius* ed. Antw. 1568. l. de Spir. S. c. 27. *Reliqua item*, ait, *quæ fiunt in Baptismo, veluti renuntiare Satanæ & Angelis eius, ex qua scriptura habemus? Nónne ex privata & arcana hac traditione? nónne ex doctrina, quam Patres nobis in silentio, quòd curiosos & otiosos submovet, servarunt?* hæc ille.

XVII. *Chrysost.* in ps. 14. apud Jod. Cocc. to. 2. thes. cath. l. 5. a. 6. ed Col. sic ait: *Adducit quispiam infantem adhuc ubera sugentem, ut baptizetur, & statim Sacerdos exigit ab infirma ætate pacta, conventa & assensiones, & minoris ætatis fideiussorem accipit susceptorem & interrogat: Renuntias Satanæ? & non dicit in finem vel cum Christo coniungitur in finem, sed statim in principio vitæ petit renunciationes & coniunctiones*, &c. hæc ille.

Idem ed. Bas. 1547. to. 5. hom. 21. ad pop. Antioch. *Vocis*, ait, *illius recorderis, quam cum sacris initiarere, emisisti: Abrenuncio tibi Satana, & pompæ tuæ, & cultui tuo.*

XVIII. *Ambrosius* ed. Paris. 1569. to. 4. l. 1. Hexamer. c. 4. ait: *Derelinquit ac deserit, qui abluitur intelligibilem illum Pharaonem principem istius mundi dicens, abrenuncio tibi diabole, & Angelis tuis, & operibus tuis, & imperiis tuis.*

Idem l. de Sacram. c. 2. *Quando te Levita interrogavit, abrenuncias diabolo & Angelis eius? quid respondisti? Abrenuncio, memor esto sermonis tui.*

XIX. *Hieronymus* ed. Bas. 1553. to. 8. ad ps. 118. *Pactum fuit Israëli cum Deo, quod dixit ad Moysen, omnia, quæcunque dixerit Dominus, faciemus; sed & nunc nos paciscimur in Baptismo, ut abrenunciemus diabolo & operibus eius*, &c.

Idem eâd. ed. 1553. to. 6. ad c. 6. Amos, *In mysteriis*, ait, *primùm renunciamus ei, qui in Occidente est, nobisque moritur cum peccatis, & sic versi orientem pactum inimus cum sole Iustitiæ, & ei nos servituros promittimus.*

XX. *Augustinus* tom 9. ed. Bas. 1529. lib. 2. de Symbolo c. 1. *Si adiutorium nostrum in nomine eius est, renunciemus diabolo, pompis & Angelis eius*, &c. *videte dilectissimi, quia hanc professionem vestram in curiā proferetis angelicam*, &c. *optimi iam tyrones Dei, fortes Christi milites, dum arma Sacramentorum suscipitis, pugnam adversus diabolum indicitis: dum eius operibus renuntiatis, vehementiùs in vos eius furias provocatis, sed non metuat miles Christi*, &c.

Idem ed. eâd. l. 3. c. 2. sic ait: *Postquam autem homo renunciando diabolo excludit pessimum invasorem, introducat optimum possessorem, credat in Deum Patrem omnipotentem*, &c.

Idem ed. eâd. l. 4. cap. 1. quis est invasor? Diabolus? &c. *Huic vos renunciare professi estis, in qua professione non hominibus, sed Deo & Angelis eius conscribentibus dixistis, renuncio, renunciate non solùm vocibus, sed etiam moribus*, &c. hæc ibi.

Hanc renunciationem etiam in baptismo parvulorum fieri solitam supponit August. ed. Basil. 1528. tomo. 7. lib. de Peccat. Merit. & Remiss. cap. 19. dicens: *Si propterea rectè fideles vocantur, quoniam fidem per verba gestantium quodammodo profitentur, cur non priùs etiam pœnitentes habentur, cùm per eorundem verba gestantium diabolo & huic seculo renunciare monstrantur? Totum hoc fit in spe vi Sacramenti & divinæ gratiæ, quam Dominus donavit Ecclesiæ*, &c. hæc August. XXI.

Tertia ceremonia est Exorcismus: quo adjurantur dæmones certis precibus, ut à baptizando recedant; cui jungitur alia ceremonia, scilicet *exsufflatio in baptizandum.* XXII.

Iustinus martyr in dialogo cum Tryphone apud Jod. Cocc. thes. cath. l. 5. a. 14. ed. Col. sic ait: *Dei nominis potentiam dæmones tremunt & reformidant: & hodie quoque illi per nomen Iesu Christi crucifixi sub Pontio Pilato adiurati nobis parent, ut inde etiam omnibus pateat Patrem ei tantam dedisse potentiam & virtutem, ut & dæmonia nomini ipsius, & passionis ipsius obitæ functioni subiecta sint*, &c. hæc Justin.

Eusebius Cæsar. ed. Col. 1581. l. 6. Eccles. hist. c. 35. de Novato loquens sic ait: *Qui quidem ubi exorcistarum præsidio spiritu illo malo esset liberatus, & post in tam gravem morbum, ut iam ferme mori putaretur, incidisset in lecto*, &c. *baptismum accepit*, &c. XXIII.

Cyrillus Hierosol. ed. Colon. 1564. in Præfat. catech. *Exorcismos*, ait, *studiosè suscipe, etiamsi inspiratus iam sis & exercitatus, salubris enim est tibi res ista.*

Idem ed. eâdem catech. 2. mystag. *Deinde*, ait, *iam exuti, exorcizato oleo à summis capillis ad infimos usque peruncti estis*, &c. *Nam ut insufflationes Sanctorum & nominis Dei invocatio, tanquam vehementissima quædam flamma urit dæmones, & in fugam convertit*, &c. hæc ille.

Cyprianus ad Demetrianum ed. Bas. 1540. dicit: *O si audire eos velles, & videre, quando à nobis adiurantur & torquentur dæmones spiritualibus flagris & verborum tormentis de obsessis corporibus eijciuntur; quando eiulantes*, &c. *venturum Iudicium confitentur*, &c. hæc ille. XXIV.

Optatus Milevitanus Bibliot. mag. PP. tomo 4. ed. Colon. 1618. lib. 4. contra Donatistas, *Neminem*, ait, *fugit, quod omnis homo, qui nascitur, quamvis de Christianis parentibus nascatur, sine spiritu immundo esse non possit, quem necesse sit ante salutare Lavacrum ab homine excludi & separari: hoc Exorcismus operatur*, &c. hæc ille. XXV.

Ambrosius ed. Paris. 1569. tomo 4. lib. 1. de Sacram. cap. 5. *Forma*, inquit, *baptismatis & usus hoc habet, ut antè fons consecretur, & tunc descendat, qui baptizandus est, nam, ubi primum ingreditur Sacerdos, exorcismum facit*, &c. XXVI.

Digitized by Google

XXVII. *Augustinus* ed. Bas. 1528. to. 7. l. 1. de nuptiis & concupiscentia c. 20. *In veritate, non in falsitate potestas diabolica exorcizatur in parvulis, eique renunciant; quia per sua non possunt, per corda & ora gestantium, ut eruti à potestate tenebrarum in regnum sui Domini transferantur*, &c.

Idem ibid. eâd. ed. l. 2. c. 18. loquens de quodam Pelagiano dicit: *Ac sic accusat Ecclesiam toto orbe diffusam, in qua ubique omnes baptizandi infantuli non ob aliud exsufflantur, nisi ut ab iis princeps mundi mittatur foras.*

Idem ibid. cap. 19. postquam plures antiquos Patres retulisset, dicit: *Hos audeat dicere Manichæos, & antiquissimam Ecclesiæ traditionem isto nefario crimine aspergat, quâ exorcizantur, &, ùt dixi, exsufflantur parvuli, ut in regnum Christi à potestate tenebrarum, hoc est Diaboli & Angelorum eius, eruti transferantur.*

Idem eâdem ed. lib. 2. de Gratia Christi & Peccato orig. cap. 40. *Excepto enim*, ait, *quòd in peccatorum remissionem non fallaci, sed fideli mysterio baptizantur, etiam priùs exorcizatur in eis, & exsufflatur potestas contraria, cui etiam verbis eorum, à quibus portantur, sese renunciare respondent*, hæc August.

XXVIII. *Idem* lib. 6. contra Julianum apud Jod. Cocc. cap. 5. ait: *Verum est, quòd antiquitas veraci fide Catholica & prædicatur & creditur per Ecclesiam totam, quæ filios fidelium nec exorcizaret, nec exsufflaret; si non eos de potestate tenebrarum & à principe mortis erueret, quod in libro meo, cui veluti respondes, à me positum est: sed tu id commemorare timuisti, tanquam ipse à toto orbe exsufflandus esses; si huic exsufflationi, quâ princeps mundi à parvulis eijcitur foras, contradicere voluisses*, &c. hæc Augustinus. Sed Calvinus his non obstantibus, nec timet, nec erubescit hos exorcismos & exsufflationes contemnere; longè Donatistis deterior.

XXIX. D. *Augustinus* tomo 9. ed. Basil. 1529. plura alia in Baptismo exerceri solita recenset lib. 4. de Symbolo ad Catechumenos cap. 1. dicens: *Omnia Sacramenta quæ acta sunt, & aguntur in vobis per ministerium servorum Dei, exorcismis, Orationibus, canticis spiritualibus, insufflationibus, cilicio, inclinatione cervicum, humilitate pedum, pavor ipse omni securitate appetendus; hæc omnia, ùt dixi, escæ sunt, quæ vos reficiunt in utero, ut renatos ex Baptismo hilares vos mater exhibeat Christo*, &c. hæc ille.

XXX. *Quarta ceremonia*, quâ Sacerdos baptizandi nares & aures tangit, & dicit ei: *Epheta, id est, adaperire*, quam in Ecclesia antiqua usitatam fuisse patet ex Ambrosio ed. Paris. 1569. tom. 4. lib. 1. de Sacramentis cap. 1. ubi sic ait: *Ergo, quid egimus Sabbatho? nempe apertionem: quæ mysteria celebrata sunt apertionis, quando tibi aures tetigit Sacerdos & nares, quod significat in Euangelio Dominus noster Iesus Christus cùm ei oblatus esset surdus & mutus, & tetigit aures eius, & os eius; Aures, quia surdus erat: Os, quia mutus erat, & ait epheta, quod Hebraicum verbum est, & Latinè dicitur, adaperire. Ideo ergo tibi Sacerdos aures tetigit, ut aperirentur aures tuæ ad sermonem, & ad eloquium Sacerdotis*: & post pauca: *Nares, ut bonum odorem accipias pietatis æternæ*, &c. *& sit in te fidei devotionísque plena fragrantia*, &c. hæc ibi, similia habet lib. 2. cap. 2.

Idem ed. eâdem lib. de his, qui mysteriis initiantur cap. 1. *Aperite*, ait, *aures, & bonum odorem vitæ æternæ inhalatum vobis munere sacramentorum carpite, quod vobis significavimus, cùm apertionis celebrantes mysterium diceremus; Epheta, quod est adaperire, ut & venturus unusquisque ad gratiam, quid interrogaretur, cognosceret, quid responderet, meminisse deberet, hoc mysterium celebravit Christus in Euangelio* Marci 7. *cùm mutum curaret & surdum*, &c. hæc Ambros.

Ex hoc solo tanto Ecclesiæ Doctore confunditur Calvinus, qui lib. de Ecclesiæ reformatione hanc ceremoniam deridet, dicens: *Absurdum & ridiculum parúmque congruens est; quod sputo summa parvulorum labia irrigant, sputo Christus attigit os muti, cui sermonem restituere volebat; quàm præpostera est æmulatio, cùm idem in parvulis tentant; ludibrium hoc ùnde emerserit, nescitur, nullum certè gravem authorem habet*, hæc Calv. sine teste. XXXI.

Ecce gravissimus non author hujus ceremoniæ, sed testis gravissimus Ambrosius, Authores verò gravissimos supponens Apostolos, cùm semper in Ecclesia usurpatam fuisse supponat: Calvinus nisi erubuisset, etiam in Christi facto ludibrium dixisset; sed Ambros. rationem reddit.

5. *Ceremonia* est, quod à Sacerdote ante Baptismum baptizandus oleo benedicto ungatur, & post baptismum Chrismate ab Episcopo consecrato non in fronte, sed in vertice capitis, quæ ab initio Ecclesiæ usurpata est, ùt patet ex sanctis Patribus. XXXII.

Clemens Romanus ed. Colon. 1569. lib. Const. Apostolic. c. 16. ait: *Tu ergo Episcope, illâ figurâ unges caput illorum, qui baptizantur, sive ii viri sint, sive mulieres, oleo sancto in figuram spiritualis Baptismi*, &c. XXXIII.

Idem ed. Colon. 1560. epist. 3. *Baptizetur*, ait, *unusquisque vestrùm in aquis perennibus nomine trinæ beatitudinis invocato super se, perunctus primo oleo per orationem sanctificato*, &c. hæc ille.

Dionysius Areopag. ed. Argent. 1503. lib. Eccl. Hierarch. cap. 2. ait: *Et ad summum exuentibus eum* (nota qui baptizatur) *ministris, afferunt quidem Sacerdotes unctionis sacrum oleum*, &c. hæc ille. XXXIV.

Iustinus martyr ed. Heidelb. 1593. q. 107. quærit, cur bis Christiani inungantur, semel ante baptismum, & iterum post baptismum. Item q. 137. respondet dicens: *Oleo inungimur, ut Christi, unctique fiamus, unguento autem ad recordationem eius, qui unguenti unctionem sepulturam suam esse reputavit*, &c. hæc ille.

XXXV. *Basilius* ed. Antw. 1568. lib. de Spiritu S. c. 27. *Consecramus aquam Baptismatis, & oleum unctionis, præterea ipsum qui Baptismum accipit. Ex quibus scripturis? nonne à tacita traditione? Ipsum porrò olei inunctionem, quis sermo scripto proditus docuit?* &c. *nonne ex arcana hac traditione*, &c.

Tertullianus ed. Bas. 1562. lib. de Bapt. c. 7. *Exinde*, ait, *egressi de lavacro perungimur benedictâ unctione*. Et infrà: *Sic & in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit, quomodo & ipsius Baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur, spiritualis effectus, quod delictis liberamur*, &c. hæc ille. XXXVI.

Cyprianus ed. Basil. 1540. epist. 70. seu lib. 1. epist. 12. *Vngi quoque*, ait, *necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est unctione, esse unctus Dei, & habere inter se Christi gratiam possit*, &c.

Ambrosius ed. Paris. 1569. tomo 4. lib. de Sacram. cap. 2. *Venimus*, inquit, *ad fontem, ingressus es, considera quos videris*, &c. *occurrit tibi Levita, occurrit Presbyter, unctus es, quasi athleta Christi*, &c. hæc ille.

Cyrillus

Digitized by Google

XXXVII. *Cyrillus Hier.* ed. Col. 1564. Catech. 2. mystag. *Deinde vero jam exuti, exorcizato oleo, &c.* & infrà: *Illud ergo exorcizatum oleum, symbolum est pinguedinis Christi nobiscum communicatæ,* &c. Catech. 3. mystag. ed. eâd *Et nobis, postquam similiter ex aquis sacri lavacri ascendimus, datum est chrisma, quod imaginem gerit illius, quo unctus est Christus, &c.* hæc ille.

Joannes Chrys. apud Cocc. to. 2. l. 5. fol. 540. in c. 4. Matt. *Athleta, ait, ante certamen ungitur, ut luctetur, sic homo spiritualiter ideo oleo chrismatis ungitur, ut contra diabolum quasi spiritualis athleta luctetur.*

Idem apud eundem hom. 6. in 2. ad Coloss. *Inungitur,* inquit, *baptizandus more athletarum, ut qui stadium sunt ingressuri, &c.* hæc ille.

XXXVIII. *August.* serm. 206. de tempore hunc Ecclesiæ morem supponit dicens: *Deniq; omnes, qui ad salutarem baptismum consequendum ecclesiæ offeruntur; & chrisma & oleum benedictionis accipiunt; & jam non vasa vacua, sed Deo plena & templum Dei esse merentur,* hæc ille.

XXXIX. 6. *Ceremonia de signo crucis.*

August. ed. Bas. 1528. to. 4. l. de Catechisand. rudibus c. 20. supponit morem Ecclesiæ quoad signum crucis baptizando imprimendo, dicens: *Cujus* (Christi) *passionis & crucis signo in fronte hodie tanquam in poste signandus es, omnesq; Christiani signantur, &c* hæc ibi.

Idem supponit tract. 5. in Joann. circa initium dicens: *Christiani, & si Christiani utiq; ipso nomine ad Christum pertinentes, hujus signum in fronte gestamus, de quo non erubescimus.* Et infrà: *Noluit stellam esse in fronte fidelium signum suum, sed crucem suam,* &c.

Rursus tract. 36. de Christo eâd. ed. tom. 9. 1529. loquens ait: *Ipsam enim crucem suam signum habiturus erat, ipsam crucem de diabolo superato, tanquam trophæum in frontibus fidelium positurus, &c.* & post pauca: *Nihil erat tunc in carne intolerabilius, nihil est nunc in fronte gloriosius, &c.* hæc Augustinus.

XL. Videant Acatholici, an verè Christiani sint, qui non solùm crucis signum in fronte non pingunt vel gerunt, sed etiam detestantur & horrent.

Cæterùm in Ecclesia primitiva fuisse *certa baptisteria,* ubi baptismus administrabatur, patet ex Dionys. Areopag. lib. Eccl. Hierarch. c. 4. ed. Argent. 1503. ubi dicit: *Inde, ut æstimo & purgativo baptisterio unguentum in cruciformibus symbolis infundens Sacerdos super conspectum ducit contemplativis oculis usq; etiam suam mortem per crucem Jesum pro nostra divina generatione demersum. Hac divino & potentissimo descensu in mortem suam juxta occultum eloquium baptizatos, &c.*

XLI. *Athanasius* epist. ad ubique orthodoxos, cùm per Arianos persecutio fieret, sic ait: *Quid simile in bello aut persecutione factum est unquam? si quidem & Ecclesiis & baptisteriis flamma injecta,* &c.

Idem eâdem ed. in vita S. Antonii: *Prô scelus, horret animus replicare quæ gesta sunt; Virginum, Matronarumq; ereptus pudor, sanguis ovium Christi in Christi templo effusus, veneranda respersit altaria; baptisterium pro voluntate Gentilium pollutum est, &c.*

XLII. Cyrillus Hierosol. ed. Col. 1564. Catech. 1. mystag. ait: *primum ingressi estis in porticum domus baptisterii, & stantes versus occidentem, mandari vobis audistis, ut protensa manu tanquam præsenti Satanæ renuntiaretis.*

Ambros. l. 5. epist. 33. *Die Dominica post lectionem atq; tractatum dimissis catechumenis symbolum aliquibus competentibus in baptisterio tradebam Basilicæ,* &c. XLIII.

August. lib. 22. de Civ. Dei cap. 8. cit. à Jod. Cocc. to. 2. thes. cath. ed Colon. 1601. sic ait: *Carthagine Innocentia religiosissima fœmina in mamilla cancrum habebat; admonetur in somnis appropinquante Pascha, ut in parte fœminarum observanti ad baptisterium, quæcunq; illi baptizata primitus occurrisset, signaret ei locum signo crucis Christi; fecit, & sanitas confestim secuta est, &c.* hæc ille. Rideant hæc Acatholici, non deriserunt illa sancti Patres, Deus non despexit, qui sanitatem dedit. XLIV.

8. *Demum in baptismo trina baptizandi immersio passim fieri solebat,* ùt patet ex sanctis Patribus. XLV.

Clemens Roman. ed. Colon. 1569. can. 49. Apost dicit: *Si quis Episcopus vel Presbyter ex Domini ordinatione non baptizaverit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, sed in trium principii expertium, vel trium filiorum, vel trium Paraclytorum, deponatur.*

Dionysius Areopag. ed. Argent. 1503. lib. Eccl. Hierarch. c. 2. ait: *A Sacerdotibus ad aquam ducitur,* &c. *ter quidem ipsum summus Sacerdos baptizat tribus perficiendi diversionibus, trinam divinæ beatitudinis invocans substantiam, &c.* hæc ille. XLVI.

Athanasius ed. Paris. 1581. q. 124. ait: *quod infantem ter in aquam immergimus, & ter educimus; mortem & triduanam Christi resurrectionem significat,* &c. XLVII.

Basilius ed. Antw. 1586. l. de Spir. S. c. 15. *Tribus igitur demersionibus cum totidem invocationibus, magnum baptismatis mysterium peragitur,* &c.

Tertullianus ed. Bas. 1562. l. de Corona Mil. cap. 3. *Deniq;,* inquit, *ut à baptismate ingrediar aquam adituri,* &c. *contestamur nos renuntiare diabolo, & pompæ, & Angelis ejus, dehinc ter mergitamur,* &c.

Hieronymus ed. Basil. 1553. in c. 4. ad Ephes. sic ait: *Eodem modo & in Patrem, & in Filium, & in Spiritum S. baptizamur, & ter mergimur, ut Trinitatis appareat unum Sacramentum.* Et infrà: *Potest unum baptisma & ita dici, quod licet ter baptizemur propter mysterium Trinitatis, tamen unum baptisma reputetur,* &c. XLVIII.

Augustinus serm. 91. de Tempore ed. Bas. tom. 10. 1529. *Quando,* ait, *in salutari lavacro tertio Christiani merguntur, tunc Ægyptii, id est, originalia peccata vel actualia crimina quasi in rubro mari sepeliuntur,* &c.

Hæc quidem, ùt patet, ab initio Ecclesiæ trina immersio servabatur ob causas à sanctis Patribus dictas; sed quia postea Ariani hæc trina mersione abutebantur, dicentes: illas ideo fieri, ut ostenderentur non tantum tres divinitatis personæ; sed etiam tres naturæ, ideo ubi illa hæresis vigebat, una à Catholicis mersio servabatur; hoc indicat *Gregorius* l. 1. epist. 41. ad Leandrum ed. Bas. 1550. ubi Leander scripserat: quod in aliquibus Ecclesiis una mersio, & in aliquibus trina mersio servaretur, respondet Gregorius neutrum obesse baptismo, si bona fide fiat, sed subjunxit: *Sed quia nunc hucusq; ab Hæreticis infans in baptismate tertio mergebatur, fiendum apud vos non esse censeo; ne dum mersiones numerant divinitatem dividant,* &c. hæc Gregor. XLIX.

Alia causa etiam fuit propter Donatistas: qui rebaptizabant, ad quod allegabant, quod etiam Ecclesia rebaptizaret, dum trina mersione uti-

Digitized by Google

utitur; ideo in detestationem illius erroris fuit statutum in Concilio Toletano IV. can. 5. ut fieret unica mersio, ubi sic habetur; *Propter vitandum schismatis scandalum vel heretici dogmatis usum, simplam teneamus baptismi immersionem, &c.* hæc ibi; & sic usque modo pro Ecclesiarum diversarum more, vel una, vel trina immersio adhibita est.

CONCLUSIO.

I. HActenus ex S. scriptura ostensum est: quod Ecclesia habeat potestatem instituendi ceremonias circa usum sacramentorum, ut honestè & majore cum reverentia administrentur, & fideles ad devotionem excitentur: prout Apost. 1. Cor. 14. monuerat, ut omnia honestè & secundùm ordinem fierent; ex quo ipse Calvinus concedit, quod geniculatio servanda sit, & sic de cæteris.

II. Ostensum est etiam ex praxi & usu primitivæ Ecclesiæ ac doctrina sanctorum Patrum: quod variæ ceremoniæ in baptismo observatæ fuerint; quod adeo clarum est, ut ipse Calvinus l. 4. Inst. cap. 15. §. 19 fateri debeat; certè insolens & fœda est ejusdem calumnia, cum ibidem dicit: *Etsi autem me non latet, quam vetusta sit adventitiæ hujus farraginis origo; respuere tamen mihi & piis omnibus fas est; quicquid ad Christi institutionem addere nisi sunt homines; quum autem videret Satan stultâ mundi credulitate absq; negotio fore inter ipsa Evangelii exordia receptas esse suas imposturas, &c.* hæc impudens Calvinus contra totam antiquam Ecclesiam, quod ad ipsius confusionem sufficit: nam sancti Patres ceremonias illas ùt ostensum est, à sanctis Apostolis per traditionem descendisse dixerunt; quæ omnes ad Dei honorem & piorum devotionem ordinatæ sunt: has Calvinus Satanæ imposturas dicere non veretur. Et quidem ipse Calvinus in libello de formula administrandi sacramenta baptismi & cœnæ Domini plura præscripsit; quæ non habentur in Christi institutione; ut patet de baptismo, ubi ordinat; ut infans baptizandus die Dominica dum frequens populus adest, adducatur. Secundò, ut illi, qui infantem adferunt, interrogentur; an spondeant, quod illum, dum adoleverit, in doctrina fidei & morum instruere velint. 3. ut nomen baptizato imponatur. 4. ut forma baptismi patria lingua pronuncietur. 5. ut oratio Dominica & symbolum ac aliæ preces pronuncientur, *&c.*

III. Ostendat Calvinus, an hæc ex Christi institutione in S. scriptura legantur, & tamen hæc ab ipso ordinata respuere nefas erit; at vero ab Apostolis & primitiva Ecclesia ordinata respuere fas erit: quæ hæc dementia & præscriptio? Piis fas erit potiùs Ecclesiæ veræ antiquæ consuetudini & SS. Patrum doctrinæ inhærere, quod Euangelio congruit, cùm Apostoli nihil addiderint institutioni ipsorum sacramentorum, quam à Christo solo factam supposuerunt, sed ritus quosdam ut honestè & ordinatè sacramenta administrentur, & Apostoli & Ecclesia ordinarunt, & Ecclesia juxta Apostoli monitum illos observavit.

***

ANTITHESES,

In quibus veritas doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ & falsitas Acatholicorum circa sacramenta novæ legis juxta S. Scripturam & sanctos Patres proponitur.

PRima: SS. *Patres docuerunt* juxta verbum Dei partim scriptum, partim traditum; quod Christus Dominus certa sacramenta in Ecclesia usurpanda instituerit, licèt pleraque in S. script. nomine sacramenti non appellentur. *Ita etiam Ecclesia Romano-Catholica docet.*

Acatholici hoc ipsum fatentur contra suum principium, quo nihil credendum volunt, nisi in S. scriptura expressum sit.

2. *SS. Patres docuerunt*, quod illa sacramenta sint sensibilia signa; quæ ex certis à Christo determinatis rebus & verbis constent. *Ita & Ecclesia Cath.*

Acatholici concedunt quidem certam materiã in sacramentis, ut in baptismo aquam, in Eucharistia panem & vinum; sed negant certa verba in Eucharistia. In baptismo quidem adhibent certa verba, ut: *Ego te baptizo, &c.* sed negant in sensu Ecclesiæ.

3. *SS. Patres docuerunt*, quod certa verba in sacramentis à Christo sint ordinata; ut materiam ad sacramentum determinent & consecrent, & ad honorem Dei & suscipientis salutem pronuntientur, adeoque valeant, licèt in lingua suscipienti ignota proferantur. *Ita etiam Ecclesia Rom.*

Acatholici id mordicus negant, & magicæ incantationis damnant; cùm tamen talem baptismum ab Ecclesia Cath. collatum fateantur esse validũ.

4 *Nec S. script nec SS. Patres docuerunt*, quod in administratione sacramentorum necessariò concio sit adhibenda, vel textus epistolæ 1. Cor. 11. sit legendus. *Hoc etiam negat Ecclesia Catholica.*

Acatholici cum Calvino talem concionem ex præcepto Christi exemplo Apostolorum & primorum Ecclesiæ Patrum (sed falsò) volunt esse adhibendam.

5. *SS. Patres docuerunt*, quod sacramenta ex Christi meritis & instituto suscipienti gratiam conferant, nisi obicem incredulitatis vel peccati mortalis ponat. *Ita etiam Ecclesia.*

Acatholici hunc gratiam conferendi modum rejiciunt & derident.

6. *SS. Patres nullibi docuerunt*, nec S. script. tradit: quod detur fides particularis, quâ homo certitudinaliter credat Dei erga se benevolentiam, seque ab æterno ad beatitudinem esse prædestinatum, & per talem fidem etiam absque baptismo homo justificetur: talem fidem etiam Ecclesia Catholica non credit, sed damnat.

Acatholici talem fidem pro fundamento totius suæ doctrinæ ponunt.

7. *SS. Patres nullibi docuerunt*, nec S. script. tradit: quod sacramenta sint talia sigilla, quibus Deus sacramenta suscipientes assecuratos voluerit; quod jam sint per fidem justificati, & ab æterno ad beatitudinem prædestinati. *Ecclesia Catholica etiam talia sigilla in sacramentis negat.*

Acatholici hoc primarium sacramentorum munus esse volunt.

8. *SS. Patres docuerunt*, quod per sacramentum *Baptismi, Confirmationis & Ordinis* animæ imprimatur *character*; qui semper maneat indelebilis; ac proinde ista tria sacramenta absque injuria illorum iterari non possint. *Ita etiam docet Ecclesia.*

Aca-

Digitized by Google

Acatholici cum Calvino talem characterem derident & negant.

9. *SS. Patres* etsi numerum septenarium Sacramentorum non expresserint; tamen de omnibus & singulis septem sacramentis docuerunt, quòd sint vera legis novæ sacramenta, quæ ex Christi instituto gratiam conferant.

Acatholici illum septenarium sacramentorum numerum negant; nec tamen ex sacra Scriptura vel SS. Patribus probare possunt quòd sint tantùm duo vel tria sacramenta.

10. *SS. Patres iuxta S. Scripturam docuerunt*, quòd Ecclesia vel Ecclesiæ Prælati possint ritus externos seu ceremonias certas ordinare in administratione sacramentorum observandas; non quasi ad valorem ipsorum necessariò requirantur; sed ut honestè & ordinatè administrentur. *Ita etiam docet Ecclesia Romana.*

11. *SS. Patres iuxta S. Scripturam docuerunt*, quòd Apostoli & successores ipsorum tales Ritus circa Sacramentorum usum ordinare potuerunt; qui non solùm ob pœnam vel iram, sed etiam propter conscientiam sint observandi. *Ita etiam docet Ecclesia Romana.*

Acatholici negant Ritus tales vel ullás leges à Prælatis Ecclesiæ ordinari posse, quæ ligent per se conscientias, sed liberâ conscientiâ servari debere volunt.

12. *SS. Patres iuxta S. Scripturam docuerunt*; quòd, licèt in Ritibus circa sacramenta non consistat præcipuus Dei cultus; tamen Ritus illi fidelibus sint utiles, & ad Dei aliqualem cultum referantur. *Ita etiam docet Ecclesia Romana.*

Acatholici negant ullos Ritus externos ab Ecclesia ordinatos ad Dei cultum aliquid conferre: sed falsò Ecclesiæ Romanæ Calv. imponit, quasi ipsissimum Dei cultum in illis contineri; vel quòd pluris Ecclesiæ ordinationes quàm Dei præcepta faciendas esse doceat.

13. *SS. Patres ex traditione Apostolica docuerunt*, quòd aqua benedicta in Baptismo sit adhibenda, non quasi aqua non benedicta ad valorem sacramenti non sufficiat; sed ut decentiùs & utiliùs administretur. *Ita etiam docet & observat Ecclesia Romano-Catholica.*

Calvinus negat aquam benedictam ab Apostolis ordinatam, sed dicit: quòd aquæ benedictio vel potiùs incantatio sit inventa, quæ veram aquæ consecrationem polluat, & Baptismum contaminet.

14. *SS. Patres ex Apostolica traditione docuerunt*; quòd in Baptismo Exorcismus adhibeatur, quo dæmones certis precibus adjurentur: ut à baptizando recedant, & baptizandus exsuffletur. *Ita etiam docet & servat Ecclesia Catholica.*

Calvinus dicit, quòd exsufflatio, Exorcismus, *&c.* intra ipsa exordia Ecclesiæ à Satan introducta sint.

15. *SS. Patres iuxta Apostolicam traditionem docuerunt*; quòd baptizandus diabolo & pompis ejus certis verbis abrenunciare debeat. *Ita etiam docet & servat Ecclesia Romana Catholica.*

Acatholici hanc abrenuntiationem contemnunt, & abrogandam volunt.

16. *SS. Patres iuxta traditionem Apostolicam docuerunt & servârunt*; quòd baptizando signum crucis in fronte imprimatur; & asseruerunt, quòd Christus noluerit stellam esse in fronte fidelium signum suum; sed crucem suam: & quòd Christiani, si Christiani sint ad Christum pertinentes, hujus signum in fronte gestent; de quo non erubescant. *Ita etiam docet Ecclesia.*

Acatholici non solùm negant signum crucis fidelium frontibus imprimendum; sed idipsum damnant & detestantur.

17. *SS. Patres tradiderunt*, quòd Ecclesia antiqua ad exemplum Christi observârit, ut Sacerdos nares & aures baptizandi sputo tangat, dicens epheta. *Ita etiam observat Ecclesia Romana.*

Calvinus dicere audet; quòd Satan in crassiora ludibria proruperit; & sputum & similes nugæ palàm in Baptismi probrum sint invectæ.

18. *SS. Patres testantur & referunt*; quòd in Ecclesia semper fuerint certa loca Baptismo deputata, quæ baptisteria dicebantur. *Ita etiam observat Ecclesia.*

Acatholici volunt baptisteria prorsus abolenda.

Digitized by Google

LIBER XIII.

De Sacramento Baptiſmi.

CAPUT I.

De Sacramento Baptiſmi, ejusque Materia & Forma, ac Miniſtro.

ARTICULUS I.

Referuntur errores Acatholicorum.

QUoad Baptiſmi Sacramentum
I. & illius materiam ac formam
varii olim fuerunt errores :
quorum aliqui lib. præcedenti
cap. 1. art. 1. relati ſunt, præ-
ter quos erant ſequentes.

1. Errores Manichæorum & Pelagianorum
II. circa Baptiſmum D. Auguſt. lib. 2. contra duas
epiſtolas Pelagianorum edit. Baſil. 1525. refert
ſic dicens : *Manichæi lavacrum regenerationis, id
eſt, aquam ipſam dicunt eſſe ſuperfluam ; nec prodeſ-
ſe aliquid, prophano corde contendunt. Pelagiani
autem, quod in ſacro Baptiſmate ad excipienda pec-
cata dicitur, nihil opitulari infantibus nullum pecca-
tum habentibus aſſerunt ; Ac ſic per hoc in parvulis ba-
ptizandis, quantùm ad remiſſionem attinet peccato-
rum, Manichæi viſibile deſtruunt elementum ; Pela-
giani autem etiam inviſibile Sacramentum*, &c.
hæc Auguſt. Ex quibus conſtat, quòd Calvinus,
ejusque ſequaces Pelagianorum errori inhære-
ant, ùt infrà de Baptiſmo parvulorum patebit.

2. *Iacobitæ*, negabant Baptiſmum in aqua fi-
III. eri debere ; ſicut olim *Seleuciani* : de quibus Au-
guſt. lib. de Hæreſ. cap. 59. ſed Jacobitæ ute-
bantur ferro candenti, quo crucis figuram fron-
tibus imprimebant ; ùt refert Bernardus Lu-
xenburgenſis in Catalogo hæreticorum : quo-
rum ſecta adhuc extat in partibus Orientalibus ;
de quibus lib. de Eccleſia dictum eſt.

3. *Lollardi* circa annum 1350. Sacramentum
IV. Baptiſmi planè rejiciebant & deridebant, di-
centes : *Si Baptiſmus eſt Sacramentum, ergo quod-
libet lavacrum eſt Sacramentum* ; ita refert Tri-
themius in Chronico Hirſaugienſi.

4. *Flagellantes* circa idem tempus, aſſerebant
V. Baptiſmum aquæ mutatum eſſe in Baptiſmum
ſanguinis ; adeóque neminem ſalvari poſſe, niſi
in ſanguine, de proprio corpore per flagella ex-
cuſſo, baptizaretur, ita Coccius lib. de Bapti-
ſmo art. 4.

5. *Lutherus* in colloquiis ſympoſiacis ſeu con-
VI. vivalibus cap. 17. interrogatus ; an deficiente
aquâ liceat baptizare in lacte vel cereviſia, pri-
mùm quidem reſpondit ; id divino judicio eſſe
committendum : poſtea addidit, quòd quic-
quid balnei nomine nuncupari poſſit, id ſit aptū
ad Baptiſmum : conſtat autem, quòd ex lacte,
cereviſia, vino, & aquis extractis roſaceis, *&c.*
balnea fieri poſſint, adeóque juxta Lutherum
ad materiam Baptiſmi ſufficiant.

Quoad *formam verborum* Baptiſmi varii etiam
VII. olim erant errores.

Gnoſtici baptizabant in nomine ignoti Patris
in veritate matris omnium, & in nomine deſcen-
dentis Jeſu, ita refert *Irenæus* lib. 1. cap. 18.

Cataphryges & Pauliniſtæ jubebantur rebapti-
zari, ſi ad Eccleſiam redirent, ùt conſtat ex Conc. VIII
Nicæno 1. can. 19. & *Laodicenſi* can. 8. cujus cau-
ſam exprimit Innocentius epiſt. 22. cap. 5. quia
non utebantur formâ *in nomine Patris*, &c.

Ariani aliqui conſuetâ Eccleſiæ formâ uteban-
tur ; aliqui baptizabant in nomine Patris per Fi- IX.
lium in Spiritu S. ùt refert *Nicephorus* lib. 13. c. 35.
proinde in Concil. I. Arelatenſi fuit ordinatum
can. 8. ut interrogarentur Ariani ad Eccleſiam re-
deuntes ; ſub qua forma baptizati eſſent, &, ſi
non ſub conſueta, rebaptizarentur.

Eunomiani baptizabant non in nomine trium
perſonarum expreſſarum, ſed in Domini mor- X.
tem, ita refert Socrates lib. 5. cap. 23.

Græci Schiſmatici utuntur hâc formâ ; *Baptize-
tur ſervus Chriſti in nomine Patris*, &c. in quo non XI.
damnantur ab Eccleſia Cathol. ſed in eo, quòd
aliqui formam Eccleſiæ, *ego te baptizo*, &c. ùt
falſam damnant ; ùt habetur in Concil. Latera-
nenſi ſub Innocentio III. celebrato cap. 4.

Lutherus lib. de Capt. Babyl. c. de Bapt. aſſerit ;
quòd baptiſmus valeat, qualibuscunque verbis XII.
conferatur ; modò non in nomine hominis ſed
in nomine Domini detur : imò addit, quòd, ſi
quis impius miniſter illum in nomine Domini
non conferat, tamen valeat, ſi baptizatus in no-
mine Domini illum ſuſcipiat.

Hunc ſecutus eſt *Zvvinglius* lib. de vera & fal-
ſa Relig. cap. de bapt. circa finem, ubi dicere au- XIII
det : quòd nulla certa verborum forma in ba-
ptiſmo ſit neceſſaria ; & hoc juxta principia A-
catholicorum, qui volunt verba baptiſmi non
eſſe efficacia vi Sacramenti ; ſed tantùm ad ex-
citandam Fidem valeant.

Calv. lib. 4. Inſt. cap. 15. §. 6. licèt videatur ſup-
ponere formam verborum *in nomine Patris*, &c. XIV
ſervandam : tamen indicat ſufficere in nomine
Chriſti dicens : *Quicquid enim in baptiſmo propo-
nitur donorum Dei, in Chriſto uno reperitur : neque ta-
men fieri poteſt, quin Patris ſimul & Spiritus nomen
invocet, qui in Chriſtum baptizat*, &c. hæc ille.

ARTICULUS II.

Proponitur & declaratur doctrina Eccleſiæ Catholicæ.

HÆc definitur in Concil. Trid. cap. 7. I
can. 2. his verbis : *Si quis dixerit aquam
veram & naturalem non eſſe de neceſſita-
te Baptiſmi, atque ideo verba illa Domini
noſtri Ieſu Chriſti niſi quis renatus fuerit ex aqua*, &c.
ad metaphoram aliquam detorſerit ; anathema ſit.

Et

Digitized by Google

II. Et can. 4. *Si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis, in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti cum intentione, faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum; anathema sit.*

Ubi 1. observandum, quòd sola aqua non sit nec dici possit Sacramentum baptismi, prout Lollardi calumniabantur, & aliqui imprudenter loquuntur: sed aqua requiritur ad Sacramentum, ut pars aliqua fundamenti: Sacramentum autem formaliter est signum seu significatio gratiæ infusæ; quæ fundatur proximè in lotione aquæ naturalis & prolatione verborum formæ; adeòque transit cum illis actionibus.

III. 2. Observandum, quòd indifferens sit ad lotionem, an baptizandus immergatur aquæ vel aspergatur; quod juxta morem Ecclesiarum servandum est: licèt Moscovitæ immersionem absolutè requirant.

3. Quòd, licèt omnis aqua naturalis sit sufficiens materia ad baptismi valorem, tamen extra necessitatem nulli baptizare licitum est nisi aquâ benedictâ juxta institutum Apostolorum, ùt lib. præced. cap. 4. ostensum est.

IV. 4. quòd ad valorem baptismi sufficiant verba formæ consuetæ in quocunque idiomate, & etiam alia æquivalentia; tamen extra necessitatem in lingua Latina & forma consueta baptismus conferri debet.

5. In forma verborũ requiritur, ut exprimatur actus Ministri & persona baptizanda; quod fit per verba *baptizo*, &c. vel *baptizetur servus Christi.*

V. 6. Ad valorem baptismi sufficiat generalis intentio ministri faciendi, quod facit Ecclesia, vel quod Christus instituit, licèt minister sit malus peccator, vel etiam in particulari erret, v. g. si Arianus utatur formâ consuetâ, & intendat facere quod Christus instituit; licèt ipse in particulari putet Filium esse minorem Patre, &c. ita SS. PP. supposuerunt; quia Sacramenta non dependent à bonitate ministri, sed ab instituto Christi cujus sunt ministri; sic Aug. tract. 5. in Joann. dicit: *Baptisma quod dabatur à Paulo & à Petro Christi erat, & quod datum est à Iuda, Christi erat, dedit Iudas, & non baptizatum est post Iudam,* &c. hæc ille.

VI. 7. Necessarium etiam est, ut alius sit baptizans à baptizato; prout satis colligitur ex verbis Christi, *baptizantes eos,* &c. & determinatum est ab Ecclesia; ùt constat ex cap. *debitum,* extrâ: de baptismo & ejus effectu; & sic exprimitur per pronomen (Te) in forma Baptismi.

VII. 8. Certum etiam est, quòd ipsemet baptizans etiam debeat proferre verba formæ, ùt etiam colligitur ex verbis Domini Matt. ult. *Baptizantes eos in nomine Patris,* ubi indicatur; quòd Apostoli baptizantes illa verba proferre debeant: & hoc patet ex forma Ecclesiæ Latinæ: *Ego te baptizo in nomine,* &c. quæ falsa esset, si unus baptizaret & alter verba proferret; adeòque in tali casu Baptismus nullus esset, & ad minus sub conditione reiterandus.

VIII. 9. Certum est etiam, quòd Bapt. semel ritè collatus non possit validè reiterari; quod Acatholici moderni præter Anabaptistas profitentur; licèt diversas allegent rationes; sicut etiam Theologi, de quibus Scot. in 4. d. 6. q. 7. ait: Fundamentum est, quia Christus sic instituit, ùt constat ex traditione Apostolica ab initio Ecclesiæ, quam SS. Patres supposuerunt, & professi sunt; sufficiat Aug. tract. 11. in Joann. ubi super illa verba Joann. 3. *Nunquid potest in ventrem matris suæ iteratò introire & renasci; Sic tu, inquit, intellige nativitatem Spiritus, quomodo intellexit Nicodemus nativitatem carnis, quomodo enim uterus non potest repeti, sic nec Baptismus,* &c. hæc ille.

Juxta prædicta, baptismus variè definiri seu describi solet; & quidem Scotus 4. dist. 3. q. 1. descriptionem hanc assignat. *Baptismus est Sacramentum ablutionis animæ à peccato, consistens in ablutione hominis aliqualiter consentientis, facta in aqua ab alio abluente & in verbis certis simul ab eodem abluente in debita intentione prolatis:* ubi omnia comprehenduntur ad valorem baptismi requisita, per quæ ab aliis Sacramentis distinguitur. IX. Brevior definitio ex S. Scriptura desumpta Joann. 3. & Ephes. 5. in Catechismo Romano exprimitur, scilicet, *Baptismus est Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ.*

Cæterùm, quòd Bapt. sit Sacramentum verum novæ legis, patet ex generali definitione Sacramenti; de qua lib. præced. c. 1. art. 7. actum est; & licèt Acatholici aliter definiant, tamen in hoc consentiunt. Constat enim quòd Baptismus sit *actus sensibilis in aqua & certis verbis,* ex illo Eph. 5. v. 26. ubi vocatur *lavacrum aquæ in verbo vitæ.* & etiam à Christo institutus & mandatus, ut in Ecclesia usurpetur, & patet Joann. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua,* &c. habet etiam promissionem gratiæ ùt patet Marci ult. v. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Et ad Tit. 3. v. 5. dicitur: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis;* ubi satis indicatur, quòd Baptismus conferat gratiam, prout SS. Patres unanimiter docuerunt; ùt constat ex ipsorum testimoniis lib. præced. cap. 2. art. 3. & 4. allatis; ubi alia plura hoc Sacramentum concernentia proposita & probata sunt; reliqua, de quibus Acatholici dissentiunt, ulteriùs demonstrabuntur. X.

ARTICULUS III.

Quòd sola aqua naturalis sit materia Baptismi.

HÆc habetur ex institutione Christi Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua,* ubi SS. PP. intelligunt Christum de baptismo locutum, licèt Calv. neget. I. Quòd autem intelligenda sit aqua naturalis, non autem quæcunque alia aqua artificialis rosacea, &c. multò minùs vinum, lac, &c. patet ex illo Joann. 3. v. 22. *Venit Iesus & discipuli eius in terram Iudæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat. Erat autem & Ioannes baptizans in AEnnon, quia aqua multa erat ibi,* &c. ubi patet, quòd in aqua naturali baptizavit. Similiter Act. 8. v. 26. dicit Eunuchus, *ecce aqua, quid prohibet baptizari?* ubi supponitur, quòd Philippus dixerit, oportere in aqua illum baptizari, &c. quæ erat aqua naturalis. Sic Apost. 1. Cor. 10. comparat baptismum cum mari rubro, quod aquæ baptismi figura fuerit, dicens v. 2. *Omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari.* Ita etiã 1. Pet. 3. Baptis. comparatur diluvio, &c. II. Quòd autem in aqua naturali Baptismus sit institutus, est sola voluntas Christi; ad quod plures convenientiæ à Doctoribus adferuntur suprà allegatis; quia aqua illa communis faciliùs haberi potest: de quibus Scotus 1. q. 3. n. 2. quòd autem sub nomine aquæ non comprehendantur aquæ artificiales probat Scot. ibid. n. 3. quia illæ dicuntur solùm æquivocè aquæ, & planè differunt specie ab aqua naturali seu elemen-

Digitized by Google

mentari: Si autem aqua misceatur aliis, quæ non mutant aquæ naturalis naturam, & manent fluida, sufficiens materia videtur: sed quia dubium esse potest de aliquibus, quòd aqua maneret, Scotus reputat abstinendum; si tamen in talibus Baptismus fuerit factus, sub conditione iterandus esset.

III. Ex his refutatur error Seleucianorum & Jacobitarum, qui in igne vel ferro ignito baptizare deberi dicunt; vel Flagellantium qui in sanguine; nam constat expresse ex verbis S. Scripturæ, quòd aqua naturalis adhibenda sit, prout & SS. PP. unanimiter docuerunt. Nec illis suffragantur loca, quæ ab ipsis allegantur: ut dum dicitur Matt. 3. v. 11. *Ego quidem baptizo vos in aqua ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne.* Item Luc. 3. v. 16. & Joann. 1. v. 33. *Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto.* & Joann. 5. v. 6. *Hic est, qui venit per aquam & sanguinem, Iesus Christus non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine.*

IV. Patet enim responsio ex ipsis verbis S. Scripturæ, nam Scriptura non dicit, quòd Christus in solo Spiritu S. & igne baptizarit: sed quòd Joannes quidem in sola aqua; at verò Christus *non in aqua solùm, sed. & in aqua & in Spiritu & igne*, & patet 1. Joann. 5. v. 6. jam allegato; unde patet, quod Seleuciani contra Scripturam excludebant aquam à Baptismo Christi; sicut & Jacobitæ, & licèt addatur in igne, patet: quòd illic non intelligatur ignis elementalis sed spiritualis; prout alia loca dicunt, *in Spiritu Sancto*, qui ignis in Scriptura sæpe nominatur, & in Pentecoste in linguis igneis apparuit: Sic etiam per sanguinem intelligitur Spiritus; quia sicut sanguis est fomentum vitæ, sic Spiritus Sanctus fomentum gratiæ est.

ARTICULUS IV.

Quæ sit vera forma Baptismi.

I. PRo hoc sciendum; quòd aliud sit loqui de forma valida Baptismi, sine qua Baptismus fieri non potest; aliud de forma licita, quæ quidem valida esset, sed quia contra morē & præceptum Ecclesiæ fieret, illicita foret. Certa itaque Ecclesiæ sententia est, quòd hæc forma sit valida & licita: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S, amen.* Quoad primam partem, *ego te baptizo*, determinavit Ecclesia, ut constat ex *Concil. Florentino*, in Institutione Armenorum, & *Concil. Trid.* suprà; & specialiter *Alexander tertius*, ùt habetur. *Extra* de Baptismo & ejus effectu, cap. *Si quis*, ubi sic dicitur: *Si quis puerum ter in aqua merserit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. amen; & non dixerit, ego te baptizo in nomine Patris*, &c. *puer non est baptizatus.* & ratio colligitur ex S. Scriptura, quia Matt. ult. dicitur, *baptizantes eos in nomine Patris*, &c. per quod indicatur, quòd præter nomina trium personarum, etiam actus ministri & personæ baptizatæ exprimi debeat.

II. Pronomen *ego* non est de valore; quia satis exprimitur baptizans per verbum *baptizo*, licitè tamen omitti non potest. Ubi etiam advertendum, quòd non sit de essentia, ut persona ministri exprimatur, alioquin forma Græcorum esset invalida, *baptizetur servus Christi*; quia ibi non persona Ministri, sed tantùm actus ministri exprimitur.

III. Quoad *alteram partem formæ in nomine* Patris, &c. etiā certum est; quòd illicitè Minister aliis verbis etiā æquivalentibus vel in patria lingua exprimeret; cùm Ecclesia ordinavit, ut pro cōformitate in lingua Latina exprimatur à Ministro ordinario; exceptā necessitate, quando ab aliis baptizatur. Cōmunior est autem sententia DD. quòd nomina SS Trinitatis sub propriis nominibus personarū exprimi debeant, & ideo non valeat Baptis. *in nomine genitoris geniti & spirati*; quia non exprimunt personas *sub ratione subsistentiarum & hypostatum, sed sub ratione proprietatum.* quæ nō æquivalent, ut notat Scot. 4. d. q. 2. n. 8 sic etiā Scot. cum cōmuni ibid. docet, quòd, quia nomina personarū dupliciter possent significari; semel explicitè ùt in forma consueta, *in nomine Patris, &c.* aliter implicitè: idq; duplici modo; vel tanquā in toto collectivè prout significamur hoc nomine *Trinitas*, vel implicitè, ùt in quodā nomine importante has personas per correspondentiam effectûs ad causam; & sic nomen *Christus* tres personas importat: hoc enim nomen significat Filium secundùm naturam humanam, secundùm quam unctus est; & dat intelligere Patrem à quo unctus est, & Spiritum Sanctum, quo unctus est.

De nomine implicitè, licèt collectivè significetur, scilicet *SS. Trinitas*, Scotus cum communi dicit; quòd Bapt. non valeat, quia constat ex verbis Christi Matt. ult. quòd Christus voluerit personas has sub propriis nominibus explicitè significandas esse. De baptismo in nomine Christi sine expressione aliarum personarū difficultas est; nam D. Amb. lib. 1. de Spir. Sancto cap. 3. videtur dicere; quòd talis Baptismus sit validus, quia implicitè aliæ personæ significantur, ùt prædictum est; imo addit, quòd si nomen Patris, vel Filii aut Spiritûs S. seorsim solùm exprimatur, ita tamen, ut credatur tota Trinitas validus sit; quod videtur probari ex actibus Apost. cap. 8. 10. & 19. ubi dicuntur Apostoli baptizasse in nomine Christi & non exprimuntur tres personæ: Sed communis est sententia DD. quòd Baptismus sic collatus post tempora Apostolorum sit invalidus, vel saltèm dubius; ùt notat Magister sententiarum dist. 3. & Scotus ibid. q. 2. n. 10. & reputat talem baptismum ad minus sub conditione reiterandum. IV.

Et hoc colligitur ex communi sanctorum PP. loquendi modo, & videtur determinatum ab Ecclesia, ùt habetur *de consecratione* dist. 4. cap. *in Synodo*, ubi Zacharias Papa scribit Bonifacio Episcopo; quòd in Synodo Anglorum præceptum sit, ut quicunque sine invocatione Trinitatis mersus esset, Sacramentum regenerationis non haberet: quod verum esse dicit, nisi in nomine Patris, Filii & Spiritûs Sancti fuerit baptizatus, *&c.* V.

Sed differentia est inter DD. an tempore Apostolorum Christus specialiter in illa lege dispensârit ad majorem honorem Christi conciliandum; ut Apostoli in nomine Christi baptizarent; dum Spiritus Sanctus visibiliter dabatur; de hoc senserunt plerique antiqui gravissimi Theologi, ut D. Thom. 3. p. q. 66. art. 6. adr. & Scotus hîc in aliis: quòd quidem Christus instituerit Baptismum sub invocatione trium personarum, cujus institutum nullus alius abrogare possit, nec in illo dispensare, nisi solus Christus; quem existimant, juxta loca Scripturæ allegata & sanctum Ambrosium pro tempore VI.

Apo-

Digitized by Google

Apostolorum dispensasse, ob causam dictam; quam dispensationem colligunt ex facto Apostolorũ; qui ita non baptizâssent, nisi Christus specialiter dispensasset pro illo tempore: adeóq; cessante tempore illius dispensationis, formam illam solum validam esse quæ ex ipsa baptismi institutione ordinata est; scilicet trium personarum expressarum: dicit tamen Scotus; quod, quia non legit talem dispensationem esse revocatam à Christo, sic non audeat asserere talem Baptismum in nomine Christi esse invalidum, addens; *In hoc ergo casu reputo dubium, an talis sit baptizatus, &c.* ac ideo existimat, quod talis sub conditione rebaptizandus sit.

VII. Recentiores autem quidam Doctores putant Apostolos nunquam in solo nomine Christi baptizasse; cùm nunquam legatur expressa dispensatio Christi ad hoc facta: & loca S. Scripturæ explicari possint; quòd quidem Apostoli in nomine Christi dicantur baptizasse, sed non solo, sed in nomine Iesu Christi cum Patre & Spiritu sancto, dicendo: *In nomine Patris & Filij Iesu Christi & Spiritus Sancti, &c.* & fundantur primo, quia Actor. 19. v. 2. cum Apostolus interrogasset quosdam, *si Spiritum sanctum accepistis credentes? illi dixerunt ad eum, sed neque si Spiritus sanctus est audivimus. Ille vero ait, in quo ergo baptizati estis?* quibus verbis videtur satis indicari, quod Apostoli in nomine trium personarum baptizarint; adeóque si illi baptizati essent, utique Spiritum sanctum audivissent. Secundo, fundantur in authoritate antiquorum Patrum, & quidem quod in Canonibus Apostolorum damnentur illi, qui aliter quam in nomine Patris, *&c.* baptizant; & eandem formam præscribant antiquissimi Patres, qui tempore Apostolorum, vel statim postea vixerunt, ut *Dionysius Areopag.* qui lib. de Eccles. Hierarch. cap. 2. part. 2. sub titul. *Mysterium Baptismatis*, edit. Argent. 1503. sic ait: *Ter quidem ipsum summus Sacerdos baptizat tribus perficiendi demersionibus & emersionibus, trinam divinæ beatitudinis invocans substantiam, &c.* hæc ille.

VIII.

IX. Similiter *Iustinus* in Apologia 2. loquitur, sic & Origenes l. 2. de principiis, apud Iod. Cocc. lib. 5. tom. 2. thes. Cathol. edit. Col. 1601. ait, *salutaris baptismus non aliter, nisi excellentissima omni Trinitatis authoritate, id est, Patris, & Filii & Spiritus sancti cognominatione completur, &c. Tertullianus* edit. Basil. 1562. lib. adversus Praxeam c. 16. sic ait: *Et post resurrectionem, &c. novissimè mandans, ut tingerent in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, non in unum: nam nec semel, sed ter ad singula nomina in personas singulas tingimur, &c.* hæc ille.

X. Secundum hæc antiquorum Patrum testimonia satis verisimile est, quod nunquam dispensatio prædicta à Christo facta sit; nec tamen etiam absolutè negari potest, quod ad minus pro tempore Apostolorum data sit ob authoritatem aliorum SS. Patrum & Doctorum, qui in facto Apostolorum se fundarunt.

XI. Verùm pro hoc tempore non est difficultas, cum omnes DD. consentiant ad minus esse dubium, an modo talis dispensatio currat.

XII. Denique quoad tertiam partem formæ, scilicet; quòd dicatur, *in nomine*, certum est, quod debeat exprimi in singulari, & non in plurali, *in nominibus*: nam nomen significat authoritatem & virtutem sanctissimæ Trinitatis & unitatem divinitatis; sicut autem unica est Deitas seu divinitas trium personarum, ita unica virtus & authoritas; adeóque dicens; *in nominibus*, expresè loqueretur contra veritatem catholicam cum Arianis, qui authoritatem & divinitatem personarum dividebant, & hoc præsupponunt SS. Patres.

Quoad modernos Acatholicos observandum est; quòd, ut art. 1. dictum est, plerique sentiant consueta Ecclesiæ formâ in baptismo utendum esse; vel saltem, verba in nomine Christi, vel Domini pronuncianda esse, cum verbis: *Ego te baptizo* prout SS. Patres apertissimè ostendunt; tamen Acatholici solidum juxta suam doctrinam de hoc fundamentum non habent; qui suam doctrinam ex sola S. scriptura probatam volunt. XIII.

Nam licèt doctrina catholica de necessitate verborum ex S. scriptura colligatur; non tamen verba S. scripturæ per se sufficiunt, & expresè hoc tradunt: est quidem verbum Christi Matth. ult. *euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* sed ex illis verbis per se consideratis non posset clarè probari; quod Christus mandavit, ut baptizans illa verba preferret, *ego te baptizo, &c.* sed dici posset sufficere, si quis hominem baptizaret ipso facto in fide & authoritate SS. Trinitatis: nec opus esset dicere: *ego te baptizo* cum actum ipsum exercet, qui oculis patet. Similiter posset dici de nomine Patris, *&c.* quod sicut Marci ult. v. 17. dicitur, *in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, &c.* ubi non intelligitur quòd nomen Christi in ejectione sit exprimendum; vel dum linguis novis loquuntur: sed quod in fide, virtute, & authoritate Christi illa faciant. sic etiam dici posset, quod in fide & authoritate *Patris & Filii & Spiritus sancti baptizaverint*. talia nomina non exprimendo.

Verùm Ecclesia catholica necessitatem horum verborum habet ex Euangelio, & simul ex verbo Dei tradito; quod ab initio Ecclesiæ per SS. Patres accepit; ex quo constat, quod verba Euangelii hoc modo sint intelligenda, ut exprimatur actus Ministri, persona baptizati & nomen patris, *&c.* prout etiam constat ex continua praxi totius Ecclesiæ; quam Orientales Græci usque modo servant. XIV.

Quamvis itaque Acatholici tam varii sint, ut facilè juxta sua principia falsa possent formam hanc baptismi contemnere; sicut Calvinus passim alia verba deridet, quasi magica, *&c.* tamen Deo suaviter disponente passim in baptismo forma Ecclesiæ consuetâ utuntur, ne plurimæ infantum animæ pereant: licet ipsi infantes fidelium ab utero sanctos esse falsò asserant. XV.

Observandum tamen erit circa eos, qui ad Ecclesiam revertuntur: quod si in locis baptizati sint; ubi constat, quòd forma baptismi necessaria non utantur, vel quod prædicans in suggestu verba formæ pronuntiet, & alius aqua hominem baptizet; ut in quibusdam locis fieri dicitur; tunc talis non sit verè baptizatus, adeóque verè baptizandus erit. XVI.

Digitized by Google

ARTICULUS V.

Quinam sit Minister Sacramenti Baptismi.

I. SCiendum tripliciter Ministrum baptismi, sumi; semel ordinarium, qui ex officio baptismum administrat: Secundò qui ex commissione ordinarii facit, Tertiò, qui solum in extrema necessitate sine speciali ordinarii commissione administrat.

II. Docet itaque Ecclesia Catholica, primò quod ordinarius ex officio Minister baptismi sit Episcopus vel sacerdos; ita tamen, ut sacerdoti ministerium illud competat cum subordinatione & dependentia ad Episcopum.

III. Hoc constat ex verbis Christi Matth. ult. *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, &c.* ubi clarum est, quod Christus Apostolis; qui Episcopi & Sacerdotes ab ipso instituti sunt, ac proinde illorum successoribus saltem præcipuè, illud munus commiserit. Et sic ab initio Ecclesiæ observatum est, ut patet ex antiquis Patribus, specialiter *Tertulliano*, edit. quâ supra. qui lib. de bapt. cap. 17. sic ait: *Superest ad concludendam materiolam de observatione quoque dandi & accipiendi baptismum commonefacere: dandi quidem habent jus summus Sacerdos, qui est Episcopus, dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen sine Episcopi authoritate, &c.*

Similiter *Hieronymus* edit. Bas. 1553. tom. primo dialogo adversus Luciferianos cap. 4. ait: *Sine chrismate & Episcopi jussione neque presbyter, neque diaconus jus habeant baptizandi, &c.* hæc ille.

IV. Secundò docet Ecclesia, quod laicis qualibuscunque nunquam liceat solemniter baptizare, nec etiã privatim sine ceremoniis præsente Sacerdote & Diacono, vel iis absentibus, si non urgeat necessitas. Ita SS. Patres, & deducunt ex verbis Christi, qui officium illud ordinariè sacerdotibus commisit, ut dictum est; sic cum communi supponit D. Augustin. lib. 2. contra Parmenian. cap. 13. ubi de laicis baptizantibus loquens, ait: *nulla enim cogente necessitate, si fiat; alieni muneris usurpatio est, &c.*

V. Tertiò Ecclesia docet, quod laici baptizati in extrema necessitate possint baptismum administrare.

Sic *Tertullianus* supra edit. eadem post verba allegata, dicit. *alioquin* (scilicet in necessitate) *etiam laicis jus est*, & infra: *sufficiat scilicet in necessitatibus; ut utaris, sicubi aut loci, aut temporis aut personæ conditio compellit, &c.* hæc ille.

Hieronymus, loco citato, post verba præmissa dicit: *Quod frequenter, si tamen necessitas cogit, scimus etiam laicis licere, &c.*

Ruffinus edit. Bas. 1587. lib. 1. Eccles. historiar. cap. 14. narrat, dicens: *Alexander Episcopus Alexandrinus vidit eminus puerorum supra oram maris ludum imitantium, ut fieri solet, Episcopum: atque ea quæ in Ecclesiis geri mos est*, & infra: *comprehensos ad se perducere omnes pueros imperat, quid egissent & quomodo, percunctatur: illi* &c. *pavidi negare primo deinde rem gestam ordine pandunt & baptizatos à se quosdam catechumenos confitentur per Athanasium qui ludi illius fuerat Episcopus simulatus, &c. ubi vidit secundùm religionis nostræ ritum cuncta constare, collocutus cum concilio clericorum statuisse traditur illis iterari baptismum non debere, sed adimplere, quæ à Sacerdotibus mos est, &c.* hæc ille.

Augustinus Tomo 7. edit. Bas. 1528. lib. 2. contra Parm. supra, dicit: *Etsi laicus aliqua pereuntis dederit baptismum necessitate compulsus, quod cum ipse acciperet, dandum esse, didicit; nescio an piè quispiam dixerit esse repetendum.* quasi diceret, hoc impiè aliquis diceret, ut constat ex sequentibus, dum subjungit, dicens absolutè: *Nulla enim cogente necessitate, si fiat, alieni muneris usurpatio est; si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum est, &c.* hæc ille.

Hoc apud SS. Patres adeò certum fuit, ut idipsum Calvinus fateatur lib. 4. instit. cap. 15. §. 20. dicens: *Quod autem multis abhinc seculis adeoque ab ipso ferè Ecclesiæ exordio usu receptum fuit, ut in periculo mortis laici baptizarent, si minister in tempore non adesset, non video, quàm firma ratione defendi queat, &c.* hæc ille. VI.

Sed quod ipse negat, frivolum est; nam authoritas Ecclesiæ totius antiquæ sufficeret, quæ absque firmissima ratione id non fecisset, scilicet; nisi ab Apostolis hoc traditum accepisset, juxta Augustinum edit. eâd. lib. de bapt. contra Donatum cap. 7. ubi dicit: *Multa non inveniuntur in literis eorum* (Apostolorum) *neque in conciliis posterorum, & tamen, quia custodiuntur per universam Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita & commendata creduntur, &c.* hæc ille.

Firmissima itaque & fundamentalis ratio est, voluntas Christi, qui ob necessitatem voluit, ut à laicis baptismus ministraretur; quæ Christi voluntas nobis constat ex traditione & usu antiquæ Ecclesiæ, quam Calvinus fateri debet; licet necessitatem baptismi contra S. scripturam neget, quæ infra probabitur. VII.

Quod autem officium baptizandi ita à Christo Apostolis, eorúmque successoribus Episcopis & sacerdotibus commissum sit, ut vel ex illorum commissione, vel etiam ex necessitate ab aliis ministrari possit, satis colligitur ex S. scriptura, ut Act. 8. ubi *Philippus*, qui non erat Apostolus nec Sacerdos, sed Diaconus, legitur Eunuchum in via baptizasse. Et Actor. 9. *Ananias* jussu Domini accessit Saulum, & eundem baptizavit, qui non erat Apostolus nec Sacerdos, nec Diaconus; cùm tunc temporis, scilicet primò post passionem Christi anno soli Apostoli erant Episcopi & Sacerdotes, & tantùm septem Diaconi; inter quos non erat Ananias; nec aliquis illorum tunc legitur fuisse Damasci, qui Saulum baptizasset. VIII.

Similiter Actor. 10. cùm Petrus cum quibusdam Fratribus ex Ioppen venisset Cæsaream ad Cornelium & videret Spiritum sanctum, illi & familiæ datum, vers. 48. *jussit eos baptizari, &c.* ex quo patet, quod ipse solus non baptizârit, sed aliqui qui cum Petro venerant; qui nec Apostoli nec Diaconi erant.

Quartò, docet Ecclesia, quod in extrema necessitate si viri non adsint, baptizatæ fœminæ licitè baptizare possint; si autem in præsentia Sacerdotis vel Clerici aut viri, qui modum novit, baptizarent quidem validè sed illicitè & in XIV.

peccato;

Digitized by Google

peccato; modo intendant facere, quod facit Ecclesia Christi & materiam ac formam adhibeant.

X. Hæc doctrina etiam colligitur ex antiquæ Ecclesiæ usu & SS. Patrum doctrina; qui generaliter docent: quod laici baptizati in necessitate baptizare possint: & fundamentum est, voluntas Christi, qui principalis est baptizans; unde valor baptismi non ex bonitate ministri, sed Christi dependet: sicut constat ex illo Ioann. 1. vers. 33. *super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto.* & tamen ibid. cap. 4. vers. 2. dicitur: *quanquam Iesus non baptizarit, sed discipuli ejus, &c.* Sic ergò SS. Patres colligunt, quod quicunque baptizet, Christus sit qui baptizat, dans valorem & spiritum sanctum. Et cùm dicatur, Gal. 3. vers. 27. *quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis & non est masculus neque fœmina; omnes enim vos unum estis in Christo Iesu.* Sicut ergò in necessitate viri laici baptizare possunt, ita & fœminæ.

XI. Et hæc doctrina definita fuit in Concil. Florentino: ubi Patres Græci & Latini convenerunt; prout in literis unionis habetur. *Minister hujus Sacramenti* (Baptismi) *est sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In casu autem necessitatis non solum Sacerdos vel Diaconus, sed etiam Laicus vel mulier, imò etiam Paganus & hæreticus baptizare potest; dummodo formam servet Ecclesiæ & facere intendat, quod facit Ecclesia, &c.*

Cujus fundamentum est voluntas Christi, quam per traditionem Ecclesia cognoscit, & patet ex usu Ecclesiæ Græcæ & Latinæ.

Et hoc etiam constat ex testimoniis SS. Patrum, qui in necessitate dicunt laicos baptizare posse, sub quibus etiam fœminæ, ut dictum est, comprehenduntur.

XII. Quintò demùm docet Ecclesia Catholica ut ex Concil. Florentino constat, quod in extrema necessitate etiam homo non baptizatus & infidelis baptizare possit, modò servanda servet.

Hæc quidem Doctrina in primitivâ Ecclesia extitit, sed non adeò certè definita; quia aliqui Patres dubitarunt, ut Tertullianus loco suprà citato indicat, quod solus baptizatus possit baptizare, dicens: *Quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari potest.*

Idem indicat Hieronymus Dialogo supra citato: sed hæc ratio non urget, ut facilè patet; quia baptizans non dat ex suo, sed Christus dat valorem, ut dictum est. D. Augustinus dubius etiam in hoc fuisse videtur, edit. Bas. 1528. Tomo 7. lib. secundo contra Parm. cap. decimo tertio ubi de laicis baptizatis supponit illos validè baptizare, subjungit, dicens: *Et has quidem alia quæstio est, utrum ab iis etiam qui nunquam fuerunt Christiani, possit baptismus dari, nec aliquid temerè inde affirmandum sine authoritate tanti Concilii, quantùm tantæ rei sufficit. De iis verò, qui ab Ecclesia unitate separati sunt, nulla jam quæstio est, quin & habeant & dare possint, &c.* hæc Augustinus ubi supponit quod quoad Hæreticos res in Concilio Nicæno determinata fuerit, de quo scribit Augustinus edit. eâd. lib. 1. de bap. contra Donatistas cap. 7. dicens: *Quæstionis hujus obscuritas ante schisma Donati magnos viros, &c. Patres Episcopos ita inter se compulit, salva pace disceptare & fluctuare; ut diu Conciliorum in suis quisque Regionibus diversa Statuta nutarint; donec plenario totius orbis Concilio Nicæno, quod saluberrimè sentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur, &c.* hæc ibi. In quo Concilio tamen de Paganis non erat actum. XIII.

Ex quo patet quòd D. Aug. non simpliciter de Paganis negavit, sed id sine Concilio Generali affirmare non voluerit. at verò post Augustinum per totam Ecclesiam determinatum fuit; uti tradit D. Thomas 1. q. 67. art. 4. in Corp. verùm clarissimè definitum est in Concil. Florentino suprà allegato. Cur autem in Concilio Nicæno id definitum non fuerit, ratio esse potest: quia ille casus rarissimè accidit, ut non adsint baptizati, & de hac causa non fuit dissidium, sicut erat de hæreticis ante Concilium Nicænum: de quibus dubitari poterat qui separati à Catholicis vivebant & baptizabant, quod frequentissimum erat: quorum baptismi valori S. Cyprianus & plurimi Episcopi Africæ contradixerant ante Concilium Nicænum. Veruntamen post dictum Concilium omnis quæstio de illis cessabat, ut ait D. Augustinus: sic etiam, licet aliqui Patres dubitaverint de baptismo à paganis facto, tamen post Concilii Generalis determinationem dubitandi locus non est, ut D. Augustinus profitetur.

ARTICULUS VI.

Respondetur ad objectiones Calvini & aliorum Acatholicorum.

PRæmissæ doctrinæ Catholicæ non obstant ea, quæ Calvinus lib. 4. cap. 15. §. 21. objicit: primò dicens: *Qualis ante natum Augustinum consuetudo fuerit, primum ex Tertulliano colligitur, non permitti mulieri loqui in Ecclesia, sed nec docere, nec tingere, nec offerre, ne ullius virilis, nedum sacerdotalis officii sortem sibi vendicet: Eiusdem rei locuples testis est Epiphanius, ubi Marcioni exprobrat quod mulieribus daret baptizandi licentiam: Nec me latet eorum, qui contra sentiunt, responsio; multum scilicet differre communem usum ab extraordinario remedio, quum ultima urget necessitas; sed quum ludibrium esse pronuntians dare fœminis baptizandi licentiam, nihil excipiat, satis apparet, corruptelam hanc ab eo damnari, ut nullo prætextu sit excusabilis; libro etiam tertio, ubi ne sanctæ quidem Christi matri fuisse permissum docens, nullam restrictionem addit.* hæc Calvinus. I.

Respond. Primò, Calvinus sui immemor vult, quod ante natum Augustinum non fuerit usus, ut baptismus à laicis vel fœminis in necessitate daretur; cùm tamen §. præcedent. fateatur, ab exordio ferè Ecclesiæ usu receptum fuisse ut à laicis daretur, ut suprà relatum est: ipse autem ibidem paritatem facit inter laicos, viros & mulieres; prout patet ex ipsius fundamento; quòd Christus solis Apostolis & Ecclesiæ Ministris mandaverit. II.

 Respond.

III. Respond. secundò. Quod Tertullianus senserit in necessitate licere laicis baptizare, patet ex verbis ipsius supra allegatis: ubi tamen dicit quod jus ordinarium habeat summus sacerdos, *&c.* & ibidem indicant verba à Calvino relata, cùm dicit in Ecclesia non licere mulieri loqui; cui tamen licet privatim loqui vel etiam docere, & multò magis in necessitate baptizare. Ex quo patet quod Calvini exceptio frivola sit, qui vult Patres non distinguere communem usum ab extraordinario remedio.

IV. Respond. itaque tertiò, quod juxta prædicta officium ordinarium & publicum baptizandi solis sacerdotibus commissum sit; & tale nunquam laicis viris vel mulieribus tribuitur, ut patet: & hoc Tertullianus sicut & Epiphanius intendunt; ut patet, quia Marcion tale officium publicum mulieribus concedebat, contra quod Epiphanius dicit, quod illud Christus nec sanctissimæ suæ matri commiserit. Nam illud solum Apostolis illorúmque successoribus commisit, prout munus publicum docendi in Ecclesia, & præcipuè munus offerendi, quod semper publicum est: cum quo consistit, quod in necessitate simplex baptismi actus à laicis etiam fæminis exerceatur; nec in hoc facit ludibrium: sicut si publicè in Ecclesia ista officia mulier ordinariè exerceret: Idem patet ex ipso Epiphanio hæresi septuagesima nona, ubi cùm dicit mulieri non licere baptizare, etiam dicit; quod nec hoc Diacono liceat, de quo certum est, quod extraordinariè & ex commissione Sacerdotis baptizare possit, ut patet per exempla Ananiæ & Philippi Diaconi supra allegata.

V. Secundò objicit, quoad mulieres, Calvinus dicens §. vigesimo secundo, *De mulieribus porrò citra ullam exceptionem sancitum fuit in Concilio Carthaginensi cap. 100. ne baptizare omninò præsumant.*

VI. Respond. primò quod Concilium prohibeat ne mulieres ordinariò baptizent; nec aliàs, nisi in casu necessitatis; nam licet in actis Concilii, ut habentur in tomis Conciliorum, casus necessitatis non excipiatur, tamen Magister sententiarum lib 4. dist. cum tali exceptione verba Concilii allegat & alii Doctores.

VII. Respond. secundò, licet expressè non habeatur in Concilio, tamen casus necessitatis excipi subintelligendus est; quia omnes alii antiquiores Patres illum exceperunt, quoad laicos: sicut & ipse Augustinus qui illi Concilio interfuit: & par est ratio de laicis viris & mulieribus: prout ipse Calvinus tàm viros laicos quàm mulieres excludit, licet falsò, præsertim cùm Augustinus etiam dubitabat de paganis & Iudæis, quod si Concilium Generale definiret, sentiendum sit illos validè baptizare multò minùs Concilium Nationale intelligendum est hoc de mulieribus baptizatis simpliciter determinare voluisse contra communem sanctorum Patrum de laicis antiquam sententiam.

VIII. Ex his patet, quod doctrina Catholica in omnibus cum sanctis Patribus concordet, sed videant Acatholici qualiter ipsi cum Calvino in verbis Epiphanii glorientur, qui ibidem clarè dicit: nulli mulierum nequidem Beatissimæ Virgini Mariæ à Christo commissum esse munus offerendi sacrificium, sed solis Apostolis eorumque successoribus. ubi Acatholici habent tales successores Apostolorum qui offerant sacrificium? cùm tale abominentur, & dicant, solum in Ecclesia esse sacrificium laudis & laborum, quod utique à Beata Virgine & ab omnibus mulieribus etiam offertur sic mentitur iniquitas sibi, & in uno, quod pro ipsis apparet, authoritatem extollunt Epiphanii, in altero contemnunt.

Sed ne sine S. scriptura Calvinus hæc dixisse videatur allegat, §. vigesimo secundo, verba Christi Matt. vigesimo octavo, dicens: aperta sunt verba Christi: *Ite docete omnes gentes ac baptizate, quando eosdem constituit Euangelii præcones & ministros baptismi; nemo verò in Ecclesia teste Apostolo Heb. 5. honorem sibi usurpat, sed qui vocatus est ut Aaron: quisquis sine legitima vocatione baptizat, in alienum involat munus, in rebus etiam minutissimis, ut in cibo & potu, quicquid dubia conscientia aggredimur, Paulus aperte clamat esse peccatum.* ad Romanos decimo quarto, vers. vigesimo tertio. *in muliebri igitur baptismo multò gravius peccatur ubi regulam à Christo traditam violari palam est, quandoquidem divellere, quæ Deus conjungit, nefas esse scimus.* hæc Calvinus. IX.

Respond. Primò dictum Calvini, quasi Christus, Matth vigesimo octavo primùm Apostolos instituisset Euangelii præcones & baptismi Ministros, non subsistit; constat enim quod ante passionem Apostolos miserit ad prædicandum Euangelium, ut patet Marci sexto, vers. septimo, *vocavit duodecim & cœpit eos mittere binos,* & vers. duodecimo, & exeuntes prædicabant, ut pœnitentiam agerent, *&c.* Similiter Luc. 9. vers. primo, *convocatis autem duodecim dedit illis virtutem,* &c. *& misit illos prædicare regnum Dei.* Imò non solùm duodecim misit, sed & septuaginta duos discipulos, Luc. 10. vers primo, *post hæc designauit Dominus & alios septuaginta duos & misit illos ante faciem suam & dicebat illis, messis quidem multa,* &c. *ite ecce ego mitto vos,* & vers. 9. *dicite illis appropinquavit in vos regnum Dei,* &c. Nonne ergò tunc præcones Euangelii constituti fuerunt, non solùm Apostoli sed & discipuli? & de baptismo similiter constat Ioann. 4. vers. 2. *quanquam Iesus non baptizaret sed discipuli eius,* utique à Christo ministri constituti: hæc contra Calvini absolutam sententiam, qui primùm post passionem solis Apostolis utrumque ministerium commissum asserit. Ipse etiam Calvinus lib quarto, cap. decimo sexto §. vigesimo sexto, respondens argumento Anabaptistarum, qui volunt, quod Christus Matth. ult. baptismum instituit, respondet dicens. Hic verò quot modis, bone Deus, se implicant, & inscitiam suam produnt. *Nam in eo plus quam pueriliter labuntur, quod primam baptismi institutionem inde derivant, quem ab exordio prædicationis suæ Apostolis Christus administrandum mandavit, &c.* hæc Calvinus. X.

Respond. secundò licet concederetur illa verba Matth. vigesimo sexto, solis Apostolis dicta esse, cùm præmittatur; quod undecim apparuerit & dixerit illis, *&c.* de quo tamen dubium est, cùm illa verba videantur dicta à Christo dum ascenderet; ubi præter Apostolos XI.

ftolos plus quam quingenti fratres adeffent, ut refert Apoftolus 1. Cor. decimo tertio, verf. fexto. Si tamen de folis Apoftolis intelligatur; hoc fic eft intelligendum, quod tunc illis commiferit munus prædicandi, *&c. ad omnes gentes*, quod priùs non permiferat, fed Matth. 10. v. 5. præcipiens duodecim dixerat, *in viam gentium ne abieritis*, &c.

XII. Secundò, intelligendum eft, quod folis Apoftolis illorúmque fucceffforibus abfolutum & ordinarium munus prædicandi & baptizandi commiferit, qui & aliis committere poffint: non tamen eft intelligendum, quod foli Epifcopi & Sacerdotes illa duo munera licitè exercere poffint, cùm exprefsè conftet, quòd munus prædicandi Apoftoli etiam aliis commiferint & alii difcipuli ufurparint; ut patet de Philippo Diacono, qui paffim prædicavit Euangelium, & Stephano Diacono, qui in Synagogis prædicavit & docuit, Actor. 6. & licet Apoftolus dixerit, 1. Cor. decimo quarto, verf. trigefimo quarto, *Mulieres in Ecclefiis taceant; non enim permittitur eis loqui*, & verf. trigefimo fexto, *turpe eft mulieri in Ecclefia loqui*, &c. tamen conftat, quod Aquila & Prifcilla uxor ejus Pauli difcipuli privatim Euangelium prædicarint, nam Actor. decimo octavo, verf. vigefimo fecundo dicitur, *quod cùm Apollo docebat diligenter ea quæ funt Iefu, fciens tantum baptifma Ioannis, &c. Prifcilla & Aquila affumpferunt eum & diligentiùs expofuerant ei viam Domini, &c* quod fi in hoc Prifcilla non peccavit, ut certum eft, dum privatim Apollo de Euangelio inftrueret & doceret; ubi tanta non erat neceffitas, quia folus Aquila maritus facere potuiffet; & docere ac prædicare principalius munus erat Apoftolorum quam baptizare, cùm Apoftolus exprefsè dicat, 1. Cor. primo, verf. decimo fexto. *Baptizavi & Stephani domum, cæterum nefcio, fi quem alium baptizaverim; non enim mifit me Chriftus baptizare, fed Euangelizare, &c.* non negans fibi munus baptizandi commiffum; fed quod inter illa duo hoc non effet præcipuum Apoftolorum munus, fed prædicare; fic etiam Apoftoli Actor. 6. verf. 2. dicebant, *non eft æquum nos derelinquere verbum Dei & miniftrare menfis.*

XIII. Cùm itaque prædicandi munus Diaconis & aliis difcipulis commiffum fuerit; & mulieribus privatim id licitum fuit, cur negaretur, quod laicis etiam mulieribus in extrema neceffitate baptizare liceat? nec hoc contra Chrifti verba magis eft, quam quod alii privatim doceant Euangelium: unde conftat, quod voluntas Chrifti fuerit, ut Apoftoli & Succeffores eorum tanquam ordinarii miniftri utrumque facerent, ita ut aliis poffint committere; & alii in neceffitate eadem præftare, & hoc faciendo non involant in alienum munus, nec dubia confcientia faciunt.

XIV. Demùm valde abfurdum eft, quod Calvinus pro confirmatione addit, dicens; *In muliebri igitur baptifmo multò magis peccatur*, &c. falfiffimum enim eft, quod muliere in neceffitate baptizante fine prædicatione verbi Dei, regulam à Chrifto traditam violari palam fit: *eò quod divellat quæ Deus coniungit*: quid enim abfurdius, quàm dicere; quod Deus illa duo femper conjunxerit fervanda? alioquin nullus etiam Minifter ordinarius verbi poffet prædicare alicui Euangelium, nifi illum baptizaret; & fic folum in baptifmo prædicandum effet baptizandis, quid abfurdiùs? ficut itaque prædicatio feparata poteft fieri abfque baptifmo; fic baptifmus ad minus in neceffitate fieri poteft abfque prædicatione.

XV. Hic etiam Lector notet, quam verè & graviter Calvinus juxta Apoftolum dicat: *quod nemo fibi in Ecclefia fumat honorem præfertim prædicandi, & alia Ecclefiaftica officia ufurpandi; nifi qui vocatus eft, ut Aaron, & qui fine legitima vocatione baptizet, in alienum involat munus & graviter peccet*: hæc veriffima funt; fi de ordinario munere id verum eft, intelligantur: Doceant autem Acatholici quod ipfi legitimâ vocatione ficut Aaron, tanquam Apoftolorum Succeffores ad baptizandi & docendi munus vocati fint; quod quia non poffunt, etiam ipfo Calvino judice, violatores funt & falfi ufurpatores Minifterii Apoftolorum.

CAPVT II.

De Neceßitate Sacramenti Baptiſmi.

ARTICVLVS I.

Referuntur errores Acatholicorum.

1. Præter illos qui Baptifmum Sacramentum effe planè negabant: ut erant olim *Cajani*, *Archontici*, *&c.* à Tertulliano & Epiphanio relati, de quibus lib. præcedent. capite primo, articulo primo & poftea Lollardi, circa annum millefimum tricentefimum & quinquagefimum: alii fuerunt, qui quidem Baptifmum afferebant effe Sacramentum, fed illius neceffitatem negabant.

II. Præter alios erant Pelagiani, qui duplicem neceffitatem fingendo diftinguebant; unam refpectu vitæ beatæ, alteram ad regnum Dei: hanc baptifmo concedebant, illam negabant: de quibus Auguftinus edit. Bafil. 1529. lib. de hæref. cap. 88. dicit, quod inter alia docebant, parvulos fecundùm carnem ab Adā natos, non contrahere prima nativitate contagiū mortis antiquæ, & fubjungit, dicens: *Sic*

Sic enim eos ſine ullo peccati Originalis vinculo aſſerunt naſci, ut prorſus non ſit, quod eis oporteat ſecunda nativitate dimitti: ſed eos propterea baptizari, ut regeneratione adoptati admittantur ad regnum Dei, de bono in melius tranſlati, non iſta renovatione ab aliquo malo obligationis veteris abſoluti; Nam etiamſi non baptizentur, promittunt eis extra regnum Dei, ſed tamen æternam & beatam quandam vitam ſuam. hæc Auguſtinus de Pelagian. erroribus ab Eccleſia olim damnatis.

III. Hos Pelagianorum errores partim damnant moderni Acatholici, partim amplectuntur, imò excedunt: damnant quidem errorem de peccato originali, quoad omnes parvulos etiam infidelium; ſed amplectuntur errorem quoad natos à fidelibus, quos dicunt ſanctos naſci, ac proinde illos per baptiſmum ab illo non liberari, ſed anteà liberos: excedunt verò in eo, quod aſſerunt parvulos fidelium ſine baptiſmo mortuos, non ſolùm aliquam vitam beatam extra regnum cœlorum habituros, ſed prorſus in regnum cœlorum recipiendos eſſe.

IV. Sic *VVicleff* abſolutè negabat baptiſmum tàm ad remiſſionem peccati, quàm ad regnum cœlorum eſſe neceſſarium: ita refert Thomas Waldenſis tom. ſecundo, cap. 96. & quidem ſpecialiter de parvulis aſſerebat lib. 4. Trialog. cap. ſecundo dicens: *Definientes parvulos ſine ſacramentali baptiſmo decedentes non fore ſalvandos, ſtolidos & præſumptuoſos eſſe*, &c.

V. *Lutherus* lib. de Captiv. Babyl. cap. de baptiſmo dicit: *Baptiſmus neminem juſtificat, nec ulli prodeſt; ſed fides in verbum promiſſionis, cui additur baptiſmus: hæc juſtificat & adimplet id, quod baptiſmus ſignificat.* hæc Lutherus.

VI. *Huldericus Zvvinglius* ad Vrbanum Regium de peccato originali ſic ſcribit: *Baptiſmi lavacro nullum prorſus peccatum tollitur; baptiſmus eſt Eccleſiæ ſignum, non aliter quàm Exercitus aliquis ſignatur; non quod ſignum hoc coniungat Eccleſiæ; ſed quod ei jam coniunctus eſt, & publicam teſſeram accepit*, &c.

VII. Idem lib. de baptiſmo dicit: *ferè omnes quotquot ab Apoſtolorum tempore de baptiſmo ſcribere inſtituerunt, non in paucis à ſcopo aberrarunt*, &c. *Externus baptiſmus qui aqua conſtat, ad peccatorum ablutionem, nihil facit*, hæc ille. Ecce pertinacem ſuperbiam contra omnes SS. patres à tempore Apoſtolorum.

VIII. *Martinus Bucerus* ad cap. tertium Matth. ſic ait. *Baptiſmus ut ab homine geritur, nec præcipuè in Chriſtum reſpicit, quid aliud quàm hominis opus eſt? fatendum ergò erit de baptiſmate ad hunc modum conſiderato, id quod Apoſtolus ſcripſit de circumciſione; nempè illud nihil eſſe aut valere, ſed novam requiri creaturam & obſervationem mandatorum Dei.*

XIV. *Calvinus* lib. 4. Inſtitut. cap. decimo quinto §. 20. ſic ait: *Quantùm damni invexerit dogma illud malè expoſitum, baptiſmum eſſe de neceſſitate ſalutis, pauci animadvertunt; nam ubi invaluit opinio perditos eſſe omnes quibus aqua tingi non contigit; noſtra conditio deterior eſt quàm veteris populi*, &c.

Et §. vigeſimo ſecundo, dicit: *Sed hanc controverſiam mox nullo negotio devincet hoc principium; non arceri à regno cœlorum infantes quos è præſenti vita migrare contingat antequam aqua mergi datum fuerit.* & infra: *unde ſequitur; non ideò baptizari fidelium liberos, ut filii Dei tunc primùm fiant, qui ante alieni fuerint ab Eccleſia; ſed ſolemni potiùs ſigno ideo recipi in Eccleſia, quia promiſſionis beneficio jam ante ad Chriſti corpus pertinebant. Proinde ſi in omittendo ſigno nec ſocordia eſt, nec contemptus, nec negligentia tuti ab omni periculo ſumus.* hæc ille. Vbi duo indicat; quod baptiſmus ad ſalutem & regnum cœlorum non ſit per ſe neceſſarius; ſed tantùm ſit ſignum, quod baptizati ſint ſalvi. Alterum eſt, quod ſi adultus vel negligat vel contemnat baptiſmum infantum, tunc graviter peccet contra præceptum Chriſti; ita tamen, ut infantes ſemper ſalventur.

Hujus fundamentum aſſignat ibidem, cap. decimo ſexto, §. vigeſimo quarto, quod infantes fidelium ab utero matris in fædere Dei contineantur, & infra: *Nam filiorum haud dubiè loco habet eorum filios, quorum ſemini in patrem ſe fore pollicitus eſt*, juxta illud Geneſ. 17. verſ. 7. ut ſim Deus tuus & ſeminis tui poſt te, *&c.* & infra, *qui à Chriſtianis originem ducunt infantes, ut in fæderis hæreditatem, ſtatim ac nati ſunt, à Deo recipiuntur, &c.* Vbi videtur ſupponere, quod in utero adhuc ſint filii iræ, ſed ſtatim ac nati ſunt ſancti ſint & filii Dei, & baptiſmum ſolùm accipiant in ſignum quod antea filii Dei ſint; adeoque ſi illud per aliorum negligentiam non accipiant, filii tamen Dei ſint.

Verùm, qualiter peccatum originale deleri aſſerat Calvinus, vix apparet: nam lib. ſecundo Inſtitutionum cap. primo, §. quinto reprobat quidem Pelagianos & Cæleſtianos, peccatum originale negantes, & fatetur; quod omnes in Adam peccaverint, & quilibet habeat proprium peccatum, & in illo omnes infecti naſcamur, addens: *Imo antequam lucem hanc vitæ aſpicientes, ſumus in conſpectu Dei fædati & inquinati.* & §. octavo, ponit varias peccati originalis definitiones: ſed ipſi illa magis placet, *quod ſit hæreditaria naturæ noſtræ pravitas & corruptio in omnes animæ partes diffuſa, quæ primùm facit reos iræ Dei, tùm etiam profert in nobis opera carnis*, &c. quam, licet falsò, ipſam concupiſcentiam ponit; adeóque etiam in hominibus juſtis ſupponit manere peccatum originale, ſicut alia peccata, ſed non imputari ac proinde non verè deleri; de quibus in lib. de juſtificat. actum eſt. Demùm Calvinus licet neceſſitatem baptiſmi ad ſalutem neget, tamen lib. quarto capite decimo ſexto §. vigeſimo ſexto, expreſsè excipit dicens: *quod in eam à me partem accipi nolo, perinde ac ſi baptiſmum contemnī impunè*

impunè posse annuerem, contemptu violatum in Domini fœdus affirmo, tantum abest ut excusare sustineam, &c. vbi indicat esse præceptum Dei ut in signum suscipiatur vel detur baptismus, quod antea in filios Dei sint adoptati; sed negat, quod citra contemptum, baptismus sit per se necessarius ad salutem.

ARTICVLVS II.

Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ & probatur ex S. Scriptura.

I. Ecclesiæ Catholicæ doctrinam de necessitate ad salutem Baptismi, tradit Concil. Tridentin. sess. 7. can. 5. his verbis: *Si quis dixerit, baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem, anathema sit.*

II. Eandem doctrinam Ecclesia antiqua supposuit, & contrarium illius erroris ac impietatis damnavit, & anathematizandum judicavit; ut patet ex Epistol. *Concilii Carthaginensis* ad Innocentium I. Pontificem Romanum, quæ est 90. inter epistolas Augustini ubi dicitur. *Si ergo Pelagius fuerit absolutus* (*quasi illa non docuerit*) *error tamen ipse & impietas, quæ tam multos assertores habet, per diversa dispersos, etiam authoritate Apostolicæ sedis anathematizanda est*; & in hoc errore paulò infra recensetur, scilicet: *parvulos etiam propter salutem, quæ per Salvatorem Christum datur, baptizandos negant, ac si eos mortifera illa doctrina in æternum necant promittentes etiam, si non baptizentur, habituros vitam æternam, &c.* & infra: *quanquam per baptismum Christi etiam parvulorum fieri redemptionem libello suo Cœlestius in Carthaginensi Ecclesia iam confessus est; sed multi, qui eorum perhibentur esse vel fuisse discipuli, hæc mala, &c. affirmare non cessant, &c.* hæc Concilium.

III. Similiter in Epistola *Concilii Milevitani* ad eundem Innocentium, quæ est 92. inter Epistolas Augustini, cui ipse cum aliis Episcopis subscripsit; inter errores Pelagii & Cœlestii sic refertur: *Pueros quoque parvulos, si nullis innoventur Christianæ gratiæ sacramentis habituros vitam æternam, nequam præsumptione contendunt, &c.* hæc ibi. Licet autem Pelagiani se fundarent in eo, quod parvuli nullum haberent peccatum originale, & ideo dicerent illos non opus habere baptismo ad salutem: Constat tamen ex Conciliis quod absolutè damnârint errores illos, qui negant parvulos esse baptizandos, & illos sine baptismo habere posse vitam æternam; quod magis militat contra modernos Acatholicos, qui fatentur parvulos fidelium habere peccatum originale, & tamen volunt illos salvari sine baptismo, ex eo quod sint in fœdere Dei per parentes: cum Concilia absolutè pronuncient, quod illi, qui negant parvulos baptizandos, ipsos in æternum necent; quod verùm non esset, si baptismus non esset necessarium medium ad salutem; sed ob fideles parentes salvarentur, & tantum ex præcepto servandus esset, ita ut non negligatur vel contemnatur; quin illud solos adultos obligaret, ita tamen, ut parvuli nihilominus salvarentur, ut asserit Calvinus.

Pro majore intelligentia quæstionis sciendum est, quod dupliciter aliquid dicatur necessarium ad salutem; semel necessitate præcepti, scilicet, quando hoc vel illud præcipitur faciendum, quod si ex ignorantia non observetur, non impedit à salute, & hæc præcepta cadunt solam in capaces usus rationis, adeóque non concernunt infantes, &c. aliud dicitur necessarium necessitate medii; quod ita ad salutem requiritur, ut si etiam ex ignorantia non observetur vel absque contemptu vel negligentia non habeatur, tamen salus non obtineatur; sicut in corporalibus cibus est necessarium medium ad vitæ conservationem: & hoc modo Ecclesia docet baptismum esse necessarium medium ad salutem tàm infantibus quàm adultis; & hoc Pelagiani negabant, qui infantibus vitam æternam sine baptismo promittebant; sed tamen concedebant, quod baptismus esset necessarius necessitate medii, ut homo etiam infans in Regnum Dei recipiatur; at verò Calvinus cum suis negat hanc necessitatem medii tàm ad vitam æternam, quàm ad regnum Dei. IV.

Verùm doctrina Ecclesiæ Catholicæ probatur claris S. scripturæ verbis Ioann. 3. vers. 3. ubi Christus dicit: *Nisi quis renatus fuit denuò; non potest videre regnum Dei*, & ne hoc ad aliam regenerationem præter baptismum referri posset, Christus asseverando subjunxit vers. 5. *Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* hæc verba Domini adeò clarè necessitatem medii quoad baptismum aquæ ostendunt, ut SS. Patres à tempore Apostolorum, ita verba Christi intellexerint; quorum aliqua testimonia lib. de Sacramentis in genere cap. 2. artic. 3. 4. & 5. relata sunt; Pelagiani etiam istis convicti fassi sunt baptismum aquæ ad regnum Dei etiam parvulis ita necessarium esse; ut testatur Aug. Tom. 7. edit. Bas. 1528. l. 1. de pecc. Merit. & Remiss. cap. 30. ubi cùm in præcedentibus pro necessitate baptismi quoad parvulos aliquot S. scripturæ loca allegasset, sic ait: *Iam nunc scrutemur diligenter, quantum Dominus adjuvet etiam ipsum Euangelii Capitulum, ubi ait, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum Dei; quæ isti* (Pelagiani) *sententia nisi moverentur, omninò parvulos nec baptizandos censerent; sed quia non ait, inquiunt, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non habebit salutem vel vitam æternam; tantummodo autem dixit, non intrabit in regnum Dei, ad hoc parvuli baptizandi sunt, ut sint etiam cum Christo in regno Dei; ubi non erunt, si baptizati non fuerint, quamvis & sine baptismo si parvuli moriantur, salutem vitámque æternam habituri sint, quoniam nullius peccati vinculo obstricti sunt, &c.* hæc Augustinus de sententia Pelagianorum. Sed ipse fictam illorum de regno Dei & vitæ æternæ distinctionem, ex verbis Christi refutat; ostendens quod parvuli sine baptismo morientes, nec extra regnum V. VI.

regnum Dei vitam & salutem habituri sint; insuper eosdem ex propria sententia confundit; ut, cùm dicunt quod parvuli absque baptismo morientes, sint sine peccato, & justitiam habeant, consequenter etiam fateri debeant quod non separentur à regno Dei; quia imago Dei non intrat in regnum Dei, nisi impediente peccato, quod ipsi non habent juxta Pelagianos.

VII. Per hoc etiam clarè confutantur moderni Acatholici, qui asserunt parvulos fidelium esse absque peccato & habere justitiam, scilicet; quia justitia Christi illis imputatur, sicut baptizatis, adeóque etiam regnum Dei intrabunt, quod ipsi asserunt. Sed Augustinus & SS. Patres dicunt, illud planè contrariari claris Christi verbis, & ipsi Pelagiani fatebantur, quod verba illa Christi parvulos non baptizatos quoscunque pronuncient non intrare regnum Dei.

VIII. Hoc videns Calvinus tam clarè ex verbis Christi sic intellectis consequi, ipse lib. 4. cap. 16. §. 25. verba Christi de baptismo aquæ tam in se clara, & à sanctis Patribus sic intellecta & agnita ausus est negare de baptismo aquæ esse dicta; sed aquam metaphoricè exponit, dicens: *Aquam & spiritum simpliciter accipio pro spiritu, qui instar aquæ animam mundat*, &c.

IX. Verùm hanc Calvini interpretationem, quam ipse pro sua authoritate sine ullius authoritate enuntiat tenendam esse lib. præced. cap. 1. art. 3. refutavimus, & contra illam pro Ecclesiæ veritate sufficiat communis SS. Patrum intelligentia & sensus.

X. Hunc catholicum Christi verborum sensum D. August. ibid. edit. eâdem, ex toto contextu Ioann. 3. ostendit, specialiter ex comparatione quam Christus ibid. ponit inter serpentem in deserto elevatum, & se ipsum in cruce exaltandum, sic inferens cap. 32. *Sicut ergo tunc qui conspiciebat exaltatum serpentem, & à veneno sanabatur & à morte liberabatur; sic nunc, qui conformatur similitudini mortis Christi per fidem, baptismúmque ejus, & à peccato per justificationem & à morte per resurrectionem liberatur, &c.* & infra: *Quid igitur opus est, ut Christi morti per baptismum conformetur parvulus, si morsu serpentis non est omnino venenatus? &c.* hæc Augustin.

XI. Hæc quidem quoad locum Ioann. 3. ubi tam clarè pronunciatur, quòd nullus, licet ex sua culpa non negligatur, absque baptismo intrabit regnum Dei, quæ est necessitas medii. Hæc Christi verba Augustinus tam clara existimat, ut dicat ibid. edit. eadem. lib. 3. cap. 4. *Si ambigui aliquid habent verba Apostolica*, &c. *possintque in aliam duci transferrique sententiam; nunquid & illud ambiguum est, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu non potest introire in regnum Dei?* hæc August. sed Calvino non solùm ambiguum est, sed

XII. planè alienum. Præter hunc locum sunt alia plura S. scripturæ loca ubi manifestè ostenditur quod baptismus sit necessarius in remissionem peccatorum, & per illum homo lavetur, mundetur, & regeneretur, ut patet Act. 2. vbi Petrus monet baptizari debere, qui cupiunt salvari in remissionem peccatorum, & cap. 9. v. 11. dicit Ananias Paulo, *exurge & baptizare & ablue peccata tua.* sic ad Ephes. 5. v. 26. *Vt illam sanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*, & ad Tit. 3. vers. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*, &c.

Ex his aliisque locis clarum est, quòd Deus sic ordinavit, quod neminem salvare velit, nisi baptizetur, non quod baptismus ex se virtutem habeat, sed instrumentum sit per quod merita Christi applicentur. XIII.

ARTICVLVS III.

Veritas Catholica probatur ex testimoniis SS. Patrum.

PLura SS. Patrum testimonia pro hac veritate allata sunt l. præced. c. 2. art. 4. & 5. ut *Clementis, Iustini Martyris, Dionysii Areopag. Clementis Alexandrini, Origenis, Tertulliani, Cypriani, Gregorij Nazianzeni, Epiphanii, Gregorij Nysseni, Basilii, Ambrosii, Hieronymi, &c.* & aliorum, quæ ibi videri possunt, aliqua hic addemus. I.

Irenæus edit. Col. 1596. l. 1. c. 19. *Sicut*, ait, *de arido tritico massa una fieri non potest sine humore neque unus panis; ita nec nos multi unum fieri in Christo Iesu poteramus sine aqua quæ de cœlo est, &c.* & infra: *Corpora enim nostra per lavacrum illud, quod est ad incorruptionem, unitatem acceperunt; animæ autem per spiritum, unde & utraque necessaria, cum utraque proficiunt in vitam Dei, &c.* hæc ille. II.

Athanasius edit. Par. 1581. quæst. 134. *Quid est*, ait, *quod dicit, & omnes in Moysen baptizati sunt, respondetur, baptismi signum erat, quod per rubrum mare transivit Israeliticus populus. Nam sicut illi transmissi effugerunt inimicorum insidias, &c. sic etiam baptizati liberantur à spirituali Pharaone & ab AEgyptiis dæmonibus, &c.* hæc ille. III.

Verùm opus non est pluribus referendo inhærere; cum ipsi Acatholici fateantur, quod ab initio Ecclesiæ usu receptum fuerit, ut propter necessitatem salutis parvuli baptizentur etiam à mulieribus. Et quia apud D. Augustinum profitente Calvino lib. 3. Institut. cap. 3. §. 10. *Quicquid veteres veritatis docuerunt inveniri potest*; præter alia ejus loca lib. de sacram. in genere allegata, pauca hic referemus. IV.

Augustinus edit. eâd. lib. 1. de Peccator. Merit. & Remiss. cap. 24. sic ait: *Optimè Punici Christiani baptismum ipsum nihil aliud quam salutem; & Sacramentum corporis Christi nihil aliud quam vitam vocant: unde nisi ex antiqua, ut existimo & Apostolica traditione, qua Ecclesiæ Christi insitum tenent, præter baptismum & participationem Dominicæ mensæ, non solùm non ad regnum Dei, sed nec ad salutem & vitam æternam posse quemquam hominem pervenire? hoc enim & Scriptura testatur*, hæc ibi, ubi plura S. scripturæ loca adducit. V.

Ibid. edit. eâd. cap. 18. *Quis enim Christianorum ferat, cum dicitur ad æternam salutem posse quemquam pervenire si non renascatur in Christo, quod per baptismum fieri voluit, eo jam tempore, quo tale Sacramentum constituendum fuit regenerandis in spem salutis æternæ?* ubi fundamentum cur baptismus sit necessarius exprimit. VI.

Idem edit. ead. ibid. cap. 27. *Quoniam ergo de ovibus ejus esse non incipiunt parvuli, nisi per baptismum, profectò, si hoc non accipiunt, peribunt; vitam enim æternam, quam suis dabit ovibus, non habebunt*, &c. hæc ibi. VII.

Idem edit. eâd. ibid. lib. 3. cap. 4. allatis variis S. scripturæ locis sic ait: *His atque hujusmodi aliis, quæ nunc prætereo, testimoniis divina luce clarissimis, divina authoritate certissimis, nonne veritas sine ulla ambiguitate proclamat; non solùm in regnum* VIII.

Dei

Digitized by Google

Dei non baptizatos parvulos intrare non posse; sed nec vitam æternam posse habere præter Christi corpus, cui ut incorporentur, Sacramento baptismatis imbuuntur. hæc ibi. Sed Calv. utrumq; sine baptismo promittit cõtra tot clarissima script testimonia.

Ibid. eâd. edit. cap. 5. loquens de variis lo-
IX. cis, dicit: *non potuerunt alium sensum habere, nisi per quem factum est ut antiquitus universa Ecclesia pertineret, fideles parvulos originalis peccati remissionem, per Christi baptismum consecutos* & ad hoc adducit testimonium Cypriani, qui alicui quærenti an ante octavum diem parvulus baptizandus sit, qui dixit: *responderunt universi* (in Concilio) *judicavimus nulli hominũ nato misericordiam Dei & gratiam denegandam, &c.* unde Augustinus infert dicens: *Advertimè quid dicat, quemadmodum sentiat, non tantùm carni sed animæ quoque infantis exitiale esse atque mortiferum sine illo salutari Sacramento exire ex hac vita?* & infra: *vides quanta fiducia ex antiqua & indubitata fidei regula vir tantus ista loquatur.* Et infra: *hoc tunc firmum certúmque habebatur animam saluti æternæ perituram, si hanc vitam sine illius Sacramenti consecutione finiret, &c.* hæc ibi.

Ecce Augustinus & Cyprianus illam anti-
X. quam & certam regulam fidei profitebantur, quod parvuli ideò esse in baptizãd ne perirent.

Augustinus Victorem in fide Catholica instructurus ead. edit. lib. 3. de anima & ejus ori-
XI. gine cap. 9. sic ait; *noli credere, noli dicere, noli docere, infantes antequam baptizentur morte præventos, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse catholicus, &c.* ubi rejicit exempla quæ in contrarium allegantur, hoc autem Acatholici docent, an ergò catholici?

Ibid. edit. ead. c. 10. dicit: *noli credere, noli dicere de infantibus, qui priusquam renascuntur in Christo præveniuntur occiduo, scriptum esse, raptus est, ne malitia mutet intellectum illius,* &c. *placita enim erat Deo anima eius,* &c. *Si vis esse catholicus. Hoc enim ad illos omninò non pertinet; sed ad eos potiùs qui baptizati & pie viventes, diu non permittuntur hic vivere. Iste verò error, quo putatur hoc de parvulis, antequam baptizentur, morientibus esse dictum, ipsi sancto lavacro intolerabilem facit injuriam, &c.* hæc ibi: quid ad
XII. hoc Acatholici?

Item ibid. edit. ead. cap. 13. *noli credere, nec dicere, nec docere; aliquos eorum, qui sine baptismo Christi ex hac vita migraverint, interim non ire in regnum cœlorum, sed in paradisum; postea verò in resurrectione mortuorum etiam ad regni cœlorum beatitudinem pervenire, si vis esse catholicus. Hoc enim eis dare nec Pelagiana hæresis ausa est, quæ opinatur parvulos non trahere originale peccatum: quos tu quamvis sicut catholicus in peccato nasci fateris; nescio qua tamen perversionis novitate opinionis sine baptismate salvari & ac hoc peccato cum quo nascuntur absolvi, & in regnum cœlorum asseris introduci; neque consideras in hoc casu, quantò deterius sapias, quam Pelagius, &c.* hæc August. Ecce quam apertè in Victore D. Augustinus damnat errorem Calvini perversitatis; qui idem cum Victore ausus est asserere deterius, quàm Pelagius.

XIII. Demùm, ut alia loca omittam, Aug. Tom. 2. edit. Bas. 1529. Epist. 28. quæ est ad Hieron. de natura & orig. animatum, penultimâ, sic ait: *Sicut omnes homines per primam hoc est, per carnalem generationem pertinent ad Adam; sic omnes homines ad secundam, id est, spiritualem regenerationem veniunt, non nisi in Christo vivificabuntur.* Et ne aliquis cum Calvino diceret, quod in fœdere Christi fidelium parvuli statim ac nascuntur in Christo vivificentur, Augustinus subjungit dicens paulò post; *quisquis dixerit quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramenti eius participatione de vita exeunt* (ecce ipsam Calvini sententiam) *hic profectò & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam: ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur & curritur; quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo vivificari omninò non posse, &c.* & paulò infra: *quis ferat, si credant, se illi, qui ad baptismum cum suis parvulis currit, propter carnes eorum non propter animas currere?* XIV.

Pergit ibidem, dicens: *Beatus Cyprianus non aliquid decretum condens novum, sed Ecclesiæ fidem firmissimam servans* (nota) *ad corrigendum eos, qui putabant ante octavum diem nativitatis non esse parvulum baptizandum, non carnem, sed animam dixit perdendam; & mox natum ritè baptizari posse, cum suis quibusdam Co-Episcopis censuit, &c.* & paulò post: *Contra Ecclesiæ fundatissimum morem nemo sentiat: ubi ad baptismum, si propter sola parvulorum corpora curreretur; baptizandi, offerrentur & mortui. Quæ cum ita sint, quærenda, causa est atque reddenda; quare damnentur animæ, quæ novæ creantur singulis quibusque nascentibus: si præter Christi Sacramentum parvuli moriantur; damnari enim eas, si sic de corpore exierint, & sancta Scriptura, & sancta est testis Ecclesia: unde illa de animarum novarum creatione sententia; si hanc fidem fundatissimam non oppugnat, sit & mea; si oppugnat, non sit & tua, &c.* hæc Augustinus, quibus nihil clariùs pro Ecclesiæ Catholicæ doctrina contra Calvini & aliorum Acatholicorum assertiones dici potest: ubi vir sanctus & doctrinæ Catholicæ peritissimus ostendit; quod sententia illa, quæ docet parvulos sine baptismo morientes damnari, adeò clarè in S. scriptura fundetur, & in Ecclesia ab initio credita fuerit; ut ex hac alia fidei dogmata deduxerint, & quæ huic contraria essent repudiarint: sic etiam Augustinus protestatur lib. 3. de peccat. merit. & re- XV. miss. cap. 7.

Cæterùm licet certa quidem sit hæc Ecclesiæ Catholicæ doctrina; quod baptismus sit necessarius necessitate medii; sed quando baptismus sit à Christo institutus, & quando incæperit esse necessarius necessitate medii & præcepti, Doctores salva fide disputant: Communis est sententia quod ante passionem sit institutus, sed non constat expressè tempus institutionis, ut ostendit Scotus 4. dist. 3. q. 4. n. 2. quoad necessitatem præcepti & medii aliqui dicunt, illam statim post passionem incœpisse, sed Scotus ibid. num. 11. ostendit in festo Pentecostes, quoad aliquos incœpisse; quando lex Christi solemniter fuit promulgata; licet simul cucurrerit quoad Iudæos circumcisio ad tempus licita sed inutilis? de quibus D. Augustinus epist. 19. ad Hieronymum agens de altercatione Petri & Pauli, prolixè discurrit, ostendens; quod quoad Iudæos ad notabile tempus circumcisio adhuc licita fuerit, & sic cum honore sepulta instar honesti cadaveris; postea tamen omnibus perniciosa fuerit; & solus baptismus necessarius.

ARTICVLVS IV.

Respondetur ad Argumenta Acatholicorum.

I. OBjiciunt 1. quod omnes infantes fidelium ab utero materno sint filii Dei & regeniti in Christo; ac proinde, si absq; baptismo moriantur, ut hæredes Christi ad regnum perveniant; baptismus verò solum illis detur in sigillum, quo indicatur & confirmatur regeneratio illorum & promissio regni ipsis facta. Hoc vult probatum Calvinus lib. 4. inst. cap. 16. §. 6. ex promissione à Deo facta Abrahæ & semini eius Gen. 17. v. 7. *ut sim Deus tuus & seminis tui post te*, & ibid. v. 12. ubi de circumcisione dicitur, *eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternũ.*

Circumcisioni dicit Baptismum successisse, unde infert: quod circumcisio fuerit data in signum sanctificationis filiorum Abrahæ & quidem §. 16. dicit: *Nam si compertissimum est circumcisionis signo testatam esse seminis Israelitici Sanctificationem; ex eo neque dubium est quin maribus pariter ac fœminis sanctificatis datum fuerit; sola autem masculina corpora ipso imprimebantur, quæ per naturam poterant; ac tamen ut fœminæ per eos circumcisionis quodammodo Sociæ & consortes essent, &c.* hæc Calvinus pro sua authoritate.

II. Vbi §. 17. ex S. scriptura benè probat; quod infantes omnes, *ut filii Adæ iræ Dei obnoxii sint, & in peccato concepti, cui damnato adhæreat*, & infra; *si peccatores nascuntur, quomodo & David & Paulus affirmant, aut Deo ingrati, in vitiqui manent, aut justificentur necesse est. Et quid ultra quærimus, quum palem ipse Iudex affirmet nullis patere in vitam cœlestem ingressum nisi renatis*; hæc ille, & bene; sed non vult quod hæc regeneratio fiat per baptismum aquæ, sed ex vi promissionis Abrahæ factæ; & baptismus postea solum addatur in signum præmissæ sanctificationis & regenerationis, ideo §. 24. contra Anabaptistas de liberis fidelium dicit: *qui hæreditario jure secundùm promissionis formulam, iam à matris utero in fœdere continentur, & si fidelium liberi citra intelligentiæ adminiculum fœderis sunt participes, non est cur ob id à signo arceantur*, &c. *qui verò infidelis est impiis ortus parentibus, donec per fidem Deo uniatur, à fœderis communione externus censetur*, &c. hæc ibi, ubi intendit, quod baptismus collatus infanti infidelium nihil prosit, donec adultus credat.

III. Respondeo, primò quæ Caluinus clarè supponit de infantibus quibuscunque quod in peccato originali nascantur; adeoque ad regnum cælorum non possint pervenire nisi in Christô renascantur, verissima sunt, & ex S. scriptura clarè patent: sed cum ipse hanc regenerationem neget fieri per baptismum aquæ, contradicit claris S. scripturæ testimoniis, & SS. patribus, ut ostensum est.

IV. Respond. 2. quod autem ipse vult infantes fidelium ab utero materno in Christo renasci eo ipso; quod liberi fidelium sint, idque fundat in promissione facta Abrahæ & semini eius, & fœdere justo, planè falsum est; licet ipse pro sua authoritate dicat, *id compertissimum esse.*

Constat enim nimis manifestè ex S. scriptura? quod non omne semen Abrahæ ab utero matris sanctum fuerit: nam licet promissio juxta fœdus, & pactum Dei cum Abraham initum concernebat omnes filios Abrahæ ex Isaac nasciturus, tàm bonos quàm malos ad hoc quod essent adoptati in filios & populum specialem Dei, ut Deus esset specialiter illorum Deus, & ipsi populus ejus, ut terram promissionis hæreditarent, ut dicitur psal. 104. v. 8. *memor fuit in seculum testamenti sui & verbi*, &c. *quod disposuit ad Abraham, &c.* dicens: *tibi dabo terram Chanaan*, &c. licet per figuram, & Analogiam etiam indicetur hæreditas cælestis, non omnibus filiis secundùm carnem, sed secundùm fidem, ut profitetur Apostolus Rom. 9. v. 4 dicens; *Qui sunt cognati mei secundùm carnem qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa*, &c. quæ solum terrena spectabant, subjungit tamen. *Non enim omnes, qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ, neque qui semen sunt Abrahæ omnes filii, sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est, non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine*: quæ hæc promissio sit, subdit, *promissionis enim verbum hoc est, secundùm hoc tempus veniam & erit Saræ filius*: scilicet Isaac, non tamen toti semini Isaac talis promissio facta est; quod omnes ex eo nati sint filii Dei & renati in gratia, quod ostendit Apostolus dicens; *sed, & Rebecca ex vno concubitu habens Isaac, patris nostri, cùm enim nondum nati fuissent aut aliquid boni egissent aut mali*, &c. *dictum est ei, quia maior seruiet minori, sicut scriptum est; Iacob dilexi Esau autem odio habui*, &c. similiter Apost. Rom. 4 ostendit quod illi sint filii promissionis, qui sunt filii fidei Abrahæ sive ex Israelitis, sive ex gentibus; & ideo dixit Deus, se ipsum Abraham posuisse patrem multarum gentium; sic ad Galat. 3. v. 7. dicit: *quia qui ex fide sunt ii sunt filii Abrahæ; providens autem scriptura quia ex fide iustificat gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ, quia benedicentur in te omnes gentes: igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham.* Idem ostendit cap. 4. v. 22. dicens: *Abraham duos filios habuit unum de Ancilla, & unum de libera, sed qui de Ancilla secundùm carnem natus est, qui autem de libera, per repromissionem.* & v. 28. de fidelibus etiam ex gentibus dicit, *nos autem fratres secundùm Isaac promissionis filii sumus*, &c. Clarum autem est; quod nati ex gentibus non sint de carnali semine Abrahæ vel Isaac, per carnalem generationem; sed quia Christus est filius Abrahæ & verum unicum semen ejus, *in quo omnes gentes benedicentur*, ut Gal. 3. v. 16. ideo de omnibus qui in Christum credunt dicit ibid. v. 26. *omnes enim filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Iesu.* & vers 29. *omnes enim vos unum estis in Christo Iesu; si autem vos Christi, ergò semen Abrahæ estis secundùm promissionem hæredes.*

VI. Ex quibus manifestissimum & compertissimum est; quod generatio secundùm carnem ex parentibus fidelibus non constituat filios Dei, aut Christi vel promissionis hæredes; sed qui ex fide renascuntur: prout Ioann. 1. v. 12. dicitur, *dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, neque ex voluntate carnis*, &c. *sed ex Deo nati sunt*. de quo Christus postea Ioann. 3. v. 3. dicit, *nisi quis renatus fuerit denuò, &c.* hæc auté regeneratio

Digitized by Google

neratio fit per baptismum, in quo fides infunditur, & adulti per se fidem profitentur; infantes autem per ipsam Sacramenti susceptionem, ut SS. Patres communiter docent, & specialiter Augustinus tom. 7. edit. Bas. 1528. lib. 1. de peccator. merit. cap. 27. dicens: *Quis autem nesciat credere esse infantibus baptizari, non autem credere, non baptizari, &c.* & ibid. cap. 33. *qui credit in eum non iudicatur; ubi ergò parvulos ponimus baptizatos, nisi inter fideles? sicut universa ubique Ecclesia clamat authoritas; ergò inter eos, qui crediderunt, hoc enim eis acquiritur per virtutem Sacramenti & offerentium responsionem, &c.* hæc Augustinus ex communi Ecclesiæ doctrina.

VII. Respond. igitur ultimatè; quod licet sint diversæ SS. Patrum & Doctorum sententiæ probabiles quoad circumcisionem; an ex opere operato sicut Baptismus deleverit peccatum originale & contulerit gratiam; omnes tamen profitentur, quod Israëlitæ non ex generatione secundùm carnem essent veri filii Dei juxta promissionem; sed vel ex circumcisione per virtutem Christi venturi ex opere operato regenerabantur; vel saltem per fidem parentum in Christum venturum, per circumcisionem vel aliquod signum sensibile demonstratum Deo oblati sanctificabantur, tàm in lege naturæ quàm veteri: nulli autem sancto Patri in mentem venit, ut assereret quod nati secundùm carnem ex Abraham eo ipso filii & hæredes regni cœlestis essent; cùm hoc nimis manifestè scripturæ contradicat; sed opus habuerint, ut de novo renascantur per fidem, ut dictum est: cadit ergò totum Calvini & sequacium ejus fundamentum.

Objectio Secunda.

VIII. Nihilominus aliud subsidium quærunt in verbis Apostoli, 1. Cor. 7. vers. 14. *sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem, alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem Sancti sunt.* Unde inferunt, quod non habeant opus baptismo ad regenerationem & remissionem peccati; sed solùm ex præcepto in signum justificationis ipsius acceptæ, sine quo infantes salvarentur.

IX. Respond. Hoc S. scripturæ loco utebantur Pelagiani contra doctrinam Ecclesiæ de necessitate baptismi ad vitam æternam quos moderni sequuntur Acatholici: sed cùm SS. Patribus ipsis respondemus, quod locus ille Pauli non debeat exponi in sensu qui expressis aliis S. scripturæ locis contrariatur, cùm in alio conformi exponi possit: prout D. Augustinus Pelagianis respondet lib. secundo, & 3. de peccat. merit. & remiss. & quidem primò ex textu patet, quod ut dicit Augustinus tomo 7. edit. Bas. 1528. libro secundo, cap. 26. *illa sanctificatio cuiuscunque modi sit, quàm in filiis fidelium esse dixit Apostolus, ad istam de baptismo & de peccati origine vel remissione quæstionem omninò non pertinet. Nam & coniuges infideles in coniugibus fidelibus sanctificatos dicit, eo ipso loco, ita loquens; sanctificatur enim vir infidelis in uxore & sanctificatur mulier infidelis in viro, alioquin filii vestri immundi essent; nunc autem sancti sunt. Non opinor quisquam tàm infideliter intelligit, quodlibet in suis verbis intelligat, ut ob hoc existimet neque maritum iam baptizari oportere & ad peccatorum remissionem pervenire, & in regnum cœlorum esse intraturum, quia sanctificatus dicitur in uxore, &c.* hæc Augustinus, qualiter autem filii tales dicantur non immundi sed sancti, non spectat, ut patet, ad sanctificationem animæ spiritualem, nisi in certo casu, ut ait Augustinus lib. 3. de peccat. mer. & remiss. cap. 12. dicens: *Hoc tunc vere esse si unus coniugum fidelis obtinuerit, ut filii baptizarentur, & sic sancti fierent.* & sic locus ille nihil obest.

Aliam expositionem ibid. August. ead. edit. tom. eod. addit, quod sanctificatio intelligi possit, qua sanctificabitur vir vel mulier infidelis in conjuge fideli, & quod sancti nascebantur filii fidelium, *sive quia in menstruo cruore mulieris à concubitu continebat, quicunque vir vel mulier id in lege didicerat, &c. sive propter aliam quamlibet, quæ ibi apertè proposita non est, ex ipsa necessitudine coniugiorum atque filiorum sanctitatis asperginem* (quam causam alii SS. Patres ponunt in eo, quòd legitimum sit matrimonium & filii legitimi de quo dubium esse poterat, ac sic non immundi sed sancti) *tamen sine dubitatione tenendum est, quæcunque illa sanctificatio sit, non valere ad Christianos faciendos atque ad dimittenda peccata, nisi Christianâ & Ecclesiastica institutione & Sacramentis efficiantur fideles. Nam nec coniuges infideles quamlibet iustis & sanctis coniugibus hæreant, ab iniquitate mundantur, quæ à regno Dei separatos in damnationem venire compellit; nec parvuli de quibuslibet Sanctis iustisque procreati originalis peccati reatu absolvuntur, nisi in Christo fuerint baptizati, &c.* hæc ibi, quæ abundè ad locum Apostoli sufficiunt. X.

Cæterùm Augustinus eadem edit. eod. tom. ibid. lib. 3. cap. 8. & 9. respondet Pelagianis, qui cùm dicerent: quod à duobus baptizatis nati non haberent peccatum originale, causam dabant; dicentes, non enim possunt ad posteros transmittere, quod ipsi minimè haberent, respondet inprimis ab exemplis, *quod palea maneat in fructu qui de purgato tritico nascitur,* & ex circumciso nascebatur incircumcisus, adhuc opus habens circumcisione; sic qui ex baptizatis nascitur adhuc baptismo opus habet ad originale peccatum; quo omnes in Adam peccaverunt, & illius obnoxii sint, & ostendit; quod Christus creans animam non eo ipso facit illam christianam & sanctam, multò minùs homines generando corpus illud sanctum efficiunt & absque peccato constituunt. Similiter loquitur eadem edit. eodem tom. lib. 2. de peccato origin. cap. 40. dicens: *Reatus itaque vitii huius, de quo loquimur in regeneratorum prole carnali, tàm diu manebit, donec & illic lavacro regenerationis abluatur; regeneratus quippe non regenerat filios carnis, sed generat; ac per hoc in eos, non quod regeneratus, sed quod generatus est, traijcit; sic igitur sive reus infidelis sive absolutus fidelis non regenerat absolutos iterque, sed reos, &c.* hæc Augustinus contra Pelagianos. XI.

Verùm cum Calvinus ejusque sequaces fateantur, quod parvuli etiam à fidelibus parentibus nati contrahant peccatum originale, & nascantur filii iræ & gehennæ; adeoque opus habeant regeneratione in Christo, ipsi manifestè contradictoria asserunt; nam tales infantes erunt simul filii iræ & in peccato, & etiam non

Digitized by Google

am non filii iræ sed filii Dei, & regni: nam ipsi asserunt, quod omnes nascantur filii iræ, & simul asserunt, quod filii fidelium nascantur Sancti, & filii Dei, quia statim ut incipiunt esse vel nasci, sunt semen cui promissio Salutis facta est, ut Calvinus vult, adeoque simul & in eodem instanti sunt filii iræ, & non filii iræ, quia filii Dei; sic iniquitas mentitur sibi.

Objectio tertia.

XII. Aliud objiciunt Acatholici, quasi nimis inconveniens esset, & contra Dei benignitatem, si dicatur; quod baptismus aquæ sit necessarius ad salutem necessitate medii etiam quoad infantes; qui absque culpa propria per aliorum negligentiam possunt baptismo privari, & sic infiniti infantes perirent; qui aliàs adhuc salvari dici possent, eo ipso quod à fidelibus nascantur.

Resp. 1. simile argumentum etiam contra Calvinum eiusque sectatores formari posset; ille enim fatetur, quod infantes ab infidelibus parentibus nati, damnabuntur, nisi pariter ad fidem perveniunt; unde ergo tot millia parvulorum ab infidelibus nati pereunt, an absque illorum culpa? an contra Dei benignitatem sic pereunt? vel casualiter contingit, quod à talibus parentibus nascantur?

Resp. 2. Nullus infans sine baptismo quandocunque moriens, absque propria culpa damnatur; quia omnes in Adam peccaverunt, & si in peccato originali moriantur, justè damnantur, & hoc dicit D. August. eadē edit eod. to. lib. de bono perseverantiæ cap. 12. etiam fieri potest absque negligentia parentum, sic enim ait: *Neque enim fato cogitur Deus illis infantibus subvenire*, &c. *aut res humanas in parvulis non divina providentia, sed fortuitis agi casibus opinabimur; cum rationales vel damnandæ vel liberandæ sint animæ: quandoquidem nec passer cadit in terram sine voluntate Patris nostri qui in cælis est.* & infra, *quid dicam, quod parvulus aliquando, antequam illi per ministerium baptizantis succurri possit, expirat? plerumque enim festinantibus parentibus & paratis ministris ut baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente non datur; qui eum parvulum, in hac vita non tenuit, ut daretur*, &c. & huius causam reddit paulò supra, ubi de quibusdam parvulis, quos Deus ad baptismum reservat, & alios non, sic ait: *Sed quare illos potius quam illos? iterum atque iterum dicimus nec nos piget ò Homo tu quis es qui respondeas Deo, inscrutabilia sunt iudicia eius & investigabiles viæ eius, & ad hoc adjiciamus: Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris.* Eccl. 1. &c. hæc August. ostendens; quod Deus ex misericordia aliquos parvulos à peccato per baptismum liberet, aliquos ex justitia in peccato relictos absque baptismo damnet.

Objectio quarta.

XIII. Nec valet aliquorum objectio, cum dicunt; quod parvuli illi, quos Deus ad gloriam prædestinavit, licet absque baptismo pereant, salventur; aliàs fieret contra Dei prædestinationem.

Respond. enim quod Deus omnia perfectè ordinat & ideo illos, quos prædestinavit ad gloriam etiam facit, ut baptizentur; unde August. eadem edit eod. to. lib. 3. de anima & ejus origine cap. 10. sic ait: *Noli credere, nec dicere, nec docere, quos Dominus prædestinavit ad baptismum; prædestinationi eius eripi posse, & ante defungi, quam in eis fuerit, quod omipotens prædestinavit, impletum; si vis esse Catholicus; nescio quæ hic enim potestas contra potestatem Dei casibus datur, quibus irruentibus, quod ille prædestinavit, fieri non sinatur*, &c. paulo infra: *ergone prædestinati baptismo vitæ præsentis antequam ad eum perveniant, præveniuntur occiduo; & prædestinaret Deus, quod futurum non fuisse præscivit? aut hoc futurum fuisse nescivit, ut eius aut prædestinatio frustraretur aut præscientia falleretur?* hæc August. quibus clariùs nihil dici potest, tam pro necessitate baptismi; quàm circa casus qui circa parvulorum baptismata occurrere possunt. X

Objectio quinta.

Rursus contra baptismi aquæ necessitatem medii Calvinus lib. 4. inst. cap. 16. v. 26. opponit casum dicens: *quid puero fieri dicent, qui pietatis rudimentis, rite probeque instituitur: dum tinctionis dies appetit, si subita morte præter spem omnium abripi contingat; clara est promissio Domini, quicunque in filium credidit non visurum mortem*, &c. Idem confirmari posset ex eo, quod PP. & Doctores communiter tradunt, tria esse baptismata scilicet *aquæ sanguinis & flaminis*; ita ut qui in necessitate martyrium tulit non baptizatus verè ad regnum cœlorum perveniat: sic etiam qui in vera fide verè ad Deum corde conversus & contritus moritur, priusquam baptizetur, dicatur baptismo flaminis baptizatus, salvus erit: unde videtur sequi, quod baptismus aquæ non sit necessarius necessitate medii: quia illud sic dicitur necessarium, cum sine eo finis obtineri non possit, at sine baptismo aquæ salus obtineri potest per martyrium, & conversionem cordis. XV

Respond. verissimum est, quod homo in necessitate constitutus, ne neget Christum, priusquam baptizetur, si martyrium subit, verè salvus erit; prout divus Augustinus cum communi sanctorum Patrum sententia docet, & probat tomo quinto edit: Bas. 1519. lib. decimo tertio de civ. Dei cap. septimo dicens: *quicunque non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sano fonte baptismatis; qui enim dixit; nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non intrabit in regnum cælorum, alia sententia facit illos exceptos ubi non minus generaliter dixit: qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui in cælis est; Et alio loco: qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam; hinc est quod scriptum est, pretiosa in conspectu domini mors sanctorum eius: quid enim pretiosius quam mors, per quam fit ut etiam delicta omnia dimittuntur, & merita cumulatiùs augeantur*, &c. hæc ibi.

Idem supponit Epist. 108. ad Seleucianum, XV
edit. Basil. 1519. Tom. 2. dicens: *Quicunque legi-*

Digitized by Google

legimus in corpore Christi quod est Ecclesia pertinere ad regnum cælorum, non nisi baptizatos intelligere debemus; nisi forte quos angustia passionis invenit & nolentes negare Christum, antequam baptizarentur occisi sunt; quibus ipsa passio pro baptismo deputata est, &c. hæc ibi.

Hoc ipsum ex communi Ecclesiæ consensu etiam asserit de passione infantum, qui pro Christo occiduntur, Epist. 28. ad Hieron. eadem edit. eod. Tom. dicens: *Non enim frustra infantes illos, qui cum Dominus noster Iesus Christus necandus ab Herode quæreretur, occisi sunt, in bonore martyrum receptos commendat Ecclesia, &c.* hæc ibi.

XVII. Similiter quod sincera cordis ad Deum conversio etiam in defectu baptismi aquæ ad salutem sufficiat cum SS. Patribus aliis supponit Augustinus Tomo 7. edit. Basil. 1528. lib. 4. de baptismo cap. 22. dicens: *Baptismi sanè vicem aliquando implere passionem, de latrone illo, cui non baptizato dictum est. Hodie mecum eris in Paradiso, non leve documentum idem B. Cyprianus assumit; quod etiam atque etiam considerans invenio non tantùm passionem, &c. sed etiam fidem, conversionemque cordis. si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest, &c. quantum itaque valeat etiam sine visibili Sacramento baptismi, quod ait Apostolus: corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem, in illo latrone declaratum est; sed tunc impletur invisibiliter cum mysterium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. Nam multò magis in Cornelio & in amicis eius, quam in illo latrone posset videri superfluum, ut aqua etiam tingerentur, in quibus iam donum Spiritus Sancti, quod non nisi baptizatos alios accepisse scriptura testatur, certo quoque iudicio quod illis temporibus congruebat, cum linguis loquerentur enumerati baptizati sunt tamen, & in hoc facto Apostolica extat authoritas.* & cap. 25. concludit dicens: *Quibus rebus omnibus ostenditur aliud esse Sacramentum Baptismi, aliud conversionem cordis; sed salutem hominis ex utroque compleri; nec si unum horum defuerit, ideò putare debemus consequens esse, ut & alterum desit; quia & illud sine illo potest esse in infante, & hoc sine illo potuit esse in latrone complente Deo sive in illo sive in isto, quod non ex voluntate defuisset; cum autem ex voluntate alterum horum defuerit reatu hominum involui, &c.* hæc August.

XVIII. His præmissis respond. ad Calvini instantiam de puero benè imbuto, quod SS. Patres & Doctores clarè juxta S. Scripturam agnoverint hominem in necessitate præventum, si pro Christo martyrium subeat, vel si adultus morte præventus baptizari non possit tamen habens fidem per charitatem operantem baptizari cuperet; & ex corde ad Deum conversus, salvetur sine actuali susceptione baptismi; & tamen cōstanter asseverant, baptismum aquæ esse de necessitate medii citra omnem contemptū, ut patet in parvulis non baptizatis; quos SS. Patres asseverant damnari ut ostensum est; ideo dixerunt, martyrium vel conversionem cordis ita supplere vicē baptismi aquæ in necessitate, quem in votis habent, ut tamē baptismū aquæ suscipere tenerentur, si occasio esset; ut patet in Cornelio, quod Scotus supra q. 4. n. 4. necessariū etiam in martyre, ubi occasio foret, ostendit necessarium & aliquando possibile; ut cum lethales pœnas pro fide passus ob quas tamen non est mortuus sed supervixerit, ut in S. Sebastiano contigit dum sagittis confossus convaluit; ob prædicta docent Doctores & tradit Concil. Trid. Sess 6. cap. 4. *quod translatio hominis ab eo statu, in quo nascitur filius primi Adæ in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Iesum Christum salvatorem nostrum post Euangelium promulgatum sine lavacro regenerationis aut eius voto fieri non possit iuxta illud, nisi quis renatus fuerit, &c.*

Baptismus ergò aquæ vel in re, vel in voto necessitate medii de communi Christi lege necessarius esse dignoscitur; licet extraordinaria Dei benignitate infantes propter Christum occisi salventur non baptizati, qui implicitè votum habere censentur. XIX.

Demum Respond. ad exclamationem Calvini lib. 4. cap. 15. §. 20. ubi dicit: *quantùm damni invexerit dogma illud malè expositum, Baptismum esse de necessitate salutis pauci animadvertunt; ideoque minus sibi cavent; nam ubi invaluit opinio perditos esse omnes, quibus aqua tingi non contigit; nostra conditio deterior est quàm veteris populi; quasi restrictior esset Dei gratia, quam sub lege; venisse enim Christus censebitur non ad implendas promissiones, sed abolendas: quando promissio, quæ hinc ante octavum diem saluti conferendæ per se erat satis efficax, nunc absque signi adminiculo rata non esset, &c.* hæc Calvin. XX.

Respond. autem ad primum quod doctrina, quam Calvinus falsò opinionem vocat, perditos esse omnes quibus aqua tingi non contingit, non postero tempore invaluerit, sed à tempore Apostolorum à tota Ecclesia primæva docta & credita fuerit; ut patet ex testimoniis SS. Patrum & specialiter Augustini, quæ tàm certa omnibus fuit; ut etiam Pelagiani docere deberent, parvulos sine aquæ baptismo non pervenire ad regnum Cœlorum; proinde Lutheri & Calvini, quam à posterioribus hæreticis ut seq. cap. art. 1. patet. inventam & invectam resuscitarunt, falsa opinio apud ipsos malè invaluit & Anabaptistis viam stravit; quæ grave damnū infantibus invexit & intulit; ex hac enim opinione homines minus sibi cavent, vel soliciti sunt; ut parvuli aqua baptizentur; adeoque juxta veram doctrinam damnabuntur; quale periculum non sequitur ex doctrina Catholica, cum juxta D. Augustinum festinatur ad baptismum, ne pereant. XXI.

Respond. ad secundùm falsum est, quod conditio Christianorum esset deterior, quam veteris populi, si aqua necessario baptizari debeat parvulus; nam juxta veritatem probatam ex S. Scriptura & communi SS. Patrum, non fuit promissio salutis æternæ facta toti semini Abrahæ, ut patet de Esau, &c. sed illis, qui imitati sunt fidem Abrahæ, idque ob merita Christi venturi; quæ promissio copiosiùs longè in Ecclesia impletur; dum non ad unam gentem lex Dei pervenit, sicut olim, sed Euangelium prædicatur omni creaturæ per omnes gentes, & sic in Christum credentes & baptizati salvantur: falsum est etiam, quod ante octavum circumcisionis diem infantes Iudæorū salvati sint eo quod geniti essent ex semine Abraham, ut osten- XXII.

Digitized by Google

ostensum est; sed juxta plurium SS. Patrum sententiam, qui absque alio signo à parentibus adhibito moriebantur, damnabantur, eò quod in peccato originali decederent: in lege autem Euangelica non expectatur octavus dies, sed statim, ut infans natus est, baptizari potest: & longe facilius remedium est baptismus aquæ, quam dura in infantilibus membris carnis circumcisio.

XXIII. Si dicas, cur Deus allegasset promissionem suam alicui sensibili signo aquæ & baptizationi? respondeat Calvinus, cur Deus allegaverit, juxta suam opinionem, salutis promissionem generationi carnali Abrahæ, vel fidelium parentum? ita ut qui ab illis non nascuntur & sic moriuntur in peccato originali, damnentur: nobis ex verbis Christi constat, quod Deo baptismo aquæ gratiam alligare placuerit; sed falsum est, quod generationi carnali assignaverit.

CAPUT III.

De Baptismo Infantum.

ARTICULUS I.

Referuntur errores Acatholicorum.

I. Quamvis olim diversi fuerint errores quoad baptismum etiam infantum; ut supra visum est: plerique tamen etiā hæretici præter totam Ecclesiā parvulos baptizandos asseruerunt.

II. Surrexerunt autem circa Annum 1140. hæretici dicti *Petrobrusiani*, *Henriciani* & *Pseudo-Apostoli*, qui inter alios errores parvulis usu rationis carentibus, eò quod fidem non haberent, baptisma non esse conferendum asserebant, ita refert *S. Bernardus* serm. *66.* super Cant. & Epist. 240. & *Petrus Cluniacensis* in argumento Epist.

III. Hos secuti sunt *Cathari* Anno 1160. ut refert Eckbertus serm. 1. de Catharis: postea Albegenses 1180. ut refert Petrus Blesensis, serm. de Synodo.

IV. Rursus Anno 1300. *Lollardi* volebant, quod fœtus à fidelibus propagatus non sit baptizandus sacramentaliter: imò dicebant, parvulis baptismum inutiliter conferri, pro eo quod quamprimum anima est corpori unita, infundatur gratia spiritus sancti, ex quo inferebant, filios fidelium mundósque sanctósque ex utero prodire, ita refert *Thomas VValdensis* tom. 2. tit. 5. cap. 153.

V. Lutherus ut consequenter ageret, ad suum principium, quod sola fides justificet, cui videbatur obstare baptismus infantum, in quo sine fide salvari viderentur, non audens absolutè negare infantes esse baptizandos, lib. adversus Cochlæum Anno 1523. scripto sic ait; *Dicimus infantes ad baptismum credere per vim verbi, quo exorcizantur, & per fidem Ecclesiæ eos offerentis; & eis fidem orationibus suis impetrantis: alioquin mera & intolerabilia esse mendacia, quando baptizans à parvulo quærit, an credat? non baptizaturus, nisi vice eius respondeat; credo: ut quid interrogat, an credat? si certum eos non credere, ut Cochlæus contendit? Esto Augustinus sic aliquando dicat, sed Cochlæo hoc satis sit, esse sic ab homine dictum; nos volumus hoc dictum divinis testimoniis probari; quia asserimus, parvulos non esse baptizandos; si verum est, eos in baptismo non credere; ne illudatur divina maiestatis Sacramentum: debemus autem & hunc negata fidei errorem Sophistis, &c.* hæc Lutherus.

VI. *Balthasar Parimontanus*, lectis hujusmodi Lutheri sententiis, nec credens parvulos propriam habere fidem, puerorum baptismum primus hoc seculo impugnare cœpit, & propterea Viennæ Austriæ Anno 1528. tanquam hæreticus igne combustus est, ita scribit *Cochlæus* de actis & scriptis Lutheri.

Hunc secuti sunt Anabaptistæ, circa illud tempus exorti, qui, licet inter se divisi diversissimos doceant errores olim damnatos, ut sint quasi cloaca errorum; quorum plerique ut in Transylvania etiam sanctissimam Trinitatem & incarnationem negant; in hoc tamen cohærent, quod infantes non sint baptizandi; & tamen adhuc inter se divisi sunt, quoad tempus, quo adulti baptizandi sint, ut refert Calvinus libro quarto institutionum capite decimo sexto, §. vigesimo nono, dicens de illis: *Quod si annum tricesimum præfigere libet, cur eum non observant, sed ut quisque eorum judicio satis profecit eum ad baptismum recipiunt; quin etiam Servetus unus ex eorum Magistris quum tempus hoc pertinaciter urgeret, iam vicesimo primo ætatis anno cœperat prophetam se jactare, &c.* hæc Calvin. de Anabapt. VII.

Etsi autem Lutherus, audiens Anabaptistas negare infantes baptizandos, contra illos scripserit Anno 1528. quod infantes sint baptizandi sive credant sive non credant, ut Cochlæus in ejus actis testatur; ipsi tamen occasionem ex ipsius doctrina, quod infantes, si non credant, baptizandi non sint, sumpserunt; & Lutheri sectatores quidem priori ejus sententiæ inhæserunt, quod infantes actualiter credant; sed plerique illam mitigare conati sunt; nam ut refert Cochlæus libr. 3. Miscellaneorum tract. 8. cap. 2. Lutherani Anno 1536. Conciliabulum Wittembergæ instituerunt, ubi *primùm* statuerunt; rejiciendum esse illorum errorem, qui imaginantur salvari infantes sine aliqua actione eorum. *Secundùm*, etsi nos non intelligamus, qualis illa sit actio parvulorum, tamen certum esse in eis fieri sanctos & novos motus, sicut in Ioanne Baptista, quando exultavit in utero. *Tertiùm*, etsi non sit imaginandum, quod infantes intelligant; tamen motus illorum & inclinationes ad credendum & diligendum Deum, similes esse actibus fidei & dilectionis; & hoc esse intelligendum, cùm infantes in baptismo dicuntur credere. Hæc ex actis illius Conciliabuli, quæ extant apud Cochlæum loco citato. VIII.

In hoc

Digitized by Google

IX. In hoc tamen plerique consentiunt, quod per tales motus verè dicantur credere infantes; & ideo *Illyricus Centuriat.* centuriat. 2. cap. quarto & centuriat. 5. cap. 4. reprehendit *Iustinum martyrem & S. Augustinum* qui dicunt: infantem in baptismo non credere fide propria, sed aliena.

X. *Calvinus* etsi regenerationem & justificationē infantis in baptismo fieri neget; sed ex promissione Dei à fidelibus natos asserat sanctos & Dei hæredes; ac proindè quoad illos nō asserat, quod sola fide propria justificentur; & sic juxta ipsum, non quoad infantes axioma ipsorum currat, quod homo per fidem solam justificetur, quâ Dei misericordiam apprehendat; inclinatur ad hoc tamen satis, quod infantes in baptismo habeant aliquam Dei cognitionem: undè lib. quarto institutionum capite decimo sexto, § decimo octavo respondens Anabaptistis, urgentibus quod fides in baptismo requiratur, qua verbum Dei credant & recipiant; hoc quidem ad adultos pertinere dicit: addit tamen dicens, *deinde non satis tutum fuerit hoc adimere domino, ne se illis quoque modo exhibere cognoscendum queat.* & §. 19. sic ait, *quoniam autem valde absurdum fore putant: si infantibus tribuatur ulla cognitio Dei, quos boni & mali intelligentia Moyses privat, respondeant quæso mihi, quid periculi sit, si aliquam eius gratiæ partem nunc accipere dicantur, &c.* & infra: *Non quod eadem esse fide praditos temerè affirmare velim, quam in nobis experimur, aut omninò habere notitiam fidei similem (quod in suspenso relinquere malo) &c.* hæc ille. Vbi patet quod non simpliciter rejiciat Lutheri vel lutheranam opinionem; licet neget, quod per istam fidem regenerentur in baptismo; sed vult illos regeneratos ab utero matris fidelis, ad quod baptismus solùm detur in signum præhabitæ sanctificationis & regenerationis.

XI. Etsi autem sic de his senserit Calvinus; tamen contra Anabaptistas asserit: quod parvuli sint baptizandi; ita tamen, ut si non baptizentur salvi fierent, licet illi, qui illorum baptismum negligunt vel per contemptum omittunt, peccent; ut sæpius ingerit lib. quarto institutionum capite decimo sexto, ubi ad viginti argumenta Serveti contra baptismum objecta respondet.

XII. Præter hos fuerunt aliqui asserentes, quod infantes quidem baptizandi sint, sed ubi adoleverint, interrogandos esse; an ratum haberent, quod pro ipsis alii in baptismo polliciti sunt; & si ratum non habeant, liberè dimittendos esse, sic Erasmus Roterod. in præfat. paraphrasis in Matthæum.

ARTICVLVS II.

Præponitur Doctrina Ecclesiæ Catholicæ, & probatur ex S. Scriptura.

Doctrinam Ecclesiæ Catholicæ quoad baptizandos infantes tradit Concil. Tridentin. sess. septima, can. duodecimo, ubi sic definit: *Si quis dixerit, neminem esse baptizandum nisi ea ætate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo, anathema sit.* & can. decimo tertio. *Si quis dixerit, parvulos eo, quod actum credendi non habent, suscepto baptismo inter fideles computandos non esse; ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos: aut præstare omitti eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ, anathema sit.* I.

Iterùm can. decimo quarto, *Si quis dixerit huiusmodi parvulos baptizatos cùm adoleverint interrogandos esse, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dùm baptizarentur, polliciti sunt? & ubi se nolle responderint suo esse arbitrio relinquendos; nec alia interim pœna ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistia aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur donec resipiscant, anathema sit.* hæc Concilium. II.

Hæc doctrina, quod infantes licitè & validè baptizentur, probatur primò ex figura baptismi, quæ in veteri testamento erat circumcisio, prout Apostolus sæpiùs indicat, ita etiam ut ad Coloss. secundo, vers. undecimo, baptismum vocet circumcisionem, dicens: *in quo* (Christo) *& circumcisi estis, circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi, consepulti ei in baptismo,* &c. evidens est autem ex S. scriptura quod circumcisio facta fuerit in infantibus etiam ex mandato Dei; adeoque infantes Christiani minùs arcendi sunt à Baptismo, ut non solùm inter fideles Christianos computentur, sicut circumcisi inter Israëlitas; sed etiam ut à peccato originali liberentur; etsi hoc posteriùs negent Acatholici, primùm tamen negare non possunt. III.

Secundò etsi nullus expressus extet in novo testamento locus; quo expressè mandetur parvulos baptizandos, vel etiam exemplum referatur; tamen ex quibusdam locis satis concludi potest: sunt enim duo loca, quæ simuli juncta concludunt, utpote Ioann. 3. v. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poterit,* &c. unde SS. Patres concluserunt, quod infantes non baptizati damnentur: quod etsi Anabaptistæ concedere videantur, & tamen illos nolunt baptisare, quia volunt illos non esse capaces illius unici à Christo assignati remedii contra peccatum originale, scilicet baptismi: sed hoc falsum esse constat ex verbis Christi Matth. 19. v. decimo tertio. *finite parvulos & nolite eos prohibere, ad me venire, talium enim est regnum* IV.

Cælorum

Digitized by Google

Cælorum. Similiter habetur Marci 10. verſ. decimo tertio: & ſi autem hoc abſolutè de omnibus parvulis intelligi non poſſit, quod ne ullo remedio ſint hæredes regni cælorum; tamen ex his verbis manifeſtè conſtat, quod ſaltem parvuli ſint capaces remedii, per quod fiant regni cœleſtis hæredes; quale unicum eſt baptiſmus in lege gratiæ.

V. Nec valet evaſio Anabaptiſtarũ cùm dicunt Chriſtum ibi loqui de parvulis qui ambulare per ſe poſſunt & per conſequens ad Chriſtum venire ac credere; vel quod Chriſtus loquatur ibi de parvulis humilitate, ſicut Chriſtus dicit Matth. 11. verſ. vigeſimo quinto, *revelaſti ea parvulis.*

Verùm patet ex textu quod Chriſtus non loquatur ad literam de parvulis humilitate, cùm dicatur: *oblati ſunt ei parvuli ut manus eis imponeret,* & ut Marcus ait, *Complexans eos & imponens manus ſuper eos, benedicebat eos,* &c. quæ ad literam de parvulis ætate intelliguntur. & Chriſtus ab illis ſimilitudinem ſumit ad parvulos humilitate, addens, *quiſquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud,* quod verò tales parvuli fuerint, qui per ſe ambulare non poterant etiam patet ex textu, *oblati ſunt* ſcilicet *in humeris aliorum quod* clariùs exprimitur, Luc. 18. v. 15. *afferebant autem ad illum & infantes,* &c. quod autem Chriſtus dicit, *ſinite parvulos venire ad me,* ibi patet, quod venire latè ſumatur ſive propriis pedibus ſive per aliorum geſtationem; quod in propoſito factum fuiſſe Evangeliſtæ exprimunt.

VI. Tertiò. eadem veritas probatur ab exemplis quæ in S. ſcriptura referuntur, videlicet Act. 16. v. 15. dicitur de quadam muliere Lydia, *cum autem baptizata eſſet & domus eius, deprecata eſt, &c.* & ibid. v. 15. de cuſtode carceris dicitur: *& baptizatus eſt ipſe, & domus eius continuò,* &c. & Apoſt. 1. Cor. 1. v. 16. dicit: *baptizavi autem & Stephanæ domum &c.* ex his ſic ſubſumitur: & ſi non abſolutè, ſaltem moraliter certũ eſt, quod in domo tota ſeu familia, unus vel alter ad minus infans in illa exſtat; cum ergò dicitur, quod domus integræ baptizatæ ſint, eſt moraliter certum, quod etiam infantes illarum domum baptizati ſint.

VII. Quartò idem probatur ex *Traditione Apoſtolica,* quàm Eccleſia ſemper obſervavit quoad infantes quam teſtantur SS. Patres, ut infra patebit, & ſpecialiter D. Auguſtinus probat hanc eſſe traditionem Apoſtolicam tom. 3. edit. Baſ. 1528. lib. 10. de Geneſ. ad lit. cap. 28. dicens: *Conſuetudo matris Eccleſiæ in baptizandis parvulis nequaquam ſpernenda eſt, neque ullo modo ſuperflua deputanda, nec omninò credenda; niſi Apoſtolica eſſet Traditio. Habet enim & illa parva ætas magnum teſtimonii pondus, quæ prima pro Chriſto meruit ſanguinem fundere, &c.* hæc ibi. Vbi etiam clarè indicat ab exemplo Innocentum ab Herode occiſorum, quod illa ætas capax ſit ſalutis, & per conſequens etiam baptiſmi; qui in ſalutis remedium à Chriſto ordinatus eſt. Similiter Auguſtinus tomo 7. edit. ead. lib. de bapt. contra Donatiſtas cap. vigeſimo quarto, ait: dicens: *Et ſi quiſquam in hac re authoritatem divinam quærat, quanquam quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi authoritate Apoſtolicâ traditum rectiſſimè dicatur; tamen veraciter conjicere poſſumus, quid valeat in parvulis baptiſmi Sacramentum ex circumciſione carnis, &c.* hæc Auguſt.

VIII. Ex hac igitur Apoſtolica traditione manifeſtè probatur; quod parvuli etiam comprehendantur inter illos, de quibus Chriſtus dixit; quod qui baptizati fuerint, ſalvi erunt.

IX. Demùm eadem veritas probatur concludendo ex aliis S. ſcripturæ locis: ut cum ſacra ſcriptura docet; quod extra veram Chriſti Eccleſiam non ſit ſalus, & quod nullus ſalvetur niſi ſit membrum Chriſti corporis, quod eſt Eccleſia; prout copioſè in lib. 1. de Eccleſia probatum eſt, ut patet ex illo Ioann. 15. verſ. 4. *ſicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos niſi in me manſeritis.* Vnde patet quod parvuli non poſſint ſalvari, niſi fiant membra Eccleſiæ; quod autem ſalvari poſſint, ſupra oſtenſum eſt ex verbis Domini, *ſinite parvulos ad me venire,* &c. at verò per baptiſmum ſolum parvuli membra Eccleſiæ fieri poſſunt; quia non poteſt aliud medium ex S. ſcriptura oſtendi, per quod Eccleſiæ incorporentur. Nam juxta veritatem non poſſunt actualem habere fidem quæ per charitatem operetur, ut Anabaptiſtæ contra Lutherum contendunt & aſſerunt: proinde reſtat, ut ſi ſalvi fieri & Eccleſiæ incorporari poſſint, id per baptiſmum fiat. Hoc etiam patet ex S.

X. ſcriptura, quod homines per baptiſmum Eccleſiæ incorporari dicantur; ut patet Actor. ſecundo, verſ. quadrageſimo primo, ubi dicitur, *qui ergò receperunt ſermonem eius baptizati ſunt, & appoſitæ ſunt in die illa animæ circiter tria millia, &c.* ſcilicet Eccleſiæ.

XI. Hoc ipſum cum communi SS. patrum ſententia ſupponit ſæpiùs & tradit Auguſtinus; ſpecialiter libro primo, de baptiſmo cap. 8. edit. Baſil. 1528. tom. 7. ubi de Cornelio ſic ait: *quoniam quicquid boni in orationibus & eleemoſynis habebat, prodeſſe illi non poterat, niſi per vinculum Chriſtianæ Societatis & pacis incorporaretur Eccleſiæ; iubetur mittere ad Petrum & per illum diſcit Chriſtum: per illum etiam baptizatus Chriſtiano populo, conſortio quoque communionis adiungitur,* &c. hæc ille.

ARTICVLVS III.

Eadem veritas probatur ex Patribus Græcis & Latinis.

I. QUod Eccleſia tempore Apoſtolorum crediderit parvulos licitè & validè baptizari, ſatis probari poſſet argumento S. Auguſtini præced. art. relato; quia ſcilicet in Eccleſia obſervatum fuit, nec à Conciliis poſt tempora Apoſtolorum inſtitutum legimus. Probatur tamen in ſpeciali teſtimoniis SS. Patrum, qui à tempore Apoſtolorum floruerunt.

II. *Clemens Romanus,* lib. ſexto Apoſt. Conſtit. edit. Colon. 1596. cap. decimo nono, ſic ait: *Baptizate quoque puerulos veſtros, & eos in diſciplina & præceptis Dei. Sinite enim inquit* (Chriſtus) *parvulos venire ad me, & nolite eos prohibere.* hæc ille.

III. *Dionyſius Areopag.* lib. Eccleſ. Hierarch. Hieronym.

Digitized by Google

puerulos vestros, & educate eos in disciplina & præceptis Dei. Sinite enim inquit (Christus) *parvulos venire ad me, & nolite eos prohibere*: hæc ille.

III. *Dionysius Areopag.* lib. Eccles. Hierarch. Theor. ad cap. 7. edit. Argent. 1503. sic ait: *Quod autem & pueros nondum divina intelligere valentes sacra participes fieri divinæ generationis*, &c. *videtur quidem*, &c. *immundu blasphemo risu dignum, si audire non valentes docent*, &c. *& non intelligentibus, imagines tradunt sacras traditiones; & quod adhuc risibilius, quomodo eis alii abrenuntiationes dicunt, & sacras confessiones; oportet tuā hierarchicam intelligentiam non angustari in errantibus, sed & timens simul & eorum luce, ducatus gratiam dirigeris defendere adversus ab eis prolatas insidias*, &c. *Quia non in nostra scientia omnia divina circumscribuntur, &c.* hæc ille.

IV. *Iustinus Mart.* edit. Heid. 1530. q. 56. ait, *digni sunt* (Infantes) *baptismi commodu, fide eorum, qui illos ad baptismum offerunt.*

Item ibid. ead. edit. sic quærit, *si infantes mortem appetentes ex operibus nec laudem nec reprehensionē habent; quod discrimen erit in resurrectione inter eos qui ab aliis sint baptizati?* &c. *& eos qui non sunt baptizati* 2. *Respondeo, hoc discrimen est inter baptizatos & non baptizatos; quod illi bona per baptismum obvenientia consequentur, hi verò non, &c.* hæc ille.

V. *Irenæus* edit. Colon. 1596. lib. 2. c. 39. *omnes* ait, *venit Christus per semetipsum salvare; omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes & parvulos, & pueros & iuvenes, & seniores*, &c. hæc ille.

Constat autem quod per baptismum renascantur; ut omnes SS. Patres profitentur; quicquid Calvinus fingat.

VI. *Origenes* edit. Basil. Anno 1557. parte prima homil. octava in Levit. dicit: *addi his etiam illud potest; ut requiratur, quid causa sit, cum baptisma Ecclesiæ in remissionem peccatorum detur, secundum Ecclesiæ observantiam etiam parvulis baptismum dari? cum utique, si nihil esset in parvulis, quod ad remissionem deberet & indulgentiam pertinere, gratia baptismi superflua videretur, &c.* hæc ibi.

VII. Idem parte secunda eadem edit. hom. 14. in Lucam *parvuli baptizantur in remissionem peccatorum, quorum peccatorum?* 2. *& nullus mundus à sorde, nec si unius diei quidem fuerit vita eius super terram. Et quia per baptismi Sacramentum nativitatis sordes deponuntur, propterea baptizantur & parvuli; nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu non poterit intrare regnum cælorum, &c.* hæc ibi.

VIII. Rursus lib. sexto in cap. sexto ad Romanos, apud Iod. Cocc. Tomo secundo, Thesaur. Catholici edition. Colon. Anno 1601. sic ait: *nunquid nuper editus parvulus peccare potuit? & tunc habet peccatum, pro quo hostia iubetur offerri, à quo mundus negatur quis esse, & si unius diei fuerit vita eius; de hoc ergò etiam David dixisse credendus est, quia in peccato concepit me mater mea; secundum historiam enim nullum matris eius declaratur peccatum. Pro hoc & Ecclesia ab Apostolis* TRADITIONEM *suscepit, etiam parvulis baptismum dare; sciebant enim illi, quibus mysteriorum secreta commissa sunt divinorum; quia essent in omnibus genuinæ sordes peccati, quæ per aquam & spiritum ablui deberent; propter quas corpus ipsum corpus peccati nominatur, &c.* hæc ille.

Cyprianus edit. Antwerp. Anno 1568. lib. tertio, Epistola octava seu quinquagintanona, ad Fidum sic scribit: *Quantum verò ad causam infantium pertinet; quos dixisti intra secundum vel tertium diem, quo nati sunt, constitutos baptizare non oportere, &c. longè aliud in Concilio nostro omnibus visum est. In hoc enim quod tu putabas esse faciendum, nemo consensit, sed universi potius iudicavimus; nulli hominum nato misericordiam Dei & gratiam denegandam, &c.* hæc ille. IX.

Basilius edit. Antwerp. Anno 1568. hom. decima tertia, in exhortat. ad Bapt. *tempus*, ait, *aliud alii accommodatum, somni proprium, aliud Vigiliæ*, &c. *Baptismi autem tempus vita hominis tota; tempus aliud alii opportunum negotio, ad baptismi verò salutem quodvis tempus accommodum est; sive dies sit sive nox, sive hora, sive quodcunque temporis momentum etiam imminutissimum, &c.* hæc ille. X.

Gregorius Nazianz. orat. 40. in sanctum Baptisma *sint sanè*, inquit, *hæc dixerit aliquis, quantùm ad eos attinet, qui baptisma requirunt: quid autem de iis dices, qui adhuc tenera ætate sunt, nec aut damnum aut gratiam sentiunt? an eos quoque baptizabimus? Ita prorsus, si quod periculum urgent, &c.* hæc ille. XI.

Ambrosius edit. Par. 1569. Tom. 1. de mysterio pasc. hæc cap. 5. *Hinc*, ait, *vitalis lavacri sacra Ecclesiæ editi puerperio infantes, parvulorum simplicitate renati, baratro innocentis perstrepunt conscientiæ*, &c. XII.

Idem edit. ead. ad cap. 1. Lucæ, sic ait: *Iordanis conversus est retrorsum, significavit salutaris lavacri futura mysteria; per quæ in primordio naturæ suæ, qui baptizati fuerint, parvuli malitia reformantur, &c.* hæc Ambros.

Hieronymus Tom. secundo, edition. Basil. Anno 1543. dial. 3. contra Pelagianos cap. 6. *Critobulus: dic quæso & me omni quæstione libera; quare infantuli baptizentur? Atticus, ut eis peccata in baptismate dimittantur. Critobulus: quid enim commeruere peccati? Atticus, me interrogas? Respondebit tibi euangelica tuba, Doctor gentium, vas aureum, in toto orbe resplendens; regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos, qui non peccârunt, in similitudinem prævaricationis Adam; qui est forma futuri, qui parvulus est, parentis in baptismo vinculo solvitur; qui eius ætatis est, quæ potest sapere, & alieno & suo Christi sanguine liberatur, &c.* hæc ille. XIII.

Chrysostomus apud Iod. Cocc. Tomo secundo, libro quinto, edit. Col. Anno 1601. in Psalm. vigesimum quartum, *adducit quispiam*, ait, *infantem, adhuc ubera sugentem, ut baptizetur: & statim sacerdos exigit ab infirma ætate pacta conventa & assensiones; & minoris ætate fideiussorem accipit susceptorem; & interrogat, renuncias Sathanæ?* &c. XIV.

Idem Tomo quinto edit. Basil. 1558. hom. ad Neophytos sic ait: *Hac de causa & infantulos baptizamus, ut non sint coinquinati peccato, ut iis addatur sanctitas, iustitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, ut eius membra sint omnes, ut spiritus habitatio fiat, &c.* hæc ibi.

Digitized by Google

Rursus Tomo decimo, eadem editione Homil. de Adam & Eva, *ideo*, ait, *prædicat Ecclesia Catholica ubique diffusa debere parvulos baptizari propter originale peccatum, &c.* hæc ille.

XV. Demùm *Augustinus* hanc veritatem passim profitetur; cujus aliqua loca supra relata sunt: sic Tomo 7. edit. Basil. 1528. libro quarto de Baptismo, contra Donatistas, capite vigesimo tertio, ait: *quod traditum tenet universitas Ecclesiæ, cum parvuli infantes baptizantur, qui certè nondum corde possunt credere ad iustitiam & ore confiteri ad salutem, quod latro potuit; quin etiam flendo & vagiendo, cùm in eis mysterium celebratur, ipsis mysterii vocibus obstrepunt; & tamen nullus Christianorum dixerit eos inaniter baptizari, &c.* hæc ille. Sed Lutherus hoc ausus est dicere, nisi corde credant.

XVI. Idem Epist. vigesima octava ad Hieronym. eadem editione Tomo secundo *Beatus Cyprianus*, ait, *non aliquod decretum condens novum, sed Ecclesiæ fidem,* (nota) *firmissimam servans, ad corrigendum eos, qui putabant ante octavum diem nativitatis non esse parvulum baptizandum; non carnem sed animam dixit esse prodendam* &c. *mox natum ritè baptizari posse, cum suis quibusdam co Episcopis censuit, &c.* hæc ibi.

XVII. Rursus in Enchiridio ad Laurent. edit. ead. tom. 3. cap. 43. sic ait: *à parvulo recens nato usque ad decrepitum senem, sicut nullus prohibendus est à baptismo; ita nullus est qui non peccato moriatur in baptismo: sed parvuli tantum originali, maiores autem his omnibus moriuntur peccatis, quæcunque malè vivendo addiderunt ad illud, quod nascendo traxerunt, &c.* hæc Aug.

XVIII. *Concilium Africanum* Anno 410. celebratum in Epistol. ad Innocentium, quæ est Epistola nonagesima apud divum Augustinum de Pelagianis, sic scribit: *Parvulos etiam propter salutem, quæ per Salvatorem Christum datur, baptizandos negant,* &c.

XIX. Demùm *Concilium Milevitanum* tempore Augustini Can. 2. sic definivit: *Item placuit, ut quicunque parvulos recentes ab uteris matris baptizandos negat, aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur; unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non verè sed falsè intelligatur, anathema sit.* hæc concilium.

XX. Similiter *Concilium African.* aliud Anno 420. celebratum cap. septuagesimo septimo iisdem, quibus Milevitanum, verbis anathema dicit: & subjungit: *propter hanc fidei regulam* (nota) *etiam parvuli, qui nihil peccatorum in se ipsis adhuc committere potuerunt; ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt,* &c. hæc Concil.

XXI. Ex quibus conciliorum & SS. Patrum testimoniis constat; doctrinam de baptizandis, parvulis in primitiva Ecclesia adeò certam fuisse, ut ex illa, ostenderint parvulos peccatum originale contraxisse; à quo per baptismum liberantur adeòque per hanc doctrinam, non solùm Anabaptistæ convincuntur contradicere antiquæ Ecclesiæ fidei, & doctrinæ, sed etiam alij moderni Acatholici præsertim Calvini sectatores; qui negant parvulos baptizari in remissionem peccati originalis; sed volunt, quod infantes fidelium ab utero matris, à peccato originali renascantur, eo ipso; quod à fidelibus generentur.

ARTICVLVS IV.

An, & qualem Infantes baptizati Fidem habeant.

Circa hoc sciendum; quod duplex possit fides assignari in infantibus; una actualis quæ præcedat baptismum tanquam dispositio ad baptismum & justificationem, sicut in adultis, ad hoc ut validè baptizentur, vel saltem gratiam accipiant: alia est habitualis, quæ est ipse habitus fidei, cum habitu spei & charitatis à Deo per baptismum ut instrumentum datus seu infusus, & est effectus baptismi. I.

Fidem actualem, qua infans actu cognoscat, & credat ea, quæ in baptismo agenda sunt, & iis acquiescat, Lutherus requisivit, Ecclesia Catholica negat: at vero habitum gratiæ à Deo sinè actu infantis per baptismum, ut instrumentum, & per merita Christi infundi, Ecclesia Catholica profitetur cum sanctis Patribus; prout supponit divus Augustinus Tomo septimo editione Bas. 1528. libro primo de peccator. merit. & remissionibus capite nono, dicens: *Hac enim gratia baptizatos quoque parvulos suo inserit corpori, qui certè imitari aliquem non valent,* &c. *Dat etiam* (Deus) *sui spiritus occultissimam suis fidelibus gratiam, quam latenter infundit, & parvulis, &c.* hæc ille, quæ gratia consistit in fide, spe & charitate habituali. II.

Hæc doctrina fundatur in illo principio fidei, *quod qui non credit iam indicatus est.* Ioann. 3. vers. decimo octavo, ubi non de actu sed habitu fidei loquitur; ut sancti Patres docent: Similiter ad Roman. 3. vers. vigesimo octavo, *arbitramur hominem iustificari per fidem*, & ad Hebræos undecimo, vers. sexto, *sine fide impossibile est placere Deo.* Concilium Tridentinum sess. 6. capite septimo, causam instrumentalem justificationis dicit esse Sacramentum baptismi, & posteà subjungit: *unde in ipsa iustificatione, cum remissione peccatorum, hæc omnia simul accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem spem & charitatem, &c.* hæc concil. quæ de habitibus intelliguntur; qui manent etiam in dormiente, sicut dormiens est fidelis, & justus. III.

Verùm quod Lutherani alii, mitigando Lutheri sententiam, dicunt; quod per baptismum Spiritus Sanctus in infantibus efficiat actus quosdam seu motus novos, qui sint similes fidei, sed non fides, quales habuit Ioannes Baptista, negat Ecclesia Catholica: licet enim certum sit, quod Deus per suam potentiam tales motus in parvulis efficere possit, imò etiam cognitionem fidei, & actum charitatis, negat tamen Ecclesia, id Deum ordinariè, in parvulis sub baptismo velle facere. IV.

Hoc

V. Hoc ipsum probatur primò ex illo Acatholicorum licet falsò principio; quod negant; aliquid esse credendum, quod non expressè in sacra scriptura habeatur: atqui id ipsum in S. scriptura non legitur, hoc enim Lutherus artic. primo relatus à Cochlæo exigebat, dicens: *Esto Augustinus sic aliquando dicat: sed Cochlæo hoc satis sit esse sic ab homine dictum; nos volumus hoc dictum divinis testimoniis probari*, &c. probent ergò ipsi dictum suum divinis testimoniis, *&c.*

VI. Probatur secundò, quia nec illud ipsum habetur ex Apostolica traditione; quam Ecclesia ex ore Apostolorum sumpsit; illam enim cognoscimus ex eo, quod à tempore Apostolorum in Ecclesia credita & observata fuerit, prout ex testimoniis sanctorum Patrum constare potest; si aliquod dogma semper in Ecclesia à tempore Apostolorum creditum fuisse tradentur; at verò illud Lutheranorum figmentum sancti Patres nusquam tradunt, quin potius idipsum rejiciunt & reprobant.

VII. Hic sufficiat *Augustinus*, qui passim illam fictionem confutat, non ex suo sensu, ut vult Lutherus, sed ex Ecclesiæ totius consensu & doctrina, quam ab Apostolis accepit; sic ergò specialiter libro quarto de baptism. capite vigesimo tertio expressè negat; quod parvuli credant corde ad justitiam, *&c.* verba ejus præced. art. relata sunt, similiter loquitur tract. 80. in Ioann.

VIII. Idipsum à proposito ostendit edit. Basil. 1529. Tomo secundo Epist. 57. ad Dardanum; ubi pertractat quæstionem propositam, an parvuli cognoscant Deum; quod aliqui ostendere volebant ab exemplo Ioannis Baptistæ exultantis in utero matris: ubi primò respondet, quod talis exultatio fieri potuerit sine cognitione propria Ioannis, *quia*, dicit, *videmus exultationem non solum parvulorum, sed etiam pecorum, non utique de aliqua fide vel quacunque rationali cognitione venientem. Sed hæc planè inusitata & nova extitit, quia in utero, & ad eius adventum qua hominum Salvatorem erat paritura.* De eodem Ioanne exemplo secundo

IX. respondet, eadem editione, dicens: *Quanquam etiam, si usque adeò est in illo puero accelleratus usus rationis & voluntatis; ut intra viscera materna iam possit agnoscere, credere, consentire*, &c. *etiam hoc in miraculis habendum divinæ potentiæ, non ad humana trahendum est exemplar naturæ; nam quando Deus voluit, etiam iumentum mutum rationabiliter est locutum.* Num. vigesimo secundo, &c. *sed sicut inde non sequitur, ut homo asinina consilia expectet; quo circa, nec quod factum est in Ioanne, inde regulam, quid sentiendum sit de parvulis, figo: imò id in illo propterea mirabiliter prædico, quia in aliis non invenio, &c.* quod ipsum ab experientia probat.

X. Et ne Lutherus diceret, hoc quidem in parvulis ordinarium non esse, sed in baptismo miraculosè fieri, paulò post Augustinus editione eadem subjungit de parvulis baptizatis, dicens: *Vnde autem in ipso tanto salutis præsidio, quando eis Christiana gratia subvenitur, quod vocibus quidem possunt & motibus reluctantur, non eis imputatur; atque omnis res ipsorum nihili penditur; donec in eis Sacramenta peragantur, quibus id quod de originali damnatione tractum est, expietur; nisi quia in tantum nesciunt, quid faciunt, ut nec facere iudicentur? porrò si iam uterentur rationis & voluntatis arbitrio, quo illi sanctificationi adhiberi deberet assensus; quantum mali esset resistere tantæ gratiæ? quanquam non solum nihil prodesset quod fieret; verùm etiam inde reatus accresceret, quis Christianus ignoret?* &c hæc Augustinus, sed Lutherus ignorare voluit.

Quod autem aliqui ejus discipuli exponant de motibus à spiritu sancto per baptismum excitatis, etiam absque S. scriptura vel Dei verbo ab Apostolis tradito docent; nec à sanctis Patribus unquam traditum est; & ipsi totum Lutheri fundamentum evertunt; nam Lutherus ideo dicebat parvulos credere debere, ne falsò ad interrogata respondeatur, *credo*, idque ante baptismum; at verò hi negant talem fidem ante baptismum, vel etiam motum, adeòque contradicunt Luthero; nam si motus tantum post baptismum fiant vel sub illo, tunc responsiones ad interrogata ante baptismum factæ adhuc juxta Lutherum falsæ erunt: deinde sequitur, quod parvuli justificentur sine fide, adeòque falsum erit ipsorum principium, quod justificatio per solam fidem fiat: & hæc contra illam fictionem sufficiant. Et contra hos valet illud Calvini contra Anabaptistas lib. 4 institut. cap. 16 § decimo sexto, ubi dicit: *Neque tamen novum exemplum est, ut hominum ingenia, ubi pro certissimo Dei verbo adorant, quidquid somniaverint, sursum deorsum volutentur*, &c. XI.

Cæterùm, quod in baptismo per merita Christi parvulis infundantur habitus fidei spei & charitatis, probatur ex sacræ scripturæ locis; ubi justificatio ostenditur fieri per fidem quæ per charitatem operatur; ut ostensum est lib. de just. ficat. at parvuli verè justificantur; adeoque dona illis ipsis infunduntur. XII.

Secundò probatur ex eo, quod nullus salvetur sine fide ut patet ex locis sacræ scripturæ supra allegatis: Cùm autem constet parvulos non habere fidem actualem; certum est, quod habitualem habeant; quia alia fides non datur.

Hæc veritas etiam tradita est à sanctis Patribus, qui constanter asserunt: quod in baptismo infundatur gratia; illuminatio, *&c.* quæ certè per fidem intrinsecam contingit: sufficiant hic aliqua testimonia, sic inter alios *Gregorius Nazianzenus* orat. in S. baptisma dicit: *donum vocamus gratiam baptismum, unctionem, illuminationem, immortalitatis indumentum*, &c.

Chrysostomus Tomo quinto, edit. Bas. 1558. hom. ad Neophytos de baptizatis sic ait: *Non tantum sunt liberi, sed & sancti; non tantum sancti, sed & iusti; non solum iusti, sed & filii*, &c. *non solum hæredes sed & fratres Christi*, &c. *non solum cohæredes sed & membra; non membra tantum sed & templum, nec tantum templum sed & organa spiritus*, *&c.* hæc ille. XIII.

Augustinus editione Bas. Tomo septimo 1528. lib. 1. de peccat. merit. & remiss. cap. 26. dicit: *quibus appareat Dominum Iesum Christum* XIV.

 non

non aliam ob causam in carne venisse; nisi ut o-
mnes, &c. ad capessendum regnum cælorum vivifi-
caret, salvos faceret, liberaret, redimeret, illumina-
ret, &c. & infrà; porrò quia parvulos baptizandos
concedunt, qui contra authoritatem universæ Eccle-
siæ procul dubio per Dominum & Apostolos traditam
venire non possunt, concedant oportet; eos egere illis
beneficiis mediatoris, ut oblati per Sacramentum cha-
ritatémque fidelium, &c. reconcilientur Deo: ut in
illo vivi, & salvi, ut liberati, ut redempti, ut illumi-
nati fiat, &c. hæc ibi.

XV. Idem Epist. 57. ad Dardanum supra edit.
eadem, Tomo secundo, cum ostendisset par-
vulos non habere in baptismo actualem cogni-
tionem vel fidem, subjungit dicens: Dicimus
ergò in baptizatis parvulis, quamvis id nesciant, ha-
bitare Spiritum Sanctum. Sic enim eum nesciunt,
quamvis sit in eis, quemadmodum nesciunt & men-
tem suam; cuius in eis ratio, qua uti nondum pos-
sunt, velut quadam scintilla sopita excitanda est æta-
tis accessu: Neque hoc in parvulis mirum debet vide-
ri, cum Apostolus quibusdam etiam maioribus dicat.
Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei ha-
bitat in vobis? hæc ibi, ubi patet, quod sicut
mens manet in parvulis, quæ tamen non
operatur, sic fides per charitatem operans ma-
net in parvulis, licet non operetur: Manet
enim Charitas diffusa in cordibus per Spiri-
tum Sanctum: Romanor. 5. vers. 5. quæ nun-
quam potest esse sine fide & semper manet;
quamdiu homo in gratia manet; sive dormiat
sive vigilet; & per hanc Spiritus Sanctus sem-
per manere dicitur.

XVI. Rursus eadem editione lib. primo de pec-
cator. merit. & remiss. cap. 20. allegans ver-
ba sacræ scripturæ. qui credit in filium habet vi-
tam æternam, qui autem incredulus est filio, non ha-
bebit vitam, sed ira Dei manet super eum: subjun-
git; in quo igitur horum genere ponemus infantes,
in eorum qui credunt in filium, an in eorum qui
sunt increduli filio? In neutro ait aliquis, qui cum
adhuc credere non possint, nec increduli deputandi
sunt. Ecce dictum Anabaptistarum; sed Au-
gustinus ex communi Ecclesiæ sententia dicit:
Non hoc indicat Ecclesiastica regula, quæ baptizatos
infantes fidelium numero adiungit. Porrò si isti, qui
baptizantur, propter virtutem, celebrationemque
tanti Sacramenti, quamvis suo corde & ore non a-
gant, quod ad credendum confitendumque pertineat,
tamen in numero credentium computantur; profectò
illi, quibus Sacramentum defuerit, in eis habendi
sunt qui non credunt filio, &c. hæc ibi.

XVII. Similiter loquitur ibid. edit. ead. cap. 33.
dicens: periturus erat parvulus, nec habiturus vi-
tam æternam; si per Sacramentum baptismi non cre-
deret unigenitum filium Dei, &c. qui sequitur &
dicit, qui credit in eum non iudicatur; qui autem
non credit, iam iudicatus est, quia non credidit,
&c. ubi ergo parvulos ponimus baptizatos, nisi in-
ter fideles? sicut universa ubique Ecclesia clamat au-
thoritas; ergò inter eos, qui crediderunt; hoc e-
nim eis acquiritur per virtutem Sacramenti & offe-
rentium responsionem, &c. hæc ibi.

XVIII. Ibid. ead. edit. cap. 27. in initio, etiam al-
legans verba Christi, qui crediderit & baptiza-
tus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit con-
demnabitur, subjungit; quis autem nesciat, cre-
dere esse infantibus baptizari, non credere autem non
baptizari? &c. hæc ibi.

Cæterum qualiter ipsum baptizari verè di- XI
catur credere & qualiter Patrini vere respon-
deant; quod parvulus credat, & ipse infans eo
ipso quod baptismum suscipit, verè credere
dicatur, licet nullum fidei actum in corde eli-
ciat, declarat August. Epist. 23. ad Bonifac.
edit. Basil. tom. 2. 1529. circa finem, ubi osten-
dit, quod Sacramentum alicujus rei ordinariè
etiam ipsa res nominetur, quam significat: &
sic cum baptismus sit Sacramentum fidei, eti-
am ipse baptismus fidei, fides est, dicens: Sa-
cramentum fidei fides est: Nihil est autem aliud cre-
dere, quam fidem habere. Ac per hoc cum responde-
tur parvulus credere, qui fidei nondum habet affe-
ctum, respondetur fidem habere propter fidei Sacra-
mentum, & convertere se ad Deum propter conversi-
onis Sacramentum, quia & ipsa responsio ad celebra-
tionem pertinet Sacramenti, sicut de ipso baptismo A-
postolus: consepulti, inquit, sumus Christo per bapti-
smum in mortem. Non ait; sepulturam significamus;
sed prorsus ait, consepulti sumus. Sacramentum ergo
tantæ rei non nisi eiusdem rei vocabulo nuncupavit. I-
taque parvulum, etsi nondum fides illa, quæ in cre-
dentium voluntate consistit, iam tamen ipsius fidei
Sacramentum fidelem facit. Nam sicut credere respon-
detur, ita etiam fidelis vocatur, non rem ipsa men-
te annuendo, sed ipsius rei Sacramentum percipiendo.
Cum autem homo sapere cæperit, non illud tantum
repetet, sed intelliget, eiusque veritati consona etiam
voluntate coaptabitur. Hoc quamdiu non potest, va-
lebit Sacramentum ad eius tutelam, &c. & tantum
valebit, ut si ante rationis usum ex hac vita emigrave-
rit, per ipsum Sacramentum commendante Ecclesiæ
charitate ab illa condemnatione per unum hominẽ in-
travit in mundum, Christiano adiutorio liberetur.
Hoc qui non credit & fieri non posse arbitratur, pro-
fectò infidelis est, &c. hæc Augustinus.

Demùm sciendum est; quòd dum S. Augu- X
stinus locis citatis & alii SS. Patres dicunt; quod
infantes per virtutem Sacramenti & fidem of-
ferentium, & maximè per fidem Ecclesiæ eius-
que charitatem, Ecclesiæ membra & fideles
constituantur sensus non sit; quod fides offe-
rentium, vel etiam Ecclesiæ ad hoc ex opere o-
perato, sicut ipsum Sacramentum concurrat,
sed sensus est, quod cum in adultis ad sacra-
menti effectum ut dispositio præerequiritur fi-
des actualis in Christum, sic illam dispositio-
nem suppleat fides Ecclesiæ, non quidem ita
necessariò; quia si nullus alius crederet, & ta-
men infans iuxta Christi institutum ab infideli
baptizaretur, adhuc verè gratiam baptismi ex
Christi promissione consequeretur.

Hoc ipsum declarat & probat D. Augusti- X
nus epist. 23. iam citata editione eadem, dicens:
Offeruntur quippe parvuli ad percipiendam spiritua-
lem gratiam, non tam ab eis, quorum gestantur ma-
nibus, quamvis & ab ipsis, si & ipsi fideles & boni
sunt, quam ab universa societate Sanctorum atque
fidelium: ab omnibus namque offerri rectè intelligun-
tur, quibus placet; quod offerantur, & quorum san-
cta & individua charitate ad communicationem S.
Spiritus adiuvantur. Tota hoc ergò mater Ecclesia,
quæ in Sanctis est facit, quia tota omnes, tota singulos
parit, &c. quod autem nec offerentes nec Ec-
clesia gratiam conferat, ostendit Augustinus
ibid. in initio dicens: Respondeo tantam illius
Sacramenti, hoc est, baptismi salutaris esse virtutem
in sancta compage corporis Christi, ut semel
gene-

Digitize

generatus per aliorum carnalem voluptatem, cum semel regeneratus fuerit, per aliorum spiritualem voluntatem, deinceps non possit vinculo alienæ iniquitatis obstringi, & infra: *ut autem possit regenerari per officium voluntatis alienæ, cum offertur consecrandus, facit hoc unus spiritus ex quo regeneratur oblatus. Non enim scriptum est, nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate aut ex offerentium vel ministrantium fide, sed nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu: Aqua igitur exhibens forinsecus sacramentum gratiæ & spiritus operans intrinsecus beneficium gratiæ, solvens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerat hominem in uno Christo* (scilicet per merita Christi) *ex uno Adam* (*in quo peccaverat*) *generatum, &c.* hæc Augustinus: ex quibus clarè patet doctrina Ecclesiæ antiquæ, quam moderna Catholica contra omnes Acatholicos profitetur.

ARTICVLVS V.

Respondetur ad argumenta Acatholicorum.

I. OBjiciunt *Anabaptistæ* primò: Nihil est faciendum cujus mandatum vel exemplum non extat in S. scriptura, at de pædobaptismo seu infantium baptismo nihil tale extat, *&c.*

II. Respond. primò: Illa major propositio, velut fundamentum fidei à Luthero & Calvino asseritur: & ideò illorum sectatores non possunt illud argumentum evadere, nisi mandatum vel exemplum in sacra scriptura allegent.

III. Resp. secundò: Licet Calvinus exempla assignet supra allegata de domo *Lydiæ*, & *Stephanæ* baptizata, unde probabiliter cōcluditur; quod ibi fuerint infantes baptizati, non tamen est evidens: cum plures sint notabiles familiæ, ubi multi sunt filii & filiæ adulti ac famuli, & nulli infantes. Nec Calvino suffragatur locus Ioan. 3. *nisi quis renatus fuerit*, quia illum negat de baptismo aquæ intelligendam.

IV. Resp. tertiò SS. Patres mandatum de baptizandis omnibus qui originali peccato obnoxii sunt, manifestè deducunt ex verbis Christi Ioan. 3. *nisi quis renatus fuerit*; ut patet ex testimoniis ipsorum supra allegatis, qui docent; quod cum infantes in peccato concepti sint & nati, per baptismum regenerandi sint juxta Christi mandatum.

V. Resp. 4. Licet mandatum vel exemplum expressum in S. scriptura non extaret; sufficit tamen ad fidei articulum, quod ex Apostolica traditione credendum habeatur: prout lib. de verbo Dei non scripto probatum est, quia ejusdem authoritatis est verbum Dei ab Apostolis oretenus prædicatum & Ecclesiæ commendatum quam ab ipsis scriptum; nam & verbum scripturæ ab Ecclesia conservatum agnoscimus: quod autem ex traditione Apostolica habeatur parvulos esse necessario propter salutem baptizandos, sancti Patres tradunt, & specialiter D. Augustinus lib. 10. de Gen. ad lit. cap. 23. & lib. 4. de bapt. cap. 24. cujus verba supra art. 2. allegata sunt.

VI. *Objectio* secunda Anabaptistarum, quam adfert Calvinus lib. 4. inst. cap. 16. §. 17. scilicet: Arcendi sunt pueri à baptismo, cum per ætatem adhuc idonei non sunt, ut hoc mysterium suscipiant; id mysterium est spiritualis regeneratio, quæ cadere in primam infantiam non potest; itaque colligunt non alio loco habendos quam pro Adæ filiis, donec in ætatem adoleverint, secundæ nativitati congruentem: quod autem infantes regenerari non possint, probatur ex eo, quod *Spiritus* in scripturis nullam nisi incorruptibili semine, id est, ex verbo Dei regenerationem agnoscit, 1. Pet. 1. v. vigesimo tertio, sed infantes verbi Dei sunt incapaces.

Respondet Calvinus, quod infantes capaces sint regenerationis, ac probat ex variis sacræ scripturæ locis, quod infantes obnoxij sint peccato originali, & ideò regenerari debeant, si salvandi sint; & hæc benè; sed ipse vult hanc regenerationem in parvulis fieri, ex eo, quod à parentibus fidelibus nascantur, & ideò baptismum meritò suscipiant in signum illius regenerationis, quod fundamentum falsum esse ostensum est; adeoque supponit, quod alij infantes infidelium, etiam hæreticorum non sint capaces baptismi; quod idem Anabaptistæ de liberis fidelium objicere possunt. VII.

Respond. itaque cum sanctis Patribus, negando; quod infantes mysterii baptismi seu regenerationis incapaces sint; cum nascantur in peccato originali ad quod tollendum baptismus institutus est; capaces sunt etiam regenerationis, quæ fit per gratiam Spiritus Sancti cordibus infusam, cujus illi capaces sunt. VIII.

Ad probationem ex verbis Apostoli Petri respondet Calvinus quod respectu adultorum *verbum Dei*, *spiritualis sit regenerationis semen unicum*, addit verò dicens: *sed ex eo negamus colligendum, non posse Dei virtute regenerari infantes: quæ illi tam facilis & prompta est, quam nobis incomprehensa & admirabilis: denique non satis tutum fuerit hoc adimere Domino, ne se illis quoquo modo exhibere cognoscendum queat, &c.* hæc Calvinus. IX.

Verùm, quia Calvinus non inhæret principijs & sanctorum Patrum, ideo apparet, quam frigidè respondeat, & ad potentiam Dei absolutam recurrat, quod possit facere ut parvuli cognoscant verbum Dei, *&c.* non quæritur de potentia absoluta, sed de ordinaria, quam ex verbo Dei scripto & non scripto agnoscimus; & Calvinus Luthero, quod infantes actualiter credant, inclinatur. X.

Respond. ergò, quod baptizati omnes parvuli & adulti regenerentur per verbum Dei tanquam unicum semen; quod in baptismo accedit ad aquam, quod scilicet est forma baptismi à Christo instituta: *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* hoc ostendit D. Augustinus editione Bas. 1529. Tomo 9. tract. 80. in Ioann. dicens: *Iam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis, quare non ait; mundi estis propter baptismum quo loti estis? sed ait: propter verbum, quod locutus sum vobis, nisi quia & in aqua verbum mundat; detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua? accedit verbum & elementum & fit Sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbum, &c. unde ista tanta virtus aquæ ut corpus tangat* XI.

 & cor

& cor abluat, nisi faciente verbo? & infrà: *in epist. sua beatus Petrus* 1. Pet. 3. *sic vos, inquit, baptisma saluos facit, non carnis depositio sordium, sed bonæ conscientiæ interrogatio, hoc est verbum fidei quod prædicamus, &c.* hæc Augustinus.

XII. Verùm ut constet, quod hoc non intelligatur de verbo solo prædicatorio, cujus infantes incapaces sunt, sed de consecratorio, quæ est forma in baptismo usurpata, cujus virtus semper manet; quæ quidem ex prædicatione Apostolica cognoscitur, sed non opus est, ut à baptizato intelligatur, subdit Augustinus editione eadem, dicens: *quo sine dubio ut mundari possit confortatur & baptismo.* & paulò post, *lege Apostolum & vide*, adjungit, *ut eam sanctificaret, inquit mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ. Mundatio igitur nequaquam fluxo & labili tribueretur elemento, nisi adderetur in verbo. Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei; ut per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem, etiam tantillum mundet infantem; quamvis nondum valentem corde credere ad iustitiam & ore confiteri ad salutem. Totum hoc fit per verbum de quo Dominus ait, iam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis*, &c. hæc Augustinus quia verbum Christi omnia illa præstat: Et sic verbum Christi est verum & unicum semen omnis regenerationis tàm infantium quàm adultorum, conferens illis interiorem gratiam renovationis & sanctificationis, cujus infantes capaces sunt, & quia indigent.

XIII. *Objectio* tertia Christus dixit Matth. vlt. v. 19. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: ex quo sic inferunt: ergò prius docendi sunt omnes, quam baptizentur juxta mandatū Christi, nec ordo ille invertendus est: at infantes doceri non possunt, *&c.* Hoc confirmatur ex Hier. l. 4. comment. in Matth. in fine ubi sic ait: *euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, &c. primum docent omnes gentes, deinde doctas intingunt aquæ: Non enim potest fieri, ut corpus baptismi recipiat Sacramentum, nisi ante anima fidei susceperit veritatem*, &c.

XIV. Resp. verum est, quod Christus ibi mandet Apostolis, ut vadant prædicaturi Euangelium gentibus, & baptizent, sed negatur; quod ibi Christus mandavit illum ordinem inviolabiliter servandum esse, ut nullus baptizetur, nisi prius doceatur: alioquin inde sequeretur, quod illa duo semper deberent esse conjuncta, ita ut nunquam separari deberent, ac proinde consequens esset; quod nullus deberet doceri, nisi tunc etiam baptizari possit, cum Christus utrumque conjungat: at hoc patet manifeste falsum, cum ipsi Anabaptistæ plurimos doceant, quos tamen ante annum trigesimum vel vigesimum non baptizant, cur ergò ipsi doctrinam & baptismum segregant, si Christus ibi mandavit, ut ille ordo & modus inviolabiliter servandus sit. Secundò Christus ibidem v. 20. post verba præmissa subjungit. *docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis*, unde juxta Anabaptistas nullus deberet doceri servare mandata Dei, nisi prius baptizatus fuerit, quia illud post baptizantes ponitur: Ecce quam stulta & ipsismet contraria sequerentur.

Resp. itaque, Christus Dominus ibi mittit Apostolos ad docendas gentes, ad quas antea ipsos ire prohibuerat, Matt. 10. v. 5. *in viam gentium ne abieritis*, &c. & breviter in generali omnia præcipit quæ facere debeant; non tamen præcipit ut illa omnia semper conjungant, ita ut nunquam prædicent nisi etiam baptizent; alioquin quoties docerent etiam auditores baptizatos baptizare deberent; & statim ac alicui Euangelium prædicaverint, ipsum baptizare deberent; cum tamen diu & sæpius instruendi sunt adulti infideles, priusquam baptizentur, ut patet in Catechumenis, & ipsi Anabaptistæ practicant. Et rursus potest sæpè fieri, ut aliqui doceantur infideles ubi aqua deest, sicut Philippus docebat Eunuchum Act. 8. priusquam ad aquam venirent; & si aqua deesset infideli jam instructo & morti vicino, non baptizaretur, salvus tamen fieret per baptismum in voto susceptum: sic è contra, in infantibus contingit, ut quia doctrinæ incapaces sunt & tamen remedio salutis egent, prius baptizantur, ne sine illo moriantur, postea docendi dum adoleverint. XV.

Resp. ergò breviter, negando; quod Christus ibi præceperit ordinem inviolabiliter semper servandum inter doctrinam & baptismum; eaque conjungenda; cum absurda inde sequentia manifestè pateant etiam in praxi Anabaptistarum: verùm tamen est, quod illi, qui jam peccata actualia commiserunt & rationis compotes sunt, prius instrui & doceri debeant; ut doleant de peccatis & convertant se ad Deum: verùm illicitè baptismum susciperent, licet validè baptizentur; si in peccatis essent & hæretici vel infideles, modo intendant baptismum suscipere. XVI.

Ad verba Hieronymi Resp. quod ille ibi nihil aliud intendat, quā quod adulti non licitè baptizentur nisi prius veritatem fidei suscipiant: quod autem validè & licitè parvuli baptizentur, ut à peccato originali liberentur, expressè profitetur in dialogo art. præced. allegato. XVII.

Objiciunt 4. Christ. Mar. ult. v. 16. dixit, *qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur*; unde inferunt, atqui infantes non credunt juxta illud Apostoli Rom. 10. v. 17. *fides ex auditu, &c.* parvuli non audiunt verbum Dei, adeoque licet baptizentur, non erunt salvi; & è contra, si adulti credant & non baptizentur, salvi erunt. XVIII.

Resp. 1. Iste locus potius est contra Anabaptistas, qui volunt quod infantes fidelium, licet non credant nec baptizentur, salvi erunt; ut de ipsis refert Philippus Melanchton, in locis tit. de bapt. licet inter se plurimum dissideant. XIX.

Resp. 2. quod ibi Christus loquatur de adultis, quibus Christus ibidem dicit prædicandum Euangelium. XX.

Resp. 3. quod infantes licet actum credendi non eliciant, qui per exteriorem verbi prædicationem excitatur; tamen ipsis infundatur habitus fidei in illis manens, à quo verè fideles dicuntur. XXI.

Respond. etiam quartò, cùm D. Augustinus supra relato, quod in parvulis ipsum *baptizari sit credere*, qui Sacramentum fidei suscipiunt: idque illis sufficit, ut verè credere dicantur. XXII.

Ad

Ad aliud illatum, negatur quod si adulti credant & non baptizentur in re, vel voto, salvarentur; licet enim verùm sit, quod illi qui non credunt, condemnabuntur; inde tamen non sequitur; quod illi qui credunt, & nolunt baptizari, salvi erunt; quia ex uno defectu potest sequi condemnatio, sed utrumque requiritur ad salutem, ut Christus expressit; sicut peccatum est ex quocunque defectu, bonum autem ex integra causa.

XXIII. Objiciunt quintò: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confeßio fit ad salutem*, ad Romanos decimo, vers. decimo, at infantes nec ore confiteri possunt fidem, nec corde credere; adeoque licet baptizentur, salutem non possunt habere.

XXIV. Respond. ad hoc copiosè D. Augustinus respondet lib. primo de peccat. merit. capite vigesimo, & cap. vigesimo septimo, ac in Epist. 23. ad Bonifacium Epistol. 57. ad Dardanum supra allegatis; quod verè credant, per sacramentum fidei, & per Spiritum, qui per fidem infusam & charitatem in illis habitat; licet actualiter non credant, corde vel ore confiteantur, quod solum adultos concernit.

Etsi Anabaptistæ his contradicant inhærentes verbis S. scripturæ ad suum sensum tractis, nos potius consentimus communi SS. Patrum, & antiquæ Ecclesiæ sententiæ, qui eadem loca S. scripturæ melius ponderarunt, & in sensu prædicto explicarunt; quem ex traditione Apostolica acceperunt.

XXV. *Objiciunt* 6. Nullus potest baptizari, nisi prius pœnitentiam egerit, ut pat. Act. 2. v. 38. *pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum, &c.* at infantes non possunt pœnitere.

XXVI. Resp. patet ex contextu, quod Petrus illa dicebat adultis, qui præter originale peccatum peccata actualia habebant; de quibus oportet pœnitere, at de solo originali non est pœnitendum; licet quis dolere possit, quod in Adam peccavit, hoc tamen non est necessarium, sicut nec in veteri lege parvulis octava die circumcisii erat.

XXVII. *Objiciunt* 7. Infantibus non datur Eucharistia, licet Christus dixerit, *nisi manducaveritis carnem filii hominis, &c.* ergò nec parvuli comprehenduntur verbis Christi, *nisi quis renatus fuerit*, &c. confirmatur, quia D. Augustinus & S. Cyprianus ideo etiam dabant parvulis Eucharistiam, ut indicat locis citatis, præsertim lib. 1. de pec. mer. cap. 20. & in Epistola ad Bonifac.

XXVIII. Resp. primò: circa illa verba Domini Ioan. 6. *nisi manducaveritis*, duplex est doctorum Catholicorum sententia; quidam enim sustinent, & ex quibusdam SS. Patribus probant, quod in illo capite Christus non loquatur de manducatione sacramentali corporis sui, sed de spirituali per fidem, quatenus homines per Christi carnem salvantur: & hoc evidens est, quod ita sit necessarium necessitate medij manducare carnem Christi & per baptismum renasci; quia & regeneratio fit per fidem in Christi carnem seu passionem, & sicut Parvuli baptizando verè in Christum credunt, modo supra explicato cum D. Augustino; sic etiam eo ipso manducant carnem Christi, quia Ecclesiæ uniuntur; quæ unio etiam est effectus manducationis spiritualis Christi: sed tunc non sequitur quod parvuli teneantur suscipere Sacramentum Eucharistiæ, sicut sacramentum baptismi, quia ex supposito, illud *nisi manducaveritis*, non dicit manducationem sacramentalem.

Verùm certior est sententia aliorum Doctorum plurium in authoritate Conciliorum & sanctorum Patrum magis fundata, licet Concilia nihil definierint, sicut nec Trident. ut patet sess. 21. cap. 1. ubi dicit, *sed neque ex sermone illo apud Ioann. 6. certo colligitur, utriusque speciei communionem à Domino praceptam esse, utcumque iuxta varias sanctorum Patrum & Doctorum interpretationes intelligatur*, &c. XXIX.

Certiùs autem est, quod Christus saltem à loco illo, *Panis quem ego dabo, &c.* intendat Sacramentum Eucharistiæ, quod datum erat in cœna Domini. Hoc supposito, Doctores asserunt, quod Christus per illa verba, *nisi manducaveritis* solum obligare voluerit adultos, ut vel in re, vel in voto explicito Sacramentum Eucharistiæ aliquando suscipiant; ne gratiam acceptam amittant; & rationem reddunt, quod baptismus est necessarius necessitate medii, propter hoc, quia per illum homo renascitur & accipit vitam sine qua mortuus est, nec salvari potest; at verò Sacramentum Eucharistiæ institutum est, ut homo jam renatus per illud nutriatur, velut per cibum qui datur viventibus, ut vitam conservent; potest autem vita spiritualis conservari sine novo alimento si non peccetur, quia juxta illud Ioan. 4. v. 13. *qui biberit ex aqua hac, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum.* quia aqua illa seu gratia talis est, ut semper in homine maneat nisi expellatur per peccatum mortale; quod in infantibus pro illa ætate locum non habet; ac proinde pro illis ille cibus non est necessarius, sicut pro adultis sed baptizatis; quia catechumeni ante baptismum non obligantur, ut constat ex SS. Patribus; baptizati adulti autem licet ad tempus in gratia manere possint, tamen ex præcepto hoc Christi obligantur, ut saltem aliquando Sacramentum suscipiant, alioquin peccabunt & gratiam amittent. XXX.

Et juxta hanc sententiam etiam patet; quod Christus noluerit obligare infantes ad Sacramentum Eucharistiæ, sicut ad Sacramentum baptismi, licet vtrobique dicat, *nisi*, sed ob diversas causas; quia in uno requiritur ut vitam accipiant, quæ est necessitas medii in altero, ut vitam conservent, quod solum est præcepti, & infantes non concernit: ubi aliqui etiam addunt; quod aliud sit, *nisi quis renatus fuerit*, quod omnes indifferenter comprehendit. & aliud sit, *nisi manducaveritis*, quod ad adultos & intelligentes pertinet; sed illam distinctionem D. Augustinus lib. primo de peccat. merit. & remission. c. 20. videtur refutare: sufficit tamen prior responsio; juxta illam sententiam. XXXI.

Resp. secundo, concedendo quod Christus Dominus Ioan. 6. etiam comprehenderit parvulos quoad manducationem carnis & sanguinis, etiam sacramentalem, prout supponit loco citato D. August. & alibi: tunc tamen XXXII.

Digitized by Google

tamen non est necessarium ut parvuli actualiter Sacramentum Eucharistiæ suscipiant; sicut suscipere debent Sacramentum Baptismi.

XXXIII Pro quo sciendum, quod tripliciter aliquis dici possit suscipere aliquod Sacramentum: semel reipsa actualiter, 2. voto explicito, dum expresse desiderat illud suscipere. 3. voto implicito, dum scilicet aliquid facit vel suscipit in quo implicitè includitur votum Sacramenti, vel per quod habet jus ad Sacramentum illud percipiendum, aut ad illud suscipiendum pro loco & tempore ordinatur; sic ergò homo etiam infans eo ipso, quo baptizatur, habet votum implicitum ad Sacramentum Eucharistiæ, seu ad illud ordinatur, ut tempore congruo suscipiat: sicut homo carnaliter natus eo ipso ordinatur & deputatur ad hoc ut cibum suo tempore pro nutrimento accipiat: & sic infans, dum baptizatur, etiam in voto implicito suscipit carnem Christi sacramentaliter, licet nondum realiter nec in voto explicito. Et sic satis fit verbis Christi, *nisi manducaveritis*, &c.

XXXIV Respond. tertiò: Rursus potest quis dici verè Sacramentum Eucharistiæ suscipere & manducare carnem & bibere sanguinem Christi sacramentaliter; quando accipit rem per Sacramentum significatam & effectum illius; talis autem effectus Sacramenti Eucharistiæ est unio cum Christo & cum ipsius Ecclesia; quæ fit per charitatem in baptismo infusam, & nutritur per Sacramentum Eucharistiæ: & hoc modo infantes manducant carnem Christi sacramentaliter; quia eo ipso, quo baptizantur, etiam uniuntur corpori Christi. Hoc modo D. Augustinus cum aliis Patribus exponit verba illa, *nisi manducaveritis* tract. 26. in Ioann. circa finem dicens: *Hunc itaque cibum & potum, societatem vult intelligi corporis & membrorum suorum, quod est sancta Ecclesia*, & paulò post: *hoc est ergò manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere, &c.* hæc ibi.

XXXV. Itaque juxta omnes prædictas expositiones patet: quod infantes per verba Christi non ita obligentur ad Sacramentum Eucharistiæ realiter suscipiendum sicut ad baptismum; sed sufficit aliquis modus expositus.

XXXVI. Ad confirmationem ex praxi quorundam Patrum qui parvulis Sacramentum Eucharistiæ dederunt. Respond. cum Concilio Tridentino session. vigesimâ primâ, capite quarto, *quod licet parvuli, aut usu rationis carentes nulla obligentur necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem, si quidem per baptismi lavacrum regenerati & Christo incorporati; adeptam iam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possint; neque tamen ideo damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit, etenim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt; ita certè eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est, &c.* hæc Concilium.

XXXVII Constat autem quod per totam Ecclesiam antiquam non ita factum sit; at ex praxi Ecclesiæ constat, quod Ecclesia à tempore Apostolorum infantes baptizarit propter verba Christi, *nisi quis renatus, &c.* sed Ecclesia non ita necessarium judicavit parvulis Eucharistiam dandam, propter verba, *nisi manducaveritis*, &c.

Cæterùm quod D. Augustinum attinet, qui XXXIIX videtur maximè urgere, verba *nisi manducaveritis* etiam parvulos concernere, nimis clarum est ex ipsius verbis; quod solum ex illis & alijs S. script. locis probare voluerit, quod nullus possit habere vitam æternam, nisi per Christum & ejus carnem vel passionem; cujus contrarium Pelagiani docebant, allegantes: quod Christus quidem negarit aliquos posse regnum cælorum intrare, nisi renati in Christo per baptismum essent, volebant tamen ipsum non negasse quod vitam haberent: ad hoc ergò alia loca Augustinus adduxit; quæ vitam negant dari nisi per Christum, & ideo libro primo de peccator. merit. & remiss. cap. 20. allegat verba Christi Ioann. 6. *Panis quem ego dedero caro mea est pro seculi vita*, ubi per seculum intelligit omnes homines adultos & parvulos, quia nullus sine ejus carne vitam habere potest, & lib. 3. cap. 4. ostendit idem per hoc; quod Iesus sit Salvator omnium etiam infantium, cum omnes peccato obnoxii sunt; ubi & clarissimè etiam allegat illa verba Christi, *nisi manducaveritis carnem filii hominis*, &c. sed statim exponit dicens: *Hoc est, nisi participes facti fuerint corporis eius, non habebunt vitam*, &c. ubi per participationem corporis intelligit unionem in Ecclesia, prout exprimit tract. 26. in Ioann. supra allegato; & explicat edit. Bas. 1518. Tomo 7. lib. 1. de pecc. merit. & remiss. cap. 26. dicens: *Porrò quia parvulos baptizandos esse concedunt*, &c. *concedant oportere eos egere illis remediis mediatoris, ut oblati per Sacramentum* (baptismi) *charitatémque fidelium, ac sic incorporati Christi corpori, quod est Ecclesia, reconcilientur Deo, ut in illo vivi & salvi fiant, &c.* hæc Augustinus ubi nihil aliud intendit, ut patet; quam quod nullus etiam parvulus habere possit vitam æternam, nisi manducaverit carnem Christi, id est, nisi fuerit incorporatus Ecclesiæ, quod fit per baptismum per merita Christi Salvatoris, quæ in carne egit; at Pelagiani asserebant, parvulos habituros vitam æternam sine ullis Christi meritis; contra quod Augustinus fortiter & verè agit.

Objiciunt octavo, Christus suo exemplo docuit, quando homines sint baptizandi; qui primùm anno tricesimo baptizatus est. XXXIX.

Respond. Negando quod Christus suo exemplo hoc, tali anno hoc faciendum docuerit; fecit quidem ipse suscipiendo non suum baptismum, sed Ioannis; non tamen docuit nos illo exemplo, quod omnes Ioannis baptismo sint baptizandi: Christus solum Ioannis baptismum suscepit, ut per miracula tunc facta hominibus innotesceret; dum jam Euangelium prædicare, & suum baptismum instituere intenderet; hæc autem non est causa, cur nos baptismum suscipiamus, sed ut à peccato liberemur, quod tam parvulis quàm adultis necessarium; & ideo Christus nullum tempus præfixit, sed omni tempore pro necessitate baptismũ suscipi posse ordinavit; quomodo autem Christus in infantia baptismum suscepisset, dum nondum illum instituerit? Constat autem quod Christus Dominus circumcidi voluerit in infantia XL.

licet

Digitized by Google

licet circūcisione non egeret, non tamen Anabaptistæ circumciduntur: constat etiam quòd baptismus succedat circumcisioni; ut sicut per circumcisionem homines populo Iudaico incorporabantur, sic per baptismum Ecclesiæ incorporentur: sicut itaque circumcisio infantibus applicabatur, ita & baptismus parvulis dandus est: sicut Christus in infantia circumcisionem suscepit, ut, licet ipse esset in se filius Dei & caput populi, etiam ab aliis in populo reputaretur, dum suam Ecclesiam nondum erexisset.

XLI. *Objiciunt* nonò: Nullus ad Sacramenta suscipienda admitti debet, nisi seipsum probarit, ut Apostolus monet, 1. Cor. 11. at infantes se non possunt probare, ut patet.

XLII. Respond. negando; quòd illa probatio ad omnia sacramenta requiratur, quam Apostolus ad S. Eucharistiam requirit; de qua est dispar ratio, quia Sacramentum Eucharistiæ est institutum juxta S. Scripturam, ut homo illud suscipiat Christi passionem commemorando, vel mortem Domini annunciando, donec veniat; & ut homo jam iustificatus per Eucharistiam nutriatur, adeoque prius à peccatis liber esse, & rationis usum habere debet. At verò nihil horum ad baptismum requiritur in S. Scriptura etiam in adultis; sed sufficit quod doleant de peccatis actualibus, & emendare se cupiant, quæ per baptismum dimittuntur, ubi autem nulla sunt peccata actualia, nullo dolore opus est, nec probatione, ut fit in parvulis.

XLIII. *Objiciunt* 10. Baptismus est institutus, ut homines consepeliantur in Christo, & qui mortui erant in delictis, in Christo resurgant; ut sumunt ex verbis Apostoli ad Coloss. 2. atqui infantes nulla habent delicta.

XLIV. Resp. negando subsumptum; nam infantes habent peccatum originale, ut patet ex tot S. scripturæ locis, & specialiter ex Apostolo ad Rom. 5. v. 12. *Per unum hominem peccatum in mundum intravit, in quo omnes peccaverunt.* Ephes. 2. v. 4. *Et eramus natura filii iræ, sicut & cæteri, &c.* etsi autem Anabaptistæ hoc negent: tamen apertè S. Scripturæ & communi antiquæ Ecclesiæ doctrinæ contradicunt; ac Pelagianos imitantes ipsis pejores sunt, qui parvulos adhuc baptizandos concedebant.

XLV. Demum, ut alia quædam nullius momenti ipsorum potiùs dicteria, quā argumenta omittam, audent etiam allegare authoritatem SS. Patrum & primitivæ Ecclesiæ praxin. Nam ut Calvinus lib. 4. Inst. cap. 16. §. octavo refert, dicens: *Apud simplicem vulgum disseminant, longam annorum seriem post Christi resurrectionem præteriisse quibus incognitus erat pædobaptismus, &c.* hoc volunt ostendere ex testimonio S. Augustini quasi lib. 4. de baptismo contra Donatistas, dicat; baptismum parvulorum non fuisse à conciliis stabilitum, sed incæpisse Origenis tempore: addunt etiam authoritatem *Gregorii, Nazianzeni*, qui optaret baptismum parvulorum differri: donec de fide aliquid respondere ipsimet possent, idque ad annum ætatis tertium.

XLVI. Resp. nimis istud crassum est Anabaptistarū mendacium quoad praxin primitivæ Ecclesiæ, cùm constet ex omnibus antiquis Patribus, quorum testimonia supra allata sunt, quod parvulos baptizandos esse ex Apostolica traditione & continua Ecclesiæ Praxi descendat; & quidem quoad divum Augustinum nimis clarè contrarium patet ex locis suprà relatis: nec loco allegato dicit, quod à nullis Conciliis sit stabilitum, sed lib. 4. de bapt. cap. 24. de baptismo parvulorum Tomo septimo editione Bas. 1528. sic ait: *Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum rectißime creditur.* Quoad Gregorium Nazianzenum etiam patet orat. 40. in sanctum baptisma, cujus verba artic. præced. relata sunt, ubi absolutè respondet ad quæstionem de iis, *qui adhuc tenera ætate sunt, nec aut damnum aut gratiam habent, an eos quoque baptizabimus?* respondet, *ita prorsus, si quod periculum urgeat, &c.* hæc ille.

Quod autem consilium dat, ut si fieri possit ad tertium ætatis annum differatur, nisi periculum urgeat, ut aliquid respondere possint, hoc non vult ùt necessarium; sed nec illud consilium convenit, nec Ecclesiæ universæ vel aliis Patribus placuit; quia parvuli subito mori possent; nec tertio ætatis anno sufficienter de fide respondere possent, quod Anabaptistæ requirunt.

Verum est, quòd in primitiva Ecclesia adultorum baptismus ad certa anni tempora, ut Paschatis & Pentecostes differebatur; sed hoc propter illorum instructionem, quæ in parvulis non requiritur, & tamen in periculo statim baptizabantur: ut patet in exemplo Petri & Pauli & Philippi; qui statim credentes baptizabant in Actibus Apostolorum. XLVII.

Testatur autem D. Augustinus, quòd doctrina de parvulis baptizandis, & eorum peccato originali adeò in primitiva Ecclesia fuerit certa, ut inde alia fidei dogmata probarent; nec ullus repertus fuerit, qui contradiceret, nisi suo tempore Pelagius: unde editione eadem, libro tertio de Peccat. Merit. & Remiss. capite septimo, sic ait: *Et nunc nescio, cuius novæ disputationis audacia quidam nobis facere conantur incertum, quod maiores nostri ad dissolvenda quædam, quæ nonnullis videbantur incerta, tanquam certißima proferebant.* XLVIII

Ex præmissis itaque patet nimia Anabaptistarum impudentia, qui contra sacram scripturam & communem Ecclesiæ doctrinam tam manifestè docentes, praxin Ecclesiæ antiquæ pro se allegare non erubescunt, & ex hoc pessimo errore prohibent parvulos baptizari, & sine baptismo eos mori permittunt, & sic plurimos decipiunt; & innumeras parvulorum animas æterna beatitudine privant: qui veri sunt lupi rapaces, sub ovina piarum ovium simulata pelle tot hæreses docent contra fidem Catholicam, sine qua nulla illis est salus, licet corpus ad comburendum tradant, ut ostensum est lib. de Ecclesia. XLIX.

(✠)

CAPUT IV.

De Baptismo Ioannis.

ARTICULUS I.

Referuntur errores Acatholicorum.

I. DE Baptismo Ioannis quæstio instituitur propter modernos Acatholicos; qui volunt, quod Baptismus Ioannis & Baptismus à Christo institutus idem fuerit, & hoc ex generali ipsorum errore, cum volunt; quod sola fides justificet impium, & peccatorum remissionem obtineat, at verò Sacramenta solum excitent fidem. Volunt ergò quod baptismus Ioannis idem fuerit cum baptismo Christi, quia uterque fidem excitavit in Christum.

II. De hoc non invenitur quæstio olim mota, nisi tempore D. Augustini; cum quidam Donatista nomine Petilianus, ut ostenderet, quod ipsi Donatistæ soli verum baptismum darent, qui à bonitate personæ baptizantis penderet, dicebat: quod Catholici non haberent verum baptismum, sed à Catholicis collatus reperi deberet, cum aliquis ad illorum sectam transiret; nec id mirum, dicebat, quia & à Ioanne baptizati postea ab Apostolis rebaptizati sunt, idque inductione volebat probare, ut refert D. Augustinus edition. ead. lib. secundo contra literas Petiliani cap. 32. ubi Petilianus dicit: *Licet enim unum sit baptisma, tribus tamen gradibus est consecratum: dedit aquam Ioannes sine nomine Trinitatis, &c dicens, ego vos baptizo in aqua pœnitentiæ, alius veniet, qui fortiòr me est, &c. ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne, dedit Spiritum sanctum Christus, dum insufflavit in faciem eorum & dixit; accipite Spiritum Sanctum: Ipseque ignis ardescens paraclitus crepitantibus flammis in Apostolos supervenit, &c.* Hæc Petilianus, qui per singulos gradus vult ostendere, quod Catholici baptismum secundum nullum trium graduum habeant; quem Augustinus clarissimè refutat.

III. Acatholici moderni ex causa alia prædicta volunt; quod baptismus Ioannis & Christi fuerunt idem; nam licet *Lutherus* in initio suæ separationis circa Annum 1520. in disputatione de baptismo legis, Ioannis & Christi docuisset, baptismum Ioannis à baptismo Christi distinctum esse ob tria. Primùm, quod baptismus Ioannis non fuerit Sacramentum, at verò Christi tale sit, secundò: quod baptismus Ioannis non remitteret peccata, Christi verò remitteret. Tertiò: quod baptizati baptismo Ioannis iterum baptismo Christi baptizandi essent, non verò illi qui semel baptismo Christi baptizati essent.

IV. Veruntamen hæc doctrina, utpote prædictorum principio contraria ipsi Luthero ejusque discipulis postea non placuit: nam in assertione art. 1. Anno 1521. sic ait: *Nos dicimus nec novi nec veteris Testamenti Sacramenta, sed solam fidem iustificare.* & lib. de captiv. Babyl. cap. de baptismo Anno 1528. edito dicit: *Baptismus neminem iustificat, nec ulli prodest, sed fides in verbum promissionis cui additur baptismus, hæc enim justificat, &c.* hæc ibi:

Ideo *Philippus Melanchton* lib. contra Anabaptist. de baptismo Ioannis & Christi sic dixit: *Externus baptismus, quem administrat Ioannes, nihil differt ab externo baptismo quem Christus administrat sive Apostoli, &c.* Idem in locis com. Anno 1558. editis tit. de baptismo sic ait: *Etsi differentia erat in hoc articulo, Ioannes de passuro Christo, Apostoli de passo & resuscitato prædicant; tamen ministerium fuit idem, & effectus eosdem habuit in credentibus, &c.* hæc ille V.

Centuriatores Magdenburg. lib. 1. cap. 40. de baptismo sic statuunt. *Quod ad baptismum Ioannis baptistæ & Apostolorum attinet ministerio & efficacia prorsus conveniunt,* &c. VI.

Calvinus volens à Donatistis dissentire dicit lib. 4. Inst. cap. 15. §. 16. *Porrò si verum est, quod constituimus, Sacramentum non ex eius manu æstimandum esse à quo administratur sed velut ex ipsa Dei manu, à quo haud dubio profectum est, inde colligere licet nihil illi afferri vel auferri eius dignitate per cuius manum traditur, &c.* & hoc benè, sed §. 17. vult, quod Sacramentum baptismi nihil præstet, nisi fides remissionem à Deo promissam acceptet, dicens: *fatemur ergò baptismum pro eo tempore* (scilicet dum in Ecclesia Catholica erat) *non profuisse nobis hilum, quando in nobis oblata promissio, sine qua baptismus nihil est, neglecta iacebat; Nunc ubi Dei gratia, resipiscere cæpimus, cæcitatem & duritiem cordis accusatori, &c. ea promissio nobis in baptismo fuit oblata, fide igitur amplectamur, diu quidem nobis propter infidelitatem sepulta fuit, nunc igitur eam per fidem recipiamus, &c.* hæc ibi. VII.

Similiter §. 15. dicit, *Cæterum ex hoc Sacramento quemadmodum ex aliis omnibus nihil assequimur, nisi quantum fide accipimus, si fides desit, erit in testimonium ingratitudinis nostræ, quò rei coram Deo peragamur, quia promissioni illic datæ increduli fuerimus, quatenus verò confessionis nostræ symbolum est, testari eo debemus fiduciam nostram in Dei misericordia esse, &c.* unde §. 14. ubi supponit falsissimum suum principium, quod quilibet adeò certo credere debeat sibi remissa peccata, sicut aquâ exterius abluitur, quæ fides particularis in scriptura non extat, sed illi contrariatur, ut lib. de justificatione ostensum est, dicit, quod baptismus tantum sit institutus, ut per illum tanquam per signum excitemur ad credendum, quod Deus nobis remittat peccata.

Cæterum §. 7. asserit, baptismum Ioannis & Christi fuisse eundem, dicens: *quo etiam certissimum sit, idem fuisse prorsus Ioannis ministerium, quod Apostolis postea delegatum est. Non enim alium baptismum faciunt diversæ manus quibus administratur, in unam doctrinam Ioannes & Apostoli consenserunt, utrique in pœnitentiam utrique in remissionem peccatorum, utrique in nomine Christi, à quo pœnitentia & peccatorum remissio est, baptizarunt, &c.* & §. 8. *Baptismus, quem ipso* (Christo)

Digitized by Google

sto) *adhuc in terris agente, Apostoli administrabant, eius vocabatur; neque tamen largiorem Spiritus opulentiam habebat quam baptismus Ioannis, &c.* hæc Calvin.

VIII. Conveniunt ergò moderni Acatholici cum Donatistis in hoc, quod eundem asserant fuisse Ioannis & Christi baptismum, sed negant, quod à Ioanne baptizati iterum baptizati fuerint secundùm quemcunque gradum à Petiliano assignatum: concedunt enim quod semel baptizati à quocunque in quacunque secta non possint iterum baptizari: sic Calvinus ibid. §. 18. dicit: *Ego autem concedo fuisse illud verum Ioannis baptisma, & unum idemque cum Christi baptismate, sed rebaptizatos nego, &c.* ubi loquitur de illis, qui Actor. 19 se dixerant Ioannis baptismate baptizatos esse, *&c.* quod exemplum Anabaptistæ pro suo anabaptismo allegant. Contra quos Calvin. ibid. §. decimo sexto protestatur, dicens: *His Donatistarum error pulchre refutatur, qui vim & pretium Sacramenti metiebantur ministri dignitate. Tales hodie sunt Catabaptistæ nostri, qui rite nos baptizatos pernegant quod ab impiis & idololatris in regno papali baptizati simus, itaque anabaptismum furiosè urgent, &c.* hæc Calv. qui furiosè & falsissimè Ecclesiam Catholicam sic calumniatur.

Ex eodem Donatistarum principio Anabaptistæ non solum illos, qui in Ecclesia Catholica vel etiam à Lutheranis & Calvinistis baptizati sunt; sed etiam eos, qui in quacunque ipsorum secta, quarum plurimæ sunt, baptizati fuerunt, iterum baptizant: & quoties successivè ad plures quis transeat, toties successivè rursus baptizatur.

ARTICVLVS II.

Proponitur Doctrina Ecclesiæ Catholicæ & declaratur.

I. Hanc tradit & definit Concilium Tridentinum Sess. 7. can. 1. his verbis, *Si quis dixerit baptismum Ioannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi anathema sit.*

II. Supponitur primò: in Doctrina Catholica; quod baptismus Christi & alia Sacramenta ab ipso in nova lege non propter solam fidem nutriendam sint instituta; sed ex promissione & meritis ipsius significent & conferant gratiam omnibus, qui non ponunt obicem peccati mortalis; licet aliquæ dispositiones, ut fides, spes, dolor de peccatis in adultis prærequirantur; quæ tamen gratiam non causant, sed solum removent obstacula, quæ efficaciam Sacramentorum impedire possent, juxta Dei ordinationem; & ideo tales dispositiones in infantibus non requiruntur.

III. Secundò: Supponitur; quod hanc causalitatem respectu gratiæ Sacramenta non habeant ex se, sed ex mera misericordia Dei, ejusque promissione, propter merita passionis Christi; ideoque misericors Deus ut causa efficiens physica utatur baptismo tanquam instrumento, infundat gratiam, & peccata remittat: prout prolixius declaratum est lib. de Sacramentis in genere cap. 2. art. 2. ubi ostensum est; qualis sit vis & efficacia Sacramentorum, quam habent respectu gratiæ & remissionis peccatorum; & ex opere operato ipsius actionis Sacramentalis à Deo ad hoc institutæ, scilicet; ut hæc efficacia non dependeat ex merito operantis, sive ministri, sive suscipientis Sacramentum, sed ex solo merito passionis Christi; propter quod Deus voluit & promisit gratiam illis, qui tale Sacramentum suscipiunt; prout patet in baptismo parvulorum, ubi nulla est in parvulis dignitas, nullum opus quod mereri dici possit; prout D. Augustinus edit. Bas. Tom. 7. 1528. lib. 4. de bapt. cap. 24. de circumcisione parvulorum loquens, ait; *cur ergò ei praeceptum est, ut omnem deinceps infantem masculum octavo die circumcideret, qui nondum poterat corde credere, ut ei deputaretur ad iustitiam, nisi quia & ipsum per se ipsum Sacramentum multum valebat.* Scilicet ex ordinatione & promissione Dei: hoc ipsum potius valet de Sacr. Bapt. prout Aug. passim supponit.

IV. Idem ibid. edit. ead. cap. 21. distinguit sanctitatem quæ ex opere operantis procedit à sanctitate ipsius baptismi, & exemplum ponit in Cornelio centurione nondum baptizato, qui Spiritum Sanctum acceperat, & in Simone baptizato, & addit de Cornelio; *Cum autem baptizatus est, non utique melius Sacramentum quam Simon accepit, sed diversa hominum merita sub eiusdem Sacramenti pari sanctitate distincta sunt; ita non auget aut minuit Baptismi sanctitatem vel bonum vel malum hominis meritum, &c.* hæc August. Meritum bonum itaque quod Augustinus hominis vocat, Theologi vocant meritum ex opere operantis; sanctitatem Sacramenti vocant efficaciam ex opere operato; ita tamen, ut etiam opus operantis non habeat rationem meriti nisi ex meritis Christi; de quibus in lib. de bonis operibus justificatorum dictum est.

V. Hinc ad propositum extra controversiam est; quod illi, qui baptismum Ioannis susceperunt, & ad conciones Ioannis commoti ex corde de peccatis contriti doluerunt, in misericordiam Dei sperantes & ipsam per hoc consecuti sint gratiam & remissionem peccatorum; quod dicitur ex opere operantis, prout etiam Cornelius centurio ante baptismum acceperat Spiritum Sanctum ad concionem Petri: sed quæstio est, an baptismus Ioannis ex opere operato contulerit gratiam & remissionem peccatorum, sicut baptismus Christi confert.

VI. 2. Non est determinatum ab Ecclesia nec à sanctis Patribus, an baptismus Ioannis aliquo modo ad remissionem peccatorum concurrerit, idque ex Dei ordinatione per merita Christi prævisa; constanter tamen docuerunt SS. Patres in Ecclesia, quod magnum fuerit discrimen inter baptismum Christi & Ioannis, ita ut baptismus Ioannis non eandem vim & efficaciam habuerit, quam baptismus Christi habet, de hoc divus Augustinus edit. eadem lib. 5. de bapt. cap. 10. ex sua & Ecclesiæ communi sententia quidem dicit: quod baptismus Ioannis datus fuerit in remissionem peccatorum, ut ab eo baptizatis in spe peccata remitterentur, re ipsa verò in Domini Baptismo id fieret, quod aliis S. scripturæ exemplis probat; subdit tamen dicens: *Tamen ne quisque contendat etiam in baptismo Ioannis dimissa esse peccata, secundùm aliquam ampliorem sanctificationem eis, quos iussit Paulus*

lus Apostolus denuò baptizari, per baptismum Christi esse collatam, non ago pugnaciter, &c. hæc Augustinus. Vbi tamen certò probat cap. 11. quod baptismus Ioannis alius fuerit à baptismo Christi; & ideo illi, qui à Ioanne baptizati erant, baptismo Christi baptizabantur; non verò qui baptismo Christi semel ab hæreticis etiam baptizati essent, iterum baptizantur, plura infra allegabuntur.

De hoc autem controversia est cum Acatholicis, an baptismus Ioannis alius fuerit à baptismo Christi & non habuerit eandem cum baptismo Christi efficaciam? ipsi volunt fuisse eundem & ejusdem efficaciæ: Ecclesia Catholica utrumque negat.

ARTICVLVS III.

Doctrina Ecclesiæ Catholicæ probatur ex S. Scriptura.

I. PRobatur primò: ex illo Marci 1. v. 8. ubi Ioannes dicit: *Ego baptizavi vos aqua, ille verò baptizabit vos Spiritu Sancto.* Vbi patet quod ipse Ioannes asserat suum baptismum à Christi baptismo diversum esse, nec illam habere efficaciam, quam baptismus Christi habet: quod verum non esset, si, ut volunt Acatholici, etiam Christus in Ioannis baptismo gratiam & remissionem peccatorum dedisset sicut in baptismo suo; quia Ioannes de suo in præsenti dicit, *ego baptizo in aqua,* de Christi autem, *ille autem baptizabit,* in futuro: Similiter Matth. 3. vers. 11. dicit: *Ego quidem vos baptizo in aqua in pœnitentiam, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne.* Sic etiam Luc. 3. v. 16. dicit: *Ego quidem aqua baptizo vos,* &c. *ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne.* de quo Ioann. 3. vers. 3. Christus dicit: *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, &c.* Vbi constat quod Christus de omnibus loquatur, *nisi quis, &c.* & tamen certum est quod plurimi baptizati erant à Ioanne; nihilominus post promulgationem Evangelii tales juxta hæc Christi verba, baptizandi erant Christi baptismate, quod Ioannes prædixerat.

II. Hoc ipsum probatur ex illo Act. 2. vers. 38. ubi cum plurimi compuncti corde dicerent; *quid faciemus viri fratres,* Petrus verò ad illos, *pœnitentiam* (inquit) *agite & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti,* & vers. 41. dicitur, *qui ergò receperunt sermonem, baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia, &c.* quod autem ex illis plures fuerint à Ioanne baptizati colligitur ex illo Marci 1. vers. 5. ubi de Ioanne dicitur: *Egrediebatur ad eum omnis Iudeæ regio & Ierosolymitæ universi, & baptizabantur ab illo in Iordanis flumine, &c.* inter quos utique aliqui ex illis tribus millibus fuerunt: nec tamen Petrus excepit, dicens; quod illi qui à Ioanne essent baptizati, non opus haberent baptismo. Nec postea Apostoli id ipsum exceperunt, licet passim baptismum prædicarent.

III. Idem probatur expresso testimonio Actor. 19. vers. 2. ubi Paulus quibusdam dixit: *Si Spiritum Sanctum accepistis credentes? at illi dixerunt ad eum, sed neque si Spiritus Sanctus est, audivimus, ille verò ait, in quo ergò baptizati estis? qui dixerunt, in Ioannis baptismate: Dixit autem Paulus, Ioannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum dicens: in eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent; hoc est, in Iesum. His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Iesu,* &c.

Ex his clarissimè patet, quod alius fuerit baptismus Christi à baptismo Ioannis; alioquin non opus fuisset eundem repetere.

Ad hoc ut refert Calvinus, aliqui dixerunt, baptismum Ioannis solum in vanam superstitionem datum esse, & ideo Christi baptismate baptizandos fuisse: sed hoc ipsum nimis absurdum est contra claram S. scripturam; quæ baptismum Ioannis commendat, ita ut ipse Calvinus id rejiciat. IV.

Hoc videntes Acatholici, aliqui negant illos ibi Christi baptismo baptizatos esse, qui baptismo Ioannis erant baptizati, & varias fingunt expositiones, inter quos Calvinus lib. 4. Institut. cap. 15 §. 18. absolutè dicit; *Concedo fuisse illud unum Ioannis baptisma, & unum idemque cum Christi baptismo; sed rebaptizatos nego,* &c. V.

Verum verba S. scripturæ nimis clara sunt; & sic SS. Patres omnes intellexerunt, quod illi baptizati sint baptismo Christi, ut postea patebit.

Quia tamen nulla verba adeò clara sunt, quin aliquis perversus ad alium sensum illa detorqueat. Ideo Calv. sibi objicit dicens: *Quid igitur sibi volunt verba, baptizati sunt in nomine Iesu, quidam interpretantur, tantum sincera doctrina eruditos à Paulo fuisse;* sed Calvinus videns illam nimis esse violentam detortionem verborum, ipse dicit, *sed simplicius intelligere malim; Baptismum Spiritus Sancti, hoc est gratias Spiritus Sancti visibiles per manuum impositionem datas, quas baptismi nomine significari non novum est;* sed cum & adjuncta verba id excludant, ipse subdit: *Nec repugnat, quod postea subditur, quum imposuisset illis manus, descendebat Spiritus Sanctus super eos, & loquebantur linguis & prophetabant.* Vbi patet quod scriptura distinguat inter baptismum aquæ prius factam & postea inter dona Spiritus Sancti per impositionem manuum data: Ipse tamen Calvinus audet dicere, *quod Lucas non duo diversa narravit, sed juxta morem Hebræorum qui primum rei summam proponunt, deinde fusius explicant qualis ille fuerit baptismus.* hæc Calvinus, sed patet ex textu & ex re ipsa quod fuerint valde diversa, scilicet, *baptizati sunt,* &c. *quum imposuisset manus descendit Spiritus Sanctus;* quia scriptura multum illa distinguit, ut patet Actor. 8. ubi Philippus Diaconus multos in Samaria baptizavit; sed nullus illorum Spiritum Sanctum acceperat; & ideo missi sunt Petrus & Ioannes qui imponebant manus super eos, & accipiebant Spiritum Sanctum: ubi patet manifestè, quod impositio manuum, per quam dabatur Spiritus Sanctus distincta erat à baptismo per Philippum collato. VI.

Nec Calvinus ostendet, quod impositio manuum, per quam Spiritus Sanctus dabatur, in scriptura baptismus vocetur, licet ipsa missio Spiritus Sancti in linguis igneis in festo Pentecostes, baptismus appelletur. Act. 1. vers. quinto, *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto* VII.

Sancto non post multos hos dies, &c. Sic ergò prius hoc loci illi duodecim discipuli ab aliis baptizati sunt; quibus ipse postea imponebat manus, ut acciperent Spiritum Sanctum. Hic autem sensus est clarissimus & omni legenti obvius, at verò Calvini & aliorum fictiones nulli apparent, nisi multum detorqueantur verba ad fictitias; Acatholici autem alias clamant, quod scriptura sit per se clara & manifesta, & tamen hunc locum manifestum detorquent; quia veritas ipsis displicet, quæ clara est, & ab omnibus Patribus agnita; sed quia ipsi à veritate declinant, ideo in varias obscuras interpretationes dilabuntur, quas ex suo cerebro contra sanctos Patres formant, ideo Calvinus non habens sanctos Patres, cum quibus loquatur, dicit: *sed simplicius intelligere malim, &c.* quod verè simplicius non est, sed dupliciter effictum.

ARTICVLVS IV.

Veritas Catholica probatur testimoniis SS. Patrum Græcorum & Latinorum.

I. QUod Ioannis Baptismus diversus fuerit à baptismo Christi, nec ejusdem efficaciæ, ut nimis clarum ex sacra scriptura, supposuerunt & docuerunt sancti Patres à tempore Apostolorum, ut ex sequentibus patebit.

Iustinus Martyr, Anno 160. respons. ad q. 37. edit. Heidelb. 1593. dicit *Baptismus Ioannis proœmium fuit Euangelii gratiæ, &c.* constat autem proœmium distingui à libro.

Tertullianus Anno 200. lib. de Bapt. cap. 10. edit. Bas. 1562 dicit: *Baptismus à Ioanne denunciatus iam tunc habuit quæstionem ab ipso quidem Domino propositam Pharisæis; cælestisne is baptismus esset, an verò terrenus? De quo illi non valuerunt constanter respondere, utpote non intelligentes, quia nec credentes. Nos porrò quantula fide sumus, tantulo & intellectu possumus æstimare, divinum quidem eum baptismum fuisse, mandatum tamen non & potestate; quod & Ioannem à Domino missum legimus in hoc munus, cæterum humanum conditione.* Vbi patet, quod licet Ioannes missus sit à Deo ut baptizaret, non tamen eadē potestate & efficacia baptizaret sicut Christus; quod magis ostendit, dicens: *Nihil enim cæleste præstabat, sed cælestibus præministrabat pœnitentiæ scilicet præpositus; quæ est in hominis potestate. Quod si pœnitentia humanum est, & baptismus ipsius eiusdē conditionis fuerit. necesse est, aut daret & Spiritum Sanctum & remissionem delictorum, si cælestis fuisset.* Et infra: *adeò postea in Actis Apostolorum invenimus, quoniam, qui Ioannis baptismum habebant, non accepissent Spiritum Sanctum quem ne auditu quidem noverant, ergò non erat cæleste quod cælestia non exhibebat.* Et infra: *agebatur itaque baptismus pœnitentiæ quasi candidatus remissionis & sanctificationis in Christo subsecuturæ. Nam quod prædicabat baptismum pœnitentiæ in remissionem delictorum, in futuram remissionem enunciatum est; siquidem pœnitentia antecedit, remissio subsequitur; & hoc est viam præparare: qui autem præparat, non idem ipse perficit, sed alii perficiendum procurat. Ipse profitetur, sua non esse cælestia sed Christi, dicendo; qui de terra est de terra loquitur, qui de supernis venit, super omnes,* Ioann. 3. Item, *sola se pœnitentia tingere, venturum mox, qui tingeret in Spiritu & igne.* Luc. 3. hæc Tertull. ubi clarissimè ostendit diversum esse baptismum Ioannis & non ejusdem efficaciæ cum baptismo Christi, nec his obstat, quod Tertullianus ibid. cap. 1. dicit, scilicet, *neque quicquam refert inter eos, quos Ioannes in Iordane & Petrus in Tyberi tinxit, &c.* patet enim quod ibi non loquatur de toto baptismo utriusque; sed de materia utriusque communi aqua, quæ eadem est in utroque, sed ex prædictis patet, quod magnam diversitatem inter baptismum utrumque & efficaciam agnoverit.

Origenes edit. Bas. 1557. part. 2. circa An. 230. tr. 8. in Ioann sic ait: *Ego, inquit Ioannes, vos aqua baptizo veluti purgans & deterrens à rebus malis & ad resipiscentiam invitans; ut præpararem enim populum instructum ego veni: & ad præparandum locum resipiscentiæ per baptismum post me venturo: qui hac etiam ratione longè potentius præstantiusque quam mea sit potentia, vobis adventu futurus est, siquidem illius baptismus non est corporalis, cum resipiscentem repleat Spiritus Sanctus, &c.* Et infra: *Quin & hoc insuper notandum, quod Ioannis baptismus Iesu baptismo, quod dabatur per discipulos eius inferior erat. Qui ergò in Actis baptizati erant in Ioannis baptismo, & neque an Spiritus Sanctus esset audierant, denuò ab Apostolo baptizantur: quia regeneratio non apud Ioannem, sed apud Iesum per Apostolos suos fiebat,* &c. II.

Hæc Origenes, ubi patet manifesta diversitas & efficacia utriusque baptismi: & intellectus verborum Act. 19. contra Calvinum.

Cyprianus edit. Antw. 1568. epist. 73. dicit *Nec recusabunt baptizari apud nos hæretici legitimo & vero Ecclesiæ baptismo, quando ex nobis didicerint baptizatos quoque à Paulo eos, qui iam baptismo Ioannis baptizati fuissent, sicut legimus in Actis Apostolorū*, &c. III. hæc ibi. ubi iterum patet sensus verborum Act. 19 licet Cyprianus illa ad baptismum ab hæreticis factum & repetendum ex errore applicet.

Idem edit. ead. lib. de bapt. Christi & manifestatione Trinitatis, de Christo dicit: *Supponit itaque cervicem sanctam manibus hominis humilitas redemptoris, & licet plenam non habeat virtutem, suscipit tamen Christus baptisma Ioannis: præparabat viam domino Ioannes lavando exterius corpora, ut præcederet exteriùs lavacrum secuturum baptisma; in quo conferretur animarum ablutio & peccatorum remissio præcessit quod erat ex parte, ut consummatio sequeretur, &c.* hæc Cyprianus; ecce magnam disparitatem inter utriusque baptismi efficaciam.

Basil. edit. Antw. 1568. hom. quomodo baptizetur aliquis baptismate, quod est in Euangelio Domini nostri Iesu Christi: sic ait. *Quantum discriminis est inter Spirit. & aquam, tantundem videlicet est & inter eum qui baptizat in Spir. S & eum qui baptizat in aqua, ita & de ipso baptismate habet.* Et infra: *itaque ex his omnibus manifestum est, quæ sit baptismatis secundùm Euang. Christi eminentia, &c.* Vbi discurrit per diversa baptismata à Moyse & lege ordinata, & postea dicit: baptisma Ioannis fuisse illis excellentius, & licet de illo dicat: *Simul atque accesserat quis & peccata sua,* &c. *confessus fuerat in Iordanis flumine baptizabatur, & confestim peccatorum remissionem accipiebat, &c.* Non tamen dicit

Digitized by Google

dicit id virtute baptismatis factum, quod per actum contritionis fieri poterat; & licet id aliqualiter verum esset, tamen subjungit: *Domini verò baptisma omnem humanam rationem superat, & gloriam habet quodcunque humanum desiderium ac votum excellentem, ac maiore gratia & virtutis supereminentia reliqua superat, quam solis splendor cæteras stellas excellit, &c.* hæc Basilius, quibus clariùs nihil est pro diversitate & excellentia baptismi Christi super Ioannis, *&c.*

V. *Gregorius Nazianzenus*, orat. 2. in sancta Epiphaniarum lumina, editione Bas. 1550. sic ait: *Age & quippiam de baptismatum philosophabimur differentia, ut hinc discedamus purgati: Baptizavit Moyses*, &c. *baptizavit quoque Ioannes: verum non iam Iudaicè, quoniam non in aqua solum, sed & in pœnitentia: non tamen penitus spiritualiter, haud enim addidit in Spiritu: baptizat Iesus verum in Spiritu, hoc erat perfectio, &c.* hæc Gregor.

VI. *Hilarius* editione Bas. 1550 in Matth. cap. 2. *quia, ait, legitur inefficax iam esset ad salutem, & Ioannes baptizandis in pœnitentiam nuntius*, &c. *se quidem baptizare in pœnitentiam dicit, sed fortiorem esse venturum*, &c. *Apostolis circumferendæ prædicationis gloriam derelinquens*. &c. *salutis igitur nostræ & iudicij tempus designat in Domino, dicens, ille vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne quia baptizatis in Spiritu Sancto, reliquum sit consummari igne iudicij, &c.* hæc ille.

VII. *Ambrosius* edit. Par. 1569. ad Cap. 3. Lucæ, *ego*, inquit, *vos aqua baptizo, cito probavit non esse se Christum, qui visibili operetur officio, nam cum ex duabus naturis homo, id est, ex anima subsistat & corpore, per visibile visibile, invisibil. per invisibile mysteriū consecratur, aqua enim corpus abluitur, Spiritu animæ delicta mundantur, &c.* & infra: *& ideo aliud fuit baptisma pœnitentiæ, aliud gratiæ est, istud ex utroque, illud ex uno, &c.* hæc ille.

Idem Ambrosius editione eâdem Serm. decimo sexto, de natali Domini, *Christus, ait, erat lucerna ardens, Ioannes autem ut præcedens lucernæ lumen exiguum ait, Ecce venit post me cuius non sum dignus solvere*, &c. *ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni simul etiam intelligens lumen solis radijs offuscandum; ante prædicit, illum oportet crescere, me autem minui; sicut enim lucernæ claritas destruitur, solis adventu, ita & Ioannis pœnitentiæ baptisma superveniente Christi gratia vacuatum est, &c.* hæc Ambros.

VIII. *Optatus Milevitanus* edit. Paris. 1569. lib. 5. contra Parmenianum ostendit quod antequam Christus legem de suo baptismo promulgasset, ad illud non obligantur; sed tamen post promulgationem: & ideo etiam baptizati à Ioanne baptizandi essent baptismo Christi, quod ostendit ab exemplo Act. 19. dicens: *Hi verò qui apud Ephesum post leges Ioannis baptismate baptizati fuisse leguntur, post leges in Sacramento erraverant, quia iam introductum fuerat baptisma Domini & exclusum fuerat servi, &c.* hæc ille. adeoque distinctum erat baptisma servi à Domini baptismate.

IX. *Hieronymus* in dial. contra Luciferian. edit. Basil. 1553. cap. 3. *Ioannes ait, Spiritum Sanctum non dedit, quem Cornelius centurio antequam baptizaretur, accepit: responde quæso cur non dederit? sed ignoras; Audi quod scripturæ doceant: Ioannis baptisma non tàm peccata dimisit, quàm baptisma pœnitentiæ fuit, in peccatorum remissionem, id est, in futuram remissionem, quæ esset postea per sanctificationem Christi subsecutura*, &c. *si autem Ioannes, ut confessus est ipse, non baptizavit in Spiritu, consequenter neque peccata dimisit; quia nulli hominum sine Spiritu Sancto peccata dimittuntur. Aut si contentiosè argumentaris, ideo Ioannis baptisma dimisisse peccata, quia de cœlis fuit; edoce, quid amplius in Christi baptismate consequamur, quod peccata dimittit & liberat à gehenna; quod autem à gehenna liberat, perfectū est. Perfectum, autē baptisma non est, nisi quod in cruce & resurrectione Christi est, Ita tu in perversum duceris irreligiosus. dicente ipso Ioanne; illum oportet crescere, me autem minui, dum servi baptismo plus quam habuit, tribuis: Domini destruis, cui nihil amplius relinquis, &c.* & infra: *Ioannis baptisma in tantum imperfectum fuit, ut constat, postea Christi baptismate baptizatos qui ab eo fuerunt baptizati, &c.* hæc Hieronymus quid clariùs contra Calvinum dici posset?

Idem epist. 150. ad Hedibiam edit. Bas. 1553. cap. 9. *unde*, ait, *& in Actibus Apostolorum, qui Ioannis baptisma fuerant baptizati & credebant in Deum Patrem & Christum, quia Spiritum Sanctum nesciebant, iterum baptizantur, imò tunc verum accipiunt baptisma, &c.* hæc Hieron.

Ioannes Chrysostomus, homil. 11. in Matth. apud Iod. Coc. Tomo secundo, libro quinto, sic ait: *postquam Ioannes baptismatis sui professus est simplicitatem, nec quicquam illud amplius habere monstravit, quam ut eos ad pœnitentiam duceret; non enim dixit, in aqua remissionis, sed pœnitentiæ, tum demum ponit etiam Christi baptisma, ineffabilium donorum liberalitate cumulatum, &c.* hæc ibi.

Item hom. 12. edit. Basil. Tomo. 1. 1558. *Sancti Spiritus* ait, *gratia in Christi baptismate est, Ioannis verò baptisma hac donatione privatur*,

Idem Tomo 3. edit. Bas. 1558. homil. 40. ad cap. 19. Actuum sic ait: *Et cum imposuisset, inquit, illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super illos, & loquebantur linguis ac prophetabant; Ab ipso baptismo proprietabant. Hoc autem Ioannis baptismus non habebat, ideo & imperfectus erat, ut autem talibus digni fierent, prius illos præparavit, atque hoc volebat Ioannes baptizans ut crederent in eum, qui post se venturus. Hinc ostenditur dogma magnum, quod perfectè purgantur à peccatis, qui baptizantur, &c.* & infra: *bene autem dixit; baptisma pœnitentiæ, quod Ioannis est, & non remissionis, adducens eos & suadens quod absque eo sit illud, posterius enim dati baptismatis opus est remissio, &c.* hæc ille. Ecce rursus quam clarè Calvini simplex opinio refutetur.

Cyrillus Alexand. edit. Bas. 1546. lib. 2. in Ioan. cap. 57. *videbat*, ait, Euangelista *Spiritus gratia illuminatus, quam necessarium esset, ea narrare, quibus, quantum Christi baptismus Ioannis baptismo præstaret, aperiretur: perspexit non multò post aliquos futuros, qui aut nullam inter baptismum & baptismū differentiam facerent.* (ecce modernos Acatholicos) *sed pari laude utrumque coronarent, aut ob imperitiam & lapsum hominum meliorem esse baptismum Ioannis putarent*, &c. *Ne igitur temerarii homines aquam Ioannis, qua in pœnitentiam baptizabat, spirituali baptismo Christi anteferre auderent, causas tam turpis temeritatis evertens ipsum baptistam exponit huius quæstionis fragilem modum dubitantibus suis discipulis dissolvisse, &c.* Et infra, nam

nam veluti lex Mosaica futurarum rerum, & spiritualis cultus præparatio quædam fuit occultam veritatem parturiens: sic baptismus Ioannis ad baptismum Christi collatus, præparationis vim obtinebat, &c. hæc ille: quid clariùs contra Acatholicos dici posset?

XII. Concludat *Augustinus*, qui variis locis hanc veritatem ex sacra scriptura ostendit & supponit: specialiter editione Bas. 1529. Tomo secundo, Epistola quadragesima octava, circa finem, ubi ostendit disparitatem; cur illi, qui ab hæreticis baptizati sunt, non iterum baptizentur, dum ad Ecclesiam redeunt; & tamen illi, qui à Ioanne baptizati sunt, ab Apostolis baptizati fuerint: & rationem reddit quod baptismus Ioannis non erat baptismus Christi; at verò, baptismus quem hæreticus dat est Christi, unde sic subsumit, dicens: *Puto quod iam intelligas, ideo Paulum dedisse quibusdam baptismum Christi, quia Ioannis baptismo fuerant baptizati non Christi, Ioannis quippe baptismus ille dictus est, sicut multis locis divina scriptura testatur, quod & ipse Dominus dicit, Baptismus Ioannis unde erat, de cœlo an ex hominibus? Baptismus autem quem dedit Petrus, non erat Petri sed Christi, & quem dedit Paulus non erat Pauli sed Christi, & quem dederunt qui tempore Apostolorum non iustè sed per invidiam Christum annunciabant, non erat eorum, sed Christi.* Et infra: *Et quia Christi erat, ideo quamvis non per æquales daretur eis, tamen quibus dabatur, æqualiter proderat,* & infra: *denique cum dicit, ego plantavi, Apollo rigavit, videtur significare, se euangelizasse, illum baptizasse, nunquid melior Apollo, quam Ioannes? cur ergo post istum non baptizavit, qui post Ioannem baptizaverat, nisi quia iste baptismus per quemlibet datus, Christi erat; ille autem per quemlibet datus, quamvis Christo viam præpararet, tamen Ioannis erat, &c.* hæc ibi.

Quid clariùs pro diversitate baptismi Ioannis & Christi dici posset? ubi etiam ex S. Scriptura Actor. 19. ut evidens supponit, quod Paulus illos qui baptismate Ioannis baptizati erant, baptismo Christi baptizavit.

XIII. Similiter Tomo septimo, editione Bas. 1528. lib. secundo contra lit. Petil. cap. 37. ubi ille referens verba Actor. 19. dicebat, quod quia Paulus baptizasset quosdam à Ioanne baptizatos, etiam ipsis liceret baptizare eos, qui extra illorum sectam baptizati erant, dicens: *Si crimen est, Paulum primitus condemnate, &c.* Augustinus respondit, *Paulum non accusamus, qui dedit hominibus baptismum Christi quia non habebant baptismum Christi, sed baptismum Ioannis secundùm ipsorum responsionem, qui interrogati, in quo baptizati estis, responderunt, baptismo Ioannis qui ad baptismum Christi non pertinet, nec eius pars ulla vel gradus est, alioquin aut tunc iterabatur aqua baptismi Christi, aut si tunc per duas aquas perficiebatur, minùs perfectus est modò, quia non datur illa quæ per Ioannem dabatur. Quodlibet autem horum impium & sacrilegum est opinari. Dedit ergò Paulus baptisma Christi eis, qui non Christi baptismum habebant, sed Ioannis, &c.* & infra: *ut videatur quod Ioannis baptismus alius fuit, Christi autem alius; sicut alius fuit ille baptismus in quo Patres nostros dicit Apostolus baptizatos in nube & in mari, quando per Moysen rubrum mare transierunt, &c.* & infra: *quapropter nolite de Ioannis baptismo caliginem facere,* &c. *illud manifestum est alium fuisse baptismum Ioannis, alium Christi; & illum Ioannis baptismum appellatum, quod & istorum, quos commemorasti, responsio, declarat, & sermo ipsius Domini, ubi ait Iudæis,* Matth. 27. *Baptismus Ioannis de cœlo est, an ex hominibus? Iste autem baptismus non dicitur Cæciliani, nec Donati, nec Augustini, nec Petiliani, sed baptismus Christi, &c.* hæc ibi.

Quid iterum clariùs tàm quoad locum Act. 19. quàm quoad diversitatem utriusque baptismi dici posset?

Similiter Augustinus respondet editione eâd. lib. de unico bapt. capite septimo, dicens: *Ioannis baptismus non erat baptismus Christi, sed tamen militans Christo, sicut legis veteris Sacramenta præcursorio quodam & præfiguratorio fungebantur officio, &c.* hæc ibi. XIV.

Sic & in Enchiridio Tomo tertio 1528. edit. eâdem dum loquens de Christo cap. 48. dixisset, *qui solus potuit ita nasci, ut ei non opus esset renasci,* ne quis de baptismo Ioannis objiceret, quo Christus baptizatus est, dicit cap. vigesimo nono. *Non enim renascebantur, qui baptismate Ioannis baptizabantur, à quo & ipse baptizatus est, sed quodam præcursorio illius ministerio, qui dicebat parate viam Domino, huic uni, in quo solo renasci poterant parabantur. Huius enim baptismus est non in aqua tantum, sicut fuit Ioannis, verum etiam in Spiritu Sancto, ut de illo Spiritu regeneraretur, quisquis in Christum credit, de quo Christus regeneratus regeneratione non eguit.* Et infra: *in aqua ergò voluit baptizari à Ioanne, non ut eius iniquitas ulla dilueretur, sed ut magna commendaretur humilitas,* &c. hæc ibi.

Rursus cum in libris de bapt. ageret contra Donatistas, qui ex eo, quod Paulus baptizasset illos, qui à Ioanne baptizati fuerunt, urgebant, quod etiam ipsi eos, qui ab hæreticis baptizati sunt, iterum baptizare possent, Augustinus Tomo septimo 1528. editione Basil. lib. quinto à proposito hanc rem proponit & dissolvit: itaque capite nono, sic ait: *Iam nunc de baptismo Ioannis videndum est quid dicatur, baptizatos enim à Paulo eos, qui iam baptismo Ioannis baptizati fuissent, legimus in Actis Apostolorum* Actor. decimo nono (ecce quam certo Augustinus hoc in textu supponit) *non ob aliud, nisi quia Ioannis baptismus non fuerit Christi baptismus, sed Ioanni à Christo concessus, qui Ioannis propriè diceretur; sicut idem Ioannes dicit; non potest homo accipere quicquam nisi datum fuerit ei de cœlo, &c.* Et infra: *accepit autem hoc Ioannes certa dispensationis gratia non diu mansurum, sed quantum satis esset ad parandam viam Domino,* &c. *qui sicut servis pedes lavit, ita servi baptismo tingi voluit, sicut enim se subiecit pedibus eorum quos ipse dirigebat, sic Ioannis muneri, quod ipse donaverat, ut intelligerent omnes quantò superbiæ sacrilegio quisque contemneret baptisma, quod à Domino deberet accipere, quando ipse Dominus accepisset quod servo ut proprium dare posset, ipse præstiterat.* Et infra: *Dominus Iesus Christus tali baptismo mundat Ecclesiam, quo accepto nullum alterum requiratur: Ioannes autem tali baptismo prætingebat, quo accepto, esset baptisma etiam Dominicum necessarium, non ut illud repetatur, sed ut eis, qui baptismum Ioannis acceperant, etiam Christi baptismus, cui viam præparabat ille, traderetur,* &c. XV.

Item edit. eâdem cap. 10. sic ait: *Quanquam ita* XVI.

ita credam: baptizasse Ioannem in aqua pœnitentiæ in remissionem peccatorum, ita ut ab eo baptizatis in spe remitterentur peccata, reipsâ verò in Domini baptismo id fieret, sicut resurrectio, quæ expectatur in finem spe in nobis facta est, sicut dicit idem Apostolus, quia simul nos excitavit, & simul nos sedere fecit in cælestibus,&c. addit infra: *Ne tamen quisque contendat etiam in baptismo Ioannis dimissa esse peccata, secundum aliquam ampliorem sanctificationem eis, quos iussit Paulus Apostolus denuò baptizari per baptismum Christi esse collatum, non ago pugnaciter, &c.* hæc ibi, semper ex scriptura supponens, quod non eadem utriusque baptismi fuerit efficacia.

Concludit edit. eâd. autem cap. 15. dicens: *Quia ergo Ioannis baptismus non erat idem, qui baptismus Christi; satis arbitror esse declaratum, & propterea nihil documenti ex illo afferri potest, cur propterea post hæreticos baptizandum sit, quia baptizatum est post Ioannem, cum Ioannes hæreticus non fuerit, & potuerit habere baptismum, quamvis à Christo concessum, non tamen Christi proprium,* &c. *& possit hæreticus habere baptismum Christi, &c.* hæc ibi.

XVII. Demum, ut alia loca omittam, Augustinus editione Bas. 1529. Tomo nono tractatu quinto in Ioann. dicit sic: *Si baptisma Ioannis necessarium erat saluti nostræ & modò debuit exerceri,* & infra: *Sed quare missus est Ioannes baptizans? quia oportebat baptizari Christum: quare oportebat baptizari Christum? quia oportuit nasci Christum quia oportuit crucifigi Christum. Si enim viam humilitatis demonstraturus advenerat, & seipsum facturus ipsam humilitatis viam, in omnibus ab eo implenda erat humilitas; Authoritatem dare baptismo suo trino dignatus est, ut cognoscerent servi sui, quanta alacritate deberent currere ad baptismum Domini, quando ipse non dedignatus est suscipere baptismum servi; donatum enim erat hoc Ioanni, ut ipsius baptisma diceretur,* &c. *solus tale donum accepit,* &c. *& unde accepit, nisi ab ipso Domino Iesu Christo? ab illo, ut baptizare posset, accepit, quem postea baptizavit,* &c. *dedit baptismum Ioanni & baptizatus est à Ioanne, ad hoc ergo accepit baptismum à Ioanne, ut accipiens quod inferius erat ab inferiore, ad id, quod superius erat, hortaretur inferiores; sed quare non solus ipse baptizatus est à Ioanne, si ad hoc missus erat Ioannes, per quem baptizaretur Christus, ut pararet viam Domino, id est, ipsi Christo?* & infra: *Si solus Dominus baptizatus esset baptismate Ioannis, non deessent, qui sic eum haberent, ut putarent baptismum Ioannis maiorem esse, quam sit baptismus Christi: dicerent enim; usque adeò illud baptisma maius est; ut solus Christus ab eo baptizari meruisset. Ergo ut daretur nobis à Domino exemplum humilitatis, ad percipiendam salutem baptismatis* (Christi) *Christus suscepit quod ei opus non erat, sed propter nos opus erat.*

XVIII. Et rursus edit. eâd. *Ne hoc ipsum, quod accepit à Ioanne Christus, præponeretur baptismati Christi, permissi sunt & alii baptizari à Ioanne, sed qui baptizati sunt à Ioanne non eis sufficit. Baptizati sunt enim baptismô Christi, quia non baptismus Christi erat baptismus Ioannis: qui accipiunt baptisma Christi, baptismum Ioannis non quærunt, qui acceperunt baptismum Ioannis, baptisma Christi quæsierunt. Ergo Christo sufficit baptismus Ioannis; quomodo non sufficeret, quando nec ipsi erat necessarius? Illi enim nullum baptisma erat necessarium, sed ad hortandos nos ad baptismum suum suscepit baptismum Ioannis: Et ne præponeretur baptisma servi baptismo Domini, baptizati sunt alii baptismate conservi, sed qui baptizati sunt baptismate conservi oportebat ut baptizarentur baptismate Domini. Qui autem baptizantur baptismo Domini, non opus habent baptismate conservi. Quoniam ergò acceperat Ioannes baptisma quod propriè Ioannis diceretur, Dominus autem Iesus baptismum suum noluit alicui dare, non ut nemo baptizaretur baptismo Domini, sed ut semper ipse Dominus baptizaret, id actum est, ut per ministros Dominus baptizaret, id est, ut quos ministri Domini baptizaturi erant, Dominus baptizaret, non illi; aliud est enim* (nota) *baptizare per ministerium, aliud baptizare per potestatem. Baptisma enim tale est, qualis est ille, in cuius potestate datur, non qualis est ille, per cuius ministerium datur. Tale erat baptisma Ioannis, qualis Ioannes,* &c. *hominis, sed qui acceperat talem gratiam à Domino, ut dignus esset præire Iudicem. Tale autem baptisma Domini, qualis Dominus, ergo baptisma Domini divinum, quia Dominus Deus, &c.* & infra: *Si hanc potestatem daret servis, id est, ut ipsorum esset, quod Domini erat, tot essent baptismata quot essent servi, ut quomodo dictum est, baptisma Ioannis, sic diceres baptisma Petri, sic Pauli, sic Iacobi,* &c. *sed fortè aliquis resistit & dicit, proba nobis, quia illud baptisma Ioannis dictum est, probabo, ipsa veritate dicente, quando interrogavit Iudæos; Baptisma Ioannis unde est, de cælo an ex hominibus? Ergo ne tot baptismata dicerentur quot essent servi, qui baptizarent accepta potestate à Domino, sibi tenuit dominus baptizandi potestatem, servis ministerium dedit; dicit se servus baptizare rectè dicit, sicut Apostolus dicit, baptizavi Stephani Domum, sed tanquam minister,* &c. post unam paginam: *Nemo Apostolorum dixit, baptisma meum,* &c. *quia hoc potestatem indicat quam Christus sibi reservavit; sic enim paulò post dicit de Ioanne quid nondum noverat: potestatem Dominici baptismi in nullum hominem à Domino transiturum, sed ministerium planè transiturum, potestatem à Domino in neminem ministrorum, ministerium & in bonos & in malos, &c.* hæc ibi.

Similiter ait tract. 6. de Ioanne edit. Basil. XIX.
1529. Tomo 9. dicens: *Quid ergo per columbam didicit,* &c. *nisi quandam proprietatem in Christo talem futuram: ut quamvis multi ministri baptizaturi essent, sive iusti, sive iniusti, non tribueretur sanctitas baptismi, nisi illi super quem descendit columba, de quo dictum est; hic est qui baptizat in Spiritu S. Petrus baptizat, hic est qui baptizat, Paulus baptizat, hic est qui baptizat, Iudas baptizat, hic est qui baptizat, &c.* hæc Augustinus.

Hæc eò prolixiùs referenda duxi; ut XX.
eò magis confundantur tam Anabaptistæ, quàm etiam alii Acatholici; cum viderint, quam clarè & manifestè sancti Patres doctrinam Ecclesiæ Catholicæ, cui ipsi contradicunt, ex S. Scriptura tradiderint; Anabaptistæ quidem, dum cum Donatistis allegantes exemplum Pauli, qui à Ioanne baptizatos baptizavit, etiam licere volunt, quod omnes in alia Ecclesia baptizatos rebaptizent: Alii autem Acatholici, qui hoc quidem negant, sed volunt, quod Paulus à Ioanne baptizatos non cura-

Digitized by Google

curarit Baptismo aquæ Christi baptizari, asserentes quòd idem sit prorsus Baptismus Joannis & Christi, idemque ministerium Joannis & Apostolorum, eademque efficacia utriusque Baptismi; quod sancti Patres tam clarè negant & reprobant, ut D. Augustinus suprà lib. 2. contra lit. Petiliani cap. 37. expresè dicat, quòd Baptismus Joannis ad Baptismum Christi non pertineat, nec ut ulla pars ejus, nec ut ullus gradus ejus; quod adeò absurdum censet, ut dicat; *quod quodlibet illorum impium sit & sacrilegum opinari.*

ARTICULUS V.

Referuntur & refutantur objectiones Acatholicorum.

I. HAnc tam manifestam & unanimem sanctorum Patrum de utriusque baptismatis diversitate sententiam videns Calvinus lib. 4. Inst. cap. 15. §. 7. de Patribus dicere audet: *quare neminem perturbet, quod alterum ab altero* (scilicet Baptisma Christi à Baptismate Joannis) *discernere veteres contendunt: quorum non tanti nobis esse debet calculus, ut Scripturæ certitudinem quatefaciat: Quis enim Chrysostomo potiùs auscultet, neganti in Ioannis Baptismo comprehensam fuisse peccatorum remissionem, quàm Lucæ contra asserenti Ioannem Baptismum Pœnitentiæ prædicâsse in remissionem peccatorum? Nec recipienda est illa Augustini argutia, in spe dimissa fuisse peccata Baptismo Ioannis, Christi Baptismo re ipsâ dimitti. Quum enim Euangelista clarè testetur Ioannem in suo Baptismo remissionem peccatorum pollicitum esse; quid extenuare hoc elogium opus est? quum nulla necessitas ad id cogat: Si quis autem differentiam è Dei verbo quærat, non aliam inveniet, quam quod in eum, qui venturus erat, Ioannes baptizabat, Apostoli in eum qui iam se exhibuerat, &c.* hæc Calvinus.

II. Respond. 1. Ex hac Calvini confessione manifestè patet: quòd sancti Patres omnes, quos veteres vocat, tam manifestè docuerint veritatem, quam Ecclesia Romana Catholica modò docet, ut excusationem nullam habere posset: ideo audacter illos rejicit, quod imprimis nobis sufficit, quòd ipse cum suis recesserit à doctrina unanimi sanctorum Patrum. Et quidem non solus Chrysostomus & Augustinus illa docuerunt, sed & reliqui Patres, ut ex testimoniis illorum art. præcedenti allatis patet, & ipse Calvinus satis supponit, dum veteres universaliter fatetur id contendere; quod est constanter asserere & urgere; licèt illi duo sacræ Scripturæ profundissimi Doctores, quicquid in illa & à sanctis Patribus acceperant, eò clariùs expresserint; cùm præsertim tempore Augustini major hæreticorum Donatistarum contradictio extaret.

III. Respond. 2. Non est quæstio, an magis Chrysostomo sit auscultandum, quàm Lucæ Euangelistæ; sed an Chrysostomus cum aliis sanctis Patribus omnibus potiùs intellexerit Scripturam Lucæ, quàm Calvinus: Ipsi etiam legerunt & ponderârunt verba Lucæ 3. v. 3. *Venit Ioannes prædicans Baptismum Pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Sed juxta ipsa verba & alia sacræ Scripturæ intellexerunt, quòd prædicavit Baptismum Pœnitentiæ in remissionem peccatorum: hæc verissima sunt; sed non habetur in textu, quòd ipsius Baptismus esset remissionis peccatorum, sed Baptismus Pœnitentiæ; per quam se disponerent ad remissionem peccatorum; vel per Pœnitentiam accipiendam, ut aliqui Patres indicant; vel per Christi Baptismum accipiendam, hæc sancti Patres prædicti; & ex textibus Scripturæ patet. Unde patet manifesta non Augustini, sed Calvini argutia imò falsitas; cùm dicit: *Quum enim Euangelista clarè testetur Ioannem in suo Baptismate remissionem peccatorum pollicitum esse.* Hoc non habetur in textu, & si intelligatur, quòd Joannes dans suum Baptismum Pœnitentiæ promiserit remissionem dandam per Christum vel per Christi ipsius Baptismum, verum est; sed si intelligatur, quòd Joannes pollicitus sit in suo Baptismate dari remissionem peccatorum, apertè falsum est, & Scripturæ contrarium; cùm expresè Lucas ibidem v. 16. dum populus Joannem Christum putârat, dicat Joannem dixisse: *Ego quidem aquâ baptizo vos, veniet autem fortior me, ipse vos baptizabit in spiritu & igne, cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream suam, &c.* Ecce manifestam distinctionem inter utrumque Baptisma. Si in Baptismo Joannis remittebantur peccata sicut in baptismo Christi: ergo & Joannes purgasset aream, &c.

Cæterùm D. *Gregorius* ex ipso textu Euangelico dictum Acatholicorum commentum refutat Homiliâ 20. in Euangel. editione Basil. 1550. tomo 2. sic dicens: *Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans Baptismum Pœnitentiæ, in remissionem peccatorum. Cunctis legentibus* (nota) *liquet, quia Ioannes non solùm Baptismum Pœnitentiæ prædicavit, verùm etiam quibusdam dedit; sed tamen Baptismum suum in remissionem peccatorum dare non potuit. Remissio enim peccatorum in solo nobis Baptismo Christi tribuitur. Notandum itaque quod dicitur, prædicans Baptismum Pœnitentiæ in remissionem peccatorum, quoniam Baptismum, quòd peccata solveret, quia dare non poterat, prædicabat: ut sicut incarnatum Verbum Patris præcurrebat verbo prædicationis, ita Baptismum Pœnitentiæ, quo peccata solvuntur, præcurreret suo Baptismate, quo peccata solvi non possunt, &c.* Hæc Gregor. juxta ipsum Scripturæ textum. IV.

Demùm, quàm falsum est; quòd non alia distinctio inter utrumque Baptisma in verbo Dei inveniatur, ut vult Calvinus, *quàm quòd in eum qui venturus erat Ioannes baptizabat: Apostoli in eum, qui iam se exhibuerat:* patet enim ex tot locis sacræ Scripturæ allegatis, quòd Baptisma ab Apostolis datum, fuerit ipsius Christi, & in eo peccata deleta fuerint, & Spiritûs Sancti gratia data, non verò in baptismo Joannis; & baptismus à Joanne datus, propriè dicatur fuisse Joannis, & non Christi, ut ipse Christus expressit, dicens: *Baptismus Ioannis de cœlo erat, an ex hominibus?* Marci undecimo v. trigesimo, & Luc. 20. v. 4. & sic Augustinus & alii Patres suprà ex textu probant; quòd baptismus Joannis fuerit propriè Joannis distinctus à baptismo Christi; V.

Digitized by Google

licèt Joannes potestatem illam baptizandi à Deo & de cœlo accepisset; Baptismus autem ab Apostolis datus, non fuerit illorum, sed Christi.

VI. Objicit Calvinus 2. dicens ibid. §. 8. *Hoc solum veteribus imposuisse arbitror, ut hunc ad illum* (scilicet Joannis ad Christi baptismum) *præparationem duntaxat esse dicerent, quod legebant rursum à Paulo baptizatos, qui Ioannis baptismum semel susceperant: sed quàm hîc sint hallucinati, alibi suo loco clarissimè explicabitur.* hæc Calvinus.

VII. Respond. Sed hîc etiam patet impudens Calvini arrogantia, quod SS. Patres hallucinatos dicere audeat, in eo quòd baptismum Joannis ut præparationem à Christi baptismo distinxerant; idque non solùm ex illo exemplo Pauli Act. 19. sed etiam ex aliis sacræ Scripturæ locis, ùt ex testimoniis Patrum allegatis patet; quod etiam SS. Patres ex illo Act. 19. id desumpserint, verissimum est, & ex textu patet, pluris autem sanctorum Patrum sententia nobis valet, quàm Calvini arrogantia, nec contrarium clarissimè probavit, ùt suprà art. 3. ostensum est.

VIII. Objicit 3. Calv. §. 7. dicens: *Certissimum est, idem fuisse prorsus Ioannis ministerium quod Apostolis postea delegatū est.* Quod probat 1. *non enim alium baptismum faciunt diversæ manus, quibus administratur, sed eundem esse eadem doctrina ostendit*: id probat 2. dicens: *In unam doctrinam Ioannes & Apostoli consenserunt.* 3. *utrique in Pœnitentiam.* 4. *utrique in remissionem peccatorum.* 5. *utrique in nomen Christi à quo Pœnitentia & peccatorum remissio esset, baptizarunt.* 6. *Ioannes dixit, agnum esse Dei, per quem tollerentur peccata mundi, ubi eum hostiam fecit Patri acceptam, propitiatorem iustitiæ, salutisque authorem; quid ad hanc confessionem addere poterant Apostoli? &c.* hæc Calvinus.

IX. Respond. negando idem prorsus fuisse ministerium Joannis & Apostolorum, &c. nam imprimis quoad generale ministerium patet; quòd soli Joanni commissum sit ministerium præparandi populum in Adventum Christi, ut in Christum crederent, & ad recipiendam Christi doctrinam; quam ipse per se & Apostolos traditurus erat.

Rursus, licèt Joannes nihil docuerit doctrinæ Christi & Apostolorum contrarium, non tamen eandem in particulari tradidit, sicut Apostoli de Christi passione, resurrectione & divinitate; & licèt demonstrârit agnum Dei qui tolleret peccata mundi, & etiam indicârit, quòd propitiator esset, & justitiæ ac salutis author, non tamen per hoc expressit, quòd Christus in cruce suspendendus esset, ùt hostia sicut Apostoli postea prædicarunt Christum oblatum fuisse. Cæterùm, etsi Joannes eandem de Christo Salvatore futuro doctrinam tradidisset, quod ex textu Scripturæ non habetur, quam Apostoli postea clarè docuerunt, hoc nihil ad propositum de unitate baptismi spectat. 1. quia Prophetæ multò clarius docuerunt Christum pro salute mundi passurum, ùt patet in Isaia, &c. imò & ipso Moysi; non tamen legitur, quòd baptismus Moysis, quo vel ipse in mari rubro dicitur populum baptizasse 1. Cor. v. 2. vel alii baptismi, quibus Sacerdotes in lege baptizabantur, quòd fuerit idem baptismus cum Christi baptismate.

Huic adde: quòd, licèt hæretici non eandem sed contrariam Apostolorum doctrinæ tradant doctrinam, si tamen baptizant more Apostolorum, eundem baptismum administrant, quia Christi baptismum dant, ùt Calvinus ibidem §. 8. fatetur; proinde sicut diversitas doctrinæ non probat diversitatem baptismi, sic nec ex doctrina eadem probatur identitas baptismi. Identitas autem baptismi desumitur ab identitate non solùm materiæ, ut aquæ, quæ etiam baptismis Moysis & legis communis fuit, sicut Joannis & Christi: sed identitas quoad identitatem tam materiæ, quàm formæ, effectûs & institutionis attenditur.

Hinc ad reliqua respondetur: quòd, licèt Ioannes Pœnitentiam prædicasset, & etiam remissionem peccatorum & oblationem gratiæ, X. sicut Apostoli; falsum tamen est, quòd Ioannes baptizârit in remissionem peccatorum vel in oblationem gratiæ, id est, quòd Ioannis baptismus ex Dei & Christi institutione ordinatus sit, ut ad illius collationem immediatè remissio peccatorum & gratia conferatur, sicut in baptismo Christi contingit, juxta illud, *qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Marc. 16. v. 16.

Hoc etiam ex variis sacræ Scripturæ locis constat; nam baptismus Ioannis dicitur absolutè baptismus Pœnitentiæ, ùt patet Matth. 3. v. 11. *Ego baptizo vos in aqua in Pœnitentiam*, & Marci 1. v. 4. *Ioannes prædicans Baptismum Pœnitentiæ.* Similiter dicitur Luc. 3. v. 3. Act. 19. v. 4. *Ioannes baptizavit populum Baptismo Pœnitentiæ, &c.* & tamen nusquam Scriptura vocat baptismum Christi, baptismum Pœnitentiæ: sed locis prædictis in hoc distinguit, quòd ille fuerit Pœnitentiæ, & non sic baptismus Christi, sed gratiæ & Spiritûs. Nec obstat, quod Act. 2. v. 38 Petrus dicit: *Pœnitentiam agite, & baptizetur* XI. *unusquisque vestrûm.* Nam ibi non dicitur, quòd baptizati sint in illum finem, ùt agerent Pœnitentiam, quod erat proprium baptismi Ioannis; sed præsupponitur, ùt adulti agerent Pœnitentiam, & deinde per baptismum strictè acciperent remissionem & Spiritum Sanctum. Sic igitur Pœnitentia erat effectus proximus baptismi Ioannis, sed effectus proximus baptismi Christi est remissio peccatorum & gratia collata, solùm in adultis præmittitur Pœnitentia ùt dispositio, non sequitur ùt effectus.

Nec obstat 2. quòd Ioannes dicatur prædicasse XII. *Pœnitentiam in remissionem peccatorum*: inde enim non sequitur, quòd remissio peccatorum fuerit immediatus effectus baptismi Ioannis, sed vel ratione Pœnitentiæ quam baptizati agebant, per quam obtinerent remissionem peccatorum; vel per hoc spes data fuerit remissionis peccatorum per baptismum Christi obtinendæ: prout SS. PP. omnes alterutro modo intellexerunt, ùt suprà visum est. At verò de baptismo Christi constat, quòd illius effectus proprius & immediatus sit *remissio peccatorum, regeneratio, renovatio, & collatio gratiæ*, nam Act. 2. Petrus non dicit, baptizetur unusquisq; vestrûm ut agant pœnitentiā in remissionem peccatorum prout de baptis. Ioannis dicitur: sed *baptizetur unusquisque in remissionem peccatorum*, quam scilicet per bapt. obtinerent. Sic Apost. dicit ad Tit. 3. v. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S. &c.* ubi patet, quòd regeneratio & renovatio Spiritûs lavacro Christi tribuatur, nunquam autem Baptismo Ioannis.

Nec

Digitized by Google

XIII. Nec demum Calvin. ex verbis Act. 19. probat, quòd Joannes baptizaverit in nomine Christi exprimendo illa verba, sicut Apostoli baptizârunt exprimendo illa eadem, in nomine Jesu; vel potiùs in nomine Patris, &c. quia Act. 19. expressè dicitur: *Ioannes baptizavit Baptismo Pœnitentiæ populum, dicens, in eum qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in Iesum, &c.* ubi non dicitur; quòd baptizavit populum in nomine venturi, illa verba proferendo: sicut Christus dicit: *Baptizate eos in nomine Patris, &c.* sed tantùm quòd docuerit populum baptizatum, ut in Christum crederent, qui venturus esset.

XIV. Ex his ad illationem Calvini cùm dicit: *Quid ad hanc confessionem addere poterant Apostoli?* Respond. breviter

1. Plurimùm in particulari Apostoli ad confessionem Joannis addiderunt: alioquin Christus & Apostoli superflua prædicassent, si Joannis confessio & prædicatio sufficiebat.

XV. Respond. 2. Quicquid sit de confessione & doctrina eadem Joannis & Apostolorum, ùt dictum est; illa non spectat ad identitatem vel distinctionem baptismatum: sed institutio Dei, qui Joannis baptismum ad illum effectum ordinârat, ut esset præparatorius ad baptismum Christi, ut homines per illum ad Pœnitentiam excitarentur & ut facilùs baptismum Domini susciperent, in Christum crederent ut verum Messiam. Et licèt illi, qui baptizati à Joanne Pœnitentiam agerent, & remissionem peccatorum per Pœnitentiam obtinerent; quorum utrumque etiam ex gratia Christi habebant; quia omnis pœnitentia vera & remissio ex sola gratia Christi est, sive in antiqua sive in nova lege: tamen inde non habetur quòd baptismus Joannis ad hoc institutus fuerit, ut per illum remissio peccatorum & gratia daretur, sicut per baptismum Christi ex institutione Christi contingit: ùt ex sacra Scriptura satis evidens est, & sancti Patres conformiter tradunt; unde patet, quòd non certissimum, ùt vult Calvinus, sed falsissimum sit, quòd idem fuerit ministerium, quod Apostoli in baptismo Christi administrando exercuerunt, cum ministerio quod Joannes in suo baptismo exercuit.

XVI. Objiciunt alii 4. ex Apostolo ad Ephes. 4. v. 4. *Vnum corpus & unus spiritus, sicut vocati estis in una Spe vocationis vestræ. unus Dominus, una Fides, unum Baptisma.* Ex hoc loco sic arguunt; ubi est unum corpus & unus spiritus, & una Spes vocationis, in qua omnes vocati sunt, & unus Dominus & una Fides; ibi etiam erit unum & idem baptisma: at tempore prædicationis Joannis, erat unum corpus & unus spiritus & spes vocationis, unus Dominus & una Fides tam discipulorum Joannis, quàm Christi, ergo etiam omnibus idem Baptisma.

XVII. Respond. Negatur quòd Apostolus illis verbis voluerit probare unum esse fidelium baptisma ex eo, quòd essent unum corpus & unus spiritus & una Fides; ex hoc enim falsa sequerentur, contra claram Scripturam, 1. quòd, ubi non est idem corpus & una Fides, ibi non esset unum baptisma: Cujus contrarium patet, cùm apud hæreticos sit unum & idem baptisma, quod est in Ecclesia, non tamen sunt in eodem corpore & Fide cum Catholicis.

2. Quia tempore veteris legis fideles habebant eandem Fidem, & Spem vocationis, eundem Dominum, & idem caput Christum; sicut etiam fuerunt idem corpus sub Christo, qui est Caput totius Ecclesiæ ab initio mundi, prout dicitur Coloss. 1. v. 18. *Ipse est caput corporis Ecclesiæ, &c. pacificans per sanguinem crucis eius, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt:* hinc tamen non sequitur, quòd Ecclesia seu fideles ab initio mundi, & specialiter in veteri Testamento habuerint idem Baptisma cum Ecclesia novi Testamenti: & ratio est, quia in veteri Testamento fideles in unum corpus congregabantur per circumcisionem, ita, ut qui circumcisus non esset in populo Dei non computaretur. In novo autem Testamento fideles in unum corpus congregantur per baptismum Christi, ùt constat passim, & specialiter ex illo Act. 2. v. 41. ubi de baptizatis dicitur: *Et appositæ sunt animæ circiter tria millia,* scilicet Ecclesiæ. Licèt itaque bene sequatur, quòd illi, qui baptizati sunt baptismo Christi spectant ad idem corpus Ecclesiæ novi Testamenti, non tamen sequitur econtrà, quòd omnes qui etiam in veteri Testamento fuerunt in Ecclesia Dei, & eandem Fidem & eundem Dominum habebant etiam idem cum fidelibus novi Testamenti baptisma habuerint; quia corpus Christi ab initio mundi per diversa signa exteriora pro diversis temporibus constitutum est; sed tamen nunquam Baptismus Joannis hoc habuit, ut per illum corpori Ecclesiæ sive veteris, sive novi Testamenti incorporarentur; quia tempore Joannis adhuc erat corpus fidelium per circumcisionem constitutum: Joannes autem per suum Baptismum & prædicationem disponebat populum, ùt in Christum crederent & ab illo Baptismum susciperent, per quem in novi Testamenti corpus congregarentur. XVIII.

Patet itaq; quod Apostolus illis verbis Ephes. 4. nullatenus voluerit probare unitatem baptismi, sed solùm hortari voluit fideles, qui jam in Ecclesia Christi vocati erant, dignè suâ vocatione ambularent, *soliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis,* ut sicut unum corpus essent, unum Dominum haberent, & unam fidem, ac eodem baptismo baptizati, sic etiam unitatem pacis conservarent. Hæc ex textu patent; unde patet, quod falsa & ficta sit argumentatio, quam Acatholici ex verbis Apostoli fabricant. XIX.

Objiciunt 5. Si Baptismus Christi non esset idem cum Baptismo Joannis, tunc Christiani essent infeliciores, quàm discipuli Joannis; imo baptismus Christi esset inferior baptismo Joannis; quia ille dignior est, quo Christus est baptizatus; vel saltèm non haberent illam consolationem quod eodem baptismo essent baptizati, quo caput ipsorum Christus baptizatus est. XX.

Resp. negando omnia illa illata; falsum autem est, quod ille baptismus, quem Christus ex humilitate suscepit, dignior sit illo, quem ipse instituit; nam ille erat baptismus servi scilicet Joannis, ùt ex scriptura patet, & humanus in sola aqua consistens, licèt Joannes ex mandato Dei illum ministraret, Christi autem Baptismus erat Domini & divinus, dans spiritum & gratiam; ille tantum erat præparatorius ad hunc, solùm XXI.

modicum durans, ut sancti Patres ex sacra Scriptura ostendunt, specialiter Augustinus locis præced. art. allegatis, præsertim tract. 5. in Joann. quia qui baptismo Joannis baptizati erant adhuc opus habebant baptismo Christi, non verò, qui baptismo Christi baptizati erant, baptismo Joannis opus habebant.

XXII. Rursus, ad consolationem fidelium non magis spectat, quòd baptismo Joannis baptizarentur, quo Christus baptizari voluit, antequam suum instituisset, quàm quòd circumciderentur, sicut Christus caput circumcisum fuit, ratio autem est; quia Christus circumcidi voluit ad satisfaciendum legi coram hominibus, cùm ex semine Abrahæ esset, cujus loco ipse baptismum instituit, sic & baptismum Joannis suscepit ex humilitate, ut homines ad suum baptismum perfectum suscipiendum excitarentur, quo remissio & gratia datur, quod fidelibus magis consolatorium est: sicut autem iniquum esset jam circumcidi ob id, quia Christus circumcisus fuit, ita & impium, si quis jam baptismo Joannis baptizaretur, quasi Christus adhuc venturus esset, & ejus baptismus insufficiens.

XXIII. Objiciunt 6. Sancti Patres docent, quòd Christus, dum in Jordane à Joanne baptizaretur, suum baptismum instituerit, sanctificando aquas; in quem finem etiam sanctissima Trinitas apparuerit, Spiritus S. in specie columbæ, Patris vox audita, Christus in aqua, *&c.* ergo fuit idem baptisma Christi.

XXIV. Respond. Sancti Patres aliqui negant tunc baptismum suum Christum instituisse, aliqui verò prædictis modis loquuntur, & dicunt; quòd Christus tunc baptismum suum instituerit, non quidem expresè, sed significando, quid facturus esset: quicquid tamen sit de hoc; argumentum Acatholicorum nihil valet, nam, si Christus in Jordane baptismum Joannis suscipiens suum instituerit, patet manifestè; quòd baptismus Christi non fuerit idem cum baptismo Joannis, quia baptismus jam dudum antea à Joanne administratus erat, ut patet ex Euangeliis; ergo non erat idem cum baptismo Christi, nam baptismum Joannis antea usurpatum, Christus suscepit, at verò si suum ibi instituit, tunc primùm incepit.

CONCLUSIO.

I. EX hactenus ostensis & ex sacra Scriptura probatis manifestè constat, quòd baptismus Joannis non fuerit idem cum baptismo Christi, nec ejusdem efficaciæ; sed ille fuerit in sola aqua datus ex mandato Dei, in illum finem ut homines ad pœnitentiam excitarentur, & inducerentur ad credendum in Christum, qui illos baptizaturus erat non in aqua tantùm, sed & in spiritu: Nec quòd baptismus Joannis ex suo instituto efficaciam haberet remissionis peccatorum aut conferendæ gratiæ; sed ut sperarent illa se consecuturos per baptismum Christi: licèt plures ad pœnitentiam excitati, per illum ex gratia Dei certam remissionem consecuti fuerint; sicut ab initio mundi homines per contritionem in meritis Christi fundatam veniam obtinuerunt, non tamen per ipsum baptismum Joannis remissio data fuerit: & ideo nusquam dicit Scriptura: quòd Joannes prædicavit baptismum in remissionem peccatorum, vel in regenerationem, seu baptismum remissionis & regenerationis, sicut de baptismo Christi dicitur, ut ex sacra Scriptura observant sancti Patres, sed prædicavit baptismum Pœnitentiæ in remissionem peccatorum; ut, vel per Pœnitentiam, quàm ex Joannis baptismo & prædicatione commoti agerent, veniam consequerentur, vel per illum excitati ad Christum accederent, remissionem obtenturi: & ideo Joannes discipulos à se baptizatos, hortatus & consolatus fuit, quòd à Christo in spiritu & igne baptizandi essent; unde & baptizati à Joanne ab Apostolis baptismo Christi baptizari debuerunt ut Spiritum Sanctum acciperent.

II. Hæc sancti Patres tam clarè ex sacra Scriptura suppoluerunt & probârunt; ut ideo Calvinus & alii Acatholici, cùm negare non possent hanc fuisse sanctorum PP. unanimem sententiam, ipsos errasse & hallucinatos esse dicere non erubescant; & ut colorem suæ inverecundiæ fingant, Calvinus vult PP. S. Scripturæ opponere, & ideo dicit: Scripturæ plus auscultandum quàm Chrysostomo vel aliis Patribus. Sed malevola est ista ficta oppositio: non enim sententia Patrum sacræ Scripturæ opponitur, sed supponitur, quòd sancti Patres S. Scripturam, quæ etiam in se satis clara est, meliùs intellexerint, ejusque verum sensum docuerint, quàm Calvinus & sui asseclæ: qui clara sacræ Scripturæ verba in falsum sensum detorquere audent, ut suum falsissimum principium, quòd sola Fides justificet & remissionem peccatorum obtineat, salvare possint: quod cùm ex aliis Fidei principiis evertitur, tum etiam ex hoc tollitur, quòd Deus per baptismum Christi ex meritis Christi juxta ejusdem Christi institutionem tanquam per instrumentum mundet nos à peccatis, & in vitam spiritualem regeneret; licèt Fides in adultis ut dispositio prærequiratur, non tamen concurrit; ut in infantibus baptizatis patet. Ut autem veritas doctrinæ Catholicæ Ecclesiæ & falsitas Acatholicorum velut in speculo appareat, sequentes Antitheses ponuntur.

ANTITHESES,

In quibus veritas doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ Romanæ juxta S. Scripturam, & conformitas cum antiqua Ecclesia. falsitas autem & difformitas Acatholicorum circa Sacramentum Baptismi proponuntur.

1. S*ancti Patres juxta S. Scripturam docuerunt*; quòd Sacramentum Baptismi, à Christo institutum, sine aqua naturali esse vel administrari non possit. *Ita etiam docet Ecclesia Cath. Rom.*

Acatholici aliqui cum Calvino negant, quòd Christus Joann. 3. de Sacramento baptismi locutus sit; unde nec ex S. Scriptura ostendere possunt, quòd aqua ad baptismum requiratur, quam tamen adhibent. Lutherus verò docuit, quòd lac, vinum & quicquid balnei nomine nuncupari posset, ad baptismum aptum sit.

2. *SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt*; quòd in bapt. certa verba ex Christi institutione sint exprimenda, utpote: *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* vel æquivalentia. *Ita etiam docet Ecclesia Romana.*

Acatho-

Digitized by Google

Acatholici licèt illa verba usurpent; negant tamen illa aliquid prodesse, sed verbum concionatorium excitans fidem prosit.

3. *SS. Patres juxta S. Scripturam* Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit,* &c. *docuerunt*, quod nullus absque baptismo in aqua salvari possit; licèt fidem habeat; nisi in casu defectus aquæ. *Passio* pro nomine Christi, quæ *Baptismus sanguinis*; vel fides per charitatem operans, quæ *Baptismus flaminis* bene vocatur, baptismum aquæ suppleant. *Ita etiam docet Ecclesia Romana.*

Acatholici negant talem baptismi aquæ necessitatem vel quod Christus de baptismo aquæ Joann. 3. locutus sit.

4. *SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt*, quod adulti quidem priùs credere debeant, quàm baptizentur; non tamen per fidem à peccato originali vel aliis peccatis liberentur, aut gratiam consequantur; sed per sacramentum baptismi tanquam Spiritus Sancti instrumentum peccata abluantur, & gratia infundatur. *Ita etiam docet Ecclesia Romana.*

Acatholici illa absolutè negant; sed volunt, quod baptismus solùm excitet fidem particularem, quâ homo firmissimè credat, quod jam antea sibi per Christum dimissa sint peccata.

5. *SS. Patres juxta S. scripturam docuerunt*, quod parvuli etiam fidelium licitè & validè baptizari possint; licèt non credant expressè corde ad justitiam, vel ore confiteantur fidem; sed illis sufficiat ipse Baptismus; ita ut ipsum baptizari sit illis credere. *Ita etiam docet Ecclesia Romana.*

Anabaptistæ absolutè negant: infantes baptizandos esse, imò sic baptizatos, cùm adoleverint, rebaptizandos esse volunt.

Lutherani quidem concedunt parvulos baptizandos esse; sed volunt, contra communem experientiam absque S. scripturæ testimonia; quod in baptismo vel actualiter credant, vel motus quosdam fidei similes habeant; sicut Joannes Baptista; idipsum non improbat Calvinus, licèt non absolutè affirmet.

6. *SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt*, quod infantes etiam fidelium, obnoxii sint peccato originali; nec ab illo liberentur, nisi per Baptismum actu susceptum; nec sine illo ad vitam æternam, nec ad regnum cælorum venire possint. *Ita etiam docet Ecclesia Romana.*

Calvinus cum suis absolutè volt, quod infantes fidelium eò ipso, quod à fidelibus nascuntur, sint liberi à peccato originali, & ad regnum cælorum sine baptismo venire possint; licèt illi, qui illos negligunt baptizare, peccent: in quo excedit errorem Pelagianorum, qui asserebant quidem, quod parvuli absque Baptismo morientes ad certam quandam vitam æternam, sed non ad regnum Christi vel cælorum pervenirent.

7. *SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt*, quod quisquis dixerit, quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine sacramenti participatione de vita exierint; ille contra Apostolorum prædicationem veniat, & totam antiquam condemnet Ecclesiam, nec Catholicus sit. *Ita etiam docet Ecclesia Romana Catholica.*

Acatholici absolutè asserunt: quod parvuli fidelium sine baptismo in Christo vivificentur.

8. *SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt*; quod Baptismus sit peccatorum remissio; mors peccati, regenerationis & renovationis causa, purget hominem à peccatis, & illuminet; parvuli baptizentur, ut in illis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt; quod baptizati per baptismum ab omni peccato purgentur & innoventur; nisi adulti per peccatum obicem ponant. *Ita etiam docet Ecclesia Catholica Romana.*

Acatholici plerique plurimis SS Patrum de baptismo encomiis convicti, verbotenus quidem illa admittunt; sed re ipsâ negant: specialiter, quod baptismus ipse etiam ut instrumentum Spiritus Sancti illuminet vel gratiam causet; sed volunt; quod vel solùm objectivè fidem excitet, vel quod solùm instar sigilli contineat & testetur baptizatum jam antea vel per fidem vel generationem à parentibus fidelibus justificatum & inter filios Dei adoptatum esse.

9. *SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt*; quod Baptismus auferat omnia qualiacunque crimina, non radat; nec ut peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum resecanda peccata. *Ita etiam docet Ecclesia Cathol. Rom.*

Acatholici volunt, quod tam originale, quàm quæcunque alia peccata in baptismo & post baptismum verè in baptizato permaneant; & solùm dimissa dicantur, quia per Christum ipsis non ad reatum imputantur.

10. *SS. Patres juxta S. scripturam docuerunt*: quod baptismus in forma Ecclesiæ consueta cum intentione faciendi, quod vera Christi Ecclesia facit, ab hæreticis administratus, validus sit; nec ullo modo iterari debeat. *Ita etiam docet Ecclesia Rom. Cath.*

Anabaptistæ Donatistas olim damnatos secuti, negant ab hæreticis vel extra Ecclesiam veram baptismum verum administrari posse; unde toties rebaptizant, quoties non solùm aliqui ab Ecclesia ad ipsos deficiunt; sed etiam quoties ex tot ipsorum sectis unus ab una ad aliam transit.

11. *Sancti Patres juxta S. scripturam docuerunt*: quod administratio sacramenti Baptismi ex officio Sacerdoti competat: ita tamen, ut urgente necessitate quilibet homo viator, etiam Paganus vel in peccatis constitutus, sive vir, sive mulier validè & licitè baptizare possit: extra necessitatem verò validè, etsi illicitè baptizet, si formam Ecclesiæ servet, & quod Ecclesia facit, facere intendat. *Ita etiam Ecclesia Rom. Cath. docet.*

Calvinus dicit, quod si fœminæ in necessitate baptizent, talis sit corruptela; ut nullo prætextu sit excusabilis, & baptismum obstetricibus in necessitate permittere, impia profanatio sit.

12. *Sancti Patres docuerunt juxta S. scripturam*: quod baptismus à Joanne usurpatus propriè ipsius Joannis fuerit, & ad modicum tempus duraverit: at vero baptismus, quem Apostoli administrarunt non ipsorum Apostolorum, sed ipsius Christi fuerit; in cujus authoritate & potestate baptizarunt: & ideo quod baptismus, tam à Juda, quàm à Petro vel Paulo administratus, idem fuerit. *Ita etiam docet Ecclesia Rom. Cathol.*

Calvinus & alii Acatholici volunt: quod idem prorsus fuerit ministerium Joannis in baptizando, quàm illud, quod Christus Apostolis commiserit.

13. *Sancti Patres iuxta S. scripturam docuerunt:* quod, licèt Joannes ex mandato Dei baptizarit, non tamen baptismus illius eundem habuerit efficaciam cum baptismo Christi. *Ita etiam docet Ecclesia Rom. Cath.*

Acatholici volunt, quod baptismus Joannis ejusdem cum Christi baptismo efficaciæ fuerit.

14. *Sancti Patres iuxta S. scripturam docuerunt:* quod Joannes baptizavit in sola aqua, ut populum excitare ad pœnitentiam, per quam vel remissionem peccatorum consequerentur; vel in spem remissionis per Christum obtinendæ erigerentur: & ad suscipiendum Christi baptismum præpararentur: at verò Christi baptismus non fit in sola aqua, sed in spiritu: ut per illum ex Christi instituto & meritis peccata remittantur, & gratia conferatur. *Ita etiam docet Ecclesia Rom. Cath.*

Acatholici volunt, quod eodem modo baptismus Joannis & Christi fuerit in remissionem peccatorum, & per illum fides excitaretur.

15. *SS. Patres iuxta S. scripturam docuerunt:* quod Baptismus Joannis propriè fuerit pœnitentiæ in remissionem peccatorum: at verò baptismus Christi absolutè sit baptismus remissionis peccatorum, & gratiæ per ipsum conferendæ; etiam sine pœnitentia, ùt in parvulis; licèt in adultis propter peccata actualia pœnitentia prærequiratur. *Ita etiam docet Ecclesia Rom. Cath.*

Acatholici nullam volunt inter utriusque baptismi effectus esse distinctionem: & absolutè negant, per baptismum Christi peccata remitti, nisi excitando fidem.

16. *Sancti Patres iuxta S. scripturam docuerunt:* quod baptizati à Joanne, postea ab Apostolis baptismo Christi baptizandi fuerint, & Spiritum Sanctum acceperint at verò nullus ab Apostolis baptizatus baptismum Joannis suscipere debuerit. *Ita etiam docet Ecclesia Catholica Romana.*

Calvinus cum suis sequacibus negat contra claram scripturam, & communem SS. Patrum sententiam, quod ulli baptismo Joannis tincti, ab Apostolis baptismum Christi susceperint.

LIBER XIV.

De Sacramento Confirmationis.

CAPUT UNICUM.

ARTICULUS I.

Refertur error Acatholicorum & doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa Sacramentum Confirmationis.

HOc Sacramentum Acatholici prorsus negant. *Lutherus* lib. de Capt. Babyl. *Calvinus* l. 4. Inst. cap. 19. §. 5. sic ait: *Posterior ætas re propè obliteratâ, fictitiam nescio quam confirmationem pro Dei sacramento posuit*, &c. Sed quàm turpiter mentiatur, in sequentibus patebit, ipsi autem imitati sunt, ut solent, antiquos hæreticos.

I. *Novatus* enim, ut scribit *Theodoretus* lib. 3. Hæreticar. Fabular. de Novato: *In lecto decumbens baptizatus est: postea, dum convaluit, ea, quæ omissa erant, adimpleri non curavit, nec signaculo Spiritûs Sancti confirmatus fuit: hinc eius sectatores eos, quos tingunt chrismate non obsignant*, hæc Theodoret.

II. Similiter *Donatistas* in sacramentum chrismatis fuisse injuriosos refert *Optatus* lib. 2. contra Parmenian. Bibl. PP. ed. Colon. 1618. tomo 4. pag. 276. col. 2. H. sic dicens: *Ut omnia sacrosancta vestri Episcopi violarent, insserunt Eucharistiam canibus infundi: ampullam quoque chrismatis per fenestram, ut eam frangerent, iactauerunt*, &c. hæc ille, eadem nostri Acatholici practicare non verentur.

III. Ecclesiæ Catholicæ doctrinam proponit *Concil. Tridentinum* sess. 7. de Confirmat. can. 1. his verbis: *Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otiosam ceremoniam esse, & non potiùs verum & proprium sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quàm catechesin quandam, quâ adolescentiæ proximi, fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit.*

Similiter in *Concil. Florentino generali Latinorum & Græcorum*; in instructione Armenorum, IV.
ubi secundum, inter septem sacramenta numeratur, & dicitur: *quòd per Baptismum renascimur, per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide*, &c. & infrà; *Secundum sacramentum est Confirmatio, cuius materia est chrisma confectum ex oleo & balsamo per Episcopum benedicto. Forma autem est: Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Amen.*

Pro intelligentia doctrinæ Catholicæ

Observandum primò: quod, sicut suprà de V.
verbo Dei tradito ostensum est, ad fidei articulum non requiratur, ut in S. scriptura exprimatur, sed sufficiat, si ex verbo Dei oretenus per Apostolos Ecclesiæ tradito, quod per SS. Patres ad nos pervenit, idipsum constet: adeoque id ad sacramentum confirmationis sufficeret.

Observandum 2. quod, licèt aliqua ad sacra- VI.
mentum requisita ex S. scriptura constent, non tamen omnia ita expressè contineantur, ut per S. scripturam præcisè illa probari possint, nisi verbum Dei traditum accedat; ut patet de baptismo, quoad verba: *Ego te baptizo*, ut suprà ostensũ est, sic etiam de sacramento confirmationis.

Observandum 3. quod, licèt etiam in S. script. VII.
aliqua ad sacramentum spectantia exprimantur, & aliqua omittantur: non tamen illa exclusa esse censenda sint, sed potiùs etiam adhibita esse, sic intelligendum, quæ ex verbo Dei tradito adhibenda esse constant: sic D. Aug. l. de Fide & Oper. c. 9. ed. Bal. 1528. scribit dicens: *In eo, quod ait* Lucas Act. 8.

Act. 8 v. 38. *Baptizavit eum Philippus intelligi voluit impleta omnia, quæ licèt taceantur in scripturis* (NB) *gratiâ brevitatis, tamen serie Traditionis scimus adimplenda, &c.* Hoc ipsum etiam in Sacramento confirmationis intelligendum; dum sola impositio manuum exprimitur, & unctio tacetur etiam exprimitur oratio, sed non specificantur verba, *&c.*

VIII. Observandum quartò, quòd, sicut in omnibus aliis Sacramentis, ita & in hoc, duo sint attendenda; aliqua essentialia, quæ ex Christi institutione ita necessaria sunt, ut sine illis non fiat Sacramentum; aliqua requirantur quidem, partim ex præcepto Christi, partim ex ordinatione Apostolorum vel Ecclesiæ; ita tamen, ut sine illis valeat Sacramentum. Hoc patet in Baptismo, ubi ex Christi institutione requiritur aqua naturalis & certa verborum forma, quæ à baptizante proferatur, & hæc sunt essentialia.

Præter hæc verò aqua solet benedici, ac plures aliæ ceremoniæ adhiberi; prout ab initio Ecclesiæ servatæ sunt, & infra ostendetur; tamen, ubi necessitas urget, sine his Baptismus validè perficitur.

IX. Sic in hoc Sacramento Confirmationis constans est totius Ecclesiæ ab initio fidei doctrina, ùt ostendetur; quod sit certum Sacramentum à Christo institutum, quod illis, qui jam baptizati sunt, conferatur; ut per illud gratiæ sanctificantis augmentum accipiant ad fidem Christi viriliùs profitendam.

X. Observandum quintò, quòd similiter hoc Sacramentum sit in signo sensibili, & certis verbis institutum, eadem S. Ecclesia credit, & quidem materia proxima sit *impositio manuum Episcopi; quibus in fronte ungit baptizatum Chrismate benedicto*; quæ Iunctio bene & propriè manûs impositio dicitur, ùt patet ex illo Marci 7. v. 32. *Adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum, ut imponat illi manum: & apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculam ejus, & expuens tetigit linguam ejus, &c.* ubi per hujusmodi tactum censetur manûs impositio ex verbo Dei tradito per SS. Patres nobis noto, & ex abundanti etiam ex ipsa S. Scriptura.

An verò omnia illa vel aliqua solùm sint essentialia ad Sacramenti valorem an verò aliqua ex solo præcepto Christi vel Apostolorum & Ecclesiæ, salvâ fide; diversimodè Doctores subinde loquuntur; sufficiet hîc demonstrâsse, quòd detur tale Sacramentum propriè dictum à Baptismo & Eucharistia distinctum.

ARTICULUS II.

Quod Confirmatio sit verum novæ Legis Sacramentum probatur ex S. Scriptura.

I. Ad veram Sacramenti novæ legis rationem primò requiritur & sufficit, etiam Acatholicis consentientibus; quod sit aliquod signum sensibile seu ceremonia externa à Christo instituta: qualis in proposito est *Impositio manuum* Episcopi cum oratione. Secundò, ut illa in Ecclesia usurpetur. Tertiò, quòd detur promissio Christi de gratia sanctificante per illam danda.

II. Hæc primò probantur ex consuetudine totius Ecclesiæ; quæ à tempore Apostolorum tale Sacramentum à Christo institutum esse credidit, & usurpavit; ùt ex Conciliis & SS. Patribus constabit: ex qua consuetudine D. Augustinus optimè probat de fide tenendum esse, quòd parvuli baptizentur, ùt suprà ostensum est.

Nihilominus pro majore veritatis claritate & ad Acatholicos convincendos, ex S. Scriptura probatur. III.

Itaque probandum est primò, quòd Christus promiserit fidelibus gratiam specialem, quam post Baptismum susceptum recepturi essent, ut fortiùs in fide persisterent. Et hæc est promissio gratiæ confirmationis. Hanc autem à Christo factam esse patet 1 Ioann. 16. v. 7. *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos.* & Luc. ult. v. 49. *Et ego mitto promissum Patris mei in vos: Vos autem sedete in Civitate, quo ad usque induamini virtute ex alto, &c.* Et Act. 1. v. 8. *Accipietis*, inquit Christus, *virtutem supervenientis Spiritûs Sancti in vos, & eritis mihi testes in Ierusalem, &c.* Ecce Apostoli dudum baptizati acceperant gratiam sanctificantem, & tamen adhuc egebant gratiâ speciali Spiritûs Sancti, quâ corroborarentur; prout patet ab experientia; quia baptizati ante Spiritûs Sancti missionem timidi clausis ostiis sese abscondebant *propter metum Iudæorum* Ioann. 20. v. 19 sed accepto Spiritu Sancto promisso publicè Christum profitebantur Act. 2. etiam coram Principibus Sacerdotum, cap. 4.

Quod autem hæc promissio non solos Apostolos, sed omnes fideles concernat, constat ex verbis Petri Act. 2. ubi allegat prophetiam Ioëlis dicentis; *In novissimis diebus effundam de spiritu meo super omnem carnem, &c.* & infrà: *Et super servos meos & ancillas meas in diebus illis effundam de spiritu meo, & prophetabunt, &c.* Et infrà v. 38. dicit; *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritûs Sancti: vobis enim est repromissio & filiis vestris, & omnibus qui longè sunt, quoscunque advocaverit Dominus Deus noster*, &c. IV.

Quòd verò hæc promissio Spiritûs Sancti, seu gratiæ per Spiritum Sanctum dandæ non fuerit principaliter donum prophetiæ, vel linguarum, aut curationum, probatur, quia talia dona non omnibus dabantur juxta illud 1. Cor. 12. v. 8. *Alii quidem per Spiritum Sanctum datur sermo sapientiæ* &c. *alii operatio virtutum, alii prophetia* &c. & infrà v. 29 *Nunquid omnes Prophetæ* &c. *nunquid omnes virtutes? nunquid omnes linguis loquuntur? &c.* hoc autem donum juxta verbum Petri omnibus promissum est, & patet ex promissione Christi Apostolis facta ubi non promittebantur dona miraculorum, quæ antea à Christo habuerant; sed Spiritus Sanctus, qui illos confirmaret in gratia & fide; & certè omnes fideles gratiâ corroborante egent, licèt pro initio Ecclesiæ sæpius cum gratia corroborante invisibili darentur dona illa gratis data ad aliorum conversionem. V.

Quòd autem hæc gratia per aliquod signum visibile collata sit, probatur ex illo Act. 8 v. 15. ubi dicitur de Petro & Ioanne missis in Samariam, *qui cùm venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant, in nomine Domini* VI.

mini Iesu. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*, &c. ubi clarum est, quòd ad illud signum sensibile impositionis manuum Apostolorum Spiritus sanctus dabatur, scilicet gratia corroborans; cùm jam Samaritani antea per Philippum, qui non erat Apostolus, baptizati gratiam justificationis accepissent.

VII. Similiter Act. 19. ubi agitur de quibusdam à Ioanne baptizatis, ut baptizarentur in nomine Christi v. 5. *His auditis baptizati sunt in nomine Domini Iesu: & cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, & loquebantur linguis*, &c.

VIII. Quòd autem hæc manuum impositio à Christo fuerit instituta, tanquam sacramentum, quo fidelibus daretur hoc donum Spiritûs sancti, probatur primò: quia nullus homo potest tale signum instituere, ad quod infallibiliter datur gratia Spiritûs sancti, ùt per se patet: atqui ad hanc impositionem ordinariò statim dabatur gratia, ùt patet ex præmissis. Secundò id colligitur ex facto Apostolorum, qui talem manuum impositionem ad hunc effectum & non aliud medium exercuerunt, idque soli Apostoli, & non alii discipuli; qui alioquin gratiam infirmos curandi habebant, ùt patet de *Philippo*, qui in Samaria multa signa fecerat; sed opus erat, ut *Petrus & Ioannes* pro dando Spiritu sancto venirent, qui manus imposuerunt; sicut & *Paulus* suprà: ex quo constat, quòd hoc ipsum, ex Christi ordinatione solis Apostolis & illorum successoribus Episcopis factâ fecerint.

IX. Hæc etsi ex textu S. scripturæ satis constent; magis tamen confirmantur ex verbo Dei ab Apostolis Ecclesiæ tradito, quod per concordem SS. Patrum sententiam cognoscimus; qui ita hæc loca scripturæ intellexerunt, & hoc sacramentum à Christo institutum esse tradiderunt & usurpârunt; ùt patebit.

X. Hæc etiam de hoc Sacramento fideles longè magis certiores reddent, quàm misera Calvini ex suo cerebro fabricata sententia retrahet: qui sine ullo vel Scripturæ, vel SS. Patrum testimonio lib. 4. Instit. cap. 19. §. 6. argumentum ex cap. 8. Act. sic eludere conatur dicens: *Audio quid Apostoli fecerint nempe suum ministerium fideliter executi sunt, visibiles illas & admirabiles Spiritûs Sancti gratias, quas tunc in populum suum effundebat, voluit Dominus à suis Apostolis per manuum impositionem administrari & distribui Huic autem impositioni manuum non altius subesse mysterium cogito* (ecce proprium cerebrum) *sed hujusmodi ceremoniam ab illis adhibitum interpretor: ut ipso gestu significarent, se Deo commendare, & velut offerre eum, cui manus imponebant. Hoc ministerium, quo tunc Apostoli fungebantur, si adhuc in Ecclesia maneret, manuum quoque impositionem oporteret servari: sed ubi gratia illa conferri desiit, quorsum pertinet manuum impositio?* hæc Calvinus.

XI. Hic sincerus lector attendat impudentem Calvini procedendi modum. Nam contra Ecclesiam agere volens primò requirit verbum S. Scripturæ, ubi hoc dicatur? & cùm ad hoc allegetur locus Act. 8. negat, quòd ex facto illo Apostolorum probari possit Christum instituisse illam impositionem manuum ad conferendum Spiritum Sanctum, vel sic mandâsse, quod tamen satis probatum est; at verò Calvinus pro sua sententia, quâ vult, quòd Apostoli soli habuerint illud beneficium, ut ille, cui imponerent manus, acciperet Spiritum Sanctum, non qualitercunque, sed gratiam curationum & linguarum, id Dominus ipsis præcisè commiserit & promiserit. Sed ad hoc nullum S. Scripturæ locum allegat; licèt enim Christus dixerit Marci ult. v. 18 *Super ægros manus imponent, & bene habebunt*, id non solis Apostolis, sed omnibus promiscuè, qui tunc credituri erant, promisit dicens: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, &c.* nec tamen ibi promittitur, quòd illis, quibus manus imponerent, dona illa conferenda essent; sed quòd simpliciter alios à corporalibus morbis curarent; multò minùs verò Spiritus sanctus talibus daretur.

Suam ergo sententiam Calvinus absque scripturæ vel sanctorum Patrum testimonio ex proprio cerebro profert, prout etiam fatetur dicens: *Huic impositioni manuum non altius mysterium subesse cogito*, &c. *sed hujusmodi ceremoniam, interpretor.* Vnde hanc potestatem Calvinus habet? qui nihil nisi purum Dei verbum vult recipiendum esse.

At verò, quòd illa manuum impositio, quam à solis Apostolis, & non ab aliis discipulis ad Spiritum sanctum recipiendum sacra Scriptura factam refert, non fuerit temporaneum ministerium solis Apostolis commissum ad danda dona illa gratis data, ùt Calvinus sine sacra Scriptura fingit; sed ordinariò in Ecclesia usurpanda ceremonia ad gratiam Spiritûs sancti corroborantem conferendam, licèt cessaverint in Ecclesia illa visibilia dona in impositione tempore Apostolorum data, satis ex præmissis patet: quia Petrus Act. 2. testatur, quòd toti Ecclesiæ & omnibus fidelibus Deus per Prophetam promiserit Spiritum sanctum dandum, & omnes fideles illâ gratiâ indigent; ac præter Baptismum & Eucharistiam, in quibus dabatur etiam gratia, tempore Apostolorum adhibita fuit hæc manûs impositio fidelibus; ut gratiam roborantem specialem consequerentur, ùt patet in Samaritanis: & hoc Apostoli tanquam certum supponebant, dum ad hoc Petrus & Ioannes mitterentur in Samariam, adeóque supponebant, quòd Christus Dominus idipsum universaliter pro tota Ecclesia ordinâsset. Quod autem duo illi Apostoli solùm ad hoc in Samariam missi essent, ut imponerent manum, ut ipso gestu significarent se Samaritanos baptizatos Deo offerre, ùt vult Calvinus, id sacra Scriptura non dicit; sed expressit, *ut acciperent Spiritum Sanctum*: quod Philippus facere non poterat; bene tamen & ipse in sensu Calvini baptizatis potuisset manum imponere, & Deo illos offerre. XII.

Et hoc ipsum confirmatur ex communi Ecclesiæ antiquæ usu & sanctorum PP. sententia: qui hoc sacramentum sic à Christo institutum, ab Apostolis Act. 8. usurpatum, & in Ecclesia semper observatum esse, & per illud Spiritum sanctum fidelibus dari testantur, licèt externa illa dona gratis data cessarent; ùt patebit ex testimoniis sanctorum PP. sufficiet autem hîc D. *Augustinus*, à quo Calvinus vult, quòd totum accipiamus, quod pia vetustas credidit: ipse autem sic Calvino respondet lib. 3. de Bapt. cap. 16. ed. Basil. 1528. dicens: *Neque enim temporalibus & sensibilibus miraculis attestantibus per manûs* (nota) *impositionem modò datur Spiritus Sanctus: sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primor-* XIII.

primordia dilatanda: quis enim nunc hoc expectat, ut hi, quibus manus ad accipiendum Spiritum S. imponitur; repente incipiant linguis loqui: sed invisibiliter & latenter (NB) *intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus divina charitas inspirari*, &c. hæc Aug. Ecce responsio ad Calvinum, & testimonium pro doctrina Ecclesiæ, quod fiat impositio sensibilis manûs ad Spiritum S. accipiendum: &, quod Spiritus S. non sit intelligendus per dona miraculorum, sed per donum divinæ charitatis, seu gratiæ invisibiliter cordibus infusæ, &c. quod certè maximum est & longè præstantius donis curationum; quæ etiam in malis reperiuntur. Licèt ergo illa sensibilis gratia, & secundarius effectus conferri desierit, an ideo Calvinus dicet: *Quorsum ergo pertinet manus impositio?* utique ad primarium effectum à Christo promissum; & sic patet veritas hujus sacramenti ex S. scriptura.

ARTICULUS III.

Veritas Catholica de sacramento Confirmationis probatur ex Conciliis & sanctis Patribus Græcis.

I. *Clemens Romanus* Anno 80. epist. 4. ed. Col. 1569. sic scribit: *Omnibus festinandum est sine mora renasci Deo, & demum consignari* (NB) *ab Episcopo, id est, septiformem gratiam Spiritus S. percipere: cùm autem regeneratus fuerit per aquam, & postmodum septiformi spiritûs gratiæ ab Episcopo confirmatus, quia* (NB) *aliter perfectus esse Christianus nequaquam poterit nec sedem habere inter perfectos, si non necessitate sed incuriâ aut voluntate remanserit, ùt à B. Petro* (NB) *accepimus, ùt & cæteri sancti Apostoli præcipiente Domino docuerunt*, &c. hæc ibi.

Idem lib. 3. Constit. Apost. c. 17. eâd. ed. sic ait; *Datur Baptismus in mortem Iesu, aqua pro sepultura, oleum pro Spiritu S.* &c. *unguentum est Confirmatio professionis*, &c. hæc ille.

II. *Dionysius Areopag.* de Eccles. Hierarch. cap. 2. par. 2. Bibl. PP. ed. Colon. 1618. tom. 1. pag. 123. E. sic ait; *Is cum virum unguento, quod maximè divinos efficit, insignivit, Eucharistiæ*, &c. *participem esse pronuntiat.*

Ibid. pag. 124. D. ait: *Divinus quidem Pontifex sacrosanctam unctionem orditur: Sacerdotes autem sub eo sacrum perfundendi munus exequuntur, eum, qui initiatur, ad sacra certamina in figura evocantes.*

Item pag. 130. D. ait: *Quin etiam ei, qui sanctissimo divini ortus sacro initiatus est, divini spiritûs adventum unguenti dat perfusio*, &c. hæc ille.

III. *Iustinus martyr* in qq. & resp. ad orthodoxos q. 137. ed. Hier. Commel. 1593. supponit usum Ecclesiæ, & quærit, *quomodo in sacro lavacro symbolis peractis post illa unguento consignamur?* Respondet; *Verum id, quod in Domino gestum est* (scilicet à Maria ungendo ipsum ante passionem) *ante iustum tempus, in eis, qui baptizantur, congruenti fit tēpore*, &c.

IV. *Origenes* hom. 8. in Leviticum in fine ed. Basil. 1557. *Sic ergo, ait, conversis à peccato purificatio quidem per illa omnia datur, quæ superiùs diximus: donum autem gratiæ spiritus per olei imaginem designatur, ut non solùm purgationem consequi possit is, qui convertitur à peccato, sed & Spiritu S. repleri.*

Idem hom. 9. eâd. ed. *Omnes, ait, quicunque unguento sacri chrismatis delibuti sunt, sacerdotes effecti sunt sicut & Petrus ad omnem Ecclesiam dicit: Vos autem genus electum, & regale sacerdotium*, &c.

Eusebius Cæsariensis lib. 6. Eccles. Hist. c. 33. ed. Basil. 1549. ex epist. Cornel. Papæ & martyr. ad Fabianum Antiochiæ Episcopum de Novato, inter alia ad propositum refert. *Addit autem etiam hoc, quod idem ipse Novatus in iuventute spiritu immundo vexatus sit, & cum tempus aliquantum consumpsisset apud exorcistas, ægritudinem incurrerit gravem, ita ut desperaretur; & quod iacens in lecto pro necessitate perfusus sit, nec reliqua in eo, quæ baptismum subsequi solent, solenniter adimpleta sint, nec* (nota) *signaculo chrismatis consummatus sit, unde nec Spiritum Sanctum unquam potuerit promereri*, &c. V.

Concilium Nicænum I. can. 31. *Iubebat Arianos ad Ecclesiam reversos inungi*, qui contemnebant chrisma, ùt testatur *Optatus* lib. 2. *qui cum quadam vice ampullam chrismatis per fenestram, ut frangeretur, eiecissent, angelicâ manu ampulla servata collidi non potuit*, &c. VI.

Idem Concil. can. 55. sic ordinat: *Chori-Episcopus, cùm visitat Ecclesias & monasteria, quæ sub potestate sua sunt, debet interrogare, an habeant filios vel filias, & facere, ut ad se adducantur, & signet eos signo crucis, & oret super eos, & imponat manus, & benedicat*, &c.

Concilium Laodicense anno 360. can. 7. jubet, ut Novatiani sacramento chrismatis inungantur, & can. 48. ed. Colon. 1538. dicit: *Oportet baptizatos post Baptismum sacratissimum chrisma percipere, & cælestis regni participes fieri.* VII.

Concilium primum Constantinopolitanum Anno 380. can. 7. sic statuit: *Arianos, Macedonianos, Novatianos, &c. recipimus dantes quidem libellos, ut omnem hæresim anathematizantes, quæ non sentit, ut sancta Dei Catholica & apostolica Ecclesia, & signatos sive unctos primum sancto Chrismate, & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures, & eos signantes dicimus signaculum doni Spiritûs S.* &c. hæc ibi. VIII.

Cyrillus Hierosolymitanus inter quinque catecheses mystagogicas, tertiam integram scripsit de sacramento Confirmationis 1. & 2. de baptismo 4 & 5. de Eucharistia: utique supponens illud, æquè verum Ecclesiæ sacramentum sicut duo alia, cum illa tria eâdem die solebant conferri. Et quidem catechesi 3. ed. Colon. 1563. inter alia sic ait: *Quemadmodum panis Eucharistiæ post illam S. Spiritus invocationem non amplius est panis communis, sed est corpus Christi; sic & sanctum hoc unguentum, non amplius est unguentum nudum, neq; (si quis ita appellare malit) commune, postquam iam consecratum est, sed est chrisma Christi, quod adventu Spiritus S. per ipsius divinitatem energiam habet, quo frons & alii sensus corporis tui symbolicè inunguntur, & corpus quidem isto visibili unguento perungitur, anima verò S. vivificoque Spiritu sanctificatur*, &c. IX.

Quid clariùs pro hoc sacramento dici potest? quod scilicet in chrismate benedicto administratum conferat animæ sanctitatem, quod est proprium veri sacramenti; ubi verè & prudenter dixit, panem post consecrationem esse corpus Christi; sed non dicit de chrismate, quod post benedictionem sit ipse Spiritus S. sed habeat ex Christi benedictione virtutem sanctificandi.

Ibidem *Cyrillus* dicit: *Huius sancti chrismatis dono accepto merito appellamini Christiani veram efficientes appellationem in ipsa regeneratione; antè enim, quàm hæc gratia vobis donata esset, non eratis propriè digni eo nomine, sed pergentes eo usque progressi estis, ut efficeremini Christiani.*

Digitized by Google

X. *Gregorius Nazianz.* orat. in S. Baptiſma ed. Colon. 1579. ſic ait: *Si te per ipſum baptiſmum obfirmaveris, ac præclariſſimo & firmiſſimo auxilio tibi in futurum caveris, animum ſcilicet & corpus unctione ac ſpiritu conſignans, quemadmodum olim Iſraël nocturno illo primogenitóſque tuente cruore, quid tibi accidet? & quod tibi præſidium comparatum erit? audi Salomonis parœmias: Si ſederis, ait, intrepidus eris; ſi dormieris, ſuavis erit ſomnus tuus.* Prov. 3. v. 24.

XI. *Epiphanius* hæreſi 21. ed. Baſil. 1560. ait: *Simon Magus blanditus eſt Apoſtolis, & ipſe ſimiliter cum aliis baptizatus eſt,* &c. *omnes verò præter ipſum,* &c. *per impoſitionem manuum ipſorum acceperunt Spiritum S. Nam cùm Philippus diaconus eſſet, non habebat poteſtatem imponendi manus, ut per hoc daret Spiritũ S.* &c. Ecce quàm clarè pronunciat, quod hæc manus impoſitio fuerit Apoſtolis tantum & Epiſcopis data; cùm alioquin ad curandos infirmos alii, ſicut & Philippus poteſtatem habebat manum imponendi juxta promiſſa [Chriſti] Marci ult.

XII. *Chryſoſtomus* hoc ipſum clariſſimè exprimit ſcribens in cap. 8. act. Apoſt. ed. Baſ. 1558. his verbis: *Quare non acceperunt Spiritum S. ii, qui baptizarentur? vel forſan, quia Philippus in hoc Apoſtolos brevi venturos honorabat, vel quod hoc donum non habebat; erat enim ex ſeptem illis, id quod magis videtur dicendum,* &c. *ideo baptizans Spiritum S. non dabat, neque enim facultatem habebat; hoc enim donum ſolorum Apoſtolorum erat,* &c. *nam virtutem quidem* (divinam) *acceperant faciendi ſigna, non autem dandi aliis Spiritum S. igitur hoc erat in Apoſtolis ſingulare,* &c. hæc ille. Ecce quàm clarè refutatur ſententia Calvini de poteſtate miraculorum; & ne Calvinus diceret, hoc ita proprium Apoſtolis fuiſſe, ut poſtea ceſſarit, ſubjungit Chryſoſtomus dicens de uſu Eccleſiæ: *Unde & præcipuos & non alios videmus hoc facere,* &c. ſcilicet Epiſcopos Eccleſiæ.

XIII. Hæc itaque fuit ſententia antiquorum ſanctorum Patrum Græcorum: quæ & poſt ſchiſma inter Græcos uſque in præſens perſeverat, ùt patet ex Jeremia Patriarcha Conſtantinopolitano apud Jod. Cocc. tom. 2. theſ. cath. ed. Col. 1601. l. 5. art. 1. reſponſione 1. c. 2. ubi conſuetudinem Eccleſiæ Græcæ referens ſic ait: *Mox is, qui baptizatus eſt, ſacro unguento unguendus eſt: Chriſma enim hoc, ſigillum & ſignum Chriſti eſt, nóſque inde gratiam adepti in unguento, Chriſtiani appellamur: Unguens autem baptizatum ſacerdos, ſignaculum,* inquit, *donum Spiritus S. Amen.* hæc ille.

ARTICULUS IV.

Eadem veritas probatur ex Conciliis & PP. Latinis.

I. F*abianus Papa* & martyr ſedit anno 225. ep. 2. apud Jod. Cocc. ubi ſuprà ſic ſcribit: *Sicut ipſius diei* (cœnæ Domini) *ſolennitas per ſingulos annos eſt celebranda; ita & ipſius ſancti chriſmatis confectio per ſingulos annos eſt agenda, & de anno in annum renovanda,* &c.

II. *Cornelius Papa* & martyr ſedit anno 250. tempore S. Cypriani in epiſt. ad Fabium Antiochenum ſcribit ea, quæ ſuprà ex Euſebio Cæſar. retulimus; ille enim epiſtolam Cornelii recenſet, ubi de Novato ſcribit, quod poſt baptiſmum noluerit Domini ſigillo ab Epiſcopo obſignari, & ſubdit: *Nec ſignaculo chriſmatis conſummatus ſit, unde nec Spiritum S. unquam potuerit promereri.* Alia tranſlatio habet: *Quo quidem neutiquam potitus, quomodo, quæſo Spiritum S. adeptus eſt?* &c.

Euſebius Papa ſedit anno 305. epiſt. 3. ed. Colon. 1569. ſic ait: *Manûs impoſitionis ſacramentum magnâ veneratione tenendum eſt; quæ ab aliis perfici non poteſt, niſi à ſummis ſacerdotibus, nec tempore Apoſtolorum ab aliis, quàm ab ipſis Apoſtolis legitur, aut ſcitur peracta eſſe.*

Melchiades Papa & martyr apud Jodoc. Cocc. ubi ſuprà in epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, ſic ſcribit: *Quæſiſtis, utrum majus eſſet ſacramentum manus impoſitio Epiſcoporum, aut Baptiſmus; ſcitote utrumq; magnum eſſe ſacramentum,* & infrà: *Advertamus ſummas divitias bonitatis Dei. Quod in confirmandis Neophytis manus impoſitio tribuit ſingulis, hoc tunc Spiritûs Sancti deſcenſio in credentium populos donavit univerſis,* &c.

Dam[aſ]us Papa ſ[e]dit anno 380. epiſt. 4. eâd. ed. Colon. de chori-Epiſcopis ſic ſcribit: *Non licet* ChoriEpiſcopis *ſacerdotes conſecrare, nec chriſma conficere, nec chriſmate baptizatorum frontes ſignare,* &c. *quod autem ſolis Apoſtolis eorúmq; ſucceſſoribus proprii officii ſit tradere Spiritum Sanctum, liber Apoſtolorum docet, præſertim cùm nullus ex ſeptuaginta diſcipulis, quorum iſti in Eccleſia ſpeciem gerunt, legatur donum Spiritus Sancti per manus impoſitionem tradidiſſe.*

Innocentius I. apud Jod. Cocc. ubi ſuprà ſedit tempore D. Auguſtini epiſt. ad Decentium Eugubinum c. 3. oſtendit, quod ſacerdotibus non competat ungere infantes chriſmate in fronte, idque ſolis Epiſcopis competere; non tantum Eccleſiæ conſuetudo, ſed & acta Apoſtolorum doceant, quæ aſſerunt; Petrum & Joannem eſſe directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum S. & ſubjungit: *Presbyteris,* &c. *dum baptizant, chriſmate baptizatos ungere licèt, ſed quòd ab Epiſcopo fuerit conſecratum, non tamen frontem ex eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis, cùm tradunt ſpiritum paracletum,* &c. hæc ille.

Horum Pontificum teſtimonia Acatholici rejicere non poſſunt, cùm fateantur illos fuiſſe ſanctos, & Calvin. lib. 1. Inſt. c. 11. §. 13. fatetur, quod primis quingentis annis religio & doctrina ſincerior in Eccleſia Romana floruerit; & 32. Pontifices piiſſimos agnoſcit: at ad ſinceram fidem ſpectat doctrina ſacramentorum, quam Acatholici fundamentalem dicunt. Jam etiam alios ſanctos Patres audiamus.

Tertullianus lib. de Bapt. c. 8. ed. Pariſ. 1584. & Baſil. 1562. dicit: *Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans & invitans Spiritum Sanctum.*

Idem lib. de Præſcript. adversùs hæreticos c. 40. iiſdem ed. *Tingit,* ait, *& ipſe quoſdam, utique credentes & fideles ſuos,* &c. *ſignat illic in frontibus milites ſuos, celebrat & panis oblationem.*

Idem lib. de Reſurrect. Carnis c. 8. eâd. ed. *Caro,* ait, *ungitur, ut anima conſecretur; caro ſignatur, ut anima muniatur, caro manûs impoſitione adumbratur, ut & anima ſpiritu illuminetur;* &c. hæc ille. Ecce quàm paucis clariſſimè ſignum & effectum hujus ſacramenti exprimit.

Cyprianus lib. 1. epiſt. ult. ed. Baſ. 1543. ſic ait: *Ungi quoque neceſſe eſt eum, qui baptizatus ſit, ut accepto chriſmate, id eſt, unctione, eſſe unctus Dei, & habere in ſe Chriſti gratiam poſſit.*

Idem l. 2. epiſt. 1. in ordine 72. eâd. ed. ſic ait:

Tunc demum planè ſanctificari & eſſe filii Dei poſſunt, ſi ſacramento utroque naſcantur, hæc ibi, ubi priùs mentionem fecerat baptiſmi & manuum impoſitionis ad accipiendum Spiritum S.

Idem epiſt. ad Jubaianum eâd. ed. ubi referens de illis, qui in Samaria à Philippo baptizati erant, quod ad illos Petrus & Joannes miſſi fuerint, & ſuppleverint quod deerat, ſcilicet, ut *manu impoſitâ invocaretur & infunderetur ſuper eos Spiritus S.* ſtatim ſubjicit: *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut, qui in Eccleſia baptizantur, per Præpoſitos Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem ac manûs impoſitionem Spiritum S. conſequantur, & ſignaculo dominico conſummentur*, &c. hæc Cyprian.

X. *Concilium Elibertinum* Anno 320. celebratum can. 38. ed Col. 1538. ſic ſtatuit: *Poſſe fidelem*, &c. *baptizare in neceſſitate infirmitatis poſitum catechumenum, ut, ſi ſupervixerit, ad Epiſcopum eum perducat, ut per manus impoſitionem perficiatur.*

XI. *Concilium Arelatenſe* primum can. 8. eâd. ed. ſic ordinat de Arianis: *Si ad Eccleſiam aliqui de hac hæreſi venerint; interrogent eos noſtræ fidei Sacerdotes ſymbolum, & ſi perviderint in Patre, & Filio, & Spiritu S. eos eſſe baptizatos, manus eis tantùm imponatur, ut accipiant Spiritum S.* &c.

XII. *Concilium Arelatenſe II.* Anno 325. c. 17. eâd. ed. etiam ſic ſtatuit: *Bonoſiacos autem ex eodem errore venientes (quos ſicut & Arianos baptizari in Trinitate manifeſtum eſt) dum interrogati fidem noſtram ex toto corde confeſſi fuerint, cum chriſmate & manus impoſitione in Eccleſia recipi ſufficit*, &c. hæc iſta antiquiſſima concilia.

XIII. *Pacianus* Barcinonenſis Epiſcopus, qui floruit anno 360 lib. de Bapt. Bibl. PP. ed. Colon. 1618. tom. 4. pag. 247. G. ſic ait: *Hæc autem compleri alias nequeunt, niſi lavacri & chriſmatis & antiſtitis ſacramento; Lavacro enim peccata purgantur, chriſmate Spiritus S. ſuperfunditur, utraque verò iſta manu & ore antiſtitis impetramus*, hæc ille.

Idem epiſt. I. ad Sympronianum pag. 237. G. *Si ergo*, ait, *& lavacri & chriſmatis poteſtas, maiorum longè chariſmatum ad Epiſcopos inde, ex Apoſtolorum forma & poteſtate deſcendit, & ligandi quoque ius adjuit atque ſolvendi*, &c. hæc ille.

XIV. *Optatus Milevitanus* l. 7. contra Parmen. Bibl. PP. eâd. ed. tom. 4. pag. 294. G. *Oleum*, inquit, *ſimplex eſt, & nomen ſuum unum & proprium habet; confectum iam chriſma vocatur, in quo eſt ſuavitas, quæ cutem conſcientiæ mollit, excluſâ duritiâ peccatorum*, &c. *quæ ſedem Spiritui S. parat, ut invitatus illic aſperitate fugatâ, libenter inhabitare dignetur*, hæc ille. Ecce ad quid chriſma per benedictionem deſerviat.

XV. *Ambroſius* lib. de iis, qui myſteriis initiantur c. 7. ed Paril. 1569. *Repete*, ait, *quia accepiſti ſignaculum ſpirituale, ſpiritum pietatis*, &c. *ſerva quod accepiſti, ſignavit te Deus Pater, confirmavit te Chriſtus Dominus, & dedit pignus Spiritus S. in corde tuo*, &c.

Idem lib. 3. de Sacramentis cap. 2. eâd. ed. *Sequitur*, ait, *ſpirituale ſignaculum*, &c. *quia poſt fontem ſupereſt, ut perfectio fiat: quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus S. infunditur, ſpiritus ſapientiæ & intellectus*, &c. & infrà: *Iſtæ ſunt ſeptem virtutes quando conſignaris*, &c.

Idem lib. 6. de Sacram. cap. 2. eâd. ed. *Ergo*, ait, *accepiſti de ſacramentis, pleniſſimè cognoviſti omnia*, &c. *in omnibus quæ [illegible], ſervatum eſt myſterium Trinitatis.* & infrà: *Quomodo? Deus qui te unxit, & ſignavit te Dominus, & poſuit Spiritum S. in corde tuo.* Et infrà: *Ergo unxit te Deus, ſignavit te Chriſtus, quomodo? quia crucis* (NB) *ipſius ſignatus es forma ad illius paſſionem*, &c. & infrà: *Habes alibi ſpeciale, quod te vocavit Deus, in Baptiſmate autem quaſi ſpecialiter crucifigeris Chriſto; deinde quaſi ſpecialiter, quando accipis ſpirituale ſignaculum*, &c.

Demum lib. 1. de Spiritu S. cap. 6. eâd. ed. ait: *Sicut in Chriſto morimur, ut renaſcamur; ita etiam ſpiritu ſignamur, ut ſplendorem atque imaginem eius & gratiam tenere poſſimus, quod eſt utique ſpirituale ſignaculum. Nam etſi ſpecie* (NB) *ſignemur in corpore, veritate tamen in corde ſignamur*, &c. hæc ille. Ecce quàm clarè diſtinguat duo illa ſacramenta baptiſmum & ſignaculum per unctionem.

Hieronymus in dialogo adverſus Luciferianos XVI.
poſt duo folia ab initio ed. Baſil. 1553. dum Luciferianus dixit: *An neſcis Eccleſiarum hunc eſſe morem, ut baptizatis poſtea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus S. exigis ubi ſcriptum ſit? in actibus Apoſtolorum: Etiamſi ſcripturæ authoritas non ſubeſſet totius orbis* (NB) *in hanc partem conſenſus inſtar præcepti obtineret: nam & multa alia, quæ per traditionem in Eccleſiis obſervantur authoritatem ſibi ſcriptæ legis uſurpaverunt*, &c. Orthodoxus dixit: *non quidem abnuo hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, ut ad eos, qui longè in minoribus urbibus per Presbyteros & diaconos baptizati ſunt, Epiſcopus ad invocationem Sancti Spiritus manum impoſiturus excurrat; ſed quale eſt, ut leges Eccleſiæ ad hæreſim transferas?* & infrà: *Quod ſi hoc loco quæris, quare in Eccleſia baptizatus niſi per manus Epiſcopi non accipiat Spiritum S.* &c. ubi reſpondet, quod licèt in baptiſmo detur Spiritus S. dicit: *Eccleſiæ ſalus in ſummi ſacerdotis dignitate pendet*, &c. *inde venit ut ſine chriſmate & Epiſcopi iuſſione neque Presbyter neque diaconus ius habeant baptizandi; quod frequenter, ſi tamen neceſſitas cogit, ſcimus etiam licere Laicis*, hæc ille. Ex quibus patet uſus totius Eccleſiæ antiquæ de impoſitione manuum Epiſcopi poſt baptiſmum, &c.

Auguſtinus tract. 6. in epiſt. B. Joannis ed. Bal. XVII.
1528. ſic ait: *Primis temporibus cadebat ſuper credentes Spiritus S. & loquebantur linguis*, &c. *ſigna erant tempore oportuno*, & infrà: *Nunquid modo, quibus imponitur manus, ut accipiant Spiritum S. hoc expectatur, ut linguis loquantur? aut quando impoſuimus manum iſtis* (NB) *infantibus, attendit unusquiſque veſtrûm, utrum linguis loquerentur? Et cùm videret eos linguis non loqui, ita perverſo* (NB) *corde aliquis veſtrûm fuit, ut diceret: Non acceperunt iſti Spiritum S.* &c. hæc ibi.

Similiter loquitur lib. 3. de Baptiſmo cap. 16. ut hoc c. art. 1. n. 13. ſuprà allegatum eſt, ubi patet manifeſtè contra Calvinum.

Primò, quod manûs impoſitio olim non fuerit catecheſis ut vult, Calvin. lib. 4 c. 19. §. 4. dicens: *Quando fidelium filii, qui infantes baptizati fuerant, poſtea ineunte adoleſcentia ab Epiſcopo examinati de fide, benedictionem ab Epiſcopis accipiebant; ita ut manuum impoſitio ſimpliciter loco benedictionis fieret*, hæc Calvinus. Sed ecce Auguſtinus dicit infantibus baptizatis manum ab Epiſcopo impoſitam, non per modum ſimplicis benedictionis, *ſed ut acciperent Spiritum Sanctum.* Quàm ergo mendaciter Calvinus dicit ibid. §. 5. *quod poſterior ætas ficititiam confirmationem pro Dei ſacramento poſuerit.*

2. patet, quod impoſitio manûs nō fuerit præciſè Apoſtolis data ad conferenda dona linguarū, &c.

Digitized by Google

ſed omnibus illorum ſucceſſoribus, ad dandum Spiritum S. inviſibiliter in corde; ita ut Auguſt. dicat, neminem tam *perverſo eſſe corde*, ut illum, cui manus ab Epiſcopo impoſita eſt, licèt non loquatur linguis, neget per hujusmodi impoſitionem accepiſſe Spiritum S. & tamen Calvin. hoc non tantum negat, ſed turpiſſimè mentitur id in Eccleſia primæva fuiſſe creditum, an non ergo perverſo fuit corde?

XVIII. Iterum *Auguſtinus* lib. 15. de Trin. c. 26. eâd. ed. ita ait: *Neque enim aliquis diſcipulorum eius dedit Spiritum S. Orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipſi eum dabant; quem morem in ſuis* (NB) *præpoſitis etiam nunc ſervat Eccleſia*, &c. ubi optimè dicit, quod nec Apoſtoli, nec Epiſcopi dant Spiritum S. tanquam cauſa principalis, ſed id ſoli Deo competat, qui ad impoſitionem manus dat Spiritum S. idque inde probat, quod nec Chriſtus ſecundùm humanitatem dederit illum; unde ſubdit dicens: *Propter hoc & Dominus ipſe Ieſus Spiritum S. non ſolùm dedit ùt Deus, ſed etiam accepit ut homo*, &c. *& manifeſtiùs de illo ſcriptum eſt in actibus Apoſtolorum: Quoniam unxit eum Deus Spiritu S. non utique oleo viſibili, ſed dono gratiæ, quod viſibili* (NB) *ſignificatur unguento, quo baptizatos ungit Eccleſia*, &c. Ecce quod baptizatis manum Epiſcopus impoſuerit, & unguento unxerit, ut acciperent Spiritum S. qui unguento ſignificatur; ubi omnia ad ſacramentum propriè dictum comprehenduntur; adeoque etſi Auguſt. ibi non vocet ſacramentum, tale tamen eſſe ſuppoſuit, quod clariùs jam patebit.

XIX. Itaque idem D. *Auguſtinus* l. 2. contra Literas Petiliani Donatiſtæ c. 104. eâd. ed. ubi Petilianus allegans hæc verba pſ. 132. *Tanquam unguentum in capite, quod deſcendit in barbam Aaron*, &c. inferebat: *Sic ungitur unitas, ſicut uncti ſunt Sacerdotes*. Auguſt. dicit: *verum dicis, nam illud ſacerdotium in figura corporis Chriſti habebat unctionem, quod unitatis compage ſit ſalvum. Nam & ipſe Chriſtus à chriſmate appellatur, id eſt ab unctione*, &c. quod autem Petil. volebat probare Donatiſtas habere unitatem, quia haberent hoc chriſmatis ſacramentum; Auguſt. rejicit dicens: *Cur ergo ipſi capiti* (Chriſto) *unde illud unitatis deſcendit unguentum*, &c. *reſiſtitis*, &c. volens oſtendere, quod unitatem per unguentum ſignificatam non haberent; ideo infert: *In hoc unguento ſacramentum chriſmatis vult* (Petilianus) *interpretari, quod quidem in genere viſibilium* (NB) *ſignaculorum ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe Baptiſmus, ſed poteſt eſſe & in hominibus peſſimis*, &c. ubi patet, quod confirmationem, quæ fit per impoſitionem manuum Epiſcopi, & unctionem *Auguſt.* agnoverit æquè ſacramentum ac ipſum baptiſmum; ſed ſicut baptiſmus poteſt eſſe in hæretico, ita etiam hæc confirmatio: unde multos variis peccatis obnoxios recenſens dicit: *Nullíne apud vos tales unguntur, & in his intus noti manifeſtiq́ue moriuntur?* & poſtea cõcludit dicens: *Diſcerne ergo viſibile ſanctum ſacramentum* (nota) *quod eſſe & in bonis & in malis poteſt, illis ad præmium, illis ad iudicium, ab inviſibili unctione charitatis, quæ propria bonorum eſt*, &c. hæc Auguſt.

Ecce quàm clarè hanc chriſmatis unctionem & manûs impoſitionem *dicit ſanctum ſacramentum, ſicut ipſum baptiſmum*: & rem ipſam declarat, quia ſignum eſt ſpiritualis unctionis, quæ datur ad præmium non ponentibus obicem; & ſacramentum manet in malis, ſicut baptiſmus, quia neutrum iterabile eſt.

ANTITHESES,

In quibus veritas doctrinæ Catholicæ & conformitas cum SS. Patribus circa ſacramentum confirmationis, & falſitas Acatholicorum & difformitas à SS. Patribus proponitur.

PRima: *SS. Patres docuerunt*, quod fidelibus, poſtquam baptizati eſſent, manus Epiſcopi imponendæ eſſent ad certum finem; idq; ab initio obſervatum eſſe in tota Eccleſia tradiderunt. *Ita etiam docet & tenet Eccleſia Catholica.*

Acatholici hoc negare non poſſunt.

2. *SS. Patres nunquam tradiderunt*, quod manuũ Epiſcopi impoſitio eſſet catecheſis ſeu ſimplex benedictio, quam Epiſcopus daret illis, qui in infantia baptizati, poſtea in adoleſcentia juxta Catechiſmum Epiſcopo ſuæ fidei rationem reddebant. *Hoc etiam non tradit Eccleſia.*

Acatholici cum Calvino volunt conſuetudinem antiquæ Eccleſiæ in hac manûs impoſitione nihil aliud fuiſſe.

3. *SS. Patres docuerunt & practicarunt*, quod infantibus baptizatis etiam ab Epiſcopo manus imponerentur, qui erant catecheſis incapaces. *Ita & Eccleſia.*

Acatholici negant hoc eſſe faciendum.

4. *SS. Patres nunquam docuerunt*, quod Apoſtolis ſolis à Chriſto mandatum fuerit miniſterium baptizatis imponendi manus præcisè pro initio Eccleſiæ, ut gratiam prophetiæ & linguarum duntaxat acciperent. *Ita nec docet Eccleſia Cath.*

Acatholici cum Calvino id ſolum à Chriſto mandatum eſſe ſine S. ſcript. vel SS. Patrum authoritate aſſerunt.

5. *SS. Patres docuerunt*, quod, licèt in initio Eccleſiæ per impoſitionem manuũ Apoſtolorum baptizatis ſæpius gratiæ linguarum collatæ fuerint; ille tamen non fuerit primarius impoſitionis finis, ſed ut baptizati acciperent Spiritum Sanctum, ſeu donum gratiæ inviſibilis & ſanctificationis, quo in fide confortarentur; idque ex Act. Apoſt. cap. 8. probarunt. *Ita etiam credit Eccleſia.*

Acatholici id negant.

6. *SS. Patres docuerunt*, quod poteſtas Apoſtolis à Chriſto commiſſa imponendi manus baptizatis ad accipiendum Spiritum Sanctum, quam in actis Apoſtolorum exercuerunt, non ſolum ipſis ad tempus, ſed ipſorum ſucceſſoribus Epiſcopis uſque ad finem ſeculi exercenda fuerit data. *Ita etiam credit & docet Eccleſia.*

Acatholici id prorſus negant.

7. *SS. Patres iudicarunt* illos eſſe perverſo corde, qui videntes, quod infantes, quibus ab Epiſcopo manus imponũtur, non loquantur novis linguis; nolunt credere, quod accipiant Spiritum Sanctum inviſibiliter. *Ita etiam iudicat Eccleſia.*

Acatholici autem negant infantibus per impoſitionem manuum Epiſcopis dari inviſibiliter Spiritum S.

8. *SS. Patres docuerunt*, quod ab initio per Eccleſiam univerſalem manûs impoſitio baptizatis à ſolo Epiſcopo facta ſit, ut acciperent Spiri-

Spiritum Sanctum. *Ita etiam tenet Ecclesia Catholica.*

Acatholici id negant.

9. *SS. Patres docuerunt*, quòd impositio manuũ Episcopi super baptizatum, sit verè & propriè Ecclesiæ Sacramentum sanctificans & conferens gratiam. *Ita etiam Ecclesia Catholica.*

Acatholici id planè negant.

10. *SS. Patres ab initio Ecclesiæ docuerunt*, quòd oleum seu Chrisma ab Episcopo benedictum cum reverentia sit habendum, idque vocârunt sanctum, spirituale, *&c.* quo in impositione manûs ab Episcopo frons baptizati in formam crucis signaretur, ut acciperent Spiritum Sanctum. *Ita etiam credit Ecclesia.*

Acatholici hoc Chrisma prorsus execrantur cum Novatianis & Arianis.

11. *SS. Patres docuerunt*, quòd sit in Ecclesia speciale Sacramentum Confirmationis, quo baptizati ungantur, idque in genere visibilium signaculorum sacrosanctum, sicut ipse Baptismus; & sit sanctum Sacramentum Domini sigillum, quo fideles tanquam tutâ & perfectâ custodiâ obsignantur; nec Christiano nomine digni sint, qui hoc unguento, quo Christianus perficitur uncti non sunt. *Ita etiam docet & tenet Ecclesia.*

Acatholici id prorsus negant, detestantur, & deridont.

12. *SS. Patres docuerunt*, quòd ungi necesse sit eum qui baptizatus est, ut accepto Chrismate esse unctus Dei, & habere gratiam Christi possit, scilicet perfectionem. Item, quòd caro ungatur, & anima consecretur, caro manuum impositione adumbretur, ut anima spiritu illuminetur]: specie signemur in corpore ut veritate in corde signemur. *Hæc etiã docet & tradit Ecclesia.*

Acatholici omnino ista negant.

CONCLUSIO.

I. Ex prædictis sincerus Lector clarè perspiciet veritatem doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ & conformitatem cum doctrina Ecclesiæ primitivæ circa Sacramentum Confirmationis: constat enim, quòd in hoc Sacramento sit signum visibile, ut manuum Episcopi impositio & Chrismatis in fronte baptizati unctio: quæ significat Spiritum Sanctum, seu interiorem animæ unctionem, & gratiam à Spiritu Sancto datam ad Confirmationem in Fide. Quòd autem hoc signum à Christo institutum sit, etiam patet ex verbo Dei tradito, quod per testimonia SS. Patrum & usum Ecclesiæ à tempore Apostolorum ad nos pervenit. 2. Constat ex facto Apostolorum Act. 8. v. 19. non enim Apostoli illo signo ad dandum Spiritum Sanctum usi essent, nisi ipsis constitisset, quòd Christus sic instituisset, qui solus ut Deus tale signum instituere potest, ut per tale signum infallibiliter daretur Spiritus Sanctus.

II. Similiter nec SS. Patres illo signo ita certò usi essent, ut baptizati Spiritum Sanctum acciperent, ut etiam tale quid negantes perverso corde esse dicerent, nisi ex Apostolica traditione illis constitisset, quòd tale signum ad hoc institutum esset: nec illud æquè sacrosanctum Sacramentum dixissent, sicut baptismum, qui à Christo institutus est.

III. Quod autem nomen *Confirmatio* attinet, quòd in veteri Ecclesia non fuerit usurpatum, parum refert, quia res ipsa constabat: illud enim quod SS. Patres Sacramentum impositionis manuum vel unctionis vel Chrismatis dixerunt propter extrinsecum signum, id postea Ecclesiæ usus obtinuit; ut dicatur Confirmatio propter effectum Sacramenti scilicet gratiam Spiritûs Sancti, quâ suscipientes hoc Sacramentum in Fide confirmantur: sic etiam Sacramentum Baptismi tam in S. Scriptura, quàm à SS. Patribus variis nominibus appellatur; adeòque eadem & modernæ & antiquæ Ecclesiæ doctrina manifestè patet.

IV. Demùm ex SS. Patrum doctrina, & usu patent manifesta Calvini mendacia suprà indicata lib. 4. Inst. cap. 19. §. 4. & seqq.

Primum, quòd impositio manuum Episcopi fuerit nuda catechesis adolescentium in infantia baptizatorum, & simplex illorum benedictio: patet enim contrarium ex sanctis Patribus.

2. quod dicit; *Posterior ætas fictitiam nescio quam Confirmationem pro Dei Sacramento posuit.* Patet contrarium ex SS. PP. & S. Scriptura.

3. quòd exempla Apostolorum Act. 8. & 19. ex suo cerebro non vereatur falsò interpretari dicendo: *Huic impositioni manuum non altius subesse mysterium cogito, sed huiusmodi ceremoniam, adhibitam ab illis interpretor, ut ipso gestu significarent se Deo commendare & velut offerre eum, cui manus imponebant, &c.* At patet ex textu S. Scripturæ & unanimi SS. Patrum sententia, & Ecclesiæ antiquæ usu, quòd ceremonia illa data sit, ut acciperent Spiritum Sanctum, tanquam virtutem ab alto, quâ in Fide confortentur.

(**)

FINIS LIBRI XIV.

LIBER XV.

De Sacramento Euchariſtiæ.

HOc venerabile Sacramentum quò excellentius eſt, & ex majore Chriſti erga Eccleſiam ſuam amore inſtitutum eſt; eò magis diabolo & ejus diſcipulis abominabile eſt; & licèt diabolus ab initio Eccleſiæ contra illud laborârit aliquos excitando, de hoc venerabili Sacramento, vel dubitando vel quæſtiones & errores movendo, nunquam tamen ex Dei diſpoſitione & ſanctorum Patrum vigilantia ſpecialem ſectam concitare potuit, donec Deo permittente poſterioribus ſæculis aliquæ ſectæ emerſerint; ſicut ſemper extinctis aliis novæ hæreſes ad exercitium fidelium exortæ fuerunt, juxta illud 1. Cor. 11. v. 19. *Oportet hæreſes eſſe: ut &, qui probati ſint, manifeſti fiant, &c.* In hoc igitur libro, recenſitis variis erroribus, veritas Catholica demonſtrabitur & hæreticorum argumenta refutabuntur, præſertim ea, quæ illi tres Anonymi trium libellorum authores objecerunt.

Articulus, quem iſti Anonymi defendendum inter alios ſuſceperunt, hîc erat à me propoſitus: *quòd Idololatria ſit Chriſtum adorare præſentem in Sacramento Euchariſtiæ ſub ſpeciebus panis.*

CAPUT I.

De variis contra hoc V. Sacramentum Erroribus & vera Eccleſiæ Doctrina.

ARTICULUS I.

Referuntur errores antiquorum hæreticorum.

I. PRimi de hoc venerabili Sacramento errantes fuerunt *Capharnaitæ* Joann. 6. qui auditis verbis Chriſti, quibus hoc venerabile Sacramentum ſe inſtituturum dicebat, craſſo, & carnali modo illam intelligentes, abſolutè dicebant: *Quomodo poteſt hic nobis dare carnem ſuam ad manducandum?*

II. *Simonis Magi & Menandri* diſcipuli, quia non credebant Chriſtum veram carnem aſſumpſiſſe, ejusdem in Euchariſtia præſentiam negabant, ita refert *S. Ignatius Mart.* apud Theodoret. dial. 3.

III. *Neſtoriani* negabant Euchariſtiam extra uſum eſſe Sacramentum, ita refert *Cyrillus Alexandrinus* Epiſt. ad Caloſyrium.

IV. *Iconomachi* circa Annum 730. aſſerebant; quòd in Euchariſtia panis & vinum eſſet imago Chriſti, & tantùm illius corpus & ſanguinem repræſentarent, ita refertur in Concil. Nicæno II. art. 6. de quo lib. de Vener. SS. Imaginum clariùs patet. Idem refert *Joannes Damaſcenus* lib. 4. orthodoxæ Fidei cap. 14.

V. Circa annum 1060 hæreſis contra veritatem præſentiæ Corporis & Sanguinis in V. Sacramento emerſit per *Berengarium* quendam Diaconum Andegavenſem; qui præter alias hæreſes, inter quas erat, *quod negaret parvulos eſſe baptizandos*, etiam aſſerebat: Euchariſtiam poſt conſecrationem eſſe tantùm ſignum Corporis & Sanguinis Domini qui poſtea in Concil. de falſitate convictus, fatebatur quidem Corpus & Sanguinem Chriſti verè in Euchariſtia eſſe præſentia realiter, ſed cum panis & vini ſubſtantiis remanentibus: tandem iterum convictus, hæreſim illam abjuravit, ut refert *Thomas VValdenſis* tomo 2. de Sacramentis, cap. 43. de quo dicetur infrà cap. 3. art. 6.

Albigenſes circa Annum 1200. inter plures abominabiles *Manichæorum* hæreſes, etiam docebant: quòd Corpus Chriſti non aliter eſſet præſens in Euchariſtia, quàm in alio pane; vel alia quacunque re: ita refert *Bernardus Luxemburgus* lib. de Hæreſibus, & *Antoninus* in ſumma theologica parte 4. Tit. 11. cap. 7. §. 5. V

VVicleff circa Annum 1390. art. 3. dicebat: *Chriſtus non eſt in Sacramento identicè, realiter, & in propria præſentia corporali*, idem aſſeruit lib. 4. Trialogi cap. 2. *&c.* V

ARTICULUS II.

Referuntur errores Lutheranorum.

LUtherus quidem fatebatur: 1. Corpus Chriſti verè & phyſicè ſubſtantialiter & realiter eſſe præſens in Euchariſtia, & verè etiam ore fidelium ſumi; ſed ita, ut ſubſtantia panis etiam ibi maneat: dicit tamen poſſe ſine periculo Fidei ſuſtineri, quòd panis ſubſtantia maneat, vel non maneat, ita lib. de Capt. Babylon. cap. de Euchariſtia; licèt probabiliùs putet, quòd panis maneat.

2. docuit, quòd corpus Chriſti ideo ſit præſens in Euchariſtia; quia per Incarnationem humanitas Chriſti & proinde ipſius corpus propter unionem in Verbo ubique exiſtente ſit ubique; ac proinde etiam in Euchariſtia: hanc *ubiquitatem* plures Lutherani amplexi ſunt, ut *Brentius* in Apologia pro confeſſ. Wittenberg. in Tract. de cœna Domini, *Illyricus*, *Caſpar Svvenfeldius*, &c.

Alii ex Lutheranis negant hanc corporis Domini ubiquitatem, & aſſerunt; quòd tantùm phyſicè ſit præſens in cœlo & in Euchariſtia. Ita *Philipp. Melanchton* in locis comm. lib. de Cœna Domini, & in cap. 3. Epiſt. ad Coloſſ. ubi damnat iſtam ubiquitatem. Hunc ſecuti ſunt *Saxones* in Concilio Dreſdenſi Anno 1571. in quo aſſeruerunt *ubiquitatem Corporis Chriſti eſſe horribilem prophanationem omnium Articulorum ſymboli*

apoſto-

Apostolici. Verùm *Saxones, VVittenbergenses & Lipsienses* Anno 1580. concordiam ediderunt: in qua pag. 731. pro Articulo Fidei istam ubiquitatem receperunt.

III. *Kemnitius Lutheranus* varius est; nam in lib. de 2. Christi naturis, ubiquitatem docet. At verò in examine Concilii Trident. sess. 13. c. 3. negat ubiquitatem esse fundamentum præsentiæ corporis Christi in sacramento, sed verba Christi: Hoc est corpus meum; quem etiam plures sequuntur.

IV. Hi ergo qui ubiquitatem negant adhuc divisi sunt; nam alii docent, corpus Christi tantùm esse præsens in actuali sumptione, & ideo ante sumptionem non esse adorandum: alii autem dicunt, esse præsens in tota cœnæ actione, dum panis benedicitur, frangitur, distribuitur & sumitur, ita *Kemnitius* in 2. par. Exam. Conc. Trid.

V. Demum aliqui Lutherani concedunt quòd per triduum post cœnam maneat Christus, si ad Ægrotos deferatur.

VI. In hoc autem omnes Lutherani consentiunt cum Catholica Ecclesia: quòd in Eucharistia aliquando sit verè præsens corpus Domini.

ARTICULUS III.

Referuntur errores Sacramentariorum.

I. Sacramentarii dicuntur, qui realem Christi in Eucharistiæ sacramento præsentiam negant: hunc errorem assumpserunt aliqui Lutheri discipuli, inter quos fuerunt

II. *Andreas Carolstadius*, unus ex primis Lutheri discipulis, qui circa Annum 1525. librum edidit: in quo negabat, realem Corporis Christi in Eucharistia præsentiam, ut testatur *Cochlæus* in actis Lutheri, Anno 1525.

III. Hunc alius Lutheri discipulus secutus est Huldaricus, Zvvinglius, Tigurinus, qui epist. ad Eslingenses sic scribebat: *Nos ex verbo Dei asserimus Christum edere, idem esse, quod in ipsum credere: neque ipsum manducari à quopiam corporaliter, &c.* Et idem in subsidio de Eucharistia: tomo 2. fol. 249. refert; se multùm hæsitâsse, quomodo ex sacrâ scripturâ probaret, quod verba Christi, *hoc est corpus meum*, explicari possent de nudo signo, *&c.* ait: quòd somnium grave habuerit, in quo circa illam quæstionem multùm anxius sibi hærere videbatur, sed, ùt ait, *videbatur monitor adesse, ater fuerit, an albus, nihil memini; qui diceret, quin ignave respondes ei, quod Exod. 12. scribitur: Est enim phase, hoc est, Transitus Domini, protinus ùt hoc phasma visum est, simul expergiscor, de lecto exilio, locum apud septuaginta undique primum circumspicio, & de eo coram tota concione pro virili dissero: qui sermo, ubi acceptus est, omnibus sacrarum litterarum candidatis totam nebulam discussit, &c.* hæc Zvvinglius addens, *quod etsi somnium narret, tametsi leve non sit, quod per somnium didicimus, gratia Deo, in cujus gloriam ista prodimus, &c.* ô falsum & fictum fundamentum ex Exodo, cùm ibi in textu originali non habeatur. Hoc est, sed tantùm ab interprete appositum sit explicando, quid vox phase hebræa latinè significet; *&c.* an Christus hoc fecit in cœna?

IV. Zvvinglium secutus est *OEcolampadius*, etiam Lutheri discipulus in libro de Verbis Cœnæ, & *Henricus Bullingerus* successor Zvvinglii in pastoratu Tigurino decade 3. de Cœna Domini.

Hunc errorem Calvinus assumpsit, & ampliùs stabilire conatus est.

ARTICULUS IV.

Refertur error Calvini.

Calvinus errorem Sacramentariorum promulgare cupiens, & videns loca sacræ Scripturæ ac sanctorum PP. testimonia huic errori crassè proposito planè contraria, subtiliùs agere voluit; unde concessit quidem, quòd in Eucharistia verè sumatur & manducetur corpus Christi; sed negat illud corpus verè & realiter ac physicè esse in Eucharistia præsens, sed tantùm sic manere præsens in cœlo; ita ut corpus Christi nullatenus per os corporale fidelium, sed nudus panis sumatur; sed solùm per os, ùt vocat, fidei accipiatur; ita ut, dum fideles nudum panem per os sumunt, illum in signum Christi accipiant credentes se per Christum salvandos esse: hæc tamen variis verbis involvit, ut simplici lectori fucum faciat. I.

Vnde primò docet, *quòd symbola cœnæ sint tantùm in terra, & corpus Christi tantùm in cœlo, ita ut nusquam sit, nisi in cœlo & determinato loco cœli, &c.* ita in lib. de Consensu cum Tigurinis. II.

Secundò tamen in cap. 26. Matth. sic ait: *Verè in cœna datur nobis corpus Christi, ut sit animis nostris in cibum salutarem: hoc est, substantiâ corporis Christi, pascuntur animæ nostræ, ut verè unum efficiamur cum eo.* & infrà: *Non ergo vacuum & inane signum nobis proponitur, sed verè carnis & sanguinis Domini fiunt participes, qui fide promissionem hanc recipiunt.*

Et lib. 4. Inst. cap. 17. §. 5. dicit comedere Christi carnem non esse solùm credere, sed verè participem fieri carnis ejus. & § 32. *In sacra sua*, ait, *cœna jubet me sub symbolis panis & vini corpus suum ac sanguinem suum sumere: nihil dubito, quin ipse verè porrigat, & ego recipiam.*

Iterum lib. de Cœna Domini cap. 2. dicit, *quòd panis per metonymiam dicitur corpus Christi, quia est certissimum signum præsentiæ corporis Christi, quod nobis in cœna datur: sicut columba descendens super Christum à Ioanne dicta est Spiritus Sanctus.* Ioann. 1: *quia erat signum præsentiæ Spiritûs Sancti, &c. sed Spiritus Sanctus erat verissimè secundum substantiam præsens in signo columbæ.*

Ecce quàm sunt hæ latentes insidiæ in verbis, quoad præsentiam Christi in cœna: ut simplex homo putaret, Calvinum suam doctrinam retractâsse, quòd corpus Christi tantùm esset in cœlo præsens, sed tamen sub his verbis conatur illudere & evadere argumenta S. scripturæ & SS. PP. Ideo etiam postea lib. 4. Inst. cap. 17. §. 10. dicit: *Summa sit non aliter animas nostras carne & sanguine Christi pasci, quàm panis & vinum corporalem vitam tueatur & sustineat*, & paulò post: *Quod fieri non potest, nisi nobiscum Christus verè in unum coalescat, nosque reficiat carnis suæ esu & sanguinis potu. Etsi autem incredibile videatur in tanta locorum distantia penetrare ad nos Christi carnem, ut nobis sit in cibum, meminerimus, quantum suprà sensus omnes nostros emineat arcana Spiritûs Sancti virtus, & quàm stultum sit ejus immensitatem modo nostro metiri: quod ergo mens nostra non comprehendit, concipiat fides, spiritum verè unire, quæ locis disjuncta sunt.* hæc Calv. sed verè magis incomprehensibilia sunt, quòd caro Christi solùm sit in cœlo, & homo in terra, & tamen caro III.

d by Google

caro Chriſti cum homine verè uniatur, *&c.* quàm ſi dicatur quòd caro Chriſti manens in cœlo per Dei potentiam etiam verè fiat præſens homini in terram. Demum tamen Calvinus §. 5. mentem ſuam declarat dicens: *Interim verò non aliam eſſe, quàm Fidei manducationem fatemur, & nulla alia fingi poſſit, &c.* verùm, ſi nulla ſit alia manducatio quàm per Fidem, ut homo credat in Chriſtum, & ſic conjungatur; illa conjunctio inter hominem & corpus Chriſti diſtans in cœlo non eſt tam ſublimis & incomprehenſibilis, qualem Calvinus dicit, *&c.* ecce, quantæ inſidiæ & involucra in verbis Calvini.

Ex prædictis apparet, quàm fraudulenter Calvinus loquatur de præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia; cùm tamen in veritate dicat, corpus Chriſti ſecundùm ſubſtantiam ſuam eſſe tantùm in cœlo.

IV. Ex his patet, quàm ſapienter S. Eccleſia uſurpet nomen Tranſubſtantiationis in hoc myſterio; ut veritas clariùs exprimatur, & technæ, doloſaque verba, quibus olim *Berengarius* & poſtea *Calvinus* cum ſuis ad decipiendos ſimplices utuntur, manifeſtentur & diſſipentur.

ARTICULUS V.

Referuntur opiniones Calvini ſectatorum.

I. CAlvinum ſequuntur Acatholici prætenſi Reformati, licèt adhuc inter ſe diviſi; nam, licèt in prædictis conſentiant; diſſident tamen in alio principali; an ſcilicet doctrina de reali præſentia in Euchariſtia ſit fundamentalis, ita ut ſine ipſa Fides vera vel Eccleſia non ſubſiſtat; an verò non fundamentalis, ſed congrua, ut alterutrum ſalvâ Fide doceri poſſit; in quo juxta ipſorum doctrinam plurimùm eſt ſitum, ùt infià patebit: aliqui aſſerunt, quòd non; & ideo cum Lutheranis pacem haberi poſſe docent; aliqui volunt eſſe fundamentalem.

II. *Confeſſio publica Helvetica* prætensè Reformatorum damnat ſententiam tam Catholicorum, qui aſſerunt corpus Chriſti per tranſubſtantiationem eſſe præſens; quàm Lutheranorum, qui in pane præſens eſſe docent: ſic enim in ſua Harmonia confeſſionum Fidei, ad declarationem Confeſſionis Helveticæ prioris notant: *Damnatio carnalis manducationis, Capharnaitarum, Pontificiorum & ubiquitariorum.*

In ipſa *Confeſſ. Helvet. poſteriore* art. 21. ſic dicitur: *Caro Chriſti corporaliter manducari non poteſt, citra flagitium aut truculentiam.*

III. *Confeſſio Crengriana* de Cœna Domini p. 193. ſic profitetur: *Pernegamus ſarcophagiam corporalem & cruentam; hoc eſt corpus Chriſti naturale ex Virgine natum ore corporali in Cœna ſumi.*

Ibidem pag. 194. *Eorum inſaniam damnamus, qui aſſerunt Sarcophagiam,* id eſt, *ore corporali ſumi Chriſti Corpus naturale, ſine ulla mutatione & tranſubſtantiatione. Nam, ùt impoßibile eſt accidentia manere & ſumi ſine ſubiecto, ut Papiſtæ nugantur: videri quidem accidentia panis, ſed Corpus Chriſti in Miſſa ſumi; ita iſti Sarcophagi delirant, dum ſomniant panem quidem videri, & panem non mutari in Corpus, tamen pane manducato realiter & tranſubſtantialiter Corpus Chriſti ore corporali ſumi,* & paulò pòſt: *Ipsâ appellatione tranſubſtantiationis Papiſtæ à Sarcophagis corporariis differunt, ſed re ipsâ in re ſacramentaria per omnia conveniunt.* Hæc Confeſſio.

Ex quibus patet, quòd ipſi prætenſi Reformati æqualiter damnant Papiſtas & Lutheranos; adeòque pro fundamentali Articulo agnoſcunt, ac Lutheranos inſaniæ & impietatis damnant.

At verò alii prætenſi Reformati aliter ſentiunt; qui exiſtimant pacem & concordiam in Fide cum Lutheranis haberi poſſe; non obſtante illorum de præſentia Corporis Chriſti & orali illius manducatione in Euchariſtia ſententia.

Sic enim in *Regno Poloniæ* concordârunt *Lutherani, prætenſi Reformati, & Bohemici VValdenſes* inter ſe fraternitate firmatâ; ut patet ex pactis in Synodo *Sendomarienſi* 14. Aprilis Anno 1570. habita; ubi poſtquam dixiſſent qui in illa Synodo confeſſionem ediderunt: *Nunquam credimus Fratres eos, qui Auguſtanam Confeßionem amplectuntur, aliter quàm piè & orthodoxè ſentire de Deo,* &c. *aliiſque præcipuis capitibus Fidei noſtræ; ita etiam ii qui Auguſtanam Confeßionem ſequuntur, profeßi ſunt candide & ſincerè, ſe viciſſim tam Eccleſiarum noſtrarum, quàm de fratrum Bohemicorum (quos quidem noſtri ignari VValdenſes vocant) Confeßionem de Deo & S. Triade,* &c. *& aliis primariis Fidei Chriſtianæ Capitibus nil agnoſcere, quòd ſit abſonum ab orthodoxa veritate & puro Dei verbo,* &c. & paulò pòſt: *Deinde verò quantùm ad infœlix diſſidium de Cœna Domini attinet, convenimus in ſententia verborum Domini Ieſu Chriſti,* &c. ubi ponunt verba quædam intricata, quæ in utraque ſententia tolerari poſſint, & demum addunt; *quòd tamen ita hunc conſenſum unanimem colent frequentando tam huius quàm illius Confeßionis cœtus & uſum Sacramentorum: ut tamen obſervetur rectus ordo unigenius Euchariſtiæ,* &c.

Hanc fraternitatem & concordiam confirmârunt poſtea *Boſnaniæ Lutherani & Bohemici* 20. Maji 1570. quam *Lutherani Bohemici* & *Helvetii* in Synodo generali Cracovienſi 29. Sept. 1573. item in *Synodo generali Turonenſi* 21. Auguſti 1595. habita receperunt.

Iterum prætenſi Reformati eandem profeſſi ſunt in *Synodo Nationali Carentonæ,* in ſuburbano Pariſienſi 1631. habita; & tandem in ſuo decreto addunt: *Non ignoramus multa eſſe, quæ à vitiligatoribus in hanc ſententiam objici poſſent; ſed ea, pleraque leviſſima ſunt, neque ullo modo cum graviſſimis Fidei & Chriſtianæ charitatis rationibus comparanda, &c.* hæc ibi.

Eandem concordiam *Palatini Heidelbergenſes* etiam Lutheranis in Germania ſæpè obtulerunt, prælertim in *Admonitione de libro concordiæ*: E contrà verò *Lutherani VVittenbergici* & alii in Germania prorſus abhorrent à ſententia prætensè Reformatorum de Cœna Domini; nec ullatenus concordiam cum illis in Fide ſtante illâ ſententiâ iniri poſſe aſſerunt; ùt patet apud *Theologos VVirtenbergenſes* in Refut. Confeſſ. orthod. in præf. p. 7. & alibi paſſim; qui etiam referunt contumelias ipſis à Reformatis inferri ſolitas, ſcilicet quòd Lutheranos vocent *carnivoras, ſanguiſugas, qui Capharnaiticam lanienam carnis Chriſti inſtituunt*; adeòque doctrinam illorum de Cœna Domini *excrementum diaboli* dicunt,

ut

ut videre est apud *Theod. Bezam* tomo 1. epist. 70.

X. Ex his patet, quanta apud modernos Acatholicos tam Lutheranos inter se, quàm inter Reformatos inter se, & inter utrosque sit dissensio; & quòd nihil certi sit, quoad præsentiam Christi in cœna, si fundamentalis Articulus consideretur; dum alii talem esse mordicus asserunt; alii negant: & sic instar Lunæ mutabiles sint.

At vero Catholica Ecclesia firma, ut sol veritatem uniformiter credit & docet, ut jam dicetur.

ARTICULUS VI.

Proponitur Doctrina Ecclesiæ Catholicæ de præsentia Christi in Eucharistia.

I. VEritatem Catholicam profitetur & tradit Concil. Trident. sess. 13. c. 1. dicens: *Docet S. Synodus, & aperte ac simpliciter profitetur, in almo S. Eucharistiæ Sacramento post panis & vini consecrationem Dominum nostrum Iesum Christum verum Deum atque hominem verè realiter & substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri; nec enim hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cœlis assideat, juxta modum existendi naturalem; & ut multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit, eâ existendi ratione; quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustratâ assequi possumus, & constantissimè credere debemus.*

II. 2. De sacra Eucharistia extra usum cap. 3. sic profitetur: *Commune hoc quidem est sanctissimum Eucharistiæ cum cæteris Sacramentis, symbolum esse rei sacræ & invisibilis gratiæ formam visibilem: verùm illud in ea excellens & singulare reperitur, quòd reliqua Sacramenta tunc primùm sanctificandi vim habent, cùm quis illis utitur: at in Eucharistia ipse sanctitatis author antè usum est, nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperunt, cùm verè tamen ipse affirmaret corpus suum esse, quod præbebat; & semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit; statim post consecrationem verum Domini nostri corpus; verúmque ejus sanguinem sub panis & vini specie unà cum ipsius anima & divinitate existere, sed corpus quidem sub specie panis & sanguinem sub vini specie ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini & sanguinem sub specie panis animámque sub utraque vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, quâ partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non ampliùs moritur, inter se copulantur, &c. quapropter verissimum est, tantundem sub alterutra specie atque sub utraque contineri; totus enim & integer Christus sub panis specie & sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie & sub ejus partibus existit.*

3. Quot modis fideles hoc Venerabile Sacramentum percipiant, idem Concil. ibidem cap. 8. declarat dicens: *Quoad usum autem rectè & sapienter Patres nostri tres rationes hoc Sacramentum accipiendi distinxerunt: primò quosdam docuerunt sacramentaliter duntaxat id sumere, ùt peccatores* (scilicet in peccato mortali scienter accedentes) *alios tantùm spiritualiter; illos nimirum qui voto propositum illum cœlestem panem edentes, fide vivâ, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus & utilitatem sentiunt* (licèt ipsum sacramentum realiter non suscipiant) *Tertios porrò sacramentaliter simul & spiritualiter: hi autem sunt, qui ita se priùs probant & instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam hanc mensam accedant.* hæc Concilium. III.

Ex his claré constat doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa venerabile Eucharistiæ Sacramentum; quam omnes Catholici unanimiter profitentur & credunt ut de fide certam. Quod autem hæc verissima sit in S. Scriptura fundata & in primitiva Ecclesia credita, in sequentibus ostendetur: quod ut commodiùs fiat, priùs possibilitas probabitur quod corpus Christi possit substantialiter modo naturali manere in cœlo, & simul sacramentaliter esse præsens in diversis locis in Eucharistiis in terra. IV.

CAPUT II.

De Possibilitate Corporis Christi in Eucharistia.

ARTICULUS I.

Quòd corpus Christi verè & realiter per Dei absolutam potentiam possit esse sine præsentia circumscriptiva ad locum, ostenditur ex ratione naturali.

I. PLeriq; ex prætensis Reformatis cum Calv. lib. 4. Instit. cap. 17. §. 24. ut faciliùs se expediant contra veritatem Catholicam, negant id esse possibile, sic enim ille ait: *Cur*, inquiunt, *non faciat Deus, ut caro eadem plura diversaque occupet loca, ut nullo loco contineatur, ut modo & specie careat* (respondet) *insane, quid à Dei potentia postulas, ut carnem faciat simul esse & non esse carnem?* & hoc modo Acatholici contra Catholicam fidem argumentantur: ubi tamen Calvinus falsa Ecclesiæ Catholicæ imponit, quasi Ecclesia doceret Deum facere, quòd corpus Christi sit in Eucharistia sine modo & specie carnis, quod falsum esse infrà patebit, sic etiam videtur sentire 3. Anonymus.

Aliqui autem ex illis prætensis Reformatis concedunt, quod Deus id possit facere; sed negant id Christum voluisse facere; sic *Theologi Heidelbergenses*, & hoc modo in privatis disputationibus Acatholici communiter loquuntur, & hoc trahunt ex eodem Calvino suprà ubi dicit: *Non quæritur quid Deus potuerit, sed quid voluerit* ut tamen veritas pateat contra eorum doctrinam possibilitas ostendetur. II.

Possibilitas corporis Christi in loco præsentis ut non extendatur ad locum, probatur primò ex naturali ratione. Pro fundamento dicendo- III.

Digitized by Google

rum *supponendum* est 1. quod omnia quæcunque non implicant contradictionem, scilicet, ut non dicatur quòd res eadem secundum idem simul sit & non sit, sint Deo possibilia, quia est contra prima principia naturæ, ut idem simul sit & non sit. Hoc etiam videtur supponere Calvinus suprà, dum dicit; quod non possit fieri ut caro simul sit caro & non sit caro. Si ergo ostendatur quod ex hoc quod caro Christi sit simul in cælo & in terra, non sequatur; quod sit caro, & non caro sed semper maneat caro; clarum erit: quod sit possibile per Dei omnipotentim.

IV. *Supponendum* 2. quòd corpus esse in hoc vel illo loco, non dicat ipsam corporis substantiam; sed aliquod corporis accidens, à Philosophis, dictum: *ubi*, quod evidens est; quia eadem substantia corporis in se manens invariata & incorrupta potest esse nunc in hoc, nunc in illo loco, & sic unum ubi vel unam præsentiam amittere & aliam acquirere, ut ad oculum patet: ex quo evidens est, quod ubi vel præsentia sit accidens corporis ab illo realiter distinctum; ita ut sine hoc, vel illo accidente substantia corporis esse possit.

V. *Supponendum* 3. quòd diversa sint *ubi* vel potius *præsentiæ accidentales* in creaturis: nam corpora naturaliter habent tale ubi vel præsentiam ad locum; ut partes corporis commensurentur partibus loci seu corporis locantis; ita ut corpus locatum circumscribatur à corpore locante, & una pars corporis locati sit præsens uni parti loci & altera alteri, non verò eadem pars corporis locati sit præsens omnibus partibus loci: & hæc præsentia corporis dicitur *ubi circumscriptivum & extensivum ad locum*.

VI. Alia est *præsentia Spirituum*; nam spiritus ut Angeli & Anima rationalis, quæ nullas habent partes substantiales corporeas extensas prædicto modo non sunt in loco, ut per se patet; quando ergo sunt præsentes alicui loco corporeo, ita sunt illi corpori præsentes, ut totus spiritus sit toti loco præsens, & totus etiam cuilibet parti loci. Sic Anima à Philosophis dicitur præsens tota in toto corpore, & tota inqualibet corporis parte & puncto; & hoc *ubi* dicitur *definitivum* spiritibus naturale: Sic excellentiore modo Deus immensus & infinitus quoad suam substantiam totus & integer est in toto universo, in cœlo & in terra prout dicitur Ierem. 23. v. 24. *Cælum & terram ego impleo*, & tamen æquè totus (si totus dici possit) & integer secundum suam substantiam est præsens cuilibet creaturæ & rei quantumvis minimæ & vilissimæ, imò cuilibet puncto, etiam in inferno & cum dæmonibus: de qua Dei præsentia August. epist. 3. ad Volusianum edit. Basil. 1528. sic ait: *Miratur hoc mens humana & quia non capit fortasse non credit; quod tamen de fide certissimum est*.

VII. *Supponendum* 4. quòd Deus possit esse in se perfectissimus, licet nulli creaturæ esset præsens; sicut fuit ante Creationem universi *&c.* sic posset universum annihilare, ac proinde non esset præsens universo creato, nec diceretur esse alicubi, seu in aliquo loco; sed tantùm tunc diceretur sibi ipsi præsens essentialiter.

Supponendum 5. quod si universum existat, non est possibile, ut Deus non sit præsens universo, vel creaturæ realiter existenti, hoc enim esset contra *Immensitatem Dei* & ejus omnimodam infinitatem; nam imperfectionis esset, quod extaret aliqua res, cui Deus non esset præsens, & sic esset Deus, infinitus & non esset infinitus, *&c.* cum hoc tamen certum est; quod quando creatura producitur, cui Deus est præsens Deus tunc in se non recipiat novum accidens vel præsentiam, per quam dicatur præsens rei creatæ; hoc enim in Deo argueret mutationem & imperfectionem, quod est contra Dei infinitatem in essendo; sed res creata accipit realem præsentiam ad Deum, quam Deus terminat; & sic Deus dicitur præsens isti Rei. VIII.

Supponendum 6. quòd præsentia, qua Creatura est Deo præsens sit eadem realiter cum ipsa creatura; ita ut non possit esse sine illa, nam hoc esset contra Dei immensitatem ut dictum est, quod creatura esset producta & non esset præsens Deo, vel Deus ipsi præsens. Econtra quia omnia creata sunt finitæ essentiæ; & una creatura non dependet essentialiter ab alia creatura à se realiter distincta, sicut à Deo dependet; sic Deus potest per suam omnipotentiam unam creaturam conservare in sua substantia; ut sit tantum præsens Deo, & nulli alteri creaturæ à se distinctæ; ex hoc enim nulla sequitur contradictio, ut quod creatura simul esset & non esset; quæ humanâ ratione facilè ulterius demonstrari possent. IX.

Ex his infertur 1. quòd Deus possit corpus aliquod in suo esse conservare, ita ut soli Deo esset præsens, & nulli alteri creaturæ à se distinctæ, quod ostenditur: quia præsentia unius creaturæ ad alteram est accidens ab illa realiter distinctum; nec Creatura in suo esse dependet ab hac præsentia; quia naturaliter potest perdere hanc præsentiam, & aliam acquirere manens immutata in sua substantia. Cum autem realiter possit esse sine hac & illa usque ad omnes divisim, sic per Dei potentiam posset conservari sine omnibus præsentiis conjunctim sumptis; quia nulla esset contradictio, ut patet, & hanc propositionem subtilissimè probat Scotus in 4. dist. 10. q. 3. n. 14. X.

Infertur 2. quia corpus habens quantitatem & qualitates, sicut potest naturaliter manere secundum illas invariatum, & tamen mutare locum vel acquirere aliud ubi circumscriptivum; ita ut non sit necessariò in hoc loco, ubi circumscribitur à superficie corporis locantis, ut patet experientia; sic Deus posset corpus quantitativum cum suis qualitatibus absolutis conservare, ut nulli loco esset circumscriptivè præsens; quia ex hoc non sequitur contradictio, ut XI.

patet,

Digitized by Google

patet; quia tale corpus esset vera substantia habens quantitatem & qualitatem, speciem & formam, licèt nulli alteri corpori realiter & localiter commensuraretur; quod insuper probatur: quia, si Deus solum Corpus Christi conservaret, & omnia totius universi corpora annihilaret, tunc verum esset, quòd esset verum corpus quantum, & tamen alteri non commensuratum; quia nullum aliud extaret præter ipsum Corpus Christi: sicut ergo Corpus Christi annihilato universo posset conservari sine omni tali ubi circumscriptivo, sic etiam posset sine omni tali ubi conservari, licèt universum existat; quia non dependet Corpus Christi essentialiter à præsentia circumscriptiva ad ullum aliud corpus.

XII. Infertur tertiò, quòd Deus corpori qualicunque, quod absque ubi circumscriptivo conservaret, posset dare præsentiam aliam realem ad alia corpora, quæ esset similis præsentiæ spirituum, quâ spiritus secundùm totam substantiam est ita præsens toti loco, ut habeat præsentiam ad totum locum, & totus ad quamlibet partem & punctum illius loci; ita & corpus illud esset præsens alteri corpori, sed sine ubi circumscriptivo, & per simplicem præsentiam quâ esset præsens secundùm se totum toti alteri corpori, & etiam præsens totum cuilibet parti alterius corporis; ita, ut solum corpus haberet relationem præsentiæ ad aliud corpus, secundùm quam diceretur toti illi corpori præsens, & etiam quælibet minima pars vel punctum illius corporis haberet præsentiam ad aliud corpus, & ad quodlibet punctum illius corporis; sicut paries albus totus habet similitudinem ad alium parietem album, & quælibet pars parietis ad quamlibet partem alterius parietis albi; nec ex hoc sequitur contradictio: in quo videtur difficultas, quòd corpus sit verè quantum & non extendatur ad locum circumscriptivè & sic esset quantum & non quantum; sed hæc non sequuntur, ut optimè ostendit Scotus suprà quæstione 1. num. 14. & 16. Nam, ut dictum est, corpus quantum potest naturaliter esse sine hoc quod huic vel illi loco realiter commensuraretur, & etiam per Dei potentiam, ut nulli commensuraretur, prout ostensum est; & tamen tunc maneret quantum ùt patet, ac proinde posset per illam aliam præsentiam quasi spiritualem esse præsens corpori huic, ut illi non commensuraretur, & tamen semper esset in se quantum: quantitas enim est accidens absolutum non dependens à modo illo accidentali, qui est ubi circumscriptivum; & in tali casu corpus illud quantum, esset in se quantum, & haberet partes inter se extensas, & non haberet extensionem ad locum; quia illa duo sunt naturaliter distincta; scilicet, quòd corpus quantum habeat partes substantiales & quantitativas inter se distinctas, & inter se & ad invicem extensas; & tamen quòd illæ partes non extendantur ad partes loci, seu corporis, cui præsens esset: quia sunt extensiones realiter diversæ; ut patet ex prædictis de corpore quanto, quòd à Deo conservaretur solùm toto universo destructo: tunc enim daretur extensio partium illius corporis inter se, & non extaret illarum partium extensio in ordine ad corpus circumscribens seu locum; quia nullus esset.

ARTICULUS II.

Possibilitas Corporis Christi existentis in diversis locis probatur ratione naturali.

I. Cum jam ex ratione naturali ostensum sit, quòd per Dei potentiam possit dari corpus quantum in se extensum, quod tamen non haberet extensionem ad partes loci, sed simplicem præsentiam, ad modum spirituum; etiam ostendendum est; quòd per Dei omnipotentiam corpus in se secundùm substantiam, quantitatem & qualitates idem manens, possit simul esse in diversis locis ad minus sacramentaliter, id est, extraordinario modo, qui est similis præsentiæ spirituum. Hæc *præsentia* ideo vocatur *sacramentalis*; quia de facto non datur ulla talis præsentia alicujus corporis, quàm solius Corporis Christi in Sacramento, sed sicut Deus illam huic sacro corpori in Sacramento dat, sic posset etiam Christi Corpori extra Sacramentum vel alicui alteri corpori similem præsentiam dare; quæ diceretur extraordinaria in corporibus supra naturæ corporis statum.

II. Probatur itaque, quòd corpus possit per Dei potentiam plures tales habere præsentias ad diversa loca vel corpora, quia nulla est contradictio; quod patet ex eo, quòd spiritus totus possit esse præsens pluribus locis successivè naturaliter, imò etiam simul: de successivis patet, quia potest spiritus se movere de loco ad locum; quod simul probatur, quia spiritus non astringitur naturaliter ad certum locum, potest ergo manere in priori loco, & simul occupare majorem, sicut anima rationalis tota est in corde, *&c.* &, si pes vel manus amputetur, manet in reliquo corpore tota, & si per Dei potentiam pes vel manus aut tibia vel brachium amputatum restituatur, eadem anima manens in corpore fit præsens illis partibus de novo redditis, ùt patet ad oculum; sic multò magis per Dei potentiam posset eadem anima pluribus locis etiam distinctis fieri præsens, absque eo, quòd anima in substantia multiplicaretur.

III. Ratio verò naturalis est; quia ad multiplicationem posterioris naturâ non est necessarium, ut multiplicetur id, quod prius est naturâ & independens à posteriore; unde fit, quòd, cùm corpus transit de loco ad locum, & sic multiplicantur ubi & præsentiæ ad corpora per quæ transit, non tamen multiplicatur corpus motum seu transiens qūoad substantiam vel quantitatem & qualitates; sic si corpus calidum accipiat novum & majorem calorem non ideo multiplicatur corpus, quòd accipiat novos & novos calores.

IV. Similiter tota ſubſtantia Patris in homine generans Filium accipit relationem realem ad totam ſubſtantiam Filii geniti, & ſi centum generaret filios idem manens in ſubſtantia & quantitate pater, diceretur verè pater centum filiorum, per ſpeciales relationes ad ſingulos.

V. Cùm ergo ubi ſeu præſentia quæcunque realis, quâ unum corpus eſt præſens alteri, ſit modus accidentalis realiter diſtinctus à corpore quod præſens eſt, & vel eſt relatio ad aliud corpus, vel includit intrinſecè juxta quosdam relationem ad corpus cui præſens eſt; optimè intelligi poteſt, quòd idem corpus ſecundùm ſubſtantiam & quantitatem & qualitates ſuas abſolutè idem & invariatum manens accipiat per Dei potentiam ſimul plures præſentias totales ad diverſa loca vel corpora, ita, ut totum corpus ſit totum præſens ſimul diverſis locis; quod nihil aliud eſt, quàm quòd habeat ſimul plures relationes reales ad diverſos terminos ſeu loca: quòd ſi hoc poſſibile eſt naturaliter in Patre reſpectu diverſorum filiorum, ut dicatur Pater ſimul plurium filiorum, & in pariete albo qui habet ſimul plures totales ſimilitudines ad diverſos parietes albos inter ſe longiſſimè diſtantes; & dicitur ſimilis pluribus parietibus; quæ erit contradictio, quòd corpus idem manens habeat ſimul plures præſentias ad diverſa loca inter ſe diſtantia, & dicatur ſimul præſens pluribus locis?

VI. Et hæc veriſſimè apprehendi poſſunt etiam in uno corpore, quod in pluribus locis eſſet circumſcriptivè, ita ut ad plures ſuperficies circumſcribentes habeat plures relationes, ut plures Doctores docent.

VII. Nec ex hac Fidei ſententia ſequitur; quod vult Calvinus; quaſi tunc corpus modo & ſpecie careat. Supponitur enim, quòd idem corpus habens ſuum modum quantitativum & ſpeciem qualitativam poſſit ſimul habere plures relationes præſentiæ ad diverſa & diſtantia loca, & ſic maneret ſemper idem corpus in omnibus locis ſecundum eandem ſuam ſpeciem & formam abſolutam; ſicut Pater manet idem Pater quoad ſubſtantiam, modum & ſpeciem habens totales plures paternitates ad plures filios; & ſicut pater per relationem paternitatis formaliter conſtituitur pater hujus filii & per aliam relationem conſtituitur pater alterius filii; ſic etiam per novum ubi vel præſentiam corpus conſtituitur formaliter præſens huic loco, & per aliam præſentiam fit præſens alteri loco, idque ſimul; quod etſi naturaliter ob corporis vel creaturæ defectum, cui Deus limitatam indidit virtutem motivam & exiſtendi modum, facere non poſſit, ut ſimul tot relationes præſentiæ acquirat, quid obſtat omnipotentiæ Dei quò minùs eidem corpori plurimas det tales relationes, & ſic conſtituat in diverſis locis; cùm nulla ſit contradictio quam Calvinus phantaſticè imaginatur & fraudulenter affingit; nam hoc fingit, quòd dicamus Corpus Chriſti habere quantitatem ſuam & ſpeciem, & non habere; primum verum eſt, ſed oppoſitum quod dicit corpus Domini non habere ſpeciem, ſi non commenſuretur loco; hoc falſum eſt.

Nec prædictis obſtat, id quod dicit D. Auguſtinus Epiſtolâ 57. ad Dardanum editione Baſil. 1578. *Non potuit obtinere quantitas corporis, quod potuit qualitas, nam ita diſtantibus partibus, quæ ſimul eſſe non poſſunt, quoniam ſua quæque ſpatia locum tenent, minores minora & maiora maiores, non potuit eſſe in ſingulis quibusque partibus tota vel tanta, ſed amplior eſt quantitas in amplioribus partibus, &c.* & poſtea addit, *ſpatia locorum tolle corporibus, & nuſquam erunt, & quia ſi nuſquam erunt, nec erunt; tolle corpora qualitatibus corporeis: non erit ubi ſint, & ideo neceſſe eſt, ut non ſint.* ita Auguſt. VIII.

Reſpondetur enim, quòd ibi Auguſtinus priùs loquatur de Corpore Chriſti, quod aliqui dicebant ubique diffuſum per univerſum, ſicut Deitas verbi, cui eſt unitum, prout loquuntur Lutherani ubiquitiſtæ, contra hos arguit Auguſtinus: quòd tunc Corpus Chriſti non haberet formam, nec naturam corporis, *&c.* nos autem dicimus, quòd ubicunque in ſacra Euchariſtia præſens eſt Corpus Chriſti, habeat ſuam formam & naturam ſicut in cœlo. Quòd autem D. Auguſtinus poſtea univerſaliter dicit: quòd corporis partes ſua quæque ſpatia habeant, majores majora; ſpatia tolle, & nuſquam erunt, & ſic nec erunt, *&c.* ſolùm loquitur de ordinario corporum naturali ſitu; nam certiſſimum eſt, quòd tantus Doctor ſciverit, poſſe Deum unum corpus conſervare, & omnia totius univerſi corpora annihilare: ſic illud corpus nunquam erit, id eſt, in nullo loco, nec tamen indè ſequitur, quòd abſolutè à Deo non poſſit conſervari: ſic ergo etiam manentibus corporibus poteſt Deus corpus aliquod conſervare in ſua natura cum quantitate & ſuis qualitatibus absque relatione præſentiæ ad locum, & ſic fieri credimus in ſacra Euchariſtia. Quòd autem D. Auguſtinus hæc juxta naturalem modum prout ſenſus apprehendunt & judicant, ſenſerit, & per hoc abſolutæ Dei potentiæ nihil præſcribere vel derogare intenderit, patebit ſequenti Articulo ex verbis illius Hilarii libro 3. de Trinit. ubi dicit, quòd *Fides vera humanam rationem vincit*, & ipſius Auguſtini epiſtolâ 3. ad Voluſianum, ubi dicit, quòd in pluribus Dei operibus, *tota ratio facti eſt potentia facientis*, &c.

ARTICULUS III.

Poſſibilitas præſentiæ corporalis Domini in Euchariſtia probatur ex aliis S. Scripturæ exemplis.

Quamvis cuilibet Chriſtiano ad credendum poſſibilitatem hujus præſentiæ ſufficere deberet verbum Chriſti, qui dixit illud fore in Sacramento præſens qui eſt ipſa veritas; quia tamen Acatholici ex impoſſibilitate ficta volunt verba Chriſti à vero & plano ſenſu ad figurativum detorquere. Sufficerent quidem etiam ad illorum argumentum de impoſſibilitate illa, quæ in præced. articulo ex naturali ratione oſtenſa ſunt; pro majore tamen veritatis confirmatione I.

ne alia majora Fidei exempla Doctores Catholici optimè allegant.

1. quidem quoad primam partem, quòd cor-
II. pus Chriſti poſſit eſſe præſens in Sacramento, & tamen locum circumſcriptivè non occupet.

Primum eſt Matt. 19. Marci 10. & Luc. 18. ubi Chriſtus dicit: *Faciliùs eſt camelum per foramen acûs tranſire, quàm divitem intrare in Regnum cœlorum.* Apoſtolis autem dicentibus, quis ergo poterit ſalvus fieri, Dominus dicit, *hoc apud homines impoſſibile eſt, apud Deum omnia poſſibilia ſunt.*

Cùm ergo difficiliùs juxta verbum Chriſti ſit, quòd *dives ſalvus fiat,* quàm *camelus tranſeat,* &c. & tamen illud difficiliùs dicit Deo poſſibile, multò magis ut tranſeat, camelus per foramen acûs: verùm quòd camelus manens gibboſum animal tantæ magnitudinis tranſeat foramen acûs æquè difficile videtur, quàm quòd corpus Chriſti ſit præſens ſpeciebus panis ſine extenſione ad locum: neceſſe enim erit, ut tantæ beſtiæ quantitas non coextendatur partibus loci, nec æquè magnum ſpatium occupet, ſed totum in illo minimo ſpatio tranſeat, & licèt Acatholici ſine fundamento locum de camelo aliter explicare velint; certum tamen eſt, quòd prædicto modo omnes ſancti Patres hunc locum intelligant, & ipſe Auguſt. lib. 2. q. euang. q. 47. lib. de Spir. & Lit. cap. 1. dicens: *Abſurdum tibi videtur dici, aliquid fieri poſſe, cuius deſit exemplum; cùm ſicut credo non dubites nunquam eſſe factum, ut per foramen acûs Camelus tranſire, & tamen illud, qui hoc dixit, Deo eſſe poſſibile,* &c. unde etiam patet, quod Auguſt. in epiſt. ad Dardanum non dicat abſolutè de abſoluta Dei potentia, *tolle ſpatia, & corpora non erunt,* ut ſuprà dictum.

III. 2. Exemplum eſt Joann. 20. v. 16. *Cùm,* &c. *fores eſſent clauſæ,* &c. *venit Ieſus, & ſtetit in medio,* &c. & v. 26. *Venit Ieſus ianuis clauſis, & ſtetit in medio,* &c. ubi evidens eſt, quod corpus Chriſti non occupaverit locum, vel extenſum fuerit in ordine ad locum, cùm januas clauſas vel parietes illæſos penetrarit, nec oculis diſcipulorum viſus ſit, donec in medio ſtaret, unde & putabant ſpiritum eſſe, & licèt Acatholici contra claram ſcripturam, & ſine textu fingant, Chriſtum apertis januis, & iterum clauſis intraſſe, SS Patres unanimiter juxta literam ſcripturæ miraculoſè id factum aſſerunt, ſic *Hilarius* l. 3. de Trin. ed. Baſ. 1550. pag. 41. dicit: *Integra ſunt omnia & obſervata, ſed ecce aſſiſtit medius, cui per virtutem ſuam univerſa ſunt pervia. Inviſibilibus calumniaris; ego à te viſibilium expoſco rationem. Nihil cedit ex ſolido, neque per naturam ſuam aliquid tanquam lapſu inſenſibili lapides & ligna amittunt, corpus Domini à ſeſe non deficit, ut ſeſe reſumat ex nihilo, & unde, qui aſſiſtit, in medio eſt? cedit ad hæc ſenſus & ſermo; & extra rationem humanam eſt veritas facti, idcirco ergo, ut de nativitate Domini fallimur, ita & de ingreſſu Domini mentiamur, dicamus factum non fuiſſe, quia intelligentiam facti non apprehendimus, & ceſſante ſenſu noſtro, facti ipſius ceſſet effectus, ſed mendacium noſtrum facti ipſius fides vincit. Aſſiſtit Dominus clauſa domo in medio diſcipulorum, & filius natus eſt ex Patre,* hæc Hilarius. Quid clariùs in propoſito contra Acatholicos dici poſſit de præſentia Chriſti in venerabili ſacramento? qui illam negant, quia intelligentiam facti non apprehendunt.

Sicut etiam Ariani negabant Filium ex Patre IV.
conſubſtantialem natum, quia non apprehendebant poſſibilitatem, ſed fides vera vincit.

Similiter Manichæi dicebant, Chriſtum habuiſſe corpus fictum, quia non apprehendebant, quod verbum caro fieri poſſet, ſed fides vera vicit.

Conſideret hic pius lector, quàm longè Aca- V.
tholici ab Hilario & veritate recedant, ita ut Dallæus Anno 1633. in defenſione decreti à Reformatis Galliæ dati, ſic dicere audeat: *Agnoſco non magis poſſe nos credere, quàm concipere: quod ponunt corpus Domini eſſe præſens realiter in Euchariſtia,* &c. & hanc defenſionem approbarunt miniſtri Galliæ in conciliabulo Carentonico congregati, adeoque volunt; quod id, quod non poſſumus concipere, etiam credere non poſſimus. Vbi ergo erit tota noſtra fides de SS. Trinitate? &c. Ecce ſupinam incredulitatem etiam contra ipſum Calvinum lib. 4. Inſt. cap. 17. §. 20. ſuprà art. 4. relatum, ubi dicit, quod mens non comprehendit, conciliat fides.

3. Exemplum eſt de partu B. & immaculatæ VI.
Virginis Mariæ: hæc enim peperit Chriſtum Dominum ſine virginalis clauſtri reſeratione. Credit enim Eccleſia, quod B. Virgo antè, in, & poſt partum Virgo permanſerit; quod primò conſtat ex ſymbolo Apoſtolico, ubi dicitur: *Natus ex Maria Virgine,* & Iſai. 7. prædixit: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium,* & ſic crediderunt ſancti Patres, & inter alios S. Auguſt.

S. Auguſt. cùm alibi, tum lib. 22. Civit. cap. VII.
8 ed. Baſil. 1528. ubi refert miraculum ſuo tempore factum, ad quod confirmandum allegat integritatem B. Mariæ Virginis dicens: *Non credunt hoc, qui etiam, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum per integra virginalia matris enixum, & ad diſcipulos ſuos oſtiis clauſis ingreſſum fuiſſe non credunt.* & poſt pauca: *Martyr certè ipſe, quo impetrante illa* (clariſſima fæmina) *ſanata eſt, in filium permanentis virginis credidit, in eum, qui oſtiis clauſis ad diſcipulos ingreſſus eſt, credidit.* Idem docent alii Patres.

Imo Jovinianus negans hanc B. V. integritatem hæreſeos damnatus eſt, ut notavit Aug. in l. de Hæreſ. c. 82. eâd. ed.

Ipſe etiam D. Aug. in epiſt. 3. ad Voluſianum VIII.
eâd. ed ſic ait: *Ipſa virtus* (Chriſti) *per inviolata Matris virginea viſcera, membra infantis eduxit, quæ poſtea per clauſa oſtia, membra Iuvenis introduxit. Hic ſi ratio quæritur, non erit mirabile,* &c. *Demum Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe. In talibus rebus tota ratio facti eſt potentia facientis,* &c. hæc Auguſt.

Et hæc ergo ratio, quod Chriſtus exiſtat in venerabili ſacramento ſine extenſione ad locum, tota eſt potentia Dei facientis. Plura alia ex S. ſcriptura exempla adferri poſſunt, ſed hæc ſufficiant.

(***)

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

Quod corpus Chriſti poſſit eſſe in pluribus locis non occupando locum, probatur ex S. Scriptura.

I. HOc ipſum ſuprà ex naturali ratione oſtenſum eſt; ſed principaliter ex S. ſcriptura probatur.

Primò: Nihil credendum eſt, eſſe Deo impoſſibile, niſi quod expreſsè implicat contradictionem juxta veritatem; vel juxta Acatholicos, quod in S. ſcriptura non dicitur eſſe impoſſibile; ſed Chriſtum poſſe eſſe in diverſis locis, nec implicat contradictionem, ùt ſuprà oſtenſum eſt, nec in S. ſcriptura negatur; nullus enim S. ſcripturæ locus aſſignari poteſt, imò contrarium.

II. Secundò: Chriſtus in S. ſcriptura exprimitur ſimul fuiſſe in duobus locis; ergo eſt poſſibile, ut ſit in pluribus locis; conſequentia patet; quia æqualis difficultas eſt in duobus, quàm in pluribus locis, antecedens probatur, quia juxta illud Act. 3. v. 21. *Quem oportet cœlum ſuſcipere uſque ad tempus reſtitutionis omnium*, Chriſtus aſcendens in cœlum ibi manet ſemper ad dexteram Patris, & tamen ipſe etiam apparuit Apoſtolo Paulo prope Damaſcum Act. 9. v. 17. ubi Ananias dicit: *Saule Frater, Dominus miſit me Ieſus, qui apparuit tibi in via, quâ veniebas* & cap. 22. v. 13. Paulus refert verba Ananiæ dicentis: *Deus Patrum noſtrorum præordinavit te, ut cognoſceres voluntatem ejus, & videres juſtum, & audires vocem ex ore ejus*. ſcilicet Chriſti hominis, *&c.* ex quo patet; quòd ipſe Chriſtus homo ipſi Paulo præſens ſuo ore locutus ſit. quod ipſe Apoſtolus teſtatur 1. Cor. 15 poſtquam dixiſſet; quòd Chriſtus poſt reſurrectionem diverſis Apoſtolis apparuiſſet, qui eſſent oculati teſtes reſurrectionis, ſubjungit v. 8. *Noviſſimè tanquam abortivo viſus eſt & mihi* quòd ſi non eſſet viſus ipſi corporaliter, ſicut aliis, non poſſet in hoc illis ſe comparare & ſic SS. PP. intellexerunt in ſpeciali Aug. tract. 95. in Ioann circa verba Chriſti, *vado ad Patrem*. quæ ſuprà relata ſunt; ubi id tanquam certum ſupponit, quòd Paulus Chriſtum viderit, vide infrà reſpondendo ad locum Auguſtini ex pſ 98.

III. Tertiò: Deus ſecundum ſubſtantiam ſuam totam eſt præſens in cœlo & in terra & in minima quaque re totus, qui partes non habet, & poſſet creare alium mundum, cui præſens eſſet; qui ab hoc mundo diſtaret, & tunc Deus eſſet totus in utroque mundo in ſe unus & indiviſus; licèt in diviſis mundis; & tamen tunc Deus non eſſet in medio imaginario, quod nihil eſt; quamvis ratio hoc non apprehendit naturaliter, poſſibile tamen eſt: ſic Deus poſſet animam rationalem totam conſervare in brachio, quod à corpore abſcinditur, ſicut jam naturaliter eadem anima manet in brachio corpori conjuncto, ubi nulla erit major ratio impoſſibilitatis; quid ergo omnipotentiæ Dei obſtabit, ut idem corpus in ſe indiviſum ponat in diverſis locis? nam, quæ ſecundum naturalem rationem ſeu potiùs imaginationem contra hoc objiciuntur, etiam contra priora militant.

IV. Quartò: Longè difficiliùs eſt creditu, quòd Deus ſit unicus in ſubſtantia, & trinus in perſonis; ita quidem, ut tres divinæ perſonæ ſint inter ſe realiſſimè diſtinctæ: & tamen ſint eadem realiſſimè unicæ ſubſtantiæ & eſſentiæ: unde graviſſima Arianorum hæreſis ortum habuit, quod hoc ratione apprehendere non poſſent, & videtur contra illud primum philoſophicum principium, *quæ ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe*. & tamen fides docet & vincit.

V. Quintò. Difficillimum etiam creditu eſt, quòd Deus homo factus ſit, & humana natura facta ſit una perſona cum Verbo Dei, ita quidem, ut verè realiter ſit unita perſonalitati Verbi, & non perſonalitati Patris vel Spiritûs ſancti, qui tamen ſunt unus realiter Deus; quod certè tantum eſt myſterium & tam incomprehenſibile, ut ſubtiliſſimi PP. & Theologi id tam eſſe incomprehenſibile naturaliter judicârint, ut per naturalem rationem poſſibilitas agnoſci non potuiſſet, nec indagari, niſi Deus revelâſſet. Ibi enim multa occurrunt, quæ videntur involvere contradictionem & repugnantiam, ut quòd Deus & homo unus ſit Chriſtus, una perſona, ſicut anima rationalis & caro unus eſt homo, ùt in ſymb. Athanaſii: nam videtur, quòd talis unio requireret in Verbo aliquam compoſitionem & paſſibilitatem, quæ verbo infinito repugnat, cùm inter componibilia ſit aliqua potentialitas. Secundò iterum, quia videtur quòd ſit contradictio, quòd natura humana ſit vera ſubſtantia, & non habeat propriam perſonalitatem; nam ſubſtantia ex natura ſua & eſſentialiter eſt Ens per ſe ſubſiſtens, vel ad minus per ſe exiſtens, & non in alio, perſona autem videtur dicere naturam per ſe exiſtentem; ſi autem natura humana Chriſti in Verbo ſeu perſonalitate divina exiſteret, non exiſteret per ſe, & ſic eſſet ſubſtantia, & non eſſet ſubſtantia; & tamen fides docet, quòd ſit vera ſubſtantia, nec ulla ſequitur vera contradictio.

Sic etiam plurima viſa philoſophis impoſſibilia moveri poſſent; ob quæ Neſtoriani negârunt hanc unionem hypoſtaticam, & dixerunt: naturam humanam Chriſti habere propriam perſonalitatem, ac proinde in Chriſto eſſe duas perſonas, ex quibus plures aliæ hæreſes ſequebantur, ut quòd Deus non eſſet verè homo factus, nec verè paſſus, nec Virgo Maria genuiſſet Deum, *&c* & tamen *Veritas fidei vicit*. ac Eccleſia Catholica Neſtorianos condemnavit, ac declaravit B. Virginem Deiparam eſſe veriſſimè dicendam & credendam.

VI. Similiter argumentum ex creatione mundi ſumi poteſt, ſicut enim Philoſophi dicebant impoſſibile eſſe quod Deus ex nihilo aliquid crearet ſupponentes tanquam primum principium *ex nihilo nihil fit* ſic etiam multa alia principia ſupponebant, quod *accidens non poſſit eſſe ſine ſubjecto vel corpus niſi in loco*, prout ipſi ex experientia & infirma naturali ratione judicabant; & tamen conſtat certâ fide quod Deus mundum ex nihilo crearit, quod longè difficilius eſt conceptu, quam quod accidens conſervetur ſine ſubjecto, vel corpus ſine loco *&c.* & ſicut in creatione non eſt vera contradictio: ita nec etiam in his vera oſtendi poteſt, & ſicut fides vera docet, illa Deo eſſe poſſibilia, ſic eadem hæc Deo poſſibilia tradit.

VII. Demum ipſe Calv. lib. 4. Inſt. c. 17. §. 10. dum ſuum ſenſum de Euchariſtia expreſſiſſet, ſub-

subjungit: *Etsi autem incredibile videatur in tanta locorum distantia penetrare ad nos Christi carnem, ut nobis sit in cibum, meminerimus, quantum supra sensus omnes nostros emineat arcana Spiritus Sancti virtus, & quàm stultum sit eius immensitatem modo nostro metiri, quod ergo mens nostra non comprehendit, concipiat fides*, &c. ecce hoc Christianè dictum. Cur ergo contra articulum Ecclesiæ Catholicæ prætensè Reformati negant possibilitatem, quia scilicet ratione non concipiunt? ut suprà ex Dallæio relatum est; quod autem non solùm possibile, sed & de facto Deus voluerit ex S. scriptura & SS. Patribus ostendetur: priùs tamen adhuc congruentias, ob quas Deus voluerit corpus Christi esse in Eucharistia, ostendemus.

ARTICULUS V.

Non est inutile, sed valde salutare, quòd Christus sit præsens in S. Eucharistia realiter.

I. ACatholici, qui nolunt negare possibilitatem, adhuc negant hanc Christi præsentiam: Primò, quia judicant esse inutilem fidelibus; cùm fideles per solam spiritualem manducationem possint habere eundem fructum & solatium; imo majus, si Christus absens sit, juxta illud Joan. 16. *Expedit vobis, ut ego vadam, si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos.*

Catholica veritas est, quod hæc præsentia corporis Christi in V. Sacramento sit fidelibus valde utilis & consolatoria; verum quidem est, quod Christus potuisset omittere hoc sacramentum, & tamen fideles potuissent in ipsum credere, & ipsum amare, ac sic ipsius esse filii, & spiritualiter ipsi conjungi; sed cùm hoc est magis consolatorium & utile, quod fideles possint ipsum certò credere sibi præsentem: ù: patet, quod subdito sufficeret, si posset esse in gratia Regis, magis tamen utile & consolatorium, si sciret se in vicino conclavi Regi sibi clementi esse præsentem, licèt oculis non videret, & cum ipso per cancellos vel velum loqui posset; quantò magis utile & consolatorium animæ, quæ scit Christum Salvatorem sibi in sacramento etiam secundùm humanitatem intimè præsentem; cui familiarissimè suas necessitates exponere possit?

II. 2. Licèt Christus promiserit illis gratiam, qui ipsi fide viva per charitatem operante adhærerent; tamen voluit etiam sacramentum visibile dare; per quod fideles certò crederent se hanc gratiam obtinere; & per quod magis excitentur ad fidem & amorem; alioquin etiam opus non fuisset Eucharistiam instituere, ut esset symbolum nudum, ùt Acatholici volunt; quia sine illo etiam Christus dare potuisset fidei vivæ gratiam; & tamen Acatholici credere debent, quod institutio sacramenti Eucharistiæ non sit inutilis.

III. 3. Quod præcipuum est, quod Deus potuisset hominem à peccato liberare, licèt Verbum non esset caro factum, & tamen ad ostendendam maximam suam erga homines misericordiam & amorem, ut dicit Joann. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, &c. Similiter poterat Christus Dominus in vita mortali existens plurima miracula facere solo verbo absens, & tamen voluit uti mediis, ut cum infirmis manus imponebat, cæcos per luctum ex sputo sanabat, &c.

Demum potuisset Christus nos liberare à peccatis per solum unicum opus Patri oblatum, vel per unicæ guttulæ sanguinis effusionem; voluit tamen omnia illa 33. annis agere & pati ad amorem magis suum indicandum, & hominum animos ad amorem magis excitandos. Sic etiam Christus in venerabili sacramento suis fidelibus præsens esse voluit, prout cum gaudio canit Ecclesia: *O quàm suavis est Domine spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de cælo præstito esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittens inanes.* IV.

Nec his obstant verba Christi Joann. 16. *Expedit vobis, ut ego vadam, si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos.* Patres enim hoc intelligunt de præsentia Christi visibili, in qua erat Apostolis familiaris, & sensualiter ipsi adhærebant, ut sic non ita ad spiritualem amorem commodè accederentur: hoc autem non fit in hoc sacramento; ubi sola fides operatur, & excitat ad spiritualem amorem. V.

Iterum Deus ordinaverat, ut Christus Dominus certo tempore esset in terra visibilis & mortalis, & ut per mortem ejus homo redimeretur, nec priùs Spiritus S. fidelibus daretur, quàm Christus mortuus esset, & in cælum ascendisset, ideo expediebat Apostolis & Ecclesiæ, ut Christus abiret ad Patrem; ita SS. Patres communiter illum locum exponunt; ac sic verba illa non currunt contra præsentiam Christi in V. Sacramento. VI.

ARTICULUS VI.

Quòd præsentia realis in Eucharistia non sit Christo indigna.

CAlvinus lib. 4. Inst. c. 17. §. 32. ideo etiam vult Christum non esse realiter præsentem in Eucharistia, quia esset hæc præsentia Christo indigna & nimis absurda. Acatholici promiscuè ùt absurda objiciunt dicentes: quod Christus tantæ majestatis sub speciebus panis possit conculcari pedibus, projici canibus ad devorandum, quod per os hominis sumptus in secessū emittatur, &c. I.

Catholica veritas & pietas in hoc sacramento agnoscit summum Christi amorem, & profitetur hanc præsentiam Christi majestate non indignam, sed suâ misericordiâ dignissimam. II.

Certum autem est, quod licèt corpus Christi sit verè præsens in V. Sacramento tamen ibi sit modo impassibili, sicut Deus & Angelus est in loco præsens: & sicut Deus est præsens cuilibet creaturæ, sic etiam est præsens in pane, quem canis devorat, & in pane, qui pedibus conculcatur, &c. nec tamen illa dedecent divinam majestatem, quantò minùs humanâ Christi majestate indignum est, quod sit speciebus præsens, quæ à cane devorantur, cùm corpus Christi maneat ita integrum, incorruptum & illæsum, sicut sedet ad dextram Patris in cælis: licèt autem ab impiis tale sacramentum pedibus conculcantibus, Christo injuria irrogetur, hoc tamen non obstat; sic etiam divinæ majestati fit injuria, si quis Atheus dicens III.

Digitized by Google

se Deum pedibus in terra conculcare, si terræ præsens sit; sic etiam Christus ob tales injurias noluit fidelibus hoc sacramentum negare, qui pro suis fidelibus ignominiosissimam mortem subire dignatus est.

IV. Cæterùm longè indignius Deo videbatur, ut Deus immensæ majestatis cum humana natura, quæ in comparatione Dei vilissima creatura est, per unionem hypostaticam conjungi, imo uniri vellet, ut esset homo verus Deus, & Deus in humana carne tam horrenda & blasphema 33. annis pati, ut idcirco etiam Philosophi & Gentiles riderent Christianos id credentes tanquam stultos & insanos, prout Apostolus 1. Cor. 1. dicit v. 18. *Verbum crucis pereuntibus stultitia est, iis autem, qui salvi fiunt, id est, nobis, Dei virtus est*, & infrà v. 23. *Nos prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, vocatis autem Iudæis & Græcis, Christum Dei virtutem & sapientiam.*

V. Nonne *Marcion hæreticus* cum suis ideo negabat Verbum veram carnem assumpsisse, sed tantùm in ficta & phantastica apparuisse; quia dicebat indignum esse Deo, ut talia in carne esset passus?

VI. Nonne ideo *Nestorius* negabat Christum Deum & hominem unam esse personam; ne Deus diceretur verè passus, &c. & tamen voluntati & misericordiæ Dei sic placuit.

VII. Si ergo Calv. suprà allegatus, & Acatholici insanos dicant eos, qui hanc Christi præsentiam credant, ipsi videant, quàm insani sint; qui Dei omnipotentiam in symbolo Apostolico confitentur, & in facto, ubi secundùm suum sensum non apprehendunt, illam negant; Christi amorem recipere nolunt, & sub prætextu salvandi honorem Christi, ipsum inhonorant & blasphemant. Sed sicut *Marcion, Arius, Nestorius*, &c. cum suis frustra veritatem oppugnarunt; ita & Acatholici frustrà oblatrant. *Veritas Domini manet in æternum.*

Cùm jam demonstratum sit primò possibile esse Deo, ut corpus Christi substantialiter & realiter sit præsens in V. sacramento. 2. hoc etiam, ad abundantiam sui amoris ostendendam in fideles, & fidelium animos consolandos, ac ad amorem excitandos, & majore gratia roborandos, valde conveniens sit. 3. nec ullo modo Christi majestate id indignum; jam restat ostendendum, quod Christus voluerit sic in sacramento esse præsens.

CAPUT III.

Quòd Christus Dominus voluerit corpus & sanguinem suum realiter in S. Eucharistia esse præsentem.

ARTICULUS I.

Hæc veritas ostenditur ex verbis sacræ Scripturæ, Ioann. 6.

I. Certum est primò, quod voluntas Dei nobis ex Verbo Dei ad minus in S. scriptura contento innotescat, ut Acatholici fatentur.

2. Certum esse debet, quod verus S. scripturæ sensus per S. Ecclesiam constet; cui Christus Spiritûs Sancti assistentiam, illamq; veracem esse promisit, ut suprà de inerrabilitate Ecclesiæ ostensum est.

3. Certum etiam est, quod verus ejusdem S. scripturæ sensus ex communi & unanimi SS. PP. doctrina & traditione colligatur.

II. Itaque primò veritas Catholica de reali præsentia corporis Christi in Eucharistia ex ipsa S. scriptura probatur.

Joann. 6. v. 52. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*

Ex his verbis clarè patet, quod Christus promittat se daturum panem non materialem, sed cœlestem, scilicet carnem suam propriam, seu seipsum; sicut dixerat v. 49. *Ego sum panis vitæ*, & v. 50. *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi.* Post quæ v. 52. dicit, *Panis, quem ego dabo, caro mea est*, &c. Ex quibus evidens est, quod Christus promiserit se carnem suam propriam daturum ad manducandum.

2. Quod vero Christus non promiserit se daturum suam carnem per fidem tantum à fidelibus manducandam; ita ut nudum panem materialem essent manducaturi in memoriam suæ carnis, credendo carnem pro nobis oblatam, ùt volunt Acatholici; planè ex contextu constat. Nam Christus voluit promittere se altiorem & excellentiorem panem ad manducandum daturum, quam Judæi in deserto manducassent. Cùm enim Judæi dixissent v. 31. *Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est: panem de cælo dedisti eis.* Et paulò ante v. 30. *Quòd ergo tu signum facis, ut videamus & credamus tibi?* v. 30. tum Christus v. 32. *Non Moyses dedit panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem verum de cælo.* v. 36. *Ego sum panis vitæ.* v. 49. *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt, hic est panis de cælo descendens, ut, si quis ex ipso manducet, non moriatur*: his auditis v. 53. *Litigabant Iudæi dicentes, quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum? Respondit ergo eis Iesus: Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis*, &c. *non habebitis vitam in vobis* v. 6. *Multi ergo ex discipulis audientes dixerunt, durus est hic sermo.*

III. Ecce Capharnaitæ quærebant signum magnum, ob quod possint in Christum credere; si ergo verba Christi tantum de fide essent intelligenda, sensus esset: hoc signum ego majus faciam, quàm in deserto contigerit circa manna de cælo datum; quia credetis in me, ut aliqui Acatholici volunt, vel quia *ego dabo vobis nudum communem & usualem panem, quem comedentes ut signum corporis mei credetis in me*, ùt volunt Acatholici: quale hic miraculum aut signum? cur ob hæc verba Judæi imo multi ex discipulis scandalizati discessissent? nisi aliquid supra vel contra naturam Christum promittere intellexissent, prout etiam verba important, prout carnali & crudeli modo aliqui intelligebant, se carnem

Christi

Digitized by Google

Christi mactatam & in partes divisam devoraturos, hoc quidem impium & absurdum, & contra naturam erat; nec tamen Christus illos recedentes monuit, quod nihil aliud intelligeret suis verbis, quàm quod simpliciter in illum credituri essent, vel quod panem materialem in memoriam illius essent sumpturi: quod Christus adeo salutem hominum sitiens dixisset, sicut aliàs verba sua explicuit, nec tunc multi ex discipulis recessissent; utique ergo Christus aliquid excellentius promisit, quod esset maximum miraculum & signum, quod nullus, nisi solus Deus facere posset, & in quo fideles captivarent suum intellectũ; illud ergo maximum signum est, ob quod Christo credendum sit, quod ipse dedit carnem suam veram ita fidelibus manducandam verè & realiter, ut semper integra & indivisa maneret: quod certè longè majus ac excellentius miraculum & donum est, quàm quod manna cælitus Judæis datum fuerat.

IV. 2. Si solum Christus promisisset, quod vel discipuli sui in ipsum essent credituri, vel sumpturi panem materialem in ipsius memoriam. Quid ergo exigit à suis duodecim dicens v. 68. *Nunquid & vos vultis abire? & Petrus: Domine, ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes, & nos credidimus, & cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei.*

Ecce jam Apostoli credebant, & tamen Christus promisit, quod daturus esset carnem suam ad manducandum, cùm jam Christi carnem per fidem manducarent: clarum ergo est, quod Christus alio modo sumendam carnem promisit cum novo & singulari miraculo in sacramento, quod in cæna postea præstitit.

V. 3. Christus comparat panem, quem daturus esset, cum manna, quod Judæi comederant in deserto: quod scilicet ipse longè præstantiorem panem suis fidelibus esset daturus ore manducandum, sicut ipsi ore manducaverunt manna; atqui si fideles ore tantum panem communem sumerent; multo ignobilior esset, quàm manna de cælo datum: Iterum, si fideles solâ fide manducarent corpus Christi sumendo panem communem; etiam sic nihil majus haberent, quàm Judæi, quia ipsi etiam sumentes manna in Christum crediderunt, ut Moyses, Aaron, &c. quid ergo majus Christus suis promisisset?

VI. 4. Cùm Christus non obstante murmure Capharnaitarum & dubitatione multorum discipulorum, tam clarè & asseveranter sub juramento toties dixerat: *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis eius sanguinem.* &c. *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus verè est potus,* &c. constat Christum Dominum indicasse, quod caro & sanguis à fidelibus etiam per modum cibi & potus ore esset sumendus; licèt modo invisibili & miraculoso; sic enim verba illa nullam habent crudelitatem nec absurditatẽ, prout infrà cum D. August. dicetur. Itaque verba Christi sic ad literam sunt intelligenda: quomodo autem Christi verba, *spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quicquam,* sint intelligenda, cum D. August. infrà dicetur: certè caro Christi plurimum prodest, sed non carnalis Capharnaitarum sensus, ùt per partes divisa crudeliter sumatur ad saginandum corpus; sed caro Christi per omnipotentiam Dei præsens sub speciebus panis vivificat animam & gratiam confert, si non indignè sumatur.

Pro quo notandum: quod Christus Dominus & Apostolus, dum loquuntur de carne, ut opponitur spiritui, non intelligant carnem, ut est materiale corpus; sed ut significat infirmum carnalẽ & naturalem sensum, prout distinguitur contra fidem, & cogitationem supernaturalẽ, sic Christus Matt. 16. v. 17. dicit Petro: *Caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus,* &c. similiter Apost. 1. Cor. 2. v. 14. dicit, *animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei,* ubi patet, quod per carnem & animalem hominẽ intelligatur cogitatio juxta infirmum & naturalem sensum, ut distinguitur contra revelationem & fidem divinam, qui dicitur spiritus: Item caro sæpe sumitur pro sensu, & simul affectu & statu carnali hominis mali, ut opponitur spiritui, prout spiritus dicit statum gratiæ, sic Gen. 6. v. 3. dicitur: *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est,* & ad Rom. 8. v. 5. *Non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritũ; prudentia carnis mors est, prudentia autem spiritus, vita & pax, quoniam sapientia carnis inimica est Deo, legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest; qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt.* Quod itaque Christus Joan. 6. per dicta verba non loquatur de suæ carnis substantia, patet ex contextu cùm dicit: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita:* Item dicit 1. Cor. 11. v. 24. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur,* &c. Si pro mundi vita & pro nobis traditur, ergo plurimum prodest. Hîc ergo per carnem Christus intelligit carnalẽ & naturalem sensum, qui non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, seu Fidei supernaturalis: ùt patet ex contextu, cùm dixisset: *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quicquam,* statim subjungit: *Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt,* quasi diceret, nôn loquor vobis secundùm sensum carnalem, prout Capharnaitæ intelligũt, sed loquor vobis supernaturalia & divina verba, quæ meam omnipotentium declarant, & virtutem habent vivificandi, & præstandi ea, quæ loquor supra humanum intellectum; hoc agnoscens Petrus dixit: *Domine, ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes,* ac si diceret, etsi nos agnoscamus, quod non intendas carnem tuam nobis dare crudeli modo lacerandam, sed alio possibili & bono modo, quẽ nos nõ dum intelligimus; tamen credimus verbo tuo, quod omnipotens est, & vitam præstat: & caro ejus sic sumpta vivificat, & spiritus est; quod paucis & clarissimis verbis exposuit *Athanasius* l. de humanæ Naturæ susceptione dicens: *Ipse dixit, panis, quem ego dabo, pro mundi vita est, spiritus enim vivificans est caro Domini, quoniam ex spiritu vivificante concepta est,* &c. hæc ille. VII.

Hæc ergo Joan. 6. verba Domini SS. Patres plerique tam Græci, quàm Latini de sacramento Eucharistiæ prolata esse profitentur & docent, prout infrà constabit, licèt *Lutherus* l. de Capt. Babyl. c. 1. dicat c. 6. Joannis nihil ad sacramentum Eucharistiæ pertinere, & *Calv.* l. 4. Inst. c. 17. §. 33. cùm allegasset verba Christi: *Quisquis ederit carnem suam,* &c. ita ait: *Excipiunt illic non agi de Sacramenti esu, quod ego fateor,* &c. & tamen contra Catholicos agentes Acatholici quoad communionem sub utraque specie verba ex Joann. 6. allegant; sicque, prout placet, agunt. VIII.

***

ARTICULUS II.

Veritas Catholica probatur principaliter ex verbis inſtitutionis hujus Sacramenti.

I. CÆnantibus autem eis accepit Ieſus panem, & benedixit ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait, accipite & comedite, hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicē, gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes, hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum.* Matt. 26. v. 26. & 27.

Et manducantibus illis, accepit Ieſus panem, &c. *benedicens, fregit, & dedit eis, & ait: ſumite, hoc eſt corpus meum, & accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis, hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effunditur* Marci 14. v. 22. 23.

Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem, ſimiliter & calicem, poſtquam cænavit dicens: Hic eſt calix novum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis ſundetur Luc. 22. v. 19. & 20.

Apoſtolus 1. Cor. v. 14. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis, quem frangimus, nónne communicatio Domini eſt?*

Item: *Dominus Ieſus Chriſtus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem: ſimiliter & calicem, poſtquam cænavit dicens: Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine, hoc facite, quotieſcunque bibetis in meam commemorationem.* 1. Cor. 11. v. 24. & 25.

II. *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* v. 27. ibid.

Si tantùm per fidem corpus Chriſti manducetur, & illi ſolum per fidem illud manducant, qui credunt ſe verè ſalvandos, & verè eſſe filios Dei, ùt volunt Acatholici, proinde dicere debent, quod indigni non manducant corpus Domini, quomodo ergo ſalvantur verba Apoſtoli, *qui manducat & bibit indignè, Iudicium ſibi manducat, non diſcernens corpus Domini,* ſi nullo modo illud ſuſcipiat?

III. Ex his S. ſcripturæ verbis toties repetitis nec variatis, ſine ulla explicatione cuilibet voluntas Chriſti ſatis conſtare poſſet; veruntamen prætenſè Reformati, ut ſuum tueantur errorem plurimas inter ſe diverſas circa verba Chriſti: *Hoc eſt corpus meum,* finxerunt explicationes; quas hic referre ſuperfluum eſt. In hoc autem, ut vulpes Samſonis caudis colligatæ, conveniunt; quod negent Chriſtum corpus ſuum verum dediſſe diſcipulis ore corporali ſumendum, licèt integrum maneat; ideo in verbis Chriſti, vel verbum *eſt* pro, ſignificat, vel corpus meum pro ſigno corporis ſui figurativè & tropicè exponunt; ne nimis blaſphemè Chriſti verba negare videantur.

IV. Eccleſia Catholica credit & docet, verba illa Chriſti in proprio ſenſu eſſe intelligenda.

Hæc veritas conſtat 1. quia ſenſus Eccleſiæ circa verba Chriſti proprius eſt & clarus, dum Chriſtus dixit, *accipite & comedite, hoc eſt corpus meum,* ubi ad literam patet, quod Chriſtus dederit corpus ſuum ore manducandum, quod quilibet ibi præſens intellexiſſet, licèt miratus fuiſſet, quomodo hoc eſſet poſſibile; at verò duodecim Apoſtoli, qui cum Petro à Chriſto Joan. 6. promiſſionē audierunt, & cum Petro dixerunt: *Domine, verba vitæ æternæ habes, nos credimus,* &c. facilè credebant Chriſtum hoc poſſe, & jam audiebant ipſū id velle facere, quod tunc promiſerat. Verùm quis illa verba à Chriſto ad Apoſtolos dicta, ſic intellexiſſet, ſicut Calv. lib. 4. Inſt. ſuprà relatus illa exponit?

V. 2. *Acatholici* volunt verba S. ſcripturæ, præſertim, quæ ad ſaluté neceſſaria ſunt, omnibus eſſe clara & evidentia, qualia ſunt circa hoc V. ſacramentum, & ſic volunt in nudo Dei verbo ſtare; ſed quomodo ſenſus horum verborum ab ipſis allegatus omnibus clarus & evidens eſt?

VI. 3. Certa eſt regula explicandi S. ſcript. à SS. Patribus tradita: quod verba S. ſcripturæ in proprio ſenſu ad literam ſunt intelligenda, niſi alia clarior ſcriptura, vel fidei articulus tali ſenſui repugnet, vel ex tali ſenſu abſurditas ſequatur, aut Eccleſiæ & unanimis SS. PP. ſententia contrarium doceat: atqui nihil horum contra ſenſum proprium horum Chriſti verborum: *Hoc eſt corpus meum,* occurrit, nec hactenus Acatholici oſtendere potuerunt. Certum eſt enim, quod nullibi expreſsè legatur in ſcriptura, *quòd in Euchariſtia non ſit verè realiter corpus Chriſti præſens, vel quod Chriſtus non dederit diſcipulis corpus ſuum,* aut, *quòd hoc ſit impoſſibile,* aut, *quòd illa verba tropicè & figurativè ſint intelligenda,* ut ipſi mordicùs volunt: multò minùs alicubi Chriſtus dixit. Hic panis eſt tantum ſignū corporis mei, quem manducabitis credendo in me; quod ſicut verè panem illum comedetis, ita verè ſalvi eritis: hæc eſt doctrina Acatholicorum; ſed ubi illa in S. ſcriptura legitur? cur ergo contra expreſſum verbum Chriſti ſine clara ſcriptura loquuntur & credunt contra ſua principia?

VII. Non obſtat 1. quod ſenſus verborum Chriſti ſit difficilis conceptu, & videatur impoſſibilis, quod ore fidelium corpus Chriſti integrum ſumatur, ut ideo vel verbum *eſt* per *ſignificat* aut verbum *corpus* per *ſignum corporis* tropicè ſit explicandum, ùt Acatholici contendunt; Hoc, inquā, non obſtat: quia multò difficiliùs eſt concipere, *verbum caro factum eſt,* & tamen ideo non poſſumus explicare ly *eſt* per *ſignificare,* quod verbum ſignificet carnem, vel per *carnem,* quod verbum figuram carnis aſſumpſerit, ut volebat *Marcion* hæreticus.

Similiter, dum Chriſtus ſuper aquas apparens diſcipulis putantibus ipſum phātaſma eſſe dixit: *Nolite timere, ego ſum.* Matt. 14. v. 18. non oportet ly, ſum, ſignificativè exprimere, ſicut dum poſt reſurrectionem januis clauſis ſtetit in medio diſcipulorum, qui putabant ſpiritum eſſe, dixit: *Nolite timere, ego ſum.* Luc. 24. v. 37. ſic enim Marcioniſtæ & Manichæi explicabant.

VIII. Nec obſtat 2. quod Chriſtus ſeu corpus Chriſti ſedeat ad dexteram Patris in cælis; & quod videatur impoſſibile, quod ſimul ſit in tot locis; hoc enim ſuprà oſtenſum eſt eſſe poſſibile.

Nec proprium ſenſum aufert, quod Chriſtus adjecerit: *Hoc facite in meam commemorationem,* hæc enim commemoratio conſiſtit cum proprio ſenſu: Primò, quia poteſt quis habere ſignum memoriæ alicujus præſentis rei, quæ tamen inviſibilis eſt, ut patet de ipſo Deo, qui ubiq; præſētiſſimus eſt, & tamen ſcript. ſæpius monet, & indicat memoriā Dei, ſic Moyſes Deut. 8 cū multa ſigna

signa & beneficia Dei, populo proposuisset v. 18. dicit: *Sed recorderis Domini Dei tui, quòd ipse tibi vires præbuerit*, &c. David pl. 41. v. 7. inquit: *Propterea memor ero tui de terra Iordanis*, & pl. 61. v. 7. *Si memor fui tui super stratum*, &c. & pl. 76. v. 3. *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei mei, & delectatus sum*, sic ergo & verè fideles V. Sacramentum in memoriam Christi invisibiliter præsentis accipiunt, dum certò credunt se sub speciebus corpus ejus sumere, quod non vident.

IX. Iterum qualiter Dominus in suam commemorationem hoc sacramentum sumi voluerit, Apostolus ad Cor. 1. explicat dicens: *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Sic simul consistunt, quod fideles sumant corpus Domini præsens gloriosum, & recolant passionem, quam Christus in corpore suo pro nobis in remissionem peccatorum olim sustinuit.

X. Probatur 2. principaliter, quod Christus non sit tropicè vel figuraliter in verbis institutionis hujus Sacramenti locutus: quia certum est primò, quando Deus dedit aliqua præcepta observanda populo, verbis in proprio sensu usus sit, ut patet in tota scriptura, atqui hic Christus dedit discipulis præceptum faciendi quod ipse fecit.

XI. 2. In condendis testamentis oportet verbis in proprio sensu & claris uti; ut lites inter hæredes & legatarios vitentur; & sic etiam verba testamenti ad literam intelligi debent, prout etiam jus civile statuit L. non aliter ff. de leg. 3. quis enim non videt, quàm absurdum esset, si testator in testamento alicui ordinasset, ut darentur illi 100. aurei, vel certa domus; hæres autem vel executor tali daret signum, v. g. chartam vel picturam, quæ repræsentaret 100. aureos vel domum.

Certum autem est, quod Christus Dominus in hoc Sacramento suum condiderit testamentum, ùt patet ex verbis Domini: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine*, &c. Item: *Hic est sanguis meus novi testamenti*, quomodo ergo credendum, quod Christus in suo testamento tam tropicis & figurativis verbis uti voluerit, ut diceret, se dare corpus suum, & intelligeret se solum signum corporis dare, scilicet nudum panem? quæ significatio à nullo conciperetur, nisi ab Acatholicis violenter inferretur.

XII. Probatur eadē veritas 3. principaliter: quia non absque speciali Spiritûs S. directione tres Euangelistæ & Apostolus in institutione V. Sacramenti, eadem prorsus Christi Verba referunt, scilicet: *Hoc est corpus meum*, ut magis pateret absoluta Christi intentio de vero suo corpore à fidelibus ore sumendo; cùm sit aliquid supra naturam: alioquin Euangelistæ aliqui saltem potuissent Verba Christi ita referre, ut intelligeretur, quod Christus figuraliter voluerit loqui, ut dicendo, *hic panis est, vel significat corpus meum*, vel, saltem in contextu indicassent claris verbis figuram, prout Christus alibi in figura loquens dicitur, per similitudinem dixisse, &c. & specialiter, dum Joann. 15. v. 5. dixerat: *Ego sum vitis, vos palmites*; postea explicat, quod per similitudinem locutus sit dicens v. 6. *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes.* & v. 4. dixerat, *sicut palmes non potest ferre*, &c. ubi clarè explicat similitudinem.

At verò nec Euangelistæ, nec Apostolus in contextu & alibi indicant Verba hæc Christi per figuram esse prolata, ac proinde in proprio sensu intelligenda sunt.

XIII. Probatur 4. principaliter, certum est: quod in lege veteri Agnus paschalis à populo manducandus figura fuerit hujus sacramenti Eucharistiæ, ùt per se patet, & SS. Patres passim tradunt.

Similiter mannæ in deserto à Judæis manducatio figura fuit S. Eucharistiæ, ùt ex verbis Domini Joann. 6. constat, & Apost. 1. Cor. 10. v. 3. postquam dixisset, quod Judæi eandem escam spiritualem manducassent, & eundem potum spiritualem bibissent, dicit v. 6. *Hæc autem in figura facta sunt nostri*, &c adeoque supponit, quod nos escam per manna figuratam manducemus, scilicet S. Eucharistiam, prout Christus Joann. 6. promisit. At verò, si in Eucharistia nos nudum panem materialem accipiamus, figura longè excellentior fuisset, quàm figuratum; quod absurdum est, & contra Verba Christi, quia Agnus paschalis & manna excellentioris fuerunt substantiæ, quàm panis materialis, licèt dicatur, quod significet corpus Christi, sic enim & Agnus, & manna corpus Christi significarunt.

XIV. Similiter verba Apostoli 1. Cor. c. 10. v. 16. cùm dicit: *Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Domini est? quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, qui de uno pane participamus*, hæc, inquam, non possunt de pane triticeo vel materiali intelligi, cùm fideles, qui per totum orbem Eucharistiam suscipiunt, non de uno pane materiali participant, ut evidens est, sed de uno pane vero, *qui de cælo descendit.* Joann. 6.

XV. Demum sincerus Christianus consideret ceremonias & actiones, quibus Christus ante & in institutione hujus sacramenti usus sit, & patebit; quod Christus intenderit longè altius & excellentius præstare, quàm nudum panem in sui memoriam instituere. Primò enim consideretur, quod Christus Dominus antehac cum discipulis pascha Judæorum manducans nunquam legatur pedes discipulorum lavisse; & colligitur ex facto Petri, qui eum permittere noluit; imo Christus defendit discipulos, dum Pharisæi illos arguerent, quod illotis manibus manducarent, quantò magis illotis pedibus manducârunt?

XVI. 2. In hac autem cæna pascha Judæorum manducato, *surrexit, & cœpit lavare pedes discipulorum* Joan. 13. v. 4. Petro autem præ humilitate se excusanti dixit: *Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea.* v. 7. Illo autem adhuc recusanti minatur dicens: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* v. 9. *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet*, &c. quibus indicatur quod Christus specialem emundationem requisierit cordis ante V. sacramentum instituendum.

3. Reliqui discipuli his auditis acquieverunt, supponentes Christum singulare mysterium intendere; quod Christus utique fecit, ut corda illorum ad credendum præpararentur, dum dicturus esset, *accipite, & comedite, hoc est corpus meum.*

XVII. 4. Christus instituens hoc sacramentum dixit: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Luc. 22. v. 15. *Et accepit panem, gratias egit, & benedicens fregit, & dedit illis* Matt. 26. Marc. 14. &c.

Si nudum panem in ſui tantùm memoriam dare & inſtituere voluiſſet Dominus, quid opus fuiſſet tantis præmiſſis cæremoniis, tantâ gratiarum actione?

XVIII. 5. Nunquid ſacramentum baptiſmi etiam ſignificat Chriſti paſſionem juxta illud Rom. 6. v. 3. *Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus*; & quidem Acatholici volunt, quod baptizatus per hoc juſtificetur, quia aqua nuda exterius abluitur, & per fidem apprehendit Chriſtum, & ſe illi incorporari credit, ſicut per nudum panem comedendo Chriſto unitur, &c. veruntamen ſcriptura non refert tantas cæremonias à Chriſto adhibitas, dum baptiſmum mandavit dicens: *Euntes docete eos baptizantes*, &c. & Joann. 3. *Niſi quis renatus fuerit*, &c. niſi ergo aliquid altius & excellentius myſterium in ſacramento Euchariſtiæ Chriſtus intenderit, cur Euangeliſtæ tam accuratè illa deſcribunt?

XIX. Iterum Apoſt. 1. Cor. 10. v. 16. dicit: *Calix, cui benedicimus*, cur nunquam de aqua baptiſmi dicitur aqua, cui benedicimus, *communicatio corporis Domini eſt?* & cap. 11. volens hujus ſacramenti inſtitutionem referre; præmittit ſe à Domino accepiſſe, quid in cæna egerit, dixerit & inſtituerit: utique volens oſtendere Dei voluntatem, quod non nudum panem in ſui memoriam, ſicut nudam aquam in baptiſmo inſtituerit; ſed ſuum verum corpus verè ore manducandum, & addit. *Quicunque manducaverit indignè*, &c.

XX. Demum videmus Joann. 3. quod Chriſtus Nicodemo de baptiſmo loquens explicaverit, qualiter homo renaſci debeat, & tunc nec Nicodemus contradixit, nec poſtea ulli ſcandalizati ſunt audientes ſe baptizandos; ſicut ſcandalizabantur audientes, quod carnem Chriſti eſſent manducaturi; nec tamen Chriſtus explicavit de nudo pane in ſui memoriam ſumendo, ſicut explicavit de nuda aqua, quâ baptizandi, & ſpiritum regenerandi eſſent.

XXI. Similiter, dum Chriſtus Matt. 19. v. 24. de divitibus dixiſſet: *Faciliùs eſt Camelum per foramen acûs tranſire, quàm divites intrare in regnum cælorum*, & diſcipuli his auditis dicebant, *quis ergo poterit ſalvus eſſe?* Chriſtus expoſuit dicens: *Apud homines hoc impoſſibile eſt, apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt*. Nec tamen Joann. 6. diſcipulis partim credentibus, partim mirantibus explicavit verba ſua; dicendo: quod ſolum panem in illius memoriam manducaturi eſſent, quod facilè captu eſt.

XXII. Etſi autem de verbis Chriſti & Apoſtoli, quoad realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia ſatis conſtet, prout jam deduximus, & S. Eccleſia Catholica credit: tamen ulteriùs jam oſtendemus, quod non ſolùm moderna Eccleſia ſic credat, ſed antiqua Eccleſia crediderit; prout ex SS. Patribus conſtabit.

(***)

ARTICULUS III.

Veritas Catholica de præſentia corporis Domini in Euchariſtia oſtenditur ex ſanctis Patribus Græcis.

Quia Anonymus 2. libelli §. *Miramur ergo*, expoſtulat, cur *Ambroſium & Auguſtinum* ad probandam Catholicam veritatem exhibuerimus, dicens: *Sed belli vos diſputatores, an in duobus illis Patribus tota primæva antiquitas, ubi tunc Ignatius, Irenæus, Fælix, Tertullianus, Origenes? quare hos primævos & ſimplicitati Apoſtolicæ proximiores non offerebatis*, &c. hæc ille; ubi quidem nugatur, quia diſputatio ex inopinato Vrdingæ contigit, ubi omnium SS. Patrum libri non erant ad manum, ſicut *Ambroſius & Auguſtinus*; qui tamen, ſi, ut ſunt, pro Catholicâ veritate eſſent, ſatis Acatholicorum errorem confutarent. Itaque ex plurimis potiores etiam primarios, & alios Patres per 4. ſecula priora adducemus: & primò ex Eccleſia Græca; inter quos præcipuus *S. Andreas Apoſtolus* in Achaia paſſus qui Judici Ægeæ, ut diis immolaret urgenti apud Robert. Bellarm. tom. 2. ed. Ingolſtad. 1591. l. 2. c. 1. ſic reſpondet: *Ego omnipotenti Deo immaculatum agnum quotidie offero. Qui cùm verè ſit ſacrificatus, & carnes eius verè à populo manducatæ, integer perſeverat & vivus.* De hoc loco latiùs agemus infrà de ſarificio Miſſæ. Vitam & paſſionem hujus Apoſtoli ſcripſerunt ejus diſcipuli, qui in Achaia erant Presbyteri, quam nulli Patres in dubium unquam vocarunt. Hic ergo Apoſtolus paucis verbis Catholicam veritatem; quod caro Chriſti verè manducetur; exprimit, & per illa verba, *integer agnus & vivus perſeverat*, Capharnaitarum ſenſum excludit. Cùm autem Ægeas urgeret ſibi dici, quomodo agnus comedatur, & integer permaneat; reſpondit Apoſtolus, *ipſum ad huius myſterii notitiam pervenire non poſſe, niſi fidem Chriſti ſuſciperet*, &c. quod ſi autem id ſolum fiat in hoc, quod panis in memoriam paſſionis Chriſti manducetur; quid ibi myſterii vel difficultatis? I.

II.

Ignatius Apoſtolorum diſcipulus apud Jod. Cocc. tom. 2. 1601. art. 1. in epiſt. ad Smyrnenſes; de quibusdam hæreticis ſic ſcribit: *Euchariſtias & oblationes non admittunt, quod non confiteantur Euchariſtiam eſſe carnem Salvatoris*, &c. *quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam Pater ſuâ benignitate ſuſcitavit*, &c. nec de hac epiſtola dubium eſt; quod ſit S. Ignatii, quia nullus S. Pater rejicit, & Theodoret. circa annum 450. in dialog. 3. illam citat: III.

Iuſtinus martyr (quem Anonymus ſecundus contra ſacrificium Miſſæ allegat, de quo fuſiùs reſpondendo dicetur) in apologia ad Antoninum Cæſarem ed. Hieron. Commelini ſic ait: *Porrò alimentum hoc apud nos appellatur Euchariſtia, quod nulli alteri participare licitum eſt, quàm veram eſſe doctrinam noſtram credenti & lavacro propter remiſſionem peccatorum & regenerationem abluto*, &c. *non enim ut communem panem, neque communem potum iſta ſumimus; ſed quemadmodum per verbum Dei caro factus Ieſus Chriſtus Salvator noſter, & carnem & ſanguinem ſalutis noſtræ causâ habuit: ad eundem modum etiam eam, in qua per* IV.

Digitized by Google

preces verbi eius ab ipso profecti gratiæ sunt actæ, alimoniam; unde sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Iesu carnem & sanguinem esse edocti sumus: nam Apostoli in commentariis à se scriptis, quæ Euangelia vocantur, ita tradiderunt præcepisse sibi Iesum, eum enim pane accepto, cùm gratias egisset, dixisse: Hoc facite in mei recordationem, hoc est corpus meum, hæc *Iustinus*. Ubi patet, quod non intenderit Eucharistiam esse signum tantum corporis Domini, cùm dicit non esse communem panem, prout Acatholici dicere debent, licèt dicant panem panem sanctificatum: ita tamen, ut communis panis maneat. 2. quia comparat consecrationem Eucharistiæ cum incarnatione verbi, ut sicut Dei potentiâ Verbum assumpsit veram carnem, sic verbo Dei cibum illum esse carnem & sanguinem Christi; ad quid alioquin opus erat adducere illud mysterium incarnationis Christi? deinde si tantum esset figura corporis Christi hoc Justinus isti Ethnico Cæsari faciliùs scribere potuisset ad persuadendam fidem; quam si diceret, quod Eucharistia esset vera caro Christi, quam fideles manducant; idque non nisi post baptismum.

V. *Irenæus* qui 2. seculo cum Justino floruit lib. 4. cap. 34. ed. Colon. 1596. contra hæreticos, qui negabant resurrectionem carnis, sumit argumentum ex Eucharistia, dicens: *Quomodo constabit eis, cum panem, in quo gratiæ actæ sunt corpus esse Domini sui, & calicem sanguinem eius, si non ipsum fabricatoris mundi filium dicant, id est, verbum eius, per quod lignum fructificat, & terra dat fœnum primùm, post spicam, deinde plenum triticum in spica?* &c. *quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam, quæ à corpore Domini & sanguine alitur* & paulò pòst: *Quemadmodum enim, qui est à terra panis percipiens invocationem Dei iam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans terrenâ & cælesti. Sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam iam non sunt corruptibilia spem resurrectionis habentia*, &c. hæc Irenæus.

Ex his verbis primò constat, quod *Irenæus* supponat ex pane communi fieri carnem Christi, & ex hoc probat Christum esse omnipotentem, & mundi fabricatoris filium; quod non concluderet, si Christus solum panem in signum suæ carnis instituisset. Sicut nos utimur aliquibus rebus in signum aliarum, licèt illas non creavimus. 2. dicit; quod post invocationem non sit communis panis, sed Eucharistia constans duabus rebus, terrenâ & cælesti, quæ est illa cælestis, nisi caro Christi? terrena autem sunt species panis: non diceretur autem Eucharistia constare ex corpore Christi cælesti, si non esset præsens, sed longè in cælo absens.

VI. *Origenes*, qui floruit circa annum Domini 220. sæpius veritatem hanc tradit, specialiter homil. 7. in lib. Num. ed. Basil. 1557. loquens de lege veteri & nova, sic ait: *Lex Dei iam non in figuris & imaginibus sicut priùs, sed in ipsa specie veritatis agnoscitur, & quæ priùs in ænigmate designabantur nunc in specie & veritate complentur.*

Et iterum: *Tùm in ænigmate erat manna cibus; nunc autem in specie caro Verbi Dei est verus cibus, sicut ipse dicit, quia caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*, hæc Origenes. Si autem nunc solum panem materialem carnem Christi significantem sumeremus, nihil differremus à Judæis: qui etiam manna, quod erat signum corporis Christi, sumebant; adeoque non esset verum quod dicit: quæ priùs in ænigmate designabantur, nunc in specie & veritate complentur, &c.

Item hom. 5. in diversos ed. Basil. 1557. parte 2. *Quando*, inquit, *sanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur, & tu ergo humilians te ipsum, & imitare nunc Centurionem, & dicito: Domine, non sum dignus, ut sub tectum meum intres: ubi enim indignè ingreditur, ibi ad Iudicium ingreditur accipienti*, &c. hæc Orig. VII.

Nota 1. quod dicit cibum incorruptum, quod non potest dici de pane materiali. 2. quod dicit, ut accipiens Eucharistiam dicat: *Domine, non sum dignus*. hoc ad panem materialem dici nequit. 3. *ubi indignè ingreditur*. Patet, quod Christus ipse ingrediatur, quia Acatholici negant Christum ingredi vel sumi per fidem ab indignis, sed nudum panem: adeoque ad illos Christus non ingreditur secundùm illos contra Origenem & Apostolum, ad cujus verba collimat.

Rursus hom. 13. in Exod. ed. Basil. cit. ait: *Volo vos admonere religionis vestræ exemplis: nostis, qui divinis rebus interesse consuevistis; quomodo cùm suscipitis corpus Domini, cum omni cautela & veneratione servatis, nec ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur; reos enim vos creditis, & rectè creditis, si quid inde per negligentiam decidat*, &c. hæc Orig. Ubi patet, quod fideles rectè crediderint ipsum corpus Domini esse præsens, alioquin, si nudus panis decidisset, non ita rei timuissent; sicut modò Acatholici non curant, an aliquid micarum decidat, vel ubi maneat. VIII.

Demum lib. 8. contra Celsum Ethnicum eâd. ed. sic ait: *Quapropter Celsus quoque Deum nesciens vota persolvat dæmonibus: Nos, qui rerum omnium Creatori placere studemus, cum precibus & gratiarum pro beneficiis acceptis actione oblatos panes edimus, corpus iam per precationem factos, sanctum quoddam & sanctificans utentes eo cum sano proposito*, hæc ille. Nota, quod dicit panes effici corpus sanctum & sanctificans, quod nullo modo de materiali pane dici potest; licèt enim Acatholici panem suum etiam sanctum & sanctificatum vocent, quia dicunt esse sacramentum; tamen non possunt illum dicere sanctificantem: quod soli vero Christi corpori competit. IX.

Concilium Nicænum I. celeberrimum, in quo Arius condemnatus est Anno 325. celebratum, cui S. Athanasius, S. Nicolaus, & tot SS. Patres interfuerunt lib. 3. cap. de divina mensa, ut habetur in actis ejus, ubi sic dicitur: *Iterum etiam hic in divina mensa, ne humiliter intenti simus ad propositum panem & poculum; sed attollentes mentem fide intelligamus situm in sacra illa mensa Agnum illum Dei, tollentem peccata mundi, incruentè à Sacerdotibus immolatum, & pretiosum ipsius corpus & sanguinem; nos verè sumentes credere hæc esse nostræ resurrectionis symbola: propter hoc enim neque multum accipimus, sed parum, ut sciamus, quòd non satietati, sed sanctimoniæ sumimus*, hæc Concil. Ubi nota primò, quod Concilium agnoscat Sacerdotes in Ecclesia, qui corpus Domini incruentè immolent, quod secundus X.

 Ano-

Digitized by Google

Anonymus tantopere calumniatur. 2. quod Concilium moneat, quod non attendamus exteriorem panem & poculum ſeu illorum ſpecies; ſed per mentem fide cognoſcamus Agnum Deì non ſolùm ad dexteram Patris in cælo ſedentem, ùt Acatholici volunt, & cum Calvin. lib. 4. Inſt. cap. 17. §. 36. contra expreſſa Concilii verba exponunt; ſed *ſitum in illa ſacra menſa*, quem externis oculis non videmus. 3. quod non more Capharnaitarum corpus Domini ad ſaginandum vel ſatiandum, ſed integrè & indiviſibiliter ad ſalvandam animam ſumamus: Ecce quàm clarè Concilium illud veritatem Catholicam tradit; cujus ſolius teſtimonium pro antiqua Eccleſia ſufficeret.

XI. *Athanaſius* lib. de humanæ Naturæ Suſceptione ed. Pariſ. 1581. dicit: *Cuius primitias habemus, quia in communionem Corporis Dominici admiſſi ſumus; quemadmodum ipſe dixit, panis, quem ego dabo, pro mundi vita eſt, ſpiritus enim vivificans eſt caro Domini, quoniam ex ſpiritu vivificante concepta eſt.* hæc ille. Quibus clarè Acatholicorum effugium redarguit.

XII. *Cyrillus Ieroſolymitanus* eodem ſeculo floruit circa annum 350. catecheſi 4. myſtagog. ed. Colon. 1564. exhortans, ne fideles ullatenus dubitarent de veritate corporis Domini in Euchariſtia ſic ait: *Cùm Chriſtus ipſe ſic affirmet atque de pane dixerit.* Hoc eſt corpus meum, *quis audebit deinceps dubitare, ac eodem quoque confirmante & dicente:* Hic eſt ſanguis meus, *quis inquam dubitet & dicat, non eſſe illius ſanguinem? Aquam aliquando mutavit in vinum, quod ſanguini eſt propinquum in Cana Galilææ ſolâ voluntate, & non erit dignus, cui credamus, quòd vinum in ſanguinem* (NB) *transmutaſſet? Si enim ad nuptias corporeas invitatus ſtupendum miraculum operatus eſt, & non multò magis corpus & ſanguinem ſuum filiis ſponſæ dediſſe illum confitebimur? Quare cum omni certitudine corpus & ſanguinem Chriſti ſumamus; nam ſub ſpecie panis datur tibi corpus, & ſub ſpecie vini datur tibi ſanguis* (nota quid clariùs dici poteſt) & poſt pauca: *Sic Chriſtophori erimus, hoc eſt, Chriſtum ferentes, cùm eius corpus & ſanguinem in noſtra membra receperimus*, &c. (nota, quod fieri non poſſet, niſi ore verum corpus Chriſti ſumatur) & infrà: *Ne ergo conſideres tanquam nudum panem & nudum vinum, corpus enim eſt & ſanguis Chriſti, ſecundùm ipſius Domini verba; quamvis enim tibi hoc ſenſus ſuggerit, tamen fides te confirmet; ne ex guſtu rem iudices*, &c. Et paulò pòſt: *Hoc ſciens, & pro certiſſimo habens panem hunc, qui videtur à nobis, non eſſe panem, etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat, ſed eſſe corpus Chriſti; & vinum, quod à nobis conſpicitur, tametſi ſenſui guſtus vinum eſſe videatur, non tamen vinum, ſed ſanguinem eſſe Chriſti*, hæc Cyrillus. Vbi ſeipſum in fine explicat, quod in initio dixerat, quod Chriſtus de pane dixerit: Hoc eſt corpus meum; quaſi panis eſſet corpus Chriſti, hoc enim in fine explicat, dicendo panem hunc, qui videtur à nobis non eſſe panem, ſed eſſe corpus Chriſti, adeoque in principio intelligitur quod dixit de pane, id eſt, qui quoad ſenſum & guſtum videtur panis non tamen eſt panis, ſed panis cæleſtis, qui eſt corpus Chriſti.

Hæc verba Cyrilli tam clara ſunt, ut quilibet lector videat uno ſpiritu illa ſcripta eſſe, quo Concilium Tridentinum ſuprà de hoc venerabili Sacramento loquitur; quod ſcilicet guſtus percipiat accidentia panis & vini, quæ manent, & unde ratio naturalis colligit eſſe ibi ſubſtantiam panis; ſed quia ſubſtanſtantiæ per Dei potentiam abeſſe poſſunt, & abſunt in hoc ſacramento, ùt fides docet; ſic ſecurè intellectus credit Verbo Chriſti non obſtante ſenſu circa accidentia manentia: quæ ſenſus tantum percipere poteſt, non verò ſubſtantias rerum.

X *Baſilius Magnus* paulò poſt Concilium Nicænum floruit anno 360. ſerm. ſeu libro 2. de Bapt. cap. 3. ed. Antwerp. 1568. comparat Euchariſtiam cum arietibus & aliis, quæ in lege veteri offerebantur dicens: *Si tales minæ adversùs eos poſitæ ſunt, qui temere ad ea ſacra accedunt, quæ ab hominibus ſanctificantur; quid dicendum eſt de eo, qui in tantum ac tale myſterium temerarius eſt? quantò enim maius aliquid is eſt templo ſecundùm Domini vocem; tantò graviùs & terribiliùs eſt in animæ impuritate conſtitutum corpus Chriſti temere contingere, quàm ſit accedere ad arietes vel tauros*, &c. hæc ille. Quæ certè comparatio & exaggeratio non ſubſiſteret, ſi in Euchariſtia ſolus panis & figura corporis Domini ſumeretur; cùm etiam ſacrificia veteris legis eſſent ſigna corporis Chriſti; adeoque ſupponit Baſilius, quod corpus Domini præſens in Euchariſtia ſumatur, quod excellit arietes ſicut Creator creaturam, & ſicut Dominus excedit templum.

X *Gregorius Nyſſenus* Baſilii Germanus frater libro de Vita Moyſi ed. Baſil. 1564. conferens manna cum Euchariſtia, ſic ait de Euchariſtia: *Panis eſt abſque ſemine, abſque aratione, abſque alio humano opere nobis paratus, is deſuper invenitur defluens in terris; panis enim, qui de cælo deſcendit, qui verus cibus eſt, qui ænigmaticè hâc hiſtoria* (ſcilicet mannæ) *ſignificatur, non incorporea quædam res eſt; quo enim pacto res incorporea corpori cibus fiet? res autem, quæ incorporea non eſt, corpus omnino eſt*, &c. hæc ille. Vbi nota, quod dicat Euchariſtiam eſſe panem abſque ſemine, &c. quod non competit pani materiali, ſed ſoli Chriſto, ut ipſe etiam explicat. 2. dicit, quod corpus Chriſti à corpore ſumentis, ut cibus ſumatur: ac proinde id Chriſti corpori, ſi in cælo tantum eſſet, non competeret, ſic enim Acatholici negant corpus Domini ore fidelium ſumi.

X Item in orat. catechetica cap. 37. de Euchariſtia apud Jod. Cocc. tom. 2. theſ. Cathol. art. 1. 1601. ſic ait: *Cùm autem ſolum illud corpus, quod Deum ſuſcepit, hanc gratiam acceperit; oſtenſum autem ſit aliter fieri non poſſe, ut noſtrum corpus ſit in immortalitate, niſi per communionem cum immortali factum ſit particeps incorruptionis; oportet conſiderare, quomodo fieri queat, ut unum illud corpus, quod tam multis fidelium millibus in univerſo orbe terrarum ſemper diſtribuitur, totum per partem ſit in unoquoque, & ipſum in ſe totum maneat. Vt ergo fides ad id, quod eſt conſequens, aſpiciens, de ſenſu propoſito nullam habent dubitationem, oportet noſtram orati-*

orationem paulisper immorari, &c. ubi prolixiùs discurrit, quomodo per panem nutriatur homo omnis, sic & panis naturalis à corpore Christi in terra existente sumptus fuerit mutatus in verum illius corpus, & subdit: *Corpus autem Dei verbi inhabitatione ad divinam transmutatum est dignitatem; rectè ergo nunc quoque Dei verbo sanctificatum panem in Dei verbi corpus credo transmutari.* & paulò pòst: *Unde in illo corpore transmutatus panis transit in divinam virtutem, per idem nunc fit sacramentaliter.* Et infrà: *Manifestatum autem verbum propterea se admiscuit interitui obnoxiæ humanæ naturæ, ut communione divinitatis simul etiam deificetur humanitas, ea de causa per suæ gratiæ dispensationem se per carnem inserit omnibus credentibus commixtus & contemperatus corporibus credentium, ut unione cum illo, quod est immortale, sit homo etiam particeps incorruptionis. Hæc autem dat virtute benedictionis in illud trans elementa eorum, quæ apparent natura,* hæc Gregor.

XVII. Circa quæ NB. primò, si fideles solùm per fidem solum in signo acciperent corpus Christi in cælo sedens, cur hoc Gregorius non dixit? cùm id non sit mirabile, quod tot millia fidelium sumant singula unius corporis Christi; sed ipse multis modis ostendit id divina virtute fieri. 2. quia dicit, quod sicut panis, quem Christus in terra existens manducabat, mutabatur in corpus illius, sic jam per verbum Dei & benedictionem transelementetur natura eorum, quæ videntur, scilicet panis & vini in corpus Christi (nota transsubstantiationem) quid clariùs dici posset?

XVIII. *Gregorius Nazianz.* condiscipulus olim Basilii in orat. 2. de Paschate ed. Bas. 1550. pag. 318. loquens de Eucharistia, cujus figura fuerat agnus paschalis, & explicans ritus, quibus Judæi in illo edendo utebantur, accommodansque illos ad Eucharistiæ manducationem sic ait: *Absque confusione & dubio comede corpus, & sanguinem bibe, si saltem vitæ desiderio teneris, neque sermonibus, qui de carne habentur fidem, deneges, neque ob passionem offendaris, constans esto firmus & stabilis in nulla re propter adversariorum sermones fluctues,* &c. hæc ille. Nota, cur ita hortaretur fideles, si solum signum carnis sumerent?

XIX. Item eâd. ed. in orat. de obitu Gorgoniæ sororis suæ referens illam morbo incurabili affectam nocte quadam in templum sese proripuisse dicit: *Ante altare cùm fide procubuit ad illum, quem venerabatur magnâ voce, ac omni invocavit conamine, eique miracula cuncta, quæ olim fecerat, in memoriam reduxit.* Et iterum: *Super altare caput reclinat, ac cum simili clamore & lachrimarum profluvio instar illius, quæ olim pedes Christi rigavit, opem implorat: & non antea se cessaturam est comminata, quàm sanitatem fuisset adepta.* &c. hæc ille. Si nudum signum corporis Christi sit super altare, quomodo illud à Christianis colitur? quomodo ab illa pia sorore invocabatur absque idololatria, ut Acatholici contra nos arguunt? patet ergo, quod Christus ipsemet super altare præsens colebatur.

S. Ephrem Basilii contemporaneus apud Jud. Cocc. tom 2. thes. Cath. art. 1. 1601. adhortat. 3. dicit: *Draco ille quasdam cogitationum sordes atq; quisquilias occultè subseminat ad conturbandum fratrem; ne pura mente immaculatis Salvatoris nostri Dei attendat mysteriis,* &c. hæc ibi.

Item lib. de Natura Dei minimè scrutanda apud Cocc. ibidem sic scribit c. 5. *Esto fidelis atq; innocens participa immaculato corpori Domini tui fide plenissima; certus quod agnum ipsum integrum comedis, ignis immortalis sunt mysteria Christi; noli temere ea perscrutari, ne in ipsorum profunditate comburaris.* Et postea: *Hoc sanè excedit omnem admirationem, omnem mentem, omnemque sermonem, quod fecit nobis unigenitus filius Christus Salvator noster; Ignem & spiritum manducandum ac bibendum præstitit nobis, carne vestitus corpus scilicet & sanguinem suum.* &c. hæc Ephrem. Nota, quæ esset admiratio super omnem mentem, si Christus tantum nobis dedisset nudum panem in signum corporis sui?

Joannes Chrysost. Patriarcha Constantinopolitanus eodem seculo celeberrimus de V. sacramento Eucharistiæ hom. 83. in Matt. ed. Bas. 1558. XX.
sic ait: *Credamus itaque ubique Deo, nec repugnemus ei: etiamsi sensui & cogitationi nostræ* (NB) *absurdum esse videatur, quod dicit: superet sensum & rationem nostram sermo quæso ipsius, quod in omnibus & præcipuè in mysteriis faciamus, non illa, quæ ante nos iacent, solummodo aspicientes, sed verba quoque eius tenentes; nam verbis eius defraudari non possumus; sensus vero noster deceptu facillimus est, illa falsa esse non possunt, hic sæpius atque sæpius fallitur, quoniam ergo ille dixit: hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate; sed credamus & oculis intellectus id perspiciamus,* &c. hæc ille. Quomodo fallitur oculus, si nihil adsit nisi panis? eadem dicit homil. 60. ad pop. Antiochen.

Item eâd. ed. hom. 51. in Matt. dicit: *Qui majus,* XXI.
id est, animam suam pro te posuit, quare dedignabitur suum tibi tradere corpus? audiamus igitur tam sacerdotes (sed ubi sacerdotes apud Acatholicos) *quàm alii, quàm magna, quàm admirabilis res nobis concessa est, audiamus, oro, & perhorrescamus: carnes suas nobis tradidit, se ipsum immolatum proposuit,* &c. hæc ille.

Item ed. cit. hom. 60. ad pop. ait: *Quot nunc dicunt, vellem ipsius formam aspicere, figuram, vestimenta, calceamenta; ecce eum vides, ipsum tangis; ipsum manducas, & tu quidem vestimenta videre cupis, ipse vero tibi concedit, non tantùm videre verum, & manducare, & tangere, & intra te sumere,* &c.

Similiter loquitur orat. de S. Philogonio eâd. ed. dicens: *Ac Magi quidem nihil aliud quàm adorarunt, tibi verò,* &c. *permittendus ut sumamus, & sumpto domum abeas,* &c. hæc ille. Quomodo hæc? si nudus panis detur, &c.

Iterum hom. 83. cit. ed. *Non sunt humanæ vir-* XXII.
tutis opera hæc, quæ tunc in illa cœna confecit, ipse nunc quoque operatur, ipse perficit, ministrorum nos ordinem tenemus, qui vero hæc sanctificat, & (NB) *transmutat, ipse est,* &c. *animam priùs tradam meam, quàm Dominicum alicui corpus indignè; sanguinémque potiùs meum effundi patiar, quàm sanctissimum illum sanguinem præterquam digno concedam,* &c. sed quomodo indigno datur corpus Domini, si indignus nihil accipiat prorsus, nec sacramentum juxta Acatholicos?

Et ibidem: *Cogita, quantâ indignatione adversus proditorem, adversus eos, qui crucifixerunt ipsum, movearis; & cave, ne tu quoque corporis & sanguinis Christi reus efficiaris. Illi acerbissimè trucidarunt, tu post tot tantaque beneficia sordida suscipis anima. Non enim sufficit ipsi hominem fieri, flagellis interim cædi: sed nos secum in unam (ut ita dicam) massam reducit, neque id fide solum* (NB) *sed reipsa nos corpus suum efficit,* hæc ibi.

Iterum

Digitized by Google

XXIII. Iterum hom 61. eâd.ed. *Parentes, ait, aliis ſæpe filios tradunt alendos; ego autem, inquit, non ita; ſed carnibus meis alo; & me ipſum vobis appono vos omnes generoſos eſſe volens, & bonas vobis prætendens de futuris expectationes; quippe qui vobis hic meipsũ trado, multò magis in futuro.* Et infrà: *Heu mihi quot nobis ad ſalutem viæ? nos corpus ſuum effecit, nobis ſuum cõmunicavit corpus, & horum nos nihil à malis avertit.*

XXIV. Item ibidem eâd. ed. *Neceſſarium eſt dilectiſſimi myſteriorum diſcere miraculum, quid tandem ſit, & quare ſit datum, & quæ rei utilitas, unum corpus ſumus & membra, ex carne eius & ex oſſibus eius.* Et paulò pòſt: *Vt itaque non tantùm per charitatem hoc ſiamus, verum & ipſa re in illam miſceamur carnem hoc per eſcam efficitur, quam largitus eſt nobis, volens oſtendere deſiderium ſuum, quod erga nos habet; ardenter enim amantium hoc eſt*, hæc Chryſoſt.

XXV. Quid clariùs pro veritate Catholica dici poſſet, quàm S. Patriarcha ſcripſit? ubi expreſsè oſtendit, quod non ſolum per fidem & charitatem Chriſto uniamur, & ſic corpus ejus ſiamus; ſed etiam re ipſa corpus illius intra nos ſumamus. Carnem ſuam dat nobis, ſicut matres infantibus lac ſuum; quod ipſum tangamus, videamus, plus quam ſi calceamenta vel fimbriam illius tangeremus: quæ vera non eſſent, ſi ſolum panem ſignum corporis Chriſti ſuſciperemus & tangeremus; ſic enim magis eſſet veſtem Chriſti, quæ ipſum veſtivit, Fide bona tangere, quàm nudum panem: quod autem dicit, quod ſub ſenſibilibus ſignis panis Chriſtum ipſum tangamus & videamus, verum eſt; ſicut Rex videtur in veſte ſua præſens, & Angeli viſi ſunt in ſpecie, quam aſſumpſerunt præſentes; licèt hæc clariſſima ſint, adhuc alia addamus.

XXVI. Idem *Chryſoſtomus* hom. 24. ed. Baſil. 1547. in epiſt. 1. cap. 10. ad Cor. volens fideles ad devotam corporis Domini in Euchariſtia ſuſceptionem exhortari de corpore Domini ſic ait: *Cum honore & munditia omni ad Deum accedamus; & quando id propoſitum videris, dic tecum; propter hoc corpus non amplius terra & cinis ego ſum, propter hoc cælum & ea; quæ in eo bona ſunt, me accepturum ſpero, hoc corpus affixum verberatum, morte victum non eſt*, &c. *hoc idem corpus cruentatum lanceâ vulneratum, fontes ſanguinis & aquæ univerſo orbi ſalutares ſcaturivit*, &c. & poſt mediam paginam: *Hoc corpus in præſepe reveriti ſunt Magi longo itinere confecto cum timore & tremore plurimo adoraverunt. Imitemur ſaltem barbaros nos qui cælorum cives ſumus, illi enim quum id præſepe & tugurium tantum, neque eorum quicquam quæ tu nunc intueris viderent, ſumma acceſſerunt reverentia & honore: tu vero non in præſepi id, ſed in* ALTARI, *non mulierem, quæ in ulnis teneat, ſed ſacerdotem præſentem & ſpiritum perabundè ſuper propoſito diffuſum ſacrificio vides; nec ſimplex ut illi corpus intueris, ſed & eius potentiam, & omnem cognoſcis adminiſtrationem: excitemur igitur, horreſcamúsque, & maiorem, quàm Barbari illi præ nobis feramus pietatem*, & paulò infrà: *Animadvertis, quonam pacto, quod omnium maximum eſt atque præcipuum* NB. *in terra non conſpicaris tantum, ſed tangis, neque ſolum tangis, ſed comedis, & eo accepto domum redis*, &c. hæc Chryſoſt. Vbi patet, quod corpus in altari ſit præſens, ſicut in præſepi, & quod fideles non in cælo, ſed id in terra comedant, & propoſitum videant, & ſecum domum ferant, &c.

XXVII. Idem ed. câd. tom. 3. hom. de Proditore Juda dicit: *Nos ad terribilem menſam cum debita reverentia, cum congrua vigilantia opportunum tempus invitat: nullus ibi Iudas reperiatur*, &c. *Et nunc ille præſtò eſt Chriſtus* (NB) *qui illam ornavit menſam, ipſe iſtam quoque conſecrat. Non enim homo eſt, qui propoſita de conſecratione menſæ Domini, corpus Chriſti facit, & ſanguinem, ſed ille, qui crucifixus pro nobis eſt Chriſtus; ſacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute conſecrantur, & gratia. Hoc eſt, ait, corpus meum: hoc verbo propoſita conſecrantur: Et ſicut illa vox, quæ dicit: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, ſemel quidem dicta eſt, ſed omni tempore ſentit effectum*, &c. *Ita & vox illa ſemel quidem dicta eſt, ſed per omnes menſas Eccleſiæ uſque ad hodiernam diem, & uſque in eius adventum præſtat ſacrificio firmitatem*, hæc Chryſoſt. Ecce quàm blaſphemè Anonymus, ut infrà patebit, rideat iſtas quinque voces Chriſti, *hoc eſt enim corpus meum*, quibus Catholica Eccleſia credit ex Chriſti inſtituto cum SS. Patribus panem in corpus Chriſti mutari.

XXVIII. Demum *Chryſoſt.* ed. eâd tom. 5. tollens dubium, quod Acatholici movent, quod Chriſtus ſedeat in cælo, & ideo non ſit in terra, dicit ipſe hom. 2. ad pop. Antiochen. *Helias Meloten diſcipulo ſuo reliquit, filius autem Dei aſcendens ſuam nobis carnem dimiſit, ſed Helias quidem exutus, Chriſtus autem & nobis reliquit, & ipſam habens aſcendit*, &c. ſi autem Chriſtus nobis tantum in pane, ut ſigno carnem reliquiſſet, quod ibi majus miraculum, quam in veſte Eliæ, quæ etiam ipſum referebat? Agnoſcit autem Chryſoſtomus maximum hic fieri miraculum, ut ex ſupradictis patet, uti etiam conſtat ex lib. de Sacerdotibus, ubi dicit: *O miraculum! ô Dei benignitatem! qui cum Patre ſurſum ſedet, in illo ipſo temporis articulo omnium manibus pertractatur; ac ſe ipſum tradit, volentibus illum excipere & amplecti*, &c. quid clariùs? at quale miraculum, ſi in illo articulo omnes nudum panem ſumentes crederent in Chriſtum?

XXIX. *Cyrillus Alexandrinus Patriarcha*, qui interfuit & præſedit concilio Epheſino, quod inter quatuor generalia concilia, quibus Calv. ipſe plurimum defert, tertium fuit, in epiſt ad Neſtorium, quæ ab eodem concilio approbata fuit tom. 1. cap. 14. ed. Bal. 1566. ſic ait: *Atque ita ad myſticas accedimus benedictiones, ac ſanctificamur participes facti ſanctæ carnis pretioſique ſanguinis ſervatoris noſtri Ieſu Chriſti, nec, ut communem carnem accipimus, abſit, neque tanquam viri ſanctificati, & verbo ſecundùm dignitatis unitatem coniuncti, utpote velut divinam inhabitationem adepti, ſed ut verè vivificatricem, & ipſius verbi propriã*, &c. quod dicit propter Neſtorium, qui dicebat carnem Chriſti eſſe puri hominis ſanctificati, non vero unitam verbo.

XXX. Item lib. in Joan. cap. 13. eâd. ed. circa illa verba: *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare re ad manducandum*, &c. dicit: *Firmam fidem myſteriis adhibentes, nunquam in tam ſublimibus rebus illud, quomodo, aut cogitemus*, &c. & poſtea per multa S. Scripturæ exempla oſtendit Deo nihil eſſe impoſſibile; ut quia virgam in ſerpentem, aquas in ſanguinem in Ægypto, &c. mutatus, ac proinde potuiſſe etiam nobis dare ſuam carnem ad manducandum, &c.

XXXI. Itẽ l. 10. in Joan. c. 13. eâd. ed. dicit: *Non negamus rectâ nos fide charitatéq; ſincera Chriſto ſpiritualiter coniungi; ſed nullam nobis coniunctionis rationẽ ſecundùm carnem cum illo eſſe, id profectò pernegamus;*

idque

Idque à divinis Scripturis omnino alienum dicimus, &c. quæ autem hæc sit conjunctio, paulò pòst exponit dicens: *An fortassis putat ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse? quæ, cùm in nobis fiat, nonne corporaliter quoque facit communione Carnis Christi, Christum in nobis habitare?* quid clariùs dici potest?

XXXII. *Proclus Patriarcha Constantinopolitanus* Cyrillo Alexandrino æqualis, de traditione divinæ Liturgiæ in Bibliotheca Patrum edit. Colon. 1618. parte 1. tomo 5. pag. 542. col. 1. & multa referens circa verba Domini: Hoc est Corpus meum, subjungit: *Per has preces Spiritûs Sancti adventum expectabant, ut eius divina præsentia propositum in sacrificium panem & vinum aquâ permixtum ipsum illud Corpus & Sanguinem Salvatoris nostri Iesu Christi efficiat*, &c. ubi patet, quòd veram supponat conversionem panis in Corpus Christi divinâ virtute.

XXXIII. *Theodoreti*, Cyrilli & Procli contemporanei testimonium adfertur respondendo ad objectionem secundi Anonymi ad Theodoretum. Hæc Græcorum Patrum testimonia ex primis 5. sæculis sufficiant.

ARTICULUS IV.

I. ### *Eadem veritas probatur ex PP. Latinis.*

Etsi justissimè adferre possem testimonia Pontificum Romanorum qui primis trecentis annis fuerunt sanctissimi Martyres, & Calvinus illos ut tales agnoscat, ut *Clemens primus, Anacletus, Pius primus, Alexander primus, Thelesphorus, Pontianus*, &c. qui in Epistolis & libris de hoc venerabili Sacramento tradiderunt; iis tamen omissis re-
II. censebimus illos, quos Anonymi requisierunt, & repudiare non possunt.

Tertullianus, qui circa Annum Domini 200. floruit lib. 2. ad uxorem editione Basil. 1562. volens suadere fœminæ Christianæ, ne ethnico Matrimonio jungeretur, utitur etiam argumento de sumptione venerabilis Sacramenti; quòd aut clàm marito illud sumeret, quod difficile semper foret, aut illo sciente, & tunc Sacramentum contemptui exponeretur, dicit, *non sciet maritus quid secretò ante omnem cibum gustes, & si sciverit panem, non illum credit esse qui dicitur*, &c. ubi patet, quòd Tertullianus intelligat ibi panem esse cœlestem Christum præsentem, potuisset facilè dicere, & maritus credere; quòd panis materialis tantùm in memoriam Christi sumeretur.

Item in Apologia cap. 7. *Dicimur*, ait, *sceleratissimi de Sacramento Infanticidi & pabulo crudo*, &c. quod & alii sancti Patres tradunt; quòd Ethnici dicerent: Christianos ad carnes huma-
III. nas vorandas concurrere.

Idem libro de Idololatria cap. 7. eâdem edit. invehitur in quendam Christianum dicens: Qui audet *eas manus admovere Corpori Domini, quæ dæmoniis corpora conferunt*, &c. & infrà: *Prô scelus! semel Iudæi Christo manus intulerunt, isti quotidie Corpus eius lacessunt*, &c. ubi sciendum, quòd tunc temporis fidelibus in manus tradebatur V. Sacramentum domum deferendum, &c. quomodo ista vera essent, si esset nudum signum Corporis Domini, quando manibus tangitur,
vel nec signum quidem extra usum juxta Aca- IV.
tholicos?

Similiter lib. de corona militis eâd. ed. inter ritus Christianorum recenset; quòd summâ cautela sanctum conservent, ne in terram caderet dicens: *Calicis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxiè patimur*, &c. sic & alii SS. Patres fatentur; si autem essent nuda signa & extra usum
nihil (ut volunt Acatholici) quâ cautelâ opus, V.
quam nec ipsi adhibent?

Idem lib. de Resurrect. carnis eâd. edit. sic ait: *Caro abluitur ut anima emaculetur, caro ungitur, ut anima consecretur, caro Corpore & Sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur*, &c. Si autem corpus & Sanguis Christi ore non sumatur, quomodo caro dicitur illis vesci? hæc Tertull.

Origenes lib. 8. contra Celsum edit. Basil. 1557. parte 2. dicit: *Oblatos panes edimus, Corpus iam per precationem factos, sanctum quoddam & sanctificans, utentes eo cum sano proposito.* ubi patet, quòd dicat panem in corpus sanctum mutari, quod sanctificat alios, quale nullum est nisi VI.
corpus Christi verum.

Cyprianus Carthag. Episcopus & Martyr celeberrimus qui Anno 250. floruit, lib. de Lapsis edit. Basil. 1543. sic ait: *A diaboli aris revertentes ad sanctum Domini sordidis & infectis nidore manibus accedunt.* & infrà: *Vis infertur Corpori eius & Sanguini eius plùs modò in Dominum manibus atque ore delinquunt, quàm cùm Dominum negaverunt.* & infrà: *Iacens stantibus, & integris vulneratus minatur, & quòd non statim Corpus inquinatis manibus accipiat aut ore polluto Domini Sanguinem bibat Sacerdotibus sacrilegus irascitur*, &c. hæc Cypr. Nota 1. dicit, quòd ore accipiant & bibant Sanguinem Christi, 2. quòd magis peccent corpus Domini indignè sumendo, quàm si Christum negent in Fide, quod verum non esset, si solùm in signum corporis Domini sumerent nudum panem, licèt non bene dispositi, &c. cùm hi non negent Christum; ac pro-
inde injuria sit, quòd ipsum corpus Domini in- VII.
dignè sumant.

Item lib. de Cœna Domini eâd. ed. dicit: *Cæna disposita inter homines sacramentales epulas obviaverunt sibi instituta antiqua & nova, & consumpto agno quem antiqua traditio proponebat inconsumptibilem cibum Magister apponit discipulis*, &c. sed quomodo inconsumptibilem cibum Christus dedit, si nudum panem in signum corporis sui dedit, qui in significationem sui consumeretur? & si tantùm in signo corpus dedit; sic etiã agnus
paschalis signum fuit corporis Domini nec ta- VIII.
men dicitur inconsumptibilis cibus, &c.

Item ibid. *Panis*, inquit, *quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie sed naturâ mutatus omnipotentiâ Verbi factus est Caro, & sicut in persona Christi humanitas videbatur & latebat divinitas, ita Sacramento visibili ineffabiliter se divina infundit essentia, &c.* hæc ille, quid his clariùs dici posset? quòd scilicet panis quoad species visibiles maneat, sed quoad naturam & substantiam mutetur, idque omnipotentiâ Dei, & fiat Caro Christi, & lateat in Sacramento: sicut divinitas in humanitate, & divinitas est substantialiter in hu-
manitate præsens, &c. ecce transubstantiatio- IX.
nem.

S. *Hilarius Episcopus Pictav.* eodem tempore, quo Athanasius contra Arianos militans lib. 8. de

Digitized by Google

de Trinit. editione Baſil. 1570. ſic ait: *Si verè*
igitur carnem corporis noſtri Chriſtus aſſumpſit, & ve-
rè homo ille, quia ex Maria natus fuit, Chriſtus eſt;
noſque verè ſub myſterio carnem Corporis ſui ſumimus
& per hoc unum erimus, quia Pater in eo eſt, & ille
in nobis, quomodo voluntatis unitas aſſeritur cùm na-
turalis per Sacramentum proprietas perfectè Sacra-
mentum ſit unitatis? non eſt humano aut ſæculi ſenſu
in Dei rebus loquendum, neque per violentam atque
impudentem prædicationem cœleſtium dictorum ſani-
tati alienæ, atque impiæ intelligentiæ extorquenda
perverſitas eſt: Quæ ſcripta ſunt legamus, & quæ le-
gerimus intelligamus, & tunc perfectæ Fidei officio
fungemur, de naturali enim in nobis Chriſti verita-
te quæ dicimus, niſi ab eo diſcimus ſtultè atque impiè
dicimus. Ipſe enim ait: Caro mea verè eſt eſca,
& Sanguis meus verè eſt potus, &c. *de verita-*
te Carnis & Sanguinis non eſt relictus ambigendi lo-
cus: nunc enim & ipſius Domini profeſſione & Fide
noſtrâ verè caro eſt & verè Sanguis eſt, &c. hæc
Hilarius. Quid his verbis clariùs pro veritate
Catholica dici poſſet? ubi ſanctus vir expri-
mit, quod ſicut non ſignificativè ſed verè ver-
bum Dei carni noſtræ conjunctum eſt, ſic eti-
am in Sacramento caro ipſius naturaliter no-
bis miſceatur licèt non per unionem hypoſta-
ticam, &c. & abſolutè pronunciat, quod de
veritate carnis & Sanguinis Domini in Sacra-
mento non ſit relictus ambigendi locus, juxta
verbum Chriſti & Fidem noſtram; omnem
humanum excludens ſenſum, &c.

Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis, qui ſanctum
X. Auguſtinum ad Fidem convertit, lib. de iis qui
myſteriis initiantur, cap. 9. editione Romanâ
1580. ſic ait: *Fortè dicas aliud video, quomodo*
tu mihi aſſeris, quòd Chriſti Corpus accipiam? &
hoc ſupereſt ut probemus, quantis igitur utimur exem-
plis, ut probemus non hoc eſſe quod natura (NB) *for-*
mavit, ſed quod benedictio conſecravit, maiorémque
eſſe vim benedictionis quàm naturæ, quia benedictio-
ne etiam natura ipſa mutatur? virgam tenebat
Moyſes proiecit eam, & facta eſt ſerpens, &c. ubi
adducens plura miracula per Moyſen, Eliam,
& Eliſæum facta, & ſubdit: *Quòd ſi tantum va-*
luit humana benedictio, ut naturam converteret quid
dicemus de ipſa conſecratione divina, ubi verba ipſa
Domini Salvatoris operantur? nam Sacramentum
iſtud, quod accipis Chriſti ſermone conficitur; quod
ſi tantum valuit ſermo Eliæ ut ignem de cœlo depo-
neret, non valebit Chriſti ſermo, ut ſpecies mu-
tet elementorum? de totius mundi operibus legi-
ſti, quia ipſe dixit & facta ſunt, &c. *ſermo ergo*
Chriſti, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat
non poteſt ea quæ ſunt in id mutare quod non erant?
& infrà: *Liquet igitur, quòd præter naturæ ordi-*
nem virgo generavit, & hoc quod conficimus Cor-
pus ex Virgine eſt, quid hic quæris naturæ ordi-
nem in Chriſti Corpore, cùm præter naturam ſit ipſe
partus ex Virgine, ipſe clamat Dominus Ieſus: Hoc
eſt Corpus meum. Hæc Ambroſ. ecce tranſub-
ſtantiationem.

Item libro quarto de Sacrament. cap. quar-
XI. to, eâdem editione ſimili modo procedit oſten-
dens longè excellentiorem nobis dati cibum in
Euchariſtia, quàm olim in Manna Judæi ac-
ceperint; cùm illis Chriſti Corpus in figura
datum ſit, nobis in veritate: quod verum non
eſſet, ſi ſolum panem ùt ſignum corporis acci-
peremus; videamus verba, ſic enim ait: *Verè*
magnum eſt & divinum miraculum, quòd populo plu-
it Deus Manna de cœlo, &c. *fortè tu dicis, meus pa-*
nis eſt uſitatus. Sed panis iſte, panis eſt ante verba
Sacramentorum, ubi acceſſerit conſecratio de pane fit
caro Chriſti; hoc igitur aſtruamus. Quomodo poteſt
qui panis eſt eſſe corpus Chriſti? conſecratione. Con-
ſecratio igitur quibus verbis fit, & cuius ſermonibus?
Domini Ieſu, nam reliqua omnia quæ dicuntur, lau-
dem Deo deferunt oratio præmittitur pro populo,
pro Regibus, pro cæteris; ubi venitur, ut conficia-
tur venerabile Sacramentum, iam non ſuis ſermoni-
bus ſacerdos, ſed utitur ſermonibus Chriſti: ergo ſer-
mo Chriſti hoc conficit Sacramentum, quis ſermo
Chriſti? nempe is quo facta ſunt omnia. Iuſſit Do-
minus & factum eſt cœlum, iuſſit Dominus, & fa-
cta eſt terra, &c. *Vides ergo, quàm operatorius ſit*
ſermo Chriſti, ſi ergo tanta vis eſt in ſermone Domini
Ieſu, ut inciperent eſſe quæ non erant, quantò magis
operatorius eſt, ut quæ erant in alind commutentur,
& infrà: *Ergo ut tibi reſpondeam: non erat Corpus*
Chriſti ante conſecrationem, ſed poſt conſecrationem
dico tibi, quod iam corpus eſt Chriſti: Ipſe dixit, &
factum eſt, &c. Et cap. 5. ſubjungit: *Ergo non*
otioſe cùm accipis, tu dicis, amen, iam in ſpiritu con-
fitens quòd accipias corpus Chriſti. Dicit tibi ſacer-
dos corpus Chriſti & tu dicis, amen, hoc eſt ve-
rum. quod confitetur lingua teneat affectus, hæc
ibi.

Iterum ibidem cap. 5. editione eâdem dicit: XII.
Antequam conſecretur, panis eſt; ubi autem verba
Chriſti acceſſerint corpus eſt Chriſti. Denique audi
dicentem: Accipite & edite ex eo omnes, hoc
eſt Corpus meum. *Et ante verba Chriſti calix eſt*
vini & aquæ plenus, ubi verba Chriſti operata fue-
rint, ibi Sanguis efficitur, qui plebem redemit. Er-
go videte quantis generibus potens eſt ſermo Chriſti
univerſa convertere: Deinde ipſe Dominus Ieſus te-
ſtificatur nobis, quòd corpus ſuum accipiamus & San-
guinem. Nunquid debemus de eius Fide & teſtifica-
tione dubitare? &c. hæc ille. ecce tranſubſtan-
tiationem.

Iterum lib. 3. de Spiritu Sancto, cap. 12. eâ- XIII.
dem editione circa illa verba pſ. 98. *Adorate*
ſcabellum pedum eius, ſic ait: *Itaque per ſcabellum*
terra intelligitur, per terram autem caro Chriſti,
quam hodie quoque in myſteriis adoramus, & quam
Apoſtoli in Domino Ieſu, ut ſuprà diximus, adorâ-
runt, &c. hæc ille, ſi caro Chriſti non eſſet in
Euchariſtia præſens, quomodo abſque Idolola-
tria in illa adoraretur?

Demum libro 6. de Sacramentis, cap. 1. edi- XIV.
tione cit. *Sicut*, ait, *verus eſt Dei Filius, Dominus no-*
ſter Ieſus Chriſtus, non quemadmodum homines per
gratiam, ſed quaſi Filius, ex ſubſtantia Patris; ita
vera eius caro eſt, ſicut ipſe dixit, quam accipimus,
& verus eius Sanguis eſt, quem potamus. Et infrà:
Si fortè dicis; quomodo vera caro, quomodo verus
Sanguis? qui ſimilitudinem video, non video San-
guinis veritatem? primò omnium dixi tibi de ſermo-
Chriſti, qui operatur, ut poſſit mutare & convertere
in aliud inſtitutâ naturâ, &c. hæc Ambroſius,
quomodo hodierno tempore clariùs oſtendere
& probare poſſemus, quòd per Dei operatio-
nem ſubſtantia panis in Euchariſtia mutetur in
Corpus Chriſti verè præſens, quam S. Doctor
fecit?

Hieronymus Ambroſio, Chryſoſt. & Auguſtino
coævus epiſt. 150. ad Hedebiam q. 2. edit. Baſil. XV.
1553. ſic ait: *Nos audiamus panem, quem fregit*
Dominus

Dominus, deditque diſcipulis ſuis, eſſe Corpus Domini Salvatoris, & infrà: *Nec Moyſes dedit nobis panem verum. ſed Dominus Ieſus: ipſe conviva & convivium, ipſe comedens & qui comeditur; illius bibimus ſanguinem, & ſine ipſo potare non poſſumus, &c.* hæc ille, ubi ſatis fit dubitationi Acatholicorum: qui dicunt impoſſibile, quòd Chriſtus in cœna ſuum proprium Corpus ſumpſerit.

Item in Comment. Matth. 26. eâdem edit. dicit: *Poſtquam typicum Paſcha fuerat impletum, & agni carnes cum Apoſtolis comederat; aſſumit panem qui confortat cor hominis, & ad verum Paſchæ tranſgreditur Sacramentum; ut quomodo in præfiguratione eius Melchiſedech ſummi Dei Sacerdos panem & vinum offerens fecerat ipſe quoque veritatem ſui Corporis* (NB) *& Sanguinis repræſentaret*, &c. hæc ibi. Quid autem? ſi jam Chriſtus in cœna etiam nudum panem obtulerit in ſignum, cùm & panis Melchiſedech ſignum erat & figura Corporis Chriſti?

Iterum ad cap. 1. Malachiæ editione cit. *Polluimus panem, id eſt, Corpus Chriſti, quando indigni accedimus ad altare, & ſordidi mundum ſanguinem bibimus & dicimus: Menſa Domini deſpecta eſt, &c.* hæc ibi: Si autem juxta Acatholicos ſoli digni & mundi Corpus & & Sanguinem Domini in ſignum bibunt, quomodo hæc cum Hieronymo conſiſtunt?

XVI. Demum ad cap. 1. Epiſtolâ ad Titum eâdem editione, ubi cùm dixiſſet, quòd eos qui Corpus Domini ſuſcipere voluerint oporteat ab actu conjugali abſtinere, multò amplius, quàm cùm Abimelech noluerat dare David panes propoſitionis, niſi dixiſſet David, *equidem ſi de mulieribus agitur continuimus nos ab heri & nudius tertius.* 1. Regum 21. v. 5. infert Hieronymus: *Tantùm intereſt inter propoſitionis panes & Corpus Chriſti, quantum inter umbram & corpora; inter imaginem & veritatem; inter exemplaria futurorum, & ea ipſa quæ per exemplaria præfigurabantur, &c.* hæc ille. Si autem Euchariſtia ſit veritas & panis propoſitionis imago & exemplar, quomodo in Euchariſtia erit nudus panis materialis, licèt ſignificet Chriſtum? hoc enim panes propoſitionis ſignificabant.

XVII. D. *Auguſtinus* etſi propter infideles & catechumenos ſæpe obſcurè locutus ſit; tamen veritatem ipſam ſæpius expreſſit multis locis, hîc pauca referemus.

Libro nono Confeſſ. cap. decimo tertio editione Baſil. 1528. referens ultima verba Matris ſuæ Monicæ Deum alloquens dicit: *Tantummodo memoriam ſui ad altare tuum fieri deſideravit*, &c. *unde ſciret diſpenſari victimam ſanctam, quâ deletum eſt chirographum quod erat contrarium nobis, &c.* hæc ibi: Ecce ſupponit Auguſtinus in Altari eſſe victimam ſanctam quâ deletur iniquitas; hæc non eſt panis materialis, licèt Chriſtum ſignificans, ſed verum Corpus Chriſti.

Item Epiſtolâ 120. ad Honorat. cap. 27. eâdem editione circa illud pſalmi vigeſimi primi: *Manducaverunt & adorarunt omnes divites plebis*, dicit de ſuperbis, *& ipſi adducti ſunt ad menſam Chriſti, & accipiunt de Corpore & Sanguine eius, ſed adorant tantùm, non etiam ſaturantur, quoniam non imitantur; manducantes enim pauperem pauperes dedignantur eſſe.*

Similiter conc. 1. in pſalm. vigeſim. de Divitibus ſuperbis & impiis ſic ait: *Manducaverunt Corpus humilitatis Domini ſui etiam divites, non ſicut pauperes ſaturati ſunt uſque ad imitationem, ſed tamen adoraverunt, &c.* hæc ibi. Ecce dicit primò quòd adorant, ſed panis nudus etiam ſignum Chriſti non adoratur. Secundò, quòd indigni ſumant de Corpore Domini, & non ſaturentur: at Acatholici dicunt, quòd indigni Chriſtum non accipiant, &c.

Idem tomo ſecundo editione Baſil. 1529. libro octavo ad Januarium, cap. 6. ſic ait: *Placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, in os Chriſtiani primùm Dominicum Corpus intraret, quàm cæteri cibi. Nam ideo per univerſum orbem mos iſte ſervatur, &c.* hæc ibi. ecce Corpus Dominicum ore corporali ſuſcipitur contra Acatholicos.

Rurſus lib. 3. de Trinit. cap. 4. eâdem editione, cùm dixiſſet; quòd Chriſtus aliter ſignificetur per voces ſcriptas, &c. verùm aliter per Sacramentum Corporis ſic ait: *Nec linguam quippe eius, nec membranas, nec atramentum, nec ſignificantes ſonos linguâ editos, nec ſigna literarum conſcripta pelliculis Corpus Chriſti & Sanguinem dicimus; ſed illud tantùm, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece myſticâ conſecratum ritè ſumimus ad ſalutem ſpiritalem in memoriam pro nobis Dominicæ Paſſionis, quod cùm per manus hominum ad illam viſibilem ſpeciem producitur non ſanctificatur, ut ſit tam magnum Sacramentum: niſi operante inviſibiliter ſpiritu Dei quæ per corporales motus in illo opere fiunt Deus operetur, &c.* hæc ibi. ubi ulteriùs allegat varia miracula à Deo facta de virga Aaron quæ floruit; de pluvia per Heliam obtenta, de aqua mutata in vinum, de virga Moyſis in ſerpentem converſa, &c. & inter hæc Dei operationes recenſet hanc operationem Dei in hoc Sacramento: ſicut ſuprà ex his Ambroſius illius Magiſter, hoc myſterium probavit. Quid autem opus eſſet recurrere in hoc Sacramento ad Dei virtutem & miraculum; ſi nihil niſi nudus panis in ſignum Chriſti accipiatur? XVIII.

Idem libro 3. de Trinit. cap. decimo eâdem editione dicit: *Illas nubes & ignes quomodo fecerint vel aſſumpſerint Angeli ad ſignificandum quod annunciabant, etiamſi Dominus vel Spiritus Sanctus illis corporalibus formis oſtendebatur* (ſcilicet præſens) *quis novit hominum? ſicut infantes non norunt, quid in altari ponitur, & peractâ pietatis celebratione conſumitur; unde vel quomodo conficiatur; unde in uſum Religionis aſſumatur: & ſi nunquam diſcant experimento vel ſuo vel aliorum, & nunquam illam ſpeciem rerum videant, niſi inter celebrationem Sacramentorum cum offertur & datur, dicatúrque illis authoritate graviſſimâ cuius Corpus & Sanguis ſit, nihil aliud credent; niſi omnino in illa ſpecie Dominum oculis apparuiſſe mortalium, &c.* hæc ille, ubi ſupponit, quòd parvuli bene credant Corpus Domini verè eſſe præſens, ſed in hoc errent, quòd putent in tali ſpecie etiam in terra fuiſſe converſatum, &c. XIX.

Iterum libro 2. contra Adverſar. leg. & Prophet. cap. 9. eâdem editione ſic ait: *Mediatorem Dei & hominum hominem Chriſtum Ieſum* XX.

Digitized by Google

carnem ſuam nobis manducandam, bibendúmque ſanguinem dantem fideli corde atque ore (nota) *ſuſcipimus; quamvis horribiliùs videatur humanam carnem manducare, quàm perimire; & humanum ſanguinem potare, quàm fundere, &c.* ubi patet, quòd carnem Chriſti etiam ore ſumamus, quod Acatholici negant, & Auguſtinus indicat, quòd non accipiatur conciſus per partes juxta opinionem Capharnaitarum crudelem.

XXI. Item in pſ. 33. conc. 1. eâdem edit. circa Titulum pſalmi qui talis eſt, *& ferebatur in manibus ſuis*, dicit Auguſtinus: *Hoc verò fratres quomodo poſſet fieri in homine, quis intelligat? quis enim portatur in manibus ſuis? manibus aliorum poteſt portari homo, manibus ſuis nemo portatur: quomodo intelligatur in ipſo David ſecundùm literam non invenimus, in Chriſto autem invenimus. Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum ait:* Hoc eſt Corpus meum. *Ferebat enim illud Corpus in manibus ſuis.* hæc ibi. Idem repetit ibid. conc. 2. dicens: *Quomodo ferebatur in manibus ſuis? quia, cùm commendaret ipſum Corpus ſuum & Sanguinem, accepit in manus ſuas; quod norunt fideles, & ipſe ſe portabat quodammodo, cùm diceret:* Hoc eſt Corpus meum. hæc ibi. Si Auguſtinus non aliud intellexerit Chriſtum dediſſe diſcipulis, quàm nudum panem, qui eſſet ſignum tantùm Corporis abſentis, quid mirum ſi hoc quilibet homo faceret portando ſignum ſui corporis?

Nec obſtat quod ſecundo loco addat, *quodammodo*, quia per hoc non excludit, quòd corpus ſuum verè in manibus portârit; ſed quodam alio modo ſupernaturali & non naturali in propria ſpecie, ùt homines portari ſolent, *&c.* hoc convictus teſtimonio Petrus Martyr, licèt aliàs D. Auguſtini verba magni faciat, protervè & impiè dixit: *Velint nolint Papiſtæ, non poteſt ullo modo fieri, ut Corpus ſuum Chriſtus propriè portârit, quia tum duo corpora haberet, &c.* ſic & negat verba Scripturæ & Auguſtinum; qui hoc in Chriſto factum profitetur, nec exiſtimavit impoſſibile.

XXII. Rurſus in pſ. 98. edit. cit. explicans illud, *adorate ſcabellum pedum eius*, ait, *fluctuans converto me ad Chriſtum, quia ipſum quæro hîc, & invenio; quomodo ſine impietate adoretur terra, ſine impietate adoretur ſcabellum pedum eius: Suſcepit enim de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit; & quia in ipſa carne hîc ambulavit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit, nemo autem illam carnem manducat* (nota) *niſi priùs adoraverit; inventum quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolùm non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando,* &c. hæc Auguſt. Ecce quomodo Auguſtinus dicere auſus eſſet, nos non peccare adorando, antequam hanc carnem in Euchariſtia manducemus; ſed potiùs peccare, ſi non adoremus, ſi Caro Chriſti non eſſet realiter ibi præſens? ideo enim Catholici nos Idololatriæ condemnant contrarii Auguſtino, pietati & veritati.

XXIII. Demum omiſſis pluribus aliis locis Tract. 11. in Joann. eâdem edit. explicans illa verba: *Ieſus autem non credebat ſe eis, &c.* illa explicat catechumenis, ſcilicet fidelibus nondum baptizatis, quibus non præbetur Euchariſtia, & ait: *Si dixerimus Catechumeno, credis in Chriſtum? reſpondet credo, & ſignat ſe cruce Chriſti* (nota an hoc faciant Acatholici) *portat in fronte: & non erubeſcit de cruce Domini ſui, ecce credit in nomine eius; Interrogemus eum: Manducas carnem filii hominis, & bibis Sanguinem filii hominis? neſcit quid dicimus, quia Ieſus non ſe credidit ei.* Et infrà: *Quò perducis credentes & baptizatos? ad Manna; ecce dico manna; Notum eſt, quid acceperint Iudæi populus ille Iſraël; notum eſt, quid illis pluiſſet Deus de cœlo; & neſciunt Catechumeni, quid accipiant Chriſtiani; erubeſcant ergo quia neſciunt, tranſeant per mare rubrum, manducent Manna, ut quomodo crediderunt in nomine Ieſu, ſic ſe ipſis credat Ieſus, &c.* hæc Auguſt. ſi ergo nihil aliud eſſet Carnem Chriſti manducare, quàm in ipſum credere, vel aliquod ſignum in illius memoriam ſumere; hoc faciebant Catechumeni; unde evidens eſt, quod Auguſtinus judicabat in Euchariſtia dari veram Carnem Chriſti; quæ catechumenis non dabatur nec explicabatur; donec eſſent baptizati. Plura loca reſpondendo ad argumenta allegabuntur.

XXIV. *Leo* I. à quo PP. Concilii IV. generalis Calcedonenſis confirmationem petierunt, cùm alibi, tum ſerm. 6. de Jejunio 7. menſis edit. Colon. 1561. ſic ait: *Sic ſacræ menſæ communicare debetis, ut nihil prorſus de veritate Corporis Chriſti & Sanguinis ambigatis: Hoc enim ore ſumitur quod Fide creditur, &c.* hæc ille.

XXV. S. *Gregorius Magnus* ab ipſo Calvino piiſſimus dictus Hom. 22. edit. Baſil. 1551. ſuper Euangelia ſic ait: *Quid ſit ſanguis Agni non iam audiendo, ſed bibendo didiciſtis, qui ſanguis ſuper utrumque poſtem ponitur; quando non ſolùm* (NB) *ore corporis; ſed etiam ore cordis hauritur, &c.* hæc ille.

Plurima alia ſunt ſanctorum Patrum loca, quibus hæc veritas oſtenditur; quorum plura etiam videri poſſunt; quæ allegantur pro ſacrificio Miſſæ: quibus & hæc clarè probantur.

ARTICULUS V.

Notantur aliqua obſervanda circa verba ſanctorum Patrum de hoc Sacramento.

I. Quamvis ex præmiſſis teſtimoniis clariſſimè conſtet, quòd ſancti Patres primorum quatuor ſæculorum veram Chriſti Corporis & Sanguinis in S. Euchariſtia præſentiam crediderint & docuerint, ſicut hodierna Eccleſia credit: quia tamen Acatholici etiam diverſorum Patrum verba contra hanc veritatem allegare ſolent: quædam generalia hîc notanda ſunt, ex quibus veritas eluceſcet, cùm poſſibile non ſit ſingula loca pertractare, ſicut infrà aliqua Auguſtini & Juſtini loca declarabimus; quod tamen à pluribus Eccleſiæ Doctoribus jam à tempore Berengarii copioſiſſimè præſtitum eſt.

II. Obſervandum ergo 1. *quòd qualiacunque loca SS. Patrum ab Acatholicis in contrarium allegentur, in nullo tamen oſtendi poteſt; quòd expreſſè SS. Patres negaverint in Euchariſtia eſſe verum Chriſti Corpus præſens: ubi tamen ratio ipſa & Fides requirebat, ut illud negarent:* ſed econtrà tot argumentis & miraculis probare ſtuderent, & fidelibus oſtendere, licèt ſpecies panis videantur, tamen ibi non eſſe panem, ſed Corpus Chriſti verè eſſe præſens; & per Dei omnipotentiam

per

per virtutem Spiritûs ſancti panem mutari & converti in corpus Chriſti; per ſermonem ſeu verbum Chriſti, quo cœlum & terram ex nihilo creavit, *&c.* cum facillimè dicere potuiſſent; nihil ſic difficile creditu eſſe, ſed nudum panem in memoriam paſſionis Chriſti per fidem ſumi, *&c.*

III. 2. Cum dicunt Corpus Chriſti in Euchariſtia adorandum; & qui in peccatis exiſtens Euchariſtiam manibus attingit ſummam injuriam Corpori Chriſti inferat; ſicut Iudæi illum captivantes; quod verum nullo modo eſſet, niſi Corpus Chriſti in Euchariſtia verè præſens eſſet; præſertim, quia Acatholici negant ore vel manibus Corpus Chriſti tangi vel ſuſcipi; vel ſi micæ in terram decidant, non ampliùs quam de puro pane curant.

IV. 3. Quia SS. Patres tantopere ſe fundant in verbis Chriſti clariſſimis; & ideo dicunt, licèt incomprehenſibile ſit, tamen ſine ulla ambiguitate credendum ſit Corpus Chriſti præſens; quia Chriſtus dixit, qui omnipotens eſt

V. Obſervandum 2. quòd, quia Corpus Chriſti non eſt præſens in Euchariſtia modo naturali in ordine ad locum, ut tangi, videri, vel dividi poſſit; ſed modo inviſibili & incorruptibili, ut ſupra oſtenſum eſt. 2. quia ipſum Chriſti Corpus in Euchariſtia ſumitur in memoriam ſui ipſius, quatenus in cruce oblatum eſt ſicque eſt ſignum, & figura: ſæpius dicitur, ac figuratè dicitur manducari à SS. Patribus. 3. quia etiam ſub ſpeciebus panis Corpus Chriſti præſens eſt, & ſic per ſpecies illas repræſentatur præſens, & ſignificatur; ſic ſpecies etiam aliquo modo Corpus Domini vocantur, ut infrà ad loca S. Auguſtini oſtendetur.

VI. Verùm certum eſt quòd SS. Patres nunquam dixerint Euchariſtiam eſſe tantum ſignum Corporis Domini, ſeu eſſe tantum panem, & non ibi adeſſe Corpus Chriſti; ita ut poſitivè excluſerint & negarint ibi corpus eſſe præſens, quæ longè diverſa ſunt; nam Eccleſia Catholica hæc omnia ſimul vera eſſe confitetur & credit; 1. quod *Euchariſtia ſit ſignum Corporis Domini quoad ſpecies panis Chriſti corpus continentes*, 2. *quod ſit ipſum verum corpus Domini, prout Euchariſtia ſumitur pro ſignificato præſente.* 3. *quod ipſum verum corpus Domini ſit ſignum ſui ipſius; prout repræſentat ſe ipſum in cruce oblatum.* 4. *quod ipſum corpus Domini vocetur panis, ſed cœleſtis & vivus*; 5. *quod panis vocetur, non quod talis ſit, ſed quod* ſit ex pane materiali Corpus Chriſti præſens factum, ſeu *panis mutatus in ipſum corpus*, ſicut Ioann. 2. v. 9. dicitur, *ut autem guſtavit Architriclinus aquam vinum factam &c.* certè tunc aqua non erat ſed fuerat, & jam vinum erat; & tamen ſcriptura dicit, quod guſtavit aquam ſed vinum factam: ſic etiam corpus Domini ſubinde dicitur panis ex ſemine ſumptus, non quod tunc ſit, ſed quia ex pane conſecrato ſit corpus Domini per mutationem ſupernaturalem, ut ex SS. Patribus ſupra clarè conſtat. 6. Etiam Corpus Domini ſubinde panis dicitur, quia ſub exterioribus ſpeciebus panis manet; ſicut ſæpe in S. ſcriptura aliqua nominantur, quæ ſpeciem habent, *ut ſerpens æneus vocatur ſerpens, boves ænei dicebantur boves abſolutè*, Angeli vocabantur viri, quia in ſpecie viri apparebant

VII. Rurſus etiam ſubinde SS. Patres vocant Euchariſtiam panem ſanctum; quia panis cæleſtis corpus Domini antonomaſticè ſanctum ſanctorum eſt, ſicut Angelus dicebat B. Virgini: *Et ideo ſanctum Domini vocabitur*; ſed ideo etiam addunt plerique quòd ſit *panis ſanctificans* ad diſtinctionem alterius panis ſancti, qui etiam in Eccleſia præter Euchariſtiam uſurpabatur, & Catechumenis dabatur, de quo Auguſt lib. 2. vel 1. de Peccatorū Meritis & Remiſſione ait: *quod accipiunt* (Catechumeni) *quamvis non ſit Corpus Chriſti ſanctum tamen eſt, quoniam Sacramentum eſt, id eſt ſacrum ſignum.* Sic etiam alii SS. patres tradunt de pane benedicto qui dabatur illis, qui Euchariſtiam accipere nolebant: ut refertur in actis Pii I tomo 1 Concil. & in Decret. lib 2. c. 117. & alibi. At Acatholici ideo Euchariſtiam ſanctum panem vocant, quia ut ſignum corporis Domini uſurpatur, qualem catechumeni accipiebant; verum de Euchariſtia SS. Patres nè loquebantur quidem catechumenis; & ideo in ſermonibus ad populum vocabant myſterium, ſub hoc titulo: *Quod norunt fideles.* Ita paſſim Auguſt. ut conc. 2. in pſ. 33 ſuprà & ſerm. 2. de verbis Apoſtoli, & tract. 11. in Ioann. ſupra dicens: *Neſciunt catechumeni quid accipiant Chriſtiani*, &c.

VIII. Demum obſervandum, quòd, licet corpus Domini ſit ipſa res ſanctiſſima in Euchariſtia per Sacramentum exterius ſignificata; tamen primaria intentio eſt Euchariſtiæ, ut per illam anima Chriſto per charitatem magis uniatur, & ſpiritualiter per gratiam nutriatur; ac proinde illi, qui dignè ſumunt ven. Sacramentum dicuntur ſpiritualiter manducare & ſacramentaliter; qui verò indignè, ipſi dicuntur tantum ſacramentaliter ſumere; ut ſuprà ex Concil. Trid. relatum eſt: non quaſi ipſi rem primariam ſcilicet corpus Domini non ſumant; ſed quia non accipiunt Corpus Domini ut eſt cibus animæ ad ſalutem ſuam: ſicut Deus dicitur longè abeſſe à cordibus impiorum, quia non ſunt in gratia Dei licet Deus ſecundum ſubſtantiam ipſis realiſſimè ſit præſens; econtra verò qui Sacramentum ipſum non ſuſcipiunt, & tamen fide per charitatem operante Chriſti paſſioni inhærent, dicuntur ſpiritualiter Corpus Domini manducare, quia effectum Sacramenti conſequuntur.

IX. Cùm ergo SS. Patres potiſſimum attendant hunc Sacramenti effectum à Chriſto in hac inſtitutione intentum, ideo ſæpe dicebant: indignè S. Euchariſtiam ſumentes non accipere carnem Chriſti; licet verè illam ſumerent. Sic Aug. ſerm. 2. de verbis Apoſtoli edit. Baſil. 1528. ait: *Tunc autem hoc erit, id eſt, vita unicuique erit corpus & ſanguis Chriſti, ſi quod in Sacramento viſibiliter ſumitur, in ipſa veritate ſpiritualiter manducetur, ſpiritaliter bibatur*, prout infra reſpondendo ad objecta Anonymi oſtendetur Auguſtinum ſæpius dixiſſe, quod impii etiam verè Corpus Domini ſumant, ſed quia non ad ſalutem, ſic dicuntur quaſi non ſumpſiſſe: prout dicit Auguſt. in pſ. de Divitibus manducantibus & adorantibus Deum in Euchariſtia, ſed non ſaturatis; ſicut & Epiſt. 162. ead. edit. de Iuda dicit: *Tolerat ipſe Dominus Iudam diabolum furem & venditorem ſuum; ſinit accipere inter innocentes diſcipulos, quod fideles noverunt, pretium noſtrum &c.* quod ſolum eſt vera caro Chriſti, non

dit neque Chriſtum, neque Apoſtolos nec ullos Patres dixiſſe, panem in Euchariſtia eſſe nudum ſignum, & reſpondet ad verba quæ Iconomachi & jam Acatholici ex Baſilio & aliis adferunt.

VI. Similiter *Theophilactus* imitator Ioannis Chryſoſtomi in cap. 26. Matthæi editionis Colonienſis 1529. ſic ait: Porrò *dicens* hoc eſt corpus meum, *oſtendit quòd ipſum corpus Domini eſt panis qui ſanctificatur in Altario, & non reſpondens figura; non enim dixit* hoc eſt figura, *ſed* hoc eſt corpus meum, *ineffabili enim operatione transformatur, etiamſi nobis videatur panis, quoniam abhorremus crudas carnes comedere, maxime hominis carnem & ideo panis quidem apparet ſed caro eſt, &c.* hæc ille. Similiter in cap. 14. Marci & Ioann. 6. loquitur clariſſimè hic & alii Græci Patres. & ſimiliter SS. Patres Latini, ut Anſelmus, Bernardus & plurimi alii.

PRIMI AUTHORES

Eiusdem erroris in Eccleſia Latina.

VII. IN Eccleſia Latina nullus legitur hunc errorem docuiſſe ante annum 800. tunc enim quidam *Ioannes Scotus*, non Doctor ſubtilis, qui Anno 1300. floruit, ſed alius edidit librum; in quo de veritate Euchariſtiæ dubitabat, & hic liber ſtatim in Concilio Vercellenſi damnatus eſt.

VIII. Poſtea circa annum Domini 1060. *Berengarius* Archidiaconus Andegavenſis iſtum errorem reſuſcitavit docens: in Euchariſtia poſt conſecrationem tantum panem eſſe figuram Corporis Chriſti; ſed ſtatim plures ſancti Patres contra illum ſcripſerunt, & primò in Concilio Romano ſub *Leone nono.* Secundò in *Concilio Vercellenſi.* Tertiò in *Concilio Turonenſi.* Quartò in *Concilio Romano* ſub Nicolao ſecundo convictus, faſſus eſt Corpus Chriſti eſſe verè præſens: poſtea tamen alium errorem proferebat; quòd corpus Chriſti ſimul cum ſubſtantia panis præſens eſſet; quem errorem deinde in Concilio ſub *Gregorio ſeptimo* etiam abjuravit; confitens panem in corpus Domini transmutari; & poſtea conſtans in fide Catholica manſit. Idem Berengarius, præter hunc etiam alios errores docuerat: Primò *parvulos non eſſe baptizandos.* Secundò *legitima matrimonia poſſe diſſolvi.*

IX. Eundem errorem etiam poſtea amplexi ſunt hæretici *Albigenſes* & *VVicleff.* demum *Carolſtadius*, *Zvinglius*, & *Calvinus*: hic autem ultimus plures alios errores addidit; unde ab illo cognominantur noſtri prætenſè reformati ejuſdem ſectatores; qui cum VVicleff & Albigenſibus in pluribus non conveniunt. Ante prædictos noſtri Acatholici neminem, qui iſtum errorem in Eccleſia docuerit, allegare poſſunt; ac proinde patet vera novitas illius; & quòd ideo verus ſit error juxta doctrinam ſanctorum Patrum.

ARTICULUS VI.

Oſtenditur Antiquitas & univerſalitas doctrinæ Catholicæ, quoad præſentiam Corporis Chriſti in Euchariſtia, tam ex praxi eccleſiæ primitivæ, quàm modernæ etiam Græcorum.

NUllus Acatholicorum hactenus oſtendere potuit nec poterit, ubi, vel quando, vel à quo poſt tempora Apoſtolorum doctrina Catholicæ Romanæ Eccleſiæ de Euchariſtia initium habuerit; vel in quo Concilio condemnata fuerit; quod tamen neceſſarium fuiſſet, ſi primitiva Eccleſia contrarium docuiſſet, & aliqui hanc doctrinam tradere cæpiſſent; utique non ſubitò totus orbis infectus fuiſſet; ſed plurimi orthodoxi ſe oppoſuiſſent, prout ſeſe Arianis & aliis oppoſuerunt, licet ille Imperatores, & Reges haberent patronos & ſectatores. I.

2. Econtra conſtat ex SS. Patribus primorum ſeculorum ſuprà allegatis quam clarè & candide eandem doctrinam plurimi Patres tradiderint, nec tamen ulli Patres ſeſe illis oppoſuerunt, multò minùs contrarium docuerunt; adeóque evidens eſt, quod etſi alii non tam clarè locuti ſint, quia opus non erat, tamen eandem coluerint; patet etiam, quantopere ſancti Patres fidelibus ſubinde ex fragilitate dubitantibus hoc myſterium per alia miracula perſuadere conati ſint conceptu difficillimum. II.

Tertiò, ſi illi tam conſtanter docentes errabant, cur contra illos nulla Concilia coacta ſunt? cur nunquam contra illos ſcriptum ab aliis? quod Acatholicorum eſt oſtendere, ſicut ſancti Patres contra oppoſitum errorem, dum ab Iconomachis & aliis doceretur, Concilia decem egerunt & ſcripſerunt. III.

Demum veritas illo argumento manifeſtè oſtendi poteſt; quòd, licèt Græci & alii orientales à mille ferè annis ab obedientia Romani Pontificis receſſerint, & in quibusdam à Romanæ Eccleſiæ doctrina diſſiderent, utpote, *quòd Spiritus Sanctus non procederet à Filio*, & in quo tamen Acatholici Eccleſiæ Romanæ conſentiant. Secundò, quòd non liceat in azymo conſecrare Euchariſtiam, & tamen nunquam Eccleſiam Romanam in hoc articulo erroris damnârunt, qui longè major eſt, quam quod Euchariſtia in azymo fieri poſſit? Quinimo poſteriores Patres Græci hanc veritatem ſemper docuerunt, ut de fide certiſſimam & à SS. Patribus traditam; prout conſtat ex *Damaſceno*, *Theophilacto*, *Epiphanio*, *Eutymio*, *&c.* ſuprà allegatis, & idem uſque in præſens ſeculum Græcos credere & docere conſtat experientia; & ex publicis ipſorum Patriarcharum Confeſſionibus & reſponſis. IV.

Cùm enim primi Lutherani ſeſe ad Græcos referrent, quòd eandem cum illis fidem haberent; ſicut & poſtea prætenſi reformati, ut ſic Eccleſiæ Romanæ inſultarêt, quaſi ipſorum Eccleſia major eſſet; Græci contrarium declarârunt. Sic primò *Melanchton* Confeſſionem Auguſtanam *Græcè redditam* miſit Conſtantinopolim ad *patriarcham* V.

Ioſa-

Digitized by Google

Iosaphatum pro fidei communione; qui illam nec responso dignatus est. Postea eadem Confessio missa est ad Iosaphati successorem *Ieremiam*, qui Ann. 1577. librum rescripsit; in quo Acatholicis respondit, & primò generaliter expressit, quod ipse cum suis fidem teneat à Christo Patribus & Conciliis scripto & non scripto traditam. Ecce contra Acatholicos.

VI. Postea idem confessionem fidei Græcorum & confutationes circa articulos à Lutheranis propositos addidit; in quo cap 10. Sic dicitur: *Multa in hac parte de vobis* (Lutheranis) *referuntur* (de Cœna Domini) *quæ nobis nullo pacto probari possunt, Ecclesia igitur sancta illud præjudicium est in sacra cæna post consecrationem & benedictionem, panem in illud ipsum Corpus Christi Iesu, Vinum autem in illum Sanguinem virtute Spiritûs Sancti transire & immutari*, &c.

VII. Responso 1. cap. 13. de usu Sacramentorum sic dicitur: *Donorum* (scilicet panis & vini) *Consecratio ipsa sanctificatio mortem ejus annunciat, & resurrectionem & ascensionem; quia honorabilia hæc dona in ipsum Dominicum transmutantur Corpus, quod hæc omnia recipit, scilicet, quod Crucifixum fuerat, quod resurrexit, quod in cœlos ascendit*, &c. & infrà: *Quamdiu propositus jacet nihil nisi panis est postea autem verus panis fit, & revera transmutatur, cujus rei ratio & modus nullo ingenio aut humano ore explicari potest*: & infrà: *Fit à nobis quidem oblatio, fit verò invisibiliter sacrificium specierumque mutatio in ipsum corpus & sanguinem Domini, &c.* hæc ibi.

VIII. Ibidem responso 2. cap. 4. *Panis fit Corpus Christi, & vinum & aqua sanguis Christi superventu Spiritus Sancti*, ea *transmutantis supra hominum rationem & cogitationem*, & infrà: *Non est porrò panis & vinum typus Corporis & sanguinis Domini (absit) sed ipsum Corpus Domini deificatum, non typus sanguinis, &c.* hæc Ieremias Patriarcha, unde Lutherani obmutuerunt.

IX. Tentârunt similem cum Græcis concordiam *prætensi Reformati*, imo de illa sese jactitarunt, ratione cujusdam *Patriarchæ Constantinopolitani Cyrilli*; sed contrarium patet ex Epistola *Arsenii* Hieromonachi Partherii *Patriarchæ Constantinopolitani*, quæ præfixa est decreto synodali super Calvinianis Dogmatibus, in qua refert: quod falso Lutherani sese de illa concordia jactarent, tandem sic ait: *Quomodo inducere animum ullus queat, ita obcæcatos esse Græcos ac mente perditos; ut valere jussis antiquis ac Patriis dogmatibus, nova quædam & absurda illorum in locum inducerent; quas, nemo est, qui maligna supra modum & inepta non existimaret? Cæterùm vere hæc à me dicta esse liquet manifeste ex iis, quæ annis abhinc non multis administrante Ecclesiam nostram Ieremia gesta sunt. Etenim is à Lutheranis Germaniæ ad concordiam Communionemque dogmatum invitatus, quid ipse cum subjecta sibi Ecclesia sentiret, expositione bene longa disertè contestatus est, &c.* & infrà: *Magna Dei providentia factum est, ut Patriarcha noster Parthenius Synodum tunc legitimam coegerit Metropolitanorum Episcoporum, reliquorumque sui Ordinis hominum & Monachorum: in qua Calvini Hæresim, & omnia illius dogmata, quæ Cyrillus, quasi Græcæ Ecclesiæ nomine professus erat, damnaverunt, & æterno anathemati condemnationique subjecerunt, &c.* hæc ibi: Ex his evidens est, quam Græci à Lutherano & Calviniano dogmate alieni sint.

His accedat, quòd, cum prætensi Reformati etiam literas pro concordia ad *Gerasinum Patriarcham Alexandrinum* in Ægypto misissent, in quibus plura media offerebant, qui inter alia sic respondit: *Nos nihil declinavimus à traditionibus, quas accepit Ecclesia, sive scripto, sive non scripto à Patribus, &c.* Et infrà: *Si igitur verè optatis & Scopus vobis fit: omnia quæ à Patribus tradita sunt ad unguem amplecti, notum facite per literas, &c.* Et infrà de S. Scriptura dicit: *Quid opus est plura dicere de obscuritate, qua ubique Scriptura utitur, &c.* & de vulgari editione infra dicit: *Discipuli accepta etiam per Spiritus Sancti adventum omnium linguarum peritia*, &c. *non ausi sunt communi lingua quicquam conscribere; sed in omni gente potiorem eligentes linguam, posthabitâ vulgari, salutis mysteria conscripserunt; & nos hunc canonem servamus, nihil declinantes à via quam doctores nostri tenuerunt, &c.* ubi allegat *S. Cyrillum Ierosolymitanum, Gregorium Nyssenum, Chrysostomum*, qui etiam Catecheses pro pueris non vulgari, sed Græcâ linguâ scripserunt, *&c.* similia plura prætensæ Reformatorum opinioni contraria respondit dictus *Patriarcha Gerasinus* octava Iulii Anno 1579. X.

Allegari etiam hic possent Ecclesiæ Æthiopiæ & aliæ; in quibus constans fides est de mali Corporis Christi præsentia in Eucharistia, unde evidens apparet, quod ab initio Ecclesiæ hæc Doctrina ab Apostolis docta & conservata sit, licèt aliquæ Ecclesiæ in aliis quibusdam postea defecerint.

CAPUT IV.

De Transubstantiatione.

ARTICULUS I.

Proponitur doctrina Ecclesiæ de Transubstantiatione.

I. Contra hanc transubstantiationem potissimùm insurgunt Acatholici, & de hac voce tres nostri DD. Anonymi insultant, ut infra patebit, & præsertim Author tertii scripti: Licet vero ex hactenus dictis veritas Catholica copiosissimè constare possit, hic summatim eandem referemus & ostendemus.

Sciendum itaque 1. quòd per hanc vocem *transubstantiatio* Ecclesia intelligat talem substantiarum mutationem, quâ per Dei omnipotentiam juxta Christi institutionem ad verba Christi per sacerdotem ritè prolata, tota substantia panis quoad materiam & formam desinat esse in ordine ad substantiam Corporis Christi, quæ sub speciebus panis fit præsens & sic tota substantia panis mutetur & convertatur in substantiā Corporis Christi; similiter substantia II.

Vini

Vini convertatur in substantiam sanguinis Christi; quæ conversio per vocem *transubstantiatio* intelligitur, in qua clariùs illa exprimitur.

III. Sciendum secundò, quòd, licèt plures gravissimi Theologi sustineant, potuisse Christum Dominum sine tali conversione Corpus & sanguinem in Eucharistia realiter constituere: ut simul cum substantia panis & vini adessent: omnes tamen unanimiter credunt & profitentur, quod de facto Christus per hanc conversionem id fieri voluerit.

IV. Tertiò, licèt Theologi disputent de modo, quo hæc conversio fiat, vel potius qualiter sit appellanda, an productiva an adductiva; id salva fide contingit; omnes enim in re fidei conveniunt; quod scilicet substantia panis à Deo totaliter destruatur in ordine ad Corpus Christi sub illis speciebus præsens; ita ut si Corpus Christi non existeret in rerum natura, vi illius institutionis Christi illud de novo produceretur; ac sic panis converteretur in Corpus Christi de novo productum sub speciebus præsens.

V. Quòd igitur per talem transubstantiationem hæc mysteria fiant S. Catholica Ecclesia in Conc. Trid. sess. 13. cap. 4. profitetur & declarat dicens: *Quoniam autem Christus redemptor noster Corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuò S. Synodus declarat per consecrationem panis & vini, conversionem fieri totius substantiæ panis, in substantiam Corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus; quæ conversio convenienter & propriè transubstantiatio à S. Ecclesia Catholica est appellata*, &c. hæc Concil. ubi brevibus verbis & rem totam ex S. Scriptura & totius Ecclesiæ ab initio explicatione probat, & nominis rationem indicat.

VI. Et quidem quod nomen attinet; licèt illa vox, *transubstantiatio* in Concilio Lateranensi Anno 1215. priùs sit usurpata, res tamen ipsa ab initio Ecclesiæ fuit credita & docta; sed solum ob diversas opiniones & errores, ut clarius vera fides ab illis distinguatur, hæc vox usurpata est; præsertim, quia *Berengariani* variis verbis errorem suum de reali præsentia Corporis Christi in Eucharistia tegere volebant: ideo ad veritatem magis declarandam S. Ecclesia nomen transubstantiationis expressit, quo clarissimè veritas exprimitur & errorum technæ & tenebræ diffunderentur.

VII. Sic olim Ariani in Concilio Ariminensi Patribus quibusdam Catholicis dicebant, se cum illis consentire; si pro nomine, Ὁμοούσιος seu consubstantialis uterentur nomine Ὁμοιούσιος seu similis in substantia; quæ dicebant eadem esse, sive Filius dicatur similis Patri in essentia, sive ejusdem & unius cum ipso essentiæ; quod cùm quidam Catholici Patres ex simplicitate subscripsissent, ut pro nomine homousion in symbolo poneretur homoision, Ariani fraudem aperuerunt dicentes: se per similem in substantia nihil aliud intelligere, quàm quod Filius sit Patri Deo similis, sicut etiam homo dicitur similis Deo, & ad similitudinem Dei creatus; ita ut Filius esset prima Creatura ad similitudinem Dei Patris. Unde Patres illi videbant se deceptos; Alii vero Patres ut *Athanasius, Hilarius, &c.* hanc fraudem scientes nunquam consenserunt.

ARTICULUS II.

Declaratur Doctrina Catholica de Transubstantiatione.

Quamvis cuilibet fideli ad credendum ea, quæ Ecclesia Catholica credit & docet de Transubstantiatione, sufficere deberet: quòd Christus ore suo pronunciavit in cœna Domini: *Hoc est Corpus meum*; & quia ipse Veritas est, & omnipotens, etiam certi sumus, quod sua omnipotentia efficiat, ut ipsius Corpus verum sub externis panis speciebus præsens esset: ita ut solæ species panis viderentur, & Corpus ipsius invisibiliter præsens esset, ac insuper substantia panis amplius non adesset, sed tota substantia quæ sub illis speciebus extaret, esset solum Christi Corpus vivum, prout sensus verborum convincit, & SS. Patres semper intellexerunt, sanctaque Ecclesia credidit & credit; quamvis, inquam, hoc cuilibet fideli sufficere deberet sine ulteriore indagine, sicut etiam in aliis fidei mysteriis quia tamen Acatholici plura movent; & simplices fideles subinde ex sensuum imperfecto metu circa hæc mysteria hærent, qui tamen simpliciter Ecclesiæ Doctrinæ juxta Christi verbum acquiescere deberent, aliqua pro majore doctrinæ declaratione proponeda duxi. I.

Primùm: Certum est ex naturali ratione, quòd in pane sicut in quolibet Corpore II. duo potissimum diversa reperiantur; unum primarium, quod dicitur substantia panis; alterum sunt accidentia panis, quæ vocantur species sensibiles panis, utpote ea, quæ per sensus percipiuntur, nam ipsa substantia panis sicut vel ulla substantia secundum suam naturam nullis sensibus percipi potest, ut declarabitur.

Secundò: *Substantia* itaque cujuscunque Corporis est illa natura, quæ per se subsi- III. stit; *Accidentia* verò Corporis sunt illa exteriora, quæ per sensus percipiuntur, utpote *quantitas, calor, frigus, color, sonus, sapor, &c.* Hæc vocantur accidentia, quia inhærent substantiæ corporeæ & ab illa sustentantur; & licet hæc mutentur, tamen substantia eadem manet; ut patet in aqua, quæ eadem manens in sua substantia, aliquando fit major vel minor quando calefit in olla per rarefactionem, nunc calida, nunc frigida, modo alba, modo nigra, jam dulcis, jam amara, *&c.*

Tertiò: Quod autem nullius Corpo- IV. ris substantia ab ullo sensu secundum se percipi possit, nimis evidens est discurrendo per singulos sensus: nam *Visus* solùm percipit, quantitates qualitates &, *lucem*

Digitized by Google

& colores, similiter *Gustus* non percipit, nisi *sapores*. *Tactus* solùm percipit quantitatem & qualitates certûs; ut sunt *calor*, *frigus*, *humor*, *siccitas*, *mollities durities*, &c. *Odoratus* solos *Odores* sentit; *Auditus* solis *sonis* movetur. Quæ omnia sunt accidentia Corporum, & non ipsa substantia; ex quibus patet, quod nulla substantia alicujus Corporis per se à sensibus percipiatur.

V. Hoc modo D. Augustinus lib. 10. Confess. cap. 10. edit. Basil. 1529. circa Naturam Dei discurrit quòd non percipiatur per sensus, dicens: *Res vero ipsas quæ illis significantur sonis, neque ullo sensu Corporis attigi*, &c. *Quæ unde ad me intraverint, dicam si possum. Nam percurro januas omnis carnis meæ, nec invenio quà earum ingressa sint. Quippe oculi dicunt: Si coloratæ sunt, nos eas nuntiavimus. Aures dicunt: Si sonuerunt, à nobis indicatæ sunt. Nares dicunt: Si oluerunt, per nos transierunt. Dicit etiam sensus gustandi: Si sapor non est, nihil me interroges. Tactus dicit: Si corpulentum non est, non contrectavi: Si non contrectavi, non judicavi*, *&c.* hæc Augustin.

VI. Quartò, si quæratur, quomodo ergo homo percipit corpoream substantiam, quod adsit vel absit: respondetur, quòd homo, ut dictum est, nullam substantiam secundum se per sensus percipere potest, an adsit vel absit; sed per discursum naturalem intellectus cognoscit aliquam certam substantiam adesse vel abesse per illius accidentia. nam qualibet substantia corporea habet certa quædam & propria accidentia, per quæ ab aliis distinguitur, ut vers. 9. Ignis habet lucem & calorem, unde si sensus videat quod aliquid sit quantum, lucidum & urens, colligit quod ibi sit substantia ignis: Sic aqua est humida, fluida, & transparens unde per illa accidentia aqua adesse colligitur: Sic panis est quantus habens certos colores & sapores, per quos intellectus colligit ibi esse substantiam panis. Sic etiam Corpora animalium habent suam formam vel figuram, calorem frigus, colorem motum proprium, *&c.* quæ sunt accidentia, per quæ intellectus collegit esse corpus alicujus animalis; & si sonum vocis edit, vel scriptum moveat, colligit quod sit verum; quod si statua fabricetur ex cera vel lapide juxta figuram colores hominis, intellectus per oculos illam videns colligit esse substantiam hominis: sed fallitur.

VII. Quintò, quia igitur intellectus solùm per accidentia discernit & colligit esse ibi vel hic aliquam certam substantiam Corporis: quia naturaliter illa accidentia à tali substantia sustentantur, ideoque naturaliter loquendo verum sit, quod ubi talia omnia accidentia certæ alicujus substantiæ reperiuntur per sensus; ibi subsit substantia: sed hic discursus non est absolutè certus & verus; quia potest Deus facere, ut omnia illa, vers. 9 Ignis vel aquæ accidentia adsint, & non adsit ipsa substantia ignis vel aquæ; & hoc ideo, quia substantia ignis est realiter & prorsus distincta à suis accidentibus, quæ per sensus percipiuntur; & licèt illa accidentia non possint naturaliter esse, nisi inhæreant substantiæ ignis, & ab illa sustententur; tamen Deus per suam omnipotentiam potest, illa accidentia conservare sine substantia: sicut naturaliter lux solis dependet à sole, & ideo licet Sol non appareat propter nubes, tamen intellectus per visum percipiens lumen in meridie colligit solem adesse; & tamen posset Deus illam lucem conservare & solem tollere, & sic intellectus erraret, si ex luce colligeret solem extare.

Itaque, ut intellectus non erret, debet formare talem discursum ubicunque per sensus invenio aliquod quantum habens qualitates ignis, ibi est etiam substantia ignis naturaliter, nisi Deus per suam omnipotentiam accidentia sine ignis substantia conservet, & sic est naturaliter certus de præsentia ignis; sed non est omnino certus, quia nescit absolutè an Deus velit substantiam conservare: sed quia Deus ordinariè decrevit conservare accidentia per substantias, juxta illud D. Augustini: *Deus sic cuncta administrat, ut singula suos motus agere sinat*, nisi per miraculum aliter disponat sicut in camino ignis Babyloniæ non permisit ut ignis ureret tres pueros, *&c.* quandocunque ergo ex Dei revelatione constat; quòd Deus velit accidentia alicujus corporeæ substantiæ conservare sine ipsa substantia, tunc intellectus non potest ex illis accidentibus concludere verè quod substantia adsit, sed solùm potest judicare dicendo mei sensus percipiunt hìc adesse ignis accidentia; sed quia Deus dixit se illa velle sustentare sine ignis substantia, ideo concludo quidem quod accidentia adsint, quæ sensibus percipio; sed inde sequitur quod substantia adsit, quæ illa sustentet, quia Deus dixit se velle illa sine substanttia sustentare per suam omnipotentiam conservare. VIII.

Juxta hæc circa præsens ven. Sacramenti mysterium S. Ecclesia docet; quòd, quia Christus Dominus dixit, & promisit; quod ad verba ab ipso instituta ipse per omnipotentiam suam velit, ut dum sacerdos juxta illius intentionem super panem illa sacra verba profert, *hoc est Corpus meum*, ibi solum ipsius Corpus vivum sub accidentibus panis aderit, adeoque substantia panis, à Christo destruitur ad hoc, ut illius Corpus invisibiliter solum adsit, sub illis panis accidentibus; non quasi accidentia panis inhæreant Corpori Christi, sicut prius inhæserunt substantiæ panis; sed illa accidentia virtute Dei per se conservantur; ita ut sapor & color panis quidem in quantitate inhæreat; quantitas autem extra subjectum à Deo conservetur Corpus vero Christi est sub & cum illis accidentibus præsens sicut Angelus est intimè præsens alicui corpori, & sicut Angelo nihil nocet, quicquid illi Corpori contingit, sic nec Corpori Christi infligitur, quicquid illis panis speciebus accidat: sicut certissimum est, quod Deus secundum suam substantiam in omnibus Creaturis sit præsens; & tamen quicquid creatu- IX.

Digitized by Google

creaturis infertur, nihil Dei substantiæ accidit, quæ impassibilis & immutabilis manet; simili modo, quicquid speciebus panis sensibilibus accidit, nihil Christi Corpori invisibiliter & impassibiliter præsenti infertur; sed tantùm præsens manet, quamdiu species panis immutatæ manent; sicut Angelus promittens se mansurum præsentem alicui ligno, quamdiu lignum esset; sed combusto ligno sine ulla sui combustione vel læsione statim præsens esse desineret vel discederet.

X. Itaque, ut Christus suum ineffabilem amorem fidelibus exhiberet; & tamen nulla crudelitas horror vel inconvenientia esset; qualis foret, si corpus suum daret ita manducandum, ut visibiliter appareret & dentibus divideretur vel dilaniaretur, sicut Capharnaitæ apprehendebant; sed ut simul fides vera locum & meritum haberet, voluit per suam omnipotentiam efficere, ut corpus suum invisibiliter in Sacramento adesset, & adesse crederetur: ut nec per se tangi nec dividi possit qualitercunque panis sensibiles species dividerentur; ita ut sub quacunque particula integrum & illæsum maneret, & fideles per sensus percipientes illas panis species crederent Christi Corpus juxta verbum ipsius adesse, & substantiam panis, non adesse, sicque species illæ panis signum sunt Corporis Christi præsentis, juxta fidem, sicut naturaliter sunt signum substantiæ panis sub illis præsentis: Sic nec sensus decipiuntur, quia verè percipiunt species panis præsentes, & intellectus per fidem certificatus credit, quòd juxta verbum Christi non adsit substantia panis, sed Corpus Christi verum.

XI. Nec imaginandum est in hac transubstantiatione; quasi tali modo panis in Corpus Christi converteretur, ut substantia panis in Christi Corpore maneat secundum aliquam partem, sicut cibus convertitur in carnem hominis: hoc enim falsissimum est: sed solùm dicitur substantia panis in Corpus Christi converti, quia à Deo plane secundum se totum destruitur in ordine ad Christi Corpus sub iisdem speciebus in eodem instanti præsens futurum.

XII. Hæc prolixiùs explicanda duxi ad confundendas Acatholicorum Calumnias, & ad fidelium forte curiosiorum animos informandos: sic enim explicatâ doctrinâ Catholicâ patet; quod nihil indignum vel indecens aut impossibile doceat, sed quæ Dei omnipotentiæ & amori congrua & fidelibus salutaria Christus instituit, fideliter credat: hâc itaq; *Transubstantiatione*, qua substantia panis conservatis ipsius accidentibus seu speciebus per Dei potentiam destruitur in ordine ut Christi Corpus vivum sub iisdem præsens fit Deo possibilem esse, ex hactenus dictis & aliis suprà de præsentia Christi probatis clarè constat; quod etiam Christus sic per transubstantiationem suum Corpus in Sacramento adesse voluerit, ex S. Scriptura & SS. Patrum & antiquæ Ecclesiæ unanimi consensu probabitur. V.

(***)

ARTICULUS III.

Veritas de Transubstantiatione probatur ex S. Scriptura.

QVòd res ipsa à Christo instituta sit, scilicet conversio totalis substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem ejus in Eucharistia per consecrationem sacerdotis faciendam, probatur ex verbis Christi cum dicit: *Hoc est corpus meum*, quibus clarè satis indicat, quod tota substantia, quæ post consecrationem sub speciebus panis & vini est præsens, sit Corpus & sanguis ejus; adeoque substantiæ panis & vini destructæ sint & in corpus & sanguinem conversæ; alioquin non verè diceretur *hoc*, scilicet, hoc substantiale totum, quod est sub speciebus *est Corpus meum*. Nec per ly *hoc* potest intelligi *panis materialis*, quia non est verè Corpus Christi. Nec per ly *hoc* intelliguntur panis accidentia, scilicet: *Hoc quantum rotundum album & sapidum*, quia illa similiter nullo modo sunt Corpus Christi, sed sunt signum Corporis Christi præsentis. Non enim verum est si dicatur, hoc rotundum est verè Corpus Christi, sed significat illud. I.

II. Verùm, licèt circa verba Domini obscuritas vel ambiguitas aliqua posset fieri vel esse; quia tamen S. Ecclesia, & SS. Patres ab initio intellexerunt fieri hanc conversionem virtute dictorum Christi verborum, certâ fide credendum est: Christum hoc sensu voluisse verba illa pronunciare, sic enim multa sunt verba S. Scripturæ, quæ alio sensu explicari possent; si tamen vel ex aliis S. Scripturæ verbis, vel ex unanimi Ecclesiæ & SS. Patrum traditione & interpretatione certus sensus determinaretur, ille infallibiliter tenendus est, & oppositus rejiciendus.

III. Hoc modo *Ioannes Scotus Doctor subtilis* omnia subtilissimè examinans circa hunc articulum in 4. d. 11. q. 3 n. 13. resolvit: quod prædictus verborum Christi sensus de fide sit tenendus, licet difficilis; quia sic SS. Patres explicarunt, & principaliter S. mater Ecclesia Romana determinavit; & num. 15. dicit: *Si quæras quare Ecclesia voluit eligere illum intellectum ita difficilem; cum verba Scripturæ possent salvari secundum intellectum facilem*, &c. *Dico quod eo spiritu exposita sunt Scripturæ, quo sunt conditæ; & ita supponendum est: quod Ecclesia Catholica eo spiritu exposuit, quo nobis tradita est fides; spiritu scilicet veritatis edocta, & ideo hunc intellectum elegit, quia verus est. Non enim in potestate Ecclesiæ fuit facere illud verum vel non verum; sed Dei instituentis, sed intellectum à Deo traditum Ecclesia explicavit, directa in hoc, ut creditur spiritu veritatis*, &c. hæc Doctor subtilis. Si taliter Acatholici obedirent Ecclesiæ & sequerentur ejus doctrinam juxta voluntatem Christi, omnis disputatio cessaret.

(***)

ARTICULUS IV.

Quòd SS. Patres ab initio crediderunt & docuerunt Transubstantiationem, quoad rem ipsam probatur.

I. REm ipsam per *transubstantiationem* significatam ut ex Concilio Trident. dictum est, quæ scilicet est *conversio vel mutatio totalis panis & vini in corpus & sanguinem Domini*; hanc rem, inquam, ab initio Ecclesiæ creditam esse constat ex Conciliis & SS. Patribus suprà allegatis pro reali præsentia corporis Domini in Eucharistia; aliqua loca hîc obiter tangemus.

II. Primò ex verbis *Iustini* allegatis, scilicet Apolog. 2. ad Antoninum Pium V. apud Iod. Cocc. tomo 2. Thes. Cathol. 1601. art. 1. ubi dicit: *Non ut communem panem sumimus, sed quoniam per verbum Dei Caro factus est Christus, sic per preces verbi Dei ab ipso factum cibum*, &c. *incarnati Iesu Carnem esse edocti sumus, &c.* ubi manifestè indicat per preces verbi Dei Cibum mutari in Carnem Christi, *&c.*

III. Secundò *Irenæi* lib. 4. contra hæres. apud Iod. Cocc. tom. 2. Thes. Cathol. art. 1. 1601. ubi dicit: *Quomodo constabit eis, eum panem, in quo gratiæ actæ sunt Corpus esse Domini sui*, &c? *Si non ipsum Fabricatoris mundi Filium dicant, &c.* ubi satis indicat quòd ex pane fiat Corpus Christi per virtutem Filii omnipotentis.

Tertullianus lib. 4. cap. 6. apud eund. sic ait: *Christus acceptum panem, & distributum discipulis Corpus suum illum fecit* Hoc est corpus meum. Vbi clarè indicat, quod panis in corpus Domini mutetur.

IV. *Cyprianus* de Cœna Domini apud eundem, *Panis iste*, ait, *quem Dominus discipulis suis porrigebat, non effigie, sed naturâ mutatus, omnipotentia Verbi factus est caro, &c.* ut suprà relatum; Ecce quam clarè conversio hæc exprimatur.

V. *Cyrillus Hierosolymit.* verba suprà relata tam sunt clara pro hac conversione, ut hodie clariùs vix dici possint; ubi non tantum ex verbis Christi affirmat Corporis & sanguinis præsentiam; sed ostendit illam fieri per mutationem panis & vini in corpus & sanguinem Domini divina virtute manentibus panis & vini speciebus; quod panis non sit ibi, licet gustus sentiat scilicet saporem & accidentia panis.

VI. *Chrysostomus* etiam in locis suprà allegatis clarissimè eandem veritatem exprimit præsertim hom. 83. ubi dicit: *Ministrorum nos ordinem tenemus, qui vero hæc sanctificat & immutat ipse est.* Videatur textus supra & alia loca.

VII. *Gregorius Nyssen.* in Orat. catechet. cap 37. ibidem relatus, ubi multis modis ostendit, quòd verum Christi Corpus sit in multis locis & qualiter fiat ex pane Corpus Christi, sicut in mortali Christi Corpore panis per nutritionem in ipsius corpus mutatus est, & subjungit apud Iod. Cocc. ubi sup. citat. *Rectè ergo nunc quoque Dei verbo sanctificatum panem in Dei verum corpus credo transmutari*: ecce quid est transmutari aliud quam transsubstantiari? Et ibid. *Hos autem dat virtute benedictionis in illud transelementata eorum quæ apparent natura, &c.* Ecce supponit naturam panis, cujus species apparent transmutari.

Augustinus cùm alibi, tum apud Bedam tomo 6. edit. Colon. 1612. in cap. 10. 1. ad Cor. sic ait: *Non omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi, fit corpus Christi*; uti manifestè indicat mutationem panis in Corpus Christi.

Idem serm. 28. de Verbis Domini edit. Basil. 1528. ait: *Dixi vobis, quod ante verba Christi quod offertur panis dicatur; ubi Christi verba deprompta fuerint, jam non panis dicitur, sed corpus appellatur, &c.* at verò ante verba consecrationis non tantum dicitur panis, sed verè est panis, proinde etiam postea non tantum Corpus appellatur, sed vere est Corpus Domini, *&c.*

Ambrosius clarissimè similiter loquitur, ut ex locis supra allegatis patet; ubi tam apertè dicit: quod benedictione hominum ipsa natura mutatur, ut per exempla scripturæ ostendit & dicit: *Quid dicimus de ipsa consecratione Domini, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur?* & infrà: *Qui potuit ex nihilo facere quod non erat non potest ea quæ sunt in id mutare quod non erant, &c.* Similiter lib. 4. de Sacram. cap. 4. & 5. ubi clarissimè docet & ex potentia & ex verbis Christi, quod fiat mutatio panis in Corpus Christi. VIII.

Gaudentius brixiensis Bibliot. novæ PP. tom. 4. edit. Colon. 1618. qui tempore S. Ambrosii floruit inter alios Tractatum secundum scripsit, cujus inscriptio est, *Regressus ex fonte Neophitis de ratione Sacramentorum, quæ catechumenos audire non congruit, licèt eadem scripta in Euangeliis patere omnibus videantur.* In hoc igitur tractatu sic ait: *Ergo in hac veritate, qua sumus, unus pro omnibus mortuus est, & idem per singulas Ecclesiarum domos in mysterio panis ac vini reficit immolatus, vivificat creditus, consecrantes sanctificat consecratus, &c.* & infrà: *Ipse igitur naturarum creator & Dominus, qui producit de terra panem; de pane rursus (quia & potest & promisit) efficit* (nota) *proprium Corpus & qui de aqua vinum fecit, & de vino sanguinem suum*; & infrà: *Pascha est, inquit, Domini, hoc est, transitus Domini; ne terrenum putes, quod cœleste effectum est per eum, qui transit* (nota) *in illud, & fecit illum suum corpus & sanguinem*, &c. & infra: *Quia quod accipis corpus est illius cœlestis panis & sanguis est illius sacræ vitis. Nam cum panem consecratum & vinum discipulis suis porrigeret sic ait: Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus, credamus quæso; cui credidimus; nescit mendacium veritas*, & infrà: *Voluit enim beneficia sua permanere apud nos, &c.* & infra: *Quo & ipsi sacerdotes & omnes pariter fidelium populi exemplar passionis eius ante oculos habentes quotidie, & gerentes in manibus, ore etiam* (nota) *sumentes ac pectore redemptionis nostræ indelebili memoria teneamus*, & infrà: *Quod autem Sacramenta Corporis sui & sanguinis in specie panis & vini offerenda constituit duplex ratio est &c.* & infra *Hoc sacrificium Paschæ Salvatoris tota cordis aviditate percipite, ut ab ipso Domino nostro Iesu Christo, quem Sacramentis suis inesse credimus, viscerum nostrorum sanctificentur intima, &c.* hæc Gaudentius. IX.

Eadem

X. Eadem ex reliquis sanctis Patribus colliguntur, licèt aliqui non tam claré de conversione loquantur, cùm enim claré tradant corpus Christi veré esse præsens, & non tradant modum, quo præsens fiat, utique illum modum supposuerunt, quem alii Patres expresse edixerunt; & tamen omnes tanquam rem in Ecclesia certam supposuerunt.

XI. Hoc ipsum etiam evidenter patet ex sanctis Patribus & Doctoribus Græcis & Latinis, qui posterioribus sæculis contra errorem Iconomachorum & Berengarii scripserunt suprà allatis.

XII. Constat demum ex confessionibus & scriptis Græcorum, qui tam claré eandem veritatem confessi sunt, & defenderunt asserentes; se illam à SS. Patribus primævis accepisse: & specialiter ex eo patet, quòd cùm Græci posterioribus sæculis se ab obedientia S. Ecclesiæ Romanæ subduxissent & in aliquibus Ecclesiam Latinam erroris condemnassent nunquam tamen illam in hoc arguerunt, quod Ecclesia Romana contra Berengarium determinaverat, & postea in Concilio Lateranensi Anno 1215. hoc mysterium sub nomine transubstantiationis proposuerat, cui Concilio interfuerunt Patriarchæ Græci tunc ad obedientiam reversi, & subscripserunt Fidei catholicæ in illo expressæ.

Demum in Concilio Florentino Anno 143. XIII. etiam Græci interfuerunt, & instructioni Fidei Armenis datæ subscripserunt; in qua & hic articulus de transubstantiatione continetur. Patet etiam ex Patriarchis Græcis superioris sæculi, licèt inobedientibus Ecclesiæ suprà allegatis; quòd hunc articulum de conversione panis & vini in substantiam corporis & Sanguinis Domini usque hodie profiteantur, eúmque se à SS. Patribus habere profitentur. Plura de transubstantiatione dicentur respondendo ad argumenta trium illorum Anonymorum.

CAPUT V.

Referuntur & refutantur ea, quæ trium libellorum Authores Anonymi circa realem præsentiam Corporis Christi in Eucharistia objiciunt.

ARTICULUS I.

Referuntur verba Authoris primi libelli contra præsentiam & Transubstantiationem.

I. HUnc Articulum primus Anonymus immiscet Articulo de sacrificio Missæ dicens:

Non dicent (puto) posse esse sacrificium, nisi etiam sit transubstantiatio; at hæc vox non erat in rerum natura ante Innocentium III. Papam. Anno 1215. nec adhunc diem potuerunt Pontificii convenire in re transubstantiationis; aliis tenentibus, panis substantiam mutari in corporis Christi substantiam; & aliis asserentibus panis substantiam evanescere ad sonum 5. verborum, & in eius vicem subintrare corpus Christi, quæ est magis recepta opinio & transmigrationis magis, quàm transubstantiationis nomen meretur, &c. hæc Anonymus.

RESPONSIO.

II. VIdeat candidus Lector Anonymi hujus in probando desperationem; pro Articulo; quo Acatholici negant verum sacrificium corporis Domini in Eucharistia, nullum S. Patrem; ut tenebatur, allegat; sed sacrificium illud Patribus incognitum illudque à Gregorio primo inventum ex Platina mendacissimè (ut infrà patebit) asserens; transit statim ad transubstantiationem, contra quam etiam; ut patet nullius S. Patris testimonium producit, ac per hujus nominis novitatem totam hujus mysterii rem rejectam esse miseré sibi persuadet. Ad quod infrà respondendo ad ejusdem Anonymi dicta contra Articulum Missæ seu sacrificii corporis Domini respondebitur; sicut & ad ea, quæ pro sua sapientia inter opiniones Theologorum Pontificiorum de re transubstantiationis judicat; Contra rem autem transubstantiationis oportebat ipsum adducere SS. Patrum testimonia; prout nos pro eadem adduximus.

Quamvis autem nomen *Transubstantiationis* III. tempore Innocentii tertii in Concilio Romano primùm publicè usurpatum sit, id rei significatæ nihil obest; sicut nec unitati in substantia Filii cum Patre obfuit; quod Patres in Nicæno Concilio primùm usurpârunt nomen *homousion*, quod clarissimè istam unitatem & identitatem substantiæ in Patre & Filio ab æterno existentem significabat; adeòque Arianis exosum erat: per quod ipsorum fallacia & intricatâ de hoc mysterio dicta, quibus simpliciores seducebant; rejiciebantur, & Catholici ab hæreticis discernebantur. Unde optimè D. August. tract. 97. in Joann. edit. Basil. 1528. circa illa verba Pauli 2. ad Tim. 2. prophanas verborum novitates devita, sic dicit, *non*, ait; *verborum novitates devita, sed addit prophanas; sunt enim & doctrinæ religionis congruentes verborum novitates; sicut ipsum nomen Christianorum, quando dici cœperat, sicut scriptum est* Act. 11. *In Antiochia enim primùm post Ascensionem Domini appellati sunt discipuli Christiani* (NB) *& Xenodochia & Monasteria posteà sunt appellata novis nominibus: res tamen ipsæ & ante nomina sua erant, & religionis veritate firmantur; quæ etiam contra improbos defendantur: adversus impietatem quoque Arianorum hæreticorum novum nomen Patres homousion condiderunt, sed non rem novam tali nomine significaverunt, hoc enim vocatur homousion, quod est: Ego & Pater unum sumus unius videlicet eiusdémque substantiæ*, hæc ille.

Itaque quâ ratione Patres in Nicæno Concilio 318. congregati nomen *Homousion* pro re antiqua significanda contra Arianos piè condiderunt; ita Episcopi plùs quàm 400. & in universum Patres plùs quàm mille in Concilio Romano IV.

mano sub Innocentio tertio congregati nomen *Transsubstantiationis* circa mysterium Eucharistiæ novum ordinârunt, sed non rem novam tali nomine significaverunt: hoc enim vocatur *Transsubstantiatio*, quod est conversio totalis panis & vini in corpus & Sanguinem Domini; quæ res est antiqua ex institutione Christi; ùt ostensum est ex sacra Scriptura & SS. Patribus: ut hoc nomine manifestiùs variæ involutæ & fallaces Berengarii locutiones revelarentur; de quibus in sequentibus dicetur.

V. De re hujus *Transsubstantiationis*, quæ ad Fidem spectant, Pontificii nullatenus dissentiunt, licèt salvâ Fide de modo ejusdem; sicut etiam de sanctissima Trinitate & Incarnatione, *&c.* theologicè disputant: oportebat autem Anonymum contra hanc rem adducere testimonia sanctorum Patrum, & non tam blasphemè loqui de sono quinque Christi verborum scilicet: *Hoc est enim Corpus meum*; cùm verbo Christi cœlum & terra creata sint: videat, quàm reverenter de his verbis SS. Patres locuti sint Chrysostomus Hom. de proditore Juda. Ambrosius, lib. 4. de Sacram. & alii suprà allegati. Sed hæc est impietas malorum, ut veritatem, quam impugnare non possunt blasphemando contemnant. Jam videamus, quid secundus Anonymus pro illo suo articulo adducat.

ARTICULUS II.

Referuntur ea quæ Author secundi libelli objicit.

I. AUthor secundi libelli Anonymus pro 3. Articulo de præsentia corporis Christi reali, sic ait:

Vt omnes verborum insidias latentes in verbis realiter, &c. evitemus: Quæstio inter Ecclesiam reformatam & Romanam est; non an Christus totus sacramentaliter sit in Eucharistia? nec an panis mutetur ex prophano in sanctum? sed an per transsubstantiationem eiecta panis & vini substantia in utriusque locum succedat corpus physicum & Sanguis Christi; sic tamen, ut in quâvis Sacramenti parte, & in casu disiunctionis particula per concomitantiam totus Christus sit, tantus quantus in cruce fuit? & in hac monstrosa quæstione non tantùm negativam tuemur, sed etiam totam antiquitatem, præcipue primævam, affirmativam ignorare, efficacissimè reijcere credimus; & hic vos affirmativam tuentes deberetis probare: videte tamen vos totâ antiquitate imò eius umbra spoliatos, quoad sæcula inter te & me controversa apud Pless. de Eucharistia lib. 7. cap. 4. Mol. Nov. Pap. lib. 7. controv. 11. Perking Cham, &c. tam latus hic testimoniorum campus; ut ferè ordiri pigeat: ne tamen hic paucula loca expressa desint: sic Augustinus alibi, teste Pareo; impios & infideles nos esse cum Christo, nec habere Christum præsentem in Eucharistia, quia Fide eum non capiunt, rursus; Petrus panem Dominum, Iudas verò panem Domini sumebat, nonne buccella Dominica venenum fuit Iudæ? An Augustinus tum putabat panem mutatum in physicum Christi corpus, cùm illud ipsum, quod à Christo consecratum, vocabat non panem Dominum, sed panem Domini, & buccellam dominicam? non credo. hæc tota probatio est illius Anonymi.

II. Bene facit Anonymus volens insidias latentes in verbo realiter amovere; miror etiam, cur etiam insidias in verbo *verè* non tangat, prout Calvinus audet, lib. 4. Inst. cap. 17. §. 5. prout suprà relatum est.

ARTICULUS III.

Respondetur ad obiecta præmissa Authoris secundi libelli.

REspondetur, quòd Anonymus duas quæstiones controversas involvat, quarum una est, an in Eucharistia sit substantia physica corporis Christi? secunda: an fiat præsens per *transsubstantiationem* substantiæ panis in corpus Christi? quæ verè distincta sunt, nam potuisset Christus suum corpus physicum in Eucharistia ponere præsens, manente substantiâ panis, si ita voluisset; adeóque hæc distincta sunt, ùt infrà dicetur; quòd potuisset esse sacrificium corporis Domini sine transsubstantiatione. Verùm de facto confitetur S. Ecclesia, quòd corpus physicum Christi sit præsens in Eucharistia contra Calvinistas, quod etiam fatentur Lutherani: & insuper quòd fiat præsens per transsubstantiationem, prout suprà demonstratum est. Sic ergo profitemur, quòd corpus Christi tantum quantum secundùm substantiam fuit in cruce, & jam est in cœlo, sic in Eucharistia extat sub qualibet specierum particula, tunc quidem mortale & vulneratum, nunc verò immortale & gloriosum & spirituale prout 1. Cor. 15. v. 44. de quolibet corpore post resurrectionem dicit: *Seminatur corpus animale, surgit corpus spirituale* scilicet; quia habebit qualitates spirituales. I.

Videamus quid contra hanc doctrinam Anonymus ex primæva Ecclesia proferat.

1. Quòd hanc doctrinam vel quæstionem vocas monstrosam, blasphemè loqueris; & cùm dicis: monstrosum esse dicere, quòd magna substantia eadem sit parvis pluribus & diversis rebus præsens: Cave ne tu monstrosus & bestialis sis, nihil volens agnoscere nisi corpora juxta statum suum naturalem: Tu credis & credere debes, quòd Deus immensus secundùm totam suam substantiam sit præsens in cœlo & in terra, & in qualibet minima mundi particula, totus in toto mundo & totus in qualibet parte. Ergóne Deus monstrosus? verè tu monstrosus, & plùs quàm Ethnicus si hoc dixeris: Similiter Angelus simili modo præsens est corporibus, & anima rationalis tota est in toto corpore & tota in qualibet ejus parte, prout Ethnici agnoverunt; an ergo monstrosum, quòd corpus Christi gloriosum & spirituale possit simili modo præsens esse speciebus panis? hoc enim sequitur ex reali corporis Christi gloriosi & incorruptibilis & invisibilis sub speciebus miraculosa præsentia; de qua suprà clariùs. II.

Tuum, ô Anonyme erat probare ex SS. Patribus, corpus Christi sic non esse præsens in Eucharistia, nec satis est me ad Pless. & alios Scriptores remittere, cùm onus probandi in te susceperis, sicut nec tibi sufficere vis, ut te ad Catholicos Scriptores remittam, qui copiosissimè hanc doctrinam ex sacra Scriptura & SS. Patribus demonstrârunt; cùm tamen te excusare non possis, tibi Bellarmini opera ad manum non esse; cùm illa à te lecta indicaveris; quæ si bo-

Digitized by Google

no animo legisses, veritas sufficientissimè constaret; quia tamen opera illa & alia ad aliorum manus non veniunt, ex illis, quæ Doctores hactenus verissimè ex sanctis Patribus allegârunt, suprà Catholica doctrina probata est; ubi patet, clarissimum mendacium tuum: *Cùm nos totâ antiquitate, imò eius umbrâ spoliatos pronuncias.*

Videamus, quænam ex tam lato sanctorum Patrum contra nos testimoniorum campo proferas. Vnicum scilicet ex S. Augustino à Paræo allegatum, sine loci expressione; plura adducturus si tibi fidisses.

III. Pro cognitione verborum D. Augustini duo præmittenda sunt: 1. sciat candidus Lector, quòd loca illa, quæ hic Anonymus vel alii Acatholici ex SS. Patribus contra veritatem Fidei Catholicæ adducunt, olim à primo eorum parente Berengario Anno 1050. allegata fuerint, & à Patribus & Doctoribus Ecclesiæ ita ostensa & declarata esse conformia Fidei Catholicæ, ut Berengarius publicè palinodiam in Conciliis tribus cantârit.

IV. 2. Alloquor D. Anonymum: *Domine memorem te esse oportebat tuorum verborum* in præfatione hujus tui libelli, ubi contra me insultas; cur à milite prætensæ reformatæ religionis requisierim, ut antiquitatem assertionum ex Patribus primorum sæculorum ostenderet, *cur non ipsi libros Patrum exhibuerim, ex quibus antiquitatem papismi*, ut ais, *si Diis placet, & deprehendere potuisset*, & subjungit: *Augustinum & Ambrosium oblatos audeo non mutuò, sed e vestigio inspiciendos, sed belli vos disputatores: An in duobus istis Patribus tota primæva antiquitas, ubi tum Ignatius, Irenæus, Minutius, Felix, Tertullianus, Origenes, & alii? quare hos primævos & simplicitati Apostolicæ proximiores non offerebatis?* Hæc tu Anonyme contra me; cùm scire debeas disputationem illam Authore illo milite Vrdingæ, ubi magna bibliotheca non erat, esse inchoatam, & sic è vestigio omnes Patres exhiberi non potuisse; unde illi spatium probandi relictum est per annum & aliquot menses; tu autem, qui causam illius militis in te suscepisti, cur unicum tantùm Augustinum à te suprà ùt à simplicitate Apostolica remotiorem minus æstimatum jam ex tanto campo Patrum producis? cur non Patres illos primævos à te nominatos jam post tantum deliberandi spatium adfers? utique deerant, ut infrà patebit.

V. Verum est, quòd Catholica Ecclesia non inhæreat testimonio vel authoritati unius vel alterius S. Patris; si alii SS. Patres contrarium sentiant, sicut contigit S. Cypriano circa rebaptizandos hæreticos, & Origeni circa millinarium infernum; sed S. Ecclesia unanimi sanctorum Patrum sententiæ inhærens ex illa colligit, quid credendum sit, ùt constat ex confessione Fidei; hæc ideo dicta sint, ut constet imposterum quid in similibus dicendum, nihilominus in proposito agnoscimus S. Augustinum cæteris Patribus consentientem, prout suprà ostensum est.

VI. Ad locum ergo allegatum respondeo; quòd ille nihil contrariatur Catholicæ Romanæ Fidei circa S. Eucharistiam, quia ibi S. August. non vult, quòd Judas non perceperit simpliciter & absolutè in Sacramento ipsum corpus Domini seu Dominum; sed negat, quòd utiliter ad salutem acceperit, & hoc intelligitur, quòd, qui malè & ad damnationem accipit corpus Domini, idem sit, ac non accepisset, quod patet ex ipso Augustino serm. 2. de Verbis Apostoli ed. Basil. 1528. dicente: *Tunc erit unicuique Corpus & Sangis Christi si quod in Sacramento sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducatur scilicet ad salutem.* hoc modo Apostolus 2. Cor. 4. dicit: *Si novimus Christum secundùm carnem, sed iam non novimus, non quòd iam non novit Christum, sed quòd non novit ùt purum hominem, sicut ante conversionem.* Demum id patet ex ipso Augustino lib. 5. de Bapt. cap. 8. eâdem edit. ubi sic dicit: *Sicut enim Iudas cui buccellam tradidit Dominus non malum accipiendo, sed malè accipiendo locum in se diabolo prabuit; sic indignè quisque sumens Dominicum Sacramentum non efficit, ut quia ipse malus sit, malum sit: aut quia* (NB) *non ad salutem accipit nihil acceperit, Corpus enim Domini & Sanguis Domini nihilominus* (NB) *erat in illis, quibus dicebat Apostolus* 1. Cor. 11. Qui manducat indignè, judicicium sibi manducat & bibit non dijudicans corpus Domini, *&c.* quid clariùs?

Similiter August. epist. 120. ad Honoratum cap. 27. eâdem edit. de Superbis, qui indignè communicant, sic ait: *Et ipsi adducti sunt ad mensam Christi, & accipiunt de Corpore & Sanguine eius, sed adorant tantùm, non etiam saturantur, quoniam non imitantur.* VII.

Vide, qualiter August. clarè doceat, quòd Judas & mali verè corpus Domini accipiant, sed quia non in salutem accipiunt, sunt quasi non acciperent, & hoc sensu dicit August. Apostolos accepisse panem Dominum, Judas autem panem Domini: hæc D. Anonyme attende & vide, cur quæras, an putabat tum Augustinus panem mutatum in physicum corpus Christi, *&c.* & respondes, *non credo*, quid tunc postea? Si tu non credis Augustinum id non putasse, ergo Augustinus non putavit? qualis hæc est consequentia? dicitne ibi Augustinus se hoc non putare; imò verba Augustini consistunt in hoc, quòd panis mutetur & Christi corpus sit in Sacramento quod Judas percepit & mali Corinthii, nec hic modus loquendi inusitatus est in S. Scriptura, cùm Deus sæpe dicatur longè abesse ab impiis, quia non sunt in gratia Dei, licèt Deus secundùm substantiam ipsis intimè sit præsens; quid ergo mirum, si impius etiam dicatur, quòd non accipiat in Sacramento corpus Christi, quia non accipit gratiam, licèt Christus secundùm substantiam sit præsens: ut ex ipso Augustino est ostensum.

Videat jam candidus Lector, qualiter hic Anonymus ostendat totam antiquitatem ignorasse illam doctrinam transsubstantiationis, imò efficacissimè rejecisse, & planè esse monstrosam; certè monstrosa impudens & mendax est illius jactantia, qui nihil probando tam contumeliosè & blasphemè ista contra hoc S. mysterium effutit.

Jam quid 3. Anonymus pro illa Acatholicorum assertione adducat videamus.

***

AR-

ARTICULUS IV.

Referuntur verba & objecta Authoris tertii libelli.

I. AUthor Anonymus quoad Articulum de præsentia corporis Christi in Eucharistia sic ait:

Quòd Christus secundùm Corpus & Sanguinem realiter non sit præsens in Sacramento Eucharistia. Tu ipse Domine Pater te non intelligis; aut si intelligis, captiosè loqueris; in causa cui tu ipse non fidis. 1. dicis Sanguinem adesse realiter in Eucharistia; & tamen vis cum tua Roma Missam esse incruentum sacrificium, quomodo quæso hæc conveniunt.

2. Quando verò dicis: Christum secundùm corpus & Sanguinem realiter esse in Eucharistia, videris certum quendam modum istarum rerum velle describere; quod tamen vix audes.

3. Eia Domine Pater dic per Metamorphosin substantiam panis, eius tamen manentibus accidentibus in Christi θεάνθρωπου converti substantiam eandem, tamen invisibiliter, impalpabiliter, &, ut sic barbarè loquar, ingustabiliter in Eucharistia vestra esse præsentem, realiter nihilominus scilicet, &c. Domine Vetvveis tua Paternitas meras hic pingit Chymeras; de quibus pii veteres priorum sæculorum ne fando quidem quidquam accepêre; & tamen admodum impertinenter à nobis flagitas, ut tibi ostendamus, ubinam illi contra illas aliquid scripserint, recordari debes hic istius philosophici axiomatis: Non Entis nullas esse qualitates: idem sit judicium de reliquis tuis thesibus monstrosis & Ecclesiæ veteri incognitis.

Sed heus Domine Pater, quisnam unquam Reformatorum docuit; Christum eiúsque carnem & Sanguinem præsentem non esse verè, verèque fidelibus in S. Cœnæ usu? dic si vir es: hæc sunt ad verbum omnia quæ hic Anonymus pro suo Articulo probando adducit.

ARTICULUS V.

Respondetur ad præmissa objecta.

I. VIdeat candidus Lector, qualiter hic homo in tam sanctis mysteriis procedat: oportebat ut pro Articulo proposito testimonia Patrum primitivæ Ecclesiæ adduceret, & nullum adfert; sed quid causæ, accusat me ignorantiæ, quòd non intelligam quid proponam, quid faciliùs, si sic satisfaciat?

Sed si non intelligam, & ipse tantus sit in Israël Magister, qui me docere gestit; cur non exprimit nomen suum, & locum, ubi habitat, ut tantum Magistrum pro instructione convenire possim? sed ad rem.

Dicit, quòd si intelligam, captiosè loquar in causa, cui non fidam. Respondeo: Verba mea clarissima sunt lippis & tonsoribus nota: videbimus quòd tu captiosè effugere coneris veritatem cui ego fido.

II. Ad 1. *dicis, Sanguinem adesse realiter in Eucharistia, & tamen vis cum tua Roma, Missam esse sacrificium incruentum, quomodo hæc quæso conveniunt?*

III. Respondetur: Hactenus suspicatus sum te aliquid scire, sed jam turpissimè ignorantiam tuam prodis. Tu es Magister qui docere me vis; an ignoras? quòd Christus Sanguinem suum habens sedeat ad dexteram Patris in cœlis, & tamen non est cruentus, scilicet effundens Sanguinem; si hoc confiteris, cur non vides, quòd ista conveniant, ut Christus in sacrificio Missæ habeat Sanguinem, & tamen illum in Missa non à se effundat realiter, sicut in cruce? & sic sacrificium verè sit incruentum, ubi nulla realis Sanguinis præsentis effusio, quid ad hoc? Christus semper erat hostia immolanda; sed sacrificium in cruce peregit cruentum fundendo Sanguinem; in Missa non fundendo Sanguinem corpus & Sanguinem offert Patri. Et sic sacrificium incruentum peragit.

Ad secundum, quòd non expresserim in Articulo modum, quo corpus Christi in Eucharistia præsens sit, non feci ex diffidentia veritatis, sed ut sine multis verbis planè & simpliciter proponerem articulum inter Ecclesiam Catholicam & prætensos Reformatos controversum, ùt patet: de modo autem præsentiæ jam dictum est. IV.

Sufficeret hîc dicere de reali & physica corporis Christi præsentia, licèt nihil de conversione tangeretur; quia tamen vera est, dico substantiam panis per Dei potentiam converti in substantiam corporis Christi sub speciebus præsentis: Confitemur illam substantiam corporis physicam (si actum spectes, non proprietatem) ibi esse invisibilem hominibus impalpabilem & ingustabilem; & tamen realiter præsentem, nec tua sublannatio, quâ dicis, *scilicet*, hoc evertit. V.

Hîc interim respondeat mihi noster Philosophus, cùm axioma philosophicum alleget; estne substantia aliqua secundùm se visibilis, palpabilis vel gustabilis, edic Domine Magister? an panis secundùm suam substantiam sit visibilis vel gustabilis, an secundùm sua accidentia? excusas te de locutione barbarica, potiùs excusaturus te de barbara Theologiæ & Philosophiæ ignorantia, imò de Christiana honestate: qui in hoc divino mysterio me Chymeras pingere aut fingere insolenter blasphemas, sicque blasphemando te à probatione expedire conaris: quid SS. Patres de doctrina Catholica Romana circa hunc articulum senserint suprà satis patet: si tu, quid ex illis contrarium haberes, utique protulisses. VI.

Scio non entis nullas esse qualitates, sed quid ad hoc præsens? ostensum est, quòd in hoc mysterio non sint figmenta, aut non entia, sicut nec in reliquis Fidei Catholicæ articulis. Corpus Christi in Eucharistia habet qualitates suas; licèt non videatur: credo prorsus, quòd tuos consocios tuæ ignorantiæ & impudentiæ pudebit si non te puduerit. VII.

Demum ad id quod dicis: *Sed heus? &c.* respondeo: Hîc tuam fraudem & captiosum loquendi modum prodis; scio, qualiter Calvinus & alii prætensi Reformati carnem Christi in Eucharistia & usu cœnæ præsentem fidelibus dicant, quod suprà ex Calvino satis relatum est; ubi tamen asserit, illum præsentiæ modum esse incomprehensibilem, adeóque nec in illo Calvini modo ratio naturalis consulenda esset. Sed de hoc non est quæstio, verùm quæritur: *An in S. Eucharistia secundùm Christi institutionem caro Christi sit verè physicè & realiter præsens secundùm substan-* VIII.

Digitized by Google

substantiam suam sub speciebus panis & per os à fidelibus, seu, ut dicitis, oraliter sumatur etiam à malis? hoc credit sancta Catholica Ecclesia, si hoc prætensi Reformati credant? dic, si vir es.

IX. Sed cur non erubescis quòd pro hoc tuo & tuorum asserto nullum alicujus S. Patris testimonium adducas? si per hoc satisfactum velis; quòd dicis sententiam Catholicæ Romanæ Ecclesiæ veteribus fuisse ignotam, sic facilè quodvis falsissimum dogma probaretur, sed contrarium suprà patet, nec te latebat.

X. Veruntamen, licèt in hoc articulo sic processeris, ut nullum S. Patrem contra doctrinam Catholicam alleges; fortè dices, quòd in præcedenti articulo factum fuerit, ubi de sacrificio agebatur, & ex defectu probationis contra incruentum & sanctum sacrificium declinabas ad hunc articulum de præsentia corporis Domini per transubstantiationem; ubi facilior si non probandi saltèm calumniandi ac cavillandi campus tibi patere videbatur: Itaque verba tua hîc referam.

ARTICULUS VI.

Referuntur reliqua verba & objecta Authoris tertii libelli.

I. *Sanctus Augustinus tuam Patern. docere valebit, ille enim sic ait: Panis suo modo est corpus Christi, cùm revera sit Sacramentum corporis Christi, & vocatur immolatio, passio, mors & crucifixio non rei veritate, sed significante mysterio, &c. id quoque repetit glossa decreti super canonem, hoc est cœleste, inquit, Sacramentum, quod verè repræsentat Christi carnem, dicitur corpus Christi, sed impropriè, unde dicitur suo modo, non rei veritate, sed significante mysterio, ut sit sensus vocatur corpus Christi, id est, significatur.*

II. *Idem August. contra Adimantum cap. 12. non dubitavit Dominus dicere, hoc est corpus meum, cùm daret signum corporis sui.*

III. *Adde Theodoretum Dialogo 1. Servator certè noster nomina commutavit, & corpore quidem item, quod erat symboli ac signi nomen imposuit, symbolis autem quod erat corporis.*

IV. *Pluribus sanctorum Patrum sententiis non est opus, quandoquidem ex adductis satis perspicuum metonomicas fuisse locutiones, quibus Christus usus fuit in institutione sacræ Cœnæ, docereque fideles suos convivas voluit tam certò semel Corpus & Sanguinem suum se Patri suo in remissionem peccatorum nostrorum omnimodum pro nobis obtulisse quam oculis cernunt panem Domini fractum & poculum benedictionis distributum, cum ipsis communicari in mortis Christi memoriam, voluitque porrò illos certos facere Servator tam verè mortem suam & omnia beneficia, quæ electis suis, eadem acquisivit, cibum ac potum adeòque sufficientissimum nutrimentum esse Animarum omnium & singulorum verâ Fide ad mensam Domini accedentium, idque ad vitam eorum spiritualem & æternam, quam verè panis & vinum suâ naturâ cibus & potus adeòque nutrimentum sunt ad vitam hanc corporalem & temporalem, imò etiam quemadmodum cibus & potus hic terrenus debitè sumptus & digestus cum sumentium corporibus unitur, ita per Spiritus Sancti efficaciam corpus Christi semel crucifixum, Sanguinémque eius semel effusum animabus fidelium verissimè, arctissimèque quamvis ineffabili modo uniri, adeóque fideliter omnes & singulos unum corpus mysticum cum Christo Domino suo fieri, & in æternum manere debere.* V.

Visne adhuc tuum transubstantiationis monstrū defendere? visne porrò panē in vestra Missa ut θεάνθρωπον latricè, ut sic vobiscum loquar colere & adorare? sacer panis sacrúmque poculum in Eucharistia symbola & signa corporis Sanguinisque Christi esse docuit pia vetustas, non verò ipsum corpus, & σῶμα Christi substantiale, multò minùs ipsum Christum θεάνθρωπον, sicut vos ad ravim usque, ignoranterve an scienter dubito, esse clamatis, & secùs, hoc est veriùs sentientes ad tartara anathematibus vestris, at nequicquam, devotis.

Audi Augustinum ad hæc Christi verba: Nisi manducaveritis carnem, &c. Facinus, inquit, vel flagitium videtur iubere, figura est ergo præcipiens Passioni Domini esse communicandum, & utiliter recondendum in memoria quod pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata sit. VI.

Idem ad verba Christi: Verba, quæ locutus sum vobis, spiritus est & vita. Spiritualiter, inquit, intelligite quod locutus sum vobis: non hoc Corpus quod videtur, manducaturi estis & bibituri illum Sanguinem quem fusuri sunt, qui me crucifigent, Sacramentum aliquod vobis commendavi spiritualiter intellectum vivificabit vos.

Manifestè verò sanctum Patrem distinguere inter Sacramentum & rem Sacramenti liquet ex quadam eius Epistola: Si Sacramenta, inquit, similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent. VII.

Audis hic Domine Pater, si id, quod Sacerdos missaticus elevans panem in manu habet, & ipse θεάνθρωπος, certè non ampliùs est Sacramentum & infinitæ sequuntur falsitates, ex quibus veritates velle efficere, obtentu allegatæ omnipotentiæ divinæ, blasphemia est intolerabilis: Si verò Sacramentum manere dicitis, & tamen illud cum Thoma sic adoratis: Adoro te devotè latens Deitas quæ sub his figuris verè latitas, Idololatriam committi manifestam, si enim verum est, sicut verissimum est, quod Augustinus ait: Miserabilis servitus animæ est signa pro rebus accipere. Vos sanè serviendo latreiticè signis non fictè, uti Dominus Pater in thesi hac sua loquitur, sed verè Idololatriæ reos vosmetipsos constituitis. Cæterùm sacrificium propitiatorium, &c. hæc ille Anonymus, cæterùm ea, quæ contra sacrificium Eucharistiæ tangit, infrà refutabitur; hîc ad alia quæ contra præsentiam corporis Domini & transubstantiationem allegat, respondebitur. VIII.

ARTICULUS VII.

Respondetur ad præmissa objecta ex D. Augustino & Theodoreto adducta.

Respondetur 1. mirum est, quòd cùm D. Anonymo ex suscepta sponte obligatione probandum erat, quòd primitiva Ecclesia negavit præsentiam Christi in Eucharistia, & ipse etiam hîc dicere audeat, quòd pia vetustas docuerit sacrum panem esse symbolum corporis Christi, non verò ipsum corpus Christi, &c. nulla alia adducat I.

Digitized by Google

testimonia; quàm præmissa ex solo Augustino, Theodoreto qui vixit Anno 450. & glossa decreti Juris canonici, quorum si nos solùm pro doctrinæ Catholicæ vetustate adferremus testimonia, utique nos exsibilaret; cùm secundus Anonymus, ut suprà visum est, nec *Ambrosium nec Augustinum* solos audire voluerit tanquam ab Apostolis remotiores, sed requirat antiquiores, ùt *Iustinum, Tertullianum, Origenem*, &c. hæc solùm prænoto, ut candidus Lector videat Acatholicorum procedendi modum, ut dum vident aliquem sanctum Patrem contra illos clarè docere, dicant quòd non sit ex antiquioribus, vel quòd in hoc errârit, & contra sacram Scripturam vel alios Patres dixerit; si autem qualemcunque Patrem inveniant, qui vel solus videatur apparenter, licèt non verè pro ipsis loqui, in hoc insultant, illum passim præferunt contra omnes alios Patres, ita in proposito circa Augustinum & Theodoretum, qui tamen illis non suffragantur ùt videbimus.

Respondetur secundò ad rem, Catholica Ecclesia moderna cum antiqua ex verbo Dei docet duo: unum, quòd panis & vinum seu potiùs illorum species sint symbola corporis & Sanguinis Domini. 2. quòd tamen ideo corpus & Sanguis Domini non sint absentia, sed sub symbolis præsentia; ita ut sint symbola & signa corporis & Sanguinis Domini præsentinm prout suprà declaratum est. Sic ergo Acatholicis ex Patribus vetetibus probandum est, quòd hanc propositionem docuerint: *Corpus & Sanguis Christi non est præsens in Eucharistia physicè & realiter, sed tantum repræsentativè per nudum signum panis & vini, ita ut corpus & Sanguis Domini tantùm sint in cœlo signa aut symbola illorum in terra*, ut cum Calvino suprà relato Acatholici volunt, hoc autem nec Augustinus, nec Theodoretus, nec ullus sanctus Pater docuit, sed id quod Ecclesia Catholica credit, ùt suprà patet.

II. Itaque respondeo ad verba tanquam Augustini allegata. Cur D. Anonymus locum in operibus Augustini non allegat, utique quia in illis non invenit prout ipse refert. Locus ergo est in Epistola 23. ad Bonifacium, ubi in operibus Augustini Basileæ 1529. impressis non habentur verba à te allegata, scilicet: *Panis suo modo est corpus Christi, cum revera sit Sacramentum corporis Christi, vocatur immolatio*, &c. ista, inquam, ibi non habentur, sed hæc: *Nónne semel immolatus est Christus in se ipso, & tamen in Sacramento non tantùm per omnes Paschæ solemnitates, sed omni die populis immolatur, nec utique mentitur, qui interrogatus eum responderit immolari.* hæc Augustinus, ex quibus D. Anonyme imprimis audis juxta Augustinum omni die Christum in Ecclesia immolari, nec ille mentiatur qui hoc dicit. Tu verò dicis quòd hoc dicens non solùm mentiatur, sed Idololatriam asserat, qui dicit Christum quotidie immolari; licèt non in se ipso seu in propria specie, ut scilicet de novo crucifigatur; sed in Sacramento in memoriam crucifixionis, ut docet Ecclesia, ecce Anonyme qualiter Augustinum condemnes. Post præmissa verba Augustinus subdit: *Si enim Sacramenta similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent, ex hac autem similitudine plerumque ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundùm quendam modum Sacramentum corporis Christi corpus Christi est, Sacramentum Sanguinis Christi Sanguis Christi est, ita Sacramentum Fidei, Fides est.* ita ad literam sancti Augustini.

His præmissis respondeo: quòd Augustinus illis verbis non negat corpus Christi verum realiter esse præsens in vel sub speciebus panis seu in Sacramento, ùt patet ex textu; sed dicit *Sacramentum corporis Christi secundùm quendam modum est corpus Christi*: hæc verba non excludunt realem Christi præsentiam, sed simul consistunt, sic enim simul verum est, quòd species panis & vini, quæ sunt Sacramentum corporis & Sanguinis Christi, secundùm quendam modum dicantur corpus & Sanguis Christi esse, scilicet secundùm similitudinem & significationem vel repræsentationem, ut Augustinus dicit; cum hoc simul consistit, & verum est, quòd corpus & Sanguis Christi quæ significantur & repræsentantur per Sacramenta seu per species panis & vini etiam sint illis præsentia realiter, sicut hedera quæ signum est vini venalis, non negat vinum in domo præsens, sed indicat esse præsens, & hujusmodi signa in sacra Scriptura sunt usitatissima, ut dum etiam Angeli imò ipse Deus per signa vel species visibiles exteriores apparuerunt, quibus Angeli vel Dei præsentia demonstrabatur, & illæ species vel signa dicebantur Deus vel Angeli. Sic Gen. 18. v. 1. *Apparuit autem ei*, (Abraham) *Dominus in convalle Mambre*, &c. *apparuerunt ei tres viri, &c.* item cap. 19. v. 1. *Venerunt duo Angeli Sodomam, & sedente Loth in foribus civitatis qui cùm vidisset eos, &c.* cap. trigesimo secundo num. vigesimo quarto: *Ecce vir luctabatur cum eo* (Jacob) *usque mane.* Exod. 3. v. 2. *Apparuit Dominus in flamma rubi.* v. 6. *Abscondit Moyses faciem, non enim audebat aspicere contra Deum, &c.* & cap. 24. v. 9. *Viderunt Deum Israel & sub pedibus eius, &c.* Num. 22. v. 22. *Stetit Angelus in via*, &c. *cernens asina Angelum stantem, &c.* Similiter passim in veteri testamento & in novo passim. Act. 10. v. 2. *Cornelius vidit Angelum Dei introeuntem ad se*, &c. ubi manifestè patet quòd species humanæ, in quibus Angeli apparebant, erant signa Angelorum & vocabantur Angeli, non quòd essent ipsa Angeli, quia spiritus ossa & carnem non habent, sed quòd repræsentent Angelos veros præsentes realiter: hoc modo species visibiles panis & vini etiam corpus & Sanguis Domini præsentia esse significant, & sic corpus dicuntur. III.

Vide D. Anonyme quid ex Augustini verbis tuo errori suffragetur. Adde, quòd D. Augustinus ibi potissimùm loquatur de quotidiana immolatione Christi in Sacramento, quæ repræsentat immolationem & crucifixionem semel factam, & ideo dicitur immolatio ac crucifixio; sic etiam species panis, quia repræsentant corpus Christi, dicuntur corpus Christi, sed præsentes, non enim utrobique est paritas in signis.

Ne tamen D. Anonymus conqueratur ipsum temerè correptum de verbis Augustini malè allega- IV

Digitized by Google

allegatis, fateor verba, ùt ab Anonymo referuntur, aliqualiter haberi in corpore Juris canonici distinct. 2. de consecrat. can. *Hoc est*, &c. sed falsò adhuc ipse refert, sic enim ibi habetur: *Sicut ergo cœlestis panis qui Christi caro est (NB) suo modo vocatur corpus Christi, &c. illius videlicet, quod visibile, palpabile, mortale in cruce positum est: vocatúrque ipsa immolatio carnis, quæ Sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors, crucifixio, non rei veritate; sed significante mysterio, sic Sacramentum Fidei quod Baptismus intelligitur, Fides est.* Ita in canone dicto Gratianus 3. parte de consecratione dist. 2. edit. Paris. 1501. ubi citatur Hieron. in epist. ad Ephes.

Si D. Anonymus verba illa sic integrè & fideliter allegasset, utique in sui confusionem egisset. Ibi enim primò constat, quòd Augustinus agnoverit in Ecclesia esse Sacerdotes, qui quotidie immolent corpus Christi, quod Acatholici negant. Secundò, ibi Augustinus non loquitur de pane sensibili, sed pane cœlesti, qui de cœlo venit, & dicit quòd verè sit caro Christi; & tamen illa vera caro Christi in Sacramento invisibilis, immortalis & non palpabilis vocatur suo modo corpus Christi, ùt fuit mortale & suspensum in cruce; sic enim in rei veritate non est jam suspensum in Sacramento, sed repræsentatur in cruce suspensum, & ideo tale dicitur. Ecce quid clariùs pro veritate Catholica? demum ad Glossam decreti super canonem *hoc est* allegatum, respondeo primò illam in meo codice non extare, si tamen alibi habeatur, nihil suffragatur Adversario, sed veritati Catholicæ, quia dicit: *Sacramentum cœleste, quod verè repræsentat corpus Christi, dicitur corpus Christi sed impropriè, non rei veritate, sed significante mysterio*, quia Sacramentum quod est species panis non rei veritate est corpus Christi, sed repræsentat corpus Christi præsens, ut sit sensus: vocatur corpus Christi, id est significatur per Sacramentum & hoc verum est; sed id non tollit, quin verum corpus Christi per Sacramentum significatum sit sub illo præsens ùt suprà dictum.

Videat autem candidus Lector miseriam hujus Anonymi, qui hanc glossam pro se allegat, licèt ipsi contrariam, quam si nos contra illum produceremus, utique exsibilaret. Nam Glossa illa est Gratiani, vel alterius alicujus qui scripsit circa Annum 1170. post tempora Berengarii primi Sacramentariorum Authoris. Nonnihil fusiùs his inhæreo, ut veritas Ecclesiæ & adversariorum temeritas & falsitas magis pateat.

V. Ad secundum locum Augustini ex libro contra Adimant. Manich. cap. duodecimo, *non dubitavit*, &c. respondeo: Admitto verba Augustini; sed nego, quòd Augustinus illis verbis negaverit Christum discipulis suis dedisse corpus suum verum, cùm diceret, *hoc est corpus meum.* Sic enim Augustinus dicere debuisset, non dubitavit Dominus dicere, hoc est corpus meum, cùm daret *tantùm* signum corporis sui. Sic enim per ly *tantùm* exclusisset verum corpus suum: at verò cum Augustini verbis allegatis consistit simul, quòd Christus cum signo corporis sui seu cum speciebus visibilibus panis dederit etiam verum corpus suum, quod sub illis non videbatur: & hanc fuisse mentem Augustini patet ex verbis D. Augustini adjunctis, nam ibi intendit explicare verba sacræ Scripturæ Deut. 12. v. vigesimo tertio: *Sanguis enim anima est, & ideo non debes animam comedere cum carnibus, &c.* ita ait: *Possum etiam interpretari præceptum illud* Deut. 12. *in signo esse positum, non enim dubitavit Dominus dicere: Hoc est corpus meum, cùm signum daret corporis sui: Sic est enim Sanguis anima, &c.* quasi diceret, quòd Sanguis dicatur esse anima, non quia est ipsa anima, sed quia est signum Animæ, non qualitercunque vel absentis sed præsentis in ipso Sanguine prout clariùs idem Augustinus quæstione quinquagesimâ septimâ in Leviticum circa verba Lev. cap. decimo septimo v. undecimo, *quia anima carnis in Sanguine est*, explicat qualiter sanguis sit Anima, quia vita potissimùm in sanguine conservatur, *&c.* sicut ergo ex eo quòd sanguis dicitur anima, quia est signum animæ non excluditur præsentia animæ vel vitæ, sed potiùs præsens ostenditur: Sic etiam in eo, quòd species sacramentales dicuntur corpus Christi, quia sunt signum corporis Christi, non excluditur corpus Domini, sed præsens esse demonstratur. Hinc patet, quòd verbis illis Augustini nullatenus negetur præsentia corporis Domini in Eucharistia.

Et hanc esse D. Augustini mentem constat ex eo; quia alibi clarissimè docet corpus Christi verè in Eucharistia esse præsens, ùt suprà ostensum est. Nec mirum est, quòd verba D. Augustini hodie ab Acatholicis hinc inde in falsum ipsorum sensum trahantur: cùm id sibi à Pelagianis contigisse in vita sua protestetur D. Augustinus tomo primo editione Basil. 1529. libro primo Retract. cap. nono dicens: *Quapropter novi hæretici Pelagiani, &c. non se extollant, qualiter eorum egerim causam, &c.* & infrà: *Et alio loco dixi, &c.* & paulò pòst: *Quis inquam peccat in eo quod nullo modo caveri potest? peccatur autem: Caveri igitur potest; quo testimonio meo in quodam libro suo Pelagius usus est, &c. in his atque huiusmodi verbis meis, quia gratia Dei commemorata non est, de qua tunc non agebatur, putant Pelagiani vel putare possunt suam nos tenuisse sententiam: sed frustra hoc putant*, & iterum cap. 16. dicit: *Quòd autem dixi, nulli naturæ nocere peccata nisi sua, ideo dixi, &c. possunt sanè Pelagiani ad suum dogma trahere istam sententiam, & ideo dicere, parvulis aliena non nocuisse peccata*, &c. *non intuentes ideo parvulos, qui utique pertinent ad humanam naturam trahere originale peccatum, quia in primis hominibus natura humana peccavit: ac per hoc naturæ humanæ nulla nocere peccata nisi sua*, &c. VI.

VII. His aliisque locis sanctus Augustinus vere & congruè sua explicat verba à Pelagianis in suam reprobam hæresin usurpata, quæ si D. Augustinus ita non explicasset, fortè multi dubitare potuissent, nisi alia loca Augustini attenderent, ad quæ etiam D. Augustinus se refert; si itaque hoc D. Augustino viventi contigit, quid mirum, quòd Acatholici moder-

moderni post tot centenos annos hinc inde verba Augustini pro se trahant; cùm tamen ex aliis locis D. Augustini mens satis constet; hæc candido Lectori in cautelam.

Ad verba ex Theodoreto allegata respondeo, quòd si D. Anonymus sequentia retulisset solutio ex Authore constaret, post verba enim allegata Theodoretus, sic subjungit editione Colon. 1573. dicens : *Volebat enim* (Christus) *eos, qui sunt divinorum mysteriorum participes non attendere naturam eorum quæ videntur : sed propter nominum permutationem mutationi, quæ fit ex gratia credere.* hæc ille, ubi patet, quòd Theodoretus supponat in sacra Eucharistia per Dei gratiam fieri mutationem in corpus Christi, quod non videtur sed creditur adesse, quam mutationem dicit ex hoc colligi; quòd in hoc mysterio sit permutatio nominum ut panis nominetur corpus Christi, & corpus Christi panis, non quia panis seu species panis tantùm significant corpus Christi; sed quia continent interiùs corpus Domini præsens per mutationem panis in corpus Domini factum, & sic panis dicitur corpus & caro Christi Joann. 6. dicitur panis prout etiam suprà ad verba D. Augustini dictum est.

VIII. Hanc autem fuisse mentem Theodoreti patet ex alio loco lib. 2. Dialogo 2. eâdem editione, ubi sic habetur : *Eranistes, quid appellas donum quod offertur ante invocationem Sacerdotis? Orthodoxus: Non oportet apertè dicere, est enim verisimile adesse aliquos mysterio non initiatos. Eranistes: Respondeatur ænigmaticè. Orthodoxus: Id, quod fit ex huiusmodi seminibus nutrimentum. Eranistes: Aliud autem signum, quomodo nominamus? Orthodoxus: Commune etiam hoc nomen quod potús speciem significat. Eranistes: Post sanctificationem autem quomodo ea appellas? Orthodoxus: Corpus Christi & Sanguinem Christi*, &c. Et iterum : *Neque enim signa mystica post sanctificationem recedunt à sua natura: manent enim in priore substantia & figura & forma, & videri & tangi possunt, sicut & priùs: intelliguntur autem ea esse quæ facta sunt, & creduntur & adorantur, ut quæ illa sint quæ creduntur*, &c. hæc ille. ex quibus manifestè patet, quod Theodoretus dicat & credat, quòd in Eucharistia præter ea quæ videntur & tanguntur post sanctificationem etiam adsint ea, quæ de novo præsentia facta esse creduntur & adorantur, quæ nihil aliud esse possunt, nisi corpus & Sanguis Christi : quæ ideo non claris verbis expressit, propter catechumenos nondum baptizatos, si fortè adessent, quia coram illis celabant hoc mysterium; ùt ex D. Augustino & aliis constat. Quid autem opus fuisset, hoc catechumenos celare si in Eucharistia nihil aliud esset aut fieret; quàm quòd illam manducando homo credat in Christum, quod utique catechumeni credebant ut alibi ex August. dicitur.

Videat jam candidus Lector, & judicet, an ex testimoniis D. Augustini, Theodoreti & Glossæ ad canonem D. Anonymus causam suam ita ex sanctorum Patrum concordi sententia probârit, ut dicere audeat : pluribus sanctorum Patrum non esse opus testimoniis, ut ex his perspicuum velit, quòd omnia, quæ Christus in sacra cœna de Sacramento Eucharistiæ dixit sint nudè metonomica & figurativa: quòd verò Anonymus falsissimè hæc enuntiet, ex dictis patet, & ampliùs suprà ex S. Scriptura & SS. Patribus constat.

ARTICULUS VIII.

Respondetur ad alia eiusdem Anonymi obiecta quoad transubstantiationem.

Anonymus, relatis D. Augustini, Theodoreti & canonis verbis sibi falsò persuadens Christum solum signum sui corporis & Sanguinis in sacra cœna instituisse, conatur multis verbis declarare: qualiter locutiones Christi in cœna explicari debeant, &c. ùt suprà visum. Verùm D. Anonyme, ubi hanc explicationem legis, non apud D. August. nec apud alium Patrem, sed apud tuum Doctorem Calvinum, qui lib. 4. Instit. suprà allegatus illam pro sua authoritate tradit : ubi istam in sacra Scriptura legis? extra quam nihil admittere vultis, multò minùs ego illam nec in sacra Scriptura, nec in SS. Patribus traditam, quin potiùs sacræ Scripturæ & sanctis Patribus contrariantem admittere possum. I.

Agnoscit Ecclesia Catholica duplicem modum participandi corpus & Sanguinem Domini in S. Eucharistia sacramentalem & spiritualem, de quibus suprà dictum: sed quòd solùm figurativè, & nunquam verè & realiter in S. Eucharistia percipiantur, ùt Acatholici volunt, contra S. Scripturam est.

Respondetur itaque ad verba Anonymi, *vísne adhuc?* suprà art. 6. relata.

Mirum quâ fronte D. Anonymus ex suis præmissis tam audacter prorumpat in illa verba : *Visne adhuc tuum transubstantiationis monstrum defendere?* pudeat te, quòd tam temere & insolenter, imò blasphemè contra tanti Sacramenti mysteria sine fundamento inveharis. Cur non vereris asserere, quòd sancti Patres seu pia vetustas negârit corpus Christi substantiale, vel Christum ipsum in Sacramento esse præsentem? vides suprà, imò nosti verissima & solidissima sanctorum Patrum pro doctrinæ nostræ veritate testimonia : qualia si pro te haberes, exultare & insultare posses. In te justiùs tua impudentia verba retorqueri possent, cur tam futilibus adductis argumentis taliter jactitas, blasphemas, increpas, & clamas ad ravim usque, ignoranter an scienter nos Idololatriæ condemnas? videbimus autem ô Anonyme, te nec tibi ipsi satisfecisse per allata testimonia, unde ulteriùs procedis dicens : *Audi Augustinum.*

⁂

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS IX.

Respondetur ad objecta ex verbis D. Augustini lib. de doctrina Christiana allata.

I. DIcit Anonymus: *Audi Augustinum ad hac Christi verba, nisi manducaveritis, &c. & facinus, &c.* inquit.

Respondeo: Audivi & legi Augustinum, quod si & tu sincerâ illum mente legisses & audivisses non sic insolenter ageres: admitto verba S. Augustini, quæ habentur lib. 3. de Doct. Christ cap 16. edit Basil. 1528. sed falsum est, quod illis verbis D. Augustin. neget Corpus Christi in Eucharistia realiter & verè esse præsens: quia, cum illorum verborum veritate consistit etiam veritas Catholica de reali Christi præsentia sub speciebus panis, ut cuilibet examinanti facile constabit.

Respondeo in speciali, secundo, quod D. Augustin. ibi tradat generalem modum interpretandi S. Scripturæ verba, & inter alia sic dicit: *Si præceptiva locutio est* (scilicet in S. Scriptura) *aut flagitium aut facinus vetans aut utilitatem aut beneficentiam jubens, non est figurata; si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem & beneficentiam vetare, figurata est. Nisi manducaveritis inquit Carnem filii Dei hominis & sanguinem biberitis non habebitis vitam in vobis. Facinus & flagitium videtur jubere. figurata est: ergo præcipiens Passioni Domini esse communicandum, & suaviter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis Caro ejus crucifixa & vulnerata sit.*

II. Dico ergo D. Augustinum his verbis solùm asserere quod verba Domini prædicta non debeant crasso modo ad literam intelligi, quasi Caro Christi per partes esset dissecanda & dilanianda, ac sic populo ad manducandum distribuenda, sic enim Christus facinus & flagitium præcepisse videretur: cùm ipse post mortem incorruptibilis mansurus esset, & hoc modo verba Christi ad literam intelligenda non sunt: cùm quo consistit quod Caro Christi verè à fidelibus per os sub speciebus panis sumatur in se incorrupta & indivisa permanens, in memoriam passionis suæ; & hic sensus literalis verus, respectu alterius spiritualis est. Sicut etiam Corpus fidelium post resurrectionem ab Apostolo vocatur spirituale cum dicit 1. Cor. 15. v. 44 *Seminatur Corpus animale, surgit Corpus spirituale,* scilicet incorruptibile: in hoc sensu nullum flagitium, nec ulla crudelitas sed pietas & singularis gratia est dum Corpus Domini sub speciebus panis in se immutatum & indivisum sicut ad dexteram Patris sedet, à sumente verè deglutitur & manet, donec species consumantur, non ut caro sumentis per Corpus Domini saginetur, sed anima fidelis per Corpus Christi præsens in memoriam amoris Christi & Passionis excitetur, & gratiæ Christi particeps reddatur: quid hic facinorosum aut horrendum, ut ideo talis sensus admitti non possit?

III. Hanc esse D. Augustini mentem patet ex ipso tract. 27. in Ioann. edit Basil. 1528. ubi à proposito verba Domini exponens de Capharnaitis, qui dixerant, *durus est hic sermo,* sic ait: *Non crediderunt aliquid magnum, dicentem & verba illis aliquam gratiam cooperientem, sed prout voluerunt, ita intellexerunt, & more hominum, quia poterat Iesus, aut hoc disponebat Iesus Carnem qui indutum erat verbum veluti concisam distribuere,* & infrà: *Cum videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius,* scilicet integrum, *certe vel tunc videbitis, quia non eo modo,* (NB) *quo putatis erogat Corpus suum: certe vel tunc intelligetis quia gratia ejus non consumitur morsibus,* & infrà: Circa verba Caro non prodest quicquam, ita Christum alloquitur dicens: *An vita non prodest quicquam? & propter quid sumus quod sumus, nisi ut habeamus vitam æternā, quam tua Carne promittis? quid ergo est non prodest quidquam caro, non prodest quicquam? sed quomodo illi intellexerunt,* &c. *quomodo in cadavere dilaniatur aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur.* Sic etiam ibid. tract. 12. dicit: *spiritum ei loquebatur, & ille carnem sapit, &c.* & infrà: ut Ioann. 6. *Nisi quis manducaverit carnem meam,* &c. *scandalizati sunt quidam, putabant enim hoc dicere Iesum, quod eam possent concisam, sicut agnum coquere & manducare,* hæc ibi. Vbi manifeste indicat duplicem prædictum sensum, primum falsum & facinorosum Capharnaitarum, alterum pium & verissimum, dum non negat, sed asserit Christum daturum Corpus suum post ascensionem, sed non eo modo quo putabant Capharnaitæ. Sed altero modo quo integrum manens spiritu vegetatur, & dat vitam æternam sumentibus: & hic secundus sensus respectu prioris est figuralis, quia Caro Christi non conteritur dentibus nec dilaniatur, nec Corpus pascit, ut in sensu Capharnaitico, sed verè & realiter sumpta sub speciebus panis animam spiritualiter pascit & fovet: quod figuratur per species panis, quæ humano modo sumuntur & dividuntur, Corpore Christi sub quacunque specierum particula integro permanente; & ipsæ species sunt signum & figura Corporis Christi invisibiliter & incorruptibiliter præsentis in memoriam Passionis ejus sumpti.

ARTICULUS X.

Respondetur ad Argumentum ex verbis D. Augustini in Ps. 98. allatum.

I. OBjicit D. Anonymus verba D. Augustini, circa illa verba Domini: *Verba quæ locutus sum vobis spiritus sunt & vita, spiritualiter, inquit intelligite quod locutus sum vobis: non hoc Corpus quod videtis manducaturi estis, &c.* ùt supra.

Respondeo negando quòd Augustin his verbis velit asserere, Corpus Christi non esse præsens verè in Eucharistia secundum modum quo Ecclesia credit; vel quod tali modo non verè à fidelibus manducetur: sed solùm negat Corpus Christi modo visibili, palpabili prout in Cruce passibile erat, illud mādu candum & dentibus dilaniandum, quem Ca-

Digitized by Google

pharnaitæ intellexerunt, ut ad præmissum locum ex ipso Augustino ostensum est.

Quòd autem hæc sit mens D. Augustini; patet primo, ex eo, quod ipse passim tradit Corpus Christi verè esse in Sacramento præsens & Carnem ipsius in Eucharistia sumi, in qua in terris ambulavit, & à nemine manducari, nisi prius adoretur, ut supra patet.

Et si hæc non sufficiant Anonymo, videat & audiat verba Augustini tomo. 9 edit. Basil. 1529. Tract. 95. in Ioann. circa illa verba Christi, *vado ad Patrem & jam non videbitis me, &c.* ubi sic ait *Sed quid est, jam non videbitis me? &c.* & infrà *Velut nunquam de cætero visuros eos Christum veritas prænuntiavit? hæc ne justitia est, nunquam Christum videre, & in eum tamen credere?* & infra: *Nunquid dicturi sumus Paulum Apostolum non fuisse justum confitentem se Christum vidisse*, &c. *nunquid secundum hanc justitiam justus non erat gloriosissimus Stephanus, qui cùm lapidaretur ait: Ecce video*, &c. *Filium hominis? quid ergo est, ad Patrem vado & jam non videbitis me, nisi, quomodo sum, cum* (NB) *vobiscum sum, tunc enim adhuc erat mortalis, in similitudine Carnis peccati qui esurire poterat atque sitire*, &c. *hunc ergo* (NB) *Christum, id est talem Christum cum transisset de hoc mundo ad Patrem non erant jam visuri: & ipsa est justitia fidei, de qua dixit Apostolus, etsi noveramus Christum secundum carnem sed, nunc jam non novimus*, &c. hæc bi.

II. Simili modo August. respondit Fausto Manichæo tomo 6 edit. ead. lib. 11. contra Faustum cap. 3. qui ex verbis Apostoli 1. Cor. 15. quoniam caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt, inferebat: quòd homo secundum substantiam quam in terris habet non erit in regno Dei, ostendit August. ex contextu Apostoli contrarium dicens: *Et ne quisquam ipsam speciem carnis & ipsam substantiam non posse resurgere credidisset, & exprimere volens, quid nunc appellaverit carnem & sanguinem; quia ipsam corruptionem intelligi voluit, quæ tunc in resurrectione justorum non erit, continuo contexuit: neque corruptio incorruptelam possidebit*, &c hæc Aug. ex quibus patet, quod juxta Augustinum & veritatem Apostolus per carnem non intellexerit substantiam, sed qualitatem ejus, scilicet, mortalitatem.

Idem etiam patet ex verbis ipsius Domini Luc. 24. v. 44. ubi post resurrectionem discipulis dicit: *Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum, &c.* nonne Christus tunc etiam erat cum eis? utique, cur ergo dicit, *cum adessem vobiscum*, scilicet: quia jam non erat cum illis in mortali Corpore & continua visibili conversatione;

Videat hæc D. Anonymus, & si tenebræ pertinaciæ oculos ejus non obscurent, agnoscat, quid D. Augustinus loco citato per verba allegata, scilicet, *non hoc Corpus quod videtis manducaturi estis*, dicere voluerit, non hoc Corpus, id est tale Corpus quale vos modò videtis passibile, & tali modo quo dilaniari & crucifigi potest, estis manducaturi: & hæc est justitia fidei, sic jam Ecclesia non novit Christum vel in cælo vel in Eucharistia, sed impassibilem & minimè lacerandum vel dilaniandum.

Ecce Anonyme sic D. Augustin. verba Christi exposuit, *jam non videbitis me, &c.* scilicet, non quòd Christum verè non essent visuri in propria carne, sed non talem Christum in tali carne visibili. Cur igitur ipsa verba Augustini, *non hoc Corpus quod videtis manducaturi estis*, per ipsa verba Augustini non sunt explicanda, *non hoc Corpus quasi Corpus verum nullatenus essent manducaturi. Sed non tale Corpus, quod tunc videbant palpabile & passibile manducaturi estis, nec illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent, bibituri estis*, id est non talem sanguinem qui iterum effundetur.

Et hæc explicatio ex ipsis verbis Augustini clara est, & optimè cum Catholica veritate consistit, & cum verbis Augustini subjunctis scilicet: *Sacramentum aliquod vobis commendavi spiritualiter intellectum vivificabit vos.* Sic enim Christus Sacramentum fidelibus commendavit, in quo Corpus & sanguis Domini invisibili & incorruptibili modo præsens manducatur, à fidelibus & vivificat illos qui illud non indignè suscipiunt; & hoc est spiritualiter intellectum, scilicet contra carnalem & crudelem Capharnaitarum sensum, qui carnem Christi dilaniatam ad Corpus saginandum manducandam putabant: sic Corpus Christi jam incorruptibile & spirituale juxta Apostolum 1. Cor. 15. vers. 44. spiritualiter intellectum, & tamen verissimum, spiritualiter & verissimè à fidelibus manducatum ipsos vivificat. Vtinam & tu ô Anonyme spiritualiter cum Augustino & Ecclesia Catholica intelligeres, ut & vivificareris.

ARTICULUS XI.

Respondetur ad alium D. Augustini locum.

Post præmissa Anonymus sic ait: *Manifestè vero S. Patrem* (scilicet Augustinum) *distinguere inter Sacramentum & rem Sacramenti liquet ex quadam ejus Epist. Si Sacramenta*, inquit, *similitudinem earum rerum quarum Sacramenta sunt non haberent, omnino Sacramenta non essent*, &c. I.

Respondetur Verba illa D. Augustini posita agnoscimus, quæ habentur in Epist. ad Bonifacium, & à nobis supra dum ad primum locum ex D. August. allegatum respondimus relata sunt, & verba illa verissima sunt. Agnoscit & tradit Ecclesia Catholica magnam inter Sacramentum & rem Sacramenti esse distinctionem, & quòd si Sacramenta similitudinem non haberent earum rerum quarum Sacramenta sunt, Sacramenta non essent: quamvis varia hujusmodi sit similitudo, quæ potissimum tamen ex institutione Christi habetur & dependet.

Verum mi D. Anonyme, an ex his verbis infers, quod inferendum erat? scilicet, ergo Corpus Christi non est res Sacramenti, hoc tu ipse non concedis: vel, inferre vis? ergo Corpus Christi non est præsens Sacramento per quod significatur, qualis est hæc consequentia? non melior, ac si ex illis verbis

bis inferres, ergo baculus stat in Angulo. Ad illa quæ tu ex illis verbis infers non minùs dissona, postea tamen respondebitur, dum priùs breviter proposuero, quid S. Ecclesia Catholica in hoc mysterio de Sacramento & re Sacramenti credat & profiteatur; nec longè abibimus sed ex Canone dist. 2. *Hoc est*, nuper à te allegato totum patebit.

Sic itaque ibi dicitur: *Hoc est quod dicimus, hoc modis omnibus approbare contendimus, sacrificium scilicet Ecclesiæ duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie & invisibili Domini nostri Iesu Christi Carne & sanguine, Sacramento & re Sacramenti, id est Corpore Christi, sicut Christi Persona constat & conficitur Deo & homine; cùm ipse Christus verus sit Deus & verus homo; quia omnis res illarum rerum naturam & veritatem in se continet ex quibus conficitur, conficitur autem sacrificium Ecclesiæ Sacramento & re Sacramenti, id est Corpore Christi. Est igitur Sacramentum & res Sacramenti, id est Corpus Christi*, hæc ibi.

Vidésne jam distinctionem inter Sacramentum & rem Sacramenti tibi plane contrariam?

Si Canon iste, imò glossa tibi arridebat suprà ut ex illo Canone verba Augustini allegares, quæ in opere August. ad literam non continentur ut supra ostensum, cur tibi etiam jam Canon iste non sufficiet? nisi quia non placet?

II. Sed jam videamus, quid ex verbis his Augustini, à te relatis inferas, dicis enim: *Audis hic D. Pater, si id quod sacerdos missaticus elevans panem in manu habet est ipse θεάνθρωπος certè non est amplius Sacramentum & infinita sequuntur falsitates, ex quibus veritates velle efficere obtenta allegata omnipotentia divina blasphemia est intolerabilis*, hæc tu Anonyme.

Respondeo, quâ mente audes talia ex verbis Augustini inferre quâ quæso consequentia inferuntur illa tua dicteria?

Fatemur cum Augustino quod in Eucharistia sit Sacramentum & res Sacramenti, Sacramentum sunt ipsæ species panis quæ panis dicuntur, quia accidentia panis sunt, & exteriùs per sensus panis judicantur, & etiam quia ex pane Sacramentum conficitur, sicut Serpens Moysis dicebatur virga, quia ex Virga erat in serpentem mutata ut Exod 7. v. 12. dicitur, quod *Virga Aaron devoravit virgas eorum*, scilicet Maleficorum super quæ dicit Augustin lib. 2. quæst. 174. in Exod. id est, *Serpens Moysis serpentes Magorum, sed eo nomine res appellata unde versa erat.*

Res autem Sacramenti est ipsum Corpus verum Christi invisibile sub speciebus præsens, dum ergo Missaticus, ut dicis, post consecrationem elevat Sacramentum, ibi est Sacramentum seu panis apparens seu species panis, & etiam res Sacramenti ipse, Christus Deus & Homo, & manent simul Sacramentum & res Sacramenti, quomodo ergo tu dicis, certè non est ibi ampliùs Sacramentum, unde hæc infers? & quomodo inde infinitæ sequuntur falsitates? quomodo ibi obtentu divinæ omnipotentiæ sequuntur blasphemiæ? quòd Christus sub Sacramento præsens adoretur, verè tu blasphemias pessimo ore evomis.

Verùm quod addis dicens: *Si verò Sacramentum manere dicitis, & tamen illud cum Thoma sic adoratis: Adoro te devote latens Deitas*, &c. *idololatriam committitis manifestam.* III.

Respondeo mi D. Anonyme, quâ fronte sic arguis, & condemnas nos Idololatriæ, dicimus quod Sacramentum maneat, scilicet species panis & vini significantes Corpus & sanguinem Christi præsentem quæ dicuntur Sacramentum, licet etiam Corpus Christi sub speciebus præsens, ut signat & causat gratiam in anima suscipientis etiam dicatur Sacramentum: An autem & qualiter species illæ figurantes Corpus Christi præsens adorentur per accidens, & non per se, ut vestis circumdans Regem honoratur infra dicetur. Verum quod contra hoc arguis ex illo piissimo S. Thomæ versiculo idololatriam, nescio quam turpiter agas. Nam si contra species sacramentales velis arguere, cur arguis quod deitas adoretur? Sacramentum exterius non latet sed patet oculis quoad species. Corpus autem & Deitas Christi latent, quæ in hoc idololatria, si Deitas latens adoretur? & quomodo Deitatem adorando signis latriam exhibemus, vel signis pro rebus servimus: ut arguis, nonne ipse si Christianus es confiteri debes, quod Deitas Christi sit ubique, ac proinde etiam in Sacramento lateat, ac proinde Deitas in Sacramento adoranda sit? vide quam ineptè arguas, aliquid dixisse videreris, si dixisses quod adoraremus Corpus Christi ibi latens, quod tu non credis, sed non verè credimus & tu nobiscum illud Deitati in unitate personæ conjunctum adorare debes si Christianus esse velis.

Nos igitur Christum non tantùm secundum Deitatem, sed etiam secundum humanitatem in Sacramento latentem justè & piè adorantes idololatriæ rei non sumus, tu vero nos in hoc idololatriæ condemnans Christum blasphemas, præsertim secundum Deitatem de qua hymnus loquitur quam ibi præsentem esse confiteri debes.

Hactenus ad objecta istorum trium Anonymorum respondimus prolixiùs, non tantum propter illos sed propter alios, quos ex his fructum bonum consecuturos speramus, ex quibus satis Catholica veritas constare posset.

CONCLVSIO SVMMARIA.

Hactenus articulum fidei quoad præsentiam Corporis Domini in Eucharistia, & modum quo hæc fiat ex S. Scriptura & SS. Patribus ideò prolixius ostendimus, ut veritas doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ, & econtra falsitas & calumnia Acatholicorum manifestiùs parerent Credit itaque & docet S. Ecclesia Catholica quod Christus Dominus in ultima Cæna venerabile Eucharistiæ Sacra-

Sacramentum instituerit, dum panem materialem accipiens & frangens, ac verbo suo divino in panem vivum, Corpus scilicet suum verum & proprium transmutans & convertens sub speciebus panis visibilibus duntaxat remanentibus & Corpus suum sub iisdem realiter, licèt invisibiliter præsens significantibus, idem sacrum Corpus suum Apostolis ore etiam corporeo sumendum & manducandum dedit, & ordinavit, ut hoc modo Corpus suum sub speciebus panis præsens integrum & in se immutabile permanens à fidelibus sumatur in memoriam & signum mortis ac passionis suæ, & ad salutem animarum dignè manducantibus conferendam. Hæc est Catholicæ Ecclesiæ doctrina à tempore Apostolorum credita.

ANTITHESES,

In quibus Catholicæ Romanæ Ecclesiæ circa doctrinam de V. Sacramento Eucharistiæ cum SS. Patribus iuxta S. Scripturam conformitas & Acatholicorum difformitas proponitur.

1. *Sancti Patres docuerunt*, quòd Christus Dominus in ultima cœna instituens & tradens hoc V. Sacramentum, dicendo: *Hoc est Corpus meum*, discipulis verum suum Corpus ad manducandum dederit, *ita etiam docet Catholica Ecclesia.*

Acatholici claris S. Scripturæ verbis convicti idipsum verbotenus fateri debent.

2. *Sancti Patres docuerunt*, quòd in V. Sacramento Corpus Christi realiter & physicè ac verè in sua natura sit præsens, *ita etiam Ecclesia Catholica.*

Acatholici Lutherani hoc fatentur, sed prætensi Reformati id prorsus negant.

3. *Sancti Patres docuerunt*, quòd in veteri testamento Manna in ænigmate & figura erat fidelium cibus, sed in nova lege ipsa vera Caro verbi Dei sit fidelium cibus, quem sumunt ut Iudæi manna, *ita etiam Ecclesia Catholica.*

Acatholici prætensi Reformati volunt, quòd Corpus Christi non sit verè in se præsens, sed tantum dicatur præsens, quia panis est signum Corporis Christi in cælo tantum manentis, sicut Rex absens in imagine præsens dicitur, & quod Christus dicendo: *Hoc est Corpus meum*, voluerit dicere, *hoc est signum Corporis mei*, vel *hic panis significat Corpus meum*, quæ omnia sunt contra claræ Christi verba, & contra Acatholicorum principia, qui volunt, quod verba S. Scripturæ quoad fidei necessaria sint evidentissima.

4. *Sancti Patres docuerunt*, quòd verum Christi Corpus in V. Sacramento per os corporale fidelium, & intra membra illorum recipiatur, & intra illa maneat, ac domum deferatur & sic fideles verè Christophori fiant. Non ut corpora inde nutriantur, sed in solatium fidelium, & ut animabus gratia conferatur, *ita etiam docet Ecclesia Catholica.*

Acatholici Lutherani hoc etiam ex parte docent, sed prætensi Reformati id prorsus negant & damnant.

5. *Sancti Patres docuerunt*, quòd, licèt humana ratio non capiat, vera tamen fides tradat quod per Dei omnipotentiam juxta Christi verbum idem ipsius Corpus ad dexteram Patris semper usque ad finem seculi sedens simul etiam pluribus fidelium millibus omnibus & singulis in V. Sacramento in se integrum & incorruptibile manens verè ac realiter præsens distribuatur, *ita etiam docet Ecclesia Catholica.*

Acatholici Lutherani hoc concedunt, sed prætensi Reformati id impossibile esse volunt & damnant.

6. *Sancti Patres docuerunt*, quòd Christus non solum fide, sed reipsa Corpus suum faciat esse præsens in Eucharistia, & quod verbis Domini simpliciter credendum sit, quæ fallere non possunt nec sensus attendendi sint, qui falli possunt, *ita etiam docet Ecclesia moderna Catholica.*

Acatholici prætensi Reformati hæc negant.

7. *Sancti Patres docuerunt*, quòd per verba certa consecrationis à Christo instituta panis fiat Corpus Christi sanctum & sanctificans, quod de signo dici non potest, *ita etiam docet Ecclesia Catholica.*

Acatholici prætensi reformati hoc negant.

8. *Sancti Patres docuerunt*, quòd Corpus Christi non solùm in actuali Eucharistiæ sumptione, sed statim post consecrationem sit in V. Sacramento præsens etiam dum extat in Altari & in manibus sacerdotis, *ita etiam docet Ecclesia.*

Acatholici Lutherani hoc negant volentes quòd Corpus Christi tantum sit præsens in actuali manducatione, licet inter se discrepent.

9. *Sancti Patres docuerunt*, quòd ante verba consecrationis sit substantia panis, sed post illa verba per Dei potentiam non adsit panis substantia seu natura, sed Corpus Christi, & panis mutetur, transmutetur ac transelementetur in Christi Corpus, non quod aliquid de substantia panis in Corpore Christi maneat sed destruatur ad hoc ut Corpus Christi ibi præsens sit, *ita etiam docet Ecclesia Catholica*, quæ illam mutationem *transmutationem* & transelementationem à SS. Patribus doctam, merito *transubstantiationem* vocat.

Acatholici omnes hoc negant, etiam Lutherani qui volunt quòd substantia panis in Corpore Christi præsens maneat & non mutetur.

10. *Sancti Patres docuerunt*, quòd, licet substantia panis mutetur & desinat esse, tamen ipsius species à substantia distinctæ, ut quantitas sapor, odor & color maneant, quæ tantum sensibus percipi possunt, sub & cum quibus Corpus Christi præsens est, *ita etiam docet Ecclesia.*

Acatholici omnes hoc negant.

11. *Sancti Patres docuerunt*, quòd eadem verbi Dei potentia panis per verba Christi à sacerdo-

cerdote prolata mutetur in corpus Christi, quâ verbum Dei cœlum & terram ex nihilo creavit, aquam in vinum ad nuptias, virgam Moysis in serpentem ac aquam in sanguinem in Ægypto mutavit. *Ita etiam docet Ecclesia.*

Acatholici hæc negant.

12. *SS. Patres docuerunt*, quòd in Eucharistia panis non effigie, sed naturâ ipsâ mutatus per Dei potentiam fiat corpus Christi. *Ita etiam Ecclesia.*

Acatholici hæc prorsus negant.

13. *SS. Patres docuerunt*, quòd sub speciebus panis detur fidelibus verum corpus Christi; & illud per illas videatur, & tangatur, sicut Rex in veste sua videtur & tangitur, & sicut in humanitate in terra ambulante Christi divinitas latebat & videbatur, ita lateat & videatur corpus Christi sub speciebus. *Ita etiam docet Ecclesia.*

Acatholici prætensi Reformati hæc negant.

14. *SS. Patres docuerunt*, quòd in Eucharistia non sit verè panis, licèt gustus panem sic sentiat, qui solum saporem ibi præsentem percipit, ex quo intellectus deceptus putat adesse panis substantiam, quam sensus percipere non possunt, sed firmiter credendum sit corpus Christi adesse. *Ita etiam docet Ecclesia.*

Acatholici omnes hoc negant.

CAPUT VI.

De Adoratione Christi in Eucharistia.

ARTICULUS I.

Quid Acatholici de adoratione Christi in Eucharistia doceant.

I. LUtherani cum suo *Luthero* variè loquuntur, nam Luther. lib. de Eucharist. contra Wald. negat Christum, licèt præsentem fateatur, in Eucharistia adorandum. *Philipp. Melanchton.* lib. de Cœna Domini. *Illyricus* in Apologia confessionis Antverpiensis cap. 14. fundantur in eo, quod, licèt Christus sit adorandus, non tamen ibi, ubi non vult adorari, sed ubi se jussit adorari, negant autem Christum jussisse se in Sacramento adorari, sed tantum manducari.

Alii Lutherani etiam allegantes *Lutherum* docent Christum adorandum in Eucharistia non semper, sed quando actu Eucharistia sumitur, sic Theologi Wittenberg. in refutat. confess. orthod. pag. 670. Christophor. Scheibler. lib. Fid. antiq. Cathol. de Eucharistia cap. 7. art. 7. num. 62. ubi sic ait: *Christus qui est in Eucharistia est adorandus propriè loquendo, &c.* & num. 67. *præsentia facit ut non peccet, qui ibi in Eucharistia Christum adorat, non tamen adorando panem, sed Christum, nihilominus quòd exinde non consequatur necessitas sic adorandi apparet, &c. ut scilicet non necessariò mentem vel oculos defigamus ad externas res terrenas, quæ ex ordinatione Christi sunt in Eucharistia, sed potest utique Christus adorari, isto intuitu dimisso, &c. indéque hoc sensu dixit Lutherus de Serm. fol. 207. nec condemnandos qui sacramentum adorant, neque eos, qui non adorant, &c.* hæc ille.

II. *Calvinus* de Adoratione Sacramenti lib. 4. Inst. cap. 17. §. 36. sic ait: *Quid enim est idololatria, si hoc non est*, & §. 35. fundat se in mandato Christi, nec Christum vel Deum hac forma adorari debere, addens de Catholicis: *Auscultâssent certè, accipite, manducate & bibite, huicque mandato paruissent, quo accipi Sacramentum non adorari jubet, &c.* hæc Calv. ubi satis indicat, quòd ideo Christus in Eucharistia non sit adorandus, quia non jussit.

Calvini sectatores prætensi Reformati, ut S. Scripturæ ac SS. Patrum testimonia pro doctrina Catholica effugiant, sicut & hi tres trium libellorum Authores Anonymi profitentur verbis, quòd Christus in Eucharistia sit adorandus, & protestantur sibi, injuriosè contrarium imponi, ùt videbitur. Adeoque volunt non illam esse quæstionem, sed hanc: *An panis, vel species panis in Eucharistia ut Deus sint adoranda.* Et hoc volunt intelligi, dum quæritur, an Sacramentum sit adorandum, & affirmativam Catholicæ Ecclesiæ imponunt, quam ipsi negant, & sic ad condemnationem Idololatriæ procedunt.

Verum hunc falsum quæstionis statum esse patebit, sed hic est: *An Christus in Sacramento realiter præsens sit adorandus.* Etsi enim ipsi dicant Christum in Eucharistia esse adorandum, non tamen fatentur ipsum in Eucharistia præsentem, sed in cælo adorandum esse, ex quibus fucus & fraus apparet.

Sic ejusdem prætensæ Reformationis Author Philippus Eilbracht. in Epanorth. cap. 18. & 142. sincerius statum quæstionis proponit dicens: *Papistæ asserunt Christum verum Deum & hominem, utpote, qui in S. cœna Sacramento verè præsens sit, in eodem quoque cultu latriæ adorandum esse: Reformatorum autem sententia est, hanc adorationem execrabilem esse idololatriam, &c.* hæc ille. Ut ergo illorum fraus & falsitas, ac Ecclesiæ veritas pateat, quid Ecclesia doceat, videamus.

ARTICULUS II.

Quid Ecclesia Catholica circa adorationem Christi in Sacramento vel adorationem Sacramenti credat & doceat.

HOc ex Conc. Trid. manifestum est, ubi sic ait: *Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more in Ecclesia Catholica semper recepto, latriæ cultum, qui verò Deo debetur, huic SS. Sacramento in veneratione exhibeant, neque enim ideo minùs est adorandum, quod fuerit à Christo Domino, ut sumatur, institutum; nam illum eundem Deum præsentem in eo esse credimus, quem Pater æternus introducens in urbem terrarum dicit:* Ps. 96. v. 7. Hebr. 1. v. 6. Matt. 2. v. 11. Matt. 28. v. 17. *Et adorent eum omnes Angeli Dei, & quem Magi procidentes adoraverunt. Quem denique in* I.

Digitized by Google

Galilæa ab Apoſtolis adoratum fuiſſe ſcriptura teſtatur, hæc Concilium.

Similiter ibidem can. 6. ſic definit: *Si quis dixerit in S. Euchariſtiæ Sacramento Chriſtum unigenitum Dei filium non eſſe cultu latriæ etiam externo adorandum, atque ideo nec feſtiva peculiari celebritate venerandum, neque in proceſſionibus, ſecundùm laudabilem & univerſalem Eccleſiæ ſanctæ ritum & conſuetudinem ſolemniter circumgeſtandum, vel non publicè, ut adoretur; populo proponendum, & eius adoratores eſſe idololatras; anathema ſit*, hæc Concilium.

ARTICULUS III.

Declaratur doctrina Eccleſiæ Catholicæ.

I. Circa hanc Eccleſiæ doctrinam duo ſunt conſideranda: Primum, quid intelligat Concilium per Sacramentum Euchariſtiæ, quod dicit cultu latriæ adorandum. Secundum, an omnia, quæ ſpectant qualitercunque ad hoc ſacramentum cultu latriæ, præſertim ratione ſui, & propter ſe ſint adoranda.

Pro cujus declaratione ſciendum, quod ut ſuprà dictum Eccleſia credit & docet diverſa eſſe in hoc ſacramento poſt conſecrationem: & quidem primò abſolutè credit ſubſtantiam panis nullatenus adeſſe. Secundò, quòd ſpecies panis, ſcilicet quantitas & qualitates panis à Deo conſervatæ maneant. Tertiò, quòd ſub his ſpeciebus verè & realiter corpus Domini & Chriſtus ipſe ſit præſens. Quartò, quòd ſpecies prædictæ dicantur & ſint ſacramentum, quatenus ſignificant corpus Domini ſub ipſis præſens inviſibiliter. Quintò corpus ipſum Domini quatenus ſub ſpeciebus iſtis præſens, & per ſpecies illas ſuo modo ſenſibile etiam verè & propriè ſit, & dicatur ſacramentum reſpectu ſui ipſius ut in cruce immolati, & etiam reſpectu gratiæ, quam illis, qui ipſum ſub ſpeciebus dignè manducant, confert & tribuit; ſic enim corpus Domini aliqualiter eſt ſignum ſenſibile ratione ſpecierum panis, ſub quibus continetur, ſicut Rex videtur veſtibus indutus, licèt nihil de corpore Regis appareat. 6. Sacramentum ſumitur ſimul pro ſpeciebus panis, quæ corpus Domini ſignificant & continent, & pro ipſo corpore Domini contento, ut ſint moraliter unum ſicut Rex & veſtes ejus unum aliquod conſtituunt, ita ut corpus Chriſti ſit primaria res in hoc Sacramento ſicut Rex, & ſpecies ſecundaria ſicut veſtis Regis, in qua apparet.

His ſuppoſitis quæſtio eſſe poteſt primò, an Sacramentum, ùt dicit ſpecies panis, ſub quibus corpus Domini eſt præſens, ut ſignificat illud præſens, ſit propter ſe & ratione ſui cultu latriæ adorandum? 2. an ſacramentum ut dicit ipſum corpus Domini ſub ſpeciebus præſens ſit cultu latriæ adorandum?

3. an ſpecies illæ, quatenus corpus Domini ſignificant & præſens continent, ſint aliquo ſacro cultu adorandæ & quali?

4. an totum ſacramentum comprehendens ſpecies ſenſibiles, & corpus Chriſti ſit adorandum, ſicut Rex veſtitus.

ARTICULUS IV.

Probatur doctrina Eccleſiæ Catholicæ.

I. *Dico ergo primò*: Certum eſt & indubitatum, ac Eccleſia Catholica credit & docet, quòd neque panis ſubſtantia, quæ non adeſt, licèt adeſſet, nec ſpecies panis, quæ in ſacramento manent, ſint propter ſe ratione ſui cultu latriæ adorandæ. Hæc eſt certiſſima: quia Catholica Eccleſia credit & docet, quòd cultus latriæ abſolutus, & ſimpliciter ſoli abſoluto omnium Domino ac Creatori Deo immenſo propter ſe & ratione ſuæ infinitæ excellentiæ & dominii debeatur; & idcirco etiam profitetur, quod, licèt humanitas Chriſti verbo perſonaliter unita ſit verè & abſolutè adoranda, non tamen ratione ſuæ propriæ excellentiæ, ſed quia unitur perſonæ verbi infinitæ.

Multo minùs itaque Eccleſia docet, quod panis vel ſpecies panis ſint ratione ſui adorandæ. Hæc concluſio conſtat ex omnibus S. Scripturæ locis, præſertim 1. Tim. 1. v. 17. *Regi ſeculorum immortali inviſibili, ſoli Deo honor & gloria in ſecula, &c.* Ex præcepto primo Decalogi exodi 20. Matt. 4. v. 11. *Scriptum eſt, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Deut. 6. v. 13. & alibi paſſim.

Hæc eſt fides Catholica & expreſſa omnium omnino Doctorum Catholicorum ſententia. Vnde ſummè mirandum, quod Acatholici audeant dicere Catholicos panem ut verum Deum, aut loco veri Dei adorare, *&c.*

Dico 2. Chriſtus Dominus verus Deus & homo non tantùm ſecundùm divinitatem, ſed etiam ſecundùm humanitatem cultu latriæ abſolutè & per ſe eſt adorandus, non tamen ratione humanitatis, ſed divinitatis ſeu perſonæ verbi cui unita eſt, & in qua ſubſiſtit. Hæc eſt fides Catholica in S. Scriptura fundata, & variis Conciliis contra Arianos & Neſtorianos definita, quam Acatholici negare non poſſunt.

Dico 3. Chriſtus Dominus verè & realiter præſens in V. ſacramento ſeu ſub ſpeciebus panis cultu latriæ eſt adorandus. Hæc eſt etiam de fide Catholica, quam Concil. Trid. ſuprà expreſſit, & quam Concilium ex S ſcriptura ſatis demonſtrat, quia ubicunque eſt Chriſtus verè, ibi eſt adorandus cultu latriæ, atqui in ſacramento eſt verè præſens, ut hactenus ex S. Scriptura & SS. Patribus eſt probatum. Nec obſtat excuſatio Lutheri & Calvini, quod Chriſtus expreſsè non juſſerit ſe adorari in Euchariſtia, quia ſufficit generale mandatum Dei Patris pſ. 96. *Adorate eum Angeli eius.* Nec Chriſtus juſſit ſe adorari à Magis in præſepio, vel ab Apoſtolis in Aſcenſione, à quibus tamen juſtè adoratus eſt. Quidquid autem Lutherus & Calvinus dicant, nullus erit ſincerus Chriſtianus etiam Acatholicus, qui profiteri non debeat, ſe Chriſtum debere adorare præſertim in Euchariſtia, ſi illum ibi verè præſentem crederet vel ſciret. II.

Probatur ſecundò ex uſu & traditione Eccleſiæ, quia Chriſti fideles Chriſtum in Euchariſtia præſentem adorarunt ab initio Eccleſiæ.

Hoc conſtat ex omnibus liturgiis diverſarum Eccle-

Ecclesiarum tam Latinæ, Græcæ, &c. ab initio Ecclesiæ vel saltèm quatuor primis seculis conscriptis, de quibus infrà agendo de sacrificio Missæ, in his enim ante communionem ponitur: ut Sacerdos dicat versus V. Sacramentum: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi*, &c. *Et, Domine, non sum dignus*, &c. & in aliquibus etiam ponitur: *Deus propitius esto mihi peccatori*, &c. quæ certè omnia ad Christum præsentem Deum diriguntur adorando.

Hanc fuisse Ecclesiæ praxin constat secundo ex locis Patrum suprà allegatis pro veritate præsentiæ corporis Domini in Eucharistia; quia eo ipso, quod tradunt Christum esse verè & realiter præsentem in Eucharistia, etiam ostendunt Christum adorandum in ea præsentem: deinde etiam expressè supponunt & movent, ut fideles antequam V. Sacramentum sumant priùs adorent, ùt patet ex D. *August.* hom. 3. in epist. ad Ephesios & pluribus locis.

In speciali SS. Patres docent Christum in V. sacramento adoratum, ùt *Gregor. Nazianz.* in orat. de Obitu Gorgoniæ sororis refert, quod ante altare in fide procubuerit, & caput supra altare reclinaverit, ac Christum invocarit, sicut olim *Magdalena*.

Chrysostomus suprà præsertim hom. 3. in epist. ad Ephes. ubi dicit, *adora, & manduca*, &c. & homil. 61. ad pop. Antiochen. ed. Basil. 1558. *At pura sint vestimenta, adora, & communica*, &c. similiter homil. 24. in 1. ad Cor. & orat. de S. Philogonio, ubi monet, ut fideles adorent corpus Christi in Altari positum, quod Magi in præsepi positum adorarunt, verba illius vide suprà c. 3. art. 3.

Origenes suprà ubi dicit, quod ante communionem cum centurione dicendum: *Domine, non sum dignus*.

Theodoretus in dial. 2. suprà, ubi dicit: *Creduntur & adorantur, quòd ea sint, quæ creduntur*, &c.

Probatur demum universaliter ex sanctis Patribus, qui dicunt in Eucharistia corpus Christi verè esse præsens, ùt *Iustinus*, *Irenæus*, & omnes suprà relati, qui enim Christum præsentem credunt, etiam adorandum credunt, vide suprà cap. 3. testimonia SS. PP.

III. *Dico* 4. Sacramentum Eucharistiæ quatenus sumitur pro principali sacramenti, scilicet, pro ipso Christo sub speciebus panis præsente, est absolutè simpliciter & ratione sui cultu latriæ adorandum. Hæc est clara ex prædictis, nam Christus est verus Deus, adeoque debetur illi ratione sui absolutè latriæ cultus ubicunque fuerit, ac proinde etiam sub speciebus panis præsenti.

Hoc sensu Concil. Trid. suprà declarat: sacramentum esse adorandum, ùt patet ex contextu, cùm causam adorationis assignat dicens: *Nam illum eundem in illo præsentem esse credimus, quem Pater æternus*, &c. *dixit, adorate eum omnes Angeli Dei*. Quod Pater æternus non dixit de pane vel speciebus, sed de ipso Christo, quem sub speciebus præsentem Ecclesia credit, & ideo can. 6. definit: *Si quis dixerit Christum in S. Eucharistiæ Sacramento non esse cultu latriæ adorandum, anathema sit*.

Quòd autem Concilium dicat sacramentum esse adorandum utique ad fraudes Acatholicorum removendas fecit; qui verbotenus dicunt: *Christum in S. Eucharistia adorandum esse*, quod Catholicum videretur; sed negant ipsum in Eucharistia esse præsentem, ac proinde negant etiam ipsum in Eucharistia præsentem esse adorandum, sed sua verba exponunt, quòd Christus ubique ac in omnibus rebus sit adorandus, quatenus homo excitatur ad Christum adorandũ in cœlo tantum præsentem secundùm humanitatem: & ideo Conc. decernit, quòd Christus etiã secundũ humanitatem sub speciebus præsens sit & dicatur Sacramentum, quia sub illis contentus manducatur & sumitur in memoriam passionis suæ, & confert gratiam dignè sumentibus: ac sic est Sacramentum, & etiam in sacramento est præsens, ut sacramentum pro utroque simul sumpto sumitur, ùt statim dicetur, & sic etiam sub speciebus præsens dicitur circumgestari & publicè proponi, sub quibus promisit se præsentem fore, ubicunque species fuerint positæ vel motæ; sumitur enim Sacramentum Eucharistiæ propriè juxta illud Irenæi lib. 4. contra hær. c. 34. *Eucharistia ex duabus rebus constans terrena & cælesti, &c.* & sic secundùm communem Doctorum sententiam sumitur Eucharistia, prout utrumque includit: scilicet species corpus Domini significantes, & ipsum corpus Domini significatum, & sub illis contentum, & sic Sacramentum ratione corporis Domini; quod principaliter intelligitur, per Sacramentum est simpliciter adorandum, quod in tantum dicitur in Sacramento contineri, & in eo esse præsens, in quantum Sacramentum dicit utrumque & Christum præsentem, & species significantes, & quasi pars in toto principali.

Dico 5. Species consecratæ panis, prout significant & continent Christum præsentem aliquo religioso cultu venerandæ sunt. Hæc est certa, quia omne signum ratione sui significati honorabilis aliquo honore propter significatum est dignum, adeoque signum ipsum Christum non solùm significans, sed etiam realiter continens singulari & sacro honore dignum est, prout ipsimet Acatholici suum panem vocant sanctum & sanctificatum, quia Christum in cælis existentem vel absentem significat, quantò magis species Eucharistiæ sacræ & venerandæ sunt? IV.

Hoc inter alios fatetur *Petrus martyr* class. 4. loc. comm. cap. 10 §. 49. dum testimonia SS. Patrum contra se allegat, dicens: *In Sacramento distinguimus symbola a rebus, & symbolis quidem aliquem honorem tribuimus*, &c. *sunt enim sacra res & Deo semel deputata, quoad verò res significatas nimirum corpus & sanguinem Christi, eas promptè & alacriter adorandas esse concedimus*. &c.

2. patet, quia vestes, quibus Christus in terra conversatus induebatur, religiosâ & sacra veneratione honorabantur, ùt patet in muliere fluxum sanguinis patiente, quæ dicebat Matt. 9. v. 20. *Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero*, nec Christus illam in hoc corripuit, sed laudavit & sanavit. Magi Christum infantem adorantes nonne vestitum adorarunt?

Tertiò patet, quia specialis honor exhibetur purpuræ vel vesti, quâ Rex actu induitur, ita ùt cum Rege quasi vestis civiliter adoretur, non ratione vestis, sed Regis; quod non fieret, si purpura deposita in cista jaceret; sic ergo majoris ordinis cultus debetur speciebus, quibus Christus quasi vestitus nobis præsens est.

Qualis autem hic cultus sit, & qualiter nomi-

Digitized by Google

nominandus Eccleſia non definiit, licèt Theologi ſalvâ fide diverſimodè loquantur, an cultus vel honor ſigni aut imaginis ſecundum quid ſpectet ad genus honoris per ſe ſui prototypi, *&c.* Certum tamen eſt, quòd nec ſpeciebus illis, nec ulli puræ creaturæ cultus latriæ per ſe & ratione ſui debeatur juxta fidem Catholicam, & omnium Theologorum ſententiam; ac proinde ſpecies non adorantur, ùt hoc ipſum pauciſſimis expreſſit Scotus Doctor ſubtilis in 4. d. 11. q. 3. n. 9. edit. Antv. 1605. dicens: *Non eſt idololatria qui adorat Chriſtum in Euchariſtia; tamen non poteſt negari, quin ſit ibi aliqua creatura, ſcilicet ſpecies illa, ſed non eſt adorandum ſenſibile continens, ſed Chriſtus contentus,* &c. *& ſi objicias ſaltèm ſimplices, qui non ſic diſtinguunt, eſſent Idololatræ. Dico in omnibus illis eſt una reſponſio, quia ſimplices adorant in fide Eccleſiæ, & hoc ſufficit illis ad ſalutem; maiores autem diſtinctè adorant contentum non ſignum continens, &c.* hæc Scotus. Hiſce Doctor ſubtilis breviter oſtendit quòd fideles Sacramentum adorantes non peccent, ſed cultum latriæ piè exerceant credentes Chriſtum ibi præſentem, licèt non tam clarè diſtinguant: ſed inconfuſo Sacramentum, in quo Chriſtus præſens eſt, ſimpliciter adorant, idque juxta intentionem Eccleſiæ. Cùm itaque ex his clarè pateat veritas & pietas Catholicæ Eccleſiæ, jam reſpondendum erit ad ea, quæ Anonymi objiciunt, qui cùm ſuam ſententiam ex SS. Patribus probare deberent, prout obligabantur, meras calumnias, mendacia & blaſphemias adducunt, ùt patebit.

ARTICULUS V.

Referuntur & refutantur ea quæ author primi libelli circa Articulum de adoratione Chriſti in Euchariſtia dicit.

1. ANonymus I. ſic ait: *Iubet oſtendere, quòd Patres negaverint Chriſtum in Sacramento eſſe adorandum: at nos neque hoc negamus, neque Pontificios eo crimine accuſamus, ſed quòd ſint Artolatræ; oſtendant ipſi primorum quatuor ſeculorum Patres coluiſſe Panem Sacramenti Artolatriam; licèt illi excuſent, tamen non magìs ſe expurgabunt, quàm Iſraëlitæ à Moſcholatria, aut Ethnici ab idololatria, &c.* Ecce qualia teſtimonia Patrum hic Anonymus adducat contra doctrinam Catholicam; non niſi maledicta & calumnias ac falſiſſimam impoſturam quòd panem adoremus, ùt patebit; nec aliter ſecundus.

RESPONSIO

Ad primi Anonymi allegata contra adorationem

1. REſpond. primò: Falsò allegat ſtatum quæſtionis dicens: *Iubet oſtendere quòd Patres negârint Chriſtum in Sacramento adorandum,* quia omittit ly *præſentem.*

Secundò: Falsò dicit; quòd hoc prætenſi Reformati non negent in ſenſu propoſito, ſcilicet Chriſtum præſentem in Euchariſtia adorandum; patet, nam verbotenus concedunt, Chriſtum in Sacramento adorandum: ſed illo ſenſu ſicut Chriſtus ubique adorari poteſt, ſed non ubique ſecundum humanitatem præſens, ſed tantùm in cœlo, & de hoc non eſt quæſtio.

Ad tertium, quòd Anonymus cum ſuis accuſat nos Artolatriæ, id eſt, quòd panem materialem cultu latriæ adoremus, eſt turpiſſimum mendacium & calumnia, ùt patet ex prædictis: ſed adoramus Panem vivum qui de cœlo venit Chriſtum Jeſum, de quo dixit Joann. 6. *Panem quem ego dabo caro mea eſt.*

Ad quartum: Non eſt, quòd nos oſtendamus SS. Patres coluiſſe panem materialem, quia nec hoc nos docemus; ſed deteſtamur panis materialis adorationem, ùt veram Idololatriam ſeu Artolatriam.

Ad quintum: Quòd nos non magis ab artolatria excuſari poſſimus, quàm Iſraëlitæ à cultu vituli, vel Ethnici ab Idololatria, ingens calumnia & blaſphemia eſt: ùt patet ex prædictis.

ARTICULUS VI.

Referuntur & refutantur argumenta authoris tertii libelli.

ANonymus tertii libelli ſic ſcribit: *quòd idololatria ſit Chriſtum adorare præſentem in Euchariſtiæ Sacramento. Proba hoc Domine Pater quod id doceant Reformati. dicunt hi, panem miſſaticum nequaquam poſſe fieri Deum aut θεάνθρωπον, Panem igitur illum ùt Deum aut Chriſtum adorare, idololatria eſt, quæ committitur, quando id, quod Deus non eſt, ùt Deus aut loco Dei adoratur. Cæterùm ab Euchariſtiæ apud Reformatos celebratione non excluditur τοῦ θεανθρώπου.* hæc illius ſecundi Anonymi tota probatio eſt ſui articuli, hæc teſtimonia antiquorum Patrum pro eorum & contra Catholicam doctrinam. 1.

Conqueruntur iſti DD. Anonymi quod Articulum illum malè & odioſis verbis propoſuerim, ipſiſque falſa imponam; ſed contrarium patebit, quàm mendaciter Eccleſiæ Catholicæ idololatriam imponant, & quàm blaſphemè contra Chriſtum agant, ac odioſis ac fraudulentis verbis veritatem obſcurare conentur.

RESPONDETUR

Ad dicta authoris anonymi tertii libelli.

TErtius Anonymus refert: Articulum à me propoſitum, prout ab Acatholicis ſit probandus, ſcilicet; *quod idololatria ſit Chriſtum adorare præſentem in Euchariſtiæ Sacramento*; & reſpondet *proba hoc Domine Pater, quòd id doceant Reformati.* 1.

Ad hæc reſpondeo, ſi id non doceant quòd ſit Idololatria, ſed doceant Chriſtum in Euchariſtia præſentem eſſe adorandum, ergo conſentiunt Eccleſiæ Catholicæ, quæ nihil aliud credit, cur ergo nos idololatriæ condemnatis?

Sed dicis: *dicunt hi,* ſcilicet prætenſi Reformati, *nequaquam panem miſſaticum fieri poſſe Deum, aut* θεάνθρωπον.

Reſpondeo ſi intelligas quòd panis miſſaticus, ut pro contemptu loqueris, ſeu panis materialis poſt verba Chriſti maneat Panis, in ſua ſubſtantia manens fiat verus Deus, ita ùt ille villis panis ſit verus Deus: hoc & nos credimus impoſſibile & impiiſſimum aſſerere.

Si autem intelligas: quòd panis materialis in ſacrificio Miſſæ per verba Chriſti deſinat eſſe, ac mutetur in Corpus Chriſti, in Panem vivum, de quo

Digitized by Google

quo Christus dicit Joann. 6. *Panis quem ego dabo Caro mea est.* non quòd materialis panis sit ipsum corpus Christi, sed verum corpus Christi succedat in locum panis materialis destructi & mutati; & sic, quia corpus Christi cum persona Verbi unitum subsistit, panis in Deum verum mutari dicitur: sicut etiam, dum corpus Christi crucifigebatur, Deus crucifixus dicitur, hoc profitemur & credimus ex verbo Christi & doctrina SS. Patrum.

Sic etiam panis à Christo in terris comestus per nutritionem fiebat corpus Christi adorandum. licèt ibi materia panis in corpore Christi maneret, at in ven. Sacramento nihil substantiæ panis manet, cùm dicis, *Panem igitur illum ùt Deum aut Christum adorare idololatria est, quæ committitur, quando id, quod Deus non est, ùt Deus, aut loco Dei adoratur.*

Respondeo, cùm tam manifestè catholica Ecclesia profiteatur, quòd Christum verum Deum solum in Eucharistia adoret, nonne insolens calumnia est Ecclesiæ imponere quòd panem materialem adoret? Iterum ergo repetitur: Nec panis materialis Deus à Catholicis habetur, sed destructus creditur, solus Christus in Eucharistia præsens creditur & adoratur, cur ergo tam impudenter Ecclesiæ idololatria imponitur? si tu non credas panem materialem in corpus Christi mutari, hæc tua incredulitas nec potentiam Christi, nec nostram fidem evacuat: si tamen consequenter dicas: panem materialem ibi manere, & illum à nobis ùt Deum adorari, impudens mendacium & calumnia est.

II. Quòd demum dicas: *Cæterùm ab Eucharistiæ apud Reformatos celebratione non excluditur τῦ θεανθρώπυ.*

Respondeo, si dicere velis, quòd in vestra Eucharistia adoretis Christum præsentem, nobiscum steris; si tamen veram Eucharistiam haberetis. Si autem solùm velis quòd in tali Eucharistia vel cœna adoretis Christum in cœlis præsentem, hoc per se malum non est, & nos etiam Christum in cœlis adoramus; si autem velis quòd Christus tantùm in cœlis sit, & ibi adorandus tantùm, hoc falsum est, sed nos etiam, quia in Eucharistia præsentem credimus, eundem in illa & nihil aliud adoramus. In hoc quæstio est, si hoc omnes Reformati, ùt in initio dicebas, non negent, sed doceant non esse idololatriam Christum in Eucharistia præsentem adorare, cur ergo in hoc Ecclesiam Catholicam Idololatriæ arguitis? quia Ecclesia nihil aliud docet: nullatenus verò docet panem materialem, vel quamcunque creaturam puram simpliciter & absolutè ùt Deum vel loco Dei adorandum, imò damnat & execratur. cur ergo tale crimen Ecclesiæ impudenter adscribitis & imponitis.

Sciebas bene alium esse quæstionis statum, & hoc ab Ecclesia doceri, quòd Christus in Eucharistia verè præsens cultu latriæ adorandus sit; quod vos impudenter negatis, & in hoc Ecclesiam idololatriæ impiè damnatis: cur nec unicum S. Patrem allegas qui neget Christum in Eucharistia præsentem adorandum, vel hanc adorationem dicat esse Idololatriam? quia vidisti te veritate & authoritate destitutum, ad falsam & impiam calumniam Ecclesiæ impositam declinâsti.

ARTICULUS VII.

Referuntur Verba & Argumenta Authoris secundi Libelli.

ANonymus secundi libelli sic dicit: *quòd idololatria sit adorare Christum præsentem in Eucharistia.* Respondeo: *Blasphemè ferè proponis hanc quæstionem, & talibus verbis quæ Socinismum, Arianismum redolent, quis unquam Reformatorum dixit: Idololatriam esse adorare Christum? siccine didicisti odiosis verbis statum controversiæ pervertere potiùs, quàm proponere; maior apud nos quàm vos Christi veneratio & adoratio, nos enim non dicimus, positus in medio, quò me vertam nescio, sed libenter obsequimur dictis quæ quotidie inculcantur* ps. 2. 11. Heb. 1. *Christum, ùt ubique, sic in Sacramento adorandum concedimus,* &c. I.

Non ergo est quæstio, an Christus in Sacramento adorandus sit, sed an Sacramentum & Panis in Sacramento? non dicimus vos idololatras qui Christum adoratis, sed panem quem magis per somnium, quàm revera ex Sacramento removetis, & quamvis vos non putetis ibi panem, sed Christum esse, hoc tamen vos non excusat, Ethnici enim etiam putabant sua Idola Deos esse, nec tamen ideo immunes erant. Non videndum quid sibi imaginetur cæco zelo raptus stultè adorans, sed quid sit revera adorandum. Quæstio ergo, an panis in Sacramento, vel si hoc non admittitis, an Sacramentum ipsum sit adorandum? & ut verum fateamur, strenuè hic tenemus negativam, quia non patimur nobis quid obtrudi, quod nec mandato Dei iniunctum, nec praxi Apostolorum comprobatum, sæpe iniuncta solius Dei adoratio, ideóque etiam Christi. Nullibi tamen invenitur eum adorandum in Eucharistia sic, ut dici possit Eucharistiam adorari.

Petis, ut ostendamus primævos illos Patres non adorâsse Eucharistiam, sed tuum erat post Probationem Scripturarum ostendere, eos hoc fecisse: nobis sufficit quòd eorum genuina scripta de nefanda hac re taceant.

Videas eos de Eucharistia loquentes, invitare ad communionem, hortari ad præparationem antè, attentionem mentis in communione additâ cordis elevatione; sed de elevatione adorationéque altum silentium, ùt patet ex Iustino loco allegato, qui incipit: Quotquot credunt, &c. *ibi quidem participationis, assumptionis, distributionis per Diaconum, non Elevationis adorationis mentio,* &c.

Responsa quæris prætensæ vestræ antiquitati hac in causa? Adi Molin. nov. Pap. p. 12. Plesl. &c. *& quòd si illi tacerent, non tamen crederem primum vel secundum seculum in diversum iturum fuisse ab institutione proximè antecedente Christi. Vbi quæso* Matt. 26. Luc. 24. 1. Cor. 11. *Sacramenti adoratio?* hæc Anonymus secundus.

ARTICULUS VIII.

Refutantur Argumenta vel potiùs Calúmniæ Authoris secundi Libelli.

ISte Anonymus, uti à me posita est, quæstionem proponit, sed quid respondeat videamus. Dicit ergo: *Blasphemè ferè proponis hanc quæstionem & talibus verbis quæ Socinismum, Arianismum redolent*, quasi dicere velit, quòd ego prætensos Reformatos insimulare velim, quasi non crederent: Christum esse verum I.

Digitized by Google

Deum, sicut Sociniani & Ariani, ac proinde non esse adorandum.

II. Respondeo: Ego hoc in illa quæstione non intendi, licèt ex vestra Doctrina sequatur; nam, etsi non expressè negetis Christum adorandum, virtualiter tamen id negatis: quia Christi clara verba, *hoc est corpus meum*, ideo negatis esse intelligenda de vera Christi præsentia in Eucharistia, quia dicitis id Christum facere non potuisse, adeoque non tantùm Christum negatis Deum omnipotentem, sed etiam absolutè Deum negatis, quia omnipotentiam ejus negatis ex eo, quia non potestis concipere id esse possibile, cùm tamen re ipsâ sit possibile, & S. Scriptura doceat, ac SS. Patres dicant, quòd in rebus & factis Dei oporteat captivare sensum, vide quæ suprà de possibilitate hujus mysterii dicta sunt; ubi vide verba Augustini lib. 3. de Trin. de rebus à Deo mirabiliter factis dicit: *Cedit ad hæc sensus & homo, & supra rationem humanam est virtus facti*, &c. *dicamus factum non fuisse, quia intelligentiam facti non apprehendimus*, &c. *sed mendacium nostrum facti veritas vincit.* Et in epist. 3. ad Volusian. de similibus dicit *de his naturalem non posse dari rationem sed in illis totam rationem facti esse potentiam Dei facientis*, &c. Si & vos ô Acatholici hanc viam credendi servaretis de Dei omnipotentia non negaretis Christum in Eucharistia præsentem nec cum Calvino diceretis esse insaniam. Dicitis quidem: Nos Christum credimus esse omnipotentem, sed credimus ipsum non voluisse Corpus esse præsens in Eucharistia, unde scitis illum non voluisse, nisi quia non creditis hoc ipsi esse possibile, ecce omnipotentiam negatis. vide ergo, an in re meliores sitis Arianis, qui tales videri non vultis, sed hæc ex alio capite magis statim patebunt.

III. Ad 2. itaque respondeo: Si reputes verba quæstionis, ùt à me proposita sunt, blasphemiam indicare circa illos, qui illam quæstionis affirmativam tenent, cur ergo vos affirmatis? cur ergo dicis, *quis unquam Reformatorum dixit: Christum non esse adorandum.*

IV. Resp. 2. Ecce fraudem & fictionem, an ego proposui vobis probandum, quod Idololatria sit Christum absolutè adorare, cur ergo ad id quæstionem detorques? quod autem dicis, quod apud vos major sit Christi adoratio, quàm apud nos, quomodo credam? quia certè non creditis verbis Christi, sed illa ad conceptum vestrum accommodatis, & ex illo falso conceptu Christo adorationem, ubi revera est, denegatis. Nos non ponimus nos in medio inter Deum & creaturam, ut dubitemus, quem ex illis adoremus, hoc calumniosè imponis, certè tu in medio veritatis & mendacii constitutus nescis, quo te vertas, cùm volvis quæstionem, hanc formas, reformas, & torques, veritatem agnoscis, sed falsum nihilominus profers.

V. Sed dicis, *nos sicut Christum ubique, sic in sacramento adorandum concedimus.* Respondeo, hoc satis non est, nec ad id, quod quæritur, spectat, aut in quæstione est proponis alium quæstionis statum, ut declines à veritate, & ex calumnia & mendacio tuo nos arguas. Cur non consistis in verbis quæstionis à me propositis quæ clarissima sunt, & fidem Ecclesiæ Catholicæ expressè proponunt, quæ tu tam vera æstimas, ut conqueraris me vos Arianismi condemnare, quod vobis imponam, quasi diceretis: Idololatriam esse Christum in sacramento præsentem adorare, si ergo non est idololatria, cur nos idololatriæ accusatis id credentes & præstantes?

Sed dicis, *status ergo non est quæstionis, an Christus in sacramento sit adorandus*: hoc verum est, sed addi debet: an in sacramento præsens: hoc nos dicimus, ut patet ex Conc. Trid. & vos negatis, cur categoricè istam negationem non probatis ex scriptura vel SS. Patribus?

Dicis, quod *status quæstionis sit: an sacramentum ipsum vel panis in sacramento sit adorandus? non dicimus vos Idololatras, quia Christum adoratis, sed panem*, &c.

Respondeo: Mendacium & calumnia est, non adoramus panem materialem, sed tales adoratores, si qui sint, Idololatriæ damnamus; adoramus Christum in sacramento præsentem, quem ibi secundùm verbum suum præsentem credimus, si ergo in hoc non sumus Idololatræ, cur tales nos judicatis?

Dicis, *quæstio est. an sacramentum ipsum adorandum?* Respondeo, ùt suprà dictum, si per sacramentum ipsum intelligas Christum ipsum, ut sub speciebus panis est præsens, est signum sui ipsius in cruce immolati, & confert gratiam dignè sumentibus, sic vero cultu latriæ sacramentum adoramus. Si verò per sacramentum intelligas species sensibiles creatas panis relictas, sub quibus Christus est præsens, ut sunt signum Christi præsentis, sic illas secundùm se & ratione sui nullatenus adoramus, nec sic sacramentum adoramus, ut suprà satis est expressum. Si verò intelligas sacramentum, ut juxta Irenæum includit ista duo: scilicet, *species Christum significantes, & præsentem continentes, ac ipsum Christum præsentem.* Sic adoramus sacramentum propriè cultu latriæ non ratione specierum, sed ratione Christi, ad quem per se adoratio terminatur & dirigitur. Non secùs ac si quæras, an quis Regem diademate indutum honorans malefaciat? aut si quæras: *Si quis Christum in terris ambulantem & vestitum adorasset cum Magis* Matt. 2. v. 11. *Vel cum illo, qui cæcus natus fuerat* Joann. 9. v. 38. *An idololatriam commisisset?* sic nos sacramentum adoramus, scilicet Christum sub & cum speciebus præsentem sicut adoraremus Christum vestitum; & tu, si præsentem crederes, adorare deberes, nisi Arianus esse velles.

Dicis, *nos panem adorare, quem per somnium & non revera à sacramento removemus.*

Respondeo: Calumnia est, & mendacium, éstne hoc per somnium, quod ex S. Scripturæ verbis non tantùm nos, sed & antiqui Patres tam clarè ostendunt, qui tam manifestè dicunt, quod species quidem maneant, sed non ipsa natura panis, qui per verbum Dei in corpus Domini præsens transmutatur. Vide Patres suprà allegatos & confundere.

Dicis, *quamvis non putetis ibi panem, sed Christum esse, hoc tamen vos non excusat, Ethnici enim etiam putabant sua idola Deos esse, nec tamen ideo immunes.*

Respond Hic manifestè blasphemas, & Arianismum redoles, quia Arianos imitaris. Dic obsecro, unde contingit idololatria, nisi quia cultus verus latriæ soli Deo Creatori unico debitus alicui creaturæ propter se impenditur, ita ut objectum primarium latriæ cultus sit, ali-

aliquid creatum vel fictum? ſi ita eſt, ut revera eſt, quomodo ergo non magis nos immunes, quàm Ethnici, qui intendimus ſolum Chriſtum verum Deum & hominem cultu latriæ præſentem adorare? licèt in aliquo caſu ob malitiam vel defectum Sacerdotis panis nudus pro Euchariſtia adorandus præberetur: nunquid ex intentione agentis dependet bonitas vel malitia actûs? an Ethnici putabant ſe Deum verum colere Creatorem? an intentio eorum in ipſum verum Deum ut objectum tendebat, dum colebant Idola, quæ putabant eſſe Deos? nonne illorum intentio dirigebatur in illud ſenſibile, vel in dæmonia, quibus ipſi falsò Deitatem attribuebant? nec credebant tamen, nec credere poterant illa eſſe omnia unicum Deum inviſibilem infinitum & Creatorem omnium, & ſi tamen ſtultè attribuiſſent talia iſtis fictis vel creaturis, nonne intentio dirigebatur tamen ad iſta idola fabricata & ficta, quibus falſiſſimè Deitatem affingebant ubi tale quid apud nos? cùm noſtra ſola intentio in adoratione dirigatur ad ſolum Chriſtum verum? quis ſanæ mentis noſtram hanc adorationem Ethnicorum idololatriæ comparet, cùm tu ipſe dicas, *non dicimus vos Idololatras, quòd Chriſtum adoratis*, & tamen hoc dicis, quia nihil aliud profitemur nec agimus; quod vos nobis adorationem panis vel creaturæ imponatis, mendacium calumnia & malitia eſt, cùm quotidie in libris & ſcriptis noſtris palpetis noſtram intentionem, quæ major eſſe poſſet malitia & calumnia?

XI. Cæterùm, ut videas, qualiter Arianiſmum redoleas, & eos imiteris, conſidera hæc: Nonne Ariani condemnabant orthodoxos idololatriæ in eo, quod Chriſtum adorabant, quem ipſi negabant eſſe verum Deum? ſi Catholici dixiſſent, ut dicebant, nos credimus Chriſtum eſſe verum Deum, & ideo idololatriam non committimus eum adorando; ſi Ariani replicaſſent, vos per ſomnium putatis Chriſtum eſſe eundem cum Patre & verum Deum, ſed revera non eſt Deus, & ideo idololatræ eſtis, nec per veſtrum putare excuſamini plus quàm Ethnici, qui idola adorant, quos putant eſſe veros Deos; quid hic reſponderes Arianis? ſi Catholicus eſſe velis, hoc & à nobis reſponſum proba. Ibi major erat ratio calumniandi licèt falſa; quia Catholici pro objecto habent verbum Dei quod colunt cultu latriæ, & tamen Ariani dicebant: in illo objecto. Catholicos errare, & ſic ex objecto ſui cultus idololatriam contrahere. Vos econtra nobiſcum fatemini, Chriſtum eſſe verum objectum adorationis, nec in hoc nos peccare, ſed quòd adoremus Chriſtum in loco ubi non eſt; idololatriam nos committere dicitis: ecce quàm magna diſparitas & falſitas, cùm intentio noſtra ad Chriſtum dirigatur, qui ubicunque eſt, verè ibi adorandus eſt. Et nos credimus ipſum ibi præſentem, ſicut credimus Chriſtum verum Deum, licèt Ariani dicant nos id ſomniare & falli, illorum falſum judicium & calumnia non evacuat fidem noſtram, nec veritatem in colendo Chriſtum, ſic nec veſtra calumnia, quâ judicatis nos errare, quòd Chriſtus ſit præſens evacuat fidem noſtram, nec nos idololatras conſtituit. Nonne & ſimiliter Neſtorianos imitaris, qui negabant in Chriſto unitatem perſonæ, ſed aſſerebant, quòd ſicut duæ naturæ ſunt, ſic & duæ perſonæ ſint, ac proinde negabant Chriſtum hominem adorandum, quia pura eſſet creatura, at Catholici credebant & credunt unam eſſe perſonam in utraque natura, & ideo Chriſti humanitatem in verbo verè adorandam, quòd ſi Neſtoriani iidem nos calumniarentur dicendo: vos per ſomnium putatis naturam Chriſti humanam in verbo perſonatam, & ideo non excuſamini ab idololatria, quid ô Anonyme reſpondebis? cùm hæc maniſeſta ſint, & culpari non poſſint, audetis nobis crimen falſum imponere, quòd panem materialem adoremus, ùt Deum vel cultu latriæ, ut toties dictum; ſicut nec Moyſes adorans Deum in rubo, rubum ipſum adorabat ut Deum. Quid his clariùs eſſe poſſit? & tamen tu dicis?

Non videndum, quid ſibi imaginetur cæco zelo raptus ſtultè adorans, ſed quia revera ſit adorandum. XII.

Reſpondeo: Hæc vera ſunt, ſed an cæco zelo ſtultè adoramus Chriſtum, qui revera eſt adorandus, ad quid ergo hæc? nunquid iiſdem verbis Ariani & Neſtoriani arguebant Catholicos?

Iterum formas quæſtionem dicens: *Quæſtio ergo eſt, an panis in Sacramento, vel ſi hoc non admittitis, an Sacramentum ſit adorandum?* XIII.

Reſpondeo: convictus fateri debes, quòd panem non adoremus: quod Sacramentum, & qualiter adoremus, jam dictum eſt.

Tandem autem tectis verbis errorem tuum prodis, cùm non vis ad expreſſa quæſtionis verba reſpondere, an Chriſtus præſens in Euchariſtia ſit adorandus, declinas ad ſacramentum, ut in hoc pro vario ſenſu habeas calumniandi occaſionem, & dicis: *Vt verum fateamur, ſtrenuè hic negativam tuemur*, ſcilicet, quòd ſacramentum non ſit adorandum; ſed miſer, quid agis, quid per ſacramentum intelligis? ſi ſpecies panis ſecundùm ſe? & nos negativam tenemus, ut ſæpius dictum eſt, & tu nôſti, ſi velis; ſi per Sacramentum intelligas corpus Chriſti in Euchariſtia præſens; vel illud quaſi totum; juxta Irenæum per Sacramentum intelligis? ut & Eccleſia intelligit, rem terrenam & cæleſtem, ſcilicet corpus Chriſti contentum, & ſpecies panis continentes, an hic negativam tueris? quod ſacramentum quoad Chriſtum ibi præſentem non ſit adorandum; & tunc ad meam quæſtionem accedis; & hoc ſatis indicas per tuas probationes. quod, licèt Chriſtus in ſacramento præſens eſſet, tamen ibi adorandus non eſſet, & hoc cum Luthero & Calvino probare niteris dicens: *Quia non patimur nobis quid obtrudi, quod nec mandato Dei iniunctum, vel praxi Apoſtolorum comprobatum, ſæpe iniuncta ſolius Dei adoratio ideóque etiam Chriſti.* XIV.

Reſpond. hæc vera ſunt, ſed quod dicis: *Nullibi tamen invenitur eum* (ſcilicet Chriſtum) *adorandum in Euchariſtia.* XV.

Reſpondeo ô miſer, tam cito revocas verbum tuum, non meminiſti, quid antea dixeras: *Chriſtum ut ubique ſit & in Sacramento adorandum concedimus, &c.* cur ergo jam negas ipſum in Euchariſtia eſſe adorandum, ut dici poſſit, *Euchariſtia adorari?* quid hæc ſibi volunt? ſi nos dicamus Euchariſtiam non aliter adorari, niſi quia Chriſtus in illa præſens adoratur,

quid

Digitized by Google

quid habes, cur neges Euchariſtiam adorandam? niſi calumniari velis, nos per Euchariſtiam intelligere ſpecies per ſe adorandas eſſe, quod & nos negamus, ut ſæpius dictum.

XVI. Dicis: *Petis, ut oſtendamus primævos Patres non adoráſſe Euchariſtiam.* Reſpondeo, non petieram de Euchariſtia, ſed de Chriſto in Euchariſtia præſente, cur mutas quæſtionem? Et per Euchariſtiam, ſi adoranda ſit, non aliud intelligimus, quàm Chriſtum in Sacramento præſentem. Cur hoc non probas ex Patribus, ſicut ſub gravi obligatione D. Vexillifer promiſerat? nonne accuſatori incumbit probatio juxtà jus divinum & humanum? & vos nos Idololatriæ accuſatis, ac in teſtes allegatis SS. Patres, quos referre oportebat, nos tamen ſponté & pro veritate copioſè oſtendimus ex genuinis SS. Patrum ſcriptis; quòd docuerint Chriſtum in Euchariſtia præſentem eſſe adorandum, quod vos negatis. Inhæres in verbo Sacramenti Euchariſtiæ malè intellecto ut tergiverſari poſſis; & tamen audes blaſphemo ore dicere; quòd *de illa adoratione Catholica, ut de re nefanda Patres taceant.* Ne tamen prorſus Patrum authoritate deſtitutus videaris, dicis: *Videas eos de Euchariſtia loquentes invitare ad communionem*, &c. *ſed de elevatione adorationéque altum ſilentium.*

XVII. Reſpondeo, ſplendidum & contra ſolem eſt mendacium. Vide tot loca ex ſanctis Patribus allegata, ubi monent, *adora, & manduca, &c.* an hoc eſt altum de adoratione ſilentium? vide tam clara loca Patrum, quibus fatentur & docent: Chriſtum verè in Euchariſtia eſſe præſentem, quid ex his clariùs ſequitur, quàm quod etiam ibi ſit adorandus? ſed tu miſer pro tua calumnia adhuc vel unicum Patrem, qui expreſsè dicat, non debes adorare, ſed tantum manducare; adorare Chriſtum in Euchariſtia præſentem eſt idololatria, ut vos docetis; vide nuditatem & turpitudinem tuam. Vt tamen non planè nudus appareas dicis: *Altum ſilentium de adoratione, ut patet ex Iuſtino loco allegato*, &c. quid inde infers? poſito quod *Iuſtinus* de adoratione Euchariſtiæ ſcribens ethnico Imperatori nihil meminerit; an ideo apud omnes Patres primævos altum de illa ſilentium? ſi *Auguſtinus* & alii Patres hoc myſterium Catechumenis occultum volebant, quantò magis Ethnicis? Et tamen *Iuſtinus* etiam ſatis indicat, dum dicit Euchariſtiam non *panem communem*, ſed per verbum Dei *carnem & ſanguinem Chriſti eſſe*; adeoque juxta fidem Catholicam *adorandum.* Quis puer hanc nuditatem tuam non videat, & antiquitatis defectum; pro tua impia blaſphemia, quâ hanc Chriſti adorationem nefandam rem dicere audes?

XVIII. Quid ultra? ſciebas pro noſtra veritate eſſe plurimos antiquos Patres & liturgias, ac uſum Eccleſiæ, ut viſum eſt; cùm tamen nihil pro tuo errore ſolidi habeas, remittis me ad Molinæum, qui de turpiſſimis & clariſſimis mendaciis in plurimis à graviſſimis Doctoribus ſæpe eſt convictus; ſi quid ſubſtantiale & clarum eſſet, utique aliquid protuliſſes ex campo tuo, quem in Pleſſeo jactas, &c.

XIX. Quid tandem, quia hæc tibi parum ſuffragari ſentis, ſubjungis, *quòd ſi illi* (an Molinæus & Pleſſæus) *tacerent*; quia de his proximè locutus es, vel ſi de Patribus intelligas, quod tacerent, hoc falſum eſt: quod infers verè turpiſſimum, dicis enim: *Non tamen crederem primum vel ſecundum ſeculum in diverſum iturum fuiſſe ab inſtitutione proximè antecedente Chriſti*, &c.

Reſpondeo hîc planè mihi delirare videris; jactitas & jactitabas te de tota antiquitate, & tamen pro tuo errore allegare oportebat juxta præmiſſa ex quatuor primis ſeculis, jam diffidens de tertio & quarto ſeculo ex tuo cerebro dicis: *Non tamen crederem primum vel ſecundum ſeculum, &c.* quaſi tertium & quartum in errorem iviſſet, ſcilicet, quia tuo errori refragatur: hîc fateris tertium & quartum ſeculum pro Catholica veritate ſtare; ſed nec minus tertium vel quartum, quàm primum & ſecundum in diverſum ab inſtitutione Chriſti abiit; ſed bene à veſtro errore omnia ſecula aliena fuerunt. XX.

Dicis tandem: *Vbi quæſo Matt. 26. Luc. 24. 1. Cor. 11. Sacramenti adoratio?* XXI.

Reſpondeo, oſtendas tu mihi ibi, quòd S. Scriptura hanc adorationem ùt rem nefandam prohibuerit: prædictis locis ſufficienter hæc adoratio in actu quaſi primo mandata fuit: eo ipſo, quòd Chriſtus dicat ſuum corpus verè eſſe in ſacramento quod dabat illis, eo ipſo debebatur ſacramento adoratio. An hoc negas? an negas Chriſtum verè præſentem eſſe adorandum? an Arianiſmum profiteri audes? dicis cum Calv. lib. 4. Inſt. c. 17. §. 35. Chriſtus ibi expreſsè non mandavit adorationem, quid ergo? an ideo non debetur ipſi adoratio? Chriſtus etiam nullibi in terris exiſtens mandavit ſe adorandum, ergo nullibi erat adorandus? ergo prohibuit ſe adorari? quænam hæ impiæ ſunt conſequentiæ.

Demum, quia Chriſtus in mundo exiſtens, mortalibus etiam in propria ſpecie venerat miniſtrare, & non miniſtrari; & familiariter agebat cum Apoſtolis, etiam lavando pedes eorum; cur mirum, quòd Apoſtoli corpus ſub ſpecie panis non adorabant, quem nunquam in propria perſona ante paſſionem adoraſſe legimus, an inde ſequitur, ergo quia tunc non adorabatur, etiam tunc non erat adorandus, nec modo in Euchariſtia? nullus ſanæ mentis hanc conſequentiam concedet, ſi Arianus eſſe nolit vel Neſtorianus. XXII.

CONCLVSIO.

Ex hactenus dictis cuilibet ſincero Chriſtiano evidens eſſe poteſt, quòd doctrina Eccleſiæ Catholicæ de adoratione Chriſti in V. Sacramento præſentis ſanctiſſima ſit, & in ipſa S. Scriptura maximè fundata, ab Eccleſia antiqua uſurpata, & à ſanctis Patribus credita, docta & tradita. I.

Econtra verò, quàm falsò prætenſi Reformaticum ſuo Calvino lib. 4. Inſtit. cap. 17. §. 37. dicere audeant: hanc adorationem S. ſcriptura deſtitutam, & contra Apoſtolicam doctrinam & antiquum uſum, & à Concilio Nicæno prohibitam. Conſtat autem contrarium ex verbis Concilii ſuprà allatis, ubi monet Concilium, ut fideles non tantùm attendant ad externa myſteria propoſita, ſed ipſum agnum in Altari poſitum, &c. II.

Et cer-

III. Et certè si Christiani esse velint, eò ipso, si crederent nobiscum quod Christus verè & realiter præsens sit in Eucharistia, necessariò etiam docerent ibidem adorandum, licèt & hoc Calvinus impiè, loco citato neget, dicens: *Auscultassent quod ipse dixit, accipite, manducate, bibite; huicque mandato paruissent quo accipi Sacramentum, non adorari jubet*, hæc Calv. Alii tamen prætensi reformati hoc concedunt; imo in hoc arguunt Lutheranos, quod cum credant Christum, verè in Eucharistia præsentem, ipsum tamen in illa non adorent, sic *Authores Admonitionis Neustadiensis* Cap. 9. *Antiloq.* 56. dicunt: *Sanepofita Christi præsentia corporali in pane, tam non potest negari honor adorationis in pane, quam non poterat ei negari à Thoma*, &c. *cum procidens exclamabat Domine mi & Deus mi.* Similiter Polanus Comment. in Dan. cap. 6. v. 11. dicit: *Viderint ubiquitarii an rectè possint damnare & refutare Papisticam adorationem panis, cum ipsimet fingant Corpus Christi revera in pane seu sub specie panis adesse, si enim in pane præsens est Christus, cum suo Corpore, necessariò sequitur in pane, sive ad panem illum esse adorandum. Estque impium & in Christum contumeliosum quod ubiquitarii respondent, Christum adesse suo Corpore in pane Eucharistiæ, non ut in eo adoretur, sed ut in eo edatur. Non enim jussisse se ibi adorari, sed edi. Hoc, inquam responsum est impium & contumeliosum in Christum, sufficit enim universale Dei mandatum de adorando Christo, &c* hæc ille & alii.

Ex quibus videat Lector sincerus, quod veritas hæc tam clara sit, ut & sectatores Calvini contrarium impietatis damnent.

IV. Quamvis autem Acatholici nos tantopere idololatriæ accusent, non audent tamen nos expressè arguere, quod Christum solum in Eucharistia præsentem adoremus, prout revera facimus, & quod ipsi negant faciendum & damnant; nec pro hoc ullum sanctum Patrem allegare possunt: sed, ut simplicibus colorem apparentem suæ condemnationis persuadeant, falsissimè mentiuntur & affingunt nobis, quòd panem materialem adoremus; quid perversius fieri posset, quam si homini pio verum Deum timenti, & solum adoranti, qui & hoc facto & verbo se facere protestetur aliquis crimen imponat, quod ligna lapides adoret, & sic ipsum idololatriæ accuset & condemnet? quantò ergo perversius & magis impium, quod Acatholici toti Ecclesiæ Catholicæ, quæ protestatur se solum Christum in Eucharistia præsentem adorare & velle adorare, nihilominus affingant & imponant; quod panem materialem adoret, & illum panem pro suo Deo & Christo colat? possetne major injuria & Calumnia irrogari? & tamen; istis non obstantibus tot Ecclesiæ & Catholicorum doctorum protestationibus, in sua malitia calumniandi perseverant.

V. Nos autem illorum tanta non obstante falsa & iniqua Calumnia Christi Domini verbo credentes, quod idem ipsius S. Corpus ex virgine conceptum, & pro nobis in Cruce suspensum jam gloriosum in cælis ad dexteram Patris manens, etiam per ipsius omnipotentiam in S. Eucharistia præsens sit, & ipse Christus etiam cum anima & divinitate; eundem ipsum Christum solum in Eucharistia præsentem cum antiqua Ecclesia & SS. Patribus cultu latriæ colimus & adoramus. Acatholici vel unicum S. Patrem ex quatuor primis seculis referant qui hanc doctrinam Catholicæ Ecclesiæ Idololatriæ condemnet, vel Christum in Eucharistia præsentem adorari prohibeat, aut prohibitum esse dicat.

Ut hæc Catholica veritas & Acatholicorum falsitas velut in speculo pateat; sequentes Antitheses ponuntur.

ANTITHESES,

Quoad adorationem Christi in Ven. Sacramento.

1. *Sancti Patres docuerunt*: quòd Christi Corpus in V. Sacramento præsens sit adorandū, ita ut sicut Magi hoc Corpus in præsepi positum cum tremore adorarunt, ita nos hoc ipsum Corpus non in præsepe nec in ulnis virginis Matris, sed in Altari & in manibus sacerdotis adorare debeamus. *Ita etiam docet Ecclesia Catholica.* VI.

Acatholici etiam Lutherani hoc negant frigidè & falsò allegando; quòd Christus non præceperit se in Sacramento adorari, sed manducari; cum ad hoc sufficiat generale mandatum, *Dominum Deum tuum adorabis.* Matt. 4. v. 12. & *adorent eum omnes Angeli ejus*, Heb 1. v. 6. & evidens est quod Christo, ubicunque fuerit, vera adoratio debeatur, non tantum Deitati sed etiam humanitati ejus propter personæ divinæ unitatem.

2. *Sancti Patres docuerunt*: quod Sacramentum Eucharistiæ cum magna reverentia suscipi debeat, ut nemo illud sumat nisi priùs adoret; ac quod summè fideles cavere debeant, ne aliqua particula decidat per negligentiam, ne rei Corporis Christi fiant. *Ita etiam docet Ecclesia*; quod Sacramentum, ut importat Christum sub speciebus præsentem, & sic est signum sui ipsius in Cruce immolati verè sit adorandum, sicut Christus in terra vestitus adorabatur.

Acatholici nec adorant, nec particulas residuas reverenter servant; quia negant Corpus Christi in illis præsens, imò, quod horrendum est, sacras hostias pedibus conculcant, quod quidè de suo pane facere possūt quia apud illos nūquam est valida Sacramenti consecratio, cùm legitimos sacerdotes non habeant, quibus Christus hoc Sacramentum consecrandi potestatem dedit.

Ex his patet quòd Acatholici contra clarum solem negent antiquam Ecclesiam vel SS. Patres illam modernæ Ecclesiæ doctrinam de V. Sacramento Eucharistiæ agnovisse, cum tamen expressissima sint Patrum testimonia; in quibus expressis verbis eandem doctrinam profitentur; nec Acatholici ullum S. Patrem ex tota antiquitate allegant vel allegare possunt qui neget panem in Corpus Christi per verba consecrationis mutari, vel panis substantiam post consecrationem non manere, vel Corpus Christi non esse verè & realiter præsens in ven. Sacramento; vel quod Christus in ven. Sacramento non sit adorandus, vel

 quod

Digitized by Google

quod illos qui Christum in Sacramento adorant, idololatriæ accusârint, vel condemnarint: cum tamen ex allegatis testimoniis palam sit, quod plurimi SS. Patres prædicta absolutè & expresè docuerint.

Videat jam sincerus Christianus; quàm impudenter, mendaciter & blasphemè Acatholici contra evidentia S. Scripturæ & SS. Patrum testimonia, hanc Ecclesiæ Catholicæ de V. Sacramento doctrinam, ut monstrosam, insanam, impiam, idololatricam & impossibilem damnant; eamque in primitiva Ecclesia ignotam fuisse asserere non erubescant vel vereantur.

CAPVT VII.

De Communione Eucharistiæ sub utraque specie.

ARTICULUS I.

Quid Acatholici de hac Communione sentiant.

I. NVlla reperitur controversia de Communione sub una vel utraque specie in Ecclesia ante Annum 1400.

Circa Annum 1410. *Petrus Dresdensis* Pragæ ursit laicis sub utraque specie S. Communionem dandam ex illis verbis Domini Ioann. 6. v. 54. *Nisi manducaveritis, &c.* ita refert Æneas Sylv. hist. Boh. Cap. 35.

Anno 1414. *Ioannes Huss.* in epist. 48. ita ait: *De Sacramento calicis habetis scriptum quod scripsi Constantiæ, si fieri potest; attentetis, ut saltem permittatur per Bullam illis dari, qui ex devotione postulaverint circumstantiis adhibitis, &c.* ubi patet quod non judicet esse præceptum Domini.

II. *Martinus Luth.* sæpius suam de hac Communione mutavit sententiam lib. de Capt Babyl. cap. de Eucharistia sic ait: *Prima Captivitas hujus Sacramenti est quoad ejus substantiam, quam nobis abstulit Romana tyrannis, non quod peccent* (NB) *in Christum, qui una specie utuntur, cùm Christus non præceperit illa uti, sed arbitrio cujuslibet reliquit dicens: Quotiescunque feceritis hæc, in mei memoriam facietis, sed quod peccent illi, qui hoc arbitrio uti volentes utramque dari prohibent, &c.* ubi patet, quod judicet non esse præceptum Domini laicis impositum, *&c.*

III. Lib. de formula Missæ, pro sua authoritate dicit: *Simpliciter juxta institutum Christi utraque species & petatur & administretur. Concilia nec morari nec audire volumus in his quæ manifestè sunt Euangelii, quin amplius dicimus: si quo casu Concilium id statueret aut permitteret, tunc minimè omnium nos velle utraque specie potiri, imo tunc primum in despectum tam Concilii, quam statuti sui, vellemus aut alterutra tantum aut nequaquam utraque potiri ac plane eos anathematizare, qui authoritate talis Concilii vel statuti utraque potirentur, &c.* hæc Luth.

Lutherani moderni volunt Christum jussisse, ut populo communicare volenti, Sacramentum sub utraque specie detur, ita Confess. Augusta, d Abus.

IV. *Calvinus* pro consueta sua modestia lib. 4. Instit. Cap. 17 §. 47. sic ait; *Ex eadem* (diaboli) *prodiit officina & altera constitutio quæ dimidia Cænæ parte meliori populi Dei numero vel furata est, vel eripuit, nempe symbolum sanguinis quod laicis, &c. interdictum paucis rasis & unctis in peculium cessit. Edictum æterni Dei est, ut omnes bibant, &c.* V.

Verùm, qualiter Calvini Sectatores huic æterni Regis edicto inhæreant patet ex *disciplina Ecclesiastica* Reformatorum Galliæ, ubi cap. 22. art. 7. sic statuitur: *Panis Cænæ administrandus est non bibentibus vinum, præmissa protestatione, quod non fiat ex contemptu, tantumque conantibus, quantum poterunt, etiam calicem accipiendo, & tum ori appropinquando quousque poterunt ac jungendo illum labiis, ut omne scandalum præcaveretur, &c.* hæc ibi. Ergone ille Christi præcepto satisfacit, qui illud non servat absque contemptu; si ita, an ergo Catholici præceptum violant, qui etiam absque contemptu Calicem non sumunt? an ergo abstemii privantur medietate Sacramenti? an licet Dominis Reformatis Christi institutionem & mandatum mutare? ut Sacramentum mutilatum, contra Christi, ut volunt, institutionem & mandatum exhibeant?

Verum, quod amplius est, primarius inter Lutheranos Phil. Melanchton lib. de usu integri Sacr. scripsit Ruthenis, ubi vix vinum haberi poterat, *quod rectè facerent, si loco vini aqua mellita vel medone uterentur in Sacramento.* VI.

Similiter Molinæus quem DD. Anonymi & alii Acatholici velut Angelum veritatis prædicant lib. 7. contr. 12. pag. 972. sic scribit: *Quoad terras, in quibus vinum non est, præstat sequi exemplum Ecclesiarum AEthiopiæ, quæ utuntur alio liquore ibi usitato, sicut in terris ubi panis non est, non dubitamus, quin & liceat uti, quod locum panis teneat,* &c. hæc ille. VII.

Vbi hæc in S. Scriptura scripta sunt, ut cerevisia & aqua vel alius liquor loco vini in Sacramento usurpetur? Cùm Christus in Cæna dixerit Matth. 26. v. 29. *Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, &c.* Vbi patet quod vinum in Sacramento assumpserit. Iterum cum dicatur ab Euangelistis & Apostolo Paulo, *accepit panem. &c.* Cur illi dispensarent, ut quævis alia materia usurpetur? v. g. salpa, *&c.* qua dicuntur Norvvegi loco panis uti; adeoque juxta hos novos Euangelistas ibi licitè potest salpa in Sacramentum Eucharistiæ assumi, *&c.* ubi hæc unquam in primitiva Ecclesia usurpata vel dicta fuerunt? huc descendunt imò præcipitantur, qui ab Ecclesia Christi vera deficiunt.

***

AR-

ARTICULUS II.

Proponitur & declaratur doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa S. Communionem sub utraque specie.

I. DOctrinam Catholicam proponit Concil. Trid. sess. 21. cap. 1. sic dicens: *S. ipsa Synodus à Spiritu S. edocta atque ipsius Ecclesiæ judicium & consuetudinem secuta, declarat & docet, nullo divino præcepto Laicos & Clericos non conficientes, obligari ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie sumendum, neque ullo pacto, salvâ fide, dubitari posse, quin illis alterius speciei Communio ad salutem sufficiat: nam etsi Christus Dominus in ultima Cæna venerabile hoc Sacramentum in panis & vini speciebus instituit & Apostolis tradidit, non tamen illa institutio & traditio eò tendunt, ut omnes Christi fideles statuto Domini ad utramque speciem accipiendam astringantur,* &c.

II. Iterum cap. 2. sic ait: *Præterea declarat hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret & mutaret; quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum temporum & locorum varietate magis expedire judicaret. Id autem Apostolus non obscurè visus est innuisse* 1. Cor. 4. v. 1. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Atque ipsum quidem hac potestate usum esse satis constat cum in multis aliis, tum in hoc ipso Sacramento, cum ordinatis nonnullis circa ejus usum* 1. Cor 11. v. 34. *Cætera, inquit, cum venero disponam. Quare agnoscens S. Mater Ecclesia hanc suam in administratione Sacramentorum authoritatem, licet ab initio Christianæ Religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset: tamen progressu temporis, latissimè jam mutata illa consuetudine, gravibus & justis causis adducta approbavit, & pro lege habendam decrevit: quam reprobare aut sine ipsius Ecclesiæ authoritate pro libitu mutare non licet.*

III. Idem Concil. cap 3. declarat, quòd sub una tantum specie totus & integer Christus secundum Corpus & sanguinem sumatur, ac etiam integrum Sacramentum percipiatur: ac ideo eos qui sub una specie sumunt, quoad fructum nulla gratia ad salutem necessaria defraudentur.

Demum cap. 4. docet, quòd licet parvulis olim à quibusdam SS. Patribus ex probabili causa S. Eucharistia administrata fuerit, id tamen ex nulla obligationis necessitate esse factum, nec parvulos ad Eucharistiæ communionem obligare.

IV. Ex his patet 1. Ecclesiæ fides & doctrina, quòd scilicet confiteatur Christum sub utraque specie V. Sacramentum instituisse & Apostolis tradidisse iisdemque mandasse; ut dum id, quod ipse Christus tunc faciebat, facerent, Sacramentum conficerent, & in sacrificium offerrent, etiam sub utraque sumerent: at vero nec ibi nec alibi Christus præcepit, ut illi, qui non conficiunt Sacramentum, sub utraque percipiant.

V. 2. patet ex verbis Concilii, quod Christus non prohibuerit Laicis usum calicis sive Communionem sub utraque specie, sed hunc usum fidelibus ita liberum reliquerit, ut tamen Ecclesiæ potestatem concesserit illum permittendi, vel etiam ex certis causis restingendi: & ideo quamdiu Ecclesia non restrinxit hunc usum, in pluribus Ecclesiis usus fuit Communionis sub utraque specie.

3. profitetur, quòd Ecclesia non habeat po- VI.
testatem immutandi substantiam vel substantialia Sacramentorum, utpote quod loco panis aut vini aliam materiam instituat vel usurpet, vel verba Christi immutet, quibus hoc ven. Sacramentum consecratur: sicut nec in Baptismo loco aquæ vinum vel alius liquor usurpetur, vel verba alia usurpentur; sed fatetur, quod illa absque sacrilegio fieri non possint, & Sacramenta nulla forent.

4. profitetur, quòd Christus dederit Eccle- VII.
siæ potestatem, ut circa modum & usum Sacramentorum, salvis prædictis substantialibus, pro tempore & loco aliter ordinare possit in iis, quæ expresso Christi præcepto non sunt ordinata, qualia sunt diversa, & inter alia, *an à jejunis vel non jejunis ven. Sacramentum accipiendum,* &c. licet Christus Apostolis non jejunis illud dederit. Similiter *an Baptismus trina vel unica baptizandi mersione fiat?* &c. simile Ecclesia credit & docet, esse de communione sub una vel utraque specie prout probabitur.

5. Quod Ecclesia non prohibeat laicis usum VIII.
Calicis tanquam malum vel illi ex præcepto Christi illicitum, sed solùm ob inconvenientias & varias causas ad uniformitatem in Ecclesia servandam, & specialiter ad protestandum etiam contra errorem Acatholicorum quod nō sit præceptū Christi de utraque specie & ita præceperit Communionē sub una specie, ut tamen ob speciales causas aliquibus laicis in aliquibus locis usus calicis ab Ecclesia concedi possit, uti indicat Concil. Trid. suprà post Canones.

Hic præmonendus est Lector; quod Aca- IX.
tholici calumnientur Ecclesiam, quod circa accidentalia ven. Sacram. hoc ordinarit, supponendo nullum de hoc esse Christi præceptum & quod talis usus etiam fuerit in primitiva Ecclesia: at verò Acatholici audeant etiam ipsa substantialia Sacramenti evertere expresè contra ipsam claram institutionem & usum antiquæ Ecclesiæ, alium liquorem loco vini, & alium cibum loco panis admittendo, ac in eo, quod contra Catholicos fingunt, Christi præcepto, circa abstemios & alios dispensando;

Rursus Acatholici arguunt Ecclesiam bla- X.
sphemiæ & prævaricationis fingentes Christi præceptum ubi non est, quod unam speciem subtrahant fidelibus, cùm tamen sub una Corpus & sanguis Domini & fructus verè percipiatur.

At vero ipsi contra expressa Christi verba institutionis, *hoc est Corpus meum*, tradunt fidelibus nudum panem, & subtrahunt ipsum Corpus & sanguinem Domini quæ Christus dixit se dare, &c. Hæc & similia, si prudens & sincerus Lector consideret, faciliùs veritatem & sinceritatem Ecclesiæ; & Acatholicorum mendacia ac turpissimam ab ipsis veri ven. Sacramenti destructionem obtrusam percipiet.

(*,*)

Digitized by Google

ARTICULUS III.

Quòd fideles laici & Clerici non conficientes V. Sacramentum nullo præcepto divino obligentur ad communionem sub utraque specie ex vi institutionis Sacramenti.

I. PRobatio 1. generalis est ex illo ad Rom. 4. v. 15. *Vbi enim non est lex, nec prævaricatio*, atqui Christus nullam tulit legem vel præceptum pro laicis sub utraq; specie communicandi; proinde nec prævaricantur, si non sic communicent.

Hinc sufficeret pro doctrina Ecclesia sustinere quod nullum sit præceptum, donec Acatholici tale probent. Etsi enim diversa loca S. Scripturæ hactenus allegârint, ex nullo tamen præceptum illud à Christo latum esse probarunt, ut infrà ostendetur.

II. Probatur 2. in speciali ex verbis & exemplo Christi, 1. Ioann. 6. v. 59. *Qui manducat hunc panem vivet in æternum*, de quo infrà respondendo ad argumenta.

2. ex verbis Domini ab Apostolo 1. Cor. 11. v. 25. ubi de calice non dicitur absolutè, sicut de pane, sed sub conditione: *hoc facite quotiescunque biberitis, &c.* ubi libertas satis indicatur.

3. ex illis verbis Apostoli ibid. v. 27. *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis & sanguinis Domini, &c.* ubi patet quod Apostolus declaret non esse præceptum de utraque specie, cum vocem (Vel) disiunctivam ponat, & tamen postea cum infert copulativè: *reus erit Corporis & sanguinis Domini, &c.* indicat quod indignè sub una specie communicans Corpus & sanguinem accipiat, & utriusque reus fiat.

III. 4. Exemplo Christi in Emaus Luc. 24. v. 30. ubi dicitur: *Et factum est, cùm recumberet cum eis accepit panem & benedixit ac fregit, & porrigebat illis, & aperti sunt oculi eorum & cognoverunt eum, & ipse evanuit ex oculis eorum*, & infrà v. 35. *Et quomodo cognoverunt eum in fractione panis.* Hoc loco Christum duobus discipulis dedisse S. Eucharistiam plures SS. Patres docent specialiter.

IV. *Chrysostomus* hom. 16. imperfecti operis in Matth. apud Coccium tomo 2. ed. Col. 1601. sic ait: *Aliud est sanctificatio, aliud sanctificatum; sanctificatio est, quod alterum sanctificat, sanctificatum autem alterum sanctificare non potest: quamvis ipsum sit sanctum, utpote signans panem tuum quem manducas, sicut ait Apostolus, sanctificatur per verbum & orationem, 1. Tim 4. Sanctificasti eum, sed non fecisti sanctificationem, quod autem sacerdos de manu sua dat, non solum sanctificatum est, sed etiam sanctificatio est, quoniam hoc non solum datur* (NB) *quod videtur, sed etiam illud quod intelligitur, de sanctificato igitur pane licet & animalibus jactare & infidelibus dare, quia non sanctificat accipientem: si autem tale esset quod de manu sacerdotis accipitur, quale est quod in mensa manducatur omnes de mensa manducarent* (NB) *& nemo de manu sacerdotis acciperet. Vnde & Dominus in via non solum benedixit panem sed de manu sua dedit Cleophæ & socio ejus*, &c. *quod autem de manu porrigitur, nec animalibus nec infidelibus dandum est, quia non solum sanctificatum est, sed etiam sanctificatio est, & sanctificat accipientem, &c.* hæc Chrysost.

Hieronymus in Epitaphio Paulæ ad Eustochium edit. Basil. 1553. dicens de Paula: *Repetitoque itinere venit Nicopolim, quæ prius Emmaus vocabatur, apud quam in fractione panis cognitus Dominus Cleophæ domum in Ecclesiam dedicavit, &c.* quomodo hoc, nisi quia in frangendo panem administravit Sacramentum. V.

Augustinus epist. 59 ad Paulin in solut quæst. edit. Basil. 1528 sic ait: *Et quod ab illis duobus in fractione panis est agnitus, Sacramentum esse, quo nos in agnitionem suam congregat; nullus debet ambigere.* VI.

Iterum edit. eâd. lib 3. de consensu Evangelistarum cap. 25. sic ait. *Vt cum eis benedictum panem porrigeret, aperirentur oculi eorum*, & infrà: *Tamen à Christo facta est promissio usque ad Sacramentum panis, ut unitate Corporis ejus participata removeri intelligatur impedimentum inimici, ut Christus possit agnosci, &c.* hæc ille.

VII. *Isychius Hierosolymit.* lib 2. in Levit. c. 9. apud Coccium tomo 2. fol 647. ed. Col 1601. *Invenimus autem, ait, & Christum similiter post resurrectionem per mystica cœna & panis fractionem manifestatum quod apertè quidem tradit Lucas*, &c.

VIII. Item *Theophilactus* in cap. 24 Luc. edit. Colon. 1529 sic ait: *Insinuatur & aliud quiddam, nempe quod oculi eorum qui benedictum panem assumunt aperirentur, ut agnoscant illum, magnam enim* (NB) *& indicibilem vim habet caro Domini, &c.* Vnde patet quòd supponat ibi datum discipulis Sacramentum Eucharistiæ.

IX. Similiter plures alij Patres illum locum intellexerunt, prout ex litera satis colligitur & plures Acatholici illum locum de Sacramento Eucharistiæ intelligunt, ut *Philippus Melanchton* & alii.

X. Sed duo objiciunt: 1. quòd Christus quidem ibi Eucharistiam sub una specie dederit, non tamen dixerit, ut nos illum imitaremur: sed hoc frivolum est, cum enim Christus fecerit, potius signum est, quod voluerit ostendere id etiam esse licitum circa laicos, quales erant illi duo discipuli, qui non erant Apostoli, & ideo tanto signo probavit.

XI. 2. respondent quòd Christus ibi utramque speciē duobus discipulis dederit, licet Evangelista non expresserit, sed patet ex textu hoc esse falsum, cum statim in fractione panis dicatur Christus agnitus, & evanuerit ex oculis, &c. Cur illi ergo verbis scripturæ volunt addere benedictionem calicis de qua scriptura nihil dicit contra sua principia; quibus maledictionem dicunt his qui aliquid addunt ad S. Scripturam.

XII. 3. respondent aliqui, quòd, licet aliqui SS. Patres illum locum sic intellexerint, tamen non omnes.

Respondeo hoc parum refert; nam ex illorum Patrum sententia ad minus constat, quòd ipsi senserint Communionem sub una specie à Christo traditam, & sic etiam in Ecclesia esse licitam, quod nobis ad propositum sufficit.

***

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

Eadem veritas probatur ab exemplis Apostolorum.

I. PRimò Act. 2. v. 42. ita dicitur: *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum communicatione fractionis panis & orationibus.*

Secundò Act. 20. v. 7. dicitur: *Una autem Sabbathi cùm venissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat, &c. protraxitque sermonem usque ad mediam noctem, &c.* His locis Lucam intellexisse communionem Eucharistiæ etiam Acatholici fatentur; ut *Lutherus* in serm. de Eucharistia. *Calv.* lib. 4. Inst. cap. 17. §. 35.

II. Ex his sic infertur: Illis locis Lucas refert fractionem panis tantùm: ergo sub una tantùm specie Eucharistia est administrata illis fidelibus qui ex Judæis erant conversi.

III. Nec valet responsio Acatholicorum, qui dicunt, per fractionem panis esse intellectam integram cœnam, ac proinde etiam calicis communionem, prout cœna, cibo & potu constat. Contrà enim est 1. quòd non liceat Acatholicis ad textum addere, ut prædictum est. 2. cùm Eucharistia sit cœna mystica, convivium mysticum; non est opus per cœnam vel convivium Eucharistiam intelligere sub utraque specie tanquam cibum & potum spiritualem; sed sufficit cœna integra sub una specie panis; quia corpus & Sanguis Domini verè sub una specie sumitur, ac proinde integrum convivium cibi & potûs spiritualis animæ: adeóque hæc vera sub una specie essent, licèt Lucas dixisset quòd Christus in Emaus cœnasset, vel convivium servasset; at verò jam expressè ibidem & in aliis locis fractionem panis tantùm nominat: quæ potest sola eò magis pro Eucharistiæ cœna intelligi, cùm etiam in vulgari sermone homines mane jentaculum sumentes sine potu verè jentare & refici dicantur, sic & cœnare dici possent sine potu, multò magis in hac cœna mystica ubi corpus & Sanguis sub una specie sumitur. Sic *Isychius* supra fractionem panis in Emaus vocat mysticam cœnam, ubi certum est, quòd calix non sit datus; & idem colligi potest ex Apostolo 1. Cor. 11. v. 25. & Luc. 22. v. 20. *Similiter & calicem postquam cœnavit dicens, &c.* quod intelligi potest de S. cœna sub specie panis, prout Augustinus tomo 2. edit. Basil. 1529. Epistolâ 118. cap. 5. intelligit dicens: *Nec ideo putari debet institutum esse ut post refectionem offeratur, quia scriptum est, & calicem accipiens post cœnam, &c. ipsam enim cœnam potuit appellare, quâ jam corpus acceperant, ut deinde calicem acciperent, &c.* hæc ibi, ecce cœna sine calice.

IV. Nec obstat secundò, quod objiciunt dicentes, si Apostoli tantùm panem fregerint: ergo & ipsimet solum panem sumpserunt & non calicem, quod est contra Catholicos, qui dicunt Apostolos & Sacerdotes sub utraque specie consecrare & communicare debere. Sed hoc non obstat, quia potuerunt Apostoli tunc temporis sub utraque specie consecrasse & communicasse, sed discipulis conversis tantùm sub specie panis dedisse, & hoc probatur ex eo, primò quia Lucas non scribit quid Apostoli fecerint, sed quòd recenter conversi perseveraverint in fractione panis & orationibus.

2. Quia certum est quòd conversi in Jerusalem Judæi erant adhuc legem servantes, de quibus dicit Apost. Act. 21. v. 20. *Vides frater, quot millia sunt in Judæis qui crediderunt, & omnes æmulatores legis sunt.* Judæi autem plures erant Nazaræi vel semper vel ad tempus, & tunc non bibebant vinum, quod illos servasse non est dubium, adeóque illi tantùm sub una specie communicabant; ideóque Lucas fractionem dixit Eucharistiam quam omnes pariter sumebant, licèt Apostoli vel aliqui utramque speciem sumpserint; si autem præceptum Christi fuisset, ut sub utraque specie daretur communio, vel illi Nazaræi semper S. Communione fuissent privati, vel Apostoli contra Christi præceptum illis sub una specie illam dedissent. Certiùs ergo est, quòd communio sub una specie fuerit ab initio licita, & ibidem usurpata. Unde etiam patet ratio, cur Apostoli in Actibus Apostolorum dicantur communiter communionem in fractione panis egisse, quia inter Judæos distribuebatur, quorum multi à calice abstinebant. At verò Apostolus 1. Cor. 11. fidelibus ex Gentibus conversis utramque speciem distribuit, ubi non vocatur fractio panis. V.

VI. Demum non desunt Doctores Catholici, qui asserant, nullum esse præceptum Christi, ut Sacerdotes sub utraque specie consecrent; sed id tantùm lege Ecclesiasticâ præcipi; quo posito faciliùs etiam credi potest, quod Apostoli in Actibus Apostolorum Jerosolymis pro conformitate sub una specie consecrârint & communicârint cum aliis, imitantes Christum in Emaus: quidquid autem sit de hoc, quod minùs probabile est, quia multa Conciliorum & Pontificum decreta videntur contrarium satis clarè indicare, &c. interim nostra assertio de communione fidelium Laicorum est clara ex textu S. Scripturæ, cui ad literam Acatholici secundùm sua principia inhærere debent.

ARTICULUS V.

Eadem veritas probatur ex usu antiquæ Ecclesiæ Græcæ & Latinæ quoad communionem privatam.

I. SCiendum est; quòd in primitiva Ecclesia moris fuerit, ut fideles in Ecclesia de manu Sacerdotis Eucharistiam acciperent, ac domum tempore opportuno sumendam deferrent, quod de solo Sacramento sub specie panis intelligi debet, cùm calicem, in quo continebatur Sacramentum Sanguinis, nulli privati haberent sed talis calix semper in Ecclesia reservabatur, & per manus Diaconi fidelibus administrabatur, ùt evidenter constat ex SS. Patribus scilicet *Athanasio* Apolog. 2. contra Arianos, *Cyrillo Hierosol.* catechet. 5. mystagogica circa finem, *Cypriano* serm. de Lapsis ante finem, *Basil.* edit. 1540 ex quo usu Eucharistiæ manifestè sequitur; quòd olim consuetum sit, ùt fideles domi sub una tantùm panis specie communicârint, quod nullo modo Ecclesia vel SS Patres fecissent aut permisissent, si præcepto divino omnes ad communionem sub utraque spe-

ſpecie obligatos agnoviſſent. Itaque quòd domum venerabile Sacramentum ſub ſpecie panis à fidelibus delatum, & privatim perceptum fuerit, probatur ex SS. Patribus.

II. *Tertullianus*, qui circa annum 200. floruit lib. 2. ad uxorem edit. Baſil. 1562. pag. 482. exhortaturus ne Chriſtiana exiſtens gentilem maritum duceret, inter alias inconvenientias hanc allegat dicens: *Latebis ne tu, cùm lectulum, cùm corpuſculum tuum ſignas? non ſciet maritus, quid ſecretò ante omnem cibum guſtas? & ſi ſciverit panem, non illum credet eſſe qui dicitur, & hæc ignorans quiſque rationem ſimpliciter ſuſtinebit ſine gemitu ſine ſuſpicione panis an veneni? &c.* hæc ille.

III. *Origenes* Homiliâ 13. in Exod. edit. Baſil. 1557. ſic ait: *Volo vos admonere religionis veſtræ exemplis: noſtis qui divinis myſteriis intereſſe conſueviſtis quomodo cùm ſuſcipitis corpus Domini* (NB) *cum omni cautela & veneratione ſervatis, ne ex eo parum quid decidat, ne conſecrati muneris aliquid dilabatur, reos enim vos creditis, & rectè creditis, ſi quid inde per negligentiam decidat, &c.* ubi patet quòd venerabile Sacramentum ſub ſpecie panis tantùm acceptum, & domum ad ſervandum deportatum fuerit.

IV. *Dionyſius Alexandrinus* apud Jod. Coccium tomo 2. Theſ. Cathol. art. 2. 1601. qui floruit Anno 260. in Epiſt. ad Fabium Antiochenum quam refert *Euſebius Cæſar.* lib. 6. Hiſtor. Eccleſ. cap. 36. ſic ſcribit: *Erat quidam Serapion apud nos fidelis ſenex, qui licet magnam vitæ partem integre & incorrupte transegiſſet, tempore tamen perſecutionis præ imbecillitate animi lapſus eſt, hic ſæpenumero in Eccleſiam denuò recipi ſupplex poſtulabat; ſed nemo, quia Idolis ſacrificaſſet, eius poſtulationi aliquando auſcultabat; Qui in gravem morbum delabens, triduò deinceps mutus, & abſque ſenſu vixit: quarto autem die paulatim relevatus, nepotem ad ſe accerſit, ſicque alloquitur: Quouſque, fili, me detinetis? properate obſecro, & me ocyus dimittite. Aliquem ex presbyteris advoca ad me. Quæ cùm dixiſſet, iterum fuit mutus. Puer currit ad presbyterum, nox iam erat. Ille forte morbo vexatus ad eum accedere non potuit: ſed tamen, quoniam a me quidem mandatum dabatur, ut qui iam eſſent e vita demigraturi, ſanctorum myſteriorum (dummodo poterant, & vel maxime, ſi antea dum integrâ valetudine erant, ſupplices petiviſſent) participes fierent, ſicque cum pace dimiſſi & cum bona ſpe confirmati ex hac luce decederent; puero exiguam* (NB) *quandam Euchariſtiæ partem dedit, præcipiens, ut eam madefactam in os ſenis infunderet, quam puer ſecum adferens rediit. Cui iam appropinquanti, priusquam cum eo quod geſtabat intraret ædes, Serapion denuò voce recuperatâ dixit: Veniſti fili? Tametſi presbyter non poteſt venire, tu tamen præſta quod tibi in mandatis dederit, & dimitte me abire. Particulam igitur puer, quam apportârat madefactam in os ſenis infudit: atque ille ſimul atque eam pedetentim per fauces dimiſerat, extremum illicò ſpiritum edidit, &c.* hæc Dionyſius. Ex quo patet conſuetudo antiquæ Eccleſiæ deferendi Euchariſtiam ſub ſola ſpecie panis ad infirmos, quod tam ipſe *Dionyſius* qui ſcripſit quam *Euſebius Cæſarienſis* ut bonum & licitum, & à Deo per tam mirabilem ſenis pium exitum approbatum referunt.

V. *Cyprianus* lib. de Lapſis ſerm. 5. Baſil. edit. 1540. duobus foliis ante finem ſic refert: *Cùm quædam* (mulier) *arcam ſuam, in qua Domini ſanctum fuit, manibus indignis tentâſſet aperire, igne inde ſurgente deterrita eſt ne auderet attingere; & quidam alius, & ipſe maculatus ſacrificio à Sacerdote celebrato partem cum cæteris auſus eſt latenter accipere, ſanctum Dei edere & contrectare non potuit, cinerem ferre ſe apertis manibus invenit, documento unius oſtenſum eſt, Dominum recedere cùm negatur, nec immerentibus ad ſalutem prodeſſe quod ſumitur, cùm gratia ſalutaris in cinerem ſanctitate fugiente mutetur, &c.* hæc ille præclarus Epiſcopus & Chriſti martyr.

Baſilius Magnus apud Jodocum Coccium tomo 2. Theſ. Cathol. art. 3. 1601. qui floruit Anno 360. in epiſt. ad Cæſar. Palutium quæ Græcè extat ſic ſcribit: *Illud autem in perſecutionis temporibus neceſſitate cogi quempiam, non præſente Sacerdote aut miniſtro, Communionem propriâ manu ſumere, nequaquam eſſe grave, ſupervacaneum eſt demonſtrare: propterea, quòd longa* (NB) *conſuetudine, hoc ipſo rerum uſu confirmatum eſt: omnes enim* (NB) *in eremis ſolitariam vitam agentes, ubi non eſt Sacerdos, Communionem domi ſervantes à ſeipſo communicant. In Alexandria verò & in Ægypto* (NB) *unusquisque eorum, qui ſunt de populo, ut plurimum habet Communionem in domo ſua. Semel enim ſacrificium Sacerdote conſecrante & diſtribuente, meritò participare & ſuſcipere, credere oportet. Etenim & in Eccleſia Sacerdos dat partem, & accipitis eam qui ſuſcipit cum omni libertate, & ipſam admovet ori propriâ manu. Idem igitur eſt virtute ſive unam partem accipiat quisquam à Sacerdote, ſive plures partes ſimul, &c.* hæc Baſil. Ecce quàm evidens teſtimonium de uſu Orientalis Eccleſiæ. VI.

Ambroſius orat. funebri de Exceſſu Fratris ſui Satyri, edit. Pariſ. 1569. ſic ait: *Quid igitur obſervantiam eius erga Dei cultum prædicem? qui priusquam perfectioribus eſſet initiatus myſteriis in naufragio conſtitutus, cùm ea, quâ veheretur navis, ſcopuloſo eliſa vado, & urgentibus hinc atque inde fluctibus ſolveretur non mortem metuens, ſed ne vacuus myſterii exiret è vita, quos initiatos eſſe cognoverat, ab his divinum illud fidelium Sacramentum popoſcit, non ut curioſos oculos inſereret arcanis, ſed ut Fidei ſuæ conſequeretur auxilium: etenim ligari fecit in orario, & orarium involvit in collo, atque ita ſe deiecit in mare non requirens de navis compage reſolutam tabulam cui ſupernatans iuvaretur, quoniam Fidei ſolius arma quæſierat. Itaque his ſe tutum atque munitum ſatis credens alia auxilia non deſideravit, &c. nec deſervit ſpes, nec ſefellit opinio, denique primus ſervatus ex undis, &c.* hæc Ambroſius, ubi patet quòd in navi venerabile Sacramentum ſub ſpecie panis tantùm à fidelibus initiatis aſſervatum Satyrus accepit, & quia nondum baptizatus ſumere non audebat, ad collum ligari ex pia fiducia curavit. VII.

Hieronymus Apologiâ pro libris contra Jovinian. ad Pammachium edit. Baſil. 1553. tomo 2. *Scio,* ait, *Romæ hanc eſſe conſuetudinem, ut fideles ſemper* (id eſt ſingulis diebus) *Corpus Domini accipiant, quod nec reprehendo nec probo, unusquisque enim in ſuo ſenſu abundat: ſed ipſorum conſcientiam convenio, qui eodem die poſt coitum communicant, & iuxta Perſium noctem flumine purgant, quare ad martyres ire non audent? quare non ingrediuntur Eccleſias? an alius in publico, alius in domo Chriſtus eſt? quod in Eccleſia non licet, nec domi licet, nihil Deo clauſum eſt, & tenebræ quoque lucent apud* VIII.

Deum

Digitized by Google

Deum, &c. hæc ille, ubi patet quòd Hieronymus ſupponat fideles domi Euchariſtiam ſumpſiſſe, quod non improbat; ſed quòd poſt coitum ſumerent conjuges, quod in Eccleſia non licebat ob reverentiam Chriſti, adeóque nec domi, quia idem Chriſtus ſumebatur. Vt aliorum plurium Patrum teſtimonia præteream concludat.

IX. *Auguſtinus* lib. 50. Homiliarum Hom. 26. edit. Baſil. 1529. ſic ait: *Quantâ ſolicitudine obſervamus, quando nobis Corpus Chriſti miniſtratur, ut nihil ex ipſo de manibus noſtris in terram cadat, tantâ ſolicitudine obſervemus ne verbum Dei de corde noſtro pereat*, &c.

Iterum ſerm. 252. de Tempore, edit. eâdem tomo 10. *Omnes viri*, inquit, *quando communicare deſiderant, lavant manus ſuas, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, ubi Corpus Chriſti accipiant, &c. ſic corpus caſtum & cor mundum exhibeant, ut cum bona conſcientia Chriſti Sacramenta ſuſcipiant, &c.* Ex quibus evidens eſt, quòd Euchariſtia in ſola panis ſpecie accipiebatur linteaminibus incluſa, & poſtea ſumenda ſine ſpecie vini, *&c.*

X. Refert autem *Sophronius* in Prato ſpirituali cap. 79. quòd fideles ſubinde Euchariſtiam per integrum annum domi ſervarent. Conſtat etiam ex *Baſilio* ſuprà, quòd Eremitæ ad longum tempus S. Euchariſtiam in eremis conſervârint ſuis temporibus ſumendam.

XI. *Græci* in hunc uſque diem Sacramentum ſub una tantùm ſpecie peregrinantibus & ægrotis præbent: ùt patet ex Joanne Lateſſio apud Jodocum Coccium ubi ſuprà Anno 1590. ad cap. 11. Theologiæ Moſcoviticæ fol. 115. ubi dicit: *Peracto Sacro, panes, ex quibus ſunt particulæ exciſæ, aſtantibus diſtribuuntur. Quæ autem ſuperſunt conſecrata, ea in uſum & peregre euntium & morientium aſſervantur. Tum enim fruſtulum vino ſuperinfuſo emollitum, quaſi quoddam viaticum expetentibus datur.*

Gilbertus Genebrardus apud Jodocum Coccium tomo 2. Theſ. Cathol. art. 3. circa annum 1580. lib. de Græcorum ritibus ſic ſcribit: *Paſchatis feſto poſt auricularem confeſſionem communicant Græci, ſed ſub utraque ſpecie: ad ægrotos tamen panis duntaxat ſpecies defertur*, &c.

Hypatius Ruthenorum Legatus Anno 1595. in Fidei ſuæ profeſſione apud eundem ſic ait: *Fateor etiam ſub altera tantùm ſpecie totum atque integrum Chriſtum; verúmque Sacramentum ſumi*, &c.

XII. Quis ſanæ mentis vel neget hunc Eccleſiæ primitivæ uſum fuiſſe, & ab Eccleſia approbatum? quem tot SS. Patres referunt & commendant: quod ſanè nullo modo ab Eccleſia permiſſum vel probatum minimè fuiſſet ſi omnes fideles ex præcepto Chriſti ſub utraque ſpecie communicare obligati fuiſſent.

XIII. Qui uſus tam clarus & certus eſt, ut Acatholici eum negare non poſſint, licèt effugium quærant, ut Kemnitius, qui dicit, quòd fideles priùs in Eccleſia Sacramentum ſub ſpecie vini tantùm ſumpſerint, & poſtea alteram ſub ſpecie panis domi, ſed hoc per ſe patet eſſe falſum, 1. quæ enim eſſet ratio, cur in Eccleſia non ſumpſiſſent Corpus Domini, ſed tantum Sanguinem, & poſtea eâdem die domi corpus Domini. 2. eſt contra ipſos, qui negant, quòd ſub una tantùm ſpecie Sacramentum ſumi poſſit; hoc autem factum eſſet, ſi in Eccleſia ſub vini tantùm ſpecie communicaſſent, & ſub altera tantùm domi quod ipſi negant.

Patet etiam manifeſtè falſum ex uſu Eremitarum qui non ſingulis diebus, quando in eremo ſumebant Sacramentum ſub ſpecie panis ibant ad Eccleſiam pro ſumendo Sacramento ſub ſpecie vini, *&c.* idem eſt de infirmis, ùt patet de Serapione ſuprà à Dionyſio Alexandrino teſtato. XIV.

Vt tamen veritas magis pateat etiam oſtendemus quòd Euchariſtia ſub una tantùm ſpecie in Eccleſia tam Græca, quàm Latina in primitiva Eccleſia volentibus in ipſo templo adminiſtrata fuerit.

ARTICULUS VI.

Quòd venerabile Sacramentum ſub una tantùm ſpecie volentibus etiam publicè in templo datum ſit tam in Eccleſia Græca, quàm Latina.

De uſu Eccleſiæ Græcæ probatur ex exemplo quod contigit S. Joanni Chryſoſtomo prout graviſſimi authores teſtantur, ſcilicet *Sozomenus* lib. 8. Hiſtor. cap. 5. & *Nicephorus* lib. 13. cap. 7. de quadam fœmina hæreſi Macedoniana infecta hiſtoriam *Nicephorus* ſic refert edit. Francof. 1588. *Vir quidam Macedonii morbo laborans uxorem eadem contagione infectam habebat. Hic cùm aliquando in magnum illum virum* (ſcilicet Chryſoſtomum) *incidiſſet, quomodo de Deo ſentiendum ſit differentem, ſtatim priore opinione relictâ mutatus, dicta illius laudavit; conjugémque ut itidem & ipſa ſententiam ſuam mutaret cogere inſtitit, ubi verò illa ex conſuetudine & colloquiis quotidianis familiarium muliercularum pendens admonitionem eius non ſuſcepit & maritus re ſæpius tentatâ nihil effecit, poſtremò ei denunciavit, niſi communem atque eandem ſecum de Deo obtineret opinionem minimè ſe eam ſecum habitare poſſurum eſſe mulier poſtquam id per ſimulationem annuit; ex ancillis, quam fidam ſibi eſſe credebat, uni quid factura eſſet credidit, ut per fraudem virum falleret, & ſacrorum myſteriorum tempore accedens illa, donum ſicut mos erat* (nota) *qui ſacris inſtituti ſunt, quid dicam intelligunt) accepit; atque id retinens perinde atque orationi vacatura ſe inclinata ſubmiſit, myſteriúmque ſacroſanctum occuluit; & quæ ei aſſiſtebat ancilla pro eo panem communem domo allatum obtulit, quem illa ori admovens in lapidis naturam induratum eſſe dum dentibus atterere conatur, ſenſit. Itaque timore percita, ne quid graviùs per Dei vindictam pateretur, propter miraculum, quod præter opinionem acciderat nullâ interpoſita mora ad magnum illum accedit Patrem, rem actam ei exponit, & lapidem oſtendit; certò & apertè morſus indicium exhibentem; qui iam materiam priorem ignoraret, novúmque & alienum colorem obtineret. & veniâ delicti petita deinceps in eadem cum marito opinione perduravit: lapis iſte ad Fidem miraculi eius faciendam longo tempore inter Eccleſiæ donaria aſſervatus ſpectatoribus miraculo fuit, &c.* hæc ille. I.

Ex qua hiſtoria patet, tempore S. Chryſoſtomi more fuiſſe, quòd fideles qui vellent, Euchariſtiam ſub una tantùm panis ſpecie à Sacerdote in manus ſuas acceperint poſtea ſumendam; II.

Digitized by Google

dam; ſi enim omnes poſt acceptum Sacramentum ſub ſpecie panis etiam calicem ſumere debuiſſent, non potuiſſet ſe mulier ſtatim inclinare, vel etiam calicem declinare, nec loco ejus alium cibum ſumere, quin Sacramentum Sanguinis verum ſumeret, quia calix non dabatur in manus fidelium, ſed per manum Diaconi ori communicantium applicabatur, prout conſtat ex SS. Patribus ſpecialiter *Cyrillo* catech. 5. infrà citando. Licèt igitur communio in Eccleſia ſub utraque ſpecie daretur, evidenter tamen ex hac hiſtoria conſtat, quòd non omnes tenebantur ſub utraque ſpecie communicare, *&c.* atque hoc pro conſuetudine Eccleſiæ Græcæ in florentiſſimo ſtatu tempore S. Chryſoſtomi ſufficientiſſimum teſtimonium eſt.

III. Quòd ſimiliter in Eccleſia Latina eadem libertas fuerit communicandi ſub una vel utraque ſpecie publicè in templo.

Probatur primò ex Leone I. qui Concilium I. generale Calcedonenſe confirmavit circa annum 440. qui ad fraudem Manichæorum detegendam mandârat, ut omnes fideles ſub utraque ſpecie communicarent. Ad quod ſciendum, quòd Manichæi ex Africa Romam occultè venerant, qui nunquam bibunt vinum, prout teſtatur *Auguſtinus* lib. de Hæreſibus cap. 46. edit. Baſil. tomo 6. 1529. ſic dicens de illis: *Nam & vinum non bibunt dicentes, fel eſſe principum tenebrarum, &c.* hi ergo ut latere poſſent inter Catholicos Eccleſiam & Sacramentum Euchariſtiæ frequentabant, ita tamen ut nunquam calicem ſumerent; niſi verò liberum fuiſſet fidelibus à calice abſtinere, id Manichæi minimè facere potuiſſent, quin notarentur.

IV. Vt igitur cives Romani Catholici tales hæreticos cognoſcere & obſervare poſſent, Leo in ſerm. 4. de Quadrageſima edit. Colon. 1540. ſic fideles alloquitur de Manichæis loquens: *Cúmque ad tegendam infidelitatem ſuam noſtris audeant intereſſe myſteriis, ita in Sacramentorum communione ſe temperant, ut interdum tutiùs lateant ore indigno Chriſti corpus accipiunt, Sanguinem autem redemptionis noſtræ omnino declinant, quod ideo veſtram volumus ſcire ſanctitatem, ut nobis hujuſmodi homines & his manifeſtentur indiciis, & quorum deprehenſa fuerit ſacrilega ſimulatio, notati & proditi à Sanctorum ſocietate ſacerdotali authoritate pellantur, &c.* hæc Leo.

V. Vbi clarum eſt, quòd fuerit mos apud Romanos, ut, qui vellent, à calice abſtinerent, ſi enim omnes calicem ſumere debuiſſent, quomodo Manichæi latere potuiſſent ſumendo corpus Domini ſine calice; & conſtat ex verbis Leonis apud Jod. Coccium 1601. cùm dicit: *Manichæi ore indigno corpus Chriſti accipiunt, Sanguinem autem redemptionis omnino haurire detrectant*, id eſt ſemper, ita ut nunquam accipiant. Ex quo etiam patet, quòd mos publicè communicandi ſub una ſubinde ſpecie ad libitum fuerit longè ante Leonem Romæ obſervatus, alioquin facilè potuiſſent Manichæi notari, ſi tunc ipſi primùm incepiſſent à calice abſtinere.

VI. Ex his etiam patet fraus Acatholicorum, qui illa verba Leonis: *Ore indigno Chriſti corpus accipiunt, Sanguinem autem redemptionis noſtræ haurire omnino declinant, &c.* ſeorſim allegant generaliter contra Catholicos ſub una ſpecie communicantes, *&c.* Cùm Leo expreſsè loquatur de Manichæis qui ſemper abſtinebant ad occultandam ſuam hæreſim, ac proinde ore indigno corpus Domini ſumebant, non verò intendit Catholicos, qui tunc ſubinde ex more abſtinebant.

Cùm verò hoc modo Manichæi non ita faci- VII.
lè notari ac dignoſci poſſent, eò quòd Catholici ſubinde abſtinebant, *Gelaſius Papa*, Leonis, poſt 32. annos ſucceſſor dicitur hanc legem condidiſſe in quadam epiſtola quæ fortè non extat, ſed citatur à Gratiano edit. Pariſ. 1510. cap. Comperimus de Conſecrat. diſt. 2. ubi dicitur: *Comperimus, quòd quidam ſumpta tantummodò corporis ſacri portione, à calice ſacri cruoris abſtineant, qui procul dubio (quoniã neſcio quâ ſuperſtitione docentur aſtringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia diviſio unius ejuſdémque myſterij ſine grandi ſacrilegio non poteſt provenire, &c.* hæc ibi. In hoc gloriantur Acatholici tanquam invictiſſimo argumento.

Verùm reſponderi poſſet illis primò; quòd VIII.
ipſi non curent ordinationes & decreta vel ſententias ſummorum Pontificum tanquam Antichriſti, cur ergo in hac ſententia ita triumphant? ſi conſtaret illam eſſe Gelaſii, cùm circa finem quinti ſæculi ſederit.

Secundò *Gratianus* compilator decretorum IX.
adhuc multò recentior eſt, qui poſt annum 1000. vixit, ſi ex illo adferremus ſententiam alicujus S. Patris utique repudiarent; ſed id, quod ipſis placet, anathema eſt. hoc tamen omiſſo.

Reſpondeo admittendo illam eſſe Gelaſii Pa- X.
pæ ſententiam, prout Catholici admittunt; nihil tamen obſtat Catholicæ doctrinæ, reſpondent enim aliqui quòd ille locus intelligatur de Sacerdotibus in ſacrificio ſine calice celebrantibus & communicantibus & ſic intellexit ipſe *Gratianus* ibid. ſi ergo Gratiano in uno fidem adhibent etiam & in altero illi credere debent. Verùm hæc reſponſio licèt probabilis ſit, non tamen ſufficiens eſt, ut plerique Doctores fatentur, ſed certum eſt, quòd *Gelaſius* Leonis ſucceſſor videns utique Manichæos adhuc latitantes cùm adhuc Catholici aliqui etiam à calice abſtinerent, ut itaque Manichæi eò certiùs dignoſcerentur, abſolutè præcepit, ut ad amovendam etiam à Catholicis Manichæiſmi ſuſpicionem omnes ſub utraque ſpecie communicarent, quod patet, tum ex verbis *Leonis* ſuprà relatis, tum ex verbis Gelaſii, cùm dicit de illis qui à calice abſtinent: *Quoniam neſcio quâ ſuperſtitione docentur obſtringi.* Vbi certum eſt, quòd Catholici abſtinentes à calice nullâ ſuperſtitione obſtricti id faciant, ſed de Manichæis veriſſimum eſt, qui imprimis dicebant vinum eſſe fel dæmonis, ut ex ſancto Auguſtino ſuprà dictum eſt, quæ eſt veriſſima ſuperſtitio. Secundò etiam credebant Chriſtum non eſſe verè mortuum, nec verum Sanguinem in cruce effudiſſe prout D. Auguſtinus ſuprà de illis teſtatur dicens: *Affirmant Chriſtum non fuiſſe in carne vera, ſed ſimulatam ſpeciem carnis humanis ſenſibus præbuiſſe, ut mortem & reſurrectionem mentirentur,* &c. hæc Auguſtinus, unde patet, quòd Manichæi non ſolùm ex ſuperſtitione, ſed etiam magno ſacrilegio Sacramentum, ſeu unum idemque myſterium dividebant, credentes Chriſtum non verè effudiſſe Sanguinem & in hujus ſi-

gnum

gnum ab integro Sacramento abstinebant sic ipsum Christum solventes negando ejus veram Incarnationem & mortem, quod est Christum solvere.

XI. Ex hoc ergo fit etiam argumentum quòd ante Gelasium usus fuerit in Ecclesia communicandi sub una specie, alioquin ipse novâ lege non mandâsset omnibus Catholicis ut calicem sumerent si sacram Euchâristiam sumere vellent, lex ergo nova erat non propter præceptum Christi de sumendo calice, sed propter occultam Manichæorum fraudem, ut illa tolleretur; quâ sublatâ illa lex cessavit, ùt patet ex communi Ecclesiæ Romanæ praxi post tempora Gelasii.

XII. Cæterùm ex hac Manichæorum actione aliud efficax argumentum pro veritate communionis sub una specie efficitur: scilicet, quia Manichæi non tantùm tempore Leonis & Gelasii, sed ab initio suæ hæresis tempore sanctorum Patrum Athanasii, Epiphanii & Augustini abstinebant à sumptione calicis, & tamen in hoc nunquam notati sunt errasse vel hæretici, ùt patet ex Epiphanio & Augustino illorum errores accuratè recensentibus, qui tamen in hoc ipsos non arguunt. Quod autem Leo & Gelasius ipsos redarguunt factum est; quia sub hoc communionis licito prætextu sese occultabant, & suas hæreses fovebant.

XIII. Demum non fuisse mentem Leonis vel Gelasii, quòd omnes qui sub una specie communicarent, sacrilegium committerent nimis manifestum est ex tot sanctorum Patrum veterum adductis testimoniis quæ ipsos non latebant, imò de ipso usu Ecclesiæ Romanæ circa tempora Innocentii primi, qui tempore Augustini floruit in Epistola prima cap. quarto mentionem facit illius ritûs Ecclesiæ Romanæ feriâ sextâ parasceves, quando sola consecrata pridie S. Hostia à Sacerdote sumebatur. Idem refert liber Sacramentorum S. Gregorii in officio parasceves, qui Gelasio statim successit. Idem testatur ordo Romanus antiquissimus. Patet etiam ex ipso Gregorio libro 3. Dialog. cap. 3. apud Jodocum Coccium tomo 2. Thes. Cathol. articulo nono ubi dicit: *Agapytus Missarum solemnia exorsus in conspectu Dei omnipotentis sacrificium immolavit. Quo peracto, ab altari exiens, claudi manum tenuit, atque assistente, & aspiciente universo populo eum mox à terra propriis gressibus erexit, cùmque ei Dominicum Corpus in os mitteret, illa diu muta ad loquendum lingua soluta est, &c.* hæc ibi.

XIV. Beda apud Jodocum Coccium tomo secundo Thes. Cathol. articulo tertio circa Annum 680. floruit libro secundo cap. quinto testatur quòd Rex Angliæ Christianus sub specie panis solebat communicare, quo defuncto filii Ethnici *cùm viderent Pontificem celebratis in Ecclesia Missarum solemniis Eucharistiam populo dare, dicebant*, &c. *Quare non & nobis porrigis panem nitidum quem & Patri nostro Saba (sic namque eum appellare consueverant) dabas, & populo adhuc in Ecclesia dare non desistis*, &c.

XV. Aemonyus præceptor Caroli Magni libro quinto de Gestis Francorum cap. decimo nono apud eundem Coccium dicit: *Cibus* (Ludovici Imperatoris ægrotantis) *erat solummodo per 40. dies Dominicum Corpus, laudante eo justitiam Dei & dicente: Justus es Domine, ut quia quadragesimæ tempus non ieiunans exegi saltèm coactus idem tibi ieiunium exolvam, &c.* hæc ibi.

Similiter constat ex usu Ecclesiæ Græcæ de communione præsanctificatorum, scilicet quando S. Eucharistia consecrata per totam quadragesimam servabatur in Ecclesia solùm sub una specie & diebus prophanis sumebatur, de qua Græcorum consuetudine antiquissimum Concilium Laodicenum canone quadragesimo nono & Trullanum Canone 52. mentionem faciunt. XVI.

Ex his clarissimis sanctorum Patrum de usu unius speciei tam publicè quàm privatim in Ecclesia primitiva à tempore Apostolorum testimoniis quorum usum nulli sancti Patres unquam leguntur damnasse, evidens est, quòd Christus Dominus communionem sub utraque specie fidelibus Laicis non præceperit, sed id liberum reliquerit dispositioni Ecclesiæ, quòd autem hoc Ecclesiæ dispositioni reliquerit, & quare Ecclesia usum calicis Laicis prohibuerit, ultimatè ostendendum est. XVII.

ARTICULUS VII.

Allegantur causæ, an expediat Laicos sub una tantùm specie communicare?

Ostendendum itaque; quòd licitum sit, & populo conveniens, ut sub una specie panis communicent. I.

Primò quòd licitum sit constat ex iis quæ hactenus dicta sunt ex sacra Scriptura & sanctis Patribus quòd Christus nullum præceptum dederit de utraque specie ab omnibus sumenda, *ubi itaque non est lex, nec prævaricatio.*

Secundò constat ex eo, quòd sub una panis specie totus Christus integer cum corpore & Sanguine sumatur, non enim Christus jam mortuus est, nec moritur ampliùs qui mortuus est semel, sed semper vivit, adeòque semper, ubi præsens est cum corpore, etiam cum Sanguine adest, ut suprà agendo de præsentia Christi in ven. Sacramento probatum est. II.

Tertiò, quia fructus & gratia Sacramenti tam bene sub una quàm sub utraque percipitur, quod apud Acatholicos plùs valere debet, qui volunt, quòd fructus Sacramenti percipiatur per Fidem excitantem in susceptione Sacramenti, quæ tam bene per unam, quàm duas species excitari potest, quod Lutherus in Assertionibus art. decimo sexto clarè indicat, dicens: *De utraque specie, licèt neutra necessaria sit, cùm Fides sola hic sufficiat, &c.* hæc ille. III.

Verùm apud Catholicos, si quis de incremento gratiæ dubium moveret, hoc non ita urget; quia si quid esset id suppleri posset à fideli; si sæpius sub una specie communicet, quàm alius sub utraque.

Quartò, quia sub una specie est integra ratio Sacramenti, ita ut, licèt altera species abs- IV.

Digitized by Google

absit, nullatenus sit vel dici possit Sacramentum mutilum vel dimidiatum, quia mutilum & dimidiatum Sacramentum seu pars Sacramenti non habet suum effectum sicut sola aqua in Baptismo sine verbis, *&c.* At verò una species Eucharistiæ habet & signatum præcipuum præsens scilicet Christum integrum, & etiam percipientibus confert gratiam, adeóque altera pars non est essentialis, sed habet se instar partis integralis ejusdem speciei, sicut magnus panis respectu dimidii panis, qui dimidius panis verè & propriè panis est.

V. Quòd autem convenientiùs sit ut sub una, quàm sub utraque populus communicet constat: Primò ex eo, quòd si omnes calicem sumerent, præsertim in locis Borealibus, non posset tantum haberi vini pro omnibus, ut ideo etiam Acatholici judicent illos excusatos à calice vini, quod tamen est contra ipsorum principia, si Christus sic absolutè præcepisset, ut vel debeant utramque speciem sumere vel nullam.

VI. Secundò eadem difficultas etiam posset contingere in multis aliis locis, præsertim in paschate, ubi plura millia in una parochia essent communicandi, vel vinum deesset, vel si adesset, non posset in uno calice tantum vini consecrari, ut tot communicantibus sufficeret, *&c.* Nec obstat quòd olim etiam eadem difficultas esse poterat, quia tunc plures etiam abstinebant à calice, aliud autem esset, si omnes calicem sumerent.

VII. Tertiò propter irreverentiam venerabilis Sacramenti in tanta multitudine calicem sumentium quoad senes, rusticos, pueros, *&c.* quibus tam providè propinari non posset, quin sæpe Sanguis Domini effunderetur, & in simili periculo calix ad infirmos deferretur, quod tamen sancti Patres summo studio cavendum jusserunt.

VIII. Quartò, quòd multi fideles sint vel abstemii à natura, vel ex consuetudine vinum horreant, qui si calix sumendus esset, semper hoc venerabili Sacramento privaretur unde & Acatholici illos à calice excusant, sed contra sua principia.

IX. Ex quibus, præter vera sacræ Scripturæ & Patrum testimonia, potiùs colligitur: quòd Christus Dominus, qui est Sapientia Patris, omnia sciens & prævidens licèt Sacramentum sub utraque specie instituerit ob dictas & alias causas noluerit utriusque communionem omnibus præcipere, & sic salvo Christi præcepto fideles Boreales, Abstemii, & alii à calice excusentur; at Acatholici contra Christi præceptum in talibus casibus dispensant, & in facto Christum improvidentiæ damnant, quasi præceptum dedisset omnibus quod ab omnibus servari non posset, & cujus contrarium faciunt. Ob has causas etiam à multis sæculis multæ diversæ per orbem particulares Ecclesiæ sub una tantùm specie S. Eucharistiam fidelibus communicârunt prout testatur

X. *Alexander Alesius* apud Jodocum Coccium tomo secundo Thesauri Cathol. art. 3. qui floruit Anno 1230. in libro quarto sentent. quæst. undecimâ memb. 2. articulo quarto §. 3. sic dicens: *Bene licet sumere Corpus Christi sub una specie panis tantùm, sicut ferè ubique* (NB) *à Laicis fit in Ecclesia.* & infrà: *Ecclesia consuevit sub specie panis tantùm istud Sacramentum dispensare propter periculum effusionis, quod fortè accideret, si sub specie vini dispensaretur, tum propter vitii infidelitatis amotionem, quod se non immeritò simplicium mentibus ingereret, si semper sub speciebus panis & vini daretur. Quod si ita fieret, possent simpliciores credere quòd Christus non contineretur integrè sub altera specie, sicut contigit quandoque. Unde Religiosis quibusdam instantibus, ut sub utraque sumerent Sacramentum, Sacerdote quodam pio celebrante, cùm faceret fractionem concavum patenæ totum visum est repleri Sanguine, ad quod obstupuerunt ipse & circumstantes: Sed cùm conjungeret partes hostiæ totum visum est reintrare, &c.* hæc ille.

D. Thomas 3. parte quæstione 8. art. 12. ubi cùm dubia allegasset sic ait: *Sed contra est multarum Ecclesiarum usus, in quibus populo communicanti datur Corpus Christi sumendum, non autem Sanguis, &c.* Et ibidem in resolutione dicit: *Ex parte sumentium requiritur summa reverentia & cautela ne aliquid accidat quod vergat ad injuriam tanti mysterii, quod præcipuè posset accidere in Sanguinis sumptione, &c. & quia crevit multitudo populi Christiani, in qua continentur juvenes & parvuli senes, &c. ideo providè in quibusdam Ecclesiis observatur ut populo Sanguis sumendus non detur, &c.* floruit autem D. Thomas Anno 1250. ante 400. annos. XI.

Idem ex ordine Romano qui ante 900. annos in usu fuit constat, quod non solùm feriâ 6. parasceve, Sacerdos, sed alus temporibus populus sub una specie in templo communicârit, antiquissimus autem usus suprà ex SS. Patribus probatus est. XII.

Et licèt Græci in suis Ecclesiis sub utraque communicent, nunquam tamen Ecclesiam Romanam ratione communionis sub una specie erroris accusârunt, quia crediderunt id licitè fieri posse, ut etiam ex recentioribus Græcis suprà ostensum est. XIII.

ARTICULUS VIII.

Quòd Ecclesia in Concilio Basil. benè statuerit, ut universaliter Laici sub una specie communicarent.

Probatur ex eo quòd Ecclesia habeat potestatem circa usum Sacramentorum & ordinandi & disponendi, quæ non spectant ad illorum substantiam, ut Concilium Tridentinum suprà citatum ostendit ex sacra Scriptura, & in speciali de usu S. Eucharistiæ ex illo Apostoli 1. ad Cor. 11. *Cætera cùm venero disponam.* I.

De qua Ecclesiæ potestate circa venerabilis Sacramenti usum sic ait Augustinus Epistolâ 118. cap. 6. editione Basil. 1528. tomo 2. dicens: *Illud magis potuit movere homines, utrum jam refecti, &c. sumerent Eucharistiam, quod in Evangelio dicitur: cùm autem illi manducarent. Accepit Jesus panem, &c. nunquid tamen propterea calumniandum est* (NB) *universa Ecclesia quod à jejunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui S. ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani priùs Domi-* II.

Digitized by Goo

Dominicum corpus intraret, quàm exteri cibi; nam ideo per universum orbem mos iste servatur, &c. Et infrà: *Et ideo non præcepit, quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis* (NB) *per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc modum. Nam si hoc ille monuisset, ut post cibos alios semper sumeretur, credo quòd eum morem nemo variâsset. Cùm verò ait Apostolus de hoc Sacramento loquens*, &c. *cætera autem, cùm venero, ordinabo*, &c. *unde intelligi datur, quia multum erat ut in epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat Ecclesia, &c.* hæc August.

III. Ibid. cap. 5. eâd. edit. tomo 2. de hora sumendi Eucharistiam & aliis etiam dicit: *Respondeo, ut quid horum sit faciendum, si divinæ Scripturæ præscribit authoritas, non sit dubitandum, quin ita facere debeamus, ut legimus, ut iam non quomodo faciendum sed quomodo Sacramentum intelligendum sit disputemus; Similiter etiamsi quid horum* (NB) *totâ die per orbem frequentat Ecclesia; nam hoc, quia ita faciendum sit disputare insolentissimæ insaniæ est.* hæc ibi.

IV. Ex his ad propositum; cùm ex sacra Scriptura probari non possit necessitas utriusque speciei à Christo præceptæ, ùt ostensum est, & econtrà ex usu Ecclesiæ universalis à tempore Apostolorum constet Christum id reliquisse Apostolorum & Ecclesiæ dispositioni, ut, quidquid de hoc disponeret, ita Spiritui Sancto placuisse censendum sit, ut de hoc disputare insolentissimæ insaniæ sit, quod tota Ecclesia practicat & ordinat.

V. Nec huic obstat quòd dici possit; si Christus liberum reliquit fidelibus vel sub una, vel sub utraque specie venerabile Sacramentum sumere, non potuit Ecclesia illam libertatem, & jus tale ad calicem populo auferre.

VI. Respondetur eodem modo dici posset de sumenda Eucharistia ante vel post refectionem, quod Christus fidelibus liberum reliquerat; adeòque Apostoli illam libertatem fidelibus auferre non debebant præscribendo, ut ante refectionem sacra Eucharistia sumeretur; & certè in hoc videretur magna populo commoditas, ut ad libitum etiam post prandium Eucharistiam sumerent; & tamen hoc non obstante Apostolus & Ecclesia illam libertatem sustulit ob inconvenientias quas Apostolus apud Corinthios notavit, & imposterum fieri possent. Dicendum igitur, quòd Christus non ita fidelibus libertatem reliquerit, ut jus habeant, quod ab Apostolis vel Ecclesia mutari non posset, alioquin fuisset Christi præceptum, sed ut dicit Augustinus reliquit hoc dispositioni Apostolorum & Prælatorum per quos Ecclesiam regere voluit.

VII. Hâc igitur potestate à Christo Ecclesiæ data in Concilio Basileensi Anno 1431. celebrato sess. 30. circa sacram Communionem declaratum & ordinatum est his verbis: *Ut lucidiùs videatur pro declaratione Catholicæ veritatis quid circa perceptionem sacræ Eucharistiæ tenendum sit, & agendum pro utilitate & salute populi Christiani post diligentem* (NB) *perscrutationem divinarum Scripturarum, sacrorúmque canonum & doctrinarum in hac Synodo longis temporibus habitam, consideratisque omnibus, quæ pro declaratione huius rei consideranda fuerunt, decernit & declarat eadem S. Synodus, quòd fideles Laici sive Clerici communicantes & non conficientes, non adstringantur ex præcepto Domini ad suscipiendum sub utraque specie panis scilicet & vini sacræ Eucharistiæ Sacramentum, sed Ecclesia quæ regitur spiritu veritatis secum manente in æternum, & cum qua Christus manet usque ad consummationem sæculi (sicut ait divina Scriptura) ordinare habet quomodo ipsis non conficientibus ministretur, prout pro reverentia ipsius Sacramenti & salute fidelium viderit expedire; sive autem sub una specie, sive sub duplici quis communicet secundùm ordinationem seu observantiam Ecclesiæ proficit dignè communicantibus ad salutem. Nec ullatenus ambigendum est, quòd non sub specie panis caro tantùm, nec sub specie vini Sanguis tantùm, sed sub qualibet specie est integrè totus Christus.*

Laudabilis quoque consuetudo communicandi laicum populum sub una specie ab Ecclesia & sanctis Patribus rationabiliter introducta, & hactenus diutissime observata, & à Doctoribus divinæ legis, sacrarum Scripturarum atque canonum multam peritiam habentibus iam à longævo tempore commendata pro lege habenda est: nec alicui licitum est eam reprobare, aut sine authoritate Ecclesiæ ipsam immutare, &c. hæc Concilium. Idem *Concilium Constantiense* anno 1414. celebratum sess. 13. declaravit. VIII.

Ex his patet; quòd Concilia illa duo nihil novi aut inusitati, multò minus contra sacram Scripturam & sanctos Patres ordinârint, ut falsò Acatholici calumniantur: sed primò supposità veritate, quòd Christus de utraque specie nullum dederit præceptum, prout ex sacra Scriptura & sanctis Patribus constat. Secundò supposito, quòd in pluribus Ecclesiis à multis sæculis consuetudo esset introducta & approbata, ut ob vitandam irreverentiam in sumendo calice populus sub una specie panis communicaret, hanc consuetudinem ut piam & reverentiæ venerabilis Sacramenti convenientem pro lege ab omnibus habendam decrevit: cùm etiam ipsa consuetudo vim legis haberet. IX.

Causæ autem, ob quas Concilia hanc universalem legem tulerunt, præter alias præcedenti Articulo indicatas hæ fuerunt: ùt indicat Concil. Constant. X.

1. quia tunc temporis novi hæretici Hussitæ omnium primò inceperunt calumniari Ecclesiam Catholicam quòd in ea Laici sub una specie communicarent dicentes id esse contra præceptum Christi; qui præcepisset omnibus communionem sub utraque specie, proinde ipsi populo sub utraque specie dispensabant, & insuper Eucharistiam post cœnam, vel aliàs non jejuni sumebant, Ecclesiæ verò consuetudinem ut sacrilegam pertinaciter condemnabant.

2. asserebant isti *Hussitæ* cum *VValdensibus sacramentariis* sub specie panis tantùm esse corpus Domini & sub specie vini tantùm ejus Sanguinem ac proinde Ecclesiam credentem sub qualibet specie esse integrum Christum similiter condemnabant. XI.

Itaque *Concilium* ad ostendendum Ecclesiam antiquam in neutro errasse, scilicet, tam in danda S. Communione sub una specie, quàm credendo Christum esse integrum sub una specie justissimè illorum errores novos condemnavit; & ut fideles declararent se ab his erroribus immunes piissimè statuerunt, ut consuetudo anti-

antiqua sub una tantùm specie ab omnibus uniformiter servaretur, sicut econtrà olim *Leo & Gelasius* ordinârunt ad detegendos Manichæos, ut omnes fideles sub utraque specie communicarent.

XII. Hujus simile contigit in primitiva Ecclesia circa administrationem Baptismi, nam in illa priùs ordinatum erat, ut omnes per trinam in aquis immersionem baptizarentur ad profitendã Trinitatẽ in unitate essentiæ cum Deo contra hæreticos eã negantes, ita enim fuit præceptum in can. 49. Apostolorum ubi sic dicitur: *Si quis Episcopus aut presbyter non trinam immersionem unius mysterii celebret, sed semel mergat in Baptismate deponatur, &c.* Eundem usum indicat *Tertullianus* lib. de Corona militis suprà pro traditionibus Apostolicis allegatus.

XIII. Econtrà ortâ postea aliâ hæresi, cujus assertores contendebant Baptismum esse reiterandum, & ideo semel baptizatos iterum baptizabant. Ne Catholici in trina mersione illis consentire viderentur, Ecclesia statuit, ut patet ex Concilio Tolet. IV. can. 5. ut *unicâ tantùm mersione Baptismus perficeretur*; quod tunc utique Ecclesia ex potestate à Christo sibi tradita facere poterat quoad usum Baptismi salvâ ejus substantiâ; sic etiam eadem Ecclesia ob prædictas causas & uniformitatem totius Ecclesiæ communionem sub una specie ab initio Ecclesiæ usurpatam contra errores hæreticorum servandam decrevit.

XIV. Cùm verò in præsenti quæstione etiam exempla certa sacræ Scripturæ teneamus de communione sub una specie, & usum totius antiquæ indubitatæ veræ Ecclesiæ ac tandem universæ à tot sæculis jam placuit Ecclesiæ Catholicæ omnes sinceri fideles huic acquiescent si falli nolint; de hoc autem adhuc disputare an faciendum sit quòd tota per orbem frequentavit & frequentat Ecclesia juxta eundem Augustinum suprà Epistolâ 118. insolentissimæ insaniæ est.

XV. Ubi jure merito idem dici potest quod D. Augustinus olim de Baptismo Hæreticorum non reiterando gravissimè dixit contra Donatistas, cùm alibi, tum lib. 1. contra Crescon. Grammat. cap. 33. edit. Basil. 1528. tomo 7. scilicet, *Quamvis hujus rei certæ de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus, quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat authoritas, ut quoniam S. Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis eandem Ecclesiam de illa consulat quam sine ulla ambiguitate S. Scriptura demonstrat, &c.* hæc August.

ARTICULUS IX.

Refertur primum argumentum Acatholicorum & refutatur.

I. PRimum argumentum, quo utuntur Acatholici ad probandum præceptum communionis sub utraque specie ex instituto tale est:

Christus venerabile Sacramentum instituit pro omnibus sub utraque specie, ergo etiam præcepit ut omnes illud sub utraque participarent.

Ad hoc respondetur: Credit & docet sancta Ecclesia, quòd Christus venerabile Sacramentum instituerit sub utraque specie, ùt patet apud Matth. 26. v. 26. Marcum cap. decimo quarto v. vigesimo secundo. Luc. cap. vigesimo secundo v. decimo nono & 1. Cor. 11. v. 23. & sic Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 1. dicens de Patribus antiquis: *Apertissimè professi sunt hoc tam admirabile Sacramentum in ultima Cœna Redemptorem nostrum instituisse, cùm post panis vinique benedictionem se suum ipsius Corpus illis præbere ac suum Sanguinem, disertis ac perspicuis verbis testatus est, &c.* Similiter sess. 21. cap. 3. ejus verba suprà relata sunt. II.

Quamvis autem hoc verissimum sit; quòd Christus Dominus sub utraque specie Sacramentum instituerit, etiam quòd fidelibus sub utraque specie possit participari; negatur tamen inde inferri quòd omnibus talem sumptionem præceperit, constat enim ex aliis Sacramentis hanc consequentiam non valere. Certum enim est, quòd Deus instituerit Sacramentum Matrimonii, vel licèt Acatholici negent id esse Sacramentum: certum tamen est, quòd statum Matrimonii Deus instituerit pro omnibus hominibus, ut, si aliàs impediti vel impotentes non sint, liceat vi hujus institutionis inire Matrimonium, non tamen omnes ad hoc obligantur juxta illud Matth. 19. v. 10. *Si ita est causa hominis cum uxore, Non expedit nubere, qui dixit illis: non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est, &c.* Similiter Christus instituit ordinem ecclesiasticum in Ecclesia, munus prædicandi Euangelium, officium baptizandi, *&c.* juxta illud Ephes. 4. v. 11. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos quosdam autem Prophetas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum,* &c. *donec occurramus omnes, &c.* Hæc itaque Christus pro omnibus saltèm viris ita instituit, ut omnes illa suscipere possint, non tamen præcepit ut susciperent. III.

Si dicatur: quòd quidem absolutè non sequatur ut omnes ex vi institutionis Sacramenti ad illud sumendum obligentur, prout Lutherus suprà allegatus dicit, sed illis liberum sit suscipere, si tamen suscipere velint, obligentur eo modo suscipere, quo Christus instituit, adeòque sub utraque specie. IV.

Respondetur: Nec hoc universaliter verum est; quia Christus instituit venerabile Sacramentum post lotionem pedum & cœnam legalem, nec tamen fideles tenentur tali modo & talibus præmissis venerabile Sacramentum suscipere ùt Acatholici fatentur. Profitetur autem sancta Ecclesia, quòd illa quæ ad substantiam Sacramenti ex institutione Christi spectant servari debeant ex præcepto Christi in usu Sacramenti, non verò quoad accidentalia. Ad substantiam Sacramenti spectat, scilicet quòd sit Christus præsens secundùm corpus & Sanguinem in venerabili Sacramento, & Sacramentum ipsum externæ scilicet species panis vel vini; ita ut in alterutra illarum specierum cum præsentia Corporis & Sanguinis Christi consistat substantia Sacramenti: at verò alia sint accidenta- V.

Digitized by Google

cidentalia, ut quòd sub una vel utraque specie sit Sacramentum; quod à jejunis vel nō jejunis, vel lotis pedibus, aut non lotis sumatur: Nisi enim hæc distinctio adhibeatur, certum est; quod Acatholici agant contra præceptum Christi illa non usurpando dum Sacramentum sumunt. Econtra autem ex hoc certum est, quod nec Calvini nec Lutheri discipuli verum Sacramentum Eucharistiæ habeant: non illi, quia fatentur se nudum panem licet sanctum sumere & non Corpus Christi in sacramento realiter præsens, ut Christus instituit & promisit. Hi verò, quod licet profiteantur Corpus Christi præsens esse in Sacramento, tamen revera illud in suo Sacramento non percipiunt nec habent quia non habent Ministros à Christo institutos scilicet legitimè ordinatos sacerdotes Apostolorum successores.

VI. Refertur 2. argumentum Acatholicorum & refutatur.

Bohemi Hussitæ primitus præceptum hoc ex illis verbis Christi Ioann. 6. evidens esse volebant, scilicet; *Nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam in vobis, &c.* hoc dicunt omnes omnino concernere.

VII. Respondeo 1. Hoc argumento nec Lutherani nec Calvinistæ uti possunt, cùm negent Christum Ioann 6. locutum esse *de Communione Corporis & sanguinis sacramentali.*

VII. Respondeo 2. cum Concil. Trid. suprà: quòd, licet ille locus Ioannis diversimodè à SS. Patribus intelligatur & explicetur, tamen simul illa consistant in Communione sub utraque vel una specie, nam, sicut Christus dixit: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Et iterum, sicut dixit: *Qui manducat meam Carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*, etiam dixit: *Panis quem ego dabo Caro mea est pro mundi vita.* Et denique qui dixit, *qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo*, dixit nihilominus, *qui manducat hunc panem vivet in æternum.* hæc Concil Ex quibus Christi verbis patet, qualitercunque illa verba explicentur, sive de spirituali Christi Corporis & sanguinis sumptione, sive de sacramentali, quod Christus non intenderit omnes ad utramque speciem sacramentalem adstringere, dicendo: *Qui bibit meum sanguinem*, &c. vel *nisi biberitis meum sanguinem*: quia ibidem dicit sufficere, si solum sub specie panis sumant Christum; sic enim etiam sumitur eius caro, & bibitur ejus sanguis, & habetur vita æterna. nec enim plus ex litera verborum Christi inferri potest. Nam cum Christus expresse totum sermonem concludat his verbis *Qui manducat hunc panem vivet in æternum*: satis indicat, quod ille qui manducat sub specie panis etiam habeat vitam æternam, adeoque non intenderit ut species sanguinis sub specie vini necessariò bibatur, sed sufficiat, ut ipse Christus sumatur, vel sub specie panis manducando vel sub specie vini bibendo, vel utroque modo, sicut S. Scriptura sæpius ly, *&*, copulatim utitur pro disjunctivo, *vel*, ut Act. 3. v. 6. *Argentum & aurum non est mihi*, id est argentum vel aurum, *&c.* similiter Apoc. 4. v. 3. *Beatus qui legit & audit verba prophetiæ hujus*: ubi idem est, ac, qui legit vel audit & alibi. Hunc autem esse sensum Christi verborum ex contextu jam allegato patet, & sic Ecclesia intellexit.

IX. His adde; quòd etiam sanguis Christi sub specie panis dicatur bibi secundum scripturam; quæ sic sæpe loquitur, ut idem aliquando dicatur bibi & manducari, v.g. Apostolus 1. Cor. 3. v. 2. ait *Lac vobis potum dedi*, & tamen cap. 9. v. 7. dicit: *Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* similiter Ps. 68. v. 22. de Christo dicitur: *Dederunt in escam meam fel.* & Matt. 27. v. 34. indicans locum psalmi dicit: *Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum, &c.* Sic itaque optimè intelliguntur & salvantur verba Christi, quod sub una specie panis caro Christi manducetur & sanguis bibatur, *&c.*

ARTICULUS X.

Refertur Lutheri Argumentum, & refutatur.

I. *Lutherus* præceptum illud probatum vult ex illis Christi verbis Luc. 22. v. 19 *Hoc facite in meam commemorationem*, unde sic arguit: Christus præcepit Apostolis, ut facerent, quod ipse fecit, at Christus non solùm consecravit sub utraque specie, sed etiam distribuit sub utraque specie, Ergo & sacerdotes tenentur idem facere.

II. Respondeo 1. Circa illa verba Lutherus quidem sentit, quòd Christus omnibus fidelibus dixerit, ut faciant ea, quæ ipse fecit; at verò Calvinistæ volunt, quod illa solum spectent ad Ministros Ecclesiæ: ubi patet ipsorum discordia circa eadem verba S. Scripturæ, quæ volunt esse clarissima: Nam prætensi Reformati in disciplina Gallica cap. 12. art. 9. sic dicunt: *Monentur Ecclesiæ, solis Ministris competere administrationem Calicis, ut obvietur malis consequentiis*, &c.

III. Resp. 2. quòd secundum veritatem hæc verba Christi spectent ad solos Apostolos, illorumque successores Sacerdotes, sed ex illis non sequitur, quod sacerdotes debeant omnibus distribuere sub utraque specie, ut patet ex textu; Nam solus Lucas & Paulus hæc verba allegant, sed non post datum Calicem, sed post datum Sacramentum sub specie panis ut patet ex textu, adeoque ex illis verbis non potest deduci præceptum pro distribuendo calice. Etsi autem Paulus post calicis consecrationem dicat, Christum dixisse *Hoc facite*, non tamen absolutè, sed sub conditione dicēs: *Hoc facite, quotiescumque bibetis in meam commemorationem, &c.* Vbi manifestè patet disparitas, quod de specie panis dicat Christum absolutè dixisse, *hoc facite*; sed de specie vini, *hoc facite quotiescunque bibetis*, indicando, quod non semper opus sit bibere calicem, dum sumitur Sacramentum sub specie panis, sed si velimus bibere, tunc id in ejus memoriam fiat *&c* adeoque Christus non dedit de hoc absolutum pro omnibus præceptum. IV.

Resp. 3 si sacerdotes, dum celebrant, deberent omnibus secundum præceptum Christi calicem distribuere ergo quandocunque servantur ab Acatholicis Cœnæ, deberent ex præcepto Christi omnibus præsentibus dare Sacramentum sicut Christus omnibus præsentibus dedit; hoc autem falsum est, & ipsi non

Tttt 3 pra-

Digitized by Google

practicant, dum tantùm volentibus cœnam suam distribuunt ita ut plures alii præsentes non sumant: quod etiam patet apud ipsos, dum cænam suam dant alicui infirmo, sed non astantibus, *&c.* ubi ergo præceptum, quòd omnia debeant facere, quæ ibi fecit Christus?

ARTICULUS XI.

Referuntur alia Lutheri & Calvini argumenta, & refutantur.

I. ARgumentum pro prætenso mandato ponit Calvinus lib. 4. Inst cap. 17. §. 47. allegatus, ubi dicit: *Edictum æterni Regis est, ut omnes bibant*, & §. 48. dicit *Præcipientis verba sunt: Bibite ex hoc calice omnes*, adeóque sub præcepto Dei omnes tenentur sub utraque specie Sacramentum sumere.

II. Resp. 1. negando absolutè; quòd Christus illis verbis omnibus fidelibus præceperit, ut biberent ex calice, sed solis Apostolis; ut patet ex contextu, quia certum est, quod ibi cum Christo soli Apostoli in cœna fuerint, ut patet Matt. 26. v. 20. *Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis*; ubi ne quidem hospes Christi discipulus admissus fuit non enim scripturæ addendum est pius, quam exprimat, præsertim juxta Acatholicos. Habebat autem Christus alios 72. discipulos, qui non aderant, nec Maria mater Domini & aliæ mulieres, itaque Matt. ibid. v. 26 dicit: *Cænantibus eis*, scilicet duodecim, de quibus locutus est, *accepit Iesus panem*, &c. *& deinde accipiens calicem gratias egit & dedit illis* utique duodecim *dicens: Bibite ex hoc omnes.* Quod vero per verbum *omnes* Christus non intellexerit omnes suos fideles patet ex Marco cap. 14. v. 24. ubi dicitur *Et accepto calice gratias agens dedit eis: & biberunt ex eo omnes*, *&c.* ubi verbum *omnes* non potest comprehendere omnes Christi fideles, qui aberant, sed solos omnes duodecim Apostolos præsentes, alioquin quod absit, Marcus mentitus esset.

III. 2. certùm est, quòd Christus ibi per ly *omnes* non intellexerit omnes homines etiam infideles ùt Acatholici concedere debent, 2. nec omnes fideles parvos & magnos utpote infantes, ut etiam concedunt, 3. nec omnes adultos, quia sic & abstemii sub præcepto calicem sumere deberent, quod & ipsi negant, *&c.* justissimè ergo ly *omnes* ad solos Apostolos ibi præsentes spectat: & ratio particularis est, quare potius Dominus post calicem illa dixerit, quam post panem datum: quia singulis dabat unam partem ex pane consecrato fracto; sed calicem dabat ut successivè ex eo omnes biberent, nec unus illorum exhauriret, & sicut Matt. refert Christum dixisse *Accipite & bibite ex hoc* omnes sic Luc. 22. v. 7. dicitur, *accipite & dividite inter vos.* Vbi manifeste intelligitur de solis Apostolis, ut dividerent calicem inter se, successivè ex eo aliquid bibendo Vbi jam edictum æterni Regis ad omnes fideles, ut Calvinus clamat? Si autem per illa verba, *bibite*, tam absolutum præceptum pro omnibus fidelibus datum est, qua conscientiâ Acatholici excipiunt non solum infideles sed etiam fidelium infantes, quibus olim aliqui SS. Patres calicem dederunt? qua Conscientia sub una specie dant Sacramentum abstemiis? Verba S. Scripturæ non faciunt distinctionem, nec Acatholici id volunt, & tamen distinguunt. Catholici autem habent ex traditione Ecclesiæ à tempore Apostolorum quam ipsi negant, & exemplo Christi & Apostolorum; quæ ipsi etiam negant.

IV. *Lutherus* in lib de Capt Babylon. cap. de Euchar. sic probat, quòd, *bibite* Christus omnibus fidelibus dixerit & ad omnes spectet, sic argumentans; iisdem dictum est, *bibite*, quibus dictum est *manducate*, sed hoc dictum est omnibus fidelibus; ergo & bibite. Vel si solis sacerdotibus dictum est manducate, ergo laicis non competit manducare, *&c.*

V. Resp. concedendo totum, quòd ibi solis discipulis dictum sit manducate & bibite: ac proinde virtute illorum verborum non obligentur fideles manducare nec bibere; imo nec alii sacerdotes, sed solum Apostoli præsentes tunc monebantur & invitabantur à Christo ut sumerent; ideo dixit Euangelista, *biberunt ex eo omnes*, quibus Christus illa verba dixerat. Quod autem sub præcepto Christus dixerit Apostolis pro ipsis & successoribus factum est per illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus Christus ipsos Apostolos sacerdotes ordinavit, & potestatem dedit faciendi, quod ipse in cœna fecit, ut S. Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. ex communi Ecclesiæ & SS. Patrum sententia docet. Nullum ergo præceptum universale in verbo, *manducate & bibite* Ecclesia datum intellexit, nec tamen sequitur quod non liceat laicis dare Sacramentum à Christo institutum, licet non mandasset fidelibus, illius sumptionem; probabilius tamen est, quòd Christus aliis verbis mandaverit populo tam illis, *hoc facite*: quam illis Ioann. 6. *nisi manducaveritis*, *&c.* non tamen sub utraque specie, ut supra ostensum est.

VI. Hæc responsio ex eo magis patet; quia plurimi Doctores Catholici, negant Christum dedisse præceptum laicis, ut sumant ven. Sacramentum; licet instituerit in illorum salutem, si velint sumere. Sic olim ante quadringentos annos quando adhuc nulla controversia in Ecclesia mota esset de præcepto communicandi sub utraque specie, docuit *Alexander Alensis* 4. parte 1 q. 51. memb. 4. *D. Thomas* in 4. dist. 12. art. 5. q. 1. *Caietan.* in 3. p. q. 80. art. 11. licet D. Thomas hoc loco sententiam mutaverit, plures tamen DD. docent esse præceptum Christi duobus locis jam citatis; nullus tamen doctor docet id esse de fide certum cum expresè ex verbis S. Scripturæ non possit probari, nec Ecclesia vel Concil. Trid. expresè de hoc aliquid definivit, licet aliqui velint id colligere ex ipso sess. 13. cap. 2. ubi declarat, quod Christus hoc Sacramentum instituerit, & subdit, de Christo dicens: *Sumi autem voluit Sacramentum hoc tanquam spiritualem animarum Cibum, quo alantur & confortentur viventes vita illius qui dixit: qui manducat me & ipse vivet propter me; & tanquam antidotū*, &c. *& pignus*, &c. *futuræ nostræ gloriæ*, &c. *& symbolum unius Corporis, &c.* hæc Concil. Sed inde non potest convinci præceptum ut DD. fatentur, sed solum quod Concilium declaret intentionem, ob quam Christus hoc Sacramentum instituerit, & ob quam frequentari & sumi debeat, quando sumi-

Digitized by Google

sumitur, *&c.* ex quibus patet, quòd multo minus de fide certum sit, quòd Christus communionem sub utraque specie laicis præceperit, & ipse Lutherus vult quod liberum sit fidelibus S. Eucharistiam sumere vel abstinere, cur ergo illa verba manducate & bibite, ut præcepta urget?

VII. *Lutherus* aliud argumentum, quod maximè omnium urgere dicit, proponit; scilicet; Christus dixit: *Hic est sanguis meus, qui pro vobis & pro multis effundetur.* ubi clarè Christus dixit, quod sanguis ejus pro omnibus omnino effundetur, & non solum pro sacerdotibus, pro quibus autem effunditur, illis etiam dari debet, *&c.*

VIII. Respond. concedendo quòd sanguis Christi pro omnibus omnino hominibus effusus sit, juxta illud 1. Ioann 2. v. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi, &c.* adeoque & pro Turcarum, Ethnicorum Iudæorum, *&c.* an ergo juxta argumentum Lutheri illis dandus est calix Sacramenti? utique falsum est, ergo non valet consequentia, illos omnibus dandus est calix sanguinis, pro quibus sanguis Domini effusus est. Effusus est semel in Cruce pro omnibus, effunditur in sacrificio Missæ quotidie pro omnibus, sicut etiam pro infantibus & quibuscunque, non tamen datur calix omnibus bibendus.

IX. Demum Acatholici hoc utuntur argumento; Christus Marci 13 v. 37. dicit, *quod vobis dico omnibus dico,* ergo quod Christus dixit & præcepit Apostolis hoc omnibus dixit & præcepit.

X. Respond. valde inepta est hæc argumentatio, & ex textu patet, nam Christus non dicit absolutè, ut præfertur, sed sic: *Quod vobis dico omnibus dico, vigilate, &c.* & hoc verum est: sed inde inferre, quod omnia quæ Christus dixit Matt. 26. v. 31. Apostolis: *Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte.* Ergóne hoc omnibus fidelibus dictum? Etiam Christus dixit Matt. 28. v. 19. discipulis: *Euntes baptizate omnes gentes.* Iterum *Ecce ego mitto vos in medium luporum*, &c. Ergone omnibus ista dicta sunt & præcepta? quam hoc est absurdum?

CONCLVSIO.

I. EX his clarissimè patent gravissima, ac crassissima Acatholicorum mendacia qui & scripto & ore asserere audent: communionem sub una specie esse contra præceptum Christi & planè novam in Ecclesia, ut etiam ab hominum memoria inceperit, quin potius ex prædictis evidés est, quod Acatholicorum doctrina de præcepto Christi sub utraque specie respectu fidelium sit nova & ficta à Petro Dresdensi Hussita circa Ann. 1400. contra communem sententiam & usum antiquæ Ecclesiæ tam Græcæ, quã Latinæ, ita ut ante illum annum nec Ecclesia Latina nec Græca communionem sub utraque specie divini præcepti esse docuerit vel illam erroris notarit; quod ex eo evidentius patet, quod Græci quantumvis Ecclesiæ Latinæ infensi nunquam Ecclesiem Latinam de hac consuetudine vel lege reprehenderunt, aut erroris arguunt, imo ipsimet Græci ægrotis & peregrinantibus sub unica specie Communionem tribuunt ut supra ostensum est. Cum tamen Græci Latinam arguant Ecclesiam quod Eucharistiam in Azimo conficiant, quod longè minus est, quàm in una specie, ac proinde in hoc non negant vel hoc signum est, quod nec id S. Scripturæ nec antiquæ Ecclesiæ contrarium esse ullo modo agnoscant.

II. Videat & consideret hæc sincerus Lector, an Con il. Trid. vel Ecclesia Catholica quo ad Communionem sub una specie laicis dandam agat contra præceptum Christi? an contra doctrinam & usum primitivæ Ecclesiæ? an injuriam inferat laicis, qui sub una specie verè Christum totum suscipiunt vivum secundum Corpus & sanguinem ac salutarem ejusdem Sacramenti fructum percipiunt? An potius Acatholici Christi præceptum sine scriptura imo contra S. Scripturæ & SS. Patrum doctrinam vel exemplum urgentes; pro suo beneplacito, & abstemiis Eucharistiam sub una specie præbeant & in locis septentrionalibus etiam Eucharistiam sine vino in aliquo cocto liquore dari posse asserant, & quod gravissimum est, propter hanc & alias fictas & falsas causas ab unione Ecclesiæ recedentes privent sibi adhærentes vero Eucharistiæ Sacramento ipso Christi Corpore & sanguine, nudum panem & vinum illis tribuentes, tam Lutherani, quia idoneos à Christo institutos sacerdotes non habent, quam prætensi Reformati, qui nec sacerdotes habent, nec suos Christi Corpus & sanguinem ore Corporali sub Sacramento sumere profitentur.

ANTITHESES

Ex Doctrina SS Patrum Catholicæ veritatis & Acatholicorum falsitatis circa communionem sub utraque specie.

1. SAncti Patres docuerunt quidẽ: quòd Christus Dominus S. Eucharistiã in ultima Cœna sub utraque specie instituerit pro salute & solatio omnium fidelium, nunquam tamen asseruerunt, quod Christus præceperit fidelibus Sacramentum non conficientibus, ut sub utraque specie illud susciperent, *Ita etiam docet Ecclesia Catholica Romana.*

Acatholici absolutè volunt Christum dedisse præceptum omnibus omnino fidelibus, ut, si Sacramentum suscipere velint, id sub utraque specie percipiant.

2. *Sancti Patres non docuerunt*: quòd Christus illis verbis, *bibite ex hoc omnes*, omnibus fidelibus mandarit, ut calicem sumerent. *Id etiam non docet Ecclesia.*

Acatholici id prorsus volunt & urgent contra clarum S. Scripturæ textum, adeóque Euangelistam Marcum mendacii arguunt qui dixit: *Et biberunt ex eo omnes.*

3. *Sancti Patres docuerunt*: Christum in *Emaus* dedisse discipulis duobus Eucharistiam, similiter fideles in actibus Apostolorum perseverantes in oratione & fractione panis Eucharistiam percepisse, sed non docent, illos tunc sub specie vini Eucharistiam sumpsisse, *idipsum nec docet Ecclesia Catholica.*

Acatholici fatentes illa loca de Sacramento Eucharistiæ intelligenda; sed volunt ibidem sub specie vini Sacramentum administratum esse, contra

Digitized by Google

contra clarum S. Scripturæ textum, vel saltèm sine textu contra sua principia.

4. *Sancti Patres nunquam docuerunt*: quòd fideles tempore Apostolorum ex Iudæis conversi, & adhuc legis cæremonias servantes Nazaræorum, qui à vino abstinent S. Eucharistiam sub specie vini sumpserint; *Nec hoc docet Ecclesia*.

Acatholici sine textu S. Scripturæ & contra leges Nazaræorum volunt illos sub utraque specie Eucharistiam sumpsisse.

5. *Sancti Patres primitivæ Ecclesiæ tam Græci, quàm Latini* nunquam docuerunt quod Abstemii vel debeant Eucharistiam sub utraque specie suscipere vel ab ea prorsus abstinere; *Ita nec docet Ecclesia*.

Acatholici nec hoç dicere possunt, imò Abstemiis sub una specie Eucharistiam præbent contra præceptum Christi, quod ipsi volunt datum, nec de hoc habent exemplum ex S. Scriptura.

6. *Sancti Patres Græci & Latini* in primitiva Ecclesia non solùm permiserunt, sed & præceperunt, ut ægrotis Eucharistia sub una specie in domibus ante mortem daretur, *ita etiam docet & practicat Ecclesia Catholica*.

Acatholici idipsum præstant, sed contra præceptum Christi, quale ipsi volunt, idque sine expressa scriptura in hoc dispensante.

7. *Sancti Patres Græci & Latini primitivæ Ecclesiæ* fidelibus promiscuè dederunt S. Eucharistiam sub sola specie panis domum, imò Eremitis ad Eremos deportandam, quam subsequentibus temporibus sumerent; *Ecclesia Catholica id benefactum esse docet cum nullum esset præceptum Christi de utraque*.

Acatholici idipsum fateri debent esse factum, sed quomodo excusant SS. Patres à prævaricatione præcepti Christi quod urgent?

8. *Sancti Patres primitivæ Ecclesiæ Græci & Latini* etiam publicè in Ecclesia populo ad libitum dederunt S. Eucharistiam vel sub una vel utraque specie; *Hoc SS. Patres bene fecisse docet Ecclesia*, quia nullum præceptum obstat.

Acatholici hóc factum esse in primitiva Ecclesia contra manifestas historias & testimonia Patrum negant.

9. *Quidam Pontifices Romani* post 4 priora seculo prohibuerunt in templo Communionem sub una specie tantum, non ob præceptum Christi, sed ad detegendos Manichæos, qui vinum fel Diaboli asserentes, & Christum verè mortuum negantes à calice semper abstinebant, & cum Catholicis communicabant; *Hoc bene factum esse Ecclesia docet*.

Acatholici quantumvis Romano Pontifici infensi illas tamen prohibitiones pro utraque specie tanquam ex præcepto Christi factas in testimonium antiquæ Ecclesiæ allegant, sed falsissimè.

10. Nulla unquam Concilia nec SS. Patres primitivæ Ecclesiæ Græcæ & Latinæ improbârunt usum S. Eucharistiæ sub una specie tantum, qui passim usurpabatur, idque, quia nullum esset Christi præceptum; *ita etiam docent Ecclesiæ*, Græca & Latina, modernæ.

Græci posterioribus seculis postquam ab Ecclesia Romana defecissent, & illam de errore processionis spiritûs S. & aliis accusarent, nunquam tamen Ecclesiæ usum sub una specie abiecerunt, imò ipsimet ægrotis & peregrinantibus Eucharistiam sub una specie usque modò communicant.

Acatholici hæc negare non possunt; & tamen ad Græcos appellant.

11. *Sancti Patres à mille & ultra annis crescente* fidelium numero, & consideratis irreverentiis, & difficultatibus quæ circa usum Calicis contingebant, in pluribus Ecclesiis quibus præerant cõmunionem sub una specie tantùm populo dispensarunt, nec in hoc ab aliis Ecclesiis Græcis vel Latinis erroris sunt notati, quasi contra præceptum Christi, fieret; *id etiam fatetur Ecclesia Catholica*.

Acatholici illos Sacrilegii & prævaricationis divini præcepti condemnant.

12. *Sancti Patres in Concilio Constantiensi & Basileensi* videntes quòd *Hussitæ* recentes exorti usum antiquæ Ecclesiæ erroris tanquam Christi præcepto contrarium damnarent, & etiam negarent Christum integrè secundum Corpus & sanguinem sub una specie sumi, ad hujusmodi errores damnandos antiquam Ecclesiæ in plerisq locis ob causas plures à multis seculis servatam sub una specie communicandi consuetudinem approbarunt, & pro uniformitate ac ad discernendos Catholicos ab hæreticis universaliter servandam præceperunt; *id piè & justè factum esse Ecclesia docet*.

Hanc Ecclesiæ ordinationem Acatholici damnant.

Ex his patet quàm falsò Acatholici asserant Christi præceptum de Communione sub utraque specie, & quam longè à primitiva Ecclesia in hoc dissentiant; imò se ipsos prævaricationis divini præcepti condemnent; dum abstemiis sub una specie suam putatam Eucharistiam præbent.

Finis Libri XV.

LIBER

Digitized by Google

LIBER XVI.

De Sacrificio Missæ.

HOc sacrosanctum & divinum sacrificium à Christo Domino saluberrimè institutum, Acatholici hujus temporis, diabolo concitante, maximè impugnant, & impiè detestantur; contra S. Scripturam & SS. Patrum communem sententiam: unde inter articulos, quos D. Vexillifero probandos proposueram, ut illos, quos prætensi Reformati docent, sanctorum Patrum doctrinæ conformes esse demonstrarer, etiam hic erat, scilicet: *quòd Missa seu sacrificium corporis Christi in Ecclesia Romana Catholica à Sacerdotibus offerri solitum, sit abominabilis & ficta idololatria.* Quid tres illi Authores trium libellorum anonymi loco D. Vexilliferi pro illo suo articulo contra sacrificium Missæ attulerint, postea referetur, & refutabitur; priùs autem veritas ipsa Catholica ostendetur.

CAPUT I.

Referuntur errores Acatholicorum, & veritas Catholica circa sacrificium Missæ.

ARTICULUS I.

Referuntur errores Acatholicorum.

I. IN antiqua Ecclesia præter fortè Manichæos, qui universaliter negabant ullum sacrificium externum, tam in veteri, quàm in nova lege; sed solas orationes pro sacrificio agnoscebant: ut colligitur ex Augustino lib. 20. contra Faustum cap. 16. & 17. nulli leguntur hæretici, qui sacrificium Eucharistiæ seu missæ absolutè impugnarint: non quidem ex eo, quasi illud sacrificium tunc ignotum fuisset, ut splendidè mentiuntur Acatholici Anonymi, ut ex infra dicendis patebit; sed quia nimis evidenter clarum erat ex S. Scriptura; unde solùm aliqui negabant illud sacrificium pro defunctis offerendum esse, ut infra de Aërianis ostendetur.

II. Primi hoc sacrificium negantes notantur Bogomiti circa Ann. 1050. qui illud dæmonum, qui in templis habitarent, sacrificium vocabant. Ita refert *Euthymius* Panopliæ p. 2. tit. 23. cap. 17.

Hos secuti sunt *pseudo Apostoli* Anno 1150. ut refert Petrus Cluniacensis epist. 1. contra Petrobrusianos, & *Lollardi* circa annum 1315. teste Trithemio in Chronico Hirsaugiensi.

Postea *Wicleff* art. 5. in Constanti Concilio damnato asserebat: non esse fundatum in Euangelio, quòd Christus missas ordinârit.

Demum *Lutherus* omni conatu hoc sacrum mysterium impugnare cœpit, primò in colloquiis convival. fol. 352. sic dicere non erubuit: *Turcas potiùs aut Tartaros tolerabo, quàm ut missa maneat*; & ad cap. 66. Isa. sic ait: *Monachi, quoties missam celebrant, graviùs peccant, quàm si cædem faciant. Est enim blasphemiæ opus, &c.* hæc ille.

III. Sciendum autem est, quòd *Lutherus* duo in missa distinguebat; scilicet orationes & alias ceremonias, & ipsam oblationem Eucharistiæ: & quidem quoad priora admittebat missam, ut patet ex formula missæ pro Ecclesia Wittenbergensi, quam ipse Ann. 1523. edidit, ubi admittit *Introitum, Kyrie eleison, Gloria in excelsis, orationes & lectiones seu epistolas, Graduale & alleluia,* & aliquas *sequentias, Euangelium, Credo*: sed ea, quæ postea in missa quoad *oblationem* fiunt, detestatur, dicens: *Sequitur tota ista abominatio, &c.* & paulò pòst: *Proinde; omnibus illis repudiatis, quæ oblationem sonant cum universo Canone; retineamus, quæ pura & sancta sunt, &c.* scilicet pro suo placito, qui in libro de Missa privata & unctione Sacerdotum; Anno 1534. edito palàm fatetur; *se à diabolo edoctum, quòd missa esset summa abominatio, idq; non per somnium, sed dum vigilaret*: dignus certè tali discipulo magister!

Calvinus stratam à Luthero viam eodem magistro audacter ingressus est, lib. 4. Inst. cap. 18. §. 1. dicens: *Quòd Sathan pestilentissimo errore totum ferè orbem excæcarit; ut crederet missam sacrificium & oblationem esse ad impetrandam peccatorum remissionem, &c.* hæc ille. IV.

Hunc ipsius sectatores imitantur, & specialiter in Catechismo Heidelbergensi Hanoviæ Germanicè impresso Anno 1615. ubi §. de Cœna Domini sic dicitur: *Missa papalis in fundamento nihil aliud est, quàm abnegatio unici sacrificii & passionis Iesu Christi, & est maledicta idololatria, &c.* hæc ibi. Ad quod allegant omnes textus S. Scripturæ; qui agunt contra cultum dæmonum & simulacrorum; ubi non secùs agunt, quàm si quis diceret, cultus veri Dei, Creatoris cæli & terræ, est idololatria; & ad hoc allegaret prædictos S. Scripturæ textus: proh pudor, quod homines, qui non solùm Christiani, sed purissimi Euangelici dici volunt, tam sanctum in memoriam passionis & ejusdem participationis à Christo institutum Dei cultum, idololatriæ damnare audeant; verè Anti-Christi. V.

***

Digitized by Google

ARTICULUS II.

Quid per Sacrificium intelligatur.

I. VT status controversiæ, quam Acatholici contra doctrinam Ecclesiæ Catholicæ movent, meliùs intelligatur; exponendum est, quid per sacrificium intelligatur, & missam.

Primò quidem: vox *Sacrificium* passim in S. Scriptura usurpatur, sed in diverso sensu, & potissimùm duplici. Primò generaliter & impropriè, pro omni eo, quod Deo qualitercunque offertur sive corde tenus, sive exterius à quocunque homine: sic ps. 4. v. 6. dicitur; *Sacrificate sacrificium iustitiæ.* Et ps. 49. v. 14. *Immola Deo sacrificium laudis.* & ps. 50. v. 19. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, &c.* sic omnes etiam cordis pii actus vel externæ orationes, aut aliæ externæ ceremoniæ & actiones ad Dei honorem factæ, sacrificia dicuntur.

II. 2. Sacrificium usurpatur specialiter & propriè, pro re aliqua sensibili & permanente; quæ soli Deo in signum summi ipsius supra omnem creaturam dominii, à legitimo ministro certo ritu externo offertur, consecratur & consumitur.

Hoc sensu S. scriptura propriè hoc nomine utitur, & contra alia impropriè tantùm sacrificia distinguit, ut patet ps. 50. v. 18. *Quoniam si voluisses sacrificium dedissem utique, holocaustis non delectaberis, &c.* ubi distinguitur à spiritu contribulato, qui impropriè ibidem sacrificium dicitur. Sic Oseæ 6. v. 6. dicit Dominus, *quia misericordiam volui & non sacrificium, & scientiam Dei plusquam holocausta, &c.*

III. Sacrificium itaque propriè dictum subinde dicitur res ipsa; quæ Deo offertur, ut Levit. 2. v. 4. *Cùm obtuleris sacrificium coctum in clibano de simila, panes scilicet absque fermento, &c.* & ipsa simila etiam ibid. v. 1. dicitur *oblatio, simila erit oblatio eius, &c.* subinde sacrificium sumitur pro ipsa actione exteriore, quâ sacerdos rem seu hostiam Deo offert; ut Num. 29. v. 3. *In sacrificiis eorum, similæ oleo conspersæ, &c.* subinde sacrificium usurpatur pro utroque; ut scilicet dicit & rem oblatam seu hostiam, & ipsam actionem seu ritum, quo offertur, prout etiam scriptura indicat: ista tamen actio seu ritus externus includit actionem ministri internam; quâ vult & intendit per externum actum Deo hostiam offerre: actio autem hæc dupliciter spectatur, semel prout est ex parte ipsius ministri, sic subinde bonum, subinde malum dicitur sacrificium, quatenus minister in bono vel malo statu est, ùt patet de sacrificiis Abel & Cain Gen. 4.

IV. Quòd autem sacrificium seu res oblata debeat esse sensibilis & permanens, & exteriore actu offerri, patet ex veteri testamento; ut in sacrificio Abel, Gen. 4. Noë, Gen. 8. Melchisedech, Gen. 14. Abraham, Isaac & Jacob, ac in omnibus sacrificiis in lege Moysi ordinatis: sic Apost. Heb. 5. v. 1. dicit: *Omnis namque Pontifex, &c. constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia.* Et c. 8 v. 3. *Omnis enim Pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur, unde necesse est, & hunc habere aliquid quod offerat.*

V. *Essentiale* autem sacrificio est; ut soli Deo in signum summi dominii ipsius & propriæ subjectionis offeratur; & ideo dicitur Exodi 22. v. 20. *Qui immolat diis, occidetur præterquam soli Deo*: seu ùt August. lib. 10. Levit. c. 4. legit: *Sacrificans diis eradicabitur, nisi Domino soli*; & subjungit dicens: *Sacrificium certè nullus hominum est, qui audeat dicere deberi, nisi Domino soli.* Et infrà: *Quis verò censuit sacrificandum nisi ei, quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit.*

Talia sacrificia ab initio mundi fideles Deo obtulerunt, & Deus in veteri lege Israëlitis præscripsit; quæ cùm in se imperfecta essent, juxta illud Hebr. 9. v. 9. *Hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere servientem, &c.* plura & diversa erant; aliqua dicebantur *holocausta*, quæ tota cremabantur, ùt habetur Levit. 1. alia erant *pro peccatis*, ibid. alia dicebantur *pacifica*, ibid. c. 3. *&c.* quæ partim cremabantur, partim comedebantur, *&c.* nec ex se Deo grata erant, sed ex devotione offerentium grata, vel ex malitia erant abominabilia. Sic Isa. 1. v. 13. *Incensum abominatio est mihi.* VI.

Quòd autem sacrificia à certis & legitimis ministris fiant, ratio est; quia nomine communitatis peraguntur, adeoque à legitimis ministris sunt peragenda, juxta illud Hebr. 5. v. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum.* Quod patet etiam ex vet. Test. nam ante legem Moysi familiarum Patres offerebant, ut *Noë, Abraham, Isaac, Iacob*: in lege autem Moysi soli Aaron & filiis ejus sacrificare licebat, & sacerdotes constituebantur: ut patet Exodi 29. sic 2. Paralip. 26. Oziæ Regi sacrificium offerre volenti dicebat Azarias sacerdos v. 17. *Non est tui officii Ozias, ut adoleas incensum Domino; sed sacerdotum, hoc est filiorum Aaron.* Vnde Apost. Hebr. 5. v. 4. dicit: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron: sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, &c. Tu es sacerdos in æternum, &c.* VII.

Demum, quod verè & propriè dictum sacrificium certo ritu consecretur, offeratur, & destruatur seu consumatur ad Dei honorem; etiam patet ex omnibus sacrificiis veteris legis: vel enim occidebantur, & sanguis eorum effundebatur, ut de animalibus Levit. 1. dicitur: vel si erant inanimata, ut erant similæ, seu panes absque fermento & alia, partim cremabantur, partim cedebant sacerdotibus Levit. 2. vel planè cremabantur, ut thus Levit. 2. v. 16. & 6. v. 15. quæ sacerdotibus tradita, per manus ipsorum offerebantur, & ad consumptionem deputabantur. VIII.

His suppositis, non est quæstio vel controversia; an in lege nova gratiæ sint sacrificia impropriè dicta; hoc enim certissimum est, quia in lege gratiæ maximè usurpandæ sunt actiones virtutum, & specialiter Religionis, *dolor de peccatis amor Dei, gratiarum actiones, &c.* de quibus dicit Apostolus 1. Tim. 2. v. 1. *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro regibus, &c.* nam, licèt ibi Apostolus, ut SS. Patres præsertim August. epist. 59. ad Paulinum indicant, potissimum loquatur de piis illis actibus publicè in Ecclesia à publicis ministris ante & post consecrationem Eucharistiæ peragendis, non tamen sunt propriè sacrificia, ut ex prædictis patet, & à quolibet privato tam solo corde, quam externa operatione fieri possunt. IX.

2. Certissimum & indubitatum est; quod verissi- X.

Digitized by Google

rissimum & perfectissimum in nova lege sit sacrificium, scilicet, cùm Christus ipse sacerdos se ipsum, ut hostiam in ara crucis cruento modo fundens suum sanguinem, obtulit: prout patet ad Hebr. 7. v. 26. *Talis decebat, ut nobis esset Pontifex sanctus, &c. qui non habet quotidie, quemadmodum sacerdotes* (veteris legis) *priùs pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi, hoc enim fecit semel seipsum offerendo, &c.* juxta quod Augustinus lib. 1. contra Adversar. legis & Prophetar. cap. 18. ait: *Quoniam singulari eo solo vero sacrificio pro nobis Christi sanguis effusus est.* A quo sacrificio omnia sacrificia & sacramenta virtutem habent, quod infiniti est valoris; *& propitiatio est pro peccatis totius mundi.* 1. Joann. 2. v. 2.

XI. Quæstio autem est: an præter illud sacrificium, quod Christus Dominus in cruce semel tantùm peregit cum effusione sanguinis seipsum in propria specie offerendo; aliud verè & propriè dictum sacrificium in ultima cœna celebrârit, & à certis ministris, scilicet Apostolis eorumque successoribus in Ecclesia usque in finem mundi peragendum & repetendum instituerit; in quo corpus & sanguis ejus sub specie panis & vini in sacramento Eucharistiæ incruento modo, sine scilicet actuali sanguinis effusione, Deo Patri, non solum in memoriam, & repræsentationem sacrificii cruenti in cruce facti, sed etiam ut impetratorium & propitiatorium pro Fidelibus offerretur?

X.I. Hæc Acatholici absolutè negant; licèt aliquo modo cócedant, quòd sacramentum Eucharistiæ in memoriam passionis Dominicæ à quibuscunque Fidelibus ad honorem Dei sumptam impropriè sacrificium dici possit: sicut & Baptismus tale sacrificium dici possit, & quodvis aliud opus: Ecclesia autem Catholica credit & docet sacrificium propriè dictum Christum in cœna celebrasse, & in sacrificio Missæ celebrandum, instituisse.

ARTICULUS III.

Doctrina Ecclesiæ Catholicæ quoad Sacrificium Missæ proponitur.

I. S*Ciendum* imprimis, quoad nomen Missæ: quòd Ecclesiæ Catholica non hæreat in nudo nomine, de quo infrà dicetur; cùm nomina variè usurpari & mutari possint, & parum ad rem faciant, si de re constet, quam Ecclesia per illud nomen intelligit.

II. Itaque Ecclesia Catholica per nomen *Missa* intelligit celebrationem certi publici officii divini, in quo S. sacramentum Eucharistiæ conficiatur; scilicet, ubi per verba Christi panis & vinum in corpus & sanguinem Christi transsubstantiatur, ita ut corpus & sanguis Christi sub speciebus panis & vini solis remanentibus præsens fiant, & Deo Patri vero sed incruento modo offerantur; & præter hoc plures orationes & alia sancta verba & cæremoniæ ad majorem tam tremendi sacrificii reverentiam recitantur & exercentur; prout ab initio Ecclesiæ ab Apostolis eorumque successoribus ordinata fuerunt: sic ergo missa duo comprehendit, unum *principale* scilicet ipsum propriè sacrificium Eucharistiæ seu actiones, quibus Eucharistia ipsa seu corpus & sanguis Christi sub speciebus panis & vini offertur; quas Christus ipse in ultima cœna offerendo exercuit. Alterum *secundarium*, ut sunt reliqua omnia, ex ordinatione Apostolorum & Ecclesiæ huic sacrificio addita; quæ ad ipsum missæ sacrificium essentialiter non spectant, licèt ex ordinatione Ecclesiæ adjungi debeant. Etsi autem hæc à Doctoribus Catholicis clarè distinguantur; Acatholici tamen, ut calumniandi occasionem habeant; Ecclesiæ imponunt: quod rationem sacrificii missæ in exterioribus certis ceremoniis constituat; scilicet, quod sacerdos certis vestib s indutus, variis gestibus, genuflexionibus, corporis & manuum, & brachiorum motibus, conversionis, altâ subinde, submissâ quandoque voce utatur, &c. quæ meræ fictæ calumniæ sunt.

III. Ut autem doctrina Ecclesiæ Catholicæ clarè pateat quam Concil. Trid. tradit, verba illius subjunguntur sess. 22. cap. 1. quibus doctrinam Catholicam profitetur, scilicet: *Is igitur* (Christus) *Deus & Dominus noster, etsi semel seipsum in ara crucis morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur, quia tamen per mortem sacerdotium ejus extinguendum non erat, in cœna novissima, quâ nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur; ejusque memoria in finem usque seculi permaneret; atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur peccatorum applicaretur; sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit; ac sub earundem rerum symbolis Apostolos, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes instituebat, ut sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba:* Hoc facite in meam commemorationem. *Uti semper Ecclesia Catholica intellexit & docuit,* &c. hæc Concil.

Idem ibid. sess. 22. can. 4. sic definit: *Si quis dixerit blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto, per missæ sacrificium, aut illi in hoc derogari, anathema sit.*

Ex his patet primò, quid Ecclesia propriè per sacrificium missæ intelligat, scilicet; ut illud à sacerdotibus fiat, quod Christus in cœna fecit, & ipsis faciendum præcepit. 2. quòd Ecclesia non credat, nec doceat; hoc sacrificium esse institutum quasi sacrificium in cruce non fuisset sufficiens pro salute mundi; sed quia Christi sacerdotium per mortem non cessabat, & Ecclesiæ conveniens erat, ut haberet visibile semper sacrificium; idque primò ob generalem congruitatem, quia cùm ab initio mundi congruum fuerit, ut homines per sensibilia signa seu sacrificia protestarentur se Deum super omnia colere; idque in lege naturæ Deus inspirârit, & in lege Moysi ordinârit; congruum etiam erat, ut in nova lege unum excellentius sacrificium seu signum institueretur quo Christiani exterius Deum colerent, & protestarentur, se Deum super omnia honorare, quòd per sacrificium Eucharistiæ commodissimè fieret: ad hoc specialiter etiam, ut sacrificium crucis visibiliter repræsentaretur, & Deus quoti-

IV.

V.

Digitized by Google

quotidie per hoc honoraretur, ac virtus crucis sacrificii Fidelibus applicaretur, & ex hoc sacrificio Fideles participes fierent; sicut Apostoli in ultima cœna participabant.

VI. Ex his ostenditur manifesta & gravissima Acatholicorum & mendacium, imò blasphemia; specialiter Calvini; qui lib. 4. Inst. c. 18. §. 1. sic dicere non veretur; *Sed horrendæ abominationis caput fuit, quum* (Sathan) *signum exhibet, quo non modo obscuraretur & perverteretur* (cœna Domini) *sed penitùs obliterata & abolita evanesceret, & ex hominum memoria excideret, nempe; quum pestilentissimo errore totum penè orbem excæcavit, ut crederet missam, sacrificium & oblationem esse ad impetrandam peccatorum remissionem*, & infrà: *Missam esse opus, quo sacerdos, qui Christum offert, & alii, qui in oblatione participant, Deum promerentur; vel expiatoriam esse victimam, quâ sibi Deum reconcilient. Neque id communi tantum vulgi opinione receptum est, sed ipsa quoque actio sic est instituta, ut genus sit placationis, quo pro vivorum & mortuorum expiatione Deo satis fiat*, & infrà: *Sed ubi verbo Dei clarissimè comprobatum fuerit, hanc quantumvis fucatam & splendidam* (Missam) *insigni contumelia Christum efficere, crucem eius sepelire & opprimere, mortem eius in oblivionem tradere, fructum, qui ex ea nobis proveniebat, tollere, Sacramentum, quo mortis memoria relicta erat, enervare & dissipare, &c.* Rursus ibid §. 14. blasphemè sic dicit: *Quamobrem constituo, sceleratissimum probrum, & non ferendam esse blasphemiam, tam in Christum, quàm in sacrificium, quo per mortem suam in cruce pro nobis defunctus est; si quis repetitâ oblatione de redimenda peccatorum venia, de propitiando Deo & obtinenda iustitia cogitet, &c.* hæc ille verè blasphemus Calvinus.

VII. Quis non miraretur impudentiam illius hominis, si calumnias illius cum veritate doctrinæ Catholicæ conferat? quomodo dici potest, quòd per Ecclesiæ Catholicæ doctrinam de sacrificio hoc incruento, aboleatur memoria cœnæ Domini & passionis? cùm constet, quòd doceat hoc sacrificium ideo à Christo esse institutum, ùt eo magis memoria passionis Christi quotidie in Ecclesia renovaretur & excitaretur, prout experientia constat: at verò Calvinum potiùs cum suis hanc sanctam passionis memoriam prorsus abolitam cupere doctrina & facta eorum probant; dum & hoc sacrificium abominantur, & quodcunque etiam externum passionis Christi signum, quo passio hominibus in memoriam reduci potest, detestantur & auferunt, ùt patet, dum nec crucis signum ferre possunt.

VIII. Constat etiam ex verbis Concilii, quòd Ecclesia non credat vel doceat, quod hoc sacrificium incruentum ideo repetatur, quasi sacrificium Christi in cruce semel factum non sit sufficiens, *nec illius vis & efficacia æterna sit, ut quicquid reconciliandæ Patris gratiæ, impetrandæ peccatorum remissioni iustitiæ saluti necessarium erat, nec hoc totum unica illa in cruce oblatione præstitum & consummatum sit, adeóque nihil deesse, ut nullus postea locus alteri hostiæ relinqueretur, &c.* quod totum Calvinus suprà § 13. exaggerat, & Ecclesiæ Catholicæ contrarium imponit; quæ verè docet: quòd omnia illa Christus unicâ oblatione in cruce perfecerit; ut ideo adhuc nullus locus alteri hostiæ relictus sit, quâ illa impetrari & præstari debeant, hoc fateretur Ecclesia esse blasphemū: sed cum his omnibus verè consistit, quod eadem illa hostia, quæ in cruce oblata est, & omnia à Patre impetravit, incruēto modo sæpius offeratur, ut memoria illius cruentæ efficacissimæ oblationis repræsentaretur, & vis ac efficacia æterna illius cruentæ hostiæ Fidelibus applicaretur; quorum nihil sacrificio crucis derogat, nec contrariatur: sed potiùs sacrificium crucis prædicat & exaltat. Etsi enim Christus pro peccatis omnium hominum satisfecerit plenissimè, & quicquid impetrandæ remissioni, justitiæ saluti vel Patris gratiæ necessarium est; abundè impleverit; certum tamen est, quòd per oblationem Christi in cruce non omnibus hominibus gratia Patris, remissio peccatorum, justitia & salus infallibiliter conferatur, pro quibus Christus mortuus est 1. Joann. 2. v 2. *Propitiatio pro peccatis*, &c. *etiam totius mundi*, alioquin infideles, blasphemi, idololatræ aliique in peccatis obstinati salvarentur; sed illis solùm omnia illa, quæ Christus in cruce meruit, conferuntur: quibus virtus passionis applicatur à Deo Patre, per varia media, vel extraordinariè, per solam internam Patris vocationem, vel per ordinaria instrumenta, ac specialiter per baptismum & alia sacramenta, & hoc sacrificium incruentum à Christo ad illum finem instituta: hæc est doctrina Ecclesiæ Catholicæ. Quæ quæso in his blasphemia in Christum, quæ in ejus in cruce oblationem, vel abominatio, aut abolitio cœnæ Domini, quæ in hoc sacrificio peragitur? certè quilibet sincerus lector hæc considerans, gravem Calvini in Christum blasphemiam, & in Ecclesiam mendacissimam calumniam facilè agnoscet.

Vt itaque veritas doctrinæ Catholicæ pateat, illa de quibus controvertitur, probanda erunt. IX. Primum quod Christus in nova lege præter verum sacrificium in cruce cruentè semel tantum celebratum, aliud verum in ultima cœna peregerit; ac in Ecclesia usq; in finem mundi ab Apostolis & illorum in sacerdotio successoribus peragendum instituerit ac præceperit. Secundum, quòd illud in eo consistat, quod sacerdotes corpus & sanguinem Christi sub speciebus panis & vini consecrent, & in sacramento Eucharistiæ præsentia Deo Patri offerant. 3. quod illud non solùm in memoriam sacrificii cruenti in cruce peracti, vel in gratiarum actionem offeratur: sed etiam ut impetratorium & propitiatorium pro peccatis tam vivorum quàm Fidelium defunctorum: idque in virtute passionis Christi, ut illius merita applicentur. Hæc ex ipso Dei verbo, tam scripto, quàm tradito probabuntur, & hanc fuisse semper primitivæ Ecclesiæ & SS. Patrum doctrinam demonstrabitur. Postea de Cæremoniis huic sacrificio additis, eorumque antiquitate & veritate agetur. Demum Anthorum illorum trium libellorum objectiones refutabuntur.

***

CA-

CAPUT II.

Veritas Sacrificii ostenditur ex figuris S. Scripturæ veteris Testamenti.

ARTICULUS I.

Ostenditur ex figura & vaticinio Sacrificii Melchisedech.

I. QUòd Christus Dominus verus fuerit, & sit Sacerdos à Deo Patre constitutus, qui verissimum sacrificium & gratissimum offerret; & quidem non sacerdos secundùm ordinem Aaron, sed secundùm ordinem Melchisedech, ac sacerdos sit mansurus in æternum, scilicet in Finem mundi, nimis clarum est ex ps. 109. qui ad literam est de Christo, ut ipse Christus ostendit Luc. 20. v. 41. *Dixit autem ad eos, quomodo dicunt Christum Filium esse David, & ipse David dicit in libro psalm. dixit Dominus Domino meo*, &c. in hoc autem psalmo dicitur de Christo: *Iuravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*, hoc Apostolus in Christo impletum esse demonstrat ad Hebræos 6. in fine dicens: *Præcursor pro nobis introivit Iesus secundùm ordinem Melchisedech, Pontifex factus in æternum.* Et cap. 7. ostendit; quod de Christo prædictum sit, quod non secundùm ordinem Aaron, sed secundùm ordinem Melchisedech sacerdos surrecturus esset; & sacerdotium ejus perfectum semper mansurum; at verò sacerdotium secundùm ordinem Aaron ut infirmum, foret auferendum: idque dicit, *non sine iuramento, alii quidem sine iuramento sacerdotes facti sunt, hic autem cum iureiurando per eum, qui dixit ad Deum; Iuravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum, &c.* hæc certissima sunt.

II. Jam autem etiam certum est, quòd Melchisedech sacerdos altissimi panem & vinum in sacrificio Deo obtulerit; idque constat ex illis verbis Gen. 14. v. 18. *At verò Melchisedech Rex Salem proferens panem & vinum, erat enim sacerdos altissimi, benedixit ei*, scilicet Abrahæ: ubi patet, quod Melchisedech non obtulerit sacrificium cruentum, sed incruentum, scilicet panem & vinum; cùm nullius alterius victimæ mentio fiat: cùm ergo de Christo Deus jurando prædixerit, quod esset futurus sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, & non Aaron, clarum est, quod Christus perpetuum aliquod sacrificium incruentum sub speciebus panis & vini, licèt longè perfectiùs, quàm Melchisedech, oblaturus esset: nam sacrificium in cruce oblatum semel tantùm peregit, idque cruentum, etsi illud solùm peregisset, non mansisset sacerdos in æternum, & sacerdotium ipsius cessasset, quod clarè contrariatur verbis, *in æternum*, ex hoc enim, quòd sit Christus Pontifex, Apostolus concludit, quòd aliquid habeat, quod offerat dicens Cap. 8 v. 3. *Omnis enim Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur, unde necesse est, & hunc habere aliquid quod offerat.* Nec ad hoc sufficit, quod virtus cruentæ in cruce oblationis semper maneat; alioquin & Christi nativitas secundùm carnem diceretur in æternum manere, quia illius virtus etiam manet, sicut passionis, & sic Christus semper secundùm carnem diceretur in cruce offerri; patet autem, quod Spiritus Sanctus plus in psalmo declarare voluerit, scilicet; quod Christus semper oblaturus esset in Ecclesia aliquid secundùm ordinem Melchisedech, quod non potest intelligi de corpore Christi cruento modo offerendo, cùm hoc tantum semel factum sit: Nec sacrificium Melchisedech, quod figura fuit Christi sacrificii poterat propriè figurare illud cruentum sacrificium; optimè autem figurat oblationem incruentam corporis Christi in Eucharistia, ubi paritas est in ratione incruenti sacrificii, & in externa specie panis & vini, tamen figuratum sacrificium longè præstantius est, quod in omni figura respectu figurati contingit; sacrificium enim Melchisedech in solo pane materiali & vino constabat, at Sacrificium Christi jugiter offerendum consistit in corpore & sanguine Christi sub speciebus panis & vini; hoc ergo Christus semper vivens & existens sacerdos, per manus sacerdotum in Ecclesia semper offert: Hæc satis clarè patent ex verbis S. Scripturæ.

Verum, quia hæc planè Acatholicorum contradictionem confutant, ipsi post Calvinum & Chemnitium verba S. Scripturæ pervertere contendunt, adeoque volunt; quod scriptura non dicat, quod Melchisedech panem & vinum Deo obtulerit, sed illa tantùm ipsi Abrahæ & sociis in refectionem corporalem protulerit. III.

At verò hanc perversam expositionem Doctores Catholici moderni ex ipso textu refutant & ostendunt, quod Melchisedech panem & vinum ideo protulerit, ut Deo offerret; nam statim subjungitur, *erat enim sacerdos altissimi*, ubi causa redditur, cur illa protulerit, licèt particula *enim* causalis non exprimeretur, sicut in textu Hebræo non exprimitur, sed loco *enim* ponatur *&*, tamen sensus idem est juxta phrasim Hebræam, ùt patet ex aliis S. Scripturæ locis, specialiter Gen. 20. v. 3. ubi in Latino dicitur: *En morieris, propter mulierem habent enim virum.* In Hebræo habetur: *Et ipsa habet virum.* Et Isa. 64. v. 5. dicitur: *Tu iratus es, & peccavimus*, & tamen sensus est, *peccavimus enim*, vel, *quia peccavimus*: sic in hoc loco intelligendum esse, patet ex contextu; quia in Hebræo post illa verba: *Et erat sacerdos altissimi*, ponitur punctum, & ideo cum præcedentibus verbis, *protulit panem & vinum*, & non cum sequentibus, *& benedixit ei*, copulari debet.

Ne tamen Acatholici suos Doctores nostris modernis Doctoribus opponentes, lectori scrupulum injiciant; & ut veritas clariùs pateat, osten- IV.

ostendemus, quod etiã antiquiores Judæi textum Gen. 14. de sacrificio Melchisedech, & de Christi sacrificio in pane & vino figurato ps. 109. intellexerunt.

Sic enim in libro dicto *Bereschit Rabba*, hæc verba Rabbi Samuel ad c. 14. Gen. referuntur, scilicet, *actus sacerdotis tradidit, erat enim ipse sacrificans Deo sancto & benedicto*, &c.

Similiter verba Rabbi Phinees in c. 26. Num. ibid. hæc recitantur: *Tempore Messiæ omnia sacrificia cessabunt, sed sacrificium panis & vini non cessabit sicut dictum est* Gen. 14. *Et Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinum, Melchisedech enim Rex Messias excipiet a cessatione sacrificiorum sacrificium panis & vini, sicut dicitur* ps. 119. *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.*

Rursus in dicto *Bereschit* ad c. 14. Gen. Rabbi Moyses Hadarsan sic dicit: *Dixit Rabbi filius Enachinam. Iste Melchisedech erat Sem filius Noë, sed quid vult dicere, proferens panem & vinum; ostendit, quòd docuit eum sacerdotii actum, qui erat panem & vinum sacrificare. Et hoc est, quod habetur in psalmis: Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, &c.* hæc antiquissimi Rabbini.

V. Quia verò SS. Patres ex hoc scripturæ testimonio contra Judæos probabant, Christum Jesum esse verum Messiam in vet. Test. promissum & figuratum quia cessâssent sacrificia Aaronica, at verò Christus unicum sacrificium in pane & vino instituisset, quod ab illo tempore semper celebraretur, posteriores Judæi textum S. script. depravare conati sunt, prout Pater & Doctor Nicolaus Lyranus Hebraicæ linguæ peritissimus, & S. scripturæ expositor ante trecentos annos retulit & refutavit, exponens illum locum Gen. 14. ed. Antv. 1634. ubi circa verba, *At verò Melchisedech, &c.* sic ait: *Circa quod sciendum, quod Judæi adversarii fidei Christianæ scripturas, quæ loquuntur de Christo, nituntur depravare; inter quas est ps. 109. in quo fit mentio de sacerdotio Melchisedech, & occasione illius psalmi, qui de Christo loquitur, passum istum perversè exponere nituntur, dicentes quod iste Melchisedech protulit panem & vinum non in sacrificium, sed magis ad reficiendum Abraham & populum eius, qui veniebat de prælio.* &c. *dictum est enim supra, quod illi quatuor Reges, quos debellaverat Abram, asportaverant de Sodomis universa, quæ ad cibum pertinent, nec poterant adhuc omnia consumpsisse, nec fugiendo poterant secum portasse, & ideo Abram ibi invenit satis de victualibus pro se & pro populo suo. Et hoc etiam patet per literam sequentem, ubi Abram de præda nihil voluit retinere exceptis his, quæ comederunt iuvenes, id est bellatores, qui secum fuerant. Item post illa verba, proferens panem & vinum, immediatè subditur pro causa; Erat enim sacerdos.* &c. *ex quo patet, quod causa, pro qua protulit panem & vinum, fuit ad offerendum sacrificium, quod pertinet ad sacerdotii officium, pro refectione enim bellatorum, magis pertinet ad hominem laicum proferre victualia, quàm ad Sacerdotem. Et ideo alii* Judæi hoc videntes *aliter pervertentes exponunt dicentes, quod Melchisedech protulit panem & vinum pro sacrificio offerendo non per ipsum, quia secundum istos Sacerdos non erat, sed per ipsum Abraham, qui tanquam Sacerdos legitur pluries contraxisse altare & Sacrificium Deo obtulisse*, &c. *& ideo illud, quod sequitur: Erat enim Sacerdos Dei altissimi non refertur ad ipsum Melchisedech, sed ad ipsum Abram*, &c. *& similiter, quod sequitur, dedit illi decimas, &c.* scilicet Abram. *Sed falsitas huius expositionis apparet per hoc, quod Melchisedech benedixit ipsi Abræ, dicens, benedictus Abram Deo excelso*, &c. *benedicere autem ad Sacerdotem pertinet. quia quod minùs est sine contradictione à maiore benedicitur*, ad Hebr. 7. *&c.* hæc Doctor Lyranus.

Ex quibus patet, quòd Acatholici moderni perversam suam expositionem contra veram, quam etiam antiquiores Judæi ex ipso S. Scripturæ textu agnoverunt, à posterioribus Judæis contra antiquos Judæos & SS. Patres desumpserint; idque contra verum S. Scripturæ sensum; quòd Acatholicos magis merito confunderet, qui cum istis Judæis consequenter negare deberent, quòd Melchisedech nec fuerit sacerdos, nec Christus sacerdos secundùm ordinem Melchisedech contra clarissimam veritatem ps. 109. & verba Apostoli in epist. ad Hebr. Hoc autem, quia ipsi negare non audent, scilicet, Melchisedech fuisse Sacerdotem: ideo aliud effugium quærunt, & volunt; quòd ideo dicatur sacerdos, quia benedixit Abrahæ, hoc tamen nec antiqui Hebræi, nec SS. Patres dixerunt, nec ob benedictionem dicitur, quòd erat sacerdos, quia, ut suprà est dictum, ipse Abram etiam erat sacerdos: & ideo non ex eo, quòd erat sacerdos simpliciter dicitur benedixisse Abrahæ; sed quia erat sacerdos, ex eo, quòd panem & vinum offerret, cum his enim cohærent verba, *& erat sacerdos*; verùm, quia erat major sacerdos, quàm Abraham, ideo illi benedixit, & posteris omnibus, qui in lumbis Abrahæ continebantur, quod ostendit Apostolus ad Hebræos. VI.

Quia vero nullus S. Script. locus tam clarus est, quin ab Hæreticis subinde ad eorum errorem detortus fuerit; ut omnis dubitatio cesset apud eos, qui non suo, sed communi antiquæ Ecclesiæ in interpretandis scripturis sensui inhærere cupiunt, qualiter antiqua Ecclesia hunc locum intellexerit, ostendemus.

ARTICULUS II.

Qualiter antiqua Ecclesia vaticinium de sacerdotio Melchisedech intellexerit.

QUid antiqua Ecclesia crediderit & docuerit, ex SS. Patrum communi sententia facillimè colligitur: Hi omnes illud vaticinium de sacrificio panis & vini per Melchisedech figuratum, & in Christo impletum intellexerunt, ut facilè ostenditur ex SS. Patribus, tam Græcis quàm Latinis primæ Ecclesiæ. I. *Clemens Alexandrin.* circa ann. 200. lib. 4. ed. Paris. 1572. *Melchisedech*, ait, *Rex Salem Sacerdos Dei altissimi, qui vinum & panem sanctificatum dedit nutrimentum in typum Ecclesiæ, &c.* ubi S. ille Pater paucis verbis omnia complexus est. Primò, quòd Melchisedech sacerdos priùs panem & vinum sanctificaverit, quod fit per oblationem sacrificii. Secundò, quòd illa jam oblata Deo & sic sanctificata dederit Abrahæ & sociis in nutrimentum, non tamen corporis, cùm Abraham aliunde haberet, sed in participationem sacrificii.

3. quòd

Digitized by Google

3. quòd hæc facta sint in typum & præfigurationem Eucharistiæ, sicut Eucharistia priùs Deo offertur, & postea Fidelibus in nutrimentum spirituale datur, *&c.* ex quo patet id, quod postea ad locum Clementis ab Anonymo adductum respondebimus.

II. *Cyprianus* circa ann. 250. epist. 63. juxta ed. Antverp. ann. 1589. vel lib. 2. epist. 3. secundùm ed. Bas. 1540. ad Cæcilium, agens de sacrificio Eucharistiæ sic ait: *Iesus Christus Dominus & Deus noster sacrificii huius author & doctor fuit, & docuit*, & infrà: *In sacerdote Melchisedech sacrificii dominici sacramentum præfiguratum videmus, secundùm quod scriptura divina testatur & dicit: Et Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinum, fuit autem sacerdos Dei summi, & benedixit Abraham; quòd autem Melchisedech typum Christi portârit, declarat Spiritus S. in psalmis ex persona Patris ad Filium dicens: Ante Luciferum genui te, iuravit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech; qui ordo utique hic est de illo sacrificio veniens, & inde descendens: quòd Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, & quòd panem & vinum obtulit, quod Abraham benedixit; nam, quis magis sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster Iesus Christus? qui sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem, &c.* ubi ostendit, quòd in illa benedictione Abrahæ, benedictio omnium Gentium per Christum futura, fuerit præfigurata, & postea subdit dicens: *Vbi ergo in Genesi per Melchisedech sacerdotem benedictio circa Abraham posset ritè celebrari, præcedit antè imago sacrificii, in pane & vino scilicet constituta, quam rem perficiens & adimplens Dominus panem & calicem mixtum vino obtulit, & qui est plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimplevit*, &c. hæc Cyprianus. Vbi clarissimè patet, quòd ille antiquissimus Pater ex communi Ecclesiæ sensu supposuerit, scripturam Gen. 14. tradidisse, quòd Melchisedech tanquam sacerdos Deo panem & vinum in sacrificium obtulerit, & postea Abrahæ benedixerit, tanquam major sacerdos; & quòd in utroque Christum præfigurârit; scilicet, quòd oblaturus esset sacrificium in pane & vino tanquam sacerdos Dei summi, & in quo omnes Gentes benedicantur, & quòd sacrificium Christi tanquam veritas figurata longè excellentiùs fuerit; & panem & vinum, scilicet corpus & sanguinem suum sub illis speciebus obtulerit, quod utique in ultima cœna factum est.

III. Idem serm. de Cœna Domini paulò post initium, sic ait: *Significata olim à tempore Melchisedech prodeunt Sacramenta, & filiis Abrahæ facientibus opera eius summus Sacerdos panem profert, & vinum: Hoc est, inquit, corpus meum, manducaverant & biberant de eodem pane sumendo formam visibilem, sed ante verba illa, cibus ille communis tantùm nutriendo corpori commodus erat, sed ex quo à Domino dictum est; hoc facite in meam commemorationem, hæc est caro mea, & hic est sanguis meus, &c. panis ille substantialis est calix benedictione solemni sacratus ad totius hominis vitam salutémque proficit, simul medicamentum & holocaustum ad sanandas infirmitates & purgandas iniquitates existens, &c.* hæc Cyprianus.

Ex quibus patet, quòd S. Pater cum antiqua Ecclesia supposuerit, ut certum; quòd Christus in ultima cœna juxta ordinem Melchisedech obtulerit corpus & sanguinem sub speciebus panis & vini in holocaustum, ex quo fideles participarent.

IV. Hoc ipsum Christum in ultima cœna peregisse juxta ordinem Melchisedech, similiter supponit & tradit *Eusebius Cæsar*; lib. 5. demonstr. cap. 3. ubi volens hoc novi Testamenti sacerdotium probare ed. Basil. 1549. sic ait: *Et sanè oraculi exitus admirabilis ei, qui contempletur, quemadmodum Salvator noster Iesus, qui est Christus Dei, ipsius Melchisedech ritu, ea, quæ ad sacerdotium in hominibus gerendum spectant, per suos ministros perficiat* (nota quòd Christus per ministros in æternum sacrificium peragat) *Nam, quemadmodum ille, qui sacerdos Gentium erat, nusquam videtur sacrificiis corporalibus* (scilicet cruentis) *functus, sed vino solo & pane, dum ipsi Abraham benedicit; ita sanè primus ipse Salvator ac Dominus noster, deinde qui ab ipso profecti sunt, Sacerdotes, in omnibus Gentibus spirituale secundùm Ecclesiasticas sanctiones sacerdotii munus obeuntes, vino ac pane & corporis illius & salutaris sanguinis mysteria repræsentant. Quæ sanè mysteria Melchisedech tanto ante spiritu divino cognoverat, & rerum futurarum imaginibus usus fuerat, sicut etiam Moyses scriptura testatur, ubi ait: Et Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinum, erat autem sacerdos Dei altißimi, & benedixit Abraham, &c.* hæc ille. Vbi patet; quod ex S. Scriptura supponat, quod Melchisedech panem & vinum ut sacerdos obtulerit in sacrificium & Christum præfigurârit, qui non solum semel in pane & vino corporis & sanguinis sacrificium obtulerit, sed jugiter per sacerdotes offerat.

Ambrosius in cap. 5. ad Hebr. ed. Rom. anno 1580. exponens illa verba, *tu es Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech*, sic ait: *Huius ordinem sacrificii per mysticam similitudinem Melchisedech iustißimus Rex instituit, quando Domino panis & vini fructus obtulit, constat enim pecudum victimas periisse, quæ fuerunt in ordine Aaron, sed manere Melchisedech institutum, quod toto orbe terrarum in Sacramentorum erogatione celebratur*, &c. V.

Idem l. 5. de Sacram. c. 1. ed. Paris. 1569. tomo 4. sic ait: *Hesternus sermo noster & tractatus usque ad sancti altaris Sacramentum deductus est, & & cognovimus Sacramentorum istorum figuram Abrahæ temporibus præcessisse, quando obtulit sacrificium sanctus Melchisedech*, &c. *diximus ergo, quòd in altari constituatur calix & panis: In calicem mittitur vinum, & quid aliud? aqua. Sed tu dicis mihi, quomodo Melchisedech panem & vinum obtulit? quid sibi vult aquæ mixtio*, &c.

Idem l. 4. ed. eâd. de Sacram. c. 6. planè supponit, quòd Christus fuerit sacerdos secundùm ordinem Melchisedech in eo, quòd in cœna panem & vinum obtulit, ubi refert verba, quæ sacerdos sub sacrificio Eucharistiæ dicit, inter alia, *ut hanc oblationem suscipias*, &c. *sicut suscipere dignatus es.* &c. *& quod tibi obtulit summus Sacerdos Melchisedech; &c.* hæc Ambros.

Epiphan. hæresi 55. ed. Bas. 1560. sic ait: *Verùm ad id, quod ante Levi & ante Aaon fuit, secundùm ordinem Melchisedech sacerdotium transferatur, quod sanè nunc in Ecclesia viget à Christo & huc usque dum non amplius semen secundùm succeßionem eligitur, sed forma iuxta virtutem quæritur, &c.* & infrà: *Tunc Melchisedech ipse obviā venit, & proposuit ipsi panes & vinū mysteriorū ænigmata præfigurans & exemplaria,* VI.

cum

cùm Dominus noster dicat: ego sum panis vivus, & exemplar sanguinis ipsius, qui ex latere ipsius compuncto fluxit ad purgationem iniquitatum, &c. hæc ille.

VII. *Hieron.* epist. 17. ad Marcellum cap. 2. ed. Basil. Anno. 1553. *Recurre*, ait, *ad Genesin & Melchisedech Regem Salem huius principem civitatis invenies, qui iam tunc in typo Christi panem & vinum obtulit, & mysterium Christianum in Salvatoris corpore & sanguine dedicavit, &c.* hæc ibi.

Idem in qq. in Genes. circa cap. 14. ejusdem ed. loquens de Melchisedech, sic ait: *Melchisedech autem Apostolus ad Hebræos & ad Christum refert, & per Christum ad Gentium Ecclesiam*, &c. *eò quòd præputium habens Abraha benedixerit circumciso*, &c. *ex quo colligi vult, sacerdotium Ecclesiæ habentis præputium benedixisse circumciso sacerdotio Synagogæ. Quòd autem ait: Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, mysterium nostrum in verbo ordinis significatur, nequaquam per Aaron irrationabilibus victimis immolandis, sed oblato pane & vino, id est, corpore & sanguine Domini fieri, &c.* hæc ibi.

VIII. Rursus in comment. ad cap. 22. Matt. ejusdem ed. refutans Judæos, qui illud ps. 109. *Dixit Dominus Domino meo*, de Abraham explicabant, sic ait: *Quos interrogemus, quomodo Deus dixerit Abrahæ ea, quæ sequuntur. Tecum principium*, &c. & juravit Dominus, tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech; *& respondere cogamus, quomodo Abraham ante Luciferum genitus sit, & sacerdos fuerit secundùm ordinem Melchisedech, pro quo Melchisedech obtulerit panem & vinum, & à quo decimas prædæ acceperit? &c.* ecce Judæos confutat per hoc, quod Melchisedech Deo obtulerit panem & vinum pro Abraham.

Iterum ibid. in cap. 26. Matth. circa verba *cœnantibus illis, &c.* sic ait: *Postquam typicum pascha fuerat impletum, & agni carnes cum Apostolis comederat, assumit panem, qui confortat cor hominis, & ad verum paschæ transgreditur sacramentum; ut quomodo in præfiguratione eius Melchisedech summi Dei sacerdos panem & vinum offerens fecerat, ipse quoque veritatem sui corporis & sanguinis repræsentaret, &c.* hæc ibi.

IX. Cæterùm Hieron. in epist. ad Evagrium prædictæ ed. agens de Melchisedech, qualis fuerit, contra quosdam, qui illum non hominem, sed Angelum fuisse dixerunt, ipse ut sibi soli non inhæreat antiquorum Patrum, utpote *Hippoliti, Irenæi, Eusebii, Cæsariensis Emisseni, Appollinarii, & Eustathii* refert sententiam; qui in hoc conveniunt, quòd homo Cananæus fuerit & Rex Salem, & sacerdos, sicut *Abel, Enoch, Noë, Iob, &c.* qui oleo non fuerunt uncti, ut Aaron; & postea subdit ex eorum sententia dicens: *Omnes penè sancti & Patriarchæ & Prophetæ in aliqua re figuram expresserunt Salvatoris; sic & Melchisedech, eò quòd Chananæus fuerit, & non de genere Iudæorum, in typum præcessisse sacerdotis filii Dei, de quo dicitur in* 109. *ps. Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech; ordinem autem illum multis modis interpretantur; quòd solus & Rex fuerit & sacerdos, & ante circumcisionem functus sacerdotio, & non Gentes ex Iudæis, sed Iudæi ex Gentibus sacerdotium acceperint; neque unctus oleo sacerdotali, ut Moysi præcepta constituunt. Sed oleo exultationis & fidei puritate: neque carnis & sanguinis victimas immolaverit, brutorumque sanguinem, eorum animalium exta, id est, quicquid super escam est, susceperit: sed pane & vino simplici puróque sacrificio Christi dedicaverit sacramentum, &c.* hæc Hieron. Ex tantorum Patrum sententia: ubi postea subjungit etiam Hebræorum opinionem; qui dicunt: Melchisedech protulisse panem & vinum in refectionem Abrahæ & sociorum, quod apud ipsos ambiguum sit, an Abraham etiam à Melchisedech acceperit decimas divitiarum ipsius, sicut Melchisedech ab Abraham decimas prædæ; sed hoc ipse refutat ex epistola Apostoli ad Hebræos.

Ex quibus patet, quod Hieronymus cum aliis SS. Patribus senserit; Melchisedech protulisse panem & vinum priùs ad offerendum Deo, ut ex prioribus ejusdem locis allegatis patet, in typum sacrificii Eucharistiæ; licèt postea etiam in refectionem Abrahæ & sociis communicarit, ut ex opinione Hebræorum addit, prout etiam Clemens Alexandr. suprà exposuit. X.

Simili modo *Chrysost.* de Melchisedech actione loquitur hom. 35. in Gen. ed. Basil. 1547. dicens: *Vide per honorem in Patriarcham collatum, quomodo Sacramentum insinuatur; extulit enim ille panem & vinum: videns typum, cogita, oro, & veritatem, & admirare divinarum scripturarum virtutem: quomodo superioribus seculis & ab initio futura præsignata sint, &c.* hæc ibi. XI.

Item hom. 36. sic ait: *Postquam autem & Melchisedech Rex Salem panes & vinum obtulit (erat enim sacerdos, inquit, Dei altissimi) ab illo* (Abraham) *accepit oblata.* Et infrà: *Accepit autem ea, quæ à sacerdote sunt oblata.* Et infrà: *Quamvis alias etiam, quæ fiebant, Christi typus erant, & oblata Sacramentum quoddam præfigurabant, &c.* hæc ille.

Demum omissis aliis SS. Patrum testimoniis, audiamus *Augustinum* S. Scripturæ expertissimum, qui inter SS. Patres tempore posterior, ipsorum sententiæ firmissimè inhæsit. De quo Calvin. lib. 3. Inst. cap. 3. §. 10. fatetur, sic dicens: *Neque opus est multum investigando laborare, quid hic veteres senserint, quando unus Augustinus ad id sufficere potest, qui fideliter magnaque diligentia omnium sententias collegit. Ex illo igitur sumant lectores, si quid de sensu antiquitatis habere certi volent:* hæc Calvin. XII.

Augustinus igitur non uno, sed pluribus locis Catholicam doctrinam quoad vaticinium de sacrificio Eucharistiæ per sacrificium Melchisedech figuratum, ut certissimam supponit, ac tradit; & quidem lib. 16. civ. Dei cap. 22. ed. Basil. 1528. dum de Melchisedech oblatione agit, sic dicit: *Ibi primum apparuit sacrificium, quod nunc à Christianis offertur Deo toto orbe terrarum, impletúrque illud, quod longè post factum per Prophetam dicitur ad Christum: Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, non scilicet secundùm ordinem Aaron, qui ordo fuerat auferendus, &c.* hæc ibi. XIII.

Similiter lib. 17. cap. 17. ed. eâd. tomo 5. sic ait: *Deinde quod paulò post dicit: Iuravit Dominus, &c. & quod adiungitur: Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, ex eo, quod iam nusquam est sacerdotium & sacrificium secundùm ordinem Aaron, & ubique offertur sub sacerdote Christo, quod protulit Melchisedech, quando benedixit*

Abra-

Abraham, quis ambigere permittitur, de quo & ita dicantur? hæc ibi, sed Acatholici non tantum ambigunt, sed contradicunt.

XIV. Rursus lib. 18. Civ. Cap. 35. eâd. edit. complectens simul figuram Melchisedech & Prophetiam Malach. contra Iudæos sic dicit: *Sacrificium per sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech cum in omni loco à solis ortu usque ad occasum Deo jam videamus offerri, sacrificium autem Iudæorum, quibus dictum est, non est mihi voluntas in vobis*, &c. *jam cessisse negare non possunt, quid adhuc exspectant alium Christum?* &c.

XV. Vbi patet quòd Augustinus non loquatur de sacrificio cruento à Christo in Cruce facto, quia priore loco dicit, quod sacrificiū ubiq; sub Christo offeratur, quod de sacrificio Crucis non potest intelligi. 2. quia de illo Iudæi respōdere poterant, quod & illud dudum in Cruce factum, cessasset; at Augustinus allegat sacrificium, quod omnium oculis patebat, & in toto orbe à Christianis offerebatur; quod non poterat intelligi de sola recordatione sacrificii Crucis; quia id Iudæi risissent, nam dixissent, quod ipsi etiam adhuc recordarentur sacrificiorum in templo olim oblatorum. constat autem quod Augustinus de sacrificio Eucharistiæ quotidie in Ecclesia frequentato, locutus sit.

XVI. Hoc ipsum similiter exprimit lib. 1. contra adversar. legis & prophet. Cap. 20. eâd. edit. sic dicens: *Ibi quippe & hoc dictum est; juravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: Noverunt qui legerunt, quid protulerit Melchisedech quando benedixit Abraham, & jam participes ejus, vident tale sacrificium* (nota) *nunc offerri toto orbe terrarum Dei autem juratio, incredulorum* (Acatholicorum) *est increpatio: & quod Deum non pœnitebit, significatio est, quia hoc sacerdotium non mutabit, mutavit quippe sacerdotium secundum ordinem Aaron, &c.* hæc ibi.

Ecce quàm clarè demonstrat sacrificium Eucharistiæ per Melchisedech figuratum, de quo dicit; quod omnes vident tale nunc offerri, scilicet simile sacrificio Melchisedech in externo signo panis & vini, *&c.*

Idem paucis verbis clarissimè tradit epist. 95. edit. eâd. ad Innocentium, quam nomine suo & aliorum Episcoporum in Concilio congregatorum scripsit, sic dicens: *Melchisedech prolato sacramento mensa Dominicæ novit æternum ejus sacerdotium figurare.* Vbi clarè ostendit quod æternum Christi sacerdotium consistat in oblatione Eucharistiæ, & hoc per oblationem Melchisedech præfiguratum esse.

XVII. Hoc ipsum supponit in ps. 33. Con. 2 edit. eâd. tomo 8. in principio dicens: *Ex Christi enim persona potest dici patris mei regnum, quia pater ipsius secundum carnem David: & regnum David erat in gente Iudæorum. Coram regno ergo Patris sui mutavit vultum suum, & dimisit eum, & abiit, quia erat ibi sacrificium secundum ordinem Aaron*, & postea: *Ipse de corpore & sanguine suo instituit sacrificium secundum ordinem Melchisedech, &c.* ubi planè supponit quod Christus instituerit sacrificium jugiter celebrādum, *&c.* quod non potest intelligi de sacrificio in Cruce; quod ipse solus semel tantum peregit.

Ecce quam clara SS. Patrum testimonia quod sacrificia Eucharistiæ per sacrificia Melchisedech figurata esse intellexerint.

ARTICULUS III.

Refutantur objectiones Calvini quoad sacrificium Melchisedech.

Iam videamus quid Calvinus effutire non erubescat de doctrina Ecclesiæ, quoad vaticinium & figuram de sacrificio Melchisedech. Itaq; l. 4. Inst. c. 18 §. 2. contra Catholicos, qui per exemplū Melchisedech figuratum docent sacrificiū Eucharistiæ, sic ait: *Quæ tamen eorū est improbitas, ad impietatem suam tuendā exemplo Melchisedech se armant; quia enim obtulisse dicitur panē & vinū, colligunt fuisse preludium Missæ suæ: quod magis jejunū est, ac frivolum: quā ut refutatione egeat.* I.

Sed ille mos est pertinacium, qui dū, se victos sentientes, in veritate ad argumēta, respondere non possunt, illa deridēt & cōtemnunt, sed hoc ad fidē non sufficit. Ne tamen nihil dixisse reputetur, vult ostēdere 1. quod Melchisedech non obtulerit panē & vinū Deo in sacrificiū, & quod sacerdos Dei dicatur nō spectet ad panē & vinū, sed ad id, quod benedixit Abraham. 2. vult hoc ostendere ex Apostolo ad Hebr. qui ex benedictione illa concludit quod Melchisedech major fuerit Abraham. 3 quia Apostolus ibid. ne minimam faciat mentionē sacrificii panis & vini, quod figura fuerit sacrificii missatici quod utique fecisset ut ipse vult, si agnovisset sacrificium Eucharistiæ. II.

Resp. 1. quòd Calvinus improbè suam impietatem his verbis declaret, facile patet quia cōdemnat non solum modernos Catholicos, sed omnes SS. Patres, qui, ut ex prædictis constat, ex eo quod Melchisedech panē & vinū obtulerit, collegerunt, illud sacrificiū præfiguralle sacrificium Eucharistiæ à Christo in pane & vino institutum, quibus magis inhærendum est, quam Calvini impiæ explicationi. Patet enim ex supradictis quod SS. PP. ex eo, quod Melchisedech sacerdos Dei summi dicatur; in scriptura, id referant ad id, quod protulerit panem & vinum ad offerendum, quia omnis sacerdos debet habere aliquid quod offerat juxta Apostolum: quod autem benedixerit Abrahæ id nō dixit Apostolus, ut declaret quod fuerit simpliciter sacerdos; sed quod fuerit major sacerdos quam ipse Abraham, & Aaron ac filii, qui etiam sacerdotes sed minores erant, qui in lumbis Abrahæ benedicebantur à Melchisedech. III.

Quod autem Apostolus in Epist. ad Hebr. nō expresserit sacrificium Eucharistiæ in Ecclesia celebrandum inde non sequitur, quod illud ignoraverit vel negaverit; quæ enim est cōsequētia, Apostolus ibi illius nō meminit, ergo illud ignoravit vel negavit? Nec obstat quod Calvinus dicit, quod Apostolus ibid. minima quæq; excutit, non fuisset oblitus rem magnam & gravem de sacrificio Eucharistiæ seu Missæ. IV.

Resp. hoc patet universaliter falsum, quòd à simplici authoritate negativa nō valeat consequentia ad positivam negatione: sic in speciali dici posset, quia *Ioannes Euangelista* faciens tā accuratam relationem eorum, quæ Christus Dominus in ultima Cæna fecit quod laverit pedes; agnum paschalem comederit, & tam prolixos sermones habuerit, nec tamen in minimo meminerit institutionis Sacramenti Eucharistiæ, quod ibidem principaliter institutum est, quis, inquam, dicat, quod ideo Ioannes illud ignoraverit vel negaverit? V.

Digitized by Google

VI. Resp. 2. SS. Patres optimè legerant & intellexerāt epistolam Apostoli, & licèt ibi non legissent quod Apostolus de sacrificio Missæ fecisset expressam mentionem, non tamen ideo supposuerunt, quod Apostolus illud negarit, vel quod illud non esset præfiguratum per sacrificium Melchisedech, sed supposuerũt, quod Apostolus id sciverit, licet nõ ibi expresserit, & ideo ipsi tã clarè illud figuratum ex S. scriptura docuerunt.

VII. Falsum autem est quòd Calvinus dicit Apostolum ibi minima quæq; excussisse, cum plurima alia etiam grandia ipsum ibi subticuisse ex verbis ejus constet, cum ad Hebr. cap. 5. v. 9. de Christo dicit: *Appellatur à Deo Pontifex juxta ordinem Melchisedech, de quo nobis grandis sermo, & ininterpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti estis ad audiendum: etenim cum deberetis magistri esse propter tempus rursum indigetis, ut vos doceamini, quæ sint elementa exordii sermonum Dei, & facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo. &c.* hæc Apostolus. Ex quibus patet, quod Hebræis scribens non omnia mysteria declarare voluerit, prout etiam SS. Patres ab Hieron. in epist. ad Eugenium citati dicunt; quod Apostolus per illa verba indicarit se omisisse aliquod Sacramentũ in Melchisedech figuratum; constat etiam ex textu quod solum ea, quæ ad fidei initium requirebãtur, tradere intenderit ut ostenderet quod sacerdotium Aaron translatum sit, ut infirmũ ut Christus Dei filius sit sacerdos secundum ordinem Melchisedech; qui, ut omnibus patebat, se in cruce Deo Patri ut perfectissimũ sacrificium obtulerit, cujus virtus semper maneat; ut non esset opus alio sacrificio cruento: quasi illud in cruce insufficiens fuisset prout in lege veteri erant; & quod Christi sacerdotiũ majus erat, probabat ex eo quod esset sacerdos secundum ordinẽ Melchisedech, qui Abraham & Aaron benedixerat, hic est Scopus Apostoli, ubi non erat opus exponere sacrificium Eucharistiæ quod in memoriam Crucis Christi institutum est; & ut merita Crucis per illud fidelibus applicentur; certam tamen etiam est, quod Apostolus satis ibi indicarit & supposuerit sacrificium incruentum Eucharistiæ jugiter in Ecclesia celebrandum, cum juxta verba psalmistæ dicat: *Tu es sacerdos in æternum*, ex quo satis concluditur, quod Christus semper vivens & existens sacerdos aliquid offerat; licet hoc idem quod in Cruce; sed alio modo, & non ob insufficientiam sacrificii Crucis, sed ob alias causas sæpe allegatas, & allegandas; & ob hoc sacrificium propriè Christus dicitur sacerdos secundum ordinem Melchisedech in æternum; quia simile in externa panis & vini specie sacrificium semper per sacerdotes offert.

VIII. Quis ergo non miretur, quòd propter tam falsas conjecturas Acatholici cum Calvino audeant negare sacrificium Eucharistiæ per sacrificium Melchisedech esse figuratum; cum SS. Patres tam id ex S. scriptura supponant & asserant; qui omnia illa quæ Acatholici conjecturando fingunt, & in contrarium adducunt satis videre poterant; & tamen illis non obstantibus juxta S. scripturam prædicta adeò clarè & certò docuerunt, ut nullum dubitationis argumentum attulerint: Nobis itaque sufficit pro veritate Catholica quod SS. Patres tam clarè illa intellexerint & docuerint; quæ etiam ex ipso S. scripturæ textu satis apparent.

IX. Posset autẽ moveri quæstio, cur dicatur Christus potiùs & propriè secundum Melchisedech ob sacrificium incruentum in pane & vino institutum, quam ob sacrificium cruentũ in cruce peractum? cum hoc illo quoad modum longè præstantius sit, licet utrobique Christus ipsemet sit victima: eò quod illud in Cruce, ubi actualiter sanguinem fudit, perfectissimum sit, & per illud plenè satisfecerit, ac omnibus gratiam Dei impetrarit; per sacrificium autem incruentum virtus illius tantum applicetur, Apostolus etiam ostendat Christum esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, qui *una oblatione consummavit in æternum sanctificatos*, Hebr. 10. v. 14 quia seipsum semel in cruce ut perfectissimam hostiã immolavit, & hujus virtus sẽper maneat.

X. Resp. constat imprimis quòd SS Patres juxta verba psalmi & Apostoli absolutè dixerint Christum à Deo Patre constitutum sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, & non secundum ordinem Aaron ob varias causas: 1. quia sicut non legitur Melchisedech ullum habuisse prædecessorem vel successorẽ in sacerdotio suo prout sacerdotes veteris legis successores habebant, sic Christus absolutè nullum habuit præcessorem vel successorem in sacerdotio suo, & hic intendit Apostolus, licet Christi sacerdotiũ & sacrificium longè excellentius sit sacerdotio & sacrificio Melchisedech. 2. quia sacerdotium veteris legis simpliciter ad tribum Leui & familiam Aaron spectabat, & non ad tribum Iuda, de qua erat Christus; & sic non erat sacerdos secundum ordinem Aaron, quod etiam indicat Apostolus ibid. c. 7 v. 14. 3. Quia sacerdotium Melchisedech perfectius erat quam Aaron, & ideo quia Christus erat à Deo constitutus secundum ordinem Melchisedech; ideo ejus sacerdotiũ etiam perfectius erat; licet etiã ipso sacerdotio Melchisedech longè excellẽtius Christi erat sacerdotiũ. 4. Quia Christus instituit incruẽtũ sacrificiũ in pane & vino quod est simile sacrificio Melchisedech, & nõ sacrificiis Aaron; quorũ potissima in victimis cruẽtis cõsistebant, licet etiã aliqua ex simila & vino fierent; tamen quia Melchisedech solũ panẽ & vinũ obtulisse dicitur, & Christus sacrificiũ incruentũ etiam in solo pane & vino instituit; licet etiam hoc incõparabiliter in re excellentius sit, tamẽ quoad externa symbola similia sunt, ideo ex hoc etiã SS. Patres Christi sacrificiũ per Melchisedech figuratũ asserunt. Et licet Christus in cruce cruento modo oblatus sit, sicut victimæ in veteri lege; nõ tamẽ in re, vel in externa specie quoad ipsa oblata similitudo est: quorũ utrumq; patet; nã in re erat maxima diversitas, quia ibi bruta animalia offerebantur, in cruce autẽ ipse Christus oblatus est; quoad externã etiam speciem, quis nescit diversitatẽ Christi in cruce oblati & inter brutorũ speciem: nec enim Christus sub specie bruti, sed in propria externa specie immolatus est. At vero licet inter panis & vini ac Christi substantias, sit maxima diversitas; tamen inter speciem externam panis & vini sacrificii Melchisedech, ac inter species externas Eucharistiæ sub quibus Christus offertur, sicut & incruento offerendi modo, similitudo patet.

XI. Demũ verissimum est; quòd Apostolus ostendit ex verbis Dei Patris in ps. quod Christus sit à Patre factus sacerdos secundũ ordinẽ Melchisedech, & non secundũ ordinem Aaron & quod ipse talis juxta diversas prædictas causas existens

tens sacerdos, seipsum in redemptione humani generis Deo Patri in Cruce obtulerit, & non opus habeat se tali modo sæpius offerre, ut de novo & sæpius pro hominibus satisfaceret, & gratiam impetraret, quod tunc unicâ vice peractum est: Ex hoc tamen non sequitur Apostolum dicere voluisse quod ideo Christus fuerit sacerdos secundum ordinem Melchisedech, quia se ipsũ cruento modo semel in Cruce obtulit: cũ in hoc modo sacrificii non sit similitudo inter utrumq; sacrificium & victimam, seu inter figuram & figuratum, ut patet: nihilominus verissimè dicitur, quod illud sacrificium in cruce sit Christi sacerdotis secundum ordinem Melchisedech, quia Christus absolutè & semper fuit sacerdos secundum ordinem Melchisedech, & non secũdum ordinem Aaron, licet nõ propter tale sacrificium dictus sit sacerdos secundum ordinẽ Melchisedech, sed ob alias prædictas n. 10. causas, & specialiter propter sacrificium incruentũ in Eucharistia quamvis illud in cruce fuerit principale & excellentissimũ ac extraordinarium, ita tamen, ut nec propriè secundum ordinẽ Aaron, nec secundum ordinem Melchisedech factum sit, cujus virtus per sacrificium Eucharistiæ fidelibus applicatur.

XII. Hæc ad refutanda Acatholicorum effugia & calumnias dicenda visa sunt, quæ ab aliis doctoribus Catholicis accuratiùs ostenduntur: veritas autẽ doctrinæ catholicæ sufficientissime ex ipsâ S. scriptura & unanimi SS. Patrum sententia patet; qui dubio procul omnia illa, quæ Acatholici movent, clarè perspexerunt, & tamen illa nihil obstare judicarunt, quin absolutè & simpliciter docuerint; quod Christus ideo sit dictus sacerdos secundũ ordinem Melchisedech, quia sacrificiũ corporis & sanguinis in ultima cæna sub speciebus panis & vini obtulit incruentum, & offerendum semper instituit; quale secundum externam speciem Melchisedech in pane & vino oblato præfigurarat.

ARTICULUS IV.

Quòd sacrificia veteris testamenti, præsertim Agni paschalis & vituli pro confirmatione testamenti sacrificium Eucharistiæ præfigurarint probatur ex S. scriptura.

I. SUpponendum est 1. quòd omnia, quæ in veteri lege cõtigerunt, figuræ fuerint eorũ, quæ in novo testamento cõtingũt, prout Apost. 1. Cor. 10. v. 6. declarat, & tãdẽ dicit, *hæc autẽ in figura facta sunt nostri*, & v. 11 *hæc autẽ omnia in figura contingebant illis.* quod inter alia specialiter de sacrificiis veteris legis intelligitur.

II. Supponendum 2 quòd sacrificia veteris Testamenti figuræ fuerint sacrificii cruenti Christi in Cruce peracti ob varios modos, & specialiter, quia omnia ad illud unicum saluberrimũ dirigebantur, ut patet ex variis Euangelii & Apostolorũ libris An autẽ talia sacrificia etiã sacrificium Eucharistiæ præfigurarint? Acatholici negant, Ecclesia Catholica docet: quod ipsum Doctores Catholici ex ipsa S. Scriptura juxta sententiam SS. Patrũ de variis probant; hic de duobus ostendemus, scilicet de *sacrificio agni paschalis* Exod 12. *Et vituli* in confirmationem testamenti veteris oblati & sanguinis aspersi, Exod. 24. *&c.*

III. Quoad *Agnum paschalem* duo probanda sunt ex S. Scriptura; 1. quòd mactatio agni paschalis verum fuerit sacrificiũ Deo oblatum. 2. quod illa immolatio fuerit figura non solum immolationis Christi in Cruce, sed etiam celebrationis Eucharistiæ in ultima Cæna: ex quibus patebit, quod celebratio Eucharistiæ in ultima Cæna verum fuerit sacrificium seu immolatio alicujus victimæ Deo oblatæ.

Primũ quod *mactatio Agni paschalis verè & propriè dictum fuerit sacrificiũ* probatur 1. ex illo Exod 12. ubi Moyses mandat, ut singuli per familias tollant agnum, de quo v. 6. dicit, *immolabitq; eum universa multitudo filiorum Israel*, & v. 21. *ite tollentes animal & immolate phase* & v. 26. dicit: *cum dixerint vobis filii vestri, quæ est ista Religio? dicetis eis, victima transitus Domini est, &c.* Iterum Num. 9. v. 6. dicitur: *Ecce autem quidam immundi super anima hominis, qui non poterant facere phase in die illo accidentes ad Moysen & Aaron, dixerunt eis, immundi sumus super anima hominis, quare fraudamur, ut non valeamus oblationem offerre Domino in tempore suo, &c* & v. 9. dicit Dominus. *Loquere filiis Israel: Homo qui fuerit immundus super anima sive in via procul in gente vestra, faciat Phase in mense secundo*, & v. 13 *Si quis autem & mundus est & in itinere non fuit & tamen non fecit phase exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo, &c* hæc ibi. IV.

Ex quibus patet, quòd agni mactatio verum fuerit sacrificium, quia & dicitur *victima* ipse agnus, quod proprium est sacrificio 2. & absolutè vocatur sacrificium 3. quia dicitur offerri Domino, & immolari, quæ vero sacrificio cõpetunt insuper à certis personis offerebatur, nam singuli Patres familias jubebantur offerre, & non alii, ut patet Exodi 12. qui pro se & familia sua offerebant; ita ut omnes ex familia ex illo manducarent, & si non sufficerent ad vescendum agnum, vicinos assumere debebant. V.

Si autem dicatur, quòd soli sacerdotes verum sacrificium Deo offerebant de genere Aaron, ut Deus mandârat, patet solutio ex eo; quia, dum agni paschalis sacrificium instituebatur in Ægypto, nondum Deus sacerdotium ad familiam Aaron determinaverat; sed tunc currebat antiquus Patriarcharum mos, ut quilibet Paterfamilias verus sacerdos esset, ut patet de Noë, Abraham, *&c.* ac proinde restrictio sacerdotii ad familiam Aaron non comprehendebat sacrificiũ agni paschalis, sed ex Dei voluntate penes singulos Patresfamilias remanebat. VI.

Quod autem verum fuerit sacrificium; etiam patet ex illo Apostoli 1. Cor. 5. v 7 *Etenim pascha nostrum immolatus est Christus*: ubi Apostolus supponit Christum ut verum Phase, qui vere in sacrificium oblatus fuit, verè oblatum & immolatum esse; & indicat, quod olim simili modo agnus paschalis seu Pascha immolatum fuerit; cui phase verum, tanquam figuræ figuratum, successerit. VII.

Altera propositio; *quòd illa immolatio, agni paschalis figura fuerit non solum Christi in cruce oblationis, sed etiam celebrationis Eucharistiæ in ultima cœna à Christo facta*; quoad primam partem ab Acatholicis concedi ad minus debet: quia hoc clarè patet ex verbis Apostoli jam relatis 1. Cor. 5. ubi subjungit: *Itaque epulemur, non in fermento veteri, &c. sed in azymis sinceritatis & veritatis* Ex quibus clarè patet quod azymi veteris legis figurabant azymum verum & verum agnum Christum immola- VIII.

molatum, ad quod necesse erat, ut Christus prius immolaretur, quam à fidelibus manducaretur, sicut etiam agnus paschalis priùs immolatus, postea à familia comedebatur; licèt autem hoc post Christi Passionem dici posset, quoad manducationem per Fidem, quâ fideles credunt in Christum jam oblatum; non tamen id impletum esset ante passionem: at verò constat, quòd Christus ante passionem figuram illam agni paschalis in ultima cœna impleverit; adeóque in illa etiam verum sacrificium per agnum paschalem figuratum obtulerit, antequam Apostoli novum pascha manducarent, quæ est secunda pars propositionis: hoc autem probatur.

IX. Quia certum est, quòd Apostoli in ultima cœna post agnum typicum, etiam manducaverint agnum verum, scilicet Christum Dominum in Eucharistia; sicut Acatholici fateri debent: nam alioquin nec ipsi modò agnum verum immolatum comederent in Eucharistia, quod tamen volunt: Hîc autem non disputamus quali modo Christus in Eucharistia comedatur: Cum ergo manducatio agni paschalis typici in lege veteri sequeretur immolationem illius agni; clarum est, quòd agni veri in Eucharistia manducatio etiam in ultima cœna secuta sit immolationem veri agni; quæ non erat alia, quàm in Eucharistia à Christo facta, nam cruenta in cruce secuta est.

X. 2. patet ex eo; quia, cùm constet, quòd figura celebrationis agni paschalis à Christo impleri debuerit, licèt hoc quoad principale in cruce factum sit, tamen juxta modum expressiùs in ultima cœna impleta fuit, quoad omnia: nam sicut agni paschalis immolatio in perpetuum à Judæis observanda instituta fuit in memoriam liberationis filiorum Israël ab Angelo percutiente, & illorum domus transeunte; sic Eucharistia à Christo instituta est in memoriam liberationis fidelium à Sathana: deinde agnus immolatus ordinabatur, ut esset cibus pro viatico ex Ægypto, & in memoriam illius exitûs; sic & Eucharistia instituta est in cibum pro viatico ad veram patriam. Nec obstat, si dicatur quòd Christus in cruce immolatus implêsse dicatur figuram agni paschalis; prout indicatur Joann. 19. v. 36. ubi juxta illa verba Exodi 12. v. 36. *Nec os illius confringetis*, quæ de agno paschali dicta sunt, Euangelista autem, cur crura Christi fracta non sint in cruce, dicit: *Facta sunt enim hæc ut Scriptura impleretur, os non comminuetis ex eo.*

XI. Ex hoc quidem certum est, quòd agnus paschalis figura fuerit Christi in Cruce, quoad aliqua; sed cum hoc consistit, quòd etiam figura fuerit Christi in Eucharistia: cùm Eucharistia etiam repræsentet ipsam passionem, & Christus ut in Eucharistia propriè à fidelibus manducatur non verò ut in cruce oblatus est.

XII. Quòd *sacrificium vitulorum* etiam figurârit sacrificium Eucharistiæ, probatur; de quibus dicitur Exod. 24. quòd jubebantur immolari quorum Sanguinem Moyses respersit in populum, & ait v. 8. *Hic est Sanguis fœderis, quod pepegit Dominus vobiscum*, seu ùt Apost. Hebr. 9. v. 20. *Hic Sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus, &c.* Hanc figuram in Christo impletam esse testatur Apostolus ibid. & quidem quòd non solùm in cruce impleta fuerit quoad effusionem Sanguinis, sed etiam in ultima cœna quoad conditum testamentum, satis patet ex verbis Christi Luc. 22. v. 20. & 1. Cor. 11. v. 25. *Hic est calix novum testamentum in meo Sanguine.* Et similiter Matt. 26. v. 28. & Marc. 14. v. 24. dicit: *Hic est enim Sanguis meus novi testamenti qui pro vobis effundetur.* Ex quibus patet, quòd Christus Dominus in cœna condiderit testamentum novum ut impleret figuram, & omnia quæ ad condendum Testamentum requiruntur, Christus in cœna exhibuit, & non in cruce; nec Apostolus Hebr. 9. dicit, quòd Christus in cruce testamentum condiderit, sed jam antea conditum suâ morte confirmârit. At verò in figura priùs offerebatur vitulus, & postea sanguis in confirmationem testamenti conditi effundebatur; ex quo clarum est, quòd Christus seipsum in Eucharistia obtulerit, & in confirmationem Testamenti conditi carnem & Sanguinem sub speciebus panis & vini Apostolis tradiderit, & à fidelibus sumendum ordinârit, & per mortem compleverit.

ARTICULUS V.

Quòd omnia sacrificia antiqua sacrificium Eucharistiæ præfigurârint probatur ex SS. Patribus.

QUamvis veritas Catholica satis ex ipsa S. Scriptura constet, ùt jam ostensum est; quia tamen nulla verba tam clara sunt, quin in alium sensum falsum trahi possint, quòd Acatholici sicut communiter, sic & in hac materia facere conantur; sincerus Lector facilè judicabit illum verborum S. Scripturæ sensum potiùs à Spiritu S. intentum esse, qui non solùm ab hoc vel illo intelligitur aut asseritur, sed, quem antiqua Ecclesia & SS. Patres illius Ecclesiæ docuerunt, & ut certum supposuerunt. Ita ergo est, quod ipsi docuerunt antiqua sacrificia non solùm ipsum sacrificium cruentum Christi in cruce semel factum sed etiam sacrificium Eucharistiæ in ultima cœna peractum & semper observandum præfigurâsse. I.

Hoc de omnibus sacrificiis in generali SS. Patres supposuerunt; ex quibus sufficiant duo, qui aliorum SS. Patrum sententias noverunt. Prior est *Ioannes Chrysostomus* edit. Basil. 1558. qui in ps. 95. volens ostendere disparitatem magnam inter Synagogam Judæorum & Ecclesiam, dicit, in illa Deum ordinasse sacrificia plura & restrinxisse ad unicum locum ubi offerenda erant, & subdit: *At Ecclesia, quæ ubique Christum in se circumfert, & à nullo prohibetur loco; sed in omni loco sunt altaria.* Et infrà: *Vides, ubicunque concessum est angelicum illud sacrificium inclarescere, &c. Est igitur hostia pura, prima quidem mystica mensa cœleste, summéque venerandum sacrificium, &c.* Et postquam ostendisset, quòd in lege veteri variorum generum fuissent sacrificia, subdit: *Quæ omnia nova gratia superveniens uno complectitur sacrificio, unam ac veram statuens hostiam.* hæc Chrysost. II.

Alter *August.* quicùm alibi tum lib. 1. contra advers. legis & Prophet. cap. 18. ed. Basil. 1529. tomo 6. ubi de sacrificiis antiquis & novo sic ait: *Iam sacrificia talia non offert Dei populus Deo, postquam venit unicum sacrificium, cuius umbra fuerunt illa omnia, non hoc improbantia, sed hoc significantia. Sicut enim res una multis locutionibus & multis linguis significari potest; sic unum verum & singulare* III.

Digitized by Google

lare sacrificium multis est antea sacrificiorum significatum figuris, &c. ubi ostendit quòd Deus per Psalmistam Ps. 49. prædixerit, quod illa sacrificia imposterum non esset accepturus; sed *sacrificium laudis honorificabit me*, &c. *& ibi via, qua ostendam illi salutare Dei*, &c. *quod est autem sacratius laudis sacrificium, quam in actione gratiarum? & unde majores agenda sunt Deo gratiæ, quam pro ipsius gratia per Christum Iesum Dominum nostrum?*

IV. Et ne dicatur hoc intelligi de quacunque actione gratiarum, sed de Eucharistiæ sacrificio, quod specialiter institutum est in publicam gratiarum actionem pro beneficio redemptionis Augustinus statim subjicit dicens: *Quod totum fideles in Eucharistia sacrificio sciunt, cujus umbra fuerunt omnia priorum genera sacrificiorum.* Vbi satis clarè indicat sacrificium Eucharistiæ, quod fideles sciunt quotidie in gratiarum actioné offerri. Id ipsum clarissimè tradit lib 17. de Civ. Dei Cap. 20. dicens: *Quid credibilius dicere intelligitur, quam quod ad participationem mensæ hujus pertinet, quam & sacerdos ipse mediator testamenti novi exhibet secundum ordinem Melchisedech de Corpore & sanguine suo? Id enim sacrificium successit omnibus illis sacrificiis veteris testamenti, quæ immolabantur in umbra futuri, propter quod etiam vocem illam in Psalmo 39. ejusdem mediatoris, per prophetiam loquentem, agnoscimus; sacrificium & oblationem noluisti, Corpus autem perfecisti mihi; quia pro illis omnibus sacrificiis & oblationibus Corpus ejus offertur, & participantibus ministratur, &c.* hæc Augustinus, quid clarius dici posset de sacrificio Eucharistiæ, in quo Corpus Christi offertur, & participantibus quotidie ministratur? hæc quoad omnia sacrificia in generali.

V. Sancti Patres etiam in speciali id ipsum docuerunt de sacrificio agni Paschalis quod figura fuerit sacrificii Eucharistiæ, ex pluribus aliquos referam.

Cyprianus edit. Antv. 1568. lib de unit. Ecclesiæ ubi multis modis ostendit, quòd nullus extra Ecclesiam salvari possit, & circa medium etiam, quod Eucharistia extra Ecclesiam utiliter non sumatur, probat ex figura agni Paschalis, dicés: *Item Sacramentum Paschæ nihil aliud in Exodi lege contineat, quam ut agnus, qui in figura Christi occiditur, in domo una edatur, loquitur Deus, dicens, in domo una comedetur, non ejicietis de domo carnem foras. Caro Christi & Sanctum Domini ejici foras non potest, nec alia ulla credentibus præter Ecclesiam unam domus est*, &c.

Idem edit. eadem serm de cæna Domini circa initium sic ait *Nec in Ecclesia sancta sacrificio ulla sit macula in una Ecclesiæ Catholicæ domo, à fidelibus de Ægypto egredientibus, transito mari rubro, lotis Christi sanguine affectibus offeratur. Cœna itaque disposita inter sacramentales epulas obviârunt sibi instituta antiqua & nova, & consumpto agno, quem antiqua traditio proponebat. Inconsumptibilem cibum magister apponit discipulis: nec jam ad elaborata impensis & arte convivia populi invitantur, sed immortalitatis alimonia datur. &c.* hæc ille.

VI. *Gregorius Nazianz.* orat. 4. in sanctum Pascha edit. Basil. 1550. circa medium volens Paschæ appellationem explanare, ostendit: quòd Deus in lege veteri sacrificia instituerit, ut introducerentur fideles in magnum sacrificium in Christo, & statim de sacrificio *Agni paschalis* procedit, & omnia quæ in immolatione illius requirebantur exponit, & ad sacrificium Christi præfiguratum applicat dicens: *Quapropter agnus sumitur, ob innocentiam nempe, ac veteris nuditatis indumentum*, &c. *perfectus autem non ob divinitatem tantùm, qua nil est absolutius, sed & propter unctionem deitati adiunctam: masculus autem, tanquam pro Adam oblatus*, &c. *anniculus, ut Sol justitia*, &c. *immaculatus autem & purus, tanquam maculas*, &c. *sanans*, &c. *eligitur autem non ex agnis solum, sed & à specie deteriore & sinistra manus hadis, quoniam non solum pro justis sed & pro peccatoribus jugulatur.* Deinde ostendit figuram cur *per domos singulas oblatus sit*, cur *septennaria fermenti à veteri & acida pravitate sublatio:* tandem subiit, dicens. *A nobis verò agnus manducatur ad vesperam quidem, quoniam Christi Passio ad consummationem seculorum, & quoniam in vespera discipulis* (nota) *mysterium communicat, peccati solvens tenebras, &c.* hæc ille. Vbi patet quod supponat agni paschalis verum fuisse sacrificium, & Christi sacrificium præfigurasse, quod discipulis in cæna tradidit.

Ambrosius in cap. 1. Lucæ edit. Paris. 1569. circa verba illa, *apparuit autē illi Angelus stans à Dextris altaris, &c.* sic ait: *Atque utinam nobis quoque adolentibus altaria, sacrificium deferentibus assistat Angelus, imò præbeat se videndum. Non enim dubites assistere Angelum, quando Christus assistit, Christus immolatur: Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus*, &c. hæc ille Vbi clarè supponit quod Agnus paschalis præfiguravit Christum in Eucharistia immolatum, idque ab Apostolo dictum esse. VII.

Gaudentius Brixiensis Episcopus, qui D. Ambrosii tempore floruit, in Exodum de Paschæ observatione tract. 2. in Bibl PP. tomo 4. edit. Colon. 1618. dicit: *Discamus manducare Pascha, non sicut insipientes Iudæi, qui post adventum veritatis, adhuc umbram sequuntur*, & infrà: *Ex quo enim venit, cujus umbra fuerat ista ovis, verus ille agnus Dei*, &c. *dixit, nisi manducaveritis carnem meam*, &c. *frustra jam Iudæi carnaliter exercent; quod, nisi nobiscum spiritualiter fecerint habere in se vitam non poterunt; lex enim spiritualis est, ut ait Apostolus, & Pascha nostrum immolatus est Christus. Quæ vero virtutes præfiguratæ sunt spirituales in ipsa historia Exodi, ubi celebratio Paschæ nunciatur*, qui *fit decimus dies, qui decimus quartus*, quæ *immolatio perfecti masculi, anniculi agni ad vesperã*, &c. *à die crastina incipiamus exponere. Modo autem ea solum* quæ *præsentibus catechumenis explanari non possunt, & necessario tamen aperienda sunt Neophytis in umbra illius legalis Paschæ, non unus agnus occidebatur sed plures, singuli enim occidebantur per domos; nam sufficere unus non poterat universis, quoniam figura erat, non proprietas Dominicæ Passionis, &c.* & infrà: *Ergo in hac veritate, qua sumus, unus pro omnibus mortuus est, & idem per singulas* (nota) *Ecclesiarum domos in mysterio panis & vini reficit immolatus, vivificat creditus, consecrantes sanctificat consecratus. Hæc agni caro, hic sanguis est.* Et infrà: *Ipse igitur naturarum Creator & Dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus (quia & potest & promisit) efficit proprium Corpus, & qui de aqua vinum fecit, & de vino sanguinem suum, &c.* hæc ille. Ecce quam clarè supponit figuram agni paschalis non solum respectu Christi passi, sed etiam in Eucharistia manducati & transubstantiationem ejus. VIII.

Hieronymus in cap. 26. Matt edit Basil. 1553. circa illa verba, *cœnantibus autem eis, &c.* sic ait: IX.

Digitized by Google

postquam typicum pascha fuerat impletum, & agni carnes cum Apostolis comederat: assumit panem, qui confortat cor hominis, & ad verum paschæ transgreditur Sacramentum, ut quomodo in præfiguratione eius Melchisedech summi Dei Sacerdos panem & vinum offerens fecerat; ipse quoque veritatem Corporis & Sanguinis sui repræsentaret, &c. hæc ille, quid clarius?

X. *Ioannes Chrysostomus* Homiliâ de Proditione Judæ, edit. Basil. 1547. circa verba, *ubi vis paremus comedere pascha?* sic ait: *Non illud, quod nostrum est, sed interim Iudæorum; & illud quidem discipuli præparabant: Istud autem quod nostrum ipse* (nota) *constituit, & non solùm constituit, Sed & ipse factus est pascha, &c.* & infrà: *sed per hoc etiam aliud maius beneficium monstrabatur; quod ille agnus futuri agni fuit typus* (nota) *& ille sanguis Dominici Sanguinis monstrabat adventum; & ovis illa fuit spiritualis ovis exemplum; ille agnus umbra fuit, hic veritas; sed postquam Sol iustitiæ radiavit, umbra solvitur luce. Et ideo in ipsa mensa* (nota) *utrumque pascha & typi & veritatis celebratum est, &c.* & infrà: *Vides quòd* (modò) *immunda sunt azyma* (Judæorum) *quod illicita festivitas, quod non Iudaicum: & fuit quidem aliquando pascha Iudaicum, sed exemptum & evacuatum est pascha spiritualis adventu; quod Christus tradidit. Nam, cùm manducarent, inquit, & biberent accepit panem & fregit & dixit: Hoc est Corpus meum quod pro vobis tradetur. Agnoscunt, quid loquor qui sunt divinis consecrati mysteriis, &c.* hæc ibi. quibus nihil clariùs dici potest pro figura agni paschalis respectu Eucharistiæ in ultima cœna oblatæ.

XI. Idem Homil. 83. eâd. edit. circa illa verba *cœnantibus autem eis, &c.* sic ait: *Ut undique discamus ipsum* (Christum) *veterem etiam legem finxisse, & omnia quæ in illa sunt, propter novam hanc adumbrata esse: hac igitur de causa veritatem figuræ adiunxit,* &c. *gratias autem egit, ut nos instrueret; quomodo mysterium hoc facire debeamus,* &c. *ac bonam nobis spem inde immitteret atque foveret; Nam si figura à servitute* (Ægypti) *liberavit, multò magis veritas terrarum orbem vindicabit,* &c. *præcipuam autem solemnitatem eorum dissolvit & ad altam eos mensam honoris plenam convocans dicit: Accipite & comedite, hoc est Corpus meum quod pro multis frangetur in remissionem peccatorum, &c.* & infrà: *Hæc enim rursus pollicitus est, & testamentum* (nota) *novum hoc ipsum confirmat, & quemadmodum vetus pecudes & vitulos habebat, eodem modo novum Dominicum possidet Sanguinem;* & infrà: *Deinde dicit: hoc facite in meam commemorationem; vides, quomodo ab Iudaicis abducit & avocat moribus; nam sicut illud in rememorationem miraculorum, quæ in Ægypto Patres vestri viderunt, faciebatis; sic & hoc in meam facite commemorationem.* hæc ibi. Ubi iterum clarissimè ostendit, quòd agni paschalis celebratio, & vitulus occisus & sanguis aspersus fuerit typus Eucharistiæ in ultima cœna celebratæ, quæ in Ecclesia celebranda esset; sicut illa in Synagoga celebrata erat; sed in memoriam passionis Domini.

XII. Concludat *Augustinus* lib. 2. contra Lit. Petil. cap. 37. edit. Basil. tomo 7. 1528. dicens: *Quemadmodum pascha, quod à Iudæis celebratur in occisione agni, prænunciabat Domini passionem & transitum de hoc mundo ad Patrem, & ipsum tamen pascha, quod erat in eadem prænuntiatione, idem Dominus cum discipulis suis celebravit, quando ei suggesserunt, dicentes; ubi vis paremus tibi pascha?* &c. *sed sicut aliud est carnis circumcisio Iudæorum, aliud autem quod octavo die baptizatorum nos celebramus, & aliud est pascha, quod adhuc illi de ove celebrant; aliud autem quod nos in corpore & Sanguine Domini accipimus, &c.* hæc August. ubi ùt certissimum supponit, quòd celebratio agni paschalis, celebrationem Eucharistiæ in Ecclesia jugiter servandam præfigurarit.

XIII. Cùm itaque ex S. Scriptura constet; quòd agni paschalis immolatio figura fuerit immolationis Christi, ùt ostensum est; & non solùm illius in cruce principaliter; sed & ex circumstantiis actionum in cœna Domini satis constet illam figuram etiam impletam esse immediatè; & insuper antiqua Ecclesia, quam etiam Acatholici fateri debent unam veram esse & columnam veritatis juxta Apostolum 1. Tim. 5. v. 15. prout ex unanimi sanctorum Patrum consensu patet; illam figuram in cœna à Christo impletam, imò omnia sacrificia vetera sacrificium Eucharistiæ figurâsse, & hoc omnibus illis abrogatis successisse, docuerit, optimè Doctores Catholici ex his figuris concludunt quòd Christus in ultima cœna sacrificium verum servaverit & instituerit.

XIV. Nec obstat quòd sacrificium agni fuerit cruentum, & sacrificium Eucharistiæ sit incruentum; & quòd sacrificium agni fuerit tantùm rememorativum liberationis à servitute Ægyptiaca & gratiarum actionis, at Eucharistiæ dicatur propitiatorium pro peccatis, *&c.* & quòd agnus à multitudine oblatus. Hæc, inquam, non obstant; quia sacrificium Eucharistiæ, ùt SS. Patres testantur, comprehendit omnia sacrificia vetera; & ideo plura continet, quàm quodlibet illorum: nec oportet, ut omnia quæ singula illa habebant in se contineat, sed aliqua ex singulis, quod ad figuram sufficit, quæ scilicet sese in eodem compatiuntur; alioquin nec omnia sacrificia sacrificium in cruce figurâssent, ùt claré ostendi potest. Sic itaque per sacrificium Melchisedech, ut in pane & vino, incruentum figuratum fuit; per agni paschalis oblationem, ut sacrificium Eucharisticum in gratiarum actionem, & memoriam liberationis in cruce factæ figurabatur: & quia in remissionem peccatorum etiam offertur, per alia sacrificia præfiguratum fuit: Denique agnus paschalis non sic à multitudine offerri dicitur, quasi omnes & singuli Judæi obtulerint, hoc enim patet falsum ex textu Exodi 12. v. 21. ubi dicitur: *Vocavit autem Moyses omnes seniores filiorum Israël, & dixit ad eos. Ite tollentes animal per familias vestras, & immolate phase, &c.* ubi singulis patribusfamilias mandabatur, ut immolarent in suis domibus, & sic tota multitudo immolare dicitur; ita ut reliqui in domo per patrem immolare dicerentur & de phase participarent; sic etiam omnes Fideles per Sacerdotes offerre dicuntur sacrificium Eucharistiæ, & de illo omnes participant. Ex his vera probatio sacrificii Eucharistiæ ex figuris sacrificiorum veteris testamenti satis constat.

AR-

ARTICULUS VI.

Sacrificium Missæ esse verum, probatur ex diversis Prophetarum vaticiniis.

PLura vaticinia à Doctoribus de sacrificio Missæ, juxta sanctorum Patrum sensum adducuntur, quorum aliqua proferam in hoc art.

I. Primum est Proverb. 9. ubi sic dicitur: *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum & proposuit mensam suam, &c.* quòd hîc prophetice Author locutus sit de sacrificio Eucharistiæ SS. Patres docuerunt; ex quibus duo sufficiunt, *Cyprianus* lib. 2. epist. 3. juxta edit. Basil. 1540. sic ait: *Sed & per Salomonem Spiritus Sanctus typum Dominici sacrificii præmonstrat, immolatæ hostiæ panis & vini; sed & altaris & Apostolorum faciens mentionem; sapientia, inquit, ædificavit sibi domum, & paravit mensam suam, & misit servos suos dicens: Venite & edite de panibus meis, & bibite vinum quod miscui vobis, &c.* hæc Cyprianus.

II. *Augustinus* lib. 17. de Civit. Dei cap. 20. edit. Basil. 1529. tomo. 5. de Salomone sic ait: *Prophetâsse etiam ipse reperitur in suis libris, qui tres recepti sunt in authoritatem canonicam; proverbia, Ecclesiastes, & canticum canticorum, &c.* & infrà dicit, *in eodem libro* (Proverbiorum) *non nisi de Christo & Ecclesia, mox ut fuerit pronunciatum, consuevit intelligi ab eis qui Christum Sapientiam Dei esse noverunt. Sapientia ædificavit sibi domum, & suffulsit columnas septem, immolavit suas victimas, miscuit in cratere vinum suum, & paravit mensam suam. Misit servos suos convocans in excellenti prædicatione ad craterem, dicens: Quis est insipiens, divertat ad me, & inopibus sensu, dixit: Venite & manducate de panibus meis & bibite vinum, quod miscui vobis. Hic certè cognoscimus Dei sapientiam, hoc est Verbum Patri coæternum, in utero virginali domum sibi ædificasse corpus humanum, & huic tanquam capiti membra Ecclesiam subiunxisse, martyrum victimas immolasse, mensam in vino & panibus præparasse, ubi apparet etiam ad sacerdotium secundùm ordinem Melchisedech insipientes & inopes sensu vocasse, quia sicut dicit Apostolus: Infirma huius mundi elegit Deus, ut confundat fortia, &c.* hæc August. quæ clarissima sunt.

III. *Alterum vaticinium* est Isaiæ 19. v. 19. *In illa die erit altare Domini in medio terræ AEgypti,* & v. 20. *Mittet eis Salvatorem & propugnatorem qui liberet eos; & cognoscetur Dominus ab AEgypto, & cognoscent AEgyptii Dominum in die illa, & colent eum in hostiis & muneribus.*

Iterum Isaiæ ult. v. 21. ubi sic dicitur: *Et assumam ex eis in Sacerdotes & Levitas, dicit Dominus.* Ubi patet, quòd Deus loquatur de statu Ecclesiæ Christi ex Gentibus constituenda. Ex quo constat, quòd, quia Deus promisit futuros veros Sacerdotes, etiam consequenter illos oblaturos verum sacrificium, ùt asserit Apostolus Hebr. cap. 8. v. 3. *Omnis enim Pontifex* (ubi de Sacerdote loquitur) *ad offerendum munera & hostias constituitur, &c.* Nec potest dici quòd hoc intelligatur de omnibus Christianis, qui spirituales hostias orationis & cordis contriti offerunt, 1. quia dicitur, quòd erit Altare, in quo hostiæ offerentur, quod non requiritur ad hostias orationis vel impropriàs, sed ad proprias & externas. 2. quia Dominus dicit: *Assumam ex eis Sacerdotes,* ex quo patet, quòd non omnes erunt Sacerdotes tales, sed aliqui ad hoc specialiter ex Gentibus conversis delecti & ordinati; quod dici non potest de omnibus & singulis Fidelibus.

Hæc omnia ex ipso textu satis patent, & sic SS. Patres prophetiam intellexerunt: ut inter alios S. Hieronymus in cap. ultimo edit. Basil. 1553. tomo 6. Isai. dicens: *Et sumam* (inquit) *ex eis Sacerdotes & Levitas, dicit Dominus, ut qui salvati fuerint Gentibus prædicarent. De quibus unus loquebatur* (1. Cor. 4.) *sic nos reputet homo quasi ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei. Et Lucas Euangelista: Sicut tradiderunt* (inquit) *nobis qui à principio viderunt & ministri fuerunt sermonis. De quibus & suprà* (cap. 61. Isai.) *legimus: Vos eritis mihi Sacerdotes Domini, &c.* Et infrà: *Vel certè non dicit de Apostolis & Apostolicis viris, qui principes fuerunt Ecclesiæ ex populo Iudæorum, sed de enumeratis suprà Gentibus, de mari, de Africa, de Lybia, de Cappadocia, de Italia, de Græcia, de cunctis insulis; quarum habitatores primùm non audierant Dominum, nec viderant gloriam eius; & postea vertentur in Sacerdotes, ut qui fuerant cauda, sint caput; & qui caput, vertantur in caudam. Quia sicut, &c. quando dicit: Assumam ex eis Sacerdotes & Levitas ostendit vetus sacerdotium prætermissum, quod tribui Leviticæ debebatur; ubi non electio, sed ordo naturæ & series familiæ per posteros descendens. Translato enim sacerdotio, necesse est, ut & legis translatio fiat, & electio ad eos pertineat, quibus nequaquam iuxta Sanguinem, sed iuxta merita atque virtutes sacerdotium defertur, &c.* hæc Hieron. ubi patet, quòd non de omnibus Fidelibus, sed de certis ordinatis loquatur. IV.

Tertium vaticinium est Danielis 12. ubi v. 1. dicitur: *In tempore illo saturabitur populus tuus qui inventus fuerit scriptus in libro, & multi de his qui dormiunt in pulveribus terræ evigilabunt; alii in vitam æternam, alii in opprobrium.* Postea de Angelo dicitur v. 7. *Cùm elevasset dexteram & sinistram suam in cœlum & iurâsset per viventem in æternum, quia in tempus & tempora & dimidium temporis, & cùm completa fuerit dispersio manus populi sancti, complebuntur universa hæc,* & infrà: *Et à tempore cùm ablatum fuerit iuge sacrificium & posita fuerit abominatio in desolationem dies mille ducenti nonaginta,* &c. V.

His verbis impius Porphyrius dicebat, referri ea acta quæ tempore Antiochi contigerant, ut in libris Machabæorum referuntur; & volebat, quòd liber Danielis non esset prophetia, sed simplex narratio facta ab aliquo, qui tunc vixerat, reliqua autem essent ementita, ùt refert Hieronymus in prologo ad Danielem; ut sic negaret ea, quæ Christus & Christiani ex hoc libro probârunt. VI.

Verùm præmissa verba verè fuisse prophetica nec ad literam de actis Antiochi intelligi posse cum aliis SS. Patribus ostendit Hieronymus in cap. 12. sed de tempore Antichristi intelligenda esse; ubi cum communi etiam ex consensu Porphyrii supponit, quòd per tempus, & tempora & dimidium temporis intelligantur tres anni & dimidius, *&c.* ubi Hieronymus ad verba; *Et à tempore quo ablatum fuerit iuge sacrificium, &c.* VII.

sic

sic ait: *Hos mille ducentos nonaginta dies Porphyrius in tempore Antiochi & in desolatione templi dicit completos, quam Iosephus & Machabæorum liber tribus tantùm annis fuisse commemorant. Ex quo perspicuum est, tres istos, & semis annos de Antichristi dici temporibus, qui tribus & semis annis, hoc est, mille ducentis nonaginta diebus Sanctos persecuturus est, &c. tempore igitur ἐνδελεχισμοῦ quod nos interpretati sumus, iuge sacrificium, quando Antichristus orbem obtinens Dei cultum interdixerit, usque ad internecionem eius tres & semis anni, id est mille ducenti & nonaginta dies complebuntur*, hæc Hieron. ex communi sanctorum Patrum sententia: de quibus etiam Augustinus libro 10. Civit. cap. 8.

VIII. Ex hac igitur prophetia constat, quòd Antichristi tempore auferetur *iuge sacrificium Deo gratum*, quod usque tunc in Ecclesia Christi continuatum fuerit, ut Propheta supponit: cujus utique typus fuit juge sacrificium veteris legis, quod Exodi 28. jubebatur quotidie offerri: cui successit sacrificium Eucharistiæ, quod hactenus in Ecclesia celebratur: nec aliud juge sacrificium ostendi potest. Non enim hoc intelligi potest de jugi sacrificio Judaico quod à tempore Christi cessavit, nec de sacrificiis spiritualibus quæ fiunt per orationes, vel etiam cordis humiliationes, ut Acatholici volunt, qui etiam Porphyrium sequentes, omnia ad Antiochum referunt, contra claram Scripturam & sanctorum Patrum sententiam: Nam sacrificia spiritualia sunt plurima, at verò Propheta loquitur de uno certo solemni externo sacrificio jugi, quod verè & propriè sacrificium sit, sicut juge sacrificium veteris legis publicè offerri solebat, quod tunc in publicis templis ex violentia Antichristi & militum suorum impedietur: nullo autem modo tunc cessabunt sacrificia spiritualia, quia tempore Antichristi plurimi adhuc Fideles in Fide & charitate Christi perseverabunt, prout juxta S. Scripturam cum communi sanctorum Patrum sententia supponit Augustinus lib. 20. de Civ. Dei cap. 8. edit. Basil. tomo 5. 1529. ubi de solutione diaboli tempore Antichristi sic ait: *Tunc autem solvetur, quando & breve tempus erit. Nam tribus annis & sex mensibus legitur totis suis suorùmque viribus sæviturus: & tales erunt, cum quibus ei belligerandum est, ut vinci tanto eius impetu insidiisque non possint. &c.* hæc August.

Ex præmissis patet, quòd, quia Propheta loquitur ad literam de quodam certo, verè & propriè dicto jugi sacrificio, ab Antichristo publicè auferendo, utique tale aliquid usque ad illud tempus in Ecclesia continuandum sit: quòd nullum aliud assignari potest, quàm Missæ sacrificium.

ARTICULUS VII.

Eadem veritas probatur ex vaticinio Malachiæ.

I. Verba Prophetæ hæc sunt, Malach. 1. v. 6. *Dicit Dominus exercituum, ad vos, ô Sacerdotes, qui despicitis nomen meum, &c.* & v. 7. *Offertis super altare meum panem pollutum.* v. 8. *Si offeratis eum ad immolandum, &c.* & v. 10. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra, ab ortu enim Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus: & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum, &c.* hæc Propheta.

Quòd hîc Propheta ad literam vaticinetur de aliquo certo sacrificio propriè dicto in lege nova frequentando, quòd succedat sacrificiis Judæorum reprobandis, ex textu & contextu sequenti facilè constat: licèt Acatholici more suo pervertere conentur, 1. cùm aliqui volunt, quòd Propheta ibi loquatur de aliquo sacrificio quòd apud Gentes tunc temporis Deo offerebatur: sed hoc falsissimum esse, patet: Primò, quia vel intelligeretur de Gentibus Fidelibus piis tunc existentibus, quales fuerunt Job & socii ejus, &c. sed illi jam longè præcesserant & paucissimi fuerant in terra Huss. nec ostendere possunt, quòd tempore Malachiæ per totum orbem ab ortu Solis usque ad occasum fuerint gentiles Fideles qui Deo vero sacrificium obtulerunt mundum, cùm potius David quando florebat cultus Dei ps. 75. dixerit: *Notus in Iudæa Deus, in Israël magnum nomen eius.* Et ps. 147. v. 20. *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestavit eis.* utique non solùm sine Scriptura, quam Acatholici semper prætendunt, sed etiam contra expressam Scripturam talis est interpretatio. II.

Multò autem turpior est aliorum interpretatio, qui volunt illud sacrificium mundum à Propheta dictum intelligi debere de sacrificiis gentilium infidelium; qui naturaliter agnoscentes Deum, ex motibus cœlorum & aliis illi sacrificabant, & hæc Deus acceptârit: sed hæc falsissima esse patet ex eo; quia, licèt aliqui Gentiles Deum sic cognoverunt ex visibilibus, ut dicit Apostolus ad Rom. 1. tamen addit v. 21. *Cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, &c. & mutaverunt gloriam incommutabilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis & volucrum, &c.* Et illis sacrificârunt qualia Gentilibus sacrificia per totum mundum communia erant. Hæccine illud verum sacrificium mundum, & Deo acceptabile? III.

Nec obstat, quòd Propheta dicat per verba de præsenti, *offertur, sacrificatur, & est nomen meum magnum, &c.* quia hoc usitatissimum est in Scriptura. quòd propter certitudinem prophetiæ futura in præsenti prædicantur, ut inter alia patet ex illo Isa. 6. v. 9. *Parvulus natus est nobis, &c.* quod certissimè de Christo postea nascituro dictum est, & patet etiam ex ipso Malachia, qui in persona Domini cap. 3. dicit: *Ecce ego mitto Angelum meum, &c.* quæ verba Christus ipse Matt. 11. v. 10. dicit de Joanne Baptista intelligenda esse: Ex quo etiam bene ostenditur, quòd omnia illa à Malachia dicta de sacrificio mundo & aliis futuris in Christi adventu intelligantur. IV.

His alii Acatholici convicti concedunt verba de Ecclesia Christi intelligenda esse; sed volunt, quòd Deus ibi nihil aliud prædixerit quàm quòd nomen suum ingentibus prædicandum sit post adventum Christi, & Gentes spirituales hostias Deo offerrent per orationes & gratiarum actiones & proprias animas, sed contrarium V.

rium patet ex textu: Primò, quia ibi Propheta opponit sacrificiis omnibus veteris Testamenti unum certum sacrificium, quod utique externum & propriè dictum sacrificium esse debet, sicut priora; licèt perfectiùs; at verò orationes non sunt sacrificia propriè dicta. Secundò, nec orationes possunt dici unum certum sacrificium, quod veteribus succedat, cum etiam in veteri lege fierent orationes piæ à piis Fidelibus. Tertiò, quia ibi notanter dicitur *oblatio munda* quæ scilicet simpliciter sit munda secundùm se, nec per ministros sacrificantes polluatur; sicut sacrificia vetera per malitiam ministrorum polluta ibidem dicuntur. Hoc autem non convenit vel prædicationi Euangelii vel etiam orationi: Nam licèt prædicatio quoad objectum bona sit, tamen quia actio est prædicantis ex circumstantiis pollui facilè potest: quia, licèt actiones justorum multæ bonæ sint & Deo gratæ, tamen propter concomitantes actiones venialiter pollui possunt, ut in materia de justificatione ostenditur. Id autem maximè contra Acatholicos valet, qui volunt, quòd nulla detur bona actio justorum in se bona & Deo grata sed si secundùm strictum Dei judicium examinetur gehennali pœnâ digna sit; ad quod detorquent verba Isa. 64. v. 6. *Quasi pannus menstruatæ universæ iustitiæ nostræ.* Solùm verò dicantur bonæ; quia Deus ùt bonas propter merita Christi acceptat, licèt in se malæ sint; at verò Propheta dicit, quòd oblatio ista erit absolutè munda in omni loco, & ideo Deo grata. Hoc ergo solum intelligi potest de oblatione corporis Christi, quæ simpliciter & absolutè munda est. Nec potest intelligi de oblatione Christi in cruce, quæ in uno loco semel tantùm facta est; adeóque de oblatione corporis Christi in Eucharistia.

VI. De hac oblatione jam à tempore Apostolorum constat: quòd à Solis ortu usque ad occasum in omni loco Deo oblata sit, & usque in præsens offeratur; adeóque patet, prophetiam verè & propriè in hac oblatione impletam esse.

VII. Quòd autem utramque illam suam Malachiæ expositionem Acatholici à Judæis impiis, qui hanc prophetiam à Christianis sibi objici videbant mutuârint, constare potest ex Nicolao Lyrano, edit. Antwerp. 1634. qui ante trecentos annos ad cap. 1. Malachiæ sic ait: *Rabbi Salomon dupliciter exponit; uno modo, quia licèt gentiles adorent Idola ut Deos, tamen dicebant Deum cœli & terræ excellentiorem illis Diis. Sed ab hac expositione discordat quod subditur:* & in omni loco, &c. *quia si gentiles cum Deo cœli Idola colentes Deo facerent oblationem, illa non essent munda coram Deo, quia ab Idololatris essent oblatæ; & ideo cum hoc ponit aliam expositionem, dicens: quòd iste passus intelligitur de Iudæis inter gentiles ipsis per orbem Deum adorantibus devotè, quorum oblatio hic dicitur munda oblatio, & per eos nomen Domini prædicatur magnum in terris gentilium: sed istud non videtur verum, non enim est verisimile, quòd illi qui erant dispersi inter gentiles Idololatras tempore Malachiæ essent iustiores & mundiores quàm illi sacerdotes qui redierant de captivitate Babylonica. Propter quod dicendum, quòd iste passus loquitur ad literam de sacrificio novæ legis, quod est Eucharistia, quod est mundissimum; & Deo acceptissimum. In omnibus etiam terræ nationibus sunt aliqui Christiani hoc sacrificium offerentes, &c.* hæc Nicolaus.

ARTICULUS VIII.

Idem probatur ex expositione sanctorum Patrum.

Quamvis autem veritas ex his verbis Prophetæ pateat, prout ex ipso textu satis ostensum est; quia tamen Acatholici verba S. Scripturæ (prout hæret ci antiqui consueverant) ad suos errores detorquent, & disputationibus involvunt. Ad SS. Patres primitivæ Ecclesiæ, quod in hoc opere specialiter propositum est, eamus. Ipsos itaq; in sensu Ecclesiæ Catholicæ modernæ verba Prophetæ intellexisse ex sequentibus patebit. I.

Iustinus Martyr Apostolorum discipulus in dialogo cum Tryphone Judæo. edit. Heidelb. Hieron. Commel. sic ait: *Universi igitur qui per nomen istius sacrificia (offerunt) quæ IESVS CHRISTVS fieri tradidit, hoc est in Eucharistia panis & calicis, quæ in loco omni à Christianis fiunt, prævertens Deus, gratos sibi esse testificatur. Quæ autem à vobis & vestris illis Sacerdotibus offeruntur, renuendo abiicit, inquiens: Et sacrificia vestra non suscipiam ex manibus vestris. Quoniam ab ortu Solis usque ad occasum, nomen meum glorificatur in Gentibus, &c.* hæc S. Justinus, ubi clarissimè supponit, quòd sacrificium Eucharistiæ sit verum à Christo institutum & per orbem celebratum, & à Deo per præoccupationem propheticam prædictum verbis Malachiæ. II.

Verùm de verbis Justini infrà ulteriùs dicetur, referendo illa quæ author anonymus ex D. Justino objicit.

Irenæus ann. 180. lib. 4. adversus Hæreses cap. 32. edit. Colon. 1596. sic ait: *Eum, qui ex creatura panis est, accepit* (Christus) *& gratias egit dicens, hoc est Corpus meum, & calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundùm nos suum Sanguinem confessus est, & novi testamenti novam docuit* (nota) *oblationem; quam Ecclesia ab Apostolis accipiens offert Deo in universo mundo et qui alimenta nobis præstat primitias suorum munerum, de quo in duodecim Prophetis Malachias sic præsignificavit, non est mihi voluntas in vobis dicit Dominus.* Et recitatis reliquis Prophetæ verbis subjungit: *Manifestissimè significans per hæc quoniam prior quidem populus cessavit offerre Deo, omni autem loco sacrificium offertur ei, & hoc purum, nomen autem eius glorificatur in Gentibus, &c.* hæc Irenæus. Quid clariùs pro veritate doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ dici posset contra Acatholicorum figmenta; qui volunt oblationem mundam dici de orationibus, cùm Irenæus dicat, novi Testamenti novam oblationem Ecclesiam ab Apostolis accepisse, quod non potest dici de oratione, eleëmosyna, &c. quæ etiam in veteri testamento erant nec in se semper absolutè munda sunt. III.

Idem c. 34. eâd. edit. sic ait: *Et genus oblationum* (Judæorũ) *reprobatũ est, oblationes enim & illic, oblationes autẽ & hic, sacrificia in populo* (Judæorum) *sacri-*

Digitized by Google

ſacrificia & in Eccleſia, hæc Irenæus. ubi patet, quòd utrobique intelligat ſacrificia propriè dicta externa.

IV. *Tertullianus* edit. Baſil. 1562. lib. 3. contra Marcionem ſic ait: *In omni loco ſacrificium nomini meo offertur, & ſacrificium mundum gloriæ ſcilicet, relatio, & benedictio & laus & hymni, quæ omnia cùm in te quoque deprehendantur, & ſignaculum frontium & Eccleſiarum Sacramenta & munditiæ ſacrificiorum, &c.* hæc ille, ubi ſupponit prophetiam illam eſſe in Euchariſtia impletam, licèt obſcurioribus verbis utatur, quæ Acatholici volunt ad orationem detorquere, per illa verba, gloriæ relatio laus & hymni: ſed patet, quòd Tertullianus ibi voluerit omnia comprehendere quæ Chriſtus in inſtitutione hujus ſacrificii præſtitit, & in Eccleſia obſervantur, ut, quòd ante & poſt ſacrificium Deus glorificetur, & laudetur, ſicut Chriſtus priùs Deo gratias egit, deinde benedixit, benedicendo Sacramentum inſtituit, & ſacrificium obtulit, & poſtea hymnum dixit: Ideo Tertullianus dicit, quòd in Eccleſia ſacrificium offeratur: primùm, quòd relatio gloriæ Dei, deinde benedictio ſeu conſecratio Sacramenti fiat, & mundities ſacrificii exiſtat; poſtea laus & hymni dicuntur.

Cyprianus lib. 1. contra Judæos cap. 16. edit. Antwerp. 1568. ſic ait: *Quòd ſacrificium vetus evacuaretur, & novum celebraretur apud Iſaiam, quo mihi multitudinem ſacrificiorum veſtrorum dicit Dominus plenus ſum, &c.* & infrà: *Item apud Malachiam: Non eſt mihi voluntas circa vos dicit Dominus, & ſacrificium acceptum non habebo ex manibus veſtris, quoniam à Solis ortu & uſque in occaſum clarificatum eſt nomen meum apud Gentes, & in omni loco odores incenſi offerũtur nomini meo & ſacrificium mundum, quoniam magnum eſt nomen meum apud Gentes dicit Dominus:* ubi cap. 17. ſubjungit, dicens: *Quòd ſacerdotium vetus ceſſaret & novus ſacerdos veniret qui in æternum futurus eſſet.* quod probat ex pſalmo 109. & ex 1. lib. Reg. ubi Deus dicit ad Heli ſacerdotem, *& ſuſcitabo mihi ſacerdotem fidelem, &c.* hæc Cyprianus. ubi contra Judæos ex veteri teſtamento probat, quòd Chriſtus futurus eſſet novus ſacerdos & quòd ſacrificium novum inſtitueret, & vetus ceſſaret: quod non poteſt intelligi de oratione quæ etiam in veteri lege ſervabatur, & Deus, laudabatur in pſalmis, *&c.*

V. Cyprianus quidem duo notat in verbis Malachiæ juxta verſionem 70. interpretum quæ extat apud Hieronymum in illum locum, ubi dicitur, *incenſum offertur nomini meo & ſacrificium mundum.* Et ideo per incenſum intelligit odores incenſi ſcilicet, orationes quæ etiam in lege veteri fiebant, & ſupra illas addit juxta Prophetam: *Sacrificium mundum* quod abſolutè mundum eſt & novum ſuccedens veteribus; quod nullum aliud eſſe poteſt quàm ſacrificium Euchariſtiæ quod mundiſſimum eſt, de quo Cyprianus paſſim aſſerit: quòd ſit à Chriſto inſtitutum, ut lib. 2. Ep. 3. prout ſuprà agendo de figura ſacrificii Melchiſedech relatum eſt.

VI. *Euſebius Cæſarienſis* lib. 1. Demonſt. Euangel. editione Baſil. 1549. cap. ultimo, *Deus*, inquit, *rejectis Moſaicis ſacrificiis quod futurum erat, noſtrum ipſorum inſtitutum divinitùs nunciat, dicens, quoniam ab ortu Solis uſque ad occaſum nomen meum glorificatum eſt in Gentibus & in omni loco incenſum offertur nomini meo & hoſtia munda. Sacrificamus igitur Deo altiſſimo ſacrificium laudis, ſacrificamus Deo plenum, & odorem adferens, & ſacroſanctum ſacrificium: ſacrificamus novo more ſecundùm novum teſtamentum hoſtiam mundam, &c.* hæc ibi. Et poſt pauca cùm hunc locum Prophetæ ad ſacrificium internum orationis & ſpiritûs contribulati accommodâſſet, poſtea oſtendit quòd præter hoc internum ſacrificium, ſit externum & ſacroſanctum, dicens: *Igitur & ſacrificamus & incendimus aliàs quidem memoriam magni illius ſacrificii* (crucis) *ſecundùm ea quæ ab ipſo tradita ſunt myſteria celebrantes & gratias Deo pro ſalute noſtra agentes, religioſóſque hymnos & orationes ſanctas illi offerentes,* quæ omnia in Miſſæ ſacrificio peraguntur, *aliàs nos ipſos et totos conſecrantes, &c.* hæc Euſebius. ubi patet, quòd præter orationes & alia interna ſacrificia ſupponat unum verum ſacrificium, quod novo more ſecundùm novum teſtamentum à Chriſto conditum, juxta ritum ſeu myſteria ab ipſo inſtituta in memoriam paſſionis ipſius & pro ſalute noſtra gratias agendo offertur; quod nullum aliud eſt, quàm ſacrificiũ Euchariſtiæ, quod verè munda hoſtia eſt, & dicto modo celebranda à Chriſto ordinata eſt.

VII. *Hieronymus* editione Baſil. 1553. in commentar. illius loci Malachiæ, cùm dixiſſet quòd verba illa, *non eſt voluntas mea in vobis* ad ſacerdotes Judæorum dicta ſint, qui offerebant languidum, *&c.* ad immolandum, ſubjungit: *ut ſciant carnalibus victimis ſpirituales victimas ſucceſſuras & nequaquam taurorum hircorúmque ſanguinem ſed thymiama, hoc eſt, Sanctorum orationes Domino offerendas, &c.* hæc quidem Acatholici pro ſe trahunt, ſed Hieronymus in hoc non ſubſiſtit; cùm in textu duo dicantur, quòd incenſum ſeu thymiama offeratur quod per orationes intelligit. Sed inſuper quoad verba *oblatio munda* quæ opponitur oblationibus immundis Judæorum in uno loco offerri ſolitis, ſubdit: *Et non in una orbis provincia Judæa, nec in una Judææ urbe Jeruſalem, ſed in omni loco offerri oblationem nequaquam immundam ut à populo Iſraël; ſed mundam ut in cæremoniis Chriſtianorum.* hæc Hieronymus. ubi non dicit de orationibus, ſed de cæremoniis Chriſtianorum, quæ externæ ſunt & propriæ Chriſtianorum, quales ſunt in ſacrificio Euchariſtiæ, quæ nequaquam immunda eſt. Id etiam ſupponit in fine illius commentarii cùm refutat quoſdam qui putabant verba Dei: *Non eſt mihi voluntas in vobis intelligi debere ſuper Eccleſiæ Sacerdotibus qui negligenter offerunt victimas Domino, &c.* ubi planè ſupponit, quòd in Eccleſia ſint ſacerdotes offerentes victimas, & tamen non dicit illas victimas unquam immundas, ùt in veteri lege; ſed quòd ſacerdotes negligenter victimas mundas offerant, quæ nunquam immundæ eſſe poſſunt. Quod de nulla alia victima quàm Euchariſtia intelligi poteſt.

VIII. *Chryſoſtomus* editione Baſil. 1547. in pſalmo 95. *Cantate Domino*, cùm cauſas allegâſſet, cur ſacrificia Judæorum & altare ad unicum locum à Deo reſtricta fuiſſent, ſubdit dicens: *Ob hanc cauſam fratres etiam canticum loco circumſcriptum eſt, & altare loco definitum, & populus illo loco concluſus: at Eccleſia, quæ ubique Chriſtum in ſe circumfert innumeróſque Martyres imme-*

immolavit ob charitatem à nullo probibetur loco, sed in omni loco sunt altaria, in omni loco doctrina, hæc prædicit Deus per Prophetam. Nam & Ecclesiasticam exprimens sinceritatem, & alterius populi ingratitudinem traducens ad illos loquitur Malach. 1. *Non est mea voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, nec accipiam hostias,* &c. *vide quàm luculenter quàmque dilucide mysticam interpretatus est mensam, quæ est incruenta hostia. Thymiama verò purum appellat sacras preces quæ post hostiam offeruntur, &c.* Ecce quàm clarè sacram mensam, quæ est Eucharistia, vocat hostiam illam incruentam à Propheta prædictam, & distinguit ab orationibus & precibus quæ thymiama vocat. Et paulò infrà sic ait: *Est igitur hostia vera prima quidem* (scilicet excellentissima) *mystica mensa cœleste summéque venerandum sacrificium, &c.* hæc Chrysostomus. quid hoc aliud, quàm Eucharistia? postea quidem refert alia impropria sacrificia diversa, ut cùm homo se ipsum offert Deo in odorem suavitatis, aliud sacrificium Martyrum, tertium precationum, *&c.* sed de his non dicit quòd *sint cœleste summéque venerandum sacrificium*, quod est Eucharistia: & ideo illud etiam spirituale vocatur, quia est corpus Christi divinum & cœleste & incruenta hostia; quæ non per gladium, sed spirituali modo consecratur & offertur per verba mystica.

IX. Quòd enim Chrysostomus oblationem corporis Christi in Eucharistia intenderit per *illam oblationem incruentam* quam à Propheta prædictam supponit patet ex aliis locis, utpote Homiliâ 24. in 1. ad Cor. edit. Basil. 1558. ubi de Christo sic dicit, *pro brutorum cæde se ipsum offerendum præcepit.*

X. Similiter Hom. 2. in poster. ad Timotheum edit. eâdem tomo 4. *Sacra ipsa,* ait, *oblatio, sive illam Petrus, sive illam Paulus, sive alius cuiusvis meriti sacerdos offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse discipulis, quamque sacerdotes* (nota) *modo quoque conficiunt, nihil habet ista quàm illa minus, &c.* hæc Chrysost. ibi.

Idem orat. secundâ adversus Judæos circa finem editione eâdem tomo 5. sic ait: *Vultu ut & alios Prophetas in vos armemus, qui hoc ipsum aperte dicunt, futurum quòd vestra ditio, vestraque religio finem esset sortitura, nostra autem effloritura, totóque terrarum orbe proroganda Christi præconium aliúdque sacrificiorum genus inducendum, iis quæ apud vos fuerunt, abrogatis? Audi Malachiam,* &c. *ne dicere possis quòd hæc mala, quæ prædixerunt, acciderunt in captivitate; sed adduco Prophetam qui fuit post reditum è Babylone,* &c. *sub persona Dei loquitur,* &c. *quoniam ab ortu Solis,* &c. *in omni loco sacrificium offertur nomini meo, at sacrificium purum,* &c. *quando hæc evenerunt Iudæe?* &c. *non possis aliud proferre tempus quàm hoc postquam Christus advenit, quod nisi de hoc tempore prædixit, nisi de nostro sacrificio vaticinatus est: sed de Iudaico, etiam legi repugnat prophetia, nam cùm Moyses vetet ullo alio loco sacrificium fieri,* &c. *Cùmque in unum locum sacrificia illa concluserit,* &c. *purum autem dicit sacrificium, quasi priùs illud fuisset impurum non quidem suapte natura sed iuxta voluntatem offerentium, & ideo dixit: incensum abominatio est mihi, quanquam & alioqui si quis ipsum hoc sacrificium conferat cum illo, ingens immensúmque discrimen inveniet; ut iuxta comparationis rationem solum hoc purum dici mereatur.* Et infrà: *Non enim per fumum ac nidorem, non per Sanguinem ac redemptionis pretia, sed per Spiritûs gratiam offertur, &c.* hæc Chrysostomus, ubi clarè supponit, quòd in Ecclesia Christi sit sacrificium aliquod manifestum, quale in veteri lege non fuit, quod absolutè sit purissimum, & non per ignem aut sanguinem exteriùs fiat, sed per Spiritûs gratiam offeratur. Quod aliud esse non potest nisi illud quod fit per Spiritûs Sancti consecrationem, in quo ipsum Christi corpus verè cœleste excellentissimum offertur.

Concludat Augustinus, qui & S. Scripturam & aliorum SS. Patrum mentem bene perspexerat; ipse igitur variis locis ùt certum supponit hæc Prophetæ verba de sacrificio Eucharistiæ dicta esse, quorum aliqua referemus; & quidem verba illius lib. 18. de Civ. Dei cap. 35. edit. Basil. 1529. tomo 5. clarissima sunt, ubi sic ait: *Malachias prophetans Ecclesiam, quam per Christum iam cernimus propagatam Iudæis apertissimè dicit, ex persona Dei: non est mihi voluntas in vobis,* &c. *in omni loco sacrificabitur & offeretur nomini meo oblatio munda,* &c. *hoc sacrificium per sacerdotium Christi secundùm ordinem Melchisedech, cùm in omni loco à Solis ortu usque ad occasum Deo iam videamus offerri: sacrificium autem Iudæorum, quibus dictum est, non est mihi voluntas in vobis; nec accipiam de manibus vestris munus cessasse negare non possunt: quid adhuc exspectant alium Christum?* hæc August. de quibus verbis suprà agendo de figura Melchisedech dictum est. XI.

Rursus lib. 19. Civ. cap. 23. edit. eâd. tomo eod. circa finem refutans Porphyrium & alios Gentiles sic ait: *Cessaturas enim victimas, quas in umbra futuri offerebant Iudæi; & unum sacrificium Gentes à Solis ortu usque ad occasum, sicut iam fieri cernimus oblaturas per Prophetas Hebræos oracula increpuêre divina, &c.* hæc ibi. ubi iterum tanquam omnium oculis manifestum ostendit, in Ecclesia Christi à Gentibus conversis unum offerri sacrificium certum, quod certè de diversis orationibus, Dei laudibus, prædicationibus & aliis intelligi non potest. XII.

Similiter lib. 1. contra adv. legis & Prophet. cap. 20. ed. Basil. 1529. tomo 6. de Ecclesia Christi sic ait: *Quæ ab illorum* (Apostolorum) *temporibus per Episcoporum successiones certissimas usque ad nostra & deinceps tempora perseverat; & immolat Deo in corpore Christi sacrificium laudis, ex quo Deus Deorum locutus vocavit terram à Solis ortu usque ad occasum. Hæc quippe Ecclesia est Israël secundùm spiritum à quo distinguitur ille Israël secundùm carnem, qui serviebat in umbris sacrificiorum, quibus significabatur singulare sacrificium, quod nunc* (nota) *offert Israël secundùm spiritum,* &c. *iste immolat Deo sacrificium laudis non secundùm ordinem Aaron, sed secundùm ordinem Melchisedech, &c.* hæc Aug quod non potest intelligi de orationibus, quomodo enim illæ potiùs dicerentur Deo offerri secundùm ordinem Melchisedech quàm Aaron, cùm & Synagoga Deo orationes obtulerit & laudum hymnos? sed sacrificium sub speciebus panis & vini clarum est convenire cum ordine Melchisedech, quod Aug. ed. eâd. ibid. declaraturus dicit: *Noverunt qui legunt, quid protulerit Melchisedech quando benedixit Abraham, & si iam sunt participes eius, vident* (nota) *tale sacrificium nunc offerri* XIII.

Deo

Deo toto orbe terrarum. Hoc ideo dicit, quia soli baptizati admittebantur ad sacrificium & Sacramentum Eucharistiæ, & postea subdit, ibidem dicens: *Unde alius Propheta dicit ad eum, qui carnaliter est Israël; non est mihi voluntas in vobis dicit Dominus omnipotens, & hostiam non accipiam de manibus vestris,* &c. *Cur autem hoc non accipiat addit & dicit: quia ab ortu Solis usque ad occasum glorificatum est nomen meum in Gentibus & in omni loco incensum offertur nomini meo & hostia pura,* &c. *ecce quod est secundùm ordinem Melchisedech. Incensum enim quod est Graecè thymiama, sicut exponit Ioann. in Apocal. orationes sunt Sanctorum, Deus quippe ille sicut canitur in psalmo; non accipiam de domo tua vitulos, immola Deo sacrificium laudis, ipse per hunc Prophetam quod certissimè futurum erat* (nota) *tam velut factum prædicans ait: ab ortu Solis,* &c. *& in omni loco incensum offertur nomini meo & hostia pura,* &c. *non enim sicut hominem pœnitet Deum.* hæc Augustinus.

XIV. In prædictis Augustinus supponit & ostendit plura, primò, quòd Ecclesia non per quoslibet, sed per successores Apostolorum Deo immolent in Corpore Christi sacrificium laudis.

Secundò, quòd Fideles, qui illius sacrificii participes fiunt, vident tale sacrificium quale Melchisedech protulit quotidie Deo toto orbe terrarum offerri: quæ non possunt intelligi de sacrificio Corporis Christi in cruce semel olim facto, ut patet; nec de orationibus & communi gratiarum actione, quia hoc non est tale quale Melchisedech protulit, & cujus Fideles participes fiunt; sed est Eucharistia in qua corpus Christi sub specie panis & vini offertur & Fidelibus communicatur in Dei laudem & gratiarum actionem pro Christi passione; sicut Ecclesia quotidie in canone illud vocat *sacrificium laudis.* Quod autem Augustinus dicit incensum esse orationes Sanctorum, id verum est; sed præter incensum ipse cum Propheta agnoscit quod offeratur *hostia pura secundùm ordinem Melchisedech,* quæ est corpus Christi sub speciebus panis, *&c.*

XV. Hoc ipsum ut nimis manifestum Augustinus opponit Judæis orat. adversus Judæos seorsim habita cap. nono, ubi illos, prophetiam Isaiæ in perversum sensum detorquentes convincit per Malachiam, editione Basil. 1529. tomo sexto dicens: *Si hæc sic intelligere vultis, quid dicturi estis, & quomodo alium Prophetam intellecturi, qui vobis omnino hanc amputat vocem tantâ manifestatione clamantem: non est mihi voluntas in vobis dicit Dominus omnipotens, & sacrificium non suscipiam,* &c. *quâ tandem voce tantæ rerum evidentiæ reclamatis?* & infrà: *Certè hic negare non potestis non solùm illum non accipere sacrificium de manibus vestris, sed nec vos illi offerre manibus vestris: Sed quare hoc illi de manibus vestris offerri non vult? locus enim unus est lege Domini constitutus, ubi manibus vestris sacrificia iussit offerri, præter quem locum omnino prohibuit. Hunc ergo locum quoniam vestris meritis amisistis, etiam sacrificium, quod ibi tantùm licebat offerri, in locis offerre aliis non audetis. Ecce omni modo impletum est, quod ait Propheta: Et sacrificium non accipiam de manibus vestris;* & infrà; *Neque hoc ita prædictum & impletum est, ut vos prophetica* (nota) *sententia respondere permittat: quia manibus non offerimus carnem, sed corde & ore offerimus laudem, secundùm illud in ps.* 41. *Immola Deo sacrificium laudis, &c.* Ecce responsionem Acatholicorum cum Judæis communem, quasi post Christi adventum in Ecclesia etiam solum sit sacrificium cordis & oris. Sed *Augustinus* opposuit ibidem dicens: *Deinde ne existimetis non offerentibus vobis nec illo accipiente de manibus vestris Deo sacrificium non offerri, quo quidem ille non eget qui bonorum nostrorum nullius indiget: tamen quod sine sacrificio non est quòd non illi sed vobis utile est, adiungit & dicit: quia ab oriente Sole usque ad Occidentem,* &c. *& in omni loco sacrificium offertur nomini meo sacrificium mundum,* &c. *quid ad hæc respondetis? aperite oculos tandem aliquando, & videte ab oriente Sole usque in Occidentem: non in uno sicut vobis fuerat constitutum, sed in omni loco offerri* (nota) *sacrificium Christianorum.* Et infrà: *Scrutamini Scripturas,* &c. *ipsæ testimonium perhibent de hoc sacrificio mundo quod offertur Deo Israël: non ab una Gente vestra de cuius manibus non se accepturum prædixit, sed ab omnibus Gentibus.* Et infrà: *Nec secundùm ordinem Aaron, sed secundùm ordinem Melchisedech Christo enim dictum est, & de Christo tanto antè prædictum est: Iuravit Dominus & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, &c.* hæc August.

In his sanctus Doctor tam manifestum esse supponit quòd prophetia Malachiæ impleta sit in sacrificio Christianorum: ut inde convictos judicet Judæos: Si autem nullum aliud existimâsset sacrificium Christianorum, quàm sacrificium laudis cordis & oris, ut Acatholici cum Judæis volunt, quomodo Augustinus Judæos per prophetiam convinceret qui se jactitant tale oris sacrificium per totum orbem offerre? cur diceret speciale esse apud Christianos *sacrificium mundum secundùm ordinem Melchisedech* quòd Judæi non habeant, idque externum & manifestum, ut dicat; *Aperite oculos & videte in omni loco offerri sacrificium Christianorum,* quod utique est sacrificium sub speciebus panis & vini, cujus primarius sacerdos in æternum est Christus, & ideo Augustinus subjungit dicens: *Nam & Aaron sacerdotium iam nullum est in aliquo templo & Christi sacerdotium in æternum perseverat in cœlo.* quia ipse Christus sacerdos gloriosè manet in cœlo; ita tamen, ut in terra per manus sacerdotum sacrificium secundùm ordinem Melchisedech semper offerat: alioquin si nullum sit in terra sacrificium Christianorum quòd offeratur quotidie, quomodo Augustinus moneret Judæos ut aperirent oculos & viderent in omni loco tale sacrificium offerri à Gentibus? si Christus invisibilis in cœlo tantùm existeret, & ipse solus seipsum olim in cruce obtulisset; nec ullum aliud visibile sacrificium à sacerdotibus perageretur. XVI.

CONCLVSIO.

Ex his sanctorum Patrum hactenus relatis testimoniis clarissimè patet: quòd Ecclesia primitiva clarè docuerit & crediderit: sacrificium certum & propriè dictum in Ecclesia Christi jugiter peragendum, scilicet Eucharistiæ, per varia sacrificia in veteri testamento præfiguratum, & per varia diversorum Prophetarum vati-

Digitized by Google

vaticinia ad literam pronũciatum fuisse: atq; in hoc sacrificio illa adeò clarè impleta esse, ut per hoc Iudæos obstinatos ad oculum confusos demonstrarent: cui doctrinæ moderna Ecclesia Catholica Romana fideliter & firmiter inhæret; ut patet ex verbis Concilii Trid. sess. 22. cap. 1. supra cap. 1. relatis; patet autem, quam obstinati sint Acatholici moderni, qui ut pertinaciter persistant in eo quod negant sacrificium Eucharistiæ à Christo esse institutum, contra tam clara S. scripturæ vaticinia & SS. Patrum intelligentiam, potius Iudæis adhærent, ut nullum externum in nova lege sacrificium verum, sed tantum cordis & oris extare volunt. Argumenta autem, vel potius ipsorum effugia à Doctoribus Catholicis copiosè & clarissimè refutata sunt; & ex præmissis facillimè refutari possunt: ut autem veritas Ecclesiæ Catholicæ & falsitas Acatholicorum velut in speculo pateat, sequentes Antitheses proponuntur.

ANTITHESES,

In quibus doctrinæ Ecclesiæ modernæ Catholicæ Romanæ circa sacrificium Missæ juxta S. Scripturam veteris testamenti cum sanctorum Patrum primitivæ Ecclesiæ doctrina conformitas; ac Acatholicorum difformitas proponitur.

1. Sancti Patres quatuor priorum seculorum Ecclesiæ juxta testimonia S. Scripturæ veteris testamenti docuerunt quòd Christus Dominus à Patre constitutus sit sacerdos in æternum, non secundum Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech; *Ita etiam docet moderna Romana Ecclesia.*

Acatholici clarâ nimis S. Scripturæ veritate compulsi idipsum fatentur.

2. *Sancti Patres juxta S. Scripturam docuerunt;* quod Melchisedech sacerdos Dei summi panem & vinum Deo obtulerit & tanquam major sacerdos Abrahæ benedixerit. *Ita etiam Ecclesia moderna docet.*

Acatholici absolutè negant, quod Melchisedech panem, & vinum ut sacrificium Deo obtulerit.

3. *Sancti Patres juxta S. Scripturam docuerunt;* quòd ordo Melchisedech, secundum quem Christus sacerdos est in æternum, utique de illo sacrificio veniat & descendat; quod Melchisedech sacerdos Dei summi fuit; quod panem & vinum obtulit, & quod Abraham benedixit. *Ita etiam docet moderna Ecclesia.*

Acatholici quoad oblationem panis & vini negant.

4. *Sancti Patres juxta S. Scripturam docuerunt;* quòd ut in Genesi per Melchisedech sacerdotem benedictio circa Abraham posset ritè celebrari, præcesserit ante imago sacrificii in pane & vino constituta; quam rem perficiens & adimplens Dominus Iesus panem & calicem mixtum vino obtulit, & qui est plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimpleverit. *Ita etiam Ecclesia moderna docet.*

Acatholici id prorsus negat.

5. *Sancti Patres juxta S. Scripturam docuerunt;* qòud in oblatione Melchisedech primùm apparuit sacrificium, quod nunc à Christianis toto terrarum orbe offertur: & impletur, quod per propheram dictum fuit: *Tu es sacerdos in æternum* secundum ordinem Melchisedech. *Ita etiam docet moderna Ecclesia.*

Acatholici id negant.

6. *Sancti Patres juxta S. Scripturam docuerunt* quòd Christus dimisso sacrificio Israëlitico, quod erat secundum ordinem Aaron, de corpore & sanguine suo instituerit sacrificium secundum Ordinem Melchisedech. *Ita etiam docet moderna Ecclesia.*

Acatholici negant quod Christus tale sacrificium in Ecclesia celebrandum instituerit.

7. *Sancti Patres juxta S. Scripturam docuerunt,* quòd Proverbiorum 9 per verba: *sapientia ædificavit sibi domum, posuit mensam, &c* propheticè prædictum sit sacrificium à Christo instituendum secundum ordinem Melchisedech. *Ita etiam docet Ecclesia.*

Acatholici id negant.

8. *Sancti Patres juxta Prophetiam Dan. 8. & 12. docuerunt:* quòd in Ecclesia Christi usque ad finem mundi erit juge sacrificium, quod ob persecutionem Antichristi publicè auferetur. *Ita etiam docet Ecclesia.*

Acatholici cum impio Porphyrio gentili id negant, & intelligunt de sacrificio Iudæorum tempore Antiochi impedito.

9. *Sancti Patres juxta Prophetiam Isa. 19. & ult. docuerunt* quòd erit in Ecclesia Christi altare, & Deus ex gentibus conversis assumet sacerdotes, & colent eum in hostiis, &c. *Hac etiam Ecclesia.*

Acatholici id negant.

10. *Sancti Patres docuerunt,* quod Deus per Malachiam dicentem, *non est voluntas mea in vobis,* &c. prædixerit sacrificium, quod Christus faciendum tradidit, id est, in Eucharistia panis & poculi, quæ omni in loco à Christianis fiant. *Ita etiam Ecclesia moderna.*

Acatholici negant vera sacrificia in Ecclesia Christi celebranda.

11. *Sancti Patres docuerunt;* quòd per verba Malachiæ Deus rejectis Mosaicis sacrificiis, quod futurum erat, novum institutum nunciaverit; Et ideo sacerdotes Ecclesiæ sacrificent sacrificium Deo plenum & sacrosanctum, sacrificent novo more, secundum novum testamentum, hostiam mundam. *Ita etiam Ecclesia moderna.*

Acatholici negant à certis sacerdotibus tale verum sacrificium Deo sacrificari.

12. *Sancti Patres* juxta S. Scripturam docuerunt; quod Ecclesia ab Apostolorum temporibus per Episcoporum successiones perseverans, immolat Deo in Corpore Christi sacrificium laudis, non secundum Ordinem Aaron, sed secundum Ordinem Melchisedech. *Ita etiam Ecclesia moderna.*

Acatholici id negant.

13. *Sancti Patres docuerunt;* quòd Israel secundum carnem Deo serviebat, in umbris sacrificiorum, quibus significabatur singulare sacrificium, quod nunc in universo orbe offert Israel secundum spiritum, qui est Ecclesia Christi. *Ita etiam Ecclesia moderna docet.*

Acatholici negant tale singulare sacrificium in Ecclesia offerendum.

14. *Sancti Patres adeò certò juxta S. Scripturam* docue-

docuerunt; quòd prophetia Malachiæ intelligenda sit de sacrificio Eucharistiæ, quod toto orbe terrarum offertur ut ex illo loco Iudæos manifestè confusos judicarint; qui volebant illam oblationem mundam intelligi de orationibus, quas Iudæi per orbem inter gentes dispersi Deo corde & ore offerant: at SS. Patres ostendunt, quod Deus loquatur de sacrificio externo; & alloquebantur Iudæos dicendo, *aperite oculos, & videte in omni loco offerri sacrificium Christianorum non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech: ita etiam docet Ecclesia moderna.*

Acatholici contra SS. Patres cum Iudæis volunt, quòd illa prophetia de solis orationibus & corde contrito intelligatur; Cum tamen velint quod omnes orationes & omnia justorum opera coram Dei judicio sint mala & æterna damnatione digna.

15. *Sancti Patres docuerunt*, quòd Deus rejectis sacrificiis Mosaicis per Malachiam prædixerit sacrificium futurum illud ipsum, quod per sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech in omni loco à solis ortu usque ad occasum offerri Deo videmus, *ita etiam Ecclesia Catholica docet.*

Acatholici id negant,

16. *Sancti Patres juxta S. Scripturam docuerunt*: quòd oracula divina per Prophetas Hebræos increpuère, cessativas victimas; quas in umbra futuri offerebant Iudæi, & unum sacrificium gentes à solis ortu usque ad occasum, sicut dicebant SS. Patres, jam fieri cernimus oblaturas: *ita etiam Ecclesia docet.*

Acatholici hæc negant.

17. *Sancti Patres docuerunt*; quod juxta vaticinia Prophetarum sacerdotium in lege nova ordinatum fuerit; dum Christus ipsius Melchisedech ritu ea, quæ ad sacerdotium in hominibus gerenda spectant, per suos ministros perficit; & sicut Melchisedech sacerdos non sacrificiis corporalibus, scilicet cruentis; sed vino solo & pane functus est; Ita primus ipse Salvator noster, deinde qui ab ipso profecti sunt sacerdotes in omnibus gentibus secundum Ecclesiasticas sanctiones sacerdotii munus obeuntes vino ac pane & Corporis illius & salutaris sanguinis mysteria repræsentant *ita etiam docet Ecclesia.*

Acatholici tale sacerdotium & sacrificium prorsus negant in Ecclesia; imo abominandam idololatriam vocare non verentur.

Ex his luce clariùs patet; quòd SS. Patres testimonia veteris testamenti pro sacrificio missæ allegata certissimè & clarissimè docuerint & supposuerint esse intelligenda de sacrificio à Christo instituto & in Ecclesia per totum orbem celebrando, ut mirum sit, quod Acatholici hoc negent: sed hoc ipsis proprium est, ut ad sua falsa tuenda, quævis alia vel negent vel in falsum sensum detorqueant.

CAPUT III.

Veritas Sacrificii Missæ probatur ex novo Testamento.

ARTICULUS I.

Probatur 1. ex verbis Christi, Ioann 4.

I. QVòd aliquod verum & propriè dictum sacrificium in Ecclesia Christi semper offerendum esset ex verbis Christi Ioann. 4. ostenditur: ubi Christus mulieri Samaritanæ inter alia multa excellentia revelans, etiam v. 21. dicebat: *Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem* & v. 23. *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate.*

II. Ad horum verborum intelligentiam supponitur ex S. Scriptura; quòd verbum *adorare* sæpius pro *sacrificare* seu *adoratione per sacrificium* usurpetur. Hoc imprimis clarum est ex illo Gen. 22. quando Abraham jussus filium Isaac Deo immolare dum appropinquasset monti, dixit v. 5. famulis comitantibus, *exspectate hic cum asino, ego & puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus revertemur ad vos*, ubi patet, quod per adorare intelligatur sacrificare, ut ex circumstantiis patet, & sic etiam in aliis S. Scripturæ locis ex circumstantiis constat, quod tali sensu adorare usurpetur; quod autem hoc sensu in præsenti intelligendum sit, patet ex contextu colloquii mulieris Samaritanæ cum Christo facti cum diceret v. 20. *Patres nostri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Ierosolymis est locus ubi adorare oportet*, ubi patet quod *adorare* sumatur pro sacrificare; nam certum est, quod simplex adoratio Iudæis omni in loco licita, erat, sicut Ezechiel, Daniel, Esdras, Tobias & alii in terra Babylonis captivi Deum adoraverunt: verùm adoratio per sacrificium solum in uno loco, quem constituerat Dominus, secundum legem Moysi fieri poterat, ut patet Deut. 12. v. 13. *Cave ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in eo quem elegerit Dominus, sed in una tribuum tuarum offeres hostias, &c.* iste autem locus erat ubi erat templum; & ideo Iudæi in Ierusalem, ubi templum erat, Deo solum offerendum dicebant, & Samaritani urgebant, ut in isto monte, ubi Patriarchæ obtulerant Deo, offerretur; adeoque manifestum est quod mulier illa hanc quæstionem moverit de sacrificii loco, quod per adorationem intellexit; cui quæstioni Christus utique satisfacere volens, monuit quod tempus futurum esset, jamque adesset, quando non solum in Ierusalem, vel in monte illo, sed in omni loco veri adoratores per verum sacrificium de quo quæstio erat, Deum adorabunt. Non enim Christus absolutè negare voluit, quod nunquam in illo monte nec in Ierusalem veri adoratores Deum adoraturi essent, sed quod non essent alligati ad unum ex istis locis, verum quod in omni loco Deus per sacrificium certum & verum adorari poterit, prout etiam per Malachiam

Digitized by Google

lachiam Deus Cap. 1 prædixerat, quòd in omni loco sacrificium mundum offerendum esset. Si enim Christus per adorationem non intellexisset adorationem externam solemnem & publicam, quæ per verum sacrificium fit, non satisfecisset quæstioni mulieris; nam interna & privata adoratio omni tempore à viris sanctis Patriarchis & Prophetis in omni loco facta erat, adeoque intellexit de adoratione per certum sacrificium, qualis antea nullibi vel nunquam facta esset sed in Ecclesia Christi futura esset.

III. Nec huic obstat, quod Christus dicit: *Veri adoratores adorabunt patrem in Spiritu & veritate.* Nam non potest esse sensus, quòd Christiani nullo modo per externum cultum publicum Deum adoraturi essent, sed solum per internos actus *Fidei, Spei & Charitatis*, licet hi præcipui sint; alioquin sequeretur manifestum absurdum, quod Christiani, nulla habituri essent Sacramenta visibilia, nec baptismum nec Eucharistiam, per quæ publice etiam Deus colitur & adoratur, ut Acatholici fatentur; imo nec sacrificium Crucis ad Ecclesiam Christi spectaret, per quod Christus Deum Patrem maximè adoravit; adeoque per illa verba Christus intendit quidem veram cordis adorationem, quæ primariò intenditur; sed non exclusit adorationem solemnem externam & publicam per sacrificium; sed exclusit sacrificia vetera Iudæorum, & falsa Samaritanorum; Iudæorum quidem, quia erant tantum umbræ & figuræ veri sacrificii, & primariò ordinata ad emundationem carnis; unde sicut populus ille ab Apostolo vocatur *secundum carnem* at populus Christianus dicitur *secundum spiritum*, quia non per carnalem generationem ut Iudæi, sed per Spiritus Sancti gratiam generatur; sic etiam sacrificia Iudæorum præcipue ad carnis emundationem spectabant, econtra vero sacrificium novæ legis ad emundationem spiritus, ut exprimit Apostolus Hebr. 9. v. 13. dicens: *Si enim sanguis hircorum & taurorum & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis quanto magis sanguis Christi qui per Spiritum Sanctum seipsum obtulit, emundabit conscientiam nostram, &c.* sicut itaque per illa verba Christus Dominus non exclusit suum sacrificium in Cruce quod externum erat, & tamen spirituale, quia per Spiritum Sanctum se obtulit ad emundationem spirituum seu animarum, quod opponitur carnalibus sacrificiis in umbra; sic etiam non exclusit, sed inclusit sacrificium certum semper in omni loco offerendum, quale aliud esse non potest nisi Eucharistiæ; quod non per externam sanguinis effusionem nec ad emundationem carnis offertur, sed per Spiritum Sanctum consecratur & ad emundationem spiritus ordinatur; ut per illud sacrificii Crucis meritum animabus applicetur.

IV. Hunc verborum illorum Domini esse sensum, ex ipso contextu satis ostensum est, quem etiam SS. Patres satis indicant, & supponunt inter alios, *S. Martialis* discipulus Petri Bibl. Magnæ ed. Col. 1618. epist. 1. ad Burdegalenses, cap. 3. dicens: *Sacrificium Deo Creatori offertur*, in Ara, &c. *Nec solùm in Ara sanctificatum, sed ubique offertur Deo oblatio munda, sicut testatus est. Cujus Corpus & sanguinem in vitam æternam offerimus, dicens: Spiritus est Deus & qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare* hæc Martialis, *Eusebius Cæsariensis* qui An. 330. tempore Constantini Magni floruit, is lib. 1. demonstrat. Euangel. cap. 6. intendens ex veteri testamento probare quod sacrificia & ritus à Moyse præscripta tempore Messiæ finem essent habitura & illis ut imperfectis cessantibus *doctrina, leges & ritus novi & perfecti testamenti introducendi essent*; ostendit primo: quod viri sancti *Noë Abraham, Melchisedech Iob* & alii ante tempora Moysis Deum adoraverint etiam per sacrificia; sed non ad unum locum constricti fuerint, at vero Moyses in lege Israëlitis unum locum determinasset, in quo solum adorare liceret, ut per hoc intelligerent, quod illo loco destructo, qui erat Ierosolymis, & Altari ibidem everso nullibi sacrificia & ritus à Moyse præscriptos exercere sub execratione divina liceret; *cum autem per Romanos templum eversum esset, tunc statim Lex Moysis, ejusque testamentum solutum & sublatum est, prout Moyses prædixerat*, ut ait Eusebius: Econtrario autem simul & *eodem tempore ejusque in novo perfectoque testamento continentur doctrina, & leges &* RITUS *introducti sunt; quare merito Salvator & Dominus ad eos, qui putabant in sola Hierusalem, aut in montibus quibusdam, sive certis determinatisque locis Deum adorari oportere Ioann. 4. sic ait: Venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem neque in monte hoc, neque in Hierusalem, &c. quibus rebus ita ab illo prædictis continuo nec longo post tempore Hierosolymis obsidione oppressis & ejus loci sanctificatio, & ad eundem usum constructum altare, & adoratio, quæ à Moyse tradita fuerat, sublata, eversaque sunt.* Vbi patet quod adorationem intelligat illam, quæ fiebat per sacrificia in Altari à Moyse determinata, alioquin alias orationes ubique Iudæis facere licebat: & postea ostendit, quod sicut olim ante Moysen viri sancti non in aliquo certo loco adorabant; quod etiam de sacrificiis intelligendum alias non fuisset distinctio inter illos & Iudæos cum & Iudæi sine sacrificio ubique adorare poterant; sic Christus illis verbis ad mulierem dictis in novo testamento ab omnibus gentibus adorandum prædixerit. Vbi *Eusebius* probat dicens: *Quod quidem futurum etiam Prophetæ veteres tanto ante cognoverant. Dicit itaque plane Sophonias: Apparebit Dominus super eos, & perdet omnes Deos gentium terræ, & adorabunt eum unusquisque de loco suo, Malachias autem simul, & ad eos, qui ex circumcisione sunt sermonem dirigit, & de gentibus talia predicit: Non est voluntas mea, &c. & sacrificium non suscipiam de manibus vestris quoniã ab ortu usque ad occasum, &c. quod enim in omni loco dicit, incensum & sacrificium offerri Deo, quid aliud significat, nisi non Hierosolymis, neque definitè in hoc aut in illo loco id futurũ, sed in omni regione, & in omnibus gentibus, quæ quidem & orationis incensum & sacrificium, quod mundum dictum est, non per cruores, sed per pias actiones summo Deo essent oblatura?* Ecce quæ magis pia actio sine cruo-

cruoris effusione, quàm oblatio incruenta Corporis Christi in Eucharistia?

V. Idem probat Eusebius ex illis verbis Isaiæ: *Erit altare Domino in terra Ægypti*, &c. *& cognoscent Ægyptii Dominum in die illa, & facient sacrificia, & vovebunt vota Domino & reddent*. Ex quo ostendit, quòd Propheta prædixerit Legis Moysi finem & solutionem, dicens: *Etenim Moyses Altare & sacrificia nusquam terrarum, nisi in sola Iudæa, & in hujus una duntaxat civitate constitui, lege à se posita, jubet; Prophetia autem, in terra Ægypti, ait, altare Domino struendum*, &c. *& quod Ægyptii verum Deum sint agnituri*, &c. *Porrò autem translato commutatoque Altari præter Moysi constitutiones atque decreta, necesse est penitus etiam Moysis legis fieri mutationem. Quod si summo Deo sacrificaturi sint Ægyptii, prorsus etiam SACERDOTII munus sunt adepturi*, &c. & post pauca: &c. *Inspice igitur, si nō hodie, ipsis oculis cernuntur, non solum Ægyptii, verum etiam, omne genus hominum, qui antehac simulacris addicti erant: quosque Ægyptiorum appellatione prophetica prædictio significat*, &c. *Vota facient*, &c. *uni soli Domino, quemadmodum sacrum prædixit oraculum. Et huic quidem ALTARE incruentarum & rationabilium HOSTIARUM, ut nova novi testamenti mysteria postulant* (nota) *per totum terrarum orbem erectum est*, hæc Eusebius tomo 1 edit. Basil. 1549.

VI. Quamvis autem ipse ibidem, sicut & alii SS. Patres, sacrificium explicet de corde contrito & mundo, quæ Deo offeruntur in omni loco; tamen etiam supponit excellens & singulare Eucharistiæ sacrificium sicut utrumque exprimit ibidem edit. eād. cap. 10. circa finem dicens: *Palàm igitur in liu mysticam significabat unctionem & honorum afferentia mensæ Christi sacrificia, quibus operantes incruentas & rationales, eique suaves victimas supremo Deo offerre* &c. *edocti sumus*. Et infrà: *Sacrificamus igitur Deo altissimo sacrificium laudis, sacrificamus Deo plenum, & odorem afferens & sacrosanctum sacrificium*, &c. & infra: *Igitur & sacrificamus & incendimus alias quidem memoriam magni illius sacrificii secundum ea quæ ab ipso* (Christo) *tradita sunt, mysteria celebrantes* Ecce sacrificium Eucharistiæ *& gratias Deo pro salute nostra agentes, religiososque hymnos & orationes sanctas illi offerentes: alias nos ipsos totos ei consecrantes*, &c. *grata enim illi hæc esse magis quam hostiarum magnum numerum quarum sanguine & fumo & nidore opreremur edocti sumus*, &c. hæc Eusebius, idipsum magis exprimit & explicat lib 5. cap 3. prout constat ex ipsius verbis præ ed cap. art. 2. relatis.

VII. Hæc prolixiùs retuli, ut ex verbis tam antiqui patris doctrina antiquæ Ecclesiæ pateat; quod intellexerit Christum Dominum instituisse excellentissimum sacrificium incruentum in memoriam cruenti in Cruce sacrificii peracti toto terrarum orbe celebrandum, præter impropria sacrificia orationum & piorum operum; quæ etiam Iudæis ubique li.ebant, prout Prophetæ Malachias, Isaias, &c. prædixerunt, & Christus Dominus Ioann. 4. tunc implendum asseveravit; ad quod Eusebius prædicta prophetarū testimonia allegat, & comparationem facit inter adorationem sanctorum ante legem Moysis, & adorationem à Moyse ordinatam, ac adorationem in Ecclesia à Christo institutam; ubi de sacrificiis proprie dictis primaria comparatio currit; alioquin de aliis sine sacrificio adorationibus nulla erat distinctio, quin semper & ubique licerent.

ARTICULUS II.

Eadem veritas probatur ex ipsa Eucharistiæ institutione & eius circumstantiis.

Ecclesia Catholica ex ipsa S. Scriptura do et tria potissimùm quæ Christus in ultima Cœna principaliter præstiterit. I.

Primum quòd Sacramentum Eucharistiæ non solum confecerit, & Apostolis sumēdum tradiderit; sed etiam ita ordinârit & instituerit, ut illud in Ecclesia semper fieret, & fidelibus administraretur, ut evidens est ex verbis Matt 26. Marci 14. Luc. 22. & 1. Cor. 11. quod Acatholici admittere debent.

Secundum est, quòd Christus instituendo & conficiendo Sacramentum Eucharistiæ suum Corpus & sanguinem sub speciebus panis & vini invisibiliter & realiter præsentia constituerit; & sic eadem sub iisdem speciebus Deo Patri verè obtulerit, ac proinde verum & propriè dictum sacrificium ut sacerdos secundum ordinem Melchisedech peregerit.

Tertium, quòd Christus in eadem cœna Apostolos veros sacerdotes instituerit, ac iisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut sub iisdē speciebus eadem offerrent, præceperit illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*. Ita Ecclesia Catholica semper intellexit & docuit, prout Conc. Trid. sess. 22 cap. 1. profitetur. Hæc duo Acatholici negant; ubi autem secundum scilicet, quod Christus in cœna sub speciebus panis & vini seipsum obtulerit, ostensum fuerit, etiam tertium evidenter patebit; cum enim certum sit ex verbis Christi; quod præceperit, ut in posterum illa faciant quæ ipse tunc in cœna fecerat, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*, evidenter sequitur: quod si ipse tunc corpus & sanguinem suum obtulerit, idem Apostolis eorumque successoribus faciendum mandarit.

Quòd itaque Christus in cœna verè sub speciebus dictis sacrificium verum Deo Patri obtulerit, probatur 1. quia Christus verè fuit & est sacerdos secundum ordinem Melchisedech, & non secundum ordinem Aaron, ut ex S. Scriptura evidens est sed non fuisset sacerdos secundū illum ordinem, nisi in ultima cœna verum sacrificium sub speciebus panis & vini peregisset. Non enim potest esse quis sacerdos, nisi aliquod verum sacrificium peragat, sed non potest aliud sacrificium à Christo peractum ostendi secundū ordinem Melchisedech, nisi illud in ultima cœna Nam si et præcipuum Christi sacrificiū fuerit in Cruce peractum à Christo; hoc tamen non erat secundum ordinem Melchisedech, ut evidens est, quia Melchisedech protulit panem & vinum ad offerendum Deo, ut superius demonstratum est, & de Christo prædixit Deus per Prophetam: *Tu es sacerdos*, &c. *secundum ordinem Melchisedech*: adeoq. illa prophetia implenda erat; quæ excellentius impleta fuit, cum Christus in ultima cœna *accepit panem*, & similiter *calicem*, & Deo Patri gratias egit, benedixit & dixit *hoc est Corpus meū*, & *hic est sanguis meus*. In quibus omnia ad propriè dictum sacrificium spectantia reperiuntur. quia Christus verissimè deputatus à Patre erat sacerdos, Deo Patri sub rebus externis Corpus & sanguinem obtulit, ubi substantia panis & vini in Corpus & sanguinem mutata sunt; II.

Digitized by Google

ſunt; & hoc ſacrificium verum in ſpecie externa cum ſacrificio Melchiſedech ſimilitudinem habuit, nec aliud ſacrificium, quod talem ſimilituidnem habuerit, à Chriſto oblatum eſſe oſtendi poteſt.

Etſi verò Acatholici negent mutationem ſubſtantiæ panis & vini in Corpus & ſanguinem Domini ſpeciebus illorum manentibus, hocalibi agendo de ven Sacramento Euchariſtiæ ex S. Scriptura & SS. Patribus probatum eſt, hic vero ſufficit quod Chriſtus in cœna, dum accepit panem & vinum, & benedixit ac gratias egit, & dixit: *Hoc eſt Corpus meum*, veram actionem veri ſacrificii ſecundum ordinem Melchiſedech peregerit, ut ex reipſa & ex textu patet, & ulterius ex communi SS. Patrum ſenſu patebit.

III. Secundò eadem veritas probatur ex eo quia Chriſtus in ultima cæna implevit *figuram ſacrificii agni paſchalis*. ut ſupra ex S. Scriptura & SS. Patribus oſtenſum eſt, & breviter hîc probatur: quia certum eſt, quod Chriſtus dando diſcipulis Euchariſtiam, poſtquam dixiſſet, *hoc eſt Corpus meum*, verè dederit Corpus ſuum ad manducandum, tanquam victimam: idque in memoriam ſuæ paſſionis faciendum præceperit, ſicut agnus Paſchalis oblatus manducabatur in memoriam exitus & liberationis de Ægypto: conſtat autem quod Agnus paſchalis non prius manducaretur, quam fuiſſet mactatus & oblatus Deo; nec generaliter ulla victima prius manducatur, quam fuerit oblata, prout SS. Patres ſpecialiter *Gregorius Nyſſenus* cujus verba ſeq. art. referentur ſupponunt; proinde nec Chriſtus dedit Corpus ſuum ut victimam Apoſtolis prius manducandum, quam fuiſſet Deo Patri oblatum; neceſſariò ergo dicendum eſt, quod in ultima cæna prius Corpus ſuum ſub ſpecie panis Deo Patri obtulerit, quam illud inſtar victimæ Apoſtolis manducandum dederit; cum hoc tamen conſiſtit, quod Chriſtus in Cruce typum agni paſchalis implêrit; prout Ioann. Cap. 19. indicat, idque ultimatè & perfectiſſimè, de quibus ſuperius dictum eſt quia unum non excludit aliud, ſed includit; quia agnus in cæna repræſentat agnum in Cruce.

IV. Simili modo eadem veritas probatur ex eo, quòd Chriſtus dando ſanguinem ſuum in calice bibendum dixit: *Hic eſt ſanguis meus novi Teſtamenti* Matt. 26. v. 28. & per hoc novum Teſtamentum confirmarit; ſicut per ſanguinis hircorum & vitulorum aſperſionem vetus Teſtamentum confirmabatur; atqui ſanguis non aſpergebatur, niſi prius vituli fuiſſent oblati; proinde nec ſanguis Chriſti fuit Apoſtolis propinatus in calice priusquam à Chriſto fuiſſet Deo Patri ſacrificatus.

V. Tertiò eadem veritas probatur ex ipſis verbis Chriſti Domini, dum in cæna dixit *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis datur*, & ſi etiam juxta textum Græcum 1 Cor 11 dicitur de Corpore, *quod pro vobis frangitur*, prout legunt SS Patres, unde S. Chryſoſtomus homil. 24. in 1. ad Corinth. Cap. 10 edit Baſil. 1558 tomo 4 circa verba: *Panem quem frangimus, &c.* dicit: *Sed quare addit, quem frangimus? hoc in Euchariſtia videre licet, in Cruce autem minimè; ſed omnino contra, os enim, inquit, non conteretur, ſed quod in Cruce paſſus non eſt, id in oblatione patitur, & propter te frangi ſuſtinet, ut omnes ſalvet, &c.* hæc Chryſoſt.

VI. Similiter v. 20. dicit: *Hic eſt Calix novum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis effunditur*, juxta textum Græcum, ubi utrumque verbum in præſenti exprimitur; at conſtat, quod, quando Chriſtus dedit Corpus pro diſcipulis, eo ipſo obtulerit Patri pro diſcipulis, adeòque prius ſacrificavit, quam illud dederit diſcipulis ad manducandum De calice res magis evidens eſt, quia licet verbum *dari* poſſet referri ad Corpus Chriſti ut in Cruce oblatum eſt, & ſi verbum præſens pro futuro propter certitudinem poſitum eſſet, ut S. Scriptura ſæpe loquitur; tamen quoad ſanguinem magis patet, quia juxta lectionem Græcam ly *funditur* non refertur immediatè ad ſanguinem ſed ad calicem, ubi calix in neutro genere ponitur & ſanguis in maſculino & dicitur; τοῦτο τὸ ποτήριον ἐκχυνόμενον ut ſenſus ſit qui calix pro vobis effunditur. Qui in Cruce effuſus non eſt, ſed in cæna dum offerebatur ſub ſpecie vini, & daretur ſanguis in calice bibendus Etſi autem lectio Latina vulgata habeat 1. Cor. 11 *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur*, &, *hic calix qui pro vobis fundetur*. Luc. 22. & ſic etiam in Canone Miſſæ dicatur *effundetur*; lectio tamen Græca communis præfertur etiam ab Acatholicis; nihilominus non abſque myſterio utraque lectio ſervatur, ut etiam uterque ſenſus verificetur, ita, ut & in cæna Corpus Chriſti pro nobis datum ſit, & etiam in Cruce; ſicut & ſanguis effuſus ſit ſemel myſticè in cæna in calice ſub ſpecie vini, & ſemel realiter in Cruce, ita tamen, ut oblatio Corporis Chriſti in Sacramento eſſet futura repræſentatio oblationis in Cruce; & ſic ſimul verè offeratur, ſed ſimul in memoriam Cruentæ oblationis in Cruce; ut fidelibus pretium oblationis in Cruce applicaretur; & Corpus Domini in Euchariſtia verè frangi dicatur, quia ſub ſpeciebus panis præſens eſt quæ franguntur; & eatenus Corpus Chriſti ibi frangi dicitur.

VII. Nec his obſtat communis Acatholicorum cavillatio potiùs, quam probatio, dum dicunt: quod in verbis inſtitutionis Euchariſtiæ nulla fiat mentio ſacrificii, vel quod non legatur Chriſtum dixiſſe, *Offero tibi Pater Corpus meum*, &c. ſed tantum dederit diſcipulis ad manducandum

VIII. Hæc enim inſtantia prior, ſi valeret, etiam concluderet; quòd Chriſtus ibi non inſtituiſſet Sacramentum Euchariſtiæ, cum nec Sacramenti nomen exprimatur; ſicut autem concedendum eſt, ibi Sacramentum; quia ea quæ ad Sacramentum requiruntur ibidem narrantur, ſic etiam ea, quæ ad ſacrificium requiruntur, ſatis expreſſa ſunt, & alia S Scripturæ loca docent quod Chriſtus ibi ſacrificium obtulerit. Et licet non dixerit Chriſtus offero tibi Pater, gratias tamen egit Patri & dixit, *quod pro vobis datur*: at non dabatur diſcipulis pro diſcipulis, ſed Deo Patri dabatur pro diſcipulis; quod ipſi de vero ſacrificio in Cruce concedere debent, ubi per hoc quod Corpus in Cruce pro nobis datum ſit, verè ſignificatur, quod Deo Patri oblatũ fuerit.

IX. Ex prædictis itaq; S Scripturæ locis, & Chriſti Domini verbis ſufficiẽter cõſtat, quòd Chriſtus in cæna ultima Corpus & ſanguinẽ ſuũ ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri prius obtulerit, quam

d by Google

quam illa Apoſtolis, ùt victimam, manducandam dederit; & quia Apoſtolis præcepit, ut & ipſi impoſterum hoc, quod ipſe fecit, facerent; qui non ſolum Euchariſtiam illis diſtribuit, ſed illam prius conſecravit & obtulit, clarè conſtat, quod illos per hoc ſacerdotes inſtituerit, & poteſtatem idem faciendi dederit, quod ipſe fecit.

X. Solent etiam Doctores præter prædicta hujus doctrinæ de ſacrificio Miſſæ fundamenta, etiam probabiliter arguere, ex illo verbo, *facite.* quod Chriſtus dixit: ſcilicet, quia facere ſæpe in S. ſcriptura pro *ſacrificare* uſurpatur, ùt patet Exodi, 29. v. 38. *Hoc eſt quod facies in Altari, Agnos anniculos duos per ſingulos dies jugiter,* & Levitici 15. v. 14. *Die autem octavo ſumet duos turtures, aut duos pullos columbæ,* &c. *dabitque eos ſacerdoti, qui faciet unum pro peccato, & alterum in holocauſtum.* Similiter Levit. 23. v. 19. *Facietis & hircum* pro peccato & duos agnos anniculos hoſtias pacificorũ. Si. & 3. Reg. 18. ubi Helias proponit, ut falſi Prophetæ Baal offerant ipſi, & ipſe Elias Deo vero, ut inde conſtet veritas, dicitque v. 23. *Dentur nobis duo boves & illi eligant ſibi bovem unum & in fruſta cedentes ponant ſuper ligna, ignem non ſupponant; & ego faciam bovem alterum, ignem autem non ſupponam,* &c. ubi patet quod per verbum *facere* intelligatur *ſacrificare*, quod circumſtantiis clarè patet, unde etiam in propoſito, quia ex aliis circumſtantiis conſtat, quod Chriſtus fecerit ſacrificium, etiam probabiliter dicitur, quod dicendo *facite*, etiam intellexerit, ut ſacrificent ſicut ipſe ſacrificaverat; quanquam hoc ipſum Doctores non urgeant, ſufficit enim, quod licet in generali ſenſu Chriſtus uſus ſit illo verbo, *facite*, ſatis expreſſit mandatum ut Apoſtoli facerent ea, quæ Chriſtus ibi fecit, & facienda inſtituit; in quibus præcipuè actus ſacrificandi continetur.

ARTICULUS III.

Quòd Chriſtus in ultima cœna ſacrificium obtulerit, & offerendum mandàrit probatur ex SS. Patrum ſententia.

I. QVamvis ex locis S. Scripturæ ſufficienter hæc veritas conſtet, quia tamen nullus fidei articulus ita clarè ex S. Scriptura oſtenſus eſt, quin hæretici diverſis temporibus loca S. Scripturæ in ſuos errores detorquere, vel ſaltèm verum ſenſum negare præſumpſerint; & ſic fideles ſæpe hæſerint quorum ſenſum, vel ab Eccleſia Catholica, vel ab hæreticis traditum amplecterentur; ideo SS. Patres poſteriores ſemper ad prioris Eccleſiæ Patres ſeſe retulerunt, ut eo certius conſtaret fidelibus, quod ille eſſet verus ſenſus, quem Eccleſia ſemper docuit. Cum itaque in propoſito etiam Acatholici omnia S. Scripturæ loca pro ſacrificio Miſſæ allegari ſolita negent de ſacrificio Euchariſtæ eſſe intelligenda, oſtendendum eſt, quod Eccleſia Romana etiamnum docet idipſum quod Eccleſia Chriſti ab initio docuit.

II. Plura autem SS. Patrum teſtimonia hactenus allata ſunt quæ hoc ipſum oſtendunt, ex vaticiniis & figuris, in hoc ſacrificio impletis, jam aliquot de ipſa inſtitutione adducam, quibus oſtendetur, quòd Chriſtus in ultima cœna præceperit ut Sacramentũ Euchariſtiæ offerretur in Eccleſia. III.

Clemens Romanus lib 5. Conſtit. Apoſtol. cap. 20. edit. Colon. 1565. introducit Apoſtolos, quaſi Sacerdotes alloquantur, ſic dicens: *Quare vos quoque ſuſcitato Domino, offerte Sacrificium veſtrum, de quo vobis præcepit per nos, dicens: Hoc facite in meam commemorationem.*

Rurſus lib. 8. Conſtit. Apoſt. cap. 52. edit. eâd. ſic ait: *Primus igitur naturâ Pontifex eſt unigenitus, qui Chriſtus nō ſibiipſi honorē arripuit, ſed conſtitutus eſt à Patre: qui propter nos factus homo, & ſpirituale ſacrificium offerens Deo & Patri ſuo, ante paſſionem nobis ſolis præcepit hoc facere: quanquam præſentes nobiſcum eſſent alii, qui in ipſum crediderãt, ſed nō omnino omnis, qui credit, continuo ſacerdos eſt, & pontificium conſequitur honorem.* hæc ille, ubi per ſpiritualem hoſtiam oſtendit, quòd non cruento modo fiat; & tamen verè oblata ſit à Chriſto ut vero ſacerdote, eo quod non omnibus Chriſti fidelibus ſed ſolum Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus faciendum præceperit. IV.

Idem lib. 8. Conſt. Apoſt. cap. 5. edit. eâdem tradens formam precationis in ordinatione Epiſcopi ſervandam, his verbis. *Da ei Domine omnipotens per Chriſtum tuum participationem Spiritus Sancti, ut habeat poteſtatem dimittendi peccata ſecundum mandatum tuum,* &c. Et infrà: *Vt placeat tibi in manſuetudine & corde mundo,* &c. *offerendo tibi mundam & incruentam hoſtiam, quam per Chriſtum inſtituiſti myſterium novi Teſtamenti in odorem ſuavitatis,* &c hæc ille.

Dionyſius Areopag. Apoſtoli diſcipulus. lib. de Eccleſ. Hierarch. cap. 3. ad titul. *Myſterium Synaxis.* edit. Argent. 1503. ſic ait: *Summus quidem Sacerdos orationem ſacram ſuper divinum* ALTARE *perficiens,* &c. ubi plurima refert. Tandem circa finem capitis in Theoria ſic ait: *Laudans autem & cultum earum, & inviſibilem contemplationem intellectualibus oculis inſpiciens, an ſymbolicam earum ſacrificationem venit, & hoc Deo tradente. Vnde & reverenter ſimul & hierarchicè poſt divinarum actionum laudes mirabiles pro ipſa ſupra ſe actione mirabili, apologiam facit primam ſacrè ad ipſum roborans, tu dixiſti. Hoc facite in meam recordationem,* &c. hæc ille. V.

Iuſtinus Martyr in dialogo cum Tryphone Iudæo edit. Heidelb. Hieron. Commel. 1503. fol. 201. *Sane*, inquit, *ſimila quoque oblatio, ô viri, dicebam pro eis, qui à lepra purgabantur, ut offerretur, tradita figura fuit panis Euchariſtiæ: quem in recordationem paſſionis, quam pro his ſuſtinuit hominibus, quorum animi ab omni purificantur pravitate* IESVS CHRISTVS *Dominus noſter facere præcepit,* &c. & infrà fol. 269. *A nemine ſane Deus Hoſtias accipit, niſi à ſacerdotibus ſuis. Vniverſos igitur, qui per nomen iſtius ſacrificia (offerunt) quæ* IESVS CHRISTVS *fieri tradidit, hoc eſt, in Euchariſtia panis & calicis quæ in loco omni à Chriſtianis fiunt, præveniens Deus, ſibi grata eſſe teſtificatur, quæ autem à vobis & à veſtris illis Sacerdotibus offeruntur renuendo abjicit, inquiens; & ſacrificia veſtra non ſuſcipiam de manibus veſtris,* &c. hæc Iuſtinus. VI.

Irenæus edit. Colon. 1556. lib. 4. adverſus hæreſes cap. 32. *Sed & ſuis, ait, diſcipulis dans conſilium primitias Deo offerre ex ſuis creaturis, non quaſi indigenti; ſed ut ipſi, nec infructuoſi nec ingrati ſint, eum, qui ex creatura panis eſt, accepit, & gratias egit,* VII.

ego dicens; Hoc est corpus meum. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundùm nos suum sanguinem confessus est, & novi Testamenti (nota) *novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens* (nota) *in universo mundo offert Deo*, &c. hæc ibi.

VIII. *Cyprianus* lib. 2. epist. 3. ed. Antwerp. 1568. circa initium, *Quis, ait, magìs sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster Iesus Christus? qui sacrificium Deo Patri obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, panem scilicet & vinum suum, scilicet corpus & sanguinem, &c.* & post duo folia: *Fas non est infringere, aut in aliud, quàm quod divinitus institutum sit, humanâ traditione mutare; nam, si Iesus Christus Dominus & Deus noster, ipse est summus sacerdos Dei Patris & sacrificium Patri* (seipsum aliqui codices habent) *primus obtulit, & hoc in sui commemorationem fieri præcepit, utique ille sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur, &* SACRIFICIUM VERUM ET PLENUM TUNC OFFERT IN ECCLESIA DEO PATRI. *Et sic incipiat offerre, secundùm quod ipsum Christum videat obtulisse, &c.* hæc S. Cyprianus. Quomodo clariùs veritas Catholicæ Fidei proponi posset; ubi tam clarè S. Pater supponit, quòd Christus ut verus & summus sacerdos sacrificium obtulerit seipsum; & hoc fieri præceperit in sui commemorationem; quod præcepit in ultima cœna: & quòd sacerdos alius non absolutus, sed vice Christi fungens verum & plenum sacrificium offerat; si faciat illa, quæ Christus fecit in cœna? nescio quid clariùs dici posset.

IX. *Eusebius Cæsar.* lib. I. Demonstrat. Euangel. cap. 10. seu ultimo edit. Basil. 1549. cum pluribus ostendisset, cur in Ecclesia Christi non offerantur more veterum Patrum animalia mactando in sacrificium, ostendit illa solùm imperfecta, & figuram gessisse unius sacrificii Christi in cruce pro omnibus oblati dicens: *Quando igitur secundùm testimonia Prophetàrum inventum est magnum, magníque æstimandum pro redimendis & Iudæis pariter & Græcis pretium. Illud videlicet pro toto mundo piaculum illud pro anima cunctorum hominum sacrificium*, &c. *meritò sanè, quando illius memoriam corporísque eiusdem & sanguinis recordationem quotidie celebrant, & ad longè præstantius & sacrificium, & munus assumpti sunt, quàm illud antiquius fuerit: quando igitur omnia hæc ita se habent, non amplius fas esse putamus in prima illa & infima elementa recidere, quæ utique signa quædam & imagines, non ipsam veritatem complectuntur.* Et infrà: *Itaque post omnia, quasi mirabilem quandam victimam sacrificiumque eximium Patri suo operatus pro nostra omnium salute obtulit.* Quod utique ad salutem sufficit, adeoque nova cruenta sacrificia offerenda non sint: non tamen excludit incruentum sacrificium, quod quotidie offertur in memoriam cruenti, sed statim subjungit dicens: *Eiusque rei memoriam, ut nos ipsi Deo pro sacrificio offerremus, instituit, ubi hoc nisi in ultima cœna, dum dixit: Hoc facite in meam commemorationem.* Vnde paulò infrà dicit: *Cùm ergo huius sacrificii memoriam signis quibusdam in mensa celebrandam, corporísque item illius salutarisque sanguinis ut novi Testamenti institutum habet, acceperimus, rursus à Propheta David instituimur ad dicendum: Parasti in conspectu meo mensam*, &c. *& palam igitur in his mysticam significat unctionem & odorum afferentiam, mensæ Christi sacrificia, &c.* postea ostendit, quòd Christiani etiam spirituales victimas & rationales Deo offerunt cordis contriti & humiliati: sed per illas non excludit incruentum sacrificium in memoriam passionis institutum, sed utrumque complectitur paulò infrà dicens: *Igitur & sacrificamus & incendimus aliàs quidem memoriam magni illius sacrificii* (nota sacrificium Eucharistiæ) *secundùm ea, quæ ab ipso tradita sunt* (in ultima cœna) *mysteria celebrantes; & gratias Deo pro nostra salute agentes religiosósque hymnos & orationes sanctas illi offerentes, aliàs nos ipsos totos ei consecrantes, &c.* hæc Eusebius.

Gregorius Nyssen. Orat. I. de S. Festo Paschæ & Resurrectione Christi ed. Basil. 1562. circa medium sic ait: *Hoc mihi stet firmum, & quæstio declarata & explicata fuerit: Nam, qui omnia pro dominica potestate atque authoritate administrat, non expectat vel ex proditione necessitatem, vel Iudæos grassatorum in modum advenientes, vel Pilati Iudicium iniquum, ut illorum scelus ac malitia communis hominum salutis principium & causa esset; sed pro ineffabili arcanoque, & qui ab hominibus cerni nequit* SACRIFICII. *Modo sua dispositione & administratione præoccupat impetum violentum, ac* SESE OBLATIONEM *ac* VICTIMAM OFFERT SACERDOS SIMUL ET AGNUS DEI, *qui tollit peccata mundi, quando hoc accidit? cùm suum corpus ad communicandum, & sanguinem ad bibendum familiaribus præbuit; cuilibet enim hoc perspicuum est; quòd nec vesci homo possit, nisi comestionem mactatio præcesserit: Qui igitur dedit discipulis suis corpus suum ad comedendum, apertè demonstrat, iam perfectam & absolutam factam esse immolationem, &c.* hæc Greg. Nyssen. Nescio quibus clarioribus verbis veritas contra Acatholicos exprimi possit, prout suprà ostensum, quòd quia in cœna corpus datum est ut victima, prius debuerit immolari. X.

Ambrosius in cap. 10. ad Hebr. ed. Paris. 1569. XI.
In Christo, ait, è contrario semel oblata est hostia potens ad salutem sempiternam, quid ergo nos? nonne per singulos dies offerimus? & infrà: *Pontifex noster ille est, qui obtulit hostiam nos mundantem: Ipsam offerimus nunc, quæ tunc oblata quidem consumi non potest. Hoc enim facite, inquit, in meam commemorationem, &c.* Alibi idem in ps. 38. circa illa verba, in imagine pertransit homo, sic ait: *Vidimus principem Sacerdotum ad nos venientem; vidimus & audivimus offerentem pro nobis sanguinem suum; sequamur, ut possumus, sacerdotes: ut offeramus pro populo sacrificium, nam etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio: quia etsi nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur; imo ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium, quod offertur, &c.* hæc ibi. Ubi plane supponit, quòd audivimus Christum offerentem se ipsum pro nobis, utique dum dixit: *Hic est sanguis, &c.* & clarè ostendit, quod Sacerdos vice Christi idem Sacrificium offerat, & Christus in Sacerdote quod ipse obtulit; dum Sacerdos verbis Christi utitur & consecrat Eucharistiam.

Chrysostomus hom. 24. in cap. 10. prioris ad Corinth. sic ait ed. Basil. 1558. tom. 4. *Christus autem, & in hoc curam & vehementem in nos dilectionem ostendit. Et in veteri quidem Testamento, cùm imperfectiores essent: quem idolis offerebant sanguinem, cum ipse accipere voluit, ut ab Idolis eos averteret; quod etiam inenarrabilis amoris* XII.

signum erat. Hic autem multò admirabilius & magnificentius sacrificium præparavit, cùm sacrificium ipsum commutaret, & pro brutorum cæde seipsum offerendum præciperet. &c. hæc Chrysost. Vbi hoc præceptum, nisi in cœna ultima?

XIII. Idem in epist. 2. ad Timoth. hom. 2. in morali eâdem ed. tomo 4. circa finem sic ait: *Volo quiddam adjicere planè mirabile, & nolite mirari, neque turbemini. Quid verò illud est? sacra ipsa oblatio, sive illam Petrus, sive illam Paulus, sive cuiusvis meriti Sacerdos offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse discipulis, quam sacerdotes modo quoque conficiunt; nihil habet ista quàm illa minùs: cur id? quia non hanc sanctificant homines, sed Christus, qui illam antè sacraverat: quemadmodum enim verba, quæ locutus est Christus, eadem sunt, quæ sacerdotes nunc quoque pronuntiant: ita & oblatio eadem est, &c.* hæc Chrysost. Ecce quàm clarè ostendit, quòd Christus in cœna per verba ista corpus suum obtulit, & quod sacerdotes iisdem Christi verbis juxta ipsius mandatum oblationem eandem faciant.

XIV. Demum D. Augustinus hanc veritatem pluribus locis profitetur; quorum aliqua recensebuntur libro 17. de Civ. Dei cap. 20. ed. Basil. 1529. tomo 5. cùm retulisset dictum Ecclesiastæ: *Non est bonum homini, nisi quòd manducabit & bibet*, sic subjungit: *Quid credibiliùs dicere intelligitur, quàm quod ad participationem mensæ huius pertinet, quam & sacerdos ipse mediator testamenti novi exhibet secundùm ordinem Melchisedech de corpore & sanguine suo. Id enim sacrificium successit omnibus illis sacrificiis veteris testamenti, &c.* hæc ibi. Vbi supponit; quòd Christus ùt sacerdos sub specie panis & vini corpus & sanguinem suum adhuc in illa sacra mensa immolet; & immolata Fidelibus participanda per sacerdotes communicet.

XV. Rursum eâdem ed. tomo 6. lib. 20. contra Faustum cap. 21. Fausti calumniam refutat, qui ex eo, quòd Christiani Martyres honorarent, calumniabatur illis; quasi ipsis sacrificium offerrent, quòd prorsus mendacium esse ostendit dicens: *Christianus memorias Martyrum religiosâ solemnitate concelebrat*, &c. *ita tamen, ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamvis in memoria Martyrum constituamus altaria*, &c. *quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit*, & infrà: *At illo cultu, qui Græce latria dicitur, cùm sit quædam propriè divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum. Cùm autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificii*, &c. *nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuipiam Martyri, vel cuiquam Angelo*, &c. & infrà: *Sacrificare Martyribus dixi; non dixi, sacrificare Deo in memoriis Martyrum; quod frequentissimè* (nota) *facimus; illo duntaxat ritu, quo sibi sacrificari novi Testamenti manifestatione præcipit; quod pertinet ad illum cultum, qui latria dicitur, & uni Deo debetur, &c.* hæc ibi. Ecce quàm clarè dicit: quòd Christiani sacrificent Deo illo ritu, qui soli Deo debetur, & quem Deus novi Testamenti manifestatione præcipit: quis ille alius, quàm ille, quem Christus in ultima cœna novum testamentum condens præcepit? hic effugium de orationibus & cordis humiliatione non habet locum, quia non fiunt certo tali externo ritu, &c. licèt itaque Deus etiam talibus colatur, hic tamen Augustin. ùt clarum supponit, quod speciali ritu in ultima cœna præcepto Deus per sacrificium colatur.

XVI. Idem tomo 2. ed. eâdem epist. 5. ad Marcellinum, paulò ab initio, dum quæstio mota esset, cur Deus diversis temporibus diversa sacrificia ordinasset, quasi mutabilis, respondet: *Aptum fuit primis temporibus* (scilicet veteris Testamenti) *Sacrificium, quod præceperat Deus; nunc verò non ita est, aliud enim præcepit, quod huic tempori aptum esset, qui multò magis quàm homo novit, quid cuique tempori accommodatè adhibeatur, &c.* hæc ibi. Vbi clarè supponit, quod Deus in nova lege sibi sacrificium offerendum præceperit, sed aliud, quàm in veteri Testamento; quod de orationibus intelligi non potest, quæ non sunt propriè sacrificia, nec in novo Testamento noviter ordinata, sed in veteri observata à SS. Patribus.

XVII. Hoc ipsum sacrificium in speciali exprimit Augustinus in ps. 33. conc. 2. de Christo dicens: *Quia erat ibi* (in veteri Testamento) *Sacrificium secundùm ordinem Aaron, & postea ipse de corpore & sanguine suo instituit Sacrificium secundùm ordinem Melchisedech, &c.* quid clariùs dici posset? quia hoc non potest intelligi de sacrificio in cruce, quod Christus solus semel perfecit, sed hîc loquitur de sacrificio, quod Christus instituit & mandavit celebrandum; utique in cœna Domini.

XVIII. Similiter declarat lib. 83. qq. quæst. 61. de Christo dicens: *Ipse est enim Sacerdos noster in æternum secundùm ordinem Melchisedech, qui seipsum obtulit holocaustum pro peccatis nostris, & eius Sacrificii similitudinem celebrandam in suæ passionis memoriam commendavit, ut illud, quod Melchisedech obtulit Deo, iam per totum terrarum orbem Christi in Ecclesia videamus offerri, &c.* hæc ibi. Nescio quid clariùs dici possit, quod Christus in ultima cœna instituerit & præceperit Sacrificium in Ecclesia Christi Deo offerendum; & quod quotidie offerri videamus in similitudinem sacrificii in cruce, & in illius memoriam; quia hîc Christus non verè occiditur; sed sub speciebus panis & vini similitudo occisionis in cruce factæ repræsentaretur.

XIX. Idem August. eodem loco paulò infrà sic de Christo ait: *Oportebat enim, ut evacuaturus sacrificia, quæ secundùm ordinem Aaron in Levitico sacerdotio fiebant, non esset de tribu Levi, nec ad ipsam tribum & ad ipsum sacerdotium, quod temporaliter umbra erat futuri, pertinere videretur mundationis peccatorum; quam Dominus oblatione holocausti sui, quod in veteri sacerdotio figurabatur, implevit, & holocausti eius ad imaginem ad memoriam passionis suæ in Ecclesia celebrandam dedit, & esset sacerdos in æternum, non secundùm ordinem Aaron, sed secundùm ordinem Melchisedech*, hæc ibi. Vbi iterum manifestè supponit, quòd Christus præceperit sacrificium Eucharisticum offerri in Ecclesia; quod est imago sacrificii in cruce ob causam dictam, licèt utrobique Christus offeratur, sed sub diverso modo.

Ex his SS. Patrum testimoniis patet, quòd ipsi tunc antiqua Ecclesia senserint, Christum in ultima cœna verè corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini obtulisse; & hoc ipsum

ipsum ab Apostolis illorumque in sacerdotio successoribus faciendum præcepisse.

ARTICULUS IV.

Quòd in Ecclesia Christi verum offeratur Sacrificium probatur ex aliis S. Scripturæ locis.

I. PRimò quidem Act. 13. v. 2. sic dicitur: *Ministrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos, &c.* ubi satis clarè exprimitur, quòd Apostoli verum sacrificium obtulerint Deo, cùm dicitur: *Ministrantibus illis Domino*, primò, quia verbum *ministrantibus* Latinè, in Græco ponitur λειτουργούντων, quod idem ac sacrificantibus significat, seu publicum aliquod aut externum ministerium exercentibus; tale autem ministerium per emphasin dicitur, *Domino* factum, id est, ad Dei honorem & cultum: quod non potest intelligi de ministerio, quo verbum populo prædicatur aut sacramenta illi ministrantur; quia illa non dicuntur propriè Domino ministrari sed populo; unde Erasmus pro verbo *ministrantibus* vertit *sacrificantibus*. Hoc autem sacrificium aliud non potest assignari ab illis Antiochiæ senioribus factum; quàm sacrificium Eucharistiæ seu Missæ; sic etiam SS. Patres Græci loquentes de sacrificio Missæ semper illam liturgiam vocant.

II. Eadem veritas probatur ex 1. Cor. 10. ubi Apostolus fideles sic monet: *Propter quod charissimi mihi, fugite ab Idolorum cultura, ut prudentibus loquor, vos ipsi iudicate, quod dico: Calix benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nónne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis & unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane & de uno calice participamus; videte Israel secundùm carnem: nónne qui edunt hostias, participes sunt altaris? Quid ergo? Dico, quòd Idolis immolatum, sit aliquid: aut quòd idolum sit aliquid? sed quæ immolant Gentes dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse & mensæ dæmoniorum, &c.* hæc ibi.

III. In his verbis Apostolus clarè indicat, quòd mensa, ex qua Fideles participant corpus & sanguinem Domini, non sit simpliciter mensa, sed verum altare; in quo priùs illa Deo offeruntur, quàm Fidelibus distribuantur sumenda; hoc patet ex duobus: Primò, quia Apostolus opponit mensam Ecclesiæ mensæ dæmoniorum; illa autem erat altare, in quo sacrificabatur dæmoniis, adeoque econtra mensam Ecclesiæ intelligit mensam, in qua Deo corpus & sanguis Domini sacrificatur. Secundò ex eo; quia Apostolus mensam Ecclesiæ etiam comparat cum altari Judæorum; ubi Israël secundum carnem immolabat in altari Deo sacrificia carnalia, & populus de illis hostiis participabat, & sic participes fiebant Altaris sui Sacrificii Deo oblati; ita etiam supponit, quòd Fideles fiant participes altaris Ecclesiæ, cùm ex mensa illa corporis & sanguinis Domini participes fiant. Hæc ex ipso textu satis patent.

IV. Quòd autem sancti Patres ita etiam intellexerint ex *Chrysostomo* & *Augustino* facilè patet. *Augustinus* quidem tom. 6. ed. Basil. 1529. lib. 1. contra Adversar. Legis & Prophet. cap. 19. refutans adversarium legis, qui ex verbis prædictis Apostoli falsò dicebat, quòd *omnes, qui sacrificant, non sacrificent, nisi dæmoniis*, ostendit, quòd Apostolus duo dixerit: unum, quod *Gentiles, qui idola colunt, quæ sacrificant dæmoniis sacrificant, & ideo illi fiunt socii dæmoniorum, si idolotytha sacrificia manducaverint.* Et quod hoc ex simili Apostolus de vero Sacrificio Judæorum probet, Augustinus dicit: *Quomodo Israel carnalis socius erat altaris in templo, qui de sacrificiis manducabat, ideo quippe addidit carnaliter, vel secundùm carnem: quia est Israël spiritualiter vel secundùm spiritum, qui veteres umbras carne iam non sequitur; sed eam consequentem, quæ illis umbris præcedentibus significata est, veritatem. Hinc enim cæpit, ut hoc diceret. Propter quod, dilectissimi mihi, fugite ab Idolorum cultura. Deinde secutus ostendit, ad quod* (nota) *sacrificium iam deberent pertinere, dicens: Quasi prudentibus dico; iudicate vos, quod dico. Calix benedictionis & panis, quem frangimus,* &c. *& propter hoc subiunxit. Videte Israël secundùm carnem, nónne, qui de sacrificiis manducant, socii sunt altaris? ut intelligerent ita se iam socios esse corporis Christi, quemadmodum illi socii sunt altaris,* &c. hæc Aug. ubi clarè supponit, quòd Israël secundùm spiritum participans de pane, qui frangitur, spectat ad sacrificium novum, quòd socii sint corporis Christi oblati utique in altari opposito altari dæmoniorum; quod non potest intelligi de altari seu cruce; quia Apostolus comparat mensam Fidelium opponendo mensæ Gentilium, & illam mensam assignat, in qua frangitur panis seu corpus Domini, quòd in cruce fractum non est, sed in Eucharistia ratione specierum panis frangi dicitur, ut Chrysostomus hom. 24. in 1. ad Cor. circa hunc locum dicit, cujus verba suprà relata sunt.

V. Idem *Chrysost.* ibidem ed. Basil. 1558. expressè ex verbis Apostoli declarat, quòd in Ecclesia sit altare, in quo offertur corpus Domini & sanguis in calice, circa verba (*calix benedictionis*) dicens: *Quid dicis, beate Paule, cùm vis auditorem confundere, & horrendorum mysteriorum meminisse; calicem benedictionis appellas, calicem illum formidolosum & horroris plenum? sanè quidem: Non enim parvum est, quod dicitur, siquidem cùm benedictionem dico, Eucharistiam dico; & dicendo Eucharistiam, omnem benignitatis Dei thesaurum aperio.* Et infrà: *Maximè his sibi* (Paulus) *verbis & fidem facit, & horrorem: eorum autem huiusmodi est sententia; quod est in calice* (nota) *id est, quod à latere fluxit, & illius sumus participes,* & infrà: *Itaque si sanguinem capis, inquit, noli in idolorum aram brutorum animalium cæde, sed meum* (nota) *altare, meo sanguine aspergere. Quid hoc admirabilius? quid amabilius?* & infrà: *Et in veteri quidem testamento cùm imperfectiores essent, quem idolis offerebant sanguinem, eum ipse accipere voluit, ut ab idolis eos averteret,* &c. *hic autem multò admirabilius & magnificentius* (nota) *sacrificium præparavit, quum sacrificium ipsum cōmunicet, & pro brutorū cæde seipsum offerendū præciperet,* &c. hæc Chrys. exponens locū dictum 1. Cor. 10. ubi planè supponit, quod Apost. loquatur de Sacrif. in

Digitized by Google

in quo sanguis Christi offertur; in quo Christus seipsum offerendum præcepit: quo nullum aliud esse potest, quàm, cùm in cœna præcepit dicens: Hoc facite in meam commemorationem.

CONCLVSIO.

I. EX præmissis S. scripturæ novi Testamenti locis per se consideratis satis constaret, quod aliquod verum sacrificium in Ecclesia existat, & non aliud, quàm illud, quod Christus in cœna ultima obtulit, & Apostolis illorumque successoribus offerendum præcepit, scilicet corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini; & ideo mensa illa sacra, ex qua corpus & sanguinem Domini fideles participant, sit verum altare, in quo priùs illa sacra & tremenda hostia Deo Patri juxta præscriptum Christi offeratur, prout Ecclesia Romana profitetur. Quamvis autem Acatholici pertinaciter contradicunt, & loca S. scripturæ ad falsum sensum detorqueant, sinceri Christiani potiùs illum S. scripturæ textum amplectuntur, qui ex ipsa S. scriptura satis constat, & insuper à tempore Apostolorum ab Ecclesia Christi doctus & agnitus fuit, prout ex unanimi SS. Patrum in illa loca expositione & doctrina hactenus ostensum est: qui, ut ex ipsorum testimoniis ad longum relatis constat, expressè & clarissimè loca illa S. scripturæ de sacrificio in ultima cœna à Christo celebrato, & imposterum celebrando, exposuerunt & intellexerunt.

II. Vnde summè miranda est Acatholicorum obstinatio, qui his contrarium asserere non verentur, prout nuper quidam Helmstadienses in thesibus 1661. impressis thesi 15. evomuerunt his verbis: *Verùm, ut suam hanc doctrinam sacrificuli probent, corrodunt loca quædam S. scripturæ ex vet. Test.* Malach. 1. v. 11. *Et ex novo Test.* 1. Cor. 10. v. 21. *At quàm impertinenter in probatione sacrificii missatici hæc allegent, egregiè nec minus solidè ex antiquissimis Patribus, imò ex ipso contextu deduxit Malleus iste Tridentinorum Chemnitius in examine Concilii Trid. ad can. de Sacrif. Missæ*, &c. hæc in illa thesi.

III. Verùm quàm falsè futilis & terrenus ille Malleus contra doctrinam Catholicam scripserit, & quàm solidè, egregiè & clarè malleum illum inter alios Doctores Bellarminus ferreus Acatholicorum malleus ex ipsa S. Scriptura & unanimi sanctorum antiquorum Patrum sententia contriverit, quilibet sincerus lector in ipsius Bellarmini lib. de sacrif. Missæ videre poterit; & ex præmissis facilè patet, imo Kemnitius, Lutherus & Calvinus veteres pro Catholicis stare, satis fassi sunt, ùt cap. 5. art. 2. patebit, ut autem veritas Catholica, & falsitas Acatholicorum velut in speculo elucescat, sequentes antitheses proponentur.

ANTITHESES.

In quibus doctrina Catholica modernæ Ecclesiæ quoad Sacrificium Missæ juxta scripturam novi Testamenti cum SS. Patrum doctrina, conformitas; & Acatholicorum difformitas proponuntur.

PRimò SS. *Patres juxta S. Scripturam docuerunt*, quòd Christus Dominus semetipsum semel in cruce mortem subiens, ùt verissimum ac perfectissimum sacrificium, Deo Patri obtulerit; quod omnibus ad salutem abunde sufficiat, ut tale sacrificium iterandum non sit. *Ita etiam docet Ecclesia Rom. Cath.*

Acatholici hoc fatentur.

2. *SS. Patres juxta S. scripturam docuerunt*: quòd Christus Dominus sacrificium Eucharistiæ instituerit; in quo sub specie panis & vini corpus ejus & sanguis verè Patri offeratur; non quasi sacrificium crucis insufficiens vel hoc ab illo independens esset; sed ut hoc verè offerretur in memoriam illius. *Ita etiam Ecclesia Rom. moderna docet.*

Acatholici hoc prorsus negant & detestantur.

3. *SS. Patres juxta S. scripturam docuerunt*, quòd Christus Joann. 4. mulieri loquens prædixerit adorationem, quæ per sacrificia olim in certo loco fieri debebant, esse cessaturam; & novam adorationem in Ecclesia in omni loco juxta prophetiam Malachiæ, Sophoniæ, & Isaiæ futuram. *Ita etiam docet Ecclesia.*

Acatholici negant adorationem in Ecclesia à Christo prædictam, quæ juxta Prophetas per sacrificium externum fieret.

4. *SS. Patres juxta S. scripturam docuerunt*, quòd Christus Dominus in ultima cœna, postquàm typicum pascha fuerat impletum, & agni carnes cum Apostolis comederat, assumens panem ad verum paschæ transierit Sacramentum; ut sicut in præfiguratione ejus Melchisedech Dei sacerdos panem & vinum offerens fecerat, ipse quoq; veritatem sui corporis & sanguinis repræsentaret. *Ita etiam docet Ecclesia Rom.*

Acatholici prorsus negant Christum in ultima cœna novum pascha celebrasse, & corpus suum juxta figuram Melchisedech obtulisse.

5. *SS. Patres juxta S. scripturam docuerunt*; quòd significata olim tempore Melchisedech sacramenta prodierint, dum summus sacerdos protulit panem & vinum, & dixit: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Ita etiam docet Ecclesia Rom.*

Acatholici id negant.

6. *Sancti Patres juxta S. Scripturam docuerunt*, quod ultimâ cœnâ dispositâ obviaverint sibi instituta antiqua & nova: & consumpto agno, quem antiqua traditio proponebat, inconsumptibilem cibum magister apposuit discipulis. *Ita etiam docet Ecclesia Rom.*

Acatholici id de Sacrificio negant.

7. *Sancti Patres juxta S. Scripturam docuerunt*; quod in veteri Testamento Agni paschales plures per diversas domos immolabantur; jam vero idem agnus Dei per omnes Ecclesiæ domos in mysterio panis & vini immoletur; & con-

conſecratus conſecrantes ſanctificet. *Ita etiam docet Eccleſia Rom.*

Acatholici hæc prorſus negant, & idololatriæ damnant.

8. *Sancti Patres iuxta S. Scripturam docuerunt:* quòd circa tempus ultimæ cœnæ diſcipuli quidem paraverant paſcha juxta morem Judæorum celebrandum; ſed paſcha noſtrum ipſe Chriſtus tunc inſtituerit, & ipſe factus ſit paſcha: quod ille agnus hujus agni typus fuerit; ille umbra, hic veritas: & ideo in ipſa eadem menſa utrumque paſcha, & typi & veritatis, celebratum ſit; cùm Chriſtus accepit panem, & dixit: *Hoc eſt corpus meum. Ita etiam docet Eccleſia Rom.*

Acatholici abſolutè negant Chriſtum in ultima cœna paſcha Chriſtianorum celebrâſſe, vel illud inſtituiſſe, ſed ſolum in cruce immolaſſe.

9. *SS. Patres iuxta S. ſcripturam docuerunt:* quòd Chriſtus ſummus Dei ſacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech Deo Patri ſacrificium primus obtulerit, panem ſcilicet & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem: & hoc in ſui commemorationem fieri præceperit: & ille verè ſacerdos ſit, qui vice Chriſti fungitur, & id, quod Chriſtus fecit, imitetur, & ſacrificium verum & plenum Deo tunc offerat, ſi hoc offerat, ſecundùm quod Chriſtum obtuliſſe videat. *Ita etiam docet Eccleſia.*

Acatholici abſolutè negant Chriſtum tale ſacrificium in ultima cœna obtuliſſe, vel ab aliis offerendum præcepiſſe.

10. *Sancti Patres iuxta S. Scripturam docuerunt,* quòd Chriſtus præveniens impetum Judæorum, ſeſe obtulerit victimam ipſe ſacerdos & agnus Dei; cùm ſuum corpus ad comedendum, & ſanguinem ab bibendum præbuit: & quod cuilibet perſpicuum ſit, quod ove veſci non poſſit, niſi comeſtionem mactatio præceſſerit; adeoque, quia Chriſtus dedit diſcipulis corpus ſuum ad comedendum, apertè demonſtrarit, jam perfectam & abſolutam factam eſſe immolationem. *Ita etiam docet Eccleſia Romana.*

Acatholici hoc prorſus negant.

11. *SS. Patres iuxta S. ſcripturam docuerunt:* quòd Chriſtus ſacrificium in ultima cœna inſtitutum celebrandum mandârit, cùm dixit: *Hoc facite in meam commemorationem. Ita etiam docet Eccleſia Rom.*

Acatholici hoc negant, imo blaſphemè dicunt: quod Sacrificium Euchariſticum tolleret memoriam paſſionis Chriſti, & blaſphemiam Chriſto inferat.

12. *SS. Patres iuxta S. ſcripturam docuerunt:* quod Chriſtus Pontifex à Patre conſtitutus hoſtiam Deo Patri ſeipſum ante paſſionem offerens, ſolis Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus, ut hoc facerent, præcepit. *Ita etiam docet Eccleſia Rom.*

Acatholici hoc abſolutè negant.

13. *SS. Patres iuxta S. ſcripturam docuerunt:* quòd Chriſtus Dominus in novo Teſtamento admirabilius & magnificentius ſacrificium præparaverit; cùm ſacrificium ipſum commutaret, & pro brutorum cæde ſeipſum offerendum præceperit. *Ita etiam docet Eccleſia Rom.*

Acatholici hæc negant.

14. *SS. Patres iuxta S. Scripturam docuerunt:* quod ſacra oblatio, quæ in Eccleſia fit, ſive illam Petrus, ſive Paulus, ſive alius Sacerdos offerat, eadem ſit, quam Chriſtus diſcipulis dedit, quamque Sacerdotes modo conficiunt; ita ut, ſicut verba, quæ Chriſtus locutus eſt, eadem ſunt, quæ Sacerdotes nunc quoque pronuntiant: ſic & eadem modo oblatio ſit. *Ita etiam docet Eccleſia Rom.*

Acatholici talem oblationem & hoſtiam planè negant: imo ut abominabilem idololatriam damnant.

15. *SS. Patres iuxta S. Scripturam docuerunt:* quod Prophetæ ſignificaverint myſticam Chriſti unctionem & horrorem afferentia menſæ Chriſti ſacrificia. *Ita etiam Eccleſia Romana.*

Acatholici hæc negant.

16. *SS. Patres iuxta S. Scripturam docuerunt:* quod nihil credibilius intelligatur; quàm quod ad participationem menſæ Chriſti pertinet; quam & Sacerdos ipſe mediator novi Teſtamenti exhibet ſecundùm ordinem Melchiſedech de corpore & ſanguine ſuo; & hoc Sacrificium ſucceſſerit omnibus illis ſacrificiis veteris Teſtamenti, quia pro omnibus illis Sacrificiis & oblationibus corpus ejus offertur, & participantibus miniſtratur. *Ita etiam docet Eccleſia Romana.*

Acatholici negant corpus Chriſti ùt Sacrificium in Eccleſia offerri, ſed tantùm ad manducandum in Sacramento miniſtrari.

17. *SS. Patres iuxta S. Scripturam docuerunt:* quod Chriſtus Dominus ſit Sacerdos in æternum; & licèt nunc non videatur offerre, tamen ipſe offeratur in terris; quando corpus Chriſti offertur; imo ipſe offerre manifeſtetur in Sacerdotibus, cujus ſermo ſanctificat Sacrificium, quod ſacerdotes offerunt. *Ita etiam docet Eccleſia.*

Acatholici hæc negant.

18. *SS. Patres iuxta S. Scripturam docuerunt:* quod Hebræi in victimis pecudum, quas offerebant Deo, prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Chriſtus obtulit, ſcilicet in cruce; & Chriſtiani illius peracti ſacrificii cruenti memoriam celebrent, ſacroſanctâ oblatione & participatione corporis Chriſti; ſicque SS. Patres ſimul docuerunt, quod vera & ſancta in Eccleſia quotidie fiat oblatio & ſacrificium corporis Chriſti: & tamen in memoriam oblationis & ſacrificii in cruce peracti, & de hoc corpore etiam Fideles participent. *Ita etiam docet Eccleſia Rō.*

Acatholici negant fieri oblationem corporis Chriſti à Chriſtianis; imo talem ut idololatriam damnant, & quod memoriam paſſionis tollat, aſſerunt: ſed volunt, quod ſolum fiat participatio corporis Chriſti in memoriam ſacrificii crucis.

19. *SS. Patres iuxta S. Scripturam, præſertim* 1. Cor. 10. *docuerunt:* quod ſicut in veteri lege erat altare, in quo vera ſacrificia Deo offerebantur, & Judæi edentes de hoſtiis, participes erant altaris: & ſicut Gentes immolabant dæmoniis in altaribus, quæ menſæ vocabantur, quarum dæmoniorum menſarum Gentes participes fiebant, ſic Chriſtiani fiant menſæ Domini participes, quod verum Domini altare ſit. *Ita etiam docet Eccleſia Rom.*

Aca-

Acatholici absolutè negant, quod per mensam Domini altare Eucharistiæ intelligatur.

Sincerus autem lector his antithesibus inspectis claré videbit, quod Ecclesia Romana in sua doctrina cum SS. Patribus primitivæ Ecclesiæ conveniat; at verò Acatholici SS. Patrum doctrinæ adversentur.

CAPUT IV.

Sacrificium Missæ probatur ex traditione Ecclesiæ.

ARTICULUS I.

Probatur ex praxi totius Ecclesiæ.

I. Hic supponendum imprimis; quod Ecclesia Christi universalis in articulis Fidei & morum errare non possit, prout lib. 3. de Ecclesia copiosè probatum est, & ideo SS. Patres ex eo, quod universa Christi credit & tenet Ecclesia, certum argumentum sumpserunt, id de Fide certum esse, licèt expressè in sacra scriptura non legatur: prout ex communi SS. Patrum sententia passim asserit D. Augustinus, & specialiter lib. 5. de Baptismo c. 13. ed. Basil. dicens: *Quæ universa tenet Ecclesia, ab Apostolis præcepta bene traduntur, quanquam scripta non reperiantur.* Imo generaliter epist. 118. c. 5. sic dicit: *Similiter etiam si quid horum tota die per orbem frequentat Ecclesia; nam hoc, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est*, &c. jam autem ex S. scriptura abunde probatum est; quòd in Ecclesia Catholica Christi verum detur sacrificium à Prophetis prædictum, à Christo in ultima cœna institutum, & ab Apostolis usurpatum. Præter hoc etiam veritas ipsa probatur ex praxi Ecclesiæ totius, quæ à tempore Apostolorum usque in præsens continuata fuit.

II. Et quidem praxis Ecclesiæ universalis à mille & ducentis annis ex omnibus sanctorum Patrum & Doctorum scriptis adeò clara est, ut ipsi Acatholici eam negare non possint; constat enim imprimis, quòd in Ecclesia Romana missa celebrata sit à tempore D. Leonis I. qui sedit circa annum 450. ita ut idem Canon missæ semper ad literam servatus sit, in quo clarissimè dicitur, quòd corpus & sanguis Christi Deo offeratur; unde Lutherus canonem detestatus est, & generaliter fassus est lib. de Capt. Babyl. cap. 1. dicens: *Missa creditur passim esse Sacrificium, quod offertur Deo; accedunt his dicta SS. Patrum, tot exempla, tantúsque usus per orbem constanter observatus.* Et infrà: *Non moveat, quòd totus orbis contrarium sensum & usum habeat*, scilicet Lutheri doctrinæ.

III. Similiter Calvin lib. 4. Inst. c. 18. §. 1. ubi blasphemè dicit: *Sed horrendæ abominationis caput est, quum, &c.* (Sathan) *pestilentissimo errore totum pene orbem obcæcavit, ut crederet missam Sacrificium & oblationem esse, ad impetrandum peccatorum remissionem.* Et §. 18. *Quid superest*, ait, *ut cæci videant, & hanc missæ-abominationem, quæ in calice aureo propinata omnes Reges terræ & populos à summo usque ad novissimum inebriavit*, &c. hæc impius Calvin.

Cæterùm non solùm in Ecclesia Romana hæc praxis & doctrina de sacrificio Missæ servata est, & usque in hunc diem servatur: sed etiam ab omnibus aliis Ecclesiis, ut Græca, Æthiopiaca & aliis Orientalibus, *&c.* postquam ab unitate Ecclesiæ Romanæ recesserunt: prout ex eorum liturgiis & praxi per diversa testimonia usque in hunc diem testata constat; quod signum est, quod non à meretrice, ùt Acatholici calumniantur, Romana illam imbiberint, sed ex traditione antiqua retinuerint. IV.

Ex hac autem tot seculis per universum orbem Ecclesiæ praxi Doctores Catholici efficax formant argumentum, quòd scilicet universalis Ecclesia de Fide docuit & usurpavit tot seculis, id Fide certum esse; alioquin tota universalis Ecclesia tot seculis contra promissionem Christi graviter erràsset; præsertim, quia Acatholici in hoc eam idololatriæ condemnant. V.

Et hoc argumentum pro veritate sufficeret; si nihil certi de Ecclesiæ antiquæ usu constaret, ùt patet: quia ex hac manifestè satis deduceretur, quòd etiam Ecclesia antiqua hoc docuisset & egisset, cùm Ecclesia semper eadem in doctrina Fidei existat: veruntamen, quod & ante mille ducentos etiam usque ad tempora Apostolorum eadem Ecclesiæ universalis praxis fuerit, primò clarissimè constat ex omnibus antiquis variarum Ecclesiarum liturgiis, quæ usque modo extant; & partim à tempore Apostolorum, partim in primitiva Ecclesia scriptæ sunt, inter quas est. VI.

Liturgia Ecclesiæ Romanæ à Petro Apostolo tradita, in qua inter alia sic dicitur: *Hostiam tibi, Domine destinatam in oblationum sacrificia, &c.* & infrà: *Offerimus venerandæ majestati tuæ*, &c. *hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ*, &c. VII.

In *liturgia Ecclesiæ Hierosolymitanæ* à D. Jacobo tradita, sic inter alia dicitur: *Domine, Domine, qui & nobis abiectis peccatoribus*, &c. *concessisti, ut confidenter accideremus ad sanctum altare tuum, & offerremus tibi verendum hoc & incruentum Sacrificium pro peccatis nostris & ignorantiis*, &c. VIII.

In *liturgia Ecclesiæ Alexandrinæ* D. Marco Euangelista authore sic habetur: *Purga cor nostrum ab omni inquinamento, ut corde puro, & purâ conscientia tibi hoc thymiama offeramus*, &c. & infrà: *Per quem* (Christum) *offerimus rationabilem & incruentam latriam, seu oblationem hanc, quam offerunt tibi Domine omnes Gentes ab ortu solis usque ad occasum*, &c. IX.

Liturgia Æthiopum Ecclesiæ sic inter alia habet: *O amator hominum, humaliter imploramus, ut faciem tuam super hunc panem & calicem in hoc alta-* X.

Digitized by Google

altaris portabile ostendas; benedic, sanctifica, munda & transfer panem hunc in carnem tuam immaculatam, & vinum hoc in tuum Sanguinem pretiosum: fiat sacrificium ardens & acceptabile, &c. hæc ibi.

XI. In *Liturgia Ecclesiæ Cappadociæ* à D. Basilio conscripta sic sacerdos dicit: *Tu es qui offers & offerris; & qui suscipis & impertis, Christe Deus noster, altâ voce sacerdos dicat: Tua ex tuis tibi offerentes*, &c. *Tu Domine ostendisti nobis magnum istud salutis mysterium, tu dignos nos fecisti miseros & indignos servos tuos fieri ministros sancti Altaris tui.* Et infrà: *Da Domine & pro omnibus nostris peccatis & populi tui ignorantia acceptabile & susceptibile fieri sacrificium nostrum in conspectu tuo*, &c.

XII. *Liturgia Ecclesiæ Syriæ* sic habet: *Dignos efficito nos, qui puro corde stemus coram te, tibique ministremus atque offeramus sacrificium hoc reverendum & incruentum ad abolenda delicta nostra, &c.* & infrà: *Sancte Sanctorum Domine Deus virtutum offerimus tibi sacrificium hoc reverendum & incruentum pro Ecclesiis tuis sanctis*, &c.

XIII. In *Liturgia Ecclesiæ Constantinopolitanæ* quæ à sancto Joanne Chrysostomo tradita dicitur: *Suscipe Domine Deus supplicationem nostram, fac nos dignos offerendi tibi preces, & hostiam incruentam pro universo populo tuo.* Et infrà: *Propter infinitam clementiam tuam*, &c. *Pontifex noster extitisti & mysterii hujus, ac incruentæ hostiæ Sacramentum nobis tradidisti*, &c. *omnium Deus, fac me dignum sacerdotii gratiâ indutum assistere huic tuæ mensæ & consecrare sanctum Corpus tuum & pretiosum Sanguinem*, &c. *concede à me peccatore offerri tibi hæc Sacramenta, tu enim es offerens & oblatus; suscipiens & distribuens Christus Deus noster, &c.* hæc ibi.

XIV. *Liturgia Ecclesiæ Mediolanensis* primùm à Barnaba tradita, deinde à sancto Ambrosio aucta sic habet: *Omnipotens sempiterne Deus, placabilis & acceptabilis sit tibi hæc oblatio, quam ego indignus pro me offero peccatore*, &c. *tuæ pietati offero*, &c. *Te igitur supplices rogamus & petimus, ut accepta habeas & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata: imprimis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica, &c.* hæc ibi.

XV. Demum *in Liturgia Armeniorum* sic dicit sacerdos: *Tu Domine, qui tibi offerimus oblationem, suscipe in conspectu tuo collocatam & coæqua illam corpori & Sanguini Domini nostri Iesu Christi*, &c. hæc ibi.

Ex his antiquissimis variarum Ecclesiarum Liturgiis clarè patet: quòd ab initio Ecclesia universalis crediderit sacrificium Corporis & Sanguinis Domini in Eucharistia offerri.

ARTICULUS II.

Eadem praxis antiquæ Ecclesiæ probatur ex testimoniis SS. Patrum.

I. Plurima testimonia sanctorum Patrum hactenus allata, quibus SS. Patres loca sacræ Scripturæ pro veritate hujus sacrificii exposuerunt, praxim Ecclesiæ antiquæ satis probant: præter quæ alia aliqua adducemus: quibus clarè ostendunt in Ecclesia offerri verum sacrificium Corporis & Sanguinis Christi.

S. *Andreas Apostolus*, ùt constat ex historia passionis illius à presbyteris Achaiæ ejusdem discipulis & passioni præsentibus scripta, quæ habetur apud Surium 30. Novemb. cap. 6. Ægeæ proconsuli ipsum ad Diis sacrificandum impellenti, sic respondit: *Ego omnipotenti Deo, qui unus & verus est immolo quotidie non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum agnum in altari, cujus carnes postquam omnis populus credentium manducaverit, agnus, qui immolatus est, integer perseverat & vivus, &c.* circa quem locum adversarii calumniantur quosdam Doctores; quòd omittant ly *crucis*, ita ùt sit dicendum, *in altari crucis*, quasi per hoc testimonium irritaretur: sed nihil illis hoc prodest, nam aliqui Doctores Catholici, ut apud Surium videre est, legunt *in altari crucis*; & veritas eadem consistit: nam omne altare in Ecclesia Catholica verè dicitur crucis, quia crucem repræsentat, & ideo non dixit Apostolus: Ego offero agnum in cruce, sed in altari crucis, quod scilicet crucem repræsentat: & Apostolus non dicit, Christus semel se obtulit in cruce, sed ego quotidie agnum immolo: at Acatholici negant, quòd ullus præter Christum, immolet ipsum. II.

De *Liturgia à S. Iacobo* conscripta testatur Concilium in Trullo congregatum, quæ dicitur Synodus quinisexta & sexta can. 32. ubi sic dicitur: *Nam & Iacobus frater Domini, &c. & Basilius Cæsariensis Archiepiscopus, cujus gloria omnem terrarum orbem pervasit, mystico nobis in scripto sacrificio ita peragendum in sacro mysterio ex aqua & vino sacrum poculum ediderunt, &c.* hæc ibi. III.

Testimonia Clementis primi circa annum 80. & Dionysii Areopagitæ, & Justini Martyris, & Irenæi suprà relata sunt. IV.

Hypolitus Martyr circa Annum 220. Biblioth. Patrum edit. Colon. 1618. pag. 16. lib. de Consummatione mundi, & Antichristo dicit: *Lugebunt Ecclesiæ luctum magnum, quia nec oblatio, nec suffitus fiet, nec cultus Deo gratus; sed Ecclesiarum ædes tugurii instar erunt, pretiosumque Corpus & Sanguis Christi non extabit in diebus illis. Liturgia extinguetur*, &c. *Tunc dicet* (Christus) *his qui à dextris erunt, venite benedicti, venite Pontifices qui purè mihi sacrificium diu noctúque obtulistis, & pretiosum meum Sanguinem immolâstis quotidie*, &c. hæc ille. V.

Similiter *Methodius Patavienfis* circa Annum 260. lib. de Rebus quæ ab initio mundi contigerunt & deinceps contingent, apud Jod. Coccium dicit: *Tolletur honor à sacerdotibus & supprimetur mysterium Dei & quiescet omne sacrificium ab Ecclesiis*, &c. VI.

Cyprianus edit. Antwerp. 1568. lib. 1. Epist. 4. in ordination. sacerdot. ait: *Non nisi immaculatos & integros Antistites eligere debemus; qui dignè & sanctè sacrificia Domino offerentes audiri in precationibus possint, quas faciunt pro plebis dominicæ incolumitate*, &c. VII.

Concilium Nicænum primum inter Diotiposes, quæ in fragmentis illius Synodi Græcè inveniuntur, sic dicitur: *In hac divina mensa ne ad propositum panem & calicem humiliter intenti simus; sed mente in altum sublatâ, fide cogitemus; quòd positus sit in illa mensa Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, qui sine mactatione à sacerdotibus immolatur, & honorabilem illius Sanguinem, &c.* hæc ibi. licèt Acatholici velint, ibi dici quòd Fide in Chri- VIII.

Digitized by Google

stum credatur, qui in cœlis tantùm est, nimis clarè dicitur quòd *in mensa Agnus positus sit, & immoletur à sacerdotibus*, monentur autem Fideles ut non considerent externas panis species, sed Fide credant, juxta verba Christi, quòd ipse ibi sit præsens.

IX. *Eusebius Cæsar.* lib. 1. Demonstr. Euang. cap. ult. edit. Basil. 1549. sic ait: *Sacrificamus igitur Deo altißimo sacrificium laudis; sacrificamus Deo plenum & odorem afferens & sacrosanctum sacrificium: Sacrificamus novo more secundùm novum testamentum hostiam mundam, &c.* hæc ibi.

X. Idem orat. de Laudibus Constantini apud Jod. Cocc. tomo 2. lib. 6. art. 4. edit. Colon. 1601. *Quis alius*, ait, *solo Servatore nostro excepto, sacrificia rationabilia Sanguinisque expertia, precibus & arcana quadam divinæ laudis celebranda ratione suis discipulis obeunda tradidit? qua de causa tum altaria toto terrarum orbe constructa sunt, &c.* hæc ibi.

XI. *Cyrillus Hierosol.* catechesi 5. mystagogica ed. Colon. 1564. *Deinde verò*, ait, *postquam confectum est illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus: super ipsa propitiationis hostia obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, &c.* & infrà: *Pro quibus offertur obsecratio sancti illius & tremendi, quod in altari positum est, sacrificii, &c.* hæc ille. ubi patet, quòd loquatur de Eucharistia, quæ in altari ponitur.

XII. *Gregor. Nazianzen.* apud Jod. Cocc. tomo 2. art. 4. Thes. Cathol. 1601. orat. 4. quæ est 2. invectiva in Julianum, *Sed quid*, ait, *hæc colligo? Ad præsentia & nostra me convertam: Non iam in sacras nostras ædes pravos oculos injicient: non iam aras à purißimo & incruento* (nota) *sacrificio nomen habentes, scelesto sanguine contaminabunt*, &c. hæc ibi.

XIII. *Ambrosius* lib. 1. Officior. ed. Paris. 1569. cap. 41. de S. Laurentio ipsum sic loquentem refert: *Quo progrederis inquit ad Sixtum, sine filio pater, quò sacerdos sine Diacono properas? nunquam sine ministro sacrificium offerre consueveras? &c.* hæc ibi.

Idem in ps. 38. edit. Basil. tomo 4. *Sequamur*, ait, *ut possumus Sacerdotes, & offeramus pro populo sacrificium; etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio: quia etsi nunc Christus non videtur offerre; tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur, &c.* hæc ibi.

Idem edit. eâd. tomo 5. ad cap. 4. primi ad Timoth. ait: *Manûs verò impositionis verba sunt mystica, quibus confirmatur, ad hoc opus electus accipiens authoritatem teste conscientiâ suâ, ut audeat vice Domini* (nota) *sacrificium Deo offerre*, &c.

Rursus lib. 4. de Sacram. cap. 6. edit. eâdem tomo 4. referens verba quæ sacerdos tempore sacrificii dicit, ita ait: *Et dicit sacerdos ergo memores gloriosißimæ eius Paßionis & ab inferis resurrectionis & in cœlum ascensionis offerimus tibi hanc immaculatam hostiam, rationabilem hostiam, incruentam hostiam, hunc panem sanctum & calicem vitæ æternæ, &c.* hæc Ambrosius.

XIV. *Gregorius Nyssenus* in orat. prima de Resurrect. Christi edit. Basil. 1562. sic dicit: *Sed pro ineffabili arcanóque, & qui ab hominibus cerni nequit, sacrificii modo, suâ dispositione & administratione præoccupat impetum violentum, ac sese oblationem ac victimam offert pro nobis sacerdos simul & agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Quando hoc accidit? Quum suum Corpus ad comedendum, & Sanguinem suum familiaribus ad bibendum præbuit*, &c.

Hieronymus Epist. ad Hedibiam quæstione 2. edit. Basil. 1553. tomo 3. *Dominus*, ait, *dedit nobis panem verum*, &c. *ipse conviva & convivium*, &c. *& quotidie in sacrificiis eius de genimine vitis veræ & vineæ sorec, quæ interpretatur electa, rubentia musta calcamus*, &c. XV.

Idem edit. eâdem tomo 2. lib. 3. adversus Pelagianos cap. 5. *Sic docuit* (Christus) *Apostolos suos; ut quotidie in Corporis illius sacrificio credentes audeant loqui: Pater noster qui es in cœlis*, &c.

Idem lib. 1. adversus Jovinian. cap. 19. *Sacerdoti, cui semper offerenda sunt pro populo sacrificia, semper orandum est*, &c.

Chrysostomus lib. 3. de Sacerdot. edit. Basil. 1547. cùm retulisset plura de sacrificio, quod Elias obtulerat, sic dicit: *Ab illis ergo sacris ad nostratia sacra te transfer, nec ea mira modo esse videbis; sed etiam omnem stuporem excedentia. Adest enim sacerdos non ignem gestans, sed Spiritum Sanctum*, &c. *Hoc ergo mysterium omnium maximè horrendum verendúmque quis tandem qui insanus idem minimè fit*, &c. *despicere poterit*, &c. XVI.

Item lib. 6. de Sacerdot. edit. eâdem tomo 5. de sacerdote loquens sic ait: *Porrò illum ipsum oportet tantò omnibus in rebus iis præstare*, &c. *quum autem ille & Spiritum Sanctum invocaverit SACRIFICIVMQVE illud horrore ac reverentiâ plenißimum perfecerit communi omnium Domino manibus aßiduè* (nota) *pertractare; quærò ex te, quoto illum in ordine collocabimus? &c.* hæc ibi.

Idem Hom. 24. in priorem ad Corinth. edit. eâdem sic ait: *Hic autem multò admirabilius & magnificentius sacrificium præparavit; quum sacrificium ipsum commutaret, & pro brutorum cæde, seipsum offerendum præciperet*, &c.

Idem Hom. 17. ad Hebræos circa finem edit. eâd. tomo 4. *Nónne per singulos dies offerimus? offerimus quidem, sed ad recordationem facientes mortis eius. Et una est hostia non multæ; quomodo una est & non multæ? quia semel oblata est, oblata est in sancta Sanctorum. Hoc autem sacrificium exemplar est illius, idipsum semper offerimus; nec nunc quidem alium agnum, crastinâ alium, sed semper eundem ipsum: proinde unum est hoc sacrificium hâc ratione; alioquin quoniam in multis locis offertur, multi Christi sunt? nequaquam; sed unus ubique est Christus; & hic plenus existens, & illic plenus, unum Corpus. Sicut enim qui ubique offertur unum corpus est & non multa corpora, ita etiam & unum sacrificium.* &c. hæc ille. ubi clarè ostendit, quòd verè Christi corpus in diversis locis offeratur, & tamen unum sit sacrificium scilicet ex parte principalis oblati, quod est idem corpus Christi, & in hoc distinguitur à sacrificiis veteris legis, ubi semper novæ aliæ & aliæ imperfectæ victimæ offerebantur, & per hæc verba Apostoli explicat. XVII.

Idem ed. eâd. tom. 9. de Dignit. sacerdotali c. 5. sic ait: *Qui non manducat carnem Domini, & Sanguinem eius non bibit, æternâ vitâ privatur: omnia autem hæc haud aliter quàm per sacrosanctas illas manus perficiuntur, manus, inquam, Sacerdotum, &c.* hæc Chrysost.

Concludat *August.* qui variis locis, quorum aliqua hactenus relata sunt, hanc veritatem profitetur, hîc aliqua addemus Epist. 23. ad Bonifacium edit. Basil. 1529. tomo 2. *Nónne*, ait, *semel* XVIII.

Digitized by Google

mel Christus immolatus est in seipso, & tamen in Sacramento non solùm per omnes Paschæ solemnitates, sed omni die populis immolatur? nec utique mentitur, qui interrogatus eum responderit immolari; si enim Sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt non haberent, omnino Sacramenta non essent, &c. hæc ibi, quem locum Acatholici quidem volunt pro se trahere, sed falsò, ut respondendo ad argumenta Anonymi patebit, quia August. solùm intendit, quòd Christus non immoletur in propria specie & per effusionem Sanguinis, sed in Sacramento per similitudinem, & repræsentationem effusionis Sanguinis in cruce quoad speciem vini à speciebus panis separatur: & quòd Augustinus dicit Christum populis immolari intelligit pro utilitate populi; sicut etiam alibi dicit; quòd in cruce Fidelibus immolatus sit; certum est, quòd immolatio soli Deo fiat, ùt ipse sæpius lib. de Civ. Dei, cap. 22. & alibi supponit.

XIX. Idem lib. 16. de Civ. Dei, cap. 22. tomo 5. ejusdem edit. cùm Melchisedech Abrahæ benediceret, *Ibi primùm*, ait, *apparuit sacrificium, quod nunc à Christianis offertur Deo toto orbe terrarũ*, &c.

Lib. 22. tomo 5. edit. eâd. Civ. cap. 10. *Nos*, ait, *martyribus nostris non templa, sicut Diis, sed memoriam sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus fabricamus: nec ibi erigimus altaria in quibus sacrificemus martyribus, sed uni Deo, & martyrum & nostro sacrificium immolamus, ad quod sacrificium, sicut homines Dei, qui mundum in eius confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur, non tamen à Sacerdote qui* (nota) *sacrificat, invocantur Deo quippe non ipsis sacrificat, &c.* hæc ibi

XX. Rursus tomo 4. edit. Basil. 1528. lib. 2. Quæstioonum euangel. quæst. 3. sic ait: *Quòd Dominus dicit leproso mundato; unde ostende te Sacerdoti, & offer munus pro emundatione tua, sicut præcepit Moyses*, &c. *Hic videtur approbare sacrificium quod per Moysen præceptum est, cùm id non receperit Ecclesia, quod ideo iussisse intelligi potest, quia nondum esse ceperat* (vel, ut alii textus habent, institutum erat) *Sacrificium sanctum Sanctorum quod corpus eius est. Nondum enim in passione eius obtulerat holocaustum suum, quo sacrificio confirmato in credentibus populis, templum ipsum eversum est, ubi illa sacrificia offerri solebant, &c.* hæc ibi. ubi Augustinus satis indicat, quòd aliud sacrificium ab Ecclesia receptum sit, ad quod Fideles recurrant, quod Christus in passione obtulit, & in illius passionis memoriam illud ipsum scilicet Corpus suum incruento modo in Ecclesia quotidie offerendum instituerit, ùt Augustinus aliis in locis dicit.

XXI. Idem iterum August. epist. 59. ad Paulinum respondens ad quæstionem 5. exponit verba Apostoli 1. Timoth. 2. edit. eâdem tomo 2. ubi dicit: *Obsecro itaque primum omnium fieri obsecrationes, orationes, interpellationes, gratiarum actiones*, &c. dicit post unam paginam: *Eligo in his verbis hoc intelligere, quòd omnis vel pene omnis frequentat Ecclesia, ut precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud quod est in Domini mensa incipiat benedici* (ubi more suo occultè loquitur de Eucharistia) *orationes, cùm benedicitur & sanctificatur* (ecce consecrationem) *& ad distribuendum comminuitur*, scilicet Eucharistia. Et paulò infrà: *Ea proprie oratio intelligenda est, quam facimus ad votum; voventur autem omnia quæ offeruntur Deo, maximè sancti altaris oblatio; quo Sacramento prædicatur nostrum aliud votum maximum, quo nos vovimus in Christo esse mansuros, &c.* hæc August. ubi clarè supponit, quòd ipsum Sacramentum sit altaris oblatio, quæ Deo maximè offertur, & sit distincta ab illa oblatione, quâ nos ipsos Deo offerimus.

Demum epist. 118. cap. 4. edit. eâd. tomo 2. agens de tempore administrandi Eucharistiam dicit, quòd in quibusdam locis feriâ 5. ultimæ hebdomadæ quadragesimæ bis offeratur, manè & ad vesperum: alibi mos sit offerri in fine diei, & cap. 5. sic ait: *Quæris, &c. an offerendum sit mane & rursus post cœnam propter illud quod dictum est. Similiter postquam cœnatum est, an ieiunandum & post cœnam tantummodo offerendum. An etiam ieiunandum & post oblationem sicut facere solemus cœnandum?* hæc August. ubi clarè supponit, quòd Eucharistia offeratur ut sit vera oblatio de qua Fideles participant: quoad tempus autem monet, quòd Ecclesiæ consuetudo servetur. XXII.

ARTICULUS III.

Eucharistiæ sacrificium per usum Sacerdotum ex testimoniis SS. Patrum probatur.

QUòd sacerdos & sacrificium sint correlativa, ita ut sacerdos ideo sit sacerdos, quia sacrificium offert, nimis ex S. Scriptura patet, specialiter ex illo ad Hebræos 5. v. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum ut offerat dona & sacrificia*: unde consequens est, ut ubi sunt propriè dicti sacerdotes, ibi etiam verum sit sacrificium quod offerant; & ubi impropriè sunt sacrificia, etiam impropriè dicantur sacerdotes, & viceversâ: At verò propriè dicti sacerdotes non sunt promiscuè omnes Fideles, sed aliqui certi deputati, ùt constat ex veteri testamento, ubi soli ex familia Aaron sacerdotes erant, qui propriè dicta sacrificia offerebant; cùm alioquin sacrificia impropriè dicta quilibet privatus offerat, ut sunt *orationes, cor contritum, spiritus contribulatus, &c.* ubi itaque sunt propriè sacerdotes specialiter ordinati, ibi evidens est, quòd etiam sit propriè dictum sacrificium, quod offerant. I.

Hoc ipsum fatetur Calv. lib. 4. Inst. cap. 18. 8. 9. ubi ex suo falso principio, quòd in Ecclesia non sint constituti sacerdotes, infert; quòd etiam non sit sacrificium; dicens: *Cur non ideo sacrificia evanescent, quæ sine sacerdote offerri non possunt.*

Verùm, quòd in Ecclesia sacerdotes certi & veri constituti sint, & ordinati ex S. Scriptura quoad rem probari potest, licèt nomen sacerdotis in Scriptura novi testamenti illis expresè non tribuatur, quòd tempore Apostolorum, quo S. Scriptura condita est, adhuc vigeret sacerdotium Judæorum; ideo Fideles à sacerdotum nomine abstinebant; non verò, quasi nulli sacerdotes essent ne viderentur judaizare: quòd autem statim à tempore Apostolorum sacerdotes non solùm ordinati, sed etiam tales nominati fuerint, patet ex sanctorum Patrum testimoniis. II.

Primum ex *Clemente* Romano lib. 1. constit. Apostol. cap. 18. ubi introducens Apostolos quasi sacerdotes exhortantes, dicit: *Se esse à Christo constitutos solos præ aliis, qui offerrent id,* III.

 quòd

Digitized by Google

quod Christus in cœna obtulit. Verba relata sunt suprà art. 3. cap. 3.

Similiter lib. 8. cap. 5. recenset modum, quo ordinantur illi, qui sacrificium mundum & incruentum offerunt, vide similiter verba suprà relata.

IV. *Dionysius Areopag.* lib. de Eccles. Hierarch. cap. 3. cujus verba suprà relata sunt, inter alia dicit: *Laudans autem sacerdos cultum divinarum actionum,* &c.

Iustinus martyr in dial. cum Triphone ed. Heidelb. Hieron. Commel. 1593. cujus verba etiam suprà relata sunt, dicit: *A nemine sanè Deus hostias accipit nisi à sacerdotibus suis.* Vbi de sacrificio Eucharistiæ loquitur.

V. *Hipolytus* martyr lib. de consummatione mundi, apud Cocc. introducit Christum loquentem sacerdotibus: *Venite Pontifices, qui purè mihi sacrificium obtulistis, &c.* vide suprà.

Methodius suprà relatus dicit: *Tolletur honor à sacerdotibus,* &c.

VI. *Cyprianus* edit. Antwerp. 1568. lib. 1. epist. 4. seu epist. 68. *In ordinationibus sacerdotum,* ait, *non nisi immaculatos eligere debemus,* & infrà: *Plebs à peccatore præposito seponere se debet, nec se ad sacerdotis sacrificia miscere,* &c.

Item edit. eâd. lib. 1. epist. 3. seu epist. 66. *Singuli divino sacerdotio honorati & in clerico ministerio constituti, non nisi Altari & sacrificiis deservire,* &c. *debent.* hæc ille.

VII. *Eusebius Cæsar.* lib. 5. Demonst. Euang. cap. 3. edit. Basil. 1549. ubi, cùm ex Scriptura ostendisset, quòd Christus esset sacerdos secundùm ordinem Melchisedech in æternum, dicit: *Et sanè oraculi exitus admirabilis ei, qui contempletur, quemadmodum Salvator noster Iesus, qui est Christus Dei, ipsius Melchisedech ritu ea, quæ ad sacerdotium in hominibus gerendum spectant, per suos ministros perficiat* (nota) *namquemadmodum ille, qui sacerdos Gentium erat,* &c. *Ita sanè primus ipse Salvator ac Dominus noster; deinde, qui ab ipso profecti sunt* (nota) *Sacerdotes in omnibus Gentibus, spirituale secundùm ecclesiasticas sanctiones sacerdotii* (nota) *munus obeuntes vino ac pane & corporis illius salutaris Sanguinis mysteria repræsentant, &c.* hæc ille.

VIII. *Epiphanius* lib. 3. cap. 79. edit. Basil. 1560. agens contra hæresin stultarum mulierum, quæ B. Mariæ sacrificare volebant, inter alia has refutat ex eo; quia nunquam mulieribus sacrificandi munus fuit commissum, id probat primò ex lege veteri, postea ex nova lege, dicens: *Si mulieribus præceptum esset sacrificare Deo, aut regulare quicquam operari in Ecclesia; oportebat magis ipsam Mariam sacrificium perficere in novo testamento; quæ digna facta est, suscipere ex propriis finibus Regem universorum Deum,* &c. *at non complacuit.* Et infrà: *Petrus, Andreas, Ioannes,* &c. *hi omnes electi sunt Apostoli sacrificantes per terram,* &c. *à quo Episcopo & prædictis Apostolis constitutæ sunt successiones Episcoporum & presbyterorum in domo Dei & nusquam mulier inter hos constituta est. Fuerunt autem,* inquit, *quatuor filiæ Philippo prophetantes, non tamen sacrificantes,* &c. *& ministrarum quidem Diaconissarum appellatarum ordo est in Ecclesia, non tamen ad sacrificandum, &c.* hæc Epiphan. ubi expressè supponit, quòd Apostoli à Christo fuerint constituti veri sacerdotes ad sacrificandum, & ab ipsis alii successivè Pontifices & presbyteri ad sacrificandum constituti; ad quod sacrificium nulla mulier pertineat; cùm tamen mulieres impropria sacrificia orationum offerre possint.

Idem *Epiphanius* hæresi 55. edit. Basil. 1560. inter alia, cùm dixisset; quòd in veteri lege sacerdotalis dignitas penes filios Aaron fuisset, subdit: *Verùm ad id, quod ante Levi & Aaron fuit secundùm ordinem Melchisedech sacerdotium transferatur: quod sanè nunc in Ecclesia viget à Christo & huc usque, dum non ampliùs semen secundùm successionem eligitur, sed forma secundùm virtutem quæritur, &c.* ecce sacerdotium in Ecclesia. IX.

Idem in Epist. ad Joannem Hierosolymit. apud Jod. Cocc. tomo 2. art. 4. ait: *Cùm vidissem quia multitudo sanctorum fratrum in monasterio consisteret, & sancti presbyteri, Hieronymus, & Vincentius propter verecundiam & humilitatem nollent debita nomini* (nota) *suo exercere sacrificia,* &c. *invenire autem & comprehendere servum Dei non posses, qui te eò quòd grave illud* (nota) *onus sacerdotii nollet suscipere, sæpe fugiebat, &c.* hæc ille.

Concilium Nicænum primum can. 14. sic decernit: *Nec regula nec consuetudo tradidit, ut Diaconi qui offerendi sacrificii non habent potestatem, Sacerdotibus, qui offerunt Christi Corpus, porrigant,* &c. ecce rem & nomen sacerdotii in tanto Concilio. X.

Ambrosius lib. 1. Officiorum cap. 41. de S. Laurentio, edit. Paris. 1569. *Quò Sacerdos sancte sine Diacono properas,* &c. XI.

Idem ad ps. 38. *Sequamur ut possumus sacerdotes, & offeramus pro populo sacrificium,* &c.

Lib. 4. de Sacramentis, cap. 6. *Et dicit Sacerdos: ergo memores, &c.* vide suprà.

Lib. 10. Epist. 85. edit. Paris. 1569. *Dignum,* ait, *est enim ut ibi requiescat Sacerdos ubi offerre consuevit.*

Hieronymus lib. 1. adversus Jovinian. cap. 19. apud Cocc. tomo 2. art. 4. *Sacerdoti,* ait, *cui semper offerenda sunt pro populo sacrificia, semper orandum est,* &c. XII.

Gaudentius tract. 2. de Exodo Biblioth. PP. edit. Colon. 1618. ait: *Et ideo discipulis fidelibus mandat, quos primos Ecclesiæ suæ constituit* (nota) *Sacerdotes; ut indesinenter illa vitæ æternæ mysteria exercerent; quæ necesse est à cunctis Sacerdotibus* (nota) *per singulas totius orbis Ecclesias celebrari,* &c. hæc ille. XIII.

Chrysostomus in lib. de Sacerdot. passim, specialiter lib. 3. edit. Basil. 1547. sic ait: *Dum conspicis Dominum immolatum, Sacerdotem sacrificio incumbentem, ac preces fundentem; tu verò turbam circumfusam pretioso illo Sanguine intingi,* &c. XIV.

Idem Hom. 83. in Matt. edit. eâd. tomo 2. hortans ad Eucharistiæ communionem, sic ait: *Non sunt humanæ virtutis hæc opera, quæ tunc in illa cœna confecit, ipse nunc quoque operatur, ipse perficit, ministrorum nos ordinem tenemus, qui verò hæc sanctificat & transmutat, ipse est,* &c.

Et infrà: *Hæc enim illa, non alia mensa est, hæc nullâ re minor, quàm illa est, non enim illam Christus hanc homo quispiam fecit, sed utramque ipse, &c.* Et infrà: *Verùm & tu laice cùm Sacerdotem videris offerentem, ne ut Sacerdotem putes hoc facientem, sed Christi manum invisibiliter extensam, &c.* hæc ibi.

Item eâd. ed. tomo 3. Hom. in Encæniis: *Pape, mensa mysteriis instructa est, & agnus Dei pro te immolatur, Sacerdos pro te angitur, &c.* Similiter Hom. 2. in epist. 2. ad Timoth. in morali *Sacra*

ipsa

ipsa oblatio sive illam Petrus, &c. sive cuiusvis meriti Sacerdos offerat, eadem est, &c.

Augustinus edit. Basil. tomo 5. 1579. lib. 20. de Civit. cap. 10. loquens de illis verbis Scripturæ: *Sederunt Sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum eo mille annis*, sic ait: *Non utique de solis Episcopis & presbyteris dictum est, qui propriè* (nota.) *iam vocantur in Ecclesia Sacerdotes; sed sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum chrisma, sic omnes Sacerdotes quoniam membra sunt unius Sacerdotis; de quibus Apostolus Petrus plebs inquit sancta, regale sacerdotium, &c.* ecce quàm clarè distinguit sacerdotes impropriè dictos, ut sunt omnes Fideles ob causam dictam, à sacerdotibus propriè dictis, qui Deo hostiam offerunt, ùt passim supponit, & patet ex loco sequenti.

Lib. 22. edit. eâd. de Civ. cap. 10. ubi cùm dixisset, quòd martyribus memorias fabricemus dicit: *Ad quod sacrificium, &c. nominantur, non tamen à Sacerdote, qui sacrificat, invocantur; Deo quippe, non ipsis sacrificant, &c.* hæc ibi.

Ex his aliisque SS. Patrum testimoniis evidens est quòd in antiqua Ecclesia certi fuerint ordinati sacerdotes propriè dicti; qui incruentum sacrificium offerrent, ùt exprimit Augustinus; adeòque etiam propriè dictum sacrificium offerebant: proinde non evanescit sacrificium, ut vult Calvinus.

ARTICULUS IV.

Eadem veritas probatur ex usu Altarium in antiqua Ecclesia iuxta testimonia SS. Patrum Græcorum.

I. HIc supponendum, quòd Altaria nunquam erigi solita fuerint in lege naturæ & veteri nisi propter sacrificia propriè dicta in illis offerenda, ùt patet Gen. 8. v. 20. *Ædificavit Noë altare Domino, &c. & obtulit holocausta super altare.* Similiter Abraham Gen. 12. v. 7. & 13. v. 18. sic Isaac & Jacob. postea Moyses Exod. 17. v. 15. *Ædificavit altare, &c.* Et idem Dominus mandavit sæpius, ut altare ædificaretur, in quo sacrificia omnia offerrentur; quod nullo modo intelligi potest de sacrificiis impropriè dictis; ut sunt orationes, & aliæ quæcunque ceremoniæ licèt sacræ, quas Israëlitæ ubivis locorum absque altari facere poterant.

II. Hoc ipsum non solùm ex S. Scriptura quoad propriè dicta sacrificia vero Deo offerenda constat, sed etiam quoad gentilium Diis falsis oblata, quòd semper ad ista habuerint altaria; ita, ut Altaria ad propriè dicta sacrificia soli Deo offerenda erigerentur, licèt Gentiles id falsis Diis præstarent; unde & hoc certum supponens dixit D. August. edit. Basil. tomo 5. 1529. lib. 20. contra Faustum cap. 21. *Nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum quamvis in memorias martyrum, construimus altaria.*

III. Idipsum adeò clarum est, ut & Calvinus ipse agnoverit, quòd, ubi vera sunt sacrificia, etiam sint altaria, & econtrà: ubi sunt Altaria, ibi vera sint sacrificia: hinc enim deducit argumentum licèt falsum, quòd Eucharistia non sit sacrificium, sicut in lege veteri erant sacrificia quæ sacerdotes in Altari offerebant, sic enim lib. 4. Inst. cap. 18. §. 12. dicit: *Hoc discrimen inter Mosaica sacrificia & Eucharistiam nostram, &c. observabit: siquidem illi Sacerdotes Levitici, quod peracturus erat Christus, sacrificium iubebantur figurare, sistebatur hostia, &c. erat altare, in quo immolaretur,* & postea de Eucharistia: *Mensam ergo nobis dedit, in qua epulemur, non altare super quod offeratur victima; non sacerdotes consecravit qui immolent; sed ministros, qui suum epulum distribuant, &c.* hæc Calvin. unde patet, quòd concedat, quòd, ubi sunt sacerdotes & altare, ibi etiam verum sit sacrificium. Ubi itaque nos probaverimus, quòd in Ecclesia Christi sint constituti sacerdotes, ùt hactenus ostensum est, & Altaria semper extiterint, in quibus Eucharistia oblata fuerit, clarum est, quòd Eucharistia verum sit sacrificium.

De Altarium usu itaque constat ex SS. Patribus Græcis. *Clemens Rom.* edit. Colon. 1569. can. 3. Apost. Constit. *Si quis Episcopus aut presbyter præter ordinationem Domini, quam de sacrificio instituit, alia quadam, puta aut lac, aut pro vino siceram, &c. super ALTARE obtulerit, deponatur.* hæc ibi. IV.

Dionysius Areopag. lib. Hierarch. Eccles. cap. 3. ad titulum *Mysterium synaxis*, edit. Argent. 1503. sic ait: *Summus quidem Sacerdos orationem sacram super divinum ALTARE perficiens, ex ipso adolere inchoans, in omnem venit sacri chori ambitum; rediensque iterum ad divinum ALTARE incipit sacra psalmorum melodia, &c.* hæc ibi. V.

Irenæus lib. 4. cap. 20. apud Jod. Cocc. tomo 2. Thes. Cathol. art. 9. edit. Colon. 1601. *Sacerdotes, ait, sunt omnes Domini Apostoli; qui neque agros, neque domos hic hæreditant, semper ALTARI, & Deo serviunt.* Et cap. 34. *Sic & ideo nos quoque offerre vult munus ad ALTARE, &c.* VI.

Athanasius in vita S. Antonii edit. Paris. 1581. *Magnum quoddam, ait, Antonius & universis sæculis inauditum nefas imminet,* & infrà: *Vidi enim Altare Domini mulorum circumdatum multitudine, qui crebris calcium ictibus omnia dissipabant.* Et post pauca: *Facta est vox Domini dicens: Abominabitur Altare meum, nec mora,* ait Athanasius, *visionem sequitur effectus: nam post annos duos sæva Arianorum irrupit insania; tunc Ecclesiarum fuerunt rapinæ, tunc divinorum temeratio vasorum,* & infrà: *Prô scelus, horret animus replicare quæ gesta sunt, virginum matronarúmque ereptus est pudor, sanguis ovium Christi, &c. respersit Altaria, &c.* hæc Athan. VII.

Similia refert *Gregor. Nazianz.* orat. 12. in laudem Basilii edit. Basil. 1550. dicens: *Contra Ecclesias militabant, ac intra Altaria saltabant, sacrificiáque incruenta hominum & sacrificiorum sanguine cruentabant.* hæc ille. VIII.

Idem orat. 23. edit. eâd. *Cædes, ait, super cædes, cadavera super cadaveribus, sacrosancta contaminatis conculcata pedibus altaria, figuris & canticis, & ut audio (cur hæc audax lingua profert) saltationes super illis & Ecclesiæ resonantias crepitaculis violatas, linguas blasphemas super sacris thronis concinnantes, &c.* hæc Gregor. Ecce viri sancti in illorum Arianorum facinoribus ad oculum depingunt facinora & rabiem Calvinistarum; si Sancti ista sic deplorabant, quid dixissent de his, qui ipsam Eucharistiam pedibus conculcârunt, & canibus devorandam projecerunt?

Cyrillus Hierosol. catech. 3. edit. Colon. 1563. *Sacrificium offerimus, ait, postea facimus mentionem etiam eorum, qui ante nos obdormierunt, &c. pro quibus offertur obsecratio sancti illius & tremendi,* IX.

Digitized by Google

di, quod in ALTARI *positum est sacrificii, &c.* hæc ille.

Eusebius Cæsar. in vita Constant. apud Jod. Cocc. tomo 2. edit. Colon. 1601. *Qua de causa,* ait, *tunc Altaria in toto orbe terrarum constructa sunt, tam augusta sanctaque Ecclesia ædificata,* &c.

Idem lib. 10. Histor. cap. 4. *Sanctuario,* ait, *hoc modo absoluto, &c.* ALTARI *denique tanquam Sancto Sanctorum in medio Sanctuarii sito, ista rursus, ut à plebe* &c. *non posset accedi cancellis,* &c. *circumdedit, &c.* hæc Euseb.

XI. *Gregor. Nyssenus* edit. Basil. 1571. *Nam &* ALTARE *hoc,* ait, *sanctum, cui assistimus, lapis est natura communis, nihil differens ab aliis crustis lapideis: ex quibus parietes nostri extruuntur, & pavimenta exornantur; sed cultui Dei* (nota) *consecratum & dedicatum est, ac benedictionem accepit; mensa sancta,* ALTARE *immaculatum est; quod non amplius ab omnibus, sed à solis sacerdotibus contrectatur, &c.* hæc Gregor.

XII. *Chrysostomus* hom. 53. ad Pop. Antioch. edit. Basil. 1547. *Si quis,* ait, *ignem sumens & fossoriam hanc destruxisset domum, & incendisset, & hoc suffodisset* ALTARE. *Nonne quilibet eum lapidibus obrueret, tanquam profanum & impium? &c.* hæc ille.

Item hom. 61. ad populum eundem edit. eadem 47. paulò ab initio sic ait: *Hic sanguis effusus est, cælum fecit accessibile horrenda scilicet Ecclesiæ mysteria, horrendum* ALTARE, *&c.* Idem in Juventium & maximum Martyres, edit. ead. *Illi,* inquit, *videntes* ALTARIA *subversa, clausas Ecclesias, sacerdotes fugatos,* &c. *stupebant,* &c.

Rursus hom. quòd Christus sit Deus, edit. eâd. ita ait: *Cogita tecum, quid sit, in tam brevi tempore omnem sub sole terram tantis Ecclesiis impleri, tantas gentes ad fidem transferri, populos persuaderi,* &c. *excitent* ALTARIA *ubique gentium in regione Romanorum Persarum, Scytarum, Maurorum, Indorum & ultra orbem nostrum, &c.* hæc ibi.

XIII. Dein in lib. 6. de Sacerdotio eâdem edit. 1547. paulo post initium, agens de excellentia sacerdotis, *qui sacrificium honore & reverentia plenissimum perficit, &c.* subdit: *Per id tempus & Angeli sacerdoti assident,* &c. *& locus* ALTARI *vicinus in illius honorem* (nota) *qui immolatur Angelorum choris plenus est, id quod credere abunde licet vel ex tanto sacrificio quod tunc peragitur. Ego vero & commemorantem quendam olim audivi, cum diceret senem quendam virum admirabilem, ac cui revelationum mysteria multo divinitus fuissent detecta, sibi narrasse, se tali olim visione dignum habitum à Deo esse, ac per illud quidem tempus de repente Angelorum multitudinem conspexisse (quatenus aspectus humanus ferre poterat) fulgentibus vestibus indutorum* ALTARE *ipsum circumdantium, denique sic capite inclinatorum, ut si quis milites præsente Rege stantes videat; id quod facile mihi persuadeo, &c.* hæc Chrysost.

Ecce quàm clarè supponit, non solum Altare in Ecclesia; sed & in illo sacrificium, non qualecumque sed horrore & reverentia plenissimum ipsum scil. Regem Angelorum immolari; cui ipsi Altare circumstantes in eodem præsenti divinum honorem exhibeant.

ARTICULUS V.

SS. Patres Latini Altaria in Ecclesia constituta fuisse testantur.

I. Tertullianus edit. Basil. 1562. lib. de orat. cap. 14. *Nonne,* ait *solennior erit statio tua, si & ad* ARAM *Dei steteris? accepto corpore Domini & reservato; utrumque salvum est & participatio sacrificii* & executio officii, *&c.* hæc ille.

II. *Cyprianus* lib. 1. epist. 9. seu epist. 66. *Singuli,* ait, *divino sacerdotio honorati, & in clerico ministerio constituti, non nisi Altari & sacrificiis deservire,* &c. *debent.*

III. *Hilarius* lib. 3. ad Constantium Imperatorem Arianum apud Jod. Cocc. tom. 2. thes. Cathol. art. 9. sic scribit: *Mediolanensem piissimam plebem tu furore terroris tui turbasti: Tribuni tui adierunt Sancta Sanctorum, & viam sibi omni per populum crudelitate pandentes protraxerunt de* ALTARIO *Sacerdotes, &c.* hæc ille.

IV. *Optatus Milevitanus* lib. 1. contra Parmenian. Donatistam bibl. PP. edit. Colon. 1618. to. 4. pag. 272. col. 1. *Conserta,* ait, *erat Ecclesia populis, plena erat Cathedra episcopalis, erat Altare loco suo, in quo pacifici Episcopi retro tempore* (nota) *obtulerunt. Cyprianus, Lucianus, &c.* hæc ibi.

Item lib. 2. ibid. pag. 276. col. 2. *Basilicas,* inquit, *invasistis, & cùm* ALTARE *defenderent Diaconi Catholici, tegulis plurimi cruentati sunt,* &c.

V. Rursus lib. 6. ibid. pag. 289. *Quid enim,* ait, *est tam sacrilegum, quàm* ALTARIA *Dei (in quibus & vos aliquando obtulistis) frangere, radere, removere,* & infra. *Quid enim est* ALTARE *nisi* SEDES CORPORIS *&* SANGUINIS CHRISTI? *hæc omnia furor vester, aut rasit, aut fregit, aut removit. Hoc igitur inexpiabile nefas:* & infra: *Si livoris iudicio non (vel forte nos) vobis sordidi videbamur quid vobis fecerat Deus, qui illic invocari consueverat? quid vos offenderat Christus, cuius illic* (nota) *per certa momenta Corpus & Sanguis habitabat? quid vos offendistis etiam vos ipsi ut illa* ALTARIA *frangeretis, in quibus ante nos per longa temporum spatia, sanctè, ut arbitramini, obtulistis, dum impie persequimini manus nostras illic, ubi Corpus Christi habitabat Heristis & vestras. Hoc modo Iudæos estis imitati. Illi iniecerunt manus Christo in Cruce, à vobis percussus est in* ALTARI *&c.* & infra. *Videmus vos postea mutasse consilium, &* ALTARIA *à vobis iam non frangi, sed radi tantummodo aut removeri, si hoc sufficiebat, illa quæ prius fracta sunt, indicastis, quia fieri minime debuerunt à vobis. Hoc tamen immane facinus geminatum est, dum fregistis etiam calices Christi Sanguinis portitores, quorum species convertistis in massas, mercem nefariis nundinis procurantes.*

Et post unam paginam: *In hoc genere tanta damna fecistis Deo, quanta lucra Diabolo procurâstis; conflastis impie calices, crudeliter fregistis; & inconsulte rasistis* ALTARIA *&c.* hæc Optatus de Donatistis hæreticis: quos moderni Acatholici immanitate superant, ut ad oculum his annis patuit, & patet.

VI. *Ambrosius* lib. 1. de Sacram. edit. Parif. 1569. Tom. 4. cap. 2. sic ait: *Levitam vidisti, sed minister Christi est, vidisti illum ante* ALTARIA *ministrare.*

Idem

Digitized by Google

Idem lib. 5. de Sacrament. cap. 2. editione Roman. 1580. *Venisti*, ait, *ad ALTARE, vocat te Dominus Iesus*, & infrà: *Quid enim est ALTARE, nisi forma corporis Christi?* hæc ille.

Idem libro de his qui mysteriis initiantur cap. 8 editione eâdem tomo 4. *Venit igitur* (inquit) *& videns sacrosanctum ALTARE compositum exclamans, ait: parâsti in conspectu meo mensam, &c.* hæc ibi.

Idem libro 1. de Virgin. circa finem, editione Basil. 1569. tomo 1. *Stabat*, ait, *ad ARAM Dei pudoris hostia, &c.* & infrà: *Num meliùs*, inquit, *mater tu me quàm ALTARE velabis, quod sanctificat ipsa velamina, &c.* hæc Ambrosius.

VII. *Prudentius* hymno undecimo de sancto Hypolito

Talibus Hypoliti corpus mandatur opertis
Propter ubi apposita est ARA dicata Deo.

VIII. *Hieronymus* Epist. 1. ad Heliodorum editione Basil. 1553. *Alia*, ait, *Monachorum est causa, alia Clericorum: Clerici pascunt oves, ego pascor. Illi de ALTARI vivunt. mihi quasi infructuosæ arbori securis ponitur ad radicem; si munus ad ALTARE non defero*, &c.

Idem epist. 3. ad eundem cap. 10. apud Jod. Coccium tomo 2. art. 11. *Erat*, ait, *solicitus Nepotianus, si niteret ALTARE, si parietes absque fuligine essent*, &c.

Rursus Epist. 4. ad Rusticum Monachum, ejusdem editionis tomo 1. cap. 8. *Ita ergo*, inquit, *age & vive, in monasterio, ut Clericus esse merearis, ut adolescentiam tuam nullâ sorde commacules, ut ad ALTARE Christi quasi de thalamo virgo procedens, &c.* hæc Hieron.

IX. *Concilium Carthaginense* tertium Anno 397. cap. 23. *Cùm ALTARI assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio.*

X. *Concilium Carthaginense* quintum Anno 400. cap. 14. *ALTARIA, quæ passim per agros & vias tanquam memoriæ martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus aut reliquiæ martyrum conditæ probantur, ab Episcopis*, &c. *evertuntur, &c.* hæc ibi.

XI. *S. Paulinus Nolanus*, natali 3. S. Felicis ita canebat:

Te priùs alma pio celebrant ALTARIA cultu.
Presbyter instituit, placido & moderamine (rexit.

Et infrà:

Aurea nunc niveis ornantur limina velis
Clara coronantur densis ALTARIA Lychnis
Lumina ceratis adolentur odora papyris.

Vbi sanctus Paulinus non solùm Altarium, sed etiam cereorum ardentium & aliorum ornamentorum in Ecclesia consuetum usum supponit.

Demum *Augustinus* tomo 5. editione Basil. 152.. libro 8. de Civitate Dei, cap. ult. *Quis autem*, ait, *audivit aliquando fidelium stantem SACERDOTEM ad ALTARE etiam super sanctum corpus Martyru ad Dei honorem cultúmque constructum, dicere in precibus: Offero tibi sacrificium Petre vel Paule, vel Cypriane, &c.* hæc ibi. XII.

Similiter lib. 22. de Civit. cap. 10. editione eâd. *Nec ibi*, inquit, (scilicet in templis) *erigimus ALTARIA, in quibus sacrificemus martyribus, sed uni Deo & martyrum & nostro, sacrificium immolamus*, &c.

Idem tomo 6. editione eâdem libro 20. contra Faustum cap. 21. sic ait: *Ita tamen, ut nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum, quamvis in memorias martyrum construantur ALTARIA. quis enim Antistitum in locis Sanctorum corporum assistens ALTARI aliquando dixit offerimus tibi Petre*, &c. XIII

Idem serm. undecimo de Sanctis tomo 10. editione eâd. *Quid*, ait, *reverentiùs? quid honorabiliùs dici potest? quàm sub illa ARA requiescere, in qua Deo sacrificium celebratur, in qua offeruntur hostiæ, in qua Dominus est Sacerdos sicut scriptum est: Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech? rectè sub Altario iustorum animæ requiescunt, quia super ALTARE Corpus Domini offertur*, &c. XIV

Rursus serm. 19. de Sanctis circa finem tomo 10. eâdem edit. *Cum eiusdem crucis*, ait, *charactere Basilicæ dedicantur, ALTARIA consecrantur, Altaris Sacramenta cum interpositione Dominicorum verborum conficiuntur: Sacerdotes & Levitæ per hoc idem ad sacros ordines promoventur, &c.* hæc August. qui in suis libris passim Altarium in Ecclesia erectorum mentionem facit. XV.

Cùm itaque ex tot tamque claris sanctorum Patrum testimoniis constet: quòd in primitiva Ecclesia certi fuerint ordinati Sacerdotes ad offerendum; certa etiam fuerint Altaria, in quibus offerebant sacrificium, utique manifestè sequitur; quòd antiqua Ecclesia crediderit, quòd verum & propriè dictum sacrificium Deo jugiter in Ecclesia offerendum fuerit: ubi enim Altare, ibi etiam propriè dictum sacrificium, ut Calvinus suprà fatetur & supponit, hoc autem sacrificium in Altari offerri solitum iidem sancti Patres non aliud, quàm Corpus & Sanguinem Domini in Eucharistia esse clarissimè supponunt & exprimunt. XVI.

(***)

CA-

CAPUT V.

Referuntur Argumenta Acatholicorum contra Sacrificium Missæ.

ARTICULUS I.

Refertur responsio Calvini ad testimonia sanctorum Patrum quoad nomina sacrificii sacerdotis, & Altaris in Ecclesia consueta, & refutatur.

I. CAlvinus videns se authoritate sanctorum Patrum premi, duplici viâ incedit: Primò conatur illos explicare, quòd testimonia illa non sint intelligenda de propriè dicto sacrificio. Secundò, videns hoc non subsistere, illos errâsse dicere non veretur, & hoc Lutherus apertè evomuit, ut patebit.

II. Primo modo Calvinus lib. 4. Instit. cap. 18. §. 10. sic ait: *Si quis hinc inde concisas veterum sententias obtrudat, & eorum authoritate contendat aliter intelligendum esse quod in cœna peragitur sacrificium, quàm nos exponimus; huic breviter responsum sit, de approbando sacrificii commento, quale in Missa confixerunt Papistæ, agitur; Ejusmodi sacrilegio veteres nequaquam patrocinari, &c.* hæc ille.

III. Respond. quòd non concisas, sed integras & claras pro sacrificio quale Ecclesia Catholica veraxnon confinxit, sed ex S. Scriptura & antiquæ Ecclesiæ doctrina in Missa fieri profitetur: Doctores Catholici sanctorum Patrum sententias non obtrudant, sed veraciter allegent, ex præmissis cuilibet evidens est, quæ verè & clarè Ecclesiæ antiquæ cum moderna consensum ostendunt.

IV. Ne autem Calvinus suis solùm verbis hanc calumniam asseruisse videretur, sic pronuntiat dicens: *Vtuntur quidem illi sacrificii vocabulo: Verùm simul exponunt, se aliud nihil intelligere, quàm memoriam veri illius & unici sacrificii, quod in cruce peregit Christus unicus (ùt ipsi passim prædicant) noster sacerdos, &c.*

V. Respond. 1. falsissimum esse quòd SS. Patres asserentes in Eucharistia sacrificium Deo offerri, simul exponant, se aliud nihil intelligere, *&c.* quasi solùm Eucharistia sumatur in memoriam passionis & sacrificii cruenti in cruce; & solùm repræsentet illud; non autem simul sit propriè dictum sacrificium, verum est quòd sancti Patres asserunt hoc esse commemorativum & repræsentativum sacrificii cruenti; falsum autem est, quòd negent hoc etiam esse propriè dictum sacrificium, cùm illa duo simul consistant, ùt patebit.

VI. Calvinus suam fictionem probatam vult authoritate D. Augustini & Chrysostomi; illius quidem verba refert, sed non hujus: itaque verba Augustini refert ex lib. 20. contra Faustum, cap. 18. tomo 6. edit. Basil. dicens: *Hebræi*, inquit Augustinus, *in victimis pecorum quas offerebant Deo, &c. prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Christus obtulit. Vnde Christiani iam peracti sacrificii memoriam celebrant sacrosanctâ oblatione & participatione Corporis & Sanguinis Christi.* Hic certò penitùs idem docet, quod pluribus verbis in libro de Fide ad Petrum Diaconum habetur, quicunque tandem sit author, verba sunt: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, ipsum unigenitum carnem pro nobis factum se pro nobis obtulisse sacrificium & hostiam Deo in odorem suavitatis; cui cum Patre & Spiritu Sancto tempore veteris testamenti animalia sacrificabantur, & cui nunc cum Patre & Spiritu Sancto (cum quibus una est divinitas) sacrificium panis & vini sancta Ecclesia per universum orbem offerre non cessat: in illis enim carnalibus victimis figuratio fuit carnis Christi, quam pro peccatis nostris ipse erat oblaturus, & Sanguinis quem erat effusurus in remissionem peccatorum. In isto autem sacrificio gratiarum actio atque commemoratio est carnis Christi, quam pro nobis obtulit, & Sanguinis quem pro nobis effudit, unde Augustinus ipse pluribus locis nihil aliud, quàm sacrificium laudis esse interpretatur.* hæc Calvinus.

Respond. 1. Calvinus non probat: quòd SS. Patres utentes sacrificii nomine circa Eucharistiam, simul exprimant, se nihil aliud intelligere: oportebat plurium sanctorum Patrum clara & expressa testimonia adferre, in quibus exclusivè diceretur, *quòd nihil aliud nomine sacrificii intelligant:* verùm quia sibi solùm Augustinum sufficere putat, & ad eum appellat, & nobis sufficiet contra ipsius mendacium: prior locus agnoscitur Augustini: sed secundum librum ipsemet non agnoscit illius esse, sicut nec alii, quia putatur esse S. Fulgentii, quia tamen S. Fulgentius authenticus est, & doctrinam veram continet, nihilominus & illum locum admittimus. VII.

Respond. itaque quòd in illis verbis Augustini non dicatur, quòd sacrificium Christianorum non aliter dicatur sacrificium, quàm quòd sit nuda commemoratio & gratiarum actio pro sacrificio crucis, hoc quilibet Lector verba legens judicet. VIII.

Respond. 2. Augustinus in illis verbis lib. 20. contra Faustum, & verbis præcedentibus ac subsequentibus satis exprimit; quòd Eucharistia sit verum sacrificium, & non sola commemoratio sacrificii crucis; nam imprimis certum est, quòd Baptismus sit commemoratio passionis & mortis Christi, ùt patet ex illo Rom. 6. v. 3. *Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu in morte ipsius baptizati sumus, consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, &c.* & tamen Baptismus nec in Scriptura, nec à SS. Patribus dicitur sacrificium, sicut SS. Patres & Augustinus Eucharistiam esse sacrificium supponunt & pronunciant; hoc etiam patet ex mente & ipsis verbis Augustini suprà, quia ibi à proposito oppugnat Manichæos, qui nullum verum externum sacrificium Deo offerendum docebant; & ideo tam sacrificia veteris legis, quàm sacrificium Eucharistiæ, damnabant; & sola sacrifi- IX.

cia

cia orationum admittebant; & in hoc etiam Augustinus ipsos arguit, ibid. cap. 17. tomo 6. dicens *Quas autem habere simplices & puras orationes, tanquam divinos honores ac sacrificia poteritis?* ostendens illos turpia docere, & proinde orationes illorum fœdas esse, & infra: *Ubi sunt ergo sacrificia vestra, simplices ac pura orationes cùm sint fallaces & impia blasphemia?* an hoc Acatholicos etiam non tangat? alii judicent.

X. Post hæc sequenti cap. 18. tomo 6. eâd. edit. dicit: *Verum vero Deo sacrificium ritè debetur, unde etiam divini honores rectè appellantur; cætera qua dicuntur sacrificia ad similitudinem fiunt cujusdam veri sacrificii. Hæc autem partim sunt irritamenta falsorum Deorum hoc est dæmoniorum superbè sibi ab eis, quos deceperunt, divinos honores exigentium; sicut erant omnia in templis gentilium: partim prædicamenta venturi unius verissimi sacrificii, quod pro peccatis omnium credentium offerri oporteret: qualia erant præcepta divinitus antiquis patribus nostris, &c.* & infrà: *proinde verum sacrificium quod uni vero debetur Deo, quo ejus Altare solus Christus implevit, &c. Hebræi autem in victimis pecorum, quas offerebant multis & variis modis, sicut re tanti dignum erat, prophetiam celebrabant futura victima; quam Christus obtulit. Unde jam Christiani peracti ejusdem sacrificii memoriam celebrant sacrosancta* (nota) *oblatione & participatione Corporis & sanguinis Christi. Manichæi vero nescientes; quid damnandum sit, in sacrificiis gentium; & quid intelligendum in sacrificiis Hebræorum; & quid tenendum vel observandum in sacrificio* (nota) *Christianorum vanitatem suam sacram offerunt diabolo, &c.* hæc Augustinus; ex quibus verbis apertissime patet quod sicut Augustinus nullatenus voluerit negare quin sacrificia veteris legis fuerint verè & propriè dicta sacrificia, licet simul etiam præfigurabant & prophetabant unum verissimum sacrificium Christi in Cruce, sed illa duo simul consistunt: sic etiam expresè dicit, quod sacrificium Christianorum fiat in memoriam sacrificii peracti in Cruce; cum quo consistit, quod verum sit sacrificium & vera oblatio quam celebrant in memoriam oblationis in Cruce: ubi etiam expresè distinguit inter oblationem & participationem Corporis Christi, sicut autem participatio Corporis Christi in Eucharistia est vera Corporis Christi participatio ut Acatholici fateri debent, & simul est commemoratio passionis Christi; sic etiam illa simul consistunt, quod in Eucharistia fiat vera & propriè dicta oblatio Corporis & sanguinis Christi & simul sit commemoratio seu memoria sacrificii Crucis: & hanc esse mentem D. Augustini ex verbis allegatis patet, præsertim si attendatur, quod agat cōtra Manichæos, qui exteriora omnia sacrificia propriè dicta damnabat & Augustinus illa plura in veteri testamento & in Ecclesia illud unicum defendit, cur hoc? nisi supponatur illud esse verum sacrificium propriè dictum sicut vetera? & sicut vetera erant propriè sacrificia & simul figurativa sacrificii Crucis; sic sacrificium Eucharistiæ verum sit sacrificium & simul rememorativum sacrificii Crucis. Hoc ipsum etiam patet ex verbis libri de fide ad Petrum à Calvino allegatis, ut sileam plurima alia loca D. Augustini, quorum aliqua hactenus relata sunt, & aliorum SS Patrum testimonia, quæ tam clarè dicunt sacrificium Eucharistiæ verè Deo offerri & esse sacrificium, quod cultu & latriæ Deo immoletur.

Secundò Calvinus, ut suam calumniam videatur fundare in S. Scriptura ibid. §. 9. sic ait: *Præterea, quum Apostolum audiant dicentem: neminem sibi nomen aut honorem sacerdotii usurpare, nisi qui vocatus est ut Aaron, quin nec Christum ipsum sese ingessisse, sed obedisse Patris vocationi aut sacerdotii sui authorem Deum institutoremque proferant, oportet; aut honorem non esse à Deo fateantur; in quem non vocati improbâ temeritate irruperunt, atqui ne apicem quidem literæ ostendere possunt, qui suo sacerdotio patrocinetur. Cur non igitur sacrificia evanescent, quæ sine sacerdote offerri non possunt, &c.* in fine §. 10. sic calumniatur dicens: *Honorem vero sacerdotii in Christo vendicant, ut Anti-Christi vocem fore testetur* August. lib. 2. contra epist Parmen. cap. 8. *Si quis Episcopum inter Deum & hominem intercessorem faciat, &c.* hæc Calvin. XI.

Resp. quòd Christus Apostolos suos illorumque successores veros sacerdotes instituerit, qui sacrificium Eucharistiæ offerrent, quale ipse in cæna obtulit, non uno apice, sed tot claris testimoniis supra probatum est: eo ipso, quo probatum est, quod Christus in cæna, ut verus sacerdos secundum ordinem Melchisedech, verum sacrificium Corporis & sanguinis sui sub speciebus panis & vini obtulit, prout SS. Patres clarissimè profitentur, ut supra visum est & sic sacerdotes in Ecclesia per legitimas Apostolorum successiones instituti & ordinati verè à Deo vocati ostenduntur. XII.

Calvinus autem & alii Acatholici Apostolatûs & Ministeriatus sui Deum Authorem & legitimam vocationem ostendant; in quem non vocati improbâ temeritate irruperunt. Quoad locum Augustini, miror quid Calvinus sibi velit, an ibi, Augustinus dicat, qui se sacerdotem nominat Anti-Christus sit? certè nihil in illis verbis habetur & quidem si textus inspiciatur Augustinus ibi redarguit Parmenianum, qui à vera Ecclesia impiè se separaverat & cum aliis Donatistis arguebat Catholicos, quod sacerdotes etiam in peccatis constitutos sacrificium Eucharistiæ peragere sinerent; ipsi autem Donatistæ jactitabant se justos & innocentes, & quidem suos Episcopos jactitabant esse mediatores inter Deum & homines, sicut ipse Parmenianus; sic enim Augustinus cum verba S. Ioannis retulisset: *Advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris,* subdit: *Quodsi dixisset habetis advocatum pro peccatis vestris, se ipsum à peccantibus quasi segregasse videretur, ut jam non ei opus esset propitiatione quæ fit per mediatorem sedentem ad dexteram Patris, &c. Quod utique non solum superbè sed etiam falsò diceret. Si vero ita diceret, hoc scripsi vobis, ut non peccetis, & si quis peccaverit, mediatorem me habebit apud Patrem ego exoro pro peccatis vestris sicut Parmenianus quodam loco mediatorem posuit Episcopum inter populum & Deum, quis eum ferret bonorum ac fidelium Christianorum? quis sicut Apostolum & non sicut Anti Christum intueretur? &c.* explicans autem de quali mediatore intelligat dicit: *Homines omnes Christiani invicē se cōmendant orationibus suis pro quo autē nullus interpellat,* XIII.

pellat, sed ipse pro omnibus, hic unus utriusque mediator est. De Episcopis autem Catholicis qui pro aliis apud Deum intercedunt, ita ut etiam pro se orari petant, & omnia per Christum petant. paulò infrà dicit: *Unde non mirum est, si verba bona, quæ pro populo dicuntur in precibus, etiamsi à malis dicantur Episcopis, exaudiri tamen; non pro perversitate præpositorum sed pro devotione populorum, &c.* hæc August. quæ prolixius referenda duxi, ut pateat quam impertinenter, falsò truncatè imo malitiosè locum illum Augustini Calvinus contra sacerdotes alleget quasi hoc ipso essent Anti-Christi, si sacerdotes se esse dicant, cum Augustinus loquatur de illis, qui se tales Mediatores vocant, ut ipsi pro alis orent, nullus autem pro ipsis Patrem orare debeat, tales verè essent Anti-Christi, qui se ipsos Christo æquiparant, qui solus est talis mediator.

XIV. Oportebat ut Calvinus unicum Augustini vel alterius S. Patris testimonium referret, quo dicerent, illos, qui se specialiter, sacerdotes ordinatos esse dicerent, Anti Christos esse, hoc nullibi inveniet, sed prorsus contrarium promiscuè apud omnes SS Patres, ut supra ostensum est & specialiter apud ipsum Augustinum cum alibi sæpe, tum lib. 20. de Civ. c. 10. tomo 5. edit Basil 1529. ubi loquens de verbis scripturæ, scilicet: *Sederunt sacerdotes Dei & Christi, &c.* sic ait: *Non utique de solis Episcopis & presbyteris dictum est, qui propriè* (nota) *jam vocantur in Ecclesia sacerdotes, sed sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum Chrisma, sic omnes sacerdotes, quoniam membra sunt unius sacerdotis, de quibus Apostolus Petrus: Plebs sancta, regale sacerdotium, &c.* hæc August. Iam Calvinus arguat Augustinum, imò & totam Ecclesiam antiquam, in qua Episcopi & presbyteri soli propriè sacerdotes nominabantur & erant; & hoc quoad nomen sacerdotii: quoad rem ipsam etiam patet ex supra dictis, quia sacerdotes propriè dicti & Episcopi ad hoc constituuntur, ut offerant sacrificia, prout Apost. ad Hebræos 5. exprimit, & Calvinus suprà fatetur. Cum itaque sacerdotes propriè dicti in Ecclesia, & vera Altaria à tempore Apostolorum fuerint, utique etiam verum & propriè dictum est sacrificium quod offerebant, sicut SS. Patres referunt, cur ergo sacrificia evanescunt? ut falsò Calvinus inferebat.

ARTICULUS II.

Acatholici fatentur SS. Patres suæ Doctrinæ contra sacrificium Eucharistiæ esse contrarios.

I. Calvinus videns se suorum figmentorum refugium verum in SS. Patribus non habere, ausus fuit tandem SS. Patres arguere ibid. § 10. dicens: *Sed quia veteres quoque illos video alio hanc memoriam detorsisse, quam institutioni Domini conveniebat (quod nescio quam repetitæ, aut saltem renovatæ immolationis faciem eorum cæna præseferebat) nihil tutius piis pectoribus fuerit, quam in pura simpliciique Dei ordinatione acquiescere, &c.* ubi satis indicat, quasi SS Patres à Dei Ordinatione deflexissent, quòd asserant Eucharistiam imo, Christum in Cæna iterum immolari, tamen addit pro sua ficta modestia. *Quum pium atque orthodoxum de toto hoc mysterio sensum retinuisse eos videam, neque deprehendam voluisse unico Domini sacrificio vel minimum derogare ullius impietatis eos damnare non sustineo.* Cur ergo Calvine, modernam Ecclesiam damnas, quæ in omnibus SS. Patres sequitur, nec in minimo derogat unico Domini sacrificio per sacrificium Eucharistiæ? ut ostensum est, & magis ostendetur: sed virus suum Calvinus retinere non potuit, ideo subdit: *Excusari tamen non posse* (Patres) *arbitror, quin aliquid in actionis modo peccarint. Imitati sunt enim propius Iudaicum sacrificandi morem, quam aut ordinaverat Christus aut Euangelii ratio ferebat, &c.* & § 12. dicit: *Et certè si cogitamus Domini non hominum cænam esse, non est cur ulla hominum authoritate vel annorum præscriptione patiamur nos ab illa vel latum unguem dimoveri, &c.* hæc Calvinus. Certe si sic peccassent SS. Patres utique impietatis damnandi erant, quod Calvinus verbo tenus non sustinet, sed reipsa præstat. Nos potius credimus SS Patres juxtà Domini ordinationem docuisse, & Ecclesiam primitivam hoc sacrificium & hanc cænam peregisse.

II. *Lutherus* satis etiam palpans, quod SS. Patres verum in Ecclesia sacrificium Eucharistiæ Deo offerri docuissent, more suo absolutè & inverecundè illos repudiavit & damnavit, nam, licèt in lib. de Capt Babyl. Cap. 1. dixisset: *Missa creditur passim esse sacrificium quod offertur Deo, accedant huc dicta SS. Patrum, tot exempla, tantusque usus per orbem constanter observatus, &c.* Cum autem conatus esset ostendere quod SS. Patres fortassis vocarent sacrificium non ipsam Eucharistiam, sed Orationes quæ in Ecclesia vel etiam in Missa fiunt; videns tamen, hoc non subsistere, quia Sancti Patres passim dicunt Corpus Domini à sacerdotibus offerri, & ipsam Eucharistiam esse sacrificium, esse hostiam & victimam, tandem inverecundè erumpit dicens: *Si nihil habetur quod dicatur: tutius est omnia negare quam Missam sacrificium esse concedere.*

III. Idem lib. de abroganda Missa sic dicit: *Profiteor imprimis adversus eos qui clamaturi sunt, quod contra ritum Ecclesiæ, contra statuta Patrum docuerim nihil me horum auditurum.* Imò addit, se non curare quid Patres dixerint, sed quid dicere debuerint, ac si diceret: Patres de facto in illa doctrina erralle, & falsum docuisse.

IV. Idipsum manifestius effutiit in lib. contra Regem Angliæ dicens: *Ultimo dicta patrum inducit Rex pro Missario sacrificio, & videt meam stultitiam, quod solum velim sapere præ omnibus, hoc est quod dixi: Thomisticos asinos habere nihil, quod producant, nisi multitudinem hominum & usum antiquum, &c.* hæc ibi. imò addit, quod nihili curet si mille Augustini & mille Cypriani stent contra ipsum &c. Ecce & crassum mendacium quasi DD. Catholici nihil ex verbo Dei, sed solum hominum dicta & usum habeant: Alterum autem impudentissimæ superbiæ signum quod SS. Patrum doctrinam & antiquæ Ecclesiæ usum contemnat, de quibus potius præsupponendum est, quod juxta ver-

verbum Dei proceſſerunt, quàm miſer Lutherus. Eandem impudentiam expreſſius evomuit in libro de privata Miſſa ſic dicens: *Hic non moramur ſi clamitent Papiſtæ Eccleſia Eccleſia, Patres Patres: quia ut dixi hominum dicta aut facta nihil in tam magnis cauſis curamus, ſcimus enim ipſos Prophetas lapſos eſſe, adeoque Apoſtolos. Verbo Chriſti judicamus Eccleſiam Apoſtolos adeoque ipſos Angelos, &c.* hæc ſuperbus & impius Lutherus. Dicat Lutherus, dicant ejus ſequaces unde habeant verbum Dei & Chriſti, niſi à prophetis & Apoſtolis? ſi ergo illos non curet, ſed ut falſarios & errantes & mendaces contemnat, quomodo credent illud eſſe Verbum Chriſti, quod illi tradiderunt? ô ſuperbã inſaniam! quæ nulla alia refutatione eget: mirum autem quod homines prudentes inventi ſint & inveniantur qui talem ut Apoſtolum agnoſcant, qui veros Chriſti Apoſtolos non curavit & Eccleſiam antiquam contemnit.

V. Inter Lutheri ſectatores poſtea extitit *Martinus Chemitius* qui videns nimiam eſſe inſaniam, nec ùt fatetur bonæ mentis fore homines, qui ne dicam Apoſtolos contemnant, ſed qui nec teſtimoniis & conſenſu veterum Patrum & primitivæ Eccleſiæ moverentur, ipſe in 2. parte examinis Concilii Trid. pag. 775. fatetur; Patrum præſertim primitivæ Eccleſiæ conſenſum maximi faciendum; & inſuper fatetur dicens: pag. 782. *Negari non poteſt veteres quando loquuntur de celebratione cœnæ Domini uſurpare vocabula ſacrificii oblationis, hoſtiæ, victimæ; Item uti verbis offerre ſacrificare immolare, &c.* hæc ibi. Sed conatur SS. Patrum verba & Eccleſiæ uſum variè interpretari & detorquere; ita ut vel loquantur de orationibus quæ in Eccleſia fiunt, vel Eleëmoſynis, quæ impropriè ſacrificia dicuntur, vel de prædicatione Euangelii aut gratiarum actione, quæ in cœnæ Domini celebratione præſtatur: vel demum de oblatione, qua fideles ſub cœnæ ſacræ ſumptione ſeipſos Deo offerunt & conſecrant.

VI. Verùm hæc effugia nullius momenti ſunt, & planè ex ipſorum SS. Patrum teſtimoniis irrita eſſe conſtat: nam SS. Patres dicunt eſſe unicum ſacrificium Chriſtianorum, quod toto terrarum orbe Deo offertur, idque tremendum & omni horrore & reverentia plenum. Et quomodo hoc verum eſſet; ſi tot & tam varia eſſent ſacrificia Chriſtianorum, & quomodo orationes tam tremendæ? &c. cum omnes hujuſcemodi impropriæ oblationes promiſcuè ab omnibus fidelibus fiunt, & ſic omnes impropriè tantum ſacerdotes dici poſſent juxta illud 1. Pet. 2. v. 9. *Vos autem genus electum regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, &c.* At vero SS. Patres expreſſe diſtinguunt inter tales ſacerdotes impropriè & generaliter dictos & ſacerdotes propriè dictos, qui ſoli ſint Epiſcopi & presbyteri conſecrati ut ex D. Auguſtino lib. 20. de Civ. Dei cap. 10 art. præced. evidens eſt, & ex teſtimoniis SS Patrum ſupra allegatis patet, qui clare docent ſacerdotes offerre Euchariſtiam ſc. Corpus & ſanguinem Domini: nec id ulli etiam diacono multo minus aliis fidelibus competere; cum tamen Diaconis quod ipſum Chemnitius etiam agnovit, verbum Dei prædicare conveniat, unde pag. 788. dicit: *Sed excipiunt, non illa tantùm pietatis exercitia, ſed ipſam actionem cœnæ Dominicæ & quidem ipſum Corpus & ſanguinem in Canâ à veteribus vocari ſacrificium oblationem hoſtiam, victimam. Ego vero non nego hoc, &c.* hæc ille.

VII. Sed iterum hoc ad improprium ſacrificium redigere conatur quaſi ipſa diſtributio cœnæ Domini populo facta, vel illius ſumptio ſic dicatur victima & ſacrificium, quia eſt ſacra quædam actio.

VIII. Verùm hanc interpretationem eſſe Patrum ſententiæ contrariam patet primò, quia SS. Patres ſpecialiter dicunt Euchariſtiam eſſe ſacrificium & hoſtiam, non vero baptiſmum qui tamen etiam in ſacra actione conſiſtit. Secundo quia SS. Patres non ſolum ipſam actionem ſacerdotis ſacrificium vocant; ſed ipſum Corpus & ſanguinem Domini victimam, hoſtiam & ſacrificium ut Chemnitius fatetur, eſſe & illa in Eccleſia Deo offerri dicit, quod eſt proprium ſacrificiis propriè dictis.

IX. Nec obſtat quòd Chemnitius ex Auguſtino allegat epiſt. 23 ad Bonifac. circa finem, ubi dicit: *Chriſtus in Sacramento non ſolum per omnes paſchæ ſolemnitates, ſed omni die populis immolatur.* Vnde infert quod ſolum per immolationem intelligat diſtributionem Sacramenti populo factum, & non oblationem Deo factam pro populo, quod eſt proprium ſacrificio.

X. Reſp. etiam, quòd Auguſtinus ibi expreſſe intendat Sacramentum immolari Deo, ſed in utilitatem populi, ut ex aliis ejus locis ſatis patet ſpecialiter lib. 20. contra Fauſtum cap. 21. ubi dicit: *Quis enim Antiſtitum in locis ſanctorum Corporum aſſiſtens Altari, aliquando dixit: Offerimus tibi Petre,* &c. *Sed quod offertur* (nota) *offertur Deo, qui Martyres coronavit, ut ex ipſorum locorum admonitione major affectus exurgat ad acuendam charitatem, &c.* hæc Auguſt. quanto minus Antiſtites ad Altare dixerint, offerimus vobis fideles, &c. ſed Deo & pro fidelibus.

XI. Nec aliud effugium Chemnitium juvat, cùm vult cum Calvino quod SS. Patres ideo tantum Cœnam Domini vocent ſacrificium, quia eſt ſolum aliqua repræſentatio ſeu commemoratio ſacrificii in Cruce facti, eo quod SS. Patres dicant Chriſtum tantum ſemel verè eſſe immolatum.

XII. Sed ad hoc ſuprà reſpondendo ad Calvini objectiones dictum eſt; quòd ex nullo SS. Patrum teſtimonio oſtendi poſſit Euchariſticam eſſe duntaxat repræſentationem ſacrificii in Cruce; vel quod negent Euchariſtiam verè Deo offerri: aſſerunt quidem, quod ſacrificium Euchariſtiæ ſit repræſentativum ſacrificii in Cruce quod & Eccleſia Catholica Romana docet, ſed ſimul aſſerunt, quod & ipſa Euchariſtia etiam ſit verum ſacrificium ſicut Sacrificia veteris legis vera & propriè dicta erant ſacrificia, & ſimul etiam figurabant ſacrificium Chriſti in Cruce: quod autem SS. Patres dicunt Chriſtum ſemel verè eſſe immolatum, id expreſſe dicunt de immolatione cruenta in Cruce, ubi verè occiſus eſt, & ſufficientiſſime ſatisfecit, quæ immolatio abſoluta eſt, à qua omnia alia ſacrificia & ipſum Euchariſtiæ ſacrificium virtutem habent. Hanc autem fuiſſe SS. Patrum ſenten-

ſententiam & mentem, qualitercunque Acatholici tergiverſentur & ipſe Chemnitius evadere conatus eſt, tamen ipſe cum Luthero & Calvino agnoſcere coactus eſt; unde tandem ibidem pag. 795. SS. Patrum ſententiam contra ſuum propoſitum relinquit dicens: *Neque veterum qualeſcunque ſententiæ ſed ſcriptum Canonica regula eſt & norma fidei, & judicii in hac controverſia, &c.* hæc ille. Ex quo patet, quod agnoſcat SS. Patrum ſententiam eum moderna Eccleſia Catholica communem eſſe & ex obliquo illos damnat quaſi contra S. Scripturam & fidei regulam docuiſſent; verùm Catholica Eccleſia & SS. Patres ſemper in rebus & controverſiis fidei ſolum Dei verbum tam ſcriptum quam non ſcriptum pro regula & norma fidei agnoſcunt, ut lib. 2. oſtenſum eſt. Ipſam autem S. Scripturam & verbum Dei per manus SS. Patrum accepimus, qui de vera S. Scriptura, & vero illius verbo teſtati ſunt, quod ab Apoſtolis acceperant.

XIV. Et quidem ad propoſitum valde Acatholicis contrariatur, quod in hac controverſia fateri debent SS. Patres ipſis contrariari ut ideo illos erráſſe dicere non erubeſcant; ut ex Lutheri & Calvini verbis patet. Chemnitius autem licet expreſsè nolit dicere & variis modis excuſare Patres vel ad ſua detorquere, tamen in fine ſatis indicat, quod SS. Patres à S. Scriptura in his deflexerint, ut ex præcedentibus patet, & ibidem tandem exprimit dicens: *Hæc conſideratio de nævis quorundam veterum, oſtendit, quare malumus cœnam Dominicam Sacramentum potius quam ſacrificium appellari. Primo enim ſcriptura, quæ omnium rectiſſimas & commodiſſimas appellationes poteſt ipſis rebus tribuere, nullibi cœnam Dominicam vocat Sacrificium, &c.* hæc ille.

XV. His verbis imprimis damnat SS. Patres; qui cœnam Domini ſacrificium vocant. Secundò ſeipſum confundit, nam, ſi illius diſcurſus valet; cœna Dominica nec Sacramentum appellari debet; quia nullibi ſcriptura illam appellat Sacramentum, quod tamen tale dicendum eſt, quia ratio Sacramenti ipſi convenit: ſimiliter & ſacrificium dici debet, quia ratio ſacrificii ipſi competit, ut hactenus ex S. Scriptura oſtenſum eſt; imo & expreſſe ſacrificium appellatur apud Malachiam.

ARTICULUS III.

Referuntur Argumenta Lutheranorum ex S. Scriptura contra ſacrificium Miſſæ.

I. VIdimus hactenus, quod Acatholicorum præcipui Magiſtri in hac controverſia vel expreſsè faſſi ſint SS. Patrum ſententiam illorum errori eſſe contrariam; & ideo illos ſe non curare dixerint, ut Lutherus, vel quod judicarint ſanctos Patres in aſſerendo cœnam eſſe immolationem novam, & ipſum Corpus Chriſti in cœna quodie offerri juxta ordinationem Chriſti detorſiſſent & erraſſent, ac propius Judaicum ſacrificandi morem imitati eſſent; quam aut Chriſtus ordinaverit, aut Evangelium referret ùt vult Calvinus: & demum alii cum Chemnitio: Patres relinquentes ſibi in S. Scriptura tutius fundamentum eſſe jactitent: ſed hæc falſa eſſe, ex ipſa S. Scriptura oſtenſum eſt. Argumenta autem ab ipſis allata copioſè à DD. Catholicis refutata ſunt; quorum tamen aliqua referam.

II. 1. Lutherus lib. de abroganda Miſſa, quaſi ex S. Scriptura ſic arguit. *Aſſeruiſſe ſacrificium, eſt negare teſtamentum; cùm impoſſibile ſit idem ſacrificium & teſtamentum eſſe; cum illud demus, hoc accipiamus; illud ad Deum, hoc à Deo veniat; illud per nos, hoc ſine nobis fiat. Et quid, ait, pergam differentias dati & accepti afferre; cum beſtiæ & inanimata hoc ſentiant, &c.* hæc Lutherus.

Quod autem Euchariſtia ſit teſtamentum Chriſti oſtendit ex illis verbis Domini 1. Cor. 11. v. 25. *Hic Calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine, &c.*

III. Reſp. negando, quòd impoſſibile ſit, ut idem ſecundum diverſas rationes ſit ſacrificium & etiam teſtamentum; nam ratio ſacrificii ſeu rei oblatæ in eo conſiſtit, quatenus res illa Deo ad ipſius honorem ſupremum teſtandum offertur; Teſtamenti vero ratio eſt, quod aliquid ut ſignaculum promiſſionis de hæreditate detur, ſeu ut publicum & authenticum de illis teſtimonium præbeatur. Hæ autem duæ rationes in eadem re conſiſtere poſſe; conſtat ex victima, quæ à Moyſe Deo offerebatur Exod. 24. cujus ſanguinem in populum reſperſit, & ait: *Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepegit Dominus vobiſcum*, ſic & ad Hebræos 9. verſ. 19. dicitur: *Accipiens ſanguinem vitulorum & hircorum & populum aſperſit, dicens: Hic ſanguis teſtamenti, quod mandavit ad vos Deus.* ubi manifeſte patet, quod ſanguis ille habuerit rationem ſacrificii, quatenus prius Deo in vitulis & hircis offerebatur; & etiam rationem ſignaculi fœderis ſeu teſtamenti, quatenus à Deo deſignabatur populo in teſtimonium & ſignaculum; ſimiliter itaque & ſanguis Chriſti in Euchariſtia habet rationem ſacrificii quatenus Deo offertur; & rationem teſtamenti, quatenus fidelibus datur in ſignaculum promiſſionis hæreditatis æternæ.

IV. Simili modo Sacramentum Euchariſtiæ habet rationem dati & accepti; utpote, quatenus Euchariſtia ſeu Corpus & Sanguis Domini Eccleſiæ datur in ſignum hæreditatis, habet rationem doni ſeu dati; quatenus vero idem donum ſeu datum Eccleſia per ſacerdotes Deo offert cultu latriæ, habet rationem ſacrificii. Quamvis itaque illæ duæ rationes diverſæ ſint, clarum tamen eſt, quòd juxta diverſum reſpectum eidem competere poſſint, & hoc profitetur Eccleſia per ſacerdotes in Canone ſcilicet: *Offerimus præclaræ Majeſtati tuæ de tuis donis ac datis, hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam, panem vitæ cæleſtis & calicem ſalutis perpetuæ, &c.* Et quid mirum, quod unum & idem ſub diverſo reſpectu habeat rationem dati & accepti; cum evidens ſit, quod omnia quæ homines Deo offerre poſſunt, à Deo donata & accepta ſint, *quid enim habes,* dicit Apoſtolus, *quod non accepiſti*

piſti 1. Cor. 4. v. 7. Et ſic fatebatur David 1. Paralip. 29. v. 11. *Cuncta, quæ in cælo ſunt & terra, tua ſunt*, & v. 14. *Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi, &c.* ecce in te oblata eadem, ratio tam dati, quàm accepti, *&c.* quàm turpis igitur eſt Lutheri gloriatio?

V. 2. Lutherus arguit ab exemplo Chriſti: qui ſcribitur in Euangeliis, quod diſcumbens cum diſcipulis Sacramentum Euchariſtiæ illis diſtribuerit; non autem legatur illud Deo Patri obtuliſſe; ergo non verè obtulit, nec proinde eſt offerendum.

VI. Reſp. negando conſeq. nam ab authoritate negativa non valet argumentum: alioquin plurima falſa contra fidem inferri poſſent: ſic enim dici poſſet. Joannes in Euangelio refert; quòd Chriſtus ultimam cœnam, ſed qualem Judæi, celebrârit; pedes diſcipulorum laverit, *&c.* ſed non ſcribit, quòd Sacramentum Euchariſtiæ dederit vel inſtituerit, vel Cœnam Euchariſtiæ ſervarit; ergone dicendum, quòd neget illud à Chriſto eſſe datum vel inſtitutum? ſic de pluribus aliis dici poteſt; ſic nec ex hoc, quod Euangeliſtæ non expreſsè dicant, Chriſtum in cœna Euchariſtiam Deo Patri obtuliſſe, non ſequitur; quod negent id factum eſſe, ſic nec ullus Euangeliſta refert, quòd Chriſtus in ultima cœna agnum paſchalem comederit, licèt indicent diſcipulos de hoc mentionem feciſſe, ubi illum comedere vellet: multò minùs ſcribunt; quòd ritus à lege circa illam commeſtionem ſervandos Exod. 12. v. 11. præſcriptos ſervarint, utpote: *Renes veſtros ſuccingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, &c.* hæc tamen Chriſtum ad amuſſim ſervaſſe dubitari non poteſt. Cùm autem Lutherus ejusque ſectatores ad ſcripturam appellent, vel unicum locum allegent, ubi expreſsè ſcriptura dicat, Chriſtum non obtuliſſe ſacrificium in ultima cœna: Eccleſia autem Catholica cum communi SS Patrum ſententia ex variis S. ſcripturæ locis oſtendit; quòd Chriſtus ſacerdos in Cœna ultima obtulerit ſecundum ordinem Melchiſedech, ſcilicet corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini: & hoc ipſum ab Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus eſſe faciendum per illa verba: *Hoc facite, &c.* præceperit, ut ſuprà demonſtratum eſt.

VII. Idem Lutherus lib. de Abrog. Miſſa ſic argumentatur: *Natura Sacrificii eſt, præſertim perfectiſſimi, quod holocauſtum vocant, totum Deo offerri, nihil ex eo hominibus relinqui: ſi autem victima aut pro peccato fuerit, ſaltèm aliquam partem Deo relinqui, totam: cur ergo nos panem & vinum totum comedimus & bibimus? cur non totum ei relinquimus, cùm velimus hoc perfectiſſimum eſſe Sacrificium? ubi hic ſubſiſtit ratio Sacrificii? neque enim garrire ſufficit, Chriſtum offerri à nobis ſub pane & vino; nam & ipſum ſumimus, at nihil ſumi à nobis debet de Sacrificio & holocauſto Domini; pugnant offerri Deo, & ſumi à nobis*, & tandem concludit dicens: *Prorſus inauditum igitur monſtrum eſt ſacrificium iſtud papiſticum, ut fere ipſe Papa cum ſuo corpore toto non ſit æque monſtroſus: Totum nos voramus, & totum Deo offerimus. Hoc eſt tantum dicere: Neque voramus, ſi offerimus, neque offerimus, ſi voramus: & ita, dum utrumque facimus, neutrum facimus. Quis audivit unquam talia? omnia ſibi pugnantiſſimè contradicunt, & invicem ſeſe conſumunt: aut neceſſariò & infallibiliter concludant Euchariſtiam ſacrificium eſſe non poſſe, diluant ergò hæc Lovanienſes & Pariſienſes, &c.* hæc Lutherus.

VIII. Reſp. primò: Quadrat in Lutherum, quod olim de Moab dicebat Propheta Iſa. 16. v. 6. *Audivimus ſuperbiam Moab, ſuperbus eſt valde: ſuperbia eius, & arrogantia eius, & indignatio eius plus quàm fortitudo eius, &c.* Jam ſæpiſſime non ſolum Lovanienſes & Pariſienſes, ſed alii plurimi Doctores ſuperbiam illam refutârunt, & futilitatem argumenti illius demonſtrârunt.

IX. Reſp. 2. quòd ad rationem ſacrificii propriè dicti in genere requiratur & ſufficiat; quòd totum ad honorem Dei ut ſupremi Domini offeratur, & etiam conſumatur; ſive per ignem, quod fiebat in ſpeciali ſacrificio holocauſtorum, thuris, *&c.* ſive per comeſtionem: & quidem, cùm animalia in veteri lege in holocauſtum offerebantur, ut patet Levit. 1. v. 5. & 11. carnes eorum adolebantur ſeu cremabantur, ſed ſanguis ſemper circa Altare fundebatur. In aliis ſacrificiis animalium, pars cremabatur, pars à ſacerdote & populo comedebatur, juxta illud 1. Cor. 10. *Nonne, qui edunt hoſtias, participes ſunt Altaris?* aliqua autem inanimata offerebantur, ut cùm dicitur Levit. 2. v. 4 *Cùm obtuleris Sacrificium coctum in Clibano de ſimila panes, ſcilicet absque fermento conſperſos oleo*, &c. *hoc partim adolebat Sacerdos ſuper altare, quidquid autem reliquum eſſet: erat Aaron & filiorum eius ad comedendum*, ut dicitur ibid. v. 10. hoc tamen ita erat, ut etiam totus panis ſeu ſimila Deo offerebatur, & non tantum una pars, licèt aliqua pars ſacerdotibus relinquebatur, & hæc erant diverſæ ſpeciei, propriè tamen dicta ſacrificia ejusdem generis. Sic ad rationem proprii ſacrificii requiritur quidem, ut ſit res externa, quæ cultu latriæ Deo offeratur, & etiam conſumatur, ſive per comeſtionem, quod etiam patet in ſacrificio Melchiſedech, de quo ſupponitur, quod poſt oblationem comedebatur.

X. His ſuppoſitis reſpond. negando, quòd natura ſacrificii ſit, ut ita totum Deo offeratur, ut nihil vel ab igne, vel ab homine ſumatur; hoc enim patet falſum ex Sacrificiis veteris Teſtamenti, cùm in ſacrificio holocauſtorum totum Deo offerebatur, & tamen carnes ab igne cremabantur, & ſanguis fundebatur circa altare; ex aliis autem Sacrificiis Sacerdotes partem conſumebant: ſufficit ergo ad naturam ſacrificii, quòd totum Deo offeratur, & idipſum etiam totum conſummatur, ſive per ignem, ſive per comeſtionem: ſic ergo totum Deo relinquitur quoad honoris latriæ ſignum: & totum igni vel hominibus etiam relinquitur ad cremandum vel comedendum, vel partim cremandum, partim comedendum.

XI. Hinc ad propoſitum reſpond. quòd Euchariſtia ſit propriè dictum Sacrificium ſecundùm ordinem Melchiſedech, & ſpecialiter diſtinctum ab aliis Sacrificiis, illisque excellentius; quod ex ſpeciali Chriſti ordinatione totum Deo Patri ad illius honorem & memoriam Sacrificii crucis offertur, & hoc modo totum Deo relinquitur; & ſimul etiam totum hominibus ad comedendum relinquitur ad animæ nutrimentum, quæ optimè conſiſtunt nec repu-

repugnant. Falſiſſimum ergo eſt, quòd Lutherus ſupponit dicens: *Pugnant offerri Deo, & ſumi à nobis*, ſic enim ſimila Deo offerebatur, & à ſacerdote ſumebatur: Non eſt igitur monſtroſum, quòd totam Euchariſtiam Deo offeramus, & totam conſumamus, vel, ùt Lutherus juxta ſuam modeſtiam dicit, *voramus*. Quid in his contradictorium aut inauditum? cùm in his Sacrificiis veteris Teſtamenti ſimilia pateant, ut igne conſumerentur. Nec Chriſtus obligatus fuit planè ejuſdem ſpeciei ſacrificium inſtituere cum Sacrificiis legis; cùm ipſe perfectiſſimum ſacrificium in cruce perfecerit, cui nullum eſt in ſpecie ſimile; ùt quòd aliquis ſeipſum piè & ſanctè Deo obtulerit in mortem, prout ſolus Chriſtus obtulit.

ARTICULUS IV.

Reſpondetur ad argumentum quorundam modernorum Lutheranorum.

I. HIc etiam videndum erit argumentum quorundam Helmſtadienſium, qui in theſibus ibid. Anno 1661. impreſſis ſic argumentantur: *Nos nullo modo concedimus Miſſam eſſe propriè dictum & formale ſacrificium; cùm ad ſacrificium propriè dictum requiratur, ut id, quod Deo offertur, per occiſionem deſtruatur, & eſſe deſinat; teſte Bellarmin.* lib. 1. de Miſſa Cap. 2. *At in S. Cœna corpus & ſanguis non deſtruuntur, nec deſinunt eſſe, quod antè erant; ergo S. Cœna non eſt propriè dictum ſacrificium, &c.* hæc ibi.

II. Reſp. 1. Iſti Doctores ſemper clamant ſcripturam, & jam totum fundamentum ponunt in authoritate Bellarmini: quòd ſi ille erraſſet, quod tamen verum non eſt; ubi argumentum? quid contra Eccleſiam, ſi unus privatus Doctor erraſſet?

III. Reſp. 2. verum eſt, quòd Bellarminus cum communi DD. ſententia dicit loco citato his verbis:

Octavò diximus, ſcilicet. de re oblata, & *tranſmutatur: quia ad verum ſacrificium requiritur; ut id, quod offertur Deo in ſacrificium, planè deſtruatur, id eſt, ita mutetur, ut deſinat eſſe, quod anteerat; & in hoc maximè differt à ſimplici oblatione, quæ interdum ritu myſtico elevabatur coram Deo: ſed non deſtruebatur, niſi quando verè ſacrificabatur*, &c. hæc ibi, & hæc tria dicta Bellarmin. eod. cap. circa medium.

Sed omiſsâ partitione, ex ſacra ſcriptura oſtendit contra Calvinum, qui ad illudendum teſtimoniis S. ſcripturæ & SS. Patrum de ſacrificio Euchariſtiæ, vult illa intelligenda de qualicunque impropria oblatione.

IV. Verum non dicit Bellarminus; quòd omnis hoſtia veri Sacrificii per occiſionem deſtrui debeat; cùm contrarium conſtet ex Levit. 2. de ſimila, ſeu panibus propoſitionis thure, &c. quæ, utpote inanimata, non occidebantur, & tamen verè offerebantur: ſed Bellarminus cum communi Eccleſiæ doctrina, quam multis modis probârat cap. 27. oſtendere volens, in quo eſſentia ſacrificii miſſæ conſiſtat §. *Secunda propoſitio*; dicit: *Corpus & ſanguis Domini noſtri ſunt id Sacrificium, quod in Miſſa propriè offertur & ſacrificatur.* Poſtea eod. cap. 27. cùm ſcholaſticas quæſtiones moviſſet, in quibus actionibus eſſentia hujus ſacrificii, prout actionem ſignificat, conſiſtat, ſuam ſententiam ponens §. *His igitur omiſſis*, ait: *Ita rem explicandam arbitror; In conſecratione Euchariſtiæ tria fiunt, in quibus ſacrificii veri & realis ratio ratio conſiſtit: primùm res prophana fit ſacra: panis enim res alioqui terrena, & communis per conſecrationem vertitur in corpus Chriſti, rem videlicet omnium ſacratiſſimam. Dices: Ex hoc ſequi videtur, ut panis ſolus propriè ſacrificetur, quod eſſe abſurdum ſuprà diximus; Nam quod fit ſacrum ex prophano id propriè ſacrificatur.* Ergo, &c. *Reſpondeo*, *quod ita ſit ſacrum ex prophano, ut maneat*, id ſine dubio propriè ſacrificatur, &c. *Atque ideo apud Hebræos ovis ſacrabatur, & eadem ovis ſacrificabatur; quia manebat eadem etiam poſt mortem; ſaltèm quoad partem materialem, & ovis tam viva, quàm mortua dicebatur*, &c. *At panis non manet, dum ſacratur, ſed in aliud vertitur, & ideo non panis, ſed id, quod ex pane factum eſt, propriè ſacrificatur*, hæc Bellarm.

Secundò, dicit Bellarminus, *in conſecratione res illa ſacra ex prophana effecta Deo offertur, dum in Altari Dei collocatur: Nam, ùt ſuprà diximus, victimam in Altari ponere, eſt re ipsâ illam Deo offerre; & quia vi conſecrationis fit, ut corpus Chriſti & ſanguis incipiat re ipsâ eſſe ſuper Altare mediante manu Sacerdotis; ideo verbis conſecrationis vera & ſolemnis oblatio celebratur*, & paulò pòſt: *Neque obſtat, quòd videatur eſſe oblatio rei inviſibilis, cùm tamen externa & ſenſibilis victima requiratur in externo & propriè dicto Sacrificio. Nam corpus Chriſti non eſt victima in Sacrificio Miſſæ abſolutè, ſed ùt eſt in ſpecie panis: in ſpecie autem panis, planè viſibile eſt.* V.

Tertiò per conſecrationem res, quæ offertur, ad veram, realem & externam mutationem & deſtructionem ordinatur; quod erat neceſſarium ad rationem ſacrificii. Nam per conſecrationem corpus Chriſti accipit formam cibi: cibus autem ad comeſtionem, & per hoc ad mutationem & deſtructionem ordinatur. Neque obſtat, quòd corpus Chriſti nullam in ſe læſionem patiatur; Neque eſſe ſuum naturale amittat, cùm manducatur Euchariſtia, nam amittit eſſe ſacramentale: & proinde deſinit realiter eſſe in Altari, deſinit eſſe cibus ſenſibilis, &c. hæc Bellarm. VI.

Idem ibid. cap. 25. §. *Ad aliud argumentum ex occiſione hoſtiæ, quæ offertur*, ait: *Reſpondeo, ſacrificium Miſſæ eſſe veriſſimum ſacrificium, & tamen non exigere veram hoſtiæ occiſionem. Solùm enim occiſio requiritur in oblatione rei viventis, & quæ in forma rei viventis offertur, ut cùm offeruntur agni, vituli, aves*, &c. *quorum deſtructio in morte conſiſtit At cum forma ſacrificii eſt rei inanimæ; & panis, vini, thuris*, &c. *non poteſt requiri occiſio; ſed ſolùm conſumptio rei illi conveniens. In Miſſa igitur offertur quidem Chriſtus, qui eſt res vivens, & offertur in forma rei viventis, quantum ad repræſentationem; ubi ſolùm requiritur, mors repræſentata, non autem mors reipſa; ſed ut eſt ſacrificium reale & propriè dictum, offertur in forma panis & vini iuxta ordinem Melchiſedech. Et proinde in forma rei inanimæ. Vnde in Canone, ubi habentur verba oblationis potiſſima poſt conſecrationem dicimus: Offerimus panem vitæ æternæ & calicem ſalutis perpetuæ. Quare conſumptio huius ſacrificii non debet eſſe occiſio, ſed manducatio*, &c. hæc Bellarmin. VII.

Quæ prolixiùs ad literam referenda duxi ad illorum Doctorum confuſionem; qui ſuum, quod jactitant, irrefragabile argumentum in autho- VIII.

authoritate Bellarmini fundabant; cujus verba integra si posuissent, argumentum nullum esse patuisset: prout patet. Si hoc audeant in tam celebri moderno scriptore ipsorum singulari antagonista, quid non facerent etiam in testimoniis SS. Patrum? quorum concisas sententias sæpe Acatholici allegant; sed integro textu viso confunduntur. Si itaque illi Doctores stent authoritati Bellarmini, illius sententiam sequantur; vel fraudem suam fateantur.

ARTICULUS V.

Referuntur Argumenta Calvini contra Sacrificium Missæ.

I. CAlvinus, ut suprà visum est, videns SS. Patrum doctrinam sibi contrariari, quantumvis ipsorum verba detorquere conetur, S. Scripturæ litteram, ut omnes antiqui solebant hæretici, ad suum sensum inflectere præsumpsit; & ut faciliùs suis fucum vendat, quinque manifestissimas blasphemias ex doctrina de Sacrificio missæ procedere blasphemè pronunciat, itaque lib. 4. Inst. cap. 18 §. 1. ita superbè dicit: *Ubi verbo Dei clarissime comprobatum fuerit hanc* (Missam) *quantumvis fucatam & splendidam insigni contumelia Christum afficere: crucem eius sepelire & opprimere; mortem eius in oblivionem tradere; fructum, qui ex ea nobis proveniebat, tollere; Sacramentum, quo mortis memoria relicta erat, enervare & dissipare: An erunt ullæ tam profundæ radices, quas non validissima hæc securis, verbum, inquam Dei, confundat & evertat? an ulla tam speciosa facies, sub qua latens malum lux hæc non prodat?* hæc ille.

II. Resp. non est novus hic Calvini loquendi modus, quia tali modo olim hæretici Catholicæ Ecclesiæ doctrinæ mendaciter & blasphemè mulctabant, jactitando purum Dei verbum; qui tamen à vero Verbo Dei longissimè aberant, ut patet in Arianis, Manichæis, &c. sicut & Judæi ipsius Christi doctrinam blasphemiæ damnabant.

III. Volens ergo primam fictam suam blasphemiam probare pergit Calvinus §. 2. dicens: *Ostendimus ergo, quod primo loco propositum est, intolerabilem blasphemiam & contumeliam Christo irrogari: Sacerdos enim & Pontifex à Patre consecratus est, non ad tempus, quomodo illi in veteri Testamento constituti leguntur; quorum quum vita mortalis esset, sacerdotium immortale esse non poterat, quare & successoribus opus erat. At Christo, qui immortalis est, Vicarium substitui minime necesse est.* Hebr. 5. v. 5. & 7. v. 17. & quod probat ex similitudine Melchisedech, juxta cujus ordinem constitutus est Sacerdos à Patre in æternum, pergit: *Iam verò, qui quotidie sacrificant, oblationibus Sacerdotes præficiant, necesse est; quos Christo velut successores & vicarios subrogent. Qua subdelegatione non modo Christum suo honore spoliant, & æterni sacerdotii prærogativam illi rapiunt, sed & dexteram Patris deturbare ipsum conantur, in qua sedere immortalis non potest, quin simul æternus Sacerdos maneat. Neque causentur; non suffici suos sacrificulos Christo quasi demortuo, sed suffraganeos duntaxat esse æterni eius sacerdotii, quod propterea stare non desinit, verbis enim Apostoli fortiùs constringuntur; quàm ut sic elabi possint: nempe alios plures esse factos sacerdotes, quia morte impedirentur permanere, Christus ergo, qui morte non impeditur, unus est, nec consortibus indiget,* hæc Calvin.

Resp. supponendo, quòd duobus modis dici possit, in Ecclesia esse Sacerdotes; semel, qui absolutè & simpliciter sint sacerdotes sicut Christus Sacerdos est à Patre constitutus & ipsi succedant Christo in sacerdotio sicut Eleazar successit Aaroni, & alii consequenter ejusdem dignitatis; aliter, quòd Christus semper maneat summus sacerdos & unicus, & alii sint tantum ipsius ministri, per quorum quasi manus Christus Patri sacrificat; prout etiam in lege veteri vivente summo sacerdote erant plures Sacerdotes inferiores, quorum officium non derogabat dignitati summi Sacerdotis. IV.

Respondeo itaque concedendo, quòd summa contumelia & blasphemia irrogaretur Christo; si, non dicam, plures, sed vel unicus præter Christum in Ecclesia diceretur esse sacerdos ejusdem potestatis & dignitatis, & Christo succederet, vel consors ipsius esset: Christus enim est unicus sacerdos in æternum, qui solus per se ipsum offert Deo Patri sacrificium ex sua virtute reconcilians mundum, & semper interpellans pro mundo; solus mediator, qui ex sua virtute, & suis meritis à Patre veniam obtinet; sicque manet solus in æternum: sed cum hoc consistit, quòd, quia Christus semper manet unus sacerdos secundùm ordinem Melchisedech usque ad finem mundi, etiam semper offerat aliquod Deo Patri in hoc mundo sacrificium visibile; id autem facit per manus illorum, qui Apostolis successerunt, & quibus hoc mandavit dicens: *Hoc facite, &c.* Nec hoc derogat excellentiæ & unitati sacerdotii Christi æquè minùs, quàm quòd ipse sit unicus magister, unicus pastor & caput ac fundamentum Ecclesiæ, scilicet absolutus, & simpliciter à se & in se habens plenitudinem potestatis & doctrinæ: & tamen cum hoc consistit, quòd in Ecclesia Dei sint Pastores, Magistri & Doctores, juxta illud Ephes. 4. v. 12. *Ipse dedit quosdam, &c. alios Pastores & Doctores, &c.* & Ephes. 2. v. 20. *Superædificati super fundamentum Apostolorum, &c. ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* Sicut enim Christo non irrogatur blasphemia nec contumelia, quòd alii Doctores & Pastores ac fundamenta Ecclesiæ sint & dicantur: ac multò magis in officio pastoratûs & doctoratus sint suffraganei & vicarii Christi ejusque ministri & instrumenta, qui in omnibus à Christo supremo dependent; sic nec etiam, quòd Sacerdotes sint & dicantur; qui à Christo in omnibus dependeant, ejusque ministri sint; per quorum manus Christus offerat, ut SS. Patres profitentur; ac sic ejus suffraganei ac vicarii sunt. Ad instantiam ex Apostoli verbis ex prædictis patet; quia ibi Apostolus loquitur de Sacerdote, qui summo sacerdoti in eadem potestate & dignitate succedit, eo quòd ille per mortem manere non possit, nec synagogam juvare poterat, & alio ipsi simili opus erat: Ecclesia autem cum Apostolo profitetur, quòd Christus solus sit absolutus sacerdos, qui semper vivit, & ipse solus apud Patrem obtinet; nec ullus in tali dignitate succedat, nec alio opus sit; sed solùm, quòd infe- V. VI.

inferiores Sacerdotes sint, per quorum manus Christus quotidie offerat, & sacerdotes cum S. Chrysostomo hom. 83. in Matth. sic profitentur. *Non sunt humanæ virtutis opera hæc, quæ proponuntur, qui tunc ipse fecit in illa cœna idem nunc ea quoque facit; nos ministrorum tenemus locum, qui verò sanctificat ea & immutat, ipse est*, hæc Chrysost. ubi quæso in tali sacerdotio blasphemia & contumelia Christo irrogatur magis quàm in doctoratu & pastoratu Christi? cum quo consistit, quod Apostolus 1. Tim. 2. v. 2. dicit: *In quo positus sum ego*, &c. *Doctor Gentium*. Imo Calvinus & sequaces ejusabsque blasphemia & contumelia Christi putant se esse Magistros & Doctores Ecclesiæ ac ministros verbi Dei, licèt vocati non sint.

VIII. Calvinus alteram blasphemiam, ut blasphemè fingit, per missam Christo irrogari, scilicet, quòd Christi crucem opprimat & obruat, sic probare nititur §. 3. dicens: *Hoc quidem certissimum est, everti Christi crucem simul ac erigitur altare; nam si in cruce semetipsum in Sacrificium obtulit, quo nos in perpetuum sanctificaret, & æternam redemptionem nobis acquireret; haud dubiè vis atque efficacia eius sacrificii nullo fine præstat. Alioqui nihilo honorificentiùs de Christo sentiremus, quàm de bobus & vitulis, qui sub lege immolabantur; quorum oblationes ex eo inefficaces arguuntur & imbecillæ, quod sæpius iterabantur: quare aut Christi Sacrificio, quod in cruce implevit, purgationis æternæ vim defuisse fatendum erit; aut uno semel Sacrificio Christum in omnia secula defunctum esse. Id est: quod dicit Apostolus* Hebr. 9. v. 16. & 10. v. 14. & 16. *Summum hunc Pontificem Christum semel per immolationem sui apparuisse sub consummationem seculi ad peccati profligationem, item voluntate Dei nos sanctificatos esse per oblationem corporis Iesu Christi semel, item Christum una oblatione in perpetuum consummasse sanctificatos, quibus insignem sententiam subnectit: acquisita semel peccatorum remissione nullam amplius restare oblationem. Hoc & postrema sua voce & inter ultimos spiritus edita Christus significavit quum dixit: consummatum est. Christus moriens testatur, uno suo sacrificio perfectum esse, & impletum quidquid in salutem nostram erat. Nobis hujusmodi sacrificio, cuius perfectionem luculenter adeò commendavit, quasi imperfecto, an innumera quotidie assuere licebit? quando sacrosanctum Dei verbum non affirmat modo, sed clamat etiam & contestatur, hoc sacrificium semel peractum fuisse; eius vim æternam permanere: qui aliud postulant, nonne ipsum imperfectionis insimulant & infirmitatis? At verò Missa, quæ hac lege tradita, ut millies centena sacrificia in singulos dies peragantur, quo spectat, nisi ut Christi passio, quâ unicam hostiam se Patri obtulit sepulta subversáque iaceat?* &c. hæc Calvinus.

IX. Resp. argumentum Calvini in hoc consistit: unicum à Christo in altari crucis peractum sacrificium obtinuit plenam omnium peccatorum remissionem, & habet in æternum vim sanctificandi omnes quotquot salvantur, & salvari possunt: atqui hoc verum non esset, si corpus Christi quotidie in Missa iterum offerretur, ergo sacrificium Missæ destruit sacrificium crucis, & aliud altare constituit. Sed respondetur, quòd major

X. sit verissima, quàm Ecclesia Catholica juxta Apostolorum doctrinam firmissimè credit & confitetur; sed minor distinguenda est, si dicatur, quòd corpus Christi in missa ideo quotidie offeratur, quasi sacrificium crucis non sufficeret ad plenissimam omnium peccatorum remissionem obtinendam, sicut in veteri lege boves & oves offerebantur, quæ nunquam sufficiebant; ut Apostolus ostendit, tunc destrueretur virtus crucis, verum est. & tunc erigeretur altare, quod everteret & destrueret altare crucis, & hoc est, quod Apostolus gravissimè & verissimè probat: sed hoc Ecclesia non docet, sed absolutè damnat. Si autem diceretur, quòd corpus Christi in missa quotidie offeratur, non ut suppleretur defectus aliquis sacrificii crucis virtutis & efficaciæ, sed ut in memoriam illius fiat, & virtus crucis his vel illis fidelibus applicetur, falsum est: quod tunc significaretur imperfectio virtutis sacrificii crucis; ac proinde negatur, quòd sacrificium missæ destruat sacrificium crucis, aut altare novum destruens altare crucis erigatur: sed certissimum est, quòd exaltet virtutem sacrificii crucis, & idem sit altare referens altare crucis, quia in memoriam illius juxta mandatum Christi celebratur, & est instrumentum, per quod virtus crucis fidelibus applicatur.

Et quidem SS. Patres optimè noverant infinitam sacrificii crucis efficaciam & dignitatem, & optimè perspexerant Apostoli doctrinam: & tamen docuerunt, sacrificium Eucharistiæ quotidie in Ecclesia rectè celebrari, & nullatenus illi contrariari. XI.

Ex pluribus sufficiat *Chrysostomus* hom. 17. in cap. 9. ad Hebr. ed. Basil. 1547. ubi cùm juxta verba Apostoli ostendisset; quod in veteri lege sæpius sacrificia Deus imperaverat offerri, propter illorum infirmitatem, & ut memoria peccatorum fieret, quia non poterant peccata tollere; at verò unicum sacrificium Christi in cruce remissionem peccatorum obtinuerat, & ideo Christus iterum immolari necesse non habeat. Chrysostomus sic subdit de Christianis dicens: *Quid ergo nos? nónne per singulos dies offerimus? offerimus quidem, sed ad recordationem facientes mortis eius; & una est hostia, non multæ, quomodo una & non multæ? quia semel oblata est, oblata est in sancta sanctorum, hoc autem sacrificium exemplar est illius, idipsum semper offerimus; nec nunc quidem alium agnum crastinâ alium, sed semper eundem ipsum. Proinde unum est hoc sacrificium hac ratione, altoquin quoniam in multis locis offertur, multi Christi sunt? nequaquam, sed unus ubique est Christus, & hic plenus existens, & illic plenus unum corpus est, & non multa corpora, ita etiam & unum sacrificium; Pontifex autem noster ille est, qui hostiam mundantem nos obtulit: ipsam offerimus, & nunc, quæ tunc oblata quidem consumi non potest. Hoc autem, quod facimus in commemorationem quidem fit eius, quod factum est, hoc enim* (*inquit Luc.* 12.) *facite in meam commemorationem, non aliud Sacrificium, sicut Pontifex* (*scilicet veteris testamenti*) *sed idipsum semper facimus: magis autem recordationem sacrificii operamur.* hæc XII.

Chrysostomus. Vbi clarissimè ostendit, quòd in Ecclesia & in diversis locis sacerdotes verè quidem offerunt, sed non novam, & novam hostiam, quasi una crucis non sufficeret ad salutem, sed offerunt semper eandem; quæ in cruce semel oblata est cruento modo, & semper crucis manet virtus; & ideo nova alia hostia opus non sit, & tali modo sacrificium iterari non possit: tamen eadem hostia sæpius alio modo offeratur, quòd exemplar sit alterius; eadem enim XIII.

est

Digitized by Google

eſt hoſtia, quod eſt corpus Chriſti, licèt ſint diſtincta Sacrificia, quo ad modum, quo idem corpus offertur. Et hoc in memoriam oblationis in cruce factæ, ut Fideles illius recordentur, ſi itaque ſacrificium Miſſæ ſolùm fieret in memoriam ſacrificii crucis, quomodo tunc hoc Sacrificium deſtrueret virtutem Sacrificii crucis? quomodo memoria rei factæ deſtruit & contrariatur eidem? vel virtutem ejus deſtrueret? quis ſanæ mentis hoc diceret?

XIV. Jam verò etiam verum eſt, quòd ſacrificium Miſſæ etiam offeratur pro peccatis Fidelium, de quo infrà dicetur; ſed non ita, quaſi Sacrificii crucis virtus imperfecta fuerit, ſed ut virtus crucis infinita & perfectiſſima his vel illis Fidelibus applicetur, quomodo ergo virtus deſtruitur?

XV. Nec his obſtat, quod Calvinus ſubjungit dicens: *Nec me latet, quibus præſtigiis hanc ſuam fraudem prætexere ſoleat Pater ille mendacii non varia eſſe nec diverſa Sacrificia, ſed unum ſæpius repeti: verum tales fumi nullo negotio diſcutiuntur, totâ enim diſputatione contendit Apoſtolus, non modo nulla alia eſſe Sacrificia, ſed unum illud ſemel oblatum fuiſſe, nec amplius iterandum, &c.* hæc Calvinus. Sed jam *Chryſoſtomus*
XVI.
Calvino reſpondit; quòd idem illud Sacrificium, ſi per Sacrificium res oblata intelligatur, ſæpiùs offeratur, non tali modo, quo ſemel in cruce oblata eſt, quaſi tunc inſufficiens fuiſſet, & ſic Chriſtus ſæpius mori deberet, & hoc negat Apoſtolus, quòd tale ſacrificium iterari poſſit aut neceſſe ſit; ſed non negat aliquod ſacrificium iterandum, quòd memoriam illius referat; hoc non Pater mendacii, ſed ſpiritus veritatis Chryſoſtomum & totam Eccleſiam docuit, & Chriſtus magiſter, qui ut & in illius commemorationem id faceremus, præcepit.

XVII. Calvinus addit dicens: *Subtiliores occultiore etiamnum rimâ effugiunt, non repetitionem eſſe, ſed applicationem; ſed nihilo difficilius hoc quoque ſophiſma confutatur. Neque enim hâc lege ſe obtulit ſemel Chriſtus, ut novis quotidie oblationibus ratum ſuum fieret Sacrificium, verùm ut Evangelii prædicatione ac ſacræ cœnæ adminiſtratione fructu eius nobis communicetur: ſic Paulus dicit Chriſtum Paſcha noſtrum immolatum eſſe, ac nos epulari jubet, hæc, inquam, ratio, quâ nobis ritè applicatur crucis ſacrificium, dum fruendum nobis communicatur, & nos verâ fide recipimus, &c.* hæc Calvin.

XVIII. Reſp. veritas Catholica rimas obſcuras non quærit, ſed in aperto fulget; Calvinus fucum vendit, & ſeipſum confundit. Non docet Eccleſia Catholica, quòd ideo Sacrificium Miſſæ offeratur, quaſi Chriſtus ordinârit, ut per illud crucis ſacrificium ratum fieret: hoc Calvinus calumnioſè & mendaciter imponit & fingit: ſed ut per ſacrificium miſſæ fieret memoria Sacrificii crucis & hujus virtus Fidelibus in particulari applicaretur, quorum neutrum repugnat dignitati & efficaciæ Sacrificii crucis; alioquin & prædicatio verbi Dei & cœnæ Dominicæ adminiſtratio eidem repugnarent: quibus Calvinus fatetur fructum illius Fidelibus communicari. Si ergo non repugnat, quòd per illa applicetur fructus crucis, cur repugnabit, quòd per Sacrificium miſſæ idem fructus applicari dicatur? nunquid pluribus modis & inſtrumentis applicari poteſt fructus ille infinitus? nunquid per baptiſmum, nunquid per prædicationem verbi? nunquid per ſumptionem cœnæ Dominicæ, ùt Calvinus fatetur? an Apoſtolus dicens, ut epulemur ſumendo Euchariſtiam, & ſic fiamus participes fructus ſacrificii, an, inquam, excluſit, quòd nullo alio modo participes fieri poſſimus? ſic baptiſmum & prædicationem verbi excluſiſſet: unum ergo dicendo, alia ſimilia inſtrumenta virtutis crucis non excluſit, ſed confirmavit, & inſpeciali indicavit; quòd in Cœna etiam ſacrificium fieret; de cujus victima Fideles participando epularentur. Excluſit autem aliam oblationem pro peccatis, quæ de novo peccati remiſſionem obtineret, quaſi ſacrificii crucis oblatio infirma eſſet, ſed non excluſit talem pro peccatis oblationẽ, quâ Chriſtus ipſe per Sacerdotes memoriam oblationis crucis repræſentaret, & virtutem illius infinitam huic & illi applicaret, quod in ſacrificio Miſſæ fieri Eccleſia docet. XIX.

Quis hæc conſiderans non miraretur Calvini & Sectatorum illius impudentiam; qui idipſum, quòd Eccleſia juxta S. Scripturam & SS. Patrum communem ſententiam in ſacrificio miſſæ fieri credit & docet, ſcilicet, quòd fiat memoria ſacrificii crucis, ejuſque virtus ac fructus per illud communicetur, tanquam blaſphemiam & contumeliam contra ſacrificium crucis damnant: & tamen fateri debent, quòd *prædicatio verbi Dei Baptiſmus & Cœna Dominicæ ſumptio* fiant in memoriam paſſionis crucis, & per illa fructus illius Fidelibus applicetur & communicetur; idque ut verum eſt abſque omni ſacrificii crucis injuria vel Chriſti blaſphemia, ſed potiùs ad Chriſti honorem & crucis ſacrificii exaltationem; cur ergo idcirco damnat ſacrificium miſſæ, niſi quia inimici ſunt crucis Chriſti & veritatis, & veriſſima Apoſtoli ac Scripturæ verba ad ſuum reprobum ſenſum detorquent? per quam & ſeipſos damnant, ſi ipſorum falſa interpretatio valeret: quod ſcilicet, nec per baptiſmum vel cœnâ Domini fructus crucis communicaretur. XX.

Ex his facilè patet falſitas & turpis calumnia, quam in tribus aliis argumentis Calvinus ibidem contra Sacrificium miſſæ effutit. Nam §. 5. tertiam blaſphemiam à ſe ſacrificio miſſæ affictam: *Quod*, ſcilicet, *veram & unam mortem Chriſti obliteret, & ex hominum memoria excutiat.* Sic vult probatàm. *Inter homines teſtamenti confirmatio à morte teſtatoris pendet, ita etiam teſtamentum, quo nos peccatorum remiſſione & æternâ juſtitia donavit, morte ſua confirmavit Dominus noſter in hoc teſtamento; qui variare quicquam, aut innovare audent, mortem eius abnegant, & tanquam nullius momenti habent*, &c.

Reſp. hæc omnia veriſſima ſunt; ſed videamus, quid ſubſumat, dicit ergo: *Quid verò eſt Miſſa, niſi novum & prorſus diverſum Teſtamentum, quid enim? an non ſingulæ Miſſæ novam peccatorum remiſſionem, novam Juſtitiæ acquiſitionem promittunt? veniat ergo rurſus Chriſtus & alterâ morte novum hoc Teſtamentum, vel potiùs infinitis mortibus innumera Miſſarum Teſtamenta rata faciat, an non igitur verum principio dixi unicam & veram Chriſti mortem obli-* XXI.

terari per miſſam? quid quod eò directè ſpectat miſſa, & rurſum, ſi fieri poſſit, trucidetur Chriſtus? Nam ubi teſtamentum eſt (inquit Apoſtolus) *mortem teſtatoris intercedere illi neceſſe eſt. Miſſa novum Chriſti teſtamentum præ ſe fert eius ergo mortem poſtulat, &c* hæc Calvinus.

XXII. Reſp. falſiſſimè dici, quòd Eccleſia doceat Miſſam eſſe novum & prorſus diverſum Chriſti Teſtamentum; vel quòd per Miſſam nova peccatorum remiſſio & juſtitiæ acquiſitio promittatur, independenter à ſacrificio crucis, vel quod Miſſæ Sacrificium de novo à Patre illa obtineat; hæc enim falſiſſimè Eccleſiæ imponuntur: ſed miſſæ ſacrificium eatenus dicitur Teſtamentum Chriſti, quia per illud repræſentatur Teſtamentum Chriſti in ultima cœna factum, & in cruce confirmatum; & illius virtus infinita ſemel à Patre obtenta, & omnibus in generali pœnitentibus promiſſa, huic vel illi in particulari applicatur; ad quod non novo Teſtamento, multò minùs nova morte Chriſti opus eſt; ſed ſufficit unicum Teſtamentum primum & mors unica, quæ per Sacrificium miſſæ repræſentatur, & cujus beneficia & merita per mortem oblata & promiſſa ſunt, his vel illis applicantur; alioquin etiam Baptiſmus & cœna Dominica, quæ etiam Teſtamentum Chriſti & mortem ejus referunt, ac virtutem applicant, nova teſtamenta dicerentur, & ad ſingula nova mors Chriſti requireretur, quod nec Calvinus admittit. Ergo non verum, ſed falſiſſimum eſt, quod dixit *unicam & veram Chriſti mortem obliterari per Miſſam*: ſed per miſſam repræſentatur, & virtus ejus applicatur.

XXIII. Sed inſtat Calvinus dicens: *Prætereà hoſtia, quæ offertur, occidi & immolari neceſſe eſt. ſi Chriſtus ſingulis Miſſis ſacrificatur, eum ſingulis momentis mille in locis crudeliter interfici oportet. Non id mirum eſt, ſed Apoſtoli argumentum ſi neceſſe habuiſſet offerre ſæpius ſemetipſum, oportuiſſet illum frequenter pati ab origine mundi.*

XXIV. Reſp. negatur, quòd omnis omnino hoſtia, quæ Deo verè offertur, occidi debeat, hoc enim falſiſſimum eſſe patet ex Sacrificiis veteris legis, ubi inanimata verè offerebantur, ac veræ hoſtiæ erant, ut *panes propoſitionis, thus*, &c. & tamen ſtultum eſt dicere, quòd ea occidi neceſſe erat; etſi autem Chriſtus vivens ſit in Euchariſtia, non tamen in externa forma & ſenſibili modo ibi exiſtit, ut occidi poſſit; ſed ſub ſpecie panis, & ideo ſufficit, ut ſub ſpecie panis manducetur, *&c.*

XXV. Apoſtoli argumentum validiſſimum eſt, quòd ſi Chriſtus neceſſe habuiſſet ſæpius ſemetipſum offerre in propria ſpecie; ita ut una oblatio in cruce pro remiſſione peccatorum non ſufficeret; ſicut plures hoſtiæ ſucceſſivè in lege veteri offerri debebant, tunc verum eſt, quòd ſæpius occidi & pati deberet: ſed hoc non docet Eccleſia Catholica, ſed ſolùm, quòd Chriſtus in ſpecie panis offeratur, non ut de novo peccatorum remiſſionem obtineat, ſed ut in hoc Sacrificio repræſentetur Sacrificium crucis & meritum per ſacrificium crucis obtentum, his & illis Fidelibus applicetur, de hoc non agit Apoſtolus, nec hoc negat, quod Calvino probandum erat.

XXVI. Iterum Calvinus inſtat dicens: *Reclament centies licet, ſacrificium hoc eſſe ἀναίμακτον negabo ex hominum arbitrio pendere, ut ſacrificia naturam mutent; quia hoc modo concideret ſacra & inviolabilis Dei inſtitutio, unde ſequitur firmum eſſe illud principium Apoſtoli requiri ſanguinis effuſionem, ne deſit ablutio, vel ut habet Apoſtolus* Hebr. 9. v. 22. *ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.*

Reſp. ad primum. Oſtendat Calvinus vel ejus ſectatores ubi Deus inviolabiliter inſtituerit, ut natura Sacrificii omnis in hoc conſiſtat, quòd nullo alio modo ſacrificium verum ipſi offeratur, niſi per occiſionem: cùm conſtet id falſum eſſe in ſacrificio Melchiſedech, & panibus propoſitionis Moſaicis: Deus autem, qui in lege Moyſi inſtituit, ut boves & oves & alia animalia offerrentur per occiſionem, ipſe etiam ut panes propoſitionis partim à Sacerdotibus conſumerentur, ordinavit, ſic ille idem in ultima cœna inſtituit, ut corpus ſuum ſub ſpecie panis incruentè offerretur in remiſſionem peccatorum, & per manducationem conſumeretur: Apoſtolus autem loco citato expreſsè loquitur de ſacrificiis legis, ſed tamen non de omnibus; ſic enim ait: *Et omnia penè in ſanguine ſecundùm legem mundantur, & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.* Vbi tamen conſtat, quòd per ſanguinem hircorum non fiebat remiſſio peccatorum, ſed tantum mundatio corporum ſeu remiſſio quoad peccata legalia, ſeu immunditiam externam legalem, ut patet Hebr. 9. v. 14. ubi tamen oſtendit, quòd per ſanguinem Chriſti à peccatis animæ mundentur. Et quidem ad obtinendam à Patre remiſſionem conceditur quod opus erat, ut ſanguis Chriſti in propria ſpecie effunderetur: at verò, ut applicetur meritum ſanguinis effuſi in cruce, & tali modo remiſſio peccatorum fiat, non requiritur nova ſanguinis in propria ſpecie effuſio, alioquin nec per baptiſmum fieret remiſſio peccati, ubi nulla nova realis Chriſti ſanguinis fit effuſio, ſed repræſentatur effuſio in cruce facta; ſic etiam in ſacrificio miſſæ fit effuſio ſanguinis non in propria ſpecie, ſed in ſigno repræſentante effuſionem in cruce factam: quinimò etiam Chriſtus dixit, quòd calix ſanguinis in cœna effuſus ſit, & effundetur. Stat igitur principium Apoſtoli firmum, quòd nulla remiſſio peccatorum fiat ſine ſanguinis Chriſti effuſione illa, quæ in cruce realiter facta eſt, & uſque modo virtutem habet, & in Sacrificio miſſæ repræſentatur. XXVII.

Calvinus ad quartam blaſphemiam fictam procedit §. 6. dicens: *Quòd Miſſa fructum, qui ex morte Chriſti ad nos redibat, nobis præripiat; dum, ne agnoſcamus & cogitemus, facit: quis enim cogitet, ſe morte Chriſti redemptum eſſe, ubi novam in miſſa redemptionem viderit? quis peccata ſibi remiſſa confidat, ubi novam remiſſionem viderit?* XXVIII.

Reſp. falſiſſimè Calvin. Eccleſiæ affingit quaſi nova redemptio & remiſſio peccatorum in miſſa à ſacrificio crucis independens fiat, cogitetur, aut confidatur: ſed omnes fideles ſciunt, & cogitant; quòd tota redemptio & remiſſio in cruce obtenta ſit pro omnibus, non tamen omnes ſalventur, niſi quibus per ſacrificium miſſæ, baptiſmum & alia inſtrumenta huic vel illi applicetur. Vbi hîc oblivio ſacrificii crucis? quinimò maximè recordatio illius habetur, & confidentia omnis in illa ponitur. XXIX.

Sed inſtat Calv. dicens: *Neq; evadet, qui dixerit,* XXX.
non alia cauſa nos peccatorum remiſſionem in miſſa obti-

Digitized by Google

obtinere, niſi quia morte Chriſti iam acquiſita eſt. Non enim aliud adfert, quàm ſi iactet, nos ex lege à Chriſto redemptos eſſe, ut nos ipſi redimeremur, & iam nihil paſſioni Chriſti relinquatur. Niſi ut ſit exemplum redemptionis, quo diſcamus noſtri eſſe redemptores, &c. hæc Calvin.

XXXI. Reſp. Calv. pro libitu ſuo fingit & imponit, quod oppugnet: docet Eccleſia quòd Chriſtus ſit unicus Redemptor noſter, qui per unicum crucis ſacrificium nos redemit, & à Patre veniam obtinuit & gratiam, & hanc per diverſa inſtrumenta ſingulis applicat, cùm per ſacrificium Miſſæ cujus ipſe eſt primus Sacerdos, tum per alia Sacramenta & media à Deo ordinata quæ homines uſurpant: nec ideo ſui redemptores ſunt, ſicut Calvinus vult, quod per Fidem homo quaſi per manum apprehendat juſtitiam Chriſti qua juſtificatur, non tamen vult hominem eſſe ſui juſtificatorem & redemptorem, cur ergo nugatur? cur inſultat? cum veriore modo Eccleſia doceat per ſacrificia & Sacramenta ut inſtrumenta pretium redemptionis crucis homini applicari? quomodo ex hoc ſequitur, quod paſſio & Redemptio à Chriſto facta ſit tantùm exemplum illius redemptionis quam homo ſibi faciat, quod ſtultiſſimè infertur: Eccleſia credit & docet unicam victimam expiatricem, qua remiſſio peccatorum obtenta eſt, in cruce eſſe ſemel oblatam nec tali modo ſæpius iterandam, & ad hanc reſpiciendam, cum quo conſiſtit, quod eadem expiatrix hoſtia alio modo offeratur, ut pretium illius his vel illis applicetur ubi ſemper fideles ad oblationem in cruce animos & ſpem conjiciunt. Hæc Calvinus optimè norat, ſed fictis calumniis, cùm alia non haberet, ſacrificium Miſſæ impetere blaſphemè præſumpſit.

XXXII. Nihilominus pro coronide aliam blaſphemiam imponit §. 7. dicens: *Sacram cœnam, inqua Dominus paſſionis ſuæ memoriam inſculptam formatámque reliquerat, erecta miſſa è medio ſublatam, inductam & deperditam; ſiquidem cœna ipſa donum Dei eſt, quod cum gratiarum actione accipiendum erat; ſacrificium miſſæ pretium Deo numerare fingitur, quod ipſe in ſatisfactionem accipiat: Quantum intereſt inter dare & accipere, tantum à Sacramento cœnæ, ſacrificium differt, &c.* hæc Calvinus.

XXXIII. Reſp. negando, quod per ſacrificium Miſſæ memoria paſſionis Chriſti cœnæ à Chriſto inſculpta è medio tollatur; nam & ſacrificium Euchariſtiæ in memoriam paſſionis Chriſti celebratur: prout in Canone dicitur, *unde & memores tam beatæ paſſionis*, &c. *offerimus divinæ majeſtati tuæ, &c.* & idem ſacrificium per modum victimæ in Cœna à Fidelibus in memoriam paſſionis ſuſcipitur. Ad probationem de differentia inter dare & accipere ſupra ad Lutherum reſponſum eſt. concedimus enim, quòd aliud ſit Sacramentum quatenus à Deo nobis datur in cibum, & aliud ſit idem Sacramentum, quatenus donum à Deo datum ipſi offertur, ut ſacrificium in ſatisfactionem non ex nobis ſed ex meritis Chriſti qui præcipuè offert, ſacerdos autem ut Miniſter Chriſti offert, prout Chriſtus inſtituit & ordinavit cùm dixit: *Hoc facite in meom commemorationem.* prout ex S. Scriptura & SS. Patribus probatum eſt.

XXXIV. Demum Calvinus, dum in Patribus tutum refugium non invenit, fingit ſe tutiùs in S. Scriptura inventurum quod minimè invenit: dicit enim ibidem §. 11. *Nihil tutiùs piis pectoribus fuerit, quàm in pura ſimplicique Dei ordinatione perſiſtere; cuius etiam ideo vocatur cœna, quoniam ſola hic eius authoritas vigere debet.*

Reſp. Hoc ipſum etiam Eccleſia Catholica XXXV.
profitetur, quòd ſola Chriſti ordinatio & authoritas vigere debeat, ſed negatur; quod Chriſtus non ordinaverit ſacrificium miſſæ in ultima cœna. Calvinus §. 12. id probare volens, dicit: *Si quis expendat hoc diſcrimen inter Moſaica ſacrificia & Euchariſtiam noſtram verbo Domini ſtatui obſervabit, quod quum illa eandem mortis Chriſti efficaciam populo Iudaico repræſentarint, quæ nobis in cœna hodie exhibetur; diverſa tamen fuerit repræſentationis ſpecies. Siquidem illi ſacerdotes Levitici, quod peracturus erat Chriſtus ſacrificium iubebantur præfigurare: ſiſtebatur hoſtia, quæ vicem ipſius Chriſti ſubiret, erat Altare, in quo immolaretur, ſic denique gerebantur omnia, ut ob oculos poneretur ſacrificii effigies quod Deo in expiationem offerendum erat. At peracto ſacrificio aliam nobis rationem Dominus inſtituit, nempe ut fructum oblati ſibi à Filio ſacrificii, ad populum fidelem transmittat; menſam ergo nobis dedit, in qua epulemur, non Altare; ſuper quod offeratur victima; non ſacerdotes conſecravit qui immolent, ſed miniſtros qui ſuum epulum diſtribuant, &c.* hæc Calv

Reſp. verum eſt, quòd diſcrimen ſit inter ſa-
crificia Moſaica & Euchariſticum noſtrum juxta XXXVI.
verbum Dei, & ſimul verum eſt, quod ſacrificia Moſaica erant vera ſacrificia. & tamen præfigurabant ſacrificium Crucis à Chriſto in expiationem offerendum; unde omnis expiatio dependet, & hæc bene Calvinus tradit, & Eccleſia cum SS. Patribus profitetur; ſimiliter quod peracto ſacrificio Dominus aliam rationem nobis inſtituerit, ut fructum oblati in Cruce ſacrificii ad populum transmittat, etiam verum eſt; ſed quod nulla alia diſtinctio ſit patet falſum: nam etiam fructum in cruce adhuc peragendi ſacrificii Dominus antiquis Patribus contulit, niſi Calvinus velit illos ſine merito Crucis ſanctificatos & juſtificatos eſſe: in hoc paritas, quod fructus Crucis tam in veteri lege quàm nova à Deo Fidelibus datus ſit; ſed in hoc diſparitas, quod ipſi ſacrificia offerebant, & altare habebant, in quo offerebantur plures hoſtiæ Deo, & ſignificabant ſacrificium futurum in Cruce, unde omnis expiatio.

In nova autem lege Dominus menſam inſtituit, ex qua non carnes taurorum & immolatorum ſumeremus, ſed veram Chriſti carnem, quæ jam nata & in cruce oblata fuit, & tunc tantùm figurari poterat futura. Menſam dedit Dominus in qua epulemur, verum eſt, ſed falſum eſt, quod non dederit Altare, ſuper quod offeratur victima eadem, quæ in Cruce oblata eſt, ſed tale altare inſtituit, & ſacerdotes tales conſecravit in ultima cœna, qui eandem victimam incruento modo in omni loco jugiter immolarent, non in novam expiationem, ſed in memoriam oblationis in Cruce peractæ & ad applicandum fructum expiationis in Cruce obtentæ. Eadem igitur & menſa eſt & altare. Altare quatenus in illo ſacrificium Euchariſtiæ Deo Patri offertur; menſa eſt, quatenus ex illa Fideles Euchariſtiam participant, ſicut & apud gentiles eadem & menſa erat, ex qua idolo ita participabant, & altare in quo dæmoniis ſacrificabant; Hoc ſatis clarè indicat Apoſt. 1. Cor. 10. v. 21. dicens Fidelibus: *Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ*

Digitized by Google

dæmoniorum, ubi v. 18. dixerat, nónne, qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris? Et quidē expreſsè indicat, quòd utrobique per menſam intelligat Altare, ſcilicet per menſam dæmoniorum, in qua dæmoniis immolabatur, & cujus oblatorum Gentiles participes fiebant: per menſam Domini verò, in qua Domino immolatur ùt in altari, & ejus, ut menſæ, fideles participes fiant.

CONCLVSIO.

I. ITaque fideles Catholici cum SS. Patribus in pura & ſimplici Dei ordinatione conſiſtunt & acquieſcunt, cujus authoritate credunt, quòd ſicut in veteri lege Deus ordinaverit ſacrificia vera ſibi offerenda, quibus Dei honorem teſtarentur, & ſimul ſacrificium crucis præfiguraretur, ex quo omnis peccati expiatio dependebat: ſic Dominus in nova lege exiſtens in ultima Cœna ordinaverit unicum ſacrificium in omni loco offerendum ad Dei honorem & in memoriam ſacrificii in cruce oblati, per quod ſicut & alia media illius fructus populo fideli applicaretur.

II. Quòd autem Dominus ita inſtituerit, copiosè ex S. ſcriptura oſtenſum eſt; Eccleſia ſe in hac Dei fundat authoritate; ſed fideles in ſubſidium fidei etiam teſtimonia SS. Patrum adhibent, ut eò clariùs pateat; quod non tantum moderna, ſed etiam antiqua Eccleſia ſic S. Scripturam intellexerit. Calvinus autem de teſtimoniis Patrum diffiſus, nullum etiam in S. ſcriptura refugium: ſed potiùs reprobationem invenit, tutius eſt ergo Fidelibus in ipſa S. ſcriptura inſiſtere, & in illo ſenſu S. Scripturam intelligere, quem SS. Patres crediderunt, & Eccleſia antiqua ſemper docuit; & juxta illum ſenſum ſacrificium Euchariſtiæ in Eccleſia celebrârunt, Altaria conſtituerunt, & ſacerdotes ordinârunt: quod quidem ex SS. Patrum tam Græcorum, quàm Latinorum primitivæ Eccleſiæ libris nimis clarum eſt, prout in præmiſſis oſtenſum eſt. Cæterum hanc fuiſſe Eccleſiæ antiquæ etiam Græcæ ſententiam & praxin quoad ſacrificium Miſſæ præter teſtimonia SS. Patrum relata, etiam ex doctrina & praxi Eccleſiæ Græcæ, poſtquam ab Ann. 800. ab Eccleſia Romana ob falſum de proceſſione Spiritus S. dogma ſe ſeparaverat, clariſſimè patet.

III. Nam; etſi Græci Eccleſiam Romanam in multis falsò accusârint, quaſi à vera fide defeciſſet; & præcipuè, quoad dogma prædictum, in quo tamen Acatholici Romanæ Eccleſiæ conſentiunt; nunquam tamen illam quoad doctrinam de ſacrificio Miſſæ accusârunt vel damnârunt; quod utique feciſſent, ſi Eccleſia Romana in hac doctrina à primitiva Eccleſia defeciſſet: conſtat autem è contrario, quòd Græci etiam, poſtquam ab Eccleſia Romana defeciſſent, doctrinam de ſacrificio Miſſæ eandem cum Romana tradiderunt; prout ex poſterorum Græcorum per ſingula ſecula libris & teſtimoniis videre licet; & ex ipſorum Patrum profeſſione, in Concilio Florentino circa annum 1430. & alibi factâ, evidens eſt.

IV. Et quidem eandem Græcos uſque in hunc diem amplecti patet ex illis, quæ lib. 4. de ſchiſmate Græcorum relata ſunt: patet itandem ex *Ieremia Conſtantinopolitano Patriarcha* apud Coccium ed. Col. 1601. tomo 2. l. 6. art. 4. circa Annum 1580. ad quem Acatholici cupientes fraternitatem cum Græcis habere, ſcripſerunt. Ipſe autem reſponſ. 1. c. 13. ſic profitetur dicens: *Dominus noſter Ieſus Chriſtus totã quam ſalutis noſtræ cauſam ſuſceperat, œconomia ſeu diſpenſatione in terra abſoluta, antequam ad ſuum Patrem aſcenderet, reliquit nobis ſacrificium ſeu Miſſam,* & infrà: *Quantum enim inde commodi emergat, & quantopere hæc verenda* SACRIFICIA *apud Deum delicta noſtra expient, ipſe imprimis iam olim manifeſtè demonſtravit Deus, &c.* ubi conſequenter totam Miſſæ actionem refert & exponit; & ſubdit dicens: *Honorabilia hæc dona in ipſum Dominicum tranſmutantur corpus, quæ ſacrificium antecedunt, ſignificant ea, quæ mortem* (Chriſti) *præeſſerunt, adventum, ſcilicet Domini exhibitionem, perfectam manifeſtationem; quæ verò ſequuntur promiſſionem Patris annunciant. In hac tota ſacra actione velut una imago eſt unius corporis & ſummæ totam Salvatoris inter homines converſationem continentis, &c.* hæc Jeremias.

Demum nimis per viva teſtimonia certum eſt; quòd Græci uſque in hodiernum diem Miſſæ ſacrificium per certos Sacerdotes non tantùm quoad ceremonias, ſed etiam quoad ſacrificium corporis & ſanguinis Domini celebrant & frequentent. V.

Videat jam & judicet ſincerus lector, an Calvinus verbum Dei allegârit, ut ibidem §. 1. jactitabat? ubi clariſſimè legatur vel dicatur, quod nullum ſit in Eccleſia Chriſti frequentandum verum Euchariſtiæ Sacrificium; ſed quod tale foret in contumeliam Chriſti, & obliteratorium mortis ejus, ac deſtructivum ſacrificii crucis; Hæc nullibi leguntur, ſed ex ſanctis S. ſcripturæ verbis per falſiſſimas conſequentias & per falſiſſimas calumnias ipſe blaſphemias illas tremendo ſacrificio miſſæ blaſphemè affinxit, ut ſuas blaſphemias tegeret, quales revera in Chriſtum, & tremendum ab ipſo inſtitutum ſacrificium evomuit; ut autem veritas Catholica & Acatholicorum falſitas pateat; ſequentes Antitheſes proponuntur. VI.

ANTITHESES,

In quibus doctrina Eccleſiæ Romanæ de Sacrificio Euchariſtiæ iuxta Eccleſiæ primitivæ praxim cum eadem doctrina conformitas, & Acatholicorum difformitas proponitur.

PRima: *Primitiva Eccleſia* in liturgiis diverſarum Eccleſiarum profeſſa eſt; quòd Euchariſtia Deo offeratur; ut hoſtia pura, hoſtia immaculata, hoſtia ſancta, ut verendum & incruentum ſacrificium, ut ſacrificium acceptabile, &c. *Ita etiam Eccleſia Rom. Cath. moderna* profitetur & exercet.

Acatholici negant abſolutè, quòd Euchariſtia ùt hoſtia Deo offerenda ſit; imò hoc idololatriæ damnant.

2. *S. Andreas Apoſtolus* profeſſus eſt; quòd quotidie Deo immolarit in Altari crucis non taurorum carnes, *&c.* ſed immaculatum agnum; cujus carnes licèt populus manducaverit, agnus tamen integer perſeveret: *Ita etiam profitetur Eccleſia Romana:*

Aca-

Digitized by Google

Acatholici negant quòd aliquis præter Chriſtum in Altari à Cruce diſtincto offerat verum ſacrificium Corporis Chriſti.

3. *SS. Patres in Concilio Niceno* profeſſi ſunt; quòd in ſacra menſa ponatur Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, qui ſine mactatione à ſacerdotibus immolatur. *Ita etiam profitetur Eccleſia Romana.*

Acatholici id deteſtantur & negant.

4. *SS. Patres profeſſi ſunt*: quòd ſacrificent Deo plenum & horrorem afferens ſacroſanctum ſacrificium, ſacrificent novo more ſecundum novum teſtamentum hoſtiam mundam, *ita etiam Eccleſia Rom.* profitetur.

Acatholici negant id de Euchariſtia fieri.

5. *SS Patres docuerunt*: quòd in Eccleſia Chriſti ſanctum & tremendum, quod in Altari poſitum eſt, ſit ſacrificium; quod ſoli ſacerdotes ad hoc electi Deo offerant vice Chriſti, qui illud ſacrificium in ſacerdotibus offert. *Ita etiam docet Eccleſia Rom.*

Acatholici hæc negant & damnant.

6. *SS. Patres tradiderunt*: quòd ſacerdotes in Eccleſia ſacrificium horrore & reverencia pleniſſimum perficiant, & communem omnium Dominum manibus pertractent in Euchariſtia; quæ nullius alteriùs quam ſacratis ſacerdotum manibus efficiatur. *Ita etiam docet Eccleſia Rom.*

Acatholici id negant.

7. *SS. Patres teſtati ſunt* quòd ſacrificium illud, quod in Melchiſedech primùm apparuit, nunc à Chriſtianis offertur Deo toto orbe terrarum, quod omnium oculis videri poſſit. *Ita agnoſcit Eccleſia Romana.*

Acatholici id negant.

8. *SS. Patres tradiderunt*: quòd in primitivâ Eccleſia fuerint certi electi & ordinati ſacerdotes, qui ſacrificium Euchariſtiæ offerrent; & per hos Chriſtus illud perficiat. *Ita etiam agnoſcit Eccleſia Romana.*

Acatholici hæc deteſtantur.

9. *SS. Patres docuerunt*: quòd nulli mulieri, ne quidem B. Virgini commiſſum fuerit Deo ſacrificare, ſed ſoli Apoſtoli & ab ipſis conſtituti ſacerdotes ſacrificantes per terram, fuerint. *Ita etiam Eccleſia Romana*

Acatholici volunt, quòd in Eccleſia Chriſti nullum ſit ſacrificium verum Euchariſtiæ, ſed tantum orationum *&c.* quod abſque dubio B. Virgini & aliis mulieribus etiam competebat & competit.

10. *SS. Patres docuerunt*: quòd ſacerdotium ab Aaron translatum ſit ad ordinem Melchiſedech, & quod hoc in Eccleſia vigeat à Chriſto huc uſque; dum non amplius ſemen ſecundum ſucceſſionem ad ſacerdotium eligitur, ſed forma ſecundum virtutem quæritur. *Ita etiam agnoſcit Eccleſia Rom.*

Acatholici hæc negant.

11. *SS. Patres docuerunt*; quod omnes quidem Chriſtiani dicantur ſacerdotes, quia membra ſunt unius ſacerdotis Chriſti, de quibus Apoſtolus Petrus dicit. *Regale ſacerdotium*: ſed propriè in Eccleſia ſint & vocentur ſacerdotes ſoli Epiſcopi & presbyteri, qui ſacrificium Euchariſtiæ offerunt. *Ita etiam docet Eccleſia Rom.*

Acatholici tales ſacerdotes negant & deteſtantur.

12. *SS Patres teſtantur*: quòd in Eccleſia primitiva paſſim fuerint Altaria conſtructa Deo Martyrum, ubique gentium in regione Romanorum, Perſarum, Indorum; non autem Martyribus; in quibus immolabatur Deo Martyrum. *Ita etiam Eccleſia Rom* practicat.

Acatholici altaria deteſtantur & evertunt.

13. *SS. Patres teſtantur*: quòd in Eccleſia ſoli ſacerdotes divinum Altare accedant Altari & ſacrificiis ſervientes; quod Altare nihil aliud ſit, quam ſedes Corporis & ſanguinis Chriſti; ſub quo reliquiæ Martyrum ſervabantur; & ſuper quod Corpus Domini offertur. *Ita etiam credit & practicat Eccleſia Romana.*

Acatholici hæc negant & deteſtantur; ſed volunt, quòd in cæna Domini ſolum ſit menſa, ex qua fideles Euchariſtiam percipiant; quæ nullo modo in altari offeratur.

14. *SS. Patres aſſeruerunt*: quod tempore ſacrificii Angeli ſacerdoti aſſiſtant, & locus Altaris vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus ſit; idque credendum ſit ex tanto ſacrificio, quod peragitur. *Ita etiam credit Eccleſia Romana.*

Acatholici blaſphemè dicunt, quòd ibi peragatur ſacrificium Dæmoniorum.

15. *SS. Patres referunt & deteſtantur*, Arianos & alios hæreticos, qui Altaria in Eccleſia evertebant, pedibus calcabant, & Diaconos Altaria defendentes cruentabant; de quibus SS. Patres dicebant quòd Iudæos eſſent imitati, qui injecerunt manus in Chriſtum in Cruce, ſed illi Chriſtum percutiant in Altari. *Ita etiam Eccleſia Catholica* arguit illos qui Altaria evertunt.

Acatholici moderni imitantur, imò excedunt Arianos, Novatianos, & alios; non ſolùm evertentes Altaria, ſed dicere auſi: quod in illis non Deo, ſed Dæmoniis ſacrificetur; ubi SS. Patres juxta S. ſcripturam crediderunt & docuerunt quod ſacroſanctum & tremendum Corporis & ſanguinis Chriſti ſacrificium Deo Patri offeratur.

Videat hæc, & judicet ſincerus Lector, an Acatholici imitatores ſint SS. Patrum primitivæ Eccleſiæ an potiùs antiquorum hæreticorum? & tamen quidam Acatholici SS Patres pro ſuâ opinione ſed potius perfidia ſtare, jactitare non erubeſcunt.

CAPUT VI.

De Sacrificio Missæ, ut est propitiatorium.

ARTICULUS I.

Referuntur errores Acatholicorum.

I. HActenus actum est de sacrificio Missæ seu Eucharistiæ in genere; an sit verè & propriè dictum sacrificium, ad quod sufficit, ut ad honorem Dei à legitimis Ministris offeratur; quod sacrificio Eucharistiæ ex institutione Christi convenire, ex vaticiniis Prophetarum, ipsis verbis Christi & Apostoli, ac SS. Patrum testimoniis demonstratum est.

II. Sunt autem varii generis sacrificia etiam propriè dicta, ùt patet in veteri testamento, præsertim in Levitico, ubi præscribuntur diversa genera sacrificiorum; utpote 1. *Holocausta*, quæ de pecoribus fiebant ad contestandam solam divinam Majestatem; ac tota cremabantur seu adolebantur Levit. 1. 2. alia dicebantur *sacrificia pro peccatis*; quæ varia erant, pro diversitate peccantium vel ex scientia vel ignorantia; aut qualitate personarum delinquentium, ùt pat. Levit. cap. 4. 5. & 6. & hæc etiam *propitiatoria* dicuntur; quia propter hæc Deus propitius fiebat illis pro quibus offerebantur, ut dicitur Cap. 4. v. 20. 3. dicebantur alia *sacrificia pacifica*: quorum aliqua erant pro gratiarum actione de beneficiis acceptis; aliqua ex voto vel sponte pro beneficiis accipiendis; ut habetur ibidem Cap. 7 & hæc *impetratoria dicuntur*. Apostolus autem ad Hebr. cap. 5 universaliter asserit, quod omne sacrificium offeratur Deo pro peccatis dicens: *Omnis pontifex pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.*

III. His præmissis quæstio est; an sacrificium Eucharistiæ non solùm sit holocaustum tantum ad Dei cultum & honorem exhibendum & consumendum, sed etiam propitiatorium & impetratorium tam pro ipso offerente, quam pro aliis; sive vivis, sive defunctis.

IV. Quantum ad primitivam Ecclesiam, præter Manichæos, qui omne sacrificium in veteri & novo testamento damnabant ex falso intellectu verborum Dei; *Misericordiam volo & non sacrificium*, ut refert August. lib 20. contra Faustum cap. 16. & 17. præter hos, inquam, non leguntur fuisse hæretici, qui negàrint sacrificium Eucharistiæ, vel absolute, vel etiam propitiatorium vel impetratorium pro vivis; sed fuerunt *Aëriani* qui negabant hoc sacrificium pro defunctis offerri debere; ex quo colligitur quod pro vivis offerendum crediderint. De *Aërio* refert Epiphanius hæresi 57. in libro Anacæphalæosis dicto edit. Basil 1560. sic dicens: *Aerius multa contra Ecclesiam docuit, fide quidem existens Arianus perfectissimus, verum amplius docet, non oportere offerre pro iis qui obdormierunt.*

August lib. de Hæres. cap. 53. sic dicit: *Aëriani ab Aerio quodam sunt, qui cum esset presbyter, doluisse fertur, quod Episcopus non potuit ordinari, & in Arianorum hæresin lapsus, propria quoque dogmata addidisse nonnulla dicens: orare vel offerre pro mortuis oblationem non oportere, &c.* hæc Aug.

V. *Damascenus* etiam lib. de Hæresibus §. *Aëriani* idem de Aërio refert, dicens: *Aërius*, &c. *Arianorum nulli secundus adierit quædam de suo, negat enim quicquam offerendum esse pro mortuis*, &c.

Verùm *Lutherus* & *Calvinus* illorùmque sectatores, licèt in aliquo sensu concedant Eucharistiam esse sacrificium, scilicet: quatenus distribuitur & manducatur ad Honorem Dei, & etiam in recordationem ac gratiarum actionem pro beneficiis ex passione Christi acceptis, prout omnia alia opera pia fieri possunt; negant tamen ideo Eucharistiam esse propriè sacrificium; & hoc verum est, si hoc solum Eucharistiæ competeret, quia hoc non sufficit ad sacrificium propriè dictum, ut hactenus ostensum est: sed ipsi negant; quod Eucharistia, antequam distribuatur vel manducetur, ex institutione Christi à sacerdote legitimè ad id ordinato Deo offeratur; quod tamen hactenus probatum est. Secundò & maximè negant ac detestantur; quod Eucharistia sit propitiatorium, sensitivum seu pro impetratione remissionis peccatorum vel aliorum beneficiorum aut illis aliis sive vivis sive defunctis Deo offeratur vel offerri possit: In quo Aerianos longè superant.

ARTICULUS II.

Refertur & exponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ.

DOctrinam Ecclesiæ Catholicæ proponit Concil. Trid. sess. 22. cap. 2. his verbis: *Et quoniam in divino hoc sacrificio, quod in missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruentè obtulit; docet S. synodus sacrificium istud verè propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde & recta fide, cum metu & reverentia contriti ac pænitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio oportuno. Hujus quippe oblatione placatur Dominus gratiam & donum pænitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit; una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, solum offerendi ratione diversa: cujus quidem oblationis cruentæ inquam fructus per hanc uberrime percipiuntur; tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur. Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pænis, satisfactionibus & aliis necessitatibus: sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis rite, juxta Apostolorum traditionem offertur.* I.

hæc ibi sic ibid, can. 1. definitur: *Si quis dixerit in missa non offerri Deo verum & proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.*

Et Can. 3. *Si quis dixerit Missæ sacrificium esse*

tan-

Digitized by

tantum laudis & gratiarum actionis, aut nudum commemorationem ſacrificii in Cruce peracti; non autem propitiatorium: vel ſoli prodeſſe ſumenti; neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, & ſatisfactionibus & aliis neceſſitatibus offerri debere, anathema ſit.

Iterum can. 4. *Si quis dixerit blaſphemiam irrogari ſanctiſſimo Chriſti ſacrificio in Cruce peracto per Miſſæ ſacrificium, aut illi per hoc derogari, anathema ſit.*

II. Vt autem Catholica veritas & Acatholicorum calumniæ magis pateant; ſciendum 1. quòd Concilium non dicat, ut quidam Acatholici falsò ex Can. 3. inferunt, quaſi Euchariſtiæ ſacrificium non ſit inſtitutum ad laudem & gratiarum actionem, aut in commemorationem ſacrificii Crucis; hoc enim falſum eſt, ſed Concilium docet: quod non ſolum tale ſit ſacrificium, ſed quod præter hoc quod eſt ſacrificium laudis & gratiarum actionis, & commemorativum ſacrificii Crucis, etiam ſit propitiatorium: ſic enim in Canone Miſſæ ſacerdos ſemper dicit: *Pro quibus tibi offerimus hoc ſacrificium laudis, &c.* & peracta conſecratione recitat verba Chriſti: *Hæc quotieſcunque feceritis in meam commemorationem facietis. Vnde & memores nos & tam beatæ paſſionis,* &c. *offerimus præclaræ majeſtati tuæ,* &c.

III. Sciendum ſecundò, quod prædicta ſint in eodem ſacrificio compoſſibilia: ut idem ſit ſacrificium laudis & gratiarum actionis ac propitiatorium pro peccatis ac impetratorium pro beneficiis, *&c.* hoc enim clariſſimum eſt in ipſo excellentiſſimo ſacrificio à Chriſto in Cruce peracto: cui uni omnia illa excellentiſſimè competunt. Cum itaque ſacrificium Euchariſtiæ inſtitutum ſit ad illius memoriam, ut ſcilicet illud per hoc repræſentetur, & illius virtus fidelibus applicetur: huic etiam ſimilia competunt: & hoc SS. Patres agnoverunt, quod omnibus veteris legis ſacrificiis unicum in lege nova Euchariſtiæ ſacrificium ſucceſſerit, & ſupra ex SS. Patribus oſtenſum eſt; ſpecialiter ex illo Auguſtini lib. 1. contra adverſar. legis & prophet. cap. 18. ubi dicit: *quod totum fideles in Euchariſtiæ ſacrificio ſciunt; cujus umbra fuerunt omnia priorum genera ſacrificiorum.* Cum itaque in veteri lege fuerint vera ſacrificia proprie dicta etiam propitiatoria, licet eſſent umbræ ſacrificii Crucis & Euchariſtiæ; ſic etiam ſacrificium Euchariſtiæ verè & propriè eſſe poteſt ſacrificium etiam propitiatorium; licet ſit etiam repræſentativum ſeu commemorativum ſacrificii Crucis.

IV. Sciendum tertiò, quod maxima ſit differentia inter ſacrificium Crucis & Euchariſtiæ; nam, licèt utrobique ſit eadem res oblata ſcilicet Corpus & ſanguis Chriſti; & etiam idem principalis ſacerdos ſeu offerens Chriſtus; modus tamen offerendi & efficacia plane diverſa ſunt: nam in Cruce Chriſtus in propria perſona & ſpecie ſe ipſum realiter & immediatè offerebat; realiter fundens ſanguinem, & exiſtens viator proprie merebatur omnem gratiam & remiſſionem: ſatisfaciebat pro peccatis totius mundi, ita ut virtus & effectus illius ſacrificii ſit infinitus abundantiſſimè pro omnibus, ut novâ propitiatione tali & impetratione meritoria opus non ſit: verum quia virtus Crucis immediatè non ſingulis hominibus una vice, ſed pro diverſo tempore diverſis applicatur; quæ applicatio fit etiam per virtutem Crucis, ſed mediantibus aliis inſtrumentis ſeu modis, ut per Sacramenta, per orationes, *&c.* Sic Chriſtus ipſe ad dexteram Patris ſedens non de novo meretur gratiam, ſed interpellat ut applicetur virtus Crucis his vel illis, ut ſic ſalventur, ut exprimit Apoſtolus Hebr. 7. v. 25. dicens: *Vnde & ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum apud Deum, ſemper vivens ad interpellandum pro nobis.* Ità ut licet Chriſtus ſola unica interpellatione à Patre impetrare poſſit, ut ſingulis hominibus virtus paſſionis applicaretur; hoc tamen Deo Patri & ipſi placitum non fuit: & ideo ſemper interpellat uſque ad diem judicii.

Sicut itaque Chriſtus Sacramenta inſtituit, per quæ virtus Crucis applicaretur; ita etiam hoc ſacrificium inſtituit, ut eadem virtus applicaretur, non quidem per unicum ſacrificium, prout per unicum in Cruce meruit, ſed per ſingula jugiter offerenda; ut in Eccleſia ſemper eſſet viſibile ſacrificium, quo Eccleſia Deum coleret & Religionem profiteretur, & diverſis pro diverſo tempore prodeſſet. V.

Sciendum quartò, quòd, licet ex ordinatione Chriſti ac ipſius meritis & bonitate ſacrificium hoc independenter à bonitate miniſtri ſuum proprium effectum habeat, ſicut etiam Sacramenta: diverſitas tamen eſt inter hoc ſacrificium & Sacramenta; quod hæc immediatè tanquam inſtrumenta Chriſti promerentis & Dei efficientis conferant gratiam ſolis illis, qui illa ſuſcipiunt & ideo Sacramenta, quà talia, aliis non ſuſcipientibus non proſunt: ſacrificium vero immediatè Deo offertur; non ut per illud immediatè dona conferantur, ſed ut per illud à Deo impetrentur; ut Deus illis dona conferat, pro quibus offertur: ſicut per orationes à Deo beneficia obtinentur; ideo Concilium ſupra Can. 2. non dicit, quod per hanc oblationem homo juſtificetur vel gratiam accipiat ſicut per Sacramenta; ſed quod Deus hujus (incruentæ hoſtiæ) oblatione placatus gratiam & donum pœnitentiæ concedat, & peccata dimittat: ita ut hæc oblatio à Deo impetret, quatenus virtus Crucis his vel illis à Deo applicetur & dona conferantur; vel pœnæ remittantur, vel pœnitentia & contritio donetur, per quæ remiſſionem peccatorum in vel extra Sacramentum conſequatur. VI.

Sciendum quintò, quòd in Miſſa diverſæ fiant actiones, quarum aliquæ non ſpectant ad ſubſtantiam ſacrificii quod celebratur, ſed ex Apoſtolorum & Eccleſiæ ordinatione additæ ſunt; ut ſunt orationes & plurima alia, quæ bonæ vel malæ ſunt juxta ſacerdotis ſtatum & intentionem; ac ſic etiam merentur vel demerentur ſicut alia bona opera vel aliæ orationes impetrant. Aliquæ autem actiones ad ipſam ſacrificii ſubſtantiam pertinent, utpote, quod ſacerdos conſecret Euchariſtiam, ſcilicet ex pane & vino Corpus Domini per verba Chriſti, & hæc ſic conſecrando, & exterius mani- VII.

Digitized by Google

manibus ad Dei honorem tractando Deo Patri offerant. Ita ut Corpus & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini ſit res oblata, ſeu ſacrificium objectivum: at verò dictæ actiones ſint propriè oblatio ſeu ſacrificatio. quas actiones ſacerdos, ut Chriſti principalis ſacerdotis miniſter, exercet; ſicut Rex per legatos aliquid agit vel promovet.]

VIII Illa itaque ſacrificii actio immediatè eſt ipſius ſacerdotis, ſed mediatè & authoritativè ipſius Chriſti, qui per Miniſtrum Deo Patri ſeipſum offert; actio illa igitur in quantum eſt ipſius ſacerdotis bona & mala eſſe poteſt ac impetrare vel non impetrare: ſicut aliæ piorum orationes juxta ſacerdotis ſtatum; at verò in quantum authoritate Chriſti ex ipſius ordinatione actio ſacrificii exercetur ſemper bonitatem ſuam habet ex ipſo Chriſto prinpaliter offerente & ipſa hoſtia digniſſima; ſicut actio Baptizantis etiam mali virtutem habet ex Chriſto baptiſmum inſtituente ad effectum ſpiritualem independenter à bonitate baptizantis. ſicut autem baptizatus obicem ſæpe ponit; ut effectum Sacramenti non conſequatur; ita etiam ſæpe fieri poteſt; ut is pro quo ſacrificium offertur, non conſequatur à Deo illa, quæ pro illo in ſacrificio petuntur quod indicat Concil. Trid. ſupra Cap. 2. dicens: *Sacrificium iſtud veri propitiatorium eſſe, per ipſumque fieri, ut ſi cum vero corde*, &c. *ad Deum accedamus*, &c. *gratiam inveniamus*, ſic etiam poteſt ſacrificium offerri ad obtinenda beneficia temporalia; quæ ſi Deus novit alicui non expedire, ut tunc alia ipſi expedientia donet; vel, quia aliquis planè indignus eſt, non concedit. Quod itaque ſacrificium à Chriſto ſit inſtitutum non ſolum in gratiarum actionem & memoriam ſacrificii Crucis, ſed etiam ut propitiatorium ad impetrandum remiſſionem peccati & prædicta beneficia per merita ſacrificii Crucis; contra Acatholicos probabitur.

ARTICULUS III.

Quòd ſacrificium Euchariſtiæ ſit propitiatorium probatur ex S. Scriptura.

I. PRimò ex verbis Chriſti Luc. 22. v. 19. *Hoc eſt Corpus meum quod, pro vobis tradetur*, vel ut in Græco habetur, *quod pro vobis datur*. & 1. Cor. 11. juxta textum Græcum *quod pro vobis frangitur*, quod non poteſt intelligi de Corpore Chriſti in Cruce in propria ſpecie; cum ibi Corpus non ſit fractum ſed in Euchariſtia dicitur frangi ſub ſpecie panis, ut ſupra ex S. Chryſoſtomo oſtenſum eſt Cap. 3. art. 2. ſimiliter Luc. 22. v. 20. dicit Chriſtus *Hic eſt calix novum teſtamentum in meo ſanguine qui pro vobis effundetur*, ubi lectio Græca habet *qui pro vobis effunditur*, & ly *qui*, non refertur ad ſanguinem ſed ad calicem, ut ibidem oſtenſum eſt; adeoque ſanguis ut in calice ſub ſpeciebus vini contentus, effunditur & Matt. 26 v. 28. additur: *Qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*; quid autem aliud eſt dari pro aliis, quam offerri Deo pro aliis? Cùm itaque hactenus ex S. Scriptura probatum eſt; quod Chriſtus in ultima cæna verum ſacrificium juxta ordinem Melchiſedech obtulerit, ſcilicet Corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini; & Chriſtus dixit, quod illud obtulerit Patri pro multis in remiſſionem peccatorum; manifeſtum eſt, quod ſacrificium Euchariſtiæ non ſit tantum laudis & gratiarum actionis; ſed etiam propitiatorium pro multis, idque in ſpeciali in remiſſionem peccatorum, Cum autem Chriſtus præcepit; Ut Apoſtoli eorumque ſucceſſores idem faciant, quod ipſe in cæna fecit, manifeſtum eſt: quod ipſi etiam offerant ſacrificium illud idem in remiſſionem peccatorum; quo autem modo ſacrificium in remiſſionem peccatorum offeratur art. præced. declaratum eſt. non enim offertur in remiſſionem peccatorum quaſi per hoc ſacrificium de novo remiſſio peccatorum mereatur & ſacrificium Crucis ad hoc non ſuffeciſſet, hoc enim falſum eſt, ſed ſolum, ut impetretur applicatio meritorum Chriſti in Cruce ad hunc vel illum hominem, pro quibus omnibus Chriſtus in Cruce ſufficienter ſatisfecit & promeruit ſic virtus ſacrificii Crucis æterna & ſufficientiſſima eſt, cum quo conſiſtit, quod per ſacrificium Euchariſtiæ obtineatur à Deo Patre, ut huic vel illi virtus illa applicetur.

Probatur ſecundò, Sacrificium Euchariſtiæ eſſe propitiationem pro peccatis, ex illo Hebr. 5. v. 1. *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis*, &c. *& propterea debet quemadmodum pro populo ita etiam & pro ſemetipſo offerre pro peccatis*, &c. Ubi certum eſt quòd Apoſtolus illa non intelligat de ſolis ſacerdotibus veteris teſtamenti, ut Acatholici quidam volunt; alioquin non ex illa maxima & univerſali propoſitione inferre potuiſſet de Chriſto ſacerdote, quem negat eſſe ſacerdotem ſecundum ordinem Aaron; ſed ponit univerſaliter de omni ſacerdote. Exinde infert, quod quia Chriſtus à Patre conſtitutus eſt ſacerdos, etiam ſacrificium obtulit pro peccatis: hinc ſimiliter infertur, quod quia Chriſtus inſtituit in Eccleſia ſacerdotes & ſacrificium ut ſupra oſtenſum eſt, ſacerdotes tale ſacrificium pro peccatis offerant; non quidem remiſſionem de novo promerendo, ut dictum eſt, ſed impetrando, ut remiſſio per ſacrificium Crucis promerita, his vel illis populis applicetur, idque eo modo, quo Concil. Trid. ſuprà allegatum exponit. II.

Quod autem hoc ſacrificium Euchariſtiæ non ſolum pro vivis in cõmuni & in particulari eorumque peccatis & aliis neceſſitatibus; ſed etiam pro defunctis non plenè purgatis fidelibus offerri poſſit, ex Chriſti inſtitutione: conſtat ex traditione Apoſtoli. a quam SS. Patres teſtantur, ut patebit.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

Quòd sacrificium Eucharistiæ pro peccatis bene offeratur probatur ex sanctis Patribus.

I. PRimò quidem: Constat hæc veritas ex Liturgiis Ecclesiarum primitivæ Ecclesiæ, in quibus expresse habetur, quòd sacrificium Eucharistiæ pro peccatis populi offeratur, ut patet ex verbis Liturgiarum quæ cap. 4. art. 1. relata sunt, & specialiter in Liturgia Hierosolymitana sancti Jacobi, ubi sic dicitur: *Offerimus tibi venerandum hoc & incruentum sacrificium pro peccatis nostris & ignorantiis populi.*

II. In Liturgia S. Basilii sic dicit sacerdos: *Da Domine & pro omnibus nostris peccatis & populi tui ignorantia acceptabile & susceptibile fieri sacrificium nostrum*, &c.

In Liturgia Syriæ sic habetur: *Offerimus sacrificium hoc reverendum & incruentum ad abolendum delicta nostra*, &c.

In Liturgia Constantinopolitana S. Chrysostomi sacerdos dicit: *Fac nos dignos offerendo tibi preces & hostiam incruentam pro universo populo, pro peccatis nostris & ignorantiis*, &c.

In Liturgia Mediolanensi sancti Ambrosii, dicit sacerdos: *Deus placabilis & acceptabilis sit tibi hæc oblatio, quam pro me peccatore tibi offero*, &c.

III. Eandem veritatem tradunt Patres primitivæ Ecclesiæ, utpote *S. Martialis* discipulus sancti Petri circa Annum 90. in epistola ad Burdegalenses cap. 3. edit. Colon. 1618. sic dicit: *Sacrificium Deo Creatori offertur in ara non homini neque Angelo, nec solùm in ara sanctificata, sed ubique offertur Deo oblatio munda: sicut testatus est, cuius Corpus & Sanguinem in vitam æternam offerimus dicentes: Spiritus est Deus, & eos, qui adorant in spiritu & veritate oportet adorare. Ipse enim Corpus habens, in ara crucis ipsum permisit immolari: quòd autem Iudæi per invidiam immolârunt putantes se nomen eius à terra abolere, nos causâ salutis nostræ in ara sanctificata proponimus scientes hoc solo remedio vitam nobis præstandam; & mortem effugiendam. Hoc enim ipse Dominus noster iussit nos agere in sui commemorationem, &c.* hæc ille.

IV. *Alexander* primus apud Jod. Coccium Thes. Cathol. tomo 2. art. 4. 1601. in epistola ad Episcopus orthodoxos qui circa annum 109. Romæ Episcopus fuit sic scribit: *Ipsa veritas nos instruit, calicem & panem Sacramento offerre. Quando ait: Accepit Iesus panem, &c. Crimina enim atque peccata oblatis his Domino sacrificiis delentur. Idcircò & passio in hic commemoranda est, quâ redempti sumus, & sæpius recitanda atque hæc Domino offerenda. Talibus hostiis delectabitur & placabitur* (Deus) *peccatáque dimittet ingentia, &c.* hæc Alexander.

V. *Iustinus Martyr* in Dialogo cum Tryphone Judæo edit. Heidelberg. Hieron. Commel. 1503. *Simila quoque oblatio ô viri, dicebam pro eis, qui à lepra purgabantur, ut offerretur, tradita figura fuit panis Eucharistiæ: quem in recordationem passionis, quam pro his sustinuit hominibus, quorum animi ab omni purificantur pravitate IESVS CHRISTVS Dominus noster facere præcepit.* Ubi per facere intelligit offerre ut patet ex contextu.

Origenes Homiliâ 13. in cap. 23. Levit. edit. Basil. 1557. circa verba illa; *& sumetis similaginem*, de panibus propositionis loquens, sic ait: *Videtur præceptum dari, ut sine cessatione isti duodecim panes in conspectu Domini proponantur: ut & memoria duodecim tribuum apud eum semper habeatur, quo veluti exoratio quædam & supplicatio per hæc pro singulis fieri videatur. Sed parva satis & tenuis est huiuscemodi intercessio, &c. sed si referantur hæc ad mysterii magnitudinem, invenies commemorationem istam habere ingentis repropitiationis effectum; si redeas ad illum panem, qui de cœlo descendit, & dat huic mundo vitam: illum panem propositionis, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in Sanguine eius: & si respicias ad illam commemorationem, de qua dicit Dominus;* Hoc facite in meam commemorationem: *invenies quòd ista est commemoratio sola, quæ propitium faciat hominibus Deum. Si ergo intentiùs ecclesiastica mysteria recorderis, in his quæ lex scribit, futuræ veritatis invenies imaginem præformatam, &c.* hæc ille, ubi clarè supponit, quòd sacrificium panum propositionis propitiatorium præfiguravit verum illud sacrificium panis illius qui de cœlo descendit; quod Christus instituit per verba, *hoc facite, &c.* ut sit commemorativum passionis Christi & verè propitiatorium. VI.

Cyprianus edit. Antwerp. 1568. in sermone de Cœna Domini, Anno 250. *Ex quo, ait, à Domino dictum est: Hoc facite in meam commemorationem, hæc est caro mea, hic est Sanguis meus: quo sacrificium his verbis & hâc Fide actum est panis iste substantialis & calix benedictione solemni sacratus ad totius hominis vitam salutémque proficit simul medicamentum, &c. ad sanandas infirmitates & purgandas iniquitates existens, &c.* hæc Cyprianus. VII.

Cyrillus Hierosolymitanus editione Colon. 1564. catech. 5. mystagogica Anno 370. sic ait: *Deum benignissimum oramus, ut super illa proposita Spiritum Sanctum emittat, ut panem quidem faciat Corpus Christi, vinum verò Sanguinem Christi: omnino enim, quod attigerit Spiritus Sanctus; hoc sanctificatur & transformatur, deinde verò postquam confectum est illud spirituale sacrificium & ille cultus incruentus super ipsa PROPITIATIONIS HOSTIA. obsecramus Deum, &c.* hæc ille. ecce quàm clarè dicat, sacrificium propitiatorium & incruentum nominat; quod noster anonymus deridet. VIII.

S. *Athanasius Magnus* idem supponit apud Damascenum: nam Damascenus in sermone de Defunctis circa medium per Joannem OEcolampadium ex Græco translato edit. Basil. 1575. refert verba sancti Athanasii ex sermone etiam de defunctis scripto, dicens: *Insuper & Athanasius in sermone illo undecunque concinno, quem in eos, qui obdormierunt scripsit; scitè dixit: Si quis diem obierit, licèt in aërem deponatur inhumatus, ne omiseris oleum & ceram invocato Christo Deo, ad sepulchrum accendere: accepta enim Deo sunt; plurimámque secum referunt retributionem; oleum enim & cera holocaustum est, incruentæ autem hostiæ abolatio (oοία) propitiatio est.* hæc Athanasius apud Damascenum. IX.

Ambrosius edit. Paris. 1569. tomo 1. lib. 1. de Offic. cap. 48. sic ait: *Ante Agnus offerebatur, offere-* X.

ferebatur vitulus. Nunc Christus offertur quasi homo, quasi recipiens passionem, & offert se ipse quasi sacerdos, ut peccata nostra dimittat, &c.

Idem eâdem editione in exhortatione ad virgines: *Te nunc*, ait, *Domine, precor, ut super hanc domum tuam, supra hæc Altaria, quæ hodie dedicantur, super hos lapides spirituales*, &c. *quotidianus præsul intendas*, & infrà: *Fiet tibi in odorem sanctificationis omne sacrificium, quod in hoc templo fide integrâ, piâ sedulitate defertur, & cùm ad illam respicis hostiam salutarem per quam peccatum huius mundi aboletur, respicias etiam ad has piè hostias castitatis, &c*, hæc ille.

XI. *Hieronymus* ad cap. 1. Epistolâ ad Titum, editione Basil. 1553. *Si Laicis*, ait, *imperatur; ut propter orationem abstineant se ab uxorum coitu, quid de Episcopo sentiendum est, qui quotidie pro suis populique peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas?* &c.

Similiter lib. 1. adversus Jovinianum, cap. 19. apud Coccium tomo 2. art. 4. 1601. dicit: *Si Laicus & quicunque fidelis orare non potest, nisi careat officio coniugali; sacerdoti, cui semper offerenda sunt pro populo sacrificia semper orandum est.*

XII. *Chrysostomus* lib. 6. de Sacerdotio edit. Basil. 1558. paulò post initium de sacerdotis dignitate agens, sic dicit: *Eum enim qui pro civitate tota quid dico de civitate? imò pro universo orbe terrarum legatus intercedit, deprecatórque est apud Deum, ut hominum omnium non viventium modo, sed etiam defunctorum peccatis propitius fiat, qualem quæso esse oportet?* hæc ille.

XIII. Demum *Augustinus* lib. 3. Quæstionum in vetus Testamentum edit. Basil. 1528. quæst. 57. in Levit. sic ait: *Sed cùm Dominus dicat, nisi manducaveritis Carnem meam & biberitis meum Sanguinem, non habebitis vitam in vobis; quid sibi vult, quòd à sanguine sacrificiorum quæ pro peccatis offerebantur tantopere populus prohibetur, si illis sacrificiis unum hoc nostrum sacrificium significabatur; in quo vera fit remissio peccatorum; à cuius tamen sacrificii sanguine in alimentum sumendo non solùm nemo prohibetur, sed ad bibendum omnes potiùs adhortantur qui volunt habere vitam?* hæc August. ubi clarè loquitur de sacrificio Eucharistiæ, in quo Sanguis Christi etiam sub specie panis semper sumitur.

XIV. Similiter Augustinus eâdem editione tomo 7. loquitur lib. 1. contra Cresconium Grammaticum cap. 25. ubi contra illum ex certis S. Scripturæ testimoniis volens probare Baptismum hæreticorum, licèt sit in se bonus, tamen ab illis malè usurpari, ostendit: quòd homo possit optimis Dei donis abuti, inter alia sic dicit: *Quid de ipso corpore & Sanguine Domini unico sacrificio* (nota) *pro salute nostra, quamvis ipse Dominus dicat: Nisi quis manducaverit Carnem meam, & biberit Sanguinem meum, non habebit in se vitam? Nonne idem Apostolus docet etiam hoc perniciosum male utentibus fieri, ait enim: Quicunque manducaverit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini. Ecce quemadmodum obsunt divina & sancta male utentibus cur non hoc modo & Baptismus?* hæc August. ubi clarè patet, quòd loquatur de Eucharistiæ sacrificio, quòd sit pro salute nostra.

XV. Idem sermone 11. de Sanctis qui est 4. tomo decimo eâd. editione de sanctis Innocentibus sic ait: *Quid reverentiùs? quid honorabiliùs dici potest? quàm sub illa ara requiescere, in qua Deo sacrificium celebratur, in qua offeruntur hostiæ, in qua Dominus est Sacerdos sicut scriptum est: Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Rectè sub Altario iustorum animæ requiescunt, quia super Altare Corpus Domini offertur. Nec immeritò illic iusti vindictam Sanguinis postulant; ubi etiam pro peccatoribus* (nota) *Christi Sanguis effunditur. Convenienter igitur & quasi pio quodam consortio ibi martyribus sepultura decreta est, ubi mors Domini quotidie celebratur, sicut ipse ait: Quotiescunque hæc feceritis, mortem meam annunciabitis donec veniam, &c.* hæc ibi, quomodo clariùs dici possit, quòd sacrificium Eucharistiæ verum Deo offeratur, quotidie in templo super Altare sub quo sanctorum Martyrum reliquiæ conduntur? & in hoc sacrificio supponit, quòd Sanguis Christi pro peccatoribus effundatur scilicet in calice, de quo Christus ipse dixit: quòd calix Sanguinis eius in remissionem peccatorum effundatur.

Ex his Liturgiarum & sanctorum Patrum testimoniis clarissimè patet; quòd in primitiva Ecclesia firmiter creditum fuerit, ipsum Eucharistiæ sacrificium non solùm verum esse & commemorativum sacrificii crucis, sed etiam propitiatorium, ut pro peccatis jugiter in Ecclesia offeratur. XVI.

Nunc ostendendum est ex SS. Patribus: quòd hoc sacrificium sit propitiatorium tam pro vivis & eorum necessitatibus, quàm pro defunctis.

ARTICULUS V.

Quòd sacrificium Eucharistiæ offerendum sit tam pro vivis eorúmque necessitatibus, quàm fidelibus defunctis probatur ex praxi primitivæ Ecclesiæ & testimoniis sanctorum Patrum.

HOc ipsum in primis constat ex Liturgiis variarum Ecclesiarum primitivæ Ecclesiæ, quorum verba partim præcedenti art. partim Cap. 4. art. 1. relata sunt: in quibus expressè dicitur, quòd sacerdos sacrificium offerat non tantùm pro tota Ecclesia in generali, sed etiam in speciali pro diversis.

Idem supponunt & tradunt sancti Patres in præcedenti art. allegati, quibus accedunt alia testimonia, quæ in particulari docent; quòd pro vivorum salute & etiam pro temporalibus eorum beneficiis & necessitatibus ac pro defunctorum Fidelium requie sacrificium hoc offeratur.

Clemens Romanus lib. 6. Constit. Apostol. Cap. trigesimo, editione Colon. 1569. sic ait: *Convenire in cœmiterio sacros libros in iis legentes,* III.
& psallentes, pro iis qui dormierunt martyribus atque omnibus Sanctis, qui à sæculo fuerunt, próque fratribus nostris, qui in Domino obierunt, & antitypum regales Corporis Christi, acceptabilémque Euchari-

Digitized by Google

charistiam offerte in Ecclesiis & cæmiteriis vestris, &c. hæc Clemens.

IV. *Dionysius Areopag.* Pauli discipulus apud *Damascenum* serm. quòd qui in Fide hinc migrârunt, sacris operationibus & vivorum beneficiis multùm juventur. edit. Basil. 1575. sic asserit: *Sanctorum preces etiam in ista vita, & non tantùm post mortem, prodesse iis solis, qui digni sunt, ut pro eis sanctæ preces fiant, nempe fidelibus. Ubi per id quod ait: Non tantùm post mortem, nihil aliud intelligendum, quàm quantò magis post mortem? Et post pauca* scilicet dicit Dionysius: *Neque enim unquam postularet sacer præsul, qui divinæ iustificationis est Doctor, quæ Deo scirет non esse gratissima, & quæ largiturum se ille nequaquam promisisset. Et ideo pro prophanis & Baptismate non illustratis, si defuncti fuerint, preces eis non facit. Et iterum. Sanctus itaque Antistes petit, quæ divinitùs promissa sunt, & quæ grata Deo, & quæ omnino daturum credit.* His subdit Damascenus: *Vides adversarie, quo pacto confirmet preces pro his, qui in sancta spe defuncti, esse apprime utiles.* hæc Damascenus referens verba Dionysii.

V. *Tertullianus* editione Basil. 1562. lib. ad Scapulam, cap. secundo sic ait: *Itaque & sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro & ipsius,* &c.

Idem eâdem editione lib. de Corona militum cùm cap. 1. ostendisset: non omnia, quæ de Fide certa sunt, esse in sacra Scriptura expressa cap. 2. ostendit: quòd etiam ex traditione multa creduntur dicens: *Quomodo enim usurpari quid potest, si priùs traditum non est?* & sibi objicit dicens: *Etiam in traditionis obtentu exigenda est, inquis, authoritas scripta.* Respondet: *Ergo quæramus, an & traditio non scripta non debeat recipi? planè negabimus recipiendam, si nulla exempla præiudicent aliarum observationum, quas sine ullius Scripturæ instrumento, solius traditionis titulo, exinde consuetudinis patrocinio vindicamus. Denique ut à Baptismate ingrediar aquam adituri ibidem,* &c. *contestamur, nos renuntiare diabolo,* &c. *ampliùs respondentes quam Dominus in Evangelio determinavit oblationes* (nota) *pro defunctis pro natalitiis annuâ die facimus,* &c. *frontem crucis signaculo terimus, &c.* plurimis enarratis cap. quarto sic concludit: *Harum & aliarum huiusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum nullam invenies: traditio tibi prætendetur auctrix; consuetudo confirmatrix; & Fides observatrix, &c.* hæc Tertullianus, ubi patet, quòd Tertulliani tempore consuetudo fuerit in Ecclesia, ut offerretur sacrificium pro defunctis, idque de Fide observatum fuerit, & ex traditione utique Apostolica provenerit; quam consuetudinem Ecclesia postero tempore non incepit, sed ex traditione Apostolica inceptam conservavit & confirmavit.

VI. *Cyprianus* editione Antwerp. 1568. libro primo, epistolâ nonâ sic ait: *Episcopi antecessores nostri, religiose considerantes & salubriter providentes censuerunt; ne quis frater excedens ad tutelam vel curam clericum nominaret; ac si quis hoc fecisset non offerretur pro eo, nec pro dormitione eius sacrificium celebraretur,* & infrà: *Ideo victor cùm contra formam nuper à Sacerdotibus datam geminum Faustinum ausus sit tutorem constituere; non est, quod pro dormitione eius apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua in Ecclesia eius nomine frequentetur, &c.* hæc Cyprianus.

Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 5. mystag. editione Colon. 1563. sic ait: *Postquam confectum est illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus, super ipsa propitiationis hostia; obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis & afflictis; & in summa pro his omnibus, qui egent auxilio,* &c. *cùm hoc sacrificium offerimus. Postea facimus mentionem etiam eorum, qui ante nos obdormierant,* &c, *maximum credentes* (nota) *esse animarum iuvamen; pro quibus offertur obsecratio sancti illius & tremendi, quod in Altari positum est, sacrificii,* &c. *Nos enim pro defunctis precationes adhibentes, quamvis sint peccatores non quidem coronam plectimus, sed Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus; ut nobis & illis eum, qui est benignissimus, PROPITIUM reddamus,* hæc Cyrillus. quid clariùs pro veritate Catholica de antiquæ Ecclesiæ praxi dici potest? ubi simul exprimit, quòd Christus in cruce pro peccatis nostris sit mactatus ad obtinendam plenam remissionem omnium peccatorum quorumcunque: & quòd in Eucharistia idem offeratur, ut Fidelibus in particulari merita crucis applicentur, seu ut Deus his vel illis propitius reddatur, quod non fit omnibus, pro quibus Christus passus est. VII.

Idem *Damascenus* ubi suprà eâdem editione ad idem propositum allegat *Gregorium* Theologum in oratione funebri ad Cæsarium fratrem, &c. & postea dicit: *Accedat etiam ad hos sapientissimus Gregorius Nyssenus,* dicens: *Nihil absque ratione & utilitate à prædicatoribus & discipulis Christi traditum, & in omnibus Ecclesiis Dei prædicatum. Res autem modis omnibus utilis, & Deo inprimis grata, in divinis præclarísque sacris operationibus, eorum qui in recta Fide decesserunt, manifestam facere memoriam, &c.* hæc Gregorius apud Damascenum. VIII.

Constantinus Magnus in epistola ad Episcop. Tyri collectos apud Jodocum Coccium tomo secundo Thesaur. Cathol. articulo quarto editione Colon. 1601. sic scribit: *Et vos qui eius divinitati pro nobis sancta debetis offerre mysteria, nihil nisi quod ad contentiones inducat & odia, operamini, &c.* Ubi supponit praxin Ecclesiæ, quòd sacrificium pro Regibus offeratur. IX.

Athanasii testimonium de sacrificio pro defunctis apud Damascenum vide suprà Articulo præced. X.

Idem in Responsione ad quæstionem trigesimam quartam ad Antiochum editione Paris. 1581. sic ait: *Nisi aliqua beneficia participarent ex illo, non utique in cura & exequiis fieret commemoratio. At sicut vitis floresсit extrà in agro, & odorem sentit in vase vinum reclusum, sicque conflorescit, etiam ipsum: ita quoque peccatorum animæ piorum precibus, & bonis operibus consolantur, &c.* hæc Athanas.

Gregorius Theologus seu Nazianzenus apud Coccium tomo 2. art. 4. Thes. Cathol. 1601. orat. 30. in electione Eulalii Doarensium Episcopi habita sic ait: *Et postea manus has sursum ad Deum tendes, postea dona offeres, postea orationes pro populo fundes, &c.* hæc ibi. XI.

Ambrosius tomo 3. editione Paril. 1569. in Epistola ad Faustinum de morte sororis sic scribit: *Ego non tam deplorandam* (sororem) *quam orationibus prosequendam reor, non mœstificandam lachrimis, sed magis oblationibus* (nota) *animam eius Deo commendandam. &c.* hæc ille.

XIII. *Chrysostomus* lib. 6. de Sacerdotio præced. art. allegatus est quòd *Sacerdos sit deprecator apud Deum, ut omnium non viventium modo, sed etiam mortuorum peccatis propitius fiat.*

Idem Hom. 69. ad pop. Antiochen. edit. Basil. 1558. paulò post initium sic ait: *Non temere hæc ab Apostolis* (nota) *sancita fuerunt ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio: sciunt enim illis inde multum posse contingere lucrum* (nota) *utilitatem multam, cùm enim totus constiterit populus extensis manibus sacerdotalis plenitudo & tremendum proponatur* (nota) *sacrificium quomodo Deum non exorabimus pro his deprecantes*, &c. hæc ibi.

XIV. *Damascenus* eandem Chrysostomi sententiam ferè iisdem verbis refert, cùm unum locum Chrysostomi pro defunctorum precibus recitâsset, sic subjungit: *Et iterum in alio sermone*, scilicet *dicit* Chrysost. *Excogitemus quomodo & defunctis prosimus, demus eis præsens subsidium eleëmosynas* (*inquam*) *& oblationes quæ res ipsis commodum lucrum & utilitatem magnam adfert. Non enim temere in Ecclesia Dei à sapientißimis suis discipulis sancita sunt hæc & tradita, ut sacerdos in tremendis mysteriis preces faciat pro fidelibus defunctis, inde enim eis multùm commodi & utilitatis provenit, &c.* hæc Chrysost. apud Damascenum.

Idem Chrysostomus Hom. 27. in Acta Apostol. eâdem editione sic ait: *Ideo in mysteriis invicem salutamus, ut multi unum efficiamur, & communes pro non initiatis preces effundimus & pro infirmis* (nota) *& terra & maris & universi orbis fructibus sacrificamus, &c.* hæc ibi.

XV. Concludat *Augustinus* qui passim tradit, quòd sacrificium Eucharistiæ pro variis populi necessitatibus & Fidelium defunctorum requie in Ecclesia offerri solitum fuerit.

Et quidem quoad privatas etiam necessitates patet ex verbis illius lib. 22. de Civ. Dei, Cap. 8. circa medium edit. Basil. 1528. ubi sic ait: *Vir tribunitius Hesperius qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum Cubedi appellatum ubi cum afflictione animalium & servorum suorum domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogavit nostros me absente, presbyteros; ut aliquis eorum illò pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit unus, obtulit ibi sacrificium* (nota) *Corporis Christi, orans quantum potuit ut cessaret illa vexatio, Deóque protinus miserante cessavit, &c.* hæc August. Ecce si contra vexationes dæmonum & pro liberatione domûs sacrificium Eucharistiæ offerri solitum testetur Augustinus & per illud Deus concesserit; multò magis pro salute & aliis Fidelium necessitatibus offerebatur.

XVI. Pro defunctis Fidelibus tam in communi, quàm in particulari sacrificium oblatum fuisse tempore D. Augustini patet ex iis, quæ scribit lib. 9. Confess. tomo 3. editione eâdem cap. 11. de Matre sua Monica; quæ post extasin ad se rediens sic Augustino & fratri dixit: *Ponite hoc corpus ubicunque, nihil vos eius cura conturbet: tantùm illud vos rogo, ut ad Domini Altare memineritis mei, ubi fueritis.* Et ne hoc mulieris privatæ opinioni tribuatur, quod tamen dici nequit, cùm Augustinus supponat id matrem ex communi Ecclesiæ sententia dixisse, ipse nihilominus cap. 12. tomo eodem editione eâdem referens sepulturam matris ad Deum loquens sic dicit: *Nam neque in eis precibus quas tibi fudimus, cùm offerretur pro ea sacrificium* (nota) *pretii nostri iam iuxta sepulchrum posito cadavere priusquam deponeretur, sicut illic fieri solet, nec in eis precibus ego flevi,* hæc ibi.

Idem in Enchiridion tomo 3. eâdem editione cap. 110. sic ait: *Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viventium relevari; cùm pro illis sacrificium Mediatoris* (nota) *offertur, vel eleëmosynæ in Ecclesia fiunt*, &c. *Cùm ergo sacrificia sive Altaris sive quarumcunque Eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur; pro valde bonis gratiarum actiones sunt: pro non valde malis, propitiationes* (nota) *sunt, &c.* hæc ibi. XVII.

Idem lib. de Cura pro mortuis gerenda Cap. 1. editione eâdem tomo 4. sic ait: *In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parvâ hâc consuetudine claret authoritas, ubi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius Altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum, &c.* Ecce Augustinus hoc probat de sacrificiis veteris legis, quæ pro defunctis oblatæ sint, ex libro Machabæorum; quos supponit esse veram veteris testamenti Scripturam, licèt Acatholici negent; sed Augustino magis standum, de quo lib. 2. actum est; quantò magis sacrificium Eucharistiæ defunctis prodesit. Et hoc probat ex Ecclesiæ consuetudine. XVIII.

Rursus ibidem Cap. 18. tomo eodem ejusd. editionis sic concludit: *Quæ cùm ita sint, non existimemus ad mortuos, pro quibus curam gerimus pervenire: nisi quòd pro eis sive Altaris, sive orationum, sive Eleëmosynarum sacrificiis solemniter supplicamus, &c.* ubi clarè supponit sacrificium Altaris, distinctum ab orationibus & Eleëmosynis, quæ impropriè sunt sacrificia, prodesse defunctis. XIX.

Similiter supponit lib. 20. Civ. cap. 9. tomo 5. ejusdem editionis 1559. dicens: *Neque enim piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia; quæ etiam nunc est regnum Christi; alioquin nec ad Altare Dei fieret eorum memoria in communione corporis Christi*, &c. XX.

Idem supponit lib. 1. de Origene animæ tomo 7. ejusdem editionis cap. 9. dicens: *Quis enim offerat Corpus Christi nisi pro eis, qui membra sunt Christi*, &c.

Similiter ibidem Cap. 11. eâdem edit. tomo 7. sic ait: *Sed etiam, si hoc concedatur, quòd salvâ Fide Catholicâ & ecclesiasticâ regulâ, nullâ ratione conceditur, ut pro non baptizatis cuiuslibet ætatis hominibus offeratur sacrificium* (nota) *Corporis & Sanguinis Christi, tanquam per huiusmodi pietatem suorum ad Regnum cœlorum, quo perveniunt, adiuventur, &c.* ubi clarè supponit, quòd pro baptizatis defunctis offeratur.

Hoc exprimit serm. 17. de Verbis Apostoli tomo 10. ejusdem edit. sic dicens: *Habet Ecclesiastica disciplina, quod fideles noverunt, cùm Martyres eo loco recitantur ad Altare Dei, ibi non pro ipsis oretur; pro cæteris autem commemoratis defunctis oretur*, &c. XXI.

Simi-

Digitized by Google

Similiter tract. 84. in Joann. tomo 9. ejusd. edit. loquens de Martyribus sic ait: *Ideo quippe ad ipsam mensam* (Domini) *non sic eos commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis ut ipsi orent pro nobis, &c.* hæc ibi.

Demum lib. de S. Virginit. tomo 6. ejusd. edit. cap. 45. *Perhibet*, inquit, *præclarissimum testimonium Ecclesiastica authoritas, in qua fidelibus notum est, quo loco Martyres, & quo defunctæ sanctimoniales ad Altaris Sacramenta recitentur, &c.* hæc Augustinus.

CONCLVSIO.

I. EX his sanctorum Patrum testimoniis & antiquis Liturgiis manifestè constat: quòd Ecclesia universa primitiva non solùm pro Fidelibus defunctis oravit & eleëmosynas elargiri solita fuerit; sed ipsum sacrificium Eucharistiæ Corporis & Sanguinis Domini etiam in propitiationem tam pro salute vivorum, & eorum necessitatibus, quàm pro Fidelibus defunctis oblatum fuerit.

II. Constat etiam: quòd Ecclesia antiqua idipsum non ex aliquo Ecclesiæ statuto; sed ex Apostolica traditione habuerit, qui ex voluntate Christi id fieri posse & debere docuerint; prout inter alios Patres ex S. Chrysostomi testimonio patet.

III. Idipsum ab Apostolis ùt de Fide certum esse traditum ex illa D. Augustini regula constat lib. 4. de Baptismo cap. 24. tomo 7. ejusdem edit. ubi sic ait: *Et si quisquam in hac re authoritatem divinam quærat, quanquam quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur, &c.* hæc ibi.

Similiter lib. 1. contra Cresconium cap. 33. tomo eodem ejusdem edit. inquit: *Scripturarum à nobis tenetur veritas, cùm id facimus, quod universæ iam placuit Ecclesiæ, quàm ipsarum Scripturarum commendat authoritas; ut, quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit, huius obscuritate quæstionis eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat, &c.* hæc ibi.

IV. Cùm autem ex Liturgiis & sanctorum Patrum testimoniis constet: quòd ab initio per totam Ecclesiam observatum fuerit, ut sacrificium Altaris pro Fidelium vivorum salute & necessitatibus, ac defunctorum requie Deo oblatum fuerit; nec ullum Concilium assignari possit, ubi id primùm institutum sit, cùm Patres primi & secundi. & tertii sæculi ante Concilia, usum hunc in Ecclesia fuisse testentur, evidens est; quòd ex Apostolica traditione proveniat, ac de Fide credendum sit.

Quod ipsum utique Ecclesia antiqua censuit, cùm Aëtium negantem oblationes pro defunctis fieri debere, hæreseos damnavit, ùt Epiphanius & Augustinus articulo 1. relati testantur.

(*,*)

ARTICULUS VI.

Respondetur ad argumenta Acatholicorum contra sacrificium Missæ quatenus propitiatorium est.

LUtherus in S. Scriptura non reperiens, quod objiciat, variis calumniis usus est, & per quasdam falsas consequentias sacrificium Missæ oppugnare aggressus est; prout præcedenti Cap. articulo tertio ejus argumenta adducta & refutata sunt. I.

Aliud illis simile argumentum affert lib. de Captiv. Babyl. dicens: *Baptismus unius non prodest alteri, nec potest unus pro altero baptizari; ergo nec unus potest suscipere Sacramentum Eucharistiæ pro alio aut in utilitatem alterius: ac proinde nec Missa potest esse sacrificium propitiatorium pro aliis.*

Respond. negando ultimam Consequentiam: verum est enim, quòd nullum Sacramentum in ratione Sacramenti prosit ulli nisi illi, qui illud suscipit; quia ita Sacramenta à Christo instituta sunt, sic enim soli illi Baptismus prodest, conferendo gratiam adoptionis, qui illum suscipit: sic etiam Eucharistia in quantùm Sacramentum est institutum pro cibo spirituali animæ, solùm confert gratiam illi, qui Eucharistiam suscipit: sed sacrificii ratio alia est, quia est instar orationis quæ non solùm oranti prodest, sed etiam illis pro quibus oratur. Cùm ergo ex S. Scriptura ostensum sit, quòd Eucharistia non solùm ut Sacramentum sit institutum, sed etiam ut sacrificium: hâc ratione pro aliis propitiatorium esse potest. II.

Primarium argumentum Acatholici contra Eucharistiæ sacrificium ut propitiatorium adferunt ex verbis Apostoli ad Hebræos cap. 9. v. vigesimo tertio: *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* v. 28. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*, & v. vigesimo quinto: *Neque ut sæpe offerat semetipsum.* Et cap. 10. v. 10. *Sanctificati sumus per oblationem Corporis Iesu Christi semel.* Et v. 14. *Unâ oblatione consummavit in æternum sanctificatos.* Et infrà loquens de peccatis dicit v. 18. *Ubi autem horum remissio, iam non est oblatio pro peccato, &c.* Ex his inferre volunt, quòd nulla in Ecclesia restet oblatio vera, multò minùs propitiatoria; alioquin esset contra Apostolum & cederet in injuriam sacrificii crucis III.

Respond. ad hæc præced. cap. respondendo ad argumenta Calvini responsum est: & substantia in hoc consistit, quòd unica sit vera oblatio à Christo semel in cruce facta, per quam Christus plenariam omnium peccatorum veniam pro omnibus hominibus etiam ab initio mundi usque ad finem illis obtinuit & promeruit; ac proinde nullâ aliâ tali oblatione opus sit, alioquin Christus deberet sæpius pati, ùt ait Apostolus ibidem cap. 9. v. 26. dicens: *Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi, &c.* quia prò omnibus passus est. Et hoc modo Christus consummavit redemptionem pro omnibus, & talis oblatio non est facta sine sanguinis reali effusione. IV.

Cùm

Digitized by Google

Cum hac autem veritate consistit alia veritas; quòd dentur alia instrumenta à Deo ordinata, per quæ voluit; ut virtus & efficacia sacrificii crucis infinita, & pro omnibus hominibus sufficientissima, his vel illis Fidelibus applicetur, sicut per Sacramenta applicatur, illa sumentibus.

VI. Sic etiam Catholica Ecclesia juxta S. Scripturam credit, cum communi sanctorum Patrum sententia; quòd Christus instituerit sacrificium Corporis & Sanguinis sui sub speciebus panis & vini, in Ecclesia jugiter Deo Patri offerendum in memoriam sacrificii crucis, ut etiam per illud virtus crucis Fidelibus certis applicetur, tam pro remissione peccatorum, quàm aliis necessitatibus; non ut per illud denuò promerenda sit peccatorum remissio, quod Acatholici falsò imponunt, sed ut peccata huic vel illi remittantur virtute crucis & passionis Christi, quod nihil aliud est, quam ut Christus tanquam Sacerdos meritum sacrificii Deo Patri per ministros Ecclesiæ offerat ut Pater his vel illis Fidelibus propter merita passionis suæ peccata remittat, & alia dona largiatur; quod nullo modo Apostoli verbis contrariatur, nec virtuti crucis derogat æquè minus quàm quod Apostolus ibidem Cap. 7. v. 25. dicit: *Hic autem quod maneat in æternum sempiternum habet sacerdotium: unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum apud Deum semper vivens ad interpellandum pro nobis, &c.* Sicut itaque nullatenus virtuti passionis Christi derogat: quod ipse ad dexteram Patris sedens in perpetuum salvet electos ipsis virtute passionis à Patre quotidie impetrans salutem, & Patrem interpellet pro nobis; sic etiam nullatenus derogat, quòd Christus per sacrificium Eucharistiæ Patrem pro nobis interpellet, & virtus crucis applicetur.

VII. Ex his dissipantur tenebræ Acatholicorum, & eorum fictæ blasphemiæ præsertim Calvini; qui cùm varias blasphemias Ecclesiæ Catholicæ doctrinæ quoad sacrificium Missæ affinxisset prout præcedenti Cap. visum est: tandem blasphemè concludit lib. 4. Cap. 18. §. 14. dicens: *Quamobrem constituo sceleratissimum probrum & non ferendam esse blasphemiam tam in Christum quàm sacrificium, quo per mortem suam in cruce pro nobis defunctus est: si quis repetitâ oblatione de redimenda peccatorum venia de propitiando Deo & obtinenda justitia cogitet. At quid aliud missando agitur, nisi ut nova oblationis merito passionis Christi fiamus participes? &c.* hæc Calvinus.

VIII. Verùm Calvinus fraudulenter & mendaciter hæc contra sacrificium Missæ ex fictis suis blasphemiis infert: noverat ipse doctrinam Ecclesiæ Romanæ vel ex ipso Concilio Tridentino, qualiter Missæ sacrificium seu Eucharistiæ offeratur in remissionem peccatorum, & jam satis declaratum est. Profitetur Ecclesia Catholica quòd blasphemia esset in Christum & sacrificium ejus in cruce peractum, asserere: quòd opus esset novâ vel repetitâ oblatione, quâ remissio peccatorum seu venia promerenda esset; aut Deus propitiandus, aut justitia obtinenda eo modo, quo Christus in cruce illa promeruit; quasi illud sacrificium ad omnia illa non sufficeret; hoc damnat Ecclesia; sed cum hoc consistit verè; quòd nova oblatio in Ecclesia reperiatur, ut impetretur à Deo quatenus virtus, meritum, & efficacia crucis his vel illis Fidelibus applicetur; cùm certum sit, quòd præcisè per sacrificium crucis virtus illius non omnibus applicetur, pro quibus sacrificium illud oblatum est; cùm pro omnibus omnino hominibus, & peccatis totius mundi oblatum sit: nec tamen omnes homines salvantur, nec omnium hominum peccata remittuntur, nisi quibus per certa media Deus virtutem crucis applicat, prout Calvinus vult, quòd illis solùm applicetur, qui in Deum credunt, qui per Fidem remissionem peccatorum & justitiam Christi apprehendant.

Cùm ergo Calvinus dicit: *Quid aliud missando agitur, nisi ut novæ oblationis merito passionis Christi participes fiant*, si intelligat quòd nova oblatio meritum habeat à passione Christi independens, quo remissionem peccatorum & justitiam homines impetrent, id falsissimè imponitur Ecclesiæ: si autem intelligat, quòd actio sacrificandi, quæ in Missa exercetur, tanquam opus à Deo ordinatum in virtute passionis Christi mereatur & impetret ut virtus passionis applicetur, id verissimum est; nec ullo modo sacrificio crucis derogat, ut satis ostensum est. Quod & inde declaratur, quia certum est, quòd oratio justi valeat apud Deum, & impetret veniam & gratiam, non tamen ex se, sed ex virtute meritorum Christi & gratiâ Dei adjuvante: hoc autem multò magis valet in hoc sacrificio; ubi actio sacerdotis offerentis dupliciter spectatur: semel, ut est ipsius actio religiosa bona ab homine in gratia existente exercita, & sic meritoria est; quod tamen meritum nullo modo derogat meritis Christi in cruce, sed in illis fundatur, sine quibus nihil valeret. Aliter etiam actio sacrificantis impetrat à Deo veniam, non attendendo bonitatem vel malitiam ministri, sed institutionem Christi, qui talem actionem offerendi Eucharistiam ordinavit, ùt ex sua institutione & virtute meritorum crucis, & ob dignitatem tam excellentis hostiæ à Deo impetret, ut virtus crucis his vel illis applicetur; sicut Baptismus à qualicunque ministro collatus instrumentum est ad conferendam gratiam baptizato; ùt ex communi sanctorum Patrum sententia probatum est. IX.

Demum respond. ad aliam Calvini calumniam scilicet, cùm ibidem dicit: *Et ne ullus esset insaniendi modus, parum esse putaverunt si dicerent commune ex æquo fieri sacrificium pro tota Ecclesia; nisi adderent sui arbitrii esse, huic vel illi, cui vellent, particulariter applicare; vel potiùs cuicunque, qui talem sibi mercem numerato pretio emere vellet.* hæc Calvin. ubi sacerdotes Catholicos Judæ comparat. X.

Re autem: quòd Calvino nihil novum sit sic calumniari: si autem veritatem agnoscere voluisset, non sic debachatus esset. Constat ex veteri testamento, quòd sacrificia non tantùm in generali pro populo offerebantur, sed etiam in particulari pro diversis necessitatibus illorum, qui sacrificia petebant; nec in hoc peccabatur. Certum etiam est, quòd Fideles licitè Deum orant, non tantùm in generali pro Ecclesia ut per merita Christi velit esse propitius, XI.

Digitized by Google

vel hæc vel illa bona concedere; sed etiam oratio apud Deum valet juxta particularem intentionem, quâ orans pro hoc vel illo homine, hac vel illa necessitate Deum orat; sicut Apostolus suos Fideles rogabat, ut pro ipso orarent. Coloss. 4. v. 1. & 1. Thessalon. 5. v. 25. & 2. Thessalon. 3. v. 1. dicens: *Orate pro nobis, ut sermo Dei currat, & ut liberemur ab importunis & malis hominibus*: omnis autem oratio fundatur in meritis ac virtute sacrificii crucis, ut illa applicetur aliis. Si ergo non insanum, sed sanctum est Deum orare pro his vel illis in particulari; & sic in particulari applicare merita Christi his, qui specialiter desiderant, sicut Apostolus petebat: cur ergo insanum erit simili modo offerre Eucharistiam pro his vel illis in particulari? certum autem est, quòd eo ipso quo Christus sacrificium illud instituit à sacerdotibus offerendum, etiam voluerit ut rationabiliter & secundùm rectam intentionem offerrent tam pro Ecclesia in communi, quod semper faciendum est, quàm etiam in particulari pro his vel illis: sicut Christus in cruce non solùm in generali pro omnibus passus est & meruit, sed etiam pro his vel illis in particulari: quibus virtus crucis per sacrificium Missæ juxta intentionem sacerdotis applicari potest. Et hoc Christum ita voluisse constat ex doctrina Ecclesiæ antiquæ, quæ hoc sacrificium pro diversis in particulari offerendum docuit, ùt patet ex testimoniis SS. Patrum.

XII. Quòd autem Calvinus dicit, *Sacerdotis arbitrii esse huic vel illi applicare.* Si intelligat quòd rationabiliter in arbitrio sacerdotis sit, ut præter commune Ecclesiæ bonum etiam huic vel illi sacrificium applicet, nihil mali est; sed institutioni Christi conforme; sicut etiam in arbitrio est baptizantis, ut hunc vel illum baptizet, cui ex meritis Christi gratia detur: Si autem sacerdos perversè contra institutionem intendat; hoc sacrificio non derogat, si tamen intendat facere quod Christus ordinavit, tunc sacrificium ex vi sua virtutem habet, licèt sacerdos in particulari malè intendens, peccet.

XIII. Quòd demum calumniatur Catholicos sacerdotes, quasi ut *mercem numerato pretio, sacrificium his vel illis applicent & vendant*, mera calumnia est; nam nullo modo docet Ecclesia; ut sacrificium tanquam merces vendatur; quod impium esset, sicut Simon pretio sibi gratiam miraculorum seu Spiritum S. comparare volebat. Hoc ipsum expressit Concil. Trid. sess. 22. in decreto de observandis & evitandis in celebratione Missæ; ubi expresse prohibentur *cujusvis generis mercedum conditiones, &c. aliáque quæ à simoniaca labe vel certè à turpi lucro non longe absunt, &c.* hæc Concil. sed sacrificium gratis præstari debet, ita tamen, ut sacerdoti ab his, qui sacrificium specialiter desiderant, vitæ necessaria subministrentur, prout Apostolus ex sacerdotum veteris legis subsidio probat subsidium Ministrorum Euangelii 1. Cor. 9. v. 13. dicens; *Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt, & qui Altari deserviunt de Altari participant; Ita & Dominus ordinavit iis, qui Euangelium annunciant, de Euangelio vivere, &c.* hæc Apostolus. An ergo hi, qui de Euangelio vivunt, Euangelium ut mercem certo pretio vendunt instar Simonis? vel Christum vendunt, ùt Judas? cum his vel illis hoc vel in illo loco Euangelium prædicant, à quibus vitæ necessaria ipsis ministrantur? videant ergo Acatholici, qui se verbi Dei ministros volunt, unde vivant, an cum Juda & Simone verbum Dei vendant, dum certo & pingui exacto stipendio concionantur? ut autem veritas Ecclesiæ Catholicæ & falsitas Acatholicorum velut in speculo pateat, sequentes Antitheses proponuntur.

ANTITHESES,

In quibus doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ quoad sacrificium Eucharistiæ, ut est propitiatorium, cum antiqua Ecclesia doctrina conformitas; & Acatholicorum difformitas exhibetur.

1. Sancti Patres primitivæ Ecclesiæ juxta S. Scripturam docuerunt: quòd Christus unicâ in cruce oblatione pro peccatis totius mundi abunde satisfecerit, & gratiam & veniam pro omnibus promeruerit, ut ad hunc finem aliâ oblatione opus non sit. *Ita etiam Ecclesia Romana moderna.*

Acatholici in hoc consentiunt.

2. *SS. Patres primitivæ Ecclesiæ juxta sacram Scripturam docuerunt*: quòd, licèt Christus unicâ crucis oblatione omnem gratiam à Patre promeruerit, tamen sicut Sacramenta sic etiam sacrificium Eucharistiæ instituerit, ut per illa licèt diversimodè Deus virtutem crucis his vel illis applicare velit. *Ita etiam docet Rom. Ecclesia.*

Acatholici hoc negant.

3. *Ecclesia primitiva in Liturgiis professa est, & præscripsit*: quòd sacerdotes verendum & incruentum sacrificium pro peccatis & ignorantiis populi, & ad abolenda peccata tam ipsorum sacerdotum quàm aliorum offerant. *Ita etiam docet & profitetur Ecclesia Rom.*

Acatholici hoc negant & detestantur.

4. *SS. Patres juxta sacram Scripturam docuerunt*: quòd Christus sacrificium Eucharistiæ instituerit, non solùm ut passio Christi, quâ redempti sumus commemoretur, sed & Deus placaretur. *Ita etiam docet Ecclesia Romana Catholica.*

Acatholici hæc negant.

5. *SS. Patres juxta sacram Scripturam docuerunt*: quòd sacerdotes Christum in cruce pro peccatis nostris mactatum offerant, ut Deum sibi & aliis propitium reddant. *Ita etiam Ecclesia Romana.*

Acatholici id negant.

6. *SS. Patres juxta sacram Scripturam docuerunt*: quòd vacca quæ in veteri lege pro iis, qui elephontiâ laborabant, immolari jussa est, Eucharistiæ figura fuerit: quam Christus pro his, quorum animi à scelere expiarentur offerendam tradiderit. *Ita etiam Ecclesia Romana.*

Acatholici hæc negant.

7. *SS. Patres juxta sacram Scripturam docuerunt*: quòd in sacrificio Eucharistiæ vera fiat remissio peccatorum; quòd Corpus Domini supra Altare offeratur; sub quo Martyrum reliquiæ conduntur, ubi pro peccatoribus Sanguis Christi effunditur. *Ita etiam Ecclesia Romana.*

Acatholici hæc negant & detestantur.

8. *SS.*

Digitized by Google

8. *SS. Patres iuxta sacram Scripturam docuerunt:* quòd Eucharistia sit propitiationis hostia; & quòd incruentæ hostiæ oblatio sit propitiatio; ad quam Deus respiciens propitius fiat, ac peccata dimittat. *Ita etiam docet Ecclesia Rom.*

Acatholici id negant.

9. *SS. Patres iuxta sacram Scripturam docuerunt:* quòd sacrificium Missæ pro Regibus & aliis diversorum statuum hominibus ac eorum necessitatibus Deo offerendum sit. *Ita etiam Ecclesia Rom.*

Acatholici hæc negant.

10. *SS. Patres iuxta sacram Scripturam in libris Machabæorum docuerunt:* quòd pro defunctis sacrificium offerri possit: & quidem quòd sacrificium Eucharistiæ pro defunctis offerendum sit, Ecclesia ex Apostolica traditione & continua consuetudine habeat. *Ita etiam Ecclesia Rom.*

Acatholici hæc negant.

11. *SS. Patres docuerunt:* quòd ab Apostolis traditum fuerit, ut oblatio Eucharistiæ non pro infidelibus, sed pro Fidelibus defunctis non tamen pro Martyribus, offerenda sit. *Ita etiam Ecclesia Rom.*

Acatholici hæc negant.

12. *SS. Patres docuerunt:* quòd ecclesiastica disciplina habeat, & ecclesiastica authoritas præclarissimum testimonium perhibeat; ut ad Altare pro defunctis commemoratis oretur, unde illis magna utilitas proveniat. *Ita etiam Ecclesia Rom.*

Acatholici hæc negant & detestantur.

13. *SS. Patres testantur:* quòd Aërius existens verus Arianus, præter hæreses Arianas docuerit alias speciales ab Ecclesia damnatas, inter quas erat: quòd negaret oblationem pro defunctis offerendam esse. *Has Aërii hæreses etiam Ecclesia Romana damnat.*

Acatholici expressè hanc damnatam. Aërii manent hæresin profitentur & defendunt.

Ecce quales Acatholici in prioribus sæculis suæ doctrinæ, imò contradictionis habuerint patronos antecessores & magistros; in quibus & ipsi ab Ecclesia primitiva damnati sunt.

CONCLVSIO.

Ex his luce meridianâ clariùs patet Acatholicorum mendacium; dum dicere non verentur, quòd in primitiva Ecclesia oblatio Eucharistiæ pro Fidelibus vivis & defunctis ignota fuerit: imò quod Ecclesia primitiva talem oblationem damnaverit, multò minùs practicaverit & docuerit.

Patet etiam Calvini fraudulentia, dum lib. 4. Inst. cap. 18. §. 11. de sanctis Patribus ita ait: *Equidem cùm pium atque orthodoxum de toto hoc mysterio sensum retinuisse eos videam: neque deprehendam, voluisse unico Domini sacrificio vel minimum derogare, ullius impietatis damnare eos non sustineo, &c.* hæc Calvinus verè fraudulenter: quasi Ecclesia Romana moderna contra orthodoxum de hoc mysterio sensum doceret, & unico Domini sacrificio in pluribus deroget, quod falsissimum est: cùm eadem prorsus doceat, quæ SS. Patres de hoc mysterio docuerunt, & in minimo non deroget sacrificio crucis unico cum quo consistit sacrificium Eucharistiæ illius commemorativum, & illius virtutis applicativum; prout SS. Patres clarissimè docent, & ex præcedentibus constat. Si ergo SS. Patres in nullo impietatis damnandi sint, cur Calvinus ejusque sectatores Ecclesiam Romanam in eadem doctrina damnant? videat sincerus Lector fraudulentiam & malitiam Acatholicorum. Quid clariùs? quàm quod SS. Patres testantur Aërium in hoc hæreseos esse damnatum, quod negavit sacrificium Eucharistiæ pro defunctis esse offerendum. Et hoc ipsum Acatholici negant, & Ecclesiam Romanam impietatis damnant, quod sacrificium Eucharistiæ pro defunctis offerendum esse cum Ecclesia antiqua docet.

Deus misereatur eorum & illuminet corda eorum, ut veritati manifestæ acquiescant.

CAPVT VII.

De Missis privatis.

ARTICULUS I.

Referuntur errorus Acatholicorum.

I. Non inveniuntur aliqui, qui olim distinctionem inter Missas talem asseruerint; ut aliquas probarent, aliquas damnarent: sed post Annum 1050. extiterunt, qui omne qualecunque Missæ sacrificium damnârint, ut *Bogomitæ, Pseudo-Apostoli, VVicleff, &c.* prout cap. 1. art. 1. relatum est, quos *Calvinus* cum suis sequacibus est secutus; qui lib. 4. inst. cap. 18. §. 8. dicit: Missam esse Sathanæ inventum, ut per illud credatur remissio peccatorum obtinenda: sic ejus sectatores in catechismo Heidelberg. *Missam papalem in fundamento nihil aliud, quàm maledictam Idololatriam esse impiè dicunt.*

Lutherus distinctionem inter Missas invenit; ut unam tanquam privatam damnaret, alteram approbaret; ut convivium & publicam communionem: & publicam suâ authoritate illam dixit; in qua *Introitus, Kyrie eleison, Gloria in excelsis, orationes, Graduale, Sequentia, Euangelium, & Credo*, in templo cantantur. Omissis oblatione & canone toto, & Eucharistia populo distribueretur: Si aliter fieret, illas ùt privatas & illicitas reprobavit: verùm re ipsâ veram Missam, ut à Christo instituta est, damnare ausus est; quæ scilicet in ipsa Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini consecratione & oblatione consistit; quam Christus instituit, & Ecclesia semper agnovit, ùt hactenus ostensum est; & ideo Lutherus in colloquiis II.

convi-

Digitized by Google

convivalibus fol. 352. absolutè dicere non est veritus: *Turcas potius aut Tartaros tolerabo, quam ut Missa maneat: sed ipsa manet & manebit, quocunque ipse abierit.*

ARTICULUS II.

Refertur Doctrina Ecclesiæ Catholicæ.

I. Ecclesia Catholica docet; quòd Missa non solum quoad *Introitum, Kyrie eleison,* & reliqua quæ publicè in Missa cantantur, & in qua S. Eucharistia populo distribuitur, sit sancta & licita, ut Lutherani concedunt & practicant; sed etiam & quidem principaliter quoad consecrationem oblationem & consumptionē Sacramenti, Corporis & sanguinis Domini; eo quod quoad hæc à Christo sit instituta, quoad alia vero ab Apostolis & Ecclesia sit ordinata pro majore sacrificii reverentia: Et quidem non solum quando Missa publicè coram populo celebratur, & in ea Sacramentum Eucharistiæ fidelibus distribuitur, sed etiam in qua sive certa cantentur, sive legantur, sive populus adstet, sive non sit præsens solus sacerdos Sacramentum Eucharistiæ percipit, licita & sancta sit.

II. Hanc Ecclesiæ doctrinam proponit Concil. Trid. sess. 22. Cap. 6. his verbis: *Optaret quidem S. Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quoad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret: nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas & illicitas damnat, sed probat, atque adeò commendat, &c.* hæc ibi. & ibid. Can. 8. sic definit: *Si quis dixerit, Missas in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas, anathema sit.*

III. Pro majore intelligentia hujus doctrinæ sciendum primò quòd contra aliquos Catholicos, præsertim unum Episcopum volentem præscribere certa tempora (veluti dies Dominicos, quintam & sextam feriam) quibus tantum liceret viris laicis conjugatis, negotiatoribus & mulieribus etiam non conjugatis sanctissimam Eucharistiam sumere, ob irreverentiam, quam posset quotidiana hujus Sacramenti sumptio parere, Concilium illis verbis *optaret, &c.* declarare voluerit, quod omnes & singuli fideles Missæ adstantes quotidie sacramentaliter communicare possint, prout ex illis verbis constat & in declaratione in concilio adjuncta exprimitur, ubi additur; *Quia antiquo tempore peracta consecratione omnes adstantes sumebant Eucharistiam, & ideo licitum est, quotidie Eucharistiam sumere,* ut habetur Cap. Quotidie, de consecrat. dist. 2. *Quapropter exhortandi sunt fideles ut sicut quotidie peccant, ita quotidie medicinam accipiant,* ut habetur Cap *Si quotiescunque*, de consecrat. dist. 2: hæc in declaratione ad Concilium. De antiquo hoc usu dicetur infrà ex Ambrosio Chrysostomo & Augustino: ubi tamen notandum; quod antiquo tempore non semper nec ubique omnes adstantes communicabant; sed ut plurimum, prout infrà ostendetur: & quia successu temporis pietas multorum elanguit Ecclesia præcepit; ut omnes & singuli fideles, cùm ad annos discretionis pervenerint, singulis annis saltem in Paschate Sacramentum Eucharistiæ percipiant, prout in Concilio Lateranensi ordinatum est, & Concil. Trid. sess. 13 Can. 9. contrarium asserentibus anathema dicit: Nihilominus in eodem Concilio sess. 13. Cap. 8. sic habetur. *Demum paterno affectu admonet sancta Synodus hortatur, rogat & obsecrat,* &c. *ut omnes & singuli qui Christiano nomine censentur,* &c. *Hæc sacra mysteria Corporis & sanguinis ejus* (Christi) *ea animi devotione & pietate & cultu credant & venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipiant, &c.* hæc Concil.

Ex his patet Falsitas Calumniæ Chemnitii secundâ parte Exam. Concil. Trid. pag. 868. & aliorum Lutheranorum: qui ex verbis Concilii sess. 22. Cap. 6 allegantes inferunt; IV. quasi Concilium affirmârit fideles per spiritualem Eucharistiæ Communionem satisfacere institutioni & præcepto Christi de percipiendo Eucharistiæ Sacramento: solum enim illis verbis Concilium indicat, quod non omnes fideles Missæ adstantes semper teneantur sacramentaliter Eucharistiam suscipere; licet optaret id fieri; & hoc ipsum Acatholici fateri debent, & practicant, dum non omnes adstantes vel præsentes in sua Cœna ad Communionem astringunt; sed solum volentes & digni judicati communicant sicut etiam dum alicui morituro suam cœnam deferunt, non omnibus adstantibus illam præbent.

Sciendum secundò quòd, dum Concilium contra Acatholicos dicit: quod Missas illas, in V. quibus solus sacerdos communicat, non ut privatas & illicitas damnat sed probat; non intendit dicere, quod illa, vel aliæ aliquæ Missæ nullo modo dici possint privatæ; cùm in Missali sæpius dicatur, una Missa solemnis & alia privata; ut patet in rubricis generalibus Missalis §. *De commemorationibus*, & alibi sæpe, sed in sensu Acatholicorum, in quo illi privatam Missam opponunt Missæ communi, quasi privata nulli diceretur prodesse, nisi uni soli celebranti; hoc enim sensu nulla Missa est privata, sed omnis est communis toti Ecclesiæ & publica, ùt Concilium ibid. ostendit, & infra patebit.

Sciendum tertiò, quòd sacrificium Missæ VI. ob diversos fines à Christo sit institutum: Primus est, ut corpus & sanguis ejus sub speciebus panis & vini, Deo Patri à sacerdote offeratur tanquam victima pretiosissima in signum summi Dominii, & in memoriam oblationis ejusdem Corporis & sanguinis Domini in Cruce pro salute mundi cruenter factæ. Secundus ut applicetur meritum passionis Christi fidelibus in generali & speciali. Tertiò, ut fideles ex hac sanctissima victima participare possint, ad nutrimentum animæ, quotiescunque desiderant. licèt enim nullus alius quam sacerdos sacrificium offerre possit, alii tamen de oblato participare possunt; ut in antiquo Testamento clarum est, & sic dicebat Apostolus 1. Cor. 10. v. 18 *Nonne, qui edunt hostias, participes sunt altaris, &c* Quartus ut per sumptionem Eucharistiæ Ecclesia publicè protestetur cultum Deo debitum. Hæc omnia Ecclesia cōprehendit in illa Antiph. O sacrum Convivium, in quo Christus ipse sumitur &c.

Digitized by Google

VII. Sciendum quartò, quòd diversis modis Missa aliqua dici possit privata, primò *ratione loci*, ut si in privato loco, & non in templo celebretur. Secundò *ratione temporis* ut illa dicatur publica, quæ diebus Dominicis & festis, privata vero quæ diebus prophanis etiam in templo coram populo celebratur. Tertiò ex parte *particularis intentionis*, ut si aliqua servetur pro particulari alicujus hominis necessitate; ita tamen ut semper communis Ecclesiæ utilitas præsupponatur & comprehendatur, quæ sic privata dici posset respectu alterius, quæ solum pro communi Ecclesiæ bono vel omnibus fidelibus celebratur. Quartò *ratione paucitatis eorum* qui adstant Missæ, ut illa dicatur publica, ad quam populus expectatur, illa vero privata, ad quam populus non expectatur, sed celebratur sive plures adsint, sive unus tantum qui ministrat. Quintò: privatæ communiter dicuntur Missæ, quæ licet coram populo fiant, non tamen solemniter, sicut una, vel subinde duæ, ratione festi quæ solemnes proprie seu conventuales, vel majores, reliquæ autem etiam plures in eodem templo celebratæ, privatæ dicuntur. Sextò demum privata dicitur in qua solus sacerdos sacramentaliter communicat, sive plures fideles, sive unicus tantum adstet, & hujusmodi Missam Acatholici maxime detestantur ut patet apud Calvinum lib. 4. inst. Cap. 18. §. 7. in fine, sed Ecclesia approbat.

ARTICULUS III.

Quòd omnes & singulæ privatæ Missæ in Ecclesia celebrari solitæ sint bonæ & licitæ.

I. Probatur primò, *quoad Missam privatam ratione loci*, quæ extra templum publicum in loco privato vel conclavi celebratur; licet Ecclesia ordinariè id non permittat; quam Acatholici per contemptum angularem seu Winckelmess vocant. probatur tamen ab ipso exemplo primæ Missæ, quam Christus Dominus in privato cænaculo extra templum instituit & celebravit, ut patet Marci 14. vers. 15. & Apostoli *quotidie frangebant panem circa domos*. Act. 2. vers. 46. quod de S. Cœna omnes intelligunt, & deinceps à tempore Apostolorum usque ad S. Sylvestrum cum propter persecutiones nec Pontifices nec sacerdotes certo loco consistere possent, quocunque eos necessitas compulisset, sive in cryptas, sive in cæmiteria, sive in ædes piorum, ibi sacra faciebant, ut ex historiis patet, & ipsa ratio dictat: & licet post *Constantinum* templa publica Christianorum dedicarentur, tamen subinde in privatis domibus sacrificium Eucharistiæ offerebatur; ad quam praxin ostendendam sufficeret Augustini testimonium, qui lib. 22. de Civ. Dei Cap. 8. circa medium narrat: quod in domo privata Tribunitii à spiritibus malignis vim noxiam perpessa unus ex presbyteris sanctum Corpus Christi obtulerit, *&c.* cujus verba præced. Cap. relata sunt: quod certè factum non esset, nisi licitum fuisset & consuetum, ut in privatis domibus, præsertim ob certas causas sacrificium Corporis Christi offerretur.

Secundò *quoad tempus, ut non solùm diebus festis, sed etiam quotidie sacrificium Missæ celebrari liceat*, patet ex loco supra allegato Act. 2. vers. 46 *quotidie*, &c. *frangentes panem circa domos*, *&c.* Hoc ipsum constat ex verbis S. Andreæ in vita ipsius cum dixit Ægeæ proconsuli, *ego omnipotenti Deo, qui unus & verus est immolo quotidie, non taurorum carnes*, &c. *sed immaculatum agnum in altari Crucis*, *&c.* de quo supra Cap. 2. art. 3. actum est. Hanc primitivæ Ecclesiæ praxin fuisse constat ex S. Hyppolito qui in orat. de Anti Christo supra Cap. 2. art. 3. relata, inducit Christum suis sacerdotibus sic loquentem: *Venite Pontifices qui pure mihi sacrificium die noctuque obtulistis, ac pretiosum Corpus & sanguinem meum immolastis quotidie*, *&c.* hæc ille. II.

Sic *August.* epist. 23. ad Bonifacium circa finem edic. Basil. 1529. tomo 2. hunc ipsum Ecclesiæ morem supponit, dicens: *Nonne semel immolatus est Christus in seipso, & tamen in sacramento non solum per omnes paschæ solemnitates, sed omni die populis immolatur*, *&c.* hæc ille. III.

Idem supponit *Hieron.* Comment. in Cap. 1. ad Tit. apud Iod. Cocc. tomo 3. art. 4. 1601. dicens: *Quid de Episcopo sentendum est, qui quotidie pro suis, populiq́ peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas*, *&c.* hæc ille. Hoc etiam patet ex eo, quod SS. Patres fideles hortantur, ut quotidie sacramentaliter communicent; adeoque supponebatur quod sacrificium quotidie offerebatur, in quo communicare possent: Ex quibus praxis antiquæ Ecclesiæ patet. IV.

Tertio, quòd Missa præter generalem pro totius Ecclesiæ necessitate intentionem, etiam pro certis particularibus necessitatibus licite offerri possit: probatur primò ex ratione sacrificii soli Deo offerendi, quod quidem primario ad testandum & agnoscendum Deum summum bonum offerre debet, tamen etiam pro certis fidelium necessitatibus à Deo petendis offerri potest: quod patet in sacrificiis veteris legis, quæ tam pro gratiarum actione, quam pro particularibus necessitatibus offerenda à Deo erant ordinata, ut patet Levit. 7. vers. 1. *Hæc quoque lex hostiæ pro delicto, sancta Sanctorum est*, & vers. 11. *Hæc est lex hostiæ pacificorum quæ offertur Domino, si pro gratiarum actione oblatio fuerit, offerent panes absque fermento*, *&c.* & vers. 16. *Si voto vel sponte quispiam obtulerit hostiam*, &c. V.

Et quidem specialia sacrificia ordinata fuerunt, quæ sacerdos, si peccavit, offerret pro peccato suo ibid. Cap. 4. vers. 3. Sic etiam pro peccato Principis ibidem vers. 23. similiter Cap. 5. pro qualibet anima, quæ peccavit, sacrificia ordinantur. Cap. 6. etiam ordinatur sacrificium pro sacerdote in die unctionis suæ, *&c.* Iuxta hunc legis veteris morem David 2. Reg. ult à Gad Propheta monitus constituit Altare in Area Areona Iebusæi & in illo pro avertenda pestilentia obtulit holocausta & pacifica, *&c.* sic VI.

Digitized by Google

ſic 1. Eſdræ 6. v. 10. monentur ſacerdotes, *ut offerant oblationes Deo cœli, & orent pro vita Regis* (Darii) *& filiorum ejus.*

VII. Ex his ſic arguitur primò non eſt contra rationem veri ſacrificii, ſi pro particularibus neceſſitatibus offeratur, ùt patet ex præmiſſis, adeoque nec eſt contra rationem ſacrificii novi Teſtamenti, quod ſic offeratur; nec S. Scriptura prohibet. Nec ratio contrariatur.

VIII. Secundò pro illis omnibus & aliis pluribus neceſſitatibus poteſt offerri ſacrificium novæ legis, pro quibus ſingularia ſacrificia legis veteres offerebantur: hoc patet ex eo, quia omnia veteris legis ſacrificia tanquam umbræ præſignificarunt unicum ſacrificium novæ legis, ut SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt, ut ſupra cap. 2. oſtenſum eſt. ſufficiat hic Auguſt. lib. 17. de Civ. Dei Cap. 20 edit. Baſil. 1529. tomo 5. dicens: *Quid credibilius dicere intelligitur, quam quod ad participationem menſæ hujus pertinet, quam & ſacerdos ipſe mediator novi teſtamenti exhibet ſecundum ordinem Melchiſedech de Corpore & ſanguine ſuo? id enim ſacrificium ſucceſſit omnibus illis ſacrificiis veteris teſtamenti, quæ immolabantur in umbra, &c.* hæc Auguſt cum itaque ſacrificia legis veteris pro variis particularibus neceſſitatibus offerri poterant, utique hoc excellentiſſimum pro ſimilibus & aliis pluribus offerri poteſt.

IX. Tertiò probatur etiam ex eo: quia omnia quæ quoquo modo ſpectant ad bonum & utilitatem hominis fidelis referenda ſunt in gloriam Dei, & per Chriſtum petenda juxta illud 1. Corinth. [10.] verſ. 31. *Omnia in gloriam Dei facite*, & Coloſſ. 3. verſ. 17. *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. gratias agentes Deo & Patri per ipſum,*&c. at ſacrificium incruentum novæ legis habet virtutem ex ſacrificio Crucis, ut meritum Crucis fidelibus applicetur, prout ſuprà oſtenſum eſt; adeoque omnia per hoc ſacrificium à Deo peti poſſunt, quæ homini mediatè vel immediatè ad ſalutem deſerviunt: qualia ſunt plurima particularia, adeoque non ſolum bona animæ ut remiſſio peccatorum & alia pro quocunque particulari fideli per ſacrificium hoc peti poſſunt, ut præced. Cap. probatum eſt; ſed etiam aliæ neceſſitates, etiam corporales, ad bonum animæ; & ideo etiam pro liberanda domo ab afflictione dæmonis ſacrificium offerebatur, ut ex D. Auguſt. lib. 22. de Civ. Cap. 8. ſupra relatum eſt. & ſic de aliis Eccleſia antiqua intellexit, unde Concil. Trid. ſeſſ. 22. Cap. 2. etiam generaliter addidit: *Quare non ſolum pro fidelium vivorum peccatis*, &c. *& aliis neceſſitatibus*, &c. *juxta Apoſtolorum traditionem ritè offertur.*

X. Quartò, *quod Miſſa dicta privata ex eo, quod ad illam non conveniat, populus ſed ad ſummum unus adſtat miniſter, etiam licitè celebretur.* probatur primo, ex ipſa ſacrificii ratione, quia ad ſacrificii rationem ſolum pertinet, ut à ſacerdote Deo offeratur pro populo vel aliis neceſſitatibus; quod fieri poteſt licet populus non adſit, ùt patet; cum ſacrificium offeratur pro omnibus fidelibus, qui adeſſe non poſſunt. Idipſum patet ex ſacrificiis veteris legis, cui populus ſæpe non adſtabat, ut patet Luc. 1. verſ. 9. ubi dicitur. quod Zacharias, *ut incenſum poneret ingreſſus in templum Domini & omnis multitudo populi erat orans foris hora incenſi,*&c.

Secundò probatur idem ex praxi primitivæ Eccleſiæ & ipſius Chriſti, qui ad cœnam ſacram non vocavit omnem populum fidelem, nequidem hoſpitem domús. ſed erat cum ſolis Apoſtolis. Idem conſtat ab exemplo, quod D. Auguſtinus ſuprà refert dum aliquis presbyter in privata domo ſacrificium pro liberatione à dæmonis vexatione offerebat, ubi populus non conveniebat. XI.

Tertiò probatur ex eo, quod olim ſæpius ordinatum fuit, ut ſacerdos ſacrificium non celebraret, niſi duo adeſſent, qui ipſi reſponderent, ut dum à ſacerdote pluraliter dicitur *Dominus vobiſcum*, & illud in ſecretis; *Orate pro me, aptiſſime conveniat ut ipſius reſpondeatur ſalutationi.* XII.

Ita Soter Papa circa An 163. ùt refertur Cap. 61 hoc quoque de conſecrat. diſt. 1. ubi ut convenientius mandatur, adeoque licitum, ſi duo tantum adſint, & ſic etiã licet unus adeſſet, prout poſtea in diverſis Conciliis ordinatum fuit.

5. Quòd aliæ Miſſæ præter unam ſolemnem, ad quam populus vocatur, eâdem die in eodem templo celebrari poſſint, etiam probatur 1. ex ſacrificiis veteris teſtamenti, quorum plurima in eodem templo & eadem die offerebantur, ut patet 3. Reg 8. ubi Salomon *mactavit hoſtias pacificas, quas immolavit Domino, boum viginti duo millia & arietum centum viginti millia,&c.* & generaliter quotquot diverſa ſacrificia offerenda habebant, etiam eadem die offerebant. XIII.

Probatur 2. ab exemplo primitivæ Eccleſiæ, quia in una Eccleſia præter Pontificem erant plures ſacerdotes ſeu presbyteri, & quidem tempore *S. Cornelii Papæ* Romæ erant quadraginta presbyteri, quando numerus populi fidelis valde exiguus erat. Similiter in aliis Eccleſiis erat ùt conſtat ex ſæpe allato teſtimonio Auguſtini lib. 22. Cap. 8. ubi indicat, quod in ipſius Eccleſia plures erant presbyteri, *&c.* quod autem plures ex ipſis in eadem Eccleſia quotidie celebrarint, ſatis apparet: Primo alioquin multis diebus unus vacare debuiſſet, de quo nulla unquam à SS. Patribus fit mentio. Secundò quia in eadem Eccleſia plura erant altaria ut patet ex Gregor Nazianz Orat. 20. in laudem Baſilii, ubi dicit de Hæreticis *Intra altaria ſaltabant:* ſeu, ut alia editio habet, *in altaribus ſaltitantes, &c.* & orat. 23. *Conculcata pedibus altaria,&c.* reliqua loca ſuprà Cap. 4. art. 1. relata ſunt. XIV.

Similiter refert *Ambroſius* Epiſt. 32. dicens *irruere in altaria,&c.* ubi de una Baſil. ſermo eſt, ſic & lib. 1. de Sacram. Cap. 2. dicit: *Levitam vidiſti, ſed miniſter Chriſti eſt. vidiſti illum ante Altaria miniſtrantem,&c.* & quidem plura in una Baſilica fuiſſe Altaria patet in Eccleſiis à mille trecentis annis extructis & ex continuo Eccleſiæ uſu: ſi autem unicum tantũ in una die & loco ſacrificiũ offerendũ erat non opus erat pluribus altaribus. XV.

Digitized by Google

XVI. Probatur 3. ex antiquiſſimo Eccleſiæ uſu, quod in die Natalis Domini etiam unus ſacerdos tres Miſſas celebrârit, de quo meminit D. Gregorius Papa tomo 2. edit. Baſil. 1550. hom. 8. in Euangelia dicens: *Quia largiente Domino Miſſarum ſolemnia ter hodie celebraturi ſumus, &c.* quod certè ab antiquo Eccleſiæ uſu provenit; adeóq; clarum eſt, quod conſuetum fuerit ut diverſi ſacerdotes eadem die in eodem loco Miſſas celebrarent.

ARTICULUS IV.

Quòd Miſſa etiam ſolemnis, in qua nemo præter ſacrificantem ſacramentaliter communicat, licita ſit, & quotidiana Communio fidelium ſancta & laudabilis ſit.

I. PRobatur primò ex ratione ſacrificii; quia ad rationem illius non requiritur, ut ille, pro quo offertur, de oblatis communicet vel manducet; hoc patet Levitici 6. v. 23. ubi dicitur; *Omne enim ſacrificium ſacerdotum igne conſumetur, nec quiſquam comedet ex eo.* & v. 30. *Hoſtia enim quæ cæditur pro peccato,* &c. *non comedetur ſed comburetur igni,* &c.

II. Sic igitur verum erit ſacrificium novæ legis; quod pro fidelium bono offertur, licet illi ex oblatis non manducent; ut patet, cum quodlibet ſacrificium offeratur pro omnibus fidelibus, qui tamen cuilibet ſacrificio adeſſe non poſſunt, multo minus de illo ſacramentaliter participare: Quod autem ſacrificium Corporis Domini verum ſit, & pro fidelibus tam vivis quam defunctis offeratur, ſupra copioſè probatum eſt.

III. Quod etiam in primitiva Eccleſia fideles ſacrificio adſtantes non ſemper communicabant ſacramentaliter, licèt tempore Apoſtolorum Ieroſolymis fieret; patet ex his, quæ SS. Patres tradiderunt; nam conſtat, quod SS Patres hortati ſint quidem fideles, ut quotidie ſacramentaliter communicarent, qui quotidie ſacrificio adſtant, ſed ipſos ad hoc obligatos fuiſſe non dicunt. Imo ſæpe nullos communicaſſe indicant, ut patet ex S. *Chryſoſtomo* hom. ſeu ſerm. 3. in Epiſt. ad Epheſios in morali exhortat. ubi dicit: *Fruſtra habetur quotidiana oblatio, fruſtra ſtamus ad altare, nemo eſt qui ſimul participet* (ſcilicet cum ſacerdote) *iſta non ideo dico, ut ſimpliciter quomodocunque communicetis, ſed ut dignos vos ipſos conſtituatis.* Ne autem quiſquam ſe excuſaret ex eo quod dignus non ſit, ſubjicit: *Non es oblatione aut communione dignus? igitur nec precatione; præconem audis ſtantem & dicentem; quotquot eſtis in pœnitentia conſtituti abite: Si in pœnitentia es, participare non debes: qui enim non participat in pœnitentia eſt. Quâ igitur ratione præco dicit, abſte: qui preces fundere non poteſtis? Verum non es iſtorum, ſed de illis qui communicare poſſunt, & tamen rem hanc nihil curas.* & infrà explicat qui abire debent, dicens: *Quemadmodum igitur nemini eorum, qui initiati non ſunt* (id eſt baptizati) *adeſſe licet ita neque initiatis, ſi ſordidi fuerint* (id eſt, ſi ob gravia publica crimina in publica pœnitentia aliquot annis abſtinere debeant) ſed de aliis ſubjungit dicens: *Quomodo, cum manſeris, de menſa iſta non participas? Indignus ſum inquis; indignus es igitur & ea communione quæ in precibus eſt, &c.* hæc ille. Quia publicè pœnitentes non debebant cum Eccleſia preces fundere, &c.

Ex quibus patet, quòd Chryſoſtomus non velit dicere quod ſoli ſancti communicare poſſint, ſed omnes qui baptizati & in publica pœnitentia non ſunt, conſcientiam peccati mortalis non habent, ac in precibus manent etiam communicare poſſint; & hos hortatur, ut quotidie communicent; licet conquerat quod multi id non faciant; quod ibidem paulo ſuprà indicat, quod plures tantum ſemel in anno communicabant, dicens: *Multam video hujus rei inæqualitatem; in aliis quidem temporibus ſæpe numero, neque quum mundi eſtis acceditis: in paſchate vero, etiam ſi quid temerarium vobis ſit commiſſum nihilominus acceditis, ô Conſuetudinem, ô præſumptionem,* & paulò ſuprà dicit; *Multos video temere quomodocunque & ex conſuetudine magis quam legitimè,* &c. *de Corpore Chriſti participantes, ſi immineret, inquiunt, ſacra quadrageſima tempus, ſi adeſſet Epiphaniorum dies, nulla habita ratione qualis ſit, myſteriorum ſe quiſque conſortem facit:* Idem refert hom. 17. in Epiſt. ad Hebr. in morali, dicens: *Plurimi ex hoc ſacrificio ſemel accipiunt in toto anno, alii bis, alii ſæpius,* &c. IV.

Simili modo reprehendit aliquos temere ad S Euchariſtiam accedentes hom. 61. ad popul. Antiochen. & poſtea ſubdit, dicens; V. *Hæc dico non uno & annuo vos prohibens acceſſu, ſed vos ſemper ad ſancta volens accedere, &c.* hæc ibi.

Similiter *Ambroſius* tomo 4. edit. Pariſ. VI. 1569. lib. 5 de Sacram. cap. 4. exponens verba orationis Dominicæ, *panem noſtrum quotidianum,* volens populum ad quotidianam Euchariſtiæ communionem exhortari, dicit: *Si quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum ſumis? quemadmodum Græci in Oriente facere conſueverunt? accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit; ſic vive, ut quotidie merearis accipere, &c.* & paulò infra: *Ergo tu audis quotiescunque offertur ſacrificium, mors Domini, reſurrectio Domini, elevatio Domini, ſignificetur & remiſſio peccatorum, & panem iſtum vitæ non quotidianum aſſumis? &c.* hæc Ambroſ.

Auguſtinus lib. 1. ſeu Epiſt. 118 ad Ianuar. VII. edit. Baſil. tomo 2. 1529. cap. 2. de aliquibus ſic ait: *Senſi enim ſæpe gemens & dolens multas infirmorum perturbationes fieri per quorundam fratrum contentioſam obſtinationem & ſuperſtitioſam timiditatem; qui in rebus hujuſmodi, quæ neque ſcripturæ ſanctæ authoritate, neque univerſalis Eccleſiæ traditione, neque vitæ corrigendæ utilitate, ad certum poſſint terminum pervenire,* &c. *tam litigioſas excitant quæſtiones; ut niſi, quod ipſi faciunt, nihil rectum exiſtiment.* & inter has ponit quæſtionem de

de quotidiana communione cap. 3. dicens: *Dixerit aliquis non quotidie accipiendam Euchariſtiam. Quæſieris quare? Quoniam, inquit, eligendi ſunt dies, quibus purius homo continentiùsque vivit, quo ad tantum Sacramentum dignus accedat. Qui enim manducaverit indignè, Iudicium ſibi manducat & bibit. Alius contra, Immo, inquit, ſi tanta eſt plaga peccati atque impetus morbi, ut talia medicamenta differenda ſint, authoritate Antiſtitis debet quiſque ab altario removeri,* &c. *Cæterùm ſi peccata tanta non ſunt, ut excommunicandus quiſquam homo indicetur, non ſe debet à quotidiana medicina Dominici corporis ſeparare* Auguſtinus ſubdit: *Rectiùs inter eos fortaſſe quiſpiam dirimit litem, qui monet, ut præcipuè in Chriſti pace permaneant; Faciat autem unuſquiſque, quod ſecundùm fidem ſuam piè credit eſſe faciendum; neuter enim eorum exhonorat corpus & ſanguinem Domini, ſi ſaluberrimum ſacramentum certatim honorare contendunt: Neque enim litigaverunt inter ſe, aut quiſquam eorum ſe alteri præpoſuit. Zachæus & ille Centurio; cùm alter eorum gaudens in domum ſuam ſuſceperit Dominum; alter dixit; non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum; ambo Salvatorem honorificantes diverſo & quaſi contrario modo; ambo peccatis miſeri, ambo miſericordiam conſecuti; valet etiam ad hanc ſimilitudinem, quòd in primo populo unicuique manna ſecundùm propriam voluntatem in ore ſapiebat, ſic in ore cuiusque Chriſtiani Sacramentum illud, quomodo ſumatur, æſtimandum: Nam & ille honorando non audet quotidie ſumere; & ille honorando non audet uno die prætermittere; contemptum ſolum non vult cibus ille,* &c. *inde enim & Apoſtolus indignè dicit acceptum ab eis, qui non diſcernebant à cæteris cibis veneratione ſingulariter debita, &c.* hæc Aug.

VIII. Ex his tantorum SS. Patrum teſtimoniis evidens eſt: Primò, quòd licitum fuerit & ſit Fidelibus quotidie ſacramentaliter communicare. 2. quòd etiam licitum fuerit non quotidie communicare. 3. imò licitum fuerit, ut non niſi circa Paſcha ſemel in anno ſacramentaliter communicarent. 4. quòd tamen quotidie Sacrificium celebrari ſolitum fuerit, ut patet ex teſtimoniis ſuprà relatis: unde patet, quòd ſacrificium offerri ſolitum fuerit, licèt nullus ex Fidelibus adſtantibus ſacramentaliter communicaret; non enim Sacerdos à ſacrificio abſtinebat, licèt nulli eſſent, qui communicare vellent. Hoc enim clarè patet ex verbis Chryſoſtomi: *Fruſtra habetur quotidiana oblatio,* &c. *nemo eſt, qui ſimul participet,* &c. *præconem audis ſtantem & dicentem, quotquot eſtis in pœnitentia conſtituti abite.* Vnde clarum eſt, quòd, dum ſacerdos Sacrificium inchoaret: Præco clamabat, ut volentes accederent, pœnitentes recederent, ſi itaque nemo accederet, ſacrificium tamen perficiebatur, vel jam peractum erat: quia communio in fine ſervatur.

IX. Hoc ipſum etiam clarè colligitur ex Concilio Agathenſi A. 506. celebrato, ubi Can. 18. ſtatuitur his verbis: *Seculares, qui in Natali Domini, Paſcha & Pentecoſte non communicârint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.* Vbi patet, quòd non tenebantur Fideles, niſi illis tribus diebus ex Eccleſiæ illius ſtatuto communicare; cùm tamen quotidie Sacrificio adſtare poterant, & quidem diebus Dominicis adſtare tenebantur, nam ibid. can. 47. ſic ſtatuitur: *Miſſas die Dominico ſecularibus totas* (audire) *tenere ſpeciali ordine præcipimus, &c.* hæc ibi.

Sic ex Concilio Toletano duodecimo Anno 682. celebrato colligitur, ubi can. 5. ſic dicitur: *Certum eſt, quòd hi, qui ſacrificantes non edunt, rei ſint Dominici corporis.* Et infrà: *Nam, quale erit illud Sacrificium, cui nec ipſe ſacrificans particeps eſſe cognoſcitur?* hæc ibi. Vbi Concilium corripit abuſum quorundam Sacerdotum, qui ſacrificium offerebant, nec tamen Euchariſtiam percipiebant; non tamen reprehendit adſtantes, quorum nullus Euchariſtiam percipiebat, ùt ex textu colligitur. Vt enim ſacerdos communicet, ſpectat ad rationem Sacrificii eſſentialem; non autem ut populus ſacramentaliter participet. X.

Demum ex præmiſſis clarum eſt; quòd, licèt Chriſtus in ultima cœna omnes Apoſtolos communicârit, & Apoſtoli in actibus Apoſtolorum Sacramentum quotidie Fidelibus adminiſtrârint; inde ſolùm conſtet, quòd Fidelibus quotidie licitum ſit communicare, non tamen inde aliquod præceptum colligatur, quòd adſtantes ſacrificio communicare teneantur; nam D. *Auguſt.* ſuprà expreſsè ponit, quòd quotidiana communio non ſit præcepta; ſed ſit inter illa, quæ nec ſcripturæ ſanctæ authoritate, nec ex Eccleſiæ univerſalis traditione præcipiuntur, ſed juxta devotionem & patriæ morem ſervantur; prout etiam ex Eccleſiæ uſu conſtat. XI.

ARTICULUS V.

Quòd omnes Miſſæ ab Eccleſia approbatæ ſint abſolutè publicæ & communes.

Quamvis quædam Miſſæ ſub diverſa ratione vel reſpectu dicantur privatæ, prout ex prædictis conſtat; omnes tamen verè & abſolutè publicæ ſunt & communes in ſenſu principali; quia nomine Eccleſiæ pro communi Fidelium bono offeruntur: ſive in templo, ſive in Oratorio vel alio loco: ſive coram multis; ſive coram uno ſolùm miniſtro celebrentur: quod Concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 6. ex duobus fundamentis oſtendit, de talibus Miſſis dicens: *Si quidem illæ quoque Miſſæ verè communes cenſeri debent,* ſcilicet, in quibus nullus adſtantium ſacramentaliter communicat; *partim, quòd in eis populus ſpiritualiter communicet; partim verò,* ſcilicet, ubi præter miniſtrum nullus adſtat, *quòd à publico Eccleſiæ miniſtro* (Sacerdoti) *non pro ſe tantùm, ſed pro omnibus Fidelibus, qui ad corpus Chriſti pertinent, celebrantur, &c.* hæc Concilium. I.

Et hoc ſecundum concernit omnes Miſſas; quia omnes & ſingulæ à quocunque ſacerdote tanquam publico Eccleſiæ miniſtro, qui nomine Eccleſiæ celebrat, peraguntur; ideo ſacerdos ſemper ante conſecrationem Euchariſtiæ dicit: Orate fratres, ut meum & veſtrum ſacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem; nam licèt ſacerdos in perſona & loco Chriſti tanquam primarii ſacerdotis in æternum ſacrificium ex ejuſdem ordinatione celebret; quia tamen Eccleſiæ id commiſſum eſt, & pro tota Eccleſia prin- II.

Digitized by Google

principaliter offert; nomine Ecclesiæ sacrificium offerre dicitur, sic idcirco ministri nomine Ecclesiæ Sacerdoti dicenti, *orate*, respondent: *Suscipiat Dominus hoc Sacrificium de manibus tuis, ad laudem & gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram, totiusque Ecclesiæ suæ sanctæ.*

Similiter sacerdos celebrans in principio canonis semper dicit: *Imprimis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica*, &c. *& omnibus Orthodoxis atque Catholicis & apostolicæ Fidei cultoribus*; Denique in memoriam Sanctorum, & pro bono omnium Fidelium vivorum ac defunctorum.

III. Hæc enim generalis intentio in omni Sacrificio Missæ requiritur, & hanc sacerdos omittens contra Christi ordinationem peccaret; qui in institutione hujus sacrificii dixit de calice sanguinis sui, *qui pro multis effundetur.* Matt. 26. v. 28. Marci 14. v. 24. licèt præter hanc generalem intentionem, etiam pro specialibus necessitatibus particulariter offeratur, ut ostensum est.

IV. Hanc fuisse primitivæ Ecclesiæ doctrinam, & sic sacrificium hoc oblatum fuisse, ut sacerdos pro tota Ecclesia & Fidelibus diversis in particulari hoc sacrificium offerret; patet ex omnibus antiquis diversarum Ecclesiarum liturgiis & SS. Patribus præced. cap. allegatis.

Sufficiat hic Ambrosius tomo 4. edit. Parif. 1569. lib. 4. de Sacramentis cap. 4. ubi sic ait, de Sacerdote Missam celebrante: *Nam per reliqua omnia, quæ dicuntur, laus Deo defertur, Oratio præmittitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris; ubi venitur, ut conficiatur venerabile Sacramentum iam non suis sermonibus Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi, &c.* & cap. 5. sic ait: *Vis scire, quibus verbis cœlestibus consecratur? accipe, quæ sunt verba; dicit Sacerdos; Fac nobis hanc oblationem adscriptam, rationabilem, acceptabilem*, &c. *qui pridie quàm pateretur in sanctis manibus suis accepit panem*, &c. *benedixit*, &c. *dicens, accipite, & edite ex hoc omnes, hoc est enim Corpus meum*, &c. & cap. 6. de Christo dicit: *Vide, quid dicat? quotiescunque hoc feceritis, toties commemorationem mei facietis. Et Sacerdos dicit: Ergo memores gloriosissimæ eius passionis, & ab inferis resurrectionis, & in cælum ascensionis, offerimus tibi hanc immaculatam hostiam, incruentam hostiam, hunc panem sanctum, & calicem vitæ æternæ, & petimus, & precamur; ut hanc oblationem suscipias in sublimi altari tuo per manus Angelorum tuorum, sicut suscipere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & Sacrificium Patriarchæ nostri Abraham, & quod tibi obtulit summus Sacerdos Melchisedech, &c.* hæc Ambrosius.

Ista prolixiùs in particulari referenda duxi, ut calumniæ Acatholicorum magis confundantur, qui Canonem Missæ, in quo prædictæ orationes continentur, ob easdem damnare audent; ut pateat, quòd sic damnent, non solùm D. Ambrosium, sed Ecclesiam antiquam, quæ illas usurpavit.

ARTICULUS VI.

Respondetur ad obiectiones Acatholicorum.

I. Objiciunt primò contra Missas, quæ in privato loco, & non in Ecclesia celebrantur ex S. Basilio in ps. 115. circa finem, ubi sic ait: *Non in latebris delitescens sacrificabo, sed publicum exhibebo tibi sacrificium.* Et ibid. dicit, quòd unum sit altare Ecclesiæ; idem dicunt alii SS. Patres contra hæreticos, qui altare contra altare erigunt.

II. Resp. primò. Ex his sanctorum Patrum verbis confunduntur Acatholici omnes, qui nullum in Ecclesia admittunt verum sacrificium & altare; quæ sancti Patres profitentur.

III. Resp. 2. *S. Basilius* ibi non agit contra missam, quæ Catholico more in quocunque loco celebratur, sed contra hæreticos sui temporis, qui sacrificium celebrabant, segregati ab unitate Ecclesiæ, ideo ibid. subjungit dicens edit. Ant. 1568. *Audite, qui Ecclesiam relinquitis, & in publicis domibus versati miseras facitis corporis pretiosi scissuras.* Et postea: *Tu aram erigis ex adverso altaris tibi à Patribus constituti.* Et sic unicum in Ecclesia Catholica intelligitur Altare; licèt materialiter plurima sint per orbem: at verò, quòd contra doctrinam Ecclesiæ erigitur, dicitur ex adverso erigi; ita SS. Patres omnes talibus verbis usi sunt.

IV. Objiciunt 2. contra Missas, in quibus nullus adstantium sacramentum sumit: Christus jussit, ut Sacerdotes faciant, quod ipse in ultima cœna fecit; ipse autem sacramentum non solùm consecravit, sed etiam Apostolis assidentibus manducandum dedit; ergo est contra Christi institutionem & præceptum, si sacerdos sacramentum consecret, & non distribuat populo; consequentia probatur, quia Christus subjunxit Luc. 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*; ac proinde præcepit, ut ea, quæ ipse fecit, Apostoli facerent.

V. Resp. primò negando cōsequentiam, nec illa per verba illa Christi probatur: nam certum est, quòd Christus in illa cœna multa fecerit, quæ non præcepit, ut ab Ecclesia servarentur, ut patet primò, nam ipse priùs lavit pedes discipulorum. 2. quia S. Eucharistiam consecravit, & dedit Apostolis, postquam alios cibos juxta legem comedissent. 3. quia voluit solos duodecim Apostolos in illa cœna esse præsentes; cùm tamen hospes & alii discipuli in eadem domo essent; nec tamen Ecclesia servat, ut Eucharistia post lotionem pedum, vel ut tantùm duodecim præsentibus detur, nec etiam, quòd post alios cibos à non jejunis percipiatur; cùm potiùs ab Apostolis ordinatum fuerit, ut jejuni fideles sacramentum percipiant; prout D. August. lib. 1. ad Januar. quæ est epist. 118. cap. 6. tomo 2. ed. Basil. 1529. ostendit, quod, licèt Christus venerabile sacramentum post alios cibos dederit, non tamen præceperit, ut sic semper fieret; quod tamen ex illis verbis, *hoc facite*, si generaliter sumantur, consequi videretur; hoc autem Christum illis verbis non præcepisse ostendit, dicens: *Nam, si hoc (Christus)* monu-

monuisset, ut post alios cibos semper acciperetur, credo, quòd nemo eum morem variasset; cùm verò ait Apostolus de hoc Sacramento loquens, propter quod fratres, cùm convenitis ad manducandum, invicem exspectate; si quis esurit, domi manducet, &c. *statim subiunxit. Cætera autem, cùm venero, ordinabo; unde intelligi datur, quia multùm erat, ut in epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse, quòd nulla morum diversitate variatur, &c.* hæc August. Vnde licèt Apostolus non expressit de jejunio, sed in generali aliqua se ordinaturum indicat, Augustinus ex praxi totius Ecclesiæ colligit, quòd Christus, licèt dixerit, *hoc facite, &c.* non voluerit præcipere, ut lotio pedum & aliorum ciborum cœna ante S. communionem servaretur.

V. Similiter ex verbis Christi, *hoc facite*, non potest probari, quòd Eucharistia nunquam sit consecranda, nisi quando etiam Fidelibus distribuitur, cùm idipsum praxis Ecclesiæ verum non esse testetur. Illa ergo censentur à Christo per verba illa, *hoc facite*, esse præcepta & ordinata, quæ S. Ecclesia ab Apostolis edocta Christum illis verbis instituisse & præcepisse deducit; cùm constet ex universali Ecclesiæ praxi, quòd non omnes omnino adstantes ad S. communionem accedant, nec Acatholici omnibus adstantibus, sed solùm volentibus & dignis suam cœnam distribuant.

VI. Resp. 2. concedendo, quòd Christus per illa verba, *hoc facite*, jusserit, ut Apostoli facerent, quod ipse tunc fecit, & etiam præceperit, ut Fidelibus Sacramentum distribuerent manducandum, non quidem simpliciter & absolutè pro omni tempore, & pro qualibuscunque personis, sed ut natura est præcepti affirmativi, quando Fideles adsunt, qui dispositi sunt, & petunt communicare; vel si publicè indigni sunt, non obligatur præcepto Christi talibus dare communionem, sed potiùs retinere, juxta illud Matt. 7. v. 6. *Nolite sanctum dare canibus*, &c. juxta quod Chrysost. hom. 83. in Matt. dicit ad Sacerdotes: *Non parva vobis imminet ultio, si quempiam ullius culpæ consc i i huius mensæ participem esse concedatis: Sanguis eius de manibus vestris exquiretur, sive quis militiæ dux sit*, &c. *indignè autem accedat, prohibe, maiorem illo potestatem habes, &c.* hæc ille. Aliud est de occultis indignis, si petant, sicut Christus Judæ Sacramentum dedit. Si itaque nulli Fideles communionem petant, sacerdos tunc non obligatur ex præcepto Christi à sacrificio abstinere.

VII. Objicitur 2. Sacerdos tenetur S. Eucharistiam sumere, dum celebrat ex præcepto Christi, ergo etiam omnes adstantes communicare debent. Antecedens constat ex cap. relatum, de consecrat. dist. 2. quod desumptum est ex Concil. Tolet. 12. ubi dicitur: *Relatum est nobis quosdam de Sacerdotibus non tot vicibus communionis sanctæ gratiam sumere, quot Sacrificia videntur offerre*, &c. *quasi non sit toties illi verò & singulari sacrificio participandum, quoties corporis & sanguinis Domini Iesu Christi immolatio facta constiterit, &c.* & infrà: *Nam, quale erit illud Sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur, ergo modis omnibus est tenendum, ut quoties cunque sacrificans corpus & sanguinem Iesu Christi Domini nostri in altari immolat, toties perceptioni corporis & sanguinis Christi participem se præbeat, &c.* hæc ibi.

VIII. Resp. concedendo, quòd sacerdos celebrans Sacrificium seu consecrans Eucharistiam teneatur de illa participare; quia spectat ad integritatem sacrificii, ut hostia consumatur; & hoc ex Christi præcepto esse, constat ex illo Concilio & communi Ecclesiæ doctrina, ac praxi; unde n[illegible] potest inferri, quòd omnes adstantes sa[illegible]ficio teneantur participare, quia non immolant; & quia hoc ex praxi Ecclesiæ constat, quod Christus non præceperit.

IX. Objiciunt 3. Sacrificium Missæ à Christo est ordinatum, ut populus ex illo participet; adeoq; ad integritatem missæ spectat, ut adstantes communicent.

X. Resp. Sacrificium quidem ordinatum est, ut populus communicet; sed hic non est principalis finis & necessarius, sine quo Sacrificium fieri non possit; sed principalis finis est, ut Deo Patri in signum summi dominii offeratur pro salute populi, pretium crucis Christi applicando; quod semper fit, licèt populus non communicet; ad quod Christus illum pro semper non obligat; ut patet ex praxi Ecclesiæ: & licèt plures hostiæ non alio fine consecrentur, nisi ut à populo participentur; non tamen ut statim sumantur, sed tempore oportuno, & dum populus petit.

XI. Ex his patet, quod objici solet ex antiquis liturgiis: ubi ordo præscribitur, quo populo Sacramentum in actione Sacrificii distribuatur: Inde enim non infertur, quòd sacrificium sine tali distributione fieri non possit: sed qualiter distribui debeat, si populus petat.

XII. Objiciunt 4. D. Chrysost. hom. 3. in epist. ad Ephes. sic ait: *Frustra habetur quotidiana immolatio, nemo est, qui simul participet, &c.* & infrà: *Adstat mensa regia; adsunt Angeli mensa huius ministri: adest Rex ipse, & tu oscitabundus adstas*, &c. *recumbe igitur, & communica, &c.* & infrà: *Quisq; enim mysteriorum consors non est, impudens & improbus adstat*, & infrà: *Obsecro, si quis ad convivium vocatus est, manus quidem laverit & accubuerit, paratùsque ac dispositus ad mensam fuerit, & tamen nihil ciborum gustaverit: nonne infert contumeliam convivatori, à quo fuerit invitatus? annon satius fuerit eum, qui talis est, prorsus non comparuisse*, &c. hæc ille. Vnde inferunt, ergo Chrysostomus damnat Missas, in quibus nullus communicat.

XIII. Resp. negando consequentiam; sed potiùs contrarium constat ex verbis Chrysostomi: constat enim, quòd Chrysostomus quotidie Missam celebrârit; & tamen nemo in illa ex populo adstante communicârit: quòd si tales missæ damnatæ essent, Chrysostomus tales non celebrâsset, quas tamen quotidie se celebrasse asserit, dum nemo communicaret: Nec Chrysost. illos, qui non quotidie communicant, dicit contra Christi præceptum agere, cùm ipse ibidem & hom. 17. in epist. ad Hebr. suprà allegata, profiteatur; quod plurimi ex hoc sacrificio semel in anno accipiant, alii bis, *&c.* quos non damnat.

XIV. Resp. igitur, quòd D. Chrysostomus dictis verbis nullum præceptum Dei urgeat, sed pro magno zelo, quo ad profectum fidelium ferebatur, ut fervidi Concionatores solent, exaggerare-

Digitized by Google

taverit illa, quæ ab his, qui commodè possunt, pia opera negliguntur; ut ex textu facilè patet: Certum enim est, quòd illi, qui V. Sacramentum reipsâ suscipiunt, majorem illius fructum percipiant, quàm alii, qui solùm, licèt devotè, adstant, & hoc sensu dicit: *Frustra habetur quotidiana oblatio, si nemo participet*, scilicet respectu illius finis, qui intenditur, ut Fideles reipsâ communicent, & specialem illam gratiam consequantur; licèt ille finis non sit in Missa necessariò implendus.

XV. Quòd autem S. Chrysostomus non intendat dicere frustra omnino oblationem fieri, si nemo reipsâ participet, nimis clarum est, tum ex ipso textu: quia significat se oblationem quotidie servare, licèt nemo participet, quod non fecisset, si planè frustra celebrâsset: constat etiam ex generali ipsius sententia, quam cum aliis SS. Patribus docet, quòd oblatio hæc sancta prosit omnibus Fidelibus vivis & defunctis, ut sæpe profitetur, ut lib. 6. de Sacerd. hom. 79. ad pop. Ant. hom. 72. in Matt. & alibi: verba suprà cap. 4. art. 5. relata sunt; unde patet, quod senserit, quòd dum Fideles Sacrificio oscitabundi adstant, non ut solùm spectatores, sed devotè & reverenter intersunt & orant, ac spiritualiter communicant, memoriam passionis Domini recolunt, *&c.* non planè frustra adstent; sed in sensu priore, ob majoris fructus negligentiam, quam Chrysostomus culpat, dum dicit; quòd aliqui satis dispositi ad communionem, eam negligant.

XVI. Ex his patet, Chrysostomi verba nihil contra Missas, in quibus nemo communicat, facere; sed plurimùm Acatholicos confundere, qui sacram hanc Eucharistiæ oblationem seu sacrificium à Chrysostomo tantopere prædicatum contemnunt ac damnant. Certè ipsi Acatholici fateri deberent, quòd sacrificium missæ tam præsentibus quàm absentibus prosit; si crederent, quòd sit verum sacrificium à Christo institutum, sicut ipsum sacrificium in cruce factum, fateri debent, pro omnibus salutare esse; quòd autem hoc missæ sacrificium verè à Christo institutum sit ex S. scriptura & SS. Patribus abunde demonstratum est.

XVII. Objic. 5. ex diversis Canonibus; utpote can. peracta, de consecrat. dist. 2. qui ex epist. 1. Anacleti Papæ desumptus est, & talis est: *Peractâ consecratione omnes communicent, qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus; sic enim Apostoli statuerunt, & S. Romana tenet Ecclesia*, hæc ibi, hoc confirmant ex can. 10. Apostolorum ubi sic ordinatur: *Omnes Fideles, qui Ecclesiam ingrediuntur, & scripturas audiunt, non autem perseverant in oratione, nec sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiæ moventes, convenit communione privari*, hæc ibi; qui canon in Concilio Antiocheno renovatus est. Ex his sic inferunt. Ergo illæ missæ, in quibus nemo adstantium sacramentum re ipsâ participant, sunt illicitæ.

XVIII. Resp. 1. Mirum est, quòd Acatholici ad hujusmodi canones confugiant, cùm ipsi tales non recipiant, sed rejiciant; & ex his ipsi confundantur: cùm ex illis pateat, quòd Missæ ab initio Ecclesiæ celebratæ sint, quas ipsi damnant.

XIX. Resp. 2. Sancti sunt hi Canones; sed negatur consequentia; quia, licèt in canonibus juberentur omnes fideles communicare; inde tamen non sequitur, quòd sacrificium à sacerdote celebrari prohibeatur, nisi omnes communicent; quia sufficeret, si aliqui communicarent; nec etiam id sequeretur, si nulli communicarent, sed solùm habetur, quod contra Canones peccent, qui adsunt, & non communicent, quid hoc contra missas? licèt Canones absolutè & in rigore intelligerentur.

Resp. 3. Quòd autem non fuerit mens Canonum, ut omnes Fideles Missæ adstantes jubeantur sacram communionem sumere, alioquin excommunicandi; sed tantùm certi & ob certas speciales causas, colligitur ex Concilio Antiocheno allegato ed. Colon. 1538. ubi cap. 2. Canon Apostolicus explicatur his verbis: *Omnes, qui ingrediuntur Ecclesiam Dei, & sacras Scripturas audiunt, nec communicant in oratione cum populo, sed pro quadam intemperantia se à perceptione S. communionis avertunt, hi de Ecclesia removeantur, quamdiu per confessionem pœnitentiæ fructus ostendunt.* Vel juxta aliam versionem ibidem positam: *Omnes, qui Ecclesiam, &c. non autem cum populo in oratione communicant, aversantur autem sanctam assumptionem Dominici Sacramenti secundùm aliquam propriam disciplinam; hos ab Ecclesia abjici oportet, donec confitentes fructum pœnitentiæ demonstrent, &c.* hæc ibi. Vbi patet, quòd non jubeantur absolutè omnes adstantes Missæ excommunicari, qui non communicant; sed illi, qui ex quadam superstitione vel intemperantia sanctam communionem aversantur, quod justum est; sed nihil contra missas, in quibus nullus communicat. XX.

Resp. 4. Nec ex his Canonibus habetur, quod hoc tempore omnes adstantes communicare teneantur; licèt supponeretur, quod tamen verum non est, quod per illos olim mandatum esset, ut omnes absolutè adstantes communicarent; nam illa decreta non erant ex præcepto Christi, sed ex præcepto Apostolorum & Conciliorum, quæ sunt juris humani, & pro qualitate temporum & causarum in Ecclesia mutari possunt: Quamvis enim in primitiva Ecclesia in multis locis populus ex fervore quotidie communicaret in quotidianis Sacrificiis; postea tamen defervente populi devotione plurimi non communicabant, nisi semel, aut bis vel ter in anno; ut patet ex SS. Ambrosio, Chrysostomo, Augustino suprà allegatis, nec tamen asserunt tales peccasse contra præceptum Christi, sed nec contra præcepta Apostolorum: adeoque patet, quod per non usum & Ecclesiæ permissionem talia præcepta, si quæ erant, abrogata fuerint. XXI.

Objic. 6. contra missas privatas, quod Canones absolutè mandârint, ut saltèm aliqui adstarent Missæ præter celebrantem, sic enim habetur cap Hoc quoque, de consecrat. dist. 1. p. 3. decreti scilicet: *Hoc quoque statutum est, ut nullus Presbyterorum missarum solemnia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus, ipse tertius habeatur, quia cùm pluraliter ab eo dicitur, Dominus vobiscum, & illud in secretis (orate pro me) aptissimè convenit, ut ipsius respondeatur salutationi, &c.* ubi notatur, quod hæc allegat, Burchardus lib. 3. cap. 68. & suo ex decretis Soteris Papæ, qui sedit Anno 163. & in *Micrologio* XXII.

cap. 2.

Digitized by Google

cap. 2. dicatur ab Anacleto, qui sedit anno 84. & *Sotero* id ordinatum esse.

ARTICULUS VII.

Referuntur objectiones & calumniæ cujusdam apostatæ & Doctoris Helmstadiensis, & refutantur.

I. CONtra missas privatas allegatur Concilium Parisiense in quibusdam thesibus Helmstadii 1661. sub nomine cujusdam apostatæ præside Joachimo Hildebrando Doctore impressis, ubi thesi 19. sic dicitur: *Has solitarias Missas ipse, quem divinis aliàs laudibus ornant, missæ Canon evertit. Hinc Concilium Parisiense Anno Christi 839. can. 48. bene statuit: conveniendus est solitarius consecrator, quibus in Missa dicat; Dominus vobiscum, & à quo illi respondeatur; & cum spiritu tuo: vel pro quibus supplicando Domino inter cætera, memento Domine omnium circumstantium, cùm nullus circumstet, dicat? quæ consuetudo, quia Apostolicæ & Ecclesiasticæ authoritati refragatur, & tanto mysterio dehonorationem irrogare videtur, omnibus nobis visum est; ut hujusmodi usus inhibeatur; provideátque unusquisque Episcoporum, ne in sua Parochia quisquam Presbyterorum Missam solus celebret*, hactenus Patres Parisienses, ita in illa thesi: ubi tamen nota, quòd Concilium Parisiense non anno 839. sed 829. fuerit celebratum, & in textu non habetur. *Solitarius consecrator*, sed, *Corporis & sanguinis Domini consecrator*, quod quia apostatæ contrariabatur ad suum placitum mutavit. His adde, quod *Ivo* parte 3. decreti cap. 70. referat similia ordinata fuisse in Concil. Nannetensi, quod anno 897. celebratum est.

II. Respond. primò: Ex prædictis decretis nihil habetur contra privatas missas; sed multùm contra Acatholicos, primò contra prætensos Reformatos: cum Concil. Paris. dicat: *Corporis & sanguinis consecrator*, quod ipsi abominantur. 2. contra illos & Lutheranos, quia illa verba: *Memento Domine omnium circumstantium*, habentur in canone Missæ, quem ipsi omnes rejiciunt; Patres autem Concilii illum ut sacrum ab Apostolicis ordinatum supponunt, cùm dicunt; *quòd apostolicæ & ecclesiasticæ authoritati refragetur*, si sacerdos celebrans illa verba Canonis dicat, dum nullus adstat; adeóque supponunt, quòd à tempore Apostolorum talis usus in Ecclesia fuerit, & ordinatum: ut talia verba in Sacrificio Missæ dicerentur, quæ non habentur ex S. Scriptura, sed Ecclesiæ usu; proinde Acatholici apostolicæ authoritati refragantur, qui illa verba, & totum Canonem damnant. Et quidem, dum in istis thesibus dicant, quòd Concil. Parisiense *bene illa statuerit*, scilicet, ut adstet minister, propter dicta verba, illi cum suis malè illa contemnunt.

III. Respond. 2. quòd decreta illa, missis privatis, quas Ecclesia Catholica approbat, nullatenus derogent, patet primò, quia non jubent, ut aliqui adstent, qui sacram communionem suscipiant; sed, qui respondeant, *& cum spiritu tuo*, &, ut sacerdos verè dicat; *Memento circumstantium*: Nec etiam secundò jubent, ut multi adstent, sed vel duo, ut Soter & Anacletus, vel ad minus unus, ut Concilium Parisiense, & sic etiam moderna Ecclesia mandat: unde potiùs confirmatur praxis Ecclesiæ, scilicet, quòd ista decreta supponunt missas esse licitas, in quibus unus tantùm adstet, qui nomine populi respondeat, licèt non communicet.

Objicitur 2. in dictis thesibus de missis privatis, scilicet: *Hæ cum institutione divina & praxi veteris Ecclesiæ, & quæ adhuc in Oriente superest, Ecclesia Græcæ è diametro pugnant.* IV.

Resp. 1. quoad institutionem divinam, quam in thesi non ostendunt, suprà respondendo ad primum satis constat, falsum esse; quod illi institutioni missæ privatæ è diametro contrarientur. V.

Quoad praxin veteris Ecclesiæ etiam falsitas patet; nam suprà probatum est, quod, licèt in primitiva Ecclesia omnes circumstantes communiter sacram communionem susceperint: non tamen id ubique per Ecclesiam observatum; nec ut præceptum à SS. Patribus intimatum fuerit; sed solum SS. Patres fideles hortati sunt, ut qui dispositi sunt, sacram communionem etiam quotidie susciperent; cùm tamen referant, plurimos tantùm semel in anno communicâsse, ut ex verbis Ambrosii & Chrysostomi constat.

Quoad allegatam praxin modernorum Græcorum in Oriente, si verum esset, quod sine teste allegant, parum obesset: Primò, quia ipsimet Acatholici fateri debent Græcos illos à fide vera defecisse: ut patet de processione Spiritûs Sancti à Patre Filióque, quam Græci damnant, & Acatholici cum Ecclesia Romana profitentur. 2. non probatur, quòd moderni Græci missas privatas damnent. 3. licèt ipsi damnarent tales missas, & sub præcepto urgerent, ut omnes adstantes communicarent, nihil tamen obstaret; quia constat, quòd in primitiva Ecclesia Græca plurimi tantum semel in Anno communicârint, ut ex SS. Ambrosio & Chrysost. ostensum est. VI.

Veruntamen de praxi Græcorum extat testimonium adthenticum Græcorum, qui ann. 1570. ad quæstionem 6. Cardinalis Guiliani, num Sacerdos aliquando rem sacram peragat populo non præsente, sed tantùm homine uno? Responderunt, omnino sacerdos quilibet rem sacram populo non præsente peragit, saltèm cum puero; qui aliquibus in locis sacræ hujus actionis ei respondere possit, *&c.* hæc ibi. VII.

Cæterùm si modernæ Ecclesiæ Græcæ praxim authenticam & divinam existimant, cur non more Græcorum Missas celebrant, qui missam verum Sacrificium pro vivis & defunctis offerendum docent, & practicant, ut certum est, & ostensum est libro 4. de Eccles. cap. 5. de schismate Græcorum art. 6. & hoc lib. cap. 2. art. 6. ex Jeremia Constantinopolitano Patriarcha, qui Acatholicis circa Annum 158. respondit. Ex ipsis autem Conciliorum allegatis verbis patet, quod non intenderint dicere, esse contra institutionem Christi, si nullus Sacerdoti adstaret, cùm nihil ex verbo Dei allegent, sed inconvenientiam contra verba in missa, *Dominus vobiscum.* Et, *Memento circumstantium* VIII.

Digitized by Google

quæ non à Christo ordinata sunt, sed ab Apostolis & Conciliis, ad majorem sacrificii reverentiam; & quia ut plurimum plures Missæ adstant.

X. Rursus idem Apostata in dictis thesibus volens improbare, quòd Missæ sacrificium pro diversis populi necessitatibus offerri possit, sic thesi 22. dicere non veretur: *Tametsi denique dicant Missas solitarias habere diversos supernaturales effectus, in iis tamen exprimendis non conveniunt. Secundò, quidquid sit de eo, credo ex justa Dei permißione Missas præstigiis diaboli, qui potens est in Filiis tenebrarum, vel technis ac fraudibus sacrificulorum mirabiles interdum effectus in hominibus & brutis,* v. g. *in fœcundandis ac prolificandis mulierculis Missas in conclavi super eas lectas,* &c. *producere. Tertiò, item in curandis equis macilentis, vaccis, porcis,* &c. *in his enim & similibus ad Missarum solemnia plebs confugit; ego verò in talibus plus avenæ fœnóque efficacia tribuo, quàm missis.* 4. *Sed & in expellendis spiritibus, qui noctu & quandoque interdiu puellis & ancillis in occulto apparent, vim stupendam missis inesse fingunt, sed fraudem sæpius ipse adverti.* 5. *Contigit ante annum circiter, ut pro puella à spiritu (quod aiebat) vexata Missam agerem: Hæc non longè pòst in duas resoluta personas confitebatur, spiritum, qui se vexasset, fuisse famulum Ioannem*, hæc impudens & blasphemus apostatâ.

XI. Quamvis hæ calumniæ responso dignæ non sint; quia tamen talibus modis sacrum Missæ sacrificium Acatholici passim publicè calumniantur, & plebs facilè credit, ac pusilli perturbantur.

XII. Respondetur ad primum: Mendacium est, quòd Catholici non conveniant in doctrina, quâ docent, per Missas à Deo obtineri posse varios supernaturales effectus: sicut enim per orationem potest obtineri à Deo omne illud, quod saluti hominum mediatè vel immediatè conducit, juxta illud Matth 21. v. 22. *Omnia, quacunque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Et Marci 11. v. 24. *Omnia quacunque orantes petitis, credite, quia accipietis.* Et Luc. 11. v. 10. *Omnis, qui petit, accipit.* Et Joann. 14. v. 13. *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, &c.* si hæc ad simplicem orationem promittuntur in nomine Christi, sine ulla exceptione illorum, quæ petuntur, quantò magis per Sacrificium missæ, ubi & publicè ab Ecclesia in nomine Christi oratur, & Christus ipse ejusque passio Deo Patri offertur, illa, quæ pro necessitate Fidelium petuntur, impetrari possunt? sic Ecclesia credit, quòd missa præter commune Ecclesiæ bonum pro quacunque hominum necessitate offerri possit; sic omnes Catholici credunt & docent, & in Concilio Trid. sessione 22. cap. 2. ac exprimitur in Missali, ubi ponuntur variæ collectæ pro diversis necessitatibus, ac specialiter una, *pro quacunque necessitate.*

XIII. Ad secundum: Tuum, *credo*, ô impudens & blaspheme, nihil obest Ecclesiæ; nec derogat bonitati Dei vel dignitati illius tremendi Sacrificii: erubesce, quòd illa, quæ Ecclesia per merita Christi in sacrificio petit & accipit, tu diabolicis præstigiis attribuas.

XIV. Quoad fœcundandas mulieres, si intelligas, ut intelligere debes, prout Ecclesia pro talibus orat, quòd honesta mulier in matrimonio existens, carens prole à Deo per missæ sacrificium fœcunditatem desideret, hoccine diabolicis præstigiis assignabis? cùm tamen Lutherus & Calvinus hanc fœcunditatem virginitati præferant: sed quidquid sit de illis. Matrimonium sanctum est propter prolis intentionem, & à Deo institutum, ut tota scriptura ostendit. Dic impudens apostata, *Anna mater Samuelis*, quæ 1. Reg. 1. tam ardenter Deum pro prole orabat, & Samuelem postea peperit, an præstigiis diabolicis concepit?

XV. Quoad equos, porcos, &c. respond. licèt pro bestiis & aliis animalibus per se loquendo non oretur, & sic intelligatur illud 1. Cor. 9. v. 9. *Nunquid de bobus cura est Deo?* cùm tamen Deus omnia conservet, tamen, quatenus bestiæ spectant ad bonum hominum, propter quos creatæ sunt, sic pro illis orari potest, ut sanentur à peste vel morbo, vel conserventur, hoc adeò verum est, ut etiam Christus Luc. 14. v. 5. dixerit: *Cuius vestrûm asinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum, in die Sabbathi*; *ut non censeatur Sabbathum violari*, quod Christus non improbat, sed ex illo arguit de curatione hominis immediata in die Sabbathi: nónne in veteri Testamento inter Dei benedictiones hominibus præstitas reputabatur abundantia animalium Gen. 24. v. 35. dicitur: *Dominus benedixit Domino meo valde, & dedit ei oves & boves, &c.* similiter constat de Isaac, Jacob, & Job, &c. nunquid Salomon pro particularibus populi necessitatibus 3. Reg. cap. 8. Deum orabat, ut si in templo isto populus oraret, & sacrificia offerri curaret, Deus exaudiret, & Dominus ibid. cap. 9. v. 3. dicit: *Exaudivi orationem tuam*, &c. cùm igitur Deus moneat, ut in quacunque necessitate homines ipsum invocent ps. 49. v. 15. *Invoca me. in die tribulationis eruam te*, &c. tu audes impiè dicere, quòd plus avenæ & fœno efficaciæ tribuas, quàm missis? certè impietatem tuam nimis ostendis.

XVI. Ad 4. de expellendis malignis spiritibus nimis etiam impiè agis; quid enim magis contra malignos spiritus valet, quàm oratio Matth. 17. v. 21. *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi per orationem, &c.* quantò magis per missæ sacrificium, in quo Christi passio contra spiritus immundos invocatur, & Deo offertur? certè diabolus horret ideo tremendum Sacrificium, & vos diabolo acquiescitis.

XVII. Cùm hæc per se pateant ex S. Scriptura, quæ passim contra malignos spiritus ostendit quòd ad Christum & Apostolos vexati confugerint; túne cum Judæis dicentibus, quòd Christus in Beelzebub dæmonia ejiciat, dices? quòd per memoriam passionis Dominicæ tanquam diabolica præstigia dæmones expellantur? Quòd autem in primitiva Ecclesia consuetum fuerit, ut contra infestationes dæmonum Missæ Sacrificium etiam in domo privata offerretur, nimis clarum est, exte-

Digitized by Google

ex testimonio D. Augustini lib. 12. de Civ. Dei cap. 8. ubi refert; quòd, cùm domus cujusdam fidelis cum afflictione animalium & servorum spirituum malignorum vim noxiam perpeteretur, unus ex Presbyteris D. Augustini illò perexerit, ibidem Sacrificium corporis Christi obtulerit, Deóque protinus miserente illa vexatio cessaverit: verba integra supra cap. præced. relata sunt. Túne rursus, Apostata, hoc dæmonis præstigiis tribues? quod sanctus Augustinus tanquam in Ecclesia continetum Deo per Sacrificium corporis Christi oblatum miserenti attribuit.

XIX. Quòd de puella dæmonis vexationem fingente allegas, & plures fraudes te expertum asseris; quâ veritate referas, & quâ experientiâ scias, tu videris: Verum est, quòd homines sæpe multa fingant, sed an ideo omnia illa, quæ verè fiant, ficta censebuntur; finxerit illa puella se à dæmone vexatam, an inde inferes, quòd nulli verè à dæmone vexentur, vel virtute Dei ab illo liberentur? vides, qualiter blasphemus eris, in Christum & SS. Euangelia, ubi toties dæmonia habentes à Christo liberati, referuntur: hæc tandem calumnia in Christum ipsum cum Judæis illata evanescit.

XX. Demum apostata ille quasi Dei honorem zelans exclamat, theses suas concludendo dicens: *O Iesu, túne in hos fines SS. Eucharistiam condidisti, ut pretiosus tuus sanguis & immaculata caro sagis & meretricibus prodesset? Túne voluisti; ut, quod sæpe vidi, uno chartaceo vel aleorum lusu, tres, quatuor vel plures Missæ exponerentur? minimè; sed hic est finis S. Eucharistiæ, ut in tua mortis memoriam de hoc pane edamus, & de hoc calice bibamus, eóque Fidem nostram confirmemus, & in mutua Dei & proximi charitate ad salutem proficiamus, dicente Apostolo: Probet se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, cuperem hic scire, quomodo huic præscripto sacrificuli satisfaciant; hi saltem, qui statim atque è strato à latere stuprata concubinæ surgunt, ad Missam peragendam, ex præcedentis diei crapula adhuc semi ebrii festinant: O tempora! ô mores! His sexcenta alia adjungere possem, sed amore quorundam innocentium, pluribus in vita & doctrina enarrandis excessibus supersedeo,* hæc ille apostata.

XXI. Respond. possunt boni & mali sanctissimum nomen Jesu allegare: vide apostata, ne tibi accidat, quod Actor. 19. v. 15. Judæis quibusdam exorcistis dicentibus spiritibus malis: *Adiuro vos per Iesum, quem Paulus prædicat, spiritus nequam dixit, Iesum novi, & Paulum scio, vos autem, qui estis?* Tu invocas nomen Jesu, sed vide in quem finem? si dixerimus, quòd finis Christi etiam fuerit, ut suum pretiosum sanguinem & immaculatam carnem sagis & meretricibus prodesse voluerit, an hoc contra institutionem S. Eucharistiæ? an hoc contra Christi passionem? vide, ne vobis dicatur: *Amen dico vobis, quia Publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei, &c.* Matt. 21. v. 31. nónne Christus dixit Matth. nono v. decimo tertio: *Non veni vocare iustos, sed peccatores, &c.* vide, ne vobis dicatur, quod Jesus dicebat Joann. octavo, vers. septimo. *Qui sine peccato est vestrúm, primus in illam* (adulteram) *lapidem mittat.*

XXII. Ecclesia Catholica credit & docet; ùt patet in Concilio Trid. sessione 5. cap. 7. quòd Christus Dominus sit propitiatio pro peccatis nostris, non nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi 1. Joann. 2. v. 2. & quidem unica causa meritoria justificationis nostræ: ac proinde etiam pro peccatis sagarum & meretricum; ac illis caro ipsius & sanguis prodest ad conversionem & salutem.

XXIII. Docet secundò sessione 22. cap. 1. quòd Christus corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini in SS. Eucharistia offerendum instituit, sicut ipse obtulit secundùm ordinem Melchisedech in ultima cœna, ut hactenus probatum est.

XXIV. Docet tertiò sessione 13. cap. 2. quòd Christus instituerit, ut corpus & sanguis sub speciebus oblatum sumeretur à Fidelibus, qui per gratiam ipsius jam justificati & dispositi sunt: ut in gratia nutriantur & conserventur. Joann. 6. qui manducat me, vivet propter me.

XXV. Docet 4. ibid. cap. 7. dicens: *Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere nisi sanctè; certè quò magis sanctitas & divinitas cælestis huius Sacramenti viro Christiano comperta est, eò diligentius cavere ille debet; ne absque magna reverentia & sanctitate ad id percipiendum accedat; præsertim cum illa plena formidine verba apud Apostolum legamus; qui manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini, &c. probet seipsum homo; Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat; quòd etiam à Sacerdotibus, quibus ex officio celebrare incubuerit, hoc sancta Synodus perpetuò servandum esse decrevit.*

Idem etiam gravissimè monetur & præcipitur sessione vigesimâ secunda in decreto de observandis & evitandis in celebratione Missæ.

XXVI. Ecce doctrinam Ecclesiæ Catholicæ, ecce fines, ob quos Christus S. Eucharistiam instituit, & qualiter usurpanda sit. Quid contra hanc ô miser Apostata habes? scilicet primò, quia tu vidisti (vel fortè ipsemet fecisti) pro uno chartaceo lusu missas exponi? 2. quia, ut dicis, aliqui sacrificuli in tantis peccatis ad missam festinant, an ipsemet sic practicaveris? tu videris: Certum est, quod si piè castè & devotè ad sacram Eucharistiam accedendi tibi animus fuisset, nunquam ab Ecclesia & professo monastico statu apostatasses. Sed quid hæc contra doctrinam Ecclesiæ Catholicæ? nunquid S. Eucharistia à Christo malè instituta est, licèt Judas ad condemnationem ex sua malitia S. Eucharistiam malè susceperit? an Ecclesia Catholica indignè accedentes ad missæ Sacrificium vel S. Eucharistiam commendat? an indignè accedendum docet?

Digitized by Google

contrarium patet ex Concilio Trid. & tu optimè nôsti. Considera quàm graviter impingas; vide ne malitia tua (in qua fortè multis annis coram Deo ad S. Eucharistiam obduratus accessisti) te ex gremio Ecclesiæ tanquam è Mari cadaver fœtidum ejecerit; utinam cum sagis & meretricibus ad pœnitentiam redires, ut tibi sanguis Christi prodesse possit.

CAPUT VIII.

De Nomine & Ceremoniis Missæ.

ARTICULUS I.

Exponitur status eorum, quæ de his ab Acatholicis disputantur.

I. HActenus demonstratum est; quòd juxta S. scripturam & communem SS. Patrum sententiam Christus instituerit verum & propriè dictum sacrificium jugiter in Ecclesia celebrandum; in quo corpus & sanguis ejus sub specie panis & vini Deo Patri offeratur: idque per certos ab ipso ordinatos ministros seu Sacerdotes, scilicet per Apostolos & eorum in sacerdotio successores legitimè ordinatos seu vocatos, juxta verbum Domini: *Hoc facite in meam commemorationem* Matt. 26. ex quo sancti Patres docuerunt, quòd sacerdotes illa, quæ Christus ibi fecit, facere debeant; scilicet, ut, sicut ipse ibi corpus & sanguinem sub speciebus panis & vini, tanquam sacerdos à Patre constitutus juxta ordinem Melchisedech obtulit, ita & Sacerdotes offerre deberent, idque in commemorationem passionis suæ, prout 1. Cor. 11. v. 26. Apostolus declarat dicens: *Quotiescunque enim manducabitis*, &c. *mortem Domini annuntiabitis*, &c.

II. Juxta hanc itaque Christi institutionem ad sacrificium hoc peragendum sufficeret, quòd sacerdos ea faceret, quæ Christus circa hoc sacrificium fecisse legitur, ut quòd acceperit panem, *gratias agens benedixit & dixit, accipite, & manducate*, &c. *hoc est corpus meum*, &c. similiter & quæ quoad calicem fecit, & dixit, ubi verum Sacrificium comprehenditur: ut hactenus ostensum & demonstratum est.

III. Quamvis autem in hoc sacrificio plures actiones externæ fiant, & sacræ sint; ac ideo ceremoniæ sint & dicantur: quia tamen à Christo institutæ & mandatæ sunt, ac ad substantiam hujus sacrificii spectant, de his nulla per se potest esse quæstio, cùm licitæ sint & sanctæ; licèt Acatholici negent in illis contineri verum Sacrificium, quod tamen hactenus demonstratum est.

IV. Sciendum ergo est: quòd præter has essentiales, quoad hoc sacrificium, actiones & ceremonias, Apostoli & Ecclesia successivè plura ad majorem tanti Sacrificii reverentiam addiderint; quorum aliqua satis colliguntur ex illis verbis Apostoli 1. Cor. 11. *Cætera, cùm venero, disponam, &c.* & ibid. cap. 14. v. 40. *Omnia autem honestè & secundùm ordinem fiant.* Vbi de his, quæ in Ecclesia facienda sunt, monet; quod spectat ad exercitium sacramentorum, & maximè ad tremendum hoc sacrificium.

Hæ autem ceremoniæ variæ sunt; aliquæ consistunt in rebus; aliæ in verbis; aliæ in aliis actionibus: In verbis consistunt imprimis canon missæ, in quo Deus invocatur, & memoria fit sanctorum Martyrum, *&c.* & juxta institutum Christi Sacrificium conficitur, consecrando Eucharistiam, & Deo Patri offerendo: & orationes diversæ subnectuntur, ut infrà tangetur. Ante etiam canonem, psalmi, orationes, epistolæ Euangelia cantantur vel leguntur, in rebus aliqua consistunt; ut sunt vestes & paramenta ac instrumenta & luminaria. V.

In actione etiam aliqua consistunt, ut quòd fiant signa crucis super oblata, Sacerdos diversos corporis gestus exerceat, *&c.*

Hæ itaque ceremoniæ partim à Christo ipso institutæ, partim ab Apostolis & ab Ecclesia ordinatæ unum reputantur officium sacrum & divinum; quod uno nomine Latino *Missa* dicitur, Græcè verò Liturgia appellatur: ita tamen, ut totum hoc officium non sit vel propriè dicatur sacrificium; sed solùm illa, quæ Christus circa Eucharistiam exercenda ordinavit: reliqua autem ad ipsam Sacrificii essentiam non spectant, sed tantùm ad majorem sacrificii reverentiam adjunguntur: hinc est, quod licèt in die Parasceves plurimæ hujus officii ceremoniæ exerceantur, & etiam Eucharistia à Sacerdote sumatur: tamen, quia non fit consecratio & oblatio Eucharistiæ, quæ Christus primariò egit, nullo modo à Catholicis Sacrificium reputatur. VI.

Quod specialiter notandum ad calumnias Acatholicorum refutandas, cùm falsò Ecclesiæ imponunt: ut inter alios Chemnitius 2. parte exam. Concil. Trid. pag. 717. dicens: *Sacrificium igitur Missæ, de quo Pontificii dimicant, in eo consistit; quòd sacrificulus certis ornamentis & instrumentis super panem & vinum Eucharistiæ variis utitur gestibus, motibus & actibus: ut sæpius genicular, inclinari, strictis manibus modò distendere, modo reducere brachia, subinde se convertere, nunc esse clamosum, nunc magno silentio quadam demurmurare, suspicere in altum; nunc in dexteram, nunc in lævam partem commigrari, &c.* hæc Chemnitius. VII.

Verùm hæc planè fictè & nimis calumniosè dici nimis patet, ex ipso Concil. Trid. & communi Doctorum Catholicorum doctrina; ùt hactenus ostensum est; ita ut Sacrificium hoc plenè & perfectè fieri credatur, si solùm ea, quæ Christus instituit & ordinavit VIII.

navit à sacerdote peragantur; quæ Acatholici improbare non possunt: licèt falsò negent, quod in his verum sacrificium fiat: quod tamen hactenus ex S. Scriptura & SS. Patribus probatum est. Quæstio ergo restat, an aliæ ceremoniæ ab Apostolis in Ecclesia huic sacrificio additæ, bonæ, licitæ & piæ sint.

ARTICULUS II.

Referuntur Errores Acatholicorum.

I. Quoad Ceremonias generaliter in Ecclesia, sive quoad Sacramentorum & sacrificii Eucharistiæ usum, sive quoad alia in Ecclesia exerceri solita, actum est lib de Sacramentis in genere Cap. ult. Contra sacrificii Eucharistiæ ceremonias agebant *Pelagiani*, qui gloriam vestium & ornamentorum dicebant Deo esse contrariam, ut refert Hieron. lib. contra eosdem.

II. *Ariani* sacra vasa temerabant & polluebant, ùt refert S. Athanasius in vita S Antonii.

III. *Donatistæ* sacros calices fregerunt, & vendiderunt, ita refert Optatus Milevit. lib 6.

IV. *Vigilantius* in primitiva Ecclesia reprehendebat Catholicos, quod *Sole fulgente moles cereorum ad memorias Martyrum accenderent*, quod maximè fit tempore hujus tremendi sacrificii, quem refutat Hieron. lib. contra eundem Cap. 2.

V. *VVuleffitæ & Hussitæ*, in quibus moderni Acatholici tanquam Patribus suis singulariter gloriantur, licèt multos turpissimos errores, quos ipsi moderni damnant, docuerint: ut relatum est, lib. 4. de falsis Ecclesiis Cap. 7. art. 9. & 10. tamen fassi sunt, *quod ornamenta Missæ sint laudabilia, & ritus ejus egregii: Ritus & ceremoniæ Missæ sint facienda*, ut ibid, relatum est.

VI. Refert tamen *Joannes Cochlæus* lib. 5. Histor. Hussitiæ quod Ziska ipsorum dux sacerdotes suæ sectæ non permittebat more prisco Missas in habitu sacerdotali & vestibus sacris celebrare.

VII. *Lutherus* licèt absolute has ceremonias non rejecerit, tamen aliqualiter aliquas taxavit, dum lib. de Capt. Babyl dicit: *Ecclesiam universam non esse calumniandam, quæ multis ritibus & ceremoniis Missam ornavit, & ampliavit*, asserit tamen Missam *eò magis fore Christianam, quò est simplicior & similior Missæ Christi, in qua nulla fuit vestium, gestuum, cantuum, aliarumque ceremoniarum pompa, &c.* quod si verum esset, utique Ecclesia esset reprehendenda, quæ talia addidit: tibi advertendum, quod Lutherus Missam vocat, solam Eucharistiæ distributionem & sumptionem.

VIII. Lutheri sectatores ab initio ceremonias Missæ consuetas, licèt non omnes, servant, ut patet ex Melanthone in Apologia Confess Augustanæ art. de Missa, & in aliquibus locis adhuc servant; ipse etiam Lutherus in lib. de formula Missæ permittit lumina, incensum & quædam alia, sic & alii usurpant psalmos, Lectiones, preces, confessionem fidei per symbolum, & alia quædam; quæ Chemnitius & quidam alii retineri posse & usurpari concedunt; ita tamen, ut liberè & sine obligatione fiant; contra quos lib. de Sacram. in genere Cap. ult. ostensum est, quòd Ecclesia possit etiam per præceptum ad illas obligare; licet sine illis sacrificium Eucharistiæ absolutè celebrari posset.

Calvinus lib. 4. instit. Cap. 17. §. 43. de administratione Eucharistiæ agens: *Cæterum*, ait, *quod ad externum actionis ritum spectat: in manum accipiant fideles, nec ne; inter se dividant; an singuli, quod sibi datum fuerit, edunt calicem in Diaconi manu reponant; an proximo tradant, panis, &c. panis sit fermentatus, an azymus, &c. nihil refert, &c.* postea de ceremoniis Ecclesiæ subjicit: *Omnes objuro, qui vel levi aliquo pietatis sensu tanguntur, an non evidenter prospiciunt, & quantò præclarius Dei gloria hic resplendeat, & quantò efficacior spiritualis consolationis suavitas ad fideles redeat, quam in istis frigidis & histrionicis nugis, &c. Si quis vetustate tueri hujusmodi inventiones velit, nec ipse ignoro quam vetustus sit, Chrismatis & exsufflationis in baptismo usus? quam non longè* (nota) *ab ætate Apostolorum Cœna Domini tacta rubigine fuerit; sed isthæc scilicet humanæ confidentiæ procacitas est, quæ se continere nequit; quin semper in Dei mysteriis ludat & lasciviat. Nos vero meminerimus tanti esse Deo verbi sui obedientiam, ut in ea & Angelos & orbem universum nos judicare velit, &c.* hæc Calvinus. Hoc verum esset, si ceremoniæ Ecclesiæ Catholicæ contra Dei verbum usurparentur, sed hoc falsissimum est; etsi enim non exprimantur, vel præscribantur in S. Scriptura, non tamen prohibentur. Idipsum Calvinus ibidem sui oblitus fateri debebat cum ibid. subjungit dicens: *Porro tanta ceremoniarum congerie facessere jussâ* (scilicet quæ à tempore Apostolorum in usu fuerunt;) *sic administrari* (Cœna) *decentissimè poterat; &c. ut initium fieret à publicis precibus, haberetur deinde concio; tum minister proposito in mensa pane & vino institutionem cœnæ referret, deinde promissiones enarraret simul omnes eos excommunicaret, qui interdicto Domini ab ea arcentur, postea oraretur*, &c *hic vero aut cantarentur psalmi, aut aliquid legeretur*, &c. *finitâ cœna exhortatio haberetur*, &c. *postremo gratiarum actio referretur & laudes Deo canerentur; quibus finitis Ecclesia dimitteretur in pace, &c.* hæc Calvin. sed ubi istas ceremonias & ritus in S. Scriptura legit præscriptos? vel à Christo vel Apostolis usurpatos? & ceremonias à primitiva Ecclesia usurpatas tanquam rubiginem cœnæ additam & verbo Dei contrariam rejiciat & suas ut præclarissimas præponat? hic est Spiritus vertiginis, proprii cerebri, communis superborum hæreticorum consuetudini & praxi.

ARTICULUS III.

Refertur Doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa Ceremonias Missæ.

Hanc tradit Concil Trid. sess. 22 Cap. 3. dicens: *Et quamvis in honorem & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consuevit, non tamen illis sacrificium offerri docet; sed Deo soli, qui illos coronavit: unde nec sacerdos dicere solet; offero tibi sacrificium Petre vel Paule; sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat; ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris.* I.

 Iterum

Digitized by Google

II. Iterum Cap. 4. sic dicit: *Et cùm sancta sanctè administrari conveniat: sitque hoc omnium sanctissimum sacrificium, Ecclesia Catholica ut dignè reverenterque offerretur ac perciperetur; sacrum Canonem multis ante seculis instituit; ita ab omni errore purum: ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem ac pietatem redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat. Is enim constat cum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus.* hæc Concil. ubi potius dicendum est, quod Calvinus falsò dicit, scilicet: *Omnes objuro, &c.* nam, si quis ex una parte consideret illa, quæ ordinatissimo modo in Missa ab Ecclesia à tempore Apostolorum peraguntur, & Acatholicorum inordinatissimum modum quoad placitum omnia fiunt; quis non videat potius in Ecclesia Catholica fideles magis ad devotionem excitari? quod ipsi Acatholici sæpius confessi sunt: ut auribus meis audivi.

III. Rursus Concil. Cap. 5. dicit: *Cumque natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli; propterea pia Mater Ecclesia ritus quosdam ut scilicet quædam submissa voce, alia vero elatiore in missa pronunciarentur, instituit ceremonias; item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata vestes, aliaque id genus multa ex Apostolica disciplina & traditione quo & majestas tanti sacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.*

IV. Rursus Cap. 8. sic ait: *Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem; non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur*, &c. *mandat S. Synodus Pastoribus, & singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem, vel per se, vel per alios ex iis, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant; atque inter cætera sanctissimi hujus sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim Dominicis & festis*, &c.

V. Denium Can. 5 sic definit: *Si quis dixerit imposturam esse, Missas celebrare in honorem sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, anathema sit.*

Can. 6. *Si quis dixerit Canonem Missæ errores continere, ideoque abrogandum esse, anathema sit.*

Can. 7. *Si quis dixerit: ceremonias vestes & externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis quam officia pietatis. Anathema sit.*

Can. 9. *Si quis dixerit: Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars Canonis, & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse; aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere: aut aquam non miscendam esse vino in Calice offerendo eo, quod sit contra Christi institutionem: anathema sit.*

Hæc est concors & constans totius Ecclesiæ Catholicæ doctrina.

***

ARTICULUS IV.

Declaratur Etymologia nominis Missæ & ejus antiquitas.

QVamvis parum intersit de nomine aliquo, si de re constet, vel de antiquitate seu tempore, à quo res ipsa sic nominari cœperit: ad ostendenda tamen Acatholicorum crassa mendacia; qui id nomen in significatione moderna ne per somnium Patribus antiquis occurrisse jactitant, breviter aliqua ostendenda sunt. I.

Primò constat; quòd in Ecclesia moderna Catholica non solum, sed à multis seculis officium divinum totum, in quo ipsum sacrificium Eucharistiæ à Christo institutum peragitur, & omnia alia ab Ecclesia, ad ipsum majore cum reverentia peragendum ante & post illud sacrificium exercentur, apud Latinos Missa dicatur: quod idem totum officium à Græcis *Liturgia* nuncupatur. Liturgiæ quidem etymologia clarior est, unde derivetur, cum idem quod ministerium publicum significet, quia tamen ministerium publicum latius patet, Græci per antonomasiam totum officium hoc divinum liturgiam appellare consueverunt.

II. Missæ autem Etymologia unde derivetùr, non ita clarum est, quatenus pro divino hoc officio usurpatur: quidam putant desumi à verbo Hebraico. *Missalia* quod idem ac oblationem voluntariam significat; sed hoc minùs probabile esse multi doctores ostendunt.

Probabilior & communior sententia est, quod à missione seu potiùs dimissione populi deducatur; ita ut missa idem sit, quod missio seu dimissio; ut sicut in antiqua Ecclesia collecta dicebatur quasi collectio populi; sic missa idem sit, quod populi dimissio.

III. Et quia olim duplex erat in officio divino dimissio; una *catechumenorum*, scilicet, qua hi antè dimittebantur ex officio, quam sacrificium Eucharistiæ inchoaretur, cui his interesse non licebat: quo sensu D. Aug. serm. 237. de tempore Missæ nomen usurpabat dicens; *Ecce post sermonem fit Missa catechumenis, manebunt fideles*: sic etiam in Concil. Carthag. 4. Cap. 84. dicitur. *Episcopus nullum prohibeat usque ad missam Catechumenorum neque hæreticum, neque Iudæum neque gentilem Ecclesiam ingredi, & audire verbum Dei*, &c.

IV. Altera dimissio erat fidelium, quando finito toto officio fideles dimittebantur, & sacerdos vel Diaconus dicebat, *ite Missa est*, id est jam officium peractum est, & populi dimissio est; in pace abire potest.

V. Verùm tamen usus in Ecclesia & apud SS. Patres obtinuit; ut Missa non solùm usurparetur pro duplici illa dimissione, sed potius pro officio utroque cui singulis interesse licebat, ita ut Missa Catechumenorum diceretur, illa prior officii divini pars, cui Catechumenis interesse permittebatur: in hoc sensu locuti sunt Patres in Concil. Valent. An. 370. celebrato edit. Colon. 1538. ubi dicunt. *Hoc censuimus observandum, ut sacrosancta Evangelia ante munerum oblationem in*

Missa

Digitized by Google

Missa Catechumenorum in ordine lectionum post legantur, &c.

VI. Sic Missa fidelium dicebatur pars officii divini posterior; in qua soli baptizati manebant; quæ ab offertorio est usque ad finem, ita usurpavit D. Ambrosius lib. 5. epist. 38. ad Marcellum dicens: *Illuc nunciatum est mihi comperto quod ad Pontianam Basilicam de Palatio Decanos misissent, & vela suspenderent populi partem eò pergere. Ego tamen mansi in munere, Missam facere cœpi, dum offero raptum cognovi à populo castulum quendam & amarissime flere & orare in ipsa oblatione Deum capi, ut subveniret, ne hujus sanguis in causa Ecclesiæ fieret, &c* hæc ibi.

VII. Similiter D. Aug. serm. 9. de tempore hoc nomine utitur, dicens: *In lectione, quæ nobis ad Missas legenda est, audituri sumus quod filii Israël*, &c.

Denique communis Ecclesiæ consuetudo invaluit; ut nomen Missa, usurparetur pro toto Officio divino, quod tam catechumenorum quàm fidelium missam comprehenderet: ita usus est *Leo* primus in Epist. 81. ad Dioscorum Cap. 2. edit. Colon 1571. dicens: *Necesse est autem, ut quadam pars populi sua devotione privetur si unius tantum Missæ more servato sacrificium offerre non possint.*

Sic etiam in Concil. Arelat. Cap. 3. An. 453. celebrato dicitur: *Si quis & contra consensum fratrum faciens Missas celebrare præsumpserit.*

Item Concil. Agatense An. 506. Cap. 47. dicit: *Missas die Dominico secularibus totas præcipimus tenere speciali ordine.* Similiter plura alia Concilia & SS. Patres loquuntur.

VIII. Et hic loquendi modus etiam statim à tempore Apostolorum usurpatus fuit, ùt patet ex Epistolis plurium Pontificum Romanorum nam *Alexander primus*, circa Ann. 109. Epist 1. Cap. 4. apud Iod Coccium sic ait: *In Sacramentorum quoque oblationibus, quæ inter Missarum solemnia Domino offeruntur, passio Domini miscenda est*, &c.

Thelesphorus An. 127 in Epist. ad omnes universaliter Cap 2. similiter loquitur. Sic & *Pius* circa Ann. 142 in Epist. ad Iustum Episcopum *Anicetus* circa Ann. 154. apud Burchardum lib. 5. Cap. 29.

Damasus circa Ann 370. in pontificali de Thelesphoro apud Iod Cocc. tomo 2. dicit: *Hic fecit ut in natali Domini nostri Missæ celebrentur.*

IX. Ex his patet tam significatio, quàm antiquitas hujus nominis Missæ in antiqua Ecclesia usurpati; quamvis etiam certum sit, quod SS. Patres hoc divinum officium sæpissime & ordinarie à principali parte, illius nominarint absolutè *sacrum mysterium vel sacrosanctum & augustissimum mysterium & sacrificium*. Vt Dionys. Areopag lib Eccles. hierach Cap. 3. & Epist. 3. ad Demophitum, vel etiam *sacrum tremendum & reverendum omnium maxime horrendum verendumque mysterium.* Sic Chrysostomus lib. 3. de sacerdotio & alii SS Patres suprà. Alii sacrificium Corporis & sanguinis Domini appellabant.

X. Hæc ad confundendas Acatholicorum de nomine Missæ calumnias sufficiant; de re autem ipsa significata per hoc nomen; scilicet de toto officio divino, quod antiquissima sit, quod & ipsum principale scilicet sacrificium Corporis & sanguinis Domini, quod in illo peragitur, copiosè ostensum est: quod ab ipso Christo Domino in ultima Cœna institutum sit; nunc de ceremoniis, quas Apostoli & Ecclesia addiderunt, demonstrandum est, quod piæ licitæ & antiquæ sint; quæ quidem à pluribus doctoribus accuratissimè & probatæ sunt, & explanatæ; hìc solùm præcipua, quæ ad fidem spectant, probabuntur.

ARTICULUS V.

Quòd Missæ sacrificium licitè in honorem Sanctorum celebretur.

Pro intelligentia hujus Catholicæ doctrinæ sciendum quòd dupliciter intelligi possit Missam in honorem Sanctorum celebrari; semel quasi ipsum tremendum sacrificium Missæ ipsis Sanctis offeratur ad ipsorum honorem protestandum; sed hic sensus est falsissimus, nec ullatenus ab Ecclesia intenditur; ut patet, ex verbis Concilii Trid supra allatis, quod juxta sententiam SS. Patrum & ipsam euangelicam doctrinam hoc negat; cum sacrificium soli vero Deo offerendum sit. Alter sensus est, quod sacrificium quidem Missæ soli Deo offeratur, nec ulli creaturæ offerri possit nihilominus licitum sit ut in illo officio divino præter sacrificium fiat honorabilis mentio Sanctorum & illorum invocatio; & hoc sensu docet Ecclesia, quod Missa in honorem Sanctorum celebrari possit. I.

Hoc probatur 1. quia, licèt Christus hoc expressè non mandaverit, certum tamen est, quod etiam non prohibuerit; & quia in se bonum est, licitè fieri potest, ut patet in simili, quia Christus non mandavit ut tempore hujus sacrificii vel cœnæ fideles canerent psalmos, vel alia pietatis exercitia, ut gratiarum actiones præstarent, non tamen prohibuit: & ideo ipse Calvinus licet alias nihil fieri velit, nisi quod scriptum est, & à Christo mandatum circa Sacramenta, tamen dicit plurima quæ in administratione cœnæ adhiberi possint, ut supra art. 2. visum est. II.

Hoc etiam positivè probatur ex illo 1. Tim. 2. v. 1. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, Orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus pro Regibus & omnibus qui in sublimitate sunt, &c.* Vbi Apostolus loquitur de publico officio divino, ubi Eucharistia offertur juxta SS. Patres vel juxta Acatholicos ubi distribuitur, ut specialiter tradit Augustinus Epist. 59 ad quæst. 5. ubi tractat illa verba Apostoli & dicit: *Sed eligo in his verbis hoc intelligere: quod omnes vel pene omnis frequentat Ecclesia, facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa incipiat benedici,* hæc ibi. Si itaque indecens non sit sed decens & licitum ut tunc gratiarum actiones fiant pro Regibus etiam infidelibus & aliis, quales tunc erant, cur illicitum erit, in illo officio agere Deo gratias quod sanctos usque ad mortem confortavit, & gloriâ Martyrii Coronatos ad cælos assumpserit, & ut ipsi pro nobis Deum orent, supplicemus; quod lib. de Invocatione Sanctorum clarè probatum est. III.

Hoc ipsum à tempore Apostolorum in Ecclesia IV.

Digitized by Google

sia usitatum fuisse patet ex liturgiis diversarum Ecclesiarum, quæ à Iacobo, Clemente & aliis ordinatæ fuerunt.

V. Idem ipsum SS Patres clarissimè testantur, quod non solum in sacrificio Sanctorum fiat memoria; sed etiam invocatio, qualis in Ecclesia usurpatur, ubi quidem Ecclesia preces non directe ad Sanctos dirigit, sed ad Deum, rogans ut per intercessionem Sanctorum gratiam & dona largiatur.

VI. Hoc itaque in Ecclesia antiqua observatum esse patet ex pluribus SS. Patribus, quorum aliqui hic sufficiant.

Cyrillus Hierosylomit. Catechesi 5. Mystagogica edit Colon. An. 1618. tomo 4. Ioanne Grodocio interprete, ubi sic præfatur: *Satis jam Deo favente & de baptismo & de Chrismate & de sumptione Corporis & sanguinis Christi in superioribus sacris instructionibus audistis; nunc vero ad reliqua transeundum est,* ubi incipit explicare, quæ in sacrificio Altaris à sacerdote fiunt, ubi patet; quod sacrificium à sumptione Eucharistiæ distinguat, & postea inter alia dicit: *Cum hoc sacrificium offerimus, mentionē facimus eorum, qui ante nos obdormierunt; primùm Patriarcharum Prophetarum Apostolorum Martyrum,* &c. *ut Deus orationibus illorum & deprecationibus suscipiat preces nostras.*

VII. *Chrysostomus* in sua Liturgia, sic sacerdos ad Deum dicit: *Fac securos gressus nostros, precibus, & Intercessione gloriosæ Deiparæ, & semper Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum,* &c.

Idem homil. 21. in acta Apost. edit. Basil. in morali circa medium sic ait: *Quid dicis? in manibus est hostia, & omnia proposita sunt bene ordinata, adsunt Angeli adsunt Archangeli, adest Filius Dei; cum tanto horrore adstant omnes; adstant illi, clamantes omnibus silentibus, & putas hæc temere fieri?* & paulò pòst *quid tibi videtur, quod pro Martyribus offertur, quod invocantur illa hora licet Martyres sint etiam pro Martyribus offertur: Magnus honor nominari Domino præsente, dum mors illa celebratur, & horrendum sacrificium, &c.* & infrà: *Sicut enim quando Regum trophæa statuuntur, tunc celebrantur quidem & quicunque victoriæ Socii fuerunt,* &c. *Ita sanè & hic Tropheorum & celebrandæ victoriæ tempus est, quoties enim, inquit, manducabitis panem hunc mortem Domini annunciate, itaque ne simpliciter accedamus, neque fortuito hæc fieri putemus. Et aliter: Martyrum memores simus in fidem, quod nō mortuus adhuc est Dominus, &c.* hæc Chrysost. ubi non dicit quod oremus pro Martyribus quasi nostris precibus egeant, sed ut illos cum Christo honoremus; ut ex textu patet.

VIII. *Augustinus* lib. 8. de civit. Dei Cap. 27. tomo 5. edit Basil 1529. sic ait: *Quis audivit aliquando fidelium stantem sacerdotem ad Altare,* &c. *dicere in precibus; Offero tibi Petre, vel Paule, vel Cypriane, cum apud memorias eorum Deo offeratur?* &c.

IX. Et hoc pro prima parte, quod Sanctis sacrificium non offeratur qualiter autem in honorem eorum offeratur declarat lib. 20. Contra Faustū Cap. 21. tomo 6. ead. edit. ubi utrumq; complectitur, dicens; *Nulli Martyrum, quamvis in memorias Martyrum, constituimus Altaria, quis enim Antistitum in locis Sanctorum Corporum assistens Altari aliquando dixit: Offerimus tibi Petre aut Paule aut Cypriane? sed quod offertur Deo offertur, qui Martyres coronavit apud memorias eorum quos coronavit,* &c.

X. Similiter lib. 22. tomo 5. 1529. de civ. Dei cap. 10. dicit: *uni Deo & Martyrū & nostro sacrificium immolamus. Ad quod sacrificium, sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco & ordine numerantur, non tamen à sacerdote, qui sacrificat, invocantur.* Sed qualem invocationem Sanctis neget, statim subdit, dicens: *Deo quippe non ipsis sacrificat, quamvis in memoriam sacrificet eorum, quia Dei sacerdos est; non illorum, &c* hæc ibi. Ubi per invocationem intelligit invocationem latriæ tanquam Dei & Domini absoluti.

Quod autem, ut intercessores etiam in illo officio invocentur, profitetur sæpe, utpote tract. 84 tomo. 9. eàd. edit. in Ioann. loquens de Martyribus dicit: *Quorum si nō inaniter memorias celebramus atque in convivio, quo & ipsi saturati sunt, ad mensam Domini accedimus, oportet, ut quemadmodum ipsi, & nos talia præparemus. Ideo quippe ad ipsam mensam non sic eos commemoramus quemadmodum alios qui in pace requiescunt ut etiam pro ipsis oremus: sed magis ut orent ipsi pro nobis, ut eorum vestigiis inhæreamus,* &c. XI.

Similiter loquitur serm. 17. tomo 10. ejusdem edit. de verbis Apost circa initium dicens: *Ideóque habet ecclesiastica disciplina, quod fideles noverunt, cum Martyres eo loco recitantur ad Altare Dei, ibi non pro ipsis oretur, pro cæteris autem commemoratis defunctis oretur. Injuria est enim pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari, &c.* hæc Aug. XII.

Ex his manifestè patet usus Ecclesiæ primitivæ; quod sacerdotes tempore sacrificii Eucharistiæ Sanctorum memoriam fecerint, eorumque intercessionem apud Deum implorarint; quod etsi Christus non præceperit, tamen etiam non prohibuit, & in se pium & sanctum est, quod universa Christi ab initio observavit Ecclesia, & idem Ecclesia moderna docet, ut patet ex verbis Concilii Trid.

ARTICULUS VI.

Quòd vestes sacræ, Ornamenta, vasa aurea & argentea, & luminaria licitè ad sacrificium Missæ adhibeantur.

Quoad vestes sacras & speciales, quibus sacerdotes tempore sacrificii Eucharistiæ utuntur, quòd licitæ sint, probatur à simili, vel à minore ex veteri testamento; cum Exod. 28. v. 3. dicit Dominus: *Loquere cunctis sapientibus corde, quos replevi spiritu prudentiæ; ut faciant vestes Aaron in quibus sanctificatus ministret mihi,* & v. 40. *Filiis Aaron tunicas lineas parabis, & balteos ac tiaras in gloriam & decorem, vestiesque his omnibus Aaron,* &c. *& filios ejus,* &c. I.

Ex his argumentum est à minore ad majus, 1. cùm omnia in figura contigerunt in veteri lege, utique vestes illæ etiam figurabant vestes sacerdotales in nova lege: Et si ibi Dominus præceperit, ut sacerdotes tēpore sacrificii imperfecti vestibus sacris & specialibus uterentur; utique ad minus est gratū Deo, ut in nova lege tēpore tremendi & perfectissimi sacrificii sacerdotes sacris specialibus vestibus induantur. Licet autem Christus Dominus in cœna talibus usus non sit; non tamen prohibuit, ut postea alii uterentur. Et ratio est, quia tunc vigebat adhuc sacerdotium veteris legis; nec Christus voluit tēpore passionis talia usurpare, sed potius illa exhibere, quæ per puras vestes exteriores II.

figura-

Digitized by Google

figurabantur, utpote puritatem cordis; quæ præcipua est, quâ sacerdotes novæ legis indui debent, tamen exterior cultus etiam decens est, quem Christus Apostolorum & Ecclesiæ dispositioni reliquit, ùt ex praxi Ecclesiæ patet.

III. Quòd *Ioannes Euangelista* singulari ornatu ùt sacerdos usus sit, constat ex epistola Polycratis, qui discipulus Apostolorum fuit, is in epistola ad Victorem Episcopum Romanum, quam refert Eusebius Cæsariensis lib. 5. Eccles. histor. Cap. 24. dum de moribus Ecclesiæ Asiæ scribit. Inter alia facit mentionem Philippi Diaconi, & Filiam ejus prophetissam, qui nuper ibi in Domino obiissent, sicut & Joannes Euangelista, de quo sic tomo 1. edit. Basil. 1549. ait: *Nec non & Ioannes, qui supra pectus Domini recubuit, qui fuit summus Sacerdos & pontificale πέταλον gessit, martyr & Doctor Ecclesiæ, qui & ipse apud Ephesum dormivit.* Et hæc ibi apud Eusebium juxta translationem Ruffini edit. Basil. 1549. ubi Hieronymus πέταλον vertit, quòd significet laminam auream.

IV. *Clemens Romanus* apud Coccium tomo 2. art. 11. epist. 2. de Ornatu Altarium sic scribit: *Altaris Palla cathedra, candelabrum & velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur; quoniam non licet ea, quæ in sanctuario fuerunt, male tractari, &c.*

Anacletus circa Annum 84. epist. 1. apud Coccium tomo 2. art. 11. *In solemnioribus,* ait, *diebus aut septem aut quinque Diaconos, &c. & Subdiaconos, & reliquos ministros secum habeat, qui sacris induti vestimentis, &c. pronostent vultu, &c.* hæc ille.

Stephanus primus circa Annum 255. epist. 1. Cap. 3. apud Coccium tomo 2. edit. Colon. 1601. *Vestimenta,* ait, *ecclesiastica, quibus Domino ministratur, cultùsque divinus, &c. sacrata debent esse & honesta, &c.*

V. Synodus Nicæn. I. can. 63. ex Arabico translato statuit; *ut sit in unaquaque Ecclesia procurator, & cum eo alii, qui curam habeant proventuum & vasorum auri & argenti, & vestimentorum & ornamentorum Ecclesiæ, &c*

VI. S. *Athanasius* in Epistola ad Marcum Papam editione Paris. 1581. sic scribit: *Ariani in tantum nostra vastaverunt, ut nec libros, nec vestimenta ecclesiastica aliàque ornamenta, nec reliqua utensilia nobis dimiserint.*

VII. *Basilius* Magnus in Liturgia edit. Antwerp. 1568. dicit: *Primum Patriarchæ cum sequentis ordinis clero ecclesiasticis vestimentis induto offeruntur in sacrario, &c.*

VIII. *Damasus* in lib. pontificiali apud Jod. Coccium tomo 2. art. 11. sic ait: *Stephanus constituit Sacerdotes & Levitas vestibus sacratis in usu quotidiano non uti, nisi in Ecclesia tantùm.*

IX. *Hieronymus* lib. 1. adversus Pelagianos Cap. 9. edit. Basil. 1553. tomo 2. sic ait: *Quæ sunt rogo inimicitiæ contra Deum, si tunicam habuero mundiorem? si Episcopus, Presbyter, & Diaconus, & reliquus ordo ecclesiasticus in administratione sacrificiorum candida veste processerint?* &c.

Idem ad Cap. 44. Ezech. tomo 6. ejusdem edit. *Per quæ,* ait, *discimus non quotidianis & quibuslibet pro usu vitæ communis pollutis vestibus nos ingredi debere in sancta Sanctorum, sed munda conscientia & mundis vestibus tenere Domini Sacramenta,* &c.

Chrysostomus in Liturgia describit orationes, quas sacerdos dicit, dum sacris vestibus se induit. X.

Idem Homiliâ 83. in Matth. edit. Basil. 1558. monet sacerdotes, ut provideant quibus Sacramentum Eucharistiæ distribuant, dicit: *Hæc est dignitas vestra, &c. non quia tunicam induti candidissimam per Ecclesiam ambulatis.*

Augustinus editione Basil. 1528. tomo 4. lib. Quæst. veteris & novi testamenti quæst. 48. dicit: *Sed hinc inquiunt videtur Sacerdos fuisse Samuel, quia vestitus erat Ephod; quasi non hodie Diaconi Dalmaticis induantur, sicut Episcopi, &c.* XI.

Concilium Carthaginense IV. tempore Augustini cap. 41. ordinat ut Diaconus tempore oblationis tantùm, vel lectionum albâ utatur, &c. XII.

Ex his satis patet, quòd in primitiva Ecclesia sacerdotes & ministri Altaris sacris & specialibus vestibus usi fuerint.

Quoad vasa aurea, argentea & alia etiam probatur à simili ex veteri Testamento, ubi Exod. 25. v. 29. dicit Dominus: *Parabis & acetabula ac phialas, thuribula, & cyathos in quibus offerenda sunt libamina ex auro purissimo,* & v. 31. *Facies & candelabrum ductile ex auro mundissimo, &c.* quod si Deus voluit, ut oblata illa in tam pretiosis vasis offerrentur; nec displicebit illi ut Sanguis pretiosus Christi in talibus offeratur. XIII.

Usum vasorum seu instrumentorum & calicum quibus tempore sacrificii Ecclesia utitur, in Ecclesia primitiva viguisse constat ex SS. Patribus. XIV.

Sixtus I. circa Annum 117. in Epistola 2. apud Jod. Coccium tomo 2. 1601. in fine ait; *In hac sancta Sede Apostolica à nobis & reliquis Episcopis cæterísque Domini sacerdotibus statutum est, ut sacra vasa non ab aliis, quàm à sacratis Dominóque consecratis hominibus contrectentur.*

Clemens Romanus circa Annum 80. can. Apost. 72. edit. Colon. 1569. dicit: *Vas aureum vel argenteum sanctificatum, aut velamen, &c. nemo ampliùs in suos usus assumito, &c.* XV.

Tertullianus lib. de Pudicitia, Cap. 7. editione Paris. 1584. *Procedant,* inquit, *ipsæ picturæ calicum vestrorum, &c.* Picturæ autem *non facilè nisi in aureis vel argenteis calicibus formantur.* XVI.

Athanasius in vita S. Antonii edit. Paris. 1581. *Nec mora, ait, visionem sequitur effectus. Nam post annos duos sævè Arianorum irrupuit insania; tunc Ecclesiarum fuerunt rapinæ, tunc divinarum temeratio vasorum, &c.* hæc ille. XVII.

Concilium Laodicense Anno 370. *Non oportet Subdiaconos habere locum in Diaconis, & sacra vasa tangere.* XVIII.

Gregorius Nazianz. apud Coccium tomo 2. art. 10. orat. 25. quæ est contra Arianos de se ipso sic ait: *Quoniam mysticum sanguinem cum mortifero sanguine permiscui, quæ vasa ministerio sacro destinata, nec vulgi manibus* (nota) *attrectanda, in quorum manibus dedidi nempe vel Nabuzardæ Coquorum Principi, vel Balthasaro qui malè in sanctis poculis perbachatus est, atque ideo dignos amentiæ suæ pœnas persolvit.* XIX.

Optatus Milevitanus edit. Paris. 1569. lib. 6. contra Parmenian. *Hoc tamen, ait, immane facinus geminatum est dum fregistis etiam calices Christi Sanguinis portatores, quorum species revocâstis in massas mercem nefariis nundinis procurantes, &c.* XX.

emerunt forsitan in usus suos sordidæ mulieres, emerunt pagani facturi vasa, in quibus incenderent idolis suis. O scelus nefarium! quid minùs faciunt moderni Acatholici? imò majora perpetrant.

XXI. *Ambrosius* edit. Paris. 1569. lib. 2. Offic. cap. 28. *In necessitate* inquit, *pro redimendis captivis vasa Ecclesiæ etiam initiata confringere conflare & vendere licet,* quæ utique ex auro vel argento erant, & subdit: *Opus est ut de Ecclesia mystici poculi forma non exeat; ne ad usus nefarios sacri calicis ministerium transferatur, &c.* hæc ille.

XXII. *Damasus* in lib. pontificali sic scribit de suis Antecessoribus apud Jod. Coccium tomo 2. art. 10. *Sixtus constituit ut ministeria sive vasa sacra non tangerentur, nisi à ministris sacratis. Urbanus fecit ministeria sacrata omnia argentea & patenas argenteas viginti quinque apposuit. Sylvester donavit Ecclesiæ Romanæ patenam argenteam pensantem libras viginti ex dono Constantini Augusti, &c.* hæc ibi.

XXIII. Hieronymus epist. ad Theophilum Alexandrinum præfixa operi paschali apud Jod. Coccium tomo 2. Thes. Cathol. art. 10. 1601. sic ait: *In opere tuo utilitatem spectavimus Ecclesiarum, ut discant, qui ignorant eruditi testimonio Scripturarum, quâ debeant veneratione sancta suscipere, & Altaris Christi ministerio deservire, sacrósque calices & sancta velamina & cætera, quæ ad cultum Dominicæ pertinent passionis, non quasi inania & sensu carentia sanctimoniam non habere, sed ex consortio Corporis & Sanguinis Domini eadem, &c. majestate veneranda, &c.* hæc ibi. quod patet in simili, dum vestis quâ Rex indutus est cum Rege honoratur.

XXIV. *Chrysostomus* orat. in Babylam Martyrem apud Jod. Coccium tomo 2. art. 10. Thesauri Catholici 1601. sic ait: *Cæterum ex eu, qui cum Iuliano erant, patenas, cùm licentiosiùs insaniam suam contra nos prodidisset, ausus impuris manibus sacra vasa contingere; hoc etiam scelere non contentus, sed contumeliâ ulteriùs progressus (vasis enim inversis & super pavimentum collocatis, atque extensis super ea desedit) è vestigio huius illegitimæ sessionis pœnam luit. Illius enim verenda corrupta, vermiculos generârunt, ita ut morbum divinitus illatum constaret, &c.* hæc ibi.

XXV. Idem Homil. 51. in Matth. apud Jod. Coccium ibidem: *Ne putemus,* ait, *satis nobis esse ad salutem, si cùm viduas & pupillos spoliaveris, aureum calicem & gemmis ornatum huic mensæ offeras,* &c. & infrà: *Non igitur laboremus solùm, ad aurea vasa offerenda, verùm multò magis ut iusto labore acquisita offeramus: hæc enim aurea sunt & pretiosa quæ avaritiâ non maculantur. Non enim argentaria aut auri officina, sed Angelorum celebritas est Ecclesia. Animarum ergo munditia opus est, propter quas Deus etiam hæc vasa recipit. Et certè non erat ex argento mensa illa, nec ex auro calix, quo Christus discipulis Sanguinem suum præbuit, pretiosa tamen erant omnia & veneratione plena, quia spiritu abundabant, &c.* & paulò infrà: *Hæc dico, non quia prohibere velim talium vasorum oblationem, sed quia dignum putem misericordiæ & benignitati ante omnia incumbere. Nam Deus & vasa suscipit, sed illa multò magis sunt pretiosa, &c.* ubi respondet Acatholicorum calumniæ.

XXVI. Idem Homil. 14. in Epist. ad Ephes. in Morali edit. Basil. 1547. sic ait: *Perpende cum quibus tempore mysteriorum adstes, nempe cum Cherubim cum Seraphim, &c. quomodo potes ergo cum illis dicere sanctus sanctus sanctus, qui ore tuo ad vituperium abuteris?* ubi utitur similitudine de illo, qui coram Rege adstans abuteretur vasis regiis, vel conservum percuteret, & postea subdit: *Tu cum Cherubim apud thronum Regis constitutus convitiaris fratrem? non vides sacra illa vasa? non ad unum semper illa usurpantur? audetne quisquam illis ad aliud quicquam uti?* (nota) *tam tu vasis istis sanctior es, idque multò. Quare itaque te ipsum sordidum reddis & pollutum?*

Demum Augustinus in ps. 113. Conc. 2. tomo 8. edit. Paris. 1529. circa illum versum: *Simulachra Gentium argentum & aurum,* circa medium sic dicit: *Sed enim & nos pleraque instrumenta & vasa ex huiusmodi materia vel metallo habemus in usum celebrandorum Sacramentorum; quæ ipso ministerio consecrata sancta dicuntur in eius honorem, cui pro salute nostra inde servitur, &c. numquid eis supplicamus, quia per ea supplicamus Deo? &c.* hæc ibi, ubi patet responsio ad calumnias Acatholicorum. XXVII.

Demum *quoad usum luminarium vel cereorum,* etiam patet ex praxi Ecclesiæ primitivæ, quam unius Hieronymi testimonium satis probat, dum contra Vigilantium Ecclesiæ morem improbantem lib. 1. contra eundem cap. 3. edit. Antw. 1579. sic ait: *Quando legendum est Euangelium accenduntur luminaria iam Sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.* XXVIII.

Ad hæc *Chrysostomus* in Liturgia supponit morem esse, & præscribit quòd sacerdos ad Altare procedat, ministro cum lumine præcedente. XXIX.

Concil. Carthaginense IV. can. 6. sic ordinat: *Acolythus in ordinatione ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut sciat se ad accendenda Ecclesiæ lumina mancipari, &c.* hæc ibi. XXX.

Ex præmissis cuilibet facilè patet quòd Ecclesia universa à tempore Apostolorum in tremendo Missæ sacrificio sacras vestes & vasa etiam pretiosa facta, & lumina adhibuerit: ex quo Acatholici sufficienter confunduntur, qui hæc damnant juxta illud Augustini Epist. 118. cap. 5. edit. Basil. 1529. tomo 2. ubi de quibusdam quæstionibus interrogatus cùm plura respondisset tandem dicit: *Ad hæc itaque respondeo, ut quid horum sit faciendum si divina Scriptura præscribit auctoritas non sit dubitandum quin ita facere debeamus ut legimus, &c. similiter etiam si quid horum totâ die per orbem frequentat Ecclesia: nam hoc, quin ita faciendum sit, disputare insolentissimæ insaniæ est,* &c. XXXI.

At verò tota per orbem Ecclesia non solùm moderna, sed à tempore Apostolorum has ceremonias frequentavit: proinde insolentissimæ insaniæ est his contradicere.

ARTICULUS VII.

Quòd ceremoniæ Missæ quæ in actione consistunt antiquæ & licitæ sint.

Ceremoniæ *in actione consistentes* quas sacerdos sub sacrificio Missæ exercet, plures sunt; quas licitas & in primitiva Ecclesia usurpatas fuisse, summatim probatur. I.

1. *Sacerdos* subinde *elevat manus & expandit orans,*

Digitized by Google

orans Deum, quod pium & licitum esse patet ex illo Exod. 17. v. 11. *Cùmque levaret Moyses manus vincebat Israel, &c.* Aaron *autem & Hur sustentabant manus eius ex utraque parte.* David ps. 62. v. 5. dicit: *In nomine tuo levabo manus meas.* Et ps. 140. v. 2. *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.*

Item 3. Reg. 8. v. 22. *Stetit autem Salomon ante Altare Domini in conspectu Ecclesiæ Israël, & expandit manus suas in cœlum, &c.* quòd autem id Fidelibus in nova lege etiam competat, patet ex illo 1. Timoth. 2. v. 8. *Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus, &c.* si in omni loco, quantò magis in sacrificio?

III. 2. *Sacerdos* subinde *oculos in cœlum elevat* juxta illud psalmi 122. *Ad te levavi oculos meos,* & 23. *Levavi oculos meos in montes.* Idipsum Christus orans sæpe fecit Matth. 14. v. 19. *Acceptis quinque panibus & duobus piscibus aspiciens in cœlum benedixit, &c.* Marci 6. v. 41. *Intuens in cœlum benedixit, &c.* & cùm alibi tum Joann. 17. v. 1. *Sublevatis oculis in cœlum dixit: Pater venit hora, &c.* Hoc ipsum fecisse Christum, cùm in ultima Cœna sacrificium obtulit Sacramentum consecrando, licèt Euangelistæ non exprimant SS Patres ex traditione docuerunt, ut S. *Iacobus* in Liturgia.

IV. S. *Ambrosius* lib. 4. de Sacram. cap. 5. ubi refert ea, quæ Christus in Cœna fecit & dixit dicens: *Qui pridie quam pateretur respiciens in cœlum ad te sancte omnipotens æterne Deus gratias agens fregit,* &c.

V. 3. *Sacerdos* subinde *inclinat Corpus & genua flectit.* Sic de Salomone 3. Reg. 8. v. 54. dicitur: *Surrexit de conspectu Altaris Domini, utrumque enim genu in terram fixerat, & manus expanderat in cœlum.* Sic Daniel. 6. v. 10. *Tribus temporibus in die flectebat genua sua & adorabat.* Sic Act. 21. v. 51. dicitur: *Positis genibus in littore oravimus.* Et Apostolus Ephes. 3. v. 14. dicit: *Huius rei gratia*

VI. *flecto mea ad Patrem,* cur ergo non in Missa? Hunc in Ecclesia fuisse morem patet ex Clement. lib. 8. Constit. Apostol. cap. 6. dicitur: *Inclinantibus eis capita benedicat Episcopus,* & cap. 7. *Postquam se signaverunt in nomine Dei Patris, séque inclinaverunt,* &c.

Clemens Alexandr. lib. 5. Stromatum, *Et Caput,* ait, *& manus in cœlum extendimus.*

Tertullianus in Apologet. cap. 30. *Illuc suspicientes Christiani manibus expansis.*

Chrysostomus in Liturgia sic præscribit: *Sacerdos egreditur ex parvo ostio, & conversus ad Christi imaginem inflexo capite cum exclamatione dicit hanc orationem,* &c.

VII. 4. *Sacerdos* subinde *percutit pectus suum* in signum cordis pœnitenti exemplo publicani; quem Dominus laudat Luc. 18. v. 13.

VIII. 5. *Sacerdos lavat manus* ante consecrationem, ut præscribitur in diversis etiam Græcorum Liturgiis, & hoc consuetum fuisse tempore sacrificii in primitiva Ecclesia patet ex Cyrillo Jerosolymit. catech. 5. mystagog. edit. Colon. 1562. ubi sic ait: *Vidistis igitur Diaconum aquam lavandis manibus porrigentem Sacerdoti,* &c. *num ideo prorsus dabat, ut sordes Corporis abluerentur? nequaquam: nec enim adeò sordibus Corporis fœdati in Ecclesiam ingredi solemus, sed illa manuum ablutio symbolum est, oportere nos à peccatis omnibus & iniquitatibus mundari,* & infrà: *Nonne audisti David tractantem ista mysteria, & dicentem: Lavabo inter innocentes manus meas & circumdabo Altare tuum Domine, &c.* hæc Cyrillus.

6. *Sacerdos subinde osculatur Altare & librum,* in signum reverentiæ, ministrum verò & per ipsum populum in signum pacis & charitatis. IX.

Hæc ceremonia in Liturgiis tam Græcis quàm Latinis præscribitur: de hoc osculo tempore sacrificii tradit idem *Cyrillus Hierosol.* suprà dicens: *Signum est hoc osculum reconciliationis animorum, propterea & Christus dicebat: cùm offers munus tuum ad Altare, &c. vade priùs reconciliari fratri, &c.* de quo Paulus ait: *Salutate vos invicem in osculo pacis, &c.* hæc Cyrillus.

7. *Sacerdos signum crucis* sæpè format, & seipsum signando vel librum, Altare, res offerendas, & oblatas, & etiam dum populo benedicit; hæc ceremonia etiam in Liturgiis traditur tam Græcis quàm Latinis; in quibus plurimas tales signationes assignantur; in quibus prælertim in Liturgia S. Jacobi signacula crucis vocantur. De hoc signo dicit Augustinus tract. 118. in Joann. *Nisi hoc signum sacrificio adhibeatur, non ritè perfici,* &c. X.

Chrysostomus Homil. 55. in Matth. tomo 2. edit. Basil. 1547. dicit: *Cùm regeneramur, crux Domini adest, cum sacratissimo alimur cibo,* &c. *ubique ac semper id victoriæ signum nobis assistit.* XI. XII.

Cyrillus Hierosol. catechesi 4. Illuminatorum §. de Ascensione edit. Colon. 1564. sic ait: *Non pudeat nos crucis Christi, quòd si aliquis id occultet, tu manifestè te signa in fronte, ut dæmones signum Regis videntes trementes procul fugiant. Fac autem hoc signum & manducans & bibens,* &c. *in summa in omni tuo negotio, &c.* hæc ille.

Similiter hortatur catech. 13. *Accipe arma contra adversarios huius crucis trophæum,* si id in omni negotio pium est præstare, quantò magis sub sacrificio Missæ.

Solet autem sacerdos vel semel hoc signum formare in signum unitatis essentiæ divinæ; vel ter in signum sanctæ Trinitatis; vel quinquies ad quinque vulnerum Christi honorem; & etiam ad speciales passionis Christi memorias repræsentandas. XIII.

Nec huic obstat calumnia Acatholicorum sicut nuper quidam Apostata in sua Germanica quam intitulavit Revocationis concione Giessæ 1662. impressa calumniando dicit, quod dum sacerdos signat calicem in memoriam sepulturæ à Judæis signatæ, nihil aliud intendat, quàm ut Christi resurrectio & regni Christi gloria impediatur & contra hoc exclamat; sed fictam calumniam hanc esse nemo non videt. XIV.

8 *Sacerdos ante oblationem miscet aquam vino.* Ita in omnibus Liturgiis traditur S. Petri, S. Jacobi, S. Marci, S. Clementis, S. Basilii S. Chrysostomi, &c. & hoc testatur Justinus Martyr orat. ad Antonium Pium dicens: *Deinde ei qui fratribus præest, offertur panis & poculum aquæ & vini,* &c. XV.

Irenæus edit. Colon. 1596. lib. 5. Cap. 2. *Quando ergo,* ait, *mixtus calix & fructus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia Corporis & Sanguinis Christi, &c.* hæc ille. XVI.

Cyprianus epist. 63. sui lib. 2. epist. 3. editione Antw. 1568. sic ait. *Admonitos autem nos scias, ut in calice offerendo Dominica traditio servetur; neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Domi-* XVII.

Digitized by Google

nus prior fecerit; ut calix, qui in commemorationem eius offertur, mixtus vino offeratur, &c.

XVIII. *Ambrosius* tomo 4. edit. Paris. 1663. lib. 4. de Sacram. cap. 4. *Ergo*, ait, *didicisti, quòd ex pane Corpus Christi fiat, & quòd vinum & aqua in calicem mittitur; sed fit Sanguis consecratione verbi cœlestis, &c.* hæc ille.

XIX. His potiùs acquiescendum est, quàm Acatholicis, inter quos Petrus Richerus, ùt refert Nicolaus Villagagnius lib. 1. contra quosdam Calvini articulos cap. 73. dicebat, *esse hæreticos blasphemos, sacrilegos & falsarios, qui vino cœnæ aquam admiscent*, & hoc se à Calvino didicisse fatebatur.

XX. 9. *Sacerdos sub offertorio elevat panem & calicem consecrandum*, ita habetur in Liturgiis prædictis: non quasi illa sint ipsa hostia hujus sacrificii, sed materia ex qua hostia vera & immaculata fiat, & ad illam respicit sacerdos dicens: *Suscipe sancte Pater hanc immaculatam hostiam* scilicet ex his rebus futuram præsentem.

XXI. 10. *Sacerdos post consecrationem populo Eucharistiam Corpus & Sanguinem Domini iam consecratum ostendit adorandum*: sic etiam præscribitur in antiquis Liturgiis, & hujus ceremoniæ meminit *Dionysius Areopagita* lib. de Hierarch. Eccles. cap. 3. parte 3. & Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 27. edit. Antwerp. 1568. dicens: *Invocationis verba cùm ostenditur panis Eucharistiæ & poculum benedictionis quis Sanctorum in scripto nobis reliquit?* ubi supponit, quòd id ex traditione Apostolica habeatur.

Chrysostomus Hom. 61. ad popul. Antiochen. edit. Basil. 1557. sic ait: *Dum profertur sacrificium & Christus immolatur & ovis Dominica; cùm vela videris retrahi, tunc supernè cœlum aperiri cogita, & Angelos descendere, &c.* hæc ibi. Chrysostomus & similiter in sua Liturgia præscribit.

XXII. 11. *Sacerdos frangit hostiam sub specie panis, & unam partem commiscet Sanguini in calice.* Hæc ceremonia etiam expresse in Liturgia S. Jacobi & S. Chrysostomi præscribitur, & hoc ipsum Chrysostomus clarè supponit Homil. 24. in 1. ad Corinth. edit. Basil. 1547. circa illa verba Apostoli: *Et panem quem frangimus*; ubi sic ait: *Sed quare addit, quem frangimus? Hoc in Eucharistia videre licet, in cruce autem minimè, sed omnino contrà, os enim eius inquit non conteretur: sed quòd in cruce non passus est, id in oblatione patitur & propter te frangi sustinet, ut omnes satiet, &c.* hæc ille.

XXIII. 12. *Demum quòd Sacerdos sacram Eucharistiam etiam in processionibus circumferat adorandam*: Etsi non ita in antiqua Ecclesia usurpatum esset, tamen piissimè postea ab Ecclesia celebratur, ùt ostendit Concilium Trident. sess. 13. cap. 5. dicens: *Neque enim ideo minùs est adorandum* (Sacramentum) *quòd fuerit à Christo Domino, ut sumatur, institutum; nam illum eundem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit: Et adorent eum Angeli Dei, quem Magi procidentes adoraverunt,* &c.

XXIV. De hac adoratione actum est lib. de Eucharistia, ubi dictum, quòd Christus in Sacramento adoretur, sed species concomitanter & per accidens sicut purpura Regis honoratur, dum Rex illâ indutus honoratur, *&c*, unde Concilium declarat: *Piè & religiosè in Dei Ecclesia inductum fuisse, ut in processionibus reverenter & honorificè illud per vias & loca publica circumferatur, & ut Christiani testentur gratos animos erga communem Dominum, & Redemptorem, pro tam ineffabili & plane divino beneficio; quo mortis eius victoria, & triumphus repræsentatur: atque sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio & hæresi triumphum agere; ut eius adversarii in conspectu tanti splendoris & in tanta universa Ecclesiæ lætitia positi vel debilitati & fracti tabescant; vel pudore affecti, & confusi aliquando resipiscant.* hæc Concilium. Idque ordinavit Ecclesia ob dictas causas, postquam Berengarius & alii S. Eucharistiæ veritatem impugnare cœperunt.

Nec enim ex hoc quòd venerabile Sacramentum ad tempus reservatur vel etiam ob causas dictas circumferatur, aliquid fit contra Christi institutionem; cùm illa primaria Christi institutio servetur, scilicet, quòd Sacramentum Deo Patri offeratur, & ultimatè à Fidelibus sumatur; cum quo consistit, quòd ob dictas causas ad tempus servetur, vel circumferatur, quod Christus non prohibuit; sicut olim ad multum tempus domi vel in eremis adservabatur, donec sumentur; & ideo quamdiu & ubicunque Sacramentum adest, Christus in illo verè adorandus est. XXV.

Vnde meritò Concil. ibidem Canone 6. sic definit: *Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ etiam externo adorandum: atque ideo nec festivâ peculiari celebritate venerandum: neque in processionibus secundùm laudabilem & universalem Ecclesiæ sanctæ ritum & consuetudinem solemniter circumgestandum vel non publicè, ut adoretur, populo proponendum* aut *eius adoratores esse idololatras; anathema sit.* XXVI.

Item Can. 7. *Si quis dixerit, non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem astantibus necessariò distribuendam aut non licere, ut illa ad infirmos honorificè deferatur anathema sit.* hæc Concilium.

ARTICULUS VIII.

Quòd ceremoniæ Missæ, quæ in verbis consistunt, licitæ & antiquæ sint.

Plurimæ sunt ceremoniæ Missæ, quæ in verbis consistunt; & potissimùm in duas partes dividuntur: Prior est; quæ dicitur Missa Catechumenorum, ab initio Missæ usque ad offertorium: Secunda est ab offertorio usque ad finem; hæc secunda distinguitur in tres partes: ut prior sit illa, quæ est ab offertorio usque ad consecrationem; secunda à consecratione usque ad Communionem. Tertia à Communione usque ad finem. I.

In Prima parte Missæ dicuntur sequentia: primò *Psalmus* 42. *Iudica me Deus, &c.* cum *Gloria Patri, &c.* de hoc psalmo nullus dicere potest, quòd malus sit, vel malè recitetur, vel etiam versus *Gloria Patri, &c.* contra Arianos à Catholicis formatus & usurpatus, ut Fideles ab illis distinguantur. II.

2. Sacerdos dicit confessionem; in qua Deo & Sanctis peccata sua confitetur, sed diversimodè III.

Digitized by Google

modè, Deo ùt summo Creatori; Sanctis ut intercessoribus; de quo lib. de Invocatione Sanctorum, & suprà agendo, quod in honorem Sanctorum Missæ celebrentur.

Liturgiæ etiam *antiquæ* præsertim S. Jacobi à confessione peccatorum inchoantur. Oratio subjungitur: *Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic sunt, &c.* & hæc constant ex iis quæ de Invocatione Sanctorum & Reliquiis probata sunt.

IV. 3. dicitur *Introitus* qui ordinariè constat aliquot psalmorum versiculis, vel aliis ex S. Scriptura desumptis verbis, cum versu *Gloria Patri*: sic sacrificium ab initio Ecclesiæ quoad psalmos inchoatum esse constat ex Dionysio Areopagita Eccles. Hierarch. cap. 3. edit. Basil. 1503. ubi dicit de Pontifice: *Demum ad sanctum Altare iterum rediens psalmorum incipit melos concinnentibus secum sacra carmina omnibus ecclesiastici ordinis gradibus, &c.*

V. 4. Subjungitur *ter Kyrie eleison, ter Christe eleison* & iterum *ter Kyrie eleison*, quoad Kyrie eleison antiquus in Ecclesia Græca usus fuit: ùt patet ex *Liturgiis S. Iacobi, S. Basilii, & Chrysostomi*; quòd etiam in Ecclesia Latina usurpatum fuerit patet ex Concilio Valensi circa Annum 436. celebrato; quod cap. 3. edit. Colon. 1538. jubet *ut Sacerdotes Galliæ ad Missam dicant Kyrie eleison*, & rationem reddit; *quia in Sede Apostolica & per totam Italiam ita observatur.*

Augustinus epist. 178. edit. Basil. 1528. circa finem supponit, quòd in tota Ecclesia Deo supplicetur lingua Græca dicens; *Sicut enim lingua Græca, quod est, Homousion una dicitur vel creditur à Fidelibus Trinitatis omnino substantia: sic una* (Græca) *rogatur ut misereatur à cunctis Latinis & Barbaris unius Dei natura* (Kyrie eleison) *Latinè enim dicitur, Domine miserere.* Ex his patet falsum esse, quod *Platina* dicit: Kyrie eleison à Gregorio I. Missæ esse additum, qui sedit Anno 606.

VI. 5. Dicitur: *Gloria in excelsis Deo* cum reliquis & quidem prima verba sunt Angelica Luc. 2. reliqua etiam sanctissima sunt; ita ut *Lutherus* in suo lib. de Formula Missæ integrum illum hymnum servari ordinârit.

VII. 6. Post hymnum *Gloria in excelsis*, Sacerdos vertens se ad populum dicit: *Dominus vobiscum*, vel Episcopus *Pax vobis* salutando populum; hoc ipsum in antiqua Ecclesia moris fuisse patet ex *Liturgiis S. Iacobi, Basilii & Chrysostomi.* Et insuper *Chrysostomus* Homil. 18. in Epist. 2. ad Corinth. edit. Basil. 1547. in Morali sic ait: *In iisdem horrendissimis mysteriis bene precatur sacerdos populo, & benè precatur populus Sacerdoti, nam cum spiritu tuo; nihil aliud est, quàm hoc, &c.* hæc ibi.

VIII. 7. *Sacerdos dicit orationes pro populo* quæ collectæ dicuntur ob diversas rationes. Orationes autem circa sacrificium servari solitas esse ab initio Ecclesiæ, constat ex *Iustino* in Apologia 2. & maximè patet ex Apostolo 1. Timoth. 2. v. 1. ubi dicit: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, &c. pro omnibus hominibus, pro Regibus, &c.* Et hoc in Ecclesia tempore sacrificii fieri supponit Ambrosius lib. 4. de Sacrament. cap. 4. dicens: *Nam per reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro Regibus, &c.*

8. Post orationes sequitur *Lectio* ex libro *Scripturæ* quæ *Epistola* dicitur: quia ordinariè est ex aliqua Apostolica epistola. Hunc morem ab initio Ecclesiæ fuisse patet ex *Dionysio* Eccles. Hierarch. cap. 3. & ex *Iustino* Apologiâ 2. &c. nec hic mos damnari potest. IX.

9. Epistolæ subjungitur *Graduale, Tractus*, vel *Alleluia*: & sunt communiter versus ex S. Scriptura desumpti; in quibus nihil est reprehensibile, sed Luthero displicet quòd non semper dicatur *Alleluia*; quod idem est, ac laudate Dominum; unde ipse in lib. de Formula Missæ jubet; ut etiam in ipsa hebdomada sancta *Alleluia* cantetur. Verùm mos antiquæ Ecclesiæ fuit; ut solùm à Paschate usque ad Pentecosten & diebus Dominicis *Alleluia* cantaretur ùt testatur Augustinus epist. 119. cap. 15. dicens: *Vnde etiam omnibus diebus Dominicis, id ad Altare observatur, & Alleluia canitur, &c.* & postea idem indicat de quinquaginta diebus à Paschate usq; ad Pentecosten: tamen, cap. 17. dicit: *Vt autem Alleluia per illos quinquaginta dies in Ecclesia cantetur, non usquequaque servatur, nam & in aliis diebus variè cantatur, alibi atque alibi, ipsis tamen diebus ubique.* Tempore quadragesimæ vetitum fuit ob causam pœnitentiæ ùt patet ex Concil. Tolet. 4. Canone 10. ubi sic habetur: *Statuimus ut in omnibus diebus quadragesimæ Alleluia non cantetur, quia tempus mœroris est.* Esse autem *Alleluia* signum lætitiæ, patet ex illo Apoc. 19. v. 6. ubi lætitiæ cœlestis adscribitur, *Et audivi vocem turbæ magnæ, &c. dicentium: Alleluia, &c. gaudeamus & exultemus, &c. quia venerunt nuptiæ Agni, &c.* X.

10. Subjungitur lectio aliqua ex Euangelio; de quo non potest dubitari, cui præmittuntur hæc verba: *Sequentia S. Euangelii secundùm Lucam, &c.* & respondetur: *Gloria tibi Domine*, & hæc etiam extant in Liturgia S. Chrysostomi. XI.

11. Recitatur *symbolum Fidei Constantinopolitanum* seu *Nicænum*. nec hoc ullo modo reprehendi potest. In Ecclesia Græca primitùs semper in Missa recitatum fuit, & postea etiam in Ecclesia Latina ordinatum fuit: ùt patet ex Concilio Tolet. 3. ubi sic statuitur: *Per omnes Ecclesiæ Hispaniæ & Gallicia secundùm formam Orientalium Ecclesiarum Concilii Constantinopolitani symbolum recitetur, &c.* De hoc dictum est lib. 4. agendo de Ecclesia Græca. Post symbolum olim finiebatur *Missa Catechumenorum.* XII.

12. Incipit postea altera Missæ pars; quam Lutherus & sui sequaces maximè sed iniquè damnant; eò quòd illa ad sacrificium referatur; quod ipsi detestantur; sed sacrificium esse, suprà probatum est. XIII.

Itaque primò, dicitur, versus: *Offertorium* ex S. Scriptura desumptus. XIV.

Postea dicuntur aliquæ orationes circa materiam Eucharistiæ, ubi Acatholici culpant: Primò quòd panis offeratur & calix: & panis dicatur *hostia immaculata* & calix *salutaris* ante consecrationem: sed hæc dicuntur non de pane materiali & vino, sed de Corpore & Sanguine Christi in quæ statim convertuntur.

Secundò, quòd dicatur *in spiritu humilitatis*, quasi sacerdos petat ut sacrificium Deo fiat gratum, sed hæc non est intentio, sed ut sacrificium per se Deo gratum fiat sacerdoti & populo salutare. XV.

Digitized by Google

Tertiò, cùm sacerdos dicit, *suscipe S. Trinitas*, supponitur, quòd Deo offeratur in memoriam passionis, *&c.* & etiam in memoriam Sanctorum, ùt suprà ex sanctis Patribus probatum est.

Quartò, cùm sacerdos dicit: *Orate fratres, &c.* non petit pro ipso sacrificio per se Deo grato, sed ut nobis salutare fiat; vel prout sacrificium pro actione sinistri sumitur, postea subjunguntur *Collecta* seu *orationes* pro Ecclesia, *&c.*

XVI. 13. Post hæc sequitur *Præfatio*, per quam Fideles excitentur, ut ad sacrificium animos præparent; uti verba illa *sursum corda, &c.* & *gratias agamus*: quæ habentur in omnibus antiquis Liturgiis; & sancti Patres passim testantur illa in sacrificio esse præmissa.

Cyrillus Ierosolymitanus catechesi 5. mystag. editione Colon. 1564. dum dixisset de illis: quæ præparatoria ad Missam sunt, dicit: *Postea clamat Sacerdos: Sursum corda. Verè enim circa illam maximè tremendam horam sursum ad Deum corda levare necesse est, &c.* & infrà: *Dicit deinde Sacerdos: Gratias agamus Domino Deo nostro. Ad hæc vos subjicitis: Dignum & iustum est, &c.* hæc ille.

Chrysostomus Homil. 18. in 2. ad Corinth. in Morali dicit de Sacerdote, edit. Basil. eâdem, *Postquam populo precatus est pacem*, ait, *neque enim ille solus gratias agit, sed etiam omnis populus; priùs enim acceptâ illorum voce, deinde congregatis illis, ut digne & iustè hoc faciat, incipit Eucharistiam.*

Augustinus epist. 120. ad Honoratum cap. 19. edit. Basil. 1528. sic ait: *Hæc est gratia quæ gratis datur, non meritis operantis, sed miseratione donantis. Hinc gratias agimus Domino Deo nostro, quod est magnum Sacramentum in sacrificio* (nota) *novi testamenti, quod, ubi, & quando, & quomodo offeratur, cùm fueris baptizatus, invenies*, &c.

Similiter lib. de Bono Perseverantiæ cap. 13. eâdem editione dicit: *Quòd in Sacramentis fidelium dicitur: ut sursum corda habeamus ad Dominum; munus est Domini; de quo munere ipsi Domino Deo nostro gratias agere à Sacerdote post hanc vocem, quibus hoc dicitur, admonentur; & dignum & iustum esse respondent.* hæc August.

Similia sæpius in aliis locis habet.

Cæterùm reliqua quæ in præfatione usque ad sanctus dicuntur, sanctissima sunt; & in antiquis Liturgiis habentur.

XVII. 14. Post præfationem sequitur: *Sanctus sanctus sanctus, &c.* quæ verba partim ex Isa. 6. de Angelorum cantu: partim ex cantico puerorum Hebræorum, dum Christo acclamârunt, desumpta sunt; adeóque sanctissima & habentur in antiquis Liturgiis; & sic supponit *Cyrillus Ierosolymitanus* catechesi 5. post verba suprà recitata, ubi sic ait: *Commemoramus etiam illa Cherubin quæ in spiritu cernebat Isaias, circumstantium thronum Dei, ac alis quidem duabus faciem velantia & dicentia: Sanctus sanctus sanctus Dominus Deus Sabaoth, &c.* hæc ille.

Sic Chrysostomus Homil. 18. in 2. ad Corinth. post verba allegata dicit: *Et quid miraris, si cum sacerdote populus loquitur? ubi sanè & cum illis Cherubin & supernis potestatibus communiter sanctos illos hymnos personant, &c.* hæc ille.

XVIII. Cæterùm post hunc hymnum incipit ea pars Missæ quæ specialiter *Canon* dicitur; quem Acatholici maximè execrantur; eò quòd in illo exprimantur illa, quæ ad sacrificium spectant.

Initium itaque Canonis est *Oratio* quæ sic incipit: *Te igitur clementissime Pater. &c.* in qua sacerdos Deum rogat, ut accepta habeat & benedicat dona, *&c.* quæ offert pro Ecclesia universa, & diversis in particulari & in honorem ac memoriam Sanctorum, *&c.* dicit autem *quæ tibi offerimus & qui tibi offerunt*, non quòd alii immediatè offerant: sed per sacerdotem. XIX.

Oratio secunda Canonis inchoatur illis verbis: *Hanc igitur oblationem, &c.* ubi sacerdos generaliter rogat, ut Deus oblationem placatus accipiat, & dies Fidelium in pace disponat, & eos ab æterna damnatione eripiat, & in electorum grege numerari jubeat. XX.

Ubi non rogat sacerdos, ut Deus panem & vinum acceptet, ut per illa Fideles liberentur; sed sunt distinctæ petitiones, quarum prima est, ut panem & vinum acceptare velit ut sint digna materia futuri sacrificii, & reliquæ petitiones distinctæ sunt.

Oratio tertia Canonis sic incipit: *Quam oblationem tu Deus & benedictam*, &c. *facere digneris*, &c. Vbi etiam sensus non est, quem Acatholici per calumniam fingunt, quasi sacerdos roget ut Deus Christum benedicat, ac ejus Corpus, *&c.* sed rogat ut benedicat & sanctificet panem & vinum præparatum, non ut Corpus Christi in se fiat, sed ut per illam benedictionem ex illa materia Corpus & Sanguis Christi nobis id est, ad salutem nostram præsens fiat. XXI.

Postea sequuntur verba ex Euangelio: *Qui pridie, quam pateretur, &c.* & utitur sacerdos verbis Christi, quibus Eucharistia Corporis & Sanguinis Christi consecratur. XXII.

Post consecrationem sequitur *oratio quarta*, his verbis: *Unde & memores Domine*, &c. *eiusdem Filii tui*, &c. *tam beatæ passionis*, &c. *supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris*, ubi etiam sensus non est; quasi sacerdos oret ut Deus Christum propitius respiciat: sed, ut Corpus & Sanguis Christi nobis fiat salutaris, quod salus ipsa est: ne ob nostram indignitatem ejus fructu destituamur: Reliqua respondendo ad argumenta patebunt. XXIII.

Oratio quarta incipit: *Memento etiam Domine famulorum*, &c. *qui dormierunt in somno pacis, &c.* ubi oratur pro defunctis Fidelibus, de quibus speratur, quòd sint securi de æterna salute, & quoad hoc dormiunt in pace; nec ad hoc oratur; sed quia adhuc possunt detineri à luce & vita beata, precamur, ut hunc illis locum refrigerii seu cœlestis gloriæ Deus largiatur; sic *Cyrillus* catechesi 5. mystag. editione Colon. 1563. dicit: *Nos pro defunctis precationes adhibentes, quamvis sint peccatores, non quidem coronam plectimus; sed Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, ut & nobis & illis eum, qui est benignissimus, propitium reddamus.* hæc ille. XXIV.

Oratio sexta sic incipit: *Nobis quoque peccatoribus, &c.* ubi sacerdos pro se & pro populo petit, ut cum Sanctis quos commemorat partem aliquam scilicet ipsam beatitudinem accipiat, quæ *pars Sanctorum* dicitur, ùt patet Coloss. 1. v. 12. *Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine.* &c. XXV.

Hæc

Digitized by Google

XXVI. Hæc oratio & totus canon concluditur per verba: *Per quem* (Christum) *hæc omnia semper bona creas, &c.* ubi comprehenduntur omnia quæ hactenus in sacrificio contigerunt, primò ratione materiæ ex qua Sacramentum fit, id est, quòd Deus per Christum creârit panem & vinum, secundò quòd *sanctificat* panem & vinum destruendo ut ex illis Sacramentum fieret. Tertiò *vivificas* cum illa convertit in Corpus & Sanguinem Christi, qui est vita nostra. Quartò *benedicis & præstas nobis*; ut scilicet nobis benedictio & fructus per Sacramentum proveniat.

XXVII. His orationibus *Canon* præcipuus absolvitur Quoad antiquitatem hujus canonis, quòd multis abhinc sæculis in Missa usurpatus fuerit ab Ecclesia, non solùm à tempore D. Gregorii I. qui sedit anno 600. quod est extra omnem controversiam; sed etiam tempore primitivæ Ecclesiæ saltèm quoad præcipuas partes, patet vel ex unico sancti Ambrosii testimonio, qui lib. quarto de Sacram. edit. Paris. 1569. hæc ùt in Ecclesia usitata supponit. Nam cap. quarto meminit orationum quæ in canone præcedunt consecrationem Eucharistiæ dicens: *Quomodo potest qui panis est Corpus esse Christi? consecratione? consecratio ergo quibus verbis fit? Domini Iesu; nam per reliqua omnia quæ dicuntur laus Deo defertur*, quod fit in præfatione, *petitur pro populo, pro Regibus, &c.* (hæc fiunt in prima oratione canonis) *ubi venitur ut conficiatur venerabile Sacramentum, non suis sermonibus utitur sacerdos, sed utitur verbis Christi*, &c.

XXVIII. Postea eâdem editione cap. quinto sic ait: *Vis scire, quia verbis cœlestibus consecratur? accipe quæ sunt verba dicit Sacerdos: Fac nobis, inquit, hanc oblationem ascriptam, rationabilem acceptabilem, quod est figura Corporis & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi; qui pridie quàm pateretur, in sacris manibus suis accepit panem, respexit in cœlum ad te sancte Pater omnipotens æterne Deus, gratias agens, benedixit, fregit, fractùmque Apostolis suis tradidit dicens: Accipite & edite ex hoc omnes hoc enim est Corpus meum. Similiter etiam calicem postquam cœnatum est*, &c. *accepit*, &c. *benedixit*, &c. *tradidit dicens: Accipite & bibite ex eo omnes. Hic est enim Sanguis meus*, &c. *vide omnia illa verba Evangelistæ sunt usque ad accipite*, &c. *inde verba Christi sunt, &c.* hæc Ambrosius: quæ in substantia eadem verba sunt, quæ modò in Canone habentur.

XXIX. Rursus *Ambrosius* eâdem edit. ibidem cap. 6. quid post consecrationem in Missâ fiat, subjungit dicens: *Quantum sit Sacramentum cognosce, vide quid dicat: Quotiescunque hoc feceritis, toties commemorationem mei facietis, donec iterum veniam. Et Sacerdos dicit: Ergo memores gloriosissimæ ejusdem passionis, & ab inferis resurrectionis; & in cœlum assumptionis offerimus tibi hanc immaculatam hostiam, rationabilem hostiam, incruentam hostiam, hunc panem sanctum, & calicem vitæ æternæ; & petimus, & precamur; ut hanc oblationem suscipias in sublimi Altari tuo per manus Angelorum tuorum: sicut suscipere dignatus es, munera pueri tui justi Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ & quod tibi obtulit summus Sacerdos Melchisedech*, &c. hæc Ambrosius. Ecce ad literam omnia ferè verba, quæ in orationibus post consecrationem in Canone Missæ habentur.

XXX. Quòd autem in Canone Sanctorum commemoratio, & oratio pro Fidelibus defunctis facta fuerit in sacrificio Eucharistiæ, suprà ex testimoniis D. Augustini & aliorum Patrum ostensum est.

Ex quibus patet, quòd præcipuæ ad minus partes Canonis in primitiva Ecclesia circa oblationem Eucharistiæ in usu fuerint, licèt in quibusdam Liturgiis aliqua verborum fuerit variatio.

Verùm post tempora Ambrosii & Augustini canon semper integer in omni Ecclesia observatus fuit, ùt constat ex S. Leone I. qui sedit circa annum 440. & Concil. generale Chalcedonense confirmavit. De quo Author pontificalis in vita illius scribit, quòd ad Canonem hæc pauca verba addiderit: *Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam*. quæ in Canone immediatè sequuntur post verba ex sancto Ambrosio recitata, scilicet: *quod tibi obtulit summus Sacerdos Melchisedech*, &c. XXXI.

Similiter *Ioannes Diaconus* lib. 2. vitæ sancti Gregorii cap. 17. refert, quòd Gregorius ad Canonem hæc verba addiderit: *Diésque nostros in tua pace disponas*. Ex quibus patet; quòd Canon quoad præcipuas partes ante S. Gregorium; Leonem & Ambrosium in Ecclesia usurpatus fuerit; imò ex Apostolorum traditione descendat; licèt Pontifices priorum sæculorum aliqua addiderint; ùt patet ex nominibus Sanctorum qui tertio sæculo Martyrium obierunt, quorum nomina recitantur: sed reliquorum Sanctorum qui quarto sæculo fuerunt nomina omittuntur: quod signum est, quòd hic Canon præcipuus idem manserit. XXXII.

Ex his satis patet veritas Concil. Trid. dum sess. 22. cap. 4. de Can. sic dicit: *Is enim constat, cùm ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac Sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus, &c.* hæc ibi. XXXIII.

Post Canonem subjungitur *Oratio Dominica*, quæ habetur in omnibus Liturgiis, & illam in Missa recitatam esse ex SS. Patribus constat. Sic *Cyrillus Ierosol.* edit. Colon. 1563. Catech. 5. mystagogica, post verba suprà recitata, quæ tempore oblationis fiunt, dicit: *Postea dicitis illam orationem, quam Salvator suis discipulis tradidit, &c. Pater noster, &c.* XXXIV.

Augustinus epist. 59. ad Paulinum quæst. 5. circa verba Apostoli 1. Timoth. 2. *Obsecro primùm omnium fieri obsecrationes* edit. Basil. 1528. sic ait: *Sed eligo in his verbis hoc intelligere; quòd omnis vel penè omnis frequentat Ecclesia; ut precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud quod est in Domini mensa incipiat benedici; orationes, cùm benedicitur & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionem fere omnis Ecclesia Dominicâ oratione concludit, &c.* hæc August. XXXV.

Post orationem Dominicam sequitur oratio: *Libera nos*, &c. *ab omnibus malis*, &c. XXXVI.

Postea dicit sacerdos, *Pax Domini, &c.* & frangit hostiam sacram, & commiscet aliquam partem calici; ùt suprà dictum, dicens; *hæc commixtio Corporis & Sanguinis, &c.* quod non intelligitur quasi Corpus & Sanguis in propria specie sibi misceantur, quod absurdum & falsum est; quia sic deberent divisa esse, sed intelligitur in speciebus panis & vini quæ miscentur, & eatenus etiam Corpus & Sanguis misceri

d. can-

Digitized by Google

dicuntur, sicut corpus & sanguis dicuntur videri in speciebus quibus subsunt.

XXXXVII. Et cùm dicitur, *hæc consecratio fiat*, non intelligitur quasi Eucharistia tunc consecretur, sed ut consecratio antè facta nobis fiat in salutem. Ista etiam mixtio habetur in Liturgiis aliis, utpote S. *Iacobi*, ubi dicitur; *Sacerdos quod tenet manu dextrâ immergit in calicem, dicens; unio sanctissimi Corporis & pretiosi Sanguinis, &c.* ita etiam in Liturgia S. *Basilii* & in Liturgia S. *Chrysostomi*, ubi sic habetur: *Divisurus sacerdos panem dicit: Dividitur Agnus Dei, qui tollit peccata mundi; & accipiens sacerdos ex pane particulam mittit in calicem dicens: Plenitudo Spiritus Sancti*, &c. *& sacerdos potitus particulâ divini Corporis, dicit, &c.* hæc Liturgia habetur tomo quinto sancti Chrysostomi in fine edit. Basil. 1547.

XXXXVIII Postea dicit sacerdos ter *Agnus Dei, &c.* & tres orationes ante Communionem, quæ posterioribus sæculis additæ fuerunt: & ter *Domine non sum dignus, &c.* quæ omnia piissima sunt, licèt aliqua Acatholici falsò intellecta calumnientur. Factâ Eucharistiæ communione dicitur *Communio*, quæ sunt verba ex S. Scriptura desumpta, & postea orationes. Demum dimittitur populus in pace per verba: *Ite Missa est.*

XXXXIX. In Liturgiis Græcis *Iacobi* & *Basilii* loco, *Ite Missa est*, habentur hæc: *In pace Christi eamus.* & respondetur, *in nomine Domini.*

Postea sacerdos dicit: *Placeat tibi sancta Trinitas, &c.* ubi non rogat pro ipso sacrificio seu ipso Christo oblato, sed ut sacrificium sit sibi ipsi & aliis propitiabile, quod in se Deo acceptum est.

Demum sacerdos severtens ad populum, dando benedictionem dicit: *Benedicat vos*, &c. hæc habentur etiam in Liturgiis Græcis prædictis & Chrysostomi.

Hæc sunt, quæ quoad cæremonias Ecclesia in Missa exercet & tradit; in quibus omnia bona & sancta, & in primitiva Ecclesia usurpata esse constat.

ARTICULUS IX.

Respondetur ad argumenta Acatholicorum contra Missæ cæremonias.

I. ARgumenta Acatholicorum potiora sunt ea, quæ movent contra illa, in quibus vel Eucharistia ut vera hostia Deo pro populo offerri dicitur; vel ubi Sanctorum fit memoria & honor; vel quia pro defunctis offerri dicitur, *&c.* sed hæc omnia suprà refutata sunt.

II. Alia illorum argumenta potiùs calumniæ sunt, dum nihil ex S. Scriptura vel sanctis Patribus veraciter proferunt; sed modum agendi, & verba in Missa dici consueta derident; vel in pravum sensum detorquentes contemnunt & damnant; quorum falsitas etiam ex prædictis patet.

III. Specialiter autem Canonis verba calumniantur, & modum dicendi verba Missæ; utpote, *quod Missa non in vulgari, sed sola Latina lingua dicatur*, aliqua verò altè dicantur vel cantentur, alia submissè recitentur.

Quoad linguam autem Latinam in qua Missa celebratur Acatholici objiciunt illa Apostoli 1. Corinth. 14. v. 11. *Si nescivero virtutem vocis ero ei cui loquor barbarus*, &c. *& ideo qui loquitur linguâ, oret ut interpretetur.* Ergo nec Missæ officium in ignota lingua celebrandum est.

Respond. negando consequentiam, Nam Apostolus ibi loquitur de illis, qui habebant donum linguarum, & tales subinde loquebantur linguâ, populo, imò ipsismet ignotâ, ex quo quidem donum Dei ostendebatur. Et Apostolus v. 2. dicit: *Sed populus fructum ex eo non habebat*; in quem tamen finem illud donum linguarum datum præcipuè erat. Sic Ecclesia docet, quòd illa, quæ ad exhortandum populum dicuntur, vulgari linguâ pronuncientur: de quo Apostolus potissimum agit. Ideo v. 3. dicit, *nam qui prophetat hominibus loquitur ad exhortationem, &c.* sed non improbat, quòd linguâ ignotâ utantur Deum laudando, cùm dicit v. 5. *Volo omnes vos loqui linguis, magis autem prophetare; nam maior est qui prophetat, quàm qui loquitur linguis, nisi forte interpretetur, ut Ecclesia aedificationem accipiat*, &c. IV.

Et hæc quoad ea, quæ ad exhortationem populi dicuntur, licèt autem Apostolus etiam ibidem v. decimo sexto loquatur de benedictione, dicens: *Si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen super tuam benedictionem? quoniam quid dicas, nescit, &c.* non tamen hoc improbat, sed subjunxit: *Tu quidem bene gratias agis, sed alter non aedificatur*, multò ergo minùs Apostolus damnat morem Ecclesiæ, quando in Missa ex sacra Scriptura vel alia leguntur in lingua populo ignota, non eo fine ut populus inde instruatur; sed ut Deus oretur & laudetur; ita tamen ut omnia, quæ populum scire convenit, suo tempore à Pastoribus explicentur, prout Concil. Trid. sess. 22. cap. 8. monet. V.

Ad propositum itaque patet; quòd Missa primariò celebretur; ut in ea Corpus & Sanguis Domini sub speciebus panis & vini consecretur, & Deo offeratur; ad quod opus non est, ut populus illa verba consecrationis vel oblationis audiat vel intelligat, quia ad Deum solum diriguntur; quòd autem plura alia in Missa recitentur, ut Psalmi, Epistolæ, Euangelia, *&c.* non opus est, ut quilibet ea intelligat, sed sufficit, ut populus sciat, illa ad honorem Dei recitari, & interim suis privatis vacet precibus; dum in generali novit mysteria, quæ ibi aguntur, ut mentem ad illa attollat.

Certum itaque est; quòd Deus nullibi præceperit, ne Missa vel officium divinum publicum vulgari linguâ celebretur: nec hoc ullibi à SS. Patribus improbatum ostendi potest. VI.

Econtrà autem constat ex usu totius Ecclesiæ primitivæ, quòd Liturgiæ nullæ fuerint in alia lingua usurpatæ, quam in lingua *Hebræa* sive *Chaldaica*, *Græca & Latina*; & tamen hæ linguæ non omnibus & singulis populis erant vulgares vel notæ; & hoc ipsum Ecclesiæ Orientales usque modò observant; dum in sola lingua Græca Missam celebrant, quæ vulgaris omnibus non est, ut ostensum est lib. 4. de Græcorum Ecclesia.

Hoc

Digitized by Google

VII. Hoc ipsum etiam ostendi potest ab exemplo Apostolorum; qui licèt donum linguarum haberent, non tamen singulis diversis populis in ipsorum lingua scripserunt, imò nullum librum vel epistolam Canonicam scripserunt, nisi *in Lingua Hebrea vel Graca vel Latina*; nec ideo barbarismi arguendi sunt, vel malè fecisse, cum tamen S. Scriptura ad populi bonum scripta sit, sed sufficit quod suo tempore à Pastoribus proponatur & explicetur.

VIII. Cur autem Ecclesia ab initio liturgias in illis tribus tantùm linguis celebrari ordinârit, dubium non est, quin plures causæ fuerint; quarum utique una est, ut major uniformitas in Ecclesia & ejus ministris esset: Si enim in singulis nationibus singulares liturgiæ essent, sacerdotes externi illuc advenientes celebrare non possent. Altera est, ne quotidie libros missales mutare opus foret, cum quotidie quasi linguæ vulgares in eadem regione mutentur: Tertia, quia multa per annū in Missa ex S. Scriptura leguntur, quæ non expedit ob plures causas, ut singuli intelligant. Quarta quia plura sunt in Prophetiis & epistolis, quæ in Missa leguntur, & populus non intelligit, licet vulgari lingua legerentur.

IX. Ob hæc & alia itaque Ecclesia judicavit expedire: ut in certa lingua, in Ecclesia quidem Græcorum in Græca; & in Ecclesia Latina, Latinè Missa celebretur: hoc autem improbare, insolentissimæ insaniæ est, ut D. August. Epist. 118. supponit.

X. Quoad alium modum, scilicet, quòd aliqua altâ, aliqua submissâ voce in Missa dicantur, Acatholici volunt; quod contra Christi institutum sit ut submissâ voce aliqua dicantur; quod inde probant; quia Christus jussit ut Eucharistia in ejus memoriam fieret, & Apostolus monet, ut mors ejus annuncietur; quod non fit per silentium, sed per altas & intelligibiles voces, ut volunt.

XI. Resp negando, quòd non per silentium & alia signa mors Christi annunciari possit; quia omnia in Missa ordinata sunt in memoriam passionis, per quæ mors Christi annunciatur Hoc ipsum supponit August. lib. 20. contra Faustum edit Basil 1529. tomo 6. cap. 18 dicens: *Christiani jam peracti ejusdem sacrificii memoriam celebrant sacrosancta oblatione & participatione Corporis Christi*; quæ absque altis verbis fieri possunt; & certè, quomodo conveniret, ut tempore sacrificii vel communionis omnis populus etiam communicans altâ voce mortem Domini annuntiaret?

XII. Quòd autem Christus Dominus in ultima cœna clarâ voce Sacramentum confecerit, ut omnes Apostoli audirent, singulare est; quia hoc ipso illos instruebat, qualiter ipsi imposterum facere deberent; quod non concernit sacerdotes, dum Eucharistiam consecrant & offerunt.

XIII. Cæterum non docet Ecclesia, quòd per se sit illicitum, ut omnia clarâ voce dicantur; cum ex liturgia S. Chrysostomi constet, quod in illa Ecclesia etiam verba consecrationis altâ voce recitarentur, sed ob multa incommoda expedire judicavit, ut mysteria plura in silentio à sacerdote recitentur; sic enim ordinatum fuit in liturgiis tam Græcis quam Latinis, ut etiam sacerdotes orationes, quasdam in silentio dicerent, sed altâ voce dicerent *per omnia sæcula sæculorum*, ad quæ populus *Amen* responderet. Sic enim in Liturgia Chrysostomi & aliis dicitur, *sacerdotis exclamatio, & subinde oratio secreta*, &c.

Et *S. Cyprianus* in tract. seu sermone de *Orat. Dominica* edit. Basil. 1540. monet, ut tempore sacrificii fideles imitentur Annam matrem Samuelis, dicens; *Et quando in unum cum fratribus convenimus, & sacrificia cum Dei sacerdote celebramus, verecundiæ & disciplinæ memores esse debemus; non passim ventilare preces inconditis vocibus; quia Deus non vocis sed cordis auditor est*, &c. & infrà: *Quod Anna in primo Regum libro Ecclesiæ typum portans custodit & servat, quæ Dominum non clamorosâ petitione, sed tacitè & modestè intra ipsas pectoris latebras precabatur*, &c. *quia sic sciebat Deum audire*, & infrà, *declarat scriptura divina quæ dicit. Loquebatur in corde suo, & labia ejus movebantur, & vox ejus non audiebatur; & exaudivit eam Deus, &c.* hæc Cyprianus. XIV.

Ex quibus patet, quòd in primitiva Ecclesia tempore sacrificii hujus divini plura in silentio seu secretè à Sacerdote dicta & orata fuerint.

Demum ea, quæ contra verba in Missa, & præsertim in Canone dicuntur & Acatholici arguunt, potiùs calumniæ sunt, dum verba Sancta in perversum sensum detorquent, & sic arguunt; ad quæ ex prædictis facilis est responsio. XV.

ARTICULUS X.

Referuntur & refutantur calumniæ alicuius apostatæ.

Hic refutandus restat quidam recens apostata Ioannes Albertus dictus, qui in quodam libello Germanico, cui titulum imposuit, Revocations Predig. I.

Concio seu Revocatoria 12. Decemb. 1660. Giessæ habita, & ibidem 1662 impressa, inter varias calumnias hanc evomuit, dicens: *Specialiter Canon missaticus, seu orationes, quæ ad Missam recitantur, sunt supra modum blasphema, & contra Christum, dum sic orant: Offerimus præclaræ Majestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam puram, hostiam sanctam; hostiam immaculatam, &c.* ubi reliqua verbatim refert, quæ ex S. Ambrosio suprà relata sunt; quæ apostata Latinè relata etiam Germanicè exposita proponit, & postea exclamat, dicens: *Ergone Christus est in disgratia Patris, ut missatici sacerdotes pro ipso apud Patrem intercedant? ergone Christus non est gratior Deo Patri quam Abel? vel sacrificium Melchisedech? quid est hoc, quod Patrem orant ut mandet Angelis, ut Corpus Christi ante faciem Patris deferant? Ergone Angeli Christum in cœlum primùm introducendum juvabunt? vel quæso, an duo Christi sunt? ut unus Christus in persona Verbi olim ad cœlos ascenderit; & alius Christus erit quem Angeli ex Missa in cœlum deferunt? Plures hujusmodi abominandi* II.

Hhhhh errores

sia usitatum fuisse patet ex liturgiis diversarum Ecclesiarum, quæ à Iacobo, Clemente & aliis ordinatæ fuerunt.

V. Idem ipsum SS Patres clarissimè testantur, quod non solum in sacrificio Sanctorum fiat memoria; sed etiam invocatio, qualis in Ecclesia usurpatur, ubi quidem Ecclesia preces non directe ad Sanctos dirigit, sed ad Deum, rogans ut per intercessionem Sanctorum gratiam & dona largiatur.

VI. Hoc itaque in Ecclesia antiqua observatum esse patet ex pluribus SS. Patribus, quorum aliqui hîc sufficiant.

Cyrillus Hierosylomit. Catechesi 5. Mystagogica edit Colon. An. 1618. tomo 4. Ioanne Grodocio interprete, ubi sic præfatur: *Satis jam Deo favente & de baptismo & de Chrismate & de sumptione Corporis & sanguinis Christi in superioribus sacris instructionibus audistis; nunc vero ad reliqua transeundum est*, ubi incipit explicare, quæ in sacrificio Altaris à sacerdote fiunt, ubi patet; quod sacrificium à sumptione Eucharistiæ distinguat, & postea inter alia dicit: *Cum hoc sacrificium offerimus, mentionē facimus eorum, qui ante nos obdormierunt; primùm Patriarcharum Prophetarum Apostolorum Martyrum,* &c. *ut Deus orationibus illorum & deprecationibus suscipiat preces nostras.*

VII. *Chrysostomus* in sua Liturgia, sic sacerdos ad Deum dicit: *Fac securos gressus nostros, precibus, & Intercessione gloriosæ Deiparæ, & semper Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum*, &c.

Idem homil. 21. in acta Apost. edit. Basil. in morali circa medium sic ait: *Quid dicis? in manibus est hostia, & omnia proposita sunt bene ordinata, adsunt Angeli adsunt Archangeli, adest Filius Dei; cum tanto horrore adstant omnes; adstant illi, clamantes omnibus silentibus, & putas hæc temere fieri?* & paulò pòst *quid tibi videtur, quod pro Martyribus offertur, quod invocantur illa hora licet Martyres sint etiam pro Martyribus offertur: Magnus honor nominari Domino præsente, dum mors illa celebratur, & horrendum sacrificium, &c.* & infrà: *Sicut enim quando Regum trophæa statuuntur, tunc celebrantur quidem & quicunque victoriæ Socii fuerunt*, &c. *Ita sanè & hîc Tropheorum & celebrandæ victoriæ tempus est, quoties enim, inquit, manducabitis panem hunc mortem Domini annunciate, itaque ne simpliciter accedamus, neque fortuito hæc fieri putemus. Et aliter: Martyrum memores simus in fidem, quod nō mortuus adhuc est Dominus, &c.* hæc Chrysost. ubi non dicit quod oremus pro Martyribus quasi nostris precibus egeant, sed ut illos cum Christo honoremus; ut ex textu patet.

VIII. *Augustinus* lib. 8. de civit. Dei Cap. 27. tomo 5. edit. Basil 1529. sic ait: *Quis audivit aliquando fidelium stantem sacerdotem ad Altare,* &c. *dicere in precibus; Offero tibi Petre, vel Paule, vel Cypriane, cum apud memorias eorum Deo offeratur?* &c.

IX. Et hoc pro prima parte, quod Sanctis sacrificium non offeratur qualiter autem in honorem eorum offeratur declarat lib. 20. Contra Faustū Cap. 21. tomo 6. ead. edit. ubi utrumq; complectitur, dicens; *Nulli Martyrum, quamvis in memorias Martyrum, constituimus altaria, quis enim Antistitum in locis Sanctorum Corporum assistens Altari aliquando dixit: Offerimus tibi Petre aut Paule aut Cypriane? sed quod offertur Deo offertur, qui Martyres coronavit apud memorias eorum quos coronavit*, &c.

X. Similiter lib. 22. tomo 5. 1529. de civ. Dei cap. 10. dicit: *uni Deo & Martyrū & nostro sacrificium immolamus. Ad quod sacrificium, sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco & ordine numerantur, non tamen à sacerdote, qui sacrificat, invocantur.* Sed qualem invocationem Sanctis neget, statim subdit, dicens: *Deo quippe non ipsis sacrificat, quamvis in memoriam sacrificet eorum, quia Dei sacerdos est; non illorum, &c* hæc ibi. Ubi per invocationem intelligit invocationem latriæ tanquam Dei & Domini absoluti.

Quod autem, ut intercessores etiam in illo officio invocentur, profitetur sæpe, utpote tract. 84 tomo. 9. eád. edit. in Ioann. loquens de Martyribus dicit: *Quorum si nō inaniter memorias celebramus atque in convivio, quo & ipsi saturati sunt, ad mensam Domini accedimus, oportet, ut quemadmodum ipsi, & nos talia præparemus. Ideo quippe ad ipsam mensam non sic eos commemoramus quemadmodum alios qui in pace requiescunt ut etiam pro ipsis oremus: sed magis ut orent ipsi pro nobis, ut eorum vestigiis inhæreamus*, &c. XI.

Similiter loquitur serm. 17. tomo 10. ejusdem edit. de verbis Apost circa initium dicens: *Ideóque habet ecclesiastica disciplina, quod fideles noverunt, cum Martyres eo loco recitantur ad Altare Dei, ibi non pro ipsis oretur, pro cæteris autem commemoratis defunctis oretur. Injuria est enim pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari, &c.* hæc Aug. XII.

Ex his manifestè patet usus Ecclesiæ primitivæ, quod sacerdotes tempore sacrificii Eucharistiæ Sanctorum memoriam fecerint, eorumque intercessionem apud Deum implorarint; quod etsi Christus non præceperit, tamen etiam non prohibuit, & in se pium & sanctum est, quod universa Christi ab initio observavit Ecclesia, & idem Ecclesia moderna docet, ut patet ex verbis Concilii Trid.

ARTICULUS VI.

Quòd vestes sacræ, Ornamenta, vasa aurea & argentea, & luminaria licitè ad sacrificium Missæ adhibeantur.

QUoad vestes sacras & speciales, quibus sacerdotes tempore sacrificii Eucharistiæ utuntur, quòd licitæ sint, probatur à simili, vel à minore ex veteri testamento; cum Exod. 28. v. 3. dicit Dominus: *Loquere cunctis sapientibus corde, quos replevi spiritu prudentiæ, ut faciant vestes Aaron in quibus sanctificatus ministret mihi,* & v. 40. *Filiis Aaron tunicas lineas parabis, & balteos ac tiaras in gloriam & decorem, vestiesque his omnibus Aaron,* &c. *& filios ejus*, &c. I.

II. Ex his argumentum est à minore ad majus, 1. cùm omnia in figura contigerunt in veteri lege, utique vestes illæ etiam figurabant vestes sacerdotales in nova lege: Et si ibi Dominus præceperit, ut sacerdotes tēpore sacrificii imperfecti vestibus sacris & specialibus uterentur; utique ad minus est gratū Deo, ut in nova lege tēpore tremendi & perfectissimi sacrificii sacerdotes sacris specialibus vestibus induantur. Licet autem Christus Dominus in cœna talibus usus non sit; non tamen prohibuit, ut postea alii uterentur. Et ratio est, quia tunc vigebat adhuc sacerdotium veteris legis; nec Christus voluit tēpore passionis talia usurpare, sed potius illa exhibere, quæ per puras vestes exteriores figura-

figurabantur, utpote puritatem cordis; quæ præcipua est, quâ sacerdotes novæ legis indui debent, tamen exterior cultus etiam decens est, quem Christus Apostolorum & Ecclesiæ dispositioni reliquit, ùt ex praxi Ecclesiæ patet.

III. Quòd *Ioannes Evangelista* singulari ornatu ùt sacerdos usus sit, constat ex epistola Polycratis, qui discipulus Apostolorum fuit, is in epistola ad Victorem Episcopum Romanum, quam refert Eusebius Cæsariensis lib. 5. Eccles. histor. Cap. 24. dum de moribus Ecclesiæ Asiæ scribit. Inter alia facit mentionem Philippi Diaconi, & Filiam ejus prophetissam, [qui nuper ibi in Domino obiissent, sicut & Joannes Euangelista, de quo sic tomo 1. edit. Basil. 1549. ait: *Nec non & Ioannes, qui supra pectus Domini recubuit, qui fuit summus Sacerdos & pontificale πέταλον gessit, martyr & Doctor Ecclesiæ, qui & ipse apud Ephesum dormivit.* Et hæc ibi apud Eusebium juxta translationem Ruffini edit. Basil. 1549. ubi Hieronymus πέταλον vertit, quòd significet laminam auream.

IV. *Clemens Romanus* apud Coccium tomo 2. art. 11. epist. 2. de Ornatu Altarium sic scribit: *Altaris Palla cathedra, candelabrum & velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur; quoniam non licet ea, quæ in sanctuario fuerunt, male tractari, &c.*

Anacletus circa Annum 84. epist. 1. apud Coccium tomo 2. art. 11. *In solemnioribus*, ait, *diebus aut septem aut quinque Diaconos, &c. & Subdiaconos, & reliquos ministros secum habeat, qui sacris induti vestimentis, &c. pronosticent vultu, &c.* hæc ille.

Stephanus primus circa Annum 255. epist. 1. Cap. 3. apud Coccium tomo 2. edit. Colon. 1601. *Vestimenta*, ait, *ecclesiastica, quibus Domino ministratur, cultùsque divinus, &c. sacrata debent esse & honesta, &c.*

V. Synodus Nicæn. I. can. 63. ex Arabico translato statuit; *ut sit in unaquaque Ecclesia procurator, & cum eo alii, qui curam habeant proventuum & vasorum auri & argenti, & vestimentorum & ornamentorum Ecclesiæ, &c*

VI. S. *Athanasius* in Epistola ad Marcum Papam editione Parif. 1581. sic scribit: *Ariani in tantum nostra vastaverunt, ut nec libros, nec vestimenta ecclesiastica aliáque ornamenta, nec reliqua utensilia nobis dimiserint.*

VII. *Basilius* Magnus in Liturgia edit. Antwerp. 1568. dicit: *Primum Patriarchæ cum sequentis ordinis clero ecclesiasticis vestimentis induto offeruntur in sacrario, &c.*

VIII. *Damasus* in lib. pontificiali apud Jod. Coccium tomo 2. art. 11. sic ait: *Stephanus constituit Sacerdotes & Levitas vestibus sacratis in usu quotidiano non uti, nisi in Ecclesia tantùm.*

IX. *Hieronymus* lib. 1. adversus Pelagianos Cap. 9. edit. Basil. 1553. tomo 2. sic ait: *Quæ sunt rogo inimicitiæ contra Deum, si tunicam habuero mundiorem? si Episcopus, Presbyter, & Diaconus, & reliquus ordo ecclesiasticus in administratione sacrificiorum candida veste processerint?* &c.

Idem ad Cap. 44. Ezech. tomo 6. ejusdem edit. *Per quæ*, ait, *discimus non quotidianis & quibuslibet pro usu vitæ communis pollutis vestibus nos ingredi debere in sanct ι Sanctorum, sed mundâ conscientiâ & mundis vestibus tenere Domini Sacramenta, &c.*

X. *Chrysostomus* in Liturgia describit orationes, quas sacerdos dicit, dum sacris vestibus se induit.

Idem Homiliâ 83. in Matth. edit. Basil. 1558. monet sacerdotes, ut provideant quibus Sacramentum Eucharistiæ distribuant, dicit: *Hæc est dignitas vestra, &c. non quia tunicam induti candidissimam per Ecclesiam ambulatis.*

XI. *Augustinus* editione Basil. 1528. tomo 4. lib. Quæst. veteris & novi testamenti quæst. 48. dicit: *Sed hinc inquiunt videtur Sacerdos fuisse Samuel, quia vestitus erat Ephod; quasi non hodie Diaconi Dalmaticis induantur, sicut Episcopi, &c.*

XII. *Concilium Carthaginense* IV. tempore Augustini cap. 41. ordinat ut Diaconus tempore oblationis tantùm, vel lectionum albâ utatur, *&c.*

Ex his satis patet, quòd in primitiva Ecclesia sacerdotes & ministri Altaris sacris & specialibus vestibus usi fuerint.

XIII. Quoad vasa aurea, argentea & alia etiam probatur à simili ex veteri Testamento, ubi Exod. 25. v. 29. dicit Dominus: *Parabis & acetabula ac phialas, thuribula, & cyathos in quibus offerenda sunt libamina ex auro purissimo*, & v. 31. *Facies & candelabrum ductile ex auro mundissimo, &c.* quod si Deus voluit, ut oblata illa in tam pretiosis vasis offerrentur; nec displicebit illi ut Sanguis pretiosus Christi in talibus offeratur.

XIV. Usum vasorum seu instrumentorum & calicum quibus tempore sacrificii Ecclesia utitur, in Ecclesia primitiva viguisse constat ex SS. Patribus.

Sixtus I. circa Annum 117. in Epistola 2. apud Jod. Coccium tomo 2. 1601. in fine ait: *In hac sancta Sede Apostolica à nobis & reliquis Episcopis cæterísque Domini sacerdotibus statutum est, ut sacra vasa non ab aliis, quàm à sacratis Dominóque consecratis hominibus contrectentur.*

XV. *Clemens Romanus* circa Annum 80. can. Apost. 72. edit. Colon. 1569. dicit: *Vas aureum vel argenteum sanctificatum, aut velamen, &c. nemo ampliùs in suos usus assumito, &c.*

XVI. *Tertullianus* lib. de Pudicitia, Cap. 7. editione Parif. 1584. *Procedant*, inquit, *ipsæ picturæ calicum vestrorum, &c.* Picturæ autem non facilè *nisi in aureis vel argenteis calicibus formantur.*

XVII. *Athanasius* in vita S. Antonii edit. Parif. 1581. *Nec mora*, ait, *visionem sequitur effectus. Nam post annos duos sævè Arianorum irrupuit insania; tunc Ecclesiarum fuerunt rapinæ, tunc divinarum temeratio vasorum, &c.* hæc ille.

XVIII. *Concilium Laodicense* Anno 370. *Non oportet Subdiaconos habere locum in Diaconis, & sacra vasa tangere.*

XIX. *Gregorius Nazianz.* apud Coccium tomo 2. art. 10. orat. 25. quæ est contra Arianos de se ipso sic ait: *Quoniam mysticum sanguinem cum mortifero sanguine permiscui, quæ vasa ministerio sacro destinata, nec vulgi manibus* (nota) *attrectanda, in quorum manibus dedidi nempe vel Nabuzardæ Coquorum Principi, vel Balthasaro qui malè in sanctis poculis perbacchatus est, atque ideo dignos amentiæ suæ pœnas persolvit.*

XX. *Optatus Milevitanus* edit. Parif. 1569. lib. 6. contra Parmenian. *Hoc tamen*, ait, *immane facinus geminatum est dum fregistis etiam calices Christi Sanguinis portatores, quorum species revocâstis in massas mercem nefariis nundinis procurantes*, &c.

Digitized by Google

emerunt forsitan in usus suos sordidæ mulieres, emerunt pagani facturi vasa, in quibus incenderent idolis suis. O scelus nefarium! quid minus faciunt moderni Acatholici? imò majora perpetrant.

XXI. *Ambrosius* edit. Paris. 1569. lib. 2. Offic. cap. 28. *In necessitate inquit, pro redimendis captivis vasa Ecclesiæ etiam initiata confringere conflare & vendere licet*, quæ utique ex auro vel argento erant, & subdit: *Opus est ut de Ecclesia mystici poculi forma non exeat; ne ad usus nefarios sacri calicis ministerium transferatur, &c.* hæc ille.

XXII. *Damasus* in lib. pontificali sic scribit de suis Antecessoribus apud Jod. Coccium tomo 2. art. 10. *Sixtus constituit ut ministeria sive vasa sacra non tangerentur, nisi à ministris sacratis. Urbanus fecit ministeria sacrata omnia argentea & patenas argenteas viginti quinque apposuit. Sylvester donavit Ecclesiæ Romanæ patenam argenteam pensantem libras viginti ex dono Constantini Augusti, &c.* hæc ibi.

XXIII. Hieronymus epist. ad Theophilum Alexandrinum præfixa operi paschali apud Jod. Coccium tomo 2. Thes. Cathol. art. 10. 1601. sic ait: *In opere tuo utilitatem spectavimus Ecclesiarum, ut discant, qui ignorant eruditi testimoniis Scripturarum, quâ debeant veneratione sancta suscipere, & Altaris Christi ministerio deservire, sacrósque calices & sancta velamina & cætera, quæ ad cultum Dominicæ pertinent passionis, non quasi inania & sensu carentia sanctimoniam non habere, sed ex consortio Corporis & Sanguinis Domini eadem, &c. maiestate veneranda, &c.* hæc ibi. quod patet in simili, dum vestis quâ Rex indutus est cum Rege honoratur.

XXIV. *Chrysostomus* orat. in Babylam Martyrem apud Jod. Coccium tomo 2. art. 10. Thesauri Catholici 1601. sic ait: *Cæterum ex eis, qui cum Iuliano erant, patenas, cùm licentiosiùs insaniam suam contra nos prodidisset, ausus impuris manibus sacra vasa contingere; hoc etiam scelere non contentus, sed contumeliâ ulteriùs progressus (vasis enim eis inversis & super pavimentum collocatis, atque extensis super ea desedit) è vestigio huius illegitimæ sessionis pœnam luit. Illius enim verenda corrupta, vermiculos generârunt, ita ut morbum divinitus illatum constaret, &c.* hæc ibi.

XXV. Idem Homil. 51. in Matth. apud Jod. Coccium ibidem: *Ne putemus*, ait, *satis nobis esse ad salutem, si cùm viduas & pupillos spoliaveris, aureum calicem & gemmis ornatum huic mensæ offeras*, &c. & infrà: *Non igitur laboremus solùm, ad aurea vasa offerenda, verùm multò magis ut iusto labore acquisita offeramus: hæc enim aurea sunt & pretiosa quæ avaritiâ non maculantur. Non enim argentaria aut auri officina, sed Angelorum celebritas est Ecclesia. Animarum ergo munditia opus est, propter quas Deus etiam hæc vasa recipit. Et certè non erat ex argento mensa illa, nec ex auro calix, quo Christus discipulis Sanguinem suum præbuit, pretiosa tamen erant omnia & veneratione plena, quia spiritu abundabant, &c.* & paulò infrà: *Hæc dico, non quia prohibere velim talium vasorum oblationem, sed quia dignum putem misericordiæ & benignitati ante omnia incumbere. Nam Deus & vasa suscipit, sed illa multò magis sunt pretiosa, &c.* ubi respondet Acatholicorum calumniæ.

XXVI. Idem Homil. 14. in Epist. ad Ephes. in Morali edit. Basil. 1547. sic ait: *Perpende cum quibus tempore mysteriorum adstes, nempe cum Cherubim cum Seraphim*, &c. *quomodo potes ergo cum illis dicere sanctus sanctus sanctus, qui ore tuo ad vituperium abuteris?* ubi utitur similitudine de illo, qui coram Rege adstans abuteretur vasis regiis, vel conservum percuteret, & postea subdit: *Tu cum Cherubim apud thronum Regis constitutus convitiaris fratrem? non vides sacra illa vasa? non ad unum semper illa usurpantur? audetne quisquam illis ad aliud quicquam uti?* (nota) *iam tu vasis istis sanctior es, idque multò. Quare itaque te ipsum sordidum reddis & pollutum?*

Demum Augustinus in ps. 113. Conc. 2. tomo 8. edit. Paris. 1529. circa illum versum: *Simulachra Gentium argentum & aurum*, circa medium sic dicit: *Sed enim & nos pleraque instrumenta & vasa ex huiusmodi materia vel metallo habemus in usum celebrandorum Sacramentorum; quæ ipso ministerio consecrata sancta dicuntur in eius honorem, cui pro salute nostra inde servitur, &c. numquid ea supplicamus, quia per ea supplicamus Deo? &c.* hæc ibi, ubi patet responsio ad calumnias Acatholicorum. XXVII.

Demum *quoad usum luminarium vel cereorum*, etiam patet ex praxi Ecclesiæ primitivæ, quam unius Hieronymi testimonium satis probat, dum contra Vigilantium Ecclesiæ morem improbantem lib. 1. contra eundem cap. 3. edit. Antw. 1579. sic ait: *Quando legendum est Euangelium accenduntur luminaria iam Sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.* XXVIII.

Ad hæc *Chrysostomus* in Liturgia supponit morem esse, & præscribit quòd sacerdos ad Altare procedat, ministro cum lumine præcedente. XXIX.

Concil. Carthaginense IV. can. 6. sic ordinat: *Acolythus in ordinatione ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut sciat se ad accendenda Ecclesiæ lumina mancipari, &c.* hæc ibi. XXX.

Ex præmissis cuilibet facilè patet quòd Ecclesia universa à tempore Apostolorum in tremendo Missæ sacrificio sacras vestes & vasa etiam pretiosa sacra, & lumina adhibuerit: ex quo Acatholici sufficienter confunduntur, qui hæc damnant juxta illud Augustini Epist. 118. cap. 5. edit. Basil. 1529. tomo 2. ubi de quibusdam quæstionibus interrogatus cùm plura respondisset tandem dicit: *Ad hæc itaque respondeo, ut quid horum sit faciendum si divinæ Scripturæ præscribit authoritas non sit dubitandum quin ita facere debeamus ut legimus*, &c. *similiter etiam si quid horum totâ die per orbem frequentat Ecclesia: namhoc, quin ita faciendum sit, disputare insolentissimæ insaniæ est*, &c. XXXI.

At verò tota per orbem Ecclesia non solùm moderna, sed à tempore Apostolorum has ceremonias frequentavit: proinde insolentissimæ insaniæ est his contradicere.

ARTICULUS VII.

Quòd ceremoniæ Missæ quæ in actione consistunt antiquæ & licitæ sint.

Ceremoniæ *in actione consistentes* quas sacerdos sub sacrificio Missæ exercet, plures sunt; quas licitas & in primitiva Ecclesia usurpatas fuisse, summatim probatur. I.

1. *Sacerdos subinde elevat manus & expandit* II

orans,

orans Deum, quod pium & licitum esse patet ex illo Exod. 17. v. 11. *Cùmque levaret Moyses manus vincebat Israel, &c.* Aaron *autem & Hur sustentabant manus eius ex utraque parte.* David ps. 62. v. 5. dicit: *In nomine tuo levabo manus meas.* Et ps. 140. v. 2. *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.*

Item 3. Reg. 8. v. 22. *Stetit autem Salomon ante Altare Domini in conspectu Ecclesiæ Israël, & expandit manus suas in cœlum, &c.* quòd autem id Fidelibus in nova lege etiam competat, patet ex illo 1. Timoth. 2. v. 8. *Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus, &c.* si in omni loco, quantò magis in sacrificio?

III. 2. *Sacerdos* subinde *oculos in cœlum elevat* juxta illud psalmi 122. *Ad te levavi oculos meos,* & 23. *Levavi oculos meos in montes.* Idipsum Christus orans sæpe fecit Matth. 14. v. 19. *Acceptis quinque panibus & duobus piscibus aspiciens in cœlum benedixit, &c.* Marci 6. v. 41. *Intuens in cœlum benedixit, &c.* & cùm alibi tum Joann. 17. v. 1. *Sublevatis oculis in cœlum dixit: Pater venit hora, &c.* Hoc ipsum fecisse Christum, cùm in ultima Cœna sacrificium obtulit Sacramentum consecrando, licèt Euangelistæ non exprimant SS Patres ex traditione docuerunt, ut S. *Jacobus* in Liturgia.

IV. S. *Ambrosius* lib. 4. de Sacram. cap. 5. ubi refert ea, quæ Christus in Cœna fecit & dixit dicens: *Qui pridie quam pateretur respiciens in cœlum ad te sancte omnipotens æterne Deus gratias agens fregit,* &c.

V. 3. *Sacerdos* subinde *inclinat Corpus & genua flectit.* Sic de Salomone 3. Reg. 8. v. 54. dicitur: *Surrexit de conspectu Altaris Domini, utrumque enim genu in terram fixerat, & manus expanderat in cœlum.* Sic Daniel. 6. v. 10. *Tribus temporibus in die flectebat genua sua & adorabat.* Sic Act. 21. v. 51. dicitur; *Positis genibus in littore oravimus.* Et Apostolus Ephes. 3. v. 14. dicit: *Huius rei gratia*
VI. *flecto mea ad Patrem,* cur ergo non in Missa?
Hunc in Ecclesia fuisse morem patet ex Clement. lib. 8. Constit. Apostol. cap. 6. dicitur: *Inclinantibus eis capita benedicat Episcopus,* & cap. 7. *Postquam se signaverunt in nomine Dei Patris, seque inclinaverunt,* &c.

Clemens Alexandr. lib. 5. Stromatum, *Et Caput,* ait, *& manus in cœlum extendimus.*

Tertullianus in Apologet. cap. 30. *Illuc suspicientes Christiani manibus expansis.*

Chrysostomus in Liturgia sic præscribit: *Sacerdos egreditur ex parvo ostio, & conversus ad Christi imaginem inflexo capite cum exclamatione dicit hanc orationem,* &c.

VII. 4. *Sacerdos* subinde *percutit pectus suum* in signum cordis pœnitenti exemplo publicani; quem Dominus laudat Luc. 18. v. 13.

VIII. 5. *Sacerdos lavat manus* ante consecrationem, ùt præscribitur in diversis etiam Græcorum Liturgiis, & hoc consuetum fuisse tempore sacrificii in primitiva Ecclesia patet ex Cyrillo Jerosolymit. catech. 5. mystagog. edit. Colon. 1562. ubi sic ait: *Vidistis igitur Diaconum aquam lavandis manibus porrigentem Sacerdoti,* &c. *num ideo prorsus dabat, ut sordes Corporis abluerentur? nequaquam: nec enim adeò sordibus Corporis fœdati in Ecclesiam ingredi solemus, sed illa manuum ablutio symbolum est, oportere nos à peccatis omnibus & iniquitatibus mundari,* & infrà: *Nonne audisti David tractantem ista mysteria, & dicentem: Lavabo inter innocentes manus meas & circumdabo Altare tuum Domine, &c.* hæc Cyrillus.

6. *Sacerdos subinde osculatur Altare & librum,* IX.
in signum reverentiæ, ministrum verò & per ipsum populum in signum pacis & charitatis.

Hæc ceremonia in Liturgiis tam Græcis quàm Latinis præscribitur: de hoc osculo tempore sacrificii tradit idem *Cyrillus Hierosol.* suprà dicens: *Signum est hoc osculum reconciliationis animorum, propterea & Christus dicebat: cùm offers munus tuum ad Altare,* &c. *vade priùs reconciliari fratri, &c.* de quo Paulus ait: *Salutate vos invicem in osculo pacis, &c.* hæc Cyrillus.

7. *Sacerdos signum crucis* sæpè format, & sei- X.
psum signando vel librum, Altare, res offerendas, & oblatas, & etiam dum populo benedicit; hæc ceremonia etiam in Liturgiis traditur tam Græcis quàm Latinis; in quibus plurimas tales signationes assignantur; in quibus præsertim in Liturgia S. Jacobi signacula crucis vocantur. De hoc signo dicit Augustinus tract. 118. in Joann. *Nisi hoc signum sacrificio adhibeatur, non ritè perfici,* &c.

Chrysostomus Homil. 55. in Matth. tomo 2. XI.
edit. Basil. 1547. dicit: *Cùm regeneramur, crux Domini adest, cum sacratissimo alimur cibo,* &c.
ubique ac semper id victoriæ signum nobis assistit. XII.

Cyrillus Hierosol. catechesi 4. Illuminatorum §. de Ascensione edit. Colon. 1564. sic ait: *Non pudeat nos crucis Christi, quòd si aliquis id occultet, tu manifestè te signa in fronte, ut dæmones signum Regis videntes trementes procul fugiant. Fac autem hoc signum & manducans & bibens,* &c. *in summa in omni tuo negotio, &c.* hæc ille.

Similiter hortatur catech. 13. *Accipe arma contra adversarios huius crucis trophæum,* si id in omni negotio pium est præstare, quantò magis sub sacrificio Missæ.

Solet autem sacerdos vel semel hoc signum XIII.
formare in signum unitatis essentiæ divinæ; vel ter in signum sanctæ Trinitatis; vel quinquies ad quinque vulnerum Christi honorem; & etiam ad speciales passionis Christi memorias repræsentandas.

Nec huic obstat calumnia Acatholicorum sic- XIV.
ut nuper quidam Apostata in sua Germanica quam intitulavit Revocationis concione Giessæ 1662. impressa calumniando dicit, quòd dum sacerdos signat calicem in memoriam sepulturæ à Judæis signatæ, nihil aliud intendat, quàm ut Christi resurrectio & regni Christi gloria impediatur & contra hoc exclamat; sed fictam calumniam hanc esse nemo non videt.

8 *Sacerdos ante oblationem miscet aquam vino.* XV.
Ita in omnibus Liturgiis traditur S. Petri, S. Jacobi, S. Marci, S. Clementis, S. Basilii S. Chrysostomi, &c. & hoc testatur Justinus Martyr orat. ad Antonium Pium dicens: *Deinde ei qui fratribus præest, offertur panis & poculum aqua & vini,* &c.

Irenæus edit. Colon. 1596. lib. 5. Cap. 2. XVI.
Quando ergo, ait, *mixtus calix & fructus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia Corporis & Sanguinis Christi, &c.* hæc ille.

Cyprianus epist. 63. sui lib. 2. epist. 3. editione XVII.
Antw. 1568. sic ait. *Admonitos autem nos scias, ut in calice offerendo Dominica traditio servetur; neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Domi-*

Digitized by Google

nus prior fecerit; ut calix, qui in commemorationem eius offertur, mixtus vino offeratur, &c.

XVIII. *Ambrosius* tomo 4. edit. Paris. 1663. lib. 4. de Sacram. cap. 4. Ergo, ait, *didicisti, quòd ex pane Corpus Christi fiat, & quòd vinum & aqua in calicem mittitur; sed fit Sanguis consecratione verbi cœlestis, &c.* hæc ille.

XIX. His potiùs acquiescendum est, quàm Acatholicis, inter quos Petrus Richerus, ùt refert Nicolaus Villagagnius lib. 1. contra quosdam Calvini articulos cap. 73. dicebat, *esse hæreticos blasphemos, sacrilegos & falsarios, qui vino cœnæ aquam admiscent*, & hoc se à Calvino didicisse fatebatur.

XX. 9. *Sacerdos sub offertorio elevat panem & calicem consecrandum*, ita habetur in Liturgiis prædictis: non quasi illa sint ipsa hostia hujus sacrificii, sed materia ex qua hostia vera & immaculata fiat, & ad illam respicit sacerdos dicens: *Suscipe sancte Pater hanc immaculatam hostiam* scilicet ex his rebus futuram præsentem.

XXI. 10. *Sacerdos post consecrationem populo Eucharistiam Corpus & Sanguinem Domini iam consecratum ostendit adorandum*: sic etiam præscribitur in antiquis Liturgiis, & hujus ceremoniæ meminit *Dionysius Areopagita* lib. de Hierarch. Eccles. cap. 3. parte 3. & Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 27. edit. Antwerp. 1568. dicens: *Invocationis verba cùm ostenditur panis Eucharistiæ & poculum benedictionis quis Sanctorum in scripto nobis reliquit?* ubi supponit, quòd id ex traditione Apostolica habeatur.

Chrysostomus Hom. 61. ad popul. Antiochen. edit. Basil. 1557. sic ait: *Dum profertur sacrificium & Christus immolatur & ovis Dominica; cùm vela videris retrahi, tunc supernè cœlum aperiri cogita, & Angelos descendere, &c.* hæc ibi. Chrysostomus & similiter in sua Liturgia præscribit.

XXII. 11. *Sacerdos frangit hostiam sub specie panis, & unam partem commiscet Sanguini in calice.* Hæc ceremonia etiam expressè in Liturgia S. Jacobi & S. Chrysostomi præscribitur, & hoc ipsum Chrysostomus clarè supponit Homil. 24. in 1. ad Corinth. edit. Basil. 1547. circa illa verba Apostoli: *Et panem quem frangimus*; ubi sic ait: *Sed quare addit, quem frangimus? Hoc in Eucharistia videre licet, in cruce autem minimè, sed omnino contrà, os enim eius inquit non conteretur: sed quòd in cruce non passus est, id in oblatione patitur & propter te frangi sustinet, ut omnes satiet, &c.* hæc ille.

XXIII. 12. *Demum quòd Sacerdos sacram Eucharistiam etiam in processionibus circumferat adorandam:* Etsi non ita in antiqua Ecclesia usurpatum esset, tamen piissimè postea ab Ecclesia celebratur, ùt ostendit Concilium Trident. sess. 13. cap. 5. dicens: *Neque enim ideo minùs est adorandum* (Sacramentum) *quòd fuerit à Christo Domino, ut sumatur, institutum; nam illum eundem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit: Et adorent eum Angeli Dei, quem Magi procidentes adoraverunt*, &c.

XXIV. De hac adoratione actum est lib. de Eucharistia, ubi dictum, quòd Christus in Sacramento adoretur, sed species concomitanter & per accidens sicut purpura Regis honoratur, dum Rex illâ indutus honoratur, *&c.* unde Concilium declarat: *Piè & religiosè in Dei Ecclesia inductum fuisse, ut in processionibus reverenter & honorificè illud per vias & loca publica circumferatur, &c. ùt Christiani testentur gratos animos erga communem Dominum, & Redemptorem, pro tam ineffabili & planè divino beneficio; quo mortis eius victoria, & triumphus repræsentatur: atque sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio & hæresi triumphum agere; ut eius adversarii in conspectu tanti splendoris & in tanta universæ Ecclesiæ lætitia positi vel debilitati & fracti tabescant; vel pudore affecti, & confusi aliquando resipiscant.* hæc Concilium. Idque ordinavit Ecclesia ob dictas causas, postquam Berengarius & alii S. Eucharistiæ veritatem impugnare cœperunt.

Nec enim ex hoc quòd venerabile Sacramentum ad tempus reservatur vel etiam ob causas dictas circumferatur, aliquid fit contra Christi institutionem; cùm illa primaria Christi institutio servetur, scilicet, quòd Sacramentum Deo Patri offeratur, & ultimatè à Fidelibus sumatur; cum quo consistit, quòd ob dictas causas ad tempus servetur, vel circumferatur, quod Christus non prohibuit; sicut olim ad multum tempus domi vel in eremis adservabatur, donec sumentur; & ideo quamdiu & ubicunque Sacramentum adest, Christus in illo verè adorandus est. XXV.

Vnde meritò Concil. ibidem Canone 6. sic definit: *Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ etiam externo adorandum: atque ideo nec festivâ peculiari celebritate venerandum: neque in processionibus secundùm laudabilem & universalem Ecclesiæ sanctæ ritum & consuetudinem solemniter circumgestandum vel non publicè, ut adoretur, populo proponendum* aut *eius adoratores esse idololatras; anathema sit.* XXVI.

Item Can. 7. *Si quis dixerit, non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem astantibus necessariò distribuendam aut non licere, ut illa ad infirmos honorificè deferatur anathema sit.* hæc Concilium.

ARTICULUS VIII.

Quòd ceremoniæ Missæ, quæ in verbis consistunt, licitæ & antiquæ sint.

Plurimæ sunt ceremoniæ Missæ, quæ in verbis consistunt; & potissimùm in duas partes dividuntur: Prior est; quæ dicitur Missa Catechumenorum, ab initio Missæ usque ad offertorium: Secunda est ab offertorio usque ad finem; hæc secunda distinguitur in tres partes: ut prior sit illa, quæ est ab offertorio usque ad consecrationem; secunda à consecratione usque ad Communionem. Tertia à Communione usque ad finem. I.

In Prima parte Missæ dicuntur sequentia: primò *Psalmus* 42. *Iudica me Deus, &c.* cum *Gloria Patri, &c.* de hoc psalmo nullus dicere potest, quòd malus sit, vel malè recitetur, vel etiam versus *Gloria Patri, &c.* contra Arianos à Catholicis formatus & usurpatus, ut Fideles ab illis distinguantur. II.

2. Sacerdos dicit confessionem; in qua Deo & Sanctis peccata sua confitetur, sed diversimodè III.

Digitized by Google

modè, Deo ùt summo Creatori; Sanctis ut intercessoribus; de quolib. de Invocatione Sanctorum, & suprà agendo, quod in honorem Sanctorum Missæ celebrentur.

Liturgiæ etiam *antiquæ* præsertim S. Jacobi à confessione peccatorum inchoantur. Oratio subjungitur: *Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic sunt, &c.* & hæc constant ex iis quæ de Invocatione Sanctorum & Reliquiis probata sunt.

IV. 3. dicitur *Introitus* qui ordinariè constat aliquot psalmorum versiculis, vel aliis ex S. Scriptura desumptis verbis, cum versu *Gloria Patri*: sic sacrificium ab initio Ecclesiæ quoad psalmos inchoatum esse constat ex Dionysio Areopagita Eccles. Hierarch. cap. 3. edit. Basil. 1503. ubi dicit de Pontifice: *Demum ad sanctum Altare iterum rediens psalmorum incipit melos concinnentibus secum sacra carmina omnibus ecclesiastici ordinis gradibus*, &c.

V. 4. Subjungitur *ter Kyrie eleison*, *ter Christe eleison* & iterum *ter Kyrie eleison*, quoad Kyrie eleison antiquus in Ecclesia Græca usus fuit: ùt patet ex *Liturgiis S. Iacobi, S. Basilii, & Chrysostomi*; quòd etiam in Ecclesia Latina usurpatum fuerit patet ex Concilio Valensi circa Annum 436. celebrato; quod cap. 3. edit. Colon. 1538. jubet *ut Sacerdotes Galliæ ad Missam dicant Kyrie eleison*, & rationem reddit; *quia in Sede Apostolica & per totam Italiam ita observatur.*

Augustinus epist. 178. edit. Basil. 1528. circa finem supponit, quòd in tota Ecclesia Deo supplicetur lingua Græca dicens: *Sicut enim lingua Græca, quod est Homousion una dicitur vel creditur à Fidelibus Trinitatis omnino substantia: sic una* (Græca) *rogatur ut misereatur à cunctis Latinis & Barbaris unius Dei natura* (Kyrie eleison) *Latinè enim dicitur, Domine miserere.* Ex his patet falsum esse, quod *Platina* dicit: Kyrie eleison à Gregorio I. Missæ esse additum, qui sedit Anno 606.

VI. 5. Dicitur: *Gloria in excelsis Deo* cum reliquis & quidem prima verba sunt Angelica Luc. 2. reliqua etiam sanctissima sunt; ita ut *Lutherus* in suo lib. de Formula Missæ integrum illum hymnum servari ordinârit.

VII. 6. Post hymnum *Gloria in excelsis*, Sacerdos vertens se ad populum dicit: *Dominus vobiscum*, vel Episcopus *Pax vobis* salutando populum; hoc ipsum in antiqua Ecclesia moris fuisse patet ex *Liturgiis S. Iacobi, Basilii & Chrysostomi*. Et insuper *Chrysostomus* Homil. 18. in Epist. 2. ad Corinth. edit. Basil. 1547. in Morali sic ait: *In iisdem horrendissimis mysteriis bene precatur sacerdos populo, & benè precatur populus Sacerdoti, nam cum spiritu tuo; nihil aliud est, quàm hoc, &c.* hæc ibi.

VIII. 7. *Sacerdos dicit orationes pro populo* quæ collectæ dicuntur ob diversas rationes. Orationes autem circa sacrificium servari solitas esse ab initio Ecclesiæ, constat ex *Iustino* in Apologia 2. & maximè patet ex Apostolo 1. Timoth. 2. v. 1. ubi dicit: *Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes*, &c. *pro omnibus hominibus, pro Regibus, &c.* Et hoc in Ecclesia tempore sacrificii fieri supponit Ambrosius lib. 4. de Sacrament. cap. 4. dicens: *Nam per reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro Regibus*, &c.

IX. 8. Post orationes sequitur *Lectio* ex libro *Scripturæ* quæ *Epistola* dicitur: quia ordinariè est ex aliqua Apostolica epistola. Hunc morem ab initio Ecclesiæ fuisse patet ex *Dionysio* Eccles. Hierarch. cap. 3. & ex *Iustino* Apologiâ 2. *&c.* nec hic mos damnari potest.

X. 9. Epistolæ subjungitur *Graduale, Tractus*, vel *Alleluia*: & sunt communiter versus ex S. Scriptura desumpti; in quibus nihil est reprehensibile, sed Luthero displicet quòd non semper dicatur *Alleluia*; quod idem est, ac laudate Dominum; unde ipse in lib. de Formula Missæ jubet; ut etiam in ipsa hebdomada sancta *Alleluia* cantetur. Verùm mos antiquæ Ecclesiæ fuit; ut solùm à Paschate usque ad Pentecosten & diebus Dominicis *Alleluia* cantaretur ùt testatur Augustinus epist. 119. cap. 15. dicens: *Vnde etiam omnibus diebus Dominicis, id ad Altare observatur, & Alleluia canitur, &c.* & postea idem indicat de quinquaginta diebus à Paschate usq; ad Pentecosten: tamen, cap. 17. dicit: *Vt autem Alleluia per illos quinquaginta dies in Ecclesia cantetur, non usquequaque servatur, nam & in aliis diebus variè cantatur, alibi atque alibi, ipsis tamen diebus ubique.* Tempore quadragesimæ vetitum fuit ob causam pœnitentiæ ùt patet ex Concil. Tolet. 4. Canone 10. ubi sic habetur: *Statuimus ut in omnibus diebus quadragesimæ Alleluia non cantetur, quia tempus mœroris est.* Esse autem *Alleluia* signum lætitiæ, patet ex illo Apoc. 19. v. 6. ubi lætitiæ cœlestis adscribitur, *Et audivi vocem turbæ magnæ*, &c. *dicentium: Alleluia*, &c. *gaudeamus & exultemus*, &c. *quia venerunt nuptiæ Agni*, &c.

XI. 10. Subjungitur lectio aliqua ex Euangelio; de quo non potest dubitari, cui præmittuntur hæc verba: *Sequentia S. Euangelii secundùm Lucam, &c.* & respondetur: *Gloria tibi Domine*, & hæc etiam extant in Liturgia S. Chrysostomi.

XII. 11. Recitatur *symbolum Fidei Constantinopolitanum* seu *Nicænum*. nec hoc ullo modo reprehendi potest. In Ecclesia Græca primitùs semper in Missa recitatum fuit, & postea etiam in Ecclesia Latina ordinatum fuit: ùt patet ex Concilio Tolet. 3. ubi sic statuitur: *Per omnes Ecclesiæ Hispaniæ & Gallicæ secundùm formam Orientalium Ecclesiarum Concilii Constantinopolitani symbolum recitetur, &c.* De hoc dictum est lib. 4. agendo de Ecclesia Græca. Post symbolum olim finiebatur *Missa Catechumenorum*.

XIII. 12. Incipit postea altera Missæ pars; quam Lutherus & sui sequaces maximè sed iniquè damnant; eò quòd illa ad sacrificium referatur; quod ipsi detestantur; sed sacrificium esse, suprà probatum est.

XIV. Itaque primò, dicitur, versus: *Offertorium* ex S. Scriptura desumptus.

Postea dicuntur aliquæ orationes circa materiam Eucharistiæ, ubi Acatholici culpant: Primò quòd panis offeratur & calix: & panis dicatur *hostia immaculata* & calix *salutaris* ante consecrationem: sed hæc dicuntur non de pane materiali & vino, sed de Corpore & Sanguine Christi in quæ statim convertuntur.

XV. Secundò, quòd dicatur *in spiritu humilitatis*, quasi sacerdos petat ut sacrificium Deo fiat gratum, sed hæc non est intentio, sed ut sacrificium per se Deo gratum fiat sacerdoti & populo salutare.

Digitized by Google

Tertiò, cùm sacerdos dicit, *suscipe S. Trinitas*, supponitur, quòd Deo offeratur in memoriam passionis, *&c.* & etiam in memoriam Sanctorum, ùt suprà ex sanctis Patribus probatum est.

Quartò, cùm sacerdos dicit: *Orate fratres, &c.* non petit pro ipso sacrificio per se Deo grato, sed ut nobis salutare fiat; vel prout sacrificium pro actione sinistri sumitur, postea subjunguntur *Collectæ* seu *orationes* pro Ecclesia, *&c.*

XVI. 13. Post hæc sequitur *Præfatio*, per quam Fideles excitentur, ut ad sacrificium animos præparent; uti verba illa *sursum corda, &c.* & *gratias agamus*: quæ habentur in omnibus antiquis Liturgiis; & sancti Patres passim testantur illa in sacrificio esse præmissa.

Cyrillus Ierosolymitanus catechesi 5. mystag. editione Colon. 1564. dum dixisset de illis: quæ præparatoria ad Missam sunt, dicit: *Postea clamat Sacerdos: Sursum corda. Verè enim circa illam maximè tremendam horam sursum ad Deum corda levare necesse est, &c.* & infrà: *Dicit deinde Sacerdos: Gratias agamus Domino Deo nostro. Ad hæc vos subjicitis: Dignum & iustum est, &c.* hæc ille.

Chrysostomus Homil. 18. in 2. ad Corinth. in Morali dicit de Sacerdote, edit. Basil. eâdem, *Postquam populo precatus est pacem*, ait, *neque enim ille solus gratias agit, sed etiam omnis populus; priùs enim acceptâ illorum voce, deinde congregatis illis, ut digne & iustè hoc faciat, incipit Eucharistiam.*

Augustinus epist. 120. ad Honoratum cap. 19. edit. Basil. 1528. sic ait: *Hæc est gratia quæ gratis datur, non meritis operantis, sed miseratione donantis. Hinc gratias agimus Domino Deo nostro, quod est magnum Sacramentum in sacrificio* (nota) *novi testamenti, quod, ubi, & quando, & quomodo offeratur, cùm fueris baptizatus, invenies*, &c.

Similiter lib. de Bono Perseverantiæ cap. 13. eâdem editione dicit: *Quòd in Sacramentis fidelium dicitur: ut sursum corda habeamus ad Dominum; munus est Domini; de quo munere ipsi Domino Deo nostro gratias agere à Sacerdote post hanc vocem, quibus hoc dicitur, admonentur; & dignum & iustum esse respondent.* hæc August.

Similia sæpius in aliis locis habet.

Cæterùm reliqua quæ in præfatione usque ad sanctus dicuntur, sanctissima sunt; & in antiquis Liturgiis habentur.

XVII. 14. Post præfationem sequitur: *Sanctus sanctus sanctus, &c.* quæ verba partim ex Isa. 6. de Angelorum cantu: partim ex cantico puerorum Hebræorum, dum Christo acclamârunt, desumpta sunt; adeóque sanctissima & habentur in antiquis Liturgiis; & sic supponit *Cyrillus Ierosolymitanus* catechesi 5. post verba suprà recitata, ubi sic ait: *Commemoramus etiam illa Cherubin quæ in spiritu cernebat Isaias, circumstantium thronum Dei, ac alis quidem duabus faciem velantia & dicentia: Sanctus sanctus sanctus Dominus Deus Sabaoth, &c.* hæc ille.

Sic Chrysostomus Homil. 18. in 2. ad Corinth. post verba allegata dicit: *Et quid miraris, si cum sacerdote populus loquitur? ubi sanè & cum illis Cherubin & supernis potestatibus communiter sanctos illos hymnos personant, &c.* hæc ille.

XVIII. Cæterùm post hunc hymnum incipit ea pars Missæ quæ specialiter *Canon* dicitur; quem Acatholici maximè execrantur; eò quòd in illo exprimantur illa, quæ ad sacrificium spectant.

Initium itaque Canonis est *Oratio* quæ sic incipit: *Te igitur clementissime Pater. &c.* in qua sacerdos Deum rogat, ut accepta habeat & benedicat dona, *&c.* quæ offert pro Ecclesia universa, & diversis in particulari & in honorem ac memoriam Sanctorum, *&c.* dicit autem *quæ tibi offerimus & qui tibi offerunt*, non quòd alii immediatè offerant: sed per sacerdotem. XIX.

Oratio secunda Canonis inchoatur illis verbis: *Hanc igitur oblationem, &c.* ubi sacerdos generaliter rogat, ut Deus oblationem placatus accipiat, & dies Fidelium in pace disponat, & eos ab æterna damnatione eripiat, & in electorum grege numerari jubeat. XX.

Ubi non rogat sacerdos, ut Deus panem & vinum accepter, ut per illa Fideles liberentur; sed sunt distinctæ petitiones, quarum prima est, ut panem & vinum acceptare velit ut sint digna materia futuri sacrificii, & reliquæ petitiones distinctæ sunt.

Oratio tertia Canonis sic incipit: *Quam oblationem tu Deus & benedictam*, &c. *facere digneris*, &c. Vbi etiam sensus non est, quem Acatholici per calumniam fingunt, quasi sacerdos roget ut Deus Christum benedicat, ac ejus Corpus, *&c.* sed rogat ut benedicat & sanctificet panem & vinum præparatum, non ut Corpus Christi in se fiat, sed ut per illam benedictionem ex illa materia Corpus & Sanguis Christi nobis id est, ad salutem nostram præsens fiat. XXI.

Postea sequuntur verba ex Euangelio: *Qui pridie, quam pateretur, &c.* & utitur sacerdos verbis Christi, quibus Eucharistia Corporis & Sanguinis Christi consecratur. XXII.

Post consecrationem sequitur *oratio quarta*, his verbis: *Vnde & memores Domine*, &c. *ejusdem Filii tui*, &c. *tam beatæ passionis*, &c. *supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris*, ubi etiam sensus non est; quasi sacerdos oret ut Deus Christum propitius respiciat: sed, ut Corpus & Sanguis Christi nobis fiat salutaris, quod salus ipsa est: ne ob nostram indignitatem ejus fructu destituamur: Reliqua respondendo ad argumenta patebunt. XXIII.

Oratio quarta incipit: *Memento etiam Domine famulorum*, &c. *qui dormierunt in somno pacis, &c.* ubi oratur pro defunctis Fidelibus, de quibus speratur, quòd sint securi de æterna salute, & quoad hoc dormiunt in pace; nec ad hoc oratur; sed quia adhuc possunt detineri à luce & vita beata, precamur, ut hunc illis locum refrigerii seu cœlestis gloriæ Deus largiatur; sic *Cyrillus* catechesi 5. mystag. editione Colon. 1563. dicit: *Nos pro defunctis precationes adhibentes, quamvis sint peccatores, non quidem coronam plectimus; sed Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, ut & nobis & illis eum, qui est benignissimus, propitium reddamus.* hæc ille. XXIV.

Oratio sexta sic incipit: *Nobis quoque peccatoribus, &c.* ubi sacerdos pro se & pro populo petit, ut cum Sanctis quos commemorat partem aliquam scilicet ipsam beatitudinem accipiat, quæ *pars Sanctorum* dicitur, ùt patet Coloss. 1. v. 12. *Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine.* &c. XXV.

Hæc

XXVI. Hæc oratio & totus canon concluditur per verba: *Per quem* (Christum) *hæc omnia semper bona creas, &c.* ubi comprehenduntur omnia quæ hactenus in sacrificio contigerunt, primò ratione materiæ ex qua Sacramentum fit, id est, quòd Deus per Christum creârit panem & vinum, secundò quòd *sanctificat* panem & vinum destruendo ut ex illis Sacramentum fieret. Tertiò *vivificas* cum illa convertit in Corpus & Sanguinem Christi, qui est vita nostra. Quartò *benedicis & præstas nobis*; ut scilicet nobis benedictio & fructus per Sacramentum proveniat.

XXVII. His orationibus *Canon* præcipuus absolvitur. Quoad antiquitatem hujus canonis, quòd multis abhinc sæculis in Missa usurpatus fuerit ab Ecclesia, non solùm à tempore D. Gregorii I. qui sedit anno 600. quod est extra omnem controversiam; sed etiam tempore primitivæ Ecclesiæ saltèm quoad præcipuas partes, patet vel ex unico sancti Ambrosii testimonio, qui lib. quarto de Sacram. edit. Paris. 1569. hæc ùt in Ecclesia usitata supponit. Nam cap. quarto meminit orationum quæ in canone præcedunt consecrationem Eucharistiæ dicens: *Quomodo potest qui panis est Corpus esse Christi? consecratione? consecratio ergo quibus verbis fit? Domini Iesu; nam per reliqua omnia quæ dicuntur laus Deo defertur,* quod fit in præfatione, *petitur pro populo, pro Regibus, &c.* (hæc fiunt in prima oratione canonis) *ubi venitur ut conficiatur venerabile Sacramentum, non suis sermonibus utitur sacerdos, sed utitur verbis Christi,* &c.

XXVIII. Postea eâdem editione cap. quinto sic ait: *Vis scire, quia verbis cælestibus consecratur? accipe quæ sunt verba dicit Sacerdos: Fac nobis, inquit, hanc oblationem ascriptam, rationabilem acceptabilem, quod est figura Corporis & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi; qui pridie quàm pateretur, in sacris manibus suis accepit panem, respexit in cælum ad te sancte Pater omnipotens æterne Deus, gratias agens, benedixit, fregit, fractumque Apostolis suis tradidit dicens: Accipite & edite ex hoc omnes hoc enim est Corpus meum. Similiter etiam calicem postquam cœnatum est,* &c. *accepit,* &c. *benedixit,* &c. *tradidit dicens: Accipite & bibite ex eo omnes. Hic est enim Sanguis meus,* &c. *vide omnia illa verba Evangelistæ sunt usque ad accipite,* &c. *inde verba Christi sunt, &c.* hæc Ambrosius: quæ in substantia eadem verba sunt, quæ modò in Canone habentur.

XXIX. Rursus *Ambrosius* eâdem edit. ibidem cap. 6. quid post consecrationem in Missa fiat, subjungit dicens: *Quantum sit Sacramentum cognosce, vide quid dicat: Quotiescunque hoc feceritis, toties commemorationem mei facietis, donec iterum veniam. Et Sacerdos dicit: Ergo memores gloriosissimæ ejusdem passionis, & ab inferis resurrectionis; & in cælum assumptionis offerimus tibi hanc immaculatam hostiam, rationabilem hostiam, incruentam hostiam, hunc panem sanctum, & calicem vitæ æternæ; & petimus, & precamur; ut hanc oblationem suscipias in sublimi Altari tuo per manus Angelorum tuorum: sicut suscipere dignatus es, munera pueri tui justi Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ & quod tibi obtulit summus Sacerdos Melchisedech,* &c. hæc Ambrosius. Ecce ad literam omnia ferè verba, quæ in orationibus post consecrationem in Canone Missæ habentur.

XXX. Quòd autem in Canone Sanctorum commemoratio, & oratio pro Fidelibus defunctis facta fuerit in sacrificio Eucharistiæ, suprà ex testimoniis D. Augustini & aliorum Patrum ostensum est.

Ex quibus patet, quòd præcipuæ ad minus partes Canonis in primitiva Ecclesia circa oblationem Eucharistiæ in usu fuerint, licèt in quibusdam Liturgiis aliqua verborum fuerit variatio.

XXXI. Verùm post tempora Ambrosii & Augustini canon semper integer in omni Ecclesia observatus fuit, ùt constat ex S. Leone I. qui sedit circa annum 440. & Concil. generale Chalcedonense confirmavit. De quo Author pontificalis in vita illius scribit, quòd ad Canonem hæc pauca verba addiderit: *Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam,* quæ in Canone immediatè sequuntur post verba ex sancto Ambrosio recitata, scilicet: *quod tibi obtulit summus Sacerdos Melchisedech,* &c.

XXXII. Similiter *Ioannes Diaconus* lib. 2. vitæ sancti Gregorii cap. 17. refert, quòd Gregorius ad Canonem hæc verba addiderit: *Diésque nostros in tua pace disponas.* Ex quibus patet; quòd Canon quoad præcipuas partes ante S. Gregorium; Leonem & Ambrosium in Ecclesia usurpatus fuerit; imò ex Apostolorum traditione descendat; licèt Pontifices priorum sæculorum aliqua addiderint; ùt patet ex nominibus Sanctorum qui tertio sæculo Martyrium obierunt, quorum nomina recitantur: sed reliquorum Sanctorum qui quarto sæculo fuerunt nomina omittuntur: quod signum est, quòd hic Canon præcipuus idem manserit.

XXXIII. Ex his satis patet veritas Concil. Trid. dum sess. 22. cap. 4. de Can. sic dicit: *Is enim constat, cùm ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac Sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus, &c.* hæc ibi.

XXXIV. Post Canonem subjungitur *Oratio Dominica*, quæ habetur in omnibus Liturgiis, & illam in Missa recitatam esse ex SS. Patribus constat. Sic *Cyrillus Ierosol.* edit. Colon. 1563. Catech. 5. mystagogica, post verba suprà recitata, quæ tempore oblationis fiunt, dicit. *Postea dicitis illam orationem, quam Salvator suis discipulis tradidit,* &c. *Pater noster,* &c.

XXXV. *Augustinus* epist. 59. ad Paulinum quæst. 5. circa verba Apostoli 1. Timoth. 2. *Obsecro primùm omnium fieri obsecrationes* edit. Basil. 1528. sic ait: *Sed eligo in his verbis hoc intelligere; quòd omnis vel penè omnis frequentat Ecclesia; ut precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud quod est in Domini mensa incipiat benedici; orationes, cùm benedicitur & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionem ferè omnis Ecclesia Dominicâ oratione concludit, &c.* hæc August.

XXXVI. Post orationem Dominicam sequitur oratio: *Libera nos,* &c. *ab omnibus malis,* &c.

Postea dicit sacerdos, *Pax Domini, &c.* & frangit hostiam sacram, & commiscet aliquam partem calici; ùt suprà dictum, dicens; *hæc commixtio Corporis & Sanguinis, &c.* quod non intelligitur quasi Corpus & Sanguis in propria specie sibi misceantur, quod absurdum & falsum est; quia sic deberent divisa esse; sed intelligitur in speciebus panis & vini quæ miscentur, & eatenus etiam Corpus & Sanguis misceri dicun-

VII. Hoc ipsum etiam ostendi potest ab exemplo Apostolorum; qui licèt donum linguarum haberent, non tamen singulis diversis populis in ipsorum lingua scripserunt, imò nullum librum vel epistolam Canonicam scripserunt, nisi *in Lingua Hebrea vel Græca vel Latina*; nec ideo barbarismi arguendi sunt, vel malè fecisse, cum tamen S. Scriptura ad populi bonum scripta sit, sed sufficit quod suo tempore à Pastoribus proponatur & explicetur.

VIII. Cur autem Ecclesia ab initio liturgias in illis tribus tantùm linguis celebrari ordinârit, dubium non est, quin plures causæ fuerint; quarum utique una est, ut major uniformitas in Ecclesia & ejus ministris esset: Si enim in singulis nationibus singulares liturgiæ essent, sacerdotes externi illuc advenientes celebrare non possent. Altera est, ne quotidie libros missales mutare opus foret, cum quotidie quasi linguæ vulgares in eadem regione mutentur: Tertia, quia multa per annū in Missa ex S. Scriptura leguntur, quæ non expedit ob plures causas, ut singuli intelligant. Quarta quia plura sunt in Prophetiis & epistolis, quæ in Missa leguntur, & populus non intelligit, licet vulgari lingua legerentur.

IX. Ob hæc & alia itaque Ecclesia judicavit expedire: ut in certa lingua, in Ecclesia quidem Græcorum in Græca; & in Ecclesia Latina, Latinè Missa celebretur: hoc autem improbare, insolentissimæ insaniæ est, ut D. August. Epist. 118. supponit.

X. Quoad alium modum, scilicet, quòd aliqua altâ, aliqua submissâ voce in Missa dicantur, Acatholici volunt; quod contra Christi institutum sit ut submissâ voce aliqua dicantur; quod inde probant; quia Christus jussit ut Eucharistia in ejus memoriam fieret, & Apostolus monet, ut mors ejus annuncietur; quod non fit per silentium, sed per altas & intelligibiles voces, ut volunt.

XI. Resp. negando, quòd non per silentium & alia signa mors Christi annunciari possit; quia omnia in Missa ordinata sunt in memoriam passionis, per quæ mors Christi annunciatur. Hoc ipsum supponit August. lib. 20. contra Faustum edit. Basil. 1529. tomo 6. cap. 18. dicens: *Christiani jam peracti ejusdem sacrificii memoriam celebrant sacrosancta oblatione & participatione Corporis Christi*; quæ absque altis verbis fieri possunt; & certè, quomodo conveniret, ut tempore sacrificii vel communionis omnis populus etiam communicans altâ voce mortem Domini annuntiaret?

XII. Quòd autem Christus Dominus in ultima cœna clarâ voce Sacramentum confecerit, ut omnes Apostoli audirent, singulare est; quia hoc ipso illos instruebat, qualiter ipsi imposterum facere deberent; quod non concernit sacerdotes, dum Eucharistiam consecrant & offerunt.

XIII. Cæterum non docet Ecclesia, quòd per se sit illicitum, ut omnia clarâ voce dicantur; cum ex liturgia S. Chrysostomi constet, quod in illa Ecclesia etiam verba consecrationis altâ voce recitarentur, sed ob multa incommoda expedire judicavit, ut mysteria plura in silentio à sacerdote recitentur; sic enim ordinatum fuit in liturgiis tam Græcis quam Latinis, ut etiam sacerdotes orationes, quasdam in silentio dicerent, sed altâ voce dicerent *per omnia sæcula sæculorum*, ad quæ populus *Amen* responderet. Sic enim in Liturgia Chrysostomi & aliis dicitur, *sacerdotis exclamatio, & subindè oratio secreta*, &c.

Et *S. Cyprianus* in tract. seu sermone de *Orat. Dominica* edit. Basil. 1540. monet, ut tempore sacrificii fideles imitentur Annam matrem Samuelis, dicens; *Et quando in unum cum fratribus convenimus, & sacrificia cum Dei sacerdote celebramus, verecundiæ & disciplinæ memores esse debemus; non passim ventilare preces inconditis vocibus; quia Deus non vocis sed cordis auditor est*, *&c.* & infrà: *Quod Anna in primo Regum libro Ecclesiæ typum portans custodit & servat, quæ Dominum non clamorosâ petitione, sed tacitè & modestè intra ipsas pectoris latebras precabatur*, &c. *quia sic sciebat Deum audire*, & infrà, *declarat scriptura divina quæ dicit. Loquebatur in corde suo, & labia ejus movebantur, & vox ejus non audiebatur; & exaudivit eam Deus, &c.* hæc Cyprianus. XIV.

Ex quibus patet, quòd in primitiva Ecclesia tempore sacrificii hujus divini plura in silentio seu secretè à Sacerdote dicta & orata fuerint.

Demum ea, quæ contra verba in Missa, & præsertim in Canone dicuntur & Acatholici arguunt, potiùs calumniæ sunt, dum verba Sancta in perversum sensum detorquent, & sic arguunt; ad quæ ex prædictis facilis est responsio. XV.

ARTICULUS X.

Referuntur & refutantur calumniæ alicuius apostatæ.

HIc refutandus restat quidam recens apostata Ioannes Albertus dictus, qui in quodam libello Germanico, cui titulum imposuit, Revocations Predig. I.

Concio seu Revocatoria 12. Decemb. 1660. Giessæ habita, & ibidem 1662. impressa, inter varias calumnias hanc evomuit, dicens: *Specialiter Canon missaticus, seu orationes, quæ ad Missam recitantur, sunt supra modum blasphemæ, & contra Christum, dum sic orant: Offerimus præclaræ Majestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam puram, hostiam sanctam; hostiam immaculatam, &c.* ubi reliqua verbatim refert, quæ ex S. Ambrosio suprà relata sunt; quæ apostata Latinè relata etiam Germanicè exposita proponit, & postea exclamat, dicens: *Ergone Christus est in disgratia Patris, ut missatici sacerdotes pro ipso apud Patrem intercedant? ergone Christus non est gratior Deo Patri quam Abel? vel sacrificium Melchisedech? quid est hoc, quod Patrem orant ut mandet Angelis, ut Corpus Christi ante faciem Patris deferant? Ergone Angeli Christum in cælum primùm introducendum juvabunt? vel quæso, an duo Christi sunt? ut unus Christus in persona Verbi olim ad cælos ascenderit; & alius Christus erit quem Angeli ex Missa in cælum deferunt? Plures hujusmodi abominandi* II.

errores in Missa Papistica reperiuntur, &c. hæc ille impius Apostata & Calumniator.

II. Veruntamen hæ calumniæ novæ non sunt; sed à Luthero dudum efficta, & à DD. Catholicis refutatæ sunt. *Lutherus* enim in lib. de abroganda Missa, quasi in singula Canonis verba insurgit; & inter alia etiam verba præmissa Canonis, *offerimus Majestati tuæ*, & sequentia in turpem sensum, quem Apostata reproducit, detorquens, Canonem condemnat.

III. Resp. autem primò, omnia perversæ possunt pervertere mentes; non est novum hæreticorum opus, quod dogmata Ecclesiæ in falso sensu divulgent & oppugnent, ut odiosam Ecclesiam reddant. Hoc patet in omnibus antiquis Hæreticis.

Nec hoc tantùm: sed Manichæi, ut vetus Testamentum eò securius contemnerent, verba plurima veteris Testamenti proferebant, uti Deus dicitur *ambulare in paradiso, habere oculos, manus, pedes: quod cælum sit sedes ejus, terra autem scabellum pedum ejus, &c.* quæ ipsi crasso modo intelligebant, quasi Scriptura veteris Testamenti in sensu proprio de Deo illa assereret; quod falsissimum est; sed solum in sensu metaphorico dicuntur hæc ad hominum captum; sicut etiam Christus in novo Testamento dicitur *lapis angularis, agnus, vitis, Leo,* &c.

IV. Sic itaque in proposito, plura in his verbis Canonis metaphoricè dicuntur, quæ Catholici in sensu optimo intelligunt, & SS. Patres usurpant.

V. Respondeo itaque secundò, ista verba Canonis ad literam antiqua Ecclesia tempore sacrificii usurpavit, ut supra ostensum est, & patet ex S. Ambrosio, qui illa, ut ab Ecclesia semper usurpata, refert; quis autem antiquam Ecclesiam in hoc condemnabit, nisi impius & perversus? & hoc sufficeret contra Lutherum & istum apostatam ac alios quosvis.

VI. Respond tertiò, Sensus verborum illorum ab Ecclesia intentus ille est, non quòd sacerdos roget Deum Patrem Christo reconciliari, hoc impium est, sed sensus est, quod, licet Christus ipse ut in speciebus panis & vini oblatus per se Deo Patri gratissimus sit, per quem omnem gratiam consequimur, tamen sacerdos peccator est, qui sacrificium offert, & ideo sacerdos rogat, ut Deus Pater sereno & propitio vultu dignetur ad oblata quatenus à sacerdote & fidelibus offeruntur, respicere; ne ex ipsorum demerito fructus & gratia sacrificii oblati impediatur: quod hic impii aut mali? quomodo hic pro Christo ipso rogatur?

VII. Ad aliud, cùm dicitur; *Sicut accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, & sacrificium Abrahæ vel Melchisedech,* &c.

Respond. ista omnia utpara sunt ab Ecclesia antiqua, ùt patet ex S. Ambrosio; ubi non est sensus, quod Christus in Eucharistia oblatus non sit sanctior quam Abel vel sacrificium Melchisedech; sed fit comparatio inter ministros; ut Deus, sicut Abel & Abraham & Melchisedech sua sacrificia offerentes respexit, ita etiam gratiam donet, ut Sacerdos & populus hoc excellentissimum Sacrificium offerentes, Deo grati sint, ne ipsorum demerita fructum Sacrificii impediant; & in hoc sensu SS. Patres, & Ecclesia antiqua & moderna hæc verba usurpant. Quid in hoc mali vel Sacrilegi?

Demum quoad verba Sacerdos dicit: *Iube hoc perferri per manum S. Angeli in sublime Altare tuum.* Primò non est sensus quòd aliquod materiale Altare sit in Cœlo, sed metaphoricè, dictum & spirituale tale esse in cœlo, patet Esa. 6. v. 6. *Vocavit ad me unus de Seraphin, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de Altari.* Sic Apocal. 6. v. 9. *Vidi subtus altare animas interfectorum.* & capite 8. v. 3. *Angelus stetit ante altare habens thuribulum aureum* & v. 5. *Accepit angelus thuribulum & implevit illud de igne altaris & misit in terram.* & capite 11. v. 1. *Surge metire templum Dei & altare, &c.* Non ergo per somnium, ut Lutherus vult, sed ex Scriptura Ecclesia dicit esse sublime Altare in cælo, vel ipsam Ecclesiam triumphantem in cælo, vel ipsum Deum; per Angelum autem intelligunt vel ipsum Christum, qui est magni consilii Angelus, vel angelum intelligunt qui Sacrificio assistit, prout SS. Patres asserunt Angelos tempore Sacrificii astare. VIII.

Sensus igitur verborum non est ille crassus & à Luthero fictus, quasi Angelus deferat manibus hostiam seu species consecratas, vel ipsum Christum ex altari terrestri in Altare cœleste, cùm constet, quod Sacramentum maneat in Altari, & ipse Christus sub speciebus maneat, qui idem est, qui semel visibiliter super omnes cœlos ascendit & sedet semper ad dexteram Patris, & inde visibiliter in die judicii venturus est, ille idem Christus ibi manens juxta verbum suum omnipotens, etiam invisibiliter præsens fit in sacramento, ut lib. de Eucharistia probatum est. IX.

Sensus igitur verborum Canonis est ille: quod Sacerdos rogat Deum, ut vel Angeli Sacrificio assistentes per suam intercessionem juvent sacerdotem & populum in oratione, quam ad Deum fundunt, & in cultu Sacrificii, quem circa Eucharistiam exhibent, quod nihil aliud est, quam deferre ad Altare Dei, vel ad Deum, prout patet Tob. 12. v. 13. & Apocal. 8. v. 3. *Data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei, & ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu angeli coram Deo.* Vel quòd Deus per manus seu merita Christi magni Concilii Angeli Sacerdotem cum Ecclesia in terris deferat ad Ecclesiam triumphantem, illi per gratiam modo conjungendo, ut postea realiter ei conjungatur. X.

Quid in hoc sensu reprehensibile vel blasphemum? Si autem dicatur, cur Ecclesia tam obscuris & metaphoricis verbis utatur: Respondeant Acatholici, cur XI.

S. Scri-

S. Scriptura toties verbis metaphoricis utatur? Quod ergo Spiritui Sancto placuit in S. Scriptura: id nulli displicere debet, quod Ecclesia in orationibus, & aliis etiam usurpet.

Ut autem velut in speculo appareat veritas doctrinæ Catholicæ Ecclesiæ quoad ceremonias Missæ, & falsitas Acatholicorum illas impugnantium, sequentes Antitheses proponuntur.

ANTITHESES,

In quibus doctrinæ Catholicæ Ecclesiæ Romanæ, quoad Ceremonias Missæ cum antiquæ Ecclesiæ doctrina conformitas, & Acatholicorum difformitas, exhibentur.

1. SAncti Patres juxta sacram Scripturam docuerunt: quòd sacrificium Eucharistiæ à Christo institutum certis verbis & ceremoniis, quas Christus in ultima cœna usurpavit, sit in Ecclesia celebrandum. *Ita etiam docet Ecclesia Romana moderna.*

Acatholici prorsus sacrificium negant.

2. *SS. Patres docuerunt*: quòd Ecclesia primitiva à tempore Apostolorum certos ritus & ceremonias tam quoad speciales vestes, quam actiones & verba ex traditione Apostolorum & aliorum Pontificum institutione usurparit: ut eo majore cum reverentia sacrificium à Christo institutum peragere tur. *Ita etiam docet Ecclesia Romana.*

Acatholici omnes tales ritus ùt histrionicos rident, & ut superstitiosos condemnant. Calvinus fatetur quod à tempore Apostolorum plures Ritus ad cænam Domini adhibiti sint, sed illos rubiginem cænæ vocat.

3. *SS. Patres primitivæ Ecclesiæ*, totum illud divinum officium, in quo principaliter sacrificium à Christo institutum peragitur, & aliæ ceremoniæ præstantur, Græcè *liturgiam* vocârunt; Latinè autem *tremendum, reverendum, &c.* vel absolutè *sacrificium Christianorum*; vel subinde etiam *Missam* appellarunt; quæ partim esset catechumenorum, in qua illis adesse licebat; partim *Missa fidelium*, in qua sacrificium Eucharistiæ peragetur, nominabatur. *Ita etiam Ecclesia Romana.*

Acatholici totum illud officium damnant.

4. *SS. Patres non hæserunt in nudo aliquo nomine*, quasi huic divino officio à Christo aut Apostolis imposito, sed ob diversas causas liturgiam vel Missam, aut alio nomine appellârunt. *Ita nec Ecclesia Romana* in nomine hæret, sed rem ipsam sacrificii & divini officii, ut in primitiva Ecclesia usurpatum est, observat.

Acatholici in nudo nomine hærentes calumniantur, quasi Missa in primitiva Ecclesia ignota fuisset, & solùm à tempore Gregorii usurpata fuerit; quod falsissimum esse patet ex testimoniis SS. Patrum primitivæ Ecclesiæ.

5. *SS. Patres tradiderunt*: quod diversæ liturgiæ ab initio Ecclesiæ conscriptæ fuerint pro diversis Ecclesiis; in quibus formula circa ipsum sacrificium & alias ceremonias ordinabatur, quarum aliqua à S. Petro, alia à S. Marco, alia à S. Clemente, *&c.* conscriptæ, & postmodum à S Basilio, Chrysostomo, Ambrosio, & aliis auctæ fuerunt. *Ita etiam tradit Ecclesia Romana.* & illas liturgias Græci adhuc usurpant.

6. *SS. Patres docuerunt*: quòd tempore sacrificii Eucharistiæ, sanctorum Martyrum honorabilis memoria haberetur, non tamen Martyribus ipsum sacrificium offeratur. *Ita etiam docet Ecclesia Romana.*

Acatholici falsò imponunt, quasi Ecclesia Romana Sanctis offerat; & simul detestantur, quòd Sancti invocentur.

7. *Sancti Patres tradiderunt*: quòd in primitiva Ecclesia ad Altare Eucharistiæ fidelium defunctorum animæ Deo sint recommendatæ, & pro illis sacrificium Deo sit oblatum, sicut etiam pro Ecclesia tota & diversis viventibus in particulari. *Ita etiam Ecclesia Romana docet & agit.*

Acatholici hæc planè improbant & detestantur.

8. *Sancti Patres tradiderunt*, quòd in primitiva Ecclesia sacrificium Eucharistiæ subinde propter privatas necessitates præter communes Ecclesiæ causas etiam in domibus privatis fuerit celebratum non præsente populo. *Ita etiam tradit Ecclesia Romana.*

Acatholici hæc planè improbant.

9. *Sancti Patres tradiderunt*; quòd sæpius sacrificium Altaris fuerit in Ecclesia celebratum, in quo tamen nemo præter sacerdotem S Eucharistiam sumpserit *Id etiam servat Ecclesia Romana.*

Acatholici hoc ipsum improbant & detestantur.

10. *Sancti Patres plures* orationes, ante & post consecrationem Eucharistiæ præter verba Euangelii & Christi Salvatoris, quibus consecratio fit) usurpârunt, ut majore cum reverentia sacrificium celebraretur, quibus post quartum sæculum vix aliqua verba à S. Leone & Gregorio addita fuerunt, quas communiter Ecclesia Canonem vocat. *Hunc Canonem Ecclesia Romana* ùt pium & sanctum observat.

Acatholici hunc Canonem ùt idololatrum & sacrilegum condemnant.

CONCLUSIO.

EX his patet primò quam iniquè & malitiosè Acatholici improbent & condemnent officium Missæ, tam quoad sacrificium sanctissimum, quod in eo ex Christi institutione celebratur, quam quoad ceremonias & ritus in eo exerceri solitos quorum plerique à tempore Apostolorum in universa Ecclesia observati fuerunt, ut

non solùm ex diversis liturgiis, sed etiam tot SS. Patrum testimoniis evidens est; adeoque turpissimè mentiuntur, quod Missa (quicquid sit de nomine quod etiam à SS. Patribus usurpatum est) quoad rem significatam scilicet, quod est officium divinum, in quo præter ipsum sacrificium à Christo institutum plures ceremoniæ exercentur, mentiuntur, inquam, tale officium in primitiva Ecclesia & SS. Patribus ignotum fuisse, & hoc ipsum si vidissent planè damnassent, cum contrarium clarum sit: ipsi autem formulas vel suæ Missæ, ùt Lutherani à Luthero conceptas; vel alii suæ cœnæ à Calvino præscriptas sine S. Scripturæ authoritate observant; & formulas ab Ecclesia ab initio observatas tanquam ante octingentos annos inventas irrident: quæ tamen si à tot annis sacrificio Missæ adjunctæ fuissent, longè ipsorum formulis antiquiores & sanctiores essent.

LIBER XVII.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPVT I.

De Sacramento Pœnitentiæ secundum se.

ARTICULUS I.

Referuntur errores circa hoc Sacramentum.

I. MOntanistæ nullatenus admittebant *Pœnitentiæ Sacramentum*; imò nec ullam publicam pœnitentiam; de quo erroro scribens *Hieronymus* Epist. 54. ad Marcellam edit. Basil. 1553. inter alia sic dicit: *Illi ad omne pene delictum Ecclesiæ obserant fores, nos quotidie legimus: Malo pœnitentiam peccatoris quam mortem; & nunquid qui cadit non resurget, dicit Dominus? Rigidi autem sunt, non quod & ipsi pejora non peccent; sed hoc inter nos & ipsos interest; quod illi erubescant confiteri peccata, quasi justi nos dum pœnitentiam agimus, facilius veniam promeremur, &c.* hæc Hieron.

II. *Novatus* similiter docuit, ùt refert *Socrates*, qui ejus Sectator fuisse dicitur, sic scribens lib. 4. hist Cap. 23 edit. Basil. 1587. *Novatus presbyter* (quem Cyprianus & Augustinus Novatianum appellant) *propterea ab Romana se segregavit Ecclesia, quod Cornelius Episcopus eos fideles, qui tempore persecutionis, quam Decius Imperator contra Ecclesiam excitaverat, idolis sacrificaverant, ad communionem recepit*, &c. *Sed ubique Ecclesiis scripsit literas; ut eos, qui simulachris immolassent minimè ad mysteria admitterent, sed hortarentur ad pœnitentiam; remissionemque permitterent Deo, qui potest & habet authoritatem remittendi peccata*, &c. hæc Socrates. Vnde patet, quod Novatiani negarint Sacramentum pœnitentiæ vel absolutionis, per quod à sacerdotibus peccata quæcunque dimitterentur contrarium autem Ecclesia Catholica docuit.

III. De isto *Novatiano* scribit Cyprianus lib. 4. Epist. 2. circa medium edit. Basil. 1543. *Miror quosdam sic obstinatos esse, ut dandam lapsis non putent pœnitentiam, aut pœnitentibus existiment veniam denegandam*, &c.

IV. Contra hos Cyprianus scripsit specialem Epistolam eâdem edit. in qua sic ait: *Audite igitur Novatiani, apud quos scriptura cælestes leguntur potiùs, quam intelliguntur, &c.* & infrà: *Lapsos, &c. nec ad pœnitentiam admittendos esse præsumunt ex illa Domini pronunciatione, qua ait: Qui me negaverit coram hominibus, negabo eum coram patre meo qui est in cælis, pro dolor, quid contra Dominica præcepta contendunt; ut ea, quæ Christus judicii sui tempore sit acturus, hac nunc stirps Novatiani patris sui exemplum diaboli secuta, nunc exercere conetur.* hæc ille.

V. Similiter *D. Augustinus* in quæstionibus novi & veteris testamenti Cap. 102 edit. Basil. 1528. mixtim, hunc Novatianorum errorem refert & refutat, & ostendit: quod non solùm de lapsis à fide, sed de omnibus, qui mortifera peccata commiserunt, id asseruerint; & etiam ex fundamento Novatiani ostendit, quod ille cum dolo & fictè dixerit, lapsos posse agere coram Deo pœnitentiam; cum absolutè neget illos habere posse veniam, *&c.*

VI. Hæc referenda duxi, ut appareat; quales nostri Acatholici in primitiva Ecclesia habeât doctrinæ suæ complices, qui negârunt in Ecclesia potestatem remittendi peccata; etsi Acatholici verbotenus aliter loquantur: Nam imprimis negant sacerdotes habere potestatem remittendi peccata, 2. docent, quod prædestinati ad perditionem nunquam remissionem peccatorum vel gratiam Dei consequantur, quantumvis magnam agant pœnitentiam.

VII. Lutherus circa Sacramentum pœnitentiæ varius fuit ùt supra indicatum est Nam in lib de Capt Babylon prius quidem dicit: *Neganda mihi sunt septem Sacramenta; & tantum tria pro tempore ponenda: Baptismus, panis & pœnitentia*, postea tamen dicit, *quod rigidè loquendo tantum sint duo* & pœnitentiam dicit nihil aliud esse, quam reditum ad Baptismum.

Simili-

VIII. Similiter *Melanchton* Lutheri primogenitus discipulus variavit. Nam in initio circa annum 1522. in locis communibus tit. de pœnit. dicit *Pœnitentiam non esse signum, nihil obscurum est, est enim vetustatis nostræ mortificatio & spiritûs renovatio, Sacramentum eius vel signum non aliud est, nisi Baptismus; hic rectissimè Sacramentum pœnitentiæ vocetur.*

At verò in Confessione Augustana ab ipso concepta, & præsertim in illius apologia sic dicit: *Si Sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum Dei, & quibus addita est promissio gratiæ facile est indicare, quæ sint propriè Sacramenta; nam ritus ab hominibus instituti, non erunt hoc modo propriè Sacramenta.* Et infrà: *Verè igitur sunt Sacramenta Baptismus, Cœna Domini, absolutio, quæ est Sacramentum Pœnitentiæ; nam hi ritus habent mandatum Dei, & promissionem gratiæ.* Et sic plerique Catechismi Acatholicorum tria Sacramenta proponunt.

Verùm *Chemnitius* in 2. parte Examinis pag. 903. absolutè negat Pœnitentiam non esse Sacramentum; idque aliqui etiam Lutherani volunt.

IX. *Calvinus* etiam more suo absolutè & distinctè omnino negat Sacramentum Pœnitentiæ qualitercunque asseratur, sive in actibus pœnitentis, sive in absolutione Sacerdotis; quanquam huic potiùs tribui posse indicet lib. 4. Inst. cap. 19. §. 16. tamen §. 17. ipse suâ authoritate pronunciat: *Ne tamen animos tollant, quæcunque in parte Sacramentum posuerint, nego iure haberi pro Sacramento. Primum, quòd nulla Dei promissio singularis ad hanc rem extet; unica Sacramenti hypostasis. Deinde, quòd quæcunque hic ceremonia proferatur, merum sit hominum inventum, cùm ceremonias Sacramentorum non nisi à Deo instituti posse, iam definitum sit, &c.* hæc ibi.

X. Idem partes Pœnitentiæ, *Contritionem, confessionem & satisfactionem* ab Ecclesia assignatas lib. 3. Inst. cap. 4. §. 1. suo more irridet; sed veraciter non improbat: imò dicere audet: *quod scholastici Sophistæ pœnitentiam ita definiant, ut planè ostendant, se nunquam intellexisse, quid esset pœnitentia*; imò addit: *Sic enim sunt in externis exercitiis mordicus infixi, ut nihil aliud ex immensis voluminibus colligas, quàm Pœnitentiam esse disciplinam & austeritatem; quæ partim domandæ carni, partim castigandis puniendisque vitiis serviat, de interiore mentis renovatione, quæ veram vitæ renovationem secum trahit, mirum silentium, &c.* sed quàm crassa hæc sint mendacia, infrà patebit; & ipse *Calvinus* seipsum mendacii arguit, cùm statim subjungat: *De contritione quidem & attritione multus apud eos sermo, &c.* quomodo ergo mirum silentium? ubi tamen pro sua malitia addit: *Multis scrupulis animas torquent, & plurimum molestiæ & anxietatis ingerunt, sed ubi visi sunt corda penitus vulnerasse, levi ceremoniarum aspersione totam amaritudinem sanant*, &c. hæc ille.

Sed longè aliter in Ecclesia contingit, ut patet ex Concil. Trid. infrà & quotidiana Catholicorum experientia.

XI. Mirum, quod Calvinus idem non objiciat toti Ecclesiæ & Scripturæ ratione Sacramenti Baptismi; ubi priùs à SS. Patribus requiritur multa humiliatio, & per unam baptismi aspersionem omnia peccata tollantur, non virtute aquæ, sed Christi.

Quæ autem hic cavillat *Calvinus* in Ecclesia, ipse potiùs suâ doctrina probat, dum lib. 3. Instit. cap. & §. 3. refert, qualiter docti quidam viri pœnitentiam fieri docuerint, dicens: *Ubi quis in verâ peccati cognitionem adductus est, tum verè peccatum odisse & execrari incipit; tum sibi ipsi ex animo displicet, &c. tum verò perculsus ac consternatus iacet, humiliatus ac deiectus tremit, animum despondet, desperat, &c. vivificationem* autem *interpretantur consolationem, quæ ex Fide nascitur, &c. postea in Dei bonitatem, in misericordiam, gratiam, salutem, quæ est per Christum respiciens, sese erigit, respirat, animum colligit, & velut è morte ad vitam redit.* Hæc Calvinus probat; & huiusmodi contritionem sed absque desperatione Ecclesia in pœnitentia tradit, ut infrà patebit. XII.

ARTICULUS II.

Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa Sacramentum Pœnitentiæ.

Hanc tradit Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 1 sic dicens: *Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut iustitiam in baptismo, ipsius beneficio & gratia susceptam constanter tuerentur; non fuisset opus aliud ab ipso Baptismo Sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus dives in misericordia cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem & dæmonis potestatem tradidissent, Sacramentum videlicet Pœnitentiæ, quo lapsis post Baptismum beneficium* (NB) *mortis Christi applicatur. Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam & iustitiam assequendam necessaria: illis etiam, qui Baptismi Sacramento ablui petiissent, ut perversitate abiectâ & emendatâ, tantam Dei offensionem cum peccati odio & pio animi dolore detestarentur, &c. Et princeps Apostolorum Petrus peccatoribus Baptismo initiandis pœnitentiam commendans dicebat: Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrûm.* I.

Porrò nec ante adventum Christi pœnitentia erat Sacramentum, nec est post adventum illius cuiquam ante Baptismum. Dominus autem Sacramentum pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos dicens: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tam insigni facto & verbis tam perspicuis potestatem remittendi & retinendi peccata ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, Apostolis & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit; & Novatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magnâ ratione Ecclesia Catholica tanquam hæreticos explosit, atque condemnavit, &c. hæc Concil. II.

Deinde ostendit cap. 2. distinctionem Sacramenti pœnitentiæ à Baptismo dicens; *Nam, præterquam, quòd materia & forma, quibus Sacramenti essentia perficitur, longissimè dissidet, constat certè Baptismi ministrum iudicem esse non oportere, cùm Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non* III.

Digitized by Google

prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus. Quid enim mihi, inquit Apostolus, de iis, qui foris sunt, judicare? 1. Cor 5. v. 12. *Secus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus lavacro Baptismi sui corporis membra semel effecit: nam hos si se postea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito Baptismo ablui, cum id in Ecclesia Catholica nullâ ratione liceat, sed ante hoc tribunal tanquam reos sisti voluit, ut per sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari,* &c.

IV. *Alius est præterea Baptismi & alius pœnitentiæ fructus: Per Baptismum enim Christum induentes nova prorsus in illo efficimur creatura; plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen novitatem & integritatem per Sacramentum pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus & laboribus, divina id exigente justitiâ, pervenire nequaquam possumus; ut meritò pœnitentia laboriosus quidam Baptismus à SS. Patribus dictus fuerit,* &c. Hæc Concilium. Reliqua, quæ de Confessione & satisfactione Concilium declarat, infrà dicentur.

V. Hæc est ergo doctrina totius Ecclesiæ Catholicæ circa Sacramentum Pœnitentiæ, quam omnes Catholici unanimiter profitentur; quam potiùs Concilii generalis verbis referre volui, quàm propriis aut aliorum Doctorum; cum certò certius hanc omnes Doctores profiteantur, in qua Fides Catholica de hoc Sacramento continetur. Quæ autem inter Doctores circa aliqua in particulari disputantur salva pace & fide, ad exercitium contingunt. Pro majore autem doctrinæ Catholicæ intelligentia.

VI. Observandum, sicut & de aliis Sacramentis dictum; quòd, licet communiter hoc Sacramentum vocetur Pœnitentia, non tamen sumatur præcisè pro illo actu pœnitentiæ, qui potest esse in corde tantum, quando homo verè contritus est juxta contritionem supra à Concilio descriptam, quæ potest in corde solo fieri; præsertim quando homo exterius nullum signum posset dare. Nec etiam sumitur præcisè pro actibus exterioribus pænosis, quos homo in detestationem peccati exercet; sed nomen pœnitentiæ, ut in præsenti usurpatur, comprehendit 1. *illos tres actus pœnitentis*, scilicet *Contritionem, Confessionem & satisfactionem*, ac primariò *ipsam Absolutionem à sacerdote factam*, ut patet ex Concilio. Et per hujusmodi pœnitentiam homo Deo reconciliatur, & peccata ipsi dimittuntur ex Christi promissione.

VII. Unde hoc *Sacramentum* subinde dicitur *pœnitentia*, ex parte actuum pœnitentis, subinde *Sacramentum Absolutionis*. Subinde etiam *Sacramentum Reconciliationis, &c.* Subinde *Sacramentum Confessionis* seu *Exhomologesis*; aliquando *manus impositionis*, quæ tam in hoc, quàm Confirmationis ac ordinationis Sacramento adhiberi solebat, *&c.* nec in his nominibus hærendum: sicut & in Baptismo, qui variis à SS. Patribus appellatur nominibus. Res ipsa probanda est, quod scilicet sit aliquod *Sacramentum à Baptismo distinctum à Christo institutum, per quod baptizatus peccata confessus, & de illis debitè dolens, à sacerdote absolutus, remissionem à Deo accipiat peccatorum.*

ARTICULUS III.

Quod Pœnitentia sit vere & propriè novæ Legis Sacramentum probatur ex S. Scriptura.

I. LOcum S. Scripturæ ad hoc manifestum allegavit Concil. Trid. scilicet Joann. 20. ℣. 21. *Dixit eis iterum, pax vobis; sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit; & dixit eis: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta sunt*, &c.

II. Ex his verbis patet 1. quòd Christus Jesus aliquid notabile Apostolis pro bono Ecclesiæ commiserit, cum tot circumstantiis usus sit, & similia antea se commissurum promiserit. Matth. 18. v. 18. *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram erunt ligata & in cœlo. & quæcunque solveritis super terram erunt soluta & in cœlo,* &c. Quæ promissio sufficeret ad credendum, quod Christus Apostolis postea talem potestatem contulerit, licet non exprimeretur, & tamen S. Joannes plura ab aliis Euangelistis omissa expressit; sicut & hoc post resurrectionem à Christo factum. Ex quo sic arguitur: Evidens est 1. quod Christus Dominus specialem aliquam potestatem commiserit ad remittenda peccata, cum verba nimis clara sint. 2. Id non tantum Apostolis sed illorum etiam successoribus: cum pro bono totius Ecclesiæ factum sit; quæ semper manebit, & hac potestate egebit.

III. 3. Quod autem his verbis Christus certum Sacramentum instituerit probatur: quia cum dederit Apostolis potestatem remittendi & retinendi peccata in bonum fidelium, necesse est: ut hujusmodi remissio significetur per aliquod externum signum sensibile, ut homines percipere possint; quod Apostoli remittant vel retineant. Hinc ergo patet signum sensibile, quo sacerdos declarat absolutionem.

IV. 4. Non possint Apostoli remittere vel retinere peccata pœnitentis ad libitum, nisi pœnitens det aliquod sensibile signum, ex quo Apostoli vel eorum successores agnoscerent, an peccata remittere vel retinere deberent; adeóque peccatoris est, ut det signa aliqua exteriora sui de peccato doloris, & aversionis, ac futuræ emendationis.

His ergo positis, Apostoli & eorum successores à Christo habent potestatem remittendi peccata & reconciliandi hominem Deo, quæ in remissione peccatorum consistit, nec sine gratiæ sanctificantis donatione contingit.

V. Ex quibus sic evidenter concluditur: *Ubicunque est signum sensibile à Christo institutum ad significandam gratiam reconciliationis efficaciter dandæ*; vel, *ubicunque est signum sensibile à Christo institutum cum mandato illud usurpandi in Ecclesia cum promissione divinæ gratiæ*; ibi est verum ac propriè dictum Sacramentum: ut Acatholici fateri debent; & Calvinus suprà lib. 4. Inst. cap. 19. §. 17. fatetur dicens: quod illa unica sit Sacramenti hypostasis; Atqui hîc est signum sensibile à Christo institutum cum mandato illud usurpandi, & promissio divinæ gratiæ, cum dicitur: *Quorum remiseritis,* &c. *remittuntur eis, &c.* adeóque

ò que patet, quam falsò Calvinus ibidem neget illa in hac re extare, *&c.*

VI. Nec his obstat, quod Acatholici communiter circa hunc locum Joann. 20. dicunt; quòd Christus ibi Apostolis non dederit potestatem judiciariam ad remittenda peccata, sed solum dederit mandatum, quod fidelibus illis qui significant se pœnitentiam agere & credere Euangelio velut ministri annuncient per fidem, illis jam esse remissa peccata, *&c.*

VII. In contrarium est 1. quòd hæc illorum interpretatio planè extorta sit contra expressa Christi verba & communem Ecclesiæ antiquæ sensum, de quo infra dicetur. Ad propositum sufficiet, quod, licet (etsi falsum sit) solum dicatur id, quod Acatholici volunt, adhuc subsistat pœnitentiam seu hanc Apostolorum actionem esse verum Sacramentum sicut Baptismus, nam est signum visibile à Christo institutum, & mandatum annuntiandi remissionem peccatorum, & cum Deo reconciliationem; adeoque est signum gratiæ à Christo institutum, sic enim Acatholici non aliter Baptismum ponunt Sacramentum, nisi quod sit signum visibile à Christo institutum, quod excitet fidem, qua credant baptizati sibi esse peccata remissa & gratiam datam: atqui perfectius excitat fidem talis sacerdotis annunciatio, quam aquæ ablutio, *&c.*

VIII. Aliud effugium est Acatholicorum, cùm dicunt: pœnitentiam non esse distinctum Sacramentum à Baptismo; quod sic ostendunt: Fideles post Baptismum lapsi non egent novo signo exteriore ad remissionem peccatorum; sed sufficit, ut in memoriam reducant se baptizatos; & sic per Baptismum memoria repetitum excitentur ad fidem, qua peccata remittuntur, *&c.*

IX. Sed in contrarium est 1. quòd Acatholici hæc sine verbo expresso S. Scripturæ dicant. 2. contra S. Scripturam & communem SS. Patrum explicationem. Quoad S. Scripturam patet 1. ex illo 1. Joann. 1. ubi Joannes loquens de peccatorum remedio, quæ quotidie baptizati committunt, dicit v. 9. *Si confiteamur peccata nostra: fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Ubi patet, quod non moneat ut fideles in memoriam reducant Sacramentum Baptismi, & sic remissionem obtineant.

2. patet ex illo ad Hebr. 6. v. 4. ubi Apostolus sic ait: *Impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritûs Sancti,* &c. *& prolapsi sunt; rursus renovari ad pœnitentiam rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, &c.* Ex quo loco ut *Epiphanius* hæresi 59. *Ambros.* lib. 2. de Pœnitentia c. 2. edit. Paris. & alii Patres notant: *Novatiani falsò* arguebant: quod post Baptismum non daretur locus pœnitentiæ vel veniæ, quod Acatholici nobiscum contra Novatianos negant; contra quos SS Patres tot Scripturæ, & specialiter ex ipsius Apostoli exemplo de incestuoso pœnitente, argumenta protulerunt; quibus probant; quod post Baptismum daretur locus pœnitentiæ & veniæ. Sed apostolus hoc loco solum vult asserere, quod illi qui post Baptismum peccarunt, non possint renovari iterum per Baptismum, & propriè regenerari: possint tamen veniam peccatorum consequi per pœnitentiam, sicut ille 2. Cor. 2. v. 7. ubi de incestuoso pœnitente scribit: *Sufficit illi, qui eiusmodi est, obiurgatio hac, quæ fit à pluribus: ita ut e contrario magis donetis & consolemini,* &c.

X. Ex quibus sic arguitur: Cùm juxta Apostolum impossibile sit iterum reconciliari & renovari per Baptismum, & tamen post Baptismum peccatores egeant reconciliatione, opus est aliò Sacramento, quo peccata dimittantur, & homo reconcilietur Deo.

2. Nunquam in S. Scriptura monentur illi, qui post Baptismum lapsi sunt, ut recordentur Baptismi, & sic renoventur; sed ut agant pœnitentiam, sicut Apost. 1. Cor. 5. de illo incestuoso scribens, non dicit ut ad Baptismi memoriam recurrat, sed ait: *Iam iudicavi,* &c. *tradere huiusmodi Satanæ in interitum carnis, ut Spiritus salvus sit, &c.* Et postea 2. Cor. 2. intelligens illius pœnitentiam, monet ipsum reconciliari, *&c.* & sic SS. Patres intellexerunt, ut patebit.

XI. 3. Probatur idem ex diversitate Baptismi & pœnitentiæ: cùm sint in diversis signis institutæ, & diversi utriusque ministri; cum in necessitate etiam mulier, imò & infidelis Baptismum dare possit; sed pœnitentiæ Sacramenti minister soli sunt Apostoli eorumque successores; ut patet ex verbis Domini Joann. 20.

4. si per memoriam Baptismi peccator reconciliaretur, tunc ille, qui in infantia est baptizatus, non posset reconciliari; cùm non haberet memoriam sui Baptismi, nec sufficit humanum aliorum de hoc testimonium, quod fallax est, & ipsi certitudinem veram non præstat.

5. Si talis Baptismi memoria ad novam gratiam sufficeret, etiam Eucharistia non esset Sacramentum à Baptismo distinctum; quia diceretur, quod suscipiens Eucharistiam ex memoria baptismi confortaretur in fide & gratia, quod tamen Acatholici negant.

ARTICULUS IV.

Quod pœnitentia sit propriè dictum Sacramentum à Baptismo distinctum probatur ex Patribus Græcis.

I. Sancti *Patres* passim docent: post Baptismum dari pœnitentiam, tanquam *secundam Ianuam* ad veniam; & quòd per illam non tam facilis sit remissio, sicut in Baptismo, post agnitam semel veritatem, ut Apostolus ad Hebr. supra indicat; sed opus sit graviore pœnitentiâ, ut Concilium Trid. supra cap. 2. ex SS. Patribus docet. Ex quibus patet diversitas utriusque Sacramenti, quod tamen apud Acatholicos (sed contra apertam lucem) non militat cum semper sola fides (quod falsum est) per Baptismum excitata operetur, *&c.* Ostendendum igitur est ex Patribus primævis.

II. *Epiphanius* edit. Basil. 1560 hæresi 59. in hæresi Catharorum qui Novatum sequebantur sic ait: *Hic ad hanc hæresin conversus est, dicens, non esse salutem, sed unam pœnitentiam. Post lavacrum autem non amplius posse misericordiam assequi lapsum. Sed & ipsi dicimus unam esse pœnitentiam, & per lavacrum regenerationis huius fieri salutem,* &c. *Et perfecta quidem pœnitentia in lavacro est; Si vero quis lapsus est, hunc non perdit sancta Dei Ecclesia;* dat

Digitized by Google

dat enim & reversionem & post pœnitentiam, pœnitentiam, &c. ubi patet quòd non remittantur lapsi ad memoriam Baptismi, *&c.*

Clemens Alexandrinus Anno 200. lib. 2. Stromat. edit. Paris. 1572. post quatuor folia ab initio, sic ait: *Eum ergo, qui accepit remissionem peccatorum, non oportet ampliùs peccare, nempe in prima & sola peccatorum pœnitentia; ea autem fuerit eorum, quæ prius fuerunt in gentili & prima vita; ea, inquam, quæ fuit in ignorantia. iam iis qui vocati sunt, proponitur pœnitentia expurgans locum animæ à peccatis, ut fides fundetur, &c.* & infra: *Dedit ergo, cum sit multæ misericordiæ, iis etiam, qui fide in aliquod peccatum incidunt secundam* (NB) *pœnitentiam, quam si quis tentatus fuerit post vocationem, coactus & callidè circumventus, unam adhuc impœnitendam acceperit pœnitentiam, &c.* hæc ibi.

III. Idem lib. quem inscripsit: *Quis sit ille dives & de Adolescente lapso & à Ioanne Euangelista converso*, apud Jod. Cocc. tom. 2. thes. Cathol. edit. Colon. 1601. lib. 7. art. 1. *Cuius*, ait, *conversione magnum veræ pœnitentiæ exemplum, præclaram secundæ* (NB) *regenerationis speciem, illustre denique trophæum à peccatis resurrectionis per exteriora pœnitentiæ signa hominibus proposuit ad mitandum, &c.* hæc ille. ubi patet, quod post primam in Baptismo regenerationem agnovit secundam pœnitentiam cum multis pœnitentiæ signis. *&c.*

IV. *Gregorius Nazianz.* Orat. 39 quæ est in S. Lumina prope finem edit. Colon. 1579. sic ait: *Quintum locum tenet* (NB) *lachrimarum Baptismus; verum asperior est & laboriosior: quo perfunditur ille, qui per singulas noctes lectum suum ac stratum lachrimis lavat, &c.* ubi patet, quod post Baptismum aquæ ponat aliud Sacramentum, quod vocat lachrimarum Baptismum.

Idem *Greg. Naz.* eâd. edit. Orat. ad cives timore perculsos & principem irascentem sic ait: *Vos quoque potestati meæ meisque subselliis lex Christi subjicit. Imperium enim ipsi quoque gerimus, addo, etiam præstantius & perfectius.* hæc ille. quæ illa potestas, nisi clavium?

V. *Chrysostomus* edit. Basil. 1518. epist. ad Hebr. cap. 6. v. 4. tractans illa verba: *Impossibile est eos qui semel illuminati sunt, &c. rursus renovari ad pœnitentiam &c.* sic ait: *Quid ergo? exclusa est pœnitentia? nam pœnitentia exclusa est? absit; sed renovatio per lavacrum regenerationis, &c.* & paulò infrà: *Pœnitentiæ autem est, eos, qui innovati fuerunt, & postea veteraverunt in peccatis* (NB) *liberare à vetustate & consolidare, &c.* Et infra: *Quid ergo est, inquis? Non est pœnitentia? Est pœnitentia, sed Baptisma alterum non est; pœnitentia verò est, & multam habet potentiam etiam in eum, qui peccatis valde demersus est.* Et infra: *Et iterum excidimus, neque sic punit* (Deus) *sed dedit pœnitentiæ medicinam* (NB) *quæ possit omnia peccata nostra delere & exterminare; tantum si consideremus, hoc medicamentum quale sit, aut qualiter oporteat apponere. Quale ergo est istud medicamentum pœnitentiæ & qualiter conficitur? Primò condemnando & confitendo propria peccata, &c.* hæc ibi.

VI. Idem in locum Joann. 20. & lib. 3. de sacerdotio eâd. edit. 1. folio ab initio, de Sacerdotibus, sic ait: *Etenim qui terram incolunt, atque in ea versantur, iis commissum est; ut ea, quæ in cælis sunt, dispensent: iis datum est, ut potestatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit; neque enim ad illos dictum est: Quæcunque alligaveritis super terram erunt ligata & in cœlo, & quæcunque solveritis super terram erunt soluta & in cœlo.* Matth. 16. & 18. *Habent quidem & terrestres Principes vinculi potestatem, verùm Corporum solùm: Id autem, quod dico, sacerdotum vinculum, ipsam* (NB) *etiam animam contingit atque ad cœlos usque pervadit, usque adeo: ut quæcunque infernè sacerdotes confecerint, illa eadem Deus supernè rata habeat, ac servorum sententiam Dominus confirmet. Etenim quidnam hoc aliud esse dicas, nisi omnem rerum cœlestium potestatem illis à Deo concessam;* Quorumcunque enim, ait, peccata retinueritis retenta sunt, Joann. 20. *Quænam obsecro potestas hac una maior esse queat? &c.* Quid his clarius à nobis pro Sacramento pœnitentiæ dici posset?

Idem *Chrysostomus* ibidem ulteriùs ostendit sacerdotum potestatem, quod in Baptismo nos regenerent, quod corpore & sanguine Christi nos pascant, & nos à peccatis purgent dicens: VII.
Corporis lepram purgare, seu, ut verius dicam, haud purgare quidem, sed purgatos probare, Iudæorum sacerdotibus solis licebat, &c. & infrà: *At verò nostris sacerdotibus non Corporis lepram, verùm animæ sordes non dico purgatas probare sed purgare prorsus concessum est, &c.* hæc ille.

Ecce, quomodo manifestiùs Acatholicorum error refelli, & Catholicæ Ecclesiæ doctrina proponi posset, dum illi volunt; quod sacerdotes solum annuncient seu approbent, quod peccata sint dimissa; at verò Ecclesia docet, quod potestate à Christo datâ purgent animam à peccatis, uti Chrysostomus ex communi Ecclesiæ sententia asserit; & tandem concludit, quod ob prædictam potestatem Sacerdotibus maximus honor debeatur, dicens: *Quare iudicio quidem meo, qui istos despiciunt, contemnuntque multo sceleratiores ac maiori supplicio digni fuerint, quam fuerit Dathan una cum suis, &c.* & iterum: *Equidem neminem existere talem dixerim, nisi si quis furiarum œstro percitus sit, &c.* An hæc non tangant Acatholicos, quis non videat? VIII.

Demum de sacerdotibus dicit: *Neque enim solum, quum nos regenerant* (scilicet per baptismum) *sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum, facultatem obtinuerunt.* Ubi patet, quòd distinguat potestatem hanc remittendi peccata à regeneratione baptismi, & eidem æquiparat, *&c.*

ARTICULUS V.

Eadem veritas probatur ex SS. Patribus Latinis.

TErtullianus lib. de Pœnitentia circa medium edit. Basil. 1562. comparans baptismum cum pœnitentia, ait, quod *per Baptismum tanquam ex naufragio liberati simus*; postea adhuc per pœnitentiam salvandi, sic dicens: *Evasimus semel, hactenus periculosis nosmetipsos inferamus, & si iterum evasuri videmur. Plerique naufragio liberati, exinde repudium & navi & mari dicunt, &c.* Deinde dicit, quod Diabolus omni modo homini per Baptismum liberato insidiatur, & subdit: *Hæc igitur venena eius providens Deus, clausa licet innocentiæ ianua & intinctionis sera obstructa, aliquid adhuc permi-* I.

misit patere. Collocavit in vestibulo pœnitentiam (NB) *secundam, quæ pulsantibus patefaciat,* &c. & infrà: *Pigeat sanè peccare rursus, sed rursus pœnitere non pigeat,* &c. *neminem pudeat: iteratæ valetudinis iteranda est medicina,* &c. ubi patet Tertullianum supponere, quod clausâ baptismi seu intinctionis serâ, quæ primum sacramentum est, Christus providerit postea lapsis, de alio sacramento pœnitentiæ, per quod iterum sanentur, quam secundam pœnitentiam vocat, at si baptismi memoria, ut Acatholici volunt, operetur tunc intinctionis sera, non esset obstructa, &c. ut ex communi Ecclesiæ sententia Tertullianus supponit.

II. *Cyprianus* lib. de Lapsis ed. Basil. 1543. per totum hortatur eos, qui post baptismum lapsi sunt, ad seriam pœnitentiam & peccatorum confessionem, in fine dicens: *Putásne tu, Dominum citò posse placari, quem verbis perfidis abnuisti, cui patrimonium præponere maluisti, cuius templum sacrilegâ contagione violâsti?* &c. *quem tuum non esse dixisti? orare oportet impensius & rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes & fletibus ducere,* &c. *stratos solo adhærere cineri, in cilicio & sordibus volutari,* &c. & infrà: *Pœnitenti, operanti, roganti potest clementer ignoscere, potest in acceptum referre, quicquid pro talibus & petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes,* &c. ecce quàm longè hæc doctrina Acatholicorum.

Idem similiter scribit lib. 3. epist. 15. & specialiter epist. 16. eâd. ed. sic ait: *Pœnitentia agatur iusto tempore & exomologesis fiat, inspecta vita eius, qui agit pœnitentiam; nec ad communicationem venire quis possit, nisi priùs illi ab Episcopo & Clero manus fuerit imposita,* &c.

Idem in sermone de ablutione pedum, ed. Antverp. 1568. qui Cypriano inscribitur, vel saltèm veteris Patris est, sic dicit: *Post Baptismum, quem sui reverentiâ non patitur iterari, aliud lavacrum procurasti,* &c. sic pœnitentiæ Sacramentum dicitur Baptismus lachrimarum.

III. *Ambrosius* lib. 1. de Pœnitentia cap. 2. ed. Paris. 1569. sic ait: *Sed aiunt se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent,* &c. nunquid & hæc vox est nostrorum Acatholicorum? sed Ambrosius instat dicens: *Imò nulli maiorem iniuriam faciunt, quàm qui eius volunt mandata rescindere, commissum munus retundere. Nam, cùm ipse in Evangelio suo dixerit Dominus Iesus: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt; quis est, qui magis honorat; utrum qui mandatis obtemperat, an qui resistit? Ecclesia in utroque servat obedientiam, ut peccatum & alliget & relaxet,* &c. & infrà: *Quibus donatum est utrumque,* &c. *Ecclesiæ utrumque licet; hæresi utrumque non licet* (NB) *Ius enim hoc solis permissum est Sacerdotibus,* &c. hæc ille.

Quid iterum clariùs contra Acatholicos? Nam Novatiani etiam fatebantur, quòd lapsis possit Evangelium prædicari & remissio peccatorum, sed negabant Sacerdotibus esse datam potestatem remittendi peccata; sed hoc soli Deo reservatum: idem volunt Acatholici, quos Ambrosius dicit Christo injuriam facere, qui expressè Jus illud solis Sacerdotibus dedit, quale nullus habet extra Ecclesiam.

IV. Idem clarissimè eandem veritatem ibidem cap. 7. ostendit Sacerdotibus maximè à Christo Domino concessam, præsertim remittendi peccata, tam in baptismo, quàm pœnitentia dicens Novatianis: *Cur baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? In Baptismo utique remissio peccatorum omnium est* (NB) *quid interest, utrum per pœnitentiam, an per lavacrum hoc ius sibi datum Sacerdotes vendicent? unum in utroque ministerium est. Sed dices, quia in lavacro operatur mysteriorum gratia: Quid in pœnitentia? nónne Dei nomen operatur? Quid ergo? ubi vultis vendicatis vobis Dei gratiam, ubi vultis repudiatis,* hæc ibi, quàm clarè iterum hic perstringuntur Acatholici. Ecce quàm clarè Ambrosius distinguit pœnitentiam à baptismo, & dicit, quod tam in illa quàm baptismo peccata remittantur; nec dicit, quòd memoria baptismi operetur, &c. sed quòd Sacerdotes ex potestate sibi data per baptismum peccata remittant, & postea etiam in pœnitentia peccata post baptismum commissa remittant.

V. Idem ibidem lib. 2. cap. 2. sic ait: *Nam & impossibile videbatur, ut peccatum ablueret aqua. Denique Naaman Syrus lepram suam mundari per aquam posse non credidit; sed quod impossibile erat, fecit Deus possibile esse, qui tantam nobis donavit gratiam* (scilicet in aquæ baptismo) *similiter impossibile videbatur per pœnitentiam dimitti peccata. Concessit hoc Christus Apostolis suis, quod ab Apostolis ad Sacerdotum officia transmissum est. Factum est igitur possibile, quod impossibile videbatur,* &c. hæc Ambrosius Quid his clariùs pro Sacramento pœnitentiæ, quod distinctum sit à baptismo, & per illud ex Christi commissione Sacerdotes peccata remittant?

VI. *Pacianus* Episcopus Barcinonensis Anno 370. epist. 1. ad Sympronianum Novatianum Bibl. Patrum ed. Colon. 1618. tomo 4. pag. 240. *Nunquam,* ait, *Deus non pœnitenti comminaretur, nisi ignosceret pœnitenti. Solus hoc, inquies, Deus poterit: verum est; sed & quod per Sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam quid est illud, quod Apostolus dicit:* Quæ ligaveritis in terra, ligata erunt & in cælis, & quæcunque solveritis in terra, soluta erunt & in cælis? *Cur hoc si ligare hominibus & solvere non licebat? An tantum hoc solis Apostolis licet? ergo & baptizare solis licet & Spiritum Sanctum dare solis, & solis Gentium peccata purgare,* &c. *quòd si uno in loco & resolutio vinculorum, & Sacramenti potestas datur; aut totum ad nos ex Apostolorum forma & potestate deductum est, aut nec illud,* &c. & infrà: *Si ergo & lavacri & chrismatis potestas maiorum longè charismatum ad Episcopos inde descendit, & ligandi quoque Ius adfuit atque solvendi,* &c. ubi clarè distinguit baptismum & potestatem solvendi.

VII. Idem epist. 3. ad Sympronianum Novat. ibidem sic ait: *Sed pœnitenti, inquies, peccata dimittis, cùm tantum in baptismate tibi liceat relaxare peccatum. Non mihi planè, sed Deo soli, qui & in baptismate donat admissum, & pœnitentium lachrimas non repellit. Cæterùm quod ego facio, id non meo iure, sed Domini* Dei summi adjutoris inquit 1. Cor 5. Dei ædificatio est, &c. *Quare sive baptizamus, sive ad pœnitentiam cogimus, seu veniam* (NB) *pœnitentibus relaxemus, Christo*

Iiiii *id an-*

Digitized by Google

id authore tractamus. Tibi videndum est, an Christus hoc possit, an Christus hoc fecerit? & infra: *Iam, ait, quàm argutè caput illud absoluis, quod ego posui datam Episcopis potestatem, ut quæ ligassent* (NB) *in terra, ligata essent & in cælis. Dicis hoc non ad fideles, sed ad Catechumenos pertinere; ut baptizandis adhuc scilicet populis solvi liceret crimina vel teneri. Duorum denique Euangelistarum capita coniungis, ut unum esse videantur; & adjicis, quod Matthæus minus integrè persecutus est, compléisse Ioannem; ut quia apud Matthæum dixerat Dominus: Ite, & docete omnes Gentes baptizantes eos in nomine Patris,* &c. *apud Ioannem impleverit dicens:* Si cujus dimiseritis peccata, dimittentur eis, cuius retinueritis, & tenebuntur, &c. *Quid ais? Quænam in vobis hæc vivendi cupido est, ut tale quid audeatis? quid quod apud Matthæum ipsum ante passionem suam dixerat Dominus:* Quæcunque ligaveris in terra, erunt ligata & in cælo, & quæcunque solveris, &c. *Et nullam ibi Gentium fecerat mentionem, &c. solum ergo, quod quæris, apud Matthæum habes,* &c. *paulò superius ad Petrum locutus est Dominus, ad unum, ut unitatem fundaret; ex uno, mox idipsum in communi præcipiens, qualiter tamen ad Petrum incipit:* Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, *&c.* & tibi dabo claves regni cælorum, & quæcunque ligaveris, &c. *Dic frater, de solis Gentibus hoc locutus est,* super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, *Ecclesiam non baptizatas Gentes vocat? quid solvo Gentibus, quod non est ligatum? quid alligo, quod nullo iure constringo? Gentilis homo liber est legi. Vide nunc è contrario, an in baptizatum utraque conveniant; solvitur venia, quia peccato tenebatur, ligatus anathemate, quia solutus fuerat à fide, & per gratiam liberatus. Quòd si ad Gentes hanc solvendi licentiam vel ligandi spectasse concedam, multò magis ad baptizatos pertinuisse convincam, &c.* hæc ille. Quomodo clariùs probari posset potestas Sacerdotibus à Christo tradita remittendi peccata post baptismum non recurrendo ad baptismum vel actualiter, vel per memoriam; cùm in baptismo sit solùm potestas relaxandi infidelium peccata.

VIII. *Hieronymus* lib. 1. adversùs Pelagianos secundo folio à fine ed. Basil. 1553. respondens Pelagiano, & adducens quædam peccata ignorantiæ ab exemplis scripturæ, subjungit: *Iubetur, &c. tam diu ibi esse, quamdiu Sacerdos maximus moriatur,* id est, redimatur sanguine Salvatoris, *aut in domo baptismatis, aut in pœnitentia* (NB) *quæ imitatur baptismatis gratiam per ineffabilem clementiam Salvatoris, &c.* ubi patet, quòd pœnitentiam in fidelibus lapsis æquiparat baptismo, & in illa peccata remittantur, sicut in baptismo.

Idem docet lib. 2. ibidem post 2. folia ab initio sic dicens: *Quod autem scriptum est: Et sanguis Iesu Filii eius mundat nos ab omni peccato, tam in confessione baptismatis, quàm in clementia pœnitudinis accipiendum est, &c.* hæc ibi.

IX. Idem in epist. ad Heliodorum pag. 2. à fine eâd. ed. supponens in pœnitentia Sacerdotes habere potestatem remittendi peccata, de illis sic ait: *An de his audeam dicere, qui certi in suis urbibus commorentur? absit, ut de his quicquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus, qui claves* (NB) *regni cælorum habentes, quodammodo ante diem Iudicii dicant,* &c. hæc ille. Vbi manifestè pœnitentiam baptismo & cœnæ conjungit, tanquam verum cum illis Sacramentum, in quo peccata per Sacerdotes remittuntur.

Idem pœnitentiam vocat *secundam post naufragium tabulam* scribens in cap. 16. Ezechiel. eâd. ed. circa illa verba juxta Hebræum: *Ergo & tu porta confusionem tuam, qua vicisti sorores tuas* (Sodomam & Samariam) *peccatis tuis,* &c. sic ait: *Secunda post naufragium tabula est; cùm peccaveris, erubescere, & non illi subiacere increpationi, quæ contra Ierusalem dicitur: Facies meretricis facta est tibi, nescis erubescere: portat autem tormentum suum, qui propriâ torquetur conscientiâ, & in isto seculo sustinet propriâ voluntate cruciatum, ne æterna tormenta sustineat,* &c. hæc ibi. X.

Similiter ep. ad Demetriadem *Pœnitentiam* vocat *secundum post baptismum gradum.* Et infrà ibidem etiam *secundam post naufragium tabulam,* &c.

Idem ep. ad Sabinianum circa initium eâd. ed. sic introducit Deum loquentem peccatori: XI. *Nequius est malè cogitata velle perficere,* &c. *tamen post factum, quia malo pœnitentiam peccatoris, quàm mortem,* &c. *iacenti manum porrigo, & conspersum in sanguine suo, ut propriis fletibus lavetur, exhortor. Quòd si nec sic pœnitentiam vult agere, & fracto* (NB) *navigio tabulam, per quam salvari poterat non retentat, cogor dicere,* &c. *Nónne aversabor eum?* &c. hæc Hieron.

Ad hujus tanti S. Doctoris & aliorum SS. Patrum verba, Calvinus non habet, quod dicat, nisi pro suo more contemnat, dicens lib. 4. Inst. cap. 19. §. 17. *Mendacium ergo & impostura fuit, quod de Sacramento pœnitentiæ commenti sunt. Ementitum hoc sacramentum ornârunt, quo decebat elogio, secundam esse tabulam post naufragium; quia, si quis vestem innocentiæ in baptismo perceptam peccando corruperit, per pœnitentiam reparare potest. Sed dictum est Hieronymi. Cuiuscunque sit, quin planè impium sit, excusari nequit; si ex eorum sensu exponitur,* hæc Calvinus præsumptuosè contra S. Hieronymum. XII.

Augustinus lib. 5. de baptismo cap. 20. ed. Basil. 1528. intendens probare baptismum etiam extra veram Ecclesiam collatum esse validum, sic ait: *Cur autem ad verba, quæ procedunt ex ore homicidæ, possit tamen Deus oleum sanctificare; & in Altari, quod hæretici posuerunt, non possit, nescio: nisi fortè cor hominis, quem fallaciter conversum intus non impedit, lignum fallaciter positum impedit foris, quo minùs Sacramentis suis adesse dignetur, nullis hominum falsitatibus impeditus? Si ergo ad hoc valet, quod dictum est in Euangelio, Deus peccatorem non audit Ioan. 9. ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur; Quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur? Quæ omnia tamen & fiunt & valent, etiam per homicidas, id est, per eos, qui oderunt fratres, etiam in ipsa intus Ecclesia; cùm dare nemo possit quod non habet; quomodo dat homicida Spiritum S. & tamen ipse intus* (scilicet in Ecclesia) *etiam baptizat. Deus ergo dat etiam ipso baptizante Spiritum Sanctum,* &c. XIII.

His

Digitized by Google

His verbis Augustinus plura Ecclesiæ dogmata supponit & probat, scilicet, quòd malus Christianus in Ecclesia existens possit administrare Sacramenta, & quænam sint Sacramenta, enarrat, scilicet *Baptismus, Benedictio Olei seu Chrismatis, per quod datur Spiritus Sanctus & Eucharistia.* Et his similiter adjungit *manûs impositionem*, per quam intelligit sacramentum pœnitentiæ, prout sæpius usurpat, ùt patet ex sequenti.

XIV. Idem ibidem lib. 5. cap. 23. dicit: *Itaque sicut potest Baptisma esse, & unde se aufert Spiritus Sanctus, ita potest esse Baptisma, ubi non est Ecclesia. Manus autem* (NB) *impositio, si non adhiberetur ab hæresi venienti, tanquam extra omnem culpam esse iudicaretur; propter charitatis autem copulationem, quod est maximum donum Spiritus Sancti, sine quo non valent ad salutem, quæcunque alia sancta in homine fuerint, manus hæreticis correctis imponitur*, &c. hæc August. Vbi per manus impositionem clarè indicat reconciliationis Sacramentum, quo hæreticus conversus Deo reconciliatur, & accipit charitatis donum, quod amiserat; quod fit ex commissione Christi, *quorum remiseritis peccata*, &c.

XV. Idem epist. 180. eâd. ed. ad Honoratum sic ait: *Nisi fortè quisquam contenderit non esse ministrum impium, qui tunc subtrahit ministerium pietati necessarium, quando magis est necessarium: An non cogitamus, cùm ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu, atque ab omni ætate concursus, aliis Baptismum flagitantibus, aliis* (NB) *verò reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipsius actionem omnibus consolationem & Sacramentorum* (NB) *confectionem & erogationem? ubi si ministri desint, quantum exitium sequatur eos, qui de isto seculo, vel non regenerati exeunt vel ligati? Quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vita æterna requie non habebunt? &c.* hæc Augustin. Ecce quàm clarè Augustinus reconciliationem inter sacramenta numerat, sine quibus vita æterna haberi non possit, ut est baptismus & reconciliatio, quâ ligati solvuntur, & à Sacerdote ministrantur.

XVI. Hoc *Augustinus* declarat lib. 1. de Adulterinis Conjugiis cap. 28. in fine eâd. ed. ubi dicit, quòd Catechumeni adulteri in extremis pœnitentes baptizati possint, & subdit: *Si autem ab illa desperatione recreati potuerint vivere; aut facient, quod statuerant; aut edocti obtemperabunt; aut de contemptoribus fiet, quod fieri etiam de baptizatis talibus debet. Quæ autem baptismatis, ea* (NB) *reconciliationis est causa, si fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia, &c.* ubi Augustinus clarissimè idem de reconciliatione circa Baptizatos asserit, quod de baptismo circa Catechumenos & eandem efficaciam tribuit; quod ipsum similiter supponit & asserit ibid. lib. 2. cap. 6. dicens: *Quod autem tibi durum videtur, ut post adulterium reconcilietur coniugi coniux, si fides adsit, non erit durum. Cur enim adhuc deputamus adulteros, quos vel baptismate ablutos, vel pœnitentia* (NB) *credimus esse sanatos?* vide qualiter pœnitentiæ cum baptizatis adæquet baptismo circa Catechumenos; nec dicit, quòd baptizati per memoriam baptismi sanentur, sed per pœnitentiam, sicut Catechumeni per baptismum.

Rursus, quòd pœnitentiæ Sacramentum distinguatur ab annunciatione Euangelii, & sic sanet, tradit Augustinus in ps. 146. eâd. ed. circa illum versum: *Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum, &c.* ubi sic ait: *Sanat ergo contritos corde, & contritum cor habentes, & sanitas ipsius cordis tunc erit perfecta, cùm & corporis reparatio implebitur, quæ promissa est. Nunc interea quid facit medicus? alligat contritiones tuas, ut tu possis pervenire ad plenissimam firmitatem. Quæ sunt illa alligamenta? Temporalia Sacramenta; & quicquid in Ecclesia geritur temporaliter, alligamenta sunt contritionum, &c.* & infrà: *Nam, quid putabis? ibi nos accepturos, quod hic accepimus? aut ibi recitandum est nobis Euangelium, ut fides nostra permaneat? aut imponenda est manus ab aliquo præposito? ista omnia alligamenta fractura sunt, sed perfectâ sanitate detrahentur, sed ad eam non perveniretur, nisi alligarentur, &c.* hæc August. si omnia sanarentur per solam fidem vel illius annunciationem, cur Augustinus requirit manûs impositionem præter annunciationem Euangelii, quâ fides roboretur? XVII.

Ex prædictis evidens est, quod detur aliquod Sacramentum distinctum à Baptismo, per quod Sacerdotes ex Christi commissione Joann. 20. remittant peccata post baptismum commissa, quod sit quasi secunda post naufragium tabula, per quam fideles in peccata lapsi salvantur, prout SS. Patres clarissimè tradunt: & sic verba Christi juxta Apostolicam traditionem intelligunt & docent. Quod autem pœnitens ad suscipiendam absolutionem certos actus exercere ex Christi præcepto debeat, jam ostendendum est. XVIII.

(***)

Digitized by Google

CAPVT II.

De Actibus Pœnitentis ad Sacramentum Pœnitentiæ requisitis, ac præsertim de Confessione.

ARTICULUS I.

Referuntur errores Acatholicorum.

I. Novatiani negantes in Ecclesia dari potestatem absolvendi lapsos, consequenter negabant peccatorum confessionem, ut supra visum est.

II. Audiani circa imperium Valentiniani Anno 380. volebant quidem Confessionem peccatorum esse faciendam, an tequam absolutio daretur, nullam tamen injungebant satisfactionem vel pœnam. ita refert *Theodoretus* lib. 4. hæretic. fabularum.

III. Postea circa annum 1400. *Wicleff* expresse Confessionem sacramentalem negavit, volens illam solùm per Papam esse introductam; ita refert *Thomas VValdensis* tomo 2. de Sacramentis cap. 137.

IV. *Lutherus* suo modo varius fuit; nam subinde probavit confessionem, prout in Ecclesia fiebat, lib. de Capt Babylon. cap. de Pœnitentia: subinde absolutè negavit, ut lib. contra Latomum dicens: *Nego in totum, confessionem esse exigendam.* Et in Postilla ad Dominic. *Reminiscere* sic ait: *Nolo confiteri ob id solum, quia Papa præcepit. Qui habet fortem & firmam fidem, quod dimissa sint sibi peccata sua, is potest confessionem omittere, & sibi soli confiteri, &c.* idque ex eo, quasi confessio non possit ex S. Scriptura probari.

Idem lib. de Capt. Babyl. dicit, quòd peccatum, quo aliquis offendit proximum, solum ipsi, & non sacerdoti confiteatur.

Idem art. 8. à Leone damnato, *negat omnia peccata mortalia esse confitenda*: imò in assertione art. 9. dicit, *esse crudelissimam carnificinam; si confessio omnium peccatorum exigatur.* Et in serm. de Pœnitentia dicit: *quod in Ecclesia antiqua solum peccata mortalia manifesta confiteri solebant,* &c.

Ipse autem, quem sui sequuntur, finaliter agnoscit confessionem esse utilem, sed necessariam esse negant.

V. *Calvinus* lib. 3. Inst. cap. 4. §. 7. sic ait. *Miror quâ fronte ausint contendere confessionem, de qua loquuntur iuris esse divini: cuius equidem vetustissimum esse usum* (NB) *fatemur; sed quem facilè evincere possumus, olim fuisse liberum. Certè nullam de ea statam fuisse legem aut constitutionem ante Innocentii tertii tempora, eorum quoque annales narrant, &c.* hæc ibi. sed quam falsò patebit.

Ibidem §. 9. dicit; quòd in scriptura una præscribatur confitendi ratio, *nempe, quando Dominus est, qui peccata remittit, obliviscitur & delet: huic peccata nostra ut confiteamur veniæ obtinendæ causa, &c.* sic etiam olim *Novatiani*, quos Ambrosius, Pacianus, &c. supra refutant.

Idem §. 10. concedit, quòd qui sic Deo confitetur possit etiam coram homine confiteri, in generali se peccatorem; & sic etiam olim in veteri lege Deus voluit, ut populus palàm in templo iniquitates confiteretur. Et sic etiam judicat §. 11. quod modo fideles publicè confiteri debeant, si minister populo prælegat Confessionem generalem certâ formulâ conceptam, ac si Minister veniam à Domino comprecetur, &c. addens: *Denique hac clave tam singulis privatim quam in omnibus publicè aperietur ad precandum ianua, &c.* Vbi nullatenus vult, quod minister peccata dimittat per claves. VI.

Iterum §. 12. dicit, quòd *iuxta S. Scripturam privata confessio fieri possit, secundum illud Iacobi: Confitemini alterutrum peccata vestra,* &c. *sed id solum consilii & consolationis gratia, & quod cuilibet fieri posset; potissimum tamen pastores ad hoc eligendi sint, qui consolentur & in fiducia divinæ misericordiæ confirment,* addens: *Videmus tamen Ministros ipsos, ut de remissione peccatorum certiores reddant conscientias, testes eius ac sponsores constitui, adeò ut ipsi dicantur remittere peccata, & animas solvere.* &c. Ecce qualiter Calvinus clara Christi verba, quibus Apostolis dat potestatem remittendi peccata, sine ullo fundamento ad suum sensum detorqueat. VII.

Idem ibidem subjicit: quod *unusquisque, si angitur & afflictatur peccatorum sensu, ut se explicare, nisi alieno adiutorio nequeat, non negligere, quod illi à Domino offertur remedium, nempe ut ad se sublevandum privatâ confessione apud suum pastorem utatur,* &c. *verùm eâ moderatione, ut non ab omnibus exigatur* &c. *Hinc sequitur eiusmodi confessionem liberam esse oportere, &c.* Vbi patet, quod nihil amplius tribuat Pastori, quam cuilibet privato, qui anxium sua peccata exponentem consoletur. Dicit autem fidelibus à Christo remedium hoc oblatum per illa verba, *quorum remiseritis, &c.* & tamen esse in libertate, ut illo utantur; ubi verò hanc interpretationem apud SS. Patres legit? VIII.

Patet autem in quantam miseriam hæc doctrina homines deducat, cùm dicant, quod aliqui Pastori sua delicta aperire possi, qui tamen nullo sigillo ad silentium obligatur, & sic homini taliter confitenti à pastore infamia sæpius & gravia incommoda causantur, ut experientia testatur. IX.

* *
*

ARTICULUS II.

Refertur doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa confessionem & alios pœnitentis actus.

I. DOctrinam Catholicam de iis, quæ ex parte pœnitentis ad hoc requiruntur, ut per Sacramentum pœnitentiæ remissionem peccatorū quis obtinere possit, Concilium Tridentinum sess. 14. Cap. 3 proponit dicens: *Docet præterea S. Synodus Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipsius vis sita est, in illis Ministri verbis positam esse.* Ego te absolvo, &c. *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe Contritio, Confessio & satisfactio: qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur.*

Sanè verò res & effectus hujus Sacramenti, quantum ad ejus vim & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo, quam interdum in viris piis, & cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, conscientiæ pax & serenitas cum vehementi Spiritus consolatione consequi solet, &c. hæc Concil.

II. *Contritio,* ait Concilium Cap. 4. ibid. *animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero,* &c. *& in homine post Baptismum lapso ita demum præparat ad remissionem peccatorum; si cum fiducia divinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua, conjunctus sit, &c.* & infrà.

III. *Docet præterea* (S. Synodus) *etsi Contritionem hanc aliquando Charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Illam verò Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, declarat, non solum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritûs sancti impulsum; non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis; quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat: Et quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandum disponit,* &c. *Quamobrem falsò quidem calumniantur Catholicos scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre quod nunquam Ecclesia Dei docuit nec sensit, sed & falsò docent Contritionem esse extortam & coactam, non liberam & voluntariam.* Hæc Concil.

IV. Idem Concil. Cap. 5. de Confessione sic ait: *Ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ jam explicata, universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à Domino integram peccatorum Confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere, quia Dominus noster Iesus Christus è terris ascensurus ad cælos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam præsides & judices ad quos omnia mortalia crimina deferantur; in quæ Christi fideles ceciderint, quo pro potestate clavium remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient. Constat enim sacerdotes judicium hoc incognitâ causâ exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, & non potius in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint, & tantùm adversus duo ultima Decalogi præcepta commissa; quæ nonnunquam animum gravius sauciant, & periculosiora sunt iis, quæ in manifesto admittuntur. Nam venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quanquam rectè & utiliter citraque omnem præsumptionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari, possunt.* & infrà.

Sed & impium est: Confessionem, quæ hâc ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare. Constat enim nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quam, ut, postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum, eâdem Confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: Ab occultis meis munda me Domine. ps. 18. V.

Ipsa verò hujusmodi Confessionis difficultas ac peccata detegendi verecundia gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis & Consolationibus levaretur; quæ omnibus dignè ad hoc Sacramentum accedentibus per Absolutionem certissimè conferuntur, &c. VI.

Vbi Concilium declarat quòd Confessio secretò fiat apud solum sacerdotem; ita tamen, ut Christus non prohibuerit, quod aliquis suâ sponte peccata in vindictam suorum scelerum, si absque detrimento tertii fiat, publicè confiteatur, quod tamen non possit circa occulta peccata humanâ lege præcipi.

Demum declarat dicens: *Vnde, cùm à sanctissimis & antiquissimis Patribus magno, unanimique consensu secreta Confessio sacramentalis, qua ab initio Ecclesia sancta usa est, & modo etiam utitur, fuerit semper commendata, manifestè refellitur inanis eorum calumnia, qui eam à divino mandato alienam, & inventum humanum esse, atque à Patribus in Concilio Lateranensi* (scilicet sub Innocentio tertio) *congregatis initium habuisse docere non verentur. Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium & institutum esse intellexerat sed ut præceptum Confessionis, saltem semel in anno ab omnibus & singulis, cum ad annos discretionis pervenissent impleretur, &c.* hæc Concil. quoad Confessionem. VII.

De satisfactione declarat Cap. 8. quòd à SS. Patribus fuerit maximè commendata; & ideo agenda, quia non omnis pœna temporalis post dimissam culpam in pœnitentia remittitur, sicut in Baptismo ut ex S. Scriptura & divina Traditione constat; & infrà agendo de purgatorio ostensum est; & hujusmodi satisfactiones per meritum Christi suum omne meritum habeant, ac multum prosint, non tantum ad præteritorum peccatorum vindictam, sed etiam contra recidivam. VIII.

Digitized by Google

IX. Iuxta hæc Concilium ibidem certos Canones statuit, quibus sub anathemate rejicit ea, quæ contra hæc docentur.

Primus. *Si quis dixerit in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse verè & propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino nostro institutum; anathema sit.*

Canon 2. *Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit; quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint; atque ideo Pœnitentiam non rectè secundam post naufragium Tabulam appellari anathema sit*, &c.

X. Hæc est unanimis Catholicæ Ecclesiæ Doctrina, quæ in se sancta, salutaris & possibilis est, & consolatoria, ut quotidiana experientia testatur, quam Ecclesia ex S. Scriptura & Apostolica Traditione habet; ex qua mendaces Calvini contra hanc Calumniæ satis refutatæ manent: quæ doctrina ex S. Scriptura & SS Patribus ulteriùs demonstrabitur; & quidem quoad *Contritionem* in pœnitentia requisitam difficultas non est, cum nimis manifestè ex S. Scriptura pateat. Quoad *satisfactionem* constat ex iis, quæ de bonorum operum meritis & purgatorio suis libris probata sunt. Restat igitur Confessio, quam Acatholici suadente diabolo maximè execrantur.

XI. Vnum pro intelligentia eorum, quæ à SS. Patribus dicuntur, erit observandum; scilicet, quòd olim duplex pœnitentia in usu fuerit: *Vna privata*, quando peccator de occultis coram solo sacerdote se accusans etiam occultam subibat pœnitentiam seu satisfactionem. *Alia erat publica*, quando pœnitens etiam coram toto populo peccatum publicum, quo Ecclesiam scandalizaverat, confitebatur, & pœnitentiam subibat; ita tamen, ut priùs talis pænitens coram sacerdote omnia peccata confiteretur, & quæ ex illis publica erant & publicè confitenda à sacerdote informaretur.]

XII. *Publica pœnitentia* etiam duplex erat; una solemnis, quæ à SS. Patribus dicta fuit humillima, quando ob gravissima publica delicta gravissimæ pœnæ injungebantur ad peccatorum vindictam & cautelam, tam pœnitentium, quàm aliorum fidelium: Altera erat publica, sed non ita gravis pœna imponebatur, quæ sæpius repeti poterat, ut ex SS. Patribus constabit.

ARTICULUS III.

Quòd confessio peccatorum mortalium post Baptismum Commissorum sacerdoti in specie sit facienda. probatur ex S. Scriptura.

I. HOc ipsum Concilium Trident. suprà declarat quòd Ecclesia ab initio intellexerit ex ipsa Sacramenti hujus institutione, à Christo mandatum & institutum esse.

Probatur autem ex illis locis S Scripturæ, ubi Christus Petro claves regni Cælorum promisit Matth. 16. v. 19. & omnibus Apostolis ligandi & solvendi potestatem, Matt. 18. v. 18. quam illis dedit Ioan. 20. Ex quibus locis hæc veritas hoc modo manifestè probatur: Quod Christus instituit medium necessarium ad obtinendam remissionem peccatorum mortalium, illud jure divino ab illis, qui peccato mortali obnoxii sunt, est usurpandum. atqui Christus Confessionem in specie omnium mortalium peccatorum à baptizatis commissorum coram sacerdote faciendam ut tale necessarium medium instituit; proinde ex præcepto & institutione Christi talis confessio est facienda, ab illis, qui peccata mortalia commiserunt. XIV.

Major propositio evidens est, quia sine medio ad remissionem à Christo ordinato necessario, impossibilis est remissio. alioquin non esset medium necessarium.

II. Minor autem ab Acatholicis negata probatur sic: Quicunque sufficientem potestatem habens instituit sacerdotes Iudices, ut judicent & discernant de omnibus quibuscunq; baptizatorũ peccatis, & juxta hoc remittant vel detineant peccata; ille Confessionem omnium & singulorũ peccatorum coram sacerdotibus, ùt medium necessarium ad remissionem peccatorum ordinat. atqui Christus ad hoc habens potestatem, sacerdotes tales judices instituit; proinde Christus Confessionem talem ùt medium necessarium ordinavit.

III. Major propositio iterum est per se evidens; nã quomodo quis sibi imaginari poterit, quòd aliquis judicet & discernat de causa sibi incognita; ac proinde de peccatis, an remittenda, an vero retinenda sint, nisi illa cognoscat; si ergo sacerdotes sint instituti tales judices ut peccata cognoscere debeant, necesse est, ut ipse pœnitens aperiat; tum, quia pleraque occulta sunt; tum, quia ex ipso pænitente intelligere debent, qualiter illa sint commissa & qualiter de illis dolorem aut propositum vitandi habeat. Hoc adeò clarum est, ut Acatholici fateri debeant, quod si sacerdotes sint tales judices à Christo instituti, etiam Confessio instituta sit & ideo negant sacerdotes esse Iudices à Christo institutos, sed tantùm annunciatores, qui pænitentibus remissionem à Deo factam annuncient.

IV Hinc Calvinus lib. 3. Inst. Cap. 4. §. 18. sic ait de Catholicis: *Nam, quòd contendunt non posse fieri judicium nisi causa cognita, in promptu est solutio: temere hoc sibi arrogare, qui sunt à seipsis Iudices creati*, &c.

V. Verùm quod talis judicandi potestas sacerdotibus à Christo collata sit, constat ex illis clarissimis Christi verbis. Matt. 16. v. 18. *Tues Petrus*, &c. *Et tibi dabo claves regni cælorum; Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis* ibid. v. 19. Vbi cum SS. Patribus Ecclesia intelligit, quod illa potestas clavium ita Petro ut Capiti sit concessa, ut alijs sacerdotibus communicaretur; de quo agendo de primatu Petri actum est.

VI. Vnde probatur veritas Ecclesiæ Catholicæ sic: potestas clavium commissa circa peccata, non est alia, nisi potestas judicandi de iisdem; ùt patet ex illo Apocal. 3. v. 7. *Hæc dicit sanctus & verus, qui habet clavem David: qui aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit, &c.* Vbi certum est, quod per clavem David denotetur potestas judiciaria Christo

Digitized by Google

Christo à Patre data circa peccata; atqui sicut ipse illam principaliter habet, sic Apostolis illam communicavit, ut suis vicariis, dicens; Ioan 20. v. 21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis & quorum retinueritis retenta sunt.* Vbi patet, quòd potestatem Christus à patre acceptam Apostolis dederit, ut eam tanquam vicarii ipsius exercerent.

VII. Quod etiam inde ostenditur quia, si Deus reliquisset hominibus libertatem, ut ipsi soli Deo confiterentur peccata sua, & non voluisset, ut à sacerdote absolverentur, tunc frustranea essent verba Christi prædicta: *Quorum remiseritis*, &c. *& quorum retinueritis retenta sunt.* Cur enim hoc fideles ab Apostolis requirent, si remissionem soli Deo confitendo obtinerent?

VIII. Rursus, si sacerdos aliquem non judicaret esse absolvendum, ac sic peccata illius retineret, & tamen peccator per confessionem soli Deo factam remissionem obtineret; frustra Christus dixisset: *Quorum retinueritis, retenta sunt*: imò, quod absit, Christi verbum falsum esset, quia licèt sacerdos retineret, non tamen peccata retenta essent, *&c.* Quod ergo Christus hanc absolvendi & judicandi potestatem Apostolis contulerit, etiam patet; tum ex metaphora clavium, tum ex metaphora ligandi. Quomodo enim dicetur quis clave aperire januam, si solum annunciat januam esse apertam? similiter, quomodo dicetur aliquis alium ligare, vel à vinculis solvere, qui solum demonstrat illum jam esse solutum?

IX. Idem patet ex illis verbis Domini: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Vbi patet, quòd Christus dederit Apostolis potestatem, non ut quibuscunque sine delectu remittant, sed aliquibus remittant; & aliquibus retineant peccata; quod certe fieri non potest nisi judicent hos dignos, alios indignos, quod fieri non potest per generalem Euangelii prædicationem, quia illud omnibus est annunciandum indifferenter, ut patet ex illo Marci ult. v. 15. *Euntes in mundum universum, prædicate Euangelium omni creaturæ.*

X. Hinc patet falsissima Calvini explicatio, qui lib. 3. Inst Cap. 4 § 11. concedit Ministris Ecclesiæ datam esse à Christo clavem, sed illam solùm ad hoc esse, *ut Minister communem & publicam confessionis formulam suo & populi nomine concipiat; qua reos omnes iniquitatis peragit, & veniam à Domino comprecatur*; his subdit: *Denique hac clave tam singulis privatim quam omnibus publice aperiatur ad precandum janua*, *&c.* & similiter lib. 4 Cap 11. § 1. de illo mandato Christi Ioan. 20. Accipite Spiritum Sanctum, *&c.* sic ait: *Hoc de remittendis ac retinendis mandatum, & illa de ligando Petro facta promissio, non alio debent referri; quam ad verbi ministerium, quod dum Apostolis committebat Dominus, simul & hoc solvendi ligandique munere ipsos instruebat. Quæ enim est summa Euangelii, nisi quod omnes servi peccati & mortis solvimur ac liberamur per redemptionem quæ est in Christo Iesu: qui vero Christum liberatorem ac redemptorem non suscipiunt nec agnoscunt, eos æternis vinculis damnatos addictosque esse, &c.* hæc ille.

XI. At verò, quòd Christus ampliorem Petro Matt. 16. & Matt. 18. omnibus Apostolis promiserit, ac Ioann. 20. dederit potestatem quam prædicandi omni creaturæ Euangelium, patet, cùm hæc omnes fideles in communi concernit, & per quam non discernuntur illi, quibus peccata remittuntur, & quibus reservantur, quod tamen verba Christi Ioann. 20. clarè indicant.

Itaque patet ex ipsis verbis Christi jam expositis quòd doctrina Catholica clara sit. Calvini autem expositio planè violenta & ex proprio cerebro fabricata. Vnde hæc pro veritate Catholica sufficerent, quod verba S. Scripturæ clarè intellecta sint pro Ecclesia; præsertim cum Calvinus velit S Scripturam adeò esse claram, ut quilibet perspiciat veritatem à falsitate sicut album à nigro, & dulce ab amaro. Quis enim non videat explicationem Calvini fictam & extortam esse? multo minus tam claram, ut pateat sicut lux à tenebris? XII.

Veruntamen veritas Catholica etiam ex SS. Patribus ostendetur, qui loca illa S. Scripturæ in sensu Ecclesiæ intellexerunt; quod eò magis pro veritate facit, quia ex SS. Patribus constat, quod ipsi ab Apostolis acceperint per verbum traditum, quod tali modo verba illa Christi sint intelligenda, & sic etiam sine discursu ex verbis Christi jam facto, veritas ex verbo tradito certa est; quod sacerdotes sint constituti Iudices, & quod peccata illis sint confitenda, *&c.* Hoc est quod Concil. Trid supra dicit, *quod ex institutione hujus Sacramenti à Christo facta universa Ecclesia semper intellexerit institutam etiam esse à Domino integram peccatorum confessionem*, &c. XIII.

Præter hæc clarissima S. Scripturæ loca, quibus probatur; quòd Christus dederit sacerdotibus judiciariam potestatem circa peccata, ex quibus confessio peccatorum clarè sequitur, etiam alia sunt loca, ex quibus Confessio probatur, ut ex illo Act. 19. v. 18. ubi sic dicit Lucas: *Multique Credentium veniebant, confitentes & annuntiantes actus suos. Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros & combusserunt coram omnibus, &c.* Vbi patet quod sermo sit de illis qui jam baptizati erant; nam tales in S. scriptura propriè credentes dicebantur, ut patet. Act. Cap. 4. v. 32. *Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una, &c.* & Cap. 5 v. 14. *Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo, &c.* similiter ex Epistolis Pauli ad Rom. 4. vers. 24. Ephes. 1. vers. 15. 1. Thessal. 1. v. 7. *&c.* XIV.

Quòd autem credentes in specie peccata exposuerint patet ex illis verbis: *Confitentes actus suos*, & quia libros comburebant, *&c.* Et quod non soli Deo sed Paulo confessi sint, etiam patet; cum ideo ad ipsum venirent Ex quo apertè constat praxis primitivæ Ecclesiæ quæ dubio procul ex verbis Domini Ioann. 20. ortum habebat. XV.

Idem probatur ex illo 2. Cor 5. v. 18. *Dedit nobis ministerium reconciliationis*, & infrà: *Posuit in nobis verbum reconciliationis*; *pro Christo ergo legatione fungimur, &c.* Hunc locum spectare ad potestatem clavium Apostolis à Christo datarum SS Patres intellexerunt, imò ipse Calvinus fatetur lib. 4. instit. Cap 1 § 22. dicens: *Ad hoc bonum nobis impertiendum claves Ecclesiæ datæ sunt; non enim, quum Apostolis mandatum dedit Christus, hoc tantùm voluit ut eos solverent à peccatis, qui ab impietate* XVI.

Digitized by Google

tate ad Christi fidem converterentur; sed magis ut hoc Officio fungerentur perpetuo inter fideles. Quod Paulus docet, quum scribit legationem reconciliationis depositum esse apud Ecclesiæ ministros, &c. verùm hanc legationem ipse jà vero sensu restringit & detorquet, subdens, quod ad id sit legatio, quò ministri populum nomine Christi exhortentur ad reconciliationem; Ergo ipsius Ecclesiæ ministerio nobis assiduè remittuntur peccata, quum presbyteri vel Episcopi, quibus hoc munus commissum est, pias conscientias evangelicis promissionibus in spe veniæ & remissionis confirmant, idque tam publice quam privatim, &c. hæc Calvin.

XVI. Verùm quis non videt, quòd aliud sit remittere nomine Christi peccata, & aliud annunciare hominibus spem veniæ & remissionis à Christo præstandæ?

2. Quomodo legati Christi annunciabunt aliquibus fidelibus veniam datam nisi cognoscant ex ipsis, an & qualiter diligant, qualiter se submittere velint, adeòque confessio peccatorum facienda & actus doloris exhibendi sunt &c.

XVII. Iterum hæc veritas probatur ex illo Iacobi 5. v. 16. *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem, ut salvemini*, ubi patet; quòd non soli Deo, sed etiam homini peccata sint confitenda. Nec est sensus, ut vult Calvinus lib. 3. Inst. Cap. 4. §. 12. quasi Apostolus solum velit, ut aliquis gravatus peccatis, aperiat illa alteri, ut ab illo instruatur, & ille pro ipso oret, quæ cuilibet & non soli sacerdoti fieri possunt.

XVIII. In contrarium est communis SS. Patrum expositio, qui hoc intelligunt de confessione sacerdoti facienda ut inter alios Chrysostomus lib. 3 de sacerd. & Augustinus homil. 12. homiliarum 50. de quibus infrà. Nec illud *invicem* sumitur, ut promiscuè confiteatur, nec ut promiscuè oretur pro injuria, sed ut talibus confessio fiat, & ut tales orent, quibus à Christo potestas & ministerium est datum. Sic etiam 1. Pet. 4. v. 9. *Hospitales invicem sine murmuratione, &c.* Vbi patet, quòd *invicem* non sumatur reciprocè quasi unus alterum reciprocè hospitio excipiat, cum peregrinus non possit reciprocè recipere, sed recipi egeat; hospes autem illum recipiat, qui facultates habeat. Sic etiam sensus est, quod illi, qui egent remissione peccatorũ, illi confiteantur qui potestatem habet de quo dicitur etiam, ut oret pro ipsis, ut patet ex præcedentibus, ubi Apostolus monet, ut presbyter oret pro infirmo, & illum ungat, de quo infrà. Et quia per Sacramentum unctionis non dimittuntur peccata mortalia; ideo Apostolus pro his monet ut confiteantur presbytero, &c.

XIX. Demum 1. Ioann. 1. v. 9. dicit: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, &c.* ubi patet, quod Apostolus requirat, ut confiteamur peccata nostra in speciali cùm in plurali dicat, *ut peccata remittat* Deus, quod de omnibus & singulis est intelligendum ac eodem modo confitenda sunt omnia, quantum possibile est.

Nec potest dici, quòd hæc intelligenda sint de Confessione soli Deo facienda, qui peccata remittit, cum enim etiam sacerdos ex commissione Christi peccata remittat, & Christus peccatores ad sacerdotes remittat, per verba *quorum remiseritis*, &c.

Clarum est, quòd etiam Ioannes supponat sacerdoti peccata esse confitenda, prout ipse Ioann. 20 in Euangelio verba Christi retulerat, ac proinde id supponebat, cum non exprimat quod soli Deo facienda sit, nec excludat Apostolos vel sacerdotes.

ARTICULUS IV.

Eadem veritas Catholica probatur ex Conciliis & SS. Patribus Græcis.

Sciendum imprimis, quòd, licet diversi SS. Patres non expressè tradant confessionem peccatorum in specie à Christo esse præceptam quia tamen in generali docent, talem confessionem esse faciendam sacerdotibus, clarè convincitur; quod supposuerint illam confessionem à Christo esse præceptam; præsertim cum doceant potestatem remittendi peccata & retinendi illis à Christo traditam esse, ex qua confessio sequitur. I.

Sciendum 2. quod vox *Exomologesis* non solùm apud Græcos sed & Latinos Patres usitata; usurpabatur subinde pro sola peccatorum confessione, subinde pro confessione cum dolore & satisfactione; nunquam vero pro sola contritione vel satisfactione seclusâ confessione; ut patebit ex verbis SS. Patrum, præsertim Tertulliani & Cypriani. Itaque II.

S. Dionysius Areopagita Anno 100. Epist. 8 quæ est ad Demophilum edit. Argent. 1503 sic scribit: *Tu autem sicut literæ tuæ monstrant & procidentem sacerdoti, ut dicis impium & peccatorem, nescio, quomodo ipsum præsens retrusisti: postea vero ille deprecabatur, & ad medicinam malorum confitebatur, tu autem non solùm horruisti, sed & bonum sacerdotem temere cum injuria Corporis repulisti dicens: miserabilem esse, qui pœnitentem & impium justificavit*, &c. hæc ille. Ad quid opus fuisset, ut sacerdos ille pœnitens ad sacerdotem pro remedio peccatorum admissorum procidisset, & peccata fassus esset, si soli Deo confessio facta sufficeret? III.

Irenæus Anno 180. lib. 1. Cap. 9. edit. Colon. 1596. de quibusdam mulieribus ab hæretico quodam seductis: *Hæ*, ait, *sæpissime conversa ad Ecclesiam Dei confessæ sunt, & secundum Corpus exterminatas se ab eo velut cupidine & inflammatas*, &c. Et postea, de alia seducta sic narrat: *Nam cum esset uxor ejus speciosa & sententia & Corpore corrupta esset a Mago isto, & secuta eum esset multo tempore postea deinde cum magno labore fratres eam convertissent, omne tempus in Exomologesi consummavit plangens & lamentans ob hanc, quam passa est ab hoc Mago corruptelam*, &c. IV

Idem lib. 3. Cap. 4. eâd. edit. sic ait *Cerdon*, &c. *sæpe in Ecclesiam veniens & Exomologesin faciens sic consummavit, modo quidem latenter docens modo vero Exomologesin faciens, &c.* hæc Irenæus; ex quibus patet quòd hæc confessio fuerit usitata.

Origenes Anno 240. eandem veritatem clarissimè tradit homil. 2. in Leviticum edit. Basil. 1557. sic dicens: *Est adhuc & septima, licet dura & laboriosa per pœnitentiam* (NB) *remissio peccatorum; cum lavat peccator in lachrimis stratum suum, & fiunt ei lachrimæ suæ panes die ac nocte, & cum non erubescit* (NB) *sacerdoti Domini indicare peccatum suum*

suum & quærere medicinam, &c. Quid hoc clarius?

VII. Idem homil. 3. in Levit. eâd. edit. circa illa verba; *si peccaverit, uni ex istis pronunciet peccatum, quod peccavit,* sic ait: *Est aliquod in hoc mirabile secretum, &c. Etenim omni genere pronuntianda sunt, & in publicum proferenda cuncta quæ egerimus; si quid in occulto gerimus, si quid in sermone solo* (NB) *vel etiam intra cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri, proferri autem ab illo, qui & accusator est peccati & incentor* (diabolus) *ipse enim nunc nos ut peccemus instigat, ipse etiam cum peccaverimus accusat. Si ergo in vita præveniamus eum, & ipsi nostri accusatores simus, nequitiam diaboli, &c effugimus, sic enim & alibi propheta dicit: dic tu iniquitates tuas prior ut justificeris, &c.* hæc Origenes Vbi patet, quòd sicut diabolus nos accusaturus esset in particulari de omnibus; sic jam sacerdoti omnia utiliter & necessariò aperiẽda sint, *&c.*

VIII. Idem homil. 2. in ps. 37. eâd. edit. circa illa verba *Quoniam iniquitatem meam pronuntio*, &c. sic ait. *Pronunciationem iniquitatis, id est, confessionem peccati frequentius diximus. Vide ergo quid doceat nos scriptura divina; quia oportet peccatum non celare intrinsecus: fortassis enim sicut ii, qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humores, &c. Si vomuerint relevantur: ita etiam hi, qui peccaverunt, si quidem occultant & retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur, & propemodum suffocantur à phlegmate vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum & confitetur, simul evomit & delictum atq; omnem morbi digerit causam.* Vbi nota, quod non dicat ideo peccatum sacerdoti aperiri, ut solum ab illo solatium vel consilium accipiat, ut vult Calvinus, sed ut se accuset & accusando delicti veniam obtineat.

Subjungit Origenes: *Tantummodo circumspice diligentiùs, cui debeas confiteri peccatum tuum; proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, &c. ut ita demum, si quid ille dixerit, qui se prius & eruditum medicum ostenderit, & misericordem, si quid consilii dederit, facias & sequaris: si intellexerit & præviderit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat & curari, &c. multa hoc deliberatione & satis perito medici illius consilio procurandum est.* hæc Orig.

Vbi patet quòd supponat omnia peccata etiam occulta sacerdoti esse confitenda, & si quæ sint publica, de illius Consilio etiam publicè pronuntientur.

IX. Idem hom. 17. in Lucam eâd. edit. circa illa, *ut revelentur ex multis cordibus cogitationes*, sic ait: *unde & nos, si peccaverimus, debemus dicere*, peccatum meum notum tibi feci, & iniquitatem meam non abscondi; dixi, annuntiabo injustitiam meam contra me Domino; *si enim hoc fecerimus & revelaverimus peccata nostra non solùm* (NB) *Deo, sed & his, qui possunt mederi vulneribus nostris atque peccatis, delebuntur peccata nostra ab eo qui ait*: Ecce delebo ut nubem iniquitates tuas, *&c.* hæc Orig. ubi iterum patet, quod etiam sacerdoti sint aperienda peccata, non ad libitum pro solo solatio vel ut ille annuntiet, quod peccata jam sint dimissa, ut vult Calvinus, sed necessario, ad hoc, ut deleantur peccata.

X. *Eusebius Cæsariensis* apud Iod. Cocc. tomo 2 l. 7. art. 3. edit. Colon. 1601. Anno 320. l. 3. de Demonstratione euangelica; *Tales, ait, erant Salvatoris nostri discipuli, &c. Vt penetraret ipsorum doctrina, &c. conscientiam ita sauciaret, ut arcana ex latebris proferre, & pravitatem anteactæ vitæ palam confiteri non dubitarent, &c.* hæc ille, si confessio occultorum non esset necessaria, cur doctrina Apostolorum ad hoc urgebat?

XI. *Athanasius* Anno 340. edit. Paris. 1581. in sermone circa illa verba Euang. *Profecti in pagum, qui ex adverso est, invenietis pullum alligatum*, sic ait circa finem. *Nos ipsos examinemus, num soluta sint nostra vincula, &c. Quod si nondum soluta sint vincula, tradas teipsum discipulis Iesu: adsunt enim* (NB) *qui te solvant propotestate ea, quam a Salvatore acceperunt: quæcunque enim ligaveritis, inquit, in terra, erunt ligata & in cælis, &c si quibus remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* hæc ille. Ecce dicit, ut tradat se discipulis quod aliter fieri non potest, nisi per peccatorum confessionem, non quidem, ut discipuli declarent illum jam solutum; sed ut constrictum solvant.

XII. *Concilium Laodicenum* circa Annum 350. celebratum Can. 2. edit. Colon. 1538. sic ait: *Hi qui diversorum peccatorum lapsus incurrunt & oratione & confessione* (NB) *ac pœnitentia malorum suorum perfectam conversionem demonstrant pro qualitate peccati pœnitentiæ tempus attribuendum est*, hæc Concilium, Quomodo, quæso pro qualitate delicti pœnitentia danda est, si pœnitentes in particulari delicta sacerdoti non aperiant?

XIII. *Basilius Magnus* Anno 360. edit. Antvverp. 1568. in Regulis fusiùs disputatis, Respons. 26. *Debet, ait, unusquisque, &c. nullum animi sui motum apud se ipsum celatum retinere; tum in sermone nihil non diligenti antea cura consideratum proferre; sed mentis suæ arcana aperire fratribus iis, quibus datum illud negotium sit, &c* hæc ibi.

XIV. Idem Quæstionibus seu Regulis brevioribus, interrogatione 229. eâd. edit. sic ponit; *Nunquid si quis tosè facta, abjectâ omni verecundiâ enunciari apud omnes debeant, an apud aliquos tantummodo? & si hoc, apud quos & cujusmodi?* Responsio; *Omnino in peccatorum Confessione eadem ratio est, quæ in apertione vitiorum Corporis. Vt igitur vitia Corporis nequaquam quibusvis temere homines aperiunt, sed iis tantummodo qui rationem quâ ea curanda sint, tenent; eodem modo etiam peccatorum confessio* (NB) *fieri debet, apud eos videlicet, qui ea possint curare, &c.*

Idem Interrogatione 288. eâd. edit. *Necessariò, ait, iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei: si quidem rationem hanc in pœnitentia etiam veteres illos cernimus secutos fuisse; quando & in Euangelio scriptum est; quod Ioanni confitebantur peccata sua; & in Actis, Apostolis ipsis, à quibus etiam baptizabantur cuncti, &c.*

Vbi patet; quod Basilius ex more veteris Ecclesiæ doceat, singula peccata esse necessariò aperienda sacerdotibus, quibus ejusmodi dispẽsatio mysteriorum data est; sicut vulnera Corporis in particulari medico aperiuntur.

XV. *Gregorius Nyssenus* apud Iod. Cocc. tomo 2. l. 7. art. 3. edit. Colon. 1601. Anno 380. homil. 3. in Ecclesiasten, *Honestum est, ait, existimare esse proprium Ecclesiæ documentum, se per peccatorum Confessionem & enuntiationem rectè gerere; Per hoc enim licet suam animam armare armis pudoris, &c.*

XVI. Idem in Epist. Canonica ad Episcopum Mitylenes cap. 1 apud Rob. Bellarm. edit. Ingolst. 1591 *Rectè habuerit, inquit, si hodierno die non solùm eos, qui ex regeneratione per lavacri*

gratiam transmutati sunt, adducamus, sed eos etiam, qui per pœnitentiam & Confessionem à mortuis operibus ad viventem viam ascendunt, ad viventem spem tanquam manu deducamus, ij qua per peccatum alienati sunt, &c. hæc ibi. Quòd autem confessio de peccatis in specie facienda sit.

Idem in sequentibus apud eundem Bellarm. tradit, sic dicens: *Quemadmodum in corporali medela unum est quidem institutum medicinæ, sanare eum, qui laborat, varium autem est curationum genus; pro morborum enim varietate convenienter quoque medicina ac disciplina unicuique morbo applicatur: ita cùm multa sit in morbo quoque animæ affectionum varietas; multiformis quoque necessariò fuerit medica curatio, ad affectionis rationem exercens medicinam,* &c. hæc ille. Quæ sane curatio fieri non potest, sine distincta peccatorum confessione, ut patet.

XVII. Similiter Orat. ad eos, qui duriùs & acerbius alios judicant, apud Iod Cocc. tomo. 2. Thes. Cathol. edit. Colon. 1601 art. 3. sic ait: *Afflictionis participem & socium sume sacerdotem, ut Patrem,* &c. *Audacter ostende illi, quæ sunt recondita, animi arcana, tanquam occulta vulnera medico retege; ipse & honoris & valetudinis tuæ rationem habebit,* &c hæc Gregorius ubi rursum clarè patet Confessionem esse faciendam de omnibus etiam occultis in speciali, sicut vulnera detegenda sunt medico, &c.

XVIII. *Chrysostomus* Anno 390. docet etiam clarissimè sacerdotibus esse datam potestatem judiciariam ligandi & solvendi, ut ex ipsius lib. 3. de sacerdotio superiùs art. 4. de pœnitentia ostensum est; ex qua sequitur confessio in speciali; quod sufficeret; qui tamen ibidem lib. 2. de sacerdotio edit. Basil. 1558. sic ait: *Quamobrem multa quidem arte opus est ut, qui laborant Christiani, ultro sibi persuadeant sacerdotum curationibus sese submittere oportere, &c.* ubi etiam monet, qualiter sacerdotes circa delicta mulctam imponere debeant, *&c.* ad quod opus est confessione, ut patet.

XIX. Idem homil. 20 in Gen. eâd. edit *Qui hæc*, ait, *facit, se voluerit,* &c *ad confessionem facinorum festinare, & medico ostendere ulcus, qui curet, & non exprobret, atque ab illo remedia accipere, & soli ei loqui; nullo alio conscio & omnia dicere cum diligentia, facilè sua peccata emendabit; Confessio enim peccatorum abolitio etiam est delictorum, &c.* Ecce specialem & secretam de occultis Confessionem.

XX. Idem de Confessione hom 30. in Gen. eâd. edit. sic ait: *Quia in magnam hanc hebdomadam* (scilicet circa Pascha) *pervenimus Dei gratiâ, nunc maximè & jejunii cursus intendendus, & magis continuandæ sunt preces, faciendaque diligens* (NB) *& pura peccatorum Confessio, &c.* hæc ibi.

XXI. Similiter homil. 33. in Ioann. eâd. edit. sic ait: *In peccatis, quæ commisimus, confitendis neminem vereamur Deum duntaxat, ùt decet, formidemus, qui & nunc opera nostra videt, & tunc quos in præsentia non pænitet, damnabit, &c.* & infrà: *Commisisti aliquod scelus, aut animo agitasti, homines celas, non Deum, & nihil curas, oculos hominum formidas, &c.* & infrà. *Vos autem hortor dilectissimi, ut etsi nemo opera nostra* (NB) *videat, ut singuli suam conscientiam ingrediantur & judicem sibi rationem constituant, errata sua* (NB) *in medium adducant, nisi velint in die illa horrenda universo orbi eâ manifestè patere, sanentur jam vulnera, sumatur pænitentiæ medicina, &c.* hæc ille.

Ecce quàm manifestè tradit confessionem etiam occultorum esse necessariam, ne damnemur.

Demum Chrysost. hom. 1. in Ps. 37. sic ait: *Deus, sicut Corpori medicamenta præparavit ita & animæ Archiatrus Christus est, medici sunt ministri verbi, quibus curandorum vulnerum commissa est disciplina,* &c non dicit, quibus commissum est, ut annuntient vulnera esse sanata.

Ex his clarissimis S. Chrysostomi verbis patet, quòd ipse cum communi SS. Patrum sententia judicarit Confessionem coram sacerdote privatim ad obtinendam remissionem esse necessariam, quod autem alibi videtur dicere, ut non confiteamur homini, sed Deo, id solum intelligendum est de confessione illa, quæ Constantinopoli aliquando fuerat usitata, ut scilicet postea peccata confessa coram omni populo propalarentur. Vnde etiam contigerat, ut quædam gravissima peccata cum scandalo maximo populi manifesta essent, de quo scribunt historici, quod tempore Nestorii, qui fuit Chrysostomi prædecessor contigerit; unde talis modus publicè confitendi abrogatus fuit, ex quo opprobriũ sequebatur & sic *Chrysostomus* homil. 4. de Lazaro edit. cit. loquitur dicens: *Cave homini dixeris, ne tibi exprobret.* & ibid *Non cogo te in medium theatrum prodire ac multos adhibere testes, mihi soli dic peccatum privatum, &c.* hæc ibi. Similiter hom. 31. in Epist ad Hebr. eâd. edit. *Non dico tibi, ut te prodas in publicum, neque ut te apud alios accuses,* &c. XXII.

Quod enim Chrysostomus non neget Confessionem privatim soli sacerdoti faciendam, qui in secreto servet & medicinam adhibeat ac remittat, patet ex locis jam allegatis.

Et certè modus ille confitendi Constantinopoli abrogatus ab Acatholicis usurpatur, ubi coram consistorio rei comparere debent, ex quo postea peccata illis exprobrentur.

Quod autem Confessio peccatorum privata in speciali nunquam apud Græcos Patres fuerit improbata, patet ex præmissis; nec etiam nunquam abrogata; patet ex praxi Ecclesiæ Græcæ semper continuata; ad quod per omnia secula testes adduci possent sufficiet hic testimonium Hieremiæ Patriarchæ Constantinopolitani circa Annum 1580. apud Iod. Cocc. tomo 2. lib 7. art. 3 edit Colon. 1601 qui Responsione 1. Cap 11. de Confessione sic ait: *Respondemus talem ministrum debere spiritualem medicum esse, & bene rerum suarum peritum. Deinde confitentem, quoad possit & recordetur peccata particulatim* (NB) *exponere; idque corde contrito & humiliato, Sic enim is sanatur,* &c. XXIII.

Item Cap 21. apud Cocc. ibid. *Quartò*, ait, *de Confessione & remissione peccatorum scribitis. Respondemus ad hoc ex M. Basilio, debere unumquemque Christianum, si velit egregium progressum pietatis monstrare, & habitum secundum præcepta Domini nostri vivendi comparare, nullam agitationem* (NB) *mentis occultam secum retinere,* &c *sed proferre nudè arcana cordis; non quidem cuivis, sed his, qui medicinam facere possunt.* Hæc ille respondit Acatholicis nostris, qui cupiebant Græcos habere confratres.

AR-

ARTICULUS V.

Eadem veritas Catholica ostenditur ex SS. Patribus Latinis.

I. Tertullianus Anno 200. lib. de Pœnitentia edit. Basil. 1562. postquam ostendisset; quòd contra venena diaboli clauso Baptismi Sacramento, Deus pœnitentiam secundam providerit, cujus verba præcedenti Cap. relata sunt; ex quibus constat Institutio hujus Sacramenti seu pœnitentiæ secundæ à Deo facta: postea subjungit dicens: *Tantum relevat confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggerat: Confessio enim satisfactionis consilium est*, &c. *Hujus igitur pœnitentiæ* (NB) *secundæ & unius quantò in arcto negotium est; tantò operosior probatio est, ut non sola conscientia* (NB) *præferatur, sed etiam aliquo actu* (scilicet exteriore) *administretur. Is actus magis Græco vocabulo exprimitur & frequentatur, Exomologesis est; qua delictum Domino nostrum confitemur*, &c. hæc ille, ubi hoc quidem supponitur, ut Deo confiteatur, sed hoc non sufficere ostendit, ulterius dicens: *Delictum Domino confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaque Exomologesis prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu atq; victu mandat, sacco & cineri incubare*, &c. *animum mœroribus dejicere*, &c. *plerumq; verò jejuniis preces alere, lachrimari & mugire dies noctesq; ad Dominum Deum tuũ; presbyteris* (NB) *advolvi, & aris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere*, &c. & infrà *Cũ igitur* (Exomologesis) *provolvit hominem, magis relevat*, &c. *cum accusat, excusat: cum condemnat absolvit*, &c. *plerosq; tamen hoc opus, ut publicationem sui aut suffugere, aut de die in diem differre, præsumo, pudoris magis memores quam salutis* (NB) *velut illi, qui in partibus verecundioribus Corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vitant, & ita cum erubescentia sua pereunt*, &c. ubi patet, quod Tertullianus Confessionem, licet verecundia obsistat, ad salutem necessariam esse supposuerit.

II. Unde paulò pòst subdit, dicens: *Grande planè emolumentum verecundiæ occultatio* (NB) *delicti pollicetur, videlicet, si quid humanæ notitiæ subduxerimus, proinde & Deum celabimus*, &c. *An melius est damnatum latere, quam palam absolvi?* &c. ubi patet quod & occulta sint confitenda, ubi multis exemplis, quod multi pro salute Corporis, vel aliqua dignitate obtinendis nullum pudorem subterfugiunt, id magis pro salute animæ faciendum monet, sic subjungens: *Igitur cum scias adversus gehennam post prima illa intinctionis Dominicæ* (baptismi) *monimenta, esse adhuc in Exomologesi* (NB) *secunda subsidia, cur salutem tuam deseris?* &c. hæc ille.

III. Nec potest ad hæc responderi; quòd Tertullianus de sola publica pœnitentia locutus sit, cum constet, illam non nisi propter publica peccata esse faciendam; ipse autem urget etiam de occultis, non obstante pudore, ut manifestentur, &c. quod non potest intelligi coram omni populo, quia id nunquam Ecclesia usurpavit, multò minus exegit; adeóque illa coram presbytero confitebantur: vel si Acatholici hoc negent, admittere debent, quod Tertullianus publicam de occultis peccatis confessionem exegerit, quod longe difficilius est, & Acatholicis minùs placet; sed nec Ecclesia Catholica probat.

Cyprianus Anno 250. lib. 3. Epist 14. edit. Basil. 1543. sic ait: *Hac qui subtrahit fratribus nostris, decipit miseros ut qui possunt agentes pœnitentiam veram, Deo Patri misericordi precibus &* (NB) *operibus suis satisfacere, seducantur, ut magis pereant*, &c. *Nam cum in minoribus peccatis agant peccatores* (NB) *pœnitentiam justo tempore, & secundum disciplinæ ordinem ad Exomologesim veniant, & per manus impositionem Episcopi & Cleri jus communicationis accipiant; nunc crudo tempore*, &c. *ad communicationem admittuntur, & offertur nomen eorum; & nondum pœnitentiâ factâ, nondum Exomologesi facta* &c. *Eucharistia illis datur*, &c. IV.

Idem Epist. 16. eâd. edit. similiter ait: *Nam cum in minoribus delictis pœnitentia agatur justo tempore & Exomologesis fiat, inspecta vita ejus qui agit pœnitentiam; nec ad communicationem venire quis possit, nisi prius illi ab Episcopo & Clero manus fuerit imposita; quanto magis in his gravissimis & extremis delictis cautè omnia & moderatè secundum disciplinam Domini observari oportet*, &c. ubi patet quòd ab Episcopo pœnitentis vita inspici debeat, quod non potest fieri absque confessione, idque secundum disciplinam Domini Dei, &c. V.

Idem serm. de Lapsis sic ait: *Quid surdæ aures salutaria præcepta non audiunt, quæ monemus? Quid cæci oculi pœnitentiæ iter non vident, quod ostendimus? Quid perculsa & alienata mens remedia vitalia non percipit, quæ de scripturis cælestibus & discimus & docemus?* &c. Et post pauca, quænam hæc Dei in scriptura præcepta sint; subjungit: quod negligant confessionem, unde multa mala causentur, quæ ibi narrat dicens: *Quàm multi quotidie*, &c. *immundis spiritibus adimplentur; quam multi usque ad insaniam mentis excordes dementiæ furore quatiuntur?* postea subjungit: *unusquisque consideret, non quid alius passus sit, sed quid pati & ipse mereatur*, &c. *ne sibi, quo minus agant pœnitentiam, blandiantur*, &c. pergit sic dicens; *Deum judicem subterfugere & vitare non poterit*, &c. *videt ille corda & pectora singulorum, & judicaturus est non tantum de factis, sed etiam de verbis & cogitationibus nostris, omnium mentes voluntatesque conceptas in ipsis adhuc latebris clausi peccatoris intuetur*, &c. VI.

Quòd autem non soli Deo hæc sint confitenda, sed etiam sacerdoti patet cum subjungit: *Quantò & fide majores, & timore meliores sunt, qui quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore sint constricti* (quæ erant publica gravissima delicta) *quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt* (ecce delicta occulta) *hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter* (ecce confessio occultorũ) *& simpliciter confitentes Exomologesin conscientiæ faciunt animi sui, pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet & modicis vulneribus exquirunt; scientes scriptum esse* Deus non irridetur, &c. & paulò infrà: *Minus plane aliquis peccaverit non videndo idola, nec polluendo manus suas funestis sacrificiis*, &c. *hoc eo proficiet, ut sit minor culpa*, &c. *non est tamen immunis à crimine*, &c. *nec cessat in agenda pœnitentia, ne quod minus esse in qualitate delicti videtur, in neglecta satisfactione cumuletur*, &c. hæc ille ecce qualiter Cyprianus satisfactionem Acatholicis exosam requirat, per- VII.

Digitized by Google

pergit ipse dicens: *Confiteantur singuli, quaso vos Fratres delictum suum, dum adhuc qui deliquit, in seculo est, dum admitti ejus confessio potest, dum satisfactio & remissio facta per sacerdotes* (NB) *Deo grata est, &c.* & post pauca; *Animam tuam perdidisti spiritualiter, mortua supervivere hic tibi & ipsa ambulans funus tuum portare capisti*, & infrà: *Ecce pejora adhuc peccandi vulnera, ecce majora delicta, peccasse nec satisfacere: deliquisse, nec delicta deflere, &c.* hæc ibi.

VIII. Demum post unam paginam sic concludit: *Vos vero fratres, quorum timor in Deum pronus est, & in ruina licet animus constitutus mali memor est, pœnitentes & dolentes peccata vestra perspicite, gravissimum conscientia crimen agnoscite, &c.* hæc Cyprianus.

Vbi patet, quod supponat ex communi Ecclesiæ doctrina, quod Exomologesis seu confessio peccatorum in S. Scriptura præcepta sit, & non solùm Deo, sed & sacerdoti etiam de occultis facienda; Dum adhuc tempus est veniæ, alioquin animam perire, quod verum non esset, si sufficeret soli Deo peccata confiteri, & solum in libertate pœnitentis sit, ut Consilii gratia sacerdoti ea aperiat; ut vult Lutherus, & Calvinus.

IX. *Lactantius* circa Annum 300. lib. 4. Instit. divin. Cap. 17. edit. Venetâ 1515. volens ostendere circumcisionem fuisse figuram Confessionis, sic ait: *Quoniam pars illa hominis qua circumciditur, habet quandam similitudinem cordis, & est pudenda, ob hanc causam Deus nudari eam jussit, ut hoc argumento nos admoneret, ne involutum pectus* (NB) *haberemus, id est, ne quod pudendum facinus intra conscientia* (NB) *secreta velemus. Hac est cordis circumcisio, de qua Prophetæ loquuntur, quam Deus à carne mortali* (NB) *ad animam transtulit: qua sola mansura est. Volens enim vita ac saluti nostra* (ecce necessitatem) *pro aterna sua pietate consulere, pœnitentiam nobis in illa circumcisione proposuit; ut si Cor mundaverimus, id est, si peccata* (NB) *confessi, satis Deo fecerimus, veniam consequamur, qua contumacibus & admissa sua* (NB) *celantibus denegatur ab eo, qui non faciem sicut homo, sed intima & arcana pectoris intuetur, &c.* hæc ille. Vbi patet, quod loquitur de Confessione etiam occultorum peccatorum sacerdoti facienda, cùm dicit, quod etiam *illa, qua intra conscientia secreta lateant* aperienda sint; cum evidens sit, quod nullus secreta Deum celare possit: & tamen dicit, quod qui peccata celant, veniam non consequantur.

X. Idem *Lactant.* ibidem Cap. ult. inter notas veræ Ecclesiæ confessionem ponit, dicens *Sed tamen, quia singuli quique cœtus hareticorum se potissimùm* (NB) *Christianos, & suam esse Catholicam Ecclesiam putant; sciendum est illam esse veram, in qua est Religio, Confessio* (NB) *& pœnitentia, qua peccata & vulnera, quibus subjecta est imbecillitas carnis, salubriter curat, &c.* Ecce Notam veræ Ecclesiæ, Confessionem & pœnitentiam, non quando ad libitum Confessio fit, ad hoc ut consilium accipiat, vel de peccatis remissis confirmetur, ut volunt Acatholici; sed ut Confessio & pœnitentia peccata & vulnera curet, ut docet Ecclesia.

XI. *Hilarius* circa Annum 360. Commentario in Matth. Canone 18. edit. Basil. 1570. *Qualiter Deus circa remissionem peccatorum ordinaverit*, sic ait: *Ad terrorem autem metus maximi, quo in præsens omnes continerentur, immobile* (NB) *severitatis Apostolica judicium pramisit; ut quos in terris ligaverint, id est peccatorum nodis innexos reliquerint, & quos solverint, confessione* (NB) *videlicet venia receperint in salutem, hi Apostolica conditione sententia in cœlis quoque aut solati sint aut ligati, &c.* hæc ille. Quid his clarius dici potest, tam pro confessione sacerdotibus facienda, quam pro potestate judicialiter solvendi peccata?

Ambrosius qui floruit Anno 370. lib. 1. *de Pœnitentia* clarissimè docet, sacerdotibus potestatem esse à Christo concessam remittendi & retinendi peccata, ut præced Cap. prolixiùs relatum est; unde manifestè sequitur illis etiam Confessionem esse faciendam. XII.

Idem etiam de ipsa Confessione in speciali loquitur lib. 2. de Pœnitentia Cap. 6. edit. Paris. 1569. sic dicens: *Si vis justificari, fatere delictum tuum, solvit enim criminum nexus verecunda Confessio peccatorum, &c.* Quid clariùs & manifestius dici potest? Quod etiam tunc temporis privata confessio usitata fuerit, indicat Cap. 6. dicens: *Plerique futuri supplicii metu, peccatorum suorum conscii pœnitentiam petunt* (scilicet à sacerdote privatim) *& cum acceperint, publica supplicationis revocantur pudore, &c.* Vbi patet, quod homines senserint se obligatos ad peccatorum confessionem sub metu æterni supplicii, quam faciebant; licèt publicam pœnitentiam ob pudorem subterfugerint, &c. XIII.

Similiter ibid. Cap. 10. *An quisquam*, ait, *ferat, ut erubescas Deum rogare, qui non erubescis rogare hominem, & pudeat te Deo supplicare, quem non lates, cum te non pudeat peccata tua homini, quem lateas, confiteri? &c.* Idem in Ps. 37. eâd edit. *Plurimum*, ait, *suffragatur reo verecunda confessio, & pœnam quam defensione evitare non possumus, pudore sublevamus* hæc ibi. XIV.

Demum Exhortatione ad pœnitentiam agendum eâd edit. *Non solum*, ait, *post pœnitentiam, ab istis peccatis intus homo observare se debet; sed & ante pœnitentiam dum sanus est: quia nescit si possit pœnitentiam accipere & confiteri Deo, & sacerdoti peccata sua, &c.* Ecce necessitatem confitendi non solum Deo, sed & sacerdoti. XV.

Pacianus Episc. Barcinonensis Anno 370. præter ea, quæ Epist. 3. ad Sympronianum de potestate sacerdotibus ad remittenda peccata, data scribit, suprà præced. cap. allegata, ex quibus confessio sequitur; etiam in specie de confessione tradit in Parœnesi ad pœnitentiam Bibl PP. edit. Colon. 1618. tomo 4. pag. 245. sic dicens: *Vos primum appello fratres, qui criminibus admissis, pœnitentiam recusatis; vos, inquam, post impudentiam timidos, post peccata verecundos, qui peccare non erubescitis, & erubescitis confiteri*, & post pauca: *Ecce iterum Apostolus ad sacerdotem: Manus cito nulli imponas, nec communices peccatis alienis. Quid facies tu, qui decipis sacerdotem? qui aut ignorantem fallis, aut non ad plenum scientem probandi difficultate confundis?* & infrà dicit: *Rogo ergo, vos fratres, etiam pro periculo meo per illum Dominum, quem occulta non fallunt; desinite* (NB) *vulneratam tegere conscientiam. Prudentes* XVI.

agri

ægri medicos non verentur, ne in occultis quidem corporum partibus etiam secaturos, etiam perusturos. Meminimus quosdam remota etiam & verecunda membrorum non erubescentes in ferro & cauterio, & gravissima illa pulveris mordacitate durasse, &c. peccator timebit? peccator erubescet perpetuam vitam præsenti pudore mercari? & offerenti manus Domino vulnera malè tecta subducet? &c. Demùm paulò infra: *Nunc ad eos sermo sit: qui bene & sapienter vulnera sua pœnitentiæ nomine confitentes, nec quid sit pœnitentia, nec quæ vulnerum medicina, noverunt; similésq; sunt illis, qui plagas quidem aperiunt ac tumores, medicisque etiam adsidentibus confitentur: sed admoniti, quæ imponenda sunt, negligunt, & quæ bibenda, fastidiunt, &c.* hæc ille, ubi patet, quàm exactam de omnibus peccatis etiam occultis & necessariam vir sanctus doceat confessionem; & qualiter Sacerdoti satisfactionem imponenti sit obtemperandum, plus quàm medico, &c.

XVII. *Hieronymus* Anno 380. in cap. 10. Ecclesiastes, ed. Basil. 1553. sic ait: *Si quem serpens diabolus occultè momorderit, & nulli conscio eum peccati veneno infecerit, si tacuerit (NB) qui percussus est, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri & magistro voluerit confitari, magister, qui linguam habet ad curandum, facilè ei prodesse non poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat, medicina non curat,* hæc ille. Ubi etiam satis patet, quòd occulta sint confitenda, non tantùm pro solatio, sed maximè ad obtinendam curationem.

XVIII. Idem in comment. ad cap. 16. Matth. eâd. ed. cùm dixisset, quòd in veteri lege leprosi jubebantur se ostendere Sacerdotibus, subdit: *Quomodo ergo ibi leprosum Sacerdos mundum vel immundum facit; sic & hic alligat vel solvit Episcopus & Presbyter, non eos, qui insontes sunt, vel noxii, sed pro suo officio; cùm peccatorum audierit varietates, sciat; qui ligandus sit, quive solvendus, &c.* ubi patet peccata occulta distinctè esse confitenda, ut ex eorum varietate Sacerdos cognoscat, &c.

2. Non dicit, ut cognoscat, quis ligatus sit vel solutus, ut Acatholici volunt, sed quis sit solvendus, &c. in quo est distinctio inter sacerdotes novæ & veteris legis, ut ex Chrysostomo lib. 3. de Sacerdotio supra cap. præced. dictum est, de potestate Sacerdotum purgandi lepram spiritualem.

Idem *Hieronymus* epist. ad Pammach. & Oceanum de erroribus Origenis eâd. ed. sic ait: *Cur ab eo impietatem discitis, qui necdum pietatem noverat? secunda post naufragium tabula est, culpam simpliciter confiteri, &c.* hæc ibi.

XIX. *Augustinus* Anno 400. in ps. 66. ed. Basil. 1528. circa illa verba: *In omnibus Gentibus salutare tuum, confiteantur tibi populi Deus, &c.* sic ait: *Cantatio confessio est; confessio peccatorum tuorum est virtutis Dei; tuam iniquitatem confitere, gratiam Dei confitere: te accusa, illum glorifica,* &c. & infrà: *Times confiteri, qui non confitendo esse non potes occultus; damnaberis tacitus, qui posses liberari confessus: Et quia ista confessio non ad supplicium ducit, sequitur & dicit: Lætentur & exultent Gentes,* &c. *unde? per ipsam confessionem. Quare? quia bonus est, cui confitentur. Ad hoc exigit confessionem, ut liberet humilem; ad hoc damnat non confitentem, ut puniat superbum, &c.* hæc August.

XX. Et ne quis dicat soli Deo confessionem faciendam, subdit: *Ergo tristis esto, antequam confitearis, confessus exulta, iam sanaberis: Non confitentis conscientia saniem collegerat, apostema tumuerat, cruciabat te, requiescere non sinebat: Adhibet medicus (NB) fomenta verborum, & aliquando secat, adhibet medicinale ferrum in corruptione tribulationis. Tu agnosce medici manum; confitere, exeat in confessione, & defluat omnis sanies; iam exulta, iam lætare, quod reliquum est, facilè sanabitur, &c.* hæc August. Ubi patet, quod supponat, non soli Deo, sed etiam Sacerdoti, qui medicus est specialis à Christo ordinatus, qui adhibet fomenta verborum & peccata omnia esse aperienda; sicut omnis sanies effluit, &c.

Unde etiam patet; quàm falsò Acatholici confessionem vocent carnificinam, cùm Augustinus dicat; per illam venire veram lætitiam, quod pii fideles experiuntur.

Idem August. lib. 50. homiliarum homil. 12. eâd. ed. circa illa verba Jacobi 5. *Confitemini alterutrum, &c.* sic statim incipit: *In omnibus scripturis divinis, fratres dilectissimi, utiliter & salubriter admonemur, ut peccata nostra (NB) debeamus iugiter & humiliter non solùm Deo (nota) sed etiam Sanctis & Deum timentibus confiteri. Sic enim per Iacobum Apostolum nos admonet Spiritus Sanctus dicens:* Confitemini alterutrum peccata vestra, &c. *Quomodo enim nobis peccatorum vulnera nunquam deesse possunt, sic & confessionis medicamenta deesse non debent.* Et infrà: *Deus noster*, &c. *vult, ut ea confiteamur in hoc seculo, ne pro illis confundamur postmodum in futuro, &c.* & infrà: *Sanat te Deus, confitere tantùm vulnus tuum*, &c. *sanaberis autem, si ostendas te medico, non quia ille non videt, si tu te abscondas, sed ipsa confessio initium sanitatis est*, &c. XXI.

Quòd autem per medicum non solùm intelligat Deum, qui principalis est, sed etiam hominem non verò quemcunque, sed Episcopum vel sacerdotem declarat in fine sic concludendo: *Nos verò fratres, si verè spirituales medici sumus, & de animarum vestrarum remedio attentius cogitamus; non debemus palpare quemquam: nec vos, nec nos, confiteamur peccata nostra, non excusemus; tu fecisti, tu reus es, tu peccata tua confitere, tibi ignoscitur: si dicis, non ego feci,* &c. *peccati reus es, & non illius peccati tantummodo quod fecisti, sed huius etiam superbiæ quod confiteri noluisti, &c.* ecce confessio Episcopo & sacerdoti medico necessariò facienda. XXII.

Rursus eod. l. hom. 27. circa finem eâd. ed sic ait: *Elevatus est Lazarus, processit tumulo, & ligatus erat, sicut sunt homines in confessione peccati agentes pœnitentiam, iam processerunt a morte, nam non confiterentur, nisi procederent? ipsum confiteri (NB) ab occulto & tenebroso procedere est. Sed quid Dominus Ecclesiæ suæ inquit? Quæ solveritis in terra, soluta erunt in cælo, &c.* hæc ibi. XXIII.

Similiter ibid. hom. 41. loquens de peccatorum catena sic ait: *Quâ, inquis, catenâ?* quæ ligaveris in terra, erunt ligata & in cælo. *Audis ligaturam, & Deo putas facere imposturam? &c.* & infrà, cùm de his, qui post baptismum peccaverunt, multa monuisset, ut dum sani sunt, agant pœnitentiam; tandem subjungit dicens: *Et aliud dico, non solum post pœnitentiam, ab istis vitiis se homo servare debet, sed & ante pœnitentiam, dum sanus est; quia si ad ultimum vitæ steterit, nescio si ipsam pœnitentiam accipere, ac Deo (NB) & sacerdoti peccata sua confiteri poterit, &c.* ubi quàm necessariam judicet confessionem, manifestè patet. XXIV.

XXV. Rursus ibid. hom. 50. multis modis ostendit utilitatem & necessitatem pœnitentiæ, ac imprimis distinguit duplicem pœnitentiam; unam, quæ est ante baptismum, de qua dicit intelligendum illud Petri Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque.* Similiter de hac locutum Christum Matt. 4. *Pœnitentiam agite, appropinquat regnum cælorum,* & Joannem Baptistam Matt. 3. *Generatio viperarum, &c.* Alteram pœnitentiam dicit esse post baptismum. Demum 2. folio à fine sic ait: *Implicatus ergo tam mortiferis vinculis peccatorum, detrectat, aut differt, aut dubitat* (NB) *confugere ad ipsas claves Ecclesiæ, quibus solvatur in terra, ut sit solutus in cælo, & audet* (NB) *sibi post hanc vitam, quia tantum Christianus dicitur, salutem aliquam polliceri, nec veridicum illud Dominica vocis tonitruum contremiscit:* Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, *&c.* & paulò pòst: *Iudicet ergo se ipsum homo in istis voluntate, dum potest, & mores convertat in melius; ne cùm iam non poterit, etiam præter voluntatem à Domino iudicetur. Et cùm in se protulerit severissimæ* (NB) *medicinæ sententiam, veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia* (NB) *claves ministrantur, & tanquam bonus incipiens,* &c. *à Præpositis sacrorum accipiat satisfactionis suæ* (NB) *modum, ut in offerendo sacrificio cordis contribulati devotus & supplex, id tamen agat, quòd non solùm illi prosit ad recipiendam salutem; sed etiam cæteris ad exemplum; ut si peccatum eius non solùm in gravi eius malo, sed etiam in scandalo est alterum, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur* (NB) *Antistiti in notitia multorum; vel etiam totius plebis, agere pœnitentiam non recuset, non resistat, non lethali & mortifera plagæ per pudorem addat tumorem, &c.* hæc Augustin. Ubi clarissimè ostendit, quòd necessarium sit, ut pœnitens accedat ad Antistitem, qui claves solvendi habet, illique peccata omnia confiteatur; ut ille etiam dignoscat, an de aliquibus in publico pœnitentia agenda sit, *&c.*

XXVI. Similiter docet l. 83 qq. q. 26. eâd. ed. sic dicens: *Quibus bene tractatis probabiliter iudicari potest; qui non sint cogendi ad pœnitentiam luctuosam & lamentabilem. Quamvis peccata fateantur, & quibus nulla omnino speranda sit salus, nisi sacrificium obtulerint Deo spiritum contribulatum per pœnitentiam* (scilicet publicam) *&c.* hæc ibi.

Quòd autem hæc potestas sit judicialis, & non simplex denunciatio, profitetur idem Augustinus loco jam allegando.

XXVII. Demum Aug. l. 20. de Civ. c. 9 eâd. ed sic ait: *De hac prima resurrectione, quæ nunc est liber iste* (Apocalypsis) *sic loquitur: Cùm enim dixisset, alligari diabolum mille annis, & postea solvi brevi tempore, mox recapitulando, quid in istis mille annis agat Ecclesia, vel agatur in ea;* Et vidi, *inquit,* sedes & sedentes super eas, & judicium datum est. *Non hoc putandum est de ultimo Iudicio dici; sed sedes præpositorum* (NB) *& ipsi Præpositi intelligendi sunt, per quos Ecclesia nunc gubernatur. Iudicium autem datum nullum melius* (NB) *accipiendum videtur, quàm id, quod dictum est:* Quæ ligaveritis in terra, ligata erunt & in cælo, & quæ solveritis in terra, soluta erunt & in cælo; *unde Apostolus*: Quid enim mihi est, *inquit* de his, qui foris sunt, judicare? *Nonne de his, qui intus sunt, vos iudicatis? &c.* hæc ille. Quid clariùs dici posset, de potestate clavium sacerdotibus data judiciali, tanquam Judicibus: qui cognita causa peccatorum judicare debent, vel ad ligandum vel ad solvendum, quod sine confessione peccatorum fieri non potest, ut abunde patet, ut suprà ostensum est.

CONCLUSIO.

Plura SS. PP. testimonia pro hac veritate adduci possent, sed hæc tam clara sunt, ut abundanter sufficiant, præsertim ex Calvini confessione sæpe allegata l. 3 Inst. c. 3. §. 10. ubi dicit: *Neque opus est multùm investigando laborare, quid hic veteres senserint, quando unus Augustinus sufficere ad id potest, qui fideliter, magnâque diligentiâ omnium sententias collegit; ex illo igitur sumat lectores si qui de sensu antiquitatis certi habere velint, &c.* hæc Calv. I.

Ex hoc itaque Augustino non solùm, sed ex tot antiquis SS. Patribus ostensum est. II.

Primò, quòd detur in Ecclesia speciale sacramentum à Christo institutum, à baptismo & aliis distinctum; in quo peccata post baptismum commissa per sacerdotes ex Christi commissione dimittantur, & gratia conferatur; ut probatum est ex S. scriptura & SS. Patrum sententia.

2. Quòd Christus Apostolos eorúmque successores instituerit ministros Ecclesiæ & Vicarios suos, eisque ligandi & solvendi à peccatis potestatem dederit.

3. Quòd hæc potestas ligandi & solvendi seu clavium non sit mera annunciatio euangelica, quâ fidelibus declaretur jam esse à Deo ipsis peccata dimissa, ut vult Calv. l. 3. Inst. c. 4. §. 11. sed vera judiciaria, quâ dijudicentur peccata, an solvenda vel retinenda sint, & qualiter de illis pœnitentia agenda, & secundùm quam sacerdotes per externam sententiam vel absolvant, vel ligent; ad quod per se necessaria est confessio peccatorum in particulari, ut patet.

4. Quòd SS. Patres specialiter & ex S. Scriptura & ex his causis doceant, quòd peccata necessariò sint sacerdoti confitenda; alioquin salus animæ periclitetur; quod esse non potest, nisi esset Christi præceptum.

5. Quòd hæc confessio non debeat esse ex præcepto Christi publica, sed privata, cum multa peccata sint prorsus occulta; ex quorum manifestatione scandala maxima orirentur. Unde SS. Patres docent, quòd confessio sacerdoti vel Antistiti secretò sit de omnibus facienda; ut ipse dijudicet, de quibus in publico Ecclesiæ sit satisfaciendum, & hæc est confessio auricularis seu secreta.

Ex quibus manifestè patet, quàm blasphemè in Christi institutionem, & impudenter contra SS. PP. doctrinam Calvin. l. 3. Inst. c. 4. §. 19. loquatur, ubi ex suo cerebro adductis aliquot responsionibus ad loca S. script. pro confessione sic ait: *Nihil itaque mirum, si auricularem istam confessionem, rem adeo pestilentem, tótque nominibus Ecclesiæ noxiam damnamus, & sublatam è medio cupimus, &c.* hæc ille. Verum ipsius blasphema impudentia è medio tolletur; verbum autem Domini manet in æternum. III.

Ut autem velut in speculo veritas & falsitas juxta se posita magis pateant; sequentes Antitheses subjungemus.

ANTI-

Digitized by Google

ANTITHESES,

In quibus veritas doctrinæ Catholicæ circa Sacramentum pœnitentiæ juxta S. Scripturam & SS. Patrum sententiam, & Acatholicorum falsitas proponitur.

PRima: SS. Patres juxta S. scripturam docuerunt, *quòd lapsi post baptismum non possint pro remissione ad Baptismi Sacramentum recurrere; sed aliud pro talium peccatorum remedio à Christo institutum sit Sacramentum, scilicet pœnitentiæ:* Ita etiam docet Ecclesia Rom. Cath.

Acatholici prorsus negant, tale distinctum à baptismo institutum esse sacramentum.

2. SS. Patres nunquam hortati sunt fideles, *ut ad obtinendam peccatorum post Baptismum commissorum remissionem, in memoriam revocent baptismum, quem susceperunt; ut sic à peccatis liberentur:* Ita nec Catholica Ecclesia.

Acatholici *sine ullo S. Scripturæ vel SS. PP. testimonio volunt, lapsos per memoriam baptismi liberari.*

3. Sancti Patres secundùm S. script. docuerunt; *quòd Christus Apostolis, ipsorúmque successoribus Sacerdotibus dederit claves regni cœlorum, seu potestatem ligandi & solvendi à peccatis post baptismum commissis: non tali modo, ut Sacerdotes fidelibus* annuntient ipsis à Deo remissa esse peccata, *sed ut ipsi pœnitentes à peccatis absolvant;* Ita etiam Ecclesia Cath.

Acatholici *ex suo cerebro volunt: potestatem clavium seu solvendi & ligandi esse solùm ad hoc, ut ministri consolentur pœnitentes, & ipsis denuntient peccata à Deo dimissa.*

4. Sancti Patres juxta S. scripturam docuerunt: *quòd Christus Apostolos & ipsorum successores instituerit suos vicarios, qui vice illius, ut veri Iudices delegati potestatem habeant dijudicandi peccata ad solvendum ab iis, vel ligandum:* Ita etiam Ecclesia Cath.

Acatholici id prorsus negant.

5. SS. Patres juxta S. scripturam docuerunt: *quòd lapsi in peccata mortalia post Baptismum, de necessitate salutis pro obtinenda peccatorum remissione ad Sacerdotes recurrere teneantur.* Ita etiam Ecclesia Cath. docet.

Acatholici id derident & negant.

6. Sancti Patres docuerunt, *quòd in veteri lege sacerdotibus potestas duntaxat data fuerit examinandi lepram corporalem, & declarandi an vera esset vel non esset, at verò Christus Apostolis illorúmque successoribus sacerdotibus ad lepram animæ purgandam & tollendam dederit potestatem.* Ita etiam docet Ecclesia.

Acatholici id negant.

7. SS. Patres docuerunt contra Novatianos, *quòd non solùm Deo, sed etiam Sacerdoti peccata sint confitenda, nec solus Deus, sed etiam Sacerdotes ex Christi potestate & commissione, peccata remittant.* Ita etiam Ecclesia Cath.

Acatholici cum Novatianis volunt, *quòd soli Deo peccata sint confitenda, & solus Deus peccata dimittat.*

8. SS PP. docuerunt, *quòd sicut morbi & vulnera corporis, quantumvis occulta, medico sint manifestanda, ut curari possint: sic lapsi omnia peccata mortalia etiam cordis occultissima Sacerdoti aperire debeant, ut ab illis curentur.* Ita etiam Eccles. docet.

Acatholici id prorsus rejiciunt.

9. Sancti Patres docuerunt, *quòd lapsi omnia & singula peccata mortalia, quæ memoriæ occurrunt, Sacerdoti privatim seu auriculariter confiteri debeant: non solùm ut ipse iudicet, an illa dimittenda sint vel liganda: sed etiam, ut pro peccatis dimissis satisfactionem debitam iniungat vel privatim vel publicè faciendam.* Ita etiam docet Ecclesia Cath.

Acatholici cum Calvino *confessionem peccatorum huiusmodi privatam seu auricularem, ut pestilentem & Ecclesiæ noxiam impiè damnare non verentur.*

10. SS. Patres docuerunt, *quòd per sacramentum pœnitentiæ peccata quidem dimittantur, sed non omnis semper reatus temporalis pœnæ dimittatur, sicut in Baptismo: pro quo satisfaciendo pœnitentia seu satisfactiones sint à Sacerdote imponendæ;* Ita etiam docet Ecclesia.

Acatholici contra clarum Dei verbum & SS. Patres volunt, *quòd post dimissam culpam nullus reatus pœnæ temporalis remaneat.*

11. Sancti Patres docuerunt, *quòd ex sincera & verecunda peccatorum confessione Sacerdoti facta, pœnitentes non solùm peccatorum remissionem, sed etiam veram cordis tranquillitatem consequantur;* Ita etiam docet Ecclesia, & experientia testatur.

Acatholici *huiusmodi confessionem abominantur, & carnificinam non minus falsò quàm impiè vocant.*

12. Sancti Patres ex eo, *quòd per Sacramentum pœnitentiæ peccata omnia post Baptismum commissa quidem dimittantur, ita tamen, ut pœna temporalis luenda remaneat; illud Baptismum laboriosum & lachrimarum, ac secundam post naufragium spiritualem tabulam vocârunt,* Ita etiam Ecclesia.

Acatholici cum Calvino *has nuncupationes vel nomina vocant impia.*

13. Sancti Patres docuerunt, *quòd confessio omnium & singulorum peccatorum Sacerdoti facienda à Christo sit præcepta ad salutem necessaria, quod tum ex verbis Christi, tum ex usu Ecclesiæ à tempore Apostolorum ostenderunt.* Ita etiam docet Ecclesia.

Acatholici *negant huiusmodi confessionem à Christo esse præceptam, sed ad libitum fidelium liberam relictam, & sic tantùm ab initio Ecclesiæ volunt illam esse usurpatam, nec unquam sub præcepto esse propositam usque ad annum 1224. sub Innocentio III.* quod falsissimum est, cùm sancti Patres illam doceant esse ad salutem necessariam: quod sine præcepto Christi esse non posset: Innocentius verò, & Concil. Lateranense solum præceperunt, ut fideles mortalibus obnoxii, qui juxta præceptum Christi ex necessitate salutis ad remissionem peccatorum obtinendam aliquando confiteri tenentur, ad minus semel in anno circa Pascha hoc facere obligentur.

(*,*)

FINIS LIBRI XVII.

LIBER

LIBER XVIII.

De Sacramento extremæ Vnctionis.

CAPVT VNICVM.

ARTICULUS I.

Referuntur errores Acatholicorum circa hoc Sacramentum.

I. SCiendum; quòd, licèt hoc Sacramentum in primitiva Ecclesia creditum & usurpatum fuerit, ut infrà patebit, nulli tamen hæretici quantum videre licuit id negârint, vel illi contradixerint; unde etiam SS. Patres non multa de hoc tractârunt.

Omnium autem primi contradictores inveniuntur *VValdenses* circa annum Domini 1160. ut refert *Æneas Sylvius* lib. de Origine Boëmorum cap. 35. qui extremam unctionem Sacramentum dicebant non benedictionis, sed maledictionis; ut refert Guido Carmelita de Waldensibus.

II. Hos secuti sunt *Albigenses* circa annum 1200. ut refert B. *Antoninus* in summa Theologica parte 4. tit. 11. c. 7. §. 5. & *Lollardi* circa ann. 1315. apud *Trithemium* in Chronico Hirsaugiensi, & *Flagellantes* Anno 1350. teste Bernardo Lutzenburg. lib. de Hæresibus.

III. Similiter *VVicleff* lib. 4. Trialogi c. 25. negabat hoc sacramentum à Christo vel ab Apostolis esse institutum.

IV. Deinde *Lutherus*, sicut plerosque veterum hæreticorum errores quasi in una sentina collegit; sic & in hoc illos secutus est lib. de Capt. Babyl. c. de extrema unctione; ubi absolutè *negat extremam unctionem esse Sacramentum* propriè dictum, ex falso fundamento, ut infrà patebit; licèt ceremoniam illam non prorsus rejiciat.

V. Demum *Calvinus* suo more acerbior & audacior hoc sacramentum non solùm negat, sed multis modis subsannat l. 4. Inst. cap. 19. §. 18. dicens: *Tertium fictitium Sacramentum est extrema unctio, &c.* & post pauca: *Eiusdem rationis est ista unctio, cuius esse manuum impositionem suprà demonstravimus, nempe histrionica hypocrisis, &c.*

VI. Mirum, quod Calvinus nec ipsum Christum Dominum, qui ex luto & sputo oculos cæci linivit, & Apostolos, qui Marci 6. infirmos oleo unxerunt, & specialiter Jacobum hanc ceremoniam circa infirmos tradentem; imo totam Ecclesiam, quæ tempore Apostolorum ex confessione Calvini att. 3. alleganda illam tanquam sacramentum usurpavit; mirum, inquam, quod omnes illos histrionicæ hypocrisis non arguat; quod tamen in re facit; dum Ecclesiam, idem, quod Jacobus scribit, facientem sic condemnet.

VII. Ipse autem Calvinus dum pro suo placito ad locum Jacobi 5. & Marci 6. respondisset de usu olei apud Apostolos §. 20. sic impudenter concludit: *Ceremonia usurpari non debuit, nisi ab iis, qui curationum gratiâ præditi fuerant, non ab istis carnificibus; qui plus mactando ac trucidando valent; quàm sanando, &c.* hæc ille, quem sui imitantur.

Vult autem Calvinus hanc unctionem ab Innocentio I. qui tempore Augustini sedit institutam, ut omnes Christiani illam usurparent. *Chemnitius* verò vult illam à Felice IV. inventam, qui sedit anno 528. sic mentitur iniquitas sibi cum senioribus Babylonicis, sed veritas patebit.

ARTICULUS II.

Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa hoc Sacramentum.

PRimò hanc tradidit *Concilium Florentinum*: in quo tam PP. Latini quàm Græci unanimiter hoc inter vera Ecclesiæ sacramenta recensuerunt. I.

2. Similiter *Concil. Trident.* sess. 14. cap. 1. de institutione Sacramenti extremæ unctionis sic dicens: *Instituta est autem sacra hæc unctio infirmorum, tanquam verè & propriè Sacramentum novi Testamenti, à Christo Domino nostro; apud Marcum 6. quidem insinuatum; per Iacobum autem Apostolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum.* Infirmatur, inquit, quis in vobis, *&c. Quibus verbis, ut ex apostolica traditione per manus accepta, Ecclesia didicit; docet materiam, formam, proprium ministrum, & effectum huius salutaris sacramenti. Intellexit enim Ecclesia, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum; nam unctio aptissimè Spiritus Sancti gratiam, quâ invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat, formam deinde esse illa verba, per istam unctionem, &c.* Et cap. 3. sic ait: *Nec profectò Ecclesia Romana aliarum omnium mater & magistra, aliud in hac administranda unctione, quantum ad ea, quæ huius Sacramenti substantiam perficiunt, observat, quàm quod beatus Iacobus præscripsit, &c.*

Tandem Concilium sic definit can. 1. *Si quis dixerit, extremam unctionem non esse verè & propriè Sacramentum à Christo Domino nostro institutum, & à B. Iacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.* Et can. 2. *Si quis dixerit sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed iam cessasse: quasi olim tantum fuerit gratia curationum, anathema sit, &c.* hæc est unanimis omnium Theologorum & totius Ecclesiæ Catholicæ Fides ac sententia. II.

Pro terminorum autem notitia sciendum; quod hoc sacramentū vocetur *extrema unctio* ratione materiæ, sicut etiam baptismus vocatur sacramentum lotionis seu lavacri. Dicitur etiam *extrema*, non ex eo, quod tantum in vero mortis arti- III.

Digitized by Google

ARTICULUS III.

Veritas doctrinæ Catholicæ probatur ex sacra Scriptura.

I. PRobari solet ab aliquibus 1. ex illo Marci 6. v. 7. ubi dicitur de Christo: *Et vocavit duodecim, & cœpit eos mittere binos, &c.* & v. 12. *Et exeuntes prædicabant, &c. & ungebant oleo multos ægros & sanabant*; quod aliqui intelligunt de Sacramento unctionis jam à Christo instituto; sed hic locus à SS. Patribus allegari non solet pro hoc Sacramento: nec est verisimile illud Sacramentum tunc fuisse à Christo institutum, sed saltèm fuisse figuram & præambulum, ita ut Concil. Trid. suprà dicat, ibi fuisse insinuatum.

II. Secundus locus est certus Jacobi 5. v. 14. *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio Fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* hæc ibi.

III. Unde sic arguitur: Quandocunque constat ex verbo Dei de aliqua ceremonia, quòd habeat omnia requisita ad veram & propriam Sacramenti novæ legis rationem, tunc talis ceremonia est verum & propriè Sacramentum: atqui illa constant ex verbo Dei de ceremonia extremæ unctionis in Ecclesia usurpata, ergo, &c.

Major evidens est: nam, cui convenit Sacramenti ratio formalis, id verè Sacramentum est, licet in sacra Scriptura non nominetur Sacramentum; sic enim nec Baptismus in S. Scriptura vocatur Sacramentum. Assumptum probatur: quia ad Sacramenti rationem requiritur & sufficit etiam juxta Adversariorum judicium; quòd aliquid sit signum seu symbolum sensibile à Christo institutum, perpetuò in Ecclesia usurpandum, significans gratiam & habens gratiæ promissionem; Hæc autem extremæ Unctioni conveniunt. 1. quòd sit symbolum seu signum sensibile patet. 2. quòd sit à Christo institutum concedunt quidem Acatholici cum Calvino: sed negant 3. quòd ut perpetuò in Ecclesia usurpandum Christus instituerit; sed volunt, quòd tantùm commiserit Apostolis, & illis solum, qui tempore Apostolorum habebant gratiam curandi infirmos ut uterentur oleo sicut Apostoli Marci 6. & sic volunt Jacobum solum esse locutum de tempore Apostolorum, quid circa curandos infirmos presbyteri facerent.

IV. Calvinus suprà §. 18. infert, dicens: *Cæterùm evanuit gratia illa curationum, quemadmodum & reliqua miracula. Ut igitur maximè demus Unctionem Sacramentum fuisse earum virtutum, quæ tum per manus Apostolorum administrabantur; nihil nunc ad nos pertinet, quibus virtutum administratio concessa non est, &c.* hæc Calvinus more suo ex suo cerebro detorquens S. Scripturam à claro illius sensu ad suum proprium.

V. Tertium itaque, quòd hæc ceremonia non sit temporaliter, seu pro tempore Apostolorum instituta ad curandos morbos temporales duntaxat, sicut nec primariò per gratiam gratis datam usurpanda: probatur 1. ex ipsis verbis Apostoli Jacobi cap. 5. quia si de talibus Apostolus locutus esset, qui gratiam gratis datam curationum habebant, oportebat dixisse: Inducant talem gratiam habentes, ad infirmum, & non dixisset: Inducant presbyteros absolutè & generaliter: quia non omnes presbyteri gratiam illam curationum habebant, ùt patet ex Apostolo Paulo 1. Cor. 12. v. 10. *Alii datur, &c. gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, &c.* & v. 29. *Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Doctores? nunquid omnes gratiam habent curationum? &c.* Secundò, quia gratiam curationum habentes non adstringebantur ad certum modum vel signum, sed subinde solo verbo, subinde solo tactu, subinde umbrâ, subinde semicinctio vel sudario ad infirmos misso Apostoli curabant. Hîc autem Apostolus determinat certam materiam adhibendam & ceremoniam; scilicet *ungentes eum oleo, & orent super eum.*

VI. 3. Apostolus dicit absolutè & simpliciter: *Et oratio Fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus.* Ubi patet certa & clara promissio salutis, quæ non concernit salutem corporalem: alioquin omnes, qui tempore Apostolorum fuissent sic inuncti, non essent mortui; at hoc bene subsistit, quòd tales inuncti receperint gratiam Spiritûs Sancti, si obicem non posuerint.

4. Apostolus similiter promissionem addit de remissione peccatorum, dicens: *Et si in peccatis sit remittentur ei, &c.* ubi clarissimè patet, quòd promittatur donum spirituale animæ scilicet remissio peccatorum.

VII. 5. Quòd autem Apostolus non ex se talem promissionem dederit, sed ex institutione Christi acceperit cum aliis Apostolis, licèt ipse solus promulgârit: sicut etiam alia Sacramenta solùm ab uno aut altero Euangelista scripta sunt, &c. probatur, quia remissio peccatorum certa & infallibilis danda solùm ex Dei promissione haberi potest, ùt patet; cùm ergo Apostolus plenus Spiritu Sancto, & à Spiritu S. in scribendo directus talem promissionem absolutè adjecerit huic signo, evidens est; quòd illam à Christo audiverit & acceperit.

VIII. His convictus *Lutherus* lib. de Capt. Babylon. evadere conatus est, primò negando illam epistolam esse Jacobi, de qua suo loco probatum est agendo de libris S. Scripturæ. 2. blasphemè sic ait: *Omitto enim quòd hanc epistolam non esse Jacobi, nec Apostolico spiritu dignam multi probabiliter asserunt; & tametsi etiam esset Jacobi Apostoli, dicerem non licere Apostolo suâ authoritate Sacramentum instituere, id est divinam promissionem cum adjuncto signo dare; hoc enim ad Christum solum pertinebat, &c.* hæc præsumptuosus Lutherus audens sic temere & injuriosè Spiritum S. in Apostolo scribentem suo sensu judicatum condemnare. Verùm Ecclesia Catholica potiùs ex eo, quòd Apostolus hanc promissionem asseveranter adjecit, quam solus Christus, ùt dicit Lutherus, dare potest, clarè colligit, quòd Christus illam signo isti adjecerit, & Spiritus S. Apostolo illam in epistola promulgandam commiserit.

IX. Demum, quòd illud symbolum non solùm pro tempore Apostolorum institutum fuerit, ut vult Calv. suprà, &c. probatur ex contextu & signi effectu; deinde ex verbo Dei traduo: & quidem 1. ex contextu illius loci; quia *Apost. Jacobus* in illo cap. 5. ea scribit quæ nô solum fideles illius temporis concernebant, sed totam Ecclesiam, scilicet, dum dicit v. 8. *Patientes igitur estote & vos, &c.* & v. 11. *Sufferentiam Iob audistis, &c.* & v. 12. *Ante omnia autem fratres mei, nolite iurare, &c.*

 sit

Digitized by Google

sit sermo vester, est, est; Non, non, ut non sub iudicio decidatis. Tristatur aliquis vestrûm? oret, &c. Et infrà v. 16. *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem ut salvemini, &c.* & inter hæc ponit illa: *Infirmatur quis in vobis?* &c. quæ utique etiam ad totam Ecclesiam pertinent.

X. Probatur secundò ex effectu; quia promittitur ibi *salus & remissio peccatorum infirmo*, quæ semper in Ecclesia utilis est & necessariò requiri-
XI. tur. Probatur 3. ex verbo Dei tradito; quia, ùt Concil. Trid. suprà profitetur, doctrina hæc de Sacramento Vnctionis ab Apostolis tradita per manus Ecclesiæ usque ad nos pervenit; quòd scilicet tale ut Sacramentum verum semper usurpatum fuerit, quod ex Conciliis & Patribus jam allegandis, ac communi Ecclesiæ praxi patebit.

ARTICULUS IV.

Eadem veritas de extremæ unctionis Sacramento probatur ex Conciliis & SS. Patribus.

I. ANno 325. *Concilium Nicænum* I. ex Arabico in Latinum translatum can. 69. sic ordinat: *Transacto anno debet Sacerdos benedicere aquam & oleum, non sicut fit in Baptismo, neque sicut benedicitur Chrisma; sed sicut oleum infirmorum, &c.* hæc Concil. Ex quo patet, quòd illo tempore fuerit illud oleum in usu Ecclesiæ, sicut Chrisma, *&c.* de quo sancti Patres toties testantur.

II. *Origenes* Anno 230. Hom. 2. in Levit. ed. Basil. 1557. sic ait: *Est adhuc septima, licèt dura & laboriosa per pœnitentiam remissio peccatorum, cùm lavat peccator lachrimis stratum suum, & fiunt ei lachrimæ suæ panis die ac nocte; & non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum, & quærere medicinam secundùm eum qui ait:* Dixi, pronunciabo adversum me injustitiam meam Domino, &c. *in quo impletur & illud, quod Apostolus dicit: Si quis autem infirmatur, vocet presbyteros Ecclesiæ, & imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini & oratio Fidei salvabit infirmum, & si in peccatis fuerit, remittentur ei, &c.* hæc ille. ubi Origenes supponit, quòd ceremonia illa à S. Jacobo præscripta suo tempore sine dubio vel contradictione in Ecclesia fuerit usurpata; quam ut claram & certam supponit.

III. B. *Ephræm* circa Annum 390. in lib. de Vita spirituali, cap. 75. ed. Colon. 1603. *Si charitatis,* inquit, *officio perfungens, oleo ægrotantem inungis, fac oculos, manus, linguamque custodias, &c.* ubi supponit eundem unctionis usum.

IV. S. *Chrysost.* lib. 3. de Sacerdotio, 2. fol. ab initio de Sacerdotib. ed. Basil. 1558. sic ait: *Neque enim solùm, quum nos regenerant, sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent. Infirmatur, inquit, inter vos aliquis? Iac. 5. accersat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & obsecratio Fidei salvum reddet laborantem, & eriget eum Dominus, & si in peccatis fuerit remittentur ei, &c.* hæc ille. ubi non solùm indicat usum hujus unctionis, sed etiam, quòd illa unctio sit perpetua in Ecclesia, quam Apostolus proponit, & quòd sacerdotes habeant potestatem remittendi peccata per talem unctionem, utique ex Christi institutione; cùm Apostolus ex se tale quid promittere non potuerit vel dare sacerdotibus.

Hieronymus ad cap. 14. Oseæ, edit. Basil. 1553. V.
ait: *Sanctum virum & conversum ad Dominum olivæ fructiferæ comparat, quæ dicit alio loco:* Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei; *cuius fructum quinque sibi sapientes virgines paraverunt; ex quo vulnerum mitigatur tumor; languentis membra quiescunt; in tenebris lumen accenditur, unguntur in agone certantes, &c.* hæc ille, ubi patet, quòd supponat infirmos in agone oleo in Ecclesia inungi, utique per hoc Sacramentum.

Augustinus serm. 215. de Tempore, edit. Ba- VI.
sil. 1528. *Quoties,* ait, *aliqua infirmitas supervenerit, Corpus & Sanguinem Christi ille qui ægrotat, accipiat, & inde corpusculum suum ungat, ut illud quod scriptum est, impleatur in eo:* Infirmatur aliquis? inducat presbyteros Ecclesiæ & orent super eum, ungentes eum oleo, &c. *Videte fratres, quia qui in infirmitate ad Ecclesiam cucurrerit, & corporis sanitatem recipere, & peccatorum indulgentiam merebitur obtinere, &c.* hæc Augustinus, ubi quoque supponit, quod illa, quæ Jacobus dixit, ad totam Ecclesiam usque in finem spectent, cùm dicit; ut impleatur; similiter quòd hanc unctionem inter Sacramenta computet, quia confert cum S. Eucharistia, ut scilicet hæc ambo Sacramenta infirmis dentur, pro confortatione & remissione peccatorum.

Idem in lib. dicto Speculum, in Præfat. eâd. VII.
edit. sic ait: *Quis ignorat Scripturis sanctis,* &c. *quædam sic esse posita, ut tantùm scirentur & crederentur,* &c. *quædam verò sic esse iussa, ut observarentur & fierent, &c.* & infrà: *Alia verò etiam nunc facienda sunt,* &c. *De his igitur quæ ita sunt posita in literis sacris vel iubendo, vel vetando, vel sinendo, ut etiam nunc, id est, tempore novi testamenti ad vitam piam exercendam moresque pertineant, hoc opus quod in manus sumpsi, componere aggressus sum, ut quantum me Deus adiuvat omnia talia de canonicis libris colligam, atque ut facilè inspici possint, in unum tanquam speculum congeram, &c.* hæc in præfat. & postea August. inter sententias illas, quæ in S. Scriptura tempore novi testamenti usurpandæ habentur, etiam ponit illam Jac. 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros, &c.* unde patet falsitas Calvini, quod illæ sententiæ solùm ad tempora Apostolorum spectent.

Innocentius primus apud Jod. Cocc. tomo 2. VIII.
Thes. Cathol. lib. 7. art. 6. edit. Colon. 1601. qui sedit tempore Hieron. Chrysostomi & August. ac ab illis plurimùm fuit recommendatus epist. 1. ad Decentium Eugubinum cap. 8 sic scribit: *Sanè quoniam de hoc sicuti de cæteris, consulere voluit dilectio tua, adiecit etiam filius meus Cœlestinus Diaconus in epistola sua, esse à tua dilectione positum illud: quod in B. Iacobi Apost. epistola conscriptum est:* Si infirmus aliquis in vobis est, vocet presbyteros, & orent super eum, &c. *Quod non est dubium* (NB) *de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo Chrismatis perungi possunt, quo ab Episcopo confecto non solùm sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet in sua aut suorum necessitate ad ungendum,* &c.

Quòd autem *Innocent.* ibi non intelligat posse IX.
hanc unctionem à laicis administrari, ut Calvinus falsò dicit, patet ex sequentibus, cùm pergit Innocentius dicens: *Cæterum illud superfluum videmus adiectum, ut de Episcopo ambiga-*

ambigatur, quod presbyteris licere dubium non est. Nam idcirco de presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Ceterùm, si Episcopus aut potest, aut dignum ducit, aliquem à se visitandum, & benedicere & tangere Chrismate, sine cunctatione potest, cuius est ipsum Chrisma conficere. Nam pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus est (NB) Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi? hæc Innocentius.

X. Ex his patet manifestum Calvini mendacium, qui vult, quòd Innocentius hanc unctionem primò instituerit, & etiam concesserit; quòd quilibet Christianus illam administrare possit: nam Innocentius manifestè significat, quòd ipse ibi nihil novi in Ecclesia ordinet vel instituat, sed supponit in Ecclesia usitatum Sacramentum per S. Jacobum indicatum, prout etiam supponebat Decentius Episcopus, & solùm respondit ad dubium unum, an soli presbyteri inungi possint; ad quod respondit, quòd nullum sit dubium, quin etiam omnes fideles illo uti possint, scilicet passivè recipiendo; quod patet ex sequentibus: si enim absque dubio omnes Fideles illud ministrare possent, cur Decentius dubitabat, an Episcopi illud ministrare possent ex verbis illis Apostoli: *Inducat presbyteros, &c.* Ad quod Innocentius respondit: quòd presbyteri expressi sint ob communem necessitatem, non excludendo Episcopos, qui etiam presbyteri sunt, *&c.* unde patet, quòd Innocentius inhæreat verbis Apostoli, quòd ipsi presbyteri illud administrare possint. Patet etiam ex Innocentio, quod extra dubium supposuerit extremam Vnctionem esse unum ex veris novæ legis Sacramentis; quia pœnitentibus denegatur: nam alia impropriè dicta Sacramenta seu ceremoniæ ab hominibus ordinatæ non ita prohibebantur vel denegabantur.

XI. Demum patet, quàm falsò Calvinus dicat ibidem libro 4. cap. 19. §. 21. in fine. *At ne diutiùs sit nobis in probatione laborandum, hâc difficultate nos eorum quoque annales liberant; referunt enim Innocentium Papam, qui Augustini ætate Romanæ Ecclesiæ præfuit, instituisse, & non modo presbyteri, sed omnes etiam Christiani oleo uterentur in suam suorúmque necessitatem ungendo. Author Segebertus in Chronico, &c.* hæc Calv.

XII. Verùm, quod Innocentius id non instituerit patet ex ipsius claris verbis; & nec ipse Segebertus id dicit, sed solùm refert verba Innocentii: & si Segebertus longè posterior id de Innocentio dixisset ex falsa sua opinione, quid hoc ad rem? cùm veritas ex ipso Innocentio & ex tot Patrum testimoniis constet.

CONCLVSIO.

I. Itaque ex prædictis constat, quod extrema Unctio, prout in Ecclesia usurpatur, sit per sanctum Jacobum promulgata, & à Christo ipso instituta, ut verum Ecclesiæ Sacramentum semper in illa usurpandum; cùm ita Ecclesia universalis ab initio intellexerit, & sanctos Patres in usu fuisse expressè indicatrix.

II. Ad hæc hujus extremæ Unctionis usum non solùm, verùm etiam, quòd verum novæ legis Sacramentum sit, sicut Baptismus, Ecclesia Græca semper agnoverit, etiam postquam ab Ecclesia Romana Catholica defecerat; quod signum est, Græcos hanc doctrinam ab antiquis sanctis Patribus accepisse; quod ipsum profitetur *Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus* Respons. 1. cap 7. ubi enumerat *septem Ecclesiæ Sacramenta*, & dicit: non esse plura nec pauciora, & inter illa extremam Vnctionem recenset, de qua sic ait: *Sacrum verò oleum, & hoc nobis est traditum, & ipsum est divinum Sacramentum, divinæ nobis misericordiæ typum repræsentans, quod in redemptionem & sanctificationem illis, qui à peccatis convertuntur, conferri solet, & ex multis infirmitatibus nos sublevat, eósque qui (NB) illo dignè utuntur, sanctificat, &c.* hæc ille. Juxta

III. hæc ultimatè cum D. Augustino libro quarto de Baptismo contra Donatistas, cap. vigesimo quarto editione Basil. 1528. sic concluditur: *Quod universa*, ait, *Ecclesia tenet, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur, &c.* hæc ille. Atqui hæc extrema Vnctio non legitur ab aliquo Concilio instituta, sed ab Apostolo Jacobo significata, & semper in Ecclesia retenta est, ac veram Sacramenti rationem habet; proinde rectissimè creditur ab Apostolis ut Sacramentum à Christo institutum Ecclesiæ traditum esse. Vnde cum eodem Augustino

IV. epistolâ 118. eâdem editione dicendum: *Si quid per orbem frequentat Ecclesia, hoc quin ita faciendum sit, disputare, insolentissima insania est.* Constat autem, quòd non tantùm hodie per universum orbem Latinum & Græcum hoc verum Sacramentum frequentetur, sed in antiqua tota Ecclesia semper frequentatum fuerit, nec aliud eius initium, quam à tempore Apostolorum fuisse ostendi potest. Insolentissima igitur insania est & blasphemia, quòd Acatholici cum suo Calvino non solùm hoc Sacramentum negent, sed etiam ut histrionicam hypocrisin condemnent. Vt autem veritas velut in speculo pateat, sequentes Antitheses subjunguntur.

ANTITHESES,

In quibus veritas doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ circa Sacramentum extremæ Vnctionis & falsitas Acatholicorum proponitur.

Prima: *Sancti Patres docuerunt*; quòd illa verba Jacob. 5. Infirmatur quis in vobis, &c. *Ad fideles usque in finem mundi spectent.* Ita etiam Ecclesia Cathol. docet.

Acatholici id cum Calvino negant.

2. Sancti Patres nusquam docuerunt; *quòd illa infirmorum unctio à S. Iacobo commendata à Christo solùm directa fuerit ad curandos morbos corporales per illos; qui gratiam curationis habebant: idque duntaxat pro tempore Apostolorum, quo talis gratia vigebat, &c.* Hos non docet, sed damnat Ecclesia.

Acatholici cum suo Calvino id sine sacræ Scripturæ vel sanctorum Patrum testimonio affirmant.

Digitized by Google

3. SS. Patres expresse tradiderunt; *quòd unctio infirmorum iuxta praescriptum Iacobi Apostoli in primis Ecclesiae saculis fuerit usurpata; nec aliquos circa hoc dubium vel contradictionem movisse indicant.* Ita etiam tradit Ecclesia Catholica.

Acatholici id negant.

4. *Innocentius primus*, qui sedit tempore D. Augustini, Hieronymi & Chrysostomi, asserit; *quòd Ecclesia sine dubio intellexerit locum illum Iacobi de unctione infirmorum ad fideles infirmos pertinere, eámque iuxta id quod Apostolus conscripsit à presbyteris & Episcopis tantùm administrari debere in oleo ab Episcopo benedicto*, &c. *ex quo evidens est, quòd Innocentius illam unctionem non instituerit.* Ita etiam docet & credit Ecclesia.

Acatholici aliqui volunt, quòd hæc unctio primùm sit instituta à Felice IV. qui sedit Anno 525. Alii cum Calvino falsò allegantes Annales Segeberti, volunt Innocentium esse institutorem contra expressa Innocentii verba & tot antiquorum Patrum allata testimonia.

5. SS. Patres docuerunt; *quòd iuxta verba Apostoli Iacobi per unctionem illam infirmis principaliter & infallibiliter gratia & remissio peccatorum conferatur si obex, non ponatur.* Ita etiam docet Ecclesia Cathol.

Acatholici cum hæreticis posteriorum sæculorum id negant.

6. SS. Patres eò ipso, dum ut certum docuerunt, *quòd unctio illa infirmorum per S. Apostolum promulgata semper in Ecclesia sit observanda, & per illam remissio peccatorum conferatur; etiam certò supposuerunt illam esse Sacramentum verùm novæ legis à Christo institutum, cùm nullus alius tale signum instituere possit.* Ita etiam credit & docet Ecclesia Cathol.

Acatholici cum hæreticis posteriorum sæculorum hanc Unctionem detestantur, & Sacramentum esse negant.

7. Patres Græci etiam post schisma ab Ecclesia Latina factum, *non solùm iuxta verba Apostoli unctionem infirmorum semper usurpàrunt; verùm etiam illam verum & divinum novæ legis Sacramentum esse iuxta traditionem antiquorum Patrum docuerunt.* Ita etiam Ecclesia Cathol.

Acatholici Græcos schismaticos pro suis in Fide confratribus cupientes & allegantes, ista negant & damnant.

Ex his evidens est, quòd Acatholici contra clara S. Scripturæ verba, claram etiam antiquæ Ecclesiæ doctrinam & usum hoc Sacramentum negent.

LIBER XIX.

De Sacramento Ordinis.

CAPUT I.

De Ordinibus sacris.

ARTICULUS I.

Referuntur errores Acatholicorum circa hoc Sacramentum.

I. QUamvis celeberrimum sit nomen Ordinis apud sanctos Patres ac illius usus; non tamen apparet, quòd ulli hæretici illum negârint, sed & ipsi suas ordinationes habuerunt; donec tandem circa Annum 380. *Massaliani* sub Valentiniano & Valente Imperatoribus, de quibus *Damascenus* lib. de Hæresibus editione Basil. 1575. sub illorum titulo refert inter alios turpissimos ab ipso enarratos errores dicens: *Neque enim (fatentur) aut Baptismo Ecclesiæ, aut Clericorum ordinationibus omnino Spiritûs Sancti participes eos fieri, qui sacrâ aquâ expiantur; sed eos demum, qui paulò studiosiùs socios se eorum precum orationúmque præbebant, &c.* hæc Damasc.

II. *Martinus Lutherus* lib. de Capt. Babylon. cap. de Ordine, absolutè sic ait: *Sacramentum Ordinis Ecclesia Christi ignorat, inventúmque est ab Ecclesia Papæ*, &c.

Idem Lutherus lib. adversus Articulos Lovaniensium sic ait: *Ordo non est Sacramentum, sed officium aut vocatio ministrorum, qui ad Ecclesiæ gubernationem vocantur.*

Calvinus, etsi subinde duo tantùm novæ legis Sacramenta esse contendat: tamen lib. 4. cap. 19. §. 31. sic ait: *Superest impositio manuum, quam ut in veris legitimísque ordinationibus Sacramentum esse concedo, &c.* Et ibidem §. 28. dicit: *quantùm ad verum presbyterii munus attinet, quod ore Christi nobis est commendatum, libenter eo loco habeo. Illic enim ceremonia est, primùm ex Scripturis sumpta, deinde quam non esse inanem nec supervacuam, sed fidelem spiritualis gratiæ symbolum, testatur Paulus. Quòd autem tertium in numero non posui, eò factum est, quod non ordinarium nec commune est apud omnes fideles, sed ad certam functionem specialis ritûs, &c.* hæc ibi. ubi clarè fatetur ordinationem ministrorum Ecclesiæ per impositionem manuum esse verum Ecclesiæ Sacramentum; nec Ecclesia Catholica illud ad omnes fideles extendit. III.

Verùm in hoc contradicit Fidei Catholicæ; quòd neget, per illam Ordinationem ex Christi instituto constitui sacerdotes ad offerendum incruentum Corporis & Sanguinis Domini sacrificium; nec ad peccatorum remissionem; unde

Digitized by Google

de ibidem subdit: *Euangelii enim sui & mysteriorum dispensatores ordinari iussit Christus, non victimarios inaugurari, &c. Spiritus Sancti gratiam promisit, non ad peragendam peccatorum expiationem; sed ad gubernationem Ecclesiæ ritè obeundam ac sustinendam, &c.* hæc ille non minùs impiè, quàm audacter pro suo cerebro pronunciat.

V. Verùm quòd sacerdotes etiam ad absolvendum à peccatis à Christo instituti sint, suprà in materia de Pœnitentia ostensum est. Similiter quòd ad offerendum sacrificium, libro de Sacrificio Missæ ex S. Scriptura probatum est.

VI. Idem ibidem Cap. 19. §. 24. & 33. quoad Subdiaconatum & quatuor minores Ordines, negat illos esse veros ecclesiasticos Ordines, vel certo numero contineri; sed vult aliquos ex ipsis olim quidem extitisse, sed non ut Ordines, sed ut simplicia ministeria, ad quæ secundùm libitum Ecclesiæ Pastorum aliqui admitterentur vel amoverentur; deridet autem ibidem §. 24. *Ordinem Exorcistarum.*

Idem invehitur ibidem §. 27. contra *Clericorum unctionem*, & deridet §. 30. & 31. dicens: *Hoc est (si Deo placet) sacrum oleum, quod characterem indelebilem imprimit. Quasi vero oleum pulvere & sale abstergi non possit, aut (si tenacius adhæsit) sapone, &c.* hæc ille pro blasphemo suo more.

VII. Mirum, quòd non idem objecerit Apostolis, qui oleo infirmos ungebant, *&c.* ubi Calvinus etiam fraudulenter declinat à doctrinæ Catholicæ sensu, imponens ei; quòd doceat per unctionem sacerdotes accipere gratiam & characterem, non verò per impositionem manuum ordinari. Veritas ex sequentibus patebit. Licèt autem Ecclesia non doceat per hanc unctionem imprimi in hoc Sacramento characterem; attamen id credit fieri in Confirmatione.

ARTICULUS II.

Proponitur doctrina Ecclesiæ Catholicæ quoad Sacramentum Ordinis.

I. HÆc traditur à Concilio Tridentino sess. 23. cap. 1. ubi sic ait: *Sacrificium & Sacerdotium ita Dei ordinatione coniuncta sunt; ut utrumque in omni lege extiterit. Cùm igitur in novo testamento sanctum Eucharistiæ sacrificium visibile ex Domini institutione Catholica Ecclesia acceperit; fateri etiam oportet, in ea novum esse visibile & externum Sacerdotium, in quod vetus translatum est. Hoc autem ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse, atque Apostolis, eorùmque successoribus in sacerdotio, potestatem traditam consecrandi, offerendi, & ministrandi Corpus & Sanguinem eius, nec non & peccata dimittendi & retinendi sacræ literæ ostendunt; & Catholicæ Ecclesiæ traditio semper docuit.*

II. Item cap. 2. de aliis Ordinibus sic dicit: *Cùm autem divina res sit tam sancti sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quò digniùs & maiori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures & diversi essent ministrorum Ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi; ut qui iam clericali Tonsurâ insigniti essent, per minores ad maiores ascenderent. Nam non solùm de sacerdotibus, sed & de Diaconis sacræ literæ apertam mentionem faciunt, & quæ maximè in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent: Et ab ipso Ecclesiæ initio sequentium ordinum nomina, atque uniuscuiusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scilicet, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris & Ostiarii in usu fuisse cognoscuntur; quamvis non pari gradu. Nam Subdiaconatus ad maiores Ordines à Patribus & sacris Conciliis refertur, in quibus & de aliis inferioribus frequentissimè legimus.*

His præmissis, declarat de Sacramento Ordinis cap. 3. sic dicens: *Cùm Scripturæ testimonio Apostolicâ traditione & Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem quæ verbis & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, Ordinem esse verè & propriè unum ex septem sanctæ Ecclesiæ Sacramentis, &c.* Juxta hæc Concilium sequentes Canones subjicit. III.

Can. 1. *Si quis dixerit, non esse in novo testamento sacerdotium visibile & externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi & offerendi verum corpus & Sanguinem Domini, & peccata remittendi & retinendi; sed officium tantum & nudum ministerium prædicandi Euangelium, vel eos, qui non prædicant, prorsus non esse sacerdotes, anathema sit.* IV.

Can. 2. *Si quis dixerit, præter sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines & maiores & minores; per quos, velut per gradus quosdam, in sacerdotium tendatur, anathema sit.* V.

Can. 3. *Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram ordinationem, non esse verè & propriè Sacramentum, à Christo Domino institutum; vel esse figmentum quoddam humanum excogitatum à viris rerum ecclesiasticarum imperitis; aut esse tantùm ritum quendam eligendi ministros verbi Dei & Sacramentorum, anathema sit.* VI.

Can. 4. *Si quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum; ac proinde frustra Episcopos dicere: Accipe Spiritum Sanctum; aut per eam non imprimi characterem; vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, anathema sit.* VII.

Can. 5. *Si quis dixerit, sacram Unctionem, quâ Ecclesia in sancta Ordinatione utitur, non tantùm non requiri, sed contemnendam & perniciosam esse. similiter & alias Ordinis ceremonias, anathema sit.* VIII.

Can. 6. *Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divinâ ordinatione institutam: quæ constat ex Episcopis, presbyteris & ministris, anathema sit.* IX.

Demum Can. 7. *Si quis dixerit, Episcopos non esse presbyteris superiores; vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem; vel Ordines ab ipsis collatos sine populi vel potestatis sæcularis consensu, aut vocatione irritos esse, aut eos, qui nec ab ecclesiastica & canonica potestate ritè ordinati nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi & Sacramentorum ministros, anathema sit.* X.

Hæc Concilium. In quibus omnes Catholici consentiunt, quæ de Fide certa sunt; licèt in multis aliis, quæ de Fide non sunt, inter se more scholastico discrepent, nos ea, quæ Fidei sunt, prosequemur.

Pro majori verò Ecclesiæ doctrinæ intelligentia, sciendum primò: quòd nomen *Ordo*, multifariè usurpetur 1. latissimè, quatenus plura diversa juxta aliquam proportionem inter se ordinata dicuntur, sic Ordinem describit Augustinus lib. 19. de Civ. cap. 13. editione Basil. 1528. dicens: *Ordo est rerum parium dispari-* XI.

Digitized by Google

pariúmque sua cuique loca tribuens, dispositio.

2 Sumitur minùs latè; pro quovis statu vel gradu eminentiore in Republica; sic dicitur ordo senatorius, equestris, *&c.* quo sensu plebei non dicuntur habere gradum, nec esse in ordine.

3. Strictiùs usurpatur pro *Ordine ecclesiastico*, idque dupliciter: semel pro quocunque in Ecclesia statu, qui specialiter divinis obsequiis dedicatur, etsi illa non referantur ad sacrificium Missæ: hoc modo status Religiosorum seu Monachorum dicitur. Ordo subinde à sanctis Patribus, ut à *Dionysio Areopagita* libro de ecclesiastica Hierarchia cap. 6. similiter status viduarum seu virginum Diaconissarum: quarum officium erat mulieres baptizandas instruere, ùt notat *Epiphanius* in compendiaria doctrina.

XII. Verum propriè Ordines in Ecclesia à sanctis Patribus nuncupantur illi, qui certo ritu sacro & solemni ab Episcopo conferuntur ad exequendum validè vel debitè aliquem actum sacramentalem, seu ad præstandum aliquem actum circa sacrificium Missæ: & hoc modo tantùm *septem sunt Ordines*: quos ex Concilio Trident. jam retulimus. Nam licèt Episcopatus sit gradus eminentior, quàm simplex sacerdotalis, tamen in ordine ad sacrificium comprehenditur sub sacerdotio, sic enim Episcopi sunt summi Sacerdotes, & Episcopatus includit sacerdotium.

XIII. Sciendum 2. quòd Ordo dupliciter iterum usurpetur: semel pro ipso gradu seu statu & potestate; quam aliquis accipit per ordinationem. Nam ille gradus & status aut potestas semper manet in ordinato, & sic aliquis dicitur esse in ordine seu statu Ecclesiæ eminentiore vel ecclesiastico.

2. Sumitur Ordo pro ipsa actione, vel potiùs pro ipso Sacramento, per quod homo in tali statu constituitur, ac talem potestatem consequitur, quæ propriè dicitur ordinatio. Nam hæc consistit in actione Episcopali, in qua adhibet ordinato materiam & formam hujus Sacramenti; & ideo Concilium suprà dicit cap. 3. *Per Ordinationem, quæ verbis & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri.* Et Can. 3. *Si quis dixerit Ordinem sive sacram Ordinationem non esse verè & propriè Sacramentum,* &c. *anathema sit.* Nam Ordo ut est status seu gradus, non est Sacramentum, sed effectus Sacramenti seu Ordinationis.

His præmissis aliqua de his Ordinibus de Fide certa sunt; aliqua verò ab Ecclesia non sunt determinata, & salvâ Fide inter Theologos & Canonistas disputantur.

XIV. Primò igitur certum est, quòd detur gradus Episcopatus distinctus à gradu sacerdotii; an autem sit distinctus ordo disputatur: Concors tamen sententia est, quòd Episcopatus sit excellentior habens ex jure divino potestatem consecrandi sacerdotes, quam simplex sacerdos non habet.

XV. Secundò certum est de Fide; quòd sacerdotium sit status & Ordo à Christo institutus; & similiter præter Episcopatum & sacerdotium sint alii sex Ordines ecclesiastici divinâ ordinatione instituti; prout partim ex S. Scriptura, partim ex verbo Dei tradito & sanctis Patribus constat; an autem singuli isti sex Ordines etiam sint verum Ecclesiæ Sacramentum disputatur. At verò de sacerdotio, quòd verum sit Ecclesiæ Sacramentum de Fide certum est, ùt probabitur. Vnde constat, quòd non sit idem in Ecclesiæ doctrina, quod aliquis gradus etiam divinitus institutus, sit Ordo, & sit Sacramentum; quia ad Ordinem sufficit, quòd sit divinitùs institutus, seu ministerium ad functiones ecclesiasticas obeundas: ad Sacramentum verò requiritur; ut in ordinatione seu collatione talis ministerii conferatur gratia sanctificans, *&c.* hanc autem in Ordinatione Episcopi & sacerdotis conferri certum est; sed non ita certum est de ordinatione aliorum. Qui tamen asserunt singulos Ordines esse Sacramentum, etiam docent, quod conferant gratiam, non tamen plura constituant Sacramenta; quia licèt singula sint Sacramenta, eò tamen quod ad unum finem ordinentur, scilicet ad conficiendum S. Eucharistiam sive per se, sive ad illam ministrando, unum tantùm sint Sacramentum; sicut etiam Eucharistia sub specie panis est proprie Sacramentum, & etiam sub specie vini, nihilominus unum constituunt Sacramentum.

Quamvis circa hæc plura dicenda essent, quia tamen propositum nostrum est, probare quòd Ordo sit verum Ecclesiæ sacramentum contra Acatholicos, sufficiet id de sacerdotio & Episcopatu probare. Nihilominus ostendemus priùs, quod præter Episcopatum, presbyteratum & Diaconatum, quinque alii Ordines ab initio Ecclesiæ in usu fuerint, & ab Episcopis collati, *&c.* quod Calvinus negat lib. 4. Instit. cap. 19. §. 27. de illis quinque Ordinibus dicens: XVI.
Vt paucis absolvam, dico absurdum esse, quòd in scholis & concionibus minores istos Ordines Sacramenta faciant; quando eorum etiam qui hoc tradunt confessione primitivæ Ecclesiæ incogniti fuerunt, & multis postea annis excogitati. Sacramenta autem cùm Dei promissionem contineant, neque ab Angelis neque ab hominibus, sed à solo Deo instituti debent, cujus unius est promissionem dare, &c. hæc ille. Verùm quàm crassè Calvinus mentiatur, ex sequentibus patebit.

ARTICULUS III.

Ostenditur quòd Episcopatus, Presbyteratus & Diaconatus sint veri gradus in Ecclesia Dei divinitùs instituti.

HÆc ita generaliter posita ex S. Scriptura clarissima sunt: 1. probatur I.
ex illis verbis, ubi dicuntur in Ecclesia esse diversi gradus & ministeria, utpote Rom. 12. v. 6. *Habentes autem donationes secundùm gratiam, quæ data est nobis differentes, sive prophetiam secundùm rationem Fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina*, &c. Et 1. Cor. 12. v. 4. *Divisiones gratiarum sunt.* Item *divisiones ministrationum sunt, &c.* & *divisiones operationum sunt, &c.* Et ibidem v. 28. *Quosdam Deus posuit in Ecclesia, primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, &c.* & v. 29 *Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores?* &c.

Iterum ad Ephes. 4. v. 11. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios*

Digitized by Google

alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sacramentorum in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem Fidei & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, &c. Ex quibus evidens est, quòd ex Dei ordinatione usque ad finem mundi in Ecclesia talia sint ministeria.

II. Quòd autem inter illa ministeria sint Episcopatus, prebyteratus & Diaconatus, probatur specialiter Act. 20. v. 28. ubi dicit Apostol. *Attendite vobis & universo gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, &c.*

De presbyteris 1. Timoth. 5. v. 17. *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina, &c.*

Item 1. Tim. 4. v. 14. *Noli negligere gratiam quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii:* similiter ad Tit. 1. v. 5. *Huius rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates presbyteros; sicut & ego disposui tibi, &c.*

III. Notandum autem circa hæc loca cum sanctis Patribus præsertim Chrysostomo in commentariis ad hæc loca, quòd Scriptura illa nomina Episcopi & presbyteri indifferenter sæpe sumat; tum pro Episcopis, tum pro presbyteris: ut subinde per presbyteros intelligantur Episcopi, & per Episcopos tam Episcopi quàm presbyteri; licèt eorum nomina & officia essent distincta, in hoc tamen convenirent: quòd uterque sit sacerdos adeóque unum constituant Ordinem, ùt ex sanctis Patribus patebit.

IV. *De Diaconis* etiam patet ex S. Scriptura; quòd autem non solum pro mensis deputati sint, licèt occasione illorum primi Diaconi fuerint ordinati Act. 6. tamen ibidem patet, quod officium illorum non erat primarium pro ministerio mensarum; cùm ibidem præviâ oratione & cum impositione manuum elegerint viros plenos Spiritu S. qui etiam verbum Dei prædicabant, ut *Stephanus & Philippus*, qui faciebant signa & prodigia magna in populo, *&c.* Et patet ulteriùs; quia in aliis locis, ubi mensæ non erant communes, tamen Diaconi sunt ordinati, utique ex Dei voluntate, ut videre est 1. Tim. 3. ubi, postquam Apostolus de Episcopis ordinandis erat locutus, subjungit v. 8. dicens: *Diaconos similiter pudicos non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium Fidei in conscientia pura, & hi autem probentur primùm: & sic ministrent nullum crimen habentes.* Et infrà: *Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent, &c.*

V. Item Apostolus Diaconos passim cum Episcopis salutat, tanquam specialem in Ecclesia gradum habentes; ùt patet ad Philipp. 1. v. 1. *Paulus & Timotheus, &c. omnibus Sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis cum Episcopis & Diaconibus, &c.*

VI. Quæ autem officia fuerint Episcoporum, Sacerdotum & Diaconorum, etsi non omnia in S. Scriptura exprimantur, tamen ex traditione & sanctorum Patrum testimoniis constant.

1. Quòd *sacerdotes* sint instituti ad consecrandum & offerendum Corpus & Sanguinem Domini in Eucharistia; ad prædicandum Euangelium, & remittenda peccata.

VII. 2. *Episcopi* autem cùm sint veri & primi sacerdotes, præter illa etiam habent potestatem ordinandi & consecrandi sacerdotes, & baptizatos confirmandi; præter gubernationem super sacerdotes seu presbyteros. De cõsecratione Eucharistiæ constat ex iis quæ lib. de Sacramento Eucharistiæ ostensa sunt de ordinandis sacerdotibus patet ex illo ad Tit. 1. suprà: *Vt constituas per civitates presbyteros:* Titus enim Episcopus erat.

De officio *Diaconorum* in Ecclesia etiam constat ex sanctis PP. quòd assisterent & ministrarent sacerdoti offerenti & populo S. Eucharistiam distribuerent, prout ex testimoniis sanctorum Patrum infrà allegandis patebit. VIII.

De superioritate Episcoporum etiam patet 1. Tim. 5. v. 19. *Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus, &c.* Timotheus autem erat Episcopus, coram quo, ut judice, sacerdotes conveniri poterant. IX.

SS. Patres supponebant Episcopos Apostolis, & presbyteros 72. discipulis in officio successisse; unde & Act. 1. in locum Judæ ad complendum Apostolorum duodecimum numerum per Spiritûs S. directionem electus est Matthias unus ex septuaginta discipulis: unde sancti Patres semper supposuerunt Episcopos à Christo in eminentiore gradu collocatos esse, ùt infrà manifestè patebit. X.

ARTICULUS IV.

Quòd Episcopi Sacerdotibus & Diaconis superiores sint, & quænam inter hæc tria munia sit distinctio; probatur ex SS. Patribus.

SAnctus *Ignatius Martyr* B. Joannis Apostoli discipulus epist. ad Philadelph. edit. Colon. 1569. sic scribit: *Boni sunt sacerdotes & sermonis ministri, melior autem est Pontifex: cui credita sunt secreta Dei, &c.* I.

Idem Epist. ad Trallianos eâd. edit. *Veneremini autem & Episcopum vestrum, secundùm quod vobis beati Apostoli præceperunt.* Et infrà: *Qui enim extra Altare constitutus est, extra Episcopum & presbyteros & Diaconos aliquid agens, qui talis fuerit, pollutus est conscientiâ, & est deterior infideli, &c.*

Idem ibid. ad Trall. *Oportet ergo, ait, & Diaconis qui sunt in ministerium Iesu Christi omni modo placere: non enim in cibo & potu sunt ministri* (NB) *sed ministerii Ecclesiæ Dei.*

Clemens Romanus can. 40. Apostolorum edit. cit. sic ait: *Presbyteri & Diaconi præter Episcopum nihil agere prætendent; nam Domini populus ipsi commissus est, & pro animabus eorum hic redditurus est rationem, &c.* II.

Idem constit. Apostol. lib. 8. cap. 34. eâd. edit. dicit: *Diaconus non benedicit non dat benedictionem; accipit autem ab Episcopo & presbytero; non baptizat, non offert; offerente Episcopo vel presbytero, ipse dat populo, non veluti sacerdos, sed veluti ministrans sacerdoti, &c.* hæc Clemens.

Irenæus lib. 3. cap. 3. ed. Colon. 1596. *Habemus, ait, annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi & successores eorum, &c. etenim si recondita mysteria scissent Apostoli, quæ & seorsim & latenter ab reliquis perfecto sdocebant, his vel maximè traderent ea; quibus etiam ipsas Ecclesias committebant, &c.* III.

Origenes Homil. 7. in Jeremiam edit. Basil. 1557. sic ait: *Plùs à me* (presbytero) *exigitur,* IV.

quàm

quàm à Diacono, plus à Diacono, quàm à Laico, qui verò totius Ecclesiæ arcem obtinet (Episcopus) *pro omni Ecclesia reddit rationem.*

V. *Eusebius Cæsariensis* lib. 6. Histor. Eccles. cap. 33. edit. Basil. 1549. *Is ergo*, scilicet Novatus, *qui Euangelium vendicabat in Ecclesia Catholica* (Romana) *unum Episcopum esse debere: ubi videbat esse presbyteros quadraginta & sex, Diaconos septem*, &c.

VI. *Epiphanius* Hæresi 75. contra Aërianos edit. Basil. 1580. sic ait: *Episcoporum ordo Patrum generator est, Patres enim generat Ecclesiæ; presbyterorum verò non potens generare Patres, per lavacri regenerationem generat filios Ecclesiæ; non tamen Patres aut Doctores*, &c. *decepit autem Aërium nugacitas ipsius & æmulatio; profert autem ad errorem suum*, &c. *quod Apostolus scribit presbyteris & Diaconis, & non scribit Episcopis*, &c. *Quare est*, inquit, Aërius, *idem Episcopus & presbyter, &c.* ubi Epiphanius ipsius argumentum refutat, & Apostoli verba explicat.

VII. *Tertullianus* lib. de Baptismo, editione Basil. 1562. sic ait: *Dandi habet ius Baptismum summus sacerdos, qui est Episcopus: dehinc presbyteri & Diaconi, sed non sine Episcopi authoritate propter Ecclesiæ honorem; quo salvo, salva pax est; alioquin etiam laicis ius est, &c.* scilicet baptizandi in necessitate.

Idem de præscriptione adversus hæreticos num. 16. eâd. edit. *Nusquam*, ait, *facilius proficitur, quàm in castris rebellium ubi ipsum esse illic, promereri est. Itaque alius hodie Episcopus, cras alius, hodie Diaconus, qui cras lector; hodie presbyter, qui cras laicus, &c.* Ecce morem modernorum Acatholicorum.

VIII. *Cyprianus* Epist. 27. edit. Antwerp. 1568. *Dominus noster, cuius præcepta metuere & observare debemus, Episcopi honorem & Ecclesiæ suæ rationem disponens dicit Petro:* Ego dico tibi, quia tu es Petrus, *&c.* & infrà: *Cum hoc itaque divinâ lege* (NB) *fundatum sit; miror quosdam audaci temeritate sic mihi scribere voluisse; quando Ecclesia in Episcopo & clero & in omnibus stantibus sit constituta*, &c.

Idem *Cyprianus* lib. seu serm. 5. editione Basil. 1543. qui est de Lapsis sic ait: *Ubi verò solemnibus adimpletis calicem Diaconus præsentibus offerre cœpit, & accipientibus cæteris locus eius advenit; faciem suam parvula instinctu divinæ maiestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare, perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licet, de Sacramento Calicis infudit, &c.* ubi patet officium Diaconi.

IX. *Concilium Antiochenum* Anno 340. cap. 5. *Si quis presbyter vel Diaconus, contempto suo Episcopo, seipsum ab Ecclesia segregaverit, & privatim apud se collectis populis, Altare erigere nisus fuerit, deponatur.*

X. *Ambrosius* ad cap. 1. prioris ad Corinthios ed. Paril. 1569. *In Episcopo*, ait, *omnium ordinationum dignitas est; Caput est enim cæterorum membrorum*, &c.

Idem ad cap. 4. ad Ephes. eâd. edit. *In Episcopo*, inquit, *omnes Ordines sunt; quia priùs sacerdos est, hoc est, Princeps sacerdotum est, & Propheta, & Euangelista & cætera ad implenda officia Ecclesiæ in ministerio fidelium*, &c.

Item ad cap. 3. prioris ad Timoth. ibidem *Episcopi*, ait, *& presbyteri una ordinatio est; uterq; enim sacerdos est, sed Episcopus primus est; ut omnis Episcopus presbyter sit, non tamen omnis presbyter Episcopus; Hic enim Episcopus est, qui inter presbyteros primus est*, &c.

Demum lib. 1. Offic. cap. 41. de sancto Laurentio edit. Rom. 1580. sic refert: *Qui* Laurentius *cùm videret Sixtum Episcopum suum ad martyrium duci, &c. his verbis appellare cœpit: Quò progrederis sine filio Pater? Quò Sacerdos sancte sine Diacono properas? Nunquam sacrificium sine ministro offerre consueveras, &c. Experire certè, utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem, cui consummandorum consortium est Sacramentorum huic consortium tui Sanguinis negas, &c.* hæc Ambros. quoad officium Diaconi. XI.

Hieronymus ad Oceanum Epist. 83. edit. Basil. 1553 in principio, *Miror*, ait, *te unum protraxisse in medium, cùm omnis mundus his ordinationibus plenus sit; non dico de presbyteris non de inferiore gradu, ad Episcopos venio*, &c. XII.

Idem lib. de Viris illustr. editione Antwerp. 1579 scribit de Jacobo fratre Domini dicens: *Iacobus*, &c. *post passionem Domini statim ab Apostolis Hierosolymorum Episcopus ordinatus, &c.* Ex quo patet, quòd inter Episcopos & presbyteros etiam in re ipsa tempore Apostolorum erat differentia; licèt subinde eodem nomine Episcopi nuncuparentur, ùt diversi Patres notârunt.

Item epistolâ 85. ad Evagrium edit. Basil. cit. *Quid*, ait, *facit, exceptâ ordinatione Episcopus, quod presbyter non faciat? &c.* ubi, licèt in pluribus Episcopos æquiparet presbyteris, attamen manifestè tradit, quòd soli Episcopo competat facultas ordinandi sacerdotes.

Denique *Augustinus* de Hæresibus cap. 53. ed. Basil. 1528. sic ait: *Qui* Aërius *cùm esset presbyter doluisse fertur, quod non Episcopus potuit ordinari, & in Arianorum hæresin lapsus, propria quoque dogmata addidisse nonnulla*, &c. *dicebat etiam presbyterum ab Episcopo nullâ debere differentiâ discerni, &c.* ubi Augustinus supponit certum: quòd Episcopi novâ ordinatione creandi sint, cùm presbyteri sunt, & quòd dogma hæreticum sit, presbyteros ab Episcopis non differre. XIII.

Idem ad ps. 44. circa finem edit. eâd. *Quid est*, ait, pro patribus tuis nati sunt tibi filii? *Patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis filii nati sunt tibi constituti sunt Episcopi*, &c.

Idem de Diaconorum officio lib. Quæstionum utriusque Testamenti quæst. 101. edit. eâd, ait, *Levitas sacerdotibus & Diaconos presbyteris coæquare*, &c. *Quâ lege, quâve consuetudine, quonam exemplo hoc aggredi audeat?* &c. *quæ audacia est presbyteris ministros ipsorum pares facere*, &c. *multùm distare inter Diaconum & Sacerdotem liber approbat, quem dicimus Actus Apostolorum: cùm enim ex Samaria credidissent Philippo prædicanti Diacono ab Apostolis ordinato, miserunt*, inquit, *ad Petrum & Ioannem, ut venirent, & hi qui crediderunt, darent Spiritum S.* &c. *Diaconi ergo ordo est, accipere à sacerdote & sic dare plebi*, &c. hæc August. XIV.

Ex præmissis sanctorum Patrum testimoniis tam distinctio quàm munia Episcoporum, presbyterorum & Diaconorum ab initio Ecclesiæ usurpata dignoscuntur.

(***)

AR-

ARTICULUS V.

Quòd in primitiva Ecclesia fuerit Ordo subdiaconorum, Lectorum, Exorcistarum, Acolythorum & Ostiariorum probatur ex SS. Patribus.

I. QVamvis de his ordinibus non fiat in S. Scriptura expressa mentio; tamen à tempore Apostolorum in Ecclesia usitati fuerunt; sive ab ipsis Apostolis ex divina ordinatione instituti pro reverentia sacerdotalis officii exequendi, ut tamen non sint Sacramenta vera; sive etiam ab ipso Christo, ut sint vera Sacramenta; de his Ecclesia Catholica nihil determinavit, nec ex verbo tradito certò habetur, ùt omnes Catholici Doctores fatentur.

II. Certum autem est, quòd sint sacra officia & ministeria ac veri in Ecclesia ordines ab initio usitati, etiam ex divina ordinatione instituti, ut Concil. Trid. supra can. 6. definit dicens: *Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam divinâ ordinatione institutum, quæ constat ex Episcopis, presbyteris & ministris, anathema sit.* Vbi per ministros intelliguntur alii inferiorum ordinum.

Hoc autem probatur, quia à tempore Apostolorum talia officia ùt ordines Ecclesiastici in usu fuerunt; probatur itaque ex SS. Patribus.

III. *Clemens Romanus* Discipulus S. Petri can. 43. edit. Colon. 1569. facit mentionem aliquorum ordinum dicens: *Subdiaconus aut Lector aut cantor similia faciens* (scilicet aleæ atque ebrietati deserviens) *aut desinat, aut communione privetur.* Vbi Lector & Cantor pro eodem usurpantur.

Idem lib. 3. constit. Apostol. cap. 11. ead. edit. *Neque, ait, reliquos Clericos baptizare permittimus, veluti lectores, cantores, ostiarios,* &c.

Idem lib. 8. cap. 27. eâd. edit. *Hypodiaconum cum ordinas Episcope, impones ei manus, & dices: Domine Deus,* &c. *respice hunc servum tuum electum Hypodiaconum, & da ei Spiritum Sanctum, ut dignè tractet ministratoria vasa tua,* &c.

IV. *Ignatius* apud Jod. Cocc. tom. 2. thes. Cathol. lib. 8. art. 4. edit. Colon. 1601. Epist. ad Antiochenos: *Saluto, inquit, Sanctum presbyterorum collegium, saluto sacros Diaconos, saluto Hypodiaconos, Lectores, cantores, Ianitores, laborantes, Exorcistas, confessores.* &c.

V. *Eusebius Cæsar.* lib. 6. histor. Eccles. cap. 35. *Istum lepidum, ait, Euangelii patronum Novatum omnino præterit* &c. *in qua tamen non ignorabat presbyteros esse quadraginta sex, diaconos septem, subdiaconos septem, Acolythos quadraginta duos, Exorcistas ac lectores una cum ostiariis quadraginta duos,* &c.

Idem lib. 8. cap. 6. edit. Basil. 1587. *Carceres,* &c. *tum Episcopis, presbyteris, Diaconis, lectoribus & exorcistis penitùs replebantur.*

VI. *Cyprianus* epist. 55. edit. Antverp. 1568. & Basil. 1543. lib. 1. epist. 3. *Legi literas tuas,* &c. *quas per Saturum fratrem nostrum Acolythum misisti,* &c.

Idem Epist. 77. *Quod hodie, ait, etiam geritur, ut per Exorcistas voce humanâ & potestate divinâ flagelletur, & uratur, ac torqueatur diabolus,* &c.

Idem lib. 2. Epist. 5. edit. Basil. 1543. describit *officium Lectoris*, & ritum ordinandi ipsum. Similiter lib. 4. Epist. 5. supponit lectoratum esse verum Ecclesiæ ordinem, & vocat illum gradum & honorem Ecclesiasticum, &c. Hinc patet mendacium Calvini infrà referendum.

Synodus Romana Anno 320. sub Sylvestro sic ordinat cap. 7. edit. Colon. 1538. *Pontifici presbyter, Presbytero Diaconus, Diacono subdiaconus, subdiacono Acolythus, Acolytho Exorcista, Exorcistæ Lector, Lectori Ostiarius in omni loco repræsentent obsequium,* &c. VII.

Athanasius Epist. ad solitariam vitam agentes, edit. Paris. 1581. *Ariani,* inquit, *rapuerunt Eutychium subdiaconum, virum probe Ecclesiæ inservientem, quem primum scuticis ad mortem usque caverunt verberari,* &c. VIII.

Idem in vita S. Antonii eâd. edit. *Omnes clericos, ait, usque ad ultimum gradum ante se orare compellens, Episcopis quoque & presbyteris,* &c. *caput submittebat: Diaconos verò,* &c. *ad orandum Dominum sibi proponebat,* &c. ubi patet, quod præter Episcopatum, presbyteratum & Diaconatum alii fuerint clericorum gradus in Ecclesia.

Hilarius S. Martinum ordinavit Exorcistam, ùt refert Sulpitius in vita S. Martini edit. Antverp. 1574. sic dicens: *Tentavit Hilarius imposito Diaconii officio sibi eum* Martinum *amplius implicare, & ministerio vincere divino, sed cum sæpissime restitisset, indignum se esse vociferans, Exorcistam eum esse præcepit: quam ille ordinationem, ne despexisse tanquam humiliorem videretur, non repudiavit,* &c. hæc ille. IX.

Hieronymus in cap. 2. ad Titum in fine edit. Basil. 1553. *Non solùm, ait, Episcopi, Presbyteri & Diaconi debent magnopere providere, ut cunctum populum, cui præsident, Conversatione & sermone præcedant: verùm & inferioris gradus Exorcistæ, lectores, æditui, &c.* hæc ille. X.

Idem Hieron. Epist. 3. ad Heliodorum, quæ est Epitaphium Nepotiani cap. 7. eâd. edit. sic ait: *Nepotianus fit clericus, & per solitos gradus presbyter ordinatur,* &c *Querebatur se ferre non posse, & iuvenilem ætatem incongruam sacerdotio causabatur,* &c. ubi patet, quod supponat Hieron. in Ecclesia fuisse plures ordines, per quos gradatim ad sacerdotium perveniebatur. XI.

Concilium Laodicense Anno 360. celebratum can. 24. edit. Colon. 1538 sic statuit: *Non oportet Clericos servientes à Presbyteris usque Diaconos, & deinceps Ordinis Ecclesiastici omnes usque ad ministros aut Lectores, aut Psalmistas, aut Exorcistas, aut ostiarios,* &c. *tabernas intrare.* ubi Concilium supponit tales ordines esse Ecclesiasticos. XII.

Demum concludat *Concilium IV. Carthaginense* Anno 395. celebratum, cui S. Augustinus interfuit & subscripsit; ubi non tantum referuntur isti ordines, sed in particulari describuntur, qualiter conferendi sint, sic enim habetur cap. seu can. 2. ead. edit. *Episcopus, quum ordinatur, duo Episcopi ponant & teneant Euangeliorum codicem super caput & cervicem eius, & uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis caput eius tangant.* XIII.

Cap. 3. ibid. *Presbiter quum ordinatur, Episcopo eum benedicente, & manum super caput eius tenente, etiã omnes presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas iuxta manum Episcopi super caput illius teneant.* XIV.

Digitized by Google

XV. Cap. 4. ibid. *Diaconus quum ordinatur, solus Episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat; quia non ad Sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.*

XVI. Cap. 5. *Subdiaconus, cùm ordinatur, quia manûs impositionem non accipit, patenam de Episcopi manu accipiat vacuam & calicem vacuum. De manu verò Archidiaconi urceolum cum aqua & mantile & manutergium.*

XVII. Cap. 6. *Acolythus, quum ordinatur, ab Episcopo quidem doceatur, qualiter in officio suo agere debeat; sed ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut sciat se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari; accipiat & urceolum vacuum ad suggerendum vinum in Eucharistiam sanguinis Christi.*

XVIII. Cap. 7. *Exorcista, quum ordinatur, accipiat de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi Episcopo: Accipe & commenda memoriæ; & habeto potestatem imponendi manus super energumenum sive baptizatum, sive catechumenum.*

XIX. Cap. 8. *Lector, quum ordinatur, faciat de illo verbum Episcopus ad plebem, indicans eius fidem ac vitam atque ingenium. Post hæc spectante plebe, tradat ei codicem, de quo lecturus est, dicens ad eum: Accipe & esto lector verbi Dei, habiturus, si fideliter & utiliter impleveris officium, partem cum eis, qui verbum Dei ministraverunt.*

XX. Cap. 9. *Ostiarius, quum ordinatur, postquam ab Archidiacono instructus fuerit, qualiter in domo Dei debeat conversari, ad suggestionem Archidiaconi, tradat ei Episcopus claves Ecclesiæ de altario dicens: sic age, quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur.* Hæc Concil. Carthagin. ubi etiam fit mentio Psalmistæ, sed expresse dicitur, quòd ab Episcopo non ordinetur, ac proinde Ordo non esset.

XXI. Ex horum SS. Patrum & Conciliorum clarissimis testimoniis evidens est; quòd hi Ordines ab initio in Ecclesia fuerint usurpati; ac proinde ex apostolica authoritate traditi fuerint, juxta illud sæpe allegatum D. Augustini dictum lib. 4. de Bapt. contra Donatistas cap. 24. ed. Bal. 1528. *Quod universa tenet Ecclesia nec Conciliis institutum, sed semper retentum est non nisi authoritate apostolicâ traditum rectissime creditur*, &c.

XXII. Unde crassa & impudentia Calvini non solùm mendacia, sed & turpes calumniæ confutantur, qui, ut suprà indicatum est lib. 4. Inst. c. 19 §. 27. dicit: quòd Ordines minores primitivæ Ecclesiæ incogniti fuerint, & multis postea annis excogitati. Contrarium patet ex Clemente, Ignatio Apostolorum discipulis & aliis antiquis Patribus & communi Ecclesiæ praxi, cujus non ostenditur initium in ullo Concilio, &c. licèt autem magister sententiarum lib. 4. dist. 24. dicat subdiaconatum & alios quatuor minores Ordines in initio Ecclesiæ non fuisse, hoc Calvino non suffragatur, contra tam expressa SS. Patrum testimonia.

XXIII. Similiter Calvin. malitiosè subsannat horum Ordinum consecrationes ibidem dicens §. 24. *Ne tamen mulierculis adhuc fucum faciant, traducenda est obiter eorum vanitas: creant magnâ pompâ ac solemnitate suos lectores Psalmistas, Ostiarios, Acolutos, &c.* & infrà: *Exorcistas verò in quem tandem finē consecrant? de ementitis istis Exorcistis, quis unquam fando audivit, quòd specimen unum suæ professionis ediderint? fingitur illis potestas data imponendi manus super energumenos & Catechumenos, & dæmoniacos: sed tales se potestate præditos dæmonibus persuadere non possunt, non modo, quia eorum imperiis non cedant dæmones; sed quia etiam ipsis imperant; vix enim decimum quemque reperies, qui non malo spiritu agatur: Quæ igitur de minutulis suis Ordinibus balbutiunt, confecta sunt ex infertis & insulsis mendaciis*, &c.

Idem §. præcedenti 23. subsannando dicit: *Sed imprimis spectabilis est argutia, quâ in Acoluti nomine philosophentur Ceroferarium appellantes verbo (ut arbitror) magico certe inaudito Gentibus & linguis omnibus*, &c.

XXIV. Hæc impudens Calvinus, qui ista dicens non modo modernam Ecclesiam temere subsannat, sed Concilia & SS. Patres allegatos, qui toties officia Acoluti & exorcistæ commemorant in Ecclesia usurpata, & præsertim *Cyprianus*, qui Exorcistis potestatem contra dæmones datam asserit, & Concilium Carthagin. illos ad hoc ordinari testatur.

XXV. Quàm etiam impudens & crassum sit mendacium, quòd dæmones non ejiciantur per Exorcistas in Ecclesia, & quòd decimus quisque à dæmonibus possideatur & agatur; quis non videt? cum experientia quotidiana aliud testetur; imò Acatholici in diversis locis dæmoniacos suos non ad suos prædicantes, sed ad Religiosos & Sacerdotes Catholicos exorcizandos adducunt, & sæpe juvantur, ut ab experientia constat.

CAPVT II.

De Ordine ut est Sacramentum.

ARTICULUS I.

Quòd Ordo seu ordinatio ministrorum Ecclesiæ sit verum novæ legis Sacramentum, ostenditur.

I. QUoad hoc sciendum est; quod, licèt certum sit in Ecclesia Catholica, quòd dentur septem Ordines Ecclesiastici à tempore Apostolorum, ut hactenus probatum est, non tamen certum sit, quòd omnes & singuli sint Sacramenta propriè dicta; & quidem de sacerdotali Ordine apud omnes certum est, quòd illius ordinatio sit verum Sacramēntum, qui in Episcopatu etiam includitur; licèt hic ultra sacerdotium novam potestatem & gradum addat. De reliquis 6. Ordinibus an sacramentum sint, nihil ex verbo tradito, nec ex Ecclesiæ definitione constat, ùt omnes DD. fatentur, licèt aliqui satis probabiliter de illis asserant, quòd sacramenta sint, & unū totum constituant. Nobis hîc sufficiet probasse, quòd sacerdotalis ordinatio sacramentum sit; hoc enim ad minus est determinatū in *Conc. Flor.* ubi Ordo unum ex septem Ecclesiæ sacramentis recensetur; in quo PP. Latini & Græci unanimiter consenserunt; & in Conc. Trid. clarissimè dicitur cap. 3. suprà allegato, ubi ad minus de Sa-

Digitized by Google

de sacerdotio definitur, ùt patet ex Concilii probatione, cùm dicit: *Cùm Scripturæ testimonio, apostolica traditione & Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quæ verbis & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, Ordinem esse verè & propriè unum ex septem S. Ecclesiæ Sacramentis, &c.* Quæ verba tam de sacerdotio, quàm Episcopatu ac Diaconatu intelligi possunt, cùm de his extent S. Scripturæ testimonia.

II. Probatur igitur ex S. Scriptura, Argumento S. Concilii: Quod est signum seu symbolum sensibile à Deo institutum ad significandam & conferendam gratiam ex Dei promissione, id verè novæ legis est sacramentum, ùt fatentur Acatholici: atqui ordinatio est tale signum, ergo, *&c.* quod probatur: quia ordinatio Episcopi & sacerdotis fit per impositionem manuum, quæ est signum sensibile, ùt patet Act. 13. v. 3. *Tunc ieiunantes & orantes, imponentésque eis manus, dimiserunt eos*; ubi juxta sensum SS. Patrum Paulus & Barnabas ordinati sunt Apostoli sive Episcopi & Presbyteri. Similiter 1. Tim. 4. v. 14. statim allegando. & cap. 5. v. 22. cùm dicit Apostolus: *Manus citò nemini imposueris*, SS. Patres intelligunt de ordinatione presbyteri. rursus 2. Tim. 1. v. 6. *&c.*

III. 2. Quòd hujusmodi impositio manuum signum fuerit gratiæ, quæ per illam conferebatur, patet etiam ex locis allegatis, nam Apostolus 1. Tim. 4. v. 14. dicit: *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii, &c.* Et 2. Tim. 1. v. 6. dicit: *Propter quam causam admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum*, &c.

IV. Quòd autem gratia per impositionem manuum detur ex Dei instituto patet primò in generali: quia nullus homo ad hoc habet potestatem; cùm ergo Apostolus hanc infallibiliter dari supponat, utique ex Christi promissione factum est. Et in speciali constat ex illo Act. 13. v. 2. ubi Spiritus Sanctus dixit: *Segregate mihi Saulum & Barnabam*, &c. *& tunc manus imposuerunt, &c.* similiter Act. 20. v. 28. ubi Apostolus dicit: *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, &c.* ubi clarè patet, quòd sit generale Dei mandatum & institutum Episcoporum; quod etiam probatur ex illo Ephes. 4. v. 11. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos*, &c. *alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii*, &c. *donec occurramus, &c.* ubi quoque patet institutio divina Pastorum usque ad finem mundi, *&c.* Quòd autem hæc ita intelligenda sint de Ordinatione Pastorum Ecclesiæ, constat ex verbo Dei tradito, quod ex unanimi SS. PP. testimonio ad nos pervenit.

ARTICULUS II.

Quòd Ordo seu Ordinatio sit verum Sacramentum probatur ex SS. Patribus.

I. *Clemens* lib. 3. Constit. Apostol. cap. 10. edit. Colon. 1569. sic ait: *Sed neque laicos concedimus aliquod sacerdotale munus exercere, veluti sacrificium, Baptismum, manûs impositionem, vel benedictionem magnam sive parvam.* Non enim sibi quis sumit honorem, sed qui vocatur à Deo. Hebr. 5. *Nam per Episcopi* (NB) *manus datur hæc dignitas. Qui verò ad eam promotus non est, sed eam sibi usurpat, Oziæ pœnam sustinebit.* hæc ille.

II. *Dionysius* lib. de Eccles. Hierarch. cap. 5. edit. Argent. 1503. priùs ostendens quòd ministris Ecclesiæ gratia divinitus conferatur; postea modum illos ordinandi declarat dicens: *Summus quidem Sacerdos ad hierarchicam consummationem accedens utroque pede inclinans ante conspectum altaris divini, super Caput habet à Deo tradita eloquia & hierarchicam manum. Et hoc modo à perficiente cum summo sacerdote sanctissimis invocationibus consummatur. Sacerdos autem utroque pede inclinans in conspectu altaris divini super caput habet hierarchicam dexteram. & hoc modo à perficiente cū summo sacerdote sacris invocationibus sanctificatur.* hæc ille.

III. *Gregorius Nyssenus* orat. de S. Baptismate, edit. Basil. 1571. *Eadem item*, ait, *verbi vis etiam Sacerdotem augustum & honorandum facit, novitate benedictionis à communitate vulgi segregatum.* Cùm *enim heri ac tempore superiori unus è multitudine ac plebe essent, repente redditur præceptor, præses, Doctor pietatis, mysteriorum latentium Præsul, eaque contingunt ei; cum nihil vel corpore vel forma mutatus*, &c. *invisibili quadam vi* (NB) *& gratia invisibilem animaā in melius transformatam gerens*, &c. hæc ille, ubi clarè indicat quod per Ordinationem conferatur gratia invisibilis.

IV. *Cyprianus* lib. de cardinalibus Christi operibus, cap. de Ablutione Pedum edit. Basil. 1543. sic ait; *Docetur*, inquit, *quæ sit Baptismi, & aliorum Sacramentorum stabilitas*, &c. *Nam Baptismum repeti Ecclesiasticæ prohibent Regulæ, & semel sanctificatis nulla deinceps manus iterum consecrans præsumit accedere: nemo sacros Ordines semel datos iterum renovat. nemo sacro oleo lita, iterum linit aut consecrat: nemo impositioni manuum vel ministerii derogat Sacerdotum, &c.* ubi patet, quod S. Cyprianus æqualiter sacros Ordines cum baptismo & confirmatione inter vera sacramenta computet, & illa quidem, quæ sunt initerabilia.

V. *Ambrosius* l. de sacerdotali dignitate c. 5 ed. Par. 1569. sic ait: *Quis dat frater episcopalem gratiam? Deus an homo? respondes sine dubio, Deus. Sed tamen per hominem dat* (NB) *Deus: homo imponit manus, Deus largitur gratiam. Sacerdos imponit supplicem dextrā, & Deus benedicit potenti dextrā: Episcopus initiat ordinem & Deus tribuit dignitatem, &c.* hæc ibi, quid clariùs?

VI. Idem eâd. ed. in illa verba 1. Timoth. 4. noli negligere gratiam, quæ in te est per impositionem, *&c.* sic ait: *Gratiam dari, ordinatoriè significat per prophetiam & manuum impositionem, Prophetia est, quâ eligitur quasi Doctor futurus idoneus: manûs verò impositiones verba sunt mystica, quibus confirmatur ad hoc opus electus, accipiens authoritatem teste conscientiâ suâ, ut audeat vice Domini sacrificium Deo offerre, &c.* hæc Ambros. quibus clarissimè indicat per impositionem manuum dari gratiam & authoritatem etiam offerendi sacrificium, *&c.*

VII. *Hieron.* in dialogo contra Luciferianos multis modis probat, quòd, sicut baptizati ab hæreticis ad Ecclesiam recipi possunt, sic etiam Episcopus ab hæreticis ordinatus, inter alia circa mediū ed. Bas. 1553. sic dicit: *Si erranti concedis veniam, & ego ignosco pœnitenti. si in fide sua baptizato baptizans nocere non potuit, & in fide sua sacerdotem constitutū cōstituens non inquinavit: deceptio tam Laici, quàm Episcopi cōmunis est.* Et infrà post unā pag. *eadē ratione*

Episcopum ab Arianis recipio, quâ tu recipis baptizatum. &c. ubi clarissimè supponit, quod ordinatio Sacerdotis vel Episcopi sit sacramentum Ecclesiæ, sicut baptismus; ubi etiam post unum folium, de quodam Hilario sic ait: *Hilarius cùm Diaconus de Ecclesia recesserit, neque Eucharistiam conficere potest, Episcopos & Presbyteros non habens; neque Baptisma sine Eucharistia tradere, &c. post se nullum Clericum Diaconus ordinare potuit; Ecclesia autem* (NB) *non est, quæ non habet Sacerdotem, sed omissis paucis homunculis, qui ipsi sibi & Laici sunt* (NB) *& Episcopi ausculta, quid de omni Ecclesia sentiendum sit, &c.* hæc ille. Ubi clarissimè in istis paucis homunculis describit modernos Acatholicos, qui non agnoscunt ordinationem ab Episcopis solis faciendam, sed eam tribuunt Magistratui sæculari & Laicis; ut qui modo minister verbi est ordinatus, postea fiat iterum Laicus. Ubi etiam notandum quod Hieronymus supponat illos Episcopos hæreticos validè ordinare, qui priùs in Ecclesia tales ordinati fuerant, sicut etiam *Augustino* infrà allegandus lib. 2. contra Parmen. c. 10. §. Alia quæstio inciderat.

VIII. Item ad c. 58. Isai. apud Jod. Cocc. tomo 2. thes. Cathol. l. 8. art. 1. ed. Colon. 1601. sic ait: *Plerique nostrorum χειροτονίαν, id est: Ordinationem Clericorum, quæ non solùm ad imprecationem vocis, sed ad impositionem impletur manus, &c.* ubi ex verbis Apostoli ad Timoth. *Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis, &c.* ostendit qualiter ordinatio in Ecclesia fiat, & qualiter peccent, qui malis ordinationem conferunt.

IX. *August.* l. Quæstionum veteris & novi Testamenti q. 93. ed. Bas. 1528 sic ait: *Quòd insufflâsse in discipulos Dominus legitur post dies paucos Resurrectionis suæ & dixisse:* accipite Spiritum S. *Ecclesiastica potestas collata intelligitur esse; quia enim omnia in traditione Dominica per Spiritum S. aguntur, idcirco cum regula eis & forma traditur huius disciplinæ, dicitur eis:* accipite Spiritum S. *&c.* hæc ibi, ubi patet, quòd August. intelligat Christum etiam Apostolis dedisse formam & regulam in ordinatione, quam & ipsi observare debent, quod Calvinus ridet: subdit August. *Et quia verè ad ius ecclesiasticum pertinet, statim subiecit dicens:* cujus tenueritis peccata, tenebuntur, &c. *Inspiratio ergo hæc gratia* (NB) *quædam est, quæ per traditionem infunditur ordinatis, per quam commendatiores habeantur: unde Apostolus dicit ad Timoth. noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per impositionem manuum Presbyteri: semel ergo fieri oportuit, ut de cætero traditio ista non sine dono Spiritus S. esse crederetur,* hæc ille, ubi clarissimè patet, quòd per impositionem manuum Episcopi ex Christi instituto conferatur ordinatis gratia seu donum Spiritus S.

X. Item lib. 2. contra Parmen. c. 11 eâd. ed. volens ostendere non ex bonitate vel malitia ministri efficaciam sacramenti pendere, sed ex Spiritu Sancto, adducit illud Joann. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos,* dicens: *Hoc cùm dixisset, insufflavit & dixit: Accipite Spiritum S. si cui dimiseritis peccata, dimittentur, & si cui retinueritis, retinebuntur. Contra nos esset, ut cogeremur fateri ab hominibus hoc non per homines fieri, si posteaquam dixit:* Et ego mitto vos, *subiecisset continuò,* si cui dimiseritis, &c. *cum verò interpositum sit:* hoc cùm dixisset, *insufflavit, & ait illis: Accipite Spiritum S.* &c. *deinde illatum: per eos vel remissionem vel retentionem fieri peccatorum, satis ostenditur, non ipsos id agere, sed per eos utique Spiritum S. sicut alio loco dicitur: Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus S. qui in vobis est.* Matt. 10. *Spiritus autem S. in Ecclesiæ præposito vel ministro sic inest, ut si fictus non est, operetur per eum Spiritus S. & ad eius mercedem in salutem sempiternam & eorum regenerationem vel ædificationem, qui per eum sive consecrantur* (NB) *sive evangelizantur, si autem fictus est, quoniam verissimè scriptum est:* Spiritus S. disciplinæ effugiet fictum. *Deest quidem saluti eius, ut auferat se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu; ministerium* (NB) *tamen eius non deserit, quo per eum salutem operatur alienam, &c.* hæc ibi: ubi patet, quod etiam per præpositum malum Spiritus S. consecrato salutem conferat in ministerio consecrationis; adeóque ex promissione Christi per sacramentum sensibile administratum ex Christi institutione: quod enim per consecrationem etiam intelligat ordinationem, quod ministri ordinantur, patet ex c. 13. jam allegando.

Idem l. 2. contra ep. Parmen. c. 13. eâd. ed. sic XI.
ait: *Nam illud quod quidam eorum veritate convicti dicere cœperant: Baptismum quidem non amittit, qui recedit ab Ecclesia: sed ius tamen dandi amittit, multis modis apparet frustrà & inaniter dici; primò, quia nulla ostenditur causa, cur ille, qui ipsum baptismũ amittere nõ potest, ius dandi amittere possit;* (NB) *utrumq; enim sacramentum est, & quadam consecratione utrumque homini datur; illud, cum baptizatur, istud* (NB) *cum ordinatur, ideoque in Catholica utrumque non licet iterari, Nam si quando ex ipsa parte venientes etiam præpositi pro bono pacis correcto schismatis errore suscepti sunt, &c. non sunt rursus ordinandi, sed sicut baptismus in eis, ita ordinatio mansit integra, quia in præcisione fuerat vitium, quod unitatis pace correctum est, non in sacramentis* (NB) *quæ ubicunq; sunt, vera sunt. Et cum expedire hoc videatur Ecclesiæ; ut præpositi eorum venientes ad Catholicam societatem honores suos ibi non administrent, non eis tamen ipsa ordinationis* (NB) *sacramenta detrahuntur, sed manent super eos, ideoque non eis in populo manus imponitur, ne non homini, sed ipsi* (NB) *sacramento fiat iniuria, &c.* & infrà: *Nec Ecclesia eius* (Dei) *Sacramẽta in eis, qui ab Ecclesia recesserunt, sed ipsi qui recesserunt inimici sunt sicut autem habent in baptismo, quod per eos dari possit, sic in ordinatione ius dandi utrumque quidem ad pernitiem suam, quamdiu charitatem non habent unitatis sed aliud est prorsus non habere, aliud pernitiosè habere, aliud salubriter habere.* Et infrà: *Alia quæstio est, utrum ab his, qui nunquam fuerunt Christiani, possit Baptismus dari, &c. de his verò, qui ab Ecclesiæ unitate separati sunt, nulla iam quæstio est, quin & habeãt, & dare possint, &c.* & infrà: *Hoc enim iam in ipsa totius orbis unitate diffusum, &c. atq; firmatũ est* (scilicet in Conc. Nic.) *sed si nos malè facimus, ipsi explicent; quomodo sacramentũ baptizati nõ possit amitti, & sacramentum* (NB) *ordinati possit amitti, quoniam dicunt: recedens ab Ecclesia baptismũ non amittit, ius tamen dandi amittit: si enim utrumq; sacramentũ est, quod nemo dubitat* (NB) *cur illud non amittitur, & illud amittitur? neutri sacramẽto iniuria faciẽda est, &c.* hæc ibi, quid clariùs dici posset pro veritate sacramenti ordinationis? quod Aug. omni modo verum sacramentum esse supponit, æque ac ipsum baptismũ: & si ex sua opinione loqueretur, magnũ haberet pondus, sed quid gravius dici posset, quàm quod ait: *Utrumq; sacramẽtum est, quod nemo dubitat.* ubi manifestũ est, quòd non solùm Ecclesia Cath. tempore Aug. ordinationem verum esse sacramentum agnoscebat, sed etiam hæretici, contra quos Augustin. agebat.

Simi-

Digitized by Google

Similiter lib. de bono conjugali cap. 24. ead. edit. ubi cum dixisset; quod vinculum nuptiale, licèt non sequantur proles, non solvatur nisi Conjugis morte, probat hoc ex ordinatione dicens; *Quemadmodum si fiat ordinatio Cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non subsequatur manet tamen in illis ordinatis* (NB) *Sacramentum Ordinationis; & si aliqua culpa quisquam ab officio removeatur, Sacramento Domini semel imposito non carebit*, &c.

XIII. Demum lib. 1. de Baptismo contra Donatist. Cap. 1. eâd. edit. ait: *Sacramentum Baptismi est; quod habet, qui baptizatur, & Sacramentum* (NB) *dandi Baptismi est, quod habet, qui Ordinatur; sicut autem Baptizatus, si ab unitate recesserit, Sacramentum Baptismi non amittit, sic etiam Ordinatus, si ab unitate Ecclesiæ recesserit Sacramentum* (NB) *dandi Baptismi non amittit. Nulli enim* (NB) *Sacramento injuria facienda est*, &c. & infrà: *Nam sicut redeuntes, qui priusquam recederent baptizati sunt, non rebaptizantur, ita redeuntes, qui priusquam recederent ordinati sunt, non utique rursus ordinantur; sed aut administrant, quod administrabant, si hoc Ecclesiæ utilitas postulat, aut si non administrant, Sacramentum Ordinationis suæ tamen gerunt, & ideo illis manus inter laicos non imponitur; nam neque Sacramentum Baptismi, neque Sacramentum dandi Baptismi quando ab eis cum Maximiano recessit, Felicianus amisit*, &c. hæc Augustinus, ubi non solum contra Acatholicos certum supponit, quod ordinatio sit verum Sacramentum, sicut Baptismus, sed quod Ordinati nunquam ad laicalem statum redeant, licet officium illis ex causa auferatur, quod Acatholici negant.

XIV. Ex his tot SS. Patrum testimoniis evidens est quòd Ecclesia primitiva Ordinationem agnoverit verum novæ legis esse Sacramentum à Christo institutum; per quod gratia seu Spiritus Sanctus Ordinatis conferatur. Et quidem unius Augustini tam clara testimonia pro tota antiquitate sufficerent, ut alias vult Calvinus sæpe allegatus lib. 3. cap. 3. § 10.

XV. Quamvis autem illa SS. Patrum testimonia de omni Ordinatione Clericorum quoad singulos Ordines probabiliter intelligi possint; ut aliqui Doctores ex multis causis deducunt; fatentur tamen nihil esse de fide quoad ordinationem Diaconi & aliorum Ordinum inferiorum; cum nec ex verbo Dei scripto vel tradito, nec ex Ecclesiæ definitione expressè constet; nam sacræ Scripturæ loca specialiter de Ordinatione Episcopi & sacerdotis intelliguntur, & SS. Patres etiam de his, ut ex illorum verbis apparet, potissimùm loquuntur; quod sufficit, ut de fide credendum sit, ordinem seu Ordinationem sacerdotalem esse verum & propriè legis novæ Sacramentum; prout Concilia definiunt, & omnes Doctores unanimiter profitentur.

***

ARTICULUS III.

De Materia & Forma hujus Sacramenti & Effectibus.

In omni Sacramento novæ Legis duo ex Christi instituto, ùt supra dictum est, requiruntur; & Concilia declarant, quorum unum se habet instar materiæ, & aliud instar formæ; & unum dicitur res, & alterum verbum, juxta illud Augustini: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*; Sic in ordinatione sacerdotali. *Impositio manus Episcopi se habet ut res vel materia, sicut & porrectio Calicis & patenæ* Verba autem sunt illa, accipe *potestatem offerendi*, &c. *& accipite Spiritum Sanctum*, &c. tanquam forma. De impositione manuum res clara est ex locis S. Scripturæ & SS. Patrum supra citatis de Porrectione Calicis habent Concilia ex verbo Dei tradito ut constat ex *Concilio Florentino* in Instructione Armenorum. I.

II. De verbis constat etiam ex S. Scriptura, quoad verba. *accipite Spiritum Sanctum*, quoad alia, *accipe potestatem offerendi*, *&c.* habet Ecclesia ex verbo Dei tradito, & SS. Patrum testimoniis, qui dicunt: in ordinatione præter manuum impositionem verba mystica ab Episcopo adhiberi, ùt patet ex Ambrosio in Cap. 4. 1. ad Timot. 1. & Hieronymo ad Cap. 58. Isaiæ suprà allegatis.

III. Quòd autem duplex adhibeatur tam materia quam forma in causa est quia & sacerdotibùs duplex confertur potestas, *una consecrandi & offerendi Corpus verum Christi in Ecclesia*, quam Christus Apostolis contulit in ultima Cœna, & sic illos instituit sacerdotes ut ex verbo tradito, & communi SS. Patrum sententia Concil. Trid. sess. 22. Cap. 1 declarat. Altera potestas, *absolvendi à peccatis, quæ est in Corpus Christi mysticum*, est potestas, quam Christus post resurrectionem Apostolis dedit Joann. 20 dicens *Accipite Spiritum Sanctum*; ac proinde prior potestas prærequiritur. Nec obstat, quod Christus instituendo Apostolos sacerdotes non tradiderit illis Calicem cum patena, ipse enim non alligabatur ad signa certa, sed per potestatem excellentiæ egit, qui etiam dedit Apostolis Spiritum Sanctum extraordinario modo in Pentecoste, quem Apostoli ex Christi instituto *per impositionem manuum dederunt*: sic etiam modum certum observandum in ordinatione præscripsit, prout ex Apostolica traditione Ecclesia habet.

IV. Unctio verò, quâ Caput Episcopi ordinandi vel manus sacerdotis inunguntur, non spectat ad essentiam Sacramenti, ùt est certa Doctorum sententia sed tantum ut pia ceremonia ab initio Ecclesiæ usurpata fuit, ut constat ex *Dionysio* lib de Hierarch Ecclesiast. Cap. 4. par. 2. edit. Argent in 1503. ubi ait: *Deinde Chrisma summus sacerdos accipiens superponit in divino altari.* Et infra: *Et educitur ad omnem ferè hierarchicam perfectivam Orationem.*

V. *S. Pacianus* etiam expressè supponit unctionem sacerdotalem in Epist. 3. ad Sympronianum Novatianum Bibl. PP. edit. Colon. 1618. tomo 4. pag. 239. C sic ait: *Vestra plebs unde Spiritum,*

Digitized by Google

ritum, quam non consignat unctus sacerdos? Et adhoc etiam aliorum Patrum testimonia allegari possent, sed quia non pertinent ad essentiam Sacramenti, ideo hæc sufficiant. Nam Concilium Trid. suprà non dicit anathema illis, *qui sacram unctionem asserunt non requiri ad essentiam Sacramenti sed qui dicunt illam esse contemnendam*. Licet enim non requiratur ad essentiam Sacramenti; potest tamen piè ab Ecclesia adhiberi ob certos fines; sicut multæ ceremoniæ ab initio Ecclesiæ circa Baptismum fuerunt usurpatæ, ut ex SS. Patribus passim constat, quæ tamen ad essentiam Baptismi non requiruntur; unde patet, quam ineptè & indecenter Calvinus & alii hanc sacram unctionem derideant, & ratione hujus unctionis ipsum Sacramentum contemnant; quod per unctionem tanquam rem viscosam character adhæreat, quasi ex naturali unguenti viscositate id fiat; quæ mera calumnia est, cum ex Christi promissione Character per Spiritum Sanctum non Corpori sed animæ imprimatur ut supra de Charactere ostensum est.

VI. Quoad effectum hujus Sacramenti certum est de fide Catholica quòd duplex sit hujus Sacramenti effectus unus primarius, scilicet ipsa gratia sanctificans ad dignè exequendum Ordinem, qui effectus clarissimè ex S. Scriptura, & SS. Patribus hactenus ostensus est. alter est secundarius scilicet Character, de quo supra ostensum est, quod talis præter gratiam in Baptismo imprimatur; & similiter SS. Patres asserunt similem in Ordinatione imprimi, qui sit indelebilis. & proinde non possit Ordinatio iterari, sicut Baptismus & Confirmatio, & hoc constat ex traditione Apostolica scilicet; quod hæc tria Sacramenta iterari non possint; idque ex eo, quia talis Character imprimatur, ut ex SS. Patribus de Baptismo ostensum est. Similiter SS. Patres docent, quod Ordinatio non possit iterari citra injuriam Sacramenti, sicut Baptismus & Confirmatio. de his tribus clarè loquitur S. *Cyprianus* suprà allegatus art. 7. lib. de Cardinalibus Christi operibus. Similiter *Hieronymus* in Dial contra Luciferianos ibid. *Augustinus* lib 2. contra Epist. Parmen Cap. 13. & lib. de bono Conjug. Cap 14. & lib. 1. de Bapt. quorum verba in prædicto articulo clarissimè videantur.

CONCLVSIO.

I. EX præmissis clarè patet: quod Ordinatio Ministrorum Eucharistiæ in Ecclesia, Catholica usurpata, verum sit novæ legis Sacramentum, ut tam ex ipso verbo Dei scripto & tradito, quam ex communi SS. Patrum sententia demonstratum est; præsertim quoad ordinationem sacerdotalem, quod de fide credendum esse omnes Doctores Catholici fatentur, & Concilia declarant; quamvis autem idem probabile sit, quoad alios Ordines, de quibus constat, quod à tempore Apostolorum in Ecclesia usurpati fuerint; quia tamen SS. Patres non tam expressè docent, quod sit Sacramentum propriè dictum, nec Ecclesia hactenus determinavit, ideo non est de fide certum, quod Sacramenta sint; nihilominus tales Ordines improbandi non sunt, multò minus contemnendi, cùm ex SS. Patribus tam reverenter in Ecclesia à tempore Apostolorum illos usurpatos fuisse constet ac proinde Acatholicos Ordinem Sacramentum esse absolutè negantes, & omnes Ordines contemnentes S. Scripturæ & SS Patribus contrariari manifestum est.

Vt autem veritas velut in speculo breviter pateat, subjunguntur Antitheses.

ANTITHESES

In quibus veritas Doctrinæ Catholicæ circa Sacramentum Ordinis juxta S. scripturam & SS Patres ac falsitas Acatholicorum proponitur.

1. SAncti Patres juxta S. Scripturam tradiderunt *quod Ordinatio Episcopi, presbyteri seu sacerdotis & Diaconi à Christo fuerit instituta*, ita etiam Ecclesia Catholica credit ac docet.

Acatholici concedunt quidem ordinationem Episcopi & Diaconi & presbyteri, negant tamen Ordinem sacerdotis.

2. *SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt*: quòd sacerdotes ordinentur ad consecrandum & offerendum Corpus & sanguinem Domini in ven Sacramento Eucharistiæ, ita etiam Ecclesiam,

Acatholici id prorsus negant.

3. SS. Patres juxta S. Scripturam docuerunt, quòd *Episcopatus sit superior statu presbyteri seu sacerdotis, & Aerianos contrarium docentes, hæreses damnarunt*, ita etiam Ecclesia Catholica.

Acatholici contrarium cum Aërianis decent.

4. SS Patres juxta S. Scripturam docuerunt: quòd *Episcopus habeat à Deo potestatem ordinandi sacerdotes, quam non habeat simplex sacerdos, multò minus Magistratus sæcularis vel populus*, ita etiam docet Ecclesia Catholica.

Acatholici volunt, quòd *Magistratus & populus habeat potestatem ordinandi & instituendi Ministros Ecclesiæ*.

5. Sancti Patres tradiderunt, quod *à tempore Apostolorum, præter Episcoporum, presbyterorum & Diaconorum ordinem etiam fuerint quinque alii Ordines ecclesiastici, scilicet, Subdiaconi Lectoris, Exorcistæ, Acolythi, & Ostiarii*, ita etiam Ecclesia Catholica,

Acatholici cum Calvino tales Ordines Ecclesiasticos derident & negant.

6. Sancti Patres tradiderunt, quòd *isti quinque Ordines ab Episcopo sint conferendi certis Ecclesiæ Ministris ad certa Ecclesiæ ministeria peragenda*, ita etiam Ecclesia Catholica

Acatholici cum Calvino ista negant & condemnunt dicentes: *non fuisse olim illa officia Ecclesiastica, sed nuda ministeria ad nutum Pastorum*.

7. Sancti Patres & Concilia tradiderunt, quòd *illi Ordines per certos actus, & porrectionem certorum instrumentorum sub certis verbis fuerint ab Episcopis collati*, ita etiam Ecclesia,

Acatholici cum Calvino tales ritus prorsus derident

8. Sancti Patres & Concilia specialiter tradiderunt,

derunt, quòd *Exorcistæ ad id ordinentur, ut habeant potestatem exorcizandi, & Acolythi, ut in Ecclesia deferant & accendant luminaria.* Ita etiam Ecclesia.

Calvinus impudenter dicit *nomen Acolythi esse magicum & inauditum, & mendacissimè calumniatur, quòd non sit potestas in Ecclesia exorcizandi; sed potius, quod decimus quisque Clericus sit à Dæmone possessus & agitatus.*

9. Sancti Patres juxta S. Scripturam docuerunt: quòd *per impositionem manuum Episcopi seu ordinationem infundatur Spiritus S. seu gratia.* Ita etiam Ecclesia Catholica.

Acatholici id negant.

10. Sancti Patres juxta sacram scripturam docuerunt *Ordinationem esse verè & propriè Sacramentum novæ legis, sicut Baptismus, & de hoc neminem dubitasse scribit Augustinus.* Ita & Ecclesia Catholica.

Acatholici negant hoc Sacramentum. Calvinus quidem *concedit esse Sacramentum, sed falsò imponit Ecclesiæ, quod in hoc Sacramento mandato Christi non obtemperet.*

11. Sancti Patres docuerunt *quòd per Ordinationem ministris Ecclesiæ imprimatur à Spiritu Sancto character indelebilis in anima, sicut in Baptismo; ac proinde non possit ordinatio reiterari, sicut nec Baptismus, maneatque in ordinato, licet ab officio amoveatur; & ideo Clericus semel ordinatus nunquam redeat ad statum laicalem.* Ita etiam docet Ecclesia.

Acatholici *talem characterem derident cum Calvino, & negant: voluntque ordinationem ministrorum Ecclesiæ non manere, si ab officio amoveantur, sed reddi laicos.* Ita etiam olim hæretici volebant, ùt testatur Tertullianus.

LIBER XX.

De Sacramento Matrimonii.

CAPUT UNICUM.

ARTICULUS I.

Referuntur errores Acatholicorum.

I. Simon *Magus* docebat detestandam turpitudinem indifferenter utendi fœminis, ita *August* lib. de Hæres. hær. 1. edit. Basil. 1528. quem secuti sunt *Saturniani* qui asserebant nubere, & liberos gignere à diabolo esse, ùt refert *Irenæus* lib. 1. cap 22.

II. *Nicolaus* unus ex septem Diaconis, à quo Nicolaitæ, permisisse fertur, ut conjuge ipsius, qui vellet, uteretur; quod ejus factum in turpissimam sectam versum est, quâ placet usus indifferens fœminarum ita Aug hær. 5. eâd edit. hos secuti sunt *Gnostici* turpiora addentes, & *Valentiniani*, qui dicebant, nuptias à Diabolo esse.

III. *Marcion* etiam duo principia ponebat; Deum bonum & malum, & à malo esse nuptias. *S. Aug* ibid hær. 22. & ùt refert *Tertull.* lib. 1. contra Marcionem edit Basil. 1562. quod Matrimonium ut malum & impudentiæ negotium reprobabat.

IV. *Tatianus* cum suis, ùt ait *Epiphanius* hær. 46. edit. Basil. 1560. dicebat: *Nuptias non esse ex Deo, sed esse ipsas scortationem & abominationem.* de iisdem sic ait Aug hær. 25 edit Basil. cit. *Tatiani à Tatio quodam, qui & Encratitæ appellati sunt, nuptias damnabant, atque omnino eas pares fornicationibus aliisque corruptionibus faciebant; nec recipiunt in suorum numerum Conjugio utentem sive marem sive fœminam.* Aug. ibid. hær 25.

V. Similiter *Apostolici*, ùt ait Aug. hær. 40. eâd. edit. *qui se isto nomine arrogantissimè vocaverunt, eò quòd in suorum communionem non reciperent utentes conjugibus* hæc Augustinus.

Manichæi antiquorum hæreticorum sectatores, etsi conjugibus utebantur, *conceptum tamen generationemque devitant*, &c. *unde nuptias sine dubitatione condemnant.* ita Aug. hær. 46. eâd. edit. VI.

Similem absurdam hæresim plures alij olim docuerunt, ùt dicti Patres referunt; unde, cum Matrimonium taliter damnarint, consequenter illud Sacramentum verum esse negarunt. VII.

Acatholici moderni etsi concedant Matrimonium bonum & licitum esse: verum Sacramentum esse negant; ita *Lutherus* lib. de Capt. Babyl. Cap. de Matrimonio.

Hunc secutus *Calvinus* lib. 4. Instit. Cap. 19. §. 34 sic ait: *Postremum est Matrimonium, quod ut à Deo institutum fatentur omnes, ita pro Sacramento datum nemo usque ad Gregorii tempora viderat, & cui unquam sobrio in mentem venisset? Ordinatio Dei bona est & sancta: & agricultura, Architectura, sutrina, tonstrina ordinationes sunt Dei legitimæ, nec tamen Sacramenta sunt, &c.* Sic modestus Calvinus Matrimonium illis artibus prorsus æquiparat; sed quantopere circa Gregorium mentiatur, patebit.

***

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS II.

Proponitur veritas Ecclesiæ doctrinæ.

I. HAnc declarat Concil. Trid. sess. 24. dicens: *Matrimonii perpetuum indissolubilémque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronunciavit, cum dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne mea; quamobrem relinquet homo Patrem suum & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una* Gen. 2. v. 23.

II. *Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari & conjungi Christus Dominus apertiùs docuit, cum postrema illa verba tanquam à Deo prolata referens dixit: itaque jam non sunt duo, sed una caro, statimque ejusdem nexus firmitatem ab Adamo tanto ante pronunciatam his verbis confirmat, quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

III. *Gratiam verò, quæ naturalem illum amorem perficeret & indissolubilem unitatem confirmaret, Conjugesque sanctificaret ipse Christus venerabilium Sacramentorum institutor atque perfector sua nobis passione promeruit; quod Paulus Apost innuit dicens: Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, mox subjungens: Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.*

IV. *Cum igitur Matrimonium in lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratia præstet, meritò inter nova legis Sacramenta annumerandum SS. Patres nostri, Concilia, & universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt, &c.* hæc Concil. & juxta hæc idem Concil. Canones subjungit.

V. Can. 1. *Si quis dixerit Matrimonium non esse verè & propriè unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis, à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre; anathema sit.*

Can. 2. *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nullâ lege divina esse prohibitum anathema sit.*

Can. 5. *Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à conjuge dissolvi posse Matrimonii vinculum; Anathema sit.*

VI. Pro majore intelligentia doctrinæ Catholicæ sciendum est, quòd Matrimonium diversimodè usurpetur, & potissimum tripliciter: 1. pro *vinculo indissolubili*, quo mas & fœmina sibi mutuo copulantur, & obligantur ad procreandam prolem & illam debitè educandam, 2. pro *contractu inter dictas personas*, quo sibi mutuo tradunt seu donant sua corpora pro usu perpetuo ad prædictos fines; Contractus autem hujusmodi donationis includit diversos actus utriusque personæ: 1. usum rationis & consensum liberum utriusque personæ in hujusmodi vinculis absolutè & de præsenti 2. actus exteriores utriusque personæ, quibus declarant illum contractum, sive per verba sive per sufficientia sensibilia signa, unde patet, quod contractus ille, cum consistat in actibus, sit quid transiens, & physicè non maneat, ex quo tanquam ex causa sequitur vinculum & obligatio inter conjuges & potestas mutua in Corpora, &c. quæ semper manent.

3. Matrimonium usurpatur pro Sacramento speciali scilicet, quod pro fundamento supponit dictum contractum legitimum inter marem & fœminam Christianos: & pro formali dicit significationem & efficaciam gratiæ ex Christi institutione dandæ ad sanctum illud vinculum servandum & prolem educandam.

Sciendum secundò, de Matrimonio 1. & 2. modo sumpto non est controversia cum modernis Acatholicis, qui talem contractum matrimonialem à Deo institutum fatentur; licet quoad indissolubilitatem contradicant, & qualitatem personarum contrahentium; ut patet ex Canonibus Concilii allegatis. De 3. verò Acatholici absolutè negant, sed omnes DD. Catholici consentiunt quoad ea, quæ ex Concilio Trid. allegata sunt, li et de quibusdam particularibus salvâ fide inter se disputent. VII.

Demum, ùt certum omnes Catholici supponunt; quod Matrimonium inter conjuges non habeat rationem Sacramenti, nisi sint Christiani & baptizati; quia omnia alia Sacramenta supponunt Baptismum, ita ut nullus sit capax eorum nisi sit baptizatus, cum juxta SS. Patres Baptismus sit janua omnium aliorum Sacramentorum; licet itaque inter infideles sit licitus & validus contractus matrimonialis; non tamen habet rationem Sacramenti; quia ex Christi instituto ad hoc requiritur, ut personæ contrahentes sint Christianæ, prout ostendetur. VIII.

ARTICULUS III.

Quòd Matrimonium inter Christianos sit verum Sacramentum novæ legis probatur ex S. Scriptura.

PRimum formatur argumentum in S. Scriptura fundatum, quod tale est; quod est signum sensibile rei sacræ habens annexam promissionem divinæ gratiæ, illud est verum à Christo institutum Sacramentum, at Matrimonium inter Christianos est tale signum, ac proinde verum Sacramentum, major propositio ab Acatholicis concedi debet; nam nullus homo potest tale signum instituere cum certa promissione gratiæ, nisi solus Deus; quòd autem Matrimonium sit tale signum probatur 1. Quia est Ceremonia à Deo instituta Gen. 1. & 2. & à Christo confirmata Matth. 19. v. 6. *Quod ergo Deus conjunxit homo non separet*, per quæ verba Christum specialiter Matrimonium confirmasse & commendasse constat 2 quod hæc ceremonia sit etiam signum rei sacræ patet, quia est signum unionis sacræ inter Christũ & Ecclesiam, ut patet ex illo ad Ephes. 5. v. 32. *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & Ecclesia*; ex quo evidens est, quod sit signum rei sacræ, quæ est unio inter Christum & Ecclesiam.

Nec valet, quod Acatholici volunt, ibi Apostolum non ipsum Matrimonium inter fideles, sed ipsam unionem Christi cum Ecclesia duntaxat vocare Sacramentum.

Contra enim est imprimis ipse textus: nam Apostolus in toto illo capite post medium agit de conjugibus, illos adhortans ad mutuam dilectio- III.

jectionem, & mulieres ad virorum ſubjectionem ad quod adducit ſimilitudinem conjugii ſpiritualis Chriſti cum Eccleſia; ita quòd Matrimonium ſit ſignum & Sacramentum illius, & ipſa ſimiletur; nec enim Sacramentũ aliquid eſſe alterius poteſt, niſi aliquam cum ipſo habeat ſimilitudinem, ut Auguſtinus ſupponit; Apoſtolus autem varias ſimilitudines ponit ut v. 22. *Mulieres ſubditæ ſint viris, quoniam vir Caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus Caput Eccleſiæ, ſed ſicut Eccleſia ſubdita eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis, &c.* iterum verſ. 25. *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam,* & v. 28. *Viri debent diligere uxores ſuas, ut corpora ſua; nemo enim unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fovet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam,* & verſ. 13. *Propter hoc relinquet homo Patrem & Matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*: ubi manifeſtè loquitur de conjugibus, & ſtatim ſubdit: *Sacramentum hoc magnum eſt.* ubi per nomen *hoc* clarè demonſtrat, illud de quo locutus eſt. Matrimonium inter virum & mulierem: quod vir relinquet Patrem & Matrem ſuam, & magnum ſit Sacramentum, non ex ſe, & ideo infert: *Hoc autem dico in Chriſto & Eccleſia,* quaſi diceret; hoc habet ex eo, quia repræſentat & aſſimilatur ſpirituali conjunctioni Chriſti cum Eccleſia; quod Apoſtolus ideo exprimit, ut fideles intelligant Matrimonium non eſſe contemnendum, ſed ex eo, quia Chriſto cum Eccleſia aſſimilatur magis honorandum; & ideo etiam in Matrimonio illa eſſe ſervanda, quæ inter Chriſtum & Eccleſiam ſervantur; at verò, ſi per illa verba, *Sacramentum hoc magnum eſt,* Apoſtolus non intelligat Matrimonium inter conjuges, ſed ſolum unionem Chriſti & Eccleſiæ, fruſtra illa ad ſuum propoſitum addidiſſet.

Cùm autem hæc ex textu clara ſint, & Acatholici nihilominus contradicant more ſuo, nos potius inhæremus textui, præſertim quia & ſic etiam SS Patres illa verba intellexerunt, ut infra patebit.

IV. Sciendum autem, quòd juxta illa verba Apoſtoli Doctores ex nudo illo nomine *Sacramenti* non intendant probare Matrimonium eſſe Sacramentum: quamvis contra Acatholicos multum valeat, quia Apoſtolus verbis claris illud vocat Sacramentum, qualiter nec Baptiſmus, nec Euchariſtia Sacramenta expreſſè nuncupantur in S. Scriptura, & ideo ipſi negare non poſſunt Matrimonium eſſe Sacramentum dicendum. præſertim, quia ipſi non requirunt ut gratia per Sacramentum conferatur, ſed per Sacramentum fides excitetur quâ credant ſe eſſe in gratia, quod certe conjuges facere poſſunt ex monitione Apoſtoli, ſi conſiderent ſe Chriſto uniri, ſicut ipſi exterius uniuntur.

V. Verum quicquid ſit de illorum opinione, quia juxta veritatem ad Sacramenti rationem requiritur non tantùm ut ſit ſignum rei ſacræ; ſed etiam ut illam rem ſacram, quam ſignificat, conferat & efficiat, quod non contingit in Matrimonio fidelium reſpectu unionis Chriſti cum Eccleſia, ideóque non eſt Matrimonium ſic propriè dictam ſignum efficax reſpectu illius unionis; ſed alicujus gratiæ ſanctificantis, quæ ex Chriſti promiſſione in contractu matrimoniali conjugibus datur ad hoc; ut ſe mutuò diligant; Mulier viro ſubſit; prolem in fide & pietate educent, & onera Matrimonii ſuſtineant

Quòd autem talis gratia detur in Matrimonio; colligitur, ex verbis Apoſtoli allegatis, qui tantopere hortatur fideles; ut illa faciant, quæ Chriſtus Eccleſiæ præſtat; ad quod ſupponitur ſpecialis illis gratia dari, quâ illa præſtent; ac proinde Matrimonium non ſolum ſignificat illam Chriſti cum Eccleſia unionem, ſed etiam interiorem à Spiritu ſancto per Matrimonium datam gratiam, quâ conjuges in dilectione Chriſti & Eccleſiæ aſſimilantur. VI.

Quamvis autem hoc expreſſè non dicatur; tamen ex traditione Eccleſiæ à tempore Apoſtolorum id manifeſtè probatur, cùm Eccleſia ſemper crediderit; Matrimonium inter fideles Chriſtianos eſſe verum novæ legis Sacramentum prorſus indiſſolubile, ac conferre gratiam; quam Chriſtus ſuis fidelibus ſingulariter promiſerit. VII.

Hæc autem Apoſtolica traditio ex communi SS. Patrum ſententia & uſu, ac totius Eccleſiæ tam Græcæ quàm Latinæ conſenſu evidenter conſtabit ex qua etiam patebit, quòd ſolum Matrimonium inter fideles Chriſtianos ſit Sacramentum, & ſit tantum unius viri cum una uxore quia illud propriè repræſentat unionem Chriſti cum ſua unica Eccleſia indiſſolubilem; & inde etiam vinculum Conjugii Chriſtiani habet ſuam omnimodam indiſſolubilitatem, quam Chriſtus ſpecialiter ordinavit ut ſatis colligitur ex verbis Chriſti Matth. 19. verſ. 4. *Qui fecit hominem ab initio maſculum & fœminam fecit eos, & dixit,* &c. *& erunt duo in carne una, &c.* ubi reduxit Matrimonium fidelium ad primam Matrimonii inſtitutionem; quia ſi vir plures haberet uxores, non eſſent duo in carne una. Idem ſignificat Apoſtolus 1. Cor. 7. *&c.* ubi ſemper de unico viro & uxore ſermo eſt, & quamvis expreſſè in S. ſcriptura non contineretur; ſufficit nobis abſoluta Traditio Apoſtolica, & unanimis Eccleſiæ uſus & conſenſus, juxta illud Auguſtini ſæpius allegatum lib. 1. contra Creſ. Cap. 23. edit. Baſil. 1528 ubi dicit: *Scripturarum à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus quod univerſæ jam placuit Eccleſiæ, quam ipſa ſcripturarum commendat authoritas, & quoniam S. Scriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit hujus obſcuritate quæſtionis, eandem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine ambiguitate S. Scriptura demonſtrat.* VIII.

Similiter hîc militat illud quod dicit Aug. lib. 4 de Bapt. contra Donatiſtas Cap. 24. ead. edit. quòd inde colligatur, quod aliquod dogma habeatur ex Apoſtolica traditione & epiſt. 118. *De eo ait, quod univerſa frequentat Eccleſia diſputare inſolentiſſima inſania eſt, &c.* quod autem ſe ita habeat dogma de Sacramento Matrimonii, & non incœperit tempore Gregorii ut vult Calvinus, jam oſtendetur. IX.

***

ARTICULUS IV.

Catholica doctrina de Sacramento Matrimonii probatur ex SS. Patribus.

I. Hic priùs ſciendum; quod Concilia & Patres primi, ſecundi & tertii ſeculi pauci expreſsè docuerunt Matrimonium eſſe Sacramentum, licet id tale eſſe ſuppoſuerint, ut ex aliis SS. Patribus conſtabit; idque ideo, quia, ut ſupra relatum eſt art. 1. à tempore Apoſtolorum hæreſes diverſæ erant, quæ matrimonium prorſus damnabant ut diabolicum & malum; contra quos Concilia & SS. Patres tunc temporis maximè ſcripſerunt, ut oſtenderent illud à Deo inſtitutum eſſe; quod tamen iſti hæretici contra expreſſa S. Scripturæ verba negabant; adeoque fruſtra SS. Patres allegaſſent contra illos Sacramenti dignitatem, quæ non ita clarè ex ſacra ſcriptura conſtabat.

II. Contra illos itaque hæreticos SS. Patres primi & ſecundi ſæculi potiſſimùm ſcripſerunt, ut patet in *Clemente* lib. 6. conſtit. Apoſt. Cap. 8. *Ignatio* Epiſt. ad Philippenſes. *Irenæo* lib 1. Cap. 1. & 30. *Origene* lib. 8. in Epiſt. ad Rom. *Athanaſio* ſerm. contra omnes hæreticos. *Epiphanio* hæreſi 1. & 67. *&c.* ſufficiant hic verba Concilii Gangrenſis & Cyrilli.

III. *Concilium Gangrenſe* ſtatuit Cap. 9. Ann. 324. edit. Colon. 1538. *Si quis vel virginitatem vel continentiam profeſſus tanquam abominabiles nuptias judicat, & non propter hoc ſolum quod continentiæ & virginitatis bonum, ſanctum propoſitum eſt. Anathema ſit.*

IV. Cyrillus Hieroſolymit Catecheſi 4. edit. Colon. 1564. *Neque rurſus*, ait, *cum magnopere ſtudes temperantiæ, ſis inflatus adverſus illos, qui occupati ſunt nuptiis, nam & hi mundi ſunt, honorabile enim conjugium & thorus immaculatus dicit Apoſtolus*, &c. *Non ergo ideo, quod aurum poſſides, argentum reprobes*, hæc ille.

Iam allegabimus SS. Patres etiam primorum ſæculorum, qui expreſsè de Matrimonio ùt Sacramento ſcripſerunt.

V. *Clemens Alexand.* lib. 3. Stromatum edit. Pariſ. 1572. pag. 148. Col. 1. D. dicit: *habet enim ſicut caſtitas, ita & Matrimonium propria munera.* Et infrà pag. 149. Col. 1. C. *Si peccatum eſt Matrimonium, quod eſt ex lege, neſcio, quomodo quis dicet ſe Deum noſſe, dicens Dei juſſum eſſe peccatum, quod ſi lex ſancta eſt, ſanctum eſt* (NB) *Matrimonium; Sacramentum ergo hoc ad Chriſtum & Eccleſiam ducit Apoſtolus, &c.* hæc ille, ubi patet quòd Matrimonium agnoſcat eſſe Sacramentum.

VI. *Tertullianus* de Monogamia Cap. 5. edit. Baſil. 1562. *Chriſtus*, ait, *unam habens Eccleſiam Sponſam ſecundum Adam & Evæ figuram, quam Apoſtolus in illud magnum Sacramentum interpretatur in Chriſtum & Eccleſiam competiſſe, &c.* hæc ille.

VII. Idem lib. de Proſcriptionibus contra hæreticos cap. 16. & aliàs 40 eâd edit. *Qui* (diabolus) ait, *ipſas quoque res Sacramentorum divinorum in Idolorum myſteriis æmulatur; tingit & ipſe quoſdam utique credentes ac fideles ſuos; expiationem delictorum de lavacro repromittit; & ſic adhuc initiat mithra; ſignat illic in frontibus milites ſuos; celebrat panis oblationem: quid quod & ſummum Pontificem in unius nuptiis ſtatuit*, hæc ille. ubi patet, quod Tertullianus enarret vera Eccleſiæ Sacramenta, Baptiſmum, Euchariſtiam, Confirmationem & inter illa etiam Matrimonium quæ dicit eſſe divina Sacramenta; quorum res diabolus in ſuis æmuletur.

Minutius Felix apud Iod. Cocc. theſ. Cathol. VIII.
lib. 9. art. 1. edit. Colon. 1601. in Octavio de Monogamia, *Nos unius*, ait, *Matrimonii vinculo libenter inhæremus cupiditate procreandi, aut unam ſcimus, aut nullam uxorem.*

Ambroſius in Commentario ad Epiſt. ad E- IX.
pheſ. Cap. 5. edit. Pariſ. 1569. ad illa verba, *Sacramentum hoc magnum, &c.* ait: *Myſterii Sacramentum* (NB) *grande in unitate viri ac fœminæ eſſe ſignificat: nec hoc prodit, ſed aliam cauſam, quæ non diſcordet à memorato myſterio flagitat, quam ſcit ad profectum humani generis pertinere, hoc eſt, Eccleſiæ & Salvatoris: ut ſicut relictis parentibus homo uxori ſuæ adhæret; ita & relicto omni errore Eccleſia ſuæ adhæreat, & ſubjiciatur capiti ſuo quod eſt Chriſtus, &c* hæc ille. ubi clarè intelligit verbum *Sacramentum* ab Apoſtolo tribui Matrimonio, & etiam indicat, quòd per Matrimonium conferatur gratia, ut conjuges ſubjiciantur Chriſto.

Idem lib. 1. de Abraham Cap. 7. eâd. edit. X.
ait: *Nulli licet ſcire mulierem præter uxorem*, & infrà: *Cognoſcimus velut præſulem cuſtodemque conjugii eſſe Deum, qui non pateretur alienum thorum pollui; & ſi quis fecerit, peccare eum in Deum, cujus legem violet, gratiam ſolvat: Et ideo, quia in Deum peccat, Sacramenti cæleſtis amittit conſortium.* hæc ibi. ubi ſupponit conjugium eſſe Sacramentum.

Idem Epiſt. 70. eâd. edit. cùm dicit, quod XI.
adulter amittat gratiam per Sacramentum acceptam: *cum ipſum conjugium velamine ſacerdotali & benedictione ſanctificari oporteat, quomodo poteſt conjugium dici, ubi non eſt fidei concordia?* ubi etiam indicat, quod conjugium inter fideles ſit ſpirituale Sacramentum; cui à ſacerdote benedicatur. Ecce etiam ceremoniam, quæ circa Matrimonium ab Eccleſia adhibetur.

Siricius Anno 380. apud Iod. Cocc. ubi ſuprà XII.
Epiſt. 1. cap. 4. ait: *De conjugali violatione requiſiviſti, ſi deſponſatam alii puellam alter in Matrimonium poſſit accipere. Hoc ne fiat omnibus modis inhibemus. Quia illa benedictio, quam nupturæ ſacerdos imponit, apud fideles cujuſdam ſacrilegii inſtar eſt, ſi ullâ tranſgreſſione violetur, &c* at ſacrilegium non eſſet, ſi Matrimonium ſit tantum civilis contractus.

Hieronymus lib. adverſus Iovinianum Cap. XIII.
1. edit. Baſil. 1553. *quæres*, ait, *mihi aliquam ſuſpicionem intelligentia dedit velle eum ita nuptias prædicare, ut virginitati detrahat*, &c. *neque vero nos Marcionis & Manichæi dogma ſectantes nuptiis detrahimus; nec Tatiani principis Encratitarum errore decepti, omnem coitum ſpurium putamus*, &c. *ſcimus in domo magna non ſolum vaſa eſſe aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia, &c.* & infrà: *Non ignoramus honorabiles nuptias & thorum immaculatum, legimus primam Dei ſententiam*, creſcite & multiplicamini, *&c. ſed ita nuptias recipimus, ut virginitatem, quæ de nuptiis naſci-*

nascitur, praeferamus; nunquid argentum non erit argentum, si aurum argento pretiosius est, &c. hæc ibi.

XIV. Idem in Comment. ad Epist. Ephes. Cap. 5. in illa verba, *Sacramentum hoc magnum est*, ead. edit. sic ait: *Non ut plerique existimant, omnis historia quae de Adam & Eva in Genesi scripta est ad Christum, & ad Ecclesiam facile referri potest. Sed tantummodo, quod in praesenti loco ponitur, id est, propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhaerebit uxori suae, & erunt duo in carne una. Primus enim homo, & primus vates Adam hoc de Christo & Ecclesia prophetavit, quod reliquerit Dominus noster atque Salvator Patrem suum Deum, & Matrem suam caelestem Jerusalem, & venerit ad terram propter suum Corpus Ecclesiam, &c* & infrà: *Et quia non omnia* (nota) *aequalia Sacramenta sunt; sed est aliud Sacramentum majus & aliud minus propterea nunc dicit:* Sacramentum hoc magnum est, *simulq. humilitatis ejus indicium est inferentis:* Ego autem dico in Christo & in Ecclesia. *Gregorius Nazianzenus vir valde eloquens & in scripturis apprimè eruditus, cum de hoc mecum tractaret loco, solebat dicere: Vide quantum istius Capituli Sacramentum sit, ut Apostolus in Christo illud & in Ecclesia interpretante non se ita asserat, ut testimonii postulabat dignitas, expressisse, sed quodammodo dixerit: Scio quia locus iste ineffabilibus plenus sit Sacramentis, & divinum cor quaerat interpretis, ego autem pro pusillitate sensus mei in Christo interim illud & in Ecclesia intelligendum puto, non quod aliquid Christo & Ecclesia majus sit, sed quod totum, quod de Adam & de Eva dicitur, in Christo & in Ecclesia interpretari posse difficile sit*, &c. hæc Hieron. ubi patet, quod tam Hieronymus quam Nazianzenus in illis Adæ verbis magna mysteria esse agnoverint, & quod etiam in conjugio Adæ & Evæ magnum fuerit mysterium repræsentans conjugium Christi & Ecclesiæ, licet hoc majus illo sit, ideo dicit: *non quo aliquid Christo & Ecclesia majus sit*, &c. unde constat quod illa verba Apostoli, *Sacramentum hoc magnum est* illi Patres ad conjugium Adæ & Evæ, seu potius hominum qui Patrem & Matrem reliquerunt, prout Adam non reliquit, cum non habuerit Patrem, verius spectare agnoverint, ita tamen ut sit conjugium Christi spirituale.

XV. *Ioannes Chrysost.* hom. 10. in Epist. ad Ephes. circa illa verba, *Sacramentum seu Mysterium hoc magnum est, &c.* edit. Basil. 1558 sic ait: *Quid est mysterium hoc magnum, inquit? quoniam magnum quid & admirandum beatus Moyses indicavit, imo Deus ipse. Interea sanè de Christo, inquit, loquor, quoniam & ipse relicto patre descendit, & ad Sponsam venit, & factus est in Spiritum unum, qui adhaeret Domino unus est Spiritus, & bene dixit:* Magnum est hoc mysterium, *ac si dixisset, veruntamen allegoria ista dilectionem conjugalem non evertit*, &c. ubi patet, quod illa verba *magnum mysterium* attribuat conjugio licet per allegoriam repræsentet conjugium spirituale Christi, quod infrà clarius declarat dicens: *Revera namq., revera, inquam, mysterium est, & magnum mysterium relicto parente eo qui genuit, eo qui aluit, etiam ea quae peperit, quae miserè & cum labore parturivit, illis videlicet desertis & adhaerere virum illi, quae antea neque visa est*, &c. *atque hanc etiam omnibus praeferre verè mysterium est, &c.* & infrà: *Magnum revera mysterium, & ineffabilem quandam sapientiam habens: istud supra praefatis dixit:* In Christo & Ecclesia, *veruntamen non propter ipsum solum ita dictum est*, &c. hæc ille. ubi Chrysostomus clarissimè dicit verba Apostoli, *Mysterium hoc magnum est*, ipsum conjugium concernere; nec obstat quod dicat *Mysterium hoc magnum*, quia ipse Græcè scripsit, & Sacramentum Latinè, Græcè mysterium dicitur.

Cyrillus Alexandr. qui in Concilio generali Ephesino primo præsedit. lib. 2. in Ioann. cap. 22. edit. Basil. 1566 sic ait: *Honestè celebratis nuptiis tam mater quàm ipse cum discipulis invitatus adest, miraculi potius, quod acturus erat, quam convivii gratiâ profectus*, &c. *& adhaec, ut nativitatis nostrae principium, quantum ad carnem attinet sanctificaret*, &c. *Oportebat certè quoniam totam naturam hominis ad melius restaurabat, non solum natis jam hominibus benedicere, verum etiam nascituris gratiam praeparare, & aditum illorum ad hanc vitam authoritate miraculi, & praesentia sua Sanctum efficere, &c.* hæc ille, ubi satis indicat quod Christus novam gratiam & sanctificationem nuptiis dare voluerit pro salute liberorum. XVI.

Concludat *Augustinus*, qui omnium clarissimè doctrinam Catholicam sæpius expressit: specialiter lib. 1. de Nuptiis & Concupiscent. c. 10. edit. Basil. 1528. tomo 7. sic ait: *Quoniam sanè non tantum foecunditas, cujus fructus in partu est, nec tantum pudicitia cujus vinculum est fides, verum etiam quoddam Sacramentum* (NB) *nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis; unde dicit Apostolus;* viri diligite uxores vestras sicut & Christus dilexit Ecclesiam: *hujus procul dubio Sacramenti res est,* (NB) *ut mas & foemina connubio copulati, quam diu vivunt inseparabiliter perseverent; nec liceat, excepta causa fornicationis à conjuge conjugem dirimi. Hoc enim custoditur in Christo & Ecclesia; ut vivens cum vivente in aeternum nullo divortio separetur; cujus Sacramenti tanta observatio est* (NB) *in civitate Dei nostri, in monte Sancto ejus, hoc est in Ecclesia Christi quibusq. fidelibus conjugatis, qui sine dubio membra sunt Christi: ut cum filiorum procreandorum causa, vel nubant foeminae, vel ducantur uxores; nec sterilem conjugem fas sit relinquere, ut alia foecunda ducatur. quod si quisquam fecerit, non lege hujus saeculi, ubi interveniente repudio sine crimine conceditur, cum aliis alia copulare connubia, quod etiam sanctum Moysen Dominus propter duritiam Cordis illorum Israëlitis permisisse testatur; sed lege Euangelii* (NB) *reus est adulterii; sicut etiam illa, si alteri nupserit: Et usque adeo manent inter viventes semel inita jura nuptiarum; ut potius sint inter se conjuges, qui ab alterutro separati sunt; quam cum his, quibus alii adhaeserunt; cum aliis quippe adulteri non essent, nisi ad alterutrum conjuges permanerent*, &c. *Ita inter viventes manet quoddam vinculum conjugale, quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre, manet autem ad noxam criminis non ad vinculū foederis; sicut Apostata anima velut de conjugio Christi recedens etiam fide perdita Sacramentum fidei nō amittit, quod lavacro generationis accepit, &c.* hæc Aug. ubi patet, quod juxta S. Scripturam expressè dicat; quod conjux etiam innocens, si adulterū conjugem reliquerit non possit alteri nubere, cujus contrarium audet asserere Calvinus lib. 4. Instit. c. 19. §. ult. dicens: *quod Catholici tyrannicas in Deum & homines leges circa hoc Sacramentum condiderint, inter quas ponunt hanc: Ne viro qui adulteram repudiaverit alteram inducere liceat, &c.* hæc Calv. sed quod non sit hæc lex Ecclesiæ sed Dei, pa- XVII.

tet ex Apostoli verbis ab Augustino allegatis.

XVIII. 2. Patet quòd conjugium fidelium dicat esse bonum, non tantum ob causas fœcunditatis & pudicitiæ, quæ sunt communia cum infidelibus, sed etiam, quia inter fideles est etiam Sacramentum. 3. & quod ibi verbum Sacramentum non sumat generaliter vel impropriè, sed specialiter pro vero Ecclesiæ proprio Sacramento, patet; quia illud æquiparat cum Sacramento Baptismi, ut patet in fine.

XIX. Idem ibidem edit. eâd. cap. 17. sic ait: *In nuptiis tamen bona nuptialia diligantur, proles, fides, Sacramentum, &c.* & infrà: *Sacramentum vero quod nec separati & adulterati amittunt conjuges*; &c.

Idem ibid. edit. eâdem Cap. 21. *Respondebit, etiam*, ait, *connubii Sacramentum. De me ante peccatum dictum est in paradiso: Relinquet homo Patrem, & Matrem & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Quod magnum Sacramentum dicit Apostolus in Christo & in Ecclesia. Quod ergo est in Christo & Ecclesia magnum, hoc in singulis quibusque viris atque uxoribus minimum, sed tamen conjunctionis inseparabile Sacramentum, &c.* hæc ibi, ubi clarè tribuit conjugio rationem propriam Sacramenti, licèt majorem Conjugio Christi spirituali, quod per carnale repræsentatur.

XX. Similiter loquitur Augustinus lib. 9. de Gen. ad lit. cap 7. eâd edit dicens: *Bonum habent nuptiæ, &c. hoc autem tripartitum est: Fides, proles, Sacramentum. In fide attenditur, ne præter vinculum conjugale cum altera vel altero concumbatur. In prole, ut amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur. In Sacramento autem, ut conjugium non separetur.*

XXI. Idem lib de bono conjugali cap. 7. eâd. edit. sic ait: *Usque adeò fœdus illud initum nuptiale cujusdam Sacramenti res est ut nec ipsa separatione irritum fiat, &c. facit enim de hac re sancta scriptura difficilem modum dicente Apostolo ex præcepto Domini; mulierem à viro non debere discedere, quod si discesserit, manere innuptam, &c.* & infra loquens quod non liceat ob ullam causam alteri nubere, &c. dicit: *Quod tamen si non licet, sicut divina* (NB) *regula præscribere videtur, quem non faciat intentum quid sibi velit tanta firmitas vinculi conjugalis? quod nequaquam puto tantum valere potuisse, nisi alicujus rei majoris ex hac infirma mortalitate hominum quoddam* (NB) *Sacramentum adhiberetur quod deserentibus hominibus, atque id dissolvere cupientibus inconcussum illis maneret ad pœnam, &c.* & infrà: *Nec tamen, nisi* (NB) *in civitate Dei nostri in monte sancto ejus, talis est causa cum uxore, &c.* & subjungit cap 8. dicens *Cæterum aliter se habere jura gentilium quis ignorat? &c. cui consuetudini simile aliquid propter Israëlitarum duritiam videtur permisisse Moyses de libello repudii, &c.* ubi iterum patet, quod conjugio fidelium plus tribuat ex præcepto Christi quam infidelium, ut sit prorsus indissolubile ob rationem Sacramenti, quod habet.

Similiter ibid. edit. eâd. Cap. 15. ait: *Semel autem initum connubium in civitate Dei nostri, ubi etiam ex prima duorum hominum copula quoddam* (NB) *Sacramentum nuptiæ gerunt, nullo modo potest, nisi alicujus eorum morte dissolvi, &c* hæc ibi.

XXII. Iterum cap. 18. eâd edit *Propterea Sacramentum nuptiarum* (nota) *temporis nostri, sic ad unum Maritum & unam uxorem redactum est, ut dispensatorem Ecclesiæ non liceat ordinari, nisi unius uxoris virum, &c.* & infrà: *Sed qui dixit: si acceperis uxorem non peccasti, & si nupserit virgo, non peccat, &c. satis declaravit, nuptias nullum esse peccatum, propter Sacramenti autem* (nota) *sanctitatem, &c. ita non absurdè visum est.* &c. *Ergo sicut Sacramentum pluralium nuptiarum* (scilicet in veteri testamento) *illius temporis significavit futuram multitudinem Deo subjectam in terrenis omnibus gentibus; sic Sacramentum nuptiarum singularium nostri temporis significat unitatem Deo futuram in una cœlesti civitate, &c.* & infrà *In nostrarum quippe nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri, &c.* hæc ibi: ubi licet conjugium Patrum in veteri Testamento vocet Sacramentum impropriè, quia significabat largo modo conjugium Christi cum Ecclesia ex multis populis tamen specialiter conjugio Christianorum Sacramenti rationem tribuit; non solum quia conjugium Christi cum una civitate cœlesti significat, in quo non consistit propria ratio Sacramenti; sed quod sit Sacramentum Ecclesiæ speciale, ad quod requiritur, ut gratiam conferat, alioquin nihil Augustinus plus tribueret sanctitatis huic, quam illi; cum tamen dicat, *propter sanctitatem Sacramenti, &c.* & *quod in Ecclesia plus valeat Sanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri.*

Rursus cap. 24 eâd edit. sic ait: *Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est, & in fide castitatis: quod autem ad populum Dei pertinet, etiam* (nota) *in Sanctitate Sacramenti per quam nefas est etiam repudio intercedente alteri nubere, dum vir ejus vivit,* &c. *quemadmodum, si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis Ordinatis Sacramentum Ordinationis, &c.* & infrà: *Hæc omnia bona sunt propter quæ nuptiæ bonæ sunt; proles, fides, Sacramentum. Nec prolem autem carnalem jam hoc tempore quærere* (NB *pro excellentia virginitatis; ac per hoc ab omni tali opere immunitatem quandam perpetuam retinere, atque uni viro Christo spiritualiter subdi, melius est ubique & sanctius, &c.* XXIII. hæc ibi ubi patet, quod conjugium inter Christianos supponat esse verum Sacramentum sicut & ordinationem; & quod ob sanctitatem Sacramenti nō liceat dissolvi, &c. ubi certè plus tribuitur conjugio, quam arti mechanicæ, tonstrinæ, sutrinæ, &c. ut Calvinus blasphemat.

Demum Aug lib. de Fide & Operibus c. 7. eâd. edit. eandem doctrinam constanter tradit dicens: XXIV. *Absit ergo, &c. tanquam connubia dirimantur, maximè in civitate Domini, in monte sancto ejus, hoc est, in Ecclesia: ubi nuptiarum non solum vinculum verum etiam Sacramentum ita commendatur, ut non liceat viro uxorem suam alteri tradere, &c.* hæc ibi. ubi patet quod Augustinus ex communi Ecclesiæ doctrina, supponat; connubium Christianorum esse propriè dictum Sacramentum, prout distinguitur contra Sacramentum impropriè sumptum, cum expressè distinguat rationem Sacramenti, à ratione vinculi, quod cum gentilibus est commune & civilis tantum contractus; & asserat, Sacramentum hoc Ecclesiæ, commendatum utique à Christo, ut in locis supra citatis dicit quod lege Euangelicâ sit Sacramentum ac proinde etiam conferat gratiam.

A R-

Digitized by Google

ARTICULUS V.

Ecclesia Græca etiam post schisma agnovit matrimonium esse sacramentum.

I. QUamvis ex præmissis SS. Patrum testimoniis ac specialiter D. Augustini (ex quo Calvinus lib. 3. c. 3. §. 10. sæpe allegatus vult *ut lectores sumant, si quid de sensu antiquitatis habere recti velint*) ex his, inquam, testimoniis quamvis clarissimè pateat; quòd in antiqua Ecclesia universa Matrimonium inter Christianos agnitum fuerit verum esse Sacramentum à Christo institutum; idipsum tamen etiam ex continuo Ecclesiæ usu & traditione manifestè patet; nam constat, quòd non solùm in Ecclesia Latina, sed etiam in Græca ita fuerit semper creditum; ac præsertim, dum Græci à Latina per schisma se separassent; hanc tamen doctrinam retinuerunt, quod certè non fecissent, si dogma illud de Matrimonio ut vero Sacramento primitus à Gregorio circa annum 600. dum schisma Græcorum pullulabat, inventum esset, ut turpissimè mentitur Calvinus; & contrarium evidens est ex solius Augustini testimoniis, qui 200. annis Gregorium præcessit; si enim à Romano Pontifice inventum esset, Græci nunquam ut fidei dogma agnovissent, vel agnoscerent; cùm tamen in *Concilio Florentino Græci* Patres cum Latinis unanimiter septenarium Sacramentorum numerum agnoverint; ut patet in *instructione Armenorum* suprà allegata; nec legitur, quòd Patres Græci in hoc dubium moverint, quod utique ideo factum; quia sic ab initio traditum acceperunt, quod ipsum usque in hanc diem Græci profitentur, licèt alioquin Ecclesiam Latinam in diversis, quamvis injustè, damnent. Hoc autem patet ex *Censura & responso Ieremiæ Patriarchæ Constantinopolit.* suo & aliorum Græcorum nomine misso Lutheranis, qui illis suos errores, ut confratribus obtrudere volebant.

II. Ipse enim Respons. 1. c. 7. apud Jod. Cocc. tomo 2. thes. Cathol. lib. 9. art. 1. ed. Colon. 1601. sic ait: *Sacramenta ritúsque in hac ipsa Catholica rectè sentientium Christianorum Ecclesia sunt septem: Baptismus, Chrisma sancti unguenti, divina Communio, manus impositio, Matrimonium, Pœnitentia, & sacrum oleum, &c. Matrimonium donum quoddam est, à Deo nobis in hoc sæculo ad liberos procreandos indultum, &c.* & infrà: *Coniugium initio ab universitatis Opifice Deo sancitum est, qui Evæ copulavit Adamum. Sed & Dominus in Evangelio partim illud miraculo honorat; partim Mosaicam legem in speciem reprehendit, quæ libello repudii dato divortium concedebat: Ait, non sic fuit ab initio, sed propter duritiam cordis accipientium legem hoc permissum fuisse; Addit: quos Deus coniunxit, homo non separet; Sed & Apostolus honorabile coniugium & cubile immaculatum pronuntiat; idque mysterium vocat his verbis:* Mysterium hoc magnum est, *nempe ad Christum & Ecclesiam; sic ergo mysterium hoc tum ab antiquo institutum, tum in novo Testamento confirmatum est, &c.* hæc ille. Ex quibus concors Græcorum cum Ecclesia Catholica circa hoc Sacramentum doctrina evidens est; cum iisdem ferè verbis, quibus Conc. Trid. ut suprà relatum est, de hoc Sacramento loquantur.

CONCLUSIO.

EX his patet, quòd in Ecclesia de hoc Sacramento semper fuerit apostolica traditio, cùm ita per totum orbem Ecclesia credat, & SS. Patres crediderint; quod verum non esset, nisi à Christo fuisset sic institutum: cùm nullus homo Sacramentum instituere possit, ut Ecclesia semper credidit; & per se evidens est, quia nullus gratiam infallibiliter conferendam promittere potest, nisi solus Deus: quod autem Ecclesia tota circa hoc Sacramentum antiquo tempore, ne dicam semper, errârit, expressè est contra Christi promissionem de Ecclesiæ universalis infallibilitate. Unde Calvini impudentissimum etiam confutatur mendacium suprà citatum, dum lib. 4. cap. 19 §. 34. dicit: *Matrimonium pro Sacramento datum nemo usque ad tempora Gregorii viderat*, cùm hic anno 600. sederit; Augustinus autem 200 annis illum præcesserit, & alii SS. Patres longè ampliùs, qui illud & Sacramentum vocant, & tale esse, ut indubitatum, supposuerunt. I.

ANTITHESES

In quibus veritas doctrinæ Catholicæ circa Sacramentum Matrimonii iuxta sacram scripturam & sanctos Patres, & falsitas Acatholicorum proponitur.

PRima: Sancti Patres juxta S. scripturam docuerunt: *Matrimonium inter Christianos esse sanctum & cœleste.* Ita etiam Ecclesia Catholica moderna docet.

Acatholici cum Calvino non aliter volunt *Matrimonium esse sanctum, quam qualibet ars mechanica, agricultura, tonstrina, sutrina, architectura, &c.*

2. Sancti Patres juxta S. scripturam docuerunt; *Matrimonium Christianorum esse magnum Sacramentum.* Ita etiam Ecclesia Cath.

Moderni Acatholici hoc prorsus negant.

3. SS. Patres juxta S. scripturam docuerunt: *Matrimonium inter Christianos esse prorsus indissolubile quoad thorum, ita ut neque ob adulterium, nec sterilitatem aut aliam causam dissolvi possit, ut alia ducatur.* Ita etiam Ecclesia Cath.

Acatholici volunt, quod *Matrimonium ob adulterium alterius dissolvi, & innocens alteri nubere possit.*

4. SS. Patres docuerunt, quod *coniuges Christiani nullo modo quoad thorum separari, & alteri nubere possint, non quidem iuxta legem sæculi vel permissionem Moysi, sed secundùm legem evangelicam.* Ita etiam Ecclesia Catholica moderna.

Acatholici id prorsus negant.

5. SS. Patres docuerunt, quòd *Matrimonium in civitate Dei & monte sancto eius, id est in Ecclesia Christiana tria bona habeat, prolem, fidem, & sacramentum.* Ita etiam Ecclesia Cath.

Acatholici tertium negant.

6. Sancti Patres docuerunt juxta S. scripturam, quòd *bonum nuptiarum per omnes Gentes in causa generandi sit, & in fide castitatis; quoad populum autem Christianum etiam in sanctitate Sacramenti sit.* Ita etiam Ecclesia.

Acatholici id negant.

7. Sancti Patres docuerunt juxta S. scripturam: quòd *in nuptiis Christianorum plus valeat sanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas uteri*. Sic etiam Ecclesia Cath.

Acatholici absolutè negant.

8. Sancti Patres juxta S. scripturam docuerunt: quòd *Christus gratiam & sanctificationem contulerit nuptiis, tum pro salute liberorum, tum ut coniuges Christo subijciantur*. Ita etiam Ecclesia.

Acatholici id negant.

9. Ecclesia tam Latina quàm etiam Græca usque in hodiernum diem credidit: *Matrimonium Christianorum esse verum novæ legis Sacramentum à Christo ad hoc institutum; nec huius doctrinæ initium habetur ab aliquo Concilio vel Pontifice post tempora Apostolorum.*

Calvinus impudenter dicit: *Matrimonium pro Sacramento datum nemo usque ad Gregorii tempora viderat, & cui unquam sobrio in mentem venisset?* at ante Gregorium 200. annis S. Augustino & aliis Sanctis Patribus id in mentem & calamum venit. Calvinus ergo blasphemus & mendax ostenditur.

LIBER XXI. ET VLTIMVS.

De miscellaneis Fidei Articulis.

PRÆFATIO.

I. HUnc titulum huic libro impono: quia de aliquibus Fidei articulis agetur, quos tres Anonymi sine ordine proposuerunt: sciat itaque candidus lector, quòd, cùm D. Elphinston Anglus vexillifer, ùt in præfatione hujus Operis relatum est, in collatione Vrdingæ circa Fidem habitâ, generaliter asseruisset, cœtum suorum, qui se reformatæ Ecclesiæ vocat in omnibus fidei articulis, & specialiter in his, qui hodie inter Ecclesiam Romanam & ipsos controversi sunt, cum primitiva primorum quatuor seculorum Ecclesia convenire; idque se clarè ostensurum firmissimè promisisset: ego certos quosdam articulos ibidem specificatos & relatos, de quibus in præcedentibus libris actum est, ipsi probandos in scripto exhibuerim; quibus generaliter hæc formalia adjeceram: *Vniversaliter petitur; ut unus saltèm Fidei articulus, in quo Catholicam Romanam modernam à vera Fide defecisse prætensi Reformati asserunt, ostendatur ab Ecclesia antiqua damnatus fuisse: sicut prætensi Reformati damnant: Econtra hoc ipsum, de pluribus ipsorum Reformatorum Fidei articulis, demonstrare paratus.*

II. Hoc ipsum justissimè exigere poteram; cùm ob assertionem à D. Vexillifero factam, qui asserebat Ecclesiam Romanam in Fidei articulis à primitiva defecisse, adeòque ad minus unus erat demonstrandus; tum ob rei veritatem; nam, ut certum est de fide, & lib. de Ecclesia est ostensum, vera Christi universalis Ecclesia in nullo prorsus fidei articulo errare potest; ut ergo ostendatur, quòd Ecclesia Romana non sit vera Ecclesia, oportet probare, quod vel saltem in uno fidei articulo defecisset: & econtra, quod prætensa reformata Ecclesia, si vera esset, similiter in nullo articulo à vera fide & ab antiqua Ecclesia aberraret.

III. Quid autem isti tres Authores anonymi, qui partes D. Vexilliferi susceperunt, pro suis specificatis articulis ex S. Scriptura vel sanctis Patribus adduxerint: vel qualiter ostenderint Ecclesiam Romanam in illis ab Ecclesia primitiva defecisse, hactenus visum est: & quoad singulos articulos in præmissis libris illorum argumenta relata sunt, & refutata; & licèt hinc inde aliqua SS. Patrum verba allegârint, quasi doctrinæ Ecclesiæ Romanæ contraria; tamen clarissimè ostensum est contraria non esse; multò minùs ullum Concilium vel ullum S. Patrem allegârunt vel allegare possunt; qui damnârit vel retulerit ab Ecclesia primitiva aliquem ex illis articulis, ut ab Ecclesia Romana docentur, damnatum fuisse.

IV. Econtra autem ex S. scriptura, antiquis Conciliis & sanctis Patribus copiosè probati sunt articuli, prout ab Ecclesia Romana docentur: & etiam positivè ostensum est, præsertim lib. de Verbo Dei scripto & non scripto, ac lib. de Ecclesia, quòd plures articuli, quos Acatholici de fide certos docent, ab antiqua Ecclesia hæreseos damnati fuerint.

V. Ostensum est etiam, quàm falsò & mendaciter isti DD. Anonymi in multis Ecclesiam accusârint, ac contra clarum solem negârint, plures SS. Patres agnovisse plures fidei articulos, quos Romana Ecclesia moderna credit & docet.

His itaque sic expeditis, videndum est; quid isti DD. Anonymi adferant contra illam universalem à me factam propositionem; ut saltèm unum fidei articulum ostendant ab Ecclesia primitiva damnatum, quem Ecclesia Romana moderna credit & docet.

Digitized by Google

CAPUT I.

Referuntur argumenta Anonymi Authoris primi Libelli, & refutantur.

ARTICULUS I.

Ad primum argumentum primi Anonymi reſpondetur.

Author anonymus primi libelli ſic ait:

I. *VBi iubet oſtendere Romanam Eccleſiam in ullo articulo deflexiſſe à primitiva Eccleſia, latum aperit campum; & vel ignoranter, vel ſatis procaciter; ſed paucis me continebo.*

II. *Hieronymus in præfat. in libros Salomonis dicit: Fertur & Parænetos Ieſu Filii Syrach liber; & alius pſeudepigraphus, qui ſapientia Salomonis inſcribitur*, &c. *ſicut ergo Iudith & Tobiæ, & Machabæorum libros legit quidem Eccleſia; ſed eos inter canonicas ſcripturas non recipit, ſic & hæc duo volumina legat ad ædificationem plebis, non ad authoritatem Eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam: At in Concil. Trid. ſeſſ. 4. decreto primo illi ſex libri iubentur pari pietatis affectu ſuſcipi cum libris vet. & novi Teſtamenti, quorum Deus eſt Author, illiſque eâdem veneratione adiunguntur traditiones non ſcriptæ*, &c. hæc ille.

III. Reſpondetur primò, an illam generalem propoſitionem urgendo latum iſti anonymo aperuerim campum oſtendendi falſitatem doctrinæ Eccleſiæ Catholicæ, ut Author ille indicat? an potiùs oſtendendi puram & immaculatam ejuſdem doctrinæ veritatem? demonſtrabitur ex falſitate argumentorum illius Authoris Anonymi. Quod autem nec ignoranter, multo minus procaciter hanc propoſitionem urſerim, res ipſa declarat: nam, cùm in libro de Eccleſia probatum ſit, quòd Eccleſia Chriſti univerſalis ſit ſponſa Chriſti ſine macula & ruga, idque in doctrina veræ fidei, & in nullo errare poſſit; verè & juſtè ab Acatholicis exigitur, ut oſtendant Eccleſiam Romanam vel in unico articulo Fidei ab antiqua deflexiſſe, ſi illam deflexiſſe dicant. At verò, an Author ille verè, an ignoranter vel procaciter glorietur ſibi latum campum apertum eſſe; oſtendendi falſitatem doctrinæ Eccleſiæ Romanæ, ex his, quæ ex tam lato campo adfert, & refutabuntur, patebit.

IV. Reſpondetur itaque ad primum argumentum: quod movet, quoad libros ſacræ ſcripturæ Canonicos & traditiones, quaſi in his Catholica Romana moderna à primitiva deflexiſſet, copioſè refutatum eſt libro de Verbo Dei ſcripto & non ſcripto; ubi primò ex ipſo Concilio Tridentino oſtenſum eſt: quòd Eccleſia Catholica nec velit nec poſſit librum aliquem pro ſuo arbitrio conſtituere Canonicum vel non Canonicum, ùt Acatholici calumniantur; ſed profitetur; quòd illi ſoli & omnes ſuſcipi debeant ut ſacri & Canonici, quos Prophetæ & Apoſtoli ac alii viri Spiritu Sancto dictante ſcripſerunt; ſimiliter illas ſolas *Traditiones non ſcriptas*, eadem quâ ſacros libros, veneratione recipiendas agnoſcit; quæ ex ore Chriſti & Apoſtolorum profectæ perpetuò in Eccleſia conſervatæ ad nos huculque pervenerunt.

Quòd autem omnes & ſinguli libri, qui in Canone Bibliorum à Concilio recenſentur, inter quos ſunt etiam libri ab illo Anonymo relati, ſint verè Canonici ibidem copioſè probatum eſt de ſingulis. V.

Nec his obſtat, quod de illis ſpecificatis aliquando à quibusdam Patribus, ſicut ab ipſo Hieronymo fuerit dubitatum: nam, ùt ibidem oſtenſum eſt, plures ſunt libri ſacræ Scripturæ, quos Acatholici cum Eccleſia Catholica ut Canonicos agnoſcunt; ut inter alios eſt *Epiſtola ad Hebræos, Apocalypſis*, &c. de quibus tamen aliquando aliqui ſancti Patres dubitârunt; licèt alii eoſdem pro Canonicis agnoverint: idque tam diu donec in Conciliis determinatum fuerit.

Etſi autem certum ſit; quòd nec Eccleſia, nec Concilia novos Fidei articulos condere poſſint, nec novos S. Scripturæ libros proponere; certum tamen eſt, quod Eccleſia à Spiritu Sancto directa poſſit determinare articulum Fidei, de quo controverſia aliquando movetur; ita ut licèt articulus ille Fidei ſemper in Eccleſia creditus fuerit, ſi ab aliquibus in controverſiam vocatur, poſtea in Concilio declaretur & determinetur; hoc paſſim conſtat de pluribus Fidei articulis, utpote *de ſanctiſſima Trinitate, de conſubſtantialitate Patris & Filii, de duabus naturis in una perſona Chriſti*, &c. quæ in primis Conciliis, *Niceno, Epheſino*, &c. determinata fuerunt. Similiter de non rebaptizandis iis, qui ab hæreticis baptizati, de quo articulo magna ante Concilium Nicænum erat controverſia inter ſanctos Patres, ut etiam ſanctus Cyprianus & alii fortiter contenderent: de quo D. Auguſtinus libro primo de Baptiſmo Cap. ſeptimo tomo 7. ed. Baſil. 1528. ſic ait: *Quoniam quæſtionis huius obſcuritas prioribus Eccleſiæ temporibus ante ſchiſma Donati magnos viros & magnâ charitate præditos Patres, Epiſcopos ita inter ſe compulit, ſalvâ pace, diſceptare atque fluctuare; ut diu Conciliorum in ſuis quibusque Regionibus diverſa ſtatuta nutarint; donec plenario totius orbis Concilio* (Nicæno) *quod ſaluberrimè ſentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur*, &c. hæc Auguſt. VI.

Sicut itaque Concilium Nicænum non for- VII.

formavit novum Fidei articulum; ſed illum, qui antea in Eccleſia ſaluberrimè quidem ſentiebatur, ſed à quibusdam dubitabatur, ut firmum & certum ab omnibus credendum declarabat; ſic etiam Eccleſia poteſt librum aliquem, qui ab initio ſacer erat, & à Spiritu Sancto dictatus; tamen à quibusdam Patribus in dubium vocatus, ut certum ab omnibus & Canonicum agnoſcendum declarare prout in ſpeciali *Concilium Nicænum de libro Iudith* determinavit.

VIII. Reſpondetur itaque ad S. Hieronymum primò, quod ipſe hoc non ex propria ſententia, ſed Judæorum ſcripſerit, ut Doctores probant.

IX. Reſpondetur ſecundò: quod, licèt ipſe tunc temporis, quo illa ſcripſit, illius fuiſſet opinionis, quod illi ſpecificati libri non eſſent canonici, nec ad dogma Eccleſiaſticum probandum uſurpandi, tamen alii plurimi ſancti Patres illos ut tales ante ipſum agnoverunt, ut ibid. copiosè oſtenſum eſt de ſingulis. Et ipſe *Hieronymus* in præfat. agnito Nicæni Concilii decreto de libro Judith ſic ſcribit: *Quia hunc librum Synodus Nicæna in numero ſanctarum Scripturarum legitur computaſſe, acquievi poſtulationi tuæ, &c.* quæ ſanctæ Scripturæ ad dogma Fidei probandum valent, & ibidem Hieronymus dicit: quòd Hebræi hunc librum inter ſanctos libros, ſed non ad Fidem probandam idoneos agnoſcant; quibus opponit Concilium Nicænum: quod fruſtra feciſſet, ſi non intellexiſſet, Concilium ad fidem probandam idoneum judicaſſe: ſicut itaque de libro Judith Hieron. ſententiam ſuam (ſi tamen ſuam & non Hebræorum) mutavit: ſic & de reliquis libris in præfat. in libros Salomonis ſpecialiter mutaſſe facilè convincitur.

X. Conſtat autem clariſſimè ex tot SS. Patribus, quos lib. de Verbo Dei allegavimus ab initio Eccleſiæ, quod dictos libros ſacros etiam ad Fidei dogmata probanda allegârint, licèt tunc nihil eſſet ab Eccleſia de integro Canone librorum S. Scripturæ definitum; & hinc inde aliqui Patres dubitarent: verùm poſtea *Concilium Carthaginenſe tertium*, cui interfuit D. Auguſt. Anno 395. celebratum, Canonem ſpecificavit, can. 47. ſic. declarans: *Placuit ut præter Scripturas Canonicas nihil in Eccleſia legatur ſub nomine divinarum Scripturarum, ſunt autem canonicæ Scripturæ: Geneſis, Exodus, Leviticus, &c.* & conſequenter omnes recenſentur; quos Concil. Trid. recenſet: inter quos ſunt & iſti à S. Hieronymo nominati.

XI. Similiter D. Auguſtinus libro ſecundo de Doctrina Chriſt. cap. 8. de libris canonicis agens tomo 3. ed. Baſil. 1528. indicat; quòd omnes lecti fuerint ab initio Eccleſiæ, & ſacri agniti; licèt in quibusdam particularibus Eccleſiis non ita recepti fuiſſent: ipſe autem ibidem Canonem integrum recenſens dicit: *Totus autem Canon Scripturarum, in quo iſtam conſiderationem verſandam dicimus, his libris continetur; Quinque Moyſeos, id eſt Geneſi, Exodo, Levitico, Numeri, Deuteronomio, & uno libro Ioſue,* & infrà: Sunt alii, *Iob, Tobias, Heſter, Iudith, & Machabaeorum libri duo, Eſdræ duo,* &c. *deinde Prophetæ, in quibus, David liber unus Pſalmorum, & Salomonis tres, Proverbiorum, Cantica Canticorum, & Eccleſiaſtes. Nam illi duo libri, unus, qui Sapientia, & alius, qui Eccleſiaſticus inſcribitur, de quadam ſimilitudine Salomonis eſſe dicuntur, nam Ieſus Filius Syrach eos ſcripſiſſe conſtantiſſimè perhibetur; qui tamen, quoniam in authoritatem recipi meruerunt, inter Propheticos numerandi ſunt, reliqui ſunt eorum libri, qui propriè Prophetæ appellati ſunt, duodecim Prophetarum libri,* &c. ubi aliquos recenſet & ſubjungit: *His quadraginta quatuor libris veteris Teſtamenti terminatur authoritas,* &c. hæc Auguſtinus. Ubi prorſus eosdem, quos Concil. Trid. refert, libros Canonicos recenſet.

Rurſus *Innocentius primus*, qui tempore D. Auguſtin. Romanus Pontifex fuit, conſultus ab Epiſcopo Toloſano Exuperio, in epiſtola ad eundem; eosdem planè libros ſacræ Scripturæ recenſet, prout Concilium Trid. cum Concilio Carthaginenſi & Auguſtino recenſuit; & ſic in ſequentibus Conciliis idem librorum S. Scripturæ Canon recenſitus & agnitus eſt. X

Quamvis itaque ante Conciliorum determinationem aliqui viri vel Patres de quibusdam libris dubitârint, & fortè D. *Hieronym.* hoc nihil officit veritati: ſicut nec quod *S. Cyprianus* de non rebaptizandis ab hæreticis baptizatis dubitârit; imo vehementer contradixit, antequam à Concilio Nicæno eſſet definitum: ſic dubium non eſt, quin Hieronym. Eccleſiæ determinationi tandem acquieverit, qui ad *Damaſum Papam* ſcribens de *Hypoſtaſi* & aliis Fidei articulis, ab ipſo tanquam ovis à Paſtore veritatem doceri petebat. XI

Jam videat D. Author Anonymus, quid lucratus ſit, vel quid in lato iſto & aperto campo contra Eccleſiæ Romanæ modernæ doctrinam invenerit, in quo ab antiqua deflexiſſet, unum Hieronymum allegat, ſed ipſe ſeipſum correxit, & correxiſſet, ùt dictum eſt. At verò ubi ullum eſt Concilium primitivæ Eccleſiæ, quod damnârit illos libros ut apocryphos. XI

Econtra tot SS. Patres ab initio Eccleſiæ tales libros ut Canonicos allegârunt. *Concilium Nicænum de libro Iudith determinavit. Concilium Carthaginenſe de omnibus Canonem poſuit,* & hæc omnia in primitiva Eccleſia; quorum veſtigiis Concilium Tridentinum inhæſit, patet ergo D. Anonymi manifeſta falſitas; qui Concilium Tridentinum in hoc traducere & calumniari voluit, quaſi deflexiſſet; ipſe autem cum ſua prætenſa Eccleſia circa Canonem librorum ſacræ Scripturæ à primitivæ Eccleſiæ Fide defeciſſe convincitur. X

Similiter falſitatis D. Anonymus arguitur in eo; dum calumniatur Concilium Tridentinum, quod Traditiones Apoſtolicas non ſcriptas, ut verbum Dei recipiendum agnoſcat: hoc enim abunde probatum eſt libro de Verbo Dei ſcripto & non ſcripto, tam ex ſacra Scriptura, quàm ex ſanctis Patribus primitivæ Eccleſiæ; imo ex ipſorummet Acatholicorum neceſſaria confeſſione, ſed X

quia

quia Anonymus nihil in particulari adfert, videri possunt lib. allegato, quæ Lector desiderare posset.

ARTICULUS II.

Adfertur secundum Anonymi argumentum, & refutatur.

I. SEcundum argumentum illius Anonymi, quo imaginatur sibi probare Ecclesiam modernam à primitiva in Fide deflexisse: his verbis ponit: *Latina versio est Hieronymi, opus, saltem ad maximam partem, ergo ante eum ea versio non erat authentica; & ipse in præfat. in pentateuc. dicit: Sicubi in translatione tibi videor errare, interroga Hebræos,* & paulò pôst addit, *& mendaciora sunt exemplaria Latina, quàm Græca, & Græca, quàm Hebræa, sic habet editio Parisiis in 8. Anno 1523. per Ioann. Prevel. sed in Synodo & sess. iam nominatis* (scilicet Trid. sess. 4.) *decretum est, eam Latinam versionem habendam esse pro authentica, & quòd nemo eam rejicere quovis prætextu audeat; & nihilominus à duobus Papis Pio V. & Gregorio mutata est in aliquot centenis, si non mille locis,* &c. hæc D. Anonymus.

II. Respondetur de originalibus S. Scripturæ textibus & variis translationibus, ac præsertim de vulgari Latina versione, copiosè actum est lib. de Verbo Dei scripto & non scripto cap. 6. ubi etiam ad cavillationem hanc illius Anonymi responsum est; ut nihil hîc repetendum videatur, sed ibi videri possit.

III. Ex quibus patet; quòd Ecclesia Catholica moderna inhæreat textui S. Scripturæ Latino, qualis à tempore sancti Hieronymi & Augustini semper agnitus fuit ab Ecclesia concordare cum textibus originalibus; & proinde meritò mandavit, ut illi versioni inhæreatur potiùs quàm aliis non sic probatis; & ideo nullus illam versionem rejicere debeat: Pontifices autem textum nullum mutârunt, ùt falsò D. Anonymus dicit; sed sicut Concil. Trid. summis Pontificibus reliquerat ut providere vellent, quatenus vulgaris editio, quæ in sensu probata erat, licèt mendæ librariorum intervenissent in quibusdam editionibus, emendatissimè ederetur & conservaretur, ita Pontifices Pius V. & Sixtus V. & Clemens VIII. executioni mandârunt, ut versio illa vulgaris cum codicum manuscriptorum Hebræorum, & Græcorum fontium & antiquorum Patrum commentatorum ac Latinorum exemplarium collatione à librariorum, qui subinde irrepserant, erroribus emendata ederetur. Quid in hoc erroris contra sacram Scripturam, quam Ecclesia intactam veneratur? quid hîc erroris contra Ecclesiam antiquam, cum potiùs Ecclesia velit, ut omni meliori modo antiquæ Ecclesiæ usui in interpretando S. Scripturam inhæreatur? etsi illa Hieronymi versio ante ipsum non exstiterit, & postea probata pro authentica agnoscatur; quid inde? non ideo nova Scriptura formata est, licèt accuratiùs in Latinum versa fuerit. Ubi hîc error in Fide, quod probandum erat.

IV. At verò Acatholici ab antiqua Ecclesia defecerunt; dum varias versiones novas in variis linguis fabricatas populo ùt authenticas ingerunt, & inter alias illam Lutheri: in cujus novi testamenti versione Cochlæus lib. de Vita & Actis Lutheri anno 1522. notavit ad mille loca immutata, quæ vel addidit, vel detraxit, vel depravavit, contra originales textus; unde aliqui Acatholici vulgari antiquâ Latinâ versione à Concil. Trid. seu ab Ecclesia tot sæculis probata honestiùs utuntur.

Ecce iterum id, quod D. Anonymus contra Ecclesiam Rom. de versione Latina adfert, in caput suum refunditur; & in campo lato aperto invenit conformitatem Ecclesiæ Romanæ cum antiqua, sed Lutheri & aliorum deformitatem detestandam. V.

ARTICULUS III.

Refertur tertium argumentum primi Authoris Anonymi, & refutatur.

I. DOminus Anonymus in isto lato aperto campo fingit alium errorem invenire; in quo Ecclesia moderna à primitiva deflexerit, quod his verbis probare conatur dicens: *Textum Matt. 16. v. 18.* exponit Augustinus de verbis Domini serm. 13. sic: *Deinde addidit Dominus; Et ego dico tibi, tanquam diceret: quia tu dixisti mihi, tu es Christus Filius Dei vivi, & ego dico tibi tu es Petrus; Simon quippe antè vocabatur. Hoc autem nomen, ut Petrus appellaretur, à Domino est ei impositum, & hoc, ut ea figurâ significaret Ecclesiam. Quia enim Christus Petra, Petrus populus Christianus; petra enim principale nomen est, ideo Petrus à petra, non petra à Petro, quomodo non à Christiano Christus, sed à Christo Christianus vocatur. Tu es ergo (inquit) Petrus,* &c. *& super hanc petram quam cognovisti, dicens: Tu es Christus Filius Dei vivi, ædificabo Ecclesiam meam,* &c. *super me ædificabo te, non me super te, nam volentes homines ædificare super homines dicebant: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego verò Cepha, ipse est Petrus. Et aliqui volebant ædificare super Petrum sed super petram, ego autem sum Christi, &c.* similiter hunc textum exponunt omnes Patres qui eam tractant, sive obiter sive ex professo, *&c.*

At nunc Pontificii exponunt aliter; quasi dixisset Christus; Tu es petra, & super te & super Pontifices Romanos ædificabo Ecclesiam meam. Papæ! quantum discrimen? hæc ille D. Anonymus.

II. ℞. Miseret me tui, bone Domine, quòd sic apertè probas vel inscitiam tuam vel mendacem inverecundiam inscitiam quidem, si non legeris D. August. aliis in locis; imò vel in eodem loco integrè, vel alios PP. mendacem inverecundiam, si legeris, & tamen tam audacter asseris *similiter omnes Patres hunc textum exponunt, &c.* si per similiter intelligas quòd SS. Patres vel ipse Aug. illum textum sic exposuerint, ut nullo modo de ipso Apost. Petro illa verba super hanc petram ædificabo Ecclesiam, intelligantur, prout clarè indicas; contrarium statim patebit; verùm insolenter & inscienter exclamas *Papæ! quantum discrimen?* videbis enim nullum esse discrimen, si verus sensus attendatur à sancto August. & sanctis Patribus expressus.

III. Cæterùm, qualiter textus Matth. 16. allegatus intelligatur ostendi lib. 5. de Ecclesia Rom. & de ejusdem summo Pontifice, c. 3. art. 2. ubi declaravi juxta S. Scripturam & SS. Patres; quòd solus Christus sit unicum simpliciter & absolutum Caput ac fundamentum Ecclesiæ & Pastor, qui proprio Sanguine illam redemit & sibi acquisivit, eamque suâ potestate & virtute

Digitized by Google

sustentat; cùm hoc tamen consistit, quòd Christus constituerit Apostolos Ecclesiæ fundamenta, qui tamen ultimatè in solo Christo fundantur, juxta illud Ephes. 2. v. 19. ubi Apostolus dicit: *Estis cives Sanctorum*, &c. *superædificati suprà fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu*, &c. sic Apoc. 21. v. 14. dicitur: *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum agni*; qui itaque diceret Petrum esse angulare fundamentum & Petrum Christo æqualem, vel Christo contempto, quod Christus in Petro sit ædificatus, utique perversè diceret & blasphemè; qui autem diceret, Petrum esse secundarium fundamentum Ecclesiæ vel petram, non loquitur malè, multò minus perversè, nec contra scripturam nec contra SS. Patres, sed juxta S. scripturam, ut ostensum est, & juxta SS. Patres, ut loco citato art. 3. & 4. ostensum est; hîc obiter aliquos attingam ex SS. Patribus Græcis & Latinis, ut lector sincerus veritatem palpet.

IV. *Clemens Romanus* anno 80. epist. primâ ad Jacobum fratrem Domini edit. Colon. 1569. *Simon Petrus*, ait (*qui veræ fidei merito, & integræ prædicationis obtentu fundamentum esse Ecclesiæ definitus est, qua de causa, etiam Domini ore cognominatus est Petrus, qui fuit primitiæ electionis Domini Apostolorum primus*, &c.

V. *Origenes* in Matth. de Canone novi Testamenti, *Petrus*, inquit, *super quem Dominus fundavit Ecclesiam, duas tantùm scripsit epistolas*, &c. hæc ille.

VI. *Athanasius* apud Jod. Coccium tomo 9. Thesaur. Cathol. 1605. in epist. ad Felicem sic ait: *Tu es Petrus, sicut veraciter dicit divinum eloquium, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ sunt confirmatæ.*

VII. *Hyppolitus* ibidem apud eundem Cocc. orat. de Consummatione mundi ait: *Princeps Petrus, Fidei petra: quem beatum indicavit Christus Dominus noster, ille Doctor Ecclesiæ, ille primus discipulorum, qui regni claves habuit*, &c.

VIII. *Basilius* ad cap. 2. Isaiæ. *Vnus*, inquit, *ex his montibus fuit Petrus, quem petram appellavit propter maximam Fidei firmitatem.*

IX. *Gregor. Nazianz.* orat. de Modestia in disceptationibus observanda paulò pòst medium ed. Basil. 1550. *Cernisne*, ait, *Christi discipulos*, &c. *hic enim petra vocatur, eique Ecclesiæ fundamenta concreduntur*, &c. *& reliqui præeminentiam hanc benignè ferunt.* hæc ille.

X. *Epiphanius* in Ancorato ed. Basil. 1560. *Ipse Dominus* ait, *constituit Petrum primum Apostolorum petram firmam, super quam Ecclesia Dei ædificata est.*

XI. *Cyrillus Alexandr.* lib. 2. in Joann. cap. 12. ed. Basil. 1546. *Intuitus autem*, ait, *eum Iesus dixit: Tu es Simon*, &c. *& hac de re discipulum instruit, cum se esse, qui cuncta etiam antequam fiant novit: nec Simon fore iam nomen sibi, sed Petrus prædicit: vocabulo ipso commodè significans, quòd in eo tanquam in petra lapidéque firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam*, &c. similiter alii Patres loquuntur.

Ex pluribus PP. Latinis aliquos referam.

XII. *Tertullianus* edit. Basil. 1562. lib. de Præscript. hæret. cap. 22. sic ait: *Latuit aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ petram dictum, claves Regni cœlorum consecutum*, &c.

XIII. *Cyprianus* tomo 1. edit. Basil. 1531. epist. 40. *Deus unus est, & Christus unus & una Ecclesia, & cathedra una super Petrum Domini voce fundata.*

Idem de unit. Ecclesiæ tomo 2. edit. eâd. sic ait: *Proqatio est ad Fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam*, &c. & infrà: *Eidem post resurrectionem suam dicit: Pasce oves meas. Super illum unum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas*, &c. hæc ille.

XIV. *Ambrosius* serm. 47. ed. Paris. 1569. *Fidelior enim*, ait, *factus est* (Petrus) *postquam Fidem se perdidisse deflevit; atque ideo maiorem gratiam accepit, quàm amisit. Tanquam bonus enim pastor tuendum gregem accepit, ut qui sibi antè infirmus fuerat, fieret omnibus Sacramentum: Et qui ipse interrogationis tentatione nutaverat, cæteros Fidei stabilitate fundaret.* Denique pro *soliditate devotionis Ecclesiarum, petra dicitur sicut ait Dominus: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Petra enim dicitur, eò quòd primus in nationibus Fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem, molémque contineat*, &c. hæc ille, & alibi sæpe ut patebit ex verbis Augustini.

Hieron. epist. 54. ed. Basil. 1553. ad Marcellum. *Si Apost. Petrus*, inquit, *super quem Dominus fundavit Ecclesiam*, &c.

XV. Idem lib. 1. adversus Jovinian. cap. 14. ed. eâd. tomo 1. sic ait: *Si supra Petrum fundatur Ecclesia licèt idipsum alio in loco super omnes Apostolos fiat*, &c. *tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio*, &c. hæc ille.

Idem in cap. 16. Matt. sic ait: *Secundùm metaphoram petra rectè dicitur ei, ædificabo Ecclesiam super te*, &c. Ecce virum Hebraicæ linguæ peritissimum qualiter exponat textum.

XVI. Demum ipse *August.* variis locis textum illum similiter intelligit & exponit, specialiter serm. 5. in festo Petri & Pauli, ubi de Petro sic ait: *Solus inter Apostolos meruit audire, tu es Petrus, & super hanc petram*, &c. *dignus certè qui ædificandis populis in domo Dei lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculnm, clavis ad regnum*, &c.

XVII. Iterum lib. 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 1. tomo 7. 1528. ed. Basil. allegans S. Cyprianum sic ait: *De quo* (Petro) *Cyprianus ad Quintum ita loquitur. Nam nec Petrus inquit, quem primum Dominus elegit & super quem ædificavit Ecclesiam suam cùm secum Paulus de circumcisione disceptaret*, &c. similiter pluribus locis loquitur.

XVIII. Jam accedat D. Anonymus, & asserat, *similiter hunc textum exponunt omnes Patres qui eum tractant sive obiter sive ex professo.* An non præmissi sunt Patres primitivæ Ecclesiæ, ubinam ergo omnes illi tui, quos jactitas? vel unicum referat.

XIX. Sed ut & ex ipso Augustino confundatur, attendat D. Anonymus verba, quæ Augustinus loco ab ipso citato immediatè post verba recitata, *ego autem sum Christi*, subjungit tomo 10. ejusd. edit. 1529. dicens: *Apostolus autem Paulus ubi cognovit, se eligi & Christum contemni, divisus est, inquit, Christus? nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? quomodo non in Pauli sic nec in Petri, sed in nomine Christi, ut Petrus ædificaretur supra petram & non petra super Petrum*, &c. hæc August. ubi patet, quo sensu Augu-

Digitized by Google

Augustinus negavit super Petrum esse ædificatam Ecclesiam; quasi ipse esset lapis angularis, & ipse Ecclesiam redemisset vel conservaret suâ virtute, hoc diximus esse falsissimum: sed alius sensus verissimus est quòd stante Christo primario lapide & petrâ, Petrus sit secundarius lapis in Christo solidatus, in quo Christus Ecclesiam post se fundavit, & hoc modo omnes SS. Patres exponunt, & hunc sensum moderna Ecclesia Romana tenet, & sic duplici vero sensu exponi possunt verba Christi Matth. 16. scilicet semel *super hanc petram* id est, *super me qui sum lapis angularis & fundamentum, præter quod nullum aliud potest poni, ædificabo Ecclesiam meam, & super me etiam tu Petre ædificaberis.* Alter sensus verus est, *super hanc Petram*, id est, *super te Petre non tanquam primarium fundamentum præter me, sed tanquam secundarium in me solidatum ædificabo Ecclesiam meam:* & hi duo sensus sibi non opponuntur, sed mutuò sese compatiuntur & veri sunt.

XX. Si D. Anonymus nondum acquiescat, audiat ipsum D. Augustinum lib. 1. Retract. cap. 21. tomo 1. 1529. edit. Basil. ubi sic ait: *In hoc libro,* scilicet contra Epistolam Donati, *dixi in quodam loco de Apostolo Petro; quòd in eo, tanquam in petra, fundata sit Ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii; ubi de gallo gallinaceo,* ait: *Hoc, ipsâ petrâ Ecclesiæ canente, culpam diluit; sed scio me postea sæpissime exposuisse, quòd à Domino dictum sit, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, ut super hanc petram intelligeretur, quem confessus est Petrus, dicens: Tu es Christus Filius Dei vivi; Ac si Petrus ab hac petra appellatus personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur, & accepit claves Regni Cœlorum. Non enim dictum est illi: Tu es Petra, sed tu es Petrus. Petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut cum confitetur tota Ecclesia, dictus est Petrus, &c.* Vbi patet, quòd D. Augustinus non attenderit textum originalem Hebraicum vel Syriacum, ut tradit Hieronymus in cap. secundo ad Galat. & alii Hebraicæ linguæ periti, cujus D. Augustinus se alibi fatetur imperitum: in textu Hebraico expresse dicitur: *Tu es Cepha seu Petra*, nam *Cephas seu Cepha dicitur petra & non Petrus.* & ideo Joann. 1. v. quadragesimo secundo Christus dicit Petro: *Tu vocaberis Cephas*, & licèt interpres Latinus addat, quòd interpretatur Petrus, non tamen est in Hebræo; sed in Græco, tam πετρος quàm πετρα, significat lapidem vel saxum, ideo Latinus interpres in masculino potius interpretatur, quia virum concernebat.

XXI. Certum autem est, quòd ille sensus, quo intelligitur textus de Petro, quòd super ipsum ut secundarium lapidem Christus non se, sed Ecclesiam ædificare voluerit, verus sit, & literalis, & etiam alter quem Augustinus indicat verus sit, licèt verba durè ad hunc adstringantur & vix ulli alii Patres in tali sensu hunc textum exposuisse legantur; & ipsemet loco citato lib. 1. Retract. post prædicta verba subjungit sic dicens: *Harum autem duarum sententiarum, quæ sit probabilior eligat Lector, &c.* ubi supponit, quòd textus utroque modo verè & probabiliter exponi possit; modò semper caveatur, ne dicatur, quòd Petrus sit petra Ecclesiæ præter Christum, sed post Christum & in Christo fundata: sic omnes sancti Patres intellexerunt; sic ipse Augustinus intellexit, sic moderna Ecclesia Romana intelligit & exponit.

XXII. Vides Domine Anonyme vel tuam inscitiam, quòd vel nescieris quid sancti Patres dixerint, & sic arroganter asseris, quod nescis: vel si sciebas ut scire debebas, quàm inverecundè mentitus sis, dicendo; quòd similiter omnes sancti Patres exposuerint, si ita intellexeris, ut intelligere debebas; si Ecclesiam carpere volebas, quasi nulli Patres exposuerint illum textum de ipso Simone Petro, quòd à Christo petra dictus sit, & super illum Ecclesia dicto modo fundata sit: ubi jam tua admirativa *Papæ?* ubi jam tantum discrimen inter expositionem D. Augustini & omnium Patrum, ac expositionem Ecclesiæ Romanæ? vides nullum esse, sed Ecclesiam cum Patribus concordare, vos autem Acatholici falsò textum pervertitis & Ecclesiam oppugnatis, imponendo illi, quasi Simonem Petrum pro angulari lapide præter Christum assereret, quod Ecclesia nullatenus asserit; sed illud quod Augustinus & omnes sancti Patres docuerunt, ut patet ex præmissis.

ARTICULUS IV.

Refertur quartum argumentum D. Anonymi primi & refutatur.

I. DOminus Anonymus iterum in D. Augustino sibi persuadet invenisse aliquid, in quo Ecclesia Romana moderna à primitiva differat, dicens: *De iustificatione nostra Augustinus de verbis Apostoli serm. 15. sic scribit: Gratiâ salvi facti estis per Fidem; & hoc non ex vobis sed Dei donum est, non ex operibus, ne forte dicas, promerui, & ideo accepi; Non putes te promerendo accepisse, qui non promereres nisi accepisses, gratia præcessit meritum tuum, non gratia ex merito, sed meritum ex gratia: Nam si gratia ex merito, emisti non accepisti. pro nihilo (inquit) salvabis eos: quid est pro nihilo facies salvos? nihil in eis invenis unde salves, & tamen salvas, qui nihil invenis unde salves, & multum invenis unde damnes.* &c.

At Pontificii obtrudunt meritum congrui, meritum digni, meritum condigni, meritum supererogationis, meritum primæ iustificationis, meritum secundæ iustificationis; sed Augustinus negat omne meritum nostrum: sicut & reformata Ecclesia. hæc D. Anonymus.

II. Respondetur; mirum quòd non pudeat Dominum Anonymum talis argumenti; quo se ipsum confundit: consideret sincerus Lector verba Augustini & verba Anonymi, & videbit facilè confusionem; Augustinus dicit: *Gratia præcessit meritum tuum*, ergo agnoscit aliquod *meritum tuum* seu *nostrum*, quod gratiam sequitur ùt patet; Anonymus dicit: *Augustinus universaliter negat omne meritum nostrum.* Nunquid particularis affirmativa opponitur contradictoriè universali negativæ? Augustinus affirmat dari aliquod meritum nostrum, tu dicis; Augustinus negat omne meritum nostrum, ergo contradicit

Anonymo Augustinus & ipsa veritas. Hæc sufficerent ad confusionem illius Anonymi & ad veritatem Catholicam ostendendam.

III. Cæterùm, quale meritum in justificatis credat ac doceat Ecclesia Romana, copiosè ostensum & probatum est lib. de Meritis bonorum operum: hîc, pro faciliore Lectoris commoditate, aliqua summatim repetentur.

IV. Primò itaque Ecclesia cum sancto Augustino & aliis sanctis Patribus juxta sacram Scripturam credit & docet duplicem dari justificationem: unam, quâ homo per gratiam Dei ex impio fit justus, & hæc dicitur prima, de hac loquitur Apostolus Rom. 4. v. 5. dicens: *Credenti autem in eum qui iustificat impium*. & 1. Cor. 6. v. 11. *Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed iustificati estis*. Altera justificatio est, quâ homo justus accipit majorem justitiam, seu ex justo fit justior, juxta illud Apocal. 22. v. 11. *Qui iustus est, iustificetur adhuc*.

V. Secundò, quoad primam justificationem Ecclesia Romana nullum agnoscit meritum, ùt patet in Concilio Trid. sess. 6. cap. 8. ubi sic dicitur: *Nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, sive Fides, sive opera ipsam iustificationis gratiam promeretur, &c.* & de hac iustificatione loquitur August. loco allegato, dicens: *Non putes te promerendo accepisse*, &c.

VI. Tertiò, quoad secundam justificationem Ecclesia profitetur, quòd illam meritum præcedat & promereatur, ita in Concilio Trid. sess. 6. can. 24. definitur: *Si quis dixerit iustitiam acceptam non conservari atque etiam augeri coram Deo per bona opera*, &c. *anathema sit*. idque juxta illud Jacobi 2. v. 21. *Abraham pater noster nónne ex operibus iustificatus est?* & hoc sensu Augustinus præfat. in ps. 31. conciliat verba Jacobi cum verbis Pauli Rom. 4. v. 2. *Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum, &c.* & sic cum sanctis Patribus supponit Augustinus edit. Basil. 132. tomo 9 passim specialiter tract. 74. in Joann. dicens: *Restat ut intelligamus, Spiritum Sanctum habere qui diligit, & habendo mereri, ut plus habeat, &c.* & epist. 106. *Non, ait, gratiam præcedit meriti aliquid humani*: Ecce nullum meritum quoad primam justificationem; *sed ipsa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, &c.* ecce meritum, quoad secundam justificationem.

VII. Quartò quoad meritum ipsum verum, etiam docet Ecclesia cum sanctis Patribus juxta sacram Scripturam; quòd tale etiam detur respectu Regni cœlorum, ùt patet in Concilio Trid. sess. 6. cap. 16. ubi sic dicitur: *Hac ratione iustificatis hominibus proponenda sunt verba Apostoli 1. Corinth. 15. Abundate in omni opere bono, scientes quòd labor vester non sit inanis in Domino.* Et Heb. 6. v. 10. *Nō enim iniustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius. Et nolite amittere confidentiam, quæ magnam habet remunerationem.* Hebr. 10. v. 35. *Atque ideo bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Christum sibi misericorditer promissa & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorū operibus, ut meritis, fideliter reddenda, &c.* hæc Côc ubi declarat, quòd, quia homo justificat' habet gratiam à Deo per Christum infusam, quæ vera justitia est, & Christus *tanquam Caput in membra, & vitis in palmites in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat sine qua opera nullo pacto Deo grata & meritoria esse possunt: iustificati illis operibus, quæ in Deo sunt facta, vitam æternam verè promeruisse dicantur, &c.* & infrà sic ait: *Absit tamen, ut Christianus homo in se ipso vel confidat vel glorietur; & non in Domino: cuius tanta est erga homines bonitas, ut eorum velit esse merita quæ sunt ipsius dona.* hæc Concil. ubi supponit ex sacra Scriptura: quòd licèt omnia opera justorum pluribus titulis Deo ùt Creatori & Domino ac Redemptori sint obligata; & etiam specialiter opera bona homo ex suæ naturæ viribus non habeat, sed ex speciali Dei gratia, adeóque sint specialia Dei dona, ut ideo per se loquendo homo pro his nihil mercedis requirere possit: quia tamen Deus illa dona sic dedit, ut voluerit & promiserit, quòd illis mercedem reddere velit, ideo verè meritoria sint. Sic sancti Patres semper intellexerunt ùt lib. de Meritis ostensum est. Et specialiter D. Augustinus, qui, licèt contra Pelagianos asserentes, hominem ex suis naturæ viribus gratiam & gloriam promereri, gravissimè egit; tamen merita per Fidem & gratiam à Deo datam facta, clarissimè defendit. ùt patet pluribus locis ibid. allegatis, sufficiant hîc aliqua.

VIII. Lib. 3. contra 2. epistol. Pelagianorum cap. 7. circa finem, edit. Basil. 1528. tomo 7. sic ait: *Iustitia, secundùm quam iustus ex Fide vivit, quoniam per spiritum gratiæ homini ex Deo est, vera iustitia est; quæ licet non immeritò in aliquibus iustus pro huius vitæ capacitate perfecta dicitur; parva tamen est ad illam magnam* (scilicet in cœlesti gloria) *quam capit æqualitas Angelorum, &c.* & infrà: *Sed planè minor ista iustitia facit* meritum; *maior illa fit præmium: unde, qui istam non sequitur, illam non assequitur. &c.* hæc ibi, ubi non potest intelligi de justitia Christi homini imputata, quia illa semper æqualis est, sed de justitia homini propter Christum infusa & inhærente, quæ facit meritum.

IX. Similiter lib. de Gratia & lib. Arbit. cap. 6. edit. Basil. 1528. tractans verba Apostoli, *bonum certamen certavi*, &c. *Ista utique*, ait, *tam merita sua bona commemorat, ut post bona merita consequatur coronam; qui post merita mala consecutus est gratiam*, & infrà: *Cui redderet coronam iustus Iudex, si non donasset gratiam misericors Pater? Et quomodo esset ista corona iustitiæ, nisi præcessisset gratia, quæ iustificat impium? quomodo ista debita redderetur, nisi priùs illa gratuita donaretur?* & suprà in initio capitis: *His & talibus testimoniis divinis probatur gratia Dei non secundùm merita nostra dari; quandoquidem non solùm nullis bonis, verùm etiam multis meritis malis præcedentibus videmus datam, & quotidie dari videmus; sed planè cùm* (gratia) *data fuerit, incipiunt esse* merita *nostra bona, per illam tamen*, &c. *quapropter quando cœperit homo habere merita bona, non debet sibi tribuere illa, sed Deo, &c.* & infrà ad Pelagianorum dicta sic ait: *Respondendum est, si enim* merita nostra *sic intelligerent, ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia; quoniam verò merita humana sic prædicant, ut ea ex semetipso habere hominem dicant, prorsus iustissimè respondet Apostolus: Quis enim te discernit? quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? prorsus talia cogitanti verissimè dicitur, dona sua coronat Deus, non merita tua; si tibi a te*

à te ipso, non ab illo sunt merita tua: hæc enim si talia sunt (scilicet à te ipso) *mala sunt, quæ mala sunt, non coronat Deus, si autem bona sunt Dei dona, &c.* hæc August. Ecce qualiter neget merita bona scilicet; quæ homo ex se ipso habere dicitur, quia talia non sunt merita bona sed mala: at verò vera merita bona quæ homo habet, ex gratia Dei fiunt, qui voluit esse merita hominis dona sua: ut Concilium Tridentinum suprà

X. profitetur; Et hoc D. August. exprimit ibidem cap. 7. dicens: *Si ergo Dei dona sunt bona merita tua non Deus coronat merita tua tanquam merita tua, sed tanquam dona sua, &c.* & cap. 8. edit. eâd. *Et nascitur inde non parva quæstio quæ Domino donante solvenda est, si enim vita æterna bonis operibus redditur, sicut apertissimè dicit Scriptura* (Ecce claram Acatholicorum calumniæ confutationem) *Quoniam Deus reddet unicuique secundùm opera eius; quomodo gratia est vita æterna? cùm gratia non operibus reddatur, sed gratis detur, ipso Apostolo dicente: Ei qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm meritum, &c. Ista ergo quæstio nullo modo mihi videtur posse dissolvi; nisi intelligamus & ipsa bona opera nostra, quibus æterna redditur vita, ad Dei gratiam pertinere; propter illud quod ait Dominus Iesus, sine me nihil potestis facere* (sic etiam Concilium docet, quòd nulla opera bona vel meritoria sint, nisi virtus Christi in illa influat) pergit Augustinus paulo infrà: *Quomodo ergo non ex operibus, ne fortè quis extollatur? sed audi & intellige, non ex operibus dictum, tanquam tuis ex te ipso tibi existentibus; sed tanquam his, in quibus te Deus finxit, id est, formavit & creavit, hoc enim ait: Ipsius sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis, &c.* hæc August. ubi clarissimè declarat, qualiter merita justorum sint merita vera & tamen non ex solis ipsorum viribus, sed ex Dei gratia, & sic homo in illis creati dicitur.

XI. Rursus id clarè exprimit epist. 105. edit. Basil. tomo 2. 1528. ubi, postquam ostendisset, quòd nullis præcedentibus meritis bonis homini conferatur gratia indebita: sed, si juxta merita gratiam præcedentia Deus ageret, quia illa mala sunt, non esset nisi damnandus; subjungit de meritis post gratiam acceptam dicens: *Nullane igitur sunt merita iustorum? sunt planè; quia iusti sunt, sed ut iusti fierent, merita non fuerunt; iusti enim facti sunt, cùm iustificati sunt; sed sicut dicit Apostolus, iustificati gratis per gratiam ipsius, &c.* & infrà: *Cùm omne meritum nostrum non in nobis faciat, nisi gratia, & cùm Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat nisi munera sua, &c.* & infrà: *Unde & ipsa vita æterna quæ utique in fine sine fine habebitur, & ideo meritis præcedentibus redditur; tamen quia eadem merita, quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur; non ob aliud, nisi quia gratis datur; nec ideo, quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur.* hæc August.

Quomodo clariùs proponi posset Fides Ecclesiæ Romanæ Catholicæ, quàm his Augustini verbis & Acatholica opinio confutari?

XII. Idem Augustinus epist. 106. sic consequenter ait: *Non quia nullum est meritum vel bonum piorum vel malum impiorum; alioquin quomodo iudicabit Deus mundum; sed misericordia & gratia Dei convertit hominem, ut iustificetur impius, hoc est, ex impio fiat iustus, & incipiat habere meritum bonum, quod Deus coronabit, quando iudicabitur mundus.* hæc ibi, quid clariùs?

Rursus epist. 105. edit. eâdem dicit: *Verum est, quia sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito iustitiæ tanquam stipendium vita æterna, &c. unde etiam* Merces *appellatur plurimis sanctarum Scripturarum locis, &c. quod est autem merces operanti, hoc militanti stipendium, &c.* & infrà: *Cui debetur vita æterna, vera iustitia est; si vera iustitia est ex te non est, desursum est, descendens à Patre luminum. Quapropter, ô homo, si accepturus es vitam æternam iustitiæ quidem stipendium est, sed tibi gratia est; cui gratia est & ipsa iustitia, &c. quia illam gratis à Deo accepis, &c.* XIII.

Iterum edit. Basil. 1529. serm. 16. de Verbis Apostoli sic ait: *In his quæ iam habemus laudemus Deum Largitorem; in his quæ nondum habemus teneamus debitorem; debitor enim factus est, non aliquid à nobis accipiendo, sed quod ei placuit, promittendo.* Et infrà: *Illo ergo modo possumus exigere Dominum nostrum; ut dicamus; redde quod promisisti, quia fecimus quod iussisti; & hoc tu fecisti, qui laborantes iuvisti.* hæc ibi. XIV.

Demum editione eâdem lib. de Moribus Ecclesiæ, cap. 25. sic ait: *Vita æterna est totum præmium, cuius promissione gaudemus; nec præmium potest præcedere merita, & priùs dari homini quàm dignus sit, &c. non ergo debemus poscere præmium, antequam mereamur accipere, &c.* hæc Augustinus. XV.

Simili modo pluribus aliis locis profitetur merita dari justorum: quæ verè nostra sint, quia illa facimus, & Dei dona sunt, quia sine Dei gratia fieri non possunt, & merita vera, quia Deus sic voluit, & illis mercedem promisit.

Quis sanæ mentis his visis diceret *Augustinum universaliter omne meritum nostrum negare, sicut negant prætensæ reformatæ Ecclesiæ?* Et tamen D. Anonymus hoc asserere non erubescit; negat Augustinus omne meritum nostrum respectu gratiæ vel gloriæ, quale Pelagiani asserebant, quòd homo ex se ipso sine gratia Dei haberet; idipsum negat etiam Ecclesia Romana Catholica: sed Augustinus asserit vera merita esse justorum, quibus Deus reddet mercedem & coronam ac stipendium vitæ æternæ, quæ per gratiam Dei homo faciat; ut ideo etiam gratia dicantur: simul Dei dona, & justorum merita; prout Deus voluit, & promisit; hoc ipsum affirmat Ecclesia Catholica Romana; sed id contra S. Scripturam & S. Augustinum aliosque sanctos Patres negant prætensæ reformatæ Ecclesiæ. Ecce quòd Ecclesia Romana ab Ecclesia antiqua non defecerit, sed prætensæ Reformatæ longè defecerint. XVI.

Demum, quod D. Anonymus dicit: *Pontificii obtrudunt meritum congrui, meritum digni & condigni, meritum supererogationis & primæ & secundæ iustificationis.* XVII.

Respondetur: Quoad meritum verum operum vitæ æternæ jam ostensum est, quòd Ecclesia Romana tale non obtrudat, sed juxta S. Scripturam & communem antiquæ Ecclesiæ sententiam profiteatur & doceat; quoad adjectiva *congrui, digni, & condigni*, lib. de Meritis cap. 6. ostensum est, quod de his Ecclesia nihil definivit; plurimi tamen Doctores pro veritatis decla-

declaratione talibus vocibus utuntur; ut illud vocent congruum, quod verè meritum non est, sed tantùm congruum sit, ut Deus acceptet, vel Deus illud respiciat; licèt non obligetur ullo modo; talia Doctores vocant opera, quæ homo peccator à Dei gratia excitatus & adjutus facit, scilicet credendo, sperando Deum sibi per Christum fore propitium, dolendo de peccatis & Deum diligere incipiendo, *&c.* quæ Ecclesia Catholica juxta sacram Scripturam docet in adultis à Deo requiri antequam illos justificet, ùt patet in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 6. sed non dicit hæc opera esse meritoria justificationis, sed expresè negat cap. 8. sed dicit illas esse dispositiones à Deo prærequisitas cap. 7. hoc ipsum Acatholici fateri debent, ùt lib. de Justificatione ostensum est; licèt autem Doctores aliqui illas dispositiones vocent merita de congruo, nihil ampliùs intendunt quàm quòd sint requisitæ dispositiones & bonæ; nec in hoc contradicunt modo loquendi sanctorum Patrum, sed potiùs consonant, qui Fidem & alia opera ex Fide procedentia per gratiæ auxilium merita vocant, ùt ibidem demonstratum est.

XVIII. Voces *digni & condigni* quæ in sacra Scriptura æquivalenter sumuntur, etiam in sacra Scriptura fundantur, ùt lib. de Meritis cap. 6. ostensum est, ut cùm ad Colossenses 1. v. 10. dicitur: *Ut ambuletis digne Deo.* & ibidem v. 12. *Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum.* 2. Thessal. 1. v. 4. *Ut digni habeamini in Regno Dei.* Apocal. 3. v. 4. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt, &c.* & sic sanct. Patres subinde usurpant, ùt *Iustinus Martyr* apolog. 2. dicens: *Homines, qui se dignos Dei voluntate operibus præstiterunt, cum eo regnaturos.* Augustinus lib. de Moribus Eccles. cap. 25. *Nec præmium potest præcedere meritum, & priùs homini dari, quàm dignus sit,* &c.

Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum loquens de mansionibus in cœlo dicit quoad electos: *Qui digni virtutibus ad tantam ascensuri sunt dignitatem, &c.* si homines electi digni sunt, utique per merita, quæ, ùt D. Augustinus dicit, verè merentur & quibus debetur merces, & Hieronymus dicit illas virtutes dignas esse. Hoc

XIX. ipsum Doctores per nomen digni vel condigni meriti intelligunt, ut magis veritatem exprimant contra Acatholicos; qui dicere quidem coguntur, ob clara sacræ Scripturæ loca, quòd opera justorum bona sint, sed revera negant esse bona, multò minùs digna vel mereri vitam æternam: sed volunt esse mala, quibus damnatio debeatur. Vnde autem dignitas vel condignitas operum oriatur, lib. de Meritis copiosè declaratum est, quod scilicet exeo, quia cooperante gratiâ Dei per virtutem Christi influentem fiunt, & à Deo propter merita Christi acceptantur ad talem coronam, quam Deus ipsis promisit, & sic digna & condigna dicuntur, quæ non obtruduntur de novo, sed ex sacra Scriptura & sanctis Patribus constant: qualiter autem intelligantur verba Apostoli Rom. 8. v. 18. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, lib. de Meritis declaratum est.*

XX. De *merito supererogationis* etiam nullo modo Pontificii aliquid contra sacram Scripturam vel sanctos Patres obtrudunt; sed potiùs juxta sacram Scripturam & SS. Patres loquuntur & docent, at verò Acatholici contra claram veritatem agunt; quòd autem dentur vera opera & merita supererogationis, copiosè lib. de Cœlibatu cap. 2. demonstratum est: hîc obiter dicendum, quòd, licèt certissimum sit hominem per se loquendo, obligari ad omnia opera & servitia Deo exhibenda: tamen Deus non ad omnia sub præcepto hominem obligatum voluerit; sed plura sub consilio recommendârit; prout SS. Patres ex S. Scriptura supponunt juxta illud 1. Cor. 7. v. 25. *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* &c.

Sufficiant hîc aliquorum Patrum testimonia.

Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Julianum ed. Basil. 1550. sic ait: *Cur non & hoc consideras,* &c. *quòd lex nostra in quibusdam ita necessitati est subiecta, ut contravenientibus periculum immineat; in aliis autem necessitatem non habet; sed electionem,* &c. XXI.

Cyprianus tomo 2. edit. Basil. 1551. lib. de Habitu Virg. in fine: *Nec hoc,* inquit *Dominus iubet, sed hortatur; nec iugum necessitatis imponit, quando manet voluntatis liberum arbitrium: sed cùm habitationes multas apud Patrem suum dicat, melioris habitaculi hospitia demonstrat: habitacula ista meliora vos petitis; carnis desideria castrantes, maioris gratiæ præmium in cœlestibus obtinetis,* &c. hæc ille. XXII.

Ambrosius lib. de Viduis, ultra medium edit. Paris. 1569. sic ait: *Qui præceptum impleverint, possunt dicere: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus; Hoc virgo non dicit: Non dicit ille qui bona sua vendidit, &c.* & infrà: *Ideo ergo præceptum non datur, consilium datur. Præceptum enim castitatis est, consilium integritatis,* &c. hæc ille; ubi per castitatem intelligit tam in conjugio, quàm in cœlibatu servandam, quæ præcepta est; at virginalis castitas sub consilio, antequam voveatur. XXIII.

Chrysostomus Homil. 8. de Pœnitentia edit. Basil. 1547. tomo 5. sic ait: *Neququam Dominum meuses, haud mandat impossibilia, multi & ipsa superant mandata, &c.* quid clariùs & brevius contra Acatholicos. XXIV.

Quia verò D. Anonymus ad S. Augustinum appellat, ad illum eamus, ille serm. 18. de Verb. Apost. *Ambierunt,* inquit, *virgines illæ maiorem pulchritudinem cordis sui, tanquam dicerent, quid iubes? ne adulteræ simus? hoc præcipis, amando te; plus facimus, quàm præcipis.* XXV.

• Idem in Enchirid. cap. 121. *Quæcunque, ait, mandat Deus, ex quibus unum est, non mœchaberis; & quæcunque non iubentur, sed speciali consilio monentur; ex quibus unum est, bonum est homini mulierem non tangere, tunc rectè fiunt, cum referuntur ad diligendum Deum.* XXVI.

Similiter lib. de adulterinis conjugiis cap. 14. sic ait: *Multa sunt facienda non iubente lege, sed liberâ charitate, & ea sunt in nostris Officiis gratiosa, quæ cum liceret nobis non impendere, tamen causâ Dilectionis impendimus &c.* hæc ille. XXVII.

Ecce Domine Anonyme opera non præcepta, sed consulta: quæ Doctores vocant *supererogationis,* non à Pontificiis obtrusa, sed ex S. scriptura & SS. Patribus docta & tradita: quod autem illa sint meritoria, XXVIII.

D. Au-

Digitized by Google

D. Augustinus lib. de Virginit. ex illo Isa. 56. v. 3. *Hæc dicit Dominus Eunuchis, &c. dabo eis in domo mea, &c. locum & nomen meliùs à filiis & filiabus, &c.* clarissimè demonstrat cap. 24. & seqq. cujus verba prolixè relata sunt lib. de Cœlibatu cap. 3. art. 4. Idem probatum est ex aliis sacræ Scripturæ locis & aliis sanctis Patribus ibidem art. 5.

XIX. Verùm ne D. Anonymus nomen supererogationis ùt novum vel ignotum SS. Patribus cavilletur à Pontificiis obtrusum, quanquam de nomine parùm referat, cùm de re constet; audiat & ipsum Augustinum lib. de Virginit. cap. 30. ubi de præceptis & consiliis agens, sic inquit: *In illis Dominus debitum imponit vobis; in his autem, si quid ampliùs supererogaveritis, in redeundo reddet vobis, &c.* hæc ille.

Videat itaque sincerus Lector, quàm temere, calumniosè & falsò D. Anonymus asserat, sine ullo allegato fundamento, imò falsò allegando pro se verba Augustini asserat: quòd Pontificii illa obtrudant contra antiquam Ecclesiam: cùm ipse potiùs antiquæ Ecclesiæ, ùt ostensum est, adversetur. Restat aliud illius similis farinæ argumentum.

ARTICULUS V.

Refertur 5. primi Anonymi argumentum, & refutatur.

I. Dominus Anonymus sic arguit: *Primitivæ Ecclesiæ Patres minime adstringebantur ad Romani Episcopi judicium, sicut patet, quòd ad alios appellaverint, ùt videre est in epistolis Basilii Magni, ubi quidam ad illum, alii ad Gregorium Cæsariensem appellabant: Et magis ex Concilio Milevitano & Carthaginensi (tempore Augustini) ubi vetabatur Aphricanis, ne quis ad transmarina (intelligunt Romana) Concilia appellaret. Et ex Concilio Rhemensi circa Annum 990. ubi quidam volebant causam Arnolphi Episcopi Rhemensis referendam esse ad P. Ioannem 17. sed alii dicebant; bene Aphricanos Episcopos super hoc Romanorum Typho permotos fuisse, qui super hac re Synodo 217. Episcoporum, tempore Zozimi Papæ inchoatâ quid de Romani Episcopi potestate sentire vellent, in æternis munimentis statuerunt; post addunt summos Sacerdotes Dei in Religione admodum præstantes inveniri, in hoc sancto conventu, testes quidam sunt: proinde & exinde magis Episcoporum Iudicium petendum fore videtur, quàm ab ea urbe, quæ nunc venalis exposita, ad nummorum, &c. quantitatem iudicia trutinat.* hæc ille Anonymus.

II. Respond. hîc iterum D. Anonymus, vel suam inscitiam, vel inverecundiam contra claram veritatem manifestat, dum vel falsa, vel malè intellecta, vel frivola contra manifestum à Christo collatum Petro, & successoribus suis Primatum & supremam in Ecclesia jurisdictionem adducit, quasi ex his probaturus: quod moderna Ecclesia Romana ab antiqua defecisset.

III. Pro quæstionis claritate sciendum; quòd in toto orbe notum est, scilicet plura judicia tam in politicis, quàm Ecclesiasticis sibi esse subordinata: ut tandem unum supremum sit judicium, ad quod ultimatè appelletur; adeòque turpissimam esse consequentiam, si quis volens ostendere supremum aliquod judicium non habere authoritatem, sic v.g. procedat; notum est quòd in judicio talis oppidi Imperii aliquis causâ ceciderit, & ad judicium Principis Coloniensis vel Juliacensis appellârit, & ex hoc inferat, ergo judicium Cameræ Spirensis vel Cæsaris nullam habet supremam authoritatem: Quis non videt turpitudinem hujus consequentiæ? quia cùm hoc, quod ab infimo judicio ad intermedium judicium appellatur, consistit; quòd adhuc ab intermedio ad supremum appellari possit.

Hoc ut claro supposito respond. ad argumentum ex Epistolis sancti Basilii scriptum, scilicet aliqui ad Basilium alii ad Gregorium appellabant; ergo non adstringebantur ad Romani Episcopi judicium: distinguendo non omnes adstringebantur ad judicium Episcopi Romani immediatè, verum est; mediatè falsum est: nam ordo juris habet, ut priùs coram proximo judice lis moveatur & ab illo ad immediatum superiorem judicem appelletur, & demum ad supremum, erat autem *Basilius Archiepiscopus* habens sub se Episcopos, à quibus ad Basilium appellari poterat; sed hoc non impediebat, quò minùs à Basilio ad Episcopum Romanum supremum in Ecclesia judicem appellari posset. IV.

Quid ad hoc D. Anonyme? quomodo tuam consequentiam probares ex talibus Basilii Epistolis, quas in generali allegas; sic quilibet, quodlibet allegare posset; quod autem à Basilio ad Romanum Pontificem appellari poterat: audi ipsum Basilium Epistolâ 52. edit. Antwerp. 1568. ad Athanasium, ubi sic scribit: *Visum est autem mihi consentaneum ut scribatur Episcopo Romæ; ut, quæ hic geruntur, consideret, &c. ipse suâ authoritate in ista causa usus viros eligat, &c.* Ecce ipse Basilius ipsum judicem suum & aliorum, cum quibus ipsi res erat, agnoscit. V.

Quòd autem primitiva Ecclesia ab initio agnoverit Petrum à Christo institutum Ecclesiæ totius Caput & Pastorem juxta verba Christi Joann. 21. v. 15. *Pasce oves meas, pasce agnos meos*, copiosè probatum est lib. de Ecclesia Romana & ejus visibili capite; & similiter, quòd virtute hujus Christi commissionis Romani Pontifices Petro legitimè succedentes supremam in Ecclesia jurisdictionem habeant, ibidem probatum est; tum ex textu; tum ex unanimi Sanctorum non solùm particularium Patrum Græcorum & Latinorum; sed etiam universalium primorum Conciliorum consensu & testimonio; quæ ibi videri possunt; aliqua referemus. VI.

Concilium Nicænum I. maximè authenticum hanc authoritatem agnoscit, can. 6. ubi sic habetur: *Ecclesia Romana semper habuit Primatum:* ubi patet, quòd Concilium agnoscat ab initio Ecclesiæ hunc Primatum Ecclesiam Romanam habuisse: Hic Canon recitatur in Concilio Chalcedonensi articulo sexto, ubi eadem verba referuntur, quo Canone in Concilio lecto Judices dixerunt: *Perpendimus omnem Primatum & honorem præcipuum secundùm Canones antiquos, Romæ Deo amantissimo Archiepiscopo conservari.* VII.

Idem *Concilium Chalcedonense* articulo decimo sexto primâ relatione ad *Leonem Papam Romanum* de VIII.

Digitized by Google

de Gestis Concilii sic scribit: *Rogamus igitur, & tuis decretis nostrum honora iudicium; & sicut nos* CAPITI *in bonis adiecimus consonantiam; sic & humanitas tua filiis, quod decet, adimpleat.* Quid clarius pro supremo Capite?

IX. Similiter *Concilium Ephes.* I. authenticum ad Cœlestinum Papam sic scribit: *Qui à tua sanctitate missi fuerunt, videlicet pientissimi Episcopi Arcadius & Procestus, qui suâ præsentiâ tuam nobis præsentiam exhibuerunt Apostolicæque Sedis locum tenuerunt, &c.* Ecce illi particulares Episcopi tanquam Legati Pontificis Romani præsederunt in tanto Concilio, ubi Patriarchæ & Archiepiscopi plures præsentes erant.

X. Idem *Concil. Ephesin.* in eadem epist. ad Cœlestinum scribit, *se causam Ioannis Patriarchæ Antiocheni, quæ magis dubia erat quàm causa Nestorii, non fuisse ausum iudicare; sed ipsius Cœlestini iudicio reservasse.* Quid clarius pro suprema Pontificis Romani iurisdictione? Ecce trium celeberrimorum œcumenicorum Conciliorum in Græcia celebratorum testimonium pro authoritate & Primatu Pontificis Romani; quæ abunde sufficerent ad confundendam D. Anonymi insolentiam.

XI. His accedant quotquot fuerunt SS. Patres Græci vel Latini, quorum plurima testimonia lib. allegato relata sunt, unde pauca hîc retulisse sufficiat.

Ex Græcis; patet ex facto *Dionysii Patriarchæ Alexandrini* ed. Paris. 1581. qui ann. 260. floruit, de quo S. Athanasius lib. de Sententia ejusd. Dionysii sic refert: *Quidam ex Ecclesia rectè quidem sentientes, sed tamen ignari eius causæ, cur à Dionysio ita scriptum esset, Romam ascenderunt; ibique eum apud Dionysium eiusdem nominis Romanum Præsulem accusârunt, &c.* hæc Athanasius, inde constat, quòd tunc moris fuerit, ut à Patriarcha ad Romanum Pontificem appellaretur; imò ut apud illum Patriarchæ legitimè accusarentur.

XII. Ipse S. *Athanasius* postea Patriarcha Alexandrinus supponens authoritatem Romani Episcopi, in epistola ad Felicem Romanum Episcopum sic scribit: *Quia semper antecessores nostri & nos à vestra Apostolica & S. Sede auxilium hausimus, & nostri vos curam habere agnovimus, præfatam Apostolicam &* SUMMAM *expetimus iuxta canonum decreta* SEDEM. & infrà: *Ad eam quoque quasi* MATREM *recurrimus,* & paulò post: *Ob id vos prædecessorésque vestros Apostolicos videlicet præsules in summitatis arce constituit, omniúmque curam habere præcepit* (Christus) *ut nobis succurratis, &c.* hæc ille, unde patet, quòd non ob particularem sanctitatem unius vel alterius Romani Episcopi Romam recurrerint, ut Acatholici cum Calvino fingunt, sed ob Christi ordinationem.

XIII. Idem *Athanasius* editione Paris. 1581. in epistola ad Marcum Romanum Papam nomine suo & aliorum sic scribit: *Domino sancto & Apostolici culminis venerando Marco S. Romanæ & Apostolicæ Sedis, atque universalis Ecclesiæ Papæ Athanasius, & universi AEgyptiorum Episcopi salutem, &c.* Et infrà: *Optamus ut à vestra sacræ Sedis Ecclesiæ authoritate, quæ est* MATER & CAPUT *omnium Ecclesiarum, ea ad correctionem & recreationem fidelium orthodoxorum percipere per præsentes legatos mereamur, &c.* Ecce agnoscit Papam Romanum Caput, qui corrigit alias Ecclesias.

Epiphanius Episcopus Cypri, edit. Basil. 1560. hæresi 68. sic ait: *Pœnitentiam agentes Ursacius & Valens unà cum libellis profecti ad beatum Iulium Romanum Episcopum, pro ratione reddenda de suo errore & delicto,* hæc ille. XIV.

S. *Ioannes Chrysostomus Patriarcha Constantinopolitanus* in epistola ad *Innocentium Papam Romanum* edit. Basil. 1547. tomo 5. sic scribit: *Obsecro ut scribas: quòd hæc tam iniquè facta, &c. non habeant robur, &c. illi autem qui iniquè egerunt pœnæ Ecclesiasticarum legum subiaceant: hos autem insontes neque convictos Ecclesiis iubete restitui,* &c. hæc ille. Quid clarius pro suprema judiciaria potestate Episcopi Romani etiam in causis Patriarcharum & aliorum Episcoporum? XV.

Sancti Patres Latini similiter hanc potestatem in Episcopis Romanis agnoverunt, prout ex illorum testimoniis copiosè libro de Ecclesia Romana allatis patet; pro Lectoris tamen commoditate & veritatis ostẽsione aliqua referemus.

S. *Cyprianus* Archiepiscopus Carthaginensis, circa annum Domini 250. epistolâ 55. edit. Basil. 1531. sic scribit: *Post ista adhuc insuper pseudo-Episcopo sibi ab hæreticis constituto navigare audent; & ad Petri cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis & prophanis literas ferre; nec cogitare eos esse Romanos (quorum Fides Apostolo prædicante laudata est) ad quos perfidia non possit habere accessum,* &c. hæc ibi. XVI.

Idem epistolâ 67. ejusdem edit. ad Stephanum Papam Romanum sic scribit: *Quòd Marcianus Arelate consistens Novatiano se coniunxerit, & à Catholicæ Ecclesiæ unitate, atque à corporis nostri & sacerdotis consensione discesserit, tenens hæreticæ præsumptionis durißimam pravitatem, ut servis Dei pœnitentibus,* &c. *divinæ pietatis & lenitatis paternæ solatia & subsidia claudantur, &c.* Et infrà: *Quapropter te facere oportet plenißimas literas ad Coepiscopos nostros in Galliis constitutos, ne ultra Marcianum pervicacem,* &c. *collegio nostro insultare patiantur, &c.* & infrà: *Dirigantur in provinciam ad plebem Arelate consistentem à te literæ: quibus abstento Marciano, alius in locum eius substituatur, &c.* hæc S. Cyprianus: Ecce quàm clarè supponit potestatem Episcopi Romani in alios Episcopos; quam sibi vel alteri non competere sciebat. XVII.

Stephanus Episcopus Mauritaniæ in Africa apud Jod. Cocc. lib. 7. tomo I. Thes. Cathol. ed. Colon. 1601. circa Annum 380. ad Damasum Papam sic scribit: *Beatißimo Domino, & Apostolico culmine sublimato, sancto Patri Patrum Damaso Papæ, & summo omnium præsulum præsuli. Notum vestræ facimus Beatitudini, quòd quidam fratres in confinio nobis positi, quosdam fratres nostros venerabiles, videlicet Episcopos, vobis inconsultis, à proprio deijciunt gradu, vel deijcere moliuntur, cùm vestræ Sedi Episcoporum iudicia, & summorum finem Ecclesiasticorum negotiorum, in honore beatißimi Petri, Patrum decreta omnium cunctam reservavere sententiam, &c.* & infrà: *Maximè verò iustè debent ab ipso Præsulum examinari vertice Apostolico, cuius vetusta solicitudo est tam mala damnare, quàm relevare laudanda, &c.* hæc ille, ecce quàm clarè supponit Episcopi Romani in alios Episcopos potestatem judiciariam & primatum. XVIII.

S. *Am-*

Digitized by Google

S. Ambrosius Episcopus Mediolanensis Epist. 78. ad Theophilum Alexandrinum, edit. Paris. 1569. *Sanè*, ait, *referendum arbitramur ad sanctum Fratrem nostrum Romanæ Sacerdotem Ecclesiæ: quoniam præsumimus ea te iudicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant, &c.* & infrà: *Ut nos quoque accepta nostrorum serie statutorum, cum id gestum esse cognoverimus, quod Ecclesia Romana haud dubiè comprobaverit, læti fructum huiusmodi examinis adipiscamur, &c.* quorsum hæc, nisi supponat ultimatum Episcopi Romani Judicium, ut Ecclesiæ pastoris?

XX. Idem id clarè declarat Epist. 81. ad Syricitum Papam Romanum, edit. eâd. sic scribens: *Recognovimus literis Sanctitatis tuæ boni Pastoris excubias, qui fideliter commissam tibi ianuam serves, & piâ solicitudine Christi ovile custodias dignus; quem oves Domini audiant & sequantur, & ideo, qui nosti oviculas Christi, lupos facile deprehendes, & occurres quasi providus Pastor ne isti morsibus perfidiæ suæ feralique ululatu Domini cum ovili dispergant.* hæc Ambrosius, quid his clarius pro potestate Episcopi Romani à Christo per Petrum commissa.

XXI. *Optatus Milevitanus* Episcopus edit. Paris. 1569. anno 370. l. 2. adversus Parmenium, *Negare*, ait, *non potes, scire te in urbe Roma Petro primo cathedram Episcopalem esse collatam: in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus; unde & Cephas appellatus est: in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent: ut iam Schismaticus & peccator esset qui contra singularem Cathedram, alteram collocaret, &c.* hæc ille.

XXII. *S. Hieron.* tomo 2. edit. Bas. 1553. Epist. 57. ad *Damasum Papam* sic ait: *Quanquam tui me terreat magnitudo; invitat tamen humanitas, &c. cum successore piscatoris & discipulo Crucis loquor; Ego nullum primum nisi Christum sequens Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior: super illam petram Ecclesiam ædificatam scio, &c.* & infrà: *quicunque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est*, &c.

XXIII. Idem lib. 5. adversus Ruffinum cap. 5. *Confessionem*, ait, *tuam ab omnibus Italiæ Episcopis asseris esse susceptam, crederem dicenti, nisi.* &c. *& tamen miror quomodo probaverit Italia quod Roma contempsit, Episcopi susceperint quod sedes Apostolica condemnavit.* hæc ibi.

Demum quid concilia Milevitanum & Carthaginense de Romani Episcopi potestate senserint, tum ex ipsis, tum ex Epistolis S. Augustini & Innocentii clarum est.

XXIV. Imprimis *Concilium Africanum* anno 400. celebratum, cap. 35. sic habet: *Placuit ut literæ mittantur ad Fratres & Coepiscopos nostros, & maxime ad sedem Apostolicam, in qua præsidet venerabilis Frater & collega noster Athanasius, quo noverit habere Africam magnam necessitatem, &c.* hæc ibi.

XXV. *Concilium Carthaginense* in Epist. ad *Innocentium Papam* Romanum, quæ est 90. inter Epistolas S. Augustini, sic scribit: *Hoc itaque gestum Domine Frater sancte, charitati tuæ intimandum duximus: ut salutis nostræ medio charitatis etiam Apostolicæ sedis adhibeatur authoritas, pro tuenda salute multorum, & quorundam corrigenda etiam perversitate, &c.* hæc concilium. unde patet ultimatum Judicium à sede Apostolica dependere, ut supponitur.

Concilium Milevitanum post Carthaginense celebratum ut patet ex fine epistolæ ad *Innocentium Papam*, quæ est inter epistolas Augustini 92. sic scribit: *Quia te Dominus gratiæ suæ præcipuo munere in sede apostolica collocavit, taléque nostris temporibus præstitit; ut nobis potiùs ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesia sunt suggerenda, tacuerimus quàm ea tu possis vel fastidiose, vel negligenter accipere magnis periculis infirmorum membrorum* CHRISTI PASTORALEM *diligentiam adhibere quæsumus digneris.* Et infrà: *Multò plures, qui Pelagii sensus diligentius indagare potuerunt, adversùs eum pro Christi gratia & Catholicæ fidei veritate conflixerunt; præcipuè sanctus filius tuus frater & compresbyter noster Hieronymus. sed arbitramur (adiuvante misericordia Domini nostri Iesu Christi, qui te regere consulentem & orantem exaudire dignatur) authoritati sanctitatis tuæ de sanctarum scripturarum authoritate deprompta faciliùs eos (qui tam perversa & perniciosa sentiunt) esse cessuros, &c.* hæc Concilium. Ecce quàm clarè supponit; quod Episcopus Romanus habeat authoritatem in S. scriptura fundatam, quod in rebus fidei sententiam ferat; & non ut alii Doctores juxta naturalem scientiam. XXVI.

D. Augustinus, qui his Conciliis interfuit, de iisdem testatur epist. 106. dicens tomo 2. ed. Basil. 1528. *Missæ sunt hac de re à duobus Conciliis Carthaginensi & Milevitano relationes ad apostolicam sedem*, & infrà: *Ad omnia nobis Innocentius Papa rescripsit eodem modo, quo fas erat & oportebat Apostolicæ Sedis Antistitem, &c.* similiter lib. 1. contra Julianum Pelagianum cap. 10. sic ait: *Puto eam orbis partem sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit gloriosissimo martyrio coronari: cui Ecclesiæ præsidentem, si beatum Innocentium audire voluisses, iam tum periculosam iuventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses, quid enim potuit vir ille sanctus Africanis respondere Conciliis, nisi quod antiquitus apostolica sedes & Romana cum cæteris tenet perseveranter Ecclesia, &c.* hæc ibi. Utinam Acatholici hanc tandem monitionem Augustini incorporarent. XXVII.

Ipse *Innocentius Papa* epist. ad Episcopos in Synodo Milevitana: quæ inter Augustini est 93. ed. Basil. 1528. sic scribit: *Diligenter & congruè apostolico consulitis honori: honori, inquam, illius, quem præter illa, quæ extrinsecùs sunt, solicitudo manet omnium Ecclesiarum, super anxiis rebus, quæ sit tenenda sententia: antiquæ scilicet regulæ formam secuti; quam toto semper ab orbe mecum nôstis esse servatam: Verùm hæc missa facio. Neque hoc vestram credo latere prudentiam, qui id etiam actione firmâstis, nisi scientes, quòd per omnes Provincias de apostolico fonte petentibus responsa semper emanent. Præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & Coepiscopos nostros, non nisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris Authorem referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quòd per totum mundum possit omnibus Ecclesiis in commune prodesse*, hæc ille. Ubi patet authoritas Episcopi Romani in tota Ecclesia, quia Concilium sua decreta firmari petebat. XXVIII.

Idem in epistola ad Patres Concilii Carthaginensis, quæ inter Augustini est 91. edit. Basil. 1528. sic ait: *In requirendis de his rebus, quas omni cum solicitudine decet à Sacerdotibus,* XXIX.

Digitized by Google

maximè à vero iustoque & Catholico tractari Concilio, antiquæ traditionis exempla servantes, &c. & infrà: *Qui ad nostrum referendum approbastis esse iudicium, scientes, quid Apostolicæ sedi, cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum, debeatur, &c.* Et infrà: *Vt quicquid de disiunctis remotisque provinciis ageretur, non priùs ducerent finiendum; nisi ad huius sedis notitiam perveniret: ubi tota huius authoritate iusta, quæ fuerit, pronunciatio firmaretur; indeque sumerent cætera Ecclesiæ; velut de natali suo fonte aquæ cuncta procederent, &c.* Et infrà: *Sollicitudinem vestram pro omni utilitate monstratis & per cunctas totius orbis Ecclesias omnibus unà, quod prosit, decernendum esse deposcitis, &c.* hæc innocentius. ubi clarissimè ostenditur, quod ultimatum judicium ad Episcopum Romanum spectet, quod illa Concilia agnoverunt, & ipse Augustinus: ut patet ex testimoniis Augustini jam allegatis.

XXX. Idem *Augustinus* agnoscit Romani Episcopi in se ipsum authoritatem. Epist. 157. sic scribens: *Iniuncta nobis à venerabili Papa Zozimo Apostolicæ sedis Episcopo Ecclesiastica necessitas ad Cæsaream in Mauritaniam nos traxerat.* Et infrà: *Pelagius & cœlestius Conciliorum Episcopalium vigilantia etiam à duobus venerabilibus antistitibus Apostolicæ sedis Papa Innocentio & Papa Zozimo, nisi correcti etiam egerint pœnitentiam, toto Christiano orbe damnati sunt*, hæc ille, ubi clarè distinguit inter concilia & Papas, quod concilia quidem advigilârunt, sed duo illi Papæ illos duos toto orbe damnarunt, quid clarius pro suprema in Ecclesia Jurisdictione?

XXXI. Quod *Augustinus* indicat se à Papa Zozimo missum, etiam testatur *Posidius* illius contemporaneus in vita Augustini cap. 14. sic dicens: *Literæ fidei Apostolicæ compulerunt Augustinum ad Cæsareensem Mauritaniæ civitatem venire unà cum aliis Episcopis, ob terminandas videlicet aliquas Ecclesiæ necessitates.* hæc ille. Ex quibus patet authoritas sedis Apostolicæ in alios Episcopos.

XXXII. Ex his credo ad satietatem constare, quid primitiva Ecclesia ab initio de Romani Episcopi primatu & supremo iudicio crediderit & senserit.

Ex his etiam patet, quid concilium Africanum, Milevitanum & Carthaginense senserint & egerint; quod autem concilium Milevitanum statuit; nihil supremo Romani Episcopi Judicio & potestati obstat, multò minus derogat; ut patet ex verbis concilii can. 22. ubi sic ordinat: *Placuit ut presbyteri diaconi vel cæteri inferiores clerici in causis quas habuerint vicini Episcopi eos accedant, & inter eos quidquid est finiant,* &c. hæc ibi. quæ verba si Dominus Anonymus retulisset facile convictus esset, ideo siluit. Ex illis enim verbis nullo modo inferri potest quod illud concilium non agnoverit supremum sedis Apostolicæ judicium, cujus contrarium ex Patrum. conciliorum, & Augustini verbis patet, præsertim Carthaginensis supra relatis; ita etiam, ut ubi necessitas ursérit, non solum in causa Episcoporum sed etiam aliorum ad sedem præfatam appellari possit, cui quidam Patres qui in concilio milevitano fuerunt, etiam interfuerunt; quod petit, *ut sedis Apostolicæ authoritas suis statutis adhibeatur pro salute multorum, & quorundam perversitate corrigenda, &c.* quæ certè supremo judici competunt.

Cæterùm causa, ob quam concilium Milevitanum tales appellationes prohibuerit, inter alias illa erat, quia multa incommoda subinde oriebantur ut quod multi effugerent ordinariorum Episcoporum Judicia, ad quos prima spectat instantia; vel contra illos exceperunt, & sub prætextu appellationis ad sedem Apostolicam longè distantem multa mala causabant, ob quæ etiam Innocentius statuta illa in sua Epistola ad Concilium data confirmavit, sicut & ipsius successor Zozimus; qui tamen per hoc supremæ Acatholicæ sedis potestati derogare noluerunt, sed illam in suis Epistolis declararunt, ut patet. Demum licet ex consensu S. sedis quoad presbyteros & clericos illud statutum fuerit: firma tamen mansit Episcoporum gravatorum ad S. sedem appellatio, prout antiquitus in Ecclesia usurpatum fuit; ut patet ex conciliis & SS. Patribus allegatis. & si causæ iustæ intervenissent; etiam aliis via appellationis patebat. XXXIII.

ARTICULUS VI.

Respondetur ad ultimum argumentum.

Am tandem videamus ea quæ D. Anonymus ex concilio Rhemensi adfert. præced. articulo allata. I.

Resp. 1. quod si admittatur quod ibi fuisset aliquod concilium provinciale, quod talia contra sedem Apostolicam egisset, quâ fronte bonus Dominus tale concilium ann. 990. celebratum, tot clarissimis primariis generalibus & nationalibus Conciliis & SS. Patribus opponendum præsumpsit? Si ex simili Concilio nos contra Acatholicos, ut sileam contra SS. Patres adduceremus, nonne meritò nos exsibilarent?

2. Constat ex verbis ab Anonymo allatis quod qualecunque illud fuerit Concilium, nihil in hoc conclusum fuerit; cum aliqui Episcopi vellent causam Arnulphi referendam esse ad Pontificem Romanum, idque iure antiquo probato; aliqui verò refractarii male allegantes concilium tempore Zozimi celebratum vellent causam Arnulphi à vicinis Germaniæ Episcopis decidendam, cum expressè constet quod causæ Episcoporum non fuerint prohibitæ ad sedem Romanam deferri, sed inferiorum. II.

Resp. 3. quòd concilium illud Rhemense (quod Anonymus ex centuriis Magdenburgensibus mendaciis & calumniis plenis centuria 10. profert) fuerit falsum concilium (seu pseudosynodus, nec nomen quidem Provincialis Concilii merebatur, ab Hugone rege Arnulpho Archiepiscopo Rhemensi infenso violenter coactum: ubi Rege urgente Arnulphus fuit exauthoratus & Gilbertus quidam intrusus. Iste autem Gilbertus acta illius Concilia buli ad suum placitum scripsit & auxit, ac in odium Romani Pontificis tales calumnias adjecit; verum Anno 995. *Ioannes Romanus Pontifex* per legatum suum indixit legitimam synodum, in qua, Gisberto & Episcopis ipsi adhærentib⁹ auditis, præcedens synodus reprobata & damnata fuit, ac Gisberto excluso Arnulphus in sedem restitutus est, ipseque Rex Hugo ex summa erga sedem Apostolicam reverentia acquievit. Hæc Baronius sincerissimus Historicus circa Ann. 992. & seqq. III.

Ecce

IV. Ecce ad qualem Synodum Novatiani contra totam antiquam Ecclesiam D. Anonymus refugium sumpserit: quid antiqua Ecclesia crediderit & præstiterit, ex præmissis evidens est.

Ex quo patet, quòd & D. Anonymus in hoc articulo cum Acatholicis de supremo Romani Pontificis etiam appellationis judicio longè à primitiva Ecclesia defecerit: at verò moderna Romana Ecclesia inhærens verbis Christi Petro & successoribus illius talem potestatem concedentibus cum antiqua Ecclesia concordet.

V. Ex his patet confusio, nuditas & miseria illius D. Anonymi, qui plenis buccis jactitabat sibi latum à me apertum fuisse campum ostendendi, quod Ecclesia Romana à primitiva defecerit: dum dixissem, ut vel unum articulum demonstraret, in quo moderna Romana ab antiquam in doctrina fidei defecisset, vel qui ab antiqua Ecclesia damnatus fuisset: sicut nos plurimos ostendimus, in quibus Acatholici defecerunt, & qui olim ab antiqua Ecclesia damnati fuerunt: atqui quidem Anonymus tales in Ecclesiæ Romanæ campo esse plurimos: & ecce hos, quos præcipuos producit in scriptura fundatos, & ab antiqua Ecclesia expressè creditos & doctos esse demonstravimus; ac proinde articulos Acatholicorum his contrarios, verè perversos, & ab Ecclesia antiqua alienos esse constat.

Judicet sincerus lector, an ego ista exigendo vel ignoranter, vel procaciter (ut Anonymus improperat) an potiùs ipse talia jactitando, sic egerit.

Jam videndum quid alii DD. Anonymi in tam lato aperto campo se venatos esse, exposuerint.

CAPVT II.

Referuntur argumenta Authoris Anonymi secundi Libelli, & refutantur.

ARTICULUS I.

Referuntur verba prima illius Authoris Anonymi, & refutantur.

I. SEcundi Libelli anonymus author, post plura verba satis procacia sic me aggreditur, dicens: *Triumphabundus hunc actioni tuæ imponis Colophonem: Universaliter petitur: ut unus saltèm Fidei articulus, in quo Catholicam Romanam modernam à vera fide defecisse prætensi Reformati asserunt, ostendatur ab Ecclesia antiqua damnatus fuisse; sicut prætensi Reformati damnant: econtra hoc de ipsorum prætensorum Reformatorum fidei articulis demonstrare paratus sum.* Ad hanc petitionem, sic ait D. Anonymus.

II. Respondetur, *miramur astum, sed magìs fastum tuum, quem in finem petis, ut ostendamus Patres aliquem articulorum vestrorum damnare, sicut nos damnamus?* hæc Anonymus.

Respond. primò: Non triumphabundus illum Colophonem addidi actioni; cùm nondum quicquam pro Catholicis articulis egissem; sed D. Vexillifero asserenti, quod prætensi Reformati in omnibus fidei articulis etiam illis, in quibus à Catholica Romana moderna dissident, cum Ecclesia antiqua consentiant, cùm aliquos tales articulos proposuissem ab ipso probandos, brevitatis gratiâ id universaliter exigebam; ut saltèm unum ex multis demonstraret, quid justius petere poteram?

III. Ad secundum, an ego astu & fastu hoc petierim? æquus & sincerus lector judicet.

Ad tertium, quem in finem id petierim, jam dictum est; nam si vos asseratis, vos consentire in iisdem fidei articulis cum antiqua Ecclesia, quorum contrarium credit Ecclesia Romana, adeóque hanc quoad illos damnatis: necesse est ut ostendatis: quòd antiqua Ecclesia illos articulos ùt hæreticos damnavit, sicut vos damnatis. ecce finem quæstionis meæ.

IV. Pergit Anonymus sic: *Dicam*, inquit, *nostri Patres multos articulos à vobis adaptatos damnare quoad rem, eòque non audebas petere, ut ostenderemus aliquem articulorum vestrorum à nobis damnatum, à Patribus etiam damnatum esse; sed addebas voculam (sicut) ut si articulum à nobis rejectum à Patribus ignoratum, damnatum ostenderemus sub patrocinio voculæ (sicut) circumstantialia rodere & nugas agere posses*, hæc Anonymus.

Respond. primò: Falsissimè mihi tribuis, V.
quòd ullum noverim articulum fidei esse inter omnes, quos docet & credit moderna Romana Ecclesia, quem SS. Patres quoad rem damnârint, hoc tuum erat probare saltèm ex multis, ùt asseris, unicum: falsum est, quòd illam voculam (sicut) fraudulenter adjecerim, sed sincerè, si enim vos, ut vultis in omnibus articulis fidei, cum Patribus consentitis, necesse est; ut articuli vestri à Patribus de fide certi crediti fuerint, sicut vos creditis & per consequens, ut Patres illos articulos damnarint vestris contrarios; sicut vos damnatis; quid æquius & sincerius peteretur?

Respond. 2. non moror in vocula (*sicut*) nec VI.
in illa cardo rei versatur, multò minùs patrocinium quæsivi vel quæram, ut si, quod absit, ostenderitis, aliquem articulorum nostrorum à Patribus ignoratum, me excusarem per hoc, quòd saltèm ille à Patribus damnatus non sit, minimè Gentium: sufficiet enim, ut victas manus præbere deberem, si unum articulorum nostrorum fidei probaveritis à Patribus ignoratum esse: ecce quàm multum permittam.

Ecclesia enim Catholica Romana moderna VII.
non alios agnoscit fidei articulos, nisi illos, qui vel in Verbo Dei scripto seu S. scriptura expressi sunt, vel per Verbum Dei à Christo & Apostolis prædicatum in Ecclesia conservati, & quasi per manus traditi continuâ successione ad nos usque pervenerunt: hoc enim profitetur Concilium Trid. sess. 4. ubi sic dicitur: *Sacrosancta, &c. Synodus, &c. perspiciens hanc* (fidei) *veritatem & disciplinam contineri in libris scriptis & sine scripto traditionibus, quæ ex ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ aut ab Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi*

Digitized by Google

per manus tradita ad nos uſque pervenerunt. Orthodoxorum Patrum exemplà ſecuti, &c. hæc Concil. Vidéſne D. Anonyme, an aſtu illam voculam (ſicut) addiderim? nego abſolutè, quòd ullus ſit fidei modernæ Catholicæ articulus, qui à Patribus ignoratus ſit; contrarium patet, cùm hactenus in præcedentibus libris ſingulos articulos clariſſimis SS. Patrum teſtimoniis probaverim; tuum erat, & adhuc eſt, ut vel unicum à Patribus ignoratum demonſtres.

ARTICULUS II.

Referuntur alia illius Anonymi verba, & refutantur.

I. PErgit D. Anonymus dicens: *An tu poßis oſtendere aliquem noſtrorum articulorum à Patribus primævis damnatum, ſicut vos damnatis & detecto aſtu, remanet faſtus?* hæc Anonymus.

II. Reſpondeo: Talis veſtra, prô dolor, doctrina eſt, ut non ſolùm unum, ſed plures oſtendere poſſim veſtrorum articulorum, quos non ſolùm SS. Patres ignorârint veros, ſed poſitivè falſos & hæreticos damnârint, tales plurimos lib. de verbo Dei tradito expreſsè recenſui, & per ſingulos libros demonſtravi circa articulos; quos D. Vexillifero probandos propoſueram & plures alios; reſpice, ſi placet, ſpecula & Antitheſes per ſingulos libros ad ſingula ferè capita expoſitas, & niſi obſtinatus eſſe velis, vel clauſis oculis lucem ſolis aſpicere nolis, videbis; quòd eadem, quæ Eccleſia Romana moderna credit de fide SS. Patres primævi crediderint, quorum vos plura contraria docetis; imò quòd Patres errores veſtros vobis nondum natis, in aliis hæreticis, quos vos hæreticos fuiſſe fateri debetis, longe ante damnârint. Ut verò candidus lector pro ſua commoditate veritatem videat, nec opus habeat ad alia loca recurrere, niſi pleniorem deſideret informationem, ut etiam lux veritatis oculos tuos D. Anonyme clauſos perſtringat, aliquos articulorum veſtrorum olim hæreſeos expreſsè damnatos; & aliquos, quos modo vos hæreſeos damnatis à SS. Patribus creditos & doctos fuiſſe obiter referam.

III. Primò negare non potes, quòd vos prætenſi Reformati Eccleſiam Romanam modernam accuſetis in hoc, quod *pro fidelibus defunctis Sacrificium offerat, & Orationes fundat, & quòd certis diebus ieiunia & à carnibus abstinentiam ordinet*, hæcque expreſsè ut erronea & falſa damnatis.

IV. Jam audi, quinam veſtri majores in hoc fuerunt, nempe *Aëriani*, Arianis pejores; de his ſic teſtatur *Epiphanius* hæreſi 75. *Aërius illorum Author, Arianus hæreticus inter alios errores etiam negavit orandum eſſe pro defunctis, &c.* hæc ibi.

V. Idem in lib. Anacephalæoſis dicto ed. Baſil. 1560. ſic ait: *Hic Aërius, &c. multa contra Eccleſiam docuit, fide quidem exiſtens Arianus perfectiſſimus, verùm ampliùs docuit, primò non oportere offerre pro his, qui dormierunt. 2. prohibet ieiunare quarta & 3. pro Sabbatho. 4. pro quadrageſima. 5. Carnis eſus omnis generis utilior eſt.* &c. *ſiquis verò ex diſcipulis ieiunare velit, ne in diebus ordinatis* (ab Eccleſia) *hoc facito, inquit, ſed quando volueris, &c.* hæc Epiphanius de erroribus Aërii, unde D. Anonyme peccatum tuum agnoſce; contumaciam tuam & tuorum, quam in Aërio Eccleſia olim damnavit; nónne hi omnes articuli à vobis ad literam docentur prout Aërius docuit?

VI. Accedat alter fideliſſimus teſtis S. Auguſtinus, qui recenſens antiquas hæreſes ab Eccleſia damnatas libro de Hæreſibus, hæreſi 53. ſic ait: *Aëriani ab Aërio nominati, qui in Arianorum hæreſim lapſus fertur propria quoque dogmata addidiſſe dicens: Primò orare vel offerre pro mortuis oblationem non oportere, ſecundò nec ſtatuta ieiunia ſolemniter eſſe celebranda, 3. ſed, cùm quis voluerit, ieiunandum; ne videretur eſſe ſub lege,* &c. hæc Aug.

Ecce duos probatiſſimos teſtes, qui referunt iſta ab Aërio docta, ab Eccleſia antiqua fuiſſe erroris damnata. Ecce non ſolùm unum, ſed plures articulos veſtros olim in Aërio poſitivè damnatos.

VII. Secundò, rurſus Eccleſia moderna Romana credit & docet ùt conſtat ex Concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. *Quòd Chriſtus Dominus, qui ſemel in cruce ſeipſum Deo Patri pro peccatis hominum morte intercedente oblaturus erat, & plenè ſatisfacturus tamen oſtendere voluit ſe eſſe Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech in æternum. in ultima cœna Corpus & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini incruento modo Deo Patri obtulit, & Apoſtolis quos tunc Sacerdotes novi Teſtamenti inſtituit, eiúſque in Sacerdotio ſucceſſoribus, ut ſub dictis ſpeciebus corpus & ſanguinem ipſius offerant, præceperit, non ea ratione quaſi Sacrificium in cruce pro ſalute non ſufficiſſet, ſed ut in Eccleſia perpetuum eſſet Sacrificium, quo cruentum illud in cruce ſemel factum repræſentaretur, eiúſque memoria maneret atque illius Salvatoris virtus in remiſſionem peccatorum & gratiæ collationem applicaretur.* Prout copioſè lib. de Sacrificio Miſſæ declaratum eſt. Hanc de Sacrificio incruento doctrinam vos ô Acatholici Idololatriæ damnatis, ut patet ex Catechiſmo Heidelbergenſi Hanoviæ 1615. Germanicè edito ubi §. de Cœna Domini ſic dicitur: *Miſſa papalis in fundamento nihil eſt aliud, quàm abnegatio unici Sacrificii & Paßionis Ieſu Chriſti & maledicta Idololatria*, hæc ſane blaſphemat Catechiſmus veſter.

VIII. Sed ubinam SS. Patres primævæ Eccleſiæ hanc Eccleſiæ Romanæ doctrinam ſic damnârunt? ſi dixeris, ſi non damnaverint verbotenus, in re damnârunt, & illam penitùs ignorârunt, alioquin ſi aliqui illam docuiſſent, utiq; expreſsè damnaſſent, verû quâ fronte hæc dicere auderes, ſicut dicere non erubeſcis. Vide lib. de Sacrific. Miſſæ, qualiter ex ſcriptura SS. Patres illam doctrinam expreſsè docuerint: quanquam autem ibidem oſtenderim, quòd ſacrificium hoc, etiam ſub nomine *Miſſæ* à Conciliis & SS. Patribus uſurpatum ſit; tamen licèt hoc *Miſſæ* nomen non fuiſſet uſitatum nihil rei veritati obſtat; ſicut nec quod conſubſtantialitatis nomen nec in S. Scriptura; nec in Initio tempore Apoſtolorum uſitatum erat, rei ipſi obſtat; verùm non laboramus in voce Miſſæ, ſed in re ipſa Sacrificii, prout eam ex Concilio Tridentino expoſui, ſufficiat ex pluribus Auguſtinus in pſ. 33. can. 2. edit. Baſil. 1529. ubi ſic ait: *Ipſe* (Chriſtus) *de Corpore & Sanguine ſuo inſtituit Sacrificium ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Et epiſtolâ 95. *Mel-*

Melchisedech, ait, *prolato Sacramento mensæ Dominicæ novit æternum ejus sacerdotium præfigurare*, &c.

X. Item edit. Basil 1529 lib 16 de civ. Dei Cap. 22 dum de oblatione Melchisedech agit sic inquit: *Ibi primùm apparuit sacrificium quod nunc à Christianis offertur, Deo toto orbe terrarum impletur, & illud, quod longè post hoc factum per prophetam dicitur ad Christum*, &c. *Tu es sacerdos in æternum secundum Ordinem Melchisedech; Non scilicet secundum ordinem Aaron, qui ordo erat auferendus, &c.* hæc ibi.

XI. Item edit. eâd. lib 18. de civ. Dei Cap. 35 ubi simul figuram Melchisedech & prophetiam complectens dicit: *Hoc sacrificium per sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech, cum in omni loco à solis ortu usque ad occasum Deo jam videamus offerri; sacrificium autem Iudæorum, quibus dictum est: Non est mihi voluntas in vobis, nec accipiam de manibus vestris munus, cessasse negare non possunt, &c.* hæc ibi.

XII. Lib 1. contra Adversar. legis & prophetarum Cap 20 edit. Basil. 1528. sic ait: *Ibi quippe & hoc dictum est, Iuravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Noverunt qui legunt, quid protulerit Melchisedech, quando benedixit Abrahā. Et si jam sunt participes ejus, vident tale sacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum. Dei autem juratio incredulorum est increpatio. Et quod Deum non pænitebit, significatio est, quia sacerdotium hoc non mutabit. Mutavit quippe sacerdotium secundum ordinem Aaron*, &c.

XIII. Item ibidem Cap. 18. edit. eâd. dicit: *quod totum fideles in Ecclesiæ sacrificio sciunt, cujus umbræ fuerunt priorum genera sacrificiorum*, &c.

Demum lib. 17. de civ. Cap. 20. edit. eâd. dicit: *Pro omnibus illis sacrificiis & oblationibus Corpus ejus offertur, & participantibus ministratur*, hæc August. quid clariùs dici posset pro doctrina Ecclesiæ Romanæ?

XIV. Tertiò: Adhæc nimis evidens est; quod SS. Patres juxta S. Scripturam in Ecclesia Christiana primitiva agnoverint sacerdotes, qui juxta ordinem Christi, celebrarunt sacrificium, & habuerunt altaria; ut copiosè ostensum est lib de Sacrif. Missæ, sufficiant hic aliquorum testimonia.

Cyprianus qui Epist. 66. tomo 1 edit. Basil 1531 sic ait: *Singuli divino sacerdotio honorati, & in Clerico ministerio constituti, non nisi altari & sacrificiis deservire, & precibus vacare debent*, hæc ille.

XV. *Optatus Milevitanus* lib 1. contra Parmenianum edit Paris. 1569. sic ait: *Conserta erat Ecclesia populis plena: erat Cathedra Episcopalis: erat altare loco suo, in quo pacifici Episcopi retro temporis obtulerunt Cyprianus, Lucianus*, &c.

Idem edit. eâdem lib. 6. *Quid*, ait, *est tam sacrilegum, quam altaria Dei (in quibus & vos aliquando obtulistis) frangere radere, removere? &c.* & infrà: *Quid enim est altare, nisi sedes Corporis & sanguinis Christi?* hæc ibi.

Iterum eâd edit. eodem lib *Hoc tamen*, ait, *immane facinus geminatum est, dum fregistis etiam Calices Christi sanguinis portatores: quorum species revocastis in massas, mercem nefariis nundinis procurantes*, hæc ille.

Ecce quàm clarè in istis hæreticis damnatos supponit ille S. Pater modernos Acatholicos: illorum in doctrina, & talibus sceleribus imitatores.

XVI. D. Aug. 9. Confess. Cap. 13. edit. Basil. 1529. sic Deum orat, dicens: *Nunc pro peccatis Matris meæ deprecor te, &c.* & infrà *Namque illa imminente die resolutionis suæ*, &c. *tantummodo memoriam sui, ad altare tuum fieri desideravit*, &c. *unde sciret dispensari victimam sanctam, quâ deletum est Chyrographum quod erat contrarium nobis, &c.* & infrà: *Inspira Domine servis tuis*, &c. *ut quotquot hæc legerint meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ*, &c. hæc ibi. quorsum hæc? si in primitiva Ecclesia nulla erant altaria, nulli sacerdotes, nullum sacrificium pro defunctis.

Rursus lib. 2. contra Faustum cap. 21. edit. Antv. 1576. *Populus autem*, ait, *Christianus memorias martyrum religiosa solemnitate celebrat, & ad excitandam imitationem & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur: ita tamen ut nulli martyrum, sed ipsi Deo Martyrum sacrificemus, quamvis in memoriam Martyrum constituantur altaria. Quis enim Antistitum in locis sanctorum Corporum assistens altari aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, &c.* hæc ibi. Ecce sacrificium, ecce altaria. XVII.

Similiter lib. 22. de Civ. Dei Cap. 10. edit. Basil. 1529 sic ait: *Nec ibi (in templis) erigimus altaria, in quibus sacrificemus Martyribus, sed uni Deo, & Martyrum & nostro, sacrificium immolamus*. hæc Aug.

Quis sanæ mentis hæc solùm legens dicere audebit, quod in primitiva Ecclesia SS. Patres ignoraverint doctrinam de sacrificio, quotidie à sacerdotibus in altari oblato Deo Patri? juxta institutum Christi secundum Ordinem Melchisedech? nunquid sacrilegii & immanis facinoris SS. Patres illos damnarunt? qui Altaria, in quibus SS. sacerdotes Deo sacrificium offerre consueverunt, everterunt, & Calices fregerunt: Nunquid & in his modernos Acatholicos damnarunt? quid ad hæc Domine Anonyme? XVIII.

Quartò, sed audi ampliùs docet & credit Ecclesia Rom. Catholica moderna, ùt pat. in Conc. Trid. sess. 25. quod SS. *Martyres & alii cum Christo beati religiosè sint honorandi*, 2. *quod bonum & utile sit, eosdem suppliciter invocare, & ob beneficia à Deo impetranda per filium ejus Iesum Christum qui unicus Redemptor & Salvator noster est, ad eorum orationes, opem, auxiliaque confugere*, &c. XIX.

Hanc Doctrinam, Domine Anonyme, vestri ùt falsissimam rejiciunt, & invocationem sanctorum mortuorum ut idololatriam damnant.

An dicere audes quòd SS. Patres primitivæ Ecclesiæ hanc Ecclesiæ Romanæ doctrinam sic damnarint, vel, ut subterfugiendo dicitis, illam ignorarint? XX.

Certè nimis effrons foret, qui SS. Patres vel obiter inspexerit, & id dicere ausus esset; testimonia plurima, tam S. Scripturæ, quam SS. Patrum, *lib. de Cultu & Invocat. Sanctorum* relata sunt, hic pauca referemus.

Ex Græcis *Gregorius Nyssenus* in Orat. de Laudibus S. Theodori Martyris edit. Basil. 1571 sic ait. *Quis ex iis, qui supra modum inter homines excellere visi sunt, talis memoria celebratur? Quis Imperatorum, qui urbes munitas ceperunt, nationes innumeras subegerunt, adeo decantatus, & fama celebratus est, ut hic miles pauper, &c. quem victorem Christus coronavit?* Et infrà ipsum S. Martyrem alloquens, ait: *Domino assistis*, &c *ut servus fidelis adorationis officio* XXI.

Digitized by Google

...cio fungeris: parumper ab iis officiis vacationem de-...ecatus veni ad hos, qui te honorant, invisibilis amicus: ...gnosce ac vise ferias, quæ celebrantur, ut gratiarum adversus Deum, &c. Et infrà: Etiamsi superâsti saculum: at nosti affectus & usus necessitatesque humanæ conditionis. pete pacem, ut hi publici conventus non definant; ne debachetur atque grassetur adversus templa altariave rabiosus & sceleratus Barbarus: ne conculcet sancta profanus impius, &c.

XXII. S. Chrysostomus serm. in Iuventium & Maximum martyres, edit. Basil. 1547. sic ait: At non sic se res habet, &c. de martyribus, inquam, qui semper in eodem manent vigore, semper in eodem juventutis flore sunt, semper suæ gloriæ fulgorem emittunt, & radios. Quod scientes non aliter priscos, aliter recentiores colitis Sanctos, sed eâdem alacritate omnes, &c. quid clarius?

XXIII. Cyrillus Alexandrin. lib. 6. contra Iulianum, edit Basil. 1546. Sanctos, ait, Martyres neque Deos esse dicimus, neque adorare consuevimus; laudamus autem eos potius summis honoribus, quod pro veritate strenuè certarunt, &c Et infrà: Proinde non est indignum, imo etiam necessarium eos, qui tam claris operibus gloriosi sunt perpetuis honorari laudibus, &c. hæc ille. Ecce paucis verbis Cyrillus exponit doctrinam Catholicam de cultu Sanctorum & refutat calumnias Acatholicorum, qui cum Iuliano Apostata Catholicis imponunt, quod Sanctos ut Deos adorent.

XXIV. Ex Latinis Cyprianus tomo 1. edit Basil. 1531. l. 4. Epist 5. dicit: Martyrum passiones & dies anniversariâ commemoratione celebramus, hæc ille. Ecce morem Ecclesiæ modernæ.

XXV. Ambrosius serm, 6. edit. Paris. 1569. Igitur, ait, Fratres quotiescunque Martyrum memoriam celebramus, &c. sine aliqua dubitatione concurrere debemus, reddere illis honorificentiam.

XXVI. Hieronymus in Cap 3. Sophon. edit Basil. 1553. tomo 6. loquens de Apostolis sic ait: quotidie nominatur, &c. quotidie magnificatur nomen eorum, non quod ipsis profit à nobis in Ecclesia nominari, sed quod nos magnificantes nomen eorum, ut salutem consequamur, &c. hæc ille.

XXVII. Augustinus apud Iod. Cocc. tomo 1. thesaur. Cathol. lib. 5. art 12. edit. Colon. 1601. Epist. 44. sic ait: Ostendatur mihi Romæ in honore tanto templum Romuli, in quanto ibi ostendo memoriam Petri: in Petro quis honoratur nisi Christus defunctus pro omnibus. hæc ille.

Idem lib. 20 contra Faustum Cap. 21 edit. Basil. 1528. sic ait: Populus autem Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, &c. atque Orationibus eorum adjuvetur, &c. quid clarius pro honore & invocatione Sanctorum?

XXVIII. Quintò, pro invocatione Sanctorum sunt etiam specialia plurima testimonia ibidem relata; aliqua hîc sufficiant.

Ex Græcis Athanasius serm. in Euangel de Deiparæ Virg. annunciatione edit. Paris. 1581. sic ait: Inclina aurem tuam (Maria) in preces nostras, & ne obliviscaris populi tui, & infra: Intercede Hera & Domina & Regina & Mater Dei pro nobis, hæc ille magnus Athanasius.

XXIX. Epiphanius serm de Laud. Deiparæ, apud Iod. Cocc. tomo 1. thes. Cathol. edit. Colon. 1601. lib. 3. art. 5. sic ait: Quid dico? quid proloquar? quo pacto beatam prædicabo gloriæ radicem? Solo enim Deo excepto cunctis supra existis, &c. ipsa enim est cœli & terra mediatrix, &c hæc ille.

Basilius edit Ant. 1568 hom. 20. in 40. Martyres. Qui, ait, aliqua premitur angustiâ, ad hos confugiat; qui rursus lætatur, hos oret, hic ut à malis liberetur; ille ut duret in rebus lætis. XXX.

Gregorius Nazianz. edit Basil. 1550. orat. 18. quæ est in laudem Cypriani sic ait: Hæc atque his plura commemorans Virginemque Mariam suppliciter obsecrans, &c. hæc ille. XXXI.

Chrysostomus hom. 26. in 2. ad Corinth. edit. Bas. 1558. tomo 4. sic ait: Nam & ipse, &c. sepulchra illa complexurus, & fastu posito consistit, Sanctos rogans, ut sibi apud Deum patrocinentur, & tabernaculorum artificem (Paulum) ac piscatorem (Petrum) patronos etiam mortuos, precatur ipse diadema gestans, &c. hæc ille. XXXII.

Ex Latinis S. Cyprianus de stella & Magis edit. Antv. 1568. sic ait: in ordine Sanctorum protomartyres innocentes primum habeant locum, & secretorum cõsilii divinorum propinquitate familiarissimâ Clementiam Dei pro nostris exorent laboribus, &c. hæc ille. XXXIII.

Hilarius edit Basil 1570 in ps. 129. ait: Intercessione itaque horum, scil. Angelorum, non natura Dei indiget, sed infirmitas nostra. Missi enim sunt propter eos qui hæreditabunt salutem; Deo nihil ex his, quæ agimus, ignorante; sed infirmitate nostra ad rogandum & promerendum spiritualis intercessionis ministerio indigente, &c. Similiter loquitur de intercessione Apostolorum in ps. 124. Ecce quam clarè exponit causam & modum invocationis & intercessionis Sanctorum contra Acatholicos. XXXIV.

Ambrosius lib. de Viduis, edit. Paris. 1569. Obsecrandi, inquit, sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt; Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam Corporis pignore patrocinium vindicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine etiam si qua habuerunt peccata, laverunt Isti enim sunt Dei Martyres, nostri præsules, speculatores vitæ actuúmque nostrorum Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere, &c. XXXV.

Idem serm. 93. edit. Paris. 1569. tomo 3. in natali Martyris Nazarii, Non clauditur, ait, locus, quod diffunditur meritis; invocasti ubique martyrem, ubique te ille exaudit, qui honoratur in martyre, &c. hæc Ambrosius, ecce modum, quo sancti orationes audiunt.

Hieronymus in vita Hilarionis edit. Basil. 1553. XXXVI.
tomo 1. sic ait: non videtur in calce libri tacenda constantiæ illius sanctissimæ mulieris devotio, & infrà: Erat enim solita pervigiles in sepulchro ejus (Hilarionis) nocteis ducere, & quasi cum præsente ad adjuvandas orationes suas sermocinari, hæc ibi.

Idem lib. adversus Vigilantium edit Basil. 1553. tomo 2. Cap. 3. sic ait: De barathro pectoris tui cænosam spurcitiem evomens dicere audes, ergo cineres suos amant martyrum animæ & circumvolitant eos, semperque præsentes sunt, ne forte, si aliquis peccator advenerit, absentes audire non possint? O Portentum in ultimas terras deportandum, &c. hæc Hieron. Ecce in Vigilantio calumniam Acatholicorum damnatam.

Augustinus, lib. 20. contra Faustum Cap. 21. suprà relatus XXXVII.

Idem Epist. 42 ad Madaurenses, edit. Basil. tomo 2. 1528. Videtis, ait, nobilissimi Imperii eminentissimum

tißimum culmen, ad sepulchrum piscatoris Petri submisso diademate supplicare, &c. hæc ille.

Similiter in ps. 140. *Ecce*, ait, *Imperator venit Romam, quò festinat? ad templum Imperatoris, an ad memoriam piscatoris?*

Idem serm. 17. de verbis Apostoli edit. eâd. 1529. *Martyres*, ait, *eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipsis oretur, pro cæteris autem commemoratis defunctis oretur. injuria enim est pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.* hæc Aug.

XXXVIII. Ecce clarissima SS. Patrum testimonia, ex quibus constat, quòd primitiva Ecclesia non solum SS. Apostolos & Martyres religiosa solemnitate honoravit; sed etiam devotè illorum orationes apud Deum sollicitavit.

XXXIX. Quid ad hæc D. Anonyme? dicerene audes, quod hanc Ecclesiæ Romanæ doctrinam de honore tali Sanctorum & invocatione SS. Patres primitivæ Ecclesiæ damnarint, sicut vos damnatis, vel saltem illam ignoraverint? quid turpius?

XL. Sexto Ecclesia Catholica Romana moderna juxta S. Scripturam docet; quòd *qui Matrimonio jungit Virginem suam bene faciat, & qui non jungit, melius faciat; damnat autem illos qui statum conjugalem anteponendum dixerint statui virginitatis vel cælibatus, & non esse melius ac beatius manere in virginitate aut cælibatu, quam jungi matrimonio.* ita Concil. Trid. sess. 14 Can. 10

Vos ô Acatholici hanc doctrinam contemnitis cum Luthero qui in Epithalamio dicit: *Oportet, admittamus mulierem conjugatam coram Deo præstare virginibus, &c.* & cum Calvino lib. 4. Instit. cap. 13. §. 3 ubi dicit: *In quo genere primatum vesana audacia tenet cælibatus.*

XXXXI. An dicere audes, D. Anonyme, quod illam doctrinam Ecclesiæ Romanæ ita rejecerit antiqua Ecclesia, vel illam ignorârit?

Audi *Augustinum* lib. de Hæresibus edit. Basil. 1528 ubi de Iovinianorum hæresi sic ait: *A Ioviniano quodam Monacho ista hæresis orta est*, &c. *Hic omnia peccata sicut Stoici Philosophi, paria esse dicebat, nec posse peccare hominem lavacro regenerationis accepto, nec aliquid prodesse jejunia, vel à cibis aliquibus abstinentiam. Virginitatem Mariæ destruebat, dicens eam pariendo fuisse corruptam. Virginitatem etiam sanctimonialium & continentiam sexus virilis in Sanctis eligentibus cœlibem vitam conjugiorum castorum atque fidelium meritis adæquabat: ita ut quædam Virgines sacræ, provectæ jam ætatis in urbe Roma, ubi hæc docebat, eo audito nupsisse dicantur.* &c. *Cito tamen ista hæresis oppressa & extincta est*, &c. hæc Augustinus.

XXXXII. Ecce vides ab antiqua Ecclesia Iovinianum hæreseos damnatum, qui *jejunia nihil prodesse* dicebat, *conjugium virginitati etiam sanctimonialium adæquabat*; quantò magis in illo damnatus est Lutherus & Calvinus, qui anteponunt, imò cœlibatum sanctimonialium damnant.

XXXXIII. Videas, quò audaciæ, si non insaniæ perveniatis, ut aliqui vestrum, prout *centuriatores Magdeburgenses, centuria* 4. cap. 5 dicant *quod si Hieronymus & Augustinus de jejunio & statu conjugali aliter senserint; potius hæretici fuerunt, quam Iovinianus.* hæc illi.

Adhucne D. Anonyme demonstrari urges unum ex articulis vestris à primitiva Ecclesia damnatum?

Septimò accedat ex pluribus aliis, articulus de *veneratione Reliquiarum sanctarum.* Ecclesia Romana moderna docet, ùt patet ex Concil. Trid. sess. 25. *quod sanctorum Martyrum & aliorum cum Christo viventium sancta Corpora, quæ viva fuerunt Christi membra & templum Spiritus Sancti ab ipso ad æternam vitam suscitanda & glorificanda à fidelibus sint veneranda, ita ut affirmantes SS. reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eas aliaq; sacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari, damnandi sint*, &c. XXXXIV.

Vos autem, ô Acatholici, talibus Reliquiis ullum honorem exhiberi debere negatis, imò honorantes damnatis. XLV.

An dicere audes, ô Anonyme, hanc vestram doctrinam à SS. Patribus doctam fuisse, vel doctrinam Catholicæ Ecclesiæ à primitiva Ecclesia damnatam fuisse, vel ignoratam?

Certè pleni sunt omnium SS. Patrum libri de Veneratione Reliquiarum sanctorum Apostolorum & Martyrum jam in præmissis aliquorum Patrum testimonia allata sunt: sed oculos tuos perstringat D. Hieron. magnus testis Doctrinæ primitivæ Ecclesiæ; qui testatur: quòd ob hoc potissimum *Vigilantius* hæreseos damnatus sit, quia honorem SS. Martyrum Reliquiis exhiberi non debere docebat. XLVI.

Hieron. edit. Basil. tomo 2. 1553 epist. ad Riparium sic scribit: *Ait, Vigilantium, rectius Dormitantium diceretur, os fœtidum rursum aperire, & putorem spurcissimum contra SS. Martyrum proferre Reliquias; & nos, qui eas suscipimus, appellare Cinerarios & idololatras, qui mortuorum hominum ossa veneremur, O infœlicem hominem*, &c. *qui hæc dicens non se intelligat Samaritanum & Iudæum, qui corpora mortuorum pro immundis habent*, & infrà: *Nos autem, non dico Martyrum reliquias, sed ne solem quidem lunam, non Angelos, &c. colimus & adoramus, ne serviamus Creaturæ potius quam Creatori*, & c. *Honoramus autem Reliquias martyrum, ut eum, cujus Martyres sunt, adoremus, honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum, qui ait Qui vos suscipit, me suscipit &c.* hæc Hieron. ubi clarè exponit doctrinam Ecclesiæ Catholicæ; & Vigilantii blasphemias damnatas ostendit, quas Acatholici resumere non verentur.

Demum, ut plura alia omittam, inter errores Pelagianorum ab Ecclesia damnatos, unus erat quoad infantes, quibus, etiamsi non baptizarentur æternam tamen extra regnum Dei, & beatam quandam vitam promittebant, ùt refert D. August. lib. de Hæres. cap 88. XLVII.

Vos autem, ô Acatholici, infantibus à parentibus fidelibus natis, licèt non baptizentur, non solum quandam vitam beatam extra regnum Dei, sed etiam ipsum regnum Dei contra claram S. Scripturam etiam à Pelagianis agnitam promittitis.

Quid ad hæc D. Anonyme? an adhuc dices: *An tu possis ostendere aliquem nostrorum articulorum à Patribus primævis damnatum, sicut vos damnatis?* vides non tantùm unum, sed plures ex pluribus jam relatos, quos vos docetis, à Patribus primævis damnatos fuisse, sicut jam Ecclesia Romana damnat. XLVIII.

Vbi jam jactantia tua, cùm dicis: *Detecto astu remanet fastus?* ostendi nullum in verbis meis nec astum nec fastum esse, cum simpliciter requisiverim XLIX.

declaratione talibus vocibus utuntur; ut illud vocent congruum, quod verè meritum non est, sed tantùm congruum sit, ut Deus acceptet, vel Deus illud respiciat; licèt non obligetur ullo modo; talia Doctores vocant opera, quæ homo peccator à Dei gratia excitatus & adjutus facit, scilicet credendo, sperando Deum sibi per Christum fore propitium, dolendo de peccatis & Deum diligere incipiendo, *&c.* quæ Ecclesia Catholica juxta sacram Scripturam docet in adultis à Deo requiri antequam illos justificet, ùt patet in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 6. sed non dicit hæc opera esse meritoria justificationis, sed expresè negat cap. 8. sed dicit illas esse dispositiones à Deo prærequisitas cap. 7. hoc ipsum Acatholici fateri debent, ùt lib. de Justificatione ostensum est; licèt, autem Doctores aliqui illas dispositiones vocent merita de congruo, nihil ampliùs intendunt quàm quòd sint requisitæ dispositiones & bonæ; nec in hoc contradicunt modo loquendi sanctorum Patrum, sed potiùs consonant, qui Fidem & alia opera ex Fide procedentia per gratiæ auxilium merita vocant, ùt ibidem demonstratum
XVIII. est.

Voces *digni & condigni* quæ in sacra Scriptura æquivalenter sumuntur, etiam in sacra Scriptura fundantur, ùt lib. de Meritis cap. 6. ostensum est, ut cùm ad Colossenses 1. v. 10. dicitur: *Ut ambuletis digne Deo.* & ibidem v. 12. *Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum.* 2. Thessal. 1. v. 4. *Ut digni habeamini in Regno Dei.* Apocal. 3. v. 4. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt, &c.* & sic sanct. Patres subinde usurpant, ùt *Iustinus Martyr* apolog. 2. dicens: *Homines, qui se dignos Dei voluntate operibus præstiterunt, cum eo regnaturos.* Augustinus lib. de Moribus Eccles. cap. 25. *Nec præmium potest præcedere merita, & priùs homini dari, quàm dignus sit,* &c.

Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum loquens de mansionibus in cœlo dicit quoad electos: *Qui dignus virtutibus ad tantam ascensuri sunt dignitatem, &c.* si homines electi digni sunt, utique per merita, quæ, ùt D. Augustinus dicit, verè merentur & quibus debetur merces, & Hiero-
XIX. nymus dicit illas virtutes dignas esse. Hoc ipsum Doctores per nomen digni vel condigni meriti intelligunt, ut magis veritatem exprimant contra Acatholicos; qui dicere quidem coguntur, ob clara sacræ Scripturæ loca, quòd opera justorum bona sint, sed revera negant esse bona, multò minùs digna vel mereri vitam æternam: sed volunt esse mala, quibus damnatio debeatur. Vnde autem dignitas vel condignitas operum oriatur, lib. de Meritis copiosè declaratum est, quod scilicet ex eo, quia cooperante gratiâ Dei per virtutem Christi influentem fiunt, & à Deo propter merita Christi acceptantur ad talem coronam, quam Deus ipsis promisit, & sic digna & condigna dicuntur, quæ non obtruduntur de novo, sed ex sacra Scriptura & sanctis Patribus constant: qualiter autem intelligantur verba Apostoli Rom. 8. v. 18. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, lib. de Meritis declaratum est.*

XX. De *merito supererogationis* etiam nullo modo Pontificii aliquid contra sacram Scripturam vel sanctos Patres obtrudunt; sed potiùs juxta sacram Scripturam & SS. Patres loquuntur & docent, at verò Acatholici contra claram veritatem agunt: quòd autem dentur vera opera & merita supererogationis, copiosè lib. de Cœlibatu cap. 2. demonstratum est: hîc obiter dicendum, quòd, licèt certissimum sit hominem per se loquendo, obligari ad omnia opera & servitia Deo exhibenda: tamen Deus non ad omnia sub præcepto hominem obligatum voluerit; sed plura sub consilio recommendârit; prout SS. Patres ex S. Scriptura supponunt juxta illud 1. Cor. 7. v. 25. *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* &c.

Sufficiant hîc aliquorum Patrum testimonia.

Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Julianum ed. XXI.
Basil. 1550. sic ait: *Cur non & hoc consideras, &c. quòd lex nostra in quibusdam ita necessitati est subiecta, ut contravenientibus periculum immineat; in aliis autem necessitatem non habet; sed electionem,* &c.

Cyprianus tomo 2. edit. Basil. 1531. lib. de XXII.
Habitu Virg. in fine: *Nec hoc,* inquit *Dominus iubet, sed hortatur; nec iugum necessitatis imponit, quando manet voluntatis liberum arbitrium: sed cùm habitationes multas apud Patrem suum dicat, melioris habitaculi hospitia demonstrat: habitacula ista meliora vos petitis; carnis desideria castrantes, maioris gratiæ præmium in cœlestibus obtinetis,* &c. hæc ille.

Ambrosius lib. de Viduis, ultra medium edit. XXIII.
Paris. 1569. sic ait: *Qui præceptum impleverint, possunt dicere: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus; Hoc virgo non dicit: Non dicit ille qui bona sua vendidit, &c.* & infrà: *Ideo ergo præceptum non datur. consilium datur. Præceptum enim castitatis est, consilium integritatis,* &c. hæc ille; ubi per castitatem intelligit tam in conjugio, quàm in cœlibatu servandam, quæ præcepta est; at virginalis castitas sub consilio, antequam voveatur.

Chrysostomus Homil. 8. de Pœnitentia edit. XXIV.
Basil. 1547. tomo 5. sic ait: *Nequaquam Dominum incuses, haud mandat impossibilia, multi & ipsa superant mandata, &c.* quid clariùs & breviùs contra Acatholicos.

Quia verò D. Anonymus ad S. Augustinum XXV.
appellat, ad illum eamus, ille serm. 18. de Verb. Apost. *Ambierunt,* inquit, *virgines illæ maiorem pulchritudinem cordis sui, tanquam dicerent, quid iubes? ne adulteræ simus? hoc præcipis, amando te; plus facimus, quàm præcipis.*

Idem in Enchirid. cap. 121. *Quæcunque,* ait, XXVI.
mandat Deus, ex quibus unum est, non mœchaberis; & quæcunque non iubentur, sed speciali consilio monentur; ex quibus unum est, bonum est homini mulierem non tangere, tunc rectè fiunt, cum referuntur ad diligendum Deum.

Similiter lib. de adulterinis conjugiis cap. XXVII.
14. sic ait: *Multa sunt facienda non iubente lege, sed liberâ charitate, & ea sunt in nostris Officiis gratiosa, quæ cum liceret nobis non impendere, tamen causâ Dilectionis impendimus &c.* hæc ille.

Ecce Domine Anonyme opera non præ- XXVIII.
cepta, sed consulta: quæ Doctores vocant *supererogationis*, non à Pontificiis obtrusa, sed ex S. Scriptura & SS. Patribus docta & tradita: quod autem illa sint meritoria,

D. Au-

D. Augustinus lib. de Virginit. ex illo Isa. 56. v. 3. *Hæc dicit Dominus Eunuchis*, &c. *dabo eis in domo mea*, &c. *locum & nomen meliùs à filiis & filiabus, &c.* clarissimè demonstrat cap. 24. & seqq. cujus verba prolixè relata sunt lib. de Cœlibatu cap. 3. art. 4. Idem probatum est ex aliis sacræ Scripturæ locis & aliis sanctis Patribus ibidem art. 5.

XIX. Verùm ne D. Anonymus nomen supererogationis ùt novum vel ignotum SS. Patribus cavilletur à Pontificiis obtrusum, quanquam de nomine parùm referat, cùm de re constet; audiat & ipsum Augustinum lib. de Virginit. cap. 30. ubi de præceptis & consiliis agens, sic inquit: *In illis Dominus debitum imponit vobis; in his autem, si quid ampliùs supererogaveritis, in redeundo reddet vobis, &c.* hæc ille.

Videat itaque sincerus Lector, quàm temere, calumniosè & falsò D. Anonymus asserat, sine ullo allegato fundamento, imò falsò allegando pro se verba Augustini asserat: quòd Pontificii illa obtrudant contra antiquam Ecclesiam: cùm ipse potiùs antiquæ Ecclesiæ, ùt ostensum est, adversetur. Restat aliud illius similis farinæ argumentum.

ARTICULUS V.

Refertur 5. primi Anonymi argumentum, & refutatur.

I. Dominus Anonymus sic arguit: *Primitivæ Ecclesiæ Patres minimè adstringebantur ad Romani Episcopi judicium, sicut patet, quòd ad alios appellaverint, ùt videre est in epistolis Basilii Magni, ubi quidam ad illum, alii ad Gregorium Cæsariensem appellabant: Et magis ex Concilio Milevitano & Carthaginensi (tempore Augustini) ubi vetabatur Aphricanis, ne quis ad transmarina (intelligunt Romana) Concilia appellaret. Et ex Concilio Rhemensi circa Annum 990. ubi quidam volebant causam Arnolphi Episcopi Rhemensis referendam esse ad P. Ioannem 17. sed alii dicebant; bene Aphricanos Episcopos super hoc Romanorum Typho permotos fuisse, qui super hac re Synodo 217. Episcoporum, tempore Zozimi Papæ inchoatâ quid de Romani Episcopi potestate sentire vellent, in æternis munimentis statuerunt; post addunt summos Sacerdotes Dei in Religione admodum præstantes inveniri, in hoc sancto conventu, testes quidam sunt: proinde & exinde magis Episcoporum Iudicium petendum fore videtur, quàm ab ea urbe, quæ nunc venalis exposita, ad nummorum, &c. quantitatem judicia trutinat.* hæc ille Anonymus.

II. Respond. hîc iterum D. Anonymus, vel suam inscitiam, vel inverecundiam contra claram veritatem manifestat, dum vel falsa, vel malè intellecta, vel frivola contra manifestum à Christo collatum Petro, & successoribus suis Primatum & supremam in Ecclesia jurisdictionem adducit, quasi ex his probaturus: quod moderna Ecclesia Romana ab antiqua defecisset.

III. Pro quæstionis claritate sciendum; quòd in toto orbe notum est, scilicet plura judicia tam in politicis, quàm Ecclesiasticis sibi esse subordinata: ut tandem unum supremum sit judicium, ad quod ultimatè appelletur; adeóque turpissimam esse consequentiam, si quis volens ostendere supremum aliquod judicium non habere authoritatem, sic v.g. procedat; notum est quòd in judicio talis oppidi Imperii aliquis causâ ceciderit, & ad judicium Principis Coloniensis vel Juliacensis appellârit, & ex hoc inferat, ergo judicium Cameræ Spirensis vel Cæsaris nullam habet supremam authoritatem: Quis non videt turpitudinem hujus consequentiæ? quia cùm hoc, quod ab infimo judicio ad intermedium judicium appellatur, consistit; quòd adhuc ab intermedio ad supremum appellari possit.

Hoc ut claro supposito respond. ad argumentum ex Epistolis sancti Basilii scriptum, scilicet aliqui ad Basilium alii ad Gregorium appellabant; ergo non adstringebantur ad Romani Episcopi judicium: distinguendo non omnes adstringebantur ad judicium Episcopi Romani immediatè, verum est; mediatè falsum est: nam ordo juris habet, ut priùs coram proximo judice lis moveatur & ab illo ad immediatum superiorem judicem appelletur; & demum ad supremum, erat autem *Basilius Archiepiscopus* habens sub se Episcopos, à quibus ad Basilium appellari poterat; sed hoc non impediebat, quò minùs à Basilio ad Episcopum Romanum supremum in Ecclesia judicem appellari posset. IV.

Quid ad hoc D. Anonyme? quomodo tuam consequentiam probares ex talibus Basilii Epistolis, quas in generali allegas; sic quilibet, quodlibet allegare posset; quod autem à Basilio ad Romanum Pontificem appellari poterat: audi ipsum Basilium Epistolâ 52. edit. Antwerp. 1568. ad Athanasium, ubi sic scribit: *Visum est autem mihi consentaneum ut scribatur Episcopo Romæ; ut, quæ hic geruntur, consideret, &c. ipse suâ authoritate in ista causa usus viros eligat, &c.* Ecce ipse Basilius ipsum judicem suum & aliorum, cum quibus ipsi res erat, agnoscit. V.

Quòd autem primitiva Ecclesia ab initio agnoverit Petrum à Christo institutum Ecclesiæ totius Caput & Pastorem juxta verba Christi Joann. 21. v. 15. *Pasce oves meas, pasce agnos meos*, copiosè probatum est lib. de Ecclesia Romana & ejus visibili capite; & similiter, quòd virtute hujus Christi commissionis Romani Pontifices Petro legitimè succedentes supremam in Ecclesia jurisdictionem habeant, ibidem probatum est; tum ex textu; tum ex unanimi Sanctorum non solùm particularium Patrum Græcorum & Latinorum; sed etiam universalium primorum Conciliorum consensu & testimonio: quæ ibi videri possunt; aliqua referemus. VI.

Concilium Nicænum I. maximè authenticum hanc authoritatem agnoscit, can. 6. ubi sic habetur: *Ecclesia Romana semper habuit Primatum:* ubi patet, quòd Concilium agnoscat ab initio Ecclesiæ hunc Primatum Ecclesiam Romanam habuisse: Hic Canon recitatur in Concilio Chalcedonensi articulo sexto, ubi eadem verba referuntur, quo Canone in Concilio lecto Judices dixerunt: *Perpendimus omnem Primatum & honorem præcipuum secundùm Canones antiquos, Romæ Deo amantissimo Archiepiscopo conservari.* VII.

Idem *Concilium Chalcedonense* articulo decimo sexto primâ relatione ad *Leonem Papam Romanum* de VIII.

Digitized by Google

de Gestis Concilii sic scribit: *Rogamus igitur, & tuis decretis nostrum honora iudicium; & sicut nos* CAPITI *in bonis adiecimus consonantiam; sic & humanitas tua filiis, quod decet, adimpleat.* Quid clarius pro supremo Capite?

IX. Similiter *Concilium Ephes.* I. authenticum ad Cœlestinum Papam sic scribit: *Qui à tua sanctitate missi fuerunt, videlicet pientissimi Episcopi Arcadius & Procestus, qui suâ præsentiâ tuam nobis præsentiam exhibuerunt Apostolicaque Sedis locum tenuerunt, &c.* Ecce illi particulares Episcopi tanquam Legati Pontificis Romani præsederunt in tanto Concilio, ubi Patriarchæ & Archiepiscopi plures præsentes erant.

X. Idem *Concil. Ephesin.* in eadem epist. ad Cœlestinum scribit, *se causam Ioannis Patriarchæ Antiocheni, quæ magis dubia erat quàm causa Nestorii, non fuisse ausum iudicare; sed ipsius Cœlestini iudicio reservasse.* Quid clariùs pro suprema Pontificis Romani jurisdictione? Ecce trium celeberrimorum œcumenicorum Conciliorum in Græcia celebratorum testimonium pro authoritate & Primatu Pontificis Romani; quæ abunde sufficerent ad confundendam D. Anonymi insolentiam.

XI. His accedant quotquot fuerunt SS. Patres Græci vel Latini, quorum plurima testimonia lib. allegato relata sunt, unde pauca hîc retulisse sufficiat.

Ex Græcis; patet ex facto *Dionysii Patriarchæ Alexandrini* ed. Paris. 1581. qui ann. 260. floruit, de quo S. Athanasius lib. de Sententia ejusd. Dionysii sic refert: *Quidam ex Ecclesia rectè quidem sententes, sed tamen ignari eius causa, cur à Dionysio ita scriptum esset, Romam ascenderunt; ibíque eum apud Dionysium eiusdem nominis Romanum Præsulem accusârunt, &c.* hæc Athanasius, inde constat, quòd tunc moris fuerit, ut à Patriarcha ad Romanum Pontificem appellaretur; imò ut apud illum Patriarchæ legitimè accusarentur.

XII. Ipse S. *Athanasius* postea Patriarcha Alexandrinus supponens authoritatem Romani Episcopi, in epistola ad Felicem Romanum Episcopum sic scribit: *Quia semper antecessores nostri & nos à vestra Apostolica & S. Sede auxilium hausimus, & nostri vos curam habere agnovimus, præfatam Apostolicam &* SUMMAM *expetimus iuxta canonum decreta* SEDEM. & infrà: *Ad eam quoque quasi* MATREM *recurrimus,* & paulò post: *Ob id vos prædecessorésque vestros Apostolicos videlicet præsules in summitatu arce constituit, omniúmque curam habere præcepit (* Christus *) ut nobis succurratis, &c.* hæc ille, unde patet, quòd non ob particularem sanctitatem unius vel alterius Romani Episcopi Romam recurrerint, ùt Acatholici cum Calvino fingunt, sed ob Christi ordinationem.

XIII. Idem *Athanasius* editione Paris. 1581. in epistola ad Marcum Romanum Papam nomine suo & aliorum sic scribit: *Domino sancto & Apostolici culminis venerando Marco S. Romanæ & Apostolicæ Sedis, atque universalis Ecclesiæ Papæ Athanasius, & universi AEgyptiorum Episcopi salutem, &c.* Et infrà: *Optamus ut à vestra sacræ Sedis Ecclesiæ authoritate, quæ est* MATER & CAPUT *omnium Ecclesiarum, ea ad correctionem & recreationem fidelium orthodoxorum percipere per præsentes legatos mereamur, &c.* Ecce agnoscit Papam Romanum Caput, qui corrigit alias Ecclesias.

Epiphanius Episcopus Cypri, edit. Basil. 1560. hæresi 68. sic ait: *Pœnitentiam agentes Ursacius & Valens unà cum libellis profecti ad beatum Iulium Romanum Episcopum, pro ratione reddenda de suo errore & delicto,* hæc ille. XIV.

S. *Ioannes Chrysostomus Patriarcha Constantinopolitanus* in epistola ad *Innocentium Papam Romanum* edit. Basil. 1547. tomo 5. sic scribit: *Obsecro ut scribas: quòd hac tam iniquè facta, &c. non habeant robur, &c. illi autem qui iniquè egerunt pœnæ Ecclesiasticarum legum subiaceant: hos autem insontes neque convictos Ecclesiis iubete restitui, &c.* hæc ille. Quid clariùs pro suprema judiciaria potestate Episcopi Romani etiam in causis Patriarcharum & aliorum Episcoporum? XV.

Sancti Patres Latini similiter hanc potestatem in Episcopis Romanis agnoverunt, prout ex illorum testimoniis copiosè libro de Ecclesia Romana allatis patet; pro Lectoris tamen commoditate & veritatis ostensione aliqua referemus.

S. *Cyprianus* Archiepiscopus Carthaginensis, circa annum Domini 250. epistolâ 55. edit. Basil. 1531. sic scribit: *Post ista adhuc insuper pseudo-Episcopo sibi ab hæreticis constituto navigare audent; & ad Petri cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis & prophanis literas ferre; nec cogitare eos esse Romanos (quorum Fides Apostolo prædicante laudata est) ad quos perfidia non possit habere accessum, &c.* hæc ibi. XVI.

Idem epistolâ 67. ejusdem edit. ad Stephanum Papam Romanum sic scribit: *Quòd Marcianus Arelate consistens Novatiano se coniunxerit, & à Catholicæ Ecclesiæ unitate, atque à corporis nostri & sacerdotis consensione discesserit, tenens hæreticæ præsumptionis durissimam pravitatem, ut servis Dei pœnitentibus, &c. divinæ pietatis & lenitatis paternæ solatia & subsidia claudantur, &c.* Et infrà: *Quapropter te facere oportet plenissimas literas ad Coepiscopos nostros in Galliis constitutos, ne ultra Marcianum pervicacem, &c. collegio nostro insultare patiantur, &c.* & infrà: *Dirigantur in provinciam ad plebem Arelate consistentem à te literæ: quibus abstento Marciano, alius in locum eius substituatur, &c.* hæc S. Cyprianus: Ecce quàm clarè supponit potestatem Episcopi Romani in alios Episcopos; quam sibi vel alteri non competere sciebat. XVII.

Stephanus Episcopus Mauritaniæ in Africa apud Jod. Cocc. lib. 7. tomo 1. Thes. Cathol. ed. Colon. 1601. circa Annum 380. ad Damasum Papam sic scribit: *Beatissimo Domino, & Apostolico culmine sublimato, sancto Patri Patrum Damaso Papæ, & summo omnium præsulum præsuli. Notum vestræ facimus Beatitudini, quòd quidam fratres in confinio nobis positi, quosdam fratres nostros venerabiles, videlicet Episcopos, vobis inconsultis, à proprio deiiciunt gradu, vel deiicere moliuntur, cùm vestræ Sedi Episcoporum iudicia, & summorum finem Ecclesiasticorum negotiorum, in honore beatissimi Petri, Patrum decreta omnium cunctam reservavere sententiam, &c.* & infrà: *Maximè verò iustè debent ab ipso Præsulum examinari vertice Apostolico, cuius vetusta solicitudo est tam mala damnare, quàm relevare laudanda, &c.* hæc ille, ecce quàm clarè supponit Episcopi Romani in alios Episcopos potestatem judiciariam & primatum. XVIII.

S. Am-

Digitized by Google

S. Ambrosius Episcopus Mediolanensis Epist. 78. ad Theophilum Alexandrinum, edit. Paris. 1569. *Sanè*, ait, *referendum arbitramur ad sanctum Fratrem nostrum Romanæ Sacerdotem Ecclesiæ: quoniam præsumimus ea te iudicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant, &c.* & infrà: *Ut nos quoque accepta nostrorum serie statutorum, cum id gestum esse cognoverimus, quod Ecclesia Romana haud dubie comprobaverit, læti fructum huiusmodi examinis adipiscamur, &c.* quorsum hæc, nisi supponat ultimatum Episcopi Romani Judicium, ut Ecclesiæ pastoris?

XX. Idem id clarè declarat Epist. 81. ad Syricitum Papam Romanum, edit. eâd. sic scribens: *Recognovimus literis Sanctitatis tuæ boni Pastoris excubias, qui fideliter commissam tibi ianuam serves, & pia sollicitudine Christi ovile custodias dignus; quem oves Domini audiant & sequantur, & ideo, qui nosti oviculas Christi, lupos facile deprehendes, & occurres quasi providus Pastor ne isti morsibus perfidiæ suæ feralique ululatu Domini cum ovili dispergant.* hæc Ambrosius, quid his clarius pro potestate Episcopi Romani à Christo per Petrum commissa.

XXI. *Optatus Milevitanus* Episcopus edit. Paris. 1569. anno 370. l. 2. adversus Parmenium, *Negare*, ait, *non potes scire te in urbe Roma Petro primo cathedram Episcopalem esse collatam: in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus; unde & Cephas appellatus est: in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent: ut iam Schismaticus & peccator esset qui contra singularem Cathedram, alteram collocaret, &c.* hæc ille.

XXII. *S. Hieron.* tomo 2. edit. Bas. 1553. Epist. 57. ad *Damasum Papam* sic ait: *Quanquam tui me terreat magnitudo; invitat tamen humanitas, &c. cum successore piscatoris & discipulo Crucis loquor; Ego nullum primum nisi Christum sequens Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior: super illam petram Ecclesiam ædificatam scio, &c.* & infrà: *quicunque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est, &c.*

XXIII. Idem lib. 5. adversus Ruffinum cap. 5. *Confessionem*, ait, *tuam ab omnibus Italiæ Episcopis asseris esse susceptam, crederem dicenti, nisi, &c. & tamen miror quomodo probaverit Italia quod Roma contempsit, Episcopi susceperint quod fides Apostolica condemnavit.* hæc ibi.

Demum quid concilia Milevitanum & Carthaginense de Romani Episcopi potestate senserint, tum ex ipsis, tum ex Epistolis S. Augustini & Innocentii clarum est.

XXIV. Imprimis *Concilium Africanum* anno 400. celebratum, cap. 35. sic habet: *Placuit ut literæ mittantur ad Fratres & Coepiscopos nostros, & maxime ad sedem Apostolicam, in qua præsidet venerabilis Frater & collega noster Athanasius, quo noverit habere Africam magnam necessitatem, &c.* hæc ibi.

XXV. *Concilium Carthaginense* in Epist. ad *Innocentium Papam* Romanum, quæ est 90. inter Epistolas S. Augustini, sic scribit: *Hoc itaque gestum Domine Frater sancte, charitati tuæ intimandum duximus: ut salutis nostræ medio charitatis etiam Apostolicæ sedis adhibeatur authoritas, pro tuenda salute multorum, & quorundam corrigenda etiam perversitate, &c.* hæc concilium. unde patet ultimatum Judicium à sede Apostolica dependere, ut supponitur.

Concilium Milevitanum post Carthaginense celebratum ùt patet ex fine epistolæ ad *Innocentium Papam*, quæ est inter epistolas Augustini 92. sic scribit: *Quia te Dominus gratiæ suæ præcipuo munere in sede apostolica collocavit, talémque nostris temporibus præstitit; ut nobis potiùs ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesia sunt suggerenda, tacuerimus quàm ea tu possis vel fastidiose, vel negligenter accipere magnis periculis infirmorum membrorum* CHRISTI PASTORALEM *diligentiam adhibere quæsumus digneris.* Et infrà: *Multò plures, qui Pelagii sensus diligentius indagare potuerunt, adversùs eum pro Christi gratia & Catholicæ fidei veritate conflixerunt; præcipuè sanctus filius tuus frater & compresbyter noster Hieronymus: sed arbitramur (adiuvante misericordia Domini nostri Iesu Christi, qui te regere consulentem & orantem exaudire dignatur) authoritati sanctitatis tuæ de sanctarum scripturarum authoritate deprompta facilius eos (qui tam perversa & perniciosa sentiunt) esse cessuros, &c.* hæc Concilium. Ecce quàm clarè supponit; quod Episcopus Romanus habeat authoritatem in S. scriptura fundatam, quod in rebus fidei sententiam ferat: & non ut alii Doctores juxta naturalem scientiam. XXVI.

D. Augustinus, qui his Conciliis interfuit, de iisdem testatur epist. 106. dicens tomo 2. ed. Basil. 1528. *Missæ sunt hac de re à duobus Conciliis Carthaginensi & Milevitano relationes ad apostolicam sedem*, & infrà: *Ad omnia nobis Innocentius Papa rescripsit eodem modo, quo fas erat & oportebat Apostolicæ Sedis Antistitem, &c.* similiter lib. 1. contra Julianum Pelagianum cap. 10. sic ait; *Puto eam orbis partem sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit gloriosissimo martyrio coronari; cui Ecclesiæ præsidentem, si beatum Innocentium audire voluisses, iam tum periculosam iuventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses, quid enim potuit vir ille sanctus Africanis respondere Conciliis, nisi quod antiquitus apostolica sedes & Romana cum cæteris tenet perseveranter Ecclesia, &c.* hæc ibi. Utinam Acatholici hanc tandem monitionem Augustini incorporarent. XXVII.

Ipse *Innocentius Papa* epist. ad Episcopos in Synodo Milevitana: quæ inter Augustini est 93. ed. Basil. 1528. sic scribit: *Diligenter & congruè apostolico consulitis honori: honori, inquam, illius, quem præter illa, quæ extrinsecùs sunt, solicitudo manet omnium Ecclesiarum, super anxiis rebus, quæ sit tenenda sententia: antiquæ scilicet regulæ formam secuti; quam toto semper ab orbe mecum nostis esse servatam: Verùm hæc missa facio. Neque hoc vestram credo latere prudentiam, qui id etiam actione firmâstis, nisi scientes, quòd per omnes Provincias de apostolico fonte petentibus responsa semper emanent. Præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & Coepiscopos nostros, non nisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris Authorem referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quòd per totum mundum possit omnibus Ecclesiis in commune prodesse*, hæc ille. Ubi patet authoritas Episcopi Romani in tota Ecclesia, quia Concilium sua decreta firmari petebat. XXVIII.

Idem in epistola ad Patres Concilii Carthaginensis, quæ inter Augustini est 91. edit. Basil. 1528. sic ait: *In requirendis de his rebus, quas omni cum solicitudine decet à Sacerdotibus,* XXIX.

Digitized by Google

maximè à vero iustoque & Catholico tractari Concilio, antiquæ traditionis exempla servantes, &c. & infrà: *Qui ad nostrum referendum approbastis esse iudicium, scientes, quid Apostolicæ sedi, cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum, debeatur, &c.* Et infrà: *Ut quicquid de disiunctis remotisque provinciis ageretur, non priùs ducerent finiendum; nisi ad huius sedis notitiam perveniret: ubi tota huius authoritate iusta, quæ fuerit, pronunciatio firmaretur; indeque sumerent cætera Ecclesiæ; velut de natali suo fonte aquæ cunctæ procederent, &c.* Et infrà: *Sollicitudinem vestram pro omni utilitate monstratis & per cunctas totius orbis Ecclesias omnibus unà, quod prosit, decernendum esse deposcitis, &c.* hæc innocentius. ubi clarissimè ostenditur, quod ultimatum judicium ad Episcopum Romanum spectet, quod illa Concilia agnoverunt, & ipse Augustinus: ut patet ex testimoniis Augustini jam allegatis.

XXX. Idem *Augustinus* agnoscit Romani Episcopi in se ipsum authoritatem. Epist. 157. sic scribens: *Iniuncta nobis à venerabili Papa Zozimo Apostolicæ sedis Episcopo Ecclesiastica necessitas adCæsaream in Mauritaniam nos traxerat.* Et infrà: *Pelagius & cœlestius Conciliorum Episcopalium vigilantia etiam à duobus venerabilibus antistitibus Apostolicæ sedis Papa Innocentio & Papa Zozimo, nisi correcti etiam egerint pœnitentiam, toto Christiano orbe damnati sunt*, hæc ille, ubi claré distinguit inter concilia & Papas, quod concilia quidem advigilârunt; sed duo illi Papæ illos duos toto orbe damnarunt, quid clarius pro suprema in Ecclesia Jurisdictione?

XXXI. Quod *Augustinus* indicat se à Papa Zozimo missum, etiam testatur *Posidius* illius contemporaneus in vita Augustini cap. 14. sic dicens: *Literæ fidei Apostolicæ compulerunt Augustinum ad Cæsareensem Mauritaniæ civitatem venire unà cum aliis Episcopis, ob terminandas videlicet aliquas Ecclesiæ necessitates.* hæc ille. Ex quibus patet authoritas sedis Apostolicæ in alios Episcopos.

XXXII. Ex his credo ad satietatem constare, quid primitiva Ecclesia ab initio de Romani Episcopi primatu & supremo iudicio crediderit & senserit.

Ex his etiam patet, quid concilium Africanum, Milevitanum & Carthaginense senserint & egerint; quod autem concilium Milevitanum statuit; nihil supremo Romani Episcopi Judicio & potestati obstat, multò minus derogat; ut patet ex verbis concilii can. 22. ubi sic ordinat: *Placuit ut presbyteri diaconi vel cæteri inferiores clerici in causis quas habuerint vicini Episcopi eos accedant, & inter eos quidquid est finiant, &c.* hæc ibi, quæ verba si Dominus Anonymus retulisset facile convictus esset, ideo siluit. Ex illis enim verbis nullo modo inferri potest quod illud concilium non agnoverit supremum sedis Apostolicæ judicium, cujus contrarium ex Patrum. conciliorum, & Augustini verbis patet, præsertim Carthaginensis supra relatis; ita etiam, ut ubi necessitas urserit, non solum in causa Episcoporum sed etiam aliorum ad sedem præfatam appellari possit, cui quidam Patres qui in concilio milevitano fuerunt, etiam interfuerunt; quod petit, *ut sedis Apostolicæ authoritas suis statutis adhibeatur pro salute multorum, & quorundam perversitate corrigenda, &c.* quæ certè supremo judici competunt.

Cæterùm causa, ob quam concilium Milevitanum tales appellationes prohibuerit, inter alias illa erat, quia multa incommoda subinde oriebantur ut quod multi effugerent ordinariorum Episcoporum Judicia, ad quos prima spectat instantia; vel contra illos exceperunt, & sub prætextu appellationis ad sedem Apostolicam longè distantem multa mala causabant, ob quæ etiam Innocentius statuta illa in sua Epistola ad Concilium data confirmavit, sicut & ipsius successor Zozimus; qui tamen per hoc supremæ Acatholicæ sedis potestati derogare noluerunt, sed illam in suis Epistolis declararunt, ut patet. Demum licet ex consensu S. sedis quoad presbyteros & clericos illud statutum fuerit: firma tamen mansit Episcoporum gravatorum ad S. sedem appellatio, prout antiquitus in Ecclesia usurpatum fuit; ut patet ex conciliis & SS. Patribus allegatis, & si causæ iustæ intervenissent; etiam aliis via appellationis patebat. XXXIII.

ARTICULUS VI.

Respondetur ad ultimum argumentum.

Iam tandem videamus ea quæ D. Anonymus ex concilio Rhemensi adfert, præced. articulo allata. I.

Resp. 1. quod si admittatur quod ibi fuisset aliquod concilium provinciale, quod talia contra sedem Apostolicam egisset, quâ fronte bonus Dominus tale concilium ann. 990. celebratum, tot clarissimis primatiis generalibus & nationalibus Conciliis & SS. Patribus opponendum præsumpsit? Si ex simili Concilio nos contra Acatholicos, ut sileam contra SS. Patres adduceremus, nonne merito nos exsibilarent?

2. Constat ex verbis ab Anonymo allatis quod qualecunque illud fuerit Concilium, nihil in hoc conclusum fuerit; cum aliqui Episcopi vellent causam Arnulphi referendam esse ad Pontificem Romanum, idque iure antiquo probato; aliqui verò refractarii male allegantes concilium tempore Zozimi celebratum vellent causam Arnulphi à vicinis Germaniæ Episcopis decidendam, cum expressè constet quod causæ Episcoporum non fuerint prohibitæ ad sedem Romanam deferri, sed inferiorum. II.

Resp. 3. quòd concilium illud Rhemense (quod Anonymus ex centuriis Magdenburgensibus mendaciis & calumniis plenis centuria 10. profert) fuerit falsum concilium, seu pseudosynodus, nec nomen quidem Provincialis Concilii merebatur, ab Hugone rege Arnulpho Archiepiscopo Rhemensi infenso violenter coactum: ubi Rege urgente Arnulphus fuit exauthoratus & Gilbertus quidam intrusus. Iste autem Gilbertus acta illius Conciliabuli ad suum placitum scripsit & auxit, ac in odium Romani Pontificis tales calumnias adjecit; verum Anno 995. *Ioannes Romanus Pontifex* per legatum suum indixit legitimam synodum, in qua, Gisberto & Episcopis ipsi adhærentib⁹ auditis, præcedens synodus reprobata & damnata fuit, ac Gisberto exclulo Arnulphus in sedem restitutus est, ipseque Rex Hugo ex summa erga sedem Apostolicam reverentia acquievit. Hæc Baronius sincerissimus Historicus circa Ann. 992. & seqq. III.

Ecce

IV. Ecce ad qualem Synodum Novitiam contra totam antiquam Ecclesiam D. Anonymus refugium sumpserit: quid antiqua Ecclesia crediderit & præstiterit, ex præmissis evidens est.

Ex quo patet, quòd & D. Anonymus in hoc articulo cum Acatholicis de supremo Romani Pontificis etiam appellationis judicio longè à primitiva Ecclesia defecerit: at verò moderna Romana Ecclesia inhærens verbis Christi Petro & successoribus illius talem potestatem concedentibus cum antiqua Ecclesia concordet.

V. Ex his patet confusio, nuditas & miseria illius D. Anonymi, qui plenis buccis jactitabat sibi latum à me apertum fuisse campum ostendendi, quod Ecclesia Romana à primitiva defecerit; dum dixissem, ut vel unum articulum demonstraret, in quo moderna Romana ab antiqua in doctrina fidei defecisset, vel qui ab antiqua Ecclesia damnatus fuisset: sicut nos plurimos ostendimus, in quibus Acatholici defecerunt, & qui olim ab antiqua Ecclesia damnati fuerunt: asserit quidem Anonymus tales in Ecclesiæ Romanæ campo esse plurimos: & ecce hos, quos præcipuos producit in scriptura fundatos, & ab antiqua Ecclesia expressè creditos & doctos esse demonstravimus; ac proinde articulos Acatholicorum his contrarios, verè perversos, & ab Ecclesia antiqua alienos esse constat.

Judicet sincerus lector, an ego ista exigendo vel ignoranter, vel procaciter (ut Anonymus improperat) an potiùs ipse talia jactitando, sic egerit.

Jam videndum quid alii DD. Anonymi in tam lato aperto campo se venatos esse, exposuerint.

CAPUT II.

Referuntur argumenta Authoris Anonymi secundi Libelli, & refutantur.

ARTICULUS I.

Referuntur verba prima illius Authoris Anonymi, & refutantur.

I. Secundi Libelli anonymus author, post plura verba satis procacia sic me aggreditur, dicens: *Triumphabundus hunc actioni tuæ imponis Colophonem: Universaliter petitur; ut unus saltèm Fidei articulus, in quo Catholicam Romanam modernam à vera fide defecisse prætensi Reformati asserunt, ostendatur ab Ecclesia antiqua damnatus fuisse; sicut prætensi Reformati damnant: econtra hoc de ipsorum prætensorum Reformatorum fidei articulis demonstrare paratus sum.* Ad hanc petitionem, sic ait D. Anonymus.

II. Respondetur, *miramur astum, sed magìs fastum tuum, quem in finem petis, ut ostendamus Patres aliquem articulorum vestrorum damnare, sicut nos damnamus?* hæc Anonymus.

Respond. primò: Non triumphabundus illum Colophonem addidi actioni; cùm nondum quicquam pro Catholicis articulis egissem; sed D. Vexillifero asserenti, quod prætensi Reformati in omnibus fidei articulis etiam illis, in quibus à Catholica Romana moderna dissident, cum Ecclesia antiqua consentiant, cùm aliquos tales articulos proposuissem ab ipso probandos, brevitatis gratiâ id universaliter exigebam; ut saltèm unum ex multis demonstraret, quid justius petere poteram?

III. Ad secundum, an ego astu & fastu hoc petierim? æquus & sincerus lector judicet.

Ad tertium, quem in finem id petierim, jam dictum est; nam si vos asseratis, vos consentire in iisdem fidei articulis cum antiqua Ecclesia, quorum contrarium credit Ecclesia Romana, adeòque hanc quoad illos damnatis; necesse est ut ostendatis: quòd antiqua Ecclesia illos articulos ùt hæreticos damnavit, sicut vos damnatis, ecce finem quæstionis meæ.

IV. Pergit Anonymus sic: *Dicam, inquit, nôsti Patres multos articulos à vobis adaptatos damnare quoad rem, eóque non audebas petere, ut ostenderemus aliquem articulorum vestrorum à nobis damnatum, à Patribus etiam damnatum esse; sed addebas voculam (sicut) ut si articulum à nobis reiectum à Patribus ignoratum, damnatum ostenderemus sub patrocinio voculæ (sicut) circumstantialia rodere & nugas agere posses*, hæc Anonymus.

Respond. primò: Falsissimè mihi tribuis, quòd ullum noverim articulum fidei esse inter omnes, quos docet & credit moderna Romana Ecclesia, quem SS. Patres quoad rem damnârint, hoc tuum erat probare saltèm ex multis, ùt asseris, unicum: falsum est, quòd illam voculam (sicut) fraudulenter adjecerim, sed sincerè, si enim vos, ut vultis in omnibus articulis fidei, cum Patribus consentitis, necesse est; ut articuli vestri à Patribus de fide certi crediti fuerint, sicut vos creditis & per consequens, ut Patres illos articulos damnarint vestris contrarios; sicut vos damnatis; quid æquius & sincerius peteretur? V.

Respond. 2. non moror in vocula (*sicut*) nec in illa cardo rei versatur, multò minùs patrocinium quæsivi vel quæram, ut si, quod absit, ostenderitis, aliquem articulorum nostrorum à Patribus ignoratum, me excusarem per hoc, quòd saltèm ille à Patribus damnatus non sit, minimè Gentium: sufficiet enim, ut victas manus præbere deberem, si unum articulorum nostrorum fidei probaveritis à Patribus ignoratum esse: ecce quàm multum permittam. VI.

Ecclesia enim Catholica Romana moderna non alios agnoscit fidei articulos, nisi illos, qui vel in Verbo Dei scripto seu S. scriptura expressi sunt, vel per Verbum Dei à Christo & Apostolis prædicatum in Ecclesia conservati, & quasi per manus traditi continuâ successione ad nos usque pervenerunt: hoc enim profitetur Concilium Trid. sess. 4. ubi sic dicitur: *Sacrosancta, &c. Synodus, &c. perspiciens hanc (fidei) veritatem & disciplinam contineri in libris scriptis & sine scripto traditionibus, quæ ex ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ aut ab Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi* VII.

Digitized by Google

per manus tradita ad nos usque pervenerunt. Orthodoxorum Patrum exempla secuti, &c. hæc Concil. Vidêsne D. Anonyme, an astu illam voculam (sicut) addiderim? nego absolutè, quòd ullus sit fidei modernæ Catholicæ articulus, qui à Patribus ignoratus sit; contrarium patet, cùm hactenus in præcedentibus libris singulos articulos clarissimis SS. Patrum testimoniis probaverim; tuum erat, & adhuc est, ut vel unicum à Patribus ignoratum demonstres.

ARTICULUS II.

Referuntur alia illius Anonymi verba, & refutantur.

I. Pergit D. Anonymus dicens: *An tu possis ostendere aliquem nostrorum articulorum à Patribus primævis damnatum, sicut vos damnatis & detecto astu, remanet fastus?* hæc Anonymus.

II. Respondeo: Talis vestra, prô dolor, doctrina est, ut non solùm unum, sed plures ostendere possim vestrorum articulorum, quos non solùm SS. Patres ignorârint veros, sed positivè falsos & hæreticos damnârint, tales plurimos lib. de verbo Dei tradito expresè recensui, & per singulos libros demonstravi circa articulos; quos D. Vexillifero probandos proposueram & plures alios; respice, si placet, specula & Antitheses per singulos libros ad singula ferè capita exposita, & nisi obstinatus esse velis, vel clausis oculis lucem solis aspicere nolis, videbis; quòd eadem, quæ Ecclesia Romana moderna credit de fide SS. Patres primævi crediderint, quorum vos plura contraria docetis; imò quòd Patres errores vestros vobis nondum natis, in aliis hæreticis, quos vos hæreticos fuisse fateri debetis, longe ante damnârint. Ut verò candidus lector pro sua commoditate veritatem videat, nec opus habeat ad alia loca recurrere, nisi pleniorem desideret informationem, ut etiam lux veritatis oculos tuos D. Anonyme clausos perstringat, aliquos articulorum vestrorum olim hæreseos expresè damnatos; & aliquos, quos modo vos hæreseos damnatis à SS. Patribus creditos & doctos fuisse obiter referam.

III. Primò negare non potes, quòd vos prætensi Reformati Ecclesiam Romanam modernam accusetis in hoc, quod *pro fidelibus defunctis Sacrificium offerat, & Orationes fundat, & quòd certis diebus ieiunia & à carnibus abstinentiam ordinet*, hæcque expresè ut erronea & falsa damnatis.

IV. Jam audi, quinam vestri majores in hoc fuerunt, nempe *Aëriani*, Arianis pejores; de his sic testatur Epiphanius hæresi 75. *Aërius illorum Author, Arianus hæreticus inter alios errores etiam negavit orandum esse pro defunctis. &c.* hæc ibi.

V. Idem in lib. Anacephalæosis dicto ed. Basil. 1560. sic ait: *Hic Aerius, &c. multa contra Ecclesiam docuit, fide quidem existens Arianus perfectissimus, verùm ampliùs docuit, primò non oportere offerre pro his, qui dormierunt. 2. prohibet ieiunare quarta & 3. pro Sabbatho. 4. pro quadragesima. 5. Carnis esum omnis generis utilior est, &c. siquis verò ex discipulis ieiunare velit, ne in diebus ordinatis* (ab Ecclesia) *hoc faciat, inquit, sed quando volueris, &c.* hæc Epiphanius de erroribus Aërii, unde D. Anonyme peccatum tuum agnosce; contumaciam tuam & tuorum. quam in Aërio Ecclesia olim damnavit; nonne hi omnes articuli à vobis ad literam docentur prout Aërius docuit?

Accedat alter fidelissimus testis S. Augustinus, qui recensens antiquas hæreses ab Ecclesia damnatas libro de Hæresibus, hæresi 53. sic ait: *Aëriani ab Aërio nominati, qui in Arianorum hæresim lapsus fertur propria quoque dogmata addidisse dicens: Primò orare vel offerre pro mortuis oblationem non oportere, secundò nec statuta ieiunia solemniter esse celebranda, 3. sed, cùm quis voluerit, ieiunandum, ne videretur esse sub lege, &c.* hæc Aug. VI.

Ecce duos probatissimos testes, qui referunt ista ab Aërio docta, ab Ecclesia antiqua fuisse erroris damnata. Ecce non solùm unum, sed plures articulos vestros olim in Aërio positivè damnatos.

Secundò, rursus Ecclesia moderna Romana credit & docet ut constat ex Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. *Quòd Christus Dominus, qui semel in cruce seipsum Deo Patri pro peccatis hominum morte intercedente oblaturus erat, & plenè satisfacturus tamen ostendere voluit se esse Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech in æternum. in ultima cœna Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini incruento modo Deo Patri obtulit, & Apostolis quos tunc Sacerdotes novi Testamenti instituit, eiusque in Sacerdotio successoribus, ut sub dictis speciebus corpus & sanguinem ipsius offerant, præceperit, non ea ratione quasi Sacrificium in cruce pro salute non sufficeret, sed ut in Ecclesia perpetuum esset Sacrificium, quo cruentum illud in cruce semel factum repræsentaretur, eiusque memoria maneret atque illius Salvatoris virtus in remissionem peccatorum & gratia collationem applicaretur.* Prout copiosè lib. de Sacrificio Missæ declaratum est. Hanc de Sacrificio incruento doctrinam vos ô Acatholici Idololatriæ damnatis, ut patet ex Catechismo Heidelbergensi Hanoviæ 1615. Germanicè edito ubi §. de Cœna Domini sic dicitur: *Missa papalis in fundamento nihil est aliud, quàm abnegatio unici Sacrificii & Passionis Iesu Christi & maledicta Idololatria*, hæc sane blasphemat Catechismus vester. VII.

Sed ubinam SS. Patres primævæ Ecclesiæ hanc Ecclesiæ Romanæ doctrinam sic damnârunt? si dixeris, si non damnaverint verbotenus, in re damnârunt, & illam penitùs ignorârunt, alioquin si aliqui illam docuissent, utiq; expresè damnassent, verù quâ fronte hæc dicere auderes, sicut dicere non erubescis. Vide lib. de Sacrific. Missæ, qualiter ex scriptura SS. Patres illam doctrinam expresè docuerint; quanquam autem ibidem ostenderim, quòd sacrificium hoc, etiam sub nomine *Missæ* à Conciliis & SS. Patribus usurpatum sit; tamen licèt hoc *Missæ* nomen non fuisset usitatum nihil rei veritati obstat; sicut nec quod consubstantialitatis nomen nec in S. Scriptura; nec in initio tempore Apostolorum usitatum erat, rei ipsi obstat; verùm non laboramus in voce Missæ, sed in re ipsa Sacrificii, prout eam ex Concilio Tridentino exposui, sufficiat ex pluribus Augustinus in ps. 33. con. 2. edit. Basil. 1529. ubi sic ait: *Ipse* (Christus) *de Corpore & Sanguine suo instituit Sacrificium secundùm ordinem Melchisedech.* Et epistolâ 95. VIII.

Mel-

Melchisedech, aït, *prolato Sacramento mensæ Dominicæ novit æternum ejus sacerdotium præfigurare*, &c.

X. Item edit. Basil 1529 lib 16 de civ. Dei Cap. 22 dum de oblatione Melchisedech agit sic inquit: *Ibi primùm apparuit sacrificium quod nunc à Christianis offertur, Deo toto orbe terrarum impletur q; illud, quod longè post hoc factum per prophetam dicitur ad Christum*, &c. *Tu es sacerdos in æternum secundum Ordinem Melchisedech; Non scilicet secundum ordinem Aaron, qui ordo erat auferendus*, &c. hæc ibi.

XI. Item edit. eàd. lib 18. de civ, Dei Cap. 35. ubi simul figuram Melchisedech & prophetiam complectens dicit: *Hoc sacrificium per sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech, cum in omni loco à solis ortu usque ad occasum Deo jam videamus offerri; sacrificium autem Iudæorum, quibus dictum est: Non est mihi voluntas in vobis, nec accipiam de manibus vestris munus, cessasse negare non possunt*, &c. hæc ibi.

XII. Lib 1. contra Adversar. legis & prophetarum Cap. 20 edit. Basil. 1528. sic ait: *Ibi quippe & hoc dictum est, Iuravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech Noverunt qui legunt, quid protulerit Melchisedech, quando benedixit Abrahā. Et si jam sunt participes ejus, vident tale sacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum. Dei autem juratio incredulorum est increpatio. Et quod Deum non pænitebit, significatio est, quia sacerdotium hoc non mutabit. Mutavit quippe sacerdotium secundum ordinem Aaron*, &c.

XIII. Item ibidem Cap. 18. edit. eàd. dicit: *quod totum fideles in Ecclesiæ sacrificio sciunt, cujus umbra fuerunt priorum genera sacrificiorum*, &c.

Demum lib. 17. de civ. Cap. 20. edit eàd. dicit: *Pro omnibus illis sacrificiis & oblationibus Corpus ejus offertur, & participantibus ministratur*, hæc August. quid clariùs dici posset pro doctrina Ecclesiæ Romanæ?

XIV. Tertio: Adhæc nimis evidens est; quod SS. Patres juxta S. Scripturam in Ecclesia Christiana primitiva agnoverint sacerdotes, qui juxta ordinem Christi, celebrarunt sacrificium, & habuerunt altaria; ut copiosè ostensum est lib de Sacrif. Missæ, sufficiant hic aliquorum testimonia.

Cyprianus qui Epist. 66. tomo 1 edit Basil 1531 sic ait: *Singuli divino sacerdotio honorati, & in Clerico ministerio constituti, non nisi altari & sacrificiis deservire, & precibus vacare debent*, hæc ille.

XV. *Optatus Milevitanus* lib 1. contra Parmenianum edit Paris. 1569. sic ait: *Conferta erat Ecclesia populis plena: erat Cathedra Episcopalis: erat altare loco suo, in quo pacifici Episcopi retro temporis obtulerunt Cyprianus, Lucianus*, &c.

Idem edit. eàdem lib. 6. *Quid*, aït, *est tam sacrilegum, quam altaria Dei (in quibus & vos aliquando obtulistis) frangere radere, removere?* &c. & infrà: *Quid enim est altare, nisi sedes Corporis & sanguinis Christi?* hæc ibi.

Iterum eàd edit. eodem lib *Hoc tamen*, ait, *immane facinus geminatum est, dum fregistis etiam Calices Christi sanguinis portatores: quorum species revocastis in massas, mercem nefariis nundinis procurantes.* hæc ille.

Ecce quàm clarè in istis hæreticis damnatos supponit ille S. Pater modernos Acatholicos: illorum in doctrina, & talibus sceleribus imitatores.

XVI. D. Aug. 9. Confess. Cap. 13. edit. Basil. 1529. sic Deum orat, dicens: *Nunc pro peccatis Matris meæ deprecor te*, &c. & infrà *Namque illâ imminente die resolutionis suæ*, &c. *tantummodo memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit*, &c. *unde sciret dispensari victimam sanctam, qua deletum est Chyrographum quod erat contrarium nobis*, &c & infrà: *Inspira Domine servis tuis*, &c. *ut quotquot hæc legerint meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ*, &c. hæc ibi. quorsum hæc? si in primitiva Ecclesia nulla erant altaria, nulli sacerdotes, nullum sacrificium pro defunctis.

XVII. Rursus lib. 20. contra Faustum cap. 21. edit. Antv. 1576. *Populus autem*, ait, *Christianus memorias martyrum religiosa solemnitate celebrat, & ad excitandam imitationem & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur: ita tamen ut nulli martyrum, sed ipsi Deo Martyrum sacrificemus, quamvis in memoriam Martyrum constituantur altaria. Quis enim Antistitum in locis sanctorum Corporum assistens altari aliquando dixit: Offerimus tibi Petre*, &c. hæc ibi. Ecce sacrificium, ecce altaria.

Similiter lib. 22. de Civ. Dei Cap. 10. edit. Basil. 1529 sic ait: *Nec ibi* (in templis) *erigimus altaria, in quibus sacrificemus Martyribus, ed uni Deo, & Martyrum & nostro, sacrificium immolamus.* hæc Aug.

XVIII. Quis sanæ mentis hæc solùm legens dicere audebit, quod in primitiva Ecclesia SS. Patres ignoraverint doctrinam de sacrificio, quotidie à sacerdotibus in altari oblato Deo Patri? juxta institutum Christi secundum Ordinem Melchisedech? nunquid sacrilegii & immanis facinoris SS Patres illos damnarunt? qui Altaria, in quibus SS. sacerdotes Deo sacrificium offerre consueverunt, everterunt, & Calices fregerunt: Nunquid & in his modernos Acatholicos damnarunt? quid ad hæc Domine Anonyme?

XIX. Quartò, sed audi ampliùs docet & credit Ecclesia Rom. Catholica moderna, ùt pat. in Concil. Trid. sess. 25. *quod SS. Martyres & alii cum Christo beati religiosè sint honorandi, 2. quod bonum & utile sit, eosdem suppliciter invocare, & ob beneficia à Deo impetranda per filium ejus Iesum Christum qui unicus Redemptor & Salvator noster est, ad eorum orationes, opera, auxiliaque confugere*, &c.

Hanc Doctrinam, Domine Anonyme, vestri ùt falsissimam rejiciunt, & invocationem sanctorum mortuorum ut idololatriam damnant

XX. An dicere audes quòd SS. Patres primitivæ Ecclesiæ hanc Ecclesiæ Romanæ doctrinam sic damnarint, vel, ut subterfugiendo dicitis, illam ignorarint?

Certè nimis effrons foret, qui SS. Patres vel obiter inspexerit, & id dicere ausus esset; testimonia plurima, tam S. Scripturæ, quam SS. Patrum, *lib. de Cultu & Invocat. Sanctorum* relata sunt, hic pauca referemus.

XXI. Ex Græcis *Gregorius Nyssenus* in Orat. de Laudibus S. Theodori Martyris edit. Basil. 1571 sic ait *Quis ex iis, qui supra modum inter homines excellere visi sunt, tali memoria celebratur? Quis Imperatorum, qui urbes munitas ceperunt, nationes innumeras subegerunt, adeo decantatus, & fama celebratus est, ut hic miles pauper*, &c. *quem victorem Christus coronavit?* Et infrà ipsum S. Martyrem alloquens, ait: *Domino assistis*, &c *ut servus fidelis adorationis*

tiſſimum culmen, ad ſepulchrum piſcatoris Petri ſubmiſſo diademate ſupplicare, &c. hæc ille.

Similiter in pſ. 140. *Ecce,* ait, *Imperator venit Romam, quò feſtinat? ad templum Imperatoris, an ad memoriam piſcatoris?*

Idem ſerm. 17. de verbis Apoſtoli edit. eâd. 1529. *Martyres,* ait, *eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipſis oretur, pro cæteris autem commemoratis defunctis oretur. injuria enim eſt pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.* hæc Aug.

XXXVIII. Ecce clariſſima SS. Patrum teſtimonia, ex quibus conſtat, quòd primitiva Eccleſia non ſolum SS. Apoſtolos & Martyres religioſa ſolemnitate honoravit; ſed etiam devotè illorum orationes apud Deum ſollicitavit.

XXXIX. Quid ad hæc D. Anonyme? dicerene audes; quod hanc Eccleſiæ Romanæ doctrinam de honore tali Sanctorum & invocatione SS. Patres primitivæ Eccleſiæ damnarint, ſicut vos damnatis, vel ſaltem illam ignoraverint? quid turpius?

XL. Sexto Eccleſia Catholica Romana moderna juxta S. Scripturam docet; quòd *qui Matrimonio jungit Virginem ſuam bene faciat, & qui non jungit, melius faciat; damnat autem illos qui ſtatum conjugalem anteponendum dixerint ſtatui virginitatis vel cælibatus, & non eſſe melius ac beatius manere in virginitate aut cælibatu, quàm jungi matrimonio.* ita Concil. Trid. ſeſſ. 24 Can. 10

Vos ô Acatholici hanc doctrinam contemnitis cum Luthero qui in Epithalamio dicit: *Oportet, admittamus mulierem conjugatam coram Deo præſtare virginibus, &c.* & cum Calvino lib. 4. Inſtit. cap. 13. §. 3 ubi dicit: *In quo genere primatum veſana audacia tenet cælibatus.*

XXXXI. An dicere audes, D. Anonyme, quod illam doctrinam Eccleſiæ Romanæ ita rejecerit antiqua Eccleſia, vel illam ignorârit?

Audi *Auguſtinum* lib. de Hæreſibus edit. Baſil. 1528 ubi de Iovinianorum hæreſi ſic ait: *A Ioviniano quodam Monacho iſta hæreſis orta eſt, &c. Hic omnia peccata ſicut Stoici Philoſophi, paria eſſe dicebat, nec poſſe peccare hominem lavacro regenerationis accepto, nec aliquid prodeſſe jejunia, vel à cibis aliquibus abſtinentiam. Virginitatem Mariæ deſtruebat, dicens eam pariendo fuiſſe corruptam. Virginitatem etiam ſanctimonialium & continentiam ſexus virilis in Sanctis eligentibus cælibem vitam conjugiorum caſtorum atque fidelium meritis adæquabat: ita ut quædam Virgines ſacræ, provectæ jam ætatis in urbe Roma, ubi hæc docebat, eo audito nupſiſſe dicantur. &c. Cito tamen iſta hæreſis oppreſſa & extincta eſt, &c.* hæc Auguſtinus.

XXXXII. Ecce vides ab antiqua Eccleſia Iovinianum hæreſeos damnatum, qui *jejunia nihil prodeſſe* dicebat, *conjugium virginitati etiam ſanctimonialium adæquabat,* quantò magis in illo damnatus eſt Lutherus & Calvinus, qui anteponunt, imò cœlibatum ſanctimonialium damnant.

XXXXIII. Videas, quò audaciæ, ſi non inſaniæ perveniatis, ut aliqui veſtrum, prout *centuriatores Magdeburgenſes, centuria 4. cap. 5 dicant quod ſi Hieronymus & Auguſtinus de jejunio & ſtatu conjugali aliter ſenſerint; potius hæretici fuerunt, quam Iovinianus.* hæc illi.

Adhucne D. Anonyme demonſtrari urges unum ex articulis veſtris à primitiva Eccleſia damnatum?

Septimò accedat ex pluribus aliis, articulus *de veneratione Reliquiarum ſanctarum.* Eccleſia Romana moderna docet, ùt patet ex Concil. Trid. ſeſſ. 25. *quod ſanctorum Martyrum & aliorum cum Chriſto viventium ſancta Corpora, quæ viva fuerunt Chriſti membra & templum Spiritus Sancti ab ipſo ad æternam vitam ſuſcitanda & glorificanda à fidelibus ſint veneranda, ita ut affirmantes SS. reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eas aliaq; ſacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari, &c. damnandi ſint, &c.* XXXXIV.

Vos autem, ô Acatholici, talibus Reliquiis ullum honorem exhiberi debere negatis, imò honorantes damnatis. XLV.

An dicere audes, ô Anonyme, hanc veſtram doctrinam à SS. Patribus doctam fuiſſe, vel doctrinam Catholicæ Eccleſiæ à primitiva Eccleſia damnatam fuiſſe, vel ignoratam?

Certè pleni ſunt omnium SS. Patrum libri de Veneratione Reliquiarum ſanctorum Apoſtolorum & Martyrum jam in præmiſſis aliquorum Patrum teſtimonia allata ſunt: ſed oculos tuos perſtringat D. Hieron. magnus teſtis Doctrinæ primitivæ Eccleſiæ; qui teſtatur: quòd ob hoc potiſſimum *Vigilantius* hæreſeos damnatus ſit, quia honorem SS. Martyrum Reliquiis exhiberi non debere docebat. XLVI.

Hieron. edit. Baſil tomo 2. 1553 epiſt. ad Riparium ſic ſcribit: *Ait, Vigilantium, rectius Dormitantius diceretur, os fœtidum rurſum aperire, & putorem ſpurciſſimum contra SS. Martyrum proferre Reliquias; & nos, qui eas ſuſcipimus, appellare Cinerarios & idololatras, qui mortuorum hominum oſſa veneremur, O infelicem hominem, &c. qui hæc dicens non ſe intelligat Samaritanum & Iudæum, qui corpora mortuorum pro immundis habent,* & infrà: *Nos autem, non dico Martyrum reliquias, ſed ne ſolem quidem lunam, non Angelos. &c. colimus & adoramus; ne ſerviamus Creaturæ potius quam Creatori, &c. Honoramus autem Reliquias martyrum, ut eum, cujus Martyres ſunt, adoremus, honoramus ſervos, ut honor ſervorum redundet ad Dominum, qui ait: Qui vos ſuſcipit, me ſuſcipit &c.* hæc Hieron. ubi clarè exponit doctrinam Eccleſiæ Catholicæ; & Vigilantii blaſphemias damnatas oſtendit, quas Acatholici reſumere non verentur.

Demum, ut plura alia omittam, inter errores Pelagianorum ab Eccleſia damnatos, unus erat quoad infantes quibus, etiamſi non baptizarentur æternam tamen extra regnum Dei, & beatam quandam vitam promittebant, ùt refert D. Auguſt. lib. de Hæreſ. cap. 88. XLVII.

Vos autem, ô Acatholici, infantibus à parentibus fidelibus natis, licèt non baptizentur, non ſolum quandam vitam beatam extra regnum Dei, ſed etiam ipſum regnum Dei contra claram S. Scripturam etiam à Pelagianis agnitam promittitis.

Quid ad hæc D. Anonyme? an adhuc dices: *An tu poſſis oſtendere aliquem noſtrorum articulorum à Patribus primævis damnatum, ſicut vos damnatis?* vides non tantùm unum, ſed plures ex pluribus jam relatos, quos vos docetis, à Patribus primævis damnatos fuiſſe, ſicut jam Eccleſia Romana damnat. XLVIII.

Vbi jam jactantia tua, cùm dicis: *Detecto aſtu remanet faſtus?* oſtendi nullum in verbis meis nec aſtum nec faſtum eſſe, cum ſimpliciter requiſiverim XLIX.

Digitized by Google

verim, ut unum ostendatis ex nostris articulis damnatum à primæva Ecclesia fuisse, sicut vos damnatis, nec moror in vocula *sicut*, cùm & addiderim *tuum, non meum effugium; quod nec à SS. Patribus ignoratus fuit ullus Catholicæ fidei articulus.* ubi ergo astus? ostendi etiam positivè quod illi articuli à SS Patribus docti sint & agniti; ubi ergo fastus, dum veritas defenditur. An vero in verbis tuis, nec astus, nec fastus sit? si ipsemet excæcatus non agnoscas, saltem sincerus Lector agnoscet, dum dicis *an tu possis ostendere, &c.* & jam ostensi sunt plurimi vestrorum articulorum à Patribus primævis damnati, unde ergo tua illa inverecunda usurpatio, puræ fidei cum primitiva Ecclesia? quam Ecclesiæ Romanæ convenire ostensum est.

ARTICULUS III.

Referuntur alia Domini Anonymi verba, & refutantur.

I. CUm D. Anonymus dixisset, *detecto astu, remanet fastus*, subjungit, *quid? tune audes petere universaliter, ut ostendamus vos in uno articulo defecisse ab Ecclesia primæva? impudentior hæc vox, quam ut responso digna sit; adeone peregrinus tu es in Israel, ut nescias quid factum prateritis diebus à Chamiero, Molinao, Riveto, Iuello, Iacobo Laurentio & aliis?*

II. Respondeo, ignoscat tibi Deus, quòd contra claram veritatem ita insultes; nudis verbis agis, quod quilibet mendax potest; ego ausus sum universaliter petere, ut ostendatis unum articulum ex multis in quibus Ecclesiam Romanam accusare non cessatis quia S Scriptura docet veram Ecclesiam Christi esse immaculatam in fide: ideo necessario probari debet ad minus unus articulus fidei Ecclesiæ Romanæ falsus vel primævæ Ecclesiæ contrarius; si ab illa defecisse, accusetur probatum est lib. de Ecclesia, quod juxta promissionem Christi Ecclesia universalis in nullo fidei Articulo errare possit, cur ergo juxta Christi promissionem exigere non audeam ut vel unum fidei articulum, in quo Ecclesia Romana defecerit, non nudis verbis, ut tu facis, sed certis testimoniis ostendatis?

III. Cæterùm, quod me ad Chamierum, Molinæum & alios remittas, inane & vanum est; cum tales multoties à pluribus Catholicis Doctoribus de pluribus mendaciis, vanis & fraudulentis consequentiis & imposturis sint convicti; prout ego ante plures annos in compendio controversiarum de Molinæo in pluribus demonstravi.

IV. Vide Officium tuum, quod suscepisti; nónne vices D. Vexilliferi subire promisisti ut probares illos articulos, quos D. Vexillifer se probaturum promiserat, & inter alios erat, ut vel unum articulum ostenderet, in quo Ecclesia Romana ab antiqua defecisset. Itaque tibi incumbebat non ad alios Authores me remittere sed saltem aliqua testimonia authentica producere.

V. In præcedentibus libris, circa articulos in speciali propositos actum est; circa quos pluribus verbis usus es, sed nullum vel unicum testimonium adduxisti, sicut nec potuisti, quo ostenderes aliquem ex illis articulis, quos vestra prætensa Ecclesia docet, in terminis à SS. Patribus doctum esse, vel contrarium articulum quem Ecclesia Romana docet, à SS. Patribus positivè damnatum fuisse, prout ego de vestris positivè probavi per singulos libros, & jam compendiosè præcedenti articulo ostendi.

An verò sincerè vel astu, aut ex defectu veritatis sæpe egeris, dum probare velles SS. Patres ignorasse hunc vel illum articulum quem Romana Ecclesia modo docet, unius vel alterius Patris locum adduxeris, ubi dicebas, quod ille Pater de tali articulo nullam faceret mentionem, cum tamen locus esset & occasio mentionis faciendæ sed quid inde probaveris, tu ipse agnoscebas; cum fatereris, quod ab authoritate negativa non valea consequentia, scilicet, *ille non facit illius mentionem, ergo negavit*, vel *ergo ignoravit.* Cum tibi ostenderim quod plurimi alii SS. Patres illos articulos positivè docuerint, & contrarios à vobis doctos positivè damnarint; nec etiam argumentum valere ostendi; quod si aliquis Pater alicujus articuli non meminerit, ubi locus & occasio erat; id enim patet manifestè falsum, v.g in Euangelio Ioannis qui referens tam multa de lotione pedum & paschate antiquo à Christo peracto, nihil meminit V. Sacramenti Eucharistiæ, ubi maximè locus & occasio erat, præsertim cum Acatholici negent Ioannis 6 de Eucharistia esse actum, vel saltem, ibi non agi de institutione, ut evidens est sed tantum de futuro dicitur. *Panis quem ego dabo*, inde autem inferre; ergo S Ioann Euangelista negavit vel ignoravit V. Sacramentum Eucharistiæ à Christo esse institutum, quis sanæ mentis hoc inferet? similibus modis vos agitis. VI.

Demum, cùm tu jactitas illos memoratos tuos Authores copiosissimè plures articulos Romanæ Ecclesiæ Demonstrasse à primæva Ecclesiæ fide alienos & contrarios; cur non optimas, apertissimasque probationes ex illorum libris obiter decerpsisti? si extabant; tui enim muneris erat aliquos adducere; sed quia non inveneras, me ad illos remittis, quam miserum hoc? attulisti quædam circa particulares aliquos articulos; sed ea, ex Clarissimis SS Patrum testimoniis vel falso allegata, vel malè explicata esse ostendimus; nunquam autem positive ullius Patris testimonium adduxisti, quo ille testaretur, talem articulum, quem Ecclesia Romana modo docet, esse hæreticum vel ab Ecclesia antiqua reprobatum, aut ignoratum; sicut è contra de vestris articulis ostensum est. VII.

Videat itaque sincerus Lector, quâ fronte ille Dominus Anonymus dicere audeat, *impudentior hæc vox, quam ut responso digna sit?* an potius hæc de ipsius jactabundis verbis dici possit? sed sic loquuntur, quibus aqua veritatis deficit; videamus autem quid in speciali adferat, quo probatum jactitat Ecclesiam Romanam ab Ecclesia antiqua defecisse. VIII.

***

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

Refertur primum D. Anonymi Argumentum, & refutatur.

D. Anonymus postea sic procedit.

I. *NE tuum fastum majore calcare videar, non opponam tuo, universaliter petitur, aliud universaliter petitur; sed particulariter petitur: ut mihi indocto juveni, φιλομαθὴς tamen ostendas consensum tuum cum primis quatuor sæculis, in tribus hisce articulis maximi momenti, &c.* hæc ille Anonymus.

II. Primò, *quod Traditiones ἄγραφαι pari pietatis affectu sint recipiendæ venerandæ cum S. Scriptura,* Concil. Trid. sess. 4.

III. Respondetur, ne verborum sit inter nos contentio & sine fundamento disputatio, pio & sincero Lectori judicandum relinquo: an in propositione universali fastuosè locutus sim? & non potiùs justè & sincerè? sicut Christus Ioann. 8. vers. 46. à Iudæis ipsum calumniantibus exigebat, *quis ex vobis arguet me de peccato?* sic & pro defensione Corporis Christi, quæ est Ecclesia, & promissionis Christi Ecclesiæ factæ, exigo; ut probent Acatholici, in quo Ecclesiam accusant, an D. Anonymus gravi fastu agat, Lector judicet.

IV. Secundò, non posueram nudum universaliter petitur, sed multa particularia in octo articulis petieram, & postea brevitatis gratiâ, illud universale adjeceram.

V. Cæterùm, num tu juvenis sis, vel senex, me latet, nec ad me pertinet, si indoctus sis, cur munus Doctoris in te suscipis? sed quod juveniliter in his procedas, satis demonstras.

VI. Quod meo, *universaliter petitur, aliud universaliter petitur* opponere jactites; vel illo omisso, tria particularia *petitur*, opponas; contra omnes Scholæ leges agis; quomodo enim ad rem ipsam veniretur, si in istis, *petitur* hæreatur; vel cur à me probationem illorum articulorum exigis? cùm juxta promissa D. Vexilliferi cujus Provinciam suscepisti, tibi probandum erat: quod aliquis articulus fidei Ecclesiæ Romanæ contrariaretur Ecclesiæ antiquæ; vide an astu vel ex defectu probationis hoc facias? cum enim tibi accusanti incumbat probatio; tuum est per testimonia SS. Patrum probare illos tres articulos, quos jam obiter proponis, & primum de Traditionibus quod SS. Patribus contrarietur.

VII. Quia autem hoc non facis, id sufficeret ad hoc, quod probare non possis; nihilominus pro veritate fidei Catholicæ ego doctrinam Ecclesiæ Catholicæ à Concil. Trid. propositam, de Traditionibus in lib. de Verbo Dei non scripto proposui, & ex S. Scriptura & SS. Patrum clarissimis testimoniis probavi; prout etiam ad argumentum Anonymi primi libelli Cap. 1. obiter respondi, & illuc remisi; nihilominus hîc aliqua testimonia adjiciam, ut veritas pateat, & D. Anonymi animositas reprimatur.

Sciendum ergo primò, quod vox Traditio dupliciter in S. Scriptura usurpetur; semel pro omni verbo divinitus revelato, sive scripto, sive non scripto; sic Apostolus 2. Thessal. 2 vers. 14. dicit: *Tenete Traditiones, quas didicistis sive per Sermonem, sive per Epistolam nostram.* Secundò pro verbo Dei oretenus prolato, non à Canonico scriptore literis dato, sic loquitur Apostolus 1. Cor 11. v 23. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, &c.* ubi constat, quod illa nondum Corinthiis scripto tradiderat; usus autem Ecclesiæ obtinuit, ut illud verbum Dei vocetur *Traditio divina*, quod à Christo vel Apostolis prædicatum, sed à Canonico scriptore in libro non est notatum, sed à tempore Apostolorum continuo in Ecclesia per manus ad manum est traditum, ut Concil. Trid. sess. 4 supponit; licet postea aliqua ab aliis scripta sint, & hæ traditiones solæ pari pietatis affectu cum S. Scriptura sunt recipiendæ. VIII.

Sunt aliæ *Traditiones Ecclesiasticæ*; quæ post tempora Apostolorum ab Ecclesia vel summis Pontificibus quoad mores ordinatæ sunt, quæ quidem piæ & bonæ sunt, sed non ùt verbum Dei cum S Scriptura pari pietate habentur. IX.

Quòd autem hodie extent *Traditiones divinæ* à tempore Apostolorum ad nos delatæ, & à Spiritu Sancto dictatæ vel inspiratæ lib. de Verbo non scripto copiosè probatum est ex pluribus fidei articulis: quos Acatholici nobiscum contra antiquos hæreticos profitentur; qui tamen ex Verbo tradito potissimum habentur. X.

Vtpote quòd Euangelium Matthæi sit verè verbum Dei à Matthæo conscriptum, & non Euangelium Bartholomæi, quod adhuc circumfertur; & sic de aliis libris canonicis. XI.

Secundò, quoad speciales articulos, ut quòd sit *sancta & indivisa Trinitas Pater, Filius & Spiritus Sanctus, unius substantiæ, tres distinctæ personæ; quod Filius & Spiritus Sanctus sint Patri consubstantiales, &c.* Hos articulos Acatholici in confess. Genuensi art 6. profitentur dicentes, *quod in hoc antiquorum Conciliorum conclusionibus consentiant, & anathematizant sectas & hæreses ab Athanasio Hilario, &c. damnatas.*

Hi autem articuli ab Arianis & Macedonianis negabantur ex eo; quod dicerent, illos in S. Scriptura non exprimi, se autem nihil recipere, quod scriptum non esset in illa XII.

Etsi autem SS. Patres illos articulos ex S. Scriptura deduci probabant; firmiùs tamen id ex Verbo Dei per Apostolos oretenus tradito, & in Ecclesia conservato demonstrabant, prout Patres in Niceno Concilio fecisse testantur alii Patres, inter alios *Theodoretus* lib. 1. Eccles. hist. Cap. 8. &c. *Ariani* autem verbum traditum repudiantes suam hæresim ex verbis S. Scripturæ apparenter probabant, & loca ex illa à SS. Patribus allegata apparenter in suum falsum sensum explicabant, idque ex aliis S. Scripturæ locis; quid facient Acatholici qui verbum traditum cùm Arianis rejiciunt, & in conclusione cum SS. Patribus cohærent? XIII.

Digitized by Google

XIV. Rurſus certâ fide Acatholici cum Eccleſia Romana credunt ; quòd Spiritus Sanctus non à ſolo Patre, ſed à Patre & Filio procedat; quod SS. Patres ex S. Scriptura quidem probarunt, ſed maximè ex verbo Dei tradito; Græci autem negant; quos Acatholici ſuos Fratres eſſe volunt etſi illi nolint.

XV. Tertiò, certâ fide credendum eſt, quod *Parvuli ſint baptizandi , vel ſaltem illorum baptiſmus ſit licitus*, quod Acatholici cum Eccleſia Romana credunt contra Pelagianos & modernos Anabaptiſtas; & tamen ex verbo ſcripto id clarè probari non poteſt, prout fatetur Aug. lib. 10 de Geneſ. ad literam, Cap. 23. edit. Baſil. Anno 1528. dicens: *Conſuetudo Matris Eccleſiæ in baptizandis parvulis nequaquam ſpernenda eſt; neque ullo modo ſuperflua reputanda ; nec omnino credenda , niſi Apoſtolica eſſet* TRADITIO. hæc ille. Similia plurima referri poſſent, quæ lib. de Verbo Dei non ſcripto videri poſſunt.

XVI. Quod autem illas *Traditiones divinas* eâdem pietate , qua verbum Dei ſcriptum SS. Patres quatuor primorum ſæculorum agnoverint , ex ſupra dictis patet, ſed in ſpeciali per teſtimonia tam PP. Græcorum quam Latinorum oſtenſum eſt , ſufficiant hîc aliqua.

XVII. Ex Græcis *Irenæus* Iuſtini Martyris diſcipulus variis locis de his agit: ſpecialiter lib. 3. cap. 4. edit. Colon 1596. ubi ſic ait: *Tantæ oſtenſionis cùm ſint hæc , non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile eſt ab Eccleſia ſumere; cum Apoſtoli quaſi in depoſitorium dives* (reſpicit verba Pauli 1. Timot. 6. verſ. 20. *Depoſitum cuſtodi) pleniſſimè in eam contulerint omnia; quæ ſunt veritatis, ut omnis, quicunque velit, ſumat ex ea potum vitæ; Hæc eſt enim vitæ introitus , omnes autem reliqui fures ſunt & latrones, propter quod oportet devitare quidem illos , quæ autem ſunt Eccleſiæ , cum omni diligentia diligere & apprehendere veritatis* . TRADITIONEM , *quid enim? etſi quibus de aliqua modica quæſtione diſceptatio eſſet , nonne oporteret recurrere in antiquiſſimas Eccleſias , in quibus Apoſtoli converſati ſunt , & ab eis de præſenti quæſtione ſumere quod certum & reliquendum eſt, &c.* hæc ille, quare hæc, niſi præter verbum ſcriptum, etiam aliud non ſcriptum agnoſcendum ſit? alioquin ad ſolam ſcripturam Irenæus recurrendum dixiſſet.

XVIII. *Clemens Alexandrin.* circa Ann. 200. edit. Pariſ. 1572 lib. 5. Stromatum pag. 185. Colum. 1. ſic ait: *Quocirca alia quidem ſunt myſteria , quæ fuerunt abſconſa uſque ad Apoſtolos, &* TRADITA *ſunt ab ipſis , ut à Domino acceperunt, &c.* & infra Col. 2. ait: *Scio , quòd veniens ad vos, inquit Apoſtolus , veniam cum plenitudine benedictionis Chriſti,* &c. *ſpirituale donum &* TRADITIONEM, *quæ eſt ex cognitione , eis præſentibus, præſens cupit impertire. neque enim poterat per Epiſtolam ſignificare plenitudinem Chriſti vocans per revelationem Myſterii, &c.* hæc ille.

XIX. *Euſebius Cæſarienſis* contra Marcellum Ancyranum apud Iod. Coct tomo 1. theſ. Cathol. lib. 6. art ultimo edit. Colon. 1601. ſic ſcribit: *Eccleſia à finibus terræ uſque ad fines ex divinis ſcripturis teſtimonia ex non ſcripta Traditione confirmat, &c.* hæc ille. Vtique quoad verum ſcripturæ ſenſum quomodo hoc, niſi TRADITIO ejusdem authoritatis eſſet?

XX. *S. Athanaſius* in lib de Decretis Synodi Nicænæ contra Arianos edit. Pariſ. 1581. ſic ait: *Ecce nos demonſtravimus iſtiusmodi ſententiam à Patribus ad Patres quaſi per manus* TRADITAM *eſſe: vos autem novi Iudæi & diſcipuli Caiphæ, quos verborum veſtrorum Patres ac majores demonſtrabitis? &c.* hæc ille.

XXI. *S. Baſilius Magnus* lib. de Spiritu Sancto Cap. 27. edit. Antverp. 1568. ſic ait: *Dogmata, quæ in Eccleſia prædicantur , quædam habemus è Doctrina ſcripto prodita ; quædam rurſus ex Apoſtolorum* TRADITIONE *in myſterio, id eſt , in occulto tradita , recepimus; quorum utraque* (nota) *vim parem habeat ad pietatem ; nec his quisquam contradicit, &c.* & infrà: *Nam ſi conſuetudines , quæ ſcripto prodita non ſunt , tanquam haud multùm habentes momenti conemur rejicere ; imprudentes & ea damnabimus , quæ in Euangelio neceſſaria ad ſalutem habentur ; imò potius ipſam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus , &c.* hæc Baſilius. Ecce quam clarè profitetur & demonſtrat ; quod Traditiones non ſcripto ab Apoſtolis traditæ vim parem pietatis cum S. Scriptura habeant imò quod ſine ipſis authoritas Euangelii ceſſaret, quia per has certificamur, quodnam ſit verum Euangelium, & quis verus S. Scripturæ ſenſus.

XXII. Idem *Baſilius* edit. eâd. ibid. Cap. 29. ſic ſubjungit: *Arbitror Apoſtolicum eſſe , etiam non ſcriptis* TRADITIONIBUS *inhærere; laudo, inquit, vos , quòd omnia mea meminiſtis , & quemadmodum tradidi vobis* TRADITIONES *obtinetis, quas accepiſtis, ſive per Epiſtolam* , &c. ecce qualiter cum SS. Patribus aliis, verba Apoſtoli intellexerit.

XXIII. Idem edit. eâd. hom. 28. contra Sabellum, Arium & Anomæos ſic ait: *At, ne Spiritum Sanctum à Patre & Filio ſepares, absterreat te Dominica* TRADITIO, *Dominus ita docuit; Apoſtoli prædicârunt; Patres obſervarunt; Martyres confirmarunt; ſatis tibi ſit, ut dicas, quemadmodum edoctus es, &c.* hæc Baſilius. quid clarius pro Traditionibus, quod ſint verè Dei verbum, quo articuli fidei probantur?

XXIV. *Epiphanius* contra Apoſtolicos, hæreſi 61. edit. Baſil. 1560 *Oportet autem,* ait, *&* TRADITIONE *uti; Non enim omnia à divina ſcriptura poſſunt accipi. Quapropter aliqua in ſcripturis, aliqua in* TRADITIONE *SS. Apoſtoli tradiderunt, quemadmodum dicit Apoſtolus: Sicut tradidi vobis, &c.* & *alibi: Sic doceo, ſic tradidi in Eccleſiis, &c.* hæc ille.

XXV. *Chryſoſtomus* circa locum 2. Tim. 1 hom. 3. edit Baſil. 1558. ſic dicit: *Formam habe ſanorum verborum quæ à me audiſti, &c.* ſic ait: *non modo per literas, ſed etiam verbis diſcipulo, quæ eſſent agenda, dictavit; quod plurimis & aliis locis oſtendit, dicens; ſive per verbum, ſive per Epiſtolam, quaſi per nos miſſam, hoc & hic multo magis fecit: Ne igitur minus aliquid doctrinam habere putemus, plurima illi absque ſcripto tradidit, quæ illi modo ad memoriam revocans dicit: Formam habe ſanorum verborum, &c.* & infrà: *Hæc igitur habeto firmiter, & ſive de fide, ſive de Charitate, ſive de Caſtitate opus ſit aliquid loqui ac definire , inde tibi exemplaria accipe, &c.* hæc Chryſoſt, quid pro Verbo Dei non ſcripto clarius?

XXV. Ex Latinis. *Tertullianus* edit. Basil. 1562. lib. de Corona Militis Cap. 3. sic ait: *Hanc (Observationem) si nulla scriptura determinavit, certè consuetudo roboravit, quæ sine dubio de* TRADITIONE *manavit, quæ sine dubio de traditione manavit. Quomodo enim usurpari quid potest, si traditum prius non est? Etiam in traditionis obtentu exigenda est, inquis, authoritas scripta.* (ecce vocem Acatholicorum modernorum) *Ergo quæramus an & TRADITIO non scripta non debeat recipi? Planè negabimus recipiendam, si nulla exempla præjudicent aliarum observationum quæ sine ullius scripturæ instrumento* SOLIUS TRADITIONIS *titulo, exinde consuetudinis patrocinio vindicamus,* &c. hæc Tertull.

XXVI. *Cyprianus* epist. 63. ad Cæcilium de Sacramento Dominici Calicis edit. Basil. 1531. *Admonitos, ait, nos scias, ut in Calice offerendo* DOMINICA TRADITIO *servetur; neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecerit; ut calix, qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur, &c.* hæc ille. Hoc in scriptura non habetur.

XXVII. *Ambrosius* epist. 83. lib. 10. edit. Parif. 1569. Episcopos per Æmiliam de celebritate paschali instruens, *Non mediocris, ait, esse sapientiæ diem celebritatis definire paschalis; & scriptura divina nos instruit, &* TRADITIO *majorum: qui convenientes ad Synodum Nicenam inter illa fidei ut vera ita admiranda decreta, etiam super celebritate memorata, congregatis peritissimis,* &c. *colligere rationem, &c.* hæc ille. Nec hoc in sacra scriptura expressum erat.

XXVIII. *Hieronymus* edit. Basil 1553 tomo 2. dialogo adversus Luciferianos circa medium, introducit hæreticum sic contra Orthodoxos loquentem: *Multa quæ per traditionem in Ecclesiis observantur authoritatem sibi scriptæ legis usurparunt: respondit Orthodoxus; non quidem abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, sed* &c *quale est, ut leges Ecclesiæ ad hæresim transferas:* hæc ille.

XXIX. *Ruffinus* lib. 2. Eccles. hist. Cap. 9. edit. Parif. 1580 sic ait: *Basilius & Nazianzenus solis divinæ scripturæ voluminibus operam dabant, earumque intelligentiam, non ex propria præsumptione,* (ut Acatholici ex privato spiritu) *sed ex majorum scriptis & authoritate sequebantur, quos & ipsos ex Apostolicâ successione, intelligendi regulam suscepisse constabat, &c.* hæc ille. Quid autem adeò necessarium ad fidem, quam vera scripturæ intelligentia, quæ ex traditione habetur?

Demum *Augustinus* varia fidei dogmata contra hæreticos ex Traditione probat, quod proprium est solius verbi Dei, plurima loca adduximus alibi hic sufficiant aliqua.

XXX. Lib. 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 7 edit. Basil. 1528. volens ostendere illos, qui ab hæreticis baptizati sunt, non esse rebaptizandos sic ait: *Quam consuetudinem credo ex Apostolica* TRADITIONE *venientem, sicut multa non inveniuntur in literis eorum* (Apostolorum) *neque in Conciliis posterorum: & tamen quia custodiuntur per universam Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita & commendata creduntur.* hæc ibi.

XXXI. Iterum lib. 5. de Baptismo Cap. 23. edit. eâd. sic ait: *Sunt multa, quæ universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quanquam scripta non reperiantur.*

Idem lib. de Fide & Oper cap 9. edit eâdem sic inquit, *Scriptura, in eo, quod ait, baptizavit eum Philippus, intelligi voluit impleta omnia, quæ licet taceantur in scriptura gratia brevitatis, tamen serie* TRADITIONIS *scimus implenda, &c.* hæc ibi.

Similiter lib. 4 contra Cresconium Cap. 6. sic ait: *Illa consuetudo, quam & tunc homines sursum versus suspirantes non videbant à posterioribus institutam rectè ab Apostolis* TRADITA *creditur, &c.* hæc August. XXXII.

Ex his tam claris SS. Patrum testimoniis manifestum est, quod ipsi crediderint & docuerint juxta S. Scripturam, dari Traditiones Apostolicas, quæ scilicet ab Apostolis prædicatæ fuerunt, & Ecclesiæ commendatæ, licèt in illorum scriptis non exprimantur, quæ verè sint verbum Dei, & ex quibus fides Catholica probetur.

Itaque ad 1 D. Anonymi *Particulare quæritur.*

Respondeo ex prædictis constat consensus Ecclesiæ Catholicæ modernæ, cum primis quatuor sæculorum SS. Patribus; *quòd pari pietate Traditiones Apostolicæ cum S. Scriptura sint recipiendæ & venerandæ*, prout in terminis expressit S. Basilius supra, & in re omnes alii, & Concilium Trident. docet. XXXIII

ARTICULUS V.

Ostenditur quòd Acatholici quoad articulum de Traditionibus à primitiva Ecclesia defecerint, & antiquis hæreticos sequantur.

Constat ex SS. Patrum testimoniis, quòd antiqui hæretici traditiones rejecerint, nec ullum verbum Dei acceptare voluerint nisi in scriptura expressum esset. I.

Sic *Marcionistæ & Valentiniani*, circa Ann. 140. Traditiones Ecclesiæ non scriptas rejiciebant; ut refert *Irenæus* lib 3. Cap 2.

Ariani similiter *negabant Traditiones*; sic *Maximinus, Arianus*, dicebat. *si quid de divinis scripturis protuleris, quod commune est cum omnibus, necesse est, ut audiamus. Eæ verò voces, quæ extra scripturam sunt, nullo casu à nobis suscipiuntur, præterea cum ipse Dominus moneat nos, & dicat, sine causa colunt me docentes mandata & præcepta hominum*, ita ad literam refert D. August. lib. 1. contra Maximinum sic loquentem in principio, &c nonne hæc est ipsissima vox Acatholicorum? II.

Constantius Imperator Arianus, in falso Concilio Seleuciæ ab ipso coacto, mandabat; ne Episcopi præter scripturas divinas fidei Ecclesiæ quicquam adderent; unde Synodus semi-Ariana sic statuerat: *Rejicimus vocem, consubstantialem, velut alienam à divina scriptura, &c.* ita refert. *Epiphan.* hæresi 73. III.

Macedoniani & Eunomiani, ut refert *Basilius* lib. de Spiritu S. Cap. 25 *Nihil volentes deferre multitudini & antiquitati, Christianorum, negabant; Spiritum Sanctum cum Patre & Filio esse glorificandam, quod illud scriptura nusquam expressè dicat*, &c. IV.

Pelagiani teste *Augustino* lib de Nat & Grat. c. 39. dicebant, *credamus quod legimus, & quod non legimus nefas credamus astruere*, &c. V.

Nestoriani negantes *unam in Christo personam* VI.

 nulla-

nullatenus B. Virginem Mariam volebant appellandam esse Deiparam; eò quòd nusquam in S. Scriptura diceretur. Ita refertur in actis Concilii Ephesini.

VII. *Eutyches in Christo duas negans naturas, dicebat: In qua scriptura jacent duænaturæ? cui opponebat Mamas presbyter. Et qua scriptura dicit Omousion? quando tamen Eutychiani admittebant.* Ita in actis Concilii Calcedonensis.

VIII. Quid ad hæc dicis D. Anonyme? Ecce jactitas te plurima habere; in quibus Ecclesia moderna Romana à Doctrina primitivæ defecisset; & tamen te contentum fore dicebas; si in tribus articulis maximi momenti consensum nostrum cum primis quatuor seculis ostenderem; inter quas primum posuisti hunc, quòd *traditiones pari pietatis affectu cum S. Scriptura sint recipiendæ.* Hunc articulum jam abunde ostendi à SS. Patribus doctum esse.

IX. Sed agnosce tuos majores; qui vobiscum contrarium illius articuli contra antiqua Concilia & SS Patres docuerunt; quos tamen vos ob alias hæreses verè hæreticos damnatis; ubi jam gloriatio tua? mirum, si non erubescas; resipisce, jam 2. articulum videamus.

ARTICULUS VI.

Refertur secundum Argumentum authoris secundi libelli de Communione sub utraque specie & refutatur.

I. SEcundò D. Anonymus refert verba Concilii Trid. sess. 21. Cap. 1. ubi sic dicitur: *Itaque S. Synodus, &c. docet nullo divino præcepto laicos & Clericos non conficientes obligari ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie sumendum, neque ullo pacto, salva fide, dubitari posse, quin illis alterius speciei communio ad salutem sufficiat, nam* (NB. *blasphemiam*) *etsi Christus Dominus in ultima cœna venerabile hoc Sacramentum in panis & vini speciebus instituit, & Apostolis tradidit, tamen, &c.* hæc Anonymus.

II. Hanc Concilii doctrinam jubet D. Anonymus, ut ostendam SS. Patrum Doctrinæ esse consentientem.

Respondeo primò, quod D. Anonymus gravissimam Calumniam Concilio inferat, arguendo verba illius blasphemiæ, quam in hoc fortè ponit quasi Concilium dixisset, quod, licet Christus sub utraque specie hoc Sacramentum instituisset & Apostolis tradidisset, sicque etiam præcepisset ab omnibus fidelibus accipiendum, tamen Ecclesia non obstante Christi præcepto vellet, ut laici sub una specie susciperent, quod insinuat anonymus ponendo ly *tamen* quasi Concilium contrarium ordinaret; sed ipse falsò hoc Concilio affingit nam si integra verba Concilii adduxisset quilibet veritatem videret, sic enim Concilium subjungit: *Non tamen illa institutio & traditio eò tendunt, ut omnes Christi fideles Domini ad utramque speciem accipiendam astringantur, &c.* hæc Concilium ex quibus patet, quod nullatenus intendat contra Christi præceptum ordinare sed declarat, quod Christus instituens & tradens Apostolis Sacramentum sub utraque specie non intenderit præcipere, ut omnes Christi fideles sub utraque illud percipiant, ubi est hic blasphemia? si Concilium probavit, & certissimè probat, quod Christus tale præceptum non dederit, an ergo docet contra præceptum Christi agendum? quod tamen Acatholici faciunt, ut infra patebit.

Respondeo secundò, quoad istum articulum, copiosè in libro de V. Sacramento Eucharistiæ Cap. 7. responsum est, ubi tam ex S. Scriptura, quam ex sententia & praxi antiquæ Ecclesiæ ostendi; quod Christus non præceperit laicis communionem V. Sacramenti Eucharistiæ sub utraque specie. III.

Hic summatim aliqua repetam.

Probatur itaque 1. generaliter ex S. Scriptura Rom 4. vers. 15. *Ubi enim non est lex, nec prævaricatio*; atqui Christus nullam legem tulit pro laicis, ut sub utraque specie communicarent, proinde necesse prævaricatio si id non faciant, hoc sufficeret, donec Acatholici talem legem latam probent, quod hactenus non fecerunt, nec possunt; licet aliqua allegent, sed falsò ut patet. IV.

Nam primò sic arguunt: *Christus instituit Sacramentum sub utraque specie pro omnibus fidelibus, & tradidit Apostolis*, ergo etiam præcepit ut ab omnibus & semper sub utraque sumatur. V.

Respondetur negando consequentiam quia institutio non includit intrinsecè præceptum, ùt patet; nam Deus pro omnibus hominibus instituit Matrimonium imò dixit; *Crescite & multiplicamini*. non tamen inde sequitur, quod Deus omnibus hominibus præceperit inire matrimonium, licet aliqui ad id sint potentes, ut patet ex verbis Christi Matt. 19 v. 10. dum dicerent Apostoli, *si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere, qui dixit illis, non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est, &c.* ubi patet: quod illiad minus quibus donum continentiæ datum est, non adstringantur ad matrimonium, plura vide Lib. de Eucharistia. VI.

Secundò *Hussitæ* olim sic arguebant: Christus dixit Ioann. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam in vobis* ergo omnes sub utraque specie communicare debent. VII.

Respond. 1. hoc argumento Acatholici moderni uti non possunt, quia negant Christum Ioann 6 locutum esse de communione sacramentali Corporis & sanguinis Domini. VIII.

Respond. 2 negando consequentiam: cum Concil. Trid sup. dicit: *non enim ex illo Domini sermone colligitur præceptum sub utraque; utcunque juxta varias SS. Patrum & Doctorum interpretationes intelligatur; nam, qui dixit,* nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis, &c *dixit quoque:* Qui *manducaverit ex hoc pane vivet in æternum.* Et qui dixit *qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem habet vitam æternam*, dixit etiam: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, & denique qui dixit, *qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem in me manet & ego in illo*, dixit etiam, *qui manducat hunc panem vivet in æternum, &c.* Ex quibus patet: quòd licet ibi intelligerentur verba Christi de sacramentali communione sub specie panis & vini, non possit inferri, quod sanguis sub specie vini sit sub præcepto sumendus; IX.

quia

Digitized by Google

quia Christus dicit etiam de sola specie panis, *qui manducat hunc panem, & caro mea est pro mundi vita*, itaque etiam, qui sub sola panis specie manducat, habet vitam; præsertim, cùm Christus totum sermonem concludat dicens, *qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, & ad hæc evidens est, quod etiam sub specie panis sumatur sanguis Christi, & sic etiam dici possit, bibi; juxta phrasin S. Scripturæ.

X. 3. *Calvinus* lib. 4. Inst. cap. 17. §. 47. sic intonat: *Edictum æterni Regis est, ut omnes bibant*, §. 48. *Præcipientis verba sunt, bibite ex hoc calice omnes.*

XI. Respondetur negando: quòd Christus illis vel aliis verbis præceperit omnibus fidelibus, ut biberent ex calice, ut patet ex Euangelio, nam in S. cœna soli aderant Apostoli, Matth. 26. v. 20. *Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis*, adeóque 72. discipuli præter mulieres aberant, & Apostolis dicebat Christus, *bibite ex hoc omnes*, quòd autem per vocem *omnes* Christus non intellexerit, omnes fideles suos, quos habebat, patet ex Marco cap. 14. v. 24. ubi dicitur, *& accepto calice, gratias agens dedit eis, & biberunt ex eo omnes*, ubi evidens est, quòd per ly *omnes* intelligantur soli Apostoli, alioquin, quòd absit, Marcus mentitus esset; & quidem verbum Domini, *bibite ex eo omnes*, non erat præcipientis sed invitantis; non enim de pane dixit, *comedite ex hoc omnes*: quia singulis partem dabat, sed quia unus erat calix monebat, ut singuli ex eo aliquid biberent.

XII. Respond. 3. certum est: quòd Christus per ly *omnes*, non intellexerit omnes homines, pro quibus sanguis fusus est, alioquin etiam infidelibus calix dandus esset; quia etiam pro illis sanguis fusus est; nec etiam omnes fideles, utpote infantes, nec omnes fideles adultos, ut patet de abstemiis; quibus nec ipsi Acatholici calicem propinant, ut patet ex disciplina ecclesiastica Reformatorum Galliæ, ubi cap. 22. art. 7. sic statuitur: *Panis cœnæ administrandus est, non bibentibus vinum, præmissâ protestatione, quod non fiat ex contemptu, &c.* hæc ibi. Nunquid hæc est blasphemia in doctrina illorum? cùm Acatholici velint; quòd Christus præceperit omnibus calicem, & tamen illi Domini concedunt, ut aliqui calicem non sumant, si absque contemptu fiat; nónne contradictio est? quomodo absque contemptu potest quis prævaricari præceptum; si sciens, præcepto faciat contrarium? quantò ergo verius Catholici absque contemptu abstinent à calice credentes illum laicis non esse præceptum, *&c.* plura alia lib. de V. Eucharistia videantur, hîc sufficit, quòd Acatholici non possint ostendere præceptum de utraque specie laicis datum.

XIII. Quòd autem nullum sit præceptum à Christo laicis datum probatur 2. in speciali ex verbis Christi apud Paulum 1. Cor. 11. v. 25. ubi Christus non dicit absolutè de calice, sicut de pane, sed sub conditione, *hoc facite, quotiescunque biberitis*, &c.

Item ibid. v. 27. dicit Apostolus: *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, &c.* ubi patet, quòd Apostolus declaret non esse præceptum de utraque specie simul sumenda, cùm vocem, *vel*, disjunctivam quoad species ponat, & tamen postea infert copulativè, *reus erit corporis & sanguinis Domini*, indicans; quòd is, qui etiam sub una specie indignè communicat, corpus & sanguinem Domini accipiat.

Probatur 3. ab exemplo Christi in *Emaus* Luc. 24. v. 30. ubi dicitur: *Accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis, & aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum, & ipse evanuit ex oculis eorum, &c.* & ibid. v. 35. *& quomodo cognoverunt eum in fractione panis.* Hoc loco Christum duobus discipulis S. Eucharistiæ Sacramentum dedisse docent, & supponunt plures sancti Patres. XIV.

Chrysostomus hom. 16. imperfecti operis in Matth. XV.

Hieronymus in Epitaphio Paulæ ad Eustochium.

Augustinus epist 59. ad Paulinum.

Isychius lib. 2. in Levit. cap. 9.

Theophylactus in Cap. 24. Luc. quorum verba lib. de Eucharistia relata sunt; similiter plures alii SS. Patres, imò & plures ex Acatholicis sic intellexerunt, ut *Melanchton, &c.* sed opponunt aliqui, quòd aliqui Patres non ita illum locum intellexerunt; verùm hoc nihil obstat, sufficit enim nobis, quòd plures tam celebres Patres illum locum de S. Eucharistia intellexerint, adeóque supposuerint: quòd Christus sub una specie illam dederit, sicque hoc facto indicavit, quòd non sit præceptum de calice. XVI.

Probatur 4. ab exemplis Apostolorum & Fidelium ex S. Scriptura Act. 2. v. 42. *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis, &c.* & Act. 20. v. 7. dicitur: *Una autem Sabbathi, cùm venissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat*, &c. XVII.

His locis Lucam per fractionem panis intellexisse communionem Sacramenti Eucharistiæ non solùm SS. Patres supponunt, sed etiam *Lutherus* in serm. de Ecclesia & *Calvin.* lib. 4. Inst. cap. 17. §. 35. concedunt, unde sic infertur: hîc de sola panis communione dicitur, ergo non fuit ibi communio calicis; quod plurimum valet in sententia Acatholicorum; qui dicunt sub anathemate neminem posse verbis Scripturæ aliquid addere. Plura quoad hæc videantur lib. de Eucharistia, ubi etiam ostensum est, quòd discipuli plurimi ex Judæis conversi abstinebant à vino, & tamen communicabant. XVIII.

Quintò Communio Eucharistiæ sub una specie probatur ex certissima praxi primitivæ Ecclesiæ; ubi constat, quòd calix Domini solùm in Ecclesia populo administrabatur, ùt patet ex S. *Athanasio* apologia 2. contra Arianos *Cyrill. Hierosol.* catech 5. mystagog. circa finem. *Cypriano de lapsis, &c.* & aliis, sed Sacramentum corporis Domini fideles sæpius secum domum deferebant, ubi subinde communicabant; quòd SS. Patres non permisissent, si laicis non liceret sub unica specie communicare. XIX.

Quòd autem V. Sacramentum sub specie panis extra Ecclesiam à fidelibus deportatum, & domi asservatum sumptúmque fuerit, patet ex plurimis SS. Patrum testimoniis, *Cypriani* l. de Lapsis serm. 5. *Tertulliani* lib. 2. ad Uxorem. *Origenis* hom. 13. in Exodum, *Dionysii Alexandrini* epist. ad Fabium Antiochenum. *Ambrosii* orat. funebri de Excessu Fratris sui Satyri, *&c.* XX.

Augustini lib. 50. homiliar. hom. 26. *&c.* quorum verba copiosè relata sunt lib. de S. Eucharistia.

XXI. Et quidem hæc praxis evidens est ex eo, quod Eremitæ S. Eucharistiam ex Ecclesia secum ad Eremum deportabant, & sæpius ibi illam sumebant, ut patet ex *Basilio Magno* in epistola ad Cæsarem Patricium apud Jod. Coccium ed. Colon. 1601. tomo 2. lib. 6. art. 3. ubi sic ait: *Illud autem in persecutionis necessitate cogi quempiam non præsente Sacerdote aut ministro communionem propriâ manu sumere, nequaquam esse grave, supervacaneum est demonstrare; propterea, quod longâ consuetudine hoc ipso rerum usu confirmatum est; omnes enim in Eremus solitariam vitam agentes, ubi non est Sacerdos, communionem domi servantes à se ipso communicant. In Alexandria verò & in Aegypto unusquisque eorum, qui sunt de populo ut plurimum habet communionem in domo sua, semel enim Sacrificium Sacerdote consecrante & distribuente meritò participare & suscipere credere oportet; Etenim & in Ecclesia Sacerdos dat partem, & accipit eam, qui suscipit cum omni libertate & ipsam admovet ori propriâ manu, idem igitur est virtute, sive unam partem accipiat quisquam à Sacerdote, sive plures partes simul*, &c. hæc Basilius.

XXII. Ex hoc tam insignis S. Patris testimonio unicè sufficienter constaret usus primitivæ Ecclesiæ; quòd laici S. Eucharistiam sub sola specie panis in pluribus particulis secum domum deportârint, ibique per diversa tempora illam sumpserint absque calice seu sanguine Domini sub specie vini, cùm ut dictum est, calix solùm in Ecclesia propinabatur, ibique adservabatur.

XXIII. 6. Quòd etiam S. Eucharistia sub sola panis specie absque calice fideles in ipsa Ecclesia, si ita vellent, susciperent, etiam ex SS. Patrum testimoniis clarum est.

Hoc enim in Ecclesia Græca consuetum fuisse patet in exemplo, quod contigit S. *Ioanni Chrysostomo Patriarchæ Constantinopolitano*, prout gravissimi Authores testantur, utpote *Sozomenus* lib. 8. histor. cap. 9. & Nicephorus lib. 13. cap. 7. cujus verba lib. de sacra Eucharistia relata sunt, de quadam muliere Macedonianâ hæresi infecta, quæ ad instantiam mariti sui simulans se Catholicam in Ecclesia de manu S. Chrysostomi S. communionem sub specie panis acceperat, eamque ancillæ occultè tradens, communem panem ab illa acceptum ori imponebat, qui in lapidis naturam induratus est, *&c.* quod si ibi calicem per manum Diaconi (uti tunc moris erat) propinatum bibere debuisset, utique fraudem illam committere non potuisset.

XXIV. Eundem morem in Ecclesia Latina fuisse, patet ex *Leone I.* qui Concilium generale Chalcedonente confirmavit. Hic ad detegendos Manichæos, qui se Catholicos simulantes, cum illis in Ecclesia S. Eucharistiam suscipiebant, sed semper à calice abstinebant ex falsa opinione, prout testatur D. Augustinus lib. de hæres. cap. 46. de illis dicens: *Nam & vinum non bibunt, dicentes fel esse principum tenebrarum*, &c. quod Manichæi facere non potuissent, si omnes S. Eucharistiam sub utraque specie semper in Ecclesia suscipere debuissent. Cùm autem S. Leo de hac fraude certior factus esset, mandavit ut omnes communicantes semper sub utraque specie S. Eucharistiam sumerent. Quod opus non fuisset, si aliàs non licuisset sub unica specie communicare. Verba S. Leonis ex serm. 4. de Quadragesima lib. de Eucharistia relata sunt, ubi etiam ostenditur, qualiter S. Leo dixerit de Manichæis: *Qui ore indigno corpus Domini accipiunt, sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant, &c.* utique ore indigno, cùm non crederent catholicè de sanguine Domini sub specie vini, & ex tali hæresi omnino seu semper à calice abstinebant.

Ob hanc rationem etiam *Gelasius* Leonis successor mandavit; ut omnes fideles sub utraque specie communicarent, prout ibidem ostensum est, ex quibus evidens est, quod tunc temporis & antea moris & liberum fuerit, ut fideles vel sub una, vel sub utraque in Ecclesia communicarent, adeòque creditum fuerit; nullum esse præceptum Christi de utraque simul sumenda, sed id liberum reliquerit, & in dispositione Ecclesiæ, ut pro tempore vel ratione desuper ordinaret; sicut etiam liberum reliquit, quòd Fideles vel post cœnam, vel jejuni S. Eucharistiam sumerent, cùm tamen ipse post cœnam instituerit, & Apostolis tradiderit. Nec ex S. scriptura certò constat, quòd fideles jejuni illam sumpserint, sed potiùs post cœnam, ùt patet 1. Cor. 11. & tamen Ecclesia postea servavit, ut à jejunis sumeretur, ut testatur D. Augustinus epist. 118. cujus verba lib. de Euchar. art 8. relata sunt, ubi ex usu hoc Ecclesiæ probat, quod licèt Christus post cœnam tradiderit, tamen id non præceperit, sed Apostolis reliquerit Spiritus Sanctus, per quos dispositurus erat, qualiter postea servaretur, quod & Acatholici servant; sed contra suam doctrinam; quâ volunt nihil aliter esse servandum, quam quod Christus fecit: Ecclesia autem Catholica docet, quòd illa, quæ Christus præcepit, sint servanda, & etiam, quòd illa, quæ spectant ad substantiam Sacramentorum Ecclesia mutare non possit; quoad alia verò, quæ non sunt præcepta à Christo, nec substantialia, Christus Ecclesiæ reliquerit, ut pro tempore & loco aliter & aliter ordinare possit: sicque tempore Leonis & Gelasii ordinavit, ut fideles sub utraque communicarent; at verò postea ob alias causas, ut Catholici ab hæreticis distinguerentur, Concilia communionem sub una specie laicis præceperunt: præsertim quia sub una specie corpus & Sanguinem Domini percipiunt, & gratiam Sacramenti consequuntur. XXV.

Videat jam D. Anonymus consensum doctrinæ Concilii Trid. quoad communionem sub una specie cum primitiva Ecclesia; cùm ex factis tam Christi & Apostolorum, quàm & totius Ecclesiæ antiquæ constet; quòd S. communio sub unica specie à fidelibus facta sit; ex quibus evidens est, quòd Christus communionem sub utraque fidelibus non præceperit, licèt sub utraque instituerit, ubi jam blasphemia, quam D. Anonymus Concilio calumniosè imponebat? XXVI.

Vos autem, ô Acatholici, juxta vestram doctrinam blasphemè agitis, dum vultis Christum S. Eucharistiam sub utraque specie ab omnibus fidelibus sumendam præcepisse; & tamen ordinatis, quod abstemiis panis cœnæ sine sumptione calicis administrandus sit; prout habet disci- XXVII.

Digitized by Google

disciplina Gallica suprà allegata: imò vester ille Molinæus, de quo D. Anonymus tantopere gloriatur lib. 7. Controv. 12. p. 972. sic scribit: *Quoad terras, in quibus vinum non est, præstat sequi exemplum Ecclesiarum Æthiopiæ, quæ utuntur alio liquore ibi usitato, sicut in terris, ubi panis non est, non dubitamus; quin & liceat uti, quod locum panis tenet, &c.* hæc ille Euangelicus contra expressum Euangelii textum, quod expressè de pane & vino à Christo sumpto loquitur.

XXVIII. Ubinam in S. scriptura legitur, quòd loco panis & vini alia materia in Sacramento usurpata fuerit? vel ubinam in primitiva vera Ecclesia talis usus fuisse ostenditur? cùm contrarium nimis clarè ex SS. Patribus constet, quod autem ad Æthiopiæ Ecclesias modernas Nestorianâ & Eutychianâ, fœdissimis hæresibus infectas, Molinæus sese referat, quid turpius? quid insolentius est?

Ecce quàm longè à S. scriptura & SS. Patrum doctrina & primitivæ Ecclesiæ usu Acatholici deficientes apud hæreticos patrocinium sumere non erubescunt in hoc articulo de S. communione, an jam adhuc de secundo articulo D. Anonyme, insultas?

ARTICULUS VII.

Refertur argumentum tertium Anonymi secundi libelli de Sacrificio Missæ propitiatorio, & refutatur.

I. DOminus Anonymus volens ostendere in particularibus articulis; quod Ecclesia moderna à primitiva defecisset, tertium articulum ex Concil. Trid. proponit dicens: *Si quis dixerit Missæ Sacrificium tantum esse laudis & gratiarum actionis; aut nudam commemorationem Sacrificii in cruce peracti: non autem propitiatorium vel soli prodesse sumenti: neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit. Concil. Trid. sess. 22. de Sacrificio Missæ can. 3.* hæc Anonymus, volens: ut quoad hunc articulum ostendam consensum cum quatuor primis seculis &c. ipsius autem erat probare contrarium, quod non fecit.

II. Respondeo tamen, quod de hoc articulo copiosè actum sit lib. de Sacrif. Missæ per totum, & specialiter art. 5. ubi videri possunt. Hîc autem pro benevoli lectoris commoditate summatim repetam aliqua.

III. Quod Ecclesia primitiva crediderit & docuerit Sacrificium Missæ novi Testamenti in Ecclesia esse propitiatorium, & quotidie offerri pro illis, à Concilio specificatis, constat ex SS. Patrum testimoniis ibidem relatis, ut *Justini Martyris* in dialogo cum Triphone. *Cypriani* sermone de Cœna Domini. *Origenis* homil. 13. in Levit. S. *Cyrilli* Catechesi 5. *Chrysostomi* lib. 6. de Sacerdotio & hom. 79. ad Pop. Antiochen. qui homil. 72. in Matt. dicit: *Hoc Sacrificium offertur pro infirmis, pro sanis, pro terræ fructibus.* Et hom. 21. in Acta addit: *Etiam pro mortuis. Hieronymi* Comment. in epist. ad Titum, ubi dicit, *quid de Episcopo sentiendum est, qui quotidie pro suis populique peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas,* &c.

Augustinus variis locis eadem supponit, & testatur; & quidem, quod pro defunctis offerri consuetum fuerit, patet apud ipsum lib. 9. confess. cap. 13. dum omnes, qui illa legerint, rogat, ut meminerint ad Altare Matris suæ Monicæ defunctæ. Et lib. de Hæres. cap. 53. ubi inter errores, quos Aërius Arianæ hæresi addiderat, refert hunc, quod dixerit, *non oportere offerre pro mortuis oblationem, &c.* idem testatur *Epiphan.* hæres. 55. suprà relatus. IV.

Iterum Augustinus lib. 22. de Civit. Dei c. 8. refert; quod ab uno ex suis Presbyteris oblatum sit Sacrificium Eucharistiæ pro domo cujusdam amici sui, à dæmonum infestatione liberanda. Ecce D. Anonyme consensum doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ quoad sacrificium propitiatorium, cum Ecclesia primorum quatuor seculorum; cujus tu contrarium ex officio probare debebas. V.

ARTICULUS VIII.

Referuntur varia & arrogantia D. Anonymi verba, & refutantur.

POstquam D. Anonymus tres illos articulos ex Conc. Trid. sumptos proposuisset dicens; illos esse maximi momenti, & urgens ut consensum cum primis seculis quoad illos ostendam; illis articulis sic nudè sine contraria ulla probatione positis, sic insultat, dicens: *Hic Rhodus, hic saltus, D. Bernardine: tu universaliter magno hiatu & superbia; ego particulariter, parvo conamine peto, ut in hisce consensum vestrum cum Patribus quatuor primorum seculorum ostendas ex singulis seculis successivè & ex talibus Patrum scriptis, editionibus, quæ non suspectæ fidei, &c. sic tamen, ut non proferas locutiones amphibologicas, aut hyperbolicas, sed tales, quæ ex professo veritatem rei determinent, quod si feceris, non dextram, collum amputandum porrigo; sed sanctè coram Deo, quid gravius promitto, quod tamen non exprimo, ne juvenilis temeritatis notam incurram,* hæc Anonymus. I.

Respondeo: Etsi verbotenus temeritatis juvenilis notam te incurrere nolle dicas; res tamen ipsa & actiones tuæ illam tibi inesse demonstrant, dicis: *Hic Rhodus, hic saltus,* quasi nulla evadendi sit via; quasi luce meridianâ clariùs esset, quod in his tribus articulis positis nullus prorsus antiquitatis consensus esset: dicis me *magno hiatu & superbiâ universaliter petiisse*, an sic egerim, sinceri lectores judicabunt, & *quo conamine tu particulariter petieris?* ego hoc proposui universaliter, quòd *vera Christi Ecclesia ut sponsa, juxta S. Scripturam convenit;* tu quidem illos tres articulos ex Concil. Trid. produxisti, quasi ex SS. Patrum doctrina nullatenus probari possent, idque verè parvo conamine; quia nullum argumentum addis, tuum tamen erat, ex sanctorum Patrum doctrina positivè ostendere falsitatem illorum trium articulorum, vel saltèm contrarium à sanctis Patribus doctum esse; hoc non fecisti, quia facere non poteras, tu causam & partem D. Vexilliferi susceperas, qui graviter promiserat se ex SS. Patribus ostensurum; quòd articuli Ecclesiæ Romanæ contrarii essent SS. Patribus, vel ab Ecclesia primitiva damnati, & II.

ecce

Digitized by Google

ecce nudis verbis S. Concilii Trid. relatis triumphabundè exclamas, & inſultas: *Hic Rhodus, hic ſaltus,&c.* ſed hoc ſatis non eſt; oportebat poſitivè probare illorum articulorum à primitiva Eccleſia diſſenſum; præſcripſiſti mihi leges & modum, qualiter ex SS. Patribus illos tres articulos probare deberem, quod tibi aſſerenti incumbebat.

III. Ecce tamen veritatis amore pro Eccleſiæ Catholicæ honore, piorum bono & tuâ confuſione, ſi non reſipiſcas, utinam autem pro tua converſione, oſtendi conſenſum noſtræ Eccleſiæ in hisce articulis cum SS. Patribus primorum ſeculorum, & ex editionibus Baſileenſibus & aliis, quas juſtè calumniari non poteris, protuli teſtimonia clara & manifeſta, quæ ex profeſſo veritatem determinant, *inſpice, conſidera & pondera*; & ſi ſanam mentē ex pertinacia nō planè abjeceris, videbis veritatem doctrinæ modernæ Eccleſiæ Romanæ cum Eccleſia primitiva agnitam, & à SS. PP. doctam eſſe; at verò tuam tuorúmque doctrinam Eccleſiæ Rom. contrariam à SS. Patribus & Eccleſia antiqua etiam poſitivè damnatam fuiſſe, vide vel iſtos 4. articulos *de Sacrificio propitiatorio & oratione pro defunctis; Invocatione SS. & veneratione Reliquiarum SS Martyrum*, in quibus Eccleſiæ Rom. contradicitis *veſtros cum Aerio, Ioviniano & Vigilantio poſitivè ab Eccleſia primitiva hæreſeos damnatos eſſe*; teſtes ſunt omni exceptione majores *Epiphanius, Hieron. & Auguſt.* Locutiones ipſorum non ſunt amphibologicæ, nec hyperbolicæ, ſed clariſſimæ, quæ veritatem rei ex profeſſo determinant. *Vis aliquid clariùs?* vel ex profeſſo verba magis veritatem determinantia; quàm quòd Patres tuam tuorúmque doctrinam hæreſeos damnatam eſſe teſtentur & pronuncient?

IV. Jam quæſo, D. Anonyme, conſidera verba tua & pondera promiſſa tua; quæ addis, dicens: *Quod ſi feceris* (ſcilicet, ſi illos tres articulos Concilii Trid. ut exigebas ex SS. PP. oſtendam) *non dextrā ſed collum amputandum, porrigo, &c.* nunquid hæc tua verba? hæc tua & quidem tam ſanctè coram Deo promiſſa ſunt? ſi tu ex propria pertinacia agnoſcere vel fateri nolis, id à me ſufficiētèr præſtitum eſſe, quod à me præter ſcholæ ordinē exegiſti; ſaltèm appello ad omnem ſincerum lectorem ut judicet, an non præſtiterim id, quod exigebas, & quod pro veritate oportebat? *Nolo interim manum, multò minùs collum tibi amputandū; ſed opto converſionem tuam*, ediſſere autem id, *quod gravius ſanctè coram Deo promiſiſti & exprimere noluiſti*, ſi quod facere coram Deo promiſiſti, & exprimere noluiſti te ad gremium S. Eccleſiæ abnegatis erroribus rediturum, hoc accepto, hoc à te, non tam ego, quàm Deus ipſe exigit; *hoc fac, & vives.*

V. Si autem non acquieveris, à te jure exigo & expecto, ut tribus his articulis à Conc. Trid. allegatis maximi momenti *veſtrorum Eccleſiæ Romanæ contrariorum articulorum conſenſum cum Patribus quatuor primorum ſeculorum oſtendas ex ſingulis ſeculis ſucceſſivè ex talibus editionibus, quæ non ſunt ſuſpectæ fidei. ſic tamen, ut non proferas locutiones amphibologicas vel hyperbolicas aut authoritates negativas, ſed tales quæ ex profeſſo doctrinam veſtram oſtendant & determinent.* Quid minùs à te exigere poſſum, cùm iſta à me exegeris, cui munus probandi non incumbebat, & tamen per Dei gratiam veritate patrocinante præſtiti.

ARTICULUS ULTIMUS.

Referuntur verba concluſionis D. Anonymi, & refutantur.

VT ſincerus lector hujus D. Anonymi præſumptionem & inanem jactantiam magis palpet, oportet ut concluſionis ipſius verba ſubjiciam, ſic ergo poſt præmiſſa ſcribit: *Satisfactum ergo tuo animo, non dubitanti, quia nobiliſſimus Vexillifer tuo ſatisfaceret poſtulato ſecundùm ſua promiſſa; ſed ut tu Chriſto & Eccleſiæ conſcientiæ propriæ ſatisfacias, conſidera, quæſo, in quàm periculoſo ſtatu ſis, dum adhæres religioni ἀγράφῳ, ἀντιγράφῳ omni veræ antiquitatis præſidio deſtitutæ. Quid! an tu doctus, & in nomen Chriſti baptizatus in tali morereris Religione, quæ meris hominum placitis nixa, nil ferè niſi ἐθελοθρησκείαν, & ἁγιολατρείαν fovet? miſerere tui, & tot animarū, quæ tuo exemplo pernitioſiſſimè errant, extra reſipiſcentiæ caſum in æternum peritura; Et ne terrearis larvâ antiquitatis, detractam eam vobis vide, ut à multis aliis, ſic nuperrime à Ioanne Henrico Hottingero in ſuo ὁδηγῷ ſeu* Wegweiſer *lingua Germanica conſcripto, & ubiq. venali, &c.* hæc D. Anon. I.

Reſp. 1. Quamvis hîc de Grammatica non ſit certamen, quia tamen D. Anonymus multoties nomen *Religio* geminata litera l. ut ſingularis Grammaticus ingerit, ipſum ad D. Aug. l. 22. contra Fauſtum c. 25. cujus verba ſupra l. 1. c. 1. art. 2. n. 2. relata ſunt, remitto. Sed ad rem II.

Reſpond. 2. Quis hanc concluſionem ſolitariè legens non putaret iſtum virum articulos illos, quos nobilis Vexillifer ſe ex SS. Patribus primorum quatuor ſeculorum probaturum promiſerat, adeo clarè & apertè ex Patribus illorum ſeculorum probaſſe; ſicut paulò ante à me exegerat, ut articulos Concilii Trid. probarem, ac proinde tam abſolutè pronuntiet, *ſatisfactum eſt ergo tuo animo*, &c. III.

Bone Deus, quàm inverecunda hæc eſt jactantia, ecce, cùm à me reſponſi nihil acceperit, ante reſponſum ita triumphat; ſi ſatisfactum eſt mihi ab illo, cur me ad Hottingerum remittis? certè pro uno Hottingero mendace poſſem te ad mille Catholicos Doctores veraces remittere, qui veritatem Catholicam ex SS. Patribus clariſſimè demonſtrârunt; ſed per talem remiſſionem non ſatisfit ab illo: qui munus probandi ſub tam gravi promiſſo in ſe ſuſceperat. Conſideret autem ſincerus lector qualia teſtimonia iſte D. Anonymus ex SS. Patribus quatuor primorum ſeculorum ad probandos 9. illos articulos, quos D. Vexillifer probare promiſerat, in ſuo libello produxerit; quæ per ſingulos libros, ubi de illis articulis actum eſt, accuratè protuli; an unicum tale ex omnibus ſit teſtimonium, qualia ipſe à me exigit, & qualia ego pro articulis Eccleſiæ Rom. plurima allegavi: ſi quæ ille attulit, certè vel negativa fuerunt; ſcilicet, *ille Pater hoc non aſſeruit*; vel ipſe in falſo ſenſu applicavit, cùm verus ſenſus ex aliis eorum Patrum teſtimoniis conſtaret: an autem unicum articulum Eccleſiæ modernæ Romanæ oſtenderit, ab Eccleſia antiqua in terminis hæreſeos damnatum? ſicut ego plurimos illorum articulorum damnatos oſtendi. IV.

Hæc ſi ſincerus lector conſideraverit, clarè perſpiciet, inanem illorum novellorum Acatholico- V.

licorum de Ecclesia antiqua pro se jactantiam, qui solam larvam antiquitatis apud Plebejos præseferentes, veræ antiquitatis consensus præsidio destituti, imò ab antiqua Ecclesia hæreseos positivè damnati; & quidem dum SS. Patrum authoritate premuntur, dicere non erubescunt, illos potiùs errâsse, & hæreticos esse quàm *Vigilantium, Iovinianum, &c.* nec Patres esse auscultandos; tunc ad S. scripturam provocant, quasi SS. Patres suam doctrinam sine vel contra S. scripturam tradidissent, nónne hæc vera larva prætensa antiquitatis?

VI. Verùm nobis sufficit, quòd id, de quo quæstio mota fuit, ostenderimus, scilicet nullum articulū fidei Ecclesiæ Catholicæ Rom. modernæ extare, qui à SS. Patribus agnitus non fuerit, multò minùs illis contrarius fuerit, quin potiùs omnes illorum doctrinæ positivè consentanei sint: Ecótrario verò ostenderimus, quòd plurimi, imò omnes articuli, in quibus Acatholici à moderna Rom. Ecclesia dissentiunt, etiam antiquæ Ecclesiæ contrarii sint, & plures hæreseos expresè damnati, quis nisi obstinatus hæc videns, non miraretur hujus Anonymi jactantiam, qui in tenebris Ægyptiacis palpitans, filios Israël in obscuro hærere judicet, & condolentis compassionem præseferat; misereatis, obsecro, ô Anonyme, animæ tuæ, & agnosce trabem in oculo tuo; verba sesquipedalia & exclamantia veritate destituta risum potiùs merentur, quàm compassionem.

VII. Verùm, quòd miser ille Anonymus veritate destitutus, falsam & fictam pietatem præseferens me moneat, ut considerem *in quàm periculoso sim statu, dum,* ut ait, *adhæreo Religioni*; ut contra clarum solem mentitur, *veræ antiquitatis præsidio destituta, quæ meris hominum placitis nitatur.* Certè nimis impudens mendacium & calumnia est, ut ex hactenus actis evidens est, sed ut clariùs impudentia illius hominis pateat, referam breviter fundamentum fidei Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, de quo l. de Verbo Dei scripto & non scripto copiosè actum est,

VIII. Itaque Patres Concilii Trid. ardua fidei negotia aggressuri sess. 3. sic dicunt: *Vt hæc pia sollicitudo principium & progressum suum per Dei gratiam habeat, ante omnia statuit* (Synodus) *& decernit præmittendam esse confessionem fidei, Patrum exempla in hoc secuta, qui sacratioribus Conciliis hoc sacramentum contra omnes hæreses in principio suarum actionum apponere consuevêre,* &c. *quare symbolum fidei, quo S. Romana Ecclesia utitur, tanquam principium illud, in quo omnes, qui fidem Christi profitentur, necessariò conveniunt, ac fundamentum firmum & unicum,* &c. *exprimendum esse censuit, quod quidem eiusmodi est.*

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, *&c.* hæc Concilium, ubi totum symbolum in Concilio I. Constantinopolitano expressum recensetur.

IX. Deinde sess. 4. sic dicitur: *Generalis Tridentina Synodus,* &c. *hoc sibi perpetuò ante oculos proponens, ut sublatis erroribus puritas ipsa Euangelii in Ecclesia conservetur, quod promissum ante per Prophetas in scripturis sanctis Dominus noster Iesus Christus proprio ore primum promulgavit, deinde per suos Apostolos omni creaturæ prædicari iussit, &c.* hæc Concil. huic unico Verbo Dei Synodus se inniti profitetur, & demum concludit dicens: *Omnes itaque intelligant, quo ordine & via ipsa Synodus, post iactum fidei confessionis fundamentum, sit progressura; & quibus potissimùm testimoniis ac præsidiis in confirmandis dogmatibus & instaurandis in Ecclesia moribus sit usura, &c.* hæc Concil. & hoc modo in tota doctrina processit.

An hæc sunt mera hominum placita? vah! quàm nimis impudens hoc est mendacium & enormis calumnia. Ecclesia Romana nititur solo Dei Verbo, & hoc juxta communem SS. Patrum doctrinam & intelligentiam: at verò Acatholici scripturam, scripturam clamantes, nullum articulum ex puro Dei Verbo probare possunt, sed verba scripturæ, relicto vero sensu, à SS Patribus semper tradito, secundùm suum privatum explicant spiritum, & ad suos errores detorquent; ut hæretici antiqui semper consueverunt; ac sic tota illorum doctrina in solius privati spiritus fallacis, ac proinde in mera hominum figmenta & placita resolvitur. D. Anonyme, si hoc non vides, verè cæcus es, & pertinax, imò planè insolens & impudens es, quia tua mala principia Ecclesiæ Catholicæ affingere audes. X.

Demum, quòd falsâ pietate me mones, dicens: *Miserere tui, & tot animarum, quæ tuo exemplo perniciosissimè errant, &c.* nimis ineptum est, nec tamen hæc à te primùm proferuntur, scimus, quòd Judæi de ipso Christo dicere non sint veriti: *Seductor ille adhuc vivens dicebat,* Matt. 27. v. 63. & sic olim hæretici de Catholicis, ut ait Augustinus in ps. 63. v. 7. dicens: dixerunt enim Pilato, seductor ille, *hoc nomine appellabatur Dominus Iesus Christus ad solatium servorum suorum, quando dicuntur seductores.* Utinam ô miser Anonyme Deus daret gratiam, ut tu locum gratiæ præberes, ut te cum multis millibus ab illis tuis erroribus ad gremium Matris Ecclesiæ seducere possem; miserere tui, & resipisce videns tibi larvam fictæ antiquitatis, imò S. Scripturæ detractam esse in hisce libris, si alios legere pigueris. XI.

Verum ut apparet, erubescis, & pudet te verborum tuorum & defensionis, quam vice nobilis Domini Vexilliferi suscepisti, & tam animosè jactitasti; sic enim ultimatè subscribis his verbis: *Sic salvis meliorum iudiciis respondendum censebat.* XII.

D. EF. B. G.

Non occultatum nomen propter diffidentiam causæ; sed quia horum author iuvenis, nec ingenio, nec eruditione pollens, magno insuper iam onere ministerii pressus inconsultum æstimans, etiamnum temere in publicum prodire, hæc D. Anonymus.

Quis non miretur hujus hominis agendi modum, quis illum coëgit ad defensionem, vel munus D. Vexilliferi suscipiendum? si se idoneum judicavit nomen prodat, cur scripta prodit? si veritatem dicat, cur erubescit se illius professorem nominari? proinde de veritate diffidens sic agit: Ecce de sua, ut vult, pura fide rationem redditurus, dicit: *Sic salvis meliorum iudiciis respondendum censebat,* ergo agnoscit se juxta meliorū judicia nō respondisse; veritas fidei non habet gradus, unica simplex & perfecta est, juxtam Verbum Dei inflectibile. In sententiis opinativis & rationibus incertis humanis, homo suam sententiam salvo melius sentientium judicio bene & modeste profert; adeóque declarat quod ipse meris humanis nixus placitis & opini- XIII.

onibus hactenus in rebus fidei responderit, quid turpiùs?

XIV. Rursus, cur juventutem suam prætendit, ut nomen occultet, cùm asserat se verbi Dei ministerii onere gravatum esse; ideo potiùs nomen edicendum est pro veritate verbi, si illam habeat; publicè profitendum esset; hoc enim decet VerbiDei ministrum, ut non erubescat Euangelium, juxta illud 1. Pet.3.v.15. *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe, &c.* & cum Apostolo Rom.1.v.16. *Non ambisio Euangelii*, hoc ipsum maximè ministro verbi publico incumbit: nisi fortè aliud privatum ministerium impediat; cur autem onus probandi suscepisti? verùm, si veritatem fatearis, erubuisti, quòd pro tua doctrina tam miserè egisti & respōdisti; nec aliter te respōdere posse agnovisti. Deus misereatur tui, & omnium tecum errantiū, Amē.

CAPVT III.

Referuntur finalia Authoris Anonymi tertii Libelli argumenta, & refutantur.

ARTICULUS I.

Quædam eius verba referuntur & refutantur.

I. Authoꝛ anonymus 3. libelli, postquam aliqua conatus esset adferre pro defensione 8. articulorum doctrinæ prætensorum Reformatorum; quos D. Vexillifer Anglus ex SS. Patrum primitivæ Ecclesiæ testimoniis sese probaturum promiserat; tandem concludit dicens: *Hactenus respondi ad tuas theses, vides S. literas antiquitatémque pro nobis, non pro vobis militare*, hæc ille Anonymus.

II. Respond. Non est verbum tam absonum, quin id aliquis effari possit, sive verè, sive falsò; veruntamen an sacræ literæ & antiquitas pro nobis Catholicis, an pro vobis militent, ex illis, quæ tu attulisti pro tuis, & econtra ex aliis, quæ ego pro articulis Ecclesiæ Catholicæ hactenus in præcedentibus libris proposui, sincerus lector facilè judicabit; cùm pro singulis Catholicis articulis clara S. scripturæ & SS. Patrum testimonia recensuerim, quæ brevitatis gratiâ in Antithesibus, quas post singula ferè capita in singulis libris proposui, dignosci poterunt; præterquam quòd diversos articulos vestræ fidei à primitiva Ecclesia hæreseos damnatos fuisse sæpius ostenderim; ut mirum sit, quod sic concludere audeas, præsertim cùm pro vestris articulis vix ullum S. Scripturæ locum allegaveris, illumque in falso sensu; loca autem pauca aliquorum Patrum adduxeris; quæ per fallas consequentias ad tuam

III. doctrinam attraxeris, ut legenti patebit. Sæpius etiam crassè mentitus sis, quasi SS. Patres ne quidem verbulo de articulis Ecclesiæ Romanæ meminerint, prout dicere non es veritus his verbis: *Domine Vetvveis, tua paternitas meras hic fingit chimeras, de quibus piis veteres priorum seculorum*

IV. *nefando quidem quidquam accepére, &c.* Hoc dicere audes de præsentia reali corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ, sed quàm crassum sit mendacium lib. de Sacramento Eucharistiæ ostensum est, imo adjicere audes, dicens: *Recordari debes hic istius Philosophorum axiomatis, non entis nullas esse qualitates, idem iudicium fit de reliquis tuis thesibus æquè monstrosis & Ecclesiæ veteri incognitis, &c.* hæc ibi. Si de illis thesibus, quas D. Vexillifer probandas susceperat, id dixisses, veritatem pronunciasses, & adhuc minùs, nam illas pii veteres hæreseos damnârunt, ùt ostensum est.

ARTICULUS II.

Refertur primum argumentum Authoris Anonymi contra ultimum articulum.

Authoꝛ Anonymus postea sic ait: *Verùm ulterius petis unum saltèm articulorum fidei tibi ostendi, à quo Ecclesia tua Romana defecerit, quaque defectio, siquando tunc in futurum contingeret, iam autem ab Ecclesia antiqua prædamnata fuerit, satisfaciam nunc tuæ petitioni, &c.* hæc ille. I.

Respondetur: Cùm vos Ecclesiam Romanam in pluribus articulis idololatriæ & hæreseos damnatis, eámque plurimos articulos SS. Patribus & Ecclesiæ primitivæ contrarios docere audeatis dicere, justum & æquum est, ut à vobis exigam, ut vel unicum talem demonstretis, qui sic à SS. Patribus vel primitiva Ecclesia damnatus fuerit, sicut vos damnatis: cùm velitis vos planè cum Ecclesia antiqua in doctrina fidei convenire: vel saltèm ostendatis, quòd Ecclesia Romana moderna unicum articulum de fide doceat tenendum, cujus contrarium antiqua Ecclesia docuerit, sicq; ut dicis, defectio, licèt tunc temporis non fuerit, taliter prædamnata sit. II.

Hæc justè pro veritate Ecclesiæ veræ & sponsæ Christi exigere debui, quia juxta S. scripturam vera Ecclesia universalis in nullo errare potest, ùt l. de Ecclesia probatum est: si ergo vos Ecclesiam Rom. ut falsam damnatis, necesse est, ut vel in uno articulo illam errâsse, vel ab antiqua vera Ecclesia defecisse demonstretis, ut sileam, quòd Ecclesia antiqua unum ex articulis fidei Ecclesiæ Rom. modernæ hæreseos cōdemnarit, vel quòd SS. PP. contra illum articulum scripserint, vel illum reprobaverint, sicut nos plurimos articulos ostendimus, quos prætensi Reformati de fide certos credunt, & tamen SS. Patres non solùm non approbârunt, sed etiam ut fallos & hæreticos cum antiquis hæreticis, qui illos docuerunt, positivè & expressè damnârunt, audacter tamen dicis; *satisfaciam nunc tuæ petitioni*, hoc jam experiemur. III.

Dicit ergo Author Anonymus sic: *Nôsti D. Pater Vetvveis, Ecclesiam veterem in toties repetita symboli Apostolici summâ idem cùm S. Athanasio sentire, quod negare non potes: ille verò sic in principio sui sym-* IV.

ſymboli: Quicunque, inquit, vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt, ut teneat Catholicam fidem, quam niſi quis integram inviolatámque ſervaverit, absque dubio in æternum peribit: Fides autem Catholica hæc eſt, &c. *inter alia, quæ* [illegible]*untur, hæc habentur increatus Pater, increatus Filius; at veſtra Eccleſia hodie laudat illud, ſtella Clericorum, ubi inter alia hæc miſſatici Sacerdotis perhibentur verba. Iſte, qui creavit me, dedit mihi creare ſe, qui creavit me ſine me, creatur mediante me, ſic creditis in veſtra Miſſa in Chriſtum quendam, qui creatura eſt creaturâ mediante, & toties nova creatura per novam creationem, quoties nova celebratur miſſa,* &c.

V. *Idem Symbolum habet hæc de Incarnatione Filii Dei. Eſt ergo Fides recta, ut credamus & confiteamur, quòd Dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei Filius, Deus & homo eſt, Deus ex ſubſtantia Patris ante ſecula genitus, & homo ex ſubſtantia Matris in ſeculo natus. Iam verò in lavacro conſcientiæ & in Gabrielis expoſitione Canonis Miſſæ, libris à veſtra Eccleſia laudatis, dicitur de Sacerdotibus veſtris, quòd in eorum manibus tanquam in utero Virginis Dei Filius incarnatur & concipitur, &c.* hæc D. Anonymus. Sicque ex libello ſtella Clericorum & aliis duobus ſupponit ut certum; quòd Eccleſia Romana doceat contraria Symbolo Apoſtolico & S. Athanaſii.

VI. Reſp. 1. Si D. Anonymus Symbolo S. Athanaſii inhæreret, non doceret Eccleſiam univerſalem poſſe in rebus fidei errare, prout plerumq; Reformati volunt; nam ex ipſorum doctrina ſequitur, quòd, qui non ſervat integram inviolatámque fidem Catholicam, adhuc ſalvetur, & & non peribit in æternnm, quod eſt contra Symbolum, ſed de hoc actum eſt ſuo loco: cùm docent, quòd articuli non fundamentales ſalvâ fide negati poſſint: qui verè ad integram fidem ſpectant, nec ipſi tales à fundamentalibus diſcernere non poſſunt.

VII. Reſp. 2. Ariani negabant illa, quæ in Symbolo Athanaſii dicuntur de tribus in una ſubſtantia perſonis; eò quòd illa in S. ſcriptura non ſic expreſsè continerentur: at verò Eccleſia Romana, illa profitetur, quæ partim ex Verbo Dei ſcripto, partim ex verbo tradito, probat, ſicut SS. Patres; at verò, vos ô Acatholici, cum Arianis negatis Verbum Dei traditum, quomodo ego ſymbolum S. Athanaſii comprobatis? ſi integra fides ſit in illo Symbolo, ubi manet veſtra fides ſola juſtificans? de qua ibi nulla eſt mentio, ſed bene de operibus bonis, quòd, qui illa egerint, ibunt in vitam æternam. Ecce D. Anonyme, quonam appellaſti.

VIII. Reſp. 3. D. Anonymus promittit, quòd ex omnibus fidei Romanæ Eccleſiæ articulis unum aſſumet, quem Eccleſiæ veteri contrarium velit oſtendere. ſed videamus, quæ ſit fides antiqua, & quis ſit articulus fidei antiquæ contrarius. Quoad primum, cùm dicis: *Noſti Eccleſiam veterem in toties repetita Symboli Apoſtolici ſumma idem cum S. Athanaſio ſentire.*

Reſp. Novi; & hoc novit Eccleſia moderna Cath. quæ illud Symbolum profitetur, ſed quid infers in oppoſitum? dicis: *At veſtra Eccleſia hodie laudat iſtud ſtella Clericorum,* &c.

IX. Reſp. Mirum ſanè, quòd tantus Doctor, qui tam abſolutè promittit ſe meæ petitioni prædictæ ſatisfacturum, ſcilicet, quòd velit oſtendere unum articulũ fidei, quem Eccleſia Rom. docet, antiquæ Eccleſiæ fidei eſſe contrarium; mirum, inquam, quòd hæc promittens, nihil aliud proferat, quàm aliquid ex quodam neſcio quali libello, ſtellæ Clericorum dicto, quem in tota hac urbe per Bibliopolarum officinas, & exquiſitiſſimas monaſteriorum Bibliothecas inquiſitum hactenus videre vel invenire non potui.

Ecce ex tali incognito & obſcuro libello verba extracta tanquam articulum fidei Eccleſiæ Rom. profers: cùm tamen Concil Trid. omnes fidei articulos proponens & declarans, in manibus omnium extet; ſicut & profeſſio Catholicæ fidei, authoritate ejusdem Conc. promulgata; ex his vel unicum oportebat adducere articulum, qui Symbolo Apoſtolico vel S. Athanaſii contrarius eſſe probaretur: prout alii duo Authores Anonymi ex eodem Conc. aliquos articulos protulerunt, licèt, ut oſtenſum eſt, ſeipſos per hoc confuderint.

Tu autem, mi D. ſi in iſto Conc. aliquid tibi ſerviens inveniſſes, ad talem obſcurum libellum non recurriſſes; adeóque ſignum eſt, te nihil in tota Concilii Trid. vel in tota Eccleſiæ Romanæ modernæ doctrina reperire potuiſſe; quod vel S. ſcripturæ, vel antiquitati, aut ſymbolis dictis contrariaretur, hoc tibi pro refutatione abunde ſufficeret. X.

Quod autem dicis: *At veſtra Eccleſia hodie laudat iſtud ſtella Clericorum,* &c. XI.

Reſp. Unde hoc probas quòd univerſalis Eccleſia iſtum libellum tanquam publicam Eccleſiæ fidem continentem, ut authenticum approbârit? hoc de nullius S. Patris libro in particulari legitur ab Eccleſia factum, ut ſic recipiatur, ſicut illa, quæ in Conc. generali à tota Eccleſia docentur, licèt libros SS. Patrum venerentur, ſed non cujuslibet S. Patris doctrinam in ſingulari ſic approbat, niſi in omnibus cum communi Eccleſiæ & aliorum PP. ſenſu conſonet, quantò minùs libellus ille obſcurus ab Eccleſia ſic approbatus eſt: adeóque fruſtra ex illo argumentum efficax quærebas.

Verùm tamen, quia vobis conſuetum eſt, ut dũ doctrinam Eccleſiæ Rom. ex S. ſcript. vel SS. PP. ſolidè oppugnare, multò magis falſitatis arguere non poteſtis, illam veſtris mendaciis, calumniis ac dicteriis allatrare & rodere apud plebem non fatigemini, nec erubeſcitis; ſumptâ ſubinde occaſione ex aliquo verbo vel ſentẽtia alicujus privati hominis vel Doctoris, quæ in vero vel falſo ſenſu explicari poſſit; hinc vos illam in peſſimum ſenſum detorquentes, quaſi in hoc ſenſu à tota Eccleſia doceatur, inſolenter inſultatis, quod & in propoſito factum à te eſſe patebit. XII.

Reſp. itaque, quòd etſi ſtellam illam Clericorum, ut dixi invenire non potuerim, vel videre; tamẽ verba illa à te, ſed truncatè relata, & in peſſimũ ſenſum explicata, apud pium Doctorẽ *Gabriele Biel* in expoſitione canonis miſſæ à te in generali citata lect. 4. extare fateor; qui pius Doctor, ſi aliquid erroneum tradidiſſet, nihil in hoc doctrinæ Eccleſiæ Rom. præjudicaſſet, ut inde argumentum duceretur, quaſi Eccleſia ſic doceret, ut per ſe clarum eſt. XIII.

Nihilominus Doctor ille in verbis illis, prout ab ipſo explicantur, non poteſt erroris contra ſymbolum Athanaſi argui, licèt in alio ſenſu ad quem illa detorques, probari non poſſint.

Digitized by Google

XIV. Ut autem sincero lectori veritas pateat; res ipsa ex ipso Gabriele demonstrabitur. Ille ergo Doctor non ex sua sed SS. Patrum sententia de præstantia Sacerdotum scribens, sic ait: *Exclamat S. Gregorius de hac vestra insignitate gloriosa, ô, inquit, veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus velut in utero Virginis Filius Dei incarnatur, &c.* & infrà: *Et mellifluus Bernardus, ô, venerabilis sanctitudo manuum, ô fælix exercitium, cùm tractant Christum, Sacerdos Dei Filium, cui sunt deliciæ esse cum filiis hominum, quis horum vidit similia? qui creavit me (si fas est dicere) dedit mihi creare se, & qui creavit me sine me, creatur mediante me,* &c. hæc ibi Gabriel, referens illorum SS. Patrum verba, quos ipsemet Calvinus sanctissimos nominat, & ex quorum libris testimonia, licèt in falso sensu, pro se sæpius adducit.

XV. Ista igitur verba, si in rigore & proprietate sermonis sumerentur, non essent ferenda, sed, quia in bono sensu explicari possunt, & à SS. Patribus proferuntur, non illis per hæc, multò minùs Ecclesiæ Romanæ error imponendus est.

XVI. Constat autem, quòd ipsa S. scriptura sæpissime verbis utatur non in proprietate sermonis, sed in similitudine, ut dum dicitur de ipso Deo, *aperis tu manum tuam, oculi Domini super iustos,* &c. & de Christo, quòd sit *agnus, leo, petra, &c.* quæ in rigore & proprietate sermonis crassissimum errorem important, sed ita à S. scriptura non usurpantur; sic etiam hi SS. Patres illis verbis usi sunt.

XVII. Sciendum itaque, quòd Ecclesia Catholica damnat primò tanquam blasphemum, hæreticum & insanum, si quis *cum Arianis* dicat. Filium Dei etiam secundùm divinitatem à Deo Patre esse creatum, quantò insaniùs diceretur, quòd Filius Dei secundùm divinitatem à vili homine creatus esset, vel crearetur, vel quòd homini potestas data sit creandi Filium Dei secundùm divinitatem: *Sic ergo credit Ecclesia cum Symbolo Athanasii, quòd increatus sit Pater, increatus Filius, &c.* scilicet secundùm divinitatem.

XVIII. 2. Damnat Ecclesia illos, qui dicerent Christum etiam secundùm humanitatem à Deo Patre creatum esse, loquendo propriè de creatione, quâ aliquid ex nihilo fit, quia ex semine David natus est, multò magis damnat, si quis illum quotidie ab illo homine creari diceret; nam, licèt Ecclesia credat Christum secundùm humanitatem à Spiritu Sancto esse conceptum, & S. Mariam Virginem Christum verum Deum & hominem ratione humanæ naturæ in Verbo Dei subsistentis & unitæ genuisse, ac verè Deiparam esse, *contra Nestorianos & Eutychianos;* non tamen docet, nec credit, quòd B. Virgo Christum secundùm humanitatem creârit, id est, illum ex nihilo secundùm corpus & animam produxerit, quod solius Dei potentiæ est, sed ex sanguine suo conceperit: quis ergo sanæ mentis hoc Sacerdotibus tribuat? quis nisi effrons hoc Gabrielem vel aliquem rationabilem Doctorem, multò minùs S. Gregorium & Bernardum dicere voluisse asserat, ut sileam, quòd hoc Ecclesiæ Catholicæ affingat?

XIX. Et tamen, mi Domine, hunc tuum crassum & absurdum sensum falsò illi privato non solùm Doctori, sed etiam illis Patribus, quorum verba sunt, & multò falsius & insolentius Ecclesiæ Catholicæ imponis, mirum quòd non cum Manichæis totum vetus Testamentum rejicias sub prætextu, quasi illud Deum corporeum faciat, quia utitur verbis metaphoricis circa Deum; *quoad oculos, manus* &c.

Ut autem videas, me non frustra hæc dicere, audi ipsum Gabrielem, qui bonum sensum verborum à sanctis Patribus intentum assignat sup. §. *Ne autem*, sic dicens: *Ne autem hâc acceptâ potestate in immensum Sacerdotes glorientur, sed acceptum ministerium humiliter & dignè exequantur, breviter annotandum est; quid Sacerdos efficiat,* &c. *circa quod advertendum, quòd aliquid ab alio effici vel fieri, tripliciter potest intelligi; Primò vel naturali potestate. Secundò vel meritoriâ operatione. Tertiò vel assistente virtute; naturali virtute fit, quando agenti naturali virtute vel proprietate convenit, ut sit principium eius, quod fit; sic ignis fit ab igne,* & infrà: *Et sic ipsum, à quo fit, verè dicitur causa eius, quod fit. Alio modo dicitur aliquid fieri ab alio non naturali eius operatione, sed quia aliquid ab eo fit, ad quod aliud sequitur non naturali sequela, sed voluntariâ quadam alterius extrinsecæ causæ pactione, sic præmium dicitur aliquo modo fieri à merente; pro quanto is, qui præmiabitur, facit aliquem actum, qui ab alio acceptatur ad præmium pro huiusmodi operatione conferendum; sic mercenarius dicitur operari cibum, & mercedem acquirere suo labore, secundùm illud, operamini cibum, qui non perit,* Joann. 6. XX.

Tertio modo aliquid dicitur ab alio fieri aliquâ virtute occultâ non insistente ei, à quo tale fieri dicitur, sed assistente: sic Sancti dicuntur fecisse miracula, quæ facta sunt assistente divina virtute non semper propter illorum merita, sed sæpe propter fidem populi propagandam; sic etiam multi reprobi miracula dicuntur fecisse, Domine, nónne in nomine tuo dæmonia eiecimus? Ita ad verbum Gabriel.

His præmissis idem sic ait: *Per hoc ad propositum, ab omnibus conceditur de Sacerdote celebrante; quod consecrat Eucharistiam, & conficit corpus & sanguinem Domini; sic Dionysius cap. 3. Eccles. Hierarch. Ambrosius lib. de Sacramentis dicit: hoc, quod conficimus, corpus ex Virgine est. Consecrare autem, & conficere corpus & sanguinem Domini, nihil aliud est, quàm convertere substantiam panis & vini, in Corpus & Sanguinem Christi verbis Salvatoris, & Ambrosius lib. de Sacramentis, panis est in Altari usitatus ante verba Sacramentorum, ubi accessit consecratio, de pane fit corpus Christi. Augustinus* libro 4. *de Trinitate, Corpus, ait, & Sanguinem Christi dicimus illud, quod ex fructibus terræ acceptum & prece mysticâ consecratum rectè accipimus ad salutem,* &c. *unde Sacerdotes dicuntur conficere corpus & sanguinem Domini, quia eorum ministerio substantia panis fit caro Christi,* &c. *Conversio hæc tria dicit, scilicet, panis & vini desitionem, accidentium illarum substantiarum conservationem, & corporis & sanguinis Christi sub conservatis speciebus præsentialem receptionem, &c.* hæc Gabriel. XXI.

Jam audi Gabrielis resolutionem his verbis: *Dico ergo, quòd Sacerdos nihil horum trium faciat suâ naturali virtute, primo modo prædicto sicut ignis ignem, quoad desitionem substantiæ panis & vini, quia ad illam nulla creata virtus se extendit: nec quoad conservationem accidentium sine* XXII.

sine subiecto. Patet etiam tertium, *quia sacerdos non potest attingere Corpus Christi corporaliter ut ipsum præsens faciat, &c.* & infrà pergit Gabriel dicens: *Secundò dico quòd sacerdos nihil horum trium facere potest suo merito, probatur ex Augustino lib. de Corpore Domini dicente, intra S. Ecclesiam Catholicam in ministerio Corporis Christi nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur sacerdote,* &c. *cuius rationem subdit, quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris & in virtute Spiritûs Sancti, &c.* quid clariùs?

XXV. Rursus Gabriel: *Tertiò dico; quòd hæc fiunt à sacerdote virtute occultâ non insistente, quia quælibet virtus insistens est creatura, sed nulla creatura potest attingere suâ virtute dictos effectus.* (Ecce quàm clarè Gabriel reprobat sensum sibi à D. Anonymo impositum) *adeóque virtute assistente facit sacerdos; hæc autem virtus est virtus Creatoris, ipsa videlicet Dei voluntas: determinavit enim Deus se ad efficiendum prædicta omnia, cùm sacerdos intentione debitâ profert verba ad hunc effectum à se Domino instituta: unde, ubi suprà, dicit Augustinus, credendum est, quòd in verbis Christi Sacramenta perficiantur; cuius enim potentia creantur prius, eius utique verbo ad melius procreantur. De his Augustinus iterum, unde hoc sanctissime Deus, quod sacerdotes cùm sint pulvis & cinis te præsentem habeant manibus & oculis? non utique ex debito, nec ipsorum merito, sed ex tuæ voluntatis beneplacito, &c.* hæc omnia de verbo ad verbum dicit Gabriel; quæ fusiùs referenda duxi; ut sincerus Lector cognoscat quàm falsò D. Anonymus hæc verba SS. Patrum in malum sensum detorserit.

XXVI. Ex his clarissimè patent calumniæ & crassæ imposturæ D. Anonymi. Patet enim, quòd nec sancti *Gregorius & Bernardus* nec Gabriel ullo modo velint dicere, 1. quod sacerdos suâ virtute vel qualicunque modo creet filium Dei secundùm divinitatem qui sic simpliciter increatus est; hoc enim plusquam Arianum imo insanum esset dicere. 2. quod nec Christum secundum humanitatem creet propriè loquendo: cum hoc nulla creata virtus possit, nec Christus in utero Matris propriè loquendo creatus est, sed conceptus ex sanguinibus virginis & ab ipsa genitus, & ideo S. Bernardus verbo creandi utens, dicit (*si fas est dicere*) ubi clarè indicat se non propriè sed metaphoricè loqui. 3. nec illi SS. Patres vel Gabriel dicere voluerunt; quod Christus secundùm humanitatem in manibus sacerdotis propriè concipiatur vel generetur sicut in utero Virginis conceptus, vel à Virgine genitus fuit: quia ibi Christus ex substantia Virginis verè conceptus & realiter natus est, ita ut substantiam suam ex substantia Matris acceperit, operante Spiritu S. & Virginis naturali virtute concurrente; quis tam insanus, qui hoc diceret fieri in consecratione; ubi nullo modo substantiam panis & vini Christus sibi essentialiter assumit, sed illæ substantiæ totaliter desinunt esse; nec ipsa illarum accidentia Christo physicè inhærent, licèt Acatholici has insanias & Chimeras Ecclesiæ Catholicæ affingant; sic nec sacerdos ad ipsum Christum secundùm humanitatem efficiendum physicè concurrit; cum humanitas Christi semel ex Virgine Matre concepta & nata eadem maneat & à solo Deo conservetur; conservatio autem substantiæ juxta veram Philosophiam est continua ejusdem substantiæ productio: In consecratione autem Christus de novo non producitur, multò minùs alia & alia humanitas in singulis consecrationibus producitur, ùt D. Anonymus calumniatur; sed eadem Christi humanitas, quæ in cœlo ad XXVII.
dextram Patris residet, ibique manens ex Christi promissione & ejus divinâ virtute fit in Sacramento præsens, seu novam accipit accidentalem præsentiam; quâ verè & realiter ipsa humanitas est præsens in Sacramento, sicut secundùm aliam præsentiam est verè præsens ad dexteram Patris; nimis enim evidens est in naturalibus; quòd dum substantia accipit novum locum vel præsentiam, tamen secundùm se seu substantiam non mutetur, sed eadem maneat, prout copiosè demonstratum est in libro de Eucharistia. Ipse etiam Gabriel profitetur, quòd XXVIII.
sacerdos ne quidem ad illam præsentiam physicè concurrat, sed ipse solùm verba ex institutione Christi juxta ipsius intentionem proferat: ad quorum prolationem Christus juxta promissionem suam divinâ suâ virtute destruendo substantiam panis & vini in ordine ad humanitatem suam, ipsam sub speciebus panis & vini facit præsentem; & sic Christus ipse solus realiter convertit substantiam panis & vini in corpus & Sanguinem suum ibi præsentem; quam conversionem Ecclesia Catholica verè transsubstantiationem vocat. Sacerdos itaque XXIX.
non aliter consecrat vel conficit hoc Sacramentum; nisi quod ipse profert verba à Christo instituta, ad quorum prolationem Christus se prædicta præstiturum promisit: & sic virtute non insistente sacerdoti, sed virtute Christi sacerdoti assistente, sacerdos conficit; & hæc est creatio & actio tota sacerdotalis, quam SS. Patres allegatis verbis intenderunt, & Gabriel clarè explicavit.

Jam dicat D. Anonymus, quid in hoc contra XXX.
symbolum Apostolicum, vel Athanasii, Gabriel vel illi Patres dixerint? vel quare Ecclesiæ errorem contra symbola affingit? certè quilibet rationis capax ex verbis allegatis Gabrielis palpat, ipsum tam absurdum sensum non intendisse, & ipse D. Anonymus palpare potuisset: sed maluit unum verbum omissâ Gabrielis explicatione excerpere, ut calumniari posset; nisi fortè ex alio calumniatoris libro decerpserit.

Quæret fortè aliquis sincerâ intentione cur XXXI.
SS. *Gregorius & Bernardus* talibus verbis uti voluerint, ut dicerent, Christum in manibus sacerdotis velut in utero Virginis incarnari, vel Christum dedisse sacerdoti potestatem, ut se crearet, *&c.* quæ dura videntur.

Respondeo 1. omnia sana sanis, dicunt Me- XXXII.
dici; sed infirmis etiam sana sunt nociva; sic & sinceri fideles illa verba in bonum sensum apprehendunt & ædificantur, sed hæretici & calumniatores verba bona in malum detorquent: hoc patet in ipsa sacra Scriptura, ùt suprà dictum est, cùm *Deus ipse dicitur habere manus, oculos, vultum, &c.* quæ Manichæi crassè apprehendentes condemnabant; sic passim verba alia per similitudinem & Metaphoram aliis in sacra Scriptura tribuuntur, quibus juxta proprietates non conveniunt; sic Christus dicitur *lapis angularis, vitis, Leo, &c.* & ad propositum Christus de suis fidelibus dicit

Digitized by Google

Matth. 12. v. 50. *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, &c. ipse meus frater, soror & mater est.* Ecce si fidelis est mater Christi, ergo etiam concipit & gignit: an ergo toties Christus secundùm suam substantiam concipitur & nascitur, quoties homo in ipsum credit? ecce argumentum vel potiùs calumnia Domini Anonymi, quod ergo D. Anonymus respondere debet ad illa verba Christi, quòd quilibet fidelis ipsius mater sit, eumque concipiat & gignat, & tamen manet unicus verus Christus: hoc etiam in simili de Sacramento Eucharistiæ dicitur, quanquam aliter & aliter hæc fiant; nam fidelis concipit Christum solum per Fidem & charitatem, quâ ipsi in cœlo manenti incorporatur in uno corpore mystico: sed in Sacramento Eucharistiæ, substantia humanitatis Christi verè de novo speciebus præsens efficitur sine mutatione substantiæ ipsius humanitatis Christi.

XXXIII. Respond. 2. quòd illi Patres per illa verba clariùs explicare voluerint realem præsentiam Christi in Eucharistia; ideo etiam antiqui Patres dixerunt, quòd sacerdos conficiat Corpus Christi, & in manibus teneat, & sic prædamnârunt Acatholicos illam præsentiam in futurum negaturos.

XXXIV. Respond. 3. Si in verbo, *creare* D. Anonymus, licèt frivolè hæreat, patet ex communi usu, quòd non solùm *creare* usurpetur, dum aliquid ex nihilo realiter producitur, quod soli Deo competit, vel etiam aliquid naturaliter producitur; sed etiam dum aliquid inter homines moraliter fit, quod aliàs non erat, ùt patet, dum alicui dignitas confertur quam antè non habebat, sic aliquis dicitur *creari Doctor, Notarius, &c.* sic multò magis Christus potest dici creari sub speciebus; quia fit ibi realiter præsens, ubi antea non erat præsens, & species panis dignitatem illam accipiunt, ut sub illis Christi humanitas præsens fiat; & manus sacerdotis dignitatem accipit; quòd in illa Christus de novo verè præsens constituatur.

XXXV. Ex prædictis clarissimè patet primò, quòd nec Gabriel nec sancti Patres tam crassum sensum intenderint, prout Dominus Anonymus illorum verba accipit; nec illi ullatenus symbolo Apostolico contrarii fuerint. Secundò, quòd qualicunque modo illa verba Acatholici calumnientur, nullatenus ex his inferatur; quòd Ecclesia Catholica symbolis illis contraria doceat, quæ talia verba inter Fidei articulos non proponit; licèt in bono sensu, ùt præmissum est, illa non damnet; nec ullus sincerus damnare potest.

XXXVI Videat itaque Anonymus quàm frivolè & falsò ex illis verbis probare voluerit Ecclesiam Romanam à veteri Ecclesia in articulo Fidei defecisse: imò quàm turpiter ex verbis sanctorum Gregorii & Bernardi à Gabriele relatis inferat, quòd Ecclesia Catholica credat Christum toties substantialiter incarnari & concipi, quoties nova Missa celebratur, vel quòd toties per creaturam nova creatura & alius Christus creetur: puderet hominem talia inferre ex dictis talium sanctorum Patrum; verùm ille solus non est, sed Acatholici passim talibus calumniis Ecclesiam Romanam allatrare non erubescunt, & simplices homines decipere non cessant. Videamus jam ejusdem aliud similis farinæ argumentum.

ARTICULUS III.

Proponitur aliud ejusdem Anonymi argumentum, & refutatur.

I. IDem Author Anonymus arguit, sic dicens: *Vide Domine Pater, & considera, quis ille sit spiritus, dicente Apostolo,* Joann. 4. v. secundo: *Qui solvit Iesum; Nam si unus idémque est Iesus θεάνθρωπος, & missaticus; sequitur; ipsum venisse in carnem, nempe cùm conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine; & eundem toties incarnari in manibus Sacerdotis, quoties Missam facit; & quidem ex substantia non Matris Virginis, sed ex substantia panis, quid verò sic solvere sic dividere Christum aliud est; quàm negare ipsum in carne, quod semel tantùm factum est, venisse?* hæc Anonymus.

II. Respondetur, solet dici ex uno absurdo, multa absurda sequuntur; quia Dominus Anonymus unum absurdum falsò affingit Ecclesiæ Catholicæ, mirum non est, quod plura inde deducat. Jam abunde ex ipso Gabriele Biel dictum est, quid ipse & SS. Patres intellexerint, cùm dixerunt, Christum in manibus Sacerdotis incarnari vel concipi: quòd scilicet, solùm fiat per Dei potentiam, Christus etiam secundùm humanitatem in Eucharistia præsens, sicut fuit præsens in utero Matris; non autem quod de novo substantialiter nascatur; multo minus quod ex substantia panis nascatur, sicut ex substantia B. Virginis natus est; quia ex Beata Virgine suam substantiam verè assumpsit. At verò substantiam panis planè destruit in illum finem, ut sua propria substantia sola ex Virgine nata, sit sub speciebus præsens. An Christus, quoties in terra ambulans novum locum occupavit, etiam in illo loco de novo incarnatus est & conceptus? quid turpius & absurdiùs dictu? an alius Christus passus, alius gloriosus ad dexteram Patris sedens? sic nec alius Christus Deus homo sedens ad dexteram Patris, & Christus Deus homo præsens in Eucharistia, quem missaticum vocas; quis igitur nisi planè absurdus ex hac doctrina inferat, quod illa solvat Jesum, & neget Jesum in carne venisse? quæso te, forma aliquem syllogismum ex talibus Catholicis principiis & inferas hanc conclusionem, & videbis absurditatem: profer ullum sanctum Patrem, qui sic locum Joannis explicavit.

III. Cæterùm ut abunde tibi satisfiat, & appareat, quàm futiliter & inaniter promiseris te meæ petitioni satisfacturum; & scias, quis sit qui solvat Jesum, audi *Augustinum* tract. 6. in Epist. Joann. 4. circa verba illa v. 3. *Omnis spiritus, qui solvit Iesum ex Deo non est.* Ex his verbis D. August. probat, quòd omnes illi, qui solvunt unitatem Ecclesiæ, solvant Christum; & ideo ex Deo non sint, & tales sunt omnes hæretici, sic itaque ait: *Quasi eriguntur aures ad discernendos spiritus: quid enim ait? omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est; ergo spiritus qui est apud hæreticos ex Deo est, quia confitentur Iesum Christum in carne venisse.* & infrà: *Quæramus in factis, non in linguis, quis est spiritus, qui non est ex Deo? qui negat Iesum Christum in carne venisse. Et quis est spiri-*

Digitized by Google

spiritus qui est ex Deo? qui confitetur Iesum Christum in carne venisse. Eia fratres opera attendamus, non strepitum linguæ, quæramus, quare venerit in carne Christus? & inveniemus, qui eum negant in carne venisse: nam si linguas attendas, multas hæreses auditurus es confitentes Christum in carne venisse, sed convincit illos veritas, quare venit Christus in carne? at moreretur pro nobis; quemadmodum autem mortuus est pro nobis? maiorem hâc charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat pro amicis suis: Charitas ergo adduxit illum in carnem, quisquis ergo non habet charitatem negat Christum in carne venisse. Hic nunc iam interroga omnes hæreticos, Christus venit in carne? venit, hoc credo, hoc profiteor: imò hoc negas. Vnde nego? audis, quia hoc dico; imò ego convinco, quia negas; dicis voce, negas corde; dicis verbis, negas factis: quomodo, inquis, nego factis? quia ideo venit in carne Christus, ut moreretur pro nobis; ideo mortuus est pro nobis, quia multam charitatem docuit, tu non habes charitatem; quia pro honore tuo dividis unitatem. Ergo hunc intelligite spiritum ex Deo. Videte si ibi sit charitas: tollis te ab unitate orbis terrarum; dividis Ecclesiam per schismata; dilanias Corpus Christi, ille venit in carne ut colligat, tu ideo clamas, ut spargas; Manifestum est ergo unde agnoscamus fratres: multi intus, quasi intus, nemo autem foris, nisi verè foris; adeò ut noveritis, quia ad facta retulit, & omnis spiritus ait, qui solvit Iesum, non est ex Deo, quid tibi ostendit, qui negat, quia dixit, solvit? Ille venit colligere, tu venis solvere; distinguere vis membra Christi, quomodo non negas Christum in carne venisse qui disrumpis Ecclesiam, quam ille congregavit? &c. hæc August.

Jam D. Anonyme vide & considera, quinam sint, qui solvunt Jesum, qui negant eum in carne venisse; vos scilicet, qui unitatem Ecclesiæ solvitis, qui dispergitis, quod Christus in Ecclesia congregavit.

ARTICULUS IV.

Refertur aliud eiusdem Anonymi argumentum, & refutatur.

I. DOminus Anonymus communibus Acatholicorum moribus inhærens, dum meæ petitioni satisfactionem promiserat, hujus oblitus, ad falsa, mendacia & calumnias divertit, S. Scripturæ verba falsissimè contra Ecclesiæ doctrinam detorquens, dicit ergo hic: *Verissime Christus Servator de iis prædixit dicens: illos fore falsos Christos, id est falsos unctos & Pseudo-Prophetas & falsos Doctores & falsorum miraculorum effectores, qui Christum monstrabunt ἐν τοῖς ταμείοις hoc est, in ciboriis, dicentes: Ecce est in ciboriis, sed Servator monet suos, ne credant illis, quandoquidem rediturus esset, sicut splendens ubique fulgur. Ipse sanè nostra esca, nostrum πάσχα, quod cecidit quidem per mortem crucis, sed revixit tertiâ die, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris omnipotentis, atque tam diu ibi morabitur, donec ipse panis animarum nostrarum redibit ad iudicandum vivos & mortuos, inde ipsum expectamus & quotiescunque panis huius escæ symbolis in cœna fideliter fruimur, ut & esca ipsa, sic sursum corda habemus ad Dominum cum vetere orthodoxa Synaxi, annuntiamusque mortem Domini donec ipse veniat: Ab ipsa Fide Romanenses moderni defecerunt, & ob eam defectionem ore Christi & Ecclesiæ rectiùs sentientis sententia, rei teterrimi erroris aguntur, Deus convertas eos, Amen.* hæc ille Anonymus.

Respondeo 1. Mirum, Domine Anonyme, quòd non erubescas sic causam tuam agere, propositum tuum erat, imò promissum, demonstrare; unum ad minus Fidei articulum modernæ Ecclesiæ Romanæ in quo à primitiva defecisset; ad hoc necessarium erat, ut vel alicujus Concilii generalis, vel saltèm aliquorum sanctorum Patrum primitivæ Ecclesiæ testimonia proferres, in quibus aliquis Fidei articulus in illa Ecclesia clarè doctus esse ostenderetur, cujus contrarium moderna Romana doceret: sed ubi Concilium? ubi aliquis S. Pater? allegas aliqua verba S. Scripturæ, eaque juxta tuum errorem explicas, non ex S. Scriptura, nec ex sanctis Patribus tua probans; sicque vera falsis mixta profers, ut incautos decipias: oportebat clara verba Christi & clara verba Ecclesiæ primitivæ vel SS. Patrum proferre, quibus Romanenses teterrimi erroris reos, & condemnari ostenderes; sententiam Ecclesiæ rectiùs sentientis Romanenses condemnantis non invenies, nisi fortè tuam prætensam reformatam intelligas, sed quid huic cum Ecclesia primitiva? an tua rectiùs sentiat? controversia est: & in veritate falsissimum est; quamvis autem per hæc sufficienter tua verba sine authoritate prolata refutata sint, tamen pro veritate doctrinæ Romanæ & ad ostendendam tuam & tuorum in disputando fraudulentiam: tum verba Christi, tum SS. Patrum doctrinam clariùs proponam. II.

Respondeo itaque secundò, verba Christi, ad quæ Dominus Anonymus alludit, cùm formalia non referat, hîc referam, & hæc sunt Matt. 24. cùm dixisset Christus: *Amen dico vobis, non relinquetur lapis super lapidem, & discipuli* v. 3. *Dic nobis, quando hæc erunt? & quod signum adventus tui & consummationis sæculi?* putantes Christum brevi aliquod regnum terrenum incepturum, ùt patet alibi ex aliis illorum verbis. Christus respondit: *Videte ne quis vos seducat; multi enim venient in nomine meo dicentes: Ego sum Christus, & multos seducent, &c.* & cùm dixisset quòd multa mala futura essent, sed nondum finis, priùs enim Euangelium prædicandum in universo orbe, & tunc veniet consummatio, & postea dicit v. 23. *Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic: nolite credere, surgent enim pseudo-Christi & pseudo-Prophetæ, & dabunt signa magna, &c. si ergo dixerint vobis ecce in deserto est, nolite exire, ecce in penetralibus nolite credere: sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret usque ad Occidentem, ita erit & adventus filii hominis, &c.* hæc sunt verba Domini. III.

Hæc verba agnoscit & reveretur S. Ecclesia Romana. Ecce Christus expressè prædicit primò, quòd tales pseudo-Christi venturi sint, qui se ipsos prædicabunt, dicentes: *Ego sum Christus, & multos seducent,* secundò, quòd illi pseudo-Christi habebunt suos pseudo-Prophetas, qui illos pseudo Christos prædicabunt, dicendo, ut illos accedant *in deserto,* vel *in penetralibus,* & ibi ipsos audiant, qui se Christos esse dicent: ubi Christus Dominus manifestè indicat, 1. quod tales pseudo-Christi erunt homines visibiles, qui humano modo se ipsosmet prædica- IV.

Digitized by Google

bunt, & in desertis & occultis locis hærebunt, seu in angulis. 2. quòd ipsorum pseudo-Prophetæ homines ad illos pseudo-Christos invitabunt, ut ipsos in deserto & angulis accedant, & ipsos audiant, ut ab ipsis miracula experiantur. Nónne hæc clarissimè ex textu patent. Juxta hæc diversos post Christi Ascensionem fuisse seductores, constat ex historiis, qui se Christum esse dixerunt: sed quâ fronte D. Anonymus vel Acatholici hæc ad V. Sacramentum Eucharistiæ detorquere audent?

V. Vide D. Anonyme; an Christus dicat, quòd pseudo-Christi erunt in pixide vel ciboriis invisibiliter absconditi? prout tu falsò & perversè verba Christi explicas: nónne V. Sacramentum Eucharistiæ per totum orbem publicè exponitur, non in desertis & angulis? An Christus in V. Sacramento visibiliter prædicat se alium Christum ab illo, qui ex Maria Virgine natus & pro nobis crucifixus est? an hoc Doctores Ecclesiæ prædicant? An Ecclesia Romana docet, istum esse Christi adventum? quem Christus visibilem expressè dixit futurum in die judicii, sicut fulgur? nunquid contra illos Christus fideles præmonere voluit, qui visibiliter venturi essent & prædicaturi se esse Christos, ac fideles seducturi? hoc credit Ecclesia, sed Christus nunquam monuit, ut ipsum Christum in Eucharistia non agnoscerent invisibiliter præsentem, vel ut ab illa sibi caverent, hoc ostendant Acatholici de Eucharistia, cùm potius Christus promiserit se semper invisibiliter cum Ecclesia mansurum. Matth. ult. v. ult. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.*

VI. Dic, quæso, ubi Ecclesia talem Christum prædicat, vel ad talem Christum invitat, vel ad talem homines mittit, qui in deserto vel in penetralibus seipsum esse Christum prædicet; qui illos excipiat, coram illis prodigia faciat? Ecce quàm falsò & impudenter Acatholici verba Christi contra Ecclesiæ doctrinam de V. Eucharistia detorqueant, cum SS. Patres illa verba de hæreticis verè exponant, ùt alibi dictum est.

VII. Ecclesia Romana cum veteri Ecclesia credit: quòd Christus verus Deus & homo pro nobis passus resurgens à mortuis ascenderit in cœlum, sedeatque ad dexteram Patris, visibilis & gloriosus, ab Angelis adoretur, ibique maneat, donec gloriosus visibiliter ad judicium veniat: sed cum hoc consistit, quod ore suo promisit, scilicet, quòd etiam in Sacramento Eucharistiæ invisibiliter præsens esse velit, dicendo: *Hoc est Corpus meum, hoc facite in meam commemorationem.* Sicut non obstante, quòd maneat ad dexteram Patris, etiam promisit dicens: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* Matt. 28. v. ult. sicut etiam apparuit Paulo, prout dicit Ananias Act. 9. v. 17. *Saule frater, Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in via, quâ veniebas, &c.* & ipse Paulus ait 1. Cor. 15. v. 8. *Novissimè omnium tanquam abortivo visus est & mihi.*

VIII. Quòd autem vetus Ecclesia crediderit Christum verè & realiter licèt invisibiliter præsentem esse in S. Eucharistia juxta S. Scripturam, & ipsius Christi institutionem, abunde in lib. de Eucharistia ostensum est, credit enim Ecclesia Rom. quòd sicut Deus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, unus Deus secundum suam substantiam verè est in cœlis, & tamen secundùm eandem substantiam suam ex naturali sua immensitate est in terra & in omni loco: sic etiam Christus secundùm humanitatem suam sedeat ad dexteram Patris in cœlis, & tamen secundùm eandem humanitatem suam, non ex vi unionis hypostaticæ, nec ex ipsius humanitatis naturali virtute, vel exigentia, secundùm quam tantùm in uno loco esse potest, sed per ipsius divinitatis omnipotentiam ex sua voluntate juxta promissionem suam realiter præsens sit in venerabili Sacramento Eucharistiæ: sic S. Scriptura pronunciat & sancti Patres docuerunt, ùt ostensum est. Christus, qui veritas est & omnipotens, ipse dixit, ipse promisit, cujus clarissima verba, vos, ô Acatholici, evertitis contra unanimem sanctorum Patrum sententiam, solo vestro innixi cerebro; quod illud capere non potest, & juxta illud impossibilia impiè negatis, quæ Deus expressè dixit.

Ad id quod dicis: *Sedet ad dexteram Patris, atque tam diu ibi morabitur, donec ipse panis animarum nostrarum redibit ad iudicandum vivos & mortuos, inde ipsum exspectamus,* &c. IX.

℟. Ecclesia Romana credit Christum secundùm humanitatem sedere in cœlis ad dexteram Patris, & quòd ibi morabitur donec veniat gloriosus judicare vivos & mortuos; & inde illum sic expectamus, &c. sed quid hinc infers? ergo non est simul invisibiliter in Sacramento Eucharistiæ? negatur conseq. ùt patet ex prædictis.

Quòd autem dicis: *Ipse panis animarum nostrarum redibit ad iudicandum.* X.

℟. Si specificativè loquaris, scilicet Christus qui est panis animarum veniet judicare, id verissimum est; si autem intelligas reduplicativè, Christus quatenus panis est animarum nostrarum redibit judicare, quasi tunc venturus sit nos suo sacro corpore & Sanguine in Ecclesia pascere; falsum est; quia redibit quatenus Judex, ut præmium det illis, qui ipsum ut panem vivum seu ipsius corpus & sanguinem in terris dignè manducàrunt, qui verò ipsum panem vivum seu ipsius Corpus & Sanguinem indignè manducarunt, condemnabit.

Ubinam D. Anonyme legisti in S. Scriptura, quòd Christus modo non veniat, ut panis & esca animarum nostrarum ad fideles in Eucharistia, licèt maneat simul sedens ad dexteram Patris? quid ergo inde habes, in quo Ecclesia Romana doceat contrarium illius, quod Ecclesia primitiva docuit? ostende & proba, tu tua verba profers. XI.

Rursus, cùm dicis: *Quotiescunque sacris huius escæ symbolis in cœna fidelitèr fruimur, ut & esca ipsa; si sursum corda habeamus ad Dominum cum vetere orthodoxa Synaxi, annunciamus mortem Domini donec ipse veniat, &c.* hæc Anonymus. XII.

℟. 1. Ecclesia Catholica Rom. dum fruitur sacris Eucharistiæ symbolis & ipso Christi Corpore sub symbolis realiter præsente cum vetere Ecclesia, sursum habet corda; & annunciat mortem Domini præteritum, & adventum Christi gloriosum futurum in judicio, quid ergo habet contrarium veteri Ecclesiæ? XIII.

℟. 2. falsum est, quod vos cum vetere orthodoxa Ecclesia, dum vestram escam sumitis, sursum corda ad Dominum habeatis, vel quoad nomina, vel quoad rem: non quoad nomina, nam in veteri Ecclesia in hujus mysterii celebratione sacerdos populum hortabatur altâ XIV.

Digitized by Google

altâ voce, dicens: *Sursum corda*, & illi respondebant, *habemus ad Dominum*, ut patet ex SS. Patribus; sufficiat hic Chrysostomus homil. de Eucharistia dicens: *quid facis, o homo: non promisisti sacerdoti, qui dixit sursum corda, & dixisti; habemus ad Dominum?* An hoc vos facitis vel dicitis, Domine Anonyme? hoc facit & dicit quotidie moderna Romana Ecclesia. 2. quoad rem ipsam vetus Ecclesia sub hujus mysterii Eucharistici celebratione non tantum erigit corda ad Dominum in cœlis existentem, sed etiam in terra præsentem, in primis quoad Deitatem, ut evidens est, erigit etiam corda à terrenis ad Christum Deum & hominem quem credit juxta verbum suum in Eucharistia post verba consecrationis fore præsentem realiter quoad humanitatem suam, & facta consecratione erigit corda ad Christum etiam secundum humanitatem in Altari sub symbolis panis & vini præsentem: ut copiosè ostensum est in libro de Sacramento Eucharistiæ & patet ex SS. Conciliis & SS. Patribus, specialiter ex verbis Concilii Niceni 1. quæ habentur in actis illius, ubi sic dicitur: *Iterum etiam hic in divina mensa ne humiliter intenti simus ad propositum panem & calicem, sed attollentes mentem, fide intelligamus situm in sacra illa mensa Agnum illum Dei, tollentem peccata mundi, incruentè à sacerdotibus immolatum, & pretiosum ipsius Corpus & sanguinem verè nos sumentes credere hæc esse nostræ resurrectionis symbola propter hoc enim neque multum accipimus, sed parum, ut sciamus non ad Satietatem* Corporis, *sed ad sanctificationem* animæ *sumi, &c.* hæc Concilium, quid clarius dici potest? licet aliqui Acatholici illa verba detorquere conentur sed frustra; nam clarum est, quod Concilium hortetur fideles ut nō simpliciter ad exteriores panis & vini species attēdant, quas oculis vident, sed mentem attollant ad invisibilem Agnum *Dei*, quem juxta fidem intelligunt *in illa mensa situm*, adeoq; non solum in cælo situm, qui à sacerdotibus incruentè ibidem immolatus est; præterquam, quòd in Cruce cruenter oblatus fuit, ubi clarum est, quod Concilium dicat, non solas species in altari esse quæ significent Agnum in cœlo existentem, sed quod ipse agnus in illa sacra mensa situs sit, *&c.*

XV. Hæc omnia vos, ô Acatholici nec creditis nec servatis, quæ Concilium ibi certò credenda proponit, sed contemnitis & blasphematis. Si dixeris, nemo dicitur moneri, ut sursum corda elevet, nisi cor elevet ad Christum ad dexteram Patris tantùm in cælo sedentem.

XVI. Respondeo, quàm turpis est hæc expositio; nunquid cor sursum levatur ad Dominum Deū etiam in terris præsentem? an non David elevabat cor sursum ad Dominum, dum dicebat: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi.* Ps. 15. v. 8. Nunquid prophetæ ad Dominum corda sursum habebant, dum dicebant, ut Elizæus; *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto.* 4. Reg. 3. v. 14. & alibi sæpe. Certè ille verissimè cor sursum elevat & habet, qui relictis cogitationibus & affectibus circa creata, cor sursum ad Deum summum bonum convertit; sic faciunt Catholici, dum sub missa ante consecrationem cogitant, Christum Salvatorem pro nobis passum & V. Sacramentum in memoriam suæ Passionis instituisse à fidelibus suscipiendum, & factâ consecratione Christum in V. Sacramento realiter præsentem adorant; hæc D. Anonyme considera & erubesce.

Demum post tua verba proposita sic subsumis dicens: *Ab ista fide Romanenses moderni defecerunt; & ob eam defectionem ore Christi & Ecclesiæ rectius sentientis sententiā rei teterrimi erroris aguntur, Deus convertat eos, Amen, &c.* hæc Anonymus. XVII.

Respondetur, ô miser D. Anonyme, mirum quòd non erubescas, sic subsumere, sic concludere; imò sic crassè mentiri; Considera verba Christi clarissima in S. Scriptura expressa, tot clarissima SS. Patrum testimonia in lib. de V. Eucharistia allegata, & nisi impudens cum tuis & obstinatus esse velis, clarè vides; quod Romanenses fidei veræ orthodoxæ veteris Ecclesiæ in speciali quoad hoc V Sacramentum inhæreant, à quo vos Neoterici pessimè defecistis; ostende verba Christi; ostende SS Patrum seu Ecclesiæ primitivæ rectius sentientis sententiā, quā Romanenses teterrimi erroris rei agantur vel condemnentur, hoc à te exegeram, hoc te facturum promiseras; non satis est tua nuda verba proferre; sic quilibet mendax & calumniator quamlibet veritatē rejicere potest, verba Christi à te allegata contra pseudo Christos ostensum est, quod nullatenus loquantur de V Sacramento in Ciboriis existente; hoc tuum erat probare. Nos econtra clara verba Christi habemus in speciali de ven. Sacramento de quo dixit: *Accipite & manducate, hoc est Corpus meum.* Vos clara verba Christi negatis, & dicere audetis, non est Corpus Christi, sed figura Corporis Christi. SS. Concilia & SS Patres simul crediderunt, quod Christus secundum humanitatem gloriosus & visibilis ab Angelis sedeat ad dexteram Patris in cælis, & inde in forma gloriosa & visibili venturus sit ad judicium; nihilominus juxta promissum suum & verbum, maneat cum suis fidelibus usque ad consummationem sæculi; & specialiter, ac realiter etiam secundum humanitatem suam hominibus invisibilis existat in V. Sacramento, & ore fidelium etiam corporali recipiatur non ut Corpus satietur vel saginetur, sed ut anima sanctificetur; sic Ecclesia rectius sentiens monuit olim fideles, ut ad Christum Agnum Dei sub symbolis panis & vini in S. mensa situm, corda à terrenis sursum attollerent. quid magis sursum est corda attollere quā ad Deum summum, mentem levare? *&c.* Hoc est verbum Christi, hæc est fides & doctrina veteris Ecclesiæ, quam Romanenses moderni profitentur, à qua vos solo vestro cerebro innixi defecistis: quā fronte, quā audaciā itaque dicere non erubescis, quod à fide veteri Romanenses defecerint? verum est, quod ab illa fide, quam tu verbis Christi, & SS. Patribus falso affingis Romanenses non defecerint, quia nunquam illam SS. Patres agnoverunt sed abhorruerint, & vos teterrimi erroris rei, jam dudum à SS. Patribus per illorum doctrinam præcondemnati estis. O utinam hæc agnosceres, & sincero animo cum tuis diceres; *Converte nos Deus salutaris noster, & averte iram tuam à nobis.* XVIII.

Amen.

CON-

CONCLVSIO.

I. EX hactenus dictis, ostensis & probatis, sincerus Lector clarè perspiciet, quàm longè Acatholici à veritate fidei orthodoxæ primitivæ Ecclesiæ defecerint; econtrà quam integrè & inviolatè eandem fidem Ecclesia Romana moderna conservet & profiteatur, ut tanquam in speculo hæc sincero Lectori pateant, compendiosè omnia hîc subjiciam.

II. Proposueram nobili D. Anglo Vexillifero, qui jactitârat, & se probaturum promiserat; quod prætensi Reformati in articulis fidei, quos Romanæ Ecclesiæ contrarios docent, cum primitiva Ecclesia consentirent; proposueram, inquam, aliquos in specie articulos, quos ipsi de fide docent, ut ostenderet illos à primitiva Ecclesia creditos ac doctos esse, prout ipsi illos docent, & contrarios Romanæ Ecclesiæ damnant.

III. Demum proposueram, ut vel unicum articulum fidei ostenderet, quem Ecclesia Romana moderna docet, in quo à fide primitivæ defecisset, vel qui ab illa hæreseos, vel idololatriæ damnatus esset; sicut ipsi Acatholici plures Ecclesiæ Romanæ articulos damnant. Ego autem obtuleram, quòd plures articulorum, quos prætensi Reformati de fide certos credunt, à primitiva Ecclesia erroris & hæreseos positivè & expressè damnati fuerint, demonstrare vellem; ego per Dei gratiam, quod in me susceperam clarissimè demonstravi per singulos libros, & præsertim in libro de verbo Dei non scripto, & libro de Ecclesia, & etiam in hoc libro aliquoties.

IV. Quòd verò nec unicum articulum Acatholici ostendere possent inter articulos Ecclesiæ Romanæ ab antiqua damnatum, vel etiam antiquæ contrarium, copiosè per singulos libros ostendi; & quidem quoad ultimam meam propositionem id ipsum patet in hoc libro. Authores illi Anonymi trium libellorum D. Vexilliferi vices & provinciam susceperunt, promiseruntque quod meæ petitioni & D. Vexilliferi promissioni satisfacere vellent, sed contrarium ex hactenus dictis patet, prout obiter repetam.

V. *Author primi Libelli* ad meam petitionem sic proloquebatur: *Iubet ostendere Romanam Ecclesiam in ullo articulo deflexisse ab Ecclesia primitiva; latum aperit campum, & vel ignoranter vel satis procaciter, sed paucis me contineo, &c.* hæc ille quasi plurima haberet, sed paucæ evidentissima probare vellet.

VI. *Primum Argumentum sumpsit* de libris S. Scripturæ Canonicis, volens ostendere, quòd Concil. Trid. in Canone horum librorum à primitiva defecisset, sed ostensum est contrariũ Cap. 1. art 1 quod prætensi Reformati defecerint.

VII. *Secundum Argumentum* erat, de Versione Latina vulgari, ubi etiam ostensum est, quòd Ecclesia Romana à primitiva non dissentiat; ipsi verò prætensi Reformati defecerint, quotidie novas mendaces versiones fabricando.

VIII. *Tertium Argumentum* erat de verbis Christi, *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam, &c.* quasi Ecclesia moderna illa contra SS. Patres explicaret de Petro, *&c.* ostensum est etiam: hoc falsum esse & prætensos Reformatos in hoc antiquæ Ecclesiæ contradicere.

Quartum erat; quod Ecclesia moderna Romana cõtra doctrinam S. Augustini doceat, *de justificatione & meritis justorum.* imò quòd *Augustinus universaliter omne meritum neget, sicut prætensi Reformati, &c.* Ostensum est contrarium ex SS. Patribus, & præcipuè ex ipso Augustino, & impudentis mendacii Anonymus convictus est. IX.

Quintum Argumentum erat: quod Patres primitivæ Ecclesiæ, minimè agnoverint ultimatum judicium vel primatum Pontificis Romani, sed hoc falsum esse, clarissimè ex SS. Patribus ostensum est. X.

Author Anonymus secundi Libelli etiam ad meam propositionem sic proloquebatur: *Miramur astum, sed magis fastum tuum: quem in finem petis, ut ostendamus Patres aliquem vestrorum articulorum damnare? &c.* ubi promittit se ostensurum; quod plures articuli Romanæ Ecclesiæ à SS. Patribus quoad rem damnati fuerint, & ignorati; sed de sua promissione meritò diffidens folium vertit dicens: *An tu possis ostendere aliquem nostrorum articulorum à Patribus primævis damnatum esse sicut vos damnatis?* Ego inprimis ostendi aliquot articulos ipsorum, quos Ecclesia primitiva hæreseos damnavit, sicut Romana Ecclesia damnat, prout ex probatissimis SS. Patribus ostensum est. XI.

Verùm ipse Author Anonymus suum promissum probaturus me ad alios suæ doctrinæ Authores remittit. Secundò ne tamen nihil fecisse videatur, tres articulos Ecclesiæ Romanæ maximi, ut ait, momenti mihi proponit; ut de his consensum ostendam SS. Patrum: cum tamen ipsius munus esset probare; quod Ecclesia Romana in illis tribus articulis à primitiva dissentiret sed ipse facere non potuit, ideo non tentavit ego autem tres illos articulos probavi. XII.

Primus erat; *quòd Traditiones Apostolicæ pari pietatis affectu sint recipiendæ, venerandæ cum S. Scriptura*, prout Concil. Trid. sess. 4. profitetur. Hunc articulum veteri Ecclesiæ consonum esse ostendi ex SS. Patribus, qui expressè ex ipsa S. Scriptura probant; quod in Ecclesia detur verbum Dei ab Apostolis non solum in sacro Canone scriptum, sed etiam oretenus prædicatum & Ecclesiæ traditum; quod Traditiones divinas vocamus, quod ut verbum Dei, quale revera est, æquali cum verbo Dei scripto venerandum sit Cap. 2. art. 4. Econtra ostendi ibid. art. 5. quod antiqui hæretici, (quasi etiam Acatholici hæreseos damnant) nullum Dei verbum traditum agnoscere voluerint sed dixerint: *Si quid de divinis scripturis protuleris, necesse est, ut audiamus, hæ vero voces, quæ extra scripturam sunt, nullo casu à nobis suscipiuntur* quod confirmare volebant per verba Christi dum dixit, *sine causa colunt me docentes mandata & præcepta hominum, &c.* Sic *Ariani, Macedoniani, Eunomiani, Nestoriani, & Eutychiani olim contra veterem* Ecclesiam & SS. Patres excipiebant; sic Acatholici modo contra Ecclesiam Romanam excipiunt, unde non solum ostensum est, quod Ecclesia Romana quoad Traditiones, cum veteri consentiat, sed etiam XIII.

quod

ed by Google

quòd Acatholici antiquis hæreticis consentientes veteri Ecclesiæ contradicant.

XIV. Secundus Articulus erat de *Communione sub utraque specie*; de hoc D. Anonymus voluit à me probari consensum veteris Ecclesiæ: illum probavi lib. de ven. Sacramento & hîc Cap. 2. art. 6. & ostendi; quam longè moderni Acatholici à Doctrina & usu circa S. Eucharistiam non solum ab Ecclesia veteri sed & à S Scriptura defecerint.

XV. Tertiùm Articulum proponebat *de sacrificio missæ propitiatorio*: ut consensum Ecclesiæ veteris demonstrarem; hoc ipsum copiosè præstiti lib de Sacrificio Missæ, & hoc lib. Cap. 2. art. 7. Econtra art. 8. ostendi, quòd articulus Acatholicorum negans sacrificium propitiatorium pro defunctis in Ecclesia offerendum, sit hæresis olim ab Ecclesia expressè in Aërio & aliis hæreticis damnata; & simul demonstravi impudens & crassum Anonymi mendacium ac turpem calumniam, dum dicere audet, *me adhærere Religioni veræ antiquitatis præsidio destitutæ, & quæ meris hominum placitis nitatur, &c.* Cum idipsum de ipsis verissimum sit, qui nullum illorum articulorum, in quibus à Catholica Romana dissident, claris S. Scripturæ vel SS. Patrum testimoniis probare possint sed ex suo cerebro falsas consequentias fabricant.

XVI. Iste autem Doctor Anonymus, postquam illos tres articulos nudè suis proposuisset verbis, triumphabundè exclamabat, dicens: *hic Rhodus, hic saltus*, &c. *peto ut in hisce consensum vestrum cum patribus*, &c. *ostendas; quod si feceris, non dexteram, sed collum amputandum porrigo; sed sanctè coram Deo, quid gravius promitto*, &c. Iudicet autem sincerus Lector; an non consensum nostrum cum Patribus in his tribus articulis, & Acatholicorum non solum dissensum, sed etiam hæresim ab Ecclesia veteri damnatam ostenderim? non ego dexteræ vel colli illius amputationem: sed sanctam & sinceram illius animæ conversionem opto, & à Deo petó, utinam saperet & intelligeret.

XVII. Author Anonymus tertii libelli, sic dicebat. *Vlterius petis unicum saltem articulum fidei, tibi ostendi, à quo Ecclesia tua Romana defecerit, in quo ab Ecclesia antiqua prædamnata fuerit, satisfaciam petitioni tuæ*, &c.

XVIII. Hæc probaturus primo ostendere vult: quod Ecclesia Romana doceat Filium in SS. Trinitate esse creatum contra symbolum Athanasii, & quotidie de novo in S. Eucharistia ex pane incarnari, ac plurimos quotidie creari Christos, hanc autem esse doctrinam Ecclesiæ Romanæ probat ex quodam ignoto libello (*Stella Clericorum*) dicto, & ex *Gabriele Biel*, &c.

XIX. Ostendi autem hanc esse crassam & impudentem calumniam, cùm hoc ipse ostendere deberet ex Concil. Trid. hanc esse Ecclesiæ Romanæ doctrinam, quidquid sit de illis libellis & tamen ostendi quod *Gabriel Biel* aliqua referat ex S. Gregorio & S. Bernardo, quæ ipse piè & sanctè explicat, ut nullo modo tali calumniæ deserviant. Ostendi autem econtrà, quod Acatholici contra symbolum S. Athanasii doceant posse aliquem salvari, qui integram fidem Catholicam non servat, imò quod non credant Deum Patrem ingenitum vel increatum, & Filium increatum, quia hæc verba non exprimuntur in S. Scriptura, sed SS. Patres ex verbo Dei tradito habebant, quod ipsi rejiciunt.

Secundum, Argumentum illius erat; quòd illi, qui docent, quod Christus secundum humanitatem realiter est præsens in S. Eucharistia, solvant Iesum, & negent Christum in carne venisse; verùm ostendi hanc iterum esse ineptam, crassam, & turpem calumniam contra ipsam S. Scripturam & communem SS. Patrum consensum; ostendi autem è contrario, quod Acatholici verè solvant Iesum, & negent ipsum in carne venisse, prout D. Augustinus probat omnes hæreticos qui solvunt unitatem Ecclesiæ & charitatem lædunt, solvere Iesum & negare Iesum in carne venisse. quia ideo Iesus in carne venit ut ex charitate fideles in unum colligeret, ipsi autem fideles dissipant & ab Ecclesia separant. XX.

Tertium illius Anonymi argumentum erat; quòd illi sint Christi & pseudo prophetæ, qui dicunt Christum esse præsentem in Ciboriis, &c. secundo, quod illi qui dicunt Christum esse præsentem in Eucharistia negant Christum sedere à dextris Patres, & ibi manere donec veniat ad judicium. Tertiò quod Acatholici dum suam Escam sumunt cum vetere Ecclesia Corda sursum habeant, non verò Romanenses. Et quod in hoc Romanenses teterrimi erroris rei agantur. XXI.

Ostendi autem has esse meras & impudentes calumnias, quas ipse Anonymus per falsas & fictas consequentias, fabricat; cùm tamen ipsius muneris esset, vel unum clarum S. Scripturæ textum adferre, ubi Christus dicat suum Corpus non fore præsens in ven. Sacramento vel SS. Patrum testimonia id negantia. Ostendi autem Acatholicos contra clara Christi verba & SS. Patrum testimonia negare Christi Corpus esse præsens in Eucharistia; nec more veteris Ecclesiæ corda sursum habere ad Christum altari præsentem & situm; Ecclesiam Catholicam cum veteri Ecclesia credere Christum Iesum secundum humanitatem sedere ad dexteram Patris in cælis, & inde venturum ad judicium, ac simul manere cum fidelibus usq; ad consummationem seculi, & speciatim præsentem esse in S. Eucharistia, quia ipse dixit, & ipse secundũ suam omnipotentiã id præstare potest, & voluit pro solatio & bono suorũ fidelium, qui ipso pane vivo pascuntur, & ipsũ in die judicii non panẽ, sed judicem vivorũ & mortuorum exspectant; corda autem quotidie & specialiter in missa sursum ad Christum à terrenis tam in cœlo quam in Eucharistia præsentem elevant. XXII.

Iam provoco ad conscientias vestras, ô vos tres Domini, qui, vel ex timore confusionis in defectu probationis, vel ut liberiùs calumniaremini, nomina vestra occultastis; vel si vos pertinaces sitis, ad conscientiam cujuscunque sinceri Lectoris appello, ut ex hactenus actis, probatis & ostensis, judicet, utrumnã Ecclesia Romana moderna in articulis fidei inter ipsã & Acatholicos cõtroversis ab Ecclesia primitiva defecerit an potius Acatholici? dixistis quod latum vobis aperue- XXIII.

Digitized by Google

aperuerim campum; jactitâstis, quod plurima habeatis, in quibus Ecclesia Romana defecerit; promisistis, quod pauca ex pluribus evidentissima producetis, & cum onus probandi vobis incumberet, à me exegistis; quid autem produxeritis ex præmissis patet. Ego autem in his libris tam ex S. Scriptura quam ex clarissimis SS. Patrum testimoniis articulos ab Ecclesia Romana doctos ostendi tam sacræ scripturæ quam veteri Ecclesiæ esse consentientes; At verò illi tres DD. Anonymi, qui onus probandi in se susceperant, quod Acatholicorum articuli fidei, in quibus à Romana dissentiunt Ecclesia, cum primitiva Ecclesia convenirent, ne unicum quidem ostendere potuerunt consentientem; & quantumvis sese obligarint, quod plures articulos fidei ostendere vellent, in quibus Ecclesia Romana à primitiva dissideat, ut sileam, quod ab Ecclesia primitiva damnati fuerint; ne unicum ostendere potuerunt; sed meras fictas calumnias protulerunt, ego verò ex clarissimis SS. Patrum testimoniis ostendi plures Acatholicorum Articulos, quos de fide credunt & profitentur moderni contra Ecclesiam Romanam, olim à primitiva Ecclesia positivè & expresè hæreseos damnatos fuisse, quis hæc considerans, non miretur pertinaciam & superbiam Acatholicorum; qui veritati tam claræ resistunt, & Ecclesiam Romanam teterrimorum errorum ream à primitiva Ecclesia prædamnatam proclamare non erubescunt. Deus misereatur ipsorum, & obstinata corda movere dignetur, ut veritatem agnitam recipiant; vel saltèm illi, qui ipsorum mendaciis & figmentis, ac calumniis decepti ab Ecclesia Romana aberrant, fidei lumen agnoscant & sequantur.

Amen.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX SENTENTIARUM SACRÆ SCRIPTURÆ.

EX VETERI TESTAMENTO.

GENESIS.

Cap. V.

1. 22. Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris: avésque multiplicentur super terram. *l.* 11. *c.* 3. *a.* 6. *n.* 2.
26. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, *l.* 7. *c.* 4. *a.* 3. *n.* 7. *& cap.* 5. *a.* 2. *n* 4.
27. Et creavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, *l.* 9. *c.* 2. *a.* 4. *n.* 7.

2. 17. De ligno autem scientiæ boni & mali nè comedas. In quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris, *l.* 8. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 2.

3. 8. Et cùm audissent vocem Domini deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, &c. *l.* 7. *c.* 5. *a.* 2. *n.* 3.

4. 4. Abel quoque obtulit de primogenitis suis, & de adip bus eorum, &c. *l.* 12. *c.* 4. *a.* 4. *n.* 12.
4. Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus. Ad Caïn verò, & ad munera ejus non respexit, *l.* 10. *c.* 6. *a.* 3. *n.* 1.

5. 22. Et ambulavit Henoch cum Deo, *ibid. a.* 1. *n.* 5.

6. 3. Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est, *l.* 15. *c.* 3. *a.* 1. *n.* 7.
8. Noë verò invenit gratiam coram Domino, *l.* 10. *c.* 3. *a.* 4. *n.* 6.
9. Noë vir justus atque perfectus fuit, *&c.* cum Deo ambulavit, *l.* 10. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 6. *& cap.* 3. *a.* 4. *n.* 6. *& cap.* 6. *a.* 1. *n.* 5.
12. Cùmque vidisset Deus terram esse corruptam. Omnis quippe caro corruperat viam suam, &c. *l.* 10. *c.* 3 *a.* 4. *n.* 6.

8. 20. Ædificavit Noë altare Domino, *&c.* Obtulit holocausta super altare, *l.* 16. *c.* 4. *a.* 4. *n.* 1.

9. 1. Crescite & multiplicamini, & replete terram, *l.* 11. *c.* 3. *a.* 6. *n.* 1.

14. 18. At verò Melchisedech Rex Salem proferens panem & vinum (erat enim sacerdos Dei altissimi) benedixit ei, &c. *l.* 4. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 3. *& l.* 16. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 2.

15. 1. Ego, *&c.* merces tua magna nimis, *l.* 4. *c.* 3. *a.* 4. *n.* 8. *& l.* 10. *c.* 5. *a.* 4. *n.* 1.

16. 12. Hic erit ferus homo, manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum, &c. *l.* 4. *c.* 3. *a.* 1. *n.* 1.

17. 1. Ambula coram me, & esto perfectus, *l.* 10. *c.* 6. *a.* 1. *n.* 5.
7. Ut sim Deus tuus & seminis tui post te, *l.* 13. *c.* 2. *a.* 4. *n.* 1.
13. Eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum, *ibid.*

18. 1. Apparuit ei Dominus in convalle Mambre, &c. *v.* 2. Apparuerunt ei tres viri, *l.* 15. *c.* 5. *a.* 7. *n.* 3.

19. 1. Venerúntque duo Angeli Sodomam, & sedente Loth in foribus civitatis. Qui cùm vidisset eos, &c. *l.* 7. *c.* 6. *a.* 1. *n.* 1. *& cap.* 7. *a.* 2. *n.* 1. *& l.* 15. *c.* 5. *a.* 7. *n.* 3.

Cap. Vers.

20. 3. En morieris propter mulierem, quam tulisti: habet enim virum, *l.* 16. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 3.

21. 12. Non tibi videatur asperum super puero & ancilla tua: omnia quæ dixerit Sara, audi vocem ejus, quia in Isaac vocabitur tibi semen, *l.* 4. *c.* 2. *a.* 18. *n.* 6. *& cap* 3. *a.* 1. *n.* 1.

22. 5. Exspectate hic cum asino, ego & puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos, *l.* 16. *c.* 3. *a.* 1. *n.* 2.
18. BENEDICENTUR in semine tuo omnes Gentes terræ, *l.* 3. *c.* 3. *a.* 4. *n.* 3. *& l.* 4. *c.* 2. *a.* 6. *n.* 1.

23. 7. Surrexit Abraham, & adoravit populum terræ, *l.* 6. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 2.

24. 35. Dominus benedixit Domino meo valde, *&c.* & dedit ei oves & boves, &c. *l.* 16. *c.* 7. *a.* 7. *n* 15.

28. 12. Viditque in somno scalam, *&c.* & Dominum innixum scalæ dicentem sibi: *v.* 13. Ego sum Dominus Deus Abraham, &c. *l.* 7. *c.* 5. *a.* 2. *n.* 3.
14. Eritque semen tuum quasi pulvis terræ, *&c.* Et BENEDICENTUR in te & in semine tuo cunctæ tribus terræ, *l.* 3. *c.* 3. *a.* 4. *n.* 3. *& l.* 4. *c.* 2. *a.* 16. *n.* 8.
17. Quàm terribilis est locus iste, non est hic aliud nisi domus Dei, &c. *l.* 4. *c.* 2. *a.* 18. *n.* 13.
20. Vovit etiam votum dicens: Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via, &c. *l.* 11. *c.* 6. *a.* 4. *n.* 3.

30. 33. Respondebitque mihi cras justitia mea, *&c.* *l.* 9. *c.* 1. *a.* 2. *n.* 2.

32. 24. Ecce vir luctabatur cum eo usque mane, *l.* 7. *c.* 6. *a.* 1. *n.* 1. *& l.* 15. *c.* 5. *a.* 7. *n.* 3.

37. 35. Descendam ad filium meum lugens in infernum, *l.* 8. *c.* 6. *a.* 1. *n.* 2.

48. 16. Invocetur super eos nomen meum, nomina quoque Patrum meorum, &c. *l.* 6. *c.* 4. *a.* 2. *n.* 2. *& cap.* 7. *a.* 2. *n.* 6.
16. Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, &c. *l.* 6. *c.* 6. *a.* 2. *n.* 1.

49. 1. Vocavit Jacob filios suos, & ait eis: Congregamini, ut annuntiem, quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis, &c. *l.* 4. *c.* 2. *a.* 3. *n.* 2.
10. NON AUFERETUR sceptrum de Juda, & dux de fœmore ejus, donec veniat, qui mittendus est: & ipse erit exspectatio Gentium, &c. *ibid.*
27. Benjamin lupus rapax, &c. *l.* 4. *c.* 2. *a.* 18. *n.* 5.

EXODUS.

Cap. V.

3. 2. Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, &c. *l.* 7. *c.* 5. *a.* 2. *n.* 4. *& l.* 15. *c.* 5. *a.* 7. *n.* 3.
4. Cernens autem Dominus, *&c.* vocavit eum de medio rubi, *ibid.*
5. Ne appropies huc, solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, terra sancta est, *l.* 7. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 6. *& cap.* 7. *a.* 3. *n.* 9.

Digitized by Google

Cap. Vers.

6. Ego sum Deus Patris tui, *&c.* Abscondit Moyses faciem suam; non enim audebat aspicere contra Deum, *l.* 7. *c.* 5. *a.* 2. *n.* 4. *& l.* 15. *c.* 5. *a.* 7. *n.* 3.

4. 1. Non credent mihi, neque audient vocem meam, &c. *l.* 3. *c.* 6. *a.* 4. *n.* 2.

5. Vt credant, quod apparuit tibi Dominus, *&c. ibid.*

6. 4. Nomen meum Adonai, non indicavi eis. *l.* 7. *c.* 7. *a.* 3. *n.* 6.

7. 12. Devoravit virga Aaron virgas eorum, *l.* 15. *c.* 5. *a.* 11. *n.* 2.

8. 19. Digitus Dei est hic, *l.* 3. *c.* 8. *a.* 4. *n.* 2.

12. 6. Servabitis eum usque ad quartamdecimam diem mensis hujus: immolabitque eum universa multitudo filiorum Israël ad vesperam, *&c. l.* 4. *c.* 5. *a.* 3. *n.* 5. *& l.* 16. *c.* 2. *a.* 4. *n.* 4.

8. Et edent carnes nocte illâ assas igni, & azymos panes, &c. *ibid. & l.* 16. *c.* 2. *a.* 4. *n.* 4.

11. Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, &c. *l.* 16. *c.* 5. *a.* 3. *n.* 6.

15. Septem diebus azyma comedetis: In die primo non erit fermentum in domibus vestris: quicunque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israël, &c. *l.* 4. *c.* 5. *a.* 3. *n.* 5.

16. Dies prima erit sancta & solemnis, & dies septima eâdem festivitate venerabilis, *l.* 7. *c.* 7. *a.* 3. *n.* 6.

21. Ite tollentes animal, & immolate phase, *l.* 16. *c.* 2. *a.* 4. *n.* 4.

26. Cùm dixerint vobis filii vestri, quæ est ista religio? dicetis eis victima transitus Domini est, &c. *ibid.*

13. 8. Narrabisque filio tuo in die illo dicens: Hoc est, quod fecit mihi Dominus, &c. *l.* 2. *c.* 3. *a.* 1. *n.* 3.

17. 11. Cùmque levaret Moyses manus, vincebat Israël: sin autem paululum remisisset, superabat Amalec, *l.* 7. *c.* 8. *a.* 4. *n.* 1. *& l.* 16. *c.* 8. *a.* 7. *n.* 2.

15. Ædificavitque Moyses altare, &c. *l.* 16. *c.* 4. *a.* 4. *n.* 1.

19. 8. Cùmque retulisset Moyses verba populi ad Dominum, &c. *l.* 6. *c.* 5. *a.* 1. *n.* 1.

10. Vade ad populum, & sanctifica illos hodie & cras, lavéntque vestimenta sua, & sint parati in diem tertium, *l.* 11. *c.* 8. *a.* 1. *n.* 4.

15. Cùmque lavissent vestimenta sua, ait Moses ad eos: Estote parati in diem tertium, & non appropinquetis uxoribus vestris. *ibid.*

20. 7. Non assumes nomen Domini in vanum, *l.* 7. *c.* 7. *a.* 3. *n.* 6.

11. Sex enim diebus fecit Deus cœlum & terram, requievitque in die septimo, ideo benedixit Dominus diei Sabbathi, & sanctificavit illum, *libro* 4. *cap.* 2. *a.* 14. *n.* 5.

22. 11. Jusjurandum erit in medio, quòd non extenderit manum ad rem proximi sui; suscipiétque Dominus juramentum, &c. *l.* 4. *c.* 7. *a.* 3. *n.* 5.

20. Qui immolat Diis, occidetur, præterquam Domino soli, *l.* 16. *c.* 1. *a.* 2. *n.* 5.

24. 8. Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum, &c. *l.* 16. *c.* 2. *a.* 4. *n.* 12. *&*, *c.* 5. *a.* 3. *n.* 3.

Cap. Vers.

9. Viderunt Deum Israël: & sub pedibus ejus, &c. *l.* 15. *c.* 5. *a.* 7. *n.* 3.

25. 18. Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies ex utraque parte oraculi, &c. *l.* 7. *c.* 5. *a.* 1. *n.* 1.

22. Inde præcipiam, & loquar ad te supra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt supra arcam testimonii, &c. *l.* 7. *c.* 7. *a.* 2. *n.* 2.

40. Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est, *l.* 7. *c.* 5. *a.* 2. *n.* 4.

28. 3. Loqueris cunctis sapientibus corde, quos replevi spiritu prudentiæ, ut faciant vestes Aaron, in quibus sanctificatus ministret mihi, *l.* 16. *c.* 8. *a.* 6. *n.* 1.

40. Filiis Aaron tunicas lineas parabis, ac balteos ac tiaras in gloriam & decorem: vestiesque his omnibus Aaron, *&c.* & filios ejus, *l.* 16. *c.* 8. *a.* 6. *n.* 1.

29. 38. Hoc est, quod facies in altari: Agnos anniculos duos per singulos dies jugiter, *l.* 16. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 10.

31. 1. Implevi eum spiritu Dei, sapientiâ & intelligentiâ, *&c.* ad excogitandum, quicquid fabrefieri potest ex auro & argento, &c. *l.* 7. *c.* 5. *a.* 1. *n.* 1.

6. Et in corde omnis eruditi posui sapientiam: ut faciant cuncta, quæ præcepi tibi: tabernaculum fœderis, & arcam testimonii, & propitiatorium, quod super eam est, *&c. ibid.*

32. 10. Dimitte me, ut irascatur furor meus, & deleam eos, &c. *l.* 6. *c.* 4. *a.* 2. *n.* 3.

13. Recordare Abraham, Isaac, & Israël servorum tuorum, &c. *l.* 6. *c.* 6. *a.* 2. *n.* 1.

14. Placatúsque est Dominus ne faceret malum, quod locutus fuerat adversus populum suum, *l.* 8. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 3.

28. Feceruntque filii Levi juxta sermonem Moysi; cecideruntque in die illa quasi viginti tria millia hominum, *ibid.*

32. Aut dimitte eis hanc noxam, aut, si non facis dele me de libro tuo, &c. *libro* 6. *c.* 7. *a.* 3. *n.* 1. *v.* 33. Cui respondit Dominus, &c. *v.* 34. Tu vade, & duc populum istum, *&c.* Ego autem in die ultionis visitabo, *ibid.*

33. 16. In quo enim scire poterimus ego & populus tuus, invenisse nos gratiam in conspectu tuo, *&c. l.* 8. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 3.

17. Dixit autem Dominus ad Moysen: Et verbum istud, quod locutus es, faciam, &c. *ibid.*

23. Tollámque manum meam, & videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris, *l.* 7. *c.* 5. *a.* 2. *n.* 4.

34. 28. Scripsit in tabulis verba fœderis decem, *l.* 4. *c.* 2. *a.* 12. *n.* 3.

35. 10. Quisquis vestrûm sapiens, veniat & faciat, quod Dominus imperavit, &c. *l.* 7. *c.* 5. *a.* 1. *n.* 1.

LEVITICVS.

Cap. V.

2. 2. Unus tollet pugillum plenum similæ & olei, ac totum thus, & ponet memoriale super altare in odorem suavissimum Domino, *l.* 10. *c.* 3. *a.* 4. *n.* 3.

4. Cùm obtuleris Sacrificium coctum in clibano: de simila panes scilicet absque fermento, *&c. l.* 16. *c.* 1. *a.* 2. *n.* 3. *& cap.* 5. *a.* 3. *n.* 9.

4.7. Po-

Digitized by Google

Cap. Verſ.

4. 7. Ponètque de eodem ſanguine ſuper cornua altaris thymiamatis gratiſſimi Domino, *l.* 10. *c.* 3. *a.* 4. *n.* 3.

6. 23. Omne enim ſacrificium Sacerdotum igne conſumetur, nec quiſquam comedet ex eo, *l.* 16. *c.* 7. *a.* 4. *n.* 1.

30. Hoſtia enim, quæ ceditur pro peccato, *&c.* non comedetur, ſed comburetur igni, *&c. ibid.*

7. 1. Hæc quoque lex hoſtiæ pro delicto, ſancta Sanctorum eſt, *l.* 16. *c.* 7. *a.* 3. *n.* 5.

11. Hæc eſt lex hoſtiæ pacificorum, quæ offertur Domino. Si pro gratiarum actione oblatio fuerit, offerent panes abſque fermento, &c. *ibid.* *&* *l.* 4. *c.* 5. *a.* 3. *n.* 7.

16. Si voto vel ſponte quiſpiam obtulerit hoſtiam, &c. *l.* 16 *c.* 7. *a.* 3 *n.* 5.

8. 21. Totumque ſimul arietem incendit ſuper altare, eo quod eſſet holocauſtum ſuaviſſimi odoris Domino, &c. *l* 10. *c.* 3. *a* 4. *n.* 3.

11. 44. Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum, *l.* 7. *c.* 9. *a.* 6. *n.* 9.

15. 14. Die autem octavo ſumet duos turtures, aut duos pullos columbæ, *&c.* dabitque eos Sacerdoti, *v.* 15. Qui faciet unum pro peccato, & alterum in holocauſtum, *l.* 16. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 10.

19. 18. Diliges amicum tuum ſicut te ipſum, *l.* 4. *c.* 2. *a.* 11. *n.* 4.

30. Sabbatha mea cuſtodite, & ſanctuarium meum metuite, ego Dominus, *l.* 7. *c.* 7. *a.* 3. *n.* 6.

23. 12. In eodem die, quo manipulus conſecratur, &c. *l.* 11. *c.* 6. *a.* 3. *n.* 7.

19. Facietis & hircum pro peccato, duoſque agnos anniculos hoſtias pacificorum, *l.* 16. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 10.

27. 9. Animal autem, quod immolari poteſt Domino, ſi quis voverit, ſanctum erit, &c. *v.* 10. Et illud, pro quo mutatum eſt, conſecratum erit Domino, *l.* 11. *c.* 6. *a.* 3. *n.* 7.

NUMERI.

Cap. V.

4. 4. Sanctum Sanctorum ingredientur Aaron & filii ejus, &c. *l.* 7. *c.* 7. *a.* 3. *n.* 6.

15. Ut portent involuta: & non tangent vaſa ſanctuarii, ne moriantur, *l.* 7. *c.* 7. *a.* 3. *n.* 6.

20. Alii nullâ curioſitate videant quæ ſunt in ſanctuario, priuſquam involvantur, alioquin morientur, *ibid.*

6. 2. Vir ſive mulier cùm fecerint votum, ut ſanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare, &c. *l.* 11. *c.* 6. *a.* 3. *n.* 7.

8. Omnibus diebus ſeparationis ſuæ ſanctus erit Domino, &c. *ibid.*

9. 6. Ecce autem quidam immundi ſuper anima hominis, qui non poterant facere phaſe in die illo accedentes ad Moyſen & Aaron, dixerunt eis: Immundi ſumus ſuper anima hominis, quare fraudamur, ut non valeamus oblationem offerre Domino in tempore ſuo, &c. *l.* 16. *c.* 2. *a.* 4. *n.* 4.

10. Loquere filiis Iſraël: homo qui fuerit immundus ſuper anima, ſive in via procul in Gente veſtra, faciat phaſe Domino in menſe ſecundo, *ibid.*

13. Si quis autem & mundus eſt, & in itinere non fuit, & tamen non fecit phaſe, exterminabitur anima illa de populis ſuis, quia Sacrificium Domino non obtulit tempore ſuo, &c. *ibidem.*

14. Facient phaſe Domino juxta cæremonias & juſtificationes ejus, *l.* 9. *c.* 1. *a.* 1. *n.* 1.

14. 20. Dimiſi juxta verbum tuum, *&c.* Attamen omnes homines, *&c.* qui tentaverunt me jam per decem vices, *&c.* non videbunt terram, *&c.* *l.* 8. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 4.

30. Non intrabitis terram, *&c.* præter Caleb & Joſue, *ibid.*

34. Quadraginta annis recipietis iniquitates veſtras, & ſcietis ultionem meam, *ibid.*

16. 29. Si hoc ſcietis, quòd Dominus miſerit me, *&c.* ſi conſuetâ morte interierint, *&c.* *v.* 30. Sin autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os ſuum deglutiat eos, & omnia, quæ ad eos pertinent, *&c.* ſcietis, quòd blaſphemaverint Dominum, *l.* 4. *c.* 1. *a.* 4. *n.* 3.

31. Confeſtim igitur, ut ceſſavit loqui, dirupta eſt terra ſub pedibus eorum: & aperiens os ſuum devoravit illos, *&c.* & perierunt de medio multitudinis. *v.* 34. At verò omnis Iſraël, qui ſtabat per gyrum, *&c.* *ibid.*

20. 4. Cur eduxiſtis Eccleſiam Domini, &c. *l.* 3. *c.* 1. *a.* 1. *n.* 2.

12. Dixitque Dominus ad Moyſen & Aaron: Quia non crediſtis mihi, ut ſanctificaretis me coram filiis Iſraël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis, &c. *l.* 8. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 5.

24. Pergat Aaron ad populos ſuos: non enim intrabit locum, eo quod incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis, &c. *ibidem.*

21. 8. Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno: Qui percuſſus aſpexerit eum, vivet. *v.* 9. Fecit ergo Moyſes SERPENTEM ÆNEUM, & poſuit eum pro ſigno, quem cùm percuſſi aſpicerent, ſanabantur, *l.* 7. *c.* 5. *a.* 1. *n.* 1. *&* *c.* 7. *a.* 3. *n.* 2.

22. 22. Stetitque Angelus in via, &c. *v.* 23. Cernens aſina Angelum ſtantem, &c. *l.* 15. *c.* 5. *a.* 7. *n.* 3.

24. 17. ORIETUR STELLA ex Jacob, & conſurget virga de Iſraël: & percutiet duces Moab, vaſtabitque omnes filios Seth, &c. *v.* 18. Iſraël verò fortiter aget, *l.* 4. *c.* 2. *a.* 15. *n.* 1. *&* *a.* 18. *n.* 1.

29. 3. In ſacrificiis eorum ſimilæ oleo conſperſæ, *&c.* *l.* 16. *c.* 1. *a.* 2. *n.* 3.

DEUTERONOMIUM.

Cap. V.

4. 1. Iſraël audi præcepta & judicia, quæ ego doceo te: ut faciens ea vivas, & ingrediens poſſideatis terram, quam Dominus Deus Patrum veſtrorum daturus, *l.* 4. *c.* 2. *a.* 11. *n.* 3.

2. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo: cuſtodite mandata Domini Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis, *l.* 2. *c.* 3. *a.* 1. *n.* 1.

5. Scitis quòd docuerim vos præcepta atque juſtitias, ſicut mandavit mihi Dominus Deus

Cap. Vers.

meus: sic facietis ea in terra, quam possessuri estis. *l. 4. c. 2. a. 11. n. 5. & l. 9. c. 1. a. 2. n. 2.*

6. Hæc est enim vestra sapientia, & intellectus coram populis, ut audientes universa præcepta hæc, dicant: En populus sapiens & intelligens Gens magna, &c. *l. 3. c. 6. a. 4. n. 1.*

12. Vocem verborum ejus audîstis, & formam penitùs non vidistis. *l. 7. c. 5. a. 2. n. 3.*

14. Mihique mandavit in illo tempore, ut docerem vos cæremonias, & judicia, quæ facere deberetis in terra, quam possessuri estis, *&c. l. 4. c. 2. a. 11. n. 5.*

15. Non vidistis aliquam similitudinem, &c. *v. 16.* Ne fortè decepti, faciatis sculptam similitudinem, &c. *l. 7. c. 5. a. 2. n. 3.*

19. Ne fortè elevatis oculis ad cælum, videas solem & lunam, *&c.* & errore deceptus adores ea, & colas. *ibid. n. 5.*

29. Cúmque quæsieris ibi Dominum, *&c.* invenies eum: si tamen in toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ. *l. 9. c. 3. a. 3. n. 1. & c. 5. a. 3. n. 10.*

5. 5. Ego sequester & medius fui inter Dominum & vos *l. 6. c. 4. a. 2. n. 2.*

15. Memento, quòd & ipse servieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, *&c.* idcirco præcepit tibi, ut observares diem Sabbathi, &c. *l. 4. c. 2. a. 14. n. 6.*

6. 4. Audi Israël, Dominus Deus noster, Deus unus est. *v. 5.* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo *l. 4. c. 2. a. 11. n. 4. & l. 11. c. 2. a. 4. n. 15.*

8. 11. Observa & cave, ne quando obliviscaris Domini Dei tui, &c. *v. 12.* Ne postquam comederis & satiatus fueris, domus pulchras ædificaveris, & habitaveris in eis, habuerisque armenta boum & ovium greges, argenti & auri, cunctarúmque rerum copiam; elevetur cor tuum, & non reminiscaris Domini Dei tui, &c. *l. 4. c. 2. a. 17. n. 3.*

18. Sed recorderis Domini Dei tui, quòd ipse tibi vires præbuerit, &c. *l. 15. c. 3. a. 2. n. 8.*

9. 6. Scito ergo, quòd non propter justitias tuas Dominus Deus dederit tibi terram hanc optimam in possessionem, cùm durissimæ servitutis sis populus, &c. *l. 4. c. 2. a. 18. n. 15.*

12. 13. Cave ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris: sed in eo, quem elegerit Dominus, in una tribuum tuarum offeres hostias, &c. *l. 16. c. 3. a. 1. n. 2.*

23. Sanguis enim eorum pro anima est: & idcirco non debes animam comedere cum carnibus, &c. *l. 15. c. 5. a. 7. n. 5.*

26. Quæ autem sanctificaveris & voveris Domino, tolles, & venies ad locum, &c. *l. 11. c. 6. a. 3. n. 7.*

17. 8. Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris, *&c.* surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. *v. 9.* Veniésque ad Sacerdotes Levitici generis, &c. *l. 3. c. 5. a. 4. n. 5.*

12. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, *&c.* ex decreto Judicis morietur homo ille, *ibid. & l. 4. c. 7. a. 11. n. 9.*

Cap. Vers.

18. 9. Cave ne imitari velis abominationes illarum Gentium *v. 10.* Nec inveniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam suam, ducens per ignem *l. 4. c. 6. a. 3. n. 4.*

15. PROPHETAM de Gente tua, & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies. *l. 10. c. 4. a. 2. n. 2.*

18. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi, &c. *l. 2. c. 3. a. 1. n. 2. & l. 4. c. 2. a. 12. n. 1.*

23. 1. Non intrabit eunuchus Ecclesiam Domini *l. 3. c. 1. a. 1. n. 1.*

21. Cùm voveris votum Domino Deo tuo, non tardabis reddere, &c. *l. 11. c. 6. a. 2. n. 4. & c. 9. a. 1. n. 3.*

29. 5. Adduxit vos quadraginta annis per desertum: non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt. *l. 4. c. 1. a. 4. n. 4.*

30. 4. Si ad cardines cœli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus, *v. 5.* Et assumet, atque introducet in terram, quam possederunt Patres tui, &c. *l. 4. c. 2. a. 15. n. 1. & a. 18. n. 2.*

6. Circumdet Dominus Deus tuus cor tuum, *&c.* ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, ut possis vivere. *l. 11. c. 2. a. 4. n. 13.*

9. Revertetur Dominus, ut gaudeat super te in omnibus bonis, sicut gavisus est in Patribus tuis: *v. 10.* Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, & custodieris præcepta ejus & cæremonias, quæ in hac lege conscripta sunt: & revertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua. *v. 11.* Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cœlo situm, ut possis dicere: *v. 12.* Quis nostrum valet cœlum ascendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus, atque opere compleamus? *l. 10. c. 2. a. 1. n. 1. & l. 11. c. 2. a. 4. n. 13.*

14. Sed juxta te est sermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum. *l. 10. c. 2. a. 1. n. 1.*

31. 24. Postquam ergo scripsit Moyses verba legis hujus in volumine, atque complevit, &c. *l. 2. c. 3. a. 1. n. 2.*

32. 7. Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi, &c. *ibid. n. 3.*

13. Constituit eum super excelsam terram: ut comederet fructus agrorum, &c. *l. 4. c. 2. a. 17. n. 3.*

15. Incrassatus est dilectus, & recalcitravit, *&c.* dereliquit Deum factorem suum, &c. *ibid.*

49. Ascende montem istum Abarim, *&c.* & morere in monte. *v. 50.* Sicut mortuus est Aaron in monte Hor, &c. *l. 8. c. 2. a. 1. n. 6.*

51. Quia prævaricati estis contra me in medio filiorum Israël ad aquas contradictionis. *ibidem.*

Digitized by Google

Cap. Verſ.

JOSVE.

3. 4. Sitque inter vos & arcam ſpacium cubitorum decem millium, &c. *l. 7. c. 2. a. 1. n. 5.*

5. 13. Vidit virum ſtantem contra ſe evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, & ait: Noſter es, an adverſariorum? *v.* 14. Qui reſpondit: Nequaquam, ſed ſum Princeps exercitûs Domini, & nunc venio. Cecidit Joſue pronus in terram, & adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad ſervum ſuum? *v.* 15. Solve, inquit, calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo ſtas, ſanctus eſt: Fecitque Joſue, ut ſibi fuerat imperatum, &c. *l. 6. c. 1. a. 3. n. 3. & l. 7. c. 2. a. 1. n. 6. & c. 7. a. 3. n. 5.*

7. 6. Joſue, &c. pronus cecidit in terram coram arca Domini uſque ad veſperam, tam ipſe quàm omnes ſenes Iſraël, &c. *l. 7. c. 7. a. 2. n. 2.*

10. 14. Non fuit antea & poſtea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, &c. *l. 6. c. 4. a. 2. n. 3. & c. 7. a. 3. n. 1.*

11. 15. Sicut præceperat Dominus Moyſi ſervo ſuo, ita præcepit Moyſes Joſue; & ille univerſa complevit: non præteriit de univerſis mandatis nec unum quidem verbum, quod juſſerat Dominus Moyſi. *l. 10. c. 2. a. 1. n. 5.*

Cap. v.

LIBER JUDICUM.

1. 1. Quis aſcendet ante nos contra Chananæum, & erit dux belli? *v.* 2. Dixitque Dominus, Judas aſcendet. *l. 4. c. 2. a. 3. n. 2.*

3. 15. Qui ſuſcitavit eis Salvatorem vocabulo Aod. *l. 6. c. 4. a. 2. n. 2.*

Cap. verſ

REGUM I.

2. 30. Quicunque honorificaverit me, glorificabo eum, &c. *l. 6. c. 1. a. 3. n. 6. & c. 2. a. 1. n. 1. & c. 3. a. 4. n. 1.*

6. 19. Percuſſit de viris Bethſamitibus, eò quod vidiſſent arcam Domini, &c. *l. 7. c. 2. a. 1. n. 5. & c. 7. a. 2. n. 2.*

7. 8. Ne ceſſes pro nobis clamare ad Dominum Deum noſtrum, ut ſalvet nos de manu Philiſtinorum. *l. 6. c. 6. a. 2. n. 3.*

9. 19. Ego ſum videns, &c. & omnia quæ ſunt in corde tuo indicabo tibi, &c. *ibid. a. 5. n. 5.*

13. 14. Quæſivit ſibi Dominus virum juxta cor ſuum, &c. *l. 9. c. 5. a. 3. n. 8. & c. 6. a. 5. n. 1.*

21. 4. Non habeo laicos panes ad manum, ſed tantùm panem ſanctum: ſi mundi ſunt pueri, maximè à mulieribus? &c. *l. 11. c. 8. a. 1. n. 4.*

Cap. verſ

REGUM II.

6. 2. Ut adducerent arcam Dei, ſuper quam invocatum eſt nomen Domini exercituum ſedentis in Cherubim ſuper eam. *l. 7. c. 2. a. 1. n. 4.*

7. Percuſſit Dominus Oza ſuper temeritate. *l. 7. c. 7. a. 2. n. 2.*

12. Nuntiatumque eſt Regi David, quod benedixit Dominus Obed-edom, & omnia ejus propter arcam Dei: *ibid.*

12. 9. Uriam Hethæum percuſſiſti gladio, &c. & interfeciſti eum gladio filiorum Ammon. *l. 12. c. 2. a. 2. n. 9.*

13. Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David: Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, non morieris. *v.* 14. Veruntamen quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc: filius qui natus eſt tibi morte morietur. *l. 8. c. 2. a. 1. n. 7.*

Cap. Verſ.

24. 12. Trium tibi datur optio, elige ex his unum quod volueris, ut faciam tibi. *ibid. n. 8.*

15. Immiſitque Dominus peſtilentiam, & mortui ſunt, &c. *ibid.*

Cap. verſ

REGUM III.

6. 23. Et fecit in oraculo duos Cherubim, &c. *l. 7. c. 5. a. 1. n. 1.*

7. 23. Fecit quoque mare fuſile, &c. *v.* 24. & ſculptura ſuper labium. *ibid.*

29. Et inter coronulas & plectas, leones & boves, & Cherubim, &c. & ſubter leones & boves, &c. *ibid.*

8. 14. Omnis enim Eccleſia Iſraël ſtabat. *l. 3. c. 1. a. 1. n. 2.*

22. Stetit autem Salomon ante altare Domini in conſpectu Eccleſiæ Iſraël, & expandit manus ſuas in cœlum, &c. *l. 16. c. 8. a. 7. n. 2.*

54. Surrexit de conſpectu altaris Domini: utrumque enim genu in terram fixerat: & manus expanderat in cœlum. *l. 16. c. 8. a. 7. n. 5.*

63. Mactavitque Salomon hoſtias pacificas, quas immolavit Domino, boum viginti-duo millia, & ovium centum viginti millia, &c. *l. 16. c. 7. a. 3. n. 13.*

9. 3. Exaudivi orationem tuam, &c. *ibid. a. 7. n. 15.*

14. 8. Non fuiſti ſicut ſervus meus David, qui cuſtodivit mandata mea, & ſecutus eſt me in toto corde ſuo, faciens quod placitum eſt in conſpectu meo, &c. *l. 10. c. 2. a. 1. n. 5. & c. 3. a. 2. n. 2. & l. 11. c. 2. a. 4 n. 14.*

15. 4. Propter David dedit ei Dominus Deus ſuus lucernam in Jeruſalem: eò quòd feciſſet David rectum in oculis Domini, & non declinaſſet ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ ſuæ, excepto ſermone Uriæ Hethæi. *l. 10. c. 2. a. 1. n. 5.*

18. 7. Cumque eſſet Abdias in via, Elias occurrit ei: qui cùm cognoviſſet eum, cecidit ſuper faciem ſuam, & ait: Non tu es Domine mi Elias? *l. 6. c. 1. a. 3. n. 4.*

23. Dentur nobis duo boves, & illi eligant ſibi bovem unum, & in fruſta cedentes ponant ſuper ligna, ignem autem non ſupponant: & ego faciam bovem alterum, &c. ignem autem non ſupponam, &c. *l. 16. c. 3. a. 2. n. 10.*

19. 18. Derelinquam mihi, &c. ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incurvata ante Baal. *l. 3. c. 3. a. 7. n. 2.*

22. 7. Non eſt hic Propheta Domini quiſpiam, ut interrogemus per eum? *ibid. c. 5. a. 4. n. 6.*

19. Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum cœli aſſiſtentem ei, &c. *l. 7. c. 5. a. 2. n. 4.*

Cap. verſ

REGUM IV.

2. 3. Egreſſi ſunt filii prophetarum, &c. *l. 4. c. 2. a. 18. n. 6.*

15. Videntes autem filii prophetarum qui erant in Jericho dixerunt: Requievit ſpiritus Eliæ ſuper Eliſæum. Et venientes in occurſum ejus, adoraverunt eum proni in terram. *l. 6. c. 1. a. 3. n. 5.*

3. 14. Vivit Dominus, in cujus conſpectu ſto. *l. ult. c. 3. a. 4. n. 16.*

4. 37. Venit illa, & corruit ad pedes ejus, & adoravit ſuper terram, &c. *l. 6. c. 1. a. 3. n. 6.*

5. 26. Nonne cor meum in præſenti erat, quando rever-

Digitized by Google

Cap. Verſ.

reverſus eſt homo de curru ſuo in occurſum tui? &c. *l.* 6. *c.* 6. *a.* 5. *n.* 6.

6. 12. Eliſæus propheta, qui eſt in Iſraël, indicat regi Iſrael omnia verba, quæcunque locutus fueris in conclavi tuo, *ibid.*

23. Et ultra non venerunt latrones Syriæ in terram Iſrael, *l.* 4. *c.* 2. *a.* 18. *n.* 4.

11. 2. Tollens autem Ioſaba filia Regis Ioram, *&c.* *v.* 3 Erátque cum ea ſex annis clam, &c. *l.* 4. *c.* 2. *a.* 3. *n.* 2.

18. 4. Ipſe diſſipavit excelſa, & contrivit ſtatuas, & ſuccidit lucos, confregitque ſerpentem æneum, quem fecerat Moyſes: Siquidem uſque ad illud tempus filii Iſrael adolebant ei incenſum, &c. *l.* 7 *c.* 7. *a.* 3. *n.* 3.

23. 25. Similis illi non fuit ante eum rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde ſuo, & in tota anima ſua, & in univerſa virtute ſua juxta omnem legem Moyſi, &c. *l.* 10. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 6. *& l.* 11. *c.* 2. *a.* 4. *n.* 15.

Cap. ℣. PARALIPOMENON I.

28. 2. Cogitavi ut ædificarem domum, in qua requieſcet arca fœderis Domini, & ſcabellum pedum Dei noſtri, &c. *l.* 7. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 4.

29. 11. Cuncta quæ in cœlo ſunt & terra, tua ſunt, *l.* 16. *c.* 5. *a.* 3. *n.* 4.

14. Tua ſunt omnia: & quæ de manu tua accepimus dedimus tibi, &c. *ibid.*

20. Et benedixit omnis Eccleſia Domino Deo Patrum ſuorum: & inclinaverunt ſe, & adoraverunt Deum, & deinde Regem, &c. *l.* 6. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 2.

Cap. ℣. PARALIPOMENON II.

15. 7. Vos ergo confortamini, & non diſſolvantur manus veſtræ, erit enim merces operi veſtro, *l.* 10. *c.* 5. *a.* 4. *n.* 1.

15. In tota voluntate quæſierunt eum, & invenerunt, &c. *l.* 10. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 6.

17. 3. Fuit Dominus cum Ioſaphat, quia ambulavit in viis David, &c. *l.* 3. *c.* 3. *a.* 7. *n.* 2.

26. 16. Elevatum eſt cor ejus, &c. *l.* 10. *c.* 6. *a.* 6. *n.* 6.

18. Non eſt tui officii Ozia, ut adoleas incenſum Domino; ſed ſacerdotum, hoc eſt, filiorum Aaron, &c. *l.* 16. *c.* 1. *a.* 2. *n.* 7.

ESDRÆ I.

Cap. ℣.

6. 10. Et offerant oblationes Deo cœli, oréntque pro vita regis, & filiorum ejus, *l.* 16. *c.* 7. *a.* 3. *n.* 6.

Cap. ℣. TOBIAS.

4. 18. Panem tuum & vinum ſuper ſepulturam juſti conſtitue, & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus, *l.* 8. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 7.

12. 7. Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt: *l.* 12. *c.* 1. *a.* 3. *n.* 5.

12. Quando orabas cum lachrimis, *&c.* ego obtuli orationem tuam Domino, &c. *l.* 6. *c.* 5. *a.* 1. *n.* 1.

Cap. ℣. IVDITH.

6. 21. Convocatus eſt omnis populus, & per totam noctem intra Eccleſiam oraverunt, &c. *l.* 3. *c.* 1. *a.* 1. *n.* 1.

16. 17. Tibi ſerviat omnis creatura, quoniam dixiſti, & facta ſunt: miſiſti Spiritum, & creata ſunt, &c. *l.* 2. *c.* 5. *a.* 5. *n.* 3.

Cap. Verſ.

IOB.

1. 1. Erat vir ille ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, *l.* 10. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 6.

22. In omnibus his non peccavit Iob labiis ſuis, neque ſtultum quid locutus eſt, *l.* 10. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 1.

2. 3. Nunquid conſideraſti ſervum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra, vir ſimplex & rectus, timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam? &c. *ibid.*

4. 17 Nunquid homo Dei comparatione juſtificabitur? *v.* 18. Qui ſerviunt ei non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit pravitatem, *l.* 10. *c.* 3. *a.* 4. *n.* 1.

5. 1. Voca igitur, ſi eſt, qui tibi reſpondeat, & ad aliquem ſanctorum convertere, *l.* 6. *c.* 6. *a.* 2. *n.* 2.

6. 2. Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui: & calamitas, quam patior, in ſtatera: Quaſi arena maris hæc gravior appareret, *l.* 9. *c.* 5. *a.* 3. *n.* 7.

9. 2. Verè ſcio quòd ita ſit, & quod non juſtificetur homo compoſitus Deo, *ibid. & l.* 10. *c.* 3. *a.* 4. *n.* 1.

11. Si venerit ad me, non videbo eum: ſi abierit non intelligam, *l.* 9. *c.* 5. *a.* 3. *n.* 7.

20. Si juſtificare me voluero, os meum condemnabit me: ſi innocentem oſtendero, pravum me comprobabit. *v.* 21. Etiam ſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea, & tædebit me vitæ meæ, *ibid & l.* 9. *c.* 1. *a.* 1. *n.* 1.

27. Commuto faciem meam, & dolore torqueor. *v.* 28 Verebar omnia opera mea, ſciens quòd non parceres delinquenti, *l.* 9. *c.* 5. *a.* 3. *n.* 7.

14. 4. Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nónne tu qui ſolus es? *l.* 9. *c.* 2. *a.* 4. *n.* 1.

19. 21. Miſeremini mei ſaltèm vos amici mei, *&c.* *l.* 8. *c.* 4. *a.* 2. *n.* 2. *&* *c.* 6. *a.* 2. *n.* 2.

27. 6. Iuſtificationem meam, quam cœpi tenere, non deſeram: neque enim repræhendit me cor meum in omni vita mea, *l.* 9. *c.* 5. *a.* 3. *n.* 7.

33. 23. Si fuerit pro eo Angelus loquens unus de millibus, &c. *v.* 24. Miſerebitur ejus, & dicet, libera eum, &c. *l.* 6. *c.* 6. *a.* 2. *n.* 2.

42. 7. Iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos, &c. *l.* 6. *c.* 6. *a.* 2. *n.* 3.

8. Ite ad ſervum meum Iob, & offerte holocauſtum pro vobis: Iob autem ſervus meus orabit pro vobis: faciem ejus ſuſcipiam, ut non vobis imputetur ſtultitia, &c. *ibid.*

Cap. ℣. LIBER PSALMORVM.

1. 1. Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, &c. *v.* 2. Sed in lege Domini voluntas ejus, *l.* 10. *c.* 3. *a.* 4. *n.* 1.

2. 8. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ, *l.* 3. *c.* 3. *a.* 4. *n.* 5. *&* *c.* 6. *a.* 5. *n.* 5. *& l.* 11. *c.* 7. *a.* 4. *n.* 5.

11. Servite Domino in timore, & exultate ei cum tumore, *l.* 1. *c.* 2. *a.* 2. *n.* 10. *& l.* 9. *c.* 5. *a.* 3. *n.* 11. *&* *c.* 6. *a.* 3. *n.* 1.

12. Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus: & pereatis de via juſta, *l.* 9. *c.* 6. *a.* 3. *n.* 1.

3. 4. Tu

Digitized by Google

Cap. Verſ.

3. 4. Tu autem Domine ſuſceptor meus, & gloria mea, &c. *l.* 9. *c.* 4. *a.* 12. *n.* 3.

4. 5. Iraſcimini, & nolite peccare, &c. *l.* 10. *c.* 9. *a.* 2. *n.* 4.

6. Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, *l.* 16. *c.* 1. *a.* 2. *n.* 1.

7. 9. Iudica me Domine ſecundum juſtitiam meam, & ſecundum innocentiam meam ſuper me, &c. *l.* 10. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 1.

10. 5. Oculi ejus in pauperem reſpiciunt: palpebræ ejus interrogant filios hominum, *l.* 7. *c.* 5. *a.* 2. *n.* 5.

8. Iuſtus Dominus, & juſtitias dilexit, *l.* 9. *c.* 1. *a.* 2. *n.* 1.

13. 3. Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum, *l.* 3. *c.* 3. *a.* 6. *n.* 6.

15. 2. Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges, *l.* 10. *c.* 1. *a.* 8. *n.* 3.

8. Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, &c. *l.* 8. *c.* 4. *a.* 3. *n.* 5. *& l. ult. c.* 3. *a.* 4. *n.* 16.

10. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, *l.* 8. *c.* 6. *a.* 1. *n.* 4.

16. 1. Exaudi Domine juſtitiam meam, *l.* 10. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 2.

2. De vultu tuo judicium meum prodeat, oculi tui videant æquitates, *ibid.*

3. Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte: igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas, &c. *ibid.*

15. Ego autem in juſtitia apparebo conſpectui tuo, *ibid.*

17. 1. Diligam te Domine fortitudo mea, *l.* 9. *c.* 4. *a.* 12. *n.* 3.

21. Et retribuet mihi Dominus ſecundum juſtitiam meam, *l.* 10. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 2.

22. Quia cuſtodivi vias Domini, nec impiè geſſi à Deo meo, *ibid.*

23. Quoniam omnia judicia ejus in conſpectu meo: & juſtitias ejus non repuli à me, *ibid.*

24. Et ero immaculatus cum eo, & obſervabo me ab iniquitate mea, *ibid.*

25. Et ſecundum puritatem manuum mearum in conſpectu oculorum ejus, *ibid.*

18. 8. Lex Domini immaculata, convertens animas: teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis, *l.* 3. *c.* 6. *a.* 4. *n.* 1.

9. Iuſtitiæ Domini rectæ lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, &c. *l.* 9. *c.* 1. *a.* 2. *n.* 2.

10. Timor Domini ſanctus, permanens in ſæculum ſæculi, &c. *ibid. c.* 5. *a.* 6. *n.* 18.

13. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, &c. *ibid. a.* 3. *n.* 8.

21. 1. Deus Deus meus, *&c.* longè à ſalute mea verba delictorum meorum, *l.* 9. *c.* 4. *a.* 12. *n.* 10.

24. Vniverſum ſemen Iacob glorificate eum, *l.* 6. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 1.

28. Convertentur ad Dominum univerſæ terræ. *V.* 29. Et adorabunt in conſpectu ejus univerſæ familiæ gentium, *l.* 3. *c.* 3. *a.* 4. *n.* 5.

22. 6. Et miſericordia tua ſubſequetur me, &c. *l.* 9. *c.* 1. *a.* 3. *n.* 2.

25. 1. Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum, &c. *l.* 10 *c.* 3. *a.* 2. *n.* 2.

5. Odivi Eccleſiam malignantium, *l.* 3. *c.* 1. *a.* 1. *n.* 1.

9. Ne perdas cum impiis Deus animam meam, *&c. v.* 10. In quorum manibus iniquitates ſunt, &c. *v.* 12. Pes meus ſtetit in directo, *l.* 10. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 2.

26. 1. Dominus illuminatio meo, & ſalus mea, *&c. l.* 9. *c.* 4. *a.* 12. *n.* 3.

13. Credo videre bona Domini in terra viventium, *l.* 4. *c.* 2. *a.* 16. *n.* 9.

27. 8. Dominus fortitudo plebis ſuæ, *l.* 9. *c.* 4. *a.* 12. *n.* 3.

32. 21. In nomine ſancto ejus ſperavimus, *l.* 7. *c.* 7. *a.* 3. *n.* 6.

33. 16. Oculi Domini ſuper juſtos: & aures ejus ad preces eorum, *l.* 4. *c.* 2. *a.* 16. *n.* 6.

36. 27. Declina à malo, & fac bonum, *l.* 10. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 4.

29. Iuſti autem hæreditabunt terram: & habitabunt in ſæculum ſæculi ſuper eam, *l.* 4. *c.* 2. *a.* 16. *n.* 9.

39. Salus autem juſtorum à Domino, *l.* 9. *c.* 4. *a.* 12. *n.* 3.

40. Salvabit eos, quia ſperaverunt in eo, *l.* 9. *c.* 3. *a.* 4. *n.* 6.

37. 18. Quoniam ego in flagella paratus ſum: & dolor meus in conſpectu meo ſemper, *v.* 19. Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo, *l.* 8. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 7.

39. 5. Beatus vir, cujus eſt nomen Domini ſpes ejus, *l.* 9. *c.* 4. *a.* 11. *n.* 6.

40. 1. Beatus, qui intelligit ſuper egenum & pauperem, *ibid.*

41. 7. Propterea memor ero tui de terra Iordanis, *l.* 15. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 8.

44. 10. Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate, *l.* 5. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 6. *& l.* 6. *c.* 2. *a.* 3. *n.* 1.

48. 13. & 21. Et homo cùm in honore eſſet, non intellexit, &c. *l.* 7. *c.* 7. *a.* 2. *n.* 2.

49. 14. Immola Deo ſacrificium laudis, *l.* 16. *c.* 1. *a.* 2. *n.* 1.

15. Invoca me in die tribulationis, *l.* 6. *c.* 4. *a.* 2. *n.* 1. *& l.* 16. *c.* 7. *a.* 7. *a.* 7. *n.* 15.

50. 2. Dele iniquitatem meam, *l.* 9. *c.* 4. *a.* 6. *n.* 1.

9. Aſperges me hyſſopo, & mundabor; lavabis me, & ſuper nivem dealbabor, *ibid.*

11. Averte faciem tuam à peccatis meis, *l.* 7. *c.* 5. *a.* 2. *n.* 5.

12. Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis, *l.* 9. *c.* 4. *a.* 6. *n.* 1. *& cap.* 5. *a.* 3. *n.* 1.

18. Quoniam, ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem utique: holocauſtis non delectaberis, &c. *l.* 16. *c.* 1. *a.* 2. *n.* 2.

19. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, *&c. ibid. n.* 1.

52. 1. Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus, *l.* 4. *c.* 1. *a.* 2. *n.* 2.

3. Deus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum: ut videat, ſi eſt intelligens, aut requirens Deum *V.* 4. Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum, &c. *l.* 10. *c.* 3. *a.* 4. *n.* 6.

7. Cùm converterit Deus captivitatem plebis, exultabit Iacob, &c. *ibid.*

56. 6. Exaltare ſuper cælos Deus; & ſuper omnem terram gloria tua, *l.* 3. *c.* 3. *a.* 4. *n.* 5.

58. 11. Miſericordia ejus præveniet me, &c. *l.* 9. *c.* 1. *a.* 3. *n.* 2.

60. 4. Deduxiſti me, quia factus es ſpes mea, *ibid. c.* 4. *a.* 12. *n.* 3.

Digitized by Google

Cap. Verſ.

61. 13. Quia tu reddes unicuique juxta opera ſua, *l.* 10. *c.* 5. *a.* 4. *n.* 3.

62. 5. In nomine tuo levabo manus meas, *l.* 16. *c.* 8. *a.* 7. *n.* 2.

7. Si memor fui tui ſuper ſtratum meum, &c. *l.* 15. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 8.

63. 7. Scrutati ſunt iniquitates: defecerunt ſcrutantes ſcrutinio, *l.* 3. *c.* 4. *a.* 1. *n.* 6.

68. 22. Dederunt in eſcam meam fel, *l.* 15. *c.* 7. *a.* 9. *n.* 9.

70. 5 Quoniam tu es patientia mea, &c. *l.* 9. *c.* 4. *a.* 12. *n.* 3.

71. 8. Et dominabitur à mari uſque ad mare, &c. *v.* 9. Coram illo procident Æthiopes; &c. *v.* 11. Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſervient ei, &c. *v.* 17. Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum, &c. *v.* 19. Et replebitur majeſtate ejus omnis terra Fiat, fiat, *l.* 3. *c.* 3. *a.* 4 *n.* 5.

19. Benedictum nomen majeſtatis ejus, *l.* 7. *c.* 7. *a.* 3. *n.* o.

72. 12. Ecce ipſi peccatores, & abundantes in ſæculo obtinuerunt divitias, *l.* 4. *c.* 2. *a.* 17. *n.* 2.

13. Et dixi: Ergo. ſine cauſa juſtificavi cor meum, &c. *ibid.*

14. Et fui flagellatus totâ die, *ibid.*

75. 11. Notus in Iudæa Deus, in Iſraël magnum nomen ejus, *l.* 16. *c.* 2. *a.* 7. *n.* 2.

12. Vovete, & reddite Domino Deo veſtro, *&c.* *l.* 11. *c.* 9. *a.* 1. *n.* 4.

76. 4. Renuit conſolari anima mea; memor fui Dei mei, & delectatus ſum, *l.* 15. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 8.

77. 3. Quanta audivimus & cognovimus ea, quæ patres noſtri annuntiaverunt nobis, *l.* 2. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 4.

6. Quanta mandavit patribus noſtris nota facere ea filiis ſuis, *ibid.*

81. 3. Humilem & pauperem juſtificate, *l.* 9. *c.* 1. *a.* 1. *n.* 1.

83. 12. Gratiam & gloriam dabit Dominus, *l.* 6. *c.* 3. *a.* 4. *n.* 1.

13. Beatus homo qui ſperat in te, *l.* 9. *c.* 4. *a.* 11. *n.* 6.

84. 6. Nunquid in æternum iraſceris nobis? aut extendes iram tuam à generatione in generationem? *l.* 8. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 7.

88. 6. Veritatem tuam in Eccleſia Sanctorum, *l.* 3. *c.* 1. *a.* 1. *n.* 2.

90. 11. Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis, *l.* 6. *c.* 5. *a.* 1. *n.* 1.

14. Quoniam in me ſperavit, liberabo eum, *l.* 9. *c.* 3. *a.* 4. *n.* 6.

15. Eripiam eum, & glorificabo eum, *l.* 6. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 1.

95. 5. Quoniam omnes dii gentium dæmonia, *l.* 4. *c.* 1. *a.* 1. *n.* 3. *&* *l.* 7. *c.* 4. *a.* 3. *n.* 4.

98. 5. Adorate ſcabellum pedum ejus, &c. *l.* 7. *c.* 5. *a.* 2. *n.* 5.

99. 3. Ipſe fecit nos & non ipſi nos, *l.* 4. *c.* 1. *a.* 3. *n.* 4.

100. 2. Perambulabam in innocentia cordis mei, *&c.* *v.* 3. Non proponebam ante oculos meos rem injuſtam, &c. *v.* 4. Non adhæſit mihi cor pravum, &c. *l.* 10. *c.* 3. *a.* 4. *n.* 1.

102. 4. Qui coronat te in miſericordia & miſerationibus, *l.* 10. *c.* 5. *a.* 8. *n.* 10.

12. Quantum diſtat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates noſtras, *l.* 8. *c.* 5. *a.* *ult.* *n.* 7. *&* *l.* 9. *c.* 4. *a.* 6. *n.* 1.

Cap. Verſ.

104. 8. Memor fuit in ſæculum teſtamenti ſui, verbi, &c. *v.* 9. Quod diſpoſuit ad Abraham, *&c.* *l.* 13. *c.* 2. *a.* 4. *n.* 6.

11. Tibi dabo terram Chanaan, &c. *ibid.*

45. Ut cuſtodiant juſtificationes ejus, & legem ejus requirant, *l.* 9. *c.* 1. *a.* 1. *n.* 1.

105. 3. Beati qui cuſtodiunt judicium, & faciunt juſtitiam, &c. *l.* 9. *c.* 4. *a.* 11. *n.* 6.

111. 1. Beatus vir qui timet Dominum, *ibid.*

112. 2. Sit nomen Domini benedictum, &c. *l.* 7. *c.* 7. *a.* 3. *n.* 6.

113. 4. Simulachra gentium argentum & aurum opera manuum hominum, *l.* 4. *c.* 1. *a.* 1. *n.* 2. *&* *l* 7. *c.* 5. *a.* 2. *n.* 2.

114. 9. Placebo Domino in regione vivorum, *l.* 4. *c.* 2. *a.* 16. *n.* 9.

115. 11. Omnis homo mendax, *l.* 3. *c.* 5. *a.* 4. *n.* 11.

118. 1. Beati immaculati in via, *l.* 9. *c.* 4. *a.* 9. *n.* 4. *&* *a.* 11. *n.* 6. *&* *cap.* 5. *a.* 3. *n.* 1.

10. In toto corde meo exquiſivi te, *l.* 10. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 5. *&* *l.* 11. *c.* 2. *a.* 4. *n.* 16.

32. Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatâſti cor meum, *l.* 10. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 5.

55. Memor fui nocte nominis tui, & cuſtodivi legem tuam, *ibid.*

112. Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum propter retributionem, *l.* 10. *c.* 5. *a.* 7. *n.* 1.

121. Feci judicium & juſtitiam, non tradas me calumniantibus me, *ibid.* *c.* 3. *a.* 2. *n.* 2.

167. Cuſtodivit anima mea teſtimonia tua, *l.* 10. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 5.

168. Servavi mandata tua & teſtimonia tua, *ibid.*

126. 3. Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini, merces filii fructus ventris, *&c.* *l.* 8. *c.* 5. *a.* *ult.* *n.* 6.

129. 7. Apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio. *V.* 8. Et ipſe redimet Iſraël ex omnibus iniquitatibus ejus, *l.* 4. *c.* 2. *a.* 16. *n.* 7.

131. 1. Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus, *l.* 6. *c.* 6. *a.* 2. *n.* 1.

10. Propter David ſervum tuum, non avertas faciem Chriſti tui, *ibid.*

135. 4. Qui facit mirabilia magna ſolus, *l.* 3. *c.* 6. *a.* 4. *n.* 2.

138. 17. Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus, *l.* 6. *c.* 1. *a.* 3. *n.* 6.

140. 2. Elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum, *l.* 16. *c.* 8. *a.* 7. *n.* 2.

142. 2. Non intres in judicium cum ſervo tuo: quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens, *l.* 10. *c.* 3. *a.* 4. *n.* 1.

144. 16. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione, *l.* 4. *c.* 2. *a.* 16. *n.* 6. *&* *l.* 7. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 5.

19. Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, *l.* 6. *c.* 7. *a.* 3. *n.* 3.

147. 19. Qui annuntiat verbum ſuum Iacob, juſtitias & judicia ſua Iſraël, &c. *l.* 9. *c.* 1. *a.* 2. *n.* 2.

20. Non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis, *l.* 16. *c.* 2. *a.* 7. *n.* 2.

149. 1. Laus ejus in Eccleſia Sanctorum, *l.* 3. *c.* 1. *a.* 1. *n.* 2.

PRO

Digitized by Google

Cap. Vers.

PROVERBIA.

3. 5. Ne innitaris prudentiæ tuæ, &c. *l.* 11. *c.* 5. *a.* 2. *n.* 1.

4. 27. Ne declines ad dextram, neque ad sinistram. *l.* 2. *c.* 3. *a.* 1. *n.* 5.

9. 1. Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem. *V.* 2. Immolavit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam, *&c.* *l.* 16. *c.* 2. *a.* 6. *n.* 1.

15. 9. Abominatio est Domino vita impii. *l.* 9. *c.* 4. *a.* 11. *n.* 14.

16. 20. Qui sperat in Domino beatus est. *ibid. c.* 3. *a.* 10. *n.* 1.

32. Melior est patiens viro forti; & qui dominatur animo suo expugnatore urbium. *l.* 4. *c.* 2. *a.* 17. *n.* 6.

17. 3. Sicut igne probatur argentum & aurum camino: ita corda probat Dominus. *ibid. n.* 4.

15. Qui justificat impium, & qui condemnat justum: abominabilis est uterque apud Deum. *l.* 19. *c.* 1. *a.* 1. *n.* 1.

20. 9. Quis potest dicere, mundum est cor meum: purus sum à peccato? &c. *l.* 9. *c.* 5. *a.* 3. *n.* 1.

16. Septies enim cadet justus, &c. *l.* 10. *c.* 3. *a.* 4. *n.* 2.

24. 24. Qui dicunt impio, justus es: maledicent eis populi, &c. *l.* 9. *c.* 4. *a.* 11. *n.* 14.

28. 14. Beatus homo qui semper est pavidus. *l.* 9. *c.* 5. *a.* 3. *n.* 11.

Cap. ℣.

ECCLESIASTES.

5. 3. Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis & stulta promissio. *V.* 4. Multòque meliùs est non vovere, quàm post votum promissa non reddere, &c. *l.* 11. *c.* 6. *a.* 2. *n.* 3. *& cap.* 7. *a.* 5. *n.* 11. *& cap.* 9. *art.* 1. *n.* 4.

7. 21 Non est enim homo justus in terra, qui faciat bonum, &c. *l.* 10. *c.* 3. *a.* 4. *n.* 2.

9. 1. Nescit homo utrum amore an odio dignus sit, &c. *l.* 1. *c.* 2. *a.* 2. *n.* 10. *& lib.* 3. *cap.* 3. *a.* 1. *n.* 1. *& lib.* 9. *cap.* 5. *a.* 3. *n.* 3.

5. Mortui nihil noverunt ampliùs, nec habent ultra mercedem. *l.* 8. *c.* 5. *a. ult. n.* 3.

10. Quodcunque potest facere manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas, &c. *ibid.*

11. 3. Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit, *ibid. n.* 5.

Cap. ℣.

CANTICA.

1. 6. Indica mihi, *&c.* ubi pascas, ubi cubes in meridie. *l.* 3. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 1.

4. 7. Tota pulchra es, & macula non est in te. *l.* 9. *c.* 4. *a.* 6. *n.* 2. *& a.* 9. *n.* 4.

8. 7. Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. *l.* 9. *c.* 6. *a.* 6. *n.* 9.

Cap. ℣.

LIBER SAPIENTIÆ.

1. 4. In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. *l.* 9. *c.* 4. *a.* 3. *n.* 2.

2. 12. Circumveniamus ergo justum, &c. *l.* 7. *c.* 8. *a.* 2. *n.* 1.

20. Morte turpissimâ condemnemus eum, *&c.* *ibid.*

Cap. Vers.

3. 1. Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. *V.* 2. Visi sunt oculis insipientium mori, &c. *V.* 3. Illi autem sunt in pace. *l.* 8 *c.* 5. *a. ult. n.* 1.

5. Quoniam Deus tentavit eos, & invenit illos dignos se. *V.* 6. Tanquam aurum in fornace probavit illos. *l.* 4. *c.* 2. *a.* 17. *n.* 4. *& l.* 10. *cap.* 6 *a.* 1. *n.* 5.

5. 16. Justi autem in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum. *l.* 10. *c.* 5. *a.* 4. *n.* 1.

7. 26. Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis il-

8. 21. lius, &c. *l.* 6. *c.* 6. *a.* 5. *n.* 9.

Vt scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det. *l.* 11. *c.* 7. *a.* 5. *n.* 2.

13. 1. Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his quæ videntur bona non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex *V.* 2. Sed aut ignem, aut spiritum, &c. *v.* 3. Quorum si specie delectati Deos putaverunt: Sciant quantò his dominator eorum speciosior est; speciei enim generator hæc omnia constituit. *V.* 4. Aut si virtutem & opera eorum mirati sunt: intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis: *V.* 5. A magnitudine enim speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri, &c. *v.* 8. Nec his debet ignosci. *V.* 9. Si enim tantùm potuerunt scire, ut possent æstimare sæculum: quomodo hujus Dominum non faciliùs invenerunt? *l.* 4. *c.* 1. *a.* 2. *n.* 5.

10. Infelices, *&c.* qui appellaverunt Deos opera manuum hominum. *l.* 1. *c.* 1. *a.* 1. *n.* 2.

14. 9. Odio sunt Deo impius & impietas ejus. *l.* 9. *c.* 4. *a.* 11. *n.* 14.

Cap. vers.

ECCLESIASTICUS.

1. 28. Timor Domini expellit peccatum: nam qui sine timore est, non poterit justificari, &c. *l.* 9. *c.* 3. *a.* 4. *n.* 6.

2. 10. Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra. *ibid.*

11 Nullus speravit in Domino, & confusus est: *ibid. a. n.* 1.

5. 4. Ne dixeris, peccavi, & quid mihi accidit Christe? Altissimus enim est patiens redditor. *l.* 9. *c.* 5. *a.* 3. *n.* 6.

5. De propitiato peccato noli esse sine metu; neque adjicias peccatum super peccatum. *ibid.*

16. 15. Omnis misericordia faciet locum unicuique secundùm meritum operum suorum. *l.* 10. *c.* 5. *a.* 4. *n.* 1.

18. 22. Ne verearis usque ad mortem justificari, *&c.* *l.* 9. *c.* 1. *a.* 1. *n.* 1. *& lib.* 10. *cap.* 5. *a.* 3. *n.* 1.

21. 1. Fili, peccâsti? non adjicias iterum, sed & de pristino deprecare, ut tibi dimittantur. *l.* 9. *c.* 5. *a.* 3. *n.* 6.

24. 31. Qui elucidant me vitam æternam habebunt. *l.* 2. *c.* 3. *a.* 1. *n.* 5.

31. 10. Qui probatus est in illo, & perfectus est, erit illi gloria æterna; qui potuit transgredi & non est transgressus: facere mala & non fecit. *V.* 11. Ideo stabilita sunt bona illius in Domino. *l.* 10. *c.* 6. *a.* 2. *n.* 1.

46. 23. Dormivit (*Samuel*) & notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, &c. *l.* 8. *c.* 6. *a.* 1. *n.* 2.

Digitized by Google

Cap. Vers.

ISAIAS.

1. 6. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas, *l.3.c.3.a.6.n.3.*

13. Ne offeratis ultra sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi, &c. *V.* 14. Calendas vestras, & solemnitates vestras odivit anima, *&c.* *l.* 10. *c.* 3. *a.* 4. *n.* 3. *&* *lib.* 16. *cap.* 1. *a.* 2. *n.* 6.

16. Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perversè, discite bene facere, &c. *l.* 10. *c.3.a.2.n.5.*

2. 2. Et erit in novissimis diebus præparatus mons domûs Domini in vertice montium, *&c.* & fluent ad eum omnes Gentes, &c. *l.4.c.2.a.15.n.2. & a.18.n.3.*

3. Venite ascendamus ad montem Domini, *&c.* quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem, *ibid. a.* 12. *n.* 2. *& lib.* 10. *cap.* 4. *a.* 2. *n.* 3.

4. Et judicabit Gentes & arguet populos multos: & conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non levabit Gens contra Gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium, *l.4.c.2.a.15.n.2.*

20. In illa die projiciet homo idola argenti sui, & simulachra auri sui, quæ fecat sibi ut adoraret, &c. *l.7.c.5.a.2.n.2.*

6. 1. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum: & ea, quæ sub ipso erant, replebant templum, *l.7.c.5.a.2.n.4.*

5. Regem Dominum exercituum vidi oculis meis, *ibid.*

6. Vocavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari, *l.16.c.8.a.10.n.8.*

10. Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava: & oculos ejus claude: ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur & sanem eum, *l.4.c.2. a.11.n.1.*

7. 14. Ecce, Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, *ibid. a.* 6. *n.* 3. *& a.8.n.10.*

9. 6. Parvulus enim natus est nobis, &c. Et factus est Principatus super humerum ejus: & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis, *l.4.c.2.a.8.n.10. & l.16.c.2.a.7.n.4.*

7. Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis: Super solium David, & super regnum ejus sedebit: ut confirmet illud & corroboret in judicio & justitia, amodò & usque in sempiternum, &c. *ibid.*

11. 1. Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet. *V.* 2. Et requiescet super eum Spiritus Domini, &c. *v.* 3. Non secundùm visionem oculorum judicabit; *v.* 4. sed judicabit in justitia pauperes, *&c.* & percutiet terram virgâ oris sui, &c. *l.4.c.2.a.6.n.1.*

6. Habitabit lupus cum agno: & pardus cum hædo accubabit, &c. *ibid. a.15.n.2.*

10. Ipsum Gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum ejus gloriosum, *l.7.c.2.a.1.n.7.*

12. Levabit signum in nationes, & congregabit profugos Israël, & dispersos Juda colliget à quatuor plagis terræ, &c. *l.* 4. *cap.* 2. *a.* 15. *n.* 2.

16. 6. Audivimus superbiam Moab, *&c.* superbia ejus & arrogantia ejus, *&c.* plusquam fortitudo ejus, *l.* 8. *c.* 5. *a.* 4. *n.* 1. *& lib.* 16. *cap.* 5. *a.* 3. *n.* 8.

19. 19. In illa die erit altare Domini in medio terræ Ægypti, &c. *l.16.c.2.a.6.n.3.*

20. Mittet eis Salvatorem & propugnatorem, qui liberet eos. *V.* 21. Et cognoscetur Dominus ab Ægypto, & cognoscent Ægyptii Dominum in die illa, & colent eum in hostiis & muneribus: & vota vovebunt Domino, & solvent, *ibid. & l.* 11. *c.* 6 *a.* 2. *n* 5. *& a.* 3. *n.* 8.

26. 17. Sicut quæ concipit, cùm appropinquat ad partum, dolens clamat in doloribus suis: sic facti sumus à facie tua Domine, *l.* 9. *c.* 3. *a.* 4. *n.* 5.

18. Concepimus & quasi parturivimus, & peperimus spiritum, &c. *ibid.*

28. 7. Sacerdos & Propheta nescierunt præ ebrietate, &c. *l.2.c.3.a.1.n.15.*

29. 10. Dominus, *&c.* Prophetas & Principes vestros, qui vident visiones, operiet, *ibid.*

33. 22. Dominus Judex noster, Dominus legifer noster, Dominus Rex noster: ipse salvabit nos, &c. *l.* 10. *c.* 4. *a.* 2. *n.* 1.

35. 4. Deus ipse veniet, & salvabit vos. *V.* 5. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. *V.* 6. Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum, &c. *l.* 4. *c.* 2. *a.* 7. *n.* 2.

40. 10. Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium ejus dominabitur: ecce merces ejus cum eo, &c. *l.10.c.5.a.4.n.1.*

17. Omnes Gentes quasi non sint sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei. *V.* 18. Cui ergo similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei? &c. *l.* 7. *c.* 5. *a.2. n.* 3.

22. Qui sedet super gyrum terræ, *&c.* & qui extendit velut nihilum cœlos, &c. *ibid.*

25. Cui assimilâstis me, & adæquâstis, dicit Sanctus? *ibid.*

41. 22. Accedant & nuntient nobis, quæ ventura sunt, *l.3.c.6.a.4.n.8.*

23. Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dii estis vos, *ibid.*

42. 1. Ecce servus meus, *&c.* electus meus, complacuit sibi in illo anima mea: dedi spiritum meum super eum, judicium Gentibus proferet. *V.* 2. Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris. *V.* 3. Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet, &c. *l.* 4. *c.*2. *a.* 16. *n.*2. *& l.* 10. *cap.* 4. *a.* 2. *n.* 1. *&* 3.

8. Ego Dominus, hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo, &c. *l.6.c.3.a.4.n.1.*

43. 7. Et omnem qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, &c. *l.* 9. *cap.* 2. *art.* 4. *n.* 1.

44. 1. Audi Jacob serve meus, & Israël quem elegi, &c. *v.* 3. Effundam spiritum meum super semen tuum, &c. *v.* 4. Et germinabunt inter herbas quasi salices juxta præterfluentes aquas. *V.* 5. Iste dicet, Domini ego sum: & ille vocabit in nomine Jacob, &

Digitized by Google

Cap. Vers.

hic scribet manu suâ, Domino: & in nomine Israël assimilabitur, *l.4.c.2.a.16.n.8.*

9. Plastæ idoli omnes nihil sunt, &c. *v.10.* Quis formavit Deum, & sculptile conflavit ad nihil utile? *l.7.c.5.a.2.n.2.*

22. Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua, *l.9.c.4.a.6.n.1.*

45. 8. Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem, &c. *l.4.c.2.a.17.n.1.*

46. 5. Cui assimilâstis me, & adæquâstis & comparâstis me, & fecistis similem? &c. *l.7.c.5.a.2. n.3.*

48. 5. Ne fortè diceres, idola mea fecerunt hæc, & sculptilia & conflatilia mea manducaverunt ista, *l.7.c.5.a.2.n.2.*

49. 6. Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad ultimum terræ, *l.4.c.2.a.7.n.8.*

50. 1. Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, *&c. ibid. a.16.n.7.*

5. Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, &c. *v.6.* Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus & conspuentibus, &c. *v.8.* Juxta est qui justificat me, &c. *ibid.*

51. 4. Attendite ad me populus meus, *&c.* quia lex à me exiet, &c. *l.10.c.4.a.2.n.3.*

52. 3. Gratis venundati estis, & sine argento redimemini, *l.4.c.2.a.16.n.7.*

6. Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum, *l.4.c.2.a.7.n.7.*

13. Ecce intelliget servus meus, exaltabitur & elevabitur, & sublimis erit valde, *l.4.c.2.a.7.n.8. & a.16.n.2.*

14. Sicut obstupuerunt super te multi: sic inglorius erit inter viros aspectus ejus, & forma ejus inter filios hominum, *ibid.*

53. 2. Non est species ei neque decor: & vidimus eum, &c. *V.3.* Despectum & novissimum virorum, virum dolorum, &c. *l.4.c.2.a.16.n.3. & l.9.c.4.a.3.n.2.*

5. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, *&c.* disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus, &c. *v.7.* Sicut ovis ad occisionem ducetur, &c. *ibid.*

7. Oblatus est quia ipse voluit, &c. *l.7.c.8.a.2. n.1. & l.10.c.6.a.2.n.5.*

10. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, &c. *l.4.c.2.a.15.n.2. & a.18.n.6. & l.9.c.2.a.4.n.3.*

11. Pro eo quod laboravit anima ejus, *&c.* in scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit, *l.9. c.2.a.4.n.3. & cap.4.a.3.n.2.*

55. 1. Venite emite absque argento, & absque ulla commutatione vinum & lac, &c. *l.10.c.5.a.8. n.11.*

56. 3. Et non dicat eunuchus: Ecce ego lignum aridum. *V.4.* Quia hæc dicit Dominus eunuchis: Qui custodierint Sabbatha mea, & elegerint ea, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum: *V.5.* Dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit, *l.11.c.3.a.4.n.3.*

7. Domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis, *l.4.c.2.a.17.n.6.*

Cap. Vers.

61. 1. Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, &c. *l.4.c.2.a.7. n.2.*

4. Ædificabunt deserta à sæculo, &c. *l.3.c.3. a.4.n.5.*

6. Fortitudinem Gentium comedetis, &c. *ibid.*

8. Fœdus perpetuum feriam eis. *V.9.* Et scietur in Gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum: omnes qui viderint eos cognoscent illos; quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus, *ibid.*

63. 16. Abraham nescivit nos, & Israël ignoravit nos, *l.6.c.6.a.1.n.2.*

64. 4. Oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparâsti exspectantibus te, *l.4.c.3.a.4.n.8.*

5. Occurristi lætanti & facienti justitiam, *&c. l.10.c.3.a.4.n.4.*

5. Tu iratus es, & peccavimus, *l.16.c.2.a.1. n.3.*

6. Facti sumus ut immundus omnes nos, *&c. l.4.c.2.a.13.n.4. & l.10.cap.3.a.4.n.2. & l.16.cap.2.a.7.n.5.*

66. 18. Venio ut congregem cum omnibus Gentibus, &c. *l.4.c.2.a.16.n.9.*

21. Et assumam ex eis in Sacerdotes & Levitas, &c. *l.16.c.2.a.6.n.3.*

Cap. V. JEREMIAS.

2. 8. Prophetæ prophetaverunt in Baal, &c. *l.2. c.3.a.1.n.15.*

3. 14. Convertimini filii revertentes dicit Dominus: quia ego vir vester: & assumam vos unum de civitate, & duos de cognatione, & introducam vos in Sion. *V.15.* Et dabo vos pastores juxta cor meum, & pascent vos scientiâ & doctrinâ. *V.16.* Cumque multiplicati fueritis, & creveritis in terra in diebus illis, ait Dominus: non dicent ultra: Arca testamenti Domini, &c. *v.17.* In tempore illo vocabunt Jerusalem solium Domini, &c. *l.4.c.2.a.15.n.3. & a.18.n.6. & 9.*

5. 13. Prophetæ fuerunt in ventum locuti, &c. *l.2. c.3.a.1.n.15.*

8. 5. Apprehenderunt mendacium, &c. *v.6.* Attendi & auscultavi, nemo quod bonum est loquitur, &c. *v.7.* Milvus in cœlo cognovit tempus suum, *&c.* populus autem meus non cognovit judicium Domini. *V.8.* Quomodo dicitis sapientes nos sumus, & lex Domini nobiscum est? *v.9.* Confusi sunt sapientes, &c. *l.4. c.2.a.19.n.7.*

10. 5. In similitudinem palmæ fabricata sunt, & non loquentur, &c. *l.7.c.5.a.2.n.2.*

14. 14. Falsò Prophetæ vaticinantur in nomine meo? &c. *l.2.c.3.a.1.n.15.*

15. 1. Dixit Dominus ad me: Si steterit Moyses, *&c.* non est anima mea ad populum istum, &c. *l.6.c.5.a.1.n.2.*

16. 19. Domine fortitudo mea, *&c.* ad te Gentes venient ab extremis terræ, & dicent: Verè mendacium possederunt PP. nostri, &c. *l.4.c.2.a.8.n.9.*

20. Nunquid faciet sibi homo Deos? *ibid.*

23. 5. Ecce dies veniunt, *&c.* & suscitabo David germen justum, &c. *v.6.* Et hoc est nomen quòd vocabunt eum Dominus justus noster, &c. *ibid. n.10.*

Cap. Verſ.

24. Cœlum & terram ego impleo, &c. *l.* 15. *c.* 1. *a.* 1. *n.* 6.

31. 32. Ecce dies veniunt, *&c.* & feriam domui Iſraël, *&c.* non ſecundùm pactum quod pepigi cum Patribus eorum, &c. *v.* 33. ſed hoc erit pactum, *&c.* Dabo legem meam in viſceribus eorum, &c. *l.* 4. *c.* 2. *a.* 12. *n.* 2.

35. 6. Jonadab, *&c.* pater noſter præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos & filii, &c. *v.* 8. Obedivimus ergo voci Ionadab, &c. *l.* 11. *c.* 5. *a.* 2. *n.* 6.

13. Nunquid non accipietis diſciplinam, ut obediatis verbis meis, &c. *v.* 14. Prævaluerunt ſermones Ionadab, quos præcepit filiis, *&c.* Ego autem locutus ſum ad vos, *&c.* & non obedîſtis mihi, *ibid.*

16. Firmaverunt ergo filii Ionadab, *&c.* præceptum Patris ſui, *&c.* populus autem ille non obedivit mihi, *ibid. n.* 8. *& cap.* 7. *a.* 2. *n.* 1. *& l.* 11. *c.* 7. *a.* 2. *n.* 1.

18. Domui autem Rechabitarum, *&c.* hæc dicit Dominus; pro eo quòd obediſtis, *&c.* non deficiet vir de ſtirpe Ionadab, &c. *l.* 11. *c.* 5. *a.* 2. *n.* 6.

Cap. verſ THRENI.

3. 22. Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti, &c. *l.* 9. *c.* 4. *a.* 8. *n.* 1.

Cap. verſ BARUCH.

3. 9. Audi Iſraël mandata vitæ, &c. *l.* 2. *c.* 5. *a.* 6. *n.* 4.

36. Hic eſt Deus noſter, &c. *v.* 38. Poſt hæc in terris viſus eſt, &c. *l.* 4. *c.* 2. *a.* 8. *n.* 10.

Cap. verſ EZECHIEL.

3. 7. Omnis quippe Domus Iſraël attritâ fronte eſt, &c. *l.* 3. *c.* 3. *a.* 6. *n.* 3.

7. 26. Conturbatio ſuper conturbationem veniet, &c. *l.* 3. *c.* 5. *a.* 4. *n.* 8.

9. 4. Tranſi ſuper mediam civitatem, *&c.* & ſigna thau ſuper frontes virorum gementium, *&c.* *l.* 7. *c.* 8. *a.* 4. *n.* 1.

6. Omnem autem, ſuper quem videritis thau, non occideritis, *ibid.*

18. 20. Filius non portabit iniquitatem Patris, *&c.* *l.* 4. *c.* 2. *a.* 10. *n.* 3.

21. Si impius egerit pœnitentiam, *&c.* vitâ vivet, *l.* 9. *c.* 3. *a.* 3. *n.* 1.

22. Omnium iniquitatum ejus, *&c.* non recordabor, *l.* 8. *c.* 5. *a. ult. n.* 7.

24. Si averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquit. *&c.* in peccato ſuo, *&c.* morietur, *l.* 9. *c.* 6. *a.* 7. *n.* 1.

27. Cùm averterit ſe, *&c.* & fecerit judicium, *&c.* ipſe animam ſuam vivificabit, &c. *l.* 9. *c.* 3. *a.* 4. *n.* 7. *& a.* 9. *n.* 2.

22. 30. Quæſivi de eis virum qui, *&c.* ſtaret oppoſitus contra me pro terra, *l.* 6. *c.* 4. *a.* 2. *n.* 2.

34. 23. Suſcitabo ſuper eas Pastorem unum, qui paſcat eas, ſervum meum David, &c. *v.* 24. Ego autem Dominus ero eis in Deum, &c. *l.* 4. *c.* 2. *a.* 6. *n.* 2.

37. 23. Et faciam eos in gentem unam, *&c.* & non erunt ultra duæ gentes, &c. *v.* 23. Neque polluentur ultra in idolis, *&c.* ego ero eis Deus, *&c.* *v.* 24. Et ſervus meus David Rex ſuper eos, & paſtor unus erit omnium eorum, *l.* 4. *c.* 2. *a.* 8. *n.* 9.

39. 25. Hæc dicit Dominus Deus: Nunc reducam captivitatem Iacob, &c. *v.* 26. Cùm habitaverint, &c. *v.* 28. Scient quia ego Dominus Deus eorum, &c. *ibid. a.* 15. *n.* 2.

41. 18. Et fabrefacta Cherubim, &c. *v.* 19. Faciem hominis, &c. *l.* 7. *c.* 5. *a.* 1. *n.* 1.

44. 29. Victimam pro peccato, & pro delicto ipſi comedent, &c. *l.* 9. *c.* 4. *a.* 11. *n.* 2.

Cap. verſ DANIEL.

2. 19. Danieli myſterium per viſionem revelatum eſt, *l.* 12. *c.* 1. *a.* 3. *n.* 3.

34. Abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus, &c. *v.* 35. Lapis autem, qui percuſſit ſtatuam, factus eſt mons magnus, &c. *l.* 4. *c.* 2. *a.* 16. *n.* 7.

47. Verè Deus veſter Deus Deorum eſt, &c. *l.* 12. *c.* 1. *a.* 3. *n.* 3.

3. 35. Neque auferas miſericordiam à nobis propter Abraham, &c. *l.* 6. *c.* 6. *a.* 2. *n.* 1.

4. 24. Peccata tua eleëmoſynis redime, &c. *l.* 10. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 6.

5. 4. Bibebant vinum, & laudabant Deos ſuos, &c. *l.* 7. *c.* 5. *a.* 2. *n.* 1.

6. 10. Tribus temporibus in die flectebat genua ſua, &c. *l.* 16. *c.* 8. *a.* 7. *n.* 5.

7. 9. Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt, &c. *v.* 10. Et libri aperti ſunt, &c. *l.* 4. *c.* 2. *a.* 16. *n.* 4. *&* *l.* 7. *c.* 5. *a.* 2. *n.* 4.

13. Aſpiciebam, *&c.* & ecce cum nubibus cœli quaſi filius hominis veniebat, &c. *v.* 14. Et dedit ei poteſtatem, *&c.* poteſtas ejus poteſtas æterna, &c. *ibid.*

9. 18. Neque enim in juſtificationibus noſtris proſternimus preces, &c. *l.* 4. *c.* 2. *a.* 18. *n.* 14. *&* *l.* 10. *c.* 6. *a.* 6. *n.* 4.

25. Scito ergo, & animadverte, *&c.* uſque ad Chriſtum ducem hebdomades ſeptem & hebdomades ſexaginta duæ, *&c.* & rurſum ædificabitur platea, &c. *l.* 4. *c.* 2. *a.* 3. *n.* 4.

26. Et poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus, &c. *ibid. &* *l.* 3. *c.* 5. *a.* 4. *n.* 8.

27. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in medio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium, &c. *l.* 4. *c.* 2. *a.* 3. *n.* 4.

29. Deficiet hoſtia & ſacrificium, *l.* 3. *c.* 3. *a.* 1. *n.* 4.

10. 6. Et ecce vir, *&c.* & corpus ejus quaſi chryſolitus. *l.* 7. *c.* 7. *a.* 2. *n.* 1.

12. 1. In tempore illo ſaturabitur populus tuus, *&c.* *v.* 2. Et multi de his qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt; alii in vitam æternam, &c. *l.* 16. *c.* 2. *a.* 6. *n.* 5.

7. Cùm elevâſſet dexteram & ſiniſtram ſuam in cœlum, *&c.* Et cùm completa fuerit diſperſio manûs populi ſancti, complebuntur univerſa hæc, *ibid.*

11. Et à tempore cùm ablatum fuerit juge ſacrificium, &c. *ibid.*

Cap. verſ OSEAS.

4. 8. Peccata populi mei comedent, &c. *l.* 9. *c.* 4. *a.* 11. *n.* 2.

6. 6. Quia miſericordiam volui, & non ſacrificium;

Digitized by Google

Cap. Vers.

um: & scientiam Dei plusquam holocausta, *&c.* *l.*16.*c.*1.*a.*2.*n.*2.

Cap. vers. JOEL.

2. 13. Convertimini ad Dominum Deum vestrum, &c. *v.* 14. Quis scit, si convertatur, &c. *l.* 9. *c.* 3. *a.* 8. *n.* 3.

28. Et erit post hæc effundam spiritum meum, *&c.* & prophetabunt filii vestri, &c. *v.* 29. sed & super servos meos & ancillas, &c. *l.* 4. *c.* 2. *a.* 8. *n.* 6.

Cap. ℣. JONAS.

3. 8. Clament ad Dominum, &c. *v.* 9. Quis scit, si convertatur & ignoscat Deus, *l.* 9. *c.* 3. *a.* 8. *n.* 3.

Cap. ℣. MICHÆAS.

3. 6. Nox vobis pro visione erit, & tenebræ vobis pro divinatione, *l.* 3. *c.* 5. *a.* 4. *n.* 8.

4. 1. Et erit, *&c.* mons domûs Domini præparatus in vertice montium, *&c.* & fluent ad eum omnes populi. *V.* 2. Et prophetabunt Gentes multæ, & dicent: Venite ascendamus ad montem, &c. *l.* 4. *c.* 2. *a.* 8. *n.* 8.

5. 2. Et Tu Bethlehem, *&c.* parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, &c. *l.* 4. *c.* 2. *a.* 7. *n.* 1.

6. 8. Indicabo tibi ô homo, quid sit bonum, *&c.* utique facere judicium, &c. *l.* 4. *c.* 2. *a.* 11. *n.* 4.

7. 19. Miserebitur nostri, *&c.* & projiciet in profundum maris omnia peccata nostra, *l.* 8. *c.* 5. *a. ult. n.* 7.

Cap. ℣. HABACUC.

2. 4. Justus autem in Fide sua vivit, *l.* 9. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 1. *&* *a.* 4. *n.* 5.

Cap. ℣. AGGÆUS.

2. 3. Loquere ad Zorobabel filium Salathiel, *&c.* *l.* 4. *c.* 2. *a.* 3. *n.* 2.

7. Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cœlum, &c. *v.* 8. Et movebo omnes Gentes, & veniet Desideratus cunctis Gentibus, &c. *l.* 4. *c.* 2. *a.* 3. *n.* 6.

10. Magna erit gloria domûs istius novissimæ, *&c.* *ibid. a.* 18. *n.* 8.

Cap. ℣. ZACHARIAS.

1. 19. Isti sunt quos misit Dominus, ut perambulent terram. *V.* 11. Et responderunt Angelo Domini, *&c.* perambulavimus terram, &c. *v.* 12. Et respondit Angelus, *&c.* usquequo tu non misereberis, &c. *l.* 6. *c.* 5. *a.* 1. *n.* 1.

5. 7. Ecce mulier una sedens in medio amphoræ, *v.* 8. & dixit; hæc est impietas, *l.* 5. *c.* 4. *a.* 4. *n.* 3.

10. Quò istæ deferunt amphoram? &c. *ibid.*

6. 12. Oriens Nomen eius, *l.* 4. *c.* 2. *a.* 15. *n.* 3.

9. 9. Exulta satis filia Sion, *&c.* Ecce Rex tuus veniet tibi justus & Salvator, &c. *v.* 10. Et loquetur pacem Gentibus, &c. *l.* 4. *c.* 2. *a.* 7. *n.* 3 *&* *a.* 16. *n.* 1. *&* *l.* 8. *c.* 6. *a.* 1. *n.* 3.

11. Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos, &c. *l.* 8. *c.* 6. *a.* 1. *n.* 3.

Cap. Vers. MALACHIAS.

1. 6. Ubi est timor meus dicit, Dominus? *&c.* ô Sacerdotes qui despicitis nomen meum, *&c.* *l.* 16. *c.* 2. *a.* 7. *n.* 1.

7. Offertis super altare meum panem pollutum, *ibid.*

8. Si offeratis cœcum ad immolandum, *&c.* *ibid.*

10. Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, *&c.* Ab ortu Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, &c. *l.* 4. *c.* 2. *a.* 13. *n.* 1. *&* *l.* 5. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 4. *&* *l.* 16. *c.* 2. *a.* 7. *n.* 1.

3. 1. Ecce ego mitto Angelum meum, &c. *l.* 16. *c.* 2. *a.* 7. *n.* 4.

Cap. vers. MACHABEORUM II.

12. 43. Fortissimus Judas factâ collatione, duodecim millia drachmas argenti Jerosolymam offerri pro peccato sacrificium bene religiosè de resurrectione cogitans. *V.* 44. Nisi enim, &c. *v.* 45. Et quia considerabat, &c. *v.* 46. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur, *l.* 8. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 2.

15. 14. Hic est qui multum orat pro populo, *&c.* Jeremias Propheta Dei, *l.* 6. *c.* 5. *a.* 1. *n.* 2.

EX NOVO TESTAMENTO.

Cap. vers. MATTHÆUS.

1. 24. Vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet populum suum, &c. *l.* 6. *c.* 4. *a.* 2. *n.* 1.

25. Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum, *l.* 2. *c.* 2. *a.* 4. *n.* 6.

3. 11. Ego quidem baptizo vos in aqua, *&c.* Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, &c. *l.* 4. *c.* 6. *a.* 3. *n.* 4. *&* *l.* 13. *c.* 1. *a.* 3. *n.* 1. *&* *a.* 5. *n.* 10.

12. Permundabit aream suam: & congregabit triticum suum in horreum, *&c.* paleas autem, &c. *l.* 8. *c.* 5. *a. ult. n.* 8.

16. Ecce aperti sunt cœli: & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, &c. *l.* 7. *c.* 5. *a.* 2. *n.* 4.

4. 10. Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, &c. *l.* 15. *c.* 6. *a.* 4. *n.* 1.

5. 3. Beati pauperes spiritu, *&c.* Beati mites, *&c.* *l.* 9. *c.* 4. *a.* 11. *n.* 6. *&* *l.* 11. *c.* 4. *a.* 2. *n.* 2.

7. Beati misericordes: quoniam ipsi, &c. *l.* 10. *c.* 5. *a.* 8. *n.* 10.

12. Gaudete & exultate, quoniam merces, *&c.* *l.* 10. *c.* 5. *a.* 4. *n.* 1.

15. Vos estis lux mundi, *&c.* Non potest civitas abscondi, &c. *l.* 3. *c.* 3. *a.* 8. *n.* 4. *&* *cap.* 6. *a.* 6. *n.* 2. *&* *l.* 9. *cap.* 4. *a.* 6. *n.* 2.

17. Sic luceat lux vestra, &c. *l.* 3. *c.* 6. *a.* 4. *n.* 8. *&* *l.* 10. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 3. *&* *c.* 4. *a.* 1. *n.* 1.

18. Non veni solvere legem, *&c.* apex non præteribit à lege, &c. *l.* 3. *c.* 3. *a.* 1. *n.* 4. *&* *l.* 4. 2. *c.* 14. *a.* 2. *&* *l.* 10. *c.* 4. *a.* 2. *n.* 1.

19. Qui ergo solverit unum de mandatis istis, *&c.* *l.* 10. *c.* 4. *a.* 2. *n.* 1.

20. Nisi abundaverit justitia vestra, &c. *l.* 4. *c.* 2. *a.* 14. *n.* 4. *&* *l.* 9. *c.* 1. *a.* 2. *&* *l.* 10. *c.* 4. *a.* 2. *n.* 1. *&* *a.* 3. *n.* 1.

21. Dictum est antiquis: Non occides, &c. *l.* 4. *c.* 2.

Digitized by Google

Cap. Vers.

4. *cap.* 2. *a.* 14. *num.* 4. & *l.* 10. *cap.* 2. *a.* 4. *n.* 4.
22. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio, &c. *ibid.* & *l.* 8.*c.*2.*a.*4.*n.*6.
25. Esto consentiens adversario tuo cito in via, &c. ne, &c. in carcerem mittaris. *V.* 26. Amen dico tibi non exies inde, &c. *l.*8.*c.*2.*a.*4.*n.*5. & *cap.*4.*a.*3.*n.*2.
32. Dictum est autem: Quicunque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii, &c. *l.*10.*c.*4.*a.*2.*n.*3.
34. Ego autem dico vobis non jurare omnino, &c. *l.*7.*c.*7.*a.*3.*n.*8.
48. Estote ergo vos perfecti, sicut, &c. *l.*11.*c.*4.*a.*2.*n.*9.

6. 1. Attendite ne injustitiam vestram faciatis coram hominibus, &c. *l.*9.*c.*1.*a.*2.*n.*2. & *l.* 10. *c.*3.*a.*2.*n.*6.
5. Et cùm oratis, non eritis sicut Hypocritæ, &c. *l.* 10.*c.*3.*a.*2.*n.*6.
9. Sanctificetur nomen tuum, &c. *ibid. a.* 4. *n.*8.
14. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater cœlestis, &c. si autem, &c. *l.*10.*c.*4.*a.*3.*n.*7.
16. Cùm autem jejunatis, nolite fieri sicut Hypocritæ, &c. *l.* 10.*c.*3.*a.*2.*n.*6.
33. Quærite ergo primùm Regnum Dei, &c. *l.*10.*c.*5.*a.*7.*n.*1.

7. 6. Nolite dare sanctum canibus, &c. *l.*16.*c.*7.*a.*6.*n.*6.
16. A fructibus eorum cognoscetis eos, *l.* 5.*c.* 2.*a.*4.*n.* 5.
22. Multi dicent mihi in illa die Domine, Domine: nónne, &c. *l.* 9. *c.* 1. *a.*3. *n.* 2. & *cap.* 3.*a.*5. *n.*6.

8. 20. Vulpes foveas habent, &c. Filius autem hominis, &c. *l.* 11.*c.*4. *a.*2.*n.* 1.

9. 13. Non enim veni vocare justos, sed peccatores, &c. *l.* 16. *c.* 7. *a.* 7. *n.*21.
21. Si tetigero tantùm vestimentum ejus, salva ero, *l.* 15. *c.* 6. *a.* 4. *n.* 4.
22. Confide filia, Fides tua te salvam fecit, *l.* 7. *c.* 1. *a.* 1. *n.*8.
28. Accesserunt ad eum cœci, &c. *v.* 29. Tunc tetigit oculos eorum dicens: Secundùm Fidem, &c. fiat vobis, *l.*9.*c.*3.*a.*2.*n.*8.

10. 1. Dedit illis potestatem spirituum immundorum, &c. *l.*3.*c.*6. *a.*4.*n.*3.
5. In viam Gentium ne abieritis, &c. *l.* 13.*c.*3. *a.*5.*n.*15.
25. Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt; quantò magis, &c. *l.* 4. *c.* 7. *a.* 11. *n.* 6.
32. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego, &c. qui autem negaverit me, &c. *l.* 4. *c.* 8. *a.* 5. *n.* 4. & *l.* 9. *cap.* 6. *a.* 5. *n.* 2. & *l.* 10. *c.* 4. *a.* 3. *n.* 8.
42. Quicunque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, &c. *l.* 10. *c.* 5. *a.* 4. *n.*1.

11. 4. Tu es qui venturus es, &c. Euntes renuntiate Joanni, quæ, &c. *l.*3.*c.*6.*a.*4.*n.*3.
13. Omnes enim Prophetæ & lex usque ad Joannem prophetaverunt, *l.* 10. *c.* 4. *a.* 6. *n.* 10.
21. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, &c. *l.*9.*c.*3.*a.*1.*n.*4.
25. Confiteor tibi pater, quia abscondisti, &c. *ibid.* & *l.*13.*c.*3.*a.*2.*n.*5.
27. Nemo novit Filium nisi Pater, neque, &c. *l.* 4. *c.* 5. *a.* 8. *num.* 2. & *lib.* 9. *cap.* 3. *art.* 1. *n.* 3.
29. Tollite jugum meum super vos, &c. *v.* 30. Jugum enim meum, &c. *l.*10.*c.*2.*a.*1.*n.*2. & *cap.* 4.*a.*2.*n.*2.

12. 25. Omne regnum divisum contra se desolabitur, *l.* 3. *c.* 6. *a.* 3. *n.* 3.
32. Qui dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo neque in futuro, *l.* 8. *c.* 2. *a.* 4. *n.* 4. & *cap.* 3. *art.* 6. *n.* 3.
40. Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus & noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ, &c. *l.*8.*c.*6.*a.*1.*n.*3.
50. Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, &c. ipse meus frater, &c. *l.ult.c.*3.*a.*2.*n.*32.

13. 7. Alia ceciderunt in spinas, &c. & suffocaverunt ea, &c. *l.* 11. *c.* 2. *a.* 3. *n.* 2. & *cap.* 4. *a.* 2. *n.* 3.
9. Qui habet aures audiendi, audiat, *l.*11.*c.*7.*a.*5.*n.*15.
30. Sinite utraque crescere ad messem, *l.* 3. *c.* 3. *a.* 3. *n.* 1.
36. Edissere nobis parabolam zizaniorum, &c. *ibid.*
43. Fulgebunt justi sicut Sol in regno Patris, &c. *l.* 2. *c.* 5. *a.* 5. *n.* 6.

14. 19. Acceptis quinque panibus & duobus piscibus, aspiciens in cœlum benedixit, &c. *l.* 16. *c.* 8. *a.* 7. *n.* 3.
27. Ego sum, nolite timere, &c. *l.* 15. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 7.

15. 3. Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram, &c. *l.* 2. *c.* 3. *a.* 1. *n.* 15.
6. Irritum fecistis mandatum, &c. *v.* 7. Hypocritæ bene de vobis prophetavit Isaias, dicens: *V.* 9. Sine causa colunt me, &c. *ibid.*
13. Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus, &c. eradicabitur, *l.*4. *c.* 4. *a.* 1. *n.* 2. & *cap.*8.*a.*3.*n.*9.

16. 16. Tu es Christus Filius Dei vivi, *l.* 9. *c.* 3. *a.* 2. *n.*8.
17. Beatus es Simon BarJona, quia caro, &c. *l.* 4. *c.* 5. *a.* 8. *n.* 2. *l.* 15. *cap.* 3. *a.* 1. *n.* 7.
18. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. & portæ inferi, &c. *l.* 1. *c.* 1. *a.* 2. *n.* 9. & *lib.* 3. *cap.* 3. *a.* 3. *n.* 2. & *cap.* 4. *a.* 3. *n.* 3. & *lib.* 4. *cap.* 2. *a.* 18. *num.* 12. & *lib.* 5. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 4. & *lib.* 17. *cap.* 2. *a.* 3. *n.* 5.
24. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me, *l.* 11. *c.* 5. *a.* 2. *n.* 3.
25. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam, &c. *l.* 11. *c.* 5. *a.* 2. *n.* 4.
27. Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui, &c. *l.* 10. *c.* 5. *a.* 4. *n.* 3.

17. 20. Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi per orationem, &c. *l.* 16. *c.* 7. *a.* 7. *n.* 16.

18. 10. Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris, *l.*8.*c.*6.*a.*4.*n.*5. & *lib.*9.*cap.*4.*a.*9.*n.*9.
17. Quòd si non audierit eos die Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, &c. *l.* 3. *cap.* 1. *a.* 1. *n.* 4.

Digitized by Google

Cap. Vers.

num. 4. & lib. 3. cap. 3. art. 8. num. 3. & cap. 4. art. 3. num. 5. & cap. 5. art. 1. num. 2. & lib. 5. cap. 2. a. 1. num. 1.

18. Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, &c. l. 3. c. 5. a. 1. n. 2. & cap. 6. a. 2. num. 8. & lib. 17. cap. 1. art. 3. num. 2. & cap. 2. a. 3. n. 5.

20. Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, l. 3. c. 5. a. 1. n. 2.

19. 5. Propter hoc dimittet homo patrem, &c. l. 11. c. 5. a. 2. n. 9.

6. Quod ergo Deus conjunxit, homo, &c. l. 20. c. unic. a. 3. n. 1.

10. Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere: qui dixit, &c. l. 11. c. 3. a. 2. n. 1. & art. 3. num. 1. & art. 5. num. 1. & lib. 15. cap. 7. art. 9. num. 3. & lib. ult. cap. 2. art 6. num. 6.

11. Non omnes capiunt verbum hoc, &c. l. 11. c. 7. a. 5. n. 2.

12. Sunt Eunuchi qui seipsos castraverunt, &c. l. 11. c. 7. a. 3. n. 2.

13. Qui potest capere, capiat, &c. ibid. art. 5. num. 2.

14. Sinite parvulos & nolite eos prohibere, &c. l. 13. c. 3. a. 2. n. 4.

16. Unus accedens ait illi, Magister bone, quid boni faciam? &c. si vis, &c. serva mandata, l. 10. c. 4. a. 3. n. 1. & 2. & cap. 6. art. 6. num. 1. & lib. 11. cap. 4. a. 2. n. 4.

17. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata, &c. l. 4. c. 2. a. 14. n. 4. & lib. 9. cap. 6. art. 3. num. 2.

21. Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, &c. l. 5. c. 2. a. 1. n. 5. & art. 5. n. 2. & lib. 11. cap. 2. art. 2. num. 5. & cap. 4. art. 2. num. 4. & cap. 5. art. 2. n. 5. & cap. 7. a. 1. n. 4.

23. Dives difficile intrabit, &c. faciliùs est camelum, &c. l. 11. c. 2. a. 3. n. 4. & cap. 4. art. 2. num. 3. & 6. & l. 15. cap. 2. a. 3. n. 2. & cap. 3. art. 2. num. 21.

26. Apud homines hoc impossibile est, &c. l. 10. c. 2. a. 4. n. 1. & lib. 11. c. 4. a. 2. n. 6. & lib. 15. cap. 2. art. 3. n. 2. & cap. 3. art. 2. num. 21.

27. Ecce nos reliquimus omnia, &c. v. 28. Amen dico vobis, &c. v. 29. Omnis qui reliquerit domum, &c. propter nomen meum, &c. l. 4. c. 8. a. 2. n. 4. & lib. 5. cap. 2. art. 5. n. 2. & l. 10. c. 5. a. 4. n. 4. & lib. 11. cap. 4. a. 2. n. 11. & 12.

20. 8. Voca operarios & redde illis mercedem, &c. l. 10. c. 5. a. 4. n. 1.

21. 22. Omnia quæcunque petieritis, &c. credentes accipietis, l. 16. c. 7. a. 7. n. 12.

31. Amen dico vobis, quia Publicani, &c. præcedent vos, &c. ibid. n. 21.

22. 14. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi, &c. l. 9. c. 6. a. 4. n. 2.

17. Dic ergo nobis quid tibi, &c. licetne censum dare Cæsari? &c. l. 10. c. 4. a. 3. n. 5.

21. Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, &c. ibid.

29. Erratis nescientes Scripturas, &c. in resurrectione enim neque nubent, &c. ibid.

30. Erunt sicut Angeli Dei in cœlo, l. 6. c. 5. a. 1. n. 2.

37. Diliges Dominum Deum tuum, &c. v. 39. Et proximum tuum sicut teipsum, l. 10. c. 2. a. 3. n. 1. & lib. 11. cap. 2. a. 2. n. 5.

40. In his duobus mandatis universa lex pendet, &c. l. 10. c. 2. a. 4. n. 1. & cap. 4. a. 2. n. 2.

Cap. Vers.

23. 3. Omnia quæcunque dixerint vobis servate & facite, secundùm opera verò, &c. l. 3. c. 5. a. 4. n. 8. & lib. 5. cap. 4. a. 1. n. 6.

10. Quia unus est magister vester, &c. l. 6. c. 4. a. 2. n. 1.

23. Væ vobis Scribæ, &c. qui decimatis menctham, &c. l. 2. c. 3. a. 1. n. 17.

37. Jerusalem, Jerusalem quæ occidis Prophetas, &c. v. 38. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, l. 5. c. 4. a. 4. n. 8.

24. 2. Videtis hæc omnia, quia dico, non relinquetur, &c. ibid.

11. Multi pseudo-Prophetæ surgent, & seducent multos. V. 12. Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet, &c. v. 13. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit, l. 9. c. 6. a. 7. n. 1.

14. Et prædicabitur hoc Euangelium regni in universo orbe, &c. l. 3. c. 3. a. 3. n. 2. & art. 8. n. 2. & lib. 4. cap. 8. art. 4. num. 2.

23. 24. Ecce hîc est Christus aut illic: nolite credere, &c. l. 4. c. 8. a. 2. n. 9. & lib. 9. cap. 6. art. 7. num. 1.

30. Tunc parebit signum Filii hominis, &c. l. 7. c. 8. a. 4. n. 1.

25. 30. Inutilem servum ejicite in tenebras, &c. l. 10. c. 5. a. 4. n. 5.

31. Tunc sedebit super sedem majestatis suæ, &c. v. 33. Et statuet oves quidem à dextris suis, hædos autem, &c. Venite benedicti, &c. l. 10. c. 3. a. 3. n. 5.

34. Venite benedicti Patris mei, possidete, &c. esurivi enim, &c. l. 8. c. 5. a. ult. n. 8. & lib. 10. cap. 5. a. 4. n. 4.

41. Discedite à me maledicti, &c. l. 8. c. 5. a. ultimo, n. 8. & lib. 10. cap. 3. art. 3. num. 5. & cap. 5. art. 4. num. 5.

26. 17 Primo autem die azymorum, &c. ubi vis paremus tibi comedere pascha? l. 4. c. 5. art. 3. n. 4.

20. Vespere autem facto discumbebat, &c. l. 15. c. 7. a. 11. n. 2. & lib. ult. cap. 2. art. 6. num. 11.

26. Cœnantibus autem eis accepit Iesus panem, &c. hoc est Corpus meum, &c. l. 15. c. 3. a. 2. n. 1. & lib. 17. cap. 7. a. 11. n. 2.

27. Et accipiens calicem gratias egit, &c. dicens: Bibite ex hoc omnes, &c. l. 15. c. 3. a. 2. n. 1. & lib. 16. cap. 3. art. 2. num. 4. & cap. 6. art. 3. num. 1. & cap. 7. a. 5. n. 3.

29. Dico, &c. non bibam amodo de hoc genimine vitis, &c. l. 15. c. 7. a. 1. n. 7.

31. Omnes vos scandalum patiemini in me, &c. ibid. a. 11. n. 10.

39. Non sicut ego volo, sed sicut tu, l. 11. c. 5. a. 2. n. 2.

27. 25. Sanguis ejus super nos, &c. l. 4. c. 2. a. 10. n. 2.

34. Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum, &c. l. 15. c. 7. a. 9. n. 9.

28. 19. Euntes ergo, docete omnes Gentes &c. Ecce ego vobiscum sum, &c. l. 1. c. 1. a. 2. n. 6. & lib. 2. cap. 2. a. 5. n. 2. & lib. 3. cap. 3. art. 3. n. 2. & a. 8. n. 2. & cap. 4. art. 3. num. 6. & cap. 5. art. 1. num. 3. & lib. 10. cap. 4. art. 2. num. 4. & lib. ult. c. 3. art. 4. num. 5. & 7.

19. Baptizantes eos in nomine Patris, &c. l. 12. c. 1. a. 8. n. 2. & lib. 13. cap. 3. art. 5. num. 14. & lib. 15. cap. 7. art. 11. num. 10.

20. Do-

Digitized by Google

Cap. Vers.

20. Docete omnes Gentes, baptizantes eos, &c. docentes eos servare omnia, &c. *l.* 9. *c.* 3. *a.* 4. *n.* 7. & *lib.* 13. *cap.* 3. *art.* 5. *num.* 14.

Cap. vers. **D. MARCUS.**

1. 4. Joannes prædicans Baptismum pœnitentiæ. *l.* 13. *c.* 4. *a.* 5. *n.* 10.

5. Egrediebatur ad eum omnis Judææ regio, &c. & baptizabantur, &c. *ibid. a.* 3. *n.* 2.

8. Ego baptizavi vos aquâ, ille verò baptizabit vos Spiritu Sancto. *l.* 13. *c.* 4. *a.* 3. *n.* 1.

6. 7. Vocavit duodecim, & cœpit eos mittere binos, &c. *l.* 13. *c.* 1. *a.* 6. *n.* 10. & *lib.* 18. *cap. unic. a.* 3. *n.* 1.

13. Et exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent, & ungebant oleo ægros, &c. *l.* 13. *c.* 1. *a.* 6. *n.* 10. & *lib.* 18. *cap. unic. a.* 1. *n.* 1.

41. Intuens in cœlum benedixit, &c. *l.* 16. *c.* 8. *a.* 7. *n.* 3.

7. 32. Adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum, &c. & apprehendens eum, &c. *l.* 14. *c. unic. a.* 1. *n.* 10.

10. 21. Vnum tibi deest, vade & vende, &c. *l.* 11. *c.* 4. *a.* 2. *n.* 5.

11. 24. Quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, &c. *l.* 9. *c.* 6. *a.* 4. *n.* 4. & *lib.* 16. *cap.* 7. *a.* 7. *num.* 12.

30. Baptismus Joannis de cœlo erat, an ex hominibus, &c. *l.* 13. *c.* 4. *a.* 5. *n.* 5.

12. 33. Majus est omnibus holocaustomatibus & sacrificiis, &c. *l.* 12. *c.* 4. *a.* 4. *n.* 9.

13. 37. Quod vobis dico, omnibus dico. *l.* 15. *c.* 7. *a.* 11. *n.* 10.

14. 12. Et primo die azymorum, &c. dicunt ei, &c. quò vis eamus, &c. *l.* 4. *c.* 5. *a.* 3. *n.* 4.

22. Et manducantibus illis accepit Jesus panem, &c. hoc est Corpus meum. *l.* 15. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 1.

23. Et accepto calice, &c. hic est Sanguis meus, &c. *l.* 15. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 1. & *cap.* 7. *art.* 11. *num.* 2. & *lib.* 16. *cap.* 2. *a.* 4. *n.* 12. & *lib. ult. cap.* 2. *art.* 6. *num.* 11.

16. 15. Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. *l.* 17. *c.* 2. *a.* 3. *n.* 9.

16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non, &c. condemnabitur. *l.* 8. *c.* 4. *a. ult. n.* 8. & *lib.* 9. *cap.* 3. *art.* 5. *n.* 5. & *lib.* 10. *cap.* 4. *a.* 6. *n.* 7. & *lib.* 12. *cap.* 2. *a.* 3. *n.* 3. & *lib.* 13. *cap.* 1. *a.* 2. *n.* 10. & *cap.* 3. *art.* 5. *num.* 18. & *cap.* 4. *a.* 5. *n.* 10.

17. Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur, &c. *v.* 18. Super ægros manus imponent, &c. *l.* 3. *c.* 6. *a.* 4. *n.* 4. & *lib.* 5. *cap.* 2. *a.* 3. *n.* 1. & *lib.* 9. *cap.* 3. *a.* 5. *n.* 5. & *lib.* 12. *cap.* 1. *a.* 8. *n.* 3. *lib.* 13. *c.* 1. *a.* 4. *n.* 13. & *lib.* 14. *cap. unic. art.* 2. *num.* 11.

20. Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis. *l.* 4. *c.* 8. *a.* 2. *n.* 10.

Cap. vers. **D. LUCAS.**

1. 6. Erant justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, &c. *l.* 10. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 6.

8. Factum est autem cùm sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum. *l.* 11. *c.* 8. *a.* 1. *n.* 5.

9. Vt incensum imponeret ingressus in templum Domini, & omnis multitudo populi erat orans foris, &c. *l.* 16. *c.* 7. *a.* 3. *n.* 10.

34. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco. *l.* 11. *c.* 7. *a.* 4. *n.* 1.

45. Beata quæ credidisti. *l.* 11. *c.* 7. *a.* 4. *n.* 1. & 11.

2. 7. Et reclinavit in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio. *l.* 11. *c.* 4. *a.* 2. *n.* 1.

41. Ibant parentes Jesu per omnes annos in Jerusalem in die solemni paschæ. *lib.* 7. *cap.* 9. *a.* 6. *num.* 7.

51. Descendit cum eis & venit Nazareth, & erat subditus illis. *l.* 11. *c.* 5. *a.* 2. *n.* 2.

3. 3. Venit Joannes prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. *l.* 13. *c.* 4. *a.* 2. *n.* 2.

8. Facite fructus dignos pœnitentiæ. *l.* 9. *c.* 6. *a.* 2. *n.* 2.

16. Ego quidem aquâ baptizo vos, &c. Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne. *l.* 12. *c.* 2. *a.* 3. *n.* 2. & *lib.* 13. *cap.* 4. *art.* 3. *num.* 1. & *art.* 5. *num.* 3.

4. 18. Spiritus Domini super me. *l.* 3. *cap.* 3. *art.* 4. *n.* 5.

6. 20. Beati pauperes spiritu, &c. *l.* 11. *c.* 4. *a.* 2. *num.* 2.

24. Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. *l.* 11. *c.* 4. *a.* 2. *n.* 2.

38. Date, & dabitur vobis, mensuram bonam dabit in sinum vestrum: eâdem quippe mensurâ quâ mensi fueritis remetietur vobis. *l.* 10. *c.* 5. *a.* 4. *n.* 3.

7. 35. Justificata est sapientia ab omnibus filiis suis, &c. *l.* 9. *c.* 1. *a.* 1. *n.* 1.

47. Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm. *l.* 1. *c.* 2. *a.* 2. *n.* 8. & *lib.* 9. *cap.* 3. *art.* 4. *num.* 6. & *art.* 10. *num.* 2. & *cap.* 5. *a.* 5. *num.* 1. & *art.* 9. *num.* 2.

50. Fides tua te salvam fecit. *l.* 9. *cap.* 3. *a.* 3. *n.* 2.

8. 13. Nam qui supra petram, &c. qui cum gaudio suscipiunt verbum, & hi radices non habent, &c. *l.* 9. *c.* 6. *a.* 7. *n.* 2.

48. Fides tua te salvam fecit. *l.* 9. *cap.* 3. *a.* 10. *n.* 2.

50. Iesus, &c. respondit patri puellæ: Noli timere, crede tantùm & salva erit. *ibid.*

9. 1. Convocatis autem duodecim, &c. dedit illis virtutem, &c. *v.* 2. Et misit illos prædicare Regnum Dei, &c. *l.* 13. *c.* 1. *a.* 6. *n.* 10.

10. 1. Post hæc designavit Dominus & alios septuaginta duos: & misit illos binos ante faciem suam, &c. *v.* 2. Et dicebat illis: Messis quidem multa, &c. *v.* 3. Ite ecce mitto vos, &c. *ibid.*

7. Dignus est enim operarius mercede suâ, &c. *l.* 10. *c.* 6. *a.* 1. *n.* 5.

16. Qui vos audit me audit, &c. *l.* 3. *c.* 5. *a.* 1. *n.* 3. & *lib.* 11. *cap.* 5. *art.* 2. *num.* 2. & *art.* 3. *num.* 2. & *cap.* 7. *art.* 2. *num.* 2. & *lib.* 12. *cap.* 4. *art.* 5. *num.* 5.

25. Magister quid faciendo vitam æternam possidebo. *V.* 26. At ille dixit, &c. In lege quid scriptum est? *v.* 27. Ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c. *l.* 10. *c.* 4. *a.* 3. *n.* 4. & *lib.* 11. *cap.* 2. *a.* 4. *num.* 1.

29. Ille autem volens justificare seipsum, &c. *l.* 9. *c.* 1. *a.* 1. *n.* 1.

43. Maria optimam partem elegit. *l.* 11. *c.* 1. *a.* 6. *n.* 24.

11. 9. Petite & dabitur vobis, &c. *l.* 9. *c.* 6. *a.* 4. *n.* 4. & *lib.* 10. *cap.* 3. *art.* 4. *num.* 8.

Digitized by Google

Cap. Verſ.

10. Omnis qui petit accipit, &c. *l.* 9. *c.* 3. *a.* 10. *n.* 1. & *l.* 16. *c.* 7. *a.* 7. *n.* 12.

17. Omne regnum in ſeipſum diviſum deſolabitur, &c. *l.* 4. *c.* 8. *a.* 3. *n* 9.

34. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. *l.* 9. *c.* 4. *a.* 12. *n.* 11. & *l.* 10. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 3.

12. 4. Dico autem vobis amicis meis, &c. *l.* 10. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 6.

49. Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur? *l.* 4. *c.* 6. *a.* 3. *n.* 4.

59. Non exies inde, donec etiam noviſſimum minutum reddas. *l.* 8. *c.* 2. *a.* 4. *n.* 5.

13. 3. Niſi pœnitentiam habueritis ſimiliter peribitis. *l.* 9. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 6.

5. Si pœnitentiam non egeritis omnes ſimiliter peribitis. *ibid. a.* 3. *n.* 1.

14. 5. Cujus veſtrûm aſinus vel bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die Sabbathi? *l.* 16 *c.* 7. *a.* 7. *n.* 15.

18. Villam emi, &c. *l.* 11. *c.* 2. *a.* 3. *n.* 2. & *cap.* 4. *a.* 2. *n.* 3.

26. Si quis venit ad me & non odit patrem ſuum, &c. adhuc & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. *l.* 11. *c.* 4. *a.* 2. *n.* 9.

33. Sic ergo omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus, &c. *ibid.*

15. 7. Dico vobis quod ita gaudium erit in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, &c. *l.* 6. *c.* 6. *a.* 5. *n.* 5.

16. 9. Et ego dico vobis: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. *l.* 8. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 8. & *l.* 10. *c.* 5. *a.* 7. *n.* 1.

16. Lex & prophetæ uſque ad Ioannem ex eo regnum Dei euangelizatur, &c. *l.* 10. *c.* 4. *a.* 6. *n.* 10.

17. 5. Adauge nobis fidem. *l.* 9. *c.* 3. *a.* 5. *n.* 5.

6. Si habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, dicetis huic arbori, moro, eradicare, &c. *ibid.*

10. Cùm feceritis omnia, &c. dicite, ſervi inutiles ſumus: quod debuimus facere fecimus. *l.* 11. *c.* 2. *a.* 4. *n.* 17.

20. 35. Illi verò, &c. ſæculo illo & reſurrectione ex mortuis neque nubent, &c. *V.* 36. Æquales enim Angelis ſunt. *l.* 10. *c.* 6. *a.* 1. *n.* 5.

41. Dixit autem ad illos: Quomodo dicunt Chriſtum filium eſſe David. *v.* 42. Et ipſe David dicit in libro pſalmorum, Dixit Dominus Domino meo, &c. *l.* 16. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 1.

22. 7. Venit autem dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi paſcha, *l.* 4. *c.* 5. *a.* 3. *n.* 5.

15. Deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare vobiſcum antequam patiar, &c. *l.* 15. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 17.

17. Accipite & dividite inter vos, &c. *l.* 15. *c.* 7. *a.* 11. *n.* 3.

19. Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc eſt corpus meum, &c. hoc facite in meam commemorationem. *l.* 15. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 1. & *cap.* 7. *a.* 9. *n.* 9. & *l.* 16. *c.* 6. *a.* 3. *n.* 1. & *cap.* 7. *a.* 6. *n.* 4. & *l.* 12. *c.* 1. *a.* 7. *n.* 10.

20. Similiter & calicem poſtquam cœnavit dicens: Hic eſt calix novum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis, &c. *l.* 15. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 1. & *cap.* 7. *a.* 4. *n.* 3. & *l.* 16. *c.* 6. *a.* 3. *n.* 1.

Cap. Verſ.

32. Rogavi pro te ut non deficiat Fides tua: & tu aliquando converſus confirma Fratres tuos. *l.* 5. *c.* 3. *a.* 5. *n.* 2 & *l.* 9. *cap.* 6. *a.* 5. *n.* 3.

23. 43. Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiſo. *l.* 6. *c.* 1. *a.* 3. *n.* 2. & *l.* 8. *c. ult. a.* 2 *n.* 3.

24. 30. Et factum eſt, dum recumberet cùm eis, accepit panem & benedixit ac fregit, &c. *v.* 31. Et aperti ſunt oculi eorum, &c. & ipſe evanuit ex oculis eorum. *l.* 15. *c.* 7. *a.* 3 *n.* 3. & *l. ult. c.* 2. *a.* 6. *n.* 14.

35. Et quomodo cognoverunt eum in fractione panis, &c. *l.* 15. *c.* 7. *a.* 3. *n.* 3

36. Ego ſum nolite timere, &c *l.* 15. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 7.

44. Hæc ſunt verba quæ locutus ſum ad vos, cùm adhuc eſſem vobiſcum. *l.* 15. *c.* 5. *a.* 10. *n.* 2.

45. Aperuit illis ſenſum ut intelligerent ſcripturas. *l.* 2. *c.* 2. *a.* 6. *n.* 2.

46. Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, &c. *v.* 47. prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes. *l.* 1. *c.* 1. *a.* 2. *n.* 6. & *l.* 3. *c.* 6. *a.* 6. *n.* 2.

49. Et ego mitto promiſſum Patris mei in vos; vos autem ſedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. *l.* 14. *c. unic. a.* 2. *n.* 3.

Cap. ℣. D. IOANNES.

1. 3. Sine ipſo factum eſt nihil. *l.* 10. *c.* 6. *a.* 4. *n.* 5.

12. Quotquot autem receperunt eum dedit eis poteſtatem Filios Dei fieri, &c *l.* 9. *c.* 3. *a.* 4. *n.* 3. & *cap.* 4. *a.* 9. *n.* 6. & *l.* 13. *c.* 2. *a.* 4. *n.* 6.

16. De plenitudine ejus nos omnes accepimus, &c. *v.* 17. Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum. *l.* 9. *c.* 4. *a.* 8. *n.* 2.

29. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit, &c. *ibid. a.* 6. *n.* 2.

33. Super quem videris ſpiritum deſcendentem, &c. hic eſt qui baptizat in Spiritu Sancto. *l.* 12. *c.* 2. *a.* 3. *n.* 2. & *l.* 13. *c.* 1. *a.* 3. *n.* 3. & *a.* 5. *n.* 10.

3. 3. Niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei *l.* 12. *c.* 2. *a.* 3. *n.* 4. & *l.* 13. *c.* 2. *a.* 2. *n.* 5. & *a.* 4. *n.* 6.

5. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non poteſt introire in regnum Dei. *l.* 2. *c.* 2. *a.* 5. *n.* 5. & *l.* 8. *c.* 2. *a.* 2. *n.* 2. & *l.* 10. *c.* 4. *a.* 2. *n.* 3. & *l.* 12. *c.* 1. *a.* 6. *n.* 2. & *a.* 8. *n.* 2. & *cap.* 2. *a.* 3. *n.* 4. & *l.* 13. *c.* 1. *a.* 2. *n.* 10. & *cap.* 2. *a.* 2. *n.* 5. & *cap.* 3. *a.* 2. *n.* 4. & *cap.* 4. *a.* 3. *n.* 1.

14. Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem, &c. ita exaltari oportet filium hominis. *l.* 7. *c.* 6. *a.* 1. *n.* 1.

15. Vt omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam. *l.* 9 *cap.* 3. *a.* 10. *n.* 1.

16. Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, &c. *l.* 15. *cap.* 2. *a.* 5. *n.* 3.

18. Qui enim non credit, jam judicatus eſt. *l.* 13. *c.* 3. *a.* 4. *n.* 3.

Digitized by Google

Cap. Verſ.

22. Venit Ieſus & diſcipuli ejus in terram Iudæam, *&c.* & baptizabat. *V.* 23. Erat autem & Ioannes baptizans in Aennon juxta Salim, quia aquæ multæ erant illic, &c. *l.* 13. *c.* 1. *a.* 3. *n.* 1.

36. Qui credit in filium, habet vitam æternam, *l.* 9. *c.* 3. *a.* 2. *n* 7.

4. 2. Quanquam Ieſus non baptizaret, ſed diſcipuli ejus, &c. *l.* 13. *c.* 1. *a.* 5. *n.* 10. *& a.* 6. *n.* 10.

13. Omnis, qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum? qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum; ſed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam, *l.* 9. *c.* 6 *a.* 6. *n.* 2.

20. Patres noſtri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Ieroſolymis eſt locus ubi adorare oportet, *l.* 16. *cap* 3. *a.* 1. *n.* 2.

21. Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ieroſolymis adorabitis Patrem, *l.* 16. *cap.* 3. *a.* 1. *n.* 1.

23. Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate, *l.* 12. *c.* 4. *a.* 4. *n.* 9. *& l.* 16. *c.* 3. *a.* 1. *n.* 1.

24. Spiritus eſt Deus: & eos qui adorant eum in ſpiritu & veritate oportet adorare, *l.* 12. *c.* 4. *a.* 4. *n.* 9.

34. Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus qui miſit me, *l.* 11. *cap.* 5. *artic.* 2. *n.* 2.

5. 14. Ecce ſanus factus es: jam noli peccare, *&c.* *l.* 10. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 5.

19. Non poteſt Filius à ſe facere quicquam, niſi quod, *&c.* quæcunque enim ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit, *l.* 4. *c.* 5. *a.* 4. *n.* 8.

26. Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo: ſic dedit & Filio, &c. *l.* 4. *c.* 5. *a.* 8. *n.* 3.

29. Omnes, *&c.* & procedent, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ, qui verò mala, *&c.* in reſurrectionem judicii, *l.* 10. *c.* 5. *a.* 4. *n.* 3.

36. Quia Pater miſit me, & qui miſit me Pater, *l.* 4. *c.* 5. *a.* 4. *n.* 6.

43. Ego veni in nomine Patris mei, & non accipietis me. ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis, *l.* 5. *c.* 1. *a.* 4. *n.* 2.

6. 29. Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum quem miſit ille, *l.* 9. *c.* 3. *a.* 1. *n.* 4.

30. Quod ergo tu facis ſignum, ut videamus, & credamus tibi, *l.* 15. *c.* 3 *a.* 1. *n.* 2.

31. Patres noſtri manducaverunt manna in deſerto, ſicut ſcriptum eſt: Panem de cœlo dediſti eis, *ibid.*

32. Non Moyſes dedit vobis panem de cœlo: ſed Pater meus dat vobis panem verum de cœlo, *ibid.*

40. Hæc eſt voluntas Patris mei qui miſit me, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum habeat vitam æternam, *l.* 9. *c.* 5. *a.* 5. *n.* 2.

44. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum, *l.* 9. *c.* 3. *a.* 1. *n.* 4.

45. Omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me, *ibid.*

Cap. Verſ.

47. Qui credit in me habet vitam æternam, *l.* 9. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 9.

48. Ego ſum panis vitæ. Patres veſtri manducaverunt manna, *&c.* & mortui ſunt. Hic eſt panis de cœlo deſcendens, ut, ſi quis ex ipſo manducaverit non moriatur, *l.* 15. *c.* 3. *a.* 1. *n.* 2.

51. Ego ſum panis vivus qui de cœlo deſcendi, *l.* 15 *c.* 3. *a.* 1. *n.* 2.

52. Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita, *ibid. & num.* 7. *& cap.* 7. *a.* 9. *n.* 7.

53. Litigabant Iudæi dicentes: quomodo hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum? *v.* 54. Dixit ergo eis Ieſus: Amen, Amen dico vobis, niſi manducaveritis carnem Filii hominis, *&c.* non habebitis vitam in vobis, *l.* 10. *c.* 4. *a.* 2. *n.* 3. *& l.* 13. *c.* 3. *a.* 5. *n.* 27. 28. 30. 31. 32. *&* 34. *& l.* 15. *c.* 3. *a.* 1. *n.* 2. *&* 6. *& cap.* 7. *a.* 9. *n* 6. *& l. ult. cap.* 2. *a.* 6. *n.* 7.

59. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum, *l.* 15. *c.* 7. *a.* 3. *n.* 2.

61. Multi ergo audientes ex diſcipulis dixerunt; durus eſt hic ſermo, &c. *l.* 15. *c.* 3. *a.* 1. *n.* 2.

64. Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quicquam, *l.* 15. *c.* 3. *a.* 1. *n.* 6. *&* 7.

65. Sunt quidam ex vobis qui non credunt, *&c.* *v.* 66. Propterea dixi vobis, qui nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo, *l.* 9. *c.* 3. *a.* 1. *n.* 4.

68. Nunquid vos vultis abire, *&c.* Reſpondit Petrus: Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes, & nos credidimus, *&c.* quia tu es Chriſtus Filius Dei vivi, *ibid. a.* 2. *n.* 9. *& l.* 15. *c.* 3. *a.* 1. *n.* 4. *& a.* 2. *n.* 4.

7. 16. Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſit me, *l.* 9. *c.* 4 *a.* 9. *n.* 11.

22. Propterea Moyſes dedit vobis circumciſionem, non quia ex Moyſe eſt, ſed ex Patribus, *&c.* *l.* 12. *c.* 2. *a.* 2. *n.* 2.

37. Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat, &c. *l.* 10. *c.* 5. *a.* 8. *n.* 12.

8. 7. Qui ſine peccato eſt veſtrûm primus in illam lapidem mittat, *l.* 16. *cap.* 7. *a.* 7. *n.* 21.

11. Vade, & jam ampliùs noli peccare, *l.* 10. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 5.

37. Sermo meus non capit in vobis, *l.* 11. *c.* 7. *a.* 5. *n.* 15.

41. Nos ex fornicatione non ſumus nati: unum Patrem habemus Deum, *l.* 9. *c.* 5. *a.* 6. *n.* 8.

44. Vos ex Patre Diabolo eſtis, &c *ibid.*

46. Quis ex vobis arguet me de peccato? &c *l. ult. c.* 2. *a.* 4. *n.* 3.

56. Abraham Pater veſter exultavit. Vt videret diem meum, vidit & gaviſus eſt, &c. *l.* 6. *c.* 6. *a.* 5. *n.* 5.

9. 4. Venit nox quando nemo poteſt operari, *l.* 10. *c.* 6. *a.* 2. *n.* 1.

10. 10. Ego veni ut vitam habeant, & abundantiùs habeant, *l.* 9. *c.* 4. *a.* 12 *n.* 11.

11. Ego ſum Paſtor bonus, bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis, *l.* 4. *cap.* 2. *a.* 6. *n.* 2.

14. Ego ſum Paſtor bonus, & cognoſco meas, &c. *v.* 16. Et fiet unum ovile & unus paſtor,

Digitized by Google

Cap. Vers.

pastor, l. 1. c. 1. a. 2. n. 4. & l. 3. c. 1. a. 2. l. 2. n. 2. & cap. 6. a. 2. n. 1. & 8. & l. 5. cap. 3. a. 2. n. 1.

22. Facta autem sunt encænia in Ierosolymis, &c. v. 23 Et ambulabat Iesus in templo, &c. l. 12. cap. 4. a. 1. n. 1.

38. Si mihi non vultis credere, operibus credite, l. 4. cap. 8. a. 2. n. 7.

11. 25. Ego sum resurrectio & vita, &c. v. 26. Omnis qui vivit & credit in me, non morietur in æternum, &c. v. 27. Credis hoc? ait illi utique Domine, &c. libro 9. capite 3. articulo 2. numero 9.

51. Iesus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente, sed, ut filius Dei qui erant dispersi congregarent in unum, l. 1. cap. 1. a. 2. n. 4.

12. 26. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum pater meus, libro 6. capite 1. articulo 3. numero 6.

38. Vt sermo Isaiæ impleretur, quem dixit: Domine quis credidit auditui nostro? &c. v. 39. Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: v. 40. Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, libro 9. capite 3. artic. 1. n. 4.

42. Veruntamen & ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, ut è sinagoga non ejicerentur, &c. l. 9. c. 3. a. 5. n. 3.

44. Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me, libro 9. capite 3. articulo 5. numero 3.

46. Ego lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat, &c. ibidem.

13. 4. Surgit à cœna, &c. v. 5. & cepit lavare pedes discipulorum, libro 15. capite 3. articulo 2. numero 16.

7. Quod ego facio tu nescis modo, scies autem postea, ibid.

8. Si non lavero te, non habebis partem mecum, l. 2. c. 2. a. 5. n. 5.

10. Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus, & vos mundi estis, sed non omnes, l. 9. c. 5. a. 3. n. 3. & cap. 6. a. 5. n. 1. & l. 15. c. 3. a. 2. n. 6.

14. Et vos debetis alter alterius lavare pedes, l. 2. c. 2. a. 5. n. 5.

17. Si hæc sitis, beati eritis, si feceritis ea, l. 10. c. 4. a. 3. n. 7.

18. Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum, libro 4. capite 2. articulo 8. n. 2.

34. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, l. 10. c. 4. a. 2. n. 2. & l. 11. c. 4. a. 4. n. 8.

35. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem, l. 3. capite 6. articulo 3. numero 3. & libro 10. capite 2. articulo 1. numero 4.

14. 2. In domo Patris mei mansiones multæ sunt, l. 10. c. 5. a. 4. n. 2.

13. Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, libro 16. capite 7. articulo 7. numero 12.

Cap. Vers.

16. Alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum Spiritum veritatis, l. 1. c. 1. a. 4. n. 4. & l. 3. c. 4. a. 3. n. 6. & cap. 5. a. 1. n. 5.

17. Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum; vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit, lib. 9. cap. 5. artic. 6. n. 4.

21. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, &c. l. 10. c. 6. a. 3. n. 4.

21. Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me, l. 9. c. 1. a. 4. n. 1. & l. 10. c. 2. a. 1. n. 3. & l. 11. c. 2. a. 4. n. 22.

23. Si quis diligit me, sermonem meum servabit, l. 10. c. 2. a. 1. n. 3.

23. Si quis, &c. Et Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus, l. 10. c. 4. a. 3. n. 7.

26. Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ipse vos docebit omnia, l. 3. c. 4. a. 3. n. 6. & l. 4. c. 5. a. 4. n. 6.

15. 2. Omnem palmitem in se non ferentem fructum, tollet eum, l. 9. c. 6. a. 7. n. 2.

3. Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis, l. 12. c. 1. a. 9. n. 7.

4. Manete in me, & ego in vobis, sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso nisi manserit in vite; sic nec vos nisi in me manseritis, l. 3. c. 2. a. 2. n. 1. & l. 9. c. 3. a. 1. n. 4. & a. 7. n. 7. & l. 10. c. 5. a. 8. n. 17. & cap. 6. a. 3. n. 1. & l. 13. c. 3. a. 2. n. 9. & l. 15. c. 3. a. 2. n. 12.

5. Sine me nihil potestis facere, l. 8. c. 1. a. 2. n. 3. & l. 10. c. 6. a. 4. n. 5.

6. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum & in ignem mittent, l. 3. c. 2. a. 2. n. 2.

12. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos, l. 10. c. 2. a. 1. n. 4. & cap. 4. a. 2. n. 2. & a. 3. n. 7.

14. Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis, l. 9. c. 1. a. 4. n. 1. & l. 10. c. 2. a. 1. n. 4. & 7.

24. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, l. 3. c. 6. a. 4. n. 3. & l. 4. c. 8. a. 2. n. 7.

26. Cùm venerit paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis qui à Patre procedit, l. 4. c. 5. a. 4. n. 1. & 6. & a. 8. n. 1.

16. 2. Venit hora, ut omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se præstare Deo, l. 9. c. 5. a. 5. n. 5.

7. Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos, l. 14. c. unic. a. 2. n. 3. & l. 15. c. 2. a. 5. n. 1. & 5.

12. Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò, l. 2. c. 2. a. 1. n. 5. & a. 6. n. 2.

13. Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, l. 1. c. 1. a. 4. n. 4. & l. 3. c. 4. a. 3. n. 6. & cap. 5. a. 1. n. 5. & l. 4. c. 5. a. 4. n. 6.

Digitized by Google

Cap. Vers.

17. 1. Sublevatis oculis in cœlum dixit: Pater venit hora, &c. l. 16. c. 8. a. 7. n. 3.

3. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum, l. 4. c. 5. a. 8. n. 3. & l. 9. c. 4. a. 9. n. 5. & l. 10. c. 6. a. 5. n. 6.

6. Tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum servaverunt, &c. l. 10. c. 2. a. 1. n. 6.

11. Pater sancte serva eos, &c. ut sint unum sicut & nos, &c. l. 9. c. 5. a. 6. n. 7.

20. Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis qui credituri sunt ad verbum eorum in me, ut omnes unum sint, &c. l. 3. c. 6. a. 3. n. 2.

18. 11. Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum? &c. l. 7. cap. 8. a. 2. n. 1.

36. Regnum meum non est de hoc mundo, l. 11. c. 5. a. 2. n. 5.

19. 10. Nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, &c. l. 7. c. 8. a. 2. n. 1.

36. Facta sunt enim hæc ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo, l. 16. c. 2. a. 4. n. 10.

37. Videbunt in quem transfixerunt, l. 7. c. 8. a. 4. n. 1.

20. 19. Cùm ergo serò esset, &c. & fores essent clausæ, &c. venit Iesus, & stetit in medio, &c. l. 15. c. 2. a. 3. n. 3.

21. Dixit ergo eis iterum; Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. V. 22. Hæc cùm dixisset insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum: v. 23. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c. l. 4. c. 5. a. 4. n. 8. & l. 9. c. 2. a. 4. n. 4. & cap. 3. a. 4. n. 6. & l. 17. c. 1. a. 3. n. 1. & cap. 2. a. 3. n. 6. 7. 8. & 9.

26. Venit Iesus januis clausis, & stetit in medio, &c. l. 15. c. 2. a. 3. n. 3.

29. Dominus meus & Deus meus, &c. l. 9. c. 3. a. 2. n. 9.

31. Hæc autem scripta sunt ut credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis, &c. l. 2. c. 3. a. 1. n. 9. & l. 9. c. 3. a. 2. n. 10.

21. 15. 16. Pasce agnos meos, &c. l. 1. c. 1. a. 2. n. 9. & l. 5. c. 3. a. 2. n. 7. & l. ult. c. 1. a. 5. n. 6.

25. Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros, l. 2. c. 2. a. 1. n. 5.

Cap. ℣. ACTA APOSTOLORVM.

1. 1. Primum quidem sermonem feci ô Theophile, quæ cœpit Iesus facere, &c. l. 2. c. 3. a. 1. n. 14.

3. Per dies quadraginta apparens, & loquens eis de regno, l. 2. c. 2. a. 1. n. 5. & a. 6. n. 2.

5. Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies, l. 13. c. 4. a. 3. n. 7.

8. Accipietis virtutem supervenientis Spiritûs Sancti in vos, & eritis mihi testes in Ierusalem, &c. usque ad ultimum terræ, &c. l. 3. c. 3. a. 5. n. 2. & l. 4. c. 2. a. 8. n. 8. & l. 14. c. unic. a. 2. n. 3.

11. Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cœlum, &c l. 4. c. 2. a. 16. n. 4.

2. 24. Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni, &c. l. 8. c. 4. a. 3. n. 5.

29. Liceat audenter dicere ad vos de patriarcha David, quoniam defunctus est, & sepultus. V. 30. Propheta igitur, &c. v. 31. Locutus est de resurrectione Christi, &c. l. 4. c. 2. a. 8. n. 3.

32. Hunc Iesum resuscitavit Deus, &c. v. 33. Dextera igitur exaltatus, &c. v. 34. Non enim David ascendit in cœlum, &c. l. 4. c. 2. a. 8. n. 5.

37. His autem auditis compuncti sunt corde, & dixerunt, &c. Quid faciemus viri fratres? v. 38. Petrus verò ad illos: Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, l. 9. c. 3. a. 2. n. 6. & a. 4. n. 6. & cap. 6. a. 2. n. 2. & l. 12. c. 2. a. 3. n. 11. & l. 13. c. 3. a. 5. n. 25. & cap. 4. a. 3. n. 2. & a. 5. n. 11. & l. 14. c. unic. a. 2. n. 4.

41. Qui ergo receperunt sermonem ejus baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia, &c. l. 13. c. 3. a. 2. n. 10. & cap. 4. a. 3. n. 2. & a. 5. n. 18.

42. Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, &c l. 15 c. 7. a. 4. n. 1. & l. ult. c. 2. a. 6. n. 17.

46. Quotidie frangebant panem circa domos, l. 16. c. 7. a. 3. n. 1.

3. 6. Argentum & aurum non est mihi, &c. l. 15. c. 7. a. 9. n. 1.

19. Pœnitemini & convertimini, ut deleantur peccata vestra, l. 9. c. 4. a. 6. n. 2.

21. Quem oportet cœlum suscipere usque ad tempus restitutionis omnium, l. 15. c. 2. a. 4. n. 2.

22. Ipsum audietis juxta omnia, &c. v. 23. Omnis anima quæ non audierit prophetam illum exterminabitur de plebe, l. 10. c. 4. a. 2. n. 2.

4. 12. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, &c. l. 10. c. 6. a. 6. n. 1.

32. Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una, &c. l. 17. c. 2. a. 3. n. 14.

34. Quotquot possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, &c. & ponebant ante pedes Apostolorum, &c. l. 11. c. 4. a. 4. n. 13.

5. 1. Vendidit agrum & fraudavit de pretio agri, &c. l. 11. c. 7. a. 1. n. 9.

14. Magis autem credentium in Domino multitudo, l. 17. c. 2. a. 3. n. 14.

15. Credentes in plateas ejiciebant infernos, &c. ut veniente Petro saltèm umbra ejus obumbraret quenquam illorum, l. 7. c. 2. a. 1. n. 8.

6. 2. Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, &c. l. 13. c. 1. a. 6. n. 12.

8. 13. Tunc Simon & ipse credidit, & cùm bapti-

Digitized by Google

Cap. Verſ.

baptizatus eſſet, adhæſit Philippo, &c. *l.* 9. *c.* 6. *a.* 7. *n.* 2.

15. Qui cùm veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum Sanctum, &c. *v.* 17. Et tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum, &c. *l.* 14. *c. unic. a.* 2. *n.* 6.

23. In felle amaritudinis video te eſſe, *l.* 9. *c.* 6. *a.* 7. *n.* 2.

36. Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? *&c.* *v.* 38. Et deſcenderunt uterque in aquam Philippus & Eunuchus, &c. *l.* 4. *c.* 6. *a.* 3. *n.* 4. *& l.* 13. *c.* 1. *a.* 3. *n.* 1.

9. 5. Saule, Saule, quid me perſequeris? *l.* 9. *c.* 4. *a.* 12. *n.* 10.

17. Saule frater, Dominus miſit me Jeſus, *&c.* *l.* 15. *c.* 2. *a.* 4. *n.* 2. *& l. ult. c.* 3. *a.* 4. *n.* 7.

10. 3. Cornelius vidit Angelum Dei introeuntem ad ſe, *l.* 18. *c.* 5. *a.* 7. *n.* 3.

43. Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum, *l.* 9. *c.* 5. *a.* 5. *n.* 3.

11. 13. Narravit autem nobis, quomodo vidiſſet Angelum, &c. *l.* 3. *c.* 2. *a.* 2. *n.* 3.

18. Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit eis ad vitam, *l.* 9. *c.* 3. *a.* 4. *n.* 6.

13. 1. Erant in Eccleſia, quæ erat Antiochiæ Prophetæ & Doctores, *l.* 5. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 2.

2. Miniſtrantibus autem illis Domino, & jejunantibus dixit illis Spiritus Sanctus, &c. *l.* 16. *c.* 3. *a.* 4. *n.* 1. *& l.* 19. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 4.

3. Tunc jejunantes & orantes imponentéſque eis manus, &c. *l.* 19. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 2.

22. Suſcitavit illis David Regem, cui perhibens teſtimonium dixit: Inveni David filium Jeſſe virum ſecundùm cor meum, &c. *l.* 9. *c.* 6. *a.* 5. *n.* 1. *& l.* 10. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 5.

39. In hoc omnis, qui credit, juſtificatur, *l.* 9. *c.* 3. *a.* 10. *n.* 1.

46. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, *&c.* ecce convertimur ad Gentes, &c. *l.* 4. *c.* 2. *a.* 12. *n.* 5.

15. 9. Fide purificans corda eorum, &c. *l.* 9. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 1. *& a.* 4. *n.* 6. *& l.* 12. *c.* 2. *a.* 3. *n.* 13.

10. Nunc ergo quid tentatis Deum imponere jugum ſuper cervices Apoſtolorum, &c. *l.* 10. *c.* 2. *a.* 4. *n.* 1.

28. Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis, *l.* 3. *c.* 5. *a.* 1. *n.* 6.

16. 15. Cùm autem baptizata eſſet & domus eius, deprecata eſt, &c. *l.* 13. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 6.

33. Et baptizatus eſt ipſe & domus ejus continuo, &c. *l.* 13. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 6.

17. 28. In ipſo vivimus, movemur & ſumus, *l.* 10. *c.* 6. *a.* 4. *n.* 5.

29. Genus ergo cùm ſimus Dei, non debemus æſtimare auro vel argento, *&c.* divinum eſſe ſimile, *l.* 7. *c.* 5. *a.* 2. *n.* 3.

18. 25. Cùm Apollo docebat diligenter ea, quæ ſunt Jeſu ſciens tantum baptiſma Joannis, &c. *v.* 26. Priſcilla & Aquila aſſumpſerunt eum, &c. *l.* 13. *c.* 1. *a.* 6. *n.* 12.

19. 2. Si Spiritum Sanctum accepiſtis credentes? Illi dixerunt ad eum: Sed neque, ſi Spiritus Sanctus eſt audivimus, &c. *l.* 13. *c.* 1. *a.* 4. *n.* 7.

5. His auditis baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu, *v.* 6. Et cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus ſuper eos, *l.* 14. *c. unic. a.* 2. *n.* 7. *& l.* 2. *c.* 2. *a.* 5. *n.* 3.

11. Virtutéſque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, *l.* 7. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 8.

13. Adjuro vos per Jeſum quem Paulus prædicat, &c. *l.* 16. *c.* 7. *a.* 7. *n.* 21.

15. Spiritus nequam dixit eis Jeſum novi, *ibidem.*

18. Multique credentium veniebant confitentes & annuntiantes actus ſuos, *l.* 17. *c.* 2. *a.* 3. *n.* 14.

39. In legitima Eccleſia poterit abſolvi, *l.* 3. *c.* 1. *a.* 1. *n.* 1.

40. Et cùm hæc dixiſſet, dimiſit Eccleſiam, *l.* 3. *c.* 1. *a.* 1. *n.* 1.

20. 7. Unâ autem Sabbathi, cùm conveniſſemus ad frangendum panem Paulus diſputabat, *&c.* protraxitque ſermonem uſque in mediam noctem, &c. *l.* 15. *c.* 7. *a.* 4. *n.* 1. *& l. ult. c.* 2. *a.* 6. *n.* 17.

16. Feſtinabat (*Paulus*) ſi poſſibile eſſet ut diem penthecoſten faceret Jeroſolymis, *l.* 7. *c.* 9. *a.* 6. *n.* 7.

27. Non enim ſubterfugi, quo minus annuntiarem omne conſilium Dei vobis, *l.* 2. *c.* 3. *a.* 1. *n.* 13.

28. Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, &c. *l.* 3. *c.* 6. *a.* 6. *n.* 2. *& l.* 5. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 2. *& l.* 19. *c.* 1. *a.* 3. *n.* 2. *& cap.* 2. *a.* 1. *n.* 4.

21. 5. Poſitis genibus in littore oravimus, *l.* 16. *c.* 8. *a.* 7. *n.* 5.

20. Vides frater, quot millia ſunt in Judæis qui crediderunt, &c. *l.* 15. *c.* 7. *a.* 4. *n.* 5.

22. 14. Deus Patrum noſtrorum præordinavit te, ut cognoſceres voluntatem ejus, &c. *l.* 15. *c.* 2. *a.* 4. *n.* 2.

16. Exurge & baptizare, & ablue peccata tua invocato nomine ipſius, &c. *l.* 12. *c.* 2. *a.* 3. *n.* 11. *& l.* 13. *c.* 2. *a.* 2. *n.* 12.

24. 11. Non plus ſunt mihi dies quàm duodecim, *&c.* *l.* 7. *c.* 9. *a.* 6. *n.* 7.

17. Eleëmoſynas facturus in Gentem meam veni, &c. *ibid. n.* 10.

26. 20. Et Gentibus annuntiabam ut pœnitentiam agerent, &c. *l.* 9. *c.* 6. *a.* 2. *n.* 2.

Cap. V. *Epiſt. ad* ROMANOS.

1. 6. In quibus eſtis & vos vocati, *l.* 3. *c.* 1. *a.* 1. *n.* 3.

8. Primùm quidem gratias ago Deo meo pro vobis, quia fides veſtra annuntiatur in univerſo orbe, *l.* 1. *c.* 1. *a.* 2. *n.* 5. *& l.* 5. *c.* 1. *a.* 1. *n.* 3. *& cap.* 4. *a.* 2. *n.* 5.

13. Ut aliquem fructum habeam & in vobis ſicut & in cæteris Gentibus, *l.* 2. *c.* 2. *a.* 7. *n.* 8.

16. Non erubeſco Euangelium, *l. ult. c.* 2. *a. ult. n.* 14.

17. Juſtus ex fide vivit, *l.* 12. *c.* 2. *a.* 3. *n.* 13.

19. Quod notum eſt Dei manifeſtum eſt in illis, &c. *l.* 4. *c.* 1. *a.* 1. *n.* 4. *& a.* 2. *n.* 4.

20. Inviſibilia enim ipſius (*Dei*) à creatura mundi, *&c.* intellecta conſpiciuntur, &c. *l.* 4. *c.* 1. *a.* 2. *n.* 4.

21. Cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, &c. *l.* 4. *c.* 1. *a.* 1. *n.* 4. *& l.* 16. *c.* 2. *a.* 7. *n.* 3.

Digitized by Google

Cap. Vers.

23. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis & volucrum, &c. *l. 16. c. 2. a. 7. n. 3.*

2. 3. Existimas ô homo, *&c.* quia tu effugies Judicium Dei? an divitias bonitatis ejus, *&c.* contemnis? secundùm autem duritiam tuam, *&c.* thesaurizas tibi iram in die iræ, &c. *l. 4. c. 1. a. 5. n. 6.*

6. Qui reddet unicuique secundùm opera ejus, &c. *ibid. & l. 6. c. 1. a. 3. n. 6. & l. 8. c. 5. a. ult. n. 12. & l. 10. c. 5. a. 4. n. 3.*

10. Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, &c. *l. 6. c. 1. a. 3. n. 6. & cap. 2. a. 1. n. 1.*

13. Non enim auditores legis, justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur, *l. 10. c. 5. a. 3. n. 2.*

3. 3. Nunquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? *l. 4. c. 1. a. 5. n. 6.*

8. Et non (sicut blasphemamur, & sicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala, ut veniant bona, &c. *l. 10. c. 5. a. 8. n. 9.*

24. Justificati per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, &c. *l. 9. c. 1. a. 3. n. 1. & cap. 2. a. 4. n. 3. & cap. 3. a. 10. n. 3. & c. 4. a. 8. n. 9. & a. 9. n. 3.*

27. Ubi est ergo gloriatio tua? exclusa est, per quam legem? factorum? non: sed per legem fidei, &c. *l. 9. c. 3. a. 10. n. 3. & 12. & l. 10. c. 4. a. 6. n. 1. & cap. 5. a. 8. n. 14.*

28. Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis, *l. 2. c. 6. a. 5. n. 10. & l. 9. c. 3. a. 2. num. 1. & art. 9. num. 1. & a. 10. num. 3. & 12. & l. 12. c. 2. a. 3. n. 13. & l. 13. c. 3. a. 4. n. 3.*

31. Legem ergo destruimus per fidem? absit: sed legem statuimus, &c. *l. 10. c. 4. a. 2. n. 4. & a. 6. n. 1.*

4. 2. Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum, &c. *l. ult. c. 1. a. 4. n. 6.*

3. Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam, *l. 9. c. 4. a. 12. n. 1.*

4. Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum, *l. 9. c. 1. a. 3. n. 1. & l. 10. c. 5. a. 4. n. 1.*

5. Ei verò, qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat impium, reputatur fides ad justitiam, &c. *l. 9. c. 1. a. 1. n. 1. & cap. 4. a. 11. n. 7. & l. ult. c. 1. a. 4. n. 4.*

6. Sicut & David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus, *l. 9. c. 4. a. 11. n. 7.*

11. Signum accepit circumcisionis signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio, &c. *l. 12. c. 1. a. 6. n. 3.*

14. Si enim qui ex lege hæredes sunt, exinanita est fides, &c. *l. 9. c. 3. a. 10. n. 13.*

15. Lex iram operatur, ubi enim non est lex, nec prævaricatio, *l. 7. c. 9. a. 6. n. 11. & l. 15. c. 7. a. 3. n. 1. & l. ult. c. 2. a. 6. n. 4.*

5. 1. Justificati ergo ex fide, *l. 9. c. 3. a. 9. n. 1.*

3. Tribulatio patientiam operatur, patientia verò probationem, &c. *l. 10. c. 6. a. 6. n. 5.*

5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, *l. 9. c. 1. a. 4. n. 1. & cap. 4. a. 8. n. 4. & a. 9. n. 5. & cap. 5. a. 6. n. 2.*

Cap. Vers.

8. Cùm adhuc peccatores essemus secundùm tempus, Christus pro nobis mortuus est, *l. 9. c. 4. a. ult. n. 2.*

9. Christus pro nobis mortuus est, &c. *l. 9. c. 4. a. 3. n. 1.*

11. Gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem reconciliationem accepimus, *l. 9. c. 4. a. 11. n. 1.*

12. Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, *&c. l. 8. c. 1. a. 2. n. 6. & cap. 4. a. 2. n. 5. & l. 13. c. 3. a. 5. n. 44.*

16. Nam judicium quidem ex uno delicto in condemnationem, &c. *l. 8. c. 4. a. 2. n. 5.*

17. Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multò magis abundantiam gratiæ, *&c.* accipientes in vita regnabunt per unum Jesum Christum, *l. 9. c. 4. a. 11. n. 1. & ibid. n. 8. n. 3.*

6. 3. Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ejus baptizati sumus, *l. 12. c. 1. a. 7. n. 9. & l. 15. c. 3. a. 2. n. 18. & l. 16. c. 5. a. 1. n. 9.*

4. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, *&c.* ut nos in novitate vitæ ambulemus, *l. 12. c. 1. a. 7. n. 9.*

5. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus, *ibidem.*

7. Qui enim mortuus est, justificatus est à peccato, *ibid.*

14. Non enim sub lege estis, sed sub gratia, *l. 10. c. 4. a. 6. n. 8.*

19. Nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem, *l. 9. c. 1. a. 2. n. 2.*

22. Nunc verò liberati à peccato, servi autem facti Deo habebis fructum vestrum, &c. *l. 12. c. 1. a. 7. n. 9.*

23. Stipendium peccati mors, gratia autem Dei vita æterna, *l. 10. c. 5. a. 8. n. 11.*

7. 7. Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces, &c. *l. 11. c. 9. a. 3. n. 8.*

18. Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum, &c. *ibid.*

23. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, &c. *ibid.*

24. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus! *ibid.*

8. 1. Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, *l. 8. c. 5. a. ult. n. 10.*

5. Non secundum carnem ambulamus, sed secundùm spiritum. *V.* 6. Prudentia carnis mors est, prudentia autem spiritûs vita & pax, &c. *l. 15. c. 3. a. 1. n. 7.*

9. Si tamen spiritus Dei habitat in vobis: si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus, *l. 4. c. 5. a. 4. n. 8.*

10. Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus verò vivit propter justificationem, *l. 9. c. 4. a. 9. n. 5.*

13. Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis, *l. 10. c. 4. a. 3. n. 8.*

15. Accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba Pater, *l. 9. c. 4. a. 9. n. 6. & cap. 5. a. 6. n. 8. & cap. 6. a. 3. n. 1. & a. 8. n. 2. & l. 10. c. 4. a. 6. n. 1. & cap. 5. a. 3. n. 2.*

16. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii, *l. 9. c. 5. a. 6. n. 8.*

17. Si autem filii & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, &c. *l. 6. c. 1. a. 3. n.*

Digitized by Google

Cap. Vers.

3. n. 1. & l. 10. c. 4. a. 3. n. 8. & cap. 5. a. 2. n. 5. & cap 6. a. 3 n. 2.

18. Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, &c. l. 10. c. 5. a. 8. n. 16. & cap. 6. a. 1. n. 6. & a. 4. n. 10. & l. ult. c. 1. a. 4. n. 19.

23. Ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes, &c. l. 9. c. 6. a. 8. n. 3.

24. Spe enim salvi facti sumus, l. 9. c. 6. a. 4. n. 6.

28. Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, &c. Sancti, l. 9. c. 6. a. 4. n. 2.

29. Nam, quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imagines filii sui, ut sit ipse primogenitus, &c. l. 9. c. 2. a. 4. n. 7. & cap. 4. a. 9. n. 6.

30. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit: quos autem, &c. l. 9. c. 1. a. 1. n. 1. & cap. 5. a. 6. n. 12. & cap. 6. a. 4. n. 2. & a. 8. n. 1.

32. Qui proprio filio suo non pepercit, &c. l. 9. c. 4. a. 12. n. 4.

34. Deus, qui justificat, quis est, qui condemnet? &c. l. 9. c. 4. a. 4. n. 2.

37. Quis nos separabit à charitate Christi? l. 9. c. 6. a. 6. n. 3. & 9.

8. 39. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita poterit nos separare à charitate Dei, &c. l. 9. c. 5. a. 6 n. 9. & cap. 6. a. 4. n. 1. & a. 6. n. 3. & l. 10. c. 3. a. 4. n. 6.

9. 3. Qui sunt cognati mei secundùm carnem, quorum adoptio est filiorum & gloria, &c. l. 13. c. 2. a. 4. n. 5.

6. Non enim omnes, qui ex Israël sunt, ii sunt Israëlitæ. V. 7. Neque qui semen Abrahæ omnes filii, sed in Isaac vocabitur tibi semen, ibid.

10. Sed & Rebecca ex uno concubitu habens Isaac, &c. cùm enim nondum nati fuissent, &c. dictum est ei, quia major serviet minori, &c. Jacob dilexi, Isaac autem odio habui, ibid.

10. 3. Ignorantes justitiam Dei & suam quærentes statuere justitiæ Dei non sunt subjecti, &c. l. 9. c. 3. a. 2. n. 8. & cap. 4. a. 12. n. 1.

8. Hoc est verbum fidei quoad prædicamus, V. 9. Quia, si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, &c. quòd Deus suscitavit illum à mortuis salvus eris, ibid. & l. 10. c. 4. a. 3. n. 8. & l. 13. c. 3. a. 5. n. 23.

10. Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, l. 4. c. 8. a. 5 n. 4.

11. Omnis, qui credit in illum, non confundetur, l. 9. c. 3. a. 10. n. 1.

13. Omnis enim, quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit, ibid.

11. 14. Ministerium meum honorificabo, &c. & salvos faciam aliquos ex illis, &c. l. 6. c. 4. a. 2. n. 3.

17. Tu cùm Oleaster esses, insertus es in illis, &c. l. 5. c. 4. a. 2. n. 7.

20. Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time, &c. l. 5. c. 4. a. 2. n. 7. & l. 9. c. 6. a. 3. n. 1.

22. Si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris, l. 9. c. 6. a. 3. n. 1.

35. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei. Quoniam ex ipso & per ipsum, &c. l. 9. c. 1. a. 2. n. 1. & cap. 3. a. 1. n. 5. & l. 10. c. 6. a. 4. n. 5.

Cap. Vers.

12. 3. Unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei, l. 9. c. 3. a. 1. n. 5.

5. Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, l. 1. c. 1. a. 2. n. 4. & l. 3. c. 1. a. 2. n. 1.

6. Habentes autem dominationes secundùm gratiam, quæ data est nobis differentes, sive prophetiam, &c. l. 19. c. 1. a. 3. n. 1.

13. 1. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à Deo, &c. v. 2. Itaque, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, &c. l. 12. c. 4. a. 3. n. 1.

5. Ideo necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam, &c. ibid.

8. Qui diligit proximum, legem implevit. V. 9. Nam non adulterabis, &c. l. 10. c. 2. a. 1. n. 3. & a. 4. n. 2. & cap. 4. a. 2. n. 4.

10. Plenitudo ergo legis est dilectio, l. 9. c. 1. a. 4. n. 1.

15. 4. Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, &c. l. 7. c. 5. a. 2. n. 4.

14. Certus sum autem fratres mei, & ego de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione, l. 9. c. 5. a. 6. n. 10.

30. Obsecro ergo vos fratres, &c. ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum, l. 6. c. 6. a. 2. n. 3.

16. 4. Quibus non solùm ego gratias ago, sed & cunctæ Ecclesiæ Gentium, l. 3. c. 1. a. 1. n. 2.

16. Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi, l. 3. c. 1. a. 1. n. 2.

Cap. V. Ad CORINTHIOS I.

1. 2. Sanctificatis in Christo, &c. l. 10. c. 3. a. 4. n. 6.

4. Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu, &c. v. 7. Ita ut nihil vobis desit in illa gratia, &c. ibid.

9. Deus, per quem vocati estis, l. 3. c. 1. a. 1. n. 3.

10. Obsecro, &c. ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, l. 3. c. 2. a. 2. n. 2.

12. Unus dicitur Pauli, alius Cephæ, &c. quasi divisus est Christus, l. 5. c. 2. a. 1. n. 5. & l. 11. c. 1. a. 6. n. 21.

16. Baptizavi & Stephani domum, &c. non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare, &c. l. 13. c. 1. a. 6. n. 12. & cap. 3. a. 2. n. 6.

18. Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est, his, qui salvi fiunt, Dei virtus, l. 7. c. 8. a. 2. n. 1. & l. 15. c. 2. a. 6. n. 4.

21. Placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes, l. 10. c. 4. a. 6. n. 11.

23. Nos prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, &c. l. 7. c. 8. a. 2. n. 1. & l. 15. c. 2. a. 6. n. 4.

24. Vocatis Judæis atque Græcis, &c. l. 3. c. 1. a. 1. n. 3.

30. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, &c. l. 9. c. 4. a. 12. n. 2. & l. 10. c. 6. a. 6. n. 4.

31. Qui

Cap. Vers.

31. Qui gloriatur in Domino glorietur, &c. *l.* 10. *c.* 5 *a.* 8. *n.* 14.

2. 1. Et ego, cùm venissem ad vos, *&c.* annuntians vobis testimonium Christi, *&c.* & *v.* 5. Ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei, *l.* 9. *c.* 5. *a.* 6. *n.* 13.

9. Quod oculus non vidit, *&c.* quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum, &c. *l.* 4. *c.* 3. *a.* 4. *n.* 8. *&* *l.* 10. *c.* 6. *a.* 3. *n.* 4.

11. Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? &c. *l.* 6. *c.* 6. *a.* 5. *n.* 3.

12. Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, &c. *l.* 9. *c.* 5. *a.* 6. *n.* 13.

14. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, &c. *l.* 15. *c.* 3. *a.* 1. *n.* 7.

3. 1. Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, &c. *l.* 10. *c.* 3. *a.* 4. *n.* 6.

2. Lac vobis potum dedi, *l.* 15. *c.* 7. *a.* 9. *n.* 9.

4. Quid igitur est Apollo? quid verò Paulus? ministri ejus, cui credidistis, &c. *l.* 9. *c.* 2. *a.* 4. *n.* 4.

8. Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem, *l.* 10. *c.* 5. *a.* 4. *n.* 1. *&* 3.

9. Coadjutores enim Dei sumus, *l.* 9. *c.* 2. *a.* 4. *n.* 4.

11. Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus, *l.* 10. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 3.

12. Si quis autem superædificat, *&c.* quasi per ignem, *l.* 8. *c.* 4. *a.* 3. *n.* 3.

15. Sic tamen quasi per ignem, *l.* 8. *c.* 5. *a. ult.* *n.* 11.

16. Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis, *l.* 9. *c.* 4. *a.* 3. *n.* 2.

4. 3. Mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer, *&c.* sed neque meipsum judico, *&c.* qui autem me judicat, Dominus est, &c. *l.* 9. *c.* 5. *a.* 3. *n.* 9. *&* *l.* 10. *c.* 6. *a.* 6. *n.* 2.

7. Quid autem habes, quod non accepisti, &c. *l.* 9. *c.* 3. *a.* 1. *n.* 5. *&* *l.* 10. *c.* 6. *a.* 4. *n.* 5. *&* *l.* 11. *c.* 7. *a.* 5. *n.* 11. *&* *l.* 16. *c.* 5. *a.* 3. *n.* 4.

19. Veniam ad vos citò, *&c.* in virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis? *l.* 9. *c.* 5. *a.* 6. *n.* 14.

5. 1. Omnino inter vos auditur fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, &c. *l.* 9. *c.* 5. *a.* 6. *n.* 14. *&* *l.* 3. *c.* 1. *a.* 4. *n.* 4.

3. Jam judicavi, &c. *v.* 5. tradere hujusmodi Sathanæ in interitum carnis ut spiritus salvus fiat, &c. *l.* 8. *c.* 2. *a.* 2. *n.* 3. *&* *l.* 17. *c.* 1. *a.* 3. *n.* 10.

7. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus, *l.* 16. *c.* 2. *a.* 4. *n.* 7.

8. Itaque epulemur non in fermento veteri, *&c.* sed in azymis sinceritatis & veritatis, *ibidem* *n.* 8.

6. 9. Nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt. Nolite errare, neque fornicarii, neque idolis servientes, *&c.* regnum Dei possidebunt, *l.* 10. *c.* 2. *a.* 4. *n.* 2.

11. Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, &c. *l.* 9. *c.* 1. *a.* 1. *n.* 1. *&* *cap.* 4. *a.* 6. *n.* 2. *&* *a.* 9. *n.* 4. *&* *l. ult.* *c.* 1. *a.* 4. *n.* 4.

17. Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est, *l.* 9. *c.* 1. *a.* 4. *n.* 1. *&* *cap.* 3. *a.* 7. *n.* 7.

7. 1. Bonum est mulierem non tangere, &c. *l.* 11. *c.* 3. *a.* 5. *n.* 5.

5. Nolite fraudare ad invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, &c. *l.* 11. *c.* 8. *a.* 1. *n.* 6.

7. Volo autem omnes homines esse sicut meipsum, sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, unus sic, alius autem sic, &c. *l.* 11. *c.* 7. *a.* 5. *n.* 2. *&* *cap.* 3. *a.* 5. *n.* 5.

9. Qui non se continent, nubant, meliùs est enim nubere, quàm uri, &c. *l.* 11. *c.* 9. *a.* 3. *n.* 2.

10. His, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus uxorem à viro non discedere, *l.* 10. *c.* 4. *a.* 2. *n.* 3.

14. Sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem, &c. *l.* 13. *c.* 2. *a.* 4. *n.* 8.

20. Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat, &c. *v.* 22. Qui enim in Domino vocatus est servus, &c. *v.* 23. Pretio empti estis, &c. *l.* 11. *c.* 7. *a.* 2. *n.* 6. *&* 7.

25. De Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, &c. *l.* 11. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 2. *&* *l. ult.* *c.* 1. *a.* 4. *n.* 20.

28. Si nupserit virgo, non peccavit, tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi, *l.* 2. *c.* 4. *a.* 4. *n.* 4. *&* *l.* 11. *c.* 2. *a.* 3. *n.* 3. *&* *cap.* 7. *a.* 5. *numero* 8.

29. Tempus breve est, reliquum est, ut, qui habent uxores, tanquam non habentes sint, *l.* 10. *c.* 6. *a.* 2. *n.* 1.

33. Qui autem cum uxore est, solicitus est quæ sunt mundi, & *v.* 34. Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, *l.* 11. *c.* 2. *a.* 3. *n.* 3.

35. Non ut laqueum vobis injiciam, &c. *l.* 11. *c.* 9. *a.* 3. *n.* 16.

36. Si quis turpem videri se existimat super virgine sua, quod vult faciat, non peccat, si nubat, *l.* 10. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 5.

38. Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, & qui non jungit, meliùs facit, &c. *l.* 11. *c.* 3. *a.* 3. *n.* 1. *&* *a.* 5. *n.* 5. *&* *cap.* 6. *a.* 2. *n.* 2.

40. Beatior erit, si sic permanserit secundùm meum consilium, *l.* 11. *c.* 3. *a.* 5. *n.* 5.

8. 4. Scimus, quia nihil est idolum in mundo, *&c.* *l.* 7. *c.* 4. *a.* 3. *n.* 4.

9. 7. Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? *l.* 10. *c.* 5. *a.* 7. *n.* 2.

7. Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? *l.* 15. *c.* 7. *a.* 9. *n.* 9.

9. Nunquid de bobus cura est Deo, *l.* 16. *c.* 7. *a.* 7. *n.* 15.

10. Nam propter nos scripta sunt, quoniam debet in spe, qui arat, arare, &c. *l.* 10. *c.* 5. *a.* 7. *n.* 2.

13. Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt, &c. *l.* 16. *c.* 6. *a.* 6. *n.* 13.

17. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo, &c. *l.* 10. *c.* 6. *a.* 2. *n.* 1.

21. Factus sum, *&c.* his qui sub lege erant, quasi sub lege essem, &c. *l.* 10. *c.* 4. *a.* 2. *n.* 3.

22. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos, *l.* 6. *c.* 4. *a.* 2. *n.* 3.

24. Nescitis, quòd ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium, *&c.* *l.* 10. *c.* 5. *a.* 4. *n.* 7.

27. Castigo corpus meum, & in servitutem redigo

Digitized by Google

Cap. Vers.

Igo. *l.* 2. *c.* 4. *a.* 4. *n.* 4. & *l.* 11. *c.* 9. *art.* 3. *numero* 8.

10. 2. Omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari. *l.* 13. *c.* 1. *a.* 3. *n.* 1.

11. Hæc omnia in figura illis contingebant. *l.* 3. *c.* 3. *a.* 1. *n.* 4. & *l.* 16. *c.* 2. *a.* 4. *n.* 1.

21. Qui se existimat stare videat ne cadat. *l.* 9. *c.* 6. *a.* 3. *n.* 1.

14. Propter quod charissimi, &c. fugite ab idolorum cultura, &c. *l.* 16. *c.* 3. *a.* 4. *n.* 2. & *cap.* 5. *a.* 5. *n.* 36. & *cap.* 7. *a.* 2. *n.* 6.

16. Calix benedictionis cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est? &c. *l.* 15. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 1. & 19.

17. Panis quem frangimus, nonnè communicatio corporis Domini est? &c. *l.* 15. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 14.

19. Quid ergo? dico quòd idolis immolatum sit aliquid? sed quòd immolant Gentes, dæmoniis immolant & non Deo, &c. *l.* 7. *c.* 4. *a.* 3. *n.* 4.

31. Sive ergo manducatis sive bibitis, &c. omnia in gloriam Dei facite, &c. *l.* 12. *c.* 4. *a.* 4. *n.* 10. & *l.* 16. *c.* 7. *a.* 3. *n.* 9.

11. 1. Imitatores mei estote sicut & ego Christi. *l.* 10. *cap.* 4. *a.* 5. *n.* 3.

2. Laudo vos fratres quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, teneatis præcepta mea, &c. *l.* 2. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 7. & *a.* 6. *n.* 2.

7. Quoniam imago & gloria Dei est. *l.* 7. *c.* 4. *a.* 3. *n.* 7.

23. Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis. *l.* 2. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 1. & *l. ult.* *c.* 2. *art.* 4. *numero* 8.

24. Dominus Jesus Christus in qua nocte tradebatur, accepit panem & gratias agens fregit & dixit: Accipite & manducate: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. *l.* 15. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 1. & *l.* 16. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 5. & 6. & *cap.* 8. *a.* 1. *n.* 2.

25. Similiter & calicem postquam cænavit dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine; hoc facite quotiescunque bibetis in meam commemorationem. *l.* 15. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 1. & *cap.* 7. *a.* 3. *n.* 2. & *l.* 16. *c.* 2. *a.* 4. *n.* 12. & *cap.* 5. *a.* 3. *n.* 2. & *l. ult.* *c.* 2. *a.* 6. *n.* 43.

26. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, &c. mortem Domini annunciabitis, &c. *l.* 12. *c.* 1. *a.* 7. *n.* 10. & *l.* 16. *c.* 8. *a.* 1. *n.* 1.

27. Quicunque manducaverit panem hunc, &c. indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. *l.* 15. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 1. & *cap.* 7. *a.* 3. *n.* 2. & *l. ult.* *c.* 2. *a.* 6. *n.* 13.

30. Ideo inter vos multi infirmi, &c. *l.* 8. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 9. & *v.* 32. Dum judicamur autem à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur, &c. *ibid.* *a.* 1. *n.* 9.

34. Cætera cùm venero disponam. *l.* 2. *c.* 2. *a.* 6. *n.* 4. & *l.* 16. *c.* 8. *a.* 1. *n.* 4.

12. 3. Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto. *l.* 9. *c.* 3. *a.* 1. *n.* 5.

4. Divisiones verò gratiarum sunt, idem autem spiritus, &c. *l.* 9. *c.* 1. *a.* 3. *n.* 2. & *l.* 19. *c.* 1. *a.* 3. *n.* 1.

6. Idem Deus qui operatur omnia in omnibus. *l.* 9. *c.* 3. *a.* 1. *n.* 5.

10. Alii datur, &c. gratia sanitatum, &c. alii operatio virtutum, alii prophetiæ, &c. *l.* 14. *c. un.* *a.* 2. *n.* 5. & *l.* 18. *c. un.* *a.* 3. *n.* 5.

21. Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, &c. ita & Christus, &c. etenim omnes nos in unum corpus baptizati sumus, &c. *l.* 3. *c.* 1. *a.* 2. *n.* 1. & *l.* 5. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 2.

21. Non potest oculus dicere manui, operâ tua non indigeo, &c. *l.* 5. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 2.

24. Deus temperavit corpus, &c. *v.* 25. Ut non sit schisma, &c. *v.* 27. Vos autem estis corpus Christi, &c. *l.* 3. *c.* 2. *a.* 2. *n.* 2.

28. Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum quidem Apostolos, &c. *l.* 5. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 2. & *l.* 19. *c.* 1. *a.* 3. *n.* 1.

29. Nunquid omnes Apostoli, &c. nunquid omnes Doctores? *l.* 13. *c. un.* *a.* 2. *n.* 5. & *l.* 18. *c. un.* *a.* 3. *n.* 5. & *l.* 19. *c.* 1. *a.* 3. *n.* 1.

13. 1. Si linguis hominum loquar & Angelorũ, &c. *v.* 3. & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates, &c. charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. *l.* 11. *c.* 2. *a.* 2. *n.* 5.

2. Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. *l.* 1. *c.* 2. *a.* 2. *n.* 8. & *l.* 9. *c.* 3. *a.* 5. *n.* 5. & *l.* 10. *c.* 6. *a.* 3. *n.* 2.

5. Charitas patiens est, benigna est, &c. non cogitat malum, &c. omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, &c. *l.* 9. *c.* 1. *a.* 4. *n.* 1.

8. Charitas nunquam excidit, &c. *l.* 9. *c.* 6. *a.* 6. *n.* 4.

13. Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc, major autem horum est charitas. *l.* 1. *c.* 2. *a.* 2. *n.* 8. & *l.* 9. *c.* 3. *a.* 5. *n.* 9.

14. 3. Nam qui prophetat hominibus, loquitur, &c. ad exhortationem. *l.* 16. *c.* 8. *a.* 9. *n.* 4.

5. Volo omnes vos loqui linguis, magis autem prophetare, &c. *ibid.*

11. Si nesciero virtutem vocis, ero ei cui loquor barbarus, &c. *l.* 16. *c.* 8. *a.* 9. *n.* 3.

16. Si benedixeris spiritu, qui supplet locum Idiotæ quomodo dicet amen super tuam benedictionem. *ibid.* *n.* 4.

33. Non enim est dissensionis Deus sed pacis, &c. *l.* 3. *c.* 2. *a.* 2. *n.* 2. & *cap* 6. *a.* 3. *n.* 3.

34. Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui. *l.* 13. *c.* 1. *a.* 6. *n.* 12.

35. Turpe est enim mulieri in Ecclesia loqui, &c. *ibid.*

40. Omnia autem honestè & secundùm ordinem fiant. *l.* 12. *c.* 4. *a.* 3. *n.* 7. & *l.* 16. *c.* 8. *a.* 1. *n.* 4.

15. 8. Novissimè omnium tanquam abortivo visus est & mihi. *l.* 15. *c.* 2. *a.* 4. *n.* 2. & *l. ult.* *c.* 3. *a.* 4. *n.* 7.

22. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo vivificabuntur. *l.* 9. *cap.* 6. *art.* 5. *numero* 5.

29. Quid facient, qui baptizantur pro mortuis si mortui, non resurgunt? &c. *l.* 8. *cap.* 3. *a.* 2. *numero* 9.

34. Evigilate justi & nolite peccare. *l.* 10. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 5.

41. Alia claritas solis, &c. stella autem à stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum. *l.* 9. *c.* 4. *a.* 7. *n.* 1. & *l.* 10. *c.* 5. *a.* 4. *n.* 1.

44. Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. *l.* 15. *c.* 5. *a.* 3. *num.* 1. & *a.* 9. *n.* 2.

zed by Google

Cap. Vers.

49. Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis. *l. 9. c. 4. a. 9. n. 6.*

16. 1. Ordinavi Ecclesiis Galatiæ, &c. *l. 3. c. 1. a. 1. n. 2.*

14. Omnia vestra in charitate fiant. *l. 10. c. 6. a. 3. n. 4.*

19. Salutant vos Ecclesiæ Asiæ. *l. 3. cap. 1. a. 1. n. 2.*

Cap. V.　*Ad* CORINTHIOS II.

1. 1. Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi. *l. 3. c. 1. a. 1. n. 3.*

12. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, &c. *l. 9. c. 5. a. 7. n. 2.*

22. Qui unxit nos Deus, qui & signavit nos, *&c. l. 9. c. 1. a. 3. num. 3. & l. 12. c. 2. a. ult. numero 6.*

3. 5. Non quòd simus sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, &c. *l. 9. c. 3. a. 1. n. 5.*

6. Littera occidit, spiritus autem vivificat, *l. 10. c. 2. a. 4. n. 4.*

11. Si enim quod evacuatur per gloriam est, multò magis quod manet, in gloria est. *l. 3. c. 3. a. 1. n. 4.*

17. Vbi autem spiritus Domini, ibi libertas. *l. 10. c. 4. a. 6. n. 8.*

18. Nos verò omnes revelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur. *l. 9. c. 4. a. 9. n. 6.*

4. 4. Qui est imago Dei. *l. 7. c. 4. a. 3. n. 4.*

17. Id enim quod in præsenti est momentaneum, *&c.* supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. *l. 10. c. 4. a. 3. n. 8. & cap. 5. a. 4. n. 6. & a. 8. n. 16. & cap. 6. a. 4. n. 10.*

5. 1. Scimus si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, &c. *l. 8. c. 5. a. ult. n. 11.*

10. Omnes nos manifestari oportet, *&c.* ut referat unusquisque propria corporis sive bonum sive malum, &c. *l. 10. c. 3. a. 3. n. 4. & l. 8. c. 5. a. ult. n. 12.*

15. Pro omnibus mortuus est Christus. *l. 9. c. 4. a. ult. n. 2.*

17. Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt, &c. *l. 9. c. 4. a. 8. n. 3.*

18. Dedit nobis ministerium reconciliationis, *&c.* posuit in nobis verbum reconciliationis, &c. *l. 17. c. 2. a. 3. n. 16.*

21. Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit. *l. 9. c. 4. a. 11. n. 2.*

6. 2. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. *l. 10. c. 6. a. 2. n. 1.*

14. Quæ participatio justitiæ, cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? quæ conventio Christi ad Belial? &c. *l. 9. c. 4. a. 6. n. 3.*

7. 1. Has ergo habentes promissiones charissimi mundemus nos ab omni inquinamento carnis, &c. *l. 10. c. 5. a. 3. n. 1.*

10. Quæ secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam, *&c.* operatur. *l. 9. c. 3. a. 4. n. 6. & l. 10. c. 4. a. 3. n. 8.*

8. 9. Si quis gratiam Domini nostri Jesu Christi quoniam propter vos egenus factus est, &c. *l. 11. c. 4. a. 2. n. 1.*

9. 7. Quisque prout destinavit in corde suo non ex tristitia aut necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus. *l. 10. c. 8. a. 2. n. 1.*

10. Qui autem administrat semen seminanti multiplicabit semen vestrum, &c. *l. 10. c. 5. a. 3. n. 1.*

10. 5. Captivantes omnem intellectum in obsequium Christi. *l. 9. c. 3. a. 2. n. 2.*

6. In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, &c. *l. 11. c. 5. a. 2. n. 5.*

18. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. *l. 9. c. 5. a. 3. n. 11.*

4. Arcana verba quæ non licet homini loqui. *l. 3. c. 4. a. 3. n. 7.*

12. 7. Datus est mihi stimulus carnis meæ, &c. *v. 8.* Propter quod ter Dominum rogavi, *&c.* & dixit mihi, *v. 9.* Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. *l. 2. c. 4. a. 4. n. 4. & l. 11. c. 9. a. 3. n. 7.*

13. 2. Prædixi & prædico, *&c.* quoniam si venero iterum non parcam. *l. 9. c. 5. a. 6. numero 14.*

5. Vosmetipsos tentasse si estis in fide ipsi vos probate, *&c.* quia Christus Jesus in vobis est, &c. *ibid.*

10. Ideo hæc absens scribo ut non præsens durius agam secundùm potestatem, &c. *l. 12. c. 4. a. 3. numero 2.*

Cap. V.　*Ad* GALATAS.

1. 8. Licèt nos aut Angelus de cælo evangelizet vobis, &c. *l. 2. c. 3. a. 1. n. 7.*

2. 11. Cùm venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, *l. 5. c. 3. a. 2. n. 8.*

16. Vt justificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis, &c. *l. 9. c. 3. a. 2. n. 1. & a. 10. n. 3. & 12.*

3. 1. O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati. *l. 3. c. 5. a. 4. numero 3.*

7. Quia qui ex fide sunt, *&c.* benedicentur cum fideli Abraham. *l. 13. c. 2. a. 4. n. 5.*

8. Quia ex fide justificat Gentes Deus. *l. 9. c. 3. a. 2. n. 1.*

10. Quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. *l. 10. c. 2. a. 4. n. 4.*

19. Lex per Moysen data est, & ordinata per Angelos in manu mediatoris, &c. *l. 6. c. 4. a. 2. n. 2.*

26. Omnes enim filii Dei estis per fidem quæ est in Christo Jesu. *l. 13. c. 2. a. 4. n. 5.*

27. Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis, &c. *l. 13. c. 1. a. 5. n. 10.*

29. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu: si autem vos Christi, ergo semen Abrahæ estis, &c. *l. 13. c. 2. a. 4. n. 5.*

4. 5. Misit Deus filium suum, ut eos qui sub lege erant redimeret, *&c.* itaque jam non est servus sed filius, &c. *l. 9. c. 6. a. 8. n. 2.*

6. Misit Deus spiritum filii sui in corda vestra. *l. 4. c. 5. a. 4. n. 8.*

19. Quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. *l. 9. c. 3. a. 4. n. 5.*

22. Abraham duos filios habuit, unum de ancilla & unum de libera, &c. *l. 13. c. 2. a. 4. n. 5.*

28. Nos

Digitized by Google

Cap. Vers.

28. Nos autem fratres secundùm Isaac promissionis filii sumus, &c. *ibid.*

5. 4. Evacuati estis à Christo qui in lege justificamini, à gratia excidistis. *l. 9. c. 6. a. 6. n. 3. & a. 7. n. 4.*

6. Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur. *l. 9. c. 1. a. 4. n. 1. & cap. 3. a. 2. n. 6. & cap. 4. a. 8. n. 3.*

13. Per charitatem spiritûs servite invicem. *l. 6. c. 3. a. 4. n. 2.*

14. Omnis lex in uno sermone impletur: diliges proximum tuum, &c. *l. 10. c. 2. a. 1. n. 3.*

18. Quod si spiritu ducemini non estis sub lege, &c. *l. 10. c. 4. a. 6. n. 8.*

19. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, &c. qui talia agunt, regnum Dei non consequentur, &c. *l. 10. c. 3. a. 2. n. 4.*

6. 1. Vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite, &c. *l. 3. c. 5. a. 4. n. 3.*

2. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. *l. 10. c. 4. a. 2. n. 3.*

8. Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet, &c. *l. 8. c. 5. a. ult. n. 12. & l. 10. c. 5. a. 4. n. 3.*

9. Bonum facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus, &c. *l. 10. c. 6. a. 2. n. 1.*

14. Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini. *l. 7. c. 8. a. 2. n. 1. & cap. 9. a. 7. n. 4.*

Cap. V. *Ad* EPHESIOS.

1. 5. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum, &c. *l. 9. c. 1. a. 3. n. 1. & cap. 4. a. 12. n. 6. & cap. 6. a. 8. n. 2.*

9. Ut notum faceret vobis sacramentum voluntatis suæ. *l. 12. c. 1. a. 3. n. 5.*

13. In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, &c. *l. 9. c. 6. a. 4. n. 7. & l. 12. c. 2. a. ult. n. 6.*

17. Memoriam vestri faciens in orationibus meis, &c. *l. 9. c. 6. a. 4. n. 7.*

21. & 22. Deus Christum constituens supra omnem principatum, &c. *l. 5. c. 3. a. 2. n. 1.*

2. 5. Convivificavit nos in Christo, & conversus citavit, &c. *l. 9. c. 4. a. 12. n. 10.*

8. Gratiâ enim salvati estis per fidem, &c. *l. 9. c. 3. a. 1. n. 5. & a. 10. n. 3. & 13. & l. 10. c. 5. a. 8. n. 15.*

10. Ipsius sumus factura creati in Christo Jesu in operibus bonis, &c. *l. 10. c. 3. a. 2. n. 4.*

20. Estis cives Sanctorum superædificati super fundamentum Apostolorum, &c. *l. 3. c. 6. a. 6. n. 1. & l. 5. c. 3. a. 2. n. 2. & l. 6. c. 5. a. 1. n. 3. & l. 16. c. 5. a. 5. n. 6. & l. ult. c. 1. a. 3. n. 3.*

3. 12. In quo habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem ejus. *l. 9. c. 3. a. 7. n. 5. & cap. 5. a. 6. n. 15.*

14. Propter quod peto ne deficiatis, &c. hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem, &c. ut det vobis secundùm divitias gloriæ suæ, &c. *l. 9. c. 5. a. 6. n. 16. & l. 16. cap. 8. art. 7. n. 5.*

4. 3. Unum corpus & unus spiritus, sicut vocati estis. *l. 3. c. 1. a. 2. n. 1.*

4. Unum corpus & unus spiritus, unus Dominus, una fides, unum baptisma. *l. 13. c. 4. a. 5. n. 16.*

5. Unus Dominus, una fides, &c. *l. 1. c. 1. a. 2. n. 3.*

7. Unicuique autem nostrûm data est gratia secundùm mensuram donationis Christi, &c. *l. 9. c. 4. a. 8. n. 3.*

9. Propter quod dicit: ascendens in altum, &c. quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit. *l. 8. c. 6. a. 1. n. 4.*

11. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos. *V.* 12. ad consummationem Sanctorum, &c. *v.* 13. Donec occurramus omnes in unitatem fidei. *l. 3. c. 3. a. 8. n. 3. & cap. 5. a. 1. n. 3. & a. 4. n. 2. & cap. 6. a. 3. n. 4. & cap. 6. art. 6. n. 1. & l. 4. c. 8. a. 4. n. 2. & l. 5. c. 3. a. 2. n. 2. & l. 15. c. 7. a. 9. n. 3. & l. 16. c. 5. a. 5. n. 6. & l. 19. c. 1. a. 3. n. 1. & cap. 2. a. 1. n. 4.*

33. Renovamini autem spiritu mentis vestræ & induite novum hominem, &c. *l. 9. c. 4. a. 9. n. 4. & a. 12. n. 7.*

30. Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei in quo signati estis, &c. *l. 12. c. 2. art. ult. n. 6.*

5. 8. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. *l. 9. c. 4. a. 6. n. 2.*

19. Loquentes vobismetipsis in psalmis & hymnis, &c. *l. 12. c. 4. a. 4. n. 9.*

22. Mulieres subditæ sint viris, quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput Ecclesiæ. *l. 20. c. un. a. 3. n. 3.*

23. Sicut Christus est caput Ecclesiæ. *l. 3. c. 1. a. 1. n. 3.*

25. Christus dilexit Ecclesiam & seipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret, &c. *v.* 27. Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam. *l. 3. c. 1. art. 1. n. 3. & cap. 4. art. 3. n. 4. & l. 8. c. 2. a. 2. n. 2. & l. 9. c. 3. a. 7. numero 3. & c. 4. a. 6. n. 2. & l. 12. c. 1. a. 6. n. 2. & l. 13. c. 1. a. 2. n. 10.*

26. Ut illam sanctificaret mundans lavacro aquæ, &c. *l. 12. c. 2. a. 3. n. 12. & l. 13. c. 2. a. 1. n. 12.*

32. Sacramentum hoc magnum est, &c. *l. 12. c. 9. a. 3. n. 5. & l. 20. c. un. a. 3. n. 1.*

6. 1. Filii obedite parentibus vestris in Domino hoc enim justum est; Honora patrem, &c. *l. 10. c. 4. a. 2. n. 4.*

5. Servi obedite Dominis carnalibus omni timore, &c. sicut Christo, non ad oculum servientes, &c. sed ut servi Christi, &c. scientes quoniam unusquisque quodcunque fecerit bonum hoc recipiet à Domino. *l. 11. c. 7. a. 2. n. 8.*

14. State ergo succincti, &c. *l. 6. c. 6. a. 2. n. 3.*

19. Vigilantes cum omni instantia & obsecratione, &c. *ibid.*

Cap. V. *Ad* PHILIPPENSES.

1. 1. Paulus & Timotheus omnibus Sanctis in Christo Jesu, &c. *l. 19. c. 1. a. 3. n. 5.*

6. Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet, &c. *l. 9. c. 3. a. 1. n. 5.*

92. Vobis donatum est pro Christo non solùm ut in eum credatis, &c. *l. 9. c. 3. a. 1. n. 5.*

Digitized by Google

Cap. Vers.

2. 8. Humiliavit semetipsum factus obediens usq; ad mortem. *l.* 9. *c.* 4. *a.* 9. *n.* 8. *& l.* 10. *c.* 5. *a.* 8. *n.* 6. *& l.* 11. *c.* 5. *a.* 2. *n.* 2.

10. In nomine Jesu omne genuflectatur. *l.* 7. *c.* 7. *a.* 3. *n.* 6.

12. Cum metu & tremore salutem operamini, *l.* 1. *c.* 2. *a.* 2. *n.* 10. *& l.* 9. *c.* 5. *a.* 3. *n.* 11. *& cap.* 6. *a.* 3. *n.* 1. *& l.* 10. *c.* 4. *a.* 3. *n.* 8. *& cap.* 5. *a.* 4. *n.* 6. *& cap.* 6. *a.* 6. *n.* 5.

21. Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi. *l.* 3. *c.* 5. *a.* 4. *n.* 3.

3. 2. Videte canes, videte malos operarios, *&c.* concisionem. *l.* 3. *c.* 2. *a.* 2. *n.* 2.

7. Sed quæ mihi fuerant lucra, &c. *l.* 10. *c.* 5. *a.* 8. *n.* 13.

9. Non habens meam justitiam quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi Jesu, &c. *l.* 9. *c.* 1. *a.* 2. *n.* 2. *& cap.* 3. *a.* 10. *n.* 3. *&* 13. *& l.* 10. *c.* 5. *a.* 8. *n.* 13.

12. Non quod jam acceperim aut jam perfectus sim. *l.* 11. *c.* 2. *a.* 2. *n.* 8.

18. Multi enim ambulant quos sæpius dicebam vobis inimicos crucis Christi, &c. *l.* 4. *c.* 1. *a.* 2. *n.* 3. *& l.* 7. *c.* 9. *a.* 7. *n.* 4.

21. Reformavit corpus humilitatis nostræ, &c. *l.* 9. *c.* 4. *a.* 12. *n.* 12.

4. 18. Habeo omnia & abundo, repletus sum acceptis ab Epaphrodito, &c. *l.* 10. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 4. *& l.* 11. *c.* 6. *a.* 3. *n.* 8.

Cap. ℣. *Ad* COLOSSENSES.

1. 10. Vt ambuletis dignè Deo, &c. *l.* 10. *c.* 6. *a.* 1. *n.* 5. *& l. ult. c.* 1. *a.* 4. *n. a.* 18.

12. Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum, &c. *v.* 13. Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, &c. *l.* 9. *c.* 4. *a.* 2. *n.* 2. *& l.* 16. *c.* 8. *a.* 8. *n.* 25. *& l. ult. c.* 1. *a.* 4. *n.* 18.

15. Qui est imago Dei invisibilis, &c. *l.* 7. *c.* 4. *a.* 3. *n.* 4.

18. Ipse est caput corporis Ecclesiæ. *l.* 5. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 1. *& l.* 9. *c.* 4. *a.* 12. *n.* 10.

19. In ipso complacuit, &c. *v.* 20. Et per eum reconciliare omnia, &c. *l.* 7. *c.* 8. *a.* 2. *n.* 1. *& l.* 13. *c.* 4. *a.* 5. *n.* 18.

26. Vt impleam verbum Dei: mysterium quod absconditum fuit à sæculis, &c. *l.* 12. *c.* 1. *a.* 3. *n.* 5.

2. 11. In quo & circumcisi estis, circumcisione non manufactâ in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi. *l.* 13. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 3.

13. Et vos cùm mortui essetis in delictis, *&c.* convivificavit cum illo, &c. *l.* 9. *c.* 4. *a.* 11. *numero* 1.

14. Chirographum decreti quod erat contrarium nobis, & illud tulit de medio, affigens illud cruci. *l.* 7. *c.* 8. *a.* 2. *n.* 1.

23. Quæ sunt rationem quidem habentia, sapientiæ in superstitione & humilitate, &c. *l.* 11. *c.* 6. *a.* 4. *n.* 18.

3. 9.10. Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus & induentes novum, &c. *l.* 9. *c.* 4. *a.* 9. *n.* 6. *& a.* 12. *n.* 8.

14. Super omnia autem hæc charitatem habete, &c. *l.* 1. *c.* 2. *a.* 2. *n.* 8. *& l.* 9. *c.* 1. *a.* 4. *n.* 1. *& l.* 11. *c.* 2. *a.* 2. *n.* 5.

17. Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, &c. *l.* 2. *c.* 2. *a.* 5. *n.* 3. *& l.* 12. *c.* 1. *a.* 8. *n.* 3. *& cap.* 4. *a.* 4. *n.* 10. *& l.* 16. *c.* 7. *a.* 3. *n.* 9.

20. Filii obedite parentibus per omnia. *l.* 11. *c.* 5. *a.* 2. *n.* 9.

4. 16. Et cùm lecta fuerit apud vos epistola hæc, *&c.* *l.* 2. *c.* 2. *a.* 3. *n.* 2.

Cap. ℣. *Ad* THESSALONICENSES I.

4. 14. Quia nos, qui vivimus qui residui sumus in adventum Domini, non præveniemus eos, qui dormierunt, &c. *l.* 10. *c.* 3. *a.* 4. *n.* 4.

5. 25. Fratres orate pro nobis, &c. *l.* 6. *c.* 6. *a.* 2. *numero* 3.

Cap. ℣. *Ad* THESSALONICENSES II.

1. 3. Abundat charitas uniuscujusque vestrûm ad invicem, &c. *v.* 5. Vt digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini, &c. *l.* 10. *c.* 5. *a.* 4. *n.* 7. *& a.* 8. *n.* 16. *& cap.* 6. *a.* 1. *n.* 5. *& l. ult. c.* 1. *a.* 4. *n.* 18.

2. 1. Rogamus, &c. *v.* 2. Vt non citò moveamini, *&c.* quasi instet dies Domini, &c. *l.* 5. *c.* 1. *a.* 4. *n.* 2.

14. Tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram. *l.* 2. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 1. *& a.* 6. *n.* 5. *& cap.* 3. *a.* 1. *n.* 12. *& l. ult. c.* 2. *a.* 4. *a.* 8.

3. 1. De cætero fratres orate pro nobis, ut sermo Dei currat, &c. *l.* 6. *c.* 6. *a.* 2. *n.* 3. *& l.* 16. *c.* 6. *a.* 6. *n.* 11.

10. Si quis non vult operari, nec manducet, *&c.* *l.* 11. *c.* 1. *a.* 6. *n.* 9.

Cap. ℣. *Ad* TIMOTHEVM I.

1. 5. Finis autem præcepti est charitas de corde puro, &c. *l.* 12. *c.* 2. *a.* 2. *n.* 5.

9. Lex justo non est posita, &c. *l.* 10. *c.* 4. *a.* 6. *n.* 1.

17. Regi enim sæculorum immortali, invisibili, &c. *l.* 6. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 1. *& l.* 15. *c.* 6. *a.* 4. *n.* 1.

19. Quidam enim circa fidem naufragaverunt, &c. *l.* 9. *c.* 6. *a.* 6. *n.* 3. *& a.* 7. *n.* 4.

2. 1. Obsecro enim primum omnium fieri obsecrationes, orationes, *&c.* pro Regibus, &c. *l.* 16. *c.* 1. *a.* 2. *n.* 9. *& cap.* 8. *a.* 5. *n.* 3. *& a.* 8. *n.* 8.

5. Vnus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, *l.* 6. *c.* 4. *a.* 2. *n.* 1.

7. Positus sum, *&c.* Doctor Gentium, &c. *l.* 5. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 2. *& l.* 16. *c.* 5. *a.* 5. *n.* 6.

8. Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus, &c. *l.* 16. *c.* 8. *a.* 7. *n.* 3.

3. 2. Oportet ergo Episcopum irrepræhensibilem esse, &c. *l.* 11. *c.* 2. *a.* 2. *n.* 3.

8. Diaconos similiter pudicos, &c. *v.* 10. Et hi autem probentur, &c. *l.* 19. *c.* 1. *a.* 3. *n.* 4.

13. Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent. *l.* 10. *c.* 6. *a.* 6. *n.* 5. *& l.* 19. *c.* 1. *a.* 3. *n.* 4.

15. Vt scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, &c. *l.* 3. *c.* 1. *a.* 2. *n.* 2. *& cap.* 3. *a.* 8. *n.* 3. *& cap.* 4. *a.* 3. *n.* 1.

16. Manifestè magnum est pietatis sacramentum, &c. *l.* 12. *c.* 1. *a.* 3. *n.* 5.

4. 1. Spiritus manifestè dicit, *&c.* discedent quidam à fide, &c. *l.* 9. *c.* 6. *a.* 7. *n.* 4. *& l.* 11. *c.* 9. *a.* 3. *n.* 18.

Digitized by Google

Cap. Verſ.

14. Noli negligere gratiam quæ in te eſt, &c. cum impoſitione manuum, &c. *l.* 3. *c.* 6. *a.* 6. *n.* 3. & *l.* 19. *c.* 1. *c.* 3. *n.* 2. & *cap.* 2. *a.* 1. *n.* 3.

16. Hoc enim faciens & te ipſum ſalvum facies, &c. *l.* 6. *c.* 4. *a.* 2. *n.* 3.

5. 11. Adoleſcentiores autem viduas devita, &c. *l.* 11 *c.* 9. *a.* 1. *n.* 6.

17. Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, &c. *l.* 19. *c.* 1. *a.* 3. *n.* 2.

19. Adverſus presbyterum accuſationem noli recipere, &c. *ibid.* *n.* 9.

22. Manus citò nemini impoſueris. *l.* 19. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 2.

6. 8. Habentes enim alimenta, & quibus tegantur, &c. *l.* 11. *c.* 2. *a.* 3. *n.* 4.

9. Nam qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, &c. *ibid.* & *cap.* 4. *a.* 2. *n.* 3.

17. Divitibus hujus ſæculi præcipe, non ſublime ſapere, &c. ſed in Deo vivo enim bene agere, &c. *l.* 10. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 4. & *l.* 11. *c.* 4. *a.* 2. *n.* 6.

ult. 20. O Timothee depoſitum cuſtodi. *l.* 2. *c.* 2. *a.* 6. *n.* 6.

ad TIMOTHEVM II.

Cap. ℣.

1. 5. Recordationem accipiens ejus fidei, quæ eſt in te non ficta, &c. *l.* 9. *c.* 5. *a.* 6 *n.* 10.

6. Propter quam cauſam admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, &c. *l.* 19. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 3.

9. Qui nos liberavit & vocavit vocatione ſuâ ſancta non ſecundum opera noſtra, &c. *l* 9. *c.* 6. *a.* 4. *n.* 2.

13. Formam habe ſanorum verborum, &c *v.* 14. Depoſitum cuſtodi per Spiritum Sanctum. *l.* 2. *c.* 2. *a.* 6. *n.* 6.

2. 1. Tu ergò Fili mi confortare in gratia, &c. *v.* 2. hæc commenda fidelibus hominibus. *ibid.*

5. Non coronatur, niſi qui legitimè certaverit. *l.* 10. *c.* 5. *a.* 8. *n.* 12.

11. Si commortui ſumus, & convivemus, &c. *l.* 9. *c.* 6. *a.* 3. *n.* 2. & *l.* 10. *c.* 6. *a.* 5. *n.* 1.

12. Si ſuſtinebimus & conregnabimus. *l.* 6. *c.* 1. *a.* 3. *n.* 2.

19. Sed firmum fundamentum Dei ſtat habens ſignaculum, &c. *l.* 9. *c.* 6. *a.* 3. *n.* 3.

21. Si quis ergo emundaverit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, &c *l.* 10. *c.* 5. *a.* 8. *n.* 2.

3. 15. Ab infantia ſacras literas nôſti. *l.* 2. *c.* 3. *a.* 1. *n.* 11. & *l.* 7. *c.* 7. *a.* 3 *n.* 6.

16. Omnis ſcriptura divinitus inſpirata utilis eſt, &c. *v.* 17. Vt perfectus ſit homo Dei, &c. *l.* 2. *cap.* 3. *a.* 1. *n.* 10. & *cap.* 6. *a.* 2. *n.* 1.

4. 7. Bonum certamen certavi, &c. *v.* 8. In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, &c. *l.* 10. *c.* 3. *a.* 3. *n.* 4. & *cap.* 5. *a.* 4. *n.* 7. & *a.* 8. *n.* 2. & 10.

ad TITVM.

Cap. ℣.

1. 2. In ſpem vitæ æternæ quam promiſit, &c. *l.* . *c.* 5. *a.* 6. *n.* 1. & *l.* 10. *c.* 6. *a.* 5. *n.* 1.

5. Hujus rei gratia reliqui de Cretæ, ut, &c. conſtituas per civitates presbyteros, &c. *l.* 19. *c.* 1. *a.* 3. *n.* 2. & 7.

7. Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, &c. *v.* 8. Iuſtum, ſanctum, &c. *l.* 11. *c.* 2. *a.* 2. *n.* 3 & *cap.* 8. *a.* 1. *n.* 7.

3. 4. Non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos, &c. *l.* 9. *c.* 3. *a.* 10. *n.* 3. & 13. & *cap.* 4. *a.* 3. *n.* 1. & *a.* 9. *n.* 5. & *l.* 10 *c.* 5. *a.* 8. *n.* 15. & *cap.* 6. *a.* 5 *n.* 1.

5. Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, &c. *l.* 8 *c.* 2. *a.* 2. *n.* 2. & *l.* 9. *c.* 2. *a.* 4. *n.* 3. & *cap.* 3. *a.* 7. *n.* 3 & *cap.* 4. *a.* 9. *n.* 4. & *l.* 10. *c.* 5 *a.* 8. *n.* 15 & *l.* 12. *c.* 1. *a.* 6. *n.* 2. & *cap.* 2. *a.* 3. *n.* 12. & *l.* 13. *c.* 1. *a.* 2. *n.* 10. & *cap.* 2. *a.* 2. *n.* 12. & *cap.* 4. *a.* 5. *n.* 12.

8. De his volo te confirmare ut curent bonis operibus præeſſe, qui credunt Deo. *l.* 10. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 4.

ad HEBRÆOS.

Cap. ℣.

1. 3. Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus, &c. *l.* 7. *c.* 4. *a.* 3 *n.* 4.

2. 3. Quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem, &c. *l.* 3. *cap.* 6. *a.* 4. *n.* 4.

10. Decebat enim eum propter quem omnia, &c. authorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare, &c. *l.* 9. *c.* 2. *a.* 4. *n.* 1.

3. 12. Videte fratres, ne forte in aliquo veſtrûm cor malum, &c. *v.* 13. Sed adhortamini voſmetipſos, &c. ut non obturetur quis ex vobis fallacia peccati, &c. *l.* 9. *c.* 6. *a.* 3. *n.* 3.

4. 13 Omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus, ad quem nobis ſermo, &c. *l.* 6. *cap.* 6. *a.* 5. *n.* 3.

14. Habentes ergo Pontificem magnum, &c. Ieſum Filium Dei. *l.* 1. *c.* 1. *a.* 2. *n.* 8.

5. 1. Omnis namque Pontifex, &c. conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, &c. *l.* 16. *c.* 1. *a.* 2 *n.* 4. & 7. & *cap.* 4. *a.* 3. *n.* 1. & *cap.* 6. *a.* 3. *n.* 2.

4. Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron, &c. *l.* 3. *c.* 6. *a.* 6. *n.* 3. & *l.* 16. *c.* 1. *a.* 2. *n.* 7.

9. Factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ. *l.* 10. *c.* 4. *a.* 2. *n.* 2.

10. Appellatur à Deo Pontifex juxta ordinem Melchiſedech, &c. *v.* 12 Cùm deberetis Magiſtri eſſe, &c. rurſum indigetis ut vos doceamini, &c. *l.* 16. *c.* 3. *a.* 3. *n.* 7.

6. 4. Impoſſibile eſt enim eos qui ſemel ſunt illuminati, &c. *v.* 6. Et prolapſi ſunt; rurſum renovari ad pœnitentiam. *l.* 8. *c.* 2. *a.* 2. *n.* 4. & *l.* 9. *c.* 6. *a.* 7. *n.* 5. & *l.* 17. *c.* 1. *a.* 3. *n.* 9.

10 Non enim injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, &c. *l.* 10. *c.* 5. *a.* 4. *n.* 7. & *cap.* 6. *a.* 5. *n.* 1. & *a.* 7. *n.* 1.

13. Quoniam (Deus) neminem habuit, per quem juraret majorem, &c. *l.* 4. *c.* 7. *a.* 8. *n.* 3.

16. Homines enim per majorem ſui jurant. *l.* 4. *c.* 7. *a.* 8. *n.* 3.

18. Fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem. *v.* 19. Quam ſicut anchoram habemus animæ tutam, &c. *v.* 20. Vbi præcurſor pro nobis introivit Ieſus. *l.* 8. *c.* 6. *a.* 1. *n.* 1. & *l.* 9. *c.* 5. *a.* 6. *n.* 1. & *l.* 16. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 1.

7. 20. Alii quidem ſine jurejurando ſacerdotes facti ſunt; hic autem cum jurejurando, &c. *l.* 16. *c.* 2. *a.* 1. *n.* 1.

24. Hic autem eò quod maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium. *l.* 16. *c.* 6. *a.* 6. *n.* 6.

25. Vnde & ſalvare in perpetuum poteſt accedentes, &c. *l.* 16. *c.* 6. *a.* 2. *n.* 4.

Digitized by Google

Cap. Vers.

26. Talis decebat ut nobis esset Pontifex, Sanctus, &c. *l. 16. c. 1. a. 2. n. 10.*

8. 3. Omnis enim Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur. *l. 16. c. 1. a. 2. n. 4. & cap. 2. a. 1. n. 2. & a. 6. n. 3*

9. 8. Hoc significante Spiritu sancto nondum propalatam esse Sanctorum viam, &c. *l. 8. c. 6. a. 1. n. 1.*

9. Hostiæ offeruntur quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, *&c. l. 16. c. 1. a. 2. n. 6.*

13. Si enim sanguis hircorum, *&c.* inquinatos sanctificat &c. *V.* 14. Quantò magis sanguis Christi, *&c.* emundabit conscientiam nostram, &c. *l. 16. c. 3. a. 1. n. 3.*

19. Accipiens sanguinem vitulorum, *&c.* populum aspersit, &c. *l. 16. c. 5. a. 3. n. 3.*

20. Hic sanguis testamenti, &c. *l. 16. c. 2. a. 4. n. 12.*

22. Et omnia pœnè in sanguine secundum legem mundantur, &c. *l. 16. c. 5. a. 5. n. 27*

23. Sine sanguinis effusione non fit remissio. *l. 16. c. 6. a. 6. n. 3.*

28. Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata. *l. 9. c. 4. a. ult. n. 2. & l. 16. c. 6. a. 6. n. 3. & 4.*

10. 10. Sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel. *l. 16. c. 6. a. 6. n. 3.*

14. Vnâ oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. *l. 16. c. 2. a. 3. n. 9. & cap. 6. a. 6. n. 3.*

18. Vbi autem horum remissio, jam non est oblatio pro peccato, &c. *l. 16. c. 6. a. 6. n. 3.*

22. Accedamus cum vero corde in plenitudinem fidei. *l. 9. c. 6. a. 7. n. 5.*

23. Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem, &c. *l. 10. c. 6. a. 5. n.*

26. Voluntariè enim peccantibus nobis, *&c.* jam non relinquitur pro peccatis hostia, &c. *l. 8. c. 2. a. 2. n. 4.*

29. Qui filium Dei conculcaverit, *&c.* in quo sanctificatus est? *l. 9. c. 6. a. 7. n. 5.*

34. Vinctis compassi estis, &c. *v.* 35. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. *l. 10. c. 6. a. 6. n. 5.*

36. Patientia vobis necessaria est, &c. *l. 10. c. 4. a. 3. n. 8.*

11. 1. Est autem fides sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium, &c. *l. 9. c. 3. a. 2. n. 3.*

6. Sine fide impossibile est placere Deo, *&c. ibid. & a. 4. n. 3. & l. 13. c. 3. a. 4. n. 3.*

7. Fide Noë, responso accepto, &c. *l. 9. c. 3. a. 2. n. 3.*

13. Iuxta fidem defuncti sunt, &c. *l. 8. c. 6. a. 1. n. 1*

35. Alii autem distenti sunt, *&c.* secti sunt, *&c. l. 2. c. 5. a. 9. n. 2.*

39. Hi omnes testimonio fidei probati, &c. *l. 8. c. 6. a. 1. n. 1.*

12. 22. Accessistis ad Sion montem & civitatem Dei viventis, &c. *l. 6. c. 5. a. 1. n. 3.*

25. Videte ne recusetis loquentem. *l. 10. c. 4. a. 2. n. 2.*

13. 16. Beneficentiæ autem & communionis nolite oblivisci, &c. *l. 10. c. 5. a. 4. n. 1. & l. 11. c. 6. a. 3. n. 8.*

17. Obedite præpositis vestris, & subjacete eis, &c. *l. 11. c. 5. a. 2. n. 5. & a. 3. n. 2. & l. 12. c. 4. a. 3. n. 2.*

Epist. B. IACOBI.

Cap. Vers.

1. 5. Postulet à Deo qui dat omnibus affluenter, *&c. l. 9. c. 6. a. 4. n. 4.*

12. Beatus vir qui suffert tentationem, &c. *l. 10. c. 3. a. 3. n. 4. & cap. 5. a. 4. n. 8. & cap. 6. a. 3. n. 4. & a. 5. n. 1.*

15. Concupiscentia cum conceperit parit peccatum, peccatum verò cum consummatum fuerit, generat mortem *l. 2. c. 4. a. 2. n. 2.*

18. Voluntariè nos genuit verbo veritatis. *l. 9. c. 2. a. 4. n. 4.*

27. Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est visitare pupillos *l. 11. c. 6. a. 3. n. 8.*

2. 8. Si tamen legem perficitis regalem secundum scripturas, &c. *l. 10. c. 2. a. 4. n. 2. & cap. 4. a. 2. n. 4.*

10. Quicunque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, &c. *l. 1. c. 1. a. 4. n. 3.*

14. Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat, &c. *l. 9. c. 3. a. 5. n. 10*

20. Vis autem scire ô homo inanis quoniam fides sine operibus mortua est, &c. *l. 9. c. 3. a. 5. n. 10.*

21. Abraham pater noster, nónne ex operibus justificatus est, &c. *l. 10. c. 5. a. 3. n. 1. & l. ult. c. 1. a. 4. n. 6.*

26. Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua est. *l. 1. c. 2. a. 2. n. 8.*

4. 3. Petitis, & non accipitis, eò quod male petatis. &c. *l. 9. c. 6. a. 4. n. 5.*

5. 8. Patientes igitur estote & vos, &c. *l. 18. c. unic. a. 3. n. 9.*

11. Sufferentiam Iob audistis, &c. *ibid.*

12. Ante omnia autem fratres mei nolite jurare, *&c.* sit sermo vester: Est, est; Non, non: *&c. ibid.*

14. Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo, &c. *v.* 15. Et alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, remittentur ei. *l. 18. c. unic. a. 3. n. 2. 6. & 7.*

16. Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem ut salvemini. *l. 6. c. 5. a. 1. n. 3. & cap. 7. a. 2. & l. 8. c. 3. a. 1. n. 2. & l. 17. c. 2. a. 3. n. 17. & l. 18. c. unic. a. 3. n. 9.*

Prima PETRI.

1. 3. Qui secundum misericordiam suam regeneravit nos, &c *l. 9. c. 4. a. 9. n. 4.*

9. Reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum, &c *l. 9. c. 2. a. 4. n. 1.*

10. De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ, &c. *l. 5. c. 4. a. 4. n. 2.*

18. Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, *&c.* sed pretioso sanguine. *l. 9. c. 2. a. 4. n. 3.*

23. Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi, &c. *l. 9. c. 6. a. 8. n. 2.*

2. 2. Sicut modò geniti infantes, *&c.* lac concupiscite. *l. 8. c. 2. a. 2. n. 2.*

5. Li-

Cap. Vers.

5. Lapides vivi superædificamini, &c. l. 10. c. 3. a. 2. n. 4.
9. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, &c. l. 16. c. 5. a. 2. n. 6.
13. Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, &c. v. 15. Sic est voluntas Dei, &c. l. 11. c. 7. a. 2. n. 7.
25. Conversi estis nunc ad pastorem & Episcopum animarum vestrarum, l. 5. c. 3. a. 2. n. 1.
3. 15. Parati semper ad satisfactionem, &c. l. ult. c. 2. a. ult. n. 14.
18. & 19. Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, &c. in quo his qui in carcere erant spiritibus veniens, prædicavit, &c. l. 8. c. 6. a. 1. n. 5.
20. Pau i, id est, octo animæ salvæ factæ sunt. l. 3. c. 2. a. 2. n. 1.
4. 9. Hospitales invicem sine murmuratione, &c. l. 17. c. 2. a. 3. n. 18.

Cap. ℣. *Secunda* PETRI.

1. 4. Efficiamini divinæ consortes naturæ. l. 9. c. 4. a. 3. n. 2.
9. Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est, & manu tentans, &c. l. 9. c. 6. a. 7. n. 6.
10. Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, &c. faciatis. l. 1. c. 2. a. 2. n. 10. & l. 10. c. 3 a. 2. n. 5.
20. Prophetia scripturæ propriâ interpretatione non fit v. 21. Non enim voluntate humanâ allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto, &c. l. 2. c. 6. a. 2. n. 1.
2. 21. Meliùs enim erat illis, non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti, &c. l. 9. c. 6. a. 7. n. 6.

Cap. ℣. *Prima* IOANNIS.

1. 7. Sanguis Iesu Christi Filii ejus, emundat nos ab omni peccato. l. 9. c. 4. a. 3. n. 2. & a. 6. n. 3.
8. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, &c. l. 3. c. 4. a. 3. n. 5. & l. 10. c. 2. a. 1. n. 7. & a. 4. n. 6.
9. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, &c l. 9. c. 4. a. 6. n. 3. & l. 17. c. 1. a. 3. n. 9. & cap. 2. a. 3. n. 19.
2. 1. Hæc scribo vobis ut non peccetis, &c. Advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum, l. 6. c. 4. a. 2. n. 1. & l. 9. c. 4. a. 3. n. 2. & cap. 6. a. 6. n. 9. & l. 10. c. 4. a. 3. n. 7.
2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, &c. l. 8. c. 1. a. 2. n 3. & l. 9. c. 2. a. 4. n. 3. & l. 15. c. 7. a. 1. n. 8.
3. In hoc scimus quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observemus, &c. l. 11. c. 2. a. 4. n. 22.
5. Qui servat verbum ejus, verè in hoc charitas Dei perfecta est, l. 11. c. 2. a. 2. n. 9.
15. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo, &c. l. 11. c. 2. a. 3. n. 1.
18. Novissima hora est, &c. audistis, quia Anti-Christus venit, & nunc Anti-Christi multi facti sunt, &c. l. 4. c. 2. a. 8. n. 8. & l. 5. c. 1. a. 4. n. 2.
19. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, &c. l. 3. c. 1. a. 4. n. 3. & l. 9. c. 6. a. 8. n. 3.

Cap. Vers.

22. Quis est mendax nisi is qui negat, quoniam Iesus est Christus, &c. l. 5. c. 1. a. 4. n. 2.
27. Vnctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis, l. 9. cap. 1. a. 3. n. 3.
3. 1. Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus, l. 9. c. 4. a. 3. n. 2.
9. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, &c. l. 9. c. 1. a. 3. n. 3. & cap. 6. a. 6. n. 5.
10. Omnis qui non est justus, non est ex Deo, &c. l. 9. c. 3. a. 5. n. 7.
14. Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres, &c. l. 9. c. 3. a. 4. n. 6 & a. 5. n. 7. & a. 9. n. 2. & cap. 4. a. 12. n. 10. & cap. 5. a. 6. n. 17.
21. Si cor nostrum non reprehenderit nos, &c. l. 9. c. 5. a. 6 n. 17. & l. 10. c. 6. a. 6. n. 5.
22. Quidquid petierimus accipiemus ab eo, quoniam mandata ejus custodimus. l. 10. c. 2. a. 1. n. 6.
24. Qui servat mandata ejus, in illo manet, & ipse in eo, l. 10. c. 4. a. 3. n. 7.
4. 3. Omnis Spiritus qui solvit Iesum; ex Deo non est, l. 3. c. 2. a. 2. n. 3. & ult. cap. 3. a. 3. n. 3.
7. Omnis qui diligit, ex Deo est. l. 9. c. 3. a. 10. n. 1.
13. In hoc cognovimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis. l. 9. c. 5. a. 6. n. 18.
16. Deus charitas est, &c. l. 9. cap. 1. a. 4. n. 1. & cap. 3. a. 7. n. 7. & l. 11. cap. 2. a. 2. n. 5.
18. Timor non est in charitate; sed perfecta charitas foras mittit timorem. l. 2. c. 4. a. 2. n. 4. & l. 9. c. 5. a. 6. n. 18.
5. 1. Omnis qui credit, quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est. l. 9. c. 3. a. 2. n. 8. & a. 10. n. 1.
3. Hæc est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus, & mandata ejus gravia non sunt. l. 2. c. 4. a. 2. n. 4. & l. 10. c. 2. a. 1. n. 2. l. 11. c. 2. a. 4. n. 22.
5. Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit; &c. l. 9. c. 3. a. 2. n. 8.
6. Hic est qui venit per aquam & sanguinem Iesus Christus, &c l. 13. c. 1. a. 3. n. 3. & 4.
10. Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se, &c. l. 9. c. 5. a. 6. n. 18.
13. Hæc scribo vobis ut sciatis, quoniam vitam habetis æternam. l. 9. c. 6. a. 4. n. 6.
16. Qui scit fratrem suum peccare, &c petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. l. 9. c. 6. a. 6. n. 1.
19. Totus mundus in maligno positus est. l. 3. c. 3. a. 9. n. 3. & 4.

Cap. ℣. *Secunda* IOANNIS.

unic. 8. Videte vosmetipsos, ne perdatis quæ operati estis: sed ut mercedem plenam accipiatis. l. 9. c. 6. a. 3. n. 1.
12. Plura habens vobis scribere, nolui per chartam, &c. Spero enim, &c. os ad os loqui, &c. l. 2. c. 2. a. 6. n. 7.

Cap. ℣. *Epist.* IVDÆ.

unic. 18. Quoniam in novissimo tempore venient illusores, &c. v. 19. Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, Spiritum non habentes. l. 3. c. 2. a. 2. n. 6.

APO

Digitized by Google

Cap. Vers.

APOCALYPSIS.

1. 3. Beatus qui legit & audit verba prophetiæ hujus *l.* 15. *c.* 7 *a.* 9. *n.* 7.
4. Ioannes septem ecclesiis, *&c.* gratia vobis & pax ab eo qui est, *&c.* & à Iesu Christo, &c. *l.* 6. *c.* 6 *a.* 2. *n.* 2. *& l.* 3. *c.* 1. *a.* 1. *n.* 3. *& l.* 6. *c.* 6. *a.* 2. *n.* 2.
10. Fui in spiritu in Dominicâ die. *l.* 2. *c.* 2. *a.* 5. *n.* 1.
2. 4. Habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti. *v.* 5. Memor esto itaque unde excideris, & age pœnitentiam, &c. *l.* 9. *c.* 6. *a.* 7. *n.* 6.
10. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. *l.* 10. *c.* 5. *a.* 4. *n.* 8.
26. Qui vicerit, *&c.* dabo illi potestatem super gentes, &c. *l.* 6. *c.* 2. *a.* 3. *n.* 2.
3. 4. Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt, &c. *l.* 10 *c.* 5. *a.* 4. *n.* 7. *& cap* 6 *a.* 1. *n.* 5. *& l. ult. c.* 1. *a.* 4. *n.* 18.
7. Hæc dicit Sanctus & verus qui habet clavem David. *l.* 17. *c.* 2 *a.* 3. *n* 6.
11. Ecce venio citò. tene quod habes, &c. *l.* 9. *c.* 6. *a.* 3. *n.* 1.
20. Ecce sto ad ostium, & pulso, &c. *l.* 9. *c.* 1. *a.* 3. *n.* 2.
21. Qui vicerit dabo ei sedere mecum in throno meo, &c. *l.* 6. *c.* 1. *a.* 3. *n.* 2. *& cap.* 2. *a.* 3. *n* 2.
5. 5. Leo de tribu Iuda. *l.* 7. *c* 4. *a.* 3. *n.* 7.
8. Ceciderunt coram Agno habentes phialas aureas, &c. *l.* 6. *c.* 5. *a.* 1. *n.* 2.
6. 9. Vidi subtus altare animas interfectorum, *&c.* *l.* 16. *c.* 8. *a.* 10. *n.* 8.
10. Vsquequo Domine, Sanctus, & verus non judicas? &c. *l.* 6. *c.* 5. *a.* 1. *n.* 3.
7. 3. Nolite nocere terræ & mari, quoadusque signemus servos Dei, &c. *l.* 7. *c.* 8. *a.* 4. *n.* 1.
14. Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, *&c.* ideo sunt ante thronum Dei, *l.* 10. *c.* 5. *a.* 4. *n.* 5.
8. 3. Angelus stetit ante altare *v.* 4. Et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo, &c. *l.* 6. *c.* 5. *a.* 1. *n.* 1. *& l.* 16. *c.* 8. *a.* 10. *n.* 8 *&* 10.

Cap. Vers.

5. Accepit Angelus thuribulum, & implevit illud de igne altaris, &c. *l.* 16. *c.* 8. *a.* 10. *n.* 8.
10. 5. Et Angelus levavit manum suam ad cœlum, &c. *l.* 4. *c.* 7. *a.* 8. *n.* 3.
11. 1. Surge metire templum Dei & altare, *&c.* *l.* 16. *c.* 8. *a.* 10. *n.* 8.
12. 1. Mulier amictâ sole & luna sub pedibus ejus, &c. *l.* 6. *c.* 2. *a.* 3. *n.* 1. *& l.* 11. *c.* 7. *a.* 4. *n.* 5.
5. Et peperit filium masculum, &c. *l.* 6. *c.* 2. *a.* 3. *n.* 1. *& l.* 11. *c.* 7. *a.* 4. *n.* 5.
14. 1. Et vidi, *&c.* habentes nomen ejus, *&c.* scriptum in frontibus suis, &c. *l.* 7. *c.* 8. *a.* 4. *n.* 1.
13. Beati mortui qui in Domino moriuntur, *&c.* *l.* 8. *c.* 5. *a. ult. n.* 13.
17. 5. Et in fronte ejus nomen scriptum: mysterium *l.* 12. *c.* 1. *a.* 3. *n.* 4.
6. Vidi mulierem ebriam de sanguine Sanctorum, &c. *l.* 5. *c.* 4. *a.* 4. *n.* 4.
7. Ego dicam tibi Sacramentum mulieris, *&c.* *l.* 12. *c.* 1. *a.* 3. *n.* 4.
9. Septem capita, septem montes sunt. *l.* 5. *c.* 4. *a.* 4. *n* 4.
18. Mulier quam vidisti est civitas magna, *&c.* *ibid.*
19. 6. Et audivi vocem turbæ magnæ, *&c.* dicentium *alleluia*, &c. *v.* 7. Gaudeamus & exultemus quia venerunt nuptiæ Agni, &c. *l.* 16. *c.* 8. *a.* 8. *n.* 10.
10. Et cecidi ante pedes ejus ut adorarem eũ, *&c.* *l.* 6. *c.* 3. *a.* 4. *n.* 3.
21. 14. Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni. *l.* 5. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 2. *& l. ult. c.* 1. *a.* 3. *n.* 3.
22. 11. Qui justus est justificetur adhuc, & sanctus sanctificatur adhuc. *l.* 9. *c.* 1. *a.* 1. *n.* 1. *& l.* 10. *c.* 5. *a.* 3. *n.* 2. *& l. ult. c.* 1. *a.* 4. *n.* 4.
12. Ecce venio cito, *&c.* reddere unicuique secundum opera sua. *l.* 10. *c.* 5. *a.* 4. *n.* 3.
15. Foris canis. *l.* 3. *c.* 2. *a.* 2. *n.* 2.
18. Si quis apposuerit ad hæc apponat Deus super illum plagas scriptas, &c. *l.* 2. *c.* 3. *a.* 1. *n.* 6.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
RERVM
QVÆ IN HOC TOTO OPERE
CONTINENTVR.

A.

Abyssiani

Abyssiani quinam populi. l. 4. c. 6. a. 3. n. 1. p. 151.
Eorum Rex vulgo presbyter Ioannes. ibid.
Quando conversi, & quomodo in hæresim prolapsi. ibid.
Errores quosnam doceant. ibid.

Acatholici.

Acatholicorum Ecclesia non est verè una, & quare. l. 1. c. 1. a. 3. n. 4 p. 3.
Non habent unum pastorem visibilem. ibid.
Nec conveniunt in unitate fidei. n. 5. ibid.
Acatholicorum Religio quomodocunque vocetur non est vera Christi fides. n. 7. ibid.
Docent articulos fidei necessarios clarè & expressè contineri in scripturas, sed hactenus non probârunt. c. 2. a. 2. n. 5. p. 6.
Acatholici antiquos Hæreticos imitantur, damnando Concilia & Ecclesiam Romanam, à quibus damnati sunt. l. 4. c. 5. a 4. n. 7 p. 149.
Acatholicorum Sectæ se mutuò damnant & proscindunt. c. 7. a. 1. p 153.
Nullus modernorum Acatholicorum Cœtus vera Christi Ecclesia est, & quare. c 8. a. ultimo in Concl p 183.
Damnant Ecclesiam Romanam blasphemia quod neget laicis usum calicis, verè blasphemi sunt ex suamet doctrina. l. 21. c. 2. a. 6. n. 27. & 28. p. 862.

Adam.

Adam in gratia creatus, deinde per peccatum mortuus, demum rursum ad vitam gratia revocatus. l. 9. c. 6. a. 5. n. 5. p. 422.

Adorare.

Adorare sæpe in scriptura pro sacrificare ponitur. l. 16. c. 3. a. 1. n. 2. p. 726.
Per adorationem in spiritu & veritate quid Christus excluserit. n. 3. p 727.
Ante Moysen adorantes per sacrificia non erant adstricti ad certum locum. n. 4. ibid.
Everso templo & Altari cessarunt Iudæorum Sacrificia, successitque Sacrificium Christianorum, & quodnam. ibid. & n. 5. & seqq. ibid.

Æthyopum Rex.

AEthyopum Rex pro conversione gentis suæ impetrat Patres ex ordine S. Francisci. l. 4 c. 6. a 3. n. 10. p. 152.

Altare.

Omne Altare in Ecclesia Catholica verè dicitur altare Crucis. l. 16. c. 4. a 2 n 2 p. 737.
Altaria non martyribus sed uni Deo eriguntur n. 19 p 739.
In omni lege altaria non nisi propter Sacrificia erigi solita probatur a. 4. n. 1. & seqq p. 741.
Altaria semper in Ecclesia fuerunt usurpata, ex eoque probatur verum semper fuisse sacrificium propriè dictum. n 4 & seqq ibid.
Calvinistarum rabies in evertendis altaribus, &c. per Arrianos præfigurata, in iisdem à sanctis Patribus deploratur. n 7. & 8 ibid.
Altare etsi lapideum cur sanctum. n. 11 p. 742.
Altari assistunt Angeli n. 13. ibid.
Altarium usus in Ecclesia continuus probatur ex SS. Patribus Latinis a. 5. per totum ibid.
Altarium ornatus à S. Paulino Descriptus. a. 5. n. 11. p. 743.
Sub altaribus sepulti olim Martyres. n 14. ibid.
Erigi in Ecclesia altare ad verum Sacrificium non præjudicat Sacrificio crucis, & quomodo. l. 16. c. 5 a. 5. n. 8. & seqq. p. 752.
Eucharistiam offerri etiam pro peccatis nihil officit Sacrificio crucis, & quomodo. n. 14. & seqq. p 753.
Non solam mensam sed verum altare Christus instituit, eadémque & mensa & altare est sub diversa ratione. n 36. p. 755.
Cur sub altaribus Martyres sepeliantur. c. 6. a. 4 n. 15 p 762.
Plura olim in eadem Ecclesia fuêre altaria. c 7 a. 3 n 14. & 15. p 771. & seqq

Anabaptistæ.

Anabaptistæ habent colluviem errorum. l. 4. c 7. a 3 n. 1. p. 156.
In plures sectas sunt divisi quæ enumerantur ibid.
Eorum doctrinæ seu errores proponuntur ibid.
Multi inter eos externam honestatem & moralem bonitatem præferunt, sed non salvantur, & quare n 2. ibid.
Impudentissimi sunt quidam illorum. n. 6. ibid
Veram Christi Ecclesiam non constituunt. n. 7. p. 157.

Anglia.

In sola Anglia inter Reformatos octoginta schismata recensentur. l. 1. c. 1. a 3 n. 6. p. 3.

Anonymus I.

Anonymus primus dum suam Religionem dicit veriorem falsam convincit. l. 1 c. 1 a. 3. n 7. p. 4.
Frivolo argumento probare nititur eam esse veriorem & antiquiorem. c. 2 a 2 n 1 & seqq p 5.
Dicta illius circa Ecclesiæ errabilitatem l. 3. c. 4. a. 1 n. 5. p 65.
Vult Ecclesiam etiam in fundamentalibus errare posse. l 3 c. 5. a. 3. n. 2. p 76.
Vincentius Lyrinensis non favet sed obest Anonymo ibid. n. 4.
Collegis suis de errabilitate Ecclesiæ contradicit l. 15. c. 4. a. 1 n 2 p 216.
Argumenta illius, quibus probare intendit Ecclesiam universalem errare posse, refelluntur n. 3. & seqq. ibid.
De cultu Sanctorum affingit Ecclesiæ quod ipsa non dicit l. 6. c. 3. a 2. n. 1 p. 235.
Ex Epiphanio, quem pro se allegat refutatur ibid n. 2. & 3. p 236
Inopiam suam in probando ostendit n 4 ibid.
Impudenter allegat Hieronymum contra venerationem reliquiarum. l. 7. c. 3. a. 2. per totum, p. 266.
Quid contra imaginum cultum alleget. l. 7. c. 9. a. 4. n. 1. p. 297.
Refutatur n. 2. ibid.
Quomodo probet Ecclesiam Romanam in fidei articulis à primæva defecisse. l. 9. in præfat. p. 343.
Contra realem præsentiam Christi in Eucharistia, & transsubstantiationem quid alleget. l. 15. c. 5. a. 1. n. 1. p. 669.
Refutatur n. 2. & seqq. ibid.
Quid alleget contra adorationem Christi in Eucharistia. c. 6. a. 5. per totum, p. 684.
Rejicitur. ibid.

Yyyyy Roma-

Digitized by Google

Romanam Ecclesiam in fidei articulo à primava deflexisse, quomodo probet. l. 21. c. 1. a. 1. n. 1. & 2. p. 839.
Rejicitur. ibid.
Ejusdem secundum argumentum, exinde quòd Latina ver sione utatur Ecclesia Romana, eam errasse probare volens rejicitur. a. 2. per totum.
Item tertium argumentum ex loco Matthæi: Tu es Petrus, &c. a. 3. per totum.
Quartum quod erret in doctrina de justificatione rejicitur. a. 4. per tot.
Quintum contra Romani Pontificis supremum judicium rejicitur. 2. 5. per tot.
De Concilio Remensi ab Anonymo allegato quid sentiendum. a. 6. per tot.

ANONYMUS II.

Plenus calumniis. l. 1. c. 3. in præfat. & a. 1. per tot. p. 7.
Asserta illius. a. 3. n. 1. ibid.
Sui immemor Tertullianum reprobat. a. 4. n. 1. p. 8.
Similiter Augustinum quem Calvinus reveretur. ibid.
Forum declinat circa Ecclesiæ errabilitatem. l. 3. c. 4. a. 1. n. 4. multa falsa asserit. ibid. n. 5. & 6. p. 66.
Referuntur ejus effugia circa inerrabilitatem Ecclesiæ, ac simul refutantur. l. 5. c. 4. a. 5. per tot. p. 223.
Falsa affingit Ecclesiæ de cultu Sanctorum l. 6. c. 3. a. 3. n. 1. p. 237.
Suo gladio jugulatur Arianismum spirans. ibid.
Refutatur ejus objectio ex Epiphanio. n. 3 ibid.
Allegata ipsius contra invocationem Beatæ Virginis retunduntur c. 7. a. 1. per tot & a. 2. p. 252.
Anonymo tertio contraria asserit. a. 2. n. 1 in fine, ibid.
Suam in probando inopiam ostendit. ibid. n. 4. & 5 p. 253.
Allegata ipsius contra cultum reliquiarum refutantur. l. 7. c. 3. a. 3 per tot. p. 266.
Proprio ore se ipsoque judicat. n. 3. & seqq. ibid.
Quæ contra imaginum cultum afferat. c. 9. a. 5. n. 1. p. 297.
Refutatur. n. 2. ibid. p. 298.
Respondetur potissimùm ad Concilium Elibert. ibid.
Quid contra orationes pro defunctis adferat. l. 8. c. 3. a. 6. n. 1 p. 316.
Refutatur n. 2. & seqq. ibid.
Ficta historia de D. Gregorio orante pro Trajano rejicitur. n. 4. & seqq. ibid.
Quod contra purgatorium afferat. c. 5. a. 3. per tot. p. 329.
Respondetur ad ejus objectiones. ibid. a. 4. per tot p. 330.
Post hanc vitam quomodo non sit peccatorum remissio. ibid. n. 8. p. 331.
Navarrus ab anonymo citatus ipsi contrarius ostenditur. ibid n. 14. & seqq. p. 332.
Eius allegata contra realem præsentiam Christi in Eucharistia. l. 15. c. 5. n. 2. p. 669.
Examinantur & refutantur. ibid. a. 3. per tot p. 670.
Augustinum allegans sibi contradicit, dum illo vetteriores exposcit. n. 4. p. 671.
Augustinus si quid contrarium omnibus aliis SS. Patribus asfereret, an aliquid probaret. n. 5. ibid.
Nihil dixisse contrarium aliis probatur. n. 6. & seqq. ibid.
Tergiversatur in quæstione de adoratione Christi in Eucharistia. c. 6. a. 7. n. 1. p. 685.
Calumniæ illius refutantur. a. 8. per totum ibid.
Virtualiter negat Christum esse adorandum. n. 2 p. 686.
Acatholici minus adorant Christum quam Catholici, & quare. n. 4. ibid.
Christum in Sacramento adorandum admittens, fraudulenter omittit præsentem, & quare. n. 6. & seqq ibid.
Arianismum redolet. n. 10. & 11. ibid.
Sacramentum adorandum negans sibi contradicit, & rejicitur. n. 14. & seqq. p. 687.
Altum apud Veteres de Eucharistiæ adoratione silentium quomodo prætexat. n. 17. p. 688.
Iactantia ipsius proponitur & retunditur. l. 21. c. 2. a. 1. 2. & 3. p. 851. & seqq. & a. 8. & ult. per tot. p. 863. & seqq.
In Molinæo aliuque patrocinium quærens refutatur. a. 3. per tot. p. 856.
Quas susceperat partes defendendas turpiter deserit. n. 4. & seqq. ibid. & a. 4. n. 6. p. 857.
Primum illius argumentum quo Ecclesiam Romanam à primæva defecisse nititur probare, rejicitur, eò quod Traditiones admittat. a. 4. p. 1 tot. p. 857.
Secundum illius argumentum quo Ecclesiam Romanam à primæva defecisse nititur probare, eò quod communionem sub utraque specie doceat non esse omnibus necessariam rejicitur. a. 6. per tot. p. 860.
Falsò affingit Concilio Tridentino blasphemiam. a. 6. n. 1. & 2. p. 890.
Tertium illius argumentum quo Ecclesiam Romanam à primæva defecisse probare nititur, eò quod sacrificium admittat propitiatorium, refellitur. a. 7. per tot. p. 863.
Verè juvenis & temerarius reprehenditur. a. 8. n. 1. & seqq. ibid.
Remittitur in orthographia ad Augustinum. a ult. n. 2. p. 864.
Quare nomen suum occultârit. a. ult. n. 12. p. 865.
Meliori judicio se submittens, semet confundit. n. 13. ibid.
Redarguitur ob occultatum nomen. n. 14. p. 866.

ANONYMUS TERTIUS.

Asserta illius. l. 1. c. 4. a. 4. n. 1. p. 8.
Prorsus a scopo aberrat, articulos probandos non probat, & non controversos probari petit. a. 2. n. 1. & 2. p. 9.
Forum declinat circa Ecclesiæ errabilitatem. l. 3. c. 4. a. 1. n. 2. plura falsa asserit. ibid. n. 3. p. 66.
Refellitur ipsius argumentum ex scriptura desumptum contra inerrabilitatem Ecclesiæ Romanæ. l. 5. c. 4. a. 2. n. 2. p. 218.
Semetipsum jugulat. n. 7 p. 219.
Refelluntur alia ejusdem argumenta ex SS. Patribus. a. 3. per tot. ibid.
Acatholicos perstringit. n. 3. & 4. & seqq. ibid.
Iactantia & blasphemia ejus ex apocalypsi retunditur. a. 4. per to. p. 220.
Quid alleget contra doctrinam Ecclesiæ de cultu Sanctorum. l. 6. c. 3. a. 4. n. 1. p. 237.
Refutatur ibid. n. 2. & seqq.
Invocationem Sanctorum absolutè idololatricam dicit. c. 7. a. 3. n. 1. p. 254.
Ex SS. Patribus circa antiphonam Salve Regina confunditur. ibid.
Ex ipsius dictis sequitur Christum invocans esse idololatram. n. 2. ibid.
Respondetur ad eius objecta, & calumnia refutantur n. 3. & a. 4. per tot. p. 255.
Quid mendaciter alleget contra cultum reliquiarum. l. 7. c. 3. a. 4. n. 1. & seqq. p. 267.
Acatholici SS. Patres contra se sentientes damnant. n. 2. ibid.
Conta cultum imaginum allegata ipsius refutantur. c. 9. a. 6. per tot. p. 299.
Quid contra suffragia pro defunctis alleget. l. 8. c. 3. a. 7. n. 1. p. 317.

Refu-

Digitized by Google

Refutatur. n 2. & seqq ibid.
Contra purgatorium quid dicat. c. 5. a. 5. n. 1. p. 333.
Refellitur n. 2. & seqq. ibid.
Inepta illius jactantia, & quid in controversa de reali præsentia Christi in Eucharistia adferat l. 15. c 5. a. 4. per tot. p. 672.
Vana illius jactantia enucleatè confunditur. a 5 per tot. ibid.
Authoritates quos adducit contra realem præsentiam a. 6. per totum, p. 673.
Responsio ad easdem, & refutatio copiosa. a. 7. per tot. & a 8. ibid.
Respondetur ad alias authoritates Augustini ab ipso allatas a. 9. 10. & 11. p. 677 & seqq
Allegata ipsius contra adorationem Christi in Eucharistia c. 6 a. 6. n. 1. p. 684.
Refutantur. ibid
Falsò affingit Ecclesiæ quòd panem adoret. ibid.
Iactantia illius confunditur. l. 21. c. 3 a. 1. per tot. p. 866.
Aliquot ejus argumenta quibus Ecclesiam Romanam in articulis fidei defecisse probare vult, afferuntur & refutantur. a. 2. 3 & 4 p. 866. & seqq.

ANTICHRISTUS.

Acatholicorum figmenta de Anti Christo. l. 5. c. 1. a. 4. p. 187.
Volunt non esse unum certum hominem, & quare. a. 4. n. 1. ibid.
Quinam possint dici Anti Christi. n. 2. ibid.
Anti-Christus propriè unus & certus homo, ex scriptura & Patribus probatur n. 2. & 3. ibid. & cap. 4. a. 3. n. 5 p. 220.

APOSTOLICA ECCLESIA.

Nulla unquam secta fuit, quæ sibi non arrogaverit se Apostolicam dici. l. 4. c. 8. a. 4. n. 1. p. 173.
Requisita ad hoc ut Ecclesia dicatur & sit Apostolica. ibid.
Modernorum Acatholicorum Ecclesiæ non sunt Apostolicæ. n. 4. p. 174.
Ostenditur in particulari Acatholicorum Ecclesias non continuari à tempore Apostolorum usque ad Lutherum & Calvinum. a 5. per tot. ibid.
Refugium ad Græcos, aliósque in Oriente, aut ad Albigenses aliosque in Occidente esse nullum, ostenditur. ibid n. 1.
Refugium Calvini Ecclesiam publicè defecisse & in paucis occultis remansisse, fusè refutatur. n. 2. & seqq. ibid.
Hoc ipso quod Ecclesiam suam periisse seu latuisse dicunt apostolicam inficiantur. n. 3. in fine. p. 175.
Frustra confugiunt ad Papæ tyrannidem, quia si qui fuissent Acatholici debuissent se prodidisse, prout Martyres sub Ethnicis & Hæreticis Imperatoribus immanissimis fecerunt. n. 6 ibid.
Pontificum Romanorum potestas non fuit tanta, cùm Græci eorumque Imperatores se opponerent, quin facilè potuissent Acatholici, si qui fuissent se prodere absque periculo. ibid.
Nec possunt Acatholici dicere historicos omnes errasse, aut noluisse veritatem scribere, & quare. n. 7. ibid.
Vel saltem allegandi forent aliqui, qui tempore Lutheri aut Calvini sese aperuissent, dicentes se tamdiu latuisse. ibid. p. 176.
Acatholici resurgentes ad fidem infantum, sunt socii Iudæorum. n. 8 ibid.

AQUA.

Aqua vino miscenda in consecrando calice l. 2. c. 2. a. 7. n. 12. p. 20.

ARIANA HÆRESIS

Ariana Hæresis quando & à quo inchoata. l. 4. c. 4. a. 1. n. 3. p. 126.
Ariani consubstantialitatem Filii negabant. ibid.
Ariana hæresis in plures sectas divisa usque adeo excrevit, ut totum quasi orbem divagata fuerit, tandem prorsus disperiit. n. 4. ibid.
Fraus Arianorum in Concilio Ariminensi contra Homousion, quâ quidam Catholici decepti, non tamen Athanasius, &c. l. 15. c. 4. a. 1. n. 7. p. 665.

ARMENI.

Armeni qui fuerint, & sint. l. 4. c. 6. a. 1. p. 149.
Prius orthodoxi. & quomodo seducti per hæreticos. ibid.
Articuli quos docuerunt. ibid.
Romanum Pontificem Viterbii conveniunt, & quare. n. 3. p. 150
In Concilio Florentino sub Eugenio IV. erroribus abdicatis Romanæ fidei subscripserunt. ibid.

ARTICULI FIDEI.

Circa articulos de fide credendos possunt aliqua disputari scholasticè, & quomodo. l. 6. c. 6. a. 5. n. 1. p. 249.
Circa invocationem & cultum Sanctorum quæ de fide credenda, quæ verò salvâ fide disputentur. n. 2. & seqq. ibid.

ATHEI SEU POLITICI.

Politici qui sint, & unde dicantur. l. 4 c. 1. a. 2. n. 1. & 2. p. 95.
Pejores gentilibus n. 1. ibid.
Cum Politicis non disputandum, sed potius pœna plectendi. n. 3. ibid.
Ex eorum errore omnia mala publica & privata scaturiunt. ibid.
Negant sacram scripturam esse Verbum Dei, unde nec ex eo argui possunt. n. 4. ibid.
Politicorum insania arguitur ex naturali ratione. ibid. a. 3. per tot. p. 96.
Politici arguuntur ex historiis sacræ scripturæ, quæ ad minus fide humanâ credi debent. a. 4. per tot. ibid.
Iudæi in suis generationibus propagati Politicos arguunt. n. 7. p. 97.
Adducuntur diversæ rationes efficaces ad probandum Deum esse contra Politicos. a. 5. per tot ibid.
Politici ne naturaliter quidem honesti p. 98.
Tollunt omnem confidentiam. ibid
Periculo æternæ damnationis se exponunt. ibid.
Politicis ne quidem jurantibus credendum, & cur. n. 5. ibid.
Insana politicorum dementia Deum non tollet. n. 6. ibid.

AUTHORITAS.

Authoritas sancti Patris circa aliquem articulum fidei, antequam in Concilio plenario determinatus aliter sententiis, non favet hæreticis. l. 2. c. 5. a. 3. n. 4. p. 36.

AZYMA.

Christus venerabile Sacramentum confecit, non in pane fermentato, sed azymo. l. 4. c. 5. a 3. n. 5. p. 139.
Rationibus probatur & Græcis satisfit. ibid. n. 6. & seqq. p. 140.
Ecclesia Latina non condemnat Græcos utentes fermentato. ibid
Concordia Græcorum cum Latinis circa licitam & validam confectionem Eucharistiæ in pane azymo seu fermentato. l. 4. c. 8 a. 6 n. 2. p. 145. & a. 7. n. 3. ibid.

Digitized by Google

B.

BABYLON.

Nomine Babylonis quid in scriptura intelligatur. l. 5. c. 4. a. 4. n. 3. p. 221.
Quo sensu Apocal. 17. accipiatur ibid.
Esto accipiatur pro urbe Roma, nihil patrocinii hæreticis præstat. n. 4. ibid.
Meretrix Babylonica qua propriè ibid. n. 13. p. 223.

BAPTISMUS.

Inter Baptismum Ioannis & Christi differentia est, & quanam. l. 12. c. 2. a. 3. n. 2. p. 568.
Non salvat excitando fidem, sed eam in adultis supponit. n. 3. p. 569.
Cur non possit fieri in vino & aliis ab aqua. n. 5. ibid.
Calvini effugium rejicitur. n. 7. & seqq. ibid.
Prius credentes postmodum baptizati sunt in remissionem peccatorum. n. 11. ibid.
Vnusquisque baptizari debet. n. 13. ibid.
Baptismus confert remissionem peccatorum. a. 4. & 5. per totum, p. 570.
Pulchra baptismi elogia. l. 12. c. 2. a. 4. & 5. per tot. p. 570. & seqq.
Cur in aqua celebretur. a. 5. n. 17. p. 572.
Baptismus repeti non potest. n. 19. ibid.
Baptismus peccata non radit, sed verè delet. n. 24. p. 573.
In necessitate non solum Martyrium, sed & cordis conversio baptismum supplet. n. 27. ibid.
Ecclesia quondam ordinavit ut in baptismo trina adhiberetur mersio, & quare. l. 15. c. 7. a. 8. n. 12. p. 700.
Postmodum verò ordinavit ut in una mersione conferretur, & quare. n. 13. ibid.

BAPTISMUS INFANTIUM.

Quæ differentia inter baptizatos, & non baptizatos infantes. l. 12. c. 2. a. 4. n. 3. p. 570.
Parvuli cur baptizandi. n. 6. ibid. & a. 5. n. 1. & ultimo, p. 571.
Parvuli recenter nati, an & cur baptizandi. a. 5. n. 8. p. 572. & l. 13. c. 2. a. 3. per tot. p. 600.
Primi qui baptismum Infantem negabant, quinam. l. 13. c. 3. a. 1. n. 2. p. 606.
Paradoxum Lutheri de fide Infantum. n. 5. & 8. ibid.
Anabaptistæ diversis erroribus inter se pugnantes, in hoc conveniunt, ut baptismum Infantum negent, quos Lutherus impugnat. n. 7. & 8. ibid.
Calvini sentimentum de fide aut cognitione aliqua Dei in infantibus. n. 11. & seqq. p. 607.
Doctrina Ecclesiæ Romanæ proponitur. a. 2. n. 1. & 2. ibid.
Infantes licitè ac validè baptizari posse probatur. n. 3. & seqq. ibid.
Idem probatur ex traditione Apostolica. ibid. n. 2. p. 608.
Et ex SS. Patribus Græcis & Latinis. a. 3. per tot. ibid.
Baptismus parvulorum traditio est Apostolica. a. 3. n. 8. p. 609.
Baptismus quovis tempore conferri potest. n. 10. ibid.
Parvuli baptizantur in remissionem peccati, & quodnam illud. n. 13. ibid. & 19. p. 610.
Parvuli ob quos fines baptizentur. n. 14. p. 609.
Sancti Patres adeò certò supposuerunt infantes licitè baptizari ut exinde probârint eos contrahere peccatum originale. n. 21. p. 610.
Si exemplum Christi urgeret conferendum solis adultis, idem urgeret infantes circumcidendos. a. 5. n. 40. p. 616.
S. Nazianzenus cur optârit baptismum differri usquequo baptizandi per se aliquid possent respondere. a. 46. p. 617.
Ecclesia nihilominus hoc non approbat, & quare. ibid.
Adultorum Baptismus esto in Ecclesia certo tempore conferretur, non tamen sic quin etiam ex causa aliter fieret. n. 47. ibid.
Anabaptistis refragatur, non verò suffragatur praxis primitivæ Ecclesiæ. n. 48. & 49. ibid.

BAPTISMI CEREMONIÆ.

Ceremoniæ Baptismi ab Acatholicis irrisæ probantur usurpatæ ab antiqua Ecclesia. l. 12. c. 4. a. 6. per tot. p. 584.
Impudentia Calvini contra ceremonias hasce. in conclus. n. 2. p. 588.
Speculum veræ & Catholicæ doctrinæ, modernæ Ecclesiæ cum primæva concordantis circa Sacramenta eorúmque ceremonias ex opposito falsitatis adversarios arguens. a. 6. per antitheses, ibid.

BAPTISMI MATERIA & FORMA.

Quoad materiam & formam, qui fuerint olim errores. l. 13. c. 1. a. 1. per tot. p. 590.
Doctrina Ecclesiæ Catholicæ quænam. a. 2. n. 1. & 2. ibid.
Aqua sola non est Sacramentum baptismi. n. 2. p. 591.
Quâ necessitate aqua debeat esse benedicta. a. 3. ibid.
Forma quo idiomate, & quænam in ea exprimenda. n. 4. ibid.
Error privatus formæ non obstat, dum adest recta intentio. n. 5. ibid.
Forma proferenda est ab ipso baptizante. n. 7. ibid.
Baptismus non est iterabilis. n. 8. ibid.
Quænam ipsius definitio. n. 9. ibid.
Sola aqua naturalis materia baptismi probatur. a. 3. per tot. ibid.
Quæ ratio sit quòd in aqua naturali sit institutus. n. 2. ibid.
Errores rejiciuntur. n. 3. & 4. p. 592.
Forma duplex in baptismo esse potest, & valida & licita. a. 4. n. 1. ibid.
Quænam sit valida & licita simul. ibid.
Verba formæ quænam essentialiter exprimenda, quæ non. n. 2. & seqq. ibid.
Quid de baptismo in cujus forma exprimitur Christi nomen. n. 4. & seqq. ibid.
Vtrum ex dispositione Christi hoc fuerit concessum, & quid si nunc sic conferretur, exprimendo solum Christi nomen. n. 6. ibid.
Recentiores putant non fuisse collatum baptismum exprimendo solum nomen Christi, sed simul cum aliis nominibus, & quare. n. 12. p. 593.
Acatholici eandem formam baptismi servant cum Catholicis, sed non eodem fundamento, cùm illi ex suis principiis nullum habeant. n. 13. ibid.
Fundamentum Catholicorum hoc asserendi quodnam. n. 14. ibid.
Suaviter disponente Deo Acatholici formam baptismi retinent, quamvis Calvinus eam ut magicam derideat. n. 15. ibid.
Circa Acatholicos ad fidem reversos in causa baptismi quid observandum. n. 16. ibid.

BAPTISMI MINISTER.

Baptismi minister triplex est. l. 13. c. 1. a. 5. n. 1. p. 594.
Ordinarius baptismi minister quisnam. ibid. n. 2. & seqq. & a. 6. n. 4. p. 596.
Laicis nunquam licet solemniter baptizare, nec privatim præsentibus sacerdote aut Diacono, vel iis absentibus extra necessitatem. a. 5. n. 4. p. 594.
In necessitate Laicos baptizare posse probatur. n. 5. ibid.
Calvinus hoc eludere volens rejicitur. a. 5. ibid.
Alios ab Episcopis & sacerdotibus posse in necessitate baptizare

Digitized by Google

zare quo fundamento probetur. n. 7. & 8. ibid.
Etiam fœminæ absentibus viris in necessitate baptizare possunt, & unde hoc probetur. n. 9. & seqq. ibid.
Imò etiam paganus & non baptizatus potest, & unde hoc constet. n. 12. p. 595.
Augustini de hoc sententia, & cur in Concilio Niceno definitum non fuerit. n. 13. ibid.
Quid nunc post definitionem Florentini sentiendum. ibid.
Obiectio Calvini contra Baptismum à laico aut fœmina conferendum reijcitur. a. 6. n. 1. & seqq. ibid.
Baptismi & Euangelii præcones constituti sunt Apostoli & discipuli etiam ante passionem. ibid. n. 10. p. 596.
Post passionem Apostolis commissa prædicatio quidnam importet. n. 12. p. 597.
Prædicatio & baptizatio ordinaria Apostolorum munera, ex necessitate aliis, imò & fœminis committi potuerunt. ibid.
Calvinus Baptismum per mulieres in necessitate collatum impugnans, semetipsum eodem argumento in alio iugulat. n. 15. ibid.

BAPTISMI NECESSITAS.

Pelagiani circa Baptismi necessitatem quid senserint. l. 13. c. 2. a. 1. n. 2. p. 597.
Errores Pelagianorum partim damnant Acatholici, partim sequuntur, imò excedunt. ibidem n. 3. p. 598.
Errores Acatholicorum in particulari referuntur. n. 4. & seqq. ibid.
Ecclesiæ Catholicæ doctrina de necessitate Baptismi ad salutem. a. 2. n. 1. p. 599.
Duplex necessitas assignatur, præcepti & medii, & quidnam per utramque intelligatur. n. 4. ibid.
Baptismus tam parvulis quam adultis medium necessarium ad salutem esse probatur ex Scriptura. num. 5. & seqq. ibid.
Ficta Pelagianorum distinctio de vita æterna & Regno Dei, reijcitur ex S. Augustino. n. 6. ibid.
Similiter Acatholici asserentes parvulos fidelium esse absq; peccato reijciuntur. n. 7. p. 600.
Baptismum necessarium necessitate medii probatur ex SS. Patribus. a. 3. per tot.
Quo tempore Baptismus inceperit esse necessarius necessitate medii. n. 15. p. 601.
Obiectiones Calvini contra necessitatem Baptismi refutantur. a. 4. per tot. p. 601.
Baptismus non semper in re necessarius, sed quandoque in voto sufficit, & quando. a. 4. n. 15. & seqq. p. 604.
Ex necessitate Baptismi conditio Christianorum non infertur esse deterior quàm fuerit veteris populi. num. 22. pag 605.
Baptismus cur necessarius necessitate medii, non verò sic Eucharistia. l. 13. c. 3. a. 5. n. 30. p. 615.
Cur Christus non obligaverit parvulos ad Eucharistiam per illa verba: Nisi manducaveritis, &c. n. 31. ibid.
Parvuli quomodo obligati ad Sacramentum Eucharistiæ manducandum. n. 32. & seqq. ibid.
Quid de praxi quorundam SS. Patrum qui infantibus post Baptismum Eucharistiam ministrabant. n. 36. & seqq. p. 616.
Ad Eucharistiam quare præparatio necessaria, non sic ad Baptismum. n. 42. p. 617.

BAPTISMUS JOANNIS.

Baptismum Ioannis & Christi eundem esse moderni Acatholici adstruunt. l. 13. c. 4. a. 1. n. 1. p. 618.
Eadem quæstio à Petiliano quondam & qua de causa mota. n. 2. ibid.
Lutherus primò Baptismum Ioannis in tribus à Baptismo Christi differre admittebat. n. 3. ibid.
Sed rursus postmodum mentem mutans indistinctum asseruit, & quare. n. 4. & seqq. ibid.
Calvinus ex quo principio Baptismum Ioannis eundem cum Christi Baptismo asserebat. n. 7. ibid.
Moderni Acatholici in quo discrepent à Petiliano, & in quo conveniant. n. 8. p. 619.
Errorem Petiliani de rebaptizandis ad suam sectam transeuntibus tuentur Anabaptistæ. ibid.
Doctrina Ecclesiæ Romanæ proponitur. a. 2. n. 1. ibid.
Pro hac doctrina quæ ex aliis supponenda. num. 2. & 3. ibid.
Baptismus Ioannis an contulerit quandoque gratiam ex opere operantis non controvertitur. a. 2. n. 5. ibid.
Quæstio potissimùm est de gratia ex opere operato. ibidem n. 6. p. 619.
An aliquid contulerit ad remissionem peccatorum ex prævisis Christi meritis, nihil Ecclesia definit. num. 6. ibidem.
Baptismum suum ipsemet Ioannes à Christi Baptismo diversum agnovit. a. 3. n. 1. p. 620.
Idem probant alia Scripturæ loca. n. 2. & seqq. ibid.
Baptismum Ioannis nec eundem, nec eiusdem efficaciæ cum Baptismo Christi demonstratur ex SS. Patribus Græcis & Latinis. a. 4. per tot. p. 622.
Baptismus Ioannis humanus non cœlestis, & quare. n. 1. p. 621. ibid. & 16. p. 624.
Christus quomodo baptizaturus in igne. n. 6. p. 622.
A Ioanne cur Christus baptizari voluerit. n. 1[illegible] p. 623. & seqq.
Ex doctrina Augustini tam Anabaptistæ quàm moderni Acatholici confunduntur. n. 20. p. 624.
Veterem Ecclesiæ doctrinam de Baptismi Ioannis & Christi diversitate agnoscit Calvinus, & quid opponat. art. 5. n. 1. p. 625.
Reijcitur eius oppositio. n. 2. & seqq. ibid. & a. 5 per tot. ibid.
Ioannes non promisit remissionem peccatorum dandam in suo Baptismo. a. 5. n. 3. & 4. ibid.
Non fuit idem Ioannis & Apostolorum ministerium, & quare. n. 9. p. 626.
Ioannis Baptismus immediatè nec conferebat gratiam, nec remittebat peccata, probatur. n. 10. & seqq. ibid.
Ioannes non baptizavit exprimendo nomen Christi. n. 13. pag. 627.
Baptismus Ioannis non fuit dignior Baptismo Christi, quamvis hic illum susceperit. n. 21. ibid.
Christus, sive Baptismum suum instituerit eo tempore quo à Ioanne baptizatus fuit, sive non, nihil iuvat Acatholicos. n. 24. p. 628.
Plus in hoc de diversitate Baptismorum credendum Ecclesiæ quàm Calvino. per conclus. totam ibid.
Speculum veræ & Catholicæ doctrinæ modernæ Ecclesiæ cum primæva concordantis circa Sacramentum Baptismi, ex opposito falsitatem Acatholicorum exhibens. l. 13. c. 4. a. 5. per Antitheses, pag. 628.

BEATITUDO.

Non consistit in carnali voluptate, ut delirabat Mahomet, sed in actibus potentiarum animæ intellectualis circa summum bonum seu Deum ipsum. l. 4. c. 3. a. 4. n. 8. p. 125.
Quam ineffabilis futura beatitudo. n. 9. ibid.
Non solùm anima, sed & corpus ineffabiliter decorabitur. ibid.

BIBLIA.

Quòd totum verbum Dei scriptum contineatur iis libris quos Biblia vocamus, est traditio. l. 2. c. 2. a. 3. n. 3. p. 14.

BONA OPERA.

Bona opera non possunt illi prodesse qui est extra Ecclesiam l. 3. c. 2. a. a. n. 3. pag. 51. vide Opera bona.

Digitized by Google

C.

Chalcedonense Concilium.

QVando celebratum, & qui interfuerint. l. 4. c. 4. a. 4. n. 1. p. 129.
Dioscorus impius damnatur. ibid. p. 130.
Item Eutyches & Nestorius. ibid.
Concilium confirmatur à Leone Pontifice. n. 3. ibid.

Calvinus.

Calvinus semetipsum suósque egregiè depingit. l. 3. c. 2. a. 4. n. 2. p. 53.
Eius reproba mors. l. 4. c. 8. a. 6. n. 2. & seqq. p. 176.

Calvinistæ.

Calvinistæ Lutheranos cupiunt fratres à quibus damnantur. l. 4. c. 7. a. 1. n. 5. p. 154.
Monstruosam efficiunt fraternitatem. ibid.
Calvinistæ se reformatos aut Ecclesiæ reformatores dictitant, sed tria ruinosa ponentes fundamenta potiùs eam subvertunt. a. 4. n. 1. p. 157.
Quænam illa sint fundamenta. n. 2. ibid.
Reselluntur huiusmodi ruinosa fundamenta. n. 3. & seqq. ibid.
Vnitatem in fide destruunt. n. 6. p. 158.
Calvinistæ libertatem conscientiæ evertunt. n. 8. ibid. in fine & n. 10. p. 159.
Speciosa sed falsa excusatio Calvinistarum quoad libertatem eversam. n. 9. ibid.
Secta & divisiones Calvinistarum inter se. n. 10. ibid.
Calvinistæ inter se & cum aliis quomodo uniti. n. 11. ibid.

Caput Ecclesiae.

Christus absolutè & simpliciter est Caput Ecclesiæ & Princeps. l. 5. c. 3. a. 2. n. 1. p. 201.
Hoc nonobstante quòd Christus sit caput Ecclesiæ independens, possunt nihilominus in Ecclesia esse veri Pastores, Doctores & Episcopi, & sic suo modo capita. n. 2. ibid.
Secundarium Ecclesiæ caput esse posse, agnovit Paulus. ibid.

Catholica Ecclesia.

Ly Catholica duo præcipuè importat. l. 4. c. 8. a. 3. n. 1. p. 172.
Nullus modernorum Acatholicorum cœtus habet nomen Ecclesiæ Catholicæ. n. 2. ibid. & n. 9. p. 173.
Res per nomen significata etiam non convenit iisdem. n. 3. p. 172.
Arguuntur Acatholici à D. Augustino in Donatistis. ibid.
Pars Donati maior erat quàm sit modò pars Lutheri aut Calvini. n. 4. ibid.
Frivola excusatio ex D. Augustino in Donatistis redarguitur. ibid. & n. 5. p. 173.
Acatholici velut tineæ hærentes in panno in quo nati, nullos miserunt Apostolos ad Turcas aut alios infideles. n. 6. ibid.
Calvinismus ad Barbarismum via. n. 7. ibid.
Deficit Lutheranismus & pullulant Fanatismi. n. 8. ibid.

Christus.

Quæ in Scriptura de Christo patiente referuntur non favent blasphemiæ Calvini. l. 2. c. 4. a. 2. n. 6. p. 30.
Christus Iesus fuit verus Messias promissus. l. 4. c. 2. a. 3. n. 1. pag. 99.
Messiam promissum iam ab annis 1662. venisse probatur ex S. Scripturæ impletione ibid. a. 3. per tot. p. 100.
Christus simpliciter unicum & absolutum Ecclesiæ caput, & quare. l. 21. c. 1. a. 3. n. 3. p. 841.
Hæreticum est asserere Filium Dei secundùm divinitatem esse à Deo creatum. l. 21. c. 3. a. 2. n. 17. p. 868.
Imò nequidem secundùm humanitatem creatus dici potest propriè. n. 18. ibid.
Verè nihilominus à B. Virgine genitus, non tamen creatus. ibid.
Huiusmodi errores falsò ab Anonymo 3. Ecclesiæ Romanæ affinguntur. n. 19. & 26. ibid.
Quomodo à sanctis Patribus dicatur in manibus Sacerdotis quodammodo creari. n. 32. p. 870.
Et incarnari dum consecratur Eucharistia. a. 3. num. 2. ibid.
In diversis locis existens, non per hoc alius & alius Christus est. ibid.
Hæretici verè solvunt Iesum & quare. n. 3. ibid.

Christus, vide ulteriùs Messias.

Coelibatus.

Ecclesia nulli immediatè & absolutè præcipit continentiam perpetuam. l. 11. c. 8. a. 1. n. 1. p. 543.
Sed solùm sub conditione sacrorum ordinum. ibid.
Continentia Clericorum non est iuris divini sed ecclesiastici. n. 2. ibid.
Continentia sacerdotum probatur. n. 4. & seqq. p. 544.
A tempore Apostolorum fuit in usu. n. 7. & 8. ibid.
Ab initio Ecclesiæ præceptum fuisse clericis ut in sacris constituti ab uxoribus abstinerent, probatur ex Conc. Græcis & Latinis. a. 2. per tot. ibid.
Protestatio Paphnutii ab Acatholicis allegata reijcitur. n. 4. & seqq. ibid.
Continentia clericorum præcepta probatur ex Patribus Græcis. a. 3. per tot. p. 545.
Item ex Patribus Latinis. a. 4. per totum, p. 546.
In Græcia ex ecclesiastica dispositione etiam unius uxoris viri non admittebantur ad sacros ordines, nisi illius contubernio abdicato. a. 3. num. 9. & 17. pag. 545. & seqq.
Cur postmodum aliud fuerit permissum Græcis. n. 10. & 17. & seqq. ibid.
Moyses postquam prophetavit, non amplius coniunctus est uxori. n. 11. ibid.
Apostoli etsi uxores habuerint ante Euangelium, post illud eas tamen dimiserunt. a. 4. n. 5. p. 546.
Præter S. Petrum an alii Apostoli habuerint uxores. ibid. n. 6. p. 547.
Inviti ad Episcopatum tracti continere debebant. n. 10. & seqq. ibid.
Post votum simplex nubentes peccant, etsi Matrimonium valeat. c. 9. a. 1. num. 1. ibid.
Clerici in sacris, & Religiosi non solùm peccant, sed Matrimonium etiam invalidum est; & quare. ibid & n. 2. pag. 548.
Matrimonium huiusmodi invalidum probatur ex Scriptura. n. 3. & seqq. ibid.
Item ex Conciliis & SS. Patribus. art. 2. per tot. ibid.
Argumenta Acatholicorum in contrarium refutantur. a. 3. per tot. pag. 557.
Calvinus eiusque asseclæ Acatholici quos sequantur, imò quos superent in damnandis votis Monachorum. in conclus. n. 3. l. 11. c. 9. a. 3. p. 554.
Alios condemnando suo pede metitur. conclus. num. 4. ibid.
Matrimonium non ideo malum quia eo quidam abutuntur, sic nec continentia perpetua. ibid. num. 5. p. 555.
Acatholici omnem antiquitatem damnant impugnando continentiam. n. 7. ibid.

Communio.

Acatholici non possunt dici sursum habere corda cum veteri Ecclesia in sua cœna manducatione & quare. l. 21. c. 3. a. 4. n. 14. p. 872.
Ecclesia Catholica quomodo elevet cor ad Deum. ibidem n. 15. & 16. p. 873.

Communio quotidiana.

Communio quotidiana laicis an liceat. l. 16. c. 7. a. 2. n. 3. pag. 769.

Digitized by Google

Communio frequens cum bona dispositione laudatur, non verò rara sine dispositione. art. 4. num. 4. pag. 772.
Quotidiana commendatur à S. Ambrosio. n. 6. ibid. & *Chrysostomo.* a. 6. n. 12. p. 775. & seqq.
Nec frequentia nec raritas communionem inhonorat, sed contemptus. n. 7. p. 772.
Fideles olim quo tempore tenebantur communicare. n. 9. p. 773.
Sacerdos sacrificans communicare debet. n. 10. ibid. & a. 6. n. 7. p. 775. & seqq.
Nullo praecepto adstringuntur fideles ad quotidie communicandum. n. 11. p. 773.
Olim cur, & quibus in sacris Canonibus praeceptum ut communicent astantes Missae alias excommunicandi. a. 6. n. 776.
Praeceptum hoc an omnes absolutè adstantes afficiat. ibid.
Si afficeret, an etiam modò fideles obligaret. n. 21. ibid.

COMMUNIO SUB UNA SPECIE.

Sub una specie communicantes à Leone non sunt iudicati committere sacrilegium. l. 15. c. 7. a. 6. n. 13. pag. 697.
Rex Angliae Saba, & Ludovicus Imperator sub una specie communicâsse referuntur. n. 14. & 15. ibid.
Licitam esse communionem sub una specie probatur. a. 7. n. 1. & seqq. ibid.
Convenientiùs est populum sub una quàm sub utraque specie communicare, & quare. n. 5. & seqq. p. 698.
Ante 900. annos non solùm feriâ 6. parasceves sacerdos, sed etiam aliis temporibus fideles sub utraque specie communicabant in Ecclesia Latina. n. 12. ibid.
Nec à Graecis contrarium in Ecclesia facientibus reprehensi. n. 13. ibid.
Circa usum Eucharistiae sub una specie non obstante libertate à Christo relictâ disponere potest Ecclesia & unde hoc probetur. a. 8. n. 1. & seqq. ibid.
Ex hac potestate in Concilio Basileensi ordinatum est, ut deinceps non conficientes sub una tantùm specie communicent. n. 7. p. 699.
Causae ob quas huiusmodi praeceptum introductum fuit. n. 10. & seqq. ibid.
Simile quid olim ordinatum circa trinam aut unam mersionem in Baptismo. n. 12. & 13. p. 700.

COMMUNIO SUB UTRAQUE SPECIE

Communionem sub utraque specie quis quando primùm urserit. l. 15. c. 7. a. 1. n. 1. p. 690.
Lutherus in ea varius & inconstans. n. 2. & 3. ibid.
Calvinus edictum aeterni Dei proclamat ut omnes bibant. n. 4. ibid.
Sed disciplina reformatorum Galliae contradicit. num. 5. ibid.
Melanchton & Molinaeus loco vini alium liquorem sufficere putant. n. 6. & 7. ibid.
Ecclesiae Romanae doctrina de necessitate utriusque speciei. a. 2. n. 1. p. 691.
In ea aut permittenda aut deneganda quavis Ecclesiae potestas. n. 2. ibid.
Totus & integer Christus integrúmque Sacramentum sub una percipitur specie. n. 3. ibid.
Christus solùm voluit conficientes Eucharistiam utramque speciem conficere & sumere. n. 4. ibid.
Christus non prohibuit laicis usum calicis sed reliquit dispositioni Ecclesiae. n. 5. ibid.
Ecclesia non habet potestatem mutandi substantialia seu essentialia Sacramentorum. n. 6. ibid.
Sed Christus dedit Ecclesiae potestatem pro diversitate circumstantiarum salvis substantialibus circa usum eorum aliquid disponendi. n. 7. ibid.
Cur prohibuerit Ecclesia usum calicis in communione laicorum. n. 8. ibid.
Acatholici calumniantur Ecclesiam quòd mutet accidentalia cùm ipsi mutent contra Scripturam, &c. substantialia. n. 9. & 10. ibid.
Fideles non conficientes Eucharistiam non teneri ad utramque speciem sumendam probatur ex principio generali. a. 3. n. 1. p. 692.
Item specialiter ex Scriptura. n. 2. ibid.
Similiter exemplo Christi in Emaus iuxta sanctos Patres. n. 3. & seqq ibid.
Effugia Acatholicorum contra hoc Christi exemplum excluduntur. n. 10. & seqq. ibid.
Eadem veritas probatur ab exemplis Apostolorum, responsionésque Acatholicorum reiiciuntur. a. 4. per tot. p. 693.
Apostoli cur communiter dicantur communionem in fractione panis egisse. n. 5 ibid.
An praeceptum sit sub utraque specie consecrare controvertunt Doctores. n. 6. ibid.
In primitiva Ecclesia fideles communionem domum ferentes non nisi sub specie panis accipiebant. art. 5. num. 1. & seqq.
Diligentissimè cavebant ne particula aliqua deciderent. n. 3. & 9. p. 694. & seqq.
Sub specie panis ad infirmos deferebant. n. 4. ibid.
Miraculis haec consuetudo confirmata probat licitum usum unius speciei. n. 5. & seqq. ibid.
Non modo antiqui, sed & moderni Graeci Eucharistiam sub una specie etiam multo tempore asservant, & aegrotis peregrinantibúsque dant. n. 10. & seqq. p. 695.
Effugia Acatholicorum contra hunc usum occluduntur. n. 13. & 14. ibid.
Sub una tantùm specie volentibus etiam publicè in Ecclesia tam Graeca quàm Latina datam Eucharistiam probatur. a. 6. per tot. ibid.
Manichaei cum catholicis sub una specie communicabant Romae, & sic latebant. n. 3. & seqq. p. 696.
Ad Manichaeos detegendos sub utraque magis frequentata fuit. n. 4. ibid.
Decretum à Gratiano relatum cur non possint Acatholici allegare. n. 8. ibid.
Quid de illo sentiendum, & quomodo intelligendum. n. 10. ibid.
Manichaeorum factum Catholicam veritatem confirmat, & quomodo. n. 12. p. 697.
Argumenta Acatholicorum quibus probare nituntur communionem sub utraque specie praeceptam esse omnibus, solvuntur. a. 9. & seqq. per tot. p. 700.
Esto Christus instituerit & etiam fideles possint participare sub utraque specie Eucharistiam, inde tamen non infertur necessitas praecepti, & quare. n. 3. ibid. & seqq.
Calvinistae & Lutherani verum Sacramentum non habent. n. 5. in fine, p. 701.
Catholici non contraveniunt praecepto, si quod sit Ioann. 6. de bibendo sanguine, cùm revera illum bibant, licet sub una specie. n. 8. & 9. ibid.
Lutherus unde probet necessitatem communionis sub utraque specie. a. 10. n. 1. ibid.
Contradicunt his Calvinistae, referentes ea verba ad solos Ecclesiae ministros. n. 2. ibid.
Verba, hoc facite in meam, &c. *diriguntur ad Apostolos eorúmque successores.* n. 3. ibid.
Nec tamen hinc praecipitur, ut omnibus dent calicem, & quare. n. 4. ibid.
Calvinus unde probet necessitatem utriusque speciei. a. 11. n. 1. p. 702.
Ly omnes *non concernit omnes nemo excluso sed solos Apostolos, & quare.* n. 3. ibid.

Ex

Digitized by Google

Ex verbis manducate & bibite non colligitur præceptum pro tota Ecclesia, & undenam illud colligatur. n. 4. & seqq. ibid.
Vtrum de Fide certum sit extare præceptum Eucharistiæ sumendæ. n. 6. ibid.
Sanguis Christi pro omnibus effusus non tamen per hoc omnibus dandus calix. n. 8. p. 703.
Ecclesia Romana doctrina conformior præcepto Christi quàm Acatholicorum, nec ullam Laicis facit iniuriam calicem non porrigendo. in conclus. ibid.

COMMUNIO SUB UTRAQUE SPECIE.

Communionem sub utraque specie non esse laicis præceptam, probatur ex Scriptura generaliter. l. 21. c. 2. a. 6. n. 4. p. 860.
Acatholicorum allegatis respondetur. n. 5. & 6. ibid.
Hussitæ quid allegârint. n. 7. ibid.
Hussitarum argumento Acatholici moderni uti nequeunt. n. 8. ibid.
Hussitarum argumentum refellitur. n. 9. ibid.
Calvini argumentum refutatur. n. 10. & seqq. p. 861.
Nullum de Communione sub utraque extare præceptum probatur ex Scriptura specialiter. n. 13. ibid.
Confirmat idem exemplum Christi iuxta SS. Patres. n. 14. & seqq. ibid.
Exempla Apostolorum & fidelium in Actis Apostolorum idem probant. n. 17. & 18. ibid.
Idem probat certissima praxis primitivæ Ecclesiæ quâ Eucharistiam domum ferebant. n. 19. & seqq. ibid.
Imò intra Ecclesiam sub sola specie panis absque calice sumebant tam in Græca quàm Latina Ecclesia. n. 23. & seqq. p. 862.
Fidelibus sumere Eucharistiam sub utraque specie, cur quandoque præceptum ab Ecclesia. n. 25. ibid.
Speculum veræ & Catholicæ doctrinæ modernæ Ecclesiæ cum primæva concordantis circa Communionem sub utraque specie, ex opposito falsitatis arguens Acatholicos. a. 11. per Antitheses, ibid.

CÆREMONIÆ.

Cæremonias Baptismi & Eucharistiæ à Christo & Apostolis traditas Ecclesia usurpat. l. 2. c. 2. a. 7. n. 9. & n. 10. p. 19. & n. 14. p. 20. vide fusius post singula Sacramenta.

CONCILIUM.

Quidnam sit & dicatur Concilium generale. l. 3. c. 5. a. 1. n. 1. p. 73.
Tota Ecclesia in Episcopis congregatur. ibid. n. 2. p. 73. & a. 2. n. 3. p. 75.
Concilium generale, id est Episcopos in eo legitimè congregatos errorem docere non posse probatur ex S. Scriptura. a. 1. n. 2. p. 74. & seqq.
Episcopi pauci quare possint errare, non verò omnes simul congregati. ibid.
Concilium generale errare non posse probatur ex SS. Patribus. a. 2. per totum. p. 75.
Sancti Patres potiùs mortem subire voluerunt quàm à decretis Conciliorum recedere. n. 5. ibid.
Respondetur ad argumenta Anonymi primi, nam alii duo forum declinant. a. 3. p. 76.
Respondetur ad argumenta Acatholicorum de errabilitate Conciliorum. a. 4. per tot. p. 77.
Concilium falsum Prophetarum non obest legitimo. ibid. n. 6. p. 78.
Nec errabilitas Synagogæ obest Ecclesiæ Christianæ eiúsque Conciliis. n. 5. p. 77.
Concilia Iudæorum quousque manserint legitima. ibidem n. 8. p. 78.
Ecclesia Catholica docet homines quidem errare posse, sed à Spiritu Sancto in legitimo Concilio dirigi. ibidem n. 11. p. 79.
Quid de Concilio Basileensi, in quo parentes Acatholicorum damnati sunt. ibid. n. 14. p. 79.
Concilium Ephesinum II. retorquetur in Calvinum. n. 15. ibid.
Vtrum Papa sit supra Concilium adhuc salvâ charitate inter Doctores catholicos controvertitur. n. 16. p. 80.
Probabilius tamen esse quòd sic. ibid.
Plus standum Concilio Florentino, quàm Constantiensi, & quare. n. 17. ibid.
Acta Concilii Constantiensis quousque & à quo approbata. ibid.
Concilia non adæquantur Scripturæ, ùt falsò imponit Calvinus Ecclesiæ Catholicæ, sed inferiora agnoscuntur, & quare. a. 5. n. 1. p. 80.
Quomodo intelligendi Doctores catholici, dum aliquando quidam dicunt Scripturam dependere ab Ecclesia vel Concilio. ibid. n. 2. p. 8 .
Acatholici in praxi fatentur veram Ecclesiæ catholicæ doctrinam quoad authoritatem Conciliorum. a. 6. ibid.
Et quidem potestatem sæcularem in Concilio admittunt. n. 2. & 3. ibid.
Acatholici verè tyrannicè practicant quod falsò Ecclesiæ catholicæ imponunt, privato etiam de Nationali Concilio iubent acquiescere, quod fallibile adstruunt, contra conscientiam. n. 5. & seqq. in conclus. p. 82.

CONCUPISCENTIA.

Cur ab Augustino iuxta Apostolum specialiter dicatur peccatum. l. 9. c. 4. a. 11. n. 13. p. 389.
Quomodo sit, & non sit peccatum. l. 10. c. 2. a. 3. n. 8. & 9. p. 442.

CONFESSIO.

De confessione quid teneat Ecclesia. l. 17. c. 2. a. 2. n. 4. & seqq. p. 805.
Omnium mortalium peccatorum in specie confessionem faciendam iure divino probatur ex Scriptura. a. 3. per tot. p. 806.
Non est libera, sed medium ad salutem necessarium. a. 3. n. 7. & seqq. p. 807.
Non soli Deo sed homini loco Dei facienda probatur. n. 17 p. 808.
Exomologesim seu confessionem coram sacerdote faciendam iure divino præceptam, & in primitiva Ecclesia usurpatam tradiderunt SS. Patres Græci. a. 4. per tot. p. 808.
Etiam occultorum confessio est facienda. n. 7. & 8. & 21. ibid. & a. 5. passim. p. 809. & seqq.
Non tamen omnibus, sed peritis sacerdotibus velut iudicibus n. 14. p. 809.
Confessio à S. Chrysostomo quæ abrogata. n. 22. p. 810.
Confessionem ut necessariam moderni agnoscunt Græci. n. 23. ibid.
Sacerdoti confessionem faciendam probant SS. Patres Latini. a. 5. per tot. p. 811.
Confessionem verecundia non debet retardare, & quare. n. 1. & 2. ibid.

CONFIRMATIO.

Lutherus & Calvinus Sacramentum Confirmationis reijciunt. l. 14. cap. unic. a. 1. n. 1. p. 630.
Quos ex antiquis hæreticis in hoc sequantur. n. 2. ibid.
Doctrina Ecclesiæ catholicæ proponitur. n. 3. & 4. ibid.
Pro doctrina Ecclesiæ probanda quænam observanda. n. 5. & seqq. ibid.
In hoc Sacramento sicut & in aliis duo sunt attendenda, quædã scil. essentialia, quædã non essentialia. n. 8 p. 631.
Hoc Sacramentum est institutũ in signo sensibili n. 10. ibid.
Quænam sit materia proxima Illius. ibid.
Ad veram Sacramenti rationem requisita, & quænam illa sint in hoc Sacramento. a. 2. n. 1. ibid.
Confirmationẽ ut verum Sacramentũ à Christo institutum à tempore Apost. credidit & usurpavit Ecclesia. n. 2. ibid.

Spe-

Digitized by Google

Specialis gratia post Baptismum fidelibus signo sensibili seu confirmatione conferenda probatur ex Scriptura, n. 3. ib.
Hæc promissio non ad solos pertinuit Apostolos, sed ad omnes etiam fideles. n. 4. ibid.
Gratia hæc promissa non fuit donum prophetiæ, &c. n. 5. ib.
Collata fuit hæc gratia in signo sensibili. n. 6. ibid.
Sensibile hoc signum à Christo institutum probatur. n. 8. p. 632.
Hoc signum non fuit temporanea actio Apostolis concessa, sed stabilis cæremonia in Ecclesia usurpanda. n. 19. ibid. & seqq.
Sacramentum Confirmationis probatur ex sanctis Patribus & Conciliis Græcis. a. 3. per tot. p. 633.
Eadem veritas probatur ex Conciliis & sanctis Patribus Latinis. a. 4. per totum, p. 634.
Minister Confirmationis Episcopus. a. 3. & 4. sparsim p. 633. & seqq.
Materia remota confirmationis est chrisma & quidnam illud sit. utroque art. sparsim ibid. & seqq.
Nomen confirmationis esto fuisset ignotum nihil obstaret, cùm de re constet. in concl. p. 637.
Speculum veræ & Catholicæ doctrinæ modernæ Ecclesiæ cum primæva concordantis circa Sacramentum Confirmationis, ex opposito falsitatem Acatholicorum exhibens. l. 14. a. 4. per Antitheses, p. 636.

CONSILIA EUANGELICA.

Per euangelica Consilia quid intelligatur. l. 11. c. 2. a. 1. n. 1. p. 508.
Hæretici veteres ac moderni Acatholici quid de his sentiant. n. 2. & seqq. ibid.
Ecclesiæ Catholicæ doctrina. n. 9. ibid.
Statum consiliorum bene dici statum perfectionis, probatur. a. 2. per tot. p. 509.
Quotupliciter status aliquis possit dici perfectionis. n. 3. ib.
In quo consistat vera hominis perfectio. n. 5. ibid.
Status religiosus non propter euangelica tantùm consilia, sed multò magis propter observantiam charitatis est status perfectionis. n. 11. p. 510.
Euangelicorum consiliorum perfectio ex charitate. n. 13. ibid.
Status Religiosorum utrum communi fidelium perfectior, & quomodo hæc perfectio comparanda. n. 14. & seqq. ibid.
Euangelica consilia ad perfectionem charitatis conducere probatur. a. 3. per tot. ibid.
Argumenta Acatholicorum contra euangelica consilia refelluntur. a. 4. per tot. p. 511.

CONSILIUM.

Quæ differentia inter consilium & præceptum. l. 11. c. 4. a. 3. n. 9. & seqq. p. 524.

CONTINENTIA.

Hæretici olim oppositi, quidam præceptam, alii prohibitam asserebant continentiam. l. 11. c. 3. a. 1. n. 1. & seqq. p. 514.
Impudentia Lutheri in damnanda continentia. n. 9. & seqq. ibid.
Continentia perpetua, licèt non præcepta, Deo nihilominus grata & à Christo commendata probatur. a. 2. per tot. p. 515.
Continentia Matrimonio præferenda. n. 7. ibid.
Falsitas Calvini docentis omnia à Christo esse præcepta. ibid. a. 2. n. 24. p. 517.
Continentia perpetua excellens Dei donum est, & omnibus instanter petentibus à Deo obtentu possibile. a. 3. per tot. ibid.
Continentiam cur bonam, & quomodo astruant Acatholici. a. 4. n. 1. p. 519.
Ex promissione Dei mereri speciale præmium in cælis ex sententia catholica probatur. n. 2. & seqq. ibid.
Falsa Acatholicorum expositio loci Isaiæ 56. à Ioviniano mutuata per Augustinum reijcitur. n. 4. & seqq. ibid.
Speciale præmium correspondere continentiæ ulteriùs probatur, falsæque expositiones Acatholicorum reijciuntur. a. 5. per tot. p. 520.
Falsa Acatholicorum de terreno solùm præmio continentiæ quomodo ab August. & Iovin. censurentur. n. 12. p. 521.
Obiectiones variæ Acatholicorum multipliciter reijciuntur. a. 6. per tot. ibid.
Votum continentiæ perpetuæ sanctum & licitum probatur. l. 11. c. 7. a. 3. per tot. p. 538.
Per illud virgines vere Deo consecrantur. ibid. sparsim.
Qui post votum nubunt stupri scelus coniugii nomine palliant, ibid. n. 14. p. 539.
Vota virginum cælestes sunt nuptiæ. n. 17. ibid.
Votum continentiæ sanctum probatur exemplo B. Virginis, a. 4. per tot. ibid.

CONTRITIO.

De contritione quid sentiat Ecclesia Romana. l. 17. c. 3. a. 2. n. 3. p. 805.

CROMVEL.

Aliquot annis laboravit ut sectæ Anglicæ in unitatem reducerentur, & quid tandè conclusum. l. 1. c. 1. a. 3. n. 6. p. 2.

CRUX.

Acatholicorum sententia de vera cruce Christi, & signo eius. l. 7. c. 8. a. 1. per tot. p. 285.
Ecclesiæ Catholicæ doctrina circa eandem, eiúsque venerationem. a. 2. ibid.
Diversimodè crux ipsa Christi accipi potest. n. 1. ibid.
Crux ipsa Christi veneranda probatur. a. 3. per tot. p. 286.
Signum S. Crucis venerandum demonstratur ex Scriptura, a. 4. per tot. p. 287.
Fideles cur usi signo crucis. n. 1. ibid.
Signum crucis in primitiva Ecclesia usurpatum & in honore habitum, probatur ex SS. PP. Græcis. a. 5. per tot. p. 288.
Antichristus cur daturus characterem in dextera sibi adhærentium. n. 8. ibid.
Dæmones verè signum crucis horrere probatur ex SS. Patribus. a. 4. p. 287. & 6. sparsim p. 290.
Fideles signum crucis honoràsse, séque eo signàsse probatur ex Patribus Latinis. a. 6. per tot. p. 290.
Omnia per signum crucis sanctificantur. n. 9. & seqq. p. 291.
Quo possit, & quo non possit honore affici signum crucis. a. 7. per tot. p. 292.
Quæ contra venerationem sanctæ crucis adferuntur, refutantur. c. 9. a. 7. per tot. p. 301.
In amore crucis Iudæi & Christiani sibi sunt oppositi. n. 4. ib.
Signaculo crucis se signant Christiani ex tradit. l. 2. c. 2. a. 7. n. 10. & 14. p. 20.
Speculum veræ & catholicæ doctrinæ modernæ Ecclesiæ cum primitiva concordantis circa honorem sanctæ crucis eiúsque signum, ex opposito falsitatem adversæ Fidei demonstrans. l. 7. c. 9. a. 7. per Antitheses, p. 302.

CULTUS DEI.

Non est vox aliqua in Scriptura quæ sic cultum Dei exprimat ut non ex usu & consuetudine hominum aliis tribuatur, l. 6. c. 2. a. 1. n. 1. & 2. p. 231.
Unico actu sacrificii excepto, & quomodo. n. 3. ibid.
Cultum soli Deo debitum sancti Patres ad vitandam æquivocationem dixerunt latriam aut adorationem. n. 3. ib.
Ecclesia catholica nullâ ratione cultum soli Deo debitum tribuit Sanctis, sed hæc sola Acatholicorum calumnia est. l. 6. c. 2. a. 2. n. 1. p. 233.

CULTUS SANCTORUM, *vide* Sanct.

D.

DEUS.

Deum esse ratio naturalis dictat. l. 4. c. 2. a. 2. n. 5. pag. 69.
Quomodo & quare corporeus in Scripturis describatur. c. 2. a. 16. n. 6. pag. 113.

Digitized by Google

Deus quomodo debitor noster. l. 21. c. 1. a. 4. num. 14. pag. 845.

DEI CULTUS *vide* Cultus.

DEPOSITUM.

Depositum diligenter custodiendum quodnam. l. 2. c. 2. a. 6. n. 7. p. 18.

Non commendandum scriptis sed idoneis ad docendum personis oretenus communicandum. ibid.

DESCENSUS AD INFEROS.

Occasio quâ hic articulus D. Vexillifero & Anonymis propositus. l. 8. c. ult. a. 1. n. 1. p. 339.

Anonymus quid in hoc articulo praestent. n. 2. & seqq. ibid.

Respondetur ad eorum dicta. a. 2. per tot. ibid.

Impia explicatio Calvini proponitur. n. 2. ibid. *& refutatur.*

Catechismus Heydelbergensis eandem approbat. ibid n. 3. p. 340.

Ruffinus Anonymus adversatur. ibid. n. 5. p. 340.

Speculum verae & Catholicae doctrinae modernae Ecclesiae cum primaeva concordantis circa statum defunctorum ante & post adventum Christi usque ad diem judicii, ex opposito falsitatem Acatholicorum exhibens l. 8. cap. ult. a. 2. per Antitheses & Conclus. p. 341.

DIACONATUS.

Diaconatus verus in Ecclesia Ordo probatur. l. 19. c. 1. a. 3. n. 4. & 5. p. 823.

Officium Diaconorum quodnam. n. 8. p. 823. & a. 4. n. 8. & 11. p. 824.

DIES DOMINICA.

Dies dominica quare loco Sabbathi instituta, & à quibus, l. 4. c. 2. a. 14. n. 6. p. 111.

DILECTIO DEI.

Verba; diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo; *quot modis intelligi possint.* l. 11. c. 2. a. 4. n. 4. p. 511.

Utrum haec verba adversentur Consiliis Euangelicis. n. 5. & seqq. ibid.

Utrum praeceptum illud diligendi in hac vita possibile, & quomodo. n. 8. & seqq. p. 512.

DOCTRINA ACATHOLICORUM.

Doctrina Acatholicorum primitivae Ecclesiae verae in multis contraria, ex ipsorummet confessione ostenditur in generali. l. 4. c. 8. a. per tot. p. 117.

Doctrinam de libero arbitrio quam fundamentum suum dicunt, Sanctis Patribus contrariam ostendit Calvinus. ibid. n. 4. p. 178.

Acatholici SS. Patribus contraria, antiquis autem haereticis consentanea docent, & quaenam. a. 9. per totum, pag. 179.

Acatholici cur justè Calvini doctrinam detestari debeant. ibid n. 5. p. 180.

Acatholicorum frivolae excusationes, quod eorum doctrina in multis cum antiquorum haereticorum damnatis erroribus conveniat. c. 8. a. ult. n. 1. & seqq. p. 182.

Rejiciuntur excusationes. ibid.

Acatholici in quibusdam ab antiquis haereticis dissentiunt, quos ob hoc haereseos damnant n. 3. p. 183.

DOGMA FIDEI ET MORUM.

In scriptura constat multa à Christo & Apostolis tradita, Ecclesiae utilia & necessaria relicta esse quae in scriptura expressè non continentur. l. 2. cap. 2. a. 6. num. 8. p. 18.

Acatholicorum dogmata in quibus ab Ecclesia Romana dissident, fallacia & falsa sunt hominum documenta. c. 4. a. 4. n. 7. p. 32.

E.

ECCLESIA.

Ecclesia quid nominis. l. 3. c. 1. a. 1. n. 1. p. 47.

Quotupliciter in scriptura accipitur. n. 2. & seqq. ib.

Ecclesia vera in quibus inceperit & quomodo propagata. l. 4. c. 2. a. 1.

In his quae in scriptura expressè non habentur sufficit Ecclesiae authoritas. l. 15. c. 7. a. 8. n. 14. & 15. p. 700.

Ecclesia Iudaeorum cur certo loco circumscripta, non verò ecclesia Christi. l. 16. c. 2. a. 8. n. 8. p. 722.

ECCLESIA APOSTOLICA *vide* Apostolica Eccles.

ECCLESIA CATHOLICA *vide* Catholica Eccles.

ECCLESIA ROMANA.

Ecclesia Romana non docet, non solum Deum esse adorandum. l. 1. c. 2. a. 2. n. 4. p. 6.

Docet scripturam solam non esse fidei normam, sed admittendum verbum Dei traditum. ibid.

Falsum est Ecclesiam Romanam admittere plures quàm unum mediatorem n. 7. ibid.

Negat hominem solâ fide justificari, sed fidem asserit initium, charitatem verò primam justificationis formam. n. 8. ib. 8.

Ecclesia Romana non docet Patrum scripta esse divina, sed ex illorum consensu colligit verbum Dei traditum. ib. n. 2. p.

Ecclesia Romana dupliciter accipi potest, & quomodo. l. 5. c. 1. a. 1. n. 1. p. 184.

Quid propriè in controversiis cum Acatholicis per Ecclesiam Romanam intelligatur. ibid. n. 2. p. 184.

Ecclesiam Romanam habuisse veram fidem fatentur Acatholici. n. 3. ibid.

Haeretici quare Ecclesiam defecisse & antiquitus & etiam nunc dicant. a. 2. n. 1. & seqq. ibid.

Calvini impudentes calumniae contra Ecclesiam Romanam. n. 3. p. 185.

Mirum non est Calvinum impudentem calumniatorem, & quare. n. 4. ibid.

Mendax diversitas Acatholicorum de tempore defectionis Ecclesiae Romanae. a. 3. per tot. ibid.

Ex hac diversitate falsitatis convincuntur, n. 9. p. 186.

Ecclesiae modernae Romanae verè convenit triplex unitas, quae est nota verae Christi Ecclesiae. c. 2. a. 1. per tot. p. 188.

Falsò ab Acatholicis affingitur Ecclesiae Romanae nomen Babylonis, cùm potius ipsorum coetibus id competat. n. 2. ibid.

Frivola Calvini de diversitate monachorum in Ecclesia Romana objectio eliditur. n. 3. & seqq. ibid.

Quid sit altare contra altare in Ecclesia erigere. n. 5. p. 189.

Diversitas nominum apud religiosos non contrariatur S. Paulo ibid.

Diversitas sententiarum in unitate fidei non officit unitati Ecclesiae Romanae, & quare n. 6. ibid.

Triplicem sanctitatem quae est vera Ecclesiae Christi nota competere Romanae Ecclesiae demonstratur breviter a. 2. per tot. ibid.

Ecclesiae Romanae competere sanctitatem morum demonstratur a. 4. per tot. p. 194.

Ipsimet Acatholici plures viros quos usque ad mortem in Ecclesia Romana perstitisse constat sanctos pronunciant. n. 2. & seqq. ibid.

In Ecclesia Romana fuerunt viri tales, in quibus Acatholici nihil reprehendere possunt nisi quòd fuerint in Ecclesia Romana, adeoque ex hoc Romanam Ecclesiam verè sanctam admittere coguntur. n. 5. p. 195.

In his sanctis viris semetipsos Acatholici jugulant ibid. n. fine.

Ecclesia Romana verè dicitur Catholica, ut Acatholici volentes nolentes admittere debent a. 6. n. 1. & 3. p. 196.

Acatholici quantumvis splendida nomina assumant, non tamen possunt evincere sibi nomen Catholicae Ecclesiae ibid.

Acatholici quantumvis Catholicos per contemptum vocent Romanenses aut Papistas, non possunt tamen auferre nomen Catholicum, sed per haec ipsa cognomina illud adstruunt. n. 2. ibid.

Ecclesia Romana quoad rem ipsam verè Catholica est, & quare. n. 3. & seqq. ibid.

Nunquam defecit nec defecisse ostendi potest, & quare. n. 4. & 5. p. 197.

Sancti

zed by Google

Sancti Patres acriter etiam in rebus parvi momenti apprehenderunt errores, mirumsi non reprehendissent ecclesiam Romanam si errasset. n. 6. ibid.
Ecclesia Romana toto orbe diffusa semper manifesta fuit. n. 7. pag. 198.
Ecclesia Orientalis aliquando defecit non sic Romana. ibid.
Ecclesia Romana aggregatur vastissimus novus orbis. n. 8. ibid.
Ecclesia Romana verè est apostolica, & quare. a. ult. per tot. ibid.
SS. Patres quare sic accuratè recensuerint successionē episcoporum Romanorum ab ipso Petro. n. 1. & seqq. ibid.
Responsio Acatholicorum ad SS. Patres nulla est. n. 4. ibid.
Sancti Patres non obstantibus calumniis antiquorum hæreticorum contra Ecclesiam Romanam eam apostolicam demonstrabant per legitimam episcoporum successionem. ibid. n. 5. p. 199.
Ecclesia Romana vera Christi Ecclesia est, & quomodo fidelis quicunque, etiam in Scripturis non expertus tutus esse possit ex S. Augustino. ibid. in conclus. p. 200.
Ecclesia Romana non est Babylon ebria sanguine Sanctorum. ibid. a. 4. n. 8. p. 222.

ECCLESIÆ DURATIO.

Ecclesia hæresibus & persecutionibus obrui non potest. l. 3. c. 3. a. 8. *& experientiâ teste.* ibid. n. 9. p. 63.
Quænam propriè dicantur portæ inferi. n. 10. ibid.
Respondetur ad argumenta acatholicorum ex Patribus desumpta. a 9. per tot. p. 64.
Ecclesia creditur & videtur sed diversimodè, & quomodo. ibid. n. 1. p. 64.
Vera Christi Ecclesia usque in finem mundi indefectibiliter perseverabit. l. 3. c. 3. a. 3. per totum, p. 57.
Ecclesia in finem mundi semper conspicua & visibilis permanebit. a. 4. ibid.
Probatur ex D. Augustino & Scripturis vet. testamenti ab ipso allegatis contra Donatistas. ibid.
Eandem probat Augustinus ex novo Testamento. a. 5. per tot. p. 58.
Respondet Augustinus argumentis Donatistarum ac in iis Acatholicorum, qui Ecclesiam etiam fermè mille annis periisse, & in loco quem specificare nesciunt latuisse usque ad Lutherum dicunt. a. 6. per tot. p. 59.
Paucitas non suffragatur Acatholicis. ibid. n. 6. p. 60.
Respondetur ad argumentum Calvini quod falsum patet. a. 7. p. 61.
Non valet argumentum Iudæorum Synagogæ ad Ecclesiam Christi. n. 3. ibid.
Probatur Ecclesiam semper visibilem permansuram ex aliis Scripturæ locis iuxta SS. Patrum explicationem. a. 8. per tot. ibid.

ECCLESIÆ INERRABILITAS.

Quis iuxta Calvinum sit status quæstionis de inerrabilitate Ecclesiæ tria falsa asserentem. l. 3. c. 4. a. 2 n. 1. p. 67.
Calvinus honorificè videtur loqui de Ecclesia universali, sed Scripturas allatas male limitat. n. 2. ibid.
Concilia generalia antiquâ limitate admittit, moderna damnat. n. 3. ibid.
Doctrina Catholica est Ecclesiam universalem in nullo qualicunque Fidei articulo posse errare. n. 4. p. 68.
Quomodo sit intelligendum quòd Catholici docent, Ecclesiam in Concilio generali repræsentari. ibid.
Concilia legitima non possunt errare. ibid. *nec docere aliquid contra verbum Dei, nec novos articulos Fidei condere.* n. 5. ibid.
Quæ sit absoluta quæstio de Ecclesiæ inerrabilitate. n. 6. ibid.
Doctrina Catholica, Acatholicorum tergiversatio frivola. ibid.
Ecclesiam in nullo qualicunque Fidei articulo posse errare probatur ex Scriptura. a. 3. per tot. ibid.
Ecclesia particularis in Fide non solùm errare sed & planè deficere potest. n. 1. ibid.
Ecclesia firmamentum veritatis, non solùm custos literarum sacrarum. ibid.
Ecclesiam in nullo Fidei articulo posse errare probatur ex sanctis Patribus. a. 4. per tot. p. 70.
Acatholici dum Ecclesiam errare posse asserunt, sibimet multipliciter contradicunt. a. 5. per tot. p. 71.
Fraus Acatholicorum & veritas Ecclesiæ circa inerrabilitatem. ibid per conclus. p. 72.
Ecclesia particularis Romana quomodo possit, & non possit errare. l. 5. c. 4. a. 2. n. 4. p. 218.
Referuntur effugia anonymi secundi circa inerrabilitatem Ecclesiæ, ac simul refutantur. a. 5. per totum, p. 223.

ECCLESIAE MUNDITIES.

Aliud est Christum purgare Ecclesiam ab erroribus quod falsum est; & aliud mundare eam à maculis peccatorum quibus fideles obnoxii sunt, quod vere dicitur. l. 3. c. 4. a. 3. n. 5. p. 69.

ECCLESIAE PASTORES ET DOCTORES.

Semper usque in finem mundi erunt in ecclesia Pastores & Doctores, & sic ecclesia visibilis. l. 3. c. 3. a. 8. n. 3. p. 62.

ECCLESIAE SANCTITAS.

Deus cum malis semper viros excellentis sanctitatis conservavit in ecclesia, ut etiam adversariis fuerint admirationi. l. 3. c. 6. a. 4. n. 9. p. 88.
Extra ecclesiam inveniuntur etiam, qui multa ad speciem bona opera faciunt, sed huiusmodi non prosunt ad salutem. ibid.

ECCLESIAE VISIBILITAS.

Quo sensu ecclesia possit dici visibilis, & quo non. l. 3. c. 3. a. 1. n. 1. p. 54.
Esto publicus verbi Dei & Sacramentorum usus aliquando fuerit prohibitus, ecclesia tamen mansit visibilis, & quomodo. ibid. n. 3. p. 55.
Vtrum in finem mundi sit duratura visibilis controvertitur. n. 4. ibid.
Sententia Acatholicorum de ecclesiæ visibilitate. a. 2. ibid.

ECCLESIAE SIGNA SEU NOTAE.

Debent esse aliqua notæ seu signa penes quas ecclesia vera à falsis discernatur. l. 3. c. 6. a. 1. n. 4. p. 84.
Quæ sint Notæ seu signa veræ ecclesiæ ab Acatholicis assignatæ. per totum ibid.
Demonstrantur insufficientia. a. 2. per tot. ibid.
Notæ quales esse debeant. n. 2. ibid.
Notæ ecclesiæ bifariam sumi possunt, & sic sumptæ diversimode demonstrant veram ecclesiam. ibid.
Aliud est quod notam ecclesiæ designat, & aliud ipsa nota designata. n. 3. ibid.
Ecclesia quomodo notior Scripturâ. ibid.
Ex suppositione Scriptura potest esse notior Ecclesiâ, & quomodo. n. 4. p. 85.
Esto in ecclesia debeat esse vera Fidei prædicatio, Sacramentorum administratio, &c. *non sunt tamen hæ notæ, & quare.* n. 5. & 6. ibid.
Sectarii possunt de his se iactare, & schismatici hæc verè habere, & tamen non pertinent ad ecclesiam. n. 6. & 7. ib.
Respondetur ad argumenta Acatholicorum. n. 8. ibid.
Scriptura non est nota ecclesiæ, sed designat notas. n. 9. p. 86.
Ostenditur notam primam ecclesiæ esse unitatem. a. 3. per tot. ibid.
In quo consistat hæc unitas. ibid.
Triplex unitatis ratio probatur ex Scriptura. n. 2. & seqq. ibid.
Secunda ecclesiæ nota sanctitas: & quotuplex. a. 4. n. 1. p. 87.
Sanctitas doctrinæ quomodo intelligenda. ibid.
Quòd sanctitas triplex sit veræ ecclesiæ nota, probatur ex Scriptura. a. 4. per tot. ibid.

Digitized by Google

Ex notis vera Ecclesia est, quòd sit & dicatur Catholica, & quomodo hoc intelligendum. c. 4. a. 5. n. 1. p. 88.
Hæreticis ne nomen quidem tribuitur. ibid.
Probatur ex SS. Patribus. ibid. n. 2. & seqq. per tot. p. 89.
Hæc nota licèt non quoad nomen, tamen quoad rem ipsam habetur in Scriptura. ibid.
Hæretici ubique sed divisi cum unica pugnant Ecclesia Catholica ubique diffusa. ibid. n. 5. & 6.
Acatholici hanc notam sed contra se astruunt. n. 7. ibid.
Ecclesiæ vera nota, quòd sit & dicatur Apostolica, & quomodo hoc intelligendum. ibid. a. 6. n. 1. p. 90.
Hæc nota complectitur legitimam successionẽ Episcoporum usq. ad tempora Apostol. in eadem doctrina. n. 2. ibid.
Quænam ad legitimam successionem requirantur. n. 3. ibid.
Sancti Patres per hanc successionem, & maximè summorum Pontificum, veram Ecclesiam demonstrârunt. n. 4. & seqq. ibid.
Quare SS. Patres tam diligenter enarrârint successionem Pontificum. ibid. n. 10. p. 91.
Acatholicorum responsio contra successionem Romanorum Pontificum refutatur ex D. Augustino contra Donatistas. c. 6. a. 6. n. 11. p. 92.
Sicut Ecclesia bene dicitur apostolica sic etiam Romana, & quare. n. 12. ibid.
Aureum S. Augustini dictum, quidnam ipsum in Ecclesia teneat. a. 6. in conclus. n. 13. ibid.
Acatholici in Manichæo perstringuntur ab Augustino. ibid. n. 15. p. 93.
Demonstratur in particulari, quòd nulli sectæ à Romana Ecclesia diversæ competant notæ seu signa Ecclesiæ veræ. l. 4. per tot. p. 94.

ECCLESIÆ UNITAS.

Ecclesiæ per orbem particulares sunt multæ, una nihilominus est Ecclesia. l. 3. c. 1. a. 2. n. 1. pag. 47.
Quæ iuxta Scripturam huius unitatis sit ratio. ibid. a. 3. n. 1. p. 48.
Variæ hæreticorum sententiæ, quinam ad unitatem hanc Ecclesiæ pertineant. n. 2. & seqq. ibid.
Ecclesia Christi unica complectitur in uno corpore bonos & malos. a. 4. n. 1. & seqq. ibid.
Ecclesiæ unitas non competit cœtibus modernorum Acatholicorum, & quare. a. 4.

ECCLESIA.

Ecclesia quid rei. l. 3. c. 1. a. 4. n. 1. p. 48.
Quinã iuxta descriptionẽ Ecclesiæ ab ea excludantur. ibid.
Ecclesiæ membra arida quinam sint. n. 2. ibid.
Non est iusta ab ecclesia recedendi ratio, quòd in ea manifestè mali reperiantur. ibid. n. 4. p. 49.
Occulti hæretici exteriùs in professione eiusdem Fidei & Sacramentorum usu perseverantes, pertinent ad ecclesiam, & quomodo. n. 5. ibid.
Si talium aliquis fieret episcopus aut Papa, utrum validè sua officia iurisdictionis & potestatis exerceat. n. 6. p. 49.
Extra veram ecclesiam non est salus, & quinam extra eam sint. c. 2. a. 1. n. 1. & seqq. ibid.
Qui inter hæreticos & schismaticos versantur non pertinaces adhuc ad veram ecclesiam pertinent, & quomodo possint salvari. ibid. n. 4. p. 50.
Quòd extra Ecclesiam veram non sit salus, sed omnes hæretici & schismatici propriè dicti damnentur, latè ex Scriptura & SS. Patribus ostenditur. a. 2. & seqq. ibid.
Idem probatur ex Confessione Acatholicorum. a. 4. per tot. p. 53.
Deum non habet Patrem, qui ecclesiam non habet matrem. ibid. a. 3. n. 2. p. 51.

EPHESINUM II.

Ad illud venerunt Legati summi Pontificis, & quinam. l. 4. c. 4. a. 3. n. 3. pag. 129.
Vi & nequitiâ Dioscori S. Flavianus damnatur, & Eutyches liberatur. n. 5. ibid.
Legati Pontificis Leonis contradicunt. ibid.
S. Flavianus occiditur, alii episcopi per Dioscorum impium exauthorantur. ibid.

EPISCOPATUS.

Episcopatus verus in ecclesia gradus probatur. l. 19. c. 1. a. 3. n. 2. p. 823.
Episcopi officium quodnam. a. 3. n. 7. ibid.
Episcopus presbytero & reliquis ministris superior est. n. 9. & 10. ibid.
Episcopatûs officium ab aliis distinctum & iisdem supereminere probatur ex SS. Patribus. a. 4. n. 1. & seqq. ibid.
Episcopus presbyter est, non verò omnis presbyter episcopus. n. 10. p. 824.
Hierosolymorum primus episcopus quisnam. n. 12. ibid.

EPISCOPI ET DOCTORES.

Acatholici nullos suæ sectæ episcopos & Doctores possunt assignare qui à tempore Apostolorum fuerint. l. 4. c. 8. a. 7 per totum, p. 177.
Primus Basileensis episcopus Acatholicus quis dictus. n. 2. ib.
Vincentius Lyrinensis quoad hoc Acatholicos confundit. n. 3. ibid.

EUANGELII LUX.

Lucem euangelii ob peccata hominum ab Anno 600. extinctam asserit Calvinus. l. 4. c. 8. a. 5. n. 2. p. 174.

ERASMUS.

Erasmi dictum de honestate euangeliorum. l. 4. c. 8. a. 6. n. 4. p. 177.

EUCHARISTIA.

Fideles ieiuni ex ordinatione sancti Pauli eam suscipere debent. l. 2. c. 2. a. 6. n. 4. p. 17.
Circa eucharistiæ Sacramentum ex antiquis qui errârint usque ad Lutherum. l. 15. a. 1 per tot. p. 638.
Lutherus circa eucharistiam, realem Christi in ea præsentiam ac modum præsentiæ quid senserit. a. 2. n. 1. ibid.
Lutherani aliqui quoad ubiquitatem contradixerunt. n. 2. ibid.
Qui nihilominus inter se divisi sunt. n. 4. p. 639.
Sacramentarii unde dicti, & quinam, ac quomodo præsentiam realem Christi in eucharistia negârint. a. 3. per tot. ibid.
Calvinus errorem Sacramentariorum subtiliùs proponens propugnat, & quænam docuerit. a. 4. per tot. ibid.
Calvinistæ realem præsentiam negantes divisi sunt, dum quidam articulum fundamentalem astruunt, alii negant. a. 5. per tot. p. 640.
Pratensè reformati articulum fundamentalem esse negantes, concordiam cum Lutheranis ambiunt, sed ab iisdem reiiciuntur. a. 6. & seqq. ibid.
Doctrina Ecclesiæ Catholicæ proponitur. a. 6. per tot. pag. 641. *& latè propugnatur* toto libro à cap. 2. usque ad finem.
Sacramentum hoc tribus modis sumitur à fidelibus, scilicet sacramentaliter tantùm, spiritualiter tantùm, & utroque simul. a. 6. n. 3. p. 641.
Quomodo Eucharistia symbolum Corporis Christi ibid. c. 5. a. 6. n. 1. & seqq. p. 673.
In Eucharistia Corpus Christi realiter & verè manducatur, non tamen modo quem Capharnaitæ intelligebant. a. 9. n. 2. & 3. & a. 10. per tot. p. 677.
Quomodo simul stent Christum realiter præsentem esse in Eucharistia, & spiritualiter manducari. a. 10. n. 2. p. 678.
Inter Sacramentum & rem Sacramenti quæ distinctio. a. 11. n. 1. & 2. ibid.
Adorando Sacramentum non committitur idololatria. n. 2. p. 679.
Speculum veræ & Catholicæ doctrinæ modernæ Ecclesiæ Romanæ cum primæva concordantis circa doctrinam de Sacramento Eucharistiæ, ex opposito Acatholicorum falsitatem exhibens. a. 11 per Antitheses, p. 680.

Digitized by Google

EUCHARISTÆ ADORATIO.

Vtrum Christus in Eucharistia sit adorandus Lutherani variant. l. 15. c. 6. a. 1. n. 1. p. 681.

Calvinus absolutè asserit idololatriam esse sic adorare. n. 2. ibid.

Prætensi Reformati forum declinantes alium fingunt quæstionis statum, & quemnam. ibid.

Quinam verus sit status quæstionis. ibid. in fine.

Ecclesiæ Romanæ doctrina proponitur. a. 2. per tot. ibid.

Explicatur eò quòd diversa circa hoc Sacramentum credat Ecclesia, & quænam. a. 3. per tot. p. 682.

In Eucharistia nec panis si adesset, nec species illius quæ de facto sunt ratione sui adorandas docet Ecclesia, & quare. a. 4. n. 1. ibid.

Christus in Eucharistia verè & realiter præsens cultu latriæ adorandus probatur. n. 2. ibid.

Sacramentum Eucharistiæ sumptum pro principali significato simpliciter ratione sui est cultu latriæ adorandum, & quare. n. 3. p. 683.

Species ipse consecratæ aliquo religioso cultu venerandæ probantur. n. 4. ibid.

Quamvis salvâ fide disputent Theologi *pro cultu sint venerandæ species in Eucharistia, conveniunt tamen præcisè ratione sui non esse venerandas cultu latriæ, & quomodo simplices excusentur.* ibid. p. 684.

Argumenta adversariorum refutantur. a. 5. & seqq. per tot. ibid.

Adoratio Christi in Eucharistia an idololatria, & quare non. ibid. a. 8. n. 10. p. 686.

Quid si nudus panis ex malitia Sacerdotis proponeretur. ibid. p. 687.

Ethnici cur sua simulachra adorantes verè fuerint idololatræ non sic Christiani adorantes Eucharistiam. n. 10. & 11. ibid.

Christi in Eucharistia præsentis adoratio nullibi in scriptura prohibita. n. 21. p. 688.

Apostoli in ultima cœna cur corpus Christi in Sacramento non adorârint. n. 22. ibid.

Doctrina Catholica de hac adoratione vera, Acatholicorum falsa. in concl. n. 1. & 2. ibid.

Hanc adorationem etsi Calvinus neget, alii tamen Reformati ex hypothesi quòd ibi sit Christus eam urgent contra Lutheranos. ibid. n. 3. p. 689.

Vt coram simplicibus Ecclesiam idololatriæ accusent Acatholici, falsò affingunt quasi panem materialem adoret. n. 4. ibid.

Speculum veræ & Catholicæ doctrinæ modernæ Ecclesiæ cum primæva concordantis circa adorationem Christi in Eucharistia ex opposito falsitatis arguens Acatholicos. ibidem per Antitheses, p. 689.

EUCHARISTIAE COMMUNIO,

Vide Communio sub utraque.

EUCHARISTIAE CONGRUITAS.

Acatholici præsentiam Christi in Eucharistia cur putent inutilem. l. 15. c. 2. a. 5. n. 1. p. 647.

Ecclesiæ doctrina est esse valde utilem & consolatoriam. ibid.

Hæc Ecclesiæ Romanæ doctrina probatur. n. 2. & seqq. ibid.

Præsentia Christi in Eucharistia eidem non indigna probatur. a. 6. per tot. ibid.

EUCHARISTIAE POSSIBILITAS.

Prætensè Reformatorum quidam negant corpus Christi posse verè & realiter esse sine præsentia circumscriptiva ad locum. l. 15. c. 2. a. 1. n. 1. p. 641.

Alii non negant posse fieri, sed negant Christum id voluisse facere. n. 2. ibid.

Quidnam propriè sit impossibile. n. 3. ibid.

Præsentia corporis ad locum non substantia sed accidens est, ubi dictum. n. 4. p. 642.

Præsentia corporis Christi in Eucharistia possibilis, probatur ratione naturali. ibid. a. 1. & 2. per tot. p. 641. & seqq.

Ad corporis Christi in Eucharistia præsentiam credibilem suadendam quid sufficiat. a. 3. n. 1. p. 644.

Corpus Christi posse esse præsens in Sacramento ita ut non occupet locum circumscriptivè, probatur exemplis scripturæ. n. 2. & seqq. p. 645.

Miserum effugium Acatholicorum nolentium credere quod non capiunt. n. 5. ibid.

Corpus Christi posse in duobus locis esse probatur ex scriptura. a. 4. n. 2. p. 646.

Item ex aliis mysteriis fidei difficilioribus. n. 3. ibid.

EUCHARISTIAE VERITAS.

Christum voluisse corpus & sanguinem suum verè & realiter in Eucharistia præsentem probatur ex Ioann. 6. l. 15. c. 3. a. 1. per tot. p. 648.

Expositio huius loci de manducatione per fidem excluditur. n. 3. & seqq. ibid.

Cùm dicitur; caro non prodest quidquam; *non de carne Christi intelligitur.* n. 6. p. 649.

Quomodo intelligatur. n. 7. ibid.

Veritas catholica de reali præsentia Christi in Eucharistia probatur ex verbis scripturæ institutionem Eucharistiæ referentibus. a. 2. per tot. p. 650.

Effugia Acatholicorum figuraliter ea verba explicantium occluduntur. n. 5. & seqq. ibid.

Eucharistiam in commemorationem Christi sumendam, quomodo intelligatur. n. 8. & seqq. ibid.

Actiones Christi in ultima cœna excellentius quidpiam quàm nudum panem in sui memoriam traditum convincunt. n. 15. & seqq. p. 651.

Realis præsentia Christi probatur ex Patribus Græcis. a. 3. per tot. p. 652.

Item ex SS. Patribus Latinis, & quidem iis quos Anonymi citando voluerunt. a. 4. per tot. p. 657.

Panis eucharisticus non specie sed naturâ mutatur in corpus Christi. n. 8. ibid.

SS. Patres quare quandoque obscuriùs de Eucharistia locuti. n. 17. p. 659.

Pro meliori SS. Patrum intelligentia quænam observanda. a. 5 per tot. p. 660.

Sancti Patres in contrarium ab Acatholicis allati nunquam negaverunt expressè corpus Christi in Eucharistia præsens. n. 2. ibid.

Sed potiùs omni contentione & ratione id probârunt, ut fides locum acciperet quando ratio naturalis deficit. n. 2. & seqq. ibid.

Corpus Christi quandoque à SS. Patribus figuratè manducari dictum quomodo intelligendum. n. 5. p. 661.

Nunquam SS. Patres expressè dixerunt Eucharistiam esse tantùm figuram, aut esse tantùm panem, & quomodo Eucharistia catholicè possit dici figura & panis, &c. n. 6. ibid.

Eucharistia cur & quomodo dictus panis sanctus. n. 7. ibid.

Quæ sit primaria intentio Eucharistiæ, & quomodo digni spiritualiter, indigni verò sacramentaliter tantùm sumere dicantur. n. 8. ibid.

Quomodo sancti Patres dicant indignè manducantes non sumere carnem Christi. n. 9. ibid.

Sancti Patres quandoque spiritualiter communicandum suadentes; ut August. quid paras ventrem, &c. *non officiunt reali præsentiâ.* n. 10. p. 662.

In Eucharistia verum esse corpus & sanguinem Christi realiter præsentem, probatur exinde quòd sciatur quinam primi contradixerint. a. 6. n. 2. ibid.

In Ecclesia Græca primi Iconomachi negârunt realem præsenti-

sentiam, sed damnati sunt ab Ecclesia, & à SS. Patribus refutati. n. 3. & seqq. ibid.

In Ecclesia Latina ante annum 800. *nullus errorem de hac docuit, quo quidam dubitare capit, sed damnatus in Concilio Vercellensi.* n. 7. p. 663.

Anno 1060. *Berengarius contra veritatem Catholicam scribens damnatus est, qui alios praeterea errores docuit.* n. 8. ibid.

Non potest ostendi initium doctrinæ Ecclesiæ Romanæ de Eucharistia, aut quòd in ullo Concilio damnata fuerit. a. 6. n. 1. ibid.

Econtra expresse à SS. Patribus ea doctrina tradita fuit, nec ullus alius S. Pater se opposuit. n. 2. ibid.

Eandem doctrinam cum Ecclesia Romana moderni Græci, quantumvis in aliis ab ea recedentes & errantes tuentur, quod signum est evidentis veritatis. n. 4. & seqq. ib.

Prætensi Reformati concordiam cum Græcis optantes ab iisdem damnati & obiecti sunt. numero 9. & seqq. p. 664.

Eutychiana Hæresis.

Eutyches quis fuerit. l. 4. c. 4. a. 3. n. 1. p. 128.

Quid docuerit. ibid.

Citatur ad Concilium Nationale. ibid.

Fraudulentum subterfugium illius. n. 2. ibid.

Eutyches spiritum Lutheri & Calvini habuit. ibid.

Eutychiana hæresis cum Nestoriana quâ fraude propagata. a. 4. n. 4. p. 130.

Exomologesis.

Exomologesis non solùm apud Græcos sed & Latinos Patres usurpata quid significet. l. 17. c. 2. a. 4. n. 2. p. 808. *vide* confessio.

F.

Fieri.

Multipliciter aliquid dicitur fieri, l. 21. c. 3. a. 2. n. 20. p. 868.

Eucharistiæ fieri quanam involvat. numero 21. ibid.

Non est à virtute naturali Sacerdotis. n. 22.

Nec hoc potest sacerdos suo merito. pag. 869.

Nec virtute insistente sed assistente & quomodo, n. 25. ibid.

Fides.

Fides catholica optimè nominatur papistica, & quare. l. 1. c. 1. a. 2 n. 11. p. 3.

Fides catholica aut Catholici non sunt dicti à particulari homine post Christum, sicut hæretici à suis Hæresiarchis nomen acceperunt. ibid. n. 12. p. 3.

Fides quæ prætenditur à tempore Apostolorum fuisse & periisse, non est fides vera. a. 3. n. 2. ibid.

Ad fidem veram non sufficit credere articulos affirmativos exclusis cæteris. a. 4. n. 2. *& quare.* n. 3. & seqq. p. 4.

Antiqui hæretici etiam credebant aliquos articulos. n. 6. & seqq. ibid.

Fides iustificat. l. 9. c. 3 a. 2. n. 1. p. 353.

Quæ, & qualis sit fides ex doctrina catholica iustificans. n. 2. ibid.

Ad assensum fidei requiritur imperium voluntatis. ibid. in fine.

Quid ex Apostolo sit fides iustificans. n. 3. ibid.

Fides iustificans est fides universalis, non illa particularis Acatholicorum. a. 2. *passim* ibid. & seqq.

Peccator quomodo credere possit peccata sibi remittenda. ibid. n. 5. p. 354.

Acatholici pro sua fide iustificante frustra allegant locum. Joann. 3. n. 7. ibid.

Licèt Deus possit, non tamen ordinariè homines iustificat subitò. ibid. a. 3 n. 1. p. 355.

Quæ præter fidem sint dispositiones iustificationis, ibid.

Acatholici multi convicti easdem dispositiones admittunt. ibid. n. 2. & seqq. p. 356.

Præter fidem quæ est fundamentum iustificationis, aliàs requiri dispositiones . . probatur. a. 4. per tot. pag. 357.

Fides vera sine aliis dispositionibus esse potest, sed non sine iis iustificare, ex sacra scriptura probatur. a. 5. per tot. p. 358.

Catholici quomodo fidem miraculorum à iustificante distinguant. a. 5. n. 6. p. 359.

Contra hæreticos malè intelligentes epistolas Pauli de fide, diriguntur aliorum Apostolorum epistolæ. ibid. n. 11. p. 360.

Absurda quæ infert S. Augustinus, si sola fides diceretur iustificare sine operibus. n. 13. ibid.

Testimonia SS. Patrum quòd fides possit esse sine operibus, sed non sine iis iustificare. art. 6. per tot. paginâ 361.

Acatholici quam fingant fidem iustificantem. a. 7. n. 1. p. 362.

Fides & alia opera ex gratia Dei facta, etiam quâ operâ ad iustificationem concurrunt. ibid. n. 3. p. 363.

Spes & charitas etiam per modum instrumenti perfectiùs apprehendit Dei benevolentiam & Christi merita, quàm fides. n. 5. & seqq. ibid.

Ecclesia Catholica non docet ut de fide certum, quòd opera iustificationem præcedentia eam mereantur. a. 8. n. 1. p. 364.

Sententia nihilominus quorundam Doctorum est, hæc opera posse dici meritum de congruo, non de condigno, & quomodo hoc intelligendum. n. 3. ibid.

Hæc sententia ex S. scriptura & Patribus probabilis ostenditur. a. 9. per tot. p. 365.

Argumenta Acatholicorum de sua sola fide justificante *enervantur.* a. 10. per tot. p. 367.

Opera excludens Paulus, de quibus agat. n. 7. p. 368.

Lex factorum & fidei, quid. n. 8. ibid.

Acatholici in quo ab Ecclesia discrepent in operibus iustificationis. ibid. n. 16. p. 370.

Loca SS. Patrum pro sola fide iustificante adducta explicantur. a. ult. p. 371.

Fidei Articuli.

Plures sunt articuli fidei necessariò credendi, qui expressè non habentur in scriptura. l. 1. cap. 2. a. 2. num. 6. p. 6.

Fides particularis Calvini & articulus necessarius secundùm Reformatos non habetur in scriptura. numero 10. ibid.

Sed potiùs contrarium. ibid.

Quod etiam ipsemet Calvinus volens nolens agnovit. ibid.

Falsum est Reformatos convenire in articulis fidei cum Ecclesia primitiva. c. 4. a 1. n. 3. p. 9.

Nec omnes articuli fidei sufficienter continentur in Symbolo Apostolico. ibid.

Singuli articuli exinde quòd revelati sint habent certissimam veritatem. l. 2. c. 2. a. 6. n. 1. pag. 16.

Obscurior nihilominus ex clariori probari potest exemplo Christi. ibid.

Ecclesia potest determinare de articulis fidei credendis. c. 5. a. 3. n. 1. p. 35.

Potuit articulus fidei à pluribus doceri in Ecclesia, licèt alii contrarium salvâ pace & charitate docuerint, donec plenario Concilio definiretur. n. 2. & seqq. ibidem.

Concilium Nicænum non formavit novum articulum de non rebaptizandis ab hæreticis baptizatis, sed iam creditum ab aliquibus, nihilominus adhuc controversum, declaravit. ibid. n. 3. p. 36.

Multa sunt de fide credenda, quæ tamen non sunt cuilibet in particulari scitu necessaria. l. 3. c. 4 a. 3. n. 2. p. 69.

Inci-

Digitized by Google

Incertum quinam iuxta Acatholicos sint articuli fundamentales. n. 5. ibid.
Eundem articulum aliquando Acatholici asserunt fundamentalem, & aliquando negant, ut patet de Cœna Domini. ibid. a. 5. n. 3. & 4. p. 72.
Nullus ex omnibus quos credit Romana Ecclesia unquam fuit damnatus. l. 21. c. 2. a. 1. numero 5. pag. 851.
Imò nullus fuit ignoratus. n. 6. ibid.
Ecclesia Romana quales agnoscat articulos fidei. ibidem.
Articuli fidei quos contra Ecclesiam Romanam credunt Acatholici à primitiva Ecclesia non solùm ignorati sed positivè damnati probantur. art. 2. per tot. p. 852.

FIDEI ARTICULI CONTROVERSI.

Proponuntur decem quæstiones circa articulos fidei controversos, ut ab Acatholicis ex Verbo Dei scripto ostendantur, cum nihil nisi quod scriptum est credendum astruant. l. 2. c. 4. a. 1. per tot. p. 27.
Proponuntur aliæ quæstiones circa doctrinam Calvini & Acatholicorum antiquis hæreticis communem, ut ostendantur ex sacra scriptura. a. 2. per tot. p. 28.
Alia doctrinæ Calvinisticæ capita antiquis hæreticis communia ex scriptura probanda urgentur. a. 4. p. 31.

FIDEI ARTICULORUM NECESSITAS.

Duplex est: 1. Ut in particulari quilibet fidelis teneatur talem credere, & huiusmodi sunt pauci, & quinam. l. 2. c. 2. a. 1. n. 6. p. 13.
Secunda necessitas est illorum qui in generali credi debent, & etiam in particulari, si sufficienter proponantur, & quinam. ibid.

FIDEI TERMINI.

Solæ scripturæ non sunt termini fidei. l. 2. c. 2. a. 7. n. 17. p. 21.

FIDES INFANTIUM.

Figmentum Lutheri de fide actuali infantûm. l. 2. c. 2. a. 5. n. 3. p. 16.
Fides in proposito duplex actualis & habitualis. l. 13. c. 3. a. 4. n. 1. p. 610.
Fidem infantium actualem astruit Lutherus, negat Ecclesia. n. 2. ibid.
Astruitur nihilominus ab Ecclesia fides habitualis per baptismum infantibus infusa, & quare. num. 2. & 3. ibid.
Et probatur. n. 12 & sepuentibus. p. 611.
Doctrinam Lutheri de fide actuali infantum quomodo explicent illius sectatores. ibid. c. 3. a. 4. num. 4. p. 610.
Reijcitur hæc doctrina Lutheri ex ipsorummet Lutheranorum principio. n. 5. p. 611.
Idipsum figmentum reijciunt sancti Patres. n. 6. & seqq. ibid.
Exemplum S. Ioannis in utero exultantis nihil iuvat Lutheranos. n. 9. ibid.
Explicatio Lutheranorum super sententiam Lutheri reijcitur. n. 11. ibid.
Infantes in Baptismo verò credunt, licèt non per se sed per patrinos, & quomodo hoc intelligendum. n. 19. & seqq. p. 612.

FIDUCIA.

Fiducia quid & quotupliciter considerari possit. l. 10. c. 6. a. 6. n. 1. p. 489.
Omnis radix & fundamentum fiduciæ in sola Dei misericordia est. ibid. & n. 4. p. 490.
Cum eo quòd homo fidat in sola Dei misericordia, stat, quòd de bona conscientia gaudeat. n. 4. ibid.
Cur non obstante hac fiduciâ de conscientia bona homo cum tremore & timore iubeatur operari à scriptura. n. 5. & seqq. ibid.
Sancti cur sæpiùs se peccatores falsi fuerint. ibid. n. 7. p. 491.
Diabolo ex meritis superbiam ingerenti quomodo respondendum. n. 9. ibid.

FIDUCIA, SEU SPES.

Quid sit fiducia seu spes. l. 9. c. 5. a. 2. n. 7. p. 400. in fine, & n. 8. ibid. & a. 6. n. 1. p. 407.
Fiducia de peccatis sibi dimissis duo involvit, & quænam. p. 400. ibid.
Hanc fiduciam quo sensu admittat Ecclesia Catholica. ibid.
Et quo excludat. n. 9. p. 401.
Si Deus absolute promisisset omnibus salutem de ea spem non haberemus. a 6. n. 3. p. 407.
Spes nostra quomodo firma esse possit. ibid. & n. 16. pag. 410. a. 8. in conclus. 413.

FUNDAMENTUM ECCLESIAE.

Sanctus Petrus quomodo sine contumelia Christi possit dici fundamentum Ecclesiæ. l. 21. c. 1. a 3. n. 3. p. 84[illegible].
S. Petrus Ecclesiæ fundamentum probatur ex sanctis Patribus. n. 4. & seqq. ibid. *vide ulterius* S. Petrus.

FUNDAMENTUM FIDEI ET MORUM.

Fundamentum Ecclesiæ reformatæ sacra Scriptura cum subalternis declarationibus. l. 1. c. 2. a. 1. n. 1. p. 5.
Sed falsum. n. 2. & 3. ibid.
Falso affingitur Ecclesiæ Pontificiæ quòd humanis traditionibus ut fulcris nitatur. n. 4 ibid.
Ecclesia Romana non nititur alio fundamento quàm verbo Dei aut scripto aut tradito. n. 4. ibid.
Fideles optimè & sanctè utuntur Pontificum & Conciliorum declarationibus in verbi Dei tam scripti quàm non scripti intelligentia. n. 6. ibid.
Ecclesiæ Romanæ fundamentum continetur symbolo Constantinopolitano. l. 2. c. 1. a. 3. n. 1. p. 11.
Nullum aliud agnoscit Ecclesia Romana Fidei fundamentum & regulam morum quàm verbum Dei scriptum & traditum. n. 3. p. 12.

G.

GABRIEL BIEL.

Vindicatur ab Anonymi tertii calumniis. l. 21. c. 3. a. 2. per tot. p. 867.

GEORGIANI.

Quinam populi, & quare sic dicti. l. 4. c. 6. art. 3. n. 2. pag. 151.

GRAECI MODERNI.

Græci moderni ad confusionem Acatholicorum agnoscunt traditiones Apostolicas. l. 2. c. 2. a. 7. n. 23. p. 22.

GRÆCORUM SCHISMA.

Hæsitant quandoque Acatholici utrum Græcorum secta sit vera Ecclesia. l. 4. c. 5. in præfat. p. 134.
Græcorum schismati occasionem quis dederit. a. 1. num. 1. ibid.
Photius schismatis author quid Latinis obiecerit. ibidem n. 4. p. 135.
Primus articulum de processione Spiritûs Sancti à Filio impugnavit. n. 6. ibid.
Photius in exilium relegatur, S. Ignatius restituitur. n. 7. ibid.
Libri illius damnantur & execrantur. n. 9. p. 136.
Episcopi lapsi per deceptionem Photii in Concilio Constantinopolitano pœnitent. n. 9. ibid.
Photius damnatus postea restituitur, & quâ fraude. n. 13. ibid.
Conciliabulum congregat, & multa perversè agit. ibid. n. 15. p. 137.

Tan-

Digitized by Google

Tandem iterum deijcitur ac monasterio includitur. n. 16. ibid.
Secundus Græci schismatis author quis, & quâ occasione. a. 2. n. 1. ibid.
Græci quando, & quomodo hæretici facti. ibid. n. 3. p. 138.
Græcorum sectam non esse veram Ecclesiam Christi probatur in generali. n. 4. ibid.
Demonstratur etiam in particulari falsa. a. 3. & seqq. ibid.
Articuli futiles de quibus Romanam Ecclesiam accusant Græci. a. 3. n. 2. ibid.
Econtra graves articuli quos Legati Sedis Apostolicæ sub Leone IX. in Græcis deprehenderunt. ibid. num. 3. p. 139.
Quæ potissimùm inter Græcos contra Latinos manserint capita, ut Græci putant, iusti schismatis. num. 4. ibid.
Respondetur breviter ad duo capita de ieiunio in Sabbatho & confectione V. Sacramenti in azymo, quæ salvâ pace disputari possunt. n. 4. & seqq. ibid.
Pulchra & notabilia corollaria doctrinam Ecclesiæ Romanæ & Græcorum schisma concernentia ex dictis de schismate Græcorum colliguntur. ibid. a. 9. per tot. pag. 148.
Ecclesia Græca verè schismatica ac hæretica. ibid. n. 6. p. 149.
Arrogantia Patriarcharum Græcorum. n. 6. ibid.
Græci requisiti nullum Acatholicis patrocinium præstant. n. 7. ibid.

GRATIA.

Gratiæ multiplices acceptiones proponuntur. l. 9. c. 1. a. 3. per tot. p. 344.
Certum est apud Doctores Catholicos dari gratiam gratum facientem, quamvis salvâ fide disputetur de ea, an sit quid distinctum à charitate, an non. ibid. a. 4. n. 1. p. 345.
Charitas & gratia esto eadem virtus & habitus infusus asserantur, penes tamen diversos respectus differunt, & quomodo. ibid. n. 2. p. 345.

GRATIA HABITUALIS.

Gratia habitualis requiritur ad opus meritorium vitæ æternæ. l. 10. c. 6. a. 4. n. 7. p. 485.
Duo præstat in homine, & quænam. ibid.
De potentia absoluta non est necessaria ad vitam æternam, bene tamen de potentia ordinaria. ibid.
Nemo potest scire se esse in gratia. ibid. a. 6. num. 2. p. 490.

H.

HÆRESIS.

Nulla unquam fuisset hæresis si sufficeret aliquos articulos fidei verè credere, & in aliis deficere. l. 1. c. 2. a. 2. n. 3. p. 2.
Nulla fuit secta aut hæresis quæ sibi non adscripserit nomen unicæ & veræ Ecclesiæ. l. 3. c. 6. a. 1. num. 1. paginâ 83.
Nullæ tamen sectæ aut hæreses quantumvis in Christum credant ad veram Ecclesiam spectant. n. 2. ibid.
Hæreses se mutuò damnant. ibid.

HÆRESIS ARIANA
vide Ariana hæresis.
HÆRESIS EUTYCHIANA
vide Eutychiana.
HÆRESIS ICONOCLASTARUM.

Quo authore hæresis hæc inceperit. l. 4. c. 4. a. 7. n. 1. p. 132.
Leo Isauricus modernorum Reformatorum patronus. ibidem.
Leoni qui & quomodo contradixerint. n. 2. & 3. ibid.
Constantinus Copronymus Iconoclasta, qualis fuerit. n. 6. p. 133.
Congregavit Concilium suæ factionis contra imagines. n. 5. ibid.
Quæ in ea pseudosynodo decreta. ibid.
Constantinus quomodo mortuus. ibid.
Iconoclastarum hæresis, quare non sit vera Dei Ecclesia. n. 10. p. 134.

HÆRESIS NESTORIANA.

Nestoriana hæresis quando inchoata. l. 4. c. 4. a. 2. n. 1. p. 126.
Nestorius huius sectæ author quis fuerit. ibid.
Nestorius quid docuerit. ibid.
Cælestinus Pontifex damnat Nestorium. ibid. num. 3. p. 127.
Nestorius ad Concilium Ephesinum citatus parere recusat. n. 5. ibid.
Congregatis aliquot suæ factionis Episcopis Patres concilii damnat ac per Imperatorem affligit. n. 6. ibid.
Imperator bene informatus Nestorium eijcit. ibid.
Tandem obiit, & quâ morte. n. 7. p. 128.
Hæresis hæc non est vera Christi Ecclesia, & quare. num. 8. ibid.
Manent adhuc reliquiæ huius hæresis in Oriente. ibid.
Missæ sacrificium celebrant, sed in fermentato, & idiomate Chaldaico. ibid.

HÆRETICUS.

Hæreticus non est, qui non est pertinax. l. 3. c. 2. a. 1. n. 3. p. 50.
Hæretici unanimiter utuntur verbis S. scripturæ malè intellectis. ibid. c. 5. a. 3. n. 4. p. 76.

HÆRETICORUM PUNITIO.

Frustra Acatholici succensent Principibus christianis, quòd hæreticos pertinaces ultimo supplicio, sed rectissimè affici curârint. l. 4. c. 7. a. 11. n. 9. p. 167.
Multos Catholicos in Anglia, Hibernia, & vicinis iniquissimè occiderunt hæretici. ibid.
Calvinorum excusatio in ipsos iustè retorquetur. ibid.

HERACLIUS IMPERATOR.

Dolo Sergii inescatus fit Monothelita. l. 4. c. 4. a. 5. n. 1. p. 131.

HIEROSOLYMITANUM TEMPLUM.

Templum à Zorobabel ædificatum externo splendore non fuit illustrius templo Salomonis, & quare. l. 4. c. 2. a. 3. n. 6. p. 101.
Sed propter præsentiam Christi fuit illustrius. ibid.
Per AElium Adrianum funditus eversum. numero 7. ibid.
Iudæi divinitus impediti ne illud sub Iuliano Apostata restaurarent. ibidem art. 4. per totum, paginâ 101.

HUSS.

Acatholici per Ioannem Huss non possunt notam schismatis eliminare. l. 4. c. 7. a. 10. n. 1. p. 164.
Ioannus Huss errores & doctrina in particulari referuntur. a. 10. per tot. ibid.
In quibusdam cum VVicleffo convenit, in aliis discrepat; plura etiam referuntur in quibus Acatholici dissentiunt. n. 3. & 4. p. 164. & 165.

HYPERDULIA
vide Sanctorum cultus.

Digitized by Google

I.

Jacobitae.

Quinam populi, & quando conversi ad fidē, & postmodum seducti in hæresin. l. 4. c. 6. a. 3. n. 3. p. 151.
Errores eorundem referuntur. n. 4. ibid.
Iacobitæ magnam stragem fidei fecerunt, etiam inter Monachos, & cur. n. 5. & seqq. ibid.
Iconoclastæ. vide Hæresis Iconoclastarum.

Idolum.

Quomodo Reformati verè dicantur formare idola. l. 7. c. 9. a. 6. n. 11. p. 300.

Jejunium quadragesimale.

Ieiunium quadragesimale ex divina traditione probatur. l. 2. c. 2. a. 7. n. 1. p. 18. & n. 19. p. 21.

S. Ignatius martyr.

De ordinibus minoribus commemorat velut ab Apostolis traditis. l. 2. c. 2. a. 7. n. 1. p. 18.

Imagines.

Iudæorum, Mahometi, aliorúmque hæreticorum sententia de imaginibus. l. 7. c. 4. a. 1. p. 269.
De imaginibus doctrina Catholica proponitur. a. 2. p. 270.
Inter imaginem, similitudinem & idolum quæ diversitas. a. 3. n. 1. & seq. ibid.
Filius in divinis cur imago Patris. n. 2. ibid.
Imagines cur non sint nec dici possint simulachra aut idola. n. 4. & seq. ibid.
Vera imago quotupliciter sumi possit. ibid. num. 7. pag. 271.
Imagines pictæ aut sculptæ quotupliciter sumi possint. n. 8. ibid.
Sculpturæ seu imagines non sunt prohibitæ. ibid. c. 5. n. 1. per tot. p. 272.
Nulla pictura exhiberi potest licitè quasi illa haberet aliquid divinitatis, aut quasi esset propria Dei similitudo. a. 2. n. 1. & seq. ibid.
Non quidem de fide sed moraliter certum est licere fingere historias quæ metaphoricè Deum repræsentent. ibid. n. 4. p. 273.
Refutatur doctrina Calvini contra cultum sacrarum imaginum a. 3. p. 274.
Veneratione dignas esse imagines probatur ex Patribus Græcis. c. 7. a. 4. p. 281.
Idem probatur ex Patribus Latinis. a. 5. p. 282.
Sub signis quinam serviat? qui verò spiritualis & liber. n. 3. ibid.
Fideles ante imagines licitè se prosternunt, non illas sed prototypon adorantes. n. 4. ibid.
Fraudulentia Calvini contra D. Gregorium eliditur. ibid. n. 7. p. 283.
Miracula in confirmationem doctrinæ Catholicæ de veneratione imaginum referuntur. a. 6. n. 1. ibid.
Probatur ratione licitas esse imagines. n. 2. ibid.
Speculum veræ & Catholicæ doctrinæ modernæ Ecclesiæ cum primitiva concordantis circa sacrarum imaginum cultum, ex opposito falsitatem adversæ fidei demonstrans per Antitheses. l. 7. c. 7. a. 6. p. 284.
Ecclesia in Concilio Nicæno II. clarè errorem Acatholicorum circa imagines damnat. ibid. c. 9. a. 1. n. 1. p. 294.
Calumniæ & mendacia Calvini contra hanc septimam Synodum referuntur. a. 1. per tot. ibid.
A simulachris Gentium ad imagines Christianorum nulla consequentia. n. 4. ibid.
Cultus divinus nullatenus exhibetur imaginibus. ibid. n. 8. pag. 295.
Liber falsus dictus Carolinus rejicitur. a. 3. n. 1. & seqq. p. 296.
Concilium Francofurtense nihil officere imaginibus, probatur. n. 5. & seqq. ibid.
Quid Anonymus II. alleget contra cultum imaginum. l. 7. c. 9. a. 5. n. 1. p. 297.
Refutatur ibidem. n. 2. p. 298.
Respondetur potissimùm ad Concilium Eliberitanum. ibid.
Anonymi tertii allegata contra cultum imaginum refutantur. a. 6. p. 299.

Imaginum Cultus.

Miraculum circa S. Ioannem Damascenum pro cultu sacrarum imaginum. l. 4. c. 4. a. 7. num. 3. paginâ 132.
Hunc cultum restituit Irene Imperatrix contra Iconoclastas. n. 6. p. 133.
Ad hunc cultum restaurandum Concilium Nicææ congregatum, & quæ in eo definita. n. 7. ibid.

Indulgentiae.

Indulgentia quid. l. 8. c. 5. a. 2. n. 2. p. 328.
Indulgentia concernit solùm fideles in hac vita per modum absolutionis, alios per modum suffragii, & cur. n. 4. ibid.
Indulgentiæ valere possunt pro vivis etsi non prodessent defunctis. ibid.
Indulgentiæ non solùm ob purgatorium, sed etiam in hac vita satisfiat. olim quæsitæ. n. 5. ibid.
Ab initio Ecclesiæ viguit usus concedendi multorum annorum indulgentias. n. 5. & seqq. ibid.

Infantes Fidelium.

Eos ex utero matris nasci sanctos & regenitos Calvinus quâ ratione astruat. l. 13. c. 2. a. 4. numero 1. & 2. p. 602.
An omnes qui ex Abraham & Isaac, nati fuerint sancti. n. 5. ibid.
Utrum semen Abrahæ sanctum, quodnam, & quare. ibid.
Generatio carnalis ex parentibus fidelibus non constituit Filium Dei. ibid.
Filii fidelium sancti ab Apostolo dicti, non de sanctitate spirituali accipiendum, sed alia, & quanam. n. 8. & seqq. p. 603.
Ex Acatholicorum doctrina de sanctitate filiorum fidelium sequuntur contradictoria. n. 11. ibid.
Infantes sine baptismo decedentes, an absque culpa damnentur. n. 12. p. 604.

Infantium Baptismus.

Vide Baptismus Infantium.

Infantium Fides.

Vide Fides infantium.

Intentio.

Intentio triplex, actualis, habitualis, & virtualis. l. 10. c. 6. a. 3. n. 5. p. 483.
Quid sit intentio virtualis. ibid.

Invocatio Sanctorum.

Errores Acatholicorum circa invocationem Sanctorum. l. 6. c. 4. a. 1. per tot. p. 240.
Doctrina Catholica circa invocationem Sanctorum explicatur. ibid. a. 2. per tot. p. 241. & cap. 6. a. 1. n. 1. & seqq. p. 245.
Non solùm exauditio sed & invocatio aliquando dicitur de Deo aliquando de hominibus, & plura alia vide ibid.
Invocatio Sanctorum probatur ex Patribus Græcis. a. 3. p. 247.
Doctrina Ecclesiæ Catholicæ de Sanctorum invocatione probatur ex scriptura. l. 6. c. 6. a. 2. per tot. p. 246. & l. 21. c. 2. a. 2. n. 28. & 33. & seq. p. 854.
Invocatio Sanctorum non cedit in iniuriam Christi. a. 2. n. 4. p. 247.
Doctrina Ecclesiæ Catholicæ probatur ex SS. Patribus Latinis. a. 4. p. 248. & l. 21. c. 2. a. 2. n. 28. p. 854.

Modus quo Sancti preces nostras videre & audire possunt scholasticè proponitur, & resolvitur. a. 5. n. 3. & seqq. p. 249.
Congruè dicitur quòd Beati in verbo velut in speculo voluntario videant creaturas. ibid. n. 9. p. 250. *vide* Sancti.

JOANNES.

Vide Baptismus Joannis.

ISRAELITAE.

Israëlitæ duplices sunt secundùm carnem & spiritum. l. 4. c. 2. a. 1. n. 2. p. 99. & a. 12. n. 4. p. 109.
Israëlitæ secundùm carnem quare specialiter Dei populus dicti. ibid. p. 99.
Israëlitæ secundùm spiritum ad veram Ecclesiam pertinebant. n. 3. ibid.
Omnes huiusmodi credebant in Christum venturum. n. 4. ibid.

JUDAEI.

Iudæi per captivitatem in qua sunt non satisfaciunt pro peccatis suis. l. 4. c. 2. a. 18. n. 15. p. 118.
Multò minùs merentur felicitatem temporalem, quam per Messiam expectant. ibid.
Peccatum gravissimum Iudæorum quòd Christum occiderint, & modò adhuc blasphement. n. 16. ibid.
Iudæi non in Christum solùm, sed etiam in Deum Creatorem cæli & terræ quem agnoscunt blasphemi. a. 19. n. 1. & seqq. ibid.
Iudæorum Thalmud duplex continet quædam vera antiquorum Rabbinorum dicta sed plurima falsa per posteriores Rabbinos per passionem Christi addita sunt. num. 2. ibid.
Iudæi crudeles, & quare ipsorum Medici fugiendi. ibid. n. 5. & 6. p. 119.
Cur nemo Iudæorum obstinatam perfidiam mirari debeat. ibid. n. 8. p. 120.

JUDAEORUM SECTA.

Iudæorum secta post Christi passionem non est vera Dei Ecclesia. l. 4. c. 2. a. 2. p. 99.
Quæ sit causa excæcationis Iudæorum, quòd Christum non agnoscant. a. 10. p. 107.
Iudæi imitatores paternæ malitiæ. ibid. n. 3. p. 108.
Cæcitatem Iudæorum circa tempora Messiæ futuram per Prophetas prædictam antiqui Rabbini agnoverunt. a. 11. n. 2. ibid.

JUSTIFICATIO.

Iustificatio quot modis in scriptura accipiatur. l. 9. c. 1. a. 1. per tot. p. 343.
Plura in iustificatione concurrunt, & quænam. l. 9. c. 4. a. ult. n. 2. & seqq. p. 393.
Satisfactio & impetratio veniæ in iustificatione diversa sunt. ibid.
Iustificatio duo potissimùm involvit, nempe peccatorum remissionem, & gratiæ infusionem. n. 4. ibid.
Quomodo peccatum & gratia opponantur, salvâ fide disputant Theologi. ibid. p. 394.
Nec contrariè nec privativè opponi quid probet iuxta Scotum. ibid.
De absoluta, non verò de ordinaria potentia possunt esse simul. n. 5. ibid.
In iustificatione peccatoris duplex mutatio, una privativa, altera positiva. ibid.
Quænam earum mutationum sit prior resolvitur. n. 6. ib.
Forensis Calvini iustificatio nihil eidem patrocinatur, contra infusionem gratiæ à Catholicis assertam. n. 8. & seqq. ibid.
Brevis epilogatio de causis iustificationis. in conclus. p. 395.
In Ecclesia Romana duplex agnoscitur iustificatio, & quænam. l. 21. c. 1. a. 4. n. 4. p. 844.
Ad primam iustificationem nullum agnoscit meritum nostrum. n. 5. ibid.
Bene tamen ad secundum. n. 6. ibid.

JUSTIFICATIONIS CAUSA.

Errores veterum hæreticorum circa iustificationis causas. l. 9. c. 2. a. 1. per tot. p. 346.
Lutherus eiusque sectatores quid senserint. a. 2. per tot. ibid.
Quid Calvinus eiúsque sequaces. a. 3. per tot. ibid. p. 347.
Calvinistæ admittentes in homine iusto fidem, spem & charitatem *videntur non discrepare à sententia Catholica, quamvis reipsâ multum dissideant.* ibid. n. 6. p. 348.
Ex sententia Catholica iustificatio non est sola remissio peccatorum, sed sanctificatio & vera actio. a. 4. n. 1. ibid.
Quot & quæ sint causæ huius iustificationis. ibid.
Status quæstionis inter Catholicos & Acatholicos de causis iustificationis. a. 5. per tot. p. 350.

JUSTIFICATIONIS CAUSA FORMALIS.

Acatholici in causa formali iustificationis dissident. l. 9. c. 4. a. 1. p. 374.
Ecclesiæ Catholicæ doctrina proponitur. ibid. a. 2. n. 1. p. 375.
Explicatur ibid. n. 2. & seqq.
Fraus & calumnia Acatholicorum contra doctrinam Catholicam. n. 3. ibid.
Sola fides non est causa formalis iustificationis. a. 3. n. 1. p. 376.
Nec iustitia essentialis Dei ab ipsomet Calvino damnata. ibid.
Absurda quæ ex hac Osiandri doctrina sequantur. ibid. & n. 2. & seqq. ibid.
De iustificatione sententia Calvini proponitur. a. 4. n. 1. p. 377.
Definitio Concilii Tridentini eidem opposita. ibid.
Sententia Calvini declaratur. a. 4. n. 2. ibid.
Iustificationem non esse solam peccatorum remissionem probatur. n. 3. & seqq. ibid.
Propter iustitiam Christi homo iustificatur, sed hæc non est causa formalis. a. 5. per tot. p. 378.
Imputata hæc Acatholicorum iustitia reprobatur. ibid. n. 5. & 6. p. 379.
Peccata in iustificatione verè delentur. a. 6. per tot. ibid.
Homo quomodo iustitiâ Christi vestiatur, & quomodo non. a. 7. per tot. p. 380.
Ex benevolentia Dei homo iustificatur. a. 8. n. 1. ibid.
Præter hanc benevolentiam etiam gratia inhærens homini admittenda probatur ex scriptura. ibid. n. 2. p. 381.
Hæc à Deo creata & homini infusa iustitia est unica formalis causa iustificationis. a. 9. per tot. ibid.
Filii Dei non extrinsecè sed intrinsecè dicimur. ibid. n. 7. p. 383.
Gratia intrinsecè inhærens non præiudicat Christi redemptioni. n. 8. ibid.
Argumentum Calvini contra Osiandrum in ipsummet retorquetur. n. 10. ibid.
Testimonia SS. Patrum de iustificatione per donum aliquod infusum hominíque inhærens. a. 10. per tot. p. 384.
Augustinus Calvino displicet. ibid. n. 9. p. 385.
Argumenta Calvini refutantur, & quædam dicuntur ad oppositum. a. 11. per tot. p. 386.
Aliorum Acatholicorum argumentis occurritur. a. 12. per tot. p. 389.
Item ex ratione reprobantur. artic. ultimo per tot. p. 393.

Spe-

Digitized by Google

Speculum veræ & catholicæ doctrinæ modernæ Ecclesiæ cum primæva concordantis circa causam formalem iustificationis, ex opposito falsitatem adversariorum exhibens. a. ult. per Antitheses, p. 396.

JUSTIFICATIONIS CERTITUDO.

Vtrum homo de sua iustificatione aut iustitia certus esse possit, quid senserit Lutherus, Calvinus. l. 9. c. 5. a. 1. n. 1. 2. & 3. p. 398.
Quid eorundem sectatores. n. 4. ibid.
Quid Ecclesia Catholica de hoc sentiat. a. 2. n. 1. & 2. p. 399.
Certitudo quid nominis. n. 3. ibid.
Cui propriè opponatur. ibid.
Strictè dicta quid. n. 4. ibid.
Vnde oriatur. ibid.
Certitudo fidei duplex & qualis. ibid. n. 5. p. 400.
Quis sit quæstionis status. n. 7. ibid.
Ex certitudine fidei pendet certitudo fiduciæ. n. 7. ibid.
Citra specialem Dei revelationem nemo potest esse certus de sua iustificatione certitudine fidei. art. 3. per tot. p. 401.
Nemo certus est, utrum actus ad iustificationem prævios exerceat sicut oportet. ibid. n. 10. p. 403.
Testimoniis sanctorum Patrum probatur neminem esse certum de sua iustificatione. a. 4. per tot. ibid. *nisi certitudine aliquâ morali.* ibid. p. 403. & a. 6. n. 3. p. 407.
Idem rationibus ex sacra scriptura & ipsorummet Acatholicorum principiis petitis, probatur. a. 5. per tot. p. 405.
Idipsum Calvinus fatetur dum cor humanum ita obscurum dicit ut semetipsum sæpe fallat. ibid. num. 6. p. 406.
Promissio salutis non est omnibus absolutè facta. a. 6. n. 2. p. 407.
Argumentis Acatholicorum satisfit. ibid.
Apostolus Paulus an fuerit certus de sua iustificatione, plusquam moraliter. ibidem numero 10. paginâ 409.
A charitate Christi quomodo possit & non possit dici homo separari posse. n. 11. & seqq. ibid.
Dum articulum de iustificatione falsum astruunt Acatholici, quem Paræus fundamentum separationis ab Ecclesia Romana docet, falsam solùm habere fidem convincuntur. a. 7. n. 1. p. 411.
Mendacia & calumniæ Acatholicorum contra Ecclesiam Romanam in materia de iustificatione eliduntur. a. 8. per tot. p. 412.
Ex Calvino homo fidelis simul terreri & securissimâ consolatione potiri potest. ibid. n. 4. p. 413.
Sed hoc pacto suæ certitudini contradicit. n. 5. ibid.
Certa fiducia Catholicorum quomodo stet cum anxietate. in concl. n. 2. p. 414.
Speculum Catholicæ doctrinæ modernæ Ecclesiæ cum primæva concordantis circa certitudinem singulorum fidelium quoad propriam iustificationem, ex opposito falsitatis Acatholicos arguens. per Antitheses, ibid.

JUSTIFICATIONIS DISPOSITIO.

Nulla qualiacunque opera ex solis naturæ viribus ad Fidem & iustificationem disponunt. l. 9. c. 3. a. 1. per tot. p. 351.
Contrarium huius falsò imponi Ecclesiæ Romanæ probatur. ibid.
Corollarium doctrinæ de iustificatione. ibid. a. ult. in conclus. p. 372. plura vide Fides.
Speculum veræ & catholicæ doctrinæ modernæ Ecclesiæ cum primæva concordantis circa dispositiones iustificationis, ex opposito falsitatem adversariorum demonstrans. l. 9. c. 3. a. ult. per Antitheses, p. 373.

JUSTITIA.

Vbi sana fides non est non potest esse iustitia. l. 3. c. 2. a. 3. n. 7. p. 52.
Iustitia à qua iustificatio, quid sit, & quot modis accipiatur. l. 9. c. 1. a. 2. per tot. p. 343.

L.

LEX NOVA.

Per Messiam lex nova erat danda. l. 4. c. 2. a. 12. n. 1. p. 109.
Probatur ex scriptura veteris Testamenti. ibid. per tot.
Lex nova non in tabulis lapideis sed in cordibus scripta. n. 3. ibid.

LEX VETUS.

Triplicia erant præcepta in lege Moysis, moralia, cæremonialia & iudicialia. l. 4. c. 2. a. 11. n. 4. p. 108.
Moralia in quo fundentur. ibid.
In omni tempore servanda. ibid.
Cæremonialia & iudicialia solùm durabant usque ad Messiam. n. 5. ibid. & a. 13. per tot. p. 110.
Christum legem servasse ostenditur. a. 14. per tot. p. 111.
Cæremonialia servavit usque ad eorum adimpletionem. n. 3. ibid.
Moralia Christus non tantùm servanda præcepit, sed perfectiori modo ordinavit. n. 4. ibid.
Præceptum Sabbathi quomodo mutatum fuerit. num. 6. ibid.

LEGIS OBSERVANTIA.

Hominem ex speciali gratia & auxilio Dei posse servare totam legem probatur ex scriptura. l. 10. c. 2. a. 1. p. 435.
Eadem veritas docetur ex SS. Patribus Græcis & Latinis. a. 2. pag. 436.
Si mandata Dei essent impossibilia Deus esset Author peccati. n. 3. p. 437.
Dilectio inimicorum possibilis est. ibid. n. 6. ibid.
Quamvis possint servari mandata Dei, non tamen sine gratia. n. 9. & 10. p. 438.
Mandata Dei possibilia esse suadetur ratione. n. 11. pag. 439.
Præcepta diligendi Deum & non concupiscendi quomodo servari possint. a. 3. ibid.
Præceptum diligendi Deum super omnia quomodo intelligendum. ibid. n. 3. p. 440.
Respondetur ad D. Augustinum ab Acatholicis citatum. n. 3. & seqq. ibid.
Præceptum, non concupisces, quomodo intelligendum. n. 6. p. 441.
Homo cur & quomodo non sit sine peccato. n. 6. & 7. p. 441. & a. 4. n. 6. p. 444.
Argumenta Acatholicorum quibus probare conantur præcepta esse impossibilia servatu. a. 4. p. 442.
Lex vetus quomodo importabile iugum. n. 1. ibid.
In Concilio Hierosolymitano quæ & quomodo ab Apostolis Christianis præcepta. n. 2. p. 443.
Christus suos arctiùs obligavit ad Decalogum. n. 4. ibid. *Item* c. 4. a. 2. n. 1. p. 451.

LIBRI CANONICI.

Circa libros scripturæ Canonicos quid senserint antiqui hæretici, & dubitarint quidam Patres orthodoxi. l. 2. c. 5. a. 1. per tot. p. 34.
Quinam libri sint & habeantur ab Ecclesia Romano-Catholica Canonici. ibid. a. 2. p. 35.
Ecclesia non potest librum non Canonicum facere talem, nec è contrario. l. 2. c. 5. a. 2. n. 3. ibid.
Cuius sit declarare quinam libri sint Canonici. a. 3. n. 5. p. 36

Digitized by Google

Libri Canonici non possunt à non Canonicis seipsis discerni sicut amarum & dulce, sed solâ Ecclesiæ authoritate & sensu. n. 6. ibid.
Demonstratio generalis quinam libri sint Canonici. a. 4. per tot. ibid.
Libri Iudith & sapientiæ demonstrantur Canonici, eò quòd ex iisdem sancti Patres fidei dogmata probârint. a. 5. p. 37.
Idem ostenditur de libris Baruch & Esther. a. 6. p. 38.
Idem de libro Ecclesiastici. a. 7. p. 39.
Idem de libro Tobiæ. a. 8. ibid.
Idem de libris Machabæorum. a. 9. p. 40.
Nec obstat authoritas Hieronymi ab Anonymo primo citata. ibid. a. 10. p. 41.
Huic plus standum quàm privato spiritui. ibid. n. 7. p. 42.
Ecclesia non potest libros aliquos facere Canonicos, sed tantùm declarare quinam tales sint. l. 21. c. 1. a. 1. n. 4. pag. 839.
Dubitatio quorundam sanctorum Patrum de quibusdam libris utrum Canonici sint, non obstat quin verè ut Canonici postmodum agnoscantur. numero 5. ibid.
Libri de quibus fortè S. Hieronymus an Canonici essent dubitavit, ab aliis sanctis Patribus adhibiti fuerunt ad probanda fidei dogmata. n. 10. p. 840.
Canonici libri quando primùm ut tales specificati. ibid.
Libri de quibus controvertitur nunquam ut Apocryphi damnati ab Ecclesia. n. 14. ibid.

LUTHERUS.

Eius reproba mors suorúmque sequacium refertur. l. 4. c. 8. a. 6. n. 2. & seqq. p. 176.

LUTHERANI.

Lutherani non solùm ab aliis sed etiam inter se multis modis divisi semetipsos mutuò damnant & reyciunt. l. 4. c. 7. a. 2. per tot. pag. 154.
Lutherani secti sunt in rigidos & molles, qui rursus subdivisi. ibid. n. 4. p. 155.
Ecclesia vera Christi ob defectum unitatis non sunt. n. 6. in fine ibid.
Lutheri & aliorum pseudomiracula referuntur. c. 8. a. 1. n. 5. p. 168.
Nulla competit iis nota sanctitatis, & quare. a. 1. n. 3. ibid.

LYMBUS PATRUM.

Sancti Patres ante Christi adventum non fuerunt in cælo. l. 8. c. 6. a. 1. n. 1. p. 336.
Sancti Patres illi fuerunt in loco aliquo subterraneo. n. 2. & seqq. ibid.
Idem docent sancti Patres Græci. ibid. a. 2. per tot. p. 337.
Idem SS. Patres Latini. a. 3. per tot. ibid.
Calvinus circa statum animarum post hanc vitam dubius, scripturæ & suis sequacibus contrarius. a. 4. per tot. p. 338.

M.

MAHOMET.

Ex qua Gente progenitus. l. 4. c. 3. a. 1. n. 1. p. 120.
Quidnam officii primitus exercuerit. n. 3. ibid.
Comitiali morbo laborans Gabrielem sibi loqui mentitur. ibid.
Quibus Authoribus adiutus sectæ suæ dederit initium. n. 4. p. 121.
Ex omnium Religionum doctrina quosdam articulos additis propriis figmentis corrasit. a. 2. n. 1. ibid.
Iudæi ipsum primitus pro Meßia habuerunt. ibidem.
Doctrina eius corrasa in particulari proponitur. a. 2. per tot. ibid.
Cur absurda eius doctrina tantùm creverit. a. 7. p. 122.
De morte & sepultura ipsius. ibid.
Ipsis Ethnicis ostenditur impudentior. c. 3. a. 4. n. 8. p. 125.

MAHOMETICA SECTA ET DOCTRINA.

Grassabantur hæreses in Oriente antequam secta Mahometica exurgeret. l. 4. c. 2. a. 3. n. 1. p. 122.
Impura & falsa mahometica doctrina ostenditur. c. 3. a. 4. per tot. p. 123.
Arguitur primò in generali ex Damasceno. n. 1. ibid.
Prævaluit impia & sordida hæc doctrina sola vi armorum. ibid. n. 3. p. 124.
Miracula facta apud Saracenos in confirmationem doctrinæ christianæ à S. Francisco, sicut & martyria illustria duorum ex ordine Minorum recensentur. n. 4. & seqq. ibid.

MARIA.

MARIA Virgo Mediatrix dicta. l. 6. c. 5. a. 3. n. 4. p. 244.
Acatholici cultui B. Virginis invident. l. 6. c. 2. a. 3. n. 1. p. 233.
Non colitur B. Virgo cultu divino ab Ecclesia Romana. ibid.
Cultus qualis est cur debeatur B. Virgini. ibid.
Cultus B. Virginis non præiudicat Christo. ibid.
Beata Virgo Regina cæli probatur. ibid. n. 2. & 3. p. 234.
Beatißima Virgo Maria ante annunciationem voverat virginitatem. l. 11. c. 7. a. 4. n. 1. p. 539.
Virginitatem eius quis olim impugnaverit. numero 7. p. 540.
Lutherus honori B. Virginis detrahit. n. 8. ibid.
Similiter Calvinus qui votum illius iniquè impugnat, uterque verò refutatur. n. 9. & seqq. ibid.
Beatißima Virgo cur non obstante voto castitatis passa marito copulari. n. 15. p. 541.
Vtrum verum matrimonium inter Ipsam & B. Ioseph. ibid.

MARONITAE.

Maronitæ quinam, quomodo in hæresin tracti, & tandem Ecclesiæ Romanæ reuniti perstiterint. l. 4. c. 6. a. 3. n. 2. p. 151.

MARTYR.

Nequit esse martyr qui non est in Ecclesia, etsi sanguinem fundat. l. 3. cap. 2. a. 3. num. 2. & seqq. p. 51.

MELCHISEDECH.

Christus est Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, & non Aaron. l. 16. c. 2. a. 1. n. 1. p. 709.
Melchisedech in sacrificium panem & vinum obtulit. n. 2. ibid.
Christus, quomodo sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. ibid.
Melchisedech quinam. n. 4. p. 710.
Acatholicorum falsa expositio de Melchisedech reycitur. a. 1. n. 3. & seqq. p. 709.
Iudæi posteriores locum illum depravârunt, & quare. n. 5. p. 710.
Ab his Acatholici eum mutuò acceperunt. n. 6. ibid.
Antiquam Ecclesiam hoc vaticinium Melchisedech de sacrificio panis & vini in nova lege offerendo intellexisse probatur ex Patribus Græcis & Latinis. a. 2. per tot. ibidem.
Melchisedech typus fuit Christi. a. 2. n. 2. p. 711.
Melchisedech non hominem sed Angelum fuisse dicentes, refutantur. n. 9. p. 712.

Cal-

Digitized by Google

Calvini obiectiones contra Sacrificium Melchisedech refutantur. a. 3. per tot. p. 713.
Apostolus ad Hebraeos non exprimens sacrificium Eucharistia non per hoc ignoravit. n. 4. ibid.
Cur non expresserit. ibid. n. 7. p. 714.
Christus cur potius sacerdos secundum ordinem Melchisedech offerendo incruentum quàm cruentum sacrificium in cruce n. 9. & seqq. p. 714. & cap. 3. a. 2. n. 2. p. 728.
Cur Christus absolutè dictus sacerdos secundum ordinem Melchisedech, & non secundum ordinem Aaron. a. 3. n. 10. p. 714.
Christus in cruce oblatus cruento modo, nihilominus non est similis victima prout Aaron offerebat, & cur. ibid.
Sacrificium Crucis fuit verò Christi sacerdotis secundum ordinem Melchisedech. n. 11. ibid.

MATRIMONII SACRAMENTUM.

Post votum simplex nubentes peccant, etsi matrimonium valeat. l. 11. c. 9. a. 1. n. 1. p. 547.
Clerici in sacris & Religiosi non solùm peccant, sed matrimonium etiam invalidum est, & quare. ibid. & n. 2. p. 548.
Matrimonium huiusmodi invalidum probatur ex scriptura. n. 3. & seqq. ibid.
Item ex Conciliis & sanctis Patribus. a. 2. per tot. ibid.
Argumenta Acatholicorum in contrarium refutantur. a. 3. per totum, p. 551.
Circa Matrimonii Sacramentum qui, & quomodo errârint antiqui haeretici. l. 20. cap. un. a. 1. usque ad n. 7. p. 832.
Moderni Acatholici de hoc quid sentiant. n. 7. p. 831.
Circa matrimonium quid doceat Ecclesia Romana. a. 2. n. 1. & seqq. p. 832.
Matrimonium quotupliciter accipiatur. n. 6. ibid.
Quae controversia cum modernis Acatholicis de hoc. n. 7. ibid.
Matrimonium inter Christianos verum Sacramentum probatur a. 3. per tot. ibid.
Matrimonii Sacramentum polygamiam reiicit. n. 8. p. 833. & a. 4. ibid. & seqq.
Sancti Patres primi & secundi saeculi cur, licèt supposuerint, non tamen expressè scripserint matrimonium esse Sacramentum. a. 4. n. 1. & 2. p. 834.
Matrimonium ut Sacramentum qui sancti Patres expressè scripserint n. 5. & seqq. per tot. ibid.
Matrimonium fidelium benedicitur ab Ecclesia. n. 11. & 12. ibid.
Matrimonium Adam & Evae mysterio plenum fuit, & quomodo. n. 14. p. 835.
Matrimonium fidelium est indissolubile. n. 17. p. 835. & 21. p. 836.
Etiam non obstante adulterio. ibid.
Matrimonium tria in se complectitur bona. n. 19. & 20. p. 836.
Septenarium Sacramentorum numerum, ac inter ea Matrimonium propriè dictum Sacramentum agnoscit ecclesia Graeca moderna. a. 5. per tot. p. 837.
Speculum verae & Catholicae doctrinae modernae Ecclesiae Romanae cum primaeva concordantis circa Sacramentum Matrimonii falsitatem Acatholicorum ex opposito redarguens. l. 20. c. 2. a. 5. per Antitheses. p. 837.

MERITUM.

S. Augustinus non negat sed potiùs adstruit aliquod meritum nostrum. l. 21. c. 1. a. 4. n. 2. & seqq. p. 843.
Respectu regni caelorum iuxta sacram Scripturam & sanctos Patres datur meritum. n. 7. p. 844.
Opera hominis Deo multis titulis esse debita nihil obstat merito. ibid.
Merita contra Pelagianos quae reiicit Augustinus. n. 9. ibid.
Merita nostra quomodo coronentur in misericordia. ibid. & n. 10. p. 845.
Ecclesia Romana & Augustinus de merito consentiunt. n. 16. p. 845.
Meritum de congruo & condigno cur sic dictum à Theologis. n. 17. ibid.
Meritum aliquod bene dicitur dignum seu de condigno. n. 18. p. 846.
Meritorum dignitas unde. n. 19. ibid.
Meritum supererogationis sacra Scriptura & sancti Patres agnoscunt. n. 20. & seqq. ibid.
Nomen supererogationis non novum aut inusitatum. n. 29. p. 847. *vide fusiùs infrà* Opera bona.

MESSIAS.

Sententiae mirabiles Iudaeorum, ubinam sit Messias. l. 4. c. 2. a. 5. p. 102.
Prophetia de Messia in Domino nostro IESV Christo impleta demonstratur. a. 6. & 7. & seqq. ibid.
Christus ex semine David & ex Virgine natus. a. 6. n. 1. ibid.
Christus in Bethleem natus. a. 7. n. 1. & 2.
Christus pauper & mansuetus. n. 3. & 4. ibid.
Iudaeorum obiectiones contra Christum quod fuerit Messias. a. 15. per tot. p. 112.
Respondetur ad eas. a. 16. per tot. ibid.
Christi adventus duplex, & inter se diversus. ibid. n. 1. & seqq. p. 113.
Primus Christi adventus pauper. n. 2. & seqq. ibid.
Secundus in Maiestate. n. 4. & seqq. ibid.
Christus populum suum verè liberavit à iugo servitutis, & quomodo. a. 16. n. 7. & seqq. ibid.
Quae de liberatione Israël per Christum Messiam fienda in scriptura dicuntur spiritualiter sunt intelligenda. n. 8. p. 114.
Quae per Messiam praestanda Deus promisit spiritualiter accipienda probatur rationibus in scriptura fundatis. a. 17. per tot. ibid.
Satisfit obiectionibus Iudaeorum quibus probare nituntur Christum non esse verum Messiam. a. 18. p. 116.

FF. MINORUM ORDO,

Vide Ordo S. Francisci.

MIRACULA.

Qui extra Ecclesiam miracula facit, nihil est. l. 3. c. 2. a. 3. n. 8. p. 52.
Miracula sunt nota Ecclesiae verae. c. 6. a. 4. n. 2. p. 87.
Tam in novo quam vet. Testamento facta sunt ad confirmandam fidem. ibid.
Miracula per Prophetas praedicta testimonium perhibent de Christi adventu. n. 7. ibid.
Apostolis potestas miracula faciendi collata. n. 4. ibid.
Augustini argumentum ex miraculis. n. 5. ibid.
Respondet obiectioni Paganorum & Acatholicorum. n. 6. ibid.
Haeretici dum ficta miracula facere voluerunt in confirmationem suae sectae vera naturalia destruxerunt. ibid. n. 7. p. 88.
Deus nulla facit miracula in testimonium falsae doctrinae. l. 4. c. 2. a. 9. n. 4. p. 106.
Miracula Christi nota sunt ex antiquorum Iudaeorum confessione. ibid. n. 5. p. 107.
Figmentum Iudaeorum de miraculis Christi. ibid.
Pseudomiracula Lutheri & aliorum referuntur. c. 8. a. 1. n. 5. p. 168.
Calvinus simulatè mortuum resuscitaturus eundem verè occidit. a. 2. n. 5. ibid.
Miracula quando, & ubi necessaria. l. 5. c. 2. a. 3. n. 1. p. 190.

Digitized by Google

SS. Patres recensent miracula ad sacras Reliquias facta. n. 2. & seqq. ibid.
Recensentur miracula facta in venerationem sacrarum imaginum. n. 5 & seqq. p. 191.
Duo referuntur miracula quæ ab Acatholicis negari non possunt, unum de B. Virgine Cæsar Augustana, alterum de cereo Atrebatensi n. 7. & seqq. ibid.
Duo miracula circa realem præsentiam Christi in Eucharistia recensentur. ibid. n. 11. & seqq. p. 193.

MISSA UT SIC.

Missæ nomine quid intelligatur. l. 16. c. 8. a. 4. n. 1. p. 782.
Missæ nomen unde derivatum n. 2. ibid.
Missa olim duplex Catechumenorum scil. & fidelium n. 3 & seqq. ibid.
Missæ nomine nunc ex consuetudine Ecclesiæ quid intelligatur. n. 7. p. 783.
Antiquitas nominis Missæ demonstratur. n. 8. ibid.
Missa quomodo in honorem alicujus Sancti celebretur. a. 5. n. 1. ibid.

MISSA.

Circa sacrificium missæ quid impugnent acatholici, quid D. Vexillifero ad probandum propositum. l. 16. in præfat. p. 705.
Manichæi omne sacrificium negabant. c. 1. a. 1. n. 1. ibid.
In antiqua Ecclesia nulli leguntur sacrificium missæ impugnasse, & quare ibid.
Primi qui negârunt, & quinam hos secuti n. 2. ibid.
Lutherus duo in missa distinguens, orationes & cæremonias admittebat, oblationem Eucharistiæ rejiciebat, & quo docere. n. 3. ibid.
Calvinus ejusque Sectatores Lutherum secuti, quid sentiant n. 4. & 5. ibid.
Sacrificium potissimum dupliciter in scriptura usurpatum, & quomodo. a. 2. n. 1. p. 706.
Quid sacrificium propriè dictum, & quomodo ab impropriè dicto diversum n. 2. ibid.
Sacrificium quandoque sumitur pro reipsa quæ offertur, subinde pro ipsa oblatione, & subinde pro utroque simul. n. 3. ibid.
Ritus externus includit internam ministri actionem, quâ sacrificium subinde bonum subinde malum dicitur ibid.
Res oblata in sacrificio debet esse sensibilis n. 4. ibid.
Essentiale sacrificio ut Deo in signum summi dominii & propriæ subjectionis offeratur n. 5. ibid.
Sacrificia in veteri lege præscripta sed imperfecta erant, & quare. n. 6. ibid.
Quotuplicia, & quænam fuerint in veteri lege. ibid.
Sacrificia à certis ministris fiunt & quare n. 7. ibid.
Sacrificium propriè dictum certo ritu debere consecrari, offerri & consummari, probatur. n. 8. ibid.
Quæstio inter Catholicos & Acatholicos non est de sacrificio impropriè dicto n. 9. ibid.
Christus in ara crucis semetipsum offerens perfectissimum novæ legis sacrificium fuit, unde omnium virtus & propitiatio pro peccatis n. 10. p. 707.
Quæstio est de sacrificio in ultima cœna celebrato, & à certis ministris usque in finem mundi peragendo, quod negant Acatholici n. 11. & 12. ibid.
Omnes Nationes Orientis quantumvis hæresibus infectæ Missæ sacrificium, & realem præsentiam Christi in Eucharistia retinuerunt in confusionem Acatholicorum. l. 4. c. 6. a. 3. in conclus. n. 3. p. 153.
Praxin universalis Ecclesiæ de celebratione missæ à mille ducentis annis agnoscere debent Acatholici, & quare. l. 16. c. 4. a. 1. n. 2. & 3. p. 736.
Non solùm in Ecclesia Romana, sed etiam Græca, Æthyopica & aliis orientalibus Ecclesiis servata, & usque modo servatur. n. 4 ibid.
Probatur proxis hac ex liturgiis diversarum Ecclesiarum. n. 7. & seqq. ibid.
Item ex SS. Patribus a. 2. per tot. p. 737.
Nonnisi infamus Missæ sacrificium despicit. a. 2. n. 16. p. 738.
Missæ sacrificium horrore & reverentia plenissimum. ibid.
In missa idem quotidie sacrificium offertur n. 17. ibid.
Christus in sacrificio, quomodo licet verè, nihilominus per similitudinem immoletur. n. 18. ibid.
Missa licitè celebratur in honorem Sancti alicujus. c. 8. a. 5. n. 2. & seqq. p. 783.
Tunc tamen Ecclesia non dirigit preces ad Sanctos, sed ad Deum, ut per intercessionem Sancti, &c. aliquid largiatur. n. 6. p. 784.
Sacrificium non Martyri sed Deo offertur. n. 9. & 10. ibid.
Sanctorum intercessio licitè petitur in missa. n. 11. & 12. ibid. vide fusiùs infra Sacrificium Missæ.

MISSÆ CAEREMONIAE.

Circa Sacrificium missæ quænam à Christo instituta & mandata sint cæremoniæ. l. 16. c. 8. a. 1. n. 2. p. 780.
Unde postmodum aliæ præter has essentiales cæremoniæ accesserint. n. 4. p. 780.
In missa diversæ cæremoniæ adhibentur. n. 5. ibid.
Omnes cæremoniæ tam à Christo quàm ab Apostolis & Ecclesia ordinatæ missam quidem constituunt, non tamen omnes ingrediuntur rationem sacrificii. n. 6. ibid.
Quando sacrificium perfectè fieri credatur in Ecclesia n. 8. ibid.
Vestes sacras aliásque cæremonias missæ laudarunt Hussitæ & VVicleffistæ a. 2. n. 5. p. 781.
Lutherus varius in hac materia n. 7. ibid.
Vasa sacra qui polluerint a. 2. n. 2. ibid.
Calices sacros qui confregerint n. 3. ibid.
Lumina interdiem accendenda in Ecclesia qui negârint. n. 4. ibid.
Ecclesiæ cæremonias Calvinus quomodo rejiciat. n. 8. ibid.
Alias veritate convictus nihilominus substituit: an verò congruè juxta sua principia. ibid.
Doctrina Ecclesiæ Catholicæ pro cæremoniis Missæ. a. 3. per totum. p. 782.
Vestes sacras licitè usurpari in Missa probatur. a. 6. n. 1. & seqq. p. 784.
Ornamenta Altaris quænam, & quid faciendum cùm fuerint detrita n. 4. p. 785.
Ministrorum altaris vestimenta candida. n. 9 & 10. ibid.
Vasa aurea & argentea licitè adhiberi in sacro mysterio probatur ex scriptura. n. 13. ibid.
Eorundem usum in primitiva Ecclesia fuisse probatur ex sanctis Patribus n. 14. & seqq. ibid.
Vasa sacra à Laicis non tangenda n. 19. & 22. ibid.
Vasa sacra quando licitè confringi & vendi possint. n. 21. p. 786.
Vasa sacra inhonorans punitur n. 24. ibid.
Calumniæ Acatholicorum retunduntur. n. 25. & 27. ibid.
Luminariorum & cereorum usum in primitiva Ecclesia fuisse probatur. n. 28. & seqq ibid
Cæremonias missæ in actione consistentes licitas, & in primitiva Ecclesia usitatas fuisse, probatur in particulari de singulis. a. 7. per tot. p. 786.
Missa tota quoad ea quæ à sacerdote dicuntur in primitiva Ecclesia in usu fuisse demonstratur in singulari. a. 8. p. 788.
Quæ obscuriora tam extra quàm intra Canonem missæ sunt expli-

Digitized by Google

explicantur, & Acatholicorum calumniæ quæ incidunt refutantur. ibid.
Missa licitè & bene celebratur apud latinos in sola lingua latina, & non vernacula, & quare. a. 9. n. 3. & seqq. p. 792.
Acatholicorum objectiones rejiciuntur. ibid.
Cur Ecclesia olim in tribus linguis, scil. Hebraica, Græca & Latina liturgias celebrari voluerit. n. 8. p. 793.
In Missa cur quædam altè quædam submissâ dicantur voce. n. 11. & seqq. ibid.
Canonem missæ impugnat quidam Apostata recens. a. 10. n. 2. ibid.
Refutantur illius calumniæ. ibid. & seqq. p. 794.
Speculum veræ & Catholicæ doctrinæ modernæ Ecclesiæ Romanæ cum primæva concordantis circa cæremonias Missæ, ex opposito falsitatem Acatholicorum redarguens. a. 9 per antitheses, p. 795.

MISSA PRIVATA.

Omnem missam quando & qui damnârint l. 16. c. 7. a. 1. n. 1. p. 768.
Distinctionem missarum in privatam & publicam Lutherus primus invenit, ut hanc admitteret, & illam damnaret. n. 2. ibid.
Missam quam dixerit publicam. ibid.
Iuxta doctrinam Ecclesiæ Catholicæ non solùm missa quoad id quod Lutherus admittebat, sed etiam quoad eam partem quam damnabat, sancta & licita est. a. 2. n. 1. p. 769.
Astantes sacrificio Missæ ut communicent quotidie cur optarit Conc. Trid. n. 3. ibid.
Missas ut privatas quo sensu rejiciat Conc. Trid. n. 5. ibid.
Multipliciter missa aliqua dici potest privata. a. 2. n. 7. p. 770.
Omni loco etiam privato celebrare missam licitum est, quod nihilominus Ecclesia non permittit. a. 3. n. 1. ibid.
Idem de omni tempore probatur. n. 2. & seqq. ibid.
Missam non solùm pro generali Ecclesiæ necessitate sed etiam quibuscunque privatis licitè dici posse probatur. n. 5. & seqq. ibid.
Omnia, quæ sive immediatè sive mediatè ad salutem deserviunt hoc sacrificio licitè à Deo petuntur. n. 9. p. 771.
Missa in qua nullus præter unum adest ministrum licita probatur. n. 10. & seqq. ibid.
Præter solemnem missam eodem die eodémque templo aliæ privatæ dici possunt. n. 13. & seqq. ibid.
In natali Domini tres missæ ex antiquo usu dicuntur. n. 16. p. 772.
Sanctus Basilius missas privatas non reprehendit, sed hæreticorum conventicula. a. 6. n. 1. & seqq. pag. 774.
Exemplum Christi non præjudicat missis privatis in quibus nullus adstantium communicat. n. 5. & seqq. ibid.
Præceptum Eucharistiam distribuendi non obligat ut omni tempore & quibuscunque personis fiat. n. 6. p. 775.
Missa ut non celebretur sine adstantibus quando, & quare ordinatum. a. 6. in fine p. 776. & a. 7. n. 1. p. 777.
Hæc ordinatio non suffragatur acatholicis contra missas privatas sed potiùs eorum doctrinæ adversatur. n. 2. p. 777.
Helmstadiensis quidam Apostata contra missas privatas ad Græcos modernos appellans rejicitur. num. 6. ibid.
Græci moderni missas celebrant, non nisi uno præsente & respondente. a. 7. n. 7. ibid.

MISSA SOLEMNIS.

Missa solemnis in qua nemo, sacrificante excepto, Sacramentaliter communicat, licita probatur. l. 16. c. 7. a. 4. per tot. p. 772.
Olim fideles missæ astantes non semper sacramentaliter communicabant. n. 3. ibid.
Omnes missæ verè solemnes & absolutè publicæ sunt & communes, & quare. a. 5. per tot. p. 773.

MONACHISMUS.

Monachismus modernæ Ecclesiæ cum antiqua conveniens probatur. l. 11. c. 1. a. 4. per tot. p. 500.
Monachismi essentialia quænam. n. 3. ibid.
Præter essentialia antiqua multa particularia observabant penes quæ distinguebantur. a. 5. per tot. ibid.
Erant olim diversæ congregationes sub diversis Regulis. ibid. n. 7. & seqq. p. 501.
Mendacia Calvini de diversitate Monachismi moderni ab antiquo refelluntur. a. 6. per tot. p. 502.
Monachismus an præparatio ad altiora Ecclesiastica munera. n. 2. ibid.
Monachis quæ libera, quæ non. n. 4. & 7. p. 503.
Monachis an & quomodo ex labore manuum vivendum. n. 8. & seqq. ibid.
An, & quomodo ex eleemosynis vivere possint. n. 10. ibid.
Monachismus otium semper detestatur, non solum olim, sed & modo. n. 11. & seqq. p. 504.
Monachis tonsura olim ab Augustino seriò demandata. n. 15. ibid.
Calvinus quam imputat Monachis modernis schismaticam discessionem ipsemet potius fecit. n. 17. ibid.
Monachi veteres utrum particulares Ecclesias habuerint. n. 19. p. 505.
Utrum solemnioribus diebus convenerint in parochiis. n. 20. ibid.
Monachi an imitentur schisma Corinthiorum, & quæ causa illius schismatis. n. 22. ibid.
Calvinus in mores modernorum Monachorum debacchatur: refutatur. a. 7. p. 106.
Apostatæ Monachi quia in monasteriis malè vivere non permittuntur. fugiunt. n. 9. ibid. ut liberius vitiis indulgeant. p. 106.
Acatholicorum progenitores quales. n. 14. p. 507.
Monachi si qui sint habent liberiores moribus corrigunt. n. 18. ibid.

MONACHI.

Qui statum monachorum damnârint l. 11. c. 1. a. 1. per tot. p. 496.
Monachorum status quisnam, & à quo tempore viguerit. a. 2. per tot. ibid.
Quæ Monachorum exercitia. ibid. n. 4. & sparsim infrà. p. 497.
Quotuplices olim monachi habiti. n. 6. & n. 10. ibid. & seqq.
Monachus unde dictus. n. 8. ibid.
Statum Monachorum pium, sanctum & Deo gratum esse probatur. a. 3. per tot. p. 499.
Cur Regulares aut Religiosi dicti. a. 5. n. 11. p. 502.

MONOTHELITÆ.

Qui fuerint l. 4. c. 4. a. 5. n. 1. p. 131.
Damnantur à sexta synodo generali. ibid.
Macarius Archi-Episcopus Antiochenus noluit resipiscere. ibid.
Pseudomonachi Monothelitæ factum & damnatio. n. 2. ibid.
Congregant Conciliabulum Trullanum. a. 6. n. 1. p. 132.
Sed postea damnantur & ejiciuntur. n. 2. ibid.
Monothelitarum & Eutychianorum hæreses cur non veræ Christi Ecclesiæ. in conclus. ibid.

MORS

Digitized by Google

MORS LUTHERI ET CALVINI.
Vide Lutherus Calvinus.

MOYSES.

Non omnia sibi à Deo tradita scripsit. l. 2. c. 3. a. 1. n. 3. & 4. p. 23.

Moyses postquam prophetavit non ampliùs conjunctus est uxori. l. 11. c. 8. a. 3. n. 11. p. 545.

N.

NESTORIANA HÆRESIS.
vide Hæresis Nestor.

NUPTIAE.

V*Trum unicuique tentato sint nuptiæ præceptæ*. l. 11. c. 9. a. 3. n. 11. p. 553.

Propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat quomodo intelligendum ibid.

Non habet locum in voto astrictis n. 13. ibid.

Quænam Iuniores illæ quas Paulus vult nubere n. 15. ibid.

Ecclesia nuptias non damnat sed continentiam prefert. n. 18. & in conclus. ibid.

O.

OBEDIENTIA.

O*Bedientia Clericalis & maximè Monachorum in quo consistat*. l. 11. c. 5. a. 1. n. 1. p. 527.

Hæretici qui eam damnârint. n. 2. & seqq. ibid.

Doctrina Ecclesiæ Catholicæ. n. 6. ibid.

Obedientia hæc à Christo consulta, sancta & meritoria probatur. a. 2. per tot. ibid.

Obedientia duplex, una præcepta, altera consulta. n. 4. ibid.

Obedientia etiam in rebus aliàs liberis Deo grata. n. 6. p. 528.

Effugium acatholicorum excluditur. n. 7. & seqq. ibid.

Monachorum obedientia in primitiva Ecclesia usurpata & laudata probatur ex SS. Patribus. a. 3. per tot. ibid.

Apostatantium Monachorum obedientia quænam. a. 3. n. 5. p. 529.

Obediendum etiam superioribus fortè improbis n. 6. ibid.

Miracula obedientiam confirmant. n. 14. & seqq. p. 530.

OPERA BONA.

Pseudo-Apostoli solam fidem sufficere absque operibus bonis ad salutem docuerunt. l. 10. c. 1. a. 1. n. 1. p. 431.

Lutherus Eunomium hæreticum egregiè secutus offensis mandata Dei impossibilia docet. n. 3. ibid.

Item Calvinus. n. 8. ibid.

Rigidi Lutherani quomodo alios molles damnent. n. 4. & 5. ibid.

Calvinus verbis videtur bona opera admittere, reipsâ non. ibid. n. 6. & seqq. p. 432.

Acatholici moderni quomodo suorum antecessorum doctrinam de bonis operibus refugiant. ibid. n. 9. & seqq. p. 433.

Doctrina Ecclesiæ Catholicæ de bonis operibus. a. 2. n. 1. ibid.

Circa doctrinam hanc quænam observanda. ibid. n. 2. & seqq. p. 434.

Opera ex solis naturæ viribus quomodo dici possint impropriè bona n. 3. ibid.

Necessitas bonorum operum ad vitam æternam quomodo intelligenda. n. 5. ibid.

Opera justorum simpliciter bona sunt & non vitiosa. c. 3. a. 1. n. 1. p. 444.

Quomodo hoc intelligendum. n. 2. ibid.

Probatur veritas Catholica ex scriptura. ibid. a. 2. per tot. p. 445.

Item ex sanctis Patribus & rationibus in scriptura fundatis. a. 3. per tot. p. 446.

Non omnia opera justorum sunt venialiter maculata. a. 2. n. 3. p. 445.

Quodnam opus simpliciter dicatur vitiosum. ibid. n. 6. p. 446.

Argumenta Acatholicorum quòd omnia justorum opera sint vitiosa, refutantur. a. 4. per tot. p. 448.

Iusti quomodo quandoque fateantur opera sua immunda. ibid. usque ad n. 8. in conclus. p. 449.

OPERUM BONORUM CONDITIONES.

Meritum de congruo & condigno cur dictum. l. 10. c. 6. a. 1. n. 2. p. 480.

Quid per meritum de congruo apud Theologos intelligatur. n. 3. p. 480.

Quid dicatur meritum de condigno. n. 4. ibid.

Sufficienti fundamento has voces usurpari demonstratur. n. 5. ibid.

Opus meritorium bonum & liberè ab homine viatore factum esse debet a. 2. per tot. p. 481.

Objectionibus contra hoc satisfit. ibid. n. 4. & seqq. p. 480.

Homo justus in gratia existens mereri potest. a. 3. n. 1. ibid.

Ad hoc ut mereatur homo debet esse in gratia. ibid.

Actus meritorius à gratia vel elicitivè vel imperativè procedere debet. ibid. n. 4. p. 483.

Vtrum actus meritorius ab habitu charitatis actualiter, an verò virtualiter procedere debeat n. 5. ibid.

In actu meritorio duo considerantur, & quænam. a. 4. n. 8. p. 485.

Actus unde principaliter meritorius. ibid.

Actus ex solis principiis intrinsecis agentis non est completè meritorius n. 9. & seqq. ibid.

Quid ultra requiratur juxta sententiam Scoti. ibid.

Consentiunt reipsa alii Scoto, probatur n. 10. & seqq. ibid.

Actus ex se quantumcunque bonus seclusâ acceptatione divinâ insufficiens probatur ad vitam æternam. ibid. n. 12. p. 486.

Completè dignum fieri acceptatione divinâ probatur n. 13. & 14. & seqq. ibid.

Meritum Christi completum acceptatione divina. ibid.

Obligationem pro meritis reddendi vitam æternam, ex acceptatione & promissione divina oriri probatur. a. 5. per tot. p. 487.

Deus quomodo debitor n. 2. & 3. ibid.

Occurritur duabus objectionibus contra doctrinam Scoti. n. 5. & 6. ibid.

Quomodo stent simul hominem Deo obligatum servire, & promereri mercedem. ibid. n. 7. p. 488.

Christo utrum sine meritis gratia & gloria primo instanti collata. n. 8. ibid.

OPERUM BONORUM MERITUM.

Opera justificationem præcedentia quotuplicia. l. 10. c. 5. in præfat. p. 464.

De meritis bonorum operum quid senserint pseudo-Apostoli. a. 1. n. 1. ibid.

Acatholici moderni à suis quos vocant parentibus degenerant. n. 1. ibid.

Negant opera esse ulla bona sed potius asserunt vitiosa & peccaminosa. n. 2. & 3. ibid.

Articulus de bonorum operum meritis an fundamentalis, dissentiunt inter se Acatholici. ibid. n. 4. p. 465.

Doctrina Ecclesiæ Catholicæ de meritis proponitur. a. 2. & seqq. ibid.

In hac doctrina quoad fidem conveniunt Doctores Catholici, licet de aliis controversis disputent n. 4. ibid.

Opera quædam justorum sic bona sunt, ut nihil vitiosum coram Deo habeant. ibid. a. 2. n. 6. 466.

Opus hujusmodi bonum meretur augmentum gratiæ & vitam æternam. n. 7. ibid.

Digitized by Google

Opus hujusmodi quomodo ab homine & à Deo. n. 7. ibid.
Nullum opus bonum nisi ex influentia meritorum Christi. ibid.
Opera justorum in gratia facta mereri augmentum gratiæ probatur. a. 3. per totum, ibid.
Hominem justificatum per opera bona mereri vitam æternam, probatur ex scriptura. a. 4. per totum, p. 487.
Operibus ex justitia respondet premium. ibid. n. 7. pag. 469.
Opera mereri vitam æternam probatur ex Patribus Græcis. a. 5. per tot. ibid.
Idem probatur ex SS. Patribus Latinis. a. 6. per tot p. 470.
Merita bona an ex homine ibid. n. 8. & 9. p. 472.
Prima gratia non confertur ex meritis. ibid. n. 11. pag. 473.
Vita æterna cur ab Apostolo non dicatur stipendium justitiæ, cum verè sit. n. 12. & seqq. ibid.
Augustinus sibi non contrarius. n. 20. p. 475.
Benè operari pro mercede vitæ æternæ licet. a. 7. per totum ibid.
Argumenta adversariorum contra opera meritoria solvuntur a. 8. per tot. p. 476.
Servi inutiles quomodo esse possint justi & nihilominus mereri. n. 2. & seqq. ibid.
Christus & homo utrum duæ causæ partiales meriti a. 8. n. 18. p. 479.
Vt opera sint meritoria vitæ æternæ, necessaria est specialis Dei promissio & acceptatio. c. 6. a. 4. per tot. p. 483.
An inter Deum & hominem possit esse justitia rigorosa, ut ille huic rigorosè obligetur. a. 4. num. 3. pag. 484.
Causæ cur non possit esse justitia rigorosa assignantur. a. 4. n. 3. & seqq. ibid.
Aliqualis nihilominus justitia esse potest n. 5. ibid.
Summariè refertur doctrina Ecclesiæ circa merita. a. 7. per tot. p. 491.
Calumnia Calvini contra merita refelluntur. ibid. a. 3. p. 492.
Calvinus semetipsum jugulat. ibid.
Meritum hominis simpliciter Dei donum est. ibid.
Ex meritis Christi refutantur Acatholici. n. 6. ibid.
Christi opera ab humanitate provenientia cur meruerint nobis gratiam & gloriam esto fuerint Deo obligata. ibid. n. 7. p. 493.
An opera justorum de condigno mereantur vitam æternam, quomodo hoc intelligendum disputant Catholici salvâ charitate. a. 7. in Conclus. p. 495.
Breve compendium doctrinæ SS. Patrum circa meritum ibid.
Speculum veræ & Catholicæ doctrinæ modernæ Ecclesiæ cum primæva concordantis, circa merita bonorum operum, ex opposito falsitatem adversæ fidei exhibens. a. 7. per Antitheses, p. 493.

OPERUM BONORUM NECESSITAS.

Opera bona ad salutem esse necessaria quomodo intelligendum. l. 10. c. 4. a. 1. per tot. p. 451.
Fidelibus non est absolutè promissa salus, sed sub conditione bonorum operum. a. 3. per tot. p. 452.
Impia Calvini expositio in locum Marci 10. refertur & refutatur. n. 2. & seqq. p. 453.
Gratis vocantur homines, non tamen gratis salvantur. ibid. n. 8. p. 454.
Præcepta Decalogi obligare omnes Christianos, operáque bona ad salutem esse necessaria probatur ex SS. Patribus Græcis. ibid. a. 4. per tot. p. 455.
Idem docent SS. Patres Latini. a. 5. per tot. p. 456.
Argumentis Acatholicorum satisfit. a. 6. per tot. p. 459.
Iusto quomodo non sit lex posita ibid. n. 6. p. 460.
Opera justificationem præcedentia distinguuntur ab operibus sequentibus, & quomodo. ibid. n. 12. & seqq. pag. 461.
Speculum veræ & Catholicæ doctrinæ modernæ Ecclesiæ cum primæva concordantis circa bonorum operum necessitatem, adversariorum falsitatem demonstrans l. 10. c. 4. a. 6. per Antitheses, p. 462.

ORATIO PRO DEFUNCTIS.

Acatholici quid de oratione pro fidelibus defunctis sentiant. l. 8. c. 1. a. 1. per tot p. 303.
Ecclesiæ Catholicæ doctrina circa orationes. a. 2. per tot, ibid.
Fideles defuncti peccatis venialibus & pœnis temporalibus obnoxii, viventium suffragiis juvari possunt. c. 3. a. 1. per tot. p. 310.
Pro his sacrificium Missæ piè offerri probatur ex scriptura. a. 2. per tot. ibid.
Idem probatur ex Patribus Græcis. a. 3. per tot p. 311.
Idem probatur ex Conciliis & Patribus Latinis. a. 4. per tot. p. 313.
Calvinus in S. Augustinum calumniosus suo se ore judicat. a. 5. n. 1. & 2. ibid.
Fusè refutatur ibid. n. 3. & seqq. p. 315.
Speculum veræ & Catholicæ doctrinæ modernæ Ecclesiæ cum primæva concordantis circa orationem pro defunctis, ex opposito falsitatem adversariorum demonstrans. l. 8. c. 3. a. 7. per Antitheses, p. 318.

ORATIO DOMINICA.

Non est de textu ea clausula; quoniam tuum est regnum, &c. l. 2. c. 6. a. 2. n. 6. p. 43.

ORATIO SANCTORUM.

Angelos sanctos non solùm in genere, sed etiam in specie pro nobis orare ostenditur ex scriptura. l. 6. c. 5. a. 1. n. 1 & 2. p. 241.
Sanctos mortuos cum Christo regnantes pro nobis in specie orare probatur. n. 2. & seqq. ibid.
Frivolum Calvini putare refutatur. ibid. n. 4. p. 242.
Praxis antiqua Ecclesiæ Sanctos pro nobis orare docet. a. 2. per tot. ibid.
Idem probatur ex sanctis Patribus Græcis a. 3. per tot. p. 243.
Idem ex Patribus Latinis ostenditur. ibid. a. 4. per tot. p. 244.

ORDO S. FRANCISCI.

Miracula facta apud Saracenos in confirmationem doctrinæ Christianæ à S. Francisco, sicut & martyria illustria duorum ex Ordine Minorum recensentur l. 4. c. 3. a. 4. per tot. p. 124. & seqq.
Quinam loca sacra custodiant. c. 6. a. 3. Conclus. n. 1. p. 153.
Sepulchri Christi Custodes sunt soli Patres strictioris Observantiæ. ibid.
Quare Deus hujusmodi diversas Nationes permittat in Custodia locorum Sanctorum. n. 2. ibid.
Tempore Lutheri per Ordinem Fratrum Minorum Euangelium in Indias invectum est. lib. 11. cap. 1. a. 7. n. 13. p. 507.
Æthyopum Rex pro conversione gentis suæ impetrat Patres ex Ordine S. Francisci l. 4. c. 6. a. 3. n. 10. p. 152.

ORDINIS SACRAMENTUM.

Ordinationem Sacramentum negavit Lutherus. l. 19. c. 1. a. 1. n. 2. p. 820.
E contra Calvinus id fatetur. n. 3. ibid.
Circa Ordinis Sacramentum quid Ecclesia de fide certum credat, & quæ salvâ fide inter Theologos controvertantur. a. 2. n. 14. & 15. p. 822. & cap. 2. a. 1. n. 1. p. 826.

Digitized by Google

Ordinem verum & propriè dictum probatur Sacramentum ex S. Scriptura. c. 2. a. 1. n. 2. & seqq. p. 827.
Eadem veritas probatur ex SS. Patribus. a. 2. per totum, ibid.
Ordo Sacramentum irreiterabile. n. 4. ibid.
Ordinatio Acatholicorum depicta. n. 7. ibid.
Ordinis Sacramentum in eo qui illud suscepit non deletur. a. 2. n. 13. p. 829.

ORDINIS MATERIA ET FORMÆ.

Materia ordinis quanam. l. 19. c. 2. a. 3. n. 1. p. 829.
Quanam forma illius. n. 2. ibid.
In ordinatione Sacerdotis duplex adhibetur materia & forma, & quare. n. 3. ibid.
Vnctio manuum Sacerdotis, an de essentia Sacramenti. n. 4. ibid.
Vnctio hac piè in Ecclesia adhibetur. n. 5. p. 830.
Sacramenti Ordinis quisnam effectus. n. 6. ibid.

ORDINES SACRI.

Ordines sacros qui primi impugnârint. l. 19. c. 1. a. 1. n. 1. p. 820.
Ordines Minores & subdiaconatum rejicit Calvinus. n. 6. p. 821.
Ecclesia Romana doctrina de ordinibus secundum se. a. 2. n. 1. ibid.
Item de numero Ordinum tam majorum quàm minorum. n. 2. ibid.
Canones continentes doctrinam Ecclesia de sacra ordinatione. n. 3. & seqq. ibid.
Ordo quam multipliciter sumatur. n. 11. ibid.
Qui propriè in Ecclesia appellentur ordines. n. 12. ibid.
Ordo propriè acceptus dupliciter sumitur, & quomodo. n. 13. p. 822.
Ordines septem ab Ecclesia agnoti probantur in particulari. a. 3. & seqq. ibid.
Ordines sacri & minores quomodo in Ecclesia conferendi. a. 5. n. 13. & seqq. p. 825.
Speculum vera & Catholica doctrina moderna Ecclesia Romana cum primava concordantis circa Sacramentum Ordinis, ex opposito falsitatem Acatholicorum exhibens. l. 19. cap. 2. a. 3. per Antitheses, p. 830.

P.

PAGANI.

Paganorum turbis nec unitas, nec vita aut doctrina sanctitas competit. l. 4. c. 1. a. 1. per tot. p. 94.
A gentilium turbis etiam humana honestas exulabat. ibid.

PALAESTINA.

Multi quidem sunt Christiani in Palastina sed haresibus infecti, atque ideò veram fidem & Ecclesiam non constituunt. l. 4. c. 6. a. 3. Conclus. n. 1. p. 153.
Turca eandem possidentes Christianis loca sancta permittunt. ibid.
Cur diversas Nationes in uno sacro S. sepulchri loco Deus habitare faciat. ibid.

PAPA.

Vtrum Papa sit supra Concilium adhuc salvâ charitate inter Doctores Catholicos controvertitur. l. 3. c. 5. a. 4. n. 16. p. 80.
Probabilius tamen est quod sic. ibid.
Episcopus Romanus bene à SS. Patribus Papa dicitur. l. 1. c. 1. a. 2. n. 10. p. 3.

PARVULI NON BAPTIZATI.

Qualis illorum sit futurus status ex D. Augustino. l. 8. c. 5. a. 5. n. 3. p. 333.
Calvinus plus hujusmodi parvulis tribuit quam Pelagius. ibid. n. 7. p. 334.

SS PATRES.

Calumnia est, ostensum esse sanctos Patres stare pro reformatis. l. 1. c. 3. a. 4. n. 3. p. 8.

PAUPERTAS VOLUNTARIA.

Paupertatem voluntariam qui ut praceptam asseruerint. l. 11. c. 4. a. 1. n. 1. & seqq. p. 522.
E contra qui damnârint. n. 5. & seqq. ibid.
Ecclesia Catholica de paupertate doctrina. n. 10. ibid.
Paupertatem Christus docuit verbo & exemplo. a. 2. n. 1. ibid.
Paupertatem hanc Christus non pracepit sed solùm suasit hominibus. n. 2. ibid.
Paupertas voluntaria majoris est perfectionis. n. 4. & seqq. p. 523.
Speciale pramium ei correspondet in cœlis. n. 8. & 12. ibid.
Quandonam praceptum omnia relinquendi, & quando non. n. 9. & seqq. ibid.
Omnibus hominibus sub consilio paupertatem voluntariam commendatam à Christo probatur ex sanctis Patribus. a. 3. per tot. p. 524.

PECCATOR.

Peccator quomodo partim filius Dei, partim hujus saculi. l. 9. c. 6. a. 6. n. 6. p. 423.
Sola Charitas filium Dei facit. ibid. n. 7. in fine, p. 424.

PECCATUM.

Peccatum juxta Calvinistas duplex, ad mortem, & non ad mortem, hócque electorum. l. 9. c. 6. a. 6. n. 1. p. 422.
Quid juxta Augustinum sit peccatum ad mortem. ibid.
Duplicia sunt peccata, mortalia & venialia. l. 8. c. 1. a. 2. n. 5. p. 304.
Duplex peccatis mortalibus pana debita. ibid.
Pro pana temporali quomodo possit satisfieri. n. 6. ibid.

PECCATUM ORIGINALE.

Quid Calvinus circa peccatum Originale ejusque deletionem senserit, non apparet. l. 13. c. 2. a. 1. n. 11. & 12. p. 598.
Acatholici in parvulis adstruentes peccatum originale, & negantes, quòd oporteat eos baptizare ad vitam aternam consequendam, peiores sunt Pelagianis. a. 2. n. 3. p. 599.

PECCATORUM AUTHOR.

Catholici Deum peccatorum causam negant, & solùm permissionem illius agnoscunt; Calvinus simpliciter authorem astruit. l. 2. c. 4. a. 3. n. 2. p. 30.
Calvinus in hoc Manichais peior. ibid. n. 5. p. 31.
Determinatio statuum circa pradestinationem, & ex ea qua contra Acatholicos sequantur. l. 2. c. 4. a. 3. n. 3. & 4. p. 31.

PECCATORUM REMISSIO.

Remissionem peccatorum non fieri nisi per sanguinis effusionem quomodo intelligendum. l. 16. c. 5. a. 5. n. 27. p. 754.
Remissio peccatorum quomodo per sacrificium Eucharistia obtineatur. n. 19. & seqq. p. 753.
Non angelis sed hominibus data potestas remittendi peccata. l. 17. c. 1. a. 4. n. 6. p. 800.
Sacerdotes Catholici lepram peccati verè purgare possunt, & non solùm purgatam demonstrare. n. 7. & 8. ibid.
Remissio peccatorum non levibus sed difficilibus operibus impetranda est. a. 5. n. 2. p. 801.
Remissio peccatorum non soli est reservata Deo sed sacerdotibus concessa. n. 3. & seqq. ibid.
Nihilominus Deus remittit peccata sed per sacerdotes. n. 6. & seqq. ibid.

PEREGRINATIO.

Catholici cur ad imagines peregrinentur. l. 7. c. 9. a. 6. n. 7. p. 299.
Peregrinationes sancta & licita probantur. ibid. p. 300.

PERSEVERANTIA.

Homo nequit esse certus de prasenti statu in gratia, & multò minus quod in eo sit perseveraturus. l. 10. c. 6. a. 6. n. 3. p. 490.

PER-

PERSONA DIVINA.

Quidquid in scriptura de una persona divina dicitur, intelligitur & de altera, preterquam que personam in esse persona constituunt. l. 4. c. 5. a 8. n. 3. pag. 146.

S. PETRUS.

Quomodo à Christo Sathanas dictus. l. 9. c. 6. a. 5. n. 4. p. 421.

Ejus fides quomodo defecerit, & quomodo non ibid.

S. Petrus quomodo fundamentum Ecclesiæ, l. 21. c. 1. a. 3. n. 3 & 4. p. 842.

Quomodo caput Ecclesiæ sine prejudicio Christi. l. 1. c. 1. a. 2. n. 9. p. 2.

Petrus cur petra à Christo appellatus. n. 8. & seqq. ibid.

Petrus post lapsum majorem gratiam consecutus. n. 14. ibid.

Augustinus explicans verba illa Tu es Petrus, *nihil prodest acatholicis.* n. 19. ibid.

In textu Hebraico dicitur, tu es Petra, & non Petrus, n. 20. p. 843.

Petrus Petra est, non super quam Christus, sed quæ post Christum, & in Christo fundata. n. 21 & 22. ibid.

S. PETRI PRIMATUS.

Acatholicorum calumnia contra primatum Petri l. 5. c. 3. a. 1 per tot p. 200.

Calvinus nihilominus sibi ipsi non constat. ibid n. 1. in fine, p. 201.

Petrus esse caput Ecclesiæ quomodo possit accipi. a. 2. n. 3. p. 202.

Petrum à Christo ecclesiæ caput constitutum probatur ex scriptura. n. 4. & seqq ibid.

S. Petrus & personam gessit in quibusdam Ecclesiæ & caput. n. 6. ibid.

Petro commissa potestas omnes pascendi, nemine excepto. ibid n. 7. p. 203.

Authoritas aliorum Apostolorum huic primatui non obstat, & quare. n. 8. ibid.

Petro à Christo collatum primatum, probatur ex SS. Patribus Græcis. a. 3. per tot. ibid.

Idem probatur ex SS. Patribus Latinis. a. 4. per tot. p 204.

Cur Christus, non obstante quod omnibus Apostolis parem potestatem tribuerit, primatum soli dederit Petro. n. 2. & seqq. p. 204.

Reprehensio Petri per Paulum nihil prejudicat illius primatui n. 6. p. 205.

Mendacia Calvini contra hunc primatum rejiciuntur. n. 7. ibid.

POENA.

Post remissionem culpæ ordinarie reservari à Deo pœnam temporalem probatur ex Scriptura. l. 8. c. 2. a. 1. per tot. 305.

Hujusmodi pœna non est ad emendationem solùm sed etiam ad vindictam. n. 2. & seqq. ibid.

In Sacramento pœnitentiæ per se non tollitur omnis pœna temporalis sicut in Baptismo. a. 2. num. 1. p. 306.

Probatur ex scriptura. n. 2. & seqq. ibid.

Probatur ex praxi antiqua Ecclesiæ & SS. Patribus. a. 3. per tot. p. 307.

Pœnam hujusmodi temporalem post mortem quandoque luendam probatur ex scriptura & sanctis Patribus a. 4. per tot p 308.

POENITENTIÆ SACRAMENTUM.

Pœnitentiam lapsis negarunt Montanistæ & Novatiani. l. 17. c. 1. a. 1. n 1. & seqq. p. 796.

Contra hos qui scripserint. n. 4. & 5. ibid.

Acatholici hos reipsa sequuntur, & quare n. 6. ibid.

Vtrum pœnitentia sit Sacramentum variavit Lutherus ejusque discipuli. n. 7. & seqq p. 796.

Calvinus simpliciter Sacramentum negat. n. 9. p. 797.

Ecclesiæ doctrinam de partibus pœnitentiæ cavillans Calvinus quomodo nolens volens agnoscat. n. 10. & 12. ibid.

Doctrina Ecclesiæ Romanæ de pœnitentiæ Sacramento. a. 2. n. 1. & seqq.

Pœnitentia pro quo sumatur. n. 6. p. 798.

Varie & quomodo appelletur n. 7 ibid.

Pœnitentiam verum novæ legis Sacramentum probatur, ex Ioan. 20. Acatholicorum objecta refutantur. a. 3. per tot. ibid.

Pœnitentia Sacramentum est à Baptismo distinctum. n. 9. & seqq p. 799.

Pœnitentiam à Baptismo distinctum Sacramentum asserunt SS. Patres Græci a 4. per tot. ibid.

Item sancti Patres Latini a. 5. per tot. p. 800.

Pœnitentia varie commendata à SS. Patribus scilicet regeneratio secunda; lachrimarum Baptismus post naufragium tabula, in utroque articulo sparsim. p. 799. & seqq.

POENITENTIS ACTUS.

Confessionem sacramentalem olim qui negarint. l. 17. c. 2. a. 1. n. 1. p. 804.

Satisfactionem qui negarint, admissa confessione. n. 2. ibid.

De Confessione varias Lutherus. n. 4. ibid.

Calvinus confessionem quomodo admittat. n. 5 ibid.

Ex doctrina Ecclesiæ Catholicæ quinam pœnitentis actus. a. 2. n. 1 p. 805.

Explicantur in particulari à Concilio Tridentino. n. 2. & seqq ibid.

Probantur in particulari. a. 3. & seqq. p. 806. *vide* Confessio, Contritio & Satisfactio.

PONTIFEX.

Quid de fœmina Pontifice, ut Acatholici calumniantur. l. 4. c. 5. a. 1. n 13. p. 136.

Nihil prejudicat Ecclesiæ quod in Cathedra Petri perversus quispiam sederit Pontifex, sed hoc potiùs Ecclesiæ stabilitatem declarat l. 5. c. 4. summarii n. 5. p. 226.

In Ecclesia cujus Pontifex est caput, cur Catholici securi esse possint. in Conclus. per tot. ibid.

PONTIFEX ROMANUS.

Quare non usus sit titulo universalis Episcopi à Concilio Calcedonensi agnito. l. 4. c. 4. a. 4. n. 3. p. 130.

Qualem in eo agnoverit authoritatem Synodus sexta generalis. a. 5. n. 3. p. 131.

Summus Pontifex quomodo possit, aut non possit errare. l. 5. c. 3. a. 2. n. 3. & 4. p. 202.

Romanus Pontifex Petri successor deducitur ex scriptura. a. 5. per tot. p. 206.

Ecclesiæ post tempora Apostolorum magis necessarium unum caput & pastor n. 2. ibid.

Calvinus nolens volens Petrum Romæ mortuum admittit. n. 3. ibid.

Primatum Romani Pontificis Petri successoris agnoverunt Concilia generalia. a. 6. per tot. ibid.

Eadem veritas demonstratur ex Patribus Græcis primitivæ ecclesiæ a. 7. per tot. p. 207.

Mendacia Calvini contra hunc primatum refutantur. a. 8. per tot. p. 208.

Primorum Sæculorum Romani Pontifices primatum Ecclesiæ in S. Petro sibi collatum agnoverunt & usurparunt. a. 9. per tot. p. 209.

Romani Pontificis primatus probatur ex SS. Patribus Latinis primitivæ Ecclesiæ. a. 10. per totum, pag. 210.

Ad Cathedram Romanam perfidia venire non potest. a. 10. n 2. p. 210.

Romanus Pontifex exauthorare potest Episcopos à fide deficientes. n. 3. ibid.

Digitized by Google

Non est Christi qui cum Romano Pontifice non communicat. ibid. n. 6. p. 211.
In urbe Roma nulla hæresis sumpsit exordium. n. 7. ibid.
Iudicium Romani Pontificis à Concilio requisitum. ibid. n. 10. & 11. p. 212.
Imperatores primatum Romani Pontificis agnoverunt, non à se sed à Christo datum. a. 11. per totum, p. 213.
Imperatores sibi jus Ecclesiasticum assumentes malè egerunt. n. 2. ibid.
Mendacia Calvini ex Patribus Latinis rejelluntur. a. 12. per tot. ibid.
Summus Pontifex quomodo aliis Episcopis æqualis, iidemque nihilominus superior esse possit. a. 12. n. 4. in fine, p. 214.
Item quomodo possit & non possit dici Episcopus universalis. ibid. n. 5. & 6. p. 215.
Vtrum Pontifex privatim hæreticus esse possit, controvertitur; saltèm publicè errorem fidei docere nequit. l. 5. c. 4. a. 1. n. 3. p. 216.
Nullus Pontificum fuit Hæreticus. ibid.
Factum Liberii excusatur. n. 4. & seqq. ibid.
Providentia divina ostenditur in eo, quod fuerint mali Pontifices quoad mores, non tamen unquam hæretici. p. 217.

PONTIFICIS PRIMATUS.

Ex consensu Græcorum in Concilio Florentino primatus adstruitur Romani Pontificis. l. 4. c. 5. a. 6. n. 2. p. 145.
Et in Concilio Lateranensi. a. 7. n. 1. ibid.
Iudicium inferius Episcoporum non officit primatui Petri, & quare. l. 21. c. 1. a. 5. n. 3. & seqq. p. 847.
A judicio inferiori Episcoporum, ad supremum Pontificis fieri appellationem, probat S. Basilius, Concilia & SS. Patres. n. 5. & seqq. ibid.
Legati Pontificis esto particulares Episcopi Concilio Ephesino I. præsident. n. 9. p. 848.
Ad Romani Episcopi tribunal recurrerunt Patres Græci ex ordinatione Dei, & non ex Sanctitate alicujus particulari. n. [illegible]. & seqq. ibid.
Idem supremum judicium agnoscunt Patres Latini. n. 16. & seqq. ibid.
Apostolicæ sedis dignitas variè commendatur à SS. Patribus. n. 20. & seqq. p. 849.
Concilia à Pontifice approbantur. n. 24. & seqq. ibid.
Concilium Milevitanum an obstet primatui Pontificis. n. 32. p. 850.
Pseudo Synodus Rhemensis nihil obest supremo judicio Pontificis. a. 6. per tot. ibid.

POTESTAS CLAVIUM.

Potestas Clavium est potestas judicandi circa peccata. l. 17. c. 2. a. 3. n. 6. p. 806.
Non est sola annunciatio Evangelii aut spei veniæ & remissionis à Christo præstandæ. a. 3. n. 16. p. 807.
Speculum Catholicæ doctrinæ modernæ Romanæ Ecclesiæ cum primæva concordantis circa Sacramentum pœnitentiæ ex opposito Acatholicos falsitatis arguens. l. 17. c. 2. a. 5. per Antitheses, p. 815.

PRÆDESTINATIO.

Calvini doctrina de prædestinatione ex sacra Scriptura demonstranda petitur. l. 2. c. 4. a. 3. p. 30.
Non electi seu non prædestinati ad tempus justificari possunt, etsi postmodum finaliter gratiam perdant. l. 9. c. 6. a. 7. per tot. p. 424.
Falsitas Acatholicorum contra hanc Ecclesiæ doctrinam ex ipsorummet principiis convincitur. ibid. a. 7. n. 9. & 10. p. 426.
Argumenta Acatholicorum enervantur. a. 8. per tot. p. 427.
Vocari secundum propositum quid? a. 4. n. 2. p. 419. & a. 8. n. 1. p. 427.
Filius adoptivus & hæres regni Dei quotupliciter dici possit. n. 3. ibid.

PRÆDESTINATIONIS CERTITUDO.

Se certos de sua prædestinatione asserunt Acatholici. l. 9. c. 6. a. 1. n. 1. p. 415.
Ioviniani errorem Lutherus aliqualiter, Calvinus totaliter resuscitavit. n. 2. ibid.
Doctrina Ecclesiæ Catholicæ de notitia prædestinationis & doni perseverantiæ. a. 2. n. 1. p. 416.
Quid circa illius doctrinam de certitudine observandum. n. 2. ibid.
Fideles nec tenentur nec possunt fide divinâ absolutè credere se prædestinatos esse quamvis piè etiam firmiter credere possint. a. 3. per tot. p. 417.
Fideles esto de præmio perseverantiæ sint certi, non tamen de perseverantia. ibid. n. 5. p. 418.
Cur Deus neminem voluerit esse de perseverantia securum. ibid. & n. 6. p. 418.
Argumenta Acatholicorum rejiciuntur. a. 4. per totum, p. 419.
Electi possunt ad tempus ex gratia excidere, licèt postmodum sint redituri. a. 5. per totum, p. 421.
Doctrina prædestinationis certitudine epilogata. a. 8. in conclus. p. 428.
Speculum veræ & Catholicæ doctrinæ modernæ Ecclesiæ cum primæva concordantis circa certitudinem prædestinationis singulorum ex opposito falsitatem Acatholicorum exhibens. l. 9. c. 6. a. 8. per antithes. p. 429.

PRESBYTERATUS.

Presbyteratus verus in Ecclesia probatur gradus. l. 19. c. 1. a. 3. n. 2. p. 823.
Presbyteri nomen quandoque pro Episcopo, quandoque è contra ponitur. n. 3. ibid.
Sacerdotum quodnam officium. n. 6. ibid.

PROFESSIO MONASTICA.

Calumnia Calvini contra eandem. l. 11. c. 2. a. 4. n. 23. & seqq. p. 513.
Professio religiosa magni apud Deum meriti. num. 25. ibid.
Vtrum inter professionem & Baptismum similitudo aliqua, licèt non identitas, & qualis. n. 26. & 28. ibid.
Non conferrt primam gratiam. n. 25. & 27. ibid.
Probabiliter peccatorum pœna in professione remittitur. n. 29. ibid.

PROPHETIÆ ACATHOLICORUM.

Falsa prophetia Lutheranorum. l. 4. c. 8. a. 1. n. 5. in fine. p. 169.
Calvinus Lutherum prophetam ut Eliam admittit, sed non sic quin alius æquivalens aut major esse possit. a. 2. n. 12. p. 171.
Prophetia Calvini. a. 2. n. 13. ibid.

PSEUDO-CHRISTI.

Quando & quales futuri. l. 21. c. 3. a. 4. n. 3. & 4. p. 871.
Ecclesia Christum in Eucharistia, contenta in ciboriis adorandum proponens, non inducit ad pseudo-Christum adorandum. n. 5. & 6. p. 872.

PURGATORIUM.

Concordia Græcorum cum Latinis circa purgatorium animasque ibi pro purgatione detentas in Concilio Florentino. l. 4. c. 5. a. 6. n. 2. p. 145.
Et in Concilio Lugdunensi. a. 7. n. 2. ibid.
Quinam primò expressè purgatorium negarint. l. 8. c. 4. a. 1. n. 2. p. 320.
Lutherus & Calvinus quid de purgatorio senserint. n. 3. & 4. ibid.
Doctrina Ecclesiæ Catholicæ de purgatorio. a. 2. n. 1. ibid.
Circa doctrinam Catholicam quæ notanda. n. 2. & seqq. ibid.

Lym-

Digitized by Google

ymbus parvulorum non baptizatorum quis. a. 2. n. 5. p. 321.
De Fide Catholica est purgatorium duraturum usque ad ad extremum diem iudicii, & non ultrà. num. 6. ibid.
Quoad locum ubi purgatorium, quid certum, quid probabile. n. 7. ibid.
Quæstio inter Catholicos & Acatholicos non de nomine purgatorii, sed de re per nomen significata. n. 8. ibid.
Dari purgatorium probatur ex scriptura. a. 3. per tot. ibid.
Idem ex Patribus Græcis & Latinis. a. 4. & 5. per tot. p. 322.
Pœna purgatorii non erit omnibus æqualis. a. 4. n. 6. ibid.
Vtrum pœna purgatorii sit ignis, discrepant Græci. n. 9. p. 323.
Non omnes post extremum diem eximentur à pœnis, sed solùm ii qui in purgatorio. a. 5. & n. 6. & seqq. p. 224.
Puniri animas non adversatur misericordiæ Dei aut satisfactioni Christi. ibid. n. 13. p. 325.
Igne purgatorio quæ peccata purgentur. n. 15. ibid.
Acatholicorum argumenta contra purgatorium refutantur. l. 8. c. 5. a. 6. per tot. p. 334.
Speculum veræ & Catholicæ doctrinæ modernæ Ecclesiæ Romanæ cum primæva concordantis, circa statum defunctorum ante & post adventum Christi, usque ad diem Iudicii, ex opposito falsitatem Acatholicorum exhibens. cap. ult. a. 2. per Antitheses & concl. p. 341.

R.

Reformatio.

Quid sit reformari. l. 1. c. 1. a. 3. n. 1. p. 3.
Reformari non potuit Ecclesia, & quare. ibid.
Acatholici dum fidem suam reformatam dicunt, nullam dicunt. ibid. n. 3. p. 3.
Acatholici prætensè Reformati dici possunt, & quare. ibid.
Vera reformatio Ecclesiæ quæ sit, & quomodo per sanctos viros semper facta. l. 5. c. 2. a. 5. n. 1. & 2. p. 195.
Contrarium prorsus fecerunt Acatholicorum maiores. n. 3. p. 196.
Sicque veri deformatores Euangelii & Ecclesiæ sunt. ibid.

Reformati.

Reformati Lutheranos cupiunt socios, à quibus hæreseos damnantur. l. 1. c. 1. a. 3. n. 5. p. 3. *& unde hoc proveniat.* ibid.
Falsò astruunt se solo verbo Dei scripto uti pro fidei norma. c. 2. a. 2. n. 4. p. 6.
Reformatis incumbit probatio articulorum suæ fidei. c. 3. a. 3. n. 1. p. 7.
Malè recedunt ab Ecclesia Romana ob articulos quos Anonymus Catholicæ fidei nomine indignos censet. c. 4. a. 1. n. 4. p. 9.

Religio.

Religio unde dicta. l. 1. c. 1. a. 2. n. 1. p. 1.
Quid sit Religio. ibid. p. 2.
Alia vera, alia falsa. ibid.
Quoad Orthographiam ex D. August. n. 2. ibid.
Contra hanc impingit Anonymus II. l. 21. c. 2. a. ult. n. 2.
Religio Christiana vera una tantùm est, ibid. n. 3.
Religio seu fides vera christiana bene dicitur Romana, & quare. l. 1. c. 1. a. 2. n. 5. p. 2.
Dicitur etiam bene Catholica & Apostolica, & quare. n. 6. & 7. ibid.
Bene & sanctè pontificia dicitur & quare. n. 8. & 9. ibid.
Bene etiam Papistica. n. 10. p. 3.
Religio vera non potest verè esse vel dici reformata. l. 1. c. 1. a. 3. n. 1. p. 3.
Religio actualis quidnam? l. 11. c. 6. a. 3. n. 4. p. 533.
Votum est actus Religionis. ibid. n. 5.

Reliquiarum Veneratio.

De reliquiarum veneratione Acatholicorum sententia. l. 7. c. 1. a. 1. per tot. p. 258.
Doctrina Ecclesiæ Catholicæ de Reliquiarum veneratione proponitur. ibid. a. 2. per tot. p. 258.
Sacras Reliquias veneratione dignas & non immundas contra Vigilantium probat S. Hieronymus. c. 2. a. 1. n. 1. & seqq. p. 259.
Probatur ex aliis scripturæ locis Catholica veritas. n. 4. & seqq. ibid.
Veneratio terræ ex sepulchro Christi miraculo comprobata. n. 7. ibid.
Item alia in translatione S. Gervasii. a. 3. n. 8. *& S. Stephani.* ibid. p. 263.
Veneratio sacrarum Reliquiarum probatur ex Conciliis & Patribus Græcis. a. 2. per tot. p. 260.
Idem ex Conciliis & Patribus Latinis ostenditur. ibid. a. 3. per tot. p. 262. & l. 21. c. 2. a. 2. n. 46. p. 855.
Cultus quis & quomodo Martyrum Reliquiis debeatur. a. 4. per tot. p. 263.
Argumenta Vigilantii contra venerationem Sanctorum refunduntur ex D. Hieronymo. l. 7. c. 3. a. 1. per tot. p. 264.
Cerei cur & quomodo ad Martyrum sepulchra per diem accendantur. n. 4. p. 265.
Reliquiarum quandoque falsarum pro veris expositio non obest fidelium pietati, nec huiusmodi ab Ecclesia approbantur. a. 4. n. 3. p. 268.
Speculum veræ & Catholicæ doctrinæ modernæ Ecclesiæ cum primitiva concordantis circa cultum sacrarum Reliquiarum, ex opposito falsitatem adversariorum demonstrans. l. 7. c. 3. a. 4. per Antitheses, p. 268.

Responsio.

Responsio pulchra Tertulliani ad argumentum Acatholicorum, dum statim Catholicis obiiciunt; ubinam hoc scriptura dicit. l. 2. c. 2. a. 7. n. 10. p. 19.

Rutheni.

Rutheni quinam. l. 4. c. 6. a. 2. n. 1. p. 150.
Quomodo conversi ad fidem & quomodo relapsi. ibid.
In Concilio Florent. rursus Ecclesiæ uniti, sed à Græcis in schisma tracti tandem fidem iuxta Concilium Tridentinum professi. ibid.

S.

Sacerdos.

Sacerdotes veri in Ecclesia à Patribus agniti probantur. l. 21. c. 2. a. 2. n. 14. & seqq. p. 853.
Christus in ultima cœna Apostolos Sacerdotes ordinavit. l. 16. c. 3. a. 2. p. 728.

Sacerdos et Sacrificium.

Sacerdos & Sacrificium correlativa demonstrantur. l. 16. c. 4. a. 3. n. 1. p. 739.
Fideles tempore Apostolorum cur abstinuerint à nomine Sacerdotum. n. 2. ibid.
Veros ab illo tempore in Ecclesia fuisse sacerdotes probatur. n. 3. & seqq. ibid.
Plebs à sacerdote distincta esse debet. ibid. n. 6. p. 740.
Mulieribus nunquam sacerdotium concessum. n. 8. ibid.
Sacerdotes in Ecclesia non seminis successione, sed virtute constituuntur. n. 9. ibid.
Omnes Christiani quomodo sacerdotes dici possint. n. 14. circa med. p. 741. & cap. 5. a. 2. n. 6. p. 747.
Sacerdotes ab Apostolis per continuas successiones sunt instituti. c. 5. a. 1. n. 12. p. 745.
Calvinus aliique Acatholici hanc successivam sui institutionem demonstrare non possunt. n. 13. ibid.
Augustinus Calvino contra sacerdotes non suffragatur. ibid.
Quo sensu sacerdotium in nova lege admittere iuxta Ecclesiam

Digitized by Google

sam Catholicam non irroget iniuriam sacerdotio Christi. a. 5. n. 4. & seqq. p. 751.

SACRAMENTA.

Sacramenta ulla esse in nova lege qui negârint. l. 12. c. 1. a. 1. n. 1. p. 557.
In materia Sacramentorum qui errârint. ibid. n. 3. ibid.
Sacramenta in particulari qui negârint, ut Pœnitentiam, Eucharistiam, &c. n. 7. & seqq. ibid.
Modernorum Acatholicorum sententia. n. 14. & seqq. ibid.
In quo cum antiquis hæreticis concordent. n. 17. p. 558.
Ex doctrina Ecclesiæ Catholicæ sacramenta omnia à Christo sunt instituta, nec sunt plura, nec pauciora quàm septem. a. 2. n. 2. ibid.
Sacramenta novæ legis quomodo ad salutem necessaria. n. 3. ibid.
Non propter fidem nutriendam sunt instituta. n. 4. & 7. ibid.
Sunt propriè signa contentiva & causativa gratiæ. n. 5. ibid.
An & quomodo causent gratiam infallibiliter. n. 6. ibid.
Nomen sacramenti à scriptura diversimodè accipitur. a. 3. n. 1. & seqq. ibid.
Non solùm pro re sacra, sed etiam signo rei sacræ. ibid. n. 6. & 7. p. 559.
Nomen sacramenti specialiter tribuitur certis in Ecclesia signis & quare. n. 8. & 9. ibid.
Iuxta Lutherum eiúsque sequaces, quid sit sacramentum. a. 4. ibid.
Quid iuxta Calvinum. n. 3. ibid.
Calvinus in quo à Luthero discrepet in definitione sacramenti. ibid. n. 5. p. 560.
Illorum definitiones ex propriis principiis, & scriptura refutantur. a. 4. per tot. ibid.
Concio utrum ad rationem sacramenti pertineat. n. 2. & 3. ibid.
Sacramenta non sunt sigilla divinam benevolentiam obsignantia. a. 6. n. 1. p. 561.
Sacramento non præsupponitur sed confertur homini sanctitas. n. 2. ibid.
Abraham quomodo dicatur accepisse signaculum iustitiæ fidei. n. 3. & seqq. ibid.
Expositio Acatholicorum in hunc locum multipliciter reijcitur. n. 3. & seqq. ibid.
Si sacramenta essent sigilla Deus foret author falsi. num. 7. ibid.
Sacramenta ex tunc forent certiora verbo Dei ipso. n. 8. ibid.
Ac frustra sacramentum usurparetur. n. 9. ibid.
Ad rationem sacramenti non pertinet ut per illud peccata dimittantur. num. 10. ibid.
Sacramenta in sensu catholico quomodo possint & dicantur signacula. n. 12. & seqq. p. 562.
Sacramenti catholica definitio. a. 7. n. 1. ibid.
In veteri lege sacramenta quænam & quare. n. 2. ibid.
An univocè an verò æquivocè dicta. n. 3. ibid.
Sacramenti novæ legis quænam definitio & quomodo intelligenda. n. 4. ibid. & seqq.
Sacramenta quid essentialiter & primariò, & quid secundariò significent. n. 8. & seqq. p. 563.
Sacramentorum substantialia seu essentialia Ecclesia mutare nequit, bene tamen accidentalia quæ Christus libera reliquit. l. 21. c. 2. a. 6. n. 25. p. 862.

SACRAMENTORUM CÆREMONIAE.

Cæremoniæ quidnam & quotuplices sint. l. 12. c. 4. a. 1. n. 1. p. 577.
Per cæremonias sacramentorum quid intelligatur. num. 2. ibid.
Cæremonias festorum & Ieiuniorum qui impugnârint. n. 3. ibid.
Celebrationem Paschæ quinam. n. 4. & 5. ibid.
Reliquas cæremonias Ecclesiæ quinam damnârint. n. 8. & seqq. ibid.
Moderni Acatholici in damnandis cæremoniis antiquas hæreses renovant. n. 4. & seqq. p. 578.
Ecclesiæ Catholicæ quænam effugiant mendacia. n. 18. & 19. ibid.
Doctrina Ecclesiæ catholicæ de cæremoniis proponitur. a. 2. n. 1. & seqq. ibid.
Cæremoniæ ex Augustino quænam approbandæ, quænam non. n. 7. & seqq. ibid.
Cæremoniæ ab Apostolis vel Ecclesia institutæ & præceptæ in conscientia servandæ probantur. a. 3. per tot. p. 579. & seqq. & a 4. per tot. p. 580 & seqq.
Cæremonias in Ecclesia instituere quinam possint. a. 3. n. 6. pag. 579.
Acatholici volentes nolentes cæremonias non omnes reijciunt. n. 8. & seqq. p. 580.
Cæremonias licet non sint omnino sicut sacramenta ad salutem necessaria, utiles esse probatur. num. 6. & seqq. ibid.
Cæremoniæ Ecclesiæ catholicæ magis devotionem excitant, quam Acatholicorum. n. 8. ibid.
Cæremoniis piè & laudabiliter Deum coli probatur. n. 11. p. 581.
Calumniæ Calvini contra hoc reijciuntur. n. 12. ibid.
Geniculationem non præceptam cùm Calvinus admittat, Ecclesiæ catholicæ volens, nolens favet. n. 14. & 15. ibid.
Aliæ obiectiones & calumniæ Acatholicorum reijciuntur. a. 5. per tot. p. 582.

SACRAMENTORUM EFFECTUS.

Omnia sacramenta novæ legis conferunt gratiam, ex primaria institutione. l. 12. c. 2. a. ult. numero 1. pag. 574.
Præterea in tribus imprimitur character. ibid.
Character quid nominis. n. 2. ibid.
Character baptismalis, confirmationis & Ordinis quidnam. n. 3. 4. & 5. ibid.
Characterem in Baptismo imprimi probatur. num. 6. & seqq. ibid.

SACRAMENTORUM EFFICACIA.

Acatholici sacramentis multùm virtutis nomine tenus tribuunt, re autem ipsâ eorum efficaciam destruunt. l. 12. c. 2. a. 1. per tot. p. 566.
Catholica doctrina est quòd sacramenta veteris legis non contulerint gratiam, nam verò conferant omnia novæ legis. a. 2. n. 1. & 3. p. 567.
Utrum circumcisio contulerit gratiam nihil ab Ecclesia determinatur. n. 2. ibid.
Sacramentorum causalitas est instrumentalis. n. 4. ibid.
Sacramenta sunt causæ morales instrumentales & quomodo. n. 7. & 8. ibid.
Quænam sufficiant ad causam moralem instrumentalem. n. 9. ibid.
In Sacramentorum efficacia quid salvâ fide controvertant Catholici. n. 10. p. 568.
Gratiam per sacramenta conferri ex opere operato quomodo intelligendum. n. 12. & seqq. ibid.
Rem ipsam per opus operatum significatam tradiderunt SS. Patres. n. 14. ibid.
Sacramenta novæ legis verè instrumentalem causare gratiam probatur ex scriptura. a. 3. per tot. ibid.
Sacramenta conferre gratiam probatur ex SS. Patribus & Conciliis Græcis. a. 4. per tot. p. 570.
Idem ex SS. Patribus Latinis & conciliis. a. 5. per tot. p. 571.
SS. Patres commendando sacramentorum efficaciam non sunt

Digitized by Google

sunt hyperbolicè locuti contra Calvinum. l. 12. in conclus. n. 1. & 2. p. 573.
Falsè imponit Ecclesiæ Calvinus quasi homines à Deo per sacramenta avocet. n. 3. ibid.
Sacramenta quomodo effectum contineant. n. 4. p. 574.

SACRAMENTI ESSENTIA.

Sacramentum consistit in certa materia & forma seu rebus & verbis. a. 8. n. 1. p. 563.
Res sunt materia, verba, forma, non tamen sic quin verba etiam possint esse materia. ibid.
Res & verba in Baptismo requiri probatur. n. 2. & seqq. ibid.
Verba requisita sunt consecratoria non concionatoria. a. 9. n. 1. p. 565.
In adultis quidem, baptismo præmittenda est instructio, non tamen hæc essentialis est pars baptismi. num. 2. ibid.
Refellitur Calvini expositio in Augustinum. n. 4. & seq. ibid.

SACRAMENTORUM MINISTER.

Sacramentorum minister etsi malus vera sacramenta ministrat & conficit. l. 17. c. 1. a. 5. num. 13. p. 802.
Sacramenti minister non ex se, sed ex Spiritu S. operatur. l. 19. c. 2. a. 2. n. 10. p. 828.
Ab Ecclesia recedentes quædam sacramenta ministrare possunt validè. n. 11. ibid.

SACRAMENTORUM NUMERUS.

Lutherus in sacramentorum numero assignando varius. l. 12. c. 3. a. 1. n. 2. p. 575.
Eodem modo Lutherani divisi. n. 3. & 4. ibid.
Calvinus de numero sacramentorum quid senserit. n. 5. & 6. p. 576.
Septem esse novæ legis sacramenta, nec plura nec pauciora docet Ecclesia Catholica. art. 2. num. 1. & 2. ibidem.
Ad hunc numerum probandum quænam observanda. n. 3. & seqq. ibid.
Septem istis signis convenire rationem sacramenti, iuxta definitionem ipsorummet Acatholicorum probari potest. n. 8. ibid.

SACRAMENTARII.

Sacramentariorum authores quinam. l. 4. c. 8. a. 9. n. 17. p. 182.

SACRIFICIUM.

Sacrificia Mosaica in Adventu Messiæ cessatura. l. 4. c. 2. a. 13. n. 1. p. 110.
Substituendum sacrificium novæ legis & quodnam. n. 2. ibid.
Hoc Rabini antiqui agnoverunt in confusionem Acatholicorum. n. 4. ibid.

SACRIFICIUM SACRAMENTUM.

Inter sacrificium & sacramentum diversitas in ordine ad prodesse. l. 16. a. 6. a. 2. n. 6. p. 795.

SACRIFICIUM MISSAE.

Ecclesia de sacrificio Missæ agens non hæret in nudo nomine. l. 16. c. 1. a. 3. n. 1. p. 707.
Missa duo comprehendit unum principale, alterum secundarium & quænam. ibid.
Doctrina Ecclesiæ Catholicæ de sacrificio Missæ proponitur. a. 3. n. 3. ibid.
Quid per sacrificium Missæ intelligat Ecclesia. n. 4. ibid.
Sacrificium aliud adstruitur, non quasi crucis non fuisset sufficiens, sed alia de causa & quare. n. 5. & 8. ibid. & seqq.
Calvini blasphemia reijcitur. n. 6. & 7. p. 708.
Sacrificium incruentum potissimùm ut virtus cruenti singulis in particulari applicetur & quare hoc sit necessarium. n. 8 ibid.
Circa doctrinam Ecclesiæ Romanæ quæ probanda. n. 9. ibid.
Sacrificium Missæ probatur esse verum, ex sacrificio Melchisedech. c. 2. a. 1. per tot. p. 709.
In missa semper idem sacrificium est à quocunque offeratur. a. 8. n. 10. p. 723. & cap. 3. a. 3. n. 13. p. 732.
Sacrificium Missæ verè per se, & non ab extrinseco mundum & purum. ibid. p. 723.
Sacrificium Missæ & nullum aliud est verè secundùm ordinem Melchisedech. n. 13. & seqq. ibid.
Iudæorum sacrificia cessâsse ex sola Eucharistia convincitur. n. 16. p. 724.
Speculum veræ & Catholicæ doctrinæ modernæ Ecclesiæ Romanæ cum primæva concordantis ad probandum Eucharistiam verum esse sacrificium iuxta prophetias veteris testamenti, ex opposito falsitatem Acatholicorum hoc negantium exhibens. c. 2. a. 8. per Antitheses, p. 725.
Veritas sacrificii missæ ostenditur ex Joann. 4. c. 3. a. 1. n. 1. & seqq. p. 726.
Eucharistiam verum sacrificium esse probatur ex ipsa institutione in ultima cœna à Christo facta a. 2. per tot. p. 728.
In ultima cœna Eucharistiam Christus instituit, eam in sacrificium obtulit, Apostolósque ad idem offerendum sacerdotes ordinavit. a. 2. n. 1. ibid.
Veritatem sacrificii Eucharistiæ probat ly effunditur *in forma calicis*. n. 6. p. 729.
Sacrificii Eucharistiæ veritas probabiliter colligitur ex eo quod Christus dixit; Hoc facite, *&c*. a. 2. n. 10. & a. 3. n. 3. & seqq. p. 730.
Acatholici more aliorum hæreticorum scripturas de institutione sacrificii missæ, aut non admittentes aut aliter explicantes convincuntur authoritate SS. Patrum. a. 3. per tot. ibid.
Christus semetipsum sacrificium obtulit antequam pateretur. a. 3. n. 10. p. 731.
Christus in suis ministris, & offert, & per eosdem offertur. n. 11. ibid.
Sacrificium novæ legis non Martyri, sed Deo offertur, licèt in commemorationem Martyris. n. 15. p. 732.
Eucharistia in similitudinem sacrificii crucis offertur. n. 18. ibid.
Apostoli Domino ministrantes verè sacrificârunt. a. 4. n. 1. p. 733.
Apostolus mensam verúmque altare Christi adstruens sacrificium probat. n. 2. ibid.
Confirmant hoc ipsum SS. Patres. n. 4. & 5. ibid.
Speculum veræ & Catholicæ doctrinæ modernæ Ecclesiæ Romanæ cum primæva concordantis ad probandum Eucharistiam verum sacrificium iuxta scripturam novi testamenti ex opposito falsitatis arguens Acatholicos hoc negantes. a. 4. per Antitheses. p. 734.
Authoritates SS. Patrum contra se pro sacrificio novæ legis agnoscit Calvinus. c. 5. a. 1. n. 2. p. 744.
Sed falsè eosdem de impropriè dicto sacrificio explicans reijcitur. n. 4. & seqq. ibid.
Eucharistia non ideo præcisè sacrificium dicitur, quia commemoratio est sacrificii Crucis. n. 9. ibid.
Esto sit commemoratio sacrificii Crucis hoc non obstat quin verum sit sacrificium. n. 10. p. 745.
Calvinus SS. Patres quos sibi adversarios in materia de sacrificio agnoscit, non volens videri damnare reipsâ damnat a. 2. n. 1. p. 746.
Lutherus cùm non possit evadere, tutiùs iudicavit omnia negare, quàm missæ sacrificium agnoscere. num. 2. ibid.
Tandem Patres, Ecclesiam, Apostolos, & omnia damnat. n. 3. & 4. ibid.
Chemnitius Lutheranus sanior Luthero, PP. admittit, sed cona-

Digitized by Google

conatur eosdem explicare. num. 5. pag. 747.
Eius effugia reprobantur. n. 6. & seqq. ibid.
Tandem cùm aliter non potest, Patres deflexisse dicit. n. 13. & seqq. p. 748.
Lutheri argumentis ex Scriptura petitis contra sacrificium Missæ satisfit. a. 3. p. ibid.
Item argumentis modernorum Lutheranorum. a. 4. per tot. p. 750.
Item argumentis Calvini. a. 5. per tot. p. 751.
Sacrificium Missæ non ideo fit, ut sacrificium crucis ratum fiat, ut mentitur Calvinus; sed ut fructus sacrificii crucis fidelibus applicetur. a. 5. n. 18. p. 753.
Applicatio hæc non uno sed multis modis fieri potest, & quibus. ibid.
Non evertit memoriam passionis Christi, & quare. n. 33. pag. 755.
Ecclesiæ Romanæ doctrinam de sacrificio Missæ confirmant moderni Græci contra Acatholicos. a. 5. in concl. n. 3. & seqq. p. 756.
Speculum veræ & Catholicæ doctrinæ modernæ Rom. Ecclesiæ cum primæva concordantis circa sacrificium Missæ ex opposito Acatholicos discordantiæ redarguens. a. 5. per Antitheses, ibid.
Sacrificium Missæ quoad rem ipsam probatur. l. 21. c. 2. a. 2. n. 8. & seqq. p. 852.
plura vide Missa.

SACRIFICIUM MISSAE PRAEFIGURATUM, & à Prophetis prædictum.

Sacrificia veteris legis prout etiam omnia alia, quæ in ea lege contigerunt sunt figuræ sacrificii novæ legis, & eorum quæ in hac contingunt. l. 16. c. 2. a. 4. n. 1. & 2. p. 715.
Mactatio Agni paschalis verum sacrificium fuisse probatur. n. 4. & 7. ibid.
Effugium contra hoc occluditur. n. 6. ibid.
Mactatio Agni paschalis non solùm figura sacrificii crucis, sed etiam Eucharistiæ & quare. n. 8. & seqq. ibid. & a. 5. n. 5. & seqq. p. 717.
Sacrificium vitulorum Exodi 24. figuravit sacrificium Missæ, seu Eucharistiæ. n. 12. p. 718.
Sacrificia omnia veteris legis fuisse figuram Eucharistiæ probatur authoritate SS. Patrum. a. 5. per tot. ibid.
Sacrificio Missæ Angeli assistunt. n. 7. p. 717.
Pascha nostrum quodnam. n. 8. & seqq. ibid.
Quòd sacrificium Agni fuerit cruentum, &c. & Eucharistia sit incruentum, nihil obstat quin illud hoc figurârit. n. 14. p. 718.
Vaticinia plura afferuntur, quibus iuxta SS. Patres sacrificium Missæ verum probatur sacrificium. a. 6. per tot. p. 719.
Dictum Danielis de auferendo sacrificio iugi vera prophetia probatur contra Porphyrium. a. 6. n. 6. & seqq. ibid.
Prophetiam Malachiæ de offerendo in omni loco sacrificio mundo sacrificium Missæ designâsse probatur & adversæ expositiones reijciuntur. a. 7. per tot. p. 720.
Acatholicorum expositiones unde desumptæ. n. 7. p. 721.
Malachiam de sacrificio Eucharistiæ intelligendum probatur ex Patribus. a. 8. per tot. ibid.
Eucharistia quomodo sacrificium laudis, hymni, &c. & tamen simul verè & propriè dictum sacrificium. a. 8. n. 4. & seqq. p. 722.
Apud Malachiam reiecta sunt non Christianorum, sed Iudæorum sacrificia. n. 7. ibid.

SACRIFICIUM IMPETRATORIUM.

Falsò ab Helmstadiensi quodam Apostata imponitur Doctoribus catholicis quasi non convenirent quod per Missas diversi supernaturales effectus possint à Deo obtineri. l. 16. c. 7. a. 7. n. 12. p. 778.
Mirabiles effectus sacrificii Missæ ab eodem blasphemè præstigiis diabolicis adscribuntur. ibid. n. 10. ibid.
Reijcitur. num. 14. ibid.
Ad missas pro incolumitate suorum animalium quomodo licitè & sanctè homines catholici confugiant contra eundem Apostatam. n. 15. ibid.
Contra infestationes dæmonum Missæ licitè offeruntur, contra eundem. n. 16. & 17. ibid.
Fraudi si qua fiat, Ecclesia non patrocinatur. n. 19. pag. 779.
Falsò affingit Apostata Ecclesiæ quasi ad indebitos fines corpus & Sanguinem Domini applicet. n. 20. & seq. ibid.
Doctrina Ecclesiæ catholicæ vera de fine & dispositionibus ad Eucharistiam & Missæ celebrationem. n. 22. & seqq.
Apostata videtur semetipsum depingere qualis fuerit. n. 26. ibid.

SACRIFICIUM PROPITIATORIUM.

Multiplicia olim fuêre sacrificia, & quænam. l. 16. c. 6. a. 1. n. 1. p. 758.
Ex antiquis hæreticis nulli absolutè negârunt Eucharistiam sacrificium propitiatorium, excepto Aërio, qui oblationem pro defunctis negavit. n. 4. ibid.
Lutherus & Calvinus eorúmque sectatores simpliciter propitiatorium negant. n. 5. ibid.
Ecclesiæ catholicæ doctrina proponitur. a. 2. n. 1. ibid.
Ecclesia vocans sacrificium propitiatorium, non excludit esse sacrificium laudis, & gratiarum actionis. ibid. n. 2. p. 759.
Sacrificium laudis propitiatorium, &c. esse in eodem compossibilia. n. 3. ibid.
Differentia inter sacrificium crucis, & Eucharistiæ. n. 4. ibid.
Eucharistiæ sacrificium propitiatorium probatur ex Scriptura. a. 3. per tot. pag. 760.
Sacrificium Eucharistiæ licitè offerri pro peccatis, probatur ex sanctis Patribus. a. 4. per tot. p. 761.
Sacrificium Eucharistiæ licitè offertur pro vivorum necessitatibus, etiam temporalibus. art. 5. num. 3. & seqq. p. 763.
Offertur item pro defunctis. n. 5. & seqq. ibid.
Vexationes dæmonum per sacrificium Missæ in dono oblatum effugantur. n. 15. p. 764.
In sacrificio Missæ quâ differentiâ fiat memoria martyrum & aliorum defunctorum. n. 21. ibid.
Sacrificium hoc prodesse defunctis traditio est apostolica. ibid. in conclus. p. 765.
Eucharistia esto in ratione Sacramenti non prosit nisi suscipienti, bene tamen in ratione sacrificii. art. 6. num. 2. ibid.
Sacrificium crucis in se sufficientissimum pro remissione peccatorum non impedit quin ea remissio per alia instrumenta nobis applicetur. n. 5. p. 766.
Huic applicationi quomodo deserviat sacrificium Eucharistiæ. n. 6. ibid.
Blasphemia Calvini falsa affingentis Ecclesiæ Romanæ in doctrina de sacrificio Eucharistiæ propitiatorio retunditur. n. 7. & seqq. ibid.
Sicut orare pro aliis non obstat sacrificio crucis, sic nec sacrificare. n. 9. & seqq. ibid.
Stipendium pro sacrificio quomodo reijciatur ab Ecclesia, & quomodo admittatur. n. 13. p. 767.
Speculum veræ & Catholicæ doctrinæ modernæ Ecclesiæ Romanæ cum primæva concordantis, circa sacrificium Eucharistiæ, ut propitiatorium, ex opposito falsitatem exhibens doctrinæ Acatholicæ. art. 6. per Antitheses, ibid.

Digitized by Google

Acatholica. a. 6. per Antitheses, ibid.
Eucharistiam sacrificium propitiatorium pro quibusdam necessitatibus bene offerri agnovit primæva Ecclesia. l. 21. c. 2. a. 7. n. 3. & seqq. p. 863.

SACRIFICIUM TESTAMENTUM.

Idem sub diversa ratione sacrificium & testamentum esse potest & quomodo. l. 16. c. 5. a. 3. n. 3. p. 748.
Eucharistia simul habet rationem dati & accepti. num. 4. ibid.

SACRIFICII CONSUMPTIO.

Sacrificium multipliciter consumebatur. l. 16. c. 5. a. 3. n. 9. p. 749.
Ad sacrificii rationem non pertinet totum consumi. n. 10. ib.
Ad naturam sacrificii sufficit quòd totum Deo offeratur. ib.
Hostia ex natura sacrifitii destrui, seu mutari quidem debet, non tamen necessariò per occasionem. a. 4. n. 5. & 4. p. 750. & a. 5. n. 24. & seqq. p. 754.
Quomodo iuxta Bellarminum intelligenda destructio, nec ullo modo Helmstadtensibus patrocinatur. num. 4. & seqq. p. 750.

SACRIFICII MISSAE FINES.

Sacrificium Missæ ob diversos fines à Christo est institutum & quosnam. l. 16. c. 7. a. 7. n. 6. p. 769.
Quis sit principalis sacrificii Missæ finis. a. 6. n. 10. pag. 775.
Non per hoc prorsus frustranea est quotidiana oblatio quòd astantes re ipsâ non communicent. n. 15. pag. 776.

SANCTORUM CULTUS.

Errores Acatholicorum circa cultum Sanctorum cum Christo in cœlo regnantium. l. 6. c. 1. a. 1. per tot. p. 228.
Lutherus in hac re varius. n. 3. ibid.
De cultu Sanctorum doctrina Catholica. a. 2. per tot. ib.
Honor adoratio. &c. quid dicant, & quomodo diversimodè & ex parte honorantis & ex parte honorati possint accipi. ibid. n. 3. & seqq. pag. 229.
Quæ sit, & quæ non sit quæstio de cultu Sanctorum. n. 13. ibid.
Sanctos cum Christo regnantes specialiter honorandos probatur ex Scriptura. a. 3. per tot. p. 230.
Idem probatur ex praxi antiqua Ecclesiæ, Conciliis & SS. Patribus Græcis & Latinis. a. 4. & 5. per tot. ibid. & seqq.
Cultum Sanctorum cur Theologi posteriores dixerint duliam & quid hyperdulia. lib. 8. cap. 2. art. 1. n. 3. p. 232.
Quantùm distet cultus Sanctorum à cultu Dei in Ecclesia. a. 2. n. 2. p. 233.
Quomodo Sanctis cultus aliquis exhiberi possit. ibid.
Sancti quo sensu possint & quo non possint adorari. ibid.
Cultus Sanctorum quo sensu dici possit religiosus. num. 3. ibid.
Refutantur calumniæ Calvini contra cultum Sanctorum. c. 3. a. 1. per tot. p. 234.
Quos imitetur Calvinus. ibid. n. 2. p. 235.
Angelus in Apocal. cur recusârit cultum à S. Ioanne sibi impensum. a. 4. n. 3. p. 238.
Nihil præstat adiumenti argumentis Acatholicorum. ibid.
Cur & quomodo Ecclesia colat Sanctos. art. 4. in conclus. per tot. ibid.
Sanctos martyres religiosè honorandos iuxta SS. Patres Græcos probatur. l. 21. c. 2. a. 2. n. 19. & seqq. pag. 853.
Item ex sanctis Patribus Latinis. num. 24. & seqq. pag. 854.

SANCTITAS ACATHOLICORUM.

Nullis modernorum Acatholicorum cœtibus convenire notam sanctitatis demonstratur in particulari. l. 4. c. 8. a. 1. per tot. p. 168.
Turpissima est Anabaptistarum secta. n. 1. & 2. ibid.
Lutheranis nulla sanctitatis nota competit, & quare. n. 3. ibid.
Turpissimam Smidelius asserit. n. 4. ibid.
Nullam apud Reformatos sanctitatem esse demonstratur. a. 2. p. 169.
Reformati bonorum operum inimici sunt, quantumvis id negent. n. 2. ibid.
Eilbrachtii testimonium de vitiis Calvinistarum sectæ. n. 3. ibid.
Frivola Calvinistarum excusatio. n. 4. ibid.
Imitatores Donatistarum in Monialium seductione. ibid.

SARACENI.

Secta Saracenica in plures sectas subdivisa, Regna Saracenica diversa inter se colligit. l. 4. c. 2. a. 3. n. 2. & seqq. p. 122.

SATHANAS.

Sathanas quæ pertimescat. l. 11. cap. 4. art. 3. n. 3. p. 524.

SCHISMA.

Quinam propriè sint schismatici. l. 3. cap. 2. a. 1. num. 2. p. 50.
Et quomodo ab hæreticis differant. ibid.
Schismatici pertinaces sunt extra Ecclesiam. ibid.

SCHISMA ACATHOLICORUM.

Quæ sit causa huiusmodi divisionum inter Acatholicos. l. 4. c. 7. a. 5. p. 159.
Verum schisma Acatholicorum ostenditur ex ipsorummet confessionibus. ibid. a. 6. per tot. p. 160.
Frivola Acatholicorum modernorum excusatio schismatis. n. 4. ibid.
Triplex eorum effugium. a. 7. p. 161.
Effugium eorum ad Ecclesias Orientales demonstratur nullum. n. 3. ibid.
Alterum profugium ad VValdenses, VVicleffistas, & Hussitas nullum demonstratur. a. 8. & seqq. ibid.
Moderni Acatholici cum nullis VValdensium, VVicleffistarum, aut Hussitarum Ecclesiis in articulis fundamentalibus conveniunt. a. 11. per tot. pag. 165.
Ostenditur in particulari discrepantia VVicleffistarum à VValdensibus, & Acatholicorum ab utrisque, & Hussitis. n. 3. p. 166.
Frivola Acatholicorum excusatio reijcitur. n. 6. ibid.
Eâdem ratione quâ se referunt ad VValdenses, possunt se referre ad Donatistas, & sic fratres illorum esse. ibid.
Acatholici non possunt plus sibi adscribere fraternitatem sectarum prædictarum, quàm Anabaptistæ & quare. ibidem n. 7. p. 167.
Turpiter suam sectam per tales turpes hæreses, & maximè per Ioannem Huss. ob errores combustum continuatam gloriantur. n. 8. ibid.

S. SCRIPTURA.

Nullibi distinguit triplicem fidem Calvini. l. 1. c. 2. a. 2. n. 9. p. 6.
Non tam facilè discernitur Scriptura S. ab aliis quàm lux à tenebris, ut vult Calvinus. l. 2. c. 2. a. 3. n. 4. p. 14.
Ne quid ad Scripturam addatur prohiberi non potuit in illo Deut. 4. & quare. c. 3. a. 1. n. 2. p. 23.
Et quis sit sensus illius loci. num. 5. ibid.
Quis sit sensus illorum verborum Apocal. vel si quis apposuerit. a. 6. p. 24.
Quo idiomate libri Scripturæ sint conscripti. c. 6. a. 1. p. 42.
Vtitur verbis impropriis sed bono sensu. l. 21. c. 3. a. 2. n. 16. p. 868.

S. SCRIPTURAE ORIGINALIA.

Codices antiqui Hebræi quoad substantiam probabiliter

ter incorrupti. l. 2. c. 6. a. 2. num. 2. paginâ 42.
Moderni verò in aliquibus corrupti. n. 3. ibid.
Codices Græci olim in multis incorrupti. n. 5. p. 43.
Etiam in iisdem quædam addita, quædam omissa. num. 6. ibid.

S. Scripturæ Veracitas.

Ea est scripturæ veracitas, ut si in ea vel officiosum mendacium admittatur, tota & quoad mores difficilis & quoad fidem incredibilis erit. l. 3. c. 4. a. 6. num. 4. p. 72.
Idem à pari dicendum de Ecclesiæ veritate. num. 5. ibidem.
Speculum veræ & Catholicæ doctrinæ modernæ Ecclesiæ cum primæva concordantis, circa inerrabilitatem Ecclesiæ Christi ex opposito falsitatem adversæ fidei repræsentans. a. 5. per Antitheses, ibid.

S. Scripturae Versio.

Circa tempora Hieronymi fuerunt multæ versiones. l. 2. c. 6. a. 3. n. 1. p. 43.
Quæ fuerit tunc correctior seu emendatior. ibid.
Latina Hieronymi editio in Ecclesiis passim lecta. num. 3. ibid.
Vnica tandem fuit in Ecclesiis usurpata, & quænam illa. n. 5. ibid.
Vulgata Latina versio à Concilio Tridentino approbata omnino est à fidelibus retinenda. a. 4. num. 1. & 2. p. 44.
Ecclesia per hoc non reijcit textus veros & originales Hebræos & Græcos, sed potiùs eos approbat. n. 2. ibid.
Concilium Tridentinum non adstruit vulgatam versionem ab erroribus librariorum immunem. n. 3. & seqq. ibid.
Nec sibi vendicat authoritatem condendi novam scripturam. n. 4. ibid.
Competit Ecclesiæ demonstrare, quænam sit purior versio, quâ fideles sine errore possint uti. num. 4. & 5. ibidem.
Huic determinationi potiùs standum quàm privato spiritui. n. 5. ibid.
Male infert Anonymus IV. Ecclesiam modernam ab antiqua defecisse, ob usurpatam vulgatam editionem, cùm potiùs ipsimet Acatholici ob hoc semetipsos defecisse convincant. a. 5. per tot. & in conclus. ibid.
Speculum veræ & Catholicæ doctrinæ circa verbum Dei scriptum eiúsque legitimum Canonem, & versionem, ex opposito falsitatem adversæ fidei repræsentans. ibid. per Antitheses, p. 45.
Quâ S. scripturæ versione utatur Ecclesia Romana, & cur. l. 21. c. 1. a. 2. n. 3. p. 841.
Non per hoc nova scriptura formata, licèt per Hieronymum in Latinum versa fuerit. ibid.
Erroribus plena Lutheri versio, aliorúmque Acatholicorum reijcitur. n. 4. ibid.

Scriptores sacrorum Librorum.

Quæ sit differentia inter Authores S. Scripturæ seu librorum, & inter eos, qui postmodum eandem descripserunt. l. 2. c. 6. a. 2. n. 1. p. 42.

Simon Magus.

Simon Magus & Valeriani quid docuerint. l. 10. c. 1. a. 1. n. 2. p. 431.

Spes seu Fiducia.

Quid sit spes seu fiducia. l. 9. c. 5. art. 2. num. 7. in fine, p. 400. & ibid. num. 8. & a. 6. n. 1. pag. 407.
Fiducia de peccatis sibi dimissis duo involvit, & quænam. ibid. p. 400.
Hanc fiduciam quo sensu admittat Ecclesia Catholica. ibid.
Et quos excludat. n. 9. p. 401.
Si Deus absolutè promisisset omnibus salutem, de eâ spem non haberemus. a. 6. n. 3. p. 407.
Spes nostra quomodo firma esse possit. n. 3. ibid. & n. 16. p. 410. & a. 8. in conclus. p. 413.

Spiritus Sanctus.

Spiritus Sanctus non docet omnem omnino veritatem Ecclesiam, sed eam quam Christus dixerit. l. 3. c. 4. a. 3. n. 7. p. 69.

Spiritûs S. Assistentia.

Apostoli singuli habuerunt infallibilem Spiritus Sancti assistentiam, & hac nonobstante simul congregati in Concilio ad dandam formam Ecclesiæ, causam deciderunt. l. 3. c. 5. a. 1. n. 6. p. 74.
Est maior necessitas ut nunc Spiritus Sanctus assistat Pastoribus in Concilio congregatis, quàm tempore Apostolorum, & quare. ibid.

Spiritus S. Processio.

Fundamenta Græcorum quibus Spiritum S. à solo Patre & non à filio procedere probare nituntur. l. 4. c. 5. a. 4. n. 1. & 2. p. 141.
Quoad hunc articulum quinam propriè Græci dicantur. n. 2. ibid.
Quare in symbolo Constantinopolitano omissum sit: Filióque. n. 3. ibid.
Latini non negant Patrem esse principium sufficiens spiritus, quasi ad hoc egeat filio. n. 4. ibid.
Nec Pater & Filius sunt duo principia. n. 5. ibid.
Spiritum S. à Patre, Filióque procedere probatur ex scriptura. n. 6. & seqq. p. 142.
Quomodo Pater per filium dicatur omnia facere. num. 8. ibid.
Eadem processio ex SS. Patribus Græcis probatur. a. 5. per tot. ibid.
Concordia Græcorum & Latinorum quoad processionem Spiritûs S. à Patre & Filio in Concilio Florentino. a. 6. ibid.
Græci non solùm in Concilio Florentino sed ante multoties convicti processionem Spiritus S. à Patre & Filio admiserunt. a. 7. per tot. p. 145.
Græci ad vomitum redeuntes puniuntur. ibid. n. 4. pag. 146.
Respondetur breviter ad argumenta Græcorum. a. 8. per tot. ibid.
Causa cur in Ecclesia Occidentali symbolo Constantinopolitano addita sit particula: Filióque procedit. n. 6. & seqq. p. 147.
Quando & quomodo hæc particula usurpata in urbe Romana. n. 8. ibid.

Subdiaconatus, Acolythatus, &c.

Subdiaconatus, Acolythatus, & cæteri Ordines Minores in primitiva fuisse Ecclesia usurpati probantur. l. 19. c. 1. a. 5. per tot. p. 825.

Substantia

vide Transsubstantiatio.

Symbolum Apostolorum.

Synodus Dordracena articulum de descensu Christi ad inferos, ex symbolo expungendum iudicavit. l. 2. c. 2. a. 4. n. 4. p. 15.

Symbolum Athanasii.

Symbolo Athanasii contrariantur Acatholici & quare. l. 21. c. 3. a. 2. n. 6. p. 867.
Symboli huius contenta contra Arrianos cum fundamento credunt Catholici, Acatholici verò nullū habent. n. 7 ib.
Symbolo huic an contrarietur dictum cuiusdam libri stellæ Clericorum ab Anonymo III. citati, & quid de hac Clericorum stella dicendum. n. 9. & seq. p. 867. & seq.

Synodus septima generalis

vide Imagines.

Digitized by Google

T.

TENTATIO CARNIS.

Qui tentatione post votum uruntur, an ad matrimonium vocentur. l. 11. c. 9. a. 3. n. 3. p. 552.
Falsum hoc patet ex ipsis Coniugibus necessitate quandoque separatis. n. 4. & seqq. p. 553.
Matrimonium an necessarium remedium tentationum. n. 6. ibid.
Quænam tentationum remedia ex Apostolo & ratione. n. 8. & seqq. p. 552.
Calvinus quod assignet remedium; unde hauserit. n. 12. p. 553.
A tentatione coniuges non sunt liberi, nec per hoc matrimonium frangere possunt. conclus. n. 2. p. 554.

TERMINI FIDEI

vide Fidei termini.

TESTAMENTUM VETUS.

Testamentum vetus terrenas promissiones habuit; Novum verò regnum cælorum. l. 10. c. 4. a. 3. n. 1. p. 453. & a. 5. n. 6. p. 458.

TRADITIO.

Varia usurpatio huius vocis traditio in scriptura & Ecclesia. l. 2. c. 2. a. 1. n. 1. p. 12.
Quæ sit propria huius vocis acceptio apud SS. Patres & in Ecclesia. ibid.
Duplices in Ecclesia sunt traditiones; divinæ seu Apostolicæ, & Ecclesiasticæ: illæ sunt Verbum Dei; hæ non, sed ut sanctæ & piæ venerandæ. n. 2. ibid.
Traditiones quædam dicuntur ad fidem tantùm pertinere, aliæ ad mores, omnes tamen sunt de fide credendæ. ibid.
Calvinus & Acatholici admittunt traditiones Apostolicas, sed liberas, ad fidem & mores non necessarias. n. 6. p. 13.
Christus multa de sensu scripturæ & sacramentis eorumq; administratione tradidit discipulis per quadraginta dies. a. 6. n. 2. p. 17.
S. Paulus multa tradidit Corinthiis ex quibus unum solùm scriptum est, & quodnam. n. 3. ibid.
1. Ad Cor. 11. Spiritu Sancto dictante multa promisit S. Paulus, quæ haud dubiè præstitit, nec tamen scripta sunt. n. 4. ibid.
Apostoli quædam per epistolas, quædam per sermonem tradiderunt, eadem fide credenda. a. 6. n. 7. ibid.
Apostolus aliqua per sermonem tradidit, quæ non tradiderat per epistolas. ibid. p. 18.
Apostoli multa ad fidem pertinentia supersubstantialia sine scripto tradiderunt. l. 2. c. 2. a. 7. n. 2. & seqq. *ubi plura SS. Patrum testimonia hoc confirmantia adducuntur.* ibid.
Authoritas Irenæi ab Acatholicis contra traditiones allegata in ipsosmet Acatholicos retorquetur. n. 4. ibid.
Vox traditio multipliciter in scriptura accipitur. l. 21. c. 2. a. 4. n. 8. p. 857.
Traditio divina quidnam. ibid.
Traditiones Ecclesiasticæ quidnam. n. 9. ibid.
Traditiones divinas extare in Ecclesia probatur per articulos fidei quos ipsimet Acatholici ut tales admittant. n. 10. & seqq. ibid.
Traditiones divinæ eâdem pietate quâ Verbum Dei scriptum recipiunt Patres Græci. num. 17. & seqq. p. 858.
Eandem veritatem profitentur sancti Patres Latini. n. 25. & seqq. p. 859.
Antiqui hæretici has traditiones negabant, & quinam. a. 5. n. 1. & seqq. ibid.
Easdem reijcientes moderni Acatholici manifestè illis sunt similes; & in articulis fidei deficiunt. n. 8. & 9. p. 860.

TRADITIONIS NECESSITAS.

Omnes traditiones divinæ sufficienter propositæ sunt necessariò credendæ. l. 2. c. 2. a. 2. n. 2. p. 13.
Non tenetur quilibet fidelis omnes traditiones in particulari scire aut servare. ibid.
Aliquas traditiones fideles tenentur credere & observare. n. 13. ibid.
Necessariò credendum est quòd sacra scriptura dum extat, sit divina, idque ex sola traditione. a. 3. n. 1. ibid.
Necessariò credendum est Apostolos divino spiritu libros illos qui in scriptura habentur, scripsisse & hoc non, nisi ex traditione. n. 2. p. 14.
Extant Euangelia Thomæ & Bartholomæi, & epistola Pauli ad Laodicenses, quæ ex sola traditione probantur apocrypha. ibid.
Sola traditio probat quaternionem Euangeliorum. n. 3. ibid.
Verus scripturæ sensus à Spiritu Sancto intentus, non, nisi traditione cognoscitur. n. 6. ibid.
Consubstantialis Filii in Trinitate evidenter solùm probatur ex traditione. a. 4. n. 1. & 2. p. 15. & a. 7. n. 17. p. 21.
Ex sola traditione similiter evidenter convincitur in Christo duas naturas, & unam per totam esse. num. 3. p. 15.
Traditione probatur symbolum Apostolorum. n. 4. ibid.
Quòd B. Virgo verè Deipara, ante, in & post partum Virgo. n. 5. ibid.
Ex traditione loco Sabbathi festiva habetur apud Christianos dies Dominica. ibid. a. 5. n. 1. p. 16. & a. 7. n. 1. p. 18.
Ex eadem non luna decima sed Dominica post celebratur festum Paschatis. n. 2. p. 16. & a. 7. num. 19. p. 21.
Parvulorum Baptismus necessarius ex eadem probatur. n. 2. p. 16. & l. 2. c. 2. a. 7. num. 9. p. 19. & 23. p. 22.
Quòd hæc verba & æquivalentia ego te baptizo, &c. sint exprimenda in baptismo traditione constat. a. 5. n. 3. p. 16.
Baptismus ab hæreticis ritè collatus valet, etsi ex scriptura non, sed ex sola traditione habeatur. num. 4. ibid.
Lotionem pedum à ratione Sacramenti excludit Ecclesia ex traditione; Acatholici non habent cur ipsi excludant. n. 5. ibid.
Traditio parem cum scriptura authoritatem habet, nec reijci potest nisi damnentur quæ in Euangelio necessaria ad salutem habentur, imò nisi ipsa fidei prædicatio ad nudum nomen contrahatur. l. 2. c. 2. a. 7. num. 14. p. 20.
Professio fidei non habetur nisi ex traditione. ibid.

TRANSSUBSTANTIATIO.

Transsubstantiatio à modernis Acatholicis impugnatur. l. 15. c. 4. a. 1. n. 1. p. 664.
Per hanc quid intelligat Ecclesia Romana. n. 2. ibid.
Theologi Catholici unanimiter transsubstantiationem propugnant. n. 3. & 4. 665.
Eucharistiam fieri per transsubstantiationem cur teneat Ecclesia Romana. n. 5. ibid.
Nomen transsubstantiationis quando, & quâ occasione usurpatum. n. 6. ibid.
Ad transsubstantiationem credendam quid cuilibet fideli sufficere debeat. a. 1. n. 1. ibid.
Pro eiusdem intelligentia quædam observanda, & quænam. n. 2. & seqq.
Substantia quidnam, & accidentia quænam, & cur sic dicta. n. 3. ibid.

Digitized by Google

Nullus corporis sensus substantiam secundùm se percepit. n. 4. ibid.
Substantiam aliquam adesse vel abesse quomodo percipere possit homo. n. 6. p. 666.
Discursus quem intellectus ex accidentibus de substantia præsentia format, non est absolutè certus. n. 7. ibid.
Quem discursum formare debeat ne erret. n. 8. ibid.
Corpus Christi destructâ substantiâ panis esse sub accidentibus, quomodo intelligendum. n. 9. ibid.
Cur Christus voluerit sub accidentibus panis & vini esse suum corpus & Sanguinem invisibiliter. n. 10. p. 667.
Transubstantiatio non sic intelligenda, quasi substantia panis in corpore Christi remaneat secundùm aliquam partem, sicut cibus convertitur in carnem hominis, sed quomodo. n. 11. ibid.
Transubstantiatio quoad rem per hoc nomen significatam probatur ex Scriptura. a. 3. n. 1. ibid.
Incidens dubium cur Ecclesia tam difficilem verborum Christi sensum amplexa sit solvitur. n. 2. & 3. ibid.
Eadem transubstantiatio quoad rem probatur ex sanctis Patribus. a. 4. per tot. p. 668. Item cap. 3. a. 3. & 4. passim. p. 652. & seqq.
Ex aliis sanctis Patribus minùs clarè loquentibus quomodo eruenda transubstantiatio. n. 10. p. 669.
Eandem doctrinam tanquam Patrum agnoscunt moderni Græci. n. 13. ibid.
Obiectiones contra veritatem Catholicam de reali præsentia & transubstantiatione solvuntur. c. 5. a. 1. & seq. ibid.

TURCARUM GENS.

Turcarum Gens qua olim fuerit. l. 4. c. 3. a. 3. n. 3. pag. 123.
Imbuta doctrina Saracenica. ibid.
Per Tamerlanem devicta, sed per Amurathem restaurata Christianis Constantinopolim eripuit. n. 4. ibid.
Dissidium inter Turcas & Persas in doctrina. ibid.
Cur Regnum Græcorum ad Turcas Deo permittente translatum. n. 5. ibid.

V.

UBI.

Præsentia rei ad locum quidnam. l. 15. c. 2. a. 1. n. 4. p. 642.
Ubi *multiplex assignatur.* n. 5. & seqq. ibid.
Corporibus competit ubi circumscriptivum, *& quidnam illud sit.* n. 5. ibid.
Spiritibus ubi definitivum *convenit, & quidnam illud.* n. 6. ibid.
Deus est ubique perfectissimè. ibid.
Foret in se perfectissimus esto nulli creaturæ præsens esset. n. 7. ibid.
Universo existenti, sicut & cuicunque creaturæ Deus necessariò præsens est. n. 8. ibid. *absque ulla sui mutatione.* ibid.
Præsentia creaturæ ad Deum est eadem realiter creaturæ. n. 9. ibid.
Deus potest creaturam conservare, ut sibi soli sit præsens & non alteri creaturæ à se distinctæ. n. 10. ibid.
Corpus sicut naturaliter quoad quantitatem & qualitates invariatum potest mutare locum, sic corpus quantitativum Deus conservare potest, ut nulli loco sit circumscriptivè præsens. n. 11. ibid.
Potest Deus tali corpori sine ubi *circumscriptivo conservato dare aliquam præsentiam quasi definitivam.* n. 12. p. 643.
Per Dei potentiam idem corpus esse in duobus locis ad minus sacramentaliter. a. 2. per tot. ibid.
Præsentia sacramentalis quidnam, & cur sic dicta. art. 2. n. 1. ibid.
Corpus in diversis locis existens non caret modo & specie, & quare. n. 7. p. 644.
Respondetur authoritati D. Augustini. n. 8. ibid.

VENERATIO CRUCIS, *vide* Crucis Veneratio.

VERBUM DEI.

Anonymi quid sentiant de verbo Dei, & quid Ecclesia Rom. imponant. l. 2. c. 1. a. 1. n. 1. & seqq. p. 10.
Acatholici omnia quæ de Fide credunt dicunt esse verbum Dei scriptum, sed falsò. n. 4. ibid.
Verbum Dei non necessariò debet esse scriptum. c. 2. n. 1. a. 4. p. 12.
Non fuit scriptum à tempore Adam usque ad Moysen. ibid.
Nec à Christo, nec ab Apostolis multo tempore. ibid. p. 13.
Verbum Dei à Christo factum & ab Apostolis prædicatum, non continetur omne in Scriptura. n. 5. ibid.
Hoc fatetur Brentius. ibid.

VERBUM DEI TRADITUM.

Hæretici verbum Dei traditum reyciebant, sic Marcionistæ & Valentiniani. l. 2. c. 1. a. 2. n. 1. p. 11.
Lutherus egregiè consensit Arrianis. n. 3. ibid.
Macedoniani & Eunomiani eâdem ratione negabant Spiritum Sanctum cum Patre & Filio glorificandum. n. 3. ibid.
Pelagianorum commune dictum. ibid.
Donatistæ hâc ratione urgebat baptizatos ab hæreticis rebaptizandos cùm ad Ecclesiam redirent. n. 4. ibid.
Nestoriani negabant B. Virginem Deiparam dicendam, eò quòd in Scriptura nusquam sic vocaretur. ibid.
Eutyches sic negabat in Christo duas naturas. ibid.
Nestoriani, Eutychiani, Aeriani generaliter negabant traditiones. n. 4. ibid.
Hos sequuntur nostri Acatholici cùm hunc ipsum articulum in Scriptura non legant, ibid.
Doctrinam Ecclesiæ Catholicæ de verbo Dei tradito SS. Patres conformem: Acatholicorum verò difformem eisdem, atque hinc sequentia corollaria, vide l. 3. c. 4. in fine, Antitheses *&* conclusionem, p. 33.

VERBUM TRADITUM.

Falsa est Acatholicorum persuasio quasi verbum traditum sit aliud ab evangelizato. l. 2. c. 3. a. 1. n. 7. p. 24.
Verbi traditi necessitas & utilitas cum necessitate & utilitate verbi scripti consistit. n. 12. pag. 25. & a. 2. per tot. p. 26.
Ecclesia non agnoscit aliud verbum traditum, quàm quod ab Apostolis prædicatum est. ibid. n. 13. p. 27.

VEXILLIFER.

Movit audacter varias quæstiones. a. 2. n. 1. p. 7.
In se suscipit onus probandi articulos controversos. ibid.
Quid illi ad probandum propositum. l. 21. in princ. & fine.
Eius vices supplentes anonymi ad probandum Ecclesiam Romanam à primæva defecisse aut reformatam cum primæva convenire, quid præstiterint. ibid. in concl.

VIRGINITAS.

Peccatum est post decretam virginitatem ad nuptias converti. l. 2. c. 2. a. 7. n. 17. p. 21.
Virginitas quanta & quàm gloriosa apud Deum. l. 11. c. 3. a. 3. n. 8. & seqq. p. 517.
Nuptiis an detrahatur cum virginitas laudatur. num. 17. p. 518.
Virginitas Matrimonio contra acatholicos præferenda probatur. l. 21. c. 2. a. 2. n. 40. & seqq. p. 855.

VIRGINITAS MARIÆ.

B. Virgo ante annunciationem voverat virginitatem. l. 11. c. 7. a. 4. n. 1. & seqq. ibid.

Virgi-

Digitized by Google

Virginitatem illius quis impugnaverit olim. ibid. n. 7. p. 540
Lutherus honori B. Virginis detrahit. n. 8. ibid.
Ejus honori detrahit Calvinus, votumque impugnans rejicitur. n. 9. & seqq. ibid.
B. Virgo non obstante voto cur passa marito copulari. n. 15. p. 541.
Vtrum Verum Matrimonium inter ipsam & Ioseph. ibid.

VITA AETERNA.

Vita aeterna Iustificatis duplici titulo confertur. l. 10. c. 5. a. 2. n. 5. p. 466.
Datur justificatis juxta mensuram, qualitatem seu quantitatem operum. a. 4. n. 3. p. 468.
Opera esse causam vitæ æternæ, admittere cogitur Calvinus. n. 5. ibid.
Quomodo titulo filiationis & meriti simul detur. a. 8. n. 6. & seqq. p. 476.
Vita aeterna corona justitiæ, & quomodo ib. n. 10. p. 477.
Passiones hujus temporis quomodo condignæ ad futuram gloriam. ibid. n. 16. p. 479.
Parvulis datur jure hæreditatis propter Christi merita. c. 6. a. 5. n. 9. p. 489.
Adultis propter bona opera ex iisdem meritis amplior datur gloria, & quomodo hac multimodis Deo debita promereantur præmium amplius. ibid.
Ex meritis vitam consequens quomodo Deo Patri & Christo Redemptori plus obligatur. ibid.
Cur & quomodo merita non præjudicent sed exaltent Christi redemptionem. n. 10. ibid.

VNCTIONIS EXTREMAE SACRAMENTUM.

Extremæ unctionis Sacramentum omnium primi qui infestarint. l. 18. c. 1. a. 1. n. 1. p. 816.
Hos qui secuti n. 2. & 3. ibid.
Idem rejicit Lutherus, & calumniatur Calvinus. ibid.
Doctrina Ecclesiæ Romano Catholicæ de extremæ Vnctionis Sacramento proponitur & declaratur. a. 2. per tot. ibid.
Cur Sacramentum hoc extrema unctio dicatur. a. 2. n. 3. ibid.
Extremæ unctionis Sacramentum ubi in scriptura insinuatum. a. 3. n. 1. p. 817.
Verum novæ legis Sacramentum esse unde probetur. n. 2. & seqq. ibid.
Vnctio infirmorum apud S. Iacobum non est eadem cum gratia gratis data, curationum, & quare. n. 5. & 6. ibid.
Iacobus solum promulgator non institutor extremæ unctionis. n. 7. p. 817. & Conclus. n. 1. p. 819.
Lutherus quid opponat veritate convictus. n. 7. ibid.
Calvini effugium occluditur. n. 9. & a. 4. sparsim ibid.
Sancti Patres extremam unctionem verum probant Sacramentum. a. 4. per tot. p. 818.
Calvini mendacium de primo hujus Sacramenti institutore rejicitur, n. 10. & 11. p. 819.
Extremæ unctionis Minister quisnam. ibid.
Extrema unctionis Sacramentum agnoscunt moderni Græci. in Conclus. n. 3. & seqq. ibid.
Speculum veræ & Catholicæ doctrinæ modernæ Romanæ Ecclesiæ cum primæva concordantis circa Sacramentum extremæ unctionis falsitatem Acatholicorum ex opposito exhibens. l. 18. c. 1. a. 4. per Antitheses, pag. 819.

VOTUM.

Vota Monachorum præcipua quænam. l. 11. c. 6. a. 1. n. 1. p. 530.
Vota hæc quinam primi impugnarint. n. 2. ibid.
Lutherus turpissimus vota prorsus sublata vellet. n. 4. & seqq. ibid.
Calvinus de votis quid senserit. ibid. n. 8. & seqq. p. 531.
Votum ex doctrina Ecclesiæ quidnam. a. 2. n. 1. ibid.
Quænam ad votum legitimum requirantur conditiones. p. 532.
Votum circa rem alias præceptam quomodo possit fieri. n. 4. ibid.
Vota temerè facta non probat Ecclesia n. 6. ibid.
In voto duæ requiruntur actiones, & quænam a. 3. n. 2. p. 533.
Votum est actus Religionis. ibid. n. 5.
Actiones istæ duplicis generis sunt. n. 3. ibid.
Per vota vero Deo exhiberi cultum probatur ex scriptura. a. 3. n. 7. & seqq. ibid.
Res alioquin indifferens quomodo materia voti. n. 10. p. 534.
Peregrinationes sanctæ sunt. n. 11. ibid.
Calvinus ex Apostolo ad Colossenses vota impugnans refellitur. a. 4. ibid.

VOTA RELIGIOSORUM.

Votum paupertatis Deo gratum, sanctum & bonum probatur. l. 11. c. 7. a. 1. per tot. p. 535.
Paupertatem primi Christiani aliqui licet non omnes Hierosolymis voverunt. n. 8. p. 536.
Ananias & Saphira votifragi puniti. n. 10. & seqq. ibid.
Obedientiam sub Ecclesiasticis superioribus licitè & sanctè posse voveri probatur. a. 2. per tot. p. 537.
Monachi in primitiva Ecclesia obedientiam voverunt. n. 3. & seqq. ibid.
Desertores Monachi cur vota vituperent. n. 5. ibid.
Nolite fieri servi hominum: *an præjudicet obedientiæ, & quomodo intelligentur.* n. 6. & seqq. ibid.
Monachi non sunt servi sed vere liberi. ibid. n. 9. p. 538.
Impugnationes Acatholicorum contra votum continentiæ rejiciuntur a. 5. per tot. p. 541.
Continentia virginalis bene promittitur cum fiducia in Deum, esto non cum omnimoda certitudine. ibid. n. 7. p. 542.
Probatur exemplo Conjugum mutuò promittentium fidelitatem. n. 8. ibid.
Impudentia Calvini quod tentati statim ad matrimonium vocentur multipliciter rejicitur. n. 7. & seqq. ibid.
Speculum veræ & Catholicæ doctrinæ modernæ Ecclesiæ cum primæva concordantis circa vota perpetuæ continentiæ, & alia, ex opposito Acatholicos falsitatis arguens. c. 9. a. 3. per Antithes. p. 555.

VV.

VVALDENSES.

VValdenses hæretici qui fuerint. l. 4. c. 7. a. 8. n. 1. p. 161.
Eorum errores recensentur. n. 2. & seqq. ibid.
Convicti simulabant se Catholicos n. 3. p. 162.
Bello Ecclesiam invadentes cæduntur. n. 4. ibid.
Damnati in Concilio Lateranensi in peius resurgunt. n. 6. ibid.
S. Dominicus miraculosè cum iis disputat. n. 7. ibid.
VValdenses nihil subterfugiis Acatholicis præstant, & quare. n. 8. ibid.
VValdensium horrenda & impia dogmata l. 4. a. 11. n. 1. p. 165.
Nec valet modernorum Acatholicorum excusatio n. 2. ibid.
Prædicante Calvino novam Confessionem expetiverunt & fecerunt. ibid.

VVICLEFF.

Errores VVicleff recensentur in particulari. l. 4. c. 7. a. 9. p. 163.
Acatholici quosdam eorum errores damnare debent. n. 2. ib.
VVicleff plura alia docuit, quæ Acatholici damnant, adeòque per successionem ad illos & schismatis notam non effugiunt. ibid.

FINIS.

INDEX
CONCIONATORIVS

Pro omnibus Dominicis & Festis per annum juxta materias in hoc opere contentas.

DOMINICA I. ADVENTVS.

Non præteribit generatio hæc donec omnia fiant. Luc. 21. v. 32.

1. Generatio hæc juxta Chrysost. & cæt. est congregatio fidelium, quæ dicitur permansura usque ad finem mundi contra adversarios. lib. 3. cap. 3. art. 2. & seqq.

2. *Erunt signa in sole & cæt. & in terris pressura gentium, & c. arescentibus hominibus præ timore;*

Hic incutitur timor ultimi judicii, ut alibi sæpe scriptura facit. Acatholici illum plurimùm minuunt & excutiunt per falsam certitudinem justificationis & prædestinationis, ac perseverantiæ, lib. 9. cap. 6.

3. *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.*

His verbis docetur infallibilitas verbi divini cujuscunque sive scripti sive non scripti, quia absolutè loquitur; Acatholici verbo Dei non scripto credere nolunt. *lib. 2. c. 1. 2. & 3.*

DOMINICA II. ADVENTVS.

Euntes renunciate Ioanni, quæ audistis & vidistis. Cæci vident; &c. Matth. 11.

1. Ecce Christus jubet Ioanni narrari miracula, ut inde judicet, quis ipse sit. Volebat ergo Christus, ut Ioannes miracula narrantibus crederet; miracula dat pro signo distinctivo veri Christi; Acatholici miracula narrantibus & scribentibus credere nolunt, aut pro signo distinctivo veræ Ecclesiæ Christi illa agnoscere. lib. 3. cap. 6. art. 4.

2. *Quid existis in desertum videre hominem mollibus vestitum, &c.* Matth. 12.

Hic laudat Christus Ioannem, quod in deserto fuerit, quod aspero vestitu usus, *&c.* quæ sunt voluntariæ pœnitentiæ opera; Adversarii illa irrident, vitiosa esse clamant lib. 10. cap. 1. art. 1. Contra quos agitur cap. 3. art. 1. & seqq.

DOMINICA III. ADVENTVS.

Ego baptizo in aqua. Ioann. 1.

1. Ioannes hic indicat suum baptismum esse inferiorem baptismo Christi, ut expressè dicit Matth. 3. Luc. 3. *&c.* Adversarii ipsius baptismum malè æquiparant baptismo Christi lib. 12. cap. 2. art. 3. pag. 568 & lib. 13. cap. 4. pag. 623.

2. *Medius vestrûm stetit, quem vos nescitis.*

Potest hic dici, quomodo medius nostrum stat in Ecclesia Catholica Christus, ne ipsa erret, quod scire nolunt Adversarii lib. cap. 3. art. 2. deinde potest dici, quomodo medius nostrum sit in Eucharistia sacra, & scire nolint Adversarii lib. 15. per totum.

DOMINICA IV. ADVENTVS.

Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Luc. 2.

1. Ioannes docet pœnitentiam esse necessariam ad remissionem peccatorum in statu Euangelii; Adversarii fidem docent sufficere lib. 9. cap. 3. art. 3. pag. 355.

2. *Erunt prava in directa & aspera in vias planas.*

Loquitur Ioannes de lege gratiæ, quòd lex aspera antiqui testamenti, vertetur in legem facilem gratiæ, in qua erunt mandata observatu facilia. Adversarii docent, mandata Dei esse impossibilia. lib. 10. c. 1. art. 1. & cap. 2. art. 1. & seqq.

DOMINICA INFRA OCT. NATIVITATIS.

1. *Ecce positus est hic in ruinam, &c. & in signum cui contradicetur.* Luc. 2.

Signum illud ait Chrysostomus, est signum crucis, quod apparebit in cœlo Christo adveniente signo huic malè contradicunt adversarii, nolentes illud honorari lib. 7. cap. 8. per totum, pag. 285.

2. *Et erat Anna Prophetissa & hæc vidua, quæ non discedebat à templo jejuniis & obsecrationibus serviens die ac nocte.*

Docetur quòd cultus Dei sit jejunium contra adversarios.

Docetur modus die ac nocte Deum laudandi, quem servant Catholici lib. 11. cap. 6. Potest etiam dici de voto continentiæ, quia laudatur Anna à viduitate contra adversarios lib. 11. cap. 3.

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

1. *Remansit puer IESVS, & non cognouerunt parentes ejus.* Lucæ 2.

Lutherus & alii arguunt hic gravis peccati B. Virginem, quod filium perdiderit, sed ipse textus excusat tam ipsam, quàm Iosephum addens: *Existimantes eum esse inter cognatos & notos.* Sic male calumniantur adversarii B. Virginem. lib. 11. cap. 7. art. 4. num. 8.

2. Iuxta consuetudinem dici festi, *&c.*

Post dici de celebratione festorum. lib. 12. cap. 4.

Deinde de traditione festorum contra adversarios lib. 2. cap. 1. art. 5.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

Dicit Mater IESV Vinum non habent. Ioann. 2.

1. Primum miraculum Christus ad intercessionem B. Virginis. Vnde bene colligunt Catholici, eam etiam nunc singularem advocatam esse in cœlis contra adversarios lib. 6. cap. 2. art. 1. & cap. 4. art. 1. & 2. & cap. 6. art. 1.

2. *Haurite nunc & ferte Architriclino;*

Aquam Christus convertit in vinum, quod credunt adversarii, & dicenti Christo, quod panis convertatur in corpus ejus credere nolunt. lib. 15. cap. 4. art. 1. & seqq.

3. *Nuptiæ factæ sunt.*

Potest dici de Sacramento matrimonii lib. 20. per totum.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

Domine si vis potes me mundare.

1. Marcus scribit, hunc leprosum flexisse genua; Lucas in faciem procubuisse; Vnde colliguntur similes Cæremonias esse honestas & Deo placitas contra adversarios lib. 12. cap. 4. per totum.

2. *Vade ostende te sacerdotibus.*

Mittit Christus ad sacerdotes leprosos, ut judicent de lepra. dedit Christus in novo Testamento sacerdotibus potestatem supra lepram spiritualem, scilicet, peccatum, ut ait Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio contra adversarios lib. 16. per totum.

DOMI-

Digitized by Google

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

1. *Filii Regni ejicientur foras.* Matth. 8.

Hinc sequitur falsitas doctrinæ adversariorum, quòd filii regni excidere non possint ex gratia lib. 9, cap. 6. art. 1. & 5.

2. *Ita ut navicula operiretur fluctibus.*

Per naviculam hanc sancti Patres passim intelligunt Ecclesiam Christi visibilem; voluit ergo Christus docere, etsi Ecclesia sit obruenda quandoque persecutionibus, nunquam tamen submergetur aut deficiet contra adversarios lib. 3. cap. 3. art. 2.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

1. *Inimicus homo superseminavit zizania.* Matth. 13.

Docetur modus seminandi inimicorum, quòd superseminent zizania super verbum bonum, diabolus super verbum bonum tot centenis annis in Ecclesia seminatum superseminârunt per Calvinum & Lutherum zizania. probatur ergo bene antiquitas Ecclesiæ nostræ lib. 3. cap. 6. art. 6. inerrabilitas cap. 4. art. 1.

2. *Sinite utraque crescere, ne forte eradicetis & triticum.*

Adversarii ex hoc loco arguunt hæreticos non esse occidendos, sed advertant quòd Christus causam addat, nè eradicetis & triticum. Quando ergo sine majori malo possunt occidi, Christus id non vetat. Patet ergo quàm malè interpretentur Scripturam. Hic locus probat, quòd in Ecclesia semper sint boni & mali & Ecclesia nunquam visibiliter deficiet lib. 3. cap. 3.

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

1. *Omnia locutus est Jesus in parabolis.* Matth. 13.

Christus ad turbas loquitur in parabolis, quas postea explicavit Apostolis, & ad eos dicit: *Vobis datum est nosse mysteria Regni cœlorum*, illis autem non est datum. Unde patet, explicationem Scripturæ Christum non voluisse esse penes plebem, ut adversarii volunt, sed penes Ecclesiam & Concilia, quæ errare non possunt lib. 3. cap. 4.

2. *Simile est Regnum cœlorum grano synapis, &c.*

Christus seminavit verbum Dei in agro suæ Ecclesiæ Catholicæ, quæ per Regnum cœlorum intelligitur, ibique crevit, ut factum sit majus omnibus oleribus, omnibus scilicet aliis sectis & religionibus; vide ergo quomodo Ecclesia sit universalis lib. 3. cap. 6. art. 5. pag. 88.

Posset etiam hîc dici de falsis sectis extinctis. *Vide* lib. 4.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

1. *Conduxit operarios in vineam suam.* Matth. 20.

Hinc patet Christum in vinea Ecclesiæ velle habere operarios, & non solam Fidem, ut Adversarii volunt lib. 10. cap. 4. art. 3.

3. *Reddite illis mercedem.*

Mercedem Christus jubet dari vespeti operariis. Adversarii negant in vespero vitæ pro bonis operibus mercedem dandam. lib. 10. c. 5. a. 4.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

1. *Semen est verbum Dei, &c.* Luc. 8. *aliud cecidit super petram. &c.*

An non petræ sunt corda adversariorum? qui videntes tot signa veræ Ecclesiæ, equidem se nolunt illi adjungere, nolunt illa agnoscere. Lib. 3. cap. 6. per totum.

2. *Aliud inter spinas, &c.*

Alii videntes veritatem Ecclesiæ Catholicæ ob spinas illius & hæresum favorabiles & laxas circa peccata doctrinas veritatem agnitam sequi nolunt lib. 4. cap. 7. per totum.

Docet id vita eorum. Lib. 4. cap. 8. art. 6.

3. Cæteris in parabolis, ut videntes non videant; & audientes non intelligant. Ex hoc & similibus locis inferunt adversarii, quòd Deus merâ suâ voluntate ex proposito per ænigmata doceat, ut errent & pereant. *Vide* lib. 2. cap. 4. art. 3. pag. 30.

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

1. *Quid tibi vis faciam? Domine ut videam.* Luc. 18.

Videtur hinc colligi liberum arbitrium, quia dicit quid vis? quod adversarii negant lib. 4. cap. 8. articulo 9.

2. *Fides tua te salvam fecit, &c.*

Hîc sanitas tribuitur Fidei, non Fidei particulari Calvini, sed miraculorum lib. 9. cap. 2. art. 3. & cap. 3. art. 2.

Sed non soli, ut volunt Adversarii; non enim dixit Christus, *fides* absolutè, sed *tua*, quæ scilicet conjuncta fuit orationi, vociferationi & perseverantiæ. Lib. 9. cap. 3. art. 3. & sequentibus.

DOMINICA I. QVADRAGESIMÆ.

1. *Cùm ieiunasset 40. diebus & 40. noctibus.* Matthæi 4.

Laudabile est Christum in hoc imitari, adeóque poterit tale jejunium præcipi contra adversarios lib. 12. cap. 4. art. 3. pag. 578.

2. *Angelis suis mandavit de te, & in manibus tollent te, ne forte, &c.*

Diabolus tentat Christum verbis Scripturæ, sed omisit verba intermedia (*ut custodiant te in omnibus viis tuis*, quæ verba ad rem multùm faciebant; illa enim indicant, quòd Angeli custodiant in omnibus viis ordinatis & rationabilibus non in voluntariis præcipitiis, quæ suadebat diabolus. Ita abutuntur adversarii sacrâ Scripturâ. Lib. 10. cap. 4. articulo 3. num. 6.

DOMINICA II. QVADRAGESIMÆ.

1. *Bonum est nos hic esse, faciamus hic, &c.* Matthæi 17.

Hic Petrus primùm assumitur ad videndam transfigurationem, ipse loquitur præ cæteris: *Bonum est nos hic esse.* Quod adjunctis aliis signis prærogativæ Petri, satis illius primatum supra cæteros Apostolos ostendit, quem negant ipsi adversarii. Lib. 5. cap. 3. art. 2. pag. 201.

2. *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.*

Ex hoc loco malè arguunt adversarii, Christum solum audiendum, non Ecclesiam, non Concilia; sed illa audienda & infallibilia esse probatur lib. 3. cap. 4. per totum, & cap. 5.

DOMINICA III. QVADRAGESIMÆ.

1. *In Beelzebub ejicit dæmonia.* Luc. 11.

Sicut Christi miracula interpretabantur Judæi; ita interpretantur adversarii illa quæ ab Ecclesia facta proponuntur, sed illis respondendum ut Christus Judæis respondit. *Regnum in se divisum desolabitur.* Et si Sathanas Sathanam ejicit, quomodo stabit Regnum ejus? Ecclesia autem stetit tot annis contra hæreticos damnatos. Dici ergo potest de stabilitate Ecclesiæ catholicæ lib. 3. cap. 3. art. 3. pag. 57.

Et de sectarum diversarum instabilitate, ut habetur fusissimè lib. 4. de falsis Ecclesiis.

Ejicit dæmonia Ecclesia catholica Exorcismos in baptizandis & obsessis adhibet, quos adversarii malè irrident, sicut Judæi Christum irriserunt. Lib. 12. cap. 4. art. 6. n. 22. & seqq. pag. 785.

DO-

Digitized by Google

DOM. IV. QUADR.

Accepit Iesus panem, &c. Joann. 6.

1. Circumstantias hujus miraculi ex Euangelio considerans videt Christum hoc miraculum fecisse ad manuducendum homines ad ministerium Eucharistiæ; Adversarii primum credunt, hoc credere nolunt. lib. 15. cap. 4. per totum, pag. 664.

2. *Cùm gratias egisset, &c. distribuit.*

Christus ante mensam egit gratias, accepit de panibus, respexit in cælum, & benedixit & fregit; unde Christus docet modum ante mensam orandi cibum benedicendi, à quo abhorrent Adversarii, sicut & ab aliis cæremoniis Ecclesiæ. lib. 12. cap. 4. p. 577.

DOM. PASSIONIS.

Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est. Joann. 8.

1. Christus noluit seipsum glorificare, sed voluit authoritatem, quâ homo ab alio accipere. Vnde Apostolus ad Hebr. 9. ait: Christus non seipsum glorificavit, ut Pontifex fieret; Adversarii malè glorificant seipsos intrudentes se in ministeria Ecclesiæ sine legitima missione. lib. 19. cap. 3. per totum, p. 2.

2. *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in æternum.*

Ex hoc patet merces bonorum operum. lib. 10. cap. 5. art. 4. pag. 567. n. 3.

3. *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

Calvinus Christum arguit de peccato gravissimo, quia dicit, ipsum in cruce desperasse.

DOM. PALMARUM.

1. *Straverunt vestimenta sua in via.* Matth. 21.

Euangelium laudat processionem & externas cæremonias Christo exhibitas: Adversarii similes cæremonias cavillantur. lib. 12. cap. 4. art. 1. pag. 577.

2. *O Sanna Filio David.*

Lucri hæc verba clamantes illa non intelligebant, & tamen, quia in laudem Christi fiebant, Christo placebant; Adversarii cavillantur missam, quòd Latinè fiat, & non intelligatur; & similia. lib. 18. c. 8. a. 9. pag. 792.

DOM. RESURRECT.

1. *Emerunt aromata, ut venientes ungerent Iesum.* Matth. 16.

Mulieres juxta Euangelium laudabiliter voluerunt aromatibus honorare corpus Christi mortuum; Adversarii volunt, quòd Christus, postquam resurrexit, in S. Eucharistia aromatibus, thure & similibus honoretur & adoretur. lib. 15. cap. 6. per totum, pag. 681.

2. Inde apparet laudanda devotio, quâ honorantur corpora & reliquiæ Sanctorum contra adversarios. l. 7. c. 2. a. 1. & seqq. pag. 259.

FERIA II. PASCHÆ.

Nónne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Luc. 24.

1. Si oportuit Christum pati, & per tribulationes intrare regnum, cujus erat hæres naturalis; quantò magis oportebit nos per tribulationes & patientiam intrare regnum cælorum? contra adversarios. l. 10. c. 4. a. 3. p. 452.

2. *Et factum est, dum recumberet accepit panem & benedixit, & fregit & porrigebat illis.*

Christum hic Eucharistiam discipulis dedisse patet; cùm ergo sub specie hoc fecerit, poterit & hoc modo fieri ab Ecclesia contra adversarios. l. 15. c. 7. per totum, p. 690.

FER. III. PASCHÆ.

1. *Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas.* Luc. 24.

Ex hoc patet, S. scripturam non esse cuivis claram. l. 2. cap. 7. art. 3. pag. 14. contrarium volunt adversarii l. 2. c. 5. art. 3. pag. 35. Et id etiam patet ex tanta multitudine falsarum Ecclesiarum quæ omnes pro se scripturam allegant. libro 4. per totum.

2. *Et prædicari per omnes Gentes ex incipientibus à Ierusalem, &c.*

Hic Christus promisit suæ Ecclesiæ amplitudinem & diffusionem per omnes Gentes. Hoc convenit Ecclesiæ Catholicæ Romanæ l. 5. cap. 2. art. 7. pag. 196. Et nulli alteri convenit l. 4. cap. 8. art. 3. paginâ 172.

DOMINICA IN ALBIS.

1. *Cùm fores essent clausæ, venit Iesus, &c.* Joann. 21.

Patet ex expresso textu, quòd Christi corpus possit esse in eodem loco cum alio corpore, quandoquidem clausis ostiis Christus intraverit contra Calvinum l. 14. c. 2. art. 3. pag. 645.

2. *Sicut me misit Pater, &c. quorum remiseritis peccata, &c.*

Christus hic tradit judicialem potestatem remittendi peccata, quia misit alios sicut missus est; Hanc autem potestatem sacerdotibus Ecclesiæ datam adversarii malè negant. l. 17. per totum.

DOMIN. II. POST PASCHA.

Erit unum ovile & unus Pastor. Joann. 20.

Quòd unus sit Ecclesiæ totius visibilis in terris Pastor supremus. l. 5. c. 3. pag. 200. Acatholici negant ibid. qui non habent unum ovile, sed ab illo separati, in plures sectas divisi sunt. l. 4. c. 7. pag. 153. per totum.

DOM. III. POST PASCHA.

Quia vado ad Patrem. Joann. 16.

1. Adversarii ex eo, quòd Christus iverit ad Patrem, malè arguunt, quòd non possit esse realiter præsens in Eucharistia. l. 15. cap. 3. art. 1. &c. paginâ 648.

2. *Nescimus quid loquitur.*

Hinc colligitur, sacram scripturam non esse cuivis claram, ut volunt adversarii, & id probatur ex multitudine falsarum Ecclesiarum scripturam pro se trahentium. l. 4. per totum.

DOM. IV. POST PASCHA.

1. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem, &c.* Joann 16.

Hinc sequitur, quòd apud Apostolos & successores illorum habenda & quærenda sit veritas, quia ait: ut maneat in æternum, ipsi autem apostoli non erant mansuri. Patet ergo inerrabilitas Ecclesiæ. l. 3. cap. 4. per totum pag. 66.

2. Hinc sequitur, quòd apud Ecclesiam sint quærendæ resolutiones controversiarum.

DOM. V. POST PASCHA.

1. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Joann. 16.

Arguunt ex hoc loco adversarii, Sanctos non esse invocandos, sed quàm malè vide l. 6. cap. 6. art. 1. & seqq. pag. 245.

2. *Ipse Pater amat vos, quia vos me amâstis.*

Hic evertitur doctrina adversariorum, quâ fingunt, nos esse solùm justos propter justitiam Christi imputatam, & nullam inhærentem: amat, dicit, quia vos me amastis. libro 9. cap. 4. articulo 5. pag. 378.

Digitized by Google

DOMINICA VI. POST PASCHA.

1. *Ille testimonium perhibebit de me; & vos testimonium perhibebitis de me*, Ioann. 15.

Advertendum, quòd Christus dicat testimonium verum & firmum in futuro dandum à Spiritu sancto, non tantùm per internum influxum, sed etiam per externum testimonium Apostolorum & successorum. lib. 3. cap. 5. pag. 71. per totum.

2. *Venit hora, ut omnis qui interficit vos arbitretur, se obsequium præstare Deo.*

Potest hìc dici, quomodo adversarii persecuti sint Ecclesiam, quomodo omnes alias sectas liberè permittant, sed solos persequantur Catholicos. lib. 4. cap. 7. art. 4. & 5.

DOMINICA PENTECOSTES.

1. *Vos sedete, quoadusque induamini*, &c.

Hinc probatur Sacramentum Confirmationis. lib. 14 per totum, pag. 630.

2. *Si quis diligit me, sermones meos servabit; & Pater meus diliget eum.* Ioann. 14.

Docet hìc Christus, quòd non sola fides iustificet, sed etiam charitas & mandatorum Dei observantia, quia dicit, qui diligit me sermones meos, hoc est mandata servabit, & quod Pater diliget eum, & ad eum venient, & mansionem facient, quæ est vera justificatio lib. 9 cap. 3. art. 4. pag. 357.

FERIA II. PENTECOSTES.

1. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ioann. 3.

Ex hoc inferunt adversarii, quod sufficit in ipsum credere; sed malè quia non dixit, qui tantùm credit, *&c.* Sed Christus in ipsum dixit: Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Vide lib. 10. cap. 4 art 3 pag 452.

2. *Qui non credit, jam judicatus est.*

Conqueruntur adversarii, quòd damnentur à Catholicis, sed immeritò, cum Christus dicat, judicatos & damnatos esse, qui sunt extra veram Ecclesiam lib. 3. cap. 2. art. 1. & seqq. pag. 49.

FERIA III. PENTECOSTES.

1. *Qui intrat per ostium, Pastor est ovium.* Ioann. 10.

Expressè hìc Christus docet, Pastores Ecclesiæ debere legitimè mitti, non habent Pastores adversarii. lib. 19 cap. 2 art. 2 n. 1 & seqq pag. 827.

2. *Alienum non sequuntur, sed fugiunt ab eo.*

Docet Christus, quòd veri Pastoris vocem oves noverunt, & aliam supervenientem audire non debeant, nec sequi; veri Pastores sunt Apostoli, & eorum successores legitimè vocati ac missi; horum voces Christus vult audiri, non novas hæreticorum, & eorum novitiam doctrinam, sed antiquam Catholicorum lib 3 cap. 6. art 6.

DOMINICA TRINITATIS.

1. *Docete omnes gentes, &c. docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis.* Matth. 28.

Christus manifestè vult servari sua mandata, ergo non sunt impossibilia, aut non necessaria observatu. lib. 10. cap. 2. art. 1. & seqq. pag. 435. & cap. 4. art. 1. & seqq. pag. 451.

2. *Ecce vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.*

Ecce promissam manifestè assistentiam Christi, Apostolis, & non tantùm illis, sed etiam eorum successoribus; non enim (ait Augustinus) hoc solis Apostolis loquebatur, qui usque ad consummationem sæculi non erant, illis loquebatur, & nos significabat; si ergo Christus semper assistit Ecclesiæ Catholicæ errare non potest. lib. 3. cap. 4 per totum, p. 66.

DOMINICA SECUNDA.

1. *Et cœperant omnes simul excusare.* Luc. 14.

Hic omnes se excusarunt frivolè à cœna propter curas & voluptates terrenas, ita adversarios fecisse docet illorum mala vita. lib 4. cap. 8 art. 6.

2. *Compelle intrare.*

Constat, quòd etiam Apostatæ à fide vera compelli possint in pœnam Apostasiæ, ut fidem veram reassumant, quod Augustinus clarè docet Epist. 48. & alii negant autem adversarii, & tamen contrarium practicant, Catholicos ad mortem persequendo, ùt patet in Anglia lib. 4. cap. 7. art. 4. pag. 159.

DOMINICA III.

4. *Gaudium erit coram Angelis super uno peccatore pœnitentiam agente.* Luc. 15.

Si Angeli gaudent, ergo cognoscunt opera nostra bona & pœnitentiam, ergo & Sancti, qui ejusdem conditionis sunt, ac consequenter invocari poterunt. lib. 6. cap. 1 art. 1. pag. 245.

DOMINICA IV.

Ascendens in unam navim quæ erat Simonis. Lucæ 5.

1. Christus hìc turbas volens docere, non ascendit in navim aliam quam Petri: indicare volés, quod ex una Petri navi & cathedra principaliter veritas perpetuò docenda esset contra adversarios. *vid.* l. 5. c. 3. a. 2. & seqq. pag. 201.

2. Dixit ad Simonem duc in altum, *&c.* duc in altum ait Ambrosius, disputationum volens indicare disputationes & controversias fidei hìc esse decidendas.

DOMINICA V.

Qui irascitur fratri suo reus erit judicio: qui autem dixerit fratri suo raca reus erit concilio; qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. *Matth.* 5.

1. Hinc patet contra adversarios discrimen peccatorum in gravitate, & primò venialium & mortalium l. 8. c. 4. a. 5. n. 14. & seqq. pag. 325. Item l. 10. c. 3. a. 3 n. 4. p. 442.

2. Si offers munus tuum ad altare supponit Christus in Ecclesia fore verum oblationem & sacrificium, quod negant adversarii. l. 16. per totum, pag. 705.

DOMINICA VI.

Habebat pisciculos paucos & ipsos benedixit. Marci 8.

1. Constat exemplo Christi bonum esse benedicere creaturas, quæ per signum crucis benedicuntur, dæmonesque illud fugiunt l. 2. c. 8. a. 5 pag. 289.

2. Benedixit ipsos, *&c.* Calvinus & alii accipiunt pro gratiarum actione, sed manifestè falluntur; Luc. enim 9. dicitur Benedixit ipsis scilicet piscibus & panibus, egitne ergo gratias piscibus & panibus? vide ergo unde vera scripturarum interpretatio desumenda? Ex Ecclesiæ inerrabilitate, de qua l. 3. c. 4. a. 3. & seqq. pag. 68.

DOMINICA VII.

Attendite vobis à falsis Prophetis. Matth. 7.

1. Mandat Salvator attendere & diligenter cavere à falsis Prophetis; supponit ergo esse aliquos tales, & ostendit quomodo dignoscendi sint; qui nimirum veniunt spontè & se ingerunt & prophetant falsa; quales sunt hæretici l. 4. c. 8. a. 1. & seqq pag. 168.

2. Veniunt ad vos in vestimentis ovium, *&c.* vestis ovium mollis est, vestem talem assumunt hæretici sub prætextu spiritûs euangelici, mollia, grata & laxa prædicant contra bonos mores; unde patet, quòd nota sanctitatis sectariorum Ecclesiis non competit. l. 4. c. 8 a. 1. & seqq. pag. 168.

Ddddd DOMI-

Digitized by Google

DOMINICA VIII.

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. *Luc.* 16.

1. Hic docetur meritum eleëmosynæ, quia per has dicit recipiendos in æterna tabernacula. Merita bonorum operum negant adversarii. *vide* l. 10 c. 5. a. 4 p. 467

2 Colligitur patrocinium Sanctorum in altera vita facite amicos, hoc est, patronos ait Greg. magnus: ut ex hac vita recipiant vos in æterna tabernacula in quibus sunt; patrocinium illud negant adversarii lib. 6. cap. 5. per totum, pag. 241.

DOMINICA IX.

Domus mea domus orationis vocabitur.

1. Non simpliciter sed & sacrificii; nam & ipsum adorare sacrificium importabat, & hic etiam modò vera in Ecclesia domus orationis seu adorationis & sacrificii admittenda contra Acatholicos. l. 16. c. 3. a. 1. p. 726.

2 *Vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Tales sunt adversarii qui non legitimè vocati aut missi, sed semetipsos ingerunt, quales sunt hæretici, etiam Acatholici moderni qui nec doctrinæ, nec successionis suæ à tempore Apostolorum seriem demonstrare possunt l. 4. cap 8. art. 4. & seqq. p. 173.

DOMINICA X.

Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, jejuno bis in Sabbatho, decimas do, &c. *Luc.* 18.

1. Hic necessariò defendenda justitia bonorum operum contra adversarios docentes quòd Christus hic ea penitus reprobarit; quam falsò & malè *vide* l. 10. c. 3 a. 1 & seqq. pag 444.

2. Iejuno bis in Sabbatho quod jejunia sint observanda l. ult. c. 2. a. 2 n 41. pag. 855. Sabbathum hic idem est quod septimana, bonum ergo & laudabile erat bis in septimana jejunare, quod Catholici faciunt, malè ergo calumniantur adversarii. contrà probari potest Ecclesiæ potestas talia præcipiendi, l. 12. c. 4. a 2 n. 7. & seqq p. 578. & a. 4. n. 11. pag. 581.

Descendit hic justificatus in domum suam, non utique per solam fidem, nam & hanc habuit Pharisæus, sed etiam per actus, tundebat pectus, *&c.* vide actus præter fidem ad justificationem adulti concurrentes & necessariò requisitos. l. 9. c. 3. a 3. & seqq. pag 355.

DOMINICA XI.

Iesus apprehendens mutum. Marci 7.

1. Colligitur ex cœremoniis Christi, cœremonias quas adhibet in Ecclesia Sacramentorum administratione esse bonas & honestas contra adversarios. l. 12. c. 4. a 2. pag. 578. & a 6. n. 30. & seqq. pag. 586.

2. Exspuens tetigit linguam; per sputum suum illum sanavit; unde patet quod per creaturas Deus quandoque velit dare salutem, quare non & per aquam benedictam, *&c.*

DOMINICA XII.

Magister quid faciendo vitam æternam possidebo, at ille dixit, in lege quid scriptum est? hoc fac & vives. *Luc.* 10.

1. Docet hic Christus evidenter præcepta servari posse & debere, contra adversarios. l. 10 c. 2 a. 1. & seqq. pag. 435.

2. Curam illius habe & quodcunque supererogaveris, ego cùm rediero reddam tibi, hic probatur aliqua esse opera consilii & supererogationis honesta & laudabilia, quæ etiam ab Ecclesia præcipi possunt quidquid dicant adversarii. l. 11 c. 2. a 1 usque ad 5. inclusivè pag. 508. & l ult. c. 1. a. 4 n. 18. & seqq. pag 846.

Item de votis Religiosorum & Christianorum quæ sunt supererogationis. l. 11. c 6. & seqq. pag. 530.

DOMINICA XIII.

Ite ostendite vos sacerdotibus. Luc. 17.

1. Christus duo hic docet 1 quòd licet Deus extraordinariè aliquid operetur in Ecclesia, tamen velit ordinem servari, sacerdotes agnosci & adiri; etsi enim hi leprosi essent verè mundati, mittebantur tamen ad sacerdotes. Lepra significat peccata, voluit ergo Christus docere, quod etsi quis v. g. per contritionem mundatus sit à lepra peccati, equidem per confessionem debeat se ostendere sacerdotibus. confessionem præceptam & non liberam l. 17. c. 2. a 3. p. 807.

2. Docet non cujuslibet privati (ut volunt adversarii) sed sacerdotum potissimum officium esse discernere lepram à non lepra. l 17. c. 2. a 4. n 14. pag. 809 & a 5. pag. 811.

DOMINICA XIV.

Nolite ergo solliciti esse dicentes, quid manducabimus, &c. Matth. 6.

1. Patet laudabilem esse abdicationem omnis sollicitudinis rerum temporalium per voluntariam & religiosam paupertatem, quam calumniantur adversarii *vide* l. 11. c. 7. a. 1. pag. [illegible].

2 Quærite primùm regnum Dei & justitiam ejus: docet regnum Dei non securè per otiosam fidē exspectandum cum adversariis, sed cum labore & sollicitudine quærendum per bona opera cum Catholicis. *vide* l. 9. c 4. a 3. pag. 376.

DOMINICA XV.

Adolescens tibi dico surge; Luc 7.

1. Ob miraculum hic factum per resuscitationem adolescentis omnes Deum magnificârunt; tam multa & egregia in Ecclesia facta miracula adversarii negant, irrident, calumniantur. *vide* l. 5. c. 2. a. 3 pag. 190.

2. Ex miraculo facto collegit populus Christum esse verum Prophetam; sic ex miraculis colligitur Ecclesia vera. Nulla habent adversarii. l. 4. c. 8. a. 1 & seqq. pag. 168.

DOMINICA XVI.

Et ipsi observabant eum. Luc 14.

1. Vt tunc Pharisæi Christum observabant bona ipsius opera malè interpretantes: ita se gerunt adversarii erga Catholicos, cultum Sanctorum, sanctarum imaginum, *&c.* idololatriam interpretantur, l. 7 c. 7. per totum.

2. Qui se humiliaverit, exaltabitur: præmiare vult Christus illos, qui se humiliant voluntariè; adversarii Religiosos irrident, qui Christi vitam pauperem & humilem spontè suscipiunt, quorum statum sanctum esse & pium probatur l. 11. c. 1. a. 3. pag. 499.

DOMINICA XVII.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Matth. 22.

1. Ex hoc mandato, & altero Non concupisces inferunt adversarii mandata Dei esse impossibilia ad observandum, sed quá malè *vide* l. 10. c. 2. a. 3. p. 439.

2. In

2. In his duobus mandatis universa Lex pendet, &c. Luculenter hic Christus docet non solam fidem ad Salutem sufficere, sed charitatem Dei & proximi, quæ sunt opera bona, in quibus alia omnia continentur, lib. 9. cap. 3. art. 4. pag. 357.

DOMINICA XVIII.

Videns Iesus fidem illorum dixit confide fili. Matth. 9.

1. Dicit *Fidem* non solam, sed conjunctam cum aliis virtutum actibus, spe, charitate, &c. *vide* l. 9 c. 3. pag. 355.

2. Vt sciatis quia filius hominis habet potestatem remittendi peccata super terram: sicut Iudæi calumniabantur Christum remittentem peccata, sic adversarii Ecclesiam, per suos Ministros, absolventem à peccatis, quos talem potestatem habere probatur l. 17. c. 1. a. 3 & 4.

DOMINICA XIX.

Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem Matth. 22.

1. Patet quod hic fidelis fuerit, qui intraverat nuptias, id est Ecclesiam & tamen defectu vestis nuptialis ejicitur, quæ est vestis charitatis & bonorum operum quæ consequenter necessaria ostenditur etiam in justificatis contra adversarios l. 10. c. 4. a. 3. pag. 452.

2. *Reliqui tenuerunt servos ejus & contumeliis affectos occiderunt, &c. Rex cùm audisset, &c.*

Ita cum Ministris Christi volentibus ad nuptias æternas adducere fecerunt & faciunt hodiedum quandoque adversarii, de quibus Deus gravissimam interdum sumpsit vindictam. l. 4. c. 5. a. 6. pag. 176.

DOMINICA XX.

Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Ioann. 4.

Iudæi credebant quando signa videbant; pejores sunt hæretici qui videntes signa conspicua & Notas Ecclesiæ Catholicæ credere tamen nolunt. l. 5. c. 2 a. 3.

DOMINICA XXI.

Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.

Matth. 18.

1. Docetur necessitas charitatis fraternæ, Rex enim non damnat servum ob fidem non habitam sed propter defectum charitatis. l. 10. c. 4. a. 3. p. 482.

2. *Nunquid oportuit misereri*, &c. *sicut tui misertus sum, &c.* quadrat hoc bene in Calvinistas & Lutheranos, qui in locis ubi dominantur Catholici, misericordiam petunt & accipiunt; ipsi autem ubi dominantur, omnes sectas admittunt, nulla misericordia est Catholicis, sed quare hoc, nisi quia oderunt veritatem: quæ probatur esse apud Catholicos ex Notis veræ Ecclesiæ. lib. 5. cap. 2. art. 1. & seqq. pag. 182.

DOMINICA XXII.

Cujus est hæc imago? Matth. 22.

1. Si imagines Regum & Principum vel ad memoriam vel ad honorem haberi possunt ùt patet hic; cur non poterunt haberi imagines Christi & Sanctorum? lib 7. cap. 6. art 1. & seqq pag. 276.

2. Reddite quæ sunt Dei Deo: reddendus debitus Deo cultus, & quisnam talis sit, & quòd adversarii falsum affingant Romanæ Ecclesiæ quasi cultum soli Deo debitum alteri tribuat, de quo l. 6. c. 2. & 3. pag. 231. & 235.

DOMINICA XXIII.

Princeps unus accessit & adoravit eum. Matth. 9.

1. Si adorare hîc accipiatur pro cultu latriæ, Christus sic adoratus à Principe, & consequenter sic in Eucharistia adorari potest, quod negant adversarii: *vide* lib. 15. cap. 6. per totum, pag. 681.

2. Si adorare accipiatur impropriè pro honore politico, civili aut religioso, patet, quod malè calumnientur adversarii Catholicos, sanctis talem honorem exhibentes. l. 6 c. 1. per tot. pag 228.

3. *Si tetigero tantùm fimbriam vestimenti ejus, salva ero.*

Putabat hæc mulier Christum esse Prophetam, & cùm ex devotione ejus vestimenta attingeret, Christus eam remuneravit sanitate; malè ergo taxantur Catholici ab adversariis, quod reliquias venerentur l. 7 c. 2 a. 1 & seqq. pag 259.

DOMINICA XXIV.

Si quis dixerit ecce hic est Christus, aut illic nolite credere. Matth. 24.

1. Ex Evangelio manifestè patet quòd Christus hic voluerit præmonere, ne seducamur à sectis, quæ sunt hîc aut illic, hoc est, certis solum locorum limitibus concluduntur: Ecclesia autem vera, universalis est, quod signum esse veræ Ecclesiæ Christus hic præmonet. l. 4 cap. 8 art. 3. pag. 17.

Item quid sit dici Christum hic aut illic esse, l. ult. c. 3 a 4. pag 871.

2. Tunc apparebit signum filii hominis: signum hoc Chrysostomus, Hieron. & alii dicunt esse signum crucis, cúmque illud præ cœteris instrumentis passionis apparebit, meritò præ cœteris venerantur Catholici. l. 7. c. 8 per tot. pag. 281.

IN FESTO S. ANDREÆ.

Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. Matth 4.

Docetur manifestè ministros Ecclesiæ debere legitimè vocari, ipse Christus voluit ita vocari ad Heb. 2. hæretici sibi plus assumunt quàm Christus & Apostoli, quia non sunt legitimè vocati. lib. 19. Cap. 2. a. 2. n. 1. & seqq pag 827.

IN FESTO S THOMÆ.

Beati, qui non viderunt, & crediderunt. Ioann. 20.

1. Christus arguit Thomam, quòd referentibus aliis credere noluerit; meritò igitur repræhendendi adversarii, quia successoribus Apostolorum credere nolunt, quæ successio est in Ecclesia Catholica. l. 6. c. 6 a 6 p. 9[illegible].

2. Thomas credere dicentibus Christum resurrexisse nolebat, quia id comprehendere non poterat, sic adversarii malè credere nolunt præsentiam Christi in Eucharistia, quia illam non possunt comprehendere, l. 15. c. 2 a. 1. & seqq p. 631 &c. c. 3. per totum, p. 618.

IN NATIVITATE DOMINI.

Natus est vobis hodie Salvator. Luc. 2.

1. Adversarii volunt, quod Christus sit Salvator salvans sine operibus, salvans per justitiam imputativam, quod improbatur. l. 9. c. 4. a. 5. p. 378.

2. Pax hominibus bonæ voluntatis *Luc.* 3. Adversarii pacem falsam prædicant, fundatam in certa fide præsestinationis, quæ reprobatur. lib. 4. cap. 6 a 1. & seqq pag. 415.

Digitized by Google

IN FESTO S. STEPHANI.

Ecce mitto ad vos Prophetas & sapientes. Matth. 23.

1. Ad Judæos quondam specialiter missi Prophetæ, & novissimè veniens ipse et Christus: Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt damus Israël. Matth. 15. unde ostenditur, quòd Synagoga Judæorum fuerit primaria pars veræ Ecclesiæ. Lib. 4. cap. 2. art. 1. pag. 99.

2. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, Judæorum Synagoga post Christi passionem deserta, non est vera Ecclesia. Lib. 4. cap. 2. art. 2. pag. 99. Templum eorum desertum. art. 4. pag. 201.

IN FESTO S. JOANNIS EVANG.

Scimus quia verum est testimonium eius. Joann. 21.

1. Quare verum est testimonium ejus, nisi quia illi astitit Spiritus S. etiam ille promisit assistentiam suam Ecclesiæ usque ad consummationem sæculi, contra adversarios. Lib 3. cap. 8. per totum, p. 66.

2. Cùm senueris extendes manus tuas.

Prædixit hîc Christus Petro martyrium, quod Romæ perpessus est, quod ibi factum negant adversarii, ut meliùs negent Principatum Romanæ cathedræ, quæ probatur. Lib. 5. cap. 3. art. 5. & seqq. pag. 206. &c. & lib. ult. cap. 1. art. 5. pag. 847.

IN FESTO INNOCENTIUM.

Qui consurgens accepit puerum. Matth. 2.

1. Docetur in S. Josepho simplicitas & promptitudo ad credendum, & obediendum, talem malè habere nolunt adversarii erga matrem Ecclesiam catholicam Romanam, in qua sola est salus. Lib. 3. cap. 2. art. 1. & seqq. pag. 49.

2. Festum Innocentium ante sæcula celebravit Ecclesia ut Augustinus & alii Patres testantur, unde patet infantes capaces salutis per martyrium, seu baptismum sanguinis, & juxta Ecclesiæ doctrinam eodem modo capaces baptismi, ac in hoc audienda universalis Ecclesiæ consuetudo, quæ ideo cum parvulis festinat ad Baptismum. Lib. 13. cap. 3. per totum, pag. 606.

IN FESTO S. SYLVESTRI.

Sint lumbi vestri præcincti. Luc. 2.

1. Christus vult discipulos suos lumbos præcingere, qui præcinguntur per continentiam juxta expositionem Patrum: Nam lumbos præcingunt, qui consiliorum Evangelicorum perfectionem sequuntur, de qua lib. 11. cap. 2. per totum pag. 508.

Specialiter de consilio continentiæ perpetuæ, ejusque excellentia. Cap. 3. art. 1. & seqq. pag. 514.

2. Et lucernæ candentes, &c. per has intelligitur ardor charitatis, ad quam conducunt hæc consilia. Lib. 11. cap. 2. art. 2. & 3. pag. 509.

IN FESTO CIRCUMCISIONIS.

Ut circumcideretur puer. Luc. 2.

1. Christi circumcisio indicat eum in carne venisse, quod aliqui negant, & quinam illi. Lib. ult. cap. 3. art. 3. pag. 870.

Hócque Acatholicis competit, quorum Ecclesia non est una. Lib. 1. cap. 1. art. 3. num. 4. pag. 3. & lib. 4. cap. 7. art. 1. pag. 153.

2. Ut circumcideretur puer:

Potest hîc dici de efficacia sacramentorum. Lib. 12. cap. 2. art. 3. & seqq. pag. 568.

IN EPIPHANIA DOMINI.

Et venimus adorare eum. Matthæi. 2.

1. Docetur hîc norma peregrinationis Catholicorum, quia Magi profecti devotionis & Religionis causâ cum muneribus, ita faciunt Catholici, malè rident adversarii similes cæremonias de peregrinatione ad loca sancta. Lib. 6. cap. 6. art. 3. n. 3. pag. 247. Lib. 7. cap. 9. art. 6. num. 7. pag. 299. & 300. Ad memorias martyrum. Lib. ult. cap. 2. art. 2. num. 25. & seqq. pag. 854.

2. Docetur evidenter non esse malum sed bonum adorare Christum, quod ipsi in Eucharistia malè negant adversarii. Lib. 15. cap. 6. per totum. pag. 681.

IN FESTO PURIFICATIONIS.

Offerens par turturum, aut duos pullos columbarum. Luc. 2.

1. Docentur cæremoniæ sacramentales contra adversarios. Lib. 12. cap. 4. art. 2. & seqq. pag. 578.

2. Impleti sunt dies purificationis, &c.

B. Virgo, quæ non egebat purificatione, voluit equidem deferre publicè Ecclesiæ, & se offerre mundandam. Adversarii etsi egeant, nolunt Ecclesiæ se sistere mundandos in confessione, ad quod tamen eos teneri docet potestas tradita. Lib. 17. cap. 7. art. 3. & seqq. pag. 798.

IN FESTO S. MATTHIÆ.

Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelâsti ea parvulis. Matth. 11.

1. Sapientes & prudentes hîc à Christo vocantur ii, qui sibi ipsis videntur sapere, tales sunt adversarii, qui præsumunt per se ipsos omnem scripturam intelligere, controversias occurrentes decidere, ideo veritas illis est abscondita, revelata autem parvulis Catholicis, qui non sibi sic sapiunt, sed illa Ecclesiæ & Conciliis committunt, quæ errare non posse probatur. Lib. 3. cap. 5. art. 1. & seqq. pag. 73.

IN FESTO S. JOSEPHI.

Ioseph vir eius cùm esset iustus & nollet eam traducere. Matth. 10.

1. Joseph eò quòd esset justus, etsi videret B. Virginem imprægnatam, & id nullatenus capere posset, noluit tamen traducere. Adversarii mysterium Eucharistiæ, eò quòd capere non possint, traducunt idololatriam clamant, credere malè nolunt. Lib. 15. cap. 3. art. 4. & seqq.

2. Cùm esset justus; potest dici de vera justificatione, quâ non extrinsecè tantùm, sed intrinsecè justus quis dicitur, & est per veram peccatorum remissionem, & gratiæ infusionem. Lib. 9. cap. 4. art. 4. & seqq. pag. 377.

IN FESTO ANNUNTIATIONIS.

Ave gratiâ plena. Luc. 1.

1. Meritò Catholici honorant B. Virginem, quæ ab Angelo gratiâ plena dicitur, contra adversarios. Lib. 6. cap. 2. art. 3. pag. 233.

2. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?

S. Augustinus & alii hæc verba explicant de virginitatis voto, quod irrident Adversarii. Lib. 11. cap. 7. art. 3. & seqq. pag. 438.

IN FESTO SS. PHILIPPI ET JACOBI.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Joann. 14.

1. Mansiones has diversas esse & dispares juxta disparitatem meritorum & verba Christi, & interpretatio Patrum ostendit, ut Gregorius lib. ult. Moral. cap. 24. &c. patet ergo falsitas adversariorum negantium merita. Lib. 10. cap. 5. art. 4. & seqq. pag. 467.

2. Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me.

Meritò ipsum exclamare possumus de adversariis, qui tanto tempore sunt apud Catholicos, videntes

videntque notas Ecclesiæ veræ in ipsa, & tamen eam non agnoscunt. lib. 5. per tot.

3. Nemo venit ad Patrem nisi per me.

Ex hoc loco nolunt Adversarii SS. pro nobis intercessionem, & accusant quòd alios mediatores quærant Catholici, sed quàm malè, *vide* l. 6. c. 5. per totum, pag. 241.

IN FESTO INVENT. S. CRUCIS.

Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ità exaltari oportuit Filium hominis. Joann. 3.

Christus hic videtur apertè docere, non minùs intuendam S. crucem, quàm serpentem in deserto, quia hic figura solùm fuit crucifixi juxta se Patres, ergo S. crux honoranda contra adversarios. l. 7. c. 8. per tot. p. 285.

IN FESTO ASCENSIONIS.

Exprobravit incredulitatem eorum, & duritiem cordis. Marci ult.

Arguit Christus quòd noluerint credere dicentibus, multò magis arguendi adversarii, qui Ecclesiæ & verbo Dei non scripto credere nolunt; ex traditionibus l. 2. c. 2. & seqq. p. 17.

2. *Signa qui crediderint, hæc sequentur, &c.*

Signa talia in Ecclesia Catholica facta sunt, nulla ab adversariis. l. 4. c. 8. art. 1. & 2.

IN FESTO V. SACRAMENTI.

Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Joann. 6.

Quid clariùs pro Catholicis. l. 15. per tot. singulariter per tot. c. 2. & 3. p. 644.

IN FESTO S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Ioannes est nomen eius. Lucæ 7.

Singularia nomina ab Ecclesia in baptismo bene imponi hinc patet, idque ob causas singulares fieri. Sic Theodoretus l. 8. de curatione gratiæ docent nomina *SS.* imponi, ut illi sint singulares custodes & Patroni, patrocinium illud malè negant adversarii. l. 6. c. 5. per tot. 241.

2. Quis putas puer iste erit? potest hic dici, quomodo Christus laudat Joannem à vita eremitica austera, *&c.* contra hæreticos, qui talia rident in Religiosis, quorum status sanctus & pius esse probatur. l. 11. c. 10. a. 3. p. 499.

IN FESTO PETRI ET PAULI.

Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Matth. 16.

1. Pronunciat hic Christus Petrum veram petram ac fundamentum Ecclesiæ. lib. 5. cap. 3. art. 2. & seqq. pag. 201. & l. ult. c. 1. art. 3. p. 841.

2. Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.

Patet manifestè hinc stabilitas Ecclesiæ, quam negant adversarii. l. 3. c. 3. a. 3. & seqq. p. 57.

IN FESTO VISIT. MARIÆ.

Et unde hoc mihi, ut Mater Domini mei veniat ad me. Luc. 1.

1. Spectabilis illa senex Elisabeth, B. Virginem benedictam in mulieribus, clamat, indignam se agnoscit, quòd illa juvencula B. V. ad ipsam veniat, bene ergo sequitur, quòd meritò honoranda sit contra Acatholicos suis mulieribus æquiparantes, & vituperantes. l. 6. c. 2. a. 3. p. 233.

2. Ecce enim ut facta est vox salutationis, exultavit infans, *&c.* Vnde Lutherus sumpsit paradoxum suum de fide infantûm in baptismo; non tamen salvantur infantes sine omni fide. l. 2. c. 2. a. 5. n. 3. p. 16. & l. 13. c. 3. art. 4. p. 610.

IN FESTO MARIÆ MAGDALENÆ.

Stans retro secùs pedes eius lacrymis cœpit rigare. Luc. 7.

1. Proponitur doctrina Catholica de pœnitentia; quòd verus dolor & opera pœnalia requirantur contra adversarios. Vnde pœnitentiam sancti Patres vocant laboriosam, baptismum lacrymarum, *&c.* lib. 12. c. 2. a. 4. n. 4. & seqq. p. 808.

2. Remittuntur tibi peccata tua, *&c.* quis est hic, *&c.*

Vbi quidam mirabantur, quòd Christus peccata dimitteret, sic & hæretici calumniantur Ecclesiam Catholicam, eò quòd solius Dei sit remittere peccata, sed refelluntur. l. 17. cap. 1. art. 4. & seqq. pag. 799.

IN FESTO S. JACOB.

Potestis bibere calicem quem ego, &c. Matt. 20.

1. Multos labores sustinuerunt Apostoli, ipsúmque martyrium pro Christi fide prædicanda, prout facit Ecclesia Romana ad Indos mittens prædicatores. l. 5. c. 2. a. 7. n. 8. p. 198.

Hæretici instar tineæ pannum, de quo nati, corrodunt. l. 4. c. 8. art. 3. p. 172.

2. Potestis bibere calicem, *&c.* urgent hæretici calicem sanguinis Domini, quantumvis nolint calicem passionis, vide de communione sub utraque specie, eam sc. non posse urgeri. l. 15. c. 7. a. 1. & seqq. paginâ 690. & libro ultimo cap. 2. art. 6. pag. 860.

IN FESTO S. ANNÆ.

Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare. Matth. 13.

Per sagenam intelligitur Ecclesia aliqua Christiana, nam aliud sagena, aliud mare, in quod missa, mare enim mundum significare constat, excluduntur Judæorum, & Mahometanorum sectæ, de quarum absurda doctrina. Vide lib. 4. c. 2. per totum, pag. 99 & seqq. & c. 3 per totum, p. 120.

A fortiori rejicitur impietas Politicorum seu Atheorum, qui nequidem Deum aliquem agnoscunt, sed arguuntur ex ratione naturali. l. 4. c. 1. art. 2. & seqq. pag. 95.

Non autem intelligitur & sufficit quælibet Christiana, sed talis, quæ ab initio in mare missa, fideles complectitur usque ad littus, qualis est solùm una, sicque excludit omnes hæreticos. cap. 4. per totum. Sagena una complectitur bonos & malos usque in finem, sic Ecclesia una bonos & malos contra Acatholicos. l. 3. c. 2. a. 3 & 4. p. 48.

IN FESTO S. LAURENTII.

Si quis mihi ministraverit, honorificavit eum Pater meus. Joh. 12.

1. Docetur quòd ministeria Deo facta consequantur honorem in cœlis, ergo possunt aliquid mereri, quod negant adversarii. l. 10 cap. 5. art. 4. paginâ 467.

2. Patet ex historia S. Laurentii eum fuisse diaconum. Potest ergo probari sacramentum ordinis. l. 19. c. 1 a. 3. p. 822.

3. Honorificabit eum Pater, si Pater in cœlis honorabit Sanctos, cur non etiam nos in terris. l. 6. c. 1. per tot. p. 228.

IN FESTO ASSVMPT. B. M.

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Luc. 10.

1. Docuit his verbis Christus optimam esse vitam

 soli-

Digitized by Google

solitariam speculativam, sedere ad pedes Christi, id optimè facere possunt Religiosi ab omnibus liberi: contemnunt adversarii. lib. 11. c. 1. a. 3. p. 499. idq; practicatum fuit tempore apostolorum & laudatum. l. 11. c. 1. a. 1. & 2. p. 496.

2. Maria Mater Dei post Christum optimam partem eligens, meritò Regina cælorum dicitur & colitur contra Acatholicos. l. 6. c. 2. a. 3. p. 233.

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI.

Vocavit discipulos suos & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit, Luc. 6.

4. Patet quòd Christus voluerit in Ecclesia habere bonam hierarchiam. l. 3. c. 6. a. 3. p. 86. quam ideo instituit monarchiam, quia unum habet caput sc. Christum. l. 5. c. 3. a. 2. n. 1. p. 201. Præter hunc absque injuria quomodo unum visibile in terris caput adstruendum ibidem & p. 203. & seqq.

2. Hieronymus in præfatione in 4. Euangelia, & alii Patres dicunt, olim fuisse circumlatum Euangelium sub nomine Bartholomæi, adversarii non habent regulam, per quam illud rejiciant, Catholici ex traditione agnoscunt illud falsum esse Euangelium. l. 2. c. 2. a. 3. p. 13.

IN FESTO NATIV. B. M. V.

Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ. Matt. 9.

Apostolus & Euangelista Matthæus per lineam genealogicam, ex instinctu Spiritûs Sancti, Christum Filium David & verum Messiam demonstrat, id meritò imitatur Ecclesia per continuam Episcoporum successionem suam veritatem contra adversarios demonstrans l. 3. c. 6. a. 6. p. 90. & l. 5. c. 2. a. ult. p. 198.

IN FESTO S. MATTHÆI.

Misericordiam volo & non Sacrificium. Matt. 9.

Adversarii volunt hîc sacrificium à Christo reprobatum, sed quàm malè, vide l. 16. per totum.

IN FESTO S. MICHAELIS.

Angeli eorum vident faciem Patris. Matt. 18.

1. Christus singulariter monet non contemnendum scandalum parvulorum propter angeli præsentiam; ergo vult ipsos angelos honorari contra adversarios l. 6. c. 1. a. 3. p. 230.

2. Sanctos non esse invocandos docent adversarii, quia non audiunt preces nostras, & non vident miserias, saltèm id de angelis negare non audent, illi ergo possunt invocari, & ipsi possunt Sanctis indicare, & consequenter & ipsi Sancti invocari contra adversarios. l. 6. c. 6. a. 1. & seqq. p. 245.

IN FESTO SIMONIS ET JUDÆ.

Si sermonem meum servaverunt, & vestrum quoque servabunt. Joann. 15.

1. Docet Euangelium contra adversarios quòd sit potestas in Ecclesia dandi præcepta, quia quòd sermonem etiam Apostolorum & successorum servabunt: potestas illa probatur. l. 12. c. 4. a. 3. p. 578.

2. Odio habuerunt me gratis, bene id dicere pôtest Mater Ecclesia, quia sine causa recesserunt ab ea. l. 4. c. 7. a. 6. &c. p. 160.

IN FESTO OMNIUM SS.

Gaudete & exultate, quia merces vestra copiosa est in cælis. Matt. 5.

1. Manifestè docetur merces bonorum operum contra adversarios. l. 10. c. 5. a. 4. & seqq. p. 467.

2. Mercedem copiosam Sanctorum minuunt adversarii dicentes, quòd Sancti non sciant, quæ aguntur in terris, ideoq; honorari à nobis non debeant & venerari. l. 7. c. 1. per tot.

IN COMMEMORATIONE OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM.

Et procedent, qui bona egerunt in resurrectionem vitæ, &c. Joann. 5.

Docetur clarè necessitas bonorum operum ad salutem contra adversarios, cum vita æterna absolutè illis adscribatur, l. 10. c. 4. a. 3. & seqq. p. 452.

Deinde potest hîc probari purgatorium, ut habetur l. 8. c. 4. per totum, p. 320. & quomodo animæ per opera bona possint ibidem juvari c. 3. per totum, pag. 310.

IN FESTO S. MARTINI.

Vide ergo ne lumen, quod in te est tenebræ sint. Lucæ 11.

Bene arguit Christus his verbis quemlibet adversarium, qui lumen sufficiens habet ad fidem veram orthodoxam suscipiendam, quia videt notas veræ Ecclesiæ, l. 4. c. 2. art. 1. & seqq. p. 188.

IN FESTO S. CATHARINÆ.

Decem Virgines exierunt obviam sponso. Matt. 25.

1. Laudat Euangelium virginitatem, ut alibi sæpius l. 11. c. 3. art. 1. & seqq. p. 514.

2. Nescio vos virgines fatuæ sunt reprobatæ, quia post somnum invenerunt lampades vacuas, adeoque nemo certus esse potest in hac vita de sua justitia. lib. 9. c. 4. art. 2. & seqq. p. 399.

3. Nec etiam de sua prædestinatione aut perseverantia ibidem c. 6. art. 2. p. 416.

Prudens lector, qui in hoc Indice aliqua desideraverit, in Indice Rerum notabilium copiosiùs reperire poterit.

Laus Deo Virginique Matri.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Google

Digitized by Google